Abbeys, Priories, and Religious Houses, Dissolution of, 27 H. 8. c. 28. 31 H. 8. c. 13. 32 H. 8. c. 24. 1 E. 6. c. 14. 2 & 3 E. 6. c. 8. 1 Eliz. c. 19. 1 Jac. 1. c. 25. 21 Jac. 1. c. 28. 1 Car. 1. c. 3. 16 Car. 1. c. 10. 12 & 13 W. 3. c. 2. 1 Ann. c. 30. 4 Ann. c. 16. 5 Ann. c. 3. 6 Ann. c. 26. 7 Ann. c. 5. 9 Ann. c. 21. 10 Ann. c. 11. 12 Ann. c. 7. 1 G. 1. c. 50. 3 G. 1. c. 6. 5 G. 1. c. 4. 6 G. 1. c. 18. 8 G. 1. c. 25. 9 G. 1. c. 44. 10 G. 1. c. 19. 11 G. 1. c. 18. 12 G. 1. c. 32. 13 G. 1. c. 29. 1 G. 2. c. 10. 2 G. 2. c. 38. 3 G. 2. c. 29. 4 G. 2. c. 31. 5 G. 2. c. 30. 6 G. 2. c. 37. 7 G. 2. c. 20. 8 G. 2. c. 24. 9 G. 2. c. 36. 10 G. 2. c. 19. 11 G. 2. c. 17. 12 G. 2. c. 28. 13 G. 2. c. 14. 14 G. 2. c. 20. 15 G. 2. c. 30. 16 G. 2. c. 11. 17 G. 2. c. 37. 18 G. 2. c. 20. 19 G. 2. c. 32. 20 G. 2. c. 42. 21 G. 2. c. 30. 22 G. 2. c. 46. 23 G. 2. c. 31. 24 G. 2. c. 40. 25 G. 2. c. 29. 26 G. 2. c. 33. 27 G. 2. c. 16. 28 G. 2. c. 19. 29 G. 2. c. 31. 30 G. 2. c. 24. 31 G. 2. c. 22. 32 G. 2. c. 28. 33 G. 2. c. 30. 34 G. 2. c. 31. 35 G. 2. c. 32. 36 G. 2. c. 52. 37 G. 2. c. 42. 38 G. 2. c. 50. 39 G. 2. c. 37. 40 G. 2. c. 52. 41 G. 2. c. 44. 42 G. 2. c. 49. 43 G. 2. c. 46. 44 G. 2. c. 30. 45 G. 2. c. 30. 46 G. 2. c. 32. 47 G. 2. c. 29. 48 G. 2. c. 151. 49 G. 2. c. 26. 50 G. 2. c. 32. 51 G. 2. c. 37. 52 G. 2. c. 42. 53 G. 2. c. 23. 54 G. 2. c. 41. 55 G. 2. c. 43. 56 G. 2. c. 42. 57 G. 2. c. 41. 58 G. 2. c. 45. 59 G. 2. c. 30. 60 G. 2. c. 19. 61 G. 2. c. 30. 62 G. 2. c. 42. 63 G. 2. c. 30. 64 G. 2. c. 29. 65 G. 2. c. 30. 66 G. 2. c. 42. 67 G. 2. c. 30. 68 G. 2. c. 29. 69 G. 2. c. 30. 70 G. 2. c. 42. 71 G. 2. c. 30. 72 G. 2. c. 29. 73 G. 2. c. 30. 74 G. 2. c. 42. 75 G. 2. c. 30. 76 G. 2. c. 29. 77 G. 2. c. 30. 78 G. 2. c. 42. 79 G. 2. c. 30. 80 G. 2. c. 29. 81 G. 2. c. 30. 82 G. 2. c. 42. 83 G. 2. c. 30. 84 G. 2. c. 29. 85 G. 2. c. 30. 86 G. 2. c. 42. 87 G. 2. c. 30. 88 G. 2. c. 29. 89 G. 2. c. 30. 90 G. 2. c. 42. 91 G. 2. c. 30. 92 G. 2. c. 29. 93 G. 2. c. 30. 94 G. 2. c. 42. 95 G. 2. c. 30. 96 G. 2. c. 29. 97 G. 2. c. 30. 98 G. 2. c. 42. 99 G. 2. c. 30. 100 G. 2. c. 29.

Amor. Amicitia.

Amor eſt prima inclinatio voluntatis in bonum propoſitum, tamquam per ſe expetibile, abſtrahens à preſentia & abſentia. n.4

Ad amicitiã quatuor requiruntur. 1. vt ſit amor non concupiſcentiæ, ſed beneuolentiæ. 2. vt ſit amor mutuus. 3. vt hic amor mutuus nitatur aliqua communione bonorum, qua vterque amicus participet, vel communionem ſanguinis, vel eiuſdem inſtituti, ſiue officij, vel virtutis. 4. vt hic amor mutuus non lateat ipſos amantes. 1

Amare Deum ſuper omnia tenetur appretiatiuè, non verò intenſiuè. 2

Filij tenentur amare parentes, qui amor conſiſtit in fuga odij, quod eſt præceptum negatiuum, non habendo, ſcilicet, odio parentes, & in exhibitione ſignorum amoris, quod eſt præceptum affirmatiuum, obligans ad amandum parentes ſaltem cùm ſubeſt neceſſitas. 2

Plura de amore Dei & proximi. *v. Charitas*.

Amphibologia.

Cum aliqua amphibologia licitum eſt iurare ex cauſa iuſta, quando verba quę vſurpantur, ſunt ex ſignificatione ſua & communi audientium vſu ambigua, & proinde vtrumque ſenſum, tam iurantis, quàm interrogantis recipientia. n.10

Amphibologia non licet vti in iuramento, quando verba talia non ſunt; ſed in ſenſum verum detorquentur ex ſolo aliquo addito mente iurantis concepto, id enim ſemper eſt mendacium & conſequenter periurium mortale. ibid.

Cauſæ iuſtæ vtendi his amphibologijs & æquiuocationibus, ſunt, quoties id neceſſarium eſt aut vtile, ad ſalutem corporis, bonorem res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens ac ſtudioſa. ibid.

Qui orationem de futuro confirmat iuramento, vtendo aliqua amphibologia, fuco verborum, aut aliqua conditione tacitè ſubintellecta, atque adeò iurat id quod eſt verum ſecundum mentem ſuam, falſum autem ſecundùm mentem eius cui iuratur, peccat mortaliter, ſi faciat vel ſponte ſe offerens ſine neceſſitate, vel à ſuperiore legitimè iuſſus iurare. 11

De amphibologia vide caſum notabilem *verb. Abſolutio*. n.17

Amplexus.

Amplexus, oſcula, tactus tripliciter fieri poſſunt. 1. in ſignum amicitię & iuxta conſuetudinem patrię. 2. cauſa delectationis concubitus. 3. cauſa ipſius tactus vel oculi ſecundùm ſe conſiderati, vt eſt delectabilis carni & remotè diſponens ad ſeminationem. n.1

Amplexus, oſcula & tactus ex ſe & obiecto ſuo ſunt res quædam indifferentes, quia eiuſmodi opera ſunt actiones, & ſenſationes quædam, quæ poſſunt bene & malè fieri, licitè & illicitè. ibid.

Amplexus, oſcula & tactus cauſa amicitiæ ſecundùm patriæ conſuetudinem, non ſunt peccata, ſed res per ſe licita, ſicut & delectatio inde ſequens licita eſt. 3

Amplexus, oſcula & tactus habita cauſa delectationis venereæ, inter ſolutos ſunt peccata mortalia. 4

Amplexus, oſcula & tactus, tunc dicuntur libidinoſa, quando ſiunt ex intentione actus luxurioſi vel delectationis eius. 5

Amplexus, oſcula & tactus quæ fiunt ob ſolam delectationem ſenſibilem, quæ in ipſis eſt, abſque admixtione alterius delectationis concubitus, vel actus luxurioſi, non ſunt peccata mortalia. 7

Plura de amplexibus, *v. Impudicitia*.

Angelus.

Angeli ſancti cultu duliæ adorandi ſunt. n.8

Angeli pinguntur in ſpecie humana, quia in corporibus humanis ſe exhibuerunt videndos: finguntur iuuenes, vt exprimatur eorum vita perpetua, quæ nullo tempore ſeneſcit, ſed eſt ſemper virens. Alæ autem eis affinguntur, non quòd illis prædicti ſint, ſed quòd ſint Dei, à quo mittuntur, promptiſſimi nuncij. 10

Angelus non poteſt baptizare, quia non eſt homo, & non poteſt eſſe miniſter ſacramentorum abſque diuina diſpenſatione. 13

Appellare. Appellatio.

Appellatio eſt prouocatio à ſententia, vel alio ſuperioris grauamine, ad alium maiorem iudicem ſeu magiſtratum. n.1

Ab arbitris appellari non poteſt, ſi partium conſenſu delecti fuerint: nec à Summo Principe, nec ab eius delegato, & tertiò appellans non auditur. ibid.

Appellatio, vna eſt iudicialis, quæ de his inſtituitur, quæ circa iudicium accidunt. Altera eſt extraiudicialis, quæ extra iudicium interponitur ob aliud quodcumque grauamen illatum vel inferendum. 2

Appellatio iure ciuili non fit, niſi à ſententia definitiua, non item ab interlocutoria. 2

Appellatio intra decem dierum ſpatium à lata ſententia, vel alio grauamine fieri debet, alioquin ſententia tranſit in rem iudicatam. ibid.

Appellatio rationabilis ordinariè producit effectum ſuſpenſiuum & deuolutiuum. 3

Per appellationem non ſuſpenditur cenſura lata purè & abſolutè: neque ſi lata ſit ſub conditione, poſt conditionis euentum. 4

Appellatio legitima excuſat ab incurrenda cenſura lata ſub conditione, modò appellatio fiat ante conditionis euentum. ibid.

Appellatio à ſententia ſub conditione lata excuſat ab incurrenda pœna, etiamſi poſteà appellatio ipſa fuerit derelicta. 5

In dubio, an appellatio præceſſerit ſententiam excommunicationis, vel vtrum facta ſit poſt, præſumitur excommunicationem ipſam præceſſiſſe, non verò appellationem. ibid.

Valida eſt appellatio à ſententia declaratoria. 6

Ad legitimam appellationem requiritur, vt appellatio fiat cum probabili & ſufficienti cauſa, vel pro tali reputata; deinde vt fiat debito tempore, hoc eſt, intra decem dies. 7

Appellans iniuſtè, vt tempus exequendæ ſententiæ differat, omni iure obligatur ad expenſas litis & alia damna aduerſario illata. 8

Religioſis prohibitum eſt appellare ſub pœna excommunicationis, niſi ſeruatis ſtatutis ordinis: ad ſæcularia autem tribunalia illis non licet appellare ſub eadem pœna & priuationis officiorum. 9

Religioſus poteſt recurrere ad ſuperiorem ſupremum, ſi ne inferioris Prælati licentia, quando ab illo nimium fuit vexatus & iniquè grauatus: non obſtante decreto Concilij Tridentini: hoc enim fit per viam appellationis iuſtæ. ibid.

Cenſura lata poſt appellationem legitimam, ipſo iure eſt irrita: ideoque neque timenda, neque obſeruanda eſt, niſi ſcandali vitandi ratio id exigat. 33

Appellatio in die feſto ex conſuetudine licita eſt, ſi fiat ſine magno ſtrepitu: proſecutio autem appellationis, non eſt licita in die feſto, quia fieri ſolet cum maiori ſtrepitu. 18

Apoſtaſia.

Apoſtaſia alia eſt à fide, alia à clericatu, alia à religione. n.1

Apoſtaſia à fide differt ab hæreſi tamquam maius à minore; apoſtata enim fidem Chriſtianam penitus abnegat, hæreticus verò vnum aut aliquos articulos. ibid.

Apoſtaſia ſpectat vel ad Iudaiſmum, vel Paganiſmum vel Atheiſmum: & hæ infidelitates ſpecie differunt & in confeſſione explicandæ. 1

Apoſtatis & hæreticis multæ ſunt pœnæ canonico iure decretæ: ſcilicet, excommunicatio maior, irregularitas, infamia iuris, &c. Iure autem ciuili eſt mortis ſupplicium. 2

Apoſtaſia à ſacro ordine eſt, cùm quis à perfectiore ſtatu clericali, quem in manu Epiſcopi, edito etiam continentiæ voto, aſſumpſerat, ad ſtatum coniugij, vel laicæ conuerſationis, dimiſſo habitu propria temeritate ſe transfert: & talis ipſo iure eſt infamis. 3

Apoſtaſia à religione eſt criminoſa & mortifera receſſio à religioſi ordinis inſtituto, ſine reuertendi propoſito, ſiue habitus religioſus abijciatur, ſiue non. 4

Epiſcopus regularis renuncians Epiſcopatui & manens in ſæculo, nec rediens ad religionem, non eſt verè apoſtata: ſi verò propter crimen deponeretur, verius eſt eſſe velut apoſtatam, ſi ad religionem non redeat. ibid.

Religioſus clericus apoſtata eſt dupliciter apoſtata. ibid.

Apoſtata à religione excommunicationem à iure latã non incurrit, niſi temerè habitum dimittat. ibid.

Temeraria habitus dimiſſio eſt, quando fit mutatio in alium habitum ad ſe occultandum, vel hoc modo incedendum: & ad finem liberiùs vagandi. ibid.

Apoſtata & fugitiuus à religione, vbique capi poteſt à ſuo Superiore, etiam extra monaſterium, & territorium. 5

Religioſus apoſtata non gaudet priuilegijs religionis, ſi habitum dimittat, prætendens irritam eſſe profeſſionem. 6

Apoſtata vel fugitiuus priuatur alimentis ſeu iure alimentorum, quæ religio ei adhibuiſſet. 6

Apoſtata à religione ordinem ſuſcipiens durante apoſtaſiam, non poteſt

poteſt in ordine ſuſcepto miniſtrare. ibid.

Apoſtatæ vel fugitiui bona acquiruntur modò Cameræ Apoſtolicæ: quòd ſi tales ſint ordine minorum, poſſunt Prælati religionis accipere talia bona, & vti illis, ſi talia ſint, quorum vſum liceat fratribus habere. 7

Monaſterium non tenetur ſoluere debita apoſtatarum & fugitiuorum, nec ſuccedit in illorum obligationibus paſſiuis: quānis ſuccedat in actiuis, & in iuribus: vilibus tamen monaſterium ſi id propter quod debitum fuit contractum, conuerſum ſit in vilitatem monaſterij. ibid.

In aliquibus religionibus apoſtatæ vel fugitiui excommunicationem incurrunt, etiamſi habitum non deſerant. 8

Omnes & ſinguli qui retinent apoſtatas, ſeu auxilium præſtant, ne redeant, ad ſuum monaſterium, ſi ab Ordinario admoniti non deſiſtant, excommunicationem incurrunt. 9

Prælati religionum tenentur fugitiuos, eiectos & apoſtatas data opportunitate annuatim reuocare, ſi ſpes ſubſit emendationis: & tranſgreſſoribus impoſita eſt pœna priuationis officiorum, vocisque actiuæ, & paſſiuæ perpetuæ inhabilitatis ad illa in poſterum obtinenda. 10

Apoſtaſia à religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento, quando eò peruenerit vt extra ſepta monaſterij, ſeu conuentus fiat egreſſio, poteſt reſeruari ab Ordinum Superioribus. 40

Apoſtaſia à fide, vel hæreſis in quæ alter coniux labitur, eſt cauſa ſufficiens diuortij, & hoc eſt de fide. 16

Apoſtatæ à fide, hæretici non ſunt capaces indulgentiæ. 1

Apoſtatæ à fide & hæretici iure prohibentur, ne hæredes vel legatarij inſtitui poſſint. 7

Approbatio.

Approbatio confeſſarij nihil aliud eſt, quàm iuſtum iudicium, ſeu publica ſententia authenticaque atteſtatio quædam de ſacerdotis eam iure ſuo petentis ſufficientia, quantùm ad ſcientiam & alia requiſita ad audiendas confeſſiones fideliũ, ſi iuriſdictio ei delegetur. n. 1

De approbatione confeſſariorum, vide *v. Confeſſarius* 3.

Aqua Benedicta.

Si aqua non benedicta infundatur benedictæ, totum erit benedictum, modo id quod additur, non ſit in quantitate notabiliter excedente. n. 11

Aqua benedicta numeratur inter ſacramentalia, quibus ſolet attribui effectus remiſſionis venialium. 7

Arbiter. Arbitrium.

Arbiter ſtrictè ſumptus, eſt is, quem partes mutua inter ſe conuentione ſibi eligunt, qui controuerſias inter ipſas dirimat. Latè ſumptus, comprehendit quemlibet exiſtimatorem. n. 1

Arbitrator eſt amicabilis compoſitor, qui à partibus eligitur, vt pro bono pacis ſeruandæ, vnius iuri demere, & alteri tribuere poſſit. ibid.

Arbitrium eſt ſententia lata ab arbitro. Arbitramentum verò eſt ſententia prolata ab arbitratore. 2

Nemo poteſt eſſe arbiter in propria cauſa, bene tamen arbitrator. ibid.

Arbitri eſſe nõ poſſunt, minores 20. annis, nec mutus, ſurdus, ſeruus, nec mulier, niſi eſſet Regina, Ducilla, Marchioniſſa, nec religioſus, niſi de licentia Prælati, nec excommunicatus, nec iudex ordinarius, nec laici in cauſa ſpiritualibus. 3

Materia arbitrij & compromiſſi, eſt in omni cauſa & re, quæ non inuenitur prohibita. 4

In cauſis criminalibus compromitti non poteſt, nec dari arbitrium, neque de rebus ſpectantibus ad communitatem, neque de cauſa ſpectante ad vinculum matrimonij. ibid.

Arbitri poteſtas limitata eſt, & extra compromiſſum iudicare non valet. Iudex verò plura poteſt, vt punire, &c. 5

Arbitri debent ferre ſententiam præſentibus partibus. ibid.

In multis alijs differunt arbitria à iudicijs. ibid.

Iudex electus arbiter à collitigantibus ſub conditione vt iuxta ſuum iudicium debeat iudicare, & non iuxta aliorum, non poteſt alienam opinionem ſequi; ſi tamen æquè probabiliter duas opiniones ſuſtineat, iuxta quamlibet poterit iudicare. 17

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopus eſt ordinarius ſuperior ſuffraganeorum, ſiue Coepiſcoporum Prouinciæ. In cauſis tamen criminalibus adueſus Epiſcopum procedere non poteſt ſine licentia Summi Pontificis. 1

Archiepiſcopus nullam habet iuriſdictionem in ſubditos Coepiſcoporum; niſi in cauſa appellationis, vel dum Prouinciam viſitat. 2

Archiepiſcopus poteſt concedere indulgentias intra ſuam Prouinciam. ib.

Archiepiſcopus non poteſt Prouincialia ſtatuta condere ſine Synodo Prouinciali. 3

Archiepiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, Epiſcopi excommunicatione generaliter lata ligantur, niſi illorum fiat exceptio: Suſpenſione tamen & interdicto generaliter latis non ligantur, niſi illorum fiat expreſſa mentio. 18

Arctitudo.

Arctitudo fœminæ dicitur impotentia ex parte illius, quæ ſi tanta ſit, vt ſemen recipere intra vas non poſſit, irritat matrimonium: & hæc impotentia poteſt eſſe perpetua reſpectu vnius, quæ non erit reſpectu alterius. n. 77

Aromatarius.

Aromatarius conficiens medicinas ex rebus corruptis, irregularis eſt, ſi hac de cauſa ſequatur mors infirmi. n. 8

Articulus Mortis.

Articulus mortis ſeu periculum dicitur, quando adeſt probabile dubium de morte, quæ vt plurimùm ſoleat in eo euentu contingere, vt quando eſt ſuſceprurus periculoſam nauigationem, vel iter prædonibus expoſitum; aut quando fœmina eſt partui periculoſo proxima, & aliàs nondum peperit, &c. n. 31

In articulo mortis poteſt quis abſolui à quocumque ſimplici ſacerdote, quibuſcumque cenſuris & peccatis reſeruatis, etiam in præſentia Superioris, vel confeſſarij approbati. ibid.

Abſolutus in articulo mortis à caſibus reſeruatis ab eo, qui aliàs non poſſet, non tenetur ſi conualeſcat & ceſſante tali periculo coram ſuperiore comparare; cui iure ordinario abſolutio reſeruata erat: Secus ſi peccato annexa ſit cenſura excommunicationis reſeruata. 31

Confeſſarius abſoluens in articulo mortis ab excommunicatione reſeruata, in quam aliàs nullam habebat iuriſdictionem, debet ante abſolutionem ſi fieri à pœnitente poteſt iuramentum extorquere ſeſe ſublato impedimento non perpetuo, præſentandi coram ſuperiore. 7

In articulo mortis poteſt ſacra communio dari infirmo non ieiuno per modum viatici: & perſeuerante mortis periculo, poteſt ſumi Euchariſtia toties ab infirmis non ieiunis, quoties à ſanis ieiunis. 45

Quoties fideles exiſtunt in articulo mortis, tenentur confiteri, ſi habeant conſcientiam peccati mortalis etiamſi eodem anno confeſſi fuerint. 8

Qui præuidet fore quòd nõ ſit habiturus copiam confeſſarij, in articulo mortis, tenetur preuenire, oblata opportunitate confeſſarij, lethalia peccata ſua confitendo. 10

In articulo mortis, quando peccator non poteſt actum contritionis elicere, aut dubitat de ſua cõtritione, tenetur ad confeſſionẽ publicam vel per interpretem, ſe aliter non poſſit fieri. 2

In articulo ſeu periculo mortis, qui non poteſt confiteri niſi perſcriptum, ad id tenetur, maximè ſi commodè ſine periculo id poſſit. 3

In articulo mortis tenetur homo ex præcepto elicere actus fidei, quatenus homo tenetur ſe tunc ad Deum conuertere per actum contritionis, qui habet adiunctum actum fidei & ſpei implicitum. 16

In articulo mortis licet accipere baptiſmum, Euchariſtiam, ſacramentum pœnitentiæ ab excommunicato vitando, imò extremam vnctionem, quando infirmus eſt incapax alterius ſacramenti. 7

In articulo mortis homo tenetur ex charitate erga ſe ad perfectam contritionem procurandam, antequam ſacramentum pœnitentiæ ſuſcipiat. 4

Vide *v. Indulgentia* 2. n. 13. 14.

Ars Notoria.

Ars notoria eſt ſuperſtitio, qua quis credit ſe conſecuturum ſcientiam abſq; labore, per quædam ieiunia, orationes, inſpectiones figurarum, prolationes verborum ignotorum, & alia ſimilia vana & inefficacia. 1

Ars notoria est peccatum mortale ex suo genere, quia saltem tacitè inuocatur diabolus, eique tribuitur, quod solius est Dei. ibid.

Aspectus.

Aspectus rerum turpium ob delectationem naturalem & sensitiuam tantùm, sublato periculo transeundi ad delectationem veneream, non videtur excedere culpam venialem. n.14

Aspectus impudicus partium alterius diuersi sexus cum aliqua mora, practicè loquendo, ita periculosus est, vt sub mortali sit obligatio ab illo se abstinendi. ibid.

Personæ eiusdem sexus, non solent damnari vllius peccati, si se nudas aspiciant, si partes pudendæ velatæ sint. ibid.

Aspectus factus ex curiositate personæ nudæ diuersi sexus, tam breui tempore, vt non detur occasio magnæ commotionis in corpore, non damnatur de mortali. ibid.

Aspicere concubitum viri cum fœmina, etiamsi fiat ex sola curiositate, est peccatum mortale: non item coitum brutorum, nec propria pudenda; si hoc fiat ex sola curiositate, sine admixtione alterius periculi. 15

Puella, quæ se præbet conspiciendam adolescenti, à quo se credit turpiter concupiscendam, mortaliter peccat, si hoc faciat absque vlla necessitate: secus si aliqua necessitas vel vtilitas intercedat, aut ne priuet se sua libertate. 16

Aspectus libidinosus denudati in fœmina corporis aut potioris partis ad libidinem allicientis, in qua impudicitia locum tenet, cum pollutione iunctus, computandus est inter actus exteriores, quibus pollutio inducta, est casus reseruabilis à regulariũ Superioribus, maximè si fiat cum aliqua mora. §.9

Assassinium.

Rei assassinij immunitate Ecclesiastica sunt priuati. n.11

Assassini dicuntur illi, qui pecunia aut alio pretio accepto, vel promisso conducti, præuio mandato occidunt homines Christianos incautos seu nihil tale ab eis præcogitantes. ibi.

Mandantes aliquem per assassinos occidi tradita pecunia, priuantur etiam immunitate. ibid.

Assecuratio.

Assecuratio est contractus quo alienæ rei periculum pro pretio aut alio interesse suscipitur, obligando se ad eam compensandam, si perierit. n.1

Ad iustitiam contractus assecurationis quinq; conditiones requiruntur. 2

Assecurator potest aliquid retinere ratione contractus cum periculo, quando nescit certò rem peruenisse ad portum. 3

Mercator inualidè contrahit, qui sciens nauim perijsse petit assecurationem: si tamen non sit omninò certus rem perijsse, mercator potest aliquid accipere, iuxta prudentis arbitrium. 4

Assecurari solent merces, pecuniæ, libertas, & vita. 6

Fraudes quæ intercenire solent in contractu assecurationis ex parte assecuratoris, assecurati, & Domini rei. 6

Assecuratio capitalis potest contractui societatis iustè adnecti, dato iusto assecurationis pretio. 4

Astrologia.

Astrologia, alia est naturalis, quæ ex astrorum aspectu, de futuris elementorum affectionibus coniectat. Alia est iudiciaria, quæ aspectu siderum obseruato, iudicat de futuris euentis à libero arbitrio aliqualiter dependentibus. n.1

Astrologia naturalis per quam conijcimus effectus naturales, & inclinationes hominis diuinamus, non est illicita, nec prohibita. 2

Potest interuenire peccatum in hoc genere inquisitionis, per excessum credulitatis, aut in eius vsu, quia cognitio per astra est valdè incerta, licet sit possibilis. 2

Hoc peccatum pertinet ad temeritatem & leuitatem, non autem ad superstitionem, ideoq; est tantùm veniale, nisi inde timeatur damnum graue, vel scandalum. ibid.

Astrologia iudiciaria est omninò superstitiosa: & proinde damnatur ab Ecclesia omnis talis prædictio, siue tamquam ex causis, siue tamquam ex signis capiatur. 3

Bulla *Sixti V.* quam innouauit *Vrbanus VIII.* contra astrologos iudiciarios, militat in vtroque foro, non solùm cùm futura certò prænunciantur, verùm etiam dum astrologus declarat se id non asseueranter affirmare. 4

Peccant astrologi in prædictione hac per astra, si velint futura contingentia posse certò ex astris cognosci. Item quando Christianæ fidei mysteria ex astrorum influxu & situ deducuntur. Item quando actiones humanæ, & electiones ita astris subijciuntur, vt certæ cuidam regulæ ac legis decreto. 5

Astrologia inuestigare res occultas, siue præteritas, siue præsentes, superstitio est, omni iure prohibita. 6

Astutia.

Astutia est ratio aliquid agendi modo occulto: vel notitia prauorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu exequendi coniuncta. n.8

Astutia est peccatum mortale vel veniale pro ratione affectus, cui sub est, & nocumenti quod proximo sequitur. ibid.

Attentio.

Attentio & reuerentia requiruntur ad horas canonicas ritè persoluendas: sola enim attentio non sufficit, nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam: aliud enim est orare, aliud attentè aliquid legere. n.19

Attentio in oratione, alia est interna vel circa Deum, vel circa verba, vel circa verborum sensum: alia est externa, qua quis exterius se gerit in speciem orantis, abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit. ibid.

Plura de attẽtione ad horas *v. Horæ canonicæ* 2.n.19. & sequent.

Attentio etiam requiritur ad satisfaciendum præcepto Missæ, vel ad res sacras, vel ad ea quæ dictis aut factis significantur, vel ad diuina: minor tamen attentio in Missa necessaria est, quàm in horis canonicis recitandis. 2

Plura de attentione necessaria ad Missam habes *v. Missa VIII.* n.2. *& seq.*

Attritio.

Attritio est dolor quidam imperfectus de peccatis, qui non attingit ad perfectionem contritionis: & huius attritionis septem sunt species. n.1

Attritio necessaria ad suscipiendum sacramentum Pœnitentiæ cum fructu, illa sola est, quæ est dolor supernaturalis, efficax & vniuersalis cum spe veniæ. 2

Non est peccatum mortale, non habere attritionem de omnibus venialibus quæ in confessione dicuntur, modò de aliquo in particulari habeatur attritio. 2

Attritio ex metù gehennæ tamquam pœnæ à Deo infligendæ propter peccatum, est actus bonus. 3

Timor quo quis dolet de peccatis ob metum gehennæ, non est bonus, si ita sit affectus, vt si pœna non esset, non præcaueret peccatum; imò est peccaminosus cùm includat affectum actualem ad peccatum. ibid.

Vera & integra attritio est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ, quamuis cognita sit. 4

Ad Sacramenti Pœnitentiæ effectum necessaria est vera attritio in reipsa existens, nec sufficit inculpabiliter & probabiliter putara, nec quæcumque bona fides in pœnitente. 5

In receptione Sacramenti Pœnitentiæ potest dari status medius, ita vt nec iustificetur, qui de nouo illud recipit, nec de nouo peccet. ibid.

Attritio multùm differt à contritione: eò quod attritio sit dolor imperfectus & actus pœnitentiæ, contritio verò est dolor perfectus & actus charitatis, &c. 6

Attritio necessaria est ad recipiendum baptismum cum fructu, quæ ad minimum procedat ex auxilio supernaturali propter metum gehennæ. 10

Licet in adulto suscipiente sacramentum Confirmationis, requiratur fides & charitas, vel saltem actus contritionis, si habeat conscientiam peccati mortalis; per accidens tamen satis est attritio, puta si quis inuincibiliter ignoret maiorem dispositionem requiri. 10

Infirmus compos mentis & habens conscientiam peccati mortalis, tenetur elicere actum contritionis, quia aliàs poneret obicem ad gratiam: in priuato autem rationis vsu sufficit attritio ad sacramentum Extremæ vnctionis recipiendum. 5

Vt martyrium alicui prosit ad salutem, necessaria est vera contritio ex dilectione Dei super omnia protecta. 7

Attritio in peccare non est sufficiens ad delenda venialia, at in iusto probabile est venialia peccata tolli per solam attritionem. 3

Habens solum originale peccatum, non tenetur habere attritionem

tionem ante ſuſceptionem baptiſmi. 11

Auaritia.

Auaritia eſt vitium inclinans ad inordinatũ appetitum pecuniæ. 1
Auaritia quæ habetur ſine damno alterius opponitur tantùm liberalitati, & de ſe eſt tantùm venialis: illa autem quæ fit cum alterius damno opponitur iuſtitiæ, & de ſe eſt mortalis vel venialis pro ratione damni. ibi.
Auaritia eſt vitium capitale, habens ſeptem filias, ſcilicet, *obdurationem cordis, inquietudinem mentis, Proditionem, Fraudem, Periurium, Fallaciam, Mendacium.* De quibus ſuis locis. 2

B.

Bannitus.

Vnicuique licet bannitum ſeu proſcriptum occidere, ſi fiat publicæ iuſtitiæ zelo, non odio, & modò non fiat pendente appellatione, & extra territorium proſcribentis. n. 1
Parentes, liberi, vxor, &c. qui proſcriptum alere tenentur, non poſſunt illum occidere. ibi.
Bannitum occidere proditoriè & per inſidias non licet, propter periculum damnationis, cui exponeretur. ibid.
Bannito fas non eſt ſe defendere contra iuſtum aggreſſorem, cum occidendo vel mutilando. 2
Bannitus ſeu proſcriptus per ſententiam iuſtam, ſecundùm Theologos non poteſt occidi extra territorium proſcribentis; quamuis quidam iuriſperiti doceant poſſe occidi. 3
Licitus eſt vſus & ſtatutum, quo præmium promittitur occidenti bannitum: quamuis hæc facultas facilè non ſit concedenda propter periculum damnationis banniti. 4

Baptiſmus.

Quoad eius inſtitutionem, & neceſſitatem.

Baptiſmus ſignificat ablutionem ſiue immerſionem in aquam triplex à Doctoribus conſtituitur: primus eſt fluminis, id eſt aquæ. Secundus flaminis, id eſt, pœnitentiæ & contritionis. Tertius eſt ſanguinis, id eſt, martyrium. n. 1
In Baptiſmo flaminis ſufficit ad iuſtitiam & gloriam vtrum implicitum ſuſcipiendi ſacramentum, nempe charitatis Dei ſuper omnia, cum generali propoſito ſeruandi mandata; inter quæ vnum eſt de ſuſcipiendo ſacramento baptiſmi. ibi.
Si iuſtificatus ſola contritione abſque baptiſmo moriatur, & poſtea ad vitam reuocetur, tenetur ad baptiſmum ſuſcipiendum: Idem dicendum de Catechumeno, qui per martyrium fuit iuſtificatus, ſi poſt mortem reuiuiſceret. ibid.
Baptiſmus fluminis eſt Sacramentum conſiſtens in ablutione corporis exterioris, ſub præſcripta verborum forma, à Chriſto inſtituta, ad regenerationem ſpiritualem. 2
Baptiſmus fuit inſtitutus ante Chriſti Paſſionem, non modo quoad deſignationem materiæ, verùm etiam quoad traditionem formæ & efficaciam. 3
Baptiſmus eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem. 4
In *adultis* baptiſmus neceſſarius eſt in re vel in voto, non ſolùm neceſſitate medij, verùm etiam præcepti. 5
Propter imminentem mortem licet adulto differre, aut omninò prætermittere ſuſceptionem baptiſmi: modò ſperet poſteà habiturum copiam baptiſmi: & ex omiſſione illius, nulla infamia contra Catholicam religionem proueniat. 5
Extra martyrium infantibus ordinariè eſt neceſſarius baptiſmus reipſè ſuſceptus. 6
Obligatio ſuſcipiendi baptiſmum incepit reſpectu eorum, quibus fuerat promulgatus poſt Chriſti paſſionem, etiamſi Euangelium nondum eſſet omnibus promulgatum. 7
Credibile eſt illos, qui in partibus remotis exiſtentes cum inuincibili ignorantia baptiſmi & legis Chriſti, ſaluandos eſſe, ſi naturæ legem ſeruauerint. 8
Baptiſmus Ioannis non fuit ſacramentum, nec conferebat gratiã ex opere operato, nec imprimebat characterem, nec fuit in præcepto, ſed tantùm in conſilio. 9

Baptiſmus. Quid ſint materiam & formam.

Baptiſmi materia duplex eſt, proxima ſcilicet & remota. Materia remota eſt aqua naturalis: ſiue calida ſit, ſiue frigida, ſiue tincta coloribus, ſiue dẽſa; ſiue profluat à niue, aut à gelu, aut à ſale. n. 1
Inualidè baptizat, qui aliam adhibet aquam præter naturalem, vt ſi adhibeatur cereuſia, ſudor, lac, vrina, lachrymæ, ſputum ſeu ſaliua, aqua roſacea, aqua diſtillata, aut alius liquor artificialis. Item qui vteretur aqua naturali ita alterata & mixta cum alio corpore, aut liquore, vt amplius non ſit apta ad abluendum, validè non baptizaret: quamuis nonnulli admittant lixiuium tamquam materiam ſufficientem ad baptiſmum. ibid.
In baptiſmo illa aqua adhibenda eſt, quæ præſcribitur ab Eccleſia, qualis eſt aqua ſacrorum fontium: vnde qui in baptiſmo vtitur alia aqua, ſeclusa neceſſitate iuſta, facit contra reuerentiam Sacramento debitam: multò magis qui vtitur aqua naturali & ſœda. 2
Numquam licet in baptiſmo, præciſa neceſſitate, vti materia dubia: in neceſſitate licitum eſt, quando non adeſt aqua naturalis & certa: ſub conditione tamen, ſi materia eſt idonea. 3
Baptiſmi materia proxima eſt ipſa ablutio, ſiue fiat immerſione, vel infuſione, ſiue aſperſione: in praxi ſeruandus eſt modus in vnaquaque eccleſia pro tempore præſcriptus & vſitatus, ſeclusa caſu neceſſitatis. 4
Ad ablutionem in baptiſmo requiritur quædam ſucceſſiua effuſio partium aquæ ad partes corporis. ibid.
Vtraque ablutio, actiua ſcilicet & paſſiua, eſt materia baptiſmi: vnde cùm plures ſimul baptizantur, ſunt plura Sacramenta: nam & plures ſunt paſſiones, licet actio remota, nempe motio brachij ſit vna. ibid.
Ad validitatem baptiſmi, illa corporis pars abluenda eſt, qua ablutа verum ſit dicere hominem ablutum, ſecundùm moralem exiſtimationem. 5
Pars Corporis abluenda pro certo valore baptiſmi eſt caput, vel ſcapulæ, pectus, humeri. Pes verò vel manus imminente mortis periculo, etiam ſatis eſt, licet ſi euaſerit, rebaptizandus ſit ſub conditione. ibid.
Inuolutus ſecundinis poteſt baptizari in neceſſitate, quamuis poſtea ſit ſub conditione rebaptizandus ſi periculum euadat. ibi.
Non poteſt baptizari infans in vtero matris exiſtens: tamen quãdo periculum eſt, ne prodeat in lucem, baptiz. debet, eo modo quo poteſt. 6
Si quis infantem incipientem mori, proijciat in flumen aut in puteum proferendo formam baptiſmi, mortaliter peccat, contrahit irregularitatem, & inualidus eſt baptiſmus. 7
Infans probabiliter alioquin morituros, poteſt & debet baptizari, quamuis ex infuſione aquæ etiam modicæ, timeatur acceleratio mortis. 8
Ablutio in baptiſmo fieri poteſt, per immerſionem, per infuſionẽ, & per aſperſionem. Omnium tamen harum ablutionem optima eſt immerſio, deinde infuſio, tertiò aperſio in neceſſitate. 9
Illa quantitas aquæ requiritur, quæ ſufficit ad abluendam corporis partem, qua abluta poſſit homo dici ablutus: non foret tamẽ validus baptiſmus, quando quis vna vel duabus vel tribus aquæ guttis aſpergitur, ſi guttæ perſiſtant & non fluant per corpus. 9
Forma baptiſmi in Eccleſijs Occidentalibus eſt. *Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* 10
Perſona baptizans vel miniſter non debet neceſſariò exprimi in hac forma de neceſſitate Sacramenti: ſed tantũ de præcepto. 11
Actus baptizantis contentus in verbo *baptizo* debet neceſſariò exprimi in forma: aut per verbum æquiualens verbo *baptizo*; vnde valeret baptiſmus, ſi quis diceret, *Ego te mergo, aſpergo infundo*, &c. 12
In forma baptiſmi exprimenda eſt perſona quæ baptizatur ſiue dicatur baptizo te, ſiue baptizo hunc, ſiue tu baptizaris a me, &c. 13
Vnitas diuinæ eſſentiæ etiam exprimenda eſt, in forma baptiſmi, cùm dicitur, *in nomine.* 14
Ad eſſentiam & valorem baptiſmi neceſſaria eſt explicita inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis. 15
Baptiſmus numquam fuit adminiſtratus in nomine Chriſti tantum. ibid.
Subſtantialis mutatio in verbis formæ reddit Sacramentum baptiſmi inualidum, Accidentalis non. 16
Inualidus eſt baptiſ. ſi puer moriatur, nondum finita forma baptiſmus. 17
Inualidus eſt baptiſmus, quem quis ſibi confert. Item quando vnus profert formam & alter abluit. Item quando vnus incipit formam & alter eam perficit. ibi.
Verba formæ non poſſunt ſuppleri ſignis, vt ſi puer eſſet moriturus & ſolus adeſſet mutus. ibid.
Mutatio accidentalis eſt & validè baptizat, qui vtitur forma Græcorum, *Baptizatur ſeruus Chriſti*, &c. 18
Item ſi omittatur pronomen *ego*, & dicatur *nos*, vel ſi verborum tranſpoſitio fiat, modò miniſter per hoc errorem inducere non intendat. Item ſi baptiſmus in alio idiomate conferatur. Item ſi conferatur per verba ſynonima. ibi.
Plures poſſunt vnica aſperſione baptizari, dicendo, *ego vos baptizo, in Nomine* &c. 19
Quando duo ſimul baptizant independẽter ab intentione alterius & vterque abluit & formam profert, validus eſt baptiſmus. 20
Si in articulo mortis concurrant mutus & orbatus manibus, ille abluen.

abluendo, alter verò verba proferendo, secundùm communem sententiam baptismus foret inualidus : licet quidam in hoc casu putent baptismum puero dandum sub conditione. ibi.
Quando quis putat se baptizare fœminam & baptizat masculum, aut è contra, validè baptizat. 21

Baptismus. Quoad eius subiectum & ministrum.

Omnis & solus homo viator, nondum baptizatus, tam paruulus quàm adultus, est subiectum capax sacramenti Baptismi. 1
Monstrum habens caput ferinum & cætera membra humana, nõ est baptizandum nisi sub conditione. ibid.
Saurus aut genitus ex fœmina, & bruto nõ est capax baptismi. ib.
Monstrum genitum ex viro, & fœmina baptizandum est. ibid.
Existens in vtero matris non potest baptizari: nisi obstetrix tam perita sit, vt manu in vterum intorta prolem aqua perfundere possit, formam proferendo. 2
Quamdiu mater viuit, non est scindenda vt infans extrahatur, & baptizetur, etiamsi mater ob partum sit moritura: & si mater grauida damnetur ad mortem, differenda est executio sententiæ, donec mater pepererit. 3
Filij infidelium habentes vsum rationis & petentes baptismum debent baptizari etiam inuitis parentibus. 4
Ordinariè inuitis parentibus infidelibus, non est licitum eorum infantes baptizare. 5
In multis casibus licet filios infidelium inuitis parentibus baptizare: puta, si infans sit in articulo mortis: si alter parens filium baptizari velit. Si filius natus est ex altero saltem parente Christiano. Si vnus ex parentibus conuersus est ad fidem. Si filij perpetuò sint amentes. Si Filij sint infidelium iam baptizatorum. 6
Infidelium filij, qui non sunt serui, sed tantummodò tributarij, & vasalli Principum Christianorum, vt sunt Iudæi, non possunt inuitis parentibus baptizari: secus si sint serui. 7
Ad susceptionem baptismi in adultis, requiritur intentio actualis, aut virtualis recipiendi baptismum. 8
Validus est baptismus collatus dormienti, qui baptismum petierat ante somnum. ibid.
Moribundus adultus est baptizandus, si vnicus testis dicat illum petisse baptismum. ibid.
Ad baptismum adultorum non sufficit sola negatio resistentiæ, seu negativa permissio, quia non est consensus, sed negatio consensus, taliter tamen baptizatus in foro externo potest cogi ad fidem seruanda. ibid.
Ad validitatem baptismi sufficit consensus metu extortus etiã inuitæ mortis incussa; quãuis ad eius effectũ non sit sufficiens. ib.
Fides supernaturalis necessaria est in adulto; ad recipiendum baptismum cum fructu: In articulo tamen mortis si adultus sit baptizandus qui baptismum petijt, non incumbit baptizanti infirmum de fide rogare, quando respondere non potest. 9
Attritio etiam requiritur in adulto ad recipiendum effectum baptismi, & est sufficiens quamuis cognita sit. 10
Habens solum originale peccatum, non tenetur habere attritionem, vt baptismum recipiat. 11
Solus sacerdos, idque parochus, est ordinarius minister baptismi: Ex commissione autem Episcopi vel Sacerdotis proprij etiam Diaconus, vbi consuetudo permittit. 12
In necessitate quilibet homo siue sit vir, siue fœmina, siue infidelis, siue fidelis qui loqui possit & abluere, est sufficiens minister; modò habeat intentionem baptizandi. 13
Anima separata à corpore, non potest baptizare: homo verò beatus, si baptizaret, validè baptizaret, quia est homo. ibid.
Angelus non potest baptizare, nec esse minister sacramentorum absque diuina dispensatione. ibid.
Qui extra necessitatis casum baptizat, cui id iure seu ex officio non competit, peccat mortaliter. 14
Monachi, & alij religiosi possunt cum licentia Ordinarij etiam extra casum necessitatis baptizare. ibid.
In partibus Indiarum possunt religiosi baptizare nouiter conuersos, etiam paruulos. ibid.
Tempore necessitatis fœmina non debet baptizare præsente viro; nec laicus præsente clerico; nec clericus licet Diacon. præsente Sacerdote; inuestio tamen huius ordinis non est mortale peccatum, niti adsit sacerdos. 15
In ministro baptismi requiritur intentio baptizandi, & vt adhibeat debitam materiam, & formam, illamque sciat applicare: debet etiam sacerdos solemniter baptizans esse in gratia. 16
Peruersa intentio ministri in conferendo bapti. & alijs sacramentis iuxta communem sententiam a Deo non supplentur: quamuis quidam piè credant suppleri non quoad characterem, sed quoad gratiam. ibid.
In necessitate sine solemnitate baptizans, non peccat graniter, etiamsi exultat in peccato mortali. 17

Baptismus. Quoad eius effectus, & ritus.

Primus effectus baptismi est delere omnem culpam tam originalem quam actualem ante baptismum commissam. num. 1
Secundus effectus baptismi est delectio omnis pœnæ ob peccatum constitutæ. 2
Baptismus non aufert pœnalitates in hac vita, quales sunt concupiscentia inordinata, mors, ægritudines, &c. ibid.
Baptismus tollit etiam quasdam pœnas iure humano constitutas, qualis est irregularitas ob delictum, & homicidium etiam voluntarium. ibid.
Tertius effectus baptismi est conferre gratiam iustificantem, modò non ponatur obex ex parte suscipientis. 3
Quartus effectus est conferre gratiam sacramentalem. 4
Quintus effectus baptismi est character, propter quem baptismus non potest iterari, si ritè semel collatus sit. 5
In dubio de validitate baptismi, iterari potest sub conditione. ib.
Effectus secundarij baptismi sunt, apertio ianuæ cœlestis; coniunctio hominis cum Christo, & subiectio hominis iurisdictioni Ecclesiæ. 6
Quando impeditur effectus gratiæ per fictionem, baptismus confert suum effectum recedente fictione. 7
Qui recipit baptismum sine præuia intentione, debet illum de nouo recipere, vt effectum illius consequatur, quia prior baptismus fuit inualidus. ibid.
Qui baptismum accepit mala fide, & cum fictione peccati mortalis, requiritur contritio, vel sacramentum Pœnitentiæ, ad recipiendum fructum baptismi. ibid.
Multas ceremonias Catholica præscripsit Ecclesia, quando baptismus publicè & solemniter suscipitur: tum ad institutionem nostram, tum ad sacramenti significationem, efficaciam ac reuerentiam. 8
Accidentales ritus non possunt etiam absque peccato mortali omitti ex suo genere; quamuis paruitas materiæ excusare possit à mortali. 9
Extra necessitatem non licet baptizare sine cæremonijs vt assecuretur puer, & postea tempore Parentibus aut Patrinis opportuno ceremoniæ adhibeantur. ibid.
Non est licitum extra necessitatem baptizare adhibito chrismate alterius anni, si habeatur nouum: Apud Indos tamen religiosi possunt vti oleo sancto, & Chrismate antiquis vsq; ad 4. ann. ib.
Si quis omitteret supplere in ecclesia solemnitates omissas in priuato baptismo, peccaret mortaliter. ibid.
Baptismus inualidè cum solemnitate administratus, cùm repetitur, non sunt tamen solemnitates repetendæ: nisi aliter vtu receptum sit. ibid.
Qui ab hæreticis in infantia absq; solemnitatibus baptizatus fuit, si adultus reuertatur ad fidem, non debent in eo solemnitates suppleri in Ecclesia. 10
Consultum foret vt qui ab hæreticis baptizatus fuit, sub conditione rebaptizaretur. ibid.
Plura de baptismo vide *v. Irregular. V I I I.* & *Matrimonium. V I I. num. 29.*

Bellum.

Bellum est armorum conflictus, seu professio nocendi vi, & armis contrariæ parti. num. 1
Bellum differt à seditione, & rixa. ibid.
Bellum iniustum est graue peccatum, charitati, paci ac etiam iustitiæ oppositum: Iustum verò charitati ac paci potius interuis quia finis belli est pax. 2
Bellum iustum duplex est, vnum defensiuum, alterum offensiuum. ibid.
Bellum offensiuum non nisi publica auctoritate Principis, vel Reipublicæ nullum superiorem agnoscentis geri debet. ibid.
Respublica alia est perfecta, alia imperfecta. Resp. imperfecta, vel Princeps eius potest gerere bellum defensiuum, sine authoritate Supremi Principis. ibid.
Magistratus reip. imperfectæ, non potest gerere bellum aggressiuum, sine Supremi Principis authoritate. ibid.
Ad honestatem belli offensiui requiritur iusta causa, quæ in vniuersum est propulsatio grauis iniuriæ, & certæ. 3
Milites ordinis inferioris, qui non admittuntur ad consilium bellicum, non tenentur examinare causas belli, sed possunt militare tuto Principi, quamdiu non constat de iniustitia belli. Secus dicendum de militibus extraneis. ibid.
Multæ cautæ recensentur à Doctoribus, ob quas ille qui habet auctoritatem, iustè potest bellum indicere. 4

Tres sunt belli fines, *vel ablata recuperatio. Vltio iniuria. Pax & securitas Reipublicæ.* 5

Quamuis personis Ecclesiasticis sit interdictum gerere bellum: possunt tamen propriis manibus pugnare in necessitate vitæ tuendæ, Patriæ, ciuitatis, vel exercitus, innocentis, & ad consecutionem iustæ victoriæ. 6

Clerici qui habent dominiũ temporale in Rep. perfecta possunt ex iusta causa indicere bellum, non secus, ac alij Principes temporales. 6

Antequam bellum indicatur tentanda sunt Principi omnia media ad suum ius obtinendum. 7

Si hostes ante inchoatum bellum offerant idoneam satisfactionum, peccat Princeps læsus contra iustitiam, si illa non accepter: si post vnum aut alterum prælium, peccabit contra charitatem non contra iustitiam: Si in ipso conflictu, Princeps eã admittere non tenetur. 8

Bellum ex vtraque parte potest esse iustum formaliter & per accidens, vt propter inuincibilem ignorantiam alterius, aut propter opinionem probabilem, quam quisque sequi potest in bello indicendo. 9

Milites, qui parati sunt sequi quemcunque ad bellum vocantem seu iustum sit, siue iniustum, sunt in malo statu. ibid.

In bello omnia illa licent, quæ accommodata sunt, aut ad rei ablatæ recuperationem, aut ad vltionem iniuriæ, aut ad pacem & securitatem Reipublicæ. 10

Milites tenentur ad restitutionem damni illati contra expressam vel tacitam superioris prohibitionem. ibid.

Innocentes tempore belli possunt directè spoliari suis bonis, quando ex eis creduntur iuuandi vel muniendi inimici, non licet tamen per se illos occidere: Per accidens tamen possunt etiam innoc. occidi v. g. si nequeat arx aut ciuitas expugnari, nisi diruatur aut incendatur. 11

Innocentes, qui non sunt membra hostilis Reip. non possunt capi & in seruitutem redigi, nisi fortè per accidens, quando periculum est ne ab hostibus vi adigantur, vt ipsis subsidium præstent. ibid.

Mobilia ab hostibus capta iure gentium sunt militum capientiũ: Immobilia verò spectant ad supremum belli Ducem: seclusa, contraria consuetudine. 12

Quando bellum fit contra Dominum temporalem & conceditur raptus liber, non possunt exspoliari Ecclesiæ nec monasteria, & deprædantes sunt excommunicati: si autem bellum fiat iustè contra Prælatũ Ecclesiæ, tunc clerici possunt spoliari. 13

In bello iusto quando victoria aliter obtineri non potest, possunt dari vrbes militibus in prædam. 14

In bello iniusto milites qui deprædantur ciuitatem, peccant mortaliter & tenentur ad restitutionem. 15

Milites peccant mortaliter rusticos aut alios suos hospites grauando, exigendove ab illis, ad quod iure non tenentur. 16

Dux supremus grauiter peccat & tenetur ad restitutionem, si iusta stipendia militibus non prouideat. 17

Diuersimodè peccant Duces supremo subordinati. 18

Non licet, per se loquendo, ab hostibus emere vili pretio ea, quæ ab aduersarijs iniustè extracta sunt. 19

Capti in bello iusto ex parte capientium fugere possunt. 20

Benedictio.

Benedictio duplex est, publica & priuata: hæc à quouis fideli fieri potest, illa ab Ecclesiasticis. n.1

Benedictio Ecclesiastica alia est personarum, alia rerum, hæ post consecrationem in certis casibus possunt pollui, vt noua consecratione opus sit, non verò ita personæ. 2

Benedictio seu consecratio Episcoporum de iure diebus tantum Dominicis fieri debet: Benedictio autem Abbatum & virginum etiam alijs diebus festiuis fieri potest. ibi.

Abbas benedictionem ab Episcopo recipere debet, non autem ab alijs abbatibus aliàs benedictis, seclusò priuilegio in contrarium. ibid.

Benedictiones aliæ sunt constitutiuæ, quibus res sacræ constituuntur. Aliæ sunt benedictiones inuocatiuæ tantùm. 3

Quod benedictione Ecclesiastica sacrum effectum est, non solet extra necessitatem ad prophanos vsus adhiberi. 4

Benedictiones quæ cum sacra vnctione fiunt, Episcopalis ordinis propriè sunt, quãuis à Papa simplici sacerdoti cõmitti possint. 5

Episcopus non potest simplici sacerdoti facultatem delegare benedicendi res, quæ cum sacro Chrismate fiunt: licet praxis quorundam sit in contrarium. ibid.

Fratrum Minorum Presbyteri, & Societatis in locis infidelium possũt ex priuilegio benedicere & cõsecrare altaria & calices. 6

Prælati regulares, & eorum vicarij virtute priuilegiorum licitè benedicunt oratoria, cœmeteria, ecclesias, corporalia, & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia, vt chrisma non interueniat, pro suis vsibus tantum. 7

Abbas benedictus mitræ & baculi pastoralis vsum habens potest campanas alterius loci & altaria portatilia consecrare: hoc tamen priuilegium non communicatur alijs Prælatis religionum. Ex concessione *Innocentij VIII.* 8

Benedictiones quæ de iure aut consuetudine Episcopis reseruatæ non sunt, à sacerdotibus fieri possunt. 9

Prælati Ordinum Mendicantium reconciliare possunt suas ecclesias pollutas cum aqua benedicta ab Episcopo cinere mixta. 10

Si aqua vel oleum non benedictum infundatur benedicto, totũ benedictum erit, modò id quod additur non sit in quantitate notabiliter excedente. 11

Fœmina non potest alijs benedicere benedictione publica, bene tamen priuata, eo modo quo mater filium benedicit. 1

Benedictio solemnis nuptiarum, templi, vasorum sacrorum, corporalium, vestium sacrarum, Candelarum, Ramorum, Cinerum, fontis baptismalis, aquæ, benedictio solemnis Episcopi prohibetur tempore interdicti localis generalis. 12

Benedictio Episcopi vel Abbatis consecrati facit ad remissionẽ peccatorum venialium saltem ex opere operantis. 7

Beneficium. Quoad eius diuisionem.

Beneficium est ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale, authoritate ecclesiæ constitutum. 1

Beneficium aliud est regulare, aliud sæculare. 2

Beneficium aliud est simplex, quod nullam habet administrationem; aliud est duplex, quod est scilicet cũ administratione 3

Differunt inter se Dignitas, Personatus & Officium. ibid.

Beneficium aliud est simpliciter titulare, quod in titulum perpetuum confertur: aliud est manuale, quod in titulum quidem confertur, sed reuocabiliter. 4

Beneficium aliud est electiuum, aliud missum. ibid.

Beneficia alia dicuntur incompatibilia, alia compatibilia. 5

Beneficium. Quoad eius acquisitionem.

Beneficium acquiritur præsentatione patroni præuia & institutione subsequuta. 1

Præsentatio est exhibitio quædam personæ per patronum Episcopo vel alteri ad quem institutio pertinet, legitimè facta. 2

Institutio est concessio beneficij facta legitima authoritate Episcopi vel alterius, clerico à patrono præsentato. 3

Electio est alicuius personæ, ad Ecclesiam pastore destitutam, canonicè facta vocatio. 4

Postulatio est supplex quædam à collegio Canonicorum facta apud Superiorem petitio, vt aliquis certæ Ecclesiæ vacanti præficiatur. 5

Collatio est concessio beneficij vacantis, siue per obitum, siue per resignationem, siue deuolutionem, liberaliter facta ab habente potestatem. 6

Permutatio beneficij est reciproca quædã resignatio, quæ ad inuicem inter permutantes fit, legitima superioris authoritate. 7

Resignatio est libera beneficij dimissio facta cum causa coram legitimo Superiore. 8

Multa requiruntur vt resignatio conditionalis, & id quod ex vi illius secutum fuerit sit validum. 9

Permutatio beneficij cum alio beneficio absque auctoritate legitimi Superioris, Simonia iuris humani est. 8

Resignatio beneficij propria auctoritate facta cum reseruatione pensionis, eiusdem iuris simonia est. 9

Plura vide v. *Simonia* 4. n. 8. & sequent.

Beneficium.

Quoad conditiones requisitas ad illud obtinendum.

Vt quis censeatur idoneus ad beneficium requiritur legitimus thorus. n.1

Ante omne beneficium requiritur præuius clericatos seu prima tonsura: vnde laicus & fœmina sunt beneficij incapaces. 2

Quædam tamen inter fœminas Canonicas, aut Moniales sunt beneficia non masculorum, sed fœminarum, & ea possidentes in fauorabilibus, non autem in odiosis, in iure, sub nomine clericorum comprehenduntur. ibid.

Si beneficium ex institutione requirat certum ordinem, qui illo ordine caret est inhabilis ad illud. ibid.

Episcopatum adeptus intra tres menses munus consecrationis suscipere debet. 3

Obtinentes beneficia in Ecclesijs Cathedralibus vel collegiatis

vel regularibus tenentur intra annum, iusto impedimento cessante, ordines suo officio conuenientes suscipere. 4
Adeptus Parochialem Ecclesiam, tenetur ordinari Sacerdotio intra annum à die possessionis pacificæ, cessante iusto impedimento. 5
Ad beneficium requiritur ætas iure requisita. 6
Scientia etiam requiritur ad beneficium, & quidem tanta quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum sit necessaria. 7
Qui notoriè est idoneus ad curam animarum. v.g. si sit celebertimus Doctor, vel Vicarius Episcopi, debet se examini subijcere in concursu. ibid.
In promouendis ad Prælaturas regulares non desideratur necessariò gradus scientiæ, vt in Episcopis requirit Concilium Tridentin. sed in eis exposcunt iura competentem scientiam, quæ ad eorum munus & dignitatem bene gerendam sufficiat. ibid.
Morum probitas requiritur ad beneficium, hoc est vt non sit deditus grauibus peccatis, nec sit infamis. 8
Cœlibatus requiritur etiam ad beneficium. 9
Vt quis sit capax beneficij requiritur vt non sit vlla censura irretitus: proinde collatio beneficij facta excommunicatio excõmunicatione maiore, aut suspenso, aut interdicto est nulla. 10
Irregularis est etiam incapax beneficij, & ei facta collatio est nulla, secundùm probabiliorem sententiam. 11
Habilitas ex parte corporis requiritur etiam ad beneficium, quæ necessaria est ad decenter præstandum officium. 12
Ad omnia beneficia requiritur intentio determinata status Ecclesiastici, & ordinis requisiti in tali beneficio. 13
Ad Parochiale beneficium requiritur intentio suscipiendi intra annum sacerdotium, & si talem voluntatem non habuit, non facit fructus suos. 14

Beneficiorum pluralitas.

Pluralitas beneficiorum non videtur res intrinsecè mala, nec omninò indifferens, sed quæ bonitate circumstantiarum cohonestari potest, etsi speciem quandam mali præ se ferat. n. 1
Ob multas causas iure canonico conceditur pluralitas beneficiorum. 2
Beneficia compatibilia dicuntur, quæ vel iure communi, vel saltem consuetudine simul haberi queunt: incompatibilia verò quæ nec iure, nec consuetudine simul quis habere potest; vt quæ habent curam animarum, & quæ requirunt residentiam & distinctionem personarum, &c. 3
Electus ad Episcopatum obtenta bonorum administratione & consecratione, vel saltem elapso tempore consecrationi præfixo, amittit ipso iure omnia beneficia, quæ ante obtinebat. ibid.
Alia quædam beneficia sunt incompatibilia, quæ simul quidem licitè retineri non possunt absque dispensatione, tamen non ita pugnant, vt alterum vacet obtento altero. 4
Sũmus Pontifex dispensare potest in pluralitate beneficiorum, liberè quidem vbi tantùm esset contra ius cõmune. Vbi autem esset contra ius naturale aut diuinũ, nõ nisi iustis de cautis. ib.
Causæ iustæ dispensandi sunt: Necessitas Ecclesiæ: Pia eiusdem vtilitas: Et euidens prærogatiua meritorum. 4
Legatus Papæ vel Episcopus potest etiam dispensare in pluralitate beneficiorum, sed cum certis limitationibus. 5
Qui plura curata beneficia obtinuit per dispentationem, non est tutus in conscientia, si non putetur subesse legitima causa dispensandi; & talis non esset absoluendus. 6
Qui obtinuit alia simplicia beneficia secluso scandalo potest à confessario absolui, modò muneri suo saltem per Vicarium satisfecerit. ibid.

Beneficiorum collator.

Summus Pontifex est generalis collator omnium beneficiorum: qui tribus modis potest beneficia cõferre, vel iure pręuẽtionis, vel concurrẽdo cum alijs collatoribus, vel iure deuoluto. n. 1.
Dignitates infra Episcopatum & Abbatiam & alia beneficia regulariter conferri debent intra sex menses. 2
Patronus laicus non præsentans intra quatuor menses, & Ecclesiasticus intra sex, beneficium fit liberum. ibid.
Episcopus in quaque diœcesi est proprius collator beneficiorum omnium, nisi ex fundatione beneficij vel legitima præscriptione ius conferendi alteri competat. 3
Episcopi existentes in curia Romana, non possunt vlla beneficia conferre, etiamsi vacent in propria Diœcesi. 4
Capitulum sede vacante non succedit Episcopo in collatione beneficiorum libera, & gratiosa, sed necessaria & debita. 5
Vicarius Generalis Episcopi non potest conferre beneficia, nisi de speciali mandato: potest tamen electos & præsentatos confirmare & instituere. 6
Laici non habent ius conferendi beneficia: nec instituendi, nec confirmandi: nec illud possunt comparare præscriptione vel consuetudine. 7
Laicus potest præsentare ad beneficia vacantia, & hoc ius vocatur ius patronatus laicale aliud est ius patronatus ecclesiastici. ib.
Qui beneficium alicui confert, ob rem aliquam pretio æstimabilem, vt ob pecuniam, ob remissionem debiti, vel ob promissionem illud remittendi, siue debitum sit proprium, siue Ecclesiæ, simoniam committit. 2
Vide *v. Simonia. n. 2. & sequent.*

Beneficiorum collatio.

Beneficium numquam indigno est conferendum, quando adest dignus. n. 1
Indignus dicitur, qui vel est irregularis ex ignorantia, morbo, infamia, &c. vel nõ putatur futurus vtilis, nec aptus beneficio. ib.
Dignus beneficio dicitur, qui omnibus consideratis putatur optimè officio satisfacturus, Ecclesiæque futurus vtilissimus. ibid.
Licet in quibusdam casibus beneficium conferre digno prætermisso dignori. 2
Electores, præsentatores, & collatores semper tenentur quantùm in ipsis est, curare, vt dignissimis beneficia conferantur. 3
In beneficijs habẽtibus curam animarum, vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia, eligere, postulare, aut præsentare dignum omisso digniore, qui in promptu est, est peccatum mortale: idem dicendum de conferente, qui liberè confert. ib.
Dignior intelligitur ille, qui speratur multò melius functurus officio. ibid.
In beneficijs simplicibus non censetur peccatum mortale, semel aut bis prætermittere digniorem, eligendo dignum. 4
In beneficijs quæ debent dari per oppositionem & in concursu, omittere digniorem est peccatum mortale, cum obligatione ad restitutionem damni: in alijs autem beneficijs non est facienda restitutio. 5
Beneficia, quæ debent conferri per concursum, sunt ea, quæ curam animarum habent, vt parochiales Ecclesiæ, quæ vacant per obitum, vel resignationem. ibid.
Beneficia, quæ parochialia non sunt, concursu non conferuntur; quare nec canonicatus, nec beneficia simplicia, nec Ecclesia parochialis, vbi in fauorẽ alicuius resignata est; itẽ nec Ecclesiæ iuris patronatus parochialis, vbi laicorũ est; Itẽ nec beneficia regularium; Nec dignitates concursu cõferũtur. Itẽ in permutationibus beneficiorum parochialium concursus non fit. 5

Beneficiorum amissio.

Vacatio beneficij contingit, vel cùm quis amittit possessionem, non titulum; vel cùm quis authoritate iuris beneficio priuatus possidet tamen illud, vel cùm beneficiũ vacat per obitum. n. 1
Ex dispositione iuris amittitur beneficium, vel per mortem beneficiarij naturalem aut ciuilem: vel per matrimonium validum quamuis non consummatum: vel propter alterius beneficij incompatibilis consecutionem. 2
Propter multa crimina amittitur ipso iure beneficium; & impetrari potest tamquam vacans, licet crimen sit probandum. 3
Beneficium vacare potest per sententiam iudicis, propter quinque crimina. 4

Beneficiarius secularis.

Probabilius est beneficiarios sæculares esse absolutè dominos omnium prouentuum, quos ex beneficijs percipiunt, etiam partis illius redundantis; peccare tamen mortaliter, nisi expendant in opera pia illam partem. n. 12.
Vide plura de hac materia *verb. Dominium* 1. *num.* 12. & *v. Testamentum num.* 6.

Beneficiarius regularis.

Beneficiarius regularis, interim dum beneficium Ecclesiasticum obtinet, redituum administrationem habet, quos proinde, tum ad sui sustentationem, tum ad alias causas pias expendere potest; & hoc verum licet beneficium manuale sit. n. 17
Regularis habens beneficium extra suum monasterium vel ordinem, acquirit non monasterio, sed beneficio, si beneficia non sint de mensa ipsorum monasteriorum. 18
Religiosus ad parochiale beneficium promotus, substantialibus religionis votis astrictus manet: si tamen Ecclesia illa non subijciatur Prælatis monasterij), eximetur ille religiosus ab obedientia Prælatorum religionis, & subiectus manebit imperio Episcopi. 9
Sed de his plura *verb. Paupertas n.* 17. *Religio* 1. *n.* 9.

Bestialitas.

Bestialitas est cùm quis bestiæ cõmisceatur. Est peccatum mortale & grauissimum omniũ eorum, quæ contra naturam fiunt. n. 1

Con-

Concubitus cum dæmone ad speciem bestialitatis pertinet, licet alio respectu ab illa differat, nempe ratione superstitionis illius. 1

Omnis concubitus cum dæmone est eiusdem speciei ex parte tamen affectus, potest esse diuersæ. ibid.

Ex concubitu cum dæmone potest sequi generatio, immisso, scilicet, semine viri in vas muliebre: & tunc prolis verus pater non foret dæmon, sed ille homo, cuius semine dæmon abutus fuit. 2

Ex succubo autem Dæmone & viro non potest concipi fœtus humanus. ibid.

Concubitus Lamiarum cum dæmone præpostera venere duplex est peccatum mortale. 4

Bestialitas non differt specie pro diuersitate belluarum cum quibus perpetratur; vnde in confessione non est necessarium exprimere belluam: sed sufficit dicere commixtionem factam esse cum re alterius speciei. 23

Biblia.

Consuetudo multis in locis huius Belgij inualuit, vt honestis quibusdam laicis, Biblia vernacula legere permittatur, dissimulatione potius piæ tolerantiæ, quàm facultate, & licentia expressa. n. 16

Lectio Bibliorum lingua vulgari & controuersiarum fidei licet iustissimè sit prohibita ab Ecclesia: hæc prohibitio tamen vbiq; in rigore peccati mortalis modò non obseruatur, sed attendenda est Regionum consuetudo. ibid.

Bigamia.

Bigamia est multiplicatio nuptiarum. n. 1

Bigamia alia est vera, alia interpretatiua, alia similitudinaria. 2

Qui bigamiam contraxit ante baptismum, si postea baptizetur, fit irregularis. 4

Ad bigamiam contrahendam requiritur seminis virilis intra vas fœmineum immissio: imò secundùm probabilem sententiam requiritur etiam vt fœmina semiuet. 3

Contrahens ac consummans matrimonium cum ea, quæ non membro naturali viri cum seminis effusione corrupta est, minimè efficitur bigamus aut irregularis. ibid.

Ducens violenter corruptam cum seminis immissione, redditur bigamus: tamen bigamus non esset ducens voluntariè pollutam absque virili congressu. ibid.

Ad bigamiam sufficit, quòd fœmina virile semen ex concubitu quacumq; arte receperit, quamuis virgo sit quoad corpoream integritatem. ibid.

Quatuor modis bigamia interpretatiua incurritur. 5

Ducens inualidè viduam vel fornicariè cognitam propter impedimentum dirimens, quod non sit professio vel ordo, bigamus non est, neque irregularis. 6

Ducens fœminam à se solo defloratam, bigamus non est, nec irregularis. 7

Maritus cognoscens vxorem adulteram ecclesia præcipiente, bigamus est & irregularis. 8

Bigamus & irregularis est cognoscens ignoranter vxorem, post eius adulterium perpetratum: An autem sit bigamus, si vxor vi præcisa cognita sit, alij affirmant, alij negant. ibid.

Multiplicitas matrimonij rati, nondum consummati: multiplicata sponsalia; multiplicatæ fornicationes & adulteria ex parte viri non pariunt bigamiam. 9

Ex impura & nefanda venere extra vas naturale non oritur bigamia. 10

Bigamus est, qui ducit fœminam quam putabat virginem, sed postea comperit non esse virginem, consummato cum ea matrimonio. ibid.

Qui titulo matrimonij & affectu maritali accedit ad fœminam ab alio cognitam, bigamus est & irregularis. ibid.

Papa dispensat cum quocumq; bigamo ad omnes ordines maiores & minores & dignitates. Ad minores autem suscipiendos vel susceptis vtendum in bigamia vera, seu interpretatiua, dispensat etiam Episcopus. 11

In bigamia similitudinaria dispensat Episcopus cum eo, qui contraxit cum virgine, iure sibi hoc concedente. 12

Bigami non possunt ad religionem in clericos recipi, bene tamen in laicos. 14

Blasphemia.

Blasphemia est locutio falsa contra Deum, Sanctos, aut res sacras per modum contumeliæ. n. 1

Blasphemia propriè est contra religionem & laudem Dei: si tamen contineat vel sapiat hæresim, opponitur fidei. 2

Peccatum blasphemiæ sicut & hæresis in intellectu consistit, quamuis requirat prauam voluntatis affectionem formalem. 3

Blasphemia alia est hæreticalis, quæ articulis fidei directè opponitur. Alia est simplex, quæ nec formaliter, nec virtute continet falsitatem contra fidei veritatem. 4

Irreligiositas est, non blasphemia, in ira vel rixa cum aliquo, enuntiare aliquid de Deo explicitè vel implicitè quod verum est, vt. *Corpus Dei*, &c. 5

Blasphemiæ ordinariè est peccatum mortale: potest tamen fieri veniale ex indeliberatione & inaduertentia, non autem ratione paruitatis materiæ. 6

Aliquid falsi de Deo dicere ioco, aut alio fine, non ex indignatione, non est blasphemia: si quis tamen de Deo vera dicat, irrisoriè tamen, aut cum indignatione, blasphemat. 7

Omnes blasphemiæ non hæreticales sunt eiusdem speciei, tam contra Deum, quàm contra Sanctos: modò non procedant ex odio, vel desperatione infidelitate: Hæreticales autem blasphemiæ inter se differunt, & sunt explicandæ in confessione. 8

Qualitas blasphemiæ non est explicandæ in confessione, cùm non differat specie. ibid.

Blasphemi iure ciuili morte plectuntur, aliquando puniuntur triremibus, exilio, linguæ abscissione. 9

Blasphemiæ crimen est mixti fori. 10

Assueti maledicta in Deum vel sanctos passim conferre, possunt ad tempus interdum priuati absolutione sacramentali, vt interim prauam consuetudinem aliqua ex parte deponant. 11

Bonitas.

Bonitas moralis est conformitas in actu vel obiecto cum recta ratione: & hæc bonitas aliquando est naturalis, aliquando positiua. n. 2

Bonitas gratiæ non requiritur in ministro sacramentorum, ad validam illorum administrationem; sed æquè per bonos atque per malos, virtus sacramenti ex opere operato confertur. 6

Bonitas gratiæ exigitur ad licitam sacramentorum administrationem: & mortaliter peccat minister deputatus & consecratus, si peccati mortalis conscius, sacramentum aliquod ministret: excepto baptismo: qui in necessitate sine solemnitate collatus ab eo qui exibit in peccato mortali, non est graue peccatum, vt dictum est, *v. Baptismus*. 7

Bonitas gratiæ, per se loquendo, non requiritur in Iudice ad ferendam sententiam: per accidens tamen ratione scandali fieri potest, vt aliquando mortaliter peccet iudex: vt si adulter publicus, velit alios de adulterio condemnare. 12

Bonitas gratiæ non est necessaria in Prædicatore, per se loquendo, vnde prædicans in peccato mortali, non peccat mortaliter, nisi ratione scandali, puta si peccatum eius publicum sit: vel ratione contemptus, parui putans, scilicet verbum Dei, & fructum eius pro nihilo ducens. 5

Bona incerta.

Bona incerta dicuntur, vel quæ nunquam habuerunt dominum, vel quæ dominum quidem habuerunt, sed quando inueniuntur, amplius non habent, vel quæ de præsenti habent quidem dominum, sed ignoratur. n. 1

Bona inuenta, quorum dominus ignoratur etiam post adhibitam diligentiam, restituenda sunt pauperibus, seu capsæ incertorum, iuxta consuetudinem & decreta locorum. 2

Nomine pauperum intelliguntur non solùm priuati Mendici, sed etiam loca pia, & omne aliud pium opus: imò animæ defunctorum. ibid.

Inuentor rei alienæ non potest quidquam à Domino rei exigere, nisi fortè ratione laboris vel impensarum, &c. 3

Bona incerta acquisita ex delicto, vt furto, rapina, damno dato, & iniquis contractibus iure naturæ pauperibus sunt restituenda. 4

Quando damnum illatum est aliquibus personis tantùm particularibus, & ignorantur, restitutio potest fieri pauperibus alterius loci, iuxta consuetudines & decreta locorum. 5

Pauper habens bona incerta acquisita ex delicto, aut contractu, aut inuenta, potest ea sibi retinere titulo paupertatis. 6

Habens rem incertam, non tenetur illam restituere cuicumque asserenti se Dominum illius esse. 7

Quando res incerta applicata est pauperi, post sufficientem diligentiam adhibitam ad inueniendum Dominum, & post applicationem inuenitur Dominus rei, applicans ad nihil tenetur, nec pauper ad restitutionem. 8

Bona incerta quæ per compositionem Summus Pontifex concessit, possunt tuta conscientia retineri. 9

Bonorum incertorum compositio fieri potest etiam à Principe sæculari in locis sibi subiectis; imò etiam ab Episcopo, nisi illa prohibeatur. ibid.

Bona Paraphernalia.

Bona Paraphernalia dicuntur ea, quæ habet vxor præter dotem, vndecumque proueniant. In quibuſdam tamen locis, non ſunt in vſu. n.1

Bona, quæ mulier nubens ſibi non reſeruauit expreſsè vel tacitè, cenſentur dotalia, non paraphernalia. 2

Differentia inter dotem & Paraphernalia eſt, quòd dos inæſtimata, reſidet penes vxorem, quoad dominium: æſtimata verò ſpectat ad virum quoad dominium & vſumfructum. Paraphernalia autem pertinent ad vxorem quoad dominium & vſumfructum. 3

Vir adminiſtrans bona Paraphernalia ſinę vxoris poteſt ſibi retinere fructus induſtriales, quos accepit ex Paraphernalibus: imò & naturales conſumptos, dum per eos non eſt factus ditior. 4

Poteſt vxor facere donationes bonorum Paraphernalium & eorum quæ ſuo labore & induſtria acquiſita ſunt. 4

Vxor adultera poſt ſententiam iudicis amittit bona paraphernalia. 11

Bona Patrimonialia.

De bonis patrimonialibus clericorum non poteſt lex ciuilis aliquid ſtatuere vel ſpeciatim diſponere: niſi bona clericorum proprio merè reali onere Principi ſæculari obligata fuerint, antequam ad clericos peruenerint. n.7

Clerici non religioſi habent verum dominium bonorum patrimonialium vel quaſi patrimonialium, & de illis vt laici poſſunt diſponere. 11

Bona patrimonialia clericorum ſunt, quæ vel hæreditate, vel donatione, vel induſtria, vel alio modo, quo laici ſolent, acquirunt ſibi. Quaſi patrimonialia ſunt ea, quæ tamquam clerici acquirunt miniſterijs clericorum abſque beneficio, vt celebrat, concionib. vicaria temporali, &c. ibid.

Bona patrimonialia quæ ad Eccleſiaſticos, vel ad Eccleſias, aut ad monaſteria adueniunt, ſunt immunia à nouis tributis imponendis. 12

Bona derelicta.

Bona derelicta dicuntur, quæ vel expreſſo actu domini, vel præſumpto talia facta ſunt: in dubio autem an talia ſint, coniecturis eſt iudicandum. n.8

Quæ naufragio iactantur in aquam, non hoc ipſo ſunt derelicta, multò minùs quæ eripiuntur de incendijs & ruinis. ibid.

Bona vacantia.

Bonorum vacantium dominium, iure ciuili communi deuoluitur ad fiſcum, ſi defunctus laicus ſit, nullo hærede relicto, qui ab inteſtato ſuccedat. ibid.

Bona matrimonij.

Bona matrimonij debent neceſſariò intendi à contrahentibus, vt matrimonium ſine peccato ineatur; & ſunt tria videlicet, bonũ ſacramenti, bonum prolis, & bonum fidei, id eſt, fidelitatis. n.2

Bulla.

Bulla Pij V. de Caubijs paucis locis & fortè nuſquam, ſaltem quoad omnes eius conditiones, eſt vſu recepta. n.24

Cõditiones Bullæ Pij V. de Caubijs. 23

Bulla Clementis VIII. de largitione munerum, multis in locis vſu ab ipſis religioſis Ordinibus non recipitur. 7

Bullæ Cœnæ caſus non debent reſeruari ab Ordinarijs. 4

Bulla Pij V. de cenſibus nõ obligat vbi illa non eſt promulgata vel recepta: vnde conditiones dictæ bullæ nõ obligãt in Belgio, Gallia, Germania, vbi contrarius vſus temper perſeuerauit. 25

Bulla Pij V. *Quod à nobis*, de horis canonicis recitandis, non eſt in ſuo rigore plurimis in locis recepta, quoad reſtitutionem fructuum, ſed cum quibuſdam moderationibus. 10

Ex bulla Gregorij XIV. *Cum alias nonnulla*, priuilegio immunitatis Eccleſiaſticæ gaudent monaſteria, domus regulares & ſæculares locà ve ſacra, aut religioſa. 4

Bulla Sixti V. *Deteſtabilis auaritia*. in qua damnatur ſocietas facta cum aſſecuratione capitalis, videtur intelligenda de ſocietate facta cum aſſecuratione non cõpenſato onere, iuſto pretio, vel de ſocietate in qua non admiſcetur alius iuſtus cõtractus. 4

Bulla Sixti V *Cœli & terræ creator*. Contra aſtrologos non ſolùm pro foro externo lata eſt, ſed etiam in foro conſcientiæ obligat: quam approbauit, confirmauit & innouauit Vrbanus VIII. per aliam, quæ incipit, *Inſcrutabilis*. 4

Bulla Vrbani VIII. *Alias fœlicis*. in qua reuocantur omnia priuilegia viuæ vocis oraculo conceſſa, non videtur extendenda ad oracula viuæ vocis, quibus Summi Pontifices, priuilegia religionibus conceſſa explicant contenta in decretis, ſacris canonibus & Concilijs, dummodò non contineant aliquam gratiam, priuilegium aut indultum. 8

Bulla cruciatæ, vbi illa publicatur, non reuocat priuilegia regularium, nec ſuſpendit; ſed tantùm indulgentias. 5

Bulla cœnæ, ſecundùm probabilem ſententiam, non derogat, priuilegijs regularium quoad caſus in ea contentos. 5

Bulla cœnæ non obſtante, poſſe religioſos mendicantes abſoluere à dictis caſibus bullæ, modò ſint occulti, & religioſi ſint approbati ſecundùm formam iuris, probabilis ſententia affirmat. 18

Bulla cœnæ, non eſt vſu recepta in Anglia, Germania, Gallia. 16

Bulla cœnæ ex probabili ſententia, non reuocat facultatem Epiſcopis per Tridentinum datam abſoluendi ab hæreſi occulta, & alijs occultis caſibus Papæ reſeruatis in eadem bulla. 32

Bulla cruciatæ & alia indulta particularia, non ſuffragantur religioſis ad effectum eligendi ſibi confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat, ſine licentia ſuorum Superiorum. 36

Bullam Sixti V. contra procurantes aborſum, Gregorius XIV, illius ſucceſſor, in duobus præcipuè reſtrinxit & moderatus eſt. 3

Poſt bullã Clementis VIII. afficiuntur excommunicatione Papæ reſeruata, qui abſoluunt abſentem, vel dicunt aut docẽt aliquem poſſe per litteras vel per nuntium confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolui. 14

Non ſatis cõſtat, inter Doctores bullã Pij V. *Etſi Mendicantium Ordines* fuiſſe reuocatam per Gregorium XIII. in bulla *In tanta negotiorũ mole*. quia dubiũ eſt, an hæc bulla fuerit publicata. 9

Multi arbitrantur bullas Pij IV. *Romanum Pontificem* & Pij V. *Intolerabilis*. non eſſe vſu receptas in Germania. 4

Ex bulla Gregorij XIII. *Nuper ſub dat.* Epiſcopi Belgij poſſunt abſoluere ab hæreſi & alijs peccatis Papæ reſeruatis etiam in bulla cœnæ, donec totum Belgium in Regis Catholici obedientiam redierit. 18

Bulla cœnæ *Vrbani VIII.* lecta in die cenę Domini anno 1626. 51

Per bullam Pauli V. *Romanus Pontifex* reuocantur omnes indulgentiæ conceſſæ Summis Pontificibus quibuslibet regularibus ac monialibus cuiuſuis ordinis, & alias ibi concedit. 12

Bulla Gregorij XV. *Inſcrutabilis*, de exemptorum priuilegijs, nondum eſt executioni mandata pluribus in locis. 5

C.

Cæcus.

Cæcus ex toto aut etiam ex parte non tenetur ad officium perſoluendum, dum legere non poteſt: niſi illud memoriter ſciat. 5

Cæcus qui miſſæ intereſt cum deuotione, ſatisfacit præcepto, etiamſi longè diſtet à ſacerdote. 5

Cæci iure naturæ apti non ſunt ad miniſtrandum in ordinibus ſuſceptis. 6

Cæcus validè profitetur, quia poteſt ore proferre verba profeſſionis. 11

Calceamenta.

Sacerdos Miſſam celebrans, ob honeſtatem debet eſſe indutus calceamentis, quamuis hac de re non extet præceptum obligans ſub mortali. 4

Calix.

Calix Miſſæ ſacrificio deſeruiens debet ab Epiſcopo conſecrari; non à ſimplici ſacerdote; niſi ex commiſſione Papæ. n.1

Calix cum patena, ſi non ex auro, tamen ex argento vel ſtanno debet eſſe; non autem ex ære, aurichalco, ligno, aut vitro. 2

Calix & patena amittunt conſecrationem, ſi notabiliter frangantur, ſi de nouo deaurentur; non item ſi deauratio cadat propter vſum. 3

Calix conſecrationem amittit per ſeparationem cupæ à pede calicis ſi illa fiat cũ fractione: ſecus ſi illa fiat ſine fractione, vt accidit in calice tornatili, qui ita à principio eſt arte elaboratus. ib.

Calix conſecrationem non amittit per aliquos ictus à fabro inflictos, modò non frangatur. ibid.

Calix, patena, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Chriſti, non poſſunt tangi à laicis & clericis, qui ſubdiaconi non ſunt. 4

Vaſa quę continent actu Corpus vel ſanguinem Chriſti, non poſſunt tangi niſi à Sacerdotibus vel Diacono. ibid.

Ex priuilegio Fratres Minores clerici & laici poſſunt tangere ſine ſcrupulo calices & corporalia. Sed modò hoc eis non licet. ib.

Cambium.

Cambium eſt permutatio negotiatoria diuerſarum pecuniarum, ſeu pecuniæ pro pecunia. n.1

Cambior appellatur ille à quo petitur, vt pecuniam permutet: Cambiarius verò ad cuius petitionem pecunia commutatur. ib.

Cambium aliud eſt reale, aliud ſiccum: dicitur autem ſiccum, quia caret humore ſeu iuſto titulo ad pariendum lucrum. ibid.

Cambium reale eſt legitima permutatio pecuniarũ, ex qua iuſtè aliquid

aliquid lucri capi poteſt,& hoc diuiditur in minutũ & locale. 2
Cambium minutum eſt, cùm quis dat pecunias maiores pro minoribus,vel è contra,&c.& hoc cambium eſt licitum. ibid.
Cambium locale eſt, in quo pecunia præſens commutatur cum pecunia diſtante in alio loco:& dici ſolet cambium per litteras. Hoc cambium eſt licitum. 3
Locatio operæ & obſequij quod campſor præſtat,in congregando omnis generis pecunias, quæ permutari debent, iuſtus titulus eſt,cur in cambio minuto plus accipere poſſit,quàm dedit;præſertim ſi publica authoritate conſtitutus ſit. 4
Interesſe lucri vel commodi ceſſantis iuſtus etiam titulus eſt. 5
Alius titulus iuſtus recenſetur,labor numerandi pecuniam:& quò maior pecuniæ quantitas cambienda eſt, eò cæteris paribus, maior merces campſori debetur. 6
Ratione puritatis materiæ poteſt exigi aliquid ſupra valorem nummi lege definitũ: item ratione antiquitatis vel raritatis. ib.
Commoditas conſeruandi,transferendi,numerandi & vbique negotiandi,inter iuſtos titulos numeratur:pluris enim æſtimantur *mille* coronati in auro,quàm in pecunia minuta argentea. 7
Ad iuſtitiam cambij per minutum requiritur, vt in campſore nulla ſit falſitas,& ne ſit fraus decipiendo tractantes in valore monetæ:deinde vt ſit iuſtum pretium. 8
Qui ſcienter vel ex inaduertentia & ignorantia pecuniã adulterinã exigit,nõ poteſt illam expendere,quia pecunia vitioſa eſt. ib.
Famulus, œconomus,vel procurator à Domino accipiẽs pecunias ad aliquid emendum vel ad debitum ſoluẽdum, ſi eas per cambium minutum permutet,lucrum quod cambiendo facit,poteſt ſibi reſeruare,modò Dominus pecuniæ ſeruetur indemnis. 9
In cambio locali reali, cãpſor poteſt aliquid lucrari titulo virtualis trãslationis pecuniæ:vnde in cõſcientia exigere poteſt,quantum inter campſores bona fide pro tali obſequio eſt conſtitutum. 10
Præſtatio periculi ſeu aſſecuratio, alter titulus eſt, quo lucrari poteſt campſor in cambio locali. 11
Quando campſor dat prior pecunias vt alibi recipiat, poteſt etiam lucrari titulo virtualis translationis, ſeu maioris æſtimationis pecuniæ *præſentis*; quàm abſentis; etiamſi vtrobique ſit idem pretium monetæ. 12
Maior æſtimatio pecuniæ in loco vbi datur, quàm vbi redditur, alius titulus eſt,quo lucrari licet campſori in cambio locali;modò lucrum non excedat *iuſtum* cambij pretium. 13
Carentia pecuniæ cum qua eſt coniunctum periculum ne reſtituatur, & priuatio commoditatis negotiandi ea pecunia, alter titulus eſt,quo licet campſori in hoc cambio aliquid lucrari. 14
Cambium ad nundinas regitur eodem nummo quo cambium locale,& variatio pretij fit iuxta longius aut breuius tempus,vnde eſt licitum concurrentibus quibuſdam conditionibus. 15
Monopolium in cambijs vitandum eſt,vnde pretiũ directè augeatur:& *illud* facientes directè & per ſe,cooperanteſq; ad illud poſitiuè:peccant contra iuſtitiam & tenentur ad reſtitutionem. 16
Cambium pro ſecundis nundinis vel tertijs, vſurarium cenſetur, ſi campſor ob id *plus* exigat,quàm exigeret,ſi ad proximas tantum nundinas pecunias daret:limita,niſi campſor gratis id concederet. 17
Quamuis certum & determinatum intereſſe non poſſit à principio in pactum deduci pro periculo; tamen non prohibetur, vt qui alterius cauſa patitur reale intereſſe,non poſſit in foro conſcientiæ ſeruari indemnis. 18
Qui tradit pecuniam ad cambium alicui cui non fidit, poteſt exigere pignus,vel fideiuſſorem pro crediti ſecuritate. 19
Toleratur pactum, quo campſor obligat campſarium,vt ſi termino conſtituto non ſoluerit, fiat recambium ad locum primi campſoris: quia hoc nihil aliud eſt, quàm illum obligare ad intereſſe lucri ceſſantis. 20.21
Non tenetur campſor, qui campſarius poſt multa cambia & recambia tradidit partem debiti, eam partem computare pro extinctione capitalis, ſed poteſt eam compenſare pro extinctione lucrorum & intereſſe capitalis. 22
Conditiones requiſitæ à Pio V.in ſua bulla de cambijs. 23
Hæc bulla Pij V.de cambijs paucis locis & fortè nuſquam,ſaltem quoad omnes eius conditiones,eſt vlu recepta. 24

Canonica portio.

Vide *Quarta Epiſcopalis & Parochialis.*

Canonicus.

Qui priuilegium canonicatus obtinuit cum futura ſucceſſione, non tenetur ad horas canonicas:coadiutor enim canonici,non eſt verè canonicus viuente coadiuto. n.1
Canonicus tenetur ad horas, etiamſi primo anno fructus beneficij non recipiat. 2
Non peccant canonici, nec tenentur ad reſtitutionem diſtributionum,qui domi priuatim officium recitant, vt poſtea in eccleſia alijs ſeruitijs Eccleſiæ & chori,vel miniſtrandis ſacramentis detineantur. 3
Canonicus recitans horas ſubmiſſa voce alijs canentibus, non poteſt integras diſtributiones percipere, ſed tantùm mediam partem illarum: ſi tamen ſtatutum,conſuetudo aut fundatio ſolam præſentiam requirat, integras percipere poteſt. 4
Præbenda canonicum non facit,ſed potiùs collatio iuris ſpiritualis facta ab eo,qui poteſtatem habet. 5
Receptus in canonicum cum promiſſione præbendæ, eamdem exigere poteſt,quia Canonico de iure præbenda debetur. 6

Capitulum.

Capitulum nihil ſtatuere poteſt, vel nouare Epiſcopo viuente iuriſdictionem tenente,abſq; eius voluntate & approbatione. n.1
Sine conſilio capituli Epiſcopus nihil ſtatuere debet iure commutãdo & ſecluſa contraria conſuetudine, in ijs quæ maioris momenti ſunt. 2
Capituli conſenſus requiritur in cauſis, quæ ad Capitulum quoq; attinent,vel in eius damnum cedere poſſunt. 3
Si Epiſcopus aliùſve Prælatus malè adminiſtres, Capitulum ſeu conuentus contra illum agere poteſt. 4
Vt ſtatutum capitulare fieri poſſit, ſufficit conſenſus maioris partis,ſi ratio neceſſitatis vel magnæ vtilitatis vrgeat. ibid.
Capitulum ſede vacante, beneficia conferre non poteſt, quæ patronata non ſunt. 5
Quando libera collatio beneficiorũ ad Epiſcopum & Capitulũ cõmuniter pertinet,poſſunt ea ſede vacãte,à Capitulo cõferri. ib.
Capitulum non ſuccedit in iuriſdictione delegata Epiſcopo: præſertim ſi delegatio à iure ſeu Canone fiat Epiſcopo tanquam Sedis Apoſtolicæ delegato. 6
Capitulum ſede vacante ſuccedit in iuriſdictione, quæ competit Epiſcopo iure communi & ordinario,non item in ea,quæ ſpeciali iure. ibid.
Capitulum ſede vacante habet iuriſdictionem ordinariam in ſpiritualibus & temporalibus. 6
Capitulum ſede vacante poteſt committere alicui Epiſcopo, ea quæ ſunt ordinis Epiſcopalis:quia committere eſt actus iuriſdictionis,non ordinis. ibid.
Capitulum alienare non poteſt, vacante ſede,bona immobilia Cathedralis Eccleſiæ, & mobilia pretioſa, quæ ſeruando ſeruari poſſunt,ſine licentia Sedis Apoſtolicæ. 7
Capitulum poteſt confirmare alienationes ab inferioribus Eccleſijs factas ex cauſis permiſſis. ibid.
Capitulum dare non poteſt ſub pœna interdicti ordinandi licentiam aut literas dimiſſorias infra annum à die vocationis, præterquam ei, qui beneficij eccleſiaſtici recepti aut recipiendi occaſione arctatus eſt. 8
Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſecundùm probabiliorem ſententiam,non poteſt ſede vacante indulgentias concedere. 9
Capitulum ſede vacante poteſt aſſiſtere matrimonio, vel alij ſacerdoti licentiam dare. 10
Capitulum non pertinet vacante ſede, merè voluntarias gratias,ſiue donationes ſine debito neceſſitatis conferre. ibid.
Capitulum ſede vacante non poteſt approbationem ad confeſſiones audiendas à præcedente Epiſcopo religioſis Mendicantibus conceſſas reuocare,nec licentiam ad prædicandum: ex conceſſione *Clementis IV.* 11
Capituli authoritas & poteſtas conſiſtit in maiori parte & ſaniori: quando autem maior pars capituli delinquit & ob id ſua poteſtate priuatur, tunc tota Capituli poteſtas reſidet in minori parte,quæ non deliquit. 12
Capitulum non ſuccedit Epiſcopo in collatione beneficiorum liberа & gratioſa,ſed in neceſſaria & debita. 5
Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ſede vacante poteſt diſpenſare in irregularitatibus conceſſis Epiſcopo in Tridentino, ſecundùm probabiliorem ſententiam. 6
Capitulum Eccleſiæ Cathedralis poteſt mortuo Epiſcopo leges & ſtatuta facere duratura donec reuocentur ab Epiſcopo ſucceſſore. 6
Capitulum ſede vacante poteſt licentiam dare monialibus ſibi vel Sedi Apoſtolicæ ſubiectis,vt extra clauſuram egredi poſſint. 4

Carcer.

Carceris eſt triplex genus:primum eſt in pœnam criminis:Secundum eſt ad cuſtodiam:Tertium genus eſt ad afflictionem. 14
Vide verb. *Reus*.

Cardinales.

Cardinales reſpectiuè ad Eccleſias in quibus iuriſdictionẽ in foro

exter-

externo habent, vt in Ecclesijs sui tituli, censuras ferre possunt in subditos sibi contumaces. n.9
Cardinales excommunicatione generaliter lata ligantur, nisi illorum fiat exceptio. Suspensione tamen & interdicto generaliter latis non ligantur, nisi illorum fiat expressa mentio. 18
Cardinales sicut ratione dignitatis propinquissimi sunt Pontifici, ita illum solum habent vt proprium Pastorem & sacrdotem. 19
Cardinales possunt sibi eligere confessarium; quia quamuis non sint Episcopis superiores potestate, seu iurisdictione, tamen iam iuxta communem vsum Ecclesiæ, censentur superiores dignitate. 11
Propter percussionem Cardinalis, amittitur ipso iure percutientis beneficium. 3
Cardinales possunt in loco seu Ecclesia sui tituli ferre leges obligantes suum territorium; leges verò vniuersales condere non possunt. 6
Cardinalium declarationes non habent vim legis; quia non promulgantur; licet maximi sint ponderis, & ab ijs recedendum non sit, sine firmissimo fundamento. 12
Cardinalium declarationibus nulla adhiberi debet fides, nisi sint in Authentica forma, solito sigillo & subscriptione Cardinalis Præfecti ac Secretarij Sacræ Congregationis munitæ. ibid.
Cardinalatus non est ordo sacer, nec imprimit characterem, nec fuit à Christo Domino institutus. 3
Presbyteri Cardinales ex consuetudine seu delegatione Papæ, possunt primam tonsuram & Minores ordines suis familiaribus tradere. 1

Carnis prudentia.

Carnis prudentia dicitur, qua quis viuit secundùm carnem, id est, sequitur instinctus & motus naturæ corruptæ; seu quæ excogitat idonea media ad opera carnis complenda. 7
Prudentia carnis non est peccatum, nisi ratione effectus praui, cui subest: vnde si hic sit peccatum mortale, erit mortale; si veniale, veniale. ibid.

Casus reseruatus.

Casus reseruatio est ablatio seu non concessio iurisdictionis ad absoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia concedatur. n.1
De fide est in Ecclesia esse potestatem reseruandi aliqua peccata superiotibus Iudicibus. ibid.
Papa, Episcopi, & alij Prælati iurisdictionem habentes quasi Episcopalem possunt sibi reseruare casus, & confessarijs sibi subditis absoluendi potestatem limitatam dare. ibid.
Summus Pontifex ordinatiè nullum peccatum suo tribunali reseruat, nisi propter annexam excommunicationem sibi itidem reseruatam. 2
Reseruationes Pontificiæ sistunt in censura, & solùm mediatè & quasi per accidens redundant in culpam; vnde ablata censura statim manet peccatum non reseruatum. ibid.
Si quis committat peccatum in bulla cœnæ contentum, sed ob ignorantiam non crassam à censura Papali excusatus fuit, quia de ea nihil audiuit, ab interiore absolui potest. ibid.
Quando Papa relaxat censuram sibi reseruatam, probabile est ex consuetudine auferri etiam reseruationem inferioris. ibid.
Ecclesia non reseruat vllum veniale, vel peccatum mortale internum, sed mortale debet esse & opere consummatum, hoc est, de facto non nisi peccatum externum, quod etiam secundùm conditionem & quantitatem operis externi sit mortale, & non ex relatione ad intentionem internam. 3
Si in quibusdam religionibus reseruentur ingressus religiosorum seu Monialium in mutuas cellas absque licentia Superioris, aut scriptio litterarum absque eadem licentia; licet ista per se sint materia leuis, ex circumstantijs tamen fieri potest materia grauis peccati mortalis, & vt sic reseruabilis. ibid.
Reseruatio casuum superfluorum, quamuis illicita sit, est tamen valida: in praxi tamen cum apparet nimia & irrationabilis, recurrendum est ad Superiorem, vt prouideat. 4
Qui casus non debeant reseruari ab Ordinarijs, ex mandato sacræ Congregationis Cardinalium. ibid.
Episcopus reseruat sibi casus non solùm ratione censuræ, sed etiam ratione ipsorum peccatorum, nulla existente censura. 5
Satis probabile est, nullos casus de facto esse reseruatos Episcopis iure communi & secluſa consuetudine. ibid.
Casuum reseruatio cessat per obitum Episcopi, quos, scilicet, ipse Episcopus reseruauit sibi: si tamen casus Episcopo reseruentur per statutum vel Synodum Diœcesanam, hi per mortem Episcopi non expirant. ibid.
Qui contraxit censuram reseruatam Episcopo, aut qui incurrit in casum reseruatum; potest absolui mortuo Episcopo à quocumque confessario: modò reseruatio non sit facta per statutum. ib.
Quando extincta iurisdictione Generalis seu Præpositi & remanet eius vicarius, tunc in suo robore reseruatio non manet. ibid.
Omnis reseruatio casuum vel est à lege vel ab homine. ibid.
A casibus reseruatis absoluendi habet potestatem ordinariam & directam, ille, qui reseruauit, & superior ipsius reseruantis. 6
Archiepiscopus non potest subditos suorum suffraganeorum à reseruatis absoluere, excepto casu visitationis Prouinciæ, aut in causa appellationis. ibid.
Parochus non potest sibi reseruare casus respectu suorum capellanorum. ibid.
Episcopus vel Episcopalem authoritatem habens, incidens in casum occultum reseruatum Pontifici potest absolui ab Archiepiscopo, si se ei subijciat, vel à confessario à se electo. 7
Facultatem delegatam habet absoluendi à reseruatis ille, cui facultas data est à Superiore habente illam ordinariam. 8
Episcopus vel alius Prælatus faciens alicui facultatem audiendi confessiones subditorum suorum, & illos absoluendi, non concedit suos casus reseruatos. 8
Si Episcopus concedat alicui prius aliquem casum reseruatum & omnem suam potestatem; tunc talibus verbis conceduntur reseruata. ibid.
Episcopus concedendo casus suos reseruatos, non videtur concedere absolutionem à censuris sibi reseruatis. ibid.
In his delegationibus pro foro conscientiæ standum est intentioni concedentis, quomodocumque de illa constet: quamuis in foro contentioso præcisè standum sit verbis concessionis. ibid.
Regulares abeuntes cum licentia vt possint cuicumque confessario confiteri, non possunt absolui à reseruatis. ibid.
Probabilius est confessarium posse absoluere iter agentes aut peregrinos habentes casus reseruatos suo proprio Episcopo, quamuis non habeat facultatem absoluendi à reseruatis, modò illi casus non sint reseruati etiam Episcopo loci. 9
Si iter agens habeat casus reseruatos vtrique Episcopo, videlicet Episcopo proprij domicilij, & Episcopo loci, in quo confitetur, non potest absolui, nisi à confessario habente facultatem circa reseruata. 10
Peregrinus aut iter faciens habens casus reseruatos Episcopo loci in quo confitetur, qui non sint reseruati Episcopo proprij domicilij, non potest à quolibet simplici confessario absolui. 11
Vsu receptum est, quando Pontifex concedit in Iubilæo, vel extra Iubilæum facultatem absoluendi à censuris & casibus reseruatis, censeri concedere censuras & casus, quos Episcopi sibi specialiter reseruant. 12
Per facultatem generalem absoluendi ab omnibus casibus reseruatis Summo Pont. non potest quis absoluere à casibus contentis in bulla cœnæ, quando non est facta mentio illius bullæ. ib.
Qui habet facultatem absoluendi a reseruatis spatio quindecim dierum temporis Iubilæi, potest absoluere pœnitentem, qui intra tale tempus commisit peccatum reseruatum, modò pœnitens intentionem habeat præstandi necessaria ad Iubilæum consequendum: imò quamuis peccatum commiserit spe absolutionis obtinendæ. 17
Quando conceditur Iubilæus obtinendus in vna ex duabus hebdomadis, probabilius est illum, qui obtinuit prima hebdomada Iubilæum, non posse adhuc absolui a reseruatis in secunda, si incidat in casus reseruatos. 14
Probabilius est confessarium, qui non habet facultatem absoluendi à reseruatis, si peccatum aliquod pœnitentis intelligat esse reseruatum, ordinariè non debere eum absoluere, sed ad Superiorem mittere, vel absoluendi potestatem ab eodem petere. 15
Probabile est, vrgente necessitate communicandi vel celebrandi ad vitandam infamiam, habentem casus reseruatos posse vel confiteri inferiori sacerdoti omnia peccata tam non reseruata, quam reseruata, & celebrare: vel tantùm confiteri peccata non reseruata & reticere reseruata: vel si hoc non velit elicere posse actum contritionis & celebrare sine prævia confessione. Si autem peccata habeant excommunicationem annexam, posse conteri & celebrare: vel si tantùm est attritus, confiteri cum inferiori sacerdote. 16.17
Pœnitens bona fide accedens ad confessionem, nesciens suum peccatum esse superiori reseruatum, vel si sciuerit, putauit tamen se legitimè ab inferiore absolui posse cum opere recursus ad superiorem, in hoc casu plerumque absolui poterit, modò præter reseruatum, aliud peccatum absolutioni subijciat. 18
Absolutio bona fide collata à peccatis tantùm & non à censuris, etiam reseruatis, valida est, ita vt necesse non sit confessionem iterari,

iterati, sed sufficit posteà absolutionem petere ab excommunicatione. 18
Superior, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis, tenetur concedere facultatem pœnitenti per se vel per alium petenti, qua possit alteri confiteri casus reseruatos & ab eo absolui. 19
Quando superior semel atque iterum requisitus, negat licentiam pio, docto ac religioso confessario, ad aliquem suum subditum absoluendum ab aliquo reseruato, aut illam non vult concedere, nisi sub ea conditione, vt sibi priùs præsentetur, probabile est illum posse absolui à confessario. 7
In concessione vel negatione facultatis absoluendi à reseruatis, hoc remittendum est arbitrio prudentis confessarij. 19
Ex decisione S. D. N. Pauli V. si regularium confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus, dare noluerit Superior, possunt nihilominus confessarij illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta à Superiore facultate, absoluere. ibid.
Superior in magna necessitate potest audire solam reseruatorum confessionem, ab eisque sacramentaliter absoluere, remittendo pro absolutione reliquorum ad inferiorem sacerdotem. 20
Quoties licitum est superiori absoluere sacramentaliter de solis reseruatis, ex tali confessione & absolutione, verum perficitur sacramentum, distinctum ab alio, quod posteà ab inferiore confertur. 21
Imò si superior sufficientem causam non habens audiret dimidiam confessionem tantùm, & propterea malè faceret, verum tamen conficeret sacramentum, dummodò pœnitens bona fide procederet esset que sufficienter dispositus. ibid.
Probabilius est illum, qui obtinuit à Superiore absolutionem reseruatorum, non teneri repetere reseruata apud inferiorem confessarium, cui reliqua peccata mortalia non reseruata confitetur. 22
In dubio iuris vel facti de casus reseruatione, casus non censetur reseruatus. 23
Qui dubitat si homicidium commisisse, vel compleuisse peccatum quod constat esse reseruatum, vel mortaliter peccasse, vel sufficienter compleuisse actum externum, potest à quolibet confessario approbato in confessione audiri & absolui. 24
Qui bona fide confitetur nesciens suum casum esse reseruatum, vel sacerdotem non posse ab eo absoluere, absolutio videtur valida, Ecclesia tacitè hic & nunc dante iurisdictionem in bonum animarum. ibid.
Si propter dubium Sacerdos inferior absoluit ab hæresi. v.g. vel alio peccato reseruato, & postea pœnitens re melius examinata deponat dubium; & recordetur certò peccati commissi, quod erat reseruatum, censetur legitimè absolutus, & non tenetur recurrere ad Superiorem pro absolutione. ibid.
Confessarius dubitans se iurisdictionem habere circa casus reseruatos non potest absoluere: quamuis interueniente necessitate, seu iusta & rationabili causa id possit indirectè & sub conditione aliquando. 25
Absolutus cum iurisdictione dubia in necessitate & sub conditione, tenetur iterum eadem peccata sacerdoti habenti iurisdictionem certam confiteri. ibid.
Sacerdos habens opinionem probabilem de sua iurisdictione circa peccata reseruata, potest absoluere, etiamsi opinio illa probabilis à parte rei non subsistat. 26
Quando pœnitens fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam vel delegatam circa casus reseruatos, verè remanet absolutus à peccatis reseruatis oblitis, modò confessarius intentionem habuerit absoluendi quantum potest & indiget pœnitens, & obliuio non fuerit ita culpabilis, vt sacramentum sit inualidum, licet informe. 27
Pœnitens remanet absolutus à reseruatis oblitis etiamsi non petat expresè & explicitè absolutionem à reseruatis, dum tempore Iubilæi, vel extra, sacerdoti priuilegium habenti circa reseruata bona fide confitetur. 28
Qui extra tempus Iubilæi confessus est Superiori, facultatem circa casus reseruatos habenti, vel eius delegato, remanet absolutus quoad reseruationem peccatorum in confessione manifestatorum, licet confessio fuerit inualida; modò confessarius protulerit formam absolutionis. 29
Confessus inualidè confessario habenti facultatem reseruatorum per bullam seu virtute Iubilæi, liber est ab excommunicatione reseruata, si absoluens eam tollere intenderit & potuerit: quantum autem ad casus secundum se reseruatos, probabile est etiam tolli reseruationis onus. ibid.
Qui à censuris & peccatis reseruatis bona fide fuit absolutus virtute Iubilæi, remanet directè absolutus, nec reincidit in casus reseruatos vel in censuras, etiamsi posteà voluntariè prætermittat ea, quæ ad lucrandum Iubilæum præscribuntur. 30
Pœnitens absolutus à casibus & censuris virtute Iubilæi, non peccat mortaliter, si posteà mutet voluntatem & non lucretur Iubilæum. ibid.
Absolutus in articulo mortis à casibus reseruatis ab eo, qui aliàs non posset, non tenetur si conualescat coram superiore comparere; nisi peccato annexa sit censura excommunicationis superiori reseruata. 31
Obligationi se præsentandi coram superiore potest satisfieri per procuratorem, & etiam per literas. ibid.
In articulo mortis quilibet est absoluendus ab excommunicatione reseruata, si nullam possit præstare cautionem. ibid.
Probabile est facultatem datam Episcopis per Tridentinum absoluendi ab hæresi occulta, & alijs occultis casibus Papæ reseruatis in bulla cœnæ, non reuocari per bullas Cœnæ Domini: quamuis contrarium probabilius sit. 32
Et quidem in Belgio omninò videtur hanc reuocationem potestatis absoluendi à casibus Bullæ cœnæ locum non habere. ibid.
Episcopis Belgij per Gregorium XIII. est ratione hæresum amplissima facta facultas etiam delegandi potestatem absoluendi ab hæresi donec totum Belgium in ipsius Regis Catholici obedientiam redierit. ibid.
Facultas absoluendi ab hæresi Episcopis competens ex Tridentino, potest vicario vel alteri idoneæ personæ delegari. 34
Si Episcopus incidat in aliquod delictorum, de quibus agitur in decreto Tridentini, potest à confessario dispensari vel absolui cum potestate ab ipso delegata. ibid.
Quando generatim conceditur facultas absoluendi à casibus bullæ cœnæ, non censetur comprehensa absolutio ab hæresi, nisi speciatim explicetur: licet contrarium fuerit declaratum in sacra pœnitentiaria Romana. 35
Regulares approbati iuxta formam Concilij Tridentini, possunt iuxta priuilegia sua absoluere quoties opus fuerit, omnes fideles à casibus, censuris & pœnis Ecclesiasticis Papæ extra bullam cœnæ reseruatis. 36
Priuilegia regularium concedentia potestatem absoluendi fideles à peccatis Papæ reseruatis extra bullam cœnæ, limitata sunt respectu confessariorum existentium in Italia extra Vrbem Romam. ibid.
Religiosi non possunt absolui à reseruatis sine licentia suorum Prælatorum, virtute Bullæ Cruciatæ & aliorum indultorum particularium. ibid.
Regulares tempore Iubilæi plenissimi possunt sibi eligere confessarium etiam extra suum Ordinem, & absolui à reseruatis suis superioribus. ibid.
Religiosi in terris infidelium remotissimis à Sede Apostolica, possunt omnes fideles absoluere etiam à reseruatis in bulla cœnæ. 37
Probabilius est religiosos, & præcipuè Fratres Prædicatores & Minores, stando in solo iure communi & secluso priuilegio, posse absoluere à casibus extra ius commune Episcopo reseruatis. ibid.
Religiosi iuxta sua priuilegia possunt absoluere ab omnibus casibus Episcopo etiam in iure reseruatis. 38
Regularium Mendicantium potestas non potest restringi per Episcopos seclusa peculiari Pontificia concessione. ibid.
Papa potest exemptos & priuilegiatos subijcere Episcopis, vt scilicet, non absoluant à casibus, quos Ordinarij reseruant absque eorum licentia: vt de facto subiecit *Clemens VIII.* pro Italia, & *Vrbanus VIII.* extra Italiam. ibid.
Prælati regulares, de confessarij ab ipsis deputati possunt à casibus Episcopis reseruatis absoluere suos familiares seu famulos laicos intra monasterij septa cohabitantes, sicut & religionem ingredi volentes, etiam sine licentia & approbatione Episcoporum. 38
Confessarij Mendicantes absoluere possunt ab omnibus excommunicationibus, tam à iure, quàm ab homine etiam specialiter & nominatim latis, satisfacta tamen parte, aut præstita sufficiente cautione. 39
Probabile est regulares priuilegiatos posse absoluere à censuris ab Episcopo reseruatis, non obstantibus decretis sacræ Congregationis. ibid.
Qui ex priuilegio vel bulla potest absoluere à casibus Episcopo reseruatis, potest etiã à reseruatis Pontifici, modò sint occulti. ib.
Casus qui reseruari possunt à Prælatis Regularibus iuxta decretum *Clementis VIII.* 40

Prælati regulares, qui possunt reseruare casus, sunt Generales pro toto Ordine in Capitulo Generali cum consensu vocalium; deinde Prouinciales pro prouincia in Capitulo Prouinciali, cum eiusmodi consensu vocalium. ibid.

Veneficium significat proprie veneni procurationem, etiamsi non habeat magicum quid coniunctum: & est casus reseruatus, licet ex veneno procurato mors non fuerit secuta. §.1

Per incantationes in decreto *Clementis* comprehenduntur omnia opera magiæ superstitiosæ. ibid.

Per sortilegia, intelligitur ille vsus sortium, quarum directioni præest diabolus pacto expresso vel tacito. ibid.

Sub his tribus speciebus superstitionum, comprehenduntur cęterę omnes species, quæ sunt peccata mortalia. ibid.

Vt apostasia sit casus reseruatus, non sufficit quicumque exterior actus apostasiæ, puta si quis exuat habitum regularem & sæcularem induat, animo apostatandi, sed requiritur vt extra sepia monasterij fiat egressio. §.2

Lapilli & gemmæ fiunt inuentoris, si in litore maris inueniantur & fiat apprehensio: venæ metallicæ in nullius sunt dominio; licet Principes ius illas effodiendi sibi attribuant in locis publicis. 7
Illa, quæ habentur pro derelictis, fiunt primò occupantis: non habentur autem pro derelictis, quæ naufragio iactantur in aquam. 8
Insulæ, quæ in mari nascuntur, iure communi fiunt occupantis: quæ verò in flumine, communes sunt cum ijs qui ab vtraque fluminis parte prædia habent. 9
Dominium bonorum vacantium iure deuoluitur ad fiscum: Peregrinorum autem mobilia morientium in hospitali, per Episcopum loci distribuenda sunt in pias causas. 10
Thesaurus non habens dominum iure gentium transit in dominium inuentoris occupantis; quamuis iure communi aliter iam statutum sit. 11
Quilibet ex populo vel Repub. acquirit sibi dominium syluarum cæduarum, cui illæ syluæ sunt communes. 1
Quamuis dominus alicuius loci & ciuitatis in pascuis publicis sui territorij iurisdictionem ciuilem & criminalem habeat, nullum tamen ex hoc iure dominium in illis habet. 10
Dominium habet Ecclesia decimarum antequam ei tradatur. 14
Vt transferatur dominium per emptionem & venditionem, requiritur traditio. 2
In feudo & emphyteusi transfertur dominium vtile in recipientem, remanente dominio directo apud traditorem. 1
Ex fideiussione inualida non transfertur dominiũ in accipientẽ. 5
Plura de dominio vide v. *Præscriptio*.

Domicilium.

Ad Domicilium vel quasi domicilium, eiusque ratione diœcesim vel parochiam acquirendam, animus requiritur & factum. n. 1
Domicilium habens in duabus parochijs, potest in alterutra, qua malit, pœnitentiæ & alia sacramenta suscipere. 2
Natus in oppido, in quo parentes domicilium non habent, non censetur originarius loci illius, sed fingitur natus in ciuitate vel loco, in quo parentes habitationis domicilium sortiũtur. 3
Quamuis originis domicilium inseruiat quoad ordines suscipiendos, in acquirenda tamen iurisdictionis subiectione, non habetur ratio originis, sed potius domicilij habitationis. 4
Quis dicatur proprius sacerdos illorum, qui in vno loco habent domicilium, in alio verò quasi domicilium, vide verb. *Confessarius I.* n. 13. & sequent.

Donatio.

Donatio est contractus, quo gratis & liberaliter aliquid in alterum confertur, nullo ad id cogente iure. n. 1
Donatio est duplex, vna est perfecta, altera dicitur imperfecta. 2
Donare possunt illi soli qui habent dominium & administrationem cum facultate alienandi. 3
Donare non potest, qui caret rationis vsu ad id sufficiente. 4
Impubes donare non potest sine tutoris facultate. ibid.
Prodigus, qui à magistratu positus est sub curatore: Minor. 25. annis, si curatori subsit & castrensia vel quasi non habeat, donare non possunt sine curatoris consensu. ibid.
Filius familias, quamuis pubes sit, non potest absque consensu Patris donare, nisi habeat castrensia vel quasi. ibid.
Vxor donare non potest de bonis communibus, quorum administratio ad virum pertinet, si tamen vir esset irrationabiliter inuitus posset donare in aliquibus casibus. ibid.
Clerici beneficiarij fructus beneficij qui supersunt congruæ suæ sustentationi donare non possunt in vsus prophanos. 5
Regulares beneficiarij etsi donationes remuneratorias ad pias causas, facere possint; non tamen ad vsus prophanos & ad ditandos consanguineos donare possunt. ibid.
Superiores regularium non possunt donare ad vsus profanos; & qui ab eis acceperint, tenentur ad restitutionem: moderatè tamen possunt donare pro ratione administrationis: imò debent de superfluis conuentus, facere eleemosynas. 6
Inferiores officiales monasterij possunt etiam facere eleemosynas competentes iuxta regulam aut voluntatem Superiorum rationabiliter præsumptam; religiosi verò subditi viuentes in monasterio donare non possunt, nisi ex consensu Prælatorum expresso, vel tacito. 7
Donationes & eleemosynæ fieri possunt etiam à nobis Fratribus Minoribus, modò quatuor conditiones concurrant. ibid.
Fur & raptor, & qui non est soluendo; & ille, cuius bona sunt fisco addicta, donare non possunt. 8
Donatio inter coniuges iure communi est nulla: confirmatur tamen morte donantis, vel iuramento. ibid.
Donatio inter coniuges in multis casibus valida est, etiam ante mortem donatoris. 9
Donatio patris in filium legitimum nondum emancipatum iure communi est inualida: tamen si antea res fuerit tradita, confirmaretur tum morte donantis, tum iuramento. 10
In aliquibus casib. iure consistit donatio patris in filium. ibid.
Filius emancipatus potest donare patri, si viginti annos excedat, & habeat castrensia vel quasi. 11
Donatio inter viuos omnium suorum bonorum, tam futurorum, quàm præsentium, iure communi est inualida; nisi fiat Ecclesiæ vel in aliquam causam piam, vel confirmetur iuramento. 12
Iure statutum est, quòd donatio excedens quingentos solidos inualida sit quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione. 13
In aliquibus casibus valida est donatio absq; insinuatione etiamsi 500. solidos excedat. 14
Donatio inter viuos, non potest rescindi & reuocari ad arbitrium donantis, nisi in certis casibus. 15
Reuocari potest donatio inter viuos, quamuis sit accepeata & res tradita, ob ingratitudinem donatarij. 15
Ipso iure rescinditur donatio inter viuos, ratione susceptionis prolis legitimæ, non præcogitatæ. 16
Donatio inter viuos reuocari potest, quando illa est inofficiosa, id est, quando pater tantùm donat, vt non retineat quantùm postulat legitima portio filiorum. 17
Donatio causa mortis est, cùm quis sic donat, vt res sit donatarij post mortem donantis: hæc donatio potest ob tres causas reuocari. 18
Qui extrema necessitate laboranti dat aliquid non in eleemosynam & gratis, sed titulo mutui vel alterius contractus, non satisfacit, nisi gratis & in eleemosynam tradat. 7
Plura de donatione, vide verb. *Pauperes religiosi. Promissio. Eleemosyna.*

Donatarius.

Donatarij & legatarij non tenentur ad restitutionem, etiamsi omnes hæredes deficiant, si illa quæ hæredib. relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita: si tamen non sufficiunt, tunc donatarij debent contribuere, seruata proportione. 9

Dormiens.

Obligati ad horas canonicas, si dormiant in choro dum diuinæ laudes canuntur, præcepto non satisfaciunt, si notabilem officij partem omissam negligenti repetere. n. 28
Dormiens licitè potest occidi, qui me iniustè inuadit, si aliter euadere non possum. 12
Dormienti collatus baptismus, validus est, si baptismum petierit ante somnum. 8
Si dormiens rebaptizetur, non est irregularis. 9

Dormientes non sunt testes idonei ad matrimonium. 11
Dormiens si vir iustus sit & occidatur in odium Christi, dicitur martyr; quando martyrium præuidit & in illud consensit; secus dicendum si nihil antea cogitauerit de martyrio. 3
Qui tempore missæ notabiliter dormitat, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. 6

Dos.

Dos dicitur quod ab vxore, vel alio eius nomine, marito datur, ad onera matrimonij sustinenda, puta, alendam vxorem, liberos, familiam. n. 1
Dos, alia est profectitia, alia aduentitia. 2
Dotem tenetur pater constituere filiabus, quas matrimonio collocat, etiamsi filiæ diuites sint, aut monasterij ingredi velint. 4
Ad taxandam dotem, quam debet pater filiæ nubenti assignare, considerauda est dignitas filiæ, & mariti, quantitas facultatum patris, & numerus filiorum. 4
Filia, quæ de consensu patris nupsit cum dote minimè competente, tenetur pater tradere augmentum, ipsa petente. 5
Mater non tenetur pro filia dotem dare, nisi sit diues & filia & pater sint inopes. 6
Frater diues in defectum ascendentium sororì inopi coguntur dotem dare: & si clericus sit, etiam de reditibus ecclesiasticis. ib.
Filiæ spuriæ tenetur pater dotem dare, non mater. 7
Dos constituenda est ex facultatib. patris, deducto ære alieno. 8
Dos profectitia patri reddenda est, quando filia mortua fuit in patris potestate constituta: vbi autem filia emancipata fuerit, non reuertitur dos ad patrem dotantem, sed de illa potest disponere filia. 9
Maritus dotem aduentitiam lucratur soluto matrimonio per mortem vxoris, quãdo pactum intercessit de dote lucrãda. 10
Dotem aduentitiam lucratur maritus, ob adulterium vxoris, post iudicis sententiam: vxor verò lucratur donationem propter nuptias, ob adulterium mariti. 11
Multa sunt priuilegia dotis. 12
Consuetudine totius mundi hodie introductum est, vt moniales in monasterijs non recipiantur, nisi prius sufficienter sint dotatæ. 13
Taxatio *dotis* monialium quoad quantitatem ipsius pertinet ad superiores ipsarum. 14
In pactionib. & conuentionibus super dote monialium recipiendarum factis, ex declarationibus multorum summorum Pontificum, nulla committitur simonia. 15
Circa dotales eleemosynas monialium, adducuntur hic quædam declarationes Sacræ Congregationis. 16
Stuprator, qui per vim aut fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à virgine extorsit, absque etiam promissione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare vt æquè bene nubat, ac si virgo esset. 12

Dubium.

Dubium est *contrariarũ rationum* æqualitas: vndè propriè dubitat homo de aliquo, vel circa aliquid quando habet rationes ad vtramq; partem æqualiter, aut quasi æqualiter mouẽtes. n. 1
Qui dubitat post adhibitam diligentiam, an tale ius extet, an latum sit præceptum siue illud sit diuinum, siue humanum, siue consuetudo; in foro externo iudicandum est in fauorem subditi possidentis suam libertatem. 2
Quando constat de lege; vel præcepto, dubium autem est an in aliquo casu, ratione necessitatis aut alterius circumstantiæ occurrentis eximatur quis ab obligatione, tenetur lege, vel præcepto. 3
Qui certus est se vouisse, dubius autem est qualitatis seu modi vouendi, seu voluntatis se obligandi; vouens in hoc dubio tenetur solùm ad id quod minus est; si quis autem certus sit de voti valore, dubitat tamen an votum obliget ratione materiæ, &c. tenetur voto. 4
In dubio iuris de irregularitate proueniente ex homicidio, post adhibitam diligentiam, non est censendus quis irregularis: secus si dubium sit facti. 5
In alijs irregularitatibus siue sit dubium iuris siue facti, non debet quis se censere irregularem, post adhibitam diligentiã. ib.
Probabile est, in dubio de censuris, siue dubium sit iuris siue facti, post adhibitam diligentiam, non teneri quempiam ad habendum se pro excommunicato, suspenso & interdicto. 6
In dubio de peccato mortali, quilibet tenetur illud in confessione fateri pro dubio, quicquid alij contradicant. 7
In dubio, an casus sit reseruatus, siue dubium illud sit iuris, siue facti, censeri potest non esse reseruatum. ibid.
Qui dubitat, an sit legitimus potest cum alijs fratribus paternam hæreditatem diuidere, adhibita tamen prius diligentia ad assequendam veritatem. 8
In dubio an quis expleuerit vigesimum primum annum, post adhibitam diligentiam, non tenetur ieiunare ex præcepto. 9
Quando quis dubitat, an peruenerit ad annos requisitos ad recipiendos ordines, vel beneficia, non est admittendus ad beneficia vel ordines. ibid.
Qui post commissum adulterium dubitat, an proles suscepta, sua sit vel mariti adulteræ, non tenetur ad restitutionem, sed potest credere prolem esse mariti. 10
Qui certus est de debito, vel de mutuo, dubius autem an soluerit, tenetur ad solutionem: Debitor verò dubius de debito, nil debet soluere. ibid.
Si debitor & creditor certi sint de contractione debiti & dubij de solutione, non tenetur debitor ad integram solutionem, sed ad partem secundùm dubij proportionem. ibid.
Dubitans, an aliquid post mediam noctem deglutierit, potest Eucharistiam sumere, si dubium cadat supra comestionem: Idem dicendum de illo, qui certus est quòd comederit vel biberit dubius verò est, an post mediam noctem an ante. 46
Confessarius qui dubitat se iurisdictionem habere circa casus reseruatos, non potest absoluere extra mortis articulum. 25
Absolutus cum iurisdictione dubia in necessitate & sub conditione, tenetur iterum eadem peccata sacerdoti habenti iurisdictionem certam confiteri. ibid.
Quando dubitatur, an causa legis cessauerit in totum, non est præsumendum respectu totius communitatis cessasse. 2
In dubio an mandatum vel consilium æquè principaliter prohibeatur sub censura, præsumendum est, tantum prohiberi accessoriè. 14
Qui dubitat se peccasse mortaliter, vel aliàs confessum fuisse peccata mortalia à se commissa, tenetur confiteri ante communionem. 27
Sacramentum pœnitentiæ ministrare cum iurisdictione dubia, numquam licet, quando dubium est purè negatiuum, nisi concurrant duo, nempe euidens necessitas, tum ex parte ministri, tum ex parte pœnitentis: & absolutio detur sub conditione, *si possum vel si indiges*. 25
Dubium de rebus agendis, vel est speculatiuum, vel est practicum. 23
Conscientia dubia illa est & dicitur, quæ nec assentitur vni parti contradictionis, nec ab ea dissentit, sed in dubio manet. 22
Plura de conscientia dubia vide verb. *Conscientia* n. 22. & seq.
In dubio, an correptio profutura sit vel obfutura, probabile est, correptionem tunc temporis adhibendam non esse. 8
Dubitans de valore sui matrimonij, non potest debitum petere ante diligentiam adhibitam in assequenda veritate; tenetur tamen reddere non dubitanti. 17
Dubius manens de validitate sui matrimonij bona fide initi, post adhibitam deligentiam ad assequendam veritatem potest debitum petere & reddere. 18
Qui mala fide contraxit matrimonium dubitans de aliquo impedimento dirimenti, non potest petere, licere teneatur reddere coniugi, qui bona fide contraxit. 19
Inferior dispensans in lege superioris cùm dubio sufficientiæ causæ, eximitur à peccato, secundùm probabiliorem sententiam. 12
Dubitans de alterius excommunicatione & denunciatione, non debet illum vitare: qui autem dubitat de denunciatione, & est certus de excommunicatione, non tenetur illum vitare, potest, tamen si velit. 27
Vetus est quando dubitatur de iustitia vectigalis, quod de nouo imponitur, vel quando vetus augetur, esse obligationem, soluendi & præsumi iustum. 6
Qui dubitat de fide non tamen voluntariè, non est hæreticus: secus si positiuè & voluntariè dubitet de aliquo fidei articulo, quem scit ab ecclesia definitum. 3
Dubitans an habeat iustam causam non ieiunandi, tenetur ieiunare, nisi dubium deponat consilio parochi, vel confessarij, vel alterius prudentis. 11
Dubia in meliorem Partem dupliciter possunt explicari: positiuè, scilicet, seu affirmatiuè & negatiuè. 7
Dubium vel est de rebus, vel de personis. ibid.
Dubia de rebus non sunt in meliorem partem interpretanda sed suis æstimanda momentis. ibid.
Dubia de personis: regulariter loquendo, tenemur explicare negatiuè in meliorem partem, non positiuè seu affirmatiuè. ibid.
Licitum est aliqua ratione dubia in peiorem partem explicare, quan-

quando agitur de damno vitando, aut de remedio ad illud præcauendum adhibendo non quidem definitiuè & positiuè, sed per quandam suppositionem. 8
In dubio iuramentum ita explicandum est, vt quantum fieri potest minus obliget, seruata verborum proprietate. 6
Quando dubitatur, an lex promulgata, fuerit acceptata, probabilius est præsumendum esse fuisse acceptatam. 10
Quando dubitatur, an maleficium matrimonium præcesserit, vel factum fuerit post celebratum matrimonium, probabilius videtur præsumendum esse factum fuisse ante matrimoniũ. 80
Dubitans an res sit sua, non habet bonam fidem, si inchoat possionem cum eo dubio. 5
Probabilius est, quando reus & testis dubitant se iuridicè, seu seruato iuris ordine interrogati, non teneri veritatem fateri. 2
In dubio, an pueri rationis vtum habeant, tenentur legibus Ecclesiasticis, quoties constat completum esse septennium. 1
Qui dubitat, an deliberatè promiserit, præsumendus est deliberatè promisisse. 1
In dubio an causa voti fuerit finalis, vel solùm impulsiua censetur fuisse impulsiua. 12
Vouens qui dubitat, an res promissa sit indifferens, vel bona, tenetur votum implere: secus dicendum, si dubitetur, an materia voti sit licita. 7

Duellum.

Duellum est bellum seu pugna singularis deliberata ab vtraque parte, sponte & ex condicto suscepta, cum periculo occisionis, vel mutilationis, aut vulneris. n.1
Ad duellum requiritur assignatio temporis, cum determinatione loci. 2
Duellum non licet ob manifestationem veritatis; imò grauissimum est peccatum mortale, ob superstitionem adiunctam. 3
Vitium ostentatio causa insufficiens est ad duellum indicendũ. 4
Ob determinandam litem ciuilem, vel criminalem, duellum non licet, sed peccatum mortale est. 5
Licitum est innocenti acceptare & offerre duellum, quando certum est illum damnandum ad mortem iniustè: non in alijs casibus condemnationis in bonis fortunæ. ibid.
Verius est non licere acceptare duellum ob honoris defensionem. 6
Duellum in duobus tantùm casibus est licitum; puta ad sedandos duos exercitus contrarios: & quando aliquis compellitur sub vitæ periculo duellum acceptare. 7
Duellum prohibitum est, non solùm iure naturali & diuino, sed etiam ciuili & canonico sub excommunicatione reseruata Papæ aliisque grauissimis pœnis. 8
Actiones prohibitæ in bullis Pontificijs *Pij IV. Gregorij XIII. & Clementis VIII.* sunt, pugnantium in duello; concedentium locum; aliquo modo cooperantium ad duellum, denique spectantium ex industria. ibid.
Confessarij Ordinum mendicantium extra Italiam possunt per priuilegia sua absoluere duello certantes, socios & fautores eorum. ibid.
Sunt aliqui casus, in quibus prædictæ pœnæ non habent locum. 9
Quando duellum non est euidenter notum, non potest Parochus priuate publicè sepultura defunctum in illo: Si autem notum sit illi duellum & probari possit per testes, tenetur causam remittere Ordinario, antequam defunctum sepeliat. ibid.
Quando aduersarius prouocat me ad duellum, nec aliter possum euadere, nisi illud acceptem, possum acceptare, imò si sim inermis, rogare possum vt arma mihi permittat. 16

Dulia.

Actus adorationis propter excellentiam creatam dicitur dulia, quæ debetur creaturis propter excellentiam & sanctitatẽ. n.1

Dux militia.

Dux supremus cuius authoritate bellum geritur, grauiter peccat, si iusta stipendia militibus non prouideat. n.17
Diuersimodè peccat Dux supremo subordinatus. 17

E.

Ebrietas.

Ebrietas est excessus in potando, causa voluptatis, vsque ad violentam vsus rationis priuationem. n.5
Ebrietas voluntaria est peccatum mortale. 6
Peccata commissa in ebrietate imputantur ad culpam, quando ebrietas est voluntaria seu culpabilis & malum præuideri poterat. 7
Voluntas contumeliæ in ebrietate dicendæ, non est peccatum contra iustitiam, sed odij in proximum. ibid.
Ebrietatis tempore non tenetur coniux, per se loquendo, debitum reddere; per accidens tamen tenetur, si ebrius alioquin expleturus sit libidinem modo illicito. 5
Ebrius, qui rationis compos non est, committens fornicationem, excusatur à peccato, si tale periculum non præuiderit. 3
Ebrius non sui compos, recitans horas & præsens facto, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. 4
Ebrius licitè potest occidi, qui me inuadit iniustè, si aliter euadere non possum. 12
Probabilius est ob vitandum grauissimum peccatum alicuius, non esse licitum tunc illum inebriare. 4

Ecclesia.

Ecclesia authoritate Episcopi fundata, siue benedicta sit, siue non, licet polluta vel interdicta, vel etiam diruta, gaudet immunitate Ecclesiastica. n.2
Ecclesiæ nomine quoad materiam immunitatis, venit tota fabrica Ecclesiæ, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile, sacristia Ecclesiæ coniuncta, cœmeterium. 3
Interdicta Ecclesia intelliguntur interdictę capellæ & cœmeteria contigua Ecclesiæ. 9
Quando mutuum traditum est Ecclesiæ vel loco pio, Ecclesia vel locus pius non tenetur ad restitutionem, nisi mutuans probet pecuniam mutuatam conuersam fuisse in vtilitatem Ecclesiæ vel loci pij. 5
Ecclesia polluitur, per occisionem voluntariam & culpabilem hominis in ea factam: per effusionem iniuriosam sanguinis humani: per effusionem seminis humani: per sepulturam excommunicati vitandi: per sepulturam non baptizati. 6
Polluta Ecclesia censetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum; non tamen è contra. 8
Plura de prohibitis fieri in Ecclesia, vide verb. *Sacrilegiũ* 1. & 2.
Ecclesiæ conceditur beneficium restitutionis in integrum: & nomine Ecclesiæ, omnia pia loca comprehenduntur. 2

Egressio nocturna.

Egressio nocturna & furtiua è monasterio seu conuentu, etiam non animo apostatandi facta, est casus reseruabilis inter regulares, iuxta decretum *Clementis VIII.* 9.1

Electio.

Electio est alicuius personæ ad Prælaturam, seu dignitatem, vel fraternam societatem canonicè facta vocatio, confirmatione superioris legitimè approbata. n.1
Electionis forma est triplex. *Scrutinij*, scilicet *compromissi*, & *quasi inspirationis*. ibid.
In electione per scrutinium scrutatores debent esse tres, & non plures, nec pauciores, qui sint de collegio eligentium. 2
Scrutatores antequam scrutari incipiant, duplici iureiurando se adstringere debent in manibus Præsulis collegij. ibid.
Ex decreto *Clementis VIII.* omnes electores iurare debent secundùm veritatem cuiusque conscientiæ, probiores ac magis idoneos se electuros, in superiorum & officialium omnium electionibus. ibid.
Non est de substantia electionis vocare omnes absentes, qui ius electionis habent: quamuis electio irritari possit, eo; qui contemptus fuit, iniuriam sibi factam prosequente. ibid.
Electiones canonicæ non debent fieri de nocte communiter, nisi in casu magnæ necessitatis. ibid.
Electiones possunt fieri diebus festiuis. ibid.
Forma suffragij in electionibus per *scrutinium* est, vt voce exprimant suffragatores, si proceditur viua voce: vel scribant, si proceditur per scedulam. *Eligo talem*, seu *nomino talem*, seu *consentio in talem*. 3
In electionibus vota & suffragia debent esse absoluta, certa, determinata, pura, sincera & gratuita: non alternatiua, incerta, conditionalia, indeterminata. ibid.
Modus seu forma eligendi *per compromissum* est, si omnes è capitulo præsente potestatem eligendi committant vni vel pluribus viris bonis, & clericis, qui compromissarij dicuntur. 4
Electio non potest compromitti, aliquo de capitulo dissentiente maximè in compromisso simpliciter facto & illimitato. ibid.
Potestas data cõpromissarijs potest reuocari, re existẽte integra, ib
Compromissarij indignum eligentes, ipso iure suspenduntur à beneficijs quæ in illa Ecclesia obtinent: compromittentes verò ratam habentes electionem, priuantur ea vice iure eligendi ac compromittendi. 4
Modus eligendi *per quasi inspirationem* est, quando subitò & repentè, aliquo tamen ordine seruato inter eligentes, vnus post alium, sine interuallo eligunt omnes. 5
Vt electio dicatur per quasi inspirationem celebrata quatuor requiruntur. ibid.

Iuxta

Iuxta decretum Concilij Tridentini, electiones quorumcumque prælatorum & aliorum officialium debent fieri per vota secreta, ita vt singulorum eligentium nomina numquam publicentur. 6

Elector absens non potest exprimere votum suum per litteras: potest tamen, si vult, committere vocem suam vni vel pluribus in solidum de ipso collegio: Ex declaratione Cardinalium. ibid.

Non licet electori suum votum publicare ante vel post electionem, asserendo se huic fuisse suffragatum, vel ante se suffragaturum: tamen si secus fiat, talis electio non per hoc invalidatur: quia Tridentinum tantùm præcipit, quod vota in ipso actu scrutinij sint secreta. ibid.

Vbi tantùm sunt tres vocales, quorum vnus debet eligi in Discretum, potest fieri electio, quæ non sit contra Concilij Trident. formam, si ita status religionis permittat, vt respondit Sacra Congregatio. ibid.

Iure communi electio quælibet prælati ad collegium pertinet, nisi vel consuetudo, aut priuilegium sibi obstet. 7

Probabilius est posse sequi electionem Canonicam, quando duo tantùm sunt electores, & vnus de collegio eligendus est. ibidem.

Multi iure priuantur potestate & facultate eligendi. 8

Qui ex vi regulæ debent Generalem eligere, vt sunt Prouinciales & custodes, peccant mortaliter si voci actiuæ renuncient. ibidem.

Qui ex officio publico conueniunt ad electionem celebrandam vt sunt Guardiani, Priores, Discreti &c. non possunt voci actiuæ renunciare. ibid.

Qui specialis fraternitatis iure habent suffragium ferre in electionibus, possunt huiusmodi iuri renunciare, modò ex tali renunciatione fama renunciantis detrimentum non patiatur, vel illa renunciatio non cedat in damnum religionis. ibid.

Qui renunciauit voci suæ, potest eam reassumere. ibid.

In superiores & prælatos multi iure prohibentur eligi. 9

Eligendi sunt ad animarum curam, qui magis, considerata ætate, moribus, scientia, prudentia idonei reperientur: & ex genere suo peccatum mortale est, dignum eligere, omisso digniore. 10

In aliquibus casibus, contingere potest vel nullum vel veniale dumtaxat peccatum, in promouendo dignos, prætermissis dignioribus, ad beneficia etiam curam animarum habentia. ibidem.

Dignior præferendus in electionibus dicitur ille, qui ad Prælaturam vel munus, de quo agitur, gubernandum & sustinendum, aptior & conuenientior est, omnibus consideratis & perpensis. ibid.

Ad prælaturas regulares eligendi sunt etiam digniores, & meritò *illi semper* præferendi sunt, qui alios antecellunt integritate *vitæ*, prudentia, alijsque virtutibus ad regendam Ecclesiam opportunis. ibid.

Non semper peccant mortaliter electores violantes iuramentum in paucitate materiæ, qui in electionibus iurant secundùm veritatem cuiuscumque conscientiæ se probiores ac magis idoneos electuros. ibid.

Qui ad officia sæcularia assumunt ineptos, aut qui malè putantur administraturi, peccant mortaliter, & tenentur ad refarcienda damna ex tali electione secuta. 11

Qui omissis aptioribus assumit ad officia sæcularia minus idoneos peccat quidem & sæpè mortaliter contra iustitiam distributiuam, licet non teneatur ad restitutionem, si isti verè idonei erant. ibid.

Electus non potest consentire electioni de se factæ, nisi postquam sit celebrata electio communis, resultans ex singularibus consensibus præstitis in scrutinio, aliàs electio est irritanda. 12

In tribus casibus teneatur electus consentire electioni de se factæ sub peccato mortali. ibid.

Non potest prælatus regularis cogere suos religiosos ad acceptanda beneficia sæcularia vel etiam regularia alterius ordinis, quamuis vtrumque ex Pontificia dispensatione liceret. ibidem.

Regularis canonicè electus ad aliquam prælaturam extra suum ordinem, nullum ius sibi acquirit ex electione, postulatione, prouisione seu vocatione in discordia facta: & si electioni consentiat non petita & obtenta licentia sui superioris, consensus non valet. 13

Subornatio est suasio, qua suadetur verum, vel falsum in bonum vel malum finem: vnde quædam est bona, & quædam mala. 14

Verius est omnem subornationem etiam bonam, esse saltem iure humano prohibitam. ibid.

An electores committant simoniam paciscendo, *Eligi tu illum, & ego eligam istum*, quem tu proponis, negant quidam, alij affirmant. Sed distinctione vtendum est. ibid.

In electione non licet vti subornatione contra subornationem. ibidem.

Contra subornantes in electionibus regularium, emanarunt à Sede Apostolica variæ Bullæ pro singulis ferè religionibus. ibidem.

Fratres Minores de obseruantia, qui in electionibus, vel ante eas per sex menses pro se, vel pro alio subornauerint, excommunicationem ipso facto incurrunt. ibid.

Bullæ Pontificiæ contra subornatores quarumdam religionum, non extenduntur ad alios, contra quos non fuerunt specialiter & nominatim latæ. ibid.

Regulares recurrentes ad sæculares personas mendicaturi fauores ad obtinenda intra ordinem officia, excommunicatione afficiuntur, & priuantur voce actiua & passiua, & insuper omnibus officijs ordinis. 15

Electio ad officia est opus animæ permissum in die festo. 14

Electio confessarij.

Eligere sibi iure possunt confessarium Summus Pontifex, Episcopi electi & confirmati, licet non sint consecrati, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales, & omnes prælati inferiores, qui habent aliquam iurisdictionem in foro contentioso: hoc autem priuilegio non gaudet Abbatissa. n. 11

Prælati religionum possunt sibi eligere confessarium extra suum ordinem & non approbatum ab Ordinario; modò id facere non prohibeantur ab eorum constitutionibus. ibid.

Prælati seculares inferiores Episcopis non possunt eligere confessarium nisi aliquem ex approbatis. ibid.

Parochi & alij Sacerdotes sæculares cuiuis approbato & exposito confitentur, ex consuetudine. 12

De facultate eligendi sibi confessarium tempore Iubilæi, vide v. *Confessarius III.* n. 14. & sequent.

Electio sepulturæ.

Eligere sibi possunt sepulturam extra parochiam suam, omnes puberes, tam masculi quàm fœminæ, qui liberum arbitrium habent. n. 3

Plura de electione sepulturæ vide verb. *Sepultura* n. 3.

Eleemosyna.

Eleemosyna formalis est opus quo aliquid ex compassione propter Deum indigenti datur. n. 1

Opera misericordiæ sunt quatuordecim, septem corporalia, & septem spiritualia. ibid.

Eleemosyna aliquando est in præcepto, tenemurque sub mortali per eleemosynam succurrere proximo. 2

Necessitas proximi cui subuenire debemus, vel est extrema, vel est grauis, vel est communis. Bona ex quibus facienda est eleemosyna, aut sunt superflua vitæ & naturæ propriæ, sed non statui: aut sunt supernacanea non solùm vitæ, sed etiam statui. 3

Danda est eleemosyna de supernacaneis vitæ etiamsi statui necessarijs, tempore necessitatis extremæ vel quasi proximi. 4

Obligatio est faciendi eleemosynam ex necessarijs ad vitam & decentiam in necessitate extrema proximi, ex cuius vita pendet notabiliter Reip. salus. ibid.

Extra necessitates extremas aut graues, nõ tenetur homo facere eleemosynam ex necessarijs secundùm quid ad decentiam status seu ad vitæ conseruationem ibid.

Probabile est, ex superfluis faciendum esse eleemosynam, non solùm in extrema & graui, sed etiam in ordinarijs pauperum necessitatibus prout recta ratio pro loco & tempore iudicauerit expedire. 5

Diuites habentes superflua statui non tenentur pauperes inquirere, bene tamen Episcopi, vt illorum necessitatibus occurrant. 6

Probabilius est, illum, non satisfacere huic præcepto, qui extrema necessitate laboranti dat aliquid non in eleemosynam & gratis, sed titulo mutui vel alterius contractus. 7

Non tenetur debitor extremam necessitatem patiens per se loquendo, restituere seu soluere debitum creditori simili necessitate laboranti, siue rem acceperit medio contractu, siue non modò debita non acceperit iniustè, dum verus dominus eadẽ necessitate laborabat. 8

Qui extremè indigens aliquid accepit & consumpsit, non tenetur transactâ necessitate ad illius restitutionem. 9

Qui tenentur ex officio ac proinde ex iustitia dare eleemosynam, vt Pastor, Princeps, & cui à Rep. cura pauperum demandata est, tenentur ad restitutionem, eleemosynam non dantes: secus de alijs, qui tantùm tenentur ex charitate. 10

Omnes illi qui rerum suarum habent administrationem, possunt facere eleemosynas: vbi de filiofamilias. 11

Famuli non possunt de rebus dominorum eleemosynas facere, extra casus communes. 12

An autem vxores & religiosi: vide verb. *Donatio.*

Eleemosyna danda est ex propriis bonis, non de alienis, nisi ex consensu Domini vel expresso vel rationabiliter præsumpto. 13

Ex communibus bonis, quæ particulariter possidentur, non potest fieri eleemosyna, nisi de consensu singulorum de communitate: si autem bona collegialiter possideantur, non requiritur consensus singulorum, sed sufficit consensus superioris, vel maioris partis Capituli. 14

Ad subleuandam pauperis extremam necessitatem, potest quis aliena rapere, si propria non habeat. 15

Eleemosyna potest fieri de bonis turpiter acquisitis, quoties turpitudo est ob circumstantiam actionis, vt ex meretricio &c. 16

Non potest fieri eleemosyna de turpiter acquisitis, cum onere restituendi: si tamen domini ignorentur, vel singuli tam leuiter damnificati, vt summa respectu singulorum nullius sit momenti, tunc restitutio debet fieri pauperibus. ibid.

Ille, cuius bona sunt ipso facto ob aliquod crimen fisco addicta, potest extra necessitatem proximi extremam, illa dare in eleemosynam, modò hoc non faciat in fraudem fisci. 17

Quis sit ordo seruandus in eleemosyna facienda. 18

Eleemosyna & alia opera misericordiæ in proximum, possunt iniungi à confessario, pro satisfactione Sacramentali. 5

Eleemosyna: quas facit socius apponens industriam, si moderatæ & ditetæ sint, fiantque intuitu felicis exitus societatis, soluendæ sunt ex communibus lucris. 9

Emphyteusis.

Emphyteusis est contractus quo res immobilis alteri traditur quoad dominium vtile, retento dominio directo, cum obligatione soluendi pensionem proprietario; idque vel in perpetuum, vel ad vnius aut plurium vitam, vel ad certum tempus, quod decennio non sit minus. 1

Omnes, qui iure alienare possunt, etiam in emphyteusim dare queunt. 2

Ad emphyteusim requiritur iure communi Cæsareo, vt constituatur in re immobili & frugifera & solo adhærente. 3

Item, vt dominium directum & possessio ciuilis huius rei, maneat apud priorem dominum, vtile transferatur in emphyteutam. 3

Item, vt singulis annis emphyteuta teneatur soluere certam pensionem consistentem in pecunia, vel in fructibus. 4

Item, vt si res pereat sine culpa emphyteutæ, aut occupetur ab hoste, vel mari sine spe illam recuperandi, emphyteuta liberetur ab onere soluendæ pensionis. 5

Item, vt quoties res efficitur notabiliter deterior ex culpa lata vel leui emphyteutæ, hic priuari possit re accepta in emphysim. 6

Item, vt emphyteuta non possit rem emphyteuticam & eius meliramenta per venditionem alteri tradere secundùm ius vtile, aut locare ad decennium, non admonito directo domino. 7

Item, vt quoties res venditur vel donatione, aut permutatione alienatur, is qui eam accipit, soluat laudemium domino directo, pro inuestitura. 8

In quatuor casibus non debetur Laudemium. ibid.

Emptio.

Emptio est contractus, qui consensu perficitur pretij pro merce: venditio verò est contractus obligans venditorem ad tradendam mercem pro pretio. 1

Emptio, & venditio vnum constituunt contractum reciprocum, qui requirit repromissionem, seu mutuum consensum, & potest fieri inter absentes per procuratorem. 2

Consensus conditionalis suspendit contractum emptionis, & venditionis, vsque ad euentum conditionis, qua posita contractus perficitur. 3

Vendi possunt omnia, quæ pecunia æstimantur, nisi adsit aliqua specialis prohibitio, seu circumstantia, quæ venditionem reddat inualidam, aut illicitam. 4

Vendi non possunt per se spiritualia, vt calices consecrati, &c. ratione tamen materiæ, vel laboris vendi possunt, dummodò non augeatur pretium, ratione sacri, quod inest illis. 5

Prædium, castrum, quibus adiunctum est aliquod ius spirituale Ecclesiasticum, vt ius patronatus, vendi possunt, licet pretium augeri non possit, secundùm probabiliorem sententiam, abiq; labe simoniæ ratione iurispatronatus. ibid.

Res publicæ, vt forum publicum, via publica, &c. vendi prohibentur à priuata persona. 6

Venena, & alia quæ nullo modo per adiectionem, vel mixtionem alterius materiæ humanis vsibus prodesse queunt, vendi non possunt. ibid.

Res defuncti non possunt emi ab executore testamenti, nec res pupilli vel minoris à tutore vel à curatore, nisi eantur sub hasta & bona fide. 7

Officia publica ex natura rei possunt vendi ratione eminentiæ & occasionis lucri: tamen non expedit ea officia vendi. 8

Probabilius est illum, qui habet licentiam a Rege transferendi suum officium in aliam personam idoneam, & sufficientem, posse illud licitè virtute talis licentiæ vendere. ibid.

Venditio rei alienæ est inualida, quoad transferendum dominium rei venditæ in emptorem, nisi legitimè præscripta fuerit ab emptore bonæ fidei. 9

Venditio rei alienæ valida est, quoad transferendum dominium pretij in venditorem, licet ipse teneatur ad restituendum, quantum interest emptoris non esse factam suam. ibid.

Venditio hominis liberi iure irrita est, etiamsi referatur in tempus, quo seruus erit: excipiuntur tamen tres casus. 10

Pretium legitimum rerum venalium imponitur per Principem vel magistratum: pretium vulgare seu naturale imponi solet communi hominum intelligentium æstimatione. 11

Pretium vulgare, aliud est infimum, aliud medium, aliud supremum: & quodlibet horum pretiorum habet suam latitudinem. ibid.

Venditor potest vendere eamdem rem, eodem tempore cariùs vni, quàm alteri, vel cariùs credito, quam pecunia numerata, absque vitio iniustitiæ vel vsuræ, modò seruetur latitudo iusti pretij naturalis. 12

Iustitia pretij naturalis ex tribus desumi potest. 1. ex hominum æstimatione in vnaquaque regione. 2. ex penuria vel copia mercium, ex paucitate vel copia emptorum, &c. 3. ex modo res vendendi. 12

Ad valorem venditionis, & eius perfectionem, semper requiritur determinatio pretij, aliàs venditio est inualida. ibid.

Quando pretium legitimum maius est quàm vulgare, ordinariè non est licitum exigere pretium legitimum: si autem pretium legitimum sit minus, vulgare maius, non licebit exigere vulgare, sed solum legitimum, nisi mutatis circumstantijs, res notabiliter variata sit quoad valorem. 13

Quando pretium à Principe taxatum est iniustum, non est seruandum: In dubio autem præsumendum est iustum. 14

Qui vendit rem notabiliter excedentem in bonitate alias res, quę communiter vendi solent, potest aliquid vltra taxam exigere. 15

Clerici, & externi tenentur idem pretium seruare; quod seruatur à laicis, & incolis ob taxam Principis. 16

Licet interdum minoris emere ratione anticipatæ solutionis, vt si exinde emptor patiatur damnum, vel lucri iacturam, vel si esset periculum fraudis in venditore, &c. vel ratione modi vendendi. 17

Debitum coniunctum cum periculo illud non habendi, ratione lucri cessantis, & damni emergentis, potest anticipatè minus emi quàm sit id quod debetur: quando autem nil horum subest, probabilius est non licere, sed esse vsuram palliatam. 18

Debita & chirographa possunt emi dimidio minùs vel propè, quando solutio est difficilis, & incerta: quamuis emptori ob fauorem Principis vel officialium non sit solutio difficilis. 19

Quatuor sunt ob igationes emptoris. 20

Non licet, per se loquendo, ab hostibus emere vili pretio ea, quæ ab aduersarijs iniustè extracta sunt, nisi verisimile sit, ea numquam peruentura ad priores dominos. 19

Emptor non tenetur ad soluenda vectigalia pro mercibus emptis à venditore, quem nouit fraudasse debitum vectigal. 8

Plura de emptione verb. *Census Venditio.*

Energumenus. Vide verb. *Damoniacus.*

Epicheia.

Epicheia est quando aliquid agitur contra verba legis, eò quòd bonum

bonum commune vel ratio virtutis id postulat. 1
Iam aliquibus casibus non secundùm verba legis, sed secundùm epicheiam iudicandum est. 2
Homo excusatur ab obligatione legis, & quando certò scitur, & quando probabiliter creditur aliquem casum non comprehendi sub lege. 3
Quomodo, & quando homo possit vti epicheia. 4
Sententia aliquando licitè fertur, non seruata verborum legis proprietate, vt si ita postularet epicheia, aut si iudicis intentio contraria sit verbis legis. 16
Epicheia causa est sufficiens, qua obligatio legis cessat, quatenus scilicet, per eam aliqui casus censentur excepti. 1

Episcopatus.

Ad Episcopatum iure antiquo requiritur Subdiaconatus. Iure autem nouo Trident. adeptus Episcopatum, si munus consecrationis intra tres menses non susceperit, ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur. 3
Probabilius est Episcopatum non esse ordinem, loquendo propriè de ordine per quem confertur peculiaris potestas ad conficiendum Christi corpus, & ad sacrificandum. 3
Episcopatus non potest validè conferri alicui non Sacerdoti, vel infanti. ibid.
Episcopatus renunciatio iure conceditur Episcopis ad ingrediendum religionem, puta, ob conscientiam criminis, ob debilitatem corporis, ob defectum scientiæ, ob malitiam plebis, ob graue scandalum, & irregularitatem. 1
Plura de Episcopatu vide infra verb. *Episcopus.*

Episcopus.

Episcopus Latinè dicitur speculator & superintendens: eius officium est, confícere chrisma, confirmare, conferre ordines, consecrare Ecclesias, & altaria. 1
Episcopus in multis peccare potest circa suum Episcopatum. 2
Indignus, appetitu deliberato Episcopatum appetens, mortaliter peccat. 3
Dignus Episcopatum desiderans propter reditus temporales, aut propter honores tanquam finem, mortaliter peccat. ibid.
Qui Episcopatum desiderat præcipuè propter gradum, venialiter tantùm peccat: qui verò propter officium, vt alijs prosit, ex se quidem non peccat, si fiat cum necessitate. ibid.
In casu necessitatis vel magnæ vtilitatis, obligatur quis iure diuino, & naturali ad acceptandum Episcopatum. 4
Prælatus religionis etiam Generalis non potest compellere subditum ad acceptandum Episcopatum. ibid.
Si quis Episcopatum recipiat per vim, fraudem, subreptionem, vel simoniam, mortaliter peccat. 5
Episcopus electus, & confirmatus, intra tres menses proximos debet consecrari. 6
Religiosus in Episcopum electus, liberatur & eximitur à iurisdictione & potestate suorum prælatorum, & à constitutionibus monasticis, quarum obseruantia non consistit cum statu Episcopali, non tamen à tribus votis. 7
Episcopi regulares non gaudent amplius priuilegijs concessis communitati Religionis, vt communitas est, bene tamen priuilegijs, quæ singulis personis communitatis concessa sunt, & in singulis possunt habere suum effectum. ibid.
Episcopi regulares non gaudent priuilegijs prælatorum suæ religionis, quia sunt priuilegia dignitatis. ibid.
Episcopi regulares, qui ante Episcopatum fuerunt expositi concessionibus, possunt vt priuilegijs mendicantium: secus si non fuerint expositi. ibid.
Multiplex obligatio iure communi siue diuino, siue humano, competit Episcopo. 8
Episcopus potest suos subditos absoluere vbique, etiam extra dioecesim. 18
Episcopi absoluere possunt non solùm à censuris latis à se, vel à suis prædecessoribus, sed etiam ab omnibus censuris, & casib. reseruatis Summo Pontifici in foro conscientiæ, modò sint occulti, & non deducti ad forum contentiosum. 29
Episcopus potest absoluere ab excommunicatione publica, & alia censura Papæ reseruata, quando excommunicatus non potest Papam adire. 30
Episcopi Belgij possunt absoluere subditos ab hæresi manifesta, & alijs casibus reseruatis Papæ, etiam in bulla Cœnæ Domini, hancque potestatem cuicumque Sacerdoti idoneo delegare. 18
Probabile est, facultatem datam Episcopis per Tridentinum absoluendi ab hæresi, non reuocari per bullam Cœnæ. 32
Episcopi alienantes bona Ecclesiæ vel locorum piorum absque solemnitate requisita, incurrunt interdictum ab Ecclesiæ ingressu, &c. 10
Benedictiones quæ cum sacro chrismate fieri solent, Episcopalis ordinis propriæ sunt. 5
Episcopus potest dispensare in pluralitate beneficiorum, modò non sint dignitates, aut curata beneficia, non excedant congruam sustentationem, & non sint sub eodem tecto. 5
Episcopi existentes in curia Romana, non possunt vlla beneficia conferre, etiamsi vacent in propria dioecesi. 4
Ob Episcopi percussionem amittitur ipso iure beneficium. 3
Episcopus potest dispensare in bigamia similitudinaria, iure sibi hoc concedente. 12
Compositio incertorum potest fieri ab Episcopo, nisi à Summo Pontifice prohibeatur. 9
Non possunt Episcopi sibi reseruare quoscumque casus. 4
Episcopus reseruat sibi casus, non solùm ratione censuræ, sed etiam ratione ipsorum peccatorum. 5
Episcopo mortuo, casus ipsi reseruati expirant, secus si sint reseruati statuto synodali. ibid.
Episcopus incidens in casum occultum reseruatum Pontifici, potest absolui ab Archiepiscopo, si ei se submittat, vel à confessario à se electo. 7
Probabilius est iurisdictionem Episcoporum non esse de iure diuino, sed humano mediatè per Pontificem. 8
Episcopi tanquam patres pauperum, tenentur ex officio necessitatibus illorum occurrere, & pauperes inquirere, vt illorum subleuent indigentiam. 6
Episcopus in multis casibus potest absoluere ab excommunicatione propter percussionem clerici, etiamsi illa fuerit enormis vel mediocris. 8
Episcopi dies festos nouos instituere non possunt, nisi in suis particularibus Ecclesijs, idque ex cleri populique consensu. 3
Episcopus non potest instituere festum in honorem alicuius Beati nondum relati in Sanctorum numerum. ibid.
Episcopus dispensare potest in festo proprio sui Episcopatus absque causa: si verò dispenset in festo de iure communi absque causa, dispensatio nulla erit. 7
Episcopus potest dare alicui facultatem seruiliter laborandi, onere adiecto, vt aliquid conferat in vius pios. 8
Episcopus, per se loquendo, non tenetur choro interesse etiam Dominicis diebus & festis; nisi id exigat ratio sui muneris adimplendi, aut vitandi scandali &c. 7
Episcopus in dedicatione Ecclesiæ iure concedere potest indulgentiam vnius anni, aliàs tantùm quadraginta dierum. 2
Plura de Episcopo vide titulis specificatis post numerũ octauum verb. *Episcopus.*

Error.

Error personæ vel sexus in baptismo nõ impedit illius effectum, dummodò minister baptizare intendat præsentem personam, quæcumque illa sit. n. 21
Item in ministrandis alijs Sacramentis error personæ tantùm materialiter, non nocet, si adsit in ministro practica intentio, qua velit conferre absolutè sacramentum huic personæ, quam habet præsentem. 5
Matrimonium contractum cum errore antecedente circa substantiam personæ inualidum est, non solùm iure humano, sed etiam iure naturali. 7
Plura de errore circa matrimonium vide verb. *Matrimonium V II.* n 7. & sequent. *Matrimonium III.* n. 9.
Error in altero contrahentium circa substantiam rei reddit contractum irritum iure naturæ: idem dicendum si contractus sit celebratus cum errore comitante. 13
Error circa qualitatem, rei non irritat contractum, modò dolus non det causam contractui. 14
Error irritum reddit votum, si sit circa substantiam voti, aut aliquo modo in substantiam redundet, & sit causa vouẽdi: quod multis modis contingere potest. 9
Votum simplex factum per errorem & dolum circa causam finalem & motiuam, non est validum, secus dicendum de voto solemni professionis & ordinis sacri. 10
Qui errat circa fidem ex ignorantia licet crassa, paratus tamen se corrigere & assentiri fidei per Ecclesiam prædicatæ, non est propriè hæreticus. 2
Plura de errore circa fidem vide verb. *Hæresis.*

Eucharistia.

Secundùm se, & quoad suas formam & materiam.

Eucharistiæ nomen significat gratiarum actionem: bonam gratiam:

greatur, & dicitur etiam viaticum, communio, siue synaxis. 1
De fide est, Eucharistiam esse verum ac proprium nouæ legis Sacramentum. 2
Eucharistia est Sacramentum quod sub speciebus panis & vini continet corpus & sanguinem Christi, ob consetuationem spiritualis vitæ per baptismum acceptæ. 3
Eucharistiæ Sacramentum in multis differt à reliquis. 4
Eucharistiæ Sacramentum est vnum formaliter & numero. 5
Eucharistiæ Sacramentum à Christo institutum fuit prima die azymorum, in vltima cœna. 6
Materia huius Sacramenti est panis & vinum. 7
Vna materia prius tempore validè consecratur, quàm altera: quamuis illicita sit varia materiæ consecratio, sine consecratione alterius. ibid.
Ordo specierum non est de essentia sacrificij, vt videlicet primò consecretur panis, deinde vinum, sed est strictissimum præceptum. 7
Probabilius est ad integritatem sacrificij, ex præcepto diuino cõficiendum esse sub vtraque specie. 8
Præceptum diuinum de consecrando sub vtraque specie non est negatiuum, sed potius affirmatiuum. 9
Ad communicandum infirmum morti proximum, non licet sub speciebus panis tantùm consecrare, quamuis Sacerdos ad id metu mortis cogatur. ibid.
Probabilius est, Summum Pontificem non posse dispensare, vt Sacerdos licitè possit consecrare vnam Eucharistiæ partem sine alia. 10
Materia Sacramenti corporis Christi est panis triticeus: sub nomine tritici, non comprehendunt Doctores milium, auenam seu speltam, panicum, lolium, far & hordeum, multò minùs panis ex fabis, castaneis, ciceris, amygdala & reliquis erit aptus consecrationi. 11
Vt panis triticeus censeatur accommodata materia ad Eucharistiam requiritur vt sit purus & immixtus, ex aqua sola & frumento solo: vt sit coagmentatus ex farina triticea nõ corrupta vt sit coctus igne per modum assationis, denique vt sit azymus in Ecclesia Latina, in Græca verò cum fermento. 12
Peccat mortaliter Sacerdos Latinus si in fermentato consecret, etiam pro viatico dando: similiter & Græcus consecrans in azymo. In duobus tamen casibus hoc liceret. ibid.
Materia sanguinis Christi, est vinum vitis, siue album, siue rubrum: vinum autem ex pomis, moris, malo-granatis, aut ex alijs fructibus, vel herbis, aut radicibus; non est sufficiens ad hoc Sacramentum. Mustum verò, & vinum congelatum posset esse materia; quamuis extra necessitatem non sit conueniens. 13
Ex præcepto Ecclesiastico modica quantitas aquæ naturalis miscenda est vino consecrando: quæ tertiam vini partem non debet excedere. 14
Grauiter peccat, qui miscet in missa aquam rosaceam, vel similem: qui verò aquam turbidam aut aliàs vitiatam, peccat venialiter contra reuerentiam Sacramenti. ibid.
Non est peccatum mortale miscere in missa aquam calidam vino vbi consuetudo id permittit propter frigus. ibid.
Aqua quæ vino admiscetur, non conuertitur immediatè in sanguinem Christi, sed mediatè, id est mediante vino. ibid.
Materia consecranda in corpus & sanguinem Christi, debet Sacerdoti esse præsens moraliter, seu sensibiliter. 15
Periculosum est Sacerdoti non discoopertis vasis, vbi sunt hostiæ, eas offerre aut consecrare, & si ex negligentia culpabili saltem sub consecrationem non discooperiat, videtur non posse excusari à peccato mortali. ibid.
Quælibet parua quantitas sensibilis, potest esse materia huius Sacramenti, modò in ea conseruari possit substantia panis vel vini: similiter quælibet magna quantitas præsens constituta potest validè consecrari: quamuis absque ratione conuenienti, immodicam quantitatem consecrare, graue sit sacrilegium. 16
Materia vtraque consecranda debet definiri in particulari, & determinari ex intentione Sacerdotis consecrantis. 17
Intentio actualis consecrandi has vel illas hostias non requiritur, sed sufficit virtualis. ibid.
An particulæ remaneant consecratæ, si Sacerdos habuit in sacristia intentionem consecrandi particulas, illas tamen tempore consecrationis non videt, quia sacrista posuit illas in cornu Epistolæ & non super aram? negant quidam, alij affirmant: tutius est, tales particulas reuerenter habendas esse, nec sumendas aut distribuendas seorsim, sed simul cũ alijs certis. ib.
Forma Sacramenti corporis Christi, sunt hæc verba. *Hoc est corpus meum.* Reliqua verba non sunt de necessitate Sacramenti sed tantum præcepti. 18
Verba consecrationis sunt proferenda à Sacerdote recitatiuè & significatiuè simul. ibid.
Pronomen *Hoc*, vel *Hic*, in forma consecrationis demonstrat corpus Christi non in principio, sed in fine prolationis formæ ponendum sub speciebus. 18
Non conficitur hoc Sacramentum, quoties talis variatio in forma contingit, vt substantialis sensus formæ varietur: si verò per mutationem, non varietur sensus nisi accidentaliter, validè quidem conficitur Sacramentum, quamuis graue peccatum sit, talis mutatio. 19
Forma consecrationis vini in sanguinem Christi, est *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*. Reliqua quæ dicuntur, non sunt de essentia consecrationis secundum communiorem sententia. 20
Virtute verborum huius formæ, fit conuersio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, quæ conuersio dicitur *transsubstantiatio*. 21
Sub speciebus panis ex vi verborum formæ continetur corpus Christi & sub specie vini, continetur sanguis eiusdem: ipsum verò corpus sub specie vini & sanguis sub specie panis, perinde ac anima & diuinitas per concomitantiam, sub vtraque specie continetur. 22
De fide est humanitatem Christi non esse vbique, quamuis diuinitas, cui humanitas realiter coniungitur, sit vbique. ibid.
Christus sub speciebus panis & vini Sacramentaliter existit, non quidem modo passibili, sed admirabili & ineffabili per modum substantiæ spiritualis. 23
Præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, dependet à Sacramentalibus speciebus, quibus continetur, tum quoad conseruationem, tum quoad locum & loci mutationem. 24
Corpus Christi in Eucharistia pendet ex speciebus quoad locum, quia ipsum ratione earum censetur determinatè esse *in* eodem loco, in quo sunt eæ ipsæ species. 25
Eucharistiæ Sacramentum adorandum est absolutè adoratione latriæ. 5
Eucharistiæ Sacramentum iure antiquo & nouo, infirmis in probabili mortis periculo existentibus, tempore interdicti localis administrari potest cum solita solemnitate: alio verò tempore, secluso priuilegio non licet. 5
Eucharistia tam ratione contenti, quàm specierum consecratarum, est materia simoniæ; sicut & Sacramenta aut Sacramentalia & reliquiæ. 1

Eucharistia.

Quoad eius ministrum & effectum.

Solus Sacerdos ritè consecratus est minister consecrationis Sanctissimæ Eucharistiæ. 1
Plures Sacerdotes simul possunt eamdem hostiam consecrare, si totaliter concurrant, & integrè eodemque tempore absoluãt formam: si tamen vnus absoluat formam prius quàm alij, ille solus conficiet. 2
Si Sacerdos in missa ordinationis audiat verba consecrationis esse ab alio completa, antequam ipse compleat, tenetur & ipse complere. ibid.
Minister ordinarius collationis huius Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio incumbit, vel ex commissione, vel aliquo priuilegio. 3
In articulo mortis, secluso scandalo, aut infamia religionis, infirmus periclitans potest recipere Eucharistiam etiam ab excommunicato vitando & ab alio quocumque, sicut & potest absolui. ibid.
Extraordinarius minister Eucharistiæ in articulo mortis olim poterat esse Diaconus: licet hoc tempore non videatur in vsu, ob Sacerdotum copiam. 4
Sacerdos extra missæ sacrificium volens communicare ex deuotione, potest sibi Eucharistiam ministrare, qualibet diei hora, modò non adsit alius Sacerdos, & ieiunus sit. 5
Sacerdos non habens aliam hostiam consecratam præter suam, potest partem suæ hostiæ præbere infirmo, vel etiam sano communicare volenti. 6
Parochus tenetur suis ouibus Eucharistiam ministrare, quoties subditi eam rationabiliter petunt. 7
Sacerdos administrans, vel conficiens Sacramentum Eucharistiæ debet esse in gratia: qui autem Eucharistiam tangit ob rationabilem causam, in statu peccati mortalis quamuis laicus sit, non grauiter peccat. 8

Probabile est Sacerdotem in peccato mortali ministrantem, non peccare mortaliter. ibid.
Sacerdos conficiens Sacramentum in peccato mortali, vnum tantùm numero peccatum sacrilegij committit: & probabilius est; illum qui pluribus successiuè administrat Eucharistiæ Sacramentum extra missam in statu peccati mortalis, vnum tantùm numero peccatum committere. 9
Sacerdos in peccato mortali transferens Eucharistiam de altari in alium locum, aut de pixide extrahens, vt exponat in die solemni, non peccat mortaliter. ibid.
Minister huius Sacramenti teneatur non dare Eucharistiam existenti in peccato mortal' publico; vt sunt meretrices, publici vsurarij, concubinarij, hæretici, histriones & similes. 10
Vt publici peccatores admittantur ad communionem, talis pœnitentia vel satisfactio requiritur, vt satisfiat Deo & Ecclesiæ. ibidem.
Occulto peccatori publicè petenti administranda est Eucharistia, si autem occultè petat deneganda est. 11
Eucharistia potest alicui denegari propter criminis suspicionem violentam, non autem probabilem, aut temerariam. 12
Non licet, ijs, qui sunt de crimine suspecti, Eucharistiam eo fine ministrare, ne meru sacrilegæ communionis occultam veritatem manifestent, sicut iuramento compelli solent ad occultam veritatem patefaciendam. ibid.
Multi sunt effectus Sacramenti Eucharistiæ spiritualiter & Sacramentaliter sumptæ. 13
In Eucharistia ratio sacrificij est præstantior respectu ministri; ratio autem Sacramenti est efficacior respectu suscipientis. ibidem.
Peccatum veniale etiam in ipsa sumptione Euchatistiæ commissum non impedit fructum eius. ibid.
Eucharistiæ Sacramentum, nisi ponatur obex, spiritualem effectū gratiæ ex opere operato confert, cùm ipsum missum in os ad stomachum transmittitur. 14
An hoc Sacramentum Eucharistiæ semper continuò gratiam augeat, quamdiu in nobis manet, quidam negant, alij affirmant? *Dicendum* tamen est, gratiam non augeri, nisi aucta dispositione subiecti. ibid.
Quando Sacramenta Eucharistiæ & Pœnitentiæ recipimus, certiores sumus nos non committere nouum peccatum, quàm per ipsa sacramenta iustificari. 5
Plura de Eucharistia, Vide verb. *Communio sacra.*

Euictio.

Euictio nihil aliud est, quàm ablatio rei, emptione vel alio contractu habitæ interposito Iudicis decreto. 28
Ex contractu venditionis præcipuè oritur obligatio quædam ad euictionem rei: hoc est, venditor tenetur ad procurandum, quantum in se est, vt emptor legitimè habeat rem per contractum traditam, & ad seruandum illum indemnem. ibid.

Eunuchus.

Matrimonium contractum cum Eunucho perfecto, hic est, qui caret vtroque teste, inualidum est: simpliciter cum spadone qui caret semine, vt declarauit *Sixtus V.* 78
Qui sibi virilia amputauit, vel permisit amputari absque iusta causa, vt causa cancri, callitatis, vel in pœnam delicti, irregularis est. 14
Qui ex iusta causa, puta, infirmitatis, testes sibi amputari permisit, vel per vim illam iniuriam passus est, irregularis non est. ibidem.

Examen.

Iure diuino tenentur fideles ad examen conscientiæ faciendum quando volunt confiteri. 13
Examinis conscientiæ defectus in pœnitente potest suppleri, si pœnitens confessurus habeat propositum, & voluntatem respondendi interrogationibus confessarij. 15
Examinare non tenetur confessarius pœnitentem, si probabiliter iudicet illum integrè confessum: aliàs tenetur examinare, habita ratione qualitatis, & status personæ sui pœnitentis. 16
Examinatores aliquid accipientes pro examine promouendi ad Ecclesiam Parochialem, priuantur ipso iure suis beneficijs. 3
Debet is examini subijcere in concursu, qui notoriè est idoneus ad curam animarum. 7
Ad eorum examen possunt Episcopi vocare Parochos & regulares, qui à prædecessoribus illorum fuerunt semel approbati ad confessiones audiendas: exceptis Fratribus prædicatoribus & Minoribus. 18
Examen testium non potest fieri in die festo: probabile tamen est continuari posse examen, si in die profesto præmissum fuit iuramentum iuridicum. 20

Excommunicatio.

Quoad eius essentiam & diuisionem.

Excommunicatio multis nominibus in iure solet nuncupari, dicitur enim, Anathema. Anathema maranatha. Mucro Episcopi. Virga ferrea. Mors. Neruus Ecclesiasticæ disciplinæ. 1
Excommunicatio est censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur aliquibus bonis communibus, nempe consortio fidelium, participatione Sacramentorum & communibus Ecclesiæ suffragijs. 2
Excommunicatio, vna est maior, alia minor. 3
Excommunicatio, alia est à iure, alia ab homine: & vtraque est latæ sententiæ vel ferendæ. 4
Multiplex differentia ponitur inter excommunicationem ab homine, & illam quæ est à iure. 5

Excommunicatio. Quoad eius causas.

Causa efficiens maioris excommunicationis est homo Ecclesiasticus habens potestatem iurisdictionis fori exterioris ordinariam vel delegatam. 1
Prælati conuentuales possunt excommunicare respectu tantùm fori pœnitentialis, non contentiosi. ibid.
Causa materialis excommunicationis proxima est peccatum mortale proprium & externum. 2
Peccatum præteritum non sufficit ad incurrendam excommunicationem, nisi adsit contumacia, & effectus completus. 3
Mandantes & consulentes non incurrunt excommunicationem nondum secuto effectu, si effectus principaliter fuit prohibitus, mandatum verò accessoriè. 4
Ad cognoscendum, an excõmunicatio contracta sit vel alia censura per aliquam actionem voluntariam, perpendenda sunt verba legis, quale voluntarium requirant. 5
Causa materialis remota sub subiectiua excommunicationis, est homo viator, determinatus baptizatus, inferior, subditus. 6
Formalis causæ excommunicationis non sunt determinata verba, sed sufficiunt quæcunque quibus intentio iudicis sufficienter exprimatur. 7
Excommunicationem debet præcedere trina monitio, & vt fertatur in scriptis. 8
Prælati Ordinis Minorum ex concessione *Leonis X.* non tenentur proferre sententiam excommunicationis in scriptis, cùm aliquem Fratrem in Capitulo excommunicant per modum præcepti: Excommunicationem autem per modum statuti, tenentur iuxta terminos iuris in scriptis proferre. ibid.
Ad validitatem excommunicationis requiritur causa rationabilis & manifesta. 9
Excommunicatio tripliciter potest esse iniusta. ibid.
Ad formalitatem excommunicationis debet seruari circumstantia loci seu proprij territorij, si in illa ferenda requiratur vsus iurisdictionis contentiosæ, aliàs non. 10
Prælati religionum possunt ferre censuras vbicumque existant, & ligare suos subditos etiamsi delinquant extra monasteria. ibidem.
Excommunicatio lata à superiore per statutum, contra subditos delinquentes & existentes in alieno territorio, non ligat. 11
Probabilius est excommunicationem latam per modum sententiæ, afficere personam subditam vbicumque sit. 12
Verius est ordinarium alicuius loci non posse ligare excommunicatione extraneum delinquentem in suo territorio, & ibi breui tempore commorantem. 13
Excommunicatio lata die feriato non est inualida. 14
Ad solemnitatem excommunicationis pertinet, vt denuncietur à legitimo superiore, postquam lata fuerit. 15
Causa finalis excommunicationis, est bonum & vtilitas hominis, vt resipiscat. 16

Excommunicatio. Quoad illius effectus.

Primus effectus excommunicationis maioris est priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum, quamuis ipsa denunciata non sit. 1
Probabilius est excommunicatum contritum ante absolutionē, adhuc esse priuatum communibus Ecclesiæ suffragijs. 2
Sacerdos offerens missam in persona Christi pro excommunicato existente in gratia, peccat, licet prosit illi quoad fructuum, qui per missam applicatur: si verò in persona Ecclesiæ offerat, nihil proderit. 3
Secundus effectus excommunicationis est priuare Sacramentorum participatione passiua. 4

Pœnitentiæ Sacramento subsistere potest, etiam quoad fructum susceptum ab excommunicatio, qui bona fide petit absolutionem prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, inuincibiliter ignorans se esse excommunicatum. ibid.

Excommunicatus nouum peccatum cõmittit culpabiliter mortaliter ignorans suam excommunicationem, si absoluatur à peccatis prius quàm ab excommunicatione. ibid.

Sacerdos ministrans Sacramenta excommunicato tolerato peccat contra ius diuinum non contra censuram. 5

Si autem excommunicatus sit vitandus ex vi censuræ peccat & incurrit excommunicationem minorem, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ. ibid.

Tertius effectus excommunicationis est priuatio participationis actiuæ Sacramentorum. 6

Sacramenta administrata ab excommunicato vitando valida sunt, excepto pœnitentiæ Sacramento extra mortis articulum. ibid.

Si sacerdos sit toleratus etiam Sacramentum pœnitentiæ validum est. ibid.

Extra necessitatem graniter peccat petens & recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando. 7

Quoties excommunicatus peccat mortaliter Sacramenta administrando, incurrit etiam irregularitatem ex delicto. 8

Quartus effectus excommunicationis est priuatio diuinorum officiorum, scilicet missæ, horarum canonicarum, publicæ processionis & orationis. 9

Missæ officium multis modis excommunicato est prohibitũ. 10

Audiens vel celebrans missam in præsentia excommunicati tolerati, non peccat: si autem vitandus sit, & missæ sacrificio interesse velit, missa non est inchoanda, & si inchoata sit, non est absoluenda, si nondum inchoata sit consecratio. 11

Communicatio prohibita excommunicato in officio diuino horarum canonicarum, intelligitur de officio solemni & publico, non de priuato. 12

Clericus excommunicatus, propter communicationem in diuinis officijs & ministrans solemniter in aliquo ordine, incurrit irregularitatem. 13

Sepultura Ecclesiastica priuatur excommunicatus vitandus qui absolutionem non obtinuit in vita aut post mortem. 14

Sepelientes excommunicatum vitandum in loco sacro, peccant mortaliter, & incurrunt maiorem excommunicationem, ibidem.

Effectus quintus excommunicationis est inhabilitas ad beneficia, eorumque fructus. 15

Impetratio literarum ad beneficia ab excommunicato obtenta est nulla, & collatio ipsi facta virtute literarum est irrita. 15

Probabilius est, inualidam etiam esse collationem pensionis, factam excommunicato, modò sit pensio tituli clericalis, non sæcularis. 16

Quomodo inualidè prouisus de beneficio vel pensione ob excommunicationem, possit retinere beneficium vel pensionem. 17

Collatio beneficij nulliter facta ob aliquod impedimentum occultum, per dispensationem superuenientem, secundùm probabilem sententiam, potest reualidari, absque noua collatione. ibidem.

Probabile est beneficiarium non esse priuatum fructibus suorum beneficiorum, qui post illorum collationem, in excommunicationem lapsus est: modò onera beneficiorum exequatur. 18

Qui ob iniustam excommunicationem in se latam, cogitur à choro abesse, nec officium suum præstare, potest percipere fructus, & distributione. 19

Excommunicatus non potest percipere distributione, etiamsi per ipsum non stet, ne absoluatur: nisi per iniuriam absolutio ei denegetur. 20

Sextus effectus excommunicationis est priuatio iurisdictionis Ecclesiasticæ; ita vt licitè vti non possit iurisdictione sua, quãuis toleratus sit. 21

Excommunicatus vitandus ipso iure est priuatus valore iurisdictionis, & gesta per illum sunt inualida, quoties fiunt ex officio tamquam iurisdictionis propriæ. 22

Acta ab excommunicato tolerato valida sunt, quamuis peccet graviter spoute se ingerens in actibus iurisdictionis. 23

Facultas audiendi confessiones concessa ab Episcopo, non cessat per lapsum concedentis in excommunicationem, quamuis sit denunciatus. 24

Septimus effectus excommunicationis est priuatio ciuilis communicationis, quæ consistit in contractibus, testamentis, & quotidiano conuictu. 25

Excommunicatus vitandus est in quinque casibus hoc versu cõtentis. *Os orare, vale, communio, mensa negatur.* 26

In quinque casibus excusantur fideles à peccato, communicando cum excommunicato; qui huius versus dictionibus significantur. *Vitle, lex, humile, res ignorantia, necesse.* 27

Necessitas tum spiritualis, tum corporalis, licet non sit extrema, excusat à participatione cum excommunicato. 28

Octauus effectus excommunicationis est priuatio communicationis in actionibus fori ciuilis. 29

Quilibet excommunicatus etiam toleratus vel occultus, per se loquendo non potest participare seu communicare cum alijs fidelibus. 30

Communicans cum excommunicato denuntiato in crimine criminoso, peccat mortaliter, & maiorem incurrit excommunicationem. 31

Excommunicatio minor.

Excommunicatio minor est Ecclesiastica censura priuans participatione passiua Sacramentorum, & Ecclesiastici beneficij. 1

In multis differt excommunicatio minor à maiori. ibid.

Excommunicatio minor ferri potest & debet ob peccatum externum mortale vel veniale. ibid.

Excommunicatio minor tollitur per absolutionem Sacerdotis, non tantum approbati, sed etiam non approbati. ibid.

Excommunicatio. Quoad eius absolutionem.

Excommunicatio maior iure ordinario non tollitur nisi per absolutionem, & non per solam resipiscentiam a contumacia: de potestate tamen absoluta Papæ potest tolli. 1

Fœminæ, laici, simplices Sacerdotes non possunt absoluere ab excommunicatione, nisi ex priuilegio. 2

Ab excommunicatione reseruata lata ab homine absoluit ille qui eam tulit, vel superior eius, vel successor in officio, vel iudex appellationis, vel ab ipsis delegatus. ibid.

Ab excommunicatione nemini reseruata, lata per sententiam generalem, ille potest absoluere, qui absoluit à mortalibus. 2

Ab excommunicatione reseruata à iure, ille potest absoluere, qui eam tulit, vel eius superior, successor, vel ab his delegatus: si autem non sit reseruata, absoluere potest ab illa, qui absoluit à mortalibus. 3

Probabile est habentem priuilegium à Pontifice absoluendi ab omnibus censuris, & casibus reseruatis, posse etiam absoluere à casibus Episcopo reseruatis. 4

Concessa facultate ad absoluendum ab excommunicationibus Papæ reseruatis, non comprehendantur excommunicationes bullæ cœnæ. ibid.

Concessis casibus bullæ cœnæ, censetur etiam concessa hæresis, vt habet praxis sacræ pœnitentiariæ. ibid.

Habens facultatem absoluendi a casibus Papæ reseruatis, potest etiam absoluere à censuris illi reseruatis. ibid.

Ab excommunicationibus Papæ reseruatis ex Tridentino absoluere possunt Episcopi, modò delictum sit occultum, nec deductum ad forum contentiosum. 5

In multis casibus potest Episcopus absoluere ab excommunicatione publica reseruata Papæ. ibid.

Episcopus potest absoluere ab excommunicatione Papæ reseruata, quando non patet ad Pontificem recursus vel ad delegatum: quòd si nec Episcopus possit adiri, poterit Parochus, eoque deficiente, quilibet approbatus: Idem dicendum de casibus Episcopalibus. ibid.

Archiepiscopus non potest absoluere ab excommunicatione vel alijs censuris subditos Episcoporum iuæ prouincię; nisi in casu appellationis, vel dum visitat diœcesim, vel dum suffraganeus malitiosè differt absolutionem. 6

Quilibet Sacerdos in articulo mortis potest absoluere ab omnibus excommunicationibus reseruatis, & alijs censuris, etiam in præsentia superioris, vel alterius approbati. 7

Laicus vel clericus non Sacerdos secundùm veriorem sententiam non potest in articulo mortis à censuris absoluere: licet quidam hoc eis concedant. ibid.

Absolutus in articulo mortis ab excommunicatione reseruata, ab eo qui aliàs non poterat absoluere, si conualuerit, debet se præsentare superiori, vt recipiat eius mandatum. ibid.

Quidam probabile putant debere pœnitenti, si conualescat, solùm imponi onus comparendi in censuris ad externum siue contentiosum forum deductis, sed non in occultis. ibid.

Censuræ, à quibus absoluere potest simplex Sacerdos in articulo mortis,

Eagle, Bald, 1000
Eagle, Golden, 1000
Eagle, Sea, 1000
Eagle, White-headed, 1000
Eagle-owl, Great, 1000
Eagle-owl, Virginian, 1000
Eagle-owl, Western, 1000
Eagle-owl, White, 1000
Eagle-owl, White-faced, 1000
Eagle-owl, White-headed, 1000
Eagle-owl, White-throated, 1000
Eagle-owl, White-tufted, 1000
Eagle-owl, White-winged, 1000
Eagle-owl, White-winged, 1000
Eagle-owl, White-winged

Abbreviations of Titles of Statutes, Rules, Orders, and Regulations, 1
Abbreviations of Titles of Statutes, Rules, Orders, and Regulations, 2
Abbreviations of Titles of Statutes, Rules, Orders, and Regulations, 3
Abbreviations of Titles of Statutes, Rules, Orders, and Regulations, 4
Abbreviations of Titles of Statutes, Rules, Orders, and Regulations,

fnam esse repetendam: in necessitate tamen, sub conditione mente concepta, posset minister vnica actione attingere quinque sensus. 9

Probabile est iuxta quosdam Doctores posse Sacerdotem, tempore pestis, vnam tantùm partem inungere, dicendo consuetam formam. 9

Verisimiliter neque valida, neque licita est vnctio, etiam in necessitate, in qua vel non nominantur sigillatim omnes sensus, vel non repetitur quinquies, *Per istam vnctionem, &c.* vel inungitur solum caput, vel solùm alter oculorum. ibid.

Sacerdos tempore pestis ad contagionem vitandam potest infirmum vngere virgula argentea, aurea, vel lignea. ibid.

Extremæ-vnctionis Sacramentum, non est ministrandum personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis vel particularis. 8

Extremæ-vnctionis Sacramentum, quoad eius ministrum & susceptentem.

Minister necessarius huius Sacramenti est solus Sacerdos, quamuis excommunicatus, vel degradatus. 1

Quilibet Sacerdos non potest licitè Sacramentum hoc administrare, nisi habeat iurisdictionem, & ab Ecclesia non impeditam. ibid.

Religiosus exemptus extra necessitatem administrans hoc Sacramentum sæcularibus sine parochi licentia, vel priuilegio Papæ, incidit in excommunicationem Clementinæ. ibid.

Fratres Minores ex priuilegio *Sixti IV.* possunt Sacramenta Eucharistiæ & Extremæ-vnctionis administrare illis, quorum confessiones audierunt, quando Parochus iniustè illa denegat. ibid.

Hoc Sacramentum, in necessitate, validè confertur à pluribus Sacerdotibus. 2

Parochus tenetur ex iustitia fidelibus sibi subditis hoc Sacramẽtum ministrare; ali) verò ratione necessitatis infirmi, deficiente Parocho tenentur ex charitate. 3

Tempore pestis tenetur Parochus etiam hoc Sacramentum ministrare, si id potest sine morali periculo vitæ, aliàs non tenetur, maximè si viaticum, & pœnitentiæ Sacramentum infirmus susceperit. ibid.

Suscipiens hoc Sacramentum, solus est homo viator, Baptizatus & ratione vtens, de vita periclitans, corporeque infirmus. 4

Pueri post septennium capaces Sacramenti pœnitentiæ, sunt etiam capaces huius Sacramenti, si habeant vsum rationis. ibidem.

Ad hoc Sacramentum ministratum fuerit Beatæ Virgini? quidam affirmant probabiliter, probabilior tamen est sententia negans. ibid.

Adulti in periculo mortis statim post Baptismum susceptum, sunt capaces huius sacramenti. ibid.

Extremæ-vnctionis sacramentum ministrandum est, si fieri potest, infirmo adhuc rationis vsu gaudente. 5

Ad recipiendum hoc Sacramentum, infirmus compos mentis habens conscientiam peccati mortalis, debet & tenetur elicere actum contritionis; in priuato autem vsu rationis, sufficit attritio. ibid.

Secluso scandalo, & contemptu, ex negligentia hoc Sacramentum non recipere ante mortem naturalem, non est peccatum mortale. 6

Sacramentum Extremæ-vnctionis potest dari infirmo, ante Sacramenta Eucharistiæ, & pœnitentiæ, si id minimè fiat ex cõtemptu, & occurrat necessitas. 7

Religiosis licitum est ministrare Sacramentum Extremæ-vnctionis familiaribus, seruitoribus & alijs degentibus intra septa suorum monasteriorum. 8

Extremæ-vnctionis Sacramentum. Quoad illius effectu & ritus.

Effectus huius sacramenti est triplex. 1

Probabilius est effectum huius sacramenti dari, quando perficitur vltima vnctio cum sua forma essentiali. 2

Hoc Sacramentum est iterabile, non tantùm in diuersis morbis, sed etiam in eodem diuturniore, si morbi status mutetur. 3

Ritus, & cæremoniæ, quibus administrandum est hoc sacramentum peti debent ex rituali cuiuslibet Episcopatus. 4

F.

Falsarius.

Falsarius est, qui crimen falsi committit. 1

Crimen falsi in pluribus casibus committitur. 2

Qui bona fide expendit monetam falsam, & bona fide in alium transtulit, secundùm probabilem sententiam non tenetur ad restitutionem: licet probabilius sit, teneri. ibidem.

Moneras aureas, & argenteas tondentibus in Italia, prenam vltimi supplicij imponit *Pius V.* quam confirmauit *Vrbanus VIII.* ibidem.

Pœna pro crimine falsi hodie est arbitraria: licet omnia sint restituenda damna, quę ob id alteri acciderunt. 3

Non est licitum, amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. similem confingere. 4

Ob crimen falsificationis literarum Apostolicarum, amittuntur beneficia ipso iure. 3

Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterij aut conuentus, potest reseruari ab ordinum superioribus ex Decreto *Clem. VIII.* 40

Falsum testimonium.

Testis, qui falsum testimonium dixit ex ignorantia vel inaduertentia non damnabili, vel obliuione non mortifera, non tenetur ad restitutionem. 10

Qui scienter, vel ex crassa ignorantia falsum testimonium dixit, ratione cuius alter damnum iniustè accepit, tenetur ad restitutionem damni, & retractationem. ibid.

Qui falsum testificatur, quando iudex non procedit iuridicè, peccat tantùm venialiter modò absit iuramentum. 9

Fama restituto.

De famæ restitutione, vide verb. *Detractio II.*

Familia.

Verius est familiam clerici gaudere priuilegio fori. 19

Tota familia Summi Pontificis eximitur à parochorum cura: sed hoc priuilegio solum vtuntur illi, qui actu sunt Romæ, & actu sunt de familia. Excipiuntur etiam familiæ Cardinalium, non autem Episcoporum. 20, & 21

Familiares.

Familiares regularium dicuntur, qui actualiter seruiunt religiosis, & intra eorum septa, ac domos residenr, subque eorum obedientia viuunt. 5

Familiares possunt confiteri religioso non approbato ob ordinario. ibid.

Familiares religiosorum possunt ab ipsis religiosis Sacramentum Extremæ-vnctionis accipere. 8

Qui sunt de familia religiosorum, & continui commensales possunt tempore Paschatis in monasterijs communionem sumere, absque licentia Episcopi vel parochi. 12

Famuli seu familiares religiosorum, intra monasterium vel collegium morientes, in illorum Ecclesijs sepeliri possunt. 3

Famosum.

Famosum dicitur crimen, cuius fama ex sufficientib. indicijs orta ad multos peruenit. 14

Famulus.

Famulus dicitur ille, qui stipendio, & mercede locat seipsum ad tempus in obsequium Domini. 1

Famulus differt à seruo, & operario. ibid.

Famulo fideliter laboranti, soluendum est stipendium iustum. 2

Iustum stipendium famuli censetur, quod passim eo loco huiusmodi operarijs, & officialibus tali ministerio occupatis, dari solet. 3

Famulus non potest vti compensatione, quando dubitat an stipendium sit infra infimum. ibid.

In duobus casibus stipendium censetur infra infimum. ibid.

Excusantur à peccato, qui tradunt solummodo victum pueris pro illorum opera. 4

Merces iusta soluenda est famulo, qui alicui seruit, nulla mercede constituta. 5

Si famulum Dominus sine graui causa expellat domo, nondum elapso termino constituto, tenetur ad integram mercedis solutionem. 6

Si famulus decedat ante finitum tẽpus, potest illi denegari merces ad ratam temporis futuri. ibi.

Famulo existenti in infirmitate, præcisa conuentione vel consuetudine, non est soluenda merces pro tempore quo detinetur in infirmitate. 7

Peccat Dominus non soluendo famulo stipendium in ea re in qua conuenit, sed in alia: & tenetur ad restitutionem. 8

Famulus grauiter peccat, non obediendo Domino in rebus magni momenti. 9

Famulus accipiens pecunias ad aliquid emendum, vel ad

debitam soluendum, si eas per cambium minutum permuter, lucrum quod cambiendo facit, potest sibi reseruare. 9
Famuli non possunt de rebus dominorum eleemosynas facere extra casus communes. 12
Famuli, qui coguntur præcepto Domini laborare in die festo, alioquin domo excluderentur, vel alimento priuarentur, excusantur à peccato mortali. 1
Famuli peccant mortaliter peccato furti, auferendo aliquid in notabili quantitate à suo Domino. 8
Famulus pecuniam alienam suo nomine ludo exponens, & vincens, lucrum acquisitum restituendum est collusori perdenti, si famulus non habeat aliud tradendum perdenti si perdidisset. 3
Famuli tria præstare tenentur heris suis, honorem, reuerentiam & obsequium. 5
Famuli excusantur à peccato comitantes herum dum ad meretrices accedit, si ab huiusmodi comitatu desistere nequeant, absque graui detrimento. 10.§.1
Famuli timentes rixas, & verba, excusantur ab audienda missa diebus festis. 3
Famuli vsurariorum, qui vsurario inseruiunt in celebrando contractu nomine vsurariorum, tenentur ad restitutionem. 5

Fautores hæreticorum.

Fautores hæreticorum dicuntur, qui fauent hæreticis formaliter, id est, quatenus hæretici sunt, seu ex motiuo hæresis, vel intentione fauendi hæresi. n.8

Festum. Quoad institutionem.

Præceptum celebrationis festorum, partim est naturale, partim cæremoniale, & partim humanum. 1
Obseruatio Dominicæ Diei non est de iure diuino sed Canonico. n.2
Summus Pontifex potest instituere festos dies pro tota Ecclesia: Episcopi verò, non nisi in suis particularibus Ecclesiis, idque ex cleri populique consensu. 3
Non potest Episcopus instituere festum in honorem alicuius Beati nondum relati in Sanctorum numerum. ibid.
Consuetudo licita & tolerata, potest dies festos abrogare, vel nouos instituere. 4
Princeps sæcularis, Ciuitas, aut Respub. dies festos tamquam sacros instituere non potest, quamuis possit præcipere subditis, vt tali die in honorem talis Sancti, a seruilibus abstineant. 5
Peccat populus, qui non adimplet vota festorum, aut aliarum rerum populi superioris ætatis. 6
Modus incipiendi & terminandi festa, à consuetudine præscripta loci sumendus est. 7

Festum. Quoad opera in illo prohibita & permissa.

Præceptum Ecclesiæ de obseruandis festis partim est negatiuũ, partim affirmatiuum. n.1
Opus seruile dicitur, quod ex se habet quemdam famulatum, & ab illis solum communiter exercetur, qui alijs inseruiunt. ibidem.
Opus seruile est triplex, religiosum, peccaminosum & indifferens. 2
Opera peccaminosa non sunt specialiter prohibita in die festo, quasi per illa festus dies violetur; vnde in confessione non est necessariò ista circumstantia explicanda. 3
Triplex est species operis seruilis indifferentis. 4
Opera seruilia necessaria in curando proximo, vel non sunt prohibita, vel ob necessitatem excusantur. 5
Opera seruilia, quæ immediatè pertinent ad Dei cultum, licitè fiunt in die festo: vt organa pulsare &c. 6
Opera præparatoria ad cultum diuinum, licitè etiam fiunt, si paulo ante facienda sint: vt ornare altaria &c. ibid.
Opera quæ remotè & accidẽtaliter ad Dei cultum spectant, non licitè fiunt in die festo: vt colere agros Ecclesiæ &c. ibid.
Opera liberalia, quæ continent cultum Dei, vel ad illum proximè conferunt, licita sunt, imò commendantur in die festo, vt lectio, studium, &c. 7
Scribere, opus liberale est, nec fit seruile ex eo quòd fiat ob lucrum. 8
Probabilius est, transcribere non esse opus seruile: etiamsi transcriptio fiat, ex officio, vel lucro seu mercede. ibid.
Imprimere librum opus mechanicum est, & ideò non licitum in die festo: quamuis quidam exuent characterum compositores. ibid.
Probabilius est autem pingendi esse mechanicam & opus seruile, præsertim si fiat ob lucrum. 9
Itineratio non est opus seruile, nec per se prohibita in die festo. 10
Actiones saltandi, ducendi choreas, canendi & pulsandi musica instrumenta, non sunt seruiles & prohibitæ in die festo, nisi fiant cum excessu, vel scandalo. 11
Venatio & piscatio ob voluptatem & recreationem, non reputatur opus seruile: secus si fiat ex officio inmari, cum magna corporis defatigatione. 12
Militia actualis, seu opus ipsum belli gerendi quoad executionem proximè accedit ad opus seruile: ratione tamen vtilitatis & necessitatis toleratur. 13
Opera animæ, id est, quæ ab anima procedunt, permittuntur in die festo, exceptis quibusdam casibus in iure expressis. 14
Aduocatus potest in die festo, informare iudices scripto: & Doctor consilia conficere diebus festis. ibid.
Electio ad officia est opus animæ, quamuis terminetur ad negotia temporalia. ibid.
Licitum est tabellionibus seu notarijs facere scripturas publicas die festo, quæ continent illos actus, qui die festo non sunt prohibiti. ibid.
Quatuor opera non seruilia, iure prohibentur in die festo. *Mercatus, placitum, iudicium ad mortem vel aliam pœnam ciuilem, & iuramentum in iudicio interpositum*, nisi causa pacis aut alterius necessitatis. 15
Mercatus nomine veniunt, nundinæ, vel quasi nundinæ, seu quicumque actus emptionis, venditionis &c. ibid.
Placitum est sententia ciuilis & strepitus iudicialis iudicum, notariorum, actorum, testium, reorum &c. 16
Necessitas & Pietas possunt excusare eiusmodi actiones exercitas in die festo. ibid.
Sententiæ requirentes strepitum iudicialem, vetitæ sunt in die festo; secus si non requirant: vt sunt omnes actus voluntariæ iurisdictionis. 17
Appellatio licita est in die festo ex consuetudine: prosecutio tamen appellationis in die festo non licet. 18
Citatio seu inchoatio causæ facta pro die festo iniqua & inualida esse potest: sicut si fiat in die festo. 19
Testes non possunt in die festo examinari: nisi adsit legitima consuetudo in contrarium, vel causa pacis, aut alia necessitas. 20
Iudicium ad mortem vel ad pœnam est prohibitum in die festo, nisi tempore belli, vel quando timetur ne iustitia impediatur. 21
Iuramentum iudiciale prohibetur fieri in die festo, secluſa causa pacis, aut magnæ necessitatis, aut causæ piæ. 22
Probabile est licere die festo rationes subducere, etiamsi ex officio fiat & ex mercede. 23

Festum.

Quoad causas excusantes laborantes in die festo.

Peccatum laborantis seruiliter in die festo, ex suo genere est mortale. 1
Necessitas imminens proprię conseruationis, vel sustentationis propriæ vitæ, aut familiæ, excusat à peccato mortali laborantes seruiliter in die festo. ibid.
Necessitas Reipublicæ item excusat. 2
Item necessitas proximi corporalis excusat. 3
Illa necessitas sufficit, vt opus seruile euadat licitum, quæ est ob congruentem statum personæ propriæ, vel alienæ, siue quoad animam, siue quoad corpus, siue rei familiaris & bonorum cæterorum, tam propriorum, quam alienorum &c. ibid.
Leuitas materiæ seu paruitas operis excusat etiam à mortali: puta labor duarum horarum. 4
Qui pluribus diebus festis aliqua parua opera seruilia præstat, quæ simul sumpta magnam materiam constituunt, non peccat mortaliter. ibid.
Licet in die festo molere triticum, quando molendinum agitatur aqua vel vento: secus in molendinis, quæ mouent opera bestiarum, tunc enim opus seruile quod interuenit, est notabilis considerationis: In his tamen necessitas seu incommoditas communitatis sæpe excusat. ibid.
Quando plures in eodem opere continuo toto die festo laborant sed singuli pro modico tempore, non peccant mortaliter. ibid.
Faciens exercere seruilia à pluribus pro eo tantùm tempore, pro quo non peccant singuli mortaliter, non peccat ipse mortaliter. ibid.
Occursus lucri transitorij item excusat. 5

Abſentia à loco, in quo celebratur, dies feſtus, excuſat ſeruiliter laborantes. 6

Diſpenſatio eſt cauſa excuſans laborantem in die feſto: quam dare poteſt Papa, vel Epiſcopus ex cauſa iuſta: & in neceſſitate etiam Parochus: non iudices ſæculares. 7

Quando neceſſitas eſt dubia, & is, ad quem ſpectat concedere licentiam rudis eſt, aut nimis ſcrupuloſus, ita vt probabiliter cenſeatur, quòd non ſit conceſſurus, debet quis in tali caſu cõſulere prudentes timoratę conſcientiæ, & ſtare iudicio illorum. ibid.

Epiſcopus poteſt dare alicui facultatem ſeruiliter laborandi, cum onere, vt aliquid conferat in vſus pios: modò abſit ſcandalum. 8

Qui exercet opus ſeruile in die feſto putans ſe habere legitimam cauſam, licet reuera non habeat, non peccat mortaliter. 9

Probabile eſt licere imponere amentibus, & ſeruis infidelibus opera ſeruilia diebus feſtis exercenda. 10

Quidam putant ratione pietatis eſſe licita opera ſeruilia in die feſto, vt ſi exerceantur in fauorem Eccleſiæ, vel ob pauperes alendos: ſed contraria ſententia eſt vera. 15

Feudum.

Feudum eſt conceſſio rei immobilis vel æquipollentis cum translatione vtilis dominij proprietate retenta, ſub onere fidelitatis, & obſequij perſonalis exhibendi. 1

Multæ conditiones requiruntur ad contractum feudalem. 2

In feudum dare poſſunt, qui liberam habent adminiſtrationem ſuorum bonorum, & non ſunt iure prohibiti. 3

In feudum dari poſſunt res immobiles, vel quæ pro immobilibus computantur. 4

Tribus modis feudum acquiritur. 1. inueſtitura 2. præſcriptione. 3. ſucceſſione. ibid.

Fictio.

Fictio tripliciter poteſt contingere in Baptiſmo. 7

Fictione recedente, Sacramentum pœnitentiæ validum & informe, confert tuum effectum. 9

De fictione quæ contingit in promiſſione vide verb. *Sponſalia II.* num. 4. 5.

Fideiuſſio.

Fideiuſſio eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, qua ſe quis obligat ad eam implendam, ſi debitor principalis non ſoluerit. 1

Fideiuſſor eſt ille, qui pro alio fidem ſuam obligat, & periculo ſuo iubet eſſe, quod alius debet creditori. ibid.

Fideiuſſio vna eſt iudicialis, altera extraiudicialis. ibid.

Ad fideiuſſionem quatuor conditiones requiruntur. 2

Fideiuſſor communis poteſt conueniri ante excuſſionem principalis in tribus caſibus. ibid.

Omnes illi poſſunt fideiubere, qui liberam habent ſuorum bonorum adminiſtrationem, & poſſunt principaliter obligari. 3

Qui repellendi ſint à fideiuſſione. ibid.

Fideiubere regulariter non poteſt mulier pro marito: pro alio autem poteſt. 4

In certis caſibus mulier poſt fideiuſſionem, non poteſt vti beneficio *Velleiani*. 5

Fideiubere non poſſunt Clerici in præiudicium Eccleſiæ; pro Clericis & ſuis Eccleſijs poſſunt ex bonis ſuis. 6

Religioſus non poteſt fideiubere ſine conſenſu prælati & maioris partis Capituli. 7

Fideiuſſor poteſt licitè pecuniam accipere pro fideiuſſione, etiamſi patiatur periculum fideiubendo. 8

Creditor poteſt aliquin accipere à fideiuſſore volente ſe eximere ab obligatione fideiuſſionis. ibid.

Debitor non ſolùm tenetur reſtituere debitum quid fideiuſſor pro illo ſoluit, ſed etiam expenſas & damna quæ paſſus eſt, modò culpa debitoris interceſſerit. 9

Quando creditor poſſit à fideiuſſore exigere debitum. 10

Quando ſunt plures fideiuſſores pro eodem debito ſinguli tenentur in ſolidum. 11

Qui fideiuſſit pro reo, cui periculum capitis vel mutilationis impendebat, reo fugiente, tenetur ſolùm ad pœnam pecuniariam poſt ſententiam iudicis ſoluendam. 12

Fideiuſſor tenetur ſolùm pro tempore quo ſe obligauit, & non vltra. 13

Fideiuſſorem poteſt exigere ille pro crediti ſecuritate, qui tradidit pecuniam ad cambium alicui, cui non fidit. 19

Filius pignari poteſt hæreditate, ſi pro perſona vel debito parentum fideiubere noluerit, cùm ad id eſſet idoneus. 1

Fideicommiſſum.

Fideicommiſſum eſt illud legatum vel relictum, quod fidei hæredis commiſſum eſt, alicui ab eo dandum. 1

Fideicommiſſaria ſubſtitutio eſt, qua hæres grauatur, vt totam hæreditatem vel eius partem alteri reſtituat. 5

Fides. Quoad eius neceſſitatem & præceptum.

Fides eſt virtus Theologica à Deo infuſa, per quam firmiter aſſentimur ob Dei authoritatem iis, quæ à Deo reuelata ſunt, & ab Eccleſia propoſita, vt à nobis credantur. 1

Fidei obiectum, aliud eſt formale, aliud materiale. 2

Credere Deum, credere Deo, & credere in Deum, non ſunt tres actus, ſed vnus in diuerſa tendens: primus enim tendit in obiectum formale ſecundus in obiectum materiale, ſi ſine voluntate fertur in Deum: tertius in vltimum finem. ibid.

Fides quamuis obſcura, eſt tamen certior quauis ſcientia naturali. ibid.

Actus fidei & ſcientiæ ſimul conſiſtere non poſſunt: actus tamen ſcientiæ poteſt conſiſtere cum habitu fidei, & actus fidei cum habitu ſcientiæ, ac proinde poteſt aliquis ſucceſſiuè, modò ſcire, modò credere Deum eſſe. ibid.

Soli viatores habent fidem, qui captiuant intellectum ſuum in obſequium Chriſti, credentes firmiſſimè ea omnia, quæ Deus reuelauit & per Eccleſiam credenda propoſuit, qui dicuntur Catholici. ibid.

Fides alia eſt explicita, alia implicita. 3

Fides ſeu actus credendi aliquod ſupernaturale obiectum, omnibus ſemper fuit neceſſaria neceſſitate medij ad gratiam & gloriam. 4

Baptizati in infantia nequeunt adulti facti abſque ſupernaturalis fidei actu gloriam adipiſci. 5

Fides implicita in Chriſtum tamquam mediatorem & redemptorem, ſemper fuit neceſſaria neceſſitate medij poſt Adami lapſum. 6

Quæ ſint explicitè credenda neceſſitate medij poſt Chriſti aduentum & ſufficientem Euangelij promulgationem. 7

Fides actualis non ſolùm neceſſaria eſt neceſſitate medij, verùm etiam neceſſitate præcepti. 8

Omnes fides tenentur ſcire & credere, ex præcepto Eccleſiaſtico, myſteria contenta in ſymbolo Apoſtolorum, ſaltem ſecundùm ſubſtantiam. 9

Articuli fidei poſſunt ſciri vel ſecundùm ſubſtantiam, vel ſecundùm modum, vel ſecundùm difficultates illorum. ibid.

Neceſſitate præcepti tenentur fideles vſum rationis habentes, ſcire ſubſtantiam Sacramentorum, quæ recipere tenentur: item præcepta Decalogi & Eccleſiæ: licet non teneantur ea ſcire memoriter, vel eo ordine, quo proponuntur. 10

Rudes debent aliquos articulos explicitè cognoſcere ſaltem ſecundùm ſubſtantiam. 11

Præceptum credendi res fidei, partim eſt naturale, partim diuinum poſitiuum, partim etiam Eccleſiaſticum, reſpectu obligationis. 12

Poteſt dari ignorantia inuincibilis rerum fidei, tam earum quæ ſunt neceſſariæ ex medio, quàm ex præcepto. 13

Inter Chriſtianos non datur ignorantia inuincibilis à peccato excuſans, myſteriorum fidei, quæ explicitè credere tenentur; licèt apud ruſticum in particulari poſſit dari. ibid.

Varia ſunt tempora, in quibus tenetur homo ex præcepto elicere actus fidei. 14

Primum eſt, quando fides alicui primùm ſufficienter proponitur, ibidem.

Secundum, quando homo tenetur ſe ad Deum conuertere & gratiam antea amiſſam recuperare. 15

Tertium, quando periculum eſt incidendi in aliquod peccatum, niſi actus fidei eliciatur. ibid.

Quartum, quando fidem exteriùs tenetur homo confiteri. 16

Quintum in articulo mortis. ibid.

Confeſſarius tenetur interrogare pœnitentes doctrinam Chriſtianam, quoties probabiliter iudicat illos eam ignorare: & tenetur inſtruere illos. 17

Non tenetur confeſſarius denegare abſolutionem ignorãti Doctrinam Chriſtianam, etſi ſæpe admonitus nõ didiciſſet, dummodo pœniteat præteritæ negligentiæ & emendationem proponat. ibid.

Quæ debeat confeſſarius docere ruſticos, ſemel & iterum interrogando. 18

Fides supernaturalis requiritur in adulto, ad recipiendum Baptismum cum fructu. 9
Martyr debet fide supernaturali veritatem illam credere, pro qua potissimum tuenda mortem eligit. 6
Fides ministri non requiritur ad validam Sacramentorum administrationem. 6
Fides necessaria est in ministro, ad licitam Sacramentorum administrationem. 7
Fides requiritur in intellectu, ad recipiendam primam gratiam in Sacramentis, Baptismi, & pœnitentiæ. 5

Fides, Quoad illius externam confessionem, professionem, & de disputatione rerum fidei.

Præceptum affirmatiuum exteriùs fidem confitendi in duplici casu obligat. n. 1
Præceptum negatiuum numquam exteriùs fidem negandi, obligat pro semper. ibid.
Interrogatus à iudice de sua fide, tenetur ex præcepto fidem confiteri: secus si rogatus sit à priuata persona. 2
Negans se clericum, vel Sacerdotem cùm tamen sit, non facit contra confessionem fidei. 3
Transiens per loca hæreticorum, licitè potest vestes clericales aut Religiosas deponere, vt incolumis euadat. ibid.
Catholicus tenetur ad confessionem fidei, qui videt imagines conculcari, vel fidem, aut Christum contemni, si per fidei confessionem credat hæc peccata impedienda. 4
Multi tenentur ex decreto Trident. ad faciendam professionem fidei. 5
Ex præcepto negatiuo numquam fidem abnegandi, tenemur abstinere à dictis vel factis, quibus fides negatur. 6
Milites catholici excusantur assumentes insignia infidelium, vel hæreticorum, vt ipsos in bello occidant, vel ne ab ipsis capiantur. ibid.
Non est licitus vsus vestium, quæ actualiter important professionem actualem falsæ fidei, & quibus sacerdotes vtuntur solùm dum actualiter sacrificant. ibid.
An autem vestes, quæ etiam extra exercitium actuale falsæ Religionis adhiberi solent, sunt tamen institutæ ad illam profitendam, vt sunt illæ, quas Princeps præscriberet tali sectæ, sint licitæ? Negant quidam, sed contrariam sententiam meritò alij sequuntur, secluso scandalo, & posito periculo, quod aliter vitari non potest. ibid.
Qui exteriùs fidem negat, corde tamen illam retinens, licet grauiter peccet, non est tamen hæreticus, nec est excommunicatus, & absolui potest à quocumque approbato. ibid.
Contra præceptum fidei negatiuum non facit qui concionibus, vel cæremonijs hæreticorum interest, seclusis tamen scandalo proprio vel alterius vel prohibitione Ecclesiæ. 7
Non licet ingredi templa hæreticorum aut conciones illorum audire, quando hoc præcipitur à Principe, in contemptum vel odium nostræ Religionis Catholicæ, vt definiuit *Paulus V.* ibidem.
Qui in comedijs non seriò se fingit infidelem, vel qui metu mortis, vel carceris vescitur inter hæreticos carne die veneris, non peccat contra præceptum fidei negatiuum: secus si neget se esse Papistam. 8
Fugere in persecutione non est negare fidem: aliquando tamen est prohibitum, aliquando præceptum, aliquando consultum. ibidem.
Disputatio de fide quadruplici ex capite reddi potest illicita. 1. ex fine 2. ex parte disputantis. 3. ex parte auditorum. 4. ex disputandi modo. 9
Secundùm quosdam laicus doctus potest sine peccato disputare cum hæretico & infideli, quia tunc cessat finis prohibitionis legis, nempe periculum deceptionis & derisus mysteriorum. ibidem.

Fidelitas.

Fidelitatem debet seruare aduocatus erga clientem suum, quæ præcipuè in quatuor consistit. 4
Fidelitas, & veritas requisita in Notario, in quibus consistat. 3

Filius.

Filij, alij sunt naturales & legitimi, alij legitimi tantùm, alij naturales tantùm, alij vocantur spurij, alij legitimi, & spirituales. 1
Filij tenentur amare parentes. 2
Filij tenentur in necessitate spirituali parentum, illis subuenire. 3
Filij tenentur reuerentiam suis parentibus exhibere non solùm exteriorem, verùm etiam interiorem. 4
Filius tenetur patri obedire in ijs, in quibus est illi subiectus in rebus autem illis, in quibus non subest, non peccat si non obediat. 5
Filius non peccat contrahendo Matrimonium inuitis parentibus si iustam causam habeat: aliàs tenetur eos consulere, licet non teneatur eorum consilium semper sequi. ibid.
Filius tenetur parentum necessitati corporali subuenire, quantùm potest. 6
Filius non potest ingredi religionem Parentibus redactis ad egestatem extremam vel grauem. 7
Filius professus, dum necessitas parentum est extrema vel grauis, tenetur egredi religione, etiam inuito Prælato si egrediendo possit subuenire. 8
Filius professus egrediens religione ad subueniendum parentibus, debet gestare habitum religionis suæ, & in sæculo obseruare essentialia religionis & maiores obseruationes. 9
Filij tenentur adimplere cum primùm poterunt ordinata in testamentis parentum. 10
Filius liberatur à patria potestate per mortem patris, & in aliis multis casibus. 11
Filiusfamilias non potest testari, nisi pubes sit & habeat bona castrensia vel quasi castrensia. 6
Filij naturales possunt institui hæredes vniuersales à parentibus, si non habeant prolem legitimam. 9
Filius non potest testificari contra patrem in causis criminalibus, excepto crimine læsæ maiestatis diuinæ vel humanæ. 2
Filiusfamilias præciso alio impedimento, potest constitui tutor. 3
Filius non tenetur credere matri dicenti ipsum esse spurium, si mater tempore conceptionis habitabat cum viro. 8
De alimentis debitis filio à parentibus, vide v. *Alimenta.*
Filijfamilias quadruplex genus peculij potest competere, *Castrense, quasi castrense, Aduenticium, profectitium.* 6
Filius emancipatus potest donare patri, si viginti annos excedat. 11
Filius aut filia in multis casibus potest à patre hæreditate priuari. 1
Filij familias de peculio castrensi, vel quasi, possunt facere eleemosynas. 11
Filiusfamilias repellendus est à fideiussione, nisi habeat peculium castrense vel quasi. 3
De furto filiorumfamilias, vide v. *Furtum II.*
Filius spurius non legitimatus, nõ potest institui hæres à patre; nec illi potest aliquid relinqui præter alimenta. 11
Filij hæreticorum sunt irregulares. 3
Filijfamilias de bonis castrensibus vel quasi ludere possunt sine consentu patris. 1
Filius seu filiafamilias in multis casibus tenetur ad restitutionem mutui accepti. 4
Si filiusfamilias absque consensu patris acceperit mutuam pecuniam, non tenetur ad illius restitutionem. 3
Filij aut filiæ contra pietatem & reuerentiam parentibus debitam peccant, si ipsis inscijs & inconsultis sponsalia temerè cõtrahant. 7
Tenentur liberi fidem datam sponsaliorum seruare, etsi promiserint inconsulti saut inuitis parentibus. 8

Fœmina.

Fœminę multa prohibentur. 1
Fœmina vtens veste virili ex animi leuitate, sine intentione corrupta, vel scandalo graui, non peccat mortaliter. 2
Fœmina est capax iurispatronatus. 7
Fœminæ regulariter non admittuntur in feudo, nisi exprimentur, & feudum fœmineum sit, vel omninò liberum & francum. 4
Fœmina in necessitate Baptizare potest. 13
Fœmina regulariter fideiubere non potest pro marito, pro alio potest, licet competat ei exceptio *Velleiani.* 4
Fœminæ licitum est fideiubere, postulante necessitate aut pietate, nec vti potest beneficio *Velleiani* in certis casibus. 5
Fœmina aduertens se ab alio libidinosè tangi, & tactus sunt impudici, peccat mortaliter non se retrahendo. 13
Fœmina, quæ sine necessitate se præbet contrectiendam illi, à quo credit se turpiter concupiscendam, mortaliter peccat: secus si hoc faciat, ne priuet se sua libertate. 16
Fœmina non est rea mendacij dum bonis artibus, & modis alias

aliis licitis defectum virginitatis tegit, & tamquam virgo matrimonium contrahit. 6
Fœmina extra necessitatem non potest inseruire missæ, nisi remotè vt faciunt moniales in choro. 5
Fœmina, quæ credit se ab adolescente lasciuo & fragili concupiscendam, si domo exeat, potest relinquere Missam, sed non tenetur secundùm probabiliorem sententiam. 4
Fœmina non licet prædicare publicè, etiamsi sit Abbatissa, licèt adhortari possit suas Moniales in capitulo. 2
Fœmina prægnans torqueri non debet ob periculum abortus, sed eius tortura differenda est, donec vires ex puerperio confirmatæ sint. 12
Fœmina iure canonico repellitur à testimonio ferendo in causis criminalibus: iure autem ciuili repellitur solùm à testamento. 1
Fœmina transiens ad secundas nuptias, contracto matrimonio tutelam filiorum ipso iure amittit. 3
Fœminarum communitas potest sua consuetudine ius dicere: non possent tamen fœminæ consuetudinem inducere contra legem obligantem solos masculos. 6
Inter fœminas canonicas, aut moniales sunt beneficia; non masculorum, sed fœminarum. 2
Fœminæ canonicæ ex iuris beneficio & priuilegio, & ratione suæ professionis clericæ dicuntur, & in fauorabilibus, non autem in odiosis sub nomine clericorum comprehenduntur. ib.
Fœminæ iure diuino sunt inhabiles ad ordines. 5
Fœmine percutientes clericum etiam enormiter possunt absolui ab Episcopo. 8
Plura de Fœmina vide v. *Abbatissa*.

Fiscus.

Fiscus succedens in alicuius bona non est propriè hæres, sed habetur loco hæredis in quibusdam casibus. n. 1
Bona, quæ debentur reo ex contractu celebrato sub conditione, pertinent ad fiscum, secuta conditione. 2
Ad fiscum non deuoluitur hæreditas, quæ relicta fuit criminoso ante patratum crimen, si criminosus non adierat hæreditatem ante publicationem bonorum. 3
In fraudem fisci, potest criminosus licitè & validè repudiare hæreditatem nondum adi tam. 4
Fiscus succedens in iura delinquentis, succedere etiam debet in onera. 5
Ad fiscum deuoluitur dominium bonorum vacantium, si defunctus laicus sit, nullo hærede relicto. 10
Ille, cuius bona sunt ipso facto ob aliquod crimen fisco addicta, potest extra necessitatem proximi extremam, illa dare in elemosynam, modò hoc non faciat in fraudem fisci. 17
Fiscus succedens in bona homicidæ, tenetur ad restitutionem damni hæredibus occisi faciendam. 9
Fiscus tenetur stare locationi factæ per condemnatum ante patratum crimen, si ipse succedat in omnibus bonis; secus si succedat tantummodò in [illegible] parte quæ confiscatur. 4
Ad fiscum tranmittitur obligatio filios alendi, cui addicta sunt bona, ob crimen à parente commissum, excepto crimine hæresis, & læsæ maiestatis. 4

Fornicatio.

Fornicatio est concubitus soluti cum soluta. n. 1
Copula habita cum muliere, cum qua nequit quis matrimonio copulari propter impedimentum dirimens est distincta species à simplici fornicatione in sequentibus casibus. Coitus cum cognata spirituali; cum cognatis legalibus; cum consanguinea in primo gradu sponsæ propriæ de futuro; cum consanguineis vel affinibus intra gradus prohibitos; cum impedimento impotentiæ, voti simplicis aut solemnis castitatis, aut ordinis sacri, aut cum coniugata. ibid.
Quando inhabilitas ad matrimon. non est inducta ob peculiarem inordinationem in copula, sed ob aliam causam, v. g. ob crimen, ignorantiam, metum, est simplex fornicatio. ibid.
De fide est, fornicationem esse peccatum mortale. 2
Probabilius est, illum qui versatur in ipso actu fornicario, teneri se retrahere ante spermatismum, etiamsi complex iam seminarit & futura sit seminatio extra vas. 4
Si Episcopus, vel alius Superior religionum occultè fornicetur non tenetur in confessione circumstantiam Episcopatus vel superioratus aperire; secus si fornicatio ita publica esset, vt scandalum pareret. 5
Per fornicationem sequentem, tam viri, quàm fœminæ, dissoluuntur sponsalia etiam iurata. 5
Probabilius est violationem virginis sponte consentientis, quamuis sub cura paterna, esse simplicem fornicationem. 1
Vir committens fornicationem metu mortis non excusatur a mortali. 3 9

Forum.

Forum triplex est, quoddam contentiosum, quoddam pœnitentiale, aliud verò quasi pœnitentiale. 22
Fori & Canonis priuilegijs clericus non potest renunciare, subijciendo se iudici laico. 10
Fori & Canonis priuilegia nulla lege vel consuetudine etiam immemorabili, vel præscriptione possunt tolli sine Papæ authoritate. 11
Fori priuilegio gaudet clericus coniugatus seruans omnia requisita. 16
Ad forum contentiosum dicitur delictum deduci, quando delinquens accusatus fuit de aliquo delicto, & nondum se purgauit in iudicio, nec fuit liberatus definitiuè aut ab instantia. 5
Vtrumque forum, internum scilicet & externum, quoad potestatem iurisdictionis, est eiusdem rationis, ergo quod statuitur in foro externo quoad valorem actus, reputatur etiam statutum in interno. 26
Forum interius & exterius idem debent iudicare, nisi fundetur forum exterius in præsumptione aliqua. 10
Plura de priuilegio fori vide *v. Clericus*.

Fraus.

Fraus est deceptio alterius opere exhibita: & est mortalis, si sit pernicioſa in damnum proximi notabile: secus est tantùm venialis. n. 2
Fraudes, quæ interuenire solent in contractu assecurationis, tam ex parte assecuratoris, quàm rei assecuratæ. 6
Qui fraude alienas columbas attrahit ad suum columbarium, peccat peccato furti cum obligatione restituendi. 3
Fraudantes gabellas in summa notabili, mortaliter peccant & tenentur ad restitutionem, secundùm veriorem sententiam. 4
Qui fraudibus vtitur contra leges ludi, tenetur [illegible] restitutionem eius, quod sic lucratus est: secus si natura ludi illas patiatur. 4
Qui per fraudem copulam à virgine extorsit, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare. 2
Qui fraude alterum ad peccandum induxit, ex iustitia tenetur ad procurandum emendationem. 21
Fraus quando dicatur fieri contra legem vel ipsi legi. 10

Frigiditas.

Frigiditas in viro est impedimentum dirimens matrimonium. 75
Plura de hoc impedimento. vide verb. *Matrimonium V 11*, num. 75.

Fruitio.

Fruitio est actus voluntatis quiescentis in bono adepto: & proprie fuitio versatur circa finem vltimum. 6

Fructus.

Fructus, alij sunt naturales, alij industriales, & alij mixti. n. 1
Fructus alij sunt pendentes, alij percepti, alij qui percipi potuerunt. ibid.
Fructus industriæ perceptos ex re aliena, non tenetur restituere possessor bonæ vel malæ fidei. 2
Fructus, qui extant ex re aliena, tam naturales, quàm mixti, tam pendentes, quàm percepti, restituendi sunt à possessore bonæ fidei: si verò non extent, restituendum est id quo factus est ditior. 3
Fructus naturales vel mixtos non tenetur restituere possessor bonæ fidei, quando illos bona fide possedit per triennium. 4
Ad restitutionem fructuum tenetur malæ fidei possessor, quos ipse non percepit, dominus tamen rei illos percepisset. 5
Fructus rei alienę tenetur restituere possessor malę fidei, etiamsi rem meliorem effecerit, quam dominus non effecisset meliorem. 6
Fructus industriales bonorum paraphernalium vxoris potest sibi retinere maritus, quando ea administrat & consumpsit de voluntate vxoris. 4
Ad censum ponendum, non est necesse vt res censita ferat fructus naturales, sed sufficit, si ferat fructus pretio æstimabiles. 12
Tot fructus ferre debet ad minus res in qua fundatur census, qui sufficiant ad soluendam pensionem detractis expensis. 11
Ex fructibus integris debent deduci decimæ priusquam ex illis deducantur expensæ. 8

Fructus dotis sibi traditæ lucratur maritus, quamdiu matrimonium consistit. 1

Fructus, quos percepit vsurarius ex re aliena accepta per vsuram, restituendi sunt mutuatario: fructus tamen industriæ transeunt in dominium ipsius vsurarij. 2

Fructus rei emptæ medio tempore collectos, tenetur emptor restituere venditori, si restituat rem emptam propter notabile vitium occultum non manifestatum. 20

Ad quem autem pertineant fructus medij temporis contractu dissoluto, vide v. *Venditio* n. 22.

De fructibus restituendis à beneficiario, qui non recitauit horas canonicas vide v. *Horæ Canonicæ I. & V.*

Fugere Fugitivus.

Fugere possunt capti in bello iusto ex parte capientium, cessante scandalo & speciali manendi pollicitatione. n. 20

Fugere potest reus è carcere etiam post sententiam. 14

Reus qui potest fugere licitè, potest etiam vincula rumpere & carcerem pertundere. 15

Fugere in persecutione, aliquando est prohibitum, aliquando præceptum, aliquando consultum. 8

Clerici, religiosi, & infimæ conditionis homines peccant contra iustitiam, si alapa vel fuste percussi, occidant, quando fugere possunt sine magno incommodo. 26

Fugere tenentur filij patrem inuadentem & auum, Frater minor natu fratrem maiorem; si tamen ex fuga magis periclitaretur inuasus, non teneretur fugere. ibid.

Religiosus fugiens è carcere: censendus est fugitiuus dantur tamen aliqui casus, in quibus talis non censetur. 13

Religiosus damnatus ad triremes, dicitur fugitiuus, si inde fugiat, ne cruciatus perferat. 14

Religiosus confugiens ad Superiorem absque licentia immediati Superioris, vt eximatur ab iniqua vexatione, non est censendus fugitiuus. 15

Religiosus fugitiuus priuatur alimentis seu iure alimentorum, quæ religio ei exhibuisset: propterea monasterium non tenetur soluere expensas factas à fugitiuo ad sui sustentationem: idem dicendum de Apostatis. 6

Plura de fugitiuis v. *Apostasia*, & v. *Religio V I.*

Ob fugiendam obligationem legis verius est licere transire ad locum, vbi lex non obligat. 8

Furiosus.

Furiosi perpetuò ordinandi non sunt, si tamen ordinibus initientur, characterem recipiunt. n. 5

Furiosus, qui dilucida non habet intervalla, non potest testari. 6

Furiosi & amentes habitualiter sunt irregulares, propter periculum scandali & noui lapsus in amentiam. 10

Plura vide v. *Amens.*

Furtum.

Furtum est occulta rei alienæ acceptio, Domino rationabiliter inuito. n. 1

Furtum & rapina differunt specie in ratione iniuriæ. 2

Furtum ex genere suo est peccatum mortale: ex parte tamen paruitatis materiæ potest esse veniale. 3

Furtum paruulæ reliquiarum partis fortè dici potest probabiliter excusari à mortali, ob paruitatem materiæ, quamuis vendere talem paruulam partem sit peccatum mortale. ibid.

Illa quantitas est sufficiens ad peccatum mortale furti, quæ omnibus consideratis infert Domino graue damnum, vel notabili priuat vtilitate. 4

Hæc quantitas statuenda est arbitrio prudentum, pro varia personarum & locorum conditione. ibid.

Furtum mortale non potest diffiniri ex quantitate pecuniæ, quia valor pecuniæ non est idem respectu omnium gentium. 4

Furtum de se veniale ratione paruitatis materiæ, potest fieri mortale, ratione damni vel alterius causæ occurrentis: & sic hoc peccatum non est mortale in specie furti, sed in specie damnificationis iniustæ. 5

Maior quantitas requiritur ad peccatum mortale furti, quando quis eidem magnis temporum intervallis subtraluit, quàm dum breui tempore. 6

Furans minima à pluribus, cum intentione coarcendi notabilem quantitatem, peccat mortaliter ea intentione. 7

Qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione illa committit, non peccat mortaliter, antequam perueniat ad quantitatem notabilem. 8

Probabile est, paulatim furantem modica, ita vt accesserit ad notabilem quantitatem, non teneri sub peccato mortali ad restitutionem totius quantitatis furatæ, sed tantùm ad illam partem, qua restituta cessat notabilis quantitas ad furtum mortale petita. ibid.

Quando plures vni per minuta furta graue damnum inferunt, & id fit ex communi consilio, omnes peccant mortiferè, & tenentur in solidum ad restitutionem: si verò casu id fiat, neminem peccare mortaliter neque teneri ad restitutionem quidam affirmant, sed verior est affirmatiua sententia omnes teneri ad restitutionem & peccare mortaliter: modò inter vnum furtum & alia non sit magna distantia. 9

Nouum peccatum mortale committit, qui post quantitatem notabilem per minuta furta sublatam, addit alia parua furta, si actum voluntatis retinendi alienum in notabili quantitate non interrupit, & cum aduertentia præteritorum noua furta leuia committat. Si autem fur, dum noua furta committit, doleat de præteritis cum animo restituendi, peccabit tunc solùm venialiter: & quando illa noua furta rursus ad quantitatem notabilem ascendent, committetur nouum peccatum mortale. ibid.

Probabilius est, illum, qui aufert leuem quantitatem ab vno, à quo alij abstulerant notabilem, non peccare mortaliter. ibid.

Continuè actu peccat, qui furto vel iniustè rem alienam aut alteri debitam detinet, cùm possit restituere. 10

Peccatum actualis iniquæ detentionis, tripliciter interrumpitur, ita vt formaliter non continuetur. ibid.

In extrema necessitate potest quilibet rem alienam accipere, ad subleuandam suam necessitatem. 11

In graui necessitate morbi, famis, nuditatis, licitum est clanculum furripere ab opulentis, si aliter graue illud malum aucrtere quis non possit. 12

Fur & raptor non possunt donare res furto ablatas. 8

Potest quis aliena capere ad subleuandam extremam pauperis necessitatem, si non habeat vnde possit ex propris bonis. 15

Furtum rei sacræ, & non sacræ commissum in Ecclesia, siue res sit ibi posita sub custodia, siue non sacrilegium est. 9

Contra spoliantes & effringentes Ecclesias constituta est pœna excommunicationis ipso facto. 10

Furtum filij-familias, vxoris, religiosi, & famulorum.

Mortaliter peccat peccato furti filius, qui notabilem summam accepit ex bonis, quorum possessionem & vsumfructum habet pater, ipso meritò inuito. n. 1

Non censetur notabile in furtis filiorum, quod censetur tale in furtis externorum, sed maior quantitas requiritur. ibid.

Quomodo teneatur filius restituere, qui accepit bona, quorum pater habet dominium, vel vsumfructum. 2

Filius non peccat mortaliter peccato furti expendendo in ludos, eleemosynas, honestas recreationes, iuxta conditionem sui status. 3

In multis alijs casibus non peccat accipiendo aliquid à patre. ib.

Vxor peccat mortaliter, si summam notabilem ex bonis mariti accipiat, ipso rationabiliter inuito. 4

In quibus casibus non peccet vxor accipiendo bona mariti. 5

Religiosus capiens ex bonis monasterij in notabili quantitate peccat mortaliter, si res ablatæ non sint necessariæ. 6

Quantitas notabilis in furtis religiosorum determinanda est in particulari pro temporum, locorum, religionum & personarum differentia, iudicio boni viri. ibid.

Religiosus paulatim accipiens ad proprium vsum conestibilia, si perueniat ad quantitatem notabilem, non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem. ibid.

Verius est religiosum paulatim in alijs bonis monasterij modica accipientem vel expendentem sine superioris licentia peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem, si in eo furto complente materiam grauem, recordetur præcedentium furtorum, & inter furta non fiat magna interpolatio. ibid.

Religiosi votum paupertatis habentes, non cum filijs ditissimorum parentum sed cum his, qui mediocriter pecuniosi sunt, debent computari, vt inde colligatur, quæ quantitas respectu illorum circa danda & accipienda vel appropriandà sibi de rebus monasterij, ad furtum mortale sufficiat. ibid.

Religiosus, qui rem notabilem accepit & dedit alicui extra monasterium, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem tam ipse, quàm recipiens. 7

Furtum de rebus monasterij, seu conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale, est casus reseruabilis ab Ordinum Superioribus iuxta Decretum Clementis VIII. §. 8

Famulus peccat mortaliter peccato furti, auferendo aliquid in notabili quantitate à suo Domino. 8

In aliquibus casibus excusatur famulus à mortali. ibid.

Fur ludens aliena pecunia, non facit lucrum sanum. 3

G.

Gabella.

Gabella sumitur pro eo quod Principi vel Reipublicæ à priuatis solui solet, ad onera communia sustentanda: & aliàs vocatur Tributum, vectigal. n.1
Vt gabella iuste exigatur, requiritur legitima authoritas illam imponendi; iusta causa; & vt seruetur proportio. 2
Non licet gabellam imponere super eis rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, sed tantùm super illis, quæ negotiationis causa aduehuntur. 3
In quatuor casibus possunt imponi gabellæ super necessarijs familiæ. ibid.
Probabilius est, gabellas iustas soluendas esse in foro conscientiæ, & fraudantes eas in summa notabili mortaliter peccare, & teneri ad restitutionem. 4
Verius est vectigal pro rebus de loco in locum transuectis debere solui etiamsi non exigatur, & maximè si talis sit consuetudo. 5
In dubio de iustitia vectigalis, præsumendum est esse iustum secundùm veriorem sententiam. 6
Defraudantes tamen non sunt facilè condemnandi ad restitutionem vectigalis aut tributi nouiter impositi vel aucti, nisi satis constet de exactionis iustitia ac necessitate; vt docet probabilis sententia. ibid.
Gabella, vectigal seu tributum non debentur, quando cessauit causa, propter quam imposita fuerunt. 7
Emptor non tenetur ad soluenda vectigalia pro mercibus emptis à venditore, quem nouit fraudasse debitum vectigal. 8
Creditor Principis potest sibi fraudatione vectigalium compensationem facere, quando non potest solutionem sibi debitam à Principe obtinere. 9
Omnes Clerici sacrorum ordinum & beneficiarij, religiosi & religiosæ, immunes sunt ab obligatione gabellarum, vectigalium, tributorum & aliorum onerum. 10
Clerici Minorum Ordinum, qui nulli Ecclesiæ deseruiunt, ex consuetudine hanc exemptionem amittunt. ibid.
Clericus exercens negotiationem, ex rebus quas negotiationis gratia aduehit, tenetur soluere gabellam: secus si vendat res, quas percipit ex bonis propriis. 11
Bona, quæ ad ecclesiasticos, vel ad ecclesias, aut ad monasteria deueniunt, sunt immunia à nouis tributis imponendis: si tamen antequam ad illos venirent, onus aliquod annexum habeant: illud erit soluendum Principi. 12
Ad gabellam, quæ imponitur communitati, non tenentur clerici, nisi accedat authoritas superioris ecclesiastici. 13
Iure communi & in bulla cœnæ lata est excommunicatio contra imponentes, vel exigentes gabellas, vectigalia, vel alia tributa à personis ecclesiasticis. 14

Gibbosus.

Gibbosus non est irregularis, nisi gibbositas coniuncta sit cum nimia deformitate vel debilitate. n.5

Generalis.

Generalis alicuius ordinis occultè fornicationem committens, non tenetur in confessione circumstantiam superioratus aperire, cessante scandalo. n.5
Generalis Patrum Societatis Iesu, potest disponere de rebus omnibus collegiorum eiusdem Societatis. 12
Generales PP. Societatis, Carmelitarum, & Capucinorum possunt ex priuilegio dare licentiam suis subditis vt ad Carthusianos transire possint. 4
Facultas expellendi religiosos hoc tempore pertinet ad solum Generalem. 6
Generales ordinum non debent eligi, nisi qui 30. annum ætatis exegerint. 11
Generales & alij Prælati ordinum possunt suos subditos absoluere à casibus Pontifici reseruatis, etiam in bulla cœnæ, modò sint occulti: imò in partibus Vltramontanis, possunt etiam absoluere suos in foro externo. §.2
Generales & alij Prælati possunt cum sibi subditis regularibus dispensare in omnibus irregularitatib. ex delicto occulto prouenientibus: etiam homicidio, ex priuilegio *Martini V.* viuæ vocis oraculo, quod hodie locum non habet ob bullam *Vrbani VIII.* §.3
Plura de potestate Generalium circa absolutiones, & dispensationes, vide v. *Abbas* n.8.
Generales & Prouinciales Mendicantium Ordinum possunt cum monialibus sibi subditis vitium natalium patientibus dispensare, vt possint esse Abbatissæ. 5
Generales ordinum & alij Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes possunt ferre censuras. 9
Generales non possunt relaxare pœnas Prælatis inferioribus impositas à sacra Congregatione, si non reuocent annuatim fugitiuos & apostatas. 10
Generales non possunt suis subditis præbere licentiam legendi libros prohibitos. 17
Generalis cum Capituli generalis maiori parte, non potest inuitis alijs, noua statuta edere, arctantia singulos religiosos ad nouam vitam austeriorem non promissam. 10
Generalis alicuius religionis non potest præcipere subditis suis vt ad Indos, infideles, hæreticos & schismaticos, vbi imminet periculum martyrij, causa eorum conuersionis procurandæ, tendant: nisi ad id speciali voto se obligarint. 14
Generales Ordinum interpretari possunt eorum priuilegia, non solùm magistraliter & doctrinaliter, sed etiam iudicè, & huic interpretationi stare tenentur religiosi. 1
Ad Generales extenduntur priuilegia singularibus personis religionis concessa. 5
Plura vide *v. Prælatus*.

Generalis confessio.

Generalis confessio & tunsio pectoris facit ad remissionem peccatorum venialium. 7
Qui facit confessionem generalem & confitetur simul aliqua peccata commissa post vltimam confessionem, quę numquam priùs confessus erat, non tenetur explicare, illa peccata esse commissa post confessionem vltimam. 5

Gratia.

Gratia nihil aliud est, quàm donum supernaturale quo efficimur Deo grati, & digni vita æterna; & hæc dicitur gratia iustificans. n.1
Gratia in sacramentis confertur ex opere operato & ex opere operantis. 2
Plura de gratia sacramentali vide verb. *Sacramentum IV.*
Gratia sacramentalis sacramenti Pœnitentiæ, est speciale auxilium diuinæ assistentiæ in eum finem, vt præseruet à peccatis, & facilius homo perseueret in iustitia. 5
Gratiam iustificantem simul cum reliquis virtutibus & donis, quæ gratiam comitantur confert baptismus, modò non ponatur obex. 3
Gratia sacramentalis baptismi est auxilium, quo homo frequentiùs & vehementiùs excitatur ad superandum concupiscentiæ fomitem. 4
Gratia sacramentalis confirmationis est speciale auxilium ad veram fidem constanter tenendam & profitendam. 11
Gratia sacramentalis sacramenti Eucharistiæ est speciale auxilium ad peccata vitanda. 13
Gratia quæ confertur in sacramento Extremæ-Vnctionis non solùm est sanctificans, verùm etiam habens adiuncta specialia auxilia, ad expellendas habitudines & procliuitates ad malum ortas ex peccato originali. 1
Gratiam duplicem confert sacramentum ordinis, habitualem nempe seu iustificantem, in quantùm est sacramentum, & propriam, qua dignè, qui recipitur ordo à suscipiente ministretur. 1
Gratia sacramentalis quæ confertur in matrimonio est auxilium ad seruandum in voluptatibus modum, & ad onera matrimonij diuina gratia subleuanda. 2
Gratia triplex confertur in sacramentis. 2
Gratiam primam per se conferunt sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, & dicuntur sacramenta mortuorum. 3
Gratiam secundam seu augmentum gratiæ conferunt reliqua sacramenta, quæ dicuntur sacramenta viuorum: licet per accidens possint conferre primam, si in suscipiente nullus obex iustificationis sit. ibid.
Gratiam primam & remissionem peccatorum per se & immediatè non confert sacrificium Missæ. 1
Gratia facta dicitur, quando perfectè conceditur ei, in cuius gratiam datur, ac independenter ab alio, cui facienda committatur. 11
Gratia facienda est, quando non conceditur absolutè in cuius fauorem datur, sed dependenter ab alio cui facienda committitur. ibid.
Gratia facta non cessat morte concedentis, modò concessa sit simpliciter sine conditione: & hoc verùm siue res sit integra, siue non. ibid.

Gratia facienda extinguitur morte concedentis re integra, id est, si priuilegiatus nondum inceperit vti priuilegio. ibid.

Gladios conficiens.

Gladios conficiens, quibus aliqui postea occidantur, non est irregularis. 7

Gradus consanguinitatis.

Gradus est personarum mensura, qua cognoscitur quanta sit propinquitas consanguinitatis, vel distantia inter ipsas, quæ in linea includuntur. 18

Regulas, quibus computantur consanguinitatis gradus, vide v. *Matrimonium VII.* n. 19. & sequent.

Gradus affinitatis.

Gradus affinitatis numerantur secundùm gradus consanguinitatis, nam quoto gradu quis consanguineus est viri vel fœminæ cognitæ, eodem est affinis fœminæ vel viro. 68

Guardianus.

Guardianus eiusque vices gerens, habet in suo conuentu vel loco tantam authoritatem, quantam Prouincialis in tota prouincia, & quantum Generalis in toto ordine circa casus occultos qui non sunt Prouincialibus reseruati. § 1

Guardiani & alij Prælati conuentuales possunt absoluere suos regulares & subditos ab hæresi occulta: imò in partibus Vltramontanis possunt illos etiam absoluere in foro externo. ibid.

Guardiani possunt etiam absoluere suos à reliquis casibus bullæ cœnæ: item à simonia quomodolibet contracta: item ab excommunicatione Canonis, *Si quis suadente*, etiamsi percussio fuerit enormis, vel etiam occisio, modò hunc casum Prouinciales sibi non reseruauerint: item à casibus Episcopo reseruatis, in quos fortè lapsi essent ante professionem. §. 2

Guardiani Minorum & alij Prælati locales, possunt cum sibi subditis regularibus dispensare in omnibus irregularitatib. ex delicto occulto prouenientibus, non autem homicidij voluntarij, licet occulti. §. 3

Guardiani & alij Prælati regulares & eorum Vicarij licitè benedicunt oratoria, cœmeteria, ecclesias, corporalia & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia, vbi christma non interuenit pro suis vsibus tantùm. 7

Quamuis Abbates mitræ & baculi pastoralis vsum habentes possint consecrare campanas etiam alterius loci: Guardiani tamen & alij Prælati religioni non perfruuntur isto priuilegio, per communicationem, nisi eis specialiter à Pontifice vel Episcopo committatur. 8

Guardiani & alij Prælati Ordinum Mendicantium possunt reconciliare suas ecclesias pollutas. 10

Guardiani & alij superiores locales post decretum Clementis non possunt sibi reseruare casus. 40

Guardianus vel alius Prælatus localis noctu furtiuè egrediens nemine conscio, nisi fortè complice, incidit in casum reseruatum. §. 3

Guardiani, vel Prioris, vel Rectoris, &c. percussio iniuriosa, quæ est peccatum mortale, censetur grauis & casus reseruatus. §. 10

Guardiani & alij Prælati conuentuales possunt excommunicare respectu tantùm fori pœnitentialis, non autem respectu fori contentiosi, siue externi. 1

Guardiani possunt licentiare Fratres ad accedendum ad Moniales, si hoc illis non sit prohibitum à P. Prouinciali vel Generali. 13

Guardiani & alij Prælati locales religionum iurisdictionem habent ordinariam. 9

Guardiani, Priores, Rectores & alij superiores conuentuales, quasi ordinarij possunt suam iurisdictionem delegare. 6

Si Prouincialis Guardiano committat ratione officij in perpetuum facultatem absoluendi subditos à casibus reseruatis, potest Guardianus eiusmodi potestatis executionem alteri delegare. 7

Guardiani, Rectores, Priores & alij superiores, siue exempti sint, siue non, possunt sibi eligere confessarium, etiam extra ordinem & non approbatum ab Ordinario, dummodo ab eorum constitutionibus à Sede Apostolica approbatis: hoc illis facere non prohibeatur. 11

Guardianatus, Prioratus, Rectoratus, Prouincialatus, Generalatus non veniunt nomine Parochialis beneficij in Tridentino. 10

Guardiani & alij superiores regulares & confessarij religiosorum possunt audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia sua & continui commensales, sine licentia & approbatione Ordinarij. 5

In promouendis ad Guardianatum & alias Prælaturas conuentuales, inspicienda sunt, nedum ætas & doctrina, sed mores & prudentia. 10

Plura de Guardiano, vide verb. *Prælatus Abbas.*

Gula.

Gula est vitium in appetitione & vsu delectationis cibi & potus, debitum modum excedens. n. 1

Gula regulariter est peccatum veniale. 2

Comedentes vel bibentes absque necessitate ob solam voluptatem captandam, non peccant venialiter, deficiente nocumento corporis & salutis, quod vix in praxi in hoc casu abesse potest: & ideò communiter erit peccatum veniale. ibid.

Gula peccatum est mortale, si quis in illa delectatione vltimum finem constituat; quod tripliciter fieri potest. 3

Vesci carne humana extra grauissimam necessitatem, est peccatum mortale: posita autem illa, vesci liceret. 4

Ex timore autem mortis illas apositas comedere, etiam licet, quamuis contrarium sit etiam probabile. ibid.

Comedere res non destinatas ad communem vsum, ex obiecto & per se, est peccatum veniale, præciso quocumque damno ob inordinationem, quam habet in seipso. ibid.

Comedere carnes crudas, est peccatum mortale, quando inde prouenit notabile damnum: ex causa autem rationabili, nullum erit peccatum. 4

Gula est vitium capitale, ex quo nascuntur quinque filiæ. 8

De ebrietate vide verb. *Ebrietas*, suprà.

H.

Habitus.

Habitus clericalis censetur, qui communi clericorum vsu in ea prouincia receptus est. n. 13

Habitum dimittens temerè religiosus, incurrit excommunicationem à iure latam. 14

Religiosus apostata, non gaudet priuilegiis religionis, si habitum dimittat, prætendens ideitam esse professionem. 6

Habitum religionis suæ debet gestare filius egrediens religione ad subueniendum parentibus. 9

Sine habitu clericali frequenter & sine causa rationabili celebrare, etiamsi absque contemptu fiat, non potest excusari à peccato mortali. 5

Contra quoscumque præsumentes gestare habitum per Capucinos deferri solitum, vel consimilem, est excommunicatio lata. 3

Habitu virili vtens fœmina absque praua intentione, non peccat mortaliter. 2

In habitu religionis debet peragi nouitiatus. 7

Hebetudo mentis.

Per hebetudinem mentis peccat mortaliter, qui se terrenis miscens & à cœlestibus auocans, conscientiam suam non discutit, quando & quomodo præcepto tenetur. 8

Hæres. Hæreditas.

Hæreditas aditur, dum acceptatur verbo vel facto. n. 1

Hæres alius est necessarius, alius non. 2

Hæres tenetur ad realia debita testatoris persoluenda, postquam hæreditatem adiuit. 1

Tres menses à iure conceduntur hæredi ad deliberandum, num velit hæreditatem adire. 4

Hæres non tenetur in foro conscientiæ soluere legata vel debita defuncti, si inuentarium non fecit, & debita excedant vires hæreditatis. 5

Hæres ab intestato tenetur restituere hæreditatem & soluere legata eis, quibus testamento minus solemni debentur, si sciat voluntatem defuncti. 6

Hæres in ijs quæ pertinent ad pias causas, tenetur in conscientia adimplere voluntatem testatoris expressam in cedula scripta vel subscripta propria manu. 7

Hæredes necessarij possunt aliquid sibi retinere v. g. legitimam, quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis à defuncto relictis. 8

Omnes iure non impediti possunt institui hæredes & legatarij, etiam communitates. 9

Ciuitas hostium & communitas infidelium iure impediuntur. ibidem.

Reli-

Bridges, Caledonian Canal, Plans and Estimates for, 1822, 1823, 1824, 1825, 1826, 1827, 1828, 1829, 1830, 1831, 1832, 1833, 1834, 1835, 1836, 1837, 1838, 1839, 1840, 1841, 1842, 1843, 1844, 1845, 1846, 1847, 1848, 1849, 1850, 1851, 1852, 1853, 1854, 1855, 1856, 1857, 1858, 1859, 1860, 1861,

Agent and Broker, Duty of agent to principal 1-3
Agent and Broker, Duty of agent to principal 1-3
Agent and Broker, Duty of agent to principal 1-3

Varij sunt modi inuadendi rem alienam. 20
Pro defensione suæ pudicitiæ, licet cuilibet occidere inuasorem; quando pudicitia alio modo non potest defendi. 21
Inferentem ignominiam viro honorato licet occidere, si aliter hæc ignominia vitari nequit. 22
Varijs modis honor alterius potest impeti & auferri, in quibus concessa est defensio. 23
Non licet viro quantumuis honorato, occidere eum, qui sibi dicit contumeliosè *Mentiris*. ibid.
In praxi non est admittenda sententia docens licere occidere illum qui falsis criminationibus apud Principem vel iudicem detrahit de alio, vel occulta crimina contra iustitiam pãdit. 24
Duellum non licet acceptare, practicè loquendo, etiamsi recusando videatur aliqua infamia imminere apud eos cum quib. viuitur. 25
Probabilius est clericos, religiosos, & infimæ conditionis homines peccare etiam contra iustitiam, si alapa vel fuste percussi occidant inuasorem, quando fugere possunt. 26
Furiosum inuasorem, Patrem, Auum fratrem natu maiorem numquam licet interficere, quando potes fugere. ibid.
Tueri licet vitam proximi, & maximè consanguinei, pudicitiam, honorem & fortunas, etiam cum interfectione inuasoris, si aliter defendi nequeant. 27
Vitam hominis priuati nullus tenetur tueri, cum probabili periculo vitæ suæ, etsi iure possit, & velit. 28
Priuatus non tenetur defendere vitam alterius priuati, quando non potest sine occisione inuasoris. ibid.
Qui non defendit vitam vel fortunas alterius, cùm ad id teneatur ex officio, peccat mortaliter contra iustitiam; alij verò solummodò contra charitatem. 29
Potestas publica potest mutilare malefactores sicut, & occidere. 30
Licet homini, & tenetur sibi amputare membrum vel membri partem, quando illius amputatio necessaria est ad salutem totius corporis, ita iudicante medico. ibid.
Ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum, non licet sibi membrum vel membri partem mutilare, quamuis membrum affligere liceat. 31
Probabilius est licitum esse membrum sibi amputare iubente iudicente vel tyranno sub pœna mortis; modò hoc non imperet tyrannus ob causam religionis. 32
Occidens vel percutiens simul vno actu plures clericos, incurrit etiam plures excommunicationes, iuxta numerum clericorum, qui percutiuntur vel occiduntur. 26
Sinere se occidi potiùs quàm occidere, abundantioris charitatis opus est, ad impediendam æternam damnationem iniusti aggressoris. 20
Per homicidium qualificatum, nempe per sicarium pretio conductum, amittuntur ipso iure beneficia, sicut, & per percussionem Cardinalis vel Episcopi. 3
An liceat occidere bannitum, vide v. *Bannitum*.
De irregularitate proueniente ex delicto homicidij voluntarij vt ex homicidio iusto, vide v. *Irregularitas V.* & *VI.*

Homicidium casuale.

Homicidium casuale dicitur, quod omninò casu fit, præter voluntatem operantis. n. 1
Homicidium purè fortuitum seu casuale, non obligat ad vllam restitutionem. ibid.
Si clericus venetur cum sclopis, vel telis periculosis, & hominem casu interficiat, adhibita diligentia ne quem lederet, non peccat peccato homicidij, sed peccato contra religionem. ibid.
Occisio illa censetur fortuita, qui commisit adulterium, & præuentus à marito adulteræ, illum occidit cum moderamine. 1
Damnum quod tertio alicui obuenit ex eo, quod alterum occiderim mihi non imputabitur ad satisfactionem, si non ea intentione intulerim damnum alteri, vt tertio damnum accideret, sed per accidens secutum est, me, non aduertente. 2
Si quis præuideat ex sua actione damnum tertio euenturum ex aliorum malitia, sed id nullo modo intendit, probabilius est illum etiam in hoc casu non teneri tertio quidquam restituere, quamuis peccauerit contra charitatem. ibid.
Si ideò occidisti Petrum, vt inde Paulo damnum eueniret, quidam putant te teneri de illo damno; verius tamen est contrarium: In hoc tamen casu homicida teneretur compensare Paulo, cui imputatur homicidium, ea quæ coactus fuit tradere hæredibus occisi de damno illis prouenient ex homicidio. ibid.

Homicidium obligans ad restitutionem.

Homicidio vel mutilatione secuta non tenetur ad restitutionem ille, qui ab altero importunè prouocatus modum iustæ defensionis excedit. n. 1
Qui ab altero inuaditur sine prouocatione, si limites iustæ defensionis notabiliter excedat, ita vt mortiferè peccet occidendo, tenetur integrè damna compensare. ibid.
Qui ab altero inuasus potest fugere, vel aliter declinare pugnam, etsi id non faciat, sed sistens gradum, iusta moderatione se defendendo, occidat, non tenetur ad restitutionem. 2
Qui alteri iniuriam intulit, si armis ab eo inuadatur vltionis ergo, potest se cum moderata defensione tueri, nec tenebitur ad homicidij compensationem.
Homicida vel mutilator, qui alium iniustè aggressus est, tenetur ad omnia damna, quæ passus est occisus, aut vulneratus propter mortem aut vulnus. 3
Omnia damna ex homicidio secuta, in rigore ex bonis homicidæ sarcienda sunt, etiamsi homicida pœnam talionis sustinuerit: vsus tamen est contrarius. 4
Restitutio pecuniaria etiam debetur ex charitate pro damno vitæ, vel membri, vel cicatricis, arbitrio boni viri, si hæredes sint pauperes: alias tantùm expensæ in medicos sunt restituendæ. 5
Pro expensis funeris ordinariè nihil est restituendum. 6
Pro anima occisi, ex iustitia non obligatur homicida quidquam restituere; quamuis sit saluberrimum consilium. 7
Qui interfecit eum, qui paulò post naturali vel iusta morte erat occidendus, non tenetur ad restitutionem. 8
Homicidæ hæredes vel percussoris tenentur ad restitutionem tam damni naturalis, quàm temporalis: non tenetur tamen Pater pro homicidio facto à filio, nisi filius habeat castrensia vel quasi. 9
Probabile est, homicidam non teneri restituere creditoribus defuncti: nec illis, quos occisus ex liberalitate alebat. 10
Homicida tenetur refarcire damnum emergens, & lucrum cessans ex homicidio parentibus occisi, prolibus, & vxori. 11
Probabilius est, nihil esse restituendum fratri interfecti, nec cæteris cognatis, præter expensas factas in curatione vulneris, si frater nõ sit occisi necessarius hæres, sed tantũ ab intestato. ib.
Homicida seu lædens tenetur ad aliquam restitutionem, quando læsus vel eius hæredes remittunt omne debitum: quamuis sit graue peccatum in parente habente filios pauperes, si condoner occisori omnem restitutionem. 12
Occidens Petrum quem putabat esse Paulum, non excusatur à peccato mortali iniustitiæ. 13
Homicidium vel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum vel animal, tibi imputabitur si tua culpa lata id factum est, & tenebris ad totius damni restitutionem. 14
Remiges Christiani capti à Turcis non peccant contra iustitiam remigando contra Christianos, quando ad id flagris aut morte proposita vrgentur: modò tormenta bellica in Christianos non dirigant, &c. possent tamen prædicti remiges teneri non remigare ex charitate. 15

Honestas publica.

Honestas publica est propinquitas ex sponsalibus validis, & certis proueniens, robur trahens ab ecclesiæ institutione propter honestatem eius. 63
Plura de impedimento honestatis publicæ matrimonium dirimente, vide v. *Matrimonium VII.* n. 63. & seq.

Honor.

Honor alterius auferitur, vel cum quis profert verba iniuriosa in præsentia, vel literis, & libello, vel in absentia. n. 1
Ob honoris defensionem verius est non licere acceptare duellum: inuasus tamen ab altero potest se defendere. 6
Honor alterius potest impeti varijs modis, in quib. videtur concessa defensio. 23
Qui ob honoris vel honorum suorum defensionem aliquẽ occidit, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, irregularis est. 2
Vide *Contumelia*, *Infamia*.

Hora.

Qualibet diei hora licet communicari, modò suscipientes Eucharistiam sint ieiuni: quamuis sacerdos post meridiem non possit celebrare. n. 22
Ecclesia incipit diem à media nocte, & ducit in aliam mediam noctem subsequentem: vnde præceptum ieiunij naturalis in ordine ad sumptionem Eucharistiæ pro illa die, in qua est sumenda, debet incipere à media nocte antecedente. 46
Hora seu tempus celebrandæ missæ regulariter incipit ab aurora vsque ad meridiem: ob honestam tamen causam licet post meridiem vna vel duab. horis celebrare cõsuetudine id permittẽ-

te, vt docet *Nauar.* quamuis alij hoc non concedant secluso priuilegio. 6
Religiosis ex priuilegio concessum est per tres horas ante diem celebrare & per tres horas post meridiem. ibid.
Hora determinata comedendi non est de essentia ieiunij, sed est tantùm circumstantia accidentalis. 16
Modò ex consuetudine approbata ab Ecclesia, hora comedendi in diebus ieiuniorum, est circa meridiem. ibid.

Hora canonica. Qui teneantur ad illas.

Horæ canonicæ sunt illæ preces, quæ ex præscripto Canonum, in ecclesia certis horis canuntur. n. 1
Horæ canonicæ sunt septem, & non plures. 2
Ad horas canonicas tenentur *Clerici sacrorum ordinum, beneficiarij, & religiosi ad chorum professi.* 3
Clerici ordine sacro initiati post degradationem realem, vel damnati ad triremes, vel coniugati, tenentur ad horas. 4
Religiosi choro deputati, & moniales ex consuetudine vel particularibus decretis, post professionem tenentur ad horas sub peccato mortali: quamuis quidam contradicant. 5
Nouitius ante professionem, conuersus ante vel post professionem, non tenentur ad horas. 6
Religiosus damnatus ad triremes, vel electus per sententiam, non tenetur ad horas, si ordine sacro careat. 7
In multis alijs casibus ad officium canonicum non tenetur religiosus. ibid.
Verius est religiosos ad chorum deputatos, per se lethaliter delinquere, si à choro sæpe sæpius absint: per accidens tamen ex iusta causa possent excusari. 8
Cum Prædicatoribus, Lectoribus, ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis, dispensare possunt Superiores ab horis in choro persoluendis. ibid.
Prælatus religionis, vel monasterij, & Patres illius conuentus peccant lethaliter, qui absque graui causa permittunt in propria ecclesia, omitti vnam horam canonicam in choro decantari. ibid.
Superior religiosorum in dispensando suos subditos ab horis canonicis, debet seruare consuetudinem suæ religionis. 9
Religiosus professus ad chorum deputatus, iusta de causa ab Abbate ad Conuersorum statum translatus, non tenetur horas canonicas persoluere. ibid.
An conuersi loco horarum canonicarum teneantur sub mortali ad aliquid recitandum petenda est illorum obligatio ex regulæ præscripto, quæ si non obligat ad culpam, neque in hoc eos ad culpam obligabit. 9
Minores Fratres laici sub mortali tenentur ad recitationem sui officij, pro vt in regula præscribitur. ibid.
Habentes beneficium ecclesiasticum, quamuis manuale sit, regulariter obligantur ad horas canonicas. 10
Clericus habens capellaniam collatiuam seu ecclesiasticam, tenetur ratione capellaniæ horas recitare. 11
Verius est beneficiarium habentem beneficium adeò tenue, vt non sufficiat ad vitæ sustentationem, teneri ad officium totum persoluendum. 12
Beneficiarius non sacerdos minimè excusatur ab horis, ex eo, quod maiorem fructuum partem tradit sacerdoti substituto, ad sustinenda beneficij onera. 13
Non excusatur beneficiarius ab horis primo, & secundo anno, eo quòd fructus beneficij tunc in quibusdam Ecclesijs debeantur fabricæ vel prædecessori mortuo. 14
Beneficiarius tenetur ad horas, qui pro aliquo tempore fructus non percipit, spem tamen habet alias recipiendi, vel qui ob delictum aut alia iusta de causa priuatur fructibus. 15
Excusantur ab onere recitandi horas, qui nec per se, nec per suos vllos fructus percipiunt, nec percepturi sunt, nec per illos stat, quin recipiant. 16
Probabile est, beneficiarium non teneri ad horas, qui iniustè ob bellum, vel alia iniusta de causa priuatur omnibus fructibus. 17
Quando plures litigant circa idem beneficium, nullus eorum tenetur ad horas, dum nullus possidet. 18
Habens pluta beneficia ex dispensatione, satisfacit vnica recitatione. 19
Clericus habens pensionem titulo clericali tenetur tantùm ad officium paruum Beatę Virginis, percipiens autem pensionem titulo sæculari ad nullum officium tenetur. 20
Probabilius est beneficiarium non teneri ad horas nisi post captam beneficij pacificam possessionem. 21
Beneficiarius, subdiaconus, religiosus ad chorum deputatus, tenetur solùm ad horas respondentes horæ, in qua beneficij possessionem accepit, vel ordinem sacrum suscepit, vel professus est. 22

Horæ Canonicæ. Quoad earum formulam & modum illas recitandi.

Omnes obligati ad horas, tenentur eas recitare iuxta præscriptum breuiarij Romani Pij V. exceptis Capitulis & Conuentibus, qui à ducentis annis alio vsi fuerunt. n. 1
Probabilius est, habentem priuilegium vtendi breuiario non Romano, non posse vti Romano, dum priuatim recitat horas extra chorum. 2
Recitans horas alia lingua quam latina sine iusta causa, licet peccet, satisfacit tamen quoad ritum substantialem. 3
Non est improbabile mutationem officij vnius diei, in officium alterius dedita opera, esse solum peccatum veniale; licet laudabile sit repetere ea saltem, quæ ad proprium officium pertinebant. 4
Qui vtuntur breuiario Romano *Pij V.* non tenentur extra chorum ad officium Beatæ Virginis, Defunctorum (nisi in die commemorationis illorum) ad psalmos pœnitentiales & graduales. 5
Fratribus Minoribus non videtur esse in præcepto post bullam Pij V. vt etiam in choro recitent officium B. Virginis, & Defunctorum, nec non psalmos pœnitentiales, aut graduales. ibidem.
Episcopus, vbi Breuiarij Romani est vsus, non potest concedere, vt officium vnius diei alio die recitetur; secus vbi Breuiarium Romanum non adhibetur. 6
Horæ canonicæ recitandæ sunt studiosè & deuotè. 7
Officium diuinum studiosè recitatur, cùm absque syncopa, id est absque verborum omissione. ibid.
Vt studiosè horæ recitentur requiritur etiam vt verba non mutilentur, aut truncatim proferantur. 8
Vsu receptum est in Ecclesia recitantem cum socio satisfacere obligationi officij recitandi. 9
Satisfacit obligationi diuini officij & debito chori, qui suos versus alta voce canit, alios verò submissè recitat. 10
Item satisfacit præcepto qui non recitat, sed attentè audit lectiones, vel orationes, Capitula, vel responsoria. ibid.
Qui non repetunt versiculos, qui per organum vel instrumentum cantantur, satisfaciunt, modò seruetur Ecclesiæ consuetudo. ibid.
Cùm plures duobus recitant diuinum officium simul, recitantes debent solùm facere duplicem chorum. 11
Qui ex officio vel mandato superioris detinentur in pulsandis organis, vel transferendis libris, vel in thure præbendo, licet satisfaciant obligationi chori, non tamen officij, nisi illud postea priuatim recitent, secundùm probabiliorem sententiam. 12
Qui submissa voce recitat suos versus & audit socios canentes suam partem, satisfacit officio, sed non choro. 13
Non est improbabilis sententia docens surdum satisfacere obligationi recitandi diuinum officium & assistendi in choro, si simul cum altera parte chori recitet. 13
In recitatione diuini officij seruandus est mos & consuetudo. 14
Recitans priuatim officium, non tenetur seipsum audire, sed sufficit vt omnia verba distinctè proferat. 15
Leo X. concesserat Fratribus Minoribus viuæ vocis oraculo vt illa, quæ inordinario iubentur dici secretò iub silentio, tam in horis canonicis, quàm in missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant, picendo mentaliter: sed hoc priuilegio modò non licet vti, quia *Vrbanus VIII.* omnia viuæ vocis oracula gratias continentia reuocauit. ibid.
Recitans cum socio tenetur ita distinctè verba proferre, vt audiatur à socio. ibid.
Sine interruptione recitandæ sunt horæ canonicæ. 16
Probabilius est recitantem priuatim cum interruptione, siue ad longum, siue ad breue tempus, non peccare mortaliter, nec teneri repetere, quod antea recitarum est. 16
Interruptio notabilis facta à toto choro graue peccatum est propter scandalum. ibid.
Probabile est interrumpentem officium animo repetendi iam lecta, satisfacere præcepto, nec teneri repetere iam dicta. 17
Qui officium recitauit animo non implendi præceptum, non tenetur mutare animũ, quo velit satisfacere seu satisfecisse præcepto,

cepto, sed sufficit vt desistat ab animo non adimplendi præceptum. 18

Vt deuotè horæ canonicæ recitentur, attentio requiritur & reuerentia. 19

Attentio in oratione, alia est interna, alia externa; interna alia est circa verba, alia circa verborum sensum, alia circa Deū. ib.

Iure diuino naturali in omni oratione requiritur attentio & reuerentia interna. 20

Probabilius est requiri attentionem internam, vt officium diuinum deuotè recitetur. 21

Vt præcepto diuini officij satisfiat, non requiritur attentio actualis, sed sufficit virtualis: habitualis verò nec sufficit, nec necessaria est. 22

Attentio singularis ad singula verba non est necessaria necessitate præcepti, sed tantum requiritur & sufficit moralis quædam & generalis attentio, qua moraliter quis scit & perpendit se verba & verborum sententias proferre, etsi singulariter super singulis non reflectat. ibid.

Attentio in horis dicendis, non debet necessariò esse formalis, expressa & explicita, sed sufficit implicita & tacita. 23

Non satisfaceret præcepto, qui intenderet simpliciter legere officium matutinum, vespertinum &c. prout materialiter ex suis psalmis, lectionibus, hymnis &c. constituuntur. ibid.

Dormitans in choro aduertens se omittere notabilem partem diuini officij, præcepto nō satisfacit, nisi repetat, quæ omisit. ib.

Seruitium chori minùs obligat ad attendendum quando officium cantatur cantu musicali, quàm quando cantu ordinario ab ipsis assistentibus. 24

Hora canonica. Quoad ordinem & tempus illas recitandi.

Horæ canonicæ sunt recitandæ iuxta ordinem ab Ecclesia præscriptum. n.1

Mutare ordinem horarum in recitatione priuata, non est peccatum mortale: secus in recitatione publica. ibid.

Qui in choro aliquid omisit culpabiliter aut inculpabiliter non debet omissum repetere durante officio, sed post. 2

Non est peccatum mortale facere sacrum nondum recitato matutino; *sed veniale*, si absque causa fiat. 3

Tempus hora, canonicas recitandi incipit à media nocte antecedentis diei & perseuerat vsque ad mediam noctem sequentis inclusiuè. 4

Licitum est ex consuetudine recitare Matutinum & Laudes pridie ad vesperam, non item paruas horas. 5

Recitantes officium in choro extra horas præscriptas, satisfaciunt præcepto quoad substantiam, & præciso scandalo non peccant mortaliter. 6

Nullum peccatum committitur ab eo, qui non recitat officium intra tempus à iure prefixum, seruata loci consuetudine. 7

Matutinum *solet legi* ab hora qua laudabiliter surgimus, vsque ad horam *decimam* antemeridianam. Minores horæ solent dici ante *meridiem*: *vesperæ* etiam in Quadragesima ante meridiem exceptis Dominicis; alias à meridie in occasum, & hinc ad mediam noctem completorium. ibid.

Arbitrantur quidam probabile esse, infirmum vel habentem excusabilem occupationem, qui non potest recitare horas statutis temporibus, non teneri postea illas recitare: sed hæc opinio est à viris doctis dijudicanda. ibid.

Hora canonica. Quo in loco & quo corporis situ sint recitanda.

Clerici choro deputati persoluere debent horas in Ecclesia, iuxta beneficiorum institutionem; aliàs non possunt percipere distributiones. n.1

Horas canonicas vbique recitare possunt, qui ad chorum deputati non sunt. 2

Verius est Episcopum per se loquendo, non teneri choro interesse etiam diebus Dominicis; nisi id exigat ratio sui muneris adimplendi, aut vitandi scandali. 3

Parochi non tenentur ad horas in choro persoluendas, exceptis vesperis, aut Missæ sacrificio diebus festis & Dominicis. 4

Non est peccatum, per se loquendo, horas priuatim recitare sedendo cùm standum est, vel genuflectendum; secus in publica recitatione. 5

Hora canonica. Quoad illarum omissionem & fructus restituendos.

Qui ad horas canonicas tenetur, mortaliter peccat, eas non recitando, aut partem illarum notabilem omittendo, etiamsi non omittat ex contempta. n.1

Verius est omittentem vnam paruam horam officii diuini peccare mortaliter, non item medietatem aut tertiam partem vnius horæ. 2

Probabilius est illum teneri priuatim recitare litanias in diebus Rogationum & S. Marci, qui non adest in choro, siue in processionibus. ibid.

Qui ratione ordinis sacri & beneficij horas canonicas recitare tenetur, plura specie peccata committit in confessione explicanda, illas omittendo. 3

Probabilius est prætermittentem aliquo die omnes horas canonicas vnum numero peccatum omissionis committere. 4

Beneficiarij culpabiliter omittentes officium elapsis sex mensib. post obtentam beneficij possessionem, tenentur ad restitutionem pro rata omissionis. 5

Qui habet beneficium cum cura, vel sine cura, si primis sex mensibus officium non dixerit, peccat quidem grauiter, non tenetur tamen ad restitutionem. 6

Pro minori omissione quàm vnius horæ integræ, non est aliquid restituendum. 7

Qui sæpius partem notabilem diuini officij omisit, tenetur sub mortali ad restitutionem. 8

Recitantem diuinum officium sine attentione, teneri ad restitutionem, alij affirmant, alij negant, & vtrique probabiliter. 9

Constitutio Pij V. *Quod à nobis*, non est pluribus in locis in suo rigore recepta quoad integram fructuum restitutionem ob omissionem horarum. 10

Episcopus aut Parochus omittens officium debet tantùm restituere tertiam, vel quartam partem fructuum pro rata; cæteras partes fructuum videtur posse sibi retinere ratione tituli & aliorum onerum: imò secundùm quosdam ad nullam restitutionem tenetur. ibid.

Restitutio ob omissionem horarum, facienda est fabricæ beneficij, vel pauperibus, modò aliud non ferat consuetudo vel statutum. 11

Pensionarius, qui paruum officium Beatæ Virginis prætermisit, tenetur restituere fabricæ vel pauperibus, non verò beneficiarijs. 12

Qui omisit horas canonicas liberatur à restitutione propter eleemosynas pauperibus largitas, non tamen hoc intuitu. 13

Hora canonica.

Quoad causas excusantes ab illarum recitatione.

Infirmitas grauis ob quam pronunciatio verborum valde noceret valetudini corporis excusat à recitatione horarum: leuis autem infirmitas non excusat. n.1

In dubio, an recitatio sit valetudini nocitura, petenda est à Superiore dispensatio, si commodè adiri possit. 2

Qui per seipsum horas non potest recitare, non tenetur per alium supplere, aut alium recitantem audire. 3

Peregrinatio ad loca pia non præbet excusationem precum canonicarum, etsi peregrinus alium in sui locum substituerit. ib.

Grauis occupatio, honesta & necessaria, quæ in aliud tempus commodè differri non potest sine scandalo, vel peccato, vel detrimento, excusat ab horarum recitatione. 4

Superiores Clericorum regularium Theatinorum possunt dispensare cum religiosis subditis occupatis, vel impeditis super recitatione diuinorum officiorum. ibid.

Impotentia, vt est carentia breuiarij, cæcitas, debilitas, defectus vsus rationis, excusat à recitatione diuini officij. 5

Probabilius est beneficiarium, qui non potest horas recitare sine auxilio socij, teneri ad illum adhibendum, modò commodè possit, & non sit surdus vel surdaster: aliàs beneficio carens non tenetur. ibid.

Cæcus, vel ita oculis caligans, vt legere nequeat, tenetur horas persoluere, si illas memoriter sciat. ibid.

Dispensatio Summi Pontificis etiam sine causa, excusat à recitandis horis: non verò Episcopi, nisi in casu occurrente, ex iusta causa. 6

Tempore interdicti, siue localis, siue personalis, obligati ad horas, priuatim eas recitare possunt & debent. 13

Horologium.

Nullum horologium est infallibile, ideò nulli necessariò standum est in ordinando iciunio naturali pro sumptione Eucharistiæ. n.46

Omnia horologia habent vim opinionis probabilis, nisi ita exorbitent, vt eorum error clarè & euidenter cognoscatur. ibid.

Horologia accurata horæ quadrante à veritate deuiant: ideò quadrante horę antequam sonet duodecima noctis incipit dies sequens probabiliter, & æquè probabiliter antecedens dies finitur, quadrante postquam sonuerit hora. 46

Humanitas Christi.

Humanitas Christi, in quantum est diuinitati vnita seu coniun-

Ota, latriæ adoranda est, ratione hypostasis verbi Dei, à qua & in qua sustentatur. 4
De fide est humanitatem Christi non esse vbique, quamuis Diuinitas, cui humanitas realiter coniungitur, sit vbique. 22

Hypocrita.

Hypocrita, qui vitæ sanctitatem fingit, vt faciliùs seminet errores; vel qui fingit morbum, aut vulnera, aut paupertatem maiorem, vt sibi maiores eleemosynæ erogentur, quàm opus sit ad vitam commodè sustentandam, peccat mortaliter mendacio pernicioso, posita materia graui. n.5
Verius est illum, qui simulans paupertatem recipit eleemosynas, teneri ad restitutionem faciendam bursæ communi pauperum illius loci, si ex paruis eleemosynis factus sit quis diues; si verò magna eleemosyna donata fuerit, domino est restituenda. 8
Hypocrita verus non est, qui apud confessarium ordinarium sentia solùm peccata confitetur, quoties verò peccatum aliquod grauius admittit, alteri confessario confitetur. 5

Hypotheca.

Hypotheca est res subiecta vel obligata pro debito, vt si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit: in iure autem pignus & hypotheca idem valent. n.1
Hypothecam licèt exigere generalem vel specialem, securitatis causa, in emptione census personalis. 10
Hypothecata manent bona mariti pro paraphernalibus vxoris, dum illi permissa fuit paraphernalium administratio. 4
Hypothecata non remanent bona vsurarij pro soluendis debitis, remanent tamen talia bona obligata restitutioni, obligatione saltem personali. 7
Plura de hypotheca, vide v. *Pignus*.

I.

Idioma.

Extraneus loquens eo idiomate quod à confessario non satis bene percipitur, tempore præcepti confessionis, potest absolui, modò non sit alius sacerdos, qui bene percipiat ipsius idioma. 11

Idololatria.

Idololatria est omnis cultus quo creatura instar Dei colitur. n.1
Idololatria accipitur speciatim & propriè, generatim & metaphoricè. ibid.
Ad actum idololatriæ tres actus concurrere debent. 2
Idololatria est grauissimum peccatum mortale: nec ab hoc peccato excusat metus mortis, nec ignorantia. 3
Propter idololatriam internam tantùm, & externam tantùm, nulla censura incurritur in foro conscientiæ: sed propter veram simul incurritur excommunicatio bullæ Cœnæ. ibid.

Ieiunium Ecclesiasticum.

Ieiunium quatuor modis accipi potest. n.1
Ieiunium Ecclesiasticum est abstinentia voluntaria à cibo iuxta præceptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. 2
Communis est sententia adesse præceptum ieiunandi: contra hæreticos nostri temporis, qui asserunt ieiunia esse libera. ib.
Ad ieiunium Ecclesiasticum tria requiruntur: nempe, *abstinentia ciborum certi generis*: *abstinentia pluriũ refectionum*: *certa refectionis hora*. 2
Cibi prohibiti in die ieiunij Ecclesiastici sunt 1. *Carnes*. Nomine autem *Carnium*, intelliguntur illæ quæ à piscibus contra distinguuntur. 3
In quadragesima prohibentur 2. *Oua*. Extra illud tempus iure communi non sunt vetita. 3. *Lacticinia*. Sed iure communi solum tempore quadragesimæ. 3
Illis diebus quibus licet comedere oua, caseum, & cætera lacticinia, non licet comedere lardum vel sagimen, nisi id permittat consuetudo. ibid.
Quando conceduntur lacticinia, non licet vesci sanguine animalium. ibid.
In ieiunijs pro Iubilæo, pœnitentia iniuncta, & votiuis, possunt adhiberi ouа & lacticinia. ibid.
Ille, cui concessum est priuilegium comedendi carnes ob debilitatem naturæ; non tenetur abstinere à multiplici refectione: secus si ob nauſam vel damnum piscium. 4
Quando alicui carnes prohibentur, non ideo illi prohibetur esus ouorum vel lacticiniorum. ibid.
Habens licentiam edendi carnes in Quadragesima, potest licitè ouа & lacticinia comedere. ibid.
Qui ex dispensatione comedit carnes, potest simul etiam edere pisces, si inde aliquod damnum non proueniat. ibid.
Dispensatus ad carnes pro aliquibus tantùm diebus, non potest in cæteris ijs vti. ibid.
Dispensatus ad carnes pro tribus aut quatuor diebus in hebdomada, non potest illis vesci diebus Veneris & Sabbati. ibid.
Dispensatus in Quadragesima ad ouа & lacticinia comedenda, non est dispensatus à ieiunio. ibid.
Qui vouit abstinere ab ouis & lacticinijs, iuxta probabiliorem sententiam, non tenetur abstinere à carnibus. 5
Qui vouit abstinere à carnibus, tenetur etiam abstinere à iure carnium. ibid.
Qui ventrem adeò replet, vt ieiunij difficultatem non sentiat, præcepto ieiunij satisfacit, modò à prohibitis abstineat, & vnicam sumat refectionem. 6
Non excusantur à ieiunio, qui ieiunando sentiunt grauiores carnis stimulos, quàm non ieiunando. ibid.
Quando necessitas est euidens & certa comedendi cibos vetitos in die ieiunij, non est petenda licentia. 7
In dubio de sufficientia necessitatis, petenda est dispensatio ab Episcopo, vel Prælato. Imò Parochus potest dispensare ratione consuetudinis, nec non ipsius Vicarius. ibid.
De necessitate comedendi cibos vetitos in diebus ieiuniorum, debent iudicare medici, qui cauti esse debent in concedendis huiusmodi licentijs. ibid.
Confessarius non potest dispensare in ieiunio, nisi ad hoc deputetur ab habente facultatem dispensandi: benè tamen poterit declarare, an causa sit sufficiens, ad non ieiunandum, sicut posset quicumque vir prudens. ibid.
Priuilegia concessa Patriaus Societatis à *Pio IV*. vt possint dispensare cum pueris Catholicis, famulis, ancillis, & coniugibus Patrum familias hæreticorum, vt possint vesci carnibus & ouis sine scrupulo, quando negantur ijs cibi quadragesimales, hodie non habent locum, quia sunt viuæ vocis oracula & ideo annullata ab *Vrbano VIII*. ibid.
Ad essentiam ieiunij ecclesiastici, est abstinentia plurium refectionum intra spatium diei naturalis. 8
Potus sumptio quamuis crebrior, etiam vini; & vsus electuariorum, non prohibentur in die ieiunij. ibid.
Lectores & ministri mensæ in monasterijs aliquid præsumentes; & cantores, vt habeant vocem aptam ad canendum, excusantur à fractione ieiunij. ibid.
Quando bibitur per diem extra prandium & refectiunculam, licet aliquid sumere, ne potus noceat, modò non fiat in fraudem ieiunij. ibid.
Paruitas materiæ excusat à fractione ieiunij; quæ etiam reperiri potest in comestione carnium. ibid.
Intendens initio Quadragesimæ sumere carnem singulis diebus in paruitate materiæ, non peccat mortaliter. ibid.
Collatiuncula vespertina licita est inde ieiunij, modò non excedatur in quantitate, secundùm locorum & personarum consuetudinem. 9
De mensura huius collatiunculæ, variij variè sentiunt: sed omissis sententijs, in praxi tuta est sententia docens, posse sumi sex, aut septem, aut etiam octo vncias, prout quisque suæ complexioni necessarium putauerit. ibid.
In vigilia Natiuitatis Domini, in locis vbi adest consuetudo potest, sumi refectiuncula in maiori quantitate consueta. 9
Nobilioribus licet ex consuetudine aliquantulum plus quàm plebeis in hac refectiuncula accipere. ibid.
Qui continuò studijs vacant, ita vt insumant in studio totum illud tempus diei; quod solet impendi in operando, possunt vti in ieiunio ampliori refectiuncula: item & qui difficilè capiunt somnum, quando non cœnant. ibid.
Excessus, qui refectiunculam vespertinam conuertit in cœnam, est peccatum mortale: secus si excessus non sit valde notabilis. ibid.
Communior Doctorum sententia est, in refectiuncula tantùm posse sumi cibos, quibus in die ieiunij vetamur ante vel post prandium, vt sunt poma, pyra, nuces, herbæ & alij arborum fructus. Non est tamen improbabile, non debere attendi qualitatem, sed quantitatem cibi, modò sit ex permissis in prima refectione. ibid.
Hæc collatiuncula, ex iusta causa, vt ratione debilitatis, negotiorum, studiorum itineris faciendi &c. potest sumi mane aut meridie, cœna in vesperam dilata. ibid.
Probabilius est, non toties peccari mortiferè, quoties in die ieiunij plusquam semel comeditur: si tamen tertia vice quis comederet cum contemptu præcepti, & cum noua voluntate frangendi ieiunium, tunc toties peccaret, quoties id faceret. 10

Co-

Comedens carnes quando prohibentur, toties peccat mortaliter, quoties comedit. ibid.
Probabile est, illum, qui die ieiunij sciens sumpsit ientaculum, causa itineris, non teneti eo die ieiunare si contingat non proficisci. 11
Qui nesciens esse ieiunium, mane comedit, tenetur reliquo tempore seruare ieiunium, ac si nihil sumpsisset. ibid.
Probabilius est habentem causam non ieiunandi, non posse inuitare seriò amicum, vt secum cœnet, etiamsi talis amicus soleat violare ieiunium domi cœnando. 12
In dubio autem, an amicus teneatur ieiunare poterit inuitari. ib.
Graue est peccatum cauponi in locis Catholicorum apponere carnes hospitib. in die ieiunij: in locis verò hæreticorum id licitum esset, si petantur, & non possit recusare sine suo incommodo. 13
Quando petuntur carnes in contemptum religionis, & contemptus se tenet tantùm ex parte petentis, non peccarent caupones carnes ministrando. ibid.
Licet diebus ieiuniorum cœnam apponere hospitibus, qui non tenentur ad ieiunium, modò scandalum absit: si tenentur, non licet: in dubio an teneantur, possunt & debent interrogari, si decorè id fieri possit. 14
Qui ob negotium interrupit prandium, nondum completè sumpta refectione, potest absoluto negotio perficere, modò interruperit animo continuandi. 15
Certa refectionis hora requiritur ad substantiam ieiunij, & hæc est modò circa meridiem moraliter sumptum, non notabiliter ante. 16
Probabilius est, notabilem anticipationem prandij in die ieiunij, esse tantùm peccatum veniale. ibid.
Tempus autem notabile censetur ex consuetudine spatium vnius horæ. ibid.
Ex iusta causa potest notabiliter anticipari hora prandij in die ieiunij, vt causa itineris, concionis &c. ibid.
Qui priuilegium obtinuit prandendi ante consuetam ieiunij horam tenetur reliqua diei parte à cibis abstinere: & dispensatus ad multiplicem refectionem, non potest ex vi illius dispensationis, carnibus vesci. 17
Qui discedit mane ex oppido domicilij vbi est ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non est ieiunium, potest sumere ientaculum, non potest tamen in loco domicilij vesci carnibus. 18
Discedens è loco vbi comeduntur carnes potest eas comedere, etiamsi eodem die peruenturus sit ad locum, in quo non comeduntur. 19
Peruenies vesperi ad locum, in quo carnes non comeduntur, non potest eas comedere, si locus ad quem peruenit sit proprium domicilium: aliàs potest secluso scandalo. 19
Potens comedere carnes iuxta leges proprij domicilij, non potest eas comedere, si reperiatur in locis, vbi prohibentur: quamuis contrarium sit etiam probabile. ibid.

De obligatione ieunij & de causis excusantibus.

Omnes Christiani præcepto ieiunij obstringuntur completo vigesimo primo anno. n.1
Hoc præceptum ieiunij obligat etiam iusto & perfectos, nec non eos, qui non egent ieiunio. ibid.
Huic præcepto non satisfit per alium, nisi quatenus est satisfactorium. ibid.
Probabile est, illum, qui expleuit 21. annum hora octaua mane, non teneri in reliquo diei ieiunare: licet contrarium sit etiam probabile. ibid.
Si quis compleat 21. annum initio quadragesimæ, aut circa medium ipsius, tenetur ad ieiunium in sequentibus diebus. ib.
Qui aliquo die ieiunare non potest, non tenetur aliquid aliud loco ieiunij persoluere. 2
Priuilegium *Leonis X.* concessum Fratribus Minoribus, vt possint transferre ieiunium in alium diem, dum iter faciunt, hodie non habet locum, quia est viuæ vocis oraculum. ib.
Omnia Ecclesiæ ieiunia etiam quadragesimæ sunt de iure humano instituta. 3
Consuetudo potest inducere & abrogare ieiunia. ibid.
Diebus rogationum non est ieiunium ex præcepto seruandum: si tamen alicubi esset præceptum synodale, aut consuetudo ieiunandi vsque ad prandium deberet seruari. ibid.
Non licet in feriis rogationum vesci adipe seu pinguedine in locis, vbi consuetudo id permittit in sabbathis, quæ non ieiunantur, nisi consuetudo aliter obtinuerit. ibid.
Ex præcepto ieiunandum est diebus ab Ecclesia præscriptis. Die autem Dominico fas est ieiunare si non fiat ex aliquo errore; Ecclesia tamen non consueuit die Dominico ieiunare. 4
Dies, in quibus ex præcepto ieiunium indictum est ab Ecclesia, sunt, dies singuli quadragesimæ, exceptis Dominicis. Quatuor anni tempora. Vigiliæ Natiuitatis Domini, & Assumptionis B. Mariæ. Vigiliæ Sanctorum Apostolorum, excepta vigilia SS. Philippi & Iacobi & Ioannis Euangelistæ. ibid.
In peruigilijs quorumdam Apostolorum hoc præceptum ieiunij non est consuetudine receptum, proinde quisquis debet sequi consuetudinem suæ diœcesis. ibid.
In vigilijs Pentecostes, S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentij, & Omnium Sanctorum, de iure non est ieiunium, sed de consuetudine habente vim legis. ibid.
Quando vigilia S. Ioannis Baptistæ incidit in festo Corporis Christi, anticipandum est ieiunium die immediatè antecedenti. Ex constit. *Vrbani VII.* ibid.
Episcopus potest transferre huiusmodi ieiunia in alium diem, dummodò id fiat ex rationabili causa. ibid.
Præceptum Ecclesiæ de seruando ieiunio obligat ad mortale, & mortalis est illius transgressio, etiamsi non ex consuetudine, sed tantùm semel fiat. 5
Si quis bona fide comederet, putans habere iustam causam non ieiunandi, non peccaret saltem moraliter, quamuis in ea re fallatur, modò non sit ignorantia crassa, quæ dolo æquiparari possit. ibid.
Religiosi exempti non tenentur ieiunijs ab Episcopo præscriptis in diœcesi, intra cuius terminos positum est monasterium, nisi ieiunia generali consuetudine recepta sint, vel nisi ex non obseruantia scandalum sequatur. ibid.
Non est improbabile religiosos & moniales, non teneri ad ieiunia loci, quæ ex voto obligant communitates. ibid.
Causæ excusantes à ieiunio, sunt, *Impotentia, Labor, & Pietas*, Impotentia alia est physica, alia moralis. 6
Ob impotentiam moralem excusantur infirmi: & nomine infirmorum, comprehenduntur valetudinarij & conualescentes: Item qui habent stomachum debilem: item qui nocte dormire aut calefieri non potest, nisi cœnet: Debet tamen esse notabile impedimentum. 6
Omnes prægnantes, aut lactantes non obligantur præcepto ieiunij: imò illas peccare, si ieiunent, docent multi. ibid.
Prægnantes & lactantes regulariter non possunt comedere carnes in diebus ieiuniorum; si tamen prægnantes vehementer illas appetant, debent illis carnes concedi. ibid.
Mulier prægnans non potest, nec tenetur ieiunare cum periculo prolis, ad vincendas carnis tentationes. ibid.
Ob impotentiam moralem excusantur etiam senes: ætas autem quâ incipit hæc senectus, non est determinata in iure: & ideò quidam excusant solum septuagenarios; alij sexagenarios: sed verius est, nullam prorsus posse præscribi ætatem, in qua lex ieiunij non obliget, sed attendendum esse ad robur corporis & complexionis naturæ, & iuxta eam iudicandum esse. ibid.
Probabile est religiosos sexagenarios non teneri ad ieiunia suæ regulæ. ibid.
A ieiunio excusantur etiam pauperes, qui propter paupertatem alimento carent sufficienti ad vnam refectionem in die ieiunij sumendam. ibid.
Ad congruentem refectionem, non sufficit panis in quantauis quantitate, sicut nec etiam fructus & olera, sed requiruntur cibi, qui sint maioris nutritionis: imò liceret pauperibus vsus carnium, si alium cibum inuenire non possent. ibid.
Non est improbabile, illum, qui habet panem, quo potest vitam sustentare, sed non habet alios cibos concessos, tunc posse vesci carnibus. ibid.
Ex vniuersali consuetudine pueri & adolescentes excusantur à ieiunio vsque ad finem tertij septennij: licet teneantur abstinere à cibis prohibitis adepto rationis vsu: Item tenebuntur ieiunare volentes lucrari Iubileum sub onere ieiunij concessum vel si imponatur à confessario pro pœnitentia sacramentali. ib.
Probabile est licere pueris ante septennium & infidelibus ministrare carnes & oua, quando prohibentur. ibid.
Adolescentes debent paulatim assuescere ieiunijs. ibid.
Adolescentes religionem Fratrum Minorum professi, tenentur ad ieiunia regulæ, licèt nondum expleuerint annum ætatis 21. Ad ieiunia tamen vigiliarum, & quatuor temporum, non plus obligantur, quàm cæteri fideles. ibid.
Probabile est, illum, qui vouit se ieiunaturum certis diebus in perpetuum seu toto tempore, excusari, postquam ad sexagesimum ætatis annum peruenerit: si autem vouerit se ieiunaturum etiam post annum sexagesimum, votum obligaret, si se-

si senectus sit satis robusta. ibid.
Frater Minor non committit duplex peccatum frangendo ieiunium in sexta feria intra festum omnium Sanctorum & Natiuitatem, & intra Quadragesimam vsque ad Resurrectionem. ibid.
Labor, cum quo non sufficit laboranti vnica refectio, excusat à ieiunio, etiamsi sit voluntariè iuscептus, & præuisa lassitudo reddens impotentem ad ieiunandum. 7
Defatigatus ex labore voluntariè assumpto, ob finem inhonestum iuxta veriorem sententiam, solum peccat contra illam virtutem, cui contrariatur ille finis inhonestus, non autem contra præceptum ieiunij. ibid.
Si quis in fraudem ieiunij se defatigaret, secundùm quosdam peccaret desiderio illo frangendi ieiunium: iuxta alios autem minimè: quia non interuenit fraus, sed fuga quædam obligationis. ibid.
Ob laborem eximuntur à ieiunio quotquot labore suo victitant, cum quo probè ieiunium consistere nequit: vt sunt agricolæ, fabri-ferrarij, lignarij, cæmentarij, argentarij, textores, pistores, sutores, coqui molitores, fullones, lanarij, coriarij, &c ib.
Hi omnes operarij exercentes artes laboriosas non tenêtur ieiunare, etiamsi diuites sint: non solùm eo die, quo laborant, verùm etiam eo die, quo laborem intermittunt. ibid.
Suscipientes iter pedestre excusantur à ieiunio: quantum autem debeat esse iter pro singulis diebus, vt excuset à ieiunio: verius est nullam posse dari certam mensuram longitudinis itineris, ad excusationis legitimam rationem. ibid.
Iter habentes in curru, vel equitantes, regulariter non sunt immunes à ieiunio. 7
Non excusantur à ieiunio mechanici, quorum labor est exiguus, vt sunt pictores, sculptores, sartores & Barbitonsores, &c. 8
Scholares tenentur ad ieiunium: quando autem studium est continuum, & assiduum possent excusari, quia magis debilitat quàm quodlibet exercitium corporale. ibid.
Excusantur etiam illi, qui damni vitandi vel notabilis lucri, cuius occasio non semper datur, captandi causa laborant, etiamsi ex officio non soleant. ibid.
Omnes, qui officio suo fungi nequeunt cum ieiunio, excusantur, etiamsi labor non sit nisi ingenij: hinc Aduocati, Procuratores & iudices, qui multum laborant, excusantur à multis, sicut & scribæ seu Notarij, qui per totum diem scribunt. ibid.
Apud Typographos non excusantur à ieiunio typos colligentes, vertentes autem prælum excusantur. ibid.
Pietas excusat etiam à ieiunio: vnde ob illam excusantur omnes, qui operibus præstantioribus, vel maioris momenti incumbunt, quæ ipsi vna cum ieiunio perficere non possunt ob notabilem debilitatem. 9
Concionatores, qui singulis diebus in Quadragesima concionantur, eximuntur ab obligatione ieiunandi: idem dicendum de illis, qui concionantur ter vel quater in hebdomada: Qui verò per annum in diebus festis concionantur, non tenentur ieiunare pridie ante concionem & in die concionis quando commodè ieiunare non possunt, nam si possent, tenerentur. ib.
Lectores non sunt omnes excusandi à ieiunio, sed tantùm illi, quorum labor improbus est, vel complexio debilior. ibid.
Confessarij pro iis diebus, quibus exercent suum munus per maiorem partem diei, & confessiones laboriosæ sunt, eximuntur etiam à ieiunio: si tamen confessarij audirent per plures horas confessiones peccatorum venialium, non excusarentur. ibid.
Ornantes templa, non subduntur præcepto ieiunij, labor enim quem subeunt, notabilis est. ibid.
Communis sententia est, peregrinantes ad loca sancta non excusari à ieiunio, si peregrinatio commodè differri possit: probabile tamen est voluntariam peregrinationem posse suscipi, etiamsi ob laborem non possit seruari ieiunium. ibid.
Exercentes supradicta opera pietatis voluntariè, siue ob lucrum, siue ob aliam causam, & non ex officio, obedientia, aut voto, immunes sunt à ieiunio. ibid.
Excusatur etiam coniux, qui cum ieiunio debitum reddere coniugi non potest moderatè: non potest autem quis non seruare ieiunium, vt valentior sit in vsu matrimonij, secluso periculo incontinentiæ alterius coniugis. 10
Vxor excusatur, quam maritus ieiunare non permittit, eò quòd metuat eius valetudini vel formæ: vel quando à marito frangere ieiunium præciperetur, & ex inobedientia notabiles dissidiæ exoriundæ forent. ibid.
Mulier Catholica nupta hæretico potest non ieiunare, si maritus hæreticus præcipiat, secluso contemptu religionis: tamen si vxor posset facilè inducere maritum, vt id sibi permittat, teneretur inducere, & ieiunare. ibid.
Fœmina nubere volens excusatur à ieiunio totius quadragesimæ, si ob illud esset deformis efficienda notabiliter: tenebitur tamen bis aut ter in hebdomada ieiunare, si ob id eius forma notabiliter non offendatur. ibid.
Dubitans an habeat iustam non ieiunandi causam, tenetur ieiunare, nisi dubium deponat consilio Parochi, vel confessarij, vel alterius boni viri, aut alia ratione, vel nisi dispensationem obtineat à Superiore. 11
Qui dubitat an expleuerit 21. annum, post adhibitam sufficientem diligentiam, non tenetur ad ieiunium. ibid.
Si quis dubitet, an die Iouis sit hora duodecima mediæ noctis adhuc potest edere carnes: quia est in possessione dies Iouis: E contra si hodie sit dies veneris, aut ieiunij, & dubitetur an sit media nox, non potest quis edere carnes; quia possessio est pro præcepto. ibid.
Præceptum de seruando ieiunio à media nocte in mediam noctem, est intelligendum de media nocte notaliter computata, non autem mathematicè. 11
Obligatio ieiunandi tolli potest per dispensationem, quam dare potest absolutè Summus Pontifex, tollendo etiam omninò legem ieiunij, Episcopi possunt etiam dispensare, cum adest rationabilis causa: non tamen possunt abrogare præceptum de ieiunio, si sit vniuersale, secus si sit ab ipso vel suo prædecessore latum. Prælati regulares possunt dispensare suos subditos, sicut Episcopi suos. 12

Ieiunium naturale.

De ieiunio naturali vide *v. Communio sacra* n. 40. 41. 42. & seq.

Ignominia.

Inferentem ignominiam licèt occidere, si aliter ignominia vitari nequit, & fuga ignominiosa sit viro honorato. n. 22
Homines plebei infimæ conditionis alapa vel fuste percussi, non possunt occidere, quia exinde non magnam sustinent ignominiam. ibid.

Ignorantia.

Ignorantia alia est iuris, alia facti, alia pœnæ. n. 1
Ignorantia alia est iuris communis, alia particularis. 2
Ignorantia iuris vel facti, alia est probabilis, inuincibilis, & inculpabilis, alia est improbabilis, vincibilis, & culpabilis. 3
Ignorantia vincibilis, alia est affectata, alia crassa, & supina. 4
Ignorantia, alia est antecedens, alia comitans, alia consequens. 5
Ignorantia inuincibilis dari potest iuris diuini, mysteriorum fidei, aliquorum præceptorum naturalium, & multò magis legum humanarum. 6
Ignorantia tam iuris quàm facti inuincibilis aut probabilis excusat à peccato. 7
Ignorantia inuincibilis non excusat à peccato per eam commissa, quando huius ignorantiæ causa data est propria vel aliena voluntate nobis imputabili. ibid.
Ignorantia inuincibilis seu excæcatio quæ ex peccato originis proximè venit, non excusat à peccatis, quæ ex ea committuntur. ibid.
Ignorantia inuincibilis probatur in foro externo per iuramentum ipsius, qui ex ignorantia legem non impleuit, si præsumptio plena non sit contra ipsum quod legem ignorauerit, aut crassè ignorauerit. 8
Qui peccatum aliquod ignorantia vincibili, aut etiam scienter commissum prætermisit in confessione, inuincibiliter ignorans se teneri ad illud confitendum, excusatur ab obligatione repetendæ confessionis. 9
Qui in prima confessione culpabiliter aut etiam scienter aliquod peccatum prætermisit, sed in requis confessionibus prætermisit bona fide, non tenetur repetere confessiones bona fide factas, sed illâ tantùm, in qua scienter peccatum prætermisit. ib.
Qui per ignorantiam inuincibilem aliquid facit, vel omittit contra proprium officium, excusatur à peccato. 10
Ignorantia potest facere vt peccatum ex mortali fiat veniale. 11
Laborans ignorantia inuincibili vnius circumstantiæ, non verò alterius, non excusatur à peccato respondente illi circumstantiæ, quam nouit, seu quam culpabiliter ignorat. 12
Qui præceptum aliquod humanum non adimplet ob inaduertentiam, vel ignorantiam, quæ ipsius culpa contingit, excusatur à peccato. 13
Peccata commissa ex ignorantia culpabili, sunt eiusdem speciei, cuius sunt peccata, quæ fiunt cum scientia. 14
Ignorantia vincibilis non est formaliter peccatum, nisi ratione pe-

Imperial Majesty and the Empire, and the Treaty of Peace between the Emperor and the Empire, and the Treaty of Peace between the Emperor and the Empire, and the Treaty of Peace between the Emperor

Cancellation of the Bills, by Bankers, upon Remittance 67
Cancellation of Bills, by Bankers, upon Payment 68
Cancellation of Bills, by Bankers, upon Payment, a Form 69
Cancellation of Bills, by Bankers, upon Payment, a Form 70
Cancellation of Bills, by Bankers, upon Payment, a Form 71
Cancellation of Bills, by Bankers, upon Payment, a Form

sit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. 10
Illicitum est tangere propria pudenda cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis venereæ, si tamen quis ea tangat ex curiositate, vel leuitate, &c. non peccant mortaliter. 11
In necessitate licitum est, & propria & aliorum verenda tangere, vt causa medendi. ibid.
Mortale peccatum est, si personæ eiusdem sexus se inuicem impudicè tangant, ob delectationem veneream, secus si ex quadam leuitate, & ioco. 12
Confricans inhonestas brutorum partes intentione seminis inspiciendi, vix potest excusari à peccato mortali. ibid.
Fœmina aduertens se ab alio libidinosè tangi, & actus sunt impudici, peccat mortaliter non se retrahendo: si verò actus sunt extrinsecùs honesti, & fiunt in publico, non peccat mortaliter fœmina, se non retrahendo: secus si fiant in secreto. 13
Probabilius est, aspectum rerum turpium ob delectationem naturalem & sensitiuam tantùm non excedere culpam venialem, sublato periculo delectationis venereæ. 14
Si aspectus sit partium verendarum inter personas diuersi sexus cum aliqua mora, practicè loquendo, ita periculosus est, vt sub mortali sit vitandus, secus si ob solam curiositatem fiat, & cesset periculum magnæ commotionis in aspiciente. ibid.
Aspicere concubitum viri cum fœmina, etiam ex sola curiositate, est peccatum mortale: brutorum verò minimè, modò absit notabilis delectatio sensualis, vel eius periculum. 15
Aspicere propria pudenda ex curiositate non est mortale. ibid.
Puella, sine necessitate vel vtilitate aliqua se præbens conspiciendam adolescenti, a quo se credit turpiter concupiscendam..., mortaliter peccat peccato generali scandali. 16
Ornatus externus virorum vel mulierum, quando sit mortale peccatum vel veniale. 17
Turpiloquium non est intrinsecè malum, sed indifferens, ac proinde eius honestas vel malitia pendet ex circumstantijs adhibitis, ac fine proferentis, scribentis, vel audientis verba illa turpia. 18
Comœdijs interesse, quando turpia repræsentantur, vel modus est turpis, aut cum probabili ruinæ periculo, est mortale: secus si hæc absint. 19
Choreæ ex se non sunt illicitæ, nisi ratione loci, personarum, & modi. 20
Quando in tactibus, aspectibus, & verbis turpibus fuit commissum peccatum mortale, aperienda est communiter in confessione circumstantia personæ, tam agentis, quàm patientis. 21
Per molliciem, oscula, tactus libidinosos, amplexus cum aliena, dissolui non potest matrimonium. 5
Plura de impudicitia vide verb. *Delectatio*. *Debitum coniugale II. Luxuria.*

Incantatio.

Incantatio iuxta Decretum *Clementis VIII.* potest reseruari inter regulares. §. 1
Sub hoc casu comprehenduntur omnia opera magiæ superstitiosæ: de quibus *verb. Magia.* ibid.

Incestus.

Incestus est congressus cum consanguinea vel affine intra gradus prohibitos, in quibus non potest celebrari Matrimonium. 1
Verùs est coitus sodomiticos inter cognatos cognatione spirituali vel legali, addere specialem malitiam in confessione explicandam. ibid.
Coitus Sodomitici inter masculos cognatos in primo, & secundo gradu, licet propriè non sint incestus, tamen Sodomiæ incestuosæ rectè dicuntur, & ad incestum pertinent. ibid.
Incestus est grauissimum peccatum mortale. 2
Probabilius est gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & spiritualis: gradus verò consanguinitatis non differre specie inter se, sicut nec inter se differunt gradus affinitatis. 3
Gradus incestus exprimendus est in confessione. 4
Incestus non est copula inter confessarium, & pœnitentem, neque circumstantia necessariò explicanda in confessione, modò confessarius pœnitentem non baptizauerit. 5
Incestus cum consanguinea vxoris in primo, & secundo gradu impedit petitionem debiti, nisi excuset ignorantia, & impedit, vt mortua vxore non possit aliam ducere. 6
Probabilius est incestum cum consanguinea propria impedimentum non inducere ad petendum debitum. 7
Episcopi possunt dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem. ibid.
Olim confessarij ordinum mendicantium à suis Prouincialibus deputati, dispensare poterant cum incestuosis ad petendum debitum, sed modò hoc priuilegium est reuocatum. ibid.
Propter copulam cum nouerca, seu patris vxore, filius potest exhæredari, modò non excuseretur ignorantia facti. 1
Plura de incestu Vide verb. *Matrimonium VIII.* num. 7. *Fornicatio.*

Inconsideratio.

Inconsiderario non est peccatum mortale, nisi ratione periculi alicuius peccati mortalis, cui se homo exponit inconsideratè iudicando & agendo. 5

Inconstantia.

Inconstantia numquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur persistere. ibid.

Incorrigibilitas.

Incorrigibilitas iure communi iusta causa est expellendi religiosum è monasterio. 3
Quis autem dicendus sit incorrigibilis Vide ver. *Religio* V I. n. 3. & 4.

Indicia.

Indicia sunt signa & circumstantiæ, ex quibus prudenter & rationabiliter iudicamus de actibus aliorum: & sunt in triplici differentia. Alia sunt leuia: alia sunt grauia: alia sunt indubitata. 4

Indignus.

Indignus beneficio dicitur, qui vel est irregularis ex ignorantia, morbo, infamia, &c. vel non putatur futurus vtilis, nec aptus officio. 1
Indignus coniux dicitur, cum quo alter non potest contrahere sine de decore, iuxta vsum illius regionis, v. g. si sit infamis, aut deprauatis, moribus, aut maximè dispar diuitijs, &c. 3
Si compromissarij indignum eligant, ipso iure in pœnam delicti suspenduntur à beneficijs, quæ obtinent in Ecclesia quam offenderunt. 4

Indignatio.

Indignatio est, cùm contemnitur & vilipenditur ille, cui irascimur, tamquam indignus à quo tale quid patiamur. 3

Inductio ad peccatum.

Qui alterum suasione aut exemplo ad peccandum induxit, non tenetur ex iustitia, sed ex sola charitate ad emendationem ei procurandam: secus qui alterum induxit fraude, dolo, vel iniusto metu ad peccatum. 21
Plura de inductione ad peccatum verb. *Scandalum.*

Indulgentia.

Indulgẽtia est relaxatio pœnæ tẽporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini existenti in gratia à præfato per applicationem Thesauri Ecclesiastici. 1
In operibus hominis iusti, duo considerantur, meritum scilicet & satisfactio. Meritum non communicatur alijs, satisfactio autem potest communicari. 1
Potestas concedendi indulgentias, primariò tamquam in causa efficiente, residet in Summo Pontifice. 2
Episcopus potest tantùm indulgentiæ concedere, quantum illi permissum est à Sede Apostolica, vnde de iure concedit in dedicatione Ecclesiæ indulgentiam vnius anni, aliàs autem quadraginta dierum. ibid.
Summus Pontifex electus, licet non sit consecratus potest conferre indulgentias: Episcopus item modò sit confirmatus. 3
Summus Pontifex potest delegare cuicumque etiam laico facultatem indulgentias concedendi. Episcopus non, sed tantùm clerico. 4
Stando in intre communi, indulgentiæ quæ alicui conceduntur à Summo Pontifice applicandæ imaginibus, coronis &c. possunt in alterum transferri, à quo applicentur, etiamsi Pontifex concedens benedictiones dicat nolle ab alio applicari posse, quam ab eo, cui conceduntur. ibid.
Nullus Episcopo inferior potest indulgentias concedere, absque Summi Pontificis vel Episcopi licentia. 5
Prælati regulares poterant olim ex priuilegio Apostolico indulgentias concedere suis subditis per acta visitationib., sed modò est illis limitata. ibid.

Varij sunt modi inuadendi rem alienam. 20
Pro defensione suæ pudicitiæ, licet cuilibet occidere inuasorem; quando pudicitia alio modo non potest defendi. 21
Inferentem ignominiam viro honorato licet occidere, si aliter hæc ignominia vitari nequit. 22
Varijs modis honor alterius potest impeti & auferri, in quibus concessa est defensio. 23
Non licet viro quantumuis honorato, occidere eum, qui sibi dicit contumeliosè *Mentiris*. ibid.
In praxi non est admittenda sententia docens licere occidere illum qui falsis criminationibus apud Principem vel iudicem detrahit de alio, vel occulta crimina contra iustitiam pādit. 24
Duellum non licet acceptare, practicè loquendo, etiamsi recusando videatur aliqua infamia imminere apud eos cum quib. viuitur. 25
Probabilius est clericos, religiosos, & infimæ conditionis homines peccare etiam contra iustitiam, si alapa vel fuste percussi occidant inuasorem, quando fugere possunt. 26
Furiosum inuasorem, Patrem, Auum fratrem natu maiorem numquam licet interficere, quando potes fugere. ibid.
Tueri licet vitam proximi, & maximè consanguinei, pudicitiam, honorem & fortunas, etiam cum interfectione inuasoris, si aliter defendi nequeant. 27
Vitam hominis priuati nullus tenetur tueri, cum probabili periculo vitæ suæ, etsi iure possit, & velit. 28
Priuatus non tenetur defendere vitam alterius priuati, quando non potest sine occisione inuasoris. ibid.
Qui non defendit vitam vel fortunas alterius, cùm ad id teneatur ex officio, peccat mortaliter contra iustitiam; alij verò solummodò contra charitatem. 29
Potestas publica potest mutilare malefactores sicut, & occidere. 30
Licet homini, & tenetur sibi amputare membrum vel membri partem, quando illius amputatio necessaria est ad salutem totius corporis, ita iudicante medico. ibid.
Ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum, non licet sibi membrum vel membri partem mutilare, quamuis membrum affligere liceat. 31
Probabilius est licitum esse membrum sibi amputare iubente iudicente vel tyranno sub pœna mortis; modò hoc non imperet tyrannus ob causam religionis. 32
Occidens vel percutiens simul vno actu plures clericos, incurrit etiam plures excommunicationes, iuxta numerum clericorum, qui percutiuntur vel occiduntur. 16
Sinere se occidi potius quàm occidere, abundantioris charitatis opus est, ad impediendam æternam damnationem iniusti aggressoris. 20
Per homicidium qualificatum, nempe per sicarium pretio conductum, amittuntur ipso iure beneficia, sicut, & per percussionem Cardinalis vel Episcopi. 3
An liceat occidere bannitum, vide v. *Bannitum*.
De irregularitate proueniente ex delicto homicidij voluntarij vt ex homicidio iusto, vide v. *Irregularitas V. & VI.*

Homicidium casuale.

Homicidium casuale dicitur, quod omninò casu fit, præter voluntatem operantis. n. 1
Homicidium purè fortuitum seu casuale, non obligat ad vllam restitutionem. ibid.
Si clericus veneturcum sclopis, vel telis periculosis, & hominem casu interficiat, adhibita diligentia ne quem lederet, non peccat peccato homicidij, sed peccato contra religionem. ibid.
Occisio illa censetur fortuita, qui commisit adulterium, & præuentus à marito adulteræ, illum ocoidit cum moderamine. 1
Damnum quod tertio alicui obuenit ex eo, quod alterum occiderim mihi non imputabitur ad satisfactionem, si non ea intentione intulerim damnum alteri, vt tertio damnum accideret, sed per accidens secutum est, me, non aduertente. 2
Si quis præuideat ex sua actione damnum tertio euenturum ex aliorum malitia, sed id nullo modo intendit, probabilius est illum etiam in hoc casu non teneri tertio quidquam restituere, quamuis peccauerit contra charitatem. ibid.
Si ideò occidisti Petrum, vt inde Paulo damnum eueniret, quidam putant te teneri de illo damno; verius tamen est contrarium: in hoc tamen casu homicida tenetur compensare Paulo, cui imputatur homicidium; ea quæ coactus fuit tradere hæredibus occisi dto damno illis proueniente ex homicidio. ibid.

Homicidium obligans ad restitutionem.

Homicidio vel mutilatione secuta non tenetur ad restitutionem ille, qui ab altero importunè prouocatus modum iustæ defensionis excedit. n. 1
Qui ab altero inuaditur sine prouocatione, si limites iustæ defensionis notabiliter excedat, ita vt mortiferè peccet occidendo, tenetur integrè damna compensare. ibid.
Qui ab altero inuasus potest fugere, vel aliter declinare pugnam, etsi id non faciat, sed sistens gradum, iusta moderatione se defendendo, occidat, non tenetur ad restitutionem. 3
Qui alteri iniuriam intulit, si armis ab eo inuadatur vltionis ergo, potest se cum moderata defensione tueri, nec tenebitur ad homicidij compensationem.
Homicida vel mutilator, qui alium iniustè aggressus est, tenetur ad omnia damna, quæ passus est occisus, aut vulneratus propter mortem aut vulnus. 3
Omnia damna ex homicidio secuta, in rigore ex bonis homicidę sarcienda sunt, etiamsi homicida pœnam talionis sustinuerit: vsus tamen est contrarius. 4
Restitutio pecuniaria etiam debetur ex charitate pro damno vitæ, vel membri, vel cicatricis, arbitrio boni viri, si hæredes sint pauperes: alias tantùm expensæ in medicos sunt restituendæ. 5
Pro expensis funeris ordinariè nihil est restituendum. 6
Pro anima occisi, ex iustitia non obligatur homicida quidquam restituere; quamuis sit saluberrimum consilium. 7
Qui interfecit eum, qui paulò post naturali vel iusta morte erat occidendus, non tenetur ad restitutionem. 8
Homicidæ hæredes vel percussoris tenentur ad restitutionem tam damni naturalis, quàm temporalis: non tenetur tamen Pater pro homicidio facto à filio, nisi filius habeat castrensia vel quasi. 9
Probabile est, homicidam non teneri restituere creditoribus defuncti: nec illis, quos occisus ex liberalitate alebat. 10
Homicida tenetur refarcire damnum emergens, & lucrum cessans ex homicidio parentibus occisi, prolibus, & vxori. 11
Probabilius est, nihil esse restituendum fratri interfecti, nec cæteris cognatis, præter expensas factas in curatione vulneris, si frater nō sit occisi necessarius hæres, sed tantū ab intestato. ib.
Homicida seu lædens tenetur ad aliquam restitutionem, quando læsus vel eius hæredes remittunt omne debitum: quamuis sit graue peccatum in parente habente filios pauperes, si condonet occisori omnem restitutionem. 12
Occidens Petrum quem putabat esse Paulum, non excusatur à peccato mortali iniustitiæ. 13
Homicidium vel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum vel animal, tibi imputabitur si tua culpa lata id factum est, & tenebris ad totius damni restitutionem. 14
Remiges Christiani capti à Turcis non peccant contra iustitiam remigando contra Christianos, quando ad id flagris aut morte proposita vrgentur: modò tormenta bellica in Christianos non dirigant, &c. possent tamen prædicti remiges teneri non remigare ex charitate. 15

Honestas publica.

Honestas publica est propinquitas ex sponsalibus validis, & certis proueniens, robur trahens ab ecclesiæ institutione propter honestatem eius. 63
Plura de impedimento honestatis publicæ matrimonium dirimente, vide v. *Matrimonium VII.* n. 63. & seq.

Honor.

Honor alterius auferitur, vel cum quis profert verba iniuriosa in præsentia, vel literis, & libello, vel in absentia. n. 1
Ob honoris defensionem verius est non licere acceptare duellum: inuasus tamen ab altero potest se defendere. 6
Honor alterius potest impeti varijs modis, in quib. videtur concessa defensio. 23
Qui ob honoris vel honorum suorum defensionem aliquē occidit, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, irregularis est. 2
Vide *Contumelia, Infamia*.

Hora.

Qualibet diei hora licet communicari, modò suscipientes Eucharistiam sint ieiuni: quamuis sacerdos post meridiem non possit celebrare. n. 22
Ecclesia incipit diem à media nocte, & ducit in aliam mediam noctem subsequentem: vnde præceptum ieiunij naturalis in ordine ad sumptionem Eucharistiæ pro illa die, in qua est sumenda, debet incipere à media nocte antecedente. 46
Hora seu tempus celebrandæ missæ regulariter incipit ab aurora vsque ad meridiem: ob honestam tamen causam licet post meridiem vna vel duab. horis celebrare cōsuetudine id permitté-

te, vt docet *Nauar.* quamuis alij hoc non concedant secluso priuilegio. 6
Religiosis ex priuilegio concessum est per tres horas ante diem celebrare & per tres horas post meridiem. ibid.
Hora determinata comedendi non est de essentia ieiunij, sed est tantùm circumstantia accidentalis. 16
Modò ex consuetudine approbata ab Ecclesia, hora comedendi in diebus ieiuniorum, est circa meridiem. ibid.

Horæ canonicæ. Qui teneantur ad illas.

Horæ canonicæ sunt illæ preces, quæ ex præscripto Canonum, in ecclesia certis horis canuntur. n.1
Horæ canonicæ sunt septem, & non plures. 2
Ad horas canonicas tenentur *Clerici sacrorum ordinum, beneficiarij, & religiosi ad chorum professi.* 3
Clerici ordine sacro initiati post degradationem realem, vel damnati ad triremes, vel coniugati, tenentur ad horas. 4
Religioti choro deputati, & moniales ex consuetudine vel particularibus decretis, post professionem tenentur ad horas sub peccato mortali: quamuis quidam contradicant. 5
Nouitius ante professionem, conuersus ante vel post professionem, non tenentur ad horas. 6
Religiosus damnatus ad triremes, vel electus per sententiam, non tenetur ad horas, si ordine sacro careat. 7
In multis alijs casibus ad officium canonicum non tenetur religiosus. ibid.
Verius est religiosos ad chorum deputatos, per se lethaliter delinquere, si a choro sæpe sæpius absint: per accidens tamen ex iusta causa possent excusari. 8
Cum Prædicatoribus, Lectoribus, ægrotis, & studiorum causa legitimè impeditis, dispensare possunt Superiores ab horis in choro persoluendis. ibid.
Prælatus religionis, vel monasterij, & Patres illius conuentus peccant lethaliter, qui absque graui causa permittunt in propria ecclesia, omitti vnam horam canonicam in choro decantari. ibid.
Superior religiosorum in dispensando suos subditos ab horis canonicis, debet seruare consuetudinem suæ religionis. 9
Religiosus professus ad chorum deputatus, iusta de causa ab Abbate ad Conuersorum statum translatus, non tenetur horas canonicas persoluere. ibid.
An conuersi loco horarum canonicarum teneantur sub mortali ad aliquid recitandum petenda est illorum obligatio ex regulæ præscripto, quæ si non obligat ad culpam, neque in hoc eos ad culpam obligabit. 9
Minores Fratres laici sub mortali tenentur ad recitationem sui officij, pro vt in regula præscribitur. ibid.
Habentes beneficium ecclesiasticum, quamuis manuale sit, regulariter obligantur ad horas canonicas. 10
Clericus habens capellaniam collatiuam seu ecclesiasticam, tenetur ratione capellaniæ horas recitare. 11
Verius est beneficiarium habentem beneficium adeò tenue, vt non sufficiat ad vitæ sustentationem, teneri ad officium totum persoluendum. 12
Beneficiarius non sacerdos minimè excusatur ab horis, ex eo, quod maiorem fructuum partem tradit sacerdoti substituto, ad sustinenda beneficij onera. 13
Non excusatur beneficiarius ab horis primo, & secundo anno, eo quòd fructus beneficij tunc in quibusdam Ecclesijs debeantur fabricæ vel prædecessori mortuo. 14
Beneficiarius tenetur ad horas, qui pro aliquo tempore fructus non percipit, spem tamen habet alias recipiendi, vel qui ob delictum aut alia iusta de causa priuatur fructibus. 15
Excusantur ab onere recitandi horas, qui nec per se, nec per suos vllos fructus percipiunt, nec percepturi sunt, nec per illos stat, quin recipiant. 16
Probabile est, beneficiarium non teneri ad horas, qui iniustè ob bellum, vel alia iniusta de causa priuatur omnibus fructibus. 17
Quando plures litigant circa idem beneficium, nullus eorum tenetur ad horas, dum nullus possidet. 18
Habens plura beneficia ex dispensatione, satisfacit vnica recitatione. 19
Clericus habens pensionem titulo clericali tenetur tantùm ad officium paruum Beatę Virginis, percipiens autem pensionem titulo sæculari ad nullum officium tenetur. 20
Probabilius est beneficiarium non teneri ad horas nisi post captam beneficij pacificam possessionem. 21
Beneficiarius, subdiaconus, religiosus ad chorum deputatus, tenetur solùm ad horas respondentes horæ, in qua beneficij possessionem accepit, vel ordinem sacrum suscepit, vel professus est. 22

Horæ Canonicæ. Quoad earum formam & modum illas recitandi.

Omnes obligati ad horas, tenentur eas recitare iuxta præscriptum breuiarij Romani Pij V. exceptis Capitulis & Conuentibus, qui à ducentis annis alio vsi fuerunt. n.1
Probabilius est, habentem priuilegium vtendi breuiario non Romano, non posse vti Romano, dum priuatim recitat horas extra chorum. 2
Recitans horas alia lingua quam latina sine iusta causa, licet peccet, satisfacit tamen quoad ritum substantialem. 3
Non est improbabile mutationem officij vnius diei, in officium alterius dedita opera, esse solum peccatum veniale; licet laudabile sit repetere ea saltem, quæ ad propriu m officium pertinebant. 4
Qui vtuntur breuiario Romano *Pij V.* non tenentur extra chorum ad officium Beatæ Virginis, Defunctorum (nisi in die commemorationis illorum) ad psalmos pœnitentiales & graduales. 5
Fratribus Minoribus non videtur esse in præcepto post bullam Pij V. vt etiam in choro recitent officium B. Virginis, & Defunctorum, nec non psalmos pœnitentiales, aut graduales. ibidem.
Episcopus, vbi Breuiarij Romani est vsus, non potest concedere, vt officium vnius diei alio die recitetur; secus vbi Breuiarium Romanum non adhibetur. 6
Horæ canonicæ recitandæ sunt studiosè & deuotè. 7
Officium diuinum studiosè recitatur, cùm absque syncopa, id est absque verborum omissione. ibid.
Vt studiosè horæ recitentur requiritur etiam vt verba non mutilentur, aut truncatim proferantur. 8
Vsu receptum est in Ecclesia recitantem cum socio satisfacere obligationi officij recitandi. 9
Satisfacit obligationi diuini officij & debito chori, qui suos versus alta voce canit, alios verò submissè recitat. 10
Item satisfacit præcepto qui non recitat, sed attentè audit lectiones, vel orationes, Capitula, vel responsoria. ibid.
Qui non repetunt versiculos, qui per organum vel instrumentum cantantur, satisfaciunt, modò seruetur Ecclesiæ consuetudo. ibid.
Cùm plures duobus recitant diuinum officium simul, recitantes debent solùm facere duplicem chorum. 11
Qui ex officio vel mandato superioris detinentur in pulsandis organis, vel transferendis libris, vel in thure præbendo, licet satisfaciant obligationi chori, non tamen officij, nisi illud postea priuatim recitent, secundùm probabiliorem sententiam. 12
Qui submissa voce recitat suos versus & audit socios canentes suam partem, satisfacit officio, sed non choro. 13
Non est improbabilis sententia docens surdum satisfacere obligationi recitandi diuinum officium & assistendi in choro, si simul cum altera parte chori recitet. 13
In recitatione diuini officij seruandus est mos & consuetudo. 14
Recitans priuatim officium, non tenetur seipsum audire, sed sufficit vt omnia verba distinctè proferat. 15
Leo X. concesserat Fratribus Minoribus viuæ vocis oraculo vt illa, quæ inordinario iubentur dici secretò iub silentio, tam in horis canonicis, quàm in missa, non teneantur proferre vocaliter, sed satisfaciant, picendo mentaliter: sed hoc priuilegio modò non licet vti, quia *Vrbanus VIII.* omnia viuæ vocis oracula gratias continentia reuocauit. ibid.
Recitans cum socio tenetur ita distinctè verba proferre, vt audiatur à socio. ibid.
Sine interruptione recitandæ sunt horæ canonicæ. 16
Probabilius est recitantem priuatim cum interruptione, siue ad longum, siue ad breue tempus, non peccare mortaliter, nec teneri repetere, quod antea recitatum est. 16
Interruptio notabilis facta à toto choro graue peccatum est propter scandalum. ibid.
Probabile est interrumpentem officium animo repetendi iam lecta, satisfacere præcepto, nec teneri repetere iam dicta. 17.
Qui officium recitauit animo non implendi præceptum, non tenetur mutare animũ, quo velit satisfacere seu satisfecisse præcepto,

cepto, sed sufficit vt desistat ab animo non adimplendi præceptum. 18
Vt deuotè horæ canonicæ recitentur, attentio requiritur & reuerentia. 19
Attentio in oratione, alia est interna, alia externa; interna alia est circa verba, alia circa verborum sensum, alia circa Deũ. ib.
Iure diuino naturali in omni oratione requiritur attentio & reuerentia interna. 20
Probabilius est requiri attentionem internam, vt officium diuinum deuotè recitetur. 21
Vt præcepto diuini officij satisfiat, non requiritur attentio actualis, sed sufficit virtualis: habitualis verò nec sufficit, nec necessaria est. 22
Attentio singularis ad singula verba non est necessaria necessitate præcepti, sed tantum requiritur & sufficit moralis quædam & generalis attentio, qua moraliter quis scit & perpendit se verba & verborum sententias proferre, etsi singulariter super singulis non reflectat. ibid.
Attentio in horis dicendis, non debet necessariò esse formalis, expressa & explicita, sed sufficit implicita & tacita. 23
Non satisfaceret præcepto, qui intenderet simpliciter legere officium matutinum, vespertinum &c. prout materialiter ex suis psalmis, lectionibus, hymnis &c. constituuntur. ibid.
Dormitans in choro aduertens se omittere notabilem partem diuini officij, præcepto nõ satisfacit, nisi repetat, quæ omisit. ib.
Seruitium chori minùs obligat ad attendendum quando officium cantatur cantu musicali, quàm quando cantu ordinario ab ipsis assistentibus. 24

Hora canonica. Quoad ordinem & tempus illas recitandi.

Horæ canonicæ sunt recitandæ iuxta ordinem ab Ecclesia præscriptum. n.1
Mutare ordinem horarum in recitatione priuatâ, non est peccatum mortale: secus in recitatione publica. ibid.
Qui in choro aliquid omisit culpabiliter aut inculpabiliter non debet omissum repetere durante officio, sed post. 2
Non est peccatum mortale facere sacrum nondum recitato matutino; *sed veniale*, si absque causa fiat. 3
Tempus horæ canonicas recitandi incipit à media nocte antecedentis diei & perseuerat vsque ad mediam noctem sequentis inclusiuè. 4
Licitum est ex consuetudine recitare Matutinum & Laudes prædie vel vesperam, non item paruas horas. 5
Recitantes officium in choro extra horas præscriptas, satisfaciunt præcepto quoad substantiam, & præciso scandalo non peccant mortaliter. 6
Nullum peccatum committitur ab eo, qui non recitat officium intra tempus à iure præfixum, seruata loci consuetudine. 7
Matutinum *solet legi* ab hora qua laudabiliter surgimus, vsque ad horam *decimam* antemeridianam. Minores horæ solent dici ante meridiem: vesperæ etiam in Quadragesima ante meridiem exceptis Dominicis; alias à meridie in occasum, & hinc ad mediam noctem completorium. ibid.
Arbitrantur quidam probabile esse, infirmum vel habentem excusabilem occupationem, qui non potest recitare horas statutis temporibus, non teneri postea illas recitare: sed hæc opinio est à viris doctis dijudicanda. ibid.

Hora canonica. Quo in loco & quo corporis situ sint recitandæ.

Clerici choro deputati persoluere debent horas in Ecclesia, iuxta beneficiorum institutionem; aliàs non possunt percipere distributiones. n.1
Horas canonicas vbique recitare possunt, qui ad chorum deputati non sunt. 2
Verius est Episcopum per se loquendo, non teneri choro interesse etiam diebus Dominicis; nisi id exigat ratio sui muneris adimplendi, aut vitandi scandali. 3
Parochi non tenentur ad horas in choro persoluendas, exceptis vesperis, aut Missæ sacrificio diebus festis & Dominicis. 4
Non est peccatum, per iter loquendo, horas priuatim recitare sedendo cùm standum est, vel genuflectendum; secus in publica recitatione. 5

Hora canonica. Quoad illarum omissionem & fructus restituendos.

Qui ad horas canonicas tenetur, moraliter peccat, eas non recitando, aut partem illarum notabilem omittendo, etiamsi non omittat ex contemptu. n.1
Verius est omittentem vnam paruam horam officii diuini peccare mortaliter, non item medietatem aut tertiam partem vnius horæ. 2
Probabilius est illum teneri priuatim recitare litanias in diebus Rogationum & S. Marci, qui non adest in choro, siue in processionibus. ibid.
Qui ratione ordinis sacri & beneficij horas canonicas recitare tenetur, plura specie peccata committit in confessione explicanda, illas omittendo. 3
Probabilius est prætermittentem aliquo die omnes horas canonicas vnum numero peccatum omissionis committere. 4
Beneficiarij culpabiliter omittentes officium elapsis sex mensib. post obtentam beneficij possessionem, tenentur ad restitutionem pro rata omissionis. 5
Qui habet beneficium cum cura, vel sine cura, si primis sex mensibus officium non dixerit, peccat quidem grauiter, non tenetur tamen ad restitutionem. 6
Pro minori omissione quàm vnius horæ integræ, non est aliquid restituendum. 7
Qui sæpius partem notabilem diuini officij omisit, tenetur sub mortali ad restitutionem. 8
Recitantem diuinum officium sine attentione, teneri ad restitutionem, alij affirmant, alij negant, & vtrique probabiliter. 9
Constitutio Pij V. *Quod à nobis*, non est pluribus in locis in suo rigore recepta quoad integram fructuum restitutionem ob omissionem horarum. 10
Episcopus aut Parochus omittens officium debet tantùm restituere tertiam, vel quartam partem fructuum pro rata; cæteras partes fructuum videtur posse sibi retinere ratione tituli & aliorum onerum: imò secundùm quosdam ad nullam restitutionem tenetur. ibid.
Restitutio ob omissionem horarum, facienda est fabricæ beneficij, vel pauperibus, modò aliud non ferat consuetudo vel statutum. 11
Pensionarius, qui paruum officium Beatæ Virginis prætermisit, tenetur restituere fabricæ vel pauperibus, non verò beneficiarijs. 12
Qui omisit horas canonicas liberatur à restitutione propter eleemosynas pauperibus largitas, non tamen hoc intuitu. 13

Hora canonica.

Quoad causas excusantes ab illarum recitatione.

Infirmitas grauis ob quam pronunciatio verborum valde noceret valetudini corporis excusat à recitatione horarum: leuis autem infirmitas non excusat. n.1
In dubio, an recitatio sit valetudini nocitura, petenda est à Superiore dispensatio, si commodè adiri possit. 2
Qui per seipsum horas non potest recitare, non tenetur per alium supplere, aut alium recitantem audire. 3
Peregrinatio ad loca pia non præbet excusationem precum canonicarum, etsi peregrinus alium in sui locum substituerit. ib.
Grauis occupatio, honesta & necessaria, quæ in aliud tempus commodè differri non potest sine scandalo, vel peccato, vel detrimento, excusat ab horarum recitatione. 4
Superiores Clericorum regularium Theatinorum possunt dispensare cum religiosis subditis occupatis, vel impeditis super recitatione diuinorum officiorum. ibid.
Impotentia, vt est carentia breuiarij, cæcitas, debilitas, defectus vsus rationis, excusat à recitatione diuini officij. 5
Probabilius est beneficiarium, qui non potest horas recitare sine auxilio socij, teneri ad illum adhibendum, modò commodè possit, & non sit surdus vel surdaster: aliàs beneficio carens non tenetur. ibid.
Cæcus, vel ita oculis caligans, vt legere nequeat, tenetur horas persoluere, si illas memoriter sciat. ibid.
Dispensatio Summi Pontificis etiam sine causa, excusat à recitandis horis: non verò Episcopi, nisi in casu occurrente, ex iusta causa. 6
Tempore interdicti, siue localis, siue personalis, obligati ad horas, priuatim eas recitare possunt & debent. 13

Horologium.

Nullum horologium est infallibile, ideò nulli necessariò standum est in ordinando ieiunio naturali pro sumptione Eucharistiæ. n.46
Omnia horologia habent vim opinionis probabilis, nisi ita exorbitent, vt eorum error clarè & euidenter cognoscatur. ibid.
Horologia accurata horæ quadrante à veritate deuiant: ideò quadrante horæ antequam sonet duodecima noctis incipit dies sequens probabiliter, & æquè probabiliter antecedens dies finitur, quadrante postquam sonuerit hora. 46

Humanitas Christi.

Humanitas Christi, in quantum est diuinitati vnita seu coniun-

da, latriâ adoranda est, ratione hypostasis verbi Dei, à qua & in qua sustentatur. 4

De fide est humanitatem Christi non esse vbique, quamuis Diuinitas, cui humanitas realiter coniungitur, sit vbique. 22

Hypocrita.

Hypocrita, qui vitæ sanctitatem fingit, vt faciliùs seminet errores; vel qui fingit morbum, aut vulnera, aut paupertatem maiorem, vt sibi maiores eleemosynæ erogentur, quàm opus sit ad vitam commodè sustentandam, peccat mortaliter mendacio pernicioso, posita materia graui. n.5

Verius est illum, qui simulans paupertatem recipit eleemosynas, teneri ad restitutionem faciendam bursæ communi pauperum illius loci, si ex paruis eleemosynis factus sit quis diues; si verò magna eleemosyna donata fuerit, domino est restituenda. 8

Hypocrita verus non est, qui apud confessarium ordinarium seuia solùm peccata confitetur, quoties verò peccatum aliquod grauius admittit, alteri confessario confitetur. 5

Hypotheca.

Hypotheca est res subiecta vel obligata pro debito, vt si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit: in iure autem pignus & hypotheca idem valent. n.1

Hypothecam licèt exigere generalem vel specialem, securitatis causa, in emptione census personalis. 10

Hypothecata manent bona mariti pro paraphernalibus vxoris, dum illi permissa fuit paraphernalium administratio. 4

Hypothecata non remanent bona vsurarij pro soluendis debitis, remanent tamen talia bona obligata restitutioni, obligatione saltem personali. 7

Plura de hypotheca, vide v. *Pignus*.

I.

Idioma.

Extraneus loquens eo idiomate quod à confessario non satis bene percipitur, tempore præcepti confessionis, potest absolui, modò non sit alius sacerdos, qui bene percipiat ipsius idioma. 11

Idololatria.

Idololatria est omnis cultus quo creatura instar Dei colitur. n.1

Idololatria accipitur speciatim & propriè, generatim & metaphoricè. ibid.

Ad actum idololatriæ tres actus concurrere debent. 2

Idololatria est grauissimum peccatum mortale: nec ab hoc peccato excusat metus mortis, nec ignorantia. 3

Propter idololatriam internam tantùm, & externam tantùm, nulla censura incurritur in foro conscientiæ: sed propter vtramq; simul incurritur excommunicatio bullæ cœnæ. ibid.

Ieiunium Ecclesiasticum.

Ieiunium quatuor modis accipi potest. n.1

Ieiunium Ecclesiasticum est abstinentia voluntaria à cibo iuxta præceptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem. 2

Communis est tententia adesse præceptum ieiunandi: contra hæreticos nostri temporis, qui asserunt ieiunia esse libera. ib.

Ad ieiunium Ecclesiasticum tria requiruntur: nempe, *Abstinentia ciborum certi generis*: *abstinentia plurium refectionum*: *certa refectionis hora*. 2

Cibi prohibiti in die ieiunij Ecclesiastici sunt 1. *Carnes*. Nomine autem *Carnium*, intelliguntur illæ quæ à piscibus contra distinguuntur. 3

In quadragesima prohibentur 2. *Oua*. Extra illud tempus iure communi non sunt vetita. 3. *Lacticinia*. Sed iure communi totum tempore quadragesimæ. 3

Illis diebus quibus licet comedere oua, caseum, & cætera lacticinia, non licet comedere lardum vel sagimen, nisi id permittat consuetudo. ibid.

Quando conceduntur lacticinia, non licet vesci sanguine animalium. ibid.

In ieiunijs pro Iubilæo, penitentia iniuncta, & votiuis, possunt adhiberi ouа & lacticinia. ibid.

Ille, cui concessum est priuilegium comedendi carnes ob debilitatem naturæ; non tenetur abstinere à multiplici refectione: secus si ob nausam vel damnum piscium. 4

Quando alicui carnes prohibentur, non ideo illi prohibetur esus ouorum vel lacticiniorum. ibid.

Habens licentiam edendi carnes in Quadragesima, potest licitè ouа & lacticinia comedere. ibid.

Qui ex dispensatione comedit carnes, potest simul etiam edere pisces, si inde aliquod damnum non proueniat. ibid.

Dispensatus ad carnes pro aliquibus tantùm diebus, non potest in cæteris ijs vti. ibid.

Dispensatus ad carnes pro tribus aut quatuor diebus in hebdomada, non potest illis vesci diebus Veneris & Sabbati. ibid.

Dispensatus in Quadragesima ad ouа & lacticinia comedenda, non est dispensatus à ieiunio. ibid.

Qui vouit abstinere ab ouis & lacticinijs, iuxta probabiliorem sententiam, non tenetur abstinere à carnibus. 5

Qui vouit abstinere à carnibus, tenetur etiam abstinere à iure carnium. ibid.

Qui ventrem adeò replet, vt ieiunij difficultatem non sentiat, præcepto ieiunij satisfacit, modò à prohibitis abstineat, & vnicam sumat refectionem. 6

Non excusantur à ieiunio, qui ieiunando sentiunt graniores carnis stimulos, quàm non ieiunando. ibid.

Quando necessitas est euidens & certa comedendi cibos vetitos in die ieiunij, non est petenda licentia. 7

In dubio de sufficientia necessitatis, petenda est dispensatio ab Episcopo, vel Prælato. Imò Parochus potest dispensare ratione consuetudinis, nec non ipsius Vicarius. ibid.

De necessitate comedendi cibos vetitos in diebus ieiuniorum, debent iudicare medici, qui cauti esse debent in concedendis huiusmodi licentijs. ibid.

Confessarius non potest dispensare in ieiunio, nisi ad hoc deputetur ab habente facultatem dispensandi: benè tamen poterit declarare, an causa sit sufficiens, ad non ieiunandum, sicut posset quicumque vir prudens. ibid.

Priuilegia concessa Patriaus Societatis à *Pio IV*. vt possint dispensare cum pueris Catholicis, famulis, ancillis, & coniugibus Patrum familias hæreticorum, vt possint vesci carnibus & ouis sine scrupulo, quando negantur ijs cibi quadragesimales, hodie non habent locum, quia sunt viuæ vocis oracula & ideo annullata ab *Vrbano VIII.* ibid.

Ad essentiam ieiunij ecclesiastici, est abstinentia plurium refectionum intra spatium diei naturalis. 8

Potus sumptio quamuis crebrior, etiam vini; & vsus electuariorum, non prohibentur in die ieiunij. ibid.

Lectores & ministri mensæ in monasterijs aliquid præsumentes; & cantores, vt habeant vocem aptam ad canendum, excusantur à fractione ieiunij. ibid.

Quando bibitur per diem extra prandium & refectiunculam, licet aliquid sumere, ne potus noceat, modò non fiat in fraudem ieiunij. ibid.

Paruitas materiæ excusat à fractione ieiunij, quæ etiam reperiri potest in comestione carnium. ibid.

Intendens initio Quadragesimæ sumere carnem singulis diebus in paruitate materiæ, non peccat mortaliter. ibid.

Collatiuncula vespertina licita est inde ieiunij, modò non excedatur in quantitate, secundùm locorum & personarum consuetudinem. 9

De mensura huius collationculæ, varij variè sentiunt: sed omissis sententijs, in praxi tuta est sententia docens, posse sumi sex, aut septem, aut etiam octo vncias, prout quisque suæ complexioni necessarium putauerit. ibid.

In vigilia Natiuitatis Domini, in locis vbi adest consuetudo potest, sumi refectiuncula in maiori quantitate consueta. 9

Nobilioribus licet ex consuetudine aliquantulum plus quàm plebeis in hac refectiuncula accipere. ibid.

Qui continuò studijs vacant, ita vt insumant in studio totum illud tempus dici; quod solet impendi in operando, possunt vti in ieiunio ampliori refectiuncula: item & qui difficilè capiunt somnum, quando non cœnant. ibid.

Excessus, qui refectiunculam vespertinam conuertit in cœnam, est peccatum mortale: secus si excessus non sit valde notabilis. ibid.

Communior Doctorum sententia est, in refectiuncula tantùm posse sumi cibos, quibus in die ieiunij vescimur ante vel post prandium, vt sunt poma, pyra, nuces, herbæ & alij arborum fructus. Non est tamen improbabile, non debere attendi qualitatem, sed quantitatem cibi, modò sit ex permissis in prima refectione. ibid.

Hæc collatiuncula, ex iusta causa, vt ratione debilitatis, negotiorum, studiorum itineris faciendi &c. potest sumi mane aut meridie, cœna in vesperam dilata. ibid.

Probabilius est, non toties peccari mortiferè, quoties in die ieiunij plusquam semel comeditur: si tamen tertia vice quis comederet cum contemptu præcepti, & cum noua voluntate frangendi ieiunium, tunc toties peccaret, quoties id faceret. 10

Comédens carnes quando prohibentur, toties peccat mortaliter, quoties comedit. ibid.
Probabile eſt, illum, qui die ieiunij ſciens ſumpſit ientaculum, cauſa itineris, non teneri eo die ieiunare ſi contingat non proficiſci. 11
Qui neſciens eſſe ieiunium, mane comedit, tenetur reliquo tempore ſeruare ieiunium, ac ſi nihil ſumpſiſſet. ibid.
Probabilius eſt habentem cauſam non ieiunandi, non poſſe inuitare ſeriò amicum, vt ſecum cœnet, etiamſi talis amicus ſoleat violare ieiunium domi cœnando. 12
In dubio autem, an amicus teneatur ieiunare poterit inuitari. ib.
Graue eſt peccatum cauponi in locis Catholicorum apponere carnes hoſpitib. in die ieiunij: in locis verò hæreticorum id licitum eſſet, ſi petantur, & non poſſit recuſare ſine ſuo incommodo. 13
Quando petuntur carnes in contemptum religionis, & contemptus ſe tenet tantùm ex parte petentis, non peccarent caupones carnes miniſtrando. ibid.
Licet diebus ieiuniorum cœnam apponere hoſpitibus, qui non tenentur ad ieiunium, modò ſcandalum abſit: ſi tenentur, non licet: in dubio an teneantur, poſſunt & debent interrogari, ſi decorè id fieri poſſit. 14
Qui ob negotium interrupit prandium, nondum completè ſumpta refectione, poteſt abſoluto negotio perficere, modò interruperit animo continuandi. 15
Certa refectionis hora requiritur ad ſubſtantiam ieiunij, & hæc eſt modò circa meridiem moraliter ſumptum, non notabiliter ante. 16
Probabilius eſt, notabilem anticipationem prandij in die ieiunij, eſſe tantùm peccatum veniale. ibid.
Tempus autem notabile cenſetur ex conſuetudine ſpatium vnius horæ. ibid.
Ex iuſta cauſa poteſt notabiliter anticipari hora prandij in die ieiunij, vt cauſa itineris, concionis &c. ibid.
Qui priuilegium obtinuit prandendi ante conſuetam ieiunij horam tenetur reliqua diei parte à cibis abſtinere: & diſpenſatus ad multiplicem refectionem, non poteſt ex vi illius diſpenſationis, carnibus veſci. 17
Qui diſcedit mane ex oppido domicilij vbi eſt ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non eſt ieiunium, poteſt ſumere ientaculum, non poteſt tamen in loco domicilij veſci carnibus. 18
Diſcedens è loco vbi comeduntur carnes poteſt eas comedere, etiamſi eodem die peruenturus ſit ad locum, in quo non comeduntur. 19
Perueniens veſperi ad locum, in quo carnes non comeduntur, non poteſt eas comedere, ſi locus ad quem peruenit ſit proprium domicilium: aliàs poteſt ſecluſo ſcandalo. 19
Potens comedere carnes iuxta leges proprij domicilij, non poteſt eas comedere, ſi reperiatur in locis, vbi prohibentur: quamuis contrarium ſit etiam probabile. ibid.

De obligatione ieunij & de cauſis excuſantibus.

Omnes Chriſtiani præcepto ieiunij obſtringuntur completo vigeſimo primo anno. n.1
Hoc præceptum ieiunij obligat etiam iuſto & perfectos, nec non eos, qui non egent ieiunio. ibid.
Huic præcepto non ſatisfit per alium, niſi quatenus eſt ſatisfactorium. ibid.
Probabile eſt, illum, qui expleuit 21. annum hora octaua mane, non teneri in reliquo diei ieiunare: licet contrarium ſit etiam probabile. ibid.
Si quis compleat 21. annum initio quadrageſimæ, aut circa medium ipſius, tenetur ad ieiunium in ſequentibus diebus. ib.
Qui aliquo die ieiunare non poteſt, non tenetur aliquid aliud loco ieiunij perſoluere. 2
Priuilegium *Leonis X.* conceſſum Fratribus Minoribus, vt poſſint transferre ieiunium in alium diem, dum iter faciunt, hodie non habet locum, quia eſt viuæ vocis oraculum. ib.
Omnia Eccleſiæ ieiunia etiam quadrageſimæ ſunt de iure humano inſtituta. 3
Conſuetudo poteſt inducere & abrogare ieiunia. ibid.
Diebus rogationum non eſt ieiunium ex præcepto ſeruandum: ſi tamen alicubi eſſet præceptum ſynodale, aut conſuetudo ieiunandi vſque ad prandium deberet ſeruari. ibid.
Non licet in feriis rogationum veſci adipe ſeu pinguedine in locis, vbi conſuetudo id permittit in ſabbathis, quæ non ieiunantur, niſi conſuetudo aliter obtinuerit. ibid.
Ex præcepto ieiunandum eſt diebus ab Eccleſia præſcriptis. Die autem Dominico fas eſt ieiunare ſi non fiat ex aliquo errore; Eccleſia tamen non conſueuit die Dominico ieiunare. 4
Dies, in quibus ex præcepto ieiunium indictum eſt ab Eccleſia, ſunt, dies ſinguli quadrageſimæ, exceptis Dominicis. Quatuor anni tempora. Vigiliæ Natiuitatis Domini, & Aſſumptionis B. Mariæ. Vigiliæ Sanctorum Apoſtolorum, excepta vigilia SS. Philippi & Iacobi & Ioannis Euangeliſtæ. ibid.
In peruigilijs quorumdam Apoſtolorum hoc præceptum ieiunij non eſt conſuetudine receptum, proinde quiſquis debet ſequi conſuetudinem ſuæ diœceſis. ibid.
In vigilijs Pentecoſtes, S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij, & Omnium Sanctorum, de iure non eſt ieiunium, ſed de conſuetudine habente vim legis. ibid.
Quando vigilia S. Ioannis Baptiſtæ incidit in feſto Corporis Chriſti, anticipandum eſt ieiunium die immediatè antecedenti. Ex conſtit. *Vrbani VI.* ibid.
Epiſcopus poteſt transferre huiuſmodi ieiunia in alium diem, dummodò id fiat ex rationabili cauſa. ibid.
Præceptum Eccleſiæ de ſeruando ieiunio obligat ad mortale, & mortalis eſt illius transgreſſio, etiamſi non ex conſuetudine, ſed tantùm ſemel fiat. 5
Si quis bona fide comederet, putans habere iuſtam cauſam non ieiunandi, non peccaret ſaltem moraliter, quamuis in ea re fallatur, modò non ſit ignorantia craſſa, quæ dolo æquiparari poſſit. ibid.
Religioſi exempti non tenentur ieiunijs ab Epiſcopo præſcriptis in diœceſi, intra cuius terminos poſitum eſt monaſterium, niſi ieiunia generali conſuetudine recepta ſint, vel niſi ex non obſeruantia ſcandalum ſequatur. ibid.
Non eſt improbabile religioſos & moniales, non teneri ad ieiunia loci, quæ ex voto obligant communitates. ibid.
Cauſæ excuſantes à ieiunio, ſunt, *Impotentia labor, & Pietas*, Impotentia alia eſt phyſica, alia moralis. 6
Ob impotentiam moralem excuſantur infirmi: & nomine infirmorum, comprehenduntur valetudinarij & conualeſcentes: Item qui habent ſtomachum debilem: item qui nocte dormire aut calefieri non poteſt, niſi comet: Debet tamen eſſe notabile impedimentum. 6
Omnes prægnantes, aut lactantes non obligantur præcepto ieiunij: imò illas peccare, ſi ieiument, docent multi. ibid.
Prægnantes & lactantes regulariter non poſſunt comedere carnes in diebus ieiuniorum; ſi tamen prægnantes vehementer illas appetant, debent illis carnes concedi. ibid.
Mulier prægnans non poteſt, nec tenetur ieiunare cum periculo prolis, ad vincendas carnis tentationes. ibid.
Ob impotentiam moralem excuſantur etiam ſenes: ætas autem quà incipit hæc ſenectus, non eſt determinata in iure: & ideò quidam excuſant ſolum ſeptuagenarios, alij ſexagenarios: ſed verius eſt, nullam prorſus poſſe præſcribi ætatem, in qua lex ieiunij non obliget, ſed attendendum eſſe ad robur corporis & complexionis naturæ, & iuxta eam iudicandum eſſe. ibid.
Probabile eſt religioſos ſexagenarios non teneri ad ieiunia ſuæ regulæ. ibid.
A ieiunio excuſantur etiam pauperes, qui propter paupertatem alimento carent ſufficienti ad vnam refectionem in die ieiunij ſumendam. ibid.
Ad congruentem refectionem, non ſufficit panis in quacunque quantitate, ſicut nec etiam fructus & olera, ſed requiruntur cibi, qui ſint maioris nutritionis: imò liceret pauperibus vſus carnium, ſi alium cibum inuenire non poſſent. ibid.
Non eſt improbabile, illum, qui habet panem, quo poteſt vitam ſuſtentare, ſed non habet alios cibos conceſſos, tunc poſſe veſci carnibus. ibid.
Ex vniuerſali conſuetudine pueri & adoleſcentes excuſantur à ieiunio vſque ad finem tertij ſeptennij: licet teneantur abſtinere à cibis prohibitis adepto rationis vſu: Item tenebuntur ieiunare volentes lucrari Iubileum ſub onere ieiunij conceſſum vel ſi imponatur à confeſſario pro pœnitentia ſacramentali. ib.
Probabile eſt licere pueris ante ſeptennium & infidelibus miniſtrare carnes & oua, quando prohibentur. ibid.
Adoleſcentes debent paulatim aſſueſcere ieiunijs. ibid.
Adoleſcentes religionem Fratrum Minorum profeſſi, tenentur ad ieiunia regulæ, licèt nondum expleuerint annum ætatis 21. Ad ieiunia tamen vigiliarum, & quatuor temporum, non plus obligantur, quàm cæteri fideles. ibid.
Probabile eſt, illum, qui vouit ſe ieiunaturum certis diebus in perpetuum ſeu toto tempore, excuſari, poſtquam ad ſexageſimum ætatis annum peruenerit: ſi autem vouerit ſe ieiunaturum etiam poſt annum ſexageſimum, vorum obligaret, ſi ſe-

si senectus sit satis robusta. ibid.
Frater Minor non committit duplex peccatum frangendo ieiunium in sexta feria intra festum omnium Sanctorum & Natiuitatem, & intra Quadragesimam vsque ad Resurrectionem. ibid.
Labor, cum quo non sufficit laboranti vnica refectio, excusat à ieiunio, etiamsi sit voluntariè susceptus, & præuita lassitudo reddens impotentem ad ieiunandum. 7
Defatigatus ex labore voluntariè assumpto, ob finem inhonestum iuxta veriorem sententiam, solùm peccat contra illam virtutem, cui contrariatur ille finis inhonestus, non autem contra præceptum ieiunij. ibid.
Si quis in fraudem ieiunij se defatigaret, secundùm quosdam peccaret desiderio illo frangendi ieiunium: iuxta alios autem minimè: quia non interuenit fraus, sed fuga quædam obligationis. ibid.
Ob laborem eximuntur à ieiunio quotquot labore suo victitant, cum quo probè ieiunium consistere nequit: vt sunt agricolæ, fabri-ferrarij, lignarij, cæmentarij, argentarij, textores, pistores, sutores, coqui molitores, fullones, lanarij, coriarij, &c ib.
Hi omnes operarij exercentes artes laboriosas non tenètur ieiunare, etiamsi diuites sint: non solùm eo die, quo laborant, verùm etiam eo die, quo laborem intermittunt. ibid.
Suscipientes inter pedestre excusantur à ieiunio: quantum autem debeat esse iter pro singulis diebus, vt excuset à ieiunio: verius est nullam posse dari certam mensuram longitudinis itineris, ad excusationis legitimam rationem. ibid.
Iter habentes in curru, vel equitantes, regulariter non sunt immunes à ieiunio. 7
Non excusantur à ieiunio mechanici, quorum labor est exiguus, vt sunt pictores, sculptores, sartores & Barbitonsores, &c. 8
Scholares tenentur ad ieiunium: quando autem studium est continuum, & assiduum possent excusari, quia magis debilitat quàm quodlibet exercitium corporale. ibid.
Excusantur etiam illi, qui damni vitandi vel notabilis lucri, cuius occasio non semper datur, captandi causa laborant, etiamsi ex officio non soleant. ibid.
Omnes, qui officio suo fungi nequeunt cum ieiunio, excusantur, etiamsi labor non sit nisi ingenij: hinc Aduocati, Procuratores & iudices, qui multum laborant, excusantur à multis, sicut & scribæ seu Notarij, qui per totum diem scribunt. ibid.
Apud Typographos non excusantur à ieiunio typos colligentes, versantes autem prælum excusantur. ibid.
Pietas excusat etiam à ieiunio: vnde ob illam excusantur omnes, qui operibus præstantioribus, vel maioris momenti incumbunt, quæ ipsi vna cum ieiunio perficere non possunt ob notabilem debilitatem. 9
Concionatores, qui singulis diebus in Quadragesima concionantur, eximuntur ab obligatione ieiunandi: idem dicendum de illis, qui concionantur ter vel quater in hebdomada: Qui verò per annum in diebus festis concionantur, non tenentur ieiunare pridie ante concionem & in die concionis quando commodè ieiunare non possunt, nam si possent, tenerentur. ib.
Lectores non sunt omnes excusandi à ieiunio, sed tantùm illi, quorum labor improbus est, vel complexio debilior. ibid.
Confessarij pro iis diebus, quibus exercent suum munus per maiorem partem diei, & confessiones laboriosæ sunt, eximuntur etiam à ieiunio: si tamen confessarii audirent per plures horas confessiones peccatorum venialium, non excusarentur. ibid.
Ornantes templa, non subduntur præcepto ieiunii, labor enim quem subeunt, notabilis est. ibid.
Communis sententia est, peregrinantes ad loca sancta non excusari à ieiunio, si peregrinatio commodè differri possit: probabile tamen est voluntariam peregrinationem posse suscipi, etiamsi ob laborem non possit seruari ieiunium. ibid.
Exercentes supradicta opera pietatis voluntariè, siue ob lucrum, siue ob aliam causam, & non ex officio, obedientia, aut voto, immunes sunt à ieiunio. ibid.
Excusatur etiam coniux, qui cum ieiunio debitum reddere coniugi non potest moderatè: non potest autem quis non seruare ieiunium, vt valentior sit in vsu matrimonij, secluso periculo incontinentiæ alterius coniugis. 10
Vxor excusatur, quam maritus ieiunare non permittit, eò quòd metuat eius valetudini vel formæ: vel quando à marito frangere ieiunium præciperetur, & ex inobedientia notabiles diffidiæ exoriundæ forent. ibid.
Mulier Catholica nupta hæretico potest non ieiunare, si maritus hæreticus præcipiat, secluso contemptu religionis: tamen si vxor posset facilè inducere maritum, vt id sibi permittat, teneretur inducere, & ieiunare. ibid.
Fœmina nubere volens excusatur à ieiunio totius quadragesimæ, si ob illud esset deformis efficienda notabiliter: tenebitur tamen bis aut ter in hebdomada ieiunare, si ob id eius forma notabiliter non offendatur. ibid.
Dubitans an habeat iustam non ieiunandi causam, tenetur ieiunare, nisi dubium deponat consilio Parochi, vel confessarij, vel alterius boni viri, aut alia ratione, vel nisi dispensationem obtineat a Superiore. 11
Qui dubitat an expleuerit 21. annum, post adhibitam sufficientem diligentiam, non tenetur ad ieiunium. ibid.
Si quis dubitet, an die Iouis sit hora duodecima mediæ noctis adhuc potest edere carnes: quia est in possessione dies Iouis: E contra si hodie sit dies veneris, aut ieiunij, & dubitetur an sit media nox, non potest quis edere carnes; quia possessio est pro præcepto. ibid.
Præceptum de seruando ieiunio à media nocte in mediam noctem, est intelligendum de media nocte moraliter computata, non autem mathematicè. 11
Obligatio ieiunandi tolli potest per dispensationem, quam dare potest absolutè Summus Pontifex, tollendo etiam omninò legem ieiunij, Episcopi possunt etiam dispensare, cum adest rationabilis causa: non tamen possunt abrogare præceptum de ieiunio, si sit vniuersale, secus si sit ab ipso vel suo prædecessore latum. Prælati regulares possunt dispensare suos subditos, sicut Episcopi suos. 12

Ieiunium naturale.

De ieiunio naturali vide v. *Communio sacra* n. 40. 41. 42. & seq.

Ignominia.

Inferentem ignominiam licèt occidere, si aliter ignominia vitari nequit, & fuga ignominiosa sit viro honorato. n. 22
Homines plebei infimæ conditionis alapa vel fuste percussi, non possunt occidere, quia exinde non magnam sustinent ignominiam. ibid.

Ignorantia.

Ignorantia alia est iuris, alia facti, alia pœnæ. n. 1
Ignorantia alia est iuris communis, alia particularis. 2
Ignorantia iuris vel facti, alia est probabilis, inuincibilis, & inculpabilis, alia est improbabilis, vincibilis, & culpabilis. 3
Ignorantia vincibilis, alia est affectata, alia crassa, & supina. 4
Ignorantia, alia est antecedens, alia comitans, alia consequens. 5
Ignorantia inuincibilis dari potest iuris diuini, mysteriorum fidei, aliquorum præceptorum naturalium, & multò magis legum humanarum. 6
Ignorantia tam iuris quàm facti inuincibilis aut probabilis excusat à peccato. 7
Ignorantia inuincibilis non excusat à peccato per eam commissa, quando huius ignorantiæ causa data est propria vel aliena voluntate nobis imputabili. ibid.
Ignorantia inuincibilis seu excæcatio quæ ex peccato originis proximè venit, non excusat à peccatis, quæ ex ea committuntur. ibid.
Ignorantia inuincibilis probatur in foro externo per iuramentum ipsius, qui ex ignorantia legem non impleuit, si præsumptio plena non sit contra ipsum quod legem scierit, aut crassè ignorauerit. 8
Qui peccatum aliquod ignorantia vincibili, aut etiam scienter commissum prætermisit in confessione, inuincibiliter ignorans se teneri ad illud confitendum, excusatur ab obligatione repetendæ confessionis. 9
Qui in prima confessione culpabiliter aut etiam scienter aliquod peccatum prætermisit, sed in requis confessionibus prætermisit bona fide, non tenetur repetere confessiones bona fide factas, sed illã tantùm, in qua scienter peccatum prætermisit. ib.
Qui per ignorantiam inuincibilem aliquid facit, vel omittit contra proprium officium, excusatur à peccato. 10
Ignorantia potest facere vt peccatum ex mortali, fiat veniale. 11
Laborans ignorantia inuincibili vnius circumstantiæ, non verò alterius, non excusatur a peccato respondente illi circumstantiæ, quam nouit, seu quam culpabiliter ignorat. 12
Qui præceptum aliquod humanum non adimplet ob inaduertentiam, vel ignorantiam, quæ ipsius culpa contingit, excusatur à peccato. 13
Peccata commissa ex ignorantia culpabili, sunt eiusdem speciei, cuius sunt peccata, quæ fiunt cum scientia. 14
Ignorantia vincibilis non est formaliter peccatum, nisi ratione ne-

negligentiæ, quam quis commisit, dum potuit scire, quæ scire tenebatur. 15
Ignorantia inuincibilis pœnæ non excusat à peccato: qui verò scit legem diuinam, vel naturalem, ignarus tamen est pœnæ iure diuino, vel naturali, vel ciuili, debitæ peccato, delinquit, huiusmodi pœnæ subeundæ subijcitur. 16
Verius est illum, qui contra ius diuinum vel naturale delinquit scienter, vel per ignorantiam culpa sua vel mala fide contractam, sed ignorans ius canonicum afficiens censura vel irregularitate vel iure petendi debitum, non incidere in pœnam iure illo canonico constitutam. 17
Ignorans reseruationem pœnalem, alicuius casus, non incurrit in illam. ibid.
Si quis vouisset non fornicari sub pœna peregrinationis, vel eleemosynæ, & postea immemor voti, fornicaretur, non teneretur ad pœnam voti: idem dic, si dum fornicaretur memor fuit voti, non autem pœnæ impositæ. ibid.
Qui bona fide transgreditur Bullas Pontificias punientes illos, qui contra facere præsumpserint, non incidit in pœnas: vnde in foro conscientiæ credendum est asserenti se fecisse bona fide: in foro autem externo probatur bona fides per iuramentum. ibid.
Ignorantia comitans excusat actionem externam à peccato, ab incurrendis censuris, irregularitate ex delicto, & à restitutione. 18
Ignorantia affectata, non solùm non diminuit, sed auget peccatum; quamuis excusetab incurrenda censura, quando in tententia continentur hæc verba, *Qui scienter hoc fecerit, vel præsumpserit*. 19
Ignorantia vincibilis siue facti, siue iuris, quę crassa est, & non excusat à culpa mortali, non excusat etiam ab incurrendis cẽsuris vel irregularitate ex delicto. 20
Annullatio actus non incurritur à legem ignorantibus, quando non est de defectu solemnitatis, sed in delinquentis pœnam. ibidem.
Ignorans inuincibiliter se esse excommunicatum, vel si scit quidem, ignorat tamen inuincibiliter esse peccatum mortale accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ cum excommunicatione, *talis* validè absoluitur, etiam quoad effectum sacramenti. 4
Ignorans culpabiliter mortaliter se esse excommunicatum, pœnitentiæ sacramentum non recipit. ibid.
Peccatum ex ignorantia inuincibili non tenemur corripere, si non adsit spes fructus & emendationis. 10
Quando proximus peccat ex ignorantia vincibili contra legem diuinam vel humanam, & spes adest emendationis, corripere tenemur. ibid.
Qui exercet aliquod officium, & sua ignorantia crassa damnum aliquod sequitur, ad restitutionem tenetur. 6
Coniux, qui ex ignorantia iuris vel facti inuincibili contraxit affinitatem vel cognationem spiritualem cum suo coniuge non priuatur iure debitum petendi. 16
Potest dari ignorantia inuincibilis rerum fidei, tam earum quæ sunt necessariæ ex medio, quàm ex præcepto. 13
Qui ex ignorantia crassa errorem aliquem profert contra fidem, quem adhuc voluntariè proferret, si sciret, hæresim committit. 4
Qui per ignorantiam crassam aut affectatam ignorans se esse excommunicatum maiori excommunicatione, vel suspensum, vel interdictum, ordines sacros suscipit, est irregularis. 1
Quando & quomodo confessarius teneatur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia inuincibili vel vincibili inualidè contraxit matrimonium, vide verb. *Matrimonium VIII.* num. 15. & sequent. & *Confessarius IV.* num. 18.
Absolutio & dispensatio Prælatorum, vel ab eis commissionem habentium, ex virtute priuilegij, quod ipsi ignorant, valet. 27
Ex ignorantia inuincibili, posset quis excusari ab homicidio seipsius, puta ad vitandam ignominiam, vel seruandam castitatem. 9
Ignorantia, inaduertentia, vel obliuio excusat ab incurrenda irregularitate excommunicatum, suspensum vel interdictum exercentem solemniter vel ex officio actus maioris ordinis. 5
Plura de ignorantia vide v. *Actus humanus II.* n 8. & seq.

Illegitimus.

Illegitimus non censetur expotius, si facta diligentia nihil reperitur in contrarium. 2.
Illegitimus non potest admitti in religione in qua pater eius siue ante, siue post natiuitatem professus fuerit, si adhuc sit superstes. 10
Illegitimus est incapax Episcopatus & cuiusuis beneficij habentis curam animarum, nisi per Pontificem dispensetur. 1
Cum illegitimo dispensat Episcopus ad beneficium simplex, & ad Canonicatum etiam Ecclesiæ Cathedralis. ibid.
Illegitimus, etiam cum dispensatione Episcopi, non potest habere vllum beneficium vbi pater est, aut fuit præfectus, aut etiam Canonicus. ibid.
Illegitimus appellatur ille, qui non est ortus ex legitimo matrimonio, sed potius ex fornicatione, vel stupro, vel incestu, vel adulterio. 1
Illegitimus est irregularis, quamuis occultus. ibid.
Plura de illegitimis vide, verb. *Irregularitas III.*
Cum illegitimis sibi subditis dispensare possunt prælati regulares, ad quascumque dignitates & officia ordinis. 7
Illegitima non potest esse Abbatissa vel Prioriss absque dispensatione: quam dare possunt Generales & Prouinciales Ordinum Mendicantium. 5

Illeteratus.

Illiteratus iure canonico est irregularis: & cum omninò illiterato non potest Summus Pontifex dispensare, vt ordines recipiat, qui requirunt scientiam. 2
Cum religiosis non multum literatis possunt Episcopi dispensare, vt ad sacros ordines promoueantur. ibid.
Collatio beneficij facta omninò illiterato est irrita. 7
Illiterati non possunt ad religionem recipi in clericos, bene tamen in laicos. 14

Imagines sacræ.

Vsus sacrarum imaginum licitus est, & honestus, si prudenter fiat: & hoc est de fide. 10
Plura de vsu Sacrarum imaginum, Vide verb. *Adoratio* num. 9. & seq.

Immunitas.

Immunitas Ecclesiastica quoad locum est exemptio seu priuilegium Ecclesiæ seu templo cõcessum, vt ibi existentes tuti sint à laica potestate, & delinquentes ad illa loca confugientes per vim extrahi non possint. 1
Ecclesia authoritate Episcopi fundata, gaudet Ecclesiastica immunitate, licet pollura vel interdicta sit. 2
Nomine Ecclesiæ, quoad hanc materiam immunitatis, venit tota Ecclesiæ fabrica: & extenditur hæc immunitas iure communi ad quadraginta passus vel triginta ad confinia Ecclesiæ. 3
Priuilegio immunitatis Ecclesiasticæ gaudent Monasteria, domus regulares & seculares, locive sacri, aut religiosi, hospitale seminarium, Palatium Episcopi, & Oratoria. 4
Sacrilegium committitur contra loci sacri reuerentiam & immunitatem dum delinquens capitur a satellitibus fori secularis, qui intra Ecclesiam, &c. se recepit. 5
Immunitas Ecclesiæ non violatur dum reus extra locum sacrum comprehensus, deducitur ad carceres per cœmeterium aut Ecclesiam. 6
Reus seipsum offerens nolens loci sacri immunitate frui, si capiatur in Ecclesia, non violatur immunitas illius. ibid.
Non violatur item immunitas, dum reus blanditijs aut deceptione extractus a loco sacro, capitur extra illum. ibidem.
Reus amplexans Sacerdotem deferentem Eucharistiam gaudet immunitate. ibid.
Immunitate gaudent omnes fideles, præter hæreticos in delicto hæresis, in omnibus casibus, seu causis tam ciuilibus, quàm criminalibus, exceptis casibus in iure & constit. *Gregorij XIV.* expressis. 7
Infideles, qui fieri volunt Christiani, protegendi sunt Ecclesiæ immunitate. ibid.
Prælatus Ecclesiasticus potest clericos à loco sacro extrahere, etiam in illis casibus, in quibus laici extrahi non possunt à iudice seculari. ibid.
Debitores, blasphemi, modò non sint hæretici, adulteri, in loco sacro existentes, gaudent Ecclesiæ immunitate. 8
Immunitate non gaudent latrones publici, depopulatores agrorum, committentes homicidia seu mutilationes in Ecclesijs, aut earum cœmeterijs. 9

Committentes alia delicta in Ecclesia præter homicidium vel mutilationes, non priuantur immunitate. 9
Qui proditorie proximum suum occiderunt, priuilegio immunitatis destituti sunt. 10
Rei assassinij immunitate priuati sunt, modò occisus sit Christianus. 11
Rei hæresis priuantur immunitate Ecclesiastica. 12
Rei criminis læiæ maiestatis in personam Principis non gaudent priuilegio immunitatis, ibid.
Immunitas Ecclesiastica multos parit effectus. 13
Extrahens delinquentem è loco sacro, peccat peccato sacrilegij & iniustitiæ. 14
Si reus extractus è manibus satellitum confugiat ad Ecclesiam, est restituendus curiæ sæculari, quæ fuit iniustè priuata: quidam tamen docent hunc gaudere immunitate. ibid.
Immunitatis Ecclesiasticæ violator varias pœnas incurrit, tum iure ciuili, tum Canonico. 15
Prælati locorum gaudentium immunitate, tenentur reum ad locum immunem confugientem, tradere curiæ sæculari, si ob crimen priuilegium immunitatis amisit: obtenta tamen prius facultate ab Episcopo. 16
Clerici non possunt expellere confugientes ad Ecclesia & alia loca immunia sed debent suscipere defensionem confugæ: tamen hi immoderatè se gerant in locis immunibus, possunt expelli. 17

Imperator.

Imperator dum coronatur communicat sub vtraque specie. 50
Leges latæ ab Imperatore vel ab aliquo Rege vel Principe habente plura regna vel prouincias, promulgari debent in singulis prouincijs. 3
Leges imperiales iure communi requirunt duorum mensium spatium & promulgationem in singulis prouincijs. 4
Leges ciuiles potest ferre Imperator legitimè electus in regna & prouincias sibi subditas, non verò in orbem vniuersum. 7

Imperium.

Imperium est actus intellectus præsupposita voluntate, quo homo sibi loquitur, impellendo potétias executrices ad id quod iudicatum est esse faciendum. 12
Plura de imperio, vide *Actus humanus* III. n. 12. & sequent.

Impedimenta matrimonij.

Impedimenta matrimonium dirimentia iure nouo sunt quatuordecim. 6
Plura de his impedimentis, vide verb. *Matrimonium* VII.
Impedimenta non dirimentia Matrimonium sunt quinque.
De his impedimentis, vide verb. *Matrimonium. V III.*
Impedimenta quæ superueniunt matrimonio iam contracto & impediunt debiti petitionem, sunt, cognatio spiritualis affinitas, votum, ordo, &c. 6

Impotentia.

Impotentia loquendi excusat ab integritate materiali confessionis. 5
Ex impotentia coeundi coniux excusatur à reddendo debito. 6
Quando impotentia intra vas seminandi coniugibus superuenit matrimonio consummato, nullatenus illis licita est coniugalis copula, sed tantùm amplexus, oscula, & tactus, modo periculum pollutionis absit. 13
Impotentia perpetua coeundi, quæ non potest remoueri arte humana, aut sine probabili periculo animæ aut corporis, impedit Matrimonium contrahendum & dirimit contractum. 5
De impotentiæ impedimento vide verb. *Matrimonio* VII. num. 75. & sequent.
Impotentia excusat ab obligatione recitationis diuini officij, qualis est carentia breuiarij. 5
Impotentia physica & moralis ieiunandi excusat à ieiunio. 6
Impotentia corporalis, spiritualis, & moralis excusat ab audienda Missa in die festo. 1. & seq.
Impotentia debitoris, sufficiens est causa differendæ restitutionis. 4

Impressio librorum.

Imprimere librum non licet in die festo. 8
Imprimentes & imprimi mandantes libros de rebus sacris, sine nomine auctoris & sine approbatione, sunt excommunic. §. vnic. 1.
Plura de impressione librorum, vide verb. *Excommunicatio* VIII. §. vnico.
Qui imprimit absque Pontificis licentia libros hæreticorum tractantes de Religione, aut hæresim continentes, incurrit excommunicationem Papæ reseruatam. 9
Imprimentes libros hæreticorum censentur, quicumque ad eorum impressionem propinquè cooperantur. 12

Impubes.

Impuberes torqueri non debent, quamuis terreri & virgis castigari possint. 12
Impuberes testari non possunt. 6
Impuberes non possunt constitui tutores. 3
Impuberum omnia vota in irritum reuocari possunt à patre, vel tutore, & illis deficientibus, ab hero, auo vel auia, imò ab ipsismet impuberibus, post pubertatem: modo illa vota puberes facti, non ratificauerint. 13
Si fœmina impubes haberet copulam cum puero impubere, nec malitia præueniret ætatem, non violaretur virginitas. 5
Filij familias impuberes contrahere non possunt de bonis castrensibus, vel quasi, nisi sint proximi pubertati. 26
Si duo impuberes sponsalia contrahant, neuter potest ante pubertatem resilire, pubes tamen factus, quilibet potest. 4
An sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto, resilire? Alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Verius est, impuberes non ligari ijs reseruationibus, quæ sunt annexæ peccatis carnalibus, quamuis alijs ligentur. 21
Impuberes vsum rationis habentes, admitti possunt vt testes in matrimonio. 12

Impudicitia.

Impudicitia est peccatum luxuriæ, quo solutus, vel soluta vacat tactibus libidinosis absque intentione alterius operis aut actus consummati. 1
Tactus, oscula & amplexus vel fiunt in signum amicitiæ, vel causa delectationis concubitus, vel causa delectationis ipsius tactus, vel oscula secundùm se considerati. 2
Oscula, amplexus, & tactus ex se & obiecto suo sunt res quædã indifferentes, quæ bene, & malè fieri possunt. ibid.
Oscula, tactus & amplexus causa amicitiæ secundùm patriæ cõsuetudinem, non sunt peccata, sed res per se licita; cauendum tamen est scandalum. 1
Ordinariè peccatum mortale ratione periculi non euadunt, qui sub prætextu, parentelæ, honestæ amicitiæ, morosis, & reperitis oscul is vtuntur cum persona alterius sexus. ibid.
Oscula, tactus & amplexus habita causa delectationis venereæ, inter solutos sunt peccata mortalia. 4
Tactus impudicus ex duplici capite dici potest. 1. ex ratione materiali ipsius tactus, puta si in membris verecundis mulieri, fiat. 2. Ex solo affectu impudico, vt tactus manuum, faciei, brachij, &c. Prioris generis tactus sub mortali prohibetur. Tactus verò secundi generis non plus habent malitiæ, quàm affectus impudicus suggerit. ibid.
Verius est, tactum libidinosum, & venerem dici eum, qui fit propter delectationem peccati mortalis in materia luxuriæ, non autem qui fit propter delectationem ipsius secundum. 5
Probabilius est, tactus, oscula, amplexus, quæ fiunt causa delectationis sensibilis, quę est ipsis, melius vocari delectabiles secundùm sensum tactus, quàm libidinosos. 6
Probabile est tactus, amplexus & oscula, quæ fiunt ob solam delectationem sensibilem, quæ in ipsis est, absque admixtione alterius delectationis concubitus, vel actus luxurioſi, non esse peccata mortalia. 7
In praxi tactus huiusmodi ob delectationem solam sensibilem assumpti, vitandi sunt sub peccato mortali, tamquam periculosi. ibid.
Probabile est tactus, amplexus & oscula, non excedere culpam veniale, si fiant ex sola curiositate, leuitate, ioco, vel alia simili de causa, sublato scandalo, & periculo, quòd transferantur in libidinosos: in praxi tamen probabilius est esse mortale. 8
Tactus, & oscula in coniugatis excusantur à mortali, modò non adsit periculum pollutionis extra vas. 9
Tactus, & oscula in coniugatis cum periculo pollutionis, imò cum pollutione non sunt mortalia in tribus casibus. ibid.
Mortaliter peccat coniugatus seipsum tangens propter voluptatem captandam, etiamsi absit periculum pollutionis. ibid.
Oscula & tactus non impudici, qui post sponsalia de futuro fiunt causa delectationis, excusantur à mortali, modò non

sit periculum pollutionis, vel consensus in copulam. 10
Illicitum est tangere propria pudenda cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis venereæ, si tamen quis ea tangat ex curiositate, vel leuitate, &c. non peccant mortaliter. 11
In necessitate licitum est, & propria & aliorum verenda tangere, vt causa medendi. ibid.
Mortale peccatum est, si personæ eiusdem sexus se inuicem impudicè tangant, ob delectationem veneream, secus si ex quadam leuitate, & ioco. 12
Confricans inhonestas brutorum partes intentione seminis inspiciendi, vix potest excusari à peccato mortali. ibid.
Fœmina aduertens se ab alio libidinosè tangi, & actus sunt impudici, peccat mortaliter non se retrahendo: si verò actus sunt extrinsecùs honesti, & fiunt in publico, non peccat mortaliter fœmina, se non retrahendo: secus si fiant in secreto. 13
Probabilius est, aspectum rerum turpium ob delectationem naturalem & sensitiuam tantùm non excedere culpam venialem, sublato periculo delectationis venereæ. 14
Si aspectus sit partium verendarum inter personas diuersi sexus cum aliqua mora, practicè loquendo, ita periculosus est, vt sub mortali sit vitandus, secus si ob solam curiositatem fiat, & cesset periculum magnæ commotionis in aspiciente. ibid.
Aspicere concubitum viri cum fœmina, etiam ex sola curiositate, est peccatum mortale: brutorum verò minimè, modò absit notabilis delectatio sensualis, vel eius periculum. 15
Aspicere propria pudenda ex curiositate non est mortale. ibid.
Puella, sine necessitate vel vtilitate aliqua se præbens conspiciendam adolescenti, a quo se credit turpiter concupiscendam..., mortaliter peccat peccato generali scandali. 16
Ornatus externus virorum vel mulierum, quando sit mortale peccatum vel veniale. 17
Turpiloquium non est intrinsecè malum, sed indifferens, ac proinde eius honestas vel malitia pendet ex circumstantijs adhibitis, ac fine proferentis, scribentis, vel audientis verba illa turpia. 18
Comœdijs interesse, quando turpia repræsentantur, vel modus est turpis, aut cum probabili ruinæ periculo, est mortale: secus si hæc absint. 19
Choreæ ex se non sunt illicitæ, nisi ratione loci, personarum, & modi. 20
Quando in tactibus, aspectibus, & verbis turpibus fuit commissum peccatum mortale, aperienda est communiter in confessione circumstantia personæ, tam agentis, quàm patientis. 21
Per mollitiem, oscula, tactus libidinosos, amplexus cum aliena, dissolui non potest matrimonium. 5
Plura de impudicitia vide verb. *Delectatio*. *Debitum coniugale*. *Luxuria*.

Incantatio.

Incantatio iuxta Decretum *Clementis VIII.* potest reseruari inter regulares. §. 1
Sub hoc casu comprehenduntur omnia opera magiæ superstitiosæ: de quibus *verb. Magia*. ibid.

Incestus.

Incestus est congressus cum consanguinea vel affine intra gradus prohibitos, in quibus non potest celebrari Matrimonium. 1
Veritis est coitus sodomiticos inter cognatos cognatione spirituali vel legali, addere specialem malitiam in confessione explicandam. ibid.
Coitus Sodomitici inter masculos cognatos in primo, & secundo gradu, licet propriè non sint incestus, tamen Sodomiæ incestuosæ rectè dicuntur, & ad incestum pertinent. ibid.
Incestus est grauissimum peccatum mortale. 2
Probabilius est gradus consanguinitatis differre specie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & spiritualis: gradus verò consanguinitatis non differre specie inter se, sicut nec inter se differunt gradus affinitatis. 3
Gradus incestus exprimendus est in confessione. 4
Incestus non est copula inter confessarium, & pœnitentem, neque circumstantia necessariò explicanda in confessione, modò confessarius pœnitentem non baptizauerit. 5
Incestus cum consanguinea vxoris in primo, & secundo gradu impedit petitionem debiti, nisi excuset ignorantia, & impedit, vt mortua vxore non possit aliam ducere. 6
Probabilius est incestum cum consanguinea propria impedimentum non inducere ad petendum debitum. 7
Episcopi possunt dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem. ibid.
Olim confessarij ordinum mendicantium à suis Prouincialibus deputati, dispensare poterant cum incestuosis ad petendum debitum, sed modò hoc priuilegium est reuocatum. ibid.
Propter copulam cum nouerca, seu patris vxore, filius potest exhæredari, modò non excusetur ignorantia facti. 1
Plura de incestu Vide verb. *Matrimonium* VIII. num. 7. *Fornicatio*.

Inconsideratio.

Inconsideratio non est peccatum mortale, nisi ratione periculi alicuius peccati mortalis, cui se homo exponit inconsideratè iudicando & agendo. 5

Inconstantia.

Inconstantia numquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur persistere. ibid.

Incorrigibilitas.

Incorrigibilitas iure communi iusta causa est expellendi religiosum è monasterio. 3
Quis autem dicendus sit incorrigibilis Vide ver. *Religio* VI. n. 3. & 4.

Indicia.

Indicia sunt signa & circumstantiæ, ex quibus prudenter & rationabiliter iudicamus de actibus aliorum: & sunt in triplici differentia. Alia sunt leuia: alia sunt grauia: alia sunt indubitata. 4

Indignus.

Indignus beneficio dicitur, qui vel est irregularis ex ignorantia, morbo, infamia, &c. vel non putatur futurus vtilis, nec aptus officio. 1
Indignus coniux dicitur, cum quo alter non potest contrahere sine de decore, iuxta vsum illius regionis, v. g. si sit infamis, aut depravatis, moribus, aut maximè dispar diuitijs, &c. 3
Si compromissarij indignum eligant, ipso iure in pœnam delicti suspenduntur à beneficijs, quæ obtinent in Ecclesia quam offenderunt. 4

Indignatio.

Indignatio est, cùm contemnitur & vilipenditur ille, cui irascimur, tamquam indignus à quo tale quid patiamur. 3

Inductio ad peccatum.

Qui alterum suasione aut exemplo ad peccandum induxit, non tenetur ex iustitia, sed ex sola charitate ad emendationem ei procurandam: secus qui alterum induxit fraude, dolo, vel iniusto metu ad peccatum. 21
Plura de inductione ad peccatum verb. *Scandalum*.

Indulgentia.

Indulgẽtia est relaxatio pœnæ tẽporalis debitę pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini existenti in gratia à præato per applicationem Thesauri Ecclesiastici. 1
In operibus hominis iusti, duo considerantur, meritum scilicet & satisfactio. Meritum non communicatur alijs, satisfactio autem potest communicari. 1
Potestas concedendi indulgentias, primariò tamquam in causa efficiente, residet in Summo Pontifice. 2
Episcopus potest tantùm indulgentiæ concedere, quantùm illi permissum est à Sede Apostolica, vnde de iure concedit in dedicatione Ecclesiæ indulgentiam vnius anni, aliàs autem quadraginta dierum. ibid.
Summus Pontifex electus, licet non sit consecratus potest conferre indulgentias: Episcopus item modò sit confirmatus. 3
Summus Pontifex potest delegare cuicumque etiam laico facultatem indulgentias concedendi. Episcopus non, sed tantùm clerico. 4
Stando in iure communi, indulgentiæ quæ alicui conceduntur à Summo Pontifice applicandæ imaginibus, coronis &c. possunt in alterum transferri, à quo applicentur, etiamsi Pontifex concedens benedictiones dicat nolle ab alio applicari posse, quam ab eo, cui conceduntur. ibid.
Nullus Episcopo inferior potest indulgentias concedere, absque Summi Pontificis vel Episcopi licentia. 5
Prælati regulares poterant olim ex priuilegio Apostolico indulgentias concedere suis subditis per actis visitationib., sed modò est illis limitata. ibid.

Fratres Prædicatores & Minores concionantes possunt nomine suæ sanctitatis concedere suis auditoribus aliquas indulgentias. ibid.
Prælati religionum possunt alios efficere participes satisfactionum & orationum, quæ fiunt in religione, sed non possunt concedere indulgentias. ibid.
Ad valorem indulgentiæ necessaria est aliqua causa finalis, eaque honesta ac pia esse debet, & indulgentiæ proportionata. 6
Iusta causa concedendi indulgentias est honor Dei, Ecclesiæ vtilitas, communne bonum vel priuatum. 7
Cum iusta causa Summus Pontifex potest concedere indulgentias nullo iniuncto opere. 8
Probabilius est Capitulum sede vacante non posse indulgentias concedere. 9
Per susceptionem ingulgentiæ pœnitens satisfacit pœnitentiæ à confessario impositæ pro pœna peccatis debita, secus si pœnitentia in medicinam & præseruationem à peccatis imposita fuerit. 13
Indulgentiarum susceptor debet esse homo fidelis, viator Baptizatus, non infidelis, apostata à fide, excommunicatus etiam, contritus, non Catechumenus, secundum probabiliorem sententiam. 1
In eo qui vult lucrari indulgentias, requiritur vt sit in gratia: imò requiritur confessio, si illa iniungatur vt pars operis implendi, etiamsi haberet quis tantùm venialia: secus si confessio iniungatur vt dispositio ad gratiam. 2
Si quis iustus habeat venialem culpam nondum remissam, respectu illius non poterit consequi effectum indulgentiæ, quia non potest reatus pœnæ auferri manente culpa. ibid.
Ex concessione Gregorij XIII. Patres Societatis, quando ad acquisitionem indulgentiæ plenariæ vel Iubilæi requisita est confessio & Eucharistia, si per ætatem vel per aliud legitimum impedimentum non possunt confiteri vel communicare, indulgentiam consequuntur, & qui in inculpabiliter non receperunt, si post sublatum impedimentum, perfecerint quæ præscribuntur, indulgentiam consequantur, etiamsi dies constitutus præterierit. ibid.
Quando duæ indulgentiæ duobus immediatis diebus sunt concessæ, quarum vtraque confessionem, & communionem requirit, satis est quòd quis confiteatur & communicet in primo. ibid.
Ad consequendum effectum indulgentiæ, non requiritur, vt is qui præstat opera sit in gratia toto tempore, quo singula opera præstat, sed sufficit vt in gratia sit, quando perficit vltimum opus. 3
Probabilius est, illum, qui præstitit omnia bona opera, vel saltem vltimum opus præscriptum in Bulla ad consequendam indulgentiam in peccato mortali, non consequi indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam. 4
Ad consecutionem indulgentiæ requiritur etiam, vt qui illam est susceptarus præstet per seipsum ea quæ præscripta sunt à Superiore in concessione indulgentiæ. 5
Non consequitur indulgentiam prętermittens aliquem actum, quem iuxta probabilem vel probabiliorem opinionem credebat non esse necessarium ad consequendam indulgentiam, si talis actus ad illam est necessarius. ibid.
Verosimilior intentio concedentis indulgentias, est, vt pro qualibet indulgentia consequenda singuli actus & singula opera præstentur. 6
Quoties vnus actus non impedit alium, sed vterque simul subsistere potest, vno & eodem tempore potest quis diuersis actibus consequi plures indulgentias. 7
Indulgentiæ tantùm valent quantùm sonant. 8
Indulgentia, alia est plenaria, alia temporalis: indulgentia temporalis alia est carena, alia quadragena, alia septena. 8
Indulgentia plenaria idem valet quod plenior & plenissima: in Iubileo autem concedi etiam solet facultas vota commutandi & absoluendi à reseruatis. 10
Indulgentiæ tamdiu durant, quamdiu concedens eas durare voluerit & non vltra. 11
Indulgentia desinit esse per reuocationem concedentis, vel eius successoris, non extinguitur tamen indulgentia antequam reuocatio peruenerit ad aures eorum, quibus concessa fuerat. 12
Paulus V. reuocauit omnes indulgentias concessas per Prædecessores suos quibuslibet Regularibus ac Monialibus cuiusuis ordinis, ac decreuit, quòd loco illarum reuocatarum, omnes & singuli Religiosi gauderent solis indulgentijs in sua Bulla concessis. ibid.
Per hanc reuocationem solùm reuocantur indulgentiæ olim concessæ directè ipsis religiosis & Monialibus, non autem illæ, quæ sunt concessæ vniuersis Christi fidelibus. ibid.
Per illam reuocationem non reuocantur indulgentiæ concessæ regularibus pro defunctis, vt declarauit *Paulus V.* Nec concessæ pro articulo mortis, ex declaratione *Vrbani* VIII. ibid.
Indulgentijs concessis à *Paulo V.* possunt frui religiosi, quando extra proprias domos commorantur, visitando altaria Ecclesiarum locorum, in quibus commorantur. Item infirmi & decrepiti religiosi possunt eas consequi in lectulo suo, modò aliquod opus pium agant arbitrio confessarij & Ecclesiam adire non possint. ibid.
Indulgentia pro mortis articulo concessa, non expirat, si semel accepta sit, secundum probabiliorem sententiam. 13
Indulgentia concessa pro mortis articulo percipi solùm potest in articulo mortis vero, quando nullum requiritur confessarij ministerium. 14

Indulgentia pro defunctis.

Veritas Catholica est indulgentiarum fructus posse etiam applicari & prodesse defunctis, quando ad illos expresè extenduntur per Summum Pontificem. 1
Indulgentiæ concessæ à Summo Pontifice prosunt defunctis per modum suffragij in gratia existentibus, non per modum iudicij & authoritatis. 2
Qui facit opus ad consequendum indulgentiam pro defuncto non est necesse vt sit in gratia, quamuis requiratur quod defunctus sit in gratia. 3
Homo in hac vita degens potest indulgentiam lucrari alteri homini in hac vita existenti, ex concessione Summi Pont. 4
Indulgentia pro defuncto accepta, tantum illi prodest, quantùm prodesset accipienti, si eam pro seipso accepisset. 5
Multis de causis fit, cur multoties indulgentiæ pro eodem defuncto accipi consueuerint. 5
Plura de indulgentijs vide verb. *Iubilæus. Suffragium.*

Infamia. Infamis.

Infamia est publica opinio praua de vita & moribus alicuius: & hæc infamia, alia est iuris, alia facti. 4
Infamia iuris contingit, quando committitur delictum, cui imposita est iure canonico vel ciuili pœna infamiæ. ibid.
Delicta propter quæ iure incurritur infamia. ibid.
Infamia iuris contingit, vel quando factum est notorium maiori parti viciniæ, vel collegij, vel loci, in quo quis degit: vel per definitiuam sententiam iudicis, vel per criminis confessionem in iudicio: & hæc infamia iuris in aliquibus casibus incurritur absque proprio delicto. 4
Infamia facti ex delicto contingit, quando committitur delictum quod infame censetur apud graues & honestos viros, & debet esse notorium maiori parti viciniæ. ibid.
Infamia iuris facit hominem irregularem & inhabilem ad ordines suscipiendos, & exercendos susceptos. ibid.
Infamia facti facit hominem irregularem & inhabilem ad recipiendos ordines, quandiu delinquens non fuerit emendatus. ibidem.
Infamia quatuor modis auferri potest. 7
Prælati regulares non possunt dispensare cum fratribus infamia iuris maculatis, sed solus Papa: si tamen delictum est occultũ potest dispensari à prælatis regularibus. 4. §. 4
Licet quidam retentiores affirment omnem infamiam iuris notoriam per confessionem, aut sententiam tolli posse iure priuilegij. 7
Ad infamiam non sufficit quòd duo vel tres etiam iurati viderint reum committentem crimen, sed requiritur vt rumor de eo sparsus sit per maiorem partem viciniæ, vel collegij, vel vniuersitatis in qua commoratur. 8
Infames quocunque modo siue infamia iuris siue facti, non possunt eligi dignitates & honores. 9
Infames infamia meri facti, bene poterit promoueri, si reuera fuerit emendatus. ibid.
Infamis infamia iuris vel facti legalis, id est, quod fouetur à lege, non potest eligere: infamis tamen infamia meri facti potest eligere. ibid.
Accusatus, denunciatus vel inquisitus de aliquo crimine, interim pendente accusatione, denunciatione, vel inquisitione nõ potest promoueri. ibid.

Qui-

Qui eumque iure infames repelluntur ab accusatione, excepto crimine hæresis, proditionis, vel læsæ maiestatis. 4
Infames iuris aut facti testes esse non possunt. 1
Qui infamis est de vno aut altero crimine, non ideò ius amisit quod habet in alijs virtutibus, ideò non potest de alijs infamari, si sint alterius generis. 9
Infames & buffones, histriones, carnifices alijque similes non debent ad religionem recipi: si tamen recipiantur, eorum professio valida erit. 12

Infidelis.

Infidelis non astringitur legibus Ecclesiasticis. 1
Inter fidelem & infidelem est irritum iure Ecclesiastico matrimonium. 42
Plura de matrimonio fidelis cum infidelis vide verb. *Matrimonium V II.* n. 42. & seq.
Infidelitas, non quidem sola, sed ob aliquam circumstantiam ei annexam, est causa iusta belli. 4
Infidelium filij ordinariè non sunt baptizandi inuitis parentibus: dantur tamen aliqui casus in quibus hoc licitum est. 5. & seq.

Infidelitas.

Fides habet duo vitia contraria, vnum per excessum, alterum per defectum. 1
Infidelitas est triplex, negatiua, priuatiua, & positiua. 2
Infidelitas negatiua non est peccatum. 3
Infidelitas priuatiua semper est peccatum: vnde grauiter peccant catholici, qui negligunt discere articulo fidei, quos expressè scire tenentur, non tamen peccant peccato infidelitatis. 4
Infidelitas positiua semper est peccatum mortale, nisi excusetur ob indeliberationem: non est tamen peccatum grauissimum omnium peccatorum, licet superet omnia peccata, quæ opponuntur virtutibus moralibus. ibid.
Infidelitas positiua tres sunt species, Hæresis, Iudaismus, Paganismus. 6
Ante Christum duæ tantùm fuerant species infidelitatis, hæresis & paganismus. ibid.
Nemo potest simul esse hæreticus, Iudæus & Paganus: nec hæreticus & Iudæus: nec hæreticus & paganus: nec Iudæus & paganus. ibid.
Hæ species infidelitatis sunt accidentales: non sufficit tamen dicere in confessione tui infidelis tamdiu, sed necesse est etiam exprimere genus hæresis, imò qualitatem errorum suorum in particulari. ibid.
Infideles baptizati vt hæretici & apostatæ, possunt cogi ab Ecclesia vt fidem retineant. 7
Infideles, qui nunquam fidem susceperunt, non sunt compellendi ad eas suscipiendam: licet compelli possint à suo Principe Christiano vt seruent legem naturæ, & ne impediant fidei prædicationem. 8
Ritus infidelium, qui non sunt baptizati, tolerati non debent, nisi aut propter maius malum vitandum: aut ne maius aliquod bonum impediatur, videatur expedire quòd tolerentur. 9
Ritus hæreticorum non sunt tolerandi, quando in Principum Catholicorum potestate est, eos extirpare, vel impedire absque notabili iactura boni communis. ibid.
Libertas religionis à Principe Catholico introduci non potest, neque permitti, imò omnibus modis illam impedire debet: tamen si id facere non possit sine grauiori incommodo boni publici & Catholicæ religionis, potest eam tolerare tamquam minus malum ad euitandum maius. 10
Licitum est communicare cum infidelibus non baptizatis in rebus politicis ac ciuilibus: secus tamen in ijs rebus, & actionibus, quæ directè pertinent ad cultum infidelitatis. 11
In multis casibus specialiter prohibetur communicatio cum Iudæis. ibid.

Informatio.

Informatio seu inquisitio fieri debet in receptione nouitiorum ad ordinem religiosum iuxta constitutiones *Sixti V. & Gregorij XIV.* 15

Ingressus Ecclesiæ.

Ab ingressu Ecclesiæ interdictus, non potest in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri, nisi dederit signa contritionis. 23
Ab ingressu Ecclesiæ interdictus non potest in Ecclesia celebrare & Sacramenta administrare, & fit irregularis exercendo ordines sacros in Ecclesia. ibid.
Interdictus ab ingressu Ecclesiæ mortaliter peccat, audiendo formaliter diuina officia, quamuis non fiat irregularis. 24
Huiusmodi interdictus potest in Ecclesia exercere actus iurisdictionis in foro exteriori, non verò ordinis: item potest in Ecclesia recipere Sacramenta, quando non celebrantur ibi diuina officia. ibid.
Vide verb. *Suspensio II.* n. 14.

Ingressus religionis.

Pro ingressu in religionem, seu pro ipsa professione, vel statu religioso accipere aliquid tamquam pretium secundùm se simoniacum est. 9
Multas pœnas inducit simonia realis commissa circa religionis ingressum. 3
Qui possint religionem ingredi, & qui non, vide verb. *Religio II.*
Ingressus religionis, an liberet à restitutione? Vide verb. *Restitutio V.* num. 16.

Inhabilitas, Inhabilis.

Inhabilitas ad beneficia eorumque fructus, item ad dignitates & officia Ecclesiastica, est effectus excommunicationis. 15
Inhabiles ad officia, & priuatos ab illis, restituere possunt prælati regulares, etiam in foro externo, si aliàs Papa non reseruauerit talium dispensationem. 18
Confessarius habens priuilegium absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, censuris & pœnis consurgentibus ex eis, potest absoluere in foro conscientiæ ab istis priuationibus & inhabilitatibus. ibid.
Pœna priuationis officiorum & inhabilitatis ad illa, secundùm probabiliorem sententiam, non incurritur absque iudicis sententia declaratoria criminis. 16
Qui acquirit beneficium per simoniam realem est ipso facto excommunicatus, & inhabilis ad idem beneficium obtinendum. 2
Contra schismaticos est imposita pœna inhabilitatis ad beneficia imposterum obtinenda. 5
Inhabiles iure naturæ ad ministrandum in ordinibus suscepris sunt, perpetuò amentes, cœci, muti, priuati manibus, & similes, iure autem Ecclesiastico inhabiles sunt omnes irregulares. 6

Inimicus.

De necessitate charitatis est, vt inimici diligantur, in quantum homines sunt, capaces scilicet æternæ beatitudinis. 13
Præceptum diligendi inimicos est naturale, non positiuum, ac proinde in ordini lege locum habuit. ibid.
Quomodo inimici sint diligendi, vide verb. *Charitas* num. 13. & 14.
Inimicus repellitur ab accusatione. 13

Innocentes.

Innocentes tempore belli possunt directè spoliari finis boni, quãdo ex eis creduntur iuuandi vel muniendi inimici: non licet tamen per se eos occidere: per accidens tamen possunt occidi, v. g. si nequeat arx aut ciuitas expugnari, nisi diruatur aut incendatur. 11
Innocentes, qui non sunt membra hostilis Reip. non possunt capi & in seruitutem redigi, nisi fortè per accidens. ibid.
Inuasus, si non possit se tueri nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, potest se defendere cum illo periculo. 15

Inquietudo mentis.

Inquietudo mentis est vehemens applicatio mentis, cum timore coniuncta: est mortalis si res ipsa de qua sollicitamur est mortalis, vel quando in ipsa re temporali constituitur finis vltimus. 2

Inquisitio.

Inquisitio triplex est, generalis, specialis, & mixta. 3
Ad inquisitionem generalem faciendam, non est necesse, vt aliqua infamia præcesserit, vel accusator, vel denunciatio. 6
Plura de Inquisitione vide verb. *Iudicium publicum.*

Interdictum.

Interdictum est Ecclesiastica censura, sacramentorum vsum, diuina officia, & sepulturam Ecclesiasticam secundum seipsam prohibens. 1

Interdictum aliud est locale, aliud personale, & aliud mixtum. ibidem.

Interdicto loco, non censetur interdictus populus, nisi aliud exprimatur, & posito interdicto personali, non censetur positum interdictum locale, nisi hoc exprimatur à iudice. 2

Interdictum locale generale illud est, quo interdicitur locus vniuersalis: vt regnum, aut prouincia, aut diœcesis, aut ciuitas, aut villa, aut castrum. 3

Interdictum personale generale est, quo interdicitur generaliter populus totius regni, vel prouinciæ, vel ciuitatis, vel villę, vel castri: speciale verò, quo interdicitur pars aliqua populi communitatis. 4

Interdicto clero non censentur interdicti religiosi: interdicto populo, non intelligitur interdictus clericus & è contra. ibid.

Ciues communitatis interdictæ qui abiunt dum fertur interdictum, subiacent interdicto, si verò aliò transferant domicilium, desinunt esse interdicti. 5

Amentes & pueri carentes vsu rationis, non censentur interdicti interdicta communitate, hi tamen priuantur Ecclesiastica sepultura tempore interdicti. 6

Interdicta aliqua ciuitate, intelliguntur etiam interdicta suburbia, etiamsi illa loca sint alterius diœcesis. 7

Censentur etiam interdictæ religionum Ecclesiæ exemptæ, interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, ex Tridentino. 8

Interdicta Ecclesia intelliguntur interdictæ capellæ & cœmeteria contigua Ecclesiæ. 9

In interdicto personali, non includitur iudex, qui tulit interdictum: in locali verò interdicto, iudex ipse etiam includitur, vel superior vel æqualis. 10

Interdictum.
Quoad illius effectus.

Effectus interidicti, sunt priuatio actiua, & passiua quorumdam sacramentorum: priuatio actiua & passiua diuinorum officiorum, & similis priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ. 1

Tempore interdicti localis generalis & specialis possunt administrari sacramenta Baptismi & Confirmationis, paruuli & adultis, infirmis aut sanis, idque solemniter, publicè & ianuis apertis. 2

Interdictus personaliter interdicto personali generali, potest recipere Sacramentum confirmationis: speciali verò & personali interdicto ligatus, non sicut & qui causam dedit interdicto. 3

Licet baptismum ministrare solemniter personę interdictæ interdicto personali generali: specialiter verò interdictæ extra necessitatem non licet. ibid.

Pœnitentiæ Sacramentum tempore generalis interdicti localis conceditur sanis & ægrotis, exceptis excommunicatis & illis, quorum culpa, dolo & fraude latum est interdictum, & illis, qui ad tale delictum auxilium, consilium dederunt. 4

Eucharistiæ Sacramentum infirmis existentibus in probabili periculo mortis, tempore interdicti localis administrari potest, cum solita solemnitate. 5

Sacerdotes non celebrantes & alij clerici sæculares sani tempore interdicti Eucharistiam sumere non possunt. ibid.

Sacerdos, qui sublato interdicto habet ius administrandi Sacramentum Eucharistiæ, potest illud administrare tempore interdicti in articulo mortis, modò non sit specialiter interdictus & causam non dederit interdicto. 6

Ad implendum annuæ communionis præceptum, non licet, nec obligantur fideles recipere sacramentum Eucharistiæ, tempore interdicti localis generalis. 8

Extremæ-vnctionis sacramentum non est ministrandum personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, nisi aliquibus sit permissum ex priuilegio. 8

Extra casum necessitatis, Sacramentum Ordinis administrari non potest tempore interdicti localis. 9

Probabilius est non esse licitum personis interdictis, aut tempore interdicti localis contrahere matrimonium, nisi forte contrarium receptum sit per consuetudinem. 10

Sponsalia de futuro licitè & valide fieri possunt tempore interdicti, siue in loco interdicto, siue inter personas interdictas. 11

Benedictiones quæ fiunt super coniunctos, licitæ sunt tempore interdicti localis generalis, modò fiant sine solemnitate & ianuis clausis. ibid.

Tempore interdicti localis generalis prohibitum est celebrare missas & diuina officia publicè in loco interdicto. 12

Nomine officij diuini intelligitur illud, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico, seu à persona consecrata vel deputata ad illud officium. ibid.

Obligati ad horas, possunt & debent eas priuatim recitare, tempore cuiuscumque interdicti. 13

Tempore interdicti localis generalis iure conceditur, vt singulis diebus in Ecclesiis & monasterijs celebrari possit, submissa voce, ianuis clausis, non pulsatis campanis, & exclusis excommunicatis & interdictis. 14

Tempore interdicti localis specialis non est licitum, singulis diebus celebrare diuina officia vel missas, sed solùm licet semel in hebdomada missam celebrare pro renouanda Eucharistia, vbi illa asseruatur. 15

In festiuitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis Beatę Virginis, Corporis Christi cum octaua, Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis cum octaua, licet tempore interdicti localis generalis non verò specialis, celebrare missas & diuina officia publicè & solemniter. 16

Infantes carentes vsu rationis, amentes, clerici non coniugati etiam extranei, habentes priuilegium assistendi diuinis officijs cum sua familia, possunt admitti ad diuina officia, tempore interdicti localis generalis. 17

Priuatio sepulturæ Ecclesiasticæ est, non posse sepeliri in loco ab Episcopo consecrato, vel in cœmeterio ab Episcopo benedicto cum pompa funerali Ecclesiastica. 18

Tempore interdicti localis, non possunt laici, quamuis non interdicti, sepeliri in loco sacro interdicto, bene tamen in loco non interdicto: laici verò interdicti possunt sepeliri in campo. ibid.

Laici habentes priuilegium assistendi diuinis officijs, morientes tempore interdicti possunt sepeliri in loco sacro. ibid.

Probabilius est tempore interdicti localis generalis licitum esse in loco sacro interdicto sepelire laicos adultos, in ijs festiuitatibus, in quibus secundùm ius publicè possunt celebrari diuina officia. 19

Non possunt infantes, vel amentes sepeliri in loco sacro tempore interdicti localis. 20

Laicus tempore interdicti sepultus in loco non sacro, sublato interdicto, exhumandus est, & speliendus in loco sacro. 21

Sepeliens laicum interdictum interdicto personali generali non peccat: si autem interdictus sit nominatim, incurrit excommunicationem. 22

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ, non potest in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri, nisi fortè dederit ante mortem signa contritionis. 23

Huiusmodi interdictus non potest in Ecclesia celebrare, Sacramenta administrare, nec vllam actionem ordinis sacri in Ecclesia exercere, sub pœna irregularitatis ipso facto incurrendæ. ibid.

Interdictus ab ingressu Ecclesiæ non potest formaliter audire diuina officia: tamen si tempore diuinorum officiorum transiens per Ecclesiam alio fine aliquid incidenter audiat, non peccabit mortaliter. 24

Clerici, religiosi & moniales eorumque nouitij non interdicti, qui seruarunt interdictum, nec ius causam culpabilem dederunt, possunt sepeliri in loco etiam specialiter interdicto, modo hoc fiat sine solemnitate, & submissa voce, ianuis clausis &c. 25

Quando interdicitur clerus non comprehenduntur personæ religiosæ, nisi religiosus haberet beneficium sæculare: si autem interdictum feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarú, comprehenduntur religiosi, quamuis conuersi & moniales, nouitij, imò & eremitæ. 26

Specialia regularium priuilegia vt pro suis festis & per eorum octauas, alijsque certis diebus non seruent interdictum, non sunt reuocata per Concilium Tridentinum. ibid.

Interdictum.
Quoad peccatum & pœnas illud violantium.

Laici violantes interdictum locale generale, speciale, vel personale, ex suo genere mortaliter peccant, & ligantur excommunicatione cogentes aliquem celebrare diuina officia in loco interdicto. 1

Clerici

Clerici tam seculares, quam regulares violantes interdictum, vltra peccatum mortale quod committunt, varijs pœnis afficiuntur. 2
Clericus interdictus conferens sacramenta in loco interdicto, irregularitatem incurrit; secus si nec ille, nec locus sit interdictus, sed tantùm confert interdicto. 3
Clericus violans interdictum per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, non incurrit irregularitatem, dum illam actionem facit vt laicus. 4
Clericus celebrans coram interdicto, non incurrit irregularitatem, licet peccet mortaliter communicans cum nominatim interdictis, in rebus, à quibus sunt interdicti. 5
Clericus quamuis exemptus admittens ad diuina officia excommunicatos publicos vel interdictos, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ donec satisfaciat. ibid.
Nominatim interdicti denunciati dicuntur illi, qui exprimuntur nomine proprio, vel nomine officij, vel alio signo. 6
Communicans cum interdicto in rebus humanis, non peccat: sicut non est peccatum communicare cum interdicto non denunciato nominatim. 7
Quando fertur personale interdictum contra aliquod collegium vel communitatem, singuli illius collegij vel communitatis sunt nominatim denunciati interdicti, secundùm probabiliorem sententiam. 6

Interdictum. Quoad illius causas.

Causa efficiens interdicti est illa eadem, quæ potest alias censuras ferre; videlicet Papa, Episcopus Prælati religionum: hi tamen Prælati possunt tantùm ferre interdictum personale. n. 1
Subiectum interdicti personalis sunt homines, non solùm particulares, sed etiam communitates: Episcopi tamen non possunt interdici per sententiam generalem. 2
Interdictum personale aut locale ferri potest à Summo Pontifice, etiam in totum orbem, vel à Concilio Generali sede vacante; similiter tota diœcesis Episcopi potest ab illo interdici cum causa sufficiente. ibid.
Causa materialis interdicti personalis specialis est culpa mortalis propria: interdicti personalis verò generalis est grauior causa seu culpa, quàm specialis. Grauissimam autem causam & communem requirit interdictum locale generale, Minorem tamen requirit interdictum locale particulare. 3
Causa finalis interdicti, est resipiscentia & emendatio delinquentis. ibid.

Interdictum. Quoad eius relaxationem.

Interdictum latum pro delicto purè præterit absque vlla adiecta conditione, vel temporis limitatione, auferri non potest, nisi per relaxationem aut absolutionem superioris. n. 1
Interdictum latum vt pura pœna pro peccato præterito, & pro tempore definito, elapso tempore cessat, sine absolutione. ibidem.
Quando interdictum fertur, vt recedatur à contumacia, vel donec satisfiat, vel restituatur, probabile est non esse necessariam absolutionem interdicti, conditione impleta. 2
Interdictum locale non cessat destructione ædificiorum loci interdicti: interdictum verò latum in communitatem, cessat respectu innocentum, si communitas dissoluatur; respectu autem culpabilium non cessat. 3
Ab interdicto locali posito à iure Episcopus absoluere potest: ab interdicto personali non potest, nisi illud sit occultum: similiter nec poterit absoluere, si interdictum sit latum à Pontifice tamquam ab homine. 4
Parochus vel alius confessarius non potest absoluere ab interdicto locali vel personali generali; sed tantùm ab interdicto personali particulari nemini reseruato. 5
Ante absolutionem interdicti præcedere debet satisfactio partis, imò aliquando cautio iuratoria, id est iuramentum de standomandatis Ecclesiæ, iuxta formam consuetam. 6
In articulo mortis relaxari potest quodlibet interdictum personale speciale, seu particulare, per quemcumque sacerdotem. 7
Interdictus nominatim & mortuus in suo interdicto, potest post mortem absolui, si signa pœnitentiæ dederit, & postea sepeliri in loco sacro. 8

De interdictis in iure latis.

Interdictum generale loci in iure latum reperitur, propter culpam Domini temporalis; Episcoporum & Clericorum seu personarum Ecclesiasticarum, & propter culpam ipsiusmet ciuitatis. n. 1
Territorium illius, qui Episcopum iniuriosè vel temerè percutit, capit seu bannit, occidit &c. subiacet interdicto, vsque ad condignam satisfactionem. 2
Locus & ciuitas ipso facto interdicuntur, quando Dominus, rectores, vel officiales ciuitatis in qua moritur Summus Pont. non faciunt obseruari constituta in *Cap. vbi periculum, de elect. in 6.* 3
Omnes terræ Episcoporum & aliorum Ecclesiasticorum subijciuntur interdicto, qui concesserunt domos manifestis vsurarijs ad fœnus exercendum. 4
Terra eorum qui exigunt per se vel per alium ab Ecclesijs, vel Ecclesiasticis personis, quidagia, pedagia &c. ipso facto subiacet interdicto. 5
Interdicta est ciuitas, si Episcopum iniuriosè vel temerè capperit, percusserit, bannierit, occiderit, vel hæc fieri mandauerit. 6
Interdicta est ipso facto ciuitas præter vrbem, quæ consentit dando consilium, auxilium, vel fauorem occidentibus, vel percutientibus Cardinalem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. 7
Interdictum specialis loci incurritur, quando clerici siue sæculares siue regulares inducunt aliquem ad promittendum, vt in eorum Ecclesia eligat sepulturam. 8
Quando hæreticus traditur scienter Ecclesiasticæ sepulturæ, locus illæ in perpetuum interdicitur quoad sepulturam. 9
Interdictum generale personale statuitur in iure contra Vniuersitates concedentes repressalias contra personas Ecclesiasticas, vel earum bona. Et contra imponentes vel exigentes decimas, talias ab Ecclesiasticis, vel bona Ecclesiarum occupantes. 10
Contra appellantes à sententijs Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale. 11
Contra Capitulum sede vacante intra annum à die vacationis, concedens dimissorias ad ordines. 12
Contra Capitulum & vniuersitatem quæ non obseruant Constitut. *Ioannis XXII.* circa fructus beneficiorum vacantium. 13
Interdictum personale particulare in iure latum reperitur. contra Iudicem Ecclesiasticum ferentem sententiam censuræ non obseruata forma iuris. 14
Contra Episcopum, Abbates, seu alios regulares vel sæculares, vsurpantes aliquid ex reditibus Dignitatis vacantis, aut Ecclesiarum subditarum. 15
Contra Episcopum, Abbatem alienantes bona Ecclesiæ non legitimè. 16
Contra Metropolitanum, qui suffraganeum, & è contra, vltra annum non residentem, ad Romanum Pont. non defert. 17
Contra Episcopum in visitatione aliquid accipientem quod sibi non debetur. 18
Contra recipientem Abbatiam vel aliam dignitatem de manu laici. ibid.
Contra sacerdotem admittentem interdictum ad diuina officia. ibidem.
Contra Prælatos edentes Commentaria in Tridentinum. 19
Contra violantem interdictum locale saltem generale. 20

Interrogatorium.

Confessarius non tenetur pœnitentem examinare, & interrogare, si probabiliter, & prudenter iudicet pœnitentem integrè confessum fuisse sua peccata. n. 1
Confessarius circa ignotos, & maximè rudes, tria debet interrogare antequam pœnitens incipiat confiteri. 1. tempus vltimæ confessionis, & an impleuerit pœnitentiam. 2. statum pœnitentis. 3. an paratus veniat. 2
Interrogatorium breue pro confessionibus longioris temporis circa præcepta Decalogi. 3
Prudens confessarius illa tantummodò interrogabit, quæ probabiliter iudicabit esse commissa à suo pœnitente cum quo agit, habita ratione ipsius status conditionis, & officij. 3
Parcè, & cautè se gerere debent confessarij in interrogationibus peccatorum carnis cum mulieribus. ibid.
Confessarij debent abstinere à curiosis, & sacrilegis interrogationibus, quæ profanant, & odiosum reddunt sacramentum cum scandalo pœnitentium. ibid.
Confessarij non debent esse nimis importuni, in inquirendis circum-

circumſtantijs ſolùm aggrauantibus. ibid.
De prudentia confeſſarij neceſſaria in his interrogationibus formandis, vide plura verb. *Confeſſarius IV.* n.17.

Intentio.

Intentio eſt volitio finis, quatenus eſt per media comparabilis. n.5
Intentio actuali aut virtualis recipiendi baptiſmum requiritur in adulto, vt validè baptiſmum recipiat. 8
Ad honeſtatem belli requiritur recta intentio. 5
Intentio determinata ſtatus Eccleſiaſtici, & ordinis requiſiti, ad omnia beneficia requiritur. 13
Intentio ſuſcipiendi intra annum ſacerdotium, requiritur ad parochiale beneficium. 14
Sacramentum Extremæ-vnctionis omnibus illis conferri poteſt, qui habuerint intentionem ſaltem interpretatiuam illud ſuſcipiendi, qualem habent qui chriſtianè vixerunt. 4
Ad præcepti impletionem exigitur intentio, & voluntas operis præcepto iuncti exequendi; at non exigitur intentio ſatisfaciendi præcepto per id opus. 5
Probabilius eſt obligationi iuſtitiæ non ſatisfieri abſque intentione illi ſatisfac endi, ibid.
Item probabilius eſt, quando expreſsè adeſt voluntas, & intentio non ſatisfaciendi præcepto per aliquod opus, adhuc præcepto ſatisfieri. 6
Intentionem habens non ſatisfaciendi præcepto, etiamſi opus præceptum faciat peccat mortaliter perſiſtendo in ea intentione. 7
Ad neceſſitatem ſacramenti requiritur vt miniſter intendat homini conferre ſacramentum ſaltem implicitè, vt ſcilicet velit facere, quod vera Eccleſia ſolet: hæc intentio neceſſariò non debet eſſe actualis, virtualis ſufficit: habitualis verò nec ſufficit, nec neceſſaria eſt. 3
Intentio abſoluta requiritur ad ſacramenti valorem, conditionalis non ſufficit, ſi ſit de futuro. 4
Intentio miniſtri in conficiendis ſacramentis debet dirigi ad materiam præſentem vel perſonam. 5
Ad valorem ſacramenti requiritur in adulto ſuſcipiendi propria voluntas ſeu intentio ſaltem interpretatiua. 4
Intentio profitendi requiritur ad valorem profeſſionis votorum ſolemnium. 4
Vt ſuffragium alteri proſit, requiritur vt offerens habeat intentionem offerendi pro eo. 3

Inuentum.

Inuentum, cuius Dominus ignoratur, reſtituendum eſt pauperibus, ſeu capſæ incertorum, iuxta conſuetudinem, & decreta locorum. n.1
Inuentor rei alienæ non poteſt quidquam à Domino rei exigere, niſi fortè ratione laboris, vel impenſarum, vel conſuetudinis. 3

Inuentarium.

Hæres qui inuentarium non fecit, non tenetur in foro conſcientiæ ſoluere legata, vel debita defuncti, ſi illa excedant vires hæreditatis. 5
Tutor vel curator tenetur quamprimum poterit facere inuentarium de rebus pupilli vel minoris, niſi cauſa neceſſaria vel iuſtiſſima impediatur. 7

Interruptio peccati.

Actus voluntatis moraliter interruptus cenſetur in peccando, quoties nec formaliter, nec virtualiter perſeuerat; quod fit vel quando voluntas prior per veram pœnitentiam, vel per contrariam voluntatem eſt reuocata, vel per voluntariam ceſſationem ab actu. 10

Interruptio prandij.

Qui ob negotium interrupit prandium nondum completè ſumpta refectione, poteſt abſoluto negotio refectionem reaſſumere, & perficere, modò interruperit animo continuandi. 15
Qui interrupit animo non continuandi & longa interceſſit mora, non poteſt ampliùs licitè prandium reaſſumere; ſecus ſi modica interceſſit mora. ibid.

Interruptio horarum.

Abſque interruptione recitandæ ſunt horæ canonicæ. n.16
Probabilius eſt, recitantem horas cum interruptione non peccare mortaliter, ſed ſatisfacere Eccleſiæ præcepto quoad ſubſtantiam, ſiue ad longum, ſiue ad breue tempus interruptio fiat. ibid.
Interruptio notabilis facta à toto choro contra communem ritum Eccleſiæ graue eſt peccatum ex ſuo genere. ibid.
Plura de interuptione horarum vide verb. *Hora canonica II.* n.17. & 18.

Inteſtabilis.

Inteſtabilis actiuè propter delictum, eſt etiam inteſtabilis paſſiuè, ſecus ſi perſona ſit inteſtabilis non ob delictum, ſed ob defectum aliquem. 10

Inuocatio Dei.

Inuocatio Dei tacita ſufficit ad iuramentum; vt quando quis rogatus vt iurer, manu tangit crucem, vel librum Euangeliorum vel quando iuramentum fit per creaturas, in quibus ſpecialiter relucet bonitas Dei, vt ſi fiat per Sanctos &c. 4

Inuocatio Sanctorum.

Sancti ſunt precibus noſtris inuocandi, non tamquam primarij auctores vitæ, & ſalutis noſtræ, ſed tamquam amici Dei chariſſimi, vt pro nobis orent. 6

Inuidia.

Inuidia eſt inordinata triſtitia, qua quis dolet de bono alicuius, non quatenus eſt bonum illius, ſed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam. n.1
Inuidia eſt peccatum mortale ex ſuo genere contrarium charitati: poteſt eſſe veniale, tum ob imperfectionem conſenſus, tum ob materiæ paruitatem. 2
Remedia quinque contra inuidiam. ibid.
Inuidia debet inter vitia capitalia connumerari. 3

Ioannis Baptiſmus.

Ioannis Baptiſmus non fuit ſacramentum præſertim nouæ legis; nec habuit vim conferendi gratiam ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis, nec impreſſit characterem; nec fuit in præcepto; & poſt illum neceſſariò percipiendus fuit Chriſti baptiſmus. 9

Ira.

Ira eſt ſanguinis feruor in corde, ex euaporatione, & turbatione fellis proficiſcens: in materia morali, eſt vitium animæ ad appetitum vindictæ inclinans. n.1
Ira per ſe nec bona eſt, nec etiam mala, ſed quiddam indifferens. ibidem.
Iracundia peccatum eſt, ſi modum à ratione præſcriptum non ſeruet; tum ex parte obiecti, ſi iniuſtam vindictam appetas, tum ex parte ipſius motus, vt ſi nimium interius ira exardeſcas. 2
Iræ ſeu iracundiæ vitium ponitur tamquam capitale, ex quo naſcuntur indignatio, tumor mentis, clamor, contumelia, blaſphemia, opprobrium, & rixa. 3
Iræ peccatum per ſe minus eſt, quàm odium vel inuidia. 4
Ira nocet corpori & animæ. ibid.
In ira vel rixa cum aliquo enuntiare aliquid de Deo explicitè vel implicitè quod verum eſt, non eſt propriè blaſphemia. 5

Irregularitas. Quoad eius diuiſionem & cauſas.

Irregularitas eſt canonicum impedimentum ex facto vel defectu proueniens quo quis ad Eccleſiaſticos ordines promoueri, & iam promotus in eiſdem miniſtrare prohibetur. n.1
Irregularitas non incurritur niſi in caſibus in iure expreſſis. ib.
Irregularitas alia eſt ex delicto, alia ex defectu. ibid.
Irregularitas diſtinguitur à cenſuris. ibid.
Probabilius eſt irregularitatem impedire ſuſceptionem primæ tonſuræ. 2
Quæ ſint irregularitates ex defectu, quæ ex delicto. 3
Cauſa efficiens irregularitatis eſt Summus Pontifex, qui irregularitatem induxit & expreſſit per ſacros Canones, bullas Pontificias, & Concilia Generalia. 4
Cauſa materialis ſeu ſubiectiua in quam cadit irregularitas eſt omnis homo, capax ordini, ſubditus iuri communi. 5

Cau-

Causa formalis irregularitatis sunt verba irregularitatem exprimentia, quæ non sunt determinata. 6

Irregularitas ex delicto non incurritur nisi ob culpam mortalem excusat tamen ab ea ignorantia probabilis iuris, vel facti, vel etiam pœnæ. 7

Ad incurrendam irregularitatem requiritur actus externus consummatus, nec sufficit desiderium seu attentatio ac conatus. 8

In dubio iuris nullus iudicandus est irregularis. 9

In dubio facti non est censendus quis irregularis, nisi in dubio homicidij. 10

Irregularitas totalis impedit susceptionem ordinum, primæ tonsuræ, & exercitium omnium ordinum susceptorum. 11

Irregularitas partialis prohibet solum illum actum, qui ponit impedimentum. ibid.

Irregularis suscipiens vel exercens ordines, licet peccet mortaliter, nouam tamen irregularitatem non incurrit. 12

Irregularis non prohibetur actus sacros exercere, qui per laicum præstari possunt. ibid.

Irregularitas licet occulta facit hominem incapacem beneficij & reddit irritam ipsius collationem, quamuis contrarium sit etiam probabile. 13

Dispensatio superueniens potest aliquando confirmare actus præcedentes irritos: vnde si præsentatio alicuius ad beneficium, electio, confirmatio, vel collatio irrita fuerint ex defectu aliquo obtinentis beneficium, si hic postea defectus illius occulti dispensationem obtineat, eo ipso absque noua præsentatione, collatione, vel electione potest licitè retinere beneficium illud, modò concurrant quædam conditiones. ibidem.

Qui recipit beneficium in irregularitate non potest fructus beneficij percipere, nec alios actus administrationis, qui sunt annexi beneficio, exercere. 14

Irregularitas subsequens beneficium vel pensionem, non priuat beneficiarium beneficio vel pensione. ibid.

Irregularis videtur incapax iurisdictionis ordinariæ, non verò delegatæ. 15

Confessio facta sacerdoti nominatim denunciato irregulari non est valida; nisi hoc ignoretur à pœnitente. 16

Irregularitas ex defectu animi.

Defectus animi inducens irregularitatem primus est, defectus vsus rationis. n.1

Qui semel incidit in furiam vel amentiam perpetuò manet irregularis, ita vt sine dispensatione promoueri non possit, quando amentia est per modum habitus & habet propriam & permanentem causam: si tamen promoto tali defectus superueniat, non deijcit illum perpetuò ab vsu ordinum, sed solùm quamdiu talis defectus durat. ibid.

Defectus literaturæ seu scientiæ facit hominem iure canonico irregularem: imò cùm omninò illiterato non potest Summus Pontif. dispensare, vt ordines recipiat, qui requirunt scientiam. 2

Quanta scientia requiratur ad ordines suscipiendos post Concilium Tridentinum. ibid.

Cum religiosis non multùm literatis possunt Episcopi dispensare, vt ad ordines sacros promoueantur. ibid.

Defectus fidei respectu illius, qui mox ad fidem accessit, inducit irregularitatem vnde Neophyti sunt irregulares. 3

Filius Turcæ vel alterius infidelis baptizatus in infantia, si fiat religiosus, potest esse Prælatus absque dispensatione, quia talis non est neophytus. ibid.

Irregularitas ex defectu corporis.

Defectus seu vitium corporis inducens irregularitatem, illud est, quod vel impedit vsum & exercitium ordinis, vel notabilem gignit deformitatem aut horrorem. 4

Tale vitium est nasi amputatio, priuatio vnius oculi, aut insignis macula in oculo; quæ notabilem pariat deformitatem. ibidem.

Irregularis est, qui habet vnum oculum vel vtrumque grandiorem prominentem. 5

Qui habet nasum abscissum, distortum vel magnum. ibid.

Qui habet labia penitus corrota vel abscissa. ibid.

Qui nodum linguæ patitur, vt verbum integrum vix possit exprimere. ibid.

Qui habet dentes prominentes extra os. ibid.

Qui est surdus vtraque aure. ibid.

Qui caret auriculis, id est externa illa cartilagine, quæ organo auditus adhæret, nisi capillorum velamine hæc deformitas celetur. ibid.

Gibbosus non est irregularis, nisi gibbositas coniuncta sit cum nimia deformitate. ibid.

Monstruosus habens duo capita, quatuor manus est irregularis. 6

Æthiops & vir grandioris vel exiguæ staturæ: vel habens sex digitos non videntur irregulares. ibid.

Irregularis est, qui aliquo caret pede; qui habet manus tremulas: qui vnguibus in totum caret. ibid.

Hermaphroditus particeps masculini & fœminei sexus est irregularis: imò incapax ordinis & characteris, si æquè participet fœmineum & virilem sexum. 7

Qui caret indice vel pollice, aut parte pollicis vel indicis, aut qui laborat debilitate digitorum, irregularis est. ibid.

Laborantes febri continua, vel graui dolore capitis, morbo gallico, lepra, vel multa scabie, peste, tussi, irregulares sunt 8

Laborantes morbo caduco irregulares sunt; non tamen, qui leuem mentis alienationem vel vertiginem vel deliquium animi patiuntur. 9

Amentes & furiosi habitualiter sunt irregulares; nec possunt celebrare absque approbatione Summi Pontif. imo nec ordinari. 10

Dæmoniaci, quorum corpora à Dæmone obsidentur, vel semel fuerunt obsessa irregulares sunt. 11

Qui vinum bibere, aut retinere non possunt, quin illud euomant, non tam irregulares, quàm iure naturali impediti, quò minùs ad sacerdotium promoueri possint. 12

Habens defectum corporis impedientem susceptionem sacerdotalis ordinis, non potest admitti etiam ad reliquos ordines sacros. 13

Carentia alicuius membri vel partis membri etiam occulti, irregularitatem inducit, si propria culpa contingat. 14

Qui sponte tibi membrum, vel membri partem puta digitum vel partem digiti ex indignatione abscidit, irregularis est. 15

In hac irregularitate proueniente ex defectu, vel deformitate, vel ex infirmitate, dispensat solus Summus Pontifex: ad Episcopum tamen pertinet iudicare, vtrum defectus vel deformitas inducat irregularitatem. 16

Irregularitas ex defectu natalium.

Illegitimus, id est non ortus ex legitimo matrimonio, quamuis occultus, irregularis est. n.1

Natus ex matrimonio inter duos inualidè bona fide saltem vnius parentis, contracto, irregularis non est. 2

Filius matri asserenti ipsum esse illegitimum, non tenetur credere, nisi rationib. conuincatur, vel vterque parens id affirmet. ib.

Illegitimus fit legitimus per subsequens matrimonium parentum, & habilis ad ordines & dignitates Ecclesiasticas, excepto Cardin. 3

Probabile est, illegitimum sine dispensatione promotum, posse susceptos ordines exercere & alijs initiari, si postea parentes matrimonium ineant. ibid.

Irregularis, & illegitima est proles suscepta ex parente iam professo, qui post professionem cognouit vxorem antea non cognitam: item & natus ex parente sacerdote, qui post sacerdotium ex consensu & absque consensu vxoris suscepit, eam carnaliter cognouit, si ante ordinationem matrimonium fuerit consummatum. 4

Si matrimonium non fuerit consummatum & inscia seu inuita vxore promotus sit, proles postea nata legitima erit, & ad ordines promoueri potest, secus si vxor ipsius ordinationi consensit vel sciens non contradixit. ibid.

Proles habita ex coniugibus simplici voto castitatis mutuo consensu ligatis, non est illegitima & irregularis. ibid.

Probabile est prolem esse legitimam quoad successionem & alios honores, habitam ex parentibus post consummatum matrimonium mutuo consensu professis, licet irregularis sit quoad ordines & beneficia. ibid.

Irregularitas proueniens ex illegitimitate auferitur per legitimationem à Papa concessam. 5

Defectus hic natalium tollitur etiam per professionem in religione approbata, & illegitimus professus sit habilis ad ordines, non tamen ad Prælaturam. 6

Irregularitas ex defectu natalium tollitur etiam per dispensationem, quam dare potest solus Summus Pontifex ad maiores ordines, ad dignitatem & ad beneficium accuratum. 7
Episcopus dispensare potest ad ordines minores, & ad vnum beneficium simplex non requirens ordinem sacrum. ibid.
Layman sententia est, quòd si filius sciat aut credat se esse illegitimum, & ex vna parte causa vrgeat cur ordines sacros suscipiat, & ex altera parte si hoc faceret petendo dispensationem, se infamaret grauiter apud Papam, tunc sine dispensatione posset ordinari. 7
Prælati regulares ex variis Summorum Pontificum Priuilegijs dispensare possunt cum illegitimis sibi subditis ad qualcumque dignitates & officia ordinis. ibid.

Irregularitas ex defectu ætatis.

Defectus legitimæ ætatis requisitæ à iure ad ordines, inducit irregularitatem, quamdiu defectus durat. 8

Irregularitas ex defectu libertatis.

Irregularitas ex defectu libertatis afficit eos, qui alligati sunt aliquo vinculo, aut seruitutis, aut ratiocinij, aut curiæ, aut matrimonij. n.1
Serui, quamdiu sunt serui, iure impediuntur ne ordines suscipiant. 2
Obligati ad ratiocinia iure repelluntur ab ordinibus, donec ratiocinium reddiderint: quo reddito, possunt promoueri. 3
Curiales, id est, qui quacumque ex causa curiæ sæculari sunt obligati, ab ordinibus arcentur. 4
Vxoratus ad ordines etiam minores promoueri non potest, nisi coniuge etiam religionem approbatam profitente. 5

Irregularitas ex defectu Sacramenti.

Irregularitas ex defectu Sacramenti, id est, bigamia, consurgit ex multiplici matrimonio contracto & consumato. 6
Bigamia alia est vera, alia interpretatiua, alia similitudinaria. ibidem.
In hac irregularitate solus Papa dispensat, excepta similitudinaria cum clerico in sacris & religioso, in qua etiam dispensat Episcopus. ibid.
An autem in hac bigamiæ irregularitate possint dispensare Prælati regulares subditos suos, vide v. *Abbas n.8. §.III.* Plura v. *Bigamia.*

Irregularitas ex defectu lenitatis.

Irregularitas, quæ ex defectu lenitatis procedit, est illa, quando quis occidit vel mutilat hominem absque peccato. n.1
Clericus aut alius iustè mutilans, vel occidens, vel cooperans ad mutilationem, vel homicidium secuto effectu fit irregularis defectu lenitatis. 2
Quilibet iudex inferior Summo Pontifice ferens sententiam mortis, vel mutilationis, eiusque officiales & ministri omnes iustitiæ, concurrentes ad occisionem aut mutilationem, sunt irregulares, 3
Probabile est irregularitatem ex homicidio, non incurri ob concursum ad aliud, nisi aut factum à ministro publico iustè, aut factum á persona priuata iniustè. ibid.
Consultores aperientes ius & docentes veritatem, quando quis teneatur accusare in materia sanguinis, non ligantur irregularitate. 4
Fabri ferrarij vel alij armorum fabricatores, venenum vel fustem vendentes, non sunt irregulares, quamuis ex eis aliquis occidatur vel mutietur; modò ea de causa non vendantur. ibidem.
Clerici assistentes executioni sententiæ non sunt irregulares; modò non assistant tanquam temporalem iurisdictionem habentes. 5
Clericus qui rogat Principem vt iustitiam faciat, excusari potest ab irregularitate. ibid.
Princeps, vel Dominus temporalis, vel clericus habens iurisdictionem temporalem potest absque periculo irregularitatis constituere Prætores & iudices, qui causas sanguinis inquirant & delicta puniant. ibid.
Iudex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat & tradit brachio sæculari, non fit irregularis. 6
Nec fit irregularis Prælatus iurisdictionem temporalem habens, sicut & Princeps sæcularis, legem & statutum condens, quo aliquid sub pœna mortis prohibetur. 7
Confessarius denegans absolutionem pœnitenti nolenti punire reum dignum morte, non est irregularis. 8
Confessarius exhortans pœnitentem iuridicè interrogatum ad confitendam veritatem in iudicio, excusandus est ab irregularitate, etiamsi ob id reus morte plectatur. ibid.
Clericus adiuuans chirurgum vel medicum ad iustè secandum ægroti membrum, non est irregularis. 9
Clericus etiam beneficiarius non fit irregularis exercendo officium medici vel chirurgi secundum regulam artis, citra abscissionem vel adustionem. 10
Laicus exercens chirurgiam vel medicinam, secundùm regulam artis, non fit irregularis, etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis. 11
Accusans alium in causa criminali petendo vindictam, fit irregularis, secuta mutilatione, vel morte: secus si petat satisfactionem vel interesse sibi vel parentibus filijs, vel fratribus, vel alicui sub sua protectione existenti, debitum. 12
Clericus potest iniustum damnificatorem bonorum suæ Ecclesiæ, vel ad sui defensionem vel suorum alterum accusare, sine nota irregularitatis, etiamsi sequatur mors, præmissa tamen protestatione coram iudice. ibid.
Testis ferens testimonium in causa sanguinis incurrit irregularitatem secuta morte, vel mutilatione. 13
Clericus in fauorem rei potest testari de licentia Episcopi vel eius Vicarij; nec fit irregularis etiamsi exinde sequatur mors accusatoris. ibid.
Aduocatus suscipiens causam rei, non incurrit notam irregularitatis, quando sequitur mors vel mutilatio accusatoris; secus si iniustè causam rei defendat. 14
Aduocatus vel procurator accusatoris fit irregularis secuta morte vel mutilatione rei. ibid.
Occidens alium in bello tam iusto, quàm iniusto, incurrit irregularitatem. 15
Clerici possunt interesse bello iusto absque irregularitate, milites hortari ad pugnandum fortiter: ipsi tamen non possunt pugnare sine facultate, vel nisi necessitas reipub. id exigat. 16
In irregularitate contracta causa belli dispensat solus Summus Pontifex; Episcopus non potest dispensare, quia est ex defectu lenitatis, secundùm probabiliorem sententiam. 17
Prælati regulares possunt dispensare subditos suos in hac irregularitate ex defectu lenitatis. 54

Irregularitas ex delicto homicidij voluntarij.

Irregularitas ex homicidio voluntario dupliciter potest contingere. n.1.
Homo baptizatus occidens vel abscindens alterius, vel sibi, sine iusta causa, membrum voluuariè simpliciter, vel secundùm quid, est irregularis, modò mutilans non sit chirurgus vel medicus. 2
Mandans tacitè vel expressè homicidium reus est homicidij, & consequenter irregularis, nisi reuocauerit mandatum. 3
Consulens illicitè homicidium aut membri abscissionem illi, qui paratus non erat ad hæc, irregularis est: secus si reuocauerit consilium; vel si alter paratus erat ad homicidium. 4
Probabilius est, illum esse irregularem, qui non potuit dimouere fœminam à consilio dato de abortu faciendo. ibid.
Non est irregularis, qui alteri suadet furtum, cui sit impendere supplicium mortis: Item qui consulit alteri in bello fugam, cui annexa est pœna mortis; vel fugiat à carcere, vel vt effringat carcerem, cui effractioni esset imposita pœna mortis. ibidem.
Auxiliantes, aut cooperatores ad homicidium rei sunt homicidij & consequenter irregulares secuta morte vel mutilatione. 5
Percutiens leuiter hominem, sed alij postea lethaliter percusserunt soli vltimi sunt irregulares. 6
Verius est illum non esse irregularem, qui iniustè percussit, leuiter tamen & non mortiferè, si sequatur mors ex negligentia medici aut chirurgi, & malo regimine ipsius percussi. 7
Non est irregularis, qui rixam habens cum altero, admonet accurrentes in sui auxilium, ne quid mali alteri inferant, etiamsi accurrentes occidant alterum intuitu huius. 8
Tradans alicui arma, quibus alterum occidit, irregularis est, modò suspicionem aliquam habuerit arma illa peti ad malum aliquod faciendum: secus si non est suspicatus. ibid.

Qui tenètur ex officio, vel ex ſtipendio, vel ex promiſſione alterum defendere & non defendit, incurrit irregularitatem, ſi voluntariè non impediat homicidium. 9

An clericus, qui ſciens mulierem à ſe prægnantem redditam, meditari conceptæ ab ea ſobolis aborſum, irregularitatem incurrat, ſi hunc pro virili non impediat? quidam affirmant, alij negant. ibid.

Verius eſt non contrahi irregularitatem ex ſola ratihabitione homicidij ab alio commiſſi, licet ſuo nomine. 10

Summus Pontifex poteſt diſpenſare in qualibet irregularitate proueniente ex homicidio iuſto, vel iniuſto, voluntario vel caſuali; Epiſcopus tamen non poteſt: niſi in neceſſitate. 11

In irregularitate ex homicidio caſuali proueniente diſpenſare poteſt Epiſcopus, modò delictum ſit occultum. 12

Prælati regulares ex conceſſione *Pauli III.* poſſunt ſingulis annis prima die lunæ Quadrageſimæ diſpenſare, ſuper quibuſcumque irregularitatibus, quauis occaſione vel cauſa contractis, etiam homicidij voluntarij: virtute autem conceſſionis *Martini V.* id modò non poſſunt Prælati, quia eſt viuæ vocis oraculum hoc tempore reuocatum. ibid.

Probabilius eſt, non poſſe Epiſcopum in vllius homicidij etiam iuſtè licitè patrati irregularitate diſpenſare. 13

Irregularitas contracta ex mutilatione alicuius membri, eſt ab Epiſcopo diſpenſabilis. ibid.

An qui plura homicidia commiſit, contraxerit plures irregularitates neceſſariò in diſpenſatione manifeſtandas, alij affirmant, alij negant. ibid.

Occiſio cuiuſcumque perſonæ eſt caſus reſeruabilis inter regulares. §. 10

Irregularitas ex homicidio facto ad defenſionem ſui, rerum ſuarum, ac proximi, nec non ex homicidio caſuali.

Qui occidit alium ad vitæ ſuæ defenſionem, non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ, irregularis non eſt. 1

An cenſendus ſit irregularis, qui ob honoris, vel bonorum ſuorum defenſionem aliquem occidit, ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ? alij affirmant, alij negant probabiliter. 2

Occidens aut mutilans aggreſſorem Patris, Fratris, aut alterius conſanguinei vel proximi innocentis, ſecundùm probabilem ſententiam non eſt irregularis. 3

In foro externo præſumetur irregularis, qui alterum occidit ad ſui defenſionem, nitì probet hoc feciſſe ad ſui defenſionem: In foro autem conſcientiæ, ſtandum eſt iudicio prudentis viri. 4

Homicidium omninò caſuale, quod non eſt volitum in ſe, nec in cauſa, non inducit irregularitatem. 5

Vt irregularitas ex homicidio caſuali incurratur, requiritur quòd non ſit omninò caſuale, ſed volitum in cauſa ſeu implicitè voluntarium, & ideò peccatum mortale. 6

Dans operam rei illicitæ periculoſæ homicidij, ex qua ſolet mors vt plurimum ſequi, eſt irregularis, ſecus ſi rarò mors contingat, & adhibeatur diligentia ne ſequatur homicidium. ibid.

Probabile eſt, adulterum irregularem non fieri, ſi maritus cognito adulterio vxorem interficiat. ibid.

Probabile item eſt, adulterum non effici irregularem ſi maritum aggreſſorem cauſa neceſſariæ defenſionis occidat cum moderamine. ibid.

In multis alijs caſibus non fit quis irregular. ex homicidio caſuali. 7

Aromatarij conficientes medicinas ex rebus corruptis, irregulares ſunt, ſi hac de cauſa ſequitur mors infirmi. 8

Qui præbet, aut conſulit, aut tradi mandat aliquid infirmo contra medici præceptum, fit irregularis, ſi mors infirmi exinde acceleretur: excuſaret bona fides tradentis. ibid.

Reuoluens infirmum in lecto, non vt citiùs pereat, ſed vt facilius ſomnum, quietem, vel cibum capiat, non eſt irregularis, etiamſi mors ex aliqua culpa acceleretur. ibid.

Magiſter verberans diſcipulum. excedendo modum percuſſionis fit irregularis, ſi ex percuſſione ipſi oculum eruat. ibid.

Mandans vel conſulens Titio occidere Caium, ſed accidit, vt Titius ipſe occiſus fuerit à Caio irregularis eſt in foro conſcientiæ. 8

In multis alijs caſibus quis ſit irregularis ex homicidio caſuali. 9

Irregularitas ex iteratione baptiſmi.

Ex iteratione culpabili baptiſmi irregularitas incurritur à rebaptizante, rebaptizato, & alijs qui miniſtrant ex officio, toties, quoties reiteratur baptiſmus. n. 1

Infans, qui rebaptizatur ante vſum rationis, non eſt irregularis: ſimiliter ſi dormiens rebaptizetur. 2

Rebaptizans ſub conditione ſi non eſt baptizatus, irregularitatem non incurrit. ibid.

Qui rebaptizat, vel rebaptizatur ex meru cadente in conſtantem virum vel per vim cum intentione iterum baptizandi, vel recipiendi baptiſmum irregularis eſt. 3

Irregularitas ex iteratione baptiſmi, ſolùm impedit promotionem ad ſuperiores ordines. 4

Irregularitas non contrahitur ex iteratione Confirmationis & Ordinis. 5

Adultis differentes baptiſmum vſque ad ægritudinem, vel ſenectutem, ſunt irregulares: nec hæc irregularitas tollitur per baptiſmum. 6

Adultus baptizatus ab hæretico eſt irregularis, infans verò minimè. ibid.

In irregularitate contracta ex iteratione baptiſmi publica diſpenſat ſolus Summus Pontifex: ex occulta Epiſcopus. 7

Verùs eſt irregularitatem non incurri à bis ordinantibus & ordinatis, bis, confirmantibus & confirmatis. ibid.

Irregularitas ex ſuſceptione ordinum & adminiſtratione.

Qui ſcienter vel per ignorantiam craſſam aut affectatam ignorans ſe eſſe excommunicatum, ordines ſacros ſuſcipit eſt irregularis. n. 1

Probabilius eſt ſuſpenſum, vel interdictum recipiendo ordines ſacros, non incurrere irregularitatem. ibid.

Qui vno & eodem die initio & non aduertente Epiſcopo, recipit minores ordines cum ſubdiaconatu, vel duos ordines ſacros irregularitatem incurrit: quamuis conſuetudo in quibuſdam locis permittat minores ordines conferri cum ſubdiaconatu. 2

Qui ordines ſuſcipit furtiuè inſcio Epiſcopo non vocatus irregularis eſt: ſicut & coniugatus ordinem ſacrum recipiens. ibidem.

Recipiens ordines ſacros ab Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui, irregularitatem incurrit. ibid.

Clericus miniſtrans in ordine ſacro quem non habet, ſcienter, ſeriò & ex officio irregularis eſt. 3

Solus Summus Pontifex diſpenſat in irregularitate contracta ob exercitium ordinis, quem quis non habebat, vt ad vlteriores ordines aſcendat: vt autem exerceat ſuſceptos, diſpenſat Epiſcopus. 4

Excommunicatus maiori excommunicatione, ſuſpenſus, interdictus quamuis occultus irregularitatem incurrit, exercendo ſolemniter vel ex officio actus maioris ordinis. 5

Excuſaretur tamen talis ratione neceſſitatis, vel ſcandali vitandi, vel ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vel obliuionis. ibid.

Excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus ex duplici cauſa exercendo ordines ſacros, duplicem etiam incurrit irregularitatem. ibid.

In hac irregularitate contracta ob violationem cenſuræ ſolus Papa diſpenſat, quando delictum eſt publicum: ſi verò delictum eſt occultum, diſpenſat Epiſcopus. 6

Irregularitas ex hæreſi delicto &c. & infamia.

Omnes hæretici qui ſuam hæreſim exterius protulerunt irregulares ſunt: item Apoſtatæ à fide; eorum fautores & defenſores. n. 1

Probabile eſt hæreticum occultum non incurrere irregularitatem. ibid.

Schiſmaticus, qui non eſt hæreticus, non eſt irregularis; nec clericus apoſtata à clericali habitu & tonſura: religioſus tamen apoſtata à religione eſt irregularis. 2

Filij hæreticorum ſunt irregulares vſque ad ſecundam generationem per lineam virilem paternam; per lineam verè fœmineam ſeu maternam, vſque ad primam; modò eorum parentes ſint mortui in delicto hæreſis. 3

Probabilius eſt filium hæretici natum ante lapſum parentis in hæreſim non eſſe irregularem. ibid.

Solus Summus Pontifex diſpenſat in irregularitate contracta ob hæreſim; quamuis probabile ſit Epiſcopum poſſe in ea diſpenſare quamdiu delictum eſt occultum. 4

Propter infamiam homines ab Eccleſiaſticis ordinibus ſuſcipien-

piendis, & ſuſceptis arceri ſolent. 5
Delicta, quibus a iure impoſita eſt infamia, ſunt, Apoſtaſia à fide, captus mu ierum, periurium in iudicio, ſimonia, ſodomia, hæreſis eiuſque fauor, crimen læſæ maieſtatis, perſecutio hominis &c. ibid.
Plura de infamia vide ſupra v. *Infamia*.

Irregularitas quoad modos quibus tollitur.

Irregularitas tribus modis tollitur, per baptiſmum, per profeſſionem religionis, & per diſpenſationem. n. 1
Per baptiſmum tollitur omnis irregularitas conſurgens ex proprio delicto, & ex Canonica infamia. 2
Per profeſſionem in approbata religione tollitur ſolum irregularitas ex defectu natalium, quoad ordines, non autem quoad Prælaturam. 3
In omni irregularitate iure humano introducta diſpenſare poteſt Summus Pontifex. 4
Epiſcopus in ſua diœceſi exiſtens, diſpenſare poteſt cum ſuis ſubditis in omnibus irregularitatibus ex delictis occultis, excepta illa quæ prouenit ex homicidio voluntario, aut ex delicto deducto ad forum contentioſum. 5
Delictum dicitur ad forum contentioſum deduci, quando delinquens accuſatus fuit de aliquo delicto, & nondum ſe purgauit in iudicio, nec definitiuè liberatus fuit. ibid.
Quando delictum deductum ad forum contentioſum, eſt iam iudicio finito punitum, probabilius eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare. ibid.
Epiſcopi non poſſunt diſpenſare cum forenſibus ſeu non habentibus firmum domicilium in eorum diœceſi, in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus Papalibus, licet poſſint eos abſoluere à caſibus Papalibur occultis. ibid.
Probabile eſt Epiſcopum, vrgente magna ndceſſitate poſſe diſpenſare cum irregulari ex homicidio occulto, vt miniſtret in ordinibus ſuſceptis. ibid.
Probabilius eſt, facultatem diſpenſandis, quam habent Epiſcopi ex priuilegio Tridentini, competere etiam aliis Prælatis habentibus iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, vt Capitulo ſede vacante, aut Cardinali in Eccleſia ſui tituli. 6
Epiſcopus irretitus aliqua irregularitate vel cenſura, poteſt alteri facultatem dare, qui ſecum diſpenſet in caſibus, in quibus ipſe diſpenſare poteſt cum ſubditis. 7
Epiſcopus eo ipſo quo aliquem irregularem admittit ad ordines, aut concedit literas dimiſſorias, cenſetur cum eo diſpenſare in irregularitatibus, in quibus poteſt. 8
Prælati regulares virtute priuilegiorum facultatem amplam habent, vt cum ſuis ſubditis in quacumque irregularitate diſpenſare valeant. 9
Religioſi mendicantes ex virtute priuilegiorum diſpenſare etiam poſſunt in quacumque irregularitate cum ſæcularibus ſicut poteſt Diœceſanus. 10
Verius eſt, quando per Iubilæum vel bullas aliquas conceditur facultas à Papa abſoluendi à quibuſcumque caſibus, cenſuris pœnis, & ſententijs, non intelligi conceſſam eſſe facultatem diſpenſandi in irregularitatibus ex delicto. 11
Non extat in iure certa, & determinata verborum forma in concedenda diſpenſatione irregularitatis. 12
Diſpenſatio irregularitatis poteſt dari extra ſacramentum pœnitentiæ. ibid.
Irregularitas auferetur etiam ablata cauſa, ob quam fuerit contracta, quando ſolùm pro aliquo tempore lata fuit. 13
Probabile eſt abſentes poſſe diſpenſari ab irregularitatibus ex delicto. ibid.

Irritatio.

Actus qui fiunt contra legem irritantem ipſo facto inualidi ſunt, non ſolum in foro externo, verum etiam in foro conſcientiæ. n. 1
De irritatione actuum vide plura v. *Actus*.
Obligatio iuramenti tollitur irritatione facta per ſuperiores quibus ſubiecta eſt materia iuramenti. 4
Irritari poſſunt generatim omnia illorum vota qui alteri vel perfectè, & in omnibus, vel ſaltem quoad materiam, quam voluerunt, ſubiecti ſunt. 1
Plura de irritatione voti vide v. *Votum V*.

Itineratio.

Itinerantes; & conficientes iter ſex leucarum pedeſtres regulariter excuſantur à ieiunio, ſecundùm quoſdam Doctores. 7
Nulla poteſt dari certa menſura longitudinis itineris ad legitimam rationem excuſationis a ieiunio: vnde generalis mensura eſt fatigatio, deficientia naturæ in itinere, & opere quocumque. ibid.
Itineratio non eſt opus ſeruile, nec per ſe prohibita in die feſto. 10
Iter faciens in die feſto excuſatur ab audienda miſſa, qui alioquin ſocios amitteret, quibus opus habet, ad iter peragendum. 3

Iubilæus.

Iubilæus apud Hebræos vocabatur annus quinquagenarius, qui remiſſionis erat: apud Chriſtianum populum indulgentias ſignificat, quæ in ampliſſima forma conceduntur. n. 1
In anno Iubilæi omnes indulgentiæ plenariæ ſuſpenduntur. Non ſuſpenduntur autem conceſſæ pro defunctis, vel altaria priuilegiata, nec conceſſæ pro articulo mortis, nec bulla crucia-ta. 2
Priuilegia Epiſcoporum, & regularium abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis non ſuſpenduntur in anno Iubilæi. ibid.
Vt acquirantur indulgentiæ Iubilei tria facienda ſunt. ibid.
Probabilius eſt, non poſſe quem bis, ter, vel pluries indulgentiam Iubilæum ſibi quærere, etiamſi bis, ter vel pluries faciat requiſita ad Iubilæum. 3
Confeſſio peccatorum reſeruatorum pluries facta tempore iubilæi eſt valida. ibid.
In indulgentijs, quæ in forma Iubilæi conceduntur, ſex opera iniungi ſolent; *Eccleſ. viſitatio, oratio, ieiunium, eleemoſyna, confeſſio, & communio*. 4
Opera iniuncta pro conſecutione Iubilæi poſſunt compleri per opera alias præcepta. ibid.
Probabile eſt hæc opera præſtari poſſe intra duas hebdomadas. Oppoſitum tamen in praxi eſt conſulendum præcipiè aliqua neceſſitate vel rationabili cauſa. ibid.
Opera præſcripta impleri poſſunt in diuerſis locis; vnde ſi quis in patria ſua promulgato Iubilæo deſignatas ibidem Eccleſias viſitauerit, & poſtea ex aliquo negotio è patria diſcedat, poteſt ieiunium, confeſſionem, communionem in alia diœceſi peragere. ibid.
Qui omiſit ex malitia opera præſcripta in Iubilæo, poteſt vltimo die illud lucrari ſi dicta opera à confeſſario commutentur: vnde hæc commutatio fieri poteſt die Dominico ſecundæ hebdomadæ. ibid.
Qui de confeſſarij conſenſu diſtulit confeſſionem poſt tranſactum Iubilæum, poteſt ab illo abſolui à caſibus reſeruatis poſt elapſum Iubilæum commiſſis. ibid.
Quando eleemotyna indeterminatè præcipitur ad lucrandam indulgentiam, ſufficit quæcumque minima, & parua: ſi verò demandetur eleemotyaa pro cuiuſque facultate, tunc maior impendenda eſt à diuite, quàm ab egeno. ibid.
Non ſufficit ad lucrandum iubilæum eleemoſyna ſpiritualis, ſed debet eſſe realis, & temporalis. ibid.
Religioſi, Moniales, vxores ſerui, filij-familias, pauperes, ſi non poſſint dare aliquam eleemoſynam, debent commutationem petere in aliud opus pium. ibid.
Quando in Bulla Iubilæi non determinantur preces ſufficit orare iuxta mentem Pontificis, quaſcumque orationes recitando: & probabile eſt ſufficere orationem mentalem. 4
Quando indulgentia conceditur in Iubileo viſitantibus Eccleſiam, vel orantibus in eccleſia, obtinetur hæc ab eo, qui accedit ad eccleſiam, ſed cùm nequeat ingredi corporaliter præ hominum concurſu, orat ante fores eccleſiæ. ibid.
Pro lucranda indulgentia conceſſe viſitantibus quinque altaria, ſatis eſt preces fundere ex vno loco, ſine motu de vno ad aliud altare. ibid.
Habens phyſicam, aut moralem impotentiam confitendi tempore Iubilæi, ſi poſt alia opera communicet cum ſola contritione, non lucratur Iubilæum. ibid.
Si quis de veneris confiteretur, & in Sabbatho antequam indulgentiam conſequatur, peccaret mortaliter, probabile eſt non teneri iterum confiteri. ibid.
Omnia opera præſcripta non debent indiuiduo ita eſſe bona, vt ſi peccato veniali inficiantur, aut circumſtantia aliqua vana, nihil valeant ad conſecutionem indulgentiæ. ibid.
Confeſſarius habens facultatem abſoluendi à reſeruatis tempore Iubilæi poteſt abſoluere pœnitentem, qui intra tale tempus peccatum aliquod reſeruatum commiſit, modò pœnitens

nitens habeat intentionem, præstandi necessaria ad Iubilæum. 5
Qui obtinuit priuilegium quo posset à casibus reseruatis absolui, potest ab istis absolui, etiamsi occasione priuilegij libentiùs se præcipitauerit in casus reseruatos, si tamen hic casus excipiatur, absolui non poterit. ibid.
Ille dicitur peccare in confidentiam priuilegij vel gratiæ, cui principale motiuum lapsus est gratia, vel priuilegium certo tẽpore concessum. ibid.
Iubi æus non differt ab indulgentia plenaria, & plenissima. 6
Indulgentiæ plenariæ concessæ per modum Iubilæi non important facultatem absoluendi a casibus reseruatis, & censuris iuxta probabiliorem sententiam. ibid.
Probabile est pœnitentem remanere absolutum à reseruatis oblitis, et amsi non petat expresè, & explicitè absolutionem à reseruatis, dum tempore iubilæi vel extra confitetur bona fide Sacerdoti priuilegium habenti circa reseruata. 28
Qui à censuris, & à peccatis reseruatis bona fide fuit absolutus tempore Iubilæi, remanet directè absolutus, nec reincidit in casus reseruatos, vel in censuras, etiamsi postea voluntariè prætermittat ea quæ ad lucrandum iubilæum præscribuntur. 30
Probabilius est pœnitentem absolutum à casibus, & censuris virtute Iubilæi, non peccare mortaliter, si postea non lucretur iubilæum. ibid.
Qui virtute Iubilæi vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confessarium approbatum, probabile est, illum posse eligere Confessarium approbatum ab ordinario alterius diœcesis. 14
Tempore iubilæi non censetur sufficienter idoneus, & approbatus confessarius, qui aliàs habuit beneficium parochiale, sed modò est illo priuatus, aut iustè suspensus ab illius vsu. 16
Probabilius est religiosum non teneri tempore Iubilæi eligere Confessarium ab Episcopo approbatum, si intendat lucrari Iubilæum. 17
Quando per Iubilæum vel Bullas aliquas conceditur facultas à Papa absoluendi à quibuscumque peccatis, & censuris, pœnis & sententijs, non intelligitur concessa facultas dispensandi in irregularitatibus contractis ex delicto. 11
Facultas commutandi vel dispensandi vota virtute iubilæi concessa extenditur etiam ad vota facta post iubilæi concessionem, etiamsi votum factum fuerit spe commutationis obtinendæ. 11
Probabile est, transacta tempore iubilæi posse vota commutari illorum, qui consequuti sunt iubilæum, & ex obliuione aut voluntariè non curarunt ea commutari, quamuis contrarium probabilius sit. 13
Tempore Iubilæi possunt vota commutari extra Sacramentum confessionis. 14
Vota tempore Iubilæi commutata non reuiuiscunt, si postea pœnitens non præstet necessaria ad consecutionem iubilæi. 15
Probabilius est item non peccare mortaliter, qui obtenta votorum commutatione, postea voluntariè omittit onera Iubilæi. 16

Iudex.

Iudex à ius dicendo nuncupatur, quasi ius dicens, siue abeo, quòd iure discepret. 1
Quinque conditiones desiderantur in Iudice, vt rectè iudicare possit, *Potestas, veritas, Forma iuris, scientia, & animæ puritas*. ibid.
In iudice necessaria est potestas & iurisdictio ad validitatem sententiæ. ibid.
Iudicis potestas & iurisdictio, vel est ordinaria, vel delegata, vel arbitraria, vel accessoria. 2
Iudex peccat mortaliter, iudicans aliquem absque aliqua ex dictis potestatibus. 3
In quibus peccent iudices vsurpatione iudicij. ibid.
Iudex excommunicatus non peccat vsurpatione iudicij, si excommunicatio est occulta, & eius sententia publica est valida: si tamen eius excommunicatio sit publica, & iudex sit denunciatus nominatim vel notorius clerici percussor, sententia & eius acta sunt irrita. 4
In iudice requritur veritas, vt scilicet, secundùm allegata & probata iudicet. 5
Veritis est non posse iudicem condemnare reum, qui per testes est probatus criminosus, v.g. homicida, quem tamen certò nouit innocentem iudex. ibid.
In causis ciuilibus, & criminalibus minoribus demptionis vitæ vel mutilationis innocentis, si iudex non possit falsitatem detegere, potest seruare iuris ordinem iudicando secundùm allegata & probata. 6
Probabilius est, supremum principem non posse ex priuata scientia, etiam contra fidem actorum, sententiam proferre, tam cõdemnatoriam, quàm absolutoriam. 7
Index supremus quamcumuis sit certus de crimine, ordinariè nõ potest condemnare nisi citatum & auditum, niti in quibuidam casibus. 8
Iudex in conferendis officijs, electionibus, dispensationibus &c. non tenetur sequi publicam scientiam, omissa priuata. 9
Forma iuris in iudice necessaria, consistit in modo procedendi in præparatorijs; In ferenda sententia: Et in pœna imponenda. 10
Iudices regulares sine strepitu iudicij ac figura rimulis, & apicibus iuris omnibus postpositis suorum causas cognoscunt. ibidem.
In iudice necessaria est scientia, quà rectè sciat suo munere fungi: & ex imperitia iudicandi, tenetur ad interesse parti læsæ. 11
Vitæ puritas in Iudice requiritur, quæ duplex est, interior vna, exterior altera. 12
Iudex validè iudicat existens in peccato mortali. ibid.
Iudex per se loquendo, non peccat iudicando in peccato mortali, seclusa scandalo. ibid.
Iudex tenetur causas iudicare & celeriter expedire, & si notabiliter differat expeditionem, tenetur ad restitutionem parti læsæ. ibid.
Iudex non potest compellere partes ad compositionem, etiamsi sit supremus: tamen quando lis est longa & difficilis, & iura vtriusque dubia, potest compellere per modum sententiæ. 13
Iudex, per se loquendo & præciso periculo notabilis damni communis, aut alia iusta causa, tenetur reo ad mortem damnato, concedere tempus communicandi. 20
Quomodo se gerere debeat iudex quando ex parte iuris vel facti sunt duæ opiniones probabiles, vide verb. *Consistentia* nu. 16. & 17.
Quilibet iudex inferior Summo Pontifice ferens sententiam mortis vel mutilationis est irregularis. 1
Iudex Ecclesiasticus, qui aliquem degradat, & tradit brachio sæculari, non fit irregularis. 6
Iudex iuridicè non procedens, non potest reo obligationem imponere ad crimen aperiendum, vel ad iurandum. 1
Non potest iudex examinare reum de alijs criminibus, quæ nec suapte natura, nec indicijs connexa sunt crimini, de quo est infamatus vel conuictus. 6
Iudex reum confessum interrogare non potest de socijs criminis nulla indiciorum suspicione aut infamia laborantibus. 7
Iudex coram quo dissoluenda sunt sponsalia, est iudex Ecclesiasticus ordinarius vel delegatus. 18
Iudices, qui nullum laborant ita vt totum diem in suo munere insumant, à multis Doctoribus excusantur à ieiunio. 8

Iudicium publicum.

Modus procedendi in iudicijs, vel est per accusationem, vel per denunciationem, vel per inquisitionem. 1
Iudex via accusationis iuridicè procedit, quoties delata accusatione interrogat testes, & habita semiplena probatione procedit ad interrogandum reum. ibid.
Iudex via denunciationis procedit, quoties crimine, de aliquo, apud ipsum delato, ex officio procedit ad capiendas informationes. 2
Quid autem sit denunciatio & quotuplex Vide verb. *Denunciatio*.
Inquisitio triplex est, generalis, specialis & mixta. 3
Infamia est frequens vox bonorum & proborum virorum, quæ hominem de tali crimine rationabiliter suspectum reddit. 4
Clamorosa insinuatio est vox totius populi, vel publicus rumor inter multos de tali crimine extra iudicium. ibid.
Indicia, alia sunt leuia, alia grauia, alia indubitata. ibid.
Semiplena probatio varijs modis haberi potest. 5
Vt iudex faciat inquisitionem omninò generalem, non est necesse vt aliqua infamia præcesserit, vel accusatio, vel denunciatio. 6
In hac inquisitione generali, interrogati subditi, non debent parefacere criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant. ibid.

Quando

Quando crimen eſt manifeſtum, iudex habet ius inquirendi in genere, quis fecerit, non tamen in particulari an Petrus fecerit. 7

Modus procedendi per ſpecialem inquiſitionem, qua intenditur pœna delinquentis, requirit præuiam infamiam vel clamoroſam inſinuationem. 8

Ad infamiam non ſufficit quòd duo vel tres etiam iurati viderint reum committentem crimen, ſed requiritur vt tumor de eo ſparſus ſit per maiorem partem vicinię vel collegij, vel vniuerſitatis in qua commoratur. ibid.

Ad inquiſitionem ſpecialem non ſufficit infamia orta, poſtquam reus eſt incarceratus, cùm antea nulla eſſet. ibid.

Ad ſpecialiter inquirendum contra prælatum, præter ſimplicem infamiam neceſſaria eſt ſemper clamoroſa inſinuatio: contra ſubditum verò ſufficit ſola infamia. ibid.

Modus procedendi per inquiſitionem mixtam, qua inquiritur ſpecialiter de perſona, & generatim de crimine, requirit præuiam infamiam, vel ſemiplenam probationem & accuſationem. 9

Iudex inferior ordinariè relaxare non poteſt pœnam à iure taxatam, etiamſi accuſator vel pars læſa conſentiat: ſecus ſi pœna ſit impoſita in ſatisfactionem partis, vel ſi ſit arbitraria. 10

Iudex peccat mortaliter liberando reum, quando bonum commune poſtulat eum debere occidi, aut ſi pœnam mortis commutet in mulctam pecuniariam. 11

Iudex regulariter loquendo non poteſt condemnare reum, à quo ipſe vel eius miniſtri veritatem commiſſi criminis extorſerunt promiſſa impunitate, ſeu fictis promiſſionibus &c. 12

Periculoſum eſt aliquando pro reis intercedere in iis, quæ ab arbitrio iudicis non dependent. 13

Iudices tam ſæculares quàm Eccleſiaſtici, poſſunt à litigantibus aliquid loco ſtipendij accipere, pro exercendo iuſtitiæ officio, quando illis ſtipendium à Reipub. vel ab alio aſſignatum non eſt. 14

Iudex Eccleſiaſticus tam ordinarius quàm delegatus habens beneficium cui eſt annexa iuriſdictio, non poteſt à litigantibus munera vel ſportulas accipere. 15

Iudices ſæculares tam ordinarij quàm delegati poſſunt munus accipere iuxta legitimam loci conſuetudinem. ibid.

Xenia accipi poſſunt à quocumque iudice. ibid.

Iudex ſæcularis poteſt petere expenſas, quas facit dum proficiſcitur extra domicilium; Eccleſiaſticus ordinarius non poteſt, niſi in duobus caſibus. ibid.

Forma iuris, quàm iudex ſeruare debet in ferenda ſententia, in hoc conſiſtit, vt ſententia, feratur iuxta diſpoſitionem iuris & legis. 16

Arbiter debet ſeruare formam iudicij, quam ordinarij iudices ſeruant, niſi quatenus in eis aliqua de illa remiſſa fuiſſent. 5

Iudicium ad mortem vel ad pœnam, eſt prohibitum in die feſto. 21

Iudicium legitimum eſt quodlibet iudicium forenſe, quod ſecundùm leges, vel canones in ſuo foro, qui ſolet dici actus legitimus duarum perſonarum ſub eodem iudice. §. 5

Iudicium temerarium.

Iudicium temerarium dicitur, quod de alicuius peccato, aliòve infami malo ex leuibus indicijs concipitur: & differt à ſuſpicione, opinione & dubio. 1

Iudicium temerarium mortale peccatum eſt, quando quis iudicat firmiter & deliberatè de aliquo graui malo proximi; abſque ſufficienti fundamento. 2

Iudicium temerarium veniale peccatum erit in quinque caſibus. ibidem.

Probabilius eſt, peccatum eſſe mortale ex leuibus indicijs iudicare aliquem eſſe ſpurium, vel ortum à Iudæis &c. 3

Qui temerè iudicat in re graui de aliquo indeterminatè, nullum concipiendo in particulari, non peccat mortaliter. 4

Qui de alio malè ſuſpicatur, vel iudicat cum ſufficienti fundamento, non poteſt ſuam opinionem, vel iudicium aliis manifeſtare, niſi fiat ad honeſtum finem. 5

Non eſt opus in confeſſione explicare quale fuerit iudicium temerarium, dicendo, iudicaui proximum eſſe furem &c. nec contra quam perſonam, fuerit ne Eccleſiaſtica vel ſæcularis. ibid.

Iudicium temerarium eſt peccatum contra iuſtitiam, & quando alteri manifeſtatur, non manifeſtatis leuibus indicijs, eſt mortale obligans ad reſtitutionem, poſita grauitate materiæ. 6

Dubia in meliorem partem poſſunt explicari poſitiuè ſeu affirmatiuè, vel negatiuè. 7

Dubium vel eſt de rebus, vel de perſonis. ibid.

Dubia de rebus non ſunt in meliorem partem interpretanda, ſed ſuis æſtimanda momentis. ibid.

Dubia de perſonis regulariter loquendo tenemur explicare negatiuè in meliorem partem, non poſitiuè ſeu affirmatiuè. ibidem.

Licitum eſt aliqua ratione dubia in peiorem partem explicare per quamdam ſuppoſitionem, quando agitur de damno vitando, aut de remedio ad præcauendum malum adhibendo. 8

Iuramentum.
Quoad eius diuiſionem, & materiam.

Iuramentum eſt atteſtatio diuini numinis, vel inuocatio diuini teſtimonij ad finem faciendam vel promiſſionem firmandam. 1

Duo requiruntur ad eſſentiam iuramenti, intentio ſcilicet iurandi, ſeu Deum teſtem faciendi, & locutio, qua in teſtem vocetur. ibid.

Formulæ quædam in quibus non eſt iuramentum. ibid.

Ruſtici confitentes ſe iuraſſe, & blaſphemaſſe, interrogari debent quomodo iurarint præſertim circa ſua pecora. ibid.

Cenſetur eſſe iuramentum in iſtis, *Coram Deo loquor, Deus ſcit ita eſſe*, &c. 2

Iuramentum per falſos Deos, non eſt verum iuramentum, nec obligat, niſi ex conſcientia erronea. 3

Ad iuramentum ſufficit tacita Dei inuocatio. 4

Tribus modis poteſt creatura in teſtem adduci. 5

Ad iuramentum non requiruntur verba determinata, ſed ſufficit, vt quis Deum adducat in teſtem. 6

Iuramentum, aliud verbis concipitur, aliud nutu, vel alio ſigno, aut manu ſublata, aut tactu Euangeliorum &c. aliud fit per ſimplicem conteſtationem, aliud per execrationem. 7

Iuramentum aliud fit per Deum, aliud per creaturas, aliud eſt ſolemne, aliud ſimplex: aliud eſt aſſertorium, aliud promiſſorium: porrò iuramentum, aliud eſt abſolutum, aliud conditionale. 8

Quando pœnitentes confitentur iuramenta falſa, aut vera ſine neceſſitate, non eſt neceſſarium illa narrare indiuidualiter, ſed ſat eſt dicere *toties falsò iuraui*. ibid.

Materia iuramenti debet eſſe res licita & non peccaminoſa. 9

Res differens aut impoſſibilis, aut impeditiua maioris boni, ſeu contraria diuinis conſilijs, non eſt materia iuramenti. 10

Iuramentum factum de re prohibita per legem ciuilem, quæ primariò & immediate dirigitur ad bonum publicum, non obligat, ſecus ſi reſpiciat fauorem perſonæ priuatæ. 11

Iuramentum promiſſorium & eius obligatio.

Promiſſio aut iuramentum factum contra prius iuramentum aut contra votum, aut promiſſionem priorem validam, non obligat. 1

Si quis exterius iuret ſine animo iurandi, non obligatur ex vi iuramenti, ſi tamen iuramentum alteri ſit cauſa alicuius damni tenetur taliter iurans illud reſarcire. 2

Probabile eſt, illum, qui iurat animo quidem iurandi non tamen ſe obligandi, non teneri, quamuis contrarium ſit etiam probabile. ibid.

Verius eſt, ſi quis iuret abſque animo implendi, naſci obligationem. ibid.

Quoties iuramentum rationabiliter exigitur, peccatum mortale committitur iurando cum animo non iurandi, vel cum animo non ſe obligandi. 3

Iuramentum appoſitum contractui, cui error & dolus cauſam dedit, irritum eſt: imò probabile eſt, iuramentum non obligare quando dolus ſolùm verſatur circa rei qualitatem, vel cautam promiſſionis aut contractus. 4

Iuramentum promiſſorium metu graui extortum iniuſtè, obligat, modò factum ſit animo ſe obligandi & de re licita. 5

Theologorum ſententia communis eſt, violationem iuramenti metu extorti, eſſe peccatum mortale, ſi materia ſit grauis. 6

Promiſſio interna facta cum iuramento non reuocandi, non obligat, ſed reuocari poteſt abſque peccato mortali ante acceptationem. 6

Iuramentum. Quoad conditiones illius vt ſit licitum.

Fide tenendum eſt iuramentum eſſe licitum poſita neceſſitate &c

& concurrentibus quibusdam conditionibus. 1
Vt iuramentum sit licitum tria requiruntur, scilicet, veritas, iustitia & iudicium. 2
Iuramentum assertorium est peccatum mortale in omni materia etiam leui, quoties iurans credit non esse verum quod asserit. Idem dicendum quando quis rem dubiam iurat vt certam vel certam vt dubiam. 3
Iudicium requisitum in iuramentum consistit in hoc, vt fiat cum necessitate & reuerentia. 4
Iustitia iuramenti in hoc consistit, vt iuramentum non fiat de re illicita. 5
In causis ciuilibus masculus ante 14. annum, & puella ante 12. annum non admittuntur ad iuramentum solemne in iudicio: In criminalibus non admittitur minor 20. annis. 6
Periuri repelluntur à iuramento emittendo in iudicio. 7
Sacerdotibus & prælatis interdicitur iurare in iudicio sine graui causa & necessitate. 7
Iuramentum potest præstari per nuncium vel procuratorem, modò procurator speciale mandatum habeat ad iurandum & lex non resistat. 8
In certis casibus & ex iusta causa licitè potest exigi iuramentum ab eo, qui creditur peieraturus. 9
Ex causa iusta licitum est iurare cum aliqua amphibologia, quãdo verba, quæ vsurpantur sunt ex significatione sua ambigua, & vtrumque sensum tam iurantis, quam interrogantis recipientia. 10
Quando verba non sunt talia, sed in sensum verum detorquentur ex solo aliquo addito mente iurantis concepto, semper est mendacium & consequenter periurium mortale. ibid.
Nullus amphibologiæ vlus fraudi, dolo iniusto, vel iniurię alicui suffragari debet aut potest: vnde qui in tali casu amphibologia vtitur, si nocumentum sit graue, mortaliter peccat: secus si nocumentum sit iustum & iustè inferatur. ibid.
Qui legitimè ad iuramentum compellitur à superiore, vel qui se sua sponte offert ad iurandum sine necessitate, peccat mortaliter, si iuret id quod est verum secundùm mentem suam, falsum autem secundum mentem petentis. 11
Regula generalis sit, quòd omnis amphibologia, siue in verbis, siue restrictionibus & intentionibus mentalibus consistat, quæ iustitiæ, fidelitati vel charitati proximo debitæ in aliqua materia graui aduersatur, est peccatum mortale. ibid.
Iuramentum iudiciale prohiberur fieri in die festo, secluſa causa pacis, aut magnæ necessitatis, aut causæ piæ: Iuramentum etiam extraiudiciale licitè non fit in die festo, si per illud firmentur pacta & conuenta inter homines & præsertim contractus: alàs non est prohibitum. 22
Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo potest reseruari à religionum Superioribus iuxta Decretum *Clement. VIII* §. 5.
Qui in compensationem accepit iustè, potest à iudice rogatus iurare se nescire quis acceperit, nempe vt iudex intelligit, iniustè. 8
An possit reus amphibologijs vti negando suum crimen vide v. *Reus*. 4

Iuramentum, Quoad peccatum iurantis ex consuetudine & violantis iuramentum.

Consuetudo iurandi per se non est peccatum mortale; secus de consuetudine iurandi & mentiendi & coniungendi mendacia cum iuramento. 1
Aduertens se habere consuetudinem peierandi, & non adhibens remedia ad illam tollendam mortaliter peccat, quoties hoc aduertit. 2
Habens firmum propositum abstinendi in futurum ab huiusmodi iuramentis potest absolui. ibid.
Postquam pœnitens prauam consuetudinem efficaci proposito retractauit, tunc consequentia falsa iuramenta & verba blasphemiæ non imputabuntur ad peccatum: cùm non sint voluntaria. ibid.
Probabilius est transgredientem iuramentum in re parua seriò promissa, peccare mortaliter, siue sit tota materia, siue pars tantùm. 3
Tenetur iuramentum adimplere, qui iurauit de infligenda alicui pœna, quam iustè potest infligere, modò causa propter quam adimpleri debeat, non sit variata. 4
Iuramentum cadens supra propositum vel promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione iurantis, vel ex dispositione iuris, eo modo explicandum est, quo explicatur & obligat ipsa promissio. 5
In dubio iuramentum ita explicandum est, vt quantùm fieri potest, minùs obliget, seruata verborum proprietate. 6

Iuramentum. Quoad eius relaxationem & de pœnis periurij.

Principalis pœna periurij vtroque iure irrogata, est infamia. 1
Multæ al æ pœnæ tam iure Pontificio, quàm Cæsareo inflictæ sunt contra hoc crimen committentes. 1
Obligatio à iuramento tolli potest, vel impediendo ne illam ab initio inducat, vel tollendo iam inductam. 2
Impediri potest obligatio iuramenti per legem, quando lex statuit vt iuramentum contractui vel promissioni alicui adiecti, sit irritum. ibid.
Obligatio iuramenti iam inducta tolli potest mutatione materiæ, si nempè materia iuramenti fiat illicita. 3
Cessat obligatio iuramenti condonatione, seu relaxatione eius in cuius fauorem factum est iuramentum. ibid.
Iuramenti obligatio tollitur irritatione facta per superiores, quibus subiecta est materia iuramenti. 4
Iuramenta minorum non possunt irritare curatores: iuramenta tamen impuberum possunt irritari à tutoribus. ibid.
Iuramenti vinculum tollitur etiam commutatione, vt si ille, cui factum est, concedat aliud opus loco illius, quod iuramento promissum est, præstari. 5
Potestas ordinaria commutandi iuramenta competit Episcopis & alijs prælatis habentibus iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos. ibid.
Ex potestate delegata, regulares commutantes vota ex priuilegio, possunt etiam commutare iuramenta de eadem materia. ibidem.
Vnusquisque potest suum iuramentum commutare in melius: in æquale autem vel minus bonum non potest iuramentum commutari, sine authoritate illius qui ad hoc habet potestatem. 6
Iuramentum factum in fauorem hominis & validè acceptatum non potest commutari ab alio, ipso inuito. ibid.
Iuramenti obligatio tollitur dispensatione, quam dare potest Summus Pontifex ex causa in omni iuramento, cessante damno tertiæ personæ: Episcopus idem potest cum sibi subditis. 7
Quicumque potest à voto absoluere, à iuramento etiam de eadem re emisso absoluere potest. ibid.
Iuramenta absoluta castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ & Compostellanæ, quæ nullam promissionem Deo factam includunt, dispensari possunt ab Episcopis, & consequenter à confessoribus ordinum mendicantium. ibid.
Prælati regularium exempti ab ordinario circa suos subditos possunt in iuramentis dispensare, sicut Episcopi. 8
Confessores regulares ordinum mendicantium ex priuilegijs suis possunt dispẽsare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, & consequenter in omnibus iuramentis. ibid.
Dispensans in iuramento sine causa rationabili peccat, & irrita est dispensatio in foro conscientiæ. 9
Quando causa non est sufficiens ad dispensandum, potest iuramentum partim relaxari & partim commutari, habita ratione causæ. ibid.
Dantur aliquæ causæ relaxandi iuramentum, quamuis emissum in fauorem tertij. *Iurisdictio ordinaria*. 10
Iurisdictio quam capitulum habet sede vacante est ordinaria in spiritualibus & temporalibus. 6
Iurisdictio ordinaria in primo & supremo ordine residet in Summo Pontifice diuino iure. 7
Iurisdictio item ordinaria in secundo ordine residet in Episcopis, non diuino, sed humano iure, secundum probabiliorem sententiam. 8
Iurisdictionem denique ordinariam habent Parochi, & omnes in vniuersum, quibus ex iure, vel ex priuilegio speciali commissa est cura immediata aliquarum animarum. 9
Iurisdictionem ordinariam vel delegatam habens potest suum subditum absoluere vbique etiam extra diœcesim. 18
Iurisdictio ordinaria est illa, quæ alicui competit ex officio, vel ex dignitate. 2
Qui iurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem in vtroque foro habent, possunt sibi reseruare casus. 6
Iurisdictionis ordinariæ est incapax irregularis, non verò delegatæ. 15

A iurisd-

A iurisdictione suspensus, non ob id suspensus est ab ordine. 10
Qui iurisdictionem ordinariam habet censuras ferendi, eam cuiuis cletico clericalibus priuilegijs gaudenti delegare potest. 10
Confessarius, qui ordinariam in Sacramento pœnitentiæ habet iurisdictionem, dicitur in iure proprius sacerdos. 12
Plura de iurisdictione ordinaria vide v. *Confessarius I.*

Iurisdictio delegata.

Iurisdictio delegata est illa, quæ competit alicui non ex officio vel dignitate, sed ex concessione vel commissione illius, qui iurisdictionem habet ordinariam. 2
In iurisdictione delegata Episcopo, Capitulum non succedit. 6
Iurisdictionem delegatam habet absoluendi à reseruatis ille, cui facultas data est à superior habente illam ordinariam. 8
Qua autem ratione seu forma intelligatur concessa iurisdictio delegata circa reseruata Vide verb. *Casus reseruatus.* n.8.
Iurisdictionis delegatæ non est incapax irregularis, quia hæc non fundatur in beneficio. 15
Iurisdictio in sacro pœnitentiæ foro delegari potest, vel directè, vel indirectè. 1
Plura de iurisdictione delegata vide v. *Confessarius. II.*

Iurisdictionis potestas.

Iurisdictionis potestas, quamuis habitualiter seu aptitudinaliter eadem videatur esse cum potestate ordinis, superadditur tamen illi actualiter applicatio materiæ, circa quam exerceri debet. 5
Iurisdictionis potestas, vna est temporalis, seu secularis ad temporale bonum ordinata, alia spiritualis. 6
Spiritualis iurisdictionis potestas, vna est ad regendum populum Christianum in externo foro, & dicitur contentiosa, altera est voluntaria, quæ in solos subditos volentes exercetur. ibid.

Iurisdictio arbitraria.

Iurisdictio arbitraria est illa, quæ communi partium litigantium consensu obtinetur, vel dum eligitur quis in Iudicem. 2
Plura de iurisdictione arbitraria, Vide v. *Arbitrium.*

Iurisdictio accessoria.

Iurisdictio accessoria est illa, quæ alicui aliunde accedit, v. g. ratione delicti, quando quis in alieno territorio delinquit, superior acquirit in ipsum iurisdictionem. 8

Iurisdictionis subiectio.

In acquirenda iurisdictionis subiectione, non habetur ratio originis, sed potius domicilij habitationis, quod etiam principalius censetur. 4
In clericis habentibus beneficium postulans residentiam, idem esse solet domicilium habitationis, quod beneficij. ibid.

Iurisdictionis priuatio.

Iurisdictionis Ecclesiasticæ priuatio est effectus excommunicationis: ita vt excommunicatus quamuis toleratus, licitè iurisdictione sua vti non possit in fauorem suum & quoad se. 21
Iure est priuatus valore iurisdictionis excommunicatus vitandus seu non toleratus, ita vt gesta per ipsum sint inualida, quoties fiunt ex officio tamquam iurisdictionis propriæ. 22
Acta iurisdictionis propriæ per suspensum à iurisdictione seu ab officio, nominatim denunciatum inualida sunt, nisi adsit titulus colorato, & error communis: suspenso tamen non nominatim denunciatus non adimitur iurisdictio. 8

Iustitia.

Iustitia iuramenti in hoc consistit, vt iuramentum non fiat de re illicita. 5
Iustitia requisita in notario consistit in duobus, nimirum in conficiendo instrumento & in iusto pretio exigendo. 4
Iustitia requiritur etiam in procuratore, quæ posita est, vt causam iniustam non suscipiat, vt causas priùs susceptas priùs procuret &c. vt non exigat salarium immoderatum, nec accipiat munera, nisi iure concessa. 6

L.

Labor.

Labor, cum quo non sufficit laboranti vnica refectio in die ieiunij, excusat à ieiunio. 7
Mechanici non excusantur à ieiunio quorum labor est exiguus, vt sunt pictores, sculptores, tonsores, &c. 8
Omnes operarij exercentes artes laboriosas non tenentur ieiunare, etiamsi diuites sint, & aliunde habeant victum & consueta commoda familiæ. Ex declaratione *Eugenij IV.* 7
Operarij non solùm excusantur è ieiunio eo die, quo laborant verum etiam eo die quo laborem intermittunt. ibid.
Omnes, qui officio suo fungi nequeunt cum ieiunio, excusantur, etiamsi labor non sit nisi ingenij. 8

Laicus.

Laicus est incapax beneficij. 2
Laicus non habet ius conferendi beneficia, nec instituendi, nec confirmandi, nisi ex priuilegio Papæ. 7
De materia Sacramentorum in particulari, videndi sunt tituli cuiusque Sacramenti.
De materia voti vide verb. *Votum II.*

Materiæ paruitas.

Ex paruitate materiæ peccatum mortale ex genere in veniale transit, si hæc paruitas in eo reperiatur. 7
In quibusdam peccatis paruitas materiæ non reperitur, & ideò hac ratione venialia reddi nequeunt, quod contingit, quoties integra irreuerentiæ & offensionis ratio, in materia parua inuenitur. ibid.
In materia simoniæ probabile est non dari peccatum veniale ex leuitate materiæ, sed tantùm ex inconsideratione & ignorantia. 3
Materiæ paruitas excusans à mortali non datur in blasphemia. 6
In omni materia etiam leui, iuramentum assertorium est peccatum mortale. 3
In rebus veneris probabilius est non dari paruitatem materiæ excusantem à mortali. 7
Ob paruitatem materiæ peccatum odij in Deum non potest esse peccatum veniale; in proximum autem potest. 3
Contemptus Dei in materia etiam leuissima est peccatum mortale: respectu tamen legum humanarum & hominum legislatorum datur contemptus venialis ex paruitate materiæ secundùm probabiliorem sententiam. 4
In infidelitate non datur materiæ paruitas excusans à mortali. 7
In fractione sigilli confessionis non datur paruitas materiæ excusans à culpa mortali, etiamsi quod reuelatum fuerit, sit tantùm venialis culpa. 4
Magia, ratione paruitatis materiæ, præcisè non videtur vnquam esse veniale peccatum. 2
In ieiunio naturali pro communione sumenda non datur materiæ paruitas. 40
Quia impossibile est, moraliter loquendo, ita mensurare dimidium noctis, vt non contingat aliquis error circa aliquam exiguam partem temporis ante, vel post mediam noctem: ideo hic habet locum etiam paruitas materiæ, ratione cuius censeri potest non solui ieiunium naturale illius diei pro sumenda communione. 46
In ætate requisita ad professionem emittendam non datur materiæ paruitas, sed hæc ætas computanda est de momento ad momentum. 2
In nouitiatus anno non datur paruitas materiæ, sed debet compleri de momento ad momentum. 2
Peccatum ratione paruitatis materiæ censetur veniale, quando res quæ præcipitur vel prohibetur est parua, non solùm secundùm se, verùm etiam per ordinem ad finem, vel circumstantias, propter quas talis res præcipitur vel prohibetur. 5

Quando res secundum se quidem parua est, sed efficitur grauis ratione finis vel circumstantiæ, tunc peccatum est mortale. 7
In diebus festis datur paruitas materiæ excusans à mortali in ordine ad opera seruilia. 4
In omissione operis iniuncti alicuius indulgentiæ dari potest paruitas materiæ. 5
In fractione ieiunij datur paruitas materiæ excusans à mortali, siue pluries in die comedatur, siue carnes comedantur, siue refectionis hora anticipetur. 16
In acceptione personarum quoad beneficia conferenda datur paruitas materiæ excusans à mortali. 10
In negatione debiti coniugalis datur paruitas materiæ. 3
In dilatione vel omissione pœnitentiæ iniunctæ datur paruitas materiæ. 12
In ætate requisita ad matrimonium datur paruitas materiæ. 11
In ætate requisita ad ordines suscipiendos non datur paruitas materiæ. 7
In continuatione anni nouitiatus datur paruitas materiæ. 5
In communicatione cum excommunicato datur paruitas materiæ. 25
In ingressu, vel egressu clausuræ monialium datur paruitas materiæ excusantis à peccato mortali & censuris. 7
In obligatione celebrandi datur paruitas materiæ. 13
In obligatione restituendi fructus pro omissione horarum canonicarum probabile est dari paruitatem materiæ. 10
Probabile est in fructibus beneficij dari paruitatem materiæ, ita vt non consurgat obligatio quotidie recitandi horas canonicas. 13
In omissione horarum datur paruitas materiæ. 2
In mendacio facto in confessione vel extra datur paruitas materiæ, modò iuramento non confirmetur mendacium. 6
In lectione librorum ob hæresim prohibitorum datur paruitas materiæ. 10
In conscientia erronea datur paruitas materiæ. 33
In furto datur paruitas materiæ. 3
In verbis substantialibus formæ sacramentorum non datur paruitas materiæ. 4. & 5
In consecratione materiæ & formæ sacramentorum datur paruitas materiæ. 9
In forma sacramentorum interruptione datur paruitas materiæ. 5
In interruptione horarum canonicarum datur paruitas materiæ. 16
In retentione librorum hæreticorum datur paruitas materiæ. 11
In auditione Missæ datur paruitas materiæ. 3
In omissione aliquarum rerum, quæ dicuntur, vel aguntur in Missa, datur paruitas materiæ. 6
In casibus reseruatis & in excommunicationibus datur materiæ paruitas. 3
De materia leui præceptum superioris non obligat ad mortale, etiamsi iubeat in virtute sanctæ obedientiæ. 15
Votum de materia leui non obligat ad mortale, etiamsi vouens habuerit intentionem se obligandi sub mortali: limita tamen, nisi materia leuis referatur ad materiam grauem. 5
Violatio iuramenti in materia parua non est peccatum mortale. 1
Plures materiæ paruæ peccati venialis, non efficiunt grauem, quoties parua postremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari. 9
In materia iniustitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione, magna consurgit, ac sufficiens ad mortale. 10
In materia intemperantiæ, in festorum obseruatione, ex paruæ materiæ multiplicatione eodem die repetita, materia leuis fit grauis ratione præcedentium. ibid.
Materiæ paruæ diuersorum præceptorum non coalescunt in vnum, nec efficiunt quantitatem notabilem. ibid.
In materia de voto, ex leui materia transgressionis sæpius repetitæ circa leuem materiam, coalescere potest aliquid notabile, modò votum non sit factum in honorem certi diei. ibid.
In prohibitione celebrandi ante auroram vel post meridiem datur paruitas materiæ. 6
In præcepto gestandi tonsuram & vestem clericalem datur paruitas materiæ. 18
In dimissione habitus religiosi datur paruitas materiæ excusans ab excommunicatione. 4
In præcepto non addendi aliquid in Missa præter præscripta datur paruitas materiæ. 6
In percussione clerici datur materiæ paruitas excusans ab excommunicatione. 2
In præcepto correptionis fraternæ datur paruitas materiæ. 5
In murmuratione datur paruitas materiæ excusans à mortali. 6
In peccato inuidiæ potest dari paruitas materiæ excusans à mortali. 1
In iudicio temerario datur paruitas materiæ. 2
In derisione datur paruitas materiæ. 2
In detractione datur materiæ paruitas. 3
In contumelia inuenitur etiam paruitas materiæ excusans à mortali peccato. 2
In prædictione humanarum actionum per astra datur paruitas materiæ. 5
In peccato iræ inuenitur materiæ paruitas. 2

Mater.

Mater vsque ad triennium tenetur lac filio præbere, quamuis spurio; modò lacte non careat, nec iustam non lactandi causam habet. 3
Matri dicenti suum filium esse spurium, non tenetur filius credere, si tempore conceptionis habitabat cum viro. 8
Materfamilias nihil imperare potest, quo subditorum conscientiæ obligentur, nisi ratione rei & materiæ imperatæ. 4
Materfamilias potest præcipere virtute obedientiæ, vel sub pœna obedientiæ ipsi debitæ. ibid.
Mater, per se loquendo, non tenetur pro filia dotem dare, nisi filia & pater sint inopes, illa autem diues. 6
Mater filiæ spuriæ non tenetur dotem constituere, pater verò tenetur. 7

Matrimonium. Quoad eius essentiam.

Matrimonium vocatur alio nomine *nuptiæ*, *connubium*, *coniugium*. 1
Matrimonium est maritalis coniunctio viri & fœminæ, inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens. 2
Essentia matrimonij consistit in vinculo illo, quo formaliter sunt coniuges vniti. 3
Matrimonium olim erat in præcepto: nunc autem hoc præceptum obligat solùm Rectores communitatum: & in necessitate obligat etiam religiosos & moniales. 4
Extra necessitatem conseruandæ speciei tenetur quis matrimonium inire sub mortali, quando exinde pax in Repub. dependet. ibid.
Matrimonium ante Adami lapsum institutum fuit in naturæ officium, eo autem secuto in concupiscentiæ remedium: & in noua lege eleuatum fuit à Christo in sacramentum. 5
De fide est statum coniugalem esse inferiorem cœlibatu. ibid.
Matrimonium diuiditur in legitimum, ratum & consummatum. Aliud est verum, aliud præsumptum. Item aliud est clandestinum, aliud probabile in iudicio, aliud publicum. 6
Probabilius est matrimonium fidelis cum catechumena ex dispensatione Pontificis, ex parte neutrius esse sacramentum. ibidem.
Matrimonium infidelium sit sacramentum & confert gratiam cum ambo baptizantur. ibid.
Matrimonium inter fideles, an semper sit sacramentum, alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Verius est verba seu signa, quibus consensus exprimuntur, esse sibi inuicem materiam & formam matrimonij. 7
Minister sacramenti matrimonij nunquam fuit sacerdos, nec ante, nec post Concilium Trident. sed ipsi contrahentes sunt ministri conficientes sacramentum. 8
Sacerdos potest dici minister accidentarius, quatenus ex officio iungit & benedicit contrahentibus. ibid.
Matrimonium potest celebrari inter absentes per literas vel procuratorem, positis quatuor conditionibus. 9
Communior sententia est matrimonium contractum per literas vel procuratorem esse sacramentum. 10
Ætas requisita ad matrimonium validè ineundum est pubertas; nempe annus duodecimus in fœmina, in viro autem annus decimus quartus completus. 11
In dubio ante pubertatis ætatem, nec mas, nec fœmina præsumuntur generationi apti: quamuis aliquando possit supplere ætatem malitia. ibid.
Iuxta quosdam relinquitur arbitrio iudicis iudicandum, quanto tempore ante ætatem iure præscriptam, malitia illam suppleat. Alij censent esse tempus vnius integri anni. ibid.
Probabilius est peccatum esse mortale, contrahere matrimonium ante legitimam ætatem; nisi id fiat cum licentia Episcopi ex iusta causa. ibid.

Matrimonium.
Quoad illius indissolubilitatem.

Matrimonium rarum significat vnionem dissolubilem Christi cum anima existenti in gratia: consummatum autem significat indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. 1

Probabilius est, aliqualē inseparabilitatem esse de natura matrimonij & ita competere etiam matrimonio rato: omnimodam tamen *indissolubilitatem* competere matrimonio consummato ex significatione vnionis Christi cum Ecclesia. 2

Probabilius item est, posse Pontificem ex iusta causa dispensare in matrimonio rato. 3

Matrimonij rati vinculum ex priuilegio diuino dirimitur per professionem trium votorum solemnium in religione approbata. 4

Matrimonium ratum non dirimitur per vota simplicia, nec per susceptionem ordinum sacrorum & Episcopatus. ibid.

Vt matrimonium dicatur indissolubile, debet esse consummatum. 5

Quando censeatur matrimonium consummatum, vide suprà v. *Consummatio Matrimonij.*

Probabilius est, bimestre ante consummationem matrimonij præscriptum esse sponsis, non ad profitendum sed ad deliberandum de religionis ingressu. 7

Transacto bimestri potest quilibet coniux ingredi religionem, si matrimonium nondum sit consummatum. 8

Matrimonium. Quoad causam illius efficientem.

Ad matrimonium requiritur consensus mutuus. 1

Per nullam potentiam potest matrimonium constare absq; proprio consensu. ibid.

Consensus matrimonium constituens non est explicitè in carnalem copulam, sed in ius & potestatem ad talem copulam, implicitè autem & virtute ad talem copulam. 2

Bona, quæ debent intendi à contrahentibus, sunt bonum Sacramenti, bonum prolis & bonum fidei. ibi.

Matrimonium contrahens debet saltem implicitè intendere bonum sacramenti: non item alia duo matrimonij bona. 3

Cum matrimonium ordinatur ad copulam, est peccatum veniale, si non principaliter ad sobolem vel concupiscentiæ remedium ordinetur. 4

Non sufficit consensus internus ad matrimonium, nisi exprimatur verbis vel signis. 5

Non est necessarium consensum vtriusque coniugis simul tempore præstari, sed satis est temporis mora intercedente: modo consensus prioris coniugis non sit reuocatus. 6

Probabilius est, quando consensus alterius coniugis fuit fictus vel metu extortus, satis esse, vt is, qui minus legitimè consensit, denuo consentiat, dum alter consensum non reuocauerit. 7

Quando matrimonium fuit inualidum defectu consensus vtriusque contrahentis, tunc ad validandum matrimon. requiritur vt consensus aliquo signo externo manifestetur. 8

Quomodo conualidandum sit matrimonium, quando interfuit aliquis error facti vel iuris. 9

Taciturnitas non sufficit ad exprimendum regulariter consensum matrimonialem, nisi quis promittat fœminæ, quę tacet coram patre vel matre vel alio curam ipsius gerente, & pater vel mater vel alius curam, ipsius gerens pro ea repromittit. 10

Quædam sufficientes coniecturæ, quibus fit certitudo moralis facti consensus in matrimonium. 11

Matrimonium clandestinum.

Matrimonium clandestinum dicitur quod fit sine parocho & testibus, vel quando celebratur omissis denuntiationibus. 1

Matrimonium sine parocho & testibus duobus post Concil. Trident. est inualidum, peccantque mortaliter sic contrahentes. ibidem.

Matrimonium clandestinum, hoc est, sine Parocho & testibus semper fuit illicitum: tamen concurrentibus quibusdam legitimis causis poterat olim licitè fieri. ibid.

Qui inuincibiliter ignorant legem irritantem Concilij inualidè contrahunt sine Parocho & testibus. ibid.

Matrimonium quod contrahitur absque præmissis denunciationibus validum est, tamen peccatum est mortale sic contrahere absque dispensatione aut legitima causa. 2

In denunciationibus dispensare possunt Episcopi, & alij prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. ibid.

Denunciationes matrimoniales faciendæ sunt à proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia, inter Missarum solemnia publicè. 3. & 7

Episcopus vel prælatus alterius contrahentis potest cum vtroque dispensare in denunciationibus. 4

Causæ iustæ dispensandi in denunciationibus. 5

Matrimonium consummare denunciationibus non præmissis, peccatum est mortale. 6

Quilibet tenetur sub culpa lethali manifestare impedimentum licet occultum, quod nouit inter volentes contrahere, quamuis illud probare non possit. 8

Matrimonium. Quoad illius ministrum.

Minister solemnitatis matrimonij est parochus & testes duo. 1

Vbi Concilium Tridentinum non est promulgatum nec acceptatum quoad illud decretum, validum est matrimonium sine parocho & testibus. ibid.

Si incola illius loci in quo non est acceptatum Concil. Trident. diuertat ad locum in quo est acceptatum, non potest contrahere absque Parocho & testibus. ibid.

Quando aliquis in fraudem legis Concil. Triden. & vt contrahat sine parocho, & testibus, eò proficiscitur vbi Tridentinum non est acceptatum, non animo ibi habitandi, secundum quosdam matrimonium esset inualidum. ibid.

Ex sacræ Congregationis Cardinalium declaratione matrimonium validum est in duobus casibus contractum sine parocho etiam vbi Concilium est publicatum. ibid.

Matrimonium publicè contractū, sciente maiore vicinię parte, est inualidum, si parochus desit. ibid.

Infideles inhabitantes Christianorum loca, in quibus viget decretum Tridentini, non tenentur coram Parocho & testibus contrahere. ibid.

Fideles inhabitantes loca vbi obligat decretum Tridentini, illud tamen inuincibiliter ignorantes, inualidè contrahunt absque Parocho & testibus. ibid.

In locis vbi Tridentinum obligat, exigitur necessitate Sacramēti assistentia proprij parochi, vel alterius sacerdotis de eius licentia, vel ordinarij. 2

Parochus alterius contrahentium sufficit. ibid.

Vagorum matrimonio, qui nullibi domicilium habent, potest quilibet parochus validè interesse. ibid.

Verius est parochum alterius contrahentis posse validè assistere illius matrimonio, in alterius contrahentis, qui sibi subditus nō est, parochia. 3

Probabilius est, parochum assistentem matrimonio non debere esse Sacerdotem; Alter tamen qui de licentia parochi assistit, debet esse Sacerdos, licet non sit approbatus, imò excommunicatus, suspensus, &c. validè assistit. 4

Parochus non sacerdos validè assistit matrimonio non tamen licitè cum debeat benedictionem dare. ibid.

Matrimonium contractum coram parocho excommunicato, suspenso, vel irregulari non tolerato est validum. 5

Probabilius est, licentiam quam dat parochus matrimonio assistendi, non esse actum iurisdictionis. ibid.

Archiepiscopus non potest coniungere in matrim. subditos suorum suffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi nisi in casu appellationis. 6

Licentiam assistendi matrimonio dare possunt Episcopus, Parochus, & eorum Vicarij, Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt Cardinales, Abbates quidam. ibid.

Licentia hæc non debet esse tacita, sed expressa. ibid.

Proprius contrahentium parochus dicitur, qui habet potestatem ordinariam administrandi illis sacramenta. ibid.

Sacerdos qui delegatam habet authoritatem assistendi matrimonio, non potest illam alteri Sacerdoti delegare, nisi sit delegatus ad vniuersitatem causarum. ibid.

Quando matrimonium sit validum vel inualidum ex licentia obtenta per metum, dolum, vel mendacia. 7

Parochus interdictus seu prohibitus ab Episcopo assistere matrimonio, adhuc validè assistit. 8

Quando parochus dolo vocatus interest matrimonio, illud matrimonium valet, etiamsi per vim ibi detineatur: modò parochus sit compos sui & externo sensu percipiat consensum contrahentium. ibid.

Parochus iniustum titulum beneficij habens, validè assistit matrimonio, quamdiu illo non priuatur in iudicio. 9

Vt gesta per hunc parochum valeant tria concurrere debent, scilicet titulus coloratus, error communis, & vt nullum adsit impedimentum iuris diuini vel naturalis. ibid.

A iurisdictione suspensus, non ob id suspensus est ab ordine. 10
Qui iurisdictionem ordinariam habet censuras ferendi, eam cuiuis clerico clericalibus priuilegijs gaudenti delegare potest. 10
Confessarius, qui ordinariam in Sacramento pœnitentiæ habet iurisdictionem, dicitur in iure proprius sacerdos. 12
Plura de iurisdictione ordinaria vide v. *Confessarius I.*

Iurisdictio delegata.

Iurisdictio delegata est illa, quæ competit alicui non ex officio vel dignitate, sed ex concessione vel commissione illius, qui iurisdictionem habet ordinariam. 2
In iurisdictione delegata Episcopo, Capitulum non succedit. 6
Iurisdictionem delegatam habet absoluendi à reseruatis ille, cui facultas data est à superior habente illam ordinariam. 8
Qua autem ratione seu forma intelligatur concessa iurisdictio delegata circa reseruata Vide verb. *Casus reseruatus.* n.8.
Iurisdictionis delegatæ non est incapax irregularis, quia hæc non fundatur in beneficio. 15
Iurisdictio in sacro pœnitentiæ foro delegari potest, vel directè, vel indirectè. 1
Plura de iurisdictione delegata vide v. *Confessarius. II.*

Iurisdictionis potestas.

Iurisdictionis potestas, quamuis habitualiter seu aptitudinaliter eadem videatur esse cum potestate ordinis, superadditur tamen illi actualiter applicatio materiæ, circa quam exerceri debet. 5
Iurisdictionis potestas, vna est temporalis, seu secularis ad temporale bonum ordinata, alia spiritualis. 6
Spiritualis iurisdictionis potestas, vna est ad regendum populum Christianum in externo foro, & dicitur contentiosa, altera est voluntatia, quæ in solos subditos volentes exercetur. ibid.

Iurisdictio arbitraria.

Iurisdictio arbitraria est illa, quæ communi partium litigantium consensu obtinetur, vel dum eligitur quis in Iudicem. 2
Plura de iurisdictione arbitraria, Vide v. *Arbitrium.*

Iurisdictio accessoria.

Iurisdictio accessoria est illa, quæ alicui aliunde accedit, v. g. ratione delicti, quando quis in alieno territorio delinquit, superior acquirit in ipsum iurisdictionem. 2

Iurisdictionis subiectio.

In acquirenda iurisdictionis subiectione, non habetur ratio originis, sed potius domicilij habitationis, quod etiam principalius censetur. 4
In clericis habentibus beneficium postulans residentiam, idem esse solet domicilium habitationis, quod beneficij. ibid.

Iurisdictionis priuatio.

Iurisdictionis Ecclesiasticæ priuatio est effectus excommunicationis: ita vt excommunicatus quamuis toleratus, licitè iurisdictione sua vti non possit in fauorem suum & quoad se. 21
Iure est priuatus valore iurisdictionis excommunicatus vitandus seu non toleratus, itavt gesta per ipsum sint inualida, quoties fiunt ex officio tamquam iurisdictionis propriæ. 22
Acta iurisdictionis propriæ per suspensum à iurisdictione seu ab officio, nominatim denunciatum inualida sunt, nisi adsit titulus colorato, & error communis: suspenso tamen non nominatim denunciatus non adimitur iurisdictio. 8

Iustitia.

Iustitia iuramenti in hoc consistit, vt iuramentum non fiat de re illicita. 5
Iustitia requisita in notario consistit in duobus, nimirum in conficiendo instrumento, & in iusto pretio exigendo. 4
Iustitia requiritur etiam in procuratore, quæ posita est, vt causam iniustam non suscipiat, vt causas prius susceptas prius procuret &c. vt non exigat salarium immoderatum, nec accipiat munera, nisi iure concessa. 6

L.

Labor.

Labor, cum quo non sufficit laboranti vnica refectio in die ieiunij, excusat à ieiunio. 7
Mechanici non excusantur à ieiunio quorum labor est exiguus, vt sunt pictores, sculptores, tonsores, &c. 8
Omnes operarij exercentes artes laboriosas non tenentur ieiunare, etiamsi diuites sint, & aliunde habeant victum & consueta commoda familiæ. Ex declaratione *Eugenij IV.* 7
Operarij non solùm excusantur è ieiunio eo die, quo laborant verum etiam eo die quo laborem intermittunt. ibid.
Omnes, qui officio suo fungi nequeunt cum ieiunio, excusantur, etiamsi labor non sit nisi ingenij. 8

Laicus.

Laicus est incapax beneficij. 2
Laicus non habet ius conferendi beneficia, nec instituendi, nec confirmandi, nisi ex priuilegio Papæ. 7
Laicus potest habere ius præsentandi ad beneficia vacantia, & hoc ius vocatur ius Patronatus. ibid.
Laicus non est capax potestatis ferendi censuras, nisi id ipsi committatur à Pontifice. 8 & 10
Laicus, per se loquendo non potest sæpius in die communicare, nisi ad hoc habeat priuilegium, vel in casu quo ad impediendam iniuriam Sacramenti vel irreuerentiam, id sit necessarium. 31
Laico facta confessio, aut alteri non Sacerdoti, Sacramentalis non est. 1
Laicus vel clericus qui non est Sacerdos, non potest à censuris in articulo mortis absoluere, secundùm veriorem sententiam. 7
Probabilius est licitum esse tempore interdicti localis generalis sepelire laicos adultos in loco sacro, in ijs festiuitatibus, in quibus secundùm ius publicè possunt celebrari diuina officia. 19
Laicus tempore interdicti sepultus in loco sacro, sublato interdicto, exhumando est & sepeliendus in loco sacro. 21
Laici, qui non sunt personaliter interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicto, possunt tempore interdicti sepeliri in loco sacro non interdicto. 18
Laicum interdictum interdicto personali generali sepeliens non peccat: sepeliens autem interdictum specialiter & nominatim, incurrit excommunicationem. 22
Laico non licet prædicare. 2
Laicus, qui ministrat in ordine sacro, quem non habet, non incurrit irregularitatem. 3
Laicus non potest disputare formaliter de rebus fidei: tamen si sit vir doctus, in necessitate hoc illi non prohiberur. 9
Laicus exercens chirurgiam vel medicinam secundùm regulam artis, non fit irregularis, etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis. 11

Lamiarum concubitus.

Lamiarum concubitus cum dæmone præpostera venere duplex est lethale scelus, vnum contra genus, alterum extra naturale vas. 4

Lapsus carnis.

Lapsus carnis voluntarius opere consummatus potest reseruari à religionum Superioribus iuxta Decretum *Clementis* VIII. §. 9.
Plura Vide verb. *Pollutio. Luxuria. Impudicia.*

Latria.

Latria est cultus soli Dei debitus, propter summam & increatam excellentiam, quæ in eo datur. 1
Quibus autem cultus latriæ sit exhibendus, Vide verb. *Adoratio* num. 4. & sequent.

Latro publicus.

Latrones publici, qui palam & publicè prædantur, vel publicas vias obsident, vel castra tenent, vt transeuntes spolient, non gaudent immunitate Ecclesiastica. 9

Laudemium.

Laudemium dicitur certa pars pretij, seu æstimationis rei venditæ, quæ iure communi est quinquagesima consuetudine verò trigesima. 8

Quoties res emphyteutica venditur vel donatione, aut permutatione alienatur, is, qui eam accipit, debet soluere laudemium Domino directo, idque pro inuestitura. ibid.

Lectores.

Lectores non sunt omnes excusandi à ieiunio, sed tantùm illi, quorum labor improbus est, vel complexio debilior. 9

Latitia immoderata.

Per lætitiam immoderatam peccat quis mortiferè quando obscœnis cantilenis, verbis aut gestibus vtitur, intendens inducere, vel credens aut credere debens, se vel alium per eam inductum iri in consensum alicuius peccati mortalis. 8

Legatarius.

Legatarij instituí possunt omnes, non solùm priuati, verùm etiam communitates, modò sint capaces hæreditatis & à iure non impediantur. 9

Legatarij instituí non possunt iure hæretici, Apostatæ eorumque credentes, receptores, defensores, &c si intra annum non pœnituerint: Perſequentes Cardinales, & inteſtabiles actiuè propter delictum. 10

Legatarij ex testamento vsurarij non tenentur ad restitutionem etiamsi omnes hæredes deficiant, si illa quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita. 9

Legatum.

Legatũ nutu relinquí potest, si moriturus morbo impeditus articulatè loqui non possit. 8

Legatum relictum religioso vel moniali, ea lege vt ad ipsos non autem ad monasterium pertineat, eo modo interpretandum est, quo subsistere & seruari possit. 19

Legatum corruit cum expressa conditione, quòd omninò quoad dominium pertineat ad religiosum seu monialem, & nullo modo ad monasterium. ibid.

Legatum non debet acceptari à religioso vel moniali vbi adest conditio, quòd Prælatus vel Abbatissa tali legato se intromittere non possit, & casu quo Superior se intromittat, legatum pertineat ad quendam extraneum. ibid.

Legatus Papæ.

Legatus Papæ potest dispensare in pluralitate beneficiorum, modò non sint Episcopatus, dignitates aut curata beneficia, vt non excedant congruam sustentationem, vt non sint sub eodem tecto. 5

Legati Summi Pontificis, seu Nuncij Apostolici possunt in sua prouincia leges seu statuta facere, quæ mortuo ipso delegato perseuerent. 7

Legati à latere eodem modo quo Episcopi, possunt pensiones imponere. 4

Legatus Pontificis non potest in impedimentis matrimonij dispensare, nisi specialiter hoc illi à Pontifice concedatur. 2

Legitima.

Legitima portio est tertia pars bonorum defuncti, quando hæredes non sunt plures quam quatuor, quando verò sunt plures quam quatuor, est dimidium bonorum, quod diuidendum est æqualiter inter hæredes. 8

Filius naturalis potest institui hæres à parentibus non habentibus prolem legitimam, relicta tamen ascendentibus legitima. 12

Hæredes necessarij, quibus hæreditas debetur ab intestato, possunt suam legitimam retinere, quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis à defuncto relictis. 8

Legitimatio.

Per legitimationem auferri potest irregularitas ex illegitimitate prouenions. 5

Legitimatus à Papa censetur factus habilis ad ordines, ad beneficia, ad dignitates, & alia omnia ad quæ se extendit potestas legitimantis. ibid.

Pontifex non habet potestatem ad legitimandum quoad bona temporalia & officia sæcularia extra loca temporali suæ iurisdictioni subiecta, nisi dispenset in matrimonij irriti radice. ibidem.

Legitimus.

Legitimus torus requiritur vt quis censeatur idoneus ad beneficium Ecclesiasticum. 1

Legitimus est & ad ordines promoueri potest natus ex patre sacro ordine initiato insciа seu inuita vxore, si ante ordinationem matrimonium non fuerit consummatum. 4

Proles habita ex coniugibus simplici voto castitatis mutuo consensu ligatis est legitima. ibid.

Probabile est, prolem esse legitimam quoad successionem, & alios honores, habitam ex parentibus post consummatum matrimonium mutuo consensu professis, licet illegitima & irregularis sit quoad ordines & beneficia. ibid.

Legitimus est & censetur, expositus, si facta diligentia nihil reperiatur in contrarium: Ex Constitutione *Gregory XIV.* 2

Legentes libros hæreticorum.

Legentes libros hæreticorum scienter tractantes de religione, aut hæresim continentes absque Pontificis licentia, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam in Bulla cœnæ. 9

Non solùm dicitur legere, qui lingua exprimit quæ legit, sed etiam qui oculis tantùm percurrit, nihil exprimendo. 10

Qui à famulo vel ab alio legi audiunt, quamuis audiens sit causa cur famulus vel alius sibi audienti legat, non incurrunt censuram. ibid.

Qui legit librum hæreticum, illum tamen non intelligit, excusatur ab excommunicatione: sicut qui legit tres, at quatuor lineas, aut etiam integram paginam. ibid.

Qui legunt quaterniones, chartas aut epistolas sparsas, quæ libri partes non sunt, hæresim continentes, non incurrunt excommunicationem Bullæ cœnæ, nisi sint credentes hæreticis, aut eorum fautores, receptatores, defensores. Tales tamen semper peccant mortaliter ob periculum. ibi.

Legentes scholia additiones hæreticorum quæ continentur in libris Catholicorum subiacent excommunicationi latæ in Indice. 15

Omnes licentiæ legendi libros ob hæresim prohibitos sunt reuocatæ *Gregorium XV. & Vrbanum VIII.* 17

Plura de lectione librorum prohibitum Vide v. *Hæresis.*

Lenocinium.

Per lenocinium incurritur infamia, qua quis arcetur ab ordinibus suscipiendis. 5

Lex.

Quoad eius diuisionem & conditorem.

Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. 1

Lex, alia est æterna, alia naturalis, alia diuina, alia humana. 2

Lex diuina subdiuiditur in Diuinam naturalem, & Diuinam positiuam. ibid.

Lex humana, alia est Ecclesiastica, alia sæcularis. ibid.

Lex naturalis est duplex, primadicitur per se nota & indemonstrabilis, secunda, quæ non est ita clara & per se nota. 3

Lex naturalis non est mutabilis secundùm se, sed semper obligat manentibus ijsdem circumstantijs, & non mutata materia. 4

Lex naturalis est dispensabilis: quamuis Deus dispensare possit circa ius naturæ in ijs, quæ ab ipso Deo dependent. 5

Summus Pontifex potest iusta de causa in aliquibus, quæ sunt de iure naturæ vel diuino dispensare, vt in ijs, in quibus admiscetur aliquid obligationis humanæ. ibid.

Lex ferri debet ab eo, qui publicam potestatem, iurisdictionem & vim cogendi habet. 6

Leges Ecclesiasticas ferre possunt Summus Pontifex in toto orbe: Episcopus in sua diœcesi: Cardinales in loco seu Ecclesia sui tituli: Capitulum Ecclesiæ Cathedralis sede vacante. Abbates exempti, in suis quasi diœcesibus. ibid.

Leges ciuiles ferre possunt Imperator, Reges, Principes supremi, Regina, Respublicæ. 7

Lex.
Quoad eius conditiones & materiam.

Ad condendam legem sex conditiones requiruntur. 1
Lex debet intimari communitati, in cuius vtilitatem & commodum fertur, & hoc fit per publicationem. ibid.
Promulgatio legum quæ feruntur ab aliquo populo, vel ciuitate vel Episcopo, vel à Principe inferiore, facienda est in ipso populo, vel ciuitate vel curia Principis, iuxta morem receptum in singulis locis. 2
Leges latæ ab Imperatore, vel Rege vel Principe habente plura regna vel prouincias, promulgari debent in singulis prouincijs. 3
Probabilius est, Bullas Pontificias non requirere spatium duorum mensium ab earum promulgatione, vt obligent: sed sufficere vt in curia Romana publicentur, nisi aliter in Bullis exprimatur. 4
Leges reuocatoriæ priuilegiorum & indulgentiarum vim obligandi non habent, quousque promulgatæ sint, non solùm in Prouincia, sed etiam in ciuitate ac parochia. ibid.
Leges ab Imperatore conditæ non obligant nisi post duos menses ab earum promulgatione: sed quoad leges Pontificias probabilius est statim post promulgationem obligare. 5
Lex vsu non recepta, vi caret, quamuis sit auctoritate Principis constituta & legitimè promulgata. 6
Lex condita à legitimo superiore cum intentione obligandi populum, etiamsi non acceptet legem, valida est, & obligationem inducit, populo illam non acceptante. 7
Lex acceptata quoad vnam partem, non obligat simpliciter, sed solùm quoad eam partem, quæ acceptatur: & acceptata in vna prouincia & non in altera, obligat solùm in ea, in qua recepta est. 8
Ille non excusatur à peccato, qui absque sufficienti causa legem promulgatam non seruat, vel in causa est ne accepretur. 9
Primi qui consuetudinem contra legem inducunt, delinquunt, nisi ex aliquo accidenti excusentur: successores tamen non peccant. ibid.
Probabilius est, in dubio an lex promulgata fuerit acceptata, præsumendum esse fuisse acceptatam. 10
Ad substantiam & rationem legis, non requiritur Scriptura, tamquam conditio necessaria. 11
Actiones humanæ sunt materiæ legum, quamuis ex se indifferentes sint. 12
Actus interni secundùm se præcisè considerati non possunt à lege humana præcipi vel prohiberi, nisi quatenus sunt necessarij ad esse physicum aut morale actus externi. 13
Vide *Consuetudo* n. 3. *Præceptum*.

Lex.
Quoad eos qui legibus tenentur.

Subiectum legis est homo, subditus, capax rationis, iuxta tenorem legis. 1
Infidelis aut Catechumenus non astringitur legibus Ecclesiasticis, ibid.
Pueri qui nondum ad rationis vsum peruenerunt, non astringuntur legibus humanis, in dubio autem de rationis vsu, post septennium, illis tenentur. ibid.
Princeps per se, & directè suis legibus ex vi coactiua non tenetur, ex iure tamen, & æquitate naturali ac diuina quoad vim directiuã obligatur, si leges habeant materiam accommodatam Principi. 2
Quando Princeps non sua auctoritate, sed cum populo legem condit, tenetur ad obseruantiam talis legis. ibid.
Princeps, qui suas leges non obseruat, non peccat mortaliter, nisi iurasset eas seruare. 3
Clerici, aliique Ecclesiastici non tenentur legibus ciuilibus ex vi coactiua, ex vi verò directiua tenentur illis vergentibus in commune bonum, & non repugnantibus sacris Canonibus, & officio clericali. 3
Verius est regulares exemptos non teneri obseruare leges synodales Episcoporum, nisi ex decentia, & ratione scandali vitandi. 4
Probabile est, sæculares intra monasteria regularium exemptorum existentes, non teneri ad leges suæ diœcesis, nisi ad festa, & interdicta. ibid.
Peregrini seu viatores ligantur legibus generalibus latis à Summo Pontifice, & acceptatis in loco vbi reperiuntur. 5
Probabilius est, peregrinos non teneri legibus vel consuetudinibus locorum in quibus reperiuntur, si non habeant intentionem ibi constituendi domicilium, vel ibi manendi maiore anni parte. ibid.
Peregrini tenentur legibus locorum per quæ transeunt, ratione scandali, ratione contractus, ratione rei sitæ in loco legislatoris, & quando eædem leges obligant in proprio territorio, & quando violatio legum vergit in damnum illius loci. 6
Probabilius est, vagos, qui nullibi certam ac constantem sedem ac domicilium habent, teneri ad leges, & consuetudines locorum in quibus etiam obiter reperiuntur. 7
Iuxta mentem quorundam, probabile est, vagos nullis statutis particularium locorum teneri: & exinde in casus Papæ reseruatos tantùm incidere, non autem in casus ab alijs reseruatos. ibidem.
Probabilius item est peregrinos in alium locum per modum trãsitus, & hospitij confluentes, non teneri seruare leges, & consuetudines sui domicilij, modò ipsi & simul res, circa quam operantur, & operatio ipsa sint extra territorium. 8
Ob fugiendam obligationem legis, licet transire ad locum, vbi lex non obligat. ibid.
De hac materia, vide plura v. *Clericus, Iejunium II. Communio sacra. Confessio I. Missa V III.*

Lex.

Quoad eius obligationem & de lege pœnali.

Lex humana tam ciuilis quàm Ecclesiastica obligare potest in conscientia, non tamen omnis lex humana in conscientia obligat. 1
Regula prima, qua cognosci potest, quando lex humna obligat ad peccatum mortale, quando verò ad veniale, fundatur in intentione legislatoris. 2
Secunda regula desumitur ex verbis præceptiuis, quibus lex humana fertur, modò aliud non constet de mente legislatoris, aut nisi materiæ leuitas non excuset. 3
Quando in lege adhibetur verbum Iniungimus, Mandamus, vel præcipio ex vi voti, vel iuramenti, vel in virtute sanctæ obedientiæ, &c. est obligatio sub mortali. 4
Tertia regula est grauitas materiæ quæ præcipitur: ex grauitate enim vel leuitate materiæ licet colligere grauem legis obligationem vel leuem. 5
Legislator non potest legem ferre obligantem sub mortali nisi quæ leuis est in se, & per ordinem ad finem, seu secundum circumstantias illi coniunctas. ibid.
Probabilius est superiorem circa materiam grauem obligare posse sub veniali. ibid.
Vt possit cognosci an materia sit grauis, vel leuis, vir prudens iudicabit, spectando finem, & circumstantias quibus legislator adductus est ad legem condendam. ibid.
Quarta regula est, communis sensus Ecclesiæ, prudentum existimatio talem legem obligare ad mortale. 6
Quando grauis pœna corporalis aut temporalis alicui legi iustæ apponitur, quæ ex sua natura præsupponit culpam mortalem, tunc lex illa seu mandatum obligat sub mortali. 7
Lex continens grauem pœnam non obligat sub mortali, quoties pœna in re leui imponitur tantummodò ad terrorem. ibid.
Lex Ecclesiastica aliquid præcipiens aut prohibens sub graui aliqua censura vel pœna Ecclesiastica, obligat sub mortali. 8
Probabilius est, omnem legem humanam pœnalem siue Ecclesiasticam, siue Ciuilem, obligare sub mortali aut veniali iuxta materiæ grauitatem aut leuitatem, nisi aliunde constet de cõtraria legislatoris mente. 9
Leges quæ non sunt proprie pœnales, & præceptiuæ, sed potius conuentionales, & conditionales aut modales, in conscientia non obligant. 10
Quamuis leges humanæ possint aliquando obligare cum periculo vitæ; rarò tamen fit, vt eæ obligent cum tanto periculo. ibidem.
In aliquibus casibus lex humana obligat cum periculo vitæ. ibidem.
Lex iniusta non obligat in conscientia, nec peccat, qui legem iniustam non obseruat, præcisis scandalo, & perturbatione Reipublicæ. 11
Lex multis modis potest dici iniusta. ibid.
Lex quæ fundatur in præsumptione facti non obligat, si veritas facti sit in contrarium. ibid.

Omnia

Omnia quę habentur in iure Canonico non obligant, nec habent vim legis. 13
Probabilius est declarationes Eminentissimorum Cardinalium non habere vim legis: licet maximi sint ponderis, & ab ijs recedendum non sit, sine firmissimo fundamento. ibid.
Ex decreto *Vrbani VIII.* nulla fides tamquam declarationibus Cardinalium adhiberi debet, nisi sint in Authentica forma, solito sigillo & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti ac secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ. ibid.
Decisiones Rotæ etiam Romanæ non habent vim legis, quamuis habeant maximam authoritatem. 17

Lex.

Quoad causas, quibus cessat illius obligatio.

Multæ sunt causæ, quibus obligatio legis cessat. n.1
Lex antea recepta vim obligandi amittit per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per restrictionem, præcedentis legis, iuxta correctionis seu restrictionis qualitatem. 2
Vt lex cesset per abrogationem duæ conditiones seruandæ sunt. 1. vt sit causa pertinens ad bonum commune. 2. vt abrogatio legis promulgetur. ibid.
Legis obligatio cessat, cessante causa motiua seu finali legis in totum, & respectu totius communitatis: secus si cesset tantummodò respectu particularis personæ. 3
In dubio an causa cessauerit in totum seu respectu totius communitatis, præsumendum est non cessasse. 4
Lex non potest abrogari per non vsum seu desuetudinem pure negatiuam, potest autem per eam, quæ inuoluit actus contrarios. 5

Liberum, Libertas.

Liberum arbitrium nihil est aliud quam vis electiua, idest, est ipsamet voluntas, quatenus ex præuia deliberatione, & iudicio practico intellectus, sic potest eligere vnum, vt ex alio præuio iudicio, possit eligere eius contradictorium. 5
Libertas voluntatis vna est secundùm exercitium seu contradictionis, altera dici solet libertas specificationis seu contrarietatis. ibid.
Plura de libertate voluntatis vide v. *Actus humanus I.* num. 1. & sequent.
Ad valorem voti requiritur vt actus sit simpliciter liber, ea libertate, quæ sufficeret ad peccandum mortaliter. 5

Libertas religionis.

Libertas religionis à Principe Catholico introduci non potest, neque permitti: tamen si illam impedire non possit sine grauiori incommodo boni publici, & Catholicæ religionis, potest eam tolerare, tamquam minus malum, ad euitandum maius quod alioqui sequeretur. 10

Licentia.

Per licentiam expressam propri sacerdotis delegatio iurisdictionis fit. 16
Per licentiam tacitam delegatur præterea iurisdictio ad sacramentum pœnitentiæ sufficiens, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti: modò superior ratam habeat absolutionem signo aliquo externo. 17
Per licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro, non acquiritur iurisdictio ad validitatem sacramenti sufficiens. 18
Licentiæ omnes concessæ alicui absolutè, & absque temporis determinatione; non expirant per mortem concedentis. 13
Probabilius est, licentiam quam dat parochus matrimonium assistendi, non esse actum iurisdictionis: ac proinde datam ab excommunicato, suspenso vel irregulari non tolerato esse validam. 5
Licentiam assistendi matrimonio præter parochum dare potest Episcopus, Vicarius eius generalis, Prælatus habens authoritatem quasi Episcopalem, vt Cardinales, & quidam Abbates, Vicarius Parochi habens facultatem administrandi sacramenta, & assistendi matrimonio, siue sit permanens, siue amouibilis sit. Archiepiscopus autem non potest dare licentiam coniugendi in matrimon. subditos suorum suffraganeorum nisi in gradu appellationis. 6
Plura de licentia assistendi matrimonio vide v. *Matrimonium V.* n. 5. 6. & 7.
Vt licentia Superioris excuset religiosum à transgressione voti paupertatis, requiritur vt illa sit voluntariè concessa. 2

Ligamen.

Ligaminis impedimentum matrimonium dirimens, est vinculum prioris matrimonij, quo durante posterius est irritum. 59
Plura de hoc impedimento ligaminis vide verb. *Matrimonium VII.* n. 59. & sequentibus.

Linea.

Linea consanguinitatis dicitur, ordinata collectio personarum ab vno stipite descendentium, diuersos continens gradus, seu potiùs ipsæmet personæ tam ascendentes, quàm descendentes collectiuè sumptæ. 18
Linea, alia dicitur recta, alia transuersa seu collateralis. ibid.
Linea affinitatis est duplex sicut & consanguinitatis, quædam est recta ascendentium, & descendentium: alia est linea transuersa collateralium. 68

Litania.

Litanias tenentur recitare priuatim, qui non intersunt processionibus in diebus rogationum, & Sancti Marci. 2

Litera.

Literæ infamatrices incerto auctore scriptæ, non habent vim denunciationis, nec debent viam aperire ad inquisitionem. 11
Literarum apertio, retardatio, aut malitiosum impedimentum, à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores, est casus reseruabilis apud regulares. 40
Qui legit tales literas absque eo quòd aperiat, vel qui inaduertenter aperit, existimans illas ad se missas, vel cum tacito mittentis consensu, &c. non incidit in hunc casum. §.11
Legens vel aperiens, vel etiam retardans, aut comburens literas Superioris, ex quibus probabiliter quis sibi timet iniustum aliquod malum, non incidit in hunc casum. ibid.
Qui alienas literas dolosè aperit ac legit, cum alterius iniuria vel damno iniusto falsi crimen committit; secus si interueniat iusta illas aperiendi causa. 2
Vide v. *Secretum* n. 7. *Denunciatio.* n. 11.

Litera dimissoriales.

Episcopus electus, & confirmatus licet nondum consecratus potest subditis suis dare literas dimissorias vt ab altero Episcopo ordinentur. 3
Literas dimissoriale non potest concedere Capitulum sede vacante, intra annum à morte Episcopi; nisi quis ita arctatus sit vt beneficium perderet, si tunc temporis non promoueretur ad ordines. ibid.
Vltramontani non possunt ordinari ab Episcopo in Italia existente etiamsi habeant literas dimissoriales suorum Prælatorum: ex Constitut. *Vrbani VIII.* in qua non comprehenduntur regulares. 4
Itali ordinati ad primam tonsuram vel ordines minores vel maiores cum falsis dimissorijs, sunt priuati priuilegio fori. ibid.
Prælati regulares possunt suis subditis dare dimissorias eòsque mittere ordinandos ad quemlibet Episcopum, cùm Episcopus diœcesanus ordinationes non habet. ibid.
Regularis ordinatus sine litteris dimissorialibus sui Prælati, remanet suspensus, quamdiu suo superiori videbitur expedire. ibidem.
Literæ dimissoriales semel concessæ, semper valent, nec morte vel cessatione officij concedentis expirant, nisi per successorem reuocentur. ibid.

Lixiuium.

Lixiuium nonnulli admittunt tamquam materiam sufficientem ad baptismum: & secundùm illos si quis baptizaret in lixiuio, quando baptismus est priuatus, non peccaret saltem mortaliter. 1

Locatio, & conductio.

Locatio est contractus quo persona, vel res aliqua, ad vsum vel fructum pretio conceditur. 1
Conductio est contractus quo persona vel res ad vsum vel fructum comparatur pretio. 2
Omnes res quæ vendi possunt, possunt etiam locari, nisi specialis extet prohibitio. 3
Pecunia ad pompam accipientis, vel ad pignus locari potest, modò pecuniæ dominium perseueret apud locatorem, & fiet ipsius periculo. 4
Locare alteri potest conductor rem quam ipse conduxit, modò

aliter non sit deductum in pactum cum primo locatore. 5
Locationis, & conductionis contractum inire potest, qui facultatem habet emendi, & vendendi, nisi specialiter prohibeatur. 6
Quando duo vel plures habent domum vel fundum communem, & vnus vult vni locare, alter verò non vult, mittendæ sunt sortes, aut recurrendum est ad iudicem pro concordia. 7
Locatio transit ad hæredem seu successorem vniuersalem: successor verò singularis, vt est emptor, donatarius, legatarius, non tenetur stare contractui locationis celebrato ab eo, cui succedit. 1
Conductor non tenetur soluere pensionem singulari successori, nisi antecessor locator cesserit illi ius suum. 2
Minor vel pupillus tenetur finita tutela vel cura stare locationi factæ a suo tutore vel curatore. 3
Colonus, qui agrum seminauit, non potest expelli ab emptore, si dominus agrum vendiderit. ibid.
Fiscus tenetur stare locationi factæ per condemnatum ante patratum delictum, si ipsi succedat in omnibus bonis. ibid.
Prælatus successor tenetur stare locationi antea factæ nomine ipsius Ecclesiæ, secus si locatio facta fuerit nomine proprio. Idem dicendum de beneficiario. 5
Res locata perit domino, si casu fortuito pereat. 6
Conductor tenetur de dolo, de culpa lata, & de leui, non autem de leuissima, nec de casu fortuito. 7
Locator tenetur conductori, si locet illi rem vitiosam, & exinde conductor damnum capit. ibid.
Iure communi pensio soluenda est in fine anni, nisi aliter conuentum sit, aut probet consuetudo. 1
Locator rei fructiferæ, remittere tenetur totam pensionem, quando sterilitas vel calamitas anni est tanta, vt conductor nihil ex re conducta percepérit. ibid.
Quando calamitas vel sterilitas non est tanta, facienda est remissio pensionis pro rata. ibid.
Locator potest pensionem augere, quando aliquo anno est extraordinaria vbertas proueniens ex cœli clementia. 2
Locatio finitur lapsu termini constituti, vel mutuo contrahentium consensu. 3
Locator non potest rem locatam repetere, nondum finito locationis tempore, nisi in certis casibus. 4
Licitum est conductorem priuare conducto, si per biennium continuum vltra terminum præfixum distulit solutionem pensionis debitæ pro re conducta vltra biennium. ibid.
Expelli etiam potest conductor ante tempus, quando domus, quam elocasti, tibi incipit esse necessaria ad habitandum: vel si egeat refectione, vel si conductor re conducta abutatur. 5
Locator tenetur aperire conductori vitium rei locatæ. 1
Locator tenetur ad refarciendas expensas necessarias factas à conductore in refarcienda re conducta. 2
Si conductor aliquas fecit expensas ad sui commodum & vsum non potest petere expensas a locatore. ibid.
Locator tenetur ad onera & tributa imposita pro re locata, nisi aliter conuenerit cum conductore. 3
Locatoris obligationes quinque sunt, sicut & conductoris. 4
Ecclesiastici non possunt extraneis vsurarius elocare domos, aut permittere in eis habitare. 6
Locantes domos vsurarijs etiam publicis vel meretricibus excusantur à mortali, etiam nulla alia iusta & vrgenti causa excusante: imò etiamsi eas possint alijs commodè locare: ex circumstantijs tamen damni vitandi, posset esse hoc illicitum, §. 2

Locus.

Locus exemptus dicitur, cùm eximitur à potestate sæculari vel ecclesiastica, ita vt in eo habitantes à quocumque iudice iudicari, excommunicari, interdici, suspendi non possint. n. 1
Subditus agens contra statutum propriæ diœcesis in loco exempto etiam intra diœcesim, non incurrit excommunicationem latam per statutum. 20
Probabilius est, subditum agentem in loco exempto contra sententiam superioris sui aliquid præcipientis sub excommunicationis vel suspensionis pœna, incurrere censuras. 21
Immunitas ecclesiastica quoad locum est exemptio seu priuilegium Ecclesiæ seu templo concessum, vt ibi existentes tuti sint a laica potestate. 1
Loci sacri qui gaudet immunitate sunt etiam monasteria, domus regulares, hospitale fundatum authoritate Episcopi, &c. 4
Plura de his vide v. *Immunitas*.
Prohibita faciens in loco sacro committit sacrilegium: de quibus vide v. *Sacrilegium I. & II.*
Extra locum sacrum non licet sacrificium facere, nisi ex Episcopi consensu tempore necessitatis. 1
Quocumque in loco Missæ sacrum audiatur, præceptum Missæ audiendæ adimpletur, modò hoc non fiat ex contemptu propriæ parochiæ. 9
Locus sepulturæ ecclesiasticæ est ecclesia seu cœmeterium. 1

Lucrum.

Lucrum acquisitum ob turpem causam restituendum est etiam post factum quando lex efficit acquirentem incapacem dominij. 3
De acquisitis ex turpi lucro non debent recipi decimæ personales, ne turpis actus approbari videatur. 4
De lucro turpiter acquisito fieri potest eleemosyna, quoties turpitudo est ob circumstantiam accidentalem actionis. 16
De lucro turpiter acquisito cum onere restitutionis, vt ex rapina, furto, vsura, &c. non potest fieri eleemosyna, nisi domini diligenter quæsiti non compareant. ibid.
Lucrum non licet sperare, nec principaliter, nec minus principaliter ex obligatione iustitiæ propter mutuum. 7
Lucrum acceptum ex mutuo vltra sortem est vsura. 1
Plura de hoc lucro, vide v. *Vsura I.*
Lucrum cessans dicitur illud, quod quis non percipit, eo quòd mutuum alteri dederit. 4
De lucro cessante plura verbo *Vsura III. Vendatio.*

Ludus.

Ludus est contractus, quò ludentes inter se pacisCuntur, vt victori cedat, quod vterque deposuit. 1
Ludus ex natura sua licitus est & ex se res indifferens: fieri tamen potest illicitus ex multis circumstantijs. 2
Ludus peccatum mortale non est ratione affectus lucri, nec ex circumstantia personæ, modò absit scandalum, nec ex circumstantia loci sacri, nisi fiat cum irreuerentia Dei vel Ecclesiæ, nec ex circumstantia temporis præcisè. 3
Ludi histrionum sunt liciti, modò honestè fiant, secus si turpiter & inhonestè. 4
Clerici non possunt facere ludos laruales, & tamquam rei mortalis peccati damnantur: nisi forte hoc facerent breui tempore & absque scandalo. ibid.
Ad iustitiam contractus ludi requiritur vt ludens habeat liberam dispositionem rei, quam in ludum deponit. 1
Filius-familias de bonis castrensibus ludere potest absque consensu patris, non de aduentitijs & profectitijs. ibid.
Sicut maior 25. annis non potest aliquid à minore lucrari, ita nec minor a maiore. ibid.
Vxor non potest de bonis communibus & dotalibus ludere sine licentia viri, nisi iuxta morem patriæ: de paraphernalibus potest. 2
Religiosus de consensu Prælati ludere aliquid potest, modò ludus non sit illicitus etiam laicis, nec excedat. 2
Ludens aliena pecunia non facit lucrum suum quod ludendo acquirit. 3
Qui lucratus est à fure vel vsurario, potest sibi retinere rem ludo acquisitam, si eius rei dominium spectabat ad vsurarium vel furem. ibid.
Ad iustitiam ludi requiritur vt ludens non vtatur fraudibus contra leges ludi, quæ seruantur in eo loco in quo luditur; alioquin tenetur ad restitutionem. 4
Qui fingit se ignarum alicuius ludi, in quo est exercitatissimus, vt ea ratione trahat ad ludendum, alium, qui verè est ignarus, tenetur restituere quidquid ab eo tali fraude decepto, lucratus fuit. 5
Qui auctionem factam ab altero collusore acceptauit, eò quòd a tertio inspectore chartarum vtriusque colludentis admonitus fuit vt eam acceptaret, tenetur ad restitutionem, si ante monitionem decreuerat non acceptare. 6
Ad iustitiam ludi requiritur etiam, vt alter alterum per iniuriam minis, fraude conuitijs ad ludum non pertraxerit. 7
De ratione ludi etiam est, per se loquendo, vt quis lucrari non possit plura quàm collusor ab eo lucrari queat, & sic debet esse æqualis conditio ludentium. 8
Acquisita per ludum lege prohibitum sine dolo, fraude, vi ab eo, qui

qui res suas alienare potuit, tuta conscientia retineri possunt, dummodò lex translationem dominij rei non impediat. 1
Qui lusit ludo vetito intendens non soluere, aut intendens solutum repetere, non potest retinere quæ lucratus est eo ludo. 2
Qui ludo vetito pecuniam perdidit eamque solvit, non potest propria authoritate recuperare perditum, aut illius compensationem sumere. 3
Quando luditur pecunia absente, in ludo vetito, præstita fide de soluendo, an transferatur dominium rei amissæ in lucrantem, ita vt eam perdens in conscientia soluere teneatur? alij affirmant, & alij negant probabiliter. 4

Lumen.

Lumen requiritur ad Missam celebrandam, quod ex consuetudine conficitur ex cera: quamuis in necessitate sufficiat candela sebacea, aut etiam lucerna ex oleo. 5

Luxuria.

Luxuria à luxu dicitur, & strictè sumpta accipitur pro excessu in re venerea. n.1
Luxuria ex suo genere peccatum est mortale, & præterea vitium capitale. 2
Filiæ luxuriæ internæ sunt *cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror vel desperatio futuri.* ibid.
Filiæ externæ luxuriæ sunt, *Turpiloquium, Scurrilitas, Ludicritas, & stultiloquium.* ibid.
Luxuriæ species sunt sex. *Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, & Vitium contra naturam.* 3
Peccatum luxuriæ dicitur contra naturam, vel quia est contra dictamen rationis naturalis, vel quia est contra ordinem generationis. 4
Natura actus venerei, vt ex eo possit conceptio fieri prolis eiusdem speciei, postulat quinque. ibid.
Quinque modis potest esse peccatum contra naturam in materia luxuriæ. ibid.
Mollities seu pollutio est peccatum mortale, si plenè voluntaria sit; aliàs est peccatum veniale, vel nullum. 5
Pollutio dupliciter potest esse voluntaria, 1. per se, 2. in causa. 6
Tria requiruntur vt aliquod peccatum sit voluntarium in causa. ibid.
Qui expertus est se pollui ex equitatione absque consensus periculo non tenetur pedester incedere. 7
Pollutio sequens ex ebrietate, vel ex auditione confessionum, vel ex studio propter concionem, non est mortale peccatum, modò absit periculum consensus. ibid.
Parochus non tenetur deserere officium, etiamsi expertus sit pollutiones voluntarias procurare, sumpta occasione ex lasciuijs auditis in confessione, dummodo proponat viteriùs huiusmodi peccato non consentire. 7
Pollutio præter intentionem subsecuta ex tactu licito, & necessario, licet sit præuisa, excusari potest à mortali, si cesset periculum consensus. 8
Pollutio proueniens ex fricatione pudendorum facta ad sedandum magnum pruritum, ab aliquibus excusatur à mortali, modò absit consensus periculum. ibid.
Accubans sic vel aliter, & sentiens se ex tali situ in pollutionem venire in somno vel in vigilia, dum abest periculum consensus, non tenetur aliter decumbere. ibid.
Causæ, in quibus pollutio præuidetur, quædam sunt ex luxuriæ genere per se turpes & ad luxuriam directè pertinentes, vt tactus, aspectus, amplexus, verba turpia. Aliæ non sunt ex genere luxuriæ, vt nimius potus, esus, equitatio. 10
Causæ proximæ, aliæ notabiliter influunt in pollutionem, vt visus, tactus pudendorum alterius: aliæ parum influunt, vt est visus curiosus, lectio curiosa. ibid.
Valde tenuis est ob igatio vitandi pollutionem in causis, quæ per se & proximè non ordinantur ad illam, quales sunt quæ ad luxuriam non pertinent, modo per illas non intendatur & cesset periculum consensus in delectationem. ibid.
Pollutio præuisa, & non intenta in gulæ peccato etiam mortali, non habet specialem pollutionis malitiam mortalem, si probabile consensus periculum ablit. 11
Nullus actus habet malitiam mortalem inter solutos, eò quòd sit pollutionis præuisæ & non intentæ causa, nisi secluso pollutionis periculo, esset mortalis contra sextum decalogi præceptum. 12
Pollutio non est mortalis, quæ sequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ, modò non sit intenta, & cesset probabile consensus periculum. ibid.
Qui dedit causam culpabilem pollutioni, & antequam illa subsecuta fuerit, pœnituit legitimè causæ datæ, vacat culpa pollutio posteà subsecuta. 13
Nullo modo licitum est pollutionem desiderare, aut de ea iam facta gaudere causa voluptatis, etiamsi sine culpa acciderit. 14
Probabile est, licitum esse illam desiderare simplici affectu sine omni libera cooperatione, causa sanitatis vel sedandæ tentationis; & ob eaidem rationes, de illam iam facta gaudere. ibidem.
Pollutio nocturna secundùm se & in se peccatum non est. 15
Pollutio tripliciter potest accidere in somnis & ob tres causas. ibidem.
Vt pollutio nocturna sit peccatum mortale ex causa antecedente, requiritur vt causa sit apposita tempore vigiliæ ex intentione ad hunc finem, vel de ea facta gaudere ob delectationem veneream inde secutam. ibid.
Numquam licet directè pollutionem procurare propter sanitatem, nec hac de causa sumere medicinam vt pollutio eueniat: licitum tamen esset medicinam sumere resoluentem semen in sanguinem vel in alium humorem. 16
Fœmina, quæ propter semen corruptum patitur accidentia venenosa, potest conari fricando vel adhibendo medicamenta, ad expellendum semen corruptum, quod est noxium sanitati. ibid.
Non licet cooperari ad seminis iam à lumbis decisi effusionem, quamuis retentio saluti corporis graue detrimentum allatura sit. 17
Quando pollutio in somnijs incepta, est in naturali fluxu, licet illam non impedire ob morbi periculum, cessante periculo consensus in delectationem. ibid.
Pollutio siue sit per contrectationem membri absq; seminatione, vt in impubere, siue per solam cogitationem ex proposito, siue per externam procurationem, semper est eiusdem speciei. 18
Pollutiones possunt esse diuersæ speciei ratione circumstantiæ habentis diuersam specie malitiam. ibid.
Procurare magnam commotionem spirituum ordinatorum ad pollutionem, vel ad magnam distillationem, per media aliàs etiam licita, peccatum est mortale: secus si commotio sit leuis. 19
Ratio vniuersalis ad ferendum iudicium de grauitate, vel leuitate delectationis venereæ, ab experimento illam sentientis est desumenda: si enim delectationem ferè turbantem rationem sentiat homo, ad aliaque cogitanda præter carnalia non permittentem, notabilis & grauis iudicabitur; quæ circumstantiæ si deficiant, leuis & modica reputari debebit. ibid.
Voluntaria seminis emissio extra vas inter coniugatos, aut is congrediendi modus ex quo illa sequatur, est peccatum mortale. 20
Maritus non potest absque peccato mortali desistere contra voluntatem vxoris ab inchoata copula: de consensu tamen vxoris potest, modò ipsa non seminarit, & non sit periculum pollutionis extra copulam in vtroque vel saltem in altero coniuge. ibid.
Potest maritus ex consensu vxoris ob morbi periculum se retrahere ab inchoata copula, licet ex hoc aliquando sequatur pollutio. ibid.
Maritus ex causa vrgentissima potest relinquere imperfectam copulam, etiamsi fœmina seminauerit. ibid.
Fornicans potest & tenetur desistere ab inchoata copula etiamsi fœmina renuat & etiam seminauerit, aut sit periculum pollutionis extra vas. ibid.
Coniunctio naturalis facta modo indebito inter coniuges est peccatum mortale, quoties interuenit tanta inordinatio, vt sequi non possit generatio: quamuis rarò hoc contingat. 24
In peccatis contra naturam quæ sint grauiora. 25
Remedia quædam contra luxuriam. 26
Plura de hoc vitio, vide verb. *Adulterium. Fornicatio. Raptus. Stuprum. Incestus. Sacrilegium II. Bestialitas. Virginitas*, & infrà verb. *Sodomia.*

M.

Magia.

Magia duplex est, naturalis scilicet, & superstitiosa. n.1
Magia superstitiosa ex genere suo peccatum est mortale: ex ignorantia vel inaduertentia quidam actus magici excusari possunt à mortali. 2
Operatio ad magiam pertinens cognosci potest vel ex conditione causarum; vel ex conditione operationis, vel ex conditione effectus. 3
Magiæ ordinatiè alia crimina sunt adiuncta, de quibus magi sunt interrogandi à confessarijs & iudicibus: puta, hæresis, Apostasia, Idololatria, blasphemia, Luxuria, &c. 4
De magia vide *Superstitio*.

Magistri.

Magistri non debent dissimulare peccata discipulorum, sed reprehendere & corripere: debent promouere in litteris, & curam eorum gerere in rebus pertinentibus ad mores & honestam educationem, &c. 12
Magistri tenentur ad professionem fidei, etiamsi priuatim doceant. 5
Magistri in Theologia & iure canonico indigent approbatione Episcopi ad confessiones audiendas. 3
Magister verberans discipulum excedendo modum percussionis, fit irregularis, vt quando proijcit aliquid in caput, vnde illi oculum eruit, quando calce ventrem percutit & inde mors sequitur. 8
Magister seu Doctor in Theologia debet se subijcere examini in concursu ab beneficium parochiale. 7

Maleficium.

Maleficium est ars ac potestas nocendi alijs ex pacto expresso vel tacito cum dæmone. n.1
Maleficium duplex est, amatorium scilicet, ad excitandum amorem, & veneficium ad nocendum alijs. ibid.
Maleficia omnia ad quinque genera reuocantur. 2
Remedia maleficij possunt esse vel naturalia, vel supernaturalia, vel moralia. 3
Ob varias causas finitimos Deus affligi à maleficis. ibid.
Malefici etiam bonis nocere possunt. ibid.
Diabolus nocet hominibus potiùs per homines, quàm per se ipsum ob varias causas. ibid.
Dæmon suadet abuti rebus sacris, vt maleficorum peccata reddat grauiora, & vt facilius decipiat. ibid.
Nullo modo licet, etiam pro re graui & vrgente bono publico, maleficorum & diuinatorum aliàs paratorum opera vti. 4
Non licèt petere vt maleficus aut alius vno maleficio dissoluat aliud: Si tamen petens certus sit, quòd maleficus sciat licitè & illicitè soluere maleficium, tunc licitum est petere ab eo absolutè vt maleficium soluat. 5
Ex quibus maleficus possit quis cognosci. 6
Confessarius in audiendis confessionibus maleficorum vel maleficarum, quinque præcipuè inquirere debet. 7
Filius priuari potest hæreditate si cum incantatoribus vel maleficis hominibus, vt maleficus versetur. 1
Malefica, quæ magicis artibus assiduè per dæmonem nocet, potest cogi verberibus ad desistendum, imò etiam occidi, quando non adest alia via euadendi, & certò constat eam esse mali authorem. 16
Mors vel damnum alicui tertio ex alterius maleficio obueniens, huic non imputabitur, si illud damnum, nec in se, nec in causa fuerit volitum. 1
Maleficium perpetuum ex quo consurgit impotentia ad copulam, dirimit subsequens matrimonium. 79
Maleficium perpetuum censetur, si vel non nisi alio maleficio tolli possit, vel miraculo. ibid.
Maleficium quandoque impedit potentiam absolutè & quoad omnes; at rarò contingit circa omnes. ibid.
Probabilius est, in dubio an maleficium matrimonium præcesserit, vel factum fuerit post celebratum matrimon. præsumi factum fuisse ante matrimonium. 80
Vide *Superstitio* n. 3.

Maledictio.

Maledictio est imprecatio seu exoptatio mali alicui facta sub ratione mali. n.1
Maledictio alia est formalis, alia materialis. ibid.
Maledictio formalis ex genere suo peccatum mortale est: licet possit esse veniale ratione paruitatis materiæ, aut ex defectu deliberationis. 2
Maledictio materialis solùm peccatum veniale est ex genere suo; ratione autem circumstantiarum posset esse grauissimum peccatum. 3
Maledictio materialis, qua quis imprecatur alteri malum sub ratione boni vel iusti, vel boni vtilis, non est peccatum. 23
Maledicere creaturis irrationabilibus secundùm se consideratis, vanum & otiosum est: si in ordine ad hominem, idem est ac hominibus maledicere: si in ordine ad Deum, erit blasphemia. 5

Malitia.

Malitia moralis est difformitas cum recta ratione, quæ reperitur vel in actu, vel in obiecto. 3
Peccatum ex malitia est, quod ex plena libertate committitur, non ex ignorantia vel passione. 3
Grauissimum est peccatum ex malitia. 4
Malitia peccati mortalis consistit in contemptu amicitiæ diuinæ, & in auersione ab vltimo fine. 5
Malitia peccati venialis consistit in repugnantia cum recta ratione salua amicitia diuina. ibid.
Malitia peccati mortalis est mortaliter non physicè infinita. ibidem.
Malitia peccati venialis est quidem in infinitum minor malitia peccati mortalis, habet tamen suam quandam infinitatem. ibidem.

Mandatum.

Mandatum est contractus innominatus, quo quis officium honestum gratuito expressè vel tacitè suscipit exequendum in gratiam alterius. n.1
Generale mandatum ad illicita non extenditur: de re illicita inualidum est, & damna ex iniquo mandato restituenda sunt. 2
Mandatarius potest recusare mandatum nondum susceptum: secus si iam susceptum sit; nisi superueniat iusta causa recusandi. ibid.
Contractus mandati substantialia sunt, consensus vtriusque præcessio obligationis alicuius, vt sit de re bona, & vt in eo dando mandans certam formam præscribat. 1
Mandatarius debet diligenter, prudentes & rationabiliter negotia præstare, quando mandatum accepit absque vlla forma expressa. 4
Mandatum finitur per reuocationem factam ab ipso mandatore, per lapsum termini constituti, & per mortem mandatoris, vel mandatarij. 5
In multis casibus mandatum non finitur morte mandatoris. 6
Præcepta superiorum ad aliquid faciendum vel non faciendum obligantia, si non emanent per modum constitutionis à potenti illam facere, sed sint mandata ab homine, semper expirant mandantis morte, quamuis rea non sit integra. 7
Præceptum differt à mandato. 1

Mandans.

Mandans non incurrit censuram nondum secuto effectu, si effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum verò tantùm accessoriè: secus si mandatum principaliter prohibeatur. 4
Quando mandans verè non influit in effectum prohibitum sub censura, illa non ligatur, quamuis aliquo modo exprimatur in sententia censuræ. 31
Mandantes non ligantur censura, quando lata est contra facientes. 30
Mandans aliquod damnum fieri, tenetur ad restitutionem damni secuti, nisi mandatum reuocauerit & mandati reuocatio innotuerit mandatario, tunc enim non tenetur. 1
Mandans tacitè vel expressè homicidium reus est homicidij, consequenter est irregularis, teneturque ad restitutionem, nisi reuocauerit mandatum & illius reuocatio innotuerit mandatario. 3
Mandans verberare, percutere inimicum, non occidere reus est homicidij & irregularis, si mandatarius reipsa occidat. ibid.
Iudex mandans licitè verberari reum leuiter iuxta leges, non est irregularis, si minister adeò excedat in verberibus, vt ob id reus moriatur. 7
Probabilius est, mandantem Titio occidere Caium, esse irregula-

larem, ſi occidat vt Titius ipſe occiſus fuerit à Caio. 8

Manus violenta.

Per manus violentas, in *Can. ſi quis ſuadente*. intelligitur actio iniurioſa contra Eccleſiaſticam perſonam, immediatè conſiſtens in facto & in opere, ſiue actio fiat manibus, ſiue pedibus. n. 1

B. Maria Virgo.

Verius eſt Sacramentum Extremæ-vnctionis non fuiſſe miniſtratum *Beatæ Mariæ* Virgini. 4
Quamuis *B. Virgo Maria* quatenus peccauit in Adamo, habuerit obligationem ſeu neceſſitatem contrahendi peccatum originale, de facto tamen præſeruata fuit, ne cum peccato originali conciperetur & naſceretur. 6
Matrimonium *B. Mariæ* Virginis fuit ratum, ſed copula carnali non conſummatum. 6
Licitè matrimonium contraxit *B. Maria Virgo*, quamuis non intenderit ſobolem, nec concupiſcentiæ remedium. 4

Martyrium.

Martirium accipitur pro teſtimonio veritatis fidei, vel alicuius virtutis per mortis tolerantiam. n. 1
Acceptatio & perpeſſio mortis cauſa fidei vel veræ virtutis, ſunt actus eliciti à virtute charitatis, fortitudinis & patientiæ: irrogatio autem mortis eſt opus impietatis. 2
Ad martirium requiritur in adultis, vt adſit voluntas ſuſcipiendi martyrium: Infans verò adhuc in vtero matris exiſtens poteſt eſſe martyr ſi vna cum matre occidatur in odium fidei. 3
Iuſtus dormiens ſi occidatur in odium Chriſti, dicitur martyr, quando Martyrum præuidit, & in illud conſenſit. ibid.
Ad martyrium omninò perfectum requiritur etiam; vt mors inferatur odio Chriſti, vel religionis Chriſtianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis. 4
Ad martyrium requiritur vt martyr non reſiſtat tyranno. 5
Milites pro fide Chriſti pugnantes non ſunt martyres, cùm in bello occumbunt. ibid.
Martyr debet fide ſupernaturali veritatem illam credere, pro qua potiſſimum tuenda mortem eligit. 6
In adulto ſuſcepturo martyrium requiritur ad minimum attritio ſupernaturalis, ſi adultus habeat peccatum mortale. 7
Licet ad martyrium per ſe requiratur dolor formalis in eo qui eſt conſcius peccati mortalis, probabile tamen eſt ex accidenti ſufficere virtualem, qui clauditur in voluntate ſuſcipiendi martyrium. 8
Martyrium ex opere operato habet vim delendi omnem culpam & conferendi gratiam iuſtificationis ſubiecto debitè diſpoſito, & tollendi omnem reatum pœnæ. 9
Martyrium non eſt ſacramentum, quamuis conferat gratiam ex opere operato. 10
Probabile eſt, martyrium ſuum effectum conferre, quando martyr accepit cruciatum lethalem, ſeu vulnera de ſe mortifera. ibidem.
Martyrium rarò eſt in præcepto, niſi grauis neceſſitas & cauſa ſeſe offerat, puta ad tuendam fidem. 11
Martyrium vendicat ſibi nomen Baptiſmi ſanguinis, eò quòd efficiat effectus Baptiſmi. 1.
Cathecumenus qui per martyrium fuit iuſtificatus, ſi poſt mortem reuiuiſceret, teneretur ad Baptiſmum fluminis ſuſcipiendum. ibid.
Baptizatus, qui martyrium ſubiret cum aliquo peccato, quod inopia confeſſarij ante martyrium confiteri non potuit, ſi ad vitam rediret, teneretur poſtea illud confiteri. ibid.

Maritus.

Maritus, qui accepit in dotem aliquam rem locatam, quàm ignorabat locatam eſſe, non tenetur ſtare locationi. n. 2
Mariti obligationes erga vxorem ſuam. 9
Maritus non poteſt abſque peccato mortali deſiſtere contra voluntatem vxoris ab inchoata copula: de conſenſu tamen illius non peccat retrahendo ſe à ſeminando, modò vxor non ſeminauerit & periculum non ſit pollutionis extra copulam. 20
Maritus ex vrgentiſſima cauſa poteſt relinquere imperfectam copulam, etiamſi fœmina ſeminauerit. ibid.
Maritus adminiſtrans bona paraphernalia ſuæ vxoris, poteſt ſibi retinere fructus induſtriales, quos ex paraphernalibus accepit. 4
Maritus poteſt irritare votum ab vxore emiſſum de non petendo debito; etiamſi cum ipſius licentia emiſſum fuerit. 6
Maritus adulteræ occultè tranſigens cum adultero ſine ſcandalo poſt commiſſum crimen, non videtur peccare, nec ad reſtitutionem teneri. 6
Marito adulteræ nulla eſt facienda reſtitutio precisè ratione adulterij, ſi partus non ſit ſecutus. ibid.
Quando maritus conſentit in adulterium vxoris, vel ſit leno ipſius, adulterium eſt. 1
Maritus in neceſſitate baptizans, vel de ſacro fonte leuans communem prolem ſuæ coniugis, non priuatur iure petendi & reddendi debitum. 12
Maritus dotem aduenticiam lucratur, ſoluto matrimonio per mortem vxoris, quando pactum interceſſit de dote lucranda. 10

Materia.

Materia iuramenti debet eſſe res licita, non peccaminoſa, nec indifferens aut impoſſibilis, aut impeditiua maioris boni, ſeu contraria diuinis conſilijs. n. 9. & 10
Materia legis eſt illa, circa quam verſatur lex, ſeu quæ præcipitur vel prohibetur à lege: vnde actiones humanæ ſunt materia legum. 12
De materia Simoniæ verb. *Simonia III. & IV.*
Materia Sacramentorum, quæ in vſu ſeu actione tranſeunte conſiſtunt, duplex eſt, remota & propinqua. 2
Qui vtitur materia dubia in conficiendis ſacramentis extra neceſſitatem, grauiter peccat. 7
De materia Sacramentorum in particulari, videndi ſunt tituli cuiuſque Sacramenti.
De materia voti vide verb. *Votum II.*

Materiæ paruitas.

Ex paruitate materiæ peccatum mortale ex genere in veniale tranſit, ſi hæc paruitas in eo reperiatur. 7
In quibuſdam peccatis paruitas materiæ non reperitur, & ideò hac ratione venialia reddi nequeunt, quod contingit, quoties integra irreuerentiæ & offenſionis ratio, in materia parua inuenitur. ibid.
In materia ſimoniæ probabile eſt non dari peccatum veniale ex leuitate materiæ, ſed tantùm ex inconſideratione & ignorantia. 1
Materiæ paruitas excuſans à mortali non datur in blaſphemia. 6
In omni materia etiam leui, iuramentum aſſertorium eſt peccatum mortale. 3
In rebus venereis probabilius eſt non dari paruitatem materiæ excuſantem à mortali. 7
Ob paruitatem materiæ peccatum odij in Deum non poteſt eſſe peccatum veniale; in proximum autem poteſt. 3
Contemptus Dei in materia etiam leuiſſima eſt peccatum mortale: reſpectu tamen legum humanarum & hominum legiſlatorum datur contemptus venialis ex paruitate materiæ ſecundùm probabiliorem ſententiam. 4
In infidelitate non datur materiæ paruitas excuſans à mortali. 7
In fractione ſigilli confeſſionis non datur paruitas materiæ excuſans à culpa mortali, etiamſi quod reuelatum fuerit, ſit tantùm venialis culpa. 4
Magia, ratione paruitatis materiæ, præcisè non videtur vnquam eſſe veniale peccatum. 2
In ieiunio naturali pro communione ſumenda non datur materiæ paruitas. 40
Quia impoſſibile eſt, moraliter loquendo, ita menſurare dimidium noctis, vt non contingat aliquis error circa aliquam exiguam partem temporis ante, vel poſt mediam noctem: ideo hic habet locum etiam paruitas materiæ, ratione cuius cenſeri poteſt non ſolui ieiunium naturale illius diei pro ſumenda communione. 46
In ætate requiſita ad profeſſionem emittendam non datur materiæ paruitas, ſed hæc ætas computanda eſt de momento ad momentum. 2
In nouitiatus anno non datur paruitas materiæ, ſed debet compleri de momento ad momentum. 2
Peccatum ratione paruitatis materiæ cenſetur veniale, quando res quæ præcipitur vel prohibetur eſt parua, non ſolùm ſecundùm ſe, verùm etiam per ordinem ad finem, vel circumſtantias, propter quas talis res præcipitur vel prohibetur. 5

Quando res ſecundum ſe quidem parua eſt, ſed efficitur grauis ratione finis vel circumſtantiæ, tunc peccatum eſt mortale. 7
In diebus feſtis datur paruitas materiæ excuſans à mortali in ordine ad opera ſeruilia. 4
In omiſſione operis iniuncti alicuius indulgentiæ dari poteſt paruitas materiæ. 5
In fractione ieiunij datur paruitas materiæ excuſans à mortali, ſiue pluries in die comedatur, ſiue carnes comedantur, ſiue refectionis hora anticipetur. 16
In acceptione perſonarum quoad beneficia conferenda datur paruitas materiæ excuſans à mortali. 10
In negatione debiti coniugalis datur paruitas materiæ. 3
In dilatione vel omiſſione pœnitentiæ iniunctæ datur paruitas materiæ. 12
In ætate requiſita ad matrimonium datur paruitas materiæ. 11
In ætate requiſita ad ordines ſuſcipiendos non datur paruitas materiæ. 7
In continuatione anni nouitiatus datur paruitas materiæ. 5
In communicatione cum excommunicato datur paruitas materiæ. 25
In ingreſſu, vel egreſſu clauſuræ monialium datur paruitas materiæ excuſantis à peccato mortali & cenſuris. 7
In obligatione celebrandi datur paruitas materiæ. 13
In obligatione reſtituendi fructus pro omiſſione horarum canonicarum probabile eſt dari paruitatem materiæ. 10
Probabile eſt in fructibus beneficij dari paruitatem materiæ, ita vt non conſurgat obligatio quotidie recitandi horas canonicas. 12
In omiſſione horarum datur paruitas materiæ. 2
In mendacio facto in confeſſione vel extra datur paruitas materiæ, modò iuramento non confirmetur mendacium. 6
In lectione librorum ob hæreſim prohibitorum datur paruitas materiæ. 10
In conſcientia erronea datur paruitas materiæ. 33
In furto datur paruitas materiæ. 3
In verbis ſubſtantialibus formæ ſacramentorum non datur paruitas materiæ. 4. & 5
In conſecratione materiæ & formæ ſacramentorum datur paruitas materiæ. 9
In forma ſacramentorum interruptione datur paruitas materiæ. 5
In interruptione horarum canonicarum datur paruitas materiæ. 16
In retentione librorum hæreticorum datur paruitas materiæ. 11
In auditione Miſſæ datur paruitas materiæ. 3
In omiſſione aliquarum rerum, quæ dicuntur, vel aguntur in Miſſa, datur paruitas materiæ. 6
In caſibus reſeruatis & in excommunicationibus datur materiæ paruitas. 3
De materia leui præceptum ſuperioris non obligat ad mortale, etiamſi iubeat in virtute ſanctæ obedientiæ. 15
Votum de materia leui non obligat ad mortale, etiamſi vouens habuerit intentionem ſe obligandi ſub mortali: limita tamen, niſi materia leuis referatur ad materiam grauem. 5
Violatio iuramenti in materia parua non eſt peccatum mortale. 3
Plures materiæ paruæ peccati venialis, non efficiunt grauem, quoties parua poſtremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari. 9
In materia iniuſtitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione, magna conſurgit, ac ſufficiens ad mortale. 10
In materia intemperantiæ, in feſtorum obſeruatione, ex paruæ materiæ multiplicatione eodem die repetita, materia leuis fit grauis ratione præcedentium. ibid.
Materiæ paruæ diuerſorum præceptorum non coaleſcunt in vnum, nec efficiunt quantitatem notabilem. ibid.
In materia de voto, ex leui materia tranſgreſſionis ſæpius repetitæ circa leuem materiam, coaleſcere poteſt aliquid notabile, modò votum non ſit factum in honorem certi dici. ibid.
In prohibitione celebrandi ante auroram vel poſt meridiem datur paruitas materiæ. 6
In præcepto geſtandi tonſuram & veſtem clericalem datur paruitas materiæ. 12
In dimiſſione habitus religioſi datur paruitas materiæ excuſans ab excommunicatione. 4
In præcepto non addendi aliquid in Miſſa præter præſcripta datur paruitas materiæ. 6
In percuſſione clerici datur materię paruitas excuſans ab excommunicatione. 2
In præcepto correptionis fraternæ datur paruitas materiæ. 5
In murmuratione datur paruitas materiæ excuſans à mortali. 6
In peccato inuidiæ poteſt dari paruitas materiæ excuſans à mortali. 1
In iudicio temerario datur paruitas materiæ. 2
In deriſione datur paruitas materiæ. 2
In detractione datur materiæ paruitas. 3
In contumelia inuenitur etiam paruitas materiæ excuſans à mortali peccato. 2
In prædictione humanarum actionum peraſtra datur paruitas materiæ. 5
In peccato iræ inuenitur materiæ paruitas. 2

Mater.

Mater vſque ad triennium tenetur lac filio præbere, quamuis ſpurio; modò lacte non careat, nec iuſtam non lactandi cauſam habet. 3
Matri dicenti ſuum filium eſſe ſpurium, non tenetur filius credere, ſi tempore conceptionis habitabat cum viro. 8
Materfamilias nihil imperare poteſt, quo ſubditorum conſcientiæ obligentur, niſi ratione rei & materiæ imperatæ. 4
Materfamilias poteſt precipere virtute obedientiæ, vel ſub pœna obedientiæ ipſi debitæ. ibid.
Mater, per ſe loquendo, non tenetur pro filia dotem dare, niſi filia & pater ſint inopes, illa autem diues. 6
Mater filiæ ſpuriæ non tenetur dotem conſtituere, pater verò tenetur. 7

Matrimonium. Quoad eius eſſentiam.

Matrimonium vocatur alio nomine *nuptiæ*, *connubium*, *coniugium*. n. 1
Matrimonium eſt maritalis coniunctio viri & fœminæ, inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. 2
Eſſentia matrimonij conſiſtit in vinculo illo, quo formaliter ſunt coniuges vniti. 3
Matrimonium olim erat in præcepto: nunc autem hoc præceptum obligat ſolùm Rectores communitatum: & in neceſſitate obligat etiam religioſos & moniales. 4
Extra neceſſitatem conſeruandæ ſpeciei tenetur quis matrimonium inire ſub mortali, quando exinde pax in Repub. dependet. ibid.
Matrimonium ante Adami lapſum inſtitutum fuit in naturæ officium, eo autem ſecuto in concupiſcentiæ remedium: & in noua lege eleuatum fuit à Chriſto in ſacramentum. 5
De fide eſt ſtatum coniugalem eſſe inferiorem cœlibatu. ibid.
Matrimonium diuiditur in legitimum, ratum & conſummatum. Aliud eſt verum, aliud præſumptum. Item aliud eſt clandeſtinum, aliud probabile in iudicio, aliud publicum. 6
Probabilius eſt matrimonium fidelis cum catechumena ex diſpenſatione Pontificis, ex parte neutrius eſſe ſacramentum. ibidem.
Matrimonium infidelium fit ſacramentum & confert gratiam cum ambo baptizantur. ibid.
Matrimonium inter fideles, an ſemper ſit ſacramentum, alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Verius eſt verba ſeu ſigna, quibus conſenſus exprimuntur, eſſe ſibi inuicem materiam & formam matrimonij. 7
Miniſter ſacramenti matrimonij nunquam fuit ſacerdos, nec ante, nec poſt Concilium Trident. ſed ipſi contrahentes ſunt miniſtri conficientes ſacramentum. 8
Sacerdos poteſt dici miniſter accidentarius, quatenus ex officio iungit & benedicit contrahentibus. ibid.
Matrimonium poteſt celebrari inter abſentes per literas vel procuratorem, poſitis quatuor conditionibus. 9
Communior ſententia eſt matrimonium contractum per literas vel procuratorem eſſe ſacramentum. 10
Ætas requiſita ad matrimonium validè ineundum eſt pubertas; nempe annus duodecimus in fœmina, in viro autem annus decimus quartus completus. 11
In dubio ante pubertatis ætatem, nec mas, nec fœmina præſumuntur generationi apti: quamuis aliquando poſſit ſupplere ætatem malitia. ibid.
Iuxta quoſdam relinquitur arbitrio iudicis iudicandum, quanto tempore ante ætatem iure præſcriptam, malitia illam ſupplcat: Alij cenſent eſſe tempus vnius integri anni. ibid.
Probabilius eſt peccatum eſſe mortale, contrahere matrimonium ante legitimam ætatem; niſi id fiat cum licentia Epiſcopi ex iuſta cauſa. ibid.

Matrimonium.
Quoad illius indissolubilitatem.

Matrimonium ratum significat vnionem dissolubilem Christi cum anima existenti in gratia: consummatum autem significat indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam. 1

Probabilius est, aliqualē inseparabilitatem esse de natura matrimonij & ita competere etiam matrimonio rato: omnimodam tamen indissolubilitatem competere matrimonio consummato ex significatione vnionis Christi cum Ecclesia. 2

Probabilius item est, posse Pontificem ex iusta causa dispensare in matrimonio rato. 3

Matrimonij rati vinculum ex priuilegio diuino dirimitur per professionem trium votorum solemnium in religione approbata. 4

Matrimonium ratum non dirimitur per vota simplicia, nec per susceptionem ordinum sacrorum & Episcopatus. ibid.

Vt matrimonium dicatur indissolubile, debet esse consummatum. 5

Quando censeatur matrimonium consummatum, vide suprà v. *Consummatio Matrimonij.*

Probabilius est, bimestre ante consummationem matrimonij præscriptum esse sponsis, non ad profitendum sed ad deliberandum de religionis ingressu. 7

Transacto bimestri potest quilibet coniux ingredi religionem, si matrimonium nondum sit consummatum. 8

Matrimonium. Quoad causam illius efficientem.

Ad matrimonium requiritur consensus mutuus. 1

Per nullam potentiam potest matrimonium constare absq; proprio consensu. ibid.

Consensus matrimonium constituens non est explicitè in carnalem copulam, sed in ius & potestatem ad talem copulam, implicitè autem & virtute ad talem copulam. 2

Bona, quæ debent intendi à contrahentibus, sunt bonum Sacramenti, bonum prolis & bonum fidei. ibi.

Matrimonium contrahens debet saltem implicitè intendere bonum sacramenti: non item alia duo matrimonij bona. 3

Cum matrimonium ordinatur ad copulam, est peccatum veniale, si non principaliter ad sobolem vel concupiscentiæ remedium ordinetur. 4

Non sufficit consensus internus ad matrimonium, nisi exprimatur verbis vel signis. 5

Non est necessarium consensum vtriusque coniugis simul tempore præstari, sed satis est temporis mora intercedente: modo consensus prioris coniugis non sit reuocatus. 6

Probabilius est, quando consensus alterius coniugis fuit fictus vel metu extortus, satis esse, vt is, qui minus legitimè consensit, denuo consentiat, dum alter consensum non reuocauerit. 7

Quando matrimonium fuit inualidum defectu consensus vtriusque contrahentis, tunc ad validandum matrimon. requiritur vt consensus aliquo signo externo manifestetur. 8

Quomodo conualidandum sit matrimonium, quando interfuit aliquis error facti vel iuris. 9

Taciturnitas non sufficit ad exprimendum regulariter consensum matrimonialem, nisi quis promittat fœminæ, quę tacet coram patre vel matre vel alio curam ipsius gerente, & pater vel mater vel alius curam, ipsius gerens pro ea repromittit. 10

Quædam sufficientes coniecturæ, quibus fit certitudo moralis ficti consensus in matrimonium. 11

Matrimonium clandestinum.

Matrimonium clandestinum dicitur quod fit sine parocho & testibus, vel quando celebratur omissis denuntiationibus. 1

Matrimonium sine parocho & testibus duobus post Concil. Trident. est inualidum, peccantque mortaliter sic contrahentes. ibidem.

Matrimonium clandestinum, hoc est, sine Parocho & testibus semper fuit illicitum: tamen concurrentibus quibusdam legitimis causis poterat olim licitè fieri. ibid.

Qui inuincibiliter ignorant legem irritantem Concilij inualidè contrahunt sine Parocho & testibus. ibid.

Matrimonium quod contrahitur absque præmissis denunciationibus validum est, tamen peccatum est mortale sic contrahere absque dispensatione aut legitima causa. 2

In denunciationibus dispensare possunt Episcopi, & alij prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem. ibid.

Denunciationes matrimoniales faciendæ sunt à proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia, inter Missarum solemnia publicè. 3. & 7

Episcopus vel prælatus alterius contrahentis potest cum vtroque dispensare in denunciationibus. 4

Causæ iustæ dispensandi in denunciationibus. 5

Matrimonium consummare denunciationibus non præmissis, peccatum est mortale. 6

Quilibet tenetur sub culpa lethali manifestare impedimentum licet occultum, quod nouit inter volentes contrahere, quamuis illud probare non possit. 8

Matrimonium. Quoad illius ministrum.

Minister solemnitatis matrimonij est parochus & testes duo. 1

Vbi Concilium Tridentinum non est promulgatum nec acceptatum quoad illud decretum, validum est matrimonium sine parocho & testibus. ibid.

Si incola illius loci in quo non est acceptatum Concil. Trident. diuertat ad locum in quo est acceptatum, non potest contrahere absque Parocho & testibus. ibid.

Quando aliquis in fraudem legis Concil. Triden. & vt contrahat sine parocho, & testibus, eò proficiscitur vbi Tridentinum non est acceptatum, non animo ibi habitandi, secundum quosdam matrimonium esset inualidum. ibid.

Ex sacræ Congregationis Cardinalium declaratione matrimonium validum est in duobus casibus contractum sine parocho etiam vbi Concilium est publicatum. ibid.

Matrimonium publicè contractū, sciente maiore viciniæ parte, est inualidum, si parochus desit. ibid.

Infideles inhabitantes Christianorum loca, in quibus viget decretum Tridentini, non tenentur coram Parocho & testibus contrahere. ibid.

Fideles inhabitantes loca vbi obligat decretum Tridentini, illud tamen inuincibiliter ignorantes, inualidè contrahunt absque Parocho & testibus. ibid.

In locis vbi Tridentinum obligat, exigitur necessitate Sacramēti assistentia proprij parochi, vel alterius sacerdotis de eius licentia, vel ordinarij. 2

Parochus alterius contrahentium sufficit. ibid.

Vagorum matrimonio, qui nullibi domicilium habent, potest quilibet parochus validè interesse. ibid.

Verius est parochum alterius contrahentis posse validè assistere illius matrimonio, in alterius contrahentis, qui sibi subditus nō est, parochia. 3

Probabilius est, parochum assistentem matrimonio non debere esse Sacerdotem; Alter tamen qui de licentia parochi assistit, debet esse Sacerdos, licet non sit approbatus, imò excommunicatus, suspensus, &c. validè assistit. 4

Parochus non sacerdos validè assistit matrimonio non tamen licitè cùm debeat benedictionem dare. ibid.

Matrimonium contractum coram parocho excommunicato, suspenso, vel irregulari non tolerato est validum. 5

Probabilius est, licentiam quam dat parochus matrimonio assistendi, non esse actum iurisdictionis. ibid.

Archiepiscopus non potest coniungere in matrim. subditos suorum suffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi nisi in casu appellationis. 6

Licentiam assistendi matrimonio dare possunt Episcopus, Parochus, & eorum Vicarij, Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, vt Cardinales, Abbates quidam. ibid.

Licentia hæc non debet esse tacita, sed expressa. ibid.

Proprius contrahentium parochus dicitur, qui habet potestatem ordinariam administrandi illis sacramenta. ibid.

Sacerdos qui delegatam habet authoritatem assistendi matrimonio, non potest illam alteri Sacerdoti delegare, nisi sit delegatus ad vniuersitatem causarum. ibid.

Quando matrimonium sit validum vel inualidum ex licentia obtenta per metum, dolum, vel mendacia. 7

Parochus interdictus seu prohibitus ab Episcopo assistere matrimonio, adhuc validè assistit. 8

Quando parochus dolo vocatus interest matrimonio, illud matrimonium valet, etiamsi per vim ibi detineatur: modò parochus sit compos sui & externo sensu percipiat consensum contrahentium. ibid.

Parochus iniustum titulum beneficij habens, validè assistit matrimonio, quamdiu illo non priuatur in iudicio. 9

Vt gesta per hunc parochum valeant tria concurrere debent, scilicet titulus coloratus, error communis, & vt nullum adsit impedimentum iuris diuini vel naturalis. ibid.

Huiusmodi defectus suppletur etiam ab Ecclesia, quando adest opinio probabilis. ibid.
Gesta per illum, qui absque legitima auctoritate intrusit se in officium iudicis, Parochi vel confessarij, sunt inualida in vtroque foro. 10
Ad validitatem matrimonij non requiritur vt parochus vel alius Sacerdos assistens matrimonio vtatur aliquibus verbis. 11
Ad valorem matrimonij necessaria est præter parochum, præsentia moralis & simultanea duorum vel trium testium. 12
Dormientes, amentes, ebrij, furiosi, quamdiu carēt lucido intervallo, non sunt testes idonei ad matrimonium. ibid.
Omnes aliæ personæ, modò sint doli capaces, possunt esse testes in matrimonio. ibid.
Sponsalia post Tridentinum non transeunt in matrimonium per copulam subsecutam: etiamsi sponsalia & copula habita sint coram parocho & testibus. *Sacra Congregatio.* ibid.
Non requiritur in matrimonio vt testes sint rogati, validum enim esset matrimonium, quamuis testes præsentes sint per violentiam, modò aduertant quod agitur, possintque de hoc ferre testimonium. ibid.
An matrimonium contractum sine præsentia parochi & testiū, transeat saltem in sponsalia de futuro? alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.
Religiosi solemnizantes matrimonia, non habita super his Presbyteri parochialis licentia speciali, excommunicatione reseruata Pontifici afficiuntur, in Clement. *Religiosi, de privil.* ibidem.
Solemnizare matrimonia non est idem quod ministrare, assistere, sed solēnitas ista consistit in Sacerdotali benedictione, quam sponsi post matrimonium contractum, solemniter in Ecclesia recipiunt. 13
Probabilius est religiosum solemnizantem matrimonia hoc tempore, sine speciali facultate, affici sola suspensione Concilij Tridentini, in quam excommunicatio illius Clementinæ in hac parte commutata videtur, vt declarauit *Sacra Congreg.* ibidem.
Contrahentes absque Parocho & testibus, puniendi sunt pœna graui arbitrio Ordinarij. ibid.

Matrimonium conditionale.

Multæ conditiones possunt apponi contractui matrimonij. 1
Matrimonium initum sub necessaria conditione est absolutum & validum, modò contrahentes non habuerint intentionem suspendendi consensum, vsque ad conditionis euentum. 2
Matrimonium sub aliqua conditione turpi celebratum, quæ sit contra substantiam matrimonij, irritum est, si conditio adiungatur vt de futuro præstanda: secus si apponatur de præterito vel de præsenti. 3
Probabilius est conditionem honestam, contrariam bonis matrimonij irritare illud. 4
Conditio turpis vel impossibilis quæ non est contra substantiam matrimonij, habetur pro non adiecta, modò consensus sit absolutus. 5
Conditio honesta & possibilis de præsenti vel præterito, adiecta matrimonio, illud non vitiat, nec suspendit: si autem conditio sit de futuro, suspendit vsque ad conditionis euentum. 6
Matrimonium contractum inter habentes impedimentum sub conditione *si Papa dispensauerit*, validum est, adimpleta conditione, seu adueniente conditione. 7
Verius est sponsalia inter eos, qui habent aliquod impedimentum dirimens, esse valida, apposita conditione, *si Papa dispensauerit*, ita vt adueniente conditione dispensationis, incipiant obligare. ibid.
Matrimonium contractum sub conditione impertinenti de futuro, non est validum, antequam verificetur conditio. 8
In conscientiæ foro standum est intentioni contrahentis matrim. sub conditione, qualiscumque conditio sit. 9

Matrimonium. Quoad illius impedimenta.

Fide Catholica tenendum est, posse Ecclesiam impedimenta matrimonium dirimentia statuere. 1
Vt Summus Pontifex ritè & rectè valeat impedimenta matrimonij indicere, desideratur iusta causa. 2
Probabilius est Principem sæcularem posse impedimenta dirimentia sibi subditis ex iusta causa indicere, nisi Summus Pontifex hanc sibi potestatem reseruasset. 3
Consuetudo legitimè præscripta, aut rationi consona, vires habet inducendi nouum impedimentum dirimens. 4
Matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti, culpa lethalis est. 5
Impedimenta quæ impediunt matrimonium contrahendum & dirimunt contractum, sunt quatuordecim. 6

Impedimentum erroris.

In matrimonio potest contingere error quadruplex, scilicet personæ, conditionis seruilis, qualitatis, & fortunæ. 7
Quilibet ex his erroribus vel est antecedens actum, vel est concomitans. ibid.
Matrimonium contractum cum errore antecedente circa substantiam personæ, inualidum est, etiam iure naturali. ibid.
Error personæ concomitans, reddit matrimonium inualidum. 8
Matrimonium celebratum cum errore qualitatis seu dolo antecedente, non est inualidum; nisi qualitas in qua erratur, apponatur per modum conditionis. 9
Quomodo dignosci possit, quando error qualitatis redundet in errorem personæ. 10

Impedimentum erroris seruilis.

Error seruitutis non reddit iure naturali irritum matrimonium, sed solo iure Ecclesiastico. 11
Error conditionis efficit matrimonium nullum, quando conditio errantis fit deterior, secus si fiat melior. 12
Quando Dominus seruum tradit liberæ in matrimonium nescienti seruitutem, hoc ipso illum liberat à seruitute. 13
Seruus validè potest contrahere matrimonium cum serua vel libera inuito Domino, modò seruitus sit nota personæ liberæ. 14
Quando matrimon. de consensu Domini contractum est, non potest Dominus absque peccato mortali vendere seruos in locis distantibus, in quibus non poterunt tibi debitum reddere. 14
Vir in seruum potest se vendere post contractum matrim. etiam vxore renitente, non ita vxor absque consensu viri. 15

Impedimentum voti.

Certa fide tenendum est, votum solemne castitatis emissum in professione valida religionis approbatæ, dirimere matrimonium etiam consummatum factum post professionem. 16
Votum simplex quod emittunt Patres Societatis peracto biennio, habet vim etiam dirimendi matrim. subsequens. ibid.
Probabilius est, solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimi post solemnem professionem contractum. 17

Impedimentum cognationis carnalis.

Cognatio carnalis seu consanguinitatis est vinculum personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, carnali propagatione contractum. 18
In linea recta ascendentium & descendentium in consanguinitate, tot sunt gradus, quot sunt personæ dempto stipite. 20
Quando personæ quarum gradus quæruntur, sunt in linea transuersa æquali, eodem gradu distant inter se, quo distant à communi vtriusque stipite proximo. 21
Quoties personæ consanguineæ in linea transuersa distant inæqualiter à communi stipite, eo gradu distant inter se, quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite. 22
Matrimonium in primo tantùm gradu consanguinitatis lineæ rectæ, vt inter parentes & filios, est ipso iure naturæ irritum. 23
Probabilius est, solo etiam iure naturæ attento, matrimonium esse inualidum in primo gradu æquali lineæ transuersæ, vt inter fratrem & sororem. 24
Matrimonium contractum inter personas consanguineas intra quartum gradum inclusiuè, tam in linea recta, quàm transuersali, iure Ecclesiastico inualidum est. 25

Impedimentum cognationis spiritualis.

Cognatio spiritualis est propinquitas quædam personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter collationem Baptismi, vel confirmationis, vel susceptionem recipientis hæc Sacramenta. 26
Hæc cognatio ex solo iure Ecclesiastico dirimit Matrimonium post illam celebratum: si autem matrimonio superueniat, illud non dissoluit. ibid.
Post Tridentinum, duplex est tantùm species cognationis spiritualis, paternitas nempe & compaternitas. 27
Parochi incidentes in tactum libidinosum aut delectationem morosam circa puellam à se Baptizatam, vel circa fœminam cuius aliquam prolem Baptizarunt, debent has circumstantias explicare in confessione, quia talis actus vel consensus ad incestum reducitur. ibid.
Cognatio spiritualis contracta à viro non transfunditur ad vxorem, nec è contra. 28

Ad contrahendam cognationem in Baptismo vel confirmatione, multa requiruntur. 29
Iuxta probabiliorem sententiam non confirmatus incestus labe non inquinabitur, cognoscens fœminam, cuius patrinus fuit in confirmatione. ibid.
Quando nulli designantur patrini, probabilius est, neminem ex tangentibus baptizatum contrahere cognationem. 30
Qui mittit procuratorem ad suscipiendum infantem, ipse contrahit cognationem, non autem procurator. 31

Impedimentum cognationis legalis.

Cognatio legalis est propinquitas quarumdam personarum ex adoptione proueniens. 32
Triplex est cognationis legalis species. ibid.
Probabilius est, cognationem legalem ortam ex adoptione imperfecta non dirimere matrimonium. 33
Quatuor requiruntur vt aliquis adoptare possit. 34
Cognatio legalis inter quos impediat, & dirimat matrimonium. 35
Filius adoptantis potest matrimonium contrahere cum filia adoptati: & adoptatus potest contrahere cum filia illegitima adoptantis. 36
Hoc impedimentum est iure Ecclesiastico inductum. ibid.
Cognatio legalis superueniens matrimonio iam contracto, non impedit debiti petitionem. 37

Impedimentum criminis.

Crimen quod matrimonium impedit & dirimit, est occisio coniugis alicuius causa contrahendi cum eius coniuge. 38
Vt hoc crimen solius homicidij inducat impedimentum dirimens multa requiruntur. ibid.
Non est reus huius impedimenti, qui dedit mandatum occidendi, sed postea reuocauit mandatum, cuius reuocatio innotuit mandatario ante mortem coniugis. ibid.
Impedimentum criminis non reddit machinantem inhabilem simpliciter ad quodcumque aliud matrimonium. ibid.
Alterum crimen inducens impedimentum dirimens, est, adulterari scienter cum coniuge alterius, & contrahere matrimonium de facto vel dare fidem de contrahendo. 39
Ad incurrendum hoc impedimentum multæ conditiones requiruntur. ibid.
In certis casibus non incurritur hoc impedimentum, etiamsi sequatur homicidium vel adulterium. 40
Hoc impedimentum criminis à fidelibus tantùm incurritur, & requiritur vt totum delictum sit commissum, post Baptismum. *Impedimentum disparitatis cultus.* 41
Inter dispares cultu, id est, inter fidelem & infidelem est irritum matrimonium iure Ecclesiastico: imò inter personam baptizatam & catechumenam. 42
Matrimonium inter fidelem & hæreticam, vel apostatam, vel excommunicatam, validum est, quamuis illicitum sit; secluſa consuetudine in contrarium. ibid.
Matrimonium fidelis cum hæretica est licitum est magna aliqua & eximia causa, etiam cum probabili periculo peruersionis. ibidem.
Matrimonium infidelium quamuis Sacramentum non sit, est tamen contractus, & vt talis valet. 43
Quando vnus infidelium conuertitur ad fidem, altero perseuerante in infidelitate dissolui potest matrimonium. ibid.
Probabilius est in hoc casu non dissolui matrimonium prius, donec fidelis ad alias nuptias transeat. 44
Quoties infidelis monitus conuerti renuit, licet fideli transire ad religionem, vel ordines, aut votum castitatis emittere. 45
Quando alteruter parens solus fidelis est, proles doli capax, non est cogenda ad fidem: si autem doli capax non sit, parentis conditionem sequi debet, qui ad fidem conuertitur. 46

Impedimentum violentiæ, vel metus.

Matrimonium per metum grauem seu cadentem in constantem virum iniustè incussum iure Ecclesiastico est inualidum. 47
Metus incuti potest ab extrinseco, id est homine, iustè, vel iniustè. 48
Matrimonium est validum, quando metus incutitur à causa libera, non tamen ad hunc finem, vt matrimonium ineatur, sed ob aliam causam. 49
Inualidum est matrimonium, quando contrahens metu mortis cogitur, non solùm contrahere matrimon. sed etiam illud per copulam consummare. 50
Vt metus grauis irritet matrimonium, non est necesse, vt incutiatur ab altero contrahente, sed satis est si incutiatur ab alio. 51
Matrimonium celebratum cum metu cadente in constantem virum, adiuncto iuramento, non est validum. 52
Contra Dominus temporales, magistratus & alios cogentes directè vel indirectè subditos vel alios ne matrimonia liberè cõtrahant, lata est excommunicatio in Tridentino. 53
Probabilissimum est sponsalia metu graui contracta non firmari iuramento. ibid.

Impedimentum ordinis.

Ordo sacer validè & sine graui metu susceptus, iure Ecclesiastico dirimit matrimonium subsequens. 54
Numquam fuit permissum in ecclesia, siue Latina, siue Græca, sacro ordine præditos matrimonium inire: quamus Græcis iam coniugatis, permissum sit sacros ordines suscipere, & vti matrimonio ante sacros ordines celebrato. 55
Initiatus ordine sacro matrimon. contrahens peccat mortaliter, & est excommunicatus, incurritque irregularitatem etiam ante consummatum matrimonium. 56
Quando coniugatus potest facere diuortium quoad thorum & habitationem, aut religionem intrare, potest etiam inuita vxore ad ordines Sacros promoueri. 57
Coniugatus de consensu libero vxoris, licitè potest sacros ordines suscipere, modò vxor ingrediatur religionem si sit iuuenis aut saltem voueat castitatem, si sit senex. ibid.
Qui sacros ordines suscepit de consensu vxoris non potest petere nec reddere debitum: qui autem sine illius consensu, non potest petere, tenetur tamen redere: imò talis est irregularis. ibidem.
Ordines Minores nullum impedimentum, matrimonio præstant. 58

Impedimentum ligaminis.

Per impedimentum ligaminis, significatur vinculum prioris matrimonij quo durante posterius est irritum. 59
Plures vxores habere diuino iure in Euangelica lege prohibitum est, nec in ac vxorum pluralitate potest Summus Pontifex dispensare. ibid.
Polygamia mulieris est contra ius naturæ, polygamia autem viri est præter ius naturæ, nec admittit dispensationem humanam sed tantùm diuinam. ibid.
Quatuor fines matrimonij constitui possunt 1. Susceptio & educatio proles 2. communis vitæ societas. 3. remedium concupiscentiæ 4. vt sit sacramentum Christi & Ecclesiæ. ibid.
Veritas Catholica est binas, ternas, quaternas, & vlteriores nuptias, prioribus dissoluris, licitas esse, ac verum Sacramentum. 60
Consuetudine introductum est, vt secundis nuptijs benedictio impertiatur, quando alter coniux benedictionem non suscepit ibidem.
Vt possit coniux superstes cum alio matrimonium inire, debet esse certus de morte alterius coniugis. 61
Vxor quæ secundò nupsit, credens priorem coniugem esse mortuum, tenetur recedere à secundo viro, postquam cognouit priorem coniugem superstitem esse. ibid.
Iudicis prudentis arbitrio relinquitur attentis occurrentibus circumstantijs iudicandum, quænam probatio mortis prioris viri sit sufficiens, vt vxor secundò nubere possit. 62

Impedimentum publicæ honestatis.

Honestas publica est propinquitas ex sponsalibus validis & certis proueniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter honestatem eius. 63
Honestas publica extenditur solùm ad primum consanguinitatis gradum, cum affinibus autem alterius sponsi non oritur. ibidem.
Impedimentum publicæ honestatis non est inductum iure naturæ vel diuino, sed iure Ecclesiastico. 64
Hoc impedimentum est perpetuum, nec morte alterius sponsi, nec dissolutione sponsaliorum extinguitur: quamuis quidam sustineant ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis, nullum nasci impedimentum, vt declarauit *Sacra Congregatio.* 65
Ex sponsalibus conditionalibus nulla oritur honestas publica ante conditionis euentum, si conditio sit de futuro: si autem conditio sit de præsenti vel præterito, statim orietur hoc impedimentum, si conditiones verè extent. 66
Ex matrimonio rato consurgit etiam impedimentum hoc publicæ honestatis & extenditur vsque ad quartum gradum cõsanguinitatis. 66
Ex matrimonio rato irrito quacumque ex causa oritur hoc impedimentum publicæ honestatis, modò non sit ex defectu consensus. 67

Ex

Ex matrimonio rato inualido non inducitur impedimentum publicæ honeſtatis diſſoluens priora ſponſalia valida. ibid.
Ex Matrimonio rato conditionato, conditione de futuro ſuſpendente conſenſum, non oritur hoc impedimentum ante impletionem conditionis. ibid.

Impedimentum affinitatis.

Vide ſuprà verb. *Affinitas.*

Impedimentum impotentiæ.

Impotentia coeundi perpetua, naturalis aut accidentalis, impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum. 75
Impotentia perpetua coeundi dicitur, quæ non poteſt remoueri arte humana, aut ſine probabili periculo animæ aut corporis. ibidem.
Impotentia, quædam eſt perpetua, quædam temporalis: perpetua quædam eſt abſoluta reſpectu omnium, quædam reſpectiua reſpectu huius vel alterius ſimilis. ibid.
Impotentia perpetua coeundi antecedens matrimonium, dirimit illud iure naturali & Eccleſiaſtico. 76
Impotentia temporalis matrimonium non dirimit, excepta impotentia ratione ætatis. ibid.
Impotentia perpetua matrimonio ſuperueniens non dirimit illud. ibid.
Probabilius eſt, impotentes cum impotentia perpetua & cognita, non poſſe inire Matrimonium in ordine ad caſtè viuendum. ibid.
Impotentia ex parte fœminæ vocatur arctitudo, quæ ſi tanta ſit, vt ſemen recipere intra vas non poſſit, irritat Matrimonium. 77
Impotentia ex parte fœminæ poteſt eſſe perpetua reſpectu vnius viri, quæ non erit reſpectu alterius. ibid.
Fœmina arcta quæ medicorum iudicio poteſt fieri apta proprio viro per inciſionem, tenetur illam pati, iuxta communem ſententiam, quamuis quidam contrarium probabiliter ſentiat. ibidem.
Impotentia accidentalis matrimonio non obſtat, vt ſi ex ſola fenectute proueniat. 78
Matrimonium contractum cum Eunucho qui vtroque teſte caret, vel ſpadone qui caret ſemine, irritum eſt: ſecus ſi vnus tantùm teſtis illi deſit. ibid.
Infirmi exiſtentes in articulo mortis, quamuis iam non poſſint coire, habiles ſunt ad matrimonium. ibid.
Impotentia ex maleficio conſurgens dirimit Matrimonium ſubſequens, ſi illud ſit perpetuum. 79
Maleficium cenſetur perpetuum, ſi vel non niſi alio maleficio tolli poſſit vel miraculo. ibid.
In dubio, an maleficium matrimonium præceſſerit, vel factum fuerit, poſt probabilius eſt præſumi factum fuiſſe ante & conſequenter eſſe impedimentum dirimens. 80
Coniuges laborantes impotentia perpetua, non poſſunt debitum petere vel reddere, vel delectari tangendo, oſculando. 81
Quando non conſtat impotentiam eſſe perpetuam, permittuntur coniuges ſimul habitare per triennium vt matrimonium conſumment, quo tempore ſi non potuerint conſummare, ſeparandi ſunt. ibid.
Secluſo incontinentiæ periculo iura permittunt cohabitationem, & vt vir habeat tanquam ſororem, quam non poteſt habere vxorem. ibid.
Impotentia matrimonio ſuperueniens illud non dirimit ſiue ratum ſiue conſummatum fuerit. 82
Quando vir poſt matrimonium in eam impotentiam incidit vt intra vas fœmineum ſeminare nequeat, nequaquam licitus erit coniugalis acceſſus, ſed tantùm tactus, oſculum & amplexus, ſi pollutionis periculum abſit. ibid.
Hermaphroditus in quo ſexus eſt æqualis & neuter prævalet, poteſt eligere quem ſextum ipſe voluerit, & ſecundum illum contrahere matrimonium. 83
Quando vnus ſexus prævalet poteſt matrimonium inire iuxta ſexum qui in ipſo prævalet. 83
Hermaphroditus in quo vterque ſexus eſt æqualis, factam ſemel electione ſexus, & iuxta illum ſemel contracto matrimonio, non poteſt abſque graui peccato mortuo coniuge ſecundùm alium ſexum contrahere. ibid.
Sterilitas non obeſt valori matrimonij. 84
Probabiliùs eſt coniugium fœminæ eſſe validum non potentis parere abſque manifeſto mortis propriæ periculo, ſi copulæ apta ſit. ibid.
Matrimonio item habilis eſt fœmina, quæ filios omnes parere, mortuos. ibid.

Matrimonium. Quoad impedimenta non dirimentia.

Impedimenta Matrimonium non dirimentia ſunt quinque. 1
Interdictum iuris eſt impedimentum non dirimens matrimonium quale eſt tempus Aduentus & Quadrageſimæ. ibid.
Matrimonij contractus, traductio ſponſę in domum ſponſi, & conſummatio ipſa non ſunt prohibita tempore Aduentus, & Quadrageſimæ, ſi abſque ſolemnitate fiant, niſi contraria vigeret conſuetudo. ibid.
Solemnis traductio ſponſæ in domum ſponſi peccatum mortale eſt tempore Aduentus & Quadrageſimæ. ibid.
Catechiſmus ante Concilium Trident. erat impedimentum impediens matrimonium, ſed hodie eſt ſublatum. 2
Sponſalia priùs celebrata cum vna perſona impediunt Matrimonium cum alia. 3
Votum ſimplex caſtitatis, vel ingrediendæ religionis, vel ſuſcipiendi ſacros ordines, vel non nubendi, impedit matrimonium contrahendum. 4
Habens votum caſtitatis ſeu religionis peccat mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendæ religionis ante conſummationem matrimonij, iuxta probabiliorem ſententiam. In tribus tamen caſibus probabile eſt hoc licere. ibid.
Roganti, an matrimonium contractum cum voto caſtitatis validum ſit, veritas aperienda eſt, præciſo periculo peccati in interrogante. 5
Septem crimina impediunt matrimonium contrahendum. 6
Inceſtus, ſi eſt copula habita cum conſanguineis coniugis intra quartum gradum, impedit matrimonium cum quacumque alia poſt inceſtum: non autem inceſtus cum propria conſanguinea. 7
Raptus alienæ ſponſæ ſiue de præſenti ſiue de futuro impedit matrimonium cum rapta & cum quacumque alia. 8
Vxoricidium priuata authoritate factum impedit matrimonium cum quacumque alia. 9
Suſceptio proprij filij vel alterius coniugis in Baptiſmo vel confirmatione animo inſidiandi matrimonio, impedit matrimonium contrahendum cum alia, mortuo coniuge. 10
Quintum crimen eſt Presbytericidium. 11
Sextum impedimentum eſt ſolemnis pœnitentia. 12
Septimum impedimentum eſt, matrimonium ſcienter cum moniali contractum. 13
Conſuetudo videtur iam legitimè præſcripta, vt affectus aliquo ex his impedimentis minimè petita diſpenſatione matrimonii ineat, excepto voto, ſponſalibus & interdicto. 14
Confeſſarius tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili & culpabili mortaliter Matrimonium inualidè contraxit, quamuis admonitio non ſit profutura. 15
Quando pœnitens inualidè contraxit ex ignorantia inuincibili iuris vel facti, & nullus ſperatur fructus ex admonitione, ſed potiùs timetur ſcandalum, non tenetur, nec poteſt confeſſarius pœnitentem admonere: ſecus ſi ſperetur fructus. ibid.
Modus cognoſcendi, an aliquis laboret ignorantia inuincibili. 16
Quando pœnitens dubius interrogat confeſſarium vel alium de aliquo impedimento, tenetur bi aperire veritatem, quamuis credant ſe nihil profuturos. ibid.
Quando confeſſarius credit admonitionem non ſtatim profuturam, ſed breui tempore, tenetur admonere laborantem ignorantia inuincibili impedimenti. 17
Coniux non poteſt abſolui negans debitum ob iram, indignationem vel ob aliam iniuſtam cauſam, quamuis inuincibiliter ignoret impedimentum dirimens. 18
Probabilius eſt confeſſarium teneri non abſoluere negantem debitum ex ira vel indignatione & inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens. ibid.

Matrimonij diſpenſationes.

Summus Pontifex non poteſt in vllo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimente diſpenſare, excepto voto ſolemni religioſorum. 1
Solius eſt Summi Pontificis diſpenſatio in omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis, tam dirimentibus, quàm non dirimentibus. 2
Quando poſt contractum matrimonium detegitur impedimentum dirimens, Epiſcopus poteſt in illo diſpenſare, poſitis his circumſtantijs, vt matrimonium ſit contractum bona fide ab vtroque, vel ab altero: vt impedimentum ſit occultum, matrimonium publicum, vt coniuges non poſſint ſeparari abſque ſcandalo, vt non pateat aditus ad Pontificem, vel eius Nuncium. 3

Epi-

Episcopus potest dispensare in impedimentis, quæ matrimonio superueniunt, & impediunt debiti petitionem. 4.
Probabile est, Episcopum posse ex vrgentissima necessitate in impedimentis dirimentibus dispensare per se, vel per alium, etiam antequam matrimonium sit contractum. ibid.
Quidam sentiunt Religiosos mendicantes habere priuilegium à *Leone X.* ad dispensandum cum ijs, qui scienter aut ignoranter contraxere matrimonium cum impedimento affinitatis, modò id notorium non sit, nec in iudicium deductum, sed hoc priuilegium non est in vsu, nec concessum fuit, nisi pro vnico solo actu. ibid.
Priuilegia concessa à *Gregorio XIII.* Patribus Societatis IESV viuæ vocis oraculo pro partibus vltramontanis, vt possint dispensare in foro conscientiæ cum ijs qui clandestinè matrimonium contraxerunt, vt denuò secretò contrahant non seruata forma Concilij: Item vt possint dispensare cum ijs, qui contraxerunt cum impedimento criminis, modò sunt reuocata per Bullam Vrbani VIII. *Alias Felicis.* ibid.
Multæ sunt causæ dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus. 5
In impedimentis non dirimentibus potest Episcopus dispensare ex consuetudine, excepto voto castitatis perpetuæ & religionis. ib.
Quomodo se gerere debeat confessarius, cui conceditur à sacra pœnitentiaria facultas dispensandi in impedimentis matrimonij. *Medicus.* 6.
Medicis præceptum est vt cùm vocantur ad curandos ægrotos, priusquam curationem corporis incipiat, hos moneant ad confessionem faciendam. 8
Medicus non potest in adhibendis & applicandis remedijs & medicinis sequi opinionem probabilem relicta tutiore. 20
Quando nullum extat pharmacum certum, tenetur medicus sequi opinionem probabiliorem, reicta minus probabili. ibid.
In dubio an pharmacum sit profuturum, an obfuturum potest, & debet medicus illud adhibere, si nullum aliud remedium adsit. 21
Medicus peccat contra charitatem & iustitiam, medicamentum præbens infirmo ad sumendum de illo experimentum. ibidem.
Medicus tenetur ad restitutionem, si sua lata culpa vel ignorantia crassa damnum aliquod sequatur. 6
Medici vel chirurgi officium exercens clericus secundùm regulas artis, non fit irregularis, citra abscissionem, vel adustionem. 10
Medicinam vel chirurgiam exercens laicus secundum regulam artis, non fit irregularis, etiamsi membrum aliquod abscindat causa sanitatis. 11
Ad medicos pertinet iudicare vel ad matronas, quinam sexus præualeat in hermaphrodito. 83
Medicus debet iudicare de necessitate comedendi cibos vetitos in die ieiunij: qui cautus esse debet in concedendis licentijs ad carnis edendæ vsum. 7
Medicus vel chirurgus secans membrum ægroti ex pietate & misericordia, non est irregularis, nisi sit in culpa, cur moriatur ægrotus. 9. & 11

Membrum.

Membrum dicitur illa pars corporis, quæ habet suum proprium ac peculiarem actum ab a ijs distinctum, vnde digiti & dentes non sunt membrum, sed partes membri. 1
Membri alicuius carentia, vel partis membri etiam occulti, si propria culpa contingat inducit irregularitatem. 14
Membrum vel membri partem licet homini sibi amputare, quādo huius amputatio necessaria est ad salutem. 30
Non licet sibi membrum vel membri partes mutilare ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiendum. 31
Secundùm probabiliorem sententiam, licitum est sibi membrum amputare iubente iudice vel tyranno, alioquin minante mortem. 32

Mendacium.

Mendacium est falsa significatio vocis cum intentione fallendi seu fallum dicendi. 1
Mendacium formaliter & directè opponitur veritati. ibid.
Mendacium diuiditur in mendacium quod transcendit veritatem in maius, & in mendacium quod deficit à veritate. 2
Mendacium ex parte finis diuiditur in pernicioſum, officiosum & iocosum. ibid.
Omne mendacium est peccatum. 3
Mendacium iocosum & officiosum absque iuramento prolatum, etiam in perfectis est tantùm peccatum veniale, secluso scandalo. 4
Mendacium pernicioſum ex genere suo cum deliberatione prolatum, est peccatum mortale, nisi ex materiæ leuitate excusetur. 3
Mendacium prolatum sine graui damno etiam in iudicio vel in Sacramento confessionis, non est mortale, modò non sit coniunctum cum iuramento: & non sit circa materiam necessariam confessionis. 5
Qui vendendo mendacijs affirmant rem sibi tanti stetisse, vel tāto pretio alijs vendidisse, vt plurimùm peccant venialiter mendacij peccato. 18
Qui iniuria afficitur potest contumelioso dicere *Mentiris.* 8
Non licet viro quamtumuis honorato, occidere eum qui sibi dicit contumeliosè *Mentiris.* 27
Fœmina non est rea mendacij, dum bonis artibus & medijs aliàs licitis defectum virginitatis tegit, & tanquam virgo matrimonium contrahit. 6
Qui habitu & vestibus mentitur sexum non peccat mortaliter, modò non adsit periculum grauis scandali, vel alia lex hoc specialiter prohibens sub peccato graui. ibid.
Mendacium non est, cùm quis vtitur amphibologia, vel restrictione tacita. 4
Plura de mendacio vide verb. *Iuramentum III. & IV.*

Mercator. Mercatus.

Mercator potest pretium augere ratione officij mercaturæ. 12
Mercatus iure prohibetur in die festo. 15
Mercatus nomine possunt intelligi nundinæ, quæ semel aut bis in anno fiunt, vel quasi nundinæ, quæ semel, bis aut ter in hebdomada alicubi fieri consueuerunt, vel possunt intelligi quicumque actus siue emptionis & venditionis &c. ibid.
Mercatus prohibetur fieri in Ecclesia. 9

Meretrix.

Meretrix, quæ omnibus fuit exposita, tenetur quamnim potest exprimere peccatorum species, & circumstantias mutantes speciem in confessione. 21
Meretricibus non licet dare Eucharistiam, si publicæ sint. 10
Meretrix, quæ sui corporis copiam alicui fecit promissa sibi pecunia, potest pretium sibi promissum in foro externo exigere. 3
Meretrix de bonis acquisitis ex meretricio potest facere eleemosynas. 16
Meretrix acquirit dominium rerum ex meretricio acquisitarum. ibid.

Meritum.

Ad meritum requiritur actus positiuus, cum explicita vel implicita intentione honestatis supernaturalis. 23
Verius est, nullum opus hominis iusti meritorium esse gloriæ æternæ, & augmenti iustitiæ in hac vita, nisi vel eliciatur à charitate, vel ab ea imperetur, atque in Deum vti finem vltimum supernaturalem referatur. 4
Ad promerendum singulis actionibus bonis augmentum gratiæ ac gloriæ æternæ, non sufficit quòd quis se offerat totum Deo, cum proposito omnia ad ipsius gloriam operandi, sed necesse est vt propositum hoc sit vere causa operum subsequentium. 6
Sunt in homine tum peccatore, tum iusto actiones indifferentes secundum meritum ac demeritum vitæ æternę, quando nempè homo opera bona virtutum exercet sine vlla charitatis relatione in Deum. 5.

Merx.

Merx dicitur quælibet res vendibilis, mobilis & immobilis, vt sunt actiones, iura, quæ pecunia æstimari solent. 1

Metus.

Metus est instantis periculi vel futuri causa mentis trepidatio. 1
Metus alius est intrinsecus, alius extrinsecus. ibid.
Metus quidam est cadens in constantem virum, qui & iustus, probabilis & grauis appellatur; quidam est cadens in virum inconstantem, & vocatur timor iniustus, improbabilis, leuis & vanus. 2
Vt metus cadat in constantem virum, quinque conditiones desiderantur. ibid.
Metus cadens in cōstantem virum est timor licuius mali, quod vico constanti est formidabile, vt metus mortis, mutilationis, exilij, seruitutis &c. 3
Ad metum grauem pertinet metu reuerentialis, quo filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus Principis, vxor viri, monachus Abbatis, clericus Episcopi. ibid.

Gesta ex metu mortis excusantur à peccato modò non sint ex obiecto & intrinsecè mala & in odium, contemptum religionis Christianæ non imperentur. 4

Metus non tollit voluntarium simpliciter, facit tamen inuoluntarium secundùm quid, ideòque efficit vt actio sit veluti mixta ex voluntario & inuoluntario. 5

Ad metum grauem reducuntur, preces importunæ superiorum. 20

De contractibus per metum celebratis vide verb. *Contractus*. num.21.& sequent.

Permutatio beneficiorum debet esse libera, non autem extorta metu, vel dolo, alioquin est inualida. 7

Quando vxor per vim absolutam aut metum grauem cogitur ad copulam cum consanguineo viri in primo vel secundo gradu, non priuatur iure debitum coniugale petendi. 15

Qui ex metu cadente in constantem virum rebaptizat vel rebaptizatur, cum intentione iterum baptizandi, vel recipiendi, Baptismum, irregularis est. 3

Iuramentum promissorium metu graui extortum etiam iniustè, obligat, modò factum sit animo se obligandi & de re licita. 5

De matrimonio metu celebrato vide verb. *Matrimonium VII.* num.47.& sequent.

Qui metu quantumuis graui implet præcepta, illis satisfacit, quamuis peccet voluntatem non implendi habens. 4

Stuprator virginis per vim aut fraudem, aut metu, aut mendacia etiam absque promissione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium vel commodè dotare, vel curare vt æquè bene nubat. 2

Christiani capti à Turcis remigantes metu mortis contra nostros aut præparantes necessaria ad bellum, aut auxilium ferentes ad munienda castra, excusantur à peccato. 10

Vt professio valeat, requiritur vt sit sponte facta nullo cogentem metu iusto ac graui, seu in virum constantem cadente. 5

In dubio an metus, cuius causa quis emisit professionem, fuerit necne grauis, præsumendum est in fauorem professionis, eum scilicet fuisse leuem. ibid.

Si quis metu mortis adigeretur ad sacrificandum sine altari, calice consecrato aut vestibus sacris, posset hoc modo sibi consulere, modò in contemptum fidei aut Ecclesiasticæ potestatis metus non incutiatur. 1

Votum factum ex metu graui infustè incusso à causa extrinseca libera ad illud extorquendum, inualidum est saltem iure Ecclesiastico. 5

Votum factum ex metu graui illato à causa intrinseca vt morbo &c. validum est & obligat. ibid.

Qui per metum ordinatur, validè quidem recipit ordines, voto tamen castitatis non adstringitur, nec ad recitandum horas canonicas, modò sponte ordinationem non ratificauerit. 5

Qui iusto metu coactus seu ex rationabili causa participat in opere non intrinsecè malo, excusatur à peccato & consequenter ab obligatione restituendi. 12

Miles. Militia.

Milites ordinis inferioris qui non admittuntur ad consilium bellicum, non tenentur examinare causas belli, sed possunt militare suo Principi, quamdiu non constat de iniustitia belli. 3

Milites, qui parati sunt sequi quemcumque ad bellum vocantem seu iustum sit, seu iniustum, modò stipendium præbeat, non debent à confessario absolui. 9

Milites qui deprædantur ciuitatem in bello iniusto peccant mortaliter & tenentur ad restitutionem proprijs dominis si fieri potest, sin minus Episcopo. 15

Milites peccant mortaliter rusticus aut alios suos hospites grauando, exigendòve ab illis id ad quod iure non tenentur. 16

Milites S. Ioannis Hierosolymitani, Teutonici, eorùmque similes, cùm tria substantialia vota edant, veri religiosi sunt. 4

Militia actualis, id est, opus ipsum bellandi quoad executionem proximè accedit ad opus seruile, & ideò per se prohibita est in die festo, per accidens tamen & ex causa toleratur. 13

Minister.

Minister Sacramentorum necessarius & sufficiens est solus homo baptizatus de potentia Dei ordinaria: non tamen omnis homo, sed is tantùm, qui iuxtè in Ecclesia ordinatus est, excepto Baptismo & matrimonio. 2

Angeli ex diuina dispensatione possunt esse ministri Sacramentorum: imò de potentia Dei absoluta etiam Dæmones. ibid.

De ministro Sacramentorum plura Vide verb. *Sacramentum III.*

Minister proprius factificij missæ est Sacerdos. 1

Minister Sacerdotis celebrantis est masculus, non fœmina: in necessitate tamen quando non est alius, posset etiam ministrare fœmina. 5

Minor.

Minoris & pupilli bona immobilia & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, absque Iudicis decreto validè non alienantur, quamuis auctoritas tutoris intercedat. 27

Minor 25. annis, si curatori subsit donare nequit de bonis suis, quæ castrensia vel quasi castrensia non sunt, absque consensu expresso vel tacito vel debito curatoris, nisi donationem approbauerit factus maior, vel iuramento confirmarit. 4

Minoris res vel pupilli, emi non possunt à tutore vel à curatore, nisi vendantur palam, id est, sub hasta. 7

Minores absque auctoritate curatoris & pupilli absque tutore repellendi sunt à fideiussione: si tamen pro parte incarcerato minor fideiubeat, efficax est obligatio: sicut & obligatur naturaliter, si pro aliquo alio fideiubeat. 3

Minor vel pupillus tenetur finita tutela vel cura stare locationi factæ à suo tutore vel curatore, quamuis illi concedatur restitutio in integrum, si notabiliter comperierit se læsum. 3

Si tutor nomine pupilli, vel curator nomine minoris mutuum acceperit, non tenetur ille postea etiam maior factus soluere, nisi creditor probarit id in eius vtilitatem esse conuersum. 6

Omnibus ætate minoribus, id est, qui annum 25. ætatis non compleuerunt, iure conceditur beneficium restitutionis in integrum, si ex contractu vel quasi contractu læsi sint. 1

In duobus casibus priuatur minor hoc beneficio. ibid.

Minor non restituitur in delictis, si dolo commissa sunt, secus si per culpam. 5

Minor 20. annis non potest esse testis in causa criminali, quamuis ipsius dictum sufficiens indicium præbeat ad capiendas informationes, non verò ad torquendum vel ad condemnandum: in causis verò ciuilibus admittitur pubes. 1

Minor non potest constitui tutor. 3

Minores fratres.

Quilibet frater minor deputatus obsequio monialium, Confessor, scilicet & Capellanus, potest intrare clausuram ad facienda omnia illa, quæ moniales facere non possunt, & posset secularis, dummodò dolus absit. 8

Fratres Minores non obstante prohibitione suæ regulæ, inuitati & rogati à prælatis Ecclesiæ, poterant olim cum illis intrare monasteria suarum monialium ad visitandas officinas: sed hodie hoc illis non licet. ibid.

Fratribus minoribus non prohibetur ex vi suæ regulæ accessus ad moniales. 10

Apud Fratres minores Capucinos decretum sacræ Congregationis de non accedendo ad moniales sine licentia in scriptis suorum superiorum, est in viridi obseruantia. 13

Fratres minores clerici & laici non possunt amplius tangere calices & corporalia. 4

Frater minor non ieiunans die veneris in quo incidit vigilia, non peccat duplici peccato. 13

Fratres minores professi tenentur sub peccato mortali ad ieiunia præcepta in eorum regula, etiamsi non expleuerint 21. suæ ætatis annum, ad ieiunia autem vigiliarum & quatuor temporum non tenentur. 6

Probabilius est ordinem Fratrum minorum de Obseruantia & Capucinorum non solùm in rebus alijs, sed etiam ijs, quæ vnico actu vtendi consumuntur, habere nudum vsum seu ius vtendi separatum ab omni dominio. 13

Conuentus Fratrum minorum de Obseruantia & Capucinorum ius succedendi non habent. 16

Fratribus minoribus de Obseruantia & Capucinis pecuniæ vsus non potest concedi. 10

Legatum relictum Fratri minori de danda certa quantitate pecuniæ, expendi debet iuxta dantis voluntatem in necessitates præsentes, vel imminentes ipsius religiosi, quibus satisfactis, vel cessantibus, residuum poterit à prælato conuerti in vtilitatem conuentus. 19

Fratribus minoribus Capucinis prohibetur transitus ad quemcumque alium ordinem etiam Carthusiensium, sub pœna excommunicationis, Apostasiæ, &c. nisi de licentia ministri Generalis in scriptis obtenta. 4

Fratres minores communicant priuilegijs ordinum mendicantium & non mendicantium. 4

Fratres minores Capucini gaudent omnibus priuilegijs Monachorum Camaldulensium & fratrum minorum. ibid.

Fratrum Minorum priuilegia ad hunc vsque diem fuerunt à variis Pontificibus confirmata. 2

Fratres Minores de Obseruantia & Capucini sunt incapaces hæreditatis & legatorum: possunt tamen aliqui reditus relinqui pro fabrica, oleo, vino, cera, ornamentis altaris & Ecclesiæ. 10

Nouitij cuiuscumque ordinis Fratrum Minorum possunt hæredes instituì, ac succedere in hæreditatem paternam ex testamento, & ab intestato. ibid.

Fratres Minores non possunt instituì, ita vt si non valeat iure testamenti, valeat iure codicilli & meliori modo quo potest. ib.

Hæredes ab intestato, aut substitutus, aut cohæres, ad quos peruenit hæreditas relicta Fratribus Minoribus institutis, non tenentur in foro conscientiæ æstimationem eius soluere Fratribus. 10

Fratres Minores, qui ex præcepto regulæ suæ tenentur se conformare ritui Romanæ Ecclesiæ & per hoc consuetudinem non faciunt, post bullam *Pij V.* non tenentur etiam in choro recitare Officium B. Virginis & defunctorum, nec non psalmos pœnitentiales aut Graduales. 5

Fratres Minores laici tenentur sub peccato mortali ad recitationem sui officij, pro vt in regula præscribitur. 9

Fratribus Minoribus de Obseruantia & Capucinis munus executoris testamentarij omninò prohibitum est. 13

Quamuis Fratres Minores non possint vltimarum voluntatum esse executores, electio tamen pauperum, in quos eleemosyna ab executore distribuenda est, potest ipsis committi à testatore, modò ipsimet fratres In pauperes non distribuant: Imò potest Fratribus committi electio & nominatio ipsorum executorum testamenti. 14

Donationes & eleemosynæ possunt fieri à Fratribus Minoribus, modò concurrant quatuor conditiones. 7

Per ingressum vsufructuarij in religionem Fratrum Minorum de Obseruantia & Capucinorum, per professionem vsusfructus finitur & cum proprietate consolidatur. 5

Non licet Capucinis recipere Fratres Minores de Obseruantia sine licentia Sedis Apostolicæ in scriptis obtinenda sub pœna excommunicationis & inhabilitatis ad quæcumque officia & legitimos actus. 4. & 5

Nullus Frater Minor Capucinus ad ordinem S. Francisci de Paula, & nullus Frater S. Francisci de Paula ad Capucinos se transferre potest. ibid.

Fratres Minores recipientes Fratres Ordinis Prædicatorum sine licentia Papæ, incidunt in excommunicationem Papæ reseruatam. 60

Fratres Minores de Obseruantia subornantes in electionibus vel procurantes fauorem extra, ad Officium obtinendum in religione, afficiuntur excommunicatione Papæ reseruata. 61

Simili excommunicatione innodantur Fratres Minores tempore interdicti admittentes Fratres tertij Ordinis ad diuina. 65

Contra Capucinos transeuntes ad Fratres Minores Conuentuales reformatos, ipsosque recipientes, est excommunicatio lata. 4

Fratres S. Francisci de Paula recipientes vel retinentes sine licentia Papę Fratres Ordinis Minorum de Obseruantia ipso facto excommunicantur. 21

Fratres Minores de Obseruantia appellantes ad sęcularia tribunalia, contemptis superioribus suis, excommunicatione Papæ reseruata afficiuntur. 84

Missa. Quoad eius essentiam.

Missæ nomine intelligitur actio illa sacra, qua conficitur Christi corpus, quod Deo in Missa offertur, & à sacerdote sumitur per communionem. n.1

Nomine sacrificij missæ, intelligitur externa & sensibilis actio, quam res aliqua ita Deo offertur, vt legitimo ac solemni ritu à publico ministro in honorem Dei aliquo modo immuretur. 2

Substantialis sacrificij Missæ mutatio in eo potissimùm sita est, quod Christus, qui naturaliter homo viuus est, cibo, potuique idoneus, nisi occidatur, in hoc sacramento quasi iterum mortuum accipiat esse, in quo iam tamquam occisus comedi & sanguis eius possit potari. ibid.

In quo posita sit ratio formalis & materialis sacrificij. ibid.

Partes essentiales sacrificij missæ sunt consecratio, oblatio & consumptio. 3

Probabilius est, ad sacrificium missæ vtriusque speciei panis & vini consecrationem requiri; nec in hoc posse Pontificem dispensare. 4

Oblatio post consecrationem est de essentia sacrificij. 5

Probabilius est ad missæ sacrificium requiri sacerdotalem sumptionem quatenus est immutatio victimæ oblatæ. 6

Missæ sacrificium differt toto genere ab omnibus sacrificijs, tum legis naturæ, tum Mosaicæ. Accidentaliter autem differt à sacrificio quod Christus post cœnam obtulit, non essentialiter. 7

Missa. Quoad eius effectus & valorem.

Eucharistiæ sacrificium non confert primam gratiam & remissionem peccatorum per se & ex opere operato, sed per modum impetrationis, non quidem semper efficaciter, sed sufficienter ex parte sua. 1

Probabilius est sacrificium missæ non remittere culpam, etiam peccatorum venialium per se & ex opere operato, & sine speciali actu suscipientis. 2

Bona temporalia per modum impetrationis possunt aliquo modo esse effectus sacrificij missæ. 3

Valor missæ seu fructus primus dicitur generalis, Secundus specialis. Tertius medius. 4

Triplex est fructus sacrificij Missæ. *Meriterius, Impetratorius, & Satisfactorius.* ibid.

Missæ sacrificium ex directa institutione sua habet vim satisfactiuam pro pœna temporali debita peccato mortali & veniali, & ob id dicitur satisfactorium. 4

Missæ valor, quatenus offertur à sacerdote, non est infinitus intensiuè: valor autè generalis missæ est infinitus extensiuè. 6

Effectus sacrificij missæ respondens oblationi sacerdotis, qui medius nuncupatur, vt sic finitus est, & vnus tantùm. 7

Si missæ sacrificium spectetur quoad impetrationem, præciso merito, & satisfactione, est valoris infiniti. ibid.

Si fructus missæ consideretur, qui respondet offerentibus, vt offerentes sunt, est etiam valoris infiniti extensiuè. ibid.

Missa vt sacrificium est, valorem accipit ex opere operato: & vt includit preces & orationes, valor missæ respondens precibus est ex opere operantis. 8

Missæ sacrificij fructus quibus tribuatur. 9

Ad fructus missæ recipiendos, habitualis gratia requiritur, & viatoris status, qui tamen etiam existentibus in purgatorio conuenit. 10

Missæ sacrificium non potest offerri pro excommunicatis: bene tamen pro infidelibus & paganis. ibid.

Fructus sacrificij, qui nulli applicatur, vel incapaci, reponitur in thesauro Ecclesiæ vt prosit fidelibus in communi. ibid.

Beatis non prodest sacrificium, nisi quatenus per ipsum coluntur & honorantur. ibid.

Missa non prodest damnatis in inferno existentibus: nec paruulis decedentibus cum peccato originali. ibid.

Missa. Quoad eius Ministrum.

Minister proprius ex officio sacrificij missæ est sacerdos. n.1

Vt sacerdos ritè officio suo fungatur, debet habere intentionem celebrandi & præterea fidem & gratiam. ibid.

Missa existentis in peccato mortali habet suum effectum quatenus nomine Christi & Ecclesiæ offertur: & missa mali sacerdotis minus valet, quàm probi, si sacrificium consideretur secundùm merita ipsius sacerdotis. ibid.

Christus Dominus principaliter etiam nunc offert hoc sacrificiũ sacerdos autem est proprius minister Christi Domini, tamquam instrumentum principaliter sacrificantis: Populus verò Christianus suo modo offert etiam missæ sacrificium. ibid.

Sacerdos, qui missam celebrauit in peccato mortali, satisfacit ob igationi si pro ea stipendium accepit. 2

Missa sacerdotis ligati excommunicatione occulta, vel suspensione, vel irregularitate prodest alijs: & excusatur à peccato talis sacerdos quoties non celebrando incurreret infamiam, vel aliud graue detrimentum. 3

Nullus sacerdos tenetur quotidie celebrare. 4

Sacerdos curam animarum habens tenetur per se vel per alium celebrare diebus quibus populus tenetur missam audire. ibid.

Parochus non tenetur singuli diebus festis & Dominicis ad applicationem sacrificij pro populo: sed tantùm in præcipuis festiuitatibus, aut semel in hebdomada. ibid.

Sacerdos legitimè non impeditus peccat mortaliter, si numquam celebret toto anno; secus si missam dicat in præcipuis festiuitatibus, ter aut quater in anno. 5

Beneficiarius tenetur iuxta intentionem fundatoris missas celebrare, & quidem quotidie, si hoc exigat fundatio: nisi iusta de causa vel ratione honestatis sacrum prætermittat. 6

In Ecclesijs Cathedralibus, Conuentualibus & Collegiatis præceptum est, vt saltē vna missa celebretur, dempta feria 6. paraseeues,

sceues, si sit conueniens numerus sacerdotum. 7
In Ecclesijs Cathedralibus & collegiatis est obligatio sub mortali cantandi duas missas, vnam de festo, alteram de feria in ferijs Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, si in eis occurrat festum duplex, vel semiduplex, vel Octana. ibid.
Ecclesiæ regularium non sunt Collegiatæ, sed propriè vocantur conuentuales. ibid.
Feria quinta in cœna Domini vna tantùm missa publicè à primario sacerdote celebrari solet: priuatim tamen aliæ missæ dici possunt matutino tempore. ibid.
Feria sexta parasceues nullus sacerdos veram & propriam missam celebrare licitè potest. ibid.
Sabbato Sancto vna tantum missa publicè celebranda est. Priuatas autem missas consultius est omittere. ibid.
Capellanus, qui tenetur missas celebrare, potest per alium supplere: si verò teneatur per seipsum celebrare, potest missas differre in aliud tempus ob impedimentum. 8
Sacerdos accipiens à pluribus plura stipendia pro missæ celebratione, non potest vnica missa omnibus satisfacere, etiamsi stipendia simul sumpta non excedant quantitatem necessariam ad strictam ipsius sacerdotis sustentationem pro vnico die. 9
Sacerdos, qui tenuem eleemosynam accipit pro missis celebrandis, tenetur totum sacrificij valorem respondentem tradentibus eleemosynas applicare. 10
Qui tenetur onere missæ quotidianæ ratione beneficij aut eleemosynæ acceptæ, non satisfacit huic oneri, regulariter loquendo, dum missam conuentualem cantat, si teneatur missam applicare pro Capituli obligatione. 11
Probabile est, secluta consuetudine in contrarium, missam conuentualem posse applicari pro quocumque voluerit Prælatus. ibidem.
Capellanus tenetur quotidie missam applicare fundatori, si constet de quotidiana obligatione. 12
Sacerdos non satisfacit suæ obligationi applicando fructum satisfactionis defuncto, reliquos verò fructus alteri. ibid.
Qui tenetur missam quotidie celebrare, licet possit semel in hebdomada titulo honestatis à celebratione abstinere, non potest tamen eodem die missam alibi, aut pro alio celebrare. 13
Obligatus ad quotidie celebrandum, tenetur per alium supplere si pluries in hebdomada velit titulo honestatis aut alia de causa abstinere à celebratione. ibid.
Qui ex promissione vel ex fundatione tenetur celebrare missas vel de Requiem, vel de Beata &c. per se loquendo, infideliter aget, si alias celebret missas; non peccat tamen si missam celebret de festo occurrente. 14
Quando sacerdos accepit stipendium pro celebranda missa in altari priuilegiato pro defunctis, secundum veriorem sententiam, satisfacit obligationi celebrando in alio altari & applicando indulgentiam plenariam quam assequitur in virtute coronæ vel medaliæ benedictæ. 14
Qui præmisit missam in aliquo altari priuilegiato determinato, non satisfacit obligationi celebrando in alio cum applicatione indulgentiæ suæ medaliæ. ibid.
Prælatus potest suis subditis præcipere, vt missam celebrantes habeant intentionem applicandi eius valorem ad ipsius Prælati intentionem. 15
Probabilius est, sacerdotem regularem applicantem missas contra intentionem superioris, valere huiusmodi applicationem; peccare tamen religiosum contra votum obedientiæ. ib.

Missa. Quoad locum, tempus & horam, quibus sit celebranda.

Missæ sacrificium fieri tantum debet in locis Episcopi auctoritate consecratis. n.1
An autem, quando oratorium priuatæ domus est tantùm diuino cultui dedicatum, atque permanenter, possit Episcopus concedere licentiam, post Concilium Trident. vt in ipso missa celebretur? quidam affirmant, alij negant. Cæterum, si oratorium priuatæ domus sit permanenter dicatum cultui diuino & habeat ingressum expositum, vt quilibet ingredi possit, Episcopus posset concedere licentiam, vt in ipso celebretur. ib.
Multiplex est necessitas, vt possit Episcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata. ibid.
Verius est priuilegia mendicantium celebrandi extra Ecclesiam cum altari portatili, non esse reuocata per Conc. Trident. non decet tamen vti talibus priuilegijs, nisi aliqua vrgentissima necessitas inlet. ibid.
Post Concilium Trident. *Gregorius XIII.* concessit Patribus Societatis licentiam celebrandi extra Ecclesias in duobus cafibus. Et *Pius IV.* concessit Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranensis vt possint celebrare in cellis seu Cameris suorum infirmorum, nulla Ordinariorum licentia requisita. ibid.
Moniales subiectæ Regularibus communicantibus in priuilegijs, gaudent dicto priuilegio celebrandi in cubiculo infirmarum. ibidem.
Probabile est, Episcopo contradicente & prohibente posse adhuc Regulares non obstante Decreto Concilij Trident. celebrare in grangijs & cellis particularibus. ibid.
Celebrare in Ecclesia violata per se est peccatum mortale: In certis tamen casibus hoc liceret. ibid.
Sacerdotes sæculares possunt in altaribus virtute talium priuilegiorum erectis celebrare, si dirigatur priuilegium ad loca religiosorum: secus si dirigatur ad illorum personas. ibid.
Qui ex titulo vel ex conuentione tenetur in aliqua Ecclesia vel altari celebrare, non potest in alia Ecclesia vel altari absque peccato mortali celebrare, nisi hoc faciat ex iusta & rationabili causa. 2
Sacerdos, qui est notabiliter in mora celebrandi missas pro ijs à quibus vel pro quibus stipendium accepit mortaliter peccat; & fieri potest vt aliquando obligandus sit ad restitutionem stipendij accepti. 3
Sententia affirmans sacerdotem satisfacere missas anticipatè dicendo, pro eo, qui postea sibi tradet eleemosynam, à sacra Congregatione improbata & condemnata fuit. 4
Sacerdos, qui tenetur singulis hebdomadis aliquas missas celebrare pro fundatore, per se loquendo satisfacit illas in hebdomada antecedente celebrando, nisi contrarium specialiter exprimatur in fundatione capellaniæ. ibid.
Iure ordinario semel tantùm in die sacrificare licet, excepto die Dominici natalis. 5
In aliquibus casib. licitum erat olim ob extraordinariam necessitatem celebrare bis in die sacerdoti ieiuno: modò autem standum est legitimæ locorum consuetudini. ibid.
Quamuis parochus habens duas parochias possit duas missas celebrare: in die tamen Paraseues non potest, nec tenetur duplex sepulchrum erigere in vtraque ecclesia, sed potest tantùm in principaliori. ibid.
Hora seu tempus celebrandæ missæ regulariter incipit ab aurora vsque ad meridiem: quamuis in necessitate ob honestam causam liceat ante auroram vel post meridiem celebrare. 6
Religiosi possunt ex priuilegio per tres horas ante ortum solis, & itidem per tres horas post meridiem missas dicere: imò duabus horis immediatè post mediam noctem. ibid.
Tres missæ, quæ in die Natiuitatis celebrantur ex consuetudine possunt noctu celebrari. 7
Si quis vellet ea nocte post matutinum vnam tantum missam celebrare, non adstringeretur ad primam, sed posset secundam, vel tertiam celebrare. ibid.
Verius est non peccare mortaliter eum, qui celebrat missam ante matutinum recitatum. 8
Prælati in celebratione missarum in diebus festis non tenentur mutare ritum suarum Ecclesiarum præcipiente Episcopo festum aliquod obseruari. 9

Missa. Quoad requisita ad illius celebrationem.

Iure communi missa celebranda est in Ecclesia consecrata ab Episcopo, aut saltem benedicta, aut in oratorio ab Episcopis designato, (secluso priuilegio) & in altari lapideo consecrato, integro, & non enormiter fracto, quod debet esse firmum vel portatile. n.1
In mari vel in flumine vbi periculum imminet effusionis sanguinis, non potest missa celebrari. ibid.
Ex concessione *Clementis VIII.* & *Pauli V.* Patres Societatis nauigantes in Indias vel longinquas partes, quando mare est tranquillum, & non adest periculum effusionis sanguinis, ad nutriendam deuotionem nauigantium possunt in mari celebrare. ibid.
Non potest missa celebrari sine altari, tam firmo, quàm portatili consecrato. Si quis tamen metu mortis adigeretur ad sacrificandum sine altari, calice, consecrato aut vestibus sacris, posset hoc modo sibi consulere, modò in contemptum fidei aut Ecclesiasticæ potestatis metus non incutiatur. ibid.
Requiritur præterea ad missam patena, & calix consecratus, & chrismate peructus, confectus ex argento, vel auro, vel stanno; non autem ex auricalco, vel ære. 2
Calix, patena, palla & corporalia non possunt tangi à laicis absque

absque peccato saltem veniali, seclusо scandalo, & contemptu. ibid.
Probabile est calicem remanere consecratum, si in non consecrato quis bona fide celebret. Idem dicendum de Ecclesia polluta, & de vestibus nondum benedictis. ibid.
Ad missæ sacrificium requiruntur corporalia benedicta, & confecta ex tela linea aut canabea quoad eam partem, qua continetur calix, quæ debent esse munda. 3
Duæ etiam mappæ requiruntur vel saltem vna duplicata, ex tela confecta, & benedicta. 4
Vestes sacræ præterea requiruntur, id est, alba, cingulum, amictus, manipulus, stola, & planeta: quæ amittunt benedictionem, quando ita franguntur, vt non sint aptæ ad vsum, ad quem fuerunt destinatæ. ibid.
Omissio harum vestium præcisa inaduertentia, & magna celebrandi necessitate inducit peccatum mortale. ibid.
Sacerdos non debet cooperto capite celebrare, nisi aliter cogat necessitas, & petita ab Episcopo licentia: & insuper debet esse indutus calceis. ibid.
Ad missam celebrandam requiritur etiam liber saltem continens canonem: & Crux in altari. 5
Lumen etiam requiritur, quod ex consuetudine conficitur ex cera, quamuis in necessitate sufficiat candela sebacea, aut etiam lucerna ex oleo. ibid.
Dum se vestibus induit sacerdos debet recitare preces ab Ecclesia præscriptas, quarum tamen omissio non est peccatum mortale iuxta probabiliorem sententiam. ibid.
Sacerdos debet adhibere aliquem masculum sibi ministrantem, non autem fœminam: quamquam in necessitate quando non est alius non sit mortale illam adhibere. ibid.
Sacerdos extra necessitatem sine ministro celebrans, non potest excusari à mortali. ibid.
Sine rationabili causa frequenter absque tonsura, & habitu clericali ad celebrandum accedere, etiamsi absque contemptu fiat, à peccato mortali non potest excusari. 5

Missa. Quoad defectus in illa contingentes, & corrigendos.

Defectus contingens circa substantialia missæ, puta circa materiam panis, & vini supplendus est, vt in missali præscribitur. 1
Sacerdos, qui malitiosè noluit consecrare hostiam, & post sumptionem calicis ipsum pœnitet erroris, debet hostiam consecrare ob integritatem sacrificij. 2
Quando animal aut aranea decidit in calicem ante Consecrationem, alia materia sumenda est, eaque offerenda, & consecranda: si post consecrationem sumendæ sunt species consecratæ, extracto illo quod est nóxium, si non incommodè fieri possit: sin minus, species linteo aut stupa exiccari debent & comburi, &c. 3
Quid agendum sacerdoti; si post sumptionem aduertit, vel monitus fuit vinum fuisse veneno infectum, & quid, si hostia consecrata vel sanguis in terram cadat. ibid.
Sacerdos aduertens se aliquid omisisse spectans ad integritatem formæ, quomodo debeat supplere defectum? Et quid, quando dubitat an habuerit intentionem consecrandi? Quid, si ante consecrationem aduertat non miscuisse aquam vino; vel hostiam esse notabiliter fractam. Vel si hostia cadat in calicem. Vel si species vini consecrati congelentur. 4
Quomodo sit supplendus defectus sacerdotis, qui ante vel post consecrationem deficit, vel dubitatur an consecrauerit. 5
Sacerdos in missa nihil ex electione omittere debet, & præcipuè in Canone, non semper tamen est mortale aliquid omittere; ex paruitate enim materiæ, omissio potest esse solùm peccatum veniale. 6
Qui per obliuionem aut negligentiam in missa aliquid omisit, v.g. *Gloria*, *Credo*, aliquam collectam, vel si legit alienam Epistolam aut Euangelium, non tenetur postea repetere: tamen si omissum esset de substantia consecrationis, aut aliquid necessariò requisitum ad subsequentes cæremonias teneretur. ibid.
Sicut celebrans tenetur ad omnia quæ præscribuntur in Missali, ita vt nihil possit omittere, ita nihil potest addere de suo sine peccato. ibid.
Rubricæ missalis communiter non obligant ad mortale, nisi contineant essentiam seu quasi essentiam sacrificij, vel non dimittatur tanta illarum pars, vt nouus ritus in Ecclesia non introducatur. ibid.
In omissione sacrorum rituum in missa potest interuenire peccatum mortale ex grauitate materiæ v. g. si omittatur mixtio aquæ, si panis azimus, si fractio hostiæ, si mixtio cum sangui-
ne si eleuatio hostiæ post consecrationem, &c. In omissione aliorum rituum potest sacerdos etiam peccare mortaliter ob contemptum, & grauem incuriam in illis addiscendis, & practicandis. ibid.

Missa. Quoad stipendium dandum sacerdoti pro ea celebranda.

Sacerdos pro celebranda Missa potest eleemosynam seu stipendium in sui sustentationem accipere, & illud in pactum deducere antequam missæ sacrum faciat, absque labe simoniæ. 1
Sacerdos, qui absque stipendio promittit alicui missam se pro illo oblaturum, non semper tenetur eam offerre. ibid.
Sacerdos obligatus ad quotidie celebrandum ex titulo vel ex conuentione, non potest nouas eleemosynas accipere pro celebratione missarum, & omnibus vnica missa satisfacere. 2
Qui plures collegit eleemosynas, & vnicum applicauit missæ sacrificium, tenetur ad restitutionem. 3
Pro missis celebrandis stipendium ab omnibus sacerdotibus sumi potest, siue pauperes sint, siue diuites: tantùm verò accipere potest, quantum fert taxa Episcopi vel legitimæ consuetudinis. 4
Maximè expediret, quòd Episcopi in suis diœcesibus stipendia missarum determinarent, iuxta Epickeiam, & considerationem rationabilem, attentis Terrarum, Regionum, Personarum, Occupationum, modorum, & omnium quæ occurrunt, circumstantijs. ibid.
Paciscentes de stipendio non possunt obligare suos successores, & grauare iniustis stipendijs. ibid.
Peccat mortaliter sacerdos, & tenetur ad restitutionem posita materia graui, qui pro missæ celebratione accipit, & exigit importunè ab inuitis eleemosynam supra taxam ab Episcopo præscriptam, aut legitima consuetudine receptam. 5
Sicut in reliquis pretijs rerum datur summum, infimum, & mediocre; ita in missa dicenda triplex distingui poterit stipendium, supremum, infimum & mediocre: ideò vbi stipendium non est taxatum ege superioris, sed priuata dumtaxat æstimatione, licitum erit sacerdoti vsque ad supremum stipendium pro missa etiam ex pacto petere. ibid.
Mirum est, Opificum, & mechanicorum stipendia singulis diebus, considerata calamitate temporum, & caritate annonæ, augeri; Sacerdotes autem Domini cogi diminuta stipe velut mendicare. ibid.
Titulo paupertatis non potest sacerdos ad vitæ sustentationem supra taxam exigere. 6
Qui detentus infirmitate per 15. dies non celebrauit, non tenetur per alium supplere ad ratam temporis quo non celebrauit, si iuxta Capellaniæ institutionem tenebatur ad onus quotidianæ celebrationis. Imò quidam hoc extendunt, etiamsi sacerdos ægrotaret per duos menses, modò fundator mentem suam non explicuerit se non intendere dare stipendium, nisi quotidie celebranti, quacumque causa excluta. 7
Sacerdos, qui plura colligit stipendia pro celebratione missarum, non potest per alios sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum initio dante, & inscijs sacerdotibus. 8
Decreta S. Congregationis Concilij Sanctissimi D.N. Vrbani *diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate edita, de celebratione Missarum.* ibid.
Declarationis aliquot Sacr. Congregat. Concilij Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ VIII. *authoritate editæ, super Decretis eiusdem Congreg. de celebratione Missarum.* ibid.
Nullus sacerdos ratione vnius missæ potest plura stipendia, siue ab vno, siue à pluribus recipere. 9
Sacerdos non potest duplex stipendium pro vna missa accipere, applicando partem solitam vni, & alteri partem propriam. ibidem.
Sacerdos maius stipendium potest accipere, pro obligatione dicendi missam summo mane, vel ad loca distantia, vel pro missa solemni, vel in diebus festis. 10
Quando datur stipendium, non pro applicatione sacrificij, sed pro cultu Ecclesiæ, vel pro commoditate populi, vt missam audiat, potest sacerdos alienam eleemosynam accipere pro applicatione sacrificij, absque peccato, & obligatione restitutionis. ibidem.
Episcopi, Abbates, Generales Ordinum ex Concilio Tridentino poterant missas Capellaniarum, & Anniuersariorum iusta de causa ad minorem numerum reducere. Hodie talis facultas Episcopis, Abbatibus, & Generalibus à prædicto Concilio tradita, reuocata est per dictum decretum. 11
Vrbanus VIII. concessit Fratribus Minimis, vt legata missarum perpe-

perpetua, exigua, ad rationem 10. scutorum monetæ Romanæ pro qualibet missa quotidiana reducerentur. Idem concessit Minoribus Conuentualibus vt reductio missarum fieri posset ad rationem sexaginta scutorum. ibid.
Probabilior est sententia affirmans horum priuilegiorum non fieri communicationem pro alijs ordinibus. ibid.

Missa. Quoad illius præceptum.

Quilibet fidelis adultus baptizatus completis septem annis tenetur diebus festis, & Dominicis missam audire, nisi legitimo detineatur impedimento. n.1
Probabilius est non satisfieri præcepto de audienda missa ab eo, qui voluntariè vagatur circa aliqua negotia, si plenè aduertat se distractum esse. ibid.
Ad missæ præceptum implendum requiritur corporis præsentia moraliter sumpta, & intentio saltem virtualis audiendi missam, & insuper attentio vel ad res sacras, vel ad ea quæ dictis aut factis significantur, vel ad diuina. 2
Minor attentio requiritur, & necessaria est in missa, quàm in horis canonicis. ibid.
Qui missam vel eius partem notabilem diebus festis non audit ex suo genere mortaliter peccat. 3
Missæ notabilis pars dicitur, dimidia missa aut etiam tertia pars eiusdem. ibid.
Probabile est, illum, qui voluntariè, & sine necessitate exit ante consecrationem, & vtraq; facta redit, peccare mortaliter. ibid.
An qui non potest missam integram audire, quia v.g. venit in medio missæ, teneatur saltem audire illam partem quæ restat? varij variè tenent, sed dicendum est accedentem causa audiendi sacri tempore, quo præfatio dicitur si non sit aliud, teneri audire. ibid.
Qui missam audit siue de Sancto, siue de Mortuis, siue priuatam siue solemnem, satisfacit præcepto audiendæ missæ. 4
Impletur etiam præceptum, dum quis vnam partem missæ audit ab vno sacerdote, aliam ab alio. ibid.
Quidam dicunt non esse graue peccatum priùs ab vno sacerdote audire posteriorem partem missæ, & deinde ab alio priorem: Item satisfacere præcepto, qui sacrum duorum sacerdotum media ex parte eodem tempore audiret, vnam verbi gratia vsque ad consecrationem, & aliam eodem tempore à consecratione vsque ad finem; sed hæ sententiæ sunt à Doctoribus dijudicandæ. ibid.
Cæcus vel surdus qui interest missæ cum deuotione, præcepto satisfacit, sicut, & ille, qui missam audit per metum, attentè tamen. 5
Qui missam audiuit nesciens esse diem festum, non tenetur aliam missam audire. ibid.
Qui missæ interfuit animo non satisfaciendi præcepto, auditione illius missæ, sed cum intentione audiendi aliam, non tenetur aliam reipsa audire; tenetur tamen ille desistere ab actuali intentione non satisfaciendi. ibid.
Qui tempore missæ notabiliter confabulatur vel dormitat, nugatur, vel ridet cum alijs, pingit, aut alios docet, &c. non satisfacit præcepto: si tamen per hęc non impediretur attentio, talis satisfaceret præcepto. 6
Qui toto tempore missæ confitetur peccata sua, non satisfacit præcepto, si commodè potest confessionem in aliud tempus differre, nec adest necessitas præcepti confessionis. 7
Aliqui excusantur ob necessitatem communicandi tempore missæ vel propter intentionem audiendi eodem die aliud missæ sacrum, aut propter bonam fidem, aut ratione paruitatis materiæ. ibid.
Confessarius ob easdem causas videtur posse excusari, si tempore missæ confessiones audiat, modò simul intendat audire missam, si illam non velit, vel non possit dicere. ibid.
Missa non est prætermittenda propter auditionẽ verbi diuini. ib.
Missa à quocunque sacerdote licitè audiri potest, modò non sit nominatim excommunicatus, suspensus, vel interdictus, degradatus, vel publicus clerici percussor, publicus concubinarius, & denunciatus. 8
Præceptum missæ audiendæ adimpletur, quocumque in loco missæ sacrum audiatur, siue in propria parochia, siue in Ecclesijs religiosorum, siue extra Ecclesiam. 9
Fieri potest vt non audiens missam in propria parochia peccet, nempe si quis nolit eam audire ex contemptu proprij sacerdotis, aut quando parochus declarat ea, quæ parochiani scire tenentur. ibid.
Sententia affirmans priuilegijs regularium derogatum esse, vt fideles possint satisfacere præcepto Ecclesiæ audiendo missam in eorum Ecclesijs, probabilitate non caret. 9
Non constat satis inter Doctores bullam Pij V. *Etsi mendicantium Ordines*, fuisse reuocatam per Gregorium XIII. in bulla *In tanta negotiorum mole*; quia dubium est, an bulla Gregorij fuerit publicata. ibid.
Peregrinus non tenetur audire missam si perueniat ad locum in quo celebratur dies festus, qui non celebratur in proprio territorio, nisi habeat intentionem ibi manendi maior anni parte. 10.
Parochianus, in cuius parochia celebratur dies festus, non peccat mortaliter missam non audiendo, si ante meridiem futurus sit extra limites parochiæ, vbi non est dies festus. 10

Missa. Quoad causas excusantes ab illa audienda.

Ob impotentiam corporalem excusantur ab audienda missa, qui non possunt missam audire absque damno graui corporali proprio vel alieno. n.1
Ob impotentiam spiritualem excusatur ille, qui nõ potest missam audire absq; graui detrimento spirituali proprio vel alieno. 2
Ex impotentia morali excusatur ab audienda missa ille, qui nequit audire missam absque graui detrimento sui, aut proximi, siue illud sit animæ, siue corporis, siue famæ, siue honoris, siue lucri, siue alterius boni. 3
Qui præuidet in die festo se non posse audire sacrum ab hora nona, tenetur præuenire, & audire hora septima vel octaua. ib.
Probabilius est, puellam, quæ credit se ab adolescente lasciuo, & fragili concupiscendam, si domo exeat, posse relinquere missam, sed non teneri. 4
Qui non potest missam ob aliquod impedimentum audire, non tenetur alias orationes recitare, aut alio die missam audire. 5
Inculpabilis ignorantia, rationalis obliuio vel inconsideratio excusant fideles ab audienda missa; sicut & censura. 6
Vide v. *Excommunicatio III.* n.10. & 11.

Modus procedendi.

De modo procedendi vide *Iudicium publicum*. 1

Molitores.

Molere triticum in die festo licet, quando molendinum agitatur aqua, vel vento: secus autem in molendinis quæ mouent opera bestiarum: quamuis necessitas seu incommoditas communitatis sæpe excuset. 4
Molitores per totum diem molentes, & portant triticum, imponuntque molendino, colligunt farinam, & asportant, excusantur à ieiunio: si autem semel aut bis imponant triticum molendino, & colligant farinam in modica quantitate, non excusabuntur. 7

Monasterium.

Nomine Monasterij, in quo non licet admittere mulieres, intelliguntur ea sola loca, quæ sunt intra septa conuentus, qui clausura clauduntur, vel claudi debent. 15
Monasteria omnia, domus regulares priuilegio immunitatis Ecclesiasticæ gaudent, ex Constitutione *Gregorij XIV*. 4

Moniales.

Moniales choro mancipatæ ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis, tenentur post professionem priuatim ad persoluendum diuinum officium: quamuis aliqui contradicant. 3
Moniales cum approbatione tacita vel expressa Superioris possunt introducere cõsuetudinem, quæ apud ipsas habeat vim legis. 6
Moniales earumque nouitiæ non interdictæ, quæ seruarunt interdictum, nec illius culpabilem causam dederunt, possunt tempore interdicti localis generalis vel etiam specialis, sepeliri in loco etiam specialiter interdicto, &c. 25
Omnes moniales, tam professæ, quàm nouitiæ, & conuersæ gaudent priuilegio Canonis *si quis suadente*. 4
Moniales percutientes se inuicem, vel conuersas suas aut clericos, ab Episcopo absolui possunt. 8
Moniales & religiosi non possint dare aliquam eleemosynam ad lucrandum Iubilæum, debent à confessario commutationem petere in aliud opus pium. 4
Qui cum moniali matrimonium contrahit, non solùm est inualidum matrimonium, sed impeditur ne possit cum alia contrahere. 15
Moniales censuram aliquam non incurrunt, eò quòd in ingressu aut professione suarum aliquid exigunt. 10
Monialis professa ob crimen non solet expelli, sed potius si aliter corrigi non possit, in perpetuo carcere detineri debet. 4
Moniales gaudent priuilegijs religionis quam profitentur. 7
Moniales Sancti Dominici nouitiæ statim morituræ possunt ante annum completum probationis profiteri in manibus Prioris; & lucrari indulgentiam plenariam, modò ætatem sufficientem habeant. 3

Probabilius est monialem illegitimam non posse esse Priorissam, vel Abbatissam sine dispensatione. 5
De monialium clausura, vide verb. *Clausura*.

Monitio.

Sine præcedente monitione & comminatione, censura numquam infligenda est. 16. & 34
Monitio fraterna præmittenda est, quando speratur emendatio, ante denunciationem vel accusationem criminis occulti. 7
Monere debet confessarius pœnitentem suum, quando videt illum versari in iuris aut facti ignorantia lethaliter crassa, siue contra ius diuinum, siue contra humanum, quando nuis admonitio non sit profutura, & quodcumque scandalum sequatur. 18. & seq.

Monopolium.

Monopolium in cambijs vitandum est, vnde pretium directè augeatur supra iustum: & monopolium facientes per se, siue ex pacto expresso siue tacito, peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem totius damni, ad quam etiam teneantur cooperatores monopolij positiuè. 16
Monopolium propriè dicitur, cùm vnus vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod genus merciũ vendant eo pretio, quo ipsis libuerit; & fit quatuor modis. 24. & seq.

Mons pietatis.

Mons pietatis est summa pecuniæ vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad subueniendum per mutuum necessitatibus pauperum. n. 1
Conditiones, quibus Mons pietatis constituitur. ibid.
In monte pietatis seruatis conditionibus non est vsura, sed potius pietas & iustitia, vt declarauit *Leo X*. 2
Homo priuatus potest huiusmodi montem instituere, etiamsi pecuniam illam sub onere alicuius census accepisset, & exigere à mutuatarijs quantum opus est, vt se indemnem præstet. 3
Ex communi sententia non possunt deponentes pecuniam apud Montes pietatis aliquid vltra sortem recipere, secluso lucro cessante, vel damno emergente, & si recipiant, est manifesta vsura. 4
Ex indulto Summorum Pontificum pluribus in locis deponentes pecunias apud Montespietatis tuta conscientia quatuor vel quinque pro centũ vltra sortem annuatim recipere possunt. ib.
Titulus primus ob quem lucrum iustum euadit ex depositis supra Montem pietatis, est emolumentum ingnum quod præstat quis communitati, nempe vt possit mons subleuare egenos: & hoc emolumentum est pretio æstimabile. 5
Secundus est obligatio, quam ipse mons suscipit in se mutuandi pauperibus pro tanta Summa. ibid.
Tertius est, si pecunia non censeatur mutuari, sed accomodari, ita vt transeat in locatum: quod fieri potest accedente declaratione Principis, & exigente bono publico. ibid
Quartus, si lucrum accipiatur intuitu translationis dominij, & priuationis eiusdem, non autem intuitu mutui. ibid.
Denique lucrum istud quinque pro centum redditur iustum, quia percipitur ex taxatione Principis, quæ iusta est. 5
Mons pietatis potest exigere à mutuatarijs non solùm quod est necessarium pro expensis ministrorum, sed etiam pro soluendis pensionibus seu censibus, aut quocumque alio titulo pecunijs debitis depositantibus: imò pro paranda, & instruenda domo, in qua conseruentur, quæ pertinent ad montem. 6
Quando Mons pietatis habet pecuniam sibi ab aliquo deputatam pro mutuando pro certo aliquo tempore, ita vt non tranieat in dominium montis, potest etiam tunc à mutuatarijs aliquid exigere intuitu expensarum, non secus ac si pecunia esset propria montis. 7
Mons pietatis potest exigere expensas pro ministris, quas exigit à cæteris, etiam ab ijs, qui dant pignora, quæ non indigent labore & cura vt conseruentur, vt sunt vasa argentea, gemmæ, &c. 8
Mons pietatis non potest aliquid exigere à mutuatarijs in sui ipsius augmentum, nisi omnes qui sunt de loco inter se consentiant: & tunc id quod soluitur fit per modum donationis. 9
Contra impugnantes in Concionibus aut disputationibus Montem pietatis est excommunicatio lata. 17

Monstrum.

Monstrum, de quo dubitatur an habeat animam rationalem, non est baptizandum nisi sub conditione. n. 1
Monstrum genitum ex viro, & fœmina baptizandum est. ibid.
Monstruosus habens duo capita, quatuor manus, aut vultum adeò fœtidum, vt ipsum intuentibus facilè incutiat risum, aut horrorem, irregularis est. 6

Moribundus.

Moribundus, qui petito pœnitentiæ sacramento, non potest amplius loqui, sed solùm ostendit signa pœnitentiæ, absolui potest, & debet. 13
Moribundus, qui in absentia confessarij exhibuit signa contritionis, sed adueniente confessario ita sensibus est destitutus, vt nullum signum exhibere possit, adstantes tamen fatentur ipsum dedisse signa contritionis, absolui debet sub conditione, si materia est sufficiens. 13
Probabile est moribundum debere absolui sub conditione si est capax, quando aduenient confessario nulli sunt præsentes, qui fidem faciant petitæ confessionis ab infirmo, vel signorum contritionis, modò moribundus Christiano more viuere soleret. ibid.

Morbus contagiosus.

Morbo contagioso laborans potest absolui à confessario, auditis aliquibus peccatis, si diutius etiam a longè absque periculo audiri non possit. n. 5
Morbo gallico vel simili contagioso laborans expelli potest à religione post professionem, qui hanc emisit tecto illo impedimento. 5
Morbo gallico laborans, qui foris apparet, horroremque ac scandalum generat, irregularis est: sicut & peste laborans. 8
Propter morbum contagiosum potest monialibus concedi egressus è claustro. 5
Per morbum quemlibet contagiosum superuenientem alteri sponso, dissoluuntur sponsalia. 6

Multiloquium.

Per multiloquium peccat quis mortaliter, quando illo vtitur in irreuerentiam Dei notabilem, aut adeò illo delectatur, vt paratus, sit id præferre implemento alicuius præcepti. 8

Multiplicatio peccatorum.

Peccata quæ ferme complentur, multiplicantur specie, & augentur numero, quando verbum seu sermo dirigitur, & refertur ad obiecta specie diuersa. 8
Peccata, quæ opere consummantur, specie multiplicantur, ex obiectis specie distinctis, ex fine, & circumstantijs mutantibus speciem. 9
Peccata operis numero multiplicantur, ex multiplicatione operis moraliter interrupti, & ex multiplicatione obiectorum, quæ numero distinguuntur. 10
Multiplicatio numerica peccatorum internorum desumenda est ex distinctis numero malitijs seu contrarietatibus ad rationem: & tot erunt distincta numero peccata intra eamdem speciem, quot erunt actus voluntatis moraliter interrupti, circa idem obiectum peccati. 6
Diuersitas præceptorum materialis sola, non inducit diuersitatem specificam peccatorum: secus quando præcepta sunt diuersa formaliter, & ex parte obiecti specie distincti, etiam in materia eiusdem virtutis. 5. & 10

Mutatio in forma sacramentorum.

Mutatio in forma verborum potest contingere vocum variatione, additione, subtractione, corruptione, transpositione, & interruptione, verbis synonimis vel æquiuocis. 5

Munus.

Quid sit munus à manu, à lingua, & ab obsequio. n. 1
Vsura committitur ab eo, qui tradit alteri mutuum cum pacto, vt mutuatarius teneatur præstare munus à manu, à lingua, vel ab obsequio. 2
Munera vel sportulas non potest à litigantibus accipere Iudex Ecclesiasticus, tam ordinarius, quàm delegatus habens beneficium, cui est annexa iurisdictio; nisi id permittat consuetudo contraria. *Murmuratio*. 12. & 15
Murmuratio tripliciter accipitur: sed propriè est querela cum impatientia in his, quæ homo debet patienter ferre. n. 1
Murmuratio mala triplex est, & de prima, quæ est contra Deum; & tripliciter fit. 1. de nimia seueritate Dei. 2. de nimia benignitate. 3. ob aëris intemperiem. 2
Murmuratio secunda fit communiter contra Prælatos, & superiores. 3
Tertia murmuratio fit contra socium seu proximum. 4
Murmurationis diuersæ sunt species. 5
Murmuratio mala semper est peccatum, veniale aut mortale, secundum conditionem personarum, circumstantiarum, animarum, &c. In religiosis autem omnis murmuratio sæpissimè est grauis. 6
Pœnæ quas Deus infert pro vitio murmurationis, multiplices in scripturis enarrantur. 7

Obedientiæ præceptum de iure ordinario communi loquendo, non potest Abbatissa & Priorissa, aliaque monialium præfecta suis subditis ponere, sicut prælati. 4
Moniales vouentes obedire Abbatissæ, intelliguntur vouere iuxta potestatem, cuius ipsa est capax. ibid.
Princeps sæcularis, Abbatissa, materfamiliàs possunt præcipere virtute obedientiæ, vel sub pœna obedientiæ ipsis debitæ, temporalis nempe & domesticæ seu publicæ. ibid.
Ad quæ teneatur religiosus ratione voti obedientiæ. 9. & 10
Religiosus electus non est solutus vota substantiali obedientiæ, comparatione Regularis prælati, quamuis magna ex parte cesset eius executio, ob defectum materiæ. 8
Plura de obedientia religiosorum Vide verb. *Prælatus Religio* IV. num. 9
Reus, per se loquendo, non tenetur obedire sententiæ, quæ nititur falsa præsumptione, aut falsis probationibus. 13
Vide verb. *Schisma*.

Obiectum.

Obiectum formale volitionis est id quod apprehenditur ab intellectu sub ratione boni. 1
Obiectum materiale voluntatis potest esse bonum & malum, ens & non ens, relatio priuatio, negatio. ibid.
Obiectum nolitionis est id, quod apprehenditur ab intellectu sub ratione mali. ibid.
Obiectum non volitionis potest esse bonum sub ratione boni, & malum sub ratione mali. ibid.
Proximum religionis obiectum non est Deus, sed remotum, quodammodo & indirectum, diciturque obiectum cui. 2
Obiectum materiale religionis, sunt actiones humanæ, quibus deferimus honorem & reuerentiam Deo. ibid.
Obiectum formale pœnitentiæ non est Deus, sed satisfactio pro offensa. 4
Obiectum materiale pœnitentiæ vt fugiendum, est malum culpæ vel pœnæ: obiectum verò materiale pœnitentiæ vt amplectendum, est aliquod opus bonum. 5

Oblatio.

Oblatio duplex est in missa, prima quando offertur panis vt fiat corpus Christi: Secunda oblatio fit, quando post consecrationem offertur ipsum Christi corpus. 5
Oblatio panis nullo modo pertinet ad substantiam sacrificij missæ, oblatio verò corporis Christi, secundùm probabiliorem sententiam pertinet ad essentiam sacrificij. ibid.

Obligatio.

Obligationes emptoris quę sint. 20
Obligationes venditoris. 14. & seq.
Obligationes Episcoporum. 8
De obligationibus confessarij vide verb. *Confessarius V. Confessio IV.* n. 16. *Conscientia* n. 13. *Fides I.* n. 17. 18. *Magia* n. 4. *Maleficium* n. 7. *Matrimonium VIII.* n. 15. 16. & seq. *Satisfactio* n. 4. *Restitutio* III. n. 8.
Obligationes parentum erga filios. 2. & 3
Obligationes filiorum erga parentes. 2. & seq.
Obligationes locatoris & conductoris. 4
Obligationes homicidæ. 1. & seq.
Obligationes Sacerdotis in quantùm est minister sacrificij missæ. 1. & seq.
Obligationes beneficiarij. 6
Obligationes notarij. 2. & seq.
Obligationes clericorum erga prælatos. 6
Obligationes superiorum temporalium. n. 8. Subditorum erga Principem. ib. Viri erga vxorem. n. 9. Vxoris erga virum. n. 10. Discipulorum erga Magistros. num. 11. Magistrorum erga discipulos. n. 12.
Obligationes Parochorum. 2
Obligationes Pensionarij. 6
Obligationes religiosi ex tribus votis solemnibus. 9. & seq.
Obligationes religiosi electi. 7. & seq.
Obligationes Tutoris. 5
Obligatio ad Ieiunium Ecclesiasticum diebus præceptis est sub mortali. 5
Lex humana tam ciuilis, quàm Ecclesiastica obligare potest in conscientia. 1
Obligatio legis cessat ob multas causas. 1. & seq.
Obligatio adimplendæ pœnitentiæ grauis, ex suo genere grauis est. 12
Obligatio ex sponsalibus veris consurgens, est sub mortali. 1
Obligatio restituendi ex solo delicto contra iustitiam oritur. 6
Obligatio restituendi non inducitur absque peccato mortali, præcisa obligatione ratione contractus vel officij. 7
Quando obligetur testis ad testificandum, & quando non. 6. 7. & sequent.
Obligatio in conscientia nascitur ex voto. 2
Obligati ad ratiocinia iure impediuntur ne ordines recipiant, donec ratiocinium reddiderint. 3
Obligatio ad ratiocinia reip. non possunt intrare religionem, nisi prius se expediant. 7

Obliuio.

Obliuio vel ignorantia excusat pœnitentem ab integritate confessionis: modò hæc obliuio peccatorum non sit vincibilis seu culpabilis mortaliter. 3
Qui per obliuionem vel aliam causam in confessione prætermisit aliquod peccatum, cuius recordatur post sumptionem Eucharistiæ vel post Pascha, præcepto confessionis satisfecit. 17
Qui post examen conscientiæ recordatur vnius tantummodo peccati & de illo actum contritionis elicit, iustificatur, quamuis alia peccata commiserit, quæ in mentem non veniunt. 12
Quando pœnitens fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam vel delegatam circa casus reseruatos, verè remanet absolutus à peccatis reseruatis, quæ per obliuionem prætermisit in confessione, modò confessarius intentionem habuerit absoluendi quantùm potest, & indiget pœnitens, & obliuio non fuerit ita culpabilis, vt reddat Sacramentum inualidum. 27
Probabile est, pœnitentem remanere absolutum a reseruatis oblitis, etiamsi non petat expressè & explicitè absolutionem à reseruatis, dum tempore Iubilæi vel extra, Sacerdoti priuilegium habenti circa reseruata bona fide confitetur. 28
Absolutio generalis omnium censuratum data à confessario habente facultatem absoluendi à censuris, comprehendit etiam censuras reseruatas, quas pœnitens ex obliuione tacuit. 21
Obliuio excusat ab irregularitate incurrenda excommunicatũ, suspensum, interdictum exercentem solemniter, vel ex officio actum maioris ordinis. 5
Peccator martyrium subiens, qui per obliuionem & inaduertentiam peccatorum non elicit actum contritionis, recipiet fructum martyrij. 8
Obliuio rationalis excusat fideles ab audientia missa diebus festis. 6
Probabilius est illum teneri confessionem repetere, qui oblitus est totius pœnitentiæ aliàs iniunctæ, vt pœnitentia commutetur. 9
Qui ex obliuione naturali omittit recitare aliquas horas canonicas, non tenetur restituere fructus, non obstante lege positi irritante fructuum acquisitionem. 17
Vide verb. *Ignorantia*.

Obduratio cordis.

Obduratio cordis ad nimium seruandam pecuniam tendens, à compassione pauperum auertit: & peccatum est veniale vel mortale, secundùm quod præceptum eleemosynæ obligat. 2

Obseruatio vana.

Obseruatio vana dicitur cùm aliqua fiunt vel adhibentur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vllam vim habent. 1
Obseruationis vanæ superstitio, differt à superstitiosa diuinatione. ibid.
Obseruationis vanæ tres sunt species, ars notoria, obseruantia sanitatum, & obseruantia euentuum. 2
Ars notoria est superstitio, qua quis credit se consecuturum scientiam absque labore per quædam ieiunia, orationes, inspectiones figurarum, & alia similia vana; & hæc superstitio est peccatum mortale ex suo genere. ibid.
Obseruatio sanitatum est, quando adhibentur aliqua verba, vel alia signa, aut cæremoniæ inanes ad hominum vel aliorum animalium curandos morbos, vel ad se præstandum immunem contra læsiones hostium, vel casus fortuitos. 3
Effectus superstitiosus cognoscitur, vel quando media inutilia adhibentur, tamquam necessaria ad illum effectum, vel ex modo operandi, vel quando effectus superat exigentiam, & actiuitatem causarum naturalium. 4
Obseruatio hæc sanitatum est superstitio mortalis ex genere suo potest tamen hæc obseruatio vana esse peccatum veniale, vel propter ignorantiam vincibilem non crassam, vel si quis his vanitatibus det operam non quasi efficacibus, sed ex leuitate. ibidem.
An autem ex paruitate materiæ hæc obseruatio vana possit esse veniale, probabilius est quòd non. ibid.

Familiæ aliquæ non ſunt ſimpliciter de ſuperſtitione damnandæ quæ dant operam medendis quibuſdam morbis, vt rabido morſui canis. 5

Ob euantia euentum eſt, quando fortuitò aliquid occurrit vel accidit homini, ex quo ſibi vel alteri aliquid aduerſi vel læti coniectat, & inde actiones ſuas moderatur. 6

Obſtetrix.

Obſtetrices poſſunt aliquando baptizare ratione neceſſitatis, & ob id obligandæ ſunt ad ediſcendam Baptiſmi formam. 17

Quando obſtetrix eſt tam perita, vt manu in vterum inſerta, prolem aqua perfundere poſſit, adiecta verborum prolatione, valebit Baptiſmus. 2

Occaſio peccati.

Occaſio peccati proxima eſt illa ob cuius rationem aliquod peccatum committitur in particulari, aliàs non committendum, ſi ea abeſſet. Occaſio remota eſt illa, quam niſi peccator inquirat, aut non inueniet, aut ſaltem difficulter, ob quod facilis erit vitatio peccati. Hanc remotam occaſionem pœnitens non tenetur vitare, bene tamen proximam. 12

Occiſio.

Occiſio proditoria proximi non gaudet priuilegio immunitatis. 10

Qui occidit inimicum non dicitur proditor in rigore, quamuis illum occidat à tergo, aut dormientem. ibid.

Si quis per ſe vel per alium occidat rectorem, vel alium clericum ſuæ Eccleſiæ, in qua beneficium habet, ipſo iure priuatur ſuo beneficio. 3

Vide *Homicidium I. Cenſura* n. 23. 24. & 26.

Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ poteſt reſeruari ab Ordinum regularium ſuperioribus iuxta Decretum *Clementis* VIII. §. 10

Occultum.

Occultum dicitur delictum, non tolum quod eſt per ſe occultum, ſed etiam quod licèt de ſe probabile ſit per teſtes, non eſt tamen notorium vel famoſum, & tamdiu dicitur occultum quamdiu non eſt notorium, vel per confeſſionem criminis factam in iudicio, vel per ſententiam iudicis, vel per facti ipſius euidentiam. 5

Occultatio morbi gallici, vel epileptici, vel ſimilis contagioſi, reddit nouitij profeſſionem inualidam, ſi de eo interrogatus ante profeſſionem non manifeſtauit. 5

Occulta rei vitia tenetur venditor manifeſtare, quoties de eis ab emptorem interrogatur: vitium autem patens non tenetur, per ſe loquendo. 16. & 17

Occultatio defectus virginitatis in fœmina medijs aliàs licitis bonis artibus, non eſt mendacium. 6

Occupatio grauis.

Occupatio grauis, honeſta, & neceſſaria quæ in aliud tempus commodè differri non poteſt abſque ſcandalo, vel peccato, vel detrimento ſui vel proximi, excuſat ab officij diuini recitatione. 4

Qui graui occupatione detinentur, tenentur officium anticipatè recitare, ſi occupatio anticipatam recitationem permittat. ibidem.

Quidam volunt, eum, qui non poteſt recitare horas ſtatutis temporibus, ob infirmitatem vel excuſabilem occupationem, non teneri poſtea illas recitare: ſed hæc ſententia eſt a Doctis diiudicanda. 7

Odium.

Odium eſt alienatio ſeu auerſio voluntatis ab eo quod æſtimatur vt malum. 1

Odium aliud eſt inimicitiæ, aliud abominationis. ibid.

Vtrumque odium aut tendit in Deum, aut proximum. ibid.

Odium vt eſt ſpeciale peccatum directe repugnans charitati, eſt omnium peccatorum grauiſſimum. 2

Odium abominationis erga Deum per ſe & ex genere ſuo mortale peccatum eſt: nec eſt veniale ex paruitate materiæ. 3

Odium inimicitiæ erga proximum in aliquibus caſibus eſt tantùm peccatum veniale, vel nullum. ibid.

Probabilius eſt omnia odia proximi non eſſe eiuſdem ſpeciei, & ideò diuerſitatem odiorum eſſe aperiendam in confeſſione. 4

Qui ſæpiùs aliquem odio proſecutus eſt, debet numerũ actuum odij repetitorum & moraliter interruptorum explicare, ſi recordetur numeri certi: ſi non dicat ſe toties peccaſſe peccato odij plus vel minùs. 20

Odium maius eſt peccatum quàm ira. 4

Odij circumſtantia contra parentes, aut prælatos, aut ſuperiores eſt in confeſſione aperienda. 3

Odium Dei eſt filia luxuriæ. 3

Oeconomus.

Oeconomus, famulus vel procurator à Domino accipiens pecunias ad aliquid emendum vel ad debitum ſoluendum, & eas per cambium minutum permutans, lucrum quod cambiendo facit, poteſt ſibi reſeruare, modò Dominus pecuniæ ſeruetur indemnis. 9

Oeconomus, procurator, cellarius, & ſimiles officiales monaſterij poſſunt facere eleemoſynas competentes iuxta regulam, & conſuetudinem, aut iuxta voluntatem ſuperiorum rationabiliter præſumptam. 7

Oeconomi, procuratores, & ſimiles bonorum monaſterij adminiſtratores, tranſgreſſores ſunt voti paupertatis, ſi rem quamcumque ſeu domeſtico ſeu externo largiantur, aut expendant aliter, quam ordinis regula, vel conſuetudo, aut ſuperiorum voluntas poſtulat. 8

Officiales.

Officiales, qui ex iuſtitia tenentur accuſare delinquentem contra bonum publicum, vltra peccatum mortale quod committunt non accuſando, tenentur ad reſtitutionem damni illati ex omiſſione accuſationis, vel denunciationis. 8

Officiales non peccant mortaliter non accuſando in quibuſdam caſibus. 9

Officiales, qui aliquid accipiunt, vt non denuntient, ſeu non accuſent tenentur ad damnum illatum reipub. aut tertiæ perſonæ ex illo crimine: non tamen tenentur ad reſtitutionem illius quod acceperunt. 10

Officiales diſſimulantes, & ſe abſcondentes, vt alij liberam occaſionem nacti delinquendi, capiantur in delicto, quando peccent mortaliter, quando non? 11

Officiales, qui tenentur ex officio, vel ex ſtipendio: vel ex promiſſione alterum defendere, & non defendunt voluntariè, incurrunt irregularitatem, ſi ſequatur homicidium illorum culpa. 9

Officiales non accuſantes damnificatores, non tenentur ad ſolutionem pœnæ, quam delinquentes ſoluiſſent, ſi ab ipſis officialibus accuſati fuiſſent. 17

Officiales monaſterij, vt procurator, cellarius, & ſimiles, poſſunt facere eleemoſynas competentes iuxta regulam, & conſuetudinem, aut iuxta voluntatem ſuperiorum rationabiliter præſumptam. 7

Officium.

Officiorum nomine, quorum priuatio imponitur in decretis Pontificum, intelliguntur officia, quæ ſuperiorum propria ſunt, & ſuperioritatem quamdam continent. 16

Officia publica ex natura rei, & per ſe loquendo, poſſunt vendi: quamuis non expediat ea officia vendi: proinde in motibus proprijs *Pij V. & Sixti V.* prohibetur procuratio & obtentio officiorum habentium iuriſdictionem, mediante pecunia. 8

Qui ad officia ſæcularia aſſumunt ineptos, aut qui malè putantur adminiſtraturi, peccant mortaliter, & tenentur ad reſarcienda damna, ex tali electione ſecuta. 11

De officio diuino vide v. *Hora Canonica.*

De officio Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolyti, Exorciſtæ, Lectoris, Oſtiarij, vide v. *Ordo II.*

Oleum.

Oleum oliuarum, non aliud, ab Epiſcopo benedictum eſt materia remota extremæ-vnctionis Sacramenti. 3

Vna Gutta olei eſt ſufficiens in vnaquaque vnctione ad conferendum hoc Sacramentum. ibid.

Oleum non debet neceſſariò eſſe eo anno benedictum, ad validitatem Sacramenti: ex conſuetudine tamen, & ex præcepto debet eſſe. 4

Oleum non benedictum ſi infundatur benedicto, totum benedictum erit, modò id quod additur non ſit in quantitate notabiliter excedente. 11

Omiſſio.

Omiſſionis peccatum conſiſtit in priuatione actus præcepti, vnde aduertatur præcepto affirmatiuo. 1. & 2

De peccato omiſſionis plura vide v. *Peccatum II.* ibid.

De cauſis quibus omitti poſſit reſtitutio vide verb. *Reſtitutio V.* §. *II.*

Confeſſionis ſigillum violatur aliquando per omiſſionem, hoc eſt, per non reſponſionem. 19

Opinio.

Opinio eſt aſſenſus vnius partis, cum timore, & formidine alterius. 6

Vt opinio cenſeatur probabilis multa requiruntur. 8
Opinionem probabilem ſequi licitum eſt, relicta probabiliore: quoties ex ea non ſequitur magnum periculum, vel damnum proximi, honoris diuini. 9
Plura de opinione vide v. *Conſcientia* n. 10. & ſeq.
Qui habet opinionem probabilem de ſua iuriſdictione circa reſeruata, poteſt abſoluere, Eccleſia enim interueniente probabili opinione ſupplet iuriſdictionem. 26
Qui probabiliter credit ſe non conſenſiſſe, alicui peccato mortali, vel ſe non peccaſſe mortaliter, vel ſe confeſſum fuiſſe, &c. non tenetur ad confeſſionem ſumptionem ſacræ communionis. 28
Opinans probabiliter matrimonium à ſe bona fide contractum eſſe nullum, non poteſt debitum petere, ſed tenetur reddere non opinanti: ſi tamen pro validitate & nullitate matrimonij opinionem probabilem coniux habeat, tunc poteſt petere, & reddere. 20
Quando adeſt probabilis opinio, rem non indigere diſpenſatione, nulla diſpenſatio petenda eſt à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo. 8
Propter opinionem probabilem, quam quiſque ſequi poteſt in bello indicendo, bellum ex vtraque parte poteſt eſſe iuſtum formaliter & per accidens. 9

Opus ſeruile.

Opus ſeruile dicitur quod ex ſe habet quemdam famulatum, & ab illis ſolùm communiter exercetur, qui alijs inſeruiunt. 1
Opus ſeruile triplex eſt, religioſum, pecaminoſum, & indifferens ſiue humanum. 2
Quæ autem opera ſeruilia prohibeantur in die feſto & permittantur? vide v. *Feſtum II.*
Opus liberale non fit ſeruile ex eo quòd fiat ob lucrum, quia Eccleſia non prohibuit operari in die feſto propter mercedem niſi in quantum prohibuit ipſum opus. 8
Opus aliàs ſeruile, etiamſi gratis fiat, eſt prohibitum in die feſto: proinde merces & lucrum per accidens ſe habent ad opus ſeruile, & non ſeruile. ibid.

Opus ſatisfactorium.

Opus ſatisfactorium ex opere operato prodeſt alijs, etiamſi offerens ſit improbus & non exiſtat in gratia. 4

Opus indifferens.

Opus indifferens, id eſt, quod neque habet rationem honeſti, nec praui non cadit ſub votum. 6
Qui dubitat an res promiſſa ſit indifferens vel bona, tenetur votum implere. 7
Datur opus indifferens ſecundùm ſuam ſpeciem, nullum tamen opus hominis vt ſic, eſt in individuo indifferens, ſed eſt bonum aut malum, non tamen meritorium, aut demeritorium. 4

Oraculum viuæ vocis.

Oraculum viuæ vocis eſt conceſſio ſeu gratia oretenus facta ſine ſcriptura à Summo Pontifice. 8
Plura de oraculis viuæ vocis Vide verb. *Priuilegium I.* n. 8.

Oratio.

Oratio eſt decentium rerum petitio à Deo, ſiue ad ipſum Deum dirigatur, ſiue ad alios propter ipſum Deum. 1
Oratio triplex eſt, vna publica vel priuata; Secunda, mentalis aut vocalis; Tertia, obſecratio, vel poſtulatio, vel actio gratiarum. 2
Oratio neceſſaria eſt adultis ad ſalutem ex præcepto religionis. ibidem.
In quibus caſibus oratio ſit in præcepto. 3
Summa petendorum à Deo comprehenſa eſt in oratione Dominica. 4
Orare conuenit ſoli naturæ rationabili, ſcilicet Angelis, animabus beatis, viatoribus, & defunctis qui ſunt in purgatorio, damnatis verò propriè non competit orare. 5
Veritas Catholica eſt, ſanctos eſſe noſtris precibus inuocandos, tamquam amicos Deo chariſſimos, vt pro nobis orent. 6
Orandum eſt pro omnibus, qui nondum ſunt in termino, etiam inimicis noſtris. 7
Oratio, tamquam opus pœnale poteſt iniungi pœnitenti à confeſſario in ſatisfactionem ſacramentalem, ad quam reducuntur alia bona interna, vt contritio, gratiarum actio &c. 5
Oratio Dominica eſt Sacramentale quoddam, cui tribuitur effectus remiſſionis peccatorum venialium. 7
Quæuis orationes non tantùm publicæ, ſed etiam priuatæ, ſunt propriè materia ſimoniæ. 6
Quando in bulla Iubilei non determinantur preces, ſufficit oratione iuxta mentem Pontificis, & probabile eſt ſufficere orationem mentalem. 4
Plura de oratione vide v. *ſuffragium. Horæ canonicæ.*

Oratorium.

Oratorium authoritate Epiſcopi conſtructum & perpetuò dicatum cultui diuino, cenſetur locus ſacer & religioſus, ſecus ſi priuata authoritate ſit conſtructum. 4
In oratorijs ad diuinum cultũ tantùm dedicatis ſanctum ſacrificium miſſæ peragi debet. 1
In oratorijs priuatarum ędium poſſunt regulares priuilegiati miniſtrare Euchariſtiam fidelibus non obſtante Epiſcopi prohibitione, modò illa communio non detur in articulo mortis per modum viatici, vel tempore paſchatis ad implendum præceptum Eccleſiæ. 1

Ordo. Quoad eius eſſentiam, inſtitutionem & numerum.

Ordo eſt ſacramentum, quo ſpiritualis poteſtas circa Euchariſtiam in miſſæ ſacrificio traditur. 1
Ordinis Sacramentum creditur inſtitutum à Chriſto in vltima cœna, cùm dixit. *Hoc facit in meam commemorationem.* 2
Catholica veritas eſt, ſeptem ſaltem Eccleſiaſticos ordines ſemper in Eccleſia fuiſſe. 3
Probabilius eſt Epiſcopatum nõ eſſe ordinem diſtinctum à Presbyterio, nec diſtinctum Sacramentum. ibid.
Verius eſt primam tonſuram non eſſe ordinem. ibid.
Cardinalatus non eſt ordo ſacer, nec imprimit characterem, nec fuit à Chriſto domino inſtitutus. ibid.
Papatus non conſtituit ordinem diſtinctum ab Epiſcopatu, neque imprimit diſtinctum characterem. ibid.
Extra controuerſiam eſt, ordinem Sacerdotalem eſſe verè ac propriè Sacramentum: Idem dicendum eſt de Epiſcopatu iuxta communiorem ſententiam. 4
Communior ſententia eſt, omnes ordines eſſe Sacramenta: omnes tamen ordines rectè dicuntur vnum Sacramentum ordinis. ibid.

Ordo. Quoad eius materiam & formam.

Materia remota Sacramenti ordinis eſt inſtrumentum aliquod, quod ordinibus initiandis traditur, in ſignum poteſtatis ſpiritualis, quam recipiunt. 1
Proxima materia huius Sacramenti, eſt eiuſdem inſtrumenti traditio ab ordinante, & eiuſdem acceptatio ab ordinando. ibidem.
Ordinatio Sacrorum ordinum valida non erit, ſi Epiſcopus proferat verba, & purus Sacerdos materiam tangendam ordinando porrigat: ſecus dicendum de ordinibus minoribus. ibidem.
Contractus realis, & phyſicus materiæ eſt de eſſentia Sacramenti, in Sacerdotio tamen non eſt neceſſe hoſtiam & vinum immediatè tangere, ſed ſufficit attingere calicem & patenam. 2
Probabile eſt, neque ad ſubſtantiam huius Sacramenti, imò neque ad præceptum implendum, debere talem contactum ſimul eſſe in eodem inſtanti mathematico cum prolatione verborum, ſed ſufficere, ſi ſimul ſint moraliter, ſine interpoſita mora. ibid.
Materia remota Sacerdotalis ordinis eſt calix cum vino, & patena cum hoſtia: materia verò proxima eſt traditio calicis cum vino vitis, & patenæ cum hoſtia ex frumento. 3
Ex duplici poteſtate Sacerdotis, duplex etiam materia Sacerdotij aſſignatur, prima eſt traditio calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia ſecunda eſt impoſitio manuum vnà cum his verbis. *Accipe Spiritum ſanctum &c.* ibid.
Probabile eſt conferri ordinem Sacerdotalem, ſi quis ſolo pane & calice vacuo ex obliuione initiaretur: quamuis tutius ſit repetendam eſſe ordinationem ſub conditione, ſi non es ordinatus. ibid.
Materia Diaconatus eſt liber Euangeliorum cum impoſitione manus. 4
Materia ordinis Subdiaconatus eſt traditio calicis vacui & patenæ vacuæ, & traditio libri Epiſtolarum. ibid.
Materia Acolythatus remota duplex eſt, nempe candelabrum cum cereo extincto & vrceolus vacuus, proxima eſt porrectio horum inſtrumentorum. ibid.
Exorciſtatus materia remota eſt liber exorciſmorum, proxima eſt traditio eiuſdem libri. ibid.
Lectoratus materia remota eſt liber continens prophetias veteris & noui teſtamenti. ibid.
Oſtiariatus materia ſunt claues Eccleſiæ. ibid.
Forma Sacramenti Ordinis ſunt verba, quæ ab Epiſcopo proferuntur

runtur imperatiuo modo cum expreſſione poteſtatis, quæ conferetur. 5
Epiſcopus proferens formam, debet etiam exhibere materiam tangendam. ibid.
Sacerdotis officiũ eſt conficere Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare Sacramenta, excepta confirmatione & ordine, prædicare verbum Dei & populum benedicere. 6
Ad Diaconum pertinet publicè & cum ſtola Euangelium legere in Eccleſia, aſſiſtere Sacerdoti ſacrificanti, ferre pyxidem in qua corpus Dominicum repoſitum ſit ab vno altari ad aliud; imò in neceſſitate abſente præsbytero infirmis Euchariſtiam præbere pro viatico, &c. ibid.
Subdiacono competit aquam ad miniſterium altaris præparare, Diacono miniſtrare, Pallas altaris & corporal a abluere &c. ibid.
Acolythi officium eſt porrigere ſubdiacono vrceolos cum vino & aqua &c. ibid.
Exorciſtæ eſt imponere manus ſuper energumenos, illiſque exorciſmos legere ad fugandos Dæmones &c. ibid.
Lectoris eſt legere prophetias & ſcripturas in Eccleſia. ibid.
Ad Oſtiarium pertinet claudere, aperire & cuſtodire Eccleſiam. ibidem.

Ordo. Quoad eius miniſtrum & ſubiectum.

Ordinarius miniſter Sacramenti ordinis eſt Epiſcopus, & quidem proprius. 1
Epiſcopi licet ſint excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, priuati Epiſcopatu, validè conferunt hoc Sacramentum, quamuis illicitè. ibid.
Angelus ex diſpenſatione diuina & extraordinaria Dei lege poteſt ordines conferre, ſi quis tamen ordinaretur à Diabolo, nulla foret talis ordinatio. ibid.
Cardinales presbyteri, imò & quilibet ſimplex Sacerdos poteſt conferre minores ordines ex facultate Summi Pontificis. ibid.
Abbates Presbyteri, *ius mitræ & baculi habentes, benedicti ab Epiſcopis, poſſunt iure* conferre primam tonſuram & ordines minores ſuis ſubditis. ibid.
Abbates ex declaratione ſacræ Congregationis poſſunt etiam primam tonſuram & ordines minores conferre ſæcularibus Epiſcopi iurisdictioni ſubiectis, nec non alijs regularibus, qui dimiſſorias Epiſcopi, vel prælati attulerint. ibid.
Abbates non poſſunt ordinare ſuos nouitios. ibid.
Probabilius eſt, ſi nouitius ordinandus ſit, debere ordinari ab Epiſcopo, in cuius diœceſi exiſtit monaſterium probationis, non verò ab Epiſcopo in cuius diœceſi commorabatur antequam nouitiatum ingrederetur. ibid.
Ordines ſacri non videntur poſſe à ſimplici Sacerdote etiam de conſenſu Papæ, vel ab alio quàm Epiſcopo conferri. ibid.
Ordinatio Epiſcopi non poteſt niſi à tribus Epiſcopis fieri, ſine Papæ diſpenſatione. ibid.
Epiſcopus non poteſt ſubditis alterius, ſine licentia proprij Epiſcopi ordines vel primam tonſuram conferre, quamuis ſit Archiepiſcopus. 2
Proprius Epiſcopus ille appellatur, qui eſt Epiſcopus originis vel domicilij, vel beneficij. ibid.
Epiſcopus electus & confirmatus, quamuis nondum conſecratus poteſt concedere ſuis ſubditis literas dimiſſorias, vt ab alio Epiſcopo ordinentur. 3
Capitulum, ſede vacante, non poteſt dimiſſorias concedere intra annum a morte Epiſcopi, niſi quis ita ſit arctatus, vt perderet beneficium receptum, vel recipiendum, niſi ordinetur. ibid.
Qui ordines accepit ab alieno Epiſcopo ſine licentia Papæ aut abſque literis dimiſſorijs ſui ordinarij, incapax eſt beneficij & remanet ſuſpenſus quoad executionem ordinis. 4
Conferens primam tonſuram ſibi non ſubdito, ſuſpenſionem incurrit, iuxta probabiliorem ſententiam. ibid.
Non licet Epiſcopo ordinare non ſuum ſub ſpe ratihabitionis, quamuis poſt factum poſſint excuſari in foro conſcientiæ, tam ordinans, quàm ordinatus, ratione bonæ fidei. 4
Ex conſtitutione *Vrbani* VIII. Vltramontani non poſſunt ordinari ab vllo Epiſcopo in Italia exiſtente, etiamſi habeant literas ſuorum Prælatorum, niſi illæ eædem à Nuncijs Apoſtolicis in illis partibus commorantibus, deinde à vicario Papæ examinatæ & probatæ fuerint in alma vrbe, ſub pœna &c. ibid.
Itali ordinati ad primam tonſuram, vel ad alium ordinem maiorem, vel minorem cum falſis teſtimonijs, priuantur Priuilegio fori &c. ibid.
Regulares Vltramontani non comprehunduntur ſub hoc decreto. ibid.
Epiſcopo abſente, vel non habente ordinationes, Prælati regulares, ex declaratione Sacræ Congregat. poſſunt ſuis ſubditis dare dimiſſorias, eoique mittere ordinandos ad quemlibet Epiſcopum. ibid.
Si regularis ordinetur ſine literis dimiſſorialibus ſui Prælati ſacro ordine, remanet ſuſpenſus quamdiu ſuo ſuperiori videbitur expedire. ibid.
Si regularis aliquis laicus ad clericatum aſcendat extra obedientiam prælatorum ordinis, omni clericali honore priuari debet, & ad priſtinum ſtatum reduci. ibid.
Literæ dimiſſoriæ ſemel conceſſæ ſemper valent, nec morte, vel ceſſatione officij concedentis expirant, niſi per ſucceſſorem reuocentur. ibid.
Iure diuino inhabiles ſunt ad ordines fœminæ, non baptizati, hermaphroditus ſi æquè aut magis participet fœmineum quàm virilem ſexum; inuiti. 5
Qui per metum ordinatur iniuſtè, validè quidem ordines recipit, voto tamen caſtitatis non adſtringitur, nec ad recitandum diuinum officium: ſecus ſi vis vel metus iuſtè ſit incuſſus. ibid.
Infantes, furioſi perpetuò & amentes ordinandi non ſunt, ſi tamen ordinibus initientur, characterem recipiunt. ibid.
Illis, qui poſt vſum rationis inciderunt in amentiam, iuxta communiorem ſententiam, non validè conferuntur ordines, ſi illos nullo modo priùs expetierint. ibid.
Iure naturæ ad miniſtrandum in ordinibus ſuſceptis apti non ſunt perpetuò amentes, omnino cœci, muti, priuati manibus. 6
Iure Eccleſiaſtico inhabiles ſunt omnes irregulares. ibid.
Vt adultus validè ordines recipiat requiritur debita materia, debita forma, & intentio tam miniſtri, quàm recipientis: vt cum fructu, requiritur bonitas gratiæ. ibid.
Vt ritè & canonicè quis ad ordines promoueatur requiruntur multa: nempe, ætas conueniens, vt ordinandus ſit confirmatus & initiatus prima tonſura, ſcientia ſufficiens ad vſum vniuſcuiuſque ordinis, teſtimonium morum, interſtitia temporum, vt ordinandus non ſit irretitus aliqua cenſura, ordinata receptio: denique titulus vel patrimonij, vel beneficij, vel paupertatis, ſeu profeſſionis ſolemnis. 7
Qui dubitat, an habeat legitimam ætatem ad Ordines vel beneficia, vel ad alium actum requiſitam non poteſt promoueri. ibidem.
Qui mala fide per fraudem promouetur ſine titulo, incurrit ſuſpenſionem, ſicut & ille qui recipit ſacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio. ibid.
Probabilius eſt, Tridentinum non innouaſſe pœnam ſuſpenſionis iure communi latam contra ordinatos ſine titulo, ſed tantùm onus alimentorum Epiſcopis impoſuiſſe. 8

Ordo. Quoad illius effectus & tempus illum conferendi.

Catholica fide docet Ordinis Sacramentum habere duplicem effectum, primus eſt duplex gratia, habitualis nempe & iuſtificans inquantùm eſt Sacramentum, & propria, qua dignè, qui recipitur ordo, à ſuſcipiente miniſtretur. 1
Secundus effectus ordinis eſt character, qui imprimitur tam in maioribus, quàm in minoribus ordinibus, & integrè confertur, cùm integra materies, & forma completur in ſingulis. 2
Ordines ſacri, iure Eccleſiaſtico non diuino habent adiunctum onus cœlibatus. 3
Probabiliùs eſt, ſacros Eccleſiæ miniſtros obligari ad continentiã immediatè ex proprio voto, quod ſuſceptione ordinis ſacri emittere debent, ſi verò accidat aliquem non vouere vel ex malitia, vel ex ignorantia, per legem Eccleſiaſticam ad continentiam obligari, & inhabiles fieri ad matrimonium. ibid.
Apud Græcos nec licita, nec valida vmquam fuerunt coniugia poſt Sacerdotium ſuſceptum; quamuis Pontifex ex graui cauſa poſſit cum vno aut alio Sacerdote diſpenſare vt vxorem ducat. ibid.
Prima tonſura quouis tempore, quocumque die & feriata conferri poteſt: minores verò ordines, quibuſcumque diebus Dominicis, & feſtis ſolemnibus: imò in rigore iuris non videtur prohibitum quacumque die illos conferre. 4
Ordines ſacri ſolis præſcriptis temporibus generalium ordinationum tradi poſſunt, v.g. in Sabbato Quatuor temporum anni, & in Sabbato ante Dominicam Paſſionis, & in Sabbato Sancto. ibid.
Quamuis ordines ab Epiſcopo inter miſſarum ſolemnia & ieiunio con-

no conferri debeant, si tamen secus fiat, ordinatio tenet, nec vllam suspensionem incurrit ordinans, vel ordinatus. ibid.
Episcopus ex iusta causa potest maiores ordines conferre mane diei Dominicæ immediatè sequentis generalem ordinationem, modò continuetur ieiunium tam ab ordinante, quàm ab ordinato. ibid.
Ordinatus extra tempore legitima, absque Summi Pontificis dispensatione incurrit suspensionem ab Ordinis executione, à solo Papa dispensabilem. ibid.
Episcopatus non potest conferri nisi in die Dominica. 4
Religiosi possunt extra tempora ordines recipere, cum in hoc habeant multa priuilegia. 5
Apostatæ à religione, si durante apostasia ordine sacrum recipiant non possunt, ad religionem reuersi, in ordine suscepto ministrare absque Pontificis dispensatione. 6
Ordo sacer iure Ecclesiastico dirimit matrimonium subsequens. 6. & seq.
Ordinis Sacramentum administrari non potest personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis, nisi in casu necessitatis. 9
Graues pœnas incurrunt conferentes & recipientes ordines per simoniam realem. 1

Ordinis potestas.

Ordinis Sacerdotalis potestas, vna est in corpus Christi verum, scilicet ad consecrandum illud in Sacramento Eucharistiæ, altera, in corpus Christi mysticum, ad Sacramenta fidelibus administranda. 2

Ordo restituendi.

Quo ordine sit restituendum? Vide v. *Restitutio* IV. §. VI.

Originale peccatum.

Originale peccatum est, quod omnes homines contrahunt ex Adam per naturalem propagationem: & definitur, priuatio iustitiæ, & sanctitatis debitæ inesse singulis ex pacto facto à Deo cum Adamo. 6
Originale peccatum dicitur voluntarium in nobis, non voluntate propria, sed aliena, id est, Adami, quatenus censemur consensisse in pactum Adami cum Deo factum. 2
Cum solo peccato originali potest consistere peccatum veniale. 14
Habens solum originale peccatum, non tenetur habere attritionem ante Baptismum, sed sufficit propositum seruandi legem Dei. 11
Omnem culpam tam originale, quàm actualem Baptismus delet. 1
Originale peccatum delebatur ante institutionem Baptismi per circumcisionem. 7

Ornatus externus.

Ornatus externus virorum vel mulierum est adiectio ornamenti, quod auget naturalem gratiam & pulchritudinem, potest autem esse peccatum mortale vel veniale. 17

Oscula.

Oscula fieri possunt, vel in signum amicitiæ & iuxta consuetudinem patriæ, vel causa delectationis concubitus: vel causa delectationis ipsius oscula secundùm se considerati, vt est delectabile carni & remotè disponens ad seminationem. 2
Plura de osculis Vide verb. *Impudicitia.* ibid.

P.

Pactum.

Pactum est duorum consensus atque conuentio, ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum. 1
Pactum, aliud dicitur nudum, aliud vestitum. ibid.
Pactum vestitum parit obligationem in vtroque foro: pactum autem nudum non parit obligationem in foro ciuili. 2
Pactum legis commissoriæ illud est, quod apponitur venditioni, ita vt si intra certum tempus emptor non soluerit pretium, res non sit empta. 3
Pactum adiectionis in diem est, quando aliquid venditur ea ratione, vt si alius intra tempus definitum maius pretium offerat, vel meliorem conditionem, res non sit vendita. 4
Pactum legis commissoriæ in pignoribus, per se loquendo, illicitum est, & vsurarium. 3
De pactis ratione ipsius actionis mutuandi, Vide verb. *Vsura II.* 3
De venditione cum pacto retrouendendi, Vide verb. *Venditio* n. 2. & 3.
Pactum non petendi nec reddendi debitum mutuo consensu initum inter coniuges validum est: potestque vterque coniux id pactum remittere: si autem alter coniux nolit remittere, sed illi stare non tenetur reddere petenti. 3
Plura de pactis Vide verb. *Census* n. 20. & seq. *Contractus* n. 6. 10. *Simonia.*

Palatium Episcopi.

Palatium Episcopi priuilegio immunitatis gaudet, modò constructum sit intra quadraginta passus Ecclesiæ suæ. 4

Pallium.

Pallium est ornamentum ad modum stolæ Sacerdotalis crucibus nigris intextum super alia ornamenta delatum, humeros ad instar coronæ pectúsque circumdans, antè dependens, significans plenitudinem Pontificalis officij. 1

Papa.

Papa dictus est, quasi admirabilis: eò quòd sit Vicarius Christi & Dei. 1
Papæ iurisdictio non confertur à Cardinalibus per electionem, sed postquam ij personam designarunt, à Christo prouenit. 2
Papa errare nō potest in decretis fidei vniuersalibus, seu quæ toti Ecclesiæ proponit: quamuis quoad suam personam in hæresim etiam notoriam incidere possit. 2
Papa errare potest, etiam vt publica persona in diiudicandis particularibus quæstionibus, quæ plerumque de facto sunt. 4
Papa est generalis collator omnium beneficiorum in qua vis diœcesi. 1
Papa potest dispensare cum quocumque bigamo ad omnes ordines maiores, & minores, & ad quascumque dignitates. 11
Retineri possunt tuta conscientia bona incerta, quæ per compositionem Papa retineri concedit. 9
Papa solus iurisdictionem necessariam ad peccatorum remissionem vel absolutionem diuino iure in sui electione & ordinatione accipit. 1
Papa ordinariè nullum peccatum suo tribunali reseruat, nisi propter annexam excommunicationem sibi itidem reseruatam. 2
Papa quoscumque Christianos suis constitutionibus & sententijs ligare potest. 9
Papa censuris non potest ligari, neque à Canone, neque ab homine. 18
In Papa iurisdictio ordinaria residet in primo & supremo ordine diuino iure. 7
Papa in foro pœnitentiali ligari potest peccator. 19
Papa habet vniuersalissimam potestatem delegandi suam iurisdictionem ordinariam. 5
Papa iure diuino potest sibi eligere confessarium. 11
Papa potest dispensare in omnibus legibus & statutis Conciliorum etiam Generalium. 3
Papa nequit dispensare in præceptis primæ vel secundæ tabulæ decalogi, neque in articulis fidei, neque in Sacramentorum institutione, neque in præceptis moralibus, quæ sunt de iure naturæ: in præceptis autem quæ ita sunt de iure diuino, vt aliquid humanæ obligationis misceatur, dispensare potest. 4
Papa potest secum in tuis legibus dispensare. 5
Probabilius est non posse Papam dispensare vt Sacerdos licitè possit vnam Eucharistiæ partem sine alia consecrare. 10
Penes Papam est potestas dies festos instituendi & institutos abrogandi pro tota Ecclesia. 3
Papa potest dispensare etiam sine causa vt quis laboret in die festo. 7
Papa potest dare in feudum. 3
Papa potest imponere gabellas seu vectigalia. 2
Papa potest dispensare cum obligatio ad horas, vt illas non recitet, etiam sine causa. 6
Papa potest dispensare in ieiunio, imò, & tollere legem ieiunij, etiã si lex de ieiunio Apostolica sit, aut in Conc. Generali sancita. 13
Potestas concedendi indulgentias primariò tamquam in causa efficiente, residet in Papa, etiamsi non sit consecratus. 3
Papa potest delegare cuicumque etiam laico facultatem concedendi indulgentias. 4
Papa potest committere fœminæ vt possit ferre censuras. 8
Papa solus potest concedere indulgentias plenarias pro defunctis. 2
Papa potest interdictum personale aut locale ferre etiam in totum orbem. 2
Papa est causa efficiens irregularitatis. 4

Papa dispensare potest in omni irregularitate iure humano introducta. 4
Papa in omni iuramento dispensare potest ex causa rationabili, cessante damno tertiæ personæ. 7
Papæ non sunt reseruata iuramenta absoluta castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanę, & Compostellanæ nisi contineant vota. ibid.
Papa potest ferre leges Ecclesiasticas in toto orbe: leges autem ciuiles ferre potest pro territorio sibi subdito. 6
Probabilius est Papam posse dispensare in Matrimonio rato, vt dissoluatur. 3
Papa ex iusta causa potest impedimẽta Matrimonium dirimentia indicere. 2
Papa non potest dispensare in vllo impedimento iure diuino naturali Matrimonium dirimente, excepto voto solemni religiosorum. 1
Papa solus potest dispensare in omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis. 2
Papa potest contrahere cu'pam simoniæ iuris diuini: non potest autẽ incurrere pœnas simoniæ iure Ecclesiastico statutas. 5.6
Papa dispensare non potest vt manens religiosus, voto paupertatis, castitatis ac obedientiæ obligatus non sit. 8
Papa non potest irritare directè vota omnia Christianorum: bene tamen religiosorum, quæ posset prælatus. 2
Papa indirectè potest irritare vota cuiuslibet fidelis. 3
Papæ reseruata sunt vota perpetua castitatis, religionis, peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. 5

Parentes.

Parentum nomine, præcipuè intelligi debent ij, qui carnaliter nos genuerunt; deinde etiam alij superiores. 1
Quæ sint obligationes parentum erga filios. 2
Parentes negare possunt alimenta filijs in quinque casibus. 3
Ad tria præcipuè, & generaliter tenetur Pater erga filios & filias. 4
Tria præstare tenentur famuli hæris suis; & tria vicissim Dominus debet seruo. ibid.
Clerici erga prælatos ad multa tenentur, sicut & beneficiarij. 6
Episcopi ad multa tenentur erga subditos, & in primis ad residentiam. 7
Quæ sint virtutes Principis Laici, & quæ eius peccata. 8
Obligationes viri erga vxorem suam. 9
Obligationes vxoris erga virum suum. 10
Obligationes discipulorum erga magistros. 11
Obligationes magistrorum erga discipulos. 12
Parentes pueros suos admonere debent, vt cogitent à quo creati, & cur in hoc mundo positi sint nimirum, vt Deo seruiant, & ad ipsum tamquam finem suum actionibus tendant. 10
Parentes mortaliter peccant, qui notabiliter negligunt procurare vt sui liberi ad communionem obligati eam sumant tempore debito. 18
Parens non potest intrare religionem, si filius necessitate prematur. 8
Parentes, excusari possunt qui filijs non auferunt occasionem furandi, vt de ipsorum fidelitate experimentum capiant, ipsosque in futurum à furto patrando auertant: non liceret tamen offerre filijs occasionem furandi, sicut nec famulis. §.4

Parochus.

Parochus debet esse legitimus; viginti quinque annorum; intra annum à collatione beneficij debet fieri sacerdos. 1
Parochus ex officio suo ad multa tenetur. 2
Parochus auditurus confessiones eorum qui peste infecti sunt, qualiter se gerere debeat? 3
Parochus non habet potestatem iure communi ferendi censuras. 9
Parochus non potest sibi reseruare casus respectu suorum Capellanorum. 6
Parochus habet iurisdictionem ordinariam. 9
Parochus non repugnante Episcopo vel Summo Pontifice, potest suam iurisdictionem delegare. 5
Parochus inconsulto Episcopo curam suam pastoralem subdelegare non potest, nisi ad breue tempus. 8
Parochus de iure non potest sibi eligere confessarium, nisi sit exemptus à iurisdictione Ordinarij. 11
Parochus ante Concilium Trident. ex vi iuris communis poterat & validè & licitè delegare suam iurisdictionem cuiuis sacerdoti idoneo etiam non approbato ab Episcopo. 2
Post Concilium Trident. Parochus nec validè nec licitè potest suos subditos sacerdoti non approbato committere. ibid.
Parochus, quamdiu habet beneficium parochiale, censetur vbique approbatus, & ei potest delegari iurisdictio. 10
Parochos omnes potest Episcopus ad nouum examen vocare. 18
Parochus non tenetur deserere officium etiamsi expertus sit pollutiones voluntarias procurare, sumpta occasione ex lasciuis auditis in confessione, dummodo proponat huiusmodi peccato non consentire. 7
Parochus incidens in tactum libidinosum aut delectationem morosam circa puellam à se baptizatam, vel circa feminam cuius aliquam prolem baptizauit, debet has circumstantias in confessione explicare. 27
Parochus ex consuetudine potest dispensare in ieiunio, quando adest necessitas: imò & ipsorum vicarij, nisi id ipsis à Parocho prohibeatur. 7
Parochus tenetur per se vel per alium confessiones suorum subditorum audire, quotiescumque ij iustam confitendi causam habent, & opportuno tempore & loco petunt: modò non sit alijs iustè occupatus. 1
Parochus debet subdito petenti licentiam dare confitendi alieno, quoties petens habet ad id iustam causam. 3
Probabilius est subditum non posse confiteri alieno, quando parochus iniustè negat ad id licentiam petitam iustè. ibid.
Parochus tenetur suis ouibus Eucharistiam ministrare, non solùm tempore præcepti communionis, sed etiam quoties subditi eam rationabiliter petunt: nisi habent rationabilem causam eam negandi. 7
Parochus tenetur ex iustitiâ fidelibus sibi subditis Sacramentum Extremę-vnctionis ministrare: & si in hoc notabiliter sit negligens cum periculo infirmi, peccat mortaliter. 3
Parochus tempore pestis non potest fugere, sed adesse tenetur per se, vel per suum vicarium, vt Sacramentum confessionis & viaticum etiam cum periculo vitæ administret: imò & Extremam vnctionem cum eodem periculo tenetur ministrare, si contingat infirmum non potuisse recipere alia Sacramenta. ibidem.
Parochi, de consuetudine ferè vniuersali & communiter recepta, non tenentur ad horas canonicas publicè in choro persoluendas, exceptis vesperis in diebus festis & Dominicis. 4
Parochus non potest absoluere ab interdicto locali, sed tantùm ab interdicto personali particulari non reseruato. 5
Parochus tenetur ad restitutionem damni, cuius ipse fuit causa per culpam latam, seu per ignorantiam crassam, aut per negligentiam grauem in considerando. 8
Parochus regularis substantialibus religionis votis astrictus manet, & habitum religionis suę deferre debet, regulamque obseruare in ijs omnibus, quæ cum suo munere & laboribus cõsistere possunt. 9
Parochus regularis eximitur ab obedientia prælatorum religionis, quando Ecclesia, cui præest, nullatenus subijcitur prælatis religionis, sed subiectus manet imperio Episcopi, qui deinceps erit suus Abbas. ibid.
Si Ecclesia subijciatur prælatis religionis quoad sola temporalia, eximitur parochus quoad spiritualia ab illorum obedientia: si verò eis subdita sit quoad spiritualia, solùm eximitur quoad temporalia, si verò sit subiecta quoad omnia, manet plenè eis subiectus. ibid.
Parochi non habent potestatem ne in articulo mortis dispensandi aut commutandi vota in id, quod notabiliter minus est. 14
parochus dum intra parochiæ ambitum commoratur, sed animarum curam non exercet, non satisfacit præcepto residendi. 3
plura de residentia parochorum vide verb. *Residentia.*

Parochia. Parochianus.

In vnaquaque Ecclesia parochiali, parochus illius est proprius sacerdos omnium, qui intra terminos parochiæ illius degunt, siue illi laici sint, siue sacerdotes, seclusis priuilegijs. 11
Iuxta ius commune & vsum Ecclesiæ, vnusquisque fidelium sortitur parochiam vbi habet domicilium firmum. ibid.
In propria parochia sumenda est communio facta, pro implendo præcepto Ecclesiæ paschalis communionis. 8
Qui extra parochiam suam ad certum tempus, vel domicilium habent, vel commorantur, vel qui ipso tempore paschatis in aliena parochia degentes, ad suam accedere cõmodè nequeunt possunt Eucharistiam in Ecclesijs regularium accipere. 11

Serui religiosorum qui non degunt in monasterijs aliisve locis à cura parochorum exemptis, debent tempore Paschatis communionem sumere in propria parochia. 12
Parochiæ interdictum est generale, si per parochiam intelligatur totus ambitus alicuius castri: si verò in ciuitate, oppido, vel castro sunt aliæ parochiæ, non est generale, sed speciale. 3
Illi parochiali Ecclesiæ debetur quarta parochialis, in qua quis de iure sepeliendus esset. 2
Quando Ecclesia parochialis est interdicta sua culpa, parochianus alibi eligens sepulturam, non debet quartam funeralem suæ parochiæ sic interdictæ: secus si parochia causam interdicti non dederit. 6
Parochianus non audiens Missam in propria parochia peccat, si nollit eam ibi audire ex contemptu parochi, aut quando parochus declarat ea quæ parochiani scire tenentur. 9

Pars.

Quando conceditur facultas absoluendi à censuris satisfacta parte, nomine *partis* non intelligitur superior prælatus conditor censuræ sed alia persona distincta, quæ læsa fuit. 23

Participans.

Nomine participantis intelligitur cooperans in damno alteri inferendo. 12
Participans in opere intrinsecè malo contra iustitiam peccat & tenetur ad restitutionem damni dati. ibid.
Qui iusto metu coactus seu ex rationabili causa participat in opere non intrinsecè malo, excusatur à peccato, & consequenter ab obligatione restituendi. ibid.
Plura de participante vide verb. *Restitutio III.* §. 6.

Pascha.

Nomine Paschatis in quo fideles tenentur communicare, Ecclesiastica consuetudo declarauit ex decreto *Eugenij IV.* comprehendi quindecim dies, qui sunt à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè: quamuis quibusdam in locis comprehendat totam Quadragesimam, vel duas hebdomadas ante vel post Resurrectionis diem. 6

Pastus animalium.

Qui pecora sua in alienis pratis inuito domino pascit, siue sint alicuius communitatis, siue personæ priuatæ, mortaliter peccat, & ad restitutionem damni tenetur, nisi paruitas materiæ excuset: pœnam verò non nisi post iudicis condemnationem soluere obligatur. 8
Plura de hac materia vide verb. *Cæsio lignorum.*

Patrinus.

De patrino vide *Matrimonium P II.* n. 19.
De patrino Confirmationis, vide *Confirmatio.* 11
Probabilius est religiosos Mendicantes nõ posse esse patrinos in Sacramento Baptismi & Confirmationis. ibid.

Patronus.

Patronus est qui habet ius patronatus, quod nihil aliud est, quàm beneficium onerosum, & vtile conueniens alicui ob aliquod meritum vel obsequium in Ecclesiam collatum. 2

Patrimonium.

Patrimonium ad cuius titulũ quis fuit ordinatus, alienari aut remitti non potest, absque Episcopi licentia. 8
Vide supra verb. *Bona patrimonialia.*

Pauperes.

Nomine pauperum intelliguntur non solùm priuati mendici, sed etiam loca pia, vt monasteria, hospitalia pauperum, Ecclesiæ item carentes necessarijs ad congruam & decentem vitæ suæ sustentationem, imò animæ defunctorum, in purgatorio existentes, denique omne aliud pium opus. 2
Pauperes excusantur à ieiunio, qui propter paupertatem alimento carent sufficienti ad vnam refectionem in die ieiunij sumendam: imò liceret illis vsus carnium, si alium cibum inuenire non possent. 6
Pauper habens solum panem, quo potest vitam suam sustentare, si non habeat alios cibos concessos in die ieiunij, secundùm probabilem sententiam potest vesci carnibus. ibid.
Simulantes paupertatem tenentur ad restitutionem burſæ communi pauperum illius loci, quando ex paruis & quotidianis eleemosynis facti sunt diuites. 8

Paupertas religiosa.

Paupertas religiosa est votum solemne, quo quis profitetur se nihil habere, nec habere posse, & hoc voto religiosi omnes & singuli impediuntur, ne proprium quid habeant. 1
Nomine nõ obstãte voto paupertatis religiosus retinet dominiũ seu ius honoris ac famæ suæ, sicut ius eligendi, præsentandi, conferendi, item regulare beneficium, atque iurisdictionem spiritualem habere. ibid.
Contra paupertatis votum peccat religiosus si rem quampiam sine superioris sui consensu expresso, tacito, aut præsumpto accipiat, retineat, occultet, absumat, permutet, alteri donet. 2
Consensus præsumptus prælati est, quando iustam ob causam mihi persuadeo, si prælatus sciret me talem rem habere, accipere, absumere, expendere, contentum fore: licet illi displiceat quòd clam hæc fiant. ibid.
Ad consensum præsumptum, non sufficit taciturnitas superioris videntis religiosum aliquid accipere vel expendere & non contradicentis, si ea taciturnitas sit sola quædam permissio: secus si non sit puta permissio, sed approbatio quædam. ibid.
Vt licentia superioris excuset religiosum à transgressione voti paupertatis, requiritur vt illa sit voluntariè concessa. 2
Consensus probabiliter præsumptus superioris liberat regulares à vitio proprietatis, etiamsi superior adiri facilè possit, vel res differre. ibid.
Ex varijs principijs vel circumstantijs potest conijci consensus approbatiuus & tacitus prælati. ibid.
Contra paupertatis votum peccat religiosus, etsi tantùm comestibilia absque prælati licentia accipiat & absumat. 3
Maior quantitas borum esculentorum, seu poculentorum requiritur ad constituendum peccatum mortale seu furti, seu proprietatis, quàm in rebus alijs. ibid.
Vsus rerum non consumptibilium, v. g. librorum absque Superioris licentia sæpè excusatur à mortali ob materiæ paruitatem. 4
Paupertatis votum violat religiosus, si pecuniam vel aliam rem sibi à prælato destinatam ad certum vsum, contra eiusdem voluntatem in alium vsum expẽdat, vel per culpam latam amittat, aut destruat. 5
Paupertas religiosa violatur à religioso, si quæ ab alijs ipsi donata sunt, accipiat ac retineat sine prælati consensu. 6
Monasterium non obligatur ex contractu vel delicto sui religiosi, nisi quatenus consensum præbuit, vel exinde aliquid cõmodi accepit. ibid.
Paupertatis religiosæ trãsgressor est religiosus, si aliqua abscondat ne superior sciat, & de eis disponat. 7
Procuratores, Oeconumi & similes bonorum monasterij administratores, transgressores sunt voti paupertatis, si rem quamcumque seu domestico seu externo largiantur, aut expendat aliter quàm superiorum voluntas postulat. 8
Paupertatis votum violant, prælati expendentes & donantes bona conuentus aliter quàm ordinis regula vel consuetudo præscribat, & talis alienatio tamquam irrita, est restitutioni obnoxia. ibid.
Probabilius est peculium iure communi antiquo permissum esse religiosis ex licentia superioris. 9
Probabiliter sustineri potest etiam hodie licere religiosis peculia positis quibusdam conditionibus, non obstante Decreto Concilij Tridentini. 10
Religiosus habens ex legitima Superioris licentia peculium, non potest id pro libito suo in quotvis vsus expendere, sed tenetur in honestos, & pios; nec potest hoc prælatus ei concedere. 11
Religiosus malè expendens peculium ex superioris licentia non incurrit pœnas proprietatis: idem dicendum de prælato superfluè expendente. ibid.
Nonnulli recentiores contra communem doctrinam, admittunt probabilem opinionem illam quę docet religiosum habentem licentiam expendendi aliquam pecuniam in vsus, qui sibi placuerint, aut in suas honestas recreationes, si in vsus turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis, & accipientem in tali casu non teneri restituere. Sed tu Lector iudica. ibid.
Religiosus peccat mortaliter, qui de licentia superioris, possidet multa superflua respectu sui status. ibid.
Verius est huiusmodi religiosum contra paupertatẽ peccare. ib.
Necessarium religiosis dicitur, sine quo res non potest decenter & congruenter conseruari. ibid.
Superfluum dicitur, quod pensatis omnibus circumstantijs religionis, personæ, loci, temporis, officij, &c. neque ad vitam, neque ad decentiam status religiosorum est necessarium. ibidem.
Religiosus, qui de licentia superioris vtitur rebus ita abundanter

ter, vt reliqui religiosi patiantur necessitatem, peccat, & aliquando mortaliter. ibid.
Superiores, qui superflua ædificia, aut nimis curiosa construunt, dummodo illa excedant statum paupertatis, aut decentiam sui status, peccant mortaliter. ibid.
Circa mobilium superfluitatem vel conuenientiam potest religiosus tuta conscientia stare arbitrio prudentis superioris, nisi de excessu arbitrij constiterit. 11
Causa iusta peculij concedendi Monachis, est necessitas, aut vtilitas grauis, priuata aut publica. 12
Prælatus religionis non ministrans necessaria subditis cùm commodè potest præbere, & sic peculijs causam præbens, peccat mortaliter: sicut & subditi dantes peculijs causam resistendo vitæ communi. 13
Contra paupertatis votum non peccat religiosos accipiens sine licentia superioris à diuite pecunias non pro se, sed vt pauperibus vel consanguineis distribuat nomine donantis. 14
Religiosus accipiens ab alio pecuniam tantùm in custodiam, vt eam reddat quoties dominus voluerit, per se non est contra paupertatem, licet possit esse contra obedientiam & contra decentiam religiosam si occultè fiat: hoc tamen limitandum est, dummodo talis religiosus non sit ex Minoritis de Obseruantia & Capucinis. ibid.
In votum paupertatis peccat religiosus, si rem donatam acceptet sine superioris licentia, quamuis in fauorem alterius. 15
Omnia bona religiosi, de quibus ipse antea non disposuit, per professionem iure communi transeunt in monasterium, modò habeat ius successionis. 16
Ius succedendi habent iure Canonico & ciuili omnia monasteria regularium, præter domos & Collegia Societatis IESV, Minorum de Obseruantia & Capucinorum. Verum huic iuri succedendi in professi bona apud Hispanos, Gallos & Belgas, contraria consuetudine legitimè præscripta derogatum est. ibidem.
Religiosus beneficiarius, interim dum beneficium obtinet, habet redituum administrationem, tum ad sui sustentationem, tum ad alias pias causas. Reditus verò parochiarum, quæ monasterijs incorporatæ sunt, ad monasteria pertinent, non ad vicarios regulares obedientiarios. 17
Religiosus habens beneficium extra suum monasterium vel ordinem, acquirit beneficio, non monasterio: modò beneficium non sit de mensa ipsius prælati seu ipsius monasterij: quia si esset sic monasterio vnitum, tunc id non procederet. 18
Non potest prælatus religioso alicuius rei vsum irreuocabilem concedere: imò nec Pontifex concedere hoc posset monacho sibi manenti. 19
Legatum relictum religioso vel moniali, ea lege, vt ad ipsos, non autem ad monasterium pertineat, sic debet interpretari, quo subsistere & seruari possit. ibid.
Legatum factum religioso corruit cum expressa conditione, quòd omninò quoad dominium pertineat ad religiosum, non ad monasterium. ibid.
Religiosi seu moniales non debent acceptare legatum cum conditione relictum, quòd prælatus vel Abbatissa in tali legato nõ possit se intromittere, & casu quo se intromittat, legatum pertineat ad quemdam extraneum. ibid.
Legatum relictum Fratri Minori de danda certa quantitate pecuniæ, expendi debet iuxta dantis voluntatem, in necessitates præsentes vel imminentes ipsius religiosi. ibid.
Pœnæ iure Canonico decretæ religioso proprietario sunt tres 1. priuatio sacræ sepulturæ post mortem. 2. expulsio extra monasterium. 3. priuatio vocis activæ & passiuæ per biennium. 20
Quædam responsa sacræ Congregationis Concilij circa caput secundum Concil. Trident. *sess. 25. de regularibus.* ibid.
Plura de paupertate religiosa vide ver. *Dominium 1.* n. 8, 9, 10

Peccatum. Quoad eius diuisionem & distinctionem.

Peccatum generaliter sumptum est defectus perfectionis debitæ inesse, in ordine ad aliquem finem. 1
Differunt vitium & peccatum. ibid.
Peccatum aliud est actuale, aliud habituale. ibid.
Peccatum actuale est dictum, factum, concupitum contra legẽ æternam. ibid.
Lex æterna accipitur pro ratione & voluntate diuina, qua Deus vult vt nihil inhonestum fiat. ibid.
Peccatum diuiditur in originale & actuale: Actuale in mortale & veniale. 2
Peccatum aliud est commissionis, aliud omissionis: aliud cordis, aliud oris, aliud operis. ibid.
Peccatum aliud contra Deum, aliud contra proximum, aliud contra seipsum. ibid.
Peccata alia sunt per excessum, alia per defectum: denique alia sunt carnalia, alia spiritualia. ibid.
Peccatum rectè diuiditur in mortale & veniale: peccatũ mortale est, quod mortem animæ affert: veniale est, quod facilè veniam consequitur. 3
Fide tenendum est peccata esse quædam suapte natura venialia. ibidem.
Malitia peccati mortalis consistit in contemptu amicitiæ diuinæ & in auersione ab vltimo fine. ibid.
Malitia peccati venialis consistit in repugnantia cum recta ratione salua amicitia diuina. ibid.
Malitia peccati mortalis est moraliter infinita, tum obiectiuè, tum comparatiuè. ibid.
Malitia peccati venialis est quidem in infinitum minor malitia peccati mortalis, habet tamen suam quamdam infinitatem. ib.
Peccatum veniale aliud est ex genere, aliud ex paruitate materiæ, aliud ex indeliberatione. 4
Regulæ quibus discerni potest peccatum mortale à veniali, ex quibus certum vel probabile iudicium formari potest, sunt, *Scriptura diuina, sensus vel consensus fidelium, ratio humana.* 5
Peccata contra virtutes Theologicas, vel religionis virtutem vel iustitiam, & quæ ad luxuriam pertinent, sunt ex genere suo mortalia: quæ autem quispiam contra solum bonum proprium perpetrat, sunt ex genere suo venialia. ibid.
Peccatum quodcumque ex genere suo lethale, & in quacumque materia, potest fieri veniale ex perfectæ deliberationis defectu. 6
Peccatum mortale ex genere in veniale transit ratione paruitatis materiæ, si hæc paruitas in eo reperiatur. 7
In quibusdam peccatis hæc paruitas minimè reperitur, quoties scilicet, contingit integram irreuerentiæ & offensionis rationem in materia parua inueniri. ibid.
Peccata huiusmodi sunt illa, quæ immediatè & directè circa Deum versantur, vt odium Dei, contemptus ipsius, infidelitas, formalis blasphemia, periurium assertorium, & simonia. ibi.
Peccatum censetur veniale ratione paruitatis materiæ, quando res quæ præcipitur vel prohibetur est parua, non solùm secundùm se, verum etiam per ordinem ad finem, vel circumstantias, propter quas talis res præcipitur vel prohibetur. ibid.
Quando res parua secundùm se efficitur grauis ratione finis vel circumstantiæ, tunc est materia peccati mortalis. ibid.
Communior & tutior in praxi sententia affirmant in rebus venereis non dari paruitatem materiæ excusantem à mortali. ib.
Peccatum veniale non transit in mortale, ex eo quòd nouum præceptum superioris aut diuinum naturale illud prohibens accedat, sed erit sola duplex venialis culpa. 8
Peccatum veniale non transit in mortale ratione vsus, & consuetudinis committendi venialia. ibid.
Venialenon transit in mortale ex peccantis dignitate aut sanctitate. ibid.
Probabilius est, habentem voluntatem committendi omnia peccata venialia, solaque mortalia vitandi, peccare mortaliter: quod locum habet præcipuè in religiosis. ibid.
Quoties parua postremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari, ita vt pro vna reputetur, nec effectus relicti continuari moraliter possunt, vnde multiplicatio transgressionis præcepti in materia parua, non constituit materiam grauem ac culpa lethalem. 9
Quando plurium transgressionum paruæ materiæ inter se moraliter vniuntur & coalescunt, siue secundùm seipsas, siue secũdùm effectum ab ipsis productum, tunc completur malitia mortalis in vltima transgressione. 9
In materia iniustitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione magna consurgit, ac sufficiens ad mortale. 10
Item hæc continuatio consurgit in materia intemperantiæ, & in festorum obseruatione. ibid.
Paruæ materiæ diuersorum præceptorum non coalescunt in vnum, nec faciunt quantitatem notabilem mortaliter peccaminosam. ibid.
In materia de voto, ex leui materia transgressionis sæpius repetitæ circa leuem materiam, coalescere & consurgere potest aliquid notabile, in quo fundari possit ratio mortalis peccati. ib.
Generaliter paruum & magnum non absolutè æstimandum est, sed cum comparatione ad totum cuius pars est, vt intelligatur sitne sufficiens mortalis peccati materia, necne. 11

Serui religiosorum qui non degunt in monasterijs, aliisve locis à cura parochorum exemptis, debent tempore Paschatis communionem sumere in propria parochia. 12
Parochiæ interdictum est generale, si per parochiam intelligatur totus ambitus alicuius castri: si verò in ciuitate, oppido, vel castro sunt aliæ parochiæ, non est generale, sed speciale. 3
Illi parochiali Ecclesiæ debetur quarta parochialis, in qua quis de iure sepeliendus esset. 2
Quando Ecclesia parochialis est interdicta sua culpa, parochianus alibi eligens sepulturam, non debet quartam funeralem suæ parochiæ sic interdictæ: secus si parochia causam interdicti non dederit. 6
Parochianus non audiens Missam in propria parochia peccat, si nollit eam ibi audire ex contemptu parochi, aut quando parochus declarat ea, quæ parochiani scire tenentur. 9

Pars.

Quando conceditur facultas absoluendi à censuris satisfacta parte, nomine *partis* non intelligitur superior prælatus conditor censuræ sed alia persona distincta, quæ læsa fuit. 23

Participans.

Nomine participantis intelligitur cooperans in damno alteri inferendo. 12
Participans in opere intrinsecè malo contra iustitiam peccat & tenetur ad restitutionem damni dati. ibid.
Qui iusto metu coactus seu ex rationabili causa participat in opere non intrinsecè malo, excusatur à peccato, & consequenter ab obligatione restituendi. ibid.
Plura de participante vide verb. *Restitutio III.* §. 6.

Pascha.

Nomine Paschatis in quo fideles tenentur communicare, Ecclesiastica consuetudo declarauit ex decreto *Eugenij IV.* comprehendi quindecim dies, qui sunt à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in Albis inclusiuè: quamuis quibusdam in locis comprehendat totam Quadragesimam, vel duas hebdomadas ante vel post Resurrectionis diem. 6

Pastus animalium.

Qui pecora sua in alienis pratis inuito domino pascit, siue sint alicuius communitatis, siue personæ priuatæ, mortaliter peccat, & ad restitutionem damni tenetur, nisi paruitas materiæ excuset: pœnam verò non nisi post iudicis condemnationem soluere obligatur. 8
Plura de hac materia vide verb. *Cæsio lignorum.*

Patrinus.

De patrino vide *Matrimonium VII.* n. 29.
De patrino Confirmationis, vide *Confirmatio.* 11
Probabilius est religiosos Mendicantes nõ posse esse patrinos in Sacramento Baptismi & Confirmationis. ibid.

Patronus.

Patronus est qui habet ius patronatus, quod nihil aliud est, quàm beneficium onerosum, & vtile conueniens alicui ob aliquod meritum vel obsequium in Ecclesiam collatum. 1

Patrimonium.

Patrimonium ad cuius titulũ quis fuit ordinatus, alienari aut remitti non potest, absque Episcopi licentia. 8
Vide supra verb. *Bona patrimonialia.*

Pauperes.

Nomine pauperum intelliguntur non solùm priuati mendici, sed etiam loca pia, vt monasteria, hospitalia pauperum, Ecclesiæ item carentes necessarijs ad congruam & decentem vitæ suæ sustentationem, imò animæ defunctorum, in purgatorio existentes, denique omne aliud pium opus. 2
Pauperes excusantur à ieiunio, qui propter paupertatem alimento carent sufficienti ad vnam refectionem in die ieiunij sumendam: imò liceret illis vsus carnium, si alium cibum inuenire non possent. 6
Pauper habens solum panem, quo potest vitam suam sustentare, si non habeat alios cibos concessos in die ieiunij, secundùm probabilem sententiam potest vesci carnibus. ibid.
Simulantes paupertatem tenentur ad restitutionem bursæ communi pauperum illius loci, quando ex paruis & quotidianis eleemosynis facti sunt diuites. 8

Paupertas religiosa.

Paupertas religiosa est votum solemne, quo quis profitetur se nihil habere, nec habere posse, & hoc voto religiosi omnes & singuli impediuntur, ne proprium quid habeant. 1
Nomine nõ obstãte voto paupertatis religiosus retinet dominiũ seu ius honoris ac famæ suæ, sicut ius eligendi, præsentandi, conferendi, item regulare beneficium, atque iurisdictionem spiritualem habere. ibid.
Contra paupertatis votum peccat religiosus si rem quampiam sine superioris sui consensu expresso, tacito, aut præsumpto accipiat, retineat, occultet, absumat, permutet, alteri donet. 2
Consensus præsumptus prælati est, quando iustam ob causam mihi persuadeo, si prælatus sciret me talem rem habere, accipere, absumere, expendere, contentum fore: licet illi displiceat quòd clam hæc fiant. ibid.
Ad consensum præsumptum, non sufficit taciturnitas superioris videntis religiosum aliquid accipere vel expendere & non contradicentis, si ea taciturnitas sit sola quædam permissio: secus si non sit puta permissio, sed approbatio quædam. ibid.
Vt licentia superioris excuset religiosum à transgressione voti paupertatis, requiritur vt illa sit voluntariè concessa. 2
Consensus probabiliter præsumptus superioris liberat regulares à vitio proprietatis, etiamsi superior aditi facilè possit, vel res differre. ibid.
Ex varijs principijs vel circumstantijs potest conijci consensus approbatiuus & tacitus prælati. ibid.
Contra paupertatis votum peccat religiosus, etsi tantùm comestibilia absque prælati licentia accipiat & absumat. 3
Maior quantitas horum esculentorum, seu poculentorum requiritur ad constituendum peccatum mortale seu furti, seu proprietatis, quàm in rebus alijs. ibid.
Vsus rerum non consumptibilium, v. g. librorum absque Superioris licentia sæpè excusatur à mortali ob materiæ paruitatem. 4
Paupertatis votum violat religiosus, si pecuniam vel aliam rem sibi à prælato destinatam ad certum vsum, contra eiusdem voluntatem in alium vsum expẽdat, vel per culpam latam amittat, aut destruat. 5
Paupertas religiosa violatur à religioso, si quæ ab alijs ipsi donata sunt, accipiat ac retineat sine prælati consensu. 6
Monasterium non obligatur ex contractu vel delicto sui religiosi, nisi quatenus consensum præbuit, vel exinde aliquid cõmodi accepit. ibid.
Paupertatis religiosæ trãsgressor est religiosus, si aliqua abscondat ne superior sciat, & de eis disponat. 7
Procuratores, Oeconomi & similes bonorum monasterij administratores, transgressores sunt voti paupertatis, si rem quamcumque seu domestico seu externo largiantur, aut expendãt aliter quàm superiorum voluntas postulat. 8
Paupertatis votum violant, prælati expendentes & donantes bona conuentus aliter quàm ordinis regula vel consuetudo præscribat, & talis alienatio tamquam irrita, est restitutioni obnoxia. ibid.
Probabilius est peculium iure communi antiquo permissum esse religiosis ex licentia superioris. 9
Probabiliter sustineri potest etiam hodie licere religiosis peculia positis quibusdam conditionibus, non obstante Decreto Concilij Tridentini. 10
Religiosus habens ex legitima Superioris licentia peculium, non potest id pro libito suo in quotvis vsus expendere, sed tenetur in honestos, & pios; nec potest hoc prælatus ei concedere. 11
Religiosus malè expendens peculium ex superioris licentia non incurrit pœnas proprietarij: idem dicendum de prælato superfluè expendente. ibid.
Nonnulli recentiores contra communem doctrinam, admittunt probabilem opinionem illam quę docet religiosum, habentem licentiam expendendi aliquam pecuniam in vsus, qui sibi placuerint, aut in suas honestas recreationes, si in vsus turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis, & accipientem in tali casu non teneri restituere. Sed tu Lector iudica. ibid.
Religiosus peccat mortaliter, qui de licentia superioris, possidet multa superflua respectu sui status. ibid.
Verius est huiusmodi religiosum contra paupertatẽ peccare. ib.
Necessarium religiosis dicitur, sine quo res non potest decenter & congruenter conseruari. ibid.
Superfluum dicitur, quod pensatis omnibus circumstantijs religionis, personæ, loci, temporis, officij, &c. neque ad vitam, neque ad decentiam status religiosorum est necessarium. ibidem.
Religiosus, qui de licentia superioris vtitur rebus ita abundanter

ter, vt reliqui religiosi patiantur necessitatem, peccat, & aliquando mortaliter. ibid.
Superiores, qui superflua ædificia, aut nimis curiosa construunt, dummodo illa excedant statum panpertatis, aut decentiam sui status, peccant mortaliter. ibid.
Circa mobilium superfluitatem vel conuenientiam potest religiosus tuta conscientia stare arbitrio prudentis superioris, nisi de excessu arbitrij constiterit. 11
Causa iusta peculij concedendi Monacho, est necessitas, aut vtilitas grauis, priuata aut publica. 12
Prælatus religionis non ministrans necessaria subditis eùm commodè potest præbere, & sic peculijs causam præbens, peccat mortaliter: sicut & subditi dantes peculijs causam resistendo vitæ communi. 13
Contra paupertatis votum non peccat religiosos accipiens sine licentia superioris à diuite pecunias non pro se, sed vt pauperibus vel consanguineis distribuat nomine donantis. 14
Religiosus accipiens ab alio pecuniam tantùm in custodiam, vt eam reddat quoties dominus voluerit, per se non est contra paupertatem, licet possit esse contra obedientiam & contra decentiam religiosam si occultè fiat: hoc tamen limitandum est, dummodo talis religiosus non sit ex Minoritis de Obseruantia & Capucinis. ibid.
In votum paupertatis peccat religiosus, si rem donatam accepet sine superioris licentia, quamuis in fauorem alterius. 15
Omnia bona religiosi, de quibus ip a antea non disposuit, per professionem iure communi transeunt in monasterium, modò habeat ius successionis. 16
Ius succedendi habent iure Canonico & ciuili omnia monasteria regularium, præter domos & Collegia Societatis IESV, Minorum de Obseruantia & Capucinorum. Verum huic iuri succedendi in professi bona apud Hispanos, Gallos & Belgas, contraria consuetudine legitimè præscripta derogatum est. ibidem.
Religiosus beneficiarius, interim dum beneficium obtinet, habet redituum administrationem, tum ad sui sustentationem, tum ad alias pias causas. Reditus verò parochiarum, quæ monasterijs incorporatæ sunt, ad monasteria pertinent, non ad vicarios regulares obedientiarios. 17
Religiosus habens beneficium extra suum monasterium vel ordinem, acquirit beneficio, non monasterio: modò beneficium non sit de mensa ipsius prælati seu ipsius monasterij: quia si esset sic monasterio vnitum, tunc id non procederet. 18
Non potest prælatus religioso alicuius rei vsum irreuocabilem concedere: imò nec Pontifex concedere hoc posset monacho sibi manenti. 19
Legatum relictum religioso vel moniali, ea lege, vt ad ipsos, non autem ad monasterium pertineat, sic debet interpretari, quo subsistere & seruari possit. ibid.
Legatum factum religioso corruit cum expressa conditione, quòd omninò quoad dominium pertineat ad religiosum, non ad monasterium. ibid.
Religiosi seu moniales non debent acceptare legatum cum conditione relictum, quòd prælatus vel Abbatissa in tali legato nõ possit se intromittere, & casu quo se intromittat, legatum pertineat ad quemdam extraneum. ibid.
Legatum relictum Fratri Minori de danda certa quantitate pecuniæ, expendi debet iuxta dantis voluntatem, in necessitates præsentes vel imminentes ipsius religiosi. ibid.
Pœnæ iure Canonico decretæ religioso proprietario sunt tres 1. priuatio sacræ sepulturæ post mortem. 2. expulsio extra monasterium. 3. priuatio vocis actiuæ & passiuæ per biennium. 20
Quædam responsa sacræ Congregationis Concilij circa caput secundum Concil. Trident. *sess.* 25. *de regularibus.* ibid.
Plura de pauperte religiosa vide ver. *Dominium I.* n. 8. 9. 10

Peccatum. Quoad eius diuisionem & distinctionem.

Peccatum generaliter sumptum est defectus perfectionis debitæ inesse, in ordine ad aliquem finem. 1
Differunt vitium & peccatum. ibid.
Peccatum aliud est actuale, aliud habituale. ibid.
Peccatum actuale est dictum, factum, concupitum contra legẽ æternam. ibid.
Lex æterna accipitur pro ratione & voluntate diuina, qua Deus vult vt nihil inhonestum fiat. ibid.
Peccatum diuiditur in originale & actuale: Actuale in mortale & veniale. 2
Peccatum aliud est commissionis, aliud omissionis: aliud cordis, aliud oris, aliud operis. ibid.
Peccatum aliud contra Deum, aliud contra proximum, aliud contra seipsum. ibid.
Peccata alia sunt per excessum, alia per defectum: denique alia sunt carnalia, alia spiritualia. ibid.
Peccatum rectè diuiditur in mortale & veniale: peccatũ mortale est, quod mortem animæ adfert: veniale est, quod facilè veniam consequitur. 3
Fide tenendum est peccata esse quædam suapte natura venialia. ibidem.
Malitia peccati mortalis consistit in contemptu amicitiæ diuinæ & in auersione ab vltimo fine. ibid.
Malitia peccati venialis consistit in repugnantia cum recta ratione salua amicitia diuina. ibid.
Malitia peccati mortalis est moraliter infinita, tum obiectiuè, tum comparatiuè. ibid.
Malitia peccati venialis est quidem in infinitum minor malitia peccati mortalis, habet tamen suam quamdam infinitatem. ib.
Peccatum veniale aliud est ex genere, aliud ex paruitate materiæ, aliud ex indeliberatione. 4
Regulæ quibus discerni potest peccatum mortale à veniali, ex quibus certum vel probabile iudicium formari potest, sunt, *Scriptura diuina, sensus vel consensus fidelium, ratio humana.* 5
Peccata contra virtutes Theologicas, vel religionis virtutem vel iustitiam, & quæ ad luxuriam pertinent, sunt ex genere suo mortalia: quæ autem quispiam contra solum bonum proprium perpetrat, sunt ex genere suo venialia. ibid.
Peccatum quodcumque ex genere suo lethale, & in quacumque materia, potest fieri veniale ex perfectæ deliberationis defectu. 6
Peccatum mortale ex genere in veniale transit ratione paruitatis materiæ, si hæc paruitas in eo reperiatur. 7
In quibusdam peccatis hæc paruitas minimè reperitur, quoties scilicet, contingit integram irreuerentiæ & offensionis rationem in materia parua inueniri. ibid.
Peccata huiusmodi sunt illa, quæ immediatè & directè circa Deum versantur, vt odium Dei, contemptus ipsius, infidelitas, formalis blasphemia, periurium assertorium, & simonia. ibi.
Peccatum censetur veniale ratione paruitatis materiæ, quando res quæ præcipitur vel prohibetur est parua, non solùm secundùm se, verùm etiam per ordinem ad finem, vel circumstantias, propter quas talis res præcipitur vel prohibetur. ibid.
Quando res parua secundùm se efficitur grauis ratione finis vel circumstantiæ, tunc est materia peccati mortalis. ibid.
Communior & tutior in praxi sententia affirmant in rebus venereis non dari paruitatem materiæ excusantem à mortali. ib.
Peccatum veniale non transit in mortale, ex eo quòd nouum præceptum superioris aut diuinum naturale illud prohibens accedat, sed erit sola duplex venialis culpa. 8
Peccatum veniale non transit in mortale ratione vsus, & consuetudinis committendi venialia. ibid.
Venialenon transit in mortale ex peccantis dignitate aut sanctitate. ibid.
Probabilius est, habentem voluntatem committendi omnia peccata venialia, solaque mortalia vitandi, peccare mortaliter: quod locum habet præcipuè in religiosis. ibid.
Quoties parua postremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari, ita vt pro vna reputetur, nec effectus relicti continuari moraliter possunt, vnde multiplicatio transgressionis præcepti in materia parua, non constituit materiam grauem ac culpa lethalem. 9
Quando plurium transgressionum paruæ materiæ inter se moraliter vniuntur & coalescunt, siue secundùm seipsas, siue secũdùm effectum ab ipsis productum, tunc completur malitia mortalis in vltima transgressione. 9
In materia iniustitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione magna consurgit, ac sufficiens ad mortale. 10
Item hæc continuatio consurgit in materia intemperantiæ, & in festorum obseruatione. ibid.
Paruæ materiæ diuersorum præceptorum non coalescunt in vnum, nec faciunt quantitatem notabilem mortaliter peccaminosam. ibid.
In materia de voto, ex leui materia transgressionis sæpius repetitæ circa leuem materiam, coalescere & consurgere potest aliquid notabile, in quo fundari possit ratio mortalis peccati. ib.
Generaliter paruum & magnum non absolutè æstimandum est, sed cum comparatione ad totum cuius pars est, vt intelligatur sitne sufficiens mortalis peccati materia, necne. 11

Peccatũ veniale ex genere transit in mortale, rationis finis mortalis adiuncti: ratione specialis contemptus vel inobedientiæ: si ponatur in eo vltimus finis: ratione scandali: ratione periculi proximi in mortale incidendi; ratione conscientiæ erroneæ. 12

Idem numero peccatum veniale, manens idem in genere moris, non potest fieri mortale: nec è contra. ibid.

Probabilius est, non posse aliquem peccare venialiter, qui non possit mortaliter. 13

Communior sententia docet peccatum veniale posse consistere cum solo originali. 14

Peccatum commissionis & omissionis.

Peccatum commissionis est quod aduersatur præcepto negatiuo, omissionis verò, quod affirmatiuo. 1

Præceptum negatiuum est, quod vetat aliquam actionem realem: Affirmatiuum quod iubet actionem. ibid.

Peccatum commissionis differt specie à peccato omissionis, sed materialiter tantum, non formaliter. 2

Peccatum commissionis grauius est peccato omissionis. 3

In peccato commissionis necesse est, moraliter loquendo, reperiri aliquem actum, qui sit causa vel occasio omittendi, quãuis simpliciter & physicè secundùm possibilitatem logicam aliter fieri possit. 4

Actiones, quæ causa sunt opus debitum omittendi, malæ sunt & peccata, etiamsi aliàs bonæ essent. 5

Actiones, quæ neque sunt causa omissionis præcepti, neque sunt talis occasio, sed ipsam omissionem nudè comitantur, si aliunde non sint malæ, non sunt peccata, etiamsi sint incompossibiles cum executione præcepti. ibid.

Actio, quæ per se primò eligitur, & secundùm se sola consistere non potest cum obseruatione præcepti quod omittitur, etiam si eligatur post voluntatem omittendi, dicitur causa illius, & est mala: illa verò actio quæ secundariò eligitur, cum priore comes tantùm est, ideò non mala. ibid.

Vtroque tempore peccatur peccato omissionis, & quando causa omissionis potuit ac debuit vitari, & cùm causa voluntaria omissioni datur, & cùm accidit ipsa omissio, modò tamen hæc in sua causa maneat voluntaria. 6

Ipsum externum omissionis peccatum tunc existit, quando occurrit articulus præcepti. ibid.

Peccatum. Quoad illius causas.

Certum est peccatum habere aliquam causam. 1

Peccatum secundùm materiale, caulatur à voluntate creata; secundùm verò formale, non habet causam efficientem, sed deficientem. ibid.

Peccatum habet varias causas tum internas, tum externas. 2

Intra hominem sunt 1. voluntas, quæ est directa & integra causa peccati, actum malum eliciens & in se suscipiens. 2. Intellectus, vt proponens voluntati bonum commutabile, nec attendens ad regulam sibi præscriptam. 3. Imaginatio & appetitus vt inclinantes voluntatem ad consensum peccati. ibid.

Extra hominem sunt peccatorum causæ: Illecebræ mundi & carnis: diabolus: homo. ibid.

Peccatorum causæ internæ sunt quatuor, ignorantia intellectus, passio appetitus, malitia voluntatis, actus alterius peccati. 3

Peccatum ex ignorancia seu imperitia est, quod à vincibili ignorantia volumtarium diminuente, tamquam à causa per accidens præcedit. ibid.

Peccatum ex passione seu infirmitate est, quod fit ex motu appetitus sensitiui minuente libertatem voluntarij: talia sunt peccata ex vehementi ira, tristitia, libidine, &c. ibid.

Peccatum ex malitia est, quod ex plena libertate committitur. ibidem.

Inter hæc tria peccatorum genera, grauissimum est peccatum ex malitia; deinde sequitur peccatum ex passione. 4

Vnum peccatum potest & sæpe solet esse causa alterius peccati, idque secundùm omnia quatuor causarum genera. 5

Homo potest suasu & consilio suo, aliisque modis esse causa seu potiùs occasio peccati alterius. 6

Primus homo habuit peculiarem rationem causandi peccatum in posteros per naturalem propagationem. ibid.

Peccatum originale, origine vnum est & propagatione, non imitatione, transfusum omnibus, & inest vnicuique proprium. ibidem.

Quamuis Beatissima Virgo Maria, quatenus peccauit in Adamo, habuerit obligationem seu necessitatem contrahendi peccatũ originale, probabilissimum tamen est, de facto præseruatã fuisse, ne cum peccato originali conciperetur, & nasceretur. ibid.

Diabolus est author omnium peccatorum occasionaliter, plurimorum causaliter. ibid.

Obiecta sensibilia, seu res exteriores causæ nonnumquam peccati esse solent. ibid.

Orthodoxa sententia est Deum verè ac propriè loquendo, nullo modo esse causam authorem peccati. 7

Certum est Deum esse causam omnis actus secundùm genus naturæ considerati, siue in quantum est ens & actus, atque adeò esse etiam causam actus peccati, seu actus peccato subtrahi, tametsi non sit causa peccati formaliter. ibid.

Peccatum. Quoad eius distinctionem specificam & numericam.

Peccata cordis dicuntur illa, quæ complentur in ipsa ratione & voluntate, vt odium Dei vel proximi, &c. Peccata oris sunt illa, quæ consummantur in ore, vt detractio, mendacium, &c. Peccata operis sunt illa, quæ opere ipso perficiuntur, vt furtũ, homicidium, &c. 1

Peccata, quę complentur in corde ac voluntate differunt specie à peccatis, quæ perficiuntur & consummantur in ore, vel opere. ibid.

Peccata neque sunt paria, neque necessariò connexa. 2

Inæqualitas peccatorum specifica & principalis desumitur à diuersitate obiectorum seu finium intrinsecorum, prout vnum obiectum magis quam alterum rationi repugnat. 3

Peccati grauitas attenditur vel ex dignitate & perfectione virtutis, cui opponitur, vel secundùm eius causas, vel ex circumstantijs, vel ex conditione personæ peccantis, vel in quam peccatur, vel ex nocumento siue corporali, siue temporali, siue spirituali, quod peccans sibi aut alteri infert. ibid.

Peccata distinguuntur specie secundum oppositas virtutes, ac per consequens secundùm priuationes rectitudinis virtutum oppositarum, & hoc est distingui secundùm obiecta. 4

Diuersitas præceptorum materialis sola non inducit diuersitatem specificam peccatorum. 5

Quando præcepta sunt diuersa formaliter & ex parte obiecti specie distincti etiam in materia eiusdem virtutis, peccata quæ illis præceptis opponuntur sunt diuersæ speciei. ibid.

Distinctio numerica peccatorum internorum desumenda est ex distinctis numero malitijs, seu contrarietatibus ad rationem. 6

Tot erunt distincta numero peccata intra eamdem speciem, quot erunt actus voluntatis moraliter interrupti circa idem obiectum peccati. ibid.

Actus voluntatis censetur moraliter interruptus, quando voluntas prior est, vel per contrariam voluntatem reuocata, vel per voluntariam cessationem ab actu. 6

Probabilissimum est, in eodem actu posse dari plures malitias solo numero distinctas, & in confessione aperiendas. 7

Quando circa duo vel plura obiecta distincta, duo vel plures actus successiuè versantur, non vnum tantummodo peccatum committitur, sed plura. ibid.

Peccata quæ sermone complentur, multiplicantur specie & augentur numero, quando verbum seu sermo dirigitur & refertur ad obiecta specie diuersa, iuxta probabiliorem sententiã. 8

Peccata, quæ opere consummantur specie multiplicantur vel ex obiectis specie distinctis, vel ex fine, vel ex circumstantijs mutantibus speciem. 9

Peccata operis numero multiplicantur vel ex multiplicatione operis interrupti moraliter, vel ex multiplicatione obiectorum, quæ numero distinguuntur. 10

Vsus totius Ecclesiæ habet actus præcedentes & concomitantes peccatum, qui ex intentione referuntur ad actum principalem non esse numero distincta peccata, nec in confessione esse necessariò explicanda, sed sufficere dicere actum principalem. 11

Probabilissimum est oscula, tactus, amplexus, qui copulam subsequuntur esse explicanda in confessione: quamuis contrarium in praxi obseruetur.

Si actus qui præcedunt vel comitantur actum principalem, habeant malitiam distinctam ab actu principali, distinguuntur numero, & sunt distinctè exprimendi in confessione. ibid.

Quando tactus, oscula, vel amplexus non fiunt ex affectu fornicationis, sed, tantùm ob libidinem in ipsis repertam, si fornicatio postea fiat ex alio affectu, tunc erunt peccatum distinctum à fornicatione. ibid.

Peccatum. Quoad illius subiectum.

Peccatum formaliter sumptum est in sola voluntate: denominatiuè verò potest esse in intellectu seu ratione, in imaginatione, & appetitu sensitiuo, in ore & opere. 1

In

In sensualitate nullum est peccatum sine ordine ad voluntatem: cum dependentia tamen à voluntate, potest esse peccatum in sensualitate seu appetitu sensitiuo. 2
Vt motus sensualitatis culpabiles sint ex parte libertatis requiritur aduertentia ex parte intellectus: & consensus ex parte voluntatis. ibid.
De fide est motus sensualitatis primò primos, id est præuenientes rationem & voluntatem, non esse peccata mortalia. ibid.
Motus sensualitatis primò primi non sunt peccata venialia; sicut nec primi motus voluntatis & intellectus. ibid.
Motus secundò primi, id est, qui partim sequuntur rationem, partim præueniunt, vt plurimùm sunt peccata venialia. ibid.
Motus secundò secundi, id est perfectè deliberati, sunt peccata pro ratione materiæ, venialia vel mortalia. ibid.
Vt motus appetitus ex causa voluntaria non sint peccata, etiamsi expressè voliti & in seipsis essent peccata mortalia, requiritur vt quis expertus sit se non incurrere probabiliter periculum consentiendi per voluntatem in tales motus, & vt causa voluntaria quæ adhibetur, habeat vel honestatem, vel vtilitatem, vel necessitatem aliquam. 3

Peccatum. Quoad illius effectus.

Peccatorum effectus potissimi sunt tres: *Corruptio naturæ, Macula animæ, Reatus pœnæ.* 1
De fide est, peccatum corrumpere naturam, vt patet ex Trident. ibidem.
Peccatum neque tollit, neque minuit principia naturæ, aut eius proprietates naturales. ibid.
Peccatum tollit harmoniam animæ, per quam sensualitas rationi, & ratio plenè subijciebatur Deo: item corporis impatibilitatem & immortalitatem. 1
Peccatum impedit inclinationem ad bonum, non tollit. ibid.
Secundus effectus peccati est *macula in anima* post peccatum relicta, quæ non nisi gratia abluente & animæ inhærente, tolli potest. 2
Macula peccati non est reatus seu obligatio ad pœnam, sed defectus seu priuatio nitoris animæ. ibid.
Ex peccato veniali contrahitur etiam macula ex parte. ibid.
Tertius effectus peccati est *reatus pœnæ*: qui nihil aliud est, quàm quòd homo per peccatum dignus sit pœna: atque adeò ad pœnam luendam diuinitus ordinatur. 3
Aliud est culpa, aliud pœna, aliud reatus pœnæ, aliud debitum pœnæ. ibid.
Peccatum mortale personale meretur pœnam æternam, tum damni, tum sensus. 4
Peccatum veniale meretur pœnam temporalem, tam damni, quàm sensus: per accidens tamen peccatum veniale coniunctum mortali personali, in inferno punitur æterna pœna. 5

Peculium.

Quadruplex genus peculij potest competere filijsfamilias, *Castrense, quasi Castrense, Aduentitium, Profectitium.* 6
De peculio religiosorum, vide *Paupertas religiosa* num. 9. & sequentibus. *Peccatum contra naturam.*
Peccatum contra naturam generatim est, quod est contra dictamen rationis naturalis: strictè verò, quod est contra ordinem, quem natura etiam in cæteris animantibus requirit, seu quem natura illius actus postulat, vt possit sequi generatio. 4
De hoc peccato, vide verb. *Luxuria.*

Pensio, Pensionarius.

Pensio est ius certæ pensionis ad tempus exigendæ aut soluendæ, ex determinato beneficio, aut à beneficiario Ecclesiastica beneficia possidente. 1
Pensio differt à beneficio in duobus. ibid.
Pensio duplex est, laica & clericalis. 2
Pensio clericalis, vna est simpliciter spiritualis; altera media, siue mixta. ibid.
De iure communi nullus potest pensiones imponere, nisi Summus Pont. fex: in certis tamen casibus, consuetudine iam præscripta, & ex iusta causa pensionem constituere possunt Episcopi. 3
Non potest Princeps sine consensu Pontificis pensionibus Abbates onerare, nisi sub beneplacito Papæ: quod antequam interueniat, nullas vires habet vlla promissio, aut effectum obligatio. ibid.
Qui ante beneplaciti Papæ interuentum vtitur effectu talis reseruationis exigendo aut recipiendo pensionis solutionem, non excusatur à pœna simoniæ, & tenetur recipiens ad restitutionem: vt traditur in bullis *Pij IV. & V.* super confidentijs editis. ibid.
Legati à latere possunt etiam ex causa rationabili pensiones imponere, eodem modo, quo Episcopi. 4
Papa omnibus personis, tam veris quàm fictis potest pensiones conferre, etiam feminis, infantibus, irregularibus. 5
Pensionarij obligationes multæ sunt. 6
Peccata quæ in materia pensionis committi possunt, reducuntur ad iniustitiam, iniquitatem, simoniam & confidentiam. 7
Pensionarius contra iustitiam peccat, si exigat sine iusto titulo pensionem, vel non verificata conditione narrata. ibid.
Pensionarius contra æquitatem peccat si beneficiario omninò grauato, vel exiguos fructus colligente, integram pensionem velit exigere. 8
Simoniacè peccari potest in materia pensionum, sed hæc simonia illicita est, quia prohibita. 9
Pensio quæ datur ad officium aliquod spirituale, non potest pretio vendi, neque redimi absque vitio simoniæ. 10
Pensio quæ fundatur in titulo merè temporali, potest vendi pretio & redimi sine simonia. 10
Probabilius est tãdo soli rationi licere redimere pensiones mixtas etiam sine authoritate Papæ. ibid.
Pensiones mixtæ ex praxi recepta solent redimi seu extinguij cõsentiente pensionario, quinque annatis. ibid.
Qui non habet facultatem transferendi, non potest vllo modo de pensione ipsa, quoad ius ipsum exigendi fructus contrahere illam vendendo, permutando, &c. 11
Qui potest transferre pensionem, non potest id facere accepto pretio sine simonia. 12
Nõ committitur confidentia simoniaca, quando pensio ceditur, transfertur, confertur cum confidentia vitiosa, interueniente pacto de actione omnium, vel partis fructuum, in fauorem conferentis vel alterius. 13
Pensio debet esse moderata, consuetudine iam ferè introductum est, vt pro pensione ex beneficio tertia redituum pars extrahatur. 14
Probabilius est, inualidam esse collationem pensionis factam excommunicato, modò sit pensio tituli clericalis, non sæcularis. 16
Pensionarius non tenetur officium magnum recitare, sed tantùm officium paruum Beatæ Virginis sub eadem pœna, sub qua beneficiarius tenetur ad recitationem diuini officij, modò pensionarius vt clericus pensionem percipiat. 20
Pensionarius, qui paruum officium Beatę Virginis prætermisit, tenetur fructus restituere fabricæ, vel pauperibus, non verò beneficiarijs. 11

Penuria confessarij.

Penuria confessarij quæ occurrere debet cum necessitate, vt cõscius peccati mortalis possit licitè communicare cum actu cõtritionis, non præmissa confessione Sacramentali, contingere potest in quatuor casibus præcipuè. 35

Peregrinatio.

Peregrinatio iustè, & legitimè quamuis suscepta ad certa loca pia, & religiosa, iustam non præbet excusationem precum canonicarum. 3
Peregrinantes ad loca sancta non excusantur à ieiunio, si peregrinatio commodè differri possit. 9
Ad commutandum votum peregrinationis expendi debent expensæ quas facturus erat, qui vouit, item considerandus est labor itineris &c. 19
De votis peregrinationis vide *Votum III.* n. 18.

Peregrinus.

Peregrinus potest absolui à casibus reseruatis suo Episcopo, extra diœcesim existens, à confessario qui non habet facultatem absoluendi à reseruatis, modo illi casus non sint reseruati etiã Episcopo loci in quo confitetur. 9
Si peregrinus habeat casus reseruatos vtrique Episcopo, videlicet, Episcopo proprij domicilij, & Episcopo loci in quo reperitur, non potest absolui. 10
peregrinus habens casus reseruatos Episcopo loci in quo confitetur, qui non sint reseruati Episcopo domicilij, non potest à quolibet simplici confessario absolui. 11
peregrinus non ligatur censura lata ab Episcopo vel alio prælato Papa inferiore, contra committentes aliquod speciale peccatum, si breui tempore in illa diœcesi commoretur. 19
peregrini non possunt leges humanas per consuetudinem abrogare. 6
peregrini qui extra parochiam suam ad certum tempus commoran-

morantur,possunt tempore Paschatis Eucharistiam sumere in Ecclesiis regularium, modò ad suam parochiam commodè accedere nequeant. 11
Peregrini ex consuetudine possunt sua peccata confiteri cuilibet Sacerdoti approbato ad Confessiones, in loco vbi reperiuntur. 16
Peregrinus, qui pernenit ad aliquem locum, in quo celebratur dies festus, qui non celebratur in proprio territorio, non tenetur,per se loquendo, Missam audire in eo loco. 10
Vide,verb. *Lex III.*n.5.6.& 8. *Ieiunium* 1.n.19.

Periculum peccati.

Ratione periculi proximi in mortale incidendi, peccatum veniale transit in mortale:tunc autem contingit hoc morale proximum periculum, quando ex suo genere occasio talis est, vt frequenter homines similis conditionis ad peccatum mortale inducat,vel experimento constet in hoc homine talem effectum habere. 12
Proximum periculum peccati non est, si sit tantùm probabile, quoniam si illud probabiliter subsit, probabiliter etiam non subest: periculum enim vt censeatur proximum, debet esse euidens physicè aut moraliter. 7
Ad proximum periculum inducendum, materia debet esse grauis, nulla enim euidentia potest dari physica aut moralis, si materia sit leuis. ibid.

Periurium.

Periurium est dolus in sermone iurato,seu falsum iuramentum & mortale est periurium formale, vt cum quis aduertit se falsum iurare,& vult iurare. 2
Si quis periuret ex lapsu linguæ aut inaduertenter, vel ignoranter,non erit mortale. ibid.
Multæ sunt periurij pœnæ vtroque iure statutæ. 1
Periurium in iudicio inducit infamiam,& irregularitatem. 5
Periurus repellitur à testimonio ferendo, & à iuramento emittendo in iudicio. 1
Periurium in iudicio regulari, & legitimo potest reseruari à religionum prælatis. 40

Persona sacra.

Nomine personarum sacrarum veniunt clerici, & religiosi, siue sint professi,siue non. 2
Contra personam sacram quatuor modis sacrilegium contingere potest. ibid.

Personatus.

Personatus est quędam prærogatiua in Ecclesia sine iurisdictione,vt habere statum honorificum in choro, capitulo, in vocibus dandis,& in processionibus, plusquam alij sui ordinis Canonici. 3

Percussio.

Percussio Cardinalis vel Episcopi est crimen ob quod percutiens amittit ipso iure sua beneficia. 3
Percussio grauis cuiuscumque personæ est casus reseruabilis à religionum prælatis iuxta Decretum *Clementis VIII.* 40
Percussio grauis dicitur, quæ coniuncta est cum graui læsione vel iniuria. §. 10
De percussione clericorum ob quam incurritur excommunicatio,vide verb. *Excommunicatio VII.*§. *vnico.*
Qui Cardinalem hostiliter percusserunt sunt intestabiles. 6
Percutiens clericum sępius successiuè eodem tempore vnam tãtummodo excommunicationem incurrit. 23
Percutiens plures clericos successiuè, tot excommunicationes incurrit,quot sunt clerici qui percutiuntur successiuè. 24
Percutiens simul vno actu plures clericos,secundùm probabiliorem sententiam,incurrit plures excommunicationes, iuxta numerum clericorum,qui percutiuntur. 26
Quando vnus percussit leuiter,sed alij postea accedentes lethaliter percusserunt, absque cooperatione illius, qui leuiter percussit,vtrimi sunt irregulares,si sequatur mors. 6
Communior sententia asserit esse irregularem eum qui iniustè percussit, leuiter tamen, & non mortiferè, si propter eam percussionem vel ex negligentia medici, aut chirurgi imperitia, vel culpa,& malo regimine ipsius percussi, sequatur mors. 7

Perfectio religionum.

Perfectio religionum primò spectatur ex fine,secundariò ex mediis. 13
An religiosi teneantur esse perfecti vide verb. *Obedientia* n.17. & sequentibus.

Petitio iuramenti.

Quando iusta causa subest petendi iuramentum,licitè potest exigi ab eo,qui creditur peieraturus. 64

Pignus.

Pignus latè sumptum,res est subiecta vel obligata pro debito, vt si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit: strictè sumptum addit traditionem eius creditori, vel alteri loco illius. 1
Pignoris obligatio nascitur vel ex prætoris iurisdictione, vel ex partium conuentione, vel ex iuris constitutione. 2
Pignus aliud dicitur prætorium,aliud conuentionale, aliud legitimum. 2
Pignus legitimum seu hypotheca est, quæ neque iudicis præcepto,neque partium conuentione,sed legis dispositione constituitur, vnde tacita hypotheca vocari solet. 3
Pignori subijci possunt non solùm res corporales quæ iam existunt,verùm etiam quæ erunt,& futuræ sperantur. 4
Illa non possunt esse pignori, quæ non possunt vendi. 5
Qui habet liberam suarum rerum vel aliorum bonorum administrationem,potest pignori dare: aliàs non. 6
Varia peccata circa pignora possunt contingere. 7
Qui dat mutuum, & vicissim recipit pignus à mutuatario, tenetur mutuans fructus pignoris in sortem computare, si pignus tantùm propter securitatem sortis datum sit: secùs si vt creditor interim eo fruatur loco pecuniæ. 4

Pietas.

Pietas excusat à ieiunio, & ob illam excusantur omnes,qui operibus præstantioribus vel maioris momenti incumbunt, quæ ipsi vnà cum ieiunio perficere non possunt. 9
Ratione pietatis non sunt licita opera seruilia in die festo, vt si exerceantur in fauorem Ecclesiæ, vel ob pauperes alendos. 11

Pingere.

Pingere diebus festis non licet præsertim lucri gratia,pingens tamen gratia reficiendi animum aut addiscendi, non facit opus seruile. 9
Pingere Amasio imaginem concubinæ non licet, si putetur ea imagine abusurus ad libidinem:non esset tamen mortale :illam depingere ex graui aliqua causa, v. g. metu mortis,aut vulneris. §. 5

Piscatio.

Piscatio ob voluptatem, & recreationem maximè accedit ad opus liberum, illa verò quæ fit in mari ex officio, & quæ tota posita est in corporis defatigatione, est opus seruile, & prohibita in die festo:quamuis contrarium non sit improbabile. 11
Vide verb. *Venatio.*

Pœna.

Pœna est id quod pro culpa infertur: nomine autem pœnę loquendo iuridicè, & non Theologicè venit solùm corporalis. 1
Pœna à Tebologis duplex ponitur, priuatiua, scilicet, & positiua. 2
Pœna à Iurisperitis diuiditur secundum se in spiritualem, corporalem,& pecuniariam. 3
Ex parte causæ pœnam inferentis constituitur pœna legalis, iudicialis, & conuentionalis. 4
In fauorabilibus pœna imposita à iure in vno casu, videtur imposita in alio,quando illa duo in iure æquiparantur,sed in penalibus contrarium est dicendum. 5
Pœna imposita à iure vel statuto in aliquo delicto, locum non habet in actu vicino ipsi delicto, nisi quis actum perficiat: secus si per decretum Iudicis sit imponenda. 6
Pœnę positiuæ,quæ ad sui executionem aliqua actione indigent, siue imponantur ipso iure, siue facto, non incurruntur sine sententia iudicis,& executione per ipsum. 7
Pœnæ priuatiuæ, quæ nullam ad sui executionem desiderant, sed secum trahunt executionem,vt censuræ,irregularitas,nulla opus est sententia ad illas incurrendas. ibid.
Probabilius est pœnam conuentionalem non deberi ante iudicis sententiam. 8
Quæ sint pœnæ adulterij. 2
Pœnæ contra blasphemantes. 9
Pœnæ contra concubinarios clericos & sæculares. 4
Pœnæ violantium sigillum Sacramentale confessionis. 2
Pœnæ reatus non est aliud, quàm quòd homo per peccatum dignus sit pœna, atque ad pœnam luendam diuinitus ordinatur. 3
Pœnæ periurij. 1

Pœnæ contra non soluentes decimas, aut impedientes earum solutionem. 15
Pœnæ contra committentes crimen falsi. 3
Pœnæ hæreticorum. 19
Pœnæ contra Apostatas à fide. 2
Pœnæ contra Apostatas à religione. 6
Pœnæ ignorantia inuincibilis non excusat à peccato. 16
Pœnę ignorantia iure diuino vel naturali inflictæ peccato, non excusat à pœna. ibid.
Verius est ignorantiam pœnæ excommunicationis, suspensionis, interdicti, irregularitatis ex delicto, excusare ab incurrenda pœna. 17
Pœnæ violantium immunitatem ecclesiasticam. 15
Pœnæ contra committentem incestum cum consanguinea vxoris in primo & secundo gradu. 6
Pœna temporalis debita pro peccatis actualibus iam dimissis relaxatur per indulgentias. 1
Pœnæ violantium interdictum. 2
Pœna à iure taxata non potest relaxari ab inferiore iudice: pœna autem quæ iniungitur in satisfactionem partis læsæ potest remitti, ex consensu partis: pœna arbitraria minui potest & augeri intra terminos æquitatis. 10
Quando ex pœna graui legi iustæ apposita, colligatur obligatio legis obligantis ad mortale. 7. & seq.
Pœnæ contra religiosos proprietarios. 20
Pœnæ contra simoniacos.
Pœnæ contra raptores mulierum. 4. & seq.
Pœnæ contra religiosos ad aliam religionem aduolantes etiam in casu permisso. 5
Pœnæ contra schismaticos. 5
Reus negans veritatem non tenetur ad soluendam pœnam, quam manifestata veritate persoluisset, modò ad eam pœnam non teneretur ante sententiam. 17
Pœnæ manifesti vsurarij. 4
Pœnæ quas Deus infert pro vitio murmurationis, multiplices in scripturis enumerantur. 7

Pœnitentia. Vt est virtus.

Pœnitentia vt est virtus nihil est aliud quàm dolor animi seipsum affligentis, vel punientis ob malè commissa, vel omissa. num. 1
Pœnitentia vt virtus est, conuenit in quinque cum ea vt est sacramentum. 2
In his quinque differunt virtus & sacramentum pœnitentiæ. 3
Pœnitentia non est virtus Theologica, sed moralis per se infusa & supernaturalis. 4
Obiectum materiale pœnitentiæ vt fugiendum, est malum culpæ; vt amplectendum, est aliquod opus bonum. 5
Obiectum formale pœnitentiæ est resarcire diuinam iniuriam & velle satisfacere pro pœna. ibid.
Actus pœnitentiæ alij sunt externi, alij interni. 6
Ad veram pœnitentiam interiorem sex partes requiruntur. 7
Pœnitentiæ exterioris tres sunt species, vna dicitur solemnis, altera publica, tertia secreta sacramentalis. ibid.

Pœnitentia. Vt est sacramentum, de eius institutione, necessitate & præcepto.

Pœnitentia est sacramentum nouæ legis à Christo institutum, cùm dixit, *Accipite spiritum Sanctum*, &c. 1
Pœnitentia definitur sacramentum reconciliationis post lapsum in actibus pœnitentis & absolutione sacerdotis consistens. 2
In sacramento pœnitentiæ est res tantùm, sacramentum tantùm & res ac sacramentum simul. 3
Pœnitentiæ sacramentum in lege noua necessarium est medium ad salutem, in re vel in voto, si homo baptizatus in mortale peccatum sit lapsus. 4
Quomodo peccatum mortale remittatur per sacramentum pœnitentiæ in voto susceptum. 5
Qui contritione iustificatus est à peccato mortali, iure diuino tenetur peccatum illud confiteri, & recipere absolutionem. 6

Pœnitentia. Quoad effectus primarios sacramenti Pœnitentiæ.

Effectus primarij sacramenti pœnitentiæ sunt quatuor. Remissio peccati mortalis. Commutatio pœnæ æternæ in temporalem. Sacramentalis gratia: & ablatio reliquiarum peccatorum. n. 1
Extra casum naturalis obliuionis vel inconsiderationis, numquam remittitur peccatum sine formali actu pœnitentiæ; quando autem deest pœnitentia formalis, necessarius est actus dilectionis Dei super omnia; secluso sacramento & Martyrio. 2
De fide est, vnum peccatum mortale non posse remitti sine alio de potentia Dei ordinaria. 3
Licet pœnitentia per se & directè tantùm deleat peccata confessa, per accidens tamen & indirectè delentur etiam oblita & omissa ex causa excusante. ibid.
Commutatio pœnæ æternæ in temporalem est secundus effectus sacramenti pœnitentiæ. 4
Gratia sacramentalis, id est, speciale auxilium diuinum ad vitanda peccata, est tertius effectus sacramenti pœnitentiæ. 5
Quartus effectus est tollere reliquias peccatorum ex parte, vt propensiones in parua obiecta relicta ex varijs. 6

Pœnitentia. Quoad illius effectus secundarios.

Effectus secundarij sacramenti pœnitentiæ sunt tres. Remissio venialium. Viuificatio operis sacramenti ficte suscepti. Restitutio in pristinam dignitatem, & merita. n. 1
Remissio peccati venialis est beneficium gratiæ, nec potest viribus naturæ comparari, sine auxilio Dei gratuito. ibid.
Nullum veniale dimitti potest, cùm de eo voluntas actu vel virtute sibi complacet. 2
Ad tollenda venialia sufficit virtualis pœnitentia. ibid.
Quæcumque contritio tollit respectiuè omnia peccata venialia de quibus habetur: Attritio autem in peccatore non est sufficiens ad venialia delenda. 3
Omnia peccata venialia, cum quibus homo iustus moritur remittuntur quoad culpam in primo instanti separationis animę à corpore. 4
Peccatum veniale coniunctum cum mortali remittitur per sacramenta; imò veniale per se solùm in homine iusto remittitur per sacramenta ex opere operato. 5
Per sacramentalia remittuntur peccata venialia, sed non ex opere operato, iuxta tutiorem sententiam. 6
Sacramentalia sunt remedia quædam ab Ecclesia instituta, quibus solet attribui effectus remissionis venialium; & sunt nouem. 7
Secundus effectus secundarius pœnitentiæ est, quod viuificat opus sacramenti fictè susceptí. 8
Tertius effectus minùs præcipuus pœnitentiæ est, in primam virtutum dignitatem restituere: ita vt opera bona per peccatum mortale mortificata reuiuiscant. 9
Omnia & sola opera reuiuiscunt, quæ aliquando vixerunt, nempe opera supernaturalia iustorum, quibus Deus promisit vitam æternam. ibid.

Placitum.

Placitum est sententia ciuilis & strepitus iudicialis, iudicum & notariorum, actorum, reorum, testium, procuratorum & aduocatorum concurrentium ad tale iudicium: hoc prohibetur fieri in die festo: imò irritatur, si eo die fiat, nisi necessitas aut pietas excuset. 16

Polygamia.

Polygamia mulieris est contra ius naturæ, polygamia autem viri est præter ius naturæ, nec admittit dispensationem humanam, sed tantum diuinam. 59

Pollutio.

Vide verb. *Luxuria. Sacrilegium. I.* n. 6. 7. 8. *Communio* n. 47.

Pontificalia.

Pontificalium nomine intelliguntur insignia Pontificalia, vt vsus mitræ, baculi, & pallij. n. 10
In Tridentino expressè cauetur, ne vllus Episcopus in alterius Diœcesi Pontificalia exerceat absque Ordinarij loci expressa licentia, & in personas alteri Ordinario subiectas, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ. 8
Episcopus potest extra Diœcesim conferre tonsuram vel benedictionem solemnem, aut canere missam Pontificalem absque prædicta licentia, cùm hæc non veniant nomine Pontificalium. ibid.
A Pontificalibus suspensus tantùm, solùm suspenditur ab exercitio eorum, quæ concernunt vsum ordinis Episcopatus, qualia sunt confirmare, ordines conferre, consecrare Ecclesias, non tamen ab his quæ iurisdictionis sunt. 10

Possessio. Possessor.

Possessio dicitur à pedum positione: accipitur autem possessio pro actu possidendi, & sic est possessio facti: ius autem possidendi, dicitur possessio iuris. n. 1
Possessio facti est detentio rei corporalis vel apprehensio, adminiculo corporis, & animi & iuris. 2

Poſſeſſio iuris eſt ius inſiſtendi alicui rei, tamquam ſuæ non prohibitæ poſſidere i. 3
Poſſeſſio diuiditur in ciuilem, naturalem & mixtam. 4
Poſſeſſio acquiritur, Apprehenſione vera; apprehenſione ficta; legis diſpoſitione. 5
Apprehenſio vera eſt, quæ fit manibus vel pedibus. ibid.
Poſſeſſio iuris fictione acquiritur ſine apprehenſione corporali multis modis. 6
Poſſeſſio, legum diſpoſitione interdum transfertur abſque vlla vera vel ficta apprehenſione, ſi leges ita ſtatuant. 7
Poſſeſſio iurium, & ſeruitutum duobus modis acquiritur. 8
Poſſeſſio reum mobilium, tum ciuilis, tum naturalis, multis modis amittitur. 9
Priuilegia poſſeſſionis bonæ fidei plurima ſunt. 10
Poſſeſſio ciuilis rei precario datæ manet apud Dominum illius: naturalis verò eſt penes accipientem. 2
Sine poſſeſſione propria, ciuili tantùm, vel ciuili, & naturali ſimul, non datur præſcriptio. 3
Poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit. 4
Si quis vi poſſeſſionem beneficij ſit ingreſſus, ipſo iure beneficium amittit. 3
Poſſeſſio beneficij datur de iure per Archidiaconum, vel decanum, hodie tamen per quemcumque capitur Notarium. 10
Nemo per ſeipſum poteſt capere poſſeſſionem. ibid.
Non requiritur inſtrumentum, ſed ſufficit ſcriptura priuata, trino teſte ſignata. ibid.
Probatur poſſeſſio per inſtrumenta, ſcripturã priuatam, & per teſtes. Accipiens poſſeſſionem debet ingredi Eccleſiam aqua benedicta aſpergi, maius altare oſculari, &c. ibid.
Quomodo poſſeſſor bonæ vel malæ fidei rei alienæ teneatur ad reſtitutionem, vide verb. *Reſtitutio II. & Reſtitutio IV.* n.5. & ſequent.
Plura de poſſeſſione vide verb. *Dubium. Fructus.*

Poſtulatio.

Poſtulatio eſt ſupplex quædam à collegio Canonicorum facta apud Superiorem petitio, quâ petitur vt aliquis certæ Eccleſiæ vacanti præficiatur, & hæc habet tantùm locum in Prælaturis. 5

Poteſtas.

Poteſtas concedendi priuilegium vel diſpenſationem latè eſt interpretanda, ſeruata verborum proprietate. 12
Poteſtas diſpenſandi non extenditur, quoties vergit in præiudicium tertij, vel quanddo præiudicat illi, qui facultatem ordinariam habet ad diſpenſandum. 13
Poteſtas diſpenſandi vel commutandi vota alicui conceſſa, extenditur etiam ad vota poſt conceſſionem facultatis facta. 11
Poteſtas ordinis ſacerdotalis, vna eſt in Corpus Chriſti verum ad conſecrandum illud in ſacramento Euchariſtiæ: altera in Corpus Chriſti myſticum, ad ſacramenta fidelibus adminiſtranda. 2
Poteſtas clauium apud Theologos, intelligitur poteſtas collata ſacerdoti, qua tollitur impedimentum intrandi gloriam cœlorum. 4
Poteſtas iuriſdictionis, quamuis habitualiter ſeu aptitudinaliter eadem videatur eſſe cum poteſtate ordinis, ſuperadditur tamen illi actualiter applicatio materiæ, circa quam exerceri debet. 5
Vide *Prælatus n.2.*

Precarium.

Precarium eſt quod precibus petenti vtendum conceditur, tamdiu quamdiu is qui conceſſit, patitur, & non reuocauerit. n.1
Quæ pertineant ad ſubſtantiam contractus precarij. 2
Qui precario accepit, & habet, ſolùm tenetur ex dolo, & lata culpa, non autem ex leui vel leuiſſima. 3
Precarium quatuor modis ſoluitur ſeu finitur. 4
Quando precarium conceditur non ad tempus finitum, reputatur conceſſum quouſque non reuocetur, aut pœniteat concedentem. 5
Ex præcario conceſſo ſimpliciter, & abſolutè, nulla oritur ciuilis actio, qua repetatur. 6
Precarium differt à precaria, & precatijs. 7

Preces.

Preces importunę ſuperiorum reducuntur ad metum cadentem in conſtantem virum, & reuerentialem. 20
Qui precibus importunis vel muneribus vel ſuaſionibus ac blanditijs aſſiduis copulam extorſit à virgine non tenetur quidquam reſtituere, niſi coniunctæ fuerint minæ, aut metus reuerentialis: iuxta probabiliorem ſententiam. 2
Vide *Confeſſio V II.* n.20.

Pretium.

Pretium eſt nummus ſeu pecunia quæ inuenta eſt, vt menſura omnium rerum venalium; & merx eſſe non poteſt, aut inſtar mercis vendi, niſi ratione materiæ vel alterius circumſtantiæ extrinſecæ. 1
Pretium rerum venalium impoſitum à Principe, dicitur legitimum, id eſt, quaſi lege definitum: cùm imponitur communi hominum intelligentium æſtimatione, dicitur vulgare ſeu naturale. 11
Pretium vulgare, aliud eſt infimum, aliud medium ſeu moderatum, aliud rigoroſum ſeu ſupremum. ib.
Iuſtitia iuſti pretij naturalis ex tribus deſumi poteſt. 12
Iuſtum pretium rerum, quæ nec lege, nec communi æſtimatione taxatæ ſunt, ſumendum eſt ex iudicio intelligentis mercatoris, qui ſpectatis circumſtantijs illam exiſtimet. 8
Iuſtum pretium cenſuum conſtituitur lege Principis, & [illegible] deficiente, conſuetudine communi apud diuites, & inopes, ſic vendendi cenſus. 27
Pretium cenſus deficiente lege, & conſuetudine optimè conſtituitur ex proportione pretij rerum fructiferarum. 28
Pretium acceptum pro re ſpirituali reſtituendum eſt iure diuino, illi, qui tradidit, etiamſi res ſpiritualis, nondum tradita ſit: ſi verò beneficium ſit traditum, pretium reſtituendum eſt Eccleſ. non danti. 1
Pretium ſimoniacè, ſed non iniuſtè acceptum, non eſt obnoxium reſtitutioni iure naturali diuino: ſecus ſi pretium ſit ſimoniacè & iniuſtè acceptum. 2
De diuiſione pretij ſimoniaci, vide verb. *Simonia II.*

Præceptum.

Præceptum eſt motio ſuperioris aut legis imperatiua alicuius faciendi vel omittendi ex debito, id eſt, ex neceſſitate ſalutis. 1
Præceptum differt à mandato, & conſilio. ibid.
Præceptum in lege veteri fuit triplex, ſcilicet, morale, iudiciale, cæremoniale. 2
Præceptum morale aliud eſt affirmatiuum, aliud negatiuum. ibidem.
Præceptum de ſingulari bono non habet rationem legis, niſi ſecundùm ordinem ad bonum commune, hoc eſt, quando commune omnibus eſt. 3
Præceptum finitur morte præcipientis: lex autem donec à ſucceſſore, vel conſuetudine abrogetur, perſeuerat. 4
Nullum præceptum ſiue diuinum, ſiue naturale, ſiue humanum impleri poteſt, niſi per actum humanum, & liberum, quo quis velit efficere id, quod præceptum iniungit. 4
Ad præcepti impletionem non exigitur intentio ſatisfaciendi præcepto per id opus. 5
Præcepta negatiua impleri poſſunt ſine vlla intentione, & voluntate: affirmatiua minimè; cùm requirant actionem liberam. ibidem.
Verius eſt illum, qui fecit pœnitentiam impoſitam à confeſſario abſque intentione illam implendi, imò cum intentione contraria, non teneri denuò illam facere. ibid.
Probabilius eſt obligationi iuſtitiæ non ſatisfieri, abſque animo illi ſatisfaciendi. ibid.
Item probabilius eſt præcepto ſatisfieri, etiamſi adſit voluntas, & intentio non ſatisfaciendi præcepto per illud opus. 6
Qui intentionem habet non ſatisfaciendi præcepto, etiamſi illud materialiter exequatur peccat mortaliter, non contra illud præceptum ſpeciale, ſed contra præceptum naturale diuinum, quo quiſque ſubiectus eſſe tenetur legi, & legislatori. 7
Certum eſt per actus, qui peccata ſunt, ſatisfieri præceptis. 8
Pluribus præceptis ſatisfieri poteſt vnico actu. 9
Tranſgreſſio operis duplici præcepto iuncti, non eſt duplex culpa, neque circumſtantiam in confeſsione aperiendam continet; ſed tunc demum erit duplex culpa, quando præcepta ad diuerſas virtutes pertinent. 10
Poteſt vno, & eodem tempore, diuerſis actibus duplici præcepto ſatisfieri, quando vnum non impedit aliud. 11
Quando duo præcepta incompatibilia concurrunt, eſt violandum quod minus obligat, quia ceſſat. 12
Quando attentis omnibus circumſtantijs vis maior neutri us præcepti incompatibilis conſtat, vtrumuis elegi poteſt. 13
Præcepta Decalogi ſunt iuris naturalis. 14
Præceptum ſuperioris de re leui non obligat ad mortale, etiamſi qui

qui præcipit id velit, & inbeat in virtute ſanctæ obedientiæ. 15
Finis præcepti non cadit ſub præceptum. 16
Vide verb. *Lex. Prælatus. Peccatum II. Conſcientia* n.36.37. *Abbatiſſa* n.4.

Prabenda.

Præbenda canonicum non facit, ſed potiùs collatio iuris ſpiritualis facta ab eo, qui poteſtatem habet. n.5
Receptus in canonicum cum promiſſione præbendæ, eamdem exigere poteſt, cùm occaſio ſe obtulerit. 6

Præcipitatio.

Præcipitatio eſt filia luxuria. n.2
Præcipitatio non eſt peccatum mortale, niſi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui ſe homo exponit præcipitanter iudicando, & agendo. 5

Prædicatio.

Prædicatio eſt ſermo publicus quantùm ad locum, & genera'is quantùm ad intentionem ex conſuetudine habendis certam formam. n.1
Prædicare poſſunt Papa, Epiſcopus, Prælati Eccleſiaſtici ſi ſint Diaconi, & ex commiſſione omnes clerici tam ſæculares quam regulares, modò ſint Diaconi. 2
Non licet laico prædicare, nec mulieribus publicè, etiamſi ſit Abbatiſſa; licitè tamen exhortantur. ibid.
Prædicator ſcienter prædicans falſa miracula, vel fingens vitam Sanctorum aliter quàm ſit, vel pronuncians falſas indulgentias, falſas reliquias, grauiter peccat. 3
Contra Prædicatores impugnantes in concionibus aut diſputationibus Montem Pietatis, eſt excommunicatio lata. 13
Quilibet ex Societate Ieſu, qui ad hoc idoneus repertus fuerit, & per præpoſitum deputatus, etiamſi ſacris ordinibus non ſit initiatus, poteſt prædicare. 2
Religioſi de licentia ſuorum Prælatorum, & petita benedictione ab Epiſcopo, licet non obtenta, poſſunt prædicare in ſuis Eccleſijs: in parochijs autem, & alijs Eccleſijs, requiritur expreſſa ſui ſuperioris, & *Epiſcopi* licentia. 3
Patres Societatis dum itinerantur ex priuilegio *Gregor. XIII.* facultatem prædicandi habent; vbique, modò ſint approbati ab vno Epiſcopo, & non contradicat Parochus proprius. ib.
Mortale eſt prædicare ſine legitima licentia, vel valdè inutilia, aut ſcienter falſa in fidei doctrina, &c. & quidem Regularibus in Concil. Tridentino præcipitur, vt ne prædicent etiam in Eccleſijs ſuorum ordinum, niſi prius à ſuis ſuperioribus examinati, & approbati fuerint. 4
Poſſunt regulares ex cauſa rationabili ab officio prædicandi, à ſuis ſuperioribus ſuſpendi. ibid.
Prædicare in ſtatu peccati mortalis occulti non eſt mortale; ratione tamen ſcandali, contemptus verbi Dei, vel modi prædicandi poteſt eſſe mortale. 5
Prædicare non eſt actus ordinis ſacri, nec officium diuinum prohibitum interdicto, aut ſuſpenſo à diuinis. 6
Religioſi Mendicantes ſemel examinati in vna Diœceſi ad prædicandum, non debent in ea amplius examinari. 7
Ex vi Tridentini Epiſcopus non debet examinare regulares, ſi prædicare velint in alienis Eccleſijs: quamuis praxis ſit in contrarium, ex quadam declaratione Sacræ Congregationis. ibidem.
Prælati regulares peccatum mortale committent, ſi religioſos ſuos abſque examine de vita moribus, & ſcientia, imò ſcientes idoneos non eſſe, approbent ad prædicandum verbum Dei. ib.
Non licet prædicationibus hæreticorum intereſſe, maximè quando Princeps hoc præcipit ſub pœna mortis, aut proſcriptione bonorum, in contemptum vel odium Catholicæ religionis. 7
Fratres Prædicatores, & Minores concionantes poſſunt ſuis auditoribus aliquas indulgentias concedere. 5
Suſpenſus ab officio prædicationis, irregularitatem non incurrit, licet concionetur cum ſolemnitate. 11
Prædicantes ſingulis diebus in quadrageſima excuſantur à ieiunio. Idem dicendum de illis qui concionantur ter vel quater in hebdomada. 9

Prælatus.

Prælatus largè dicitur quilibet habens curam, ſtrictè autem is ſolus eſt prælatus dicendus, qui habet aliquam iuriſdictionem fori contentioſi; vt qui Eccleſiæ collegiatæ ſæculari vel regulari præficitur. n.1
Cognitio iudicialis aliquorum criminum puta furti, adulterij, homicidij, &c. inter regulares non exemptos iure communi pertinet ad Epiſcopum: Ex conſuetudine tamen Abbas de criminibus ſuorum regularium cognoſcit, exceptis ijs, quæ depoſitione digna ſunt præſertim notoria, & ſcandaloſa. ibid.
In prælatis regularibus duplex eſt poteſtas, vna dicitur dominatiua ſeu œconomica, altera politica, ſeu iuriſdictionis. 2
Prælatorum poteſtas in ſubditos eſt ordinaria. 3
Prælatus regularis poteſt ſubditum in conſcientia per legem, & præcepta obligare. 4
Prælatus non poteſt ſuis ſubditis actum purè internum ſecundũ ſe præcipere: actũ verò internũ, qui ſpectat ad complementum actus externi, vel qui neceſſarius eſt ad eſſe phyſicum, & morale actus externi, poteſt præcipere, & prohibere indirectè, & conſequenter. 5
Prælatus regularis non poteſt quidquam præcipere, quòd certò conſtat eſſe contra regulam religionis, niſi ſuper ea parte regulæ poſſit diſpenſare ex iuſta cauſa. 6
Prælatus regularis non poteſt ſubditos obligare ad ea, quæ ſunt omninò ſupra regulam. 7
Prælatus poteſt aliquid præcipere ſubdito, quod ſit ſupra regulam. 1. in pœnam criminis admiſſi. 2. ſi putetur neceſſarium ad ſeruanda vota. 3. ob aliquam publicam neceſſitatem. ibid.
Prælatus non poteſt ea, quæ ſunt præter regulam ſubditis iniungere, dummodò ad regulam quoquo modo non reducantur. 8
Prælato præcipienti infra regulam non tenetur religioſus obedire, niſi adſit iuſta cauſa ita præcipiendi. ibid.
Religioſus tenetur ad parendum prælato præcipienti, quæ ſunt ſecundùm Regulam ſuæ religionis, & non obediendo peccat mortaliter, ſi tale præceptum ex genere ſuo obliget ad mortale. 9
Prælato iubenti præcepta omnibus Chriſtianis communia, tenetur religioſus ex voto obedientiæ obedire. ibid.
Probabilius eſt fratres Minores ex virtute præcepti regulæ ſuæ teneri obedire in omnibus quæ promiſerunt, & non ſunt contraria regulæ, etiamſi ſint ſupra regulam. ibid.
Prælati Fratrum Minorum non poſſunt ad mortalem culpam ſubditos obligare, niſi ea quæ præcipiunt ſint valde neceſſaria ad conſeruandam regularem obſeruantiam. ibid.
Prælatus Generalis cum Capituli generalis maiore parte, inuitis alijs, imò conſentientibus omnibus capitularibus non poteſt noua ſtatuta edere arctantia ſingulos religioſos ad nouam vitam auſteriorem non promiſſam. 10
Sixtus IV. Fratrum Minorum ſtatuta reuocauit, & annullauit obligantia ad mortale extra regulam. ibid.
Non obſtante prædicta conſtitutione *Sixti IV.* prælati Ordinis Minorum in occaſione graui poſſunt præceptum ſubditis imponere obligans ad mortale, & ſub pœna excommunicationis, modò illud præceptum non edatur per modum ſtatuti permanentis. 11
Prælati Ordinis Minorum non tenentur proferre ſententiam excommunicationis in ſcriptis; ex priuilegio *Leonis X.* quando fertur excommunicatio per modum præcepti. ibid.
Prælati regulares non poſſunt ſibi reſeruare abſolutionem ab excommunicatione à ſe lata, iuxta probabiliorem ſententiam. ibid.
Omnia ſtatuta religionis Minorum obligantia ad culpam vſque ad tempora *Sixti IV.* per eundem ſunt ſublata, & reuocata & redacta, vt ſolùm obligent ad pœnam: tenebuntur tamen fratres ad ſtatuta poſtea facta, & de cætero facienda auctoritate Apoſtolica. 11
Prælati regulares non debent eſſe faciles ad ferenda præcepta obligantia ſubditos ſub peccato mortali. 12
Prælatus religioſus, regulariter loquendo, non intendit obligare ſubditos, vbi adeſt probabile vitæ periculum, ſi illud non eſt per ſe materiæ præceptæ annexum, nec à ſuperiore prequiſitum, aut excogitatum. 13
Prælatus regularis poteſt præcipere aliquid ſubditis cum eorum vitæ periculo, quando præceptum dirigitur ad conſeruationem communis boni religionis. ibid.
Prælatus tempore peſtis poteſt precipere ſubditis, vt religioſis eodem morbo contagioſo ægrotantibus, tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus cum vitæ periculo miniſtrent. ibid.
Prælatus non poſſet ſuis religioſis precipere, vt externis peſtilentiæ morbo laborantibus, tam in ſpiritualibus, quàm in corporalibus inſeruiant: tamen religioſis Mendicantibus hoc præceptum poſſet imponi à prælato, deficientibus parochis, vel alijs ſacerdotibus, vel non ſufficientibus numero ob multitudinem populi. ibid.

Generalis alicuius religionis non potest præcipere religiosis subditis suis vt ad indos, infideles, hæreticos, & schismaticos, vbi imminet periculum martyrij, causa eorum conuersionis procurandæ tendant; nisi ad hoc speciali voto religiosi se obligarint. 14

Prælatus regularis renuncians prælaturæ coram alio, quàm legitimo superiore suo, irrita est renunciatio in ordine ad Ecclesiam, valida tamen est in ordine ad ipsum renunciantem. 15

Quamuis Superiores religionum possint amouere, & spoliare prælatos manuales de suis prælaturis manualibus ad libitum sine causa, id tamen non erit licitum pendente accusatione, vel inquisitione, contra aliquem. 16

Potestas prælatorum regularium iusta existente causa potest restringi & coarctari à suis Prælatis maioribus. ibid.

Quæ sint virtutes requisitæ in prælatis. 17

Prælaturæ munus his temporibus est valde durum. 18

Quænam obseruanda sint à prælatis pro prudenti subditorum regimine. 19

Prælati munia sunt sex præcipua. 20

Prælati religionum tenentur per se loquendo, annuatim fugitiuos, & apostatas, aut etiam electos reuocare. 10

Prælati regulares, & eorum Vicarij licitè benedicunt oratoria, cœmeteria, ecclesias, corporalia, & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia, vbi Chrisma non interuenit. 7

Prælati Ordinum Mendicantium reconciliare possunt suas Ecclesias pollutas cum aqua benedicta ab Episcopo cinere mixta. 10

Prælati regulares possunt sibi eligere confessarium extra suum ordinem, & non approbatum ab Ordinario: Prælati verò sæculares inferiores Episcopis, non possunt eligere nisi approbatum, secundùm probabiliorem sententiam. 11

Prælati religionum non possunt donare ad vsus prophanos, vt locupletandos consanguineos, ambiendas, dignitates, colludendum meretici, aut concubinæ, & qui ab eis acceperint, tenentur ad restitutionem. 6

Prælati non possunt dare in feudum nouum res Ecclesiæ, nisi ex certis causis, & solemni iuris formula seruata. 4

Prælati locorum gaudentium immunitate, quomodo se gerere debeant cum delinquentibus, qui ad eorum loca confugiunt, & tamen delictum illorum priuatur immunitate. 16

Prælati religionum possunt alios efficere participes satisfactionum, & orationum quæ fiunt in religione, antequam in Thesauro Ecclesiæ reponantur: quamuis non possint concedere Indulgentias. 5

Prælatus iurisdictionem temporalem habens, potest legem & statutum concedere, quo aliquid sub pœna mortis prohibetur, nec tamen exinde fit irregularis. 7

Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt erga subditos quidquid Concilium Tridentinum concedit Episcopis circa absolutiones, & dispensationes. 6

Prælatis interdicitur iurare in iudicio sine graui causa, & necessitate. 7

Prælati regularium exempti ab Ordinario circa suos subditos possunt dispensare in iuramentis, sicut Episcopi. 8

Prælatus successor tenetur stare locationi antea factæ nomine ipsius Ecclesiæ de rebus non pertinentibus ad ipsum prælatum. 5

Prælati aliquando licitè ludunt etiam talis, & chartis lusorijs ob honestam causam, modò absit scandalum. 3

Prælatus vtriusque contrahentis matrimonium potest cum vtroque dispensare in denunciationibus, & vtrumque copulare matrimonio. 4

Prælatis religionum integrum est concedere suis religiosis peculium ex causa legitima. 9. & 10

Prælatus religionis non ministrans necessaria subditis, cùm commodè præbere potest, & sic peculijs causam præbens, peccat mortaliter. 13

Prælatus non potest religioso alicuius rei vsum irreuocabilem concedere. 19

Prælatus non potest subijcere res Ecclesiæ hypothecæ speciali: potest tamen in contractibus iure permissis obligare generaliter bona Ecclesiæ, sine traditione illorum. 6

Prælatus alienans bona ecclesiæ vel monasterij absque forma iure præscripta, vel inconsulto Romano Pontifice ipso iure priuatur prælatura. 3

Prælati regulares non possunt pro libito suo amouere monachum à beneficio absque legitima causa. 9

Plura de hoc vide verb. *Religio. 1. n. 9.*

Prælatis etiam debetur correptio fraterna. 6

Prælati Ecclesiæ non possunt priuilegia Mendicantium interpretari sine clara sint, siue dubia. 2

Prælati regulares possunt ex concessione *Pauli V.* in visitationibus generalibus 40. horarum orationes collocare, & religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum diuerso tempore interfuerint, indulgentiam plenariam concedere. §. 17

Plura de prælato vide verb. *Abbas.*

Prælatura regularis.

Nomine *parochialis beneficij* in Concilio Tridentino, non veniunt prælaturæ regulares, vt, Rectoratus, Guardianatus, Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, &c. 10

Presbytericidium.

Presbytericidium est crimen impediens matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum, si homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio. 11

Præscriptio.

Præscriptio tripliciter accipitur apud Iuristas, & Theologos. 1

Ad præscriptionem requiruntur quatuor. 2

Præscriptio non datur sine possessione propria. 3

Ad præscriptionem requiritur etiam bona fides: possessor enim malæ fidei vllo tempore non præscribit. 4

Etsi per accidens quis toto tempore ad præscribendum necessario, excusetur aliquando à culpa non restituendi, quia tunc non est soluendo, &c. nihilominus præscribere nequit. ibid.

Dubitans an res sit sua, non habet bonam fidem, si inchoat possessionem cum eo dubio. 5

Ad præscribendum non prodest iuris clari ignorantia etiam inculpabilis: quamuis sufficeret ad præscribendos fructus ex illa re percepros. 6

Iuris dubij error vel ignorantia, id est, de quo sunt Doctorum variæ opiniones, sufficit ad præscriptionem. ibid.

Ignorantia facti prodest ad præscribendum concurrentibus alijs conditionibus. ibid.

Mala fides auctoris nocet successori vniuersali, non particulari. 7

Si quis in beneficio aut alia dignitate Ecclesiastica succedit alicui defuncto mala fide possidenti aduersus alium, ad quem tale beneficium vel dignitas pertinebat, potest illud cum bona fide præscribere, non computando tempus possessionis malæ fidei prædecessoris. ibid.

Qui bona fide accepit rem alio titulo, vt legati, donati, empti, ab auctore malæ fidei, potest eam præscribere tempore ordinario præterquam in duobus casibus. 8

Ad præscribendum requiritur titulus probabiliter præsumptus, id est, qui bona fide putetur validus: aliquando tamen non requiritur titulus ad præscriptionem. 9

Ad præscriptionem magis necessaria est bona fides, quàm titulus, nam sine bona fide numquam currit præscriptio. 10

Ad præscriptionem requiritur etiam continuatio possessionis tempore legibus definito. 11

Res mobiles corporales præscribuntur possessione bonæ fidei cum titulo per triennium inter præsentes: & per quadriennium inter absentes. ibid.

Ad vsucapionem rerum nobilium sine titulo requiruntur anni 30. ibid.

Res immobiles & incorporuæ præscribuntur contra priuatos inter præsentes cum titulo per spatium decem annorum, & inter absentes per spatium 20. annorum. ibid.

Contra rem immobilem Ecclesiæ, (modò non sit Romana) vel loci pij, requiritur spatium 40. annorum: Contra verò Ecclesiam Romanam, requiritur decursus 100. annorum: quod etiam extenditur ad monasteria. ibid.

Bona Principis tamquam priuati, eodem tempore, quo priuati bona præscribuntur. 12

Contra leges ciuiles præscribitur consuetudine 10. annorũ contra legem canonicam requiruntur 40. quamuis probabile sit sufficere etiam 10. 13

Qualiter præscribantur seruitutes. 14

Præscriptio transfert dominium in possessorem bonæ fidei legitimo tempore, etiamsi absit negligentia in eo contra quem præscribitur: vnde præscriptio excusat à restitutione. 15

Quædam res non possunt præscribi. 16

Præscriptio tunc dicitur procedere, quando post inchoationem legitimè continuatur: non procedit autem, quando non incipit: dormit autem, quando postquam est inchoata, cessat aliquo tempore. 17

Contra præscriptionem datur restitutio in integrum minoribus ætate, pijs locis & ecclesijs; maioribus etiam in præscriptione 10. & 20. annorum. 18

Præsentes. Præsentia.

Præsentes dicuntur ij, qui sunt in eadem ciuitate vel territorio eius vel parte regni, siue res præscribenda ibi sit, siue alibi. Absentes verò, qui in diuersis ciuitatibus, vel regni partib. seu territorijs commorantur. 11

De præsentia necessaria parochi & testium ad valorem matrimonij vide v. *Matrimonium V.*

Præsumptio.

Præsumptio duplex est, vna periculi, seu potentiæ, quæ vt plurimum ad actum reuocatur, altera facti. n.11

Quando lex fundatur solùm in præsumptione periculi seu potentiæ non ideò obligatio legis cessat; quando autem lex fundatur in præsumptione facti, obligatio legis cessat, si veritas facti sit in contrarium. ibid.

Peccatum præsumptionis aduersatur secundùm excessum spei Theologicæ: vt si quis confidat gratiam aut beatitudinem se consecuturum ex seipso aut naturæ viribus: vnde præsumptio propriè est species peccati in Spiritum Sanctum. 4

Princeps.

Princeps supremus scienter admittens aliquem ad actum, qui habet impedimentum ad illum, censetur dispensare cum illo. 19

Principis consensus expressus seu personalis non requiritur ad introducendam consuetudinem, sed sufficit tacitus, seu iuridicus. 12

Princeps sæcularis, ciuitas, aut Respublica dies festos tamquam sacros instituere non potest: quamuis præcipere possit subditis, vt tali die à seruilibus abstineant. 5

Princeps & alij nobiles in feudum dare possunt. 3

Principes supremi qui in sua administratione & regimine superiorem non agnoscunt, possunt imponere gabellam, vectigal seu tributum. 2

Principes supremi, qui superiorem in iurisdictione temporali non agnoscunt possunt leges ferre. 7

Princeps per se directè vt plurimum suis legibus ex vi coactiua non obligatur: ex iure tamen & æquitate naturali ac diuina quoad vim directiuam tenetur seruare suas leges. 2

Princeps, qui suas leges non obseruat, non peccat mortaliter, nisi iurasset eas seruare. 3

Princeps tenetur stare contractibus à se celebratis cum suis subditis & aliter faciendo peccat mortaliter. ibid.

Princeps sæcularis ex genere & natura suæ potestatis posset impedimenta matrimonium dirimentia fidelibus sibi subditis ex iusta causa indicere, nisi Summus Pontifex hanc sibi potestatem reseruasset. 3

Princeps pro subdito potest acceptare promissionem lucratiuam vel donationem absenti factam. 13

Princeps, qui aliquo modo compellit ad solutionem vsurarum, tenetur ad restitutionem. 5

Princeps sine consensu Pontificis non potest pensionibus Abbates onerare. 3

Princeps supremus grauiter peccat & tenetur ad restitutionem, si iusta stipendia militibus non prouidens, ipsi ad iniustas rapinas inferendas stimulantur. 17

Princeps vel Dominus temporalis, vel clericus habens iurisdictionem temporalem ratione patrimonij vel beneficij, potest absque periculo irregularitatis constituere prætores & alios officiales, qui causas sanguinis inquirant & delicta puniant. 5

Verius est, Principem supremum non posse ex priuata scientia, etiam contra fidem actorum sententiam proferre, tam condemnatoriam, quàm absolutoriam; quamuis hoc ei Respublica concedere possit. 7

Princeps sæcularis legem aut statutum condens quo aliquid sub pœna mortis prohibetur, non fit irregularis. 7

A Principe Catholico libertas religionis permitti non potest, nisi ad euitandum maius malum. 10

Virtutes Principis laici propriæ numerantur octo; peccata verò decem. 8

Priuilegium. Quoad eius diuisionem & concessionem.

Priuilegium est veluti priuata lex in alicuius fauorem data. 1

Priuilegium diuiditur in reale & personale. ibid.

Priuilegium personale, aliud est propriè ac singulariter personale; aliud communiter personale; aliud corporale. 2

In dubio priuilegium iudicandum est reale, quando est fauorabile seu purum beneficium: si autem priuilegium sit contra ius vel præiudicet tertio, iudicandum est personale. 3

Priuilegium aliud dicitur gratiosum: aliud remuneratorium: aliud conuentionale: aliud purum: aliud ob commune bonum vel priuatum: aliud purè fauorabile: aliud odiosum. 4

Priuilegium aliud est quod proprio motu Principis confertur, aliud verò in gratiam petentis. 5

Priuilegium aliud est in corpore iuris canonici insertum: aliud verò extra corpus iuris. ibid.

Priuilegium conferre potest omnis & solus ille, qui legem condere. 6

Priuilegium quod est contra ius, conferri potest tantùm illis, qui aliquo modò sunt subditi: priuilegium verò præter ius conferri potest etiam non subditis. 7

De essentia priuilegij non est scriptura seu bullatio; licet ad faciendam fidem in iudicio illa necessaria sit. 8

Omnia priuilegia viuæ vocis oraculo concessa sunt reuocata per *Gregorium XV.* & *Vrbanum VIII.* 8

Oraculum viuæ vocis est concessio seu gratia oretenus facta sine scriptura à Summo Pontifice. ibid.

Probabile est, per Constitutiones *Gregorij* & *Vrbani* nõ reuocari oracula viuæ vocis, quæ postea per bullam vel breue fuerunt confirmata ex certa scientia seu plenitudine potestatis. ibid.

Sub hac reuocatione non veniunt priuilegia declaratiua aliorum priulegiorum, Sacrorum Canonum, & Apostolicarum Constitutionum, aut statutorum religionis, dummodò non contineant aliquam gratiam, priuilegium aut indultum. ibid.

Priuilegium per bullam vni religioni concessum, & viuæ vocis oraculo alteri communicatum, non censetur his constitutionibus reuocatum. ibid.

Probabile est indulgentias viuæ vocis oraculo concessas, non esse sublatas. ibid.

Viuæ vocis oracula, quæ suum sunt sortita effectum ante Constitutionem *Gregorij XV.* per illam non sunt reuocata: An autem sint per Constitut. *Vrbani VIII.* est dubium. ibid.

In multis differunt priuilegium motu proprio concessum, & ad instantiam partis. 9

Priuilegium. Quoad eius qualitates.

Priuilegium vel dispensatio validè potest obtineri absque mandato vel scientia illius, in cuius fauorem fit: imò etiam ipso inuito. 11

Priuilegium non habet vim donec acceptetur ab eo cui conceditur aut ab ipsius nuncio vel procuratore, qui vicem illius gerat. 2

Priuilegium alicui concessum potest à concedente reuocari antequam à priuilegiario acceptetur. 3

Reuocatio iurisdictionis non valet antequam innotescat III cui concessa fuerat; & hæc reuocatio debet *incinuari* ab ipso reuocante per epistolam, aut alium ipsius nomine. 4

Priuilegij materia debet esse honesta, rationabilis, & fauorabilis ad agendum aliquid, vel non agendum. 5

Priuilegiarius, per se loquendo, non tenetur vti suo priuilegio, nisi in duobus casibus. ibid.

Vt validi sint actus facti virtute priuilegij, requiritur vt seruetur forma substantialis contenta in priuilegio. 6

Quando priuilegium, fuit absolutè & absque loci determinatione concessum, priuilegiarius potest tali priuilegio vti in quolibet territorio concedentis. 7

Priuilegiarius, per se loquendo, potest vbique etiam extra territorium concedentis vti priuilegio personali sibi concesso absque determinatione loci, modò in alieno territorio non extet specialis aliqua prohibitio. 8

In priuilegijs explicandis seruanda est verborum proprietas iuxta verborum significationem vel vsum communem; modò nihil absurdi sequatur. 9

Priuilegium quod est contra ius, aut quod alteri damnum infert, strictè explicandum est. 10

Priuilegium contentum in corpore iuris, non est strictè explicandum sicut & dispensatio, quæ per legem aut Canonem conceditur. 11

Potestas concedendi priuilegium vel dispensationem, latè est interpretanda, seruata verborum proprietate. 12

Potestas dispensandi non extenditur, quoties vergit in præiudicium tertij, vel quando præiudicat illi, qui facultatem ordinariam habet ad dispensandum. 13

Priuilegium quod dicitur ad instar, est illud, quod alicui conceditur per similitudinem, vel æquiparationem ad aliud concessum alteri. 14

Priuilegium censetur solummodò concessum ijs personis vel rebus,

rebus, quæ ſunt in priuilegio poſitæ, vel quæ in eo comprehenduntur, propter ſignificationem vocis aut propter materiæ aut actionis connexionem, vel propter iuris diſpoſitionem. 15

Priuilegium. Quoad illius amiſsionem.

Priuilegium ſeptem modis præcipuè amittitur. n.1
Priuilegium gratioſum extinguitur per reuocationem concedentis. 2
Priuilegium datum in remunerationem, vel præuia pecunia, vel per contractum oneroſum, non poteſt reuocari, niſi fiat compenſatio à reuocante. ibid.
Priuilegium datum non ſubdito, ab eòque acceptatum, regulariter loquendo, reuocari non poteſt, niſi fiat perniciolum Regi vel regno. ibid.
Priuilegij reuocatio duplex eſt, vna expreſſa, & altera tacita, Expreſſa vel fit in ſpecie, vel per clauſulam generalem. 3
Per clauſulam, *non obſtantib. quibuſcumque priuilegijs* non cenſentur reuocari priuilegia, quæ in corpore iuris continentur, niſi eorum quoque clauſula derogatoria exprimatur. ib.
Per hanc clauſulam generalem non reuocantur priuilegia in corpore iuris non contenta, quibus inſertum eſt, quòd ſublata conferi non debeant, niſi ſpecialis eorum mentio fiat. ibid.
Reuocatio facta per clauſulam generalem non extenditur ad priuilegium conceſſum per modum contractus, niſi exprimatur: neque ad priuilegia contenta in Concilijs generalibus: imò ſi priuilegium contineatur in Tridentino, neceſſaria eſt mentio Tridentini. ibid.
Priuilegij tacita reuocatio fit per actum Principis contrarium, qui non poſſit ſubſiſtere abſque derogatione priuilegij, modò Princeps recordetur ante conceſſi priuilegij. 4
Priuilegium quod non continetur in corpore iuris non reuocatur per legem poſteriorem contrariam, vel per priuilegium contrarium, niſi in ea expreſſa mentio fiat priuilegiorum. ib.
Priuilegium reuocatur per ſententiam contra priuilegium latam ab eo, qui poteſt priuilegium auferre. ibid.
Vt reuocatio priuilegij facta per legem habeat ſuum effectum, requiritur publicatio reuocationis. 5
In reuocatione generali priuilegiorum, non cenſentur reuocata priuilegia regularium, & præcipuè Mendicantium, quia ſunt ob merita conceſſa. ibid.
Probabilius eſt per bullam Cruciatæ vbi illa publicatur, non reuocari vel ſuſpendi priuilegia regularium. ibid.
Priuilegium quod in ſolius priuilegiarij fauorem conceſſum eſt, amittitur per voluntariam priuilegij renunciationem factam à priuilegiario, & acceptatam à concedente. 6
Prælati, & cæteri religioſi non poſſunt renunciare priuilegijs ſui ordinis, ſeu religioni conceſſis. ibid.
Priuilegium amittitur, & finitur lapſu temporis præſcripti, ſeu ceſſatione conditionis ſub qua conceſſum fuerat. 7
Priuilegium amittitur per vſum materialiter, & formaliter contrarium priuilegio. 8
Priuilegium quod habet tractum ſucceſſiuum, præciſa proteſtatione, amittitur ſecundùm quid in vtroque foro per quemlibet actum materialiter, & formaliter contrarium priuilegio, modò fiat ab eo, qui poteſt priuilegio cedere. 9
Priuilegium perſonale extinguitur per mortem illius, cui conceſſum fuerat: Reale verò minimè, ſed ſequitur rem. 10
Quando facultas alicui conceditur expreſſo perſonæ, & dignitatis nomine, priuilegium cenſetur perſonale. ibid.
Gratia facta ſeu priuilegium ritè obtentum non ceſſat morte concedentis, modò conceſſum ſit ſimpliciter ſine aliqua conditione. 11
Gratia facienda extinguitur morte concedentis re integra, id eſt, ſi priuilegiarius nondum inceperit illo vti. ibid.
Probabilius eſt, commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, aliſque rebus, quæ in foro externo Ordinarijs committuntur, in foro interno confeſſoribus, non expirare morte concedentis, etiam re integra. 12
Priuilegium ritè obtentum ſeu gratia facta ſunt, quæcumque licentiæ alicui conceſſæ abſolutè, & abſque temporis determinatione. 13
Priuilegium amittitur ſeu finitur, quod eſt contra leges vel ius alterius, ceſſante tota ipſius cauſa, modò priuilegium nondum mandatum ſit executioni. 14
Priuilegium amittitur per abuſum, non quidem ex ipſa rei natura, ſed iuris diſpoſitione. 15
Priuilegium affirmatiuum, quo conceditur facultas aliquid faciendi in grauamen aliorum, amittitur per non vſum ſpatio decem annorum inter præſentes, viginti autem inter abſentes. 16
Priuilegia, quæ abſolutè ſunt gratiæ in nullius grauamen cedentes, regulariter loquendo, nullo tempore etiam longiſſimo, amittuntur per non vſum. ibid.
Priuilegium nundinarum amittitur per non vſum ſpatio ab ipſo iure præſcripto. ibid.
Priuilegium conceſſum eccleſiæ, ceſſat per non vſum quadraginta annorum; contra Eccleſiam Romanam neceſſarius eſt non vſus 100. annorum; & ſimiliter contra Monaſteria. ib.

Priuilegium. Quoad confirmationem, innouationem, & vſum Priuilegiorum perſonarum regularium.

Priuilegia regularium ſolent confirmari, vel *in forma communi*, vel *ex certa ſcientia*, vel *ex plenitudine poteſtatis*, vel cum clauſula, *non obſtante lege diſponente in contrarium*. 1
Confirmatio priuilegij in forma communi nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio, ſi erat inualidum. ibid.
Confirmatio priuilegij *ex certa ſcientia*, habet vim nouæ conceſſionis talis priuilegij. ibid.
Priuilegia Fratrum Minorum ad hunc vſque diem fuerunt confirmata à variis Pontificibus, *ex certa ſcientia, motu proprio*, & *de plenitudine poteſtatis*. 2
Confirmatis priuilegijs alicuius religionis *ex certa ſcientia*, cenſentur etiam confirmata priuilegia ad illius inſtar, alteri religioni conceſſa. 3
Quando Papa confirmat *ex certa ſcientia* priuilegia vnius Ordinis, non cenſetur confirmare *ex certa ſcientia* priuilegia propria alterius ordinis participantis priuilegia illius primi Ordinis. ibid.
Confirmatio *ex certa ſcientia* non confirmat priuilegium, quod à principio fuit nullum, falſum, ſeu ſubreptitium: reualidaret tamen priuilegium reuocatum per ſpecialem bullam. 4
Clauſula in confirmationibus priuilegiorum poſita, *Quatenus ſunt in vſu*, confirmat tantùm priuilegia illa, quæ ſunt in obſeruantia ſuumque valorem retinent, non autem ea, quæ inualida, & amiſſa ſunt per non vſum vel per contrarium vsũ. 5
Clauſula, *Et ſacris Canonibus*, non eſt intelligenda, de illis, qui in corpore iuris inſerti ſunt, ſed de canonibus inſertis in Tridentino. 6
Per Clauſulam. *Et decretis ſacris Concilij Tridentini non adverſantur*, probabilius eſt non reuocari omnia priuilegia quouis modo contraria ipſi Concilio, ſed tantum ea, quæ expreſsè in illo reuocantur per clauſulam, *Non obſtantibus*, &c. 7
Non poſſunt regulares modò vti priuilegijs ſuis in foro conſcientiæ, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum. 8
Clauſula in priuilegijs appoſita, *vt non cenſeantur reuocata, niſi de eis expreſſa de verbo ad verbum mentio fiat* ſufficienter verificatur, ſi in ſecundo priuilegio apponatur, *Non obſtantibus quibuſuis priuilegijs, etiamſi de verbo ad verbum, de illis mentio expreſſa fieri deberet*. 9
Innouatio priuilegij interdum refertur ad ſolum inſtrumentum, quia vetuſtate fortè conſumitur, & ideò innouatio eius conceditur: aliquando poteſt referri ad rem ipſam, vt ius antiquitus conceſſum poſtea innouatur. 10
Innouatio inſtrumenti priuilegij non confert ius nouum: innouatio verò ipſius gratiæ ſeu priuilegij, regulanda eſt ad inſtar confirmationis. ibid.
Generales Ordinum, Capitula Generalia, & Prouincialia poſſunt tollere, limitare ſeu reſtringere ſibi ſubditis vſum quorumcumque priuilegiorum apoſtolicorum. 11
Capitula generalia vel prouincialia non poſſunt tollere aliquid; quod ſit contra vſum ſacrorum Canonum. ibid.
Priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio. 12

Priuilegium. Quoad illius communicationem.

Priuilegiorum communicatio in hoc conſiſtit, quòd ius vni conceſſum per aliquod priuilegium, alteri etiam conceditur, per quamdam extenſionem, & multiplicationem. n.1
Religioſi Mendicantes habent interſe communicationem priuilegiorum. 2
Pro ordine prædicatorum extat bulla communicationis à *Leone X.* conceſſa. 3
Pro Ordine Minorum eſt bulla *Alexandri VI. Leonis X. Clement. VII. Pauli IV. Pij IV. Pij V. Gregorij XIII. Sixti V.* ib.
Pro ordine Minorum Capucinorũ extat bulla *Clement. VII.* ib.
Aliæ religiones mendicantes habent ſimilia communicationis priuilegia. 5

Re li-

Religiones etiam Monachales, & alij non mendicantes habent similia communicationis priuilegia. 6
Moniales gaudent priuilegijs religionis, quam profitentur, vnde moniales Sanctæ Claræ, Immaculatæ Coreptionis, & Tertiariæ gaudent priuilegijs Fratrum Minorum. 7
Moniales Ordinis Prædicatorum gaudent priuilegijs ordinum mendicantium. 8
Priuilegia odiosa, & pœnalia, in quibus aliquæ pœnæ sunt statutæ non veniunt sub prædicta præuilegiorum communicatione. 9
Priuilegium alicui religioni concessum cum certa restrictione, & postea communicatum alteri, non intelligitur communicatum cum eadem restrictione. 10
In communicatione priuilegiorum non communicatur vsus vel non vsus priuilegij, sed ius vtendi priuilegio. 11
Priuilegia concessa vni monasterio vnius ordinis, censentur etiam concessa omnibus Monasterijs eiusdem ordinis. 12
Priuilegium concessum vni religioso tantùm, non conceditur alijs Religiosis eiusdem ordinis. ibid.
Priuilegium concessum Prælato vnius conuentus, illud participabunt omnes Prælati conuentuales. ibid.
Priuilegium concessum vni Ecclesiæ, vel prouinciæ seu loco, nequit trahi ad aliam Ecclesiam, siue Prouinciam, siue locũ. 12
Religio communicans in priuilegijs cum alijs ordinibus, ac si illi specialiter concessa fuissent, potest vti dictis priuilegijs contra illum ordinem, cui primùm fuerunt concessa. 13
Communicatio priuilegiorum intelligenda est non solum de priuilegijs concessis, tempore quo facta est gratia prædictæ communicationis, verum etiam de postmodum concedendis. 14
Fratres mendicantes vti, & potiri possunt priuilegijs concessis Societati Iesu. ibid.

Priuilegium. Quoad illius interpretationem.

Interpretatio iudicialis priuilegiorum regulariter spectat ad Principem concedentem, id est, Romanum Pontificem. 2
Interpretatio doctrinalis, & magistralis fieri potest à Religionum Prælatis; imò Generales iuridicè possunt interpretari priuilegia, & his interpretatibus stare tenentur religiosi. ibid.
Non possunt Prælati Ecclesiæ interpretari priuilegia Fratrum Minorum, & Societatis Iesu. 2
Cùm dubium aliquod extat in priuilegio aliquo inter Iurisperitos, & Iudices, in fauorem regularium interpretatio fieri debet. ibid.
Priuilegia regularium, quibus datur facultas dispensandi, commutandi, & absoluendi, possunt extendi ad alios similes casus, in quibus subest eadem vel maior ratio. 3
Priuilegia concessa corpori seu communitati, quorum ipsa communitas collegialiter sumpta non est capax, ad singulos protrahuntur, & extenduntur. 4
Priuilegia singularibus personis religionis concessa, ad Prouinciales, Generales eiusdem, etiamsi à concedente non exprimatur, exemplè certissimum est, nisi aliud ex mente concedentis coniiciatur. 5
In fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas venit appellatione Monachorum: in materia tamen non proportionabili, & odiosa secus. ibid.
Priuilegia secundùm consuetudinem sunt declaranda, atque interpretari debent. 6
Regulæ speciales pro interpretatione priuilegiorum. 7

Probitas morum.

Probitas morum requiritur in promouendo ad beneficium Ecclesiasticum, id est, vt non sit deditus grauibus peccatis, nec sit infamis. 8
Probitas ministri non requiritur ad validam Sacramenti ministrationem. 6
Probitas in ministro sacramentorum necessaria est, ad licitam sacramentorum administrationem. 7

Probatio.

Probatio est rei dubiæ per argumenta seu media ostensio: & hæc probatio multiplex est. 1
In omni causa Ecclesiastica, & seculari, ciuili & criminali ad plenam probationem contra alterum præter actorem vel accusatorem requiruntur, & sufficiunt duo testes omni exceptione maiores. 2
Probatio semiplena multipliciter haberi potest. 5
Probatio mortis prioris coniugis non omninò qualis esse debet, præscribi potest, sed iudicis prudentis arbitrio attentis circumstantijs occurrentibus relinquitur. ibid.

Procurator.

Procurator dicitur, qui aliena negotia mandato Domini administrat. 1
Procurator alius est specialis, alius generalis, alius ad lites siue iudicia, alius ad alia negotia tractanda. ibid.
Procurator, & quiuis alius mandatarius aut delegatus, literas, & formam sui mandati vel commissionis exhibere debent. 2
Persona coniuncta sine mandato admittitur ad agendum pro altero, modò curet alterum ratum habiturum. ibid.
Procurator ad negotia ad minimum debet esse 17. annorum, ad iudicia autem viginti quinque. 3
Procurator ad iudicia de culpa leui imò etiam de leuissima tenetur: procurator verò ad negotia, tantũ tenetur de culpa lata. 4
Procurator ad negotia datus, alium substituere potest; procurator autem ad iudicia minimè. 3
Procurator esse non potest furiosus, nec infamis, surdus, mutus, accusatus de crimine, seruus, excommunicatus, vel constitutus ab excommunicato. 5
Religiosus non potest esse procurator, nisi in casu sui monasterij ex licentia superioris: nec clericus in sacris vel beneficiatus coram iudice sæculari, nisi in causa propria, vel suorum, vel Ecclesiæ, aut personarum miserabilium. ibid.
In procuratore requiruntur, scientia, diligentia, veritas, & iustitia. 6
Quæ sint peccata procuratoris. 7
Procurator à Domino accipiens pecunias ad aliquid emendum vel ad debitum soluendum, & eas per cambium minutum permutans, lucrum potest sibi retinere, modò Dominus seruetur indemnis. 9
Procurator inter regulares, & similes officiales monasterij possunt facere eleemosynas, iuxta regulam, & consuetudinem. 7
Procurare non potest fœmina, nisi in causa propria, & suorum. 1
Procurator accusatori est irregularis secuta morte vel mutilatione. 14
Per procuratorem potest præstari iuramentum, modò procurator speciale mandatum habeat ad iurandum. 8
Per procuratorem inter absentes potest celebrari matrimonium positis quatuor conditionibus. 9
Communior sententia est matrimonium per procuratorem celebratur esse sacramentum. 10
Procurator suscipiens infantem nomine alterius non contrahit cognationem spiritualem, iuxta probabiliorem sententiam. 31
Procuratores, & similes bonorum monasterij administratores, transgressores sunt voti paupertatis, si rem quamcumque seu domestico seu externo largiantur, aut expendant aliter, quàm ordinis regula, vel consuetudo, aut superiorum voluntas postulat. 8
Procuratores, & aduocati, qui multùm laborant, excusantur à ieiunio à multis Doctoribus. 8
Procurator, vel qui negotia alterius gerit, potest aliquid pignori dare, quando speciale mandatum habet. 6

Prodigus.

Prodigus qui à magistratu positus est sub curatore, & est ei interdicta bonorum administratio, donare non potest. 4
Prodigus non potest tutor institui. 3

Proditio. Proditor.

Proditio nihil aliud est, quàm manifestatio occulti, illarius nocumenti: & fit, vel circa personas, vel circa res immobiles, vel circa res mobiles, vel circa secreta. 2
Proditor dicitur, qui amicitiam simulabat cum eo quem occidit, seu qui dolosè aliquem seducit vt occidat, seu qui hominem interfecit nihil tale præuidentem. 10

Professio fidei.

Professionem fidei ex decreto Tridentini tenentur facere Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ: prouisi de beneficijs habentibus curam animarum; de canonicatibus, & dignitatibus in Ecclesijs Cathedralibus: Ex Constitut. *Pij V.* etiam omnes prælati religionum etiam militarium; omnes Pastores, Magistri, Regentes, &c. 5

Professio religionis.

Professio in religione duplex est, expressa, & tacita. 1
Professio tacita tribus modis facta præsumitur. ibid.
Professio trium votorum in religione irrita est, si in ea conditio addatur, quæ religioso statui repugnat. 6
Plura de professione religiosorum vide v. *Religio II.*

Promissio.

Promissio gratuita est datio fidei deliberata, vera, & spontanea, de re licita, & possibili. n.1
Promissio facta homini etiamsi maioris boni sit impeditiua, adimplenda est: secus de promissione facta Deo. 2
Promittens Deo se deducturum fœminam quam defloranit sub promissione matrimonij, tenetur promissionem adimplere. 3
Qui promisit Deo se ducturum aliquam in vxorem ob vitandam fornicationem, vel alia peccata carnis, in quæ frequenter labitur, tenetur ad matrimonium. 4
Probabilius est illum, qui promisit Deo se ducturum meretricem, vt illa se recipiat ad meliorem frugem, vel pauperem in honorem Dei, non teneri promissionem implere. ibid.
Promissio interna iure naturæ, & positiuo non obligat, nisi fiat per modum voti. 5
Promissio interna facta cum iuramento non reuocandi, non obligat, sed reuocari potest saltem absque peccato mortali ante acceptationem nisi iuramentum sit factum Deo. 6
Promissio ante patrationem operis praui, cuius causa ipsa est facta, est inualida: patrato autem opere malo, verius est promissorem obligari soluere promissum. 7
Omnes promissiones, quarum impletio est illicita, iuræ naturæ irritæ sunt; & probabile est etiam esse irritas iure positiuo. 8
Verius est omnem promissionem seriò factam animo promittendi in re magni momenti, vbi acceptata fuerit, obligare sub peccato mortali ad sui impletionem. 9
In quatuor casibus promissio acceptata, & valida desinit obligare. 10
Promissio ante acceptationem ordinariè nullam parit obligationem naturalem aut ciuilem. 11
Vt promissio vel donatio facta absenti validè possit acceptari, quænam requirantur. 12
Veriùs est promissionem vel donationem posse validè acceptari, si contingat donatorem mori ante insinuationem, & ipsa donatio ante mortem facta sit ex parte donatoris, missa epistola, vel nuntius, qui illam absenti insinuet, vel rem tradat. ibid.
Quando donatio ante mortem donatoris non est facta ex parte ipsius: sed solùm mandata fieri per nuntium, aut procuratorem, sed nondum acceptata vel adimpleta fuit, non potest donatio validè acceptari post mortem donatoris, & res illa restituenda est hæredibus illius, qui donauit. ibid.
Si culpa nuntij vel procuratoris donatio non fuerit tempestiuè facta ante mortem donantis: secundùm aliquos, tenetur nuntius ad duplicem restitutionem, hæredibus nempe, & donatario: non est tamen improbabile teneri tantùm donatario. ib.
Mandatum factum ad pias causas non expirat mortem mandantis. ibid.
Quinam possunt promissionem lucratiuam vel donationem absenti factam acceptare? 13
Promissi, regulariter loquendo, statim adimplenda est, si terminus non fuerit assignatus. 14
Plura de promissione vide v. *Donatio. Sponsalia* 1. & 2. *Votũ* 1.

Proprius Sacerdos.

Proprius sacerdos in iure dicitur, qui ordinariam in sacramento pœnitentiæ habet iurisdictionem, siue sit Papa, siue Episcopus, siue Parochus. 12
Proprius sacerdos, ex mente Summorum Pontificum, & Canonis *Omnis vtriusque sexus*, Non Papa, non Episcopus, sed solus est Parochus. ibid.
Plura de proprio sacerdote vide verb. *Confessarius I.* num. 13. & sequent.

Proprius Episcopus.

Proprius Episcopus ille dicitur, & appellatur, qui est Episcopus originis, vel domicilij, vel beneficij. 2

Proscriptus.

Vide v. *Bannitus. Homicidium* 1. n. 3.

Proprietas.

Proprietatis dominium est ius disponendi de re aliqua tamquam sua, in suum commodum. 2
Proprietatis dominium diuiditur in perfectum & imperfectũ. 3
De proprietate religiosorum vide. *Paupertas Religiosa.*

Prouincialis.

Prouinciales Fratrum Minorum & Patrum Societatis Iesu, nec non ij, quibus ipsi cõmiserint, possunt in partibus Indiarum confirmationis sacramentum fidelibus ministrare, benedicere calices & altaria etiam pro vsu alieno. 1
Prouinciales Fratrum Minorum Vltramontani possunt circa subditos & moniales, illud omne quod Episcopis quoad casus occultos per Tridentinum conceditur. 2
Prouinciales possunt in suos subditos proferre absolutionem casuum Pontifici reseruatorum, etiam in bulla Cœnæ Domini, etiam hæreseos occultæ: imò pro foro externo in partibus Vltramontanis. ibid.
Prouinciales poterant olim cum sibi subditis regularibus dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, etiam homicidij voluntarij occulti, pro foro conscientiæ ex concessione *Martini V.* sed hodie ista concessio est reuocata, quia est viuæ vocis oraculum. 12
Prouinciales semel in anno possunt dispensare cum omnibus subditis in omni irregularitate, quauis occasione vel causa contracta. Ex indulto *Pauli III.* 12
Prouinciales Ordinum Mendicantium possunt dispensare cum Monialibus illegitimis sibi subditis, vt possint fieri Abbatissæ. 5
Prouinciales ordinum cum consensu Capituli Prouincialis possunt sibi reseruare casus. 40
Prouinciales possunt ferre censuras. 9
Prouinciales possunt sibi subditis licentiam dare ad accedendum monasteria quarumcumque monialium. 11. & 12
Prouinciales ordinum mendicantium poterant olim dare licentiam confessarijs sæcularium sui ordinis vt possent dispensare cum incestuosis ad petendum debitum, sed modò hæc potestas est eis sublata per *Vrban. VIII.* quia priuilegium *Pij V.* erat viuæ vocis oraculum. 7
Prouinciales possunt dare licentiam vt in conuentibus suis missæ dicantur in oratorio priuato sine alia Episcopi approbatione. 1
Prouinciales possunt suis subditis dare dimissorias, eòsque mittere ordinandos ad quemlibet Episcopum, absente Episcopo Diœcesano, vel non habente ordinationes. 4
Prouincialis aut Generalis potest ex iusta causa præcipere immediato conuentus superiori, ne quemplam ipso inconsulto ad professionem admittat, adiecto decreto reddenti professionem irritam aliter factam. 3
Plura de Prouinciali vide v. *Abbas Prælatus.*

Proximus.

De fide certum est proximum, id est, homines capaces beatitudinis, siue iusti sint, siue iniusti, fideles aut infideles, amici aut inimici diligendum esse. 12

Proxenetæ.

Proxenetæ, qui quærunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad vsurarium & instituuntur ab vsurarijs, seque tenent ex parte vsurarij, tenentur ad restitutionem. 5

Prudentia.

Prudentia est virtus intellectus, qua in quouis negotio occurrente nouimus quid honestum sit, quid turpe. 1
Prudentia versatur circa actiones singulas. 2
Prudentiæ obiectum, effectus, & finis, est agere honestè. 3
Contra prudentiam dupliciter peccatur; per excessum & per defectum. 4
Per defectum contra prudentiam peccatur, præcipitatione inconsideratione, inconstantia & negligentia. ibid.
Qualia sint peccata præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia. 5
Per excessum contra prudentiam peccatur sex modis, prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, & sollicitudine futurorum. 6
Prudentia carnis dicitur, qua quis viuit secundùm carnem. 7
Astutia est notitia prauorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu exequendi coniuncta. 8
Dolus est astutiæ executio siue verbis siue factis. 9
Fraus est executio astutiæ per facta. 10
Solicitudo temporalium est nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conseruandis. 11
Solicitudo futurorum est nimia animi occupatio circa futuræ vitæ necessaria cum anxietate coniuncta. 11
De prudentia vide *Confessarius IV.* n. 16. & seq. *Confessio IV.* n. 18. *Interrogatorium. Delectatio* n. 8. *Prælatus* n. 19.

Psalmi graduales & pœnitentiales.

Qui vtuntur breuiario Romano *Pij V.* non tenentur extra chorum ad recitandos Psalmos graduales & pœnitentiales. 5

Pubes.

Puberum vota, id est post annum 14. completum in mare & 12. in fœmina, non possunt à parentibus irrita reddi, nisi quatenus disciplinæ familiæ & patriæ potestati obsunt. 14
Puberum vota realia irritari possunt, non solùm à parente, sed etiam à curatore vsque ad 25. ætatis annum. ibid.

Pupillus.

Pupilli bona immobilia & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, absque iudicis decreto, validè non alienantur, quamuis auctoritas Tutoris intercedat. 11. & 27.
Pupilli res non possunt emi à Tutore ob præsumptionem fraudis, nisi tutor emat palam, id est, sub hasta & bona fide. 7
Pupilli absque tutore repellendi sunt à fideiussione. 3
Pupillus tenetur finita tutela stare locationi factæ à suo tutore. 3
Pupillus non potest absque decreto iudicis rem suam loco pignoris obligare authoritate tutoris. 6
Vide v. *Tutela. Minor.*

Pueri.

Pueri, qui nondum rationis vsu potiuntur, non possunt leges humanas per consuetudinem abrogare. 6
Pueri, qui sunt compotes vsus rationis & habent conscientiam peccati mortalis, tenentur ad confessionem ex præcepto diuino. 4
In dubio an puer habeat vsum rationis, præsumendum est habere, & esse obligatum confessionis præcepto, si impleuit septennium. ibid.
Pueri qui 12. annum nacti non sunt, omittentes annuam confessionem, non sunt plectendi pœnis iuris. ibid.
Pueri prius obligantur ad confessionem, quàm ad communionem. 6
Pueris capacibus sacramenti pœnitentiæ, atque adeò omnibus post septennium, nisi constaret carere vsu rationis, danda est Extrema-vnctio, licet non recipiant, nec sint idonei ad recipiendam Eucharistiam. 4
Pueri, qui nondum ad rationis vsum peruenerunt, non adstringuntur legibus humanis. 1
Pueri & adolescentes vsque ad finem tertij septennij excusantur à ieiunio: & probabile est paruulis ante septennium expletum licere administrare carnes in die prohibito. 6
Puer masculus ante 14. annum, & puella ante 12. annum ex præscripto iuris non admittuntur ad iuramentum solemne in iudicio, in causis ciuilibus: in criminalibus non admittitur minor 20. annis. 6
Puer baptizatur, adultus completis septem annis tenetur diebus festis & Dominicis missam audire. 1
Pueri non possunt religionem intrare sine consensu parentum vel tutorum ante annos pubertatis: vbi verò ad annos pubertatis peruenerunt, efficiuntur sui iuris in ijs, quæ ad statum vitæ pertinent. 9
Pueri impuberes qui doli capaces sunt, percutientes clericum enormiter vel mediocriter, absolui possunt ab Episcopo. 8
Vide v. *Aetas. Impubes.*

Publicum.

Publicum crimen dicitur, vel quod est notorium iure per iuridicam sententiam, per confessionem in iudicio, per legitimam testium depositionem: vel si sit notorium facto, vel sit famosum. 14
Publicum peccatum quatenus in confessione auditum, est materia sigilli. 7
Publicè peccantes obligantur ad circumstantiam scandali manifestandam in confessione. 11

Pudicitia.

Ob pudicitiam conseruandam non potest fœmina seipsam occidere: quamuis ex ignorantia inuincibili possit excusari. 9
Pro defensione suæ pudicitiæ, licitum est cuilibet occidere inuasorem, quando pudicitia fugiendo, aut vociferando, aut alio modo defendi non potest. 21

Puritas vitæ.

Puritas vitæ requiritur in Iudice, quæ duplex est, interior vna, exterior altera. 12

Q.

Quarta Parochialis & Episcopalis.

Quarta est quantans, seu quarta pars rei de qua agitur. 1
Quarta parochialis debetur illi parochiali Ecclesiæ, in qua quis de iure sepeliendus esset. 2
Quarta Episcopalis debetur Episcopo de legatis pijs & funeralibus, oblationibus factis Ecclesiæ seu locis pijs sibi subiectis. 3
Quomodo vigore Concilij Tridentini hanc soluere teneantur religiosi. 4
Religiosi non tenentur soluere quartam de missis, de candelis quæ dantur in manibus religiosorum. 5
Quando Ecclesia parochialis est interdicta sua culpa parochianus alibi eligens sepulturam, non debet quartam funeralem: secus si parochia causam interdicti non dederit. 6
Quarta funeralis non debetur de relictis pro ædificatione & reparatione Ecclesiarum, monasteriorum & aliorum locorum piorum. 7
Ordinarij cogentes religiosos, aut testamentarios, vel hæredes ad quartam soluendam in locis vbi eam non soluunt ab hinc quadraginta annis, ipso facto interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ; cæteri excommunicantur. 8

Querela.

Querela non semper fit ob publicam vindictam criminis, sed aliquando ob priuatum bonum partis offensæ: & fit nudis verbis. 2
Sonum querælæ & impatientiæ murmur vocant Doctores. 1
Vide v. *Murmuratio.*

R.

Rapina.

Rapina & furtum differunt specie in ratione iniuriæ. 2

Raptus.

Raptus est peccatum luxuriæ, quo persona aliqua abducitur cum violentia, ad actum turpem cum ea exercendum. 1
Ad raptum requiritur violentia ipsi personæ, vel ijs sub quorum cura est, & abductio causa libidinis vel matrimonij. 2
Abductio sponsæ per verba de futuro consentientis, iure ciuili est raptus, sint parentes inuiti; at iure canonico non est raptus, si aboducatur ad matrimonium consummandum cum ea. 3
Raptor mulieris honestæ, siue mulier sit virgo, siue vidua, coniugata siue soluta, iure ciuili punitur pœna mortis. 4
Raptoribus mulierum iure canonico constitutæ sunt tres pœnæ. 5
Raptor mulieris & omnes consilium, auxilium & fauorem præbentes, iure nouo Tridentini sunt ipso facto excommunicati, infames, & omnium dignitatum incapaces, post sententiam Iudicis. 6
Raptor, siue matrimonium contrahat, siue non, cum rapta, tenetur ad decenter dotandam raptam arbitrio Iudicis. 7
Inter raptorem, & raptam declaratur in Tridentino matrimonium nullum, quamdiu rapta manet in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat. 8

Ratificatio.

Ad ratificationem professionis requiritur, vt qui ratificare debet, sciat professionem irritam esse. 6
Quando professio ratificanda est, eo quòd nulla fuit ex defectu irritante solum professionis consensum; nouus consensus Prælati non est necessarius: si verò nulla fuit ex defectu vtriusque partis, scilicet prælati recipientis, & recepti consensum irritante, tunc necessarius est vtriusque partis legitimus, & efficax consensus. ibid.
De ratificatione matrimonij quando fuit inualidum, vide *Matrimonium III.* n. 7. & 8.

Ratihabitio.

Ratihabitio alia est de præsenti, alia de præterito, alia de futuro. Ratihabitio de præsenti, nihil aliud est quàm consensus superioris de præsenti. 17
Ratihabitio de præsenti non differt à concessione actuali iurisdictionis; vnde absolutio cum tali ratihabitione est valida, modò superior signo aliquo externo ratam habeat absolutionem de præsenti. ibid.
Quando ratihabitio est de præterito, valida est etiam absolutio: per hanc enim licentiam, habetur de præsenti iurisdictio sufficiens ad valorem sacramenti. ibid.
Ex ratihabitione de futuro non acquiritur iurisdictio sufficiens ad validitatem sacramenti. 18
Contractus requirens ratihabitionem alterius, non censetur perfectus, nisi accessent ratihabitio. 3
Verius est ex ratihabitione homicidij ab alio commissi licet suo nomine non contrahi irregularitatem. 10
Episcopus ordinans non suum sub spe ratihabitionis, in foro conscientiæ post factum potest excusari à suspensione incurrenda ratione bonæ fidei: quamuis ante factum non tam facilè id permittatur. 4

Rebaptizatio.

Rebatizatio tum iure diuino, tum iure positiuo prohibita est: & inducit irregularitatem in rebaptizante, & in rebaptizato. 1
Plura de hac rebaptizatione vide v. *Irregularitas VIII.*

Reformatio regularium.

De reformatione regularium vide v. *Prælatus* n. 10. & v. *Religio IV.* n. 9.

Regulares quoad illorum iurisdictionem, & priuilegia circa sacramentum pœnitentiæ.

Iurisdictio quæ ex vi priuilegiorum regularibus concessorum delegatur, operatur non solùm absolutionem validam, quoad sacramentalem remissionem peccatorum, sed etiam absoluit ab onere confitendi iterum ea peccata. 19

Confessarij mendicantes ab Episcopis approbati, non indigent facultate parochorum, ad excipiendas confessiones sæcularium, etiamsi in suis licentijs habeant, ne illas excipiant extra monasteria sua absque facultate parochorum. ibid.

Regulares extra Italiam approbati iuxta formam Concilij Tridentini, possunt iuxta priuilegia absoluere quoties opus fuerit, omnes fideles à casibus, sententijs, censuris, & pœnis Ecclesiasticis Papæ extra bullam Cœnæ reseruatis. In Italia autem excipiuntur aliqui casus. 36

Regulares in terris infidelium remotissimis à Sede Apostolica, possunt omnes fideles absoluere etiam à reseruatis in bulla Cœnæ. 37

Regulares iuxta sua priuilegia possunt absoluere ab omnibus casibus Episcopo etiam in iure reseruatis: vbi tamen Decretum Sacræ Congregationis in contrarium est publicatum, & receptum, debent Regulares abstinere ab vsu talium priuilegiorum. 38

Regulares à suis Prælatis deputati possunt absoluere suos familiares seu famulos laicos intra monasterij septa cohabitantes, sicut & religionem ingredi volentes, à casibus Episcopo reseruatis, etiam absque licentia seu approbatione Episcoporum. 5

Regulares mendicantes absoluere possunt ab omnibus excommunicationibus, tam à iure quàm ab homine latis satisfacta parte aut præstita sufficiente cautione: & hoc non solùm in foro poli, sed etiam in foro fori, & extra sacramentum. 39

Regulares priuilegiati non obstantibus decretis Sacræ Congregationis possunt absoluere à censuris ab Episcopo reseruatis iuxta probabilem sententiam. ibid.

Item probabile est regulare, qui ex priuilegio possunt absoluere a casibus Episcopo reseruatis, posse etiam à reseruatis Pontifici, modò sint occulti: etiam ab hæresi, & alijs in bulla Cœnę contentis occultis. 18

Regulares habentes priuilegium absoluendi à censuris Papæ reseruatis, possunt ab his absoluere in foro conscientiæ, etiamsi publicæ sint, & deductæ ad forum contentiosum. 17

Priuilegiatus non debet à censuris notorijs absque ordinarij consensu facilè absoluere, si eæ ad forum iudiciale deductæ aut probabiliter deducendæ sunt: in rigore tamen absolutio valida est, & licita pro foro conscientiæ. 41

Confessarij Ordinum mendicantium possunt absoluere à quacumque simonia, eique annexa excommunicatione, etiamsi simonia illa commissa esset in ordine conferendo aut suscipiendo. 5

Regulares habentes priuilegia absoluendi ab omnibus casibus reseruatis, censuris, & pœnis consurgentibus ex eis, possunt absoluere in foro conscientiæ à priuationibus & inhabilitationibus quæ imponuntur violatoribus Decretorum quorumdam Papalium. 18

Regulares præuio examine ab ordinarijs idonei inuenti, & probati ad confessiones sæcularium audiendas, generaliter, & indistinctè absque limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum, debent admitti. 12

Clementinæ *Dudum* non est derogatum per Constitutionem Pij V. quantum attinet ad Fratres Minores, & Prædicatores, qui enim semel approbati in vna diœcesi, non debent iterum examinari, approbari, aut reprobari à successoribus Episcopis: quantum verò ad reliquos mendicantes derogatum est in hoc dictæ *Clementinæ*. 18

Regularium approbationes liberas audiendi confessiones, non possunt Episcopi licitè, & validè sine noua, & rationabili causa, eaque ad confessiones pertinente, reuocare. ibid.

Regulares semel ab aliquo ordinario approbati, & à suis superioribus deputati, siue in mari, siue in terra iter faciant, possunt, non repugnantibus curatis, prædicare, & omnium fidelium confessiones audire, dummodò id non faciant in præsentia ordinarii, nisi licentia ipsius desuper obtenta. 19

Regulares in Theologia graduati, & lectores ex ordinibus mendicantium, tam confessiones audituri, quàm prædicationis munus subituri, ab Episcopis non debent examinari. 3

Regulares ex ordine Prædicatorum ab Episcopis approbati sine præsentatione superiorum, inualidè absoluunt sæculares. 4

Regulares aliorum ordinum Mendicantium validè absoluunt sæculares, sed non licitè, cùm sola approbatione Episcopi, quamdiu superiores similes licentias non irritauerint. ibid.

Regularis à superioribus debitè præsentatus Episcopo, & ab eo approbatus ad confessiones sæcularium, si à prælato suo simplici extraiudiciali prohibitione illi prohibitum sit confessiones audire, validè quidem absoluet, sed non licitè. ibid.

Regularis priùs electus, & præsentatus ad confessiones sæcularium, si iuridicè suspendatur à confessionibus, & nominatim denuncietur suspensus, absolutio ab eo data foret inualida. ib.

Regularis per sententiam priuatus confessionibus à Prælato non ab Episcopo, validè absolueret, si confessiones audiret in alio oppido, vbi omnes illum habent pro idoneo confessore, ignorantes priuationem ipsius. ibid.

Regularis non præsentatus, prohibitus, & suspensus à Prælato, non potest absoluere ab vllis casibus Episcopo reseruatis virtute priuilegiorum, multò minus à reseruatis Pontifici. 4

Regularis sine licentia sui Prælati excipiens confessiones sæcularium peccat mortaliter, si constitutiones ordinis quoad hoc obligent ad mortale; venialiter verò, si ad veniale. ibid.

Regulares pro confessionibus religiosorum, & monialium, non indigent approbatione ordinarij. 5

Regulares tempore Iubilæi non tenentur eligere confessarium ab Episcopo approbatum, si intendat lucrari Iubilæum. 17

Vide plura v. *Absolutio. Censura. Casus reseruatus. Excommunicatio V.*

Regularium priuilegia. Circa Sacramentum Confirmationis.

Prouinciales Patrum Societatis Iesu, & Fratrum Minorum nec non ij, quibus ipsi commiserint, possunt confirmationis Sacramentum fidelibus ministrare, in partibus Indiarum. 3

Circa Eucharistiam.

Omnes sacerdotes ordinum mendicantium possunt sæcularibus Eucharistiam ministrare, tam in suis quàm in alienis templis, & oratorijs extra tempus interdicti, & excepta die qua celebratur festum Resurrectionis, licentia parochorum non requisita. 9

Non solùm regulares sacerdotes, sed etiam sæculares, de licentia Sacristæ, possunt ministrare Eucharistiam in templis regularium. ibid.

Regulares mendicantes habent priuilegium ad ministrandam Eucharistiam, non solùm ex deuotione, sed etiam ex obligatione præcepti, tam in die Paschatis, quàm toto tempore Paschali, etiam repugnantibus parochis: quamuis non expediat regularibus hoc priuilegio vti: imò nec hodie licet. ibid.

Regularibus licet in articulo mortis Eucharistiam ministrare sæcularibus, cùm ad mortem decumbentibus pro viatico illa deferenda est. Hodie tamen non est conueniens vti hoc priuilegio. ibid.

Regulares extra proprias Ecclesias non possunt licitè in alienis, Christi fideles ex obligatione communicare. ibid.

Regulares exempti possunt tempore Paschatis, & in articulo mortis ministrare Eucharistiam illis, qui sunt de familia, & continui commensales, absque licentia parochorum. 12

Regulares tempore Paschatis possunt viatoribus, vagis, & ijs, qui extra parochiam suam ad certum tempus commorantur, Eucharistiam ministrare. 11

Circa Missam.

Veriùs est priuilegia mendicantium celebrandi extra Ecclesiam cum altari portatili, non esse reuocata per Concilium Trid. 1

Regulares ex concessione *Gregorij XIII.* possunt in missionibus cum altari portatili vbique gentium celebrare missas etiam in castris militum, modò loca etsi communia, & prophana, tamen tuta, & honesta sint. ibid.

Regulares possunt in domibus suis in priuato oratorio à Prouinciali approbato missas dicere cum altari portatili sine alia Episcopi approbatione. ibid.

Regulares possunt celebrare in cellis seu cameris suorum infirmorum, nulla Ordinariorum licentia requisita; etiamsi infirmi extra claustra reperiantur: & probabile est quod id possint contradicente, & prohibente Episcopo. Hoc priuilegio etiam gaudent Moniales regularibus subiectæ. ibid.

Regulares possunt virtute priuilegiorum suorum per tres horas ante ortum solis missas dicere, & itidem per tres horas post meridiem: imò possunt missas celebrare in suo monasterio duabus horis post mediam noctem. 6

Regularium ſpecialia priuilegia vt pro ſuis feſtis & per eorum octauas, aliiſque certis diebus poſſint miſſas celebrare & non ſeruent interdictum, non ſunt reuocata per Concilium Tridentinum. 26

Regulares ex ordine minimorum, ex conceſſione *Vrbani VIII.* poſſunt legata miſſarum perpetua, exigua & oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta ſcutorum monetæ Romanæ pro qualibet quotidiana miſſa reducere. 11

Fratres minores & Presbyteri Societatis Ieſu poſſunt in locis infidelium remotiſſimis altaria & calices conſecrare. 6

Prælati regulares & eorum vicarij licitè benedicunt oratoria, cœmeteria, Eccleſias, corporalia & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia vbi chriſma non interuenit, pro ſuis vſibus tantùm. 7

Prælati Ordinum mendicantium reconciliare poſſunt ſuas Eccleſias pollutas cum aqua benedicta ab Epiſcopo cinere mixta. 10

Regulates mendicantes poſtquam bis aut ter Epiſcopum Diœceſanum rogarunt pro conſecratione ſuorum altarium, ſi Epiſcopus aut ſedes vacans ad id licentiam dare noluerit, poſſunt alium quemlibet Orthodoxum Antiſtitem adire. 4

Circa extremam-vnctionem.

Ex multis priuilegijs Summorum Pontificum, licet religioſis, miniſtrare Sacramentum Extremæ-vnctionis familiaribus, ſeruitoribus & alijs degentibus intra ſepta ſuorum monaſteriorum. 8

Fratres Minores ex conceſſione *Sixti IV.* poſſunt adminiſtrare ſacramenta Euchariſtiæ & Extremæ-vnctionis illis, quorum confeſſiones audierunt quando Rectores ſeu curati eorum malitioſè aut ſine rationabili cauſa denegauerint. 1

Circa Sacramentum Ordinis.

Abbates presbyteri ius mitræ & baculi habentes, benedicti ab Epiſcopis, poſſunt conferre primam tonſuram & ordines minores ſuis ſubditis regularibus; externis verò non niſi cum literis dimiſſorijs vel Epiſcopi vel alterius prælati, reſpectiuè quoad ſuos ſubditos. n.1

Abbas Ciſtercienſis ex conceſſione *Innocentij VIII.* conferre poteſt ſuis Monachis Subdiaconatum & Diaconatum. ib.

Prælati regulares poſſunt ſuis ſubditis dare dimiſſorias, eoſque mittere ordinandos ad quemlibet Epiſcopum, dum abeſt Diœceſanus, vel non habet ordinationes, vel ſede vacante. 4

Regulares poſſunt extra tempora ordines recipere. 5

Circa Matrimonij impedimenta.

Priuilegia aliquando regularibus conceſſa circa aliqua matrimonij impedimenta tollenda diſpenſando in eis: iam non ſunt in vſu, quia ſunt abolita & reuocata. 4

Circa irregularitates.

Regularium Prælati poſſunt cum ſibi ſubditis diſpenſare in omnibus irregularitatibus quauis occaſione aut cauſa contractis ſemel in anno. §.3

Regularium confeſſarij approbati ſecundùm formam iuris, diſpenſare poſſunt cum ſæcularibus in omni irregularitate ex delicto occulto proueniente, ſicut poteſt Diœceſanus. 10

Patres Societatis ex conceſſione *Gregorij XIII.* poterant olim rehabilitare ab omni genere irregularitatis, præter eam, quæ eſt ex homicidio, mutilatione, bigamia, defectu natalium: cui conceſſioni communicabant religioſi mendicantes. Sed hodie hæc conceſſio eſt reuocata. ibid.

Circa vota & iuramenta.

Regulares approbati ad ſæcularium confeſsiones audiendas habent facultatem commutandi omnia vota etiam iurata, in alia pietatis opera, exceptis quinque reſeruatis. 5

Priuilegia regularium fauorabilia ſunt, & ideò latè interpretanda, quantùm verba illorum patiuntur. 5

Regulares commutare poſſunt etiam vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute priuilegiorum. Item omnia vota Summo Pontifici reſeruata, quando in illis Epiſcopus poteſt diſpenſare. ibid.

Regulares virtute priuilegiorum poſſunt commutare vota non ſolum ſubditorum illius diœceſis, in qua ad fidelium confeſsiones audiendas expoſiti ſunt, verùm etiam quorumcumque vndequaque venientium. ibid.

Regulares item approbati diſpenſare poſſunt cùm ſæcularibus in omnibus votis, in quibus poſſunt Epiſcopi. 10

Regulares qui ex priuilegio commutant vota, poſſunt etiam commutare iuramenta de eadem materia. 5

Regulares, qui ex priuilegijs diſpenſant in votis in quib. poſſunt Epiſcopi, diſpenſare etiam poſſunt in iuramentis. 8

Prælati regularium exempti ab ordinario circa ſuos ſubditos in iuramentis diſpenſare poſſunt ſicut Epiſcopi. ibid.

Prælati ordinum poſſunt irritare omnia vota ſubditorum & iuramenta, exceptis tribus religioni eſſentialibus: poſſunt item ea vota commutare & diſpenſare. §.4

De regularium furtis. Vide *Furtum* 2. n.6.7.

De regularium paupertate. Vide *Paupertas Religioſa*, *Dominium* 1. n.8. *Religio V I.* n.8.

De regularium clauſura vide verb. *Clauſura* n.14. & ſequentib.

De regularium ludo vide v. *Ludus I.& II.*

De regularium obligatione ad horas, vide *Hora Canonica I.* n.5. & ſeq.

Regularium Eccleſiæ etiam exemptæ cenſentur interdictæ, interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale: ſecus ſi interdictum ſit ſpeciale. 8

Apud regulares quatuor ſunt regulæ approbatæ, ſub quibus omnes ordines religioſi militant. 12

Regulares non exempti, in cauſis criminalibus puta furti, adulterij, homicidij &c. iure communi ab Epiſcopo iudicari debent non à Prælato: ex conſuetudine tamen Abbas de criminib. ſuorum regularium cognoſcit & punit etiam in forma iudicij, exceptis ijs, quæ depoſitione digna ſunt & quando ſunt notoria ſcandaloſa. 1

De regulari Epiſcopo vide v. *Epiſcopus* n.7. *Religio* I. n.8.

De regularium reformatione vide v. *Prælatus* num.10. *Religio IV.* num.9.

Regulares poſſunt cum licentia Superioris aliquid donare tempore mortis etiam per ſchedulam ſcriptam. 6

Regularis profeſſus non poteſt mutare teſtamentum tamquam Dominus, licet poſſit mutare teſtamentum tamquam optimus interpres ſuæ voluntatis, modò adſit legitima cauſa. ibid.

Recurſus.

Recurſus nomine intelligitur damnificantis receptator, id eſt, qui recipit, vel fouet, vel conſeruat malefactorem, vel aſſeruat prædam, vel refugium & ſecuritatem malefactori præbet &c. 11

Recidiuum.

Propter recidiuum numquam eſſe abſoluti onem negandam, ſi pœnitens habeat dolorem de præterito & propoſitum de futuro, *Ioannis Sancij* ſententia eſt. 7

Reincidentia.

Ad reincidentiam abſolutio eſt cùm datur ſub conditione, quam niſi abſolutus intra præfixum tempus vel quàmprimum commodè poteſt adimpleat, in eamdem vel potiùs ſimilem cenſuram denuò incidat. 42

Ad reincidentiam abſolutio datus in duobus caſibus. ibid.

Relapſus.

Relapſus hæreticus dicitur ille, qui poſtquam hæreſim publicè coram iudice abiurauit, in aliam diuerſam vel eamdem incidit. 19

Religio. Quoad illius ſtatum in communi.

Nomen ſtatus ſtrictè, accipitur pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obſtricti ſumus: & tres ſunt ſtatus in Eccleſia, Epiſcoporum ſcilicet, religioſorum & coniugatorum. n.1

Religio accipitur, vel pro virtute, vel pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro formula quadam peculiari & profeſsione, per quam homo diuino obſequio mancipatur. ib.

Religionis ſtatus eſt fidelium ad chriſtianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, caſtitatis ac obedientiæ, ſtabilis in communi viuendi modus. 2

Ad ſubſtantiam veræ & propriæ religionis deſiderantur 1. caſtitas, paupertas & obedientia 2. vt hæc tria voto aliquo firmentur 3. vt emittantur in aliqua religione approbata per Sedem Apoſtolicam 4. vt hæc vouens conſtituatur ſub alterius iuriſdictione. ibid.

Iure communi antiquo ſtatus Religionis veræ conſiſtere non poteſt, abſque votis ſolemnibus: poſt Extrauagantem tamen *Gregorij XIII* declarantur religioſi profitentes vota ſimplicia in Societate Ieſu. 3

Profitentes caſtitatem coniugalem in ordinibus militaribus, licet Eccleſiaſticæ perſonæ ſint, non ſunt propriè religioſi. 4

Regula ad eſſentiam religionis per ſe non eſt neceſſaria, ſed tantùm per accidens. 5

Irrita eſt profeſsio votorum religionis, ſi in ea conditio addatur, quæ religioſo ſtatui repugnat. 6

Ex reſponſione Sacræ Congreg. profeſsio valet reſeruata ſibi facultate teſtandi de ſuo patrimonio. ibid.

Religioſi non ſunt, qui edito voto perpetuæ caſtitatis & paupertatis,

natis, obedientiam vouent præstandam confessario vel Episcopo. 7

Summus Pontifex dispensare non potest, vt manens religiosus, voto paupertatis castitatis ac obedientiæ obligatus non sit; quamuis dispensare possit, vt professus religionem, desinat esse religiosus. 8

Religiosus ad Cardinalatum, Episcopatum, vel similem dignitatem promotus, non desinit esse religiosus, ac proinde obstrictus manet essentialibus votis religionis, iuxta veriorem sententiam. ibid.

Religiosus ad parochiale beneficium promotus, substantialibus religionis votis obstrictus manet; habitumque religionis suæ deferre debet, & regulam obseruare in ijs omnibus, quæ cum suo munere & laboribus consistere possunt. 9

Regularis parochus eximitur ab obedientia Prælatorum religionis, quando Ecclesia cui præest, nullatenus subijcitur Prælatis religionis, sed subiectus manet imperio Episcopi. ibid.

Si Ecclesia subijciatur prælatis religionis quoad sola temporalia, eximitur regularis parochus quoad spiritualia ab illorum obedientia: si verò eis subiecta sit quoad spiritualia, tolùm eximitur quoad temporalia: si verò sit subiecta quoad omnia manet plenè eis subiectus. ibid.

Quando beneficium curatum regulare subest pleno iure monasterio, potest regularis ille ad superioris nutum reuocari: si autem non subsit pleno iure, nequit ad nutum Abbatis auferri, nisi aliter in ipsa annexione vel institutione fuerit constitutum, vel Prælatus ius illud iam legitimè præscripserit. ib.

Si regularis præficiatur Ecclesiæ curatæ sæculari vel beneficio simplici sæculari ex legitima dispensatione, reuocari non potest ab Abbate. ibid.

Abbates & prælati regulares non possunt pro suo libito amouere monachum à beneficio electiuo absque legitima causa. ibidem.

Status religionis statim à tempore Apostolorum cœptus, hucusque semper duravit, & auctus est. 10

Diuersitas ordinum prouenit, vel ex particulari fine seu functione, ad quem quisque ordo speciatim est institutus, vel ex particularibus medijs, & ritibus quibus vtuntur ad functionem suam propriam meliùs obeundam. 11

Quatuor sunt regulæ approbatæ, sub quibus omnes ordines religiosi militant, præter Carthusianos & Societatem Iesu, qui habent proprias constitutiones. 12

Illi ordines absolutè sunt perfectiores, qui ordinantur ad finem intrinsecum seu functionem perfectiorem. 13

Religio. De intrantibus religionem.

Religionem ingredi possunt, qui sunt sui iuris; qui autem alteri sunt obstricti, non possunt, nisi illius consensu. n. 1

Episcopi non possunt religionem ingredi sine consensu Summi Pontificis. ibid.

Episcopis iure conceditur renunciatio Episcopatus ad ingrediendum religionem ob conscientiam criminis; debilitatem corporis; defectum scientiæ; malitiam plebis; graue scandalum, & irregularitatem. 1

Coniuges post consummatum matrimonium ingredi non possunt religionem, nisi ex mutuo consensu. 2

Iuxta quosdam mulier dicitur senex, vt vir possit profiteri religionem remanente illa in sæculo cum voto castitatis si sit quinquagenaria; iuxta alios si sexagenaria: sed verius est hoc arbitrarium esse, & ex circumstantijs personæ, valetudinis, roboris & anteactæ vitæ definiendum. ibid.

Religionem ingredi potest coniux inuito altero, in quatuor casibus. 3

Religionem ingredi non possunt, qui virginem sub promissione matrimonij defloraruntur; tenentur enim implere contractum vel eam dotare, secundùm illius conditionem. In aliquibus tamen casibus non tenerentur defloratam ducere. 4

Verius est, illum, qui prius votum religionis aut castitatis emisit, virginemque defloruit cum promissione matrimonij, teneri ad contrahendum matrimonium, si puella votum promittentis ignorauit: secus si non ignorauit. ibid.

Ad religionem se conferre potest, qui defloruit virginem, nulla habita matrimonij promissione, si postea defloratæ matrimonium promittat. ibid.

Seruus, quamdiu est seruus, non potest statum religiosum capessere absque consensu Domini. 5

Qui creditoribus non est soluendo, non potest ingredi, si intra paucos annos manens in seculo possit satisfacere. 6

Qui reddendis rationibus sunt obnoxij, non possunt ingredi, nisi prius se expediant, si sint ratiocinia Reipub. 7

Filius non potest religionem ingredi, si parens eius extrema vel graui egestate prematur, & ipse nequeat illi prouidere nisi manendo in sæculo: idem dicendum de parente respectu filij. Limita, nisi alius possit & velit prædictis subuenire. 8

Si filius parente in graui necessitate constituto professus fuerit, tenetur egredi, si aliter ei subuenire non potest: si autem parens post professionem filij in eam egestatem inciderit, non tenetur filius egredi, quamuis possit, obtenta licentia à Prælato. Egressus autem filius tenetur habitum religionis gestare in sæculo, & obseruare debet essentialia religionis suæ & maiora præcepta, statimque vt necessitati parentum prouidit ad religionem reuerti. ibid.

Pater habens filios in necessitate constit. religionem ingredi non potest. ibid.

Pueri non possunt religionem intrare sine consensu parentum, vel tutorum ante annos pubertatis; vbi autem ad illos peruenerint, efficiuntur sui iuris quoad status electionem. 9

Illegitimus non potest admitti in religionem in qua pater eius siue ante siue post natiuitatem professus fuerit, si adhuc sit superstes. 10

Ratione propriarum constitutionum excluduntur à quibusdam religionibus homicidæ, infames, nati ex Iudæis, Sarracenis, vel hæreticis vsque ad quartam generationem. ib.

Corpore vitiati sunt inhabiles ad ingressum religionis, nisi morum integritas, insignis doctrina, vel magna sanguinis nobilitas corporalem defectum suppleant: professio tamen istorum de iure communi irrita non est. 11

Infames & buffones, histriones, carnifices, alijque similes non debent ad religionem recipi, si tamen recipiantur, professio illorum valida erit. 12

Ex constitut. *Sixti V.* criminosi aut de crimine suspecti ad habitum religionis recipi non debent: professio tamen horum iure communi valida est. 13

Criminosi in hac constitutione dicuntur, qui facinora exorbitantia & turpia commiserunt, vt latrocinium, rapinam, homicidium vel aliud delictum, quod sit publicum, non solùm notorietate facti sed iuris. ibid.

Bigami non possunt ad religionem in clericos recipi, bene tamen in laicos; sicut & illiterati. 14

In receptione nouitiorum inquisitio, seu informatio fieri debet de conditionibus, quæ vel iure canonico vel vigore Constitutionum *Sixti V. & Gregorij XIV.* requiruntur in ijs, qui religionis ingressum petunt. 15

Hodie professio tenet etiamsi prędictæ informationes non fiant, si nouitius non est inhabilis de iure communi. ibid.

Prælatus localis informationes culpabiliter omittens incurrit pœnas à *Sixto V.* positas, si taliter receptus alias fuerit criminosus & ligatus aliquo impedimento in constitutione notato, aliàs non. ibid.

In nouitijs qui in remotissimis partibus nati sunt, sufficit quòd ingressuri iureiurando affirment se nullo impedimento bullæ *Sixti V.* obstrictos esse. ibid.

Hæc informatio potest fieri tam per ecclesiasticos, quàm sæculares, imò per Monachum idoneum à Superioribus deputatum, modò sit iuridica, facta nimirum per duos vel tres testes iuratos. ibid.

Non est necesse facere informationes præceptas à *Sixto V.* circa religiosum transeuntem de vna religione ad aliam & in secunda profitentem. ibid.

Forma faciendi prædictas informationes. ibid.

Recipiendus tenetur sub pœna lethalis culpæ aperire impedimenta etiam occulta, quibus ei præcluditur religionis ingressus, etiamsi non sit interrogatus, modò impedimentum aduertat, aut de eo dubitet. ibid.

Religio. Quoad Nouitiatum & Nouitios.

Iure antiquo masculus completo 14. ætatis anno, mulier 12. ad professionem admittebantur: & ante annum probationis in religione expletum: post verò Conc. Trident. non licet, nisi post annum expletum & 16. suæ ætatis annum, aliàs irrita est professio. n. 1

Annus nouitiatus computandus est de momento ad momentum: in anno verò bissexto, duo dies debent pro vno reputari. 2

Nouitia monialis Ordinis S. Dominici iudicio medici statim moritura, ante annum completum probationis, modò ætatem suffi-

ſufficientem habeat, profiteri poteſt in manibus Prioriſſæ. 3
Renunciatio anni nouitiatus tam ex parte nouitij quàm monaſterij non prodeſt, ſed ea non obſtante profeſſio eſt irrita. 4
Vt annus nouitiatus ſit legitimus debet eſſe integer, & continuus & non ſufficit quòd ſit interpolatus. 5
Nouitiatus interrumpitur, quando nouitius recedit à religione contra obedientiæ præſcriptum per duos vel tres dies, animo non redeundi ad religionem. ibid.
An autem nouitiatus cenſeatur interruptus, ſi nouitius è monaſterio egrediatur abſque venia ſuperioris cum animo non redeundi habitum religioſum non dimittens, alij negant probabiliter. ibid.
Si nouitius fratrum ſui conuentus ſuffragijs de religione dimittatur, & à ſuperioribus denuò ad petitionem nouitij admittatur, habitu minimè dimiſſo, pro iterando anno nouitiatus, non cenſetur per hoc annus nouitiatus interruptus. ibid.
Annus nouitiatus ſufficit ad profeſſionem, etiamſi nouitius eo expleto exierit, poſtea iterum ad idem vel aliud eiuſdem ordinis & obſeruantiæ monaſterium admiſſus fuerit abſque alio nouitiatu. 6
De nouitiatus eſſentia eſt hoc tempore, vt ille peragatur in habitu religionis. 7
Nouitiatus ex legitima ſuperioris licentia poteſt peragi extra monaſterium. 8
Quoties nouitiatus fuit validus, nulla ipſius iteratione opus eſt ad profeſſionem irritam ratam habendam: imò probabilius eſt Nouitiatum non eſſe iterandum, quamuis irritus fuerit. 9
Recipientes ad profeſſionem nouitium in ordinibus mendicantium ante completum annum probationis, excommunicantur, nec valet profeſſio: in alijs autem ordinibus peccant mortaliter. 10
Suſpenſi ab officio admittendi ad profeſſionem in prædicto caſu, irregularitatem non incurrunt, ſi aliquem ad profeſſionem admittant. 10
Annus nouitiatus ex cauſa iuſta poteſt prorogari. ibid.
Verius eſt nouitios non adſtringi præceptis ſtatutis religionis & eius ſuperiorum.
Nouitij gaudent priuilegio Canonis & fori & alijs priuilegijs religionis. 12
Casus, qui in religionibus reſeruati ſunt, ad nouitios ſe non extendunt. 41
Probabilius eſt, nouitium ordinibus initiari poſſe ab Epiſcopo, in cuius dioeceſi eſt in probatione. 14
Nouitius non tenetur ad expenſas monaſterio ſoluendas, ſi ante profeſſionem religione egrediatur: niſi pactum eſſet in contrarium. 15
Habitus religionis non eſt reſtituendus nouitio egredienti, ſed tantùm valor illius temporis, quo eum deponit. ibid.
Probabilius eſt, nouitium à religione recedentem, non reincidere in cenſuras ac irregularitates, à quibus in religione abſolutus fuit virtute priuilegiorum. 16

Religio Quoad profeſſionem.

Profeſſio in religione duplex eſt, expreſſa & tacita: tribus modis tacita profeſſio facta præſumitur. 1
Profeſſio tacita inducitur etiam ex ſuſceptione ſacrorum ordinum, vt firmauit *Sacra Congregatio*. ibid.
Vt profeſſio ſeu emiſſio trium ſubſtantialium votorum in religione valeat, requiritur aptitudo perſonæ vouentis, vt ſcilicet habeat ætatis annum decimum ſextum completum: & hæc ætas computanda eſt de momento ad momentum. 2
Probabile eſt, vbi Concil. Trident. non eſt receptum, valere profeſſionem ante annum nouitiatus exactum in Ordinibus non mendicantibus: ſimiliter ante annum ſextum decimum ætatis. ibidem.
Præterea debet vouens per annum integrum in probatione ſtetiſſe cum religioſo habitu, nullumque impedimentum habere, quod ſubſtantiale cenſeatur. ibid.
Mulier non poteſt profiteri in monaſterio virorum, vt ibi permaneat, neque hermaphroditus in quo prædominatur ſexus fœmineus, & profeſſio eſt irrita: idem dicendum de viro & hermaphrodito reſpectu monaſteriorum monialium. ibid.
Verius eſt profeſſionem fœminæ eſſe inualidam, quæ in marem erupit: vnde nec eſt obliganda vt intret religionem virorum. ibidem.
Ad valorem profeſſionis requiritur etiam conſenſus & acceptatio expreſſa vel tacita illius, ad quem pertinet aliquem religioni incorporare, requiſito tamen prius conſenſu maioris partis Capituli ſeu communitatis. 3
Religioſi negantes ſuffragium nouitio idoneo peccant mortaliter contra charitatem. ibid.
Generalis aut Prouincialis poteſt ex iuſta cauſa præcipere immediato conuentus Superiori, ne quemquam ipſo inconſulto ad profeſſionem admittat, adiecto decreto reddenti irritam profeſſionem aliter factam. ibid.
Liberum eſt conuentui ex noua cauſa nouitium dimittere, etiã datis votis in eius fauorem, ante factam tamen profeſſionem. ibidem.
Priuati voce actiua & paſſiua iure communi non habent votum in receptionibus nouitiorum pro profeſſione. ibid.
Ad validitatem profeſſionis requiritur etiam animus profitendi. 4
Vt valeat profeſſio, requiritur etiam vt ſponte facta ſit nullo cogente metu iuſto ac graui, aut in virum conſtantem cadente. 5
In dubio an metus, cuius cauſa quis emiſit profeſſionem, fuerit necne grauis, præſumendum eſt in valorem profeſſionis, eum ſcilicet fuiſſe leuem. ibid.
Quando profeſſio fuit irrita ratione ætatis vel metus grauis, taliter profeſſus poteſt egredi, licet permanſerit per multos annos in religione, modò abſit ſcandalum, & profeſſionem non ratificauerit, poſtea ſciens eſſe irritam. 6
Quando profeſſio ratificanda eſt, eo quòd nulla fuit ex defectu irritante ſolum profitentis conſenſum, nouus prælati conſenſus non eſt neceſſarius: ſi verò nulla fuit ex defectu vtriuſque partis, ſcilicet prælati recipientis, & recepti conſenſum irritante, tunc neceſſarius eſt vtriuſque partis legitimus, & efficax conſenſus. 6
Religioſus volens reclamare contra profeſſionem prætendens illam eſſe irritam, debet cauſam deducere coram ſuperiore ſuo, & Ordinario, intra quinquennium tantùm à die profeſſionis, & habitum ſemper retinens: aliàs non auditur. 7
Cauſæ ex quibus videtur tribui ius religioſo reclamandi contra propriam profeſſionem, ſex apud Authores reperiuntur. ibidem.
Profeſſio trium votorum ſolemnium in religione approbata, ratione votorum diuerſorum habet diuerſos effectus. 8
Ad quæ teneatur, religioſus ratione voti obedientiæ. 9
Quando reformatur aliqua religio, tenentur profeſſi recipere reformationem, ſi illa fiat in eſſentialibus, & in illis, ſine quibus eſſentialia vix obſeruari poſſunt, ſaltem in pluribus, ſed in alijs non tenentur. ibid.
Quando præceptum ſuperioris fundatur in falſa præſumptione, non tenetur religioſus obedire ceſſante ſcandalo. 10
An ſubditus dubius de legitima prælati poteſtate teneatur illi obedire, ſi ſit in poſſeſſione ſuperioritatis, alij affirmant, alij negant probabiliter: ſecus ſi dubitet, an res præcepta ſit licita, tenetur enim tunc obedire. ibid.
A quibus teneatur religioſus abſtinere ex voto caſtitatis. 11
Ad quę teneatur religioſus ex voto paupertatis. 12
Profeſſio nulla ex quocumque defectu, nullam ex ſe inducit obligationem, niſi profitens vouendo independenter à profeſſione intenderet ſe expreſsè per illa vota obligare. ibid.
Per profeſſionem in religione approbata tollitur irregularitas ex defectu natalium. 6
Per profeſſionem trium votorum ſolemnium in approbata religione, ex priuilegio diuino dirimitur matrimonij rati vinculum: non autem per vota ſimplicia quæ emittuntur in Societate Ieſu peracto biennio nouitiatus. 4
Profeſſio voti ſolemnis caſtitatis in religione approbata, dirimit matrimonium etiam conſummatum, factum poſt ipſam profeſſionem: & eamdem vim habent tria vota ſimplicia emiſſa in Societate poſt biennium probationis. 16

Religio. Quoad tranſitum ab vna religione ad aliam.

Tranſitus ab vna ad aliam arctiorem religionem licitus eſt, niſi aliud obſtet, iure diuino naturali, & humano. 1
Quatuor conditiones ſeruandæ ſunt, vt integrum ſit regularibus ad aliam religionem migrare. 2
Conuerſi, & oblati qui profeſſionem non emittunt, poſſunt ad arctiorem religionem tranſire eo modo quo profeſſi alij. ibidem.
Omnes religioſi vnius monaſterij poſſunt ſimul tranſire ad ſtrictiorem religionem petita à Superiore licentia licet non obtenta: Idem dicendum de Monialibus, modò concurrant quatuor conditiones. ibid.
Superior à quo licentia poſtulari debet tranſeundi ad arctiorem reli-

religionem est etiam Abbas conuentualis, nisi aliter per particulares constitutiones à Sede Apostolica approbatas constitutum sit. Sed quoad Fratres Minores petenda licentia est vel à Generali, vel Prouinciali. ibid.
Hæc licentia prælati ex vi iuris communis non est de substantia huius translationis, sed requiritur tantùm vt actus rectè fiat. ibidem.
Ex Decreto Sacræ Congregationis nulli hodie permittitur ad arctiorem religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit, eam religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit. ibid.
Regulares possunt cum facultate prælati obtenta transire ad ordinem laxiorem, si iusta causa subsit, & consensus Capituli interueniat: pro nobis autem Capucinis necessaria est licentia Pontificis. 3. & 4
Religiosi mendicantes iure communi non possunt transire ad non mendicantes præterquam ad Carthusianos absque facultate Pontificis. 4
Patres Carmelitæ, Societatis Iesu, & Capucini non possunt transire ad Carthusianos nisi obtenta ab illorum Generali licentia. 4
Non licet Capucinis recipere Fratres Minores de obseruantia sine licentia Sedis Apostolicæ in scriptis obtinenda, sub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæcunque officia & legitimos actus. ibid.
Nullus Capucinus ad Ordinem S. Francisci de Paula, & nullus frater S. Francisci de Paula ad Capucinos se transferre potest. ibidem.
Monachi Benedictini, aliàs S. Iustinæ de Padua, & Cistercienses non possunt ad quemcumque Ordinem transire, etiam ad Carthusiam sine consensu generalis capituli, &c. ibid.
Multæ sunt pœnæ iure impositæ contra religiosos aduolantes ad aliam religionem iniecto etiam permisso. 5

Religio. Quoad religiosos electos, & fugitiuos.

Religiosus non potest absque iusta causa expelli à religione. 1
Religiosus potest iusta concurrente causa ob religionis vtilitatem à monasterio expelli. 2
Iusta causa expellendi religiosum à monasterio, iure communi censetur incorrigibilitas. 3
Incorrigibilis hoc tempore post decretum Sacræ Congregationis ad effectum expulsionis censetur, qui vno anno in carceribus ieiunio & pœnitentia probatus, non resipiscit, sed in eisdē aut æqualibus, grauioribus delictis perseuerat. ibid.
Decretum Sacræ Congregationis iussu *Vrbani VIII.* editum super præmissa. ibid.
Consultum non est, neque consuetum, vt monialis professa ob crimen expellatur. 4
Probabile est, expelli posse religiosum in pœnam peccati qui professionem emisit tecto aliquo impedimento, quod in illa religione censetur essentiale, vel valde graue, vt si quis morbo epileptico laboret, aut gallico, vel simili contagioso. 5
Facultas expellendi religiosos hoc tempore pertinet ad solum Generalem de consilio, & assensu sex patrum ex grauioribus religionis eligendorum in singulis Capitulis Generalibus. 6
Religiosus per sententiam à religione electus tenetur petere vt iterum in monasterium admittatur. 7
Religiosus professus à religione electus, tenetur vota religionis substantialia seruare. 8
Religiosus electus, earum rerum quas acquirit, solum vsum, & administrationem sibi vendicare potest. ibid.
Verius est religiosum electum aquirere monasterio, vel dominium, si est capax, vel saltem commoditatem post mortem suam, si non est capax. ibid.
Religiosus electus non est solutus voto substantiali obedientiæ, comparatione regularis prælati, quamuis magna ex parte cessaret eius executio ob defectum materiæ. ibid.
Probabilius est, religiosum electum liberari ab aliis suæ regulæ obseruationibus, puta ieiunij, delectus ciborum, horis canonicis, si in sacris constitutus non sit. 9
Religiosus electus in perpetuum non tenetur aliam religionem ingredi, si prior illum nolit iterum admittere. 10
Religiosus à religione electus, suspensus est quamdiu iterum non recipitur, vel ad aliam religionem non transit: & si electus functionem aliquam sacrorum ordinum exerceat, irregularis efficitur. 11
Fugitiuus à religione dicitur, qui à monasterio ad tempus discedit, non animo recedendi à religione, sed intentione postea redeundi, & in hoc differt ab apostata. 12
Fugitiuus censendus est religiosus, si in carcere inclusus fugiat, exceptis quibusdam casibus. 13
Non est improbabile fugitiuum minimè censendum esse religiosum damnatum ad triremes, si inde fugiat, ne cruciatus, & molestias eius status ferat. 14
Religiosus confugiens ad superiorem absque licentia immediati superioris, vt eximatur ab iniqua vexatione immediati superioris, non est censendus fugitiuus. 15
Religiosus damnatus ad triremes, vel qui per sententiam eijcitur è monasterio, non tenetur ad horas canonicas, si ordine sacro non sit initiatus. 7

Religio. vt est virtus.

Religio est virtus moralis? quæ debitum cultum Deo tamquam primo rerum omnium principio exhibet. 1
Religionis obiectum proximum non est Deus, sed remotum quodammodo & indirectum, diciturque obiectum cui. 2
Religionis obiectum materiale sunt actiones humanæ, quibus deferimus honorem & reuerentiam Deo. ibid.
Religio distinguitur ab alijs virtutibus. 3
Religio distinguitur à Dulia. 4
Omnes actus omnium virtutum aliquo modo possunt spectare ad virtutem religionis, quatenus ab ea possint imperati, seu in cultum & gloriam Dei referri. 5
De hac virtute Vide verb. *Adoratio. Iuramentum. Superstitio. Decima. Oratio.*

Remigatio Christianorum.

Remigatio Christianorum captiuorum in triremibus Turcarum non est opus intrinsecè malum, vnde illis non debent imputari homicidia, & damna, quæ exinde petiuntur Christiani: modò hi remiges, tormenta in Christianos non dirigant, vel alia ratione contra Christianos pugnent, aliàs teneretur ad restitutionem. 10

Reliquiarum cultus.

Reliquiarum nomine, intelligitur quidquid ex sanctorum hac vita decedentium corporibus reliquum manfit. 12
De fide est reliquias esse adorandas absolutè, & deuotè custodiendas, quando publicè exponuntur, & à Pontifice vel Episcopo sunt approbatæ. ibid.
Ad reliquias priuatim adorandas, & venerandas sufficit priuatū testimonium vnius personæ fide dignæ, aut alia probabilis ratio vel coniectura, qua sufficienter moueamur, ad prudenter iudicandum veras esse reliquias. ibid.
Furtum paruulæ partis reliquiarum probabiliter excusari potest à mortali ob paruitatem materiæ, quamuis vendere talem reliquiam paruulam sit peccatum mortale simoniæ. 2
Exponere in publico loco reliquias venerandas ob quæstum, simonia est, si talis quæstus temporalis sit principale intentum illius ostensionis vel expositionis secus si principale intentum sit cultus Sanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale sit minus intentum. 3

Represalia.

Represaliæ sunt, potestas capiendi & detinendi aliena, collata à Principe vel ciuitate in recompensationem damni vel iniuriarum. 1
Superior qui potest concedere repressalias, ille est, qui non habet superiorem, vel is, cui per iusta statuta hoc est concessum. 2
Contra personas Ecclesiasticas vel earum bona iure prohibitum est singularib. personis sub pœna excommunicationis, interdicti verò communitatibus repressalias concedere aut extendere. 3
Qui alicui facit facultatem vt possit à clerico sibi debitore tantumdem accipere, quantum sibi debetur, non incurrit censuras, si debito modo fiat. 4
Vide *Interdictum V.* n. 10.

Res sacra.

Res sacra vocatur, quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata est, cuius violatio sacrilegium constituit. 1
Pro diuersitate rerum sacrarum tres species sacrilegij cōstituuntur vna contra personas sacras, altera contra loca sacra, tertia contra res alias sacras. 2

Respublica.

Respublicæ, quæ per seipsas gubernantur possunt leges condere pro suis territorijs. 7

Respublica gaudet iure minorum, ideoque auxilium restitutionis in integrum implorare potest. 4
Respublica alia est perfecta, alia imperfecta Resp. imperfecta vel Princeps eius potest gerere bellum defensiuum sine authoritate Supremi Principis. 1
Magistratus reipub. imperfectè non potest gerere bellum aggressiuum, sine supremi Principis authoritate. ibid.
Respublica dies festos tamquam sacros instituere non potest. 5

Rescriptum.

Rescriptum dicitur quasi denuò scriptum, post ius commune. 1
Rescriptum Principis, aliud est gratiæ, aliud iustitiæ. ibid.
Rescriptum gratiæ per subreptionem obtentum, est ipso iure irritum, rescriptum verò iustitiæ validum est, donec ope exceptionis elidatur. ibid.
Rescriptum subreptitium est, quoties malè impetratur, siue tacita veritate necessariò explicanda, siue falsum ad rem conficiẽs in precibus narrando. ibid.

Residentia.

Residentia dicitur assiduitas commorationis in loco beneficij, causa seruitij Ecclesiastici personaliter præstandi. 1
Omnes & singuli beneficiarij, qui onus per seipsos in loco beneficij exercere debent, ad residentiam obligantur. 2
Non satisfacit præcepto residendi parochus, dum intra parochiæ ambitum commoratur, sed animarum curam non exercet. 3
Residentia & seruitium personale exiguntur iure diuino naturali & Canonico, in beneficiarijs habentibus curam animarum. 4
Parochus hodie per bimestre abesse non potest à parochia, absque ordinarij licentia, ex declaratione sacræ congregationis. ibidem.
Iure canonico requiritur residentia in beneficiarijs habentibus dignitates in Cathedralibus, vel collegiatis, Canonicatus, præbendas & portiones. 5
Christiana charitas, adiuuandum Ecclesiam priuatam, vel ad dirimendum controuersias excusat à residentia. ibid.
Vrgens necessitas beneficiarij à residentia excusat. ibid.
Debita item obedientia Papæ, vel Episcopo excusat. 6
Euidens Ecclesiæ vel reipublicæ vtilitas item excusat à residentia. ibid.
Causæ aliæ excusantes à residentia, sunt, audire Theologiam vel ius Canonicum ad quinquennium: Item docere eadem facultates. Item obsequium duorum canonicorum quod præstant Episcopo, vel Cardinali in vtilitatem Ecclesiæ. Item legitima licentia. 7
Clericus absens à beneficio residentiam postulante, fructibus priuandus est, cognita causâ. 8
Veriùs est, parochum aut Episcopum non residentem aliumve curam animarum habentem, pœnam priuationis fructuum incurrere, ante vllam iudicis sententiam pro rata absentiæ. ibidem.
Parochus, qui per breue tempus, vt per decem dies in anno, aut etiam per bimestre non residet, non tenetur ad restitutionem fructuum tempori absentiæ respondentium. 9
Parochus non residet si maneat in vrbe & parochia distet per tria aut quatuor milliaria: imò parochus non satisfacit obligationi residendi si per milliare Italicum distet à Parochiæ ambitu. *Restrictio mentalis.* 10
Vide *Iuramentum III.* n. 10. *Reus* n. 4.

Restitutio. Quoad eius necessitatem.

Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, per quem redditur alteri ad æqualitatem, quod iniustè ab eo sublatum est. 1
Restitutio differt à solutione & satisfactione. 2
Restitutio non est necessaria ad salutem necessitate medij: tamen necessaria est necessitate præcepti. 3
Veriùs est præceptum restitutionis esse affirmatiuum, nasci tamen ex præcepto negatiuo, *Non Furtum facies.* 4
Obligatio restituendi nascitur vel ex re accepta, vel ex iniusta acceptione, vel ex contractu. 5
Obligatio restituendi oritur ex solo delicto contra iustitiam, nó verò contra alias virtutes. 6
Probabilius est, non induci obligationem restituendi absque peccato mortali, præcisa obligatione ratione contractus vel officij. 7
Quando nulla culpa commissa est in damno inferendo, etiamsi graue damnum illatum sit, nulla extat obligatio restituendi. 8
Qui dans operam rei illicitæ & iniustæ, fuit causa damni non præuisi, nec intenti, sed per accidens prouenientis ex sua iniusta actione, non tenetur in conscientia ad restitutionem. 8
Vide *Secretum. Simonia V II. Stuprum. Adulterium. Detractio II. Homicidium III.*

Restitutio. A possessore bona vel mala fidei facienda.

Qui rem alienam bona fide possedit, credens esse suam, tenetur ex iustitia restituere statim ac cognoscit alienam esse. 1
Qui alienauit vel consumpsit rem alienam bona fide credens esse suam, non tenetur ad restitutionem, nisi in aliqua re factus sit locupletior. 2
Ille non tenetur ad restitutionem, cui res aliena periit casu, aut etiam propria culpa, modò perierit tunc temporis, quo ipse rem bona fide possidebat credens esse suam. 3
Qui rem alienam bona fide accepit, & postea dubitare incepit alienam esse, potest eam sibi retinere, aut consumere, aut vendere, si posita sufficienti diligentia non comperit alienam esse. 4
Qui rem alienam bona fide accepit, & postea dubitare incepit alienam esse, si res ipso vsu consumitur, aut deterior efficitur, non potest illa vti. 5
Malæ fidei & iniquus possessor debet rem alienam, vel si periit æstimationem eius Domino restituere, vnà cum eius incremento & fructibus, & insuper omne aliud damnum emergens & lucrum cessans. 6
Qui rem mala fide accepit dubitans alienam esse, tenetur adhibere debitam diligentiam ad assequendam rei veritatem, & si veritas non possit inueniri, tenetur restituere rem inter eos, quorum esse dubitat ad ratam dubij. 7
Recipiens eleemosynam simulans paupertatem tenetur ad restitutionem vel busæ communi pauperum illius loci, quando ex paruis & quotidianis eleemosynis factus est quis diues: vel Domino, si magna aliqua eleemosyna alicui donetur. 8

Restitutio. Cooperantium ad damnum.

Nouem genera personarum tenentur ad restitutionem cooperando ad damnum alterius, præter executorem. 1
Iubens vel mandans aliquod damnum fieri tacitè vel expressè, tenetur ad restitutionem damni secuti: si tamen mandatum reuocauerit expressè vel tacitè, & mandati reuocatio innotuerit mandatario, non tenetur. 2
Ratum habens delictum suo nomine factum, non tenetur ad restitutionem, secundùm communiorem sententiam. ibid.
Qui consilium præbet, hortatur, rogat vel instruit ad damnum inferendum, vel mouet ad delictum faciendum, aut contractum iniustum tenetur ad restitutionem, quamuis ante factum conatus fuerit consilium reuocare vel alter nihilominus consuluisset. 3
Qui suo consilio vel alia ratione fuit causa minoris damni, quà alioquin fuisset illatum, non tenetur ad restitutionem, non liceret tamen tali consilio damnum corporale seu spirituale tertiæ personæ inferre. 4
Probabilius est, ob vitandum grauissimum peccatum alicuius, non esse licitum tunc illum inebriare. ibid.
Qui est causa maioris damni, quàm alioquin secutum fuisset, non tenetur ad restitutionem totius damni, sed tantùm illius excessus cuius ipse fuit causa. 5
Ad restitutionem tenetur, qui furi parato accipere centum Caio, suasit furari tantùm quinquaginta Titio, si fur de Titio nõ cogitauerat. 6
Qui alteri consilium dedit, vt aliquod damnum cuidam inferret, sed consultus multa damna passus est ex illo delicto, non tenetur ad restitutionem damnorum, quæ passus est consultus. 7
Qui suis subditus præcepit aliquod delictum, ex quo ipsi damnum patiuntur, tenetur & subditis ad restitutionem, & ipse cõtra quos delictum fuit perpetratum. ibid.
Confessarius, vel Theologus, vel Iurisconsultus, vel Parochus vel Concionator tenetur ad restitutionem damni, cuius ipse fuit causa per culpam latam, seu per ignorantiam crassam, aut per grauem negligentiam in considerando: secus dicendum de imperitis & idiotis bona fide dantibus consilium. 8
Dubitans an ex suo consilio secutum sit furtum aut homicidium tenetur ad restitutionem, quamuis contrarium sit etiam probabile. ibid.
De Mandãte vide plura *v. Mandatum. Homicidium* III. *Adulterium* n. 1. & seq.
De Consulente vide *Culpa* n. 6. *Confessarius V.* n. 5. *Furtum I.* n. 9. *V sura V I.* n. 5.
Qui suo consensu efficaciter concurrit ad damnum, vel efficaci appro-

approbatione vel ſuffragio, tenetur ad reſtitutionem, modò conſenſus fuerit cauſa damni. 9
De Conſentiente vide *Homicidium* I.n.29.
Qui laudando malefactorem vel maleficum mouet illum ad dãnum proximo inferendum, tenetur ad reſtitutionem. 10
Qui recipit, vel conſeruat malefactorem, vel aſſeruat prædam, vel refugium & ſecuritatem malefactori præbet ad patrandum, vel ad non reſtituendum, tenetur ad reſtitutionem. 11
Participans ſeu cooperans in damno alteri inferendo, actione intrinſecè mala & ex natura ſua iniuſta, vt in furando, vel in conſumenda re aliena furto abiata, vel alia ratione tenetur ad reſtitutionem. 12
Qui iuſto metu coactus ſeu ex rationabili cauſa participat in opere non intrinſecè malo, excuſatur à peccato & conſequenter ab obligatione reſtituendi. ibid.
Mandans, conſulens, conſentiens, laudans & receptans tenentur ad reparationem totius damni, ſi totius cauſa fuere, partis verò ſi ſolùm partis damni cauſam dedere, participans vel adiuuans tenetur in ſolidum, ſi cooperetur ad idem damnum indiuiduum. 13
Quando plures vineam ingreſſi notabile damnum ſinguli intulerunt, tenetur ſinguli pro ſua parte, modò non ſe vicißim excitarint, nam illo caſu tenerentur in ſolidum, cùm ſinguli cenſeantur cauſa totius damni. ibid.
Negatiuè quis dicitur cauſa damni, ſi non impediat damnum, dum ex officium tenetur, & ſit tribus modis, qui notantur his verbis: *Mutus, non obſtans, non manifeſtans*. 14
Ad reſtitutionem nullus tenetur ratione damni non impediti niſi ad hoc obligatus fuerit ex officio & ex iuſtitia. 15
Vt conſurgat obligatio reſtituendi ex omiſſione, non ſufficit quòd quis teneatur ex iuſtitia ad non omittendum, ſed neceſſe eſt, vt obligatio iuſtitiæ ſe extendat ad manutenendum id, ex quo conſequitur damnum. ibid.
Omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, ſi ex culpa graui negligant, tenentur ad reſtitutionem: idem dicendum de illis, qui per modum contractus ſeſe ad alicuius rei cuſtodiam obligarunt. 16
Probabilius eſt confeſſarium non teneri ac reſtitutionem, quando culpa ſua vel malitia non admonet vel non cogit pœnitentem ad reſtitutionem faciendam, modò confeſſarij omiſſio & negligentia non habeat rationem conſilij. ibid.
Cuſtodes ſaltuum, lacuum & vectigalium, licet teneantur ad reſtitutionem damni, quod Domini patiuntur, non tenentur tamen ad ſolutionem pœnæ, quam delinquentes ſoluiſſent, ſi ab ipſis cuſtodibus accuſati fuiſſent. 17
Cuſtodes, qui nullo accepto pretio, ſed ex conſuetudine patriæ aut loci, loca quædam per vices ſuas & Turnum, vt aiunt, cuſtodiunt, quibus tamen in præmium conceditur, vt pœnam illam accipiant, non tenentur damnum aut pœnam reſarcire. ibidem.
Probabilius eſt, accipientem aliquid à fure vt abſolutè taceret, poſt furtum commiſſum teneri ad reſtitutionem accepti. 18
Accipiens aliquid à fure vt taceat tenetur ad reſtitutionem damni a fure illati ſi ob id fur factus eſt animoſior & ſecurior ad furandum, alioquin non furaturus. 19
Qui vi aut fraude impedit aliquem à conſequendo beneficio vel officio, quo dignus erat, vel ne inſtituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, vel legatum &c. tenetur ad reſtitutionem quanti iudicio prudentis ea ſpes ipſi valebat: ſecus ſi ſine vi aut fraude, precibus aut blanditijs. 20
Qui alterum ſuaſione aut exemplo ad peccandum induxit, non ex iuſtitia, ſed ſola charitate obligatus eſt ad emendationem ei procurandam. 21
Qui alterum fraude, dolo, vel iniuſto metu ad peccatum induxit, tenetur vim, metum, fraudem & cum hortari ad pœnitentiam. ibid.
Qui ſine vi fraude, ſuaſione tantùm alterum à religionis propoſito, quamuis iam nouitium, extraxit, ad nullam reſtitutionem obligatur. 22
Qui religioſum profeſſum ſuaſione aliâve cooperatione à religione abduxit, ſiue ad apoſtaſiam traxit, ex iuſtitia obligatur religioni ad reſtitutionem, quatenus poteſt. ibid.
De his vide *Confeſſarius V*. n. 4. 5. *Teſtis* n. 11. *Accuſatio* n. 9. 10. 11. *Culpa* n. 6.

Reſtitutio. Quoad illius circumſtantias.

Circumſtantiæ reſtitutionis ſunt ſex. ibid.

De circumſtantia quid.

Res aliena aut alteri debita reſtituenda eſt, ſi extat, ſi autem res ipſa non extat, reſtituendus illius valor & pretium, imò omnia damna tenetur debitor reſtituere, quæ creditor iniuſtè paſſus eſt, ipſius culpa. 1
Tantum reſtituendum eſt, quantum ſufficit ad faciendam æqualitatem debiti vel damni illati, ſi quantitas debiti ſit certa: ſi verò ſit incerta, tantum reſtituatur, quantum vir prudens iudicauerit, conſideratis omnibus circumſtantijs. 2
Pro opere illicito patrando, ſeu pro turpi cauſa nihil dari vel accipi poteſt ante factum: patrato tamen opere illicito, de quo patrando initus erat contractus vel promiſſio, tenetur promittens ſoluere pretium, & accipiens non tenetur ad reſtitutionem. 3
Si meretrix fraude vel mendacijs plus extorſit ab adoleſcente, quàm iuſtitia patiatur, tenetur reſtituere. ibid.
Item meretrix vel concubina tenetur reſtituere monaſterio, ſi aliquid acceperit à religioſo in pretium peccati: tamen ſi religioſus non habeat reſtrictam facultatem, poſſet ex bonis & eleemoſynis ab ipſo acquiſitis vel alijs puellæ defloratæ ſatisfacere vel paruulos ex ea ſuſceptos alere, quia hoc opus iam eſſet pium. ibid.
Quæ pupilli aut minores dederunt meretricibus, ſunt reſtituenda per illas tutoribus, aut curatoribus minorum. ibid.
Acquiſita ob turpem cauſam reſtituenda ſunt, non ſolùm ante factum, ſed etiam ſecuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem dominij, vel inhabilem ad rem accipiendam. ibid.

Cui ſit reſtituendum.

Poſſeſſor debitorum incertorum, quorum creditor ignoratur, vel conueniri non poteſt, ſibi retinere poteſt, ſi proueniant ex contractu iuſto, neque tenetur pauperibus erogare. 4
Poſſeſſor malæ fidei aliúſque iniuſtus damnificator, regulariter loquendo, tenetur illi reſtitutionem facere, cui rem abſtulit, ſi ad illam habeat ius. 5
Qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroſo, non tenetur poſtquam cognouit rem eſſe alienam, reſtituere illam Domino, ſed poteſt, reſciſſo contractu, reſtituere illi, à quo bona fide accepit, vt pretium ſuum recuperare poſſit. 6
Probabilius eſt, illum, qui mala fide rem alienam accepit ſciens vel dubitans alienam eſſe, teneri illam reſtituere Domino, non illi quo accepit. ibid.
Poſſeſſor bonæ fidei, qui rem gratis à fure accepit, non poteſt eã tradere furi, niſi moraliter certus ſit rem Domino reſtituendam. 7
Probabilius eſt, illum, qui bona fide rem furtiuam emit, & denuò eodem pretio bona fide vendidit, teneri reſcindere contractũ, reddito emptori pretio. ibid.
Qui reſtituit creditori ſuo creditoris, quod debet ſuo creditori, in foro conſcientiæ videtur ſatisfacere, modò debitum ſit liquidum: in foro tamen externo cogar tibi ſoluere. 8

Vbi & cuius expenſis ſit reſtituendum.

Debitum ex iniuſta acceptione reſtituendum eſt expenſis debitoris, idque eo loco vbi Dominus illam poſſeſſurus erat, ſi ablata non fuiſſet, deductis expenſis, ſi quas creditor eam ſeruãdo vel deferendo facere debuiſſet. 9
Debitum ex re bona fide accepta, reſtituendum eſt in loco, vbi res habetur tunc temporis, quo cognoſcitur eſſe aliena. 10
Quando debitum deſcendit ex contractu vel quaſi contractu, in quo res eadem numero eſt reſtituenda, vt in commodato, depoſito, pignore, debet eo loco reſtitui, vbi fuit traditum, expenſis depoſitarij, commodatarij, niſi aliter conuentum ſit. 11

Quando ſit reſtituendum.

Quando obligatio reſtituendi, ſiue ſoluendi ex contractu deſcendit, ſolutio fieri debet tempore, quo inter partes contrahentes expreſsè vel tacitè conuentum fuit: eo tranſacto, ſi in mora culpabili debitor exiſtat, obligationem contrahit compenſandi damnum, quod exinde creditor patitur. 12
Debitor morioſus inculpabiliter non tenetur ſuo creditori ad intereſſe damni emergentis ſeu lucri ceſſantis, niſi alter conuentum ſit. ibid.
Quando non fuit conſtitutus terminus ad ſoluendum in debitis ex contractu, debitor non videtur eſſe in mora aut grauiter peccare non reſtituendo antequam admoneatur. 13
Qui obſtrictus eſt onere reſtituendi ratione rei acceptæ vel iniuſtæ acceptionis aut detentionis, tenetur ſtatim ac commodè poteſt reſtituere, niſi dilationem obtineat à creditore. 14

Qui

Qui non restituit statim ac commodè potest, sed longo tempore differt restitutionem, tot peccata committit, quot sunt actus intentionis & voluntatis moraliter interrupti. 15
Confessarius non debet sese scrupulosè gerere in inuestigando numero peccatorum interruptorum in retinenda re aliena; sufficit enim inuestigare temporis spatium, quo res aliena detenta fuit. ibid.
Confessarius non potest absoluere pœnitentem non habentem firmum propositum restituendi quamprimùm poterit, data opportunitate. ibid.

Quomodo sit restituendum.

Modus restituendi est, vt debita occulta restituantur occultè, publica verò publicè: Item res inferioris ordinis non sunt restituendæ cum detrimentum rerum superioris: Item restitutio non potest fieri per partes, sed tota simul facienda est, quantũ fieri potest. Item qui non potest per se commodè restitutionem exequi nisi se prodat, curet eam exequi per alium. 16

Quo ordine sit restituendum.

Non est opus vllo ordine, quando bona debitoris in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, omnibus enim integrè est satisfaciendum. 17
Debita certa præferenda sunt debitis incertis. 18
Res quæ in specie extant certis dominis debitæ, & quarum dominium debitori acquisitum non est, eæ certis ac propriis dominis integrè restituendæ sunt. 19
Quando res aliena vendita fuit & emptor nec pignus aut fideiussorem dedit, nec pretium in præsenti obtulit, nec venditor illud pro soluto habuit, tunc vel pretium ante omnia soluendum est, vel res restituenda venditori, & probabile est tunc venditorem habere ius prælationis. 20
Qui habet multa debita, quorum aliqua sunt certa & aliqua incerta debet prius soluere certa quàm incerta, si non est omnibus soluendo. 21
Verius est, inter debita ex delicto & ex contractu nullum esse ordinem sed ea pari iure censeri, sine iure prælationis. 22
Qui habet debita ex contractu oneroso & aliqua ex contractu gratioso, tenetur prius persoluere debita ex contractu oneroso. 23
Quis ordo seruandus sit in solutione certorum debitorum. 24
Septem sunt casus, in quibus posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam. 25
Verius est regulam iuris: *Qui prior est tempore, potior est iure*, non esse seruandam inter creditores chirographarios seu personales rentes hypotheca. 26
Inter cooperantes ad damnum quis principaliter teneatur ad restitutionem. 27
Causa principali restituente, cæteræ quæ minus principaliter tenebantur, liberæ sunt ab onere restitutionis. 28
Quando plures tenentur æqualiter restituere, sed vnus integrè restituit, cæteri tenentur ad restitutionem illi, qui soluit. ibidem.
Quando plures damnum intulerunt, & Dominus causæ principali condonauit obligationem, cæteri qui fuerunt causæ minus principales liberi sunt ab onere restitutionis. 29

Restitutio.

Quoad causas excusantes ab illa omninò vel ad tempus.

Quatuor sunt causæ excusantes à restitutione ad tempus. 1
Restitutio differri potest, quando creditur allatura nocumentum ipsi creditori, vel alteri tertiæ personæ, in tempus congruum & magis opportunum. 2
Incommodum, & damnum quod debitor longè maius patitur quàm patiatur creditor, est causa excusans à restitutione statim facienda. 3
Impotentia debitoris, ideſt, extrema necessitas vel etiã grauis tua vel tuorum, vel proximi cui aliter subuenire nequis, nisi rem alienam vel alteri debitam impendendo, excusat à restitutione statim facienda. 4
Verius est, accepta in necessitate non esse obligationem ea restituendi transacta necessitate, modò consumpta fuerint in ipsa necessitate. ibid.
Cessio bonorum causa est, propter quam differri potest restitutio. 5
Mercatores aut nobiles non sunt tuti in conscientia: nec à restitutione immunes, qui innumera debita contrahunt, vt in victus, cultus, familięque splendore, fines sui status excedant, aut in ancipites ac temerarias negociandi rationes ingerãt, esto bonis cedere velint. ibid.
Cessio bonorum in foro exteriori ad hoc iuuat, ne debitor possit conijci in carcerem, & ne, si post cessionem aliquid acquirat ei possit auferri. 6
Clerici qui iuxta Concil. Trid. gaudent priuilegio fori, exceptis clericis coniugatis, non tenentur bonis cedere, nec possunt ob debita in carcerem conijci. 7
Debitor qui differt solutionem debiti ex delicto, tenetur soluere creditori lucrum cessans & damnum emergens, quod creditor ex ea dilatione patitur: secus si debitum sit ex contractu. 8
Licitè potest differre solutionem debitor, quando eam præstare nequit, nisi cadat à proprio statu iustè acquisito. 9

De causis quibus omissa, possit restitutio.

Remissio libera creditoris excusat debitorem à restitutione. 10
Vt hæc remissio valeat tres conditiones requiruntur 1. vt sit omninò libera, id est non extorta metu vel fraude. 2. vt possit condonare. 3. vt condonatio non fiat in casibus iure exceptis. ibidem.
Censetur parens condonare filio restitutionem debitam ratione profusionis & dissipationis paternorum bonorum ab eo factæ quando filius non maiorem quantitatem insumpsit, quàm Pater contentus esset vt sui sustentationem & honestas recreationes insumeret: vnde si quid intra illam summam inordinatè, & contra voluntatem Patris compotendo, commessando, ludendo, libidinando &c. consumpsit, ad nullam restitutionem ordinariè tenetur. ibid.
Quando summa inordinatè insumpta tanta est, vt attenta qualitate parentum & filij, omninò excedat fines alimentorum: tunc esto constaret patrem, quantùm in se est, liberè id remittere, filius tamen teneretur adducere excessum ad portionem &c. 10
Debitor, qui se composuit cum creditoribus contentis minori summa, non tenetur ad integram restitutionem, si perueniat ad pinguiorem fortunam. 11
Quoties debitori constat de voluntate formali vel præsumpta creditoris remittentis restitutionem, aut concedentis dilationem excusatur à restitutione, vel potest eam differre. ibid.
Compensatio est causa sufficienter excusans à restitutione. 12
Compositio cum Pontifice, quando incertum est, quinam sint creditores, excusat à restitutione, siue debitum sit ex delicto, siue ex contractu & inuentis. 13
Quando creditoris sunt noti, non valet compositio cum Pontifice, nisi causa legitima subsit. 14
Iuris authoritas, nempe præscriptio legitima, est causa sufficienter excusans à restitutione. 15
Debitor non potest licite ingredi religionem, nisi ante soluerit, si tamen ingrediatur, professio valet. 16

Restitutio in integrum.

Restituere est aliquem reducere in eum statum, in quo erat ante læsionem. 1
Hoc beneficium restitutionis in integrum, iure concedi potest omnibus ætate minoribus, si ex contractu, vel quasi, læsi sint. ibidem.
In duobus casibus priuatur minor beneficio restitutionis. ibid.
Beneficium restitutionis in integrum conceditur etiam Ecclesię & pijs locis. 2
Iure conceditur continuum quadriennij spatium ab ætate legitima inchoandum, pro minore, vel à tempore factæ læsionis, pro Ecclesia; ad petendam restitutionem ex quacumque causa. 3
Respublica, Princeps, vniuersitas studiosorum, vici & ciuitates beneficium restitutionis in integrum petere possunt. 4
Minor & Ecclesia non tantùm in damno emergente restituuntur, sed etiam in lucro cessante. 5
Monasteria non indigent aliqua restitutione in integrum, si læsio aliqua facta sit in eorum bonis ex culpa Prælatorum vel Monachorum intra centum annos, sed ipso iure debet rescindi: Ex concessione *Ioannis XXII.* 6
Contra præscriptionem datur beneficium restitutionis in integrum. 18

Retentio.

Retinere dicuntur libros hæreticos, qui retinent, siue curiositatis gratia, siue ad eos confutandos, siue in domo propria, siue in aliena &c. 1
Qui scienter & absque Papæ licentia retinet libros hæreticorum tractantes de religione, aut hæresim continentes, incurrit excommunicationem Papæ reseruatam. 9
Qui libros hæreticorum aut alterius authoris damnati atque probi-

prohibiti retinet, incurrit excommunicationem latam in regula Indicis. 14
Contra retinentes, recipientes, seu nutrientes apostatas religiosos, aut auxilium, consilium vel fauorem præstãtes, ne redeant ad suum monasterium, est excommunicatio lata. 10

Reus.

Reus non tenetur veritatem fateri aut iurare de calumnia, quãdo iudex non interrogat iuridicè, seu seruato iuris ordine. 1
Probabilius est, reum & testes dubitantes, an iuridicè interrogentur, non teneri veritatem fateri. 2
Quando iudex iuridicè interrogat, idque reo notum est, tenetur reus veritatem fateri, iuxta communiorem sententiam. 3
Probabile est, reum non peccare mortaliter negando crimen in causis, tam capitalibus, quàm non capitalibus, in quibus imponeretur grauis pœna temporalis, modò non iurauerit absolutè se dicturum veritatem. 4
Non tenetur confessarius reum cogere ad retractandum suum dictum quando interrogatus veritatem negauit in iudicio, qua manifestata condemnatus fuisset. 5
Non potest iudex reum infamatum vel etiam conuictum de vno crimine, examinare de alijs criminibus, quæ nec suapte natura, nec indicijs connexa sunt. 6
Iudex reum confessum interrogare non potest de socijs criminis nulla indiciorum suspicione laborantibus, nisi crimen tale sit, quod necessariò socium requirat, vel nisi crimen in publicam perniciem tendat. 7
Reijcontessio seu testificatio non efficit probationem nisi insuper aliud iudicium vel alterius rei in tortura consensus accedat. ibid.
Reus accusatus de crimine, quod iuridicè probari nequit, non peccat contra iustitiam negando crimen, & si aliter se tueri non possit, dicendo accusatorem mentiri & calumniari. 9
Reus non peccat contra iustitiam aperiendo crimina quamuis occulta testium, si illa crimina valeant ad infirmandum illorũ testimonium: secus si illa manifestatio non sit necessaria ad propriam defensionem. 8
Reo tortura adhiberi potest in criminibus grauioribus, quæ pœnam corporalem vel triremium merentur, ad probationis subsidium. 10
Indicia sufficientia ad torquendum reum sunt, vnus testis omni exceptione maior, confessio rei extra iudicium, fama publica cum alterius indicij adminiculo. 11
Reus semel tortus iterum torquendus non est, nisi fortè nouum indicium adsit, vel nisi indicia antea habita grauissima sint, vt vehementem pariant præsumptionem patrati criminis. ibid.
Torqueri non debent impuberes, senes decrepiti, mulier prægnans, vir nobilis, Doctores, & Consiliarij Principum, eorumque liberi, nisi in criminibus excepris. 12
Reus per se loquendo, non tenetur obedire sententiæ, quæ nititur falsa præsumptione, aut falsis probationibus: quamuis non possit reus per vim in hoc casu se defendere contra iudicem, vel ipsius ministros. 13
Reus non tolum ante sententiam, verùm etiam post iudicis sententiam fugere potest è carcere, etiamsi in carcere detineatur ob debita, licet teneatur prima opportunitate satisfacere. 14
Religiosus in carcerem iustè coniectus à suo Prælato licitè non potest fugere, etiam ante condemnationem sine apostasiæ nota, secus si iniustè. ibid.
Religiosus non tenetur obedire Prælato suo præcipienti, vt in carcerem pergat, non assignata causa talis incarcerationis: nisi de delicti veritate apud Prælatum satis constaret. ibid.
Carcer adhibetur vel in pœnam criminis, vel ad custodiam, vel ad afflictionem. ibid.
Reus, qui potest licitè fugere, potest etiam vincula rumpere & carcerem perfundere, imò possunt alij reo fugam consulere & vinculorum diruptionem, modò non sint officiales & ministri iustitiæ: Imò probabile est licitum esse eidem captiuo porrigere instrumenta, quibus vincula incidat & carcerem effringat: non tamen licet ad id iuuare reum. 15
Præcisa vi & iniuria licet decipere custodem, vt reus opportunitatem fugiendi capiat. 16
Reus negans veritatem non tenetur ad soluendam pœnam, quã manifesta veritate persoluisset, modò ad illam non teneretur iure naturæ ante sententiam ob actionem iniustam vel contractum. 17
Fideiubens pro reo, cui periculum capitis vel mutilationis impendebat, reo fugiente absque culpa illius, non est plectendus capite, nec pœna mutilationis vel flagellorum, sed tantùm pœna pecuniaria. 12
Plura de reo vide *Iudicium publicum.* n. 11. & seq.

Rex. Regina.

Reges & Principes præsertim supremi solent eximi à parochorum cura. 23
Regi galliæ concessum est vt bis communicare possit sub vtraque specie, semel dum vngitur, & semel in articulo mortis: Imperator verò dum tantùm coronatur vtramq; accipit speciem. 30
Plura de Rege vide verb. *Princeps.* suprà.
Reges possunt pro suo regno leges ferre. 7
Regina, cui dominium regni iure hæreditario vel alio titulo cõpetit, contracto matrimonio potest & debet leges ferre, nisi vices suas marito committat. 7
Rex suis legibus ex vi coactiua non obligatur, sed ex directiua. 2

Rixa.

Rixa est armorum conflictus paucorum vel singulorum contra paucos & singulos. 1
In rixa cum aliquo enuntiare aliquid de Deo explicitè vel implicitè quod verum est, non est propriè blasphemia, modò effectus indignationis tantùm tendat contra hominem. 1
Rixa nascitur ex ira. 3

Rotæ Decisiones.

Rotæ etiam Romanæ decisiones non habent vim legis, quamuis habeant maximam authoritatem. 13

S.

Sacramentum. Quid, quotuplex, & illius necessitas.

Sacramentum apud Antiquos tum pro pignore & iuramento, tum pro re sacra, & signo rei sacræ, tum pro cæremonia consecrante sumptum est. 1
Sacramentum apud Theologos, est signum sactum non solùm significans, verùm etiam infallibiliter efficiens rem sacram sanctificantem homines. 2
Sacramentum triplicitur dici potest signum, scilicet rememorativè, demonstrativè & prognosticè. 3
Sacramentum & sacrificium in multis differunt. 1. Obiecto personali. 2. modo operandi. 3. ratione cultus. ibid.
De fide est, Sacramenta legis gratiæ esse septem, nec plura, nec pauciora. 4
In statu innocentiæ non fuerunt sacramenta: in statu vero naturæ, qui durauit vsque ad Moysen, fuit aliquod remedium institutum pro paruulis à Deo, pro adultis fuit sacrificium. In statu legis scriptæ fuerunt aliqua sacramenta, videlicet circũcisio, sacrificium, Agnus Paschalis & alia. 5
Plures differentiæ possunt assignari inter noua & vetera Sacramenta. 6
Circumcisio instituta fuit à Deo & tradita Abrahamo quadringentis annis ante legem scriptam Moysi traditam, & obligabat omnes ab Abrahamo descendentes. 7
Plura de circumcisione vide supra *v. Circumcisio.*
Sacramenta nouæ legis non sunt absolutè & ex natura rei necessaria ad salutem, supposita tamen Christi institutione aliqua sunt necessaria necessitate medij, vt baptismus, & pœnitentia. 8

Sacramentum. Quoad eius formam & materiam in genere.

De fide est omnia Sacramenta nouæ legis constare materia & formæ, vel vt alij dicunt, rebus & verbis: 1
Verbum Sacramentale non est concio, vt volunt hæretici, sed est certa formula verborum, quæ ex Christi institutione & intentione Ecclesiæ pronuntiata super elementum, perficit Sacramentum. ibid.
In omni Sacramento hæc duo, *res & verba* semper sunt necessaria, sed formaliter distincta, non materialiter. ibid.
In Sacramentis, quæ in vsu seu actione transeunte consistunt, duplex est materia, remota & propinqua. 2
De fide est, materiam & formam Sacramentorum esse determinatas à Christo: quapropter Ecclesia non potest mutare & variare materiam Sacramentorum. 3
Quamuis omnes materiæ & formæ Sacramentorum sint à Deo vel à Christo institutæ, non tamen singulæ quoad speciem, sed aliquæ quoad genus tantùm, determinandæ quoad speciem ab ipsis Apostolis, vel Ecclesia. ibid.
Item ex diuina institutione, forma Sacramentorum, quæ necessariò adhibenda est in Sacramentis determinata est. 4

Mutatio in forma Sacramentorum potest contingere, vocum variatione, additione, subtractione, corruptione, transpositione, interruptione, verbis synonymis vel æquiuocis. 5
In conficiendis sacramentis nemo potest confingere priuatim aliqua verba, alijsque vti, ad significandum id, quod significant verba formæ. 6
Qui, secluſa necessitate, in conficiendis sacramentis vtitur materia vel forma dubia, grauiter peccat. 7
Illa materia & forma quæ satis est ad verum sacramentum in vna Ecclesia, est etiam sufficiens in quacumque alia de necessitate sacramenti, non autem de necessitate præcepti. 8
In conficiendis sacramentis requiritur quædam coniunctio seu simultas temporis inter aliquam saltem partem formæ, & aliquam partem materiæ: quamuis non sit improbabile, sufficere moralem coniunctionem. 9
Inter dolorem peccatorum, & confessionem debet etiam esse moralis coniunctio. ibid.

Sacramentum. Quoad causam efficientem.

Solus Deus est primarius auctor & institutor Sacramentorum; Christus verò est causa Sacramentorum per potestatem excellentiæ. 1
Potestas authoritatis instituendi Sacramenta est prorsus incommunicabilis, cùm dicat omnimodam independentiam, quæ soli Deo cõpetit. Potestatem autem excellentiæ potuit Christus communicare, sed non communicauit. ibid.
Causa ministerialis sacramentorum est minister, qui concurrit ad conficienda sacramenta in nomine & virtute Christi. 2
Solus homo de potestate Dei ordinata est sacramentorum minister: non tamen omnis homo baptizatus, sed is tantùm qui ritè in Ecclesia ordinatus est; excepto baptismo & matrimonio. ibid.
Angeli possunt esse ministri sacramentorum ex diuina dispensatione: imò de potentia Dei absoluta posset Dæmon validè de mandato Dei assumpto corpore, ministrare Sacramenta. ibi.
De fide est, ministrum sacramenti verè animam abluere, peccata remittere, & peccatorem iustificare. ibid.
Ad necessitatem Sacramenti requiritur, vt minister intendat cõferre homini sacramentũ saltem implicitè, si facere velit quod vera ecclesia solet, aut quod Christos instituit. 3
Non est necessarium in ministro sacramenti, vt intendat id facere quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit Ecclesia Christi vera quicumque demum illa sit. ibid.
Ad conficiendum sacramentum non est necessaria actualis intentio, sed virtualis sufficit, habitualis verò nec sufficit nec necessaria est. ibid.
Si in principio Sacerdos habeat malam, vel nullam intentionem, & ante finitam prolationem formæ mutet propositum, non conficitur Sacramentum, idem dicendum si in principio habeat rectam & postea nolit conficere. ibid.
Si minister intendat conferre Sacramentum, non tamen effectũ sacramenti vel si intendat effectum dimidiare, Sacramentum propter hoc non irritatur. ibid.
Ad Sacramenti valorem requiritur intentio ministri absoluta, conditionalis verò de futuro non sufficit, bene tamen de præsenti & præterito. 4
Intentio ministri in conficiendis Sacramentis debet dirigi ad materiam præsentem vel personam, qualiscunque illa sit. 5
Fides aut probitas ministri non requiritur ad validam sacramenti administrationem quoties adest materia, forma, & intentio ministri. 6
Ad licitam sacramentorum administrationem requiritur in ministro deputatio, & consecrato fides & probitas. 7
Si contingat ministrum sacramenti non esse verè contritum sed dumtaxat attritum, cum probabili tamen existimatione quòd est verè contritus, non peccat ministrando Sacramentum. ibidem.
Probabile est, non esse mortale aliis extra missam Eucharistiam ministrare: similiter probabile est ministrum Sacramenti licitè posse aliquando ministrare sacramentum in peccato mortali, si ex temporis angustia, & vrgente necessitate non possit actũ contritionis elicere. ibid.
Probabilius est exercentem functiones ordinum, tam minorum, quàm sacrorum, cum conscientia peccati mortalis, per se loquendo, non peccare mortaliter, præcisa administratione Sacramentorum facta à ministro, tanquam ad illam deputato & consecrato. 8
Probabilius est, communicantem alios in peccato mortali, non toties quoties hostias distribuit peccare mortaliter, sed vnum tantum peccatum mortale committere indignæ administrationis. ibid.
Item probabile est, non esse tot peccata mortalia, quot confessarius in mortali existens audit & absoluit personas continuato ministerio. ibid.
Nunquam licet à malo ministro petere Sacramentum, qui sine peccato illud conferre non potest. ibid.
Semper possum à peccatore etiam non tolerato petere Sacramentum, quando meum ius, vel necessitas, vel vtilitas superat legem Ecclesiæ, & extinguit vim legis naturalis de vitando scandalo, aut non cooperando peccatis alterius. ibid.
Quando minister est in peccato mortali, non tamen notatur cẽsura Ecclesiastica, minor necessitas sufficit, vt possim inducere ad ministrandum sacramentum. ibid.
Peccatori publico non sunt administranda Sacramenta, siue publicè petat, siue occultè, peccatori autem occulto administrãda sunt Sacramenta, si publicè petat non tamen quando petit occultè. ibid.

Sacramentum. Quoad illius effectus.

Sacramentorum effectus est duplex: primus communis omnibus, qui est gratia, id est, quoddam supernaturale donum, quo efficimur Deo grati: secundus, est aliquorum tantùm Sacramentorum proprius, qui est character. 1
Gratia in Sacramentis potest dupliciter conferri, ex opere operantis nempe, & ex opere operato. ibid.
De fide est, omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato. 2
Triplex gratia confertur in Sacramentis. ibid.
Baptismus & pœnitentia, sunt Sacramenta mortuorum & ideò instituta sunt ad tollẽda mortalia & ad conferendam primam gratiam: reliqua verò sunt sacramenta viuorum, id est, per se instituta pro iustificatis, ad iustitiæ augmentum. 3
Peccatum non est obex gratiæ Sacramenti, nisi quatenus est in conscientia seu notitia peccatoris. ibid.
Sacramenta quæ per se instituta sunt ad augendã gratiam sanctificantem, si in subiecto gratiam primam non inueniant, operantur & conferunt illam, modò in suscipiente nullus obex iustificationis sit. ibid.
Ad valorem Sacramenti requiritur in adultis suscipiendi propria voluntas seu intentio saltem interpretatiua: paruuli verò & perpetuò amentes, sacramenta suscipiunt in fide ac voluntate Ecclesiæ ac Christi. 4
Ad valorem Sacramenti non requiritur prædestinatio, nec iustitia, nec pœnitentia, nec fides, vt contra hæreticos docent Catholici: excepto Sacramento pœnitentiæ, in quo hoc peculiare est, vt dispositio suscipientis, sit substantialis pars Sacramenti. ibid.
Ad consequendam primam gratiam in Sacramentis Baptismi aut pœnitentiæ, requiritur in intellectu fides; & in voluntate attritio, seu dolor animi ex motiuo supernaturali susceptus de peccatis. 5
Qui accedunt ad Eucharistiam vel alia Sacramenta, credentes in gratia existere, cùm verè sint in peccato mortali, debent actũ attritionis elicere, vt primam gratiam recipiant & iustificentur. ibi.
Idem Sacramentum confert æqualem, effectum in subiecto æquè disposito: Idem tamen sacramentum, in subiecto melius disposito confert maiorem gratiam. 6
Gratia quæ confertur in Sacramentis, non est diuersa essentialiter, sed est eiusdem speciei in omnibus Sacramentis, accidentaliter tamen est diuersa. 7
Probabilius est, Sacramenta esse causam moralem instrumentalem gratiæ, quamuis probabile etiam sit Sacramenta admodũ causæ physicæ esse causas gratiæ. 8
Sacramenta producunt gratiam immediatè, gratia verò quæ producitur per Sacramenta, dicitur educi de potentia animæ. 9
Sacramenta numquam causant gratiam ante susceptionem illorum: & quando Baptismus in voto susceptus delet originale peccatum, & pœnitentia in voto delet actuale, non est effectus Sacramentorum ex opere operato, sed dispositionis ipsius operantis. 10
Si quis putet se contritum, & tantùm attritus sit, nihil ipsi proderit votum Sacramenti ad perfectam iustitiam consequendam, nisi realiter Sacramentum applicetur. ibid.
Non omnis effectus Sacramentalis potest obtineri ex vi voti ipsius, character enim numquam sic imprimitur, nec obtinetur remissio omnis pœnæ. ibid.

Sacramentá quæ conſiſtunt in vſu, gratiam conferunt in eo inſtanti intrinſeco, in quo materia & forma habent perfectam ſignificationem. ibid.
Probabile eſt, omnia Sacramenta habere effectum gratiæ tanctificantis,recedente fictione: excepto Sacramento Euchariſtiæ. 11

Sacramentalia.

Per ſacramentalia certum eſt remitti venialia peccata, ſed non ex opere operato, iuxta probabiliorem ſententiam. 6
Sacramentalia nihil aliud ſunt, quàm remedia quædam ab Eccleſia inſtituta,quibus ſolet attribui effectus remiſſionis venialium,& ſunt nouem. 7
Sacramentalia veniunt nomine officij diuini prohibiti tempore interdicti localis generalis. 12
Sacramentalia omnia ſiue tranſeuntia, ſiue permanentia, ſunt propriè materia ſimoniæ. 4

Sacerdos.

De obligationibus Sacerdotis. Vide v. *Miſſa III.*

Sacrilegium extra genus luxuriæ.

Sacrilegium eſt violatio rei ſacræ;res autem ſacra vocatur, quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata eſt. 1
Tres ſunt ſpecies ſacrilegij, vna contra perſonas ſacras, altera contra loca ſacra,tertia contra res alias ſacras. 2
Sacrilegium contra perſonam quatuor modis contingere poteſt. 3
Omnia quæ fiunt contra ſanctitatem loci ſacri, ad ſecundam ſpeciem ſacrilegij pertinent. 4
Sacrilegium committitur quoties fit id,quod iure prohibetur in loco ſacro ſeu in Eccleſia. 5
Eccleſia polluitur occiſione hominis quæ ſit culpabilis: effuſione iniurioſa humani ſanguinis: effuſione humani ſeminis: ſepultura excommunicati vitandi, & ſepultura non baptizati. 6
Quando ſepelitur excommunicatus vitandus, illius oſſa proijcienda ſunt è loco ſacro, ſi dignoſci poſſint ab oſſibus fidelium. 7
Eccleſia non polluitur, quando in ea Catechumenus ſepelitur ante ſuſceptum baptiſmum, nec cum filius ſepelitur cum matre,quæ moritur in partu cum filio. ibid.
Polluta Eccleſia cenſetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum: polluto verò cœmeterio non cenſetur pollura Eccleſia. 8
Diſcrimen eſt inter Eccleſiæ pollutionem & execrationem: nam polluta Eccleſia polluntur etiam aſaria omnia, quæ in ea fixa ſunt,& vice-verſa. At ſi eccleſia execretur combuſtis aut corruentibus parietibus, non ideò altaria noua conſecratione indigent. ibid.
Eccleſiæ pollutæ reconciliatio fieri debet, vel per Epiſcopum, ſi Eccleſia erat conſecrata,vel etiam per ſimplicem presbyterum ſi tantum benedicta. ibid.
Simplex Sacerdos non poteſt reconciliare Eccleſiam conſecratam ſine privilegio Sedis Apoſtolicæ. ibid.
Eccleſiæ tunc demum cenſentur pollutæ, quando cauſæ memoratæ ſunt publicæ,vel per euidentiam rei,vel per confeſſionem aut probationem iuridicam. ibid.
Probabile eſt eccleſiam non cenſendam eſſe pollutam,donec Iudicis ſententia declaratum ſit illam eſſe pollutam. ibid.
Sacerdos celebrans in Eccleſia polluta ante reconciliationem non eſt irregularis: imò probabile eſt illum neque incurrere ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ. ibid.
Probabilis eſt ſententia affirmans Eccleſiam pollutam, remanere conſecratam, quando quis in ea poſt eius pollutionem celebrauit. 8
Tres actus forenſes prohibiti fieri in Eccleſia ſunt, placitum, vbi de ſanguinis effuſione agitur:Mercatus,Furtum. 9
Sacrilegium non committeretur ab eo, qui extra Eccleſiam ſurriperet Parocho gladium,vel quid aliud quod nõ poſſidet nomine Eccl. ibid.
Eccleſiam infringere,& ſuis bonis ſpoliare ſacrilegium eſt: & contra effringentes & ſpoliantes Eccleſias, conſtituta eſt pœna excommunicationis ipſo facto. 10
Violatio immunitatis loci ſacri ſacrilegium eſt. ibid.
Ad ſacrilegium pertinent ea peccata, quibus res ſacræ temerantur,vt abutendo ſacramentis,profananda ſacra vaſa, violando imagines in contemptum religionis, &c. 11

Sacrilegium in materia luxuriæ.

Sacrilegium hoc eſt peccatum luxuriæ,quo perſona Deo dicata, vel locus ſacer,vel alia res ſacra fœdatur per actum venereũ. 1
Hoc ſacrilegium fieri poteſt quinque modis. ibid.
Probabilius eſt ſacerdotem ſimul & religioſum peccãtem luxuriæ peccato ſolùm committere ſimplex ſacrilegium,etſi altera circumſtantia alteram nonnihil iuuet ad augendum peccatũ intra eamdem ſpeciem. 2
Probabilius eſt, non eſſe culpam lethalem coniugalem concubitum intra locum ſacrum in caſu neceſſitatis exercitum. 3
Nomine loci ſacri in hac materia, intelligitur Eccleſia conſecrata vel benedicta,cœmeteria & oratoria conſtituta authoritate Epiſcopi & deputata ad diuinum cultum. 4
Sacrilegium ex ſuo genere eſt peccatum mortale:ratione autem inaduertentiæ vel paruitatis materiæ,poteſt eſſe veniale. 5
Quando ſacrilegium eſt mortale, pœnitens non ſatisfacit dicendo in confeſſione ſe toties ſacrilegium commiſiſſe, ſed tenetur materiam,circa quam commiſit ſacrilegium aperire. ibid.
Per deſiderium libidinoſum vel contactum turpem abſque pollutione,non committitur ſacrilegium,niſi quando deſiderium tenderet ad habendam copulam in loco ſacro,vel ſi contactus turpis eſſet cum periculo pollutionis. 6

Satisfactio.

Satisfactio, quæ eſt pœnitentiæ virtutis actus,quædam eſt voluntaria ſolutio, & iniuriæ Deo per peccatum illatæ, compenſatio. 1
Vt opera noſtra de condigno ſatisfactoria dicantur pro illa purgatorij pœna,quæ peccato reſpondet,non adhuc plenè quoad pœnam remiſſo,quædam conditione requiruntur. 2
Ad ſatisfaciendum non eſt neceſſe vt actio procedat ex formali voluntate ſatisfaciendi, ſed ſatis eſt, vt procedat ex quacumque voluntate placendi Deo,aut ſuæ ſalutis æternæ. ibid.
Satisfactio Sacramentalis eſt compenſatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, conſiſtens in operibus pœnalibus & laborioſis taxatis à confeſſario. 3
Satisfactio impoſita à confeſſario eſt pars Sacramenti pœnitentiæ integralis tantùm, non eſſentialis: vnde validum eſt pœnitentiæ ſacramentum, in quo Sacerdos nullam iniungit ſatisfactionem,etiamſi ſacerdos tunc fortè peccet. ibid.
Tenetur confeſſarius regulariter aliquam ſatisfactionem pœnitenti imponere:aliqui tamen excipiuntur caſus, in quibus Sacerdos excuſatur ab iniungenda pœnitentia. 4
Opera pœnalia quæ iniungi poſſunt à confeſſario, ſunt, ieiunium oratio,& eleemoſyna: imò in ſatisfactionem poſſunt iniungi opera alias præcepta. 5
Non ſolùm poſſunt iniungi opera in particulari pro ſatisfactione ſacramentali,verùm etiam in generali, vt ſi confeſſarius abſoluendo dicat, *Quidquid boni feceris & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum:* quamuis aliquid hoc non concedant. ibid.
Menſura ſatisfactionis imponendæ à confeſſario lege Eccleſiæ non eſt taxata, debet tamen imponi proportionata ſatisfactio, conſiderata grauitate peccatorum & diſpoſitione pœnitentis. 6
Salubrius eſt confeſſum cum pauca leuiſſimaque pœnitentia acceptata relinquere in manu Dei puniendum in purgatorio, quam cum magna non adimplenda detrudere ipſum in infernum. ibid.
Confeſſarius ex iuſta & rationabili cauſa poteſt in confeſſione & non extra, diminuere & commutare pœnitentiam à ſe vel ab alio Confeſſario inferiori, vel æquali, vel etiam ſuperiori iniunctam. 7
Confeſſarius qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, non poteſt pœnitentiam, quæ pro reſeruatis à ſuperiore impoſita eſt, commutare: licet probabile ſit id poſſe confeſſarium neceſſitate. 8
Probabilius eſt,pœnitentem,qui oblitus eſt totius pœnitentiæ aliàs iniunctæ, teneri iterum peccata confiteri, vt pœnitentia commutetur. 9
Probabilius item eſt, pœnitentem non poſſe propria authoritate pœnitentiam in æquale aut in melius commutare. 10
Quando facta eſt commutatio pœnitentiæ, liberum eſt pœnitenti eligere quam pœnitentiam voluerit, primam videlicet, aut ſecundam. ibid.
Pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem & humanæ fragilitati accommodatam acceptare, acceptatamque adimplere, ſi tamen illi videatur nimia, poteſt rogare Confeſſarium vt illam mitiget. 11
Obligatio adimplendæ pœnitentiæ grauis, ex ſuo genere grauis eſt, vnde pœnitens peccat mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam. 12

Pœni-

Pœnitens obligatur ad implendam pœnitentiam quamprimùm commodè poteſt, ſi confeſſarius non determinet tempus. ibi.
Pœnitentiæ à confeſſario iniunctæ in ſatisfactionem peccatorũ pro pœna peccatis debita, ſatisfit per ſuſceptionem indulgẽtiæ & per alia pia opera ſatisfactoria: ſecus quando pœnitentia iniungitur in remedium & medicinam peccati. 13
Tempore Iubilæi poteſt confeſſarius leuiores pœnitentias imponere, obligando tamen pœnitentem ad lucrandum Iubilæũ: & hoc pacto poteſt etiam confeſſarius prouidere pœnitentiquẽ Inuenit grauatum multis pœnitentijs ex anteactis confeſſionibus, quas non impleuit. ibid.
Satisfactio ſeu impletio pœnitentiæ iniunctæ à confeſſario, ex opere operato remittit pœnam temporalem peccatis debitam & hoc ex Chriſti inſtitutione. 14
Probabilius eſt pœnitentem, qui pœnitentiam iniunctam à confeſſario adimplet in ſtatu peccati mortalis, præcepto quidem confeſſarij ſatisfacere, effectum tamen ſatisfactionis non conſequi, quamdiu in ſtatu peccati perſeuerat. 15
Probabile eſt, pœnitentiam factam in ſtatu peccati mortalis ſortiri ſuum effectum ſublato obice. 16
Satisfactio ſacramentalis iniuncta à confeſſario, non poteſt per alium adimpleri, niſi confeſſarius aliud expreſſerit. 17
Illa pœnitentia vel ſatisfactio requiritur, vt publici peccatores admittatur ad communionem, qua ſatisfiat Deo & Eccleſiæ. 10

Satyrus.

Satyrus aut genitus ex fœmina & bruto, non eſt capax baptiſmi, quia non eſt homo. 1

Scandalum.

Scandalum eſt dictum, vel factum minus rectum, præbens alteri occaſionem ruinæ. 1
Scandalum aliud eſt actiuum, aliud paſſiuum. Actiuum, aliud eſt per ſe, aliud per accidens, aliud ſpeciale, aliud generale. Paſſiuũ ſcandalum aliud eſt datum, aliud acceptum. 2
Peccatum ſpeciale ſcandali committitur, quoties quis dat vel dare intendit alteri occaſionem ruinæ hac intentione vt peccet. 3
Qui alium inducit ad peccatum intendens ipſius nocumentum ſpirituale, peccat duplici peccato, nempe, peccato ſpeciali, & peccato, quod ab altero committitur. ibid.
Probabilius eſt ad ſpeciale peccatum ſcandali, requiri expreſſam intentionem ruinæ ſpiritualis. 4
Inducens & conſummans cum altero peccatum, reus videtur duorum peccatorum, etiamſi non intendat ruinam proximi ſpiritualem. 5
Scandalum actiuum ex ſuo genere erit peccatum mortale, quoties quis tenetur impedire eam occaſionem, abſtinendo ab opere, quod eſt occaſio, & non abſtinet, ſiue ſit ex expreſſa ruinæ intentione, ſiue abſque illa. 6
Expreſsè intendere proximi ruinam non ſemper eſt mortale, ſi enim ruina ſit tantùm peccatum veniale, erit tantum veniale peccatum illam intendere. ibid.
Quando ſcandalum generale eſt, regulariter loquendo, ſi dictum vel factum eſt mortale, etiam ſcandalum mortale erit. 7
Plures coram alijs peccantes excuſantur à peccato ſcandali, vel quia videntes ſunt in bono ſtabiles, vel ita prauis moribus ſunt imbuti, vt peccatum aliorum nihil illos moueat. ibid.
In multis caſibus cenſetur aliquis cooperari peccato alterius ſeu alterum ad peccatum inducere, vel eſſe cauſa ſcandali actiui. 8
Peccato ſcandali peccat, qui facit vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum, ſeu ad peccandum, etiamſi faciat vel petat aliquod opus indifferens, modòmon præſtet opus indifferens ex iuſta & rationabili cauſa. 9
Vendens aromata, fucos &c. quibus mulier abutetur excuſatur à mortali. ibid.
Non excuſatur à peccato qui petit opus, quod ſine peccato fieri non poteſt, & quod alter non feciſſet, quamuis animo paratus eſſet ad illud faciendum. ibid.
Probabilius eſt circumſtantiam ſcandali ſeu inductionis ad peccatum non eſſe confitendam, ſi alter ad peccandum paratus erat. §.1
A miniſtro quamtumuis malo, licet communiter recipere & petere ſacramenta, imò & ipſum inducere ad ea miniſtranda, quamdiu toleratur ab Eccleſia, & illi incumbit ex officio tibi illa miniſtrare. §.2
Licet pecuniam mutuo accipere ſub vſura ab eo qui paratus eſt dare; Numquam tamen licet alterum inducere ad dandum mutuum ſub vſuris, ita vt inductio pro ſuo obiecto habeat etiam talem modum mutuandi. §.3
Probabile eſt, licere exigere iuramentum ab eo qui creditur peieraturus, nec eſt paratus ad peierandum, modò concurrat cauſa iuſta neceſſitatis eius iuramenti. §.4
Multò magis certum eſt licere ab ethnico iuramentum exigere, quem ſcitur per falſos Deos iuraturum, quando exigens neceſſitate cogitur. ibid.
Probabilius eſt à mortali excuſari Chriſtianos, captos à Turcis, nauigantes metu mortis contra noſtros, aut præparantes neceſſaria ad bellum, aut auxilium ferentes ad munienda caſtra, &c. 10
Non licet his captiuis tormenta in Chriſtianos dirigere, ignemque applicare, nec deprædari, aut incendere res Chriſtianorum. ibid.
Excuſantur famuli comitantes herum, dum ad meretrices accedit, ſi ab huiuſmodi comitatu deſiſtere nequeant abſque graui detrimento. §.1
Locantes domos meretricibus vel vſurarijs excuſari poſſunt à mortali, etiam nulla alia iuſta & vrgenti cauſa excutiante, imò etiamſi eas poſſint alijs commodè locare. §.2
Puella quæ ſe præbet conſpiciendam adoleſcenti, à quo ſcit ſe turpiter amari, excuſatur, modò hoc faciat ex aliqua neceſſitate, vel vtilitate, aut ne priuet ſe ſua libertate, vel iure exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram. §.3
Parentes aut heri, qui filijs, vel famulis non auferunt occaſionem furandi, vt de ipſorum fidelitate experimentum capiant, ipſoſque in futurum à furto patrando auertant, excuſari poſſunt. §.4
Non licet Amaſio communiter depingere imaginem concubinæ, ſi putetur Amaſium ea imagine vſurum per libidinem: poſſet tamen excuſari pictor illam depingens ex metu mortis vel vulneris. §.5
Publicè peccantes obligantur ad circumſtantiam ſcandali manifeſtandam in confeſſione, ob periculum, cui ſe exponunt ruinæ proximi: in duobus tamen caſib. excuſantur ab hac circumſtantia explicanda. 11
Nullum peccatum eſt committendum, ad vitandum ſcandalum proximi. 12
Ad vitandum ſcandalum infirmorum, oportet facere & omittere quidquid ſine peccato fieri aut omitti poteſt. ibid.
Ad vitandum ſcandalum phariſaicum, nihil neceſſe eſſe facere, aut omittere cum detrimento ſpirituali aut temporali, etſi abſque peccato fieri aut omitti poſſit. 12
Opera conſilij non ſunt dimittenda propter ſcandalum ex malitia, at ob ſcandalum ex infirmitate aliquando ſunt differenda. ibid.
Peccatum veniale fieri poteſt mortale ratione ſcandali. 12

Schiſma.

Schiſma eſt voluntaria, & pertinax ſubtractio, & ſeparatio ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ vel Summi Põtificis, qui Principem in Eccleſia locum tenet. 1
Schiſmatis modus eſt duplex. 1. cùm aliquis ſe ſeparat à Summo Pontifice debitam ei obedientiam denegando. 2. cùm quis ſe ſeparat à reliquis Eccleſiæ membris ſiue fidelibus in religionis cultu &c. 2
Schiſma diuiditur in purum & iunctum cum hæreſi. 3
Schiſma ex ſuo genere peccatum eſt mortale contra charitatem. 4
Multæ ſunt pœna contra ſchiſmaticos iure ſtatutæ. 5

Scientia.

Scientia iuris requiritur in aduocato, in quo verſaturus eſt. 2
Scientia requiritur in confeſſario, vt pœnitentem imperitum docere & peccata ſufficienter diſcernere valeat. 4
Plura de ſcientia in Confeſſario requiſita Vide *Confeſſarius IV.* n. 4. & ſeq.
Scientia requiritur ad beneficium, & quidem tanta, quæ ad munus beneficio annexum ritè obeundum ſit neceſſaria. 7
Scientiæ defectus facit hominem iure Canonico irregularem. 2
Scientia in Iudice neceſſaria eſt, qua rectè ſciat ſuo munere fungi. 11
Scientiam ſaltem mediocrem tenetur habere Notarius, earum rerum, quæ ad officium pertinent. 1
Scientia ſufficiens ad munus ſuum tenetur habere procurator, alioquin peccat & tenetur ad reſtitutionem. 6
Scientia requiritur in ordinandis ex Decreto Tridentini. 7

Scholares.

Scholares tenetur ad ieiunium: quando autem ſtudium eſt conti-

continuum & assiduum possent excusati, quia magis debilitat quàm quodlibet exercitium corporale. 8
Scholarium proprius Sacerdos, est ordinarius parochus illorum locorum, in quibus pro tempore habitant. 13

Scribere. Scriba.

Scribere est opus mentis & locutio quædam permanens, ordinata ad instructionem mentis propriæ vel alienæ, & ideò liberale opus est, nec fit seruile ex eo quod fiat ob lucrum. 8
Scribæ, qui per totum diem scribunt, excusantur à ieiunio: quia tres digiti scribunt, cætera membra dolent. 8

Secretum.

Secretum accipitur pro re alicui clanculum manifestata, quæ in plurium notitiam nondum peruenit. 1
Secretum aliud est confessionis, aliud quod manifestatum noceret animæ, corpori, famæ, honori vel fortunis alterius, aliud quod promisimus expressè vel tacitè celare. ibid.
Qui secretum expressa vel tacita conuentione reticendi sibi cõmissum reuelat, cuius reuelatio redundat in alterius graue detrimentum, peccat mortaliter contra fidelitatem, & iustitiam nisi paruitas materiæ excuset. 2
Secretum detegere vni vel alteri, quos certò nouimus celaturos, nõ est peccatum mortale, nisi quod detegitur sit aliquod peccatum graue vergens in infamiam. 3
Iustæ sunt aliquæ causæ secretum reuelandi. 4
Secreta Reipublicæ vel exercitus, quorum reuelatio in magnam perniciem cedet etiam ob quæuis tormenta, non licet reuelare. 5
Qui secretum reuelat absque iusta causa cum alterius detrimẽto, tenetur ad restitutionem. 6
Ille cui concreditum est secretum, potest iudici interroganti respondere cum iuramento se nihil scire, addita restrictione, vt illi aperiat. ibid.
Aperiens & legens literas sigillo munitas, aut quæ seruabantur in secreto loco, mortaliter peccat, si hoc faciat præuidens inde notabile damnum oriturum. 7
Qui legit literas alterius sine periculo grauis iniuriæ aut notabilis damni, sed ob curiositatem, mortaliter non peccat. ibid.
De hoc casu vide *Palsarius* n. 2. *Casus reseruatus* n. 40. §. II.

Seditio.

Seditio est conflictus armorum multitudinis contra multitudinem eiusdem communitatis. 1

Semifatuus.

Semifatuus habens imperfectum rationis vsum admittendus est ad communionem tempore Paschatis, & in articulo mortis, si nullum irreuerentiæ periculum adsit. 25

Semiplena probatio.

Semiplena probatio variis modis habetur. 5

Senectus.

Senectus ipsa est morbus ob quam senes excusantur à ieiunio: ætas autem qua incipit hæc senectus non est determinata in iure. 6
Probabilius est impotentiam ex senectute prouenientem matrimonio non obesse, quia accidentalis est & non perpetua. 78
Senes decrepiti torqueri non debent ob crimen, sed tantùm terreri possunt, ostendendo eis locum tormentorum. 12
Qua ætate mulier dicatur senex vt vir possit profiteri religionem, remanente illa in sæculo cum voto castitatis, hoc relinquitur prudentis arbitrio & ex circumstantijs personæ, valetudinis, robotis & anteactæ vitæ considerandum, & definiendum est. 2
Senes quamuis fortes ad ambulandum sint, possunt absolui ab Episcopo, si enormiter vel mediocriter clericum percusserint. 8

Sanitia.

Sæuitia coniugis est causa sufficiens ad faciendum diuortium non perpetuum, quando est tanta, vt absque grauis damni periculo, non possit alter cum illo habitare. 20
Sæuitia sponsi vel sponsæ notabilis, quæ denuò cognoscitur, est causa sufficiens ad dissolutionem sponsalium. 7

Sententia.

Quælibet sententia requirens strepitum iudicialem, aut cum strepitu iudiciali coniuncta vetita est in die festo: aliæ verò sententiæ non requirentes talem strepitum non videntur prohibitæ. 17

Sepultura.

Locus sepulturæ Ecclesiasticæ est Ecclesia & cœmeterium, quod dictum est, quasi dormitorium, in quo fidelium corpora sepeliuntur. 1
Si quis fidelium corpora sepelire negligat, cùm nullus alius ad est, qui id officium præstet, mortale peccatum est. ibid.
Iure communi ius sepulturæ competit solum Ecclesijs, quæ habent populum, siue Parochialibus: ex priuilegio autem hoc ius competit etiam religiosis. 2
Clericis & religiosis seuerè prohibitum est in iure, ne quemquã ad vouendum aut iurandum inducant, vt potiùs in ipsorum Ecclesia sepulturam eligat, vel iam electam vlteriùs non immutet. ibid.
Possunt, iuxta aliquos, religiosi & clerici inducere ad eligendum sepulturam etiam obligator a electione cum promissione aut iuramento in Ecclesia a terius: dummodo hoc non fiat ad alterius instantiam. ibid.
Qui conantur inducere ad eligendam sepulturam cum voto, iuramento, aut promissione, peccant mortaliter: tamen si effectus electionis non sequatur, excommunicationem *Clementinæ* non incurrunt. ibid.
Peccat qui inducit ad eligendam sepulturam cum obligatione apud Ecclesiam, in qua de iure debet sepeliri defunctus. ibid.
Ab hac excommunicatione incurrenda excusat ignorantia probabilis. ibid.
Omnes puberes tam masculi, quàm fœminæ, qui liberum arbitrium habent, extra parochiam suam sepulturam eligere possunt exceptis religiosis. 3
Nouitij & prælati ordinum, qui superiorem in ordine non habent, sepulturam extra monasterium eligere possunt. ibid.
Famuli religiosorum intra monasterium vel collegium morientes, in illorum Ecclesijs sepeliri possunt. ibid.
Omnes fideles seu baptizati in loco sacro sepeliendi sunt, nisi constet eos in excommunicatione, aut interdicto, vel in statu peccati mortali seu impœnitentes decessisse, vel ob crimen sepultura spolientur. 4
Sepultura Ecclesiastica iure priuati sunt, hæretici, Apostatæ, excommunicati, interdicti, vsurarij manifesti, aut mortui in duello, occidentes scienter seipsos, meretrices publicæ, & omnis peccator publicus nisi pœniteant. 5
In dubio an is qui seipsum occidit, scienter seipsum occiderit præsumitur scienter occidisse, nisi constet ipsum antea fuisse amẽtem aut furore ractum. ibid.
Si quis in ipso facinore, quod nullo modo excusari potest, occisus deprehendantur, non præsumitur contritus discessisse. ibi.
Puella seipsam occidens in defensionem pudicitiæ, non est priuanda sepultura Ecclesiastica, maximè si hoc fecerit ex ignorantia inuincibili. ibid.
Non potest concedi sepultura Ecclesiastica adulto illi, qui ante mortem baptismum petit etiamsi plures testes affirment se audiuisse petitum esse Baptismum: condecens tamen erit, vt fideles non vt canem abijciant in campum adultum illum. ibidem.
Morientes vno vel altero die post duellum, si signa contritionis ostenderint ante mortem possunt sepeliri in loco sacro. ibid.
Sepelientes aliquem, quem Ecclesia priuat Ecclesiastica sepultura, mortaliter peccat, & si sepultus sit excommunicatus vel interdictus vitandus, vel notorius, ligantur sepelientes maiori excommunicatione. 14
Sacra sepultura priuantur laici per cessationem à diuinis, non clerici, modò sepeliantur sine diuinis officijs. 7
Effectus interdicti tam localis, quàm personalis, generalis aut specialis, est Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio. 18
In loco sacro sepeliendus non est religiosus inuentus tempore mortis proprietarius, si proprium non abiecerit. 20
Quando sepelitur excommunicatus vitandus, illius ossa proijcienda sunt è loco sacro, modò dignosci possint ab ossibus fidelium. 7
Pro iure sepulturæ, siue vt aliquis in certo loco Ecclesiæ aut cœmeterij sepeliri possit, aliquid tanquam pretium exigere, simoniacum est, potest tamen accipi aliquid si sponte offeratur, & absque turpi exactione detur, permittente id consuetudine. 2
Suspensio ab ingressu Ecclesiæ priuat sepultura Ecclesiastica dummodò impœnitens decesserit, per hanc tamẽ non polluereture Ecclesia. 14

Seruitus.

Seruitus est constitutio iuris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subijcitur. 1
Seruitus triplex constituitur, vna merè personalis, quæ a persona personæ debetur: & hæc nullo tempore vsucapi potest. ibid.

Altera ſeruitus eſt mixta, quæ à re perſonæ debetur, & hæc eſt triplex, nimirum vſusfructus, vſus & habitatio. 2
Seruitus mixta præſcriptione comparatur cum bona fide & titulo 10. annis inter præſentes 20. inter abſentes: & ſi deſit titulus 30. annorum ſpatio. ibid.
Tertia ſeruitus eſt merè realis, quæ rei à re debetur, & eſt duplex, Vrbana & ruſtica, quæ ſubdiuiduntur in affirmatiuas, & negatiuas. 3
Vrbanæ ſeruitutes dicuntur, quæ vrbanis prædijs, ideſt, ædificijs, habitandi gratia conſtructis & annexis hortis, areis &c. inhærent. ibid.
Seruitutes ruſticæ dicuntur, quæ ruſticis prædijs inhærent. 4
Vtraque ſeruitus, tam vrbana, quàm ruſtica diuidi ſolet in continuam ac diſcontinuam. ibid.
Seruitus realis quanto tempore præſcribatur. 5
Quid requiratur ad vſucapionem ſeruitutis negatiuæ. 6
Quomodo vſusfructus, & omnes ſeruitutes reales amittantur. 7
Quando error conditionis ſeruilis dirimat matrimonium vide v. *Matrimonium VII.* n. 11.

Seruus.

Serui, quamdiu ſunt serui, iure impediuntur ne ordines ſuſcipiant tamen ſi de conſenſu Domini prima tonſura initientur vel minoribus ordinibus, eo ipſo ſunt liberi ſi verò maioribus ſine conſenſu Domini tunc acquirunt libertatem ſoluendo pretium Domino. 2
Seruus non poteſt loco pignoris aliquid obligare. 6
Seruus quamdiu eſt ſeruus, non poteſt ſtatum religioſum capeſſere abique conſenſu Domini. 5
Serui qui verè & propriè serui ſunt, teſtari non poſſunt. 6
Seruus manens in ſeruitute non poteſt eſſe teſtis. 1
Seruus non poteſt inſtitui tutor. 3
Serui non habent dominium perfectum & independens à dominorum poteſtate: poſſunt tamen ſerui habere aliquarum rerū dominium imperfectum. 7
Seruorum vota ſiue facta ſint ante ſeruitutem, ſiue tempore ſeruitutis, poſſunt à Domino etiam nuitis ſeruis irritari ſeu potius ſuſpendi, ſi ipſi Domino præiudicent: ſecus ſi non præiudicent. 4
Serui religioſorum qui non degunt in monaſterijs aliſue locis à cura Parochorum exemptis, debent tempore Paſchatis communionem ſumere in propria parochia: ſi autem ſerui ſint de familia religioſorum, poſſunt in Eccleſijs regularium communionem Paſchalem accipere. 12
Plura de ſeruo vide v. *Famulus.*

Scrupulus.

Scrupulus eſt ſuſpicio quædam leuis, orta ex leuibus fundamentis & rationibus, qua quis putat aliquid eſſe peccatum, quod reipſa non eſt. 6
Plura de ſcrupulis vide v. *Conſcientia* n. 29. & ſequentibus.

Simonia. Quid & quotuplex.

Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum, pro temporali, vel pretio temporali. 1
Simonia alia eſt iure diuino prohibita, alia iure tantùm Eccleſiaſticum. 2
Simonia ex ſuo genere eſt contra religionem & peccatum graue mortale: & probabile eſt, non dari peccatum veniale in ſimonia ex leuitate materiæ. 3
Malitia iniuſtitiæ nō ſemper cum ſimonia coniuncta eſt, at ſemper adeſt malitia contra religionem. 4
Quæ ſit ſimonia iure tantùm humano prohibita? 5
Deformitas ſimoniæ commiſſæ contra ius humanum in eo conſiſtit, quòd dum Eccl. in reuerentiam ſacræ ſupellectilis bonorum Eccleſiaſticorum, prohibuit res aliquas pretio vendi, eaſque fecit inuendibiles propria authoritate, vnde ſi quis eas venderet propria authoritate, cenſeretur rebus ſacris, ad quas res eæ ordinem habent, facere iniuria. ibid.
Non poteſt Papa incurrere pœnas ſimoniæ iure Eccleſiaſtico ſtatutas. ibid.
Papa poteſt contrahere culpam ſimoniæ iuris diuini. 6
Simonia diuiditur in mentalem, conuentionalem & realem. 7
Simonia confidentiæ continetur ſub ſimonia conuentionali. ibi.
Verius eſt, ſimoniam mentalem non committi, niſi intendatur temporale tamquam pretium rei ſpiritualis, vel ſpirituale tamquam pretium rei temporalis. 8

Simonia. Quoad diuiſionem pretij ſimoniaci.

Pretium, cuius traditione committitur ſimonia, aliud eſt *à manu* aliud *à lingua*, aliud *ab obſequio*. 1
In multis caſibus ſimonia committitur per munus *à manu*. 2
Varij caſus in quibus committitur ſimonia per munus à lingua. 3
Quomodo committatur ſimonia per munus ab obſequio. 4

Simonia. Quoad illius materiam.

Ad ſimoniacam pactionem duo concurrere debent, quorum vnum eſt veluti pretium alterum eſt veluti merx. 1
Simoniæ propria materia eſt res aliqua ſacra ſpiritualis & ſupernaturalis. 1
Committitur ſimonia vendendo gratiam ſanctificantem, vendendo Chriſtum, vel Euchariſtiam: ſecus ſi vendantur miſericordiæ opera externa. ibid.
Pro iure ſepulturæ aliquid tanquam pretium exigere, ſimoniacum eſt: ſi ſponte offeratur, accipi poteſt pro ſepultura: & maximè ſi certum locum Eccleſiæ vel cœmeterij ſibi & familiæ vendicare velit. 2
Pro materia remota Sacramenti, vt eſt panis, aqua, oleum &c. poteſt exigi pretium abſque ſimonia: pro materia verò proxima ſacramenti, minimè. 3
Probabilius eſt in graui vel extrema neceſſitate pecuniam tradi poſſe, non pro ipſis Sacramentis, vel eorum adminiſtratione, ſed ad redimendam iniuſtam vexationem. ibid.
Licet etiam redimere ignominiam & vexationem inferendam ſacris reliquis Sanctorum ab hæreticis, etiamſi ipſi hæretici eas impie vendendo peccaturi ſint: modò hæretici in contemptum ſacrarum reliquiarum non compellant fideles directè ad illas emendas. ibid.
Quando reliquiæ exponuntur in publico ob quæſtum, ſimonia eſt, ſi talis quæſtus temporalis ſit principale intentum illius oſtenſionis. Secus ſi principale intentum ſit cultus Sanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale ſit minus intentum. ibidem.
Sacramentalia ſiue tranſeuntia, ſiue permanentia, ſunt propriè materia ſimoniæ. 4
Simoniacum non eſt vendere ipſam materiam rerum ſacrarum, ſecundùm ſe pretio æſtimabilem. ibid.
Vendens agnos Dei benedictos hodie reus eſt ſimoniæ labijs iure humano vetitæ: licet ratione materiæ, ſi ſint albi, multis in locis extra vrbem licitè vendantur. ibid.
Suſcipiens ordines vel illos conferens præuia pecunia, ſimoniacus eſt: quamuis ſponte offeratur, excipiuntur candelæ & faculæ. 5
Diuina officia, & quænis orationes ſunt propriè materia ſimoniæ. 6
Non eſt ſimonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinſecus adiunctis actioni ſacræ, vel pro ſuſtentatione Miniſtri, ſub obligatione rei ſpiritualis. ibid.
Non eſt ſimonia aliquid exigere pro doctrina Theologiæ naturalis ſeu metaphyſica, ſed pro ſimplici catechiſmo ſeu doctrina & veritate fidei tradenda, aliquid accipere tanquam pretium, ſimonia eſt. 7
Vendere licentiam ad docendum Theologiam vel magiſterium, ex natura rei non eſt ſimonia. 8
Pro ingreſſu in religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu religioſo accipere aliquid tanquam pretium, ſecundùm ſe ſimoniacum eſt. 9
Aliquid exigere vel accipere pro ſuſtentatione perſonæ, non eſt illicitum, ſi monaſterium inops ſit & regula ordinis permittat. ibidem.
Probabilius eſt, eſſe ſimoniam iuris humani, in monaſterijs diuitibus aliquid exigere pro alimentis, ſeu onere ſuſtentationis. ibidem.
Martinus V. & Clemens VII. declararunt nolle ſe vt moniales cenſuram aliquam incurrant, eò quòd in ingreſſu aut profeſſione ſuarum aliquid exigant. 10
Pro omiſſione actus ſpiritualis aliquid exigere, non eſt propriè ſimonia, niſi cum omiſſione coniunctus ſit actus iuriſdictionis, qui cum ipſa omiſſione pretio vendatur. 11
Simoniacus non eſt, qui pretium accipit pro non audiendo ſacro, pro non recitando officium diuinum, vel non concionando &c. licet aliunde ſit illicitum & peccatum. ibid.
Confeſſarius, qui pro pretio non abſoluit hominem ritè confeſſum & Iudex qui non abſoluit excommunicatum pro eodem pretio, quando debet eum abſoluere, committunt ſimoniam. ibidem.
Si pœnitens malè diſpoſitus paciſcatur cum confeſſore, vt palam ſibi abſolutionem impertiat fictam ſine intentione abſoluendi,

ne circumstantes dubitent de eius absolutione, non datur ibi simonia, quamuis sit turpe lucrum & fugiendum. ibid.
Omnis actus iurisdictionis, Ecclesiasticæ est materia simoniæ. 12
Si confessor cogat pœnitentem pœnitentiam acceptare, in qua imponit illi vt dici faciat tres missas pro suis peccatis, sibique det eleemosynam illarum ad illas dicendas, simonia est. 13
Si pœnitens minorem emat pœnitentiam à confessario, pro pretio & confessarius illud accipiat, simonia est: idem dicendum si illud accipiat ab aliquo tertio pro imponenda huic pœnitentia grauiori. ibid.
Si Parochus pretium accipiat pro danda licentia assistendi Matrimonio, quasi illam vendendo simoniacus, est: quamuis licitè possit Parochus petere à Sacerdote, qui licentiam petit vel totam oblationem, vel partem illius. ibid.

Simonia.

Quoad materiam rerum, quæ spiritualibus sunt annexa.

Res Sacræ per connexionem illæ dicuntur, quæ ex se materiales vel naturales sunt, per coniunctionem tamen cum re sacra censentur sacræ seu spirituales. 1
Aliquid potest dici connexum alteri vel antecedenter, vel comitanter, vel consequenter. ibid.
Annexum spirituali ratione connexionis, quam habet ad illud, est materia simoniæ, generatim loquendo. 2
Beneficium quoad ius spirituale in ipso inclusum, est materia simoniæ contra ius diuinum. 3
Simonia contra ius diuinum non committitur, tradendo seu cõmutando spirituale pro spirituali precisè, modò rei spirituali annexa non sit res temporalis. 4
Vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi vel incommodi ob eius priuationem cum resignatione, probabilius est esse simoniam contra ius diuinum. 5
Summus Pontifex, facta separatione præbendæ ab officio spirituali, potest beneficium dare exhibenti pecuniam, sine simonia: Episcopus verò non potest. 6
Pensiones merè temporales, quę laicis designantur ex Ecclesiasticis prouentibus, sine vitio simoniæ venduntur ac redimuntur. 7
Pensiones proprièspirituales, quæ ad spirituale ministerium designantur, emi ac vendi non possunt sine simonia: pensiones verò mixtæ, licet vendi ac emi non possint, redimi tamen possunt. ibid.
Permutatio beneficiorum sine auctoritate Episcopi facta, irrita est, vt simoniaca ex dispositione iuris Ecclesiastici: licet tamen prius tractare de negotio permutationis, & etiam concludere præstando mutuum consentum, in ordine ad consensum prælati, vel Episcopi. 8
Probabilius est beneficia quamuis inæqualia in temporalibus permutari non posse cum pensione aut alia re pretio æstimabili coram Episcopo, aut alio inferiore Papa. 9
Beneficium resignare in fauorem tertij, cum clausula, *Non aliter nec aliàs*, in manus Ordinarij, probabilius est nullam esse simoniam iuris diuini nec humani, quamuis ob imaginem simoniæ, iuxta stylum curiæ fieri non possint tales resignationes, nisi in manibus Sum. Pontificis. 10
Qui beneficium litigiosum cum multis expensis assecutus fuit & postea dum in pacifica possessione existit, resignat illud alteri coram inferiore Papa, cum pacto vt alter soluat expensas, simoniam committit. 11
Simonia est, facere coram Episcopo resignationes reciprocas vel triangulares. ibid.
Orta lite de Ecclesiastico beneficio vel alia re spirituali, non prohibentur partes gratis & amicabiliter inter se componere. 12

Simonia. Quoad causas excusantes à labe simoniæ.

Primus titulus, propter quem excusari potest tradens vel accipiens temporale occasione spiritualis, est titulus liberalitatis vel gratitudinis. 1
Secundus titulus seu causa excusans à simonia, est titulus sustentationis: cauere tamen debet sacerdos, ne plus exigat pro sustentatione, quàm ferat ratio laboris & operis. 2
Tertius titulus ob quem aliquid tradi vel accipi potest absq. labe simoniæ, est labor extrinsecus, seu per accidens adiunctus operi sacro vel spirituali. 3
Sacerdos potest exigere mercedem pro obligatione dicendi sacri pro tali loco, & tempore & pro labore eundi ad talem locum satis distitum. ibid.
Qui procurat alteri beneficium, pro labore aliquid accipere potest, non tamen quatenus ille labor ordinem habet ad beneficium maioris vel minoris valoris. ibid.
Quartus titulus est, priuatio libertatis vel alterius commodi temporalis, quo quis se priuat faciendo spirituale opus. 4
Quintus titulus excusans tradentem aliquid temporale, à crimine simoniæ, est iniusta vexatio: iusta autem vexatio non excusaret. 5
Non committitur simonia tradendo pecuniam subornanti, qui pecuniam vel importunis precibus corrumpit electores, ne meipsum eligant. 6
Consuetudo excusat à labe simoniæ iuris humani traditionem vel acceptionem rei temporalis pro spirituali. 7
An electores committant simoniam pacisendo, *Elige te illum, & ego elige istum.* Vide v. *Electio* n. 14.

Simonia. Quoad illius pœnas.

Nulla simonia inducit pœnas iuris ipso facto, nisi in ordine, beneficijs & religionis ingressu. 1
Simonia realis in ordinibus multas pœnas inducit. ibid.
Qui beneficium confert vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, &c. est ipso facto excommunicatus. 2
Qui beneficium per simoniam acquirit, est ipso facto excommunicatus, & omnis prouisio & collatio huiusmodi est nulla, fitque inhabilis ad idem beneficium obtinendum. ibid.
Hæc inhabilitas per solum Papam tollitur quando simonia est publica & deducta ad forum contentiosum: si verò est occulta, per Episcopum potest tolli, imò & à confessarijs ordinum mendicantium. ibid.
Simonia realis circa religionis ingressum inducit tam dantibus quàm accipientibus excommunicationem conuentui seu Capitulo suspensionem; & simoniacè admissi ad religionem, videntur iure inhabiles ad manendum in illo monasterio. 3
Licet simonia committatur dando aliquid pro ingressu seu receptione ad habitum, pœnæ tamen iuris non incurruntur, nisi professio subsequatur. ibid.
Simonia confidentiæ externa erit & pœnas iuris inferet, si alicui beneficium procures cum pacto, vt idem illud tibi vel alteri aliquando resignet. 4
Simonia confidentiæ est, admittere in beneficiorum resignatione, præsentatione & collatione, accessus, regressus & ingressus. ibid.
Quas pœnas inferat simonia confidentiæ. ibid.
Nulla simonia conuentionalis excepta ea quæ confidentiæ dicitur, inducit ipso facto vllas pœnas iuris positiui. ibid.
Bullæ Pij IV. *Romanum Pontificem*; & Pij V. *Intolerabilis*, non sunt in Germania receptæ. ibid.
Probabile est, pœnas simoniæ non incurri in casu quo adest tantùm simonia iuris positiui & humani: licet contraria sententia sit communis. 5
Confessarij ordinum mendicantium possunt absoluere à quacumque simonia, eique annexa excommunicatione & suspensione: etiamsi illa commissa esset in ordine conferendo aut suscipiendo. *Simonia.* ibid.

Quoad obligationem restituendi simoniacè accepta.

Pretium acceptum pro re spirituali restituendum est iure diuino, etiamsi res spiritualis nondum tradita sit, & hæc restitutio debet fieri illi, qui tradidit. 1
Probabilius est, quando beneficium est traditum, & simonia cõpleta, pretium esse restituendum Ecclesiæ, etiam ante iudicis sententiam. ibid.
Pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum, non est obnoxium restitutioni iure naturali diuino: Pretium verò simoniacè simul & iniustè acceptum est restituendum. 2
Verius est rem spiritualem per simoniam acquisitam, non esse iure diuino dimittendam. 3
Res spiritualis simoniacè accepta, iure Ecclesiastico non est restituenda, nisi sit beneficium aut pensio spiritualis. 4

Simultas.

Simultas moralis consensuum requiritur in matrimonio, ita vt non magnum interuallum inter vnius & alterius consensum distet. 6
In conficiendis Sacramentis requiritur quædam coniunctio seu simultas temporis inter aliquam partem formæ & aliquam partem materiæ, quamuis non sit improbabile sufficere simultatem moralem. 9
Inter dolorem & confessionem debet esse etiam simultas moralis seu coniunctio. ibid.
Contractus materiæ in ordine non debet esse in eodem instanti mathematico cum prolatione verborum, sed sufficit si simul sit

fit moraliter, id est, sine mora interposita. 2

Societas.

Societas est connexio duorum aut plurium facta ad conferendum aliquid in vsum vel quæstum communem, & ad hunc contractum quatuor requiruntur. 1

Societas, alia est omnium bonorum; alia negotiationis, alia artis; alia animalium; alia officiorum. 2

Societas contrahitur vel ex parte finis; vel ex parte materiæ; vel ex parte temporis. 3

Societatis contractus licitus est, seruatis duobus. ibid.

Contractui societatis possunt iustè adnecti alij duo, puta assecuratio quædam capitalis: potest etiam locare fructus, & lucrum pretio conuenienti, vel assecurationem lucri facere. 4

Ad societatem animalium tres conditiones requiruntur. 5

Contractus societatis animalium in duobus casibus est illicitus. 6

Damna, quæ patitur socius ex causa proxima societatis debent esse communia, modò non eueniant ex leui culpa socij: damna verò propria, quæ socius tantùm ex occasione societatis patitur, non debent esse communia. 7

Expensæ, quæ non superfluè fiunt à socio apponente industriam, faciendæ sunt ex communi pecunia societatis, nisi aliter conuentum sit inter socios. 8

Eleemosynæ, quas facit socius apponens industriam, si moderatæ sunt & discretæ, fiantque intuitu fœlicis exitus societatis, solu endæ sunt ex communibus lucris. 9

Probabilius est, quando pro conseruatione mercium vel capitalis, vel acquisitione lucri faciendæ sunt aliquæ expensæ, teneri socium etiam ex iustitia eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab alijs petere, si non possit extrahi pecunia ex societate. 10

Socius criminis.

Socius criminis ordinariè repellitur à testimonio ferendo contra socium; quamuis aliquando admittatur, vt in crimine hæresis, læsæ maiestatis, in delictis, quæ non possunt committi sine socio. 1

Duo socij criminum faciunt semiplenam probationem. 5

Sodomia.

Sodomia propriè accepta est, qua ex affectu ad indebitum sexum vir concumbit cum viro, vel fœmina cum fœmina; & hoc peccatum turpissimum est. 21

Propter sodomiam sæpius exercitam ipso iure amittuntur beneficia. 3

Probabilius est per sodomiam passiuam non amitti virginitatem. 3

Rei huius nefandi vitij iure ciuili sunt infames, & legibus municipalibus comburi solent. 21

Plura de hoc nefando vitio vide v. *Luxuria* num. 21. & 22. *Incestus* num. 1.

Solicitudo temporalium, & futurorum.

Solicitudo temporalium est nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conseruandis prouueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. 11

Solicitudo futurorum est nimia animi occupatio circa futura, maximè vt vitæ necessaria habeantur, coniuncta cum anxietate, & parua fiducia in Deum. 11

Sortes.

Sortes sunt propriè, cùm aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, aut innotescat. 3

Sortes, aliæ sunt diuisoriæ, aliæ consultoriæ, aliæ diuinatoriæ. ibidem.

Sortes diuisoriæ multis in casibus licitæ sunt, modò euentus non expectetur à Dæmone vel à fortuna. ibid.

Sortes consultoriæ rarò sunt licitæ; nisi in casu magnæ necessitatis, concurrentibus quibusdam conditionibus. ibid.

Sortes diuinatoriæ sunt illicitæ, & superstitiosæ. ibid.

Sortilegium.

Sortilegium potest reseruari ab Ordinum Superioribus iuxta Decretum *Clementis VIII.* 40

Per sortilegia intelligitur ille vsus sortium, quarum directioni præest diabolus pacto expresso vel tacito inter diabolum, & mittentem sortes, siue illæ sint diuisoriæ, siue consultoriæ, siue diuinatoriæ. §. 1

Spes.

Spes est virtus Theologica diuinitus infusa, per quàm certò expectamus futuram beatitudinem, per merita ex diuina gratia prouenientia. 1

Spes absolutè loquendo, est infallibilis, cum innitatur fidei eius certitudo: per accidens tamen ex parte nostri potest esse incerta, & fallax. 2

Spei præceptum affirmatiuum per se obligat, quando quis grauiter vexatur tentationibus contra spem, & existit in periculo desperationis. 3

Per accidens obligatur etiam quis ad eliciendos actus spei, quando quis tenetur se ad Deum conuertere per pœnitentiam. ibidem.

Spei præceptum negatiuum obligat semper, & ad semper, cùm numquam sit desperandum vel præsumendum. 4

Spei Theologicæ secundùm excessum aduersatur peccatum præsumptionis quod duplex est. ibid.

Virtuti spei secundùm defectum opponitur desperatio cùm quis desperat se remissionem peccatorum, & gloriam æternam consecuturum. 5

Peccata tum præsumptionis, tum desperationis, numquam sunt venialia ex parte materiæ. ibid.

Sponsa. Sponsus.

Sponsa non peccat mortaliter quando delectatur de actu coniugij non apprehenso sub ratione delectabili, seu ex affectu venereo, sed ob finem aliquem honestum. 14

Inter sponsos de futuro oscula, & tactus non impudici à mortali excusantur secundùm quorumdam sententiam, si non sit periculum consensus in copulam vel pollutionis. 10

Sponsus intra bimestre copulam extorquens vi vel timore graui, peccat lethaliter. 6

Probabilius est sponsam vi cognitam à sponso, non posse religionem ingredi, maximè si ea copula proles secutura sit. ibid.

Probabilius item est, bimestre iure concessum sponsis ante consummationem matrimonij, non ad profitendum, sed ad deliberandum de religionis ingressu, esse præscriptum. 7

Sponsalia.

Sponsalia dicta sunt à spondendo: sponsi autem quasi alteri promissi: sponsor qui promittebat, & contractus ipse, sponsalia. num. 1

Sponsalia sumuntur vel pro promissione futuri matrimonij, vel pro matrimonio nondum consummato, vel pro donis, quæ dabantur sponsæ à sponso. ibid.

Ad sponsaliorum validitatem ex dispositione iuris, requiritur ætas septem annorum, tam in masculo quàm in fœmina. 2

Sponsalia contrahere possunt parentes pro filijs in necessitate, tutores, curatores, & consanguinei curam gerentes infantium qui nondum peruenerunt ad septimum annum, modò consensus expressus vel tacitus filiorum postea accedat. 3

Sponsalia contrahere ante septennium an sit peccatum mortale; alij affirmant, alij negant probabiliter. ibid.

Probabilius est, non maiorem vsum rationis requiri ad sponsalia contrahenda, quàm ad peccatum mortale. ibid.

Ad validitatem sponsaliorum requiritur vt adsit promissio deliberata, & voluntaria. 4

Item ad sponsaliorum valorem requiritur vt promissio sit acceptata; & repromissio ex parte alterius. 5

Vltimum requisitum ad sponsalia est, vt promissio sponsaliorum exterius manifestetur saltem aliquo externo signo. 6

De verbis quibus potest contrahi matrimonium de futuro vel de præsenti. 7

In sponsalibus, quando verba habent duplicem sensum in foro conscientiæ standum est intentioni, secundum quam verba proferuntur. 8

Quando verba sunt dubia, & non constat de intentione proferentium, standum est iudicio fori externi, modò non innitatur falsæ præsumptioni. 9

Sponsaliorum obligatio.

Obligatio ex sponsalibus veris consurgens, est sub mortali. n. 1

Qui ficto animo, & simulato matrimonium promisit, per se loquendo, non obligatur ad nuptias contrahendas: ratione tamen alterius damni quod alter patitur, aut scandali vitandi, teneretur stare promissioni. 2

Qui habuit copulam cum fœmina malæ famæ sub ficta promissione matrimonij, non tenetur eam ducere, sed satisfaciet prætium copulæ soluendo, si consueuerat corpus suum locare. 3

Qui virgini promisit coniugium, & ea spe seu conditione vsuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiamsi fictè promisisset. 4

Excipiuntur aliquot casus, quibus non tenebitur eam ducere, sed sufficiet aliter damnum sarcire. ibid.

Probabilius est, fictum promissorem matrimonij multò dignioris con-

condicionis non teneri defloratam ducere prorsus ignaram excessus illius, sed tantùm restituere instar vi vel fraude deflorantis. 5

Post contractum peractum sponsaliorum, vterque sponsus ex iustitia obligatus est sub mortali ad nuptias contrahendas, etiamsi sponsalia fuerint clandestina. 6

Liberi, qui parentibus inscijs, & inconsultis sponsalia temerè contrahunt contra pietatem, & reuerentiam parentibus debitam peccant; quamuis non teneantur illorum consilium semper sequi. 7

Liberi datam fidem sponsaliorum seruare tenentur, tametsi imparis conditionis sponsis promiserint, inconsultis aut inuitis parentibus; nisi ex tali matrimonio timeatur familiæ dedecus, scandalum, discordiæ. 8

Sponsaliorum dissolutio.

Sponsalia dissoluuntur per matrimonium subsequens validè celebratum cum alia persona. 1

Probabile est dissoluto matrimonio priora sponsalia etiam iurata dissolui, & adimplenda non esse, nisi fortè ratione damni sponsæ antea defloratæ. 2

Probabilius est priora sponsalia non dissolui per secunda iurata, etiam copula subsecuta. 3

Sponsalia puberum mutuo consensu, & mutua remissione libera ipsorum sponsorum dissoluuntur, etiamsi iurata fuerint. 4

Si duo impuberes sponsalia contrahant, neuter potest ante pubertatem resilire pubes tamen factus potest quilibet. ibid.

An sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto resilire, alij negant, alij affirmant probabiliter. ibid.

Sponsalia dissoluuntur per fornicationem sequentem, tam viri, quàm fœminæ, & per lapsum alterius in hæresim, apostasiam, vel infidelitatem, etiamsi iurata sint. 5

Sponsalia soluuntur per morbum quemliber contagiosum superuenientem alteri sponso quæ intelligenda sunt, ex parte illius, qui est innocens. 6

Sponsalia dissoluuntur quoties denuò agnoscitur notabilis morum asperitas, & sæuitia alterius, vel ob graues, & capitales inimicitias inter sponsos ortas. 7

Sponsalia soluuntur per superueniens impedimentum iuris matrimonium dirimens. Item quando superuenit aliquid post sponsalia, quod si superueniret ante, mutaret rationabiliter animos sponsorum ad contrahendum. 8

Sponsalia dissoluuntur per votum simplex religionis & castitatis præcedens: si verò votum castitatis superueniat sponsalibus, probabilibus est illa non dissoluere. 9

Ordines sacri suscepti post sponsalia dissoluunt illa; minores verò minimè. ibid.

Sponsalia soluuntur per ingressum religionis etiam iurata. 10

Sponsalia dissoluuntur si tempore quo fiunt, apponatur etiam dies, & terminus de matrimonio contrahendo; tunc lapsus termini eximit ab obligatione illum per quem non stetit. 11

Sponsalia soluuntur per absentiam alterius in regionem longinquam absque licentia. 12

Sponsalia dissoluuntur cùm superuenit inter sponsos affinitas. 13

Dolus dans causam contractui sponsaliorum, adhibitus ab altero contrahente conscio, & participe doli, ipso iure facit sponsalia irrita. 14

Sponsalia conditionata non sunt valida, nec obligant donec impleatur conditio expressa in contractu sponsaliorum: vnde hac impleta, possunt dissolui. 15

Quando constat de causa sufficiente ad dissoluenda sponsalia, nulla requiritur iudicis auctoritas. 16

In quibus casibus possint sponsalia propria auctoritate dissolui. 17

Iudex coram quo dissoluenda sunt sponsalia, est iudex ecclesiasticus Ordinarius vel delegatus. 18

Sponsalia non possunt absque auctoritate iudicis dissolui, quando dubitatur de sufficientia causæ. 19

Sponsalia de futuro licitè, & validè fieri possunt tempore interdicti, siue in loco interdicto, siue inter personas interdictas. 11

Sponsio.

Sponsio est contractus, in quo duo de veritate vel euentu alicuius rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem fuerit assecutus. 1

Hic contractus ex sua natura licitus est, per accidens tamen potest esse illicitus. ibid.

An iustitiam huius contractus tres conditiones requiruntur. ibidem.

Qui certò nouit rem de qua certatur vel ex scientia, vel ex diuina reuelatione, vel experientia sensuum, non potest iuxta veriorem sententiam sponsionem facere: quamuis contraria non sit improbabilis. 2

Si quis certò rem sciret, & postea incipiat dubitare, potest adhuc spondere. 3

Sponsiones cum conditione illicita, sunt illicitæ, & legibus ciuilibus damnatæ: lucrum tamen acquisitum ex huiusmodi sponsionibus non est ex obligatione restituendum, si pactum sit absque dolo, & fraude. 4

Sponsione facta inter Titium, & Caium, quòd Titius currendo vel saltando vincet Caium, & deinde Caius non vult currere, aut saltare, obligatur Caius soluere quod est in sponsione depositum. 5

Sponsiones super vita, morte vel futura electione Pontificis, & Cardinalium, iure positiuo prohibitæ sunt sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ reseruatæ Pontif. & irritæ redduntur. 6

Sportulæ.

Sportulæ dicuntur quæcumque munera, quæ vel in cibo, vel in pecunia vltra stipendium à litigantibus Iudici dari consueuerunt. 15

Sportulas non potest accipere iudex Ecclesiasticus; tam ordinarius, quàm delegatus habens beneficium cui est adnexa iurisdictio; nisi contrarium legitima consuetudine receptum sit. ibidem.

Iudices sæculares sportulas accipere possunt, iuxta legitimam locorum consuetudinem. ibid.

Clericus iure canonico non tenetur sportulas dare. 2

Spurcitia.

Per spurcitiam peccat, qui vestes valde impudicas gestat, aut alias intentione expressa vel tacita prouocandi ad luxuriam, alium finem mortalem. 8

Spurius.

Spurius appellatur, qui nec naturalis, nec legitimus est, vt natus ex adulterio, incestu, consanguinea, religioso vel clerico in sacris constituto. 1

De alimentis debitis filio spurio, vide v. *Alimenta*.

Spurius, qui natus est ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & natiuitatis erat impedimentum dirimens, non legitimatus, non potest institui hæres à Patre, nec illi potest aliquid relinqui præter alimenta. 10. & 11.

Spurio vxoris potest maritus aliquid tamquam extraneo relinquere. 10

Spurius legitimatus potest hæres institui, siue factus sit legitimus per matrimonium subsequens, siue per priuilegium. ibid.

Sterilitas.

Quando sterilitas anni est tanta; vt conductor nihil ex re conducta perceperit, locator rei fructiferæ tenetur totam pensionem remittere, nisi aliter conuentum sit. 1

Si sterilitas vel calamitas non sit tanta, vt nihil percipiatur, tamen reuera est magna, facienda est remissio pensionis pro rata. ibidem.

Quando præsens sterilitas præcedentium annorum fertilitate compensatur, non tenetur locator quidquam remittere. ib.

Sterilitas fœminæ non obest valori matrimonij. 84

Stipes.

Stipes est persona illa à qua omnes personæ de quarum coniunctione tractatur, descendunt, & originem ducunt. 18

Stipulatio.

Quiuis priuatus potest stipulari, & acquirere Eccles. pijsve locis. 13

Vt is qui præsens est possit pro absente stipulari, requiritur vt verba obligationis dirigantur expressè vel implicitè ad præsentem. ibid.

Stipendium.

De stipendio Aduocati vide v. *Aduocatus* n. 7. 8. 9.

De stipendio famuli vide v. *Famulus*.

De stipendio sacerdotis celebrantis vide v. *Missa III.* n. 9. 10. & *Missa VII.*

De stipendio Iudicis vide v. *Iudicium publicum* n. 14.

De stipendio Tutoris vide v. *Tutela*.

De stipendio Notarij vide v. *Notarius*.

De stipendio militis vide v. *Bellum*.

Stuprum.

Stuprum generatim significat omnem concubitum legibus vetitum: strictè verò capitur pro virginis defloratione. 1

Probabilius est, non dari speciem stupri absque raptu, atque ita vio-

violationem virgini ſponte conſentientis, quamuis ſub cura paterna, non differre à ſimplici fornicatione. ibid.
Stuprator, qui per vim aut fraudem aut metum, aut mendacia copulam à virgine extorſit, abſque etiam promiſſione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium vel commodè dotare, vel curare vt æquè bene nubat, ac ſi virgo eſſet. 2
Stuprator ad nullam tenetur reſtitutionem, ſi puella liberè conſenſit, modò non manifeſtauerit copulam occultam. ibid.
Probabilius eſt, illum, qui precibus importunis, vel muneribus, vel ſuaſionibus ac blanditijs aſſiduis copulam à virgine extorſit, non teneri ad reſtitutionem, niſi coniunctæ fuerint minæ, aut metus reuerentialis. 3
Stuprator non tenetur ad aliquam reſtitutionem faciendam patri ſub cuius cura eſt ipſa puella, quæ defloratа, fuit conſentiens & non inuita. 4
Probabilius eſt delectationes moroſas in puella virgine circa adoleſcentem, & è contra non habere ſpecialem malitiam in confeſſione aperiendam. 5
Quando in ſtupro de conſenſu puellæ commiſſo adeſt alia malitia mortalis, vt contra charitatem proximi, & pietatem debitam parentibus, inimicitiæ, cædes, &c. tenetur pœnitens hanc circumſtantiam explicare. ibid.
Fœmina, quæ violenter à viro aliquo cognoſcitur, non peccat, ſi eiuſmodi copulæ non conſentiat, & impediat quantùm in ſe eſt, talem violentum effectum cum conatu, & riſu corporis. 5

Subditus.

Nomine ſubditorum cum quibus diſpenſare poteſt Epiſcopus in votis, veniunt 1. illi, qui habent domicilium in diœceſi. 2. illi, qui licet non habeant in diœceſi domicilium, inceperunt tamen habitare cum intentione ibi manendi maiore anni parte. 3. vagi. *Subiectum.* 4
De ſubiecto peccati vide *Peccatum V.*
De ſubiecto Ordinis vide v. *Ordo III.* n. 5.
De ſubiecto Irregularitatis vide v. *Irregularitas* 1. n. 5.
De ſubiecto Extremæ-vnctionis vide *Extrema-vnctio II.*
De ſubiecto Confirmationis vide v. *Confirmatio.*
De ſubiecto Baptiſmi vide *Baptiſmus III.*
De ſubiecto Excommunicationis vide v. *Excommunicatio II.*
De ſubiecto interdicti vide v. *Interdictum IV.*
De ſubiecto ſuſpenſionis vide v. *Suſpenſio II.*

Subornatio.

Subornatio eſt ſuaſio, qua ſuadetur verum vel falſum in bonum vel malum finem, hinc ſubornatio alia eſt bona, alia mala. 14
Verius eſt ſubornationem etiam bonam eſſe prohibitam. ibid.
Contra ſubornantes in electionibus regulatium emanarunt à ſede Apoſtolica variæ bullæ, pro ſingulis ferè ordinibus. ibid.
Non committitur ſimonia tradendo pecuniam ſubornanti, qui pecunia vel importunis precibus corrumpit electores, ne meipſum eligant. 6
In electione non licet vti ſubornatione contra ſubornationē. 14

Subreptio.

Subreptio in reſcriptis contingit, quoties malè impetratur, ſiue tacita veritate neceſſariò explicanda, ſiue falſum ad rem conferens in precibus narrando. 2

Subſtitutio.

Subſtitutio eſt vocatio vnius aut plurium ad hæreditatem in locum alterius vel aliorum: & fit ſex modis. 1
Subſtitutio vulgaris eſt, qua quiuis iure non prohibitus, poteſt ſubſtitui à quouis teſtatore. 2
Subſtitutio pupillaris eſt, qua quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit. 3
Subſtitutio exemplaris eſt, cùm filio amenti, vel ſurdo ſimul, & muto vel prodigo fit ſubſtitutio. 4
Subſtitutio fidei commiſſaria eſt, qua hæres grauatur, vt totam hæreditatem, vel partem eiùs aliquotam alteri reſtituat. 5
Subſtitutio reciproca eſt ea, qua inſtituti ſibi inuicem ſubſtituuntur. 6
Subſtitutio compendioſa eſt, quæ plures continet ſubſtitutiones. 7

Suffragium.

Suffragium de ſui ratione importat quandam auxiliationem, quæ fit alteri. 1
Suffragia alia ſunt ſatisfactoria ex opere operato, alia ex opere operantis. ibid.
De fide eſt, fideles, dum in hac vita degunt, poſſe ſe inuicem iuuare ſuffragijs, imò & defunctos. ibid.
Prælati religionum poſſunt cuicumque voluerint ſubditorum merita, & orationes, oblationes, aliaque opera meritoria applicare, antequam conſtituantur in vniuerſali theſauro Eccleſiæ. ibid.
Huiuſmodi participationes iuuant ijs quibus conceduntur, non ſolùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter. ibid.
Probabilius eſt, non poſſe prælatos ſatisfactiones ſubditorum aliis applicare, ſi ipſi reſiſtant, aut nolint, vel ſi ipſi ſubditi illis indigeant. ibid.
Suffragium ſiue opus bonum, ſi conſideretur vt ſatisfactorium, non prodeſt facienti, quoties alteri aplicatur: Si verò opus conſideretur vt meritorium, prodeſt ipſi applicanti ad meritum vitæ æternæ. 2
Probabilius eſt ſatisfactionem non habere effectum infallibilem in eo cui applicatur. 2
Multa requiruntur, vt ſuffragium alteri proſit. 3
Opus ſatisfactorium ex opere operato prodeſt alijs, etiamſi offerens ſit improbus, & non exiſtat in gratia. 4
Conditiones requiſitæ in eo, cui ſuffragium offertur ſunt, 1. indigentia. 2. vt ſit in gratia. 3. vt peccata pro quibus exhibetur ſatisfactio, iam ſint delcta quoad culpam. 5
Religioſi negantes ſuffragium nouitio idoneo peccant mortaliter contra charitatem. 3

Superbia.

Superbia propriè ſumitur, vt eſt immodica propriæ excellentiæ cupido in honoribus, ſiue ijs in rebus, quibus honor & reuerentia deberur. 1
Superbiæ obiectum adæquatum eſt excellentia in genere, vt extendit ſe ad excellentiam abſolutam & relatiuam, ab vtraque tamen per ſe abſtrahens. 2
Quatuor à *D. Gregorio* aſſignantur ſpecies ſuperbiæ. ibid.
Superbia ex genere ſuo & in gradu completo eſt peccatum mortale grauiſſimum peccatorum, incompleta autem ſuperbia eſt tantùm peccatum veniale. 3

Superſtitio.

Superſtitio eſt vitium religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum, id eſt, quando quis exhibet cultum diuinum, cui non debet, vel eo modo quo non debet. 1
Superſtitio alia eſt cultus indebiti ſeu incongrui, alia, ratione rei cultæ. 2
Superſtitio cultus indebiti, quædam eſt cultus falſi ſeu pernicioſi, alia eſt cultus ſuperflui. ibid.
Superſtitio ratione rei cultæ diuiditur in alias ſpecies; videlicet, idololatriam, diuinationem, vanam obſeruantiam, magiam & maleficium. 3
Superſtitio quæ dicitur cultus falſus, eſt mortale peccatum ex ſuo genere; ſuperſtitio autem cultus ſuperflui, non eſt mortale peccatum, ſed tantùm veniale. 4
De ſuperſtitione vide *Aſtrologia* num. 3. *Diuinatio. Obſeruatio vana. Magia.*
Surdus *vide* Mutus *ſupra.*

Suſpenſio. Quid & quotuplex.

Suſpenſio eſt eccleſiaſtica cenſura priuans clericum vſu eccleſiaſtici officij aut beneficij, vel ordinis in totum, vel in partem, in perpetuum vel ad tempus. 1
Suſpenſio, alia eſt ab officio tantùm; alia à beneficio tantùm; alia eſt ab officio & beneficio ſimul. Alia eſt pœnalis alia medicinalis. Alia eſt à iure, alia ab homine. 2
In quibus differat ſuſpenſio à cæteris cenſuris. 3

Suſpenſio. Quoad eius cauſas & effectus.

Poteſtas ferendi ſuſpenſionem eſt à Chriſto, inſtitutio verò ab Eccleſia. 1
Is poteſt ſuſpendere, qui poteſt excommunicare. ibid.
Cauſa ſubiectiua ſeu materialis remota ſuſpenſionis eſt clericus quicumque, excepto ſummo Pontifice. Non laicus, neque fœmina. 2
Incautè agunt plures confeſſarij, dum laicos & fœminas etiam abſoluunt à ſuſpenſione. ibid.
Suſpenſionem generaliter à iure latam non incurrunt Epiſcopi, niſi fiat ſpecialis, de ipſis mentio. ibid.
Communitas & quælibet humana congregatio ſuſpendi poteſt. ibidem.
Cauſa materialis proxima eſt peccatum; & quidem ſi grauis ſit ſuſpenſio, requirit peccatum mortale; ſi leuis poteſt ferri pro culpa veniali. 3
Forma ſuſpenſionis non eſt determinata in iure. 4
Suſpenſio ab homine ob contumaciam, requirit antequam feratur præuiam admonitionem: ſi in pœnam delicti minimè. ib.
Finis ſuſpenſionis eſt animarum vtilitas. 5
Effectus ſuſpenſionis ſunt, 1. ſuſpenſus peccat mortaliter ex ſuo genere

genere exercendo actum, à quo est suspensus. 2. suspensus ab ordine incurrit irregularitatem exercendo solemniter actum ordinis sacri. 6
Tertius effectus suspensionis est, quod suspensus priuatur communione illorum in eo, in quo est suspensus. 7
Acta iurisdictionis propriæ per suspensum à iurisdictione seu ab officio, inualida sunt, si suspensus sit denunciatus; aliàs valida sunt. 8
Suspensio absolutè lata absque limitatione expressa vel tacita, suspendit ab omnibus, id est, ab officio, & beneficio; secus si suspensio lata sit cu expressione alicuius effectus particularis. 9
Suspensus ab ordine, non ob id suspensus est à iurisdictione, nec è contra. 10
Suspensus à Pontificalibus tantùm, suspenditur solùm ab exercitio eorum, quæ concernunt vsum ordinis Episcopalis, non tamen ab his quæ iurisdictionis sunt. ibid.
Suspensus à minori ordine suspenditur etiam à maiori: suspensus à superiori, non censetur suspensus ab inferiori. ibid.
Suspensus ab ordine, est etiam suspensus ab ijs actibus iurisdictionis, qui sunt fundati in ordine. 11
Verius est, suspensum ab officio prædicandi non incurrere irregularitatem, etiamsi concionetur cum solemnitate. ibid.
Suspensus simpliciter ab officio, intelligitur suspensus ab ordine & iurisdictione. 12
Suspensus ab officio simpliciter, non est suspensus à beneficio: taliter tamen suspensus debet per alium supplere onera sui beneficij. 13
Suspensio ab ingressu Ecclesiæ priuat actu solemni cuiuscumque ordinis ex officio intra Ecclesiam: priuatque sepultura Ecclesiastica, si impœnitens decesserit. 14
Suspensio ab administratione Ecclesiæ in temporalibus & spiritualibus, prohibet administrationem temporalem & spiritualem, non verò suspendit ab ordine. 15
Suspensio à diuinis officijs prohibet ne clerici possint recitare in choro psalmos, interesse illis, tamquam clerici. 16
Suspensio a beneficio simpliciter, est priuatio vsus iuris ad recipiendum temporale emoluuentum fructuum beneficij. 17
Nemo tenetur ex vi præcepti Ecclesiastici vitare suspensum aut non communicare aut loqui cum ipso. 18
Suspensi ab officio admittendi ad professionem, irregularitatem non incurrunt, si aliquem ad professionem admittant. 19

Suspensio. Quoad illius durationem & absolutionem.

Suspensio lata simpliciter absque conditione & limitatione temporis, durat donec auferatur per absolutionem: lata verò cum temporis determinatione, eo elapso cessat. 1
Suspensio ab officio simpliciter lata absque loci determinatione, valet pro omni loco; sicut & suspensio à beneficio. 2
Suspensio lata in puram pœnam tollitur, vel per temporis lapsum; vel per dispensationem superioris; vel per absolutionem. 3
Quamuis probabile sit suspensionem latam cum conditione *donec satisfeceris*, cessare exhibita satisfactione, tutius tamen est contrarium. ibid.
Absolutio suspensionis ab homine pertinet ad eum, qui tulit sententiam, vel ad eius successorem, vel ad superiorem. 4
A suspensione in pœnam possunt absoluere priuilegiati mendicantes. ibid.
Quando suspensio est lata ad certum tempus vel in perpetuum, potest tantùm auferri ab auctore Canonis, ex potestate ordinaria. ibid.
Suspensio lata ob contumaciam & ob perseuerantiam in illa, non potest tolli nisi ab auctore illius, vel superiore, vel successore, antequam tollatur contumacia. 5
A suspensione reseruata lata à iure, tantùm poterit illam tollere eius auctor: & si sit reseruata Papæ & delictum occultum, tollere potest Episcopus. ibid.
A suspensione non reseruata absoluit quilibet Ordinarius; non verò Parochus, nec simplex sacerdos. 5
Forma absolutionis à suspensione non est determinata in iure. 6
In articulo mortis, iuxta quorumdam sententiam, potest quilibet sacerdos absoluere suspensum non solum à suspensione à sacramentorum receptione & ecclesiastica sepultura, sed etiam a suspensione ab ordine officio vel beneficio: licet alij meritò hoc postremum non concedant. 7
Suspensiones quæ ipso iure contrahuntur contra clericos, Episcopos, Capitula, & religiosos. 7

Suspicio.

Suspicio est opinio mali orta ex leuibus indicijs & cum formidine opposita: differt à iudicio temerario. 1
Suspicionum iudicium rationis erit, si ex leuibus coniecturis inclinetur paululum in alteram partem, ità tamen vt ab altera parte violentiùs retrahatur. 5
Propter solam criminis suspicionem violentam, non autem probabilem, aut temerariam, potest alicui denegari Eucharistiæ sacramentum, etiam publicè si suspicio publica sit. 12

Sufurratio.

Sufurratio est occulta oblocutio contra proximum, quâ possit dissolui amicitia & oriri discordia inter amicos. 1
Sufurratio formalis ex suo genere peccatum est mortale contra iustitiam grauius detractione & contumelia. 2
Sufurratio materialis ex genere suo non est peccatum mortale sed aliquando erit veniale, aliquando mortale. ibid.
Sufurratio aliquando potest excusari à mortali ratione indeliberationis & inaduertentiæ: imò licita est ad dissoluendam amicitiam perniciosam. 3
Non licet medijs illicitis ob propriam vilitatem per sussurrationem alium excludere ab amicitia, & gratia. 4
Omnes sufurrationes sunt eiusdem speciei: quamuis possint tales circumstantiæ sufurrationi accidere vt trahatur in diuersam speciem necessariò in confessione exprimendam. 5

Synderesis.

Synderesis nihil aliud est, quam habitualis cognitio generalissimorum principiorum practicorum seu moralium & differt à conscientia. 2

T.

Taciturnitas.

Taciturnitas non sufficit ad exprimendum regulariter consensum matrimonialem. 10
Taciturnitatem aliquando accipit ius pro expressione consensus in matrimonium, vt quando quis promittit fœminæ, quæ tacet coram patre, vel matre, vel alio ipsius curam gerente, & pater, vel mater, vel ipsius curam gerens pro ea repromittit. ibidem.
Taciturnitas superioris videntis religiosum aliquid accipere vel expendere & non contradicentis, sufficiens est ad liberandum religiosum à culpa proprietatis, si taciturnitas illa non sit pura permissio, sed approbatio quædam seu tacitus consensus. 2

Tactus.

Tactus fieri possunt, vel in signum amicitiæ & iuxta consuetudinem patriæ, vel causa delectationis concubitus, vel causa delectationis ipsius tactus secundùm se considerati, vt est delectabilis carni. 2
Plura de tactibus vide v. *Impudicitia*. ibid.

Tentatio Dei.

Tentatio Dei est actus contra religionem, quo quis absque iusta causa aliquid dicit vel facit ad capiendum experimentum de diuina perfectione. 1
Tentatio Dei, vna est expressa, altera tacita seu interpretatiua. 2
Tentatio Dei regulariter loquendo est peccatum mortale, si fiat absque iusta causa; potest tamen esse veniale ratione inconsiderationis & paruitatis materiæ. 3
Iusta causa Deum tentandi expressè pro aliis est necessitas, & vtilitas: hoc tamen non nisi valde cautè est faciendum. 4
In confessione exprimendum est, an tentatio Dei fuerit tacita, vel expressa. 5

Territorium.

Statutum ex propria natura territorium afficit legislatoris, & intra eius limites se continet, vnde extra illud impunè ei non paretur. 20

Tertiarij. Tertiariæ.

Tertiarij & Tertiariæ Ordinis S.P. Francisci viuentes in congregatione & collegialiter, gaudent priuilegijs Mendicantium, in quantum eorum capacitas permittit. 7
Moniales tertij Ordinis S. P. Francisci, quæ post *Pium V.* se subtraxerunt ab obedientia Fratrum Minorum & se Ordinarijs subdiderunt, gaudent adhuc priuilegijs Mendicantium. ibidem.
Tertiarij S.P. Francisci, promittentes seruare mandata Dei, non peccant particulari circumstantia voti in confessione explicanda, si violent aliquod præceptum Decalogi; modò profitentes maiorem sibi obligationem imponere specialiter non intendant. 11
Per vota simplicia, quæ emittunt Tertiarij & Tertiariæ *SS. Dominici, Francisci, & Augustini* non collegialiter viuentes, sed in suis domibus, non dirimitur matrimonium ratum: secus si col-

collegial iter viuant sub regimine Prælati, & voueant vota solemnia. 4
Contra tertiarios Ordinis Minorum conuentualium in regno Siciliæ degentes habitum eiusdem panni & coloris, quo ipsi Fratres Capucini vtuntur gestantes est excommunicatio lata. 4
Contra tertiarios eremitas &c. portantes habitum Minimorum lata est excommunicatio Papæ reseruata. 63

Testamentum.

Testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod post mortem suam fieri vult, cũ directa hæredis institutione. 1
Testamentum differt à Codicillo in duobus. ibid.
Testamentum, vnum dicitur in scriptis seu clausum; alterum dicitur nuncupatiuum seu apertum sine scriptura. 2
Ad testamentum in scriptis seu clausum requiruntur quinque. ibidem.
Ad testamentum nuncupatiuum seu apertum duo requiruntur. ibidem.
Ad testamentum militare factum in tentorijs, requiruntur & sufficiunt duo testes rogati: si autem factum sit in conflictu hostium, nulla iuris solemnitas requiritur. 3
Vt testamentum ad pias causas sit validum pro foro externo sufficiunt duo testes; pro foro autem conscientiæ non sunt necessarij testes. 4
Testamentum absque solemnitate iuris, in quo causa pia non est hæres instituta, valet quoad legata pia in ipso contenta: imò probabile est testamentum ad pias causas valere etiam quoad legata prophana, si desit iuris solemnitas. ibid.
Varijs modis relicta ad pias causas dicuntur. ibid.
Testamentum ad causam non piam sine solemnitatibus iuris in foro conscientiæ validum est, non in exteriore. 5
Testari potest quilibet, nisi iure prohibeatur, modò sufficientem rationis vsum habeat & liberam bonorum administrationẽ. 6
Illi non possunt testari, qui vel sufficienti rationis vsu carent, vel iuris dispositione prohibentur: & qui sint illi? ibid.
Religiosi cum licentia superioris possunt aliquid donare, tempore mortis etiam per schedulam scriptam. ibid.
Religiosus professus non potest mutare testamentum suum tamquam dominus sed tamquam optimus interpres suæ voluntatis. ibid.
Omnes lege non prohibiti instituí possunt hæredes & legatarij. 7
Qui sunt intestabiles actiuè propter delictum, sunt etiam intestabiles passiuè id est non possunt capere ex testamento. ibid.
Fratres Minores de Obseruantia & capucini non possunt instituí hæredes: potest tamen in eorum fauorem hæreditas relinqui seu legatum, vt vendatur per alios & fratribus pretium tradatur. ibid.
Hæredes possunt instituí non solum priuati, sed etiam communitates, vt ecclesia, ciuitas, oppidum, collegium &c. non autem ciuitas hostium aut communitas ludæorum. 8
Filij natura es possunt instituí hæredes vniuersales à parentibus, si non habeant prolem legitimam. 9
Ab intestato naturalis non succedit, nisi in sexta parte bonorum: Matri autem carenti prole legitima etiam intestatæ, naturalis succedit ex asse. ibid.
Spurij non possunt aliquid accipere à patre, siue ex testamento, siue ab intestato, siue ex contractu inter viuos; debentur tamen spurijs alimenta: si tamen legitimentur possunt hæredes instituí. 10
Filia non potest exhæredari, eò quòd matrimonium contraxerit inuito patre vel cum indigno: si verò filia turpem vitam agat priuari potest hæreditate. 11
Pater potest vni filio plus relinquere quàm alteri, ex iusta causa & secluso scandalo; modò reliqui filij non priuentur legitima portione. 12
Executores vltimarum voluntatum possunt instituí omnes, qui de iure non prohibentur: vnde Episcopi, vel clerici, seu sacerdotes sæculares, fœminæ possunt iuici pere executionem testamenti. 13
Religiosus claustralis non potest esse executor testamenti, nisi cum licentia Prælati: si autem extra claustra perpetuò degat licitè, non indiget Prælati licentia, vt sit executor. ibid.
Religiosi claustrales testamenti executores, rationem debent reddere locorum ordinarijs, etiamsi ab illorum iurisdictione sint exempti. ibid.
Fratribus minoribus de Obseruantia & Capucinis munus executoris testamentarij omninò in iure prohibitum est, neque prælatus in hoc dispensare potest. ibid.
Electio pauperum, in quos eleemosyna ab executore distribuenda est, potest Fratribus Minoribus committi à testatore, modò ipsimet Fratres in pauperes non distribuant. 14
Electio & nominatio ipsorum executorum testamenti, cum licentia prælati, Fratribus Minoribus committi potest: imò constitui possunt ijdem Fratres & alij religiosi commissarij ad faciendum testamentum nomine committentis. ibid
Qui testamentum, codicillum, aliudve instrumentum vel scripturam immutat, supprimit, falsi crimen committit. 2
Probabile est integrum esse Episcopis regularib. testari de bonis patrimonialibus, aut propria industria acquisitis, eo modo quo id fas est Episcopis sæcularibus. 8

Testis.

Omnes habentes vsum rationis, testes esse possunt, si iure non sint prohibiti. 1
Septem genera personarum iure prohibentur testimonium ferra. ibid.
Testes minùs idonei admittuntur tamquam idonei, quando delictum eo tempore vel loco patratum est, vt alij testes haberi non possint. ibid.
Quamuis testis minus idoneus non probet semiplenè, facit tamen indicium, quod cum alijs coniunctum sufficit ad torturam. ibid.
Testificari non potest filius contra patrem in criminalibus; nisi in crimine læsæ maiestatis humanæ & diuinæ. 2
Testes priuilegiati de iure non tenentur ex vi monitorij reuelare crimen sui coniuncti, etiamsi non sint alij testes. ibid.
Filia iure diuino & naturali communis tuendæ religionis, tenetur matrem suam fagam ac veneficam ad iudicem deferre. ibidem.
Testes duo sufficiunt & requiruntur in criminalibus vt aliquis condemnetur. 3
Vt testes duo plenè probare dicantur præter accusatorem, quatuor exiguntur. 4
Quando testes actoris & rei discordes sunt in pertinentibus ad substantiam facti, iudicandum est pro reo. 5
In quibus casibus testis legitimè & iuridicè interrogatus à iudice teneatur respondere & veritatẽ aperire posito eius præcepto. 6
Testis in multis casibus non tenetur veritatem fateri. 7
Testis in casibus non tenetur reuelare iniuratus, non tenetur etiam iuratus, modò iuramentum suum conuenienti modò intelexerit. ibid.
Testis tenetur testificari & se offerre ad testimonium in ciuilibus quando proximus graue damnum iniustè alioquin pateretur, modò speret se profuturum suo testimonio. 8
Quando testimonium alicuius est necessarium ad liberandum reum ab iniusta morte vel graui malo, tenetur testis non vocatus se offerre: ad condemnandum autem reum non tenetur nisi in crimine læsæ maiestatis diuinæ vel humanæ. ibid.
Testis, qui falsum testificatur, peccat tantùm venialiter, quando iudex iuridicè non procedit, modò absit iuramentum: quando autem iudex iuridicè procedit, peccat mortaliter: nisi ex paruitate materiæ excusetur. 9
Testis falsum deponens ex ignorantia vel inaduertentia vel oblitione non mortifera, ratione cuius contingit aliquem damnari, non tenetur ad restitutionem: si autem sciens vel ex ignorantia crassa, tenetur, & ad retractationem. 10
Probabile est, testem non teneri ad restitutionem, si citatus à iudice fugiat vel se occultet, vel aliqua arte iudicis interrogationem eludat. 11
Qui falsum testimonium profert, falsum testem in iudicium producit, aut qui iudicem corrumpit, aut qui existens aduocatus parti aduersatiæ causam prodit, falsi crimen committit. 2
Testes examinari non possunt in die festo, nisi legitima consuetudo esset in contrarium, vel causa pacis, vel alia necessitas id exigat. 20
Testis ferens testimonium in causa sanguinis irregularis est, secuta morte vel mutilatione. 13
Clericus in fauorem rei potest testari de licentia Episcopi vel eius vicarij; nec fit irregularis etiamsi exinde sequatur mors accusatoris. ibid.
Probabilius est, testem & reum non teneri veritatem fateri quando dubitant se iuridicè interrogari. 2
Testes duo vel tres cùm parocho requirantur ad valorem matrimonij quando illud contrahitur: & hi possunt esse fœminæ, consanguinei, pater vel mater familiares, infideles, excommunicati, & quæcumq; personæ, modò doli capaces sint. 12
Quot testes requirantur ad testamentum vide *Testamentum* n. 2. & seq.

Teſtimonium morum.

Teſtimonium morum requiritur in ordinando, quod ſolet exhiberi tempore ſcrutinij antequam promoueatur. 7

Titulus.

Quando dominium transferendum eſt ab vno ad alium, requiritur titulus & traditio: eſt autem titulus id, in quo totum ius primitus fundatur, vt emptio, donatio &c. 18

Titulus coloratus cum errore communi coniunctus in parocho nominatim denunciato excommunicato, efficit vt abſolutio ab eo collata ſit valida. 15

Qui titulo colorato & communi errore putatur iudex, cùm tamen veros non ſit, iufficientem poteſtatem & iuriſdictionem dicitur habere, modò non adſit impedimentum iuris diuini vel naturalis. 1

Titulus coloratus vel putatiuus dicitur, quando ſuperior legitimus confert alicui dignitatem vel beneficium, ſed collatio eſt inualida ob aliquod occultum impedimentum: vel quando poſt collationem validam, quis committit delictum, ratione cuius ipſo iure priuatus eſt beneficio, vel quando ſuperior occultè reuocat dignitatem, vel beneficium, vel facultatem. 9

Geſta per intruſum, qui non habet titulum verum vel coloratum non ſunt valida in vtroque foro. 10

Titulus vel beneficij, vel patrimonij, vel paupertatis requiritur ad ordines ſacros recipiendos. 7

Sine titulo vel patrimonio ordinatus pœnam ſuſpenſionis non incurrit, vt habet probabilior ſententia. 8

Qui ſint tituli excuſantes à labe ſimoniæ, vide v. *Simonia V.*

Theſaurus.

Theſaurus, hoc eſt, vetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria vt iam dominum non habeat, iure naturali & gentium, tranſit in dominium inuentoris occupantis: Iure autem communi, totus eſt inuentoris, ſi in proprio fundo inuentus fuerit; ſi in alieno fortuito inuentus ſit, dimidium erit inuentoris, & dimidium domini fundi. 11

Theſaurus proprie non eſt ſi quis aurum in terræ ſuperficie, vel in angulo domus reperiat, quamuis dudum ibi poſitum videatur. Item, ſi quis alteri veſtem vendat, in qua aurum repoſitum latuit. Item ſi incolæ metu belli defodientes pecuniam, vel ſimilia, ea deſerant. 11

Tonſura.

Tonſura, ſecundùm probabiliorem ſententiam, non eſt ordo, ſed medium quoddam inter ordines. 2. & 3

Probabilius eſt, irregularitatem impedire ſuſceptionem primæ tonſuræ. 2

Tonſuram & habitum clericalem geſtare tenetur clericus in ſacris conſtituturus vel beneficiarius, ſub mortali; niſi neceſſitas tuendi vitam, honorem aut diuitias proprias vel proximi excuſet. 12

Abſque tonſura frequenter ſine rationabili cauſa celebrare etiam ſine contemptu, à peccato mortali non excuſatur: idem dicendum ſi ſine habitu clericali. 5

Prima tonſura requiritur, vt quis ſit capax beneficij; quæ debet conferri à proprio Epiſcopo. 2

Tortura.

Tortura reo adhiberi poteſt in criminibus grauioribus ad probationis ſubſidium, quæ pœnam corporalem vel triremium merentur, autem in iis, quæ pœnam pecuniariam, exilij &c. 10

Ad torturam rei indicia ſufficientia numerantur, vnus teſtis omni exceptione maior, confeſſio rei extra iudicium, fama publica cum alterius indicij adminiculo. 11

Tortus ſemel reus iterum torquendus non eſt, niſi indicia antea habita grauiſſima ſint, & vehementem pariant præſumptionem patrati criminis. ibid.

Torqueri non debent impuberes; ſenes decrepiti; mulier prægnans, & vir nobilis. 12

Torus legitimus.

Torus legitimus requiritur, vt quis idoneus cenſeatur ad beneficium Eccleſiaſticum. 1

Vide ſupra v. *Legitimus, Illegitimus.*

Tabacum.

Per tabachi ſumptionem ſoluitur ieiunium naturale, ſi os intret & deglutiatur, aliàs non. 41

Tranſactio.

Tranſactio eſt de re dubia & lite incerta, necdum finita, non gratuita pactio, ſed aliquo dato, vel retento, vel promiſſo. 1

Tranſactio eſt contractus innominatus, facio vt facias, vel do vt facias. 2

Tranſactio de re dubia valida eſt, tam in foro conſcientiæ quam externo; & ad iuſtitiam eius requiritur, vt inter tranſigentes æqualitas ſeruetur. 3

Qui non poteſt alienare bona aliqua, nec etiam poteſt tranſigere circa illa aut compromittere. 4

Tranſactio ſuper alimentis, ſi relicta ſint ex vltima voluntate & præſtanda ſint in futurum, abſque iudicis auctoritate inualida eſt, niſi iuramento firmetur. 5

Tranſactio pro iniuria adulterij iure eſt interdicta: Si tamen maritus occultè tranſigeret cum adultero ſine ſcandalo, non videretur peccare, nec ad reſtitutionem teneri poſt commiſſum adulterium. 6

Orta lite de Eccleſiaſtico beneficio; tranſactio ſimoniaca eſt, in qua ex vna parte beneficium Eccleſiaſticum, ex altera verò parte res temporalis datur, remittitur, retinetur. 12

Omnis, qui tranſigere poteſt, etiam in arbitrium valet compromittere; circa res tamen ſpirituales inualida eſt tranſactio. 5

Tranſcribere.

Tranſcribere, ſecundùm probabiliorem ſententiam, non eſt opus ſeruile, nec prohibitum in die feſto. 8

De tranſitu ab vna religione in aliam vide *Religio V.*

Tributum.

Tributum eſt penſio, quæ ſubditis ſoluenda imponitur, iuxta cuiuſque facultates præſertim prædiales, ad Principis dignitatem vel communia impendia ſuſtinenda. 1

Plura de tributo vide v. *Gabella.*

Trinitas Sanctiſſima.

Trinitas ſanctiſſima & ſingulæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, cultu latriæ adoranda eſt. 4

Probabilius eſt, ad eſſentiam & valorem baptiſmi, exprimendas eſſe tres perſonas SS. Trinitatis. 15

Trinitatis myſterium poſt Chriſti aduentum, & poſt ſufficientem Euangelij promulgationem, ad gratiam & gloriam, neceſſe eſt explicitè credere. 7

Tumor mentis.

Tumor mentis eſt filia iræ, cùm ſcilicet iraſcens ſeipſum extollit, & alteri præfert. 3

Tunſio pectoris.

Tunſio pectoris & confeſſio generalis faciunt ad remiſſionem peccatorum venialium. 7

Turpiloquium.

Turpiloquium, id eſt, verba turpia proferre, ſcribere, vel audire, non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens, ac proinde huius honeſtas vel malitia pendet ex circumſtantijs adhibitis ac fine proferentis, ſcribentis, vel audientis. 18

Tutela.

Tutela eſt ius & poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſuam ſponte ſe tueri nequit, à iure ciuili data ac permiſſa. 1

Tutor dicitur qui pupillum aut pupillam morte patris vel emancipatione ſui iuris factum vel factam tuetur. ibid.

Tutela, alia dicitur teſtamentaria, alia legitima; alia datiua. 2

Tutela durat vſque ad 14. annum completum in mare & 12. in fœmina deinde incipit cura vſque ad 25. completum in vtroque. ibid.

Tutor poteſt inſtitui ille, qui alterius curam ſuſcipere poteſt, & à iure non prohibetur. 3

Tutores eſſe non poſſunt, impubes, minor, furioſus, mente captus, prodigus, mutus, ſurdus, ſeruus, fœmina, religioſus, creditor, vel debitor pupilli. 3

Tutelam filiorum ſuſcipere poſſunt mater & auia, ſi velint: ſi tamen mater & auia tranſeant ad ſecundas nuptias, contracto matrimonio tutelam ipſo iure amittunt. ibid.

Ad ſuſcipiendam tutelam non poſſunt clerici cogi. ibid.

Tutor tenetur ex eadem culpa, quà negotiorum geſtor, nempe ex dolo, culpa lata & leui. 4

Tutori vel curatori ſalarium à principio eſt conſtituendum, alioquin non debetur, niſi iuſta cauſa interueniat. ibid.

Tutor tenetur pupillos intactos conſeruare à criminibus & illos bonis moribus imbuere: item præſeruare res eorum ab iniuria item mobilia bona eorum conuertere in prædia, ex quibus percipiant fructum. 5

Quando ad ſoluendum æs alienum vendenda eſſent aliqua pupilli bona, tutor debet primò alienare res inutiles, deinde minùs vtiles, vltimo loco bona ſtabilia. 6

Tutor & curator tenentur quàmprimum poterunt facere inuentarium coram notario de rebus pupilli vel minoris, niſi cauſa ne-

necessaria vel iustissima impediantur, vel in contrarium esset consuetudo, vel iudex ex causa remitteret. 7
Tutor pro pupillo, curator pro minore, potest promissionem lucratiuam vel donationem absenti factam acceptare. 13
De Tutore plura vide supra verb. *Curator. Minor. Pupillus. Pubes. Puer.*

Typographus.

Probabilius est non licere typographis in die festo characteres ordinare. 8
Apud typographos non excusantur à ieiunio typos colligentes, versantes autem prælum excusantur. 8

Tyrannus.

Tyrannus solo regimine & administratione non potest licitè à priuato interfici: tyrannus autem ratione tituli, nempe, si absque vllo iure armis principatum inuadat & occupet; potest à quouis de regno interfici, positis quibusdam conditionibus. 5

V.

Vagus.

Vagus dicitur, qui nullibi certam ac constantem sedem ac domicilium habet, vel qui priſtinum domicilium omninò deserens nauigat, vel iter facit, quærens vbi se collocet. 15
Vagorum proprius sacerdos est parochus loci, in quo pro tempore reperiuntur. ibid.
Probabilius est, vagos teneri ad leges & consuetudines locorum, in quibus etiam obiter reperiuntur. 7
Vagi non incidunt in casus Episcopo reseruatos, quia parochiani non sunt: bene tamen in reseruatos Pontifici. ibid.
Vagi possunt tempore Paschatis sanctam Eucharistiam sumere in ecclesijs regularium. 11
Vagorum matrimonio potest quilibet parochus validè intereſſe, sicut quilibet potest illorum confessiones audire & Sacramenta administrare: priùs tamen obtenta licentia ab Ordinario, vt vult Tridentinum. 2

Vana gloria.

Vana gloria est appetitus inordinatus gloriæ, circa opera à se facta, vt ab hominibus laudetur: & differt vana gloria ab ambitione & superbia. 1
Appetitus gloriæ multis modis potest esse inordinatus. 2
Appetitus vanæ gloriæ ex genere suo non est peccatum mortale, nisi in quantùm Dei & proximi charitati opponitur; quod fieri potest multis modis. 3

Venatio.

Venatio est exercitium ordinatum ad captionem animalium terrestrium. 1
Venatio ex sua natura licita est; quamuis Princeps, vel Magistratus, vel Respub. imò Dominus agri illam prohibere possit. ib.
Princeps qui ius venandi sibi reseruat, obligatur ad cauenda damna, quæ feræ possent inferre agris vicinorum. 2
Impediens iniustè alterum piscari aut venari tenetur ad restitutionem probabilis lucri impediti: non tenetur tamen ad restitutionem feræ quæ capta non est. ibid.
Venatio est illicita clericis & Monachis, quando est saltuosa, clamorosa & periculosa: si verò talis non sit, videtur concedi posse clericis recreationis causa; sed non religiosis. 3
Venatio potest esse mala, quia est contra publicam vtilitatem, vt quando feræ sunt grauidæ: sed hæc venatio non est peccatum mortale, nisi reipsa inferretur notabile damnum Reipub. 4
Qui venatur in loco interdicto, peccat quidem contra iustitiam & pro ratione iniuriæ vel damni mortaliter, vel venialiter, cum obligatione compensandi damnum, acquirit tamen dominium illorum, quæ capit. 5
Venatio illicita est, quando ius venandi competit alicui particulari ratione locationis vel concessionis: & talis venator tenetur ad restitutionem, habita ratione damni vel lucri cessantis. 6
Qui venatur vel occupat feras mansuetas, vel mansuefactas, postquam naturalem libertatem acquisierunt, non tenetur ad restitutionem: secus si venetur feras mansuetas, postquam libertatem naturalem amiserunt. 7
Venatio & piscatio ex officio, & quæ tota posita est in corporis defatigatione, videtur esse opus seruile & prohibita in die festo: secus si venatio in industria posita sit & fiat ob voluptatem & recreationem. 12

Venditio.

Venditio est contractus, qui mutuo consensu perficitur, & vtrò citroque emptorem & venditorem obligat. 1
Pactum venditioni appositum de retrouendendo in fauorem solius venditoris, facit rem tunc minus valere: Appositum autem in fauorem solius emptoris, tunc res plus ualet, quàm alioquin ualeret. 2
Venditio cum pacto retrouendendi, siue in fauorem solius venditoris, siue solius emptoris, siue in fauorem vtriusque contrahentis, caret labe usuræ & iniustitiæ, positis quibusdam conditionibus. 3
Venditio, qua uenditur res credita pecunia pretio rigoroso & postea eadem statim redimitur numerata pecunia medio uel infimo pretio, per se loquendo, caret labe usuræ, modò talis retrouenditio non deducatur in pactum à primo uenditore. 4
Causæ, ob quas licitum est interdum pluris rem uendere, quàm per se ipsa alioquin ualeret, aut uendeteur, sunt: Multitudo emptorum & copia pecuniæ: Affectus ad rem quæ uenditur: Lucrum cessans uenditori, & damnum emergens: Periculum amittendi totum uel partem pretij: Modus uendendi. 5
Excusari possunt, qui rem minoris, quam ualeat emunt à uenditore, qui necessitate compulsus offert emptori uendendam. 6
Non licet rem carius uendere extraneis & peregrinis, quàm indigenis & naturalibus, si excedantur limites iusti pretij. 7
Probabilius est, res quæ non habent pretium legitimum uel uulgare, non posse uendi pro arbitrio uenditoris, sed iuxta prudentis & intelligentis iudicium. 8
Venditor non potest rem carius uendere, eo quòd res sit ualde utilis uel commoda emptori. 9
Indigentia communis emptorum, est causa sufficiens ad augendum pretium non autem particularis emptoris. 10
Extra-ordinariæ expensæ, labores, pericula & infortunia, quæ mercatores subeunt, non sunt causa sufficiens ad augendum pretium taxatum. 11
Mercator potest pretium augere ratione officij mercaturæ; non possunt tamen mercatores plus vendere, quàm sit præscriptum à lege uel à communi æstimatione. 12
Venditores, qui mendacijs affirmant rem sibi tanti stetisse, uel tanto pretio alijs uendidisse, ut pertrahant emptorem ad rigorosum pretium, regulariter peccant tantùm uenialiter: Idem dicendum de emptoribus affirmantibus rem alias minoris emisse, vel sibi minoris offerri; ut ad infimum pretium descendant. 13
Venditionis contractus est nullus quoties tacetur uitium notabile, quo cognito, emptor non emisset. 14
Venditionis contractus non est inualidus, quando vitium quod reticetur in venditione non est notabile absolutè, neque reddit rem notabiliter minùs utilem ad usum, ad quem res ipsa emitur. 15
Venditor, per se loquendo, non tenetur manifestare emptori uitium patens, nisi quando emptor uitium non cognoscit ex ignorantia inuincibili. 16
Venditor interrogatus de occultis rei uitijs, tenetur illa manifestare, quamuis non sint notabilia in se, uel in ordine ad usum ad quem res emitur. 17
Contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei, ualidus est non potest tamen venditor cognito vitio tantùm accipere, quantùm accepisset, si res vitio caruisset. 18
Quando uenditor uino generoso apponit aquam, qua apposita vinum non est effectum deterius eo, quod passim venditur ab alijs, fieri potest ut non peccet, si uendat eo pretio quo ab alijs venditur; quamuis arcendi sint uenditores ab huiusmodi mixtionibus. 19
Emptor, qui restituit rem emptam uenditori propter notabile uitium occultum non manifestatum, tenetur restituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expensis & æstimatione industriæ. 20
Vt emptor dominium rei emptæ acquirat, requiritur mutuus consensus emptoris & venditoris, traditio rei, & quod emptor soluat pretium, uel saltem uenditor fidem habeat de pretio soluendo. 21
Fructus pendentes tempore uenditionis, siue maturi sint, siue non, pertinent ad emptorem quoad ualorem quem habent tempore uenditionis. ibid.
Quando res uendita tradita est emptori, sed pretium nondum fuit solutum, nec habitum pro soluto, fructus rei uenditæ quoad ualorem quem acquirunt post uenditionem, pertinent ad uenditorem. ibid.
Quando uenditor rem tradidit emptori soluto pretio uel habita fide de pretio, fructus omnes pertinent ad emptorem. ibid.
Venditor non tradendo rem uenditam tempore determinato, tenetur in foro conscientiæ emptori ad interesse intrinsecum & extrinsecum, si emptor soluit & obtulit pretiũ uẽditori. ib.

Ad quem pertineant fructus medij temporis, contractu dissoluto. 22
Quando res vendita perit vel deterior fit post traditionem: perit emptori, etiamsi pretium nondum sit solutum: similiter emptori perit ante traditionem, si res sit certa; & determinata: si autem sit indeterminata, ante traditionem periculum interitus pertinet ad venditorem. 23
Si vendatur incertum de certis, vt decem oues de duobus vel tribus gregibus &c. tunc si greges ex quibus istæ venduntur absque venditoris culpa pereant, liber manet venditor ab implendo contractu, solumque tenetur soluere pretium quod accepit. ibid.
Monopolium dicitur, cùm vnus vel pauci efficiunt, vt ipsi soli aliquod mercium genus vendant eo pretio, quo ipsis libuerit: & fit quatuor modis. 24
Quando venditores conspirant inter se de pretio, quod non est supra legitimum, vel supra vulgare summum, non peccant contra iustitiam, quamuis bene contra charitatem. 24
Contra tale monopolium venditorum, emptores possunt conspirationem inire, vt non emant merces nisi pretio infimo. ib.
Monopolium licitum contingit, quando Princeps alicui concedit priuilegium, quo solus certum genus mercium vendere valeat, modò Princeps iustum pretium mercibus taxet. 25
Probabilius est quando vnus vel duo vel tres emunt omnes merces, vt ipsi soli eas vendant, eo quo volunt pretio, illos peccare mortaliter contra iustitiam & teneri ad restitutionem. 26
Si quis vi aut fraude impediat ne maior copia mercium aliunde importetur vt maneat caritas in Repub. peccat contra iustitiam cum obligatione restituendi Reip. & mercatoribus. 27
Venditor tenetur de euictione, id est, ad procurandum, quantum in se est, vt emptor legitimè habeat rem per contractum traditam, & ad seruandum illum indemnem, si ab aliquo tamquam sua euincatur in iudicio. 28
Euictio non solùm habet locum in venditione, sed etiam in alijs contractibus onerosis: in contractibus verò lucrarijs seu gratuitis non, secluso pacto, & culpa contrahentis. 29
Venditor & quicumque alius, qui alio titulo rem alienauit, non tenentur de euictione in aliquibus casibus. 30
Quoties respublica annonæ grauatur inopia, potest quis cogi vendere res proprias, quæ ad victum pertinent: imò potest cogi a potestate publica ad vendendas domos, prædia & agros, si id spectet ad bonum commune. 31
Emphyteuta non potest rem emphyteuticam & eius meliramenta per venditionem alteri tradere secundùm ius vtile, quod ipse habet, absque consensu domini directi. 7
Vendens ornamenta, fucos &c. quibus mulier iam parata abutetur, excusari potest à mortali, si ipso non vendente, alter venderet. 9
Venditor, qui falsis ponderibus vel mensuris vtitur, vel materiam adulterinam minus vtilem mercibus admiscet, falsi crimen committit. 2
Vendi non potest nec redimi pretio absque vitio simoniæ pensio, quæ datur ad officium aliquod spirituale: sed tantum illa, quæ fundatur in titulo merè temporali. 10
Vendere non potest Dominus absque peccato mortali seruos in locis distantibus, in quibus serui, non poterunt sibi debitum reddere. 14
Plura de venditione vide *Emptio. Restitutio IV.* n. 19. 20. *Simonia I.*

Vectigal.

Vectigal est quod soluitur vel pro rebus, quæ exportantur vel importantur in ciuitatem vel prouinciam, vel pro transactione mercium per pontes & flumina, vel à transeuntibus per aliquam viam seu locum, pro custodia viarum, vel ex rebus venditis aut permutatis. 1
Plura de vectigali vide v. *Gabella*. ibid.

Veneficium.

Veneficium potest reseruari à prælatis religionum iuxta decretum *Clementis VIII.* 40
Veneficium propriè significat veneni procurationem, etiamsi non habeat magicum quid coniunctum, & ex veneno procurato & propinato non fuerit mors secuta. §. 1

Veniale peccatum.

Veniale peccatum est, quod facilè veniam consequitur ex natura sua. 3
Fide tenendum est, contra hæreticos, esse quædam peccata suapte natura venialia, quæ nec iustitiam excutiant, nec mortem æternam mereantur. ibid.
Venialis peccati malitia consistit in repugnantia cum recta ratione, salua amicitia diuina. ibid.
Venialis peccati malitia est quidem in infinitum minor malitia peccati mortalis, habet tamen suam quandam infinitatem. ib.
Venialia peccata sunt quidem materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria: nisi quando dubitatur an sint mortalia. 2
Ad confessionem venialium nullum datur præceptum neque diuinum neque Ecclesiasticum. 5
Quando veniale peccatum transeat in mortale & è contra, vide v. *Peccatum I.*
Venialia peccata remittuntur per sacramentalia; sed non ex opere operato, vt habet tutior sententia. 6

Verba.

Verba præceptiua per se & ex natura sua non important obligationem sub mortali. 3
Verba, quibus lex præsertim Ecclesiastica obliget sub mortali posita materia graui. 3. & 4.
Verba, quibus potest contrahi matrimonium de futuro vel de præsenti, possunt esse quinque modis. 7

Veritas.

Veritas requisita ad iuramentum in hoc consistit, vt iurans non leui, sed probabili coniectura, & prudenter arbitretur verum esse quod iurat. 2
Veritas requiritur in Iudice præter iurisdictionem. 5
Veritas & fidelitas in notario in quibus consistat. 3
Veritas requiritur in procuratore, quam seruare debet tam in seipso, quàm in suis clientibus. 6
De veritatis confessione vide v. *Testis* n. 6. 7 8. *Reus*.

Vestis.

Vestes clericales censentur, quæ communi clericorum vsu in ea prouincia receptæ sunt, & ex quarum aspectu à quocumque clerici iudicentur. 13
Vestes clericales debent esse talares, id est, quæ ad talos seu pedes proijciuntur. Ex constit. *Sixti V.* Quamuis ex Epicheia, satis essent, quæ ad media crura extenduntur, vbi talis est consuetudo. 2
Vestes sacræ requiruntur ad missæ sacrificium peragendum: & omissio illarum, præcisa inaduertentia & magna celebrandi necessitate, inducit peccatum mortale, etiamsi vna tantùm omittatur ex præscriptis in missali. 4
Vestes clericales & religiosas licitè potest deponere transiens per loca hæreticorum, vt incolumis euadat. 3
Vestium vsus, quæ actualiter important professionem actualem falsæ fidei, & quibus sacerdotes vtuntur solùm dum actualiter sacrificant, non est licitus. 6
An vestes, quæ etiam extra exercitium actuale falsæ religionis adhiberi solent, sunt tamen instituę ad illam profitendam, sint licitæ? Negant quidam; Alij meritò affirmant, secluso scandalo, & posito, periculo quod aliter vitari non potest. ibid.
Licet sine vestibus sacris celebrare ex metu mortis sibi comminatæ, nisi taliter quis celebret, modò metus in contemptum fidei, aut Ecclesiasticæ potestatis non incutiatur. 1

Vicarius.

Vicarius communiter est, qui alterius vicem, non suum gerit officiū: strictè autē ac propriè est vicarius Ecclesiæ parochialis. 1
Vicarij, quidam sunt perpetui, quidam temporales, vt mercenarij: Alij sunt iurisdictionales: Alij generales. ibid.
Vicarius perpetuus dicitur, qui canonicè à persona Ecclesiæ de authoritate Episcopi est institutus, & certam debet percipere portionem: hic non potest amoueri per rectorem. 2
Vicarium perpetuum facit authoritas Episcopi, non rectoris. ib.
In certis casibus dari debet ab Episcopo ad tempus vicarius parochiæ, vbi parochus administrare non potest, idque sumptibus parochi. ibid.
Aliquando potest & debet Episcopus coadiutorem dare, sine nouæ parochiæ constitutione. ibid.
Vicarius perpetuus alium vicarium perpetuum instituere non potest, temporalem potest ad modicum tempus. 3
In constitutione vicarij perpetui requiritur consensus rectoris, & patroni: temporalem tamen vicarium solus Episcopus dare potest ex causa. 4
Vicarius perpetuus deputari non debet, nisi in parochialibus habentibus latitudinem parochiæ, vel aliam necessitatem. ibid.
Vicarius perpetuus habet curam animarum indistinctè, quoad omnium effectum, etiam quoad commoda. 5
Vicarius Episcopi, quidam est generalis simpliciter, seu principalis, quidam foraneus, qui & officialis dicitur. 6
Vicarij excommunicati successor non est excommunicatus, nisi communicet in crimine damnato. 7

Vicarij Episcopi, ipso excommunicato, non possunt cognoscere de causis, quia idem est consistorium. ibid.
Vicarij iurisdictio cessat mortuo Episcopo vel excommunicato vitando. 22
Vicarius temporalis simpliciter non potest substituere vicarium nisi habeat speciale mandatum substituendi, vel de hoc sit cõsuetudo: potest tamen aliquam partem suæ potestatis alicui committere, licet non totam. 8
Prælatus non potest vices suas alteri committere sub annuo censu, sine simonia. ibid.
Vicarius generalis Episcopi non potest conferre beneficia, nisi de speciali mandato. 6
Vicarius perpetuus parochi habet iurisdictionem ordinariam, sicut & temporalis, qui demortuo Parocho solet constitui, donec de alio prouideatur. 9
Vicarij parochorum possunt etiam dispensare in ieiunio; quia exercent actus iurisdictionales parochiales: nisi id ipsis à Parocho prohibeatur. 7
Vicarij omnes Prælatorum regularium possunt in suos subditos proferre absolutionem casuum Pontifici reseruatorum si sint occulti. §.2
Vicarij Prælatorum regularium licitè benedicunt oratoria, cœmeteria, Ecclesias, corporalia & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia vbi chrisma non interuenit. 7
Vicarij superiorum, qui habent iurisdictionem generalem ad omnes causas & negotia, possunt etiam irritare vota subditorum suorum. 10
Vicarij Episcoporum non gaudent priuilegio eligendi confessarium: quamuis contrarium sit etiam probabile. 11
Non est improbabile Vicarios Prælatorum regularium gaudere priuilegio eligendi confessarium, etiam in præsentia sui superioris. ibid.

Vis. Violentia.

Violentia est necessitas illata à principio extrinseco, nihil conferentibus nobis. 1
Violenta actio vel passio est inuoluntaria, quando voluntas repugnat quantum potest ac debet. 2
Violenta actio vel passio censetur voluntaria, quando voluntas non resistit, quantum potest, aut quantum debet. 3
Violenta actio vel passio est non voluntaria, quando voluntas habet se negatiuè. 4
Quando vxor per vim absolutam aut metum grauem cogitur ad copulam cum consanguineo viri in primo vel secundo gradu, non priuatur iure debitum petendi. 15
Violentia seu metus grauis est impedimentum impediens matrimonium contrahendum & dirimens contractum. 47
Qui per vim aut fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à virgine extorsit, absque etiam promissione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare, vel curare vt æquè bene nubat. 2
Fœmina, quæ per violentiam à viro aliquo cognoscitur, non peccat, si habeat voluntatem non consentiendi eiusmodi copulæ & impediat, quantum in se est, talem violentum effectum. §
Violentia requiritur ad raptum, quæ fiat personæ raptæ, vel ijs sub quorum cura est: & insuper requiritur abductio causa libidinis vel matrimonij. 2

Vidua.

Vidua non peccat mortaliter, quando delectatur de actu coniugij non apprehenso sub ratione delectabili, seu ex affectu venereo, sed ob finem aliquem honestum. 14
Si à vidua actus coniugij apprehendatur sub ratione delectabili, est peccatum mortale: si verò delectetur de actu illo tamquam præterito, non est peccatum. ibid.

Viatores.

Vide suprà v. *Itineratio. Peregrinus.*

Virginitas.

Virginitas accipitur, tum pro integritate signaculi virginalis, libidinosæ contagionis expertes: tum pro voluntate & proposito illius integritatis seruandæ, vel perpetuò, vel saltem vsque ad tempus coniugij. 1
Fide tenendum est contra hæreticos, statum virginitatis, statui coniugali esse præferendum. 2
Virginitas prout dicit statum fœminæ, quot modis amittatur. 3
Virginitatis virtus recuperabiliter amittitur omnibus illis modis, quibus amittitur castitas. 4
Mulier dormiens aut ebria non amittit virginitatem, si à quopiam viro cognoscatur; modò eo fine non se inebriauerit vel dormierit: vbi deciduntur alij casus. 4
Virgo per vim corrupta naturaliter virgo non est, moraliter tamen & in genere moris virgo censetur. ibid.
Virginitatis virtus irrecuperabiliter amittitur à fœmina, quoties voluntariè copulam habet cum viro vel polluitur: in viro autem non tollitur virginitas irrecuperabiliter, nisi voluntariè polluatur. 5
Virgo vi oppressa, si res est occulta, potest consecrari; non autem quando violatio est notoria. 6
Sponte corrupta potest velari, si carnis integritatem retinet: illa verò quæ voluntariè claustri virginalis violationem passa est, siue per copulam siue per aliam turpitudinem, non potest consecrari absque peccato mortali. ibid.
Fœmina non est rea mendacij, dum bonis artibus & mediis aliàs licitis defectum virginitatis tegit & tamquam virgo matrimonium contrahit. 6

Virginis defloratio.

Vide v. *Stuprum. Sponsalia II. Religio. II.*

Votum, Quid & quotuplex.

Votum est voluntaria & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori. 1
Ad votum requiritur deliberatio & perfecta animaduersio eius quod fit. 2
Vouet inualidè mente captus aut amens dum est destitutus vsu rationis. 3
Deliberatio necessaria ad votum debet esse vel virtualis, vel formalis. 4
Vouere leuiter sine debita & matura deliberatione est peccatum veniale regulariter: quamuis aliquando possit esse mortale: imò nec peccatum. ibid.
Ad valorem voti requiritur, vt actus sit simpliciter liber, ea libertate, quæ sufficeret ad peccandum mortaliter. 5
Qui ad ordines sacros accedit sciens illis annexum esse votum castitatis, sed illud positiuè respuit, non tenetur ad castitatem ex vi voti, sed ex statuto Ecclesiæ. 6
Ex voto facto cum animo vouendi, sed absque expressa vel tacita intentione se obligandi, non oritur obligatio. 7
Ex voto facto cum animo vouendi & se obligandi, sed cum intentione non adimplendi, oritur obligatio ex vi voti. 8
Qui fictè vouet absque animo vouendi aut se obligandi, peccat venialiter si votum sit simplex; mortaliter verò, si votum sit publicum aut solemne. ibid.
Votum irritum reddit error, si sit circa substantiam voti, aut aliquo modo in substantiam redundet, sitque causa vouendi. 9
Multis modis potest error esse circa substantiam voti. ibid.
Votum simplex factum per errorem & dolum circa causam finalem & motiuam, non est validum, votum autem solemne est validum. 10
Cessante causa finali voti, vel iuramenti, etiam ipsius obligatio cessat. 11
Votum est validum factum per dolum vel errorem circa causam impulsiuam. 12
In dubio an causa voti fuerit finalis, vel impulsiua tantùm, censetur fuisse impulsiua. ibid.
Votum soli Deo fieri potest mediatè vel immediatè, tacitè vel expressè. 13
Votum tribus modis potest fieri Sanctis. ibid.
Votum diuiditur in reale, personale & mixtum. Item in temporale & perpetuum.
Item in simplex & solemne. Item in expressum, & tacitum. Item in conditionale & absolutum. Item in conditionale simpliciter & pœnale. 14
Votum solemne & simplex iuxta communiorem sententiam sunt eiusdem speciei. 15
Ad rationem uoti solemni non exiguntur uerba, sed sufficiunt signa uocem indicantia. 16
Votum solemne fieri potest per procuratorem, modò concurrant quinque conditiones. 17
Votum pœnale non obligat pro sola prima transgressione nisi pœna esset grauissima & quæ iterari non solet. 18

Votum. Quoad eius materiam.

Materia uoti dicitur omne id quod possumus promittere in Dei cultũ: & hæc materia duplex est, vna proxima, alia remota. 1
Votum factum de rebus, quæ repugnant consilio, non est validum, nisi aliqua causa superueniat, faciens, vt id quod erat opus consilij, non sit amplius opus consilij. 2

Dispensatio differt ab irritatione & commutatione. ibid.
Certum est de fide in Ecclesia esse potestatem dispensandi in votis, & iuramentis. 2
Potestas dispensandi in votis iure ordinario competit solis Prælatis habentibus iurisdictionem in foro externo, qualis est in Episcopo confirmato ante ordinationem. 3
Potestas dispensandi super omnia vota est tantùm in Summo Pontifice iure diuino. ibid.
In Episcopis, Archiepiscopis, Patriarchis est potestas ordinaria dispensandi super omnia vota, quæ reseruata non sunt, in ordine ad subditos suarum diœcesum. 4
Subditorum nomine, cum quibus dispensare potest Episcopus veniunt illi, qui habent domicilium in diœcesi, & qui incœperunt habitare cum intentione ibi manendi maiore anni parte; & vagi. ibid.
Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt dispensare in votis suorum subditorum exemptorum. 5
Cum religiosis exemptis potest Episcopus dispensare in votis, & irregularitatibus, ex licentia suorum superiorum. 6
Prælatus, aut alius habens facultatem generalem dispensandi in votis potest secum dispensare in votis, aut dare facultatem alteri, qui secum dispenset. 7
Habentes iurisdictionem delegatam dispensandi in vniuersum cum aliqua communitate, cuius ipsi sunt partes, possunt in ijsdem rebus secum quoque directè dispensare; secus de illo, qui limitatam potestatem habet dispensandi cum certis personis. ibidem.
Vt dispensatio valida sit, requiritur vt subsit iusta causa, etiam respectu Papæ. 8
Iustæ causæ generatim dispensandi in votis sunt, vtilitas Ecclesiæ; honor Dei; vtilitas vouentis, & magna fragilitas eiusdem. ibid.
Rarò vtendum est pura dispensatione seu relaxatione voti, quare plerumque vtendum commutatione, quæ dispensationem admixtam habeat. 8
Potestas dispensandi in votis delegari potest ab habente facultatem ordinariam, personis habilibus, id est clericis. 9
Confessores Ordinum Mendicantium possunt dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi. 10
Regulares aliarum religionum possunt vti priuilegijs Societatis Iesu absque eo quòd à suis Generalibus ea mendicent. ibid.
Prouinciales Ordinum mendicantium poterant olim concedere confessoribus suis approbatis ab Ordinario, facultatem dispensandi ad petendum debitum cum his, qui ante matrimonium castitatem vouerant: sed modò hæc potestas est eis subtracta per Constitut. S. D. N. Vrbani VIII. 11
Vota Summo Pontif. reseruata sunt, *votum castitatis perpetuæ*; *votum religionis approbatæ: votum peregrinationis ad limina Apostolorum; votum ad S. Iacobum Compostellanum, & votum ad terram Sanctam*. 12
In generali facultate dispensandi in votis, non comprehenditur facultas dispensandi in votis reseruatis. ibid.
Hæc quinque vota censentur ex consuetudine reseruata Pontifici, etiamsi fiant solùm causa deuotionis. 13
Episcopus potest dispensare, in voto religionis non approbatæ: in voto castitatis non perpetuæ, in voto non fornicandi, in voto non nubendi; in voto suscipiendi ordines sacros, in voto virginitatis, &c. 14
Episcopus potest dispensare in voto castitatis integrè, quando imminet graue periculum magni scandali, vel damni tertiæ personæ, expectando dispensationem Papæ, vel Legati. 15
Quando coniuges post contractum, & consummatum matrim. communi consensu vouerunt continentiam, potest Episcopus dispensare, si periculum incontinentiæ vtrique vel saltem alteri eorum ingruit, vt debitum petant, & reddant. 16
An Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem? Negant quidam, alij affirmant, vtraque sententia est probabilis. ibid.
Quando votum castitatis emissum fuit metu licet non omninò iusto seu graui, ratione cuius sit irritum, potest Episcopus dispensare. 17
Quando votum castitatis est accessorium, & dependens ab alio voto principali non reseruato, potest Episcopus dispensare: secus quando votum principale est reseruatum, accessorium verò non. 18
Quando votum castitatis est verè conditionale sub conditione de futuro, potest Episcopus dispensare, modò conditio nondum sit impleta: in voto autem facto sub conditione de præsenti aut præterito non potest dispensare. 19
Vouens disiunctiuè castitatem vel ieiunium perpetuum, potest eligere partem, in qua Episcopus potest dispensare. 20
Quando dubitatur an votum castitatis sit validum vel reseruatum, potest Episcopus dispensare. 21
Probabilius est, votum pœnale castitatis emissum in pœnam delicti sub conditione, posse ab Episcopo dispensari, etiam adimpleta conditione. 22
In voto facto in vtilitatem alterius, & ab illo acceptato, non potest Episcopus dispensare, nisi adsit consensus illius in cuius fauorem factum est. 23
Parochi, aut alij sacerdotes non habent potestatem ne in articulo mortis dispensandi, aut commutandi vota. 24
Probabilius est Prælatos regulares posse commutare aut dispensare in votis nouitiorum. 25
Abbatissa non potest dispensare in votis suarum nouitiarum, & professarum. ibid.
Probabile est habentem facultatem dispensandi vel commutandi vota posse etiam iuramenta, quibus nullum ius homini acquiritur. 26
Summus Pontifex potest in solemni voto castitatis ordini sacro annexo dispensare. 27
Votum castitatis solemne religiosorum potest relaxare Summus Pontifex, si iusta causa subsit. 28
Habentes generale priuilegium commutandi, & dispensandi vota, possunt ea omnia vota commutare, & dispensare, quæ ab Episcopis iure ordinario commutari possunt. 29

Voterum renouatio.

Probabile est per renouationem votorum solemnium plenariam peccatorum remissionem obtineri. 8

Voluntarium.

Voluntarium est quod à principio intrinseco cum aliqua finis cognitione procedit. 1
Plura de voluntario vide *Actus humanus I. & II.*
De voluntario in causa, vide v. *Luxuria* n. 6. *Peccatum V.* n. 3.

Vsura. Quid, & quotuplex.

Ad rationem vsuræ requiritur mutuum. 1
Materia mutui generaliter sunt res, quæ consistunt in numero, pondere, & mensura. ibid.
Ad vsuram requiritur lucrum vltra sortem, id est, vltra summam capitalem: quod debet esse res pretio æstimabilis. 2
Vt lucrum sit vsurarium, requiritur vt proueniat ex vi mutui, idest, ratione mutuationis; siue lucrum principaliter intendatur ex mutuo, siue non. 3
Vsura accipitur vel pro lucro, seu obiecto ipsius mutuationis, vel pro contractu vsurario; vel pro voluntate sic contrahendi. 4
Lucrum vocatur acquisitio rei supra sortem pecunia æstimabilis, & aliàs indebitæ. ibid.
Vsura alia est formalis, & aperta; alia est virtualis, & palliata. Alia est realis, & externa, alia mentalis & interna. 5
Vsura non solùm iure positiuo, diuino, vel humano, sed etiam naturali illicita est. 6
Non licet ex mutuo principaliter vel minus principaliter sperare lucrum, quod detur ex obligatione iustitiæ propter mutuum. 7
Probabilius est committi vsuram deducendo amicitiam in pactu, mutuando. 8
Vsura mentalis non committitur ab eo, qui mutuat alteri pecuniam indigenti, sperans illum gratum fore, ac liberalem; imò quamuis excitet mutuatarium ad aliquid sibi in remunerationem mutui tradendum ex liberalitate. 9
Vsurarius mentaliter est, qui dat mutuo pecunias Principi, sperans lucrum ex mutuo tamquam pretium. ibid.
Regulæ, quibus cognosci possit animus vsurarius. 10

Vsura. Quoad pacta ratione ipsius actionis mutuandi.

Pacta, & obligationes, quæ mutuans exigit pro assecuratione rei mutuatæ, neque continent aliquod lucrum, licita sunt & absque vsura. 1
Vbicumque sunt tria hæc, mutuum, lucrum ex illo, & pactum, est vsura formalis. ibid.
Omnis pactio per quam imponitur mutuatario onus, & obligatio quasi ex iustitia, ad quam mutuatarius aliàs non tenebatur, labem vsuræ continet. ibid.
Vsura committitur ab eo, qui tradit alteri mutuum cum pacto, vt mutuatarius teneatur præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu. 2

Vsu-

Vſurarius eſt mutuans mutuando alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuatori vendat officium, vel priuilegium, vel eximat ab aliquo onere, vel vt ſibi vel alteri conferat beneficium, &c. 3

Vſura eſt in mutuante, qui mutuo dat oleum vel pecuniam alteri cum pacto, vt mutuatarius ſibi mutuum reſtituat in rediue fæ rationis. 4

Qui mutuat alteri centum nummos ſoluendos in tritico tempore meſſis pretio communi, vſura eſt, modò mutuans intendat celebrare contractum mutui, non emptionis. ib.

Pactum de remutuando vel emendo iuſto pretio in officina mutuantis, non eſt vſurarium, modò tantùm inducatur obligatio gratitudinis, non autem alia maior. 5

Mutuans his pactis vſurarijs, tenetur obligationem relaxare, & reſtituere, quantum valet illa obligatio ſeu grauamen: non tamen lucrum, modò non adſit exceſſus iuſti pretij. ibid.

Qui mutuat fœminæ cum intentione, vel pacto, vt ſui copiam faciat in pretium mutui, vſuram committit: ſicut & qui mutuat medico hoc pacto, vt teneatur curare, & mederi. 6

Si mutuatarius exigat iniuſtam vindictam priuatam vel iniuſtã ſatisfactionem pro fama, aut honore, non eſt pactum vſurarium: ſi tamen iuſtam, non poteſt alterum obligare pacto iuſtitiæ vt condonet. 7

Pactum in mutuo vt reſtituatur in eadem menſura, non eſt vſurarium, etiamſi pretium eius creuerit, & ſi æqualiter dubitetur, an res tempore ſolutionis ſit plus vel minus valitura. 8

In contractu mutui, & alijs contractibus ſolutio facienda eſt iuxta valorem rerum, quem habebant tempore contractus, ſiue valor decreſcat, ſiue creſcat. 9

In mutuo, ſi non ſit expreſſum ſub qua materia pecunia reddenda ſit, poteſt reddi in quacumque placuerit debitori, modò ſit idem valor. 10

Pactum de reddendo mutuo in alia materia ab ea quam accepit mutuatarius, eſt vſurarium: ſecus vt reddantur totidem nummi ſiue maioris, ſiue minoris ſint valoris. ibid.

Quando Principis auctoritate variantur menſuræ, ſoluenda eſt res mutuata in ea menſura, qua fuit accepta. 11

Vſura.

Quoad damnum emergens, lucrum ceſſans, &c. ab ea excuſans.

Damnum emergens dicitur, quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet vel quæ ipſi debentur. 1

Licitum eſt mutuatori in principio contractus paciſci cum mutuatario de aliqua pecunia vltra ſortem reddenda, ratione periculi damni ex mutuatione impendentis. ibid.

Si mutuator in principio contractus nullum iniit pactum cum mutuatario de præſtando damno emergente, mutuatarius nõ tenetur illud præſtare, modò non fuerit in mora ſoluendi, aut non fuerit cauſa iniuſta damni. ibid.

Vt mutuator licitè poſſit exigere damnum emergens ex mutuo, tres conditiones requiruntur. 2

Quando mutuatarius eſt in mora culpabili, ſi inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur mutuatarius ad illius compenſationem, etiamſi damnum non fuerit deductum in pactum ab initio. 3

Lucrum ceſſans dicitur illud, quod quis non percipit, eò quòd mutuum alteri dederit. 4

Licitum eſt de lucro ceſſante paciſci ab initio cum mutuatario. ibidem.

Vt pactio de lucro ceſſante in mutuo ſit licita, tres conditiones requiruntur. 5

Prima conditio eſt, vt mutuatio ſit cauſa cur ceſſet lucrum, quod habebatur in ſpe certa vel probabili. ibid.

Secunda conditio, vt non exigatur tantum, quantum eſt lucrum ſperatum ſed minus, quantum ſcilicet valet illa ſpes lucri deductis expenſis. 6

Tertia conditio eſt, vt lucri ceſſantis compenſatio non ſtatim exigatur dato mutuo, ſed conuenientiori interuallo. 7

Licitum eſt aliquid exigere ratione periculi ſortis, vel difficultatum aut expenſarum, quæ in ea recuperanda metuuntur, modò tria concurrant. 8

Quando ex carentia pecuniæ nullum lucrum ceſſat aut damnum impendit, nec periculum vllum metuitur, non videtur poſſe aliquid accipi ſupra ſortem: quamuis ratione grauaminis, quod ex carentia mutuatæ pecuniæ patitur mutuator, & obligationis non repetendi ante tale tempus, quidam putent poſſe aliquid exigi ſine vitio vſuræ, vt habet vſus burſæ Antuerpiẽſis. 9

Ratione fideiuſſionis poteſt aliquid accipi: vſura tamen eſſet remittere mutuatario obligationem dandi fideiuſſorem, ſub cõditione, vt ſibi mutuanti ſoluat id, quod dediſſet fideiuſſori. 10

Poſitis quatuor conditionibus licitum eſt paciſci, vt mutuatarius aliquid ſoluat in pœnam ſuæ moræ vltra ſortem, ſi ad terminum ſtatutum non reſtituerit. 1

Probabile eſt, & fortè probabilius hanc pœnam conuentionalem ſoluendam non eſſe ante iudicis ſententiam. 2

Pactum legis commiſſoriæ in pignoribus per ſe loquendo illicitum eſt, & vſurarium. 3

Qui dat mutuum, & viciſſim recipit pignus à mutuatario tenetur mutuans fructus pignoris in ſortem computare, ſi pignus tantùm propter ſecuritatem ſortis datum ſit; ſecus ſi vt creditor interim eo fruatur loco pecuniæ. 4

Vſura eſt, ſecluſo lucro ceſſante aut damno emergente, anticipata ſolutione emere minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda. 5

Creditum non planè certum, ſed periculoſum ac ligitioſum, & cum difficultate exigendum, poteſt abſque labe vſuræ minoris emi quàm valeat, ab eo, qui non eſt cauſa difficultatis, prout difficultas & incertitudo ſolutionis, maior vel minor fuerit. ib.

Vſura. Quoad accipientes ad vſuras, & pœnas vſurariorum.

Mutuatario non licet petere ab vſurario mutuum ſub vſuris, etiamſi vſurarius paratus ſit dare ſub vſuris. 1

Promiſſio vel ſolutio vſuræ facta ex iuſta cauſa non eſt mala: receptio vero vſurarum ex parte vſurarij eſt intrinſecè mala, & contra iuſtitiam. ibid.

Petere mutuum ab vſurario ex cauſa neceſſaria, ideſt, qualibet cauſa conuenienti, & vtili, propria vel alterius, nullum eſt peccatum. 2

Probabilius eſt illum, qui ab vſurario petit mutuo pecuniam ad vana, & inutilia, vt ad ſuperfluas epulas, ad ludos otioſos, peccare mortaliter, etiamſi vſurarius aliàs paratus eſſet dare ad vſuram. 3

Multæ ſunt pœnæ iure ſtatutæ contra manifeſtos vſurarios. 4

Vſurarius manifeſtus ſeu notorius cenſetur, qui ſententia iudicis condemnatus eſt de hoc crimine, vel qui confeſſus eſt hoc crimen in iudicio, vel cuius crimen probatum eſt in iudicio per duos teſtes, vel qui ita palam tradit ad vſuram, vt hoc negari non poſſit. 5

Vſurarij quantumcumque manifeſti, iure cõmuni non ſunt excommunicati: bene tamẽ per ſtatuta quarumdam Diœceſeon ibidem.

Sepelientes manifeſtos vſurarios excommunicationem incurrunt: & nomine ſepelientium intelliguntur non ſolùm illi, qui corpus in loco ſepulturæ collocant, ſed etiam parochi ſeu alij Sacerdotes qui funeribus præſunt. ibid.

Ad pœnas incurrendas contra vſurarios requiritur vt ſententia particularis declaratoria criminis in ipſos ſit ſpecialiter denunciata. ibid.

Qui præfatam excommunicationem contraxit abſolui non poteſt, donec ſatis fecerit illis, quibus iniuriam intulit, publicum vſurarium ſepeliendo. ibid.

Clericus manifeſtus vſurarius, ſuſpendendus eſt ab officio, & beneficio & monitus non deſiſtens, deponendus. 6

Eccleſiaſtici poſſunt vſurarijs extraneis locare domos aut permittere in eis habitare. ibid.

Vſura. Quoad earum reſtitutionem.

Vſurarius mutuator nõ acquirit dominium earum rerum, quas per exteriorem ſeu realem vſuram vltra ſortem extorquet à mutuatario. 1

Res vſu conſumptibiles, ſi miſceantur ita cum alijs ſimilibus rebus vſurarij, vt diſcerni nequeant, tranſeunt in dominium vſurarij. ibid.

Fructus, quos percepit vſurarius ex re aliena accepta per vſurã, reſtituendi ſunt mutuatario. 2

Vſurarius mentalis tenetur ad reſtitutionem vſuræ, ſi intendat aliquid accipere ex vi mutui, tamquam ex iuſtitia debitum, & mutuatarius etiam eo animo det. 3

Quando mutuatarius dat gratuito, & ex beneuolentia, ſed vſurarius id non aduertens accipit tamquam datum ex obligatione ſtricta, ratione mutui, tunc non tenetur ad reſtitutionem ex parte rei, ſed ſolùm ratione conſcientiæ erroneæ. 2

Acceptum per realem vſuram eſt reſtituendum, quæcumque res ſit, ſiue in ſe, ſi extet, ſiue in valore, ſi non extet: damnum item illatum & lucrum ceſſans, &c. 4

Omnes illi tenentur ad reſtitutionem, qui agunt partes vſurarij, & ſunt cauſa efficax cur vſuræ ſoluantur, vel ſolutæ non repetantur. 5

Qui pecuniam ſuam apud vſurarium depoſuerunt, non tenentur

tur ad restitutionem, modò non suaserint vt vsuras exigeret nec sint earum participes. 6
Bona vsurarij non remanent hypothecata pro soluendis debitis: remanent tamen talia bona obligata restitutioni. 7
Hæres vsurarij tenetur ad restitutionem eorum bonorum; quæ in specie extant, & quæ constat esse aliena. 8
Quando bona vsurarij excedunt vsuras, seu alia debita persoluenda, nihilque in illis reperitur alienum idem numero perseuerans, tunc debita sunt distribuenda inter hæredes pro rata hæreditatis. ibid.
Vsurarij hæres in foro animæ non tenetur [illegible] plura restituenda, quàm in hæreditate acceperit. ibid.
Legatarij & donatarij non tenentur ad restitionem, etiamsi omnes hæredes deficiant, si illa, quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam. 9

Vsus Vsufructus.

Vsus est ius duntaxat vtendi re aliena, salua eius substantia. 1
Qui habet ius vsus nudi sine vsufructu parum potest. 2
Vsusfructus est ius vtendi & fruendi aliena re, salua illius substantia. 3
Discrimen est inter dominium, vsum & vsumfructum. ibid.
Vsus & vsusfructus, proprie loquendo, non possunt constitui nisi in rebus immobilibus. ibid.
Vsusfructus duplex est, vnus legalis, alter conuentionalis. ibidem.
Quæ sint obligationes vsufructuarij. 4
Multis modis amittitur vsusfructus. 5
Vsusfructus acquisitus monacho ante professionem, transit cum illo ad monasterium posterius à tempore, quo in posteriori profitetur; si posterius est successionis incapax, perit à tempore illius professionis & consolidatur cum proprietate. ibidem.
Quando vsusfructus post professionem monacho relictus est contemplatione monasterij, permanebit in priori monasterio: si contemplatione monachi, transibit cum illo ad posterius monasterium si est successionis capax. ibid.
Vsusfructus paternus in aduentitia filij bona, expirat ipsius patris professione, & pertinet ad filium, quando religio est successionis incapax. 6
Quando religio est succedendi capax, veriùs est & probabilitis vsumfructum nequaquam extingui nec diminui, sed totum pertinere ad monasterium toto paternæ vitæ tempore. ibid.
Patet in sæculo manens, vsumfructum, quem in bonis aduentitijs filij habebat, non amittit per filij professionem. ibid.
Vide *Actus humanus III.* n. 10. *Dominium I.* n. 13.

Vxor.

Vxor donare non potest de bonis communibus, quorum administratio ad virum pertinet, & maximè quando esset rationabiliter inuitus. 4
Vxor potest donare in multis casibus, quando maritus est irrationabiliter inuitus. ibid.
Vxores excusantur, qui præcepto mariti coguntur laborare in die festo, modò in festi contemptum hoc præceptum non procedat. 1
Vxor regulariter fideiubere non potest pro marito, & [illegible] fideiubeat pro illo est irrita fideiussio: pro alio autem fideiubere potest, licèt competat ei exceptio *S. C. Velleiani.* 4
Vxor mortaliter peccat, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum administratio ipsius est, ipso cum ratione inuito accipiat. 4
Vxor non peccat mortaliter, accipiendo bona mariti in quibusdam casibus. 5
Vxor excusatur à ieiunio, quam maritus ieiunare non permittit, eo quòd metuat eius valetudini vel formæ. 10
Vxor non tenebitur ieiunia seruare, quando à marito frangere præciperetur & ex inobedientia notabiles discordiæ exoriundæ forent. ibid.
Vxor hæretici potest non ieiunare, [illegible] maritus hæreticus præcipiat secluso contemptu religionis. ibid.
Vxor mortuo marito vel soluto matrimonio tenetur stare locationi factæ à marito durante matrimonio quoad locationem bonorum paraphernalium. 2
Vxor non potest de bonis sibi cum viro communibus & dotalibus ludere sine licentia viri, nisi iuxta morem patriæ: de bonis verò paraphernalibus ludere potest. 2
Vxores timentes rixas & verbera suorum maritorum excusantur ab audienda Missa in die festo. 3
Priuilegium concessum bonis mariti, extenditur etiam ad bona vxoris communia cum bonis mariti. 15
Vxor pro marito potest acceptare promissionem lucratiuam vel donationem absenti factam. 13
Vxor potest irritare vota mariti, quæ incommodum illi afferunt & quæ aliqua ex parte eius iuri præiudant. 6
Vxor clerici ratione matrimonij fortitur forum viri, etiam mortuo viro, donec alteri nubat. 19
Vxor quando censeatur senex, vt vir possit profiteri religionem remanente illa in sæculo cum voto castitatis, arbitrio prudentis relinquitur definiendum. 2
Plura de vxore Vide v. *Dos Debitum coniugale.*

Vxoratus.

Vxoratus ad sacros ordines promoueri non potest, nisi coniuge etiam religionem aliquam approbatam profitente. 5

Vxoricidium.

Vxoricidium factum priuata authoritate etiam in vindictam adulterij commissi, impedit matrimonium cum quacumque alia. 9

X.

Xenia.

Xenia aut verba amatoria non faciunt suspicionem violentam adulterij, ratione quorum liceat in foro conscientiæ diuortium. 7
Xenia, quæ appellantur munera consistentia in esculentis & poculentis, accipi possunt à quocumque Iudice, tam Ecclesiastico, quàm sæculari. 15

FINIS.

CASVS

CASVS RESERVATI EPISCOPIS Huius Belgij.

Reſeruatio Mechlinienſis.

CASVS reſeruati in Diœceſi Mechlinienſi recenſentur in prima Synodo Prouinciali tit. de Sacramentis cap. 6. & ſunt ſequentes.

1. Raptus virginum.
2. Homicidium.
3. Incendium ex deliberata voluntate procuratum.
4. Simonia.
5. Sodomia.
6. Hæreſis.
7. Apoſtaſia.
8. Inceſtus cum conſanguineis aut ſanctimonialibus.
9. Iniectio manuum violenta, deliberato propoſito cum læſione in Parentes facta.
10. Sortilegium.
11. Adulterium, notorium, & omnia delicta, quæ excommunicationem maiorem annexam habent. Et ea delicta quæ prædictis grauiora ſunt.

Antuerpienſis, Brugenſis, Gandenſis, Ruremondenſis & Iprenſis reſeruatio eadem eſt cum Mechlinienſi: eò quòd Paſtorali ad vſum totius illius Prouinciæ impreſſo, inſerta ſit, Epiſcopus tamen Iprenſis addidit caſum *Sacrilegij*, vt conſtat ex ſtatutis Synodalibus illius Diœceſis *cap.* 21.

Reſeruatio Cameracenſis.

CAſus reſeruati in Diœceſi Cameracenſi habentur in Synodo Diœceſana habita anno 1604. tit. 8. de Sacramento pœnitentiæ c. 1. & referuntur in manuali Parochorum illius Diœceſis impreſſo anno 1623.

1. *Hereſis*, non ea quæ ſolùm eſt interna, nec ea quæ ſolùm eſt externa, ſed interna quocumque ſigno exteriùs manifeſtata, Sub qua continetur dubitans de fide, ſi voluntariè & ex pertinacia ac prauitate, ſeu ſciens & prudens dubitat de veritate quam nouit eſſe de fide, illudque ſuum dubium exteriùs prodit. ſecùs ſi dubitet ex ignorantia, aut infirmitate.

2. *Apoſtaſia*. A fide quidem, ſi animo ſimul & exteriùs ab ea ex toto deficiat. *A religione*, ſi profeſſus religionem approbatam ſine licentia eam deſerit animo non redeundi ad illam, vel ad aliam, ſed læcu-ariter viuendi. Et ſi habitum ea intentione dimittit, vel vt contra ius ad aliam tranſeat, vel etiam ad vagandum, eſt excommunicatus: ſimiliter ſi habitum abijcit ad fornicandum, alio vt ſe occultet aſſumpto. *Ab ordine* vero, ſi in maioribus Ordinibus conſtitutus propria authoritate recedit ad ſtatum læcularem: & ſi vxorem duxerit, excommunicatus eſt. *Clement. vnic. tit. de conſang.*

3. *Publica & enormis blaſphemia in Deum, vel Sanctos.* Enormis autem eſt, quæ deliberatè fit, & ex odio vel ex affectu deteſtandi, contemnendi, aut deridendi Deum vel Sanctos, Sacramenta, Imagines ſacras, Reliquias. Id autem ex qualitate perſonarum, locorum, temporum, aliarumq; circumſtantiarum iudicandum eſt. Non cenſetur autem enormis (tametſi ſit mortale peccatum) quæ ſubito fit (cum aduertentia tamen) ex aliqua paſſione, vel conſuetudine. Publica autem eſt, quæ fit coram pluribus, & innotefcit maiori parti alicuius vicinię, Collegij aut cuiuſcumque congregationis, in qua ſunt ad minus decem perſonæ. Nolumus autem reſeruari blaſphemiam enormem, niſi ſimul ſit publica: neque publicam, niſi ſimul ſit enormis.

4. *Homicidium voluntarium* reipſa factum: & ſi ſit Clerici, ſolus Pontifex, vel ab eo delegatam potoſtatem habens, abſoluere poteſt.

5. *Inceſtus* cum patre, vitrico, matre, nouerca, filio, filia, priuigno, priuigna, fratre, ſorore reipſa commiſſus, & cum mulieribus religioſis profeſſis.

6. *Maleficia*: Per quæ maleficus pacto expreſſo vel implicito cum Dæmone, immediatè vel mediatè, ſeu per tertiam perſonam ſcienter inito alicui in anima, corpore, fama, honore, rebus & alijs quibuſcumque reipſa nocet, quocumq; modo id fiat, ſiue ſignis, ligaturis, characteribus, imaginibus, verbis, ſeu quibuſuis rebus.

7. *Simonia realis*.
8. *Sodomia* cum eodem ſexu, *Beſtialitas* & eiuſmodi grauiora reipſa conſummata.
9. *Incendium* Eccleſiæ, domorum, frugum aut aliarum rerum ex propoſito factum.
10. *Peccata* item mandantium, conſulentium, auxilium & fauorem præſtantium in hæreſi, homicidio, incendio, maleficijs ſupradictis.
11. *Iniectio violenta manus* in patrem, matrem, auum, auiam, proauum, proauiam, vitricum, nouercam.
12. *Crimen falſary*, ſi ſcripturæ ſint publicæ, vt Regis, Principis, Magiſtratus, Iudicis de publico tractantes.
13. *Violatio Eccleſiaſtica libertatis & immunitatis*, ſcilicet edicta illi contraria faciens, ſeruans, ſeruari faciens, aut ſcribens, prohibenſque ſubditis, ne perſonis Eccleſiaſticis vendant, aut ab ijs emant: delinquentem extrahens ab Eccleſia, monaſterio ſeu conuentu, Capella ab Epiſcopo ad inibi celebrandum deputata, cœmeterio, domo Epiſcopi, hoſpitali, aliove loco priuilegiato. Quæ verò inſuper violatio libertatis & immunitatis Eccleſiaſticæ reſeruetur, nihil hic dicimus, quia pertinet ad Pontificem.

Excommunicationes reſeruatæ.

CONTRA

ADulteros publicos, ſi intra quindecim dies à monitione non abſtineant ab iſta conuerſatione, *Synod. Croy. tit.* 6.

Hoſtiliter capientes, vulnerantes, interficientes in Comitatu Cameraceſij, agricolas arantes, vel ad agriculturam euntes aut redeuntes, ſemina portantes & fautores. *Antiquit. ſtatut. tit.* 16.

Baptizantem alibi, quàm in Eccleſijs, in quibus ſunt fontes baptiſmales, liberis Regum & Principum exceptis, & excepto caſu neceſſitatis. *Antiq ſtatut. tit.* 2.

Iudicem laicum confiſcantem & leuantem, in ſequeſtrationem detinentem vel detineri facientem, niſi ſtatim ad Epiſcopi mandatum reddat bona clerici propter eius crimen ab Epiſcopo annotanda vel ſequeſtranda. *Antiq. tit.* 15.

Violenter inuadentem aut occupantem, cum fautoribus, Cameracenſem Ciuitatem, villas, nemora, prata, molendina, vinaria & alia loca & iura ad Epiſcopum pertinentia. *Antiq. tit.* 16.

Capientem, carceri mancipantem, vel à proſecutione litis ceſſare compellentem bonis ſuis cedentes aut cedere volentes, aut alias forum Eccleſiaſticum eligentes ſuper his quæ ad illud pertinent. *Antiq. tit.* 28.

Celebrantem ſcienter vbi eſt ceſſatio à diuinis, qui ſuſpenditur: & ſi ſuſpenſionem per ſex dies ſuſtinuerit, excommunicatur. *Antiq. tit.* 15.

Occidentem, capientem, aut licentiam dantem, latorem cenſuræ Eccleſiaſticæ contra laicos: vel aliàs in perſona, bonis ſuis vel ſuorum grauantem ipſum aut eos qui tales cenſuras protulerunt, vel eaſdem ſeruant, vel taliter excommunicatis communicare nolunt; niſi licentiam reuocauerit, vel bona capta infra octo dies reſtituerit, aut pro ipſis ſatisfecerit. Et ſi per duos menſes in ea excommunicatione manſerit, à ſolo Papa poteſt abſolui. *Antiq. tit.* 15.

Clericum, qui per iuſtitiæ ſæcularis potentiam & fauorem, euitat aut euitare tentat Iudicis Eccleſiaſtici correptionem, & dantes auxilium, conſilium, iuuamen. *Antiq. tit.* 2.

Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, qui ſe coram iudicibus laicis ſiſtunt, fideiubent, aut ſe obligant, contrahunt, & ſe mutuo conueniunt. *Synod.* 2. *Prouinc. tit.* 16. *c.* 2.

Conſpirantes contra ſuos Prælatos, & Presbyteros, & eorum libertates & iura, verbo vel facto, publicè aut occultè: & auxilium, conſilium, fauorem, mandatum dantes, & alligationes, confœderationes, expenſarum & ſumptuum diſtributiones. *Antiq. tit.* 14.

Duellatores cum fautoribus. *Antiq. tit.* 16.

Polluentem Eccleſiam vel Cœmeterium ſanguinis effuſione, aut pollutionis cauſam exiſtentem, ſi à curato requiſitus infra menſem reconciliationem cum effectu non procurauerit. *Antiq. tit.* 13.

Ob-

Casus reseruati Episcopis Belgij.

Obsessores Ecclesiarum vel Cœmeteriorum m aduersos eos, qui eò refugij causa confugerint, si moniti non recedant. *Antiq. titul.* 13.

Excommunicatos publicè & interdictos, si nominatim moniti à celebrantibus, Ecclesiam non exeant, à solo Papa possunt absolui: qui inhibent eis ne exeant, à solo Episcopo. *Antiq. tit.* 8.

Excommunicatos ab Episcopo vel Officiali, si in articulo mortis à proprio Curato fuerint absoluti, reincidunt in eandem excommunicationem, nisi infra mensem post suam conualescentiam Episcopo & parti satisfecerint. *tit.* 5. & 16.

Homicidas. *tit.* 5.

Incendiarios, cum fautoribus, in Comitatu Cameracesij. *titul.* 16.

Intromittentem sese iudicialiter matrimonialibus causis, aut illis annexis. *Synod. Croy. tit.* 6.

Contrahentes scienter matrimonium in casibus à iure prohibitis. *Antiq tit.* 9.

Copulatos matrimonio, qui sine iudicio Ecclesiæ se separant, causa diuortij faciendi, nisi infra quadraginta dies redierint, aut actionem diuortij intentauerint. *ibid.*

Moniales clausuram professas, sine licentia clausuram exeuntes, siue sint exemptæ siue non. *Synod. Croy. tit.* 4.

Recipientem ordines scienter & fraudulenter ab alieno, Episcopo sine consensu proprij: vel per saltum. *Antiq. tit.* 10.

Negantem Pœnitentiæ sacramentum afficiendis vltimo supplicio, si illud petierint. *tit.* 4.

Religiosos exemptos & non exemptos non seruantes interdictum. *tit.* 13.

Religiosos matrimonia solemnizantes, Sacramenta Eucharistiæ & extremæ-Vnctionis ministrantes, sine licentia Parochi cum fautoribus, aut absoluentes à sententia per statutum Synodale promulgata sine licentia. *tit.* 9. & 11.

Schismaticos. *tit.* 16.

Facientes sortilegia de Chrismate, de Corpore Christi, seu alio Sacramento. *tit.* 8.

Impedientem malitiosè Synodum. *tit.* 1.

Recipientem scienter & fraudulenter tonsuram ab alieno Episcopo sine licentia proprij. *tit.* 10.

Facientem torneamenta, cum fautoribus. *tit.* 16.

Vsurarios manifestos. *tit.* 21.

Suspensiones reseruatæ.

CONTRA

PRoclamantem banna eorum, qui sponsalia sine Parocho contraxerunt. *Antiq. tit.* 9.

Deseruientem beneficio curam animarum habenti, vltra mẽsem sine Episcopi licentia. *tit.* 8.

Capellanum vel Officiatum sine Episcopi aut Vicarij eius cõsensu recipientem pecuniam ex redemptione redituum fundationis sui beneficij, aut officij prouenientem. *ibid. in fine.*

Curatum Parochianos suos nominatim excommunicatos diebus Dominicis & Festiuis, non denunciantem in facie Ecclesiæ quoties id scienter, gratia, amore vel fauore omiserit. *tit.* 12.

Decanos & alios Presbyteros se iudicialiter intromittentes matrimonialibus causis & alijs quibuscumque. *tit.* 9.

Executorem prodentem literarum curiæ portatorem, ostendentem, reuelantem, reuelari facientem, aut mandatum insinuantem, insinuari facientem, permittentem, aut procurantem parti aduersæ, antequam portator ad duo milliaria recesserit: dum scit aut videt insidias poni, aut periculum imminere portatori per partem aduersam. *tit.* 15.

Solemnizantem Matrimonium ex sponsalibus sine Parocho contractis. *tit.* 9.

Presbyterum ipsa euidentia rei notorium fornicatorem: & celebrando fiet irregularis. *tit.* 8.

Presbyterum, Capellanum statuta Synodalia in casu cessationis scienter non obseruantem. *tit.* 15.

Presbyterum, Capellanum, aut eorum Vicarios mulieres iacentes de partu damnato, coitu nefario, vel fornicatio notorio & manifesto ad purificationem recipientem sine Episcopi, vel Officialis, vel Decani speciali licentia. *tit.* 9.

Presbyterum, qui leges Episcopo & Archidiacono locorum debitas occultat, seu fraudem facit in eisdem quo minùs legitimè persoluantur, nisi infra mensem satisfecerit seu reuelauerit. *tit.* 18.

Religiosos mendicantes audientes pœnitentium confessiones sine licentia Episcopi. *Synod. Croy. tit.* 10.

Sepelientem in loco sacro eum, qui excommunicationem authoritate Episcopi latam per annum & diem sustinuit, quamuis in articulo mortis per Sacerdotem fuerit absolutus. *Antiq. tit.* 21.

Prælatos, Patronos, Sacerdotes ad Synodum non venientes: item Capitula, Collegia, & quosuis alios, qui de iure vel consuetudine venire tenentur, si Diœcesani sint, nec sint legitimè excusati, nisi infra mensem super inobedientia sua emendam Episcopo, vel Officiali competenter præstiterint. *tit.* 1.

Reseruatio Tornacensis.

CAsus Episcopo Tornacensi reseruati habentur in Synodo habita sub Reuerend. D. Michaele d'Esne. *Tit.* 8. *de Sacramento Pœnitentiæ cap.* 7. & 8. in hæc verba.

Cæterùm ne quis solita casuum reseruatione à salutari confessionis remedio retrahatur: vel quia Sacerdotem, qui eum absoluat in promptu non habet: vel quia propter sumptus ad nos, vel delegatos nostros proficisci differat: huic rei consulere volentes, potestatem absoluendi à casibus nobis reseruatis, omnibus Parochis vsque ad nostram reuocationem committimus, exceptis tamen;

1. Hæreticis, qui à nobis absoluendi veniunt.
2. Homicidis, qui ad Pœnitentiarium.
3. Excommunicatis, suspensis, ac nostra auctoritate interdictis, vel quibus solemnis pœnitentia foret imponenda, quos ad Officialem nostrum remittimus.

Et sequitur. Cap. 8.

CAsus autem nobis reseruati, à quibus Pastoribus damus licentiam absoluendi, hi sunt.

4. Apostasia.
5. Sortilegium factum cum Eucharistia vel chrismate.
6. Periurium solemne.
7. Violatio Voti solemnis.
8. Iniectio violenta manuum, deliberato proposito cum læsione in Parentes.
9. Veneficium.
10. Procuratio sterilitatis, vel abortus.
11. Sacrilegium excedens quadraginta solidos.
12. Vsura notoria.
13. Incendium voluntate deliberata procuratum.
14. Adulterium notorium.
15. Incestus cum sanctimonialibus, & consanguineis intra tertium gradum.
16. Sodomia.
17. Raptus Virginum.
18. Falsum testimonium datum in iudicio.
19. Crimen falsi.
20. Simonia realis, & prædictis grauiora, in eodem genere peccati.

Reseruatio Attrebatensis.

EXtracta ex Manuali Parochorum illius Diœcesis tit. Casus Episcopo Attrebatensi reseruati. Anno 1623. Iure antiquo varij casus in hac Diœcesi Episcopo reseruantur, vt videre est in statutis Prædecessorum *tit. Casus reseruati.* Sed ne eorum multitudo nimiam adferat in confessionis negotio perplexitatem, visum est hodie tria hæc dumtaxat reseruare, donec aliud iudicatum fuerit expedire.

Homicidium voluntarium. Libidinem nefandam. Excommunicationem maiorem.

NAm hæresis crimen non est quòd adnumeretur, cùm hodie sit casus Papalis per Bullam cœnæ Domini reseruatus.

Porrò nomine *Libidinis nefandæ* ne circa eam aliqua dubitandi occasio relinquatur, declarat R. mus D. eius nomine intelligi illud dumtaxat peccatum libidinis, quod cum persona eiusdem sexus, vel (quod etiam horror est nominare) cum bruto fuerit consummatum.

Maioris Excommunicationis, intelligitur tam ea quæ de iure, quam quæ ab homine lata sit. Cæterùm quia variæ sunt & multiplices Excommunicationes, ne similiter earum reseruatione,

ne, conscientias illaqueari contingat, declarat idem R.mus præter eas, quas sibi Apostolica sedes reseruat, has solùm deinceps, quæ sequuntur (nisi aliud ius emanare contingat) inter reseruatas censendas esse.

1. Contra eos, qui maleficijs vsum matrimonij impediunt. Ita habetur in statutis prædecessorum, *tit. de Matrim.*

2. In eos, qui contra aliquod Matrimonij impedimentum dirimens contrahere præsumpserint. *Ibidem.* Comprehensis etiã ijs, qui huiusmodi Matrimonia scienter celebrauerint. *Clement. 1. de Consanguinitate.*

3. In Clericos beneficiatos aut Sacerdotes tenentes notoriè concubinam, aut continuè mulierem in domo suspectam. In dictis statutis, *de vita & honestat. cleric.*

4. Contra vsurarios publicos. *Ibid. tit. de vsuris*, vbi excommunicant vt quidem generaliter omnes vsurarij: cæterum reseruationem ipsius excommunicationis ad solos vsurarios manifestos Reuerendiss. D. vult deinceps pertinere. Quorum etiam familia, vti hactenus Ecclesiastico interdicto subiecta permanebit, ita vt nec ad communionem Altaris admitti debeat, nec Ecclesiastica honorari sepultura.

5. Contra Clericos, siue Sæculares, siue Regulares Bona Ecclesiæ in perpetuum alienantes, nec non & contra Laicos cum ijsdem contrahentes. In Synod. 2. Prouinc. Camerac. *Titul. 15. cap. 2.*

6. Contra Clericos in sacro ordine constituros fide-iubentes, aut aliàs se obligantes cum renunciatione priuilegij Clericalis. Eadem Synod. *tit. 16. c. 2.*

7. Contra Clericum sacri ordinis, qui alium vel alios in sacro item ordine constitutus conuenire facit coram laicis iudicibus actione personali. *Ibid.*

8. In eos, qui cum excommunicato excommunicatione Episcopo reseruata, communicant in crimine criminoso, id est, propter quod ante erat excommunicatus.

9. Denique reseruatur excommunicatio specialiter lata per sententiam Episcopi vel Officialis eius in personam vel personas determinatas, vt qua excommunicatur Petrus, Ioannes, &c. Secus autem de ea, quæ fertur generaliter & indeterminatè in eos, qui hoc vel illud fecerint.

Isti igitur sunt casus & excommunicationes, quas Reuerendiss. D. statuit hodie sibi reseruari. A quibus nihilominus permittit pœnitentem absolui per inferiorem confessarium, quando facit confessionem generalem, ad seriam vitæ emendationem; semel dumtaxat.

Ad extremum monendi sunt Parochi, alijque confessarij inferiores quòd licèt absoluere possit à peccatis quibus annexa est aliqua suspensio, irregularitas, vel interdictum, nisi ea aliunde reseruentur, non posse tamen ipsos huiusmodi impedimenta tollere, vel in ijs (vti nec in votis aut iuramentis) dispensare, nisi id à superiore specialiter concedatur.

Reseruatio Andomarensis.

CAsus reseruati in Andomarensi Diœcesi recensentur in Synodo habita sub Reuerendiss. D. IOANNE SIX. *Tit. de Sacramento pœnitentiæ c. 17.* vt sequitur.

1. Vsus malarum siue Diabolicarum artium.
2. Periurium solemne.
3. Iniectio manus violentæ in Patrem aut Matrem.
4. Incendium deliberatè procuratum.
5. Apostasia.
6. Homicidium.
7. Congressus cum bestia.
8. Sodomia.
9. Adulterium, notorium.
10. Concubinatus notorius.
11. Violatio sanctimonialis.
12. Incestus in primo & secundo gradu tam consanguinitatis, quàm affinitatis.
13. Raptus Virginis.
14. Exercitium Vsuræ publicum.

Pro alijs, Vide Trident. *sess. 24. c. 6. de reform.*

Reseruatio Namurcensis.

CAsus Episcopo Namurcensi per peculiare illius statutum reseruati, enumerantur in Synodo Diœcesana publicata à Reuerendiss. D. Engelberto Desbois 7. Iunij, anno 1639. *Tit. de Sacramento pœnitentiæ*, his verbis.

Reseruamus nobis omnem casum cui annexa est excommunicatio maior de iure aut Decreto Sacri Concilij Tridentini Episcopis reseruata.

Deinde sequentes casus enumerat.

1. Hæresis.
2. Apostasiam.
3. Homicidium Voluntarium.
4. Incendium voluntate deliberata procuratum.
5. Concubitum contra naturam.
6. Raptum Virginum.
7. Incestum cum sanctimonialibus, consanguineis aut affinibus, in primo aut secundo gradu.
8. Adulterium manifestum.
9. Manuum Violentam iniectionem in Parentes.
10. Veneficium.
11. Sortilegium.
12. Ligaturam & omne maleficium, in quo impeditur actus matrimonialis in coniugibus.
13. Oppressionem tenuiorum negligentia qualibet prouenientem factam.
14. Simoniam realem.

Et omnia alia prædictis grauioria in eodem genere peccati: Apostolicæ tamen sedis casibus semper saluis.

Reseruatio Leodiensis.

CAsus Episcopo Leodiensi, seu eis Vicario in spiritualibus ac pœnitentiario reseruati, iuxta Parochiale Leodiense, de Sacramento Pœnitentiæ. Rubric. De Casibus Episcopo, &c.

1. Hæresis.
2. Apostasia.
3. Homicidium Voluntarium.
4. Iniectio manuum in Parentes.
5. Machinatio in mortem coniugis.
6. Veneficium.
7. Maleficium.
8. Incantatio.
9. Procuratio aborsus.
10. Prolis oppressio.
11. Stuprum siue violenta Virginis defloratio.
12. Raptus.
13. Matrimonium contractum post votum castitatis, aut in gradu prohibito scienter, vel priore Vxore adhuc uiuente.
14. Incestus cum consanguineis, aut cum Virgine sacra seu moniali professa.
15. Concubitus contra naturam, puta Sodomia & eius generis grauiora crimina.
16. Falsitas circa Monetam.
17. Falsitas circa literas alicuius Prælati inferioris Papæ.
18. Solemne periurium.
19. Publica, enormis blasphemia in Deum aut Sanctos.
20. Insignis contumelia illata Sacro-sanctæ Eucharistiæ, aut sacris Sanctorum reliquijs.
21. Abusus Sacro-sanctæ Eucharistiæ, aut sacrarum reliquiarum, vel etiam sacræ Scripturæ ad exercitium artium magicarum.
22. Omnes casus occulti S. Sedi Apostolicæ reseruati: Item excommunicatio, suspensio & irregularitas, ex his prouenientes, dempta tamen irregularitate ex homicidio voluntario proueniente: nam hi casus Episcopo sunt concessi per S. Conc. Trident. *sess. 24. cap. 6.* Liceat Episcopis.

RESERVATIO TREVIRENSIS.

Casus reseruati Archiepiscopo Treuirensi,

SVNT;

1. Peccatum Clerici, propter quod incurrit irregularitatem.
2. Votorum violatio maximè post votum castitatis matrimonio contracto.
3. Crimen incendiarij.
4. Peccatum omne, propter quod solemnis pœnitentia indicenda est.
5. Omnis excommunicatio maior à Reuerendiss. Archiepiscopo eiusque Officialibus lata.

6. Su-

Casus reseruati Episcopis Belgij.

6. Susceptio tonsuræ, vel Ordinis alicuius ab alieno Episcopo, sine facultate Reuerendiss. Archiepiscopi tanquam Ordinarij.
7. Homicidium voluntarium facto, vel præcepto, consensu, consilio, exhortatione, vel quocunque modo perpetratum.
8. Machinatio in mortem proprij vel propriæ coniugis.
9. Crimen falsi eorum tam monetæ, quam literarum & instrumentorum tam publicorum.
10. Violatio Ecclesiasticæ libertatis & immunitatis.
11. Sortilegium, Diuinatio, Incantatio, & similia magica.
12. Administratio & executio Ordinis sacri non suscepti.
13. Celebratio Missæ, vel aliorum, sine vestibus sacris, in Altari non consecrato, loco aut tempore interdicto, scienter facta.
14. Abusus hostiæ, chrismatis, olei sacri, vel cuiuslibet rei sactæ.
15. Omnis inhonestas circa Eucharistiæ Sacramentum vel culpa, vel negligentia commissa.
16. Secundarum nuptiarum benedictio.
17. Sepulturæ hæreticorum, & publice excommunicatorum in loco sacto.
18. Periurium Clericorum attactis Sanctis Euangeliis.
19. Percussio Parentum, vel enormis eis irrogata iniuria.
20. Crimina latrocinantium, & insidiantium viatoribus & itineribus.
21. Defloratio violenta Virginum, & earundem raptus.
22. Matrimonium cum aliquo vel aliqua initum viuente adhuc coniuge.
23. Matrimonium contractum cum illa, quam viuente marito per adulterium cognouit.
24. Conceptus prolis ex alieno, quem marinus pro suo nesciat educat.
25. Oppressio prolis studiosa, vel ex negligentia, tam ante partum, quàm post, patrata.
26. Procuratio sterilitatis, vel abortus.
27. Coitus cum moniali, vel consanguinea, Vel ludæa, & è contra.
28. Sodomia & cum brutis congressio.
29. Commixtio sacerdotis cum sua filia spirituali, quam scilicet baptizauit, vel cuius confessionem audiuit.
30. Omnis enormis blasphemia in Deum vel Sanctos.
31. Crimen hæresis iuxta Concilium Trid. *sess. 24. cap. 6. de reformatione.*

F I N I S.

Digitized by Google

FLORES TOTIVS THEOLOGIAE PRACTICÆ.

ABBAS.

SVMMARIVM.

1. QVÆNAM *iure communi in Abbate requirantur.*
2. *An omnes Abbates ſacrari, aut benedici debeant? & quibus diebus? An poſſit benedictio iterari? à quibus benedicantur?*
3. *Benedictio nõ eſt neceſſaria vt iuribus Abbatialibus Benedicto cõpetẽtibus gaudere queat.*
4. *Abbas exemptus Romani Pontificis auctoritate confirmari debet, aut Legati à latere. Non exemptus, Epiſcopi auctoritate confirmatur.*
5. *An per confirmationem, vel per benedictionem Abbati iuriſdictio conferatur?*
6. *Abbatis auctoritas ad qua ſe extendat in ſolenni benedictione populi? & an poſſit minores Ordines conferre ſubditis? An prælati mendicantium gaudeant hoc priuilegio.*
7. *Abbatum quorundam poteſtas circa benedictiones calicis, Altaris, &c.*

§. 1.

8. *Quid poſſint Abbates, & alij Prælati regulares circa ſubditos in abſolutionibus & diſpenſationibus irregularitatum, ſuſpenſionum, &c. virtute Concilij Tridentini?*

§. 2.

Summorum Pontificum priuilegia recenſentur, in quorum vim Abbates & alij Prælati regulares abſoluunt ſubditos à Caſibus Papæ reſeruatis.

§. 3.

In quibus irregularitatibus poſſint Abbates & alij Prælati regulares cum ſibi ſubditis diſpenſare?

§. 4.

Multiplex poteſtas Prælatorum in ſubditos enarratur.

§. 5.

An priuilegijs Regularium ſit derogatum per Bullã Cœnæ Domini?

9. *Abbatis commendatarij poteſtas in Capitulo.*
10. *Abbas à quorum regularium obſeruantia ius habeat ſoluendi & eximendi Monachos? An Abbates poſſint in præceptis Eccleſiæ diſpenſare.*
11. *ÆTas iure requiſita in Generalibus, Prouincialibus Ordinum, Guardianis, Prioribus, Diffinitoribus, &c.*

1. IVre communi requiritur in Abbate vt ſit expreſsè profeſſus; ſacerdos; ætatis 25. annorum; vt ſit à monaſterio, cui præeſſe debet, electus; & ex eodem monaſterio, ad cuius præfecturam aſſumitur, creetur: niſi quando monaſterium idoneam perſonam non haberet; tunc eligi poteſt de alio: denique vt præfectus ſit tantùm vni monaſterio vel Eccleſiæ, habentibus curam animarum, niſi vnum monaſterium, vel Eccleſia dependeat ex alia, vel inuicem ſint annexa; hæc colliguntur ex multis Capit. Iuris Canonici hìc citatis, Propterea Abbatia regularis, quæ eſt beneficium, non datur in Titulum, niſi Monacho religionem profeſſo; in Commendam autem, aut in adminiſtrationem perpetuam dari poteſt, etiam non profeſſis, neque Sacerdotibus; vt commendari ſolet Cardinalibus, aliiſque primarijs Eccleſiæ Clericis. *C. Nullus de elect. in 6. cap. 1. de ætate & qual. ordinand. C. Abbas & C. Abbatum. 18. quæſt. 2. C. Quam ſit. 18. qu. 2. C. Vlt. de religioſis domib. Azorius tom. 1. l. 12. c. 30. Layman l. 5. tr. 9. c. 13. §. vnic. num. 15. Syluester V. Abbas m. 1. 2. 4.* Vide *Tamburinium to. 1. diſp. 5. qu. 10. & ſequent.*

2. *Illi ſoli Abbates* benedicuntur ab Epiſcopo, qui iuxta ſuę Eccleſiæ morem benedici ſolent, non alij: *C. Alienat. 12. quæſt. 2. C. Tua, de conſecrat. Eccleſ.* hæc autem benedictio *iure* fieri poteſt etiam non Dominicis diebus; & ſi ad alteram Abbatiam eligatur Abbas ſemel benedictus, ſecundùm communem ſententiam, quam tradit *Nauar. conſil. 2. de ſtatu Monachorum.* non eſt iteranda, licet characterem non imprimat; ſicut benedictio nuptialis non repetitur, *Cap. 1. & 3. de ſecundis nuptijs.* Abbatis verò benedictio ab Epiſcopo ſit aſſiſtentibus duobus Abbatibus: quamquam conſuetudo permittit vt à tribus Abbatibus benedictio conferatur, vt docent *Syluester V. Abbas n. 3. Layman, c. num. 17.* Extat priuilegium Innocentij VIII. datum anno 1489. die 9. Aprilis; quo conceſſit Ioanni Abbati Monaſterij Ciſtertij, vt Abbates & Abbatiſſas ſui Ordinis benedicere poſſit. Bullam refert Rodriques *in noua coll. prin. mendic. & non mendicantium.* Clemens autem VIII. *die 24. Iuly. anni* 1599. conceſſit eidem Abbati Ciſtertij Generali totius Ordinis, vt poſſit deputare Vicarios per prouincias, qui benedictionem nouis Abbatibus & Abbatiſſis dicti Ordinis impenderent. Ita Tamburinius de iur. Abbatum *tom. 1. diſp. 11. quæſt. 11.*

3. *Abbatis benedictio* non eſt adeò neceſſaria, quin ſine ea electus, omnibus & ſingulis honoribus, præeminẽtijs, priuilegijs, prærogatiuis, iuribus & inſignis Abbatialibus benedicto cõpetentibus gaudere queat, prout cõcedunt *Eugen. IV. Iulius ſecundus,* & *Leo decimus* apud *Rodriques, to. 1. qq. reg. q. 12. a. 4. & q. 18 art. 2. & Tamburinium to. 1. d. 11. q. 13.* Vnde benedictio Abbatis potiùs ad ſolemnitatem ſpectat quàm ad ſubſtantiam; vt rectè annotauit *Ioan. Selua p. 6. de bene. q. 2. nu. 7.* apud *Layman. c. nu. 17.* quia quidam Abbates ſolá confirmatione abſque alia benedictione conſtituuntur, vt plenam poteſtatem exercere poſſint. *Idemq;* dici debet ſi Epiſcopus tertiò requiſitus benedictionem conferre nolit: tunc enim minores ordines conferre poteſt, non ſecus, quàm ſi illi benedictionis munus fuiſſet impenſum. *C. Statuimus, de ſupplent. neglig. Prel. Azor. c. qu. 6. Ex conceſſione Alexandri III.* facta *Ciſtertienſibus*, quia Abbas electus & confirmatus in Abbatem, ante benedictionem dicitur Abbas. Ita *Azorius, Tamburinius diſp. 11. quæſt. 5.*

4. Abbates exempti Romani Pontificis auctoritate generali, vel ſpeciali confirmari debent, vel auctoritate *Legati à latere*, ſi vllus ſit in Prouincia; eamſi Prouinciam & legationem exuiſſet, *Secundum Gloſſam. C. Si Abbatem, de elect. in 6. Iuncta Glos. Syluester V. Abbas q. 3. Layman c. § vnic. nu. 15. Azorius c. quæſt. 6.* Si verò non ſint exempti, Epiſcopi auctoritate confirmantur, licet Romanorum Pontificum priuilegio Monaſtici Ordines obtinuerint, vt inferiores eorũ Abbates ſuorum ſuperiorum Abbatum, vel Præſidentium auctoritate confirmẽtur; quemadmodum Priores & Miniſtri Prouinciales Mendicantium Ordinum, nutu & auctoritate Prioris & Miniſtri Generalis confirmari ſolent.

5. Quando confirmatio ſola benedictionis vicem & firmamentum habet; aut vbi ſola benedictio ſine vlla confirmatione priori locum obtinet, tunc per confirmationem, aut per benedictionem omnis poteſtas & iuriſdictio Abbati conceditur. *Panorm. in C. vnic. de offic. ordin. Azor. c. quæſt. 6. Syluester. c. num. 4.* At verò vbi confirmatio præcedit & à benedictione diſtinguitur, per confirmationem conferuntur Abbati omnia.

nia, quæ ad iurisdictionem spectant.

6. Abbas potest populum solemniter benedicere in Ecclesijs sibi pleno iure subiectis; alijs autem in locis non nisi ex priuilegio speciali; post Missarum sacrificia perfecta, & absoluta, post vespertinas preces, aut matutinas decantatas Ecclesiæ autem dicuntur Monasterio pleno iure subiectæ *secundum Glossam*, quæ tum in his, quæ ad spiritualium, tum in ijs, quę ad temporalium rerum administrationem pertinent, sunt in curá & potestate Monachorum. *C. Abbates, de priuil. in 6. Glossa. Syluester c.q.2.n.5. Rodriq. to.1.qq.reg.q.18.art.2.* Præterea potest Abbas minores Ordines & tonsuram conferre, *C. Quoniam, dist.69. & c.cum contingat de ætat. & qualit.* non obstante defuetudine etiam longi temporis seruato tamen decreto *Concilij Tridentini de reform. sess.23. c.10.* quod sic habet. *Abbatibus, aut alijs quibuscumque quantumuis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius Diœcesis consistentibus, etiamsi nullius Diœcesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre.* Hæc ibi. *Sylvius in suppl. q.38. art.1. Portel. V. Abbas n.2. in dub.reg. Azor. c.q.7.* Vnde hoc potest Abbas non ratione ordinis, sed demandata sibi potestate à iure tam antiquo quàm nouo. Non obstante tamen prædicto decreto ex declaratione sacræ Congregationis Cardinalium, Abbas potest sæcularibus aut alijs Monachis sibi non subiectis tonsuram & minores ordines conferre, modò Episcopi vel Superioris licentia accedat. Nota tamen quòd facultas illa ordines conferendi, restringenda esse videtur ad eos Prælatos regulares, qui ius mitram & baculum deferendi habent. Vt testantur *Zerola in praxi Verb. Abbas. Barbos. p.2. alleg. 3 n.13. noster Sorbus in compend. priuil. V. Ordines sacri.* Et licet Superiores & Prælati Mendicatium Ordinum communicent in priuilegijs cum Monachis, hoc tamen priuilegio Ordines conferendi, minime gaudent, cùm enim ex sua concessione primæua Abbatibus benedictis elargitum sit huiusmodi priuilegium, non fuit postea Prælatis Mendicantium communicatum, seu extensum, cùm ipsi non benedicantur, nec præeminentiam & dignitatem quandam, quam sibi Abbates iam antiquitùs acquisiuére, vendicent, vt colligitur ex Suar. *tom.4. de relig. tr.1. lib.2. c.29. n.28.* Laur. de Peyr. *to.2. de Prælat. c.7. n.25.*

7. Quidam Abbates infulati, id est, qui insignibus Pontificalibus vtuntur immemorabili consuetudine calices, altaria, campanas, lapides & pyxides consecrandi facultatem præscripserunt: quæ consuetudo etsi sit contra ius commune, vt patet ex *Cap. Abbates, iuncta Glossa in Verbo, tonsuram, de priuil. in 6.* fundata est in priuilegio *Innocentij* 8. apud *Tamburinum de iure Abbat. to.1. d.23. q.13. Armilla v. Calix, n.4.* & ideò hanc sententiam docent *Barb. de potest. Epis. p.2. alleg.27. n.36. Miranda, to.2. q.40. ar.4. Portel c.n.3. Rodriq. in sum. to.3. c.19. n.2.* apud *Dian. de dub.reg. ref.15.* quamuis talem consuetudinem reprobent *Sylu. v. benedictio. n.5. Suar. de relig. to.4. l.2. c.30. n.8.* Vide *V. Benedictio.*

8. Quid autem possint Abbates & alij Prælati regularium circa suos subditos regulares in absolutionibus & dispensationibus; tam virtute Iuris communis quàm priuilegiorum, summariè per sequentes paragraphos distinguemus.

§. I.

Notum est apud omnes sacri Concil. Trid. decretum *sess.24. c.6.* vbi habetur: *Laceat Episcopis, in irregularitatibus & suspensionibus omnibus ex delicto occulto prouenientibus, exceptâ ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, dispensare, & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua, per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tantum, non eorum Vicarijs sit permissum.* Quandoquidem probabile sit hanc facultatem Episcopis in hoc decreto concessam, non esse reuocatam per Bullam *Cœnæ*, vt asserunt *Puteanus 2. 2.q.11.a.4.d.2. Fagundes pr.2.l.8.cap.8.nu.32.33. Sanches l.2. Moral.c.11.num.27. Diana 4.p.tr.4.resol.239. Crouser ad cap.7. reg. Min.lect.11.fol.584.* & alij multi penes ipsos: quia in Bullâ Cœnæ non fit expressa mentio Concil. Tridentini, quod quidem est necessarium, vt censeatur illi derogatum, eò quòd Constitutioni seu decreto Concilij propter eius grauitatem non intelligatur derogatum, nisi de eo fiat mentio specialis. Vt patet *Cap. Nonnulli, de rescript.* Quæstio tamen est: Vtrum particula *Episcopis*, comprehendat Prælatos, habentes iurisdictionem Episcopalem, vt sunt Abbates & Prælati religionum exemptarum, Generales, Prouinciales, Locales, eorúmque Vicegerentes; ita vt hoc idem possint in suos subditos, siue religiosos, siue alios; quod Episcopi in Diœcesanos? *Suares de censur. disput.41. sect.2.* docet illos non comprehendi: propter quamdam declarationem Cardinalim circa dictum decretum, quam his verbis refert: *In hoc decreto non comprehenduntur inferiores habentes iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem: sed tantum Episcopi, primaque quoad omnes alios.* Tum quia hæc facultas datur Episcopis iure speciali, & intuitu authoritatis & dignitatis, quâ pollent; ergo non est extendenda ad alios non Episcopos, quamuis iurisdictionem Episcopalem habeant. Nihilominus mihi probabilius est contrarium, cum *Sanches de matrim. l.8. disp.2. nu.12. Crousers c.lect.11. Henriques l.6. de pœn. c.16. num.1. Rodriques to.2. summæ c.10. n.6. & qq.regul. tom.1. q.61. a.9. Diana p.7. tr.2. resol.4. Caspensis to.2. tra.25. disp.5. sect.17. num.118.* Ratio est: quòd id decretum sit tanquam fauorabile ampliandum: quia hæ censuræ & casus occulti, non censentur reseruati Papæ; & ideò sub iurisdictione Episcopali, amplè accepta, comprehenduntur; maximè, cùm hoc decretum, plerisque Doctoribus, non sit ius nouum, exorbitans ab antiquo, & quamuis esset exorbitans; tamen cùm in corpore iuris claudatur, latè est interpretandum: Nec obstat declaratio Cardinalium in contrarium adducta: Quia, vt inquit *Sanches*, de eâ non constat authenticè, neque necessariò illi standum, cùm non faciat ius: quamuis magnam auctoritatem habeat. Quare hoc intelligendum censet noster *Crousers*; non solùm respectu suorum subditorum qui etiam Regulares sunt, sed etiam aliorum, qui non sunt: quales sunt famuli sæculares, in Monasterio habitantes, vel incolę territorij exempti. Hæc de iure communi.

§. II.

Ex multorum Pontificum priuilegijs clariùs constat Prælatorum regularium auctoritas in subditos regulares, tam ante, quàm post Concil. Trident. concessis: *Comp. priuil. Mendic. V. Absolutio ordinaria quoad fratres §.18. Crousers ad cap.7. reg. Minor. lect.12. fol.593.* vnde dicimus 1. Ex concessione *Alexandri VI.* Generalis, Prouinciales, & Custodes Minorum Vltramontani, illud omne quod Episcopis, quoad casus occultos, per Trid. conceditur, possunt circa suos subditos, siue Fratres, siue Moniales S. Claræ, siue Tertiarios vtriusque sexus; quia prædictus Pontifex eis facultatem facit absoluendi sibi subditos hæreticos & apostatas, etiam relapsos; sed qui id potest, iuxta reg. iuris; *Cui licet quod est maius, licet vtique quod est minus*, potest absoluere casus reliquos Papæ reseruatos; etiam in Bullâ Cœnæ, qui sunt minus graues, minúsque enormes: Et huic regulæ iuris conclusioni que per eam probatæ, consonat viuæ vocis oraculum *Pauli V.* quo R. P. *Francisco Hyberno* huius nostræ Prouinciæ Belgicæ Custodi in Capitulo nostro Generali 1608. declarauit, quòd qui potest absoluere, ab hæresi, possit etiam saltem semel in vitâ absoluere quemlibet à reliquis Bullæ Cœnæ, & ab alijs Papalibus toties quoties. Per hanc autem concessionem *Alexandri VI.* habent dicti Prælati potestatem absoluendi à reliquis Bullæ Cœnæ, non tantùm pro semel in vitâ, sed pro toties quoties.

Præterea ex priuilegio *Clementis IV. & Sixti IV.* Generalis, Prouinciales, Custodes, Guardiani, Superiores locales, prædictorúmque Vicarij omnes, possunt in suos subditos proferre absolutionem casuum Pontifici reseruatorum, etiam in Bullâ Cœnæ Domini, etiam hæreseos: quia hi occulti casus tales sunt, quòd propter illos non sint religiosi subditi meritò destinandi ad Sedem Apostolicam cùm ab Episcopis absolui possint. *Compend. priuileg. Mendic. c.§.7. Rodriques to.1. qq.reg. q.20. art.2. Crousers c.lect.12. a Sorbo V. Absolutio quoad sæculares 2. in annotation. Capucini.* Concessio autem *Clementis* 4. solùm excipit casus, propter quos delinquentes destinandi sunt ad Sedem Apostolicam, quando non sunt occulti, & *Sixtus IV.* declarauit ad Sedem Apostolicam destinandos esse hæreticos relapsos, Schismaticos, & qui litteras Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent. Vt referunt *Compendium priuileg. Mendicantium*, & *Rodriques*, & post illos *noster Crousers*. Ex quibus constat, quòd quantum ad casus, qui non sunt Prouincialibus reseruati, quilibet Prælatus localis, eiúsque vices gerens, modò sint occulti, habet in suo Conuentu, vel loco tantam auctoritatem, quantam Prouincialis in

lis in Provincia tota, & quantam Generalis in toto Ordine. Porrò post Concilium Trident. *Pius V.* Bulla 13. data ad instantiam Provincialis Hispaniæ, Ordinis Prædicatorii, tribuit Prioribus Conventualibus, quæ Sacrum Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6.* cõcessit Episcopis, scilicet, posse absoluere in foro cõscientiæ ab omnibus peccatis & dispensare in omnibus irregularitatibus ex delicto; ne Prior conventualis & aliis Prælati cõmunicantes in irregularitatis deterioris conditionis quàm Clerici seculares exiſtant. *Sorbo c.* Hinc virtute harum concessionũ possunt Prælati abbatiæ suos regulares & subditos. *Primo* ab hæresi occultata, id eſt, non publica, quamuis iuridicè probari possit. Ita *Portel in dub. reg. P. Abbas q. 6. Crouſe. dect. 12. fol. 591. Sanchez de matrim. l. 8. diſp. 2. n. 1. Suarez to. 4. de relig. tr. 10. lib. 9. c. 2. nu. 17. Rodriques in Compend. qq. reg. reſol. 1. n. 3. Vega in ſum. to. 1. c. 49.* Non obſtante declaratione Eminentiſſim. DD. Cardinalium, quæ in his Prouinciis Belgicis publicata non fuit, tũ quia in his non viget ſanctæ Inquiſitionis officium: Imò ex nouo decreto *Pauli V.* in partibus Vltramontanis absoluere 9 etiam possunt ab hæreſi ſubditos ſuos in foro externo modo poſitea illud S. Inquiſitionis officio indicent. Vtrefert nobiſcum *Crouſer* loc. 12. fol. 588. *Secundo* & 2 reliquis caſibus Bullæ Cœnæ *Tertio* à Simonia quomodolibet contractã. Ex primilegio. *Eugenij IV.* apud *Rodriquez to. 1. qq. reg. q. 20. ar. 13. Crouſers c. ſol. 597. Vecchius d. 9. dub. 13. Quarto* ab excommunicatione Canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, etiamſi incurratur propter perſecutionem enormem, vel vltam occiſionem: *Compend. priuil. c. 8. 40. Rodriquez c. ar. 12. & 12. Sotius c. Crouſers c. ſol. 598.* Solus tamen Generalis vel Prouincialis abſoluit ab hoc caſu ſi illum ſibi reſeruauerit; iuxta decretum *Clem. VIII.* alias Prælatus localis poſſit abſoluere, prout conceſſit *Martinus V.* Priori Monaſterij S. Benedicti Vallisoleti apud *Caſarubium in Compend. c. 8. 4. Portel in dub. reg. P. Nouum abſolutum n. 32. Barthol. de Vecchis in praxi nouæ diſp. 9. dub. 7. nu. 5. Rodriquez c. art. 6. Diana de dub. reg. reſol. 46. p. 3. Miranda to. 1. q. 35. a. 12. Quinto.* Possunt Prælati regulares absoluere ſubditos à quibuslibet caſibus & excommunicationibus Epiſcopo reſeruatis, in quos forte lapſi eſſent ante profeſſionem. Ex priuilegio *Clemen. IV. & Martini V.* Et hoc verum, quamuis ſuiſſent ſpecialiter excommunicati ab Epiſcopo; nam etiamſi *Clemens IV.* reſtringat ad ſententias generaliter promulgatas *Martinus* tamẽ *V.* ſine limitatione vllas excludit, ſaltem in foro cõſcientiæ, modò non habeat ſatisfa in ſubdito ob quam merito denegetur ei abſolutio: & hoc ſa in foro interno, quæ externo ſatisfacta parte, vel data cautione aut fideiuſſione, ſi ſatisfactio poſſibilis non ſit, ob inopiam vel impotentiam. *Crouſers c. lect. 12. ſol. 601. Denique* ex conceſſione *Sixti IV.* Prælati Minorũ & Dominicanorum, & confeſſores per eos deputati, abſoluere poſſunt moniales ſibi ſubditas ab omnibus peccatis & cenſuris à quibus poſſunt abſoluere ſibi ſubditos fratres. Ita *Rodriquez c. 20. a. 12.*

§. III.

Omnes Prælati ordinum, tam Generales quàm Prouinciales & locales, poſſunt cum ſibi ſubditis regularibus diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus; excepta illa quæ prouenit ex delicto etiam occulto, homicidij voluntarij: Ex Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6. A Sorbo in ref. matter. abſolut. in principio. Crouſers c. lect. 12. fol. 602.* & Priuilegio *Pij V.* cui non derogatur per *Sixtum V.* contra male promotos, ſaltẽ quoad irregularitatem ex delictis ibidẽ prohibitis contractã. *Compend. priuil. Mendoz. V. diſpenſat § 24. Cordub. thid. Rodriquez tom. 1. qq. q. 24. art. 12. Suariſmund. a. Bononia tr. de elect. p. 2. c. 4. dub. 68. Diana de dub. reg. ref. 45. p. 3. Imò* ex priuilegio *Martini V.* relato in *compendio priuilegiorum.* Superiores regulares facultate gaudent dispenſandi in foro conſciẽtiæ ſuos ſubditos ſuper irregularitate ex homicidio occulto, membrorum truncatione, & enormi ſanguinis effuſione etiã occultis: & ſecundum *Cord.* hæc diſpenſatio intelligitur de quocumque homicidio voluntario, vel caſuali directo, vel indirecto, dummodo iudicialiter non poſſit probari: *Imo* licet ſit probabile dicetur adhuc occultum, ſecundum *Suar. 3. p. to. 5. d. 41. ſect. 2. nu. 6. Sanchez de matr. l. 8. d. 37. n. 11. Nauar. c. 27. nu. 215. Tolet. l. 1. c. a. 68.* & colligitur ex *c. Veſtra, de cohabit. Cleric. &c.* quamdiu non eſt deductum ad forum contentioſum per accuſationem, aut denunciationem & partis intimatum: *Sanchez c. l. 8. d. 34. num. 58. Sayrus de cenſ. l. c. 17. num. 11. Graſſius tom. 2. l. 5. con. 2. n. 26. de homicid. Vecchius diſp. 9. dub. 16. n. 6. Henriq. l. 14. de irreg. c. 20. num. 4. Vnde Prælatus* non debet reum homicidij abſoluere, nec cum illo diſpenſare; cuius crimen ad forum eſt delatum, ſed expectare debeſti portẽ probetur: ſi tamen poſt aliquod tempus ſibi conſtiterit actorem in probatione non progredi, diſpenſare poterit; ſicut & quando reus à foro contentioſo eſt abſolutus, quia delicti non fuit probatum: Nam tunc homicidium remanet occultum; & redactum ad ſtatum priſtinum, quamuis reus iniquè falſis teſtibus adductus ſe eximat fuerit. Ita *Sanches lib. 2. mor. al. cap. 11. nu. 21. Regin. al. l. 30. num. 29. Aula de cenſ. p. 7. diſp. 10. d. 7. Henr. 14. c. 20. 7. num. 5.* & alij apud ipſos. *Si autem* homicida, cuius delictum fuit deductum ad forum contentioſum, iudicio facto punitus ſit, ſatis probabile putant in ſimili caſu ſequentes de facultate à Tridentino conceſſa, *Sanches, Regin. al. Aula, Henriques*, contra *Sayrus c. n. 23. Gutierez l. 1. q. 20. Canon. c. 3. n. 10.* à Prælato regulari vi præfati priuilegij diſpenſationis beneficium impendi poſſe: quia memoratum priuilegium excipiendo delictum notorium propter ſcandalum, intendit, vt foricontentioſi auctoritas ſeruetur, & vt ſcandalo prouideatur, ſed vtique prouidetur, quando in iudicio reus fuſficienti pœna punitur.

Præterea exſtat aliud priuilegium *Pauli. III.* relatum à *Rogriques* in Bullario to. 2. Bulla 10. qua religioſis D. Benedicti Vallisoleti conceditur, vt ſingulis annis quinto die Lunæ Quadrageſimæ diſpẽſent cum omnibus ſubditis in omni irregularitate, quauis occaſione, vel cauſa contracta. *Diana de dub. reg. reſol. 45. & 4. p. tr. 2. reſol. 63.* In qui conceſſione obſeruant *Rebarum. Rodriques in comp. qq. reg. reſol. 16. Portel in add. ad dub reg. P. diſpenſat n. 5.* quòd Stunnius Pontifex non limitat ſibi ſit homicidij voluntarij, neque caſualis, neque ſimiliter ſi ſit delictum occultum vel publicum, neque excipit bigamiam, &c. ſed abſolutionẽ in communi, ſit quauis occaſione, aut cauſa contracta. Cumque conceſſio ſit tam ampla & generalis, & Papa id poſſit conceſſere: nec ab aliquo ſit cõſtare reuocatum, antenianus in ſpeciali, videtur poſſe religioſis ſibi vti facultate ſine limitatione; quia cùm lex, vel Princeps non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus: Ita *Portel.* Hæc autem conceſſione non poſſunt vti Prælati niſi ſemel in anno, videlicet, feria ſecunda primæ Dominicæ Quadrageſimæ.

Item ſuper omni irregularitate, aliunde, quàm ex delicto prouenientẽ, etiam ex bigamia non ſolùm occulta, ſed etiam publica, in foro conſcientiæ, poſſe eoſdem Prælatos ſubditos diſpenſare, virtute conceſſionis *Martini V.* ſupra memoratæ docet *Noſter Crouſers c. lect. 12. fol. 603.* vtpatet exceptione in ea poſitâ, per quam inter notorias irregularitates excipiuntur tãtùm illæ, quæ ex homicidio voluntario, mutilatione membrorum, & enormi ſanguinis effuſione proueniunt. Exceptio firmat regulam in contrarium. *Aula de cenſur. p. 7. diſp. 8. dub. 4. concl. 8. Henriques l. 2. de matr. c. 6. nu. 11. Compend. priuil. V. Abſolu. extra ordin. quoad fratres nums. 5.* volunt religioſos diſpenſare poſſe in bigamia vera & interpretatiua nedum à ſuperioribus, ſed etiam à quocumque confeſſario Ordinis ex conceſſione *Sixti IV.* facta Minoribus; quæ habetur in Compendio. *Colleti thid. Rodrig. p. 1. ſum. c. 157. concl. 6. Nauar l. 1. conſ. 8. nu. 1. de reg. Vecchius diſp. 9. dub. 15. n. 2. Sigiſmund. a. Bonon. de elect. p. 2. c. 4. d. 68. num. 2.* & *Layman l. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. num. 7.* Contrarium docet: quia in conceſſionibus Pontificis ſemper excipitur bigamia, niſi ſingulariter explicetur; & ideò in generali conceſſione non veniunt eæ quæ quis in ſpecie non eſſet verisimiliter conceſſurus *vt habet regula iuris in 6.* Hæc opinio in facti contingentia eſt tenenda tamquam probabilior, vt docet *Diana n. 4. p. tr. 2. reſ 63. Conuenunt* autem omnes, memoratos Prælatos regulares auctoritate quaſi Epiſcopali gaudentes diſpenſari poſſe cum ſubditis ſuper bigamia ſimilitudinaria quoad ordines & Religionis Prælaturas, modò hæc ex delicto occulto, non deducto ad forum contentioſum inſtrugat: quia ſicut Epiſcopi hac facultate potiuntur iure communi antiquo, & nouo Tridentini; ita eadem auctoritate gaudent de iure communi præfati Prælati & virtute priuilegiorum. Vt obſeruant *Suares to. 3. diſp. 49 ſect. 6. De la Cruz de ſtatu relig. l. 1. c. 6. d. 17. c. 1. Rodriguez to. 1. qq. reg. q. 24. art. 2. Miranda to. 2. q. 8. a. 2. c. 3. Sigiſmund. a Bonon. c. dub. 68. n. 2.*

§. IV.

Ex prædictis conceſſionibus Pontificijs colligitur. *Primò* Prælatis regularibus integrum eſſe diſpenſationis beneficium impertiri ſubditis irregularitate ex homicidio, ſeu mu-

titatione iusta insurgente irretitis: quia qui habet priuilegium dispēsandi in omnibus irregularitatibus excepta bigamia, mutilatione membrorum & homicidio voluntario, potest dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis; sed tale priuilegiū habet Prælati regulares circa subditos suos, vt patet ex priuilegio *Martini V.* & *Pauli III Sixti IV.* & quādo in citatis priuilegijs excipitur irregularitas ex homicidio procedens, intelligēda est de homicidio voluntario, id est, per se directe volito, & iniusto, per industriā, per insidias, ex proposito propria voluntate. Ita *Gonet.* 2. 2. q. 64. a. 8. ad. 3. *Anda c. 7 disp. 6 fect. 5 dub. 1 concl. 2. Filliucius tom.* 1. 9. c. 10. n. 281. *Lezana c. 4 dub. 18. n. 4. Nauarrus c. 27. n. 200. Miranda to. 2. q. 8. a. 8. Diana 4. p. tr. 2. ref. 69. 70. 71. 72.*

An autem hæc irregularitas ex defectu lenitatis sit dispensabilis ab Episcopo, alij aiunt, alij negant probabiliter apud Dianam citatum.

Secundo possunt Prælati regulares auctoritate quasi Episcopali gaudentes dispensare cū suis subditis in irregularitate ex vitio corporis prouenīēte, dūmodo vitium non sit tā fœdum aut turpe, vt ex eo scādalum oriri rationabiliter formidetur: hinc cū habente membrum abscissum etiā manicthum & sua culpa dum tamen celset homicidij præsumptio, vt ii carēt peccato, & occulto. Contra vel digito, qui alias non sit pollex, dispensare possunt Prælati: quia cūm sibi subditis possit Episcopus dispensare; ergo & dicti Prælati. Ita *Miranda c. 4. q. 8. a. 3. con. 2. Rodrigues to. 1. qq. q. 24. art. 2. Diana 4. p. tr. 2. ref. 73. De la Cruz de stat. reg. lib. 1. c. 6. d. 17 Vecchis c. d. 9. dub. 20.*

Ad quem vero spectet iudicare, an defectus corporis sit ita notabilis vt inducat irregularitatem, vel non: certum est circa clericos sæculares spectare id ad Episcopū: sed quoad regulares eit dubium, quia enim negant id ad suos Superiores spectare. Ita *Syluester V. Corpus Canonum a. Henriquez l. 14. c. 8. §. 2. Rodrigues q. 24. art. 2.* Vt in affirmatiuam sententiā tenent *Suarez de cēsur. d. 13. sect. 2. n. 4.* Vt in negatiuam tenent *Suarez c. 3. part. 3. l. 1. c. 7. n. 6. Miranda c. 4. n. 6. Vecchis c. d. 9. dub. 20. n. 3. Diana c. 4. ref. 73.* quia hoc magis spectat ad iurisdictionem Episcopalem quam ipsi Prælati habent, quam ad Ordinis characterem: Licet liberum sit Episcopo, qui caturus est Ordines, admittere, vel reijcere tale arbitrium factum a prælato religionis Prælato. Vt auctertunt *Laymann, Suarez, Vecchis & Miranda* citati.

Tertio, Prædicti Prælati non possunt dispensare cum fratribus infamia iuris maculatis nisi ex delicto per iudicē vel per legem ciuilem valeat abolere infamiam Iudex ipse, qui sententiam tulit, aut Princeps, vt docent *Sayrus de censur. l. 7. c. 11. n. 11. An ila de cens. p. 7. d. 4. dub. 5.* hoc tamen memoratis Prælatis non conceditur: vnde in iuris canonici infamia iolus Papa dispēsat, ad quem pertinet quamcumque iuris infamiā tollere. Ita *Nauar. c. 27. n. 204. Valentia to. 4. d. 7. q. 19. p. 2.*

Hinc inferunt *Rodr. c. q. 24. art. 6. Miranda c. 4. d. 8. a. 5. c. 1. Vecchis c. d. 9. dub. 22. n.* 14. Superiores regularium dispensare non posse cū religioso conuicto & iuridice condemnato de crimine notando, quia ipso iure est infamis. Idem dicendum est de aliis huiusmodi criminibus, quæ in iure notantur infamia: de hoc propter scandalū, quod generarent fidelibus propter notorietatem dictæ enormitatis, & in pro eis ad Papā est recurrendū. *Si tamen* delictum seu factum est occultum, potest dispensari a Prælatis regularibus; quia in eo dispensant Episcopi; ergo & Prælati. Sicut quando crimina non sunt adulterio grauiora vt in furto, sacrilegio, falso testimonio, Episcopus sibi per eis dispēlando, accessorie tollit infamiā ex tali delicto ortā, vt asseruunt *Nauar. c. 27. n. 204. Tolet. l. 1. c. 68. Regnald. l. 30. n. 396.* Sic Generalis aut Prouincialis, cui licet licut & Episcopo, in iis delictis dispensare, vt docent *De la Cruz c. 6. d. 13. Vecchis c. d. 22. n. 16. Rodrigues c. art. 17. Miranda to. 1. q. 31. art. 11.* Similiter infamia facti potest dispensari per Prælatū regulare: quia cum hæc infamia communiter tollit dispensare potest Episcopus, vt notant Auctores citati. Licet hæc infamia facti pœnitentia, vel etiam per purgationem aboleri queat, vt docent communiter Doctores, ex *Nauarro* citato.

Quarto, ex priuilegio *Eugenij IV.* & constitutione *Gregory XV.* apud *Potest. de dub. reg. V. illegitimus num. 9. Diana 4. p. tr. 2. ref. 61. De la Cruz c. d. 18. conc. 3. Rodrigues tom.* 1. q. 13. art. 6. possunt Prælati regulares tam dispensare cum suis subditis illegitimis ad Prælaturas & dignitates, in Capitulo tamen Generali vel Prouinciali.

Quinto, Prælati Ordinum possunt dispensare in foro externo regulares sibi non subditos, ad ie declinantes, etiādem ordinis tamen, super omni irregularitate, dummodo non sit ex bigamia, vel ex delicto homicidij voluntarij, mutilationis membrorum, aut enormis effusionis sanguinis: ex concessione *Clement. IV. & Sixti IV.* qua generaliter facta est absque limitatione ad forum internum. Ita noster. *Cronsers ad c. 7. reg. Mun. dell. 12. fol. 604.*

Sexto. Possunt idem Prælati respectu subditorum, etiam in foro externo restituere priuatos ab officijs, & perpetuo inhabiles ad illa, per constitutiones Apostolicas ob crimina grauia, si aliās Papa non reseruat sibi talium dispensationem; & hoc patet, tum ex iure Antiquo, *capas si clericus de iudicijs*, tum nouo, in Tridentino *sess. 24. cap. 6.* tum etiam ex concessione *Pij V. Gregory XIV.* Et quamuis Concilium solūm exprimat cessus reseruatos, irregularitates & suspensiones, & non exprimat priuationes officiorum & inhabilitates, tamen sub nomine pœnarum & suspensionum, imò irregularitatum comprehenduntur; quia lato modo sunt suspensiones, & includuntur in verbo Suspensio. Vt docent *Rodriquez q. 24. a. 17. De la Cruz c. 6. d. 15. Nauarrus c. 27. num. 152. Portel. de dub. reg. V. Abbas in addit. n. 1. Cronsers c. dict. 12. fol. 604. Diana de dub. reg. resol. 66. p. 3. Sanchez l. 6. mor. a. c. 15 num. 78. Miranda to. 2. q. 31. art. 11.*

Septimo, Prælati ordinum per potestatem dominationam, quam habent in subditos regulares, possunt irritare vota omnia eorum & iuramenta, exceptis tribus Religioni essentialibus. Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ: possunt item ea vota commutare & dispensare, etiam transeundi ad arctiorem religionem; quia votum arctioris religionis, non est simpliciter votum religionis, sed religionis arctioris: vnde taliter dispensans, non dispensat in substantia voti, id est, non absolutit eum a religione, sed dispensat solūm in quadā religionis qualitate, seu circumstantia voti: & hoc ex priuilegio *Martini V.* concesso Benedictinis, vt scilicet possint dispensare in votis Episcopo reseruatis: sed Episcopus facultate gaudet dispensandi in eo voto, vt tradunt communiter Doctores, ergo. *Caietan. 2. 2. q. 88. art. 8. De la Cruz c. 6. dub. 1. & 2. Cronsers c. fol. 604. Diana p. 3. tr. 2. ref. 91 Vecchis c. d. 9. p. 10. dub. 1. n. 7. Azor. 1. p. l. 11. c. 18. q. 4. Lessius l. 2. c. 40. num. 124. Compend. pra. Societ. 11. dispensare §. 10.*

Octauo, Licet virtute priuilegiorum iam memoratorum Superiores omnes tam maiores, quam minores prælata auctoritate poliant circa absolutiones & dispensationes, apud nos tamen ex more receptum refert noster *Bartolus de Vecchis in praxi sum. dub. 9. dub. 7. num.* 1. vel in capitulis, vel a superioribus maioribus, vel saltem consuetudine eadem auctoritas arctatur superioribus localibus & ideo Guardiani, aliique superiores locales in religione nostra maiori facultate in absolutendo, dispensandoque non gaudent, quām a suis superioribus eis concessa videtur. Quare mos apud nos viget ex Generalis Capituli indulgentia anno 1613. vt omnes superiores locales, nec non & conciliarij de rauti valeant in foro conscientiæ tantum absolutiones, dispensare, habitareque in omnibus, in quibus potest ipse Generalis iuxta pœnitentiam indigentiam propter vtum solum moderatum Sacramentorum & non vltra, & cum obligatione pœnitentibus fe præsentandi coram superiore maiori pro casibus reseruatis. *Hæc Vecchis.*

§. V.

Queri hic posset, an prædictis concessionibus Pontificis derogatū sit per Bullā Cœnæ? Duplex est sententia, vna affirmās, altera negans. Affirmant *Collect. prud. Fabiolus ord. quod fratres n. 23. Sotinus ibid. Vecchis c. d. 9. dub. 6. n. 3. Graffius in append. l. 2. c. 7. num.* 22. 23. *De la Cruz 3. l. c. 6. dub. 15. com. 2.* & alij, quia in publicatione dictæ Bullæ, quę fit singulis annis derogatur expresse Mendicātij priuilegia per hanc clausulā: *No obstantibus priuilegijs, & cæteris ordinibus, Mendicantibus concessis & aliis sufficientibus derogatorijs.* Hæc sententia est probabilissima. Qua nō obstante contraria negans apud multos Doctores reputatur etiam probabilis: tum quia verisimile non est, quòd per clausulas Bullæ Cœnæ additi solitas, derogantes quibuscumque & quorumcumque priuilegijs, & derogationi anteriores vel etiam aliorum Pontificum concessiones, quibus expressa facultas fit abolitendi a casibus Bullæ Cœnæ; quia alioquin arguit magnam in tanto Principe, qualis est Papa, inconstantiam, cuius voluntas debet esse immobilis: renouare autem statim, vel sine graui causa, quod sui antecessores, vel ipse de proximo concessi runt, leuitatem arguit, quam a legum conditore inspicari netas est. Ergo non debet censeri derogare per non obstantias, solere addi Bullæ Cœnæ, di-

Digitized by Google

næ,dictis priuilegijs. Idque amplius confirmatur ex Bullis *Sixti V.Clementis VIII.*& aliorum Pontif.qui derogantes omnibus priuilegijs & literis,conceſſis & concedendis,excipiunt tamen his verbis (*niſi in eis etiam caſus præſentibus literis expreſſi comprehendantur*) vnde ex his clauſulis exceptiuis colligitur nolle ſupradictos Pontifices per ſuas clauſulas derogatorias derogare priuilegijs, in quibus dicti caſus expreſſi comprehenduntur, quòd ſi alij ſummi Pontifices ſimilem exceptionem ſemper expreſsè non faciant, tacitè illam innuere cenſendi ſunt, dum ſpecialiter talibus priuilegijs non derogant: taciti autem & expreſſi idem eſt iudicium, prout dicitur in iure. Et certè, ſi ſub generali conceſſione caſuum Papalium, non cenſentur caſus bullæ cœnæ comprehenſi; cùm tamen conceſſio ſit amplificanda, quia beneficium eſt, ſed oportet ſpecialem eorum mentionem fiere, vt cenſeantur conceſſi, idque propter ſingularem eorum attrocitatem: cur quæſo, ad reuocandam eorum conceſſionem ſpecialem ſatis erit derogatio Generalis quorumcunque priuilegiorum; cùm derogatio ſit ſtricti iuris, & ſic ſtrictè interpretanda? tum quia Bulla Cœnæ in nullis prouincijs & Epiſcopatibus huius Belgij publicatur, publicatio autem ipſius in vnoquoque Epiſcopatu requiritur, ad hoc vt reuocatio priuilegiorum inter alia etiam ſufficiens, ſortiatur effectum. Tum quia in clauſula Bullæ Cœnæ non prohibetur abſoluere abſolutè ratione priuilegiorum, ſed eorum prętextu, prętextus autè nõ excludit illud,quod ſit legitima facultate interueniẽte, ſed illud quod ſub aliquo velamine exercetur: & hanc ſententiam amplectuntur *Rodriques to. 1.qq.reg.q. 20.art.9.Suares to.4.de relig.l.2.c.21.nu.3. Souſa in Bullam Cœnæ c.23.d.100.conc.7.Peyrinus de priuil.Minim.tom.1.conſtit.4.Sixti 4.§.5.nu.6.& ſeq.Crouſers ad c.7.reg.Min.l.12.fol.594. 595. Portel de dub.reg V.Abbas num. 12 Villalobos in Sum. p. 1.tr. 9. diſp.41. nu.5.*& probabilem vocat *Diana p.1.tr.5.reſ.6.& p.3.tr.2.reſ.10.* quamuis contrariam tenendam eſſe exiſtimet. Tum quia *Iulius* 2.in conſtitut. *Exponi nobis feciſti.* data 17.Febr.anno 1510. declarauit, quòd non obſtante publicatione bullæ Cœnæ, quæ fit ſingulis annis, poſſunt illi, quibus per priuilegia conceſſum eſt, in perpetuum abſoluere ab omnibus in ea contentis, exceptis quinque ſcilicet relapſus in hæreſim, ſchiſma, falſificatio literarum Apoſtolicarum, delatio prohibitorum ad infideles, & conſpiratio in Romanum Pontificem, ac ſi prædicta bulla Cœnæ non eſſet facta,nec fieret.Quod etiã declarauerunt Paulus IV. pro Congregatione Clericorum regularium. Et *Gregorius XIII.* pro Societate IESV. Et *Clemens VII.* per vitæ vocis oraculum factum Cardinali Campegio pro ordine Minorum: vt teſtatur *Peyrinus* hic citatus.

9. Abbas commendatarius perpetuus poteſt omnia illa exercere, quæ poteſt proprietarius, in cuius locum ſubrogatur, cùm ſit factus caput Capituli, ſine quo geſta firmitatem minimè obtinent: tum quia prædictus Abbas eſt verè prælatus; & ſi non admitteretur in actibus capitularibus tam circa adminiſtrationem perſonarum quàm rerum in electionibus Canonicorum, & cæterarum perſonarum, ſequerentur Eccleſiæ plura incommoda, quæ præſente Prælato ceſſarent; vnde cui officium Abbatiale eſt commiſſum, conceſſum fuiſſe cenſetur omne illud, quod competit, & dependet ex officij contemplatione. *Rodriq. to.2. qq.reg.q.53. art.* 8. Quamuis iuxta mentem *Concil. Trident. ſeſſ. 25.de regul. c.* 21. non deceat talem præfici, qui non eſt profeſſus in eodem ordine: vnde decreuit, *vt monaſterijs quæ commendata reperiuntur & quæ ſuos conuentus habent, regulares perſonæ eiuſdem ordinis expreſsè profeſſæ, & quæ gregi præire & præeſſe poſſint, præficiantur, Quæ vero in poſterum vacabunt, non niſi regularibus ſpectatæ virtutis & ſanctitatis conferantur, quoad ea vero monaſteria, quæ capita ſunt, ac primates ordinum, ſine Abbatiæ ſine prioratus, filia illorum capitum nuncupantur, teneantur illi qui in præſenti ea in commendam obtinent, niſi ſit eis de regulari ſucceſſore prouiſum, intra ſex menſes religionem illorum ordinum propriam ſolemniter profiteri, aut ijs cedere aliàs commenda predicta ipſo iure vacare cenſeantur.* Hæc Concilium.

10. Communis Doctorum ſententia eſt omnibus religiosam Abbatibus ſeu Prælatis, iure prohibitum eſſe, diſpenſare in obſeruantijs regularibus ſtatui religionis eſſentialibus, quales ſunt quę communiter dicuntur tria religionis eſſentialia & ſubſtantialia vota,obedientiæ, ſcilicet,paupertatis & caſtitatis: quod probatur ex quadam *Decretali Innocentij III.C.cũ ad Monaſterij, de ſtatu Monachorum Crouſers ad cap.10.reg.Minor.lect.6.*& ex *Concil.Triden.ſeſſ.25.c.1.de reg. Miranda in Man. Prælat.to.2 q.9.art.6.* vbi cunctis Prælatis ſubditis præcipitur tã viris quã mulieribus, vt ad regulæ,quam profeſſi ſunt,præſcriptum, vitam ſuam inſtituant atque componant, & in primis vt ea, quę ſuæ profeſſionis ſunt,obedientiam,ſcilicet,paupertatem & caſtitatem obſeruent. *D.Bernard.lib.de diſpen.& præcept.Rodriques to.1.qq.reg.q.26.art.1.Syluester V.diſpenſat.n.2. Similiter* religionum Prælati diſpenſare nõ poſſunt in communi & pro toto ordine, in illis obſeruantijs regularibus, quæ continentur in ſuis regulis, tranſgreſſores obligantibus ad mortale;nã diſpenſatio ſic in cõmuni facta,& abſque legitima cauſa, non eſſet propriè diſpenſatio, ſed diſſipatio; cùm nulla ſit aut eſſe poſſit iuſta & rationabilis cauſa diſpenſandi in ali qua tota regula, aliàs per ſedem Apoſtolicam confirmata. *Crouſers c.lect.6. fo.* 900. *Secus dicendum* de diſpenſatione, non in communi, ſed in particulari; iuſta enim exiſtente & rationabili cauſa diſpenſare poſſunt cum aliquo relig oſo in particulari in aliquibus ſeu in omnibus obſeruantijs regularibus & eſſentialibus, etiam ſi aliàs omnes ſuos profeſſores obligent ad mortale, dummodo non ſit aliqua ſpecialis prohibitio per Sũmum Pontificem, ſeu ipſius auctoritate ſpeciali ſtatuto facta: quod apertè & manifeſtè probatur ex dicto *c. cum ad Monaſterium, de ſtatu Monachorum*. licet enim prædictæ obſeruantiæ vtcumque eſſentiales & obligatoriæ ſint ſub mortali, non tamen ſunt de eſſentia & ſubſtantia regularis vitæ, cùm ſine ipſis aliæ religiones reperiri poſſint: ergo obſeruantiæ prædictę ex cauſa & in caſibus particularibus,ſuperiorũ ſubſunt diſpenſationi. Et huic ſententiæ ſauent *Angelus V diſpenſ. §.8. Syluester ib.nu.20.q. 14. in 7.caſu*. Multò magis diſpentare poterunt Prælati & Abbates in obſeruantijs,quę non ſunt eſſentiales & ſuos profeſſores ad nullam culpam mortalem obligant.

Vide *Azor.tom.1.l.12.cap.20.queſt.16.*

Sed circa prædicta Doctores non ſunt concordes;*Rodriques* enim loco citato tria diſtinguit in religione; ſcilicet, quædam ſubſtantialia religioni formali, quæ indiſpẽſabilia ſunt à ſuperioribus; alia verò ſubſtantialia tali religioni, vt talis religio eſt; huiuſmodi ſunt omnia vota, quæ in aliqua religione, præter tria ſubſtantialia fiunt. *Secundo*, ſunt omnia præcepta, quæ ad peccatum mortale obligant. *Tertiò*, ſunt omnia accidentia, quæ in regula continentur & obligationem non includunt. Quibus poſitis, idem author docet poteſtatem Abbatũ & Prælatorum regularium extendi ad omnia, tam in ſecundo, quàm in tertio ordine contenta, & inſuper ad vota quæ non ſunt de ſubſtãtia regularis vitę,vt ſunt vota vitæ quadrageſimalis Minimorũ, Redemptionis captiuorum, mercenariorum,non acceptandi Prælaturas extra religionem Patrum Societatis IESV & ſimilia. Sed hæc doctrina,inquit Suares *to.4. de relig. lib. 2.c.12. nn.* 28. non poteſt ſuſtineri ſine limitatione; quia diſtinguenda ſũt vota peculiaria vniuſcuiuſque Religionis à regulis & præceptis obligantibus ſub mortali: eſt enim inter hæc duo maxima differentia, quamuis ambo ex regula & ex voto oriri videantur: nam vota peculiaria ſecundùm regulam ſũt; & præcepta regulę aliquo modo includunt votum obedientię;eſt nihilominus differentia:quia,licet regula ordinet,vt votum fiat;tamen immediatè non oritur obligatio ex regula, ſed ex voto,vt in religione Minimorũ, regula ordinat fieri quartum votum abſtinendi à carnibus, facto autem voto comedere carnes eſt ſacrilegium immediatè oppoſitum voto è cõtrario verò,ſi ſola regula immediatè obliget ad eamdem abſtinẽtiam, obligat immediatè,v.g.etiam ſi obliget ſub mortali, non eſt obligatio voti, neque excedit obligationem prȩcepti humani Eccleſiaſtici: quia votum obedientiæ, quod ſupponit illa lex, obligat immediatè ad ſeruandam vnamquamque regulam. Igitur talia vota non poſſunt per Generalem neque per Epiſcopum diſpenſari, irritari, aut commutari; quia ex vi ſtatus, cui ſunt annexa, ſunt alterius ordinis, & habent quaſi peculiarem modum reſeruationis. Ita *Suares*, cui addendus Portel *in dub.reg.verb.Voti nu.68.* Layman *lib.4.tract. 4. cap.7.num.6.* Tamburinus *de iure Abbat.tom.3.diſputat.4.queſt.8.num.7.* Diana *part.6.tract.8.reſol.* 34.

Sed petes an Abbates & Prælati poſſint diſpenſare in præceptis Eccleſiæ?Reſ.Affirmatiuè; quia quidquid iure communi poſſunt Epiſcopi in hoc genere circa ſuos ſubditos, poſſunt etiam Abbates & prelati exempti circa ſuos ex illo principio, quod huiuſmodi Prælati habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quæ in diſpenſationibus neceſſaria eſt. Nec obſtat, quòd in aliquibus religionibus habeantur priuilegia Summo-

gum Pontificum, virtute quorum Abbates & Prælati possint in præcepto dispensare : quia huiusmodi priuilegia nihil concedunt supra ius commune ; sed tantum indicant scrupulosis hanc potestatem reperiri clare & manifeste in eorum Prælatis, modo adsit iusta causa dispensandi. Vide Suares loco citato *num.* 18. Rodrigues *tom. 1. q. reg. disq. 12. art. 11. p.*

11. De iure communi electorum & præcipitur vt nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam 30. annum ætatis exegerit : *Cap. cum in cunctis de elect. & elect. Tamburinus tom. 1. de iure Abbat. disp. 5. q. 9.* & secundum Glossam non sufficit quod prædictum annum inchoauerit : quod autè ibi de Episcopis dicitur, intelligendum perinde est de Generalibus, & Prouincialibus Ordinum, Episcopalem, aut quasi Episcopalem iurisdictionè habentibus. Guardiani verò, Priores, Rectores, & quicumque Superiores conuentuales, nec non omnes habentes aliquod officium cui animarum cura est annexa debent prius quàm officium suscipiant 25. iuræ ætatis annum attigisse. Vt decernitur iure antiquo : *Cap. Iuxta Canon. de elect. in 6.* & nouo *Concil. Trid. sess. 22. de reform. c. 12. Miranda in Man. Prælat. tom. 2. q. 3. art. 1. Nigrisfundus a Rononia, disp. 59. in tr. de elect.* & ratio est, quia potestas iurisdictionis spiritualis, licet non sit immediatè potestas clauium, hoc est potestas remittendi peccata, ordinatur tamen ad illam, immò ex illa ortum habet & originem; sed potestas remittendi peccata, solum competit sacerdotibus, sacerdotes autem iuxta prædictum Concil. Trident. esse nò possunt, nisi qui 25. annum attigerint : ergo Prælati esse non possunt qui hanc ætatem non habuerint. Porrò vt aliquis possit esse definitor, discretus seu vocalis, vt vocem deferret ad Capitulum, debet ad minus ad 22. iuræ ætatis annum peruenisse : quod probatur ex *Concil. Trident. sess. 24. c. 12. de refor.* decreto, quod sic habet : *Ad caeteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici aliquo modo idonei, & viginti duorum annorum non minores adsciscantur.* Sub quibus verbis comprehenduntur definitores & discreti, quorum officia sunt personatus quidam, atque dignitates iurisdictionem.

De Abbate & aliis Prælatis. Vide verbo *Benedictus n. 7. 8. 10. Altare nu. 3. Irregularitas n. 11. n. 6. & 9. Absolutio nu. 29. Bigamia n. 12. Alienatio n. 10. Dominium n. 9. Lex n. 6. Simonia n. 8. Votum n. 3. 8. & seq. Votum 6. n. 6. Votum 7. n. 3. 5. 11. 25. Clausura n. 11. & 15. Apostasia n. 10. Donatio n. 6. Feudum n. 4. Immunitas n. 6. Interdictum 4. n. 1. Iuramentum 3. n. 7. Iuramentum 5. n. 8. Locatio n. 5. Ludus 1. n. 3. Matrimonium 4. n. 4. Paupertas religiosa n. 9. 10. 13. 19. Pignus n. 6. Beneficium 7. n. 3. Prælatus.*

ABBATISSA.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicatur Abbatissa? & quid in ea requirat Concil. Tridentinus?*
2. *Quæ Abbatissæ benedicantur? & an eius benedictio possit iterari?*
3. *An corrupta vel nuba possit elegi in Abbatissam vel priorissam?*
4. *Abbatissa non est capax potestatis ordinis? An autem sit capax spiritualis iurisdictionis? refertur duplex sententia. Vna Ioannis, Altera Iuniorsultorum.*
5. *Abbatissa, aliaque Monialium præfecta non potest imponere monialibus sibi subditis præceptu spirituali : sicut nec dispensare in votis monialium, in nomine & ab auctoritate Ecclesiæ sibi. In quibus differat præceptum Prælati, & Abbatissæ?*
6. *Illegitima non potest esse Abbatissa vel Priorissa sine dispensatione? & quis cum illa possit dispensare sine communi, & quis virtute priuilegiorum?*

1. IN Monialium monasteriis siue cœnobijs Abbatissa seu Priorissa dicitur illa religiosa, quæ ibidem habetur, tanquam cunctarum mater, moderatrix, gubernatrix, atque Magistra, *Rodrigues tom. 1. reg. reg. q. 12. art. 2.* & *poll Conc. Trid. sess. 25. de regularibus c. 7. eligi debet non minor annis quadraginta, & quæ octauanos post expressam professionem laudabiliter exierit : quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem Monasterio, ex alio cuius eidem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori quod ele-ctioni præsit videatur, posthis quæ in eodem Monasterio annum triginsimum excesserint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio superiore confirmante vna cum suo Concilio, Duobus vero Monasteriis nulla præficiatur. Et si qua duo vel plura quæcumque modo obtinet, egatur, vno excepto, intra sex menses cateris restituare.* Hæc Concilium.

2. Abbatissæ vbi solent benedici intra annum à suæ confirmationis tempore computandum, munus benedictionis suscipere debent, alioquì à iure suo, nisi subsit causa rationabilis, prorsus se nouerint cecidisse, vt habetur in *Clemen. Attendentes de statu Monachorum.* Ergo vbi moris non est Abbatissas benedici, benedictione non egent. Secundùm autem *Glossa vbi. Layman l. 3. tr. 9. c. 13. §. vnic. nu. 17. Azorius to. 1. moral. l. 13. c. 10. q. 4. vbi* Abbatissæ de more benedictantes iustis de causis excusantur, si benedictionem non petant, ob morbum, aut quia in ciuitate est benedicere, recusat, aut legitimè non potest ; quia Abbatissa nondum pacificam possessionem adepta est. Aduerte tamen ex *Miranda tom. 2. de Monialibus q. 7. art. 7. Rodriques c. art. 3.* non omnes Abbatissas posse aut debere benedici, sed solummodo illas, quæ perpetuæ sunt. An autem Abbatissæ benedictio possit iterari, si ad aliud transferit Monasterium, alij aiùt, alij negant ; & forte probabilius apud *Azorium : sed Glossa* ait quæri debere, quid hac in re curiæ Romanæ visus habeat.

Præterea dubium est, an corrupta seu nuba possit eligi in Abbatissam? Affirmatiue respondent *Sanchez l. 7. moral. c. 11. n. 22. Portel de dub. reg. V. Abbatissa. n.* 10. qui probant ad Abbatissæ munus non desiderari virginitatem ; & dato & non concesso quòd aliqua lex canonica prohibeat viduam aut corruptam fie re Abbatissam, iam est abrogata per contrarium vsum : Ideò *Suares to. 4. de relig. lib. 2. c. 6. nu.* 16. asserit probabilem esse hanc opinionem, maximè si consuetudo id approbeti nihilominus contraria sententia est tenenda, quam docent *Miranda de Ab mal. quæst. 7. art. 6.* citans nutta *Cap. & Glossas* iuris, multos item Doctores. *Barbosa de potest. Episcop. p. 3. allig. 100. num. 14. Lucas Castellanus tract. de electis. 17. num. 5. 14. & 17.* qui etiam hanc declarasse Sacram Cardinalium Congregationè his verbis die 15. Iulij 1616. *Si vidua Monasterium habitum assumat ad Abbatissæ, aut Priorissæ munus obeundum, absque Sedis Apostolicæ dispensatione eligi non potest.* Vide Rodriques *to. 1. q. 66. art. 4.*

3. Secundùm communem tam Theologorum quàm Cano nici iuris interpretum in *Cap. Dilecta, de maiorit. & obedientia Theologi in 2. d. 19. & 2. 5. Syluester V. Abbatissa n. 8. & 3. Miranda c. q. 6. art. 5. Layman l. 1. t. 5. p. 1. c. 3. n. 3. Cap. nona de pœnit. Cap. Statuimus 20. q. 2.* Abbatissa non est capax potestatis quæ dicitur ordinis : vnde non potest quæri vel fabricare benedictæ officio & publicè, secus autem priuatè, ad modum quo aliqua mater filiam suam benedicit. Nec audire confessiones suarum subditarum, nec circa ipsas aliquem actum Sacramentalem exercere. Nec prædicare aut publicè docere, licet sancta sit & docta; secus autem in Capitulo vel in claustro Monialium; neque in Missa Euangelium legere, quamuis possit in Matutinis, vnde in iure Diaconissa appellatur. Neque Moniales velare, &c. de quibus *V. Femina.*

An autem Abbatissa capax sit iurisdictionis spiritualis, dubitè est quæstionis. *Dilham 4. d. 19. q. 1. art. 1. Sylueft. c. nu. 1. Sylvius in supleem. q. 19. art. 2. Nauarrus in Manc. c. 27. nu. 6. Sotus 4. d. 20. q. 1. a. 4. Miranda de Monialib. q. 6. art.* 5. negant eam esse capacem spiritualis iurisdictionis ordinariæ, sed tàtum commissæ & delegatæ Romani Pontificis auctoritate quia licet potestas iurisdictionis spiritualis non sit immediatè potestas clauium, ordinatur tamen ad illam, imo ex illa ortum habet, sed mulieres non possiunt habere potestatem clauium, nec potestatem ordinis, vt habet communis Doctorum sententia ; ergo nec potestatem spiritualis iurisdictionis. *Iurisconsulti* tamen ex *Panormitano in Cap. dilecta de maiorit. & obedient & alij ibi. Azorius to. 1. l. 13. c. 10. q. 6. Layman c. num. 4. censor. p. 1.* videntur innuere illam esse capacem iurisdictionis etiam ordinariæ, non solùm delegatæ & demandatæ ; & hæc sententia forte probabilior est, quia sicut femina ratione dignitatis, vel muneris, capax est ciuilis iurisdictionis ; potest enim esse Regina, Ducissa, &c. Sic etiam Abbatissa ratione publici muneris & officij, ius habet aliquando instituendi clericos in Ecclesijs suo Monasterio subiectis & beneficia conferendi, vt colligitur *ex Cap. Dilecta*, c. quod non negant *D. Thomas, Syluester, Miranda, Paludanus*, & alij.

Verùm licet Abbatissa ius habeat suspendendi clericos suæ iurisdictioni subiectos, tam à beneficio, quàm ab officio, hæc tamen suspensio non est censura Ecclesiastica propriè ; sed tantùm quædà prohibitio, ob cuius violationem non contrahitur irregularitas vt aduertunt *Sylvius c. 6. de Aula de cens. p. 1. dub. 6. Suares de censur sect. 3. disp. 2. n. 6. Layman l. 1. tract. 5. p. 1. c. 3. nu. 3. Miranda. c. a. 5. in quarta concl. Quamuis* non sit improbabile ferminam posse de absoluta Summi Pontificis auctoritate ferre censuras ; quia non est contra ius diuinum vel naturale Summum Pontificem posse huiusmodi facultatem concedere, vt docent *Suares c. nu. 7. Filliucius tract. 11. cap. 2. q. 8. Sylvius cap. in suppl. quæst. 19. a. 3. Miranda, cap. quæst. 6. a. 5. c. 1.*

De

De iure autem ordinario Abbatissa vel fœmina non potest: quia Ecclesia numquam eiusmodi potestatem per communem homines ligandi mulieri concessit.

4. *De iure* ordinario communi loquendo Abbatissa & Prioritissa, aliaque monialium præfecta non possunt sibi subditis, ponere obedientiam aliàque spiritualia præcepta, sicut religiosorum Prælati; quia ex Ecclesiæ vsu præcepta sic imponere pertinet ad solos Prælatos Ecclesiasticos potestate spirituali præditos: vnde communiter non plus auctoritatis tribuitur Abbatissis, quàm mater familias ciuilique Magistratus qui nihil imperare queunt quo subditorum conscientiæ obligentur, nisi ratione rei & materiæ imperatæ, quæ si grauis fuerit & alicuius momenti, grauem obligationem continebit, sin minus leuem; quia penes hos potestas spiritualis non est, sed tantùm domestica & ciuilis. *Valent. to. 4. d. 7. qu. 16. p. 3. D. Tho. 4. d. 19. q. 1. art. 1. Suares to. 3. d. 2. sect. 3. Sanchez l. 6. moral. c. 1. num. 21 Miranda c. 4. 5. cor. 3. Rodrigues to. 1. qq. reg. 4. q. 13. a. 1. Portel in dub. reg. V. Abbatissa m. 1. Diana p. 5. tr. 9. resol. 16. Victoria in sum. de casib. m. 325.* Nec obstat votum obedientiæ emitti Abbatissæ, & hic videri eam posse eligere obedientiam virtute ejus voti debitam; quia vt tradunt *Miranda, Rodrigues, Sanchez*, citati post *Sotum, tm. 4. d. 20. quæst. 1. a. 4. Bartholomeus à S. Fausto in theſaur. relig. lib. 6. q. 91. 92. 93.* votum obedientiæ alteri intelligitur prout moris est obtemperare; nempe si laico fiat, vt obedientia potest deberi laico, qui præceptum spirituale imponere nequit. Sic ergo Moniales vouent obedire Abbatissæ, iuxta potestatem, cuius ipsa est capax, quæ est instar potestatis domesticæ & ciuilis; & proinde non poterit imponere præceptum spirituale. Concedendum tamen est Abbatissam præcipere posse sub poena voti obedientiæ ipsi præstiti, vel virtute obedientiæ ipsi debitæ, ceteris Princeps secularis & Mater familias possent præcipere virtute obedientiæ, vel sub pœna obedientiæ ipsis debitæ; quia hæ omnes præcipiendi formulæ nullam aliam obedientiam exigunt, quàm temporalem & domesticam seu politicam superioribus illis debitam.

An autem Episcopus vel Prælatus committere possit Abbatissæ, vt in graui necessitate hæc præcepta spiritualia imponat, & in virtute sanctæ obedientiæ, affirmant *Sotus, Rodriques. Miranda. ex. Lopez. 2. p. inſtruct. c. 1. de claustris. Henriques l. 6. de pœn. c. 4.* eò quòd non sit de iure diuino hæc potestas seculis interdicta, citra tamen excommunicationis sententiam; nam hæc facultas numquam mulieribus commissa est, neque eis committi debet, vt dictum est. Quorum tamen sententiam non approbat *Sanches c. n. 23. & 25.* dicens Prælatum inferiorem Summo Pontifice id non posse committere, vtpote, qui nihil citra ius Canonicum & communem Ecclesiæ vsum efficere possit. Quamquam Prælatus posset imponere Monialibus præceptum obligans ad mortale, quo eis præcipiat, vt obediant Abbatissæ iubenti hanc vel illam rem concernentem finem spiritualem, quæ materia grauis sit. Ita *Bartholo. Ledesma 2. p. sum. Sacra de claustris difficult. 4. dub. vlt. c. 2.* cum *Sanches.*

Hinc non conceditur Abbatissis, Prioritsis & aliis Monialium præfectis, vt dispensent cum Monialibus in ieiuniis, & quibuslibet legibus Ecclesiasticis, quia hæc dispensatio pertinet ad solam potestatem Ecclesiasticam: similiter non possunt dispensare in votis suarum Monialium, aut ea commutare, quamuis id possint Prælati, quia carent spirituali iurisdictione: bene tamen possunt ea irritare, cum maiorem potestatem dominatuam habeant in suas Moniales, quam pater in filios, aut maritus in vxorem: neque peccant vota irritantes sine causa, si illa facta fint absque vlla licentia. Vt docent *Rodrig 20. 1. q. 25. a. 7. Portel c. n. 1. Suares l. 6. de voto c. 7. & 10. Reginald. lib. 18. num. 324. 340. Filliucius tr. 26. n. 243. Sanchez l. 4. moral. c. 39. n. 7. Bonacina de voto disq. 4. q. 2. p. 7. §. 2. n. 16. & §. 4. n. 29.*

Sed ex dictis occurrit difficultas in quo scilicet consistat differentia inter præcepta Prælati regularis respectu monachorum, aut monialium sibi subiectarum, & Abbatissæ respectu sibi arum? Resp. in tribus consistere hanc differentiam. *Primo*, in modo & fine præcipiendi: nam Prælatus potest præcipere in virtute Spiritus sancti & obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, qualiter nequit Abbatissa iubere. *Secundo*, Prælatus tanquam iurisdictionem spiritualem habens, spectat in suis præceptis, vt illorum finem, spiritualem religiosorum profectum, ac in virtutibus progressum, & perfectionem, & ad hoc tendit cogere ad perfectam regulæ observationem. At præcepta Abbatissæ, & vis quam habet cogendi ad seruandas regulas, non spectant hunc finem; illum enim directè spectare est potestatis spiritualis: sed solum spectant bonum politicum communitatis, vt pacificè, & absque scandalis & perturbationibus obseruetur, & vt recta sit gubernatio, qui finis est præceptorum potestatis ciuilis & domesticæ. *Tertio*, Prælatus plura præcipere potest, quàm Abbatissa. Hæc enim est executrix regularium, & sola ea præcepta imponere potest, quæ necessaria iunt, vt monasterium quietè gubernetur. Ad Prælatus potest omnia quæ ad maiorem spiritualem, subditorum profectum conducunt præcipere, modo non sint præter, nec super regulam. Vide Vazquez 1. 2. *disp.* 1. 182. c. 8. n. 59. & 60.

5. Dubium est an vitium ex natalium defectu consurgens purgetur in Monialibus per professionem, ita vt illegitima possit esse Abbatissa seu Prioritsa? *Rodriques to. 1. qq. reg. q. 13. art 2. Miranda de Monial. q. 6. ar. 3. Portel V. Abbatissa n. 6. & in reſp. moral. p. 3. caſu 25.* affirunt Moniales illegitimas non indigere dispensatione, ad hoc vt eligantur & præficiantur in Abbatissas & Prioritsas, quia textus *c. 1. & c finals, de filiis preshyt.* interdicentes illegitimis prælationes & dignitates, agunt de masculis, & nullo modo de fœminis: & iuxta *reg. iuris de delict. in 6.* in materia odiosa tantum non comprehendentes, nisi nominentur expresse: deinde fœminæ non sunt propriè Prælatæ, sed quasi ex commissione eo munere fungunturo, ob periculum habitationis Prælati cum Monialibus. *Nihilominus* frequentissima omnium sententia est illegitimam non posse absque dispensatione esse Abbatissam seu Prioritsam, eo quòd illegitimi proffessi excludantur ab omni Prælatura & dignitate: Abbatissæ autem officium dignitas est. Attento autem iure communi & ecclesiis religionum priuilegiis folus Papa dispensat in hoc sicut cum viris & huius sententiæ sunt *Navarr. comm. de reg. n. 60. & in Manu. c. 17. n. 201. Pyrrh. q. 3. cap. 5. n. 19. Sayrus in Theſauro t. 2. l. 6. c. 11. Suares to. 5. d. 30 ſect. 5. Sanches l. 5. Morale c. 38. m. 19.* At priuilegium habet Generales & Prouinciales Ordinum Mendicantium ad dispensandum cum Monialibus sibi subditis; vt non obstante hoc vitio possint esse Abbatissæ; & ad concedendam hanc dispensationem non est opus Capitulo Prouinciali. Vide *Rodriques c. q. 13. a. 12. Miranda c. ar. 3. conc. 2.* qui docent, quod quando conceditur aliquod priuilegium viris, censeri fœminis concessum, si tales priuilegijs fint capaces.

ABORSVS.

SVMMARIVM

1. *Non licet aborsum procurare fœtus inanimati, pro curatione matris periclitantis.*
2. *Peccatum est mortale impedire conceptionem fœtus, vel procurare eius aborsum quando est animatus. An autem in dubio de fœtus animatione, procurari aborsum cenſendus ſit irregularitatis? refertur duplex ſententia. Et quis in hac irregularitate diſpenſet?*
3. *Excommunicatio lata à Sixto V. contra procurantes aborsum: cum moderatione Gregory XIV.*

1. QVibusdam Doctoribus videtur licitum dare pharmacum ad faciendum aborsum, si fœtus nondum sit animatus, quando id necessarium putatur, ad curationem matris periclitantis, ferus vero si sit animatus; ratio prioris est, quia in hoc casu fœtus est aggressor, & sicut praui humores inuadit naturam; ergo simili ratione pelli potest, cum nihil incommodi maioris monenti ex ea re sequatur: huius sententiæ sunt *Henriques l. 11. c. 16. n. 8. Sanches de matrim. l. 9. diſp. 20. n. 9. Graffius t. 3. l. 1. c. 61. n. 14. Sa V homicidium tmt. Layman l. 3 ſect. 5. tr. 2. p. 2. c. 4. n. 4.* Aliis tamen Doctoribus & mihi videtur verius (quamuis contraria sententia sit probabilissima) non licere præbere pharmacum eo animo vt faciat prolis abortionem, siue ante, siue post animationem; non licet post, quia effectus homicidium; neque etiam ante; quia procurare aborsum propter sanitatem est illicitum, sicut procurare pollutionem ob eumdem finem; vtrumque enim est contra naturam generationis; neque est medium per se necessarium ad sanitatem. Deinde non sunt facienda mala, vt eueniant bona, vnde nullo bono fine honestari potest aborsus. Ita docent *P. Navarr. 1. de reſp. c. 3. m. 140. Leſſius l. 2. c. 9. m. 61. 62. Filliucius tr. 29. cap. 6. Cœlar. Clement. ſi furioſus p. 2. §. 3. Sylvius 2. 2. q. 64. art. 7. quæſt. 4. Tamerus 2. 2. d. 4. q. 8. dub. 4. n. 58.* Admittit tamen hæc sententia in periculo vitæ matris, si aliud non sit remedium, posse ci

ei præberi pharmacum directè tendens in curationem, etiam ſi putetur inde abortio ſecutura, modò proles non ſit animata: quia abortio tunc cenſetur ſolùm permiſſa, non procurata, qtia præter intentionem ſuperuenit, matre ſuo iure vtente. *Imò* ex communi ſententia hoc extendit *Diana p.5.tr.5.reſol.*11. etiam poſt fœtus animationem eſſe licitum.

An autem, quando medicamenta æquè tendunt ad ſalutem matris, & ad mortem fœtus, vbi ſalus infirmæ omninò eſt deſperata & fœtus etiam periret, liceat illa præbere, negant. *Rodriques 1.to. ſum.c.5.conc.3.nu.3. Corduba li.1.q.38. dub.3. Lopez. 1.p.inſt.c.63.* Licet *Sanches cap.19. & Diana p.7.tr.5.reſ.36.* affirmatiuam ſententiam doceant etiam in caſu dubij; quia in tali euentu melius eſt anceps auxilium experiri, quàm omni ſpe deſtitutam, finere infirmam perire. *Secundum* tamen omnium ferè ſententiam non liceret aborſum fœtus etiam inanimati procurare, ad vitandum periculum vitæ, quod ex partu fœmina ſibi imminere experta eſt, vel famæ vitæque iacturã, quam probabiliter metuit detecto crimine, ſi concipiat, fœtuſue in lucem prodeat: quia in his caſibus fœtus non eſt aggreſſor, periculumque non eſt præſentaneum, ſed diſtans *Pontius de matrim.l.10.c.13.n.3. Diana p.3.tr.5.reſ.11. Sanches c.nu.10. Filliucius c.nu.103.* quidquid in contrarium doceant improbabiliter *Torreblanca de Magia l.2.c.43.nu.10.* Leo Zambellus, Bordonus, Lezzana, Trullench apud Dianam citatum & *p.6.tr.8.reſol.37.* quorum ſententia fertur fuiſſe damnata in Congregatione Sancti Officij. Et huic noſtræ ſententiæ nouiſſimè ſubſcribunt Caſpenſis noſter *to.2.tr.18.diſp.3.ſect.5.n.40.* Et alij apud Dianam *p.7.tr.5.reſ.32.*

2. *Qui malitioſè* impedit ne fœtus humanus concipiatur, aut conceptus animetur, mortaliter peccat; quia ſecundùm *Nauar. in Man.c.16.nu.33. Layman l.3.tr.3.p.3.c.4. Sà V. homicid. nu.15. Sanches c.d.20.n.1. Syluius c.concl.3.* nullo bono fine honeſtari poteſt ſumptio potionis, qua prolis conceptioni obſtetur: ſimiliter mortaliter peccat, qui procurat aborſum fœtus animati, quia homicida eſt & irregularis. iuxta autè Doctorum ſententiam, mas ferè animatur die 40. poſt cõceptionem, fœmina verò 80. *Couarr.c.§.3.nu.1.* In dubio autem credendum eſt fuiſſe marem. Vide Dianam *p.7.tr.5.reſ.6.*

An dicendus ſit irregularis qui fecit aborſum, vbi dubitatur de fœtus animatione, communiter Doctores affirmatiuã ſententiam docent; quia in tali caſu, qui præbuit cauſam abortus, eſt dubius, an ſit homicida, ergo cenſendus eſt irregularis. Ita *Sayrus l.6.c.15.nu.9. Sotus 4.d.15.q.1.ar.3.conc.4. Sanches l.1.Moral.c.10.n.43. Aula p.7.diſp.2.dub.5.conc.1.* Contraria tamen ſententia probabilis etiam *Diana 4.p.tr.2.reſol.16.* videtur, quam tenet *Præpoſitus 3.p.q.5.de irreg. dub.8. num.58.* quia in preſenti caſu dubium verſatur circa conditionem ſubiecti, an ſcilicet viueret necne; vnde diſpoſitio iuris non intelligitur de noſtro dubio, & proinde non ſatis conſtat, an in præſenti caſu irregularitas iure ſit illata, & per conſequens non eſt dicenda incurri. *Hæc ille*; tum quia in dubio fœtus præſumi debet inanimatus. Vt docet *Gomez* à Diana citatus. Notandum tamen ſtando in prima & communi ſententia, quod hæc pœna irregularitatis quam incurrit ille, qui cauſam aborſui præbet in dubio, an fœtus ſit animatus, intelligenda eſt ſolùm de priuatione quoad ſuſcipiendos ordines, & in illis iam ſuſceptis miniſtrandis; has enim priuationes intrinſecè includit irregularitas, ſecus verò quoad alias pœnas, quæ à iudice imponi ſolent pro contracta irregularitate, qualis eſt priuatio beneficiorum & aliæ ſimiles Ratio eſt, quia pœna ordinaria ſtatuta delicto certo, non eſt imponenda delicto dubio, ſed extraordinaria arbitrio iudicis pro dubij qualitate. Ita Sãches *lib.1.moral. cap.10.n.45.* qui citat *Vaſques, Suares, Clauem regiam & alios.*

Præterea dubitatio eſt, an poſſint hodie Prælati regulares diſpenſare cum ſubdito in irregularitate contracta ex aborſu animato, ſecuto effectu? Negant *Rodriques to.2.qq.reg.qu.34.art.4. Crouſers ad cap.7.reg.Min.lect.15. fol.625. Diana 4.p.tr.1. reſ.87.* quia tale homicidium eſt nimis qualificatum, eò quòd & perditur corpus & damnatur anima; quod non fit in homicidio ordinario adulti, cuius anima per contritionem poteſt ſaluari; & licet Prælati ordinum per priuilegia poſſint diſpenſare in irregularitate homicidij voluntarij hominis adulti, non poſſunt tamen Prælati in hac irregularitate diſpenſare, ſed ſolus Papa. Homicidium enim qualificatum plus eſt, quã voluntarium. Ita *Rodriques. Contrarium* tamen aliqui putant probabile, nempe poſſe Prælatos regulares diſpenſare, ſi crimen ſit ſecretum; ſecus quando eſt notorium, ita vt poſſit probari in iudicio. Ratio eſt, quia quando lex non diſtinguit, neque nos debemus diſtinguere; ſed cùm priuilegium *Martini V.* concedat Prælatis diſpenſationem in homicidio in cõmuni, nec diſtinguat de abortu, vel homicidio adulti; neque nos debemus diſtinguere; cùm priuilegia religionum ſint amplè interpretanda. Atque ita docent *Miranda to.2. qu.8.ar.10. conc.2. Portel in dub.reg.V. Abortus nu.10. Hieronym. Rodriques in comp. qq.reg.reſol.4.nu.6. Vega. in ſum.tom.2.c.15.caſ.6.* Eſt tamen hic adnotandum prædictum priuilegium ab aliquibus reputari viuæ vocis oraculum, vt notat *Diana cit.* ſi hoc verum eſt, in illis Prouincijs, vbi conſtitutio *S. D. N. Vrbani VIII.* promulgata eſt, derogans omnibus priuilegijs viuæ vocis oraculo factis Prælati regulares debent abſtinere ab vſu prædicti priuilegij. Et hoc modo corrueret ſecunda ſententia concedens hanc poteſtatem Prælatis. Sed de hoc caſu iterum Diana *p.7.tr.5.reſ.22.*

3. Contra procurantes aborſum per ſe vel per alios potationibus, medicamentis, percuſſionibus, venenis, aut laboribus, ſeu oneribus mulieri prægnanti impoſitis *Sayrus de cẽſuris l.3.c.35.nu.24.* eſt Bulla *Sixti V.* quæ incipit: *Effrænatam* 1588. & ſequentia decreuit. *Primò*, vt procurans aborſum incurreret omnes pœnas, quæ per leges ciuiles & canonicas imponuntur homicidæ ſiue aborſus eſſet fœtus animati ſiue inanimati. *L penult.C. ad legem Corneliam de ſicarijs. Bonacin. to.3. d.2.q.2.part.10. Crouſers ad cap.7.reg.Minor. lect.15. folio 623. Portel. in dub. reg V. Abortus. Syluius 2.2.q.64.art.7.quæſit. 4.concl.5. Quarranta in Bulla V. Abortus. Coriolanus p.2. caſu 6.* *Secundo*, ſi eſſent clerici, vltra prædictas pœnas, priuati erant ipſo facto omni officio & beneficio, & dignitate Eccleſiaſticis obtentis, & inhabiles manebant ad prædicta omnia in futurum obtinenda. Si verò eſſent ſæculares reddebantur inhabiles ad ordines ſacros, &c. obtinendos. *Tertiò*, eaſdem pœnas extendit ad omnes procurantes vel conſulentes quouis modo, vt fœminæ alicui daretur potio, vel remedium quoduis ad ſterilitatem, vel ad non concipiendum. *Quartò*, committit cuiuis iudici ſæculari vel Eccleſiaſtico vt poſſit cauſam prœuenire & contra prædictos procedere, pœnas prædictas infligendo. *Quarto*, Omnibus prædictis imponit pœnam excommunicationis, à qua per nullum priuilegium, etiam regularium, neque per Iubilæum poſſit quis abſoluere. Et vltimò addit quòd neque poſſit aliquis diſpenſare cum prędictis in irregularitate inde contracta, virtute cuiuſcumque priuilegij, etiam ſi crimen occultum ſit, neque in foro conſcientiæ.

Gregor. XIV. illius ſucceſſor dictam Bullam in duobus præcipuè reſtrinxit, & moderatus eſt. *Primò*, quòd quilibet ſacerdos ab Ordinario approbatus, & ad hoc ſpecialiter deputatus poſſit abſoluere à peccato abortus & ab excommunicatione ibi impoſita. *Secundo*, decernit quòd ſi fœtus non fuit animatus, vel ſi ſolùm datum ſit poculum vel remedium ad non cõcipiendum; ſterilitatemve cauſandam, tunc non incurrantur pœnæ ſtatutæ à *Sixto*; ſed ſolùm tunc reguletur delictum per ius commune Canonicum vel Concilij Tridentini. *Tertiò*, ait *Gregor.* quòd Bulla *Sixti* quoad alia in ipſa contenta, maneat in ſuo robore & vigore. *Sayrus c.l.3.c.35.n.25.26. Henriques l.10.c.35.§.3. Syluius c. Diana p.7.tr.5.reſ.5.*

An autem ab hoc caſu poſſit abſoluere, qui habet generalem poteſtatem abſoluendi à caſibus & cenſuris Epiſcopo reſeruatis, *Eximio Domino Doctori à Sylueo* verius videtur quòd non; quandoquidem Pontifex requirat, vt confeſſarius ſit ſpecialiter deputatus ad hunc caſum: & huic ſententiæ adhæret *Portel* citatus, *nu.5.* pro confeſſarijs ſæcularibus. Et ſi cõfeſſores ſint regulares putat idem Author, quòd non poſſint ab iſta excommunicatione abſoluere, niſi ſpecialiter per ſuos Prouinciales deputentur: & hæc ſententia mihi videtur probabilior & ſecurior, ideòque amplectenda: quamuis non ſit improbabilis opinio *Bonacina to.3. de cenſur. diſp.2.q.2.p.10.nu.16.* docentis priuilegium habentes abſoluendi ab omnibus cẽſuris Epiſcopo reſeruatis, poſſe beneficium abſolutionis ab hac cenſura conferre; tum quia tales ſunt ſpecialiter deputati ad cenſuras & caſus reſeruatos; tum quia ſic vſu receptum eſt. Ita ille. Vide *Dianam part.7.tractat.5.reſolution.15.*

De aborſu Vide *Homicidium 1.n.18. Debitum coniugale 2.nu.7. Irregularitas VI.n.4.& 9.*

ABSOLVTIO.

SVMMARIVM.

1. *Forma Sacramenti pœnitentiæ.*
2. *An hæc forma data per modum impetrationis; sit sufficiens? præfertur duplex sententia.*
3. *Absolutio non est danda cum ratihabitione vel conditione de futuro: sed bene de præsenti vel præterito: & in quibus casibus.*
4. *An possit aliquando repeti absolutio super eadem confessione peccatorum?*
5. *Quando absolutio differri pro posse fuit non confessionem.*
6. *Non est necessarium manus imponere capiti pœnitentis, dum absolutio profertur.*
7. *Absolutio quando possit dari per scitenis in proxima peccandi occasione, vel recidua. Quanam sit decenda occasio proxima, quæ remota: & an aliquando possit occasio proxima pœnitentis confessario celari?*
8. *Absolui non potest, qui non vult abstinere ab eo, quod est certum esse peccatum mortale.*
9. *Absolvi potest qui in remota solum occasione peccati persistit.*
10. *Extrema necessitate singuli pœnitentes sortiam sunt absolvendi.*
11. *Mutus & extraneus loquens eo idiomate, quod a confessario non fatis bene percipitur, tempore præcepti, possunt absolvi.*
12. *Potest & debet absolvi pœnitens, qui petito pœnitentiæ Sacramento, amplius loqui non potest adueniente confessario, sed tantum signa pœnitentiæ in communi ostendit.*
13. *Confessarius tenetur absolvere pœnitentem sub conditione, qui mentis absentia exhibuit signa contritionis.*
An possit Sacerdos absolvere moribundum, sub testimonio testis mendaci, illum antea petisse confessionem?
An sufficiat unius testimonium, an vero requirantur plures?
An testimonium hoc debeat dari coram ipso infirmo?
14. *Absolutio Sacramentalis non potest dari absenti post decretum Clementis VIII. Et An pœnitens possit absolui, dum tam à confessionali recessit?*
15. *Valida est absolutio collata à Parocho nominatim denunciato excommunicato, vel notorio clerico percussore, modo interueniat communis error & titulus coloratus.*
16. *Invalida est absolutio Sacerdotis, quem pœnitens scitabat esse excommunicatum vitandum.*
17. *Valet absolutio Sacerdos, cui fuit Episcopus concessit absolvendi facultatem. Similiter quando collatio, beneficij Parochialis fuit invalida ob occultum impedimentum: modo illud non sit notorium.*
18. *Episcopus, Parochus vel confessarius possunt suos subditos absolvere extra diœcesim.*
19. *Ad absolutionem censuræ non est necessaria certa forma verborum.*
20. *In absolutione censuræ pro foro externo requiritur causa ipsius exprimi.*
21. *Absolutio generalis data ab eo, qui potest ab omnibus censuris & peccatis absolvere, comprehendit etiam censuras & peccata, quæ pœnitens ex oblivione in confessione tacuit.*
22. *Absolutio a censura, an impendi possit extra confessionem.*
23. *Habens privilegium absolvendi a censuris reservatis, an possit in utroque foro absolvere? & quid nomine partis intelligatur in hac materia?*
24. *Absolutus in foro conscientiæ, an indigeat nova absolutione, si eius crimen in iudicium deferatur?*
25. *Habens potestatem ordinarium absolvendi a quacunque censura reservata, an valide absolvat, nondum satisfacta parte? & quid dicendum de habente facultatem delegatam?*
26. *Quando in privilegio absolvendis dicitur, Non valeat, non possit absolvere, &c. an requiratur satisfactio, & privilegii limites percipiens. Quod si in privilegio dicatur, Satisfacta parte, vel de consensu partis referatur huc duplex sententia.*
27. *Pœnitens qui moritur non potest satisfacere, an absolvi possit adhuc, qui habet privilegium absolvendi cum limitatione satisfactionis? Si qui autem hæc forma fuerit excommunicatus, Sit excommunicatus donec satisfaciat, vel restituat, an excommunicatio statim auferatur, sine absolutione?*
28. *Qui possint absolvere a censuris reservatis & non reservatis?*
29. *Episcopi virtute Concilii Tridentini possunt absolvere a censuris & cæsibus occultis Summo Pontif. reservatis. Et an hæc potestas competat aliis Prælatis.*

30. *In quibus casibus casibus potest Episcopus a censuris publicis Papa reservatis absolvere.*
31. *An articulo mortis an quilibet simplex sacerdos possit absolvere a censuris & peccatis reservatis, licet adsit Superior vel alius confessarius approbatus? Refertur duplex sententia. Et quando dicatur periculum, seu articulus mortis?*
32. *Multiplex forma absolutionis a censuris.*
33. *Ritus seruandus in absolutione, quæ in foro externo impenditur.*

1 FOrma *Sacramenti* pœnitentiæ est illa: *Ego te absolvo a peccatis tuis.* Et eli de fide ex Concilijs Florent. & Trident. *sess.14. can.3.* vbi Ecclesiæ & traditione perpetua. Essentialia verba sunt, *Absolvo te*, hoc est, confero tibi gratiam expulsiuam peccati: & per le quidem eorum peccatorum remissionem significant, quæ pœnitens confessus est, vel ea enim directe dicuntur absolui, per accidens autem etiam aliorum remissionem, quæ indirecte remittuntur. *Suarez de pœnit. disp. 19. sect. 1. Sanctus in select. disp. 6. n. 13. Sylvius 3. p. q. 84. ar. 3. Filliucius tr. 6. c. 3. q. 6. & 7. Nauar. in Manu. c. 26. Toletus l. 5. c. 11. n. 1.*

Verba autem quæ præmittuntur, vt, *Misereatur tui*, &c. non præmittuntur, vt necessaria ad conficiendum Sacramentum, sed ad impetrandum à Deo, ne ex parte pœnitentis impediatur Sacramentum; sicut etiam ad eumdem effectum præmittitur absolutio a censura, verba verò quæ sequuntur, vt, *Passio Domini*, &c. secundum Omnes, nec etiam sunt necessaria de præcepto; laudabiliter tamen adduntur & possunt omitti ex qualibet causa rationabili. *Præterea* licet in baptismo sufficiunt verba æquiualentia, (vt docemus V. *Baptismus II.*) sic & ita sufficerent, *Sacramentum absolutionis tibi do, peccata tibi remitto, peccata tibi remittuntur*; *absolutionem, vel absolutor Servus Christi N. absoluatus a Deo*, *Vasquez 3. p. q. 84. ar. 3. dub. 1. nu. 12. Valentia to. 4. d. 7. q. 1. p. 3.* modo nulla illorum sumantur deprecatiue, sed imperatiue; quod tamen imperium non ternuntur ad Deum, sed ad effectum qui in pœnitente recipitur. quia per eiusmodi sermonem ita prolatum satis significatur peccatorum remissio, quæ est effectus huius Sacramenti, vt procedens a potestate iurisdictionis Sacerdotis: tamen ab omnibus his mutationibus est absticndendum, cum multæ fieri possint, sine peccato. Vt docent. *Sylvius c. art. 3. Henriq. l. 4. c. 11. n. 3. Suarez c. sect. 1. n. 14. Bonacina to. 1. disp. 5. q. 4. p. 2. n. 3.*

Sed dices, hæc forma videtur aliquando falsa, vt primo cum quis venit ad Sacramentum pœnitentiæ sine necessaria dispositione. 2. Cum venit perfectè contritus. 3. Cum accusat se de peccatis antea legitimè confessis, quod sæpè fit in confessione generali: nam primus non absoluitur, vt patet, nec etiam alij duo, quia non sunt ligati.

Respon. formam semper esse veram, quantum est ex parte Dei, & Sacramenti, & in foro Ecclesiæ: nam in primo casu, per accidens est, quòd pœnitens non absoluatur, quod etiam in alijs Sacramentis contingit. In tertio tamen si pœnitens non fuit vere ligatus; sufficit, vt fuerit aliquando ligatus, & tamquam ligatum se exhibeat, vt patet in foro ciuili, vbi vnus & idem, de isdem criminibus, potest in varijs tribunalibus absolui.

In secundo casu sunt quatuor sententiæ, nam cùm quis venit ad confessionem perfectè contritus, voluit aliqui sensum verborum esse, ostendo te absolutum; alij, absolio te à reatu pœnæ; alij impendo tibi Sacramentum absolutionis, seu Sacramentaliter te absoluo; alij denique, absolio te quantum in me est, & ex parte Dei. Prima expositio fuit hæresim Lutheri, quæ nihil facerdotibus relinquit præter nudum ministerium annunciandi peccata, nobis propter Christum esse remissa. Secunda est improbabilis, quia absolutio fit a culpa, quæ distinguitur a reatu pœnæ; præterquam quòd fieri posset, vt tota pœna sit remissa. Tertia & quarta expositio est valde bona; nam sacerdos absoluendo confert gratiam sacramentalem, quæ potens est omnem culpam abtergere, etiamsi per accidens nulla intentiatur; imo culpa non tuit remissa, nisi per votum Sacramenti, vt docet Concil. Triden. *sess. 14. c. 4.* Quare cùm Sacerdos contritum absoluit, complet quod pœnitens in voto gerebat, & applicat illi remedium, cuius virtute fuit sanatus.

2. Quidam vt *D Bonum. disp. 18. art. 2. q. 1. & 2. Alensis q. 80.* putant hanc formam datam per modum impetrationis validam esse & sufficientem; vt *absoluat te Deus*; sed negant alij, vt *D Tho. 3. p. q. 84. art. 3. ad 1. Palud. disp. 23. q. 3. Nauar. c. 1. de pœnit. disp. 6. n. 9. Suarez sect. 1. n. 25. Filliucius c. m. 68. 69.* quia forma depre-

deprecatiua repugnat eum forma iudicis; de essentia autem huius Sacramenti est vt fiat per modum iudicij; ergo. Si tamen verba proferantur in sensu deprecandi, proferantur modo & intentione imperandi, in illo sensu erunt æquipollentia, & consequenter etiam sufficientia, quia præcise significant efficiendo talem effectum, quo sensu valebit illa forma *Absoluantur Petrus*. Quamuis præsumptuosum & valde illicitum sit, illa vti: vt dictum est.

3. Absolutio cum ratihabitione facilè danda non est *Tolet l. 2. c. 12. Cauet V. Absolutio Cruciferi ad c. 7. reg. Mart. lect. 21. Graffius l. 1. c. 32. nu. 2. Diana de dub. reg. ref. 11. p. 3. Syluius c. de 2. Tanerus de pœnit. d. 6. q. 9. nu. 3.* & quidem si detur cum conditione de futuro irrita est; quia non est in potestate Ministri suspendere effectum Sacramenti: si autem conditio sit de præsenti vel præterito, non vitiat effectum formæ: vnde sub conditione de præsenti in dubius casibus licet absolutionem dare. *Primo*, cum Sacerdos dubitat de pœnitente an habeat vtam rationis, vel tam sit annis. *Secundo*, quando dubitat, an sint peccata eaque audiuit. Conditio autem non est inter verba formæ apponenda, fed potiùs antè pœnitenti aperienda, & mente eorum absolutionis subintelligenda. Imò posset quis aliàs absoluere ex præsumpta voluntate Superioris, si præsumptio fundetur in signis, quæ sufficienter indicent præsentem voluntatem Superioris; aliàs non, quia præsumptio si non fundetur in aliquibus signis, non sufficit ad damnum iuridicè nouendi & sic est tantùm existimatio de futuro conueniù Superioris, & coincidit cum ratihabitione de futuro, quam non esse sufficientem docent communiter Doctores. Ita Fagundes *præcep. 2. lib. 5. c. 2. n. 71.* Becanus *de Sacrament c. 3. q. 8. n. 3.* Diana *p. 3. tract. 2. resol. 11.* Et alij ab ipso citati. Sed plura de his, vide infra verb. *Confessarius* 11. n. 17.

4. Absolutio non potest reperi super eadem confessione peccatorum absque sacrilegio. *Suarez c. d. 18. sect. 4. n. 10. Filliucius tr. 6. c. 3. nu. 77. & 78. Sylueius c.* quia caderet super materiam nullam, & ideò irrita esset: posset autem vtiliter iterari in ordine ad eadem peccata iam remissa sacramentaliter, si adesset nouum motiuum, subiectiuæ & doloris: nam materia proxima pœnitentiæ non est sola confessio, sed & contritio, & satisfactio; ergo totum est repetendum. Contra *Ioannem de la Cruz & Petrum Ledesma* apud Dianam *3. p. tr. 4. resol. 116.* qui docent, quod repetita sola confessione vocali, repetitur saltem virtualiter dolor in ordine ad confessionem vocalem. Sed prima sententia est probabilior & tutior.

5. Absolutio per plures dies differri potest post factam confessionem & taxatam pœnitentiam, etiamsi confessarius interea oblitus fuerit talis pœnitentiæ, dummodo ea illi in memoriam reducatur, & confitenti pœnitentiæ non moueat, quod non sit ei semina: similiter nec videtur necessarium esse, vt Sacerdos dum absoluit, manum extollat, nisi consuetudo Regionis fuadeat in contrarium.

6. Regulariter non est danda absolutio pœnitenti, qui perstitit in proxima peccandi occasione, quia talis non censetur habere sufficientem dolorem ac propositum vitandi peccata in futurum. *Sayrus l. 8. c. 2. nu. 9. Nauarr. in manuali c. 3. num. 15. Cruciferi c. de cf. 31. Diana 4. p. tr. 4. ref. 165.* Secundum tamen communem sententiam ex Nauarro posset absolui pœnitens, quàs tuis non relinquat occasionem peccandi concubinariam quæ tuor conditionibus. *Prima* est dolor de peccatis præteritis. *Secunda* est animi propositum non peccandi de futuro. *Tertia* est credulitas, qua credit se cum Dei auxilio non peccaturum, quando se in ea occasione inuenerit. *Quarta* quando adest rationabilis causa non separandi se ab ea occasione. *Nauarr. c. 23. nu. 19 Diana p. 11. 2. ref. 45. Laymann l. 5. tr. 6. c. 4. nu. 9. Hinc* confitarius posset aliquando concubinarium vere pœnitere absoluere; vt quando non potest dimitti concubina sine graui infamia vel scandalo, vel alio graui incommodo; tunc enim adest occasio peccandi non sit proxima, & proinde innolumitas erit. Similiter absolui potest concubinarius, qui in articulo mortis existens non potest tunc concubinam ejicere, fed habet firmum propositum illam ejicienti, quamprimùm potuerit. *Sylueius 2. 2. q. 154. art. 2. Fillmeius tr. 30. n. 56.*

Item absolui possunt mercatores, scribæ, & aliorum officiorum personæ in quibus officijs adest occasio peccandi; dummodo proponant vltetius non peccare, quia nullus tenetur occasionem proximam vitare cum magno detrimento; quod sanè interueniret officium deferendo. Et *D. Ioannes Bapt.* querentibus militibus quid efficere deberent ad salutem consequendam, non præcepit militiam deserere *Luc. 3. Nauar. n. 14. Graffius l. 1. p. 1. c. 18. n. 15. & 9. Sanctus in select. disp. 10. n. 11. 12.* etiam docent posse absolui pœnitentem non ejecta concubina, cum reincidendi periculum cessat v. g. quia deformis facta est; aut quia cognatio inter eos esset subsecuta, quæ ab ipsis contemni non creditur; aut noua alia interfunt obstacula.

Sed petes *Primo*, quænam sit dicenda occasio proxima, quæ remota? Respon. *Proxima* est illa, ob cuius rationem aliquod peccatum committitur in particulari; aliàs non committendum si ea abesset; eò quòd occasio frequenter præ manibus offerat peccatori, illum ad peccatum inducendo, taliter quòd potiùs occasio quærat peccatorem, quàm ipse cam: ob quod stante occasione proxima, difficile fit fatis a peccando abstinere; est enim natura obiecti præsentis efficacius mouere quàm absentis. *Remota* est illa occasio, quam nisi peccator inquirat, non inueniet, aut saltem difficulter], ob quod facilis erit vitatio peccati. Hanc remotam occasionem pœnitès non tenetur vitare, bene tamen proximam.

Petes *Secundo*, an qui habet occasionem proximam ineuitabilem sine magno incommodo, & scandalo, possit z quiuocatione vtendo negare occasionem, licet interrogetur a Confessario, si credat non iri absolutendum se ea cognita? Respondet affirmatiùe Sanctus in selectis *disp. 9. nu. 9.* quia posito vero proposito emendationis, habet pœnitens ius ad absolutionem; quæ tunc errore a Confessario negari non potest; erroneum verò Confessarij fouere pœnitens non tenetur. Imò est certò credat adeputurum se absolutionem, poterit negare occasionem; cùm ad hoc, vt minister recte fuo fungatur officio; nihil conducat scire, sitne pœnitens in occasione vel non; dato quòd illam vitare non potest, eò quòd, sue cognoscat occasionem, sue non, teneatur tamen absolutionis beneficium impertiri.

An autem recidiuis sit impertienda toties quoties absolutio, quando nullus apparet profectus: Negatiue respondent. *Suarez c. d. 19. 32. sect. 2. Graffius p. 1. l. 1. c. 18. n. 23. Reginald. l. 8. nu. 9. Nauarr. c. 21.* eò quòd tunc præsumatur fictitium propositum pœnitentis: Contrariam tamen sententiam docet *Vivald. tr. de absolut. n. 43. Sanctus in selectis disp. 9. q. 2.* 10. nempe, numquam propter recidiuum esse absolutionem negandam si pœnitens habeat dolorem de præterito & propositum de futuro, quia impossibile moraliter non est, pœnitentem modo vere dolere de peccato, & proponere cauere, statim vero occasione inflante mutare propositum: si enim respectu venialiù reperiri queat verum propositum, & dolor absque aliquo profectu, quare respectu mortalium id inueniri non valebit. Vnde dum pœnitens vero proposito est affectus, dignus est absolutione, quantumcumque nulla notetur emendatio. Hæc doctrina *Sancij*, quia notasest à viris doctis dijudicanda, vtadvertit *Diana* supra citatus.

8. Absolutio danda non est nolenti abstinere ab eo, quod certum est esse peccatum mortale, ne Sacramentum facilegè contaminetur *Pellorra de Sacram. 197. Nauar. cap. 26. nu. 3.* pro nolente autem abstinere habendus non est ille, qui propter magnam consuetudinem, quam habet peccandi, putat se iterum peccaturum, sed omninò vult cauere & firmiter proponit non peccare. Vnde si pœnitens statum suum malum agnoscens, roget absolutionem sibi impendi, executor a facrilegio, si bona fide eum viro docto & pio id tradtet, neque exsistimet sacrilegio, sed bono operi te operam dare. *Cauetan. tom. 1. opusc. 2. q. 5.*

9. Non est deneganda absolutio persistenti in remota foluum occasiuæ peccati & qui ter vel quater in anno peccauit cum ancilla, repentina libidine correptus: absolui potest, qui de domo patris non expellit concubinam, vel aliam cum qua peccare solet, modò habeat firmum propositum non peccandi amplius in futurum, & non solum cum sola conuerfandi; quia hæc non dicitur occasio voluntaria respectu filij, qui non est sui iuris. *Graff. c. c. 28. c. 13. Lopez. 1. p. cap. 78. Sanctus in select. d. 10. nu. 16.* Porro Confessarius non debet denegare absolutionem

nem adolescenti qui sępius in mollitiem incidit carnis fragilitate, huiusmodi enim occasio non censetur voluntaria; potest tamen aliquando differri absolutio, vt pœnitens cum maiori proposito proponat euitare peccata hæc carnalia. *Coninc. de pœn. disp.8.dub.17. nu.134.* Iudicat tamen absolutè *Sancius in selectis disp.9.n.12.* numquam fore rectum consilium absolutionem negare habenti consuetudinem peccandi, quantumuis consentiat pœnitens, supposito, quòd licitè possit absolui: quia quando negatur absolutio, eo fine fieri debet, vt cautior pœnitens reddatur ad præcauenda peccata; non apparet autem, quòd maiores vires inhęsuræ sint pœnitenti ad peccata vitanda, si careat gratia sacramentali, & cæteris auxilijs à Sacramento prouenientibus, quàm si eà & illis induatur: in cuius enim cor ascendere poterit, quòd vberiores præstet vires, ad fugienda peccata dolor ille à pœnitente conceptus, ob negatam absolutionem, quàm gratia, & auxilia de facto exhibita? *Hæc ille.* Qui etiam adnotat non esse diuersum, Confessarium absolutionem negare, & illam differre; quia quod differtur, pro illo tempore negatur, aliud est enim Cõfessarium iudicare de pœnitente ampliùs non peccaturo, aliud sentire propositum à peccato cessandi non adducere: primum non sufficit ad negandam absolutionem, bene tamen secundum. Deinde talis pollutionibus se inficiens non est dicendus manere in occasione peccandi, cùm occasio illa ad peccatum pelliciens intrinseca sit & inseparabilis; quocumque enim pergat quis, suam secum defert carnem, nec à seipso recedere valet. Cognouit absque dubio Christus nostram fragilitatem, dum Petro dixit *Matth.18.* veniam dabis pœnitenti *non solùm septies, sed etiam septuagies septies*, ac si diceret, semper, siue quotiescumque opus erit, siue innumeris vicibus, imò innumerabiliter innumerabilibus, vt eleganter explicuit Maldonatus *super Matth.18.n.22.*

10. Sicut singuli pœnitentes seorsim audiendi sunt confitentes, sic etiam absoluendi sunt singuli seorsim, vrgente tamen extremâ salutis necessitate, quando in maris procella, aut peste sæuiente, aut conflictu belli deest commoditas singulos seorsim audiendi & absoluendi, Sacerdos tunc potest auditis peccatis aliquibus vniuscuiusque simul omnes absoluere, dicendo; *Ego vos absoluo à peccatis vestris.* Præmissâ cohortatione ad dolorem concipiendum de omnibus suis peccatis. *Syluest.v.confessio. 1.nu.2.& 3.Nauar.c.8.nu.13.Tanner.c.n.4.Henriq.l.4.c.11.§.4.Vinald. de absol.n.76.* Ita etiam *Suares, Comine. Vasques, De la Cruz* apud *Dianam* tractatu secundo miscell.resolutione 41.parte 2.

Imò secundum *Hurtad. de Sacram.pœnit. disp.9.difficul.10. Diana part.5.tr.3.resol.71.* in periculo mortis, vt in peste, bello, aut naufragio, quando periculum imminens aliud nõ permittit, possunt omnes simul signo aliquo, vt genuflexione, significare se peccasse sic in communi, & de eo dolere, vt continget, si Confessarius dicat, omnes qui volunt à peccatis absolui, genuflectant, & tunc etiam possunt omnes simul absolui à Confessario, vt suprà.

11. Mutus tempore præcepti confessionis absoluendus est, quamuis Confessarius ipsius peccata percipere nequeat; nam impotentia loquendi excusat ab integritate materiali confessionis: similiter absolui potest extraneus loquens eo idiomate quod à Confessario non satis bene percipitur, modò non adsit alius Sacerdos, qui bene percipiat ipsius idioma; quia talis pœnitẽs moraliter facit quod in se est, cùm manifestet peccata, quantum in se est. *Bonacina to.1.disp.5.q.5.sect.2.p.2.diff.4.n.6. Reginald.l.6.nu.155. Sàv. Absolutio num.9. Crouser c.fol.797. Diana p.5.tr.6.resol.3.*

Vide infrà *verb. Confessio V.n.5.*

12. Absolui potest, qui petito pœnitentiæ Sacramento, sed postea adueniente confessario, non potest ampliùs loqui, vel aliquod peccatum in particulari exprimere, sed tantùm exprimit aliud in genere, vel solùm ostendit signa pœnitentię & peccatorum in communi; quia in hoc casu censetur adesse materia sufficiens ad absolutionem, cùm alia exhiberi non possit, ob impotentiam loquendi, quæ excusat à materiali integritate confessionis. Imò non solùm potest confessarius, vt ei etiam tenetur, saltem ex charitate absoluere pœnitentem qui dat signa contritionis in periculo mortis & non potest vllum peccatum in particulari explicare; quia cùm hæc sententia sit probabilior contrariâ, tenetur in hoc casu confessarius illa vti, beneficium absolutionis impendendo, ne pœnitens in statu damnationis relinquat, cùm fieri possit, vt per absolutionem efficiat illum de attrito contritum, illùmque constituat in statu salutis. *Vasques 3.p.qu.91.art.2. dub.1. Palud.4.d.21.q.2.art.2.Sylu. v.confessor 3.q.13. Dian. de absol.morib.ref.9.p.3. Suar. de pœnit. disp.23.sect.1.n.5. Syluius 3.p.qu.9. ar.2.quæst.5. in supplem.* Ita *Clementem octauum* vnę vocis oraculo respondisse ferunt *Bellarminus* apud *Coninck* to.1.disp. 7.dub.10.nu.105. Quidquid in contrarium doceant *Soto, Cano. & Nauarrus* apud *Suarez* hic citatum. Et certè non videtur, quomodo iam Nauarri sententia sustineri possit, postquam à Paulo V. in suo Rituali Romano contraria opinio sit approbata, & toti Ecclesiæ ad praxim Pontificia auctoritate proposita est in ritibus de Sacramento pœnitentiæ his verbis; *Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & lacuela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur sacerdos, quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere: quibus vtrumque vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit absoluendus est.* Vbi expressè Summus Pontifex non solùm permittit, sed præcipit omnibus Parochis absolutionem, in casu proposito impendere.

13. Confessarius tenetur sub conditione absoluere pœnitentem, qui in absentia confessarij exhibuit signa contritionis, sed aduenientę confessario ita sensibus est destitutus, vt nullum exhibere possit signum, quo indicet se peccasse, & velle sibi Sacramentum pœnitentiæ administrari, adstantes tamen fatentur ipsum dedisse signa contritionis, aut confessionem petijsse: quia attestatio astantium vicem confessionis supplet, & periculum damnationis, cui exponitur nisi absoluatur, iusta causa est impendendi absolutionem sub conditione si materia est sufficiens, vel si pœnitens est capax; & melius est infirmum decedere; cum dubio Sacramenti, quàm sine vllo Sacramento. *Suar.c.disp.26.sect.& d.23.sect.1.n.12. & 13.Filliucius tr.7.nu.18. Toletus lib.8.c.8. Dian.de absol.morib.ref.4.part.3. Crousers ad cap.7.reg.Min.l.3 t.Sylvius in supplem.q.9.art.2.qu.5. Sancius in selectis disp.44.n.52.* Imò ipse *Sancius* hic citatus notat, quòd quando Doctores dicunt ministrandum esse Sacramentum sub conditione, id intelligendum esse in dubio propriè, non in opinionibus: vnde talis secundùm illum posset absolutè absolui sine vlla conditione; quia qui agens aliquam actionem iudicat se non delinquere, absolutè potest illã exercere, nec opus erit conditionem addere. Attentè tamen est obseruandum necessarium esse illa signa contritionis adhiberi in ordine ad claues, quia contritio, vel manifestatio eius per se non est sufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ; sed quatenus informat confessionem aliquam, cum qua perficit accusationem sacramentalem, & hoc est exhibere signa in ordine ad claues. In dubio autem an illa signa orta sint ex contritione vel ex angustia mortis, absolutio deberet conferri sub cõditione. Ita *Layman* lib.5.tr.6.c.8. nu.4. *Diana* c.p.3.resol.3. Et propter hoc absolui potest amens, qui antea dedit signa contritionis seu doloris propter rationes supradictas. *Sà v. absolutio n.10. Henriq.l.6.c.10.n.9.* Non posset tamen sacramẽtalis absolutio impendi iuxta communem sententiam DD. quando aduenientę confessario nulli sunt præsentes, qui fidem faciant petitæ confessionis ab infirmo, vel signorum contritionis. Ratio est quia absolutio ex Concilio Tridentino, est actus iudicialis, sed iudicium non exercetur, vbi accusatio nulla est, ergo. Sic *Mulder. de sigil.conf.c.15. Nald.in sum.verb. conf.n.32.* Quamuis non desint, qui doceant talem debere absolui sub conditione, si est capax, modò in articulo mortis cõstitutus, Christiano more viuere soleret & bonus ac fidelis homo æstimetur. Hanc sententiam probabilem ex principio extrinseco putat. *Diana c.resol.8. & 4.p.tr.4. resol.92. Homobonus in exam.p.1.tr.7.c.18.q.84. Molfesius in sum.to.1.tr.7.c.5.nu. 48.49. Lezana to.3.sum.verb.confessio n.11.* Ratio est, tum quia in necessarijs ad salutem tutior pars est amplectenda, & certiori periculo occurrendum est; Irreuerentia autem Sacramenti, vel periculum sacrilegij cessare dicitur & conditione apposita & authoritate Doctorum hanc opinionem tuẽtium. Tum, quia in hoc casu adest aliquo modo materia, quę per testificationem & famam probitatis moribũdi efficitur presens.

Plus addit *Petr. Marchantius in tribun.sacr.to.1.tr.6.tit.24.q.7. concl.2.* Reperio, inquit, hominem in via vulneratum, vel infirmum animam agentem, nescio an sit Catholicus, vel Hæreticus, signa etiam apparentia sufficienter non habeo de eius dispositione. Interim agitur de damnatione æterna & hic nullum formare possum iudicium, nec certum, nec dubium, quia in dubio vtrimque debent rationes aliquæ apparere, minùs

opino-

opinosum eadem ratione, sed habeo puram nescientiam ex qua perplexus sum ne anima pereat, quam fortè iuuare possem: licet tunc mihi sub conditione mentali vel explicita, *si sis dispositus*, illum absoluere. Ratio est, quia in graui & extrema necessitate, ratio charitatis postulat vt quæcumque remedia, quæ quouis modo vel quauis etiam incertitudine occurrunt, adhibeamus, modò nobis constet non posse nocere. *Hæc ille.*

Proinde in supradictis casibus Confessarius non solum potest, sed etiam tenetur absoluere; quia cùm hoc licitè possit facere, ad hoc obligatur, vel ex charitate, vel ex iustitia si pœnitentis pastor est; quod etiam verum est respectu eorum, qui contrariam sententiam tenent; quia cùm hanc sententiam possint in praxi tutò sequi propter suam probabilitatem, idque sit saluti moribundi valde expediens aut etiam necessarium, si solum sit attritus, ad hoc vel ex charitate, vel ex iustitia tenetur: quia ex duabus opinionibus semper eligenda est illa, quæ fauet pœnitenti, & non illa quæ est in reuerẽtiam Sacramenti. Et confirmatur hæc sententia; quia tunc nulla fit iniuria huic Sacramento, quando sub conditione impertitur absolutio, vnde si non reperiatur dispositus, absolutio habetur pro non data, & sic prodesse, non autem nocere potest. *Antonius de Litteratis in sum. part. 1. c. 35. num. 7. apud Dianam c. resol. 8. Caramuel l. 3. Theol. mor. n. 1542.*

Sed stando in priori & communi sententia, petes *Primo*, an possit Sacerdos absoluere moribundum, quando ij, qui testantur de voluntate, & petitione confessionis, non audierunt hoc ab ipso infirmo, sed ab alijs, atque adeò non sunt testes immediati, sed mediati? Resp. sufficere in casu necessitatis eam notitiam, quæ ex testibus mediatis haberi potest: nam notitia mediata notitia est & quæ sufficit ad alios effectus, in quibus maior certitudo requiritur; vnde in Rituali Romano generaliter dicitur, *Si confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Ita *Ioannes Lugo de pœnit. disp. 17. sect. 6. nu. 81.*

Petes *Secundò*, an sufficiat vnius testimonium, an verò requirãtur plures? Resp. sufficere testimonium vnius. Ratio est, quia vbi non agitur de præiudicio alterius, creditur vni testi, quamuis nõ sit omni exceptione maior & iuridicè legitimus: nec requiritur, quòd testis ille sit fidelis; potest enim sufficere infidelis, vel hæreticus, quando credibile est, in hoc casu ipsum non mentiri. Ita *Sancius in select. disp. 44. nu. 35. Diana par. 3. de absolut. morib. resol. V.*

Petes *Tertiò*, an testimonium hoc debeat dari coram ipso infirmo, vt possit absolui? Negant illi posse tunc absolui, qui dicunt in hoc casu confessionem fieri in absentia, & ita esse cõtra Decretum Clementis VIII. qui non solum damnauit absolutionem absente pœnitente, sed confessionem absente confessario: nam si confessio fit tunc, quãdo testis dicit, infirmum petijsse confessionem, consequens est, vt debeat fieri quando confessarius præsens est pœnitenti: alioquin confessio fieret in absentia, si solum in itinere audijsset sacerdos, & testis ad alium locum discessisset. Ita *Diana p. 3. tr. 3. resol. 7.* adducens in sui fauorem multos; & hæc sententia tutior est & amplectẽda. Alij tamen generaliter loquũtur & volunt, quomodocumque illud confitendi desiderium confessario innotuerit, posse sacerdotem absoluere pœnitentem præsentem sensibus destitutum. Ratio est, quia illa non est confessio strictè, sed magis vniuersaliter sumpta, quę in defectum strictæ confessionis acceptatur ad proferendam sententiam absolutionis. Et proinde Decretum Clementis VIII. intelligendum est de confessione strictè sumpta, quæ non potest fieri validè, aut licitè, nisi in præsentia confessarij. Et ita Romæ à multis iudicatum fuisse, refert *Bonacina. to. 3. disp. 2. q. 4. punct. 33.* Vnde hæc sententia est satis probabilis, vt etiam concedit *Diana.*

14. Absolutio collata pœnitenti absenti non est valida, quãuis pœnitens in articulo mortis existat, quia obstat Decretum *Clementis octaui*, in quo decernitur talem absolutionem esse inualidam; & afficiuntur excommunicatione Summo Pontifici reseruata, qui absoluunt absentem, vel dicunt, vel docent aliquem posse per literas, vel per nuntium confessarium absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere: & opposita sententia damnatur vt falsa, temeraria, & scandalosa. *Suares de pœnit. d. 19. sect. 3. n. 15. Vasq. de pœnit. q. 91. art. 1. dub. 2. Victor. de conf. nu. 171. Soto in 4. d. 18. q. 2. art. 6. Filliuc. tr. 6. nu. 80. 81. Tolet. l. 3. c. 6. Sàv. absolutio num. 8. Tannerus c. nu. 6. 7. 8. Sylvius c. q. 9. art. 2.* ratio autem est; quia Sacramentum fit per modum iudicij, quod ante absolutionem requirit causæ cognitionem, & cùm sit iudicium internum & voluntarium, in quo pœnitens habet vicem accusatoris, testis, & rei ostendentis suam dispositionem, ex naturâ rei postulat præsentiam iudicis; præterea de ratione huius formæ est, vt proferatur voce humanâ & dirigatur ad personam præsentem ex illo pronomine, *te*, ergo non potest conferri in absentem. Tamen, si pœnitẽs per litteras mitteret peccata sua confessario, deinde in præsentia ciusdẽ cõfessarij diceret se de omnibus illis accusare, validè absolueretur. Vt docet *Diana* de Sacramentis resol. 127. p. 3. *Bonacina to. 1. d. 5. q. 4. punct. 6. Layman l. 5. tr. 6. c. 6.*

Sed dubium est, an confessarius possit absoluere pœnitentem, dum iam à confessionali recessit, & adhuc in conspectu illius est, si fortè confessarius oblitus sit dare absolutionem? Resp. affirmatiuè, si incommodum sit illum reuocare, vel illum adire. Ratio est, quia præsens est, & moraliter cẽsetur habere ius ad absolutionem quam credit se accepisse, vti & accipere debuit virtute confessionis sacramentalis factæ: censetur enim voluntas pœnitentis interpretatiuè permanere recipiendi absolutionem ex actibus prioribus; quia si sciret sibi nõ datam absolutionem, vtique rediret vt sibi debitam exigeret. Nec refert quòd sit extra locum confessionalis, nec amplius cogitet de absolutione recipienda; locus enim non est de necessitate ad validitatem sacramenti, sicut nec actualis cogitatio de recipienda absolutione. Secus dicendum esset, si pœnitẽs ita longè abfuerit vt totaliter sit extra conspectum sacerdotis, & moraliter absens ab illo, tunc enim non potest Sacerdos illum sic absentem absoluere, quia verè talis est absens & vt dictum est, absenti non potest impendi absolutio.

15. Valida est absolutio collata à parocho nominatim denunciato excommunicato, vel notorio clerici percussore, in eo loco in quo communi errore & titulo colorato habebatur pro vero parocho; quia in hoc casu Ecclesia supplet iurisdictionem, quâ caret excommunicatus denunciatus, vel notorius clerici percussor: idem dicendum de suspenso & irregulari. *Sanchez de matr. lib. 3. d. 22. n. 46. Suar. de censur. d. 11. sect. 2. n. 14. Sylvius in supplem. q. 9. a. 2. quæst. 6.* Imò *Pontius & Sancius*, apud *Dianam* asserunt quod vt absolutio valeat satis sit haberi communem errorem, sine titulo; & hanc sententiam probabilem putat *Diana*, secunda parte, tract. Miscellan. resol. 43. & de Sacramentis, resol. 122.

16. Inualida tamen esset absolutio parochi vel Sacerdotis quem pœnitens sciebat esse excommunicatum vitandum, quamuis ille parochus communiter in illo loco haberetur pro legitimo superiore & non excommunicato; & hoc non defectu iurisdictionis, cùm Sacerdos illam habeat per errorem communem, cum titulo colorato, sed ratione participationis in diuinis cum excommunicato vitdo, quæ sub peccato mortali ab Ecclesiâ prohibetur, nisi necessitas vel alius titulus excuset. *Reginald. l. 1. n. 117. Bonacina de matr. q. 2. p. 8. nu. 35. Crowsers cap. lect. 21.*

17 Valida est absolutio data ab eo Sacerdote, cui Episcopus verbis tantùm, & cum fictione concessit facultatem absoluendi; sicut etiam validè absolueret Sacerdos, qui communiter habetur pro parocho, cuique Episcopus contulit beneficium parochiale, sed collatio fuit inualida ob occultum impedimentum ipsius Sacerdotis, puta excommunicationis, irregularitatis, cuius effectus est irritam facere collationem? quia in his casibus interuenit communis error & titulus collatus à legitimo superiore. *Sanchez c. n. 46. ex L. Barbarius ff. de offic. prætoris. C. infamis 3. q. 7. Lessius l. 2. c. 29. dub. 8.* Aduertendũ autem maximoperè est absolutionem fore inualidam collatam ab eo, qui verè Sacerdos non est, quamuis errore communi & titulo colorato haberetur pro vero Sacerdote; quia adest impedimentum iuris diuini, quod ab Ecclesia suppleri non potest; facultas enim absoluendi iure diuino competit tãtùm verè Sacerdotibus. *Sanchez c. nu. 22. & seq. Caiet. v. confess. iteratio. Palud. 4. d. 17. q. 6. art. 1. Reginald. l. 1. n. 97.*

18. Episcopus, Parochus, vel confessarius facultatem delegatam habens in aliquas personas possunt suos subditos absoluere vbique, etiam extra diœcesim, quia iurisdictio, quæ absque strepitu iudicij exercetur, potest extra proprium territorium & diœcesim exerceri, & cum isti confessores habeant iurisdictionem in personas pœnitentium, non attenditur territorium, vel præsentia localis, sed tantùm persona. Vide v. *Confessarius 1. n. 10. Sanch. de matr. l. 3. disp. 19. n. 8. Reginald. l. 1. num. 91. Diana de Sacram. resol. 144. p. 3.*

19. Ad

19. Ad absolutionem censuræ non est necessaria certa, & determinata forma verborum, sed sufficiunt quæcumque verba ore prolata, vel in scriptis expressa, quibus sufficienter exprimatur absolutio: Episcopi tamen, aut alij Prælati inferiores Summo Pontifice non possunt impedere absolutionem censuræ per nutus & signa absque verbis vel scripturâ; quia tales Prælati tenentur seruare formam iuris communis: Summus autem Pontifex si declaret se velle solo nutu vel facto absoluere, potest absoluere; quia habet supremam potestatem & facultatem absoluendi non seruatâ formâ iuris. *Valent.tom. 4.disp.7.q.17.punct.8. Suar. de censur.d.7. sect.9.nu.13. 14. Filliuc. tr.11.c.10.q.8. Sanches de matr.l.8.d.4.n.24.*

Sed petes, vtrùm sacerdos possit his verbis, *Absolvo te* validè vti ad absoluendum à peccatis, & simul à censuris? Resp. affirmatiue, modò sacerdos ijsdem verbis intendat absoluere à censuris, & à peccatis. Et in hoc casu absolutio à censuris censetur prior naturâ absolutione à peccatis; & verificatur sensus formæ sacramentalis, sufficienterque indicatur relatio vinculi censuræ. Ita Nauarrus *de pœnitent.dist.6.c.1.* Sotus *4.dist.14.q.1. art.3.* Henriquez *lib.4.cap.11.n.3.lit.X.* Filliucius *tract.11.n.318.* Certior tamen modus absoluendi est, si confessarius dicat: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, & peccatis tuis*. Vt docet Suares *de censur.disp.10 sect.2.n.7.* quia certissimum est illa sola verba, *Ego te absolvo*, esse essentialia, & sufficientia ad absolutionem sacramentalem, quod non est ita certum de absolutione à censurâ, si non aliquo modo exprimatur.

20. In absolutione censuræ per se loquendo expressio causæ ipsius censuræ non requiritur; quia hæc expressio nullo iure præscribitur: fieri tamen posset vt sit necesse causam exprimere, vt si quis pluribus censuris sit irretitus, & absoluens, vnam tantùm per absolutionem intendat auferre; tunc enim exprimenda esset causa censuræ, vt constet quænam auferatur: item in absolutione pro foro externo rationabiliter causa censuræ exprimeretur. *Suares c.disp.7.sect.9.n.6. Nauar.cap.26.n.8. Filliucius c.q.7.n.329.*

21. Absolutio generalis omnium censurarum data à confessario habenti facultatem absoluendi à cẽsuris ex officio vel ex priuilegio, comprehendit etiam censuras reseruatas, quas pœnitens ex obliuione tacuit; vnde si talis pœnitens post cõfessionem recordetur alicuius censuræ vel peccati obliti, potest absolui à quolibet simplici cõfessario potenti absoluere à mortali peccato; quod intelligendum est, modò obliuio fuerit inculpabilis, seu non fuerit ita culpabilis, vt Sacramentum sit inualidum, nam si Sacramentum est inualidum & nullum, inualida etiam & nulla erit absolutio à censuris, & peccatis reseruatis. Ratio assertionis est; quia dum confessarius absoluit, habet, & habere debet intẽtionem quamcumque reseruationem à pœnitente remouendi, illum iuxta potestatis suæ extensionẽ absoluens: vnde talia peccata desinunt esse reseruata & habere excommunicationem adiunctam, quippe quæ per priorem absolutionem sublata fuerunt, & remanent deinceps solubilia à quouis proprio sacerdote, vt docet *Nauarrus c.26.n.13.* Vide *Dianam p.3.tr.4.resol.145. Henriq.l.6.cap.16.n.5. Rodriq.c.183.n.15. Suares de pœnit.d.31.sect.4.n.14. Filliuc.tr.7.n.313.*

22. Probabile est absolutionem censurarum impendi posse extra confessionem, quamuis in cõfessione facultatis dicatur, *auditis confessionibus*, nam hæc clausula refertur ad absolutionẽ à peccatis; vnde habens priuilegium & facultatem absoluendi à censuris in foro conscientiæ, potest illarum absolutionem impendere extra confessionem, etiamsi non absoluat à peccatis, aliud enim est forum conscientiæ, aliud forum Sacramenti pœnitentiæ; immò qui habet facultatem absoluendi in foro pœnitentiæ, potest absoluere extra sacramentalem confessionẽ, quoties absolutio cadit supra materiam, ad quam per se non requiritur absolutio sacramẽtalis, nisi aliter colligatur ex verbis concessionis. *Sanches de matr.l.8.d.15.n.25. Suar. de relig.to. 2.tr.6.l.6.c.16.n.4. Diana de dub.reg.resol.20. & 4.p. tr.4. resol.8. Tabiena v. Absolutio 2.q.4.n.7.* Absolutio autem in foro conscientiæ hoc importat, vt remaneat semper saluum ius apud superiorem cognoscendi de illo delicto in foro exteriori, & de co pœnam & satisfactionem imponendi; hinc talis absolutio non tollit ius tertij. *Filliucius tr.11.c.9.q.7. nu.292.* Vnde *Rodriq. to. 1.qq.reg.q.61.ar.10. & Cronsers ad c.7.reg.Minor.sect.11. fol.582.* docent triplex esse forum, quoddam contentiosum, quoddam pœnitentiale, aliud verò quasi pœnitentiale, quod est medium inter hæc.

23. Habens priuilegium absoluendi à censuris reseruatis, si illud priuilegium concedat facultatem, nec limitet expressè aut implicitè ex circumstantijs ad forum interius, tunc poterit in vtroque foro; quia cùm hæc facultas sit gratia, est late interpretanda, in foro tamen exteriori talis absolutio nõ suffragatur, nisi satisfacta parte, iuxta declarationem *Pij V.* Et vt de illa constet & prosit in eodem foro, debet qui absoluit fidem facere in scriptis coram notario & testibus, idque fieri debet ex licentiâ pœnitentis in foro interno. *Rodriq.in sum.c. 83.n.9. Nauar.c.27.n.278. Suares de censur.d.7.sect.5.n.21. Filliucius c.n.291.* Nomine autem *partis* in hac materiâ non intelligitur superior Prælatus conditor censuræ, sed alia persona distincta quę læsa fuit: nomine verò *satisfactionis* intelligitur, restitutio honoris, vel famæ, vel aliorum bonorum. Vide *Diana c.p.1. & p.5.tr.9.resol.13. & in Bull.Cruc.res.23. Henriq.l.13.c.27.n.3.c.n.47. Aula p.2.c.7.disp.3.dub.7.* Vnde infertur quòd nomine partis non intelligitur Iudex, cui ipso iure applicatur pœna pecuniaria: quia Iudex non est pars, sed tertius inter partes, hinc poterit absolui pœnitens antequam soluat iura Iudici, vel tabellioni; quia hoc non pertinet ad satisfactionem partis, sed ad pœnam delinquentis, ad quam nemo tenetur ante condemnationem.

24. Absolutus in foro conscientiæ, non indiget noua absolutione, quando eius crimen defertur ad iudicem; nam reuera fuit absolutus; consequenter potest se gerere tamquam absolutum; modò cõstet alijs ipsum fuisse absolutum, ita vt nõ subsit scandali periculũ; immò qui fuit absolutus in foro conscientiæ ab excommunicatione publica, potest occultè cum ijs participare, qui norunt ipsum fuisse absolutum, quamuis absolutio non publicè constet, nunc enim non videtur imminere scandali periculum. *Coninch disput.14.dub.16.q.12. n.247. & seq. Vgolinus tab.1.cap.24. Suares c.num.29. Nauar.c. Diana p.5.tr.de 9. resol.13.*

25. Confessarius, cui competit potestas ordinaria absoluendi à quacumque censura reseruata, validè potest absoluere pœnitentem, qui nondum satisfecit parti lęsæ, quamuis antea potuerit satisfacere aut cautionem satisfaciendi exhibere; quia cùm ordinarius non habeat iurisdictionem limitatam, ideò validè ea vtitur quoties voluerit. *C.venerabilibus § fine, de sentent. exc.in 6. Filliuc.c.n.295. Nauar.c.27.n. 37. Sylvest.v. Absolut.3. n. 3.* grauiter tamen peccaret, absoluendo pœnitentem ante realem satisfactionem, quam præstare poterat, & quidem iuxta *Henriq.l.13.c.28.n.2.* & alios non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, cum ex officio teneatur bonum partis procurare.

Idem dicendum de habente facultatem delegatam seu priuilegium absoluendi absque limitatione satisfactæ partis; validè enim talis absolueret; quia vices gerit ordinarij, & priuilegium tantùm valet quantum sonat. *Suar.disp.7.sect.5.nu.42. Sà v. Absol.ab excomm.n.4.*

26. Certum est, quando in priuilegio limitatè conceditur potestas ad absoluendum à censuris sub hac formâ, *non valeat, non possit absoluere*, vel aliter; *non possit absolui, vel nullius est roboris, vel momenti absolutio*, satisfactionem requiri tamquam necessariam conditionem, & priuilegium limitare potestatem ac iurisdictionem. Controuertitur tamen inter Doctores, si in priuilegio dicatur tantùm, *satisfacta parte, vel de consensu partis*, an satisfactio requiratur tamquam conditio necessaria limitans potestatem; affirmant *Suares d.7.sect.5. num. 44. Sayrus l.2.cap.18. num.10. Filliucius c.num. 295. Gauet. v. Absolutio.* & docent absolutionem fore inualidam datam ante satisfactionem partis; quia concessio illa censetur conditionata, si non formaliter, saltem æquipollenter; hæc sententia est satis probabilis. Alij autem vt *Sanches de matrimon. li.3. d.33. num. 3. & Aula 2.par.cap.7. disput.3.dub.9. concl.2. Diana part.5.tract. 9.resol.12.* existimant validam esse absolutionem collatam ante satisfactionem, nisi in priuilegio addatur particula expressè irritans absolutionem, vel præscribens nouam formam, quamuis absolutio non licitè detur. Et fortè hæc sententia probabilior videtur; quia superior apponens huiusmodi clausulas, non intendit nouam formam inducere, aut limitare iurisdictionem, sed intendit tantummodo certiorem facere confessarium, vt seruet formam iuris communis.

27. *Qui habet* priuilegium absoluendi cum limitatione satisfactionis, potest absoluere pœnitentem, qui moraliter non potest satisfacere, aut qui non potest satisfacere sine graui damno famæ, vel status, vel bonorum, modò creditor non sentiat æquale damnum, quia benignè explicanda sunt verba priuilegij, cùm superior non velit obligare pœnitentem

ad impossibile *Navar.c.n.45.Regin.l.9.n.65.Suares c.n.41. Rodr. 1.p.c.83 n.3.* Imò qui dubitat se teneri ad satisfaciendum, in foro externo potest absolui ante præmissam satisfactionem. In foro verò interiori non ita absolutè loquendum est, cùm forum interius non innitatur præsumptioni, sed verbis ipsius pœnitentis. *Reginald.c.n.67. Navarr.c.26.n.7. Suares c.n.45.* An autem auferatur excommunicatio absque aliâ absolutione, satisfactione, vel restitutione factâ, quando aliquis fuit excommunicatus hâc formâ. Si excommunicatus donec satisfacias vel restituas, dicendum est non statim auferri, sed adhuc absolutionem regulariter requiri. *Filliuc. tr.11.c.10.q.1. Sà v. absolutio ab excomm.n.11.*

Ex dictis in prima parte huius numeri patet resolutio sequentis casus. Impegit quis clerico noctu, fustes, aut alapas, & percussor ab eo cognitus non est; si confiteretur (causa vrgente) sacerdoti, à quo iudicaret non esse recepturum absolutionem, nisi priùs de iniuria satisfactionem reddat, declarãdo se esse percussorem; Quæritur, an possit talis tacere circũstantiam sacrilegij, & interrogatus negare cum æquiuocatione? Responsio est affirmatiua, quia tunc pœnitens non tenetur se prodere reum criminis, etiamsi imposita esset excommunicatio, nisi se proderet: & consequenter nec veniam petere à clerico tenetur. Ab excomunicatione verò sufficienter manebit absolutus, per absolutionem conditionatam, quę præmitti solet ante absolutionem à peccatis: scilicet, *absoluo te ab excommunicatione, si forte incurristi.* Nec est necessarium satisfacere de iniuria honoris per interpositã personam; eò quòd persona læsa nunquam recipit satisfactionem, nisi fiat ab offensore, vel ab alio eius nomine determinatè; non tamen vagè, nempe, nomine cuiusdam hominis; eò quòd qui satisfacit incognitus, nec se humiliat, nec verecundatur. Si verò clerico irrogata fuisset iniuria non solùm in honore, sed etiam in rebus; tenebitur iniurians, si possit, satisfacere clerico ante absolutionem censurę, dum virtute Bullæ absolui non possit, nisi satisfacta parte. Tamen si ille, qui iniuriã affecit clericum, indiget consilio alicuius viri docti, ad scicitandum de modo & quantitate, quæ restitui ob damnum debeat; qui tamen præmanibus non habetur, iudicatur impotens ad restitutionem pro tunc, & consequenter absolui debet etiam virtute Bullæ, licet non sit pars satisfacta, cùm per offensorem non stet, quin minùs satisfaciat. Vide Sancium *in select.disp.9.n.15.*

28. *Absoluere potest* à censuris iuris reseruatis ille, qui eas tulit vel eius superior, vel successor in dignitate. A censuris verò iuris nemini reseruatis absoluere possunt omnes prælati iurisdictionem habentes in foro externo; vt Episcopus, Abbates, Priores, Guardiani, &c. Imò etiam parochus, & alius quicumque Sacerdos potestatem habens absoluendi à mortalibus; quia dum superior non reseruat absolutionem, censetur cuicumque confessario concedere facultatem absoluendi, teste communi consuetudine; licet in aliquibus locis tacitum sit, nec parochi, vel alij Sacerdotes, absoluant a censuris, excepta minori excommunicatione. *Suares d.7.sect.3.& 4. Henriq.l.13.c.27. Regin.l.9.n.12. Nauarr.c.27 n.39. Sayrus l.5.c.15. n.22.* Idem dicendum de censura non reseruata lata per sententiam generalem; iure enim communi tolli & auferri potest à quocumque potestatem habente absoluendi à mortalibus, contra *Suares* & alios; quia sententia generalis in multis æquiualet statuto & canoni. *Nauar.c.n.44. Coninch d.14.n.257.* Censura verò lata per sententiam particularem, contra particularem aliquam personam, auferenda est ab eo; qui eam tulit, vel ab eius successore, vel superiore, vel saltem ab habente facultatem delegatam, ne perturbetur ordo iudicandi. *Valent. to.4.d.7.q.17.p.8. Filliuc.tr.11.n.303.*

29. *Absoluere possunt* Episcopi non solùm à censuris latis à se, vel à suis prædecessoribus, sed etiam ab omnibus censuris & casibus reseruatis Summo Pontifici per seipsos, aut vicarium ad hoc specialiter deputatum: vt patet ex *Concil. Trid. sess.24.cap.6. Henriq.l.13.cap.7.n.5. Rodriq.1.p.c.130.n.1. Regin. l.1.n.135. Sanch.l.2.mor.c.11.& l.8.de matr.d.34. Conferes ad c. 7.reg.S.Francisci lect.11. Dian.p.7. tr.2.* Notandum tamen est circa hanc concessionem Tridentini *Primo* absolutionem ab Episcopis datam tantum extendi ad forum conscientiæ. *Secundo* absolutionem debere ab Episcopo impendi in propriâ diœcesi. *Tertio* peccata debere esse occulta, id est, non publica, nec notoria, nec famosa, licet probari possint testibus: Delicta autem dicuntur publica, quando sciunt ar in maiori parte viciniæ, vel collegij, vel parochiæ, vel monasterij. *Quarto* delicta non debere esse deducta ad forum contẽtiosum; dicuntur autem delicta talia statim ac denuntiatio aut accusatio de illis coram legitimo iudice facta est. Si tamen reus non fuit in iudicio conuictus, sed potiùs se purgauit, & defendit falsis testibus aut via iniquâ, & à iudice fuit absolutus definitiuè vel ab instantia, censentur delicta adhuc occulta; ab illisq; poterit Episcopus absoluere, cùm non fuerint deducta ad foru contentiosum cũ effectu: & non fuerint probata. Hæc eadem potestas absoluẽdi à cẽsuris occultis Summo Pontifici reseruatis, competit etiã Cap. sede vacante; alijsq; Prælatis habentibus iurisdictionẽ Episcopalem. *Clauis Reg.l.6.c.11.n.83. Rod.t.1.qq.q.61.a.9. Hem.l.6.c.16.* contra *Tol.l.1.c.83.* & *Suar.* de cẽs.dis.41.sect.2.

Sed circa prædictum decretum Conc. Trid. *sess.24.c.6.de reform.* occurrunt quædam dubia breuiter resoluenda. *Primum.* Qui nomine Episcopi, cui conceditur absolutio ab hæresi & alijs reseruatis in eo decreto, comprehendantur? Resp. non satis esse Episcopum esse consecratum, si diœcesi, ac subditis careat, quales sunt Episcopi titulares: Dico igitur Episcopos electos & confirmatos quamuis non consecratos posse vti priuilegio Conc. Trid. in *c.Lucar.*, quia dictis Episcopis competunt ea, quæ sunt iurisdictionis, quamuis sacerdotes non sint, sed talis est facultas dispensandi, absoluendi à censuris, ergo. Tum quia ad hanc absolutionem non exigitur confessio sacramentalis, quæ soli sacerdoti fieri potest, sed satis absolutio ab excommunicatione, quâ ablatâ, potest quilibet confessarius à peccato absoluere. Ita Doctores communiter.

Secundum. An Episcopi vbi Concil. Trid. non esse receptum, possint vti priuilegijs huius capitis? Responsio communis est negatiua: quia par debet esse fauorum & onerum ratio: vbi ergo Trid. non recipitur, quoad leges & onera, acceptari nequit quoad fauores; nec enim mens Concilij fuit aliter eos concedere: & sic decisum esse à sacra Congr. Concil. testantur Suar. *de cens.dis.41.sect.2.* Garz. *de benef.p.7.c.11.n.23.* Nihilominus posset prædictum Trid. vrdocet Sanch. *l.2.mor.c.11.n.3.* quoad omnia alicubi receptum esse, ac obligandi vires sumpsisse; at postmodum decursu temporis abrogatum esse contraria consuetudine legitimè præscripta, quoad leges & onera: manenti in robore pristino, quoad fauores. Quia cùm semel ius acquisitum sit ad fauores, nec consuetudo amplius, quàm id de quo inducta est, abroget, nõ est cur consuetudine solùm inducta circa leges & onera & proinde illa abrogante, censeantur quoq; fauores abrogati. Contra communem hanc sẽtentiam stant Zypæus apud Dian. *p.6. tr.9. ref.27.* & Andreas Duuallius Sorbonicus Doctor, qui docet in Gallia Episcopos vti facultate dispensandi per Canonem *Lucrat*, Concil. Trid. absq; vllo ad Summum Pontif. recursũ.

Tertium. Quid intelligatur in eo Trid. decreto per ea verba: *In foro conscientiæ, & in diœcesi suæ?* Resp. quosdam tenere verba illa, *in foro conscientiæ*, esse intelligenda, id est, in foro Sacramenti pœnitentiæ, & in confessione sacramentali & audita confessione: Sed verius est particulam illam non requirere, quòd hæc absolutio impendatur in sacramentali confessione, sed solùm importare, vt absolutio ista non valeat pro foro externo, si contingat reum delicti ad iudicium trahi.

De particula autem *in Diœcesi sua* quidam eam intelligunt de Episcopo, dicũntq; desiderari, vt intra diœcesim suam resideat, vt possit hac absoluendi facultate vti: quia sicut alia verba ibidem apposita *in foro conscientiæ* limitatoria sunt, quia ex vi illorum non prodest absolutio pro foro externo; ergo etiã sunt limitatoria *in Diœcesi sua*. Hæc sententia est probabilis, quam tuentur. *Henriques, Rodriques*, & alij; *Suares* verò & alij intelligunt hanc particulam, *in Diœcesi sua*, de subditis, dicũntque exigi, vt subditi intra Diœcesim existant, vbicumque sit Episcopus; Cæterùm non minùs est probabilis sententia Sanches *c.n.16.* & 17. quam sequitur Dian. *p.7.tr.2. ref.* 8. & 9. docentis, eam particulam, *in sua Diœcesi*, explicandam esse, erga subditos suæ diœcesis; atq; ita posse Episcopum prædicta facultate vti, etsi tam ipse, quàm subditi sint extra Diœcesim; quia iura, ad exercendam voluntariam iurisdictionem in subditos, non attendunt locum, in quo ipse Episcopus, vel subditi sint, sed iurisdictionem in personas.

Porrò nomine subditorum in hoc decreto intelligũtur *primo* vagabundi, quia cum nullibi habeãt domiciliũ, subdũtur Episcopo in cuius diœcesi reperiũtur. *Secundò*, habentes duplex domicilium ex æquo in duplici diœcesi. *Tertiò*, peregrini, vt sunt scholastici & mercatores propriam diœcesim habentes; hi enim possunt absolui ab Episcopo eius diœcesis

in qua

in qua inueniuntur ex generali Ecclesiæ consuetudine, seu interpretatiua propriorum Prælatorum voluntate. *Quarto*, religiosi exempti secundum probabilem sententiam: hi enim si ex Prælati sui licentia subijciantur Episcopo, potest cum illis Episcopus vti facultate huius decreti, vt doctè resoluunt Sanches *lib.4.mor.c.39.n.32.* Diana *p.7.tr.2.ref.6.* & alij ab ipsis citati. De hac materia iterum infrà *v. Irregularitas XI.n.5.*

30. *Episcopus* potest ab excommunicatione publica & alia quacumque censura Papæ reseruata absoluere, quando excõmunicatus laborat longa infirmitate etiam non periculosa, aut senectute, aut paupertate, vel si persona excommunicata sit fœmina, vel impubes; aut si laboret alio simili impedimento, quod legitimum existimetur iuxta prudẽtis viri iudicium, quamuis postea cessante impedimento teneatur Papam adire: ratio autem desumitur ex benigna Summi Pontificis voluntate, qui non præsumitur voluisse, absolutionem reseruare cum tanto incommodo: *Nauar.c.27.n.90. Reginald.l.9.n.2. Sanches l.2.moral.c.13.n.36.* Imò iuxta *Henriq.l.12.c.3.n.1.& Vgolinus in Bulla Cœnæ 3.p.fol.465.* laborans aliquo ex dictis impedimentis non tenetur mittere Romam Epistolam vel procuratorem pro absolutione obtinenda, nec adire legatum, etiamsi possit, vel alium habentem priuilegium absoluendi.

31. *Ex longa Ecclesiæ* vsu & ex communi doctorum sententia quilibet simplex Sacerdos, quamuis sit degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel etiam hæreticus potest absoluere à censuris & peccatis reseruatis, quoslibet pœnitentes in articulo seu probabili periculo mortis; quando non patet aditus ad superiorem, cui censuræ & casus sunt reseruati, vel ad cõfessarium approbatum qui velit absoluere *Conc.Trid. sess.14.cap.7. Sauch.l.2.mor.cap.13 Molina t.4. d.63.n.7. Diana 4. p.tr.4.resol.235.* quãuis, *Sàv. Absolutio n.3. Rodrigu.1 p cap 59. concl.3. Diana tr.de absab hæresi ref.5.& 4.p tr.4. ref.161.* doceãt simplicem Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere, licet adsit superior, vel alios confessarius approbatus, quia Cõcil. Trident. non distinguit & nullam limitationem ponit; hæc sententia non est improbabilis, licet contraria sit communior, & fortè verior. Periculum autem mortis seu articulus dicitur, quando adest probabile dubium de morte, quæ, vt plurimum soleat in eo euentu contingere, vt quando est suscepturus nauigationem periculosam, vel iter prædonibus expositum; aut quando fœmina est partui proxima, & nondum aliàs peperit, aut si aliàs peperit, experta est se patere cum periculo mortis. Item, si miles in bello propinquus sit conflictui & hostes aggressurus. Item, si quis damnatus est ad mortem, ita vt intra paucos dies debeat plecti. Item, cui debet exscindi calculus, aut hernia, &c. *Reginald.l.9.nu.10. Vasques de pœnit.q.93.art. 1.dub.5.n.2. Suares de pœnit.d.26.sect.4.n.3. Sylvest. v. Absolut.1.n.* 8. Ita etiam Croüers *ad cap 7.reg.S.Franc.sect* 23. ex Sayro *lib. 2.sui thesauri c.20.n.20.* qui docet articulum mortis, & periculum mortis pro eodem accipi à Romanis Pontificibus & Decretis iuris Canonici, & Doctoribus multis vtriusque iuris, & nihil referre, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco instet periculum vel mortis articulus; proinde bannitus, qui impunè vbique potest occidi, potest absolui vt moribundus, quia vbique & semper versatur in periculo mortis; si tamen haberet saluum conductum, non posset illi dari absolutio ab omni peccato & censura per quemcumque confessarium. Imò iudicatur articulus mortis quoad effectum absolutionis à reseruatis, si timeatur amissio vsus rationis perpetua, licet mors non timeatur; vt docet Sanches *lib.2. moral.cap.13. nu.2.* Item arbitratur Sancius *in select.disp.12. nu.5.* absolutionem à reseruatis posse impendi à prima die infirmitatis periculosæ, vt doloris lateris, tabardillo, &cet. quia amittens vsum rationis absque absolutione, ita est constitutus in periculo damnationis, ac si absque absolutione moreretur. Vide infra *verb. Hæresis nu.18. in fine. Excommunicatio V.n.7.*

32. *Absoluendi forma* à censuris multiplex est, alia enim à iure, alia ab homine ferri potest; alia absoluta, alia conditionalis est. Si conditio sit de præsenti vel præterito valet absolutio à censura; si de futuro etiam valeret, etsi non liceat secundùm quosdam, quamuis non sit improbabile talem absolutionem sub conditione de futuro non esse illicitam; quia nullo iure prohibetur: non positiuo, cum nullum extet, nec naturali, quia sic absoluere, non est contra rationem, sicut nec excommunicare sub cõditione. Tertia est absolutio simplex, quæ absolutè fertur quando constat censuram incursam esse, & est absolutio ad cautelam, cùm vel ignoratur, vel est dubia, & ad maiorem certitudinem petitur. Quarta est absolutio simpliciter cùm tollitur in perpetuum, & est absolutio ad reincidentiam, cùm ita tollitur, vt post certum tempus reditura sit, siue ita ex intentione concedentis absolutionem accidat, siue pendeat a conditione satisfaciendi, vel se præsentandi in pœnitente. *Filliucius tr.11. c.10.q.1. Nauar.c.26.n.13. Suarez de cens.d.7.s.8.& disp.4.s.8. Sayrus de censur.l.2. c.16.n.7.*

33 *In absolutione* quæ in foro externo impenditur is ritus seruandus est: petitio rei debet præcedere, non ex necessitate & essentia absolutionis, sed ex congruitate. *Secundo*, debet pœnitens promittere se pariturum mandatis Ecclesiæ. *Tertio*, si censura cum alterius detrimento sit contracta, satisfactio realis præmittenda est si fieri possit, sin minùs sufficiet iuratoria vel debita cautio. *Quarto* debet censuratus super humeros leuiter cedi virgâ, funè aut flagello dum recitatur psalmus *Miserere. C per tuas, & cap.à nobis 2 de sent.excom. Suar.c sect.10.n.2. Tolet.l.1.cap.14.n.14. Nauar.c.26.nu.8. Sayrus l.2. c.18.*

Post absolutionem publicanda est absolutio, si delictum publicum erat & censura denunciata, ne fidelibus cum eo participantibus scandali & ruinæ occasio præbeatur. Quando autem pœnitens absoluitur solùm in foro conscientiæ, opus non est has cæremonias seruare. Imò non esset peccatum mortale etiam in foro externo has cæremonias omittere, secluso contemptu & scandalo. *Reginald. l.9.num.83. Filliucius tr.11.n.333.* vnde si quis in absolutione excommunicati sine contemptu non exigeret iuramentum, vel non recitaret aliquem psalmum pœnitentialem, aut orationem Dominicam; &c. non peccaret nisi tantùm venialiter. Ita Tannerus *tom.4.* &c. non peccaret nisi tantùm venialiter. Ita Tannerus *tom.4. disput.6. quæst.10.dub.6. nu.124.* Suares *de censur. disput.19. sect. 2.n.13.* Turrianus *de cens. li.2. disp.24.dub.3.* qui obseruat mendicantes habere priuilegium absoluendi sine solemnitatibus: Ita concessit Fratribus Minoribus *Leo X.* De absolutione vide etiam, *Casus reseruatus, Censura.* nu.18. & seq. *Concubinarius* n. 2.& 3. *Confessarius* 5.n.6. *Excommunicatio* 5. *Interdictum* 5.n.4. 5. *Matrimonium* 8.n.18. *Jubilæus Suspensio* 3.n.4 5. 6. *Restitutio* 4. nu.15. *Votum* 6.n.13.

ACCEPTIO PERSONARVM.

SVMMARIVM.

1. *In quo consistat acceptio personarum*
2. *Quale peccatum.*
3. *In quibus rebus locum habeat.*

1. ACceptio personarum in eo consistit, vt quis in distributione bonorũ communium, non attendat ad eam conditionem personæ, quæ faciat eam dignam bono per talem distributionem conferendo, sed ad aliquid aliud: vt si beneficium detur alicui, non quia sit eo dignus, sed quia consanguineus, quia diues, quia nobilis: Ratio est, quia tunc censetur illud bonum tribui personæ, vt persona est, & non vt digna est, quandoquidem eæ conditiones personæ attenduntur, quæ non pertinent ad dignitatem, respectu boni conferendi, & ob id dicitur accipi persona. *D.Thom.2.2.q.63. art.1. Sylvius ibi. Lessius l.2.c.32. dub.1. Layman l.4.tr.2.c.15. n.6. Sylvest.v. Acceptio personarum n.1.*

2. Acceptio personarum, est peccatum contrarium iustitiæ distributiuę, & quidẽ ex suo genere mortale. Prior pars probatur: quia iustitiæ distributiuę munus est, communia bona distribuere secundum dignitatem personarum, vt rectè totum corpus reipub. se habeat: cuius contrarium fit cùm accipitur persona. *D.Th.c.& Sylvius ar.1. Lessius c.n.4. Sylvest.c.n.1.* Altera pars patet ex *D.Th.2.2.q.59.art.4. Malderus 2.2.tr.9. c.1.dub.* 1.& alijs communiter; quia ius communitatis violare, secundùm se, est cõtra iustitiam & charitatem, ac proinde est ex genere suo mortiferum; Ratione tamen paruitatis materię, posset aliquando esse veniale, vt si in re parui momenti, v.g. in loco accumbendi ad mensam præferatur minus dignus digniori; vel si non sit magnum discrimen inter minus dignũ & digniorẽ. Ad incurrendũ autem hoc peccatũ duo requiruntur, vt notant *Syl.& Sylu. c.n.1.* hic citati. *Primo*, quòd collatum conferendum sit ex debito, secus si ex gratia. *Secundo*, quòd ratio & causa dandi non faciant ad hoc quod recipiẽs reddatur dignus accepto. De hoc vitio & eius remedio consulatur noster *Croüers ad c.10.reg. Minor. sect.6. fol.907. & seq.*

3. Locum habet acceptio personarum, *Primò*, in distributione dignitatum & officiorum sæcularium ad regimen reipub. temporale pertinentium, vt magistratuum, præturarum, &c. hæc enim sunt bona quędam communia reipublicæ instituta ad ipsius commodum, quorũ distributio pertinet ad Principem, vel communitatem, vnde Princeps iure naturę tenetur ea maximè idoneis & reipub. vtilibus conferre. *Lessius l.2. c.32.dub.2. Diana p.1.tr.1.Misc.resol.66.& 4.p.tr.4.resol.172. Sylvius 2.2.quæst.63.art.2.quæst.6. Malder.2.2. de iustit.tract.9.cap. 1. dub.5.* Quando autem sit peccatum mortale in huiusmodi, vide v. *Electio.n.11. Secundò*. Acceptio personarum reperiri potest aliquando in distributione iuris facienda per Iudices, dum partibus ius dicunt: ius enim suo modo est bonum quoddam commune debitum partibus; vnde in hoc distribuendo intueri debet Iudex, non personam, sed causæ equitatem. *Tertiò*, Inuenitur acceptio personarum in distributione onerum; hæc enim certâ proportione sunt dispensanda, adeò vt si secus fiat in materia gr ui sit peccatum mortale. *D.Tho.c.q.63.ar.4.Sylvius ibid.Lessius c.n.7. Quartò* potest interuenire acceptio personarum in exhibendo honore & reuerentia, vt si quis in publico consessu aut in mensa, alicui non assignet locum, qui ei ratione eruditionis, virtutis, potentiæ, ætatis debetur: debet tamen id fieri dolo vel latâ culpâ, alias non censetur iniuria. *D.Th.c.art.3.Sylvius ibid.Lessius c.n.8. Quintò*, locum habet in collatione beneficiorum & in electione & præsentatione ad illa; beneficia enim Iure naturali & positiuo debent conferri dignioribus, id est, qui optimè putantur officio functuri: vnde si consanguinitas, amicitia, vel simile quiddam nihil ad officium pertinẽs in electione, præsentatione vel collatione, spectetur omissis dignioribus, committitur vitium acceptionis personarum. Vide v. *Electio.n.10. D.Tho.c.art. 2. Sylvius 2.2.q. 63.ar.2. quæst.4. Lessius lib.2. c.14.dub.13. Diana p.2. tra.1. Misc.resol.37.38.& 40.*

ACCVSATIO.

SVMMARIVM.

1. *Accusatio quid sit: & quæ de iure requirantur ad illam.*
2. *Differt accusatio à denuntiatione & querela.*
3. *Quando accusator teneatur ex iustitia vel charitate præmittere secretam monitionem.*
4. *Tria cauenda ad iustitiam accusationis.*
5. *Lacitum est alterum de iniuria sibi facta accusare.*
6. *In quibus criminibus sit obligatio accusandi apud Iudicem sub obligatione peccati mortalis?*
7. *Quilibet tenetur accusare vel denunciare quando crimen est in ijsdem contra tertiam personam priuatam, & est probabile per testes.*
8. *Quinam peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem, accusationem omittendo.*
9. *Quando officiales non peccent mortaliter non accusando.*
10. *Officiales teneantur ad restitutionem si aliquid accipiant, vt non accusent: An autem teneantur ad restitutionem eius quod acceperunt? refertur duplex sententia.*
11. *Officiales dissimulantes & se abscondentes, vt delinquentes capiantur in delicto & puniantur, an peccent mortaliter.*
12. *Praxis & vsus communis officialium est non restituere, ex eo quòd non accusarunt.*
13. *Quinam iure repellantur ab accusatione.*

1. *Accusatio est delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facta.* Et ad eam requiruntur sex. *Primò*, vt fiat in scriptis, quamuis consuetudine receptum sit vt sufficiat verbalis. *Secundò*, vt exprimatur dies & annus quo intentatur. *Tertiò*, nomen accusatoris & accusati. *Quartò*, specie delicti. *Quintò*, locus & etiam tempus, nempe annus & mensis, quo delictum commissum est. *Sextò*, inscriptio accusantis. Notandum autem est vt sufficiat verbalis, debet eam notarius statim in scriptis referre. Sextum verò non est necessarium in foro sæculari; retrahit enim homines ab accusando, & modò non videtur in vsu. Imò neque videtur in vsu in curia Romana, nisi quis per calumniam denuntiauerit. *L.libellorum ff. de accusat. Cap.qualiter & quando 2.de accusat. Claus Reg.lib.12.c.14. Layman l.3. tr. 6.c.3. Azor.3.p.li.13.c.19. Lessius l.2.c.30.d.1.*

2. Accusatio differt a denuntiatione, quòd illa semper est publicam vindictam criminis, hæc verò non semper, vt cùm sit superiori tamquam patri, sed aliquando. A querela autem distinguitur, quia non semper hæc fit ob publicam vindictam criminis, sed aliquando ob priuatum bonum partis offensæ: præterea accusatio fit oblato libello accusatorio, & subscriptione accusatoris; at querela fit nudis verbis, & Iudex deinde ex officio procedit ad accipiendos testes & informationes contra reum. *Azor.c.c.12. Filliuc.tr.40.c.7.n.201. Bonacina tom. 1.d.10.q.2.p.1.n.3.*

3. Quandocumque crimen est probabile in iudicio non tenetur accusator ex iustitia præmittere secretam monitionem, sed potest sine iniuria accusationem instituere; quia accusatio instituta est propter publicum bonum, vt nimirum crimina puniantur ad aliorum exemplum; fieri tamen potest vt priusquam accuses, vel denuncies iuridicè, tenearis lege charitatis proximum monere vt desistat à crimine, si delictum sit occultum & speretur emendatio; secus est si crimen sit contra bonũ publicum & adhuc pendet, vel continuandum putatur in futurum. *Angelus v.Accusation.1.Azor.c.l.13.c.9.d.3. Filliucius c.n. 203.204. Tabiena v.Accusat.n.3. Sylvius 2.2.q.68.art.1. concl.2.*

4. Ad iustitiam accusationis tria cauenda sunt, *Primò* calumnia, id est, impositio falsi criminis ex malitia & scienter, siue sit in causa criminali siue in ciuili; vtroque autem vltra peccatum, inducit obligationem restitutionis ad arbitrium boni viri. Calumniator enim dicitur, qui verum crimen, sed quod probari non potest in iudicio scienter obijcit alteri, eodemque modo obligatur ad restitutionem damni. Idem si in ciuilibus rem sibi debitam peteret modo indebito, vt adhibitis falsis instrumentis, vel testibus. *Secundò*, preuaricatio, quãdo quis, scilicet, cum fraude abscondit crimina, de quibus accusatio proposita erat, dissimulando, & non inducendo veras probationes contra reum, vel acceptando falsas exceptiones vt vincatur; si id fiat in causis criminalibus, cum notabili damno reip. aderit obligatio restituendi; in ciuilibus autem liberum est desistere à causæ prosecutione ob lites & impendia. *Tertiò* tergiuersatio est cauenda, quando scilicet absque iusta causa desistit quis ab accusatione obligante eum ratione boni communis, vel præcepti iudicis procedentis in causa ex officio. Licet in causa propria possit quis desistere, si in processu agnosceret se errasse, ex metu iusto & propter Principis auctoritatem, & imperium. *D.Thom.2.2. quæst.68. art.3. Claus Reg. l.12.c.15.num.12.& seq. Sylvest.2.2.quæst.68.art.3. Nauarr. c.25.num.32. Toletus l.5.c.57. Sot. de secret.memb.2. q.5.concl.5. Lessius c.dub.3. Arragon.2.2.q.68.ar.3.*

5. Vera & communis sententia est licitum esse alterum de iniuria sibi facta accusare, quamuis ad id non teneamur; ratio prioris est, quia accusatio & vindicatio iniuriarum auctoritate publica, est actus virtutis iustitiæ, vnde si cum debitis circumstantijs fiat, licitus est, cauendum tamen est, ne quis ex odio aut alia peruersa passione accuset. Ratio posterioris est, quia lex gratiæ id consulit, dum in oratione Dominica precamur Dominum vt dimittat nobis debita, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*: ergo non erit obligatio ad agendum contrarium. *Claus Reg.lib.12.c.14. Salon. Ramos, Arragon, Caietanus in 2.2.q.68. Nauar. in C. inter verba 11.q.3.n.640. Sylvius 2.2.q.68.art.1.conf.1.& 2.*

6. Quilibet tenetur sub peccato mortali accusare apud iudicem, quando crimen est contra bonum commune & infieri, seu in procinctu vt fiat, & est probabile per testes: quale est crimen hæresis, crimen læsæ maiestatis, conspiratio in Principem, rebellio, falsificatio monetæ, homicidia & furta quæ fiunt ab assassinis, grassatoribus, & latronibus, qui viam regiam obsident, ambitio & subornatio suffragiorum in electionibus & maximè circa beneficia, & his similia: ratio autem est, quia quilibet tenetur impedire damnum publicum eo meliori modo quo potest: ergo si non potest aliter impedire quàm accusando, tenetur accusare: & hoc verum quamuis delinquenti promissum sit secretum cum iuramento, modò non sit secretum confessionis; iuramentum enim tale est de re illicita: similitet etiam si delinquens ob accusationem damnum sit passurus in fama, hoc enim ipsius culpæ imputandum est; quia damnum commune præponderat famæ priuati. *D. Thom.2. 2 quæst. 68. articul. 1. Layman lib. 3. tractat.6. cap. 3. Filliucius tract. 40. n.214. Valent.2.2. disp.5.q.12.p.1. Claus Reg.c.n.6. Nauar.c.25.n.25. Sylvius c.concl.3.* Notandum tamen est, quando tale crimen, contra bonum publicum in totum factum & completum est, ita vt nullo modo

manear

maneat in actu, non tenetur quis amplius illud accuſare, vel denunciare niſi in iudicium vocatus fuerit à iudice & interrogatus iuridicè, hoc eſt, cùm criminis illius ſit infamia, notoreitas, aut aliqua probatio; ſecus dicendum ſi crimen ſit omninò occultum. *Toletus l.5.c.57. Filliucius c.n.216.*

7. Quando crimen eſt in fieri cõtra tertiam perſonam priuatam, vel in procinctu vt fiat; ſi teſtes habeat, quibus probare poſſit, quilibet etiam tenetur delinquentem accuſare, vel ſaltem denunciare vt impediat damnum; quod ſi crimen non ſit in alicuius tertij damnum & præiudicium, etiamſi non ſit iam inchoatum, ſed ſit in procinctu vt inchoetur & fiat, ad nihil tenetur illud ſciens niſi ad correptionem fraternam, ſi ſit ſpes emendationis, opportunitas temporis, & nihil periculi denũcianti fraternè redundet, aliàs enim non tenetur. *D.Tho.2.2.q.33.ar.7. Salon.2.2.q.68.cont.1. Bonacina c.p.1.m.6. Filliucius c.n.217. Claus Reg.c.n.8.& 9.*

8. Qui ex ſolâ charitate tenetur accuſare vel denunciare delinquentem contra bonum publicum vel priuatum, ſi non accuſat vel denuntiat, non tenetur ad reſtitutionem, quamuis peccet mortaliter: ratio prioris eſt, quia obligatio reſtituendi non oritur ex violatione charitatis, ſed ex violatione iuſtitiæ: poſterioris autem eſt, quia quilibet tenetur ex charitate ſuccurrere proximo grauiter indigenti. Illi autem qui ex iuſtitia tenentur accuſare vel denunciare, vt ſunt officiales, verbi gratia fiſcalis, cuſtos ſyluarum, gabellarum, &cet. vltra peccatum mortale contra iuſtitiam quod committunt non accuſando, tenentur ad reſtitutionem damni illati ex omiſſione accuſationis, vel denunciationis; quia qui non facit quod tenetur ex officio, violat iuſtitiam, ex violatione autem iuſtitiæ oritur obligatio reſtitutionis. *Salon. c.q.68.art.1. controu.3. Filliucius c.n.218.219. Claus Reg. c.n.13. Bonacina c.n.7. Syluius 2.2.q.62.art.7.de mutu.*

9. In quibuſdam caſibus officiales non peccant mortaliter non accuſando, vel quia delinquentes contra legem, quam officiales tenentur cuſtodire, *id* agunt ducti neceſſitate, vt ſi pauper ligna cædat ex ſylua, quam officialis habet in cuſtodia; vel quia tales delinquentes ſunt conſanguinei, vel amici corũ qui legem condiderunt; & rationabiliter cenſeri poteſt non fuiſſe mentem eorum, vt tales comprehenderent. Idemque dici poteſt in caſu, quo delinquentes tales ſunt, vt ſi licentiam petiſſent, habuiſſent; neque enim Domini cenſentur inuiti de reipſa, etiamſi de modo non conſenſerint. *Nauar. c.17.nu.122. P.Nauar l.3.n.138.c.4. Claus Reg.c.n.14. Ioannis Medina C. de reſtit.q.12. dub. vlt.*

10. Officiales qui aliquid accipiunt vt non denuntient, ſeu non accuſent, tenetur ad damnum illatum reipublicę aut tertiæ perſonæ ex illo crimine, vt furto lignorum ex ſylua cędua, animalium occiſorum in agro prohibito, & ſimilibus; quia qui cooperantur negatiuè ad damnum cùm alioquin ad id tenentur ex officio, tenentur ad reſtitutionem damni cui cooperatus eſt. *Medina C.de reſtit.q.3.cauſa 10.verſu 5. Sylu.v.reſt. 3.q.5. Sotus l.4 q.7.art.1. Nauar.c.17.n.122. Couarr.in reg.peccatũ p.2.§.2.n.7.de reg.iur. in 6. Filliucius tr.40.nu.220.* An autem etiã teneantur ad reſtitutionem eius quod acceperunt; affirmant *Medina, Sylueſt. & Sotus.* Sed negant. *Nauar. Couar. & Filliucius*, & fortè veriùs, vt videre eſt apud *Claudem Regiam* citatam n.16.

11. Officiales diſſimulantes & ſe abſcondentes, vt alij liberam occaſionem nacti delinquendi, capiantur in delicto & puniantur, communiter peccant & hoc mortaliter, niſi in caſu quo permitterent eos ingredi, vt ſemel deprehenſi iterum ingredi caueant, non tenentur tamen ad reſtitutionem delinquentibus, ſi quod illi damnum incurrant: quia ex officio ipſorum non tenentur conſulere bono delinquentium, ſed bono Reipub. *Nauar. c.17.n.173. Sylu. Cordub q 66.§.2. Filliucius c.n.221. Ioannes Medina Co.de reſtit.q.12. dub. vlt.*

12. Quantum ad conſcientiam attinet, in hac obligatione reſtituendi, maximè valet vſus & praxis bonorum: ſunt enim pauci officiales qui reſtituunt, eò quòd non accuſarunt; nec confeſſores etiam alioquin docti & timoratæ conſcientiæ illos obligare ſolent: imò fortè nec pars læſa communiter cenſet ſibi deberi talem reſtitutionem. *Claus Reg. c.n.10. Salon.2.2.q.68.art.1.contro.3.*

Vide *v. Reſtitutio III.* nu.17.

13. Quatuor genera perſonarum repelluntur ab accuſatione; *Primo*, quidam in pœnam proprij peccati vt excommunicati, proditores, publici concubinarij, vſurarij, & quicumque iure infames; licet in crimine hæreſis, proditionis, vel læſæ maieſtatis admitteretur prædictorum accuſatio. *Secundo* ob decentiam repelluntur ſubditi reſpectu Prælatorum, ſerui reſpectu Dominorum, filij reſpectu parentum, niſi commune bonum poſtulet vt admittantur ad accuſandum. *Tertio* ob decentiam ſtatus repelluntur clerici, ne laicos maximè in cauſa ſanguinis accuſent, niſi in criminibus quæ vergunt contra bonum publicum, aut priuatum innocentis, aut contra proprium, & tunc præmitti debet proteſtatio ſe non intẽdere vindictam ſanguinis, ſed bonum commune, vel proximi, vel proprium. *Quarto* excluditur inimicus. *C.prohibentur. 2.q.1. lib. qui accuſare ff. de accuſat. D.Tho.q 68. art.1.ad 2. Leſſius l.2. c.30 d.5. Filliucius c.n.227. Bonacina cit.12. Claus Reg.c. cap 14.num. 35. Syluius c.ar.1.concl.3.*

De accuſatione vide *Denunciatio n.4. Exhæredatio nu.1. Irregularitas 5.n.12. Iudicium publicum n.1. Teſtis.n.2.*

ACEDIA.

SVMMARIVM.

1. *Acedia quid ſit.*
2. *Quale peccatum, & de filiabus acediæ.*
3. *Poteſt eſſe veniale.*

1. ACedia proprièeſt incuria, negligentia, pigritia, hic autem ſumitur pro triſtitia quæ contrariatur bono diuino: bonum autem diuinum dupliciter conſideratur. 1. vt Deo bonum 2. vt nobis bonum; cùm itaque quis voluntariè triſtatur, de ſanctificatione nominis diuini, conuerſione infidelium, profectu iuſtorum, &c. grauiſſimè peccat & directè aduerſatur gaudio quod naſcitur ex charitate. Similiter cum quis dolet ſe eſſe creatum ad vitam æternã grauiſſimè peccat, minus tamen quàm ille prior; quia ſemper ratio voluptatis & triſtitiæ ſumenda eſt ex operatione quam ſequuntur. Eſt & alia acedia, quæ per omnia vitiorum genera vagatur, illa nempe triſtitia, quæ refugit pulchritudinem & honeſtatem virtutis oppoſitæ, eaque contriſtatur, vt gulioſus dolet actibus temperantiæ, delectatur contrarijs, ignauus dolet actibus fortitudinis, &c. eius autem grauitas expendenda ex neceſſitate & pulchritudine virtutis cui opponitur; eò enim peior erit, quo de meliori bono doluerit. *D.Thom.2.2.q.35. art.1. Sylu. Maiderus Bannes ibid. Regin.l.17.n.107. Toletus l.de 7.peccat.c.68 Layman l.2.tr.3.c.9 n.1. Bonacina t.2.d.3.q.4.p.vlt.§ 3.n.1. Filliucius tr.28. c.8.q.9. n.186.*

2. Acedia eſt peccatum mortale ex ſuo genere ſi tranſcendat ſenſualitatis terminos, attingens vſque ad conſenſum rationis: quia ſecundùm propriam rationem contrariatur charitati; cùm proprius effectus charitatis ſit gaudiũ de Deo, Acedia verò ſit triſtitia de bono ſpirituali inquantum eſt diuinum. Numeratur inter peccata capitalia, quia ex Acedia alia peccata oriuntur. Primò, *Malitia*, quâ homo odio habet ipſa bona ſpiritualia ſecundùm ſe, vel dolens quòd fecerit ea ad quæ obligabatur, vel cupiens non nouiſſe Chriſtum, deſiderando ſe nõ fuiſſe natum, &c. & eſt mortale. Secundò, *Rancor* erga eos qui hortantur ad bona ſpiritualia, puta religioſos, concionatores, & alios huiuſmodi. Et hic eſt veniale, niſi coniungatur cum odio. Tertiò *Puſillanimitas* erga omnia ſpiritualia tanquã ardua; quæ etiam conſiſtit in ſubtrahendo ſe à bonis quæ fieri potuiſſent timore deficiendi; puta à ieiunijs, religione, &c. & hæc eſt veniale ex ſe. Quartò *Deſperatio* conſequendæ Beatitudinis; & eſt peccatum mortale, cùm ex conſenſu rationis pleno fit. Quintò *Torpor* in obſeruantia diuinorum præceptorum; & hic mortale eſt. Sextò, *Euagatio mentis* ad illa illicita; & hæc ex ſe veniale peccatum eſt, niſi cùm exigitur ex præcepto aliquo attentio, puta in recitandis horis canonicis, & in audiendo ſacrum diebus feſtis. *D.Tho.c.a 3.& 4. Syl.ibid. Sylu. v.Acedia n.1.& 3. Toletus c.cap.69.& 70. Filliucius c.num.188.& 189. Nauarr.in Man.c.23.n.124.125. Tamerus to.3. diſp.2.q.6.n.6.*

3. Acedia poteſt eſſe peccatum veniale duobus modis. *Primò* ratione imperfectionis actus, quia videlicet, non eſt plenè deliberatus, ſed ſiſtit ſolùm in parte ſenſitiua, aut in ratione imperfecta. *Secundò* ratione actionis quæ omittitur ex ea; ſi enim non præcipiatur ſub mortali, ſed tantùm ſub veniali, erit acedia tantùm peccatum veniale, quia tunc charitas non videtur grauiter lædi. *D.Tho.c.ar.3. Sylunus ib. Toletus c.cap.69. Sylueſter c.n.1. Layman c.n.2.*

ACTIO ACTOR.

SVMMARIVM.

1. *Actio quid sit, & quotuplex.*
2. *Differentia inter actionem personalem & realem.*
3. *Actor quis dicatur? & quid incumbat ipsi facere, postquam reus citatus comparuit.*

1. ACtio est ius prosequendi aliquid in iudicio, quod sibi debetur; & secundùm *Syluestrum* verbum *debetur:* largè sumi debet, ita vt dicatur res illa etiam debita, quam quis petit vt suam siue rei vendicatione, siue actione commodati, siue depositi. Duplex est actio. Prima *realis*, quæ datur in rem aliquam aut nostram, aut nobis obligatam, quæ & vendicatio rei dicitur. Altera est *personalis*, quæ scilicet datur contra personam nobis obligatam ex contractu, vel quasi contractu, ex delicto, vel quasi delicto. Actio realis alio nomine solet dici ius in re, personalis verò ius ad rem. Actio realis variis modis competere potest, videlicet, ratione Dominij directi, aut Dominij vtilis, vel quasi Dominij, aut ratione seruitutis, pignoris seu hypothecæ constitutæ. *Institut. de act. in princ. Syluest. v. actus. Filliucus tr. 33. c. 6. n. 99. & sequent. Layman l. 3. tr. 4. c. 1. n. 2.*

2. Actio realis differt à personali in eo, quòd realis non sequitur personam actoris, aut eius qui dicitur reus, sed rem ipsam in qua habetur ius reale, quare datur hęc actio contra quemcumque possessorem rei quocumque titulo apud se habeat. Actio verò personalis non egreditur personam, sed semper eam sequitur; nisi sit aliqua alia persona, quæ debitorem repræsentet, vt hæredes debitoris. *L. actionum genera ff. de act. & obli. Filliucus c. tr. 33. n. 102.*

3. Actor dicitur, qui agit & pulsat aliùm, rem aliquam ab ipso petens in iudicio: vnde qui in ciuilibus actor, in criminalibus accusator dici solet: Actori verò incumbit postquam reus citatus comparuit, libellum intentionis suæ ante omnia offerre, & per iudicem ipsi reo, vt is deliberare possit, cedere, an litigare malit; quod si actione personali agatur, causa obligationis in libello exprimenda erit; si in actione reali, Dominium necessariò interendum est libello. *L. in tribus ff. de iudic. L. qui prior ff. de iudic. Layman l. 3. tr. 6. cap. 3.* Vnde libellus actoris syllogismum iuridicum continere debet, cuius propositio sit principium iuris, assumptio verò facti speciem, conclusio petitionem contineat. *L. 2. ff. de probationib.*

ACTVS.

SVMMARIVM.

1. *Actus qui fiunt contra legem irritantem sunt invalidi.*
2. *Ad actus irritationem incurrendam non requiritur scientia legis irritantis.*
3. *Actus qui fiunt contra legem prohibentem non sunt invalidi per se.*
4. *Actus celebrati sine forma substantiali, in vtroque foro sunt invalidi. Et an quælibet omissio formæ substantialis reddat actum irritum? refertur duplex sententia.*

1. ACtus qui fiunt contra legem irritantem ipso facto, invalidi sunt, non solùm in foro externo, verùm etiam in foro conscientiæ; quia penes legislatorem residet potestas irritandi actus factos contra legem, cùm possit certam actibus formam præscribere, cuius defectu cesset actuum obligatio; vnde qui contractu irrito rem accipit, non potest illam tamquam propriam retinere, vi talis actus præcisè. *Reg. 64. de regulis iuris in 6. Salas de leg. d. 16. sect. 4. Lessius l. 2. c. 17. d. 6.* Ad cognoscendum autem an lex irritet aliquem actum ipso facto, inspicienda est forma verborum, aut ipsorum sensus, præsertim an verba contineant irritationem, vel tantummodo negent actionem in iudicio: vnde irritus est actus qui sub hac loquendi forma prohibetur; *Ipso iure irritus sit, non valeat, pro infecto habeatur, careat viribus, nullas vires habeat, incassum agat, frustra agat, locum non habeat. Layman l. 1. tr. 4. c. 16. Suarez de leg. lib. 5. c. 24. & 32. Bonacina de leg. d. 1. q. 1. 6. 7. §. 5. n. 13.* Hæc autem irritatio ipso facto incurritur ante declarationem, quoties irritatio non fundatur in falsa præsumptione, seu quoties non

fermatur forma substantialis ad valorem actus requisita; quando autem irritatio est purè pœnalis, putant probabiliter quidam requiri sententiam declaratoriam ad incurrẽdam actualem irritationem. *Sanches de matrimon. lib. 3. disp. 4. & 17. Salas c. sect. 3.*

2. Ad incurrendam irritationem actus, illius præsertim qui defectu formæ substantialis irritatur, non requiritur scientia legis irritantis; quia lex per se irritat talem actum, & non respicit cognitionem, aut scientiam operantis; vnde, qui bona fide & ex ignorantia professus est ante decimum sextum annum, inualidè professus est. *Nauar. c. 23. nu. 44. Layman l. 1. tr. 4. c. 2. nu. 7. Sanches c. d. 17. n. 10.* An autem ex actu humana lege irrito inducatur naturalis obligatio seu in conscientia: dicendum est quòd non; quia ex actu cui lex resistit; nulla nascitur naturalis obligatio; propterea Ecclesia & Principes possunt actus in vtroque foro irritare. *Sotus lib. 4. q. 5. art. 3. Sanches c. l. 1. disp. 7. num. 16.*

3. Actus qui fiunt contra legem prohibentem, non sunt invalidi per se, & ex natura sua, ex eo solùm capite, quòd prohibentur à lege; quia aliud est irritare, & aliud prohibere, & aliqua prohibentur, quæ valida sunt, iuxta tritum sermone proverbium; *Multa illicite fiunt, quæ tamen facta tenent.* Aliunde tamen fieri potest, vt actus factus contra legem prohibentem sit irritus, vt patet in actu celebrato cõtra ius commune, prohibens talem actum; talis tamen actus non est irritus in foro conscientiæ & ante sententiam iudicis, sed est irritus, quia per Iudicis sententiam ita declarari potest irritus, ac si fuisset *irritus* à principio, ab eo videlicet tempore, quo talis actus præstitus fuit. Requiritur ergo, vt actus prohibiti lege Canonica aut alia sint invalidi, vt addantur particulæ irritãtes. *Suarez de leg. l. 5. c. 25. 27. & 28. Salas de legibus disp. 16. sect. 8. n. 26. Regnaldus lib. 13. n. 185.*

4. Actus celebrati sine forma substantiali, seu sine solemnitate requisita à iure, invalidi sunt, non solùm in foro externo, verùm etiam in foro conscientiæ: quia sicut in physicis res non subsistit sine forma substantiali, ita in moralibus res seu actus non subsistet si celebretur sine solemnitate, seu forma substantiali requisita à iure. Cognoscitur autem aliqua forma seu solemnitas esse substantialis, & non tantummodo accidẽtalis. *Primo*, quando præscribitur aliqua forma, seu solẽnitas, apposita clausula irritãte. *Secundo*, quando præscribitur aliqua solẽnitas, dum committitur, seu communicatur alicui potestas ad faciẽdum aliquid seruatá tali formá seu solemnitate. *Tertio*, quando aufertur aut limitatur potestas ad aliquid faciendum cũ tali formá. *Suarez de legibus lib. 5. c. 32. Sanches de matr. l. 3. disp. 33. n. 3. & 4. Molina tr. 1. disp. 81. Gutieres de matr. c. 61. Layman l. 1. tr. 4. c. 16. n. 7. & 8.* An actum quælibet omissio formæ substãtialis reddat actum irritum, affirmãt. *Azor. 1. p. l. 8. c. 28. Suarez. c. nu. 10.* Negant. *Molina Sa V. interpretatio n. 6.* dicentes ob leuem formæ omissionem non effici actum irritum, quia parum pro nihilo reputatur: & hæc sententia est probabilior; quamquam magna prudentia opus sit in dijudicanda grauitate, & leuitate omissionis; nam fieri potest, vt aliqua omissio sit leuis entitatiuè & physicè, & nihilominus moraliter censeatur grauis.

Vide *Consuetudo* n. 8. 10. 11. *Indulgentia.* 2. n. 6. 7.

ACTVS HVMANVS I.

Quid sit actus humanus, & quid voluntarium.

SVMMARIVM.

1. *Actus humanus quid sit.*
2. *Quid voluntarium.*
3. *Voluntarium duplex perfectum & imperfectum.*
4. *Voluntarium perfectum aliud est liberum, aliud necessarium.*
5. *Actus liber quis sit? duplex libertas voluntatis, vna contradictionis, altera contrarietatis.*
6. *Libertatem contrarietatis an habeat homo in hac vita circa bona particularia, & circa bonum, & malum in communi.*
7. *Ad peccandum vel merendum, an requiratur voluntarij libertas.*
8. *Sicut duplex est necessitas, vna legis præcipientis siue prohibentis, altera necessitas naturæ: Ita duplex est etiam libertas, vna*

ab

ab obligatione legis; altera à necessitate naturæ.

9. *Homo est liber in actibus naturalibus & ciuilibus. Contra Lutherum.*

§. 1.

Solumntur obiectiones Lutheri contra libertatem voluntatis.

§. 2.

An verum sit, Deum ideo præscire futura, quia futura sunt.

10. *An voluntas nostra prius natura Physicè moueatur à Deo, quàm ipsa seipsam moueat & determinet ad agendum? refertur triplex sententia.*

11. *Libertate voluntatis gaudet etiam homo in actionibus moralibus.*

12. *In actionibus supernaturalibus est etiam homo liber.*

13. *Actus humani diuiduntur in elicitos & imperatos.*

14. *Homo non potest cogi in actibus à voluntate elicitis: bene tamen in imperatis.*

15. *Necessitari potest homo in actibus a voluntate elicitis tum obiectiuè, tum efficienter.*

16. *Solus Deus efficienter potest necessitare voluntatem.*

17. *Voluntarium an possit esse sine omni actu.*

18. *Voluntarium aliud est directè, aliud indirectè.*

19. *Quid voluntarium directè & indirectè.*

20. *Voluntarium directum triplex.*

21. *Virtualiter voluntarium quid.*

22. *Quid habitualiter voluntarium.*

23. *Multiplex est voluntarium indirectè.*

24. *Multis modis potest peccatum interpretatiuè esse voluntarium.*

25. *Vt voluntarium sit sine omni actu, tria requruntur*, Posse, debere, & non facere.

26. *Voluntarium an semper censeatur id, quod sequi solet ex causa posita.*

1. ACtus humani dicuntur, qui homini proprij sunt, quatenus homo est. qui videlicet, à voluntate deliberata procedunt, quorumque homo est Dominus, per liberum voluntatis arbitrium, vt ad finem sibi propositum peruenire possit: hoc interest inter actus hominis & belluæ; quòd hæc tantùm sensu mouetur ad id quod præsens est, necessarioque illi sese accommodat, paululum sentiens præteritum aut futurum: Homo autem, qui rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum & effectus considerat, ex præteritis colligit futura, & ad finem sibi præstitutum præparat ea necessaria, aut valde vtiles, totiúsque vitæ suæ cursum ad portum felicitatis vtcunque dirigere potest: vt colligitur ex *D.Thom.* 1.2.q.1.6.& 7. *Vasques* 1.2.*disp.*23.& *seq. Syluius* 1.2.q.1.*ar.*1. *Azor.to.*1.*l.*1.*c.*3. *Filluc.tr.*21.*n.*48.& *seq.*

2. Voluntarium est quod à principio intrinseco cum aliqua finis cognitione procedit; ratio prioris est; quia quæ extrinsecùs mouentur nihil habent voluntarij, quatenus ita mouentur, sed potiùs violentiam aut cohactionem, aut necessitatem: Posterioris autem; quia voluntarium ab appetitu vitali procedit, qui appetitus sequitur formam apprehensam; & sicut motus naturalis dicitur, qui est ab appetitu naturæ, ita motus voluntarius, qui ab appetitu voluntatis est. Voluntas autem, essentialiter conuenit homini, bestijs autem per quandam participationem & similitudinem. *D.Thom.* 1.2 *q.*6.*art.*1. & 2. *Syluius ibidem art.*1. *Filliucius c.num.*52. *Layman l.*1. *tra.*2.*c.*1.*n.*1. *Prapositus* 1.2.*q.*6.*ar.*1. *Claius Reg.l.*2.*c.*2.*n.*1.

3. Voluntarium duplex est; perfectum & imperfectum: quia cognitio finis potest esse perfecta, quando nimirum cognoscitur formaliter & apprehenditur, non solùm res, quæ est finis, sed etiam ratio finis, & proportio mediorum ad finem: & potest esse imperfecta, quando tantùm cognoscitur materialiter, v.g. quando sistitur in sola finis apprehensione, sicut faciunt bestiæ per sensum & æstimationem naturalem, sine vlla ordinatione mediorum ad finem. Prioris generis sunt, omnes actus humani, qui laudi vel vitio dantur. Posterioris, sunt omnes passiones & motus appetitus sensitiui præuenientes aduertentiam rationis; & multi motus voluntatis, siue in bonum, siue in malum, vt sunt omnes gratiæ præuenientes, vt sic, omnes tentationes ad peccatum, motus infidelitatis, blasphemiæ, vindictæ &c. quæ rationem antecedunt. *D.Th.c.q.*6. *ar.*2. *Syluius ibid. Filluc.c.n.*55.56.& *seq.*

4. Voluntarium perfectum, aliud est liberum, aliud necessarium; quia quædam ex perfecto rationis iudicio, ita volumus, vt possimus non velle aut velle etiam contrarium, quædam autem ita volumus, vt non possimus non velle, aut velle

contrarium; vnde hæc necessitas: nihil aliud est, quàm determinatio quædam voluntatis ad vnum, siue quoad speciem, sicut viatores necessitantur ad amandum beatitudinem in communi; siue quoad exercitium, quo modo comprehensores & beati necessitantur amare Deum clarè visum. *Syluius c.q.*9.*art.*1.& *q.*10.*art.*1.*concl.*2.& *Tannerus to.*2.*disp.*2.*q.*1.*dub.*2.*nn.*31.& 37.

5. Actus liber est, qui procedit à principio voluntario libero: tale autem liberum, siue quod idem, Liberum arbitrium, secundùm *D.Thom.* 1.*p.q.*83.*art.*4.*in corp.* nihil est aliud quàm vis electiua, id est, est ipsamet voluntas, quatenus ex præuia deliberatione & iudicio practico intellectus, sic potest eligere vnum, vt ex alio præuio iudicio, possit eligere eius contradictorium. Et licet liberum arbitrium Dei, agit à nullo alio motum, vtpotè idem quod Deus & proinde infinitum, independens ac omnium primum; arbitrium tamen creatum tam Angeli quàm Hominis, agere non posse, nisi priùs naturâ physicè & efficaciter à Deo motum ac determinationem ad agendum, patet ex *D.Aug.l.de corrept.*& *grat.c.*14.& 15. *Item l.*5. *de Genesi ad lit.cap.*20. *D.Th.c.q.*105.& 1.2.*q.*109.*art.*6.& *lib.de potent.q.*3.*art.*7. optimè docet *Eximius Dominus Franciscus Syluius Vice-Cancellarius Regalis Duacena Academiæ* tum in suo libro de motione primi motoris Duaci impresso anni 1609. vbi recenset plurimos alios similiter sentientes; tum alibi, in suis doctissimis in D. Thomam commentarijs. Ratio autem est, necessaria subordinatio, & dependentia creaturæ à creatore in esse, posse, & agere; præcipuè si attendamus omnes causas secundas & voluntates nostras esse instrumenta Dei, iuxta *D.Thom.de verit.q.*24.*art.*1.*nu.*5. Nam vt creatura sit, accipit à Deo essentiam & existentiam; vt possit accipi potentiam; vt agat verò accipit motionem; hoc quidem cum tam essentiali dependentia, vt sicut nisi Deus det conseruétque illud esse, ipsa est nihil: & nisi addat potentiam, ipsum esse nihil potest; similiter nisi moueat & quasi excitet potentiam ad agẽdum, potentia dormit, mota autem & excitata, simul cum Deo cooperante eundem effectum operatur: & illa essentialis subordinatio præbet homini (si attendat) realem fundum super quo hypothecanda est eius sincera humilitas. Vnde libertas voluntatis duplex est, vna secundùm *exercitium*, quæ dici solet libertas contradictionis, & est potestas siue indifferentia ad agendum & non agendum; hanc libertatem habet homo in hac vita circa omnia obiecta: Altera est libertas quæ dici solet *specificationis* siue *contrarietatis*; & est potestas siue indifferentia tum hanc, tum contrariam actionem circa idem obiectum exercendi, v.g. circa Deum, amorem & odium. *Syluius* 1.*p.q.*83.*art.*3.& 4. *quæst.*1.& 1.2.*q.*9.*art.*1. *Azor.c.l.*1.*c.*2.*q.*5. *Filliucius c.num.*62.63.& *sequens. Becanus in sum.de liber.arbi.c.*2.*q.*2.*num.*3.

6. Libertatem contrarietatis habét homo in hac vita circa omnia bona particularia; non item circa bonum & malum, siue fœlicitatem ac miseriam in communi; ratio prioris est, quia nullum est particulare obiectum, quod intellectui in hac vita adeò bonum appareat, vt non etiam in eo reperire possit aliquam rationem malitiæ siue inconuenientiæ, comparatione ipsius appetentis hoc loco, tempore &c. quin & ipsa priuatio v.g. mors propria, quatenus à maiore malo liberat, bona & appetenda iudicari potest, non quidem per se, sed per accidens. Posterioris autem ratio est, quia adæquatum, siue totale obiectum voluntatis volentis est bonum; adæquatum verò obiectum voluntatis nolentis est malum; sed in bono vniuersum consideratio, non reperitur aliqua ratio mali, neque in malo, siue in miseria abstractè considerata reperitur aliqua ratio boni; Ergo voluntas odisse non potest fœlicitatem, neque amare miseriam in communi. *D.Th.*1.2.*q.*10.*a.*2. *Azor.c.cap.*20.*q.*5. *Layman l.*1.*tr.*2.*c.*2.*n.*4. *Becanus c.cap.*2.*q.*7.*n.*6.& 7. *Syluius* 1.2.*q.*10.*art.*2.*concl.*1.& 2.

7. Ad peccandum vel merendum vitam æternam omnino requiritur voluntarium liberum; nam nemo peccat in eo quod vitare non potest: & laudatur in scripturis is qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit. *Ecclesiastici* 31. Opera autem necessaria, quamuis maximè sint voluntaria, neque laudem, neque vituperationem, nec præmium, nec pœnam merentur: quia tamen in viatoribus, nullus est actus perfectè voluntarius, qui non sit etiam liber (si vnicum excipias circa beatitudinem in communi) ideo Sancti Patres vtuntur passim voluntariũ pro libero: vt cum *D.Aug. l.de vera relig.c.* 19. dicit, peccatum vsque adeò esse voluntarium

Actus humanus I.

rium vt ſi voluntarium non ſit, peccatum non ſit. *Syluius* 1.2. q.114.*art*.2.*quæſit*.1.*Bellarmin de amiſſ gratiæ l*.2. *cap*.18.

8. Sicut duplex eſt neceſſitas, vna legis præcipientis, ſine prohibentis, quæ non eſt ſimpliciter dicta neceſſitas, ſed ex hypotheſi, ſi culpæ reatum ac pœnam declinare velis: Altera eſt neceſſitas naturæ & propriè dicta: ſic homo ſumpto cibo non poteſt non nutriri. Ita duplex eſt etiam libertas, vna ab obligatione legis: qua ratione libera opera dicuntur, quæ ſub præceptum non cadunt. Altera eſt libertas à neceſſitate naturæ, qua ratione libera opera dicuntur ea omnia, quæ non naturæ impetu, ſed ex deliberatione rationis & electione voluntatis fiunt, & vocantur actiones morales, quia pertinent ad mores. *Tannerus tom*.2.*diſp*.2. *q*.1.*dub*. 2. *Becanus de lib*.*arbitrio c*.2.*q*.2.*n*.1.*Syluius* 1.*p*.*q*.83.*art*.3.*& art*.4.*quæſit*.2.

9. Homo eſt liber in actibus naturalibus & ciuilibus; quia multa ſunt media cõtingentia vtilia quidem ad finem, ſed non neceſſaria, quæ poteſt voluntas arripere aut reſpuere, vt ipſa experientia docet. *D*.*Thom*.1.*p*.*q*.83.*art*.2. *& c*. 2. *q*.3. *a*. 6.*& q*. 24.*a*.1.*& 2*.*Magiſter*.2.*diſt*.25.*lit*.*F*.*Syluius* 1.*p*.*q*. 14. *ar*.13.*q*.2. *Tannerus* 1.*p*.*diſp*.2.*q*.8.*dub*.10.*& 11*. *& tom*. 2.*diſp*.2. *q*.1.*dub*.1. *nu*.12.*Bellarm*.*l*.4.*de grat*.*& lib*.*arbit*.*c*. 5. *& 7*. *Vaſques* 1.*p*.*q*. 14. *art*.8.*& diſp*.68.*cap*. 6. Contra *Lutherum*, qui docet omnia abſoluta neceſſitate fieri, eò quòd Deus præſcit infallibiliter actiones noſtras, ergo (inquit) neceſſariò ſunt euenturæ, alioqui falleretur præſcientia diuina: ad quod dicendum eſt eam neceſſitatem tantùm eſſe conſequentię, non autem conſequentis. Ex eo enim quod ſupponitur, Deum eas ab æterno præſcire, ac præſcientiam eius falli non poſſe, neceſſariò ſequitur, id eſt, optimè & infallibiliter infertur, quòd euenient; & illa eſt, quam vocant neceſſitas conſequentiæ: neceſſitas autem conſequentis hic nulla eſt, cùm cõſequens hic, ſaltem incomplexum, ſit ipſa actio humana, quæ quando euenit, non fiet neceſſariò ſeu ex neceſſitate naturæ ad vnam determinatæ, ſed liberè & per electionem; nimirum à noſtra voluntate tamquam à cauſa, ex natura ſua indifferente & indeterminata, ac per præuium intellectus iudicium ſeipſam ad alterutram contradictionis partem determinante: quod ipſum non eſt neceſſitas conſequentis, vt patet, ſed propriè dicta libertas.

§. 1.

Quod attinet ad illud abſurdum quod Lutherus imaginatur ſecuturum, nempe quòd falleretur Dei præſcientia, niſi actiones noſtræ futuræ, forent abſoluta neceſſitate. Dicendum eſt, tantum abeſſe vt potiùs è contrario ſequeretur Dei præſcientiam falli, ſi poneretur præſcire rem alio modo euenturam, quàm nata ſit euenire: adeòque ne erremus circa Dei præſcientię infallibilitatem, certiſſimè credere debemus Deũ infallibiliter præuidere omnia futura, non ſolùm neceſſaria, ſed etiam contingentia & libera; & quidem ſingula eo modo, quo pro conditione cauſæ ſuæ nata ſunt euenire, neceſſaria neceſſariò, contingentia contingenter, libera liberè & per electionem. Porrò illa certitudo præſciendi in Deo, non bene poteſt dici fundari præcisè in voluntate humana, quaſi ille ab æterno, certò præuidere poſſit ad quam partem contradictionis, ipſa ſemetipſam ſit determinatura; quia cauſa ſecunda libera, anteqũam de facto agat, eſt ex natura ſua intrinſecè & eſſentialiter indeterminata, eò quòd omni tempore præcedente inſtans actionis, ſit ex ſe, & in ſe veriſſimè indifferens ad vtramque partem contradictionis: Proinde nulla certitudo præſciendi actus liberos humanos, poteſt peti ex præuiſa vlla determinatione in voluntate ſeu cauſa libera, cùm in ea nulla ſit determinatio ante actionem; repugnat autẽ Deum verè præuidere cauſam aliter, quàm ipſa in ſe eſſentialiter ſit, At verò Deus præcognoſcit infallibiliter futura contingentia & libera in ſemetipſo, nimirum ſecundum eſſe obiectũ, quod habent in eſſentia & mente diuina, prout docet *D*. *Thom*. 1. *p*. *q*.14.*a*.5.*& q*. 15. *ar*. 5. Et cùm diuina voluntas ab æterno prædeterminarit futura eſſe omnia, quæ futura ſunt, ipſiſque aptare decreuerit conuenientes cauſas proximas, neceſſarijs neceſſarias, liberis liberas, eáſque ſuo tempore ad ea producenda præmouere; ex eo etiam capite futura noſtra libera certiſſimè prænoſcuntur à Deo, cùm non poſſit neſcire quod decreuerit facere; ipſe enim eſt omnium cauſa & proinde (inquit *D*.*Tho*.1.*p*.*q*.14.*a*. 7. effectus ſuos in ſeipſo videt, ſicut in cauſa Vide *Syluium* libro de motione primi motoris parte 2. art. 12.

§. 2.

Malè autem putant quidam, Deum ideò præſcire futura, quia futura ſunt quaſi res futuræ ſint cauſa ſcientiæ Dei; cùm è contra ſit. *Syluius de motione p*. 2. *art*. 13. Scientia enim Dei adiunctà voluntate, eſt cauſa rerum futurarum, vt probat *D*.*Thom*.1.*p*.*q*.14.*ar*.8. per comparationem ad ſcientiam ſeu artem Artificis, quæ eſt cauſa rerum arte factarum; vnde res à Deo ſcitæ non ſunt priores eius ſcientia; ſicut apud nos eſt, ſed ſunt ei poſteriores (inquit idem Sanctus contra Gentes:) proinde diuina ſcientia non pendet ex re ſcita, inquit *D*.*Bonau*.*in* 1.*ſent*.*diſt*.39.*q*.2. Hinc *D*.*Anſel*.*lib*.*de concordia præſcientiæ & præſt*.*c*. 7. *ſi Deus*, inquit *à rebus habet ſcientiam, ſequitur quod illa prius ſint quàm eius ſcientia, & ſic à Deo non ſint, à quo nequeunt eſſe niſi per eius ſcientiam.* Ita & *D*. *Aug*.*de Trinit*.*l*.15. *c*. 13. *Non quia ſunt*, inquit, *ideo nouit, ſed ideo ſunt, quia nouit.* Quod bene probat *Doctor Syluius* citatus vbi ſuprà art.13. *Quia ſi ideo ſciret Deus*, inquit, *res eſſe futuras, quia futuræ ſunt: quærentis quare futuræ ſunt: quid tandem reſpondebitur? Numquid fides nos docet res ideo eſſe futuras, quia Deus vult eſſe futuras, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Prius ergo naturæ eſt, Deum velle res eſſe futuras, quàm quod futuræ ſint; ſicut cauſa prior eſt effectu: & conſequenter etiam prius eſt Deum ſcire res eſſe futuras, quàm quod futuræ ſunt, quod enim eſt prius prioris, eſt prius poſterioris, ſed ſcientia Dei eſt prior (iuxta modum noſtrum concipiendi) prioris, ſcilicet voluntate Dei, ergo eſt etiam prior poſterioris, id eſt, quod res ſint futuræ.* Nec obeſt quod *Origenes* in Epiſtola ad Romanos dicit, quod quia futurum, ideo ſcitur à Deo antequam fiat, nam hoc intelligendum eſt, ſecundùm cauſam conſequentiæ, inquit *D*. *Thom*. 1.*part*. *q*. 14. *art*.8. non ſecundum cauſam eſſendi: ſequitur enim ſi aliqua ſunt futura, quod Deus ea præſciuerit, non tamen res futuræ ſunt cauſa, quod Deus ſciat. Nihilominus dici etiam poteſt, quod ſi ſermo ſit de Dei ſcientia merè & præcisè ſpeculatiua; prout non habet adiunctam voluntatem diuinam, ipſa vt ſic non eſt cauſa rerum, cùm etiam præſciat peccata, quorum tamẽ non poteſt eſſe cauſa. Ex quibus omnibus colligi poteſt, contra *Lutherum* diuinam præſcientiam falli nõ poſſe, circa futuritionem actionum noſtrarum, etiamſi ſint liberæ, cùm ipſe, vt dictum eſt per ſuam præſcientiam ſit cauſa futuritionis earum.

10. Contra hanc libertatem opponitur à quibuſdam, voluntatem noſtram non videri poſſe priùs natura Phyſicè moueri à Deo, quam ipſa ſeipſam moueat & determinet ad agendum, alioqui enim præmotio illa Dei neceſſitatem voluntati noſtræ inferet & libertatem tollet; proindéque præſtare admitti tantummodo quemdam Dei indifferentem concurſum cum voluntate noſtra ſimultaneum, in ſolum effectum voluntatis noſtræ, abſque prædeterminatione ſeu Dei influxu in ipſam voluntatẽ, quo ipſa priùs naturá applicetur ad agendũ.

Alij dicunt, voluntati noſtræ neceſſariam eſſe hanc motionem ſeu prædeterminationem, nec poſſe in actum ſuum procedere, niſi moueatur à Deo, ſicque Deum humanam voluntatem mouere, quod non ex neceſſitate ad vnum determinet, ſed remanere motum eius contingentem & non neceſſarium, niſi in his ad quæ ipſa naturaliter mouetur; & proinde poſitâ motione qua Deus voluntatem mouet, voluntatem nihilominus retinere facultatem ad non volendum & ad non agendum, ideoque ſimpliciter poſſe non agere. Proinde dicendo, quòd Deus humanam voluntatem mouendo eam determinet, non ita intelligendum eſt, quòd ipſam vni parti affigat, neceſſitatem illi inferendo, ſicut determinat cauſas naturales, ſed quòd eam fortiter & ſuauiter moueat; fortiter quidem faciendo, vt ipſa infallibiliter operetur, ſuauiter autem faciendo, vt operetur iuxta modum ſuæ naturæ propriũ, hoc eſt, liberè, mediante ſcilicet iudicio rationis indifferentis & voluntati obiectum proponentis.

Porrò ad mentem D. Auguſtini exſurgit tertia ſententia, cum neutra ex præcedentibus ex integro conueniens, ſed aliquid ab vtraque ſumens. A poſteriori enim accipit, quòd gratia voluntati conſenſum efficaciter inclinando, atque adeò prædeterminando, largitur. A priori verò quod ſit actus quidam vitalis, vtpote cæleſtis, & ineffabilis ſuauitatis delectatio; non tamen expectat impulſum voluntatis vt ſecum influat, ſed ei tribuit: nec hæret quodammodo ex arbitratu voluntatis eligentis, vt velit aut nolit, ſed arbitratum volendi ad hoc ipſum determinando ſuauitatis efficacia voluntatem, efficit.

Sed quia apud Sanctam Sedem ſub Iudice tota hæc quæſtio ma-

mánet indecisa & à sacra Eminentiss. Cardinal.congregatione,ex mandato *S.D.N. Vrbani VIII.* nouissimè iterum decretum est, ne quid circa hanc quæstionem deinceps typis mandetur absq; licentia eiusdem sacræ Congreg.ideo ab vlteriore discussione huius difficultatis supersedemus, cùm parum... Theologiæ morali conferat.

11. In actionibus moralibus gaudet homo etiam libertate voluntatis: Contra *Caluinum l.2. inst. c.5.* qui hanc veritatem frustra conuellere conatur. Actio autem moralis vocatur, quæ vel turpis est, vel honesta & verè meretur præmium aut pœnam;dicimúsque hominem liberâ suâ voluntate ad alterutrum se posse determinare siue viribus naturæ, siue viribus gratiæ. Ratio est, quia aliàs homo non esset capax præcepti, nec posset peccare,aut benefacere,nec item mereri præmium aut supplicium:iam verò diuina scriptura plena est præceptis, docetque hominem peccare, transgrediendo legem & supplicium mereri, item benefacere obediendo legi & mereri præmium. *Bellarm.de grat. & liber.arbit.l.5.c.14. Tannerus to.2.disp. 2.q.1.dub.1.*

12. Est etiam homo liber in actionibus supernaturalibus, quæ videlicet, pertinent ad salutem æternam: est contra Lutherum & Caluinum, quorum ille voluntatem vult se habere merè passiuè & tractari à Deo non aliter quàm lutum tractatur à figulo,cùm formam illi affingit:Hic autem docet voluntatem agi & agere;agi à Deo, vt principali agente; agere vt instrumentum Dei,non vt instrumentum liberum, sed vt naturale,quod actioni suæ non dominatur,sicut est,v.g. penicillus in manu pictoris. Sed hoc est hæreticum & contra scripturas, vbi in operibus pietatis vocamur operarij, ædificatores, plantatores,rigatores, cooperatores, vt plurimis locis videre est. Ratio autem est; quia decebat creaturam intelligentem ad suum finem perduci modo nobilissimo; modus autem nobilissimus est vt aliquis finem suum & beatitudinem obtineat ex se, & non ex alio: per liberum autem voluntatis arbitrium aliquo modo est se gratia Dei excitatum, eleuatum & adiutum, illam sibi in Christo promeretur. *Bellarm. l.6. de grat. & libero arbit.c.9.& 10. Tannerus c.dub.1.n.17.*

13. Actus propriè humani seu liberi diuiduntur in elicitos ac imperatos;actus eliciti dicuntur,qui à libera voluntate immediatè eliciuntur; tamquam à principio immediato, cuiusmodi sunt volitiones & nolitiones. Actus à voluntate imperati sunt actus aliarum potentiarum, videlicet, intellectus, appetitus sensitiui, & externorum membrorum, quæ voluntatis motionem sucipere debent;tales sunt intelligere, ambulare,loqui,scribere & alia huiusmodi. *D.Th.1.2.q.6. Syluius ibi. Layman l.1.tr.2.c.2.n.8. Becanus de actibus humanis c.3.n.1.*

14. Homo per nullam potentiam cogi potest in actibus à voluntate elicitis, in imperatis potest; prior pars probatur; quia homo vellet simul & non vellet; nam implicat contradictionem, vt voluntas eliciat actum, & tamen ei actui repugnet, cùm volendo eliciat actum. Secunda pars probatur, quia isti actus pendent ab alijs potentijs,vt ab intellectu, phãtasia,sensibus externis &c.quæ potentiæ à causa extrinseca,ad opus applicari possunt renitente voluntate;sic Deus cogit intellectum damnati semper cogitare suas miserias, & potentias inferiores compellit sentire dolores suos ipsa voluntate repugnante. *D.Thom.c.quæst.6.art.4.Syluius ibid.Azor.tom.1.l. 3.c.9.q.5.& 6.Becanus in Sum.de lib.arbitr.c.2.quæst.10.num.43. 44.Tannerus 10.2. disp.2.q.1.dub.5. num.57.& 62. Vasques 1.2.d. 26.c.1.& 3.*

15. Homo necessitari potest in actibus à voluntate elicitis, tum obiectiuè, tum efficienter. Quia voluntas cum pleno rationis iudicio potest determinari ad actum, siue quoad speciem,siue quoad exercitium,ergo potest necessitari: quia potest illi offerri ratio boni, sine vlla admixtione mali (vt fit in beatitudine in communi, & fieret in bono quouis particulari, si Deus auferret omnem mali speciem & considerationem) & tunc voluntas si velit versari circa hoc obiectum, necessariò ipsum amabit,quia non inueniet obiectum odij,aut fugæ. Item potest illi offerri tota plenitudo bonitatis, in suo fonte primario, quod fit per claram Dei visionem, & tunc non poterit non amare, aut non perseuerare in amore, & his duobus modis voluntas necessitatur obiectiuè. Quod si Dominus Deus immittat voluntati motionem tam efficacem, vt ipsa determinetur ad consensum, tunc non poterit à consensu resilire per omnem suam potestatem, & necessitabitur efficienter. *Sylueus 1.2.q.5.art.4.fol.62.& q.10.art.1.Becan.de lib. arbit.c.*

2.q.10.n.35. Præpositus 1.2.q.10.art.2. Tanner to.2.disp.2.q.2.dub. 3.n.22.& dub.5.n.439 Vasques c.d.39.c.2.& 3.

16. Solus Deus potest efficienter necessitare voluntatem; quia creatura nulla est,nec Angelus,nec dæmon, nec corpus cœleste, cui hoc sic concessum,cùm solius creatoris sit, creaturam suam tam intimè peruadere & penetrare. Ratio est, quia Angeli nihil possunt circa creaturam corporalem, nisi mouendo localiter, vel applicando actiua passiuis, vt habet communis sententia Theologorum: ergo minus poterunt aliquid in voluntatem, quæ planè spiritualis est. Cœlum autem & astra tantùm possunt efficere aliquas alterationes corporales,quibus positis,phantasia variè de rebus iudicat,& appetitus sensitiuus varia commouetur; semper tamen in potestate voluntatis est,motus illos reprimere,saltem per gratiam diuinam:nam si sapiens, multo magis Christianus dominabitur astris. *D.Th.1.2.q.9.a.6. Sylueus ibid. Tannerus c.disp.2.q.2.dub. 5.n.52. Præpositus 1.2.q.9.a.6.*

17. Voluntarium potest esse sine omni actu moraliter; physicè non potest:Posterior pars probatur,quia voluntarium physicè est, quod verè & realiter est volitum:implicat autem aliquid esse volitum sine volitione,ac proinde sine actu.Prior pars patet in eo, qui cum potest ac debet agere, non agit, v.g.ludit aut ambulat,cùm potest ac debet audire sacrum;quamuis enim talis, fortè, nihil cogitet de sacro, aut si cogitat,voluntas habeat se negatiuè, tamen illud non audire,est ipsi voluntarium, cùm habuerit dominium illius actus & obligationem illius exercendi. *D.Th.1.2.q.6.ar.3. Sylueus, Med.ibi.Tannerus 1.2.disp.2. q.1.dub.2.nu.31.*

18. Quamuis multis modis voluntarium dici aliquid possit, horum tamen modorum vsus in materia morali ad duos possunt reduci: ad *voluntarium directè & indirectè* vt docet *D. Tho.1.2. q.77.art.7.D.Th.c.ar.3.Clauis Reg.l.2.c.2.n.2.*

19. Directè voluntarium est,quod ab intellectu apprehensum & iudicatum, voluntati proponitur, vt appetendum vel fugiendum, siue distinctè, siue in confuso: sicut cùm aliquis vult quippiam agere, quod reuerà agit, vel vult non agere id quod posset ac deberet agere, eius volitio est directè voluntaria.Indirectè voluntarium est,quod secundùm se voluntati non proponitur, sed vel in sua causa, vel in suo materiali, vel in eo,cum quo habet necessariam connexionem,vel purè secundùm æstimationem moralem. *D.Thom.c.art.3. Sylueus ibid. Tannerus c.dub.2. n. 27. Azorius tom.1.lib.1.c.3.q.2. Layman l.1. tr.1.c.3.num.5.*

20. Voluntarium directum triplex est;nam vel est volitum actualiter, vel virtualiter, vel habitualiter. Actualiter vt cùm quis signat suum actum, quem exerciturus est; v.g. Sacerdos consecraturus,ita secum loquitur; volo consecrare vel habere intentionem Christi: Et hoc vocamus velle in actu signato. In actu autem exercito vult consecrare, qui sine reflexione super suum actum, attentè facit, quod Christus instituit, dicendo cum plena cognitione sui facti verba consecrationis. *Bonac.to.1.disp.1.q.3.p.2.§.3.n.3. Filliuc.tr.21.n.56.& 57. D.Th.3. p.q.64.ar.8.ad 3. Laym.c.n.4.*

21. Virtualiter voluntarium est, quod exercetur virtute volitionis præcedentis, quæ actu defijt esse;vt *primo* cùm Sacerdos ponit in altari pixidem hostiarum cum intentione consecrandi,omnes sunt consecratæ,etiamsi actu non cogitet de pixide, modo prior intentio aliquem influxum habeat in consecratione. Immò secundùm *Reginaldum* lib.26. n.38.voluntarium virtualiter dicitur, seu intentio virtualis, quæ ex natura sua vel Ecclesiæ institutione comprehenditur sub altera intentione, cum qua sic coniuncta est,vt ea præsente,censeatur ipsa quoque adesse. Sic eo ipso quod Sacerdos vult secundùm Sacerdotum consuetudinem induere vestes sacerdotales, habet virtualem intentionem celebrandi Missam.Quia enim induere vestes sacerdotales, medium est ab Ecclesia institutum ad Missæ celebrationem,fit,vt in tali actione induendi, comprehendatur virtualiter actio celebrandi; & in intentione induendi, intentio celebrandi; donec adhibeatur actus contrarius,per quem hæc tollatur.Ita ille. Vide *Suarez 3. p.s.3. disp.13.sect.3. Bonac.n.11. Vasques 3.p.to.2.disp.138.c.6.Coninch de Sacram. quæst.64. artic.8. dub.2.num.71. Fernandes par.3.cap.1. §.4. num.6. Diana p.2. tract.3. misc. resolut.32.* & alios apud illum citatos.Quibus adde *Sylueus 3. p.q.64.art.8.concl.6.*

22. Habitualiter voluntarium est circa quod nullus actus exercetur, sed antea exercitus est & habitualiter manet; vel est intentio quam præcessit voluntas operis faciendi, sed postea

ſea nullo modo influit in operationem, quia nec eſt in memoria, vel cogitatione; nec per ſe, nec per aliud eſt cauſa talis actionis. Ita Doctores ſuperiori numero citati.

23. Indirectè voluntarium mutiplex eſt, nam complectitur id omne quod ſecundùm moralem æſtimationem, interpretamur à voluntate pendere; vnde & vocatur volitum interpretatiuè: quod locum habet ſæpiſſimè in peccatis, rarò in alijs, numquam in meritis; nam ad meritum requiritur actus poſitiuus, cum explicita vel implicita intentione honeſtatis ſupernaturalis. Vide *D. Th.* 1. 2. q. 77. *art.* 7. *Filliucius t. num.* 59. *Leyman t. num.* 5. *& ſeq.*

24. Interpretatiuè volumus peccatum. *Primò* in ſua cauſa, vt qui vult iacere ſagittam, ſine debita cautione, cenſetur velle homicidium ſecutum. *Secundo* in ſuo materiali, vt qui ex ignorantia culpabili committit vſuram. *Tertiò* in connexis vel naturaliter vel voluntate Legiſlatoris: nam Hæreſiarcha hoc modo vult perniciem tot animarum: peccans mortaliter odit Dominum Deum, vult pœnas inferni, &c. *Quartò.* Imputatiuè cùm nec intellectus aduertit, nec voluntas vult, ſed potuit ac debuit aduertere, & velle: vt cùm quis præ ardore ludendi omittit Sacrum in die feſto: Cùm magiſtratus ſtudio aliarum rerum, negligit punire malefactores &c. & hoc voluntarium eſt ſine omni actu, qui videlicet pertineat ad iſtud voluntarium. Probabile enim eſt intellectum & voluntatem non poſſe ab omni prorſus actu ceſſare, ſed illi actus habent ſe per accidens ad voluntarium, vt colligitur ex Doctoribus ſuprà citatis. Vnde plurimi ex his modis oſtendi poſſunt in facto *Judæ*, quando *Geneſis* 38. cognouit *Thamar* nurum ſuam: nam inceſtum voluit materialiter; fornicationem formaliter, odiũ Dei & pœnas inferni interpretatiuè, malum ſi quod culpabiliter ſecutum eſt, imputatiuè; formaliſſimè voluit delectationẽ.

25. Vt voluntarium ſit ſine omni actu, tria requiruntur, ſcilicet, poſſe, debere, & non facere; quare neceſſarium eſt præceptum, ſi abſit omnis actus; quòd ſi ponamus aduertentiam intellectus, tunc poterit eſſe voluntarium ſine volitione & ſine præcepto: vt ſi quis die feſto aduertat ſe poſſe audire Sacrum, & negatiuè ſe habeat ac omittat. Ita *D. Thom.* 1. 2. *q.* 6. *art.* 3. *Syluius ibid. concl.* 2. *Clauius Reg. l.* 2. *c.* 6. *num.* 8. & alij communiter.

26. Non cenſetur ſemper voluntarium id quod ſequi ſolet ex cauſa volita; *Primo* cùm quis habet ius ad cauſam, ſiue ſit actio, ſiue omiſſio, modò non teneatur euitare effectum, v. g. Dux exercitus pulſat mœnia aut expugnat vrbem, vnde ſequitur mors innocentium; item moritur quis præ fame, & omitto ei ſuccurrere, propter periculum propriæ vitæ, &c. vtraque mors eſt nobis non voluntaria, quia iuſtè permittitur, cùm non teneamur iſtos effectus euitare; non eſt tamen propriè inuoluntaria, quia omnibus conſideratis, volumus vti iure noſtro. atque hoc eſt fundamentum totius tractatus de ſcandalo: vt ibidem inferiùs *v. Scandalum* docetur. *Secundò:* Cùm certi ſumus effectum non ſecuturum: quemadmodum *Beata Virgo*, dum contraxit matrimonium cum *Ioſepho*, conſenſit in copulam coniugalem, nullo tamen modo in copulam carnalem. Vide *Leſſium l.* 4. *c.* 3. *dub.* 14. *n.* 97. *& ſq. Diana p.* 3. *tr.* 5. *miſc. reſol.* 22.

De actu humano & libero vide *v. Præceptum* n. 5.

ACTVS HVMANVS II.

An violentia, metus, cupiditas, ignorantia, tollant voluntarium.

SVMMARIVM.

1. *Voluntas variè poteſt affici in ſuis operationibus.*
2. *Actio vel paſſio violenta quando cenſetur inuoluntaria.*
3. *Quando voluntaria.*
4. *Quando non voluntaria.*
5. *Metus an tollat voluntarium, & faciat inuoluntarium. Et an metus magni mali excuſet à tranſgreſſione legis.*
6. *Paſſio concupiſcentiæ conſequens non minuit, ſed potiùs auget voluntarium.*
7. *Paſſio antecedens auget voluntarium, minuit liberum.*
8. *Ignorantia voluntatem antecedens tollit voluntarium.*
9. *Ignorantia conſequens voluntatem, relinquit actum ſuo modo voluntarium.*
10. *Ignorantia concomitans vt ſic, relinquit actum non voluntariũ.*

1. VOluntas variè poteſt affici in ſuis operationibus vel à principio extrinſeco, vel ab intrinſeco: ab extrinſeco, vt per vim & neceſſitatem: ab intrinſeco vt per cupiditatem & ignorantiam; ab vtroque ſimul vt per metum: non enim per vim intelligimus hic, graue aliquod malum, quod nobis occurrit, vel intentatur, quomodo accipiunt Iuriſtæ *Tit. de his quæ vi.* ſed intelligimus neceſſitatem illatam à principio extrinſeco, nihil conferentibus nobis; quomodo 2. *Machab.* 6. Eleazarus aperto ore hians, compellebantur, carnem porcinam manducare, & multæ virgines Chriſti inæ vim paſſæ ſunt. Ita colligitur ex *D. Thoma* 1. 2. *q.* 6.

2. Actio vel paſſio violenta eſt inuoluntaria, quando voluntas repugnat quantum poteſt ac debet: quia violentum eſt id, quod eſt à principio extrinſeco, nihil conferente vim paſſo, vt definit *Philoſophus* 3. Ethic. 1. ergo eſt contra voluntatem, ergo inuoluntarium, ergo extra culpam: hinc fit, vt omnes motus primò primi ſint inculpabiles, quia ingeruntur à cauſa extrinſeca, voluntate quantum debet repugnante, vt ſunt impuræ cogitationes, motus infidelitatis, blaſphemiæ, &c. *D. Th.* 1. 2. *q.* 6. *art.* 5. *Syluius ibid. Bonac. tom.* 2. *diſp.* 2. *q.* 8. *punct.* 2. *nu.* 1. *&* 2. *Reginaldus l.* 11. *c.* 6. *ad fin. Azor. c. l.* 1. *c.* 9. *nu.* 65. *Filliuc. tr.* 21. *cap.* 2. *n.* 65. *& ſeq. Leyman l.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *n.* 1. *Tannerus tom.* 2. *diſp.* 2. *q.* 1. *dub.* 4. *Vaſques* 1. 2. *diſp.* 25. *& diſp.* 27.

3. Actio vel paſſio violenta cenſetur voluntaria, quando voluntas non reſiſtit, quantùm poteſt, aut quantùm debet. Ratio eſt, quia voluntarium eſt id quod eſt aliquo modo à voluntate, ergo violentum quod approbatur à voluntate, vel non reijcitur vt oportet, eatenus tribuitur, vel imputatur voluntati, ad meritum vel ad culpam. Ad meritum, vt tormenta Martyrum, cùm non reſiſtunt, quantùm poſſunt; Ad culpam, vt ſtuprum virginis, cùm illa non reſiſtit quantùm debet: Si tamen metu mortis non clamet, aut tentet aliquid grauius, excuſaretur, quia non tenetur ſub tanto periculo, iſta media adhibere.

4. Actio vel paſſio violenta eſt non voluntaria, quando voluntas habet ſe negatiuè. Probatur, quia non eſt voluntaria, cùm voluntas nihil agat, nec teneatur agere: non etiam inuoluntaria, quia voluntas non repugnat, ergo eſt media inter vtramque, & poteſt dici permiſſa; vt ſi quis me, neque volentem neque repugnantem, aliquò violenter trahat. Sic peccata neque Deo ſunt voluntaria, quia illa prohibet, neque inuoluntaria; quia permittit; ſed poſſunt dici non voluntaria: quemadmodum cùm magiſtratus lupanaria, aut fœneratores, aut alia eiuſmodi permittit, ad euitandum maius malum. De his omnibus conſulantur *D. Thomas, Syluius, Bonacina, Reginaldus, Azorius, Filliucius, Layman, Tannerus, Vaſques*, his tribus numeris ad marginem citati.

5. Metus non tollit voluntarium ſimpliciter: facit tamen inuoluntarium ſecundùm quid, ideoque efficit vt actio ſit veluti mixta ex voluntario & inuoluntario. Ratio prioris eſt, quia voluntarium eſt, quod conſultò fit ab agente cognoſcente ſingula circa quæ eſt actio; vel eſt quod voluntas hic & nunc efficaciter vult, ſed metus facit voluntatem multa velle efficaciter, quæ aliàs non voluiſſet: vnde qui metu mortis negat fidem, aut latroni dat pecunias, is, conſideratis omnibus ac ſingulis, conſultò eligit tamquam hic & nunc bonum ſibi negare fidem, aut pecunias dare, ergo voluntaria eſt illi negatio fidei aut datio pecuniæ. Poſterior pars probatur, quia voluntas abhorret ab illo, ſi nudè & ſepoſitis circumſtantijs conſideretur, ac propterea eſt inuoluntarium, ſed ſecundùm quid, & inefficaciter; vt patet in ægroto qui amaram potionem ſecundùm ſe conſideratam valde abhorret, ſed metu non recuperandæ ſanitatis, illam ſumit. Non eſt tamen neceſſarium ſemper, vt id quod metu fit, habeat adiunctam nolleitatem: nam qui dolet de peccato metu gehennæ, non habet hunc actum, nollem pœnitere, niſi timerem damnari; nam ſic peccaret mortaliter, ſed ſufficit vt quis metu adigatur ad id faciendum, aut patiendum, quod aliàs facere aut pati noluiſſet. Vt colligitur ex *D. Thom. c. art.* 6. *Syluius Medin. ibid. Filliucius tr.* 21. *num.* 73. 74. *& 75. Azorius c. c.* 10. *q.* 13. *Clauius Reg. l.* 1. *c.* 2. *num.* 5. *Layman l.* 1. *tr.* 2. *c.* 6. *num.* 7. *Becanus de liber. arbit cap.* 2. *qu.* 10. *num.* 19. *& ſeq.*

An autem metus magni mali excuſet à tranſgreſſione legis? Dicendum eſt non excuſare, poſitâ obligatione legis: ſed ſæpe contingit, vt occurrente graui periculo lex deſinat obligare; quia intentio legiſlatoris non eſt, ſubditos ſuos ita adſtringere, vt quouis euentu teneantur facere aut vitare, quod

lex

lex præcipit aut vetat, fed quando moraliter & humano modo poſſunt: quod ex circumſtantiarum conditione indicandum eſt: & hoc non tantum in humanis legibus locum habet, ſed etiam in diuinis: modò non prohibeant id, quod eſt intrinſecè malum, vt mentiri, fornicari, blaſphemare, &c. quia nulla poteſt occurrere occaſio, nec vlla neceſſitas qua hæc & ſimilia poſſint honeſtari; modo etiam metus non incutiatur in odium religionis. Ita *Suarez de cenſur. diſp. 6. ſect. 3. num. 7. & de leg. lib. 3. c. 30. num. 9. Claus Reg. l. 3. c. 7. Sanchez l. 1. mor. c. 18. n. 4. Bonacina to. 2. d. 2. q. 8. p. 2. num. 3. Vaſquez 1. 2. diſp. 161. c. 2. Azor. c. 1. l. 9. c. 8. & 10. Layman l. 1. tr. 4. c. 14. num. 1. Diana p. 3. tract. 6. miſc. reſol. 48.* qui plurimis exemplis hanc doctrinam ex probatis auctoribus confirmat.

6. Cùm cupiditas ſeu concupiſcentia ſecundùm *D. Thom. c. art. 7. Medina Valent. Becan. Malderus, Tannerus, Sylvius ibid. Filliucius c. n. 77. Azor. c. c. 17. & 18.* nihil aliud ſit, quàm paſſio appetitus ſenſitiui profequentis bonum delectabile, cuiuſmodi ſunt, amor, deſiderium, ſpes, gaudium ſiue voluntas, ſtat & talis paſſio diuidatur *in antecedentem, ac conſequentem*: dicendum eſt *primo*, quod paſſio concupiſcentiæ conſequens, hoc eſt, quæ excitatur à voluntate, vt ad promptiorem, ſeu expediorem operationem inſeruiat, non minuit ſed potius auget voluntarium, conſequenter & moralem malitiam: vel bonitatem actionis; & vt ait *D. Thomas*, ſignum eſt magnitudinis peccati, quia demonſtrat intentionem voluntatis ad actum peccati.

7. Paſſio concupiſcentiæ antecedens, id eſt, quæ naturaliter exurgens, omnem voluntatis deliberationem præuenit, ac proinde ſecundùm ſe nec meriti capax eſt, auget voluntarium, minuit liberum. Probatur prior pars; quia voluntas cupiditate incitata, toto impetu fertur in bonum ſibi obſtatum: vt videre eſt aliquando in hominibus iracundis, libidinoſis, &c. cùm enim duplex ſit appetitus in homine, ſenſitius & rationalis, in eadem anima radicati & connexi, qui ſi in vnum & idem obiectum conſpirent, totam animam eòdem trahunt, eliciuntque actus intenſiſſimos. Probatur poſterior pars; quia libertas conſiſtit in quadam indifferentiam voluntatis vt ſit in potentia contradictionis, vel etiam contrarietatis; hæc autem indifferentia multùm minuitur per inclinationem in alterutram partem, quòd cupiditas trahit. *Sylvius c. art. 7. concl. 1. Propoſitum 1. 2. q. 6. num. 1. Layman l. 1. tr. 1. c. 3. num. 3. Becanus de liber. arbit. c. 2. q. 10. num. 25. & ſeq. Tannerus tom. 2. diſp. 2. q. 1. dub. 7. num. 79. Valentia tom. 2. d. 2. q. 1. punct. 5.*

8. Ignorantia voluntatem antecedens, quæ aliàs dici ſolet ignorantia iuſta, probabilis, inuincibilis, tollit voluntarium: quia opus ex tali ignorantia factum, neque eſt voluntum ſe cùm non ſit cognitum, neque in ſua causa, cùm ipſa ſit inuoluntaria: nam voluntas fecit quod debuit, & ita præparata eſt, vt poſita ſcientia, vellet ab opere abſtinere. Vnde ſit vt tale opus, v. g. fornicatio Iacob *Geneſis 20.* non ſit peccatum non tantum voluntarium, ſed etiam inuoluntarium ſuo modo. Nota tamen cùm vnum & idem opus habeat diuerſiſſimas circumſtantias, poſſe cognoſci ſecundùm vnam aut alteram, & ſecundum alias ignorari, (v. g. cum *Iudas* acceſſit ad *Thamar Geneſis 38.* nouerat ſe committere fornicationem, ſed inceſtum inuincibiliter ignorabat. Item cùm quis dat eleemoſynam vnius aureis, putans aſſem dare, nouit ſe dare pecuniam, ſed quantitatem ignorat) vnde ſit vt culpa & meritum, ſecundùm id quod cognitum eſt, eſtiuntetur, non autem ſecundùm id, quod inuincibiliter fuit ignoratu. Vt colligitur ex *D. Thom. c. art. 8. Sylvius, Medina, Propoſitus ibid. Filliucius c. num. 69. & ſeq. Azor. c. l. 1. cap. 12. Layman l. 1. tr. 2. c. 4. Bonacina de cenſur. diſp. 1. q. 2. punct. 1. n. 5. Tamerus tom. 2. diſp. 2. q. 1. dub. 8. num. 90.*

9. Ignorantia conſequens voluntatem directam vel indirectam, quæ aliàs vocari ſolet ignorantia iniuſta, improbabilis, vincibilis, relinquit actum ſuo modo voluntarium: quia, qui ſic operatur, tametſi non velit ipſum actum in ſe, nempe ſecundùm circumſtantiam ignoratam, vult tamen eum in ſua causa, quia vult, aut conuincitur velle ipſum ignorantiam; ſicut ſere contingit illis, qui ignorant tactus impudicos, pollutiones, moroſas delectationes, &c. eſſe peccata mortalia. Dixi *ſuo modo* interpretatiuè videlicet & imputatiuè, nam quod incognitum eſt, directè appeti nulla ratione poteſt. Et hic modus maximas admittit variationes, & multos habet gradus, pro qualitate negligentiæ, aut malitiæ; quæ ignorationem antecedit: Ita ex *D. Thom. c. art. 8. Sylvius ibid. Propoſitus c. art. 8. dub. 2. Azor. c. c. 12.* & aliis communiter Doctoribus.

10. Ignorantia concomitans vt ſic, relinquit actum non voluntarium. Probatur, quia non cauſat inuoluntarium, cùm nihil inducat quod reppugnet voluntati, neque voluntarium; quia non poteſt eſſe volitum, quod eſt ignoratum, ergo cauſat non voluntarii, cùm nò ſit aliud membrum huius diuiſionis: Eſt enim ignorantia concomitans, quæ depulsa, nihilominus opus fieret, & ſic poteſt dici, habitualiter volitum, & diſpoſitiuè vt in quis putans percutere Petrum, percutiat Paulum, quem tamen percuſſurus erat, etiamſi illum agnouiſſet. Dixi, *Concomitans vt ſic*, quia omnis ignorantia relinquit actum voluntarium aut inuoluntarium, ſed hoc vt antecedés, illud vt conſequens: Vnde intelligere licet illud quod adferri ſolet ex *D. Thoma* 1. 2. q. 76. Ignorantia antecedens excuſat, conſequens accusat, concomitans neque accuſat neque excuſat. *D. Thom. c. art. 8. Sylvius ibid. Filliucius c. 2. 1. 2. q. 2. num. 7. Tannerus to. 2. diſp. 2. q. 1. dub. 8. num. 88. Valentia c. q. 1. punct. 6. Vaſquez 1. 2. diſp. 2. 9. num. 7 & 8. Propoſitus c. dub. 3. Becanus c. nu. 36. & ſeq.*

De violentia, vide *Debitum conjugale* n. 11. *Matrimonium* 7. n. 47 *Abortus* n. 2. *Stuprum* n. 2. *Rapius*.

De metu, vide *Contractus* n. 20. & ſeq. *Irregularitas* n. 8. n. 3. *Iuramentum* 2. n. 5. *Matrimonium* 3. n. 7. *Matrimonium* 5. n. 7. *Matrimonium* 6. n. 7. *Matrimonium* 7. n. 47. & ſeq. *Præceptum* n. 4. *Stuprum* n. 2. *Scandalum* n. 10. *Religio* 4. n. 5. *Votum* 1. n. 5. *Metus per totum Ordo* 3. n. 5.

De cupiditate, vide *Peccatum* 3. n. 4. *Peccatum* 5.

De ignorantia, vide *Ignorantia. Peccatum* 3. n. 3. & 4.

ACTVS HVMANVS III.

De actibus voluntatis.

SVMMARIVM.

1. *Actus voluntatis alij ſunt elicitis, alij imperatis.*
2. *Actus qui eliciuntur a voluntate ſunt ſex.*
3. *Tres ſunt actus voluntatis circa finem.*
4. *Quid ſit amor.*
5. *Quid ſit intentio.*
6. *Quid ſit fruitio.*
7. *Tres ſunt actus voluntatis circa id quod eſt ad finem.*
8. *Quid ſit conſenſus.*
9. *Quid electio.*
10. *Quid vſus.*
11. *Quale diſcrimen inter vſum & fruitionem.*
12. *Imperium an ſit actus voluntatis, an potius rationis.*
13. *Imperium vocari poteſt omnis actus liber rationis aut voluntatis, ex quo ſequitur alius.*
14. *Omnis actus intellectiuus poteſt imperari quoad exercitium.*
15. *Quando iudicium intellectiuus ſubiacet imperio voluntatis quoad ſpecium actus.*
16. *Actus appetitus ſenſitiui imperari poteſt ex parte, non ex actus.*
17. *Membra corporis quæ ſunt inſtrumenta vitiorum vegetantium & naturalium non admittunt imperium rationis.*

1. SEcundùm Theologos actus voluntatis duo ſunt, (vt dictum eſt ſupra) vnus ab ipſis appellatur elicitus, alter autem imperatus. Elicitus vocatur qui fit a voluntate proximè & per ſeipſam, & qui excipitur tamquam in ſede ſua in ipſa voluntate, à qua proximè producitur, vt ſunt *velle, amare, ſperare, concupiſcere, odiſſe*. Imperatus autem actus dicitur qui fit à voluntate, miniſterio & operâ alterius facultatis, quæ cum actum proximè gignit, & tranſit interdum in materiam aliquam externam: tales actus ſunt credere, intelligere, videre, loqui, ambulare, occidere, &c. quoties motu & imperio voluntatis fiunt. Vide *D. Th. 1. 2. q. 6. in proœm. Sylvius ibid. Layman l. 1. tr. 2. c. 2. num. 8. Azor. tom. 1. l. 1. c. 19. Becanus de actib. humanis c. 1. num. 1.*

2. Actus qui à voluntate eliciuntur, ſex à *D. Thoma* in vniuerſum colligitur, nimirum, *velle, amendere, frui, eligere, conſentire*, & *vti*. Ad hos ſex actus reducuntur cæteri voluntatis actus, imò in ipſis comprehenduntur veluti, *Amor, delectatio, ſpes, deſiderium, gaudium*. Hæ autem operationes voluntatis, quædam circa finem, quædam verò circa ea quæ ſunt ad finem: quia obiectum voluntatis eſt bonum; bonum autem eſt duplex, abſolutum & reſpectiuum: abſolutum, quod propter ſe expetitur & vocatur finis; reſpectiuum, quod expetitur propter aliud, & dicitur medium ad finem: ſic fantias eſt bonum abſolutum,

Actus humanus III.

lutum, quod propter se expetitur, & habet rationem finis: amatum autem medicamentum est bonum in ordine ad sanitatem & propter illam expetitur, habetque rationem medij; quia per se non est appetibile, sed potius contristat appetitum. *D. Th. 1. 2. q. 9. 10. 11. 12 & 13 seqq. Azor. c. q. 2. & 3. Becan. c. c. 3. q. 1.*

3. Actus voluntatis qui sunt circa finem, tres sunt videlicet, *amare, intendere, frui*: quia bonum absolutum consideratum potest tripliciter: absolute, vt absens, vt præsens: si absolute nascitur amor, si vt absens nascitur intentio, si vt præsens oritur fruitio. *D. Th. 1. 2. in præamb. q. 8. Becanus c. num. 6.*

4. Amor est prima inclinatio voluntatis in bonum propositum, tanquam per se scriptibile, abstrahens a præsentia & absentia: sicut consideratus quis sanitatem, illa afficitur propter intrinsecam connexionem, quam habet cum natura animalis ibi sistendo: vocatur hic actus etiam *voluntas*; quia est primus motus voluntatis in finem; quia nullum alium præsupponit, sicut cognitio primorum principiorum vocatur *intellectus*, qui est simplex motus intellectus non præsuppones aliam intellectionem ex cuius vi exoriatur. *Valent. to. 1. disp. 3. q. 1 punct. 1. Sylvius 1. 2. q. 26. art. 1. Azor. c. c. 22. Tamerus tract. de dub. 8. q. 5. num. 26.* Vt explicat *D. Tho. q. 8. art. 2.* Dixi, *ibi sistendo*, qua in amor progrediatur ad expetenda media, quibus finis possit comparari, erit alius motus voluntatis.

5. Intentio est volitio finis, quatenus est per media cóparabilis: duæ enim sunt rationes in hac. Prima, quòd sit bonú quoddam per se amabile, & sic in illud tendit voluntas, siue amor tanquam in finem obiectum. Secunda, quòd sit bonum quoddam per media comparabile, & sic est obiectum intentionis, vt ex nomine intelligitur: nam intendere, nihil aliud est, quàm in aliquid tendere, vnde hic actus vt datur tantùm circa bonum abiectum, & comprehensum sub ea desiderium & spem; quamquam tres connoter perfuationem & credulitatem obtinédi bonum amatum, ac propterea videtur esse actus distinctus, cum non sit. *D. Thom. 1. 2. q. 12. art. 2. ad 1. Sylvius ibid. Valentia to. 2. d. 2. q. 7. p. 1. Azor. c. c. 1. Tamerus c. dub. 2. n. 22.*

6. Fruitio est actus voluntatis quiescentis in bono adepto. Ratio est, quia frui est fructum capere, fructus autem est id quod vltimum ex planta cum delectatione percipitur; ergo vt actus operis, seu possessionis boni desiderati est fruitio, seu delectatio vltima voluntatis. Vnde fruitio proprie verfatur circa finem vltimum: nam & bonum adeptum aut obtinendum semper inquieta, donec omnis vacuitas cius explentur, & ita loquitur Scr. *D. Augus.* Hinc Theologi concludunt, frui creatura esse peccatum mortale. Nihilominus secundum phrasim scripturæ, & communem vium loquendi, rectè dicimur frui fine intermedio, vt voluptate, visura huius vitæ, consortio Angelorum, &c. *D. Tho. q. 11. art. 1. & 3. Sylvius ibid. Tamerus c. q. 3. dub. 20. 26. & seq.*

7. Actus voluntatis circa id quod est ad finē tres sunt *velle, re consentire, uti*, vt docet *D. Tho. 1. 2. in præamb. q. 13. Sylv. 1. 2. q. 13. Becanus c. q. 1. num. 6.* Ratio est, quia bonum vtile seu expetibilium potest à voluntate approbari, & præ aliis eligi, & executioni mandari: Si approbetur & acceptetur tamquam conueniens ad finem obtinendum, erit consensus, si ab aliis medijs separetur, erit electio; si mandetur executioni, erit vsus.

8. Licet consensus varie vsurpetur, tum in scriptura, tum in Patribus, secundùm tamen communem Theologorum sententiam, est actus voluntatis liberè acceptantis bonum a ratione propositum, siue propter se expetatur siue propter aliquid: quo modo omne peccatum dicitur consummati per consensum, dum videlicet, ex propria fit suggestionem & delectationem: proprie autem consensus vsurpatur a *D. Tho. 1. 2. q. 15. art. 3. Sylvius ibid. Valentia c. q. 10. punct. 1. Becanus c. c. 2. q. 3. q. 1.* pro actu voluntatis acceptantis certa media, quæ post perfectam deliberationem iudicata iunt conuenire ad aliquem finem obtinendum. *Vide plura ex Conferius.*

9. Electio est efficax volitio medij particularis inter multa ad obtinendum aliquem finem: dicitur *volutio*, quia est actus voluntatis sequens deliberationem intellectus. Dicitur *medij*, quia electio non versatur circa finem, sed circa id quod est ad finem, nam idem est obiectum deliberationis & electionis: dicitur *Particularis*, quia ad media in communi se extendit eiti intentio, sed electio propius accedit ad executionem, quæ in singularibus consistit: dicitur *inter multa*, quia eligere nihil aliud est, quàm vnum ex multis separare, illud reliquis præferendo, quamquam promiscuè vtamur hoc vocabulo, etiam cum vnum tantum est medium, v. g. obseruatio mandatorum Dei ad vitam æternam. Dicitur *ad obtinendum finem*, quia electio & deliberatio verfatur circa ea quæ sunt in nostra potestate: vnde circa bonum amatum impossibile adeptu, & maxima cum difficultate, desinit statim & deliberatio & electio, atque adeò intentio. *D. Thom. 1. 2. q. 13 art. 1. & 3. Sylvius ibid. Azor. c. c. 35. Tamerus to. 2. d. 5. p. 4. q. 3. dub. 3. num. 32. 33. Vasquez 1. 2. d. 5. q. 43. num. 11.*

10. Vsus est actus voluntatis applicantis potentias executrices ad operationem: vnde vti nihil aliud est, quàm rem aliquam applicare ad suam operationem vel finem: vt vtimur oculo dum videmus; vtimur pecunia, dum ea expendimus &c. voluntatis autem est applicare (vipatim & cæteras omnes animæ vires, item corporis membra, & res exteriores ad suas operationes ac proprios fines; ac proinde vsus ipsa tantùm conuenit, qui habent liberum voluntatis arbitrium: & circa eas res verfatur, quæ nostro arbitrio subiiciuntur, alioque tanquam ad finem referuntur. Atque hic vsus est duplex, seu applicatio potentiarum ad operandum, seu executionem eorum quæ sunt ad finem; Actiuus vsus, qui vt dictum est, est actus elicitus voluntatis, & absolutè intelligitur nomine vsus: Alter passiuus, qui est ipsamet executio potentarum ministrantium voluntati. *D. Thom. 1. 2. q. 16. a. 1. & 2. Sylvius ibid. Azor. c. c. 37. q. 1. Tamerus c. dub. 3. num. 37. Valen. c. q. 11. punct. 1.*

11. Theologi Sanctum *Augustinum* iecuti, discrimen ponunt inter *vti* & *frui*, quòd frui, sit in bono deliberato & obtento cùm delectatione suauiter & iucundè acquiescere, ita vt bonum illud sit finis simpliciter vltimus: & proinde solo Deo nobis est perfruendum: *Vti* verò est actus, quo voluntas aliquid boni adhibet, ad aliud consequendum, & propterea rebus procreatis, non autem Deo est nobis vtendum: ex hoc patet vtinon nos esse de fine vt finis est, sed tantùm de medio: nā vti est applicare rem ad suam operationem, atque adeò rem alio referre. Patet etiam, bestijs vtim proprie dictum non cõpetere, quia nihil possunt applicare ad opus, cùm hoc requirat cognitionem finis & mediorum, mutuámque proportionem. *D. Aug. l. 10. de Trinitate c. 11. D. Tho. 1. 2. q. 3. 4. & ad 3. Azor. c. c. 27. q. 2.*

12. Cùm duplices sint actus voluntatis, qui consicntiam contingunt, quidam eliciti à voluntate (de quibus iam actum est) quidam verò imperati, qui nempe eliciuntur ab aliis potentijs motis tamen prius & impulsis a voluntate: ab imperio videndum est, cuiusnam potentiæ sit actus, an voluntatis, an potius rationis.

Cõtrouertitur inter Doctores in quo actu siue intellectus, siue voluntatis imperium proprie consistat; quidam enim vt *D. Bonau. 3. d. 17. q. 1. a. 2. Scotus 3. d. 36. q. 1. art. 2. Durandus 2. d. 24. q. 2. & d. 17. q. 2. Azor. l. 1. c. 29. q. 1.* existimant esse actum voluntatis, quia voluntas est velut Domina, Regina & Imperatrix omnium humanarum facultarum; nam ipsa omnes mouet & impellit quo velit, & ad quod vult, & ipsa omnium supremum est. Nihilominus dicendum est cum *D. Th. 1. 2. q. 17. art. 1. Sylv. Cant. Conrad. Medin. ibidem. Sotus l. 1. de inst. q. 1. a. 1. Tamerus to. 2. d. 2. q. 3. num. 55. & 56.* & alijs, imperium proprie sumptum esse actum intellectus, præsuppositis volunrate, quo homo sibi loquitur, impellendo potentias executrices ad id quod iudicatum est esse faciendum: quia prudentiæ est proprie præcipere, non solùm exquirere & iudicare, sed prudentia est rationis, igitur hæc imperat, non voluntas. Deinde tres conditiones requiruntur ad imperium, prima, *superioratus*, secunda, *ordinatio*, tertia, *motio*, & hæ conditiones optimè conueniunt in illam locutionem, qui homo se excitat ad operandum, dicendo, fac hoc. Nam sic sit sibi quodammodo dò superior: vnde & homo debet seipsum iudicare, 1. *ad Corinth.* 11. & ordinat se ac mouet ad opus exequendum; ergo.

13. Omnis actus libet rationis, aut voluntatis ex cuius vi impulsiua sequitur alius, potest etiam vocari imperium: vnde actus imperatus est actus potentiæ humanæ, quæ subditur vsui & motioni voluntatis: & propriè imperium verfatur circa eas potentias & actus, qui iam in nostra potestate; quia de essentia legis est, vt imponatur agenti libero; sed hoc imperium est quædam lex particularis, quam homo sibi ponit; ergo tantum habet locum in ijs quæ ipse pro arbitrio vel facere, potest vel omittere: vnde sequitur neque motionem cordis, neque vires vegetatiuas, posse imperio rationis gubernari, quia sequuntur appetitum naturalem: hic enim appetitus, non oritur ex forma apprehensa, sed ex forma naturali ratio autem imperat per modum apprehendit virtutis. *Vide D. Thom. c. q. 17. a.*

17.a.5.6.8.*Sylu.ius ibid.Tannerus c.d.2.q.3.dub.5.n.65.66. & seq.*

14. Omnis actus intellectus potest imperari quoad exercitium,id est,vt hic & nunc exerceatur;quia omnes actus qui liberè à nobis exerceri possunt,cadunt sub imperium:excipiuntur tamen actus intellectus, qui homini ante omnem volitionem, vel à Deo, vel Angelo, vel à dæmone immittuntur, vel aliundè illi incidunt.Excipitur item actus necessarius,vt visio beatifica:nã hæc non imperatur,sed felici necessitate elicitur. Apprehensio intellectus subiacet imperio voluntatis, quoad speciem, vt actus sit talis, vel talis speciei, hoc vel illo modo fiat: quia voluntas potest imperare intellectui, vt cogitet de Deo,de morte,inferno,pœnitentia,&c.*D.Th.q.17.ar.6. Syl. ibi.conc.1.Tann.to.2.disp.2.q.2.dub.7.& q.3.dub.5.*

15. Iudicium intellectus subiacet imperio voluntatis quoad speciem actus,quãdo veritas est obscura; non autem quando est euidens, aut euidens videtur. Prior pars patet in rebus fidei, quas certissimè tenemus, sed auxilio liberæ voluntatis. Posterior autem pars probatur, quia intellectus est potentia necessariò operans circa obiectum clarè propositum: quando ergo veritas euidenter proponitur,vt fit in primis principijs, non potest dissentire; quando euidenter apparet falsitas, non potest assentiri: voluntas tamen non potest mouere intellectum, vt assentiatur, nisi apprehendat obiectum sub ratione veri;neq; vt dissentiat, nisi apprehendat sub ratione falsi; quia non potest ferri extra suum obiectum:quare in rebus quæ nõ sunt per se notæ,oportet habere aliquam rationem,quæ veritatem saltem probabiliter ostendat: alioquin intellectus non mouebitur, vt experienti patebit.*Syl.c.conc.3.Tan.c.q.2. dub.7.*

16. Actus appetitus sensitiui imperari potest ex parte, non totaliter.*D.Th.c.q.17.a.7.Syl.ib.Tann.c.dub.7.n.74.*Ratio prioris est, quia appetitus sequitur imaginationem tanquam regulam sibi commensuratam:imaginatio autem potest imperari;nam qui vult imaginari Christum Crucifixum, ignem inferni &c. potest tales species elicere, ergo. Ratio posterioris est, quia imaginatio & appetitus sensitiuus dependent ex instrumento corporali,cùm sint vires organicæ, qualitas autem & dispositio corporis,non subiacent imperio rationis,sed alias causas sequuntur. Vnde secundùm *Arist.1. Polit.c.3. Becan.1. 2.tr.2.c.5.q.3.n.14.* ratio imperat facultati appetendi Principatu politico, corpori verò Principato despotico: hoc est, mens & ratio suo consilio & iudicio gubernat vim appetentem, vesuti Rex ciues sibi subiectos, qui sponte & scienter obtemperant: at verò corpus moderatur & regit, sicut Dominus seruum sibi obligatum,qui necessitate,non libera voluntate eius mandata semper facessit.

17. Membra corporis quæ sunt instrumenta virium vegetantium & naturalium,nõ admittunt imperium rationis,quia nec istæ vires admittunt;vnde non possumus imperare stomacho,vt hoc vel illomodo concoquat cibum:membra verò quę sunt organa sensuum ad nutum moueri possunt; nam vt eleganter ait *D.Aug.* imperat animus manui;& tanta est facilitas, vt vix a seruitio discernatur imperium:nam & ipsæ vires sensitiuæ subiacent imperio rationis.*D.Th.c.a.9.Tann.c.n.79.*

ACTVS HVMANVS IV.

De bonitate & malitia actuum humanorum.

SVMMARIVM.

1. *Tripliciter se habere potest voluntas circa suum obiectum*, volendo,nolendo,non volendo.*Et quod sit volitionis,nolitionis,& non volitionis obiectum.*
2. *Bonitas moralis quid sit.*
3. *Quid malitia moralis.*
4. *An omnes actiones hominis bonae sint vel malae secundum suam speciem vel in individuo.*
5. *Moralitas actuum humanorum pendet ex obiecto, circumstantia, siue.*
6. *Actus humanus accipit primã bonitatem & malitia ex obiecto.*
7. *Bonitas vel malitia moralis, quam obiectum actioni tribuit, est in ipso obiecto fundamentaliter,in actione verò formaliter.*
8. *Obiectum tribuat actui humano bonitatem vel malitiã specificã.*
9. *Vt actus sit bonus ex obiecto,debet in illud ferri,quia honestũ est.*
10. *Quando honestũ obiectũ expetitur,quia honestum est,una est species,quæ simul naturalis est & moralis;in obiecto autem indifferenti,duæ sunt species bonitatis,una naturalis,altera moralis.*
11. *Vt actus sit malus ex obiecto,non debet voluntas in illud ferri, quia turpe est.*

12. *Tot sunt species actuum malorum, quot sunt diuersæ turpitudines in obiectis.*
13. *Actus humanus accipit etiam incrementum bonitatis & malitiæ ex circumstantijs.*
14. *Circumstantia quid sit.*
15. *Circumstantia alia est actus interioris,alia exterioris.*
16. *Debet appeti formaliter circumstantia, vt det actui speciem bonitatis;sed sufficit appeti interpretatiuè, vt det speciem malitiæ.*
17. *Quando circumstantia specialiter bona vel mala transit in rationem obiecti,tribuit actui speciem essentialem.*
18. *Triplex bonitas & malitia recensetur*,Causalis,Formalis, & Denominatiua.
19. *Actus humanus externus quid sit.*
20. *Actus externus an habeat aliquam bonitatem vel malitiam.*
21. *An actus externus habeat bonitatem denominatiuam, vel formalem,vel obiectiuam.*
22. *Actus internus ex actu externo sæpè fit in se melior vel peior.*
23. *Actus exterior interiori nullam addit bonitatem vel malitiam formalem.*
24. *Actus externus an sit exprimendus in confessione.*
25. *Externa moralis operatio an sit prior actu interno.*
26. *Quando euentus sequens addat aliquid bonitatis aut malitiæ actui exteriori.*

1. VOluntas tripliciter se habere potest circa suum obiectum, *volendo,nolendo, non volendo*, siue actum suspendendo: volendo per modum prosecutionis, nolendo per modum fugæ aut reiectionis;non volendo,cùm voluntarie neq; vult, neq; non vult,siue id fiat positiuè,siue negatiuè:*D.Th.1. 2 q.8.a.1.Syl.ib.conc.1.& 2.Tam.to.2.disp.2.q.2. dub.1. Bell.l.3.de g.& lib.arb.c.12.Bec.in sum.de lib.arb.c.2.q.7.n.5.& 6.*hinc volitionis obiectum formale, est id quod apprehenditur ab intellectu sub ratione boni,vt colligitur ex Philosopho,*D.Th.* hic citato, & ex mente Doctorum, contra Theologos Nominales, qui existimant aliquid posse appeti sub ratione mali; sed probatur.Si obiectum volitionis posset esse malum vt sic,inclinatio voluntatis esset in perniciem propriam;hoc autem neri nequit.Ergo.Obiectum autem materiale voluntatis potest esse bonum & malum,ens & non ens,relatio,priuatio,negatio, &c. *Nolitionis obiectum* est id, quod apprehenditur ab intellectu sub ratione mali;quia contrariorum contraria est ratio,& sicut intellectus nulli assentitur & dissentit;nisi sub ratione veri aut falsi:ita voluntas nihil appetit aut refugit nisi sub ratione boni aut mali. Itaque impossibile esset voluntati repudiare scientiam & virtutes, nisi earum comparatio aut exercitium haberet adiunctam difficultatem,& impossibile esset amplecti ignorantiam & vitia,nisi haberent aliquam speciem boni,v.g. fugam laboris,delectationem,&c.

Non volitionis obiectum potest esse bonum sub ratione boni,& malum sub ratione mali;non volitio dicitur,quando voluntas suspendit suum actum,siue positiuè siue negatiuè, vt si proposito obiecto virtutis aut vitij,nolit, aut non velit circa illud operari. Ratio est,quia licet voluntas viatoris, non habeat libertatem contrarietatis seu quoad speciem, circa bonũ vt sic, & circa malum vt sic, habet tamen semper libertatem contradictionis, siue quoad exercitium,vt possit operari, & non operari:quia viatoribus numquam proponitur vllum bonum;ne ipsa quidem beatitudo in communi, vt nõ possint vel omittere illius cogitationẽ, vel actum voluntatis suspendere.

2. Bonitas moralis est conformitas in actu vel obiecto cum recta ratione:ratio autem per synderesim aut per prudentiam proponit actum voluntati eliciendum cum omnibus suis circumstantijs necessarijs, & resultat bonitas obiectiua, v.g. comedere quando, & vbi oportet; quantum & quale oportet, quomodo & quo fine oportet &c.cùm verò voluntas exequitur actum à prudentia ita præscriptum, resultat bonitas formalis,quæ est bonitas virtuosa, à quâ homo formaliter denominatur bonus,& potest mereri præmium virtutis:hęc tamen bonitas aliquando est naturalis,aliquando positiua;nam amare Deum, odisse peccatum, temperatè comedere &c. ex rei natura honestum est, propter naturalem conuenientiam extremorum; at abstinere à carnibus die Veneris, &c. habet suam honestatem à sola rationabili voluntate legislatoris.*D. Th.1.2.q.18.ar.2.Syl.ibid.art.1.concl.1.Claus Reg.l.2. c.4.n.2. Azor.to.1.l.2.c.1.q.1.Fill.tr.21.c.3.n.87.& 88.Tann.c. disp.2. q.5. dub.1.Laym.l.1.tr.2.c.7.n.2.*

3. Malitia moralis est difformitas cum recta ratione quæ

Actus humanus IV.

reperitur vel in actu, vel in obiecto; nã malitia est priuatio bonitatis debitę inesse, ac propterea tollit eam conformitatẽ, quã debebat actus habere cum recta ratione, siue fiat per omissionem actus præcepti, siue per commissionem actus prohibiti. *Bec. de act. hum. c. 5. q. 1. n. 11. Tan. c. dub. 2. Syl. 1. 2. q. 71. a. 6. qu. 2.*

4. Non omnes actiones hominis bonæ sunt vel malæ, sed quædam sunt indifferẽtes secundùm suam speciem; quia neq; conformitatem habent cũ recta ratione, neq; repugnantiam, si per se & nudè considerentur, vt ambulare, comedere &c. nã additis bonis circumstantijs redduntur bonæ, additis malis fiũt malæ: tamen nullæ actiones hominis vt sic sunt indifferentes in individuo, sed omnes sunt bonę aut malę, nõ autem omnes sunt meritoriæ aut demeritoriæ. quia omnis actus in individuo, id est, qui hic & nunc exercetur, vel est conformis rectæ rationi, vel non; si est conformis, est bonus, si non, est malus; & si actus à ratione deliberatiua procedens, non sit ad debitũ finẽ ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi & habet rationẽ mali; si verò ordinetur ad debitũ finem, siue intrinsecũ, siue extrinsecum, conuenit cum ordine rationis, & habet rationem boni. *D. Th. 1. 2. q. 18. a. 8. & 9. Syl. ib. Vale. 1. 2. dis. 2. q. 13. p. 6. Fill. c. 3. q. 5 & 6. Claus. leg. c. 4. n. 9. & 10. Sanch. l. 1. mor. c. 11. n. 17. Bec. 1. 2. tr. 1. c. 5. q. 6.* Hæc est sententia *D. Th.* & omnium eius discipulorum. Dixi, *hominis in sic*, quia multæ sunt actiones hominum, quæ rationem præueniunt, nec ex deliberata voluntate proficiscuntur, vt quæ ex sola imaginatione fiunt, verbi gratia mouere pedem, scalpere caput &c. & tales nullam habent moralitatem, nisi forte obiectiuè, quia videlicet ratio tenebatur eas impedire.

Cæterùm nonnullorum sententia affirmat actus posse esse indifferentes: vt docent ex antiquis *D. Bona. 2. dist. 41. art. 1. q. 3. Scot. 2. d. 41. q. 1. & quodl. 18. art. 1. Gabr. 2. d. 41. q. 1. art. 3. conc. 1. Almayms tr. 1. mor. c. 14. dub. 2. Vasq. 1. 2. to. 1. dis. 52. c. 6. n. 39. Sanctus in selectis dis. 4. n. 1.* & alij ab ipsis citati.

Illorum rationes sunt. Tum quia si quis eleemosynam dederit absq; vllo studio & amore honestatis, non est actus virtutis; quia teste Aristotele, ad virtutem requiritur, vt actus fiat primò *scienter*: secundò *ex electione*: tertiò *ob honestatem*; nec dicendum est huiusmodi actum esse malum, quoniam non sit alicuius mali gratia, sed tantùm ex quadam naturali commiseratione in alterum, ergo est actus medius & indifferens.

Tum quia non tenetur homo liberè operans semper exercere actionem, quę sit secundùm rationem positiuè, sed solum negatiuè, quatenus debet nihil facere quod rectæ rationi cõtrarium sit: proinde enuntiare verbum minùs necessarium, cum alias nociuum non sit, aut contra ædificationem, quare contra rectam rationem esse iudicandum erit?

Tum quia teste *Bonauentura* si quis alterum salutet vrbanè, huiusmodi actus nec est bonus, quia non fit ob honestatem, nec est malus, quia cum recta ratione non pugnat: ergo medius est & indifferens.

Tum quia, aliàs materia esset absolutionis, si pœnitens confiteretur se deambulasse ad depellendum frigus, aut fricasse manus eadem de causa: quis autem nõ rideret similę confessionẽ?

Aduertunt tamen huius sententię authores posse contingere operantem actus indifferentes in individuo, agere contra virtutem: nã si quis nimius esset in scalpenda barba, aut fricandis manibus, contra modestiã ageret, aut contra temperantiã. Proinde in quæstione hac nec est efficax ratio, quæ primã opinionem concludat, nec quę secundam ita confirmet, vt primã prorsus oporteat deserere; quia inter Patres *Hieron. Epist. 11. quæ est ad Augu.* apertè confitetur esse aliquos actus medios & indifferentes. *August. contra Iul. l. 4. c. 3.* verò omnes prorsus actus indifferentes videtur excludere. Et secundùm *D. Bonau.* prior sententia vitam nostram adstringit & contrahit; posterior verò remittit & laxat.

5. Cùm tria sint, ex quibus potissimùm moralitas actuum humanorum pendeat, scilicet obiectum, circumstantia, finis; & obiectũ nihil aliud sit quàm finis intrinsecus; nẽpe ratio proximè mouens volũtatem. Finis verò sit obiectum extrinsecũ, id nẽpe quo refertur id quod proximè volumus; circũstantia autẽ sit quędã obiecti conditio, quę saluã ipsius substantia, adesse, & abesse potest; facit tamen aliquid ad malitiam aut bonitatẽ, ideò primò dicẽdũ est de obiecto. *D. Th. 1. 2. q. 18. a. 2. 3. & 4.*

6. Actus humanus accipit primam & præcipuam bonitatem suam & malitiam ex obiecto: quia sicut se habet res naturalis ad suam formam, ita actus humanus ad suum obiectũ: sed res naturalis primam & præcipuam bonitatem ac malitiam accipit à forma, ergo actus humanus ex obiecto: Obiectum enim dat speciem actui, sicut forma rei naturali; & sicut esse naturale primò & principaliter attenditur, secundùm formam: Ita etiã bonitas vel malitia, quæ consequuntur ipsum esse, vel perfectũ, vel deficiens, conueniens vel disconueniens. *D. Th. 1. 2. q. 18. ar. 2. Syluius ibid. Claus. Reg. c. 4. n. 3. Fillmc. tr. 21. c. 3. q. 2. Tannerus to. 2. dis. 2. q. 5. dub. 4. Laym. c. 7. n. 5.*

7. Bonitas vel malitia moralis quam obiectum actioni tribuit, est in ipso obiecto fundamentaliter, atque causaliter, in actione verò formaliter, ad eum modum proportionalem, sicut veritas & falsitas formaliter sunt in actu intellectus. *Azo. to. 1. l. 2. c. 1. q. 5. Laym. c. n. 3.*

8. Obiectum tribuit actui humano bonitatem vel malitiam specificam, contra *Scotum* & alios; qui volunt ab obiecto sumi tantùm qualitatẽ moralẽ genericam, specificam verò sumendam ex circumstantijs. Sed contrà, quia vel illæ circumstantiæ sunt necessariæ ad honestatẽ obiecti vel non: si necessariæ, ergo non manent circumstantiæ, sed transeunt in rationem obiecti, v. g. in comestione temperata, quantitas, qualitas, modus, tempus, locus &c. si non, ergo non possunt actũ specificare, quia nihil specificatur a suo accidente. *Becanus c. c. 4. q. 2. num. 5.*

9. Vt actus sit bonus & honestus ex obiecto debet in illud ferri, quia honestũ est; quia bonitas actus sumi debet ex obiecto, nõ vt res quędam est, sed vt est quoddam bonũ moraliter & conforme rectę rationi; tamen non est necesse vt explicitè & quasi in actu signato operetur quis propter honestatẽ, sed satis est si id fiat in exercito, & implicitè & ex vsu & inclinatione virtutis: vel si adhibeamus regulam rationis, etiamsi, expresè non cogitemus, quasi per reflexionẽ quandã, ideò esse operandum, quia est consentaneum rectæ rationi: sæpe enim fit, vt homo à passione vel molestia corporis excitatus, cogiter esse rationi consentaneum, vt tali defectui occurrat, v. g. fami, frigori. Vnde fit, vt volũtas talis cogitationi conformis, sit honesta: nam ita est disposita vt nollet, si res esset illicita. *D. Th. 1. 2. q. 19. a. 7. ad 3. Arist. l. 2. Eth. c. 4. Azor. c. l. 2. c. 21. q. 1.*

10. Quando honestum aliquod obiectum expetitur, quia honestum est, vnica est species in actu, quæ simul naturalis est & moralis; quando autẽ hoc fit in obiecto indifferenti, duæ sunt species bonitatis, vna naturalis, altera moralis. Ratio prioris est, quia species bonitatis, siue naturalis, siue moralis semper sumitur ex bono, quod in obiecto; sed in obiecto virtutis vt sic, est tantùm bonum honestum, ergo vtraq; species ab illo est desumenda. Ratio posterioris est, quia tunc duplex bonum est in obiecto, v. g. in ambulatione ordinata ad bonum finem, vnum proximum quod est delectabile, vel consentaneum naturæ; alterum remotum, quod est honestum: ergo dupliciter actum specificat, naturaliter & moraliter: nam prior species indifferens est, & extra genus moris.

11. Vt actus sit malus & turpis ex obiecto non est necesse voluntatem in illud ferri, quia turpe est; nam turpe vt turpe non est obiectum volitionis, sed nolitionis, ac propterea nec appetibile est, sed id quod appetitur est aliquod bonum nobis conueniens, cui sæpe adiuncta est turpitudo, quam censemur simul velle, vt patet in fornicatione: vnde licet ad bonitatem actus, necesse sit honestatem eius vel formaliter, vel virtualiter appetere: ad malitiã tamẽ sufficit voluntas interpretatiua, nam plus requiritur ad actũ honestum, quàm ad turpem, cùm bonum constet ex integra causa, malum autem resultet ex singulis defectibus. *D. Th. 1. 2. q. 8. a. 1. Syl. ibid. conc. 1. & 2.*

12. Tot sunt species actuum malorum, quot sunt diuersæ turpitudines in obiectis; nam aliter repugnat rectę rationi hominem occidere, infamare, aliter spoliare; & proinde in vno actu simplici possent esse 4. aut 6. species peccatorum; vt cùm sacerdos religiosus occidit maritum in templo, vt vxore eius abutatur, quæ habebat votum castitatis.

13. Actus humanus accipit etiam incrementum bonitatis & malitiæ ex circũstantijs, vt circumstantiæ, sunt; quia multæ sunt circũstantiæ quæ faciunt bonitatem aut malitiã illustriorem in eadem specie, vt maior conatus, libertas, scientia, quãtitas, &c. Item circumstantia tribuit actui speciem accidentariam, non tamen essentialem; quia circumstantia manens circumstantia, est extra essentiam obiecti & actus; vnde non potest tribuere speciem essentialem, potest tamen accidẽtariam; quia sæpe superaddit nouam bonitatem aut malitiam specie diuersam à priori, vt cùm quis furatur rem depositam in loco sacro. *D. Th. 1. 2. q. 18. a. 2. Syl. ib. Fill. c. n. 92. & 93. Tann. t. 2. disp. 2. q. 5. n. 81. Becan. de act. hu. c. 4. q. 4.*

14. Circumstantia est accidens actus humani, quod eã-

dem

dem substantia actus secundum genus, & speciem manente, potest variari & adesse ac abesse; nam id circumstat aliquem rem, quod est extra substantiam ipsius, aliquo tamen modo eam attingit: hinc circumstantia alia circumstat actum humanum in genere naturæ consideratum, alia in genere moris; contra *Navarrum* quia quædā sunt conditiones in actu naturali, v.g. in comestione, quæ nō sunt necessariæ ad substantiā actus, vt sunt debita quantitas, & qualitas ciborum, loca temporis, &c. *D. Thom. 1. 2. q. 7. a. 1. Sylvius ibid. Clauis Reg. l. 1. c. 3. nu. 2. ad. Azor tom. 1. l. 2. cap. 5. q. 3.*

15. Circumstantia alia est actus interioris, alia exterioris, contra *Caietanum* dicentem finem esse circumstantiam actus externi, non autem internisi sed probatur, quia non tantum in actu externo, sed etiā in ipsa volitione possiunt considerari aliquæ conditiones, quæ non sunt necessariæ ad substantiā actus, & tamen multum cōferuntur ad bonitatem, aut malitiam moralem, tam quo ad actus eli intensior, eò est melior si est in genere virtutis, & peior si in genere vit i, manente semper eadem specie. *Azor. to. 1. l. 2. cap. 5. q. 3.*

16. Vt circumstantia dat actui speciem bonitatis debet appeti formaliter, & vt motiuum voluntatis; vt det speciem malitiæ, sufficit appeti interpretatiue, quia vt actus sit bonus, debet ferri in honestum quatenus honestum est, ergo id quod tribuit speciem honestatis, debet esse ratio volendi, & motiuū voluntatis, ac proinde nulla circumstantia potest superaddere nouam speciem bonitatis, nisi appetatur per modum finis. Probatur; secunda pars; quia vt actus malus non debet ferri in obiectum turpe, quia obiectum turpe est, sed sufficit turpitudinem annexam esse obiecto, vt simul appeti contingat. *Fullerus trait. 21. num. 105. 106.*

17. Quando circumstantia specialiter bona vel mala transit in rationem obiecti, tribuit actui speciem essentialem; quia actus specificatur ex obiecto, ergo quando plures species bonitatis aut malitiæ funt in obiecto tondem erunt in actu, nam habent mutuam quamdam commensurationē: vnde tales circumstantiæ dicuntur actū transferri in alium speciē, non quòd priorem speciem extinguant, sed quia nouam superaddunt. *D. Thom. 1. 2. q. 19. a. 5. ad 4. Sylvius ibid. art. 2.*

Cum agendum hoc esset de fine, qui nihil aliud est quā obiectū extrinsecum, quo id quod expetitur vltimus refertur, vndeius est natura Circumstantia, *vbi docetur, quam bonitatē vel malitiā tribuat finis actibus humanis, sine bonis, sine malis, sine indifferentibus &c.*

18. Bonitas & malitia triplex potest considerari, *Causalis, Formalis, Denominatiua*. Causalis quæ oritur ex habitudine extremorum, ac propterea primordialis vocatur & primigenia, quæ est modum causæ formalis specificat qualitatem actus, vt in his actibus odium interius, & exterius, quatenus sunt obiectum voluntatis. Formalis est quæ ipsum actum informat, ieipsam totam intrinsece communicando, qualis est in actuali amore Dei, in voluntate fornicandi. Denominatiua est quæ extrinsecus actui communicatur, quemadmodum paries dicitur visus à visione sibi extrinseca.

19. Actus humanus externus ille est omnis qui elicitur ab alia potentia quam à voluntate, & ac vtitur autem pro executione actus imperati à voluntate, v. g. contemplatio, imaginatio, appetitio sensitiua, & motio membrorum exteriorum. *Sylvius 1. 2. q. 20. a. 1. Fullerus num. 121. 11. Valentia c. 4. q. 15. p. 1.*

20. Certissimum est actum externum habere aliquam bonitatem vel malitiam, vt patet ex scripturis, vbi passim exercentes actiones tamquam bonæ præcipiuntur, vel consuluntur, vel laudantur, & aliæ contra tamquam malæ prohibentur & vituperantur. Ratio est, quia actus imperās & imperatus in genere moris censentur vnus & idē, quamuis in genere naturæ sint diuersi, ac propterea habent eamdē libertatem, & consequenter eamdem bonitatem & malitiam, actus autē externus est impetratus ergo &c. *D. Th. 1. 2. q. 20. art. 4. Azor to. 1. l. 2. c. 6. q. 1. & 2.*

21. Actus externus habet bonitatem denominatiuam, non formalem, imò nec obiectiuam, nisi quatenus à ratione voluntati proponitur, quia bonitas & malitia, funt veluti passiones entis formaliter liberi, qualis est sola voluntas; vnde sicut actus exteriores participant extrinsecus libertatem, ita etiam bonitatem & malitiam. Secunda pars probatur, quia bonitas formalis est bonitas virtutis quę requisit intrinsecā libertatem, actus autem externi nō sunt intrinsecè liberi. Tertia pars probatur, quia actus externus prout est in executione, habet rationē effectus tātūm, ergo vt sic nō potest euadere vllam bonitatem. Si tamen actus ille consideretur vt propositus voluntati per rationem, sam induet rationem obiecti, & in genere causæ formalis; specificabit actum voluntatis.

22. Actus internus ex actu externo sepe fit in se melior vel peior; quia communiter crebrò multiplicatur occasione actus externi, vt patet in eo qui fornicatur; deinde extenditur, per longius tempus & diutius continuatur; imò intenditur & fertur ardentius in obiectum quando venit ad executionem: vt cum quis vult occidere inimicum. Porrò actus externus ex sepe multum adfert commodi, vel incommodi per fespitum, v.g. ad acquirendos bonos vel malos habitus, ad percipiendos fructus Sacramenti, Sacrificii, Martyrij, ad satisfactionē pro peccatis, ad obligationem restitutionis, famæ fortunarum, &c. ad scandala & ædificationem: ad incurrendas pœnas in foro humano, tā ciuili quàm Ecclesiastico. Notandum tamen hic est, actum externum addere interno bonitatem primordialē, seu naturalem, quę ex conuenientia terminorum resultat: Nam si consideretur secundum se, cum omnibus circumstantijs necessarijs habet conformitatem quamdam cum recta ratione; & per consequens habet bonitatem quandamquæ iuxta bonitatem actus interioris, facit illum meliorem extensiuè: actus enim interior v. g. voluntas dandi eleemosynam tendit ad exteriorem tamquam finem terminum quo perficitur, & simile iudicium est de malitia.

23. Iuxta communiorem sententiam actus exterior interiori nullam addit bonitatem vel malitiam formalē, quia actus externus non est formaliter liber, ergo nec formaliter bonus, vnde non potest augere bonitatem formalem; quia quod necessarium est, nec laudem habet nec vituperationem, sed actus exterior necessariò procedit à volitione, nisi aliunde impediatur. Ergo. Actus tamen exterior superadditaliquando interiori præmium aut supplicium accidentales Ratio est, quia aliquid pœnæ vel præmij respondet separatim ipsi operi exteriori, pœnæ præmium aut supplicium essentiale, quod tribuitur voluntati quomodo etiam Sancti gaudent, quando ipsorum exemplo, multi conuertuntur ad pœnitentiam. Vt colligitur *Lucæ 15. Vide D. Thom. in 2. dist. 40. art. 3. Sylvius 1. 2. q. 20. art. 4. concl. 3. Valentia 1. 2. disp. 2. qu. 3. punct. 4. & 5. Vasquez 1. 2. q. 10. art. 4. disp. 76. c. 2. Becanus de actib. humanis. c. 6. n. 8.*

24. Quamuis externus actus nulla addat malitiam formalem, est tamen exprimendus in confessione. *Primo*, quia communiter peior est voluntas accedente executione. *Secundo*, quia ex actu externo multa pendent quæ confessarius discutere debet, vt est restitutio, censuræ, scandalum. *Tertio*, quia totū peccatum exponi debet confessario, ergo, & actus externus, qui est veluti materia & pars essentialis peccati interni, in eo enim peccatum cordis consummatur, & ab eo, vt à fonte, malitiam accipit. Ita *Sylvius 1. 2 qu. 20. a. 4. Nauarr. in Man. præl. c. num. 19. Filliucius tom. 1. tr. 2. c. 11. n. 112. Suarez 3. p. tom 4. disp. 22. sect. 3. num. 2. Vasquez 1. 2. disp. 76. num. 18.*

25. Externa moralis operatio, obiectiuè quidem prior est actu interno, sed vt exercita ab actu interno posterior, tamquam participans bonitatem vel malitiam ab interno actu vt ab actus internus & actus externus in genere moris, non faciunt numerum, vnicū enim est peccatum furti, cuius formale atque essentiale est, furandi voluntas; quare sufficit in confessione explicare actum externū, indicatur enim in ipso proportionaliter voluntas. Contra *Scot. quodlib. 18. a. 3.* qui cū distinxet tā actionem exteriorem quàm interiorem esse intrinsecè, & formaliter malā, cenfet etiam ex vtraque non conflari vnum peccatum, sed esse duo peccata, & esse in eis duplicē imputabilitatem & rationem peccati. Sed multò verior & magis communis sententia est, actionem interiorem & exteriorē dicendam esse vnum peccatū simpliciter. Ratio est, quia actus interior & exterior sunt vnus actus voluntarius & liberi: ergo cum non sit nisi vna voluntas, non potest esse nisi vnum peccatum. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 20. art. 3. D. Bonan. 2. d. 42. a. 1. q. 1. Ricardus ibid. Azor to. 1. lib. 2. c. 6. q. 5. Vasquez 1. 2. disp. 74. cap. 2. Filliucius cum. 112. Becanus num. 5.*

26. Eutēus sequens addit aliquid bonitatis aut malitiæ actui exteriori, quando fuit præuisus & præuolitus, aliàs non. Ratio vtriusque est, quia, quod nec præuisū, nec præuolitum, est extra genus moris, taquam per accidens se habens ad voluntatē: quando autem aliquis modo tribuitur vel imputatur voluntati, eatenus laudari potest vel vituperari. Nota tamen, ad augendū bonitatem, requiri præuolitionem directā, siue ea fit actualis, siue virtualis: ad malitiā verò sufficere præuolitionē interpretatiuā. Hinc fundator Religionis, vel alicuius Ecclesiæ, nō habebit meritū totius boni cōsequentis, nisi id actu vel virtute intendat: Contrà verò Hæresiarchę, malo Principi imputatur

omnia damna fecuta que petuerunt ac debuerut præcauere: & nihil refert vtrum euentus actu sequatur, an nõ: sufficit enim causam sufficienter esse positam per præuisionẽ & præuolitionem. Dico *per præuisionem & præuolitionem*: quia non sufficit præuisio sola, sed accedere obligatio, quia teneamur euentum illi euitare: vnde cessante obligatione, nulla contrahitur malitia ex effectu secuto: nam sic Deus plurima facit quorum occasione præuidet homines peccaturos, & boni viri saepe aduertunt ex suis operibus secutura scandala Phariseorum, nec tamen propterea tenentur, imo aliquando non possunt abstinere. Vide *D. Thom.* 1. 2. q. 20. a. 5. *Sylvest. ibid. concl.* 1. 2. *& Tannerus* 1. 2. *disp.* 4. q. 3. *dub.* 3. *num.* 39. *& seq. Pesantines* 1. 2. q. 20. *art.* 5.

ADIVRATIO.

SVMMARIVM.

1. *Adiuratio quid sit, & quot modis fiat.*
2. *Deprecatiua adiuratione vtimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines.*
3. *Adiurari non possunt creaturæ inanimatæ per se & directe.*
4. *Vt adiuratio licita sit quid requiratur.*
5. *Ad Exorcistas pertinet solemnis adiuratio Dæmonis.*
6. *Quæ pœnæ possunt in adiuratione Dæmonis.*

1. ADiuratio est res sacra contestatio ad permouẽdũ alterũ & fit dupliciter modis. scilicet, *præcipiẽdo*, vnde dicitur imperatiua, illaque vtimur erga subditos, vis enim præceptiua dirigitur ad subditos: *& deprecando*, quæ deprecatiua dicitur.

Demones non adiurantur adiuratione deprecatiua quia hoc fieri non potest sine subiectione, submissione & societate, quæ cum dæmone grauissimo humani generis hoste, est illicita, sed adiurantur adiuratione imperatiua nempe, obiurgando ac tanquam hostes compellendo arcedove, ne spiritualiter aut corporaliter hominibus noceant. Vnde & Ecclesiæ data est potestas spiritualis dæmones adiurandi, nõ ad obtinendum aliquid ab eis, sed ad illos expellendum ac fugandum: iuxta illud Matth. 10. *In nomine meo dæmonia eiicient.* & Lucæ 10. *Domine etiam dæmonia subiciuntur nobis.* Et hæc est propria Ecclesiæ potestas & vera religionis nota: nulla enim alia religio potest dæmones ejicere, ita *D. Thom.* 2. 2. q. 90. *art.* 1. *Sylvius ibid. & art.* 2. *Suarez de Relig. to.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *& Lessius lib.* 2. *c.* 42. *dub.* 13. *num.* 67. 68. *Petrus Ledesma in Sum. tr.* 11. *c.* 6. *Filliucius tr.* 24. *num.* 200. 207. *Vgnerius de virtute infus. verf.* 16. *c.* 5. *§.* 5.

2. Adiuratione deprecatiua vimur erga Deum, vel Sanctos, vel homines ad aliquid deprecandum; vnde solæ natura rationalis congruenter idoneæ sũt, quæ per se adiuretur, quia hæc sola potest percipere diuinã, eorumque reuerẽtiã, & amorem ad agendum compellĩ & sic Deum adiuramus, obsecrando per bonitatem, misericordiam ipsius, per merita passionis Filij ipsius & Beatæ Virginis, & Sanctorum omnium: quæ omnia allegamus, exhibemus, & veluti offerimus illi, vt horum intuitu, affectu & amore permoueatur ad præstandum, quod cupimus. Dum autem Sanctos & corũ merita interponimus, & allegamus, facite etiam ipsum Nomen diuinum, quod illis est causa sanctitatis & meritorum, subiungitur. Proinde per Iustos, siue beatos, siue viatores potest Deus adiurari, non tantum quatenus in illis Deus iuuet, sed etiam præcise ipsa dando merita talis Sanctis: quia tunc non tribuitur illi Sancto aliquid Dei proprium, sed honoratur iuxta sua merita. Vide *D. Thom. e. art.* 3. *Suarez c. cap.* 3. *nu.* 5. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. 4. *§.* 2. *Bonacina tom.* 2. *disp.* 4. q. 1. *punct.* vltim. 3. *Sanchez l.* 2. *moral. c.* 42. *num.* 12. *Regnaldus l.* 18. *c.* 9. *num.* 108. *& 109.*

3. Creaturæ inanimatæ per se & directè adiurari non possunt; quia non intelligunt, sed adiuratio dirigitur ad naturam rationalem, quæ illis præsidet, eiusque mouere potest: obid aqua vel lac exorcizatur, vtin eius vsu Deus adiuretur, diaboli vires cõfundat, ex eisque expellat, ita vt in illius vsu nocere nequeat. *D. Thom. e. art.* 3. *Sylvius ibid. Sanchez l.* 2. *Mor. c.* 42. *n.* 37. *& 38. Lessius c.* 21. 72. *Regnaldus c.n.* 112. *Nauarrus lib.* 5. *consil.* 111. *de exorcismis consil.* 5. *n.* 9. *& 10. Tabiena ex Adiuratio. Sylvest.* 2. *Adiuratio n.* 4. *Layman l.* 5. *tr.* 9. *c.* 14. *num.* 3. *Petrus Ledesma in Sum. tr.* 11. *c.* 6. *concl.* 3. *Vgnerius verf.* 16. *c.* 5. *§.* 5.

Item fœtus, mures, grandines, tempestates, non per se, nec directe & per se adiurari possunt, sed per ordinem vel ad dæmones, & sic adiuratione imperatiua vtimur, imperãdo illi nocãti, ne noceat, sed desistat, vel ad Deum a quo etiam mouetur petitorio, & tunc vtimur adiuratione deprecatiua, vt damna eorum auertat, & diabolus per illa non noceat: Hinc ordinarie & ex suo genere peccatum esset mortale, creaturas irrationales per se seu directo sermone ad ipsas, adiurare. Ratio est, quia committitur irreuerentia contra res sacras & exorcismos Ecclesiæ, quæ vanè adhibentur: Ratione tamen bonæ fidei, & ob leuitatem materiæ, vt plurimum potest esse veniale. Tria, *Diuus Thomas, Syluius, Sanchez, & alij hic citati.*

4. Vt adiuratio licita sit, requiritur vt sit debito modo, ad quem maxime pertinet discretio, qua caueatur ne ipsa temerè fiat, data quacũq; occasione & quoque vlla necessitate vel vtilitate, quã ratione in vanũ ea fieret: vnde cũm adiuratio tanquã Dei cultus, propria sit virtutis religionis, licitè tanti fieri potest propter Deũ, siue obsecrando, siue imperãdo fiat. Ratio est, quia sicut iuramẽtum debet cum Dei inuocatione fieri, vt vim habeat veritatẽ certam reddendi; ita adiuratio, vt efficax sit, interponi debet auctoritas Dei, qui solus illã habet summã & coniunctim cum potestate quæ requiritur ad præbendam vim & efficaciã petitioni, cui ipsa adiuratio admiscetur. Ita *Regnaldus l.* 18. *num.* 113. *Layman c.* 14. *num.* 1. *Sanchez l.* 2. *Moral. c.* 42. *n.* 4. *Suarez to.* 2. *de relig. l.* 4. *c.* 4. *n.* 9. *Valentia* 2. 2. *d.* 2. *q.* 6. *p.* 8. *p.* 2.

5. Adiuratio solẽnis dæmonis, quæ sit secundũ formam publicã ab Ecclesia præscriptã, pertinet ad soles Clericos habentes ordinem Exorcistarum, si verò adiuratio fiat priuatim, potestas adiurandi alijs etiam cõpetere videtur: tamen plerisque in locis & diœcesibus prohibitum est Clericis Exorcistis hanc potestatem exercere, nisi specialiter ad hoc munus fuerint approbati & idonei iudicati, quia præter scientiã & prudentiam, requiritur præcipuè probitas vitæ: quamuis potestas hæc non immutat sanctitatẽ ministri, est tamen non parum iuuet, sed inuocationi nominis Diuini, fidei, & sanctitati Ecclesiæ: in cuius persona exorcismi ab eius ministris dicuntur; licut nec Sacramentorum efficacia à ministri sanctitate pẽdet: proinde exorcismi non solũ ex opere operantis, sed etiã ex opere operato habent vim expellendi dæmonem: Et licet exorcismi de facto non semper operẽtur effectum expellendi dæmones, hoc concitum ob ministri, aut dæmoniaci culpam, tum etiam ex occultissimo diuino iudicio, propter maiorem animæ vtilitatem, vel in aliorum exemplum, aut propter aliud Ecclesiæ commodum. Plura apud *Delrius de mag. pos. 6. libri in Anacephal. monit.* 10. *Valentia* 2. 2. *d.* 6. *q.* 8. *punct.* 2. *quæ tunc* 2. *Suarez c.* 4. *c.* 2. *num.* 10. *& tr.* 11. *Syluester v. Exorcista. Filliucius tr.* 24. *num.* 208. 209. *Victoria de magia num.* 23. *& 24. Regnaldus lib.* 27. *num.* 184.

6. In adiuratione dæmonis illa tolli possunt quæ spectãt ad aliorũ vtilitatem, vel ad ipsum expellendum: vnde licet interrogare nomẽ, causam ingressus, & si fit aliquod obsẽsi peccatum, an sit vnus dæmon, an plures in eo corpore: alia verò quæ ad ipsum hoc non cõducunt, vel ad Dei gloriã non faciunt: non licet per se loquendo petere, quia vitãda sunt societatis & beneuolentiæ signa cum dæmone. Qui tamen ex leuitate & curiositate imperatiuè & non deprecatiuè aliquid peteret à dæmone humanum corpus obsidente, mortaliter non peccaret; modò longi sermones præfertim nugatorij & vani non adhibeantur, & hoc non fiat causa addiscendi aliquid ab ipso, & fallos illi certa non adhibeatur, nec sit periculum detegendi occultum aliquod peccatũ; quia tunc nõ censetur notabile signũ societatis & beneuolentiæ. Proinde maximè cauendum Exorcistis, ne cum dæmone iocentur, negociare, nisi licet quia cum sancta res sit dæmones ejicere, sanctè tractanda est. Ita *Suarez c. c.* 2. *Nauarrus Manuc.* 11. *n.* 28. *Sanchez l.* 2. *Moral. c.* 42. *n.* 21. 25. 26. *Bonacin. to.* 2. *de fid. p.* 4. *q.* 1. *pu.* 8. *n.* 8. *& 9. Laym. l.* 5. *tr.* 9. *c.* 14. *n.* 6. *Regnaldus l.* 17. *num.* 167. *Filliucius c.num.* 212. *Delrius lib.* 6. *c.* 2. 4. 3. *sect.* 3. *n.* 4. *remedio. Silueus* 2. 2. *q.* 90. *a.* 2. *concl.* 3.

ADORATIO.

SVMMARIVM.

1. *Adorato quid sit. Alia est Latriæ, alia Duliæ, alia Hyperduliæ.*
2. *Adoratio vna est interior, alia est externa.*
3. *Diuiditur in absolutam & respectiuam.*
4. *Sanctissima Trinitas cultu latriæ adorandæ est.*
5. *Eucharistiæ Sacramentum adoratione latriæ adorandum est, & quando hæc præceptum adorationis obliget.*
6. *Quæ Christum Dominum respectiuè tetigerunt cultu latriæ colẽdebent, vt Crux, lancea, &c.*
7. *Crux ex qualibet materia confflans latria colẽ debet: & quid dicendum de ijs suffromentis Dominicæ Passionis.*
8. *Sancti, Angeli, & Beati in Cœlo cultu dulia sunt adorandi.*
9. *Latriæ, & priuatus cultus Sanctorum quos Ecclesia nondum redegit in catalogum Sanctorum.*

10. *Vsus ſacrarum imaginum licitus eſt.*
11. *Vna & eadem adoratione adorari poſſunt imago & exemplar quæ prototypum.*
12. *De fide eſt reliquias eſſe adorandas.*

Quenam certitudo requiratur in approbandis reliquijs?

1. ADoratio ſecundùm *D.Th.* eſt exhibitio reuerentiæ propter excellentiam illius cui exhibetur, vel ſecundùm alios, eſt actus, quo vnus alteri ſe ſubmittit, ſeu alterum honorat in recognitionem ipſius excellentiæ: vnde cùm non ſit eadem excellentia in Deo & in creaturis, ideò diuerſa eſt adoratio Dei & creaturarum: propterea actus adorationis propter excellentiam increatam eſt adoratio Dei, quæ dicitur adoratio latriæ; *Latria* enim cenſetur eſſe cultus ſoli Deo debitus, propter ſummam & increatam excellentiam, quæ in eo datur. Propter autem excellentiam creatam actus adorationis dicitur *Dulia*, quæ debetur creaturis, propter illorum excellentiam & ſanctitatem; quòd ſi illa ſanctitas ſit aliqua ſingulari ratione excellens, Theologi vocant illum actum adorationis *Hyperdulium*, qua colitur Beatiſſima Virgo MARIA. Ita *D.Th.2.2.q.84.art.1. Sylu.ibi Valentia to.3.d.6.q.3.punct.1. Clauis Reg.lib.4.c.3.n.4. Rodr.in ſum.to.1.c.8.n.1. Filliuc.tr.23.n.21. Leſ. lib.2.c.38.dub.1. Pet.3.p.q.25.ar.2. Viguer.in inſt.c.5.§.5.uerſ.12.*

2. Adoratio multiplex eſt, vna eſt interior, quæ per interiores actus mẽtis, videlicet, intellectus & voluntatis exhibetur, quæ maximè ad Deum refertur; alia eſt externa, quæ in exterioribus humilitatis & ſubmiſſionis ſignis conſiſtit, puta in genuflexione, in humiliatione, in proſtratione, manuum eleuatione: Adoratio autem vera Dei, omniſque latriæ actus principaliter eſt in mente, ſecundariò verò in actione externa, tamquam ſigno expreſſiuo internæ ſubmiſſionis & adorationis; vndè ſi deſit actus internus; quamuis adſit externus, non eſt vera adoratio, ſed fictio adorationis & irriſio; interna autem adoratio eſſe poteſt verè ſine externa. Porrò hic actus adorationis non eſt fidei, ſpei, charitatis, humilitatis, vel obedientiæ, vel alicuius alterius virtutis officium, ſed eſt religionis opus, quo ſe voluntas coram Deo, vt ſupremo omnium Domino ſubijcit. Ita *Clauis Reg. c.c.3. Azor.p.1. lib.9.c.5.q.4. Laym.l.4.tr.10.c.2.n.3. Bon.to.2.diſ.3.q.1.punct.1.n.4. Fill.n.22.*

3. Adoratio denuò diuidi poteſt in abſolutam & reſpectiuã: dici poteſt adoratio abſoluta illa, quâ quis vult rem adorare propter intrinſecam excellentiam quam habet: Adoratio autem reſpectiua dici poteſt illa, qua quis adorare vult rem propter aliud, ſeu propter excellentiam, quæ eſt in aliqua perſona, ad quam tales res aliquam habitudinem vel coniunctionem habent: Abſoluta adoratio conuenit rei intellectuali, quæ per ſe honorabilis & adorabilis eſt. Reſpectiua conuenit rebus ratione carentibus, vt imaginibus, quę non propter ſe cultum ac reuerentiam merentur, ſed tamen reſpectiuè, quatenus ordinem alicuius repræſentationis habent ad ipſum exemplar ſeu prototypon, ita vt totus effectus internæ ſubmiſſionis ad prototypon referatur, id eſt, ad eum cuius eſt imago: Imò Deus poteſt honorari dupliciter: *Primò*, in ſeipſo. *Secundò*, in ſua imagine. Primo modo adoratur per ſe, & ipſe eſt terminus adorationis ſine vllo alio. Secundo modo adoratur in alio, vel imago adoratur per aliud, & relatiuè, & tunc ipſa imago eſt terminus adorationis, non quidem per ſe, ſed ratione rei repræſentatæ. *Clauis Reg. c.n.5. Filliuc.tr.23.cap.1.q.8. Bonac.c.pu. 1.n.4. Laym.l.4.tr.7.c.5.n.9.10.& 11. Vaſq.l.2. de ador.diſ.8.c.3. Valent.t.4.diſp.1.q.24.pu.2. Viguer.in inſtit.c.5.§.5.uerſ.12.* Ideò in Trident. *ſeſſ.25.* dicitur, quòd adorare imaginem, eſt ipſum Chriſtum adorare. Vide Doctores hìc citatos.

4. Cultu latriæ adoranda eſt Sanctiſſima Trinitas, & ſingulæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, quia quælibet diuina perſona Deus eſt, atque adeò illi debetur ſupremus cultus.

Chriſtus quatenus Deus, ſeu hic homo Chriſtus in diuina & humana natura ſubſiſtens, eádem adoratione latriæ adorãtus eſt, quia tota Trinitas & ſingulæ diuinæ perſonæ adorãtur.

Humanitas autem Chriſti in quantum eſt diuinitati vnita ſeu coniuncta, latriæ adoranda eſt, ratione hypoſtaſis verbi Dei, à qua & in qua ſuſtentatur. Si verò Humanitas Chriſti per ſe & præcisè conſideretur præcisà diuini Verbi perſonâ, qualis nec eſt, nec vnquam erit, non latriæ adoratione adoranda eſſet, ſed hyperduliæ, tùm propter donorum, quibus adornatur, excellentiam; tùm quia per ſe non habet excellentiam increatam ſed creatam; in praxi tamen Chriſtus adorandus eſt adoratione latriæ, quia humanitas ipſius ſemper eſt coniuncta Verbo diuino, quod enim Deus aſſumpſit, numquam dimiſit: Idem dicendum de Sanguine Chriſti in triduo mortis ſeparato à corpore Chriſti: quia ſanguis ille non fuit à Verbo diuino ſeparatus & diuiſus, & proinde dignus fuit cultu latriæ. *D.Th.3.p.q.25.art.1.& 2. Sylueſter ibid. Clauis Reg.lib.4. c.3.n.7.& 8. Vaſques 3.p.diſp.96.c.3.& 4. Filliuc.tr.23.n.26. Azorius 1.p.lib.9.c.5.q.7.& 8. Puteanus 3.p.q.25.a.1.& 2. Bon.t.2.diſ. 3.q.1.p.2.n.5.6.7. Suar.3.p.de incarn.diſp.5.*

5. Euchariſtiæ Sacramentum cùm verè & realiter contineat Chriſti Corpus, adorandum eſt adoratione latriæ; nec ſub conditione adorandum eſt ſi facta eſt conſecratio; ſed abſolutè coli poteſt, & ſufficit adorantem ita affectum eſſe vt non adoraret, ſi panis non eſſet conſecratus: prudentis enim viri eſt, vt putet panem eſſe ritè, & legitimè conſecratum, qui publicè populo ad venerationem & cultum exponitur; quia credendum non eſt, aut miniſtro animum & voluntatem defuiſſe conſecrandi, aut neceſſarium & debitam Sacramenti formam, vel materiam abfuiſſe, cum oppoſitum nobis certò non conſtet. Ita *Caietan.2.2.q.1.art.3. Vaſques 3.part.diſp.108. cap.12. Rodriques t.1.ſum.c.8. num.2. Filliucius c.n.26. Valentia to.3.diſp.6.q.11.punct.4.*

Sed petes, quando occurrat præceptum huius adorationis? Reſp. non ſemper, ſed pro temporis opportunitate, cùm ſit præceptum affirmatiuum. Toties itaq; obligat, quoties illius omiſſio cenſeri poſſet irreuerentia quædam, ſeu virtualis cõtemptus; quod maximè locum habet in ſacrificante, in communicante, in audiente miſſam, dum poſt conſecrationẽ eleuatur; in occurrẽte in itinere; dum honorificè defertur ad infirmos, &c. Vide *c.Sanè, de celebra. Miſſarum*. Secluſo autem formali contemptu & ſcandalo, eiuſmodi omiſſio ob negligẽtiam aliquam, inaduertentiam, neceſſitatem, occupationes, vel nullum eſt peccatum, vel veniale: quod notandum eſt pro miniſtris Eccleſiæ, qui quodammodo habitant in templis.

Dubium autem eſt, an Caro vel Sanguis qui aliquando miraculosè apparet in Euchariſtiæ Sacramento, cultu latrię adorari debeat.

Reſpondent aliqui debere, quia vt minimùm ea caro vel ſanguis repræſentat tamquam ſignum carnem & ſanguinem Chriſti: Controuertitur enim inter *D.Th.quodlib.3.a.2.& in 4. d.10.q.1.a.4.& in 3.p.q.76.a.8.* & alios Theologos, an illa caro vel ſanguis ex diuino miraculo apparens verè & propriè ſit Chriſti. Negat ille, cùm iuxta illum virtute Dei fieri non poſſit, vt idem numero corpus ſimul in duobus locis quantitatiuè & circumſcriptiuè cõſiſtat, ſed eſt denuò creatum à Deo. Alij verò Theologi *Scot. Ocham, Gabr. Maior in 4.diſt.10.* docent eiuſmodi carnem & ſanguinem non ad longa tempora durãtem, eſſe verè & propriè carnem & ſanguinẽ Chriſti, virtute diuinâ duobus ſimul in locis conſiſtentem, in cęlo nempe, & in Sacramento altaris. Cæterùm quiquid ſit de rei veritate, ſi cõſtans & diuturna ſit eiuſmodi apparitio, cenſeri debet facta per miraculoſam accidentium immutationem, ita vt ſub ea panis vel vini ſubſtantia naturaliter cõſiſtere non poſſit, proinde totum quod apparet, non eſt adorandum cultu latriæ abſoluto, ſed tantùm reſpectiuo, ſicut Crux & imagines Chriſti. Vide *Suar.3.p.to.3.diſ.55.ſect.2.& 3. Vaſqu.in 3.p.ſuper q.67.a.8.*

6. Latriæ cultu coli debent illa quæ Chriſtũ Dominum reipſa tetigerunt vt Crux, claui, lancea, præſepe, ſpongia, flagella, corona ſpinea, & alia huiuſmodi, non quidem ſecundùm ſe, ſed per ordinem ad Chriſtum, cum quo fuerunt aliquo modo cõiuncta: illa verò quæ Chriſtum Dominum ignominiosè tetigerunt, nefariè & impiè, nullum cultum merentur, ſed potiùs execranda ſunt; qualis eſt impia & ſacrilega illa manus, quæ Chriſtum alapâ percuſſit, cùm fuerit membrum iniquiſſimæ perſonæ, coniunctum cum ipſo percutiente; ſicut & labia Iudę adorari non poſſunt propter contactum: vt enim ex contactu Chriſti res aliqua poſſit honorari, debet ſanctitatem ipſius aliquo modo participaſſe. *D.Th.3.p.q.15.a.4. Sylu.ibid. Suar. 3.p. to.1.diſ.56.ſect.1. Vaſq.3.p.diſ.100.c.2. Azor.t.1.l.9.c.5.q.9. Bon. c.punct.3.n.6.*

Res verò intelligentię, & rationis compotes, quę Chriſtum tetigerunt, quamuis alioqui religiosè, ſanctè & piè tetigerint, non ſunt propterea honore & veneratione latriæ colendæ, ſicuti B. Virgo Maria & Apoſtoli qui Chriſtum tetigerũt. Ratio eſt, quia per ſe poſſunt adorari, & honor latrię qui ipſis tribueretur propter Chriſti contactum, videretur ipſis tribui propter ipſos, cùm tamen ipſi non ſint hac adoratione adorandi. Ita *D.Th.c.art.5. Filliuc.tr.23.n.34.*

7. Latria coli debet Crux ex qualibet materia conſtans,

quia eo cultu non solùm Crux, qua Christus pependit, digna est, eò quòd Christum tetigerit, sed etiã quatenus Crux est, hoc est, signum & imago Christi Crucifixi: at verò cætera Dominicæ Passionis instrumenta solùm cultum latriæ merentur, quia Christi Corpus tetigerunt, quare si in alia materia consistant, cultu latriæ coli non debent, quia non sunt signa, & imagines quæ Christum repræsentent. Vnde hæc est differentia inter Crucem, quæ nunc conficitur; & alia instrumenta: quòd illa sint tantum similitudines eorum instrumentorum, quibus Christus est Cruci affixus. Ita *D. Thom. c. art.* 4. *Sylvius ibid Valentia to.* 4. *disp.* 1. *q.* 24. *punct.* 3. *Filliucius c. num.* 30. *Bonacina to.* 2. *disp.* 3. *q.* 1. *pu.* 3. *num.* 8.

8. Cultu duliæ adorandi sunt sancti Angeli, & Beati in cœlo regnantes, imò etiam multi homines in terris viuentes digni sunt honore & adorationes propter ipsorum sanctitatem & excellentiam: & hoc probatur ex pluribus Concilijs vt *Nicæno* 2. *art.* 6 *Trident. sess.* 25. & ex sacra scriptura, in qua legitur honorem sæpe exhibitum esse Sanctis, Angelis, hominibus viuentibus & mortuis propter ipsorum sanctitatem & excellentiam. Sed quoad hunc cultum est differentia adhibenda; nam Sancti in numerum Sanctorum ab Ecclesia relati, publico & solemni cultu nomine Ecclesiæ adorari possunt: illi verò Sancti qui nondum in Sanctorum numerum cooptati sunt, non possunt publicè adorari, illis tamen cultus priuatus exhiberi potest, non nomine Ecclesiæ, sed ex peculiari deuotione colentis priuatim aut publicè. Vt colligitur ex *cap.* 1. & 2. *de reliquijs & veneratione Sanctorum*. Cultus autem publicus dicitur, non qui coram alijs exhibetur, sed qui nomine totius Ecclesiæ & tamquam ab Ecclesia institutus. *Claus Reg. lib.* 4. *c.* 3. *nu.* 10. *Filliucius c. nu.* 31. *Sanches lib.* 2. *Moral. c.* 43. *nu.* 34. *Vasques* 3. *p. disp.* 97. *c.* 2. *Bellarmin. lib.* 1. *de Sanctis cap.* 10. *Suarez disp.* 55. *sect.* 2. *Azorius to.* 1. *lib.* 9. *cap.* 8. *quæst.* 8.

9. Cultus priuatus Sanctorum quos nõdum in Catalogum Sanctorum Ecclesia redegit, permittit ipsorum imagines in domibus nostris depingi, retineri, & coli, non verò in templo, vel in altari inter imagines aliorum Sanctorum reponere, cum hoc pertineat ad cultum publicum: insuper licet pedes & manus ipsius Sancti exosculari, ipsius capillos aut vestes accipere, siue alij videant siue non, modò scandalum absit. Præterea licet cuicunque priuato homini in honorem talis Sancti nõdum canonizati ipso die natali, operibus seruilibus abstinere, aut ieiunare, aut ei votum offerre: hæc enim omnia ad cultum priuatum pertinent. *Sanches l.* 2. *Moral. c.* 43. *nu.* 6. 7. *Bellarmin. c. cap.* 10. *Azor to.* 1. *l.* 9 *cap.* 8. *q.* 8. *Sylvest. v. Reliquiæ q.* 1. *Layman l.* 4. *tr.* 7. *c.* 5. *nu.* 14. *Bonacina tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 1. *pu.* 2. *num.* 2.

Non licebit tamen inuocare Sanctum nondum canonizatũ publicè in Litanijs, aut diuino officio: nec instituere de eo festum publicum diem, aut publicum ieiunium, vel votum, nec publicè eius reliquias adorandas proponere, aut altaria, vel templa ipsi dedicare, nec de eo Missam dicere: quia hic cultus publicus Sancti nondum canonizati reseruatur Summo Pontifici. *cap.* 1. *de reliq. & venerat. Sanctorum.*

Deinde Sanctissimus *D. N. Vrbanus VIII.* in generali Congregatione S. Inquisitionis *die* 4. *Aprilis anno* 1625. prohibuit sub pœna suspensionis comminatoriæ alijsque pœnis, ne quis imagines eorum qui cum fama, vel opinione sanctitatis, vel martyrij ex hac vita migrarunt, proponat cum laureolis, radijs vel splendoribus, aut libros continentes gesta, miracula, reuelationes, vel beneficia tamquam ipsorum intercessionibus obtenta publicet, aut tabellas, seu imagines fictas; pictas vel exsculptas appendat, aut lampades, seu lumina ad ipsorum sepulchra sine debita facultate accendat.

10. De fide est, vsum sacrarum imaginum licitum esse, & honestum, si prudenter fiat, vt constat, tum ex Concilio Tridentino *sessione* 25. tum ex vsu Ecclesiæ; tum ex Christi exemplo qui *Agbaro* Regi Edessæ suam imaginem pallio impressam misit. Tum ex innumeris miraculis quæ Deus per sacras imagines efficere consueuit. Notandum autem est quòd in adoratione ipsa imaginis, non tantùm illud cuius est imago adoratur, sed etiam ipsamet imago; cùm illud proprie adoretur, quod est terminus adorationis, seu materia circa quam versatur adoratio: Tamen hæc adoratio non est absoluta, sed respectiua: quia imago non colitur propter excellentiam propriam, quã caret, sed propter excellentiam illius, cuius est imago. Ita *D. Thom.* 3. *p. q.* 25. *a.* 3. 4. & 5. *Sylvius ibid. a.* 3. *q.* 1. *Layman c. n.* 10. *Suarez* 3. *p. tom.* 1. *disp.* 54. *sect.* 4. *asserit.* 1. *Claus Reg. l.* 4. *cap.* 3. *nu.* 11. *Valentia tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 11.

Sed petes, an imagines Dei, & Angelorum, qui nõ sunt corporei, sed puri spiritus, sint licitæ & admittendæ? *Vasques* 3. *p. q.* 25. *art.* 3. *disp.* 103. *Sylvius* 3. *p. q.* 25. *a.* 3. *quæst.* 2. *Azor. to.* 1. *l.* 9. *c.* 7. *q.* 2. & 3. *Bonacina c. disp.* 2. *q.* 1. *pu.* 3. *Sanderus de cultu imag. l.* 1. *c.* 4. *Bellarmin. lib.* 2. *de imag. c.* 8. *Caietan.* 3. *p. q.* 25. *art.* 3. Catholica responsio est affirmatiua. licet enim imagines adhiberi non possint ad repræsentandum Deum, vt in se est secundùm propriam similitudinem, possunt tamen Deus & Angeli manifestari per quandam metaphoram, vel vt alias apparuerunt. Sic non damnatur, sed permittitur imago, qui Pater Cælestis depingitur senex totus capite cano, & Christus Cruci affixus in eius pectore consistens; & Spiritus Sanctus in specie columbæ. Depingitur ergo Deus in figura seu forma sensibili, non quòd figura vel coloribus constet, sed quòd in ea figura vitius sit. Pinguntur etiam Angeli in specie humana, quia in corporibus humanis se exhibuerunt videdos: finguntur iuuenes, vt exprimatur eorum vita perpetua, quæ nullo tempore senescit, sed est semper virens, ac florens. Alæ autem eis affiguntur, non quòd illis præditi sint, sed quòd sint Dei, à quo mittuntur, promptissimi nuncij. Plura de his apud Doctores hic citatos.

11. Vnã & eãdem adoratione adorari possunt imago & exẽplar, vt dictum est suprà. Ratio est, quia imago cum exemplari & exemplar in imagine adoratur, & cultus & honor imagini datus transit ad prototypum & exemplar, quod refert imago. Ita Sancti Patres in 7. Synodo *Act.* 7. quæ est Nicæna secunda: Sic cùm Christum aliumve Sanctum apprehendimus tamquam in imagine nobis præsentatum, illi cultum deferimus, vt tamen terminus adorationis, sit solum prototypon: imago autem concomitanter se habeat tamquam accidens quoddam, & quasi vestimentum prototypi, seu personæ adoratæ. Quemadmodùm si Regem in speculo effulgentem videas; & adores, vno motu & Regem adoras, & speciem siue imaginem Regis, ipsum quidẽ principaliter; sed imaginem cõcomitanter & per accidẽs. Propterea *Aristotel. l. de Memor. & Reminisc.* 2. docet, eundẽ esse motum in imaginem, qui est in exemplari; cuius est imago. Ita *D. Thom.* 3. *p. q.* 25. *a.* 3. & 4. *Halensis p.* 3. *q.* 30. *memb.* 3. *art.* 3. §. 1. *D. Bonav.* 3. *d.* 9. *art.* 1. *q.* 2. *Suarez c. disp.* 53. *sect.* 4. *assert.* 1. *Sylvius* 3. *p. q.* 25 *ar.* 3. *quæst.* 5.

12. Item de fide est, reliquias esse adorandas absolutè, & deuotè custodiendas; vt decernitur in Concilijs, Cartaginensi, Bracharensi, & Tridentino, relatis à *D. Thom.* 3. *p. q.* 25. *art.* 6. *Sylvius ibid. Bellarmin. l.* 2. *de reliq. c.* 1. & *seq. Sanches l.* 2. *Moral. c.* 43. *nu.* 1. *Layman lib.* 4. *tract.* 7. *c.* 5. *nu.* 15. 16. *Pueanus* 3. *p. q.* 25. *a.* 6. *Azor. to.* 1. *l.* 9. *c.* 8. *q.* 2. *Suarez* 3. *p. to.* 1. *disp.* 55. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *q.* 11. *punct.* 5. & 6. *Rodriques to.* 3. *q. regul.* 55. *art.* 1. *Bonacina t.* 2. *disp.* 3. *q.* 1. *punct.* 4. quando publicè exponuntur adorandæ, & Summus Pontifex aut Episcopus debitam diligentiam adhibuit ad inquirendum, num veræ sint reliquiæ viri canonizati, illasque approbauit; vel per traditionem seu diuturnum Ecclesiæ vsum pro approbatis habentur. Vnde reliquijs eadem adoratio tribui potest, quæ tribuitur personæ, cuius reliquiæ sunt: & quamuis propter se adorari & coli nequeant, cum sint irrationales, possunt tamen adorari adoratione respectiua propter excellentiam & sanctitatem personæ, cuius sunt reliquiæ.

Nomine verò *reliquiarum*, intelligitur quidquid ex Sanctorum hac vita decedentiũ corporibus reliquum mansit; siue sint ipsa corpora, siue cadauera, carnes, ossa, dentes, capilli, vngues, cineres & puluer es, in quæ conuersa fuerunt: item vestes & varia vtensilia, quibus in vita sunt vsi; vela item, panni, & similia, quæ in vita sua tetigerunt, vel ad eorum defunctorum corpora admota fuerunt.

Aduertendũ tamen est ad reliquias primatim venerandas & adorandas, sufficere priuatum testimonium vnius personæ fide dignę; aut alia probabilis ratio vel coniectura, qua sufficienter moueamur, ad prudenter iudicandum veras esse reliquias. Ratio est, quia in adoratione seu cultu priuato, minus periculum subest, etsi interdùm error materialis contingat, dummodo bona fide agatur: posita enim probabilitate prædicta, licet absolutè & absque conditione adorare dictas reliquias; nam adest moralis certitudo, quæ sufficit ad prudenter operandum absque periculo erroris saltem formalis: & licèt fieri possit vt materialiter erretur, si contingat reipsa non esse veras reliquias, nullum tamen peccatum incurritur, quia adorans bona fine adorat. Ita Doctores.

Sed petes *Primo*, quænam certitudo requiratur in approbandis re-

dis reliquijs? Resp. esse necessariam certitudinem moralem deductam ex probabilibus argumentis, non autem euidentiam & argumenta infallibiliter concludentia: ille enim dicitur certus, qui probabiliter, & nō temerè credit. *Diana p. 2. tr. 15. r. 51.*

Petes *Secundò*, an liceat Crucem varijs reliquijs, non tamen approbatis ornatam in altari collocare, & populo adorandam proponere? Resp. affirmatiuè, tum quia sic vnus obtinuit, tum quia cùm Crux in altari collocatur, non Reliquiæ, sed Crux adoranda proponitur, quod verò vnus vel alius reliquias adoret, id est per accidens, & ad priuatum cultum pertinet, non ad publicum. *Castrus Palaus to. tract. 8. disp. 1. punct. 6. n. 11. Sanches lib. 2. moral. c. 43. n. 17. contra Bonacin. disp. 3. de adorat. qu. 1 p. 4. num. 6.* Tum quia cùm vnum est propter aliud, id solùm propter quod est, consideratur; atqui reliquiæ propter solum Crucis ornatum exponuntur.

Porrò nota quando reliquiæ sunt legitimè approbatæ vel bulla Apostolica, vel testimonio Episcopi diœcesis à qua transferuntur in aliam diœcesim, non esse Episcopi diœcesis earum veritatem examinare, quia iam legitimè comprobata est; sed examinare an sint eæ reliquiæ, quæ in literis Apostolicis, aut testimonio Episcopi continentur, vt sic det licentiam publicè eas collocandi in sua diœcesi.

ADVLATIO.

SVMMARIVM.

1. *Adulatio quid sit.*
2. *Quale peccatum.*

1. ADulatio, secundùm *Diuum Thomam*, est excessus delectandi alios verbis laudis, aut factis supra debitum modum virtutis. Nam qui vult in omnibus alteri loqui delectabiliter, peccat, quia virtus affabilitatis, etsi principaliter intendat delectare eos, quibus conuiuit; tamen vbi necesse est, non veretur contristare, propter aliquod bonum.

Adulationis duæ sunt species. Nam, si quis ita delectare studeat, solum vt alijs sit in conuictu iucundus, vocatur placidus: *Si* verò causa lucri quempiam plus quàm par sit, vel etiam falsò laudet, vocatur blanditor, assentator seu adulator. Tamen nomen adulatoris, omnibus solet attribui communiter, qui supra debitum modum, volunt alios verbis vel factis delectare in communi congressu. Ita *D. Tho. 2. 2. q. 115. art. 1. Sylvius ibid. Tannerus 2. 2. disp. 6. q. 2. n. 40. Sylvest. v. Adulatio. num. 1. Petr. Ledesma in Sum. tr. 19. cap. 2. Lessius l. 2. c. 47. d. 7. nu. 51. Viguerius instit. c. 5. §. 13. verf. 1.*

2. Adulatio per se est solùm peccatum veniale, quia est tantùm excessus in studio placendi & oblectandi in communi congressu. Tripliciter tamen potest esse peccatum mortale. *Primò*, ratione materiæ, si laudes alicuius peccatum præsertim mortiferum; sic plerumq; adulatores vitia nominibus virtutum tanquam fuco honestant & laudant. *Secundò*, ratione intentionis seu finis; puta cum quis alicui adulatur, vt noceat, vel ad libidinem pertrahat, vel vt eum decipiat. *Tertiò*, Ratione effectus vel occasionis; vt cum per adulationem præbetur occasio alicuius grauis peccati, etiam præter adulatoris intētionem; quia secundùm *Diuum Hieronymum*, nihil est quod tam facilè mentem hominis corrumpat, quàm adulatio. *D. Thom. c. art. 2. Sylvius ibid. Sylvest. c. n. 4. Lessius c. n. 52. Viguerius c.*

Ad dignoscendum tamen, an adulatio sit mortalis necne; attendi debet vtrum occasio sit data, vel accepta, & qualis ruina sequatur, venialis scilicet aut mortalis; & secundùm hoc iudicandum est. Ita *Sancius in Selectis disp. 5. n. 13.*

ADVLTERIVM.

SVMMARIVM.

1. *Adulterium quid sit: & quot modis possit committi.*
2. *Pœnæ ciuiles adulterij.*
3. *Adulter & adultera tenentur in solidum ad restitutionem damnorum, &c.*
4. *Quid dicendum quando duo adulteri cognouerunt vnam & eandem fœminam coniugatam, quæ tunc temporis concepit, quo maritus erat absens.*
5. *Adulter an teneatur resarcire damnum legitimis filijs ex illegitimi successione proueniens, si non fuit auctor suppositionis.* Refertur duplex sententia.
6. *Si partus non sit secutus, adulter non tenetur ad aliquam restitutionem præcisè ratione adulterij.*
7. *Non tenetur adultera cum periculo vitæ vel famæ seu honoris manifestare prolem esse spuriam.*
8. *Non tenetur filius credere matri dicenti ipsum esse spurium.*
9. *Licet prolem spuriam exponere, vt in hospitali alatur, ad occultandum adulterium, si parentes sint pauperes.*
10. *Adulterium an sit abusus vxoris extra vas legitimum.*
11. *An hoc crimen sit mixti fori?*

1. ADulterium luxuriæ peccatum est, quo violatur coniugalis fides, & fit accessus ad alienum thorum; vnde requiritur vt vterque vel alter sit iunctus matrimonio, vt actus luxuriæ dicatur adulterium. Potest autem triplici modo committi. *Primò*, ex parte viri tantùm, vt si coniugatus rē habeat cum soluta. *Secundò*, ex parte fœminæ tantùm; si primo modo fiat, graue peccatum mortale erit, minus tamen quàm si fœmina copuletur duobus viris: Ratio est, quia fœmina vna pluribus viris satisfacere nequit, quin ordinariè impediatur generatio, vel si interdum non impediatur, erit tamen contra certitudinem prolis, & in eius præiudicium vergit, cùm sit incertum, cuinam sit assignanda, marito an adultero; deinde fit peculiaris iniuria marito, dùm ei aliena proles supponitur: hinc coniugatę adulterium vindicatur morte si maritus illam iure prosequatur, coniugati verò nequaquam. *D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 8. Sylvius ibid. Petrus Ledesma in Sum. tr. 27. c. 12. Clauis Reg. lib. 8. c. 3. Fillucius tr. 30. c. 4. q. 2. & 3. Nauarr. in Man. c. 16. n. 5. Lessius l. 4. c. 3. dub. 10. Bonacina de matrim. q. 4. punct. 15 n. 3. 4. 5. Sanches de matrim. lib. 9. disput. 15. num. 6. Azorius tom. 3. lib. 3. c. 7. Viguerius in instit. c. 7. §. 4. verf. 2.*

Tertiò, est adulterium, si vterque coniugij vinculo est adstrictus; & tunc grauissimum erit peccatum, cum in illo actu duplex inueniatur iniuria mortifera, scilicet, violatio iurium duorum matrimoniorum, & duobus coniugibus iniuria irrogetur; vnde in confessione explicanda est illa circumstantia, ratione cuius iniuria duplicatur, nec sufficit accusare se de adulterio in genere. Vide *D. Thomam, Syluium, Petrum Ledesmam, Clauem Regiam*, & alios.

Petes, quando marius consentit in adulterium suæ vxoris, vel fit leno ipsius, an sit adulterium?

Responsio communis est affirmatiua. Ratio desumitur ex definitione adulterij, quod scilicet sit ad alienum thorum accessio. Nec obstat commune axioma quòd *scienti & consentienti nulla fit iniuria, de regul. iuris in 6.* Quia illud intelligēdum est, de rebus quarum homo voluntate sua & libero arbitrio est dominus, non autem de alijs; Ex vinculo enim matrimoniali, in quo traduntur corpora coniugum, naturaliter nascitur obligatio seruandi fidem ad inuicem; & hanc obligationem, vtpotè connaturalem matrimonio, neuter coniugum potest vlla ratione suâ voluntate & consensu à se abijcere. Tum quia fit contra ius matrimonij, cui non potest alter coniugum efficaciter cedere, quia non competit ipsi in ordine ad priuatum bonum, sed ratione status qui est communis; vndè quantumuis vir consentiat, vt alteri vxori suæ carnaliter copuletur, semper remanet locus iniuriæ & adulterij. Ita Doctores citati.

2. Pœnæ adulterij sunt. *Cap. plerumque, de donat. inter virum & vxor. Primo*, vxor adultera amittit dotem, quæ propter adulterium post sententiam iudicis adiudicatur marito eam accusanti de adulterio: Item amittit arras & munera propter nuptias, non autem paraphernalia.

Secundo, si maritus postea fornicetur, potest vxor agere contra maritum, & ad thori coniugalis consortium, & ad dotis restitutionem. Item vxor adultera, si viro suo reconcilietur, omnia recuperat. *Couarr. p. 2. c. 7. §. 6. n. 6. 9.*

Tertiò, vxor adultera non potest accusari ab hæredibus mariti ad amissionem dotis, si adulterium, viuente marito commissum, fuit illi notum; secùs si marito non fuit notum.

Quarto, adulter ob adulterium amittit ius petendi debitum coniugale, hoc sensu, quod ei petenti non tenetur alter coniux reddere. *D. Thom. 4. d. 35. q. vnic. art. 3. D. Bonauent. ibid. art. vnic. q. 3.*

Quintò, adulter per sententiam Iudicis priuari potest cohabitatione cum altero coniuge, quæ pœna dicitur diuortium. *Cap. ex literis, de diuortijs.*

Sex-

Secundò, Contra adulteros Iure Codicis pœna capitis inflicta est: postea iure Pandectarum in fœminis pœna mortis fuit in mitiorem pœnam commutata, nam fœmina adultera verberari præcipitur & postea in monasterium detrudi. *L. Quamuis 1. C. ad legem Iuliam, de adulteriis. Auth sed hodie, C. de adulter.*

Iure Canonico communi, pro adulterio, tam masculus quàm fœmina excommunicatur: item in monasterium detruditur; & si maritus nolit eam retinere, ibi cogitur toto vitæ tempore pœnitentiam agere. *C. Gaudemus, de diuortijs.*

Septimò, Clericus adulter notorius deponitur ab officio, & in monasterium toto vitæ tempore detruditur, fitque infamis: imò est irregularis, quia omne crimen depositione dignum, quod est notorium, inducit irregularitatem. *C. si quis Clericus, distinct. 81. Cap. fin. de Temporibus ordinand.* Dicitur autem adulterium notorium, vel quia adulter in iudicio confessus est illud, vel quia in iudicio conuictus est de illo, vel quia adeò est manifestũ, vt nulla tergiuersatione celari queat: puta, si adulter habeat eam publicè in mensa, in lecto, & publicè nutrit filios susceptos ex ea. Vide *Sylvest. v. adulterium q. 7.*

3. Qui prolem ex adulterio genitam, credit indubitanter esse suam, in solidum tenetur cum matre ad restitutionem & compensationem damnorum, quæ adueniunt vero marito, vel hæredibus legitimis ex sustentatione prolis spuriæ & hæreditatis partitione. Ratio est, quia adulter & adultera relinquendo prolem spuriam inter filios legitimos veri mariti, sunt illi causa damni contra illius voluntatem, ergo tenentur ad restitutionem. Ex parte enim vtriusque tam adulteræ, quàm adulteri, adulterium est contra iustitiam, & vterque est causa damnorum, quæ ex adulterio sequuntur. *Lessius l. 2. c. 10. dub. 6. Syluius 2. 2. q. 62. ar. 2. q. 7. Azor part. 3. l. 5. c. 6. Filliucius tract. 32. nu. 223. Salon 2. 2. q. 62. art. 6. Henriques lib. 11. c. 21. nu. 2. & 3. Bonacina de matrimon. q. 4. p. 15. nu. 8. & 9. Layman l. 3. tract. 3. p. 3. cap. 14.*

In dubio autem, an proles sit adulterina, non tenetur adulter ad vllam restitutionem, quoties probabiles rationes adsunt dubitãdi; Ratio est, quia possessio stat pro matrimonio & præsumendum est prolem susceptam esse ex vero marito; nemo enim tenetur aliquid soluere & re suâ se spoliare, nisi ei constet se debere: Imò secundum *Henriques*, rarò tenetur adulter reddere adulteræ, quæ tempore adulterij commissi simul versabatur cum marito: nec enim fœminæ semper constat, an ex hoc aut illo conceperit, an ex vtroque. Ita *Lessius, Syluius: Azorius, Filliucius*, & alij sup. cit.

4. Quando duo adulteri cognouerunt vnam & eandem fœminam coniugatam, quæ tunc temporis concepit, quo maritus absens erat, tenetur vterque ad alimenta prolis & restituere damna pro sua parte, & altero nolente tenetur alter in integrum; idem dicendum quando duo carnaliter cognouerunt aliquam solutam, ex qua proles genita est, sed dubitatur cuiusnam sit proles susceptа. *Molina to. 4. de iustit. tr. 3. disput. 103. Vasques 1. 2 disp. 66. c. 8. n. 48. & de restit. cap. 5. §. 1. d. 10. n. 23. Rebellius l. 3. q. 10.* Ratio est, quia sicut in dubio vtrum res sit huius, an alterius, antequam vllus eorum illam possideat, est inter eos æqualiter diuidenda; eodem modo dicendum est, debitum, quod dubium est, ad quem illorum pertineat, æquè inter ipsos diuidendum esse, eadem enim videtur ratio. *Lugo* tamen negatiuam sententiam tenet: quia quotiescunque nõ constat saltem per præsumptiones, vel indicia probabilia hũc esse tuum filium, videtur te non teneri eius alimenta præstare. Probatur, quia si aliquis inueniatur occisus, & dubitetur, an occisus sit à Petro, vel à Paulo, nec possit dubium illud separari, iniquum erit vtrumque punire, cùm certum sit; alterum ex illis esse innocentem: atque adeo, si vterque puniatur, certum erit innocentem puniri. Ex quo argui potest ad casum, quia licet restitutio, vel solutio non sit propriè pœna, est tamen quasi pœna: nam sicut ex furto v. g. oritur debitum pœnæ, sic etiam oritur debitum reparandi damnum totum, quod ex furto consequitur. Vnde sicut ob delictum incertum, non est aliquis afficiendus pœna certa; sic nec obligandus est ad certam solutionem & restitutionem, quandiu non constat de debito. Ita Lugo *de iustit. tom. 1. disp. 13. sect. 2. Diana p. 4. tr. 3. resol. 11. & p. 7. tr. 11. resol. 35.* autem non approbat quolibet patre deficiente, vel nolente filium alere, alium esse obligatum in integrum; quia aduersus quemlibet non habet filius integrum ius; & pro hac sententia citat *Salas 1. 2. tract. 8. disp. vnic. sect. 24. n. 248.* Prior tamen sententia est tenenda.

5. Quidam docent adulterum, quamuis certum suam esse prolem, non teneri tamen sarcire damnum legitimis filijs ex illegitimi successione prouenies, modò nõ fuerit auctor suppositionis. Ratio illorum est, quia iste adulter nõ est verè causa proxima huius damni, neque illud intendit nec attingit sua actione, cùm ipse solùm intenderit explere libidinem, non generare; vnde aliena actione prouenit, nempe matris suppositione & fictione; & sicut si adultera procuraret abortum, non diceretur adulter causa homicidij, quia ipse suppeditauit prolem, nisi suasisset, vel adiuuisset; ergo pari ratione non censebitur causa suppositionis, ac proinde, nec damni ex suppositione secuti; ergo non ipse, sed mater tenebitur ad restitutionem. Ob has rationes hæc sententia videtur probabilis, cui adhærent. *Sotus de iust. l. 4. q. 7. art. 2. Henriques lib. 11. c. 21. nu. 4. Diana p. 2. tr. 3. misc. ref. 55.*

Verum contraria sententia est probabilior & communis, à qua in re tanti momenti non est recedendum. Tum quia cùm ex iniurioso facto adulteri nempe commercio, cũ vxore aliena, sequatur falsa credulitas hunc nothum legitimum filium mariti, censetur etiam causa damni; quod ex illa credulitate nascitur; adulter enim præuidere poterat damnum illud, & præcauere debebat. Tum quia adulter dedit operam rei illicitæ, ex qua eiusmodi damna nata sunt sequi, & propterea est causa damnorum; satisque supponit prolem marito, quando ipse ex ei cohabitante vxore illam generat, neque de omnibus prouidet quæ ad illius educationem & promotionem requiruntur. Imò si adulter adulteram prouocauit, & ad adulterium induxit, ipse in solidum obligatur ad omnia damna, eò quòd sit causa principalis, & eam inducendo videatur suscepisse in se eiusmodi damna. Ipso tamen deficiente, adultera tenebitur in solidum, quia voluntarie fuit cooperata ad damnificationem. Ita *Azor p. 3. l. 5. c. 6. q. 6. Lessius l. 2. c. 10. nu. 43. & seq. Vasques de restam. c. 5. §. 1. num. 22. Nauarr. c. 16. n. 40. Sylvius 2. 2. q. 62. ar. 2. q. 7. concl. 3. Bonacin. de matrim. q. 4. p. 15. n. 13. Malder. 2. 2. tr. 3. c. 4. dub. 9. Rodriques in Sum. to. 1. c. 205.*

6. Secundum probabiliorem sententiam Doctorum, adulter non tenetur ad aliquam restitutionem marito adulteræ faciendam præcisè ratione adulterij, si partus non sit secutus. Ratio est, quia iniuriæ ab omni damno separatæ non debentur ex iustitia, nisi satisfactio per signa doloris, veniæ petitionem, non verò restitutio pecuniaria; vnde si maritus adulteræ exigat satisfactionem pecuniariam, alter non tenetur eam præstare; quia hæc conuentio seu transactio pro iniuria adulterij, iure est interdicta *Le transigere 18. C. de transactionibus. Molina to. 4. de iust. tr. 3. disp. 100. Sylvius 2. 2. q. 62. art. 2. q. 7. concl. 1. Filliucius tr. 32. n. 232.*

Si tamen maritus occultè transigeret cum adultero sine scandalo, non videretur peccare, nec ad restitutionem teneri, intellige post commissum adulterium, vt aiunt. *Lessius c. dub. 5. Malderus 2. 2. tr. 3. c. 4. dub. 8. Azor part. 3. l. 5. c. 6. qu. 9. Bonacina c. p. 15. n. 15. & 16.* Lex enim illa magis pertinet ad Iudices, ne concedatur actio, nimirum in pœnam, ob præsumptionem lenocinij, quàm ad mores priuatos. Vide *Molinam, Sylvium* & alios, supra citatos. Denique est obseruandum, adulterum si nihil promisit adulteræ pro actu turpi cum ea habito, nihil teneri restituere; quia vsus corporis, secluso contractu & promissione, non est pretio æstimabilis; requiritur ergo vt interueniat aliqua ratio contractus, vt etiam militat in fornicatione inter solutos. Si verò adulter aliquid dedit adulteræ, tunc illa debet illud dare marito; quia quæ adultera acquirit, marito acquirit; non enim illa habet potestatem in suam corpus sicut libera & soluta, sed vir talem potestatem habet in corpus vxoris, & ita quæ acquirit vxor per corpus, marito acquirit habenti dominium in illud, cui etiam interest administratio bonorum. Hoc tamen intelligitur, si non sit periculum ex hoc detegendi suum peccatum. Vt rectè docet Caspensis noster *tr. 18. disp. 4. sect. 2. n. 17.*

7. Adultera, quæ est honestæ conditionis & passim pro tali habetur, quando partus secutus est, non tenetur cum periculo vitæ aut famæ seu honoris manifestare prolem esse spuriã, quę publicè legitima censetur. *Clauus Reg. l. 8. c. 3. n. 8. & 9. Toletus l. 5. cap. 11. Nauarrus in Man. c. 16. nu. 44. & seq. Lessius c. dub. 7. Bonacina c. n. 17. 18. & 19. Molina c. disp. 102. Sylvius 2. 2. q. 62. ar. 6. q. 7. Azor c. cap. 6. q. 2. & 3. Diana p. 3. tr. 5. Misc. ref. 30. Valentia to. 2. disp. 5. q. 6. punct. 5.*

Probatur *Primò*, de periculo vitæ, quia vita nullo pretio est æstimabilis; ergo propter rei pecuniariæ restitutionem, non tenetur quis vnquam eam prodigere aut periculo exponere, etiamsi

enamsi amplissima hæreditas ad spurium deuolui deberet.

Probatur *Secundo*, de periculo famæ. Tum quia fama est res superioris ordinis, quæ numquam est necessario exponenda pro rebus inferioris conditionis. Tum quia fama apud homines pecuniis non solet æstimari. *Melius enim est nomen bonum, quam diuitiæ multæ*, vt habetur *Proverb.* 22.

Tenetur tamen adultera, quantum fieri potest sine famæ dispendio de vitæ periculo procurare ne legitimi hæredes ratione huius illegitimæ prolis aliquid detrimenti capiant; vnde si habeat paraphernalia, tenetur ea relinquere legitimis in expensationem; item si quid ex labore & propria industria capiat lucris, si his modis non potest latisfacere, tenetur spurium inducere ad capessendam religionem, si ad eam videtur idoneus; denique si nullo modo possit mater compensare damnum, non tenetur prodere suum crimen marito aut proli, nisi moraliter certa sit damni auertendi; imo in hoc casu non tenetur cum periculo famæ vel vitæ, nisi forte damna quæ prouenirent marito vel hæredibus, iudicio prudentis perponderent, vel sint æqualia famæ ipsius adulteræ. Vide DD. ibi.

8. Filius non tenetur credere matri dicenti ipsum esse spurium, quamuis hoc afferat cum iuramento aut etiam in articulo mortis, si mater tempore conceptionis habitabat cum viro; vade nec tenetur à se abdicare hæreditatem. Ratio est, tu quia alleganti suam turpitudinem cum alterius præiudicio, nul a debetur fides: & cum ipse & tu & publica opinione sit legitimus, non tenetur cum tanto suo incommodo se reputare illegitimum, nisi constet tum. Tum quia cum ille sit natus ac educatus in domo legitimi coniugatorum, fauor matrimonij præualet vt ex matrimonio natus iudicetur; multiesque enim, & specialiter talium, inconstantia est suspecta. Si tamen filius omnino conuinceatur, vel quia mater testibus fide dignis sufficienter probat maritum toto conceptionis tempore abfuisse, vel quia eiusmodi conceptus adulterini talia sint argumenta, quæ omnino conuincunt, tenetur filius credere se illegitimum & non adire hæreditatem; nisi tempore ad præscriptionem requisito bona fide illum possedisset. Ita *Henriquez lib. 11. c. 11. n. 2. Iu. K. Conarrau. ad reg. peccatum 9. n. 8. Suarez lib. 11. c. 21. n. 2. Sayrus de cens. l. 6. c. 10. n. 37. Azor 3. p. l. 5. c. 6. q. 5. Layman l. 3. tr. 3. p. 3. c. 14. Cassensis s. sect. 2. n. 12.*

9. Ad occultandum adulterium, nullum est peccatum, prolem spuriam exponere, quando infamia & alia mala aliter coroodè impediri non possent sufficienter: modo adhibeatur debita cautela, ne proles frigore, &c. pereat: debeat tamen prius baptizari, ne forte moreretur sine baptismo, dignitasque humanæ esset leuiter cum prole spuria abiecta: ita est communis. *Cæterum in Sum. v. Adulterium. Navarr. in Man. cap. 14. n. 17. Toletus l. 5. c. 11. n. 1. Bonac. de matrim. q. 4. punct. 15. num. 11. 12. Lessius l. 2. c. 19. n. 69. Molina to. 4. de iustit. tr. 3. disp. 103. Layman cap. 3. p. 3. c. 14. n. 4. Cassensis tr. 28. disp. 2. sect. 2. n. 16.*

Addunt verò communiter Doctores, si parentes sint diuites, teneri restituere hospitali sumptus quos in ea prole alenda fecerit. Ratio est, quia bona hospitalium sunt in vtis pauperum & præsumpta voluntas fundatorum est, vt quando ex alia iusta causa bona hospitalis non possunt insumi, tenentur eis filio alicuius diuitis parentes tenerentur ea cõpensare in vtis alicuius pauperum. Ad hanc autem restitutionem teneretur solus pater, ad quem solum ex iuris dispositione spectat tribuere alimenta eiusmodi filijs, exceptis alimentis lactis, quando mater lactare commode potest cum filium: in nostro autem casu, sufficere id non posset sine suo dedecore, & interdum sine aliis etiam malis usque de causa pater tenetur hæc etiam tunc soluere: si tamen pater propter paupertatem aut alia de causa id nõ posset facere, & mater diues esset, tunc mater teneretur integra alimenta hospitali restituere in defectum patris. Ita *Cæterum, Navarrus, Toletus, Bonacina, Lessius*, & alij communiter.

10. Abusus vxoris extra vas legitimum vitra peccatum contra naturam, adulterium est, tam ex parte viri quam ex parte vxoris confentientis, & proinde vterque tenetur contteri vsquæ circumstantiam adulteri. Ratio est, quia neuter cõ- 1. *comment. Azor part. 3. l. 13. cap. 29. Bonac. to. 2. disput. 10. quæst. 3. punct. 4. n. 1.*
jux ceruat alteri suum corpus casti, quod ad bonum fidei pertinet non .n. est contra ad filium actum, sed ad naturalem, & consequenter talis actus perinde est ac si alieno coniugę ge-
fiat. Imo non satis esset fateri adulterium, cum coniugata in contrarium peccatum contra naturam, sed explicandum est admodum nude cum propria coniuge: Ratio est, quia si explicetur cum coniuge in genere, manifestatur iniustitia aduersus illum coniugem, cum tamen nulla talis sit. Vide *Cæter. tr. 2. q. 154. art. 1. ad 4. Scotus in 4. dist. 31. q. unic. art 4. Sanchez de matr. disp. 8. P. Escobar de matrim. q. 49. art. 6. dub. 2. post 1. concl. Diana p. 7. tr. 1. 2. resol. 23.* qui licet prædictæ sententiæ adhæreat, refert tamen ex aliquorum Doctorum sententia, posse martiri in tali casu aliquem in confessione fe commissile peccatum contra naturam, nihil aliud explicando: nam quidam tenent non esse explicandam personam cum qua habita est Sodomia, vtri videlicet fit masculus, vel fœmina; nam licet concubitus ille cum fœmina, non sit propriè Sodomia, tamen ad Sodomiam reducitur, vnde pœnitens in confessione satisfacere, asserendo, peccati toties contra naturam. Ita *Mazzhellus*. Quod verò in casu de quo loquimur pœnitens non teneatur explicare fe esse vxoratum, tanquam probabilem admittit *Machadus*. His tamen non obstantibus non est recedendum à prima sententia.

11. Quoties agitur de adulterio ad pœnam sanguinis imponendam, solus Iudex ecclesiasticus est competens, quia Ecclesiastico interdicitur ea pœna punire. *Cap sententiam sanguinis, nec Clerici vel Monachi.* Quoad alias verò pœnas est mixti fori, atque subinde datur locus præuentioni. Cum enim ille quædam Sacramenti iniuria, non minus pertinet ad Eccl. iusticiam iudicem, quàm ad sæcularem punire illud.

Si moueatur quæstio de alimentis præstandis adulteræ, à viro separatæ, coram iudice sæculari, vtroque excipiente de sufficienti causa diuortij, nempe, de adulterio videlicet, ecclasticus superfedere, donec Ecclesiasticus diuortij quæstionè dirimat. Vide *Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 84. Miranda de ordin. Iud. q. 2. art. 5. Azor p. 2. l. 3. c. 5. q. 2. Couar. de spons. pt. 2. c. 7. § 7. n. 12.*

De adulterio, vide *Compensatio* num. 11. *Dubium coniugale* 1. num 14. *Dimorium* num. 6. & seq. *Dubium* nu. 10. *Religio* : n. 3. *Luxuria* nu. 3.

ADVOCATVS.

SVMMARIVM.

1. *Quinare Canonico repellantur ab officio aduocati.*
2. *Quibus scientia iuris requiratur in Aduocato.*
3. *Tria canere debet Aduocatus sufficienter scientia instructus.*
4. *Aduocatus fidelitatem erga clientem seruare debet.*
5. *Aduocatus tenetur gratis patrocinari pauperi, seu vementi vel grauiter affligenti.*
6. *Peccat mortaliter Aduocatus defendendo causam iniustam. Et tenetur ad restitutionem, scies fe causa sit ex vtraque parte probabilis, vel dubia.*
7. *Quale stipendium recipere possit Aduocatus pro patrocinio.*
8. *Aduocatus an possit pacisci cum cliente de aliquota parte litis, si vincat.*
9. *Integrum stipendium sibi promissum potest Aduocatus recipere, dum causam deserat ob clientis defectum.*

1. AD exercendum officium Aduocati non omnes admittuntur, fed aliqui ab eo exercitio repelli natur iure Canonico ob impotentiam, vt funt muti, furiofi, adolescentes vsque ad decimum octauum annum. Alij non admittuntur ob decentiam & status dignitatem, vt sunt religiosi, excepta causa necessitatis Monasterij cum licentia Abbatis, in ciuilibus tantùm, etiam coram Iudice laico. Deinde ob eandem rationem non admittuntur Clerici Sacris Ordinibus initiati, vel etiam in minoribus constituti habentes beneficium. In causa tamen propria, vel Ecclesiæ fuæ, vel pro coniunctis consanguine carnali non habentibus Aduocatum idoneum, vel pro miserabilibus personis, prædicti Clerici admittuntur ad munus aduocandi, etiam coram Iudice sæculari, modo negotium fuerit Ecclesiasticum. *D. Thom. 2. 2. qu. 71. art. 2. Sylvius ibid. Clauu. Reg. lib. 12. c. 12. Regnaldus libr. 25. cap. 55. n. 605. & 664. Sylueft. Angelus, Tabien. v. Aduocatus. Layman l. 5. sect. 3. tr. 4. c. 26. n. 11. 12. Nauarrus in enon decatus 12. qu.*

Item excluduntur, excommunicati, infames, hæretici, seruus, fœmina, & vir voluntarie pusillus multebris, damnatus capitali criminis, vel calumniæ, publici iudicij repellantur. Præterea ille qui in causa aliqua iudex est aut assessor, prohibetur officio Aduocati fungi, quia duo officia in eadem causa non potest exercere, *causa 4. q. 4. c. 1. & 2.*

Aduerte dum est ex *Panormitano super rubric. de postulando. L. 1. & 3. q. 7. c. ex iames.* quod postulare seu aduocare, est, *desiderium suum vel amici sui in iure apud eum, qui iurisdictionem habet, exponere, vel alterius desiderio contradicere.* Vnde Aduocatus dicitur is qui in iudicio apud eum qui iurisdictioni præsidet, desiderium suum vel amici exponit, vel alterius desiderio contradicit. Proinde consulens in camera propriè Aduocatus non dicitur, nec prohibitus aduocare, censetur prohibitus in camera consulere, vel facere allegationes in scriptis. Plura apud Doctores hic citatos.

2. Aduocatus recte officio aduocandi fungi possit, requiritur in eo scientia iuris, in quo veritatem sit, vt sufficienter valeat merita & iustitiam causarum secundum iura cognoscere, non tamen requiritur summa scientia in Aduocato, sed sufficit mediocris scientia cum experientia & negotium qualitate, & pro hominum opinione, quia is qui doctior reputatur, si que pro tali scit, minorem scientiam debet habere, alioquin peccabit & tenebitur ad restitutionem damni, quod clientes passi fuerint in eo propter ipsius imperitiam iuris. Tum quia qui damni causam dat, damnum dedisse videtur. Tum quia Aduocatus tenetur ex iustitia defendere causam sui clientis, ratione pacti quod iniit, & pretij quod accepit; atqui si propter ignorantiam litem perdat non stat promissis, neque adimplet illud ad quod tenetur ex iustitia, ergo peccat mortaliter & restituere ad restitutionem. Ita *Salon 2. q. 71. ar. 1. Sylu. ibid. art. 2. Nauarrus in Man. c. 21. n. 28. De la Cruz in director. pr. cept. 8 q. 3. dub. 19. concl. 3. D. Anton. 3. p. tit. 6. c. 1. 8. quantum. Lef. l. 2. c. 31. dub. 8. Fillmo. tr. 40. n. 280. 282.*

3. Aduocatus sufficienter scientiã instructus tria cauere tenetur. *Primo*, ne sit præceps, sed consideratus in iudicando, cõsulendo, & causas defendendo. *Secundo*, vt non consulat opiniones sophisticas, sed communes. *Tertio*, debet esse diligens & cautus circa causæ cognitionem & defensionem; satis autem est in singulis causis eam diligentiam & industriam adhibere, quæ prudentum peritorumque iudicio censebitur sufficiens, pro ratione & qualitate causæ; & aliter agens peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem damnorum, quæ ex sua negligentia parti subsequuntur: quia omnibus exercentibus aliquod officium hęc communis obligatio est, vt illud cum debita cautela & diligentia exerceant. *Clauis Reg. l. 12. cap. 22. n. 11. Regin. l. 5. n. 666. Tolet. l. 5. c. 60. n. 4. Fillmo. tr. 40. c. 10. Petr. Ledesma in sum. tr. 8. c. 26.*

4. Aduocatus non solum sufficientem scientiam habere debet, sed etiam fidelitatem erga clientem seruare debet, quæ in tres consistit. *Primò*, vt non adducat in medium leges falsas, vel abrogatas, aut falsas & reprobatas doctrinas afferat, aut leges bonas in sensu falso distorqueat, alioqui de falso tenebitur. *Secundo*, vt in patrocinando non vtatur conuitijs & maledictis, sed potiùs vt par est nitatur bonis indicijs, & litem nõ defendat falsis cauillationibus. *Tertio*, vt non instruat clientem ad iurandum vel falsum, vel falsas scripturas, aut testes falsos inducendum; nec qua rari in grauiorem alterius partis difamationem nec necessarias. *Quarto*, vt non manifestet aduersario materias cauſæ sui clientis, tunc enim tutior præsumitur puniendus esse? ibi quod locum habet etiam in casu quo prius exiſtimans causam esse iustam, postea deprehendit iniustam esse. De his *Sylueſt. v. Aduocatus qu. 9. Rodriguez in sum. tom. 1. c. 3. Nauar. in Man. c. 3 num. 29 Valentia 2. 2. disp. 5. qu. 1. punct. 4. Viguerus cc. 8. 2. uers. 8. D. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3. ad 2. Bonacina tom. 2. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 5.*

5. Sicut quilibet tenetur sui leuare laborantem extremã vel graui necessitate, ita Aduocatus tenetur gratis patrocinari pauperi extremã vel etiam graui necessitate laboranti; ipsiusque operã indigenti dum nullus alius patrocinium præstiturus est. Ratio est, quia si Aduocatus gratis non adiuuet pauperem vna ex tam dictis necessitatibus laborantem, cum possit habet substantiam, qua iuuare illum poterit, ac nihilominus claudit viscera sua ab eo, igitur mortaliter peccat, iuxta illud 1. Ioa. 3. *Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo?* Nihilominus certum est in nulla necessitate teneri Aduocatum ferre patrocinium cum grauissimo suo incommodo, quia opera charitatis non obligant cum tanto damnosum sui tamen suo detrimento teneretur patrocinari etiam in communibus pauperum necessitatibus; nam ex iuperfluis tenentur homines facere eleemosynas in communibus necessitatibus, patrocinium autem eleemosyna quædam est, & hoc ipso quòd leui cum detrimento fieri potest, habet rationem superfluj. *D. Th. 2. 2. q. 71. a. 1. Sylu. ibid. Clauus Reg. lib. 12. c. 23. num. 7. & 8. Azor. 1. p. l. 13. c. 29. uers. 6. Viguer. cc. Aduersus q. 18. Angelus ibid. n. 16. Salon 2. 2. q. 71. a. 1. contr. 1. Valent. 2. 2. disp. 5. q. 1. punct. 2.*

Extrema necessitas tunc est, quando pauper sic eget patrocinio, ad quod tamen habendum pecunia & similibus destituitur, vt nisi adiuetur, causa sit cassura, & vel iniusta morte plectendus, vel suis quantiuiscumque sint, rebus omnibus spoliandus, ac in extremam inopiam redigendus. *Fillmo. tr. 40. n. 286. & seq. De la Cruz in director. pr. ec. 8. q. 3. dub. 18. Sanctus in Selectis disp. 47. n. 18.*

Grauis est quando nisi gratis iuuetur, litem perdet, ratione cuius, aut grauem bonorum iacturam patietur, aut ad trines dirumpe vel arcerem condemnabitur, aut in morbum periculosum incidet.

Communis nec essitas erit, quando nisi iuuetur pauper litigans, is iactur am aliquam patietur, quamuis nõ adeò grauem vt notabiliter statum eius imminuat. De his plura apud *D. Th. & alios hic citatos quos consule.*

6. Aduocatus qui causam iniustam scientèr suscipit defendendam, non solum mortaliter peccat cooperando iniquitati ex iacturas quæ etiam ad restitutionem damni secuti tenetur. Et quidem parti contrariæ tenetur ad restitutionem ex peccato commissionis, quia fuit illi causa positiua damni. Clienti vero tenetur ex peccato omissionis, quatenus ipsum non admonuit de iniustitia causæ; nam ratione officij tenebatur admonere clientem, iniustitiam causæ ignorantem. *D. To. c. 4. 71. ar. 5. Sylu. Caiet. ibid. De la Cruz c. dub. 20.*

An autem Aduocatus teneatur sic restituere multam in quam reus fuisset condemnandus, si non sic iniustè eum defendisset? Dicendum est quòd non; quia tales multæ non dentur ante sententiam, & sic nec illum erant debitæ fisco. Ita *Basnes, Salon. 2. 2. q. 71. ar. 4. Clauus Reg. l. c. 23. n. 11.*

Si tamen vtraque pars, actoris & rei, sit probabilis, potest Aduocatus vtramq; causam tueri, quamuis altera pars, quam ipse non defendit probabiliori sit. Ratio est, tum quia quilibet potest sequi opinionem probabilem, & sicut pars, cuius causa est probabilis, non peccat se defendendo aut accusando, ergo neq; peccat Aduocatus causam ipsius defendendo. Tum quia opinio quæ aliquibus videtur minus probilis, fortasse videbitur probabilior, ſaltem prout ab Aduocato bonis rationibus confirmabitur. Ita communis sententia apud *Clauis Reg. l. c. 11. n. 17. Vasq. 1. 2. d. 64. c. 1. n. 3. Nauar. in Man. c. 23. n. 28. Sanch. 1. 1. Mor. c. 9. n. 51. Lef. l. 2. c. 31. n. 52.*

Sed dubium est, an prædicta doctrina vti possit Aduocatus in causa sanguinis vel amissione omnium bonorum? Probabile est tunc peccare Aduocatum contra charitatem pro actore minus probabile causam habenti, patrocinantem, & maxime quando reus in ea lite succumbens, deu nutus esset in extremam aut grauem necessitatem. Ratio est, tum quia in dubio melior est rei possidentis conditio, neque in dubio quispiam condemnandus est. Tum quia actor contra charitatem agit, reum probabiliori sententiæ nixum, ad prædictam necessitatem adigere volens; cum ex charitate potius obligetur illi subuenire, sicut vnusquisque tenetur proximum in vrgenti necessitate constitutum adiuuare. Ita *Medi. 1. 2. q. 19. a. 5. d. 86. assert. 8. de la Cruz in direct. prac. 8. a. 5. dub. 1. concl. 2. Sylu. 2. 2. q. 71. ar. 3. Basnes in dub. 3. p. dub. 6. Salon ibid. contr. 2. Rodrig in sum. to. 1. c. 2. n. 2. Tolet. l. 5. c. 60. n. 2.*

At his non obstantibus, contraria sententia est in praxi tuta. Ratio est, tum quia cum cliens, in hoc casu iuste litigare possit, nec imprudenter agat, vtpote qui ratione probabili dicitur: integrum quoq; erit Aduocato in ea causa minus probabili patrocinari causam actoris, etiam in casu sanguinis, aut honoris, aut de causa cinili maximi momenti, vt de omnium bonorum possessione. Tum quia munus Aduocati non est rem de iniuste reddendo vni quod petit, & auferendo alteri, sed enim iudicis est: sed illius tantum est fundamenta iuris & facti, sua clienti faciunta proponere iudici, vt ille his perpensis decernat, pro quo sententia ferenda sit. Ita *Vasq. 1. 2. d. 64. c. 1. n. 3. Salas 1. 2. tr. 2. disp. 2. sect. 11. n. 103. & 104. Clauus Reg. l. 1. c. 11. n. 16. Turr. 2. 2. to. 2. q. 71. ar. 3. Diana p. 2. tr. 13. ref. 4. Lara 1. 2. to. 1. def. 39. memb. 2. Azor. to. 1. l. 2. c. 17. q. vlt.*

Potrò non solum quando sunt probabiles sententiæ, sed & si res sit dubia non peccat Aduocatus patrocinando. Ratio est ante dicta, quia Aduocatus nec sententiam profert, nec iudi-

cem

cem cogit proferre: solùm enim proponit, quæ sui clientis ius confirmare possunt, quæ proponere Iudici in causa dubia non est iniustum, sed iuuat, vt à Iudice causa melius expendatur. *Nauar. in Man.c.25.n.28. Syluest.c. q.10. Malderus 1.2.d. 86.assert.8. D.Anton.in p.2.tit.1.c.19.§.8.*

7. Aduocatus pro patrocinio tale stipendium recipere potest, quod est taxatum à lege, vel consuetudine, nisi maius liberaliter donetur. Ratio est, quia quilibet tenetur seruare legem iustè taxantem pretium, alioquin peccat cõtra iustitiam, & tenetur ad restitutionem; taxa enim constituit iustum pretium patrocinij venalis; si ergo accipiatur vltra taxam, recipitur vltra iustum; atque adeò committitur iniustitia. Si verò pretium non est vsu vel iure taxatum, tantum recipere potest Aduocatus, quantum iudicio prudentis viri iustum videtur, habitâ ratione laboris in patrocinio, dignitatis, scientiæ Aduocati, & grauitatis seu difficultatis causæ: omnes enim istæ causæ iustam præbent augendi pretij rationem. *D. Tho.2.2.q.71. art. 4. Syluius, Salon. Bannes ibid. Claus Reg.lib.12.c.23.n.28.& 29. Filiuc.tr.40.c10.q.8. P. Ledesma in Sum.tr. 8.c.26. Toletus l.5.c.60.*

8. Aduocatus non potest pacisci cum cliente de aliquota parte litis, puta si vincat, vt pro pretio det secundam, tertiam partem illius; quia huiusmodi pactum vetitum est *l. Si qui C. de postulando, & l. sumptus, ff. de pactis*. ne via & aditus Aduocatis aperiatur vincendi lites per fraudes, vt parte promissa fruantur: licet tamen pacisci absolutè de tanto pretio soluendo, siue causa obtineatur siue non; & tunc Aduocatus ex vi prædictæ pecuniæ promissæ tenetur pro tota causa prosequenda. Ita communiter *Nauar.in Man.c.25.nu.30. Reginaldus l.25.nu.677. Azor.p.3.lib.13.c.29.dub.8. Syluius 2.2.q.71. art.4. Claus Regis c. cap.23.nu.30.*

Sed quia leges prædictæ prohibentes pactum inter Aduocatum & clientem de quota litis, fundantur in præsumptione, quæ non habent locum, nec obligant in foro interiori conscientiæ, quoties deficit præsumptio fraudis & iniustitiæ, ideò probabile est secundùm. *Victorellus in Man. Nauar.c.25.nu.30. Diana p.2.n.2. Misc resol.49. Valerius in diff.v.contractus differ.3.* tale pactum non esse peccatum mortale: quia nulli legi naturali, aut diuinæ, aut Ecclesiasticæ, sed solis ciuilis legis verbis, non fortasse legislatoris menti, aduersaretur.

9. Aduocatus potest integrum stipendium sibi promissum recipere, dum causam deserit ob clientis defectum, vt quia cliens aliquid confessus est, ex quo Aduocatus causam iniustam esse cognouit. *Claus Reg.lib.12.cap.23.n.33. Syluest.v. Aduocatus q.22. L. qui operas ff. locati.* Vel si stipendium absolutè fuit promissum & assignatum pro labore, seu pro lite, non habitâ ratione temporis, & cliens litem inchoatam deserat, ob idque Aduocatus litem non prosequatur: ad exemplum illius, qui locauit operas suas, & deinde conductor non vult illis vti, tenetur integrum stipendium dare locatori: secùs dicendum esset, si promissum sit stipendium habitâ ratione temporis & laboris, tunc enim debetur solùm ad ratam *Azor. p.3.l.13.c.29. dub.10. Bonac.disp.10.q.3.punct.4. n.11. Filiuc.tr.40.n.293.* Denique potest Aduocatus integrum salarium recipere, dum litem non prosequitur, eò quòd cliens compositionem, cum aduersa parte fecerit, per ipsum enim non stat, ne promissam operam præstet. *Sylvest.c. q. 20. Reginaldus l. 25. nu.678. Rodriques part. 1. Summ.cap.4.*

De Aduocato vide *Conscientia* n.18.19. *Culpa* n.6. *Festum* 2. 3.24. *Irregularitas* 5.n.14. *Falsarius* n.2.

ALIENATIO.

SVMMARIVM.

1. *Alienatio quid sit propriè & largè sumpta.*
2. *Bona Ecclesiæ alia sunt mobilia, alia immobilia, alia pretiosa, alia non pretiosa.*
3. *Quæ bona Ecclesiæ alienari possint.*
4. *Iustæ causæ ad validitatem alienationis bonorum Ecclesiasticorum.*
   Casus permissi, in quibus licita est alienatio sine licentia Sedis Apostolicæ.
5. *Quotuplex sit solemnitas iure requisita ad alienationem bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum.*
6. *Quid requiratur vt valide possint alienari bona Ecclesiæ non Cathedralis, nec Collegiatæ.*
7. *Si quid datum sit alicui ea lege vt alienare non liceat: illo reli-*

gionem ingrediente, transit in monasterium.
8. *Alienari an possit res immobilis, vel mobilis pretiosa legato relicta loco pio, sub conditione, vt possit alienari absque iuris solemnitate.*
9. *Alienatio bonorum Ecclesiæ facta sine iuris solemnitate an inualida sit.*
10. *Pœna contra alienantes bona Ecclesiæ sine prædicta iuris solemnitate.*
11. *Bona pupillis & minoris immobilia & mobilia pretiosa valide non alienantur absque iudicis decreto.*
12. *Generalis Societatis Iesu disponit de rebus omnibus collegiorum eiusdem Societatis.*

1. ALienatio propriè & strictè, est omnis actus per quem dominium transfertur; largissimè autem alienatio, dicitur datio in Emphyteusim, & locatio ad longum tempus, id est, vltrà triennium, modò locatio fiat de bonis, quæ singulis annis fructus reddunt, nam si alternis, vel ternis solùm annis fructus reddant, locatio pro rata protrahi potest. Dicitur etiam hypotheca, infeudatio, vel etiam actus, quo vsusfructus, aut ius in alterum transfertur, vel abdicatur. In materiâ odiosa alienatio capitur strictè & pro contractu, per quẽ dominium transfertur: in materiâ tamen largâ & fauorabili, vt hìc accipitur largissimè. Ita *Syluest.v. alienatio. Suares de cẽsur disp.22. sect.6. Azor.part.2. lib.9.cap.1.q.2. Layman l.3. tra.4. c.10 n.2. Lezana to.3.v. Alienatio n.2. Bonacina to. 1.tr. de alienat. bonor. Eccl.punct.2. Rodriques to.1.qq.reg.q.27.art.1.*

2. Bona Ecclesiæ quæ alienari possunt, alia sunt mobilia, alia immobilia; bona mobilia dicuntur ea, quæ loco moueri possunt, vt equus, vestis, pecunia &c. Immobilia dicuntur ea, quę loco moueri non possunt, vt domus, ager, &cet. & sub bonis immobilibus comprehenduntur tam res corporeæ fixæ & stabiles, quàm actiones & iura, vel reditus longi temporis; Item iura seu debita rerum immobilium, iam acquisita Monasterio & ab illo acceptata. Rursus bona, alia dicuntur pretiosa, alia non pretiosa; pretiosa, alia seruando seruari possunt, vt sunt vasa argentea, aurea, tapetes, &c. quæ per triennium nõ corrumpuntur. Item grex ouium, armentum boum, præcipium equorum & similia. Alia quæ seruando seruari non possunt, vt sunt fructus, oleum, vinum, pecunia vsui quotidiano inseruiens: huius generis sunt illa omnia, quæ vsu absumuntur vel breui tempore inueterascunt. Pecunia autem fructifera, qualis est illa, quæ est in Montibus, vel censibus collocata, est bonum immobile, vel pro bono immobili habetur: item illa, quæ pro monialium dote & sustentatione traditur, inter bona pretiosa, quæ seruando seruari possunt, communiter recensetur; potest tamen illa pecunia insumi in emendo agro, vel vinea, vt de fructibus ipsius, monialis sustentetur. Item, quæ pro venditione rei immobilis, ad alias res immobiles emendas, accepta fuit, hæc enim est res pretiosa, quæ seruando seruari potest, & debet, donec ad eum finem insumatur, ad quem tradita fuit. Plura de his apud *Molina de iust.tr.2. disp.465.n.4: & disp.468. Lezana to.1.c.10.n.4. Bonacina c.punct. 2.n.2. & seq. Quarantain Summ. Bullar.v. Alienatio.nu.24.25. Sylvester c.q.6. Vasques in opusc. de redut. c.2. §.2. dub.13. nu.45. Rodrig. c.art.4. Azor.c.lib.9.c.1.q.5.*

3. Alienari possunt bona Ecclesiæ mobilia & pretiosa, quæ seruando seruari non possunt, ab habente illorum bonorum administrationem, puta Episcopo vel Prælato, absque alia iuris solemnitate. Ratio est, quia sic apertè colligitur ex *Clement. 1. de rebus Ecclesiæ non alienandis.* Et experientiâ constat vendi fructus, & alia bona mobilia, etiam pretiosa, quæ seruando seruari non possunt.

Bona verò Ecclesiæ immobilia; vel etiam mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, validè non alienantur, nisi adsit iusta causa & solemnitas à iure præscripta. *Cap. Nulli, de rebus Eccles.non alien. Extravag. Ambitiosæ, eodem tit. L. iubemus 2. C. de Sacros. Eccles.* Hæc prohibitio extenditur etiam ad loca pia v.gr. Xenodochia, si Episcopi auctoritate constituta sint; Ecclesiæ enim, & loca pia in eiusmodi alienatione æquiparãtur. Ita Doctores supra citati.

Sed petes ad quam summam debeat ascendere res, vt pretiosa dicatur, ad effectum, vt Prælatus illam alienare non possit? Resp. post determinationem sacræ Congregationis, teste *Homobono & Peregrino* apud *Diana* p.4. *tr.4.res.223. Tamburin. to.3. de iur. Abbat.disp.23.q.6.& 7. mobile pretiosum illud censeri, quod excedit valorem 25. Scutorum aureorum.* Naldus verò *in Sum.*

*Sum.v. Alienare num.*5.dicit ex ſtylo Curiæ, quod communiter non excedit valorem viginti ducatorum.Sed quamuis declarationi Sacræ Congregationis pro eo caſu quo facta eſt, ſtandum ſit, & ſtylus ille Curiæ de pretio viginti ſcutorum ſatis rationi conſonare videatur;nihilominus melius videtur dicendum hoc relinqui debere arbitrio Iudicis,vel prudentis viri,Ita *Quaranta, Barboſa, Peyrinus* citati à Lezana *in Sum.to.*3. *verb. Alienare n.*7.

Item ex decreto alio eiuſdem ſacræ Congregationis ſub die 21.Martij 1626. non poſſunt Regulares,inconſultâ ſacra Cõgregatione, accipere pecunias ad cambium, vel mutuò, cum ſolutione lucri ceſſantis vel damni emergentis;niſi excuſaret, aduerſus dictum decretum conſuetudo legitimè præſcripta. *Diana* ſuprà, & *Tamburinus*, apud quem exſtat hoc decretum, cuius tenor eſt, *Cum,poſt editum decretum 7. Septembris 1624. de rebus Regularium non alienandis,compertum ſit, Regulares, quos eadem Decreto prohibentur, cenſus imponere ſuper bonis ad eorum Monaſteria pertinentibus, loco cenſuum huiuſmodi pecunias ad cãbium,vel mutuo accipere cum ſolutione lucri ceſſantis, & damni emergentis. Cumque ex huiuſmodi contractu eludatur mens Sacræ Congregationis, cui in primis in votis ſit, conſulere Religionum indemnitati, quæ ex impoſitione cenſuum huiuſmodi plurimum ledũtur: S.D.N. approbante dictam, & declarauit, huiuſmodi contractum eſſe contra mentem Decreti, vt ſupra editi, adeoque non licere Regularibus, pecunias, vt proponitur, accipere, ac ſi acceperint, in ipſius Decreti pœnas ipſo facto incidere.. Datum Romæ* 21. *Martij* 1626.

Coſmus, Card. de Torres.
Locus ✠ ſigilli.

Proſper Fagnanus Congregat. Secret.

Item S.D.N.Vrbanus VIII. in Conſtitut. *Humanæ Salutis*, anno 1625. prohibet bona Iuriſdictionalia in feudum,vel emphyteuſim concedere, aut vltra triennium locare, vide *tom.*4. *Bullarij Laertij Cherubim inter Bullas Vrbani.*

4. Quadruplex iuſta cauſa ad validitatem alienationis huius recenſetur. Prima eſt, *neceſſitas* vrgens Eccleſiæ, cui aliter occurri nequit; ſcilicet quando debitis grauatur, quæ aliter ſolui nequeunt quàm per alienationem dictorum bonorũ. *Syluest.v.n.*2. *Leſſius l.*2.*c.*24.*n.*63. *Quaranta v. Alienatio num.*3. *Vaſques de redit.c.a.*2.§.2.*d.*9.*&* 10. *Bonacina c.punct.*3.*n.*1. *Couar. 2.variar.c.*17. *Molina de contractibus diſp.* 465. *Nauar. in comm. de alien. rerum Eccleſ.*

Secunda eſt, *vtilitas euidens* & manifeſta, quæ attendenda eſt tempore quo perficitur contractus ſeu alienatio. Euidens autem vtilitas dicitur,quando nullum dubium eſt,quin alienatio ſit magis profutura Eccleſiæ.

Tertia eſt,*Pietas*, v.gr. ad redimendos captiuos, vel pauperes graui neceſſitate ſubleuandos.Si tamen captiui malefactores eſſent iuſtè puniendi,pietas non cogit ad eos redimendos.

Quarta eſt,*incommoditas*,vt,ſi res ſit Eccleſiæ ſumptuoſa & parum vtilis. Plura de his apud Doctores hìc citatos.

Caſus autem iure permiſſi,in quibus licita eſt alienatio ſine vlla Sedis Apoſtolicæ licentia, poſſit, tamẽ neceſſitate,vel euidenti vtilitate Eccleſiæ,ſunt.*Primus*, quando res alienanda eſt modici valoris. *Secundus* eſt, conſuetudo legitimè præſcripta contra Extrauag. *Ambitioſæ*, & Decretum S. Congregationis allatum. *Tertius*, quando bona ſunt relicta religioni incapaci bonorum in communi. *Quartus*, quando ſunt relicta cum tali onere, vt alienari debeant certo tempore,aut caſu,aut reſtitui ex obligatione iuſtitiæ. *Quintus*, ſi bona ſolita ſunt infeudari, aut in Emphyteuſim concedi. Plures caſus vide apud Quarãtam *in Sum.Bullarij,verb.Alienatio.* Rodriques *to.*1.*q.reg.qu.*27. Peyrinum *to.*1.*priuil.in Conſtit.*9. *July II.*§.1. Lezanam *in Sum. to.*1.*c.*10.*n.*4.*&to.*2.*c.*19.*n.*57.

5. Solemnitas ad alienationem horum bonorum immobilium, vel mobilium pretioſorum requiſita,in his conſiſtit.*Primò*,vt fiat ſuper ea re tractatus,id eſt,vt in capitulo diſcutiatur, an expediat hanc alienationem fieri. Ad tractatum autẽ conuocandi ſunt illi,quorum intereſt,vt Canonici in Eccleſia Capitulari, Monachi de conuentu in monaſterio. *Cap.ſine exceptione* 12.*q.*2.*Cap.tua,de his quæ ſunt à Prælatis. cap. vt ſuper, de rebus Eccleſ.non alien.Couarr.l.*2.*var.c.*17.*n.*1.*Layman l.*3.*tr.*4.*c.* 10.*n.*4.*Leſſius l.*2.*c.*24. *dub.*11.*n.*63. *Syluest V. Alienatio. nu.*3. 4 5.*Filiucius tra.*44.*c.*5.

Secundo, vt Capitulum expreſsè conſentiat; ſufficeret autem conſenſus maioris partis Capituli præſentis, etiamſi ſingulariter præſtetur, modò præceſſerit tractatus.

Tertio, vt fiat ſubſcriptio à Capitularibus; ex conſuetudine tamen ſufficit ſubſcriptio Notarij.

Quinto, vt adſit authoritas Superioris, qui in non exemptis eſt Epiſcopus; in exemptis autem Prælatus,cui Eccleſia, vel monaſterium pleno iure ſubeſt,vt Abbas, Generalis, vel Prouincialis in Ordinibus Mendicantium;quòd ſi Prælatus procul abſit & res nõ patiatur moram,ſufficeret conſenſus præſũptus.

Quinto,vt licita ſit alienatio bonorum Eccleſiæ Cathedralis, iure antiquo requiritur conſenſus Sedis Apoſtolicæ: Iure autem nouo per Extrauag. *Ambitioſæ,Pauli II.* etiam prædictus cõſenſus deſideratur in omnibus alijs bonis Eccleſiaſticis alienandis, vbi conſtitutio illa recepta eſt quoad hanc partem.Ita communiter Doctores.

6. Vt validè poſſint alienari bona Eccleſiæ non Cathedralis, nec Collegiatæ, requiritur conſenſus Rectoris Eccleſiæ cum conſenſu Epiſcopi; imò Summi Pontificis poſt Extrauag. *Ambitioſæ.* Quod ſi Eccleſia,cuius bona alienãda ſunt,Rectore careat, conſtituendus eſt defenſor Eccleſiæ, qui audiendus eſt.Ita *Panorm.in c.*1.*de his,quæ ſunt à Prælat.n.*5.*& cap. placuit* 12.*q.*2.*Molina diſp.*468.*n.*13.

7. Si quid datum vel donatum alicui ſit eá lege, vt alienare non liceat, illo religionem ingrediente, tranſit in monaſterium: quia hæc eſt alienatio legis & acceſſoria ad perſonam ingredientis; Monaſterium enim ſuccedit in bonis profeſſi,non iure hæreditario, ſed iure naturalis acquiſitionis.Ita *Layman l.*3.*ſect.*5.*tr.*4.*c.*23.*num.*15. *Abbas c. in præſentia,de probat.num.*73.

8. Alienari non poteſt res immobilis vel mobilis pretioſa, donata aut teſtamento, vel legato relicta loco pio capaci,quãuis ſub conditione relicta ſit, vt poſſit alienari abſque iuris ſolemnitate; quia huiuſmodi conditio pro non adiecta habetur, cùm ſit contra iura, quæ præſcribunt res loci pij ſine ſolemnitate non poſſe alienari. *Armilla V. Alienatio.n.*29. *Couarr. in c. tua,de teſtam.n.*6.*Quaranta V. Alienatio.n.*6.

9. Alienatio bonorum Eccleſiæ facta ſine præſcripta iuris ſolemnitate, inualida eſt, non ſolùm in foro externo, verum etiam in foro conſcientiæ: & non ſolùm quando ipſe contractus alienationis celebratus fuit in fauorem recipientis, verùm etiamſi in fauorem & vtilitatem Eccleſiæ alienantis.Ratio eſt quia prædicta ſolemnitas præſcripta eſt tanquam formá ſubſtantialis contractus alienationis;ſi formula enim iuris dat eſſe rei: vt colligitur ex *c.tua,de his quæ ſunt à Prælatis*. Et extra cauſas iure permiſſas, nullius eſſe momenti alienationem planum eſt ex *c.Nulli,de rebus Eccl.non alien.*Nam alienatio rei iure prohibitæ, niſi in caſu permiſſo, in Iudicio non ſubſiſtit. *L.Non dubium,C.de legibus,& c.ea quæ,de reg.iuris in* 6. Hæc ſententia eſt magis recepta. *Suarez de leg.l.*5.*c.*24.*nu.*9. *Molina de iuſt.tr.*2,*diſp.*468. *Farinacius in præxi.*118. *n.*3. Quamuis non ſit improbabile, validam eſſe alienationem in foro conſcientiæ,ſi ſeuerâ omni fraude & dolo vacauerit, hoc eſt, ſi in caſu iure permiſſo, & auctoritate Superioris, & eorum,quorum intereſt, conſenſu,res alienetur; quamuis prætermiſſa formulâ iuris: Omnis enim contractus in foro conſcientiæ ratus eſt & firmus, ſi in eo fuerit ſeruatum, quod ius naturale præſcribit; hoc eſt,ſi conſenſus eorum qui contrahere poſſunt,acceſſerit & res alioqui alienari queat, quamuis non fuerit formula iuris ſeruata. Ita *Panormit.in c.quia plerique, de immunit. Eccleſ.Syluest.c.n.*13.*Filiuc.tr.*44. *c.*6.*q.*6.*ad fin. Layman l.*1.*tr.*4.*c.* 16.*n.*9.*Rodriques to.*1.*q.reg.q.*27.*art.*9.

10. Epiſcopi,vel Abbates alienantes bona Eccleſiæ, vel locorum piorum abſq; ſolemnitate a iure requiſita, incurrũt interdictum ab Eccleſiæ ingreſſu,& ſi per ſex menſes permanſerint in Interdicto,ijs elapſis, remanent ſuſpẽſi à regimine vel adminiſtratione Eccleſiæ,vel monaſterij cui præſunt. Inferiores autem Epiſcopis vel Abbatibus,priuantur ipſo facto,abſq; alia declaratione, beneficio vel Officio,cuius bona præſumpſerint alienare. Præterea incurrunt excommunicationem non ſolùm ipſi alienantes, verùm etiam ipſi recipiẽtes, ſecuta traditione & alienatione. *Extrauag.Ambitioſæ. Sayrus de cenſ.l.*4. *c.*12.*n.*54.*Suar.de cenſ.diſp.*22.*ſect.*6. *Nauar.in Man.c.*27.*n.*149.

Tridẽtinum quoque *ſeſſ.*22.*c.*11, anathemati & alijs pœnis ſubijcit eos, qui bona quæcumque Eccleſiæ ſibi vſurpauerint; & clericos, qui ad id conſenſum & adiumẽtum perhibuerint, eidem cenſuræ ſupponit,& præterea beneficijs priuat, & ad alia recipienda inhabilitat. Quod Tridentini decretum ſacra Congre-

Congregatio Concilij extendit ad clericos omnes male alienantes, locando, permutando, &c.

Hæc excommunicatio *Paulina* non est reseruata, sed Episcopalis, ac proinde potest quilibet superiorem Prælatus religionis ab illa absoluere. *Tridentinus* verò est Papalis.

Porrò Extrauagans hæc *Pauli II.* paucis in locis recepta est, non solùm quoad priuationem beneficij, verùm etiam quoad censuras; vnde videnda & attendenda est locorum cōsuetudo, illique standum est; nam fieri potest, vt recepta sit quoad vnam partem, non verò quoad alias; quoad obligationem, non verò quoad pœnas. *Quarantæ c. n.* 48. Imò *Nauar. n.* 149. additsunt ibi esse omninò receptam, quia in nullo loco est vsu receptæ priuatio beneficiorū, quòd attinet ad inferiores Episcopo Prælatos. Vide *Toletus in Sum. lib. 5. c. 91. Gutteres l. 1. quæst canon. c. 8. Azor p. 2. l. 9. c. 2. q. 1. Bonacina c. pœnit. 5. n. 4. Sylueſter V. Excommunicatio 7. n. 83.*

11. Bona pupilli & minoris immobilia & mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, absque Iudicis decreto, valide nō alienantur, quamuis auctoritas Tutoris intercedat; quia lex tacitè alienationi resistit. *L. 7. l. 11. §. 15. de prædijs minor. Bartol. in l. 1. §. de Nouat. Sanchez de matr. l. 6. d. 38. n. 26. Layman l. 3. sect. 3. tr. 2. c. 9. n. 8. Lessius lib. 2. c. 17. dub. 8.*

12. Amplissimum priuilegium concessum est Generali Patrum *Societatis Iesu*, pro tempore existenti, vel Capitulo item generali disponendi de rebus omnibus collegiorū ciusdem Societatis, habiti summariè tantum causæ cognitione, non obstante contradictione proprij conuentus. Vnde illis licitum est renunciare iuri, pro quo aliquis conuentus litigat, & legato nondum tradito, si expedire iudicet. *Colletor Compendij Societ. Aluarez. §. 1. & 2.*

13. Generales aliorum Ordinum, aut Capitula generalia si habet communicationem priuilegiorum Societatis, possunt vti hac concessione *Iulij III. & Gregorij XIII. Rodr. q. 10. 1. q. 7. reg. q. 27. art. 3.* Vnde Carmelitæ habent à *Gregorio XIII.* in bulla, *Ex incumbenti* anno 1576. facultatem alienationes faciēdi, dummodò sint in commodum & vtilitatem Monasteriorum, & ex consensu diuarum ex tribus partibus Fratrum vel Monialium, accedente etiam consensu, vel ratihabitione Generalis. Quælibet igitur Religio iuxta formam priuilegiorum, quæ habet, post Extrauagantem *Pij V.* sese, a Sede Apostolica impetrandum, potest facere prædictas alienationes, præcisa tolemnitate, habita tamen licentia Sedis Apostolicæ, vel S. Congregationis, cùm quo ad illud reuocata non sint priuilegia, si quæ exstent.

De Alienatione, vide *Capitulum* n. 7. *Depositum* n. 1. *Emphyteusis* n. 2. *Fideicommissum. Beneficium* 7. n. 3. *Transactio* nu. 4. *Tutela num. 6.*

ALIMENTA.

SVMMARIVM.

1. *Quæ veniant nomine alimentorum.*
2. *Grauiter peccat Pater negans alimenta filio licet spurio.*
3. *Mater vitra triennium non tenetur filio lac aut alimenta præbere. An parentes teneruntur ad restit. si filios exponant.*
4. *Obligatio qua parentes tenentur alere filios transit ad heredes illius, qui filios alere tenebatur.*
5. *Pater an teneatur ad restitutionem, qui filio non præstitit alimēta.*

1. ALimentorum nomine intelliguntur, victus, vestitus, lectus, habitatio, & alia ad vitam necessaria, iuxta personæ conditionem & qualitatem: Veniunt etiam nomine alimentorum, medicinæ, quibus indigemus, tempore præsertim valetudinis: & secundum aliquos etiam impensæ funeris, si filius moriatur, & impensæ competentes pro anima defuncti. Proinde crescente ætate, in filio, crescere quoque alimenta debent, & nobilioribus pleniora alimenta debentur: & si persona itidem prosui status conditione, famulis egeat, eis pariter sunt alimenta præbenda; si magistris item vel pædagogis indigeat, soluenda sunt stipendia debita: si filio opus sit equis, sunt quoque nutriendi equi. Ita etiam communiter Summistæ *Verb. Alimenta. Lugens ff. de alimentis. Lessius de iustitia & iure lib. 2. c. 17. dub. 8. Bald. Cyriacus and Azorius to. 2. l. 4. c. 2. q. 2. & 19. Fullerus tr. 28. c. 2. nu. 17. p. 2. Diana p. 1. tr. 2. resp. 87. Layman l. 3. tr. 10. p. 3. c. 5. n. 7.*

2. Paret deneganda alimenta filio licet spurio sine graui causa, grauiter peccat: quia facit contra ius naturæ in re grani: si tamen filius sit diues, aut aliunde sibi cōsulere commodè queat arte vel officio decenti, ad id non tenetur pater, quia filius tunc necessitate laborare non dicitur; & hoc maximè in casu quo pater ita esset pauper, vt illa præstare non possit.

Si filius proscriptus sit authoritate Principis; vel excommunicatus, pater adhuc illi tenetur alimenta exhibere: quia Principes vel Ecclesia in his casibus nō auferunt obligationē iure naturæ introductam. Si verò damnatus sit à Iudice, vt fame pereat, potest quidem pater alimenta præbere, sed ad eā non tenetur. Insuper cum pater teneatur liberorum onera sustinere, & omnis filij sit ex vxorem alat, idēò pater filij exorem alere tenetur, dum illius alimenta præstare non potest. Vide *Sanchez de matrim lib. 4. disp. 26. n. 20. 21. Molina 1. de primog. 1. 6. Gomez. Bonacina to. 2. disp. 6. q. vnic. p. 6. §. 1. n. 2. Clauius reg. 1. 2. c. 18. n. 20. Basnes 2. 2. in præambulo ad q. 62. dub. 2. Cosar. in Epit 2. p. c. 8 §. 6.*

3. Vlque ad triennium tenetur mater lac filio præbere, quia is spurius: modo lactē non careat, nec iuxtam non lactandi cam habeat. *L. nec filium C. de patria potest.* Ante cum patet lactis filij impensas facere debet.

Transacto triennio non peccat mortaliter mater, quamuis filio alimenta non præbeat; quia ex iuris dispositione incumbit patri obligatio filium alendi post triennium, nisi ad hoc pater impotens sit: posita autem impotentia patris tenetur mater. *L. si quis a liberis ff. de liberis agnoscendis. In defectum matris tenetur Aui & alij ascendentes. Ita Clauius reg. 1. c. 17. n. 16. Azorius p. 2. l. 2. c. 5. q. 8. Nauarrus in Manoc. 14. n. 17. Lessius l. 2. c. 17. n. 10. p. 2. c. 5. n. 5. 6. Molina to. 1. disp. 168.*

Sed dubium est, an parentes ab obligatione alendi filium liberantur, si eum in publica hospitali domo, vel alio inani loco nutricium curauerint, vt illud portæ oppositi vel alterius simili prætorum ciuium, diuitum, & potentum exponant.

Respon. secundum probabiliorem & communiorem sententiam, mortaliter peccare parentes taliter exponendo filium illi absque dedecore vllo à parentibus dii possint: *Sanchez. Nec are ff. de liberis agnoscendis dicitur, Necesse videtur mortuum ire, qui parum profecit sed ire impedit, & alimentum denegat & is qui publicis locis misericordiæ causa ædificatis exponit, quos ipse non habet.* Vnde taliter exponentes, si diuites sint, restituere debent omnes impensas in filij eorum nutricium factas. Si tamen parentes iustam habuerint exponendi causam, vt quia egeni sint & per fœpios nutrire nequeant, vel vt peccatum, suum celent, & honorem, famam, ac dignitatem tueantur, excusari possunt à peccato mortali, & quia nulli adscribitur, cuinque quod iusta de causa facit, cum prudenter operat, decatur imò & à restitutione faciendæ, si pauperes sint, secus si tantum vt infamiæ periculum cuitent. Ratio est, quia qui filios diuitum exponunt animo non refarciendi damna & expensas, iniuste agunt, & peccant contra iustitiam; vnde tenentur ad restitutionem. Vide *Sylueſter V. Adulterium. 9. 5. Clauius reg. 1. c. 17. n. 5. Nauarrus c. n. 17. Bonacina c. n. 6. Regnbidius l. 20. nu. 30. & 40. Layman l. 3. sect. 3. tr. 3. c. 14. Azorius p. 2. l. 2. c. 5. q. 7. Sa V. Parentes n. 3. L. Si quis a liberis ff. de liberis agnosc. Authent. Iuset. de natural. liberis. Gomez ad l. 9. Taur. nu. 2. Azorius p. 2. lib. 2. c. 5. q. 6. Cosarruuias Epit 2. p. c. 8. §. 6. n. 14. Regnaldus l. 20. n. 40. Nauch. l. 2. moral. c. 16. n. 15. 26. Bonac. to. 2. disp. 6. q. vnic. punct. 6. §. 1. n. 7. 8. & 10. Farinacius in præst. to. 1. part. 1. tit. de delict. & pœnit. qu. 24. & supra Adulterium n. 9.*

4. Obligatio, qui parentes tenentur alere filios, transit ad heredes illius, qui filios alere tenebatur; vnde filius etiam spurius alendus esset a monasterio, cui pater, facta in eo professione, sua bona reliquit, nam monasterium censetur hæres patris.

Tamen hæc obligatio nō transiret directè ad eos, ad quos ex donatione vniuersa bona patrum peruenerunt; quia nullo iure probatur huiusmodi bona transire cum hoc onere; indirectè verò transiret, quatenus æquitati consentaneum videtur, vt authoritate, & officio iudicis compellantur ad alendos donatoris filios, etiam spurios. Multò minus transmittitur hæc obligatio ad eos, qui titulo emptionis, permutationis, similisve contractus bona parentum obtinuerunt; quia æquitas, aut iustitia postulare non videtur, vt qui titulo oneroso hæc bona acceperunt, & tantumdem persoluerunt domino, cogantur etiam ad filios alendos. Ad hæc autem transmitteretur obligatio filios alendi, cui addicta sint bona ob crimen à parente commissum, excepto crimine hæresis & læsæ maiestatis; quia par non est, vt filij innocentes priuentur alimentis, sibi iure naturæ debitis, ob crimen patris, dum aliunde sustentari non possunt. At quando ob dicta crimina publicentur bona, non tenetur filios filios alere, sed omnia prorsus patrentum bona publicantur, nullis alimentis reseruatis; & hoc

ex legis præſcriptio ſit, ob bonum cõmune, vt tam atroci ſupplicij timore arceantur parentes ab his delictis patrandis. Ita Doctores citati.

¶ In foro conſcientiæ pater non tenetur ad reſtitutionem, qui filio non præſtitit alimenta; ſi filius aliquibus annis ſe ſuſtentauit alimentis aliunde acceptis, modò filius ob id debita non contraxerit vt ſeipſum aleret: tunc enim pater debet æs alienum ſoluere. Ratio autem cur alimenta præterita non debeantur, eſt, quia dantur, vt quis alatur, & viuat; at cùm filius ſe aliunde abſque vllo ære alieno ſuſtentauerit, in totum ratio alimentorum, ac proindè tota legis cauſa ceſſat. In foro tamen externo liberum videtur filio agere contra patrem ad repetendam alimentorum æſtimationem. Ita innuunt. *Claus reg. lib. 7. cap. 5. n. 15. Filliucius tr. 28. p. 2. c. 2. n. 40. Azorius p. 2. l. 2. c. 4. q. 16. Reginaldus l. 20. n. 40.*

De alimentis, vide *Adulterium* n. 4. & 9. *Apoſtaſia* n. 6. *Diuortium* n. 22. *Dos* n. 3. *Heres* n. 11. *Parentes* n. 3. *Tranſactio* n. 5.

ALTARE.

SVMMARIVM.

1. *Altare debet eſſe lapideum: & multis modis conſecrationẽ amittit. Et an ſi quis bona vel mala fide celebret in altari non conſecrato aut profanato, remaneat conſecratum?*
   An liceat celebrare in Altari portatili ex duobus lapidibus inſertis duobus lignis inuicem colligatis?
   An execrata, vel polluta Eccleſia, execretur vel polluatur Altare tam fixum, quam portatile in ea contentum? Remittitur.
   An Altare execretur, ſi in eo celebret excommunicatus, ſuſpenſus, &c.
2. *An neceſſarium ſit vt in quolibet Altari ſint reliquiæ Sanctorũ.*
3. *Qui Abbates poſſint Altaria conſecrare.*
4. *Priuilegium* Sixti V. *conceſſum Mendicantibus pro conſecratione Altarium ſuorum.*

1. AD offerendum Miſſæ ſacrificium neceſſariò requiritur Altare, quod lapideum eſſe debet, non ligneum vel terreum. *c. Altaria, de conſec. diſt.* 1. atque ab Epiſcopo conſecratum. *c. concedimus, de conſecr. diſt.* 1.

Duplex eſt autem Altare, vnum eſt mobile ſeu portatile, quod de loco ad locum transferri poteſt, alterum fixum, ſeu ſtabile: Tantæ magnitudinis debet eſſe altare portatile, vt poſſit capere pedem calicis, & hoſtiam conſecratam commodè; vel vt ſuper eo valeat maior eorum pars firmiter, abſque vllo cadendi periculo, collocari. Aduertendum item eſt altare non conſecratum, poſſe eſſe ligneum; imò neque refert, ſi tota matſa Altaris fixi conſecrati, non ſit lapidea; dummodò ſuperior mensa, quæ ſolùm conſecratur, ſit ex lapide. Ita *Sylueſter V. Altare. Vaſq. diſp* 233. *c.* 2. *Suares to.* 3. *diſp.* 81. *ſect.* 5. *concluſ.* 2. *Syluius* 3. *p. q.* 83. *art.* 3. *quæſt.* 4. & 6. *in* 3. *edit. Azorius p.* 1. *l.* 12. *c.* 27. *Reginald. l.* 29. *n.* 188. 189.

Altare fixum conſecrationem amittit per amotionem à ſtructura, non item altare portatile per amotionem à ligno execratur; tam portatile, quam fixum; conſecrationem amittit per notabilem fractionem, hoc eſt, quando in nulla integra parte altaris, calix cum patena, moraliter rem æſtimando, conſiſtere poſſit; vel quando cornua, quæ inunguntur, fuerint fracta: vel ſi moueatur vel frangatur ſignum ſepulchri, vbi reliquiæ appoſitæ fuerant; vel ſi alio quocunque modo altare amittat ſuã formam. Ita *Henriques lib. 9. c. 28. §. 1. ut L. & M. Tamburinus de iure Abbat. to. 1. diſp. 23. quæſt. 6. n. 4. Barboſa de offic. Epiſc. p. 2. all. 27 n. 25. Lezana to. 3. Sum. v. Altare n. 20. ex cap. 1. & c. Quod in dubijs, & c. Ligneis, de conſec. Eccleſ. vel Altar.*

Adnotandum tamen eſt, quòd, ſi mensa altaris ſeorſim conſecretur & poſtea ſuperponatur inferiori ſtructuræ, etiamſi ita coniungatur, vt permanſura ſit inſeparabilis, non amittet conſecrationem per ſeparationem à ſtructura. Ratio eſt, quia inferior ſtructura non communicat in conſecratione; atque adeo non eſt pars altaris; vnde per talem motionem non perditur forma altaris; neque altare ſic conſecratum exigit ratione conſecrationis permanere affixum inferiori ſtructuræ.

Idem dicendum de altari cuius inferior ſtructura eſt lignea; quia cum altare non poſſit conſtare ex ligno, & illud non poſſit recipere conſecrationem; ideo ex tali ſeparatione nó deperditur cõſecratio aut forma altaris: nullo enim iure prohibetur conſecrari ſolam mensam; & ſicut poteſt conſecrari mẽſa partia, vt in altari portatili; ita etiam menſa magna; quod enim difficilè portari poſſit, per accidens ſe habet. Ita Tabiena *verb. Altare.* §. 5. Sylueſter *ibid. quæſt.* 10. Similiter non amittet conſecrationem altare ſtabile, ſi de loco ad locum integrum transferatur, vel ſi deſtruatur paries cui eſt compaginatum. Ratio prioris eſt, quia cùm remaneat integrum, remanet etiam forma ipſius, atque adeo conſecratio, quæ addicta eſt tantùm materiæ, prout ſtat ſub illa forma altaris. Ita Suares c. *diſp.* 81. *ſect.* 5. Lugo *diſp.* 20. *de Euchar. ſect.* 2. *nu.* 74. Ratio poſterioris eſt, quia altare manet immotum retinens propriam formam, vnde etiam retinet conſecrationem; quæ tamdiu durat, quamdiu durat forma altaris.

Sed quid dicendum, ſi aliquid de ſtipitibus altaris, ſeu inferioris ſtructuræ remoueatur vel frangatur, an altare amittat conſecrationem? Reſp. cum *Sylueſt. v. Altare q.* 8. non amittere, niſi tot lapides amoueantur, aut taliter ſtructura inferior frangatur, aut mutetur, quòd altare ſuam formam amittat; quod contingit, quando inferior ſtructura non eſt amplius apta & ſufficiens ad ſuſtentandam menſam altaris.

Præterea dubium eſt, an ſi quis bonâ vel malâ fide celebret in altari non conſecrato, aut quod iam amiſit conſecrationem; remaneat conſecratum, ita vt poſſit deinceps in ipſo celebrari? Reſp. illos qui id negant de Eccleſia polluta, aut de calice nondum conſecrato, negabunt etiam de altari, quod remaneat conſecratum, cum militet eadem ratio. Sed cùm contraria ſententia ſit valde probabilis, dico non eſſe opus aliâ conſecratione, ſed poſſe in ipſo celebrari. Ratio eſt, quia conſecratio non eſt aliud quàm quædam deputatio, qua altare deputatur ad offerẽdum ſacrificium Deo, & effectus conſecrationis non eſt alius, quàm ſanctificare: & hoc totum habetur ex celebratione in ipſo; nam plus eſt deputare diuino cultui, facto, quàm cæremonijs ſiue celebrationem autem facto ipſo deputatur altare diuino cultui, & ex hoc fit, quòd ſanctificetur, eo quòd concurrit ad actionem ſanctiſſimam, qualis eſt Sacrificium, eam in ſeipſo ſuſcipiendo. Ita Doctores citati infra v. *Miſſa V. n.* 2. quibus adde *Paſqualigus decif.* 45. qui aduertit adhuc manere conſecratum, etiamſi malâ fide in tali altari celebratum ſit; quia conſecratio non pendet ex bona, vel mala fide celebrantis, ſed ſolùm ex facto ipſo, quod ex natura ſua eſt deputatiuum altaris pro miniſterio diuino.

Aliud dubiũ eſt, an liceat celebrare in altari portatili ex duobus lapidibus inſertis duobus lignis inuicem colligatis ad inſtar libri, quod claudi & aperiri poſſit, vt in vno lapide hoſtia, in alio calix collocetur? Reſp. Negatiuè, quia eſſet contra Eccleſiæ cõſuetudinem in re grauj; & contra myſterium ipſum; nam altare ſignificat Chriſtum, in quo non eſt, niſi vna perſona, hic autem eſſent duo altaria, nam altaria multiplicantur ad multiplicationem lapidum conſecratorum. Ita *Sylueſt. c. q.* 1. *Lezana to.* 5. *Sum. v. Altare n.* 8. Limita, niſi fortè id fiat ex ſpeciali licentia Summi Pontificis.

An autem execratâ, pollutâ ſeu violatâ Eccleſiâ, execretur, polluatur ſeu violetur altare tam fixum, quàm portatile in ea contentum? Vide infra *verb. Sacrilegium* 1. *n.* 8.

Potrò nullum Altare ſiue fixum, ſiue portatile execratur ex eo, quòd in ipſo celebrauerint excommunicati, interdicti, degradati, &c. Ita enim colligitur ex *cap.* 2. *de Sacramentis non iterandis.* Sic *Tamburin. de iur. Abbatum to.* 1. *d.* 23. *quæſt.* 6. *Lezana to.* 3. *v. Altare n.* 23.

2. Quidam Doctores valde probabiliter affirmant, ad ſubſtantiam conſecrationis altaris pertinere, vt in eo reliquiæ Sanctorum ponantur; ita vt Altare ſine reliquijs conſecratum pro altari profano non conſecrato, ſit habendum; vt dicitur in *cap. placuit, de conſecrat. diſt.* 1. Ita *Sylueſter c. n.* 1. *Azor. c. l.* 10. *c.* 27. *qu.* 8. & alij ab ipſo citati. Verùm probabilior ſententia aſſerit, eſſe quidem præceptum Eccleſiæ, ne conſecrentur Altaria, abſque Sanctorum Reliquijs, conſecrationem tamen eſſe validam, & conſuetudine derogatum eſſe *Can. Placuit* prædicto, nec eſſe ſeruandum, niſi vbi ſacræ Reliquiæ haberi poſſunt; quia in tanta Altarium multitudine, non poteſt commodè dicti Canonis præceptum adimpleri, cum certæ & exploratæ Sanctorum reliquiæ difficilè haberi poſſint. Licet ad Eccleſiarum Prælatos pertineat prouidere, ſi fieri poſſit commodè, vt pia & antiqua conſuetudo in altaribus ſacras reponendi reliquias, perſeueret. Ita *Sotus* 4. *diſt.* 13. *q.* 2 *art.* 3. *Suares c. ſect.* 5. *Coninck q.* 83. *ar.* 3. *n.* 241. *Layman l.* 5. *tr.* 5. *c.* 6. *n.* 8. *Tamburinus c. quæſt.* 6. *n.* 3. *Reginald. l.* 29. *n.* 190. *Syl.* 3. *p. q.* 83. *ar.* 3. *quæſt.* 5. *Tamburinus c. diſp.* 23. *quæſt.* 4. *n.* 3.

3. Quamuis de iure communi, nullus alius præter Epiſcopum

copum possit altaria consecrare; vt habetur in *cap. Nullus Presbyter* 2. *de consecrat. dist.* 1. Iure tamen priuilegiorum, possunt vtique Abbates, priuilegium ad hoc habentes, Altarium consecrationem efficere, & non solùm altaria portatilia, verum etiam totum altare fixũ, seu mensam benedicere. Quod ad altare portatile patet ex priuilegio *Pij IV.* qui anno 1565. *die 6. Iunij*, Pontificatus verò 6. concessit Congregationi Cassinen. vt singuli illius Abbates pro tempore existentes, Pontificalibus non solùm vterentur insignibus, & ornamentis; verum etiam, vt quoscumque lapides marmoreos, porphyrios, aut alios ad vsum Altarium portatilium, pro viu quorumcumque vtriusque sexus diẽtæ cõgregationis Monasteriorum, & aliorum piorum locorum consecrare, & benedicere possint, Ordinariorum locorum facultate minimè requisita.

Quo priuilegio gaudent multi Abbates, cum Cassinensibus in priuilegiis communicantes.

Quoad verò Altare fixum, ijsdem Abbatibus licitum est, illud consecrare, ex Concessione *Innocentij VIII.* facta *Ioanni* Abbati Cistercij, ac aliis quatuor Coabbatibus, eorumque in perpetuum successoribus: vbi indultũ vt Altaria de nouo constructa, seu translata, restaurata, aut mutata in quibuslibet locis dicti Ordinis, dummodo sacro, prius ab aliquo Episcopo Catholico recepto, consecrare liberè, ac licitè possint & valeant: nullo tamen modo extra Ecclesias ordinis, hoc priuilegio vti possunt, sine expressa licentia Episcopi.

In partibus Indiarum Prouinciales Patrum Societatis IESV, & Fratrum Minorum, nec nõ ijs, quibus ipsi commiserint, possunt consecrationis Sacramentum fidelibus ministrare, benedicere Calices & Altaria etiam pro viu alieno. Ex concessione *Pauli III. Adriani VI. & Leonis X.* apud *Rodriquez. tom. 3. q. 38. art. 2. Portel. in dub. reg. V. Abbas n. 3. 4. & V. Altare n. 2. Tamburinus ca. disp. 2. q. unic. n. 3.*

4. Religiosi mendicantes, postquam bis aut ter Episcopum Diœcesanum rogarunt, pro consecratione suorum Altarium, si Episcopus aut Sedes vacans ad id licentiam dare noluerit, possunt alium quemlibet Orthodoxum Antistitem adire: ita tamen quòd ex hoc in posterum nullum præiudicium inferatur. Ita ex *Sanctis V. Portel. in dub. reg. V. Benedicere nu. 4. Rodriquez. ar. 1.* qui putat hoc priuilegium non esse reuocatum per Concilium Tridentinum *sess. 6. c. 5. de reform.*

De Altari, vide *Benedictio n. 6. 8. Missa* 5. *n.* 1.

AMBITIO.

SVMMARIVM.

1. *Ambitio quid sit, & quale peccatum.*
2. *An quibus casibus ambitio sit peccatum mortale, & quando nullum.*

1. AMbitio, est appetitus inordinatus honorum & dignitatum. Est peccatum, quia talis appetitus est contra bonum rationis: Ex fio genere tamen non est nisi veniale. *Ita D. Thom. 2. 2. q. 131. art. 1. Caietanus ibidem. & alij communiter.*

2. Ambitio aliquando est peccatum mortale. *Primò*, cum ponitur vltimus finis in ipso honore & dignitate, quod contingit, cùm homo paratus est mortaliter peccare, vt dignitatem consequatur. *Secundò*, si quis honorem quærat ex aliquo mortali peccato. *Tertiò*, cùm appetitur honor vel dignitas propter finem aliquem, qui sit mortale peccatum: aut sic, vt eius consequendi vel retinendi gratia, quis scelus aliquod committere paratus sit. *Quartò*, si honorem quærat cum alterius damno vel iniuria: puta per simoniam, vsuram, homicidium, dolum, vel fraudem, & aliis modis illicitis mortaliter peccaminosis. Si autem honor appetatur moderatè ex re bona, nullum erit peccatum, etiamsi nullus alius finis spectetur: quia per se est obiectum indifferens, proximè accedens ad rationem honesti, eiam sit testimonium & imago quædam virtutis. Plura apud *Sylvestrum 2. quæst. 133. ar. 1. Toletus l. 8. c. 23. Navarr. in Manu. c. 23. n. 15. Petrus Ledesma in Sum. tr. 22. c. 3. Viguerus in instit. c. 6. Sacerd. q. Lessius l. 2. c. 2. dub. 3. n. 22.*

Contra ambientes, seu procurantes pro se, vel pro aliis officia in religionibus, graues pœnæ impositæ sunt à *Clemente VIII.* in Decretis pro reformatione Regularium approbatis à Sacra Congregatione iussu S.D.N. *Vrbani VIII.* vt videre est infra V. *Electio n. 14.*

Prohibitum etiam est religiosis recurrere ad personas extra suam Religionem, pro consequendis honoribus, dignitatibus, aut gratijs in ipsa. Et iure optimo huiusmodi intercessiones prohibitæ sunt Religiosis, quia per illas maximum damnum Obseruantiæ Religiosæ sæpius accidit. Sed de hoc plura infra loco citato *n. 15.*

De Ambitione, vide *Superbia, Vana gloria.*

APPELLARE.

SVMMARIVM.

1. *Appellatio quid sit? & an ab arbitris appellari possit.*
2. *Duplex est appellatio, vna Iudicialis, altera extraiudicialis. Et intra quod tempus fieri debeat a lata sententia.*
3. *Appellatio Iudicialis & extraiudicialis producit effectum suspensiuum & deuolutiuum.*
4. *Anper appellationem suspenditur censura lata pure & absolute, vel sub conditione ante conditionem euentam.*
5. *Appellatio a sententia sub conditione lata, an excusset ab incurrenda pœna.*
6. *Appellatio a sententia declaratoria, an valida sit.*
7. *Requisita ad legitimam appellationem.*
8. *Appellans multa obligatur ad expensas iuris & aliqua damna aduersario illata.*
9. *Secundum ius commune non licet religiosis appellare a correctione & mandatis suorum Prælatorum legitime factis iuxta regulares constitutiones.*
An religiosus grauatus ab inferiore Prælato possit recurrere ad superiorem sine inferioris licentia?

1. APpellatio, *est prouocatio a sententia, vel alio Superioris grauaminis, ad alium maiorem iudicem seu magistratum.* Quod remedium ad iustam defensionem & vt præsidium innocentiæ institutum est, non ad defensionem iniquitatis; vnde si causa, vel ipsius appellantis antecedente confessione, vel alio quouis modo notoria sit, appellationi deferendum non est. Item si contra absentem ob veram contumaciam, sententia lata sit, appellans ab ea non auditur. *Glossa in c. Non putamus, de consuetudin. in 6. cap. Placeat 2. quæst. 6. cap. Cum speciali. 5. porro, de appellat. Bonacina tom. 3. disp. 1. q. 3. p. 1. Sylvester V. Appellatio n. 1.*

Item ab Arbitris appellari non potest, si partium consensu delecti fuerint, vt habetur in *L. 1. Cod. de arbitris.* Nec a Summo Principe appellari potest, cùm is superiorem non habeat, ad quem prouocetur. *L. 1. ff. a quibus.* Eademque ratio est, si à Summo Principe alicui causa delegata sit, remota appellatione, cap. *Pastoralis, de appellat.* Porrò in eadem causa non nisi bis appellare concessum est, & tertio appellans non auditur. *c. duriciæ, 4. vna, de appellat.*

2. Appellatio duplex est, vna iudicialis, altera extraiudicialis; appellatio iudicialis de his instituitur, quæ circa iudicium accidunt, quamuis iure ciuili non nisi à tententia definitiua appellari possit, non item ab interlocutoria *Glossa. L. ante, C. Quorum appellationes.* Præterquam si cius grauamen per appellationem à definitiua reparari non possit. Extraiudicialis appellatio est, quæ extra iudicium interponitur ob aliud quodcumque grauamen illatum vel inferendum; puta, si beneficium alteri collatum sit in meum præiudicium, vel ne electio, aut collatio beneficij indebitè fiat, & cet. *Sylvest. eu. mum. 1. Layman lib. 3. sectio 5. tract. 6. cap. 6. num. 3. Rodrigues tomo 1. qq. reg. q. 29. ar. 1.*

Vtrique appellationi tùm iudiciali tùm extraiudiciali hoc commune est, quòd intra decem dierum spatium à lata sententia, vel alio grauamine fieri debeat, quamuis à grauamine extraiudiciali, cùm id in rem iudicatam non transeat, grauatus etiam post decendium audiatur, si per modum querelæ (tanquam remedium iuris communis & ordinarij) Superiorem, adeat, cius officium implorando. *Authen. hodie. Cod. de appellat. cap. Conscriptionem, de appellat. in 6. D. Thom. in 2. 2. q. 63. ar. 3. ad 3. Bonacina to. 1. de censur. disp. 1. q. 2. p. 2. n. 9.*

Sententia verò in iudicio lata, si intra decem dies per appellationem suspensa non fuerit, transit in rem iudicatam, id est, facit authoritatem rei iudicatæ, & tribuit ius plenum parti litiganti, nisi desiniquitate sententiæ certo constet. *hæc enim, iudicata pro veritate accepitur*, vt habet *regula 207. ff.* & qui intra tale tempus non appellat, censetur sententiæ acquie-

ferre. cap. Cùm inter, de sent. & re judicata. Abb. ibid. num. 7.

3. Appellanti iudiciali & extraiudiciali etiam comminæ est, vt si rationabili causa natatur, ordinarie producat effectū suspensiuum & deuolutiuum; quamuis effectus suspensiuus præcipue locum habeat in appellatione iudiciali, præsertim quæ est à sententia definitiua; illa enim omnino suspendit iurisdictionem Iudicis, quoad illam causam; & pendente appellatione nihil omnino innouari, nec sententia executioni mandari debet; In appellatione autem extraiudiciali tum demum reuocatur & reiudicatur acta ita attentata post eam, si veritas eatur à Iudice appellationis cognita fuerit. *Cap. Si à nobis, cap. Non ferunt, ac appellat. 6. Syl. V. Appell. n. 1. Post. V. appellare n. 5.*

Deuolutiuus autem effectus in eo consistit, quòd iudex ad quem appellatur, priorem iudicem inhibere & ad se deuolutam causam cognoscere & definire possit.

4. Per appellationem non tollitur sententia iura pure & absolute; sicut neque suspenditur ista sub conditione, post conditionis euentum; proinde si ista sit sententia excommunicationis vel suspensionis, vel interdicti contra clericos generaliter sumitur. Tituli autem in iudicio arma deuolutionem executiue & incurrenda censura; quia absolute ista fortitur suum effectum, & mandatur executioni, nec datur appellatio à sententia iam mandata executioni, vt decernitur in *Cap. Paternitatis, ad hæc 5. de appell. Nauar. in Manu. c. 27. n. 159. Suar. de cens. disp. 1. sect. 6. n. 5.*

Legitima appellatio excusat ab incurrenda censura tàm sub conditione, modò appellatio fiat ante conditionis adimpletionem; vnde si feratur excommunicatio hoc modo, *præcipio tibi sub pœna excommunicationis ipso facto, vt compareas intra mensem*, eamus suspenditur per interpositam appellationem intra mensem, consequenter non comparens intra mensem, non afficitur censura, eò quòd per appellationem causa deuolutur ad alium iudicem, & suspenditur iurisdictio prioris iudicis. *Cap. Præterea 2. de appellat.* Ita *Sayrus de censur. lib. 1. capit. 16. numer. 24. Henriquez lib. 14. capit. 16. Sylueſt. V. Excommunicatio 2. queſt. 1. Portel. eo. numer. 7. Filliucius tract. 11. cap. 3. q. 11. Cap. licet, de ſentent. excom. in 6.*

5. Ai peratio à sententia sub conditione lata, excusat ab incurrenda censura, etiamsi postea appellatio ipsa fuerit derelicta; vnde clatans à Iudice ad comparendum intra mensem sub pœna alicuius censuræ, non peccat, nec censuram incurrit, non comparendo, post factam appellationem, etiamsi illam nō prosequatur: cùm quia appellans a centura, censetur etiam appellare à præcepto; cùm censura sit quid accessorium, & præceptum sit quid principaletum quia legitima appellatio suspendit censuram sub conditione latam, & deuoluit causam ad aliū Iudicem. Ita *Sayr. d. l. 1. c. 16. n. 23. Couar. c. Alma mater 1. p. §. 10. Rem. to. 1. de cens. disp. 1. q. 2. p. 2. n. 4.*

Quando autem occurrit dubium, an appellatio præcesserit sententiam excommunicationis, vel vtrum facta sit post, præsumitur excommunicationem ipsam præcessisse, non verò appellationem, quia possessio stat pro excommunicatione, quam constat latam esse, & dubitatur de excusatione; vnde in dubio tenendum est possidenti. *Cap. cum tu, de teſtib. & atteſt.* Ita *Sanch. l. 3. mor. c. 10. n. 59. Sayr. c. n. 30.*

6. Valida est appellatio à sententia declaratoria; vt si iudex declaret aliquem clericum excommunicatum propter delationem ipsi à populo, potest clericus ab hac declaratione appellare, & probare se ipsum à se delatum non fuisse: vnde declaratus & denunciatus excommunicatus, non est vitandus facta appellatione à sententia declaratoria; modò delicti non sit adeò notum, vt nulla tergiuersatione celari possit, tunc enim non prodest appellatio. Ita *Nauar. in c. cum contingat, de reſcr. cauſa 15. Suar. de cens. diſp. 3. ſec. 6. n. 6. & ſect. 15. n. 20. Filliuc. tr. c. 3. q. 11. & c. 4. n. 118. Laym. l. 3. ſec. 5. tr. 6. c. 6. n. 5.*

7. Ad legitimam appellationem requiruntur duo. *Primum* est, vt appellatio fiat cum probabili & sufficienti causa; vel saltem vt appellans bona fide appellet, existimans se habere sufficientem & probabilem causam. *Cap. ex debitis, de appel. Suar c. ſect. 6. n. 2. Sylu V. Appellatio n. 6.*

Secundum est, vt appellatio fiat debito tempore: debitum autem tempus ad appellandum est spatium decem dierum: nec potest iudex hoc tempus decem dierum ad appellandum statutum aut tempus annī, vel bieni) ad ipsam appellationem prosequendum; & tempus restitutionis in integrum concessum minuere, vt decernitur in *c. cum ſit Romana, de appel.* In censuris autem hoc speciale est, vt quocumq; tempore ante conditionis euentum fieri possit appellatio, vt dictum est. *Cap. quod ad conſultum, de re judicata Couarr. in c. Alma 1. p. §. 10. n. 4. Sayr. l. 1. c. 16. n. 24. Sylu. c. n. 5.*

Vide *Diana. p. 3. tr. 5. reſ. 104.* vbi quæritur an appellatio sit licita, si sententia lata fit à Iudice secundum opinionem probabilem, vel quod magis est, probabiliorem? Pro negatiua citat *Petr. Ledeſma in ſum. tr. 8. c. 24. in conc. 10. Villal. to. 2. tr. 16. diſp. 8.* Sed si hæc opinio esset vera, innumera committerentur peccata à Reis. Aduocatis & Procuratoribus: vnde affirmatiua est tenenda, non tolùm in causa sanguinis, vt docent *De La Cruz in direct. prac. l. p. 8. tr. 3. dub. 11. conc. 2. Salon 2. a. 3. 69. arr. 3. Sylu. ib.* sed etiam in causis ciuilibus, vt vult *Tiirr. 2. 2. diſ. 51. dub. 1. n. 4.* cuius sententiæ adhæret ipse *Diana.* & ego. Ratio est, quia si semel demus probabilem esse Iudicis Superioris opinionem, concedendum est iustam fore sententiam illius, secundùm talem opinionem; poterit ergo reus ad Superiorem appellare, vt ferat sententiam iustam, quia cùm sint diuersæ opiniones probabiles, non est cur priuetur reus iure recurrendi ad Superiorem.

8. Qui iniustè appellat: videlicet, vt tempus exequendæ sententiæ differat, omni iure obligatur ad expensas litis & alia damna aduersario illata: imo propter illatam calumniam etiā puniri potest; vnde peccat Superior, si deferat appellationi, quæ nulla probabili ratione nititur, ac manifestè frīuola & iniusta est. Sicut notauit *Abbas in c. 2. n. 1. & c. de priore n. 7. de appellat. Sayr. 2. a. 4. 69. a. 1.*

9. Religiosis Mendicantibus sub pœna excommunicationis prohibitum est appellare; quod intelligendum est, seruatis statutis ordinis cum debita maturitate & deliberatione. *Gregtamen XIII.* concessit Fratribus Minoribus appellationem a Guardiano ad Prouincialem, à Prouinciali ad Generalem, à Generali ad Protectorem, à Protectore ad sacram congregationem. Ad sæcularia autem tribunalia eisdem fratribus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatæ, & priuationis officiorum appellare, ab eodem *Gregorio XIII.* cauetur. *Rodr. to. 1. q. 97. q. 9. 29. a. 2. Comp. prov. Mend. V. Appell. Lez. in ſum. to. 1. c. 9. n. 4.*

Fratribus autem regularibus cæteris iniustæ appellationis, possit omisso medio non appellare ad Prouincialem, seu ad Generalem, sed ad Papam, seu Nuncium? Affirmatiùe respondet *Portel in dub. reg. V. Appellan. 3.* vt praxis obtinet. Nota etiam quod Sacra Congregatio Regularium iure computari debet inter tribunalia Religionis.

Aduertendum insuper hic est, licet, secundùm ius commune *Cap. de priore, de appell.* integrum non sit religiosis appellare à correctione & mandatis suorum Prælatorum legitimè latis, iuxta regulares constitutiones; siccus tamen est dicēdum, quando Prælati regulares modum excedunt, tunc enim licet semper ab eorum sententia appellare, iudiciali iter exercitaiudiciali iter procedatur: vnde Priuilegia & constitutiones denegantia religiosis appellationem, intelligenda sunt eo modo quo ius commune eam denegans intelligendum venit, vt dictum est, nempe quando Prælati religionum corrigentes aut punientes religiosum, non excedunt limites religiosæ disciplinæ; tunc enim minimè grauant, secùs quando grauant eos limites præterquediendo. Ita *Clauis Reg. lib. 1. c. 17. num. 38. Azor. p. 1. l. 12. c. 1. q. 8. Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. 102. & ſeq. Sylu. c. 5. Diana p. 3. tr. 2. reſ. 54.*

Vnde in raro & graui casu, in quo euidenter constaret Religioso fieri notabilem iniuriam, in fama, honore & reputatione à suis superioribus, licitum illi esset appellario ad Summum Pontificem, vel S. Congregationem. Ratio est, quia hoc videtur permissum a Summis Pontificibus, vt conforme iuri naturali, non tolùm in aliquibus decretis, sed à Iure in *cap. de Priore* hic citato. In tali autem casu appellatio executionem sententiæ regulariter suspendit, vt colligitur ex *cap. Venientes, de Iure-iurand.* Necesse est etiam, in appellationem eatum grauaminis exprimere, quia folummodo admittitur appellatio, cum modus excedituir. In aliis autem casibus non est toleranda appellatio religiosorum, etiamsi illis aliqua iniuria fiat; cum recta & bona æstimatio religionis anteponi debeat, etiam secundùm Ius naturale, bono priuato alicuius. Vide Rodrigues *tomo 1. queſt. 29. artic. 3.* Peyrinum *tom. 1. queſt. 1. de obed. cap. 20.*

Dubi-

Dubitare hic quis possit, an religiosus possit recurrere ad Superiorem supremum, sine inferioris Prælati licentia, contra mandatum Concilij Triden. *sess.25. c.4. de regular.* Respondent *Navar. in comment. 2. de regular. n.61. & comment. 3. n.51. Azor. p. 1. l.12. c.11. q.7. Clauss reg. l.12. c.17. n.40. Rodrig. to.1. q.99. reg.9. q.29. ar.2. & q.30. a.4. Sa V. Religiosus n.71. Diana p.3. tr.2. ref.56. & 115. Lezana to.3. V. Apostasia n.6.* verba Concilij non esse intelligenda de adeunte Superiorem ex gravi causa, vt fiá Superiore monasterij nimium fuerit gravatus & iniquè vexatus, tunc n. per viam iustí gravaminis & appellationis iustæ, verbo, vel facto interpositæ, posset adire Superiorem ad conquerendum de illo, Et hoc Ordinarius iustè posset capere talem regulare per suum territorium transeuntem, iuxta tenorem Concilij Tridentini, non tamen iustè retinere, nec puniresi fidem faceret, se grauatum appellasse, vel de grauamine protestatum, iter arripuisse ad Superiorem, & ideo licentiam scriptam non deferre, quia noluit eam dare Prælatus, à quo appellauit: vel iustè metuit petere. Plura de his apud Doctores hic citatos, & infra *c. Religio V. n.15.*

Qui autem fugit ad Superiorem Prælatum vel sine fundamento, vel non nimis, sed tantùm leuiter ab inferiori Prælato grauatus, vel si etiam grauiter, ad faciendum querelam contra ipsum, cum tamen commodè ea facere posset, vel per literas, vel alio tempore, etsi non sit vetus Apostata, contrattenet tamen decreto Concilij Triden. relato & veluti vagus & profugus punitì debet, iuxta statuta suæ religionis: Imò ex declaratione facta Generali Fratrum Minorum de Obseruantia à Sacra Congregat. talis Religiosus in foro *externo* & quoad pœnas esse plectendus sicut vetus Apostata. Portel *in dub. regul. V. Apostasia n.3. & in additionib. n.6.*

De appellatione, vide *Festum* 2. n. 18.

APOSTASIA.

SVMMARIVM.

1. *Triplex est Apostasia, à fide, à clericatu, & à religione.*
2. *Pœnæ iure canonico apostatis & hæreticis decretæ.*
3. *Quid sit Apostasia a clericatu vel a sacro Ordine.*
4. *Quid Apostasia a religione: & an apostasia crimen necessesit habitum religiosum abire.*
5. *An Episcopus regularis renuncians Episcopatui, teneatur ad religionem redire.*
6. *Apostata & fugitivus a religione vbique capi potest à suo superiore.*
7. *Si apostata habitum dimittat, an gaudeat priuilegijs religiosis, prætendens irritum esse professionem: & an priuetur iure alimentorum, quæ religio ex debito iustitiæ.*
8. *Ad quem pertineant religiosi apostatæ bona, qui in seculo moriuntur? Et an Abbas teneatur soluere debita apostatarum, vel fugitiuorum.*
9. *Iure communi propter apostasiam a religione, non incurritur excommunicatio: bene tamen ex priuilegio, in multis religionibus.*
10. *Retinentes apostatas seu auxilium præstantes ne redeant ad suum monasterium, sunt excommunicati.*
11. *Prælati religionum tenentur fugitiuos & apostatas, aut etiam eisdem renouare, si spes subsit emendationis.*

1. SEcundum *D. Tho. 2. 2. q. 12. ar. 1. Syluius hic. Sanch. l. 2. mor. c. 7. n. 16. Sylueſt. v. Apostasia n. 1. Toletus l. 4. c. 6. Filliuc. tra. 12. n. 168. Bannez 2. 2. q. 12. a. 1. dub. 1. Lezana to. 1. v. Apostasia n. 1.* triplex est apostasia. Prima est *a fide*, secunda *a clericatu*, tertia *a religione*.

Apostasia *a fide* dupliciter considerari potest. *Primo*, secundùm ordinem ad terminum à quo; quatenus est discessus à vera fide, & sic differt ab hæresi tanquam maius à minores; apostata enim dicitur qui Christum & fidem Christianam quà suscepit pœnitus abnegat; hereticus verò non omninò sed secundum vnum aut aliquos articulos. *Secundo*, considerari potest apostasia secundum ordinem ad terminum ad quem, & hac ratione spectat vel ad Iudaismum, vel paganismum, vel Atheismum; quæ specie differentes infidelitates sunt, & à redeuntibus ad Ecclesiam in sacramentali confessione explicandæ. Quamuis quidam apud *Diana p. 1. tr. 7. ref. 54. & p. 4. tr. 1. ref. 12.* (quos ipse sequitur) putent apostasiam non differre specie ab hæresi, & ideo apostasiæ circumstantiam tanquam aggrauantem soliti non esse necessariò in confessione aperiendam: quia magis, vel minùs recedere ab eo, quod semel susceptum est, non mutat speciem. Ergo apostasia non differt specie ab hæresi, cum illa sit discessus à tota fide, hæc autem à parte fidei. Hæc sententia est satis probabilis.

2. Pœnæ apostatis & hæreticis canonico iure decretæ sunt hæc: Excommunicatio maior Summo Pontifici referuata in Bulla cœnæ; & habetur in *c. ad abolendam, de hæreticis, in 6. Sanch. l. 2. mor. d. 2. 9. Bonac. de cens. to. 1. d. 2. q. 5. p. 2.*

Irregularitas, vt colligitur ex *c. Sublatorum. c. Conuentuales. 1. q. 7. de qua vide V. Irregularitas Kn. 1.*

Infamia iuris, quæ extenditur ad eorum filios vsque ad secundam generationem ex linea paterna, & vsque ad primam ex linea materna. *c. Statutum, 15. de hæret. in 6. Azorius p. 1. l. 8. c. 13. Sanches c. cap. 26. n. 1.*

Confiscatio omnium bonorum à die commissi criminis, *c. cum secundum, de hæreticis in 6. Sylueſt. V. Hæresis 1. m. 1. 2. Pasques 1. 2. d. 169.*

Hæretici eorumque fautores, si per annum in excommunicatione perstiterint, fiunt intestabiles neque ad hæreditatis successionem admittuntur; requiritur tamen ad hanc pœnam sententia criminis declaratoria. *c. Excommunicamus, 8 credentes, de hæreticis. Sanch. l. 2. c. 24. n. 3. Molina to. 1. tr. 2. de iust. disp. 95. Sylueſtr 2. q. 11. art. 3. quæst. 3. & 4.*

Priuatio patriæ potestatis in liberos, etiam ante sententiam iudicis declaratoriam criminis. *c. Quicumque, 8. tit. de her. in 6.*

Priuatio Ecclesiasticorum beneficiorum ac dignitatum: ita publicorum officiorum. *c. cum commissi, 9. primum, de hæret. in 6. Rodrig. an Sum. to. 1. c. 129. n. 3. Nauar. 15. cons. 6. de hæret.*

Ciuilis pœna in apostatas & hæreticos hæreticam abiurare nolentes aut relapsos iustè decerni solita, est mortis supplicium in *Cod. Theodosiano, l. 5. de hæreticis. Sylueſtr. qu. est. 4.*

De his pœnis plura apud Doctores hic citatos.

3. Apostasia *a clericatu* vel *a sacro ordine* est cum quis à perfectiore statu clericali, quem in manu Episcopi, edito etiam continentiæ voto alliumperat, ad statum coniugij, vel laicæ conuersationis, dimisso suo habitu propria temeritate se transfert. *c. vir. de vita & honest. Clericorum.* Talis ipso iure est infamis. *c. Beatus, 3. q. 4.* Et si monitus se non correxerit, deponendus, *c. præcipimus. 21. q. 4.* Talis tamen non incurret excommunicationem aliquam in iure communi, nisi vxorem ducat. *Clement. 2. de consanguinit. & affinit. Cauet V. Apostasia Sylueſtr. ibid. qu. 8. Sylueſtr. 2. 2. q. 12. a. 1. q. 1. Toletus l. 4. c. 18. n. 4. Viguerius in institut. cap. 10. §. 5. vers. 11. Filliucius tr. 12. n. 198.*

Qui minoribus autem tantùm ordinibus initiati sunt, liberam ad nuptias, vel statum laicorum tràtendi facultatem habent; dummodò si quæ obtinent Ecclesiastica beneficia dereliquant. Vt colligitur ex *c. Ioannes, de clericis coniugatis.* Vide Doctores hic citatos.

4. Apostasia *a religione*, est criminosa & mortifera recessio à religiosi ordinis instituto, sine reuertendi proposito. Vnde à religiosi ordinis instituto, sine reuertendi proposito. Vnde à religiosi ordinis instituto, sine reuertendi proposito. Vnde

hæc non cessat deposito Episcopatu, cùm non cesset causa ipsius, sc. dignitas Episcopalis, & perfectior status. *Rodrig. tom. 3. qq. reg. q. 52. art. 26. Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. 29.* qui nouissimus idem dicendum putat, si propter culpam deponeretur ab Episcopatu sed verius est teneri regredi ad religionem, & si nō redeat, esse veluti Apostatam, quia per depositionem reddit indignus priuilegijs suæ dignitatis. *Sylueſt. v. Religio. 4. in fine. Lezana to. 3. v. Apoſtatan. 7.* Certius id est, si degraderetur ex propria culpa cum enim per degradationem exuatur omnibus priuilegijs ratione dignitatis concessis; cessabit quoque exemptionis priuilegium, & tenebitur ad religionem redire.

Notandum *Secundo* Apostatam excommunicationem à iure latam incurrere, si temerè habitum relinquat & dimittat, etiamsi hoc faciat sine animo apostatandi: *Cap. ne persculoſa, ne cler. vel monac. de S. R. I. Religion. 7. Conſtit. 180. c. 7. reg. S. Franc. decl. 8. vel 5. Suar. de cenſ. diſp. 23. ſect. 4.* Temeraria autē dimissio dicitur, quoties fit sine rationabili causa, & cum contemptu regulæ seu legis, ideō, non obstante prohibitione cognitis, fiue in perpetuum, siue ad tempus fiat dimittendi ad finem, (scil. liberius vagandi & secūdum *Navar. c. 27. n. 133. Rodrig. to. 2. qq. reg. q. 77. art. 6.* proprię habitus dimittere, quando sit mutatio in alium habitum, ad fe occultandum, vel incedēdum hoc modo: vnde non afficitur excommunicatione, qui fe veſtibus ſpoliat, vt dormiat, vt habitum purget, vel accommodet, vt meliùs liudeat, vel quiescat, vt ludat, vt saltet, vt saxum deferat, vt liberius & voluptuōsius peccet, hic enim non dicitur habitum dimittere ad fe occultandum, vel incedendū, sed veſtibus ſe ſpoliare; hoc verum eſt, etiamſi aliam ad breue tempus aſſumat & *Sanch. l. 6. moral. c. 8. n. 55. Sayrus de cenſ. l. 2. c. 31. nu. 13. Filliutius tr. 14. nu. 132. Dicastus l. 6. de iuſt. & iur. tr. 14. re. 572. Sylueſt. v. 1. qu. 1. to. 2. concl. 1.* Ratio autem breuis esse ſpatiū vnius horæ. Vide plura apud Doctores hic citatos. Quamuis *Suar. 3. p. to. 1. diſp. 23. ſect. 3. n. 3. Bannes 2. 2. q. 12. art. 2. dub. 2. concl. 2.* & alij contrarium doceant quando dimittitur habitus eo breui ſpatio causa diuagandi, & cundi incognitus ad lupanar: Ratio illorum eſt, quia grauitas huius delicti non eſt penſanda ex temporis durātione, ſed ipſa habitus dimiſſio eſt per ſe res grauis, & ſufficiens ad peccatum mortale, quod peccatum eſt huic leni contrarium & materia huius cenſuræ. Prima tamen opinio eſt tutior probabilis.

Ex dictis infertur, quòd religioſus Clericus Apoſtata, qui deſerta religione deſerit etiam Clericatum, eſſe his ſex duplicitèr Apoſtatam, ſcilicet ratione defertionis Religionis, & Clericatus, ac per conſequens incurrere pœnas Apoſtatæ à Religione & Apoſtaſiæ à Clericatu, quæ deſignantur in Concil. Trident. & Iure Canonico. Secus eſt, ſi tantum religionem deſeruerit non Clericatum, vt ſi ex Religioſo fieret Clericus ſæcularis. Tunc enim tantum incurreret pœnas Apoſtatæ à Religione: vt annotat *Lezana to. 2. Sum. v. Apoſtata n. 14.*

5. Apoſtata & fugitiuus à religione, vbique capi poteſt à ſuo Superiore, etiam extra monaſterium & territorium: quia poſſeſſor alicuius rei poteſt eam capere & vendicare vbicumque illā inuenerit: ſed religioſus eſt ſub poteſtate & poſſeſſione ſui Superioris, ſeipſum enim in profeſſione tradidit Superiori: ergo, &c. Hinc Carmelitis concella fuerunt priuilegia, vt apoſtatas ſuos capere valeant, etiam in vrbe Romæ: ideo ſuperiores religionum in hac re conſulere debent priuilegia fuę religioni directè vel per communicationem conceſſa. Ita *Rodrigu. q. 40. 6. Sanchez l. 6. mor. c. 6. n. 34. & 36. Navar. comment. 1. de regul. n. 50.* Quod etiam eſt verum quando fratres Apoſtatæ & fugitiui detinentur ab Epiſcopis propter Conſtit. Pij V. quæ incipit, *Etſi Mendicantium*, quia, qui debent aliis perpetuam obedientiam, poſſunt de manibus quorumcumque capi. Quod etiam habet locum, non ſolum quando religioſus fugit ſine licentia, ſed etiam quando exiuit cum illa per certum terminum, & ille eſt tranſactus, vt docent *Peyrinus tom. 2. priuil. in conſt. 7. §. 9. Lezana in ſum. to. 1. c. 16. n. 16.*

6. Religioſus apoſtata non gaudet priuilegijs religionis, ſi habitum dimittat, prætendens id ritum eſſe profeſſionem; quia par non eſt vt priuilegijs gaudeat illius ſtatus, à quo abhorret. Ita fuit ſancitum in Tridentino *ſeſſ. 25. c. 19. de regularib.* quod non de quibuſcumque apoſtatis eſt intelligēdum, ſed de his qui recedunt à religione habitum dimittentes, prætendentes profeſſionem eſſe nullam, vnde cùm fit penale hoc decretum, nō eſt ad alios apoſtatas, in quibus hæ conditiones non concurrunt, extendendum, & cùm loquatur per verbum futuri, exigitur ſententia Iudicis, vt ea pœna incurratur.

Inò Apoſtata vel fugitiuus priuatur alimentis, ſeu iure alimentorum, quæ religio ei adhibuiſſet; quia frangendi fidem, fides ſeruanda non eſt, ſed apoſtata, vel fugitiuus frangit fidē, quā obedientiam, & obſequium religioni polliciti ſuerat: ergo etiam monaſterium non tenetur illi fidem ſeruare, qua ſe ad ipſum alendum, & ſuſtentandum obſtrinxerat. Proinde monaſterium non tenetur ſoluere expenſas factas à fugitiuo vel apoſtatā ad ſui ſuſtentationem; quia monaſterium non tenetur ex contractu vel delicto religioſi, niſi quatenus monaſterium ea de cauſa factum eſt locupletius & diſtans. Ita *Sanches l. 6. mor. c. 9. n. 11. Sanctarel. de apoſtaſia c. 3. dub. 2. n. 22.*

Porrò altera pœna apoſtatarum à religione, eſt, vt ſi durante apoſtaſia ordinem ſacrum recipiant, non poſſint in ordine ſuſcepto miniſtrare, quantumlibet poſtea redeant pœnitentia ducti ad religionem priſtinam, niſi ex diſpenſatione Pontificia: hæc autem diſpenſatio Pontificia, vt in ordine ſacro ſuſcepto in apoſtaſia miniſtret, extenditur quoque, vt poſſit ad ſuperiorem ordinem aſcendere, quia ſublato per diſpenſationem illo impedimento & conceſſo ordinis illius vſu, ceſſat quoque impedimentum aſcendendi ad ordines ſuperiores. *Cap. Conſultauit, de Apoſtatis.* Ita *Suarez de cenſ. diſp. 31. ſect. 6. Azorius p. 1. l. 12. c. 17. c. 5. Sanche. c. 8. n. 21. & 23. Bonac. de cenſ. ſect. 4. quæſt. 2. p. 1. §. 4. nu. 4.*

7. Religioſi apoſtatæ bona, vel fugitiui, qui non adiudicata ad aliam religionem, ſed in ſæculo mortuus eſt, iure antiquo pertinebant ad monaſterium. *cap. Abbatet.* 18. q. 2. & hoc verū quantūcumque in partibus remotis ſit ille apoſtata, quia ratione illius diſtantiæ, ius monaſterij nullum detrimentum patiebatur. *Sanches l. 7. moral. c. 13. n. 2. & ſeq. Nauarrus l. 3. de irregul. conſil. 15. Fortel o. Apoſtata n. 7. Tamburinus de iure Abbat. to. 1. diſp. 8. quæſt. 5.*

Iure verò nouo in Conſtitut. *Gregorij XIII.* quæ incipit, *Officio noſtri*, ciuſmodi bona acquiruntur Camerę Apoſtolicæ, ſiue præfata bona deberentur prædicto religioſo ab inteſtato, ſiue donatione, ſiue alia ratione.

Quando autem legitimè tranſit talis ad aliam religionem, acquiſita poſt profeſſionem ſecundæ religionis, pertinent ad religionem ad quam tranſiit, quia fit ſubditus illius religionis. Sed ſi vere illegitimè tranſierit ad aliam religionem, bona ipſius concepta ipſo quæ contemplatione ſecundi monaſterij acquiſiti, pertinere videntur ad priorem religionem, etiamſi fore ſecunda religio bona fide receperit apoſtatam, vel fugitiuum: quia prima religio nunquam amiſit ius in præfatū religioſum. Ita *Rodrig. tom. 2. qq. reg. q. 79. art. 2. Sylueſt. v. religio 4. q. 10. Azor. p. 1. l. 12. c. 15. q. 3. Molina to. 1. de iuſt. diſp. 144.*

Ex priuilegio ordini Minorum concello à *Leone Decimo* apud *Rodrigues tom 1. qq. regul. quæſt. 30. art. 12.* aliter eſt procedendum de bonis apoſtatarum & fugitiuorum illius ordinis. Conceſſit enim dictus Pontifex, vt quandocumque accideret, quòd Fratres Minores extra obedientiam vagantes obſeruantiæ fuerint capti, aut ſponte redit rint ad ordinem, qui aliqua bona habuerint, quæ tempore apoſtaſiæ diuerſis vijs acquiſierint, poſſint Præſati ordinis, & alij fratres, quibus ipſi commiterint, accipere talia bona, & ea exigere à quibuſcumque perſonis ea detinentibus, & vti illis, & talia iunt quorum vſum licerat fratribus habere, vel ſi huiuſmodi non tint, quibus in propria ſpecie fratribus vti non licerat vtrunt pecuniæ, veſtes ſæculares, & ſimilia, quod tac de ætalibus rebus, ſicut fieri mandatur in declaratione ſuæ regulæ de ſimilibus, quando ſibi ab aljis dantur, vel in teſtamentis leganter. Et conceſſit quòd ſi oporteret huiuſmodi bona in iudicio petere, poſſit hoc facere Procurator ſine ſyndicis ordini deputatus, authoritate Sedis Apoſtolicæ; vel aliis amicus ſpiritualis fratrum, qui ab aliquo Præſato ordinis ad hoc fuerit nominatus.

Sed rogabis an Abbas teneatur ſoluere debita apoſtatarum & fugitiuorum? videtur enim quòd ſic; nam ſi tales apoſtatæ, dum vagantur, aliquid acquirant, non ſibi ſed Monaſterio acquirunt, vt dicit textus in *cap. Abbatet.* 18. *quæſt.* 2. ergo, ſi ex bonis acquiſitis per apoſtatas Monaſterium tenuit commodum, etiam & incommodum ſentire debet, *c. Qui ſentit. de reg. iur. in 6.*

Dicendum tamen eſt, Monaſterium non teneri ſoluere debita apoſtatarum, & fugitiuorum. Ratio eſt, quia Monachus in ſire quæſito poteſt procedere, ſed non obeſſe Monaſterio vnde Monaſterium non tenetur ad ſoluendum debita, nec ſuccedit in obligationibus paſſiuis; quamuis enim ſuccedat in actiuis & in

& in iustibus vtilibus, non tamen constituitur ad solutendum, debita ab ipsis Monacis contracta, cum iuis resistat obligationibus ab ipsis initis; non tamen resistit acquisitioni dominij, quod per ipsos Monasterio potest obuenire. Tamen si id propter quod debitum fuit contractum, conuersum sit in vtilitatem ipsorum Monasteriorum, possunt creditores petere à Monasterijs sibi debita ab apostatis ipsorum Monasteriorum: qui enim sentit commodum, debet etiam sentire incommodum. Ita *Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 20. art. 11.* etiam dicit hoc habere verum in Minoritis regularis obseruantiæ, si ad Ordinem reuersi aliqua bona secum attulerint; sed his enim debet syndicus ipsorum fratrum debita persoluere; non enim credendum est illum Sedem Apostolicam velle sibi applicare dictorum bonorum dominium, ita vt debita per dictos fratres contracta minuinè ex rebus per ipsos acquisitis soluantur: tamen de rigore iuris Sedes Apostolica non succedit in obligationibus & debitis apostatæ, sed tantum de æquitate; vt tradit Nauarrus *lib. 3. consil. de regul. consil. 73. num. 3.* vide *Lezana in sum. tom. 1. c. 16. n. 19.* qui etiam *num. 20.* docet, ea, quæ acquisiit Religiosus Apostata vel fugitiuus, pertinere ad eam religionem. Tum quia ... ita definitur in *Concilio Bituric. 18. distinct.* ... num quia ibi sunt veri religiosi, nec per consequens debent Monasterio acquirere. Quod intelligo, etiamsi acquirat contra voluntatem Religionis, aut peccando aliquo genere peccati, præter peccatum contra iustitiam. Solum enim hoc peccatum potest priuare Monasterium sui iure. Si autem moriatur religiosus in apostasia, vel fuga, bona, quæ ibi supersunt, pertinent ad Cameram Apostolicam, vt dictum est.

8. Propter apostasiam præcisè iure communi apostata à religione non incurrit excommunicationem, si habitum non ... dimittat: quia tantum ius communis extat quod excommunicationem decernit ipso facto incurrendam ab apostatis illis, qui habitum non dimittunt, nam *Cap. Vt perculosa, Ne clerici vel Monachi*, non alios excommunicatione afficit, quàm eos qui habitum sui religionis temerè dimittunt: & cum iuxta regulam iuris, pœnæ non sint ampliandæ, sed restringendæ, non est extendenda pœna excommunicationis huius Canonis vltra tenorem verborum. Ita *Barnes 2. 2. q. 12. a. 1. dub. 1. Leſſius lib. 2. c. 41. dub. 15. num. 109. Tolet. l. 4. c. 18. Bonacina c. 8. q. 4. m. 1.* & alij communiter contra *Ascen p. 1. l. 12. c. 17. q. 6.* In nonnullis tamen religionibus, vt in Societate, priuilegio ipsarum religionum, sunt excommunicati, etiamsi non deferant habitum; vt patet ex priuilegijs Societati IESV concessis à *Gregorio XIII.* in bulla *Ascendente Domino*.

9. Iuxta *Pauli IV.* constitutionem quæ incipit, *Postquam diuina bonitas*: omnes & singuli qui retinent apostatas, seu auxilium præstant, ne redeant ad suum monasterium, si postquam ab Ordinario loci, in quo de gant admoniti, à præmissis non desistant, sunt excommunicati. Non est tamen referuata hæc excommunicatio. Immò religiosi qui retinent in suis monasteriis apostatas ordinis Prædicatorum ex *Bonifacij* constitut. sunt etiam excommunicati. Vt testatur *D. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 20. Bonacina de clauſur. q. 2. p. 1. n. 5.*

10. Prælati religionem tenentur, per se loquendo, fugitiuos & apostatas, aut etiam electos data opportunitate reuocare; si spes subsit emendationis: quia ex officio tenentur latæ subditorij consulere; sic enim statuitur in *Cap. Ne religiosi, de irregularibus*. Quem textum sacra Congregatio ex peculiari S. *D. N. Pij V.* facultate innouauit de fugitiuis & electis annuatim reuocandis. Idemque extendit etiam ad eos qui iuste & legitimè expulsi fuerunt, modò certa spes subsit emendationis.

Pœna transgressoribus huius decreti imposita, est priuatio omnium officiorum, quæ tunc obtinebant, vocisque activæ & passiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterū obtinenda, pœnaque huiusmodi est sublata tum ex Sedi Apostolicæ reseruatis: Superioribus, etiam Generalibus, & Protectoribus, illam modo tenuit seu relaxandi potestas est penitus interdicta, & decernitur irritum atque inane, quidquid secus à quocumque actum extiterit. Sic facta Congregatio *anno 1624. die 21. Septembris*, apud *Bonacin. de clauſura q. 2. punct. 11. §. 2. Tamburinus de iure Abbat. tom. 3. diſp. 8. q. 3.* Tenor huius decreti extat infr. verb. *Religio Vn. 3.*

Apostasia à religione est casus reseruabilis à Superioribus Regularium, vt patet ex Decreto Clementis VIII. infrà, v. *Caſus reſeruatus* n. 40. 5. 2. Proinde à culpa ipsa Apostasiæ à religione in religionibus, vbi reseruata fuerit, nullus absoluere potest, nisi Prælati illi, qui ipsam reseruauerunt, Superiores & Successores ipsorum, vel ab eis habentes facultatem. Nec ad prædictam absolutionem iuuant priuilegia Religionum, Bulla Cruciatæ aut similia indulta particularia, vt dicetur infra v. *Caſus reſeruatus n. 36.*

De Apostasia, vide *Dinarium tum 16. Irregularitas 10. n. 5. Magia n. 4. Appellare n. 9. Caſus reſeruatus n. 36. & 40. 2.*

ARBITRIVM. ARBITER.

SVMMARIVM.

1. *Arbiter quid sit? & quomodo differant arbiter & arbitrator.*
2. *Arbitrium quid sit? & quomodo differat ab arbitramento.*
3. *Arbitri qui esse non possunt.*
4. *An in omni causa & re, quæ non est prohibita, sit materia arbitrij & compromissi.*
5. *Arbitria an differant a iudicijs.*

1. ARbiter strictè sumptus, est is, quem partes mutuâ inter se conuentione sibi eligunt, qui controuersias inter ipsas dirimat, & cuius iudicio ac definitioni stent. Si vero late sumatur, comprehendit quemlibet existimatorem, siue suarum, siue aliarum rerum; siue alij eius iudicio & existimationi se subiecerint, siue non. *L. 1. ff. de arbitrijs.*

Differunt autem Arbiter & arbitrator, quod ille à partibus constituatur, vt secundùm iuris terminos sententiam ferat, ideòque velint inde quidam esse, sed arbitrator tanquam amicabilis compositor, à partibus eligitur, vt pro bono pacis feruandæ, vnius iuri demere, & alteri tribuere possit, vitata tamen læsione magni. Vide *Molina tr. 5. diſp. 30. nu. 2. Filliuc. tr. 19. nu. 102. Sylueſt. Tabiena v. Arbiter. Sanchez l. 6. mor. c. 13. n. 2.*

2. Arbitrium, est sententia prolata ab arbitro: Arbitramentum verò est sententia prolata ab arbitratore: modus autem cognoscendi, an is, in quem compromittitur, sit arbiter, an potius arbitrator, id non ex nomine cognoscendum est, quia sæpè hæc nomina confundantur, sed potius ex modo assumendi & potestate eis tradita dignoscitur.

Nemo autem potest esse arbiter in propria causa, ben. tamen arbitrator; quia arbiter eligitur quasi iudex, & vt procedat iuris ordine seruato; at in proprio facto nemo potest esse iudex. At arbitrator eligitur vt amicabilis compositor, vt procedat extra iudicium & partes componat, quod non repugnat in facto proprio, Ita *Sylueſter c. num. 2. & 3. Filliucius c. nu. 104. Sanches c. n. 53. & 54. Abbas in c. Quintanadu. n. 2. de iure ver.*

3. Arbitri esse non possunt. *Primo*, minor 20. annis, *leuna lege ff. de recept. arbit.* si maior 20. & minor 25. acceptet esse arbitrum & læsi se reperiat, quia id sibi non expediat, subintelligitur restitutione in integrum *Secundo*, nec mutus, nec surdus, nec ferus esse potest, *Illa verba, ff. de verb. ſignif. Furiosus*, nec mulier, ideòque compromissum in illam, nullum est. *vlt. C. de recept. arbit.* nisi esset Regina, Ducissa, Marchionissa, &c. vel nisi consuetudine loci iurisdictionem exerceret. *Quarto*, nec religiosus, nisi de licentia sui Prælati, & id expediat monasterio: quia arbitrium requirit formam iudicij, quæ religiosis prohibetur. *Cap. de præſentium, Cap. Monachi 2. 16. q. 1.* potest tamen esse arbitrator cum conscnsu superioris, si subditus sit. *Quinto*, nec excommunicatus quia non potest cum alijs communicare, quare nec arbitrator esse potest. *Syluio*, Iudex ordinarius iure ciuili communi prohibetur esse Arbiter. *l. Sed & si seruum, ff. de recept. arbit. Septimo*, laici non possunt esse arbitri in causis spiritualibus, nisi de licentia Summi Pontificis, at laicus simul cum clerico possunt esse arbitri de licentia Ordinarij, aut iudicis delegati eius causæ. *Cap. contingit. de arbit.* Arbitri autem esse possunt alij omnes, qui iure prohibiti non sunt. Plura de his apud *Sylueſter v. Arbiter q. 16. Molina c. diſp. 39 Layman l. 4. tr. 5. c. 11. n. 6. Sanchez l. 6. mor. l. c. 13. n. 5. & ſeq.*

4. Materia arbitrij & compromissi est in omni causa & re, quæ non inuenitur prohibita: in particulari tamen, in causis criminalibus compromitti non potest, nec dari arbitrium. Item in causa pertinente ad libertatem aut ingenuitatem: neque de rebus spectantibus ad communitatem, vt ad regnum, prouinciam, ciuitatem vel oppidum: neque de causa matrimoniali spectante ad vinculum matrimonij, id enim ad Iudices Ecclesiasticos pertinet: neque de sententia quæ transiuit in rem iudicatam, nisi quoad dubia orta post illam. *Molina c. diſp.*

diſp. 40. Fillmenus tract. 29. c. 7. num. 107.

5. Differunt à iudicijs arbitria: eò quòd arbitri poteſtas limitata ſit, & extra compromiſſum iudicare non valeat: At Iudex plura poteſt, vt punire teſtem producentem falſa teſtimonia ſeu inſtrumenta, contumaciam litigantium, & ſimilia. *Sylueſter v. Arbitrer. q. 13. 14. & 15. Molina d. diſp. 41. 42. 43. & 44.*

Omnis autem qui tranſigere poteſt, etiam in arbitrium valet compromittere. Excipitur circa res ſpirituales, circa quas inualida eſt tranſactio. *Fillmenus tr. 29. c. 7. q. 5. 6. 8. & 9.*

Sententiam præſentibus partibus ferre debent arbitri: quare non ſtatis eſt ſimil. partes præſentes in diſcuſſione cauſæ, ſed debent etiam eiſdem præſentes in d. cta concluſione. *L. decem, ff. de arbit. §. ſi quis.*

Si in compromiſſo locus deſignatus fuit, in quo ab arbitris cauſa cognoſcenda eſſet, eo in loco terminanda erit; alias eo in loco cauſa peragenda eſt, in quo arbitri compromiſſum acceptarunt. *L. ſi cum duos, §. ſi arbiter, ff. de recept. arbit.*

Arbiter debet ſeruare formam iudicij, quam ordinarij iudices ſeruant, nisi quatenus in eis aliqua de illa remiſſa fuiſſent. *L. 1. ff. de recept. arbit.*

Si multi iunt arbitri, vel arbitratores, ſtandum eſt plurium ſententiæ, niſi aliud expreſſum ſit. Si in tres compromiſſum ſit, ſtatur ſententiæ duorum. Si omnes tres diſcordent, vno condemnante in decem, alio in quindecim, tertio in quinque, ſtandum eſt minori ſummæ, nempe quinque, quia in eam omnes virtute conſentiunt. *L. ſi in tres, l. ſicuti, ff. de recept. arbit. L. duem proferre, §. ſi ſpheres, ff. eod. tit.* Si in duos, neutrius ſententiæ ſtandum erit, ſi diſſentiant. *L. item ſi vnus, §. ſi in duos, ff. eod. tit.* Si in multos ita compromiſſum ſit, vt ſi non omnes poſſint, reliqui ſine illis procedant, tunc valet eorum arbitrium. Si vero, vt omnes in eadem ſententia conueniant, tunc niſi omnes interſint & eiuidem ſententiæ ſint, inualidum eſt arbitrium. *C. prudentiam, & C. cum cauſa, de offic. deleg.*

Porrò compromiſſum & arbitrium expirant morte arbitri, vel eiuiuius eorum, ſi multi fuerint: intellige, ſi nondum per eos arbitros lata ſit ſententia definitiua; tunc enim parum refert mors vnius, vel omnium, *L. item ſi vnus, §. item plures, ff. de recept. arbit.*

Expirant etiam morte eiuiuſis compromittentium ante latam ſententiam definitiuam; lata verò ſententia dicta ante mortem partium, tranſit compromiſſum ad hæredes. *L. duem proferre, L. non diſtinguemus ff. eod. tit.*

Item expirat compromiſſum, ſi partes tranſactionem faciat circa illud, vel vna pars alteri cedat totum ſuum ius. Item ſi partes inter ſe conueniant vt ab eo diſcedatur. *L. non diſtinguemus, §. ſumma res, & §. item non eſt cogendus, ff. eod. tit.*

Denique ſi nullum tempus in compromiſſo præciuptiſ fuit arbitris, intra quod cauſam abſoluerent, tunc tenentur finire illam intra congruum tempus, ſi tamen petente altera partium, & ad id cogi poſſunt à Iudice ordinario. Plura de his apud *Molynam*.

Vide *Appellare* num. 21.

ARCHIEPISCOPVS.

SVMMARIVM.

1. *Archiepiſcopus eſt Ordinarius ſuperior ſuffraganeorum, ſine Coepiſcoporum Prouinciæ.*
2. *Archiepiſcopus an iuriſdictionem habeat in ſubditos ſuffraganeorum ſuorum.*
3. *An poſſit Archiepiſcopus Prouincialia ſtatuta condere ſine Synodo Prouinciali.*

1. ARchiepiſcopus, poſtquam à Sede Apoſtolica pallium accepit, is Ordinarius eſt ſuperior ſuffraganeorum, ſine Coepiſcoporum Prouinciæ, vt ijs præcipere, eoſque negligentes ad officium compellere poſſit. *C. nos, de authoritate & vſu pallij. C. ſolicitudinem, de appell. c. 1. 2. & ſeq.*

In cauſis tamen criminalibus maioribus ac depoſitionem inferentibus, tr ſine prouincialibus Epiſcopis cognita, ad ſententiam definitiuam aduerſus Epiſcopum proceſi non poteſt, ſine Sedis Apoſtolicæ authoritate. *Cap. 2. de translat. Epiſc. & C. 1. & ſeq. 3. 4. 6.* Imo iure nouo non ſolum condemnatio contra Epiſcopum ſed etiam cognitio ac proceſſus in criminibus, quæ depoſitionem vel priuationem inferentur, ſoli Papæ eſt reſeruatus & inferioribus interdictus: *C. inquiſitores, de hæret. in 6.* quod clarè exprimit Conc. Trid. *ſeſſ. 24. c. 5. de reform.* loco hic citato, & obſeruat. *Nauarr. l. 2. conſil. 1. de foro compet.*

2. Archiepiſcopus in ſubditos Coepiſcoporum iuriſdictionem non obtinet, niſi in caſibus iure expreſſis. *C. Nullus Primas. q. 3. Primò*, ſi ab Epiſcopo ad ipſum appellatum fuit (non tamen ob ſolam negligentiam Epiſcopi, nulla interpoſita à partibus appellatione) ad Archiepiſcopum deuoluitur iuriſdictio: propterea Archiepiſcopus non poteſt adiri per viã querelæ per ſubditos ſuffraganei ſui, niſi ipſe conſentiat. *Cap. duo ſimul, de offic. Ordinarij. Cap. 1. de offic. Legati. Cap. ſignificaſtis, de foro compet.*

Secundò, dum prouinciam viſitat (quod liberè facere poteſt iure communi, etſi nulla Epiſcopi negligentia intercedat, ſed cum limitatione Tridentini Conc. *ſeſſ. 24. cap. 3. de reform.*) poteſt Prouinciulium confeſſiones audire. *C. vlt. de cenſ. in 6.* Item iubere eruciem ante ſe ferri & populo benedicere, etiam in locis Prouinciæ alioquin exemptis. *Clemens. Archiepiſcopo, de priuileg.*

Tertio, Archiepiſcopo abſoluté permiſſum eſt indulgentias intra ſuam Prouinciam concedere iuxta limitationem Concilij Lateranenſis. *Cap. noſtro, de pœnitent.*

3. Quando Archiepiſcopus vult Prouinciulia ſtatuta condere, Epiſcoporum Synodum eius rei cauſa congregare debet, in eaque præſidere tanquam Decanus in Capitulo; & quod in Prouinciali Synodo decretum fuerit, reuocare, immutare, in eóue dispenſare nequit, cum ſit inferior Synodo, ſiue Concilio Epiſcoporum, à quibus & iudicari poteſt: *C. Nullus Primas. q. 4. 5.* vt retuliuunt. *Soares de Reg. l. 6. c. 15. Sanches de matr. lib. 8. diſp. 17. nu. 363.*

De Archiepiſcopi authoritate multa adfert *Stephanus Quarranus* in Summa Bullarij V. *Archiepiſcopus authoritas*: ſed quia ad conſcientiam parum pertinent, à nobis omittitur.

Vide præterea de Archiepiſcopo V. *Excommunicatio 5. n. 6. Matrimonium 5. n. 6. Pallium Votum 7. n. 4. Ordo 3. n. 2.*

ASSECVRATIO.

SVMMARIVM.

1. *Aſſecuratio quid ſit.*
2. *Quinque conditiones requiſitæ ad contractum aſſecurationis.*
3. *Aſſecurator an poſſit aliquid retinere ratione contractus periculo, quando ne ſeit certo rem periturum ad periculum.*
4. *Mercator an amittat contractus, qui ſecus nauim perijſſe, petit aſſecurationem.*
5. *Quæ aſſecurari ſoleant.*
6. *Fraudes ſolitæ interuenire in contractu aſſecurationis, ex parte aſſecuratoris, aſſecurati & Damni res.*

1. ASſecuratio eſt contractus quo alienæ rei periculum ſuſcipitur pro pretio aut alio intereſſe, obligando ſe ad eam compenſandam, ſi perierit, ita vt teneatur ad compenſationem totius, ſi tota res perierit, vel ad reſtitutionem partis, ſi pars tantummodo perierit.

Hic contractus reducitur ad contractum innominatum, facio vt des, ex parte aſſecuranris, vel ad do vt facias, ex parte offerentis pretium pro aſſecuratione. Reducitur poteſt ad emptionem & venditionem: aſſecurator enim vendit ſine cuipiam periculi, vel obligationem ſoluendi æſtimationem rei ſi perieat pro certo pretio. Ita *Molina tr. 2. de iuſt. diſp. 307. Leſſius, lib. 2. cap. 28. dub. 4. num. 24. Azorius p. 3. lib. 11. c. 18. dub. 1. & 2. Fillucius tr. 37. num. 1. & 2. Sylueſter. v. Negotium quæſt. 5.*

2. Ad iuſtitiam contractus aſſecurationis quinque conditiones requiruntur. *Prima* eſt, vt adſit æqualitas inter pretium datum aſſecuranti, & obligationem, quam aſſecurator in ſe ſuſcipit, conſideratis circumſtantijs temporis, loci, & perſonarum. Iuſtum autem pretium in aſſecuratione cenſetur, quod eſt taxatum à lege, vel communi hominum æſtimatione: vel ſi pretium non eſt taxatum, taxandum eſt, conſideratis periculis & quantitate, ac qualitate rei, communiter tamen in aliquibus locis accipi ſolent tres, quatuor, quinque vel ſex pro centum in contractu aſſecurationis. *Azorius c. dub. 10. Bonacina de contract. diſp. 3. q. 9. p. 3. n. 3. Fillucius c. nu. 3. Leſſius c. nu. 27.*

Secunda conditio eſt, vtrqui petit aſſecurationem, non cogat alterum ad contractum aſſecurationis ſecum ineundum, aliquin inuponeret obligationem pretio æſtimabilem, ad quã aſſecu-

securator non tenetur. Imò qui mutuat & simul est assecurator pecuniæ mutuatæ, in foro externo præsumi posset vsurarius, ex *Cap. Naviganti, de vsuris.* Præsumitur enim dare mutuum cum pacto celebrandi contractum assecurationis, atque adeò cum onere pretio æstimabili, ideoque vsurario. Ita *Navarr. in Man. cap. 17. num. 283. Filliucius c. num. 12.*

Tertia conditio est, vt assecurator ab eo qui petit assecurationem admoneatur de veris periculis, quibus res assecuranda subiacet. *Quarta* est, vt res, de quâ contractus assecurationis initur, existat; propterea non est valida assecuratio, quando quis non habet merces in naui, sed fingit eas habere; dolus enim tunc dat causam contractui. Ita *Salon. de contractu assecurationis art. 2. concl. 2. Azorius p. 3. l. 11. c. 18. dub. 9. Bonacina c. punct. 3. num. 3.*

Quinta conditio, vt res non solùm subsistat, sed etiam sit periculo exposita, alioquin si assecurator sciat ante contractum, rem; v. g. peruenisse ad portum, vel ad terminum ad quem erat deferenda, nihil accipere potest: vnde assecurator in hoc casu, tenetur ad restitutionem pretij accepti, & ad resarcienda omnia damna mercatori secuta ob ipsius dolum: contractus enim celebratus per dolum dantem ipsi causam, est inualidus. Ita Doctores citati, quibus adde. *Lessius l. 2. c. 28. num. 24. Filliucius c. c. 1. num. 5. & 7.*

2. Quando assecurator nescit certò rem peruenisse ad portum, potest aliquid retinere, non ratione contractus præcisè, vtpote inualidi, sed ratione contractus cum periculo, iuxta maius vel minus periculum, cui se exposuit, iuxta prudentis viri arbitrium. Ita *Molina tr. 2. de iust. disp. 507. num. 3.* Imò *Lessius c. num. 27. Filliucius c. num. 8.* dicunt eum qui per astrologiam vel aliunde nouit non futuram in mari tempestatem: aut ex litteris amicorum accepit, mare tutum esse & liberum à latronibus & piratis, posse tantum accipere, quantum acciperet alter assecurator, qui hæc ignoraret. Ratio est, quia non videtur esse deterioris conditionis alijs, qui hoc ignorāt: sicut enim merces vendi possunt pretio currente, etiamsi quis sciat citò aduehendas esse in magnâ quantitate, & vilius æstimandas; ita etiam obligatio ista potest vendi pretio, quo communiter æstimatur à peritis. Quamuis in contraria sententia sint. *Salon. c. art. 2. num. 7. Azorius c. lib. 11. c. 19. dub. 3.*

4. Mercator, qui sciens nauim perijsse petit assecurationē, inualidè contrahit: quia adest dolus ex parte ipsius mercatoris, qui eo ipso quo petit assecurationem, indicat rem non perijsse, vel se existimare rem non perijsse: verum si non sit omninò certus rem perijsse, mercator videtur posse aliquid accipere iuxta prudentis arbitrium, consideratis omnibus circumstantijs. Ita *Filliucius tr. 37. num. 6. Azorius c. lib. 11. c. 18. dub. 9. Bonacina c. punct. 3. num. 3. Lessius c. num. 25. & 26. Molina c. disp. 507.* Ratio est, quia soluendo pretium exponit se alicui periculo, videlicet, amittendi illud pretium absque incommodo assecuratoris, vt si res non perijsset, si ergo perijsset, poterit ab eo aliquid repetere supra pretium quod dedit.

5. Quatuor sunt quæ assecurari solent. *Primò*, sunt merces, siue mari, siue terra. *Secundò*, sunt pecuniæ, siue quæ transferuntur de loco ad locum mari vel terra, siue quæ sunt debitæ, vt si Titius mihi debeat 100. & mercator ea assecuret pro quinque. *Tertiò* est libertas, vt cùm quis mare nauigans ob periculum Turcarum, curat sibi assecurari libertatem. *Quartò* est vita, vt si ego mutuaui amico meo pecuniam ad quinque annos, quam me amissurum timeo si moriatur amicus intra quinque annos, possum petere assecurationem vitæ amici mei, traditis assecuratori quinque pro centum, ita vt si meus amicus moriatur intra quinquennium, assecurator teneatur soluere pecuniam, quam amico meo mutuaui. Et ratio est, quia vterque subit æquale periculum lucrandi & perdendi. *Sylvester v. Negotium. q. 4. Filliucius c. num. 12. & 13. Azorius c. 8 dub. 8. Reginaldus lib. 25. nu. 384. Lopez de contract. l. 2. c. 16.*

6. Fraudes quæ interuenire solent in contractu assecurationis ex parte assecuratoris, sunt duæ. *Prima*, si non habeat sufficientia bona, vnde possit soluere, si res assecurata periret. *Altera*, si faciat assecurationem in re, quam certò nouit esse saluam & in tuto constitutam.

Ex parte autem assecurati & domini rei quæ assecuratur, interuenire possunt fraudes duæ. *Prima*, si quando scit certò rem suam perijsse, & tamen conueniat cum alio, vt eam assecuret. *Altera*, si loco rei assecuratę substituat aliam rem minoris æstimationis vel nullam; tunc inualidus est contractus. Plura apud *Azorius p. 3. l. 11. c. 18. d. 9. Sotus de iustit. l. 6. q. 7. Garzias de con-*

tract. p. 2. c. 15. Bonac. de contract. disp. 3. q. 9. punct. 3. num. 4.

De Assecuratione, vide *Societas* num. 4.

ASTROLOGIA.

SVMMARIVM.

1. *Astrologia quotuplex sit.*
2. *Astrologia naturalis non est prohibita.*
3. *Astrologia iudiciaria quando censeatur superstitiosa.*
4. *An bulla* Sixti V. *contra astrologiam iudiciariam obliget non solum in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ?* refertur duplex sententia.
5. *Peccata quæ communiter contingunt in hac prædictione per astra.*
6. *Astrologia inuestigare res occultas, superstitiosum est.*

1. ASTrologia, alia est naturalis, alia Iudiciaria. *Naturalis est*, quæ ex astrorum seu planetarum ortu, occasu, coniunctione, oppositione, varioque aspectu tum inter se, tum ad stellas fixas, de futuris elementorum effectibus, coniectat; vt serenitate, pluuia, siccitate, salubritate animalium, morbis, &c. *Iudiciaria astrologia* est, quæ aspectu siderum obseruato iudicat de futuris euentibus à libero arbitrio aliqualiter dependentibus, vt de conditione vitæ, de matrimonijs, de liberis, de morte, de opibus, &c. *Bonac to. 2. d. 3. q. 5. p. 3. num. 10. 11. Sylvius 2. 2. q. 95. art. 5. Layman l. 4. tr. 10. c. 3. num. 5. Filliuc. tr. 24. c. 4. num. 77.* Ita communiter Doctores.

2. Astrologia naturalis, per quam ex intuitu & contemplatione astrorum, conijcimus effectus naturales, in quos cœlum influit, vel quâ ex intuitu cœlorum diuinamus inclinationes hominis, non est illicita, nec prohibita. Ratio est, quia hi effectus non sunt per se occulti, sed per suas causas cognosci possunt, causæ autem eorum sunt cœli & astra, vnde non erit per se malum eos cognoscere per tales causas: Potest tamen interuenire peccatum, in hoc genere inquisitionis, per excessum credulitatis, aut in vsu eius: quia cognitio per astra est valde incerta hominibus, licet sit possibilis: hæc enim pendet ex concursu & aspectu omnium astrorum simul, huc autem cùm quolibet momento varietur, incertissimus est. *Reginald. l. 17. num. 172. Sylvius c. a. 5. concl. 1. Suares, to. 1 de relig. l. 2. c. 11. nu. 6. & 7. tr. 3. Sanches lib. 2. moral. c. 38. num. 18. Laym. in c. num. 5. Filliucius c. cap. 4. nu. 81. Rodriques tom. 1. sum. c. 7. num. 3. Salas 1. 2. q. 9. art. 5. tract. 5. disp. 2. sect. 8. nu. 79.*

Hoc peccatum per se loquendo non pertinet ad superstitionem, quia nullum est pactum implicitum vel expressum cum dæmone, sed ad temeritatem & leuitatem, ideoque ex hoc capite tantum est veniale, nisi inde timeatur damnum graue, vel scandalum. Ita *Reginaldus, Sylvius*, & alij: tunc enim esset mortale.

3. Astrologia iudiciaria est omninò superstitiosa, quoties certiùs, & cum maiori firmitate prædicit tales effectus, quàm ex astris cognosci possint, cùm enim tales effectus pendeant à libero hominis arbitrio non possunt ex aspectu cœlorum cognosci, alioquin liberum hominis arbitrium tolleretur. Nec refert quòd quidam Astrologi dicant se non facere stellas causas futurorum euentuum, sicut faciebant antiqui, sed signa dumtaxat; vel enim stellæ sunt signa naturaliter significantia, vel ex arbitraris Dei institutione: si naturalia sint, necesse est, vt sint vel causæ futurorum euentuum, vel effectus illorum, quorum vtrumque est manifestus error contra fidem, & rationem naturalem. Si ex diuina institutione sint posita ad significandum, quis hanc significationem poterit intelligere, nisi Deus eam reuelauerit? cùm hæc significatio sit denominatio extrinseca ab actu diuino, nihil ponens in ipso signo: vnde inutilis erit tota illa descriptio, & superuacanea, cùm absque reuelatione nihil iuuet, & reuelatio sola sufficiat. *D. Thom. 2. 2. q. 95. art. 5. Caietanus & Sylvius ibid. concl. 2. Valentia 2. 2. disp. 6. q. 12. punct. 3. Bonacina to. 2. disp. 3. qu. 5. punct. 3. nu. 11. Sanches c. num. 33. Lessius l. 2. c. 43. dub. 6. num. 35. & seq. Clauius Reg. l. 4. c. 5. num. 3.*

Proinde absolutè damnatus ab Ecclesiâ omnis talis prædictio, siue tamquam ex causis, siue tamquam ex signis capiatur: quia hæc astrologia est fundamentum magiæ, & omnis diuinationis superstitiosæ. *Caus. 26. quæst. 5. Sixtus V. in Extrauag. Cœli & terræ creator.* Ita *D. Th.* & alij communiter.

4. Controuertitur inter Doctores, an prædictio circa futu-

ros

ros euentus sub graui culpa prohibeatur ab Ecclesia, præsertim in Bulla *Sixti V. Cœli & terræ creator?* Quidam enim affirmant dictam bullam solùm pro foro externo latam esse; non autem in foro conscientiæ obligare; quia non dirigitur ad astrologos, sed ad Inquisitores hæreticę prauitatis, vt iudicialiter agant contra facientes iudicia & natiuitates, etiamsi ea quæ asserunt, solùm sub dubio & probabiliter euentura testentur; ex quâ sententia sequitur, eum, qui iudicium seu natiuitates facit prædicens futura, tenuissima sola coniectura, seu ex solâ certitudine, qua cognosci possunt per astra, non peccare mortaliter, quia in foro conscientiæ id nullibi vetitum reperitur. Itaque secundùm mentem horum Doctorum, quidquid licitum erat de iure antiquo prædicere, ante dictam bullam, & nunc etiam in foro conscientiæ, seclusio scandalo, erit licitum. Ita *Naldus in sum. v. Astrologus num. 4. Molfes. p. 1. tr. 11. c. 7. n. 120. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 12. pu. 3. Dian. p. 2. tr. 1. misc. ref. 58. Delr. disq. mag. l. 4 c. 3. q. 1. conc. 2.*

Probabilior tamen sententia ait, bullam hanc, in vtroq; foro militare, non solùm cùm futura certò prænuntiantur, verùm etiam dum Astrologus declarat se id non asseueranter affirmare. Ratio est, tum quia hic etiam modus prænunciandi futura, est valde Reipub. perniciosus & expositus multis superstitionum periculis, & calumnijs diuinatorum fingentium id dubium. Tum quia Extrauagantem *Sixti V.* prædictam, approbauit, confirmauit & innouauit *S. D. N Vrbanus VIII.* per aliam quæ incipit, *Inscrutabilis* 1. *Aprilis* 1631. vbi contra Astrologos iudiciarios, qui de statu Reipub. Christianæ, vel Sedis Apostolicæ, seu vita Romani Pontificis, aut eius consanguineorum vsque ad tertium gradum inclusiuè, iudicia facere præsumserint, si laici sint, excommunicationis maioris sententiam ipso facto, & vti læsæ maiestatis reis, vltimi supplicij, ac cõfiscationis omnium bonorum: Clericis quoque & Presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quàm vtriusque sexus regularibus, vltra prædictas, etiam priuationis beneficiorum & dignitatum, ac officiorum Ecclesiasticorum, & inhabilitatis perpetuæ ad illa in posterum obtinenda, pœnas ipso facto incurrendas, infligit & imponit, ita quòd personæ Ecclesiasticæ, præuia illarum degradatione, Curiæ sæculari, tradantur puniendę. Hęc Bulla extat apud *Dianam par. 4.* inter Decreta & Constitutiones Pontificum; vnde corruit post hanc constitutionem prima sententia. Tansgressores autem huiusmodi Constitutionis denunciari debent Iudicibus in ▭ designatis, etiam si vnus tantùm id sciat, si tales sint pertinaces, alioquin si spes Emendæ credatur, priùs erunt fraterna correptione admonendi. Cùm enim præceptum correptionis fraternæ, quando adest spes probabilis lucrandi fratrem, sit iuris Diuini, non est cur non obliget in hoc casu, cùm etiam in casu hæresis à multis dicatur obligare. Peyrinus *tom. 2. priuileg. in Constit. 4. Gregor. XV. Sanches l. 2. moral. c. 38. n. 34. Salas 1. 2. q. 9 art. 5. tr. 5. disp. 2. sect. 3. n. 36. Bon. c. q. 5. punct. 3. n. 12. Farin. de hæresi q. 181. §. 1. n. 59.*

5. Tripliciter potest peccari in prædictione hac per astra. *Primò*, ▭ astrologi velint hæc futura contingentia posse certò ex astris cognosci; quippe tollitur libertas, vt dictum est, & ideò est prohibita omni iure. *Secundò*, quando Christianæ fidei mysteria ex astrorum influxu & situ deducuntur: quia Christiana religio est superior stellis, & eius mysteria ex solo Dei decreto pendent. *Tertiò*, quando actiones humanæ & electiones ita astris subijciuntur, vt certæ cuidam regulæ ac legis decreto, ita vt quispiam hanc vitæ, actionibúsque suis regulam præscribat; quippe hoc dignitati diuinæ gratiæ derogat, & est multis illusionum periculis expositum: *Caiet. in sum. v. Astror. Soto observatio. Delrius c. l. 4. c. 3. q. 1. Salas c. tr. 5. disp. 2. sec. 8. n. 81. Sanch. c. n. 31.* Aduertit tamen *Tolet in sum. l. 4. c. 15. n. 6.* quòd si quis semel vel iterum astra aspiceret in suis actionibus iudicando rem esse incertam, esset tunc tantùm culpa venialis.

6. Inuestigare res occultas, siue præteritas, siue præsentes, vt furtum occultum, thesaurum, virginitatem, &c. astrologiâ, superstitio est, omni iure prohibita; quia hæc per astra sciri nequeunt, absque dæmonis auxilio. Immò quamuis esset certum, posse occultum delictum per Astrologiam cognosci, culpa foret mortalis id efficere contra iustitiam, quia iniustè crimen occultum panderetur. Ita *Suares tomo 1. de relig. l. 2. de superst. c. 11. num. 27. Rodriques tom. 1. sum. c. 7. num. 4. Nauarrus in Man. c. 11. n. 28. 30.*

ATTRITIO.

SVMMARIVM.

1. *Attritio quid sit & quotuplex.*
2. *Quæ attritio sit sufficiens ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu.*
3. *An timor gehennæ tanquam pœnæ à Deo infligendæ propter peccatum, sit actus bonus.*
4. *Attritio cognita an sit sufficiens ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.*
5. *Attritio in re existens est necessaria, & non sufficit inculpabiliter ignorata. Potest quis ita accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ vel Eucharistiæ, vt non recipiat gratiam, neque peccatum committat,*
6. *Differentia inter Attritionem & Contritionem.*

1. ATtritio, est dolor quidam imperfectus de peccatis, qui non attingit ad perfectionem contritionis: Et huius attritionis septem sunt species apud Doctores. *Prima* est, quâ tantùm dolemus de peccatis, sed non ita feruidè, & super omnia, vt par erat. *Victoria de Sacram. num. 121. Secunda*, quando incipitur dolor propter Deum, credens se habere sufficientem dolorem, sed in veritate non habet. *Nauarr. in Man. c. 1. nu. 37. Tertia*, quando putat quis se dolere propter Deum, sed non dolet, nisi propter metum gehennæ. *Soto 4. dist. 17. q. 2. art. 5. Quarta*, quando concipitur dolor ex metu gehennę, vel diuini iudicij consideratione, vel alterius incommodi, & duo concurrunt scilicet, voluntas non peccandi de cætero, & est cum spe veniæ. *Quinta*, quando quis dolet de peccatis solùm propter gehennę timorem, aut solum amore virtutis, aut propter gloriam amissam. *Sexta* est eorum qui dolent peccasse, sed non omninò statuunt animum à peccatis abstrahere, & hæc est attritio impœnitentium. *Septima*, quando dolor præcipuè concipitur propter metum, hac tamen voluntate, quòd non cessaret quis à peccato, si pœnas non timeret. De quibus attritionibus. *Syl. in suppl. q. 1. art. 3. Fill. tr. 6. c. 7. n. 179. Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. punct. 3.*

2. Certum est ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiæ cum fructu, necessariam esse attritionem. Ratio est, quia ad Sacramentum requiritur materia, sed attritio est pars materiæ Sacramenti, ergo. Ita *Concil. Trident. sess. 14. c. 4. Coninch. disp. 4. dub. 5. num. 39.*

Quælibet tamen attritio non est sufficiens ad gratiam, & ad fructum in Sacramento Pœnitentiæ suscipiendum; non enim sufficit attritio ex motiuo turpi, quia potiùs est perniciosa, peccaminosa & contraria gratiæ: *Suares de pœnit. disp. 5. sect. 1. Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. pun. 3. n. 3.* Neque ob finem naturalem: quia iuxta *D. Th. 3. p. q. 84. a. 1. ad 2. Syl. in suppl. q. 1. art. 3. quæst. 1. conc. 2. Fernandes p. 3. c. 6. §. 4. Layn. l. 5. tr. 6. c. 4. Tanner. to. 4. d. 6. q. 6. dub. 4.* in Sacramento Pœnitentiæ actus humani sunt pro materia, qui proueniunt ex inspiratione interna, sed dolor seu attritio naturalis non prouenit ex inspiratione interna, ideò enim dicitur naturalis, quia per naturæ vires, sine specialis gratię adiutorio concipitur; ergo eiusmodi dolor non est materia Sacramenti Pœnitentiæ.

Præterea non sufficit attritio inefficax, seu quæ non includit absolutum propositum non peccandi in futurum; quia talis dolor requiritur ex Tridentino, qui voluntatem peccandi excludat, & tollat affectum ad peccatum, qui affectus non tollitur, sed moraliter perseuerat, quoties peccatum non retractatur efficaciter per formale aut virtuale propositum non peccandi in futurum. Ita *Nauarr. in Man. c. 1. n. 36. Regin. l. 5. n. 77. Henriq. de pœn. l. 4. c. 24. n. 2.*

Porrò non sufficit attritio particularis; quia ad recipiendum Sacramentum cum fructu, dolor debet esse vniuersalis de omnibus peccatis, quę menti occurrunt facto examine, & de aliis commissis, quæ in mentem non veniunt. Vnde sola illa attritio, quæ est dolor supernaturalis, efficax & vniuersalis cum spe veniæ, requiritur, & sufficit, tum vt Sacramentum sit validum, tum vt sortiatur effectum, qui est gratia & peccatorum remissio. Ratio est, quia nullum peccatum mortale remitti potest sine vera pœnitentia, sed attritio quæ non habet essentiam contritionis, non est vera pœnitentia, cùm ad illam requiratur conuersio ad Deum, cum detestatione peccati & proposito emendationis. *Suares c. disp. 4. sect. 6. Bonac. c. num. 3. Sylvius c. concl. 3. edit. 3. Fagundes præcept. 2. l. 2. c. 5. num. 16.*

Con-

Concilium Tridentinum tamen declarat hanc attritionem *donum Dei esse & Spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis: sed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam sibi ad iustitiam parat.*

Hæc attritio supernaturalis duplex esse potest, vel quia præsupponit cognitionem Dei, peccati & pœnæ peccato debitæ ex fide, quæ est cognitio supernaturalis, qualis est in peccatore fideli; vel quia peculiari auxilio à Deo mouetur & excitatur ad dolendum de peccato, quatenùs est iniuria Dei, vel ob turpitudinem ipsius, vel quatenus est malum vel mali causa, vt docent *Suares c. disp. 5. sect. 2. Syluius c. q. 3. Coninch c. nu. 37. Bellarm. de pœnit. l. 2. c. 17. Filiucius tr. 6. c. 7. q. 7 & 10.*

3. De fide est ex Tridentino *sess. 6. can. 8.* timorem gehennæ tamquam pœnæ à Deo infligendæ propter peccatum, esse actum bonum: quia timere malum quod reuera dignum est, vt timeatur, est bonum; ergo non est ratio quare dolor ex tali metu ortus, sit malus. Et hoc verum, siue homo timore pœnæ arripiat occasionem dolendi de peccatis & præstandi bonum aliquod opus, siue doleat de peccatis ob pœnam tanquam ob finem proximum, non excludendo tamen vltimum finem: nam in tali attritione intentio finis est bona, cùm sit voluntas euitandi pœnam peccato debitam: similiterque medium quod assumitur, est bonum cum sit fugere & detestari peccatum: ac etiam ordinatio medij, per quam, scilicet, detestatio peccati ordinatur ad euasionem pœnæ; quæ omnia cùm sint ex obiecto bona, ergo etiam ipsa attritio bona erit. Ita *D. Thom. 3. p. q. 85. art. 5. ad 1. Syluius in supplem. q. 1. art. 2. Suares c. disp. 5. sect. 2. num. 4. Nau. c. 1. nu. 8. Filiucius tr. 6. c. 7. q. 9. Reginaldus lib. 5. num. 28. Layman c. c. 9. num. 10.*

Aduerte tamen timorem, quo quis dolet de peccatis ob metum gehennæ, sed ita est affectus vt si pœna non esset, nõ præcaueret peccatum, non esse bonum, neque actu neque virtute includi in attritione, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ requiritur, & quam Synodus Tridentina docet esse sufficientem; quia talis timor est peccaminosus, includit enim affectum actualem ad peccatum. *D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 4. Syluius ibid. & in suppl. q. 1. art. 2. Nugnus ibid. dub. 2. Bonacina c. sect. 1. pu. 3. nu. 4.*

Tamẽ *Diana p. 4. tr. 4. res. 193. & Gaspar, Hurt. de Sacr. disp. 6. de pœnit. dissic. 5.* latis probabile putat attritionem & dolorẽ peccatorum ob malum temporale cum respectu ad Deum, à quo immissum, aut immittendum est in pœnam, id est, dolorem de peccato, quia Deus ob illud immisit, aut immittet dictum malum, sufficere ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ; non verò ob malum temporale, vt aliunde eueniens, vel euenturum absque respectu ad Deum. Ratio prioris est, quia talis dolor, quatenus est respiciens Deum, ex se, non solùm est honestus, sed etiam habet motiuum, quod tantùm est ad dolendum de peccato, & non ad dolendum de bono opere, & excludit affectum peccandi, quia Deus etiam eo malo punit peccatum, & non opus bonum: Et confirmatur hæc ratio, quia dolor iste, vt sic, oritur ex displicentia, aut ex metu pœnarum diuinarum, quem Tridentinum supponit sufficere ad effectum huius Sacramenti. Ratio posterioris est, quia dolor ob bonum temporale, vt non respiciens Deum vt puniturum, sed vt aliunde proueniens, quamuis possit esse honestus habet tamẽ motiuum, quod potest esse ad dolendum de bono opere, quia etiam opus bonum potest esse occasio talis mali, & ob id & ex se non excludit affectum peccandi, quod Tridentinum requirit in dolore, vt sufficienter disponat ad gratiam huius Sacramenti. Ita *Diana* ex *Gaspar. Hurtado, & Conninch.*

4. Vera & integra attritio, est sufficiens dispositio ad effectum Sacramenti pœnitentiæ quamuis cognita, sit, neque oportet illam reputare contritionem, vt effectus conferatur; & hoc est probabilius opposito, & hoc tempore practicè certum. Ratio est, tum quia post institutionem Sacramenti pœnitentiæ, nullum extat præceptum negatiuum non accedendi ad hoc Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, nisi post veram contritionem. Tum quia Sacramentum pœnitentiæ numquam produceret primam gratiam, nec remitteret peccata mortalia, sed peccata priùs supponerentur remissa per contritionem. Tum quia sequeretur legem Euangelicam esse grauiorem lege antiquâ, in quâ homines cum sola contritione iustificabantur; ergo ad iustificationem in Sacramento pœnitentiæ non requiritur contritio, sed sufficit attritio. Tum quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad suscitandos mortuos, ergo hoc ipso ex se non requirit talem dispositionem, quæ mortem expulerit, sed talem quæ sufficiat vt sacramentum ipsum mortem expellat. Ita *Suares de pœnit. disp. 20. sect. 1. num. 20. Syluan supplem. q. 1. a. 3. quæst. 1. concluf. 4. Vasques de pœnit. q. 92. art. 1. dub. 3. num. 14. Bonacina to. 1. disp. 5. q. 5. sect. 1. p. 3. num. 10. Corduba l. 1. q. 2. Nugnus in supplem q. 9. art. 1. dub. 3. Diana p. 4. tract. 4. resol. 193. Caspensis tra. 24. disp. 4. sect. 10. num. 86.*

Sed dices: Attritio non est vera detestatio offensæ Dei, ergo, si cognita sit, non potest esse sufficiens dispositio ad iustitiam. Resp. etiamsi non sit formalis detestatio peccati, quatenus est offensa Dei; tamen est vera detestatio ipsius offensæ sub ratione aliqua honesta & supernaturali: ideoque etiamsi ex se non sufficiat ad iustitiam, tamen habet proportionem sufficientem, vt ab ea procedat vera peccati accusatio per quam mediante Sacramento, iustitia infundatur. Tum quia existimatio contritionis, nihil perfectionis addit attritioni nec perfectiùs peccatorem disponit, nec potest aliud operari quàm excusationem à transgressione præcepti, si quod esset, quo inhiberetur ne conscius sibi peccati mortalis nisi post veram contritionem ad Sacramentum pœnitentiæ accederet.

Cæterùm negari non potest esse tutiorem sententiam illorum, qui docent, per se loquendo, semper esse necessarium vt homo bona fide accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, putans se esse contritum: quamuis enim practicè verum sit attritionem cognitam sufficere cum Sacramento pœnitentiæ, tamen hoc non est de fide certum, & idem falsum esse potest; quia viri maximè sapientes oppositum sentiunt; vt videre est apud Suares c. *disp. 20. sect. 1.* Et cum hæc veritas ab institutione diuina dependeat, opinio probabilis non supplebit medium necessarium, si fortè ex Christi institutione Sacramentum pœnitentiæ subsistere non possit cum attritione cognita, vt latius explicatur infrà *verb. Consuetudo num.* 10. Proinde quidam Doctores sapientissimè aduertunt, hominem in fine vitæ videri ex charitate erga se teneri ad perfectam contritionem procurandam: licet enim contrariæ sententiæ sint probabiles, si tamen hæc ex quocumque demum capite fortè sit vera à parte rei, ex eius neglectu sequetur malum irreparabile; charitas autem erga se videtur hominem obligare vt malum illud quantum in se est euitet, enitendo etiam ad aliquid ad quod per se loquendo, non obligaretur extra huiusmodi circumstantiam. Ita *Suares c. disp. 15. sect. 4. nu. 17. Nugnus in 3. p. to. 2. q. 2. art. 4. dub. 4. Zambran. de cas. occur. temp. mor. c. 4. dub. 1. nu. 4. Granado de sacr. controu. 7. tr. 4. disp. 3. sect. 4. Tamerus to. 4. disp. 6. q. 6. dub. 3. num. 66. & 68. Preposit. 3. p. q. 2. de contrit. dub. 5. num. 57. Sanctius in select. disp. 44. num. 13. §. Rursus, Sanches l. 1. moral. c. 9. num. 34.* Aduertunt tamen si contingeret hominem in eo casu mori sine actu amoris vel contritionis, & sine nouo peccato, vel quia raptus est priusquam hoc aduertere posset, vel quia illos omisit ex probabili ignorantia obligationis, seu iuris aut etiam facti, quia videlicet conatus est ad talem actum habendum, & putauit se habere, re tamen vera non habuit, in his casibus ille homo saluabitur: quia tunc necessitas talis actus non est necessitas medij in re ipsa omnino requisiti, sed præcepti, à cuius transgressione tunc excusabitur propter aliquam ex dictis circumstantijs, & ideo nõ amittit iustitiam, quam per Sacramentum consecutus fuerat, ergo ex vi illius saluabitur.

5. Aliqui sentiunt, vt *Cano de pœnit. p. 5. Vega lib. 13. in Trident. c. 34. Vasques de pœnit. q. 92. a. 1. dub. 2. & Molfesius tr. 7. c. 9. num.* 40. ad Sacramentum Pœnitentiæ effectum, non esse necessariam veram attritionem in re existentem, sed inculpabiliter & probabiliter putatam sufficere, saltem quando pœnitens bona fide accedit, & credit se esse sufficienter dispositũ; quia tunc pœnitens non ponit obicem effectui Sacramenti, ergo consequitur effectum eius.

Hæc sententia sine dubio falsa est, quia ad remissionem peccati mortalis per Sacramentum, necessaria est vera attritio in reipsa existens, vnde si aliquis sine attritione illud recipiat cum quacumq; ignorantia inuincibili, siue iuris, siue facti, excusabitur quidem à noua culpa, non tamen consequetur effectum; inuincibilis enim existimatio licet excuset a culpa, tamen in reipsa non adhibet medium necessarium; sicut existimatio fidei, non ponit fidem. *D. Bonau. in 4. dist. 9. q. 3. art. 2. Alensis 4. p. q. 46. art. 2. Caietanus 3. par. q. 79. artic. 1. Suares de pœnit. dis. 20. sect. 2. Fagund. precep. 3. l. 4. c. 2. num. 14. Diana p. 3. tra. 6. miscel. res. 98. Syl. in suppl. q. 1. ar. 3. quæs. 1. conc. 4. edit. 3. Hem. l. 4. c. 26. n. 2. Bon. c. n. 6.*

Concludendum ergo est, posse dari statum medium in recep-

tione

ptione Sacramenti Pœnitentiæ, ita vt nec iustificetur qui de nouo illud recipit, nec de nouo peccet, quia potest carere attritione alicuius peccati ex naturali obliuione, & tunc nõ peccabit denouo propter ignorantiam inuincibilem; vel potest inuincibiliter ignorare motiuum suæ attritionis & existimare esse aliud quàm verè sit, vel esse sufficiens, quod reuera non est, & sic nec iustificabitur: Hinc quando Sacramenta, nempe, Eucharistiam & Pœnitentiam recipimus, certiores sumus nos non committere nouum peccatum, quàm per ipsa Sacramenta iustificari. Vide Doctores hic citatos, qui ad rationem *Cani* respondent, negando *Assumptum*: nam, licet in eo casu recipiens Sacramentum non ponat obicem actualis peccati, tamen ipsummet peccatum prius commissum, & non satis retractatum, est sufficiens obex gratiæ, cum in eo statu non possit remitti secundùm ordinariam legem.

6. Attritio multùm differt à contritione; quia attritio dicitur dolor imperfectus, contritio verò dolor perfectus: deinde diuersum est motiuum contritionis & attritionis, contritio enim detestatur peccata quatenus sunt offensa, seu malum Dei; attritio verò detestatur peccata ob malum gehennæ aut aliarum pœnarum. Præterea contritio est actus charitatis, attritio verò est actus virtutis pœnitentiæ. Insuper contritio est ex se dispositio ad gratiam, cùm peccator per contritionem constituatur in gratia, attritio verò ex se non sufficit ad consequendam gratiam, nisi coniungatur cum Sacramento; si verò coniungatur cum Sacramento, sufficit ad consequendam gratiam: & dicitur efficere hominem de attrito contritum; non quia attritio fiat intrinsecè contritio, hoc enim fieri non potest, cùm attritio versetur circa vnum motiuum, contritio verò circa aliud, & sint actus diuersæ speciei, & essentialiter differentes, ergo vnus non potest fieri, alius, licet possit fieri attritus contritus. *Suares* 3. *par. tom.* 4. *disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 9. & *sect.* 3. *Valentia tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 8. *pu.* 2. *Vasques quæst.* 86. *art.* 3. *dub.* 8. *n.* 4. *Filliucius tr.* 6. *c.* 7. *q.* 8. 9. & 11. *Henriques l.* 4. *c.* 25. *Put.* 3. *p. q.* 90. *p.* 1. *dub.* 2.

Quando autem dicitur communiter, quod pœnitens virtute Sacramenti Pœnitentiæ fiat ex attrito contritus: sic sensus prædicti axiomatis reddi potest, secundùm *Sylu. in suppl. q.* 1. *ar.* 3. *quæst.* 2. *Petr. Ledesm. de attrit. c.* 7. *Prapositus* 3. *p. q.* 86. *a.* 1. *dub.* 10. *n.* 67. *Put. c. dub.* 2. & alios; illum, nempe, qui ante Sacramentum in re susceptum: tantùm habebat attritionem, per Sacramentum fieri contritum, vel actualiter exercendo actum veræ perfectæque contritionis, vel habitualiter, in quantum virtute Sacramenti gratiam & virtutes supernaturales, & inter eas virtutem pœnitentiæ infusam accipit, quâ mediante efficitur habitualiter contritus.

De attritione, vide *Baptismus* 3. num. 10. & 11. *Casus reseruatus* num. 21. *Communio sacra* num. 36. 37. *Contritio. Extrema-Vnctio* 2. num. 5. *Martyrium* num. 7. *Pœnitentia* 4. num. 3. *Sacramentum* 4. num. 5.

AVARITIA.

SVMMARIVM.

1. *Auaritia quid sit & quale peccatum.*
2. *Est vitium capitale habens filias septem.*

1. AVaritia, *est vitium inclinans ad inordinatum appetitum pecuniæ.* Et quia hæc inordinatio potest contingere in damnum alterius & sine illo; fit vt auaritia quæ habetur sine damno alterius, opponatur tantùm liberalitati, & de se fit tantùm venialis, vtpote non aliud dicens, quàm inordinatum affectum erga diuitias aut acquirendas, aut retinendas. Tamen si affectus ille ad diuitias ita crescat, vt propter earum amorem non vereatur quis facere contra charitatem Dei vel proximi, volens potiùs præceptum sub mortali obligans violare, quàm non assequi diuitias, aut quàm eas amittere, posset esse mortale. Auaritia autem quę fit cum alterius damno, opponitur etiam iustitiæ, & de se est mortalis: quàtus contingat esse veniale propter imperfectionem actus, aut ob leuitatem materiæ. *D. Th.* 2. 2. *q.* 118. *Syl. ibid. Tolet. l.* 8. *sum. c.* 25. *Syl. v. Auaritia. Armilla ibid. Fernandes p.* 4. *c.* 2. §. 3. *Nauarr. in Man. c.* 23. *n.* 69. & 70. *Viguer. in inst. c.* 5. §. 14. *versu* 1.

2. Auaritia numeratur inter peccata capitalia, quæ sunt veluti fontes & radices multorum aliorum: nam propter pecuniam, quæ est obiectum auaritię, siue acquirendam, siue retinendam, multa peccata committuntur tamquàm propter finem ab auaro intentum. Hinc *D. Gregorius* enumerat septem auaritiæ filias *lib.* 31. *Moral. cap.* 31. Prima est, *Obduratio cordis.* Hæc enim sæpe ad nimiùm seruandam pecuniam tendens, à compassione pauperum auertit; vnde ad obdurationem pertinet præcipuè non facere eleemosynam, nec subuenire indigenti; & peccatum est veniale vel mortale, secundùm quod præceptum eleemosynæ obligat. *D. Th. c. ar.* 7. & 8. *Syl. ab. Tol. c. c.* 26. & *seq. Nau. c. n.* 72. *Less. l.* 2. *c.* 47. *dub.* 8. *n.* 60.

Secunda, *Inquietudo mentis*, id est, vehemens applicatio mentis, cum timore coniuncta. Hæc inquietudo seu solicitudo, quando est de re mala, est mala; & est mortalis si res ipsa de qua solicitamur, est mortalis: venialis verò erit, si res venialis. Mortalis præterea erit hæc solicitudo de re temporali, constituendo in ipsa finem vltimum.

Tertia est, *Proditio*, quæ nihil aliud est, quàm manifestatio occulti, illatiua nocumenti: & fit quadrupliciter. Primò, circa personas, vt *Iudas* prodidit *Christum*: & hæc est grauis mortale. Secundò, circa res immobiles, vt miles qui prodit ciuitatem sui Domini. Et hoc est mortale obligans ad restitutionem. Tertiò circa res mobiles, vt qui vestes latroni ostendit, vt rapiat. Mortale est etiam hoc cum obligatione restituendi. Quartò, circa secreta, vt qui alterius secretum aperit in eius detrimentum, quod tamen celare tenebatur. Et hoc est mortale in materia graui.

Quarta est *fraus*, seu deceptio alterius opere exhibita. Est autem fraus mortalis, si sit pernicioſa in damnum proximi notabile. Secùs si circa minimum aut si iocosa, vel officiosa, vel præter intentionem, tunc in his est venialis; ignorantia enim excusat à peccato: tenetur tamen qui fraudem commisit reddere, quod per fraudem accepit, cùm primum veritas cognita fuerit.

Quinta est *periurium*, quod est dolus in sermone iurato, seu falsum iuramentum: mortale est periurium formale, vt cùm quis aduertit se falsum iurare, & vult iurare. Si verò periuret ex lapsu linguæ, aut inaduertenter, vel ignoranter, non erit mortale, quia actus non est perfectus, sed tantùm periurium materialiter. Si tamen quis non intendens falsum iurare, iuret tamen falsum, non curans adhibere curam, ne falsum iuret, tunc esset mortale, quia conuincitur potius velle peierare, quàm dissentere ne falsum iurer. Plura v. *Iuramentum* 5.

Sexta est, *Fallacia*, quæ est fraus in verbo, de qua in verbo *Falsarius*.

Septima est, *mendacium*, de quo suo loco agemus. De his Auaritiæ filiabus vide *D. Thom. Syl. Tolet. Nauarrum. Less.* & *Summistas.*

B.

BANNITVS.

SVMMARIVM.

1. *Vnicuique licet bannitum seu proscriptum occidere, positis quibusdam conditionibus.*
2. *Fas non est proscripto se defendere contra iustum aggressorem.*
3. *Bannitus seu proscriptus per sententiam iustam, an occidi possit extra territorium proscribentis?* refertur duplex sententia.
4. *Approbatur consuetudo & statutum quo præmium promittitur occidenti bannitum.*

1. BAnnitum seu proscriptum per publicam mortis sententiam occidere, cuiuis è populo in conscientiæ foro permissum est, modò hæ conditiones adsint. *Prima*, vt id fiat publicæ iustitiæ zelo, non ex odio aut priuatæ vindictæ causa. *Secunda*, ne fiat pendente appellatione, aut extra territorium proscribentis. *Tertia*, excipiendi parentes, liberi, vxor &c. qui proscriptum alere tenentur: quia ius ciuile naturalia iura non tollit, tantùm abest vt occidere possint, nisi actualis ille reipublicæ hostis existat. Ita *Emman. Sà v. Bann. Sot. de iust. l.* 5. *q.* 1. *ar.* 3. *Clar. l.* 5. *sent. v. Homic. n.* 54. & 59. *Armil. v. Ban. n* 1. Personæ itẽ ecclesiasticę siue seculares, siue regulares, grauiter peccarent occidendo bannitũ, quamuis immunes essent à pœna

pœna temporali: quia illis non licet immiſcere ſe in cauſa ſanguinis quantumuis iuſta: imò eſſent irregulares ea irregularitatis ſpecie, quæ contrahitur propter delictum: licet laici ſolum contrahereut irregularitatem ortam ex homicidio iuſto. Ita *Lezana to. 3. ſum. v. Bannitus num.* 11.

An autem talis bannitus poſſit occidi proditorié & per inſidias, *Molina to. 4. ar. 3. diſp. 7. nu. 1. Filluccius tr. 29. nu. 25. part. 2. Azor. p. 3. l. 2. c. 2. q. 4. Diana par. 5. ar. 4. reſol. 25.* affirmant: quia ſita culpa ceſſare à peccato non vult, manitque ratio habenda eſt boni publici, quam particularis illius, qui illi propiciet ea potell, & non vult: nihil tamen magis placet ſententia negantium. *Menoch. de arbitrar. l. 2. q. 90. num. 9. Bonacina de contract. d. 2. q. vlt. ſect. 1. pu. 2.* & aliorum propter periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus, ſi occidatur in eo ſtatu proditorié.

2. Ex communi ſententia Doctorum, fas non eſt proſcripto ſe defendere contra iuſtum aggreſſorem eum occidendo vel mutilando. Ratio eſt, quia perinde eſt, ac ſi reus & malefactor condemnatus ad mortem, ſe defenderet contra miniſtros Iudicis & occideret eos. Deinde, quia eo ipſo quòd potteſt licitè offendi & occidi, admittur ei ius ſe tuendi; Non enim eſt permiſſa defendendi facultas, vbi offendendi eſt data libertas: alioquin fateri cogemur dari poſſe bellum ex vtraque parte per ſe ac formaliter iuſtum ſeclusa ignorantia, quod omnes negant. Ita *Layman l. 3. ſect. 3. tr. 3. par. 3. c. 2. nu. 3. Sa v. Bannitus num. 4. Azor. part. 1. lib. 2. c. 1. q. 11.*

Nihilominus contrarium ſententiam faciunt probabilem, quidam rationes & auctores apud *Iul. Clar. l. 5. ſententi. §. Homicidium num. 68. & ſeq.* afferentes nempe, quòd bannitus non ammittat ius ſe defendendi, & quòd non peccati tum quia nō perdit ius naturale & genium. Tum quia ius naturale non poteſt tolli per ſtatutum humanum. Deinde, quia adulter, ſi occidit, vt ſe à morte defendat, non peccat.

3. Quidam iurisperiti expreſsè docent bannitum ſeu proſcriptum per ſententiam iuſtam, vbique etiam extra territorium proſcribentis occidi poſſe. Quia conſtitutio poteſt ligare perſonas etiam extra territorium exiſtentes. Tum quia taliter occidentes gerunt actum permiſſum, & in factis priuatorum non attenditur territorium, ſed an faciant actum permiſſum, vel prohibitum. Tum quia publicè intereſt tales vbicumque fuerint, perimine reuertendi & ne prouincias cladibus, furtis, ac violentijs moleſtent. Ita *Baldus in leg. cunctos populos mu. 9. Cde Sum. Trinit. Clarus e. num. 66. Megalh. tom. 1. Var. reſol. 62. num. 5. Graſſus p. 1. l. 2. c. 62. nu. 57.*

Contraria tamen eſt ſententia Theologorum: quia nullus Princeps ſeu magiſtratus ega vllum malefactorem, aut proſcriptum ſententiam iuſtitiæ exercere poteſt extra fines territorij ſui, niſi vel expreſsa, vel rationabiliter præſumpta licentia habeatur eius, qui in alieno territorio poteſtate poteſtas eſt: & niſi reus eſſet bannitus à Summo Pontifice, qui cùm habeat iuriſdictionem illimitatam, & per vniuerſum orbem, poteſt mandare occiſionem hominis à ſe proſcripti in alieno territorio: Quamuis ad conſeruandam cuique ſuam iuriſdictionem temporalem, non ſoleant eiuſmodi homicidia præcipi in alieno territorio. Et qui id exequerentur, exponerent ſe periculo ſubeundi pœnam homicidæ, vel ſaltem iætiæ iuriſdictionis Principis. Ita *Toletus l. 5. c. 6. nu. 18. Azor. p. 1. l. 2. c. 2. q. 3. Filluccius tr. 29. n. 24. part. 2. Reginaldus l. 21. c. 2. nu. 18. Diana par. 5. tr. 4. reſol. 24. Sa v. Bannitus num. 1. Bonacina de contract. d. 2. q. vlt. ſic. 1. p. 2. num. 2.*

4. Licitus eſt vſus & ſtatutum, quo præmium promittitur occidenti bannitum; nimirum, vt quicumque ex bannitis alij bannitū occiderit, vitę libertatę, & ciuitate donetur; vel vt quicumque alius bannitum occiderit, recipiat certam pecuniæ ſummā, vel condonet pœnā vni, vel duobus bannitis, quos ipſe maluerit. Ratio au em eſt quia aliquando id expedit communi Reip. bono, vt banniti, qui Reipublicæ ſunt hoſtes, facilius & commodiùs è medio tollantur. Ita *Azor. p. 3. l. 2. c. 1. q. 4. Filluccius tr. 29. part. 2. num. 25. Clarus §. homicidium. verſ. Sed an licitum. Decianus in tract. ad criminal. l. 7. c. 30.* Tamen *Soto de iuſt. lib. 5. q. 1. art. 3. Bonacina de contr. d. 4. vlt. ſect. 1. p. 2. num. 3.* non admodum probant hunc morem propter periculum damnationis, cui frequenter exponitur bannitus: vnde, ſecundum *Diauam*, non eſt facile hæc facultas concedenda. *part. 5. tract. 4. reſol. 24.*

BAPTISMVS I.

Quid ſit Baptiſmus & quotuplex, de eius inſtitutione, & neceſſitate.

SVMMARIVM.

1. *Baptiſmi quid. Triplex recenſetur.*
Quæ eorum ſuſcipiendi Sacramentum requiratur ad Baptiſmum flaminis.
An iuſtificatio ſola contritione abſque Baptiſmo morientis ſi poſtea ad vitam reuocetur, an teneatur ad Baptiſmum ſuſcipiendum?
Et quid dicendum de catechumeno qui per martyrium fuit iuſtificatus, ſi poſt mortem reuiuiſcat?
2. *Baptiſmus flaminis an ſit Sacramentum.*
3. *De inſtitutione Baptiſmi.*
4. *Baptiſmus an ſit medium neceſſarium ad ſalutem.*
5. *Baptiſmus neceſſarius eſt, non ſolum neceſſitate medij, ſed etiam præcepti: licet poſſit differri ab adulto vel præmittis propter immanentem mortem.*
6. *Extra Martyrium inſtantibus ordinarie eſt neceſſarius Baptiſmus reipſa ſuſceptus.*
7. *Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum, quando incipiat.*
8. *An in paruulis remotis exiſtentes cum inuincibili ignorantia Baptiſmi & legis Chriſti, ſint damnandi vel ſaluandi?* Refertur duplex ſententia.
9. *Tenenda de Baptiſmo Ioannis.*

1. BAptiſmus, vox eſt Græca & ſignificat ablutionem ſiue immerſionem in aquam: triplex autem a Doctoribus Baptiſmus conſtituitur: *Primus eſt* fluminis, id eſt, aquæ, qui etiam in duos poteſt ſubdiuiſingi, in eum, qui à *Ioanne* fuit inſtitutus, & in eum qui à *Chriſto*, qui antonomaſticè intelligitur prolato nomine Baptiſmi. *Secundus* flaminis, id eſt, penitentiæ & contritionis, quæ quoniam ſit impulſus Spiritus Sancti, qui dicitur Flamen, ipſa quoque dicta eſt flamen. Et autem hic in ſolis adultis habentibus vſum rationis necdum Baptizatis. *Tertius* eſt ſanguinis, id eſt martyrium, quod hoc nomen ſibi vendicat, eò quòd efficiat effectus Baptiſmi: & Baptiſmi vices ſuppleat, de quo docetur v. *Martyrium*. Dixerunt autem iſti tres Baptiſmi, *primo* ex parte ſuſcipientis; nam flaminis, eſt adultorum, alij duo etiam ſunt communes paruulis, *ſecundo*, ex parte effectus, Baptiſmus enim aquæ imprimit characterem, quem nullus alius baptiſmus imprimit, quamuis martyrium det aureolam. Solus Baptiſmus aquæ eſt Sacramentum; reliqui non. *Præterea* Baptiſmus aquæ & ſanguinis, peccatum cum tota pœna remittit, at flaminis, non niſi iuxta quantitatem doloris & contritionis pœnam remittit, culpam autem aufert. *D. Thom. 3. p. q. 66. art. 11. Sylueſter ibid. Toletus l. 2. c. 18. Bonac. de Sacramenti. d. 2. q. 1. Filluccius tr. 2. c. 1. q. 1. 2. & 3. Layman l. 5. tract. 2. c. 5. num. 1. & 2. Peſantius 3. p. q. 66. diſput. 6.*

Sed cùm in Baptiſmo flaminis contineatur votum Sacramenti; Petes, quale votum ſuſcipiendi Sacramentum requiratur ab Baptiſmum flaminis? Reſp. cum D. Thoma *3. p. q. 68. art. 2. & q. 69. art 4. ad 2.* ſufficere ad iuſtitiam & gloriam votum implicitum, nempe charitatem Dei ſuper omnia, cum generali propoſito ſeruandi mandata, inter quæ vnum eſt de ſuſcipiendo Sacramento Baptiſmi. Hæc enim eſt ſufficiens conuerſio hominis in Deum; neque oportet ſpeciatim deſcendere ad præcepta, quia cùm ſint valde multa, retardaretur hominis iuſtificatio, etiam poſt perfectum amorem Dei, quod eſt inconueniens.

Similiter rogabis, ſi iuſtificatus ſola contritione abſq; Baptiſmo moriatur, ſi poſtea ad vitam reuocetur, an teneatur ad Baptiſmum ſuſcipiendum? Reſp. teneri, quia in ipſa contritione habuit votum ſaltem implicitum & virtuæ illum ſuſcipiendi, quoties commoditas ſe offeret eique obligatio non extinguitur per mortem in eo, qui ex morte ad vitam reuocatur. Ide dicendum de catechumeno, qui per martyriū fuit iuſtificatus, ſi poſt mortem reuiuiſceret. Sicut teneretur ad peccata confitenda ille Baptizatus, qui martyrium ſubiret cum aliquo peccato, quod inopia confeſſarij ante martyriū confiteri non potuit. Nā quēadmodum hic teneretur huiuſmodi peccatum confiteri, ſi poſt lethalia vulnera pro Chriſto accepta acquireret copiā confeſ-

 ſarij;

farij; ita ſi poſt mortem iterum ad vitam rediret cùm ſemper maneat obligatio, quam in voto habuit, ſeruandi præcepta, cùm primum poſſit. Hæc pauca modò de Baptiſmo flaminis & ſanguinis.

2. Baptiſmus fluminis, *eſt Sacramentum conſiſtens in ablutione corporis exteriorius, ſub præſcripta verborum forma, a Chriſto inſtituta, ad regenerationem ſpiritualem*, hoc definitio optima videtur, cui ita conſtat genere & differentia ad modum compoſiti metaphyſicè deinde conſtat omnes quatuor cauſas, materiam, formam, effectum & finalem. *D. Thom. 3. p. q. 66. art. 1. Regin. dub. 27. num. 3. Nauar. c. 22. n. 5. Henriq. l. 12. c. 1. n. 9.*

3. Baptiſmus inſinitus fuit ante Chriſti Paſſionē, non modò quod deſignationem materiæ, verum etiam quoad traditionem formæ & effectum; quando *Chriſtus* in Iordane Baptizatus fuit a *Ioanne*; tunc enim indicata fuit materia, id eſt, aqua; indicata fuit forma, quæ eſt invocatio *Sanctiſſimæ Trinitatis*, nam per illud Patris indicatus fuit de voce Patris perſona Filij manifeſtata fuit illis verbis *hic eſt filius meus dilectus*; Perſona Spiritus ſancti indicata fuit per ſpeciem & figuram columbæ. Per effectum verò columbæ & cœlorum apertionem prædemonſtratus fuit eſſe ritus Baptiſmi. *Matthæi 3. & ap. D. Thom. c. art. 2. n. Suarez to. 3. d. 19. ſect. 2. Filliucius cap. 6. q. 4. Sylvius c. art. 2.*

4. Baptiſmus, eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, ad remiſſionem ſaltem peccatorum & gloriam conſequendam: & eſt de fide confirmatum in Conciliis Florent. & Tridentino, Eccleſiæ traditione & Patrum; quibus accedit ratio, quia omnes nati ſunt in peccato originali & filij iræ indigent ergo aliquo medio, quo & liberi fiant ab illo, & Chriſto ingrafiti, in eum autem hoc non aliud eſt præter Baptiſmum, vt patet ex illo *Ioannis* tertio: *Niſi quis renatus, &c.* nec minùs eſt neceſſarius Baptiſmus filijs infidelium, quàm fidelium, vt definit *Trident. can. 4.* nec obſtat quod parentibus fidelium ſit iam remiſſum originale; per carnalem enim generationem transfunditur idem peccatum in filios, vnde etiam hi remedio indigent. *Conc. Trid ſeſſ. 7. can. 5. & ſeſſ. 5. can. 4. & c. Vtinen. to. 4. a. 4. q. 4. Regnald. l. 27. num. 7. Valent. 1. 2. c. 11. Suarez c. diſp. 27. Vaſquez 3. p. d. 152. c. 2. Lefſanius 3. p. q. 68. diſp. 1. n. 2.*

5. In adultis, ad abluendam primam gratiam neceſſarius eſt Baptiſmus in re vel in voto; ſile autem dicitur habere Baptiſmum in voto, vt dictum eſt, qui facit aliquid in quo continetur votum & propoſitum Baptiſmi ſuſcipendi, ſaltem implicitum vt qui elicit actum contritionis aut dilectionis Dei ſuper omnia: idem dicendum eſt de Martyrio in quo Baptiſmi votum continetur. *Suarez c. ſect. 2. & d. 21. ſect. 1. D. Th o 3. p. q. 68. art. 2. Sylvius ibid. Henriq. l. 2. c. 3. Filliucius tr. 2. n. 122.*

Vnde Baptiſmus non ſolum eſt neceſſarius neceſſitate medij, verum etiam neceſſitate præcepti; quod obligat adultos vt quamprimùm, moraliter ſeuendo, commodè & dignè poſſint, Baptiſmum ſuſcipiant vel ſaltem non multo tempore differant; non adulti dili. endo Baptiſmum exponunt ſe periculo damnationis, ibique patet curare tenetur vt filij & domeſtici quamprimùm baptizentur: vnò Cathecumenus tenetur ſub mortali ſuſcipere Baptiſmum oblata opportunitate, quamuis ſit in gratia conſtitutus per actum contritionis, quia Baptiſmus, non ſolum nec ſtarius eſt neceſſitate medij in voto, verum etiam in re, dat opportunitate illius ſuſcipiendi. *Matthæi 28. Regnald. c. num. 36. Bonacina c. p. 2. Conuinch. de Sacramentis d. 68. art. 3. num 37.*

Sed petes an propter imminentem mortem liceat adulto, differre, aut omnino præterimittere ſuſceptionem Baptiſmi?

Reſpondeo licere differre Baptiſmum propter vitandum eiuſmodi periculum: nemo enim per ſe loquendo, obligatur illum recipere cum tanto vitæ periculo; quia adulto, Baptiſmus in re ſuſceptus, non eſt medium neceſſarium ad ſalutem, ſed in voto ſufficit. Verumtamen non videtur homo teneri omittere hoc Sacramentum propter periculum mortis, ſi certò ſciat non habituri poſtea copiam Baptiſmi. Tum quia hoc non eſt ſibi ipſi mortem inferre, quod eſt intrinſecè malum, ſed potiùs ab alio infligi permittere: quod quidem ſæpe licitum eſt ex graui cauſa. Tùm quia per Baptiſmum homo facilius iuſtificatur, cum ſæpe valde incertum ſit, an habeat contritionem, præſertim quando de nouo accedit ad fidem. Imò per accidens poſſet homo teneri Baptiſmum ſuſcipere, puta, ſi ex Baptiſmi omiſſione proueniret grauis aliquod incommodum contra Catholicam religionem, vel aliqua infamia; Ratio eſt, quia maioris momenti eſt honor fidei noſtræ, quàm vita vnius, imò & plurium hominum.

6. In infantibus, tempore legis gratiæ ſufficienter promulgatæ, ſecundùm legem ordinariam, eſt neceſſarius Baptiſmus reipſa ſuſceptus extra martyrium; ſi tamen detur caſus, vt aliquis ex priuilegio ſpeciali in vtero matris iuſtificetur, tenetur ſic iuſtificatus adhuc recipere Baptiſmum, exemplo Apoſtolorum & *Beatiſſimæ Virginis*, qui licet ante Baptiſmi inſtitutionem receperint gratiam, poſt Euangelij tamen promulgationem, tenebantur Baptiſmum ſuſcipere, vt fierent capaces Sacramentorum, quorum ianua eſt Baptiſmus, & vt ſigno characteris diſtinguerentur ab infidelibus, ſi antea non fuiſſent baptizati. *D. Thom. q. 68. art. 2 & q. 73. art. 3. Sylvius Bap. q. 1. Henriq. l. 2. c. 3. Filliucius tract. 2. c. 6. q. 5. Bonacina c. num. 9*

7. Obligatio ſuſcipiendi Baptiſmum non ſtatim incepit poſt prædicationem Baptiſmi, neque ante Chriſti mortem, quia ante illam durabat lex vetus, ad cuius obſeruationem tenebantur homines: incepit autem hæc obligatio reſpectu eorum, quibus Baptiſmus fuerat promulgatus poſt Chriſti paſſionem, etiamſi Euangelium nondum eſſet omnibus promulgatum; quia in morte Chriſti ceſſauit lex vetus & incepit noua: obligatio verò Baptiſmi generaliter & quoad omnes, incepit poſt ſufficientem promulgationem Euangelij; factam vniuerſo mundo; quæ promulgatio ſecundùm aliquos facta fuit in die Pentecoſtes, quo tempore Apoſtoli prædicauerunt variis linguis omni nationi Iudæorum concurrentium: ſecundùm alios verò vniuerſalis obligatio cepit poſtea poſt excidium Hieruſalem, quod accidit anno quadrageſimo poſt Chriſti paſſionem, quo tempore Apoſtoli obierant & Euangelium toto orbe prædicauerant. Vide *Filliucium c. num. 118 119. & 120. Suarez tom. 3. diſp. 27. ſec. 4. & diſp. 31. ſect. 1. Vaſquez. 3. p. d. 149. c. 3. Conmch q. 60. art. 2. dubi. 2. Bellarm de Baptiſmo c. 5.*

8. Quidam putant illos, qui nunc exiſtunt in partibus remotis cùm inſuncibili ignorantia Baptiſmi & legis Chriſti, damnandos eſſe, quia poſt generalem Euangelij promulgationem, non reſtat aliud remedium pro originali præter Baptiſmum in re vel in voto: Alij verò non ſunt damnandos, in natura legem ſeruauerint; quia credibile eſt Deum ſeruanti legem naturæ, daturum lumen & ſpeciale auxilium, quo ſe valeat ad ipſum conuertere: hæc ſententia tamquam conformis ſummæ pietati & miſericordiæ diuinæ à Recentioribus quibuſdam Doctoribus tenetur. *Summa corona de Baptiſmo n. 43. Bonacina c. num. 15. D. Thomas 2. 2. q. 10. art. 4. ad 3.*

9. Ex communiore ſententia Doctorum, hæc de Baptiſmo *Ioannis* tenenda ſunt. *Primum*, non fuiſſe Sacramentum præcertim nouæ legis, tùm quia non fuit ſacramenta permanens, tùm quia non fuit inſtitutus ad ſanctificandum, ſed tantùm ad præparandos homines ad Baptiſmum Chriſti. *Secundum*, non habuiſſe vim conferendi gratiam ex opere operato, ſed tantùm ex opere operantis; nam ex humilitatis ligno, cum quadam peccatorum confeſſione in generali, poterant habere contritionem, & iuſtificari. *Tertium*, non impreſſiſſe characterem cum poſſit iterari, ſicut alij actus pœnitentiæ. *Quartum*, poſt illum neceſſario percipiendum fuiſſe Baptiſmū Chriſti. *Quintum*, non fuiſſe in præceptо, ſed tantùm in conſilio pro adultis, & durante tantùm prædicationis ipſius *Ioannis* tempore. *Sextum*, fuiſſe inferiorem cæteris omnibus Baptiſmis. *D. Thom. 3. p. q. 38. Sylvius ibid. Bellarm. de Bapt. c. 19. & 20. & 22. Henriq. c. 3. & 32. Filliucius tract. 2. num. 21. & 22. Leymand. l. 11. c. 2. num. 3. & 4.*

Vide *Interdictum. 2. n. 2. Martyrium.*

BAPTISMVS II.

De materia & forma Baptiſmi.

SVMMARIVM.

1. *Duplex materia Baptiſmi à Theologis ponitur, proxima ſcilicet & remota.*
2. *Peccatum eſt mortaleveri in Baptiſmo abſque neceſſitate aquæ naturalis alteratæ & fœdæ.*
3. *Extra neceſſitatem non licet vti in Baptiſmo materia de qua dubitatur an ſit aqua naturalis. Et quare aqua inſtituta ſit pro materia Baptiſmi.*

4. *Ma-*

Digitized by Google

4. *Materia proxima Baptiſmi quæ? Et an in ablutione requiratur realis contactus & ſucceſſivus alicuius partis corporis: Et qualis ablutio ſit materia Baptiſmi, actiua, an paſſiua?*
5. *Quanta pars corporis ſit abluenda, ad validitatem Baptiſmi.*
6. *Infans an poſſit aliquando in vtero matris Baptizari.*
7. *An remaneat Baptizatus infans, qui à proferente formam in flumen proijcitur?* refertur duplex ſententia.
8. *Baptizari an poſſit infans, alioquin moriturus, ſi ex infuſione aquæ etiam modicæ, timeatur acceleratio mortis? Et an aliter Baptizans ſit irregularis?*
9. *In Baptiſmo conferendo quiſque debet ſequi ritum ſuæ Eccleſiæ. Et quotupliciter fieri poſſit ablutio.*
10. *Forma Baptiſmi in Eccleſijs Occidentalibus.*
11. *Perſona Baptizans an debeat exprimi de neceſſitate Sacramenti, vel ſaltem præcepti.*
12. *Actus Baptizantis contentus in verbo Baptizo, debet neceſſariò exprimi.*
13. *Perſonam, quæ baptizatur, neceſſe eſt in forma baptiſmi exprimere.*
14. *Vnitas diuinæ eſſentiæ eſt exprimenda in forma baptiſmi, cum dicitur,* In nomine.
15. *Explicita vnocatio Sanctiſſimæ Trinitatis ad valorem baptiſmi, an neceſſaria ſit, an vero implicita ſufficiat?* fuit olim duplex ſententia.
16. *Subſtantialis mutatio in verbis formæ, an reddat Baptiſmum inualidum.*
17. *Varij modi baptizandi, quibus ſit ſubſtantialis mutatio & inualidus baptiſmus. Et an verba poſſint ſupplere ſignis, quando puer eſſet moriturus, & ſolus adeſſet mutus?*
18. *Quando mutatio eſt ſolummodo accidentalis ſubſiſtit Baptiſmus.*
19. *Poſſunt plures vnicâ aſperſione baptizari: dicendo: Ego vos baptizo in nomine Patris, &c.*
20. *Quando duo poſſint ſimul vnum baptizare. Et quid dicendum quando mutus & orbatus manibus concurrunt, ille abluendo, alter verò verba proferendo?*
21. *Error perſonæ baptizati, an reddat Baptiſmum inualidum.*

1. MAteria Baptiſmi duplex eſt, proxima ſcilicet & remota. Materia remota eſt, aqua naturalis vt patet ex definitione Tridentini; hinc grauiter peccant nec validè baptizãt, qui aliam adhibent aquam præter naturalem, vt ſi adhibeatur cereuiſia, ſudor, lac, vrina, lachrymæ, ſputum ſeu ſaliua, aqua roſacea, aqua diſtillata, vel à vitro profluens, aut alius liquor artificialis ſpecie differens ab aqua naturali. *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 2. de Bapt. Suar. 3. p. d. 20. ſect. 1. Henr. l. 12. c. 6. n. 2. Reginald. l. 27. n. 11. Poſſeuinus de Bap. n. 2. & 3. Laym. l. 5. tr. 2. c. 3. n. 1. Fullt. r. 2. cap. 2.* Validè autem baptizaret, qui vteretur aquâ maris, putei, fontis, pluuiæ, baldei, etiamſi ex fulfure aut cinere defluat; hæc enim videtur aqua naturalis ſiue calida ſit ſiue frigida, ſiue tincta colore, ſiue denſa, item aqua naturalis eſt, quæ profluit à niue aut à gelu, aut à ſale; ſal enim fit ex aqua naturali ſalſa, & differt tantummodò accidentaliter ab aqua naturali ſecundùm aliquos: licet probabile etiam ſit, quòd talis aqua non ſit materia ſufficiens: quamuis enim ſal efficiatur ex aqua ſalſa, non tamen hinc licet inferre, quòd ita maneant in ipſo aqua, vt quando reſoluitur, in ipſam reſoluatur; ſed potius videtur quoddam mixtum ex aliquo ſpeciali ſucco concretum, quale eſt ſaccarum, vt bene aduertit Paſqualigus *in deciſ. Mor. deciſ. 76. n. 3.* Porrò validè conficitur Baptiſmus in qualibet aqua naturali, etiamſi fortè inter aquas naturales ſecundũ multos Doctores detur aliqua ſpecifica differentia: *Angles q. 1. ar. 2. c. 3. Bonacina c p. 3. n. 6.* Tamen qui vteretur aquâ naturali, quæ ita alterata & mixta eſſet cum alio corpore aut liquore, vt amplius non ſit apta ad abluendum, validè non baptizaret; vnde brodium, aut lixiuium bene decoctum, aut lutum, aut vinum modicè mixtum aquâ, aut alia, quæ ita admixta ſunt, vt amplius nequeant aqua denominari, non poſſunt inſeruire pro materia Baptiſmi. Quamuis nonnulli admittant lixiuium tanquam materiam ſufficientem ad Baptiſmum: quia in lixiuio manet ſubſtantia aquæ, quæ tantùm alteratur ex eo, quòd cum cinere concoquitur: vnde talis alteratio non eſt deſtructiua aquæ quatenus ordinatur ad ablutionem, ſed perfectiua; quia redditur magis apta ad abluendum: & propter eamdem rationem idem docent de cæteris quoque aquis, quæ per infuſionem herbarum aut florum alterantur, vt ſint magis aptæ ad lauandum. Proinde, ſecundum illos, ſi quis baptizaret in lixiuio, aut huiuſmodi aquis, quando Baptiſmus eſt priuatus, non peccaret, ſaltem mortaliter? quia materia eſſet apta; nec etiam per conſuetudinem eſt prohibita: quia conſuetudo Eccleſiæ adhibendi aquam conſecratam, pertinet tantùm ad Baptiſmum publicum. Pro hac ſententia citatur *D. Th. 3. p. q. 66. a. 4. ad 5. Comm ch ibid. dub. 1. n. 22. De la Crux in direct. p. 2. quæſt. 1. dub. 1. concl. 2. Sylu. v. Bapt. 2. n. 3.* Glacies autem grando, nix niſi priùs liquefiant & in aquam redeant & reſoluantur, non ſunt apta materia, quia non ſunt idonea ad abluendum ex *D. Th. 3. p. q. 66. art. 4. Reginal. c. n. 12. Rodr. c. 25. n. 1.* Vult autem hæc ſententia, quòd reſoluantur, dum adhuc ſubſunt manibus baptizantis, vel applicationi, antequam recipiantur in corpore baptizandi: non eſt tamen improbabilis ſententia aſſerens Baptiſmum ſaluari poſſe in ablutione paſſiua: & ſic, ſi glacies, grando, nix reſoluantur, dum tangunt corpus baptizandi, adiuncta formâ conſueta, validus erit Baptiſmus. Vide Dianam *part. 6. tractat. 3. reſolut. 3. in fine*, vbi vtramque ſententiam probabilem putat.

2. Qui in Baptiſmo vtitur aquâ naturali alteratâ & fœdâ, abſque neceſſitate; quamuis adhuc ſimpliciter ſit aqua & talis denominetur, peccat peccato ſacrilegij; quia fecit contra reuerentiam Sacramento debitam: idem dicendum de illo qui præciſâ neceſſitate baptizat in aliquo brodio parum decocto; nec ſimpliciter licet miniſtro adhibere quamlibet aquam naturalem veram & puram, ſeclusâ neceſſitate iuſtâ, ſed illa aqua adhibenda eſt, quę præſcribitur ab Eccleſia, qualis eſt, aqua ſacrorum fontium; quia conſuetudo & præcepta ſeruanda ſunt. *Toletus l. 2. cap. 18. num. 5. Coninch quæſt. 66. ar. 4. dub. 1. n. 22. Reginald. c. nn. 13.*

3. Non licet vti in conferendo Baptiſmo, præciſâ neceſſitate, materiâ de qua dubitatur, an ſit aqua naturalis & materia apta Baptiſmi; quia adeſt periculum faciendi Sacramentum irritum & inualidum; in neceſſitate verò licitum eſt, quando non adeſt aqua naturalis & certa, nam meliùs eſt aliquem baptizari cum materia, de qua dubium eſt, an ſit apta & ſufficiens ad Baptiſmum, quàm nullo modo baptizari; nam fieri poteſt vt ſit vera materia, & conſequenter ſit verus Baptiſmus, & conſequenter baptizatus ſaluetur; tamen hoc modo baptizatus, rebaptizandus eſt ſub conditione cum materia ſolita & conſueta, ſi ſuperuiuat; quia adeſt iuſta & ſufficiens cauſa ob quam licet iterum conferre Baptiſmum ſub conditione, cùm fieri poſſit vt præcedens ſit inualidus. *Poſſeuin. de Bapt. 5. Regin. c. n. 13. Henr. c. 9. n. 3. & c. 6. n. 2. Coninch c. Sa v. Bapt. n. 3. Vasal. de Bapt. c. 5. n. 23. Paſqualig. in deciſ. mor. deciſ. 81.* Ratio autem cur aqua inſtituta ſit pro materia Baptiſmi, aſſignari poteſt, quia hæc optimè ſignificat effectum Baptiſmi, qui eſt ablutio, & quia Baptiſmus eſt Sacramentum maximæ neceſſitatis, par fuit vt ei aſſignaretur materia omnibus peruia. *Catechiſmus Romanus de Bapt.*

Verùm ex dictis eſt adnotandum, aliquos Doctores recentiores docere, in neceſſitate, moribundo, deficiente aqua naturali, eſſe adhibendum Baptiſmum cum aqua roſacea, vel ex alijs herbis expreſſa: item cum glacie, ſale, rore, vel niue, quãuis reſoluta non ſint; ſub conditione tamen exteriùs, vel mentaliter appoſita, ſi materia hæc eſt idonea, quia extrema neceſſitas excuſat irreuerentiam, quæ aliàs fieret conficiendo Sacramentum ſub conditione. Ita *Puteanus 3. p. q. 66. ar. 4. dub. 1. n. 5. Præpoſitus ibid. n. 22. Tann. to. 4. diſ. 4. q. 1. dub. 2. n. 41. Hurt. tr. de Bapt. diſ. 1. diff. 2.*

Probatur hæc ſententia, quia licèt Concilia, ad validitatem Baptiſmi, requirant aquam naturalem, non tamen Eccleſia definiuit, quòd alia aqua in nullo alio caſu ſufficiat ad validitatem Baptiſmi. Et cùm Baptiſmus ſit Sacramentum maximæ neceſſitatis, poteſt ſub conditione conferri in materia dubia, deficiẽte indubitatâ; quia fieri poteſt vt per remedium dubium ſuccurratur proximo; & nulla ſit iniuria Sacramento; & charitas obligat vt adhibeatur omne medium.

4. Materia proxima Baptiſmi, eſt ipſa ablutio, vt docent omnes Theologi; hæc autem ablutio, ſiue fiat immerſione, vel infuſione, ſiue aſperſione, quantùm eſt ex ſe, ſufficit ad valorem, & eſſentiam Baptiſmi, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, quę omnibus dictis modis viſa eſt baptizare. In praxi tamen, ſeclusò caſu neceſſitatis, vt ablutio licitè fiat, ſeruandus eſt modus in vnaquaque Eccleſia pro tempore præſcriptus & vſitatus. Ratio verò, cur ablutio ſit proxima Baptiſmi materia, eſt, quia hoc Sacramentum non eſt res permanens, ſed conſi-

fit in vtu, atque adeò non aqua vt sic & manens quieta, sed vt in vtu est posita. & consequenter vt per eam aliquid ablutur, erit proxima materia: ablutio vero in eo consistit, vt realiter applicetur ei, qui baptizandus est, physicaque illum contingat: imò secundum *Suares d.20.sect.2. Layman cons. 1. Reginald.c.m.14. Filliucius c.m.10.* ad ablutionem requiritur curandum successiua effusio partium aquæ ad partes corporis, & motus aliquis localis vel aquæ per corpus, vel corporis subintrantis aquam, prout naturaliter fieri solet: Requiritur ergo ex communi Doctorum sententia realis contactus & successiui motus alicuius partis corporis: quia alioquin non posset dici vere & propriè homo ablutus, vnde si quis inclusus corio, vtre, aut linteo pellicula sua generationis, quam dicunt secundina, tatum ablutur secundum id in quo continetur, non autem ex vera parte, qua ipsa ablutione aqua, secundum communem sententiam non fit baptizatus. *D. Thom. q. 68. art. 11. Henricus de Bapt. cap. 9. Conuinch q. 66. a. 4 dub. 1. n. 25. & dub. 3. n. 29. Suares 3. part. 66. art. 7.* quamuis contra senserit *Aureolus* apud *Sylueft. v. Bapt. 4. n. 2.* & *Præpositus* infrà n 5.

Sed per sequalis ablutio fit materia Baptismi, actiua an passiua? Resp. esse veramque. Nam vt procedit a certo ministro cum debita intentione, est actio, vt autem recipitur ab eo qui est capax Sacramenti, dicitur passio. Vnde patet responsio ad illam quæstionem, vtrum cum plures simul baptizantur, sit vnum Sacramentum an plura? Dicendum est enim esse plura: nam & plures sunt passiones ad eas receptiones aquæ, & quatis actiones remota, nempe motio brachij sit vna, proximè tamen sunt plures actiones, videlicet aperiones, vt procedunt à ministro.

5. Ad validitatem Baptismi illa corporis pars ablueuda est, quâ ablutâ verum fit dicere, hominem ablutum; secundum naturalem existimationem; quare nec totum corpus necessariò abluendum est, nec minima quælibet eius pars sufficit: vt distinctius aeque cum ex hoc dicere tur homo simpliciter ablutus ex quo intelligitur, si quidpiam sufficienter ablutum sit, ita vt dicatur homo mortaliter capite ablutus, satis erit secundum probabilem sententiam, etiamsi ablutio non pertingat ad carnem; in praxi tamen obseruandum est, vt fecutior pars eligatur, vnde caput cert-ssima pars est, quia in eo vigent omnes sensus: fœpulæ, pectus, humeri, latis certa; pes vel manus imminente mortis periculo, etiam latis est illos leuiter tangere, admonentur Parochi vt rebaptizent sub conditione; licet probabile sit non esse necessarium: idem dicendum & multo magis de brachio & tibia, vt ait *Laymann c. n. 4. Bonacina c. p. 1. num. 20. Tolentus l. 2. c. 18. Filliucius c. m. 14. Sylu. & Angelus v. Baptismus 3. Vilalpando de Sacram. q. 31. Nauarrus consil. 2. de Baptismo.* Imò in necessitate posset et iam inuolutus lenciulus baptizari secundum *Præpositum. 3. p. q. 66. a. 8 dub. 1. n. 90. Diana par. 4. tract. 3. ref. 4.* quia huiusmodi pellis & tegumentum censetur pars hominis, & ea abluta, homo censetur ablutus. Ita *Præpositus citatus*, quamuis postea sit sub conditione rebaptizandus, si periculum euadat: & secundum hanc sententiam si puer sic baptizatus, illicò moriatur, in Ecclesia fepeliendus esset: na cum pro validitate Baptismi adsit intentio pro babilis, non est cur dicens infans debeat carere sepultura Ecclesiastica. Vt docent. *Vasq. tom. 3. disp. 145. num. 21. Diana par. 5. tr. 2. ref. 112.*

6. Regulariter non potest baptizari infans in vtero matris existens, cum ablui non possit: tamen quando periculum est, vt prodeat in lucem, baptizandus est eo modo quo baptizari potest, si forte aqua sic infantis pectus, vt perueniat ad infantē; licet propter incertitudinē rebaptizandus sit sub conditione si in lucē edatur vitus. Quod & obseruandum est, quoties Baptismus in periculo mortis cotertur ex opinione probabili, vel in materia dubia: nisi enim moraliter crederet de valore Baptismi, quia Sacramēta facilegè recipientur: igitur ad hoc facilegia impediēda homo tenetur Baptismum iterato sub cōditione recipere. *Regin alus. m. 16. Toletus cn. 10. Filliuc. c. m. 33. Bonac. c. num. 2.*

7. Quamuis non fint facienda mala, vt eueniant bona.., & quilque debeat prius consulere; animæ tuæ, quam alienæ; tamen n, si quis infantem incipientem mori, & quia non adest aqua qua possit baptizari, proijciat in flumen, aut in puteum, proferendo formam Baptismi, probabile est valuisse Baptismum, quia adest omnia requisita ad Baptismum, & infans talis potest vere dici ablutus: Bap tismus enim non ordinatur ad vitam corporis, sed ad vitam animæ; ergo quamuis seguatur mors corporis, nihilominus saluari potest vita animæ. *Vasq. d. 145. c. 3. n. 19. Diana par. 5. tr. 3. ref. 14. Suares d. 20. sect. 3. Valent. 10. 4. d. 4. q. 1. p. 2. Reginald. p. n. 21. 22. Laymann c. m. 5.* Multi tamen Doctores, talem Baptismum negant esse validum, eò quòd Baptismus significet mortem & resurrectionē Christi, sed quando infans submergitur, non significat resurrectionem Christi, ergo. Et huius sententiæ sunt *Henric. c. 7. n. 3. Tolet. c. n. 9. Fabricius Syl. Aug. & Raspius Guadal. de Bapt. c. 5. num. 6. Sylus 3. p. q. 66. a. 7.* quorum sententia improbabilis non est, & fundamentum huius sententiæ est, ad Baptismum necessario requiri non tantum immersionem, sed etiam emersionem. Quod attinet ad praxim, in hoc casu posset infans, vel fune in cisterla suspēdi, & sic in aquam mitti & extrahi, vel vestes aut spongia in aquam demitti, & expressione deinde baptizari: si autem neque sunis, neque aliud quid adesset, nullo modo deberet proijci, quia esset peccatum mortale & contraheretur irregularitas. *Filliucius c. m. 41. Bonac. c. n. 28.*

8. Si infanti probabiliter alioquin mortuo, timeatur accelerario mortis ex infusione aquæ ejus modicæ, posset tunc ac deberet exigua corporalis vtæ viuræ negligi, maioris spiritualis iacturæ cauendæ causâ; quandoquidem hoc casu, accelerata mortis per accidens euenit ex aquæ effusione: quippe quæ per se ac directè ad abluendum tendit, non ad occidēdum. *Suares d. 20. sect. 3. Vasques d. 145. c. 3. Conuinch q. 66. a. 7. d. 1. n. 76. Laymann c. n. 5.* Ita cria præter citatos *Diana par. 5. tra. 3 ref. 8.* Vndecim in hoc casu baptizans cauſando morte baptizandi, vel ipsa accelerando, nisi fit irregularitas, non interuenit intētio occidendi: nisi fi adhibeatur debita diligentia, nulla interuenit culpa, atque adeo nec irregularitas: baptizatio enim effactio debita ex præcepto charitatis; quando autem aqua facit id, ad quod obligatur non contrahit irregularitatem ex delicto, etiamsi inde sequatur mors ex *cap. cum homo. 23. quæst. 5.*

9. Tripliciter fieri potest ablutio in Baptismo. *Primò*, per immersionem. *Secundò*, per infusionem. *Tertio*, per aperitionem; immersio, omnium sententia sufficit, non est tamen necessaria tenia immersio, vade validus esset Baptismus, si puer aut Sacerdos moriatur post primā inersionem, prolatis verbis formæ: Suffic t etiam infusio, vel aperitio, ex Ecclesiæ consuetudine, quæ saltem in necessitate, illum modū semper adhibuit, & exēplo Apostolorum *Act. 2.* qui vna die tria millia baptizarūt, non nisi aperſione. Omnium tamen harum ablutionum optima est immersio, deinde infusio, tertiò aperſio. *Conc. Tolet 4. c. 5. Cap. de Trina. de cons. d. 4. D. Thom. q. 66. art. 7. 8. Sylueſter v. Bapt. Filliucius tr. 2. c. 2. q. 3. Laymann c. m. 4.*

Sed circa aperſionem eſt notandum, quòd dum S. Petrus in diebus Pentecoſtes plures millia baptizauit, non baptizaſſe ſimili modo, quo nos populum nunc aqua aſpergimus benedicti: quia ſi tali aſperſione multitudinis vius fuiſſet, quali nos, potuiſſet millitudus contingere Sacramenti, reſpectu aliquorum, quos vel aqua non attingeret, vel certè ſolus veſtes tingeret. Proinde credendum eſt, quòd ſingulos baptizarit ſigillatim, vel paucos ſimul, quamuis per aſperſionem. *Reginald. c. m. 19. Conuinch c. m. 84.* A miniſtro tamen, qui ex officio miniſtrat Sacramentum baptiſmi, ſecundum eſt conſuetudo iuſæ Eccleſiæ, & ſecundum *D. Thom.* grauiter peccat baptizans, non ſeruando ritum Eccleſiæ ritu, niſi ex cauſa excuſetur.

Quarnam autem quantitas aquæ requiratur ad baptiſmum, dicendum videtur fuiſſeore illam quantitatem, quæ ſufficeret ad abluendum corporis partem, qua ablata poſſit homo dici ablutus, ſed ad hoc ſufficit parua quantitas aquæ, cum ea quantitas poſſit ſucceſſiuè applicari: *Suar. diſp. 20. ſect. 2. Filliucius c. m. 34.* Notandum tamen eſt non fore validum baptiſmum, ſecundum probabiliorem ſententiā *Valent. c. Reginald. c. 2. num. 4. Poſſeuin. c. m. 17.* & aliorum, quando quis vna vel duabus vel tribus aquæ guttis aſpergitur, præterim ſi guttæ perſiſtant & non fluant per corpus, quia vt dictum eſt, ad baptiſmum requiritur contactus ſucceſſiuus, & tanta quantitas aquæ, qua poſſit homo denominari ablutus. Quamuis contrarium ſentiant *Vaſques d. 145. mm. 12. c. 4. Diana p. 5. tr. 2. ref. 5. & p. 3. tr. 4. reſol. 5.* in neceſſitate non improbabiliter. Ratio eſt, quia vt ſaluetur vera materia Sacramenti, ſufficit vera ablutio facta per aquam, vt autem ſaluetur vera ablutio, ſufficit ſi ſaluetur id, in quo formaliter conſiſtit; in eo autem formaliter conſiſtit, quod aqua tangat corpus, & fluat per ipſum: parua autem guttula poteſt tangere corpus & fluere per ipſum, atque adeo præterire effectum formalem ablutionis, ergo. Et hæc ſententiæ ſubſcribit etiam Fernandez *part 3. exam cap 2. de baptiſmo. §. 3. m. 6.* quatenus do-

cet

cet baptismum posse fieri per aspersionem, ita vt gutta tangat baptizatum. Imo in necessitate ad baptismum sufficeret digitus in aqua intinctus signare aut tergere infantē: quia tunc salutare vera ablutio facta per aquam; nam cum digitus tecum deferat aquam, & ducatur supra baptizandum, aqua nedum ipsum tangit, sed etiam trahitur supra corpus baptizandi, vnde sicut iuper ipsum, atque adeo salutare vis ablutio.

10. Forma baptismi in Ecclesijs Occidentalibus conſueta haec est. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen.* Sumitur haec forma ex verbis apud *S. Matthaeum c. 28. Baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti*; hanc tradit Concil. Florentinum in decreto *Eugenij* & Trid. Quatuor autem in hac forma continentur. *Primo*, persona baptizantis. *Secundo*, actus ipsius. *Tertio*, persona baptizanda. *Quarto*, Invocatio Trinitatis. *Conc. Flor & Trid sess. 7. can. 3. D. Tho q. 66. ar. 5. Suar. c. 3. d. 21. sect. 1.*

11. Circa quę nonnulla sunt aduertenda: & quoad primum dicendum est, per formam baptizantem vel ministrum, non debere necessario exprimi in hac forma de necessitate Sacramenti, vt patet expresse ex Concilio Florentino, & exemplo formæ Græcanæ, quæ sufficiens censetur, & tamen in ea non exprimitur minister. De præcepto autem Ecclesiæ debet exprimi, & qui scienter omitteret peccaret, & quidem priuatim, ſecluſo scandalo, tantum venialiter, publicè & solemniter, etiam mortaliter. *Valentia tomo 4. d. 4. quæſt. 1. par. 3. Henriquez lib. 2. cap. 8. n. 3. Regnald. lib. 25. num. 24. Filliucius tr. 2. n. 46. 47. Sylvius 3. par. q. 66. a. 5. c. 1.*

12. Actus baptizantis contentus in verbo *baptizo*, licet necessario exprimi in forma idque triplici de causa. *Prima*, vt invocatio Trinitatis ipsi actui baptizandi applicetur, & ita determinetur ad sacramentalem vsum. *Secunda*, vt per formam ſignificetur effectus Sacramenti, mediante actione ministri, hoc est ablutione, vt proxima materia. *Tertia*, vt ſignificatio formæ ſit clarior. Verum actio quæ exercetur, circa eum qui baptizatur, potest ex primi per verbum æquiualens verbo *Baptizo*, vnde valeret baptismus ſi quis diceret: *Ego te mergo, aſpergo, infundo. &c. Griſtp. 2. p. d. 15. q. 3. n. 21. Filliucius d. 3. num. 10. Vaſquez 3. p. d. 142. c. 2. D. Thom. q. 66. art. 5. ad 2. Tolet. lib. 2. cap. 19. n. 7. Sylvius 3. conc. 1. a.*

13. In forma baptiſmi, exprimenda eſt etiam perſona quæ baptizatur, ſiue dicatur baptizo te, ſiue baptizo hunc, ſiue baptizo laicum, ſiue ti baptizaris à me, &c. quia alioquin actus baptizandi præcisè non ſignificaretur vt hic & nunc exercitus quia non indicaretur diſtinctio baptizantis & baptizati. Vt docet *D. Thom. c. ad 1. Layman c. 4. q. 1. 2. Rodr. c. 23. n. 1. Regnald. c. num 23. 3 Conel. 3.*

14. Vnitas diuinæ eſſentiæ, etiam exprimenda eſt in forma baptiſmi, cùm dicitur, *in nomine*, hoc enim verbum oſtendit vnitatem eſſentiæ, vnde ſi quis baptizando diceret, *Ego te baptizo in numeribus Patris*, &c. aut in nomine Patris, in nomine Filiji, in nomine Spiritus Sancti, ſecundum multos Doctores inualidè baptizaret, quia dicendo ſic, non oſtenditur vnitas diuinæ eſſentiæ, vt ſentiunt *Suares d. 23. ſect. 3. Regnal. c. n. 30. Graſſius c. n. 36. Syl. c. conc. 4. contra Henriq. c. 8. n. 2. Conincb. q. 66. art. 5. n. 78.* Si tamen loco filius verbi *In nomine*, dicatur in virtute, dubium eſt, an ſit validus baptiſmus, cùm virtus non ſit comprehendat, quot nomen, nomen enim ſignificat virtutem & invocationem: multo magis inualidus ſeret baptiſmus, ſi loco particulæ, *in nomine*, dicatur, baptizo te cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu Sancto, aut in verbo Patris, Filij, & quia non exprimeretur vnitas diuinæ eſſentiæ. Porrò quotics accidit ſubſtantialis mutatio ſeu defectus in forma baptiſmi, inualidus eſt. *Tol. c. n. 7. Sayr de Sacr. l. 1. c. 4. art. 3.*

15. An autem ad eſſentiam & valorem baptiſmi, neceſſaria ſit explicita inuocatio Sanctiſſimæ Trinitatis, an verò implicita ſufficiat, fuit olim duplex ſententia. *Prima* ait ſatis eſſe implicitum in Chriſto, vel à qualibet alia diuina perſona, quia ex Actis Apoſtolicis conſtat baptiſmum fuiſſe collatum in nomine Chriſti. Ita *Nicol. Papa in c. A quodam de conſ. d. 4. Beda apud Suar. c. 3.* Secunda ſententia eſt exprimendas eſſe tres perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis, & hæc eſt communior, & probabilior videtur, authoritate ſcripturæ, & ratione, Eccleſiæque traditione; quia licet probabile ſit initio naſcentis Eccleſiæ, adminiſtratum fuiſſe baptiſmum in nomine Chriſti, ſaltem ante Paſchatem aut Aſcenſionem Chriſti, hoc tamen factum fuit ex diſpenſatione Chriſti ad tempus conceſſa, ſed nobis nunquam permiſſa, ex quod ceſſauerit cauſa baptizandi hoc modo, vt ſicilicet nomen Chriſti fidelibus amabile redderetur, quod inuiſum & odioſum erat Iudæis. Probabilius tamen videtur nunquam adminiſtratum fuiſſe baptiſmum, in nomine Chriſti tantum; quod autem in Actis legimus Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, intelligi oportet, baptiſmo ipſius Chriſti auctoritate inſtituto, vel in forma baptiſmi poſitum fuiſſe nomen *Jeſu Chriſti*, loco ipſius particulæ *fin*, vt nomen Chriſti redderetur amabilius apud Iudæos, quibus odioſum erat. *D. Th. q. 66. ar. 6. Vaſq. d. 143. c. 1. Suarez 3. Laym. l. 1. tr. 2. c. 4. Filliur. 2. c. 3. q. 6. & 8. Bonacina tom. 1. d. 2. q. 2. p. 4. num. 6. 7. 8. Conincb c. n. 61. Henriq. l. 2. c. 10. Syl. 3. p. q. 66. ar. 6.*

16. Subſtantialis mutatio in verbis formæ, ſecundum omnes, reddit Sacramentum baptiſmi inualidum, vt ſi aſſumantur verba importantia ſenſum diſtinctum à ſenſu, qui continetur ſub verbis formæ: ſi verò mutatio ſit tantùm accidentalis, baptiſmus validus eſt, vnde ſi quis baptizaret in nomine *Genitoris, Genitri, & Spiritus* inuitati, inualidè baptizaret, ſecundùm probabiliorem ſententiam *Diui Thom.* & aliorum; quia Chriſtus videtur inſtituiſſe, vt baptiſmus ſub his nominibus relatiuis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, adminiſtretur. *Secundo* inualidus eſt baptiſmus collatus in nomine *Beatæ Virginis* aut Sanctorum, ſi baptizans intendat conferre baptiſmum in virtute *Beatæ Virginis*, aut Sanctorum, nam adeſt mutatio ſubſtantialis in verbis formæ, cum errore contrario ſignificationi verborum: ſi verò intendat conferre baptiſmum per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis, aut Sanctorum, validè baptizaret; quia ſenſus formæ non mutatur ſubſtantaliter. *Tolet. l. 2. c. 19. n. 7. & 8. D. Th. c. art. 5. Suar. c. ſect. 4. Rodr. c. 23. n. 1. Henr. c. 9. c. 5. Navar. de conſec. d. 4. Suar. d. 21. ſect. 4. Henriq. c. 8. n. 2. Layman c. 4. n. 6. Dian. tr. 1. miſcel. ref. 48 p. 2.*

17. Tertiò inualidus eſt baptiſmus, ſi puer moriatur, nondum finita forma baptiſmi; vnde non eſt ſepeliendus in loco ſacro: *Henriq. l. 2. c. 11.* Similiter inualidus eſt baptiſmus, quem quis ſibi confert, dicendo: *Ego me baptizo*; quia mutatur ſenſus formæ: poſſent tamen duo ſe inuicem baptizare tempore neceſſitatis, dicendo, *Ego te baptizo*, &c. ſic enim verificaretur forma. *Tolet. l. 2. c. 20. n. 1. Victoria de bapt. q. 18. Henriq. l. 12. c. 26. n. 7.* Item inualidus eſt baptiſmus, quando duo concurrunt ad baptizandum vnum & eumdem, & vnus abluit, alter verò formam proferit; quia mutatur ſenſus formæ, & forma efficitur falſa, nam verè non baptizat: Chriſtus enim inſtituit, vt ab eodem fiat abluto & profertur formæ, vt patet ex vſu & conſuetudine. *D. Th. q. 67. art. 6. Vaſquez ibi. d. 148. c. 4. Regnald. c. n. 43.* A fortiori inualidus eſt etiam baptiſmus, quando vnus incipit formam baptiſmi, & alter eam perficit. *Suar. c. d. 23. 3. 5.*

Sed inquires, an verba poſſint ſuppleri ſignis, v.g. quando puer eſſet moribundus & ſolus adeſſet mutus? R. ſp. nullo modo id fieri poſſe. Ratio eſt, quia baptiſmus eſt Sacramentum fidei, & quidam profeſſio religionis Chriſtianæ: fides autem & religionis profeſſio, verbis neri ſolet, juxta illud Apoſtoli ad Romanos 10. *Ore confeſſio fit ad ſalutem.* Neque refert, quòd Sacramentum matrimonij & confeſſio Sacramentalis non exigant neceſſariò verba, quia Chriſtus tantum præcepit, vt peccata noſtra quocumque modo explicaremus: Matrimonium autem eſt contractus quidam, qui tantùm requirit conſenſum aliquo ſigno externo expreſſum.

18. Mutatio accidentalis eſt *primò*, ac proinde validè baptizat, qui vitiat formam Græcorum, dicendo, *Baptizetur ſeruus Chriſti, in nomine Patris*, &c. aut dicendo, *baptizetur, vel baptizatur iſte, vel baptizetur hic*, de neceſſitate enim formæ non eſt, vt actus baptizandi exprimatur, per verbum actiuum aut paſſiuum, vel per modum indicatiui, ſed ſufficit quouis modo exprimatur, grauiter tamen peccat, qui vtitur alio modo quam conuenit, quia non ſeruat ritum Eccleſiæ in re grau. *Henriq. c. cap. 8. n. 3. & 4. Ioh. 2. Conincb c. art. 6. n. 45. Suarez c. d. 24. ſect. 2. Regnald c. n. 26. Fill. c. n. 48. Secundò*, ſi in forma Latina omittatur pronomen *ego*, aut loco illius particulæ *ego* dicatur *nos* quòdo particula *nos*, idem ſignificat, quod *ego*, aut quòd baptizando Principem, diceret, ego vos baptizo. *Regnal. c. n. 24. 25. Victoria c. conci. 17. Tertio*, ſi loco filij dicatur, verbi, vel etiam ſi dicatur in nomine Patris Omnipotentis, & Filij Vnigeniti & Spiritus Sancti Paracliti. *Cajet. apud Bonac pu. q. n. 23.*

Quarto, ſi verborum tranſpoſitio habita vt idem ſenſus retineatur, vt ſi dicatur, te ego baptizo in nomine Patris, &c. vel ſi in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti ego te baptizo. Vel ego te baptizo in nomine Filij & Patris & Spiritus Sancti. Modo miniſter per hoc errorem inducere non intendat,

pro ſua innata libertate illũ potuit elicere & non elicere, cùm nulla extrinſecá cauſa tollat intrinſecam libertatem, niſi quæ illam in agendo præuenit, qualis non eſt vis, aut metus extrinſecus illatus. Tamen hic conſenſus, etſi ſit ſufficiens diſpoſitio ad Baptiſmum validè ſuſcipiendum, non autem erit ad eius effectum, vt docet Henriques *de Sacram. Bapt. lib. 2. c. 24. num. 3.* in fine, quod probatur ex cap. *Maiores, de Baptiſmo.* Vbi Innocentius III. decernit, *Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem.*

9. *Secunda* diſpoſitio in adulto ad recipiendum Baptiſmum cum fructu, eſt fides ſupernaturalis; fieri tamen poteſt, vt aliquis non habeat fidem infuſam & nihilominus recipiat verum Baptiſmum & characterem, quamuis non recipiat fidem, & gratiam, vt quando aliquis inſtructus ab hæretico habet intentionem recipiendi quod fuit inſtitutum à Chriſto, quidquid illud ſit. *Filliucius c. n. 135. D. Tho. q. 68. art. 8. Reginald. c. nu. 66. Henriq. l. 2 c. 26. n. 1.*

Notandum tamen eſt ex Sancio *in ſelectis diſp. 44. n. 41.* quòd ſi adultus in articulo mortis ſit baptizandus qui Baptiſmum petijt, non incumbat baptizanti de fide rogare, quando infirmus reſpondere non poteſt: quia preſumi debet explicitè actum credédi myſterium Trinitatis & Incarnationis habuiſſe adultum, cum antidè Baptiſmum poſtulauit. Et cùm opinionum varietas vertitur, an ſufficiat implicita vel explicita fides, ſub conditione ſaltem Baptizari debet: quia conſtat manifeſtè in Chriſtum implicitè credere, qui ipſi incorporari per Baptiſmum exoptat. Ita etiam *Diana p. 5. tract. 3. reſol. 20. Lezana tom. 3. Sum. v. Baptiſ. n. 4.*

10. Tertia diſpoſitio in adulto ad recipiendum Baptiſmum cum fructu, eſt attritio, quæ ad minimum procedat ex auxilio ſupernaturali propter metum gehennæ, aut turpitudinem peccati; non eſt tamen neceſſaria confeſſio Sacramentalis, cùm Baptiſmus ſit ianua omnium aliorum Sacramentorum. *Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. Vaſques c. d. 158. c. 4. Toletus l. 2. cap. 21. n. 5. Layman l. 5. tr. 2. c. 6. n. 4.* Et hoc verum, quamuis attritio cognita ſit, ſecundùm *Dianam de Sacramentis, reſ. 13. p. 3.*

11 Habens ſolum originale peccatum, non tenetur habere attritionem, quia pœnitentia eſt de peccatis commiſſis ab ipſo pœnitente, cùm autem pœnitens non peccauerit propria voluntate, non requiritur in ipſo pœnitentia & deteſtatio peccatorum, ſed ſufficit propoſitum ſeruandi legem Dei & ipſi obediendi, cum voluntate ſuſcipiendi baptiſmum & fidem. *Filliucius tract. 2. c. 5. nu. 103. Suares c. d. 28. ſect. 1. Henriq. l. 2. c. 26. n. 1.*

12 Solus Sacerdos, iſque Parochus, eſt ordinarius miniſter baptiſmi; quia ſolus Sacerdos habet poteſtatem in Corpus Chriſti verum, ergo ſolus etiam in myſticum; hinc qui ſolemniter baptizat, cùm non ſit Sacerdos, illicitè baptizat, vſurpat enim ſibi alienum officium. *Cont. Flor. D. Thom. q. 67. art. 2. Sylueſter ibid.* Ex commiſſione tamen Epiſcopi, vel Sacerdotis proprij, ob rationabilem cauſam facta, etiam Diaconi ſolemniter baptizare poſſunt, vbi conſuetudine ita receptum eſt; quamuis hoc tempore non videatur in vſu, vt Diaconi ſolemniter baptizent. Cæteris autem Clericis ſolemniter baptizãtibus, impoſita eſt ipſo iure irregularitatis pœna. Vt habetur *in Cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtr. ante. C. Diaconos, diſt. 93. Conincb q. 67. art. 2. d. 1. Suares d. 25. ſect. 2. Filliucius tr. 2. nu. 70. 71. Layman c. 5. 7. n. 3.*

13. In neceſſitate, quilibet homo ſiue ſit vir, ſiue fœmina, ſiue infidelis, ſiue fidelis, ſine baptizatus, ſiue non, qui loqui poſſit & abluere, eſt ſufficiens miniſter; quia cùm baptiſmus ſit Sacramentum magnæ neceſſitatis, Chriſtus iure optimo voluit pro miniſtro baptiſmi cõſtituere quemlibet hominem, rationis vſum habentem, vt patet ex traditione Eccleſiæ, quá nobis Chriſti voluntas indicatur. *Conc. Flor. D. Thom. c. q. 67. a. 3. & 4. Vaſques d. 147. c. 1. 5. Henriq. c. 28. n. 1. Sylueſter c. art. 3.* Vnde obſtetrices poſſunt aliquando baptizare ratione neceſſitatis, & ob id obligandæ ſunt ad diſcendam baptiſmi formam, ſaltem vulgari lingua. *Suares d. 31. ſect. 5. Reginald. l. 27. n. 45.* Similiter hæreticus, immò etiam paganus poteſt validè conferre baptiſmum, modò intentionem habeat baptizandi, quamuis peccet adultus recipiens baptiſmum à pagano, propter periculum non recipiendi baptiſmum defectu intẽtionis, aut propter periculum ſcandali. *Toletus l. 2. c. 20. n. 5. Rodrig. c. 25 concl. 1.* Anima verò ſeparata à corpore, non poteſt baptizare, quia non eſt homo, cùm non poſſit vitaliter verba proferre. Homo verò beatus, ſi baptizaret, validè baptizaret, quia eſt homo. *Bonacina c. p. 5. n. 7.* Angelus nõ poteſt baptizare, quia non eſt homo, & non poteſt eſſe miniſter Sacramentorum abſque diuina diſpenſatione. *Graſſius 2. p. l. 1. c. 4. Henriq. c.*

14. Quicumque extra neceſſitatis caſum baptizat, cui id iure, ſeu ex officio non competit, peccat mortaliter; Similiter culpæ lethalis reus eſt Sacerdos, ſi extra neceſſitatis caſum, non ſolemniter baptizet: Item mortaliter peccat alienus Sacerdos, ſi abſque licentia proprij Sacerdotis expreſſa, aut rationabiliter præſumpta ſolemniter baptizet; & multò magis mortaliter peccat laicus, qui & ſine licentia legitima Sacerdotis proprij, & ſine ſolemnitate extra neceſſitatem baptizat. *D. Tho. c. art. 3. ad 1. Sylueſter ibid. Nauar. c. 22. nu. 7. Suares d. 31. ſect. 4. Layman tr. 2. l. 5. c. 7. Henriq. c. c. 29. n. 2. Reginald. c. n. 38.*

An autem Monachi peccent mortaliter extra caſum neceſſitatis aliquem baptizando? Reſp. in *cap. Placuit 16. qu. 1.* Monacho præcipi ne baptizet, & ideò videri id prohibitum Religioſis: quod tamen intelligendum eſt, ſi id faciant abſque licentia Ordinarij, iuxta ea quæ in *Clementina 1. de priuilegijs notantur:* vt aduertit *Rodriques tom. 1 qq. reg. q. 31. art. 1.* Imò *Iacob. Granado 3. p. controu. 4 tr. 2. diſp. 1.* credit id non præcipi ſub mortali in iure, & fieri poſſe ſaltem aliquando ſine veniali. Nec obſtat etiam quod dicitur in Concilio Antiſidiorenſi in *c. Monach de conſecr. 1. diſt. 4.* ne Monachi compatres commatreſque faciant; quia per hoc non prohibetur monachis baptizare, ſed tantùm ne de baptiſmo ſuſcipiant filios aut filias, nec commatres habeant, ne hac occaſione inter fratres vel de fratribus ſcandalum haberetur. Licet enim in baptiſmo duplex contrahatur compaternitas, *Prima* ex parte baptizantis, quam per actum baptizandi contrahit baptizans cum Patre & Matre baptizati. *Secunda* ex parte ſuſcipientis, quam ſuſcipiens ſiue patrinus contrahit per ſuſceptionem prolis cum iiſdem: ſola tamen compaternitas ex ſuſceptione prolis, Religioſis iure cõmuni, & nobis Fratribus Minoribus, etiam per regulæ præceptum prohibetur; quia hæc ſola ſcandalum generare poteſt. Porrò quod dictum eſt de Monachis, idem videtur dicendum de Canonicis regularibus; quia leges diſponentes de Monachis habent locum in Canonicis Regularibus, quando leges illæ fundantur in religione, & non cõtinent aliqua verba, quibus ſignificent non includere Canonicos: Vt docent *Panorm. in c. 2. de poſtul. Nauar. l. 3. conſ. 1. de ſtat. monac. conſil. 5.*

In partibus Indiarum poſſunt Religioſi baptizare nouiter conuerſos ad fidem, etiam paruulos; in Eccleſijs tamen Miſſeriorum ſui Ordinis, vel extra illas in locis ipſarum partium ipſis deputatis. Ex conceſſione *Pauli III. & Pij V.* apud Rodriques *c. art. 3.*

15 Ordo ſeruandus in adminiſtrando baptiſmo, tempore neceſſitatis, talis eſt; vt præſente viro fœmina non baptizet, nec vir laicus præſente clerico, nec clericus licet Diaconus præſente Sacerdote, etiamſi Sacerdos vrbanitatis cauſa cedat; inuerſio tamen huius ordinis non eſt mortale peccatum, niſi adſit Sacerdos, nam præſente Sacerdote nemo poteſt ſine mortali peccato baptizare, alioquin ſibi vſurparet alienum officium in re graui; facilè tamen poteſt propter ignorantiam excuſari, aut etiam ob neceſſitatem infantis, ſi Sacerdos præſens nolit baptizare. *D. Thom. q. 67 art. 4. Nauar. c. 22. n. 7. Toletus l. 2. c. 20. n. 2. Suares d. 31. ſect. 4. Layman c. c. 7. n. 4. Filliucius tr. 2. n. 82. Sylueſter 3. p. q. 67. art. 4. Diana de Sacramentis p. 2. reſol. 4. & p. 5. tr. 3. reſol. 18.*

16. Multa requiruntur in Miniſtro baptiſmi. *Primò*, requiritur intentio baptizandi; vnde ille non validè baptizat qui ſolùm habet intentionem iocandi vel irridendi, ſecùs ſi habeat intentionem baptizandi & ſimul etiam iocandi; validè etiam baptizaret ille, qui baptizat vt lucretur, vel vt occidat puerum, intendens iure baptizare & præterea occidere; nam finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitam ad Sacramẽtum. *Secundò*, requiritur vt miniſter adhibeat debitam materiam & formam, illamque ſciat applicare. *Tertiò*, requiritur, vt Sacerdos ſolemniter baptizans exiſtat in gratia; nam grauiter peccat qui cum conſcientia peccati mortalis ſolemniter baptizat. *Suares d. 31 ſect. 5. Reginald. c. n. 47. 48. Graſſius 2. p. l. 1. c. 3. Toletus l. 2. c. 20. Henriq. l. 2. c. 29. Filliucius tr. 2. c. 4. q. 8.*

Sed quæres, an peruersa intentio Miniſtri in conferendo Baptiſmo & alijs Sacramentis ſuppleatur à Deo? Reſponſio communis eſt negatiua; quia quod Deus ſuppleat defectum Miniſtri in tali caſu non fundatur vlla lege, promiſſione, aut neceſſaria ratione, & intentionem Miniſtri neceſſariò requiri eſt de fide. Ita *Sylueſter 3. part. quæſt. 68. art. 2. ad 4.*

Filliu-

Fillucius tr. 1. nu. 80. Henriq. l. 2. c. 10. n. 3. Dianap. 3. tr. 4. ref. 17.

Nihilominus aliqui piè credunt Deum tua infinita bonitate supplere, non quoad characterem, sed quoad gratiam; quia facienti quod in se est non deficit in necessariis; nec alligauit virtutem suam Sacramentis; & maximè in casu quo malitia Ministri non esset nota. Ita *D. Thom. 4. dist. 24. q. 1. art. 2. quæst. 3. Sylvest. v. Baptismus 6. nu. 3. Valentia to. 4. disput. 3. qu. 5. punct. 3.* Verum à communi sententia non est recedendum sine fundamento. Plura de intentione ministri. Vide infrà, verb. *Sacramentum 111. n. 3. 4. & 5.*

17. In necessitate sine solemnitate baptizans, non peccat grauiter, etiamsi exitat in peccato mortali, aut in excommunicatione; non enim est minister confectarius ad hunc effectum, nec excommunicatio impedit, quin possit in necessitate baptizare. *Diana tr. de Sacram p. 3. resol. 10. & p. 5. tract. 3. resol. 24. Suarez to. 3. d. 16. sect. 4.* Vt sit *Sylvius in 3. p. qu. 64. art. 6. quæst. 1. conclus. 2.* quidquid in contrarium doceant, etsi non improbabiliter, *Layman, Vasques, Conninck*, apud *Dianam.*

BAPTISMUS IV.
De effectibus & ritibus Baptismi.

SVMMARIVM.

1. *De primario effectu baptismi, qui est deletio culpæ tam originalis quàm actualis.*
2. *Secundus effectus est deletio omnis pœnæ ob peccatum consecutæ.*
3. *Tertius est conferre gratiam sufficientem.*
4. *Quartus est conferre gratiam Sacramentalem. Et quid sit illa gratia.*
5. *Quintus effectus est character.*
6. *Effectus secundarij baptismi.*
In partibus Indiarum poſſunt Religioſi baptizare nouiter conuerſos ad fidem, etiam paruulos; in Eccleſijs tamen Miniſteriorum ſui Ordinis, vel extra illas in locis ipſarum partium ipſis deputatis. Ex conceſſione *Pauli III. & Pij V.* apud Rodriques *c. art. 3.*

15. Ordo ſeruandus in adminiſtrando baptiſmo, tempore neceſſitatis, talis eſt; vt præſente viro fœmina non baptizet, nec vir laicus præſente clerico, nec clericus licet Diaconus præſente Sacerdote, etiamſi Sacerdos vrbanitatis cauſa cedat; inuerſio tamen huius ordinis non eſt mortale peccatum, niſi adſit Sacerdos, nam præſente Sacerdote nemo poteſt ſine mortali peccato baptizare, alioquin ſibi vſurparet alienum officium in re graui; facilè tamen poteſt propter ignorantiam excuſari, aut etiam ob neceſſitatem infantis, ſi Sacerdos præſens nolit baptizare. *D. Thom. q. 67. art. 4. Nauar. c. 22. n. 7. Toletus l. 2. c. 20. n. 2. Suarez d. 31. ſect. 4. Layman c. c. 7. n. 4. Filliucius tr. 2. n. 82. Sylueſter 3. p. q. 67. art. 4. Diana de Sacramentis p. 2. reſol. 4. & p. 5. tr. 3. reſol. 18.*

16. Multa requiruntur in Miniſtro baptiſmi. *Primò*, requiritur intentio baptizandi; vnde ille non validè baptizat qui ſolùm habet intentionem iocandi vel irridendi, ſecùs ſi habeat intentionem baptizandi & ſimul etiam iocandi: validè etiam baptizaret ille, qui baptizat vt lucretur; vel vt occidat puerum, intendens iure baptizare & præterea occidere; nam finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitam ad Sacramẽtum. *Secundò*, requiritur vt miniſter adhibeat debitam materiam & formam, illamque ſciat applicare. *Tertiò*, requiritur, vt Sacerdos ſolemniter baptizans exiſtat in gratia; nam grauiter peccat qui cum conſcientia peccati mortalis ſolemniter baptizat. *Suarez d. 31 ſect. 5. Reginald. c. n. 47. 48. Graſſius 2. p. l. 1. c. 3. Toletus l. 2. c. 20. Henriq. l. 2. c. 29. Filliucius tr. 2 c. 4. 18.*

Sed quæres, an peruerſa intentio Miniſtri in conferendo Baptiſmo & aliis Sacramentis ſuppleatur à Deo? Reſponſio communis eſt negatiua; quia quod Deus ſupplear defectum Miniſtri in tali caſu non fundatur vlla lege, promiſſione, aut neceſſaria ratione, & intentionem Miniſtri neceſſariò requiri eſt de fide. Ita *Sylueſter 3. part. quæſt. 68. art. 2. ad 4.*

Filliu-

Fillucius tr. 3. nu. 80. Henriq. l. 1. c. 10. n. 3. Diana p. 3. tr. 4. r. 17.

Nihilominus aliqui pié credunt Deum sua infinita bonitate supplere, non quoad characterem, sed quoad gratiam ; quia faciendi quod in se est non deficit in necessariis, nec alligauit virtutem suam Sacramentis ; & maximè in casu quo malitia Ministri non esset nota. Ita *D. Thom. 4. dist. 24. q. 1. art. 2. quæst. 3. Sylvest. v. Baptismus 6. nu. 3. Valentia to. 4. disput. 3. qu. 5. punct. 3.* Verum à communi sententia non est recedendum sine fundamento. Plura de intentione ministri. Vide infrà, verb. *Sacramentum* 111. n. 3. 4. & 5.

17. In necessitate sine solemnitate baptizans, non peccat grauiter, etiamsi exitat in peccato mortali, aut in excommunicatione; non enim est ministrer consecratus ad hunc effectum, nec excommunicato impedit, quin possit in necessitate baptizare. *Diana tr. de Sacram. p. 3. resol. 10. & p. 5. tr. 1. h. 3. resol. 24. Suarez to. 3. d. 16. sect. 4.* Vt ait *Sylvius in 3. p. qu. 64. art. 6. quæst. 1. conclus. 2.* quidquid in contrarium doceant, etsi non improbabiliter, *Layman, Vasquez, Conink*, apud *Dianam*.

BAPTISMVS IV.
De effectibus & ritibus Baptismi.

SVMMA.

1. *De primario effectu baptismi, qui est deletio culpæ tam originalis quàm actualis.*
2. *Secundus effectus est deletio omnis pœnæ ob peccatum constitutæ.*
3. *Tertius est conferre gratiam iustificantem.*
4. *Quartus est conferre gratiam sacramentalem. Et quid sit illa gratia.*
5. *Quintus effectus est character.*
6. *Effectus secundarij baptismi.*
7. *Baptismus per fictionem susceptus conferi suum effectum gratiæ, recedente fictione. Et quomodo fictio possit contingere in susceptione baptismi.*
8. *Ceremoniæ seruanda cum baptismus publicè & solemniter suscipitur.*
9. *Ritus accidentales baptismi an omnes possint absque peccato mortali.*
10. *Quis in infantia ab hæreticis baptizatus sit, an deducendus sit ad Ecclesiam, si adultus factus ad fidem Catholicam reuertatur.*

1. EFfectus primarij baptismi sunt quinque. *Primò* enim, baptismus delet omnem culpam. *Secundò*, omnem pœnam peccato debitam. *Tertiò*, confert gratiam iustificantem. *Quartò*, gratiam Sacramentalem. *Quintò*, characterem.

Quoad primum attinet, certum est de fide, baptismum delere omnem culpæ tam originalem quàm actualem, vt patet ex *Concil. Trid. sess. 5. can. 5. Conc. Florent. Suarez de Sacram. d. 26. sect. 1. D. Thom. 3. p. q. 69. ar. 1. Reginald. l. 27. n. 61. Fillucius tr. 2. n. 95. Sylvius 3. p. q. 69. art. 1.* & ex multis Scripturæ locis.

Notandum tamen est baptismum non esse institutum & ordinatum ad remittenda peccata commissa post susceptum baptismum, alioquin non esset necessarium aliud remedium præter baptismum, neque pœnitentia diceretur secunda post naufragium tabula: quare peccata commissa in susceptione baptismi, aut post baptismum, non delentur per baptismum, sed subsequentia sunt Sacramento pœnitentiæ. Vide *D. Thomas*, & alios.

2. Secundus effectus baptismi, est deletio omnis pœnæ ob peccatum constitutæ; vnde Concil. Florentin. decernit baptizatis non esse imponenda opera satisfactoria pro peccatis ante baptismum commissis; hinc si quis moreretur statim suscepto baptismo absque impedimento & obice, antequam vllam culpam admittat, statim in cœlum euolaret; ratio autem est, Christi institutio, quia per baptismum homo Christo mortuit, vt inquit *S. Paulus, Roman. 6. & Ephes. 4.* & 5. ideo perfectissimum & applicatur eius Passio ad plenam totiusque remissionem. *D. Thom. 4. ar. 2. & 3. Synodus apud Concil. Trident. sess. 5. can. 5. Vasquez 3. p. d. 156. c. 3. & 4. Toletus l. 2. c. 22. Bonac. disp. 2. q. 1. p. 7.* & alij communiter.

Aduertendum est baptismum non auferre pœnalitates in hac vita, quales sunt concupiscentia inordinata, mors, ægritudines, &cet. vt homo exerceat se ad luctam, & pugnam ipsi virtualem cum merito fidei, vt deinde coronam victoriæ recipiat; vt homo etiam secum ferat testimonium lapsus *Adæ* & totius naturæ. *D. Thom. c. ar. 4. Henriq. l. 2. c. 16. n. 7. Reginald. c. n. 63. Sylvius c. art. 3.* Præter has pœnas iure diuino inflictas, tollit etiam baptismus pœnas quasdam iure humano constitutas, qualis est irregularitas ob delictum & homicidium etiam voluntarium, non autem illam quæ est ob bigamiam, vel defectum natalium, & multo minus reliquas humanas poterat constitutas. *Fillucius post Sylvestrum ex Cap. Vna, & ex Cap. Deinde, distinct. 26.* Ratio est, quia homo per baptismum regeneratur, & fit quasi nouus homo, consequenter omnis macula & indecentia auferitur, nisi aliter tamcitum sit in aliquo casu; vt in casu bigamiæ non contingentis ex delicto, aut nisi personæ defectus, propter quem inducta est irregularitas. *Fillucius c. n. 597. & tr. 20. num. 255. Sylvester v. bapt. 6. nu. 2. Sayrus de censur. l. 7. c. 13.* Vide *v. Bigama*, n. 4.

3. Tertius effectus baptismi est, conferre gratiam iustificantem, simul cum reliquis virtutibus & donis, quæ gratiam consequuntur, modò non sit obex ex parte suscipientis; hæc autem gratia pueris confertur in æquali gradu, adultis vero inæqualis confertur pro ratione maioris vel minoris dispositionis. *Conc. Trid. sess. 7. c. 6. 7. & 8. D. Thom. c. art. 8. & 4. Suarez d. 28. sect. 3.*

4. Quartus effectus est conferre gratiam sacramentalem: hæc autem non est aliquis habitus distinctus à gratia habituali, sed vel ipsamet iustitia baptismi, quatenus tectum aiterit remissionem culpæ & pœnæ, vel aliquod maius auxilium, quo homo frequentius & vehementius exeritum ad superandum concupiscentiæ fomitem & ad exercenda munera ad quæ baptismus obligat, vel vtrumque. *Henriq. l. 2. c. 14. nu. 7. Fillucius c. nu. 99.*

5. Quintus effectus baptismi est Character, propter quem baptismus non potest iterari, si fuit semel collatus ita, quia indelebilis est; hoc autem signo in substantia animæ impresso distinguitur fidelis ab infideli; sit potens & aptus ad recipienda alia Sacramenta; nec requiritur ad illum dispositio in adultis præter voluntatem recipiendi Sacramentum, imo imprimitur etiam in anima, quamuis recipies baptismum commiserit peccatum mortale in ipsius susceptione, quia peccatum non impedit effectum characteris, qui non habet contrarium. *Conc. Trident. sess. 7. can. 9. Graffius 2. p. l. c. 1. n. 10. & 11. Valent. tom. 4. disp. 1. punct. 4. Suar. disp. 1. sect. 1. & disp. 51. sect. 6.* Vide infrà, *Character*.

Quando autem dubitatur de validitate baptismi, iterari potest sub conditione; quocirca si infans aliquis de recenti natus expositus inueniatur in locis Christianorum, baptizari potest sub conditione, nisi adsit signum vel rationabile indicium collati baptismi, in qua re iudicio prudentis viri standum est. *Fillucius c. nu. 149. Bonacina c. p. 7. nu. 1. Sylvest. v. baptis. q. 4. n. 7.*

6. Effectus secundarij baptismi sunt tres præcipui; *Primus* est apertio ianuæ cœlestis, sequitur enim ex eo quod remoueat impedimentum omnis culpæ & pœnæ. *Secundus* est consurrectio hominis cum Christo illuminat enim & fecundat spiritualiter conferendo gratiam & virtutes. *Tertius* subijcit hominem iurisdictioni Ecclesiæ, vnde baptizatus obligatur ad seruanda Ecclesiæ præcepta, quia implicitè promittit obedientiam Ecclesiæ. *D. Thom. ar. 7. Henriq. l. 2. c. 18. 19. Reginald. c. nu. 64. Vasquez c. d. 156. n. 68.*

7. Quando contingit impediri effectum gratiæ per fictionem, certum est secundum omnes Theologos, baptismum conferre suum effectum recedente fictione; quia proprius effectus baptismi est regenerare, remittere originales & mortalia commissa ante baptismum; idque illi ita conuenit, vt à nullo alio Sacramento conferri possit, ideò enim dicitur medium necessarium; ergo necesse est ablatà fictione vel operari suum effectum, vel iterari; hoc secundum fieri non potest: ergo primum. Et ideo ita plane redit ciusmodi effectus, cum recedit fictio, ac si tunc applicaretur Baptismus. Ita *S. Augustin. de bapt. c. 12. D. Thom. 3. p. q. 69. art. 10. Sylvius ibid. Suarez disp. 28. sect. 4.* & 5.

Notandum tamen est triplicem fictionem posse contingere. *Primam*, cum quis accedit sine intentione, & hæc iacit Sacramentum irritum. *Secunda*, cum quis accedit cum complacentia peccati venialis, & hæc non est propriè fictio, nec impedit principalem effectum gratiæ & donorum. *Tertia* est, quando adest complacentia peccati mortalis, & hæc propriè dicitur fictio, & impedit: is etiam qui non habet attritionem debitam, dici potest fictus. *Fillucius tract. 2. nume. 110. & seqq. Sylvius ex. art. 9. Vasq. 3. part. disput. 159. cap. 2.*

fit in vsu, atque adeò non aqua vt sic & manens quieta, sed vt in vsu est posita, & consequenter vt per eam aliquid abluitur, erit proxima materia: ablutio verò in eo consistit, vt realiter applicetur ei, qui baptizandus est, physicæ illum contingat: imò secundum *Suarez d. 20. sect. 2. Layman c. m. 1. Reginald. c. m. 14. Filliucius c. m. 10.* ad ablutionem requisitum curandum, ut cessitia effluio partium aquæ ad partes corporis, & minus aliquis locatus vel aquæ per corpus, vel corporis subtrahantis aquam, prout naturaliter fieri solet: Requiritur ergo ex communi Doctorum sententia realis contactus & successiuus alicuius partis corporis, quia aliquin non posset dici verè & propriè homo ablutus; vnde si quis inclusus corio, vtre, aut ipsius pellicula in generationis, quam dicunt secundina, tantum abluatur secundum id in quo continetur, non autem re vera partes aliqua corporis abluatur aqua, secundum communem sententiam non erit baptizatus, *D. Thom. 4. dist. 1. 1. Henric. c. qq. 1. 19. Camach. q. 66. a. 4. dub. 1. n. 25. & dub. 2. n. 29. Nyder. 1. p. q. 66. art. 7.* quamuis contra sentiat *Aureolus* apud *Vvbeff. sect. 8. q. 2. n. 2* & *Præpositus* infrà n. 5.

Sed per aqualis ablutio sit materia Baptismi, actiua, an passiua? Resp. clle vtramque. Nam vt procedit a certo ministro cum debita intentione, est actio, vt autem recipitur ab eo qui est capax Sacramenti, dicitur passio. Vnde patet responsio ad illam quæstionem, vtrum cum plures simul baptizantur, sit vnum Sacramentum an plura: Dicendum est enim esse plura: nam & plures sunt passiones ab ex receptiones aquæ, & quatis ad eo remota, eo quòd motus brachij sit vna, proximè tamen sunt plures actiones, videlicet asperliones, vt procedunt à ministro.

5. Ad validitatem Baptismi, illa corporis pars abluenda est, qua abluta verum fit dicere, homine mablutum, secundum moralem existimationem; quare nec totum corpus necessario abluendum est, nec minima quælibet eius pars sufficit et, vt digitus; neque enim ex hoc diceretur homo simpliciter ablutus: ex quo infertur, si capillus fuhicienter abluantur, ita vt dicatur homo mondtior capite ablutus, satis erit secundum probabilem sententiam, etiamsi ablutio non pertingat ad carnem, in praxi tamen obtemperandum est, vt fecipior pars eligatur, vnde caput certissima pars est, quia in eo vigent omnes sensus: fcbulæ, pectus, humeri, satis certa; pes vel manus imminente mortis periculo, etiam satis est licet ti euaferit, admonentur Parochi vt rebaptizent tub conditione; licet probabile sit non esse necessarium: idem dicendum & multò magis de brachio & tibia, vtait *Layman c. n. 1. Bonacina c. p. 1. num. 20. Toletus l. 2. c. 18. Filliucius c. m. 3. & seq. a. 4. q. 1. 4. 5. n. 31. Victoria de Sacramen. q. 31. Navarrus consil. 2. de Baptismo.* Imò in necessitate potest etiam involutus secundinis baptizari secundum *Præpositi. 3. p. q. 66. a. 8. dub. 3. n. 90. Diana par. 5. tract. 3. ref. 4.* qua hutusmodi pellis & tegumentum censetur pars hominis, & ea abluta, homo censetur ablui. Ita *Præpositus citatus*, quamuis postea fit sub conditione rebaptizandus, si periculum euadat: & secundum hanc sententiam si puer sic baptizatus, illicò moriatur, in Ecclesia sepelendus esset: nà cum pro validitate Baptismi adsit talem opinio probabilis, non est cur dicbus instans debeat catere sepultura Ecclesiastica. Vt docent. *Vasq. tom. 3. disp. 145. num. 31. Diana par. 5. tr. 3. ref. 11 12.*

6. Regulariter non potest baptizari infans in vtero matris existens, cum ablui non possit: tamen quando periculum est, ne prodeat in lucem, baptizandus est eo modo quo baptizari potest, si fortè aqua sic inmissa possit, vt perueniat ad infantē; Licet propter incertitudinē rebaptizandus sit sub conditione, si in lucē ednm vitus. Quod & obtiendum est, quoties Baptismus in periculo mortis cotertur ex opinione probabili, vel in materia dubia: nisi enim moraliter cōstet de valore Baptismi, qua Sacramētum sacrilege recipiemur: igitur ad hæc facilegia impedienda homo tenetur Baptismum iterato sub cōditione recipere. *Regin. c. m. 16. Toletus c. m. 10. Filliuc. c. num. 33. Bonac. c. num. 2.*

7. Quamuis non sint faciēda mala, vt eueniant bona, & quisque debeat prius consulere animæ suæ, quam alienæ; tamen, si quis infantem incipientem mori, & quin non adesse aqua qua possit baptizari, proiiciat in flumen, aut in puteum, profectendo formam Baptismi, probabile est validum esse Baptismum, quia adsit omnia requisita ad Baptismum, & infans talis potest vere dici ablutus: Rap tamen enim non ordinatur ad vitam corporis, sed ad vitam animæ; ergo quamuis sequatur mors corporis, nihilominus saluari potest vita animæ. *Vasq. d. 145. c. 3. n. 19. Diana par. 5. tr. 3. ref. 14. Suarez d. 20. sect. 3. Valent. to. 4. q. 4. q. 1. p. 2. Reginald. q. n. 21. 22. Layman c. m. 5.* Multi tamen Doctores, talem Baptismum negant esse validum, eò quod Baptismus significet mortem & resurrectionē Christi, ied quando infans submergitur, non significat resurrectionem Christi, ergo. Et huius sententiæ sunt *Henric. c. c. 7. n. 3. Tolet. c. n. 6. Fabian. Vit. Arg. 2. Baptismus Pisanus de Baptis. 1. num. 6. Sylu. 3. q. 66. a. 7.* quorum sententia improbabilis non est, & fundamentum huius sententiæ est, ad Baptismum necessario requiri non tantùm immersionem, sed etiam emersionem. Quod attinet ad praxim, in hoc casu possit infans, vel iune in cisicila insperdi, & sic in aquam mitti & extrahi, vel vestes aut spongia in aquam demitti, & expressione deinde baptizari; si autem neque funis, neque aliud quid adesset, nullo modo deberet proiici, quia esset peccatum mortale & contrahereturir irregularitas. *Filliucius c. m. 41. Bonac. c. n. 28.*

8. Si infanti probabiliter alioquin moritur o, timeatur accelerato mortis ex infusione aquæ etiā modicæ, potest tunc ac debet exigua corporalis vitæ vtura negligi, maioris spiritualis iactura cauendæ causa; quandoquidem hoc casu, accelerato mortis per accidens cuenit ex aquæ effusione: quippe quæ per se ac directè ad abluendum tendit, non ad occidēdum. *Suarez d. 20. sect. 3. Vasquez d. 145. c. 3. Coninch q. 66. ar. 7. d. 1. n. 76. Layman c. n. 5.* Ita etiā præter citatos *Diana par. 5. tra. 3. ref. 8.* Vnde in hoc casu baptizans cauſando morte baptizandi, vel ipsā accelerando, nō fit irregularis; quia non interuenit intētio occidendi: hinc si adhibetur debita diligentia, nulla interuenit culpa, atque adeo nec irregularitas: baptizatio enim est actio debita ex præcepto charitatis; quando autem quis facit id, ad quod obligatur non contrahit irregularitatem ex delicto, etiamsi inde sequatur mors ex *cap. cum homo. 23. quæst. 5.*

9. Tripliciter licri potest ablutio in Baptismo. *Primò*, per immersionem. *Secundò*, per infusionem. *Tertiò*, per asperlionē; immersio, omnium sententia, sufficit, non est tamen necessaria trina immersio, vnde validus esset Baptismus, si puer aut Sacerdos moriatur post primā merſionem, prolatis verbis formæ. Suffic: et etiam infusio, vel asperlio, ex Ecclesiæ consuetudine, que fatem in necessitate, illum modū semper adhibuit, & exēplo Apostolorum *Act. 2.* qui vna die tria millia baptizarūt, non nisi asperlione. Omnium tamen harum ablutionum optima est immersio, deinde infusio, tertiò asperlio. *Conc. Tolet 4. c. 5. C. de Trina. de cons. d. 4. D. Thom. q. 66. art. 7. 8. Sylvius thd. Filliucius tr. 2. c. 2. q. 8. Layman c. m. 4.*

Sed circa asperlionem est notandum, quòd dum S. Petrus in diebus Pentecostes plura millia baptizauit, non baptizasse fuisse credendo, quo nos populum nunc aqua aspergimus benedicta; quia si tali asperlione multi baptizati vitæ finiles, quali nos; potuiſſet multitudus contingere Sacramenti, respectu aliquorum, quos vel aqua non attingeret, vel certè solus vestes tingeret. Proinde credendum est, quòd singulos baptizarit figillatim, vel paucos simul, quamuis per asperlionem. *Reginald. c. m. 19. Coninch c. m. 84.* A ministro tamen, qui ex officio ministrat Sacramentum baptismi, tenuanda est consuetudo huc Ecclesiæ, & secundum *D. Thom.* grauiter peccat baptizans, non seruato huc Ecclesiæ ritu, nisi iuſta causa excuſetur.

Quæram autem quantitas aquæ requiratur ad baptismum, die eadum videtur ſufficere illam quantitatem, quæ iuſtificad abluendam corporis partem, quā abluta possit homo dici ablutus, ſed ad hoc ſufficit parua quantitas aquæ, cùm ea quantitas possit ſucceſſiuè applicari: *Suar. disp. 20. ſect. 2. Filliucius c. m. 34.* Notandum tamen eſt non ſore validum baptiſmum, ſecundum probabiliorem ſententiā *Valent. c. Reginald. c. 2. num. 4. Pollenus. c. n. 17.* & aliorum, quando quis vna vel duabus vel tribus aquæ guttis aſpergitur, præſertim ſi guttæ perſiſtant & non fluant per corpus, quia vt dictum eſt, ad baptiſmum requiritur contactus ſucceſſiuus, & tanta quantitas aquæ, quæ poſſit homo denominari ablutus. Quamuis contrarium ſentiant *Vaſques d. 145. num. 2. c. 1. Diana p. 5. tr. 3. reſol. 5. & p. 3. tr. 4. reſol. 5.* in neceſſitate non improbabiliter. Ratio eſt, quia vt ſalutetur vera materia Sacramenti, ſufficit vera ablutio facta per aquam, vt autem ſaluetur vera ablutio, ſufficit ſi ſaluetur id, in quo formaliter conſiſtit; in eo autem formaliter conſiſtit, quod aqua tangat corpus, & fluat per ipſum: parua autem guttula poteſt tangere corpus & fluere per ipſum, atque adeo præſtare effectum formalem ablutionis, ergo. Et hanc ſententiæ iudicibile etiam Fernandes *part 3. exam cap 2. de baptiſmo. § 3. num. 6.* quatenus docet

cet baptismum posse fieri per aspersionem, ita vt gutta tangat baptizatum. Imò in necessitate ad baptismum sufficeret digitis in aqua intinctis signare aut tergere infantē: quia tunc saluatur vera ablutio facta per aquam; nam cum digitus tecum deferat aquam, & ducatur supra baptizandum, aqua nedum ipsum tangit, sed etiam trahitur supra corpus baptizandi; vnde fluit inpetu ipsum, atque adeo saluatur vera ablutio.

10. Forma baptismi in Ecclesijs Occidentalibus consueta hæc est. *Ego te baptizo in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sanctis, Amen.* Sumitur hæc forma ex verbis apud *S. Matthæum c. 28. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; hanc tradit Concil. Florentinum in decreto *Eugenij*, & Trid. Quatuor autem in hac forma contin entur. *Primo*, persona baptizantis. *Secunda*, actus ipsius. *Tertio*, persona baptizanda. *Quarto*, Inuocatio Trinitatis. *Conc. Flor. & Trid sess. 7. can. 3. D. Tho. q. 66. ar. 5. Suar. c. 3. d. 21 sect. 1.*

11. Circa quę nonnulla sunt aduertenda: & quoad primum dicendum est, personam baptizantem vel ministrum, non debere necessitate exprimi in hac forma de necessitate Sacramenti, vt patet expresè ex Concilio Florentino, & exemplo formæ Græcanæ, quæ sufficiens censetur, & tamen in ea non exprimitur minister. De præcepto autem Ecclesiæ debet exprimi, & qui scienter omitteret peccaret, & quidem priuatim, sed sine scandalo, tantum venialiter, publicè & solemniter, etiam mortaliter. *Valentia tomo 4. d. 4. quæst. 1 par. 3. Henriquez lib. 2. cap. 8. n. 3. Reginald. lib. 25. num. 24. Filliucius tr. 2. n. 40. 47. Sylvius 3. par. q. 66. a. 5. c. 1.*

12. Actus baptizantis contentus in verbo *baptizo*, licet necessario exprimi in forma idque triplici de causa. *Prima*, vt inuocatio Trinitatis ipsi actui baptizandi applicetur, & ita determinetur ad sacramentalem vsum. *Secunda*, vt per formam significetur effectus Sacramenti, mediante actione ministri, hoc est ablutione, vt proxima materia. *Tertia*, vt significatio formæ sit clarior. Verum actio quæ exercetur, circa eum qui baptizatur, potest per extrinsi per verbum æquiualens verbo *Baptizo*, vnde de valore baptismus si quis diceret. *Ego te mergo, & spargo, infundo. &c. Griffis. 1. p. l. 12. c. 3. n. 21. Vivald. c. 3. num. 10. Vasquez 3. p. d. 141. c. 2. D. Thom. q. 66. art. 5. ad 1. Tolet. lib. 2. cap. 19. n. 7. Sylvius c. 4. ad 2.*

13. In forma baptismi, exprimenda est etiam persona quæ baptizatur, siue dicatur baptizo te, siue baptizo hunc, siue baptizo laicum, siue tu baptizaris à me, &c. quia aliàs actus baptizandi præcisè non significaretur vt hic & nunc exercitus quia non indicaretur distinctio baptizantis & baptizati. Vt docet *D. Thom c. ad 1. Layman c. 4. n. 2. Rodr. c. 25. n. 1. Reginald. c. num. 25. Sylvester l. 3.*

14. Vnitas diuinæ essentiæ, etiam exprimenda est in forma baptismi, cum dicitur, *in nomine*, hoc enim vultum ostendit vnitatem essentiæ; vnde si quis baptizando diceret, *Ego te baptizo in nomnibus Patris*, &c. aut in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti, secundum multos Doctores inualidè baptizaret, quia dicendo sic, non ostenditur vnitas diuinæ essentiæ, vt tenuit *Suarez d. 21. sect. 3. Reginal. c. n. 30. Graffius c. n. 26. 3. vide Concil. 4. contra Henric. e. 8. n. 2. Coninch q. 66. art. 5. n. 58.* Si tamen loco illius verbi *In nomine*, dicatur in virtute, dubium est, an tot validus baptismus, cum virtus non tot contineat verbalis, quot nomen, nomen enim significat virtutem & inuocationem: multo magis inualidus foret baptismus, si loco particulæ, *in nomine*, dicatur, baptizo te cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu Sancto, aut in verbo Patris, Filij, &c. quia non exprimeretur vnitas diuinæ essentiæ. Porrò quoties accidit substantialis mutatio seu defectus in forma baptismi, inualidus est. *Tol. c. n. 7. Sayr de Sacr. l. 1. c. 4. art. 4.*

15. An autem ad essentiam & valorem baptismi, necessaria sit explicita inuocatio Sanctissimæ Trinitatis, an verò implicita sufficiat, fuit olim duplex sententia. *Prima* affatis esse implicitam in Christo, vel a qualibet alia diuina persona, quia ex Actis Apostolicis constat baptismum fuisse collatum in nomine Christi. Ita *Nicol. 1. apud c. 4. quodcunque conf. d. 4. Beda apud Suar. c. 5.* Secunda sententia est, exprimendas esse tres personas Sanctissimæ Trinitatis, & hæc cit communior, & probabilior videtur, authoritate scripturæ, & ratione, Ecclesiæque traditione; quia licet probabile sit initio nascentis Ecclesiæ, administratum fuisse baptismum in nomine Christi, fidem ante Pasch nemaut Aitcenisem Christi: hoc tamen factum fuit ex dispensatione Christi ad tempus concessa, sed nobis nunquam permissa, eo quòd cessauerit causa baptizandi hoc modo, vt fideliter nomen Christi fidelibus amabile redderetur, quod inuisū & odiosum erat Iudæis. Probabilius tamen videtur nunquam administratum fuisse baptismum, in nomine Christi tantum: quod autem in Actis legimus Apostolos baptizasse in nomine Christi, intelligi oportet, baptismo ipsius Christi auctoritate instituto, vel in forma baptismi positum fuisse nomen *Jesu Christi*, loco ipsius particulæ *pij*, vt nomen Christi cedderetur amabilius apud Iudæos, quibus odiosum erat. *D. Tho. q. 66. ar. 6. Vasq. d. 143. c. 3. n. 2. Laym. l. 5. tr. 2. c. 4. Filliu. tr. 2. c. 3. q. 6. & 8. Bonacina tom. 1. d. 2. q. 2. p. 4. num. 6. & 7. 8. Coninch c. n. 61. Henriq. l. 2. c. 10. Syl. 3. p. q. 66. a. 6.*

16. Substantialis mutatio in verbis formæ, secundum omnes, reddit Sacramentum baptismi inualidum, vt si assumantur verba importantia sensum distinctum à sensu, qui continetur sub verbis formæ: si verò mutatio sit tantùm accidentalis, baptismus validus est, vnde si quis baptizaret in nomine *Genesros, Genus, & sprus*, inualidè baptizaret, secundum probabiliorem sententiam *Diui Thom.* & aliorum; quia Christus videtur instituisse, vt baptismus sub his nominibus relatiuis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, administretur. *Secundò* inualidus est baptismus collatus in nomine *Beatæ Virginis* aut Sanctorum, si baptizans intendat conferre baptismum in virtute *Beatæ Virginis*, aut Sanctorum, nam adest mutatio substantialis in verbis formæ, cum errore contrario significationi verborum: si verò intendat conferre baptismum per intercessionem Beatissimæ Virginis, aut Sanctorum, validè baptizat reiqua sensus formæ non mutatur substantialiter. *Tolet. l. 2. c. 19. n. 7. & 8. Th. c. art. 5. Suar. c. sect. 4. Rodr. c. 25. n. 1. Henr. c. c. 9. C. Sylvius. de confes. d. 4. Suar d. 21. sect. 4. Henriq. c. c. 8. n. 2. Layman c. c. 4. n. 6. Diana tr. 1. misc. re. 48 p. 2.*

17. Tertiò inualidus est baptismus, si puer moriatur, nondum finita forma baptismi: vnde non est sepeliendus in loco sacro: *Henriq. l. 2. c. 11.* Similiter inualidus est baptismus, quem quis sibi confert, dicendo: *Ego me baptizo*; quia mutatur sensus formæ: posset tamen duo se inuicem baptizare tempore necessitatis, dicendo, *Ego te baptizo*, &c. sic enim verificaretur forma. *Peter l. 2. c. 10. n. 1. Victoria de bapt. num. 18. Henriq. l. 12. c. 26. n. 7.* Item inualidus est baptismus, quando duo conuenunt ad baptizandum vnum & eumdem, & vnus abluit, alter verò formam profert; quia mutatur sensus formæ, & forma efficitur falsa, nam verè non baptizat: Christus enim instituit, vt ab eodem fiat ablutio & profatio formæ, vt patet ex vsu & consuetudine. *D. Th. q. 67. art. 6. Vasques ibi. d. 148. c. 4. Reginald. c. n. 31.* A fortiori inualidus est etiam baptismus, quando vnus incipit formam baptismi, & alter eam perficit. *Suar. c. d. 23. s. 3.*

18. Sed inquires, an verbā possint supplere signa, v.g. quando puer defert moribundo & foliò adhuc manenti. Resp. nullo modo id fieri posse. Ratio est, quia baptismus est Sacramentum fidei, & quidam profe ssio religionis Christianæ: fidei autem & religionis profe ssio, verbis fieri solet; iuxta illud Apostoli ad Romanos 10. *Ore confe ssio fit ad salutem.* Neque refert, quòd Sacramentum matrimonij & confe ssio Sacramentalis non exigant necessariò verba, quia Christus tantum præcepit, vt peccata nobis à quocumque modo explicaremus: Matrimonium autem est contractus quidam, qui tantùm requirit consensum aliquo signo externo expressum.

19. Mutatio accidentalis est *primo*, ac proinde valide baptizat, qui vtitur forma Græcorum, dicendo, *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris*, &c. aut dicendo, *baptizatur in*, vel *baptizatur iste*, vel *baptizetur hic*, de necessitate enim formæ non est, vt actus baptizandi exprimatur, per verbum actiuum aut passiuum, vel per modum indicatiui, sed sufficit quouis modo exprimatur, grauiter tamen peccat, qui vtitur alio modo quam consueto, quia non seruat ritum Ecclesiæ in re graui. *Henriq. c. cap. 8. n. 3. & 4. ibi. Conninck c. art. 6. n. 45. Suarez c. d. 24. sect. 2. Reginald c. n. 26. Filliu. c. n. 48. Secundo*, si in forma Latina omittatur pronomen ego, aut loco illius particulæ *ego* dicatur *nos* quòdo particula, *nos*, idem significat, quod ego, aut qui baptizando Principem, diceret, ego vos baptizo. *Reginal. c. n. 24. 25. Victoria c. concl. 17. Tertio*, si loco filij dicatur, verbi, vel etiam si dicatur in nomine Patris Omnipotentis, & Filij Vnigenii & Spiritus Sancti Paraclitii. *Cuser. apud Bonac pu. 4. n. 13.*

Quarto, si verborum transpositio hatsita vt idem sensus retineatur, vt si dicatur, te ego baptizo in nomine Patris, &c. vel si in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti ego te baptizo. Vel ego te baptizo in nomine Filij & Patris & Spiritus Sancti. Modo minister per hoc errorem non intendat,

quasi Filius principium Patris; tunc enim corrumperet substantialem sensum forma & consequenter veritatem baptismi. *Tolet. c. num. 8. Felline c. num. 50. Leymann c. 4. num. 6. Quinto*, si baptismus solemnis in alio idiomate conferatur, quàm Ecclesia præscribit; videlicet in Romana Ecclesia non Latino fed vulgari: Cæterum si homo illiteratus, verbi gratia, obstetrix, in casu necessitatis priuatim baptizet, conuitilis est, vt vulgari fen communi idiomate formam pronuntiet. *Ronsecna c. num. 17. Reginald. c. num. 41. Villorna cancl. 18. Sexto*, si baptismus administretur per verba sensu vna, vt si loco verbi *baptizo*, dicatur abluo, aspergo, hęc enim non mutant substantiam sensum verborum. *Filliucius c. nu. 54.*

19. Plures possunt vnicè aspersione baptizari, dicendo: ego vos baptizo in nomine Patris, &c. modo singuli aspergantur, quia non mutatur sensus formæ, cum idem fit dicere, ego vos baptizo, ac dicere, baptizo te, & te, &c. & quando plures fic simul baptizantur, dici possunt plura baptismata; quia distinctio numerica baptismatum desumitur a subiecto, in quo recipitur baptismus, & quamuis adsit vna forma formaliter, quia simul plures baptizantur, nihilominus virtualiter & aequiuolenter est multiplex. *D. Thom. q. 66. art. 5. ad 4. Rodric q. 15. n. 1. Vasquez d. 148. c. 7. num. 50. 52. Conninch q. 67. art. 6. d. 2. Henr. q. 1. c. 20. num. 1.*

20. Quando duo simul baptizant, ita vt vterque non solùm abluat, verum etiam verba proferat, tunc si quilibet intendat baptizare independenter ab intentione alterius, valide baptizat, cum adsit debita forma, materia, & intentio ministri; si vero non perficiant simul, ille tantummodo baptizat, qui priùs perficit formam. Si vero intendat baptizare dependenter ab intentione alterius, non valide baptizat, siue singuli dicant: ego te baptizo, siue dicant, nos te baptizamus; quia in vtroque casu falsa est forma, quia neuter per se baptizat. *D. Thom. d. 4. q. 67. art. 8. Soares tom. 1. d. 23. 1. sect. 3. Filliucius tr. 2. c. 4. q. 4. & 5. Valent. d. 4. q. 1. p. 2. Vvadd. c. 3. num. 7.*

Sed quid dicendum de baptismo illo in articulo mortis collato, vbi mutus & orbatus manibus concurrunt, ille abluendo, alter verò verba proferendo? Respondent communiter Doctores tam baptismum non iterandum. Ratio, quia quamuis certa forma proferret, nec exterius ablueret, fabricatum diceret, & ideò nullum efficeret Sacramentum, vtpote cuius ad essentiem validitatemque formæ veritas necessaria est. Ita *Hurtad. de Bapt. sæpè 2. diffic 6. Diana p. 3. tr. 4. resol. 12. Tanner. tom. 4. disp. 4. q. 2. num. 17. Filliucius tr. 2. nu. 57.* quamuis in hutusmodi casu nonnulli velint putetur esse tub conditione baptizandum, quia melius est in tali extrema necessitate accipere baptismum dubium, & aliquo modo probabilem quàm nullum. Licet tub conditione baptismus iteriandus, si poltea occurreret opportunitas recipiendi indubitatum Sacramentum ab vno & eodem ministro. Ita *Cajet. 3. p. q. 67. art. 6. Chapellulla q. 20. de bapt. Marsilius 4. q. 4. art. 6. dub. 3. Lezzana to. 3. sum. v. Bapt. num. 12.*

21. Quan lo quis putat se baptizare fœminam & baptizat masculum, aut putat se baptizare *Petrum* & baptizat *Joannem*, valide baptizat, quia licet minister specialiter erret, tamen practice non erras, cum dirigat & dirigere debeat intentionem suam in præsentem personam, ne tritium faciat Sacramentum; error enim personæ ad texum non impedit baptismum, dummodo minister baptizare intendat, sub exprimeretur in intentione quod non vult baptizare, si est aliis quam putat, sed hoc nullus facit. *Tolet. l. 2. c. 2. Conninch q. 66. d. 3. 5. Reginald. l. 26. n. 42. Villorna de bapt. q. 34.* Vnde qui pro fœmina baptizatus fuit in infantia impositio nomine, quod impositio conuenit fœminis, non est rebaptizandus, sed solum nomen commutandum in nomen viri, si poslea fit verificatum, prout fieri potest virilia membra esse in infantia latebant vt fœtus putatur. *Soares 4. d. 1. q. 5. art. 8. Sayrus l. 2. c. 4. n. 6. Vvadd. c. 3. num. 4.*

Ratio autem differentiæ inter baptismum, aliave Sacramentum, & matrimonium, quod in illum ced latur per errorem personæ, est, quia contrahens matrimonium hic & nunc intendit contrahere cum tali persona peculiari sibi propolita: baptizans vero vel administrans alia Sacramenta non respicit, neque respicere debet peculiares particulares ferundum conditiones individuas, sed potius circa individuum præsens quodcumque illud sit. *Bonacina c. disp. 2. q. 2. p. 4. n. 26*

Vide *Sacramentum. 2.*

BAPTISMVS III.

De subiecto Baptismi, & eius Ministro.

SVMMARIA.

1. *Solus homo viator tam parvulus quam adultus, est subiectum capax baptismi. Et an monstrum sit baptizandum.*
2. *Existens in vtero matris regulariter non potest baptizari.*
3. *Quando mater ob partum periclitantem, an sit secunda, vt insanus extrahatur & baptizetur? Et quid si mater grauida per iudicis sententiam damnetur ad mortem.*
4. *Baptismus collatus infanti absque consensu parentum est validus. Et an licite conferatur filijs infidelium inuitis parentibus.*
5. *Ordinarie non est licitum inuitis parentibus infidelibus eorum infantes baptizare.*
6. *Casus, in quibus licet filios infidelium inuitis parentibus baptizare.*
7. *Filij infidelium qui sunt vasalli & tributarij Principum Christianorum, vel seruj, an possint inuitis parentibus baptizari?*
8. *Prima dispositio necessaria in adultis ad baptismum, est intentio actualis vel virtualis illum suscipiendi.*
   An Moribundus adultus sit baptizandus, si vnicus testis dicat illum petiisse baptismum?
   An ad baptismum sufficiat consensus meri externus?
9. *Fides supernaturalis est necessaria in adulto ad recipiendum baptismum cum fructu.*
10. *Attritio exmotiua supernaturalis, in adultis est necessaria ad baptismum.*
11. *Habens solum originale peccatum, an teneatur habere attritionem.*
12. *Solus Sacerdos, siue Parochus est ordinarius minister baptismi ex commissione autem Diœcesis.*
13. *Quilibet homo sine vir siue fœmina est sufficiens minister in necessitate.*
14. *Potest moraliter quo extra necessitatis casum baptizari, cui adest iure seu ex officio non competit. Et an monachi possint baptizare?*
15. *Qui ordo seruandus in administrando baptismo tempore necessitatis.*
16. *Quæ requiruntur in ministro baptismi, vt valide & laudè baptizet. Et an peruersa intentio ministri in conferendo baptismo suppleatur a Deo?*
17. *Existens in peccato mortali aut in excommunicatione, an grauiter peccet in necessitate sine solemnitate baptizans.*

1. OMnis & solus homo viator, nondum baptizatus, tã parvulus quàm adultus, est subiectum capax baptismi nouæ legis Sacramenti, & hæc affectio est de fide, quæ fumitur ex cap. vltimo *S. Matth. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* quia omnes homines ita a Deo creantur, vt capaces esse possint spiritualis salutis ac vitæ æternæ: salus autem & vita hominibus post Euangelij promulgationem, ordinarie non contingit nisi per baptismo. *Soares d. 23. sect. 1. Valent. d. 4. q. 3. p. 1. Rouaeria d. 2. q. 2. p. 6. num. 1. Laymann l. 5. tr. 2. c. 6.* Hinc *Sayrus* aut gentium vel fœmina & bruto, non est capax baptismi, quia non est homo, nec habet peccatum originale, cum illud traducatur ex *Adamo* per virilem virtutem. *Henriq. de bapt. q. 21. Posseuinus de bapt. c. 6. num. 13.* Monstrum autem, de quo dubitatur an habeat animam rationalem, eo quòd habeat caput ferinum & extera membra humana, non est baptizandum, sed ad summum sub conditione, postquam adhibita diligentia dubium remanet; coniectura autem capienda est ex pectore an habeat humanum cor. *Filliucius tr. 2. nu. 150. Navarr. consil. de bapt. Mouth.* Item verò genitum ex viro & fœmina, pulcritudinis est, quia est homo constans corpore & anima rationali: imò si conster habere duplicem animam, vt si habeat duo capita & duo corpora diuisa, bis baptizandum est; si verò dubitetur, an conster duplici anima rationali, vt si habeat duo capita cum vno pectore vel duo pectora sub vno capite, duplex baptismus conferendus est, vnus absolute in ea parte, in qua perfectius caput vel pectus apparet, alter sub conditione in alia parte. Plura de his apud *Reginald. l. 27. num. 65. Vvadd. c. num. 24. Lym. de bapt. q. 1. c. 6. Graffius 2. p. l. c. 4. Tolet. l. 2. c. 21. num. 6. Sylvius 3. p. q. 68. art. 11.*

2. Regulariter loquendo, existens in vtero matris non potest

poteſt baptizari, quia ſubiectum baptiſmi eſt homo natus, & non poteſt per baptiſmum renaſci, qui nondum eſt corporaliter natus: cum non poſſit abſti; nec ſufficit vt mater abſtergatur, cùm ſit perſona diſtincta a filio exiſtente in vtero, eique adſperſa non dicatur intrans ablutus: ſi autem obſtetrix tam peritia fit, vt manu in vterum infert, prolem aqua perfundere poſſit, adiecta verborum prolatione, valebit baptiſmus. Nam in tali caſu reperiuntur omnia eſſentialia ad baptiſmum requiſita: nempe abſurdo cum debita forma verborum. *Cap. qui in matrimonio, de cenſur. abſt. 4. Lymans l. 5. tr. 2. c. 3. n. 2 Sylvius in 3. q. 71. Navarrus de medic. hoſp. n. 11. Chabanellus c. 23. to. 1. Ita Suarez, Valentia, Conincki apud Dianam* tract. 1. Miſcel. reſol. 43. p. 2. & p. 5. tract. 3. reſol. 12.

3. Cùm non ſint faciendi mala vt eueniant bona, quamdiu mater viuit, non eſt ſcindenda vt infans extrahatur & baptizetur, etiamſi mater ob partum ſit moritura; matre verò mortua, ſi proles in ipſius vtero exiſtens credatur viuere, aperienda eſt mater, vt infans extrahatur & baptizetur. Quando autem mater grauida per iniuſtas ſententiam damnatur ad mortem, diſtenſenda eſt executio ſententiæ, donec mater pepererit; modo ex mortis dilatione non immineat damnum Reipublicæ, nam ſi damnum immineat, quidam Doctores cum *Filliucio*, putant matris vterum aperiri poſſe ipſa viuente, vt infans extrahatur & baptizetur, id enim ex iuſta cauſa ſit auctoritate publica. Hæc autem opinio tunc eſt practicanda ex mente *Suarez*, quando ſpes eſt infantem non eſſe moriturum. *D. Th. 3. p. q. 68. art. 11 ad 3. Graſſis 2. p. li. c. 4. n. 32. Vivald. c. 5. nu. 21. Filliuc. de bapt. cap. 32. Lopez agnantius ſt. de pœnis Vivald c. n. 20. Filliucius tr. 2. n. 119.* Ita *Diana* citat. reſ. 44. & p. 5. tr. 3. reſol. 13.

4. Certum eſt baptiſmum collatum infanti abſque conſenſu parentum, validum eſſe, cùm adſint materia, forma, & intentio in puniſtis. *Vaſquez 3. p. d. 155. c. 6. n. 64 Reginaldus nu. 68. Henriq. l. c. 25.* controuertitur autem inter Doctores, an licite contentur baptiſmus filijs infidelium, inuitis parentibus: in qua controuerſia cum diſtinctione *D The 3. p. q. 68. art. 10. Toled. l. 2. c. 21. n. 2. Suarez d. 25 ſect 3. Sa v. baptiſm. n. 11.* concludendo reſpondent. *Primo*, ſi filius habeat vſum rationis, & petat baptiſmum, baptizari debet, etiam inuitis parentibus; quia cùm ſit ſui iuris, in iis quæ pertinent ad bonum animæ libere ius petendi, quod illi non neceſſarium eſt ad ſalutem in diſpoſitione, qua ſe ſalutis poſſeat, ſi iam compleuit ſeptennium baptizandus eſt, nam ſi completo ſeptennio præſumitur rationis vſum habere.

5. Ordinariè, inuitis parentibus infidelibus, non eſt licitum eorum infantes baptizare: præterquam ſi parentes vel eorum paruuli mancipia Chriſtianorum facta ſint; quia vel paruuli adſtrahuntur a cura & poteſtate parentum in Chriſtiana fide poſt baptiſmum educandi, vel non adſtrahuntur, ſed parentibus poſtea reſtituuntur. *Primum* fieri non poteſt ſine iuſtitiæ violatione, cum parentibus etiam infidelibus, iuſ ſui poteſtas in liberos ſuos competat, quo inuiti ſpoliari non poſſunt. *Alterum* vero fieri non poteſt, ſine Chriſtianæ religionis iniuria & ignominia, cùm Deo per Baptiſmum confectati infantes, ſi infidelibus parentibus reſtituantur, manifeſto periculo apoſtaſiæ exponantur. *D. Tho. 3. p. q. 68. art. 10. Sylueſter verb. Bonacina c. 6. n. 12. Filliucius c. num. 145 Layman l. 5. tract. 3. c. 6. num. 10. Soares c. d. 25. ſect. 3.*

6. In multis caſibus licet filios infidelium inuitis parentibus baptizare. *Primo*, ſi infans conſtituitur in periculo mortis, & certo mortis nox eueniturę periculo; quia in eo caſu non ceſſat periculum perueſionis, & parentes ſunt irrationabiliter inuiti. *Reginald. c. n. 68. Diana p. 5. tr. 3. reſ. 10. Vaſq. c. d. 155. c. 3. num. 22. Sylueſter c. Filliucius c. n. 144. Secundo*, ſi alter parens filium baptizari velit altero reluctante, præferenda eſt voluntas iuſta initiatrix, in tutorem poſtis innocentis, & fidei Chriſtianæ. *Sa c. num. 11. Reginald. to. 1. l. 8. c. 25. q. 3. Tertio*, filius natus ex vno ſidem patre Chriſtiano baptizandus eſt, quia huiuſmodi filius ex viſuæ originis eſt ſubditus Eccleſiæ. *D. Thom. 2. 2. q. 10. Quarto*, filius orituſ ex vtroque parente infideli, quorum vnus poſtea conuertitur eſt, baptizandus eſt, nam filius ſequitur parentem innocentem, ſiu contuetium. *Bonacina c. n. 12. Diana tr. 2. Miſc. reſol. 4 p. 2. Quinto*, ſi filij infidelium perpetuo amentes ſint, baptizari poſſunt inuitis parentibus, quia alioquin omni ſpirituali remedio ſpoliari eſſent, quando nulla ſpes eſt ad proprium rationis vſum perueniendi. *Laymann c. n. 10. Sexto*, ſi infans ab infidelibus parentibus iuſte vel iniuſte abſtrahitur ſit, & ipſis non poſſit vel ſiltem non debeat reſtitui; quia hoc caſu quali non ceſſeret habere patrem vel tutorem, ideoque ſuccedit mater Eccleſia, vt prolem recipiat, baptizet, & inſtruat. *Henriq. c. cap. 25. n. 2. Sa. iuſ. 3. d. 5. c. 16. Filliucius c. n. 144 Sylu. c. cap. 5. Septimo*, filij infidelium, iam baptizatorum, vt haereticorum aut aliorum apoſtatarum a fide, poſſunt iubtrahi a parentibus ad Sacramento Baptiſmi initiari. *D. Thom c. art. 10. Valen 30. a. d. 4. q. 1. pun. 3*

7. Filij infidelium qui non ſunt ſerui, ſed tantummodo tributarij, & vaſalli Principum Chriſtianorum, quales ſunt Iudæi commorantes ex conceſſione Principum, in aliquibus ciuitatibus, non poſſunt inuitis parentibus baptizari? quia tales parentes, vt alia iura & rerum dominia, ita etiam ius patriæ poteſtatis in liberos retinent, quo ſine iniuria ſpoliari non poſſunt. *Tolet l. 2. c. 21. n. 2. Suarez c. ſect. 4. Villar. c. q. 27. Vaſq. c. cap. 2.* Sin vero infideles iuſto bello, vel alio titulo in Chriſtianorum ſeruitutem redacti ſint, ſicut alia eorum iura & dominia, ita & ius patriæ poteſtatis Domino ipſorum, à quo capti tenentur, gentium iure acquiſitum; qui proinde paruulos ipſis auferre, aliis donare, vendere, conſequenter Baptiſmo abluere iure poteſt: & per ſe loquendo tenetur, quia ſuccedit in locum parentum. *Coninck q. 68. art. 10. n. 87. Layman c. n. 10. Ronac. c. n. 12.* Licet per accidens ratione circumſtantiarum, vt magnæ difficultatis & incommodi, fieri poſſit, vt exiſtetur, ſi ſeruis non curet Baptiſmum conferri: vnde Dominus poteſt parentibus aut aliis vendere ſeruos nondum baptizatos, accepta pecunia, aut facta compoſitione Chriſtianorum captiuorum, ne ſubeat incommodum, in illis alendis & educandis, ſi baptizari illos curaret. *Suarez c. d. 25 ſect. 6. Conninck c. n. 88. Henriq. l. 2. cap. 25. nu. 1. & 8.*

8. Triplex diſpoſitio neceſſaria eſt in adultis, vt Baptiſmum ſuſcipiant. *Prima*, requiritur intentio actualis, aut virtualis recognitionis Baptiſmum; quia æquitas non patitur vt homo ad multas obligationes aſſtringatur, niſi conſentiat & intendat eas ſubire, vnde adultus non remanet baptizatus nec characterem recipit, ſi nunquam voluit baptizari, vel ſi habuit voluntatem, tamen reuocauit, validus autem eſſet Baptiſmus collatus dormienti, qui Baptiſmum peterat ante ſomnum; hic enim dicitur habere intentionem habitualem; idem dicendum de furioſo & amente, qui dum haberent lucida rationis intercuilla, peterunt Baptiſmum; etiamſi poſtea dum baptizantur reſiſtere videantur. *C. Maior 3. ſent de Baptiſ. D. Th. 3. p. q. 68. art. 7. Layman c. 5. tr. 3. c. 4. n. 6. Graſſis 2. p. li. c. 4. n. 32. Sanctus in 3. reſol. 11. Sylueſter 3. p. q. 68. art. 7. Angles q. 2. ar. 6. diffic. 1. conc. 2.* Verum quando quis incidit in amentiam, expectandum eſt, vt amens ad ſe redeat, ſi ſpes adſit reſipiſcentiæ, ſublata verò ſpe reſipiſcentiæ, baptizandus eſſet: in dubio verò, an amens peterit Baptiſmum ante amentiam, baptizandus eſſet ſub conditione, ſi peterit Baptiſmum, modò non contet permanſiſſe in ſtatu peccati mortalis. *Bellarm. de Bapt. c. 9. Henriq. l. 2. c. 24. Nugnus 3. p. q. 68. art. 4. Zambranus de Baptiſmo c. 1. Sanctus in ſelecta diſput. 44. nu. 39. 40. Reginald. l. 8. c. 3. nu. 8. Lezana tom. 3. Summ. c. Bapt. n. 7.*

An autem moribundus adultus ſit baptizandus, ſi vniens teſtis dicat illum petiſſe Baptiſmum: Reſpondetur quòd ſic. Ratio eſt. Quia ſicut nimiſtranda foret Euchariſtia publico peccatori in extremis degenti, licet ſigna pœnitentiæ ſolum coram vnico teſte præſtiterit, & ſic ut adeſſet obligatio abſoluendi illum, qui ſigna doloris oſtendere non poteſt, vnico tamen teſtes teſtimonium ferente ea manifeſtaſſe; multò magis baptizandus erit, cùm in Baptiſmo actus ſuſcipientis illum, non ſint materia Sacramenti, ſicut in confeſſione. Quapropter omnes Doctores affirmantes poſſe parententem abſolui, ſi tantum vnus ſigna doloris manifeſtaſſe, tenentur fateri poſſe adultum baptizari, teſte affirmante Baptiſmum abſolo poſtulatum fuiſſe. Ita *Zambranus, Sanctus, Reginaldus*, Sc. ſi teſtis dubiter, an adultus moribundus petierit Baptiſmum; ſub conditione baptizandus erit; cum videquaque otiatur ambiguitas, appoſita conditione ſit vincenda.

Hinc colligitur quòd ad Baptiſmum, non ſufficiat ſola negatio reſiſtentiæ, ſeu negatiua permiſſio; quia negatio reſiſtentiæ, ſeu negatiua permiſſio, non eſt conſenſus, quem Eccleſia in adultorum Baptiſmo requirit, ſed negatio conſenſus. Quamuis inſuper negatiua permiſſio ſufficeret, vt baptizatus in foro externo maneret ſubiectus Eccleſiæ, à qua cogi poſſet ad fidem ſeruandam.

Sed dubitabis, an ad Baptiſmum ſufficiat conſenſus mere extortus etiam iniuſtæ mortis incuſſo. Reſp. affirmatiue, & ratio eſt, nam à quacumque cauſa extrinſeca talis conſenſus extorqueatur, ſemper eſt ab intrinſeco principio libero, quod

pro

pro ſua innata libertate illũ potuit elicere & non elicere, cùm nulla extrinſeca cauſa tollat intrinſecam libertatem, niſi quæ illam in agendo præuenit, qualis non eſt vis, aut metus extrinſecus illatus. Tamen hic conſenſus, etſi ſit ſufficiens diſpoſitio ad Baptiſmum validè ſuſcipiendum, non autem erit ad eius effectum, vt docet Hentiques *de Sacram. Bapt. lib. 2. c. 24. num. 3.* in fine, quod probatur ex cap. *Maiores, de Baptiſmo.* Vbi Innocentius III. decernit, *Tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem.*

9. *Secunda* diſpoſitio in adulto ad recipiendum Baptiſmum cum fructu, eſt fides ſupernaturalis; fieri tamen poteſt, vt aliquis non habeat fidem infuſam & nihilominus recipiat verum Baptiſmum & characterem, quamuis non recipiat fidem, & gratiam, vt quando aliquis inſtructus ab hæretico habet intentionem recipiendi quod fuit inſtitutum à Chriſto, quidquid illud ſit. *Filliucius c. n. 135. D. Tho. c. q. 68. art. 8. Reginald. c. nu. 66. Henriq. l. 2 c. 26. n. 1.*

Notandum tamen eſt ex Sancio *in ſelectis diſp. 44. n. 41.* quòd ſi adultus in articulo mortis ſit baptizandus qui Baptiſmum petijt, non incumbat baptizanti de fide rogare, quando infirmus reſpondere non poteſt: quia preſumi debet explicitè actum credẽdi myſterium Trinitatis & Incarnationis habuiſſe adultum, cum anidè Baptiſmum poſtulauit. Et cùm opinionum varietas verſetur, an ſufficiat implicita vel explicita fides, ſub conditione ſaltem Baptizari debet: quia conſtat manifeſtè in Chriſtum implicitè credere, qui ipſi incorporari per Baptiſmum exoptat. Ita etiam *Diana p. 5. tract. 3. reſol. 20. Lezana tom. 3, Sum. v. Baptiſ. n. 4.*

10. Tertia diſpoſitio in adulto ad recipiendum Baptiſmum cum fructu, eſt attritio, quæ ad minimum procedat ex auxilio ſupernaturali propter metum gehennæ, aut turpitudinem peccati; non eſt tamen neceſſaria confeſſio Sacramentalis, cùm Baptiſmus ſit ianua omnium aliorum Sacramentorum. *Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. Vaſques c. d. 158. c. 4. Toletus l. 2. cap. 21. n. 5. Layman l. 5. tr. 2. c. 6. n. 4.* Et hoc verum, quamuis attritio cognita ſit, ſecundùm *Dianam de Sacramentis, reſ. 15. p. 3.*

11. Habens ſolum originale peccatum, non tenetur habere attritionem, quia pœnitentia eſt de peccatis commiſſis ab ipſo pœnitente, cùm autem pœnitens non peccauerit propria voluntate, non requiritur in ipſo pœnitentia & deteſtatio peccatorum, ſed ſufficit propoſitum ſeruandi legem Dei & ipſi obediendi cum voluntate ſuſcipiendi baptiſmum & fidem. *Filliucius tract. 2. c. 5. nu. 103. Suares c. d. 28. ſect. 1. Henriq. l. 2. c. 26. n. 1.*

12. Solus Sacerdos, iſque Parochus, eſt ordinarius miniſter baptiſmi; quia ſolus Sacerdos habet poteſtatem in Corpus Chriſti verum, ergo ſolus etiam in myſticum; hinc qui ſolemniter baptizat cùm non ſit Sacerdos, illicitè baptizat, vſurpat enim ſibi alienum officium. *Cont. Flor. D. Thom. q. 67. art. 2. Sylueſtius ibid.* Ex commiſſione tamen Epiſcopi, vel Sacerdotis proprij, ob rationabilem cauſam factã, etiam Diaconi ſolemniter baptizare poſſunt, vbi conſuetudine ita receptum eſt; quamuis hoc tempore non videatur in vſu, vt Diaconi ſolemniter baptizent. Cæteris autem Clericis ſolemniter baptizãtibus, impoſita eſt ipſo iure irregularitatis pœna. Vt habetur *in Cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato miniſtrante. C. Diaconos, diſt. 93. Conmach q. 67. art. 2. d. 1. Suares d. 23. ſect. 2. Filliucius tr. 2. nu. 70. 71. Layman c. c. 7. n. 3.*

13. In neceſſitate, quilibet homo ſiue ſit vir, ſiue fœmina, ſiue infidelis, ſiue fidelis, ſiue baptizatus, ſiue non, qui loqui poſſit & abluere, eſt ſufficiens miniſter; quia cùm baptiſmus ſit Sacramentum magnæ neceſſitatis, Chriſtus iure optimo voluit pro miniſtro baptiſmi cõſtituere quemlibet hominem, rationis vſum habentem, vt patet ex traditione Eccleſiæ, quã nobis Chriſti voluntas indicatur. *Conc. Flor. D. Thom. c. q. 67. a. 3. & 4. Vaſques d. 147. c. 1. 5. Henriq. c. 28. n. 1. Sylueſtius c. art. 3.* Vnde obſtetrices poſſunt aliquando baptizare ratione neceſſitatis, & ob id obligandæ ſunt ad edifcendam baptiſmi formam, ſaltem vulgari lingua. *Suares d. 31. ſect. 5. Reginald. l. 27. n. 45.* Similiter hæreticus, immò etiam paganus poteſt validè conferre baptiſmum, modò intentionem habeat baptizandi, quamuis peccet adultus recipiens baptiſmum a pagano, propter periculum non recipiendi baptiſmum defectu intẽtionis, aut propter periculum ſcandali. *Toletus l. 2. c. 20. n. 5. Rodriq. c. 25 concl. 1.* Anima vero ſeparata à corpore, non poteſt baptizare, quia non eſt homo, cùm non poſſit vitaliter verba proferre. Homo verò beatus, ſi baptizaret, validè baptizaret, quia eſt homo. *Bonacina c. p. 5. n. 7.* Angelus nõ poteſt baptizare, quia non eſt homo, & non poteſt eſſe miniſter Sacramentorum abſque diuina diſpenſatione. *Graſſius 2. p. l. 1. c. 4. Henriq. c.*

14. Quicumque extra neceſſitatis caſum baptizat, cui id iure, ſeu ex officio non competit, peccat mortaliter; Similiter culpæ lethalis reus eſt Sacerdos, ſi extra neceſſitatis caſum non ſolemniter baptizet: Item mortaliter peccat alienus Sacerdos, ſi abſque licentia proprij Sacerdotis expreſſa, aut rationabiliter præſumpta ſolemniter baptizet; & multò magis mortaliter peccat laicus, qui & ſine licentia legitima Sacerdotis proprij, & ſine ſolemnitate extra neceſſitatem baptizat. *D. Tho. c. art. 3. ad 1. Sylueſtius ibid. Nauar. c. 22. nu. 7. Suares d. 31. ſect. 4. Layman tr. 2. l. 5 c. 7. Henriq. c. c. 29. n. 2. Reginald. c. n. 38.*

An autem Monachi peccent mortaliter extra caſum neceſſitatis aliquem baptizando? Reſp. in *cap. Placuit 16. qu. 1.* Monacho præcipi ne baptizet, & ideò videri id prohibitum Religioſis: quod tamen intelligendum eſt, ſi id faciant abſque licentia Ordinarij, iuxta ea quæ in *Clementina 1. de priuilegijs notantur:* vt aduertit *Rodriques tom. 1 qq. reg. q. 31. art. 1.* Imò *Iacob. Granado 3. p. contro. 4 tr. 2. diſp. 1.* credit id non præcipi ſub mortali in iure, & fieri poſſe ſaltem aliquando ſine veniali. Nec obſtat etiam quod dicitur in Concilio Antiſidiorenſi in *c. Monach de conſecr. 1. diſt. 4.* ne Monachi compatres commatreſque faciant; quia per hoc non prohibetur monachis baptizare, ſed tantùm ne de baptiſmo ſuſcipiant filios aut filias, nec commatres habeant, ne hac occaſione inter fratres vel de fratribus ſcandalum haberetur. Licet enim in baptiſmo duplex contrahatur compaternitas, *Prima* ex parte baptizantis, quam per actum baptizandi contrahit baptizans cum Patre & Matre baptizati. *Secunda* ex parte ſuſcipientis, quam ſuſcipiens ſiue patrinus contrahit per ſuſceptionem prolis cum ijſdem: ſola tamen compaternitas ex ſuſceptione prolis, Religioſis iure cõmuni, & nobis Fratribus Minoribus, etiam per regulæ præceptum prohibetur; quia hæc ſola ſcandalum generare poteſt. Porrò quod dictum eſt de Monachis, idem videtur dicendum de Canonicis regularibus; quia leges diſponentes de Monachis habent locum in Canonicis Regularibus, quando leges illæ fundantur in religione, & non cõtinent aliqua verba, quibus ſignificent non includere Canonicos: Vt docent *Panorm. in c. 2. de poſtul. Nauar. l. 3. conſ. tit. de ſtat. monac. conſil. 5.*

In partibus Indiarum poſſunt Religioſi baptizare nouiter conuerſos ad fidem, etiam paruulos; in Eccleſijs tamen Monaſterioriũ ſui Ordinis, vel extra illas in locis ipſarum partium ipſis deputatis. Ex conceſſione *Pauli III. & Pij V.* apud Rodriques *c. art. 3.*

15. Ordo ſeruandus in adminiſtrando baptiſmo, tempore neceſſitatis, talis eſt; vt præſente viro fœmina non baptizet, nec vir laicus præſente clerico, nec clericus licet Diaconus præſente Sacerdote, etiamſi Sacerdos vrbanitatis cauſa cedat; inuerſio tamen huius ordinis non eſt mortale peccatum, niſi adſit Sacerdos, nam præſente Sacerdote nemo poteſt ſine mortali peccato baptizare, alioquin ſibi vſurparet alienum officium in re graui; facilè tamen poteſt propter ignorantiam excuſari, aut etiam ob neceſſitatem infantis, ſi Sacerdos præſens nolit baptizare. *D. Thom. q. 67. art. 4. Nauar. c. 22. n. 7. Toletus l. 2. c. 20. n. 2. Suares d. 31. ſect. 4. Layman c. c. 7. n. 4. Filliucius tr. 2. n. 82. Sylueſtius 3. p. q. 67. art. 4. Diana de Sacramentis p. 1. reſol. 4. & p. 5. tr. 3. reſol. 18.*

16. Multa requiruntur in Miniſtro baptiſmi. *Primò*, requiritur intentio baptizandi; vnde ille non validè baptizat qui ſolùm habet intentionem iocandi vel irridendi, ſecùs ſi habeat intentionem baptizandi & ſimul etiam iocandi; validè etiam baptizaret ille, qui baptizat vt lucretur; vel vt occidat puerum, intendens iure baptizare & præterea occidere; nam finis extrinſecus non tollit intentionem requiſitam ad Sacramẽtum. *Secundo*, requiritur vt miniſter adhibeat debitam materiam & formam, illamque ſciat applicare. *Tertiò*, requiritur, vt Sacerdos ſolemniter baptizans exiſtat in gratia; nam grauiter peccat qui cum conſcientia peccati mortalis ſolemniter baptizat. *Suares d. 31 ſect. 5. Reginald. c. n. 47. 48. Graſſius 2. p. l. 1. c. 3. Toletus l. 2. c. 20. Henriq. l. 2. c. 29. Filliucius tr. 2 c. 4. q. 8.*

Sed quæres, an peruerſa intentio Miniſtri in conferendo Baptiſmo & alijs Sacramentis ſuppleatur à Deo? Reſponſio communis eſt negatiua; quia quod Deus ſuppleat defectum Miniſtri in tali caſu non fundatur vlla lege, promiſſione, aut neceſſaria ratione, & intentionem Miniſtri neceſſariò requiri eſt de fide. Ita *Sylueſtius 3. part. quæſt. 68. art. 2. ad 4.*

Filliu-

Fillucius tr. 3. m. 80. Henriq. l. 1. c. 10. n. 3. Diana p. 3. tr. 4. res. 17.

Nihilominus aliqui pié credunt Deum ita infinita bonitate supplere, non quoad characterem, sed quoad gratiam; quia faciendi quod in se est non deficit in necessariis, nec alligauit virtutem suam Sacramentis; & maximè in casu quo malitia Ministri non esset nota. Ita *D. Thom. 4. dist. 24. q. 1. art. 2. quæst. 3. Sylvest. v. Baptismus 6. n. 3. Valentia to. 4. disput. 3. qu. 5. punct. 3.* Verum à communi sententia non est recedendum sine fundamento. Plura de intentione ministri. Vide infra, verb. *Sacramentum 11. n. 3. & 5.*

17. In necessitate sine solemnitate baptizans, non peccat grauiter, etiamsi exiſtat in peccato mortali, aut in excommunicatione; non enim est minister consecratus ad hunc effectum, nec excommunicatio impedit, quin possit in necessitate baptizare. *Diana tr. de Sacram. p. 3. resol. 10. & p. 5. tract. 3. resol. 24. Soares to. 3. d. 16. sect. 4.* Vt ait *Sylvius in 3. p. qu. 64. art. 6. quæst. 1. concluſ. 2.* quidquid in contrarium docent, etsi non improbabiliter, *Layman, Vasques, Conninck*, apud *Dianam*.

BAPTISMVS IV.
De effectibus & ritibus Baptismi.
SVMMARIVM.

1. *De primario effectu baptismi, qui est deletio culpæ tam originalis quàm actualis.*
2. *Secundus effectus est deletio omnis pœnæ ob peccatum conſtitutæ.*
3. *Tertius est conferre gratiam iuſtificantem.*
4. *Quartus est conferre gratiam ſacramentalem. Et quid ſit illa gratia.*
5. *Quintus effectus est character.*
6. *Effectus ſecundarij baptiſmi.*
7. *Baptiſmus per fictionem ſuſceptus confert ſuum effectum gratiæ, recedente fictione. Et quotuplex fictio poſſit contingere in ſuſceptione baptiſmi.*
8. *Ceremoniæ ferunda cum baptiſmus publicè & ſolemniter ſuſcipitur.*
9. *Ritus accidentales baptiſmi an omitti poſſint abſque peccato mortali.*
10. *Qui in infantia ab hæreticis baptizatus fuit, an deducendus ſit ad Eccleſiam, ſi adultus ſaltim ad fidem Catholicam reuertatur.*

1. EFfectus primarij baptiſmi ſunt quinque. *Primò* enim baptismus delet omnem culpam. *Secundò*, omnem pœnam peccato debitam. *Tertiò*, confert gratiam iuſtificantem. *Quartò*, gratiam Sacramentalem. *Quintò*, characterem.

Quoad primum attinet, certum est de fide, baptismum delere omnem culpã tam originalem quàm actualem, vt patet ex *Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 5. Conc. Florent. Soares de Sacram. d. 26. ſect. 1. D. Thom. 3. p. q. 69. art. 1. Regnald. l. 27. n. 61. Fillucius tr. 2. n. 95. Sylvius 3. p. q. 69. art. 1.* & ex multis Scripturæ locis.

Notandum tamen eſt baptiſmum non eſſe inſtitutum & ordinatum ad remittenda peccata commiſſa poſt ſuſceptum baptiſmum, alioquin non eſſet neceſſarium aliud remedium præter baptiſmum, neque pœnitentia diceretur ſecunda poſt naufragium tabula: quare peccata commiſſa in ſuſceptione baptiſmi, aut poſt baptiſmum, non delentur per baptiſmum, ſed ſubjicienda ſunt Sacramento pœnitentiæ. Vide *D. Thoma*, & alios.

2. Secundus eſt, eius baptiſmi, eſt deletio omnis pœnæ ob peccatum conſtitutæ; vnde Concil. Florentin. decernit baptizatis non eſſe imponenda opera ſatisfactoria pro peccatis ante baptiſmum commiſſis; hinc ſi quis moreretur ſtatim ſuſcepto baptiſmo abique impedimento & obice, antequam vllam culpam admittat, ſtatim in cœlum euolaret; ratio autem eſt, Chriſti inſtitutio, quia per baptiſmum homo Chriſto monetur, vt inquit *S. Paulus, Roman. 6. & Epheſ. 4.* & 5. ideo perfectiſſime applicatur eius Paſſio ad plenam totius pœnæ remiſſionem. *D. Thom. 3. part. 2. q. 7. Sylvius ibid. Concil. Trident. ſeſſ. 5. can. 5. Vaſquez 3. p. d. 156. c. 3. & 4. Toletus 1. 2. c. 22. Bonac. diſp. 2. q. 2. p. 7.* & alij communiter.

Aduertendum eſt baptiſmum non auferre pœnalitates in hac vita, quales ſunt concupiſcentia inordinata, mors, ægritudines, &cet. vt homo exerceat ſe ad luctam, & pugnam ſpiritualem cum merito fidei, vt deinde coronam victoriæ recipiat; vt bonio etiam ſecum ferat teſtimonium baptiſmi *Ada* & totius naturæ. *D. Thom. 3. part. 4. Henriq. l. 1. c. 16. n. 7. Regnald. c. n. 63. Sylvius c. art. 3.* Præter has pœnas iure diuino inflictas, tollit etiam baptiſmus pœnas quaſdam iure humano conſtitutas, quales eſt irregularitas ob delictum & homicidium etiam voluntarium; non autem illam quæ eſt ob bigamiam, vel defectum natalium, & multo minus reliquas humanas potestate conſtitutas. *Fillucius* poſt *Sylueſtrum ex Cap. Vna, & ex Cap. Demde, diſtinct. 26.* Ratio eſt, quia homo per baptiſmum regeneratur, & fit quali nouus homo, conſequenter omnis macula & indecentia auferetur, niſi aliter lancitum ſit in aliquo caſu, vt in caſu bigamiæ non conſurgentis ex delicto, aut niſi perſeueret defectus, propter quem inducta eſt irregularitas. *Fillucius c. n. 97. & tr. 20. num. 21. Sylueſter v. bapt. 6. num 2. Satyrus de cenſur. d. 7. c. 13.* Vide *v. Bigamus*, n. 4.

3. Tertius effectus baptiſmi eſt, conferre gratiam iuſtificantem, ſimul cum reliquis virtutibus & donis, quæ gratiam conſequuntur, modò non ſit obex ex parte ſuſcipientis; hæc autem gratia pueris confertur in æquali gradu, adultis verò inæqualis confertur pro ratione maioris vel minoris diſpoſitionis. *Conc. Trid. ſeſſ. 7. c. 6. 7. & 8. D. Thom. c. art. 8. & 4. Soares d. 28. ſect. 3.*

4. Quartus effectus eſt conferre gratiam ſacramentalem: hæc autem non eſt aliquis habitus diſtinctus à gratia habituali, ſed vel ipſamet iuſtitia baptiſmi, quatenus tectum aſſert remiſſionem culpæ & pœnæ, vel aliquod maius auxilium, quo homo frequentius & vehementius excitatur ad ſuperandum concupiſcentiæ fomitem & ad exercendã munera ad quæ baptiſmus obligat, vel vtrumque. *Henriq. l. 1. c. 19. 16. n. 7. Fillucius c. n. 99.*

5. Quintus effectus baptiſmi eſt Character, propter quem baptiſmus non poteſt iterari, ſi rité iemel collatus ſit, quia indelebilis eſt; hoc autem ſignatum in iubilantia animæ impreſſa diſtinguitur fidelis ab infideli; ſit potens & aptus ad recipiendã alia Sacramenta; nec requiritur ad illum diſpoſitio in adultis præter voluntatem recipiendi Sacramentum, imò imprimitur etiam in anima, quamuis recipiès baptiſmum commiſcrit peccatum mortale in ipſius ſuſceptione, quia peccatum non impedit effectum characteris, qui non habet contrarium. *Conc. Trident. ſeſſ. 7. can. 9. Graſſis 2. p. l. 2. c. 1. n. 10. & 11. Valent. tom. 4. diſp. 4. q. 1. punct. 4. Suar. diſp. 11. ſect. 1. & diſp. 51. ſect. 6.* Vide infra, *Character*.

Quando autem dubitatur de validitate baptiſmi, iterari poteſt ſub conditione; quoicrca ſi infans aliquis de recenti natus expoſitus inueniatur in locis Chriſtianorum, baptizari poteſt ſub conditione, niſi adſit ſignum vel rationabile indicium collati baptiſmi, in qua re iudico prudentis viri ſtandum eſt. *Fillucius c. n. 149. Bonacina c. p. 7. n. 11. Sylueſt. v. baptiſ. 4. n. 7*

6. Effectus ſecundarij baptiſmi ſunt tres præcipui; *Primus* eſt apertio ianuæ cœleſtis, ſequitur enim ex eo quòd remoueat impedimentum omnis culpæ & pœnæ. *Secundus* eſt conjunctio hominis cum Chriſto; illuminat enim & ſecundat ſpiritualiter conferendo ſuam gratiam & virtutes. *Tertius* ſubjicit hominem iurisdictioni Eccleſiæ, vnde baptizatus obligatur ad ſeruanda Eccleſiæ præcepta, quia implicitè promittit obedientiam Eccleſiæ. *D. Thom. ar. 7. Henriq. l. 2. c. 18. 19. Regnald. c. n. 64. Vaſquez c. d. 156. n. 68.*

7. Quando contingit impediri effectum gratiæ per fictionem, certum eſt ſecundum omnes Theologos, baptiſmum conferre ſuum effectum recedente fictione; quia proprius effectus baptiſmi eſt regenerare, remittere originale, & mortalia commiſſa ante baptiſmum; idque illi ita conuenit, vt à nullo alio Sacramento conferri poſſit, ideo enim dicitur medium neceſſarium; ergo neceſſe eſt ablata fictione vel operari ſuum effectum, vel iterari; hoc ſecundum fieri non poteſt: ergo primum. Et ideo ita planè tradit ciuſmodi effectus, cum recedit fictio, ac ſi tunc applicaretur Baptiſmus. Ita *S. Auguſt. de bapt. c. 12. D. Thom. 3. p. q. 69. art. 10. Sylueſter ibid. Suar. diſp. 28. ſect. 4.* & 5.

Notandum tamen eſt triplicem fictionem poſſe contingere. *Primam* eſt, cum quis accedit ſine intentione, & hæc facit Sacramentum irritum. *Secunda*, cum quis accedit cum complacentia peccati venialis, & hæc non eſt proprie fictio, nec impedit principalem effectum gratiæ & donorum. *Tertia* eſt, quando adeſt complacentia peccati mortalis, & hæc proprie dicitur fictio, & impedit: is etiam qui non habet attritionem debitam, dici poteſt fictus. *Fillucius tract. 2. num. 110. & ſeqq. Sylueſter art. 9. Vaſq. 3. part. diſput. 156. cap. 2.*

Notan-

Dicendum ergò est illum qui recipit Baptismum sine prætia intentione, debere illum de novo recipere, quia prior Baptismus fuit examinò invalidus; qui verò recipit Baptismum sine attritione & fide, satisfacit auferendo obicem & desectum attritionis & fidei, qui commissus fuit in suscepione Baptismi, modò Baptismus bonus fide susceptus sit. Qui verò Baptismum accepit mala fide & cum affectione, quæ dicitur cum peccato, requiritur contritio, vel Sacramentum pœnitentiæ, ad recipiendum fructum Baptismi; quia tam ipsamet *Actio*, quam caremonia est communis pœna Baptismum, ergo non possunt per ipsum deleri, ergo per pœnitentiam quoniam autem vnus peccatum deleri non potest sine alijs, neque potest Baptismus delere commissa ante Baptismum, nisi etiam deleatur id quod commissum est per Baptismum, vel in suscepione Baptismi. Ita *Henricus 2. quæst. 7 Valentia to. 4. d. 4. q. 4. punct. 2. Dian. de Sacramento ref. tract. 1. resol. 8. Bonac. de Bapt. d. 2. q. 2. pun. 7. num. 13. & 14. De la Cruz in direct. p. 2. tract. 4. sub. 4. Victoria de Sacrament. quæst. 23. Sylvius to. 3. in 3.*

8. Cum Baptismus sit publicè & solemniter suscipitur, aliquæ in eo seruandæ sunt cæremoniæ, quas optimo quidem iure, tum ob institutionem, tum ad Sacramenti significationem, efficaciam, ac venerationem Catholicam præscripsit Ecclesia: & quidem antequam eo quis initietur quasi sub Christi vexillo deputaturus sit, primò dat nomina, deinde examinatur, abrenunciat operibus Satanæ, fidem profitetur; cum a Sacerdote signo Crucis, exorcismo, exsufflatione, manuum impositione, vnctione munitur. Denique linguæ tales, nares & aures fabiva tanguntur, totique corpori indicitur abstinentia. Cum verò sacro mysterio imbuitur, primò Nomen imponitur, eique suscepto, datur, cum aqua consecratur, ad exorcismi fœ pertinditur. Post Baptismum autem datur oleum pacis, Chrismate inungitur, vestitur, gestat accensum, candidamvestem induit, & hic vna cum mille delubat. Atque hæc quidem adultis; Infantibus verò illa tantùm adhibentur, quæ per ætatem licent: de significationibus harum cæremoniarum videndi sunt. *D. Thom. q. 71. ar. 2. & 3. Sylvius ibid. Toletus l. 2. cap. 23. Layman l. 5. tr. 2. c. 8. Suarez d. 27. sect. 1. & 2. Regnal. l. 27. c. 3. a. n. 12. ad 16. Fillucius tr. 24. q. 7. Henriq. d. c. 13. & 15.*

9. Non possunt tamen quamuis accidentales omitti absque peccato mortali ex suo genere, quamuis aliquando paruitas materiæ possit à mortali excusare, quia grauiter peccat, qui solemniter baptizat in aqua non benedicta, & qui sine necessitate Baptizat extra Ecclesiam, quia *in Clementina vnica. de Baptismo* hoc sub grauibus pœnis prohibetur, & ibidem infuper præcipitur, vt in Ecclesijs sint fontes ad hoc Sacramentum deputati. *Cone Trident sess. 7. can. VII. de Sacra. Bonac c. 2. p. 7. n. 18. 19. & seq.* Textus enim ait: *Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, seu cameris aut alijs priuatis domibus, sed duntaxat in Ecclesijs, in quibus sunt ad hoc fames specialiter deputati, aliquos extra Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi existentes: aut talis necessitas emerserit, propter quam necesse sit Ecclesiam absque periculo propter hoc accedere habuerit) audeat Baptizare. Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsumptionem exhibuerit, talitet per Episcopum suum castigetur, quod ain attentare similia non præsumant.* Hæc ibi. Ex quo colligitur extra necessitatem non licere baptizare sine cæremonijs, vt asseuerauit puer, & postea tempore Parœbius aut Parrinis opportuno, adhibeantur cæremoniæ. Ratio est, quia inuertere ordine cæremoniarum, vt postponantur Baptismo cæremoniæ, quæ debent præcedere ex institutio ipsius Ecclesiæ, est certus grauis materia, vnde tollenda est praxis, quæ hoc tempore inualescit, vt Pastores in pagis, vbi aliqui est Domicellus, vel vbi auctoritatis alicuius vir id poscit, statim baptizent puerum à natiuitate, sed cæremonias differant ad libitum parentum expectantium Patrinos: quo autem iure id faciunt, non apparet; quia obstat prædicta Clementina, & ideo operæ pretium foret, vt Episcopi publico decreto Pastoribus suam mentem ea de re indicarent: tum ad importunitatem qui eis solet inuehi propulsandam tum etiam ne ipsi Pastores, aut alij id patentes ab eis exhibent hoc committere liceitum, ob conscientiales prætextum, quæ tamen errori videtur adhærere, aut adulationi. Plura de his apud *Vasq. 3. p. disp. 166. a. 2. Layman l. 5. tr. 2. c. 8. n. 8. Nauar. c. 23. n. 7. Marchantius in ref. pastor. tr. 2. c. 3.*

Item non est licitum extra necessitatem baptizare adhibito Chrismate alterius anni. In paruibus tamen Indiarum pollent Religiosi vti oleo sancto & Chrismate antiquis vsque ad quatuor annos, quia in his partibus sine difficultate magna nouj oleum & balsimum habere non possunt. *Cap si quis de alio d. 4. Nauarr. c. 21. nu. 74. Laymann in. 10. Sa v. Bapt. n. 5.* Ex concessione Gregorij XIII. apud *Rodrigues to. 1. q. 18. q. 3. 1. art. 5. Miranda to. 4. q. 43. art. 4.* qui nouissimus docet Sacerdotes vti posse etiam in his partibus, veteri oleo & Chrismate, si nondum aduenit nouum; quia paruuli propter teneilam eorum ætatem, semper sunt in periculo mortis, etiam citra mortis articulum. Adulti tamen non possunt baptizari veteri Chrismate, in mortis articulo. Porrò quando quis fuit domi baptizatus sine cæremonijs ab Ecclesia præscriptis, supplendæ sunt solemnitates a Parœcho in Ecclesia: vt Sacramentum completè adimpleatur non solùm quoad substantialia, verùm etiam quoad accidentalia.

Notandum tamen est, Possessionem *de officio Curati, cap. 6. nu. 23.* docere, quòd si quis omittetur supplere in Ecclesia solemnitates omissas in priuato baptismo, seclusò contemptu, non esse illi peccatum veniale. Hanc doctrinam refert *Diana par. 5. tract. 3. resol. 6.* An autem approbet, non se explicat; sed meo iudicio hæc doctrina nullo pacto sequenda est; quia omittere has cæremonias, esset omittere publicam professionem fidei, & publicam acceptationem intra gremium Ecclesiæ & aggregationem publicam inter fideles, quæ procul dubio est res grauis citra professionem Religionis Christianæ; atque adeo absque peccato mortali omitti non potest: quod probatur etiam tuiorumque gratiæ cælestis communicationem.

Quando autem fuit baptismus cum solemnitate inualide administratus, secundùm multos repetendæ sunt etiam solemnitates, quia destructo subiecto destruitur accidens; *Henriq. l. 2. c. 13. n. 4. Reginald. c. n. 34.* Alij tamen negant & meritò, nisi aliter vti receptum sit, vt Bonacina citatus. Vide *Diana m. p. 5. tract. 3. resol. 7.*

10. Qui ab hæreticis in infantia absque solemnitatibus baptizatus fuit, si postea ad fidem catholicam adultus reuertatur, non est ad Ecclesiam deducendus, vt omissæ solemnitates suppleantur; ne cadis populus exilimare possit, quòd hæreticorum baptisma debitâ forma collatum, tamquam minùs validum improbare: tamen si sine scandalo fieri possit, nihil erit alienum, ab Ecclesiæ vniuersalis consuetudine, etiam in adultis præsertim adolescentibus, omissas solemnitates supplere. *Layman n. 10.* Imò consultum foret (ex Synodo 2. Prouin. Mechlinensis per Paulum V. approbata) si ab hæreticis baptizati sub conditione baptizantur, quia fatisfima ratio dubitandi est de veritate Baptismi illorum, qui hoc tempore Sacramentorum formas pauciores, & materiam compositam, & ab Ecclesiæ intentione mentem alienam habent. Adulti tamen qui conditionaliter baptizantur, debent confiteri peccata post primum Baptismum commissa, ne si forte primus ille fuisset validus, secundus nihil efficeret, ideòque nec peccata remitteret. Ita *Sylus. 3. p. q. 66. ar. 9. quæst. 3.*

De patrino adhibendo in hoc Sacramento vide infra verb. *Matrimonium VII. n. 26. & sequentibus & verb. Confirmatio n. 11.* Vide *Character* num. 3. 4. 5. *Matrimonium* 7. num. 29. *Irregularitas* 8.

B E L L V M.

S V M M A R I V M.

1. *Bellum quid sit: & quomodo differat à sedatione & rixa.*
2. *Bellum aliud sit iustum, aliud iniustum. & de conditione prima requisita ad bonitatem belli, quæ est legitima authoritas.*
3. *Secunda conditio est iusta causa.*
4. *Quæ sint illa iusta causa.*
5. *Tertia conditio est recta intentio.*
6. *Personis Ecclesiasticis & ex sacris ordinibus constitutis aliquando licet gerere bellum.*
7. *Bellare non est voluntatis sed necessitatis.*
8. *Si hostes postremum aut alterum conflictum offerant idoneam satisfactionem, an teneatur Princeps iustus illam acceptare, vel potiùs prosequi bellum?* Refertur duplex sententia.

9. An

9. *An possit dari bellum ex vtraque parte iustum.*
10. *Quæ liceant in bello, & quæ non.*
11. *Innocentes tempore belli, an possint directè suis bonis spoliari, vel in seruitutem redigi?*
12. *Mobilia & immobilia ab hostibus capta, iure gentium sunt militum capientium.*
13. *Ecclesiæ & Monasteria an possint exspoliari quando concedatur raptus liber.*
14. *In bello iusto, an possint dari vrbes militibus in prædam, ante vel post victoriam.*
15. *In bello iniusto, milites depræ dantes ciuitatem, peccant mortaliter, & propriis Dominis tenentur ad restitutionem.*
16. *Milites extra grauem aut extremam necessitatem grauando rusticos, aut alios suos hospites, peccant mortaliter.*
17. *Dux supremus belli grauiter peccat & tenetur ad restitutionem, si ex stipendijs non solutis, milites ad iniustas rapinas stimulentur.*
18. *Dux supremo subordinatus, in quibus peccet.*
19. *An liceat ab hostibus emere vili pretio ea, quæ ab aduersarijs iniustè extracta sunt.*
20. *Capti in bello iusto vel iniusto ex parte capientium, an fugere possint.*

1. BEllum est armorum conflictus, seu professio nocendi vi & armis contrariæ parti; differt à seditione & rixa: quòd bellum fit multitudinis contra extraneos; seditio multitudinis contra multitudinem eiusdem communitatis: rixa autem paucorum vel singulorum contra paucos & singulos. *D. Thom.* 2. 2. q. 42. a. 1. *D. Anton. p. 2. tit. 4. c. 8. §. 1.*

2. Bellum aliud est iustum aliud iniustum; bellum iniustum est graue peccatum, tum charitati ac paci, tum etiam iustitiæ oppositum: iustum verò charitati ac paci potiùs inseruit; quia finis belli est pax & securitas. Bellum iustum duplex est, vnum defensiuum, alterum offensiuum: bellum offensiuum non nisi publica auctoritate Principis, vel Magistratus nullum Superiorem agnoscentis geri debet: vnde ad illius honestatem tres conditiones requiruntur. *Primus* est *legitima auctoritas*: qualis residet penes Rempublicam perfectam, vt dictum est: & in adminiculum iusti belli, licet auxilium petere ab ijs, quorum nihil interest bellum gerere, quique nullam acceperunt iniuriam, etiam infidelibus, secluso tamen scandalo & periculo fidei: quia licitum est alium in bono opere adiuuare, quale est bellum iustum. *Layman l. 2. tr. 3. c. 12. num. 2. Rodriq. in summa t. 1. c. 125. Fullucius tra. 29. c. 9. nu. 180. Reginaldus to. 2. l. 21. nu. 84. Syluius 2. 2. q. 40. a. 1 q. 1.*

Notandum autem hic est, Rempublicam, aliam esse perfectam, aliam imperfectam; perfecta est, quæ est per se quoddã totum, iure naturali potestatem habens sese gubernandi, nempe perfecta Communitas, quæ in iurisdictione sua, nullum agnoscit superiorem, ad quem sit recursus, sed per se potest finire omnes lites, & controuersias. Respublica imperfecta est, quæ dependet ab alia superiori, cuius quasi pars est, & ad quam recurrit in grauioribus negotijs.

His præmissis dico *primò*: Resp. imperfecta, vel Princeps eius, potest gerere bellum defensiuum, sine authoritate supremi Principis. Ratio est, quia iure naturæ concessa est vnicuique sui, suarumque rerum defensio, nam vim vi repellere licet, ergo multò magis competet hoc ius Principi, cuius est defendere suam Remp. ab hostibus internis & externis; cùm bonum commune sit excellentius & vniuersalius, quàm bonum priuatum.

Dico *secundò*: Magistratus reip. imperfectæ, non potest gerere bellum aggressiuum, sine supremi Principis authoritate. Et quidem si partes habeant vnum communem Superiorem, clarum est non posse bellum suscipi, cùm Superior aliâ viâ possit dirimere controuersias. Quod si non sit communi Superior, tunc si Resp. imperfecta intulit damnum aut iniuriam, recurrendum est ad eius Superiorem, vt satisfaciat, sicut fecerunt filij Israel petentes iustitiam à Tribu Beniamin de viris Gabaa, *Iudicum* 20. Si verò Resp. imperfecta accepit iniuriam, non potest se vindicare sine authoritate sui Superioris. Cuius ratio est, quia bellum aggressiuum est supremus actus iustitiæ vindicatiuæ; ergo non competit nisi illi, qui habet supremam potestatem publicam, qualis est Magistratus reip. perfectæ.

Obseruandum tamen est cum Victoria *de iure belli, num.* 9. Diana *part. 6. tract. 4. resol. 1.* cùm belli indicendi authoritas magna ex parte iure gentium aut humano sit introducta, consuetudinem posse dare facultatem & authoritatem inchoandi belli. Vnde si qua ciuitas aut Princeps, obtinuit antiqua consuetudine præscripta ius gerendi per se bellum, non est ei neganda hæc potestas, etiamsi aliàs non videatur habere Remp. perfectam. Præterea necessitas multùm in hac re posse videtur, vt notant. *Layman l. 2. tr. 3. c. 12. Becanus 2. 2. c. 25. q. 1. num. 3. Molina de iust. to. 1. tract. 2. disp. 100.*

3. Secunda conditio, est *iusta causa*, quæ in vniuersum est propulsatio grauis iniuriæ & certe. Et non sufficit qualiscumque persuasio, de iusta belli causa, sed requiritur certa, vel saltem valde probabilis cognitio, quæ arbitrio prudentum sufficere possit. Vnde Princeps tenetur diligentissimè inuestigare iustitiam belli, tùm per se, tùm per alios, adhibito etiam consilio peritorum: Ratio est, quia Iudex tenetur inquirere diligenter, & examinare causas ante pronuntiationem sententiæ, præsertim in rebus criminalibus; atque Princeps, qui bellum indicit, fungitur officio iudicis, & quidem in re grauissima, ergo non sufficit, vt credat se habere causam iustam, sed debet etiam audire rationes aduersariorum, & ex æquo & bono cũ illis disceptare. *Cap. Dominus noster 23. q. 2. Molina tr. 2. disp. 102. Bonac. de restit. d. 2. q. vlt. sect. 1. p. vlt. §. 1. num. 6. Victoria de bello num. 20. 21. & 27. Syluius 2. 2. q. 40. a. 1. q. 2. & 4. concl. 1. Fullucius tr. 29. num. 181.*

Quòd si post sufficientem examinationem, iustitia belli sit æqualiter dubia, is qui est in possessione, non potest ab altero armis inuadi: quia sequeretur bellum posse esse iustũ ex vtraque parte, seclusa ignorantia probabili, quod est contra communem sententiam DD. nam ille qui possidet iustè se defenderet, & alter possessorem iustè aggrederetur: hinc patet talem aggressorem non tantum peccare mortaliter, verum etiã teneri ad restitutionem castri vel Prouinciæ, quã possessorem spoliauit. *Valent. 2. 2. disp. 3. q. 16. pu. 2. Azor. 3. p. l. 2. c. 7. q. 1. & 5. Victoria c. num. 27. Sa v. bellum num. 8. Reginald. l. 21. c. 8. num. 88. Syluius c. q. 4. concl. 2.*

Porrò milites ordinis inferioris qui non admittuntur ad cõsilium bellicum, non tenentur examinare causas belli, sed possunt militare suo Principi, quamdiu non constat de iniustitia belli, quia milites sunt tantùm executores sententiæ Principis, sicut lictor sententiæ iudicis, hic autẽ non tenetur examinare causam partium, &c. *Molina c. disp. 113. Bonacina c. num. 10. Sa cit. nu. 10. & 12. Diana 4. p. tr. 3. resol. 7. & tr. 5. misc. resol. 96. p. 3. Malder. 2. 2. q. 40. art. 1.* Secùs dicendum de militibus extraneis qui neque sunt subditi Principis bellum mouentis, neque stipendiarij; in dubio enim non possunt militare, iuxta sententiam communem; quia militando exponerent se periculo grauissimarum iniuriarum, quod non militando vitare possunt. *Syluius c. concl. 6. Caietan. v. bellum. Valentia c. p. 2. Reginald. c. num. 103. Bonac. c. nu. 10.* Quamuis *Nauar. de rest. l. 2. c. 3. num. 178. Suares de charit. d. 13. sect. 6. num. 11. & 12. Tannerus 2. 2. disp. 2. q. 6. dub. 4. num. 49.* probabiliter hos milites non subditos eximant à peccato & à restitutione, si dubium de iustitia belli fuerit negatiuum, vt fermè semper in militibus esse solet.

4. Causæ, ob quas ille qui habet auctoritatem iustè potest bellum indicere: tredecim à Doctoribus enumerantur. *Prima* est, infidelitas, non quidem sola, sed ob aliquam circumstantiam ei annexam; nempe quando infideles inferunt iniurias Christianis abducendo illos à vera Religione, & impediendo liberam prædicationem Euangelij, &c. *Secunda* est, Hæresis, requiritur tamen vt hæretici sint ab Ecclesia denunciati. *Tertia*, quando negatur aliquid quod iure naturæ debetur. *Quarta*, quando terræ vel regna iniustè ab alio possidentur. *Quinta*, quando populus iniustè opprimitur seruitute vel alijs iniurijs. *Sexta*, quando populus præbet auxilium inimicis, qui gerunt iniustum bellum. *Septima*, quando Legati alicuius Principis afficiuntur magna contumelia. *Octaua*, cùm quis seditionem mouet vel rebellionem contra Principem. *Nona*, cùm quis defendit hominem sceleratum qui iustè petitur ad supplicium. *Decima*, quando Princeps & populus non stant pactis vel pollicitis. *Vndecima*, defensio amicorum & liberatio ex captiuitate. *Duodecima*, cædes alicuius viri Principi sanguine iuncti. *Decimatertia*, quando populus confœderatus & amicus habet iustam causam inferendi bellum. De his vide. *Couarr. reg. peccatum p. 2. §. 9. Molina tr. 2. disp. 104. Azor. c. c. 7. q. 3. 4. Bonacin. de rest. disp. 2. q. vlt. sect. 1. p. vlt. §. 2. nu. 7. Diana par. 6. tract. 4. resol. 3. Valentia c. pu. 2. Layman c. nu. 5. Syluius c. quæst. 2.*

5. Tertia conditio belli est *recta intentio*. Vnde sunt tres belli fines.

fines. *Res ablatæ recuperatio. Vitio iniuriæ. Pax & fœderatas Reipublicæ.* Bellum enim non eſt ſuſcipiendum, niſi propter bonum communæ, ſpirituale, aut temporale, nempe ob vnum ex tribus illis finibus, aut ob omnes ſimul; vt habet communis ſententia: quia bellum eſt ſupremus actus iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ virtus eſt perfectæ publicæ; inclinans hominem in publicam vtilitatem: finalis autem Principis intentio licet ſit mala mortaliter aut venialiter, nullam tamen inducit obligationem reſtitutionis reſpectu aduerſariorum. *Cap. quid culpatur 23. q. 1. Clauis Reg. l. 7. c. 13. n. 8. Molina de iuſt. 107 Layman l. 2. tr. 3. c. 11. n. 3. F. Naua. 1. 2. c. 3. n. 269 Bonac. de reſt. d. 2. q. vlt. ſect. 1. p. vlt. §. 2. n. 6.* Probatur priori parte, quia finis in moralibus eſt menſura bonitatis aut malitiæ, ac proinde ſi gerantur bellum ex graui odio, erit peccatum mortale, ſi ex inani gloria erit veniale. Probatur poſterior pars, quia Principes non peccat contra iuſtitiam, nam pro iniurijs aduerſarios iniurian inuiſſe, & bellum legitime eſſe indictum. Nec tamè quòd ſi Princeps animaduertat impendere grauiora mala ſuæ reip. quam ſit bonũ quod ex bello poteſt expectari, & tamen ex odio, vel alia de cauſa, vult perſequi tuos hoſtes, tenetur Reip. omnia damna reparare, quæ bellum illud fecum trahit: tum enim peccat contra iuſtitiam, quia tenetur bonum iuorum iubilorum procurare, & incommoda auertere. *Bonac. d. 2. q. 1. part. 2. diſt. 9. Rodriguez 1. p. c. 115. n. 1. Filliucius tr. 29. c. 9. n. 182. Sylu. c. queſt. 3.*

6. Pertonis Eccleſaſticis interdictum eſt genere bellum: & conſtituti in maioribus Ordinibus pugnando propriis manibus peccant mortaliter, exceptis quatuor caſibus. *Primus*, quando non poſſunt; aliter propriam vitam conſeruare. *Secundus*, in neceſſitate patriæ, ciuitatis, vt exercitus, & tunc iure naturali tenentur. *Tertius*, quando id omnino neceſſarium eſſet ad defendendam vitam innocentis. *Quartus*, ſi ad conſecutionem iuitæ victoriæ, à qua pax & communis bonum Eccleſiæ pendeat, id omnino conducere: vnde tales clibus caſibus occidendo irregularitatem non incurrunt. *C. ea qui. 20. q. 3. Regnald. c. 10. 8. 90. Bann. 2. 2. q. 40. art. 2. Malderus ibidem. Molina c. num. 108. Diana p. 6. tr. 4. reſol. 35. Lezana to. 3. Sum. v. Bellum n. 11. & ſeq. Filliucius c. num. 110. Sylu. c. 3. q. 1. concl. 5. & 6. De la Cruz in diſcurſ. præc. 5. art. 3.*

Clerici tamen, qui habent dominium temporale in rep. fœderatas, poſſunt ex iuſta cauſa indicere bellum, non ſecus ac alij Principes temporales. Ratio eſt, quia omnis reip. perfecta poteſtas habet hoc bellum, Principis autem reip. poteſtas in Principe reſidet, ergo creedendum eſt, quod cum Pontifex, huiuſmodi dominium tradit Epiſcopo, diſponſet cum illo ad bella gerenda. Ita Sylueſter *v. Bellum 11. q. 1.* Sylui us *c. concl. 4.* Vnde Summus Pontifex non ſolum tamquam Princeps Patrimonij D. Petri, Terrarumque in Eccleſia bonis contentarum, mouere poteſt bellum, non ſecus ac alij Principes temporales: ſed etiam pro poteſtate, quam in omnes laicas Poteſtates ad finem ſuper naturalem habet, poterit vel bellum mouere, vel facultatem illud mouendi aliis concedere, oblata iuſta aliqua occaſione ac cauſa, vt recte admonet *Diana c. reſol.* qui etiam *reſolut. 30.* ſuis tractatus de bello docet poſſe Papam in aliquo caſu neceſſario prohibere ne Principes Chriſtiani inter ſe pugnent, non enim pro bono Eccleſiæ expedit, vt Principes ratione ſtatus, & ex dubijs, & aliquando fictis titulis bellum gerant, & totam Chriſtianitatem conturbent.

7. Antequam bellum indicatur tentanda ſunt Principi omnia media ad finem iis obtinendum conuenientia; vnde debet peti ab aduerſarijs condigna ſatisfactio, & ſi offeratur debet acceptari: qui *Lellare non eſt voluntatis, ſed neceſſitatis*, vt ait *D. Auguſtinus c. 12. mixt. 23. q. 1.* atqui ſi hoſtes offerunt ſatisfactionem plenam iniuriarum, damnorum, ſumptuum bellicorum, & certam de finiti neceſſitas bellandi, ergo.

8. Dubium eſt, an ſi poſt vnum aut alterum conflictum hoſtes offerant idoneam ſatisfactionem, teneatur Princeps ijs ſatisfactionem acceptare, an verò poſſit proſequi bellum. *Sylueſt. v. bellum 1. q. 10. dict. 5.* videtur tenere non tantum peccare Principem, non acceptãdo, verùm etiam teneri ad reſtitutionem, cuius ſententiam amplectitur *Valent c. q. 16. punct. 2. Sylu. c. queſt. 2.* Contrà tenit *Cajetan. in Sum. v. Bellum*, neque peccare neque teneri ad reſtitutionem, quia hoſtes, inquit, poſt bellum inchoatum non ſunt amplius in ſtatu ſatisfaciendi, fed tatisfactionis, præterquam quod habens bellum iuſtum, non eſt pars, ſed Iudex hoſtium ſuorum. Hanc ſententiam putat *Rannius 2. 2. queſt. 40. art. 1. dub. 8.* eſſe maximè probabilem. *Bellarmin. lib. 3. de laicis c. 15. n. 1.* autem vtramque ſententiam ita conciliat, vt Princeps non acceptans ſatisfactionem ſine poſt bellum inchoatum, ſine ante, non peccet contra iuſtitiam, ſed contra charitatem. *Ratio* prioris eſt, quia eſt Iudex hoſtium. *Ratio* poſterioris, quia bellum eſt grauiſſimum ſupplicium, quo non ſolum punitur qui peccauit, ſed etiam per accidens multi innocentes inuoluuntur.

Ducendum nihilominus eſt, ſi ante inchoatum bellum offeratur idonea ſatisfactio, peccati contra iuſtitiam, niſi acceptetur: ſi poſt vnum aut alterum prælium peccati contra charitatem, non contra iuſtitiam; ſi in ipſo conflictu, Principem eam admittere non teneri. Prima pars videtur eſſe communis ſententia, *Sylueſtri, Bannes, Valentia, Cuetano & Layman c. 12. n. 4. Caſtro 4.* Secunda pars eſt *Bellarmini* contra *Sylueſt. & Valent.* ex vna parte qui dicunt peccari contra iuſtitiam, non contra Cajet. & *Bannes* ex altera parte, qui negant vllum intercedere peccatum. Tertia pars eſt certa; nam in ardore conflictus difficillimum eſſet milites reuocare, & daretur occaſio iniuſtè præliandibus, cludendi hoſtes ſuos. Vide etiam *Dianam p. 6. tr. 4. reſolut. 8.*

9. Bellum ex vtraque parte poteſt eſſe iuſtum formaliter & per accidens, vt propter inuincibilem ignorantiam alterius, aut propter opinionem probabilem, quam quiſque ſequi poteſt, vt ſuprà indicendo: Sic fuit bellum vtrimque iuſtum, quod geſſerunt Iſraelitæ contra Chananæos; erat enim iuſtum ex parte Iſraelitarum, quia habebant diuinum mandatum; erat etiam iuſtum ex parte aliorum, quia voluntatis & mandati diuini habebant iuſtam ignorantiam. Materialiter verò & reipſa non poteſt eſſe bellum iuſtum ex vtraque parte, quia realiter ius competit vni ſoli, & actus contrarij circa idem non poſſunt ex ſe ad eãdem virtutem pertinere; ſtatis autem eſſet conatus occupandi aliquam ciuitatem & conatus defendendi. Similiter in vnus Rex poſſideat regnum opinione probabili duus iuſte poſſidet, ergo alter non poterit à poſſeſſione deturbare tamquam iniuſtum poſſeſſorem, aliàs à parte rei eſſet iuſtus poſſeſſor & iniuſtus, quod implicatorium eſt. Verùm rectius dici poteſt, Regem poſſidentem opinione probabili dictum, iuſtum poſſeſſorem eſſe, non abſolutè & omnibus modis iuſtum, ſed probabiliter tantum, adeò vt dicatur poſſeſſor iuſtus probabiliter, & non abſolutè iuſtus poſſeſſor; aduerſus tamen poſſeſſorem iuſtum probabiliter, poterit dari iuſtus ſpoliator poſſeſſionis, qui reputat quoque probabiliter alterum eſſe iniuſtum poſſeſſorem; vnde tunc bellum intercedit inter iuſtum ſpoliatorem aduerſus iniuſtum poſſeſſorem in opinione ſpoliatoris, & ſic non datur bellum iuſtum à parte rei ex vtraque parte in opinione ſpoliatoris. Et licet poſſidens regnum arbitretur quoquè ex ſua opinione ſe iuſtum poſſeſſorem eſſe, & alterum iniuſtum ſpoliatorem, & ſic iuſtè ſe defendat, non ob id dicitur à parte rei iuſtè poſſidere regnum & iniuſtè, ſed ſolum ſecundùm aſſenſus opinatiuos contrarios; nam à parte rei & coram Deo, aut iuſtus poſſeſſor eſt, aut iniuſtus, & non vtrumque ſimul: & ob id tunc bellum erit iuſtum ex vtraque parte, ſed ex vna formaliter ſimul & materialiter, ex altera verò formaliter tantum. Vnde licet Rex poſſidens ex opinione probabili, nulli faciat iniurian formaliter, cum non peccet poſſidendo, facit tamen iniurian materialiter probabiliter, hoc eſt ſecundùm opinionem ſpoliatoris; ad propoſitandam tamen iniuriam materialem quicumque habet ius ſuum Rex, cùm iure naturæ conceſſum ſit cuicumque ius ſuũ illatum ſeruare. Vide *Cuuar. p. 2. ad reg. Peccatur, § 10. num. 6. Malderus de virtutib. q. 40. dub. 4. art. 1. Sylueſtro 2. 2. q. 40. art. 1. quæſt. 5. Victoriella de iure belli, n. 3. P. Nauar. l. 3. de reſtit. dub. 11. Molinata 2. de iuſtit. diſp. 103. Suarcius an ſcelerius, diſp. 44. num. 60. Regin. lib. 21. n. 92. Filliuc. tr. 29. n. 183. Diana p. 2. tr. 13. reſ. 28.*

Milites verò qui parati ſunt ſequi quemcumque ad bellum vocantem ſeu iuſtum ſit, ſeu iniuſtum, dummodò ſtipendium præbeat, in malo ſtatu verſantur, & niſi propoſitum corrigant, à confeſſario non debent abſolui. *Molina c. d. 114. Layman c. n. 8. Cauet. v. Bellum.*

10. In bello omnia illa licent, quæ accommodata ſunt, aut ad rem abſtam recuperandam, vel compenſationem faciendam, aut ad vindictam ſimendam pro modo culpæ, aut ad pacem componendam & ſtabiliendam; quia in actione iuſta licitum eſt adhibere ea omnia media, quæ neceſſaria ſunt, & apta ad finem conſequendum. *Valent c. punct. 3. Victoria c. nu. 18. Sylu. c. queſt. 6. Molina d. 117.* Vnde ſecluſis mendacijs licitum eſt procurare victoriam per inſidias & ſtratagemata; & tam in bello offenſiuo, quam in defenſiuo licitum eſt vltra compen-

compensationem iustam rerum, inferre alia damna hostibus, ad vindicandam iniuriam illatam,& pro stabilienda pace in futurum, modò adsint conditiones belli suprà enarratę. Ita *Sà v. Bellum n.* 15. *Syl. V Bellum* 1. q. 8. *Azor. c. q.* 14. *&* 15. *D. Th.* 2. 2. q. 40. *a.* 3. *Syl. ibid.*

Notandum tamen est, milites teneri ad restitutionem damni illati contra expressam vel tacitam Superioris prohibitionem, quia ea damna censentur iniustè illata; si autem negatio authoritatis nocendi hostibus facta militibus fiat, vt disciplina militaris seruetur, aut ne exercitus damnum patiatur, peccant quidem milites nocendo, sed non tenentur ad restitutionem. *Rodriques c. cap.* 12. *Azorius c. quæst.* 18. *Layman c. num.* 9. *Reginal. c. num.* 105.

11. Innocentes tempore belli possunt directè spoliari suis bonis, quando ex eis creduntur iuuandi vel muniendi inimici: non licet tamen per se in pugna, aut post pugnam occidere eos, qui sunt, aut præsumi debent innocentes, vt infantes, mulieres, Clerici, Religiosi, Legati, Oratores, mercatores transeũtes, rustici euntes, vel redeuntes, vel in agricultura existentes; hi enim iure naturali & canonico exempti sunt à damnis. In bello autem perpetuo, vt contra Turcas licet etiam innocentes captiuare: quòd si dati sunt in obsides & violent hostes fidem datam, non licet illos occidere, nisi sint de numero nocentium. *Molina c. d.* 121. *&* 119. *Vict. c. n.* 39. *Filliuc. c. n.* 186. 187. *&* 191. *Sà V. Bellum nu.* 2. *Sylu. c. quæst.* 6. *concl.* 3. 4. *&* 5. *Cap. Innouamus, de Treuga & pace. C. paternarum & C. sequenti* 24. q. 3. Per accidens tamen possunt occidi innocentes, ver. g. si nequeat arx aut ciuitas expugnari, nisi diruatur aut incendatur; quia tunc censetur necessarium ad finem belli: semper tamen considerandum est, an finis belli præponderet innocentium morti, & damnis alijs inferendis: quia non est licitum suam vtilitatem propriam cum iactura aliorum grauissima quærere; & ideò si quæ damna innocentium nihil referant ad finem belli, non possunt iustè inferri: quare si bellum commode geri potest absque eo vt innocentes agricolæ bonis suis spolientur, iniustè spoliantur. Sed de his plura apud *Diana par.* 6. *tr.* 4. *res.* 11. *&* 12.

Sed quæres, an innocentes possint in seruitutem redigi? Resp. Innocentes, qui non sunt membra hostilis Reip. non possse capi, & in seruitutem redigi, nisi fortè per accidens, quando periculum est, ne aliquando coniungant se hostibus, aut ab hostibus vi adigantur, vt ipsis subsidium præstent: Sicut enim in tali casu licitum est eiusmodi innocentes spoliare armis, pecunia, frumento & cæteris rebus ad victum & vestitum necessarijs; sic etiam licitum est eosdem spoliare libertate. Ita *Diana c. res.* 13. contra Lorcam & Hurtadum de Mendosa.

12. Secluså contraria consuetudine, mobilia ab hostibus capta, iure gentium militum capientium sunt: quamuis conueniat illa tradere Duci exercitus, vt is ea singulis distribuat pro dignitate & meritis; Immobilia si occupentur, ad supremum belli Ducem spectant, quatenus iustam compensationem, aut pro illata iniuria satisfactionem non excedunt. *Victoria c. n.* 35. *Couar. c. p.* 3. *§.* 11. *n.* 6. *Fill. c. n.* 188. *Syl. c. q.* 6. *concl.* 6. *&* 7.

13. Quando conceditur raptus liber, non possunt exspoliari Ecclesiæ nec monasteria, si bellum sit cõtra Dominum temporalem, & depredantes remanent excommunicati: si autem bellum fiat iustè contra Prælatum Ecclesiæ, tunc clerici possunt spoliari tamquam subditi eius: præterea quando Ecclesiastici miscent se bellis ciuilibus iuuantque hostes, milites possunt eis nocere, si alia ratione victoria obtineri non potest: similiter quando Ecclesia est incastellata, id est, munita more castri ad hostes oppugnandos, posset Ecclesia comburi, possentque hostes ex ea extrahi, vel in ea spoliari, aut occidi, si hoc necessarium sit ad pacem conciliandam: si tamen solùm incastellaretur Ecclesia ad solam defensionem vel personarum Ecclesiasticarum, vel laicorum innocentium, non est ei vis inferenda, neque personis innocentibus; possent tamen arma & tormenta bellica ab eis auferri. *Sà V. Bellum n.* 3. *Rodr. in sum. to.* 1. *c.* 127. *n.* 3. *Syl. v. Bellum* 1. *n.* 11. *Barnes* 2. 2. *q.* 40. *a.* 2. *Angelus V. Bellum n.* 13. *Tabiena ibid. n.* 18.

14. In bello iusto quando victoria aliter obtineri non potest, possunt dari vrbes militibus in prædam, quia aliquando necesse est præmio excitare milites; immò parta victoria quandoque licitum est militi ciuitatem diripiendam tradere, tum ad excitandos milites & animandos ad noua bella; tum ad terrendas alias ciuitates hostiles, tum ad pœnam hostium; cauendum tamen est tunc à direptione Ecclesiarum, & ab occisione innocentium. *Victoria cit. numer.* 13. *Azorius cit. quæst.* 13. *Molina cit. d.* 122. *Reginaldus c. num.* 115. *Filliucius c. num.* 198.

15. In bello iniusto milites qui deprædantur ciuitatem peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem proprijs dominis si fieri potest, sin minùs Episcopo potest fieri hæc restitutio, vt expendant in bonum publicum & commune; non tenentur tamen milites restituere in integrum totum id quod ceperunt omnes, sed singuli tenentur ad restitutionem pro rata quod ceperunt singuli; si autem omnes simul confluant excitantes se inuicem & auxiliantes in dicta deprædatione, vnusquisque teneretur restituere damnum in solidum. *P. Nau. l.* 2. *de rest. cap.* 3. *dub.* 12. *Angles in* 4. *quæst. de restitut. ex bello diff.* 10. *V Vigers de iustit. & iur. tract.* 3. *capit.* 2. *dub.* 5. *numer.* 40. *Diana par.* 6. *tract.* 4. *res.* 31.

16. Milites peccant mortaliter, rusticos aut alios suos hospites grauando, exigendóve ab illis id ad quod iure non tenentur, quale est suppeditare sibi victum & alia necessaria, ad quæ verberibus & vastationibus rei familiaris compelli solent. Nec illi excusantur ex eo quòd stipendia non recipiant, quia bona rusticorum non sunt ea de causa ipsis obligata; nisi fortè milites sint in graui aut extrema necessitate; aut omnino necessarij ad defensionem Reip. illorum rusticorum non habentes aliúnde stipendium. *Caietan. V. Bellum Layman c. num.* 18. *Armilla V. Bellum Syluius cit. quæst.* 7. *concl.* 2. *Diana part.* 6. *tr.* 4. *res.* 26.

17. Dux supremus seu magistratus cuius authoritate bellum geritur, grauiter peccat, si iusta stipendia militibus non prouideat, ex quo ipsi ad iniustas rapinas inferendas stimulantur, ad quarum restitutionem Princeps obligatur; item peccat cum obligatione restituendi, si disciplinam militarem seruare intermittat, & milites ab iniustis incursionibus, rapinis, stupris, &c. propositis pœnis non coerceat. *Layman l.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. *num.* 18. *Bonac. c. §.* 3. *c.* 27. *Sylu. c. q.* 7. *conc.* 3. *Diana p.* 6. *tr.* 4. *resol.* 29.

18. Dux supremo subordinatus peccat. *Primò*, si milites suos absque necessitatis causa temerè exponat certæ internecioni. *Secundò*, si nulla cogente necessitate in locis palustribus & valdè insalubribus castra figat cum periculo morbi aut contagionis. *Tertiò*, si in solutione stipendiorum iniustis & vsurarijs cambijs seu permutationibus pecuniarum vtatur. *Quarto*, si pecunias accipiens pro maiore militum numero, eum non complet. *Quinto*, si stipendium militibus subtrahens permittat eos a rusticis & alijs innocentibus extorquere quæ sibi sunt necessaria. *Sexto*, si in delectu plures milites computet Principi, quam verè habeat. *Septimò*, si donaria ampla à ciuitatibus & pagis accipiat ne apud eos hospitentur milites; licet enim Duci concessa sit electio vnius populi pro alio, quando onus non potest æqualiter in omnes diuidi; non tamen est illi inconcessum, neq; concedi potuit, vt hanc electionem venalem faciat, & sibi pretiũ retineat. Expediret potius in hoc casu si vnus populus gratuetur hospitando exercitum, vt reliqui ad eius leuamen concurrerent media aliqua contributione. *Octauò*, peccat Dux signans suos famulos in milites, & centuriones vt stipendium à Principe signatum imminuat & sibi illam partem reseruet; nisi constet ipsos gratis Duci donare; quod rarò est credendum. *P. Nau. l.* 2. *c.* 3. *n.* 285. *Mol. c. d.* 117. *Rod. c.* 127. *Bon. c. n.* 17. *Dian. p.* 6. *tr.* 4. *res.* 27. *Mal.* 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. *dub.* 6.

19. Per se loquendo non licet ab hostibus emere vili pretio ea quæ ab aduersarijs iniustè extracta sunt; quia per iniustam hostium extractionem & rapinam priores Domini non amiserunt dominium si autem verisimile sit, ea nunquam peruentura ad priores dominos, vt ordinariè euenit, licet ea emere vili pretio, hoc animo, vt comparente Domino, illi eadem restituantur pro eodem pretio; sin minus licet ea retinere; quia sic vtiliter gerimus negotium dominorum, qui non censentur rationabiliter inuiti. *Rodriques citat. capit.* 127. *numer.* 6. *Reginald. l.* 21. *c.* 8. *num.* 117. *Vasques de restitut. c.* 9. *§.* 2. *d.* 5. *n.* 28. *Bon. c. §.* 3. *n.* 24.

20. Capti in bello iusto ex parte capientium cessante scandalo & speciali manendi pollicitatione fugere possunt; capti autem in bello iniusto ex parte capientium, non solùm fugere, sed etiam bona hostium secum auferre in compensationem damni, aut iniuriæ illatæ possunt. *Nauar. capit.* 17. *num.* 103. *Molina tr.* 2. *tom.* 3. *poster. disp.* 693. *Lessius l.* 2. *cap.* 5. *dub.* 5. *Diana c. res.* 14.

Vide *Irregularitas* 5. n. 15. 16. 17.

BENEDICTIO.

SVMMARIVM.

1. *Duplex est benedictio, publica & priuata.*
2. *Quæ res in Ecclesia soleant benedici seu consecrari.*
3. *Benedictiones aliæ sunt constitutiuæ; aliæ inuocatiuæ.*
4. *Quod benedictione Ecclesiastica sacrum effectum est, non solet extra necessitatem ad prophanos vsus adhiberi.*
5. *Benedictiones quæ cum sacra vnctione fiunt, Episcopalis Ordinis propriæ sunt. & certum est illas non posse simplici Sacerdoti ab Episcopo delegari.*
6. *Fratres Minores & Presbyteri Societatis in locis infidelium possunt ex priuilegio benedicere & consecrare altaria & calices.*
7. *Prælati regulares & eorum vicarij, virtute priuilegiorum licitè benedicunt Oratoria, Cameteria, Ecclesias, Corporalia, & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia, vbi Chrisma non interuenit.*
8. *Abbas benedictus mitræ & baculi pastoralis vsum habens, an possit consecrare campanas alterius loci, altaria portatilia & vestes.*
9. *Benedictiones, quæ de iure aut consuetudine Episcopis reseruatæ non sunt, an a sacerdotibus fieri possint.*
10. *Prælati Ordinum Mendicantium reconciliare possunt suas Ecclesias pollutas.*
11. *Si aqua vel oleum non benedictum infundatur benedicto, fit benedictum.*

1. BEnedictio duplex est, publica & priuata: hæc à quouis fideli fieri potest, illa ab Ecclesiæ Sacerdotibus: & ad maiorem seu sanctiorem pertinet alteri benedictionem priuatam impartiri: benedictionis autem effectus non est ex opere operato infallibilis, sed per modum deprecationis nomine Ecclesiæ maximam impetrandi vim habet. *Suarez 3. par. tom. 3. disp. 15 sect. 2.*

2. Benedictio seu consecratio Ecclesiastica, alia est personarum, v.g. Abbatum, virginum, viduarum, sponsorum, &c. alia est benedictio rerum, puta aquæ, vini olei, cereæ, domus, nauis, vestium, vasorum, altaris, ecclesiæ, &c. *Sylv. bened. & v. Abbas. Panor. in c. 1. de consecr. Eccl.*

Res inanimatæ, vt Ecclesia, altare, &c. post consecrationem in certis casibus execrari possunt vel pollui, vt noua consecratione vel reconciliatione opus sit, non verò ita personæ: hinc consecratio rerum inanimatarum omnibus diebus etiam non festis fieri potest, sed personarum, scilicet, Virginum, Abbatum & Episcoporum consecratio Dominicis tantum diebus de iure fieri debet. *C. qui in aliquo, d.* 61. Sed quia hic textus loquitur tantùm de consecratione Episcopi faciendæ die Dominica; non autem de impertienda benedictione Abbatibus & virginibus eodem die: Proinde secundùm communiorem sententiam *Oldradi, Ioannis, Andreæ*, quos *Panormitanus* sequitur in *cap. cum sis, de consecrat. Ecclesiæ vel Altaris*, cæteris etiam diebus festiuis benedici iure possunt Abbates: nam illorum benedictio non est tanta, quanta Episcoporum consecratio; nec est maior, quàm Ecclesiæ vel altaris consecratio; in qua adhibetur sacra vnctio, quæ tamen alijs diebus, quàm Dominicis, iure communi fit & decentius *Cap. Tua, de consecrat. Eccles. vel altar.* Quamuis tutius sit si die Dominica benedicantur Abbates & virgines. *Lezan sum. to. 2. c. 2. n. 36.*

Circa benedictionem Abbatum extat declaratio Sacr. Congregat. Rituum *in vna Cameracen. 6. Decembris* 1631. his verbis. *Abbas benedictionem ab Episcopo recipere debet, non autem ab alijs Abbatibus aliis benedictis.* Ita *Barbosa in collectan. Bullar. v. Abbas* 1. Quæ declaratio intelligenda est secluso priuilegio in contrarium: de qua si constaret Authenticè, corrueret etiam consuetudo contraria, cuius testes sunt *Sylvester*, & *Layman*, supra citati *v. Abbas num.* 2. Ideo cautè procedendum.

3. Benedictiones aliæ sunt constitutiuæ, quibus res Sacræ constituuntur, vt ad vsum profanum sine irreuerentia applicari non possint, vt benedictio aquæ, olei, vestium, Ecclesiæ, altaris, &c. Aliæ autem sunt benedictiones inuocatiuę tantum, quibus res sacræ non constituuntur, neque ab vsibus profanis secernuntur, sed adhibentur tantùm ad inuocandum speciale Dei auxilium circa præsentiam & vsum talium rerum. *Caiet. 2. 2. q. 88. a. 11. Suar. to. 1. de relig. tr. 3. l. 4. c. 14. n. 1.*

4. Quod Ecclesiasticâ benedictione sacrum effectum est, non potest, vel saltem non solet vnquam ad prophanos vsus adhiberi extra grauissimam necessitatem: partes autem auulsæ à re consecrata, destructa eius formâ saltem cum Prælatorum licentia ad vsus prophanos adhiberi possunt. *Nau. com. de spolijs cler. §. 17. n. 5. Caiet. c. q. 88. a. 11.*

5. Benedictiones aliquæ fiunt cum sacra vnctione, vt consecrationes Ecclesiæ, altaris, calicis, patenæ, agni, cerei, &c. vel aliæ sunt verbales tantùm & sine vnctione, vt aquæ, salis, vestium, &c. Illæ, quæ cùm sacro chrismate fieri solent, Episcopalis ordinis propriæ sunt: vnde ab Episcopo electo & confirmato nondum tamen consecrato fieri non possunt: quamuis Summus Pontifex ex plenitudine potestatis suæ dispensare possit, & talem consecrandi potestatem simplici Sacerdoti committere. Vt docent *Suarez. 3. disp. 15. sect. 3. Laym. l. 5. tr. 9. c. 13. n. 9. Azar. to. 1. l. 10. c. 28. q. 1.*

An autem Episcopus hanc facultatem simplici Sacerdoti delegare possit? Certa est sententia negatiua Syluestri *verb. Episcopus, quæst.* 8. Armillæ *num.* 11. & *verb. Abbas num.* 8. & aliorum: eò quòd hic sit actus Ordinis Episcopalis, quem non potest Episcopus delegare, vti potest ea, quæ ad iurisdictionem pertinent. Et hæc sententia habet locum quoad ea, quæ chrismatis vnctionem requirunt. Apud tamen multos Episcopos praxis est in contrarium; cùm sepissimè videamus aliquos Parochos & decanos ex commissione Episcoporum benedicere non solùm paramenta sacra, sed etiam campanas, vbi chrisma interuenit.

Contra quam praxim pluries à Sacr. Rituum Congreg. resolutum est, prout refert *Barbosa in collect. Bullar. v. Benedictio.* His verbis. *Benedictio paramentorum, & aliarum rerum pro vsu Ecclesiarum, vt possit ab Episcopo delegari personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, conceditur, dummodo in eis non fit adhibenda sacra vnctio, vel Oleum Sanctum, quæ ab ipso tantum Episcopo Ordinato, & consecrato benedicenda, emungenda & consecranda sunt.*

Idem Barbosa libro citato *v. Campana*, adfert quamdam declarationem S. Congr. Episc. & Reg. *in papien. de anno* 1581. cuius tenor est. *Campanæ consecratæ etiam in turri profana existentes, nullatenus vsui profano inseruire debent, etiamsi in hunc vsum à secularibus fabricatæ prætenderentur.*

6. *Paulus III.* concessit Præsbyteris Societatis IESV, vt in locis remotissimis, infidelium vbi Episcopi Catholici nulli sunt, altaria & calices consecrare possint. simile priuilegium concessum est fratribus Minoribus pro partibus Indiarum. *Rodrig. tomo 1. qq. q. 19. art. 3. Portel v. Benedicere in add. n. 3.*

7. Per multa priuilegia variis ordinibus concessa, Prælati regulares & eorum vicarij licitè benedicunt oratoria, cœmeteria, Ecclesias, corporalia & alia quæcumque ad diuinum cultum pertinentia, vbi chrisma non interuenit pro suis vsibus. Imò ex concessione *Innocentij VIII.* facta congregationi *Sanctæ Iustinæ* etiam pro alienis. *Rodr. c. a. 2. Comp. priuil. Attendic. v. benedict. in annotat. Capucin. Anonimus* tamen *Diana tract. 2.* de dubijs regularium *resol. 40. par. 3.* refert ex *Bartholomæo Gauanto in comment. rubr. Missal. to. 1. p. 4. tit. 19. n. 22. in nona editione.* sacram Rituum Congregationem die 18. Augusti anno 1629. abrogasse consuetudinem & vsum huius priuilegij: vnde si de hoc decreto constet authenticè, Prælati non poterunt in posterum benedicere paramenta Ecclesiarum sibi non subiectarum: verum quidquid sit de ista abrogatione, Prælati ratiò & prudenter debent suprà dicto priuilegio vti, in locis, scilicet, in quibus non sunt præsentes Episcopi, sed valde distant, ne conquerantur. Et aduerte, quòd possunt dicti Prælati hanc facultatem delegare, vt constat ex Rituali Romano, & ex his, quæ tradit *Gauantus* hic citatus. Sed circa hanc materiam nouissimè refertur à Barbosa *in collectan. Bullar. v. verb. Abbas* 1. alia quædam declaratio Sacr. Congregationem Rituum his verbis. *Abbates, Priores, Guardiani, & alij Religionum Prælati, etiam ex Societate Iesu, habentes priuilegium benedicendi vestes sacras, cœmeteria & similia, dicto priuilegio vti non possunt, nisi in ijs rebus, in quibus sacra vnctio non adhibetur, & pro seruitio duntaxat Monasteriorum, & Ecclesiarum propriarum.* in vna Cameracen. 13. Martij. 1632.

Sed de his plura apud Lezanam *tom. 3. sum. v. Benedictio*, qui docet prædictum priuilegium *Innocentij VIII.* pro Cassinensibus esse

bus, sive celebratum à Sacra Congreg. quod potestarum benedicendi vestes Sacras pro usu externarum Ecclesiarum.

8. Abbas benedictus mitrae & baculi pastoralis usum habens ex concessione *Innocentij VIII.* tacta *Cisterciensibus* potest cum patialibus & pontificalibus: Et quod sit Dignitas Parochialibus & curata, & Officium.

9. Benedictiones tum constitutiae, tum innocentiae, quae solemni ritu ex institutione Ecclesiae fiunt, & Episcopo neque iure neque consuetudine reservatae sunt a Sacerdotibus numquam autem à Diaconis fieri possunt, vt constat ex praxi Ecclesiae. *Sylvestr. in sum. v. aqua benedicta n. 1.*

10. Praelati ordinum Mendicantium reconciliare possunt suas Ecclesias pollutas cum aqua benedicta à Episcopo cinere mixta, si Episcopus vltra duas dietas, id est, quatuordecim leucas non distet; si vero longius distet possunt eadem benedicere. Ex concessione *Leonis X.* Notandum est etiam hic Regulares posse vti dicto privilegio, non solum quando Episcopus distat per duas dietas, sed etiam quando defunctus existimo quocumque modo abit Episcopus, morte, renunciatione, deposizione, &c. *Rodriz. q. 19. ar. 6. Portel. v. Benedicere n. 2. & art. 3.* & post illum Diana, *p. 6. tr. 6. resolut. 22.* qui ex Glossa *in cap. Nonnulli, de rescript.* ponit duplicem Dietam, aliam vulgarem, & aliam legalem: vulgaris metienda est secundum cōsuetudinem regionis; legalis verò viginti milliaria continet ex *l. 3. ff. de ver. significe.* & in hoc privilegio probabilius & tecuius est per Dietas intelligendas esse vulgares, secundum variorum Regnum consuetudines.

11. Secundum aliquos Doctores si aqua vel oleum non benedictum infundatur benedicto, totum benedictum erit, modò id quod additur non sit in quantitate notabiliter excedente; ita *Sylv. v. aqua benedicta n. 4.* Alij sentiunt, etiamsi aqua nō benedicta in maiori quantitate affundatur totam benedictam esse; ita *Angelus v. Aqua.* prior tamen sententia est tenenda. *Sa v. benedictum n. 1.*

Postquam autem semel oleum vel aqua non consecrata additione ad consecratam benedictionem accepit, etsi iterum ablatum non consecrata aqua vel oleum affundatur, denuò consecratum censetur totum. *Layman l. 5. tr. 9. c. 13. n. 13.*

Vide *Abbas. Famina n. 1. Inter dubium 2. n. 21. Pamientes 4. n. 7.*

BENEFICIVM I.

Quid sit beneficium, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1. *Beneficium quid sit? in quo tria distinguuntur.*
2. *Beneficium aliud est regulare, aliud saeculare.*
3. *Aliud est simplex: aliud duplex. Et quid sit Dignitas, Personatus, & Officium.*
4. *Item beneficium aliud tenuare, aliud manuale: aliud electivum, aliud collativum, aliud mixtum.*
5. *Beneficia alia sunt incompatibilia, alia compatibilia.*

1. BEneficium est *ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter aliquod officium spirituale authoritate Ecclesiae constitutum.* Tria autem possunt distingui in beneficio. *Primum* est ipsum officium seu obligatio, qua quis tenetur aliquam functionem obire spiritalem. *Secundum* est ius percipiendi certos reditus ex bonis Ecclesiasticis, & hoc ius dicitur Praebenda. *Tertium* sunt ipsi fructus, qui sunt quid temporale. *Cap. relatum, de praebend. Sylu. verb. beneficium. Molderus 1. 2. de iust. tractat. 9. capit. 2. dub. 1. Toletus lib. 5. numer. 76. Filliucius tr. 4. n. 1. 2. 4.*

2. Multiplicitèr et beneficium diuiditur. *Primò*, enim aliud est regulare, aliud saeculare. Regulare est quod tantùm Regularibus confertur, vt Abbatia regularis, priouatus, canonicatus regularis, &c. Saeculare est omne illud, quod non est pro Regularibus institutum, aut illis peculiariter annexum; huius generis beneficium regularibus sine dispensatione Papae conferri non potest, nisi sit curatum. *c. cum singula de praeb. in 6. A. 7or. 2. p. 1. cap. 1. quaest. 4. Lessius l. 2. c. 34. d. 2.* Adueretendum autem est omne beneficium praesumi saeculare, nisi probetur esse regulare. Regulares verò Mendicantes incapaces sunt beneficiorum, ob renunciationem omnis proprietatis, vnde in his Prioratus, Guardianatus, &c. sunt dignitates & administrationes ordinis & regulae, non autem beneficia. *Sanchez l. 7 mor. al. c. 26. num. 14. Petr. Greg l. 17. Syntag. uers. 2. p. n. 27.*

3. Rursus beneficium aliud est simplex, quod nullam habet administrationem, nec est vllà iuris qualitate affectum, sed tantùm institutum ad recitandas horas Canonicas vel alia diuina officia perfoluenda, vt Canonicatus etiam Ecclesiae Cathedralis, Sacella, Altaria, Capellae. Aliud duplex, quod est scilicet cum administratione; vnde maximum est Papatus: Deinde Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, & Cardinalatus. Item beneficia, quae dicuntur Dignitates, vt Praepositura, Decanatus, Personatus, Archidiaconatus, Abbatia saecularis, quae est in quibusdam Ecclesijs instar Decanatus, Abbatia regularis, Prioratus conuentualis & claustralis, sunt etiā duplicia. *Layman l. 4. tr. 2. c. 4. Molderus c. dub. 1. Rebuffus de benefic. c. 4. Lessius c. n. 9. Filliucius c. c. 1. n. 6.*

Ex quibus patet esse differentiam inter dignitatem, personarum & officium. Dignitas enim Ecclesiastica est beneficium Ecclesiasticum habens iurisdictionem spiritualem fori exterioris, vt Abbatia, Decanatus, &c. Personatus est quoddam, praerogatiua in Ecclesia sine iurisdictione, vt habere stallum honorificum in choro, capitulo, in vocibus dandis & in processionibus plusquam alij sui ordinis canonici. Officium est administratio rerum Ecclesiasticarum sine iurisdictione, & tunc praerogatiua in choro vel alibi, & tale habent fyndici, procuratores, Castaldi, vicedomini, &cet. Ita Syluester *v. Beneficium 1. n. 2.*

4. Beneficium aliud est simpliciter titulare, quod videlicet in titulum perpetuum confertur, & beneficiato sine graui culpa & iusta auferri non potest; aliud est beneficium manuale, quod in titulum quidem confertur, sed reuocabiliter; quia ad nutum Praelati vel patroni beneficium auferri potest; vt est beneficium regulare, quod nec curatum, nec electiuum est, vt Prioratus, officium Custodis, Sacristae, &c. Porrò beneficium aliud est electiuum, quod scilicet praecedente electione à Canonicis facta & accedente postea confirmatione ex consensu Superioris confertur; aliud collativum, quod libera & simplici Superioris voluntate conceditur. Aliud mixtum, quod praeiurante Patrono & Episcopo instituente confertur. *Sanchez c. c. 29. n. 218. Filliucius c. n. 6. Gem. c. cumillis §. 1. de praeb. in 6.*

5. Beneficia alia incompatibilia dicuntur, alia compatibilia: incompatibilia sunt ea quorum singula per se, vel naturali iure, vel ex lege Ecclesiastica constituitur constitutione retinenti postulanti; vt sunt duo Episcopatus; duae Abbatiae; duae Parochiae; duae perpetuae vicariae; duae dignitates, siue personatus: deinde beneficia vniformia sub eodem tecto incompatibilia censentur; vt duo canonicatus eiusdem Ecclesiae: reliqua autem beneficia compatibilia sunt. *Layman c. 8. n. 2. & 3. Lessius c. dub. 17. n. 140.*

Vide *Simonia 4. n. 3. 4. 5. 6.*

BENEFICIVM II.

De modis quibus beneficia acquiruntur.

SVMMARIVM.

1. *Sex modis beneficium acquiritur.*
2. *Praesentatio quid sit? quod Patronus & eius patronatus?*
3. *Institutio quid sit? & an valida sit sine patrono facta?*
4. *Quid sit electio? & an per electionem acquiratur ius in re vel ad rem?*
5. *Postulatio quid sit?*
6. *Quid collatio.*
7. *Quid permutatio.*
8. *Quid resignatio vel renunciatio & quotuplex.*
9. *Qua requirantur vt resignatio conditionalis, & id quod ex vi illius secutum fuerit, sit validum.*

1. SEx modis acquiritur beneficium. *Primò*, præsentatione patroni præuia, & institutione subsequa; præsentatio potest fieri per laicos, si ius patronatus habens, institutio autem solum sit per Ecclesiast cos. *Secundo*, electione & confirmatione. *Tertio*, postulatione & confirmatione & habet locum tantùm in Prælaturis. *Quarto*, collatione libera. *Quinto*, permutatione. *Sexto*, resignatione in fauorem cum secuta collatione. *Rebuffus in praxi tit. quæ modis acqu. n.17. Leffius d.ub.3.*

2. Præsentatio est libera nudam personæ per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, legitimè facta. Patronus autem est qui habet ius patronatus, quod nihil aliud est quam beneficium onerosum & vtile, conueniens alicui ob aliquod meritum vel obsequium in Ecclesia collatum. Est autem hoc ius duplex : aliud .n. est ius patronatus Ecclesiastici, aliud laicis: ius patronatus Ecclesiastici dicitur, nō quod Ecclesiasticus possideat, sed quod cōpetit alicui ex eo, quod ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, vel extruxit, vel dotauit, vel quod habeatur ratione Rectoratus Ecclesiæ aut dignitatis Ecclesiasticæ. Ius patronatus laicè dicitur, quod competit alicui, quia ex bonis patrimonialibus, seu laicalibus Ecclesiam fundauit, vel construxit, vel dotauit, aut beneficium aliquod erexit, aut quia ab aliquo horum causam habuit ; de hoc iure patronatus plura apud *Panormium cap. ea nobis. de his que sunt a Prælat. Azor. 2. p. l. 6. c. 19. q. 1. ad 4. & 5. Filliuc. tr. 41. c. 3. nu. 8. Leffius c. dub. 4. 5. & 6. & 7. Malder. 2. 2. tr. 9. q. 2. dub. 2.*

3. Institutio est concessio beneficij facta legitimâ authoritate Episcopi, vel alterius, clerico à Patrono præsentato ; vnde institutio solum fieri potest per Ecclesiasticos; horum enim est, beneficia Ecclesiastica conferre, aut talibus horum mandatum est, vt, quòd institutio sine patrono facta, est irrita ipso iure ; si verò patronus sit negligens in præsentando , deuoluitur ad Episcopum, vel ad eum ad quem iurisdictio pertinet ; si autem exterius patronatum Episcopo cedat, si ad eumdem spectabat institutio, tunc eum collatione confunditur; si verò ad aliū interierit, Episcopus tantum patronatum habebit ipso ea parte, vel in totum iuxta facultatem quam habebat is qui cessit. *Azor. c. 22. Ioann. Andre. 2. de offic. vicarij in 6. Leffius c. n. 12. & seq. Filliuccius c.n. 9.*

4. Electio est alicuius personæ ad Ecclesiam pastore destitutam, canonicè facta vocatio: non fit nisi de Ecclesiis vacantes & de dignitatis & Canonicatus, quæ conferūtur communibus electorum suffragijs, non dicuntur conferri per electionem ; & beneficia electiua ea tantum dicuntur, quæ per dictam electionem conferri debent; & habent tantùm locum in iis qui pastores Ecclesiarum sunt; vel monasteriorum habentes in illo monasterio, seu Ecclesia supremam iurisdictionem. Per electionem non acquiritur ius in re, sed ad rem; differt autem electio à præsentatione, eò quòd electio fiat à pluribus, vt à Capitulo, & a toris Ecclesiasticis, & per suffragia, & potissimum in Prælaturis locum habeat; præsentatio verò etiam ab vna persona, etiā laica, & in quouis genere beneficij . *De electione plura ex electiua. Hostiensis in sum. de electione. Azor. c. l. 6. c. 14. q. 2. & 4. Filliuccius tr. 41. c. 2. n. 1. Leffius c. n. 12.*

Omnis electio eget confirmatione, Superioris consensu, & authoritate iacienda, hoc enim constat ex iure c. *Ut. nihil. de c. cum dilectus de electi.*

5. Postulatio est simplex quædam à collegio Canonicorum facta apud Superiorem petitio, qua petitur vt aliquis certæ Ecclesiæ vacanti præficiatur ; non obstante aliquo defectu quem patitur, qui non debet esse moralis, sed naturalis tantùm , videlicet qua non est legitimæ natus , non habeat ætatem sufficientem , non est ordinatus; debent autem in postulatum consentire taltem duæ partes capituli. *Hostiensis in summa tit. de postulat. Spinel. Postulatio.*

6. Collatio est concessio beneficij vacantis sine per obitum, siue per resignationem, siue deuolutionem, liberaliter facta ab habente potestatem, vt ab Ordinario, Papa, Legatus, &c. Iure autem communi beneficia conferenda sunt pure, liberè, patiam, sine diminutione, vacantia, & in perpetuum ; & ideò non potest in collatione adiici pactum , aut conditio seu modus ; neque debet fieri per vim, & metum; Conditio autem potest inesse in collatione beneficij quando ipso iure, vel statuto, consuetudine, fundatione, aut institutione beneficiorū in illis posita est. *Azor. 2. p. l. 6. c. 26. q. 2. & 3. Filliuc. tr. 41. c. 1. n. 10. & 12.*

7. Permutatio beneficiorum est reciproca quædam resignatio, quæ ad inuicem inter permutantes fit cum legitima Superioris authoritate ; Adeam septem ferè requiruntur. *Primo*, vt permutantes sint Domini suorum beneficiorum , nemo enim potest permutare cum alio nisi rem suam. *Secundo*, debet permutatio esse libera, non autem extorta metu, vel dolo, alioquin est inualida. *Tertio*, requiritur vt vterque beneficium suum resignet in manus Ordinarij ; cui beneficium subest, siue is sit vnus, idemque, siue alius & alius. Inferior autem Episcopo non potest recipere resignationes ex causa permutationis absque illius consensu ; & ex vi illius conferre , nisi alia fuerit consuetudo. *Conue. de rer. permut. vi c. Rebuffus in praxi benefic. § de permut. Filliuccius c. 9. n. 2. Quarto*, vt beneficia conferantur permutantibus, non alijs, alioquin irrita erit collatio. *Clem. nonic. de rer. permut. Quinto*, requiritur consensus illorum ad quos electio vel præsentatio spectat ; alioquin non valebit permutatio; si tamen patronus requisitus nolit contentire, potest Episcopus sua approbatione supplere consensum, si iudicat permutationem expedientem Ecclesiæ, & tunc valebit permutatio . *Glossa in dicta Clem. Leffius c. n. 198. Sexto*, si permutans infirmus sit , debet superuiuere viginti dies post resignationem, alioquin conferi beneficium vacare per obitum. *Reg. Cancellariæ de infirm. Rebuff. § reg. de infirm. Septimo*, si permutatio fiat in curiā Romanā, debet publicatio fieri in loco beneficij intra sex menses à die supplicationis oblatæ computandos , si sint beneficia citra montes : intra nouem si vltra montes . Si autem permutatio fiat extra curiam , intra menſem Ordinarius debet conferre ; permutantes verò intra tres publicare , idque in loco beneficij. Plura de permutatione beneficiorum, vide apud *Reg. Cancellariæ de publicandis. Azor. 2. p. l. 7. c. 2. q. 2. Leffius c. n. 194.*

8. Resignatio vel renunciatio generatim sumpta, est iuris propri ſpontanea & libera dimissio, seu cessio : præsè autem sumpta est libera beneficij dimissio facta cum causa coram legitimo Superiore; haec fit tacitè vel expressè: tacitè fit ex iuris dispositione, absque verborum expressione , vt matrimonium contrahendo. Expresse fit, cum quis sponte suum beneficium expressis verbis coram Ordinario resignare dimittit. *Rebuff. de resign. p. 3. in praxi benef. Leffius 2. c. 34. dub. 15. n. 189.*

Hæc autem resignatio expressa duplex est, vna simplex seu pura, cum absque conditione beneficium dimittitur coram superiore alteram tantum petit, seu conditionalis ; & haec vel est simplex in fauorem, vt quando fit absque reseruatione; vel est qualificata, vt quando fit reseruato sibi iure regressus, vel pensione . *Azor. 2 p. lib. 7. c. 19. q. 1. & 2.*

9. Vt resignatio conditionalis & id, quod ex vi illius secutum fuerit sit validum , requiritur *Primò* , vt beneficium sit resignantis. *Secundo* , debet esse libera , non metu vel dolo exorta , alioquin est inualida ; quando enim fraus , vel metus dat causam contractui , non obligat , præsertim si velit is , qui iniuriam passus est. *Tertio* , debet fieri in manibus eius , qui potest eam admittere ; hic est Summus Pontifex , vel Ordinarius , collator vel institutor , Ordinarius tamen , non potest admittere resignationem cum regressu vel ingressu , quia continet simoniam confidentiæ , iure humano inducte ; licet hanc labem possit tollere Summus Pontifex . *Quarto* , debet acceptari à Prælato , in cuius manibus fit , alioquin resignans non perdit ius suum. *Quinto* , debet consentiri illi , in cuius fauorem cum clausula conuicta est resignatum alioquin prouiſio non valebit, etiamsi à Papa fit facta. *Sexto*, requiritur vt is cui confertur ex vi resignationis, illud acceptet , alioquin resignans non amittat suum beneficium , propter clausulam *non aliter , Cæter. Septimo* , requiritur consensus patroni , si est beneficium iuris patronatus, vel electorum, si est electiuum. *Octauo* , si resignans sit infirmus debet superuiuere viginti dies post resignationem .

Rebuffus § de resign. nat. condi. nu. 16.
Leffius c. dub. 15. n. 100. & seq.

Potrò debet publicari in loco beneficij , sicut dictum de permutatione. Plura de resignatione apud iuris consultos canonici iuris interpres ; & apud *Azor. tom 1. p. l. 29. & seq.*

Apud *Filliuccium tr. 41. cap. 10.*

Vide *Simonia 2. num. 5. Simonia 4. nu. 8. 9. 10. & seq.*

BENE-

BENEFICIVM III.

De conditionibus requisitis vt quis censeatur idoneus ad beneficium.

SVMMARIVM.

1. *De prima conditione ad beneficium, qua est legitimus thorus.*
2. *Clericatus requiritur ad beneficium. Et quis sit habitus clericalis? An mulieres sint capaces beneficij?*
3. *Ad Episcopatum quid requiratur iure antiquo, & quid modo iure nouo Tridentino.*
4. *Ecclesiasticam parochialem adeptus, tenetur intra annum ad sacerdotium promoueri.*
5. *Qui beneficia in Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis vel Regularibus obtinent, tenentur intra annum ordines suo officio conuenientes suscipere.*
6. *Aetas iure requisita ad beneficium.*
7. *Scientia requisita ad beneficium: & ad Prelaturas regulares.*
8. *Requiritur etiam morum probitas.*
9. *Item caelibatus.*
10. *Conjugatus an sit capax beneficij.*
11. *Irregularis an sit incapax beneficij: ita vt collatio ea facta sit nulla.*
12. *Requiritur ad beneficium ex parte corporis habilitas.*
13. *Intentio determinata status Ecclesiastici & ordinis requisiti in tali beneficio etiam requiritur.*
14. *Ad beneficium parochiale requiritur intentio suscipiendi intra annum sacerdotium.*

1. MVltae conditiones requiruntur à iure vt quis idoneus censeatur ad beneficium Ecclesiasticum. *Prima*, enim requiritur *legitimus torus*. Illegitimus enim est incapax Episcopatus & cuiuslibet beneficij habentis curã animarum: nisi per Pontificem cum eo dispensetur: item est incapax cuiuscumque dignitatis vel personatus etiam sine cura; Episcopus tamen cum tali dispensare potest ad beneficium simplex, & ad canonicatum etiam Ecclesiæ Cathedralis, & præfertim si talis à Sede Apostolica ad ordinem sacros admissus esset. *Cap. 1. de filijs presbyterorum in 6. Glossa ibid. Syluius 1. 4. 17. 2. q. 1. quæst. 1. Azor. 2. p. l. 6. c. 5. Fullmerus tr. 21. c. 5. n. 1. Layman l. 4. tr. 2. c. 14. n. 3. Lessius l. 2. c. 34. n. 86. 87. 88.* Deinde illegitimus etiam cum dispensatione Episcopi non potest habere vllum beneficium vbi pater est, aut fuit præfectus, aut etiam canonicus: legitimi autem presbyterorum filij possunt habere beneficia in Ecclesijs vbi eorum parentes præsident, non tamen illud ipsum quod proximè patens habuit. *C. ad præsentiam c. cum decorem c. ad abolendam, de filijs presbyt.* Si tamen inter patrem & filium alius interesserit, cuiuscumque speciei illa successionis hæreditariæ abditeria, & ita filius legitimus poterit illud obtinere sine dispensatione. *C. ex transmissa, de filijs presbyter.*

2. Secundò requiritur ante omne beneficium præuius *clericatus*, seu prima tonsura, quæ debet conferri à proprio Episcopo; alias non erit quis illorum capax iure canonico; debet etiam vltra tonsuram, habitum clericalem, vestes scilicet talares iugiter deferre: ex Constitutione Sixti V. §. 8. Vestes verò talares dicuntur, quæ vsque ad talos fiue pedes protẽduntur: licet ex epichei. fatis essent, quæ ad media cura extenduntur: præsertim vbi talis est consuetudo. *C. cum contingat. de etat. C. cum adeo de rescript. Lessius c. dub. 19. Fullmerus c. n. 21. & 22. Sanches de matr. l. 7. d. 46.* Præterea fi beneficium ex institutione requirat certum ordinem, qui illo ordine caret est inhabilis ad illud beneficium, consuetudo tamen longa potest illum rigorem mitigare. Ex quibus patet ialsum esse incapacem beneficij; vt habetur *cap. Exlateris, De transactionibus. Doctores in c. dudum 1. de elect. Azor. 2. p. l. 6. c. 8. Maldonatus* tamen *de instit. sac. p. c. 2. dub. 1. cum Petantius, q. 61. or. 2. disp. 1. de beneficijs*: faciunt mulieres capaces ẽm beneficij, & clericorum nomine, etiam mulieres diuino officio vacantes intelligunt. Quemadmodum enim iunt beneficia Ecclesiastica ex bonis Deo dicatis, solis clericis conferenda; sic & alia quædam, ex bonis etiam Deo dicatis, solis illis feminis, quæ pluribus in locis in canonicas cum præbendis assumuntur, & ideo ex iuris beneficio & Priuilegio, & ratione suæ professionis, Clericæ dicuntur; quæsque in fauoribus libus, non autem in odiosis, in iure, sub nomine clericorum comprehendi, quidam affirmant, inter quos est etiam Flaminius Parisius *l. 3. de resig. benef. q. 12.* qui docet esse inter feminas canonicas, aut moniales beneficia iuris masculorum, sed feminarum in quibus locus esse potest Clement. *Ad compescendas de sequest. possess. & fruct.* videlicet, vt contra feminam beneficiarium (vtpote contra Abbatissam) fiat sequestratio; non quia Abbatissatus est beneficium; tum etiam quia militat ratio in eanon fecus atque in Abbate, ne bona Ecclesiæ dilapidentur; vt decisum fuit in Rota; & refert D Aluin *in tr. de Episc. Abbat. & Abbatiss. potest. cap. 4. nu. 3.* Vide aliquem plura de hac materias qui etiam annotat *cap. 1. n. 3.* quòd si inter fœminas beneficia non essent, in eis vtique constitutiones de Simonia, tam communi, quam confidentaria, locum non haberentiad penssim horarum Canonicarum Abbatissæ, Præfectæ, Canonicæ, Moniales, officia regularia fœminina habentes, in titulum, aut ad nutum, non obligarentur; negiectis dictis horis Canonicis, ad fructuum restitutionem non adstringerentur, quæ omnia absurda sunt. Hæc ille.

3. Ad Episcopatum iure antiquo requiritur Subdiaconatus. Iure autem nouo Trid. adeptus Episcopatum, si munus consecrationis intra tres menses non susceperit ad fructuum perceptorum restitutionem tenetur: si per tres alios mensesid non egerit, ipso iure est priuatus Episcopatu; post sententiam scil. *c. a multis de etat. & qual. Conc. Trid. sess. 23. c. 2. de reform.*

4. Adeptus Ecclesiam Parochialem, tenetur ordinari ad Sacerdotium intra annum à die possessionis pacificæ, cessante iusto impedimento, alioquin suo beneficio est ipso iure priuatus, ita vt in conscientia teneatur beneficium dimittere, nec potest eadem Ecclesia illi iterum conferri; Episcopus tamen potest dispensare vt Parochus differat Sacerdotium ad septennium causa studiorum, modò intra annum quo debebat fieri Sacerdos. Subdiaconus ordinetur. *C. licet canon, de elect. in 6. & c. cum missa. tit. Rebuffus in praxi p. 2. de non promotos. Lessius can. 101.*

5. Qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones & alia beneficia, in Ecclesijs Cathedralibus vel collegiatis vel regularibus obtinent, tenentur intra annum iusto impedimẽto cessante, ordines suo officio conuenientes suscipere sub pœnis in *Conc. Trid.* statutis; *sess. 23. c. 4. de reform. Clement. un. §. de etat. Azor. 2. p. l. 6. c. 8. q. 11.* Notãdum tamen est in Ecclesijs Cathedralibus omnes canonicatus habere annexum Ordinem, presbyterij, diaconatus vel subdiaconatus sub pœna peccati mortalis & priuationis vocis in capitulo. In aliis beneficijs tamen requiritur certus Ordo præuius: sed sufficit prima tonsura & habilitas ad suscipiendum intra annum ordinem beneficio conuenientem.

6. Tertiò requiritur ad beneficium, *etas* iure requisita; & quidem ad Episcopatum, requiritur ætas triginta annorum exactorum; ad dignitatem Ecclesiasticam inferiorem Episcopatu, habentem tamen curam animarum, requiritur ætas viginti quinq; annorum saltem inchoatorum. Ad alias verò dignitates, vel personatus, quibus non subest cura animarum requiritur, vt quis non sit minor viginti duobus annis, & hi annis debent esse completi. *cap. cum in cunctis de elect. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. Syluius cap. 1.* Ad beneficium autem Parochiale requiruntur viginti quinque anni inchoati; sed ad alia beneficia qualiacumque illa sint, requiritur vt minimum ætas quatuordecim annorum inchoatorum; licet ratione ordinis & habilitatis ad ordines, quam *Concil. Trident. sess. 23. c. 6.* requirit, fæpe exigatur maior ætas. *c. Licet canon, de elect. in 6. Layman l. 4. tr. 2. c. 14. num. 1.*

7. Quartò requiritur ad beneficium *scientia*, & quidem tanta quæ ad munus beneficio annexum rité obeundum sit necessaria; in particulari ad simplex beneficium requirens primam tonsuram, requiritur vt sciat legere, scribere & conitruere, & sciat rudimenta fidei; ad simplex requirens minores ordines, est necessaria scientia linguæ Latinæ, & vt bonum testimonii habeat à Parocho, & magistro ludi in qua educatur. *ea cum meruntur, de elect. Nauar. de orat. Ad scell. 43. num. 3. Concil. Trid. sess. 23. c. 5. 11. Sylueus c. q. 12. 13. & 3 Conc. Trident. sess. 22. cap. 2.* requirit vt qui futurus est Episcopus, sit Doctor aut Licentiatus in Theologia vel iure canonico; aut saltem publico alicuius Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur. Eædem qualitates requiruntur in creandis Cardinalibus, & Archidiaconis; in cæteris autem nihil certi præscribitur, sed quisque debet esse instructus scientia muneri suo necessaria, quæ vtrum adsit, iudicabit Episcopus & examinatores, quia nemo sine examine ad quodcumque beneficium debet admitti; vnde collatio beneficij facta

omnino illiterato est irrita, quia talis nullo modo officium præstare potest. *Fillius. tr. 41. c. 5. n. 8. Azor. 2. p. lib. 6. c. 6. Cap. cum nobis, de elect. vbi Glos. Cap. licet canon, de elect. in 6.*

Sed inquires, an qui gotorie est idoneus ad curam animarum, debeat se examini subijcere in concursu? Respon. affirmative, etiam si celeberrimus Doctor sit, qui multos annos summa cum laude legerit. Immo & vicarius Episcopi si concurrat. Ita Sacra Congregatio Concilij Trident. interpres. Idque meritò, tum quia pro forma examen fieri debet, id quod hinc patet, quoniam collatio facta aliter non valet, & nulla est per Constitutionem Pij V. incip. *In conferendis beneficijs*, & hîc ergo omitti non potest. Tum quia licet potest, vt alius æquè idoneus sit: quod locum habet non obstantibus exemptionibus, priuilegijs, & aliis quibuscunque. Ita Quaranta in *Sum. Bullar. v. benefic. Parochial. collato, in Additionibus*. Parif. *lib. 8. de resign. benefic. q. 9. nu. 87.*

Quæ autem scientia necessariò requiratur in promouendis ad Prælaturas regulares? Sciendi est in Prouincialibus & Generalibus non desiderari necessariò gradum scientiæ, vt in Episcopis requirit *Concilium Tridenti. sess. 22. c. 3. de reform.* Sed in eis, item & in Dominicanis, Cisterciensibus, conuentualibus Superioribus exposcere iura competentem scientiam, quæ ad eorum munus & dignitatem bene gerendam sufficit, ad hoc vt sine peccato stat collatio siue electio. Propterea mortali labe se commaculat, qui munus seu Prælaturam acceptat, & notabili defectu scientiæ necessitæ ad illud vel ad illam exequendam laborat. Ita *Navarr. c. 25. n. 12. Miranda to. 2. q. 4. art. 2. Sigismundus a Bononia tract. de elect. dub. 6. p. 2.* Quamuis promouendi ad Prioratum, Præposituram, Rectoratum, Guardianatum, &c. excutiari possint quando diuturno vsu eos nouit, quæ ad iuramentum functionem necessaria sunt, licet nunquam didicerint Grammaticam, Latinique idiomatis rudimenta. Ita poli *Panormit. in c. cum in cunctis de elect. n. 4. Azor 2. p. l. 6. c. 6. q. 6.*

8. Quinto requiritur *morum probitas*: hoc est, vt non sit deditus grauibus peccatis, nec sit infamis; quia iure naturali militet D. & Ecclesiæ maximè probus debet esse, cum monitis, exemplis & pijs precibus alios debeat in pietate promouere: non est tamen ipso iure irrita collatio beneficij facta criminoso, seu infami, modo crimen non habeat adnexam excommunicationem, vel irregularitatem, quibus nullus est tactus censuris, neque nullum jus præsentationis licet sit irritanda ab eo, qui ad id habet potestatem; vt patet ex *Capitulo dilectus de exceptionis priuilegiorum. C. cum in cunctis de elect. Conc. Trid. sess. 24. c. 12. Navarr. c. 27. n. 251. Azor. 2. p. l. 6. c. 7. Sylu. c. ar. 2. q. 1.*

9. Sexto requiritur *castitas*: coniugati enim non sunt capaces beneficiorum, quia iure prohibiti Ordines suscipere, non enim possunt vacare vxori, carnisque voluptatibus, & diuino obsequio; tamen si quis duxerit vt ginem, & consentiente vxore castitatem vouerit, potest ad beneficium admitti: & sine si vxor esse diuersis, deberet ante Religionem ingredi; si autem ante profectionem, sæltem vouere castitatem in æculo. Hinc si clericus minoratus Ordinum habens beneficium, contrahat valide matrimonium, ipso iure illud amittit; si verò contrahat tantum sponsalia, non amittit ipso iure, quamuis mereatur priuari. Si autem clericus sit in Sacris, & contrahat, non amittit ipso iure, id est priuandus, quia mare monium est irritum. *Cap. 1. 2. & 3. de clericis coniugatis. Navarr. c. 25. num. 120. Fillius. c. 5. q. 3. Lessius l. 2. c. 34. n. 115. Sylua. q. 1.*

10. Septimo requiritur te *non fieri illa censura irretitus*: collatio enim beneficij facta excommunicato excommunicatione maiore aut suspensio, aut interdicto, est nulla; imò etiam clericis, præsentato & postulato excommunicat, suspensi & interdicti, & resignatio in eius fauorem, est irrita, quod intelligendum est in omnibus beneficijs præter Papatum. *C. postulatus de elect. excomm. C. cum dilectus, de consuet. C. 1. de postulat. prælat. Conar. in c. Alma. 1. p. 8. 7 n. 1. & 2.*

An autem quando, prouisus ignorat se censuram ignoran-tia probabili, collatio beneficij sit irrita? *Nauarrus, in c. Fratres de pœnit. dist. 5. nu. 46.* & quidam alij negant probabiliter; licet contraria sententia sit probabilior, quæ seruatur in praxi, quia Summus Pont. & Episcopus solent absoluere à censuris, dum alicui de beneficio prouident, ad effectum vt licitè præsentis collationis consequendum. Ita *Lessius c. n. 117. Fillius. c. n. 15.*

11. Irregularis est etiam incapax beneficij, & ei facta collatio est nulla; quia irregularis est inhabilis ad Ordines & eorum vsum; ergo etiam ad beneficium Ordini annexum tamen vel sacro Ordine diaconatus vel subdiaconatus est initiatus posset fieri irregularis ad suscipiendum sacerdotium, vt non sit irregularis ad functionem Ordinis suscepti, & Sacerdos amissis aliquot dignis fieri potest inhabilis ad celebrandum, ita vt non sit idoneus ad audiendas confessiones; quo casu potest ei beneficium conferri quod non requiritassiduæ ministeriam, quam illud ad quod ille aptus remansit. *Panorm. in cap. tanta, de excess. prælator. Navarr. c. 27. n. 251. Lessius c. dub. 22. n. 120. 121. Sylu. c. ar. 2. q. 1. Diana 4. p. tr. 2. ref. 79.*

Vide verbo *Irregularitas* 1. n. 13. vbi inuenies probabile esse irregularem non esse incapacem beneficij, licet peccet mortaliter illud accipiendo.

12. Octauo requiritur ad beneficium *habilitas ex parte corporis*, & hæc talis requiritur quæ necessaria sit ad decentem præstandum officium; vnde impotentes ad exercenda munera Ordinum, sunt etiam iure naturali incapaces beneficiorum; tales sunt qui manibus carent, vel ceci, vel muti, vel amentes sunt perpetuò: si tamen debilitas aliqua superuenat per quam reddatur quis ineptus ad officium, non ideo priuatur beneficio antè obtento, sed potest eo libere frui. *cap. Nisi, de renunciatione Fillius. tr. 41. c. 5. n. 2. Azor. 2. p. l. 6. c. 2. Lessius c. dub. 25.*

13. Nono ad omnia beneficia requiritur *intentio determinata Ecclesiasticæ statui*, & ordinis requisiti in tali beneficio: quia absurdum esset dari Ecclesiasticæ beneficia ijs, qui aut audire fluctuant, neque decreuerunt se dedicare ministerio Ecclesiastis autem est iuxta *Navarr. c. 25. n. 118.* si quis sincerè & bona fide proponeret statum Ecclesiasticum, nec velit ab eo proposito resilire, nisi causa aliqua iusta ineiderit. *Azor. 2. p. l. 6. c. 9. Fillius. c. 5. n. 42.* Hinc qui accipit beneficium eo tantum animo vt eius fructibus alatur donec studia absoluerit, vel opulentam vxorem inuenerit, eum animo tantum deserendi peccat mortaliter, nec potest illud beneficium retinere, non tamen tenetur ad restitutionem fructuum, si mineri sito satisfecit, nec est ipso iure priuatus, nisi sit beneficium parochiale. *Navarr. consil. 16. de præbendis & de rat. Mascell. 44. Soto de iust. l. 10. q. 5. ar. 6. Sylu. c. ar. 2. quæst. 2.*

14. Ad beneficium Parochiale requiritur intentio suscipiendi intra annum Sacerdotium, & si talem voluntatem non habuit, non facit fructus suos: si verò intra annum mutauit voluntatem, & promouit est, non tenetur eriam ad eos quos percepit ante mutationem voluntatis, contra *Soum* antea citatum. Idem iuris est si cum prius voluntatem haberet & percepit fructus, postea voluntatem mutauit, & Sacerdos factus non est, non tenetur ad restitutionem fructuum eousque perceptorum. Item si quis dubio animo recipiendi Sacerdotium, Parochialem recipit, deficit abintentione requisita; & talis non facit fructus suos; si verò intra annum fiat sacerdos, purgat animi ambiguitatem. Porrò si intra præscriptum tempus promotus non fuerit, amittit ipso iure beneficium, & efficitur inhabilis ad illud. *C. Commissa, 3. de cleric. non ad clest. in 6. Azor. c. 9. q. 3. & 7. Navarr. c. 27. n. 118. Lessius c. dub. 26. Fillius. c. 5. q. 10. Sylu. q. 1. conel. 1. 2. 3. 4. & sequent.*

Sed dices, pœna temporalis non debetur in foro conscientiæ ante sententiam, ergo etsi Parochus intra annum non fuerit promotus ad Sacerdotium, cessante legislatus aufa, non tamen ante sententiam tenebitur dimittere beneficium. Respon. non ita esse vera pœna, qua videlicet priuatur quis certo, quo tempore & absolutè, ipsius erat, sed tantum imponitur dicta quæ se habet vt priuatio rei, quæ nondum percepta habebatur, sed solum sub certa conditione; quà non impleta, tenetur eam illam restituere, eo quod solum sub tali conditione potest absolutè illam obtinere. Sic autem effecta, beneficia & fructus eorum possunt sub tali conditione à legislatore potestate concedi vt si hoc vel illud factu, aut omittum fuerit, teneatur in conscientia restituere. Vide *Navarr. in suam c. 25. n. 125.*

Vide *Excommunicatio 3. n. 15. Irregularitas 1. n. 13. 14.*

BENEFICIVM IV.

An liceat habere plura beneficia.

SVMMARIVM.

1. *Pluralitas beneficiorum an sit iure naturali damnata?* Refertur duplex sententia.
2. *Iure canonico multa ob causas conceditur beneficiorum pluralitas.*
3. *Quæ sunt causæ sine quibus dispensatio primi generis.*
4. *Quæ sint incompatibilia secundi generis, & quæ causæ sufficiant dispensandi in pluralitate beneficiorum.*

5. *Lega-*

5. *Legatus Papæ vel Episcopus an possit dispensare in pluralitate beneficiorum.*
6. *Qui per dispensationem plura beneficia obtentui an sit tutus in conscientia.*

1. COntrouersia est inter Doctores, an iure naturali pluralitas beneficiorum damnata fuerit. *S. Th. quodlib. 9. art. 15. Sotus l. 4. q. 6. ar. 3. Ioan. Ias. l. 6. n. 11.* 4. cum multis Canonistis affirmant esse contra ius naturale, quando vnum sufficit ad competentem vtrumque sustentationem: quia videtur cum recta ratione pugnare vt vnus habeat stipendia, alimenta, & præmia duorum: at beneficia sunt stipendia clericorum ergo. Alij negant, in his beneficijs pluralitatem esse iure naturali damnatam, eò quod in his locis residendi iure naturali præcipitur non fit, sed tantum iure canonico. Sic *Innocent. Ioan. Andr. Card. in Cognatus, de rescriptis n.* 6. Verumtamen his non obstantibus videtur pluralitas beneficiorum ex se intrinsece mala, nec omninò indifferens, sed quæ bonum re circumstantiarum cohonestari possit, est ipsemet quandam mali præ se feratiquia sortiatur conditionem ordinationum quandam inuoluit *Lef. l. 2. c. 34. dub. 27. n. 137. Filiu. 41. c. 7. n. 12. Sylu. c. 2. q. 63. ar. 2. quæst. 3. conc. 1.*

1. Iure canonico multas ob causas conceditur pluralitas beneficiorum. *Primo*, quando habent exiguos reditus. *Secundo*, quando vnum beneficium est alteri commodum & vsitum. *Tertio*, quando clericus non mouetur idoneus. *Quarto*, quando vnum datur in titulum, alterum in commendam. *Quinto*, do vnum datur in titulum, alterum in commendam. *Quinto*, quando vnum habet curam animarum actu, aliud habitu tantum, quia ob seruitium imperium, vel bellum propatria abest effectu. *Sexto*, quando ex consuetudine duo beneficia simul possidentur. *Septimo*, ratione iustæ & debitæ indulgentiæ videtur authoritas Super. otis ex causa dispensare *C. cum, to. 4. 3. C. cum te, de etate & qual. C. cum, 21. q. 1. in fin. Cap. plures 21. q. 1. C. licet cum eo electi in 6. C. S. vbi tot. n. 170.*

3. Beneficia aliqua sunt iure compatibilia, alia incompatibilia: beneficia compatibilia dicuntur, quæ vel iure communi, vel tamen constitutione simul habere licet: incompatibilia vero, quæ nec iure vel constitutione simul quis habere potest. Talia sunt, *Con. Trid. sess. 7. cap. 4. ar. 1. c. 4. to. 4. 1. Primo*, omnia quæ habent curam animarum, siue in foro conscientiæ tantum, vt parochiæ, siue etiam in foro contentioso, vt Episcopatus, Archiepiscopatus, Patriarchatus, &c. *C. quia in tantum de præb. C. gratia de resign. in 6. Secundo*, omnia beneficia, quæ dicuntur Dignitates, Personatus, vel Officia, quæ requirunt residentiam, & distinctionem personarum. *Tertio*, Canonicatus iidem & portiones in Ecclesijs Cathedralibus vel Collegialibus Ecclesijs tantum, vt *Regularibus. Quarto*, quæ numquam cler. qui residet. *Quarto*, illa sunt incompatibilia ex conditione nimirum, sub eodem tecto, hoc est, beneficia, quæ simul in eadem Ecclesia haberi nequeunt. *C. Literas de concess. præb.* Ideo beneficia vacantur incompatibilia primi generis, quia ipso iure alterum excludit alterum, posterius prius: vbi posteriori specificam possessionem nactus quis fuerit. *Lessius c. 21. n. 40. Azor. lib. 6. cap. 12.* Hinc electus ad Episcopatum obtenta bonorum administratione & consecratione, vel saltem elapso tempore confectationi præscripto amittit ipso iure omnia beneficia antea ob incompatibilitatem habens beneficium cum cura animarum, vel Dignitatem, vel Personatum, vel Officium, si secundum huius generis acceperit, obtenta pacifica possessione secundi, vacat prius. *C. cum in electum, 8. cum vero de elect C. de multa de præb. Extrau. Execrabilis de præb. Sylu. c. 2. q. 2. ad 3. conc. 3.*

4. Beneficia incompatibilia secundi generis sunt, quæ simul quidem licitè retineri non possunt actu, dispensatione tamen non ita pugnant vt alterum vacet obtento altero: talia sunt reliqua beneficia residentiam postulantia, quæ sine graui peccato simul retineri non possunt. *Sylu. c. 2. q. 2. ad Filiu. 7. n. 43.* Papa dispensare potest in pluralitate beneficiorum, liberè quidem vbi tantum est contra ius commune: quia est supra illud: vbi autem est contra ius naturale, aut diuinum, non nisi iustis de causis, iuxta enim iuri Papa subijcitur. Tres iustæ causæ numerantur dispensandi. *Prima*, iusta necessitas Ecclesiæ. *Secunda*, pia eiusdem vtilitas. *Tertia*, cuidens prærogatiua meritorum, quæ randem cedat in manus commodum & vtilitatem Ecclesiæ per prærogatiuam meritorum intelligitur nobilitas generis, patriæ vel dignitas personæ, egregia literatura, indultus, prudentia & virtus. *Rebuffus 2. de elect. C. de multa de præb. Nauar. 25. n. 12. Lessius dub. 28. Azor. 2. q. 1. l. 6. c. 12. Sylu. 2. q. 63. ar. 2. quæst. 3. conc. 7.*

5. Legatus Papæ potest etiam dispensare in pluralitate beneficiorum, sed limitate. *Primo*, vt non sint Episcopatus, dignitates, aut curata beneficia. *Secundo*, vt non excedant congruam sustentationem. *Tertio*, vt non sint sub eodem tecto. *C. de multa, de præb. Filliucius c. num.* 18. Episcopus potest etiam dispensare, cum limitationibus dictis de Legato. Præterea si duo beneficia sub eodem tecto dissimilia sint, & vnum non sufficiat ad congruam sustentationem, potest dispensare: si verò similia sint sub eodem tecto, non potest: sicut nec Legatus. *C. Sanctorum, dist. 70. Ioan. Andr. c. 1. de consuet. in 6. Azor. us c. 12. q. 6.* Et ita refert declarasse Sacram Congregationem Garzias *de benef. par. 11. cap. 3. num. 377.* Super cap. 4. sess. 7. de reform. Conc. Trid. his verbis: *Congregatio Concilij censuit Episcopum ex causa posse dispensare, vt quis possit obtinere duo beneficia dissimilia sub eodem tecto, dummodo qualibet per se non sit sufficiens ad prouisi sustentationem.*

6. Qui per dispensationem plura beneficia curata obtinuit, non est tutus in conscientia, sed tenetur alterum refignare, si non putetur subesse legitima causa dispensandi, & sequatur damnum animarum ex abientia Prælati, etiamsi per Vicarios administretur, vel detur ex hoc scandalum populis: vnde talis non esset absoluendus, nisi vno retento cætera limitatè in dictendum de illo qui non existente iusta causa eui potest tequi obtinuit plures dignitates personatus, Canonicatus, & alia huiusmodi, plures dignitates personatus; tenetur is qui ea habet, retento vno sufficiente, alia dimittere; ea enim retentio inuoluit aliquid contra ius naturale & diuinum, in quo non potest Pontifex dispensare, nisi interueniat iusta causa, quæ turpitudinem tollat. *D. Th. quodlib. 9. ar. 15. Cæt. 2. beneficiorum multiplicatio. Tolet. l. 5. cap. 31. n. 4. Sotus l. 5. q. 6. ar. 5. Lessius c. dub. 28. n. 151. Sylu. c. concl. 14.* Qui verò obtinuit alia simplicia beneficia sine scandalo potest à confessario absolui, qui potest tequi probabilem opinionem Doctorum Canonistarum. *Azor. dub. 12. q. 11. Filliu. n. 40.* Notandum autem est collationem secundi beneficij, tertij, & cæterorum esse validam, & conferre vt num titulum, nam ad nullum eorum iure naturæ est inhabilissinec tenetur fructus interim perceptos restituere, modo muneri suo saltem per Vicarium satisfecerit; si verò non satisfecit, etiam fructus tenebitur restituere Ecclesiæ, vel ad pias causas. *Lessius. n. 152. Filliu.*

BENEFICIVM V.

Ad quos pertineat beneficia conferre.

SVMMARIVM.

1. *Summus Pontifex est generalis collator omnium beneficiorum qui tribus modis potest beneficia conferre.*
2. *Dignitates infra Episcopatum & Abbatiam, & alia beneficia conferri debent intra sex menses.*
3. *Episcopus in vnaquaque diœcesi, an sit proprius collator omnium beneficiorum.*
4. *Episcopi existentes in Curia Romana non possunt conferri beneficia, quæ vacant in propria diœcesi, sed hoc pertinet ad Papam.*
5. *Capitulum Sede vacante non succedit Episcopo in collatione beneficiorum libera & gratuita, sed necessaria & debita.*
6. *Vicarius generalis Episcopi non potest conferre beneficia, nisi illi specialiter committatur: potest tamen electos & præsentatos confirmare & installare.*
7. *Laicus an competat ius conferendi beneficia, installandi, aut confirmandi? & an possit laicus vel fœmina præsentare ad beneficia?*

1. SVmmus Pontifex est generalis collator, habens generalem potestatem conferendi omnia beneficia in quauis diœcesi iuxta est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & Superior omnium Episcoporum & Ecclesiasticorum, atque adeò Ordinarius Ordinariorum totius orbis. Tribus autem modis potest beneficia conferre. *Glossa in 1. c. Felicius, sed de pœnis in 6. C. Per principalem, 9. q. 3. Primo*, iure præuentionis, vt quando alicui confertgratiam expectatiuam ad beneficium primo vacaturum. *Secundo*, concurrendo cum alijs collatoribus, necesse tamen est vt in hoc casu referuet vel conferat beneficium ante Ordinarium, alioquin collatio Ordinarij erit valida:

lida: & hac ratione etiam Legatis à latere concedi solet vt beneficia conferant. *Rebuffus in praxi, §. de deuoluentibus num. 46. C. duduum, de præb. in 6. C. quia. de conceff. præb. Tertio*, confert iure deuoluto; vt quando ratione criminis, vel grauia ob timoniam confidentiæ, vel ratione negligentiæ collatoris ius conferendi deuoluitur ad Pontificem ex dispositione Canonum. Eodem iure semper confert Episcopus quando inferiores collatores sunt negligentes. *Filliucius tr. 41. c. 2. nu. 12. Pius IV. in bulla Ad Romanum Pontif.*

2. Dignitates infra Episcopatum & Abbatiam, & alia beneficia regularitet confe rri debent intra sex menses, alioquin deuoluuntur ad Superiorem. Similiter si patronus laicus non præsentet intra quatuor menses, & Ecclesiasticus intra sex, beneficium efficitur liberum, cuiusque dispositio deuoluitur ad eum cuius est institutre. *Camilla, de conceff. præb. cap. Vnico, de iure patronatus in 6.*

3. Summus Pontifex rariùs vtitur iure prouentionis & cōcursus, ad vitandas contusiones & lites, & idcò in multis Ecclesijs reseruauit sibi certos menses, quibus confert, reliquis relictis Ordinario: Propterea nisi ex fundatione beneficij vel legitima præscriptione iuis conferendi alteri competat, verbi gratia Capitulo, Decano, Præposito, Abbati, vel alteri Ecclesiastico, in quaque diœcesi Episcopus est proprius collator omnium beneficiorum; hic enim in sua diœcesi est Legatus, & moderator Canonum; sic prouide ad ipsum pertinet omnes Ecclesiæ ministros constituere & officia sacra conferre. *Reg. 8. Cancellar. C. omnes basilicæ. 16. quæst. 7. C. nullus 16. q. 7. Filliucius tr. 41. cap. 2. num. 14.*

4. Confuetudine receptum est, vt Episcopi existentes in Curia Romana, non possint vllà beneficia conferre, etiamsi vacent in propria diœcesi, sed necesse vt curia exeant ad eà conferenda: possunt tamen in aliena diœcesi: quæ autem in curia vacauerint, ea pertinent ad Pontificis dispositionem nalia tamen eorum qui sunt de curia Romana, & eorum qui Romæ moriuntur, aut prope Romam ad duas dietas, id est, 40. miliaria Italica: de hinc eorum qui ibi refignant. *Reg. 1. Cancellar. Extrauag. Ad regimen. de præb. Filliuc. c. num. 10. Malder. 2. 2. tr. 9. cap. 2. dub. 4.*

5. Quamuis Capitulum Sede vacante fugatur vice Episcopi, & succedat in his omnibus quæ sunt iurisdictionis ordinariæ; non succedit tamen Episcopo in collatione beneficiorum libera & gratiosa, sed necessaria & debita: & per hoc non potest conferre beneficia ipectantia ad ipsum Episcopum, vel ad Episcopum, de consensu & consilio Capituli: Item nec præsentare potest, nec eligere, quando præsentatio, aut electio ad Episcopum spectabat; potest tamen instituere & confirmare electos & præsentatos, & facere omnes alias collationes necessarias, quæ sunt illæ quæ debitæ sunt certis personis, vel certo personarum generi ex fundatione vel dotatione. *Capitula, ne sede vacante, C. si ad Episcopum, ne sede vacante, in 6. cap. primo de vsitr. in 6. Malderus c. dub. 4. Azor. 2. p. l. 3. c. 38. Filliuc. 2. c. 24. dub. 10. num. 50.*

6. Vicarius generalis Episcopi non potest conferre beneficia, nisi de speciali mandato, quia ea quæ sunt iurisdictæ & necessitatis, & etiam ea quæ sunt voluntariæ iurisdictionis, non tamen quæ sapiunt gratiam expedire potest: at collatio beneficiorum est mera gratia, est enim donatio quædam: mandatum autem speciale habere dicitur, si in eo ita adiecta clausula generalis: & ad omnia alia, etiamsi mandatum exigatur speciale. Licet autem Vicarius præsentare non possit, potest tamē electos & præsentatos confirmare & instituere, quia hoc est iurisdictiæ & necessitatis. *Cap. sin. de offic. Vicar. in 6. Azor. c. cap. 44. q. 1. ad 2. 5. Filliucius d. 2. num. 48. 49.*

7. Laici non habent iure conferendi beneficia, nec instituendi, nec confirmandi; nec illud possunt comparare præscriptione, vel consuetudine, quamuis longissimi temporis & immemorialis: possunt tamen priuilegio Papæ, quod aliquando concessum est nonnullis Imperatoribus, & Regibus, apud *Azorium*. Laicus autem habet ius præsentandi ad beneficia vacantia, & hoc ius vocatur Ius Patronatus, quod est duplex: aliud, in ius ipis patronatus Ecclesiastici, & quod competit alicui ex eo quod ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam fundauit, extruxit vel dotauit. Aliud est laicis id est, quod competit alicui ex eo quòd ex bonis patrimonialibus ius fecularibus Ecclesiam fundauit. *C. cum ex eo, de elect. in 6. & cap. nme. de iur. patron. in 6. Azor. l. 6. c. 25. q. 19. Leffius c. dub. 4. Filliucius c. cap 2. q. 10.* Hoc ius potest acquirere & habere fœmina, & si sit hæreditarium in illam etiam transit, sicut etiam relictum suis, qui sunt de familia, saltem vsi fœminæ fuccedunt. *Cap. fin. de conceff. præb. cap. ex literis de iur. patron.*

Vide *Simonia* 2. n. 1. & 2. & seq. *Simonia.* 6. n. 2.

BENEFICIVM VI.

Quibus beneficia sint conferenda.

SVMMARIVM.

1. *Beneficium non potest conferri indigno quando adest dignus: & quis sint indignus vel dignus censendus sit.*
2. *Quando liceat beneficium conferre digno prætermisso digniore.*
3. *Beneficium an sint conferenda dignissimis: Et quis sit censendus dignior.*
4. *In beneficijs simplicibus an sit peccatum mortale, his aut ter prætermittere digniorem, eligendo dignum.*
5. *In beneficijs quæ dantur per concursum, est peccatum mortale, omittere dignioren, cum obligetione ad restituzionem damni. Quæ beneficia debeant conferri per concursum, & quæ non?*

1. BEneficium nunquam indigno est conferendum, quando adest dignus: indignus autem dicitur, qui vel est irregularis ex ignorantia, monstro, infamia, &c. vel non gaudet futurus vtilis, nec aptus officio. Vnde collator ad conscientiæ fecuritatem debet ferre eum cui confert, esse dignum, nec satis est nescire esse indignum, quia ex officio tenetur conferre dignis: dignus autem dicitur qui omnibus consideratis putatur optime officio satisfacturus, Ecclesiæque futurus vtilissimus: & *in cap. cum in cunctis de elect.* tria requiruntur vt quis censeatur dignus beneficio curato; nempe ætas conuenies, probitas morum, & scientia debita; & ipso iure suspenditur ab electione, proilla vice, eligentes indignum, & triennio à iuis beneficijs. *Filliuc. tra. 41. c. 4. q. 7. Leffius l. 2. c. 34. dub. 12. cap. graue nimis, de prabendis.*

2. In quibuldam casibus licet beneficium conferre digno prætermisso digniori. *Primo*, si patronus laicus præsente dignum, huic debet conferri; si autem beneficium sit curatum & patronus Ecclesiasticus, tùc dignissimus est dandum. *C. Monasterium. 16. q. 7. Cone. Trid. sess. 24. c. 18. Secundo*, si beneficium ex sua institutione dandum sit alicui ex certa familia, vel oppido, vel si decreto Canonum eligendus sit aliquis ex Clericis eiusdem Ecclesiæ, tunc aptissimo inter eos dandum est, non aliis, etsi aptiores sint. *C. nullus C. obitum dist. 61. Cotar. Reg. peccatum p. 2. 9. 7. Sylus. 2. 2. q. 63. a. 2. q. 4. c. 3. Tertio*, si aptiores reseruandi sint beneficijs Parochialibus, eò quòd pauci bene idonei ibidem reperiantur, nunc beneficia sine cura quamuis opima debent conferri minùs dignis. *Filliuc. tr. 41. c. 4. num. 176. Leffius c. nu. 59. Quarto*, si plures sint electores & paucorum suffragia inclinent in dignissimum, tunc si meum suffragium nihil esset profuturum dignissimo, vt non eligatur indignus vel minus dignus, teneor omnino dignissimo conferre illud in dignum vel digniorem. *Filliuc. c. num. 176. Diana tr. 5. miss. resol. 110. part. 3. Leffius c. num. 60. Quinto*, resignans in fauorem alterius tatis est vt quæ at dignum, & si ille habeat receptæ consuetudo. Vt docent. *Cuct. 2. beneficium. Reginald. Malderus* apud *Dianam tract. 1. miscell. resolut. 41. p. 2.* Ratio est, quia cùm ille resignans non sit distributor, si iure permittatur, in fauorem resignantis potest refignare digno cui voluerit. Neque hic est locus concurrisi tamquam ad communem bonorum ex parte totius distributionem, sed pars parti ius suum transfert: vnde patet, etiam tunc collatorem non peccaturum acquiescendo resignationi.

3. Communis sententia Doctorum est ex *D. Thom. 2. 2. q. 63. a. 2. ad 3. & q. 185. art. 3. Navar. in cs. quando, de rescript. ex. sect. 16. num. 10. C. Vnico, de Ecclesiast. &c.* Electores, præsentatores & collatores semper tenen quantum in ipsis est curare, vt dignissimis beneficij conferantur, quia primarijs instituta sunt beneficia ad cultum Dei & Ecclesiæ vtilitatem: secundariò vt sint præmia virtutum: at si omittantur digniores, contra vtrumque finem peccatur. Vnde in beneficijs habentibus curam animarum, vel aliam functionem magni momenti in Ecclesia, eligere, posthabitis aut præsentare dignum, omisso digniore, qui in promptu est, est peccatum mortale: idem dicendum de conferente, qui liberè confert; quia qui omittit digniorem facit contra fidelitatem Ecclesiæ debitam ex offi-

cio in

cio in re graui. Per digniorem autem intelligitur ille, qui spectatur multò melius functurus officio: si enim dubius aut parùm excessus sit, ad summum erit veniale peccatum. *Conc. Triden. sess. 24. cap. 1. Concar. ad Regul. peccatum p. 2. §. 7. & illunc. c. num. 178. Lessius c. num. 64. Azor. to. 2. p. l. 6. c. 15. q. 1.* Aduertendum tamen est probabile esse illos, qui habent ius conferendi beneficia, per prouisionem liberam, vt sunt, Papa, & Reges, non teneri eligere digniores, nisi in promptu sint, sed sufficere eligere dignos; alioquin enim semper teneretur digniorem quærere, quod à Papa vel a Regibus exigere durum est, inquit *Reginaldus*, l. 20. n. 179. apud *Dianam tr. 1. mis cell. resol. 40. p. 2.*

4. In beneficijs simplicibus, vt canonicatibus, capellanijs & alijs præter dicta, non censetur peccatum mortale semel aut bis prætermittere digniorem, eligendo, dignum, si autem pæsim fiat, nullo dubio vt grauiter peccatur, & præsertim peccatum mortale; quia quod semel vel iterum dignior prætermittatur in huiusmodi beneficijs, non censetur notabile incommodum, aut notabilis iniuria in Ecclesiam paucorum enim mediocritas, compensari potest virtute aliorum. *P. Nau. l. 2. c. 2. n. 148. Sa v. benef. n. 42. Arr ag. 2. c. 4. d. 63. a. 2. Ang. v. electi n. 20. Les. c. n. 66.* Quamuis *Dian. c. ref. 38. p. 2.* cum aliis citatis, absolute & simpliciter asserat, omnia beneficia, quæ curam animarum non habent tatis esse, vt conferantur dignis, etiam prætermissis dignioribus: nam omnes Prælati, secundum contractam sententiam, esse tenentur in fauorem diuini cultus passim in beneficijs simplicibus eligant dignos, dignioribus prætermissis.

5. In beneficijs quæ debent dari per oppositionem & in concursu, omittere digniorem est peccatum mortale, cum obligatione ad restitutionem damni, iudicio prudentum; quia tunc dignior habet ius strictum, ex lege Tridentini & aliquorum Canonum, ergo sit illi iniuria: debet tamen talis notabiliter esse dignior arbitrio prudentis. *Conc. Trid. sess. 24. c. 18. Nau. c. 17. n. 74. Lessius c. num. 75.* In alijs autem beneficijs non est facienda restitutio, quia dignior non habet ius strictum ad illud beneficium, sed largum dumtaxat, consistens solum in maiori aptitudine, vnde non fit ei propriè iniuria. Si autem beneficiarius non sit idoneus tenebitur is, qui procurauit ad restitutionem non quidem digno, vel digniori, sed Ecclesiæ, quæ debito ministerio caruit, vel etiam damnum accepit; quòd si nullum damnum passa esset Ecclesia, ad nihil tenebitur Author. Porrò qui institutus est, si verè ut putet idoneum, non tenetur resignare, etsi alterum iudicet magis idoneum, quia ipsi non incumbit Ecclesiæ minùs dare, sed satis est vt pro sua virili officio satisfaciat. *Conc. to. 3. n. 7. Sotus l. 4. q. 6. a. 3. Filliuc. q. n. 183. & 184. Nau. c. n. 73. Les. c. n. 76.*

Sed petes, quænam beneficia debeant conferri per concursum & quæ non? Resp. Concursu conferri ea, quæ curam animarum habent, vt Parochiales Ecclesiæ quæ vacant per obitum, vel resignationem etiam in curia factam, vel quacumque alia ratione, ad quem cumque collatio pertineat, vt habetur in Tridentino *sess. 24. de reform. c. 18.* & in Bulla Pij V. incip. *In conferendis*.

Beneficia quæ Parochialia non sunt, concursu non conferuntur quia Tridentinum de Parochialibus tantùm agit quare nec canonicatus, nec beneficia simplicia: nec Ecclesiæ Parochialis, vbi in fauorem alicuius resignata est: tunc enim solum inquiritur, an idoneus is sit, in cuius fauorem resignatio facta est sine concursu, qui adhibetur, vbi plures concurrunt. Item nec Ecclesia iuris patronatus Parochialis concursu conferitur, vbi laicorum est; nisi aliud in eius constitutione statutum sit; nam præsentatus statim examinatur, nisi præsentati sint plures, tunc enim inter ipsos fit quasi concursus. Si verò ius patronatus sit Ecclesiasticum vel mixtum, etiamsi pro diabus partibus ad laicos pertineat, poterit vltra nominatos à patrono Ecclesiæ, alios etiam clericos admittere Episcopus, nisi aliter in institutione cautum sit, & ita fiet inter hos examen per concursum.

Beneficia regularium concursu non conferuntur; quandoquidem regularibus conferuntur, inquisitione tamen facta an idonei sint, quibus conferuntur. Item nec dignitates extra Parochialem Ecclesiam annexam habeant. Nec fit concursus de Ecclesia Parochiali, quæ est vnita Canonicatus; & hoc contingit ratione canonicatus, qui non conferitur per concursum.

Porrò in permutationibus beneficiorum concursus non fit: beneficia enim permutatione renunciata conferri debent permutantibus. Inunò nec inquisitio ipsorum fit, vbi Ecclesiæ ambæ Parochiales erant, quandoquidem in primis collationibus idonei iudicati sunt. Tamen si quis permutaret simplex beneficium cum alio curam animarum habente, ille qui suscipiet beneficium curam animarum habens, examinabitur, & non qui simplex.

De his plura apud Parif *de resignat. benefic. lib. 8. quæst. 7. & sequent.*

Aduertendum tamen hic est, quòd multa à Conci. Trid. prescripta *sess. 24. c. 18.* circa prouisionem Ecclesiarum Parochialium passim non fint receptæ: vnde ibi non sunt irritæ collationes, quæ secundum formam Tridentini non fuint factæ. Vt notat *Les. lib. 2. c. 34. dub. 16. n. 85.*

BENEFICIVM VII.

Quibus modis beneficia amittantur.

SVMMARIVM.

1. *Beneficij vacatio potest contingere vel de facto tantum, vel de iure tantum, vel de facto & iure simul.*
2. *Amittitur beneficium ex dispositione iuris per mortem beneficiarij naturalem & ciuilem, per matrimonium validum licet non consummatum: & propter alterius beneficij incompatibilitas contractum.*
3. *Beneficium amittitur ipso iure propter quædam crimina.*
4. *Et propter alia merentur qui suo beneficio priuari per Iudicis sententiam.*

1. VAcatio beneficij multis modis contingere potest, nempe de facto tantum: cum quis scilicet amittit possessionem, non titulum, puta per violentam à possessione exturbationem, vel cum beneficiarius metu coactus dimittit beneficium: de iure tantum, cum quis auctoritate iuris beneficio priuatus, possidet tamen illud de facto: & de facto & iure simul, cum videlicet beneficium aut obtinum beneficiarij. *C. nec cepta. C. Olim de restit. spol. C. ad aures de his quæ vi. Filliur. q. 1. c. 8. n. 2. Azor. 2. p. l. 7. c. 16. q. 1.*

2. Ex dispositione iuris amittitur beneficium. *Primò*, sine delicto beneficiarij, videlicet, per mortem naturalem ipsius; per mortem ciuilem, nempe per ingressum & professionem expressam, vel tacitam in religione approbata emissam, & per matrimonium validum licet consummatum non sit. *C. Beneficium de reg. in 6. Les. l. 2. c. 34. dub. 14. n. 187. Laym. l. 4. tr. 2. c. 17. num. 1.* Per matrimonium vero invalidum, etsi probabile sit vacare beneficia, præsertim quando id ortum ex impedimento dirimente, vt ob cognationem vel affinitatem; tamen probabilius videtur non vacare ipso iure, sed priuandum esse contrahentem per sententiam. *Secundo* amittitur, propter alterius beneficij incompatibilis consecutionem. *Azor. c. q. 5. & 6. Pars. de reg. l. 11. q. 6. n. 118.*

3. Tertiò amittitur ipso iure propter crimina & delicta sequentia. *Primò*, est hæresis, nec illi prodest poltchio triennalis. *Secundo*, Schisma, *Tertio*, percussio Cardinalis vel Episcopi. *Quarto*, homicidium qualificatum, nempe per ficarium pretio conductum. *Quinto*, falsificatio litterarum Apostolicarum. *Sexto*, Sodomia sæpius exercita. *Septimo*, si quis per se vel alium occidat rectorem vel alium clericum iuxt Ecclesiæ in quâ beneficium habet. *Octauo*, si examinatores ad Parochialem aliquid pro examine acciperent. *Nono*, ob simoniam confidentiæ. *Decimo*, si obtinens Episcopatum, non accepit confirmationem intra sex menses à pacifica possessione. *Vndecimo*, si obtinens Parochialem, non fuerit promotus ad Sacerdotium intra annum. *Duodecimo*, si quis duo incompatibilia primi generis simul retinere præsumpserit absque dispensatione, amittit etiam secundum. *Decimoterrio*, si Prælatus vel administrator alienet bona Ecclesiæ, vel monasterij, absque forma iure præscripta, vel inconsulto Romano Pontifice. *Decimoquarto*, si quis vi possessionem sit ingressus. In his & similibus casibus, vbi iure ipso non sunt vsu abrogata, beneficium impetrari potest tanquam vacans, sed crimen est probandum: quòd tamen beneficiarius non tenetur sponte sua dimittere ante sententiam. Vide *Azor. 2. p. l. 7. c. 17. Les. l. 2. c. 34. dub. 14. Filliur. q. 1. c. 8. n. 15. Laym. c.*

4. Quarto, beneficium vacare potest per sententiam Iudicis: propter ea ob quinque crimina meretur quis priuari suo beneficio. *Primum*: est: quia non redidit in suis beneficijs.

Consque-

C. conquerente de cler. Secundum, si sit homicida. *Clericus, ne cler. vel. Tertium*, si sit publicus concubinarius, & monitus ab Episcopo non deserat concubinam. *Concil. Trident. sess. 25. c. 14. Quartum*, si sit peritus. *C. querelam, de usur. Quintum*, si blasphemus in Deum vel sanctos. *C. si quis per capillum. 22. quæst. 1.* Plura de beneficijs apud *Rebuffum in sua praxi beneficiorum. Azorium tom. 3. institut. moral. 4 lib. 3. ad 9. Apud Filliuctium tract. 41. & apud Garzias in suo volumine de benefic. & quæ hic summatim dicta sunt sufficient Theologo morali.*

Vide *Sirfpositi* n. 11. 17. *Resistentia.*

BESTIALITAS.

SVMMARIVM.

1. *Bestialitas quid sit, & quale peccatum.*
2. *Concubitus cum dæmone, an sit enumerandus species cum bestialitate.*
3. *Ex concubitu cum dæmone, an possit sequi generatio?*
   Refertur duplex sententia.
4. *Magnum scelus concubitus Lamiarum cum dæmone propositæ venere.*

1. BEstialitas est cum quis bestiæ commiscetur: est peccatum mortale, & gravissimum omnium eorum quæ contra naturam fiunt: pro hoc peccato iure civili mortis pœna statuitur: non est autem necesse inconfessione dicere cum qua bestia quis peccaverit, quia hæc est species specialissima, & vnius est speciei motuum in omnibus, nimirum venerea delectatio cum re diuersæ speciei. *D. Thom. 2. 2. 8. 154. a. 11. & 12. Cajetan reg. Bo. 1. Azor. 3. p. l. 11. c. 22. Filliuc. tr. 30. num. 161. Diana de certum. resol. 3. p. t. Bonac. de matrim. q. 4. p. 12.*

2. Ad speciem bestialitatis pertinet concubitus cum dæmone, quando in assumpto corpore is fit incubus, vel succubus, siue assumat corpus bestiæ, siue virilisue mulieris, siue alterius rei, tamen alio respectu hic concubitus differt a bestialitate, specie, ratione superstitionis illius, ad quam spectat societas cum dæmone. *Reginal. l. 22. num. 51. Filliuc. c. num. 162.* An autem omnis concubitus cum dæmone sit eiusdem speciei, dicendum est cum *Cuniz. 2. 2. q. 154. a. 11. ad 3. dub. esse*, quantum est ex natura actus: quantum autem ex parte affectus, possunt esse diuersæ species; nam si quis cum dæmone coeat in specie mulieris adulteri formicatio, vel adulterino, vel incestuoso, erit præter peccatum bestialitatis & superstitionis, etiam peccatum fornicationis, adulterij, incestus, & si cum eodem in specie viri affectu sodomitico, erit sodomia, & sic de alijs. *Sayr. Luxuria num. 6. Graffius l. 2. c. 8. 9. Bonac. c. num. 3.*

3. Ex concubitu cum dæmone, & immisso semine viri in vas mulierbre generationem posse sequi tenuerunt *D. Thomas & sequaces illius*, multaque eorum exempla referuntur, qui per incubum humano instituo semine progeniti sunt: Negant *D. Joannes Chrysost.* & quidam alij apud *Pelbertum in addit. ad 6. 13. l. 5. Summa Tabien.* Sed prima sententia est tenenda. Ratio est, quia dialogus semen aliunde accepit (v. g. in ea, quæ somnianti viro contingit, illusione) potest deferre, & quâ est agilitate & naturalium rerum petitia, calorem proficium in semine, quantumvis ille subtilis & aereus sit ac facile dissipabilis, conservare, & illud denique quo momento mulier ad concipiendum optimè disposita est, quod cum non latet, tum illud matrici ille infundere, vel naturali vi attrahendum exhibere & mulieri semini commiscere.

Notandum tamen est, tunc prolis verum patrem non fore dæmonem, sed illum hominem, cuius semine dæmon abusus fuerit: nam enim nequit, vi sua & ex propria substantia, more animantium generare: cum sit substantiæ incorporeæ: & ideo de suo non potest corporeum semen præstare: est etiam expers animæ, vegetantis autem animæ functio est, naturali calore cibum acceptum concoquere; vnde semen nihil aliud est, quam pars substantiæ corporeæ viuentis, & residuum cibi optimè concocti.

Sed pete, virum etiam ex succubo dæmone & viro vere concipi posse foetus humanus: Communis sententia Theologorum & Physicorum est negativa: Ratio est, tum quia verisimile non est, vitalem illum actum, quo mater in conceptione prolis debet concurrere, posse sufficienter imitari succubum dæmonem. Tum quia non potest menstruum sanguinem idoneum suppeditare, vt qui digestionem nullam habeat, nullum verum sanguinem. Tum quia, vt hæc omnia possit, qui poterit sufficere nouem mensium gestationi, fomentis filis vitalibus, alimento foetus vitali, quod non potest esse nisi a vegetante matris anima? Vide *D. Thom. in 2. dist. 8. q. 1. art. 4. D. Bonauent. dist. 31. q. 3. q. 1. Delrius de magia l. 2. q. 15. Molina 1. part. q. 50. art. 1. Malderus 1. 2. tr. 10. c. 8. dub. 10.* Porrò contra improbitatem & succuborum dæmonum remedia sunt, exorcismi: exercitatio sacra, qualis est visus fugi Crucis, salutatio Angelica, inuitatio ad Dei benedictionem; Sacramentalis confessio, Loci mutatio, Imputi spiritus solemnis excommunicatio; Sanctarum reliquiarum gestatio; frequens communio, &c.

4. Concubitus Lamiarum cum dæmone præposterâ venere duplex est lethale scelus, vnum contra genus; alterum exnatura naturale vas; & ideò crimen magis graue, quàm cum eodem humano more congredi. Ita *Delrius* citatus supra.

Vide *Luxuria* n. 4. 23.

BIGAMIA.

SVMMARIVM.

1. *Bigamia quid sit.*
2. *Triplex bigamiæ species.*
3. *Quomodo contrahatur bigamia.*
4. *Qui ante Baptismum bigamiam contraxit, si postea baptizetur, an sint irregularis.*
5. *De modis, quibus incurritur bigamia interpretativa.*
6. *Ducens vxorem viduam vel fornicariæ cognitam, sed simulatè, an sit bigamus atque irregularis?* Refertur duplex sententia.
7. *Bigamus nosse si ducens feminam a se filo defloratam.*
8. *Maritus cognoscens vxorem adulteram Ecclesia præcipiente, sit bigamus & irregularis.*
9. *Multiplicitas matrimonij rati nondum consummati: multiplicata sponsalia, multiplicatæ fornicationes, vel adulteria ex parte viri, non inducunt bigamiam.*
10. *Ex impotentia vtentis non oritur bigamia: sed bene si quis duxerit feminam quam putabat virginem, & non erat: comperto vitio posse maritum matrimonium conservare.*
11. *Summus Pontifex & Episcopus, an possint dispensare cum quocumque bigamo.*
11. *Dispensat Episcopus in bigamia simultudinaria: Abbates autem & alij Prælati id non possunt, nisi habeant specialia priuilegia.*

1. BIgamia est *multiplicatio nuptiarum*, qui enim pluries contraxit bigamus censetur; hinc bigamiæ irregularitas est ob defectum Sacramenti, quia matrimonium cum altera vxore non perfectam significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quippe qui vnicam sibi copulauit. *C. debitum, de bigam. Sayrus de censur l. 6. cap. 3.*

2. Bigamiæ species triplex assignatur. *Prima* est bigamiæ vera, quæ est quoties quis cum duabus legitimis vxoribus matrimonium consummauit: *Secunda* est bigamiæ interpretatiuæ, quæ est cum quis duxit non virginem, vel si virginem, eam tamen post adulterium cognouit. *Tertia* est bigamiæ similitudinariæ; nempe cum in Sacris constitutus, aut professus, matrimonium init & consummat. Et hoc verum, quamuis fœmina cum qua matrimonium contrahitur virgo sit: quia hic post matrimonium similitudinarium initum cum Christo per votum solemne cafficatis, de facto ad alias nuptias transijt, eas copulâ consummans. Hæc autem irregularitas non oritur ex significatione defectus, sed ex delicto: vt constat ex *Cap. Nuper, & cap. fin. de bigamis. Sanches de matr. lib. 7. d. 83. num. 2. Filliuc. tr. 19. num. 97. Bonac. de irregul. disp. 7. q. 2. p. 5. nu. 2.*

3. Probabilius est pro foro conscientiæ, ad bigamiam contrahendam non solùm requiri copulam, sed & seminis virilis intra vas fœmineum immissionem: sic etiam quidam apud *Sanchez c. num. 5.* non improbabiliter ad bigamiæ irregularitatem iatis esse penetrationem vasis membro virili factam existimem: quorum sententia posset habere locum in foro externo ob præsumptionem perfectæ copulæ. *Vide tom. sum. c. 8. Bargellus de verg. p. 5. l. de bigam. num. 21.* Imò ad hanc bigamiam probabilis sententia quorumdam requirit non solum effusionem seminis virilis, sed etiam seminæ: quia ex Medicorum sententia semen fœmineum est necessarium ad generationem & consummationem matrimonij. Ita *Præpositus 3. p. q. 5. de matr. dub. 9. num. 81. Diana 4. p. tr. 2. resol. 43.*

Hinc inferunt Doctores contrahentem ac consummantem matrimo-

matrimonium cum ea, quæ non membro naturali viri cum feminis effusione corrupta est, minimè effici bigamum aut irregularem: quia carnem suam in plures non diuisit & ad bigamiam non consideratur virginitas formalis, sed diuisio carnis in plures. Quippe violenter corrupta cum feminis immissione, est formaliter virgo, & tamen illam ducens redditur bigamus; & similiter voluntariè polluta absque virili congressu, est solùm materialiter virgo & illam ducens non est irregularis. E contra, quamuis fœmina virgo sit quoad corpoream integritatem, si tamen virile semen ex concubitu quacumque arte receperit, id sufficiet ad bigamiam: quia ea copulâ matrimonium consummatur, & efficitur fœmina vna caro cum eo, cuius semen recepit.

4. Qui bigamiam contraxit ante Baptismum, si postea baptizetur, fit irregularis: quia in matrimonio cũ duabus, etiã ante Baptismum, deest significatio Sacramenti, talis enim suam carnem diuisit in plures; ergo erit inhabilis ad significandam coniunctionem Christi cum vna Ecclesia: licet enim quidam doceant *D. Hieronymum* secuti, Baptismo bigamiam auferri; in contrariam tamen sententiam eunt vniuersi ferè Theologi, & omnes Doctores iuris Pontificij in *Cap. Gaudemus, de diuort.* & iam est hoc definitum *Cap. deinde* 26. Baptismus enim culpas tollit morales, non legales defectus, & verissimum semper erit carnem bigami in plures esse diuisam; præterea sicut Baptismus non tollit matrimonium, ergo nec irregularitatem quæ ex illo sequitur; est enim prærogatiua ordinis, vt ad eum accessus non pateat nisi monogamo. *D. Thom. 4. d. 27. q. 3. art. 2. cap. si quis viduam d.* 34. *Toletus l. 1. c.* 60. *Sayrus de censur. l. 6. c. 3. num.* 23. *Sanches c. num.* 8. *& 9. Layman l. 1. tr. 5. part. 5. c. 6. num.* 8.

5. Bigamia interpretatiua 4. modis incurritur. *Primò*, quãdo quis duo init matrimonia & consummat, alterum de iure validum, alterum de facto irritum. *Secundo*, quando duo init matrimonia de facto, id est ambo irrita. *Tertiò*, quando quis ducit viduam à priori viro cognitam, vel per fornicationem corruptam, & cum ▪ consummat matrimonium. *Quartò*, quando virginem à se ductam & posteà adulteram cognoscit. *Sanch. c. l. 7. disp. 84. nu. 2. Suares de censur. d. 49. sect. 2. Sayr. c. c. 4.*

6. Secundum probabilem sententiam *Nauarri*, & aliorum ducens vxorem viduam vel fornicariè cognitam, inualidè tamen propter aliquod impedimentum, modò id non proueniat ex professione aut ordine Sacro, bigamus non est neque irregularis; quia ista irregularitas non est in iure expressa; nõ enim est vera bigamia, tacita vel similitudinaria; cùm non contrahat cum duabus, neque cum vna validè, & cum alia inualidè, aut cum ipsa vidua validè aut post votum solemne castitatis. Et hæc sententia Romæ in Sacrâ Pœnitentiariâ approbata fuit, vt testatur *Nauarrus c. 27. nu. 195. Rodriq. to. 1. sum. c. 157. Henriq. l. 12. c. 6. num. 9. Bonac c. num.* 2. Quamuis *Couar. Clem. si furiosus. de homic. 1. p. §. 2. nu. 2. & Suares c. d. 49. sect.* 3. dicant contrariam esse communem.

7. Communior & celebrior sententia est ducentem fœminam à se solo defloratam, bigamum non esse nec irregularem; quia irregularitas ducentis corruptam ideò contrahitur, quòd cum fœmina, cum qua vir efficitur vna caro, diuiserit carnem suam in plures, censeatur etiam virum diuisisse ex iuris interpretatione, quod hìc nullatenus reperitur: vxor enim non diuisit carnem suam in plures; cùm ab vno solo cognita fuerit. *Tolet l. 2. c. 60. num. 8. Rodriq. c. c. 157. nu. 4. Henriq. l. 12. c. 6. Sayrus l. 6. c. 4. num.* 17.

8. Receptissima sententia est apud omnes ferè Doctores, maritum cognoscentem vxorem adulteram, Ecclesiâ præcipiente, vel eò quòd lis pendeat, vel quia nequit adulterium probare, esse bigamum & incurrere hanc irregularitatem, quia bigamia hæc non inducit rationem punitionis & pœnæ: & ita nil mirum est, si contrahatur absque delicto, imò ob actum meritorium & obligatorium: vnde omnis irregularitas quæ procedit ex quacumque bigamia, siue quæ cum peccato, siue quæ sine peccato contrahitur, est censenda ex defectu reductiuè & non ex delicto, quia quamuis aliquis sit bigamus cum delicto, non propter delictum irregularis & bigamus declaratur, sed propter Sacramentum. *Henriq. c. c. 6. num. 6. Nauar. c. 16. num. 27. Couar. c. 1. p. §. 2. num. 2. Rodriq. c. c. 157. num. 5. concl. 3. Tolet. c. c. 68. Diana 4. p. tr. 2. ref.* 41.

An autem dicendus sit bigamus & irregularis, qui ignoranter cognouit vxorem post eius adulterium perpetratum? Responsio est affirmatiua, vnde talis postea mortua vxore, non potest ordines Sacros suscipere. Ratio est, quia contrahitur bigamiæ irregularitas ex quacumque adulterij ignorantia, & post illud cognoscatur; quia hìc non agitur de vitio promouendi ad Ordines, ad quos desideratur scientia; sed de significationis defectu, quem potest pati ignorans. Et lex promotionis factum requirit non voluntatem *c. vlt. 15. quæst. 1.* Idem dicendum est, quamuis fœmina sit vi præcisa cognita, illam enim ducens, aut iam ductam virginem cognoscens post id adulterium violentum, efficitur irregularis & bigamus: quia vis illa præcisa excusat fœminam à culpa: at non efficit matrimonium illud esse aptum ad significandam coniunctionem Christi cum vna Ecclesia. Ita cum pluribus à se citatis Sanches *de matrim. l. 7. disp. 84. num.* 15. & nouissimè Caspensis noster *to. 2. tract. 25. disp. 5. sect. 14. num.* 97. Licet quidam asserant cognoscentem ignoranter vxorem adulteram repelli ab Ordinibus suscipiendis, non autem à receptorum executione. Imò Præpositus in *3. part. D. Thom. q. 5. dub. 7. num.* 135. putat probabile talem non incurrere irregularitatem quia Canones requirunt, vt vxor commiserit adulterium, quod non committit, dum vi ab alio cognoscitur: nam leges in odiosis sunt restringendæ, Nec valet dicere quòd qui ducit corruptam ab alio, etiam vi, sit irregularis, ergo. Resp. de hoc esse expressam iuris decisionem, quæ non est in nostro casu. Ad argumentum *Sanches*, respondetur, ob defectum illius significationis hanc irregularitatem non fore incurrendam, nisi esset iure imposita: in nostro autem casu non sufficienter constare, quòd sit apposita in iure.

9. Multiplicitas matrimonij rati, nondum consummati non inducit bigamiam: consequenter ille non est bigamus qui contraxit cum vna eaque mortua ante consummationem matrimonij, nouum matrimonium contraxit cum virgine & cum ea copulam consummauit: *C. debitum, de bigamia. Tolet. l. 1. c.* 61. 62. Itẽ multiplicata sponsalia non inducunt bigamiam etiã si subsecuta sit copula, quia hæc non significant coniunctionem Christi cum Ecclesia per Incarnationem, sicut significat matrimonium consummatum. *Valent. to. 4. d. 7. q. 19. p.* 3. Item nec multiplicatæ fornicationes, vel adulteria ex parte viri non pariunt bigamiam, nam ad hanc, non sufficit quælibet copula ex parte viri, sed requiritur vt copula habeatur cum ijs, cum quibus contraxit matrimonium: consequenter presbyter, qui plures concubinas habuit, non ligatur irregularitate bigamiæ. *C. acutus, 28. q. 3. Bona. c. num. 7.*

10. Ex impura & nefanda venere extra vas naturale non oritur bigamia; quia ex nullo titulo apparet hanc esse bigamiã, vt ait *Vsualdus de sacr. 2. p. num.* 23. *&* 25. Bigamus tamen esset qui duceret fœminam quam putabat virginem, sed posteà cõperit non esse virginem, consummato cum ▪ matrimonio: ignorantia enim non excusat à bigamia, cùm nõ efficiat, quin caro illius fœminæ in plures diuisa fuerit: *Suares c. d. 49 sect. 2. Fillmc. c. num.* 107. Sicut etiam bigamus esset & irregularis, qui suam vxorem carnaliter cognosceret, postquam ipsa, credens virum mortuum esse, contraxit bona fide & consummauit matrimonium cum alio, quia titulo matrimonij & affectu maritali accedit ad fœminam ab alio cognitam. *Toletus l. 1. c. 61. num. 7. Nauar. c. 27. num. 195. Sayrus c. c. 4. num.* 19.

11. Papa dispẽsare potest cum quocumque bigamo ad omnes ordines maiores & minores, & ad quascumque dignitates: quia hæc irregularitas est introducta de iure positiuo in quo Papa dispensat. *Sanch. c. d. 86. Sayrus c. 6. num.* 10. Ad minores autem ordines suscipiendos, vel susceptis vtendum, secundũ quosdam Doctores in bigamia vera seu interpretatiua dispensat etiam Episcopus: licet id multis non placeat. *Sanch. c. 11. nu. Miranda to. 2. q. 8. art. 2. cap. 2.*

12. Episcopus potest dispensare in bigamia similitudinaria cum eo qui contraxit cum virgine iure sibi hoc concedente. Abbates verò & alij Superiores religiosi non possunt dispensare in bigamia vera vel interpretatiua, nisi habeant specialia priuilegia. *C. 1. qui cler. vel, &c. Sayrus c. c. 6. num.* 14. *Diana 4. p. tr. 2. resol. 62. 63.*

De Bigamia vide v. *Abbas* num. 8. *Irregularitas* 4. num. 6.

BLASPHEMIA.

SVMMARIVM.

1. *Blasphemia quid sit.*
2. *Blasphemia an sit contra religionem & laudem Dei, vel contra fidei confessionem.*

3. Pec-

1. *Peccatum blaſphemiæ an conſiſtat in intellectu vel in voluntate.*
4. *Duplex eſt blaſphemia: alia eſt hæreticalis, alia ſimplex.*
5. *An blaſphemia ſit, in ira vel rixa cum aliquo, enuntiare aliquid de Deo, explicitè vel implicitè, quod eſt verum.*
6. *Blaſphemia ordinariè eſt peccatum mortale; nec ſit veniale ratione paruitatis materiæ.*
7. *Aliquid falſi de Deo dicere ioco aut alio fine, non ex indignatione, an blaſphemia ſit? & quid ſi de Deo vera dicat, irriſorie tamen, aut cum indignatione.*
8. *Omnes blaſphemiæ non hæreticales an ſint eiuſdem ſpeciei, tam contra Deum, quàm contra Sanctos? & an qualitas blaſphemiæ ſit explicanda in confeſſione.*
9. *Pœnæ aduerſus blaſphemos conſtitutæ in veteri lege, iure ciuili & Canonico.*
10. *Blaſphemiæ crimen eſt mixti fori.*
11. *Aſſueti maledicta in Deum vel ſanctos paſſim conferre, an ſint abſoluendi.*

1. BLaſphemia eſt *locutio falſa contra Deum, Sanctos, aut res ſacras per modum contumeliæ*. Dicitur *Locutio*, vt comprehendat blaſphemiam mentalem & vocalem; nam ſicut in fide duę ſunt, aſſentiri articulis fidei & eos corde vel ore pronunciare; ita in infidelitate duo ſunt diſſentire veritati reuelatæ, & dicere intus vel foris contraria fidei; prima duo pertinent ad fidem & fidei profeſſionem; alia duo ad infidelitatem & blaſphemiam. Dicitur *Falſa*, quia omnis blaſphemia aliquid falſitatis habet, ſiue ex vi enunciationis, ſiue ex intentione blaſphemantis, ſiue ex modo elocutionis, v.g. Deus noſtra non conſiderat, pœniteat Deum, vtinam hoc Deus ignoraret, &c. Quamuis enim in oratione imperatiua aut optatiua non poſſit eſſe falſitas, vt docent Philoſophi, intentio tamen loquentis & modus loquendi in actu exercito, inuoluunt quãdam falſitatem. v. g. Deum poſſe tangi pœnitentia, poſſe aliquid ignorare. Dicitur, *Contra Sanctos aut res ſacras* quatenus videlicet ad Deum pertinent, tunc enim talis blaſphemia, vltimò tendit in Deum, atque adeò eſt eiuſdem ſpeciei cum blaſphemia immediata. Idem locum habet in alijs creaturis, ſi maledicantur, quatenus creaturæ Dei ſunt, vel inſtrumentum quo Deus nos punit, &c. Hæc enim maledicta, ſunt blaſphemiæ, non quatenus terminantur ad creaturas, ſed quatenus redundant in Deum. *D. Thom.* 2.2.q.13.ar.1. *Sylu. ibid. Valent.* 2.2.*diſp.*1.q.13.*p.*1. *Bannes* 2.2.q.13.*a.*1.*not.*2. *Sanches lib.* 2. *moral.c.*32.*num.*6. *Toletus l.*4.*c.*11. *Filliuc.tr.*25.*num.*8. & 9. *Nauar. in Man.c.*12.*num.*31. *Reginald.l.*18.*num.*195.196.

2. Blaſphemia propriè & formaliter eſt contra religionem & laudem Dei; quia eſt quædam contumelia verbalis in Deũ vel in ſanctos: preſſiùs tamen vſurpando nomen blaſphemiæ, pro verbo contumelioſo, continente vel ſapiente hæreſim, blaſphemia opponitur fidei, ſecundum *S. Thomam*: vt quando Caluiniſta dicit Chriſtum in Euchariſtia non eſſe adorandum, quia ita ſentit: hic actus eſt directè imperatus ab infidelitate ſeu hæreſi, & confeſſioni fidei contrarius. Similiter ſi quis dicat *B. Mariam* non eſſe virginem, animo negandi fidem, ſaltem exteriùs, licet interiùs non ita ſentiat. Ratio eſt, quia ſignificatio contra fidei, quæ eſt in ipsâ materia ſeu verbis, eſt directè volita, ideò enim profert iſta verba, vt per ea ſignificet res ita ſe habere, & ſe ita credere. *Leſſius l.*2. *c.* 45.*dub.*5.*num.*25. *Nauar.c.*12.*num.*82. *Filliuc.c.nu.*11. *D. Thom. c.art.*1.

3. Peccatum blaſphemiæ ſicuti & hæreſis in intellectu conſiſtit; quamuis requirat prauam voluntatis diſpoſitionem ſeu affectionem formalem, vel virtualem: exterioribus autem verbis alijſve ſignis manifeſtatur, magiſque conſummatur: vnde ſi quis nutu vel alio facto externo, verbi gratia in cœlum expuendo, Deo contumeliam inferat, erit hoc peccatum à blaſphemia eſſentialiter non diſtinctum, ſed ad eam reducendum. *Suares to.*2. *de relig.tr.*3 *l.*1.*c.*4.*nu.*3. *Leſſius c.dub.*5. *Filliucius c.num.*9.

4. Blaſphemia alia eſt hæreticalis, alia ſimplex: hæreticalis illa eſt, quæ articulis fidei directè opponitur, ſeu quà aliquid aſſeritur fidei contrarium: puta quando quis aſſentitur intellectu his quæ corde vel ore dicit, tribuẽdo aliquid Deo, quod ipſi non conuenit, verbi gratiâ, improuidum, iniuſtum eſſe; hæreticus eſt & blaſphemus, & pœnis cenſuriſque hæreticorum ſubiacet. Simplex autem blaſphemia, ſeu non hæreticalis dicitur illa, quæ nec formaliter, nec virtute continet falſitatem contra fidei veritatem; quale blaſphemiæ ſunt illæ, quæ per modos optandi, imperandi aut imprecandi proferuntur: item illæ quæ fiunt nominando aliquid quod reperitur in Deo verè, ſed per modum contumeliæ & irriſionis: vt ſi quis nominet membra Chriſti pudenda. *Sanch.l.*2.*moral.c.*32. *num.*11. & 36. *Azor.part.*1.*l.*9.*c.*28.*q.* 1. & 2. *Layman l.* 4. *tr.*10.*c.*6 *num.*7. *Suares c.c.*5.*nu.*8. *Filliuc.c.nu.*16. *Toletus lib.*4.*c.*13.*nu.*8.

5. Non eſt propriè blaſphemia in irâ vel rixâ cum aliquo enuntiare aliquid de Deo explicitè vel implicitè quod verum eſt, verbi gratiâ, *Corpus Dei, Vulnera Dei, Chriſma, Sacramenta Dei*, ſi effectus indignationis non tendat contra Deum, ſed tantùm contra hominem, vel iumentum, cui aliquis iraſcitur: vnde tale peccatum eſt potiùs irreligioſitas quàm blaſphemia, & ideò tantùm veniale peccatum eſt, quamuis obſcandalum vel periculum formaliter blaſphemandi mortale fieri poſſit. *Nauar.c.*12.*num.*85. *Caiet.in ſum.v. blaſphemia.*

6. Ordinariè blaſphemia eſt peccatum graue mortiferum: quia ex natura ſua grauem Deo infert iniuriam: & eſt grauius idololatriâ, periuratione, violatione voti & ſacrilegio: poteſt tamen eſſe peccatum veniale ex indeliberatione & inaduertentia, vt cùm homo irâ aliquâ, vel alia motus paſſione, non aduertit verba blaſphemiæ quæ protulit: *D. Thom. c.art.*2. *Suares c.cap.*6. *Nauar.c.*11.*num.*84. *Filliuc. c. num.*20. Si autem homo eſſet ita aſſuetus blaſphemare, vt nec curaret emendationem, in ſtatu peccati mortalis eſſet, ob culpam præcedentem, puta quia non abſtulit occaſionem peccati: & ita ipſi indirectè ſiue in cauſa voluntaria blaſphemia cenſeretur. *Layman c. num.*3. *Sanch.c. l.*3.*c.*5. *Tolet.l.*4.*c.*13. Ratione autem paruitatis materiæ non videtur fieri peccatum veniale, quia non datur paruitas materiæ in blaſphemiâ, cùm omnis blaſphemia grauem videatur Deo inferre iniuriam niſi ita ioco proferatur, vt non reputetur Deo irreuerentiam afferre. *Bonac. in decal.d.* 3.*q.*8.*p.*3.*num.*2. *Reginald.c.num.* 198. *Sylu. c.art.* 2. *Diana p.*5. *tr.*5. *reſol.*3.

7. Quando quis non ſeriò, non ex indignatione Deum lædente, ſed ioco aut alio fine de Deo aliquid falſi dicit, non blaſphemat; contra, vera dicere de Deo, aut Chriſto irriſoriè aut cum indignatione, blaſphemia eſt, ſi irriſio aut indignatio ad Deum ſpectet. Ratio eſt, quia tunc in actu exercito & implicitè ſignificas Deum mereri indignationem aut irriſionem. Si verò indignabundè in iurgio Dei ſanguinem vel corpus appelles, & hæc verba proferas tantùm ex indignatione circa illum, cum quo contendis, erit tantùm peccatum veniale, vt notat Caietanus *verb. Contumelia*. Ratio eſt, quia nihil ſignificatur hic falſi de Deo: corpus enim & ſanguis Dei verè poteſt dici de Deo, poſt Verbum Dei incarnatum. Si autem eadem verba iactes cum indignatione erga Deum, peccabis mortaliter, eſto verba illa ex ſe ſint vera, propter rationem iam dictam. *Valentia to.*3. *d.*1.*q.*13.*p.*1.

8. Omnes blaſphemiæ quæ non continent hæreſim, ſunt eiuſdem ſpeciei, tàm contra Deum, quàm contra ſanctos: quia blaſphemia, quæcumque ſit, repugnat religioni, qua tribuitur Deo cultus: ſed religio, qua tribuitur cultus Deo, & ſanctis propter Deum, eſt vnius ſpeciei, ergo. Tamen ſi blaſphemia procedat ex odio, vel deſperatione, infidelitate, id eſt neceſſariò in confeſſione explicandum: quia etſi ipſa blaſphemię malitia per ſe ſit eiuſdem rationis, tamen accedit noua & diſtincta malitia ex motiuo à quo procedit: item explicandum eſt an procedat ex odio in Deum volita, an indirectè, vt ſit in damnatis: & an fuerit directè. Hæreticales autem blaſphemiæ inter ſe differunt: vnde in confeſſione eſſet dicendum, tot blaſphemias hæreticales protulit, & tot non hæreticales: *Caiet. v. blaſphemia. Azor.lib.*9.*c.*28.*q.*10. *Filliuc.c.num.*25. 26. *Layman c. num.*10. *Valent.c.pu.*1. *Sylu. cit.art.*1. *Diana p.* 5. *tr.* 13. *reſol.*21. An autem qualitas blaſphemiæ explicanda ſit, ex ſententiâ eorum qui putant in confeſſione ſolùm aperiendas eſſe circumſtantias mutantes ſpeciem, nõ videtur neceſſe dicere blaſphemiam in Deum, vel in ſanctos commiſſam fuiſſe, cùm non differat ſpecie vt dictum eſt. *Valent. t.*4. *d.*7.*q.*11.*pu.*1. *Diana tr.* 7. *reſol.*50.*p.*1. Verùm ſecundùm alios explicanda eſſet blaſphemiæ qualitas; quia hæc non eſt circumſtantia ſolùm aggrauans, ſed in hac duplex malitia intercedit, vna contra perſonam, quæ contumeliâ afficitur, cùm ſit per ſe honore digna & adoratione duliæ; altera quatenus redundat in Deum, & ipſi cenſetur principaliter fieri. *Claus reg.l.*6.*c.*13. *Reginald. c.nu.* 201. *Suares c. num.*29. *Sanchez. l.*2. *moral.c.*32.*num.*29. *Layman l.*4.*tr.*10.*c.*6.*num.* 12.

9. Aduerſus blaſphemos plures pœnæ conſtitutæ ſunt, nam in veteri lege lapidibus obruebantur, iure ciuili more plectuntur; ali-

tur,aliquando puniuntur triremibus,exilio,linguę abscissione. Iure canonico olim blasphemantibus erat constituta pœnitentia solemnis,& clericus iubebatur deponi,laicus autem anathematizari. Verùm hę pœnę modò non videntur amplius in vsu. Nonnullis tamen in prouincijs solet blasphemia notoria reseruari Episcopo,quoad eius absolutionem. *Reg.c.n.*102. 103. *Azor.c.c.* 28.*q.*9. *Tol.c.c.*13. *Suar.c.c.*7.*n.*2. *Syl.c.a.*2.

10. Blasphemię crimen est mixti fori,ideò tam per Ecclesiasticum iudicem quàm per sęcularem puniri potest, & datur locus præuentioni: Inquisitores autẽ hæreticæ prauitatis possunt de hoc crimine cognoscere quando sapit & continet heresim. *Clau.Reg.c.n.*20. *Fill.c.n.*35. *Azor.c.q.*5. *Dian.p.*4. *tr.*8. *ref.*9.

§ 11. Qui sunt assueti maledicta in Deum vel sanctos passim conferre, non sunt simpliciter ab absolutione Sacramentali à confessario arcendi, sed ad tempus ab ea suspensi meritò detinendi,vt interim prauam & peruersam consuetudinem aliqua ex parte deponant & exuant;si tamen absolutio commodè differri nequeat,& manifesta signa doloris & detestationis suę sacrilegę impietatis dederint,possunt à peccatis absolui,impositá tamen salutari pœnitentia ac tanto crimini debita. *Azor.c.q.*18. *Sanc.in select.dis.*20. *n.*7. *Syl.c.ar.*2.

Vide *Ira* n.3. *Magia* n.4. *Maledictio* num.5. *Immunitas* num.8.

BONA INCERTA.

SVMMARIVM.

1. *Bona incerta quæ dicantur.*
2. *Bona inuenta, quorum Dominus ignoratur, an sint restituenda pauperibus? & qui nomine pauperum veniant.*
3. *Inuentor rei alienæ non potest quidquam à Domino rei exigere.*
4. *Quo iure bona incerta acquisita ex delicto, pauperibus sint restituenda? & quid faciendum de bonis incertis acquisitis ex contractu iusto.*
5. *Quando damnum illatum est aliquibus personis tantùm particularibus & ignorantur, quibusnam restitutio facienda sit.*
6. *Pauper habens bona incerta, an possit sibi ea retinere titulo paupertatis.*
7. *Habens rem incertam; an teneatur illa restituere cuicumque asserenti se Dominum illius esse.*
8. *Quando res incerta applicata est pauperi, & post applicationem inuenitur Dominus rei, an applicans ad aliquid teneatur? & an Pauper?* Refertur duplex sententia *quoad pauperem.*
9. *Bona incerta quæ per compositionem Summus Pontifex concessit retineri, possunt tutâ conscientiâ retineri. Et an hæc compositio incertorum possit etiam fieri à Principe seculari vel Episcopo.*

1. BOna incerta dicuntur, quæ vel numquam habuerunt dominum; vt lapilli, gemmæ, &c. vel quæ Dominum quidem habuerunt, sed quando inueniuntur amplius non habent,vt sunt thesauri,vel quæ de præsenti habent quidem Dominum,sed ignoratur,etiam post eam inquisitionem,quę iudicio prudentis pro rei qualitate videtur sufficiens, vt sunt bona inuenta, vel quæ debentur ex iniusta acceptione, vel ex contractu. *Lessius l.*2.*c.*14.*n.*31. *Fill.tr.*32.*c.*4.*n.*98. *Syl.*2.2.*q.*62.*a.*5. *quæst.*1.

2. Communis ferè Doctorum sententia est, bona inuenta, quorum Dominus ignoratur, restituenda esse pauperibus,seu capsæ incertorum, iuxta consuetudinem & decreta locorum, modò prius adhibita fuerit sufficiens diligentia in inquirendo Domino, & Dominus non fuerit inuentus; quia hæc censetur rationabilis voluntas dominorum etiam infidelium,qui si eâ de re interrogarentur,vt hoc ipsum fieret,responderent. *D.Th.*2. 2.*q.*62.*a.*5. *ad* 2. *Nau.c.*17. *n.*171. *Less.c.n.*49. *Mol.to.*3.*d.*746 Nomine autem pauperum intelliguntur non solùm priuati mendici, sed etiam loca pia, vt Monasteria, Hospitalia pauperum, Ecclesiæ,item carentes necessarijs ad congruam & decentem vitæ suæ sustentationem:imò animæ defunctorum in purgatorio existentes:Denique omne aliud pium opus. *Reginald.l.*10. *n.*197. *Dian.p.*2.*tr.*1.*ref.*8. *Filliuc.c.n.*95. *Nau.c.n.*93. *Syl.c.conc.*3. Probabilis tamen est sententia quorundam recentiorum docentium inuentorem rei incertæ posse post adhibitam sufficiẽtem diligentiam rem inuentam sibi retinere cum onere restituendi,quando Dominus comparuerit,si res adhuc extet:si verò consumpta sit non tenetur;quia huiusmodi bona perinde se habent post adhibitam sufficientem diligentiam, ac si nullum haberent Dominum & fiunt primi occupantis. *P.Nauar.l.*4.*c.*2.*n.*75. *Diana tr.*3.*miscell.ref.*5.*p.*2. *Arrag.*2.2.*q.*62.*a.*5. *Sot.l.*5.*q.*3.*ar.*3. *Les.c.n.*48.

3. Inuentor rei alienæ non potest quidquam à Domino rei exigere,nisi forte ratione laboris vel impensarum,vel consuetudinis,vel pacti,aut legis,aut donationis;quia his seclusis Dominus non tenetur pro re sua recuperanda quidquam soluere. *Reg.l.*10.*n.*179. *Med.C.de rest.q.*25.

4. Ex iure positiuo bona incerta acquisita ex delicto, vt ex furto,rapina, damno dato,& iniquis contractibus, pauperibus sunt restituenda,ne hominibus iniquis integrũ sit, ex iniquitate & iniurijs ditescere:an autem hæc bona iure naturæ pauperibus pijsve operibus sint eroganda, omnes fere Doctores affirmare videntur; verùm probabilissima est sententia contraria,quia alicubi hæc bona assignantur à Principibus,certis quibusdam personis; quod fieri non posset, si prædicta bona iure naturæ pauperibus deberentur. *C.cum tu,de vsuris Regn.l.* 10. *n.* 196. *Fill.c.n.*99. *Azor.*3.*p.l.*4.*c.*26. *Syl.c.quæs.*2. De debitis autem & bonis incertis acquisitis ex contractu iusto, puta ex deposito,commodato, mutuo, venditione, &c. quamuis vbique piorum consuetudo sit,cùm de his non extet Canon,vt hęc in pias causas expendantur,quando Dominus inueniri nequit;non est tamen improbabile ea posse tanquam adespota retineri. *P.Nau.l.*4.*c.*2.*n.*47. *Les.c.n.* 38.

5. Quando damnum illatum est aliquibus personis tantùm particularibus, restitutio fieri potest pauperibus alterius loci, quando videlicet tam pauci sunt defraudati,vt quamuis fiat distributio in eodem loco,vero similius credatur fore, vt res nõ perueniat ad proprios Dominos, aut quando sciri non potest quibus restitutio debeatur; Obseruandum tamen est, cum qui aliquos in vini mensura aut alio simili modo defraudauit,quorum aliquos cognoscit & alios ignorat, teneri portionem debitam ijs reseruare,quos nouit;portionem verò debitam ignotis,teneri insumere in pauperes vel in alia pia opera,iuxta consuetudines & decreta locorum. Ita *P.Nauar.c.n.*40. *Fill. c.n.*97. *Les.c.n.*32. *Regin.c.n.*204. *Mol.c.d.*745.*n.*4. *Diana p.*4. *tr.*4. *ref.*46. & 113.

6. Probabile est pauperem habentem bona incerta acquisita ex delicto,aut contractu, aut inuenta,posse ea sibi retinere titulo paupertatis; quia ipse non est deterioris conditionis alijs pauperibus;nec ad id desideratur licentia Episcopi vel confessarijs propterea qui sibi illa bona incerta titulo paupertatis applicauit,non tenetur si ad pinguiorem fortunam redeat, quidquam restituere alijs pauperibus; nam comparauit dominium rerum incertarum per applicationem sibi factam titulo paupertatis. *Nau.c.*17.*n.*92. *Sanch.l.*6.*mor.c.*11.*n.*54. *Les.c.n.*41. *Med. c.de rest.q.*3.

7. Rem incertam habens non tenetur illam restituere cuicumque asserenti se dominum illius esse; quia non est temerè cuique credendum; tamen si facta diligentiâ debitâ dubitetur æqualiter, vtrùm res incerta vni vel pluribus debeatur, distributio facienda est inter illos, quorum res esse dubitatur,intercueniente ipsorum consensu; ipsis verò non consentientibus, deponenda est authoritate iudicis,vel in pauperes distribuẽda. *Mol.to.*3.*d.*745. *Reg.c.n.*203. *Henr.l.*7.*c.*35.*n.*1. *P.Nau.l.*4.*c.*2.*d.*8.

8. Si post adhibitam diligentiam sufficientem ad inueniendũ Dominum res incerta applicata est pauperi,& post applicationem inuenitur Dominus rei,applicans ad nihil tenetur,neque ratione rei acceptę,cùm nihil apud ipsũ exstet & rem pauper. applicuerit post adhibitam sufficientem diligentiam;neq; tenetur ratione iniustę acceptionis quia purgauit culpã per diligentem inquisitionem adhibitam ad inueniendum Dominũ; si verò pauperi applicauit ante diligentiã adhibitã,teneretur Domino comparenti adhuc restituere propter culpã admissam,negligendo debitam diligentiam,quam tenebatur præmittere. iuxta rei qualitatem. Pauper autem cui res incerta applicata fuit,post sufficientem diligentiam, non tenetur domino comparenti restituere;cùm acquisierit dominium rei sibi traditæ. Ita *Az.*3.*p.l.* 4.*c.*25.*q.*1. *Henr.l.*7.*c.*34.*n.*6. *Mol.c.d.*747.*n.*4. *Vasq.de rest.c.*5.§.4. *d.*1. & 4. *Fill.tr.*32.*c.*4.*n.*99. *Syl.c.a.*5.*quæs.*5.*conc.*2. quamuis *Mol. Fill.* dicant rem restituendam domino esse si adhuc extet apud pauperem,secùs si consumpta sit vel alienata. Huius sententiæ est etiam *Syl.*

9. Retineri possunt tutâ conscientia bona incerta, quæ per compositionem Summus Pontifex retineri concedit; quia nulli damnum infertur in huiusmodi compositione, cùm bona sint incerta & non constet quis sit eorum dominus; credibile tamen est, si factâ compositione reperiatur dominus,

faciendã illi esse restitutionem, exceptis ijs quæ bona fide consumpsit, & quæ dedit pro compositione. *Sa V. restitut. num. 62. Navarrus cap. 17. num. 93. Reginald. l. 10. num. 201. Filliucius c. nu. 85.* Hæc autem compositio incertorum precisâ prohibitione aut consuetudine in contrarium fieri potest etiam à Principe sæculari in locis sibi subiectis; imò etiam ab Episcopo, nisi à Summo Pontifice prohibeatur; quia regulariter loquendo, Episcopus facere potest in suâ diœcesi quod fieri potest à Papa in toto orbe. *Bonac. de restitut. d. 1. quæst. 3. par. 4. nu. 22. Henriq. l. 7. cap. 33. num. 3. & 4. Sylvius 2. 2. q. 62. ar. 5. q. 5. c. 3. Diana p. 4. tr. 4. res. 112.*

Vide *Restitutio 4. §. 1.*

BONA PARAPHERNALIA.

SVMMARIVM.

1. *Bona paraphernalia quæ dicantur.*
2. *Bona, quæ mulier nubens non sibi reseruauit, an sint dotalia, vel paraphernalia.*
3. *Differentia inter dotem & paraphernalia.*
4. *Vir administrans bona paraphernalia suæ vxoris, an possit sibi retinere fructus industriales, vel etiam naturales.*

1. PAraphernum dictum est quasi iuxta dotem: à *para*, quod est, iuxta, & *phernados*; vnde paraphernalia bona ea dicuntur, quæ habet vxor præter dotem vndecumque; siue illa, quæ vxor in contractu matrimonij sibi reseruauit; siue illa quæ contracto matrimonio acquisiuit, donatione, legato, aut alia ratione; siue illa quæ vxor suo labore, & industria acquisiuit, præcisis tamen operis & obsequijs debitis familiæ. In quibusdam tamen locis non habent locum, vbi ex consuetudine vir omnia bona immobilia mulieris recipit in dotem, & omnia mobilia sunt communia. *Gloss. in rubr. C. de pact. convent. Bonac. de contr. d. 3. q. 11. p. 10. nu. 1. Sylvest. v. paraphernum. Layman l. 3. tr. 4. c. 13. n. 9.*

2. Bona, quæ mulier nubens sibi non reseruauit expressè vel tacitè, censentur dotalia, non verò paraphernalia, quia mulier dum nubit, censetur omnia sua bona viro in dotem assignare, nisi aliter ex verbis vel conjecturis appareat, contra *Couar. Rodriques*, & alios. *Sanchez de matrim. l. 1. disp. 60. n. 2. & lib. 9. d. 5. num. 9.*

3. Differentia inter dotem & paraphernalia hæc est, quòd dos inæstimata, residet penes vxorem quoad dominium, & proprietatem; quoad vsumfructum verò & administrationem pertinet ad virum. Dos æstimata æstimatione venditionem faciente spectat ad virum quoad dominium & vsumfructum, administrationemque; paraphernalia verò pertinent ad vxorem quoad dominium, vsumfructum & administrationem. Præterea dos habet priuilegium, vt propter ipsam hypothecata remaneant omnia mariti bona, & gaudeat iure prælationis contra alios antiquiores creditores. Paraphernalia verò non habent ius prælationis contra alios creditores, licet pro ipsis paraphernalibus hypothecata remaneant bona mariti, dum ei permissa fuit paraphernalium administratio. *L. hac lege, C. de pactis conuentis. L. fin. C. de pactis. L. vbi adhuc C. de iure dot. Rebellus 2. p. lib. 6. q. 2. num. 3. Barbosa. 1. p. l. 1. ff. solut. matr. n. 31. Layman c. num. 8.*

4. Quando vir administrat bona paraphernalia suæ vxoris, potest sibi retinere fructus industriales, quos ex paraphernalibus accepit & de voluntate vxoris consumpsit. Potest etiam sibi retinere fructus naturales consumptos, dum per eos non est factus ditior & locupletior, vel dum modicæ æstimationis sunt: fructus verò extantes & ipsamet bona paraphernalia post solutum matrimonium restituenda sunt vxori eiusve hæredibus, non secus ac dos. Porrò vir cui commissa fuit paraphernalium administratio tenetur in ijs seruandis & curandis de lata & leui culpa; quia qui commodum ex contractu percipit, tenetur tantam adhibere diligentiam, quantam adhibet in rebus propris. Hæc omnia de iure communi; quamuis circa prædicta plerisq; in locis vigeant contrariæ consuetudines. *Con. 2. p. epit. c. 7. §. 1. n. 2. Syl. c. n. 3. Reb. c. n. 2. & 3. Barb. c. n. 3.*

Vide *Donatio n. 4. Dos n. 11.*

C.

CALIX.

SVMMARIVM.

1. *Calix Missæ deseruiens, à quo debeat consecrari.*
2. *Calix debet esse ad minus stanneus, vel argenteus, non plumbeus, nec ex aurichalco.*
3. *Quando calix formam consecrationis amittat.*
4. *Calix, patena, palla & corporalia non possunt tangi à laicis & clericis qui sacris ordinibus non sunt initiati.*

1. CAlix Missæ sacrificio deseruiens debet ab Episcopo cõsecrari; simplex verò Sacerdos nec ex mandato Episcopi calicem seu patenam consecrare potest: quia hoc pertinet ad Ordinem Episcopi, & proinde consuetudine vel præscriptione id Sacerdotibus non potest conuenire; Quamuis Papa posset Presbyteris id committere. Vnde quibusdam Abbatibus insignibus Pontificijs vtentibus hæc potestas calicem consecrandi ex priuilegio Pontificio vel consuetudine etiam competit. *C. Vasa de consec. d. 1.* Vt docent *Syl. Tab. Armilla. Calix Bened. Abbas. Az. to. 1. l. 10. c. 28. Dia. p. 3. tr. 2. res. 15. Nal. v. Abbas n. 4. Fill. tr. 5. c. 4. q. 11.*

2. Calix, secundùm Canones, cum patena, si non ex auro, tamen ex argento debet esse. Si autem tam pauper est Sacerdos, saltem stanneum calicem habeat. De ære autem vel aurichalco calix non fiat, ne ob vini virtutem æruginem faciat, & vomitum prouocet. Nullus autem in ligneo aut vitreo calice præsumat missam cantare. Ex his verbis colligere licet vsum calicis plumbei non esse ferendum. *C. ex calix de consecr. d. 1. Suar. 3. p. to. 3. d. 81. sect. 7. Syl. 3. p. q. 83. a. 3. quæs. 6. Imò*, contra eum, qui vtitur calice ligneo, aut calice non consecrato, constituta est pena depositionis ab officio & beneficio. Vide *C. vt. ac celebr. Missar.*

3. Calix & patena amittunt consecrationem si notabiliter frãgantur, ita vt non possint inseruire ad vsum præfixum & constitutum; Item quando hęc vasa sunt deaurata & vsu aurum amittunt, & iterum postea deaurantur, quoad illam superficiẽ, quæ tangit Corpus & Sanguinem Christi; quia tunc posità nouâ deauratione, contactus Corporis & Sanguinis Christi non potest fieri in parte consecrata, cùm aurum additum non sit cõsecratum; Idem dicendum si calix argenteus deauretur; tunc enim indiget reconsecratione. Secus si deauratio cadat propter vsum; quia non reconsecrabitur; non solùm enim erat cõsecratum aurum secundùm se verùm etiam totus calix per modum vnius. Ita *Suar. 3. p. to. 3. d. 81. sect. 7. Vasq. 3. p. d. 233. c. 4. n. 33. Reg. 29. n. 199. Fill. tr. 5. n. 132. Henriq. l. 9. c. 28. n. 2. Sylvius c. quæs. 6.* contra *Dianam, Layn. l. 5. tr. 5. c. 6. n. 7. Coninch. q. 83. a. 3. n. 246. Sa v. calix n. 2.* quorum sententia videri alicui posset probabilis ex eo quòd Corporale lotum & iterum amydo dealbatum non egeat nouâ cõsecratione, vt docet Syl. *v. Corp. q. 3.* sicut nec Ecclesia consecrationem amittat per dealbationem parietum. Ratio verò est, quia quando pars minor additur maiori, trahitur ad conditionem maioris, vt pars vestis non benedictæ assuta vesti benedictæ, non eget nouâ benedictione, quia trahitur ad conditionem partis maioris, iuxta illud; *Non sacrum accessione ad Sacrum efficitur sacrum.* Sed tutior est prima sententia.

Inquiri hic posset, an calix amittat cõsecrationem suam per separationem cupę à pede calicis? *Pal. 4. d. 13. p. 2. a. 5. concl. 2.* & alij affirmant; quia nec pes sine scypho, nec scyphus sine pede consecrari potest; quia non est calix; quorum sententia vera est ex vnanimi omnium consensu, si cupę separatio fiat cum fractione; quia calix in tali euentu amittit suam figuram, & nõ est aptus ad vsum ad quem fuerat factus; secus dicendum si separatio fiat absq; fractione, vt accidit in calice tornatili, qui ita est à principio arte elaboratus, vt scyphus à pede amoueri & adaptari iterũ, & coniungi pro arbitrio nostro facilè queat; tũ quia sic vsu receptum est; tũ quia sola cupa est per se necessaria vt recipiat Sanguinẽ Christi, & ideò potest consecratio in solã cupam cadere & in eadẽ conseruari; cùm autẽ cupa non est affixa pedi, videtur hac intentione consecrari, quia alioquin nõ fierent Calices tornatiles ob incommodum, petendi nouam consecrationem, facta cupę separatione à pede. Ita *Suar. c. sec. 7. Arm. v. Calix n. 2. Bon. to. 1. d. 4. q. vl. p. 9. n. 20. Az. c. q. 7. Rodr. in sum. c. 8. n. 21. Reginaldus c. num. 200. Sylvius c. quæst. 6. in 3. edit. An autem*

calix

calix amittat conſecrationem per aliquos ictus à fabro inflictos: dicendùm eſt quod non: quia calix percuſſus neque frangitur, neque ſuperficiem mutat & propterea non deſinit eſſe conſecratus: Ita poſt *Barboſa alleg.* 27. *n.* 39. *Bon. c. n* 19. *Syl. c. q.* 6. *fol.* 399. quidquid in contrarium gratis aliqui aſſerant & ſine fundamento.

4. Calix, patena, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Chriſti, vt eſt palla & corporalia, non poſſunt tangi à laicis & clericis qui ſacris ordinibus non ſunt initiati, abſque peccato, ſaltem veniali, ſecluſo ſcandalo & contemptu; tamen quando vaſa continent actu Corpus vel Sanguinem Chriſti, non poſſunt tangi niſi à Sacerdote vel ad ſummum à Diacono: & contrarium ſine cauſa eſſet peccatum mortale: quia materia grauis: vt docent *C. Sacratas, diſt.* 23. *Suar. c. ſect.* 8. *Fill. c. n.* 135.

Ex priuilegio autem Calixti III. & Sixti IV. omnes Fratres Minores clerici & laici poſſunt tangere ſine ſcrupulo conſcientiæ calices & corporalia & alia paramenta, cum reuerentia tamen. Vt habetur in compendio *priuileg. mend. v. corporalia.* Sed hoc eſt viuæ vocis oraculum: & ideò reuocatum ab *Vrbano VIII.*

Vide *Benedictio* nu. 5. & 6. & v. *Miſſa* 5. nu. 2. *v. Abbas* nu. 7. *v. Altare.*

CAMBIVM.

SVMMARIVM.

1. *Cambium quid ſit? quid Campſor, Campſarius. Diuiditur in reale & ſiccum.*
2. *Quid cambium reale: & de eius diuiſione in minutum & locale.*
3. *Quid cambium locale.*
4. *Primus titulus cur campſor in cambio minuto, plus accipere poſſit, quàm dedit, eſt locatio operæ & obſequij, in congregando omnis generis pecunias.*
5. *Secundus titulus eſt lucri vel commodi ceſſantis.*
6. *Tertius eſt labor numerandi pecuniam: item ratione puritatis materiæ, poteſt exigi aliquid ſupra valorem nummi lege definitum.*
7. *Quartus eſt commoditas conſeruandi, trãsferendi, numerandi, & vbique negotiandi.*
8. *Ad iuſtitiam cambij per minutum tria deſiderantur.*
9. *Famulus, œconomus, vel procurator poteſt aliquid lucrari cambiendo ex pecunijs, quas à Domino accepit ad emendum, vel debitum ſoluendum.*
10. *Campſor in cambio locali poteſt aliquid lucrari, titulo translationis pecuniæ.*
11. *In cambio locali præſtatio periculi ſeu aſſecuratio, eſt titulus ſufficiens ad aliquid lucrandum.*
12. *Quando campſor dat prior pecunias vt alibi recipiat, poteſt lucrari.*
13. *Campſori licet lucrari, ratione maioris æſtimationis pecuniæ in loco vbi datur, quàm vbi redditur.*
14. *Ratione carentiæ pecuniæ cum qua eſt communitum periculum ne reſtituatur, licet campſori aliquid lucrari.*
15. *Cambium ad nundinas ſit licitum, concurrentibus quibuſdam conditionibus.*
16. *Monopolium in cambijs, vnde pretium directè augeatur, eſt contra iuſtitiam, cum obligatione reſtitutionis.*
17. *Quando cambium pro ſecundis nundinis cenſeatur vſurarium.*
18. *Certum intereſſe, an poſſit à principio deduci in pactum.*
19. *Pignus vel fideiuſſor poteſt exigi pro creditæ ſecuritate.*
20. 21. *Pactum campſoris cum campſore, vt ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eamdem ſummam accipere ad recambium, an liceat. Et qui ſi fiat recambium ad locum primi campſoris.*
22. *Campſor an teneatur partem debiti traditam à campſario, poſt multa cambia & recambia, computare pro extinctione capitalis.*
23. *Conditiones quas requirit Pius V. in ſua bulla de cambijs.*
24. *An hæc bulla Pij V. de cambijs ſit vbique recepta.*

1. CAmbium *eſt permutatio negotiatoria diuerſarum pecuniarum, ſeu pecuniæ pro pecunia.* Diuerſitas autem pecuniarum accidit, aut ex parte figuræ vt in pecunijs diuerſarum Prouinciarum, aut ex parte materiæ, vt cùm ſunt diuerſi metalli, aut ex parte qualitatis metalli eiuſdem generis, cùm vnum eſt præſtantius altero, aut ex parte quantitatis, cùm ſunt diuerſi ponderis, aut numeri. *Differunt autem* cambium & mutuum inter ſe. *Primò*, quia de ratione cambij eſt aliqua diuerſitas pecuniæ: de ratione autem mutui eſt, vt res mutuata in eadem ſpecie reddatur, niſi mutuans velit eſſe contentus re diuerſa. *Secundò*, de ratione mutui eſt vt aliquandiu ſolutio exſpectetur, de ratione autem cambij non item: conſtat enim ſimplex eius natura, licet pecunia diuerſa, pro diuerſa præſenti commutetur. *Nota campſorem* hic appellari illum à quo petitur, vt pecuniam permutet: Campſarium verò ad cuius petitionem pecunia commutatur. *Tol. l.* 5. *c.* 50. *n.* 1. *Sylueſt.* 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. *queſit.* 3. *Leſſius l.* 2. *c.* 23. *dub.* 1. *Nauarr. in man. ca.* 17. *num.* 286. *Valentia* 2. 2. *diſp.* 5. *queſt.* 23. *punct.* 1. *Layman l.* 3. *tr.* 4. *c.* 19. *num.* 10. *Filliucius tract.* 35. *par.* 2. *num.* 343. *& ſeq. Bonacina de contract. diſp.* 3. *qu.* 5. *punct. vn. num.* 1. *Mald.* 2. 2. *tr. de cambijs c.* 4. *dub.* 1. *Tann. to.* 2. *diſ.* 4. *q.* 7. *dub.* 5.

Diuiditur autem cambium à Doctoribus in reale & ſiccum: vocatur verò cambium ſiccum, quod non eſt verum cambium, ſed fingitur eſſe propter imaginem quamdam cambij quam præ ſe fert: vt quando habetur ſola ratio temporis, aut quando fingitur alibi ſolutio facienda, & fit eodem loco cum vſura: ſiccum etiam dicitur quia caret humore ſeu iuſto titulo ad patiendum lucrum; hoc cambium eſt vſurarium, quia accipitur lucrum ob ſolam dilationem ſolutionis, quæ eſt virtuale mutuum. Conſulantur Doctores hic citati.

2. Cambium reale eſt legitima permutatio pecuniarum, ex qua iuſtè aliquid lucri capi poteſt; & hoc ſubdiuiditur in minutum & locale. Minutum eſt, cùm quis dat pecunias maiores pro minoribus, vel è contrà; item cùm permutatur vetus cum noua pecunia, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum cuprea, dicitur etiam hoc cambium manuale, quia de manu ad manum eodem loco, ac tempore perfici ſolet. Hoc cambium eſt licitum, quæcumque interueniat pecuniarum diuerſitas, modò ſumma pecuniæ diuerſæ quæ redditur, tanti à viris peritis & probis æſtimetur, quanti æſtimatur ſumma data, & quidem in locis vbi pecunia recipitur & datur, ſiue in eodem, ſiue diuerſo loco, fiat receptio & datio: vt patebit ex dicendis infrà. *Reginald. l.* 25. *num.* 438. 439. *Sylueſt. c. queſit.* 3. *Bon. c. num.* 2. *Leſ. c. d.* 1.

3. Cambium locale eſt, in quo pecunia præſens commutatur cum pecunia diſtante in alio loco; & dici etiam ſolet cambium per litteras; quia campſor dat ſuas litteras, vt per eas campſarius accipiat in illo loco pecunias ab eo qui cãpſoris eſt ſocius. Et hoc cambium eſt licitum; quia ſi campſor reipsà pecunias campſario de loco in locum transferret, poſſet petere aliquam compenſationem, ergo etiam poteſt cùm accepta v. g. pecuniâ Antuerpiæ, dat illi litteras, vi quarum Hiſpali tantundem accipiat: quia hoc modo transfert, ſaltem virtualiter, pecunias campſarij Hiſpali Antuerpiam, vel Antuerpia Hiſpalim: quæ translatio virtualis non minorem adfert vtilitatem campſario, quam adfert realis translatio pecuniarum ipſius de loco in locum. Ita *Nauarr. in Man. c.* 17. *n.* 289. *Tolet. l.* 5. *c.* 53. *n.* 6. *Regin. c. n.* 456. *Mal. c. d.* 1. *Laym. l.* 3. *tr.* 4. *c.* 19. *n.* 2. *Val. to.* 3. *d.* 5. *q.* 23. *pu.* 4. *Fill. c. n.* 349. 398. *Syl.* 2. 2. *q.* 78. *a.* 4. *q.* 3. *conc.* 3. & alij communiter.

4. Varij à Doctoribus aſſignantur tituli, cur campſor in cãbio minuto plus accipere poſſit quam dedit. *Primus* eſt, locatio operæ & obſequij quod campſor præſtat, congregando omnis generis pecunias, quæ permutari debeant, & paratum ſe præbendo ab eaſdem commutandas ſecundùm campſariorum voluntatem; quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia, ideò pro hac obligatione & obſequijs quæ in commodum aliorum præſtat, à ſingulis poteſt aliquid exigere, præſertim ſi ad tale officium exercendum, publica magiſtratus authoritate conſtitutus ſit: *Sylueſt. v. vſura* 4. *q.* 7. *Valentia c. par.* 4. *Sua. v. cambium n.* 5. *Nauar. c. n.* 283. *Mald. a. dub.* 2. *Leſſius l.* 2. *c.* 21. *dub.* 2. *Syln. c. conc.* 2. Imò priuatus poteſt recipere lucrum, cambiendo, iuxta taxam, vel conſuetudinem, vel iudicium prudentum virorum; lucrum tamen debet eſſe moderatum, ne via fraudibus aperiatur, vnde priuatus non poteſt tantum accipere, quantum accipit campſor publicus, quia hic plures habet titulos accipiendi aliquid, quàm ille; vt docent *Salas in tr. de cambijs dub.* 3. *Filliuc. tr.* 35. *p.* 2. *n.* 363.

5. *Secundus titulus*, est interesse lucri vel commodi cessantis; & sic licet exigere supra valorem legitimum nummi, quanti æstimabitur arbitrio prudentis illa spes lucri, qua per cambium, quis priuatur: vnde si aliò nummos campsor erat translaturus vbi pluris valent, vel aliter ei plus erant valituri extra cambium, poterit indemnitatem suam in eiusmodi lucri spe æstimare; v.g. licet coronatos aureos valentes pretio legitimo sexaginta stupheris, commutare, cum sexaginta duobus stupheris argenteis, vt si constituerat illos coronatos aliò deferre vbi pluris valent, vel alibi merces emere, vbi sine damno alia moneta emere nequis; deducenda tamen est hic æstimatio periculi & impendij, si quod interuenturum putetur. Ita *Medina de vsuris q.7 Nauarrus in Man. c.17.n.288. Syl. c.q.3.concl.2. Bonac. de contract.disp.3.q.5.p.vn.n.3. Lessius l.2.c.23. dub.2.* & alij communiter.

6. *Tertius*, est labor numerandi pecuniam; cùm enim eiusmodi laborem campsor in gratiam campsarij subeat, meritò ei compensatur virtute intercedente contractu locationis operarum; Vnde quò maior pecuniæ quantitas cambienda est, eò, cæteris paribus, maior merces campsori debetur. Ita *Sotus de iust l.6.q.11.a.1. Graffius 1.p.l.2.c.110.n.4. Salas de cambijs dub.34.* & alij contra *Cauet.to.2.opusc.de cambijs tr.7.* qui hùc titulum non recipit, dicens actum numerandi gratis præstari solere, sicut vsus libri gratis conceditur; sed immeritò; licet enim gratis soleat subiri istiusmodi labor, non hoc arguit, vendi aut locari non posse, sicuti & in simili, quod adducit *Cauetanus* liber locari potest. Vt docet etiam *Malderus citat. dub. 2. Molina disput.399.*

Item ratione puritatis materiæ potest exigi aliquid supra valorem nummi lege definitum, vt antiqui ducati duplices pluris æstimantur quàm noui, etiamsi lege idem pretium habeant. Item ratione antiquitatis vel raritatis, quia tales nummi pluris æstimantur quàm alioquin valerent: Pecunia enim si consideretur, quatenus est mensura rerum venalium, non potest pluris expendi, quàm sit determinatio & taxa Principis; si tamen consideretur, vt est res quædam purior cæteris, pluresque habens commoditates, sic potest pluris expendi. Ita *Nau. in Man. c.17.n.288. Tol.l.5.c.51. Syl.c.conc.2. Az.3.p.l.10.c.4.q.4. Bonac.de contr.d.3.q.5.p.vn.n.3. Les.c.n.14.*

7. *Quartus* est, commoditas conseruandi, transferendi, numerandi & vbique negotiandi; vnde pluris æstimantur 1000. coronati in auro, quàm in pecunia minuta argentea; & in his permutandis potest hæc commoditas, quà se quis priuat, æstimari, nihil tamen ampliùs peti potest ratione commodi, quod alteri inde prouenit: Hunc titulum negat *Medina* & quidam alij, sed contrarium & meritò tenent *Filliucius t.35.p.2.nu.361. Cauet. Bannes Sotus, Sylueft. Lessius, Bonac. cit. Salas c.du.3.n.4.* & 6. *Syl.c.conc.2.*

Item ratione vsus seu expendibilitatis, v. gr. si in aliquo loco commutatio nummorum fiat, qui possunt ibi expendi cum ijs qui non possunt; cùm enim non habeant ibidem pretium vt nummi, sed solùm vt aurum vel argentum: possunt notabiliter minoris emi, quam valeant in sua patria.

8. Ad iustitiam cambij per minutum tria desiderantur. *Primum* est, vt in campsore nulla sit falsitas, dando quasdam pecunias pro alijs, aut aurichalcum pro auro, aut minorem pro maiori. *Secundum*, ne sit fraus decipiendo tractantes in valore monetæ, si enim campsori constet monetam plus valere, debet veritatem aperire. An autem qui scienter vel ex inaduertentia & ignorantia pecuniam adulterinam recipit, possit illam expendere; dicendum est quòd non: quia pecunia vitiosa est; res autem vitiata saltem notabiliter, non potest alteri tradi, vitio non detecto; neque enim ex eo quòd quis fuit deceptus, potest alios decipere, cùm actio, qua deceptus sum, non conferat mihi ius decipiendi alterum. *Tolet.l.5.c.51. num.8. Filliucius c.num.362. Nauarrus c.num.295. Synnus 2.2.q.78.a.4.q.3.concl.4.* Ita *Sanches l.2. Moral.cap.23. num.23. Lessius l.2.cap.14.dub.5.num.26. Azor.3.l.10.c.4.q.10. Arragon 2.2.q.62. art.6.dub.2.col.3. Tertium*, vt sit iustum pretium, nempe lege statutum: citra autem legem, id erit iustum pretium cambiorum, quod communiter prudentes & probi, ponderatis omnibus circumstantijs ad rem facientibus iudicabunt; nec in hoc multum respiciendum est ad labores corporales campsorum, sed communis æstimatio est maximè spectanda, vt fit in operis medicorum & Iurisconsultorum: Item iustum erit pretium, quod communi ipsius loci consuetudine; aut saltem proportione loci ad eum in quo lex est vel consuetudo, habitâ consideratione copiæ aut inopiæ talium pecuniarum. *Tol.l.5.c.51.n.8. Fill.c.n.362. Nauarrus in Man.c.17.n.288.* & 295. *Mol.disp.399. n.7.* & *disp.405.n.6.*

9. Si famulus, œconomus, vel procurator à Domino acceperit pecunias ad aliquid emendum vel ad debitum soluendum, & eas per cambium minutum permutet, lucrum quod cambiendo facit, potest sibi reseruare; quia tale lucrum est ex ipsius industria, labore & opera, vnde fructus industriæ dicitur, concurrente pecuniâ tamquam instrumento, quod ex se infœcundum est. Dominus tamen pecuniæ debet seruari indemnis; nam si damnum patiatur ob negotiationem suæ pecuniæ præstitam à famulo, œconomo, vel procuratore, certum est famulum teneri de damno; sicut & tenetur ad restitutionem, si eas pecunias expendendo, emisset domino res minori pretio, vel si dominus volebat eas pecunias pretiosiores tradi creditoribus; quia priuando creditores emolumento pretiosioris pecuniæ censetur illis damnum iniustè intulisse. Ita *Azorius 3. par. lib.10. capit.4. quæst.11. Lessius lib.2. cap.23.d. 2.num.18. Molina de iust.tom.2.tractat.2.d.402. Diana p.1. tr.8. res.32. Laym.l.3.tr.4.c.19.n.5. Reginald.l.25.num.450. Filliucius c. num.371.*

10. In cambio locali reali, quando campsor prior accipit pecunias vt alibi restituat, potest aliquid lucrari variis titulis. *Primo*, titulo translationis pecuniæ, trajicit enim pecuniam quæ hic est in locum vbi eam quis desiderat; quæ opera in gratiam alterius præstita, est pretio æstimabilis; nec refert, quod campsor reipsa pecuniam non transferat, quia eam quasi transfert, faciendo id, quod æquiualet reali translationi, ita vt campsario tantùm commodi præstet, quantum si reipsa transferret; vnde meritò potest pro illo obsequio pretium exigere. Sed quia hæc virtualis translatio non est tot periculis & difficultatibus inuoluta, sicut est translatio realis; campsor non potest tantum exigere, quantum exigeret, si pecuniam realiter transferret; vnde in conscientia exigat quantum inter campsores bonâ fide pro tali obsequio est constitutum. Ita *Graffius 1.p.l.2. c.110.num.4. Syluius 2.2.q.78.art.4.q.3.concl.3 Molina c.disp.403. Bonacina cit.disp.2.q.5.p.vnic.num.7. Reginald.c.num.454.* & 461. *Filliuc.c.n.380. Layman c.n.7. Malderus 2.2.tr.5.c.5. de cambijs dub.3.n.1.*

11. Titulus secundus, quo lucrari potest campsor in cambio locali, est præstatio periculi seu assecuratio. Quia accipiens hic pecuniam aliò trajiciendam, suscipit in se onus trãsferendi, & periculum, vt [redacted] pereat, non danti, sed ipsi pereat, quod est pretio æstimabile; Nec refert quod campsori in pecunia transferenda nullum sit periculum, cùm ipsi alibi eam paratam habeat, id enim ipsius industriæ vel fortunæ est assignandum. Vnde quò longius est iter, & quò maiora sunt pericula, eò amplius ratione assecurationis & translationis potest exigere à campsario; quia eò traiectio pecuniæ, si reipsâ fieri deberet, esset difficilior & periculosior; Ita Doctores numero præcedenti citati.

12. Quando campsor dat prior pecunias vt alibi recipiat, potest etiam lucrari. *Primo*, titulo virtualis translationis seu maioris æstimationis pecuniæ presentis quàm absentis; vnde cãpsor lucrari potest etiamsi vtrobiq; sit idem pretium monetæ, & eadem copia & inopia: Item etiamsi det ad locum intra idem regnum vel Prouinciam. Ratio est, quia sicut pecunia absens ab vno regno minoris valet illi regno, quam præsens in eodé regno; ita pecunia absens ab vna ciuitate eiusdem regni puta Parisijs, & præsens Lugduni, minoris valet Parisijs, quàm presens Parisijs; Imò quò plus distabunt regna vel ciuitates, eò minoris æstimabitur pecunia absens, ac proinde plus poterit campsor lucrari, ratione huius absentiæ, pecuniæ, secundũ locũ distantiorem. Ita *Nau. in Man. c.17.n.289.290. Az.t.c.6.q.4. Fill.c.n.395. 398.* & *400. Bo.c.n.6. Reg.c.n.456. Tol.l.5.c.53. Val.2.2.d.5.q.23.p.4.*

13. In hoc cambio locali, alius titulus quo lucrari licet cãpsori, est maior æstimatio pecuniæ in loco vbi datur, quàm vbi redditur; siue ea æstimatio sit intrinseca; hoc est siue à lege vel cõmuni cõsuetudine valor pecuniæ proueniat, ex conditione materiæ & põderis, siue procedat ex causis extrinsecis & fortuitis; & ideò ratione vtriusq; æstimationis potest campsor aliquid lucrari; modò lucrum non excedat iustum cambij pretium; v.gr. coronatus pluris valet in Belgio quã in Hispania, vnde cãpsor qui mille coronatos daret Antuerpiæ, recipiẽdos Hispali, deberet amplius Hispali, quam mille coronatos recipere vt fiat æqualitas. Item etsi aurei nummi & argentei eamdem habeant

æstima-

æstimationem legalem hic Duaci & Parisijs, videlicet 60. aſſis, tamen fieri poteſt vt hic maiorem habeant æſtimationem accidentalem, ſiue fortuitam, vel ratione maioris raritatis talis pecuniæ inter campſores; vel ratione maioris ſecuritatis pecuniæ in vno loco, quàm in alio: vbi enim ſunt pericula, cæteris paribus pecuniæ minoris æſtimantur, vt docet *Caietan. de cambijs ca.* 7. vel ratione maioris numeri petentium ad cambium: inde etiam augeſcit æſtimatio & valor pecuniarum, ſicut pretia mercium augentur, quando ſunt plures emptores: inducunt enim raritatem. *Sylu. v. vſura* 4. q. 8. §. 1. *Fill. c. n.* 380. *Leſ. c. dub.* 4. *n.* 34. *& ſeq. Regn. c. n.* 461. *Mald. c. de cambijs dub.* 3. *num.* 3. *Laym. c. c.* 19. *n.* 8.

14. Alter titulus quo licet campſori in hoc cambio aliquid lucrari, eſt carentia pecuniæ, cum qua eſt coniunctum periculum ne reſtituatur, & priuatio commoditatis negotiandi eâ pecunia, quæ apud mercatores magni æſtimatur, ideoque quò longius eſt tempus in quod eam pecuniam concedunt, eò plus lucri exigunt, & quò breuius, eò minùs. Ordinariè enim campſores pluris æſtimant carere pecunia ſua quinque menſibus, quàm quatuor, & carere quatuor quàm tribus; idque partim quia interim carent facultate lucrandi illa pecuniâ; partim quia diutiùs verſatur ſors in periculo. *Fill. c. n.* 404. *Laſ. c. dub.* 6. *n.* 55. 56. *Cauet. c. Mald. c. dub.* 4.

15. Cambium ad nundinas non differt niſi accidentaliter à cambio locali ex natura ſua, quia eædem perſonæ in vtraque conueniunt, regitur eodem nummo, & variatio pretij fit iuxta longius aut breuius tempus; vnde fit licitum concurrentibus quibuſdam conditionibus. *Prima* eſt, vt fiat realis permutatio ex vno loco in alium habitâ ratione diuerſitatis pecuniæ & valoris monetarum. *Secunda*, vt ſeruetur iuſtum pretium ſecundùm communem fori æſtimationem; in qua æſtimatione habenda ratio eſt abundantiæ pecuniæ, vel penuriæ, diſtantiæ aut vicinitatis locorum, *Tertia*, vt in æſtimatione pretij non habeatur per ſe ratio temporis, hoc enim eſſet vſurarium vt colligitur ex bulla *Pij V. Fellineus tract.* 35. *par.* 2. *cap.* 7. *Syluester v. vſura* 4. q. 4. *Nauar. in Man. c.* 17. *n.* 297. & ex communi docent *Med. de cambijs* q. 8. *Mald.* 2. 2. *de inſt. tract.* 5. *c.* 4. *dub.* 4. diſtantia enim temporis lucrum iuſtum non parit ſicut diſtantia loci, quę regulariter onera æſtimabilia in translatione coniuncta habet.

16. Monopolium in cambijs vitandum eſt, vnde pretium directè augeatur: hinc monopolium facientes directè & per ſe, ſiue ex pacto expreſſo, ſiue tacito peccant contra iuſtitiam, ſi augeant pretium ſupra iuſtum: contra quam etiam faciunt cooperatores monopolij poſitiuè; facientes enim ſunt cauſa efficax incrementi illius pretio modo indebito, quia pretium iuſtum cambij non pendet ex eorum arbitrio, ſed ex alijs cauſis, & conſequenter ſunt cauſa damni accipientium ad cambium iniuſta, & ideò tenentur ad reſtitutionem totius damni: Cooperatores verò poſitiuè tenentur in ſolidam ad reſtitutionem, poſito quòd principales non ſatisfacerent; quia recondèdo tantam pecuniæ ſummam, quæ poſito monopolio principali, poſſet augere notabiliter pretium, fiunt participes totius damni contra iuſtitiam. Ita *Tol. l.* 5. *c.* 53. *n.* 3. *Fill. c. c.* 7. *nu.* 415. *& ſeq. Sot. de inſt. l.* 6. *q.* 12. *a.* 3. *Nau. de vſur. n.* 59. *Bon. c. n.* 16. *Sal. de cambijs* q. 4. *a.* 2. *centr.* 13. contra *Mol. c. d.* 345. *in fine Leſ. l.* 2. *c.* 21. *dub.* 20. *n.* 151. *Salas de cambijs dub.* 28. *n.* 4. exiſtimantes non peccare contra iuſtitiam commutatiuam, neq; teneri ex rigore iuſtitię ad reſtitutionem: ſed tantùm eſſe peccatum contra charitatem proximorum & contra iuſtitiam legalem ſeu publicam vtilitatem: quorum ſententia non eſt improbabilis. Porrò pretio per monopolium inducto non poſſunt vti ij, qui non fuerunt eius cauſa, in principio ſaltem; ſecùs poſtquam communiter receptum erit: quia antequam vſu confirmetur & ab omnibus recipiatur, cenſetur iniuſtum, vtpote inductum ab ijs qui non habent ad id authoritatem & per monopolium.

17. Cambium pro ſecundis nundinis vel tertijs, vſurarium cenſetur, ſi campſor ob id plus exigat, quàm exigeret, ſi pecuniâ daret ad proximas tantum nundinas, nam alioquin aliquid exigeret ob ſolam dilationem, quo eſt vſurarium: cum pari tamen lucro liceret ad ſecundas vel tertias nundinas pecuniam dare, quia hoc cedit in fauorem campſarij. Limitat etiam *Nau.* niſi gratias id campſor concederet; tunc enim nulla eſſet vſura nec intelligeretur eſſe prohibitum in Bulla *Pij V.* Ita *Leſſius l.* 2. *c.* 21. *dub.* 11. *numer.* 91. *Tolet. l.* 5. *caput.* 53. *num.* 7. *& c.* 55. *num.* 2. *Nauarr. c.* 17. *n.* 301. *Reg. l.* 25. *n.* 466. *Bon. c. n.* 9. *Fill. c. nu.* 411. 424. *& 482.*

18. Certum & determinatum intereſſe non poteſt à principio in pactum deduci pro periculo, cui ſe exponit concedendo dilationem vltra terminum ordinarium; vbi bulla *Pij V.* de cambijs ſeruatur. Aduertendum tamen eſt non prohiberi, vt qui alterius causâ patitur reale intereſſe non poſſit indemnis ſeruari in foro conſcientiæ, id enim in alijs contractibus de iure naturæ licitum eſt, v. g. ſi campſor ob hanc moram debuerit accipere pecuniam ſibi vſura, aut lucris per eam ſperatis exciderit. Vnde pactum de lucro incerto iniri poteſt, quod ceſſabit campſori, ſi in loco conſtituto campſarius non ſoluat tempore determinato: nam hoc pactum non videtur prohiberi à Summo Pontifice: vſus tamen dandi ad cambium initio cum maiori lucro, quàm in medio aut fine, iuſtificari poteſt, ſi per ſe temporis ſolius ratio non habeatur. *Nau. c. n.* 301. *Reg. c. n.* 467. *Fill. c. n.* 482. *Leſ. c. n.* 90. *Val. to.* 3. *d.* 5. *q.* 23. *p.* 4. *Sal. de cambijs d.* 13. *& d.* 22.

19. Qui tradit pecuniam ad cambium alicui cui non fidit, poteſt exigere pignus, vel fideiuſſorem pro crediti ſecuritate; nam in omni contractu licitum eſt cuiq; ſe indemnem ſeruare, ſibique conſulere quantùm poſtulat natura contractus; fructus tamen pignoris in ſortem computandi ſunt, ſi fortè illud frugiferum ſit, alioquin acciperetur aliquid ſuprà æqualitatem. Vide *Az. 3. p. l.* 10. *c.* 11. *quæſ.* 11. *Leſ. c. d.* 8. *n.* 7. *Tol. c. c.* 52. *n.* 3. *Sal. c. d.* 21.

20. 21. Campſor non poteſt paciſci cum camptario, vt ſi elapſo termino, vel in loco præfixo non ſoluat, teneatur eamdem ſummam accipere ad recambium, niſi certò conſtet tantum lucri campſorem moraliter percepturum ab alijs, ſi ſolutio ſibi fieret ſtatuto loco vel tempore; hoc enim licitum eſt ratione lucri ceſſantis; non enim poteſt plus exigere ratione moræ quàm æſtimationem huius lucri & periculi ſortis. Vnde toleratur pactum, quo campſor obligat campſarium, vt ſi termino conſtituto non ſoluerit, fiat recambium ad locum primi campſoris; quia hoc nihil aliud eſt, quàm illum obligare ad intereſſe lucri ceſſantis. Vt tradunt *Graſſius 1. p. l.* 4. *c.* 110. *n.* 15. *Leſ. c. n.* 83. *Fill. c. n.* 471. *Salas c. dub.* 22. *conc.* 2.

22. Non tenetur camptor, qui campſarius poſt multa cambia & recambia tradidit partem debiti, eam partem computare pro extinctione capitalis, ſed poteſt eam compenſare pro extinctione lucrorum & intereſſe capitalis; Ratio eſt, quia quando ex debito aliquo principali, tamquam ex radice, naſcuntur alia debita tamquam fructus; tunc ſi fiat ſolutio, primò cenſetur fieri pro fructibus illis dependentibus; deinde ſi quid ſuperſit computatur in ſortem; vt patet ex praxi, in ſolutione cenſuum, & in ſolutione debitorum ſocietatis, vel mutui. Ita *Fill. c. n.* 472. *Bon. de contr. d.* 3. *q.* 5. *p. vn. n.* 23. *Leſ. c. dub.* 10. *Salas de camb. dub.* 25. *n.* 2.

23. Conditiones quas requirit *Pius V.* in ſua bulla de cambijs hæ ſunt.

Primò, damnat Pontifex tamquam vſuraria omnia cambia ſicca, in quibus falsò fingitur alio loco futura ſolutio, cùm intendatur futura eodem vbi fit contractus.

Secundò. Iubet ſeruari quaſdam conditiones in cambio reali. Prima eſt, ne campſor ratione dilationis vltra terminum præſtitutum conceſſæ, paciſcatur de aliquo lucro.

Secunda, ne ab initio, vel poſtea paciſcatur de certo intereſſe, etiam in euentu, quo non fieret ſolutio tempore debito. Non prohibet tamen pactum de intereſſe incerto, quod poſtea ex mora campſarij deprehenſum fuerit, & ne pœna moderata adijciatur, ſi ex negligentia tempore conuento non fuerit facta ſolutio.

Nauarrus putat hanc prohibitionem fundari in præſumptione fraudis vſurariæ, & in foro conſcientiæ, vbi ceſſant præſumptiones, valere pactum de certo intereſſe, ſi mortaliter conſtet, illud iuſtum eſſe.

Leſſius tamen arbitratur mentem Pontificis eſſe, abſolutè tale pactum vetare. Vnde erit illicitum vbi bulla eſt recepta, quamuis non irritum; quia Pontifex non irritat tale pactum.

Tertia, ne vltra primas nundinas, aut conſuetos terminos vbi nundinæ non expectantur; realia cambia exerceantur, iuxta receptum locorum vſum; videlicet cum extenſione proportionali lucri.

Quarta, vt in terminis ſolutionum conſtituendis, habeatur ratio longinquitatis & vicinitatis locorum in quibus ſolutio deſtinatur; ne dum longiores præfiguntur, quàm loca deſtinata ſolutioni deſiderant, fœnerandi detur occaſio.

De his conditionibus videndus eſt *Nau. in Man. c.* 17. *n.* 300. *& ſeq. Mal. de inſt. tr.* 5. *c.* 4. *dub.* 11. *Leſ. l.* 2. *c.* 23. *du.* 11. *Bon. de contr. diſ.* 3. *q.* 5. *pu. vn. n.* 9. *& ſeq. Regn. l.* 25. *n.* 467.

24. Hæc bulla *Pij V.* de cambijs paucis locis & fortè nusquam, saltem quoad omnes eius conditiones, est vsu recepta. Vt docet *Lessius* citatus.

CANONICVS.

SVMMARIVM.

1. *Qui Canonicatus priuilegium obtinuit cum futura successione, an teneatur ad horas Canonicas.*
2. *Canonicus tenetur ad recitandum diuinum officium, etiamsi primo anno fructus beneficij non recipiat.*
3. *Qui domi priuatim officium recitant, vt postea in Ecclesia in ministrandis Sacramentis vacent, an teneantur ad restitutionem distributionum.*
4. *Integras distributiones an percipere possit Canonicus recitans horas submissa voce, alijs canentibus.*
5. *Sola præbenda an Canonicum faciat, seu potius collatio muris spiritualis ab eo qui potestatem habet.*
6. *Receptus in Canonicum cum promissione præbendæ, an eamdem possit exigere cum occasio se obtulerit.*

1. QVi priuilegium canonicatus obtinuit cum futura successione, non tenetur ad horas canonicas. Tùm quia coadiutor canonici, non est verè Canonicus, nec pro tali habendus est viuente coadiutore: licet enim vulgò ita nominetur propter ius ad succedendum, verè non habet canoniam, neq; præbendam, neque habet titulum vel possessionem canonicatus, sed coadiutoriæ tantùm, & quoad illam habet ius in re, quoad canonicatum autem tantùm ad rem. Tùm quia obligatio recitandi horas semper manet apud proprietarium, ergo non obligat coadiutorem: nam ex vno beneficio non obligantur duo ad recitandum. Tùm quia ita declaratum est à *S. D. N. Paulo V.* ad petitionem Ecclesiæ Cathedralis Conimbricensis, vt refert *Suarez de relig. to. 2. l. 4. c. 22. n. 16. Medina de orat. cap. 7. Nauar. de orat. c. 2. n. 18.*

2. Canonicus tenetur ad recitandum diuinum officium, etiamsi primo anno fructus beneficij non recipiat: dum fructus beneficij ex consuetudine cedunt hæredibus Canonici mortui, aut distribuuntur inter Canonicos antiquiores. Ratio est, quia voluntariè se subiecit oneri, & habet titulum possessionemque beneficij, cui est annexa obligatio recitandi diuinum officium, & quamuis ipse de præsenti non percipiat fructus, nihilominus hæredes ipsius percipient post mortem Canonici. Ita *Azo. 1. p. l. 10. c. 4. q. 4. Leym. l. 4. tr. 2. c. 5. n. 4. Les. l. 2. c. 34. n. 170. Garz. 3. p. c. 1. n. 62.*

3. Non peccant Canonici, nec consequenter tenentur ad restitutionem distributionum, qui domi priuatim officium recitant, vt postea in Ecclesia alijs seruitijs Ecclesiæ & chori, vel ministrandis Sacramentis, seu in audiendis confessionibus detineantur; & hoc maximè verum de illis, quibus ex officio incumbit ea munia obire, attentis constitutionibus & vsu Ecclesiæ, Concilium enim Tridentinum sanxit, vt Pœnitentiarius dùm confessiones in Ecclesia audit, præsens in choro censeatur, & consequenter distributiones, quæ choro interessentibus tribuuntur, percipere possit. Secùs autem si diuinorum officiorum tempore confessiones domi, aut alibi excipiat. Vide *Bonac. de ors canonicis disp. 2. q. 5. pu. 3. §. 5. Garz. p. 5. de benefi. cap. 4. n. 124. Conc. Trid. sess. 24. c. 8.*

4. Canonicus recitans horas submissa voce alijs canentibus, non potest integras distributiones percipere, sed tantum medium partem illarum. Ratio est, quia ille qui ita se gerit in choro, non in totum deest suo muneri, nam illa præsentia aliquid est, & in Dei cultum & chori honorem, & auctoritatem redundat, partem etiam cantus implere videtur, audiendo cum attentione, ac deuotione; ergo ratione alterius defectus in canendo pro parte ista satis videtur ex natura rei, vt dimidiam partem distributionum suam non faciat. Ita *Suarez de relig. to. 2. l. 4. cap. 12. n. 10. & 11. Filliucius tr. 23. c. 6. m. 196. Diana p. 1. tr. 12. res. 33.*

Si tamen iuxta statuta, consuetudinem aut fundationem, sola præsentia sufficiat ad lucrandas distributiones integras, posset percipere, quia tunc distributiones non dantur propter cantum, sed præcisè propter præsentiam: talis enim esse videtur à principio conuentio inter fundatorem seu Ecclesiam, & præbendatos. Vide plura apud *Bonacinam de horis canonicis, disp. 2.*

5. Cùm in beneficio Ecclesiastico duo iura considerari possint, primum per se spirituale, videlicet ius officij, seu potestas exercendi muneris spiritualis: Alterum, secundùm se temporale, nempe ius ad percipiendum reditus Ecclesiasticos; & hæc duo iura à se mutuo separari possint, hinc præbenda Canonicū non facit, sed potiùs collatio iuris spiritualis, facta ab eo, qui potestatem habet: Quare fieri potest vt propter solum ius Canoniæ aliquis suffragium in Capitulo habeat, quamuis talis non proprie censeatur habere beneficium, si nullos reditus accipiat. *Suarez de relig. tom. 1. l. 4. de Simon. cap. 24. num. 1. & 2. Abbas in c. cum super, n. 2. de concess. præbenda. Cap. relatum nu. 2. de præbendis.*

6. Receptus in Canonicum cum promissione præbendæ, eamdem exigere potest, cùm occasio se obtulerit; quia Canonico de iure præbenda debetur, non ex vi promissionis præcisè, sed ratione obtentæ canoniæ; congruum enim non est, vt Canonicus sine præbenda sit. Si tamen post eius receptionem alius ex mandato Papæ cum gratia exspectatiua receptus fuerit, hic illi præferendus est. Ratio est, quia licet alter sit prior tempore, non tamen habet ius per se ac directè ad beneficium primò vacaturum, sicuti posterior. *C. relatum de præbend. instit. Gloss. ver. in promiss. Abbas in C. cum super n. 5. de concess. præb. Laym. l. 4. tr. 2. c. 10. n. 2.*

CAPITVLVM.

SVMMARIVM.

1. *Capitulum an aliquid statuere possit vel nouare absque consensu Episcopi.*
2. *In iis quæ maioris sunt momenti, an Episcopus aliquid statuere possit sine consilio Capituli.*
3. *In causis quæ ad Capitulum attinent, an consensus capitularium requiratur.*
4. *Si Episcopus vel Prælatus malè administret, an Capitulum seu conuentus contra illum agere possit.*
5. *Capitulum, an sede vacante, possit beneficia conferre, quæ patronata non sunt.*
6. *An in iurisdictione delegata & ordinaria Episcopi, Capitulum succedat.*
7. *Bona immobilia Cathedralis Ecclesiæ, & mobilia pretiosa, alienare non potest Capitulum sede vacante.*
8. *Capitulum, an literas dimissorias dare possit sede vacante.*
9. *An indulgentias concedere possit sede vacante Capitulum Cathedralis Ecclesiæ.*
10. *An possit sede vacante assistere matrimonio, vel ad id licentiam dare. Et an voluntarias gratias conferre, aut fructus Episcopatus distrahere possit.*

1. CApitulum nihil statuere potest, vel nouare Episcopo viuente iurisdictionem tenente, absque eius voluntate & approbatione, iuxta *Cap. cum consuetudinis, de consuetudine.* In causis tamen exiguis, Capitulum vel Conuentus sine Prælati consensu statuere potest, si ad ipsum causæ propriè spectent, puta, qua ratione Capitulum congregandum sit, distributiones vel reditus diuidendi, vt ex communi tradit *Abbas in c. cum omnes n. 3. de const. Innocent. in c. cum consuetudinis. Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. p. 3. n. 30.*

2. Sine Consilio Capituli Episcopus nihil statuere debet iure communi, & seclusa contrariâ consuetudine, *in iis* quæ maioris momenti sunt; efficiunt enim Episcopus & Canonici vnum corpus, cuius ille caput est, hi membra. Si tamen Capitulum sine iusta causa contensum neget, firmum nihilominus erit, quod Episcopus statuerit, cùm iura non tam consensum, quàm consilium Capituli requirant. *Cap. nouit, Cap. quanto, de his quæ fiunt à Prælatis. Abbas in capit. edoceri in 6. & seq. de rescriptis.*

3. In causis tamen quæ ad Capitulum quoque attinet, vel in eius damnum cedere possunt, consensus etiam Capituli tamquam collegarum, seu consortium in tali causa exigeretur. Et hæc est communis sententia apud *Suar. de leg. l. 4. c. 5. n. 2. Fel. in c. cum omnes de const. n. 11. Bon. c. n. 24.*

4. Si Episcopus aliúsve Ecclesiæ Prælatus malè administret, Capitulum seu conuentus contra illum agere potest, & res malè alienatas reuocare. *Abbas in c. edoceri de rescr. Laym. l. 1. tr. 4. c. 7. §. 4.*

Vt statutum Capitulare fieri possit, sufficit consensus maioris par-

ris partis, si ratio necessitatis vel magnæ vtilitatis vrgeat, alioquin verò quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet. *reg.* 29. *in* 6.

5. Capitulum, sede vacante, beneficia conferre non potest quæ patronata non sunt. Potest tamen Capitulum beneficia concedere in commendam ad sex menses, etsi interim Episcopus non eligatur & confirmetur, tempus prorogare, vt ait *Cap. illa deuotionis, Ne sede vacante Rebuffus in praxi benef. p. 1 tit. de deuol. nu. 77.*

Præterea, si libera collatio beneficiorum ad Episcopum & Capitulum communiter pertinet, possunt ea, sede vacante, à Capitulo conferri. Vt habetur in *Cap. si ad Episcopum, ne sede vacante, in* 6.

6. Capitulum non succedit in iurisdictione delegata Episcopo: quia censetur electa industria personæ: Item si delegatio à iure seu canone fiat Episcopo tamquam delegato Sedis Apostolicæ, ratione dignitatis suæ, quæ non transit ad Capitulum. Succedit autem Capitulum, sede vacante, in iurisdictione, quæ competit Episcopo iure communi & ordinario: non item in ea, quæ speciali iure: Propterea quoties potestas Prælato competit ratione Prælaturæ, eo mortuo transit ad Capitulum, ijs exceptis, quæ Sede vacante expediri non possunt. *Abbas in cap. cum olim, dub. 5. de maiorit. & obedient. Sanches de matrim. l. 8. disp. 2. num. 10. Rebuffus c. num. 58. Azor. p. 2. l. 3. c. 37. q. 6. Ioan. Andr. in cap. cum olim, de maiorit.*

Sed petes, an iurisdictio, quam Capitulum habet sede vacante, sit ordinaria? Resp. ordinariam esse in spiritualibus & temporalibus, quoniam iure communi eam habet, & ad vniuersitatem causarum. Vnde potest interponere decretum in alienationibus rerum minorum, & emancipationibus liberorum, & manumissionibus seruorum. Potest dare curatorem, & tutorem, & sequestrare beneficia post primam sententiam in curia datam, & suas sententias exequi. *Gloss. c. 2. Ne Prælati voces. Ioan. Andr. in cap. vlt. de suppl. neglig. Prælat. in* 6.

Imò Capitulum sede vacante potest committere alicui Episcopi, ea quæ sunt ordinis Episcopalis: quamuis enim exercere nequeat, quæ sunt ordinis Episcopalis, potest tamen cõmittere Episcopo, vt ea exerceat: quia committere est iurisdictionis, non ordinis, exercere verò est ordinis. Hoc colligitur ex *Cap. Suffraganeus, de elect. Cap. Pontifices. 7. q. 1.*

7. Capitulum bona immobilia Cathedralis Ecclesiæ, & mobilia pretiosa quæ seruando seruari possunt, vacante Sede alienare non potest, sine Sedis Apostolicæ auctoritate: Nam Ecclesia tunc defensore suo carere censetur; sed nec causa iudicialis agitari debet, nec præscriptio contra Ecclesiam interim procedere potest. *Cap. hæc huius, 12. q. 2. Cap. 1. & vlt. Ne sede vacante, Molina tr. 2. disp. 78. & tr. 5. disp. 11.*

Tamẽ in alienatione ab inferioribus Ecclesijs facta ex causis permissis, potest consensum præstare & confirmare. Ratio est, quia hic actus est iurisdictionis, & quamuis Capitulum res Episcopatus alienare prohibeatur, non tamen prohibetur cõfirmare alienationem, si Ecclesiæ inferiores iustà ex causà alienauerint, & in casibus, quibus posset Episcopus. *Abbas ca. cum olim, dub. 3. de maior. Rebuffus in praxi tit. de deuol. nu. 104.*

8. Capitulum infrà annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut dimissorias litteras dare non potest, præterquam ei, qui Ecclesiastici beneficij recepti aut recipiendi occasione arctatus est; & si contraueniat Capitulum, Ecclesiastico subiacet interdicto: & sic ordinati, si in minoribus ordinibus cõstituti fuerint, nullo priuilegio clericali præsertim in criminalibus gaudent. In maioribus verò ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati sunt ipso iure suspensi. Ita *Concil. Trid. sess. 7. c. 10. Cap. cum nullus, de temporibus ordinationum in* 6.

Iure autem antiquo Capitulum sede vacante concedere poterat ordinandi licentiam. Sic enim habetur: *Episcopo in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis, vel sede vacante Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possint licentiam ordinandi.*

9. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, secundùm probabiliorem Doctorum sententiam, non potest Sede vacante indulgentias concedere. Tũ quia nullo iure ei conceditur. Tũ quia non succedit Episcopo in potestate iurisdictionis extraordinariæ, saltem in ijs quæ sunt reseruata dignitati Episcopali. Tùm quia hæc carentia non est rei necessariæ; sed supererogationis, potéstque sufficienter iurisdictio Episcopalis à Capitulo administrari sine hac potestate. Ita *Suares tom. 4. disp 55. sect. 4. num. 9. Sotus 4. dist. 21. q. 1. ar. 4. Henriq. l. 7. c. 31. Benacina to. 1. disp. 6. q. 1. p. 3. num. 23.* Quamuis non sit improbabilis contraria sententia *Azor. p. 2. l. 3. c. 17. q. 9. Syluest. v. capitulum, quæst. 10. Nauar. de Indulgent. not. 31. num. 6. & 7.* & aliorum: quia cũ indulgentias concedere sit actus iurisdictionis, & ius dicat simpliciter Capitulum succedere in iurisdictione Episcopi, non est, quòd nos restringamus ad iurisdictionem necessariam, non voluntariam.

10. Capitulum sede vacante potest assistere matrimonio, vel alij Sacerdoti licentiam dare. Quia succedit in omni iurisdictione ordinaria Episcopi, vt colligitur ex *Cap. cum olim. fin. de maior. & obedient.* & ex communi docet. *Sanches de matr. l. 3. disp. 28 num. 5.*

Denique ad Capitulum non pertinet, vacante Sede, merè voluntarias gratias, siue donationes sine debito necessitatis conferre, aut commoda Episcopatus distrahere. Sicut notat Glossa recepta in *C. 1. de instit. in* 6.

11. Quamuis Capitulum sede vacante possit, de iure communi, reuocare licentias & approbationes concessas religiosis, audiendi confessiones sæcularium, nec non prædicandi, siue sint absolutè concessæ, siue ad tempus certum. Spectatis tamen priuilegijs, Regularium, aliter dicendum est. Capitulum igitur Sede vacante, non potest hanc approbationem à præcedente Episcopo Mendicantibus datam reuocare, nec licentiam ad prædicandum, aut ad aliqua vota in pia opera cõmutanda: propter speciale priuilegium concessum Dominicanis à *Clemẽte IV.* in bulla *Exigentibus vestræ deuotionis meritis* apud *Rodrig. in Bullario tom. 4. Clem. IV. & to. 1. qq. reg. q. 59. ar. 6.*

12. Capituli authoritas & potestas consistit in maiori parte, & saniori; ita quòd totum Capitulum facere dicitur, quod facit maior pars, & sanior. Verũ tamen est quòd quando maior pars Capituli delinquit, & propterea est sua potestate priuata, tunc tota Capituli potestas residet in minori parte, quæ non deliquit: prout notat *Cap. cum in cunctis, de his quæ fiunt, à maior. part. Panormit. in C. 1. de his quæ fiunt.* Sed plura notanda de Capitulo, habes apud *Quarantam in Summa Bullarij* verb. *Capitulum sede vacante.*

Vide *Beneficium* 5. n. 5. *Irregularitas* 11. n. 6. *Lex* 1. n. 6. *Ordo* 3. n. 3. *Confessarius* 3. n. 6. *Censura* n. 9.

CASVS RESERVATVS.

SVMMARIVM.

1. *Casus reseruatus quid sit? Et quis possit casus reseruare.*
2. *An Summus Pontifex reseruet sibi culpas vel censuras.*
3. *Peccatum quod reseruari solet, debet esse mortale, opere externo consummatum, & non solum internum.*
4. *An peccata reseruari possint valide pro arbitrio Superiorum absque causa legitima:* refertur duplex sententia.
5. *Episcopus reseruat sibi casus absque censura; & an sint hoc tempore aliqua peccata de iure Episcopo reseruata. Et an casus reseruati expirent per mortem reseruantis: vel per amotionem ab officio?*
6. *Quis habeat facultatem ordinariam & directam absoluendi à casibus reseruatis.*
   An Archiepiscopus possit subditos suffraganeorum à reseruatis absoluere?
   An Parochus possit sibi reseruare casus respectu suorum Capellanorum?
7. *Episcopus vel alius Prælatus incidens in casum Papæ reseruatum, an absolui possit à proprio confessario.*
8. *Quis habeat facultatem delegatam absoluendi à reseruatis.*
9. *Confessarius an possit absoluere iter agentes aut peregrinos à casibus reseruatis suo Episcopo, si non sint etiam reseruatis Episcopo loci:* refertur duplex sententia.
10. *Iter agens habens reseruata tam Episcopo proprij domicilij, quàm Episcopo loci, non potest absolui ab illo qui non habet potestatem circa reseruata.*
11. *Peregrinus habens casus reseruatos Episcopo loci in quo confitetur, non potest absolui à quolibet simplici confessario, si illi casus non sint reseruati Episcopo proprij domicilij.*
12. *Habens priuilegium absoluendi ab omnibus censuris & casibus reseruatis, an possit valide absoluere à censuris in bulla Cœnæ Domum contentis, & à casibus Episcopo loci reseruatis? refertur declaratio Clementis VIII. pro Italia.*
13. *Parochus qui intra spatium 15. dierum Iubilei commisit aliquod reseruatum spe absolutionis obtinendæ, an possit absolui.*

14. Quo

14. *Qui obtinuit Iubilæum prima hebdomada an possit adhuc absolui à reseruatis in secunda hebdomada?* refertur duplex sententia.

15. *Confessarius an ordinariè debeat mittere pœnitentem, qui habet casus reseruatos, ad Superiorem, vel ab eo absoluendi potestatem petere.*

16. 17. *In casu necessitatis, an possit inferior Sacerdos absoluere eum, qui habet casus reseruatos, antequam coram Superiore compareat:* refertur triplex sententia.

18. *An possit absolui pœnitens, qui bona fide confitetur, nescions suum peccatum esse Superiori reseruatum, vel si sciuerit putabat se posse absolui ab inferiori Sacerdote. Et an absolutio à peccatis bona fide collata & non à censuris, sit valida, si pœnitens excommunicatione reseruata immodatus sit?* refertur duplex sententia.

19. *An Superior teneatur concedere facultatem pœnitenti per se, vel per alium petenti, vt possit confiteri alteri casus reseruatos; & an Superiore iniuste denegante possit pœnitens valida absolui?* refertur duplex sententia.

20. *An possit Superior audita solis peccatis reseruatis absolutionem impendere, mittendo pœnitentem ad inferiorem pro non reseruatis*, refertur duplex sententia.

21. *Primam gratiam an consequatur pœnitens attritus, dum recipit à Superiore absolutionem à reseruatis, quamuis peccata non reseruata confessus non fuerit.*

22. *Qui obtinuit à Superiore absolutionem reseruatorum, an teneatur inferiori Sacerdoti peccata tam non reseruata, quam reseruata manifestare?* refertur duplex sententia.

23. *An in dubio, siue iuris siue facti, censendum sit casum esse reseruatum.*

24. *An à quolibet confessario approbato possit absolui, qui dubitat an sufficienter complenerit actum externum reseruatum &c.*

25. *Qui dubitat de sua iurisdictione circa casus reseruatos, non potest ab illis absoluere.*

26. *Qui opinionem habet probabilem de sua iurisdictione circa casus reseruatos, potest ab illis absoluere.*

27. *Qui fuit absolutus ab habente facultatem ordinariam vel delegatam circa casus reseruatos, remanet absolutus à peccatis reseruatis inculpabiliter oblitis.*

28. *Qui tempore Iubilæi vel extra, bona fide confitetur priuilegium habenti circa reseruata, & non petit expresse absolutionem à reseruatis, an ab illis censendus sit absolutus.*

29. *Qui extra tempus Iubilæi confessus est habenti facultatem circa casus reseruatos, an remaneat absolutus quoad reseruationem peccatorum in confessione manifestatorum, si confessio fuerit culpabiliter omissa.*

30. *Qui virtute Iubilæi bona fide fuit absolutus à reseruatis, an recidat in casus reseruatos, vel in censuras, si voluntariè non lucretur Iubilæum.*

31. *Absolutus in articulo mortis à simplici Sacerdote à casibus reseruatis, an teneatur si conualescat, coram Superiore comparere & quid si peccato annexa sit censura excommunicationis Superiori reseruata.* Post hæc inuenies alia summaria de eadem materia.

1. CAsus reseruatio, nihil aliud est, quàm ablatio seu non concessio iurisdictionis, ad absoluendum ab aliquo peccato, quamuis circa alia concedatur. Et quamuis hæretici negent Ecclesiæ hanc potestatem in foro interiori, quia putant in Ecclesia non esse potestatem ad absoluendum in hoc foro, & consequenter negant potestatem reseruandi, quia priuatio supponit habitum.

Nihilominus de fide est, in Ecclesia esse potestatem reseruandi aliqua peccata superioribus Iudicibus. Vt habetur in *Conc. Trid. sess. 14. c. 7. & can. 11. Suares de pœnit. to. 4. disp. 29. sect. 1. num. 1. & 2. Tamerus t. 4. disp. 6. q. 9. dub. 4. num. 76. Laymann li. 5. tr. 6. c. 12. num. 1. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Coninch de Sacrament. disp. 8. dub. 11. Syluius in Suppl. 3. p. D. Thom. q. 20. a. 2. Filliucius tr. 7. c. 10. Fagundes præcept. 2. l. 8. c. 1. num. 1. 2. & seq.* quia iurisdictio necessaria in Sacramento pœnitentiæ manat à superioribus Ecclesiæ Prælatis ad inferiores ministros, & ideò potest iuxta illorum arbitrium esse magis vel minùs limitata. Et quidem solus Papa iurisdictionem necessariam ad peccatorum remissionem, vel absolutionem diuino iure in sui electione & ordinatione accipit: licet enim eligatur ab hominibus, tamen neque ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illi iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediatè munus confert. Reliqui verò Episcopi iurisdictionem hanc non diuino iure, sed humano à Papa accipiunt: qui proinde ipsis & multò magis alijs Prælatis exemptis, limitatam conferre potest; vel respectu personarum, quasdam ab eorum iurisdictione eximendo, vel respectu peccatorum, quorumdam absolutionem sibi reseruando. Simili ratione Episcopi, vel alij Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes, possunt parochis & alijs confessarijs, sibi subditis, potestatem absoluendi limitatam dare; cum horum iurisdictio ab illis proueniat.

2. Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum suo tribunali reseruat, nisi propter annexam excommunicationem sibi itidem reseruatam: An autem per reseruationes Pontificias, etiam culpæ ipsæ in se reseruentur? Affirmat *Suares c. disp. 29. sect. 2. num. 8. Filliucius tr. 7. c. 10. num. 270.* Ratio sumitur ex intentione Pontificum, explicata in nonnullis reseruationibus, vt in casu percussionis Clericorum, *Cap. Si quis suadente. Nullus Episcoporum præsumat eum absoluere.* Eum dixit, indicans etiam culpam reseruari: ideoque etiamsi quis bona fide absoluatur à peccato reseruato, cum censura, absque eo, quod prius absoluatur à censura, tamen tenetur illud postea sacramentaliter confiteri, quia directè non fuit absolutus. Hæc sententia est satis probabilis: pro qua citantur *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. q. 2. ad 4. Palud. ibid. q. 5. art. 1. Maior. ibid. q. 5.* Mihi tamen magis placet sententia docens has reseruationes sistere in censura, & solùm mediatè & quasi per accidens redundare in culpam: quia ablatâ censura statim manet peccatum non reseruatum, vt omnes Doctores dicunt: Ergo signum est solùm fuisse ablatam iurisdictionem circa censuram; aliàs etiam ablata censura adhuc manere posset reseruatio culpæ: hinc si Papa vel eius Pœnitentiarius aliquem absoluit à censura excommunicationis reseruata, quilibet confessarius in conscientiæ foro absoluere potest à peccato illo cui talis censura coniuncta fuerat. Ita *Caietan. in Sum. v. Casus. Toletus in Sum. l. 3. c. 14. num. 4. Laymann cit. c. 12. num. 2. Nauarrus in Man. c. 27. nu. 261. Henriq. l. 6. c. 14. num. 1. Crouser ad c. 7. reg. S. Fr. lect. 2. fol. 492. Bonacina to. 1. d. 5. q. 7. p. 5. §. 2. num. 4. Coninch c. dub. 11. num. 82. Tannerus c. q. 9. dub. 4. num. 87.* Similiter si quis commisit peccatum, v. g. in bulla cœnæ contentum, sed ob ignorantiam non crassam à censura Papali excusatus fuit, quia de ea nihil audiuit, ab inferiore absolui potest. Vt notant *Henriques & Coninch.* Hoc tamen intelligendum est secundùm communem & ordinarium cursum. Nam absolutè datur exceptio in ijs, qui simoniacè promouent, vel promouentur ad ordines. Quos *Sixtus V.* in bulla data anno 1589. non excommunicat, sed tantum suspendit; & tamen ipsum peccatum Sedi Apostolicæ absolute reseruat. Imò probabile est quando Papa relaxat censuram sibi reseruatam, ex consuetudine auferri etiam reseruationem inferioris: vt docent *Nauarrus, Toletus* citati, & *Tannerus.* Hinc colligo quòd quando reseruationes sunt plures sine censura ab eodem, vel diuersis per eandem potestatem, vna ablatâ, omnes tolli: si à diuersis per diuersam potestatem, vt ab Episcopo & Papa, tunc ablata reseruatione ab Episcopo, remanere Papalem: sublatâ autem Papali, tolli Episcopalem. Quod si sint reseruationes cum censura, siquidem plures sint reseruationes propter plures censuras, vnâ ablata poterunt aliæ manere, & ita non simpliciter auferetur reseruatio: si propter plures leges tantùm, tota reseruatio tollitur, vnâ ablata.

3. Quamuis cuiuslibet generis peccata reseruari possint & venialia & interna, si solùm spectetur potestas, ad omnium enim sacramentalem absolutionem necessaria est iurisdictio; quæ cùm à Superioribus descendat, potest ab eis limitari. Ecclesia tamen non reseruat vllum veniale, vel peccatum mortale internum; tùm quia hoc esset injicere laqueum intolerabilem fidelibus; tùm quia internorum peccatorum reseruatio non ita necessaria sit ad Ecclesiæ gubernationem. Ita *Suares c. d. 29. sect. 3. Sotus in 4. d. 18. q. 2. ar. 5. Filliucius c. num. 271. Graffius l. 1. c. 7. num. 24. in append. Reginal. l. 1. num. 126. 128. Coriolanus de casib. reser. p. 1. sect. 1. art. 5. Crousers c. lect. 2. Syluius c. art. 2. q. 1.* Nec refertur quod in quibusdam religionibus reseruantur Ingressus religiosorum seu monialium in mutuas cellas absque licentia Superioris: Item scriptio litterarum absque eadem licentia, quæ natura sua ad summum sunt peccata venialia. Resp. Et si per se & ex natura sua ista peccata sint materia leuis: Ex circumstantijs tamen & consequentijs grauibus ac scandalis fieri posse materiam grauem, & consequenter prohiberi per statutum vel præceptum sub peccato mortali: quo statuto vel præcepto durante, isti casus reseruari possunt,

quia

quia verè peccata mortalia sunt. *Vnde* peccatum quod reseruatur ab Episcopo vel alio Prælato iurisdictionem Episcopalem habentes, debet esse mortale & opere consummatum: hoc est, de facto non nisi peccatum externum, quod etiam secundùm conditionem & quantitatem operis externi sit mortale, & non ex relatione ad intentionem internam, est reseruatum: quia crimen non intelligitur, nisi sit consummatum: hinc si incestus reseruetur, conatus ad illum committendum non erit reseruatus. *Syluest. v. Casus q. 5. Henriques l. 6. c. 14. num. 6. Diana p. 5. tr. 5. resol. 46. Tamerus c. num. 83. Layman c. num. 3. Graffius c. n. 71. Portel. in dub. regul. v. casus reseruat. num. 15.* Similiter Sodomia non erit casus reseruatus, nec delictum dicetur consummatum, nisi seminatio fiat in vase obscœno, quantumuis membrum intra vas ponatur per multum spatium temporis, incipiendo, & prosequendo actum sodomiticum: Ratio est, quando lex prohibet aliquod delictum, intelligit de delicto consummato; sed quando semen intra vas non immittitur, non dicitur sodomia consummata. Fatendum tamen est, si ipsa quoque criminis atrocis attentatio, expressis verbis reseruetur, validam esse reseruationem. *Rodriques in Sum. p. 1. c. 209. Coriolanus c. p. 2. cas. 9. num. 25. Bonacin. de matrim. q. 4. p. 11. num. 2. Diana p. 2. tr. 3. resol. 63. Reginal. l. 22. c. 3. num. 49. Marchinus de Ordine tr. 1. p. 8. c. 4. num. 25.*

4. Controuertitur, an peccata reseruari possint pro arbitrio Superiorum, absque legitima causa: Quidam arbitrati sunt non solum illicitam, sed etiam inualidam esse nimis grauem atque insolitam plurium peccatorum reseruationem, vt à Parochis obseruari non debeat. Ita *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 5. Angelus v. casus. Henriques l. 6. cap. 14. nu. 4.* Quorum sententia vera esset, si Parochi haberent iurisdictionem iure diuino, vt ipsi arbitrantur; *Sed est* communis & vera sententia contraria, quòd omnis iurisdictio Ecclesiastica à summo in terris Ecclesiæ Pastore in Episcopos, & ab his in inferiores animarum curatores conueniente ordine descendat; & ideò reseruationem casuum superfluorum, quamuis illicitam, validam tamen esse dicendum est: quia Superior semper confert iurisdictionem dependentem à sua voluntate: & ideò, si auferat illam circa aliquod peccatum, factum tenet, etiamsi fortasse sine conuenienti ratione id faciat. Et quidem de Summo Pontifice nemo dubitat, validam esse reseruationem ab ipso factam; etiamsi absque legitimâ causa fiat & nullus Catholicus auctor hactenus ausus est dicere reseruationem aliquam in particulari factam à Summo Pontifice esse nullam. De Episcopis verò respectu Parochorum res est magis dubia, & ideò prior sententia probabilitate non caret speculatiuè loquendo; quia institutio & iurisdictio Parochorum non est ab Episcopis, sed à Summo Pontifice: & ideò nec Parochias diuidere, aut mutare, neque aliquid simile facere possunt Episcopi propriâ potestate, nisi à Pontifice delegentur. Quoad praxim tamen numquam reseruatio contemnenda est, tanquam nulla; & cùm apparet nimia & irrationabilis, recurrendum est ad Superiorem, vt prouideat. *Suares p. 3. to. 4. d. 25. & l. 4 de leg. c. 4. Bannes 2. 2. q. 1 a. 10. dub. 5. Nauarrus cap. placuit nu. 21. dist. 6. de pœnit. Syluius in Supplem. q. 20. a. 2. q. 2 Syluester v. casus q. 5. Layman. l. 5. tr. 6. c. 12. num. 5. Coninch c. disp. 8. dub. 11. nu. 78. Filluc. tr. 7. c. 10. q. 3. Bonacina to. 1. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 1. num. 2. Tannerus to. 4. d. 6. q. 9. dub. 4. nu. 85. Fagundes præcept. 2. l. 8. c. 1. nu. 19. & seq.* Vnde Sacra DD. Cardinalium congregatio apud *Quaranta in Summa bullarij v. Casus reser. num. 14. Lezana to. 3. Sum. v. Casus reser. num. 30.* de expresso mandato *S. D. N. Clementis VIII.* hæc monenda censet; ne locorum ordinarij reseruent casus contentos in Bulla Cœnæ Domini; nec specialiter reseruato Sedi Apostolicæ; nec promiscuè eos, quibus annexa est excommunicatio maior à iure imposita, cuius absolutio nemini est reseruata: Nisi iudicauerint aliquos nominatim reseruandos propter frequentiam, scandalum aut aliam necessariam causam: Nec eos in quibus non datur absolutio, nisi facta restitutione, vel executione; nec eos, in quibus licet adsit peccatum mortale, tamen versantur circa res parui momenti, & quæ frequenter euenire solent inter idiotas, vt damni dati & similium. Nec in carnalibus vbi adest periculum scandalorum, vel vbi cadere potest aliquid suspicionis propter frequentem reditum ad ordinarios. Nec passim, modum excedendo. Sed reseruent paucos, resecando multitudinem. Quam paucissimos, eosque maximè necessarios atrociorum tantum, & grauiorum criminum; quos iudicauerint necessariò reseruandos, ad retinendam disciplinam in ædificationem, non in

destructionem. Hæc Sacra congregatio ex mente Pontificis. *Romæ die 26. Nouembris 1602.* Vnde Gerson 2. p. in Epistola ad quemdam, de moderata reseruatione casuum, in foro conscientiæ, improbat casuum reseruationem, etiam in grauioribus speciebus peccati carnalis, quando peccatum occultum est: quod per eam, inquit, certissimè constet innumeros retrahi à confessione talium peccatorum. *Denique*, inquit, *quid prodest? & certè obest plurimum addere verecundiam super verecundiam, onera grauia super onera, & difficultatem consitendi talia peccata super difficultatem: quæ tanta est, vt vix credi possit: & hoc præcipuè quando peccatum secretum est, & tale quod auctor perpetuo celabit ipsum, si velit, vt nec Episcopus nec alius inde puniendi, vel notitiam inueniat. Si dicas, talis si non reuelet, damnabitur, fatemur quidem, sed obuiandum esset huic damnationi omnibus modis, potius quam addenda occasio: numquid requiretur sanguis & damnatio ab illis qui occasionem dederunt, præcipuè à Prælatis maioribus? Si certè, & ipsi satisfacient pro isto usque ad vltimum quadrantem, euntes in eamdem damnationem; cum sint Prælati ad saluandum gregem Domini positi, & ad pascendum, non occidendum, aut scandalizandum.* Hæc ille.

Itaque expertum est, quòd hic terror reseruationis nullo aut pauciissimos cohibet sic peccare. Innumeros autem sic retrahit confiteri, præcipuè mulieres, & puellas carne lapsas, & etiam viros in alia reseruata lapsos.

5. Episcopus reseruat sibi casus non solùm ratione censuræ, sed etiam ratione ipsorum peccatorum, nullâ existente censurâ. *Syluius in Supplem. q. 20. art. 2. Toletus l. 3. c. 14. num. 4. Suarez to. 4. d. 29. sect. 3. num. 6. & to. 5. d. 22. sect. 2. Crousers ad c. 7. reg. S. Franc. sect. 10. fol. 571. Filliucius tra. 7. c. 10. quæst. 2. Fagundes præcept. 2. l. 8. c. 2. nu. 7.* Qui autem de iure casus reseruentur Episcopis, sciendum est, quod *Benedictus XI.* in Extrauaganti, *inter cunctas, de priuilegijs* ponit quinque vel sex casus Episcopis iure vel consuetudine reseruatos. Primò, cùm peccato est annexa publica pœnitentia. Secundò, cùm est adiuncta excommunicatio. Tertiò, cùm irregularitas. Quartò peccatum incendiariorum. Quintò, Blasphemia publica.

Quæritur modò, an dicti casus sint hoc tempore iure reseruati Episcopis? pro responsione dicendum est satis probabile esse, vt tradunt communiter Doctores moderni, nullos casus de facto esse reseruatos iure communi & seclusâ consuetudine: quia Extrauagans *inter cunctas* per Clementinam *Dudum, de sepulturis*, prorsus reuocata est per *Clementem V.* dicentem; *Nos enim omnino cassamus.* Nec alius reperitur Canon in toto corpore iuris reseruans aliquos casus, siue cum excommunicatione, siue sine illa: Quamuis quisque Episcopus reseruet pro sua diœcesi eos qui suo Episcopatui conuenire videtur: Vnde de his certa regula statui non potest, iuxta omnes: vnaquæque siquidem prouincia suo sensu abundat *cap. veniam, dist. 76.* In gratiam tamen confessariorum huius Belgij, ponam per extensum ad finem huius libri casus, qui modò per Prouinciã Mechlinienſem & Cameracensem in statutis Diœcesanis cuiusque Episcopatus, reseruantur. Quibus adnectuntur casus reseruati Episcopo Leodiensi, & Archiepiscopo Treuirensi.

An autem mortuo Episcopo casus ipsi reseruati expirent? pro responsione animaduertendum est id quod passim asseritur, scilicet per obitum Episcopi casuum reseruationem cessare, intelligi debere de casibus, quos ipse Episcopus sibi reseruauerit, sicuti communiter solent Episcopi; quia cùm sint lati ab homine, ipso sublato & ipsi extinguuntur: *Emmanuel Sa v. Absolutio nu. 20. Sanches lib. 8. de matr. disp. 28. num. 63. Facundes p. 2. lib. 8. cap. 1. num. 30.* Contra *Prepositum in Supplem. ad 3. p. q. 9. de reseruat. casuum. du. 1. num. 6.* qui hoc non putat solidum; eò quòd per reseruationem inferiori sublata est iurisdictio necessaria ad valorem Sacramenti pœnitentiæ; vnde non potest ex iure, vel alio solido fundamento colligi, quòd ea per mortem Episcopi restituatur. Verùm hæc doctrina ab alijs non admittitur in reseruatis ab homine: sed bene quoad casus reseruatos per statutum vel synodum diœcesanam: hi enim per mortem Episcopi non expirant: quia cum statutum duret post mortem. *Cap. fin. de offic. legat.* reseruatio quoque durabit; nisi fuerit facta reuocatio à successore, vel à Capitulo sede vacãte. Ita *Nauarr. in Man. c. 27. nu. 2. & sub nu. 74. Quaranta in sum. bull. v. casus reseruat. in fin. Diana p. 4. tr. 4. resol. 108. Gauantus in Enchirid. Episcop. v. casus reseruat. nu. 16. Fagundes præcept. 2. l. 8. cap. 1. num. 30.*

Ad id autem quod affert *Prepositus* Respondetur, quòd reseruatio non est ablatio iurisdictionis: quia iurisdictio in ordine

dine ad absoluendum à peccatis est indiuisibilis, ex eo quòd habet idem obiectum formale indiuisibile, nempe iudicium animæ in ordine ad offensam Dei: vnde aut tota debet concedi, aut tota auferri; sed est tantùm quædam ligatio iurisdictionis concessæ, quâ ligatur, ne possit exercere aliquem actũ iudicij circa aliqua peccata: vnde ablato hoc vinculo remanet iurisdictio expedita in ordine ad omnia peccata: aufertur autem vinculum per id quod cesset voluntas Episcopi, qua iurisdictio collata confessoribus tenebatur impedita: atque hæc voluntas extinguitur morte Episcopi, & per illam non confertur neque restituitur confessarijs aliqua iurisdictio; sed quæ erat impedita, remanet expedita.

Propterea est notandum ex *Pasqualigo decis.* 496. cum, qui contraxit censuram reseruatam Episcopo, aut qui incurrit in casum reseruatum, posse absolui mortuo Episcopo à quocumque confessario. Reseruatio enim respicit iurisdictionem confessariorum, quorum auctoritatem restringit & veluti ligat, ne possit exerceri circa quæcumque peccata; Ergo si tempore absolutionis iurisdictio est libera, poterit absoluere etiam ab ijs peccatis, quæ commissa sunt, quando respectu ipsorum nó erat libera iurisdictio, quia potestas iurisdictionis non respicit peccata quando committuntur, sed quando subijciuntur iudicio confessarij, quia est potestas iudicialis; & omnis potestas iudicialis respicit delicta solùm vt deducta ad iudicium.

Hoc etiam intelligendum est de omni reseruatione facta in mandatis visitationis Regularium, siue à visitatoribus, siue à Prouincialibus, siue à Generali: cessat enim cessante quocumque modo officio mandantium, quia adhuc huiusmodi mandata sunt ab homine: ex generali regula, quòd ea, quę sunt ab homine extinguuntur morte ipsius, aut extinctione iurisdictionis. Ita *Diana part. 6. tract. 6. resol. 41.*

Sed maior difficultas est, an quando extincta iurisdictione Generalis seu Præpositi, & remanet eius vicarius, tunc reseruatio maneat in suo robore? Respondet idem *Pasqualigus* non manere: quia sequitur iurisdictionem Generalis seu Præpositi, vt effectus ipsius, à qua dependet in conseruari; vnde ea extincta, extinguitur etiam reseruatio. Nec obstat, quòd iurisdictio Præpositi maneat in vicario; nam non manet cum eadem voluntate Præpositi: reseruatio autem est effectus voluntatis coniunctæ cum iurisdictione, ita vt immediatè dependeat à voluntate.

Ex dictis patet duobus tantùm modis casus reseruari scilicet, per Constitutionem seu legem, & per literas, seu epistolam non legis more latam, id est, vel à lege, vel ab homine.

6. Cùm reseruandi casus habeant potestatem tùm Papa in vniuersa Ecclesia; tùm Episcopi in suis diœcesibus, tùm cæteri Prælati, qui in vtroque foro iurisdictionem ordinariam quasi Episcopalem habent, quales sunt Abbates quidam exempti, & Generales, Prouincialesque religionum quoad sibi subditos Regulares; Hinc à casibus reseruatis absoluendi habet potestatem ordinariam & directam, ille, qui reseruauit, & Superior ipsius reseruantis; quia qui potest ligare, potest etiam soluere; & res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur. Non solum ergo Episcopus à sibi reseruatis absoluere potest, sed Episcopi superior, videlicet Papa; idem dicendum de Generali alicuius religionis respectu casuum reseruatorum Prouinciali. *Conc. Trid. sess. 14. c. 7. & can 11. Sylvius in Supplem. q. 2. a. 2. quæst. 2. & 3. Tannerus to. 4. d. 6. q. 9. num. 78. & 86. Suares to. 4. disp. 30. sect. 1. Filliucius tr. 7. c. 10 num. 281.*

An autem Archiepiscopus possit subditos suorum suffraganeorum à reseruatis absoluere? Responsio est negatiua; excepto casu visitationis Prouinciæ, aut in causa appellationis: In his enim duobus casibus est Episcopi superior, & consequéter per seipsum absoluere potest, & alijs absoluendi facultatẽ delegare. Ita *Suares c. disp. 30. sect. 2. num. 8. Sylvius q. quæst. 4. Reginald. l. 1. nu. 33. 34. Tannerus c. nu. 86. Henriq. l. 6. c. 7. nu. 5. & c. 16. Filliucius tr. 7. num. 196. & 281.*

Petes, an Parochus, possit sibi reseruare casus? affirmant *Maior. in 4. d. 17 q. 5. P. Sotus sect. 5. de pœnit. Suares c. disp. 29. sect. 1.* Nec improbabiliter ad mentem *Sylvij, c. q. 2.* respectu suorũ capellanorum; cum enim habet iurisdictionem ordinariam in foro interno; non apparet ratio, cur non possit suam iurisdictionem cum restrictione alijs committere. Sed quia hæc sententia ab alijs communiter reijcitur; à communi sententia negatiua non est discedendum; quia hæc potestas, subditis alioquin onerosa, Parochis nec à iure, nec à consuetudine conceditur: & ipsemet *Suares* fatetur contrarium in vsu non esse. *Fagundes præcept. 2. l. 8. cap. 1. num. 9.*

7. Episcopus vel Episcopalem authoritatem habens, incidens in casum occultum reseruatum Pontifici potest absolui ab Archiepiscopo, si ei se subijciat? vel à confessario à se electo, deputando ipsum, cum eadem authoritate, quam ipse posset in suos subditos exercere: *Henriq l. 6. c. 7. num. 5. in commen. litt. A. Crousers ad c. 7. reg. S. Fran. lect. 11. fol. 583.* Quia sic censuit Sacra Cardinalium congregatio: Circa quæ verba notat *Suares to. 4. disp. 30. sect. 2. num. 5. Filliucius tr. 7. nu. 287.* quòd Cardinales nullam limitationem ponunt: Ita vt ab hæresi occulta possint etiam absolui: quia ab illa subditos absoluunt. De Prælatis verò religiosorum, similem potestatem habentibus in sibi subditos, idem docent *Sanches, de matr. l. 8. disp. 3. Rodriques to. 1. qq. reg. q. 20. a. 12. Ioan. Fabianus v. Absolutio 2. §. 6. Azor. t. 1. l. 7. c. 29. q. 6.* Ratio horum omnium est; Quia Episcopus vel alius Prælatus non est deterioris conditionis alijs: alij autem non coguntur adire Sedem Apostolicam in casibus occultis Summo Pontifici reseruatis, sed possunt ab Episcopo absolui, vel ab alio confessario ab Episcopo deputato, iuxta formam decreti *Concilij Trident. sess. 24. cap. 6.*

8. Facultatem delegatam habet absoluendi à reseruatis ille, cui facultas data est à Superiore habent illam ordinariam; quia Ordinarius potest delegare; hæc autem delegato fit vel directè, sacerdoti committendo reseruata habentes; vel indirectè, dando licentiam pœnitenti eligendi confessarium, qui à reseruatis absoluat. Quj autem ratione seu formâ intelligatur concessa prædicta facultas, dicunt Doctores, quòd si Episcopus vel Prælatus dicat, facio tibi facultatem audiendi subditorum meorum confessiones, & absoluendi illos, non concedit casus reseruatos, quia in generali verbo non intelliguntur specialia concessa. Item ex eodem principio, si Episcopus dicat se concedere suam auctoritatem & potestatem, non censetur concedere casus reseruatos: secùs verò esset, si priùs concedat, aliquem casum reseruatum & postea generaliter addat, & *omnem meam potestatem* quia specificatio antecedens explicat generale verbum subsequens; vel si dicat, concedo tibi meam potestatem, excepto tali casu: quia exceptio firmat generalem regulam in contrarium; tunc talibus verbis conceduntur reseruata. *Suares to. 4. disp. 30. sect. 1. num. 2. 3. D. Antonimus 3. p. tit. 17. cap. 13. Sylvius in Supplem. q. 10. a. 2. q. 3. Crousers ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 19. fol. 660. Filliucius tr. 7. num. 282. Tannerus to. 4. disp. 6. q. 9. dub. 4. nu. 86. Bonacina to. 1. disp. 5. q. 7. p. 5. §. 2. num. 8.* Denique inquit *Nauarr. in Man. c. 27. num. 271.* Episcopus concedat facultatem absoluendi à censuris reseruatis, non omninò concedit potestatem absoluendi ab omnibus peccatis reseruatis; quia hæc duo distincta sunt, & respectu Episcoporum, non semper sunt coniuncta: similiter concedendo casus suos reseruatos, non videtur concedere absolutionem à censuris sibi reseruatis: quia à diuersis non fit illatio. Porrò in his delegationibus, licet in foro contentioso præcisè standum sit ipsis verbis concessionis: tamen in foro conscientiæ vbi de veritate rei agitur, quomodocumque satis constet de intentione concedentis, sufficit, vt tradunt *Suares* noster *Crousers* & alij hic citati.

Proinde regulares absentes cum licentia vt possint cuicumque confessario confiteri, non possunt absolui à reseruatis; quia facultas generaliter concessa eligendi confessarium, non extenditur ad reseruata; indecens enim esset, vt sacerdotes sæculares peccata grauia religiosorum audirent. Nullo enim modo credendum est, quòd quispiam sanæ mentis Prælatus sic indiscriminatim suam auctoritatem concedat alicui subdito, vt absoluatur à casibus reseruatis. Nam in casu quo existat regularis extra Monasterium, & debeat celebrare ad vitandum scandalum, bene potest celebrare, quia existimandus est, ac si non haberet copiam confessarij, satisque illi est, vt procuret habere contritionem horum reseruatorum. Vt docent Miranda *in man. Prælat. tom. 2. q. 33. art. 6. concl. 2.* Tamburinus *de iur. Abbatum tom. 2. disp. 6. q. 8. num. 4.* Diana *part. 3. tract. 2. resol. 119.* & alij.

9. Quidam asserunt iter facientes, licet possint in omni loco confiteri peccata sua cuicumque Sacerdoti approbato, & hoc ex præsumpta concessione proprij Pastoris; tamen hoc illis minimè licere, si habent casus reseruatos; quia ex contraria sententia sequeretur maximum inconueniens, quòd multi peregrinarentur hac solâ intentione, vt absoluerentur à casibus reseruatis. Ita *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Medina l. 1. c. 10. instructor. Graffius p. 1. l. 1. c. 13. Comitolus l. 1. q. 28. num. 2.* & alij

non

non improbabiliter. *Verius tamen est*, quòd Confessarius possit absoluere iter agentes aut peregrinos habentes casus reseruatos suo proprio Episcopo, quamuis non habeat facultatem absoluendi à reseruatis, modò illi casus non sint reseruati etiã Episcopo loci; & illi non suscipiant peregrinationem in fraudem legis, eã solùm de causa, vt possint alijs confiteri: Tùm quia reus iudicari solet iuxta leges & consuetudines loci in quo reperitur: Tum quia qui iter agit in alieno Episcopatu, non ideò illi confitetur & absolui potest, quia vtitur facultate eligendi confessarium; sed quia hoc ipso quòd versatur in alieno Episcopatu, potest ibi absolui, more incolarum illius diœcesis, & ita se gerere, ac si esset subditus Episcopi illius loci; sed quia in illa diœcesi, non sunt reseruata peccata illa, quæ in proprio Episcopatu sunt. Ergo ab illis poterit absolui à quocunque confessario approbato, in reseruata potestatem non habente. Ita *Suares c.disp.30.sect.1.num.4.Nauarr.in Man. c.27.nu.161.Cajet.v.Absolutio.nu.2.Henriq.l.6.c.14.num.8. Reginaldus l.8.nu.68 Diana p.2.t.3.misc.resol. 56. Filliucius tr.7.c.7. nu.283.Tannerus t.4.disp.6.q.9. num. 87.* Et hæc doctrina maxime fundatur in consuetudine approbata ab *Eugenio IV.* quam habent peregrinantes in itinere confitendi. Vide infra *Confessarius 1. n. 16.* Vbi inuenies iter agentem posse absolui à parocho loci vbi inuenitur, etiamsi eo animo solùm confitendi illi parocho, propria parochia exierit, ex *Basilio Pontio* & alijs ibi citatis.

10. Si iter agens habeat casus reseruatos vtrique Episcopo, videlicet Episcopo proprij domicilij, & Episcopo loci, in quo reperitur, non potest absolui, vt omnes fatentur, nisi à confessario habente facultatem absoluendi à reseruatis; tùm quia iudicandus est iuxta lege loci in quo reperitur; tum quia à neutro Episcopo habet talis confessor facultatem circa reseruata. Ita *Nauarr. c. nu. 261. Suares c. num.* 5. Vide infra verb. *Lex III.nu. 6.*

11. Si peregrinus aut iter faciens habeat casus reseruatos Episcopo loci in quo confitetur, qui nõ sint reseruati Episcopo proprij domicilij, non potest à quolibet simplici confessario absolui; quia iudicandus est iuxta leges loci in quo reperitur. *Bonacina de pœnit.disp.5.q.7.p.5.§.2.nu.11.*

12. Quidam Doctores arbitrantur, quando Pontifex conceditur in Iubilæo, vel extra Iubilæum facultatem absoluendi à censuris & casibus reseruatis, non censeri concedere censuras & casus quos Episcopi sibi specialiter reseruant. Ita *Nauarr. in c. Ita quorundam de Iudæis, notab. 11. Graffius l. 4. c.15.nn.28. Bonacina to.1.d.5.q.7.p.5.§.2.nu.14. & de censur. disp. 1.q.3. p. 1. nu. 10. & 12.* Ratio est, tùm quia Pontifex condens aliquam legem, non intendit derogare statutis, & consuetudinibus particularibus locorum, nisi exprimat; Tùm quia Concilium Tridentinum indistinctè statuit, vt Ecclesiæ Canones seruentur; inter quos vnus est, vt Episcopi possint suos casus reseruare. Fatentur nihilominus dicti Doctores, vsu receptum esse, vt per illam clausulam generalem, hæc etiam potestas concessa intelligatur. Et hæc intelligentia videtur. *Suares to.5.de censur.disp.7.sect.5.nu.14.Vasques 3.p.1.4.q.92. dub. 10.num.6.Reginal l.8.nu.57. Diana p.3.tr.4.resol.149. Henriq.l.6. c.14.nu.9.* iuridica & verissima; tum quia consuetudo est optima legum & priuilegiorum interpres; vnde cùm ipsi Episcopi hunc vsum videant, & non reclament, signum est eos intelligere in prædicto sensu Pontificis concessionem; tùm quia in Iubilæis, sub tali clausula omnes intelligunt esse concessa, quæ sunt reseruata Episcopis; vnde collige, quòd quandocumque sub simili clausula conceditur alicui potestas absoluendi, etiãsi non sit propter eundem finem, sed in fauorem alicuius religionis vel alium similem; in eadem amplitudine sit intelligenda; qui verba semper habent eamdem significationem, & præterea cùm sit fauorabilis amplianda est. Ita post *Suares* noster *Granses ad c.7. reg. S. Fr. sect.19. fol.661.* & alij, quibus adde *Pregosius 3.p.in suppl.de reseruatione casuum q.9.dub.1.* Pro partibus tamen Italiæ Cismontanis Sacra Cardinalium congregatio, quæ præest negotijs Episcoporum & Regularium de speciali mandato *Clementis VIII.* edidit decretum. 9. *Ianuarij* 1601. apud *Quarantam v. casus reseruatus.* quo pro Italia constituit, vtregulares non possint absoluere à casibus reseruatis Episcopo; per quam restrictionem pro Italia, satis indicatur posse extra Italiam; Non obstante alio decreto eiusdem Sacræ Congregationis in contrarium edito ex mandato *S.D.NVrbani VIII.* anno 1628. 17. *Nouembris*, quod in Belgio nostro promulgatum non est.

An autem per similem facultatem generalem absoluendi ab omnibus casibus reseruatis Summo Pont. possit quis absoluere à casibus contentis in bulla Cœnæ, quando non est facta mentio illius Bullæ. Responsio communis est negatiua; tùm quia in generali concessione non veniunt ea, quæ non esset quis verisimiliter in specie concessurus; vt habet regula iuris. Si autem peteretur facultas absoluendi à casibus in Bulla Cœnæ, non concederetur. Vnde in communibus priuilegijs, semper excipiuntur casus huius bullæ, Tum quia illæ censuræ iuxta vsum & morem Ecclesiæ habent specialem rationem, & grauitatem ac reseruationem, ratione cuius non censentur comprehendi sub clausula generali: & ideò quando conceduntur, semper exprimuntur iuxta stilum Romanæ curiæ. Ita *Suares to.5.de censur.disp.7.sect.5.nu. 11. & d.21. sect. 3. Sanches l.2.mor.c.12.nu.13. Bonacina t.1.disp.5.q.7 p.5. §. 2. num. 14. Nauarr. Couarruu. citati à Iacob Graffius l.2.c.18.nu. 2. Vgolinus tab. 1.c.10.§.4. nu.8.*

11. Sacerdos qui habet facultatem absoluendi à reseruatis, spatio quindecim dierum temporis Iubilæi, potest absoluere pœnitentem, qui intra tale tempus committit peccatum aliquod reseruatum modò pœnitens intentionem habeat præstandi ea, quæ ad consecutionem Iubilæi sunt necessaria: Ratio est, quia toto illo tẽpore durat facultas absoluẽdi à reseruatis: ergo sacerdos qui potest absolutionẽ à peccatis antea cõmissis impendere, potest etiam à peccatis intra tale tempus perpetratis. Ita *Nauar.l.5.consil.de priuilegijs cons.10.num. 3. Reginald.l.8.numero 34. Henriq.l.6.c.16.numero 5. Graffius l.4.c. 15. num.44.*

Et hoc verum, quamuis pœnitens peccatum commiserit spe absolutionis obtinendæ; quia ob peccatum eo animo commissum, non amittit priuilegium: nec defraudatur fructu sacramentorum; qui spe obtinendæ remissionis peccata committit, modò retracta voluntate per dolorem, sacramenta debitè recipiat, Ita *Filliucius tr.8.num.262. Vualdus de confes.c.42. Dian.p.1.tr.11.ref.16. Sanch. l.4.mor.l.c.54.n. 18.* contra *Coarr. l.2.var.c.2.num.26.* & alios.

14. Maxima inter Doctores est difficultas, an quando conceditur Iubilæus obtinẽdus in vna ex duabus hebdomadis, qui illum obtinuit prima hebdomada, possit adhuc absolui a reseruatis in secunda; si obtento Iubilæo incidat in casus reseruatos. Probabilis est sententia affirmans talem posse absolui: tum quia absolutio reseruatorum potest sæpius obtineri ante consecutionem Iubilæi: ergo etiam potest obtineri Iubilæo, si tamen non sit transactum tempus Iubilæi; Tùm quia versamur in materia fauorabili, nulli pernitiosa; ergo latam interpretationem admittit, & huius sententiæ sunt *Nauarr. de Indulgentijs not 32.num.46. Henriq.l.6.c.16 nu.3. Reginald. l.8.num.64. Rodr.in Sum.c.183.num. 17. Crousers ad ca. 7. reg.S. Franc.sect. 19. fol. 668.*

Negatiua tamen sententia est tutior & fortè probabilior: quia facultas lucrandi Iubilæum conceditur sub forma disiunctiua in prima vel secunda hebdomada, non verò copulatiuè aut indefinitè: ergo qui Iubilæum obtinuit, non potest iterum virtute Iubilæi à casibus reseruatis commissis post Iubilæum absolui. Ita *Suares de relig.to.2.l.6.c.16.nu.17. Sanches l.4.Mor. ca. 54.nu.30. Bonacina to.1 d.5.q.7.p.5.§.2.num.17. Layman. l 5. tr.7. c.8.nu.9. Filliucius tr.8.c. 10. nu. 278* & alij quos citat *Diana p. 2.tr. 3. resol. 49.* Verùm stante probabilitate prioris sententiæ, absolutio foret valida prædictorum casuum reseruatorum, post consecutionem Iubilæi commissorum: quia, vt habet cõmunis doctrina Theologorum, probabilis opinio confert iurisdictionem.

15. Probabilius est confessarium, qui non habet facultatem absoluendi à reseruatis; si peccatum aliquod pœnitentis intelligat esse reseruatum, ordinariè non debere eum absoluere, sed ad Superiorem mittere, vel absoluendi potestatem ab eodem petere. Ratio est, tũ quia cõfessio debet esse accusatio coram legitimo iudice, confessio autem reseruatorum facta inferiori nõ est accusatio coram legitimo iudice, quoties pœnitens præcisa necessitate confitetur peccata sua sacerdoti nõ habenti facultatem reseruatorum: tùm quia confessarius inferior nequit ab vno peccato mortali absoluere, quin absoluat ab omnibus: cũ autem cõfessarius inferior nequeat à reseruatis absoluere, sequitur etiam non posse à non reseruatis absoluere; quia vnum peccatum mortale non remittitur sine alio. Ita *Suares tom. 4. in 3. par.disp. 31.sect. 2. Vesques 3.p.q.91. art. 3. dub.10. Syluius in suppl. q.20.a.2.q.3. Layman l.5.tr.6.cap. 12.nu.9.*

12.nu.9. *Coninch disp.7. dub.9. nu.86. Filliucius tr.7. num.303.* & alij ab ipsis citati.

Nihilominus multorum sententia est, posse ordinarium cõfessorem absoluere huiusmodi, pœnitentem dummodò ille intelligat manere obligatum ad confitendum Superiori reseruata, idque facere proponat. Probatur autem hæc sententia ex eo, quòd licet absolutio per se remittat culpam, & ideò necesse sit vt vel tollat omnem culpam, mortalem, vel nullam; tamen non est necesse, vt per se tollat omnia peccata, sed potest quædam per se auferre, alia per accidens, ergo. Ita post antiquos apud *Suares* citatos, ex recentioribus tenent *Navarr. de pœnit. d.5.§. casus nu.12.13. & seq. Sa v. Absolutio num.24. Valentia to.4. disp.7.q.11. punct.1. Sayrus de pœnit. c.16. num.7.* & alij apud *Vasques d.9. num.1. & 2.*

16. 17. Controuertitur maximè inter Authores, an in aliquo casu necessitatis possit inferior sacerdos absoluere eum, qui habet casus reseruatos, antequam coram Superiore compareat? talis necessitas est, aut implere præceptum annuæ cõfessionis, aut communicare, vel sacrum facere, ita vt non possit omitti sine graui scandalo, aut infamia; & pro tunc non patet aditus ad Superiorem. Sunt in hac re tres opiniones & quidem probabiles, tum ob authoritatem Doctorum qui eas sequuntur, tum ob rationes, quibus illæ fulciuntur. Prima opinio negat simpliciter posse hominem in eo casu absolui ab inferiore; dicunt tamen isti Doctores in eo casu posse hominem accedere ad communionem, vel ad faciendum Sacrum cum sola contritione, tamquam qui non habet copiam confessarij. Fundamentum huius sententiæ est, quia inferior non est legitimus Iudex illius qui habet casus reseruatos; *debet* enim *illi persuadere vt ad Superiores & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedat*, ait Concilium Tridentinum *sess. 14. cap.7.* sententia autem non Iudicis, non est rata. Vnde ibidem dicitur, *quod extra mortis articulum Sacerdotes nihil possunt in casibus reseruatis.* Ita post *Richard. in 4.d.17.ar.2.q.8. Durand d.17. q.15. Adrianus q. 4. de confessione. Sylvius in suppl. q. 20. a.2.q.3. Sanctus in selectis disp.32. num.10. Diana p.2.tr.14. resol.65. Filliucius tr.4.c.8. num.213.* qui etiam probabile putat Sacerdotem habentem peccatum reseruatum posse omittere confessionem, etiam si habuerit facultatem, vt possit illud confiteri inferiori, sed cum onere postea comparendi coram Superiore; quia pœnitens non tenetur idem reseruatum duobus cõfiteri.

Secunda opinio simpliciter affirmat posse tunc absolui pœnitentemque teneri vna cum reseruatis etiam alia peccata mortalia non reseruata, si quæ habet, vel saltem aliqua venialia confiteri, & tunc absolutio directè cadit super non reseruata, tametsi solùm venialia sint; indirectè verò super reseruata; impositio onere pœnitenti præsentandi se Superiori, vt à reseruatis quoque directè absoluatur: Et probatur hæc sententia in hunc modum. Quia ad valorem Sacramenti non est simpliciter necessaria iurisdictio supra omnia peccata mortalia, quibus in re ipsa pœnitens ligatus est, si enim seruetur integritas formalis, sufficit ad valorem Sacramenti iurisdictio circa aliqua peccata; ergo minister absoluendo verum conficiet Sacramentum per quod saltem indirectè tollet peccata reseruata Ita *Valent. to.4. disp.7.q.11. pu.1. Coninch disp.8.d.13. Sua.t.4. disp. 31. sect.3. num.8. Layman l.5. tr.6.c.12. num.10. Bonacina to.1.d.5. q.7.p.5.§.3. num.6. & 9. Navarr. in c. consideret 9. casus nu.10. dist. 5. de pœnit. P. Soto lect.10. de confessione. Reginald. l.8. num.82.*

Tertia opinio distinguit, quòd si peccatum est reseruatum sine censura, poterit absolui pœnitens, non tamen si excommunicatio reseruata adiuncta sit: quia excommunicatione non ablatâ, absolutio inualida est, cùm homo sit incapax absolutionis Sacramentalis: admittit tamen hæc sententia, posse hominem in hoc casu, etiamsi occultè excommunicatus sit, accedere ad communionem propter vitandum scãdalum, vel grauem infamiam. Ita *Sylvest. v. excommunic. 4. num. 1. Sotus 4. d.22. q. 1.a. 1. Vasques 3. tom. 4.tr. de excommunic. dub. 4. Ledesma in sum. de pœnit. c.20. dub.2. Toletus l.3.c.8. nu.3.*

His opinionibus potest addi *quarta*, quæ etiam probabilis est; nempe non solùm licere in tali euentu huiusmodi absolutionem dare, quando casus reseruati non habent excommunicationem annexam, verùm etiam si habeant, & ipsa excommunicatio per Sacerdotem auferri non possit, & pœnitens est tantummodò attritus. Ratio est, quia excommunicatio pœnitentis per se non reddit personam inhabilem ad Sacramentum pœnitentiæ recipiendum, neque irritat illud, si ex parte ministri omnia necessaria concurrant, & ex parte pœnitentis intercedat bona fides ac dispositio: quia tunc concurrunt omnia substãtialia, quibus, stantibus sola prohibitio Ecclesiæ non potest irritare Sacramentum, cùm illa cesset in casu nostro magnæ necessitatis. Ita *Henriq. l.6. ca.15. in fine Diana part.3.tr. 5. resol.68. Navarr. in Man.ca.9. num. 3. Layman c. num. 10. Suares c. disp.31. sect.3. num.6. Bonacina c.§. 3.nu. 8.*

Porrò ex his omnibus opinionibus probabilibus Doctorum pœnitens vrgente necessitate communicandi vel celebrandi, ad vitandam infamiam grauem habens casus reseruatos, potest primò vel confiteri inferiori Sacerdoti omnia peccata tam non reseruata, quàm reseruata & celebrare; vel secundò potest confiteri tantùm peccata non reseruata, & reticere reseruata; vel tertiò si hoc etiam non velit, eliciat actum contritionis, & celebret sine præuia confessione. Si autem peccata reseruata habeant annexam excommunicationem, primò conteratur, & celebret: vel secundò, si est tantum attritus, confiteatur cum inferiori Sacerdote, & Missam dicat vel communionem sumat. Ita *Tambur. de iure Abbat. to.2. disp.13. q.8. num.12. Diana p.3.tr.5 res.68.*

18. Quando pœnitens bonâ fide ad confessionem venit, nesciens suum peccatum esse superiori reseruatum, vel si sciuerit, putauit tamen se legitimè ab inferiori Sacerdote absolui posse, cum obligatione postea tempore opportuniore se præsentandi Prælato; in hoc casu plerumque absolui poterit, modò præter reseruatum, aliud peccatum absolutioni subijciat. Tùm quia aliqualis necessitas vrget, ægro enim animo discedet pœnitens absque absolutione, cùm ex sua parte bene dispositus sit. Tùm quia graues Doctores citati numero præcedenti docent absolutè id fieri posse. Excipe tamen nisi excommunicatio annexa sit, hæc enim iure Ecclesiastico priuat hominem iure suscipiendi Sacramenta: vnde extra necessitatem sacramentalis absolutio excommunicato danda non est. *C.ep. Si celebrat. de Clerico excommunic. Navar. c.9. nu.4. & in C. fratres num.40. disp.5. de pœnitent.*

An autem absolutio sit valida bona fide collata à peccatis tantùm, & non à censuris, si pœnitens sit innodatus aliqua excommunicatione etiam reseruata? Quidam affirmant talem confessionem seu absolutionem irritam esse: quia reliqua Sacramenta solùm requirunt ordinis potestatem in conferente, quæ adimi non potest: at Sacramentum pœnitentiæ vlteriùs requirit iurisdictionem; per excommunicationem verò subtrahitur excommunicatus à iurisdictione confessarij, & propterea absolutio eidem impertita, est nulla. Ita *Sylvest. v. confessio 1. q.2. casu 5. Vasques c.de excomm. dub. 4. num.8. Sotus 4. d.22.q.1. a. 1. Ledesma c. cap. 20. dub. 1. Sanctus in selectis disp.32. num. 11.*

Nihilominus mihi probabilior est sententia contraria docens tale Sacramentum validum esse, & habere suum effectum, ita vt necesse non sit, confessionem iterari: quam tenent *Navarr. in man.cap. 9. num. 4. Toletus l. 3. c. 10. Layman l.5.tr.6.c.12.num.12. Coninch disput.8. dub. 13. num. 104. Suares de conf. disp.10. sect.3.nu.9. Diana par.3.tr.4.res.78.* Sed sufficere postea absolutionem petere ab excommunicatione. Ratio propria huius sententiæ est: quia per excommunicationem priuatur quis iurisdictione actiuâ in alios (modò denunciatus sit excommunicatus & non toleratus) non tamen subiectione passiuâ ad alios sibi superiores, hoc est, alij non priuantur iurisdictione in ipsum; alioquin non tam ipsorum excommunicatorum, quàm ipsius confessoris esset talis pœna.

19. Dubium est, an superior teneatur concedere facultatem pœnitenti per se vel per alium petenti, qua possit alteri confiteri casus reseruatos, & ab eo absolui: circa hoc sunt duæ extremæ sententiæ.

Prima negat vnquam teneri: quia iudex legitimus alicuius causæ, nulli iniuriam facit, si per se velit eam iudicare; neque tenetur eam alteri committere, si ipse sit idoneus iudex: sed superior in hac causa, se habet vt legitimus iudex, vt Concilium Trident. asserit, ergo: & pro hac sententia citantur. *Victoria in summa.nu.145. de confessione. Navar. in Man. c. 7. num.8. & in c. placuit de pœnitent. dist.6. nu.149.150.*

Secunda sententia est, per se loquendo, & seclusis extrinsecis incommodis, teneri superiorem ad hanc facultatem concedendam. Fundamentum huius sententiæ est; quia iurisdictio non est data superior propter authoritatem, vel vtilitatem eius: sed propter bonum ipsius pœnitentis; ergo quoties pœnitens omnino non vult confiteri Prælato, quamuis ad hoc nullam habeat causam, sed solam voluntatem ortam ex

intrin-

intrinseca difficultate confessionis, & solùm ob eam rem facultatem petat, tenetur superior illam concedere: vnde *D. Th.* ait, peccare superiorem, qui difficilem se præbet in danda hac facultate, & subdit rationem; quia multi sunt adeò infirmi, quòd potiùs sine confessione morerentur, quàm tale peccatum tali sacerdoti confiterentur. Vnde illi, inquit, qui sunt nimis solliciti, vt conscientiam subditorum per confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis. Hæc *Diuus Thoma Opusc. 19. contra impugnant. religionem, & in 4. distinctione 17. quæstione 3. articulo 3.* quem plures alij sequuntur, videlicet, *Sylvester verb. Confessor 1. numero 13. Sotus in 4. distinctione 18. quæstione 2. articulo 5. Suarez tomo 4. distinctione 30. sectione 4. numero 3. & sequenti Reginaldus libro 8. numero 43. Coninch disputatione 8. dub. 14. Filliucius tractat. 7. capitulo 10. quæstione 7. numero 291. & sequenti Diana parte 3. tractat. 2. resolutione 126. Coriolanus de casibus reseruatis parte 1. sectione 1. articulo 17. Crousers ad c. 7. regula San. Francisci lect. 17. folio 642. Caspensis tractat. 24. disputatione 6. sectione 5. numero 26. & sequenti.*

Ex quorum doctrina tamen certum est superiorem non semper teneri ad hanc facultatem concedendam; quia aliàs ferè nullius momenti esset reseruatio: hinc si difficultas, ex erubescentia procedens probabiliter putatur pœnitenti pro fræno, quo à peccato retrahatur, non tenetur concedere; similiter si talis concessio sit futura occasio scandali, seu recidiui. Quando autem peccatum tale est, vt vergat in damnum communitatis, vel alterius tertiæ personę, cui poterit prælatus remedium adhibere, si illis notitiam habeat, etiam seruato confessionis sigillo, putat *Suarez* teneri non concedere. Verùm non satis intelligit noster *Crousers*, quia ratione per reseruationem casuum occultorum possit impediri damnum communitatis, vel alterius tertij, cùm absolutè *Clemens VIII.* prohibeat superioribus & confessarijs vti scientiâ per confessionem acquisitâ ad exteriorem gubernationem, ac propterea parum ad illum finem conducere posse reseruationem occultorum nec teneri in illum finem denegare. Porrò quando difficultas prouenit ab extrinseco, vt si pœnitens meritò timeat aliquod graue damnum extrinsecum inferendum ab ipsomet confessore, puta, quod sit confessionem reuelaturus, vel scientiâ illâ vsurus in graue illius nocumentum, vel graues inimicitias cum illo habiturus; vel quoties ipse superior non est aliàs idoneus ad ferendum iudicium in tali causa; vel quia est ignorans, vel adeò improbus, vt loco medicinæ sit scandalum allaturus, tenetur Superior ex iustitia facultatem concedere: quia non potest iustè pœnitentem cogere, vt se exponat periculo grauis alicuius incommodi seu nocumenti:

An autem quando Superior iniustè denegat facultatem absoluendi à reseruatis, pœnitens possit absolui; vide *Confessarius* 5. num. 3.

Denique in hac concessione vel negatione talis facultatis, hoc remittendum est arbitrio prudentis confessarij; sicut etiam remittit Papa *Clemens VIII.* in bullâ de reseruatione casuum.

Hodie extat decisio *Pauli V.* (quam referunt *Nald. in sum. verb. Religiosus num. 44. Coriolanus, Crousers citati Tamburin. de iure Abbatum t. 4. disp. 13. quæst. 8. nu. 6. Diana par. 6. tr. 6. ref. 56.*) in decretis generalibus ad regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, professionem & institutionem spectantibus: vbi sanctitas sua deinceps declarauit & declarat, vt si huiusmodi regularium confessarijs casus alicuius reseruati facultatem petentibus dare noluerit Superior, possint nihilominus confessarij illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtentâ à Superiore facultate, absoluere: sed difficultas est, an illa verba, *pro illa vice*, intelligenda sint pro *vna vice* tantùm: Probabile est quòd non; quia quando Pontifex indulget vt pro illa vice regularis possint absolui à reseruatis, non ponit dictionem aliquam taxatiuam, sicuti in bullis Iubilæi, vbi sunt verba illa, pro hac vice: vnde magis videtur restringere dictio ista hac, quàm illa. *Alphonsus Leone tr. de offic. & potest. confess. to. 2. recollect. 6. n. 178.*

20. Sententia valde communis est posse licitè & validè superiorem, auditis in confessione solis peccatis reseruatis, ab eis sacramentaliter absoluere, & reliqua non reseruata inferiori committere; etiamsi nulla subsit causa talis diuisionis: Ita *Cajetan. v. confessio. condit. 10.* dicens esse consuetudinem Romanam. *D. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 6. Palud. 4. d. 17. q. 5. Henricus quodlib. 1. q. 29. Nauarr. de panit. d. 5. in c. confiderct. §. casus, n. 12.* & 18. qui tamen vult pœnitentem debere postea confiteri sacerdoti inferiori, tam reseruata, quàm alia, vt fiat confessio integra; & omnes fundantur in consuetudine.

Certa tamen & vera sententia est, cui in praxi adhærendum est, posse quidem superiorem audire solam reseruatorum confessionem, ab eisque sacramentaliter absoluere, remittendo pro absolutione reliquorum ad inferiorem sacerdotem, sed non absque magna necessitate. Ratio est, quia integritas confessionis, tam faciendæ à pœnitente, quàm audiendæ ab eo, qui fungitur officio confessarij, est de iure diuino positiuo, sed in hoc non potest dispensari nisi ex huiusmodi necessitatis causa. Ergo, si illa desit, dimidiatâ confessione audita non potest absoluere, nec est talis consuetudo in Ecclesia Romana: & posito quòd talis sit, prædicta consuetudo Romæ recepta est in casibus Papalibus, qui adnexam habent excommunicationem Papæ reseruatam; constat autem excommunicationem auferri posse non auditis omnibus peccatis.

Prædicta autem necessitas ad id faciendum tunc censebitur sufficiens, quando erit æqualis, seu similis, illi, propter quam pœnitenti licet aliàs dimidiare confessionem: quando scilicet deest sacerdos sui superior possit pœnitentem reseruata habentem committere: & alioquin aliquid est, quod eumdem pœnitentem obliget ad confitendum, & etiam aliquid obstat, quò minùs teneatur integrè confiteri. siue illud obstans sit, quòd Superior grauioribus occupetur, siue quòd subditus iustas rationes habeat non confitendi integre. Ita *Suarez c. disput. 31. sect. 1. numer. 3. Vasques quæst. 91. articulo 3. dub. 10. numer. 2. Reginaldus l. 8. numer. 77. Valentia tom. 4. disputat. 7. 4. 11. parte 1. Syluius in supplem quæst. 20. a. 2. quæs. 3. Syluester verb. confessio 1. quæst. 19. Rodriques in sum. c. 55. numer. 13. concl. 12. Coriolanus par. 1. sect. 1. artic. 10. Filliuc. tract. 7. c. 10. num. 300. 301. Fagundes pr. 2. l. 8. c. 3. n. 3.*

21. Quoties licitum est superiori absoluere sacramentaliter de solis reseruatis, ex tali confessione & absolutione, verum perficitur Sacramentum, distinctum ab alio, quod posteà ab inferiore confertur: contra *Sylvester v. confessio 1. n. 19.* & alios asserentes huiusmodi absolutionem non esse Sacramentalem, & contra *Nauar. c. n. 19.* dicentem absolutionem quidem esse sacramentalem, sed gratiam conferri solùm in secunda absolutione, eò quod ex vtraque absolutionem perficitur vnum sacramentum. Ratio nostræ assertionis est, tum quia illa confessio est integra formaliter, & in eam cadit absolutio; ergo constituitur Sacramentum: & posteà sequitur alia confessio etiam integra, & alia absolutio; ergo. Tum quia concurrunt omnia requisita ad conferendam gratiam; nempe sufficiens materia ex parte pœnitentis, & sufficiens iurisdictio ex parte absoluentis cum intentione absoluendi; neque oportet vt pœnitens sit contritus, vt volunt quidam, sed satis erit si fuerit attritus: Sacramentum enim hoc facit de attrito contritum, etiam illum, qui alicuius peccati mortalis in confessione obliuiscitur.

Imò si superior sufficientem causam non habens, audiret dimidiam confessionem tantum, & propterea malè faceret, verum conficeret Sacramentum, dummodò pœnitens bonâ fide procederet, esset que sufficienter dispositus. Ita *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. Suarez c. disp. 31. sect. 1. n. 9. Crousers ad c. 7. re. S. Fr. lect. 18. fol. 617. Fill. tr. 7. c. 10. n. 302.* & alij numero præcedenti citati cum *Bonacina tom. 1. disp. 5. quæst. 7. p. 5. §. 3. num. 2.* qui bene obseruat post *Henriques l. 6. cap. 14. numer. 12. Coninch disput. 8. dub. 12. numer. 84. Reginaldus lib. 8. numer. 77.* Episcopum posse reseruationem peccati absque Sacramentali absolutione auferre; imò non videt, quare etiam alij confessarij inferiores, id etiam non possint, si facultatem habeant ab Episcopo.

22. Quamuis probabile sit illum, qui obtinuit à Superiore absolutionem reseruatorum, teneri inferiori sacerdoti peccata tam non reseruata quàm reseruata manifestare; quia confessio peccatorum integrè facienda est, & Christus præcepit omnia peccata manifestari vni sacerdoti. *Henr. l. 5. c. 4. n. 4. Reg. l. 8. num. 92.*

Probabilius tamen est non teneri repetere reseruata apud inferiorem confessarium, cui reliqua peccata mortalia non reseruata confitetur. Ratio est, tum quia peccata legitima confessa & absoluta, nulla lege sunt iterum clauibus subijcienda; sed illa reseruata sunt legitimè confessa & absoluta. Ergo, &c. tum quia in omni alio casu, in quo pœnitens materialiter dimidiat con-

diat confessionem, vel propter obliuionem, vel sine obliuione propter rationabilé causam, siue ex parte pœnitentis, siue ex parte ministri ortã, non tenetur amplius confiteri illa peccata; quæ illo modo confessus est, & à quibus est per se & simpliciter absolutus: ergo idé erit in præsenti. Tú quia directè fuit absolutus coram Deo, & Ecclesia, ab habente iurisdictionem & facultatem reseruatorum; ergo nulla est ratio imponendi illi hoc onus. Ita *Suares c.disp.31.sect.1.nu.10. Vasques q.10.art. 3.dub.10.nu.3.Coninch c.n.80.Bonacina c.§.3.nu.4. De la Crux in direct.conscientiæ p.2.de pœnitent.q.3.dub. 5.conclusione 3.Crousers ad c.7.reg.S.Fr.lect.18.fol.617* Vide *Diana p. 3.tr.4.ref.74.* malè citantem *Suares* pro contraria sententia.

23. Certum est in dubio iuris de casus reseruatione, casum non censeri reseruatum: quia tunc præceptum & lex non obligant, cùm non sint sufficienter proposita; at quando post sufficientem diligentiam manet quis dubius an sint lex seu præceptum, reseruas aliquem casum, inferior cõfessarius manet in possessione suæ iurisdictionis: ergo potest ab illo absoluere, *Suares 3.p.to.5.disp.40.sect.5.n.15. Henriq.l.8 c.45.nu.3. Iust. P. Sa'v, Dubium nu.2. Rodriq.to.2.sum.c.99.nu.5.*

In dubio autem facti discordant Doctores, quibusdam opinantibus censeri eum reseruatum, & sic adeundum esse superiorem gratia absolutionis obtinendæ: quod hæc pars tutior sit. Ita *Armilla v.casus n.13. Corduba ad c.9.reg. S. Fra.q.4.p.1. casu 5.Crousers ib.lect.17.fol.639.*

Mihi tamen verius est contrarium, nempe, in dubio non censeri reseruatum: tum quia reseruatio est odiosa, odia autẽ non sunt amplianda, sed restringenda: tùm quia in dubijs melior est conditio possidentis. Confessarius autem approbatus, est in possessione suæ iurisdictionis. Ita *Suares c.disp.40. sect.6. n.5. Henriq.l.6.c.26.n.7. Layman l.1.tr.1.c.5.§.4. Filliucius tr.21. n.159.& 172. Portel.v.casus reseru.in dub.reg.n.7. Diana p. 4.tra. 3.ref.4.* & alij ab ipso citati. *Sanchez l.1.moral.c.10.n.74.* tamen hanc sententiam limitat, nisi esset præsumptio fori externi pro illius delicti admissi veritate; quia stante hac præsumptione, est pro certitudine delicti possessio, & illi præsumptioni est in vtroque foro standum, dum contraria veritas non constat. Sed ab hac limitatione recedit *Thomas Merolla in disp. Theol. to. 1. disp.3.c.3.dub.3.coroll.23. nu.* 390. apud Dianam; existimans casum non censeri reseruatum, nisi certò constet de reseruatione, nec satis esse quod præsumatur reseruatus, quia cùm reseruatio sit odiosa, & ideò strictè interpretanda, quando Prælatus reseruat sibi, verbi gratiã, hæresim, debet intelligi de peccato hæresis certo & non tantùm præsumpto. Addit verò noster *Corsolanus de casib. reseru. part. 1. sect. 1. art.5.* quod casus reseruatus debet esse certus, non dubius, seu æquiuocus; & si non sit expressus in textu Decreti, habetur pro omisso, & casus omissus reliquitur dispositioni iuris communis: hinc est quod si aliquis casus potest habere plures significationes, vnã propriam, & alteram impropriam, quòd debet assumi propria & omitti impropria, vnde illi tantum dicuntur casus reseruati, qui secundùm iuris dispositionem seruatá proprietate vocabuli comprehenduntur in litera; & non per extensionem Doctorum, cùm reseruatio sit odiosa, & pœnalis ad instar statuti, & consequenter pœnæ sunt restringendæ. Vnde in hac materia non spectatur paritas rationis, nec argumentum à simili, ab æquipollenti, à maiori &c. Reseruatio enim pendet ex voluntate sola reseruantis. Lezana *in sum. tom. 3. v. casus reseruati, num.* 13. citans *Naldum.*

24. Ex dictis numero præcedenti, patet quod qui dubitat se homicidium commisisse, vel compleuisse peccatum quod constat esse reseruatum, vel mortaliter peccasse, vel sufficienter compleuisse actum externum, potest à quolibet confessario approbato in confessione audiri & absolui, etiamsi confessarius reseruatorum facultatem non habeat. Imò si pœnitens bona fide confitetur nesciens suum casum esse reseruatum, vel sacerdotem non posse ab eo absoluere, absolutio videtur valida, Ecclesia tacitè hìc & nunc dante iurisdictionem in bonum animarum. Ratio est, tum quia alioquin innumeri meritò remanerent anxij de suis confessionibus. Tũ quia valde grauiter deciperentur, cùm varij sacerdotes, non ita sciant casus reseruatos, nec sit pœnitentium eos scire, vel sacerdotum potestatem, vnde siue sacerdos absoluendo peccet, siue non, pœnitens bona fide procedens videtur validè absolui remanent onere se sistendi superiori, vt bene obseruat Præpositus 3. *part. quæst. 9. de cas. reseruat. dub. 7. num.* 38.

Sed rogabis, si propter dubium sacerdos inferior absoluit ab hæresi, ver. g. vel alio peccato reseruato; & postea pœnitens re melius examinata deponat dubium, & recordetur certò peccati commissi, quòd erat reseruatum, an censeatur iam legitimè absolutus; an verò debeat recurrere ad superiorem pro absolutione? Respondeo videri dicendum ablatam iam esse reseruationem: quia sicut votum in dubio non est reseruatum, sic nec peccatum, vel excommunicatio: ergo sicut in dubio voti Episcopus dispensat & dispensatio manet valida, licet postea constet de voti certitudine, vt docet Sanches *lib. 4. moral. cap. 44. numer.* 10. sic absoluens ab hæresi dubia validè absoluit, & absolutio valebit, licet postea constet de certitudine censuræ incursæ; non enim fuit data sub conditione de futuro, scilicet si postea non constaret de veritate, quia non est in vsu Ecclesiæ talis modus absoluendi ab excommunicatione: ergo si in dubio tollitur reseruatio, & datur potestas absoluendi à censura, absolutio valida est quidquid postea consequatur: si autem semel valida fuit, non potest postea excommunicatio redire sine noua culpa, non enim data fuit absolutio ad reincidentiam, nec dari potuit, nisi in casibus expressis in iure, qualis non est iste: ergo manet pœnitens absolutus ab excommunicatione. Plura de hoc casu apud Lugo *de pœniten. disp.20.sect.2.nnm.* 20.

An autem qui ignorat reseruationem alicuius casus, incurrat in illam, Vide *verb. Ignorantia, nu.*17.

25. Confessarius qui dubitat se iurisdictionem habere circa casus reseruatos, non potest absoluere; quia possessio stat pro peccato, quod constat esse reseruatum, & dubium est de iurisdictione; vnde quamdiu ipsius intellectus manet suspensus & anceps circa facultatem reseruatorum, non potest absque lethali culpa extra mortis articulum directè absoluere, quia exponeret se periculo impendendi absolutionem inualidam: quamuis possit indirectè & sub conditione aliquando absoluere, puta, interueniente necessitate, seu iusta & rationabili causa; vt patet ex dictis suprà, & dicendis infrà v. *confessarius* 2. num. 25. *Suares 3. p.t. 4. disput. 26. sect. 6. Bona. to. 1. d.5.qu.7.p.5.§.5. Filliucius tract.7.c.8 nu.226. Coninch de Sacramen. disp.* 8. *dub. 6. Caramuel.l.3.Theol. mor. n.1331.*

An autem taliter absolutus cum iurisdictione dubia in necessitate & sub conditione, teneatur iterum eadem peccata Sacerdoti habenti iurisdictionem certam confiteri? Negat *Salas 1. 3. tr. 8. disput. vnic. sect.27. num.* 283. durum enim & intolerabile esset, inquit, cogi hominem partim necessitate eligendi confessorem dubium, partim lege Dei, seu onere quod à sacerdote necessariò imponendum pœnitenti sit, ad confitendum bis eadem peccata: ergo sine tali onere absolutio est valida; quia etiamsi sacerdos tale onus non imponeret pœnitenti, siue quia oblitus est, siue quia noluit, siue quia existimauit necessarium non esse, probabile est absolutionem validum fuisse. Ergo non tenetur Sacerdoti habenti certam iurisdictionem peccata eadem confiteri. Ita ille. Sed à contraria sententia non est discedẽdũ vt docet *Diana p. 4.tr.3.ref.* 38.

26. Sacerdos qui non propriè dubitat, sed potiùs opinionẽ habet probabilem de iurisdictione circa peccata reseruata, potest absoluere, etiãsi opinio illa probabilis à parte rei nó subsistat, & falsis nitatur fundamentis: nã interueniente probabili opinione, Ecclesia supplet iurisdictionem: sicut eamdem supplet, quãdo adest cõmunis error & titulus coloratus, vnde qui sequitur opinionẽ probabilẽ Doctorum sentiẽtium ipsum habere iurisdictionem absoluendi à reseruatis, seu priuilegiũ absoluendi non esse reuocatum, validè absoluit; ac si reipsa iurisdictionem haberet, & priuilegium nondum esset reuocatũ. *L. Barbarius ff. de offic. Prætoris.* Ita *Sanches de mat.l.3.d.22.n.65. & l.1.mor.c.9.n.35. Lessius l.2.c.29.dub.8.n.68. Sua.c.disp.26.sect. 6.nu.5. Dia.p.2.tr.13.ref.2.& tr.1. misc.ref.29.p.2. Regina.l.1.nu. 103. Bona. de leg.d.2.q.4.p.9.nu.19. Cron.ad c.7.reg.S. Fr. lect.22. f.701.* & alij communiter pertinet enim ad prudentem Ecclesiæ gubernationem, vt non permittat, Sacramentum tam necessarium sæpius esse incertum & irritum. Vide v. *confessarius* 2. num.26. & v. *conscientia* num. 10.

27. Sententia valdè cõmunis, quando pœnitẽs fuit absolutus ab habente facultatẽ ordinariã vel delegatam circa casus reseruatos, verè remanere absolutũ à peccatis reseruatis, quæ per obliuionẽ prætermisit in cõfessione, modò cõfessarius intẽtionem habuerit absoluendi quantũ potest & indiget pœnitẽs, & obliuio fuerit inculpabilis, seu non fuerit ita culpabilis vt Sacramentũ sit inualidum, licet informe. Ratio est, quia sicut excommunicatio tollitur per generalem absolutionem, quæ

commu-

communiter ante absolutionem peccatorum prę̃mitti consuevit. Ergo etiam tollitur reseruatio peccatorum per formã consuetam & absolutam. Ego te absoluo, &c. Ita *Suares to.4. disp. 31. sect.4.nu.14. Sylius in supplem.qu. 20.art.2.quæst. 3. Nauarr. c. 26.num. 13. Sa v.casus reseru.num.7. Henriq. l. 6. c. 16.num. 5. Crouser s c.lect. 18.fol. 655.*

28. Multi Doctores probabiliter sustinẽt pœnitentem remanere absolutum à reseruatis oblitis etiamsi non petat expresse & explicitè absolutionem à reseruatis, dum tẽpore Iubilæi vel extra sacerdoti priuilegium habenti circa reseruata bonâ fide confitetur: Licet enim talis pœnitens explicitè non petat absolutionem reseruatorum, censetur tamen interpretatiuè petere; quia venit ad confessionem vt quantum fieri potest, à peccatis omnibus liberetur, & si occurreret se habere aliqua peccata reseruata, omninò peteret reseruationem tolli; quare confessarius censetur hìc & nunc velle eum absoluere à peccatis quantùm licitè potest, & consequenter tollere reseruationem. Vnde supra dicta peccata oblita non remanere amplius reseruata dicunt ex neotericis *Coninch de Sacr.d.8.dub.12.ad fin. Molsesius tr.7.c.21.n.26.& seq. Diana p.1.tr. 11.resol. 19.* Ex veteribus autem Theologis *Sylvest. v. confessio 1.qu. 4. Adria. qu. 4. de confess. §. 3. Gabriel in 4.d. 17.q. 1. art. 3. dub. 2.*

29. Qui extra tempus Iubilæi confessus est superiori, facultatem circa casus reseruatos habenti vel eius delegato remanet absolutus, quoad reseruationem peccatorum in confessione manifestatorum, licet confessio fuerit inualida culpabiliter vel ex defectu doloris seu examinis, vel integritatis vel etiam si ex malitia: modò confessarius protulerit formam absolutionis. Tum quia ex quo subditus comparuit coram superiore, eique peccatum integrè reuelauit, ipséque superior conuenientem medicinam & satisfactionem imposuit, suo muneri satisfeciss videtur, quantùm ad reseruationem spectat. Tum quia Confessarius absoluens intendit absoluere, quantùm potest, cùm autem possit absoluere, ad tollendam reseruationem, censetur illam auferre. Tum quia quod non valet vt agitur, valet saltem vt valere potest; cùm autem illa absolutio non valeat quoad remissionem culpæ videtur saltem valere quoad ablationem reseruationis. Ita *Suares to. disp. 31. sect.4.nu.9. Filliucius tr.7.nu. 311. Rodriq. to.1.qq. reg.q.21. art.7. Caietanus v.casus reseruatus. Sylvester v.confessio 1. q. 19. Bonacina to.1. d. 5.q.7.p.5.§.5.n.9. Diana p.1.tr.11.ref. 18. Tamburin. de iure Abbat.to.2.disp.13.q.10.nu. 6.*

An autem idem dicendum sit, quando quis est confessus inualidè confessario habenti facultatem reseruatorum per bullam seu virtute Iubilæi? *Suares c.disp.31.sect.4.n. 22. Reginal. l. 8 nu.63. Rodr c. art. 7.* Negatiuè respondent quidam apud *Dianam* proximè citatum, quibus addo nostrum *Coriolanum part. 1.sect.2.a.18.* Fundamentum illorum est; quia Summus Pontifex concedit facultatem absoluendi à reseruatis in ordine ad susceptionem indulgentiarum; Sed qui scienter facit confessionem irritam, indulgentias minimè consequi potest. Ergo Et confirm. quia sic gauderet priuilegio absolutionis à reseruatis per Iubilæum indulto, absque confessione, quę nihilominus exigitur per bullam: inualida enim confessio non est confessio.

Mihi tamen contraria sententia videtur satis probabilis & secura in praxi: Imò indubitata quantùm ad casus ratione excommunicationis reseruatos; quam excommunicationem certum est tolli omninò quantumuis subiequens sacramentalis à peccatis absolutio sit inualida, si absoluens eam tollere intendebat & possit, etiamsi pœnitens ipse non intenderet recipere dictam absolutionem; quia valide dari potest absolutio ab excommunicatione, etiam illam recusanti. Quantùm autem ad casus secundùm se reseruatos, non apparet quomodo per solam absolutionem sacramentalem inualidam tolli non possit, ab habente facultatem delegatam, reseruationis onus: vel enim per delegationem committitur circa tales casus omnis potestas à Superiore, vel non: si omnis, saltem in foro conscientiæ. Ergo non obstante, quòd absolutio (vt sacramentalis) sit inualida, valida tamen esse poterit, quantùm ad tollendum onus reseruationis. Quòd si non omnis committitur, vel si limitata; oportet de huiusmodi limitatione constare. *Henriques l. 7. ca.11. Tabiena v.confes. 2. §. 16.*

Dices, constare de illa, dum dicitur, quòd possint absolnere à reseruatis in foro sacramentali pœnitentiæ. Respon-

det ad hoc noster *Crousers ad cap. 7. reg. S. Franc. lect. 19. fol. 685.* hic citatus, neque ex tali clausula colligi posse, absolutionem reseruatorum, quæ est sacramentaliter inualida, esse etiam inualidam quantùm ad tollendum onus reseruationis: Quia non sunt vnum & idem, absolutio ab onere reseruationis & absolutio sacramentalis. Vnde, si vna est inualida, non est necesse aliam esse inualidam. Deinde, vt illa sit valida, satis est, si detur in foro sacramentali: sed datur in foro sacramentali, etiamsi absolutio sacramentalis sit inualida. Ergo valida est; non enim forum sacramentale tunc tantum est, quando absolutio sacramentalis est valida: sed quãdo pœnitens & confessarius conueniunt ad conficiendum Pœnitentiæ sacramentum: etiamsi sacramentum ex aliquo defectu non sit, validum. Sic etiam *Armilla v. casus reserua. num.4. Caietanus eodem verb. in calce Sylvest. v. confessio 1.num.2. Comitolus in ref. mor. l. 1.q. 30. num. Diana p.1.tr.11.ref.18.& p. 4. t. 4.resol. 124. Præpositus de pœnitentia quæst. 9.dub.4.num. 24.* Probabilem vocant hanc sententiam *Diana, Tabiena, Henriques.*

30. Qui à censuris & à peccatis reseruatis bonâ fide fuit absolutus virtute Iubilæi; ex communi doctrina, remanet directè absolutus, nec reincidit in casus reseruatos, vel in censuras, etiamsi posteà voluntariè prætermittat ea quæ ad lucrandum Iubilæum præscribuntur. Ratio est, tum quia absolutio à reseruatis non fuit data ea conditione vt pœnitens Iubilæum lucretur, verùm sine vllo pacto alio & obligatione absolutus fuit: vnde statim fortita est suum effectum: tum quia facultas absoluendi eiusmodi, non debet censeri ad reincidentiam data, nisi exprimatur à Iure, vel Iudice, sed de hoc nihil in diplomate Iubilæi agitur. Ergo vbi lex aut priuilegium non distinguit, aut restringit, nec nos distinguere aut restringere debemus. Ita *Suares to.4.disp.31.sect.4.nu.5. Sanches l. 4.mor.c.54. nu.44. Vasques 3.p.to.4.q.91.art.3.dub.6. Crousers ad c. 7.reg.lect. 19.fol.667. Diana p.3.tr.4.resol.145. Henriq. l. 7.c. 11. num.4. Filliucius tract.8.num.280.cap.10.*

An autem pœnitens absolutus à casibus & censuris virtute Iubilæi, peccet mortaliter si posteà mutet voluntatem, & non lucretur Iubilæum? Affirmant *Suares de relig. to. 2. l. 6.c.16.nu. 11. Coriolanus de cas. reser. p. 1.sect. 3. art. 17.* quia facit contra pactum implicitum & alioqui iustum in re graui, ergo peccat mortaliter.

Contraria tamen sententia cui adhærendum est tanquam probabiliori, negat peccare mortaliter; quia pœnitens nil promisit, nec obligationem vllam confessarius imposuit, nec etiam de tali Pontificis intentione constat: ideò non debemus præceptum imponere absque vrgenti fundamento. Ita *Sanches de matr. l. 1.disp.43.nu.9. Henr.l.6.c.16.nu.6. Diana p.2.tr.2. misc.ref.11.& p.3.tr.4.ref.145. Bunac. to. 1.d.5.q.7.p.5 §.5.nu.18.*

31. Absolutus in articulo mortis à casibus reseruatis ab eo qui alias non posset, non tenetur si conualescat & cessante tali periculo, coram superiore comparere, cui iure ordinario absolutio à talibus peccatis reseruata erat: tum quia in mortis articulo omnes sacerdotes per se ac directè ab omnibus peccatis absoluendi potestatem habent: tum quia nullo iure constat in absolutione casuum reseruatorum non habentium adnexam excommunicationem, imponendum esse huiusmodi onus. Ita *Nauarr. in Man.c. 26. nu. 26. Suares de pœnit. disp. 30.sect.3.nu.6. Sanches l.2.mor.c.13. Diana 4.p.tr.4.ref. 199. Sylvius in suppl.q.8.art.6. Crousers c. l.23.fol.813.*

Tamen si peccato annexa sit censura excommunicationis superiori reseruata, tunc absolutus cessante mortis articulo sistere se debet superiori ad quem de iure ordinario pertinet, non vt iterum absoluatur, cũ iam sit absolutus, sed vt mandatũ eius accipiat & ostendat se obedientem ad recipiendam debitam medicinam, & ad exhibendam maiorem satisfactionem si superior ipse maiorem iudicauerit imponendam, vt decernitur in iure. *C: eos quide sent. Excom. in 6. Henriques l. 6. cap. 6. nu.6. Suar.de cens.d.7.sect. 1. Quamus* pœnitens possit eximi ab obligatione ad eundi superiorem, si adeat confessarium habẽtem facultatem absoluendi ab illis censuris extra mortis articulum, ab eoque obtineat absolutionem nouam absque vllo onere: nam prior absolutio non obstat, quin pœnitens possit nouam absolutionem absolutam obtinere; vt docent *Sanches c. nu. 32. Henriq. l.6.c.10.nu.5. in comment.lit. G. Layman l. 5.tr. 6. c.12.num.* 15. Vide infra v. *Excommunicatio* V. nu.7.

Huic autem obligationi se præsentandi coram superiore potest satisfieri per procuratorem, & etiam per literas, quia quòd per procuratorem facimus, per nos dicimur facere,

secundùm ius: quod limita in absolutione excommunicationis percussoris clerici, ex *cap. Quod de his, de sentent. excomm.* propter peculiarem rationem grauitatis huius delicti, quod non est extendendum ad alios casus, vt peperam nonnulli volunt. Imò etiam in percussione clerici posse fieri per procuratorem, si aliqua iusta causa sit, tenet *Sanches l. 2. mor. c. 13. num. 53.*

Notandù præterea hic est, quod in articulo mortis quilibet absoluendus sit ab excómunicatione, vel censura reseruata, si nullã possit præstare cautionem; nam nullus ad impossibile tenetur. Ita idem Sanches *nu. 34 & 35.* vbi rectè obseruat, si confessarius, quando potest dari cautio se præsentandi, hanc omittat petere, vel per obliuionem, vel per negligentiam, vel per ignorantiam in tali articulo, absolutionem tamen tenere; & idem est de alijs cautionibus, & idem dicendum esse extra articulum mortis, si sit facultas absoluendi: quod etiam docet in excommunicationibus Bullæ cœnæ: vnde licèt illicita sit talis absolutio, cum secundùm formam iuris solitam requirantur illæ cautiones, non tamen erit irrita absolutiò, vel inualida, nisi aliter aliquando exprimatur.

SVMMARIVM.

32. 33. *An per bullam Cœnæ derogatum sit priuilegio Episcoporum a Concil. Trident. vt possint absoluere suos subditos à casibus Papæ reseruatis:* Refertur duplex sententia.

34. *An facultas competens Episcopo ex Tridentino absoluendi ab hæresi occulta; possit ab ipso Episcopo delegari.*

35. *In generali concessione absoluendi à censuris Bullæ cœnæ, an cõprehendatur etiã absolutio ab hæresi:* Refertur duplex sẽtẽtia.

36. *An regulares approbati iuxta formã Concilij Trid. possint iuxta priuilegia absoluere omnes fideles à casibus, sententijs, cẽsuris & pœnis Papæ reseruatis & an absolui possint religiosi sine licẽtia suorũ superiorum, etiam à secularibus tempore iubilæi.*

37. *Religiosi in terris infidelium possũt absoluere à reseruatis in bulla cœnæ. Et an stando in solo iure cõmuni possint religiosi Medicantes absoluere à casibus extra ius cõmune Episcopo reseruatis.*

38. *Quid possint modo religiosi iuxta sua priuilegia circa casus Episcopo reseruatos.*

39. *An confessarij Mendicantes possint absoluere ab omnibus excommunicationibus tam à iure, quàm ab homine latis.*

40. *Qui casus reseruari possint à Prælatis regularibus, iuxta Decretum Clementis VIII.*

§. 1. *Quæ sint beneficia, incantationes, sortilegia.*

§. 2. *De secundo casu, qui est Apostasia.*

§. 3.

De tertio, nocturna, scilicet, & furtiua è monasterio egressione.

§. 4. *De quarto, qui est proprietas mortalis.*

§. 5.

De quinto, id est, Iuramento falso in iudicio regulari seu legitimo.

§. 6.

De sexto, videlicet, procuratione, auxilio seu consilio ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu nõ secuto.

§. 7.

De septimo, qui est falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterij. §. 8.

De Octauo, qui est Furtum, mortale de rebus monasterij.

§. 9.

De nono, id est, lapsu carnis voluntario opere consummato.

§. 10.

De decimo, scilicet, Occisione, aut vulneratio seu graui percussione cuiuscunque personæ. §. 11.

De vltimo, qui est malitiosum impedimentum, retardatio, aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores & è contra.

41. *Casus reseruati in religione an habeant locum in nouitijs:* Refertur triplex sententia.

42. *An per bullam Clementis tollatur reseruatio casuum Pontifici reseruatorum.*

43. *An per hanc bullã sublata sit potestas Prælatis regularibus probibendi aliquid sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, reseruando sibi absolutionem:* Refertur duplex sententia.

33-33. MAximè controuertitur apud Doctores an facultas data Episcopis per Tridentinum absoluẽdi ab hæresi occulta, & alijs occultis casibus Papæ reseruatis in bullã cœnæ, reuocari censenda sit per bullas Cœnæ Domini? Circa hanc quæstionem duplex celebris sententia. Prior est affirmatiua: quia à tempore *Pij V.* in fine eiusdem bullæ expressè habetur hæc clausula: quòd ab illis casibus nulla persona etiã Episcopali dignitate prædita, absoluere possit, prætextu cuiuscunque facultatis, etiã per cuiusuis Concilij decreta in genere vel in specie concessæ. Duo etiam sunt responsa Congregationis Cardinalium, quorũ meminit *Suarez*, in quibus declaratur, facultatẽ Tridentini Episcopis ablatam fuisse: Hæc sententia est probabilissima & tenenda, quã sequuntur *Suarez 3. p. to. 4. disp. 3. sect. 2. Toletus l. 1. c. 41. Sanc. l. 2. mor. c. 11. nu. 27. Sylu. 2. 2. q. 11. art. 3. quæst. 2. Dia. p. 1. tr. 5. res & p. 4. tr. resol. 239. Altera sententia* est negatiua, eaque satis probabilis: quia in bullã cœnæ non fit expressa mentio Concilij Tridentini; Constitutioni enim seu Decreto Concilij propter eius grauitatem nõ intelligitur derogatum, nisi de eo fiat mentio specialis. *cap. Nonnulli, de rescript. cap. Ex parte, de capellis Monachorum.*

Deinde rectè dici potest, bullã Cœnæ solùm probibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, ideò non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. De responsis autem Cardinalium, dicendum est ea esse magnæ authoritatis, sed non sufficere ad tollẽdam contrariæ sententiæ probabilitatem. *Fagundes præcept. 2. l. 8. c. 8. n. 32. 33. Rodrig. to. 1. qq. reg. q. 20. a. 10. Ban. 2. 2. q. 11. a. 4. du. 2. Sa. v. Episcop. n. 34. Portel in addit. ad du. reg. v. Episcop. n. 1. Henriq. l. 13. c. 27. n. 5. Iul. Q. Crousers ad c. 7. reg. S. Fra. lect. 11. fol. 585.* Quorum sententiam, tutius in praxi amplecti possunt Episcopi in regionibus ab vrbe remotioribus, propter difficultatem adeũdi Summum Pont. vt annotauit *Nau. l. 5. conf. 11. de priu. edit. 2.* Imò addit *Layman l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 2.* Episcopos quosdam in partibus septentrionalibus ob casuum frequentiam & difficultatem adeundi Romam, per se vel vicarium suum absoluere consueuisse subditos suos ab hæresi etiam manifesta.

Et quidem in Belgio omninò videtur hanc reuocationẽ potestatis absoluendi a casibus Bullæ cœnæ, locum non habere, tum quòd praxis inter doctissimos & timoratos recepta aliud indicet: tum quòd ipsi Episcopi Belgij pro Inquisitoribus fidei habeantur: tum quod non credatur dicta Bulla cœnæ debitè publicata & recepta, pro vt Illustrissimi & Reuerendissimi Episcopi arbitrantur. Tandè quod per Gregor. VIII. anno 1576. 25. Februar. ad instantiam Philippi II. Hispaniarũ Regis sit ipsis ratione hæreticorum amplissima facta facultas etiã delegandi potestatem absoluendi ab hæresi, donec totum Belgium in ipsius Regis obedientiam redierit. Tum quia in his Belgij partibus ob locorum distantiam, itineris longissimi molestias, difficultates & periculas, ex longa cruentorum bellorũ duratione prouenientia, regulariter loquendo, non potest ad Pontificẽ aditus, non esse admodum difficilis & molestus, in tantùm vt non sit putandus Pontifex velle cum tantis quium suarum incommoditatibus, molestijs, & periculis reseruationem suum sibi saluam esse. Imò plerique Episcoporum nostri Belgij & vicinarum Prouinciarum peccatum Hæresis inter casus suos reseruatos annumerat; nec superflua videtur hæc reseruatio; quia per annumerationẽ peccati hæreticos cum peccatis Episcopo reseruatis, hoc saltè cõsequuntur Episcopi, quod sacerdotibus interioribus innotescat se nullã super illo peccato habere iurisdictionem: sed præcluso ad Pontificem aditu, ad solos Episcopos tunc permittentes eos casu innodatos, esse remittendos.

34. Ponit probabilitate prædictæ sententiæ non reuocari in bullã cœnæ facultatẽ absoluendi ab hæresi concessam in Concilio Tridẽtino Episcopis, dubiũ est, an hæc facultas possit vicario vel alteri idoneæ personæ delegari? Negant *Sua. de fide disp. 30. sect. 2. n. 9. & 15. Molina tract. 2. d. 18. n. 2. Gutier. in qq. can. l. 1. c. 13. n. 49.* & alij probabiliter. Affirmãt. *Sanc. l. 2. mor. c. 11. nu. 23. Sa. v. Episcopus n. 37. Azo. to. 1. l. 8. c. 10. qu. 11. Henriq. l. 6. c. 14. n. 7. Dia. p. 3. tr. 6. misc. res. 92. & p. 7. tr. 2. res. 13. Crousers ad c. 7. reg. c. lect. 11. fol. 581. Kuar. in sum. to. 1. edit. 2. c. 130. n. 5. & q. reg. to. 1. q. 20. art. 11.* quia iurisdictio hæc vel iure antiquo non reuocato, conuenit Episcopis, vel si ex priuilegio, cùm illa non sit annexa personæ sed perpetuò dignitati, vel officio, non est delegata, sed ordinaria, & potestatis ordinariæ iura habet, vt docent authores citati à *Sanchez*, qui dicunt commissionem perpetuã facere ordinariam. Et vt bene notat *Cordubа in sum. quæst. 8.* in Tridentino non statuitur quod Episcopi non possint committere specialiter alicui talem facultatem occurrente casu: sed, quòd eorum vicarijs non sit permissum virtute scilicet commissionis, quia vicarij instituuntur, vel facultas eis datur absoluẽdi à reseruatis Papæ, vnde hæc sententia mihi videtur probabilior contraria. Vide *Sanchez* & alios hìc citatos. Ex dictis infertur quòd si Episcopus incidat in aliquod delictorum, de quibus agitur in dicto decreto Concilij, possit ab alio dispen-

sari

sari vel absolui cum potestate ab ipso delegata. Probatur hæc opinio, quia ex vigore dicti Decreti, respectu Episcopi non censentur ampliùs casus reseruati, sed vt comprehensi sub eligendi Confessarij facultate sibi iure communi *Cap. fin. de pœnitent. & remiss.* concessa: ergo poterit alteri confessario committere, ipsum eligendo, vt se absoluat. Et sic fertur declarasse sacram Congregationem Concilij Tridentini interpretem, apud Barbosam *in collectan. Bullar. ver. Absoluere*. His verbis. *Absoluere Episcopum & cum ipso dispensare poterit ab eodem Episcopo Confessor electus, de omni peccati vinculo, de quo potest absoluere & dispensare Episcopus.*

35. Quando generatim conceditur potestas absoluendi à censuris Bullæ Cœnæ, secundùm probabiliorem sententiam *Nauarr. in Man. c. 27. num. 275. Suares de censur. d. 7. sect. 5. num. 11. Sanches l. 2. mor. c. 12. Bonacina de censur. d. 1. q. 3 p. 1. nu. 14. Diana p. 1. tr. 5. resol. 1. Syluius 2. 2. q. 11. ar. 3. quæst. 2. Portel in addit. ad dub. reg. v. hæresis, num. 26.* non censetur comprehensa absolutio ab hæresi, nisi speciatim explicetur: quia excommunicatio ob hæresim peculiarem reseruationem habere solet: vnde quando Papa illam concedere vult, eam exprimit etiam post vniuersalem concessionem casuum bullæ Cœnæ, sicut habet praxis & stylus curiæ Romanæ; & ferunt ita fuisse declaratum à *Gregorio XIII.* Nihilominus contrariũ docent *Fagundes c. l. 8. c. 8. num. 38. Reginald. l. 8. num. 53. Lorca 2. 2. q. 11. art. 4. disp. 45. num. 3. Filliucius tr. 8. num. 265.* testatur ita fuisse declaratum Romæ anno 1607. in sacra Pœnitentiaria, & seruari in praxi. Stylus autem Curiæ quem allegat prima sententia, fundatur in probabilitate istius opinionis, non tamen tollit probabilitatem alterius: adde quod stylus Curiæ varius est pro varietate Pontificum.

36. Regulares approbati iuxta formam Concilij Tridentini, possunt iuxta sua priuilegia absoluere quoties opus fuerit, omnes fideles à casibus, sententijs, cẽsuris & pœnis Ecclesiasticis Papæ extra bullã Cœnæ reseruatis: ex cõcessione *Pauli III.* facta presbyteris Societatis IESV; vt referunt Compendium priuilegiorum Mendicantium. v. *Absolutio quo ad fœcul. primo, in add. capucini. Crousers ad c. 7. reg. S. Fr. sect 28. fol. 769. Rodrig. to. 4. qq. reg. q. 61. art. 5. Sixti V.* facta in fauorem Congregationis Oratorij, in bulla expeditã anno 1586. Non. Septembris; quam habet *Quaranta v. confessor*, cuius initium est. Decet *Romanum Pontificem*. Verum prædicta priuilegia reuocata fuerunt respectu confessariorum tam regularium quàm sæcularium existentium in Italia extra vrbem Romam in decreto Sacræ Congregationis quod incipit: *Sacra Congregatio.* apud Quarantam *verb casus reseruati.* Sub dat. 9. Ianuarij 1601. quod decretum postea ab eadem sacra Congregatione 16. Nouembr. 1602. speciali mandato S. D. N. Clementis VIII. ita moderatum ac declaratum fuit, videlicet sub eiusdem prohibitione illos tantùm in posterum comprehendi casus, qui in bulla die Cœnæ Domini legi consueta continentur. Ac præterea violationis immunitatis Ecclesiasticæ in terminis constitutionis Greg. XIV. quæ incipit: *Cum alias Nonnulli*. Violationis clausuræ Monialium ad malum finem. Prouocantium & pugnantium in duello iuxta Decretum Sacri Concilij Tridentini, & constitutionem Gregorij XIII. incipientem: *Ad tollendum*. Injicientium violentas manus in Clericos, iuxta Canonem, *Si quis suadente. 17. qu. 4.* ac iuris dispositionem. Simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabunt. Ab alijs autem casibus Papæ reseruatis, declarat eadem Congregatio, posse absoluere sacerdotes tam sæculares, quam regulares iuxta priuilegia sua. Hæc pro Italia: Extra verò Italiã concessiones dictæ Pauli III. & Sixti V. apud regulares per cõmunicationẽ priuilegiorum iunt in vsu. Vide Dianã *p. 5. tr. 14. res. 103.*

Et licet istæ concessiones vniuersaliter loquantur de omnibus fidelibus, non tamen intelliguntur de religiosis, quidquid aliqui improbabiliter dicant, cũ isti ex vi suorum statutorũ & priuilegiorum non possint absolui sine licentia suorum Superiorum; quia per priuilegium generale non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari nisi id exprimatur *Laymã l. 5. tr. 6. c. 10. n. 20. Rodr. t. 1. qq. reg. q. 61. ar. 4. & 11. Corian. de casib. reser. p. 1. sect. 3. a. 13. Regin. l. 8. n. 37.* Imò in multis Ordinibus speciali Papæ cõcessione cautum est, ne religiosi vtantur priuilegijs ad effectũ eligendi confessorem sine licentia suorum Superiorũ. Ita concessit Prædicatoribus *Iulius II.* bulla 16. & *Pius V.* bulla 15. Secundò *Leo X.* bulla 24. cõcessit Minoribus, ne fratres

absoluantur à reseruatis virtute cuiuslibet priuilegij aut bullæ etiã cruciatæ, Tertiò *Greg. XIII.* concessit, non posse religiosos Societatis, sine expressa suorũ Superiorum licentia vti facultatibus Iubilæorum, Bullarũ Cruciatæ, confessionaliũ vel aliorum Apostolicorum indultorum, quæ cõmunitatibus; personis vel pijs locis quouis modo cõcessa sunt, aut concedẽtur licet in eis exprimatur quòd omnes regulares etiã Mendicantes illis vti valeant. Tandem *Clemens VIII.* in bulla data *die 23. Nouembris* 1599. quæ incipit *Romani Pontifices.* decernit concessionẽ sanctę Cruciatę & aliorum indultorum particularium ad effectum eligendi confessorẽ, & absoluendi à reseruatis cũ tratribus & sororibus Monialibus Ordinis Beatę Marię de Monte Carmelo, ac aliorum quorumcumque Ordinum & congregationum cuiuslibet Instituti. Mẽdicantium & non Mendicantiũ, tam Prouinciæ Hispanię, quam extra illam, vbilibet locum minimè habere, neque censeri, sed suę intentionis existere, quòd eidem Fratres & moniales quantùm ad Sacramentũ Pœnitentiæ, seu confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorũ subiecti sint. Quã constitutionem innouauit & ampliauit *S. D. N. Vrbanus VIII.* die 19. Iunij 1630. per suam quæ incipit: *In specula militantis Ecclesiæ.* apud *Dianã in Addit. secund. resolut. 9.* vnde stante hac bulla *Vrbani VIII.* probabilis nõ est, nec tuta in praxi quorumdam Doctorum afferentium sententia, Regulares licitè & validè absque licentia Prelatorum, vigore bullæ Cruciatę posse eligere confessarium, qui eos à reseruatis absoluere possit. *De la Crux de statu relig. l. 1. c. 6. d. 12. Sua. de rel. to. 4. tr. 9. l. 2. c. 16. comp. Societatis tit. Absolutio §. 11. Miran. to. 2. q. 3 4. a. 15. conc. 2. Crousers c. sect. 19. fol. 662. Cuspensis tr. 24. disp. 6. sect. 6. Lezana to. 1. sum. cap. 19. nu. 29.* Vide præterea *Tamburinus de iure Abbat. to. 2. d. 13. quæst. 12.*

Si tamẽ religiosi ex indulto particulari Sedis Apostolicæ, valeant singulos vtriusque sexus, tã laicos, quã clericos sæculares & cuiusuis Ordinis regulares, hæreticos, schismaticos, & à Sãcta Catholica fide aberrãtes absoluere; videtur posse quoque illos etiam absoluere regulares à reseruatis suis Prælatis absque licentia ipsorũ: quod patet ex illo cõmuni axiomate, quod habetur in regulis iuris, in Sexto Decretalium regula 53. *Cui licet quod est plus, licet quod est minus*; sed plus est absoluere ab hæresi quæ Papæ maximè reseruatur, quàm à reseruatis Prælatis Religionum, ergo eo ipso quòd possint absoluere religiosos quoscumque ab hæresi, possunt quoque eosdem absoluere à casibus suis Prælatis reseruatis: quia tunc habent tales confessarij facultatẽ à Superiore mediato religiosorũ, videlicet à Papa, quod sufficit; licet non habeant ab immediato, quia eius potestas est independens à potestate immediati Prælati. Tũ quia mens Pontificis est, per istã concessionem potestatis absoluendi ab hæresi & alijs reseruatis, cõcedere etiã reseruatos casus Prælatis religionum, vt pœnitentes plenariè possint reconciliari Ecclesiæ; quod fieri nõ posset, si tales aberrantes à fide nõn absolierentur in eadẽ confessione etiam à reseruatis suis Superioribus, si qui existant. Nihilominus quia ex decreto *Clementis VIII.* quod innouauit *S. D. N. Vrbanus VIII.* vt dictũ est, prohibetur omnibus religiosis ne vtantur bulla Cruciatæ & indultis particularibus à Sede Apostolica concessis, ad effectũ obtinẽdi absolutionẽ à reseruatis suis Superioribus sine illorũ licẽtia, mihi nõ videtur tutum ex vi taliũ, indultorũ particularium absoluere religiosos à talibus casibus, dũ in concessione nulla fit mentio prædictorũ casuũ: quia, vt supra probauimus, si per priuilegium generale nõ censetur derogari consuetudini vel statuto particulari nisi id exprimatur, multò minùs per indultũ particulare censebitur derogatum; Confirmatur hæc nostra sententia Declaratione Eminentiss. S. Congreg. Conc. Cardinal. teste Garziã *de benef. p. 3. c. 2. n. 286.* & relata à *Barbosa in collectan. Bullar. v. Absolutio.* quæ sic habet. *Absoluendi à casibus Sedi Apost. reseruatis concessa facultas, non comprehendit casus, quos Episcopus & Prælatus Religiosus, cum suis subditis Regularibus reseruauit, nisi de his fieret specialis mentio.*

Et quia à plerisque Doctoribus refertur quoddam priuilegium *Leonis X.* concessum Monialibus Sanctæ Claræ, & ancillis Beatæ virginis, vt quater in anno possint sẽ à suis Superioribus, siue confessoribus, aut alijs fratribus, de Ordine Fratrum Minor. per Superiores deputatis, facere absolui ab omnibus peccatis suis, qualitercunque commissis, modò peccata in confidentiã huius priuilegij no sint commissa: cuius priuilegij participes sunt Fratres Minores per communicationem. Notandum est, quòd hoc priuilegium fuerit viuæ vocis oraculum vt ipse Casarrubius habet *in compend. Priuileg. Mendicant.*

dicant, e. *Absolutio extraordinaria quoad Fratres numer.* 10. quia notat hoc litera (o) paruo, quod est signum Oraculi viuæ vocis non Authentici. Ideo his temporibus nihil valet, propter Bullam *Vrbani VIII.* de qua infra *verb. Priuilegium 1.nu.8.*

Sed petes, an Regulares tempore Iubilæi plenissimi possint eligere sibi confessarium etiam extra suum Ordinem, & absolui à reseruatis suis Superioribus? Responsio communis est affirmatiua, si specificè in bulla Iubilei datur facultas, talis vt cõcesserunt *Clemens VIII. Paulus V.* & *S.D.N. Vrbanus VIII.* Et quia dubium erat an possent religiosi virtute dictarum literarum Apostolicarum Iubilæi confiteri peccata sua Sacerdotibus sæcularibus ab Episcopo loci approbatis, & ab eis absolui, cùm ipsi Regulares Ordinario non sint subiecti, sed exẽpti. Et die 15. Decemb. 1580. *Congregatio Concilij pro maiori parte senserit pro negatiua & dixerit dubium referendum esse Sãctissimo Domino.* Qui postea die 19. Decemb. 1581. in consistorio respondit, *tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus etiam sæcularibus, approbatis ab Ordinario ad audiendas confessiones: nam in bulla non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audirent confessiones; non autem de Ordinario pœnitentium.* Ita refert Coriolanus noster in suo tractatu de casib. reseruat. *part.1.sect.3. art.* 15.

37. Religiosi in terris infidelium remotissimis à Sede Apostolica, possunt omnes fideles absoluere etiam à reseruatis in Bulla Cœnæ. Ita concessit religiosis Societatis *Paulus III.* bulla VIII. apud *Rodriques* in bullario suo, cuius bullæ initium est: *Licet debitum Pastoralis officij.* Quod idem concesserat antea Fratribus Minoribus de obseruantia *Adrianus VI.* ad instantiam *Caroli V.* euntibus ad Indos, bulla 1. apud eundem *Rodriq.* Et nouissime *Clemens VIII.* in bulla *Dominici gregis curæ*, apud eundem Rodriques in bullario, eosdem casus bullæ Cœnæ concedit Carmelitis Discalceatis euntibus ad conuersionem quorumcumque infidelium, Schismaticorum & hæreticorũ, vt scilicet ab eis in vtroque foro absoluere possint.

Probabilius est, posse religiosos Mendicantes, stando in solo iure communi, & secluso priuilegio, absoluere à casibus extra ius commune Episcopo reseruatis: quia quando alicui conceditur priuilegium ad instar alterius, quamuis postea illud priuilegium limitetur, vel restringatur, non censetur limitatum aut restrictum respectu eius, qui priuilegium ad instar alterius obtinuit: sed in *Clement. Dudum, de sepult.* conceditur Prædicatoribus & Minoribus, & consequenter alijs Religionibus per communicationem, facultas absoluendi à casibus, à quibus Curati de iure possunt absoluere, & ibi datur facultas Curatis absoluendi ab omnibus exceptis casibus in iure Episcopo reseruatis. Ergo licet post hæc sit limitata Curatis ista potestas per Episcopum vel Papam, non ex hoc limitatur religiosis: sicut è contra si extenderetur Curatis non ex hoc extenderetur religiosis. Ita *D. Antonimus 3.p.tit.17. c. 11. Syluester v.confessor.2.quæst.5.& v.casus q.5. Angelus v. casus in fine, & v.confessio 3.n.28. Rodriques to.1.qq.reg.q.61.a.2. De la Cruz de stat.relig.l.2.c. 6. dub. 7. Panormit. in cap. super speculatione clerici. vel mon. Bonifacius in clement. Dudum, §. per huiusmodi.* & alij contra *Nauarr.in Man.c.27.nu.262.263.* vide *Gabriel Biel in 4. distinct.17. quæst. 2.* potest, inquit, potestas Minoribus per *Clementinam Dudum.* facta ampliari ab ordinarijs, sed non restringi. Nec obstat etiam declaratio Illustriss. Cardinalium sub data 17. Nouembris *anni* 1628. infrà, quâ cauetur, ne regulares in vim priuilegiorum absoluant à casibus Ordinario loci reseruatis. Hæc enim cum non deroget *Clementinæ Dudum* (de quâ nullam facit mentionem) quoad FF. Prædicatores & Minores, quibus non solùm vt reliquis religiosis ex priuilegio, sed etiam ex vi iuris communis in Conc. Generali Viennensi statuti, competit absoluere ab illis casibus: Dici potest quod hi Patres possint adhuc à dictis absoluere; quamuis aliorum regularium priuilegijs sit derogatum virtute prædicti Decreti.

38. Religiosi iuxta sua priuilegia, possunt absoluere ab omnibus casibus Episcopo etiam in iure reseruatis: patet *primo* ex priuilegio *Pauli III.* supra citati, vbi conceditur religiosis Societatis, posse absoluere ab omnibus casibus, censuris & pœnis, solis casibus Bullæ Cœnæ exceptis. Et hanc concessionem Patribus Societatis factam, declarauit *Gregorius XIII. Anno* 1583. 10. *May*, non esse derogatam, per declarationem à Congregatione Cardinalium, & à tua Sanctitate factam 1573. 10. *Septembris* circa priuilegia Mendicantium: vnde illam de nouo quatenus opus est confirmauit. Ex quo sequitur religiosos istos & alios cum istis communicantes, posse virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus Episcopi. Ita refert Collector priuilegiorum Societatis tit. Absolutio, §. 1. & post illum *Rodriq. c.q. 61. a. 3.& 13. De la Cruc c. dub. 7. Crousers ad cap. 7.reg. S. Franc.sect.28.fol.769. Collector compend. priuileg. societatis tit. Absolutio*, §. 1. *Petrus Ledesma de pœnitentia c.11.in fine Syluius par.2.resol.v.& ver.casus reseruati.*

Secundò, Vrbanus IV. anno 1261. Pontifex creatus concessit Carmelitis vt de licentia Prælatorum Ecclesiæ, id est, prout declarauit *Sixtus IV. Bulla* 37. apud *Rodriques* in bullario, modò sint Confessores secundùm formam iuris præsentati, possint audire confessiones omnium Christi fidelium causa deuotionis ad eos recurrentium: nisi talia commisissent, propter quæ esset Apostolica Sedes meritò consulenda.

Tertio, Sixtus IV. concessit Fratribus Ordinis Minimorum prout habetur in monumentis ordinis, facultatem confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis, suspensionis, interdicti, ac super quacumque irregularitate, ordinario, tam à iure, quàm ab homine reseruatis, toties quoties opus fuerit, absoluendi, dispensandi, &c. sicut potest Diœcesanus: id est, inquit *Rodriques* sine præsentatione: Si arguas quòd dicta priuilegia videantur reuocari in *Concilio Trident.* vbi declaratur, posse Episcopos reseruare casus, à quibus inferiores absoluere non possunt: ad hoc respondetur à *Rodriques* & alijs: quod in *Concilio Trident.* non reuocantur regularium priuilegia, & multò minùs *Clement. Dudum de sepult.* cùm non fiat expressa mentio istorum priuilegiorum, sicut fit semper quoties in aliquo decreto intenditur alicuius priuilegij reuocatio.

Ex quibus priuilegijs constat regularium Mendicantiũ potestatem non videri posse restingi per Episcopos, secluſa peculiari Pontificia concessione, seu Episcopos non posse respectu illorum casus reseruare: tum quia sunt immediatè delegati Pontificis, à quo immediatè iurisdictionem accipiunt, nec sub ordinantur Episcopo; igitur Episcopus non potest eorum facultatem quoad casus limitare. Tum quia non potest Episcopus eos restringere quoad personas, sed iuxta modum concessionis Pontificiæ possunt absoluere quoslibet independenter ab Episcopo, ergo similiter non potest restringere quoad casus, cum par sit vtriusque ratio; vt traduut *Vasques 3.p.q.91. a.3.dub.1.num.11. Præpositus 3.p.de reseruatione casuum. q. 9. dub. 1. Filliucius tr.15.c.10.num.223.& seq. Porsel.v. casus reseruatus, nu.* 6. Papa tamen potest etiam exemptos & priuilegiatos subijcere quoad id Episcopis, vt nimirum non absoluant à casibus quos Ordinarij reseruant absque eorum licentia: vt de facto subiecit primò *Clemens VIII.* pro Italia, in decreto sacræ Congregationis edito 9. *mensis Ianuarij Anno* 1601. super absolutione à casibus reseruatis. Item in alio decreto eiusdem Congregationis, de Mandato S.D.N. *Pauli V.* edito 2. *Ianuarij* 1617. apud *Tamburinum to. 2.disp.13.q.13.n.3.& 4.* in quo contra Regulares, qui ex eorum priuilegijs etiam à casibus Ordinario reseruatis absoluebant absque eius licentia, innouatur & confirmatur decretum primum sub *Clement. VIII.* & præcipitur obseruari abomnibus regularibus *Secundo* iussu S. D. N. *Vrbani VIII.* facta *Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs & consultationibus Episcoporum & Regularium præposita, censuit per confirmationes priuilegiorum, quas Regulares à Sede Apostolica, post sacrum Concil. Trident. obtinuerunt, nequaquam reuixisse priuilegia prius ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipsius Congregationis decretis sublata, atque extincta, si quæ habebant, absoluendi à casibus Ordinario reseruatis; quemadmodum nec indulta absoluendi a casibus contentis in bulla, quæ in die Cœnæ Domini legi consueuit, vi pote sublata per annuam ipsius bullæ publicationem, vires aut robur acquisiuisse ex subsequentibus priuilegiorum confirmationibus: ac proinde Regulares cuiuscuis ordinis, congregationis, societatis & instituti etiam necessario exprimendi, nec intra, nec extra Italiam, in vim priuilegiorum, aut confirmationum eiusmodi, quas vel hactenus obtinuerunt, vel deinceps fortè obtinebunt, posse quemquam absoluere ab eisdem casibus in bulla cœnæ, aut ordinario loci reseruatis: ac si secus egerint, absolutiones nullas, atque irritas fuisse ac fore, ab alijs vero casibus & censuris Sedi Apostolicæ reseruatis, si quidem Regulares habeant à Sede Apostolica absoluendi facultatem, illam extra Italiam minime subintrare fuisse. Iisdem sacra Cong. Decretis hac de re editis iussu Sanct. Mem. Clementis VIII.*

Quam sacræ Cong. sententiam sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitq; ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ 17. *Nouemb.* 1628. *F. A. Card. S. Onufr.*

Vnde

Vnde hodie hoc decretum à Priuilegiatis seruandum est, vbi authenticè publicatum & vsu receptum est.

Non obstantibus tamen prædictis decretis Prælatis regulares, ac confessarij ab ipsis deputati possunt à casibus Episcopis reseruatis absoluere suos familiares seu famulos laicos intra monasterij septa cohabitantes, sicut & religionem ingredi volentes; vt latè probant noster *Crous. ad c.7. lec.26. f.753. & 754. Tamb. c.n.4. & 115.* etiam sine licentia & approbatione Episcoporum. Vide *Confess.3.n.5.*

39. Confessarij Mendicantes absoluere possunt ab omnibus excommunicationibus, tam à iure quàm ab homine etiam specialiter & nominatim latis, satisfactâ tamen parte aut præfita sufficiente cautione, qua quis positis censentur rationabiliter Iudices authoritatem concedere Religiosis iurisdictionem delegatam habentibus, absoluendi ab excommunicatione à iure & ab homine. *Rodriq. to.1. qq.reg.q.61. art.6. & 7. De la Crux de statu relig.l.2.c.8.dub.1.* Et hoc non solum in foro poli, sed etiam in foro fori & extra sacramentum: quia priuilegium siue gratia à principe data interpretandum est secundùm naturam rei quæ conceditur: atqui absolutio ab excommunicatione, aliaue censura non pendet à peccatis: potest enim aliquis absolui à censura in conscientiæ foro, vt interim non absoluatur à peccatis; quod patet ex frequentissimo vsu Confessariorum, etiam delegatorum; qui separant absolutionem à censura, & absolutionem à peccatis, vt docent, *Rodriq.c.a.7. Laym.l.5.tr.6.c.10.c.21. Aual.p.2.de cens.c.7.d.13.dis.3. Comit. d.14.d.16.n.253.* & alij. Rectè tamen notat *Nau.l.5.cons.tit.de sent.excom.cons.26.* vt fidem faciat Confessarius in foro externo, de licentia pœnitentis, debet tradere absoluto scedulam coram Notario & testibus, ab eodem Notario subsignatam.

An autem regulares priuilegiati possint absoluere a censuris ab Episcopo reseruatis, non obstant, prædictis decretis sacræ Congregationis? Probabiliter affirmant *Diana p.3. tr.2. res.13. Meg. in 1.p.l.1.c.3.n.10. Tamb. de iur. Abb.to.2.dis.13.q.13.nu.116.* quia cùm dicta decreta loquantur tantùm de casibus, non habent locum in censuris, nam à dicto casu non fit illatio vt dicitur in iure. Et censura non est casus, sed pœna casus, vt docent *Nau. in Man.c.27.n.262.*

Porrò probabile est, illum qui ex priuilegio vel bullâ potest absoluere à casibus Episcopo reseruatis, posse etiam à reseruatis Pontifici, modò sint occulti, & hoc non semel tantum, sed toties quoties; sic contra communem docent *Sanches l.4. Mor. c.54.n.27.* & post illum noster *Crous. ad c.7. reg. S. Franc. lect.28. f. 771.772. Marullus to.1.dis.1.c.2.diff.11.n.540.* quorum sententiã celebrem & notandam asserit *Dian. p.1.tr.11.res.28. & p.3. tr.2. res.13. §. Nota quarto.* Quia quando hi casus sunt occulti, iam nõ sunt casus Pontifici Summo reseruati, sed iure ordinario & nõ speciali competunt Episcopis & annexi sunt dignitati Episcopali, vt patet ex *Trid. sess.24. c.6.* nec dici potest in concessione hac pensionæ industria electa, aliàs illi casus ita essent personales, vt eos Episcopus delegare non posset. Deinde etsi casus Papales non desinant esse tales, eò quòd Pontifex illos semel aut iterum concedat Episcopo, imò etsi semper eos concedat Episcopo speciali; at desinunt esse tales per generalem constitutionem concedentem eos in perpetuum cuicumque Episcopo; vnde dicendum est per Tridentini decretum casus hos occultos iam non esse Papales, sed Episcopales. Quamuis in contraria sint sententia *Rodr.c.art.9. Henr.l.6.c.14.n.7. Baines 2.2. qu.64.art.vlt.ad fin.* & alij apud *Sanches*, & *Dianam* negantes hos casus occultos esse propriè reseruatos Episcopis, sed eisdem potiùs concessos iure communi speciali: vnde inferunt non oportere confessarijs priuilegiatis tribuere similem facultatem, eo quòd à reseruatis Episcopo possint absoluere: & hæc sententia satis probabilis est.

40. Casus reseruabiles Prælatis Regularibus extant in decreto *Clementis VIII.* cuius tenor est.

Sanctissimus Dominus noster, qui iam pridem accuratè perpenerit, & reipsa comperit, quòd reseruatio facultatis absoluendi religiosos penitentes à peccatis quibusdam grauioribus, nisi superiores admodum prudenter, ac moderatè illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori suo conscientiæ maculas detegere formidant, adducere posset in eternæ damnationis periculum. & spiritualis remedij desperationem. Quocirca, vt huic malo sanctitas sua opportunè prouideret, decreuit vt nemo ex Regularium superioribus peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis vt, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum vtilitati expedire prudenter in Domino iudicauerint.

1. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

2. *Apostasia à religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit vt extra septa Monasterij, seu conuentus fiat egressio.*

3. *Nocturna, & furtiua e Monasterio seu conuentu egressio etiam, non animo apostatandi facta.*

4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

5. *Iuramentum falsum in iudicio regulari, seu legitimo.*

6 *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*

7. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterij, aut conuentus.*

8. *Furtum de rebus monasterij, seu conuentus, in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

9. *Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus.*

10. *Occisio, aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.*

11. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum, a superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.*

Si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur. id non aliter fiat, quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia maturà discussione, & consensu.

Non liceat Superioribus Regularium confessiones subditorum audire, nisi quando peccatum aliquod reseruatum admiserint, aut ipsimet sponte, aut proprio motu id ab ipsis petierint.

Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures confessarios pro subditorum numero maiori, vel minori: iique sint docti, prudentes, charitate præditi. qui à non reseruatis eos absoluant: & quibus etiam reseruatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit in quo eam debere committi, ipse in primis confessarius iudicauerit.

Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligenter, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem vtantur.

Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis, etiam non reseruatis à confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint. Atque ita per quoscumque Regularium superiores, quicumque illi sint, obseruari mandauit. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac cuiusvis Concilij etiam Generalis decretis: nec non consuetudinibus ab immemorabili etiam tempore obseruatis: aut regulis in Generalibus seu Prouincialibus Capitulis editis, statutis & constitutionibus, etiam Apostolicâ auctoritate confirmatis, priuilegijs, indultis & concessionibus quibuscumque, quorum tenores hic pro expressis habere voluit: ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, die 26. May 1593.

Andreas Sorbolongus Secretarius visitationum.

Circa quod decretum plurima dubiola resoluenda veniunt ex probatis Authoribus. Et *primò*, quinam superiores religionũ possint sibi reseruare casus specificatos in Decreto? Respond. Post decretum apud illos superiores remanet facultas reseruãdi apud quos ante decretum de iure erat talis facultas: vnde Prouinciales & Generales id possunt, sed eo modo quo ponit Decretum, nempe vt pro toto ordine Generalis id faciat in Capitulo generali, cum consensu vocalium ibi pro electione facienda congregatorum: & pro Prouincia Prouincialis in Capitulo Prouinciali cum eiusmodi consensu vocalium. Et licet ex priuilegio *Alexandri 6.* Guardiani, & per communicationem cæteri Superiores locales ante decretum id potuerint: per responsum tamen Illustriss. Cardinalis Toleti, de mente Pontificis, omnis potestas reseruandi casus adempta est superioribus, infra Prouincialem post decretum. Ita ex nostris. *A Sorbo in annotationib. ad Compend. v. Absolutio ordinaria quoad fratres. Corsolanus de casibus 1. reseruat. par.1. sect.2. Crousers ad capit.7. reg. minor. lect. 13. fol.608. Fagundes precept.2. l.8. capit.4. num.1.*

Circa hos omnes casus aduertere oportet, quamuis in aliquibus eorum explicetur, necessariam esse materiam peccati mortalis, & opus externum, nihilominus has duas conditiones in omnibus illis esse intelligendas; quia peccata venialia sicut non sunt materia necessaria confessionis, ita nec propriè reser-

uationis.

Casus Reseruatus.

ustionis peccata autem mere interna, etiamsi mortalia sint, secundum communem Ecclesiæ vsum non reseruantur, etiamsi in rigore reseruari possint. Ita *Suar. de relig. to. 4. l. 2. c. 18. n. 3. Corduban. art. 5.*

§. 1.

Circa primum casum, id est, *Veneficium*, sciendum est significare proprie veneni procurationem, etiamsi non habeat magistrum quid conficitur; & esse casum reseruatum, licet ex nouo procuratio & propinatio non fuerit mors secuta; sufficit enim quod venenum reipsa procuretur & applicetur, vel propinetur. In hoc ergo casu comprehenduntur ea opera magica, quæ malencia vocantur de quibus abunde agimus verb. *Maleficium. Fagund. q. 4. n. 7. 8. Port. de dur. reg. v. veneficia n. 1. & 2. Homob. p. 3. de cas. reser. c. 2. tract. 8.*

Per *incantationes*, hic accipiuntur ea verba vel dæmonis arte adinuenta, vel ad eius placitum instituta, ad quoliber faciendum, siue illud sit fanitas, siue morbus, siue iudicium; siue ad dæmonem innocandum, cogendum, aut aliud quippiam faciendum, quo dæmonis tacitè vel expresse innocatio & alia huiusmodi fiat, incidit, qui incantatoris opera vtitur, sub casu comprehenduntur omnia opera magica superstitiosa de quibus verb. *Magus. Cauetan. in sum. verb. incantare. Fagundes c. num. 10. Portel c. num. 10.*

Per *sortilegas*, intelligitur ille vsus sortium, quarum directioni præest diabolus pacto expresso, vel tacito inter diabolum & mittentem sortes, siue illæ fint diuisoriæ, siue consultoriæ, siue diuinatoriæ, idem omnis diuinationis qui interuenit tacita, vel expressa dæmonis innocatio, siue fiat per terram, siue per aerem, aquam vel ignem, vel alia quæque; vt videre est v. *Doming. to. Sortilegi etiam*, qui eatum admittit, qui sortilegos consilijs eorum opera vtitur. An autem Astrologia iudiciaria comprehendatur sub hoc casu, maximè si absque vlla diaboli opera fiat? affirmat *Corolanus*, negat *Croufers*; mihi tamen videtur comprehensus, cum sine tacito cum dæmone pacto vix possit exerceri de qua vide verb. *Astrologia. Suar. de relat. 3. tr. 3. l. 2. c. 12. S. 3. tach. 1. 2. num. c. 18. n. 88. 89. Fagund. c. n. 12. & seq. Port. c. n. 14. Graff. de cas. reser. l. 5. c. 1.*

Porrò sub his tribus speciebus superstitionum expresse prolatis & in decreto positis, comprehendi cæteras omnes species, quæ sunt peccata mortalia, docent *Quaranta in sum. bull. v. cas. reser. S. in. suppl. q. 20. art. 2. q. 2. Corneliscen. p. 2. in primo cas. Port. Viuchan. c. 7. reg. Minor. tit. 2. q. 1. d. 1.* idque ex identitate vel maioritate rationis, quia iunt, eiusdem generis, & potius dicitur inclusio similium peccatorum quam extensio; vnde idè Petrus Marchantius ponit regulam generalem, quod, omnis actus malefici, magi, aut etiam vis superstitionis, per quemis signa, sue sacra, siue natu alia fiat, si ex aduertentia & deliberatione sufficiente fiat, & in materia, quæ sit peccatum mortale, est casus inter regulares reseruabilis *Croufer. lib. 13. fol. 609.* tamè putati non comprehendi, nisi sint species subalternæ, alicui dictarum trium. Alij docent hunc casum præcise comprehendere tantùm species ibi enumeratas, & ad alias non extendi; quia reseruatio casuum strictè est interpretanda secundùm propriam significationem verborum, ita vt non possit fieri extensio, aut inclusio eorum, quæ termini formaliter accepti non significant, aut non includunt in ea significatione. Quare prædictæ tres voces non debent extendi ad alias species superstitionis, quas propriè non significant, quidem lex non plus obligat, quam verbis exprimat. Ita *Bordonus in conf. regul. reseru. 40. num. 1. & sequent.* & alij non improbabiliter; apud quos plura de hoc casu. Sed prima sententia vt verior & communior est amplectenda.

§. 2.

Quoad *secundum casum* nota ex *Suar. de relig. to. 4. l. 2. c. 18. n. 1. Fagund. præcep. 1. l. 8. c. 3. n. 1. Tamb. de iure Abbatum to. 2. disp. 4. q. 2. n. 15. Graffius c. 21. num. 6.* non sufficere quemcumque excommunicatum actu Apostatare, licet enim quis deliberato animo apostatandi exuat habitum regularem & secularem induat, & cursum, & tendet egredi è septa monasterij & tandem id non exequatur, quia mutat voluntatem, vel etiam quia non potest, non incidit in casum reseruatum; tum quia non peruenit ad statum & effectum, quem Pontifex desiderat, cum quia antea non possit illa dici apostasia exterior. Talis tamen posset incidere in excommunicationem *capitis periculosa, ne clerici vel monachi, ita &* propter illam temerariam habitus regularis dimissionem.

Sed quæres, quot passibus debeat abesse religiosus profectus extra septa Conuentus, vt afficiatur reseruatione? Resp. id reliqui communiter arbitrio prudentis consellarij, vt infinuat *Coriolanus* noster in fine huius casus. Nihilominus resolunt alij religiosum egressum de facto per aliquos paucos passus ita tum reuertetem non esse apostatam, eo quod per illum breuem exitum, non peccauit mortaliter. Et id probatur in ordine ad casum reseruatum, aut censuras, seu aliam pœnam. Tum quia licet huiusmodi de facto iam egressus peccauerit mortaliter ex deliberata apostasia, vt supponitur, tamen hoc non sufficit ad incurrendam pœnam censuræ, aut casus, sed præterea necesse est, quod peccatum etiam exterius consummetur in ratione apostasiæ, quæ formaliter consistit in retrocessione & recessu; breui autem reuertenti ruus, seu reuertus non dicitur recessisse. Citatur pro hac sententia *Nau. conf. 1. de apost. n. 8. in fine Graf. c. nu. 46. Bon. de claus. q. 2. pu. 1. §. 1. n. 1. Bord. c. re. 41. n. 7.*

An autem sit apostasia reseruata Apostatare è domo vel loco, vbi fratres morantur dum fabricatur monasterium, vel è domo alicuius seruatis. Affirmat noster *Croufers c. lit. 13. f. 611. Tamb. c. n. 16.* quia talis fuga est defectio instituti religiosi, animo non redeundi; & ipse defectus eo peruenit, vt sit extra septa Monasterij. *Per septa autem Monasterij* intelligunt Doctores, quemlibet murum, aut septum intra quod noctu non solet treculatribus accessus patere. *Pluta de hoc casu, verb. Apostasia. n. 4. & seq.*

§. 3.

Circa *tertium casum* tria sunt notanda quæ concurrere debent, *Primum* vt egressio sit *nocturna*; vnde egrediens in crepusculo diei vel noctis, secundum *Coriol. c. p. 2. in Tertio casu. Fagund. c. n. 22.* non incidet in hunc casum, quia tales partes pertinent ad diem, non ad noctem, non enim dicitur nox nisi sint tenebræ: quamuis noster *Croufers c. lit. 13. f. 612.* arbitretur in hunc casum incidere egredientem vesperi, ante tenebras de nocte vero vel mane redeuntem ad conuentum: quia licet talis egressio, vt est in tertium sit nocturna, tamen vere nocturna est in facto esse. Indubio autem, an egressio facta fuerit in nocte vel in vespere, aut in diluculo? in foro exteriori interpretandum est vt sit facta de diesyt sit pœna mitigetur. *Secundum*, quod sit *furtiua*: quæ idem significat quod sine licentia Prælati, etiamsi aliqui religiosi talis egressionis sint conscij; contra *Coriolanum & Marcb. c. dn. 3.* qui existimant egredientem de nocte, sed non occulè non incidere in hunc casum; quando, scilicet, talis egressio potest probari per testes duos vel tres religiosos non complices; Ratio autem nostra est, quia licet ad hoc vt ablatio alienius rei sit furtiua, satis est quod hæ initio & tempore dominij, etiamsi alij sint conscij furtiuè hæc egressio furtiua dicenda est, quamuis non sit omnino occulta. Ita *Croufers.* Et secundum *Soares c. 12. cap. 18. num. 5. Tamburin. c. m. 18. 19. 20. Graffius de cas. reser. lib. 3. c. 3.* illud peccatum non tolum est quasi furtumsed quasi rapina in illo genere; generatim autem comprehenditur sub furtiuo egressu, quia sit inuito Prælato.

Sed quid si Prælatus noctu sic egredereturiquid etiam si ipse consentiat: tamen iniquè, & contra suum officium, & contra honorem Dei, & religionis? Quoad primum censent *Soares & noster Croufers*, egressum esse furtiuum, & in hac reseruatione comprehendi; quia licet Prælatus consentus non habeat præsentem Prælatum, cuius voluntate regatur, habet tamen regulam & voluntatem superioris prælati, aut totius Religionis, aut expressam, aut secundum rectam rationem præsumptam, respectu cuius talis egressio furtiua est, maxime si talis egressionis nemo, nisi forte complex, conscius sit. Quoad secundum censet idem *Soares* esse furtiuum, quia illa licentia inuita est, & nulla, & ita nihil operatur. *Tertium requisitum* in decreto est vt egressio fiat extra monasterium seu conuentum, sed ex septa monasterij, siue illa sint muri domus, siue sepes hortorum, prout vnaquaque religione claustra imposita & recepta est; vt docent *Fagundes c. c. 5. num. 1. & 25. Lezana tom. 3. sum. v. claustra num. 4.*

An autem paruitas temporis excuset à mortali? Respondent aliqui affirmatiue ex illa communi regula quod paruitas materiæ excusat à mortali, & videtur hic locum habere; Caterum in religionibus reformatis, vbi claustra rigorose seruatur, egressio

egressio nocturna vt plurimum est peccatum mortale, quia transgressio clausuræ multum obesse potest reformationi, vnde neque semihora, neq; quadrans videtur excusare à mortali. Ita Bordonus *in cons. reg. ref. 42. n. 7. & 10.*

§. 4.

Circa quartum casum est notandum, quòd per hanc reseruationem, non reseruatur omne illud, quod contra votum paupertatis est mortale, sed solum illud, quod habet annexam proprietatem, contra votum paupertatis. *Proprietas* autem in eo consistit, quòd religiosus teneat aliquid occultè & contra voluntatem expressam, vel probabiliter præsumptam Superioris & etiam Domini ipsius rei. *Crous. c. lect. 14. fol. 612.* Ita *Ioan Andreas in c. cum ad monast. de stat. monach. Nau. l. 3. cons. de reg. cons. 75. n. 49. Coriol. p. 2. in quarto casu Fagund. prec. 2. l. 8. c. 6. n. 1.* vnde religiosus, qui aliquid accipit, retinet, vtitur aliquâ re, vel quidvis aliud de illa facit, semper cum dependentia à voluntate superioris, non est censendus proprietarius, nec incidisse in casũ reseruatum, quamuis grauiter peccauerit accipiendo sine licentia, vt docet *Doctissimus Syl. in suppl. q. 20. a. 2. quæs. 2.* Proprietas verò mortifera est, quando res appropriata est notabilis; Quænam verò quantitas requiratur, vt ea sine licentia Superioris vsurpata à religioso, ad peccatum mortale casus reseruatis deueniatur; Communiter respondent Doctores eam quantitatem necessariam esse & sufficere, quæ necessaria est & sufficit in sæcularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti; quæ verò quantitas sufficiat in sæcularibus ad constituendum furtum mortale, quot sunt capita, tot sunt sententiæ vt videre quis potest apud *Mald. 2. 2. tr. 4. c. 1. dub. 3. clau. reg. l. 9. c. 12. Bonacina de contr. disp. 2. q. 8. p. 1. n. 7.* & alios. Et in hac summa v. *Furtum 1. n. 4.* & v. *Paupertas religiosa.* Mihi tamen maximè probatur quod docet *Auersa tus. l. 4. 8. n. 17. conc. 1.* quantitatem notabilem in furtis religiosorum determinandam esse in particulari pro temporum, locorum, Religionum, personarum & aliarum circumstantiarum differentia, iudicio & arbitrio boni viri; vnde *Sanch. l. 7. mor. c. 20. n. 3. & 8. Ioannes de la Crux de stat. relig. l. 1. c. 3. dub. 5. Fagund. præcept. 2. l. 8. c. 6. n. 7.* sententia est inter omnes probabilior, materiam notabilem in furtis religiosorum esse summam quatuor argenteorum: seu iuliorum vel realiorum quæ pro eodem accipiuntur, vide *Dianam p. 1. tr. 6. res. 36.* varias opiniones etiam referentem. *Petrus* autem *Marchantius* citatus *dub. 4.* non condemnat vllum proprietatis mortalis, nisi res appropriata tres saltem Iulios excedat, & ad florenum perueniat in re aliqua permanenti, & cuius valor à natura rei pendet, non ex opinione. In qua tamen quantitate omni determinationi præponit iudicium singulare boni & prudentis viri; Fieri enim potest, vt ex circumstantijs loci, monasterij, abundantiæ regionis, consuetudinis, vsus inter probos & timoratos, maior etiam quantitas mortalem proprietatem non faciat.

Dixit hic Author (in re permanenti) habenda est enim ratio rerum vsu consumptibilium, vt potus, & cibariorum in quibus occultè & contra voluntatem Superioris consumendis, quandoque plus displicet modus superiori, quàm voluntas contrarietur. Etsi voluntas contrarietur, quantitas & pretium aliter attenduntur eò quòd sint obiecta frequenter liberalis donationis & oblationis; aut quod in quotidiano victu & potu, vix existimentur aut appretientur. In quibus, sicut viri probi arbitrium magnificiendum est, sic Fratri Minori specialior ratio ponde anda venit, quòd altero aliquando peccato per pecuniam acquirantur contra capit. 4. Regulæ, aut quòd vsum pauperem excedant. *Hec Marchantus.* Sed circa hanc quæstionem vide infra *verb. Paupertas religiosa numer. 2. & 3.*

§. 5.

Quoad quintum. Inquirendum est quid vocetur iudicium legitimum? Respondet *Suares* esse quodlibet iudicium forense, quod secundùm leges, vel canones in suo foro, qui solet dici actus legitimus duarum personarum sub eodem iudice. Numerantur autem h c iudicium regulare, & legitimum, ad excludenda iudicia priuata per conuentiones, vel arbitria particularia. Incidit ergo religiosus in hunc casum quando iuridicè & legitimè interrogatur à Superiore, cui secundùm ius ad interrogata tenetur respondere, siue interrogetur vt reus, siue vt testis, si in responsione ad similia interrogata peieret: non foret autem casus reseruatus, si religiosus falsum iuret extra iudicium, vel in iudicio quidem, sed non regulari neque legitimo; veluti si examinaretur à non suo Prælato vel iudice legitimo: vel si peieret circa quæstionem de quâ superior non potest illum obligare ad respondendum: vel si sit circa aliquid de quo non interrogatur; quia tunc illud iudicium non est legitimum licet appareat, & ideò nec illud est periurium in iudicio verè, sed tantùm apparenter. Ita *Quaranta in sum. Bullari, v. cas. reser. in casu 5. Syl. q. quæs. 2. Suar. ae rel. to. 4. l. 2. c. 18. n. 7. Crous. c. lect. 11. f. 622. Fagund. prec. 2. l. 8. c. 7. n. 1. 2. Tamb. c. disp. 13. quæs. 2. n. 23. & seq. Graffius de casib. ref. l. 3. c. 5.* De pœnis periurij: vide *Iuramentum* 5. Quando autem testis & reus teneantur veritatem fateri in iudicio? Vide v. *Testis. Reus.*

Sed rogabis, *primò* an regularis in iudicio legitimo ex ignorantia, seu ex conscientia erronea putãs se iurare falsum, quod tamen verum est, incidat in casum reseruatum? Affirmant *Fagundes & Graffius citati.* Sed contrarium est verius: nam reseruatio cadit super actum externum periurium, sed talis actus verè talis non est; ergo nec reseruatus, cùm reseruatio sit odium, & iuxta regulam generalem odia sunt restringenda. Ita *Suar.* & alij citati suprà.

Secundò, an si quis in legitimo iudicio, seruato ordine iuris, interrogetur de delicto proprio, veritatem cum iuramento neget, incurrat casum reseruatum? Resp. quòd ad vitandam infamiam, quę ex veritate confessionis ei irrogari ob tale delictum posset, probabile est posse verbis æquiuocis veritatem negare assumpto etiam falso iuramento, nec propter hoc incurreret in casum reseruatum; quia tunc non peccat mortaliter reus negando veritatem, & consequenter non adest materia reseruationis. Ita Fagundes citatus *hoc paragrapho numer. 7.* qui refert optimam esse regulam in hac materia à Toleto traditam *lib. 4. capit. 21. numer. 6.* nempe posse reum tuta conscientia æquiuocè iurare, quoties per Superiorem petitur iuramentum ex ignorantia veritatis, quæ si sciretur, non peteretur.

§. 6.

Circa sextum casum pauca hîc superaddenda, quia de illo egimus v. *Aborsus, Crous. c. lect. 11. f. 624.* Notandum insuper est, quòd qui faceret abortire prægnantem percutiendo illam, non tamen intendendo abortum, sed abortu præter mentem eius ex percussione superueniente, non posset talis dici procurasse abortum: quamuis, si fœtus animatus moriatur, sit homicida & irregularis: Similiter non incidit in casum religiosus, qui nesciens mulierem esse grauidam, dat ei potionem, propter quam posteà illa facit abortum: quia secundùm *Coriol. p. 2. in 6. casu. Tamb. c. n. 29. & seq.* omnia copulatiuè debent simul concurrere, scilicet, quòd mulier verè sit grauida, quòd fœtus sit animatus anima rationali, quòd detur potio, & quòd detur tali fine & intentione. Præterea notanda sunt illa verba decreti, *Etiam effectu non secuto*, ex quibus infertur, tũc dici opus consummatum in hoc casu, quando mulier acceperit id, ob quod poterat sequi abortus, quamuis posteà ille non fuerit secutus; verum tamen est, quòd si aliquis ordinaret medicinam abortiuam, seu eam consuleret; mulier tamen stante commoditate & consilio non sumeret, tunc qui ordinauit & consuluit abortum non incurreret in casum reseruatum; quia sic non intelligeretur opus consummatum fuisse, nam in nostro casu pro perfectione operis requiritur applicatio. Porrò dum dicitur: *Auxilium seu consilium*, patet, quod non solùm ille, qui hoc procurat, verum & qui auxilium quoquo modo præbet, siue circa potionem conficiendam, siue circa potationem ipsius potionis; siue persuadet mulieri, & adiuuet ipsam ad tale facinus, siue etiam adhoc præstet consilium: nam semper peccat mortaliter, incidit in hunc casum, incurrit excommunicationem, imò & irregularitatem morte fœtus secuta.

Dubium primum esse potest, an si regularis meretricem per tecta introduceret in conuentum suum, & illa decidens moreretur vel abortiret? Quoad casum reseruatum negatiuè respõdet Tamburinius *tom. 2. disp. 13. qu. 2. num. 37.* quia licet illa introductio sit illicita, non in tamen intentione abortus vel homicidij, quæ casualiter tunc euenit; ad casum autem reseruatum in abortu incurrendum, requiritur intentio abortus, vt supra diximus. Multò minus incurreret regularis, si meretricem per viam planam introduceret, quia tunc nec etiam se exponit

periculo abortus, quidquid dicat Coriolanus citatus. *Hæc ille*. Vnde abortus casualis non præuisus á religioso non inducit reseruationem.

Dubium secundum sit. An excusetur à reseruatione dubitans de animatione fœtus? Resp. si religiosus stante dubio procuret abortum, quem non tentaret, si probabile sciret esse fœtum animatum, non incidit; quia iste ex intentione non lædit fœtum animatum, licet postea ex accidenti inueniat animatum. Deinde casus dubius non est subiectus reseruationi. Ita *Borb. in conf. reg. ref.* 45. *q.* 6.

Similiter excusatur à reseruatione lædens fœtum inanimatum quem putabat animatum; quia ad incurrendum reseruationem requiritur, vt lætio talis sit, non solùm ex parte patientis, sed etiam ex parte læsi, cùm attendatur res prout est ex parte rei, non in imaginatione. Bord. citatus 47.

Dubium tertium. An Mandans comprehendatur in hoc casu? videtur enim quòd non, quia regulare est non subintelligi in pœnalibus, neq; in reseruatione, nisi exprimatur, hic autem non exprimitur ergo. Dicendum tamen est Mandantem comprehendi sub illo verbo, *Procuratio*, qui enim mandat faciendum abortum, sine dubio dicitur hunc procurare, & ideo non excusatur à reseruatione. Et id est conforme Bullæ *Sixti V.* illis verbis. *Qui de cætero per se* ecce immediata procuratio sine mandato, *aut interpositas personas* ecce procurationem per mandatum. Ita Bord. *c. q.* 10.

§. 7.

In septimo casu per *Manum*, intelligitur ipsa alicuius scriptura, vel signum scriptum, seu chirographum, vt docet *Crouset. c. lect.* 15. *f.* 625. *Suar. c. c.* 18. *num.* 8. *Coriolanus c. Fagund. præcep.* 2. *l.* 8. *c.* 7. *n.* 21. *Tamb. c. nu.* 39. *& seq.* Nomine autem *officialium* comprehenduntur & Prælatus ipse, & omnes qui sub illo habent aliquam administrationem personarum aut bonorum conuentus, vt sunt Vicarius, Subprior, vel in Societate Minister, Procurator, & si qui sunt alij similes: A fortiori comprehenduntur prouinciales & Generales iuxta mentem Pontificis, quia eò falsificatio grauior esset & magis perniciosa religioni. Falsificatio autem Scripturæ eiusmodi sit, non solùm imitatione, dum scilicet, signaturam quis imitatur malo fine, vel aliquid literis additur, sed etiam cùm aliquid, quo sensus intentus mutatur, detrahitur, vel eraditur ex eis, imò etiam: applicatione veri sigilli Superioris ad falsas literas. Falsificatio autem sigilli est, quando aliquis ad imitationem sigilli religionis vel officialium eius, aliud effingit, vt eo vtatur, vel illud appendit, vel affigit literis, siue verè, siue falsò sint superioris vel officialium monasterij. Vnde iuxta *Quaranta c. v. casus reseruati. Syluester. v. Falsitas nu.* 1. *Tabuena v. Falsarius* & alios ad esse falsificationis quę sit punibilis, requiruntur hæc tria, mutatio veritatis cum dolo & iactura; hinc in scriptura quæ fidem non facit, non committitur falsificatio punibilis in foro externo; Nihilominus iuxta *Coriol. c. p.* 2. *in septimo casu. Sylu. in suppl. q* 20. *a.* 2. *quæs.* 2. ad casum reseruatum sufficit quòd sit mutatio veritatis cum dolo seu cum animo inferendi damnum, licet illud non sequatur; quia per falsificationem manus vel sigilli iam est opus consummatum. Vide plura v. *Falsarius*.

Sed quæres, an qui furatur sigillum Superioris, vel consimile fabricare facit, animo consignandi scripturam, tamen, vel quia cum pœnituit, vel alio impedimento detentus, scripturam non consignat, incidat in hunc casum? Resp. negatiuè. Ratio est, quia licet hæc furtiua ablatio; seu fabricatio sigilli ad malum finem ordinata, sit graue peccatum, tamen non est propria falsificatio, quia hæc respicit literas consignatas, ad hoc vt effectus censeatur consummatus & materia reseruationis in hoc casu. Ita *Suarez tomo* 4. *de relig. lib.* 2. *caput.* 18. *numer.* 9.

Dubium præterea est, an si scriptum quod falsò consignatur sigillo Monasterij, seu publico, vel officialis, non pertineat ad monasterium, sed sit Epistola familiaris v. g. falsò alteri attributa, tale peccatum sit reseruatum? Resp. si materia sit leuis, vel non consignaretur animo inferendi damnum, non esset casus reseruatus, quia illa non est falsificatio signi officialis vt sic, cùm tamen reseruatio intelligenda sit respectu officialis formaliter; nam respicitur, non persona eius, sed munus & officium. Si autem talis falsificatio concerneret scripturam continentem materiam sufficientem ad peccatum mortale; tunc esset reseruata. Ratio est; quia simpliciter hæc scriptura sit consignata est contra fidelitatem debitam tali personę ratione muneris, & est iniuriosa non tantùm personæ, sed etiam officio. Ita *Suarez* citatus.

§. 8.

Circa octauum casum, notandum est, per furtum, comprehendi etiam rapinam, latrocinium, & quamlibet inuito domino vsurpationem, detentionem, & vsum rei. Per *res Monasterij* intelligi etiam res ad vsum fratrum particularium assignatas, vt libri concionum & alia huiusmodi, quia quòd res sit applicata ad vsum vnius fratris, non tollit, quin absolutè loquendo, sit monasterij vel conuentus; quia potiùs, licet priuatus religiosus habeat vsum eius cum facultate donandi illam etiam extra religionem, nihilominus furari illam, erit reseruata culpa, si mortalis sit; quia quando illa res non est consumpta, vel alienata extra religionem, semper est monasterij quoad proprietatem & dominium, vel saltem quoad principalem administrationem & dispensationem: vt monasteria comprehendãtur quæ in communi proprietatem non habent: & sic dicitur ab ipso Pontifice fuisse declaratum. Ita *Suar. de rel. to.* 4. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 11. *Sorbus in addit. ad Compend. v. Absol. ordinar. quoad fratres. Coriol. c. in Octaua casu. Tamb. c. disp.* 13. *quæs.* 2. *n.* 45. *& seq. Graffius de casib. reseru. l.* 3. *c.* 7. *n.* 26. *Homob. c. c.* 5. *sect.* 2. *Peyrin. to.* 2. *q.* 3. *c.* 2. §. 1. *n.* 51. 52. *&* 53. *Bord. c. ref.* 47. Vnde incurrit in hunc casum, qui furatur scripta aliorum, vt transcribat & postea restituat? Præterea si furtum sit rerum, quæ ministerio Ecclesiæ deseruiunt, vt sunt libri, patenæ, calices, corporalia, reliquiæ, &c. esset sacrilegium: sicut si Prælatus ea venderet in casu illicito.

Quantùm spectat ad quantitatem sufficientem, vt illud furtum mortale sit, superiùs in casu quarto tactum est, nam hoc peccatum semper habet adiunctam malitiam proprietatis, cùm furtum est rerum monasterij: non tamen furtum rerum, ad sæculares pertinentium, quia posset esse factum conscio superiore, & tale furtum non comprehenditur in decreto. Vnde religiosus fur non incurrit eas omnes pœnas, quibus subijcitur proprietarius; quia hæc duo delicta quandoque distinguuntur, ita ratio dictat, vt pœnæ quoque distinguantur, ideo fur, qui etiam proprietarius non iudicatur, non est puniendus pœnis proprietarij, neque è contra proprietarius pœna furti.

An autem fures rerum Monasterij incurrant pœnas occupantium bona Ecclesiarum, de quibus *Trid. sess.* 22. *c.* 11. scilicet excommunicationem reseruatam Pontifici. Affirmatiuè respondet noster *Crouset c. lect.* 15. *fol.* 627. quod & mihi satis probabile est. Vide v. *Furtum* 2. num. 6. & 7. & v. *Paupertas* num. 3. & sequ.

§. 9.

Quoad nonum casum, tria concurrere debent; nempè *Lapsus carnis*, qui nihil aliud est quàm seminis emissio, & quòd sit *voluntarius*. Ad hoc autem, vt aliquid sit voluntarium, non est satis quod voluntas illud velit: sed requiritur, vt volẽdo influat in illud; *Coriolanus p.* 2. *in nono casu, Suar. c. n.* 12. Vnde satis probabile est, vt dicemus v. *Luxur.* n. 14. non esse peccatum pollutionem desiderare simplici affectu causá alicuius boni effectus cum ea coniuncti; vt sanitatis, causá sedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animi, &c. modò ex tali desiderio seu volitione non sit nata sequi pollutio, siue nullam vim habeat alis volitio ad inducendam pollutionem: vnde hoc desiderium ad pollutionem debet esse omninò inefficax. *Diana p.* 3. *tr.* 3. *ref.* 87. *Sanch. l.* 1. *mor. c.* 2. *n.* 18. *Laym. l.* 3. *sect.* 4. *n.* 17. *Ferna. in exam. p.* 4. *c.* 2. §. 4. *n.* 3. *Regin. l.* 22. *n.* 41.

Tertium quod concurrere debet, est, vt hic lapsus sit *opere consummatus*. Per vocem *opere* non intelligitur tantùm quælibet copula, quá intercedente semen emittitur, nec ista vox accipitur tantùm secundùm rationem causæ formalis, vt significet ipsammet seminis emissionem reipsa consummatam; sed accipitur etiam secundum rationem medij, quo quis inducitur ad seminis emissionem; quale medium est tactus inhonestus, seu libidinosus sui, vel alterius; vnde etiam in prima persona potest contingere lapsus carnis reseruatus, quomodocumque procuretur per actus exteriores, quia illud peccatum habet propriam speciem in quá consummatur, iuxta Doctrinam *D. Thomæ*, & hoc satis est vt sit reseruatum, quamuis non perueniatur ad consummationem illius actus, quem fortasse peccans intendebat, vel in quem naturá sua actus impudici ordinabantur, copulam sci-

lam scilicet carnalem: hinc communiter Doctores per *Lapsum carnis*, docent comprehendi omnes species peccati carnalis, de quibus *D. Thomas* 2.2.q.154. *Syl. in suppl.q.20. a.2. quæs.2. Quarta c.v. casus reseru. Bord. in cons. reg. ref.48.n.17. Crous. c. lect.15. f.629. Tamb. de iure Abbat. to.2. disp.13.q.2.n.51. Graff. de cas. reser. l.3.c.8.n.3.*

Et quamuis pollutio semper sit eiusdem speciei, siue per solam cogitationem intensam rerum venerearum ex proposito procuretur, siue per externam procurationem, vt diximus *v. Luxuria* num.18. quia hæc omnia materialiter vel per accidens se habent ab voluntariam pollutionem absque concubitu quocumque. *Bonac. de matr. q.4.p.10.n.15. Nau. c.16.n.6. Azor. 3.p.l. 3.c.15.q.2. Filiucius tr.30.num.155.* Tamen vt sit casus reseruatus, debet procurari per aliquem externum actum mortaliter libidinosum, scienter, & voluntarie, ad quem nata est sequi seminis emissio: quantumuis quis non intendat actu scilicet elicito, seminis emissionem, sed solam delectationem, ab actu ipso externo inseparabilem: imò quantumuis actu elicito auertetur seminis emissionem; vt rectè docet noster *Crous. c. lect.15. f. 628. Coriol. c.*

Ex quo infertur, quòd si sequatur præter intentionem pollutio ex actu non libidinoso, vt est tactus chirurgi, ex sola medendi causa, vel ex actu aliàs prohibito, puta ex nimio potu & crapula; vel ex actu externo venialiter tantùm libidinoso, quãdo scilicet vel ob imperfectam deliberationẽ est talis, vel quia ex natura sua leuiter ad libidinem prouocat, non est materia casus reseruati; quamuis si intendatur deliberatè per hos actus, mortaliter peccetur. Ratio est, quia illi actus quamuis exteriores & libidinosi, non habent talem ordinem aut connexionem ad pollutionem, vt per voluntarium illorum exercitium dici possit quis eamdem velle procurare, quæ si ad illos aliquando sequatur, valde accidentarium est & ratum contingens *Syl.2. 2.q.154.ar.11.concl.2. Bonac.c.p.10.n.9. Dian p.2.tr.1 ref.31. Les. l. 4.c.3.dub.14.n.107. Fill. tr.30.c.8.n.152. Sanch. de matr. l.9. dis.45. n.18. & seq.*

Sed petes, an aspectus libidinosus computãdus sit inter actus exteriores, quibus pollutio inducta, sit casus reseruatus? Resp. si aspectus sit solius faciei, vel personæ decenter vestitæ, non esse vti nec mortalem, ita neque reseruatum; quia huiusmodi aspectus de se leuiter tantùm in libidinem prouocat; imò etiamsi ex praua aspicientis affectione & intentione prouocaret grauiter, nihilominus non videtur censendum tale opus externũ libidinosum, vt per illud dici possit lapsus carnis, tamquam externo opere consummatus. Tamen si aspectus denudati in fœmina corporis, aut potioris partis ad libidinem allicientis, in qua impudicitia locum tenet, cum pollutione sit iunctus, videtur esse casus reseruatus; quia talis aspectus nõ solùm est opus, vel actus externus, sed etiam manifestè, & exteriùs testatur libidinem mortiferam. Vide *Dian. p.4.tr.4.ref.61.* quod intelligendum est, si aspectus fiat cum aliqua mora, vt dicetur *v. Impudicitia, num.* 14. Proindè *Henriques l.6.cap.14. num.6. lit.1. Granado 2. 2. contr. 1. tractat.15. disp. 13. num.* 14. docent non reseruari, neque subijci excommunicationi peccatum, nisi quod secundum quantitatem operis externi, & non solá relatione ad consensum internum, certò constet esse mortale; vt etiam dicetur infrà *v. Excommunicatio VII. §. vnic. nu.2. vers. Petes tertio.*

Ex dictis collige, quòd pollutiones, quæ simpliciter voluntariæ, non sunt, vt quæ contingunt semidormientibus & semiebrijs, non possint reseruari, quia solùm potest reseruari lapsus carnis voluntarius: Nec item est reseruabilis pollutio inchoata & perfecta in somno. Nec item si inchoata, & è lumbis excisa in somnis, in vigilia compleatur, etiamsi ad vitandum morbũ, aut leuiandam naturam, eam retinere minimè curaret, vel omnino nollet, nam magis attendendum est principium, quàm finis. Et multò minus sunt reseruabiles, quæ non aduertente, aut reluctante ratione contingunt, vt in confessario audiente confessiones talium rerum, vel ex subito aspectu formosæ mulieris, vel ex delectatione in parte merè sensitiua; quia his omnibus casibus, vel deest omninò voluntas & nullum adest peccatum, vel, si aliqua adest aduertentia, non est perfecta, & consequenter non est plus quàm venialis, quod intellige, etiamsi in actu pollutionis adsit delectatio.

Plura de hac materia cernere licebit; v. *Impudicitia*, v. *Luxuria* n.12. & §. sequ.

§. 10.

In decimo casu adnotandum est, grauem percussionem dici, quæ coniuncta est cum graui læsione vel iniuria, vt cum membri mutilatione vel cum magna sanguinis effusione, quæ non proueniat è naribus, sed aliundè, vel cum magno vulnere aut ictu, quamuis parum sanguinis exeat; imò grauis percussio in se censetur debilitatio membri, cicatrix relicta, fractio dentis, depillatio in quantitate, truncatio digiti. Leuis percussio in se fit grauis ratione personæ percussæ, qualis est quæ fit in proprium Episcopum, aut Abbatem, Generalem, Prouincialem, Guardianum, Priorem, Rectorem, & in sua absentia, ministri seu vicarium loci, &c. aut quando percussio est valde ignominiosa attentis qualitatibus personarum & alijs circumstantijs, vt si personæ graui impingeret quis alapam: vnde per grauem percussionem non intelligitur tantùm iniusta, seu iniuriosa enormis, sed quælibet iniusta, seu iniuriosa, quæ sit peccatum mortale; quæ cum in clericum cadit, habet annexam excommunicationem Canonis, *Si quis suadente diabolo.* In hunc autem casum incidit non solùm, qui per se, sed etiam qui per alium vulnerat, percutit, adiuuat, ministrat fustem. Quandonam occisio sit peccatum mortale, vide verb. *Homicidium* 1. & 2. Porrò circa clausulam, *cuiuscumq; personæ*, rectè obseruat noster *Crous.* quod ex quo ipse Pontifex, occisionem, vulnerationem seu grauem percussionem cuiuscumque personæ, siue sit sæcularis, siue regularis & Ecclesiastica, facit reseruabilem à Prælato regulari, non esse deinceps reseruatum casum Papæ, quia, inquit, frustra Pontifex concederet Prælato regulari potestatem reseruandi hunc casum, si maneret Papæ reseruatus, respectu Prælati regularis, *Doctores in c. peruenit, & in c. cum illorum, de sent. excomm. Nau. c.27.n.91. Toletus l.1.cap.32.num.2. Coriol. c.p.2. in decimo casu. Reginald. l.13.num.241. Crous. c.lect.16.fol.635. 636. Suar. de cens. disp.22.sect.1.num.88. Fagund. præc.2.l.8.c.7.num.24. Tamb. c.nu.58.*

Non incidit in hunc casum mortuum vulnerans, aut percutiens, quamuis grauissimè peccet; quia homo mortuus est æquivocè homo, cùm homo sit viuens constans ex anima & corpore, neque præterea dicitur persona, ex cuius percussione incurritur Casus. Ita *Graff. de cas. reser. l.3. super hunc casum n.15. Bord. ref.49.n.7.*

Seipsum vulnerans vel percutiens incidit in hunc casum: quia hic reseruatur læsio corporalis cuiuscumque personæ, ergo etiam sui ipsius, cùm lædens seipsum dicatur lædere personam: Deinde religiosus seipsum percutiens, ex communiori sententia incidit in excommunicationem canonis, ergo etiam in casum reseruatum. *Coriolanus c.par.2. in decimo casu. nu.8. & 18.*

Lædens alterum consentientem, non excusatur ab hac reseruatione, quia ex consensu alterius non excusatur à peccato, cùm patiens non sit dominus membrorum suorum, neque à reseruatione, illius enim velle cum illicitum, & nullum sit, non potest suffragari percutienti excusando illum à reseruatione. Ita *Flor. de homic. casu.4.§.1.n.15.* in simili.

Non incurrit hunc casum religiosus lædendo proximum metu graui coactus, licet peccet mortaliter; quia perpetrat rem intrinsecè malam, à qua non excusat quiuis metus etiam mortis; non tamen dicitur voluntariæ simpliciter lædere, cùm metus auferat voluntarium, quod requiritur absolutè tale ad incurrendum hunc casum. Ita in simili. *Floronus cit. num.16. & 17.*

Porrò dans venenum vel maleficio lædens proximum, si non sequatur mors, non incurrit hunc casum; quia ex huiusmodi læsione non sequitur mors, neque vulneratio, neque percussio aut verberatio, quæ actiones hic reseruantur. Maleficus tamen incidet in primum casum. Ita *Bordonus ref. 49. num.15.*

De excommunicatione lata contra percussores clericorum, vide v. *Excommunicatio 7.§.vn.*

Notandum est circa hunc casum, quòd occisio, vulneratio, seu grauis percussio debet esse voluntaria, & facta cum dolo & malo animo; quare occisio, percussio, &c. facta à dormiente, amente, vel furioso, & simpliciter actu indeliberato, non est materia reseruationis, nec peccatum mortale. Imò si religiosus occidat aliquem, vt seipsum defendat cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurret casum reseruatum: quia de iure naturæ licet vim vi repellere, & vita propria præferenda est vitæ alterius:

alterius;Imò non incidet in hunc casum religiosus, qui inuasorem,quem per se potest occidere,per alios occidi mandat:quia eo modo,quo potest, vitam propriam seruare tenetur *L.Gracchus , Cod. de adult.* In hoc tamen casu, qui ex mandato inuasi occiderent inuasorem incurrerent irregularitatem , & inciderent in casum reseruatum ; nam licet vita propria sit alijs præferenda , non tamen vita vnius præferenda est vitæ alterius .

Maius dubium hic venit discutiendum , an scilicet ; cùm reseruatur homicidium , vel aborsus effectu secuto , casum habeat reseruatum ille , qui percussit mortiferè animo occidendi , & aborsum pro viribus procurauit , & statim confitetur , & posteà peracta confessione , sequitur homicidium , vel aborsus .

Pro responsione videtur dicendum talem habere casum reseruatum ; quia percussio ita influit in mortem , & procuratio efficax aborsus in aborsum , vt nunquam satis bene explicari possit tota malitia eius , nec à confessario intelligi ante effectum secutum mortis , aut aborsus , nam ante mortis aut aborsus effectum secutum,non est casus reseruatus , post illum iam est reseruatus . Signum ergo cuidens est ante mortis & aborsus effectum non posse satis bene explicari totam malitiam actus .

Nihilominus verius & probabilius est , non esse peccatum reseruatum secuto postea homicidio , aut aborsu : nec teneri percutientem , aut aborsum procurantem in conscientia , postea iterum confiteri . Ratio huius sententiæ est , quia nemo tenetur peccata semel ritè confessa , iterum confiteri . Sed hic percussor mortiferus, & procurator aborsus,ritè confessi sunt sua peccata & rectè explicarunt suam occidendi voluntatem & ritè ac rectè sunt absoluti ab ipso confessario,quia non habebant casum reseruatum , ante enim effectum subsecutum , nec homicidium , nec aborsus reseruatus erat ; ergo non tenentur iterum de illo peccato confiteri , quia effectus postea subsecutus naturaliter sequitur ex causa data , non liberè , nec voluntariè , quia voluntas illius effectus iam satis fuit recisa per pœnitentiam , & peccatum dimissum per Sacramentum ipsius confessionis.

Tum quia quoties homicidium non est opus morale,sed naturale , nulla est obligatio confitendi illud ; sed in nostro casu homicidium non est opus morale voluntatis , sed naturale ex causa applicata, ergo confesso peccato causæ, non manet obligatio confitendi peccatum effectus. Ita docent expressè *Azor. to.1.l.1.c.7.in fine Henriq l.5.de pœnit.c.5.n.5.lit.Z.* Et in simili de pollutione *Graff.1.p.l.2.c.87.n.14. Rodriq.to.1.sum.c.210.* contra *Sanch.l.9.de matr.disp.45.n.29.Sotus in 4.dist.12. q.1.ar.7.* Talis tamen sæpe incideret in pœnas iuris humani ob effectum ex culpa enatum , etiamsi quando subsequitur , voluntarius aut peccatum non sit . Pari modo nascitur obligatio restituendi damna ex eo effectu creata , quia hæc obligatio potius oritur ex ipso effectu,quo damnum est alteri illatum,quàm ex voluntatis affectu.

Sed circa similem casum ne desinas videre Dianam *part.3. tractat.6. resol.* 52. Vbi agit , an facta ebriorum reputentur ad culpam .

§. 11.

Circa vndecimum casum , ponderandum est illud verbum *Malitiosum* , id est, quod mala intentione est profectum, & ad malum tendit, siue superiorum, siue inferiorum,siue illud malum sit aliquid positiuum, siue priuatiuum:*Crousers cas. sect.* 16. *fol.* 637.*Coriolanus c.part.* 1. *in vndecimo casu.* & iuxta *Suares de relig.tom.4. l.2.c.18 num.13.Fagundes precept.2.l.8.c.7.nu.25. 26. Tambur.c.n.59. & seq. Lez.to.1.sum.c.8.n.30.Peyr.to.1. de subdit. quæst.2. de paupert.c.2.§.13.Malitiosum* , non tantùm significat fieri cum graui culpa , sed etiam fieri ex malitia , id est , ex directa intentione impediendi effectum literarum , & retardandi illas .

Notandum etiam non incidere in hunc casum,illum, qui legit tales literas,absque eo quòd aperiat; vel qui inaduertenter aperit, existimans illas ad se missas,vel qui cum tacito mittentis consensu eas aperit,perlegit,vt quia est suus familiaris; vel qui bonâ fide speraret in ratihabitione eius,cui mittuntur;inciderat tamen, si aperiri faciat ab alio vt legat,etiamsi non legeret:vel si aperiret literas Prælati non sui ad subditum, vel subditi ad Prælatum , quia in bulla non requiritur quòd Prælatus sit etiam Prælatus aperientis, sed solum quòd sit Prælatus eius ad quem scribit,vel eius,qui ad ipsum scribit.

Similiter in hunc casum non incidit , legens , vel aperiens , vel etiam retardans;aut comburens literas Superioris, ex quibus probabiliter quis sibi timet iniustum aliquod malum . Ita *Fagundes* qui citat *Sylvester v.Falsarius num.2.Nauarr. in Man. cap.18.num.53.D.Anton.2.p.tit.1.c.22. §.5. Tamb.c.n.61.* Quod procedit etiamsi quis promiserit fideliter se illas daturum , & iuramento id firmauerit. Ratio est, quia eò ipso, quòd iniustæ sunt , & iniustitiam continent , promissio & iuramentum fuit nullum;nam iuramentum non est vinculum iniustitiæ,nec contra bonos mores factum obligat . Eiusdem sententiæ est *Port. de dub.reg.v.litera Prælatorum n.10. & Bord.res.* 50.*n.9.* docens , quòd subditus sciens moraliter in quadam Epistola ad Prælatum contineri falsam , & iniustam querelam contra se posse absque peccato , etiam non reseruato talem Epistolam retardare, impedire, vel aperire, quia vtitur defensione naturali.Si enim hæc defensio , vel obuiatio mei damni iniustè inferendi à Prælato me excusat (inquit) à peccato mortali : etiam me liberat à reseruatione , quæ non ponitur nisi pro peccato mortali . Si verò damnum , vel punitio in literis mandata , sit iusta , & mihi debita , vel informatio subditi sit vera , erit mortale reseruatum , aliquid ex illis facere circa literas ; iam enim facio animo iniusto & malitioso , impediendo actum iustitiæ . Hæc ille.Imò addit *Mol.tr.4.de iust.disp.*36.*n.6.* idem posse quemuis efficere aperiendo literas ex quibus scit damnum alteri proximo iniustè parari.

Quale autem peccatum sit aperire literas alterius,vide v.*Secretum* n.7.

Est insuper adnotandum, quòd, etsi in hac bulla facultas fiat Capitulis Generalibus & Prouincialibus reseruandi alios casus ab expressis in Bulla;dicta tamen facultas sit reuocata per *Paulum V.*qui voluit vt nulli alij casus reseruentur posthac,nisi qui expressè specificantur in decreto hoc Clementis ; vt testatus est ex mente Pontificis prædicti Adm. R. P.noster Generalis Romæ in Capitulo Generali anno 1608.& tradit noster *Cross. c.sect.17.*

41. An casus reseruati in religione habeant locum in nouitijs,& an confessarius sæcularis ab Episcopo approbatus, possit ipsos absoluere à peccatis reseruatis in religione , dubium est ; Doctores enim in tres sententias abierunt . Prima sine distinctione docet nouitios non posse à reseruatis absolui sine licentia Prælati per confessarium sæcularem.Ita *Cordub.in qq. l. 1. q. 30. Tamburin. de iure Abbat.tom.2.dist.6.quæst.6.nu.11.* & ex nostris *Vecchius in praxi disput. 9. dub. 3. numer. 3. Crousers ad cap. 7.reg. Min.sect.17.fol.649.Layman l.4.tractat.5.cap.4.num.4.* quia nouitij pro eo tempore sunt commissi iurisdictioni religionis , & censentur mutasse domicilium & territorium , præsertim quoad ea , quæ spectant ad Sacramenta necessaria : & licet non sint propriè religiosi,sunt tamen propriè subditi;quia ad hoc vt subsint iurisdictioni Prælatorum , non est necesse , vt votum obedientiæ emiserint , sed satis est, quòd assumptione habitus se prælatis subiecerint . Hæc sententia est satis probabilis .

Secunda opinio distinctione vtitur , & concedit nouitium quidem posse liberè confiteri cuicumque confessori priuilegiato, habenti iurisdictionem à Papa ; non tamen habenti tantùm iurisdictionem ab Episcopo . Ratio prioris est , quia nouitij,in priuilegijs concedentibus facultatem absoluendi quoscumque fideles , sub appellatione fidelium comprehenduntur , & exceptio , quæ fit de religiosis non habentibus facultatem prælatorum , non complectitur nouitios , quia reuera religiosi non sunt . Ratio posterioris est, quia nouitius ita mutat domicilium , vt omninò fiat extra iurisdictionem sæcularium pastorum , & ideò ex vi prioris iurisdictionis non potest illis confiteri . Ita *Suares de relig tom.4.lib.2.cap.17. numer. 11.& seq.*

Communis tamen sententia est & amplectenda , confessionem nouitiorum , etiam à peccatis reseruatis suorum Superiorum , factam cum quocumque confessario sæculari vel regulari habenti iurisdictionem vel ab Episcopo ipsius nouitij , vel à Papa , per priuilegia , validam & firmam esse : quia nouitij ante professionem sunt in hoc ad instar sæcularium , & ideò si confiteantur approbato ab Ordinario , valida erit confessio, vnde casus reseruatio Superiorum Monasterij illos non comprehendit . Ita *Portel in dub. reg. v. Nouitij absolut. numer. 36.Rodriq.to.1.qq.reg.quæst.22.art.11.Miranda tom.2.q.34.art.16.*

Sà n.

Sà v. casus n.8. Graffius in Append. l. 1. c. 7. n. 69. Dian. p. 3. tr. 2. resol. 4. & p. 4. tr. 4. ref. 5. Tambur. de iure Abbat. to. 2. d. 13. quæst. 5. Cæterùm quamuis confessio sit valida, talis tamen nouitius extra ordinem sic confitens sine licentia, à religione esset expellendus.

42. Circa bullam prætactam *Clementis VIII.* de casibus reseruabilibus religionum Prælatis, est sciendum, quòd per illam non tollatur reseruatio aliorum quorumdam casuum Pontifici reseruatorum, etiamsi in bullâ Clementis non sint expressi. *Crous. c. lect. 13. fol. 605.* Expressio enim, quæ fit quorumdam casuum in dicta bulla, non est ad limitandos casus Ponfici reseruatos, sed ad limitandos casus Prelatis regularibus reseruádos; aduertant igitur confessarij, hos casus non solùm esse reseruatos, sed etiam altiori, & strictiori modo, quam sint particulares casus religionum: Pontifex enim numquam simpliciter abstulit suam reseruationem ab his casibus, etiam respectu religiosorú, sed solùm eorum absolutionem religiosorum Prælatis commisit (vt patet v. *Abbas* n. 8. §. 2.) quòd longe diuersum est: nam si ablata fuisset simpliciter reseruatio respectu talium personarum, absolui possent ab illâ censurâ à quocumque proprio confessore iuxta *cap. Nuper, de sentent. excommunicat.* quod tamen est falsum. Vnde eo ipso quòd Pontifex hanc potestatem concessit solis Prælatis & eorum vices gerentibus, voluit absolutionem hanc esse illis reseruatam. Ex quo inferri potest, hos casus non comprehendi sub generali delegatione vel facta commissione à Prælato religionis, ad absoluendum à peccatis, vel censuris reseruatis in religione; quia hi casus Pontificij habent reseruationem longe alterius rationis, & ideò habent specialitatem sufficientem, vt sub illa generalitate non comprehendantur. *Hæc omnia Suares de relig. to. 4. l. 2. c. 23. n. 16. & seq.* Nota tamen circa hos casus Pontificios ab his posse absoluere non tantùm Generales & Prouinciales, sed etiam Prælatos locales seu conuentuales; & eorum vices gerentes ex Concessione *Pij V.* & *Clementis IV.* in foro conscientiæ tantùm. Vide v. *Abbas* n. 8. §. 2. & 4. in fine.

43. Dubium est, an stante proprio motu hoc *Clementis*, qui aufert omnibus Prælatis regularibus facultatem alicuius peccati reseruandi, præter expressa in illo, Superiores regulares possint aliqua peccata prohibere, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, reseruando sibi illius absolutionem? *Suar. an 3. p. to. 4. disp. 29. sect. 3. n. 13. Fagund. precept. 2. l. 3. c. 4. nu. 5. Coriol. de cas. ref. p. 1. sect. 1. a. 6. Crous. ad c. 7. reg. Min. lect. 17. f. 639. 640. Tambur. de iure Abbat. t. 2. dis. 13. quæst. 3.* affirmant tanquam probabiliùs huiusmodi reseruationem fieri posse. Ducuntur, quia bulla *Clementis VIII.* & moderatio eius à *Paulo V.* facta, expressè loquuntur de peccati reseruatione; non autem de reseruatione censurarum, quæ longe à peccato distant, & ad diuersum forum, diuersamque iurisdictionem spectant. Nec obstat quòd per se non possit quispiam absolui à peccato, quin priùs, aut simul absoluatur à censura, id enim per accidens est; sufficit enim quòd non sit idem, vt ab vno ad aliud non sit prohibitio extendenda. Sine dubio hæc sententia est probabilis. Sed mihi placet contraria, quam defendunt *Sanch. l. 6. mor. c. 1. n. 16. Dian. p. 3. tr. 2. ref. 13. & 49. Sigismund. à Bonon. tr. de elect. p. 3. cap. 4. dub. 123. n. 9. P. Leone tr. de officio, & potest. confess. to. 2. recoll. 11. n. 5. Ioa. Lugo de pœn. dis. 20. sect. 4. n. 47.* quibus adde viros doctissimos Academiæ Conimbricensis hac de re consultos, vt ipsemet *Fagundes* testatur; Imò ita determinasse sacram Cardinalium Cõgregationem, refert *P. Leone* apud *Dianam* citatum hic. Ratio est, quia omnis reseruatio ipsis Prælatis est interdicta, ratione autem censuræ appositæ, illud peccatum reseruatum maneret, quia religiosus absolui non potest nisi ab ipso Superiore, quod est contra Pontificis mentem. Prætereà modus ille reseruandi per excommunicationem; videtur inuentus & excogitatus in fraudem legis Pontificiæ. Quæ autem in fraudem legis excogitantur, vim in iure habere non possunt. Et ipsemet *Suares*, quamuis contrariæ sententiæ adhæreat, melius censet id non facere, sine speciali Capituli Prouincialis consensu, ad omnem dubitationem tollendam; vnde prima sententia non est practicanda. Tenor autem prædictæ declarationis Sacr. Congr. est talis. *Cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto felicis record. Clementis Papæ VIII. anno 1593. 26. Maij, super qualitate casuum ab eorumdem Regularium Superioribus reseruandorum edito, censuræ etiam comprehenderentur, ita vt ipsdem Superioribus absque Capitulis generalis, aut prouincialis consensu, aliquibus peccatis in Decreto huiusmodi non contentis excommunicationem annectere, eiusdemque absolutionem sibi reseruare licea?* Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præpositorum Illustrissimo Bandino Referente, censuras in supradicto decreto comprehensas censuit. Roma 7. Julij 1617.

A Mar. Episcopus Astiensis, Card. Gallus.

V. THEAT. Secret.

Vide *Absolutio* num. 29. 30. 31. *Censura*, num. 39. *Iubilæus* num. 5.

CAVSA.

SVMMARIVM.

1. *An cessante causâ finali legis in totum, cesset obligatio legis.*
2. *In dubio an cessauerit causa in totum, non est præsumendum cessasse.*
3. *Causæ eximendi aliquem ab obligatione legum.*
4. *Maior causa an requiratur in dispensatione eorum quæ sunt de iure diuino, quam in legibus humanis:* Refertur duplex sententia.
5. *Dispensatio in iure diuino naturali etiam à Summo Pontifice concessa absque causa, est irrita.*
6. *An bona fide concessa dispensatio à Prælato iudicante causam esse iustam, valida sit, si verò causa non fuerit sufficiens.*
7. *Quando Princeps dispensat motu proprio in iure humano, diuino, aut naturali, an præsumendum sit adesse causam iustam.*
8. *Supremi Principis dispensatio in lege propria absque causa, an valida sit.*
9. *Quale peccatum sit dispensare in lege propria absque causa.*

1. CAusâ motiuâ seu finalis legis cessante in totum & respectu totius communitatis, cessat obligatio legis, etiamsi non adsit aliud decretum, scilicet, declaratio Principis; nam causa est anima legis, quæ si recedat, delinquit legem mortuam & inefficacem, atque adeò non legem; & sicuti lex ab initio non subsistit, si sine ratione lata sit: ita etiam postea desinit, desinente ratione eius; quia tunc eius obseruatio inutilis atque superuacanea esse incipit. *Clau. reg. l. 3. c. 1. n. 6. & c. 7. nu. 10. Miranda in Man. to. 2. q. 25. ar. 25. c. 2. Sanch. l. 4. mor. c. 15. n. 37. Port. in addit. dub. v. Lex n. 4. Dian. de leg. ref. 28. p. 1.* Vide *Lex* 5. nu. 3.

2. Quando dubitatur an causa cessauerit in totum, non est præsumendum respectu totius communitatis cessasse, quia in fauorem possidentis in dubio præsumendum est, lex autem possidet cum constet legem latam esse, & dubium sit de eius excusatione. Ita *Suares de legibus l. 6. c. 9. num. 3.* ex communi.

3. Causæ iustæ dispensandi & eximendi aliquem ab obligatione legum, ad tres possunt reuocari, *Prima*, vtilitas communis, vel etiam priuata. *Secunda*, est necessitas communis vel priuata. *Tertia*, est pietas. *Regin. l. 13. n. 194. Sylu. 1. 2. q. 97. a. 4. quæst. 2.*

4. Maiorem causam postulat *Nau. c. 12. n. 57.* in dispensatione eorum, quæ sunt de iure diuino, vel in iuramento & voto quàm in legibus humanis, sed *Suar. c. c. 18. n. 15. Sanch. de matr. l. 8. d. 18. num. 14.* existimant hoc non esse vniuersaliter verum, sed attendendam esse grauitatem obligationis, nam obligatio legis humanæ aliquando est leuior, & aliquando grauior, iuxta qualitatem materiæ, quàm sit obligatio voti, vbi autem est maior obligatio, ibi etiam maior causa requiritur ad dispensandum.

5. Dispensatio cuiuscumque etiam Pontificis in iure diuino naturali, vt in voto vel iuramento concessa, absq; causa, est irrita; quia tunc dispensatur in alienis bonis & aliena voluntate superioris, & ideò vt validè fiat, desideratur causa; vnde hac ratione dispensatio inferioris in lege superioris foret irrita, si causa legitima desit. *D. Th. 2. 2. q. 88. a. 12. ad 2. Suar. l. 6. de voto c. 17. Sà l. 1. 2. q. 97 a. 4. q. 3.*

6. Dispensatio concessa à prælato bona fide iudicante causam esse iustam, valida est, licet verè non fuerit causa sufficiens; quia vt tutæ sint conscientiæ credendum non est aliam esse Pontificis intentionem circa suas leges, & Dei circa suas, in quibus permittitur inferiori dispensare. *Azor. to. 1. l. 7. c. 18. q. 6. Dian. de leg. p. 1. ref. 33. Sanch. de matr. l. 8. d. 17. n. 8.* Quamuis contrarium doceat *Salas.*

7. Quando Princeps dispensat motu proprio & non ad partis instantiam in iure humano, præsumitur præsumptione iuris & de iure, contra quam non admittitur probatio, adesse causam iustam, secus quando ad instantiam partis, vel quando dispensat in ijs quæ sunt de iure diuino, aut de iure naturali diuino; tunc enim in foro externo non præsumitur causa, nisi probetur, secùs in foro conscientiæ vbi præsumendum est pro superiori. *Suar. de cens. dis. 41. sect. 3.*

8. Supremi Principis dispensatio in lege propria absque causa (vt Pontificis in lege Ecclesiastica, & Principis sæcularis in ciuili) valida est, quòd tunc legislator dispenset in re propria, & in propria voluntate eam mutans, à quâ solâ vim lex habebat: idem dicendum de dispensatione Episcopi in proprijs constitutionibus. *Valent. to. 2. dis. 7. q. 5. p. 9. Nau. c. 25. n. 74. Diana de leg. ref. 32. p. 1.*

9. Peccatum dispensantis in lege propria absque causa communiter est veniale; licet probabile sit posse aliquãdo esse mortale, attenta legis grauitate & conditione, & adsit scandalum ac notabile aliorum damnum: hinc simili culpa ille inficitur qui petit dispensationem, cùm causam iustam deficere norit, nisi iustâ ignorantiâ excusetur; nam si petens bona fide causas proponat, quibus dicitur, minimè peccabit; quamuis illę minus iustæ sint: vt sentit *Diana de leg ref. 35. p. 1. Rodr. in sum. c. 236. n. 1. Sanch. l. 1. moral. c. 20. Syl. c. Nau. in Man. prælud. 9. n. 13. Laym. lib. 1. tr. 4. c. 22. n. 13.*

In dubio autem an causa expressa in narratiua alicuius rescripti, sit finalis, vel impulsiua, probabile est præsumi impulsiuam, & non finalem, quia semper debet stare præsumptio in fauorem actus; Idem dicendum, quando dubium est, an dispensatio valida sit; quia dubium est, an satis probetur veritas narratorum, vel quia est dubium an causa falsa allegata sit finalis; in his enim casibus præsumendum est validam esse dispensationem. Vide *Sanch. de matr. l. 8. dis. 21. n. 20. Castr. Palao. 1. tr. 3. disp. 6. pu. 16. §. 5. Portel in resp. nf. mor. p. 3. cas. 8. n. 2. Menochius vol. 2. consil. 106. n. 91.*

Vide *Votum* 7. n. 8. *Sponsalia* 3. n. 19. *Suspensio* 2. *Venditio* n. 5. *Beneficium* 4 n. 4. 6. *Dispensatio* n. 9. & seq. *Diuortium* nu. 3. *Donatio* n. 18. *Festum* 3. n. 7. *Indulgentia* 1. n. 6. 7. 8. *Iuramentum* 5. n. 10. *Lex* 5. *Matrimonium* 4. n. 5. *Matrimonium* 7. nu. 2. 3. *Matrim.* 9. nu. 5. *Paupertas religiosa* n. 12. *Secretum* n. 4. *Simonia* 5. *Religio* 2. nu. 2. 3. *Religio IV.* n. 7.

CENSVRA.

SVMMARIVM.

1. *Censura quid sit?*
2. *Est pœna medicinalis.*
3. *Quotuplex sit censura? & an Irregularitas, Depositio & Degradatio sint censuræ.*
4. *Censura alia est à iure, alia ab homine.*
5. *Alia est latæ sententiæ, alia sententiæ ferendæ.*
6. *Quando censeatur censura esse latæ sententiæ.*
7. *Quando sententiæ ferendæ.*
8. *Quis possit ferre censuras.*
9. *Solus clericus in foro externo iurisdictionem habens, potest censuras ferre.*
10. *Qui ordinariam habet potestatem censuras ferendi, an possit eam delegare cuiuis clerico vel laico.*
11. *Propter quod peccatum feratur censura.*
12. *Requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub censura prohibere.*
13. *Censura non incurritur, si actus externus non habeat eam malitiam, quæ sub censura prohibetur.*
14. *Mandans, consulens non incurrit censuram nondum secuto effectu, si effectus fuit principaliter prohibitus.*
15. *Pro peccato præterito commisso, non potest ferri censura.*
16. *Censura inflicta pro peccato præterito sine monitione & commonitione est iniusta & irrita.*
17. *Qui ligari possint censuris.*
18. *Summus Pontifex & Episcopi an censuris ligari possint.*
19. *Censura lata ab Episcopo aliove Prælato Papa inferiore, non extendit se ad aduenas & peregrinos.*
20. *An quis ligetur excommunicatione lata per statutum Diœcesis, si contra illud agat extra Diœcesim vel in loco exempto.*
21. *Sententia Superioris censuras ferentis, an afficiat personas extra Diœcesim.* Refertur duplex sententia.
22. *Vnâ censurâ irretitus, an remaneat adhuc subiectum capax alterius censuræ eiusdem rationis.*
23. *Clericum percutiens sæpius, an vnam vel plures excommunicationes incurrat.*
24. *Plures clericos percutiens successiuè, an tot excommunicationes incurrat quot sunt clerici.*
25. *Quando actio versatur circa terminum definitum & in eo consummatur, multiplicatâ actione, multiplicantur peccata, & tot censuræ incurruntur, quot sunt actiones multiplicatæ.*
26. *Occidens vel percutiens simul vno actu plures clericos, an incurrat plures excommunicationes.* Refertur duplex sententia.
27. *Percutiens Sacerdotem qui simul est Diaconus, vel Monachum Sacerdotem, an plures excommunicationes incurrat.*
28. *An tot censuræ incurrantur, quot sunt superiores prohibentes actum sub censura.*
29. *Ignorantia iuris vel facti, an excuset ab incurrenda censura.*
30. *Censura lata contra facientes aliquid, an liget mandantes vel consulentes è contra.*
31. *Mandans vel consulens an ligetur censurâ, si vere non influat in effectum prohibitum sub censura.*
32. *Quando censenda sit censura iniustè lata.*
33. *Censura iniusta quibus modis inualida sit.*
34. *Triplex admonitio præmittenda est in ferenda excommunicatione ab homine.*
35. *Ordinaria canonica monitio ad reum personaliter fieri debet: si autem malitiosè lateat, satis est citationem fieri, ad eius domum vel Ecclesiæ valuas.*
36. *Quando aliquid à iure vel per sententiam ab homine in futurum prohibitum est sub pœna excommunicationis, an requiratur monitio.*
37. *Quando à iure decreto est censura sententiæ ferendæ, an infligi debeat re canonicâ monitione non præmissa.*
38. *Censura non tollitur alio modo quam absolutione.*
Et an absolutæ censuræ inuito impendi possit.
39. *Habentes priuilegium absoluendi à quibuscumque censuris iuris, an possint etiam absoluere à censuris Episcopo reseruatis?*
40. *Facultas absoluendi ab omnibus casibus & censuris, an comprehendat dispensationem à voto & irregularitate ex delicto?* Refertur duplex sententia.
41. *Priuilegiatus an debeat à notoriis censuris absoluere, absque Ordinarij consensu.*
42. *Quid sit absolutio à censura ad reincidentiam: & an ad illam requiratur noua contumacia & noua Iudicis sententia.*

1. CEnsura, nominis etymologiam spectando, deducitur à *censendo*, prout est autem in vsu Ecclesiæ à Scriptoribus Ecclesiasticis, sic definitur. Censura *est pœna spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate, priuans hominem baptizatum vsu aliquorum bonorum spiritualium, donec à contumacia recedat.* Dicitur *pœna*, tùm quia priuat multis bonis, tùm quia est medicina delicti, vnde aliquid pœnalitatis habet. Dicitur *spiritualis*, quia ad animam pertinet spiritualè, & per eam vsus spiritualium prohibetur, in quo differt à pœnis corporis, vt ieiunio, seruitute, exilio, carcere, &c. Dicitur *inflicta ab Ecclesiastica potestate*, vt ostendatur causa efficiens censuræ, quæ est persona Ecclesiastica habens iurisdictionem Ecclesiasticam fori exterioris; tùm quia solum à clauibus Ecclesiæ promanat, & solius Ecclesiæ auctoritate infligitur: vt dicetur infrà. Dicitur *priuans hominem baptizatum*, quia claues Ecclesiasticæ potestatis non extenduntur ad eos qui foris sunt, hoc est, qui nondum in Ecclesia gremium vnquam fuerunt recepti per baptismum, & subditi Ecclesiæ non sunt. Dicitur *vsu aliquorum bonorum spiritualium*, quia censura non priuat omnibus bonis spiritualibus, sed aliquibus tantum: pro quo nota, bona spiritualia quædam esse propria, quibus nemo inuitus spoliatur, vt dona gratiæ, virtutes, earumque opera bona; quædam verò sunt communia, quibus homo in pœnam priuari potest per Ecclesiam, quoad vsum actiuum vel passiuum, videlicet, sacrificij, Sacramentorum, Ecclesiæ suffragiorum, & satisfactionum. Dicitur, *donec à contumacia recedat.* Et hic est finis Ecclesiæ ferentis censuras, resipiscentia, nempe, à contumacia & abstinentia à peccatis, in quorum pœnam iniungit censuras, vt patet *in c. 1. de except. in 6.* Ita *Suares 3. p. tom. 5. disp. 1. sect. 1. Sayrus de cens. l. 1. c. 1. Vgolinus de cens. tab. 1. c. 15. n. 2. Nau. in Man. c. 27. n. 1. Fill. tr. 11. c. 1. n. 4. & 5. Bonac. de cens. dis. 1. q. 1. p. 1. Coninch. to. 2. dis. 13. dub. 1. n. 9. Petr. Ledes. de cens. c. 1. conc. 2. Laym. l. 1. tr. 5. p. 1. c. 1. Ioan. de la Crux tr. de cens. ar. 1. Præpositus 3. p. de cens. q. 1. dub. 1.*

2. Cen-

2. Censura pœna medicinalis esse debet, ideóque infligitur per modum vinculi facilè solubilis,cùm primum reus à contumacia recesserit : vnde ipsam spiritualem potestatem siue ius radicale non aufertur,quia aliàs pœna medicina non esset,si esset perpetua & absq; spe remissionis,sed tantùm ligat,seu vsum & exercitium impedit:quare de ratione censuræ est, vt sit ligamen dissolubile. Irregularitas autem,depositio, vel degradatio ipsam potestatem spiritualem,quatenus id fieri potest, homini simpliciter & sine spe ordinariæ recuperationis adimunt.*cap.* 1. *de sent.excomm.in* 6.*c.ex literis,de const.Suar.c.disp.*1.*sect.*1. *nu.*7. & 8.*Sayrus c.l.*1.*c.*1.*n.*12.

3. Quidam Doctores septem species enumerant censurarum Ecclesiasticarum,nempe, *Excommunicationem, Suspensionem,Interdictum,Cessationem à diuinis,Degradationem,Depositionem,*& *Irregularitatem* quæ prouenit ex delicto.Quia sunt omnes istæ à se inuicem distinctæ, & omnes sunt Ecclesiasticæ, & omnes veræ quædam pœnæ spirituales,& ex consequenti censuræ, sic plerique discipuli *D.Thomæ, Petr. Ledesma tr. de cens. c.*1.*concl.*3.*Sotus in* 4.*d.*22.*q.*3.*art.*1.cum *Ioanne de la Crux in direct.tract.de censur. art.*1. *dub.*2. inter censuras numerant irregularitatem quæ habet rationem pœnæ : quorum sententiam probabilem vocat *Dian.par.*1.*tr.* 11.*ref.*27. Sed communiter à Theologis & Iurisperitis tres tantùm admittuntur censurarum species, quas *Innocentius III.* in *cap.quærenti, de verb. significat.* nominauit,*Interdictum,Suspensionem,Excommunicationem.* Ratio autem cur tres censuræ species sint,nec plures,nec pauciores apud *Vgolin.de censur.tab.*1 *c.*26.*Suar.c.disp.*1.*sect.*3.*n.*7.*Sayr. c.cap.*1.*n.*16.*Nauar.in Man.cap* 27.*n.*1.*Henriq.lib.*13.*cap.*2.*Sylu. in suppl.q.*21.*Layman c.c.*2.*Aula de censur.p.*1.*dub.*5.*Alterius de cens.l.*1.*c.*2.*&* 3.*disp.*1.*Præpositus* 3.*p.de cens.q.*1.*dub.*3.communiter receptum,hæc est,& deiumpta est ex ipsa pœnæ ratione:siquidem censura pœna spiritualis est, qua bonorum spiritualium vsu priuamur ; quæ priuatio aut omnium bonorum, aut partis tantùm esse potest , idque actiuè & passiuè , aut altero modo tantùm,id est,vt nec Ecclesiæ bona quis alijs ministrare, aut ab alijs accipere possit , prout in excommunicato maiori excommunicatione contingit.In interdicto autem solùm vsus diuinorum prohibetur actiuè & passiuè,ita vt nec diuina suscipere,nec ea alijs administrare possit. Suspensio denique actiuè tantùm vsu spiritualium Ecclesiæ priuat, prohibetur enim iuspensus,ne ex officio,& vt clericus Ecclesiæ functiones obeat. Vnde patet cessationem à diuinis non esse censuram,quia non est pœna priuans hominem , &c. sed est simplex quædam prohibitio . Irregularitas non est censura , quia non omnis irregularitas ponitur in pœnam delicti, sed aliqua ponitur ob defectum absque delicto ; deinde censura absolutione tollitur , irregularitas autem dispensatione. Depositio & degradatio non sunt censuræ,quia appellantur vinculum indissolubile,censura autem vinculum dissolubile nuncupatur . Vide Doctores supcitatos .

4. Censura excommunicationis,suspensionis & interdicti , alia est à *iure*,alia ab *homine*.censura a *iure* dicitur,quæ fertur à Legislatore cum intentione condendi legem seu statutum generale perpetuum,iniuncta transgressoribus pœna censuræ.*Legis* autem nomine,tum Papæ,tùm aliorum inferiorum Prælatorum,& Conciliorũ decreta & constitutiones intelliguntur : ab his enim omnibus leges,& statuta fieri posse certum est;cùm iurisdictionem,id est,merum imperium, quæ ad legem ferendam necessaria est,hi omnes habeant.*Vgol de cens.tab.*1.*c.*9.§.4. *Suar.c.disp.*3.*sect.*1.*Sylu.v.excomm.*3.*Coninch c.disp.*13.*dub.*2.*n.*11. *& seq.Sayr.l.*1.*c.*7.*n.*11.*&* 12.*Fill.tr.*11.*c.*3.*q.*1.*Syl.c.q.*21.*art.*3.

Censura ab homine est, quæ per Iudicis sententiam infligitur , cum intentione ferendi præceptum temporale & trãsitorium , vnde hoc inter eas censuras præcipuum discrimen est , quòd censura ab homine lata,cessat mortuo conditore;censura verò à iure durat adhuc eo extincto . *cap. fin. de officio Legati.* Ratio est,cùm lex sit quędam vitę norma & magistra,quâ hominum vita dirigitur,ea perpetua esse solet,semperq; durat, nisi reuocetur;In sententia verò ab homine lata res aliter se habet; cùm enim sententia hominis præsentem statum solùm respiciat; si tulerit sententiam, cum eius morte sententia ipsa tollitur,nisi à successore confirmetur,*cap.vnic.de maior.& obed.& c. Pastoralis.*§.1.*de offic.Ordin.*Ita *Vgolin, Suar.Sylvest.Comm.Sayr. Fillmc.Sylu.* & alij communiter, quibus adde *Præpositum c.q.*1. *dub.*11.*n.*74.docentem,huiusmodi sententias omnibus illis modis vim amittere,quibus contingit superiorem non posse validè exire in actum,vt si moriatur,si priuetur officio ante impletam conditionem,si ipsemet excommunicetur, suspendatur ab officio,si excommunicetur.&c delegans ipsius iudicis .

5. Quælibet censura subdiuiditur in eam quæ est *latæ sententiæ* , & in eam quæ est *sententiæ ferendæ:* censura *latæ sententiæ* dicitur,quæ ipso facto vel criminis admissione incurritur absq; alia Iudicis sententia;censura *sententiæ ferendæ* dicitur, quæ solummodò est comminatoria , nec ipso facto incurritur ante sententiam Iudicis.*Vgol.tab.*1.*c.*9.§.6.*Laym.c.c.*2.*n.*3.*Tol.l.*1.*c.*5. *n.*4.*Syl.v.Excomm* :.*n.*21.Ita communiter Doctores.

6. Censura censetur esse latæ sententiæ. *Primo*, quando per ius ipsum fertur:appellatur censura *ipso iure:* aliquando dicitur censura *ipso facto* , quia posito facto seu inobedientia talis legis , statim nulla alia exspectatâ sententiâ incurritur ; & ideo etiam dici solet *latæ sententiæ:* quia per ipsam legem lata est sententia de illa , etiam ante commissum delictum; illa ergo tria , *ipso iure,ipso facto.& latæ sententiæ* eamdem rem significant. *Secundo*, quando cùm censura ponuntur hæc aduerbia *confestim , statim, illicò, continuo, extunc, omninò, prorsus, incontinenti, mox, protinus. Tertiò* cùm ponitur censura per verbum præsentis,vel præteriti temporis,vt si dicatur, qui hoc fecerit: *excommunicatur,suspenditur,*vel *est excommunicatus,suspensus,* &c. aut *nouerit se excommunicatum,*vel *suspensum;* vel etiam si dicatur, *sit Anathema,*idem enim est anathema quod excommunicatio maior, vt habetur *cap.certum.*24. q.3. sed quia maiore terrore percellit,ideò hac voce sæpe vtuntur Concilia , *Anathema sit* , quod idem est,quod *excommunicatus sit.Quarto*, quando censura fertur per verba imperatiui modi temporis præsentis,v.g. *Subiaceat excommunicationi,* vel *subdatur excommunicationi* , vel *incidat,incurrat in excommunicationem.* Vide *Aula p.*2. *c.*2. *disp.vlt. Suar.c.disp.*3.*sect.*3. *Syl.c.n.*22. *Conninch c.disp.*13. *dub.*2. *Laym.c. n.*3. *Tolet l.*1.*c.*5.*n.*5.*Vgolin.tab.*1.*c.*9.§.6.*nu.*18.*Sayr.de cens.l.*1.*c.* 11.*n.*6.7.8.9.10.11.*Henriq.l.*13.*c.*29.§.2.

7. Ferenda verò censura , varijs itidem modis significatur, *primò* quidem,per simplicem eius comminationem,vt cùm dicitur, *sub pœna excommunicationis,suspensionis, aut anathematis , sub interminatione, seu interpositione excommunicationis , secundò* , sententia ferenda significatur per verbum substantiuum , vel aliud verbum significans aliquid de futurò: vt cùm dicitur, *excommunicetis aliquem,vel qui hoc fecerit,erit excommunicatus, vel excommunicabitur,excommunicetur,communione priuetur,excommunicationis vinculo innodetur. Nauar.in Man.c.*27.*n.*12. *Vgolin. tab.*1.*c.*9.§.6.*n.*7.*Sayrus c.n.*12.13.*Henriques l.*13.*c.*20.§.2.*Azor. tom.*3.*l.*5.*c.*26.

In dubio autem an censura sit latæ sententiæ , an ferendæ , tunc iudicandum est,censuram non esse latæ,sententiæ,sed ferendæ , quia odia non sunt amplianda, sed restringenda, & in mitiorem partem interpretanda.Vt habet *regula* 49.*iuris in* 6.vt si dicatur; *Excommunicationem noueris te incursurum* , censura censetur esse comminatoria , quia dubitatur de intentione ferentis,cùm verba sint futuri temporis.Ita *Bonac. de cens.disp.*1. *q.*1.*p.*1.*n.*6.*Felin.in cap.Rodulfus,de reser.n.*28.*Laym. de cens.c.*2. *n.*3.probabiliter,quamuis *Suar.de cens.d.*3.*sect.*3.*n.*3.*Conin.disp.* 13.*dub.*2.*n.*20.*Fill.tr.*11.*n.*17. probabiliùs existiment, illa verba sufficienter indicare censuram ipso facto , quia illud futurum solùm videtur respicere tempus,quo talis lex fertur .

8. Conditiones requisitæ in homine, vt sit capax potestatis ferendi censuras,sunt,*Prima*,vt sit viator:nam beatus,aut qui est extra viam,hoc est iam in termino alterius vitæ,non potest ferre censuras;tùm quia Ecclesia militans per Ministros militantes in ea gubernari debet , tùm quia Ecclesiastica censura est veluti quidam gladius Ecclesiæ militantis.*Vgol.tab.*1.*c.*2.§.2. *Regin.l.*9.*n.*114. *Alter.l.*3. *disp.*7.*c.*6.*Suar.c. sect.*4.*n.*10.*Secunda* vt sit rationis compos;quia vsu rationis carens, non potest iurisdictionis actum exercere ; quare nec puer ante vsum rationis , nec perpetuò amens aut stultus potest recipere hanc potestatem . *Conninch disput.* 13. *dub.*5. *numer.*35. *Fillmcius cit. numer.*36.

An autem si delegetur his hæc potestas , vt illam exercere valeant acquisito,vel recuperato rationis vsu,& adepto illo acceptata fuerit, valida sit delegatio?probabile est quòd sic. Vide *Alter.c.col.*3.*Suar.disp.*2.*sect.*3.*n.*4.

Tertia , vt si baptizatus , nam sine Baptismo nullus est habilis ad actum Ecclesiasticum ; cùm sit ianua Ecclesiasticæ iurisdictionis . *Vgolinus tab.*1.*cap.*2.§.9.*Henriques lib.*13. *capit.*24. *numero* 1.

Quarta , vt non sit laicus, sed clericus , saltem primæ tonsuræ , *capit. decernimus de , Iudicijs* , & *capit. Ecclesia . de constitutionibus.*

stitutionibus. D. Th. 4. d. 19. q. 1. ar. 2. Suar. c. d. 2. sect. 3. n. 10. 11. Ratio est, quia tonsura facit hominem capacem iurisdictionis Ecclesiasticæ. An autem fœmina ex commissione Summi Pontificis possit ferre censuras: dicendum est quòd sic; vt docuimus v. *Abbatissa* num. 2. & à fortiori idem dicendum est de laico, quia cum de iure tantùm humano sit, vt à Clerico hæc potestas exerceatur. & Papa possit in omne ius humanum, sequitur posse id committi laico à Papa.

Quinta, vt vius iurisdictionis non sit impeditus, v. g. non sit iudex denuntiatus excommunicatus vel suspensus. *cap. audiuimus. 24. q. 1.* vel is à quo habet iurisdictionem per delegationem, sit ipse denuntiatus, vel sit officialis eius; vel dum ante censuram non fuit interposita legitima appellatio. *Suares n. 19. disp. 2. sect. 4. n. 14. Filiar. 11. n. 40. Bon. disp. 1. p. 2. n. 4.*

Sexta, vt censura non feratur in causa propria: nullus enim potest esse actor & iudex, quia quâ parte est actor, debet esse subditus, qua parte est iudex debet esse superior: propriè autem nemo est sibi subditus & superior, ergo. *cap. inter querelas 23. q. 4. Suar. disp. 2 sect. 4. n. 5. & seq.*

In casu tamen defensionis, licitum est vti suis armis ad propulsandam vim & iniuriam, ferendo censuram in eum, qui sibi violentiam infert.

9. Iure ordinario omnis & solus Prælatus Ecclesiasticus, id est, Clericus in foro externo iurisdictionem habens, censuram ferre potest in subditos sibi contumaces. Et cùm hæc potestas ad claues pertineat, plenitudo huius potestatis in Papa iure diuino residet, vnde ipse primum est subiectum & præcipuus minister clauium, & Ordinarius super omnes Christianos totius mundi, vnde quoscumque suis constitutionibus, & sententijs ligare potest; à Papa verò potestas hæc in alios Prælatos deriuatur. *Arg. c. cum sit per mundum 9. q. 3. Vgol. tab. 1. c. 2. §. 20. Henr. l. 3. de pœnit. c. 5. §. 4. & seq. & l. 13. c. 24. §. 1.*

Secundo, Legatus à latere, seu Nuncius Apostolicus iudex est ordinarius in tota Prouincia ad quam missus est, vnde quoscumque illius Prouinciæ censuris cõstringere potest. *c. Leg. de offic. leg. in 6.*

Tertio, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi, Ordinarij censentur, & quoscumque suæ diœcesis censuris ligare valent, sicut & eorum Vicarij. *c. conquerente, de offic. Ordin. c. cum Epis. de offic. Ordin. in 6. c. licet, de offic. Vicar. in 6.*

Quarto, Cardinales respectiuè ad Ecclesias in quibus iurisdictionem in foro externo habent, vt in Ecclesijs suis tituli. *c. his quæ de maior. & obed. Sayr. l. 1. c. 6. n. 11.*

Quinto, Capitulum non solùm Ecclesiæ Cathedralis, sed etiam aliarum Ecclesiarum inferiorum, quæ Capitulum habent, sede vacante, & mortuo suo Antistite eandem iurisdictionem habent: nam potestas est in Ecclesia & dignitate, & Prælatus & Capitulum faciunt vnum corpus, & meritò mortuo Prælato succedit Capitulum. *cap. cum olim, de maior. & obed. cap. vnic. eod. tit. in 6. Panormit. ibid. Conc. Trid. sess. 24. c. 16. c. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælat.*

Sexto, Superiores Religionum; vt Abbates electi & confirmati etiam ante benedictionem, Generales ordinum, Prouinciales, & alij inferiores Prælati, vt Prior, Guardianus, Corrector, Rector, & alij qui loco Abbatum sunt, censuras ferre possunt; vt colligitur ex *cap. cum in Ecclesijs, de maior. & obedientia*, & constat ex viu Religionum iuxta Apostolica indulta vnicuique concessa. Sed circa hæc, Vide infra v. *Excommunicatio* 11. n. 1. *Panorm. in cap. cum ab Ecclesiar. de Offic. Ordin. Nauarr. c. 27. n. 5. Vgolin. tab. 1. c. 2. §. 20. Soins 4. d. 22. q. 2. art. 1. Bonacin. disp. 1. q. 1. p. 2. num. 5.*

Septimò, Concilium generale legitimè auctoritate Papæ congregatum, Prouinciale Archiepiscopi, aut Legati, eiusdem Prouinciæ mandato conuocatum, imò & Synodus Diœcesana auctoritate Episcopi diœcesis collecta, leges edere & statuta concedere possunt, quibus aliquid sub censuræ pœna præcipiunt, aut prohibeant. *cap. 1. de iudic. cap. graue nimis, de præbend. Vgolin. tab. 1. c. 6. num. 2. Filiuc. tr. 11. q. 5. c. 2. Suares d. 2. sect. 2. num. 9.*

Parochus verò non habet potestatem ferendi censuras iure communi: quia non habet iurisdictionem fori exterioris, sed tantùm fori pœnitentiæ; quamuis ex consuetudine, vel priuilegio in aliquo loco hanc potestatem habere possit; quia est iurisdictio acquisibilis. Ratio autem cur prædicti subditos censuris ligare possint, est, quia omnis potestas Ecclesiastica fori externi, ordinatur ad Christianam disciplinam seruandam per leges, præcepta, sententias: hæc autem potestas infirma & inermis foret, nisi contumaces propositis pœnis ac censuris coercere, & ad obediendum compellere posset. *Sayrus l. 1. c. 6. n. 21. Nauar. c. 27. n. 5. Suar. disp. 18. sect. 1. Bonac. d. 1. q. 1. p. 2. num. 5.*

10. Qui ordinariam potestatem habet censuras ferendi, eam cuiuis clerico clericalibus priuilegijs gaudenti committere, seu delegare potest, quia id est annexum potestati ordinariæ. Est autem *iurisdictio ordinaria* in hac materia, iurisdictio Ecclesiastica fori contentiosi, quæ alicui inhærens nomine proprio ab eodem exercetur. *Delegata* verò, quam quis ab Ordinario delegandi facultatem tempore delegationis non impeditam habente accipit, vt censuras vel cum causæ cognitione, vel sine causæ cognitione ferre possit, vt colligitur ex *cap. Graue, de offic. iudic. Ordinarij, & cap. 1. & c. præterea, & c. significasti, & de offic. delegati. Suares d. 2. sect. 3. num. 11. & sect. 2. num. 5. Couar. in c. Alma par. 1. §. 11. Bonac. c. pu. 2. num. 6. Preposit. de censur. quæst. 1. dub. 4. num. 19. & 20. Syluius de censur. l. 1. caput. 5. numer. 6 Vgolinus tab. 1. capit. 2. §. 15. Henriques lib. 13. caput. 24. Anila 1. parte dub. 6. Alterius l. 3. disput. 7. cap. 6. col. 6.*

An autem laicus censuras ferre possit; dicendum est quòd non, stando in iure humano; quia illas ferre ad iurisdictionem spiritualem pertinet, & laicus spiritualia tractare non potest, vt dictum est suprà, ex *cap. decernimus, de iudicijs.* Posset tamen laicus ex commissione Papæ censuras ferre, nam cum iure Canonico statutum sit, ne Ecclesiastica iurisdictio à laicis exerceatur, solus Papa, qui iuri positiuo præest, non autem Episcopi, & multò minus alij Prælati, qui iuri communi subiecti sunt, eique derogare nequeunt, illis facultatem hanc tribuere valent. A laicis tamen iurisdictio huiusmodi spiritualis consuetudine acquiri, aut præscribi non potest, quia consuetudo laicum capacem spiritualium non reddit. *arg. c. causam, de præscript.*

11. Censura non fertur nisi propter peccatum; quia pœna non imponitur, nisi ob aliquod peccatum, & quidem proprium esse debet ad incurrendam excommunicationem vt patet ex *c. si habes. 24. q. 3.* quamuis enim vnus pro alio pœna corporea affici possit; vt constat *Genesis* 19. vbi paruuli Sodomitarum parentum, qui beneficio ætatis paterna flagitia nesciebant, cœlesti igne consumpti sunt, pœnâ tamen spirituali, quæ animam respicit, qualis excommunicatio maior est, vnus pro altero puniri non potest: vnde in *cap. Romana. §. in vniuersitatem, de sent. excomm. in 6.* decernitur, sententiam excommunicationis ferri non posse in vniuersitatem seu communitatem, quia sic innocentes ob aliorum culpam excommunicarentur, quod fieri non debet. Suspensio tamen potest ferri ob peccatum alterius, vnde fertur in communitatem ob delictum alicuius ex illa cõmunitate. *c. si sententiam de excomm. in 6.* Similiter & interdictum, & tunc non fertur propriè in pœnam illius qui non peccauit, sed in pœnam delinquentis, qui in alio punitur. Præterea peccatum ob quod fertur censura, debet esse externum, hoc est, exteriùs verbo, aut signo aliquo, aut facto expressum; tum quia de internis non iudicat Ecclesia, nec iudicare potest, cùm ea cognoscere non valeat; vnde quæ solâ mente perpetrantur humanę iurisdictioni & potestati non subsint, donec vel per actus exteriores, quorum sunt causa, manifestentur, vel per omissionem rei notæ exprimantur. Tùm quia solus Deus cordis scrutator est, & hanc sibi potestatem reseruauit, vt talia delicta puniat. *Suares de cens. disp. 4. sect. 1. 2. 3. & 4. & d. 36. sect. 2. Sayr. de censur. l. 1. c. 9. & l. 4. c. 1. n. 19. Tole. l. 1. c. 8. n. 2. & cap. 44. n. 4. Couar. Alma. 1. part. §. 9. Nauarr. in Manual capit. 27. numer. 9. & 151. Bonacin. de censur. disp. 1. quæst. 1. pu. 3. Sanchez de matrim. l. 9. disp. 32. numer. 29. Diana par. 3. tra. 6. ref. 51. & p. 5. tr. 4. ref. 48. Coninch disp. 13. dub. 8. num. 66. 68. Laym. l. 1. tr. 5. p. 1. ca. 5. n. 1. Vasq. 1. 2. disp. 158. c. 5. n. 48.*

Porrò vt censura grauis incurratur, v. g. maior excommunicatio, maior suspensio, vel graue interdictum, peccatum illud externum debet esse mortale; quia censura cùm sit pœna, debet esse commensurata culpæ, vt iusta sit; Si ergo censura grauis est, quia priuat magnis bonis spiritualibus, supponet etiam culpam grauem, & contra iustitiam commutatiuam esset, infligere grauem pœnam pro leui culpa; vnde actus venialis videtur esse incapax tantę pœnę. Pro peccato verò veniali validè interdum suspensio fertur ad breue tempus, sicut & interdictum; quia hæ censentur censuræ leues, dum ad breue tempus imponuntur, quæ proportionem habent cum delicto. Vide Doctores hic citatos.

12. Vt in-

12. Vt incurratur cenſura requiritur effectus completus, quem legislator intendit ſub cenſura prohibere: vnde quantumuis perfecta ſit actio ex parte delinquentis, ſi effectus impediatur etiam miraculosè, cenſura etiam impeditur: vt ſi excommunicatio ſit lata contra homicidam; quamuis ad mortem ſufficienter aliquis vulneret, ita vt naturaliter deperetur vulnerati vita, donec hic moriatur, non manet alter excommunicatus. Ratio eſt, tùm quia lex non obligat vltra legislatoris intentionem verbis expreſſam; tùm quia in materia odioſa verba legis proprie intelligenda ſunt, & in toto rigore & proprietate debent teneri, ſtrictiſſimeque limitari, quantùm proprietas verborum permiſerit: Si tamen ſub cenſura comprehenderentur etiam conatus ad actionem, ſtandum eſſet verbis legis. *Vgol. tr.1.c.9.§.13. Suar. de cenſ. diſ.4.ſect.3.nu.4. Fill.tr.11.c.6.n.174. Con.in c. Alma 1.p.§.10.nu.15. Nau.in com.de datis & acceptis n.13. Reginald.l.9.n.216. Dian.p.2.tr.3.reſ.63.& p.5.tr.9.reſ.56.*

13. Quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ ſub cenſura prohibetur, non incurritur cenſura: exemplum vulgare eſt de ficto hæretico exteriori, qui ſimpliciter non eſt hæreticus, cum veram fidem retineat: ſed apparet hæreticus, quia talem ſe fingit: vnde talis non ſubiacet excommunicationi latæ contra hæreticos, nam cenſura fertur ob actum externum habentem malitiam hæreſis, ſed qui interiùs non errat; licet proferat exteriùs hæreſim, non exercet actum habentem malitiam hæreſis: deficiente enim voluntate & conſenſu, deficit etiam malitia & delictum, ob quod cenſura eſt lata; Nec obſtat, quòd exteriùs diſcerni non poſſit, an illa actio exterior procedat ex interna credulitate, nec ne, hoc enim pertinebit ad externum forum, in quo præſumetur & punietur tamquam verus hæreticus; quoad forum conſcientiæ, in quo cenſura contrahitur ex vi legis, ſatis eſt, quòd verè in re peccatum tale non fuerit, quale per legem prohibitum eſt. *Nau.in Man.c.11.n.25.& c.27.n.56. Suar.diſ.4.ſect.3.n.15.16. Fill.tr.11.q.6.c.6.n.176. Aul.p.1.dub.11. Dian.p.1.tr.5.reſ.1.& p.3.tr.4.reſ.143. Sylu.2.2.q.11.ar.3.q.1.concl.2. Talet.l.4.c.4.n.6.*

14. Mandans vel conſulens non incurrit cenſuram nòdum ſecuto effectu, quando ſcilicet effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum verò vel conſilium prohibitum fuit tantummodò accessoriè; ſecùs dicendum eſt, quando mandatum vel conſilium principaliter prohibetur, tunc enim effectu non ſecuto incurritur cenſura; vt ſi quis mandat Chriſtianum interfici per aſſaſſinos, excommunicationem incurrit, eò ipsò quòd mandat; vt habetur in *c.pro humani, de homic.in 6. Gloſſ.in Cle.Si quis ſuadente, in v.mandauerit. Syl.v.excom. 7.n.44. Tabiena v.excommun.5.caſu 2.§.4.& 5. Sayr.l.3.c.15.*

In dubio autem an mandatum vel conſilium æquè principaliter prohibeatur, præſumendum eſt tantùm prohiberi accessoriè, eò quòd in pœnis, mitior pars accipienda ſit. Aduerte tamè, ſi ille, qui mandauit, reuocat mandatum ſuum, & reuocatio perueniat ad mandatarium, etiãſi mandatarius poſtea, non obſtante reuocatione exequatur, ille qui mandauit, in cenſuram non incidit; quia ex quo ſufficienter reuocauit factum, non præſumitur ex vi mandati, ſed ex culpa mandatarij commiſſum delictum. *Nau.l.5.conſil.de ſent.excom.conſ.55. Aul.2.p.c.5.diſ.3.dub.6.* Conſilium autem præſtatur ſuadendo, rogando impellendo, inſtruendo, vel ſecuturam vtilitatem oſtendendo, vt notatur in *c.ad audientiam, de homicidio.* & debet eſſe conſilium frauduientum, non nudum; dicitur autem nudũ, quod nihil adijcit ad peccandum, hoc eſt ſine quo alter illud eſſet facturus. *Gloſſ.in c.nuper.de ſent. excom.* Porrò cenſura ſub conditione lata non incurritur ante conditionis euentum, non enim priùs lata cenſetur; adueniente autem conditione vires ſuas habet tantùm non autem trahitur retrò ad diem pronunciationis, cùm in his ſpiritualibus, fictionibus locus non ſit, ſed veritas ſola attendatur; vnde pendente conditione appellare licet; & appellatio huiſmodi impedit effectum ſententiæ, conditione etiam poſtmodum adueniente. *Gloſſ.in c.preterea 2.de appel. Suar.diſ.3.ſect.4.5. Vgolin.tab.1.c.20.§.6.n.1. Conar.in c.Alma.1.p.§.10.n.4.6.*

15. Pro peccato præterito commiſſo ferri non poteſt cenſura, quia ad eam incurrendam requiritur contumacia & inobedientia contra præceptum Eccleſiæ ſub cenſura prohibentis, vel præcipientis: inobedientia autem non reſpicit præterita, quæ iam non ſunt in hominis facultate, quin ſint facta, ſed ſolum futura; Et hæc ratio idem probat & oſtendit de omnibus cenſuris, quauis in excommunicatione magis res ſit manifeſta, quia omnes ferè Doctores docent, nec Papam poſſe quempiam pro peccato præterito abſolutè excommunicare, niſi in futurum pendeat ſcandalum, reſtitutio, aut ſatisfactio. Et certè ſi quis pro peccato præterito excommunicaretur, ſæpe eum excommunicari contingeret, qui iam eſſet de eo contritus & in gratia, cùm tamen non niſi ob mortale peccatum excommunicari quis debeat, vt habet vſus & praxis Eccleſiæ. *c.Romana §.caueãt. de ſent.excomm.in 6. Nau.in c.inter.verba n.304. Sayr l.1.c.9.n.25. Soto de iuſt.& iure q.6.ar.1.& in 4.d.22.q.1.a.2.c.4. Henr.q.l.13.c.17. Vgol.tab.1.c.9.§.5.n.5. P.Nau.l.2.c.4.n.164. Salon 2.2.q.69.ar.2.contr.7. Syl.in ſuppl.q.21.ar.3.* Tamen pro peccato præterito imponi poteſt pœna, vt priuatio officij, dignitatis, &c. Sed hæc pœna non eſt cenſura propriè dicta, quę per ſe ferat incommodum animæ, ſed tantùm imponitur in vindictam commiſſi criminis, & dici poteſt pœna vindicatiua, cùm cenſura inferatur per modum medicinæ ad auertendum hominem à peccato. *Suar.d.4.ſect.5.n.28. Fill.tr.11.c.6.n.184.& 190. Bonac.diſ.1.q.1.pu.3.n.20.* Quidquid in contrarium dicat. *Tolet.l.1.c.44.*

16. Cenſura numquam infligenda eſt, niſi præcedente monitione & comminatione: quia non fertur niſi in eos, qui contra Eccleſiam contumaces ſunt; tales autem non ſunt, niſi qui præcedente monitione & comminatione cenſuræ, obedire recuſant; vnde cenſura ab homine lata, ſine vlla omninò præcedente monitione ſeu comminatione ob peccatum præteritum, non ſolùm iniuſta, ſed etiam irrita eſt; Canonica verò monitio ex iuris præcepto, *cap.conſtitutionem, de ſent.excomm.in 6.* debet eſſe trina, interpoſito aliquorum, ſaltem duorum, vel trium dierum interuallo; vnica tamen monitio fieri poteſt pro trina, præfixo eo temporis ſpatio, quod pro trina ſufficiat: niſi criminis aut mali impendentis periculum, factive neceſſitas interdum aliud ſuadeat, & dilationem non patiatur; & hæc monitio debet ad reum perſonaliter fieri, niſi is malitiosè latitet; tunc ſatis eſt citationem cum comminatione fieri ad eius domum, Eccleſiæ valuas, aliúmve locum publicum. Quando ipſo iure decreta eſt cenſura ſententiæ latæ, alia monitio neceſſaria, non eſt, vt habetur in *c.reprehenſibilis, de appel.* quia ipſa lex aut iudicis præceptum generale vel ſpeciale ſub tali comminatione latum, continuò admonet, vt meritò inobediens ac contumax cenſeatur, qui obedire recuſat. Ità *c.Sacro, de ſent.excom. & Romana eod.tit.in 6.& c.ſtatutum, de ſent.excomm.in 6. Sayr.l.1.c.11.n.5.& 6. Nau.in Man.c.27.n.10.& 11. Vgolin.tab.1.c.18. Soto in 4.d.22.q.1.ar.2.concl.3. Sanch.de matr.l.9.diſ.31.nu.14.17.& 21. Syl.in ſuppl.q.21.ar.3. Suar.diſ.3.ſect.8. Fill.tr.11.c.4.q.1.& 2. Conuch diſ.13.dub.9. Dian.p.5.tr.9.reſ.18.* & de hoc infra n.34. 35.

17. Cenſuris ligari poſſunt omnes & ſoli homines baptizati, viatores, rationis & doli capaces, & qui in Eccleſia Superiorẽ habent. Cauſa ergo materialis remota, ſeu ſubiectum cenſuræ; *Primo* eſt homo Baptizatus, non paganus, Iudeus, aut Catechumenus; Eccleſia enim nõ habet iuriſdictionem directam ſuprà non baptizatos. Hæretici tamen, Apoſtatæ, atque Schiſmatici cenſuris ligari poſſunt, quia Eccleſiæ aſſociati fuerũt, fide Chriſti in Baptiſmo ſuſcepta. *Secundo*, debet eſſe viator, id eſt, agens vitam in hoc mortali corpore; vnde mortuus, dæmon, animalia irrationabilia, non ligantur cenſuris, quia non ſunt homines viatores. *Tertiò*, debet eſſe rationis & doli capax, quia ſicut nondum adulti peccare non poſſunt, ita nec cenſuris ligari; cùm huiuſmodi perſonæ legibus ac præceptis obligari nequeant. Propterea perpetuò amentes, inſani & furioſi, cenſuris non afficiuntur, cùm non habeant vſum rationis, nec doli capaces ſint; Quamuis ſi ante amentiam, furorem, vel inſaniã aliquod delictum perpetrauerint, cenſuris affici poſſint; quia tunc ſufficienter cenſentur contumaces, & deliquiſſe cõtra legem cenſuram continentem. Idem dicendum eſt de dormientibus aut ebrijs, ſi tempore ſomni vel ebrietatis aliquod peccatum commiſerunt ſub cenſura vetitum, modò præuiderint delictum ſecuturum. *Quarto*, debet eſſe ſubditus illius; à quo cenſura emanat, quia par in parem non habet imperium. *D. Paul. 1. Ad Corinth.5.c.gaudemus, de diuor.c.de Iudeis, d.45. Nau.in Man.c.27.n.13. Sayr.l.1.c.8. Suar.diſ.5.ſect.1. Comn.diſ.13.dub.6. Leym.l.1.tr.5.p.1.c.4. Sylu.in ſuppl.q.22.a.4. Prep.de cenſ.q.1.du.5. Con.c.Alma par.1.§.11. Altere.l.3.diſ.10.c.2.3.4.5.& 6. Kod.in ſum.1.p.c.78.n.6.*

18. Summus Pontifex cenſura ligari non poteſt; neque ab homine, cùm neminem in terris ſuperiorem habeat; imò cunctis ſuperior ſit; nullique ſubiectus. *cap. cuncta per mundum, 9. quæſt. 3.& c.inferior, d.2.* neque à Canone, quia licet ſecundum Canones viuere debeat, tamen ſicut cunctis hominibus, ita etiam & iuri præeſt. *Extrauag.vnam Sanctorum, de maior.& obed.& c.nemo iudicabit, 9.q.3.* Epiſcopi autem, Archiepiſcopi, Patriarchæ, Cardinales, excommunicatione gene-

raliter latam ligantur, nisi illorum fiat exceptio: lex enim generalis generaliter intelligenda est; & hi omnes superiorem habent Papam, cuius iurisdictioni subijciuntur. Tamen suspensione & interdicto generaliter latis non ligantur, nisi fiat illorum expressa mentio, prout determinat Summus Pontifex in *cap. quia periculosum, de sentent. excommunic. in 6. Nau. in Man. c. 27. n. 13. Sayr. l. 1. c. 8. n. 22. 23. 24. Bon. de cens. d. 1. q. 1. p. 4. n. 13. Suar. c. dis. 5. sect. 1. n. 27. 30. Vgolin. tab. 1. c. 17. §. 6. n. 12. Syl. v. Epis. q. 11.*

19. Si Episcopus, aliúsve Prælatus Papa inferior, generalem censuram ferat, contra committentes aliquod speciale peccatum, v. g. homicidium, talis censura non extendit se ad aduenas & peregrinos breui tempore ibi commorantes. Ratio est, quia ad incurrendas censuras requiritur, vt delinquens sit subditus superiori loci, in quo reperitur, sed extraneus qui non decreuit manere maiori anni parte in aliquo loco non est subditus superiori illius loci, ergo. Confirm. quia ad obligandum requiritur *iurisdictio* in obligante & subiectio in eo qui obligatur, (vt docemus v *lex* 3. n. 5.) per brevem autem moram præcisè non acquiritur iurisdictio & subiectio, vnde peregrinus non fortitur forum loci per quem transit. *cap. à nobis 1. de sent. excommun.* Nec potest dici peregrinum delinquere contra preceptum continens censuram; quia prius requiritur, vt aliquis sit subditus, quam vt præcepto obligetur, & contra illud delinquat, quamuis enim talis homicidium committens peccet contra legem, quatenus ea communis omnium gentium, ipsiusque naturæ est, & ratione huius peccati subditus fiat, ideoque citari possit, atque Ecclesiasticis censuris compelli ad satisfaciendum; non peccat tamen contra præceptum talis Prælati, cùm non sit subditus eius; & censura non feratur nisi in subditos: Et hæc sententia apud me est probabilior; quam tenet *Vgolin. tab. 1. c. 9. §. 2. num. 4. Suares disp. 5. sect. 5. num. 7. & seq. Henriq. l. 13. de excom. c. 26. §. 2. Sayr. l. 1. c. 7. num. 22. Layman l. 1. tractat. 5. par. 1. capit. 4. num. 5. Filliuc. tract. 11. c. 5. num. 154. Bonac. disp. 1. quæst. 1. p. 11. n. 20. 21. Conarr. in cap. Alma. 1. p. §. 10.* Quamuis plerique ex his authoribus distinguant inter sententiam generalem & statutum: illa nempe non ligari peregrinos, hoc autem obligari: quod est satis probabile.

20. Subditus non incurrit excommunicationem latam per statutum propriæ diœcesis, si contra illud agat extra diœcesim, vel intra diœcesim in loco exempto. Ratio est, tùm quia statutum ex propria natura territorium afficit & intra eius limites se continet; ergo extra illud impune ei non paretur. Tùm quia locus exemptus censetur extra iurisdictionem Episcopi, & perinde est, ac si existeret extra illius diœcesim, vnde materialiter tantum dicitur esse in diœcesi, sed formaliter non, cùm non pertineat ad illius diœcesim quoad iurisdictionem. *cap. vt animarum, §. statuto, de const. in 6.* Ita communiter Doctores apud *Sayr. c. c. 7. num. 18. Suares dis. 5. sect. 4. n. 4. & 5. Vgolin. tab. 1. c. 9. §. 3. Reg. l. 9. n. 146. & 154. Dian. p. 3. tr. 5. ref. 74.*

21. Difficultas est, an si subditus contra sententiam superioris sui, sub excommunicationis, vel suspensionis pœna aliquid præcipientis agat extra diœcesim, vel in loco exempto, censuram incurrat? videtur quòd non, quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè, sed superior aliquid sub censura prohibens, aut præcipiens agendum extra diœcesim, ius dicit extra territorium, ergo ipsi impune non paretur, id est, delinquens ex eo pœnam non patitur. Et propter hoc huic sententiæ negatiuæ adhærent *Sayr. de cens. d. 1. c. 6. num. 39. 40. Henriqu. l. 13. c. 26. §. 1. Gonnsch. disp. 13. dub. 7. conc. 6. Aula p. 2. c. 3. disp. 2. dub. 2. conc. 1. Diana p. 3. tr. 5. ref. 74. Prapost. de censur. q. 1. dub. 5. n. 32.* satis probabiliter, ex *l. vlt. ff. de iurisd. omnium iudicum.* Verùm contrariam sententiam tamquam probabiliorem & communiorem amplector: quæ probatur ex discrimine, quod est inter statutum & præceptum, siue sententiam. Nam statutum cùm territorium respiciat non obligat subditos, dum extra illud versantur, seu respectu alterius territorij; & ideò ibi non incurrent censura per talem statutum latam, iuxta dispositionem *cap. vt animarum, de const. in 6.* At verò sententia fertur in personas secundùm se, & ideò illas afficit, earumque ossibus cohæret quocumque terrarum discesserint, quia semper respicit illas, vt subditas, & in ordine ad actum, seu vsum talis subiectionis. Ad rationem verò contrariæ sententiæ respondetur, *cap. vt animarum* loqui de statuto territorij, seu Prouinciæ, non de præcepto imposito personæ, cui æquiparatur sententia generalis, & ideò qui sic præcipit, non dicit propriè ius extra territorium; sicut qui absoluit subditum in aliena diœcesi, non dicitur ius extra territorium, sed ab illo abstrahit. Ita *Vgolin. tab. 1. c. 9. §. 3. Sa v. Iudex de sent. & citat. num. 8. Leym. c. c. 4. n. 7. Bonac. dis. 1. q. 1. p. 11. n. 14. Suar. dis. 5. sect. 5. Fill. tr. 11. c. 5. n. 652. 653.*

22. Innodatus vnâ censurâ remanet adhuc subiectum capax alterius censuræ, non tantùm diuersæ rationis, sed etiam eiusdem. Ratio est, tùm quia ligatus vnâ censurâ, potest adhuc transgredi legem continentem censuram, & sicut culpa iterari potest, ita etiam rationabiliter reiterari potest & debet pœna. Imò cùm causæ multiplicari possint, potest enim quis esse incendiarius, fractor Ecclesiarum, percussor Clericorum, & sic de alijs, ita etiam & excommunicationes iterari possunt, iterato enim morbo, remedium etiam iterari debet, & vno vinculo ligatus, alijs etiam ligari potest; Nec refert, quòd qui iam est excommunicatus, priuatus est omnibus communibus bonis vt suffragijs, Sacramentis, &c. Quare non poterit amplius priuari ijsdem bonis. Respond. posse ijsdem bonis priuari pluribus titulis, sicut per plura peccata mortalia idem homo priuatur gratia pluribus titulis, & licet secunda excommunicatio actu non priuet illis bonis, cùm cadat in subiectum illis iam priuatum, tamen habet vim priuandi & est priuatiua eorumdē, si iam ijs priuatus non esset. Propterea tot sunt censuræ quot sunt mortaliter & formaliter actus contra præceptum præcipiens, vel prohibens sub censura: quia lex ponit censuram propter transgressionem ipsius legis, & vbi est vna transgressio, ibi est vna censura; & vbi multiplex transgressio, ibi etiam multiplex censura reperitur. Et quod dictum est de excommunicatione, de suspensionis etiam iteratione, vt ex *cap. caputium Sanctæ Crucis, de reseript.* & ibi Glossa constat, nec non de interdicto propter rationis paritatem dicendum est. *Glossa in cap. Engeltrudam 3. quæst. 4. & in cap. ua quorundam. de Iudæis, Nauar. loca. not. 11. Clemens. 2. in fine, de sent. excomm. Vgolin. tab. 1. c. 16. §. 3. D. Bonau. in 4. dist. 18. 2. p. dist. q. 4. Suares dis. 5. sect. 2. n. 4. & seq. Filliuc. tr. 11. c. 5. q. 7. Alterius l. 3. dis. 12. c. 7. Sayr. l. 1. c. 10. n. 1. & 2. Prapos. de censur. q. 1. dub. 5. n. 23.*

23. Clericum percutiens sæpiùs successiuè eodem impetu, vnam tantummodo excommunicationem incurrit; arg. *cap. cum pro causa, de sent. excom.* vbi qui Clericum in dormitorio verberauit, & postea eundem verberando per claustrum traxit, semel excommunicatum fuisse dicitur. Ratio est, quia censetur vnus tantùm actus moraliter factus, vna percussio, vnū delictum, & ideò vnam tantùm excommunicationem incurrit; quia vnam habere censetur intentionem de vno delicto prohibito committendo; & quamdiu actio sine morali interruptione continuatur in ordine ad consummandum eumdem effectum, transgressio vnica est. Si verò percussio fiat cum interruptione morali, dicendum est percutientem contrahere plures excommunicationes propter multiplicem transgressionem, vnde tot censuras incurrit quot sunt verbera moraliter interrupta. Quæ autem sit interruptio moralis, partim ex mora temporis, partim ex modo & circumstantijs, & ex actionibus interpositis pensandum est. Ita *Vgolin. tab. 1. c. 16. §. 3. n. num. 5. Suar. dis. 5. sect. 3. Nau. in Man. c. 9. n. 17. Ioan. And. in c. delictum, de reg. iur. l. 6. in mercur. Sayrus l. 1. c. 10. n. 9. Bonac. dis. 1. q. 1. p. 5. nu. 5. Alter. l. 3. dis. 10. c. 8. Laym. l. 1. tr. 3. c. 3. n. 5.* vide *peccatum 4. n. 6.*

24. Percutiens plures Clericos successiuè, tot excommunicationes incurrit, quot sunt clerici qui percutiuntur successiuè. Quia illæ percussiones sunt plures formaliter, & numero distinctæ; vnitas enim numerica percussionum non tantùm desumitur à continuatione temporis & actionis, verùm etiam ab obiecto, circa quod exercetur actio & percussio; docet enim *Aristoteles* in Physicis, ad vnitatem motus non sufficere vnitatem temporis sine vnitate subiecti, ita possumus dicere, ad vnitatem transgressionis non satis esse immediatam successionem sine interruptione ex parte temporis, quia mutatio subiecti potest sufficere, vt moraliter censeatur inchoari noua actio & transgressio; vnde cùm hic sint plura obiecta, id est, plures clerici qui percutiuntur, sequitur esse plures percussiones formaliter, & distinctas numero, quarum singulæ excommunicationem inducunt. Ita *Suares de censur. disp. 5. sect. 3. num. 6. Bonac. disp. 1. q. 1. pu. 5. num. 6. Alterius l. 3. disp. 10. c. 8. Diana p. 5. tr. 9. ref. 60.*

25. Quando actio versatur circa terminum definitum & in eo consummatur, multiplicatâ actione, multiplicantur peccata, consequenter tot censuræ incurruntur, quot sunt actiones multiplicatæ; vt patet in eo, qui sæpiùs successiuè fornicatur sine temporis morâ, cum vna & eadem persona; nam actus fornicationis habent terminum definitum, in quo consummantur: for-

mr: fornicatio enim sequens non continuatur cum præcedente, nec cum ea facit vnam actionem moralem. Secus dicendum si actio versetur circa terminum, qui non est certus nec definitus, sed habet extensionem & latitudiné; vt est percussio contra vnum & eumdem clericum; hæc enim cùm non habeat certum & definitum terminum, percussio censetur cõtinuari, si fiat successiuè & respectu eiusdem personæ, consequenter constituit vnum peccatum. Ita Doctores *num. præcedenti* citati.

26. Occidens vel percutiens simul vno actu plures clericos, incurrit etiam plures excommunicationes, iuxta numerum clericorum qui percutiuntur vel occiduntur: sicut enim si separatim illos tres percuteret, ter excommunicaretur, ita etiá vbi eos simul percutit, aliàs enim plura delicta simul concurrentia facere, vt ea committens alicuius impunitatem consequeretur, & cùm plures percusserit, nec sit ratio, cur ob vnius potius, quam cæterorum percussionem excommunicatus sit, dicédum est tot excommunicationes incurrisse, quot clericos percussit vel occidit, cùm singulis iniuriam intulerit, non minùs quàm si vnum tantùm percussisset, vel occidisset. Ita *Ioan. Andr. in c. delictum, de reg. iur. l. 6. in mercur. Nauarr. c. num.* 18. *Vgol. tab.* 1 *c.* 16. §. 3. *num.* 8. *Suares disp.* 5 *sect.* 3. *num.* 12. *Henriq. l.* 5 *c.* 5. *num.* 4. *Vasq. de pœnit. q.* 91 *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 4. *&* 7. *Diana p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 164. *in fine & p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 59. Quamuis probabiliter defendi possit vnam tantùm excommunicationem incurrere; quia tot numero censuræ incurrũtur, quot sunt numero peccata & transgressiones, sed in hoc casu sicut probabile est esse vnũ tantummodò peccatum, ergo est etiam probabile vnã tantũ esse numero censurã. Nihilominùs prima sentẽtia vt securior est in praxi sequenda, quia simpliciter censentur plura homicidia. Et hoc sufficit in ordine ad censuram, siue in rigore peccata sint plura siue non: quia censura fertur ratione iniuriæ factæ tali personæ, vel ratione homicidij.

27. Violans legem vno actu habente plures circumstantias, quarum quælibet sub censura prohibetur, vna incurretur censura, si circumstantiæ non mutent speciem, sed tantùm aggrauent intra eamdem speciem: vt percutiens Sacerdotem qui simul est diaconus & subdiaconus, non incurret plures excommunicationes, quia circumstantiæ Sacerdotis & diaconi non mutant speciem actus moralis: & licet singuli ordines per se sufficiant, vt percussor sit excommunicatus; tamen non propterea in plures excommunicationes incidit, quia omnes illi ordines concurrunt per modum vnius & solùm aggrauant delictum in eadem specie. Quando autem circumstantiæ tales sunt, vt mutent speciem actus moralis; tot incurruntur censuræ, quot circumstantiæ violantur, quia propter singulas per se sumptas incurretur censura; quia formaliter manẽt distincta peccata in specie, ergo plures trãsgressiones, & plures cẽsuræ: vt si quis violenter percutiat eum, qui simul monachus est & clericus, illius percussio censetur duplex transgressio, vna contra reuerentiam debitam statui clericali, altera contra reuerentiam debitam statui religioso; nã sicut diuersarum rationũ sunt consecrationes, quæ in clerico & monacho considerantur, ita & prohibitiones illæ; & transgressiones diuersarum rationum videntur. *Vgolm. tab.* 2 *c.* 16. §. 3. *Alterus l.* 3. *disp.* 10. *c.* 8. *Bonac. disp.* 1. *q.* 1. *pu.* 5. *nu.* 8. *&* 9. *Suares de cens. disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 13. *& sequent.*

28. Quando actus prohibetur à multis superioribus habentibus eamdem potestatem, incurritur vna tantummodò censura faciendo aliquem actum ab ipsis prohibitum: quia etsi ferentes censuras sint materialiter multi; formaliter tamen in potestate videntur vnus: Sic deferens semel arma Saracenis, vnam tantùm excommunicationem incurrit, quamuis diuersi S. Pontifices excommunicationis censuram contra deferentes prohibita Saracenis tulerint: licet enim hi multi fuerint in personis, fuerunt tamen vnus in potestate, & ob eandem causam, pœnam eandem excommunicationis contra eosdem proferentes, tacitè censentur vnam & eandem excommunicationem, non diuersam inducere, nec obstat quòd aliqui eam reseruent, alij non, quia qualitas hæc speciem, & substantiam excommunicationis non mutat. Quando verò actus prohibitus est ab habentibus diuersam potestatem, tot censuræ incurruntur, quot sunt superiores prohibentes, modò quisque tulerit censuram tanquam suam, & intenderit ferre nouum ius & imponere nouam pœnam: quia committitur multiplex contumacia formaliter, quamuis materialiter sit vna. Vt si Episcopus maritimæ ciuitatis sententiam excommunicationis tanquam suam & à se latam, contra deferentes arma prohibita Saracenis ferret, hæc tanquam diuersa ab ea quæ in iure, & per bullam Cœnæ contra eosdem fertur, habenda erit, quia Authores sunt diuersi, neque eadem potestate fungentes, vt successores & prædecessores. Dicitur *tanquam suam*, quia si lata esset tanquam innouatio, & publicatio illius, quę fertur à iure, iam eadem cum illa censenda esset, & contra faciens vnam tantùm excommunicationem ex vnico facto incurreret. Si communiter. *Nauarr. in c. sta quorundam, de Iudæis, not. ab.* 11. *Paludan. in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 4. *Sayr. l.* 1. *cap.* 10. *num.* 10. *Fillmc. tr.* 11. *num.* 142. *Vgolin. tab.* 1. *c.* 16. §. 3. *Suares de cens. disp.* 5. *sect.* 2. *num.* 13. *Conuch de pœnit. disp.* 7. *dub.* 6. *num.* 46.

29. Qui cum ignorantia non crassa seu supina iuris vel facti, inconsideratione seu oblitione legis aut præcepti Ecclesiastici, agit contra id, quod sub comminatione censuræ præceptum vel prohibitum est, censuram non incurrit, vt habetur in *cap. vt animarum, de constit. in* 6. quod nouum aliquod ius positiuum non condit, sed id quod ipsa natura & institutio censurarum exigit, declarat: Ratio autem est, quia ad incurrendam censuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contemptus, in eo consistens, quòd aliquis monitioni legis aut præcepti cum comminatione tantę pœnæ siue censuræ, parere recusat: qui autem huiusmodi Ecclesiasticæ legis aut præcepti comminationem siue censuram ignorat, is contumax, vel clauium contemptor censeri non potest. Et hoc verum quamuis ignorantia concomitans sit: v. g. Rusticus clericum cædens, si nesciat esse clericum, excommunicationem non incurrit, quamuis ita animo comparatus sit, vt tametsi sciret, nihilominus cæderet; quia censura numquam fertur propter internam prauam operantis dispositionem habitualem vel actualem, sed propter externam Ecclesiastici mandati contumacem transgressionem. Imò tametsi aliquis sciat opus prohibitum esse, etiam Ecclesiastica lege, si tamen ignoret annexam illi censuram, illam non incurret: quia contumax aliquis censeri non potest, si Ecclesiasticam pœnam siue censuram ignoret. Plura de his v. *Ignorantia*, & apud *Suares de cens. disp.* 4. *sect.* 8. *num.* 6. *& sequent. Sayr. l.* 1. *c.* 18. *num.* 15. *& sequent. Sanch de matrim. l.* 9. *disp.* 32. *num.* 12. *&* 26. *Nauarr. c.* 27. *num.* 16. *& c.* 23. *num.* 47. *Vgolin. tab.* 1. *c.* 9. §. 8. *Bonac. disp.* 1. *q.* 2. *p.* 1. *num.* 6. 7. 8. *& sequent. Regin. l.* 9. *num.* 199. *&* 200. *Diana p.* 3. *tr.* 6. *res.* 41. *& p.* 5. *tr.* 9. *res.* 17. *Fillmc. tr.* 11. *q.* 9. 10. 11. *cap.* 8.

30. Censura lata contra facientes aliquid, non ligat mandantes vel consulentes, nisi in sententia censuræ exprimantur mandantes, vel consulentes: sicut è contra, censura lata contra mandantes, non includit facientes nisi exprimatur. Ratio est, tum quia ad incurrendam censuram requiritur actus perfectus quantùm lex requirit, sed consilium, vel mandatum non est actus perfectus, quantum lex requirit, nisi exprimatur. Tùm quia censura non debet extendi de vno casu ad aliũ, eò quòd pœnæ sunt restringendæ, & prædicti non sunt proprie & verè facientes, nam mandatum & consilium præcedunt factum, & nihil præcedere potest id, quod verè ipsum est. Id confirmatur ex eo, quòd in aliquibus sententijs continetur, quòd excommunicentur etiam fauentes, mandantes, & consulentes & non solùm facientes realiter, & in effectu, vt videre est in *cap. felicis, de pœnis in* 6. *& in clem. Si quis suadente, tit. eod.* ergo vbi hæc non continentur in sententia, non est intentio Ecclesiæ, quòd consulens, aut præcipiens censuram incurrat, vt ex communi sententia tradunt *Nauarr. in Man. c.* 27 *num.* 51. *Suares de cens. disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 5 *Reginal. l.* 9. *num.* 214. *Vgolin. tab.* 1. *c.* 9. §. *vlt Couarr. c. Alma p.* 1. §. 10. *num.* 15. *Alterus l.* 3. *disp.* 2. *c.* 2. *Portel in dub. reg. v. Excommunic. num.* 7. *Diana p.* 5. *tr.* 9. *res.* 57.

31. Quando mandans vel consulens verè non influit in effectum prohibitum sub censura, ille non ligatur, quamuis aliquo modo exprimatur in sententia censuræ; vnde infertur mandantem vel consulentem percussionem clerici non ligari excommunicatione, quando delinquens committurus erat delictum absque illius mandato vel consilio: Item si mandans reuocauerit mandatum & hoc mandatario innotescat. Item si mandans antequam mandatarius percutiat, moriatur, & mandans in morte vel antea pœnituit, mandatariusque de morte eius certificatus fuerit: quia morte mandatoris soluitur mandatum. *Sayr. de cens. l.* 3. *cap.* 26. *num.* 23. *Diana p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 58. *Layman. l.* 1. *tra.* 5. *p.* 2. *cap.* 5. *num.* 7. *Sylu. ver. v. Excommunic.* 6. *nu.* 5. *Nauar. in Man. c.* 27. *num.* 51. *Auila* 2. *p. cap.* 5. *disp.* 3. *dub.* 3. *Cast. v. Excommunic. cap.* 10. *vers.* 1.

Cogno-

Cognoscere autem potest quis an suo consilio influxerit in factum prohibitum sub censura, vel ex dicto ipsius, cui datum est consilium, modò sit fide dignus, vt si asserat se motum non fuisse consilio ad substantiam actus, vel ex coniecturis, puta si delinquens iam minatus fuerat percussionem, vel homicidiũ, aut si omnia necessaria ad delictum iam parauerat; censurà tamen ligabitur consulens, si per suum consilium auxit voluntatem delinquentis, ad præstandum effectum prohibitum sub censura, quamuis delinquens paratus esset ad illum effectum præstandum: nam tunc dicitur suo consilio influere in effectũ prohibitum. *Sanch. l.1.moral.c.10.num.44. Henriq. l.14.c.16.nu.3. Sayr.l.7.c.2.num.2. Sylvest.v. Excommunic. 8. num.12. Bonac. disp.1.q.1.p.7. num.4.* Item ligabitur consulens, etiamsi reuocauerit consilium; reuocatio tamen non innotuit ei, cui consilium datum fuit ad patrandum delictum prohibitum sub censura, quia non censetur reuocasse influxum, saltem quando consilium erat verum. *Navar.in Manc.27.num.233. Molin. to.4.disp.52.num.2.*

32. Censura iniustè lata dicitur, quamuis validè, quæ accidentali tantùm defectu laborat; puta si forma iudicij iure præscripti in censura ferenda à Iudice non obseruetur. Videlicet vt canonica, id est, trina admonitio interpositis interuallis antecedat, & vt sententia proferatur coram testibus, in scriptis insertà causà, & exemplum scripturæ tradatur reo. Vnde si Iudex hanc formam temerè & sine iusta causa in censuris ferendis prætermiserit, vno mense ab ingressu Ecclesiæ & diuinis officijs suspensus manet vt patet ex *cap.1. cùm medicinalis, de sentent. excomm.in 6.* hæc tamen pœna non comprehendit Episcopos, cùm de ipsis non fiat mentio: quando autem in censura suspensionis, vel interdicti non fit mentio Episcoporum, certum est Episcopos non ligari. *Cap.quia periculosum, de sentent. excomm.* Aduertendum est autem hanc iniustitiam nõ habere locum in censuris à iure latis: Ordo enim iuridicus seruandus est tantùm in censuris ab homine latis: qui omnes censuræ latæ à iure iustæ sunt iustitia legali, quatenus omnes sũt conformes modo, quo illæ ferri debent. Ratio verò cur censura iniustè lata valida sit, est, quia nihil illi deest quod pertineat ad substantiam censuræ. *Cap. Sacro, de sentent.excomm.& c. Romana cap. constitutionem, eod. tit. in 6. Suares de cens. disp.4. sect.7.num.3. Sayrus l.1.c.13.num.17. Navarr.in Manc. c.27.nu.8. Vgolinus tab.1.c.14.§.6. Alter.tom.2.disp.7.c.2. Conineb disp.13. sect.1.dub.9.nu.85. Bonac c.pu.8.nu.1.& 2. Tolet lib.1.sum.ca.10.*

33. Ex triplici capite censura non tantùm iniusta, sed etiam inualida existit. *Primo*, ob defectum ferentis, vel si iurisdictione careat, vel impeditam habeat per censuram excommunicationis, suspensionis, &c. Vel suspensam per legitimam appellationem, quæ interposita fuit ante sententiam absolutè à Iudice latam: Censura enim lata post appellationem legitimam, vel cum alio defectu substantiali, ipso iure irrita est: ideò neque timenda, neque obseruanda est per se loquendo, nisi scandali vitandi ratio aliud exigat; Secùs dicendum si censura validè in aliquem lata sit, eius effectus per sequentem appellationem non suspenditur, quia quælibet censura executionem secum trahit, *cap. is cui, de sent. excomm. in 6. Secundo*, ob defectum causæ iustæ, si videlicet ob nullam, vel ob leuem & non commensuratam culpam feratur, puta, si reus de crimine legitimè non conuincatur, vel si crimen non subsistat, licet iuridicè contra reum demonstretur, vel si nec reipsa, nec secundùm allegationes, & externi fori præsumptionem causa subsit. Et quidem quando reus de crimine non conuincitur, sententia lata contra illum irrita censeri debet, quia licet secundùm rem causa subsistat, sed non subsistit secundùm publicam notitiam iudicij, & Iudex secundùm publicam notitiam iudicare debet: Quando autem crimen non subsistit, & tamen iuridicè contra reum per testes demonstratur, Iurisperiti communiter affirmant talem censuram esse validam, distinguentes inter cẽsuram per se iniustam, & nullam: cùm enim se fundent plerũque non in rei veritate; sed in præsumptione iuris; & secundùm notitiam humanam in foro contentioso loquantur, volunt posse esse sententiam iniustam, quæ tamen non sit nulla. Theologi verò, qui solam rei veritatem considerant, negant validam esse, quorum sententia apud me probabilior est; tùm quia nemo ligatur censura maiori, nisi propter peccatum mortale, sed quando censura fertur ob causam, quæ non subsistit, non adest peccatum mortale, cùm verè non fuerit commissum, quamuis in iudicio probetur commissum, ergo. Tùm quia sententia in tantùm est vera & valida, in quantùm est æqua & iusta, cùm sit actus iustitiæ, sed quando causa, ob quã fertur est materialiter iniusta, sententia non dicitur æqua, & iusta, cum non habeat conformitatem rei ad rem, ergo non obligat. Tamen eiusmodi sententia secundùm legitimas probationes lata, non omninò irrita est, aut omni effectu caret, quia necessitatem imponit existimato reo, vt in facie Ecclesiæ, saltem coram ijs, qui censuram latam sciunt, innocentiam autem nesciunt, abstineat à Sacramentorum vsu, alijsque rebus, quæ per censuram prohibentur, donec vel ab ea absolutus sit, vel innocentia ipsius publicè innotuerit. *Tertio*, censura redditur inualida, si substantialis ordo iudicij prætermittatur: puta si reus non citetur, & nulla monitio interueniat. Ratio est, quia sententia lata non seruato iuris ordine necessario, non est sententia nec conformis iuri. Plura de his vide. *Cap.1. præterea 2.de appellation. C. Solet, de sent. excomm. in 6. Navarr. in c.cùm contingat de rescriptis Tolet.l.1.c.10. Suares de cens.disp.3.sect.15. & disp.4.sc.7. & disp.2.sect.6. Conineh disp.23.dub.15. Layman l.1.tr.5.p.1.c.6. Miranda in Man.2.p.q.35.art.14. Sayr. l.1.ca.17. Filliuc. tract.11.ca.8.q.3.4.& 5. Bonacina disp.1. q.1.pu.10. Sotus in 4.dist.22.q.1.art.3.*

34. In censura ferenda prærequiritur admonitio: vt colligitur ex iuribus inf. citãdis: siue censura lata sit ab homine, siue à iure, siue eamdem, siue ob diuersam causam, siue in genere, siue in specie, siue pro præteritis, siue futuris culpis. Ratio est, quia censura ex consuetudine Ecclesiæ ferri non debet nisi ob inobedientiam, & contumaciam; nemo autem præsumitur, contemnere exteriùs, nec pœnam repellere Ecclesiæ, vel superioris, nisi priùs moneatur sub censura pœna; quare nisi aliud constet, præsumitur, quòd ita monitus obediet timore tantæ pœnæ, vnde priùs admonendus est. Sed circa admonitionem aduertendum est *Primo*, quòd censura lata pro futuris culpis, non requirit admonitionem distinctam ab ipsa lege, vel prohibitione superioris: quia in censura à iure lata, satis est monitio generalis, quæ fit ab eodem iuris conditore, vnde ius ipsum non ignoratum continuò admonet. Idem dicendũ quando Iudex aliquid præcipit sub censura latæ sententiæ, tunc non requiritur alia monitio, sed faciens contra, statim censuram incurrit. *C.Sacro.de sent.excommunic. cap. reprehensibilis, de appellat. C.statutum, de sent.excomm.in 6. Suares de cens.disp.3.sect.8. num.2.3. & seq. & sect.12. num.4. Vasq. tr. de excomm.dub.12.n.4. Vgolin.tab.1.c.18. Alter.to.3.disp.1.c.2. Sayr. l.1.c.12. Reginald. l.9.num.183. Diana p.5.tr.9.resol.18. Secundò*, hæc admonitio facienda est authoritate illius qui laturus est censuram; quia huiusmodi admonitio vices gerit citationis, legitima autem citatio facienda est authoritate iudicis: *Panorm.c.de iudicis num.33. Suares disp.3.sect.11.num.1. Tertiò*, monitio seu citatio præmittenda debet esse competens, *cap. Sacro, de sentent.excomm. & cap. Romana, eodem tit.in 6.* competẽs autẽ monitio est illa quę fit ter, & dicitur Canonica, quia non priuatim, sed secundùm iuris ordinem à Christo & sacris canonibus præscriptum fieri debet; vnaquæque autem harum trium monitionum cum aliquo dierum interuallo esse debet. *Cap.constitutionem, de sentent. excommunicat. in 6.* ita vt biduum saltem inter vnamquamque illarum intercedat, sufficit tamen aliquando vna admonitio pro tribus, assignatis competentibus aliquorum dierum interuallis, vt si iudex concedat *sex dies* absolutè, eò quòd virtualiter tria interualla videantur *in* hoc termino contineri, modò iudex explicet hunc esse vltimum terminum. Imò quando periculum esset in mora, tunc ex prudentia Iudicis posset illa dierum pluralitas commutari in vnum diem, assignando duas vel tres horas pro singulis monitionibus; vel etiam ad breuius tempus: quando enim de cõtumacia constat nihil vltra expectari debet, *arg. cap. cùm qui certus, de reg.iur. in 6. Navar.in Man.c.27.num.11. Vgolin.tab.1.c.18.§.2.nu.1. Henriq.l.13.c.17.§.3. Præposit. de censur. q.1. dub.12. Layman l.1.tr.5.p.1.c.5.num.4. Filliuc.tr.11.c.4.q.5. Covarr. in c. Alma mater.1.p.§.9.num.5.*

35. Canonica monitio seu citatio communiter facienda est coram personis idoneis ad testificandum, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio; & fieri debet personaliter ad reum; nec sufficit fieri ad domum eius: nisi in aliquibus casibus: *cap. Sacro de sent.excomm. Primò*, quando reus se abscondit vel impedit, quominus personaliter citetur, tunc enim satis est vt ad domum ipsius citatio fiat: quòd si reus domum non habeat, fieri debet admonitio seu citatio ad valuas Ecclesiæ eius loci, vt ad notitiam hominis deuenire queat. *Secundò*, quando iam semel fuit citatus personaliter, tunc reliquæ citationes fieri

possunt

possunt ad eius domum. *Tertiò*, quando aliqua citatio facta ad domum; peruenit ad notitiam ipsius citati, tunc enim reliquæ citationes ad domum fieri possunt. *Quartò*, cùm quis iterum in excommunicationem conijcitur, eò quòd malè absolutus erat, tunc sufficiet citatio ad domum facta. De his plura apud *Vgolin.tab.1.c.18.§.1. Couarr.in c.Alma mater. 1.p. §. 9. num.4. Bonac.disp.1.q.1.p.9 num.9. Suares disp.3. sect. 11. num. 4. & seq. Henriq. l.13 de excomm.c.17.§.3. Layman l. 1. tr. 5.p.1.c.5.num. 4. Filliuc. tr. 11.cap.4.q.7.*

36. Si per latam sententiam ipso iure vel ab homine aliquid in futurum fieri prohibitum est sub pœna excommunicationis, aut suspensionis, alia insuper monitio non requiritur, sed ipso facto, seu criminis admissione censura contrahitur, vt hic diximus num.16. & 34. Tamen si à Iudice declarandus vel denunciandus sit, necesse est cum priùs citari, data illi copia suæ defensionis, quippe quæ naturali iure debetur. Cùm enim iudicium inter Iudicem & partes exerceatur, opus est vt pars in iudicium vocetur, seu citetur. *Cap.inter quatuor, de maior. & obedient.* citatio enim fit, vt pars sciat causam quæ agitur in iudicio, & compareat ad se defendendum. *Panorm.in cap. pernenit. 1. num.5. de appellat. Toletus lib.1. c. 44. Navarr.de sentent. excomm.consil.56.nu.5. Suares disp.3.se.10.nu.15.*

37. Si à iure decreta sit censura, non latæ, sed ferendæ sententiæ v.g. *Quæ moniales alloquentur, excommunicabuntur*, dubium est, an Iudex statim contra reum absque vlla monitione præuia illam possit ferre? videtur enim posse; quia iam per legem facta erat sufficiens admonitio; ergo iam ille est contumax Ecclesiæ, ergo statim potest censura ligari: Aliàs enim nullius efficaciæ, aut momenti esset illa comminatio censuræ, quæ per talem legem fit; tum quia adest sufficiens contumacia ex parte delinquentis, qui nouit prohibitionem sub pœna censuræ ferendæ; Hæc sententia est satis probabilis quam tenent *Sanches de matrim.lib.2.disp.24.num.28. Bonacin.de cens. disp.1. q.1.pu.9.nu.4. Filiuc.tr. 11. num. 95.* Sed contrarium benignius & probabilius est, magisque suauem reddit censurarum praxim. Ratio est, quia ob crimen merè præteritum aut emendatum, neque excommunicatio, neque alia propriè dicta censura infligi potest: Si autem Iudex excommunicationē, aliamve censuram sententiæ ferendæ exequi posset contra criminosum, nullà præcedente monitione; tunc sæpe accideret, censuram infligi propter crimen merè præteritum, aut emendatum. Ita *Couarr.c.1.par.§.9.num.5. Suares disp. 3. sect. 10.nu.20. Caietan. in sum.v. clericorum peccata & v. præceptum. Layman c. num. 6. Præpositus de censur. qu.1. dub.12. num. 82.* Secus dicendum esset, si censura ipso facto contracta, dumtaxat à Iudice declaranda, aut denuncianda sit; tunc si factum seu crimen adeò notorium existat, vt manifesto constet, nullam defensionem, aut excusationem reo competere, citatio à iudice intermitti potest, arg. *cap. euidentia, de accus.* & docet *Navarr. l. 5.consil.17 de hæreticis num.1. edit. Romanæ.*

38. Censura nullo alio modo tolli potest, quàm legitimi Iudicis absolutione: vnde non tollitur per mortem aut depositionem ferentis, quia cùm sit pœna inflicta per legitimam authoritatem, transit in rem iudicatam: nec semel contracta per seipsam cessat, deposito contumacia, si absolutè ac indefinitè lata fit; quamuis si sub conditione tali lata sit, vt cùm primùm reus à contumacia recesserit, liber sit, absolutus existat ipso facto; *cap. Si Episcopus 11.q. 3. cap. cum desideres, de sent. excomm.* tunc secundùm probabilem sententiam *Suares d. 7. sect. 1. Couarr.in cap. Alma p 1.§.11.num. 5. Coninch disp.14.dub. 16. q. concl. 1.* alia absolutione non indiget: quia valor absolutionis à voluntate absoluentis pendet. Proinde censura reseruata lata ab homine per sententiam generalem, vel particularem, iure communi potest auferri per eum, qui eam tulit, vel eius superiorem, successorem, aut ab eis delegatum: *C. per tuas & C. Sacro, de sent. excomm.* Censura autem non reseruata lata per sententiam generalem tolli, & auferri potest à quocumque potestatem habente absoluendi à mortalibus, & colligitur ex *cap. nuper de sent. excomm.* quia eò ipso, quo superior censuram non reseruauit, censetur alijs concessisse facultatem absoluendi. *Navarr. c.27.num.44. Sayrus l. 5. c.15.num.22. Reginald.l.9.nu.12. Henriq.l. 13. c. 28.* Quidquid in contrarium dicant *Suares d.7.sect.2.num.23. Filliucius tr. 11.nu. 302. Vgolin. tab.1.cap.4.* Sed de his plura *v. Excommunicatio. V. Interdictum V. Suspensio III.*

Sed petes, an absolutio censuræ inuito impendi possit? Resp. communem & veram Theologorum, & Canonistarum sententiam esse affirmatiuam. Ratio est, quia censura est pœna, ideoque sicut fertur in inuitum, ita etiam ab inuito auferri potest; intellige tamen, quatenus est ex parte censuræ, & respectu habentis iurisdictionem ordinariam in foro externo. Nam respectu potestatis delegatæ & in ordine ad forum conscientiæ, requiritur consensus personæ absoluendæ, quæ se voluntariè subdat in tali foro. Et quidem censura ab homine lata aliquando potest prudenter relaxari etiam in inuito: totū quia hoc non est contra aliquod ius positiuum, quod vniuersaliter hoc prohibeat, nullum enim extat. Neque etiam est contra rationem per se, & intrinsecè, cùm non sit per se contra iustitiam, aut contra charitatem, aut aliam similem virtutem & alioqui possit esse consentaneum charitati, si subditus saltem ob fragilitatem illo remedio indigeat. Tum quia est etiam consentaneum fini censuræ, quæ pœna medicinalis est, & ideò si non prosit, sed potiùs detrimento sit, meritò auferri potest. Seruanda tamen sunt tria. *Primò*, vt non vergat in cuiusque præiudicium talis absolutio, quia hoc esse posse contra iustitiam commutatiuam. *Secundò*, vt non sequatur scandalum, aut contemptus censuræ; hinc enim absolutio esse posset contra charitatem, vel etiam contra iustitiam legalem. *Tertiò*, vt sufficienter constet, non esse sperandum fructum ex tali censura, sed detrimentum potiùs sequi.

Quando autem censura est lata à iure, & ab eo præscriptus est aliquis ordo, qui seruari debet, ille seruandus erit ab inferioribus Prælatis necessariò. A Papa verò ex æquitate, nisi res aliud postulet. Vbi denique nihil est in particulari præscriptū, relinquitur prudentis iudicis arbitrio, vt possit etiam aliquando licitè auferre ab inuito censuram, concurrentibus iupradictis conditionibus in censura lata ab homine. Ita sentiunt D. Thomas *in 4.dist.18.q.2.art.5.* Abbas *in cap. ab Excommunicato, num.20. De rescript.* Auila *2.part.cap.7.disp.2.dub.2.* Alterius *de censur.lib.4. disp. 6. cap. 2.* apud quem plura. Caspensis noster *tr.25.disp.2.sect.13.* Diana *part.1.tr.9.resol.10.*

39. Secundùm probabilissimam plurimorum Doctorum sententiam, ex generali Sedis Apostolicæ concessione absoluendi à quibuscumque censuris iuris, haud dubiè etiam comprehenduntur censuræ, quas Episcopi Diœcesano statuto, vel sententia generali reseruant: quandoquidem talis reseruatio fit tantùm respectu inferiorum, & nequaquam S.Pontif. qui ab omnibus censuris Episcopalibus absoluere potest, & consequenter etiam alijs absoluendi facultatem committere: vnde cùm religiosis Mendicantibus priuilegium concessum sit à *Paulo III. & Sixto V (vt documus v. casus reseruatus num.36.)* absoluendi à quibuscumque censuris etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis contentis in bulla cœnæ est, secundùm hanc doctrinam, prædictos religiosos ab omnibus censuris Episcopalibus absoluere posse pœnitentes suos: non obstante decreto *Clementis VIII* & Declaratione Cardinalium ex mādato *S.D.N Vrbano VIII.* 1628.17.Nouemb. Tum quia prædicta decreta restringunt dicta priuilegia quòd ad casus, quos Ordinarij locorum sibi reseruarunt, vel in posterum reseruabūt, ideò non habent locum in censuris, nam à diuersis non fit illatio, ex *leg. Papinianus, ff. de minor. cap. ad audientiam, de decimis*, & censura non est casus, sed pœna casus; vt docet *Navarrus.* Tū quia decretū *Clementis* est pro Italia, & dicta declaratio derogatoria priuilegiorū nusquam in Belgio apud Priuilegiatos promulgata est, quæ tamen promulgatio necessaria est, vt reuocatio talium priuilegiorum sortiatur suum effectum, vt docet communis doctrina apud *Reccanum* & *Sotum*, & ideò prædicta doctrina in suo vigore adhuc manet quoad partes has Belgicas. Vide *Suares de cens. disp.7 sect.5.num.14.15. Layman l.1.tr.5.p.1.c.7.num.5. Kualdus de absol.num.16.& seq. Reginald.l.8.cap.5. num.55. Crousers ad cap.7. reg. S. Franc. sect.19. Diana p.3.tr.2.resol.13. Megala in 1.p.l.1.c.3. num. 10. Grassis l. 4. decis. cap.15.num.28 Navarr.in man. c. 17. num 262. Becanus de leg.c.6.q.6.num.7. Sotus de iust. l.1.q.1.art.4.*

40. Facultas absoluendi ab omnibus casibus & censuris non comprehendit dispensationem à voto & irregularitate ex delicto; quia in contrarium est praxis Romanæ curiæ & omnis Canonistarum doctrina: potestas enim absoluendi non potest extendi ad irregularitatem, quæ tollitur dispensatione, non absolutione, & hæc sententia est probabilior, & communior, quam tenent communiter Doctores *Navarr.c. nu. 254. Clauis Reg.c.1.num.6. Suares disp.1.sect.3. Tolet l.1.c.83. nu.11. Sanches l. 6.mor.c.17.nu.43. Auila de censur.p.7.disp. 10. dub.4.* Quamuis *Diana tract. de Bulla Cruciatæ, resolut. 27. part. 1.* Contrariam

etiam

etiam sententiam putet probabilem, nempe per bullam Cruciatæ posse confessarium dispensare in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto: quia aliquæ illarum dicuntur verè pœnæ & censuræ: vt patet ex verbis quæ habentur in multis bullis. Deinde non repugnat huic sententiæ stylus Curiæ Romanæ, qui fundatur in probabilitate contrariæ sententiæ, non autem tollit probabilitatem alterius. Ita etiam *De la Cruz in direct.p.2.de irreg.dub. 15. concl.2. Rodriques in bulla §.9. num.29. Salon. Arragon, Bannes in 2.2.q.64.art.8. Fernandes p. 3. c.9.§.14.num 1. Salas de leg.tr.15.sect. 1. concl. 2. nu.16. Nugnus 3.p.tom.2.tract. de bulla §. vlt.* & alij apud *Duanum*, & est communis in schola *D. Thom.*

41. Non debet a censuris notorijs priuilegiatus absque Ordinarij consensu facilè absoluere, si eæ ad forum iudiciale deductæ aut probabiliter deducendæ sunt: quia absolutio danda non est, priusquam parti læsæ satisfactum sit: propterea quòd reus, postquam absolutionem in foro conscientiæ à censura obtinuit, non ita efficaciter ad præstandam satisfactionem siue emendationem vrgeri possit. Vide *Henriq. l. 13.c.28.num.2. Couinch disp.14.dub.16.num. 207.* In rigore tamen absolutio est valida, imo & licita pro foro conscientiæ: quia dùm S. Pontif. intendit facultatem absoluendi vel dispensandi limitare, dum crimen publicum est, vel deductũ ad forum contentiosum, solet id exprimere, vt patet ex priuilegio Episcopis concesso in *Trident.sess. 24. c. 6.* Cùm hanc limitationem priuilegijs religiosorum, non adiecerit, non est cur nos illam adijciamus. Ita *Sotus 4.d.22.art. 3. Henriques l.7.c.13.num.2. Rodriq. in bulla cruc. §.9.num.49. Bonacina de clausura q.1.p.§.num. 3. Sanches l.6.mor. c. 17. num.* 43. Deinde illa absolutio non prodest pro foro exteriori, sed solùm pro foro conscientiæ; & ita non infert damnum Ordinarijs; quia illi, non obstante absolutione virtute priuilegiorum: possunt procedere contra reos in foro exteriori, eadem ratione, ac possent, si illi in interiori non essent absoluti.

Triplex est censuræ absolutio: vna est, quæ dicitur absolutio *simplex*. Alia est, quæ vocatur absolutio *ad cautelam*. Tertia verò dicitur absolutio *ad reincidentiam*. Absolutio *simplex* est illa, quæ datur simpliciter & sine vlla restrictione homini censurato immodato, de cuius censuræ valore non est dubium, quamuis dubium esset de eius iustitia. Absolutio *ad cautelam* est illa, quæ datur sub conditione impropria tributa, vbi an censura valeat, ob periculum quod inesse potest, dubitatur: Interdum verò etsi nulla suspicio aut dubium censuræ contractæ adsit, præmitti solet absolutio à censuris ante Sacramentum pœnitentiæ, ad vitandam irreuerentiam Sacramenti; vel ante collationem ordinum, ad vitandam irregularitatem ordinati; vel ante electionem, aut collationem Ecclesiastici beneficij, aut alicuius priuilegij, ad vitandam eius inualiditatem. De qua re videndus est *Sayrus de censur.l.2.c.16.num.7. Couarr.in cap. Alma p.1.§.7.num.7.& §. 12.num.7. Vgolinus de censur.tab. 1.c.23.§. 1.num.9. Suares de censur. disp. 7.sect.8.num. 12. Filliucius tr.11. c.10. num.311.& 312.*

42. Absolutio *ad reincidentiam* est, cùm datur sub conditione, quam nisi absolutus intra præfixum tempus, vel quàm primùm commodè potest adimpleat, in eamdem vel potius similem censuram denuò incidat: vnde requiritur ad hanc reincidentiam nouum contumaciæ peccatum, noua item Iudicis aut legislatoris sententia, lata sub conditione, nisi tale quid absolutus præstiterit, ad quod iure obligatur: quare si idipsum absque sua culpa intermiserit, aut distulerit, reipsa in censuram non reincidet. Vt colligitur *ex cap. veniens, 2. de testibus & cap. Apostolica de except.* Ita *Couarruu. Sayrus* & alij. Non est tamen improbabile non esse necessariam nouam culpam, vt absolutus ab excommunicatione ad reincidentiam, in eam reincidat. Ratio est, quia pro tunc pro reliquo tempore vltra tempus determinatum, pro quo fuit absque conditione absolutus, non absoluitur absolutè, sed sub conditione operis, nullo superaddito, quo indicetur respectus ad culpam; ergo deficiente conditione, quamuis absque culpa deficiat, non perseuerat absolutus, sed reincidit in excommunicationem, & non aliunde, quàm ex vi sententiæ, quæ fuit primò lata, ex vi cuius perseueraret, quamuis excommunicatus fieret impotens ad soluendum, vel ad aliud opus, sub cuius conditione fuit absolutus pro illo reliquo tempore. *Couarr.c.p.1.§.11. nu. 6. Sayrus c.num.8. Nauarr.in Man.c.27.num.46.& num. 113. Vgolinus tab.1.c.14.§.5. Anila p.2.c.7.disp.3.dub.14. Henriques lib.13.c. 20. num. 2. Lut. V. Filliucius tr.11.num.314. 315. 316. Suares de cens. disp.7.sect.8. num. 20. & seq.* Ita Hurtadus *de excomm. disp. 14. diffic.3.num.12.* Turrianus *de censur.lib.2.disp.24.dub.2.* Villalobos *in sum.tom.1.tract.16.diffic.23.num.6.* Hæc autem absolutio ad reincidentiam in duobus casibus datur, quorum *primus est*, quãdo quis in articulo mortis vel in aliqua alia necessitate absoluitur ab eo, à quo de iure absolui alias nõ poterat: tunc si conualescens, aut impedimento cessante cùm primùm commodè potest superiorem illum, à quo iure ordinario absoluendus erat, adire contempserit, paratus ab eo recipere mandatum, & exequi, in eamdem specie censuram ipso iure incidit. *Secundus est*, cùm quis absoluitur à Sede Apostolica, aut eius Legato, Nuncio, aut à Pœnitentiario Papæ, cum mandato, vt præsentet se vel Ordinario suo, aut alteri, pœnitentiam ab eis suscepturus, vel vt parti satisfaciat, cui obligatus erat; si hæc cùm primum commodè poterit, adimplere contempserit, in eamdem specie excommunicationem reincidit. Qui duo casus in *cap. eos qui, de sent.excomm. in 6.* expressè habentur.

Sed dubium est, an si pars dilatet tempus absolutionis ad reincidentiam à iudice factæ, incurratur elapso tempore excommunicatio, vel necesse sit aliam excommunicationem ferre? Resp. probabile esse elapso termino à parte prorogato incurri excommunicationem absque nouo consensu iudicis ex vi præcepti à principio facti, & lationis excommunicationis ei annexæ. Ratio est, quia iudex, qui præfixit terminum, vt intra illum fiat aliquid, non prefixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum & lationem excommunicationis ei annexæ, sed tantùm ad finiendam permissionem, aut licentiam differendi impletionem sui præcepti; ergo etiam post terminum à iudice præfixum, & post terminum à parte prorogatum, perseuerat præceptum iudicis & annexio excommunicationis ac proinde ex vi lationis excommunicationis ac proinde ex vi lationi excommunicationis in principio factæ, absque nouo consensu iudicis incurritur excommunicatio. Ita in simili Sanches *lib.4.moral.cap. 55. nu. 5.& 6.* & docet expressè Hurta *de excomm.disp.13.disc.5. num.* 15. citatus à Diana *part. 5.tract.9.resol.* 22.

Plura de absolutione censurarum v. *Absolutio*. num. 19. & seq. *Appellatio* num.5. *Beneficium* 3.nu. 10. *confessio* 1. num. 14. *Dubium* nu.6. *Excommunicatio. Ignorantia* num. 17. 18. & seq. *Suspensio. Interdictum.*

CENSVS.

SVMMARIVM.

1. *Census quid sit: & de eius diuisione in reseruatiuum & consignatiuum.*
2. *Diuisio census consignatiui.*
3. *Quænam conditiones requirantur ad contractum census.*
4. *An licitè nouus reditus emantur.*
5. *Census realis emptio est licita seruato pretio legali.*
6. *Concidat census, perunte re, super qua locatus est.*
7. *An res censui subiecta sit vera hypotheca pro censu?* Refertur duplex sententia.
8. *An licitus sit census realis cum pacto redimendi ex parte venditoris.*
9. *Emptio census personalis tam irredimibilis quàm redimibilis ex parte solius venditoris an sit licita.*
10. *In censu personali licet exigere hypothecam.*
11. *Res in qua fundatur census, an debeat tot fructus ferre, qui sufficiant ad soluendam pensionem?* Refertur duplex sententia.
12. *Ad ponendum censum an necesse sit vt res censita ferat fructus naturales.*
13. *Census personalis vtrimque redimibilis, an sit licitus.*
14. *Census realis vtrumque redimibilis, an toleretur.*
15. *Emptio reditus personalis irredimibilis an sit licita.*
16. *Temporalis census vt est omnis vitalitius an possit minoris pretio emi, quam sint pensiones sperate.*
17. *An liceat minoris emere censum, qui ad certum tempus constitutus est.*
18. *Non potest census minoris pretio emi, quã initio fuerit creatus.*
19. *Census empti ad rationem 16. in singula, an minore pretio vendantur in Belgio.*
20. *In emptione census, an liceat pactum adijcere, vt venditor teneatur redimere eadem moneta.*
21. 22. *An pactum possit adijci in emptione census, vt non possit redimi, nisi intra certum tempus.*

23. *An*

23. *An iniquum sit pactum contractui censuali adiectum, vt venditor semper teneatur ad pensionem etiamsi res censui subiecta casu pereat.*
24. *Pactum de non redimendo per partes, est licitum.*
25. *Bulla Pij V. de censibus non obligat vbique.*
26. *An pensiones sint restituendae, quando census emptus fuit minoris iusto, & pretium lege constitutum est cum clausula irritante contractum.*
27. *Quale sit iustum pretium censuum? & à quo debeat constitui.*
28. *Modus constituendi iustum pretium census, deficiente lege & consuetudine.*

1. NOmen Census variè sumitur vt notant *Conarr. 3. var. c. 7. Molina to. 2. tr. 2. disp. 380. Tolet. l. 5. c. 42. Reginald. l. 25. num. 410. Arragon 1. 2. q. 78. art. 4. versi. finem. Layman l. 3. tr. 4. c. 18. Sylvius 2. 2. q. 78. art. 4. quæst. 2. Bonacina de contract. disp. 3. q. 4. p. vnic. Lessius l. 2. c. 22. dub. 1. num. 1 & 2. Filliucius tr. 35. 2. p. c. 1. numer. 243.* sed hic sumitur pro iure, quod quis obtinet in re alterius: Vnde *census est ius percipiendi aliquam pensionem ex re alterius vtili vel per persona*, v.g. Petrus obligat se Paulo, ad conferendam ei certam partem fructuum, propriæ vineæ, singulis annis; *ius* quod habet *Paulus* eam pensionem percipiendi dicitur *census*: & is qui se obligat ad pensionem soluendam, dicitur *censuarius*: is verò qui ius habet percipiendi, *censualista*. Dicitur esse *ius*, quia census non est ipsa pensio persoluenda quotannis, sed ius quoddam ad exigendum quotannis certam pensionem ab alio, cui iuri respondet in altero debitum soluendi. Vnde qui vendit censum, non vendit pecuniam aut fructus aliquos annuos, sed vendit ius exigendi certam pecuniæ summam, vel certos fructus. Dicitur *ex re alterius*, quia nullus ex re suâ percipit propriè censualè pensionẽ, sed ex re aliena in qua ipse ratione cẽsus nullũ ius habet nisi exigendę pensionis: dominium autem rei residet in altero. Diuiditur hic census in *reseruatiuum* & *consignatiuum*. Reseruatiuus dicitur, quando quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum, & vtile, seruatâ sibi pensione annua super eadem re. Consignatiuus est, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum & vtile retinet, vel etiam super persona sua alteri ius pensionis annuæ contractu donationis, venditionis vel permutationis consignat.

2. Census consignatiuus variè diuiditur. *Primò*, ratione materiæ in realem, personalem & mixtum. *Secundo*, ratione pensionis diuiditur in fructuarium ex quo debetur fructus: & pecuniarium ex quo pecunia. *Tertiò*, in certum & incertum. *Quarto*, ratione temporis futuri in perpetuum & temporalẽ, perpetuus diuiditur in redimibilem & irredimibilem. Redimibilis iterum duplex est, vel enim ex parte solius venditoris, cui liceat, restituto pretio, censum redimere, vel etiam ex parte emptoris, cui liceat resignato censu pretium repetere, & vocari solet census vtrumque redimibilis. *Layman l. 3. tr. 4. c. 18. Molina to. 2. tr. 2. disp. 383. Bonacina de censib. to. 2. d. 3 q. 4. p. vnic. Sylvius c. Becanus 2. 2. q. 78. de cens. q. 1. num. 2.*

Ad contractum census, ex natura ipsius contractus, conditiones quædam requiruntur. *Prima*, vt adsit intentio emendi & vendendi, nam tota vis & obligatio contractuum pendet ab intentione & voluntate contrahentium. *Secunda*, vt adsit iustum pretium, tale autem est, quod lex vel communis hominum æstimatio seu iudicium prudentum præfixit, habitâ ratione aliarum circumstantiarum. *Tertia*, vt constituens censum super re aliqua liberam habeat illius rei disponendæ facultatem, vnde super re aliena, absque consensu Dominorum in fundo dotali absque vxoris consensu, super beneficio, & super re accepta in feudum vel emphyteusim non potest constitui census. *Quarta*, vt census fundetur in re frugifera, vnde super tritico, oleo, &c. non potest constitui, cum hæc vsu consumantur. *Quinta*, vt si res censui subiecta pereat vel fiat sterilis absque culpâ censuarij, cesset census ad ratãjnã res Domino pereunt. *Sexta*, vt si aliquod onus imponatur venditori, ad quod venditor ex natura contractus non teneatur, debitâ mercede, compensetur, nam onera pretio æstimabilia debitâ mercede compensanda sunt. *Valent. to. 3. d. 5 q. 22. p. 2. Lessius l. 2. c. 22. dub. 14. Molina t. 2. tr. 2. d. 383. Azor de censib. c. 7. q. 37. part. 3. Tolet. c. c. 47. Sylvius c. q. 2. concl. 2.*

4. Non minùs licitè emuntur noui redditus quam antiqui, quia quisque potest de nouo constituere ius percipiendæ pensionis in suis bonis titulo donationis, ergo etiam titulo emptionis, non enim minoris valet quod emitur quàm quod donatur. Vide *Becanum de censibus quæst. 2. Reginald. l. 25. nu. 427. Medina de vsura qu. 12. Conarr. l. 3. var. cap. 7. num. 2.*

5. Census realis tam pecuniarius, quàm fructuarius, & tam perpetuus quàm temporalis, etiam vitalitius eo pretio emptus, quod vel lex taxauit, vel loci consuetudo approbat, iustus ac licitus est, quamuis summa pensionum temporis progressu soluendarum pretij quantitatem superet. *Lessius l. 2. c. 22. dub. 5. Sotus l. 6. q. 5. art. 2.*

6. In censu non emuntur pensiones, sed ius percipiendi futuras pensiones, quod ius communi hominum iudicio minoris æstimari solet, quàm si pensiones omnes præsentes essent: tamen si res illa super qua census locatus est, casu pereat, census quoque concidit, id enim commune est omni censui mere reali. *Layman c. num. 3. Lessius c. num. 39. Mair. in 4. dist. 15. qu. 42.*

7. Quidam putant rem censui subiectam, à qua dicitur cẽsus realis, esse veram hypothecam pro censu, atqui hypothecâ pereunt, vel in alium translata adhuc manere obligationem personalem in priore debitore, sed hoc fundamentum non est verum, quia hoc dicere, esset facere omnes census personales, & contra constitutiones *Py V. Martin. V. & Calixti III.* in quibus constituitur, vt pereunte re, pereat etiam pro rata ipse census. *Sotus l. 6. de Iust. q. 5. Conarr. 3. ref. c. 7. nu. 5. Lessius c. d. 5. nu. 35.*

8. Licitus est census realis cum pacto redimendi ex parte venditoris, & probabiliter etiam qui vtrimque redimibilis est: quia aliæ omnes venditiones sub conditione redemptionis, præsertim ad arbitrium venditoris (quo casu nulla suspicio vel præsumptio vsuræ esse potest) licitæ sunt, ergo etiam venditio census cum eiusmodi pacto licita est. Modò tamen aliquo alio modo grauamen, quod per hoc pactum imponitur venditori iustè ad arbitrium boni viri, ipsi ab emptore compensetur. Vide *Diana tract. 5. misc. resol. 75. part. 3. Valent. to. 3. d. 5. q. 22. p. 6. & q. 25. p. 2. Medina c. q. 15. d. 5. Lessius l. 2. c. 22. d. 10.*

9. Probabile est emptionem census personalis tam irredimibilis, quàm redimibilis ex parte solius venditoris, spectatâ rei naturâ licitam esse, etiamsi pensiones sperentur excessuræ pretium sortis, quia census realis perpetuus licitè emi potest minoris quàm sint pensiones speratæ, ergo etiam personalis: vbi tamen bulla *Py V.* recepta est, hic census iudicandus esset vsurarius. *Sotus, Conarr. Conrad. apud Layman c. num. 7. Binsfeldius de vsur. q. 10. concl. 1.*

10. Persona, in qua census constituitur, debet esse vel fructifera, vel vt aliqua bona in re vel in spe habeat; vnde etiam in emptione census personalis licet exigere hypothecam generalem vel specialem securitatis causa. In censu personali; pensiones annuæ soluendæ amplius non sunt, si cessante industria personæ nulli annui reditus proueniant ex opificio aut negotiatione, super qua census locatus est, partim oblucrum vel cõmodũ cessans. *Lessius c. d. 4. n. 21. 22. Reginald. l. 25. n. 431.*

11. Res in qua fundatur census, debet ad minùs tot fructus ferre, qui sufficiant ad soluendam pensionem detractis expẽsis laboris & industriæ, cùm enim vendatur ius ad percipiendos tot fructus, par est, vt res in qua constituitur census, ferat fructus sufficientes ad soluendam pensionem; *Azor. to. 3. l. 10. c. 6. q. 1.* Quidam tamen Doctores arbitrantur censum instituì posse super re, cuius fructus non adæquant censum. *Sotus, Conarr. & alij apud Azor. & Dianam de contract. resol. 44. p. 1.*

12. Ad censum ponendum, non est necesse vt res censita ferat fructus naturales, vt oleum, vinum, triticum, &c. sed sufficit si ferat fructus pretio æstimabiles; vnde constituuntur census super domibus vel molendinis, quę non ferunt fructus naturales, sed pecuniam: nec item necesse est, vt res censui subiecta singulis annis sit actu fructifera, sed sufficit vt natura sua sit fructifera & speretur fore vt fructus ex ea percipiantur: si tamen res facta esset sterilis, vt non posset amplius producere fructus, nequiret in ea census constitui; non censeretur autem res infrugifera, si per vnum vel duos annos non tulit fructus. *Emman. Sà v. census nu. 7. Valentia 2. 2. d. 5. quæst. 22. punct. 2. Reginald. c. num. 411. & 429.*

13. Census personalis vtrimque redimibilis super personę industria locatus, probabiliter defenditur, attamen periculo vsurariæ intentionis non caret; quia si aliis emptionibus pactum adijci potest, non solum ad voluntatem venditoris redimendi, sed etiam ad voluntatem emptoris retinendi, cur non etiam in census personalis emptione? *Layman c. num. 8. Filliucius c. num. 272.*

14. Census vtrimque redimibilis, præsertim realis, etiam adiuncto

adiuncto pacto assecurationis, probabiliter à Doctoribus defenditur ac toleratur, etsi periculo vsurariæ intentionis non careat: onus tamen quod imponitur venditori ad redimendū, quando placuerit emptori, compensari debet, vel pretium census augendo, vel minorem pensionem designando: passim in Germania à viris etiam probis & doctis instituitur census iste, & ideò cessare debet præsumptio vsuræ; *Lessius c. dub.* 10. *Molder.* 2.2. *de iust. tr.* 5. *c.* 3. *d.* 11. *Filliucius tr.* 35. *num.* 272. *Becanus c. de cens. q.* 6. *Arragon* 2.2. *q.* 78. *art.* 4. *Medina de vsur. q.* 15. & *Valentia c. punct.* 6. refert hanc sententiam à multis doctissimis Theologis Romæ in quadam consultatione, cui ipse interfuit, anno 1581. probabilem esse iudicatam, etsi ob periculum vsurarum minimè suadendam. Ratio est, quia licet vendere censum redimibilem ad arbitrium venditoris, ex communi sententia; cur non similiter liceret emere redimibilem ad arbitrium emptoris; si enim licet tibi vendere cum pacto redimendi, si volueris, cur non similiter possem emere cum pacto retrouendendi, si voluero?

15. Emptio reditus personalis irredimibilis est licita, etsi pretium sit minus quàm pensiones speratæ, quia minor est species vsuræ in hac emptione, quàm in emptione census personalis redimibilis, cùm nulla sit spes recuperandæ sortis. *Sotus l.* 6. *qu.* 5. *art.* 1. *concl.* 4. *Becanus c. q.* 4. *num.* 5.

16. Temporalis census qui ad incertum tempus constitutus est, vt est omnis vitalitius, minori pretio emi potest quàm sint pensiones speratæ; quia quòd pensiones simul iunctæ superent sortem, id est fortuitum, sicut enim possunt superare, ita etiam superari, essque minores sorte. *Communis sententia apud Couarr. l.* 3. *var. c.* 7. *nn.* 3. 4. *Becanus. c. quæst.* 5.

17. Census qui ad certum tempus constitutus est, secundū probabilem quorumdam Doctorum sententiam, potest etiam minoris emi; v.g. licet pensionem decem aureorum in decennium emere; nonaginta; idem dicendum de censu personali ad certum tempus. *Nauarrus c.* 17. *num.* 230. *Couarr. l.* 3. *var. c.* 7. *num.* 4. *Caietan. v. vsura. Becanus c.* 9. 4.

18. Census nō potest emi minori pretio quàm initio fuerit creatus, quando pretium legitimum à Principe constitutū est, quia taxatur pretium in gratiam venditorum; posset tamē vendi maiore: vnde puniuntur in Belgio qui minore pretio quàm sexdecim in singula emunt census dum primò creantur. *Lessius c. dub.* 7. *Filliucius c. num.* 270.

19. Antiqui census empti ad rationem sexdecim in singula, multo minore pretio venduntur in Belgio Principe sciente & non contradicente; imò in quibusdam locis pretium legitimum taxatum non seruatur, emunt enim ad rationem quindecim, quatuordecim, vel etiam duodecim in singula, & toleratur à Principe seu Concilio. Si census non habeat pretium legitimum, vel si illud passim non seruetur, potest emi minori pretio quàm initio fuerit constitutus, quia pretium vulgare non consistit in indiuisibili. *Lessius c. nu.* 46. *Vide Dianam de contract. resol.* 36. *p.* 1.

20. Aliquando licet emere censum cum pacto vt venditor, quando voluerit redimere, teneatur redimere eádem monetā. *Primò*, si certum sit æstimationem monetę non esse mutandam, *Secundò*, si vtrimque erat dubium an esset augenda, an minuenda. *Tertio*, si certum erat æstimationem augendam, & emptor statuerat suam pecuniam in illud tempus seruare: extra hos casus tale pactum non est licitum, nec obligat in conscientia. *Bonacinam. tom.* 2. *disp.* 3. *q.* 4. *nn.* 36. *Salas dub.* 24. *Lessius c. d.* 8. *Filliucius c. num.* 271.

21. Absolutè licitum est emere censuum cum pacto, vt nō possit redimi nisi intra certum tempus, ita vt si intra illud tēpus non redimatur à venditore, fiat irredimibilis: pretium tamen illius census debet esse maius quàm si semper maneret redimibilis, & minùs quàm si absolutè esset irredimibilis. *Medina de vsura q.* 15. *dub.* 1. *Couarr. l.* 3. *var. c.* 8.

22. Licita est emptio census cū pacto vt possit redimi post certum tempus, v. g. post decennium, ita vt ante redimi nequeat. *Couarr. l.* 3. *var. c.* 8. *nn.* 7.

23. Quidam putant pactum contractui censuali adiectum esse iniquum, vt venditor semper teneatur ad pensionem, etiamsi res censui subiecta casu pereat, sed verius est non esse, si iusto pretio compensetur, considerato periculo euentus ad arbitrium prudentis. *Lessius c. dub.* 11. *num.* 65. & 66.

24. Licitè apponitur censui, imò consentaneum est naturę contractus, vt non possit redimi per partes; item contractui census reseruatiui pactum addi potest, vt si per biennium vel triennium pensio soluta non fuerit, res censui subiecta cadat in commissum, & in pœnam negligentiæ efficiatur domini census: debet autem debitor esse in mora solutionis: in contractu verò consignatiuo hoc pactum addi non potest, nisi ex æquo compensetur aucto pretio census, arbitrio prudentis. *Tolet. l.* 5. *c.* 45. *num.* 4. *Azor.* 3. *p. l.* 10. *c.* 13. *q.* 6. *Lessius c. num.* 68.

25. Bulla *Pij V.* de censibus non obligat vbi illa non est promulgata vel recepta, quia probabile est non solùm leges Imperatoria, sed etiam Pontificias non obligare, nec vim irritandi habere, nisi sint promulgatæ in prouincia: vnde hæ conditiones non obligant in Belgio, tùm quia nunquam hìc promulgatæ, tum quia contrarius vsus semper perseuerauit, idē dicendum de Gallia & Germania. Vbi bulla *Pij V.* non est recepta, seruandæ sunt leges & consuetudines ibidem vsitatæ, quæ tamen legi diuinæ vel naturali non repugnēt: vbi autem nulla esset consuetudo habens vim legis, satis est seruare legem naturalem, quæ tantummodò requirit æqualitatem inter censum & pretium. An verò census possit constitui ex pecunia credita? aliqui affirmant: *Layman l.* 3. *t.* 4. *c.* 17. *Becanus p.* 2. *tr.* 3. *c.* 6. *num.* 5. *Molina to.* 2. *tr.* 2. *disp.* 395. *Lessius c. dub.* 13. *Sylvius* 2.2. *q.* 78. *art.* 4. *quæst.* 2. *concl.* 3. Ita *Sotus de iust. lib.* 6. *q.* 5. *art.* 1. alij verò negant, ita *Lopez de contr. lib.* 1. *c.* 59. Prima sententia erit probabilis vbi bulla *Pij V.* non est vsu recepta: Vide *Dianam de contract. resol.* 44. *part.* 1.

26. Quando census emptus fuit minoris iusto, & pretium lege constitutum est cum clausulà irritante contractum, tunc pensiones sunt restituendæ, quatenus excedunt iustum pretium. Si verò pretium non sit lege constitutum, vel saltem non cum clausula irritante, quamuis probabile sit excessum illum pensionum restituendum esse, contrarium tamen est verius, nempe nihil ex pensionibus restituendum, sed tantùm esse pretium supplendum & interesse, si quod venditori obuenerit, compensandum. *Ioan. Medina qu.* 15. *dub.* 4. *Lessius c. d.* 15.

27. Iustum pretium censuum constituitur lege Principis, & eá deficiente, consuetudine communi apud diuites, & inopes, sic vendendi census: vnde fit vt pretia censuum pro varietate temporum & locorum sint varia: nam pretium census irredimibilis in Hispania est, viginti octo, viginti nouem, vel triginta aureorum in singula: in Sicilia est solum 10. in singula, iuxta approbationem Nicolai V. Gregor. XIII. Idem approbarunt Calixtus III. & Martinus V. pro Polonia & Germania. In Belgio census irredimibiles non habent pretium legitimum, nec possunt de nouo creari obstante constit. *Caroli V.* Reseruatiui possunt vendi viginti quinque in singula, vel etiam minoris. Nota in his locis vbi floret negotiatio, census minoris æstimari, similiter vbi est pecuniæ penuria. Ratio, quia pecuniæ penuria facit merces minoris æstimari, & negotiatio facit ipsam pecuniam quæstuosam, ac proinde pluris valentem. Pretium autem census vitalitij, ferè hic in Belgio est octo in singula, si ad vnius vitam constituatur, vel decem, si ad duorum. Vide *Couarruuias lib.* 3. *var. cap.* 9. & 10. *Tolet. l.* 5. *c.* 47. *num.* 3. *Sa v. census num.* 5. *Azor.* 3. *p. l.* 10. *c.* 4. *q.* 4. *Filliucius c. nu.* 265. *Valent.* 2.2. *d.* 5. *q.* 22. *p.* 5. *Salas dub.* 22. *nu.* 2. *Lessius c. dub.* 14. *Bonacina c. num.* 4 1.

28. Porrò pretium census deficiente lege cōsuetudine optimè constituitur ex proportione pretij rerum fructiferarum, vt agrorum, domorum, & similium; quo enim pretio emi potest res frugifera, quæ deductis expensis quotannis reddat centum aureos, eodem & etiam minore iustè potest comparari census realis irredimibilis tantumdem pendens? debet etiam in pretio constituendo attendi æquitas & vtriusque contrahentis grauamen, aliæque circumstantiæ. *Layman c. num.* 14. *Conar. 3. resol. c.* 9. *nu.* 6.

CESSATIO A DIVINIS.

SVMMARIVM.

1. *Cessatio à diuinis quid sit & quemplex.*
2. *Differentia inter cessationem & interdictum.*
3. *Quis possit imponere cessationem à diuinis.*
4. *Quid prohibeatur tempore cessationis.*
5. *Tempore cessationis an sit licitum diuina officia celebrare in quatuor festiuitatibus exceptis in* Cap. Alma mater.
6. *Quæ Sacramenta licitè conferantur, tempore cessationis à diuinis.*

7. Ces-

7. *Cessatio à diuinis an priuet sacrâ sepultura.*
8. *Ponitur interdum cessatio à diuinis precedente interdicto.*
9. *An grauiter peccet & incurrat irregularitatem violans cessationem.*
10. *Ad quid teneatur, qui causam dedit iniustæ cessationis.*
11. *Cessatio à diuinis à quo tolli possit.*

1. CEssatio à diuinis *est simplex prohibitio, qua ministri Ecclesiæ prohibentur persoluere diuina officia, ministrare Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro:* & hæc duplex est, alia est generalis vt in toto regno, ciuitate, oppido. alia est particularis, qua prohibétur diuina in loco particulari, vt in vna Ecclesia. *Sua. d.* 39. *sect.* 1. *n.* 1. & 5. *Sayr. l.* 5. *c.* 17. *n.* 2. & cómunis.

2. Cessatio à diuinis differt ab interdicto, & ideò censura non est, quia fertur per modum simplicis prohibitionis, censura verò vt quoddam morale accidens afficit, & quasi ligat subiectum, in quod fertur: deinde violans interdictum irregularis efficitur. non item agens contra positam cessationem à diuinis: præterea tempore cessationis non licet celebrare officia sicut licet tempore interdicti generalis, iuxta moderationem cap. *Alma*, denique cessatio nunquam à iure incurritur, sed tantum comminatoriè fertur. Vide *Nauarr. c.* 27. *num.* 188. *Syluius in supplem. q.* 21. *Filliucius tr.* 18. *c.* 7. *Rodriques tom.* 1. *c.* 117. *Sayrus l.* 5. *c.* 17. *num.* 8. *Henriq. l.* 13. *c.* 54. *num.* 3.

3. Summus Pontifex, Episcopus, Capitulum sede vacante, Concilium Prouinciale & Diœcesanum, aliique ab his delegati iuxta facultatem sibi delegatam vel consuetudine obtentam, imponere possunt cessationem à diuinis propter delictũ graue manifestum & notorium; idque exprimi debet in litteris, in quibus continetur sententia: peccatum autem debet esse cum contumacia aduersus commune bonum Ecclesiæ: puta contra libertatem Ecclesiasticam, vt est impositio taleæ, seu collectæ Clericis, detentio Clerici, vel Canonici per iudicem sæcularem & alia similia. *Filliucius tr.* 18. *c.* 7. *q.* 3. *Sayrus c. c.* 18. *num.* 3. *Reginald. l.* 32. *c.* 3. *num.* 72. *C. irrefragabili, de officio ordin. Henriq. c. num.* 1.

4. Tempore cessationis præcipitur abstinere à diuinis officijs, puta ab horis canonicis publicè persoluendis, celebratione Missæ, &c. vnde tunc temporis non est licitum pulsare cãpanas ad diuina officia: tamen licet semel in hebdomada, ob necessitatem infirmorum pro renouanda Eucharistia celebrare priuatim cum vno ministro, & clerici possunt in Ecclesia priuatas orationes recitare, imò possent bini vel terni submissa voce, ianuis clausis sine cantu ibidem horas canonicas recitare. *Reginald. lib.* 32 *tr.* 3. *num.* 75. 77. *Nauarr. c. num.* 189. *Suares c. sect.* 2. *Henriq. l.* 13. *c.* 53. *num.* 2. & 3.

5. Quamuis inspecto iuris rigore non videatur licitum in quatuor festiuitatibus exceptis in cap. *Alma mater* officia diuina celebrare tempore cessationis, cùm dicta exceptio tolùm facta sit de interdicto; tamen secundùm æquitatem & Doctorum quorundam Sãlmanticensium auctoritatem, probabiliter dici potest in quatuor illis præcipuis festiuitatibus, & Octaua Corporis Christi, diuina officia solemniter dici & Sacramenta ministrari posse, sicut tempore generalis interdicti. *Sanches de matr. l.* 7. *d.* 8. *num.* 18. *Suares c. sect.* 2. *num.* 12. *Fernandes part.* 2. *c.* 13. §. 1. *num.* 12.

6. Tempore cessationis, Sacramentum ordinis aut Extremæ vnctionis non confertur laicis aut clericis: Sacramenta verò baptismi & pœnitentiæ secundùm benignam Doctorum interpretationem & praxim, licitè administrantur, quamuis stando in rigore iuris licitè solùm paruulis baptismus & pœnitentia morientibus ministrari debeant. Sacramentum Eucharistiæ ægrotantibus solùm confertur per modum viatici: matrimonium verò celebrare omninò prohibetur; id est, benedictiones nuptiales aut velationes fieri non possunt: quamuis contractus præsente parocho & testibus validè tunc temporis peragi possit, sicut & tempore interdicti. *Sayrus, Reginaldus.* & alij: qui omnes concedunt hoc tempore licitè etiam confirmationis Sacramentum ministrari posse; quia censetur baptismi complementum, & consequenter concesso baptismo, videtur etiam concessa confirmatio. Quidam etiam id extendunt ad Sacramentum ordinis, quando deessent Sacerdotes necessarij. Sayrus *c.* 19. *num.* 11. & 12. *Reginald. nu.* 70. *Suares c. d.* 39. *sect.* 2. *C. non est vobis de sponsalibus. Bonacina de censur. disput.* 6. *p.* 3. *num.* 5. 6. 7.

7. Cessatio à diuinis priuat etiam laicos sacra sepultura, clerici verò non priuantur sepultura ex benigna iuris interpretatione, modò sepeliantur sine diuinis officijs & in silentio. Nomine autem Clericorum hic veniunt etiam religioli, etiam nouitij, quia Religiosi in fauorabilibus veniunt etiam nomine Clericorum. *Auiladiſp.* 1. *dub.* 10. *p.* 6. *Suares comm.* 31. *Filliucius c. num.* 181.

8. Cessatio à diuinis interdum indicitur præcedente interdicto vt accedat tunc noua, & arctior prohibitio cessationis, cuius proinde effectus coniunguntur cum censura interdicti; interdum verò ponitur cessatio purè & sine interdicto. *Layman l.* 1. *tr.* 5. *p.* 4. *c.* 6. *nu.* 5.

9. Violans cessationem grauiter peccat, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; non tamen incurrit irregularitatem; nam hæc irregularitas non est in iure expressa: Religiosi autem, quamuis exempti, incurrerent excommunicationem, non seruando cessationem generalem, quæ ictruatur ab Ecclesia Cathedrali, vel à Parochiali, *Clementina* 1. *de sentent. excomm. Synest. v. cessat. q.* 5. *Sayrus* 5. *c.* 19. *nu.* 20. *Suares c. sect.* 2. *num.* 36. Excipiuntur tamen ab hac pœna Mendicantes ex peculiari priuilegio vt docet Henriques *lib.* 13. *cap.* 54. *num.* 3. Violantes autem cessationem particularem non incurrunt excommunicationem: quia dicta Clementina tantùm loquitur de cessatione generali. Vide Lezanam *tom.* 1. *sum. c.* 21. *nu.* 20. & *tom.* 3. *v. Cessatio, nu.* 3. vbi notat Priuilegium *Leonis X.* quo licitum erat Regularibus mendicantibus tempore cessationis à diuinis celebrare secretò, fuisse viuæ vocis oraculũ, ac proinde hoc tempore abrogatum à *S. D. N. Vrbano VIII.*

10. Qui iniustæ cessationis causam dedit, post monitionem tenetur ad reficienda damna omnia Clericis, qui coacti fuerunt seruare cessationem, & ob id distributiones amiserunt, vel alia damna passi sunt; quia suo delicto censetur causa efficax iniusta horum damnorum: idem dicendum de illo qui iniustè cessationem tulit. *Henriq. c. c.* 52. *l.* 13. *nu.* 3. *Suares c. disp.* 39. *sect.* 3. *nu.* 16. *Sayrus c. c.* 19. *nu.* 19.

11. Sicut cessatio à diuinis iustis de causis ab homine imponitur, ab eodem homine tolli potest vel à Superiore ipsius, vel ab eius successore vel à delegato ipsorum. Quoad formam autem tollendi cessationem, nulla certa est iure præscripta, sed requiritur tantùm, vt eam tollens, suam explicet voluntatem, aliquibus verbis eam auferendi; solo enim facto est Summi Pontificis proprium in censuris & similibus tollendis procedere, quia ipse solus, non est ligatus iure. Vide *Reginal. l.* 32. *tr.* 3. *n.* 84. *Aula p.* 6. *disp.* 3. *dub. vlt. Lezana to.* 3. *sum. v. cessatio n.* 8.

CESSIO BONORVM.

SVMMARIVM.

1. *Cessio bonorum an magis excuset à restitutione in foro conscientiæ, quàm necessitas sine cessione.*
2. *Quid beneficij consequatur debitor per bonorum cessionem.*
3. *Debitor ex contractu vel delicto, an possit abscondere aliquid, si in bonis eius executio fiat per creditores?*
4. *Per cessionem bonorum an debitor eximatur à restitutione, postquam peruenerit ad pinguiorem fortunam?*
5. *Qui cessit bonis, actibus quibusdam ignominiosis, an teneatur soluere debita, si ad pinguiorem fortunam nactus fuerit?*
6. *Clerici non tenentur cedere bonis suis: nec possunt ob debita in carcerem conijci.*

1. CEssio bonorum in foro conscientiæ non magis excusat à restitutione quàm necessitas sine cessione excularet; vnde debitor qui debitis soluendis impar bonis cedit, id est, creditoribus bona sua relinquit inter se secundũ debitorũ quãlitatem ac proportionem diuidenda, non ideò reliquo debito liberatur, quin potiùs tam in foro externo quàm interno compelli potest ad laborandum & acquirendum vnde soluat, quantùm conditio seu status personæ permittit, *Molina tr.* 2. *to.* 3. *poster. disp.* 758. §. *superest Nauar. l.* 4. *c.* 4. *nu.* 62. *Becanus de restit. q.* 54. *nu.* 4. *Nauarr. c.* 17. *nu.* 86.

2. In foro exteriori licet debitor ex contractu, vel quasi contractu post latam contra ipsum sententiam & soluẽdi moram, postulante creditore in carcerem conijci & tamdiu detineri possit, donec satisfaciat, nisi sufficientem cautionem soluendo præstare possit; tamen iure ciuili per bonorum cessionem id beneficij consequitur, vt in carcerem mitti non possit, vel missus ex eo liberari debeat, & ne, si post

cessionem aliquid acquirat, ei possit auferri, quando est necessarium ad suam vel suorum sustentationem. *L. 4. & 6. ff. de cessione bonorum. Becanus c. num. 4. Lessius l. 2. c. 16. nu. 44.*

3. Grauatus ære alieno, qui absque culpa cogitur cedere bonis, si fiat executio in bonis eius per creditores, potest abscondere quantùm necessariò est vt, tenuiter viuat secundùm suum statum, & ne indecenter viuat: imò etiam secundùm quosdam debitor ex delicto de bonis quæ post cessionem acquirit potest retinere, quantùm necessarium est, vt pro sua conditione non indecorè viuat: quamuis alij hoc non admittant. *Silvest. ver. restitutio 7. q. 6. Navarra l. 4. c. 4. num. 58. Claus reg. l. 10. tr. 5. cap. 7. num. 3.*

4. Cessio bonorum non ita eximit à restitutionis obligatione, quin debitor teneatur ad restitutionem, postquam peruenerit ad pinguiorem fortunam, quia debita per cessionem bonorum non fuerunt extincta, sed consopita. *Lessius l. 2. cap. 16. dub. 3. Diana 4. part. tract. 4. resol. 78. Sylvius 2. 2. qu. 62. art. 8. qu. 1. Claus reg. c.*

5. Quidam sentiunt illum qui cessit bonis quibusdam actibus ignominiosis iusta consuetudinem loci, non teneri soluere debita, etiamsi postea ad pinguiorem actus fuerit fortunam, quia videtur hæc pœna esse loco solutionis; sed contrarium est verius, quia hæc pœna non imponitur vt liberetur a solutione, sed in pœnam delicti quod præsumitur ab eo commissum contrahendo cum esset impotens solutionis. Ita *Benacina de rest. disput. 1. qu. vltim. punct. 1. num. 38. Lessius l. 2. cap. 16. num. 49. Tolluc. tr. 32. num. 1, 3. Conar. 2. variar. c. 1. num. 6.*

6. Clerici Sacris initiati habentes beneficium Ecclesiasticum, vel qui clericalem habitum, & tonsuram deferunt, & alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiunt, non tenentur cedere bonis suis, nec possunt tamen ob debita in carcerem conijci, ne in opprobrium status Ecclesiastici cogantur mendicare. *C. Odoardus de solut. Layman l. 3. tract. 2. cap. 12. num. 5. Lessius c.*

Vide *Restitutio* 5. nu. 5. 6. 7. Plura de cessione apud Dianam *part. 7. toto tractatu Octauo.*

CÆSIO LIGNORVM.

SVMMARIVM.

1. *Incola aut ciuis vrbis, an mortaliter peccet, & teneatur ad restitutionem, si ex syluis communibus aliquas arbores absque facultate cedat.*
2. *Ligna cædere in syluis particularium hominum, peccatum mortale est cum obligatione restituendi.*
3. *Grauiter vel extremè indigens lignis, an peccet scindens illa in syluis Dominorum.*
4. *Quando licet ligna cædere, an liceat etiam earumdem arborum fructus colligere.*
5. *An peccet vel ad restitutionem aut pœnam teneatur, qui ligna cædit aut venatur in syluis iniustè prohibita.*
6. *An ad pœnam saltem mortis rei teneantur deprehensi qui ligna cædunt ex montibus vicorum conuicinorum, si vicini etiam cædunt in eorum locis.*
7. *An qui emunt ligna furto subrepta, teneantur ad restitutionem.*
8. *An peccet mortaliter & teneatur ad restitutionem, qui pecora sua pascit in alienis pratis inuito Domino?*
9. *An possit Princeps statuere, vt collectis frugibus & fructibus, nullus prohibeat alij pastum in agris suis?*
10. *An Dominus alicuius loci dominium in pascuis publicis sui territorij habeat.*

1. SYluæ aut montes, in quibus arbores cædi solent, quædam sunt communes, quædam particularium hominum, aliæ sunt dominorum vel Principum: si syluæ sint communes, quamuis incola aut ciuis vrbis, vel pagi cædat in vtilitatem propriam aliquot arbores sine facultate, non peccat mortaliter, nec obligatur ad restitutionem; si tamen comprehenderetur, pœnam soluere tenetur, & obligaretur ad restitutionem si magnam stragem faceret. Ratio est, quia non est credibile velle communitatē suis mēbris maiori rigore illos vsus interdicere, quàm sub reatu culpæ venialis, & pœnæ soluendæ, si capiantur, quæ non debetur nisi post condemnationem; non prohibendo, quin acceptum sibi acquirant, nisi modum valde excedant, & grauem efficiant stragem. Nec obstat grauitas pœnæ, si fortè apponantur grauissimæ, quia pœnæ vt iustæ sint, debent commensurari delicto, & quia ad terrorem sæpè solent imponi. *Toletus l. 5. c. 20. Sylu. 2. 2. q. 66. art. 2. q. 3. concl. 1. Salon 2. 2. q. 62. art. 3. contr. 2. Claus reg. l. 11. cap. 10. num. 11. Sotus de iust. & iur. l. 4. q. 6. art. 4.*

2. Quando syluæ sunt particularium hominum, absque dubio peccatum est mortale cædere ligna obligans ad restitutionem, nisi leuitas materiæ excuset; in qua materiâ discernendâ, standum erit arbitrio prudentum; præterea pœnam accedente iudicis condemnatione persoluere tenebitur reus. *Valentia tom. 3. d. 5. qu. 6. par. 5. dub. 7. Sylu. c. concl. 4. Toletus c. Salon c. contr. 2.*

3. Scindens ligna in syluis dominorum, aut syluis priuatorum hominum quas sine propria eorum industria ex solo dono aut concessione Regis & Reip. acceperunt, quibus vel extremè, vel quasi extremè, vel grauiter saltem puta ad familiæ sustentationem indiget, nec peccat, nec ad restitutionem tenetur. Ratio est, quia arbores, quas natura sponte producit, non sunt tam propriæ dominorum; quàm propriæ sunt pecuniæ in arca repositæ, & quia hæc furta non habent infamiam, nec sunt tam odiosa in Republica, vnde possunt pauperes cædere ligna ad vsum foci proprij necessaria. *Bannes 2. 2. q. 62. ar. 3. d. 4. concl. 2. Molina tr. 2. disput. 58. Sotus l. 4. q. 6. art. 4.*

4. Sicut ligna cædere in syluis communibus aut alijs licet, ita etiam fructus earumdem arborum colligere licebit. E contra verò in syluis in quibus non licet ligna cædere, neque fructus earum colligere licet, quia accessorium sequitur naturam sui principalis: & fructus naturam arboris. *Sayr. l. 11. cap. 10. numer. 17. Salon cit. contr. 2. concl. 5. Bannes c. concl. 4.*

5. Qui ligna cædit aut venatur in syluis iniustè prohibita non peccat, nec ad restitutionem aut pœnam soluendam ante vel post iudicis sententiam obligatur, quia cùm talis non peccet contra iustitiā, consequens est, quòd nec ante, nec post iudicis sententiam alicui restitutioni obnoxius sit. *Arragon 2. 2. qu. 62. art. 3. concl. 8. Rodrig. p. 1. sum. cap. 37. concl. 8.*

6. Qui cædunt ligna ex montibus vicorum conuicinorum, licet habeant alios montes in suis locis, ex quibus etiam prædicti vicini cæderint ligna, neque peccant, neque tenentur ad restitutionem, quia in hoc casu mutuo vsu tollitur obligatio restituendi: & solùm pœna incurritur à captis in furto. *Rodrig. in sum. tom. 1. c. 38. num. 5. Azor. 3. par. l. 5. cap. 17. Vasques de restit. cap. 5. dub. 1. §. 2.*

7. Qui emunt ligna ob inuasoribus alienarum syluarum in casibus, quibus huiusmodi fures lignorum a restitutione immunes sunt: ipsi etiam à restitutione excusantur: In casu autem, quo venditores ea teneantur restituere, & ipsi quoque emptores eadem ligna vel eorum valorem restituere obnoxij sunt, dummodo tamen venditores non sint soluendo, neque emptoribus innotescat; si enim venditores sint soluendo, tunc hæc vtiles consumptibilia, restitutioni in se & in specie non sunt obnoxia, sed valor eorum aut ab illis, aut ex illorum defectu ab emptoribus restitui debet; vt communiter docent Doctores de possessore male fidei. *Rodrig. p. 1. summæ cap. 38. conc. 6. Cordoba in summa qu. 71. Lopez p. 1. instruct. conscient. c. 149.* De quo verb. *Restitutio* 2. Vide *Dominus* 2. n. 12.

8. Quæ de syluis dicta sunt, etiam de pascuis gregum intelligi possunt; propterea, qui pecora sua in alienis pratis inuito Domino pascit, siue sint alicuius communitatis, siue personæ priuatæ, mortaliter peccat, nisi paruitas materiæ excuset, & ad restitutionem damni illati tenetur, sine vlla iudicis sententia, pœnam verò non nisi post iudicis condemnationē soluere obligatur. Qui verò pascit illa in pratis patētibus, ad restitutionē, non nisi post condemnationem iudicis tenetur. Ratio est eadem pratorū, ac syluarum, maximè cùm facilius crescant herbæ, quàm syluæ. Ita *Salon 2. 2. qu. 62. ar. 3. controu. 2. concl. 6. Bannes ibid. dub. 4. conc. 6. Lopez par. 1. instruct. c. 146.*

9. Potest Princeps, si ita expedire iudicauerit, statuere, vt collectis frugibus & fructibus, nullus prohibeat alij pastū in agris suis, dūmodo prædia & agri non sint vineæ, & oliuę & alia similia, quæ magnum detrimentum patientur, si quoad pastum omnibus essent communia. Ratio est, quia licet herbæ, quæ fixas habent radices in terris propriæ sint dominorum, ita vt eas vendere & locare possint, & consequen-

ter

ter alijs earum paſtum interdicere, quia tamen bonum commune præferendum eſt priuato, poteſt publica poteſtas contrarium ſtatuere, ſi eidem bono communi id expedire iudicauerit. Vnde multis in locis vſu receptum eſt, non poſſe priuatos Dominos prohibere alijs agrum tuum ad paſtum, conuertendo illum in prata, hoc eſt, in loca alijs ad paſtum interdicta, abſque licentia Regis. Vide plura de his apud. *Couarru. lib.q. practic. cap.* 37.

10. Quamuis Dominus alicuius loci & ciuitatis in paſcuis publicis ſui territorij iuriſdictionem ciuilem & criminalem habeat, nullum tamen ex hoc iure dominium in illis habet. Ratio eſt, quia huiuſmodi paſcua ad vniuerſitatem pertinent, & ſub eiuſdem vniuerſitatis dominio cenſentur: poterit tamen talis Dominus vti paſcuis publicis, vt incola illius loci, ſi illic habitet, abſque cuiuſquam eorum præiudicio & grauamine: Si autem damnum notabile in paſcuis aut ſyluis communibus dederit, ad reſtitutionem in conſcientia tenebitur, nec excuſabitur ex eo, quòd populus non petat, ob metum, neque ex eo, quòd damnum remittat, niſi remiſſio libera omninò ſit. Ratio eſt, quia ſi pro bono communi, cuilibet particulari & populari gregem ſuum ibi paſcere interdictum ſit, quare id licebit Domino populi cum detrimento Reipub. quæ hoc emolumento priuatur. Ita *Corduba in ſum. qu.* 118. *Lopez c. cap.* 150. *Molina de iuſt. tom.* 1. *tract.* 2. *diſput.* 59. *concl.* 4. & 5. *Couarr. c. cap.* 37. *num.* 1.

CHARITAS.

SVMMARIVM.

1. *Charitas quid ſit: & vt Deus poſſit amari ſuper omnia. Charitas hominis ad Deum dicitur amicitia.*
2. *Appretiatiuè tenemur amare Deum ſuper omnia, non verò intenſiuè.*
3. *Charitas eſt forma reliquarum virtutum.*
4. *Quanam opera hominis iuſti ſint vitæ æternæ meritoria:* Refertur quaduplex ſententia.
5. *An ſine in homine tam peccatore quàm iuſto, actiones indifferentes, ſecundùm meritum ac demeritum vitæ æternæ.*
6. *Ad promerendum ſingulis actionibus bonis augmentum gratiæ ac gloriæ æternæ, an ſufficiat ſe Deo ex charitate offerre in principio Anni, Menſis, Hebdomadis, Diei?*
7. *Nefas eſt diligere Deum principaliter & finaliter propter mercedem vitæ æternæ.*
8. *Præceptum de diligendo Deo ex toto corde, &c. an ſecundùm perfectionem in hac vita implere queat.*
9. *Quando obliget præceptum de Deo ſuper omnia diligendo.*
10. *Officium Parentum, Parochorum, Confeſſariorum eſt, admonere pueros ac rudes, vt in actionibus ſuis ad Deum tendant, tanquam finem vltimum.*
11. *Ex charitate nobis quatuor ſunt diligenda. Nempe Deus, nos ipſi, proximus, & corpus hominis.*
12. *An proximus ſit diligendus? & quis ille dicatur.*
13. *An teneamur ſpecialia benevolentiæ ſigna inimicis exhibere.*
14. *Quando peccet mortaliter qui inimicum ſalutantem non reſalutat.*
15. *An lege charitatis teneamur proximo remittere iniuriam, veniam petenti.*
16. *Quando inimicus veniam humiliter petit, an teneatur læſus actionem coram Iudice intermittere:* Refertur duplex ſententia.
17. *Quiſnam prius tenetur veniam petere, quando duo iniuriam ſibi inuicem intulerunt.*
18. *An ſit obligatio ſuccurrendi proximo verſanti in extrema neceſſitate ſpirituali, etiam cum vita aut facultatum periculo.*
19. *Vitam propriam poſtponere vitæ alienæ, an licitum ſit.*
20. *Abundantioris charitatis opus eſt, potiùs tolerare mortem proprium corporalem, quàm occidere iniuſtum aggreſſorem, ne in æternam damnationem ruat.*
21. *In grauiſſima & extrema neceſſitate communitatis tenemur ſubuenire etiam cum periculo vitæ, aut notabili damno famæ vel facultatum.*

22. *Quis ordo ſeruandus in dilectione Parentum.*
23. *An liceat operare aliquod malum corporale proximo ad ſalutem animæ.*
24. *Quorumnam maior habenda ſit ratio in ſpiritualibus auxilijs.*

1. CHaritas eſt *virtus Theologica, ſeu ſupernaturalis, qua Deus ſuper omnia diligitur*. Dicitur *virtus*, quia eſt habitus bonus, qui bonum efficit habentem, & opus eius bonum reddit; dicitur *Theologica ſeu ſupernaturalis*, quia verſatur circa obiectum bonum ſupernaturale, id eſt, circa Deum, & ob id dicitur virtus Theologica. Dicitur, *qua Deus ſuper omnia diligitur*; vbi notandum quòd Deus dupliciter poſſit amari ſuper omnia. Primò, *intenſiuè*, quando ſcilicet, actus amoris Dei eſt intenſior, vehementior & feruentior omni alio amore. Secundò, *appretiatiuè*, quando nempe Deus magis æſtimatur, quam æſtimentur cætera, ſeu quando præfertur cæteris. *D. Thom.* 2.2.q.23.*ar.*3.& q.24.*ar.* 2. & q. 25. *art.* 1. *Sylu. ibid. Filluc.tr.*22.*c.*9.*num.*266. *Malder.*2.2.q.23.*ar.*6. *Sanches l.* 2. *mor. cap.*35.*num.* 2. Rectè etiam charitas hominis ad Deum dicitur amicitia: ad quam quatuor requiruntur. *D. Thom. c. q.* 23. *ar.* 1. *Sylu. ibid. Primum*, vt ſit amor non concupiſcentiæ, ſic enim cum pane & vino, ac beſtijs eſſet nobis amicitia, ſed benevolentiæ, vt amico deſideremus bonum ipſius gratia. *Secundum*, vt ſit amor mutuus; nam ſine redamatione amicitia cõſiſtere nequit, cùm dicat aggregatum quid ex multis amoribus. *Tertium*, vt ſit aliqua conuerſatio inter ſe mutuò amantes, vel vt amor mutuus, nitatur aliqua communione bonorum quâ vterque amicus participet, vel communione ſanigunis, vel eiuſdem inſtituti, ſiue officij, vel virtutis. *Quartum*, vt hic amor mutuus non lateat ipſos amantes. Iſta quatuor in charitate ſunt. *Ariſtot. l.* 8. *Ethic. cap.* 2. *Toletus l.* 4. *c.* 8.*numer.* 2. *Becanus* 2.2. *c.* 18. *qu.* 3. *Tannerus* 2. 2. *d.* 2. *qu.* 2.*dub.* 1. *num.* 11.

2. Tenemur amare Deum ſuper omnia *appretiatiuè*, non verò *intenſiuè*. Ratio prioris eſt, tùm quia Deus eſt Summum bonum, ſummum autem bonum, eſt ſuper omnia diligendum, ergo: tum quia præceptum de aliquo virtutis actu, eſt etiam de intrinſeco illius actus modo: at intrinſecùs dilectionis Dei modus eſt, vt ſuper omnia ſaltem appretiatiuè diligatur. Nullus enim amor alius erit Deo proportionatus, vtpote qui vltimus noſter finis, ſupremumque noſtrum bonum eſt. Ratio poſterioris eſt, quia alioqui homo ſæpe eſſet perplexus: Sæpe enim neſcit, an maiori intenſione diligat Deum, quàm proximum: & hinc ſequeretur illum maximis vexari ſcrupulis dubitando, an actus ſit ſufficienter intenſus & vehemens. *Suares de pœnit. diſput.* 4 *ſect.* 4. *numer.* 7. *Reginald. l.* 17. *num.* 97. *Navarr. in Man. cap.* 1. *numer.* 4. *Toletus l.* 4. *cap.* 9. *numer.* 6. *Sanches l.* 2. *moral. cap.* 35. *Azor. tom.* 1. *l.* 9. *cap.* 4. *qu.* 3. *Bonacina to.*2.*d.*3.*q.*4.*p.*1. *num.* 2. *Tanner.* 2.2. *diſp* 2. *q.* 3. *dub.*2. *num.* 23.

Propterea magis tenemur Deum obiectiuè diligere quàm proximum, ſimiliter & appretiatiuè. Prob. prior pars, quia longè ſublimiora bona debemus Deo deſiderare, quàm proximo, illi enim volumus infinitã maieſtatem, & omnem perfectionem poſſibilem, huic autem bona eius conditioni & ſtatui accommodata. Prob. ſecunda pars, quia tenemur pluris æſtimare maieſtatem diuinam, quàm vllam omninò creaturam, cùm ſit inter illas infinita diſtantia. Vnde quoties occurrit articulus neceſſitatis, vt aut Deus deſerendus ſit, aut proximus: tenemur ſub peccato mortali relinquere proximum, etiam coniunctiſſimum; & facere Dei voluntatem, *D. Thom.* 2. 2. *qu.*26. *art.* 2. *Sylvius ibid. concl.* 1. & 2. *Becanus* 2.2.*de charitate, cap.*19.*qu.* 1.

Similiter lege charitatis, tenemur Deum magis diligere quàm noſipſos; quod probatur ex præcepto charitatis, vbi Deus amari iubetur ex toto corde, & ex tota fortitudine, & dicitur eſſe primum & maximum mandatum. Deinde Deus diligendus eſt tanquam primum & ſummum bonum: homo autem non ſic poteſt ſeipſum diligere, ſed ſolùm vt boni illius particeps fiat. *D. Thom. c. a.* 3. *Sylvius ibid.*

Aduertendum tamen, quòd hæc dilectio Dei ſuper omnia non dicit, nec requirit actualem comparationem Dei cum rebus cæteris, vt nempe quis expreſsè ſtatuat, potiùs quodlibet malum pati, ſeo quauis alia re carere, quàm aliquid contra Deum, aut eius amorem admittere, qui, tametſi comparatiuus ille affectus ſit ſufficiens ſignum amoris Dei ſuper omnia, non tamen eſt neceſſarius, nec adeò

ſemper præſens, quoties Deus amatur ſuper omnia, *Vaſq.* 1.2. *diſp.* 194.*num.*14. *&* 16. *Tanner.*2.2.*diſp.*2.*q.*3. *dub.* 3.

3. Charitas inter omnes virtutes excellentiſſima eſt, & forma reliquarú virtutũ, puta fidei, ſpei, tẽperantiæ, iuſtitię, &c. *Prius probatur*, tum quia eſt in nobiliori ſubiecto; tum quia modo excellentiori Deum poſſidet. Patet 1. ad Corinth. 13. *Maior horum eſt charitas.* & ad Coloſ. 3. *Super omnia hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis:* tum quia nobiliſſimo modo Deum attingit, quo in hac vita attingi poteſt, diligens illum propter ipſum, ſine vllo reſpectu ad proprium commodum. *Poſterius probatur:* quia in moralibus id vocatur forma, quod dat ordinem ad finem, qui eſt actuum humanorum obiectum & quaſi forma: ſed charitas dat actibus aliarum virtutum ordinem ad finem, imò ipſos ordinat ad finem vltimum: ergo eſt ipſorum forma. Ex quo collige finem duplicem eſſe, proximum, nempe: qui continet intrinſecam honeſtatem virtutis, v. g. in fide reuereri authoritatem diuinam, &c. & vltimum, qui continet æternam fœlicitatem. Charitas itaque non tribuit virtutibus intrinſecam honeſtatem, quia habent illam ex propria ratione, ſed confert illis vim merendi vitam æternam, ac propterea ſine charitate poſſunt eſſe verè virtutes, non tamen viuæ, nec hominis, quatenus is conſideratur, ſicuti à Theologo conſiderari debet, cum ordine ad ſupernaturalem beatitudinis finem. *D. Thom.*2.2.*q.* 23. *a.* 6.7.*&* 8. *Sylu. ibid. D. Bonauen. in* 3. *diſt.*36. *art.*1.*qu.*6. *Tannerus* 3. 2.*diſp.* 2.*q.*3. *dub.*1. *nu.*23. 26.*&* 27. *Layman l.*2. *tr.* 3. *cap.* 1. *num.* 1.

4. Controuerſia eſt inter Doctores, quænam opera hominis iuſti ſint vitæ æternæ meritoria? Quidam enim arbitrantur hominem in gratia Dei conſtitutum & habitu charitatis præditum, quibuſcumque bonis operibus ex condigno mereri gratiæ augumentum & vitam æternam. Ita *Vaſq.* 1. 2. *diſp.* 127. *c.* 4. contra communem. Altera ſententia eſt: quòd homo iuſtus, quibuſcumque bonis operibus, ex condigno mereatur gratiæ & gloriæ augmentum, modò procedant ex motiuo aliquo ſupernaturali, v. g. fidei, aut ſpei Theologicæ quamuis nullus charitatis actus antecceſſerit. Ita *Suarez de gratia diuina l.*11.*c.*8. *&* 9. *de fide diſp.* 6. *c.*7.*num.*16. probabiliter. Tertia ſententia eſt, quod primus & vnicus actus charitatis, quo homo ſe & omnia ſua, etiam conſequentia opera, in Deum refert, tanquam ſummum bonum & vltimum ſupernaturalem finem ſuum, ſufficiens ſit, vt ſequentibus bonis operibus in gratia Dei factis, vim merendi tribuat, tametſi ab eo nullo modo, nec elicitiuè, neque imperatiuè procedant. Ita *Scotus l.*3. *de natura & grat. c.*4.*Valent.*1.2. *d.*8.*q.*6.*p.*3. *Medina* 1.2.*q.* 114. *art.* 4. & hæc ſententia eſt probabilis. Verior tamen & communior opinio eſt, nullum opus hominis iuſti meritorium eſſe gloriæ æternæ, & augmenti iuſtitiæ in hac vita, niſi vel eliciatur à charitate, vel ab eadem imperetur, atque in Deum vti finem vltimum ſupernaturalem referatur, ſiue id fiat per præſentem charitatis actum, quod eſt actualiter referri, ſiue per præteritum, charitatis actum, quod eſt virtute referri: vnde ſi opus hominis iuſti, ſit tantùm moraliter bonum, neque actu, neque virtute referatur in Deum tanquam authorem gratiæ, ſed ex naturali tantùm ratione vel honeſtate factum, non eſt meritorium vitæ æternæ: Quia quamuis eiuſmodi opus fiat aliquo modo propter Deũ, ideò enim habet moralem bonitatem, imò & propter Deum, qui ſupernaturaliter eſt cognitus; non fit tamen propter Deũ vt authorem gratiæ, ſed ex merá naturali vel etiam politica, ſeu ciuili honeſtate, atque adeò per ſolas vires naturæ: ergo non poteſt eſſe meritorium præmiæ ſupernaturalis, quale eſt vita æterna; cum ex ſolis naturæ viribus, non poſſit quis mereri eiuſmodi præmiũ. Ita *D.Tho.* 1.2.*q.*14.*art.*4.*&* 2.2.*q.*23.*a.*8. *ad* 3. *Scotus in* 2.*d.ſt.*41. *Bellar.l.*5.*de iuſtific.c.*15. *Sylu.* 1.2 *queſt.* 2. *Layman l.*2.*tr.*3 *c.*1 *n.*2. *Maider.* 1.2.*qu.*114.*art.*2. *dub.*7. *Tanerus* 1. 2. *diſp.*6. *q.*6. *dub.* 4. *aſſert.* 3. ex quorum fundamento proximas illationes recenſemus.

5. Quamuis nullus actus planè rationalis ac deliberatus in individuo indifferens ſit, ſecundùm rationem bonitatis ac malitiæ moralis, vt docent. *D.Tho.* 1.2.*q.*18.*art.*9. *Syluius ibid. Durandus in* 2.*diſt.*40.*q.*1.*&* 2. *Layman c.n.*4.*v. Actus humanus* 4.*n.* 4. *ſunt tamen* in homine tum peccatore tum iuſto, actiones indifferentes ſecundùm meritum ac demeritum vitæ æternę, vt dictum eſt ſuprà, quando nempe homo opera bona virtutum exercet, ſine vlla ſeu actualiter præſente, ſeu præterita & virtualiter manente charitatis relatione in Deum: Attamen tum iuſti, tum peccatores poſſunt per opera moraliter bona, de congruo mereri bona temporalia. Attentà enim Dei bonitate & liberalitate, congruum videtur, quòd operibus moraliter bonis, bonum aliquod reddat eiuſdem ordinis; vt ſignificant. *D.Thom. in qq. diſput.q.de miraculis, q.* 6.*ar.*9. *&* 1. 2. *q.*114.*art.*10. *Tolet.l.*4.*c.*8.*num.* 7.

6. Ad promerendũ ſingulis actionibus bonis augmentum gratię ac glorię æternæ, nũ ſufficit homini iuſto, quòd principio anni, menſis, hebdomadis, diei, totum ſe Deo ex charitate offerat, cum propoſito omnia ad ipſius gloriã operãdi, ſed neceſſe eſt, vt propoſitũ hoc efficax ſit, id eſt, verè cauſa operum ſubſequentiũ exiſtat: cum fieri ſoleat, vt poſteà multa agat, nõ vi eius propoſiti, ſed ex motiuo merè humano, aut etiã moralis ſolùm honeſtatis. Propterea imperium charitatis virtuale quod requirunt. *D. Bona.in* 2.*diſt.*41.*a.*4.*q.*1. *D.Tho.* 1. 2.*q.*11.*ar.* 4. *Sylu.ubi.quæſt.*2.*cõcl.*2. *Layman c.n.*5. *Bellar.lib.*5. *de iuſtificat. c.*15. *Medi.* 1.2.*q.*114.*ar.*4. *Tanner.*1.2.*diſp.*6.*q.*6.*dub.*4.*n.*89. tanquam neceſſarium, vt aliarum virtutum actus poſſint eſſe meritorij, non eſt aliud, quàm actus voluntatis, quo ipſa per charitatem informata, & à Deo per gratiam mota illos actus imperat, ipſos ordinando in finem charitatis, hoc eſt, in honorẽ & gratiã Dei: Hinc omnia quarumcunque virtutum opera, quæ ab homine iuſto fiunt per auxilium gratiæ, poſſunt dici ex aliquo imperio charitatis fieri: cuncta enim eiuſmodi opera non fiunt, niſi voluntate (per charitatem informata, & à Deo per gratiam mota) volente vt fiant, & vel explicitè vel implicitè, ordinante ſeu referente illa in finem charitatis.

7. Nefas eſt ita diligere Deum propter mercedẽ vitæ æternæ principaliter & finaliter, vt vita æterna vel cõſtituatur finis omninò vltimus noſtræ dilectionis, vel ſic propter eã diligamus Deũ, vt aliàs non eſſemus eum dilecturi. Ratio prioris eſt, quia Deus debet eſſe noſter finis ſimpliciter vltimus; quamuis autem noſtra vita æterna conſiſtat in Deo ſicut in obiecto beatitudinis: ipſa tamen Dei viſio, fruitio, & comprehenſio non eſt Deus, ſed aliquid creatum. Ratio poſterioris: quia cũ Deus ſit ſummè bonus, & propter ſe ſummè amabilis; debemus eum diligere propter ſe, etiam dato quòd nobis nihil commodi proueniret ex eius dilectione: vnde talis amor mercenarius eſt, cuius ratio finalis ac principalis eſt, vt merces acquiratur; quare qui ita Deum diligit, plus ſe, quàm Deũ diligit. *Sanches l.*2.*mor.c.*35.*n.*3. *Toletus l.*4.*c.*9.*n.*4. *Layman l.*3.*tr.*3.*c.*2. *n.*4. *Sylu.*2.2.*q.*27.*art.*3. *Tanner.*2.2.*d.*2.*q.*4.*dub.*1.*n.*8. *&* 9. *Navarr.in Man. c.* 11. *nu.* 20. *Sylueſt.v.charitas, q.* 7. Tamen fas eſt Deũ diligere propter mercedem vitę æternæ, tanquam finem minus principalẽ & cauſam impellentem: quia vita æterna eſt à Deo conſtituta merces ac finis bonorum operum: iuxta illud 1. *Petri* 1. *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum*, Imò de fide eſt, ſicere Deo ſeruire, ſiue ipſum diligendo, ſiue alia virtutum opera exercendo, propter mercedem, ſeu intuitu mercedis æternæ; vt docet & definit Concilium Tridentinũ *ſeſſ.*6.*c.*11. *&* can. 31. *Si quis dixerit iuſtificatum peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, Anathema ſit.*

8. Negant ſectarij præceptum de dilectione Dei poſſe in viâ impleri, quia quantumcumque aliquis ſit iuſtus, non viuit abſque peccatis venialibus: hæc autem dum committit, non ex toto corde Deum diligit. *Nihilominus de fide* eſt, præceptum de dilectione Dei poſſe in hac vita impleri; & quidem ita perfectè, vt præſtetur totum id quod à nobis Deus per illud exigit. Quia in Scriptura multi dicuntur impleuiſſe hoc mandatum; ergo poteſt impleri. Nam de *Dauide* dicit 3. Reg. 14. *quod ſecutus eſt Dominum in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu eius.* Ipſe etiam *David* dicit de ſeipſo. Pſalm. 118. *In toto corde meo exquiſiui te.* De *Ezechia* 4. Reg. 20. dicitur quòd *ambulauerit coram Deo in veritate & corde perfecto.* Quare nobis viatoribus non præcipitur, vt ſemper ſine intermiſſione ſimus quaſi abſorpti in Deum (nam hoc reſeruatur patriæ) ſed vt non violemus amicitiam diuinam, ſeruantes mãdata, quæ obligant ſub peccato mortali: vt ipſe Dominus interpretatur. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Licet enim iuſtus qui venialiter peccat, non diligat Deum, illo ipſo actu quo peccat: non tamen eſt tranſgreſſor huius præcepti; quia habitualiter diligit Deum ex toto corde, cùm ipſum pro fine vltimo retineat, nihilque admittat quod habitualem eius dilectionem excludere poſſit. *D. Auguſt. lib. de perfect. iuſtit. reſp. ad* 16. *D. Thom.* 2.2.*qu.*44.*a.*6. *Sylu. ibid. D. Bonau. in* 3.*d.*27.*art.*2.*q.*6. *Layman l.*2. *tr.*3. *cap.* 2. *numer.* 5. *Valent. tom.*3.*diſp.*3.*q.*19.*p.*1. *Molina tr.*5.*de iuſtit.diſp.* 59.

9. Præ-

9. Præceptum charitatis continet affirmationem & negationem: affirmationem principaliter, quia nimirum vult elici actum amoris ſupernaturalem: Negationem ſecundariò; quia vetat quidquid hanc dilectionem euertit, vt ſunt omnia peccata mortalia. Et ratio eſt, quia omne præceptum affirmatiuum virtualiter prohibet quidquid impedit executionẽ operis præcepti; nam qui præcipit finem, præcipit & media neceſſaria ad finem. Quatenus igitur hoc præceptum negatiuum eſt, de non odiendo Deo, nihilque agendo, quòd eius dilectioni & amicitiæ contrarium ſit, ſemper obligat, & ad ſemper: quia nunquam licet odiſſe Deum. *Sylu.* 1.2.q.100.*art.* 7. *Toletus lib.* 4.*c.* 9. *num.*9. *Bonac.to.*2.*diſp.*3.*q.*4.*p.*2. *D.Tho.*1.2.q.100.*ar.*10.*ad* 2. *Layman.l.*2.*tr.*3.*c.*2.*num.*6.

De præcepto autem affirmatiuo de Deo ſuper omnia diligendo, quando obliget, varij variè ſentiunt. Quibuſdã enim videtur hoc præceptum eſſe implendum diebus feſtis. Ita *Scotus in* 2.*diſt.* 27. *Angelus, Tabiena v. Feria.* Sed hoc, quia nulla firmá ratione nititur, ex communi ſententia reijcitur. Item dum baptiſmus ſuſcipitur, vel ſingulare beneficium à Deo confertur. Ita *Valentia c.q.*19.*pu.*1. *Sotus l.*2.*de iuſtit.q.*3. *art.* 10. *Nauarr.in Man. cap.* 11. *num.*7. Sed hoc velut ſine ſufficienti ratione dictum, ab alijs non recipitur. Sufficit enim ad baptiſmum attritio, & pro beneficio, gratiarum actio. Item quando honor Dei, aduerſus blaſphemantes defendendus eſt. Sed cùm is actus ad religionem ſpectet, cur actum illum amoris exigat, non apparet: vnde in eo euentu potiùs virtus religionis obligat, quàm virtus charitatis.

Dicendum ergo eſt per ſe obligare. *Primò*, in articulo mortis: quia tunc non amare Deum, quando & eius amor maximè neceſſarius eſt ad ſe muniendum pro fœlici exitu, ad contemptum pertinet, *Secundò*, quando primùm poſt rationis vſum quis animaduertit rationes, quibus ad amandum Deum ſuper omnia, ſuaque omnia ad Deum referenda meritò moueri poteſt, aut ſane paulò poſt. Ratio eſt, quia vtroque hoc tempore, opus eſt, vt affectus cum Deo vniatur, præſertim quando eodem tempore ſimul obligat præceptum perfectæ contritionis. *Tertiò*, certum eſt etiam hoc præceptum ſæpius in vitá per ſe obligare; quamuis incertum ſit, quibuſnam præciſè temporibus obliget. *Suares to.*3.*diſp.*69.*ſect.* 3. *Sylnius* 2.2. *q.*44.*art.*6.*quæſit.*3. *Henriq.l.*4.*de pœnit.c.*3.*§.*4.*& l.*8.*c.*4. *Filliuc. tr.*22.*c.*9.*q.*8. *Diana p.*5.*tr.*14.*reſol.* 105. Propterea prudenti iudicio opus eſt ad iudicandum, an per nimis longum tempus fuerit quis ſine Dei dilectione; vt tradunt. *Bannes* 2.2. *q.* 44.*a.* 1.*dub.*1. *Azor. tom.* 1.*l.*9.*cap.* 2. *Emmanuel Sá v. charitas, numer.* 1.

Hoc præceptum per accidens obligat, quando actus ille dilectionis Dei ſuper omnia, ad aliud quoddam opus, vel alterius virtutis actum exercendum neceſſarius eſt: puta quando eſt periculum mortis ſpiritualis: vel tempus eſt vſus Sacramentorum actiuè & paſſiuè, quæ requirunt hominem in gratia; vel quando eſt tempus in quo quis obligatur ad habendam contritionem; vel in quo quis obligatur ad exercendum aliquod opus ex præcepto; v. g. ſi martyrium ſubeundum eſſet. *Sanch. l.*2. *moral. c.* 35. *num.*9. *Bonac. to.*2. *diſp.*3.*q.*4. *p.*2. *num.* 2. *Filliuc. tra.* 22. *c.*9. *qu.* 9. Aduertit tamen *Sylu. c. quæſit.* 3. in his caſibus hoc præceptum vel omnino non obligare vel non obligare per ſe, ſed ratione alterius; ac proinde eius omiſſionem non eſſe peccatum ſpeciale. Ita etiam tenet: *Tanner.* 2.2.*diſp.*2.*q.*4.*dub.*4. *num.*83.

10. Quandoquidem probabile ſit præceptum charitatis & dilectionis Dei obligare paulò poſt vſum rationis, vt dictum eſt, quando ſcilicet quis aduertit & ſecum reputat rationes quas habet amandi Deum ſuper omnia ei ſeruiendi, & ſua omnia ad eius gloriam referendi, vt colligunt *Sotus l.* 1. *de natura & gratia, c.*22. *Nauar c.*11.*num.*8. *Bannes* 2.2.*q.*10.*art.*1.*dub.* 2. *D. Tho.*2.2.*q.*89.*art.*6.*ad* 3. *Layman.l.*2.*tr.*3.*c.* 2. *num.*6. Ideò Parentes, Parochi, confeſſarij pueros ac rudes admonere debent, vt cogitent à quo creati, & cur in hoc mundo poſiti ſint, nimirum, vt Deo rerum omnium auctori ac Domino ſeruiant, ad ipſum tanquam finem ſuum actionibus tendant, cui in perpetuum vniti eſſe debent.

11. Secundum *D. Tho.*2.2.*q.*25.*art.*12. *D.Aug.lib.*1.*de doctrina Chriſt.c.*23.*&* 26. *Sylu. Malder.ibid. Layman lib.*2.*tr.*3.*c.*3.*n.* 1. *Richard.in* 3.*diſt.*28.*art.*1. *Gabriel ibid. quæſt. vnica Tannerus* 2.2.*diſp.*2.*quæſt.*3.*dub.*1.*numer.*5. *Filliuc.tract.*28.*numero* 8. quatuor ex charitate nobis diligenda ſunt, hoc ordine: primum eſt ſupra nos, Deus: Alterum ſumus, nos ipſi. Tertiũ eſt iuxta nos, proximus. Quartum eſt infra nos, corpus hominis: quia charitas amicitia fundatur ſuper communicatione beatitudinis: in quá beatitudine vnũ conſideratur vt eius principium, ſcilicet Deus; ſecundum vt directè illam participans tanquam vnum nobiſcũ, & hoc eſt noſtri ſecundũ animam; tertium vt directè participans tanquam nobis conſociatũ in beatitudine, & hoc eſt proximus: quartum, vt beatitudinem participans non directè, neque per modum conſociationis, ſed per redundantiã; & hoc eſt corpus noſtrum. Ordo autem diligendi ex charitate ita obſeruandus eſt, vt quiſque, *Primò*, omnium ac maximè diligat Deum tanquã fundamentum & cauſam omnis bonæ ac ordinatæ dilectionis. *Secundo*, ſeipſum ſecundùm bona ſpiritualia, *Tertiò*, proximum ſecundùm bona ſpiritualia, *Quarto*, ſeipſum ſecundum bona corporis. *Quinto*, proximum ſecundùm bona corporis; deinceps ſeipſum ac proximum ſecundùm externa bona.

An autem dilectioni corporis, non repugnet caſtigatio eius moderata & rationabilis? Reſpond. negatiuè; quia corpus eſt inſtrumentum ſpiritus ad procurandam ſalutẽ, ac proinde ita gubernari debet, ſicut expedit, maximè ad conſequendum finem noſtrum: Sic Apoſtoli, & omnes ſancti fecerũt, non odio moti in corpus, ſed potiùs deſiderio ſalutis eius. Imò hæc carnis caſtigatio ſubinde ad verum corporis amorem ſpectat, ſicut ad amorem filij debita diſciplina. *D.Tho.c.ar.*5. *Sylu. Malderus ibid. Tanner.c. num.* 5.

12. De fide certum eſt, proximum, id eſt, homines capaces beatitudinis, ſiue iuſti ſint, ſiue iniuſti, fideles, aut infideles, amici aut inimici, diligendum eſſe; vt patet Deuteron. 5. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* & Ioannis 13. *Mandatũ nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Hic tamen amor nõ excludit odium ſanctum erga peccatores, quà tales ſunt; quia in peccatoribus duo poſſunt conſiderari & quòd ſunt homines, & quòd peccatores: quatenus homines, hoc eſt, ſecundùm naturam quam à Deo habent capacem æternæ beatitudinis; debemus eos diligere; quatenus peccatores, non debemus eos diligere, ſed odiſſe: nam culpa ſecundùm quam dicuntur peccatores, contrariatur Deo, & eſt impedimentum beatitudinis: & hoc ipſum, odiſſe peccatorem, vt peccatorem, id eſt odiſſe peccatũm eius, ac nobis diſplicere quòd peccet, eſt charitatis: nam ex amore proximi prouenit odium illius, quod ei malũ eſt. *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 25. *ar.* 6. *&* 1. *Sylu. Malderus, ibid. Reginald. lib.* 17. *num.*99. *Azor.*2. *p.l.*12. *c.* 5. *qu.*5. *Filiuc. tr.*28.*c.*1. *num.* 15. *Layman l.*2.*tr.*3.*c.*4.*num.*1. *Bonac. tom.*2. *diſp.*3. *qu.*4.*p.* 3.*num.*1. *Tolet.l.*4.*c.*11.*num.*1.

13. De neceſſitate charitatis eſt, vt inimici diligantur, in quantùm homines ſunt; capaces, ſcilicet, æternæ beatudinis: Certum eſt etiam in veteri lege obligaſſe præceptum de diligendis inimicis; licet non fuerit ita clarè explicatum, ſicut in noua: nihil enim eſt in veteri, niſi de ope ferenda inimico in neceſſitate, aut de non expetenda vindicta, aut de non gaudendo ſuper ruina eius: in nouâ autem abſolutè & expreſsè dicitur diligendos eſſe inimicos corde, benefaciendum eis opere; iuxta illud Matth. 5. *Diligite inimicos veſtros, & benefacite his qui oderunt vos.* Orandum pro eis ore. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, Vnde hoc præceptum diligendi inimicos eſt natulare, non poſitiuum, ac proinde in omni lege locum habuit: Ratio eſt, quia contra rectam rationem eſt, odiſſe naturam propter culpam, & opus Dei, propter opus hominis: vt colligitur ex illa regula Tobiæ 4. *quod ab alio oderis fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Confirm. ex communi ſententia Theologorum, qui docent in lege Euangelica, nullum eſſe præceptum poſitiuum præter præcepta fidei, & Sacramentorum. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 25. *art.*8. *Sylu. Malder. ibid. Bonacina c. nu.*2. *Layman c. nu.*1. *D. Bonau. in* 3. *diſt.* 28. *a.*1. *qu.*3. *Valentia tom.*3. *diſp.*3. *qu.* 3. *p.* 2. *Filliuc. c. num.* 15.

Quomodo autem inimici ſint diligendi, dicendum eſt. *Primò*, peculiari beneuolentia inimicos proſequi, conſilium eſſe non præceptum: quia non tenemur eos magis diligere, quàm alios proximos; vnde ſufficit, vt eos à cõmuni affectu non excludamus. Quamquã perfectionis ſit ita ſe ſuperare, vt etiam ſingularem beneuolentiam illis impendamus, exemplo Chriſti Domini qui pro ſuis crucifixoribus orauit. *Secundo*, ſigna & argumenta dilectionis communia, neceſſario debent inimicis exhiberi, non autem ſpecialia, niſi in præparatione animi, aut reipſá in caſu neceſſitatis. Ratio eſt, quia videlicet ſufficit, vt dictum eſt, eos communi proximorum loco habere,

nec excludere eos à communibus beneficijs. *D.Tho. sum. c. ar.9. Sylu.ibid.concl.1.2.& 3.Cant.Malderus ibid.D.Reginald.in 3.disp. 30.art.1.q.5.Nauarr.in Manic.14.num.25.Tolet. lib.4.c.10.nu.9. Tanner.2.2.d.2.q.3.dub.1.num.6.& 9.*

Vnde per se loquendo non tenemur salutare inimicum cùm nobis occurrit; tamen ratione scandali vitandi, vel quando speratur ipsius reconciliatio, & depositio odij per salutationem, teneremur inimicum salutare aut alloqui familiariter. Ratio est, quia quilibet tenetur scandalum & proximi ruinã euitare, quoties potest absque suo graui detrimento: extra quem casum nulla esset obligatio salutandi, cùm salutare sit speciale signum benevolentiæ, quod non tenemur erga alios exhibere. *Bannes 2.2.q.5.disp.1.Layman l.2.tr.3.c.4.nu.2.Syluester.v.Charitas q.6.Nauarr.c.nu.25.Reginald.l.17.nu.124.Filliuc.tr.28.ca.1.nu.19.& seq.Sylu.c.in conc.2.*

14. Qui inimicum salutantem nõ resalutat, mortaliter peccat, quoties inde sequitur scandalum, aut quoties notabilis contemptus existimatur spectata circumstantia temporis, loci, personarum, & consuetudine patriæ: & hoc verum, si ille qui salutatur ab inimico, non sit longè superioris conditionis; quia regulariter sequi solet magna contristatio in eo, qui sibi salutanti, cognouit salutationem denegari. Si verò est longè superioris conditionis, vt si Prælatus, vel Pater, vel vir nobilis respectu plebei, non videtur peccare mortaliter, non resalutando; quia respectu illius, denegatio salutationis non adscribitur contemptui, nec inde scandalum oriri videtur. *Malder.2.2.q.25.a.9.ad finem.Reginal.l.17.num. 124.* Monet tamen *Sylu.2.2 q.25.a.9.cõc.2.ad fi. Fill. c.n.21.Bon. to.2.d.3.q.4.p.3.n.4. Sylueſt.v.Charitas,q.6.* cauendum, ne in annos, imo nec in multos menses differat Superior, Pater, aut nobilis resalutationẽ, seu signum aliud benevolentiæ; partim ne exasperet ac obduret eum quem voluit, ad emendationem inducere; partim ne affectu odij facere conuincatur, quod prætexebat se bono fine facere; vide *Layman* c.num.4.

An autem peccet mortaliter, qui pluribus simul occurrens, omnes salutat præter inimicum? Affirmant *Sylueſt.c.q.6. Filliuc.c.nu.21. Bannes 2.2.q.25.art.9. Bonacı.c.n.4.* quia in tali euẽtu negare videtur signũ vniuersale charitatis & videtur adesse notabilis contemptus aut scandalum. Verumtamen etsi frequenter ita accidat, nihilominus bene ponderanda est magnitudo scandali & intentio personæ, vt docent *Larca 2.2.q.25. a.9.sect.3.disp.25.memb.3.nu.30.* & post illũ *Sylu.c.conc.2.* si enim vel nullum vel paruum sit scandalum, & persona non ex odio, sed in significationem grauaminis quod accepit, vt alter deinceps melius caueat ipsum offendere, hoc agit: non videtur saltem mortaliter peccaret. & huic sententiæ videtur adhærere. *Diana p. 2.tr.1.resol.62.*

15. Lege charitatis tenemur proximo remittere iniuriam, maximè veniam petenti. Nota tamen in hoc negotio tria posse considerari, *malevolentiam, signa malevolentiæ, damnum, vel iniuriam illatam. Primum* est necessariò remittendum, hoc est, odium numquam est admittendum in cor nostrum, vel si crepserit, statim est ejiciendum, iuxta illud. Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Secundum,* tunc est necessarium, quando ex huiusmodi omissione, prudenter colligeretur odium & inimicitia, vt si quis ex animo veniam petenti, nollet condonare, aut signa benevolentiæ ostendere, quod est contra illud Lucæ 17. *Si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens, pœnitet me, dimitte ei. Tertium* non est necessariò remittendum, quia licet vnicuique ius suũ legitimè persequi & petere satisfactionẽ, vel restitutionẽ *D.Tho.2.2.q.83.art. 8. in corp. Sylu. 2. 2.q.25.a.9.in concl. 3. Sylueſter v. Charitas, q. 6. Bannes c.dub. 4. Valentia to.3.disp.3.q.3.p.2 Layman l.2.tr.3.c.4.num. 3. Bonac.c. num.5.Tolet.l.4.c.10.num. 12. Tanner. 2.2.disp.2.q.3.dub.1.nu.8. & 10. Filliuc. c. num. 21.* Cauendum tamen est, ne proximus nimiùm prematur, neve cum magno suo detrimento, cognatus exiguo damno satisfacere, id enim esse contra charitatem. Dixi, *maximè veniam petenti;* quia si non petat, non teneor saltem sub mortali peculiarie benevolentiæ signa illi ostendere, aut illum mihi reconciliare. Nota tamen circa hæc externa reconciliationis signa, nec eadem, nec eodem modo omnibus esse exhibenda: alia enim filius patri, seruus Domino, plebeius nobili, alia pater filio, Dominus seruo, nobilis plebeio exhibere debent: quamuis semper requiratur, vt sufficienter ostendant animum benevolum, & compensationem iniuriæ illatæ, ac propterea prudenter consideranda est qualitas iniuriæ & conditio personarum; vide *P. Nauarr. l.2.de restitutione cap.4.num. 102.*

16. Satis probabile est læsum non teneri actionem coram iudice intermittere, etiamsi inimicus veniam humiliter petat, & satisfactionem sufficientem offerat pro iniuria illata. Ratio est, tum quia in pari causa nemo tenetur suum commodum commodo proximi, etiam amici, postponere: tum quia non tenetur magis hanc satisfactionem, quàm aliam acceptare; vnde læsus deposito odio & præciso graui lædentis damno petere potest à Iudice, vt sibi cõpensatio iuridicè fiat. Ita *Valentia c. p. 3. Reginald. l. 17. c. 12. nu. 116. Tanner. c. dub. 3. num. 10.*

In praxi tamen contrarium est consulendum, nisi necessaria sit iudicis actio ad consulendum honori, vel damno illius qui læsus fut: tum quia pauci actionem iniuriarũ prosequuntur, deposito omni odio & vindictæ affectu: tum quia hoc est conforme consilio Christi. *Si quis te percusserit in maxillam,* &c. Ita *Sylueſt. v. Charitas q. 6. Malder. c. a. 9. ad finem Filliuc. tr. 28. num. 25. Sylu. c. artic. 9. in concl. 3. Layman l. 2. tr. 3. c. 4. num. 3.* & hæc sententia maximè est suadenda quando agitur de satisfactione per pœnam capitis, abscissionem membri vel aliam similem, ex qua nihil emolumenti prouenit læso: quia vix est quod tunc exigatur absque appetitu vindictæ: In casu tamen quòd familia offensi maneret infamis, licet pœnam iuridicam exigere; si id necessarium sit, ad tollendam infamiam: quod etiam admittit *Tanner. c. num. 11.*

17. Quando duo iniuriam sibi inuicem intulerunt, per se loquendo & cæteris paribus, ille priùs tenetur veniam petere & reconciliationem, qui priùs offendit; quia is qui priùs læsus fuit, acquisiuit ius petendæ satisfactionis; & sic æquitas, & iustitia postulare videtur. Per accidens tamen fieri potest vt non teneatur: puta si titulo compensationis iniuriam alteri illatam resarcire nolit, prævidens fore, quòd petita venia & data satisfactione, alter nolit eam sibi rependere: vel si cætera non sint paria; puta, quia longè superioris est conditionis, vel delicta non sint paria *Azarius 2. p. lib. 12. quæst. 10. c. 5. Reginald. l. 17. num. 125. Nauarr. in Man. c. 14. num. 25. Filliuc. tr. 28. num. 27.*

18. Lege charitatis non tenemur vitam exponere pro salute proximi, nisi in extrema necessitate. Est sententia communis: quia non tenetur homo summum bonum corporale amittere, nisi proximi salus versetur in extremo discriminet aliàs lex illa nimis esset dura, nec ab omnibus promiscuè obseruari posset: tunc autem censetur quis esse in extrema necessitate spirituali, quando sine nostro auxilio non potest saluari; v. g. si infans sit proximus morti, & nisi succurram, sit moriturus sine Baptismo. Nota tamẽ eos qui ex malitia se exponunt periculo æternæ damnationis, non censeri in extremo discrimine; vt qui vadunt ad bellum iniustum, qui ineunt duellum, &c. quia facilè possunt aduertere suam necessitatem & ab ea se liberare. Ita Doctores inf. citati, quorum sententiæ aduersatur *Sanctus in selectis disp. 10. nu. 9.* docens, nos teneri ob propriam vitam conseruandam damnum spirituale proximo non inferre, non autem illud impedire, nisi intercedat conuentio. Vnde Doctores indistinctè loquentes de obligatione diligendi vitam spiritualem proximi, posthabita propria corporali, aberrant lanè, & quod ipsi nequaquam exequerentur, cæteros exequi obnoxios esse docent. *D. Tho. 2.2. q.26.art.5. ad 3. Sylu ibid.concl.1. Malder.ibid. assert.1.& 2.Nauarrus in Man. c. 24. num.10.Valent.2.2.disp.3.q.4.pu.3. Diana p. 5.tr. 13. resol. 24. Bannes 2.2.q.26.art.5.Arragon.ibid. Tanner.2.2.d.2.q 3.dub. 4. numero 60. Filliuc. tract.28.numero 35.* cui adde Emmanuelem *Sa v. charitas num. 4.* Alioqui & mater grauida teneretur permittere se secari vt fœtus baptizaretur, aliàs sine Baptismo moriturus, quod nemo dicet. Hæc sententia est probabilis.

Episcopi, Parochi, & quibus ex officio incumbit cura animarum, tenentur ex iustitia, non tantùm in extrema, verùm etiam in graui ouium suarum necessitate exponere se mortispericulo, si aliter succurrere nõ possint; iuxta illud Ioannis 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Ratio est, quia ipsum officium, Parochos obligat vt ouibus suis, verbum Dei, & Sacramenta administrant, præsertim quando illis tantopere est necessarium: ideò enim stipendia ab Ecclesia accipiunt, & consequenter suscipiunt hanc obligationem. Ex vi etiam diuini præcepti Parochi, & præsertim Episcopi iubentur pascere commissum sibi gregem,

etiam

etiam cum vitæ periculo. Grauis autem neceſſitas eſt, quando proximus, poteſt quidem abſolutè, ſine ope noſtra ſaluari, egrè tamen & difficulter, vt fieri ſolet tempore peſtis, perſecutionis, hæreſis, &c. quo multi morientur, ſine confeſſione, Euchariſtia, Extrema-vnctione, niſi tu per te vel per alium ſuccurras: quamuis enim aliquis abſolutè poſſit ſaluari, ſola contritione cum voto Sacramenti, hoc tamen pleriſque è vulgo tam difficile eſt, vt plurimi damnentur; niſi Sacramenti remedium ſuccurat. Vide *Bonac. to.2.diſ.3.q.4.p.4. Syl.c.q.25.ar.5. concl.2. Laym.l.2.tr.3.c.3.nu.3. Regin.l.4.c.25.nu.336.348.& 357. Ioann. Chapeauille c.1. q.4. Malder.c.art 5.aſſert.2. Tabiena verb. Epiſc.q.5. Tanner.c.dub.4.n.64.65. Fill.tr.28.n.36. Dian.p.5.tr.13. reſ.23.& 24.*

Porrò ex præcepto charitatis tenemur ſubire aliquod damnũ temporale, vt liberemus proximum à graui neceſſitate ſpirituali. Ratio autem ſumitur ex ordine charitatis: quia enim ſalus æterna ſummum locum obtinet, bona temporalia infimum, propterea charitas dictat, diſpendium aliquod infimi boni ſubeundum, vt ſummum proximo procurare poſſimus: Quantum autem exponendum ſit; prudens vir ſpectatis circumſtantijs iudicabit. Aduertendum tamen quòd in his omnibus, diligenter conferenda ſit magnitudo periculi, cum certitudine fructus: ſi enim certa ſit ſpes ſalutis proximi, etiam cum vitæ periculo tibi eſt procuranda: ſi ſpes ſit dubia, & periculum certum, non teneris; ſimiliter ſi non conſtet, an ſit extrema neceſſitas: ſi ſpes ſit dubia & periculum dubium, teneris: nam ſicut in pari certitudine, ita in pari dubio ſalus proximi eſt procuranda. *Mal.c.Aſſer.2. Tann.c.n.66. Syl.c.concl.2.*

19. In bonis temporalibus, vita, fama, fortunis, licitum eſt & honeſtum diligere magis proximum quàm ſeipſum: hæc concluſio in fama & bonis externis ſatis certa videtur; ex Prouerbijs cap. 12. *Qui negligit damnum propter amicum iuſtus eſt.* Cùm enim homo ſit horum Dominus, poteſt cedere iuri ſuo, & ea ex rationabili cauſa, videlicet proximi iuuandi, negligere. Tota cõtrouerſia eſt de vita, vtrum liceat ſe exponere morti ad ſeruandum amicum; nam *D. Auguſtinus lib. de Mendacio, ad Conſentium, cap. 6.* dicit hoc excedere regulam ſanæ doctrinæ; & ſunt argumenta non contemnenda, quæ probare videntur hoc eſſe illicitum: *Sylueſter 2.2. queſt.26. art.4. quæſit.3. concl.1.* idque defendit *P. Nauarra lib.2. de reſt.c.3. dub.3. n.41.*

Nihilominus communis ſententia eſt in contrarium: vnde dicendum videtur honeſtum eſſe & laudabile, vitam ponere pro amico; modò adhibeantur quædam conditiones. *Primò*, ne vita ponatur pro vita, fama pro fama, bona pro bonis, nihil aliud ſpectando, quam vt proximus indemnis ſeruetur: id enim inordinatum eſt, & contra inclinationem naturalem; nam ſi comparemus vitam cum vita, famam cum fama, &c. ſecundùm rectam rationem, bonum meum mihi eſt præferendum; vnde dici ſolet quemque ſibi proximum, & charitatem incipere à ſeipſa: quòd ſi comparemus vitam cum honeſtate virtutis, iam apparet, me mihi magis conſulere, quàm amico, cùm ipſi conſeruem bonum corporale, mihi autem comparem ſpirituale. *Secundò*, vt ego non ſim alijs magis neceſſarius vel vtilis quàm proximus, vel alijs obſtrictus, vt pater qui habet multos liberos, vt perſona publica, vel qui poteſt iuuare animas, &c. *Tertiò*, ne ſim in ſtatu peccati mortalis, aut probabiliter dubitem; tunc enim nullo modo poſſum me exponere periculo mortis. *Quartò*, ſæpe meliùs erit omnibus conſideratis, ſi non exponere pro altero, niſi in caſu neceſſitatis, ſeu obligationis: Hinc pro ſola honeſtate amicitiæ præſertim humanæ, ſæpe non erit prudentiæ vitam exponere; & ſic conciliari poſſunt diuerſæ Authorum ſententiæ, & contraria argumenta diſſolui. Ita *D.Th.in 3.d.29.q.1.a.5.ad 3.& 2.2.q.26.art.4.ad 3. Bannes 2.2.q. 26.ar.4.dub.2. Sotus l.5.de iuſt.q.1.ar.6. Syl.2.2.q.26.ar.4. quæſit.3. concl.3. Claus Reg.l.7.c.9.n.12.13.14.& ſeq. Leſſius l.2.c.9.dub.6.n. 29.& ſeq. Mol.tr.3.de iuſtit.diſ.14.& 18. Victoria, relect. de homic. ad 5.n.27. Bon.to.2.d.3.q.4.p.4.n.6. Val.2.2.diſ.3.q.4.p.3. Mal.2.2. q.26.a.5. Tol.l.5.c.6.n.10.*

20. Ad impediendam ſpiritualem æternam damnationem iniuſti aggreſſoris, cùm illum occidere iure poſſis, potiùs permittere ac tolerare mortem propriam corporalem, & ſinere ſe occidi, abundantioris charitatis opus eſt: nec hoc eſt ſeipſum occidere, ſed non conſeruare vitam quando non tenetur. Ratio eſt, quia tunc non pro corporali vita inualoris ſe morti cõmittit, ſed pro ſpirituali, cùm cõſtet illum eſſe in peccato mortali, quòd ſi occidatur fore damnandum. Cùm enim in hoc caſu obiectum ſit præſtantius: dici non poteſt prodigalitas vitæ propriæ, ſed magnus actus ſuperabundantis charitatis; id quod patet exemplo Chriſti Domini. Aduerte tamen ſi inualidus eſſet perſona publica & Reip. vel alijs multùm vtilis & neceſſarius; & non eſſet talis ille innaſor, tunc teneretur ſe defendere etiam occidendo, vt adnotant *Caiet. 2.2.queſt.64.art.7. Sylueſter ibid.queſit.1. Salon ibid.art.5. Petr Nauarr.l.2.cap.3.numer.46. Victoria c.num.24. Tolet.l.5.c.6.num.10. Syl.v.bellum 2.q.3. Molina c. diſput.14.*

21. Quamuis, iuxta dicta, extra neceſſitatem extremam ſpiritualem proximi non teneamur ex charitate proximo ſubuenire cum periculo vitæ aut cum notabili damno famæ aut facultatum; excipienda eſt tamen neceſſitas communitatis, cui ſubueniendum eſt non ſolùm quando eſt extrema, ſed quando grauis exiſtit. Ratio eſt, quia bonum ſpirituale communitatis præponderat bono priuato, conſequenter illi ſubueniendum eſt cum periculo vitę; modò neceſſitas ſit grauis, ita vt illa communitas, non poſſit ſibi alibnde prouidere abſque magna difficultate; vt ſi hæreticus peruertat plebem ſua falsa doctrinà, & nullus ſit ad reſiſtendum idoneus præter te; quamuis ſis priuatus, teneris cum vitæ periculo reſiſtere; partim propter bonum commune totius: partim quia talis neceſſitas reipublicæ non eſt abſque neceſſitate extrema multorum priuatorum. Si verò neceſſitas communitatis non eſt grauis, ſed legis tantum, non tenemur illi cum tanto periculo ſubuenire; quia cuilibet competit ius tuendi vitam, & propria bona; dicitur autem leuis neceſſitas quando communitas abſque magna difficultate ſibi prouidere poteſt. *Tanner.2.2.diſp.2.queſt.3.dub.4.num.63. Bonac. tom.2.diſp.3.q.4.pu.4.num.5. Syl.2.2.queſt.26.art.5.in concl.2. Fill. tr.28.c.2.num.38. Malderus 2.2.q.26. ar.5. aſſert.2. Nau.in Man. c.14.n.10.*

22. In carnali coniunctione hic ordo charitatis ſeruandus eſt in his quæ pertinent ad naturam, vt *primo loco* diligatur Pater, Mater. *Secundo*, vxor. *Tertio*, filij, ſi agatur de quantitate amoris obiectiua, & appretiatiua; ſi de intenſiua; contrarius ordo communiter ſeruatur. Probatur prior pars, quia nullum beneficium, cum beneficio parentum comparari poteſt, per quos naturam noſtram conſecuti ſumus. Hinc proximum locum obtinet vxor, quia diligitur vt ſocia, & comprincipium filiorum, poſtremum filij, quia diliguntur vt communis effectus. Prob. Poſterior pars, quia filius diligitur vt aliquid parentis, imò tanquam alter parens, in quo nempe poſt mortem ſit victurus, & quamdam immortalitatem habiturus. Similiter vxor diligitur, vt vna & eadem caro cum coniuge. Ex hac autem coniunctione & familiari obiectorum cognatione naſcitur intenſio & ardor amoris, qui communiter non eſt tantus erga parentes. *Quarto loco* diligendi ſunt cæteri conſanguinei, ita vt coniunctiores præferantur alijs. *Quinto loco* non conſanguinei, & cæteris paribus præferendus eſt vir iuſtus peccatori; quia, quò quis Deo coniunctior eſt, eò magis diligi debet obiectiuè, nempe vt velimus ipſi plura, & maiora bona: talis enim dignior eſt huiuſmodi bonis, maiuſque ad illa ius habet. *D.Th.2.2.q.26. ar.8.9.10.& 11. Syl. Mald.ibid. Layman l.2.tr.3.c.3. n.6. Regin.2 4.n.305.& ſeq. Fill.tr.28.c.2.q.9. Bon.c.pu.5.n.2. Arrag. Bannes 5. 2.q.26.a.9. Valent.to.3.d.3.q.4.p.4. Tann.2.2.d.2.q.3.du.5. n.83.&c. & 86. Dian.p.5.tr.14.reſ.93.*

Quale autem peccatum ſit, peruerſio ordinis quoad ſubueniendum Patri, Matri; vxori, vel filijs, dicendum eſt videri tantùm veniale, tum quia ſunt opiniones vtrimque probabiles; tum quia reuera exceſſus non eſt notabilis, propter exiguam inter has perſonas diſtantiam, vt docent *Tannerus, Bonacina, & Filliucius* hic citati. Dixi mus, *in his quæ pertinent ad naturam*, quia cùm præter coniunctionem ſanguinis adhuc ſint aliæ; (quidam enim coniunguntur ratione eiuſdem patriæ, & dicuntur conciues, alij ratione militiæ, & ſunt commilitones; alij ratione profeſſionis vitæ, vt religioſi) vnuſquiſque in ſuo genere eſt maximè diligendus, & præferendus alijs, in ijs quæ ad iſtam coniunctionem ſpectant: v.g. in ijs quæ pertinent ad ciuilem conuerſationem, plus diligendi ſunt conciues; in bellicis, commilitones; in his quæ ad religionem, religioſi. *Porrò* quæ dicta ſunt, intelligenda ſunt per ſe, & cæteris paribus, ade q; reſpectu eiuſdem neceſſitatis & gradus, licet in diuerſo coniunctionis genere; potiùs enim extraneo in extrema neceſſitate quam conſanguineo in leuiore, & in ſpirituali extrema cuiuis proximo potiùs, quàm parentibus etiam in extrema corporali ſubueniendum eſt; vt adnotant præcitati Doctores, poſt *D.Th.c.art.10.& q.31.art.3.*

23. Etſi vnuſquiſque teneatur proximum diligere, nulli malum

malum volendo vt malum eſt; eò quòd ad rationem amicitiæ pertineat, velle bonum ijs ad quos eſt amicitia: licitum tamen eſt optare malum temporale alicui, vel ob ſpiritualem emendationem ipſius, vt ſi quis eſſet ſuperbus & incorrigibilis liceret deſiderare illi infirmitatem, vel pecuniarum amiſſionem per quam probabiliter ſperari poſſit ipſius correctio. Vel ob bonum ſpirituale communitatis & aliorum: vnde licet hæreticis deſiderare mortem temporalem, exilium, ne alios ſecum perdant: vel ad conſeruationem iuſtitiæ: vt peruerſis hominibus comprehenſis à Iudice licet deſiderare ſuſpenſionem, vel certè vt minus peccent & leuius damnentur: huiuſmodi enim non ſunt intrinſecè mala, & poſſunt eſſe media opportuna, tum ad maius malum vitandum, tum ad bonum aliquod conſequendum: vnde non tunc ex diſplicentia perſonæ, hoc enim eſſet contra proximi dilectionem, & ideò malum: Et ideò deſiderium illud & gaudium de malo proximi, non tam eſt deſiderium & gaudium de malo illius, quam de bono inde ſecuturo. *Nauarr. in man. c.15.n.10.qui citat D.Thom.Syl.2.2.q.25.ar.6.Dian. par.3.tract.6.reſol.84.Tol.l.4.cap.11. num.1. Azor.tom.1.l.3.c.12. queſt.2.Emanuel Sa verb.Charitas,num.8. Sancius in ſelectis diſp. 2.num.6.*

An autem liceat deſiderare mortem alterius ob hæreditatem obtinendam, vel ob aliud commodum? Negat Nauarr. *in man. c.15.n.10.* & ait hoc ipſum omnes ſentire; quia vita proximi debet præferri non ſolùm diuitijs, ſed etiam cuicumque commodo proprio temporali, & ideo optare mortem proximi ob tale commodum eſt peccatum contra charitatem. Oppoſita tamen ſententia ſatis probabilis eſt, quæ defenditur ex Sa *verb. Charitas num.8.* Azorio *1.part.lib.3.cap.12. queſt.2.* Sancio *in ſelectis diſp.2.num.9.* Caſtr. Palao *part.1.tract.6.de charit. diſp.4. punct.3. num.11.* modò deſiderium ſit inefficax & de morte naturali, ita vt nihil fiat in ordine ad ipſam cauſandam. Ratio eſt, quia obiectum huius actus non eſt malum. Eſt enim commodum ſequens ex morte; quod eſt bonum & conforme rectæ rationi: & ideò mors eſt obiectum deſiderij non abſolutè, ſed tantùm ex ſuppoſitione quod ſit diſpoſita a Deo; quod non eſt deſiderare malum proximo, ſed, ſuppoſito quòd ſit illud habiturum, gaudere de ipſo, vt de cauſa mei boni. Et in tali caſu non anteponitur commodum proprium temporale vitæ proximi, ſed eſt vti; quoad deſiderium, morte proximi ad commodum proprium, ex ſuppoſitione quòd à Deo ſit cauſanda.

24. Dubium eſt an in ſpiritualibus auxilijs, Pater, filius, fratres ſpirituales, ſint præferendi Patri, filio, fratribus carnalibus; v.g. an tenear optare Patri meo maiorem beatitudinem, quam ei qui me ad fidem conuertit. Satis probabile eſt in pari neceſſitate præferendos eſſe parentes ſpirituales carnalibus, quia in his quæ pertinent ad ſingulas coniunctiones, magis diligendi ſunt illi, qui ſecundùm eas ſunt nobis coniunctiores; parentes autem ſpirituales ſunt nobis coniunctiores, quàm carnales, quantùm ad ea quæ concernunt coniunctionem ſpiritualem: ergo parentes ſpirituales ſunt præferendi carnalibus. Vnde etiam ſequitur magis poſſe diligi filium ſpiritualem quàm carnalem, iuxta illud D. Ambroſij. *l.1.de offic. Non minus vos diligo, quos in Euangelio genui, quam ſi in coniugio ſuſcepiſſem.* Ita *Layman l.2.tract.3.cap.3.num.6. Bonac.tom.2.d.3.queſt.4.par. 5.num.4. Reginaldus l.4.num.317.* Quamuis contrarium non ſit minùs probabile; tum quia charitas ordinem naturæ non mutat, ſed perficit, vt docet *D. Thomas in 3.diſt. 29. art.7.* ſed ordine naturæ parentes præferuntur alijs; ergo etiam ordine charitatis, ac proinde non ſolùm in naturalibus, ſed etiam in ſpiritualibus; tum quia eorum nobiſcum coniunctio etiam in his fundata eſt; tum quia carnalis coniunctio, aliarum coniunctionum fundamentum ac baſis, ſuapte naturâ prior ac ſtabilior eſt. Ita *Bonac. 2.2.queſt.26.art.8.d.2. Sylvius ibid. art.8. queſt.2. Malderus ibid.* Fatentur proinde hi omnes non peccari mortaliter ſi patri carnali præponatur ſpiritualis; quia exceſſus vnius ſupra alterum non eſt adeò magnus, & non conuenit inter Authores, quis cui ſit de neceſſitate præferendus. Hæc ſatis.

Vide v. *Diſcordia, Eleemoſyna.*

CHARACTER.

SVMMARIVM.

1. *Character quid ſit: & an imprimatur in anima mediatè vel immediatè.*
2. *Quotuplex ſit character.*
3. *An quilibet homo ſit capax characteris.*
4. *Characteres Baptiſmi, Confirmationis & ordinis differunt ſpecie.*
5. *An ſit neceſſaria connexio inter characterem confirmationis & Ordinis, cum charactere Baptiſmi, & è contra.*
6. *An character ſit indelebilis.*

1. CHaracter *eſt qualitas ſpiritualis, anima diuinitus infuſa, qua homo redditur aptus ad Sacramenta ſuſcipienda vel adminiſtranda, & ad alia diuini cultus opera, D.Th.3.p.q.63.ar.2. Suar.3.p.to.3.diſ.11.ſect 2. Syl.3.p.q.63.* vel vt alij dicunt: Nomine characteris intelligitur *ſignum aliquod indelebile, & ſpirituale, in anima virtute Sacramenti impreſſum, quo quis deputatur ad certam functionem & diſtinguitur a reliquis non characterizatis.* Hæretici noſtri temporis, negant dare tale ſignum, quorum error ex ſcripturis, Patribus, & duobus Concilijs generalibus, Florentino *de Sacram.* ſcilicet, & Tridentino *ſeſſ.7.can.9.de Sacram.* conuincatur.

An autem character imprimatur in anima immediatè, an mediatè? dubium eſt; *Scotus in 4.d.6.q.11* enim putat immediatè recipi in voluntate; quia eſt principium ad exercendas actiones cultus diuini & religionis. *D.Th.c.a.4. Valent.tom.4. diſ.3.q. 4.p.4. Syl.ibid.* putant recipi immediatè in intellectu: quia actus ad quos ordinatur, ſcilicet recipere vel tradere ea quæ ſunt diuini cultus, ſunt quædam fidei proteſtationes; fides autem eſt in intellectu. *Suar.c.ſect.4. Vaſq.3.p.q.63.a.6.diſp.134.c.4.n.81. Fill. tr.1.c.7.q.6.* aſſerunt characterem eſſe immediatè in ipſa animæ ſubſtantia; quia Concilia abſolutè dicunt imprimi in animam; ergo non immediatè in potentijs. Hæc ſententia fortè eſt probabilior.

2. De fide eſt, per tria Sacramenta, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, characterem imprimi in anima; vt patet ex Conc. Tridentino ſeſſ.7.can.9. *Si quis dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt. Anathema ſit. D.Th.c.a.6. Syl. ibid. Bellarm.de Sacr.l.2.c.19. Tol.l.2.c.16.nu.12. Bonac.1.d.1.q.5. p.1.n.3. Laym.l.5.tr.1.c.7.n.3. Fill.tr.1.n.117.* 18. Proinde triplex eſt character. *Primus* eſt Baptiſmi; quo tranſit homo à diabolo ad Chriſtum, & adſcribitur in eius familiam, & accipit poteſtatem fruendi reliquis Sacramentis, aliſque ſpiritualibus bonis Eccleſiæ Dei; ideò baptiſmus dicitur Ianua Sacramentorum, & diſponit ad alia Sacramenta validè ſuſcipienda. *Secundus* eſt character Confirmationis: quo confirmatus adſcribitur in militiam Chriſti, vt gerat vexillum eius in fronte, & accipit robur ac potentiam, vt ex officio pugnet contra dæmones, & Tyrannos, eliciendo actus fidei; & diſponitur ad reliqua Sacramenta recipienda. *Tertius* eſt character Ordinis, per quem ordinatus, conſtituitur Dux belli, qui præſit cæteris militibus, & accipit poteſtatem diſtribuendi bona Domini ſui, eaque fideliter diſpenſandi, per opera cuiuſque ordinis propria.

An autem character fuerit in Sacramentis veteris legis? reſponſio communis eſt negatiua; quia effectus ſupernaturalis qualis eſt hic character, non eſt pro libitu confingendus; ſed vel auctoritate Doctorum & Patrum, vel firma ratione. *Hic* autem nulla adeſt auctoritas, neque ſuffragatur vlla ratio. Quia Sacramenta antiqua erant carnalia, ac proinde circumciſio imprimebat characterem eiuſdem ordinis, nempe ſignum indelebile, & cicatricem in carne, vnde nec poterat iterari; at noſter character ſpiritualis eſt & animæ imprimitur. Ita docent *D.Thom.c.queſt.63.art.1.ad 3. Syl.ibid. Suar. ill.c.numer.115. Suarez c.diſp.11. ſect.1.* & colligitur ex *D.Chryſoſt.* Homil.2.ad Epheſ. *Obſignati ſunt & Iſraelita, ſed circumciſione, quemadmodum pecudes,* vbi ſentit illud ſignaculum fuiſſe tantum corporale & non ſpirituale.

3. Quilibet homo de potentiâ Dei abſoluta capax eſt characteris, cùm habeat animam in qua recipitur character; de facto tamen ſolum eſt character in illis, qui recipiunt aliquod ex Sacramentis quæ characterem imprimunt, eſt enim character proprius effectus Sacramentorum. Sed quia homo ſit capax characteris ſecundùm animam, quæ ſpiritualis eſt, & in hoc ſimilis eſt Angelis, verisimile eſt, eamdem capacitatem eſſe in Angelis, ſicut etiam eſt capacitas ad reliqua omnia dona gratiæ. In Beata Virgine & Apoſtolis fuit character. In illa quidem; quia ſuſcepit Baptiſmum & Confirmationem. In his autem, quia præter illos duos characteres, habuerunt etiam

illum

illum Ordinis. In Christo vero est character: tum quia ratione suæ diuinitatis excellentiori modo est veluti designatus in supremum Ducem, Principem, ac Sacerdotem; & ideò non indiget charactere, qui est veluti participatio quædam supremi sacerdotij Christi, & supponit imperfectionem in subiecto quod afficit, scilicet, quòd sit membrum, miles, aut minister alterius Superioris capitis; tum quia Christus non indiget charactere, vt distinguatur ab alijs, & reddatur aptus ad opera diuini cultus; nam ipso distinguitur ab alijs, & per vnionem Hypostaticam potest ea præstare, quæ pertinent ad diuinum cultum. Vide *D. Th. c. a. 3. Syl. ibid. Suar. 3. p. to. 3. disp. 11. sect. 4. Bonac. c. p. 2. n. 4. Fill. tr. 1. c. 7. q. 7.*

4. Characteres Baptismi, Confirmationis, & Ordinis differunt specie; tum quia per illos deputantur homines ad varios status in Ecclesia, signum autem specificatur à significatu; tum quia character essentialiter est distinctiuus. sed duo accidentia eiusdem rationis non distinguunt, ergo, &c. tum quia diuersitas specifica cognosci potest ex diuersitate potentiarum, habituum, & actuum; sed characteres sunt potentiæ seu habitus ordinati ad diuersos actus, vt patet ex fine cuiusque characteris. An autem characteres ordinis essentialiter differant, vt Subdiaconatus, Diaconatus, Sacerdotij, Episcopatus? videntur inter se non differre; quia singuli ordinantur ad vnum completum characterem sacerdotij, & ad eundem finem. Ita ex communi *Bonacina tom. 1. disp. 1. quæst. 5. par. 3. num. 1. Filliuc. tra. 3. num. 51. 52.*

5. Character baptismalis, necessariò præsupponitur à reliquis; vnde inter characterem Confirmationis & Ordinis est necessaria connexio cum charactere Baptismi. Quia nemo potest crescere aut exercere opera vitæ, nisi sit natus; baptismus autem est spiritualis natiuitas, quæ est ianua operum vitalium: propterea qui confirmatur, aut ordinatur ante baptismum, nihil recipit, sed totum est iterandum; vt decernitur in Iure. *cap. veniens, de presbytero non baptizato.* Character verò ordinis habet necessariam connexionem cum charactere confirmationis: nam si Ordo conferatur alicui non confirmato, tenet; An autem suscipient ordinem ante confirmationem peccet mortaliter? probabilis est sententia *Bonac. c. num. 2. Tolet. lib. 2. cap. 26. Fornar. de ord. c. 3.* qui docent peccare mortaliter, cùm faciat contra Tridentini præceptum & communem Ecclesiæ vsum & praxim in re graui. Opposita tamen sententia non est improbabilis, imò apud multos probabilior & verior meritò reputatur; eò quòd in verbis Concilij Tridentini, vbi ait; *Prima tonsura non initientur, qui confirmationem non susceperint.* Nihil præcipitur initiandis, sed præcipitur Episcopis quid facere debeant: quamuis nec hic stricta aliqua obligatio imponitur, quia nullum est verbum, quo strictum præceptum indicetur. Ita *Navar. c. 22. n. 9. Suarez 3. p. to. 3. disp. 38. sect. 1. Vinaldus de confirmat. n. 41. Valent. to. 4. disp. 5. q. 2. punct. 2. Diana p. 2. tr. 2. misc. res. 4. & p. 3. tr. 4. res. 24. Azor. p. 2. l. 3. c. 48. q. 1.*

Character vnius Ordinis non necessariò præsupponit characterem alterius, vt patet in Apostolis, qui non Diaconi facti sunt Sacerdotes; nam ordo Superior virtualiter continet inferiorem; vnde qui reliquis ordinibus prætermissis ordinaretur Sacerdos, posset in rigore omnes inferiorum ordinum functiones obire; quamquam Ecclesia grauissimis pœnis prohibeat promotionem per saltum, adiuncto præcepto, vt omissus ordo repetatur. Nota tamen excipiendum esse Episcopatum, qui essentialiter præsupponit sacerdotium; vnde si non Sacerdos consecraretur in Episcopum, nihil reciperet. *cap. vnico, de clerico per saltum promoto. D. Th. in supplement. 3. p. q. 35. a. 5. Syl. ibid. Bonacina c. num. 2. Henriques lib. 10. cap. 14. Sylvester verb. Ordo num. 3.*

6. Character semel susceptus semper durat & permanet, & numquam amittitur per peccatum, aut per degradationem. *D. Th. 3. p. q. 63. art. 5. Malderus. Syl. ibid.* Et hoc est fide tenendum, ex Conciliis *Flor. c. & Trident. sess. 7. c. 9. Vinaldus de Sacram. c. 2. num. 2. Sayrus de Sacram. l. 4. c. 5. q. 1. art. 2. Bonac. c. n. 4. & 6. Tann. to. 4. disp. 3. q. 3. dub. 7. assert. 7.* Ratio est, quia subiectum eius est incorruptibile, nempe anima rationalis; neque habet vllum contrarium, nec physicè, nec moraliter: *non physicè*, quia nulla forma supernaturalis habet formam contrariam, à qua naturaliter pelli possit; *non moraliter*, quia consistit cum peccato mortali. Proinde si quis Baptizatus, Confirmatus, Ordinatus à mortuis resurgeret, non deberet denuò baptizari, confirmari, aut ordinari, quia prior character semper perseuerat & permanet. Sed si matrimonium ante contraxisset, non posset sine nouo contractu, ad superstitem vxorem reuerti, quia vinculum morte fuit dissolutum.

Ex dictis sequitur characterem habere varias proprietates & effectus, vt tradunt communiter Doctores toto hoc Titulo citati. *Primò*, consecrat hominem cultui diuino, vnde & sanctitas à *D. Augustino*, appellatur; & ea quę templo consecrato conueniunt, à Scriptura, & à Patribus tribuuntur homini Christiano. *Secundò*, distinguit seruos Christi à non seruis; vnde *D. Basilius* in exhortatione ad Baptismum; *Quomodo te vendicabit Angelus sibi, quomodo eripiet ex hostibus, si non agnouerit signaculum. Tertio*, configurat nos Christo, nam est quædam participatio Sacerdotij Christi, ad suscipienda, vel administranda Sacramenta, aliasque functiones exercendas, quibus homo in diuinum cultum ordinatur. *Quartò*, obligat Christianos ad legem Euangelicam seruandam, ad fidem profitendam, ad Sacramenta administranda, quando vrget necessitas, &c.

Vide *Baptismus* 4. n. 5. *Confirmatio* n. 11. *Degradatio* nu. 3. *Ordo* 4. num. 3.

CIRCVMSTANTIA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sint circumstantia? & quotuplices.*
2. *An circumstantiæ impertinentes sit confitenda.*
3. *Circumstantia notabiliter aggrauantes intra eandem speciem, an sint aperiendæ in confessione?* Refertur duplex sententia.
4. *Circumstantiæ notabiliter minuentes, non sunt exprimendæ, nisi mutent speciem.*
5. *Circumstantiæ mutantes speciem sunt aperiendæ in confessione.*
6. *Septem sunt circumstantiæ: & primò de circumstantia, Quis.*
7. *De circumstantia, Quid.*
8. *De circumstantia, Vbi.*
9. *De circumstantia, Quibus auxiliis.*
10. *De circumstantia, Cur, seu, Propter quid.*
11. *Quam bonitatem vel malitiam tribuat actioni ex se bonæ vel malæ finis bonus vel malus.*
12. *De circumstantia Quomodo.*
13. *De circumstantia Quando.*
14. *An circumstantiæ generales sint confitendæ.*

§. 1.

Quid, quando idem prohibetur à diuersis legislatoribus Deo, Ecclesia, Principe seculari.

§. 2.

An varij tituli eiusdem obligationis sint confitendi?

§. 3.

An, cùm multa præcepta circa idem coincidunt, sit hæc circumstantia explicanda? Refertur duplex sententia.

§. 4.

An consuetudo peccandi vel circumstantia relapsus sit exprimenda?

§. 5.

Qui in confessione dixit peccatum, oblitus est tamen alicuius circumstantiæ mutantis speciem, an satisfaciat postea in alia confessione explicando grauitatem circumstantiæ oblitæ.

§. 6.

Circumstantiam complicis, an teneatur pœnitens explicare, quando complex est confessario notus? Refertur duplex sententia.

1. CIrcumstantiæ vocantur à *D. Th. 1. 2. q. 7. art. 1. Syl. ibid. & in supplem. 3. p. q. 9. ar. 2. quæst. 1. Suarez 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 3. num. 1. Clauis reg. l. 2. c. 3. n. 5. Laym. l. 1. tr. 2. c. 8. Fill. tr. 7. nu. 85. & tr. 21. n. 80. Fagund. prec. 2. l. 4. Nauarrus in Man. c. 6. num. 1.* particulares humanarum actionum in genere moris conditiones siue accidentales affectiones, non pertinentes ad substantiam actus peccati, sed aliquo modo attingentes ipsum actum. Huiusmodi circumstantiæ in quadruplici differentia sunt, quædam sunt impertinentes, quia neque augent, neque minuunt malitiam, quales sunt fornicari nocte vel à prandio, die festo vel profesto. Aliæ sunt augentes notabiliter, quales sunt, intensio actus, seu vehementia actionis, mora longa, &c. Aliæ sunt notabiliter minuentes, qualis est circumstantia metus alicuius mali. Aliæ sunt mutantes species, quales sunt, quæ

de peccato veniali efficiunt mortale & è contra;item quæ notam peccati ſpeciem addunt.

2. Circumſtantiæ impertinentes quoad malitiam actus moralis,& quæ ſunt omninò indifferentes,nihilque conferunt ad malitiam, non ſunt explicandæ in confeſſione; quia non ſunt propriè circumſtantiæ morales,cùm malitiam neque augeant, neq; minuant: ſi verò aliquid ad actum moralem conferant, non tamen extrahant illum ab ordinario modo peccandi in tali ſpecie,in ipſo peccato ſimpliciter dicto continentur,Ita *Nau. c.num.3.Suar.c.ſect.3.n.1.Fill.tra.7.c.4.num.92.Rodriques in ſum. to.1.c.53.n.1.*

3. Circumſtantiæ notabiliter aggrauantes, atque augentes peccatum intra eandem ſpeciem, ſecundùm probabiliſſimam Doctorum ſententiam,in confeſſione neceſſario non ſunt explicandæ,quamuis laudabile ſit,ſi pœnitentes illas explicent.Ita ante Concilium Tridentinum.*D.Thom.4.diſt.16.q.3.a.2.q.5.D. Bonau.d.17.q.vlt Paiud.d.16.q.3.art.3.D.Antonin.3.p.tit.14.c.19. §.7.Durandus d.16.q.4.*Poſt Concilium verò, *Nauarr. in Man. c.6.n.6.& 7.Vaſques de pœnit.q 91.a.1.dub.2.Reginald.l.6.c.5.num. 115.Valentia tom 4.diſp.7.q.11.pun.1.Leſſius l.4.c.3.dub.12.n.87. Pun.an. 3.p.q.2. dub.4.conc.1. Diana p.1.tr.7.reſ.1.* Probatur hæc opinio, tum quia Tridentinum illas circumſtantias aſſerit eſſe explicandas in confeſſione,quæ ſpeciem mutant,nihil dicendo de aggrauantibus notabiliter: ſed cùm Concilium doctrinaliter ibi loquatur,& omnia tradat,quę neceſſaria ſunt ad veram, & perfectam confeſſionem faciendam, virtute negat neceſſariò eſſe confitendas notabiliter aggrauantes, ex obligatione præcepti diuini. Tum quia iure,diuino & humano ſolùm tenemur confiteri omnia peccata mortalia, ſed reticendo circũſtantias quæ non prohibentur peculiari præcepto, confitętur quis omnia peccata mortalia, ergo, &c. aliàs enim teneretur peccator ſcire omnes circumſtantias aggrauantes, quod videtur nimis durum. Hæc ſententia videtur magis vſu recepta ab hominibus etiam timoratæ & probatæ conſcientiæ.Quamuis contraria ſit etiam probabilis,& à multis Doctoribus commendetur,vt à *Suar.c.diſp.22.ſect.3.n.5.Sylu.in ſupplem.q.9. art. 2.dub.1. Sanch.lib.4 moral.c. 11.n.24.Fagund.præcept.2.l.4.c.2. n.10.Coninch diſp.7.dub.3.n.13.* Ratio eſt. Quomodo ſatisfaciet integritati confeſſionis,qui præcipuam grauitatem peccati tacet; grauitas enim multùm variat iudicium confeſſoris intra eamdem ſpeciem:nam quolibet peccatum in diuerſa ſpecie leuius, minus variat iudicium confeſſoris,& minorem malitiam habet,quàm peccatum grauiſſimum in eadem ſpecie. Grauius enim eſt peccatum,furtum mille aureorum à mercatore;quàm vnius calicis de Eccleſia: quia quantitas magni furti tantùm aggrauat,vt iſtud peccatum grauius faciat peccato ſacrilegij,licet in ſua ſpecie cæteris paribus, grauius ſit peccatum ſacrilegij,quàm furti ſimplicis.Ergo, &c.

4. Circumſtantiæ notabiliter minuentes, non ſunt neceſſario ad integritatem confeſſionis exprimendæ,niſi mutent ſpeciem;quia cùm circumſtantię minuentes adiuuẽt potiùs ad excuſandum pœnitentem quàm ad exprimenda peccata,ideò neceſſe non eſt illas exprimere,niſi mutẽt ſpeciem;quod fit quatuor modis. *Primo*,quia circumſtantia explicata declarat actũ, nullum fuiſſe peccatum; vt ſi quis occidat hominem in ſuam inſtam defenſionem; ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ. Si enim hanc circumſtantiam iuſtæ defenſionis, in confeſſione non declarauerit, poterit confeſſarius exiſtimare pœnitentem peccatum mortale commiſiſſe, cùm tamen reuera commiſſum non ſit. *Secundò*, ſi circumſtantia addita declaret eſſe veniale,quod aliàs eſſet mortale,v.g.ſi peccatum fuit commiſſum ex motu primo, ex ſubreptione animi, abique plena deliberatione.*Tertiò*,ſi circumſtantia toliat vnam malitiam mortalem, & aliam relinquat, v.g.ſi quis cognouit fœminam coniugatam,putãs eſſe ſolutam;talis enim volens explicare circumſtantiam adulterij,tenetur explicare circumſtantiam ignorantiæ, quia huiuſmodi circumſtantia tollit vnam malitiam, ſcilicet adulterij,& relinquit malitiam intemperantiæ. *Quarto*, ſi actus abſque circumſtantia appareat vnius ſpeciei,cum illa verò,alterius,licet leuioris:vt ſi homo volens & intendens occidere boucm alicuius,& per ignorantiam inculpabilem,occidat ipſum hominem, tenetur explicare iſtam circumſtantiam minutentem: quia tunc non eſt homicidium formale, ſed furtum aut damnum: vnde ille verè & coram Deo fuit fur,& non homicida.Ita *Concil.Trid.ſeſſ.14.cap.5.Nauarr.cap.6.num.5.Syluan ſuppiem.q.9.a.2.quæſt.1.Victor.de confeſſione num.175. Suar.c.diſ. 22.ſect.3.num.15. 16. Henriquez l.5.c.7. num.3.Fagundes præcept. 2.l.4.c.2.num.13. Sayr.de pœnit.cap.8.num.1. Bonac.tom.1.diſp.5. quæſt.5.ſect.2.par.2.§.3.diffic.3.num.4.Filiuc.tr.7.c.4.nu.91.Dian. p.5.tr.14.reſ.85.*

5. Circumſtantiæ mutantes ſpeciem actus moralis quoad malitiam, ſunt neceſſariò aperiendæ in confeſſione; tum quia ſic decernitur in *Concil.Trid.ſeſſ.14.c.5.& canone* 7. expreſsè,& communi fidelium vſu atque conſuetudine receptum eſt, vt huiuſmodi circumſtantiæ tanquam habentes peculiarem malitiam & deformitatem in confeſſione aperiantur. Tum quia peccata multiplicantur non ſolùm ratione actum, ſed etiam ratione circumſtantiarum diuerſarum ſpecie; ſed diuerſa ſpecie peccata neceſſariò ſunt confitenda. Illæ autem circumſtantiæ, quod ad confeſſionis neceſſitatem attinet, dicuntur mutare ſpeciem,quæ habent ſpecialem repugnantiam cum recta ratione, diuerſam ab ea quæ eſt in ipſo peccato ſecundum ſe, v.g.Illicitum eſt cognoſcere non ſuam, ſed ſi cognoſcatur aliqua per conſanguinitatem vel affinitatem intra gradus vetitos propinqua,cõſtituitur noua ſpecies,ſcilicet inceſtus, quia hoc ſpeciali prohibitione prohibetur,& ideò in confeſſione eſt exprimendum. Similiter circumſtantia,quæ opus alioquin bonum,vel malum quidem,ſed veniale,facit mortale;aut vno reſpectu mortale, facit etiam alio reſpectu mortale, eſt in confeſſione explicanda. Secùs dicendum de circumſtantijs, quæ quidem ſpeciem mutant;ſed vel opus alioquin bonum faciunt peccatum veniale:vel vni ſpeciei venialis addunt aliam,etiam venialem, hæ enim non ſunt neceſſariò confitendæ; quia decretum Tridentini intelligendum eſt de illis peccatorum circumſtantijs,per quas ipſa fiunt mortalia.Ita *D.Tho.4.d.16.q.3. art.2.Sylu.in ſuppl.q.9.a.2.quæſt.1.Nauarr.c.6.num.3.Suar. c.diſ. 22.ſect.2.num.6.Sylueſter v.Confeſſio 1.quæſt.9.num.10.Tolet.l.3. c. 7.num.7. Azor.tom.1.l.13.c.12.quæſt.6.Valent.to.4.diſp.7. quæſt.11. p.1.aſſer.2.Bonac.c.n.6.Henriq.de pœnit.lib.5.c.6.& 7.Fagund.c.n. 1.Reginal.l.6.n.112.*

6. Circumſtantiæ ex quibus augeri,vel minui poteſt peccatum,vel illi noua ſpecies addi,ſeptem communiter poſt *D.Thomam*,à Doctoribus enumerantur.

Quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando. Circumſtantia,*Quis*,denotat conditionem,vel qualitatem perſonæ peccantis, quę frequentiùs auget mutando ſpeciem,vt ſi perſona ſit ſacra, vel habeat votum, transfert actum intemperantiæ in vitium ſacrilegij; ſi ſit perſona ad quam pertineat gubernatio vel regimen, ſæpè transfert actum in iniuſtitiam, qui in alia perſona eſſet tantum contra charitatem; Item ſi ſit perſona publica, ſæpè actus eius habebit malitiam ſcandali, quam in alia non haberet. At verò intra eandem ſpeciem raro aggrauat hęc circumſtantia,ita notabiliter vt neceſſariò ſit declaranda; licet interdum probabile ſit, vt ſi perſona ſit magis vel minus ſacra, aut diuerſis modis, vt ſi ſit conſecrata per ſacerdotium & profeſſionem. Aduertendum autem eſt,ſi pœnitens notus ſit confeſſario, ſatis erit explicare peccatum, nam dum ſe accuſat,ſubaudit conditionem ſuæ perſonę;licet hoc non habeat locum in alijs circumſtantijs, tametſi confeſſario ſint notæ; quia non cenſentur ita implicitè contineri in confeſſione peccati. Supradicta ſimiliter obſeruanda ſunt in circumſtantia *circa quid*,vt ſi occiſus Clericus,Sacerdos,Epiſcopus,Parens, conſanguineus, ſaltem vſque ad ſecundum gradum. Si peccatum carnis commiſſum,etiam mentaliter cum coniugata,conſanguinea,affini,moniali,per vim.De his videndi ſunt *D.Tho. 1.2.quæſt.7.art.4.& quæſt.18.art.3.10.& 11.Ariſtot.l.3.Ethic.c.1. Sylu.1.2. quæſt.7.art.1. & in ſuppiem.quæſt.9.art.2.quæſt.3.Laym. l.1.tract.2.cap.9.num 1.& 2.Fagundes præcept.2.l.4.cap.3. Claus Reg.lib.2.cap.3.num.6.7.8.Valent.1.2.diſp.2.quæſt.2.Suares tom.4. diſp.22.ſect.4.Reginaldus l.14.cap.2.num.12.Fill.tr.21.n.82. Tann. 1.2.diſ.2.q.5.dub.4.n.82.Nauan Man.c.6.n.13.*

7. Circumſtantia,*quid*,ſignificat conditionem,quantitatem, aut qualitatem materiæ ſiue obiecti,circa quod actio verſatur, v. g. quantum quis furatus ſit, vel quàm graue nocumentum intulit; vnde hæc circumſtantia eſt confitenda,tum quia quando eſt alicuius notabilis grauitatis eſt maximè coniuncta cum ſubſtantia peccati, quod vix poteſt integrè explicari ſine illa; tum quia maximè neceſſaria eſt ad arbitrium ferendum circa reſtitutionem, & quando peccatum eſt reſeruatum in tanta quantitate. Ad hanc circumſtantiam reuocatur à Theologis illa, quæ dicitur, *Circa quid*, & propriè indicat perſonam circa quam peccatur,vt dictum eſt numero præcedenti; & hæc ſæpè actui malo confert nouam malitiæ ſpeciem, in genere iniuſtitiæ, in genere impietatis; in genere ſacrilegij, &c. vt docent

Suares

Suares c.sect.4.n.2.Fagund.c.c.4.n.2.Laym.c.n.3.Tol.l.3.c.7. nu.7. Bonac.to.1.d.5.q.5.sect.2.p.2.§.3.diffic.3. n.17.

Sed qui tenent circumstantias etiam notabiliter aggrauantes intra eamdem speciem non esse necessario aperiendas in confessione, probabile putant, sufficere, si pœnitens dicat se commisisse furtum in re notabili, vt confessarius possit cognoscere illum peccasse mortaliter. Sic *Nauarrus, Vasques, Mezala, Zanardus, Zerola,* & alij apud Dianam *p.1.tract.7.resol.14.* quibus subscribit Caramuel *in Scholio D. Bernardi in reg. S. Benedicti n.* 220. nihilominus nostra sententia est communior, & ideò sequenda cum limitatione sequenti. Si quantitas furti mortalis, v.g. sit duorum aureorum, qui furatur quatuor, tenetur hanc circumstantiam aggrauantem explicare, quia illa circumstantia superaddita in se sumpta est mortalis, si tamen furetur tres, aut tres & dimidium, non tenetur id explicare, cùm ea circumstantia, quæ superadditur, in se sumpta, non perueniat ad mortale. Idem iudicium esto de damno famæ, honoris & personæ, & ex hoc exemplo alia conijce.

8. Circumstantia, *vbi*, respicit locum, in quo delictum fuit perpetratum; & hęc necessariò est aperienda, quia mutat speciē peccati, & ad sacrilegium trahit ratione irreuerentiæ loco sacro illatæ. Et hæc circumstantia loci sacri in quatuor casibus mutat speciem peccati. *Primo*, quando quis committit furtum in loco sacro: de quo v. *Sacrilegium* 1. *Secundo*, in effusione peccaminosa sanguinis humani, *Tertio*, in effusione seminis humani publica & peccaminosa, in eodem loco sacro: de quo v. *Sacrilegium* 2. *Quarto*, in violatione immunitatis Ecclesiæ, per iniustam extractionem alicuius criminosi ab Ecclesia, contra Canonum priuilegia; vt dicitur v. *Immunitas*. Intra eamdem speciem rarò hæc circumstantia notabiliter aggrauat peccatum, nisi fortè in materia iniustitiæ, si coram pluribus, alicuius famæ detrahas vel contumeliam inferas. *Azor.to.1.l.2.c.4.q.2. Nau.c. 6.n.4.& 12. Syl. in suppl.q.9.a.2.quæs.3. Bon.c.diffic.3.n.3. Suar.c.n. 19. Fagund.c.l.4.c.4. n.8. Trul.c.n.82.*

Petes, an omne peccatum hoc ipso quod fit in loco sacro, habeat circumstantiam necessariò explicandam in confessione? Resp. *Claus.to.1.opusc.tr.vlt.resp.12.dub.2.* Quod non, sed tantùm quando ipsum peccatum directè aduersatur sanctitati vel immunitati loci, vt in quatuor præfectis casibus. Quibus potest addi alius: si quis, nempe, peccatum qualecumq; committat in despectum; vel dehonestationem loci sacri; per hanc enim intentionem directè repugnat sanctitati loci; quamuis non per ipsius operis conditionem.

Porro hæc circumstantia loci sacri est etiam exprimenda, quando aliquis sola mente consentit in eiusdem operis in Ecclesia perpetrandi. Secus, si in Ecclesia existens consentiat ea patrare extra Ecclesiam: quia respectu actus interni, locus sensibilis valdè accidentarius est, & ipse parum violatur tali actu. Ratio autem prioris est, quia hęc intentio est eiusdem rationis cum actu externo, actus autem externus habet specialem malitiam sacrilegij exprimendam in confessione; ergo. Ita *Sanches de matr.l.9.disp.15.n.10.11. Roarig.in sum.c.2063. Paulanus in cand. aur. de confess.n.96. Nau.c.n.11. Fagun.c.n.26.27. Suar.c.n.20. Bon. de matr.q.4.p.vlt.n.7.*

9. Circumstantia, *quibus auxilijs*, significat proprię instrumenta seu concursus peccati, quæ possunt esse vel alij homines, vel quælibet aliæ res, vt ferrum, gladius, sclopetum, vel quid simile instrumentum, & hæc non tunc necessario confitenda, parum enim refert vtrum hoc vel illo instrumento, gladio, sclopeto occidas: nisi in duobus casibus, quando scilicet, vsus talis instrumenti per se prohibitus est; tunc enim ex eo capite continet actus specialem malitiam: vel quando ad explicandam grauitatem nocumenti illati, vel quid simile, necessarium est declarare quo instrumento factum fuerit. Si verò homines fuerint concausę peccati, v.g. si quis vtatur sociis, aut mediatrice, vel mediatricibus ad peccatum, & socios induxit vel mediatricem, vt iuuarent se; non solùm tenetur peccatum in se, ad quod induxit, sed etiam circumstantiam inductionis necessariò in confessione explicare; modo socij non essent parati ad id patrandum, & mediatrix ad mediandum: nam si tam illi, quàm illa essent parati, tunc quidem cessat circumstantia inductionis: & moraliter loquendo, non censetur causa inducens, nec notabiliter variat iudicium confessoris, quando tam isti, quàm illa sunt parati ad id peccatum perpetrandum. Plura de his v. *Scandalum*, & *Nauarr. in Man.c.16. num.13. Suares c.disp.22.sect.4. numer.16. Henriques lib.2.de pœnit.cap.6.numer.7. Fagundes præcept.2.lib.4.cap.5.numer.1. Layman c.numer.3. Coninch. disputat. 7.dub.4.nu.23. Vasques quæst.91.ar.1.d.4.nu.7. Azor.to.2. l.12.cap. 16.quæst.5.*

Pertinet etiam ad hanc circumstantiam auxilium dæmonis, quod aliquis expressè, vel tacitè quærit, & procurat ad aliquem turpem finem consequendum.

10. Circumstantia, *Cur*, seu *Propter quid*, includit non solùm intentionem finis propter quem operamur, sed etiam electionem medij. Adnotandum tamen est, quòd finis non est circumstantia, nisi quando est extrinsecus, nam quando est intrinsecus, est potiùs obiectum: propterea ad hanc circumstantiam concurrunt formaliter, vel virtute duo actus, scilicet intentio finis & electio medij, respectu cuius ille finis dicitur esse circumstantia, quod tripliciter fieri potest. *Suares c.disp.22.sect.4.n. 8. Toletus l.3.c.7.n.3.& 4. Bonac.to.1.disp.5.q.5.sect.2.p.2.§.3.diffic. 3.n.25. Nauar.c.6.nu.3. Reginald. lib.6.n.127. Henriq.l.3. de pœnit. c.6.nu.3. Layman c.n.4. Sylu. t.2.q.18.art.6. Dian.p.1.tr.7.res.23.* *Primo*, cùm tam finis quàm medium sufficiunt ad constituendum peccatum mortale: vt cùm quis furatur vt fornicetur, tùc tenetur pœnitens hanc circumstantiam finis explicare, quia sunt duo peccata diuersa specie, alterum furti in materia iustitiæ, alterum fornicationis contra temperantiam. Si tamen vtraque malitia sit eiusdem speciei, & moraliter loquendo illi actus componant vnum, qui satis explicantur, explicato vltimo, non erit aliquid amplius necessarium; vt si quis vtatur tactibus impudicis, vt se excitet ad consummandum actum, tunc secuto effectu & illo explicato, non oportet alia dicere. *Secundò*. Potest esse electiò medij bona vel indifferens in se, & finis malus, vt si quis deambulet, vt occidere possit, vel det eleemosynam puellæ, vt cum ea fornicetur; vnum peccatum tantùm committit occisionis, vel fornicationis, & non est opus explicare electionem medij. *Suares c.num.8. Fagundes præcept. 2. l.4. c.5.n.10.*

Tertio. Potest contingere vt obiectum electionis sit sufficiens ad peccatum mortale, finis autem minimè; vt si omittit Sacrū propter studium, tunc circumstantia malæ electionis medij est necessariò in confessione explicanda, non autem finis, hoc est, peccatum omissionis Sacri est confitendum, non autem circūstantia studij, propter quod omissum fuit: Ratio est, quia ea circumstantia nec notabiliter peccatum aggrauat, nec mutat speciem peccati, & maximè si quis operaretur ex sua libertate & facilitate: Secùs dicendum, quando quis operatur ex vehementi & inordinato affectu ad talem finem, ponens vltimum suum finem in studio; tunc vtrumque esset confitendum, & omissionem sacri in die festo, & rationem finis vltimi, quem posuit in studio. Licet nemo ita regulariter operetur quando omittit sacrum propter studium. *Claus Reg.l.2.c.6.nu.10. Sanches l.1.mor.c.5.n.15. Vasq.1.2.d.93.c.3. Henriq.l.5.c.5.n.7. Azor.to.1. l.4.c.3.q.7. Bonac.c.n.26. Dian.p.1.tr.7. res.62.*

11. Multis modis actio ex operantis arbitratu ad finem extrinsecum, tanquam circumstantiam moraliter afficientem, referri potest. *Primò*, Circumstantia finis boni, nouam bonitatis speciem addit actioni ex obiecto bonæ; vnde duarum virtutum opus exercet, scilicet, pœnitentiæ ac misericordiæ, qui eleemosynam dat, vt Deo pro peccatis satisfaciat; quod intelligendum est, modò voluntas etiam ipsum bonitatem seu honestatem proximi obiecti per se eligat, quod fieri solet, quando ea etiam secundum se, conducens est ad bonitatem, seu honestatem finis principaliter intenti. *Becanus 1.2 tr.1. c.4.q.3. concl.2. Fagundes præcept.2.l.4.c.1.n.3. Secundo*, Circumstantia finis mali omninò destruit & efficit actum, quia ex obiecto bonus esset simpliciter malum; quia malum ex singulis defectibus: & finis tunc non tam habet rationem circumstantiæ, quàm obiecti tribuentis actui morali primam & vnicam malitiæ speciem; vt si quis det eleemosynam aut concionetur ad captandam auram popularem. Neque dicas talem posse simul habere duas intentiones, alteram rectam, vt subleuet miseriam pauperis, vt doceat rudes, alteram prauam, vt captet inanem gloriam: quia tunc non erit vnus actus, sed diuersi; quod quidem fieri potest & sæpe fit, cùm subrepit in opere bono vana gloria, sed illa non aufert meritum boni operis, nisi quatenus retardat voluntatem, & remissionem reddit in opere bono, & talis simul merebitur, & demerebitur, sed diuersis actibus. *D.Th.1.2.q.18. art.6, & quæst.19.art.2. Sylnius ibid. D.Bonauent. in 2.d.st.40. art.1.q.1. Azor.tom.1.l.2.c.5.q.6.*

Tertiò. Circumstantia finis boni tribuit actui ex obiecto indifferenti primam & vnicam essentialem bonitatis speciem, ideòque in genere moris non circumstantiæ, sed obiecti ratio-

nem

rem habet. Ratio est, quia finis tunc se habet tanquam obiectū formale proximum in genere moris, quamuis sit extrinsecus in genere naturæ, ergo dat primam & essentialem speciem bonitatis. Itaq; ambulatio ad catechizandum est essentialiter actus charitatis seu misericordiæ, ambulatio ad visitandas reliquias sanctorum, est actus religionis, &c. quamuis in genere naturę maneat semper eiusdem speciei. *Vasq.* 1.2. *disp.* 53. *c.* 2. *n.* 9. *Med.* 1.2. *q.* 19. *a.* 3. *Tann.* 1.2. *disp.* 2. *q.* 5. *dub.* 4. & 5. & alij.

Quarto. Circumstantia finis mali confert actui ex obiecto indifferenti, primam & vnicam essentialem speciem malitię, ideòque in genere moris amittit proprietatem circumstantiæ & solius obiecti rationem acquirit: quia tūc finis malus est primum in genere moris quod appetitur; nam obiectum indifferens, est extra genus moris; vt deambulare ad fornicandum, opus intemperantiæ est. *D. Th.* 1.2. *q.* 18. *ar.* 5. *ad* 4. *Syl. ibid.*

Quinto. Circumstantia finis boni nihil confert actui ex obiecto malo, sed relinquit simpliciter & vndequaque malum, vt furari ad dandam eleemosynam. Ratio est, quia actus malus, non ex capax vllius bonitatis moralis; nam quod habet aliquē defectum seu priuationem bonitatis debitæ, simpliciter est malum; vnde *D. Augustinus* libro contra mendacium docet, ob nullam causam licere mētiri; & Apostolus *ad Romanos* 3. dicit eorum damnationem esse iustam, qui dicunt, faciamus mala, vt eueniant bona. Deniq; talis actum sub genere iniustitię malum, non item sub genere misericordiæ bonum exercet; cùm quædam species furti sit ex alieno esse liberalem. *D. Th. c. q.* 18. *a.* 4. *ad* 3. *Laym. l.* 1. *tr.* 2. *c.* 9. *n.* 7. *Durand. in* 2. *d.* 38. *q.* 1. *n.* 1.

Sextò. Circumstantia finis mali confert actui ex obiecto malo nouam malitiam: eamque vel specie distinctam, si finis ille prauus ordinem repugnantiæ cum recta ratione specificè diuersum habeat, vt in furto fornicationis causa: vel solo numero distinctam, si prauitas, finis, eiusdem rationis sit cum prauo medio, vt contingit, in furante instrumenta, quibus vti possit ad furandas pecunias: talis enim duo peccata contra iustitiam solo numero distincta committit. *Becan. to.* 2. *tr.* 1. *c.* 5. *q.* 2. *Val. to.* 2. *disp.* 6. *q.* 2. *pu.* 1. Si tamen media eiusdem speciei malitiam contineant cum malo fine, & per se ac ordinariè coniuncta esse soleant; tunc vna cum fine eandem numero malitiam contrahēt. vt patet in actibus impudicis qui fornicationem præcedunt & subsequuntur; explicato enim actu principali, illi actus accessorij satis subintelliguntur, quia moraliter principali cohærent. *Nauarr. in Man. c.* 6. *n.* 17. & *in c. consideret n.* 48. *d.* 5. *de pœnit. Diana p.* 1. *tr.* 9. *res.* 42.

12. Circumstantia, *quomodo*, spectat ad modum, quo delictū committitur; & hæc potest aliquando speciem malitiæ variare, vt consistat in rapina siue furto violento, stupro violento, homicidio cum sævitia, aut feritate. Denique in omni peccato, sæpe ex formali legis contemptu, siue directa non obediendi intentione. Interdum verò intra eandem speciem operis malitiam auget, vel minuit; vt si peccatum sit commissum ex scientia ac mera malitia: an ex passione, ex culpabili ignorantia, ex metu mortis, ac grauis incommodi, & conscientia erronea, &c. *Suar. de pœn. disp.* 22. *sect.* 4. *n.* 12. *Cajet.* 1.2. *q.* 7. *art.* 1. *Fagund. præc.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 13. *Bonac. c. diffic.* 3. *n.* 3.

13. Circumstantia, *quando*, si sumatur pro temporis mora, qua actio durat, eius bonitatem vel malitiam accidentaliter auget: alioquin temporis circumstantia non reddit actionem moraliter meliorem, deteriorem ve; multò minùs nouam speciem addit, iuxta probabiliorem sententiam; vnde qui committit peccatum, puta, furti, fornicationis, in die festo, non tenetur hanc circumstantiam exprimere: quia circumstantia diei festi, non superaddit peccato distinctam specie malitiam, cùm non sit specialiter prohibitum in die festo fornicari vel furari; modò non exerceatur opus seruile, nec sacrum prætermittatur. Si autem circumstantia, *Quando*, adhibeatur ad explicandam circumstantiam temporis, neri potest, vt aliquando mutetur peccati species, vt si quis celebret post prandium, aut bis comedat in die ieiunij. *Vasq.* 3. *p. to.* 4. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 2. *n.* 36. & *dub.* 4. *m.* 24. *Diana p.* 1. *tr.* 7. *res.* 39. 32. *Nau. c.* 6. *n.* 10. *Henriq. l.* 5. *c.* 6. *n.* 6. *Fill. tr.* 21. *c.* 9. *n.* 347. *Ledes. in sum. to.* 1. *de pœn. c.* 19. *Fagund. præc.* 2. *l.* 4. *c.* 5. *n.* 20. *Suar. c. sect.* 4. *n.* 21.

14. Circa prædicta occurrunt quædam dubitatiunculæ breuiter resoluendæ.

Prima. An circumstantiæ generales sint exprimendæ, v. g. quòd peccauerit contra obedientiam, charitatem, gratitudinē, honorem Dei, perseuerantiam, charitatum sui exponendo se periculo æternæ damnationis, &c. Resp. Negatiuè, quia in omnibus peccatis mortalibus subintelliguntur, nisi quis aliquam ex his inordinationibus formaliter intendisset; nam tunc esset speciale peccatum, quod vocatur formalis inobedientia, formalis contemptus, &c. Ita *D. Th.* 2.2. *q.* 186. *a.* 9. *Syl. ibid. Suar. de leg. l.* 3. *c.* 28. *n.* 25. *Val.* 1.2. *d.* 7. *q.* 5. *punct.* 6. *Dian. p.* 1. *tr.* 7. *res.* 44. *Bon. to.* 1. *d.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *p.* 2. §. 3. *diffic.* 3. *n.* 23.

§. 1.

Secunda. An quando idem prohibetur à diuersis legislatoribus, Deo, Ecclesia, Principe seculari? Resp. quando idem scopus ab omnibus spectatur, non esse necessarium hoc in confessione explicare: nam homicidium prohibetur lege diuina & ciuili, cognitio articulorum fidei præcipitur lege diuina & Ecclesiastica, & tamen est vnum peccatum: at quando subest ratio peculiaris sanciēdi aliquam legem, v. g. cum Imperator belli, prohibet ne rustici in minima re lædantur, cùm Ecclesia aliquid statuit sub pœna excommonicationis, &c. peccatum contrahit nouam malitiam specialis inobedientiæ, quæ est explicanda. Ita *D. Th.* 1.2. *q.* 72. *a.* 6. *ad* 2. *Syl. ibid. Suar.* 3. *p. tom.* 4. *disp.* 22. *sect.* 4. *Bonac. to.* 2. *disp.* 2. *q.* 4. *p.* 3. *n.* 51.

§. 2.

Tertia. An varij tituli eiusdem obligationis sint explicandi, vt cùm quis vouit castitatem in sęculo, posteà in religione, & tandem fit Sacerdos? Respond. securiùs esse exprimere. Probabiliter tamen satisfaceret, qui fateretur se peccasse contra votum: quia omnia illa vota sunt eiusdem speciei, & circa idem obiectum: & non tenetur explicare circumstantiam sacrorum Ordinum vel professionis in religione. Ita *Henr. l.* 5. *de pœn. c.* 5. *n.* 6. *Sanch. de matr. l.* 7. *d.* 27. *n.* 27. *Fagund. præcep.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *m.* 6. *Diana p.* 1. *tr.* 7. *res.* 4.

§. 3.

Quarta. An cùm multa præcepta circa idem coincidunt, v. g. cùm vigilia S. Matthæi incidit in quatuor tempora, cùm festum in diem Dominicum, satisfaciat pœnitens dicendo in confessione, se in die festo, missam non audiuisse, vel in die ieiunij nō ieiunasse. Resp. Negatiuam sententiam probabilem esse, quam tenent. *Nau. in Man. c.* 11. *n.* 4. *Rodr. in sum. tom.* 1. *c.* 23. *n.* 4. *Coninch disp.* 2. *dub.* 6. *n.* 47. *Regin. l.* 6. *c.* 4. *n.* 129. quia licet rectitudo virtutis specie sit vna, numero tamen multiplicatur, & quamuis vnico ieiunio vel auditione vnius Missæ vtrique satisfaciat, trāsgressio tamen duplex videtur, quia sunt diuersi tituli obligantes. *Nihilominus* contraria sententia apud me probabilior videtur: tum quia ex diuersitate præceptorum non sumitur diuersitas malitiæ eiusdem actus: quamuis enim multiplicatio illa præceptorum malitiam transgressionis augeat, non ita tamen notabiliter aggrauat, vt sit necessariò in confessione detegenda. Ita *Henriq. l.* 5. *c.* 8. *n.* 2. *Lu. A. Fagund. præc.* 2. *l.* 4. *c.* 4. *n.* 7. quando est valde frequens: nam tunc valde aggrauat. Negant *Vasques* 3. *p. tom.* 4. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 3. *Suares* 3. *p. to.* 4. *disp.* 22. *sect.* 4. *num.* 15. *Reginaldus l.* 6. *n.* 138. *Claus Reg. l.* 5. *c.* 5. *num.* 8. *Sanches l.* 2. *moral. c.* 32. *num.* 45. *Diana p.* 1. *tr.* 7. *res.* 55. *Cæspensis tr. de peccat. disp.* 2. *sect.* 6. nisi quando consuetudo illa pec-

illa peccandi fuisset ex occasione proxima, quam pœnitens tenetur resecare: vel nisi iusta de causa interrogetur à confessario: Ratio illorum est, quia circumstantia relapsus non mutat speciem;& non potest afferri ratio, per se loquendo, cur pœnitens obligetur ad huiusmodi circumstantiam explicandam, modò cum debito dolore peccata commissa quoad numerum & speciem explicet, ac in posterum vitæ emendationem firmiter proponat. Alias enim si consuetudinem peccandi teneretur pœnitens aperire; idem esset quòd obligare illum peccata legitimè confessa iterum repetere; quod sanè nullo præcepto humano induci potest. Quòd autem pœnitens teneatur illam circumstantiam explicare, si à confessario interrogetur, ratio est, quia confessarius medici & iudicis vices gerit in hoc Sacramento, & cognita peccandi consuetudine, poterit pœnitenti diuersa remedia exhibere: v. g. peccatum mollitiei ex consuetudine patienti, frequentes confessiones cum vno eodemq; confessario bis aut ter in hebdomada, si opus fuerit, iniungere.

Ab hac tamen doctrina recedit Eximius D. Caramuel *in Scholio D. Bernardi ad reg. Benedictinam n.* 222. docens, si Confessarius roget pœnitentem, an habeat furandi consuetudinem; neget libere, & hoc sine vlla restrictione, tametsi consuetudinẽ habeat. Ratio ipsius est, quia illud tribunal institutum est pro peccatorum examine, iudicio, correctione; ergo semper Iudex inquirit & examinat res grauiter peccaminosas. Cum autem confessarius interrogat, an habeas furandi consuetudinem, cẽsendus necessariò est interrogare vt confessarius, hoc est, iuxta authoritatem sibi diuinitus concessam. Ergo censendus est petere. An habeas furandi consuetudinem, quæ sit grauiter peccaminosa. Cumq; non habeas talem sed potiùs quæ peccata diminuat, indifferentiam arbitrij remittendo, vere interrogationi respondes, si te illam habere neges. Hæc dicta sunto, pro Confessarijs imprudentibus, qui vexando pœnitentes limites suæ commissionis excedunt; hoc pro pœnitentibus, qui ad huiusmodi miserias adiguntur, vt debeant respondere imprudentibus interrogationibus. Hæc ille. Sed an probabiliter, remitto Doctorum iudicio; quia obstat contra hanc sententiam, communis, vt testatur Lugo de *pœn. disp. 14. sect. 10. n.* 172. dicens hoc esse contra omnes Theologos, contra praxim Ecclesiæ, & cõtra finem huius Sacramenti. Sententiam tamen Caramuelis docet etiam Sanc. *in Select. disp. 9. n. 7.* dicens, quòd si pœnitens probabiliter credat confessarium non impenturum illi absolutionem, si fateretur consuetudinem peccandi, potest æquiuocatione vtendo, negare consuetudinem; vt fiat sensus, *consuetudine careo peccandi non absolutè sed ad confitendum in præsenti*. Addit autem idem Author rarò practicè sequendum hanc doctrinam, nisi à pœnitente timoratæ conscientiæ; & eius scientiæ, quòd sciat discernere in quibus occasionibus id locum habeat.

§. 5.

Sexta. An qui in confessione dixit peccatum, oblitus est tamen alicuius circumstantiæ mutantis speciem, satisfaciat postea in alia confessione explicando grauitatem circumstantiæ oblitæ. Resp. Si circumstantia possit declarari nulla facta mentione talis peccati, non erit obligatio repetendi confessionem illius: si verò aliter explicari non possit circumstantiæ malitia, nisi vt coniuncta, & addita alteri peccato, tunc necessarium erit illam per modum circumstantiæ confiteri. Et ideò qui furatus est calicem, sed in confessione ex obliuione dixit se furtum commisisse, non expressa circumstantia calicis, hic in secũda confessione satisfacit dicendo, se mortale sacrilegium commisisse, vide *Nau. in Man. c. 6. n.* 20, *Suar. c. disp. 22. sect. 2. n.* 8. & 9. *Fill. tr. 7. n.* 80. *Dian. p. 1 tr. 7. res.* 45. *Reg. l. 6. c. 4. n.* 141.

Similiter si votum fuit non fornicandi, aut non furandi, optima esset confessio dicendo, toties admisi fornicationem, aut furtum, & toties fregi iuramentum, vel votum rei grauis. Quia quando malitia peccati, & circumstantiæ sunt separatæ possunt seorsum tanquam diuersa peccata in confessione exprimi.

§. 6.

Septima. An circumstantiam manifestatiuam cõplicis teneatur pœnitens in confessione explicare, quando complex apud confessarium est notus: & nullum damnum ex hac manifestatione sequitur complici, præter infamiam apud confessorem? Resp. Doctores communiter docere, debere pœnitentes in ea circumstãtia priùs quærere omnia remedia possibilia, vt ignoto confessario integrè confiteantur, ne cõplex sui delicti apud notum confessarium modo aliquo infamiam patiatur; petendo scilicet facultatem à proprio confessario, si parochus est, vt alteri confiteantur: vel expectando tempus quo possint commodè alterum confessarium ignotum inuenire; vel dissimulate habitu & voce apud notum confessarium confitendo. Si tamen nulla remedia inueniri possint, ne complex à confessario agnoscatur; quidam putant non solùm licere, sed etiam teneri pœnitentes ob solam & præcisam integritatem confessionis absque alia causa, semper circumstantiam complicis declarare, quando alius confessarius ignotus commodè haberi non potest. Ratio illorum est, quia in confessione numquam datur vera ratio infamiæ, & confessarius id cognoscit sub sigillo confessionis, quòd perinde est, ac si non nouisset, vel sciret. Hæc sententia est probabilis, quam tenent & defendunt *Suar. c. disp. 34. sect. 2. Vasq. 3. p. to. 4. q. 91. a. 2. dub. 3. Tol. l. 3. c. 8. Sa v. Confessio, n.* 17. *Reg. l. 6. c. 4. n.* 156. *Henr. l. 2. c. 9. n. 3. & 5.*

Sed contraria mihi probabilior videtur. Tum quia ex naturali & diuino iure tenemur conseruare illæsam famam proximi; hic autem non conseruatur fama proximi seu complicis; sed potiùs infamatur apud ipsum confessarium, quando confessarius illum agnoscit; nam licet id maneat sub sigillo confessionis, tamen negari non potest, id quidem intrinsecè malum, pessimum generare conceptum apud notum confessarium, de ipso complice, qui alioqui erat apud illum confessarium notũ in iusta possessione suæ famę, qua iniustè à pœnitente priuatur. Tum quia interdum etiam censetur notabilis infamia ad detrimentum proximi, si complicis crimen agnoscatur ab vno confessario, si sit Prælatus morosus & suspiciosus, ob sinistram opinionem, quam de suo subdito potest imbibere; quia plus interdum dolet subditus, à tali Prælato crimen suum agnosci, à quo pendet etiam in hoc foro conscientiæ, quàm à multis alijs in foro externo, à quibus non pendet. Tum quia præceptum non infamandi alterum, fortius est, (vtpote diuinum & naturale) præcepto integrandi confessionem, quod est diuinum positiuũ tantum; ergo in concursu horum duorum præceptorum, relicto præcepto minus forti de integritate confessionis, seruandum est aliud, de non infamando proximum; Et hanc sententiã ita veram aliqui existimant, vt doceant, nec etiam in articulo mortis, posse quemquam talem circumstantiam confiteri. Vide *Nau. in Man. c. 7. n. 3. & 4. & in c. Sacerdos, de pœn. d. 6. n.* 160. *Vig. c. 16. §. 4. vers.* 17. *Bann. 2. 2. q. 33. dub. 8. 1. p. initio Vsual. de confessio. n.* 49. *Med. in sum. l. 2. c. 4. §. 1. de complice. Dian. p. 1 tr. 7. res.* 49. *De la Crux in direct. p. 2. de pœn. q. 3. dub. 5. concl. 3. P. Nau. de restit. l. 2. c. 4. dub. 1. n.* 270. Quibus nouissimè subscribit Lugo *de Sacr. Pœnit. disp. 16. sect. 7. n.* 392. docens pœnitentem in tali casu peccare contra charitatem & iustitiam, & ideo teneri ad restitutionem famæ sui complicis dicendo confessario extra confessionem, sub eodem tamen sigillo. Erraui, dum tibi vnum complicem pro alio dixi. Et in casu, quòd impossibilis vel inutilis esset talis famæ restitutio, semper tamen pœnitens tenebitur impedire, vel resarcire omnia damna extrinseca quæ ex tali manifestatione iniusta complex patietur. Ita Lugo. Vide dicta *v. Detractio 1. num.* 11.

Vide *Actus humanus* 4. n. 15. & seq. *Contemptus* n. 6. *Impudicitia* n. 21. *Præceptum* n. 10. *Sacrilegium* 2. n. 6. *Scandalum. Stuprum* n. 1. & 5.

CLAVSVRA.

SVMMARIVM.

1. *Clausura monialium quid sit, & quo iure instituta.*
2. *Vtrum Ecclesia possit imponere perpetuam clausuram monialibus?*
3. *An præceptum clausuræ comprehendat omnes moniales?*
4. *Quis possit, licentiam dare monialibus, vt extra clausuram possint egredi.*
5. *Quæ sit causa legitima, ob quam monialibus possit concedi egressus è claustro.*
6. *An moniales egredientes sine legitima facultate extra clausuram, incurrant excommunicationem, & quibus pœnis afficiantur Prælati licentiam dantes extra casus permissos.*
7. *Pœnæ à iure statutæ contra ingredientes clausuram monialiũ sine licentia Superiorũ. Et an in ingressu vel egressu clausuræ monialium detur paruitas materiæ excusans à mortali & censuris?*
8. *Causa iusta ingrediendi monasteria monialium est necessitas*

monaſterij, ſeu monialium manifeſta. Et an ingredientes cum licentia teneantur ſtatim finito negotio exire. Et qui ſint illi caſus in quibus liceat ingredi?

9. *Quis Superior poſſit licentiam dare, ingrediendi monaſteria monialium: & an ipſemet poſſit ingredi ſine alterius licentia, in caſibus neceſſarijs.*

10. *An iure communi ſit prohibitum accedere ad Moniales: & an id prohibeatur Fratribus Minoribus ex vi regulæ?*

11. *An Prouinciales, Monſtri & Guardiani ex priuilegijs antiquis Pontificijs, poſſint licentiam dare Fratribus accedendi ad Moniales.*

12. *Ponitur decretum ſacræ Congregationis Cardinalium, ſtrictius prohibens acceſſum ad moniales. Et an obliget ad mortale.*

13. *An hoc decretum ſit vſu receptum in Germania, Gallia, & Belgio apud ſeculares & regulares.*

14. *An ingreſſus mulierum in clauſtra virorum regularium, ſit prohibitus ſub peccato mortali & excommunicationis cenſura.*

15. *Quas pœnas incurrant mulieres ingredientes monaſteria virorum, & religioſi illas admittentes. Et qua loca veniant nomine Monaſterij.*

16. *An pœna priuationis officiorum & inhabilitatis ad illa, incurratur abſque ſententia Iudicis declaratoria criminis; refertur* duplex ſententia.

17. *Quis abſoluat ab excommunicatione hac dum publica eſt, vel eſt deducta ad forum contentioſum.*

18. *Quis poſſit diſpenſare in pœnis priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa.*

19. *In quibus caſibus ſit licitus ingreſſus fœminarum in virorum Monaſteria.*

20. *An religioſis iure ſit indicta clauſura: & quale ſit peccatum in religioſis, violatio illius clauſuræ.*

1. CLauſura Monialium ſolo iure humano poſitiuo inſtituta fuit, vt patet ex multis decretis & Conſtitutionibus variorum Pontificum *Bonifacij VIII. c. periculoſo, de ſtatu regul. in 6. Pij V. circa Paſtoralis. Greg. XIII. Deo ſacris Virgin. Tamburini, de iure Abbatiſſar. diſ. 18. quæſ. 3. n. 3.* & ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. c. 5.* contra nonnullos, qui dixerunt clauſuram Juris eſſe diuini, imò & naturalis; quia aliàs nequirent Pontifices, vel Concilium moniales adigere ad clauſuram ſeruãdam, cùm eam numquam voto & profeſſione promiſerint. Sed hæc ſententia non eſt tenenda, cùm ex ſacris Literis, aut ex traditione aliqua diuina, eiuſmodi clauſura clarè deduci non poſſit: præſertim cùm à primis Monialibus per Apoſtolos conſecratis minimè ſeruata fuerit.

In Monialium clauſura duo inhibentur. *primum*, monialium extra Monaſterium egreſſus; & aliorum cuiuſcumque ſexus intra monaſterium ingreſſus. Nomine verò *Clauſuræ*, intelligitur ſpatium, quod intra ianuam monaſterij ſemper clauſam continetur; Termini verò & limites iſtius clauſuræ complectuntur omnia monaſterij loca, quæ ianua clauſa continentur, & ad quæ ſæculares non admittuntur. Conſulantur *Nau. c. ſtatuimus 19. q. 3. n. 29. comm. 4. de reg. Rodr. to. 1. qq. reg. q. 44. a. 1. Mar. de ſacr. mon. q. 1. a. 1. Azor. to. 1. l. 13. c. 8. q. 2. Suar. de rel. to. 4. l. 1. c. 8. Sanch. l. 6. mor. c. 15. n. 3. Port. in dub. reg. v. clauſ. mon. Tamb. de iure Abbatiſſar. diſ. 18. q. 1.*

2. Extra controuerſiam eſt Summum Pontificem prohibere poſſe aliarum vtriuſque ſexus perſonarũ ingreſſum in Monialium monaſteria; cum ingreſſum in domum ſuam inhibere valeat Paterfamilias; ſicut quilibet Prælatus regularis in ſibi ſubditis monaſterijs hunc ingreſſum interdicere poteſt; Sed quantùm ad Monialium extra Monaſteria egreſſum, fuit difficultas non paruaian vbi numquam ſeruata eſt clauſura, ſeruari nunc debeat: videri poteſt quòd eiuſmodi moniales non poſſint cogi ad clauſuram, tum quia obligatio voti ex propria voluntate & intentione cauſatur, vnde conſequens eſt vota non obligare vltra intentionem vouentis; at intentio monialium quando vouebant, non fuit ſe obligare ad clauſuram, ergo ad eam non poſſunt obligari; tum quia nullus eſt cogẽdus ad amplius quàm promiſit. Tum quia Trid. *ſeſſ. 25. c. 5.* ſolùm iubet clauſuram ſeruari vbi ſemper ſeruata eſt, & vbi eſt violata reſtitui: At non dicitur violari, nec reſtitui, quod numquam fuit. Ergo conſequens eſt Moniales non poſſe compelli ad clauſuram ſeruandam.

Propter has rationes, quidam vt docet *Bannes* infrà, non ſine temeritate decretum hoc Tridentini, audet in dubium vertere, an Summus Pontifex, perpetuam clauſuram præcipere poſſit Sanctimonialibus, quæ illam non ſunt profeſſæ. Sed mirum eſt, inquit, quòd hæ rationes apud viros aliàs doctos probabiles videantur, & propter illas, mirabiles gloſſas & intelligentias ad prædictum decretum proferant; cùm tamen Concilium, & poſteà Summi Pontifices *Pius V. & Greg. XIII.* proprijs motibus, nulli dubio locum relinquant. Concludendum eſt ergo, Eccleſiam omnibus monialibus cuiuſcumque ſint ordinis, eis etiam quę non vouerunt, neque vnquam ſeruauerunt perpetuam clauſuram, illam imponere poſſe; ac per conſequens poſſe moniales à Superioribus compelli ad clauſuram ſeruandam, etiamſi hactenus eam non ſeruauerint, & ſi nolint obedire, grauiter peccare, vtpote agentes contra legitimum mandatum Superioris in re notabili. Ratio eſt, quia tenentur omnes Religioſi & Moniales obedire non ſolùm in ijs quę directè in regula continentur, ſed etiam quæ indirectè; hoc eſt, quæ conducunt ad commodiorem regulæ obſeruantiam; & hæc dici nõ debent ſupra regulam, ad quæ non tenentur, ſed omninò ſecundùm eam; *Leſ. l. 2. c. 11. dub. 9. Hier. Rodr. in comp. reſ. 26. nu. 2. Syl. v. rel. 7. n. 16. Bon. de clauſ. q. 1. p. 2. Bann. 2. q. 1. a. 10. dub. 6. §. ex dictis ſequit. Tamb. de iur. Abbatiſſ. diſ. 18. quæſ. 4.* Quis enim non videt (experientia teſte) clauſuram eſſe neceſſariam ad cuſtodiam caſtitatis; quam moniales vouerunt. Si dicas prædictum decretum Concilij & Pontificias conſtitutiones non eſſe vſu receptas? Reſpondet *Syl. 2. 2. q. 104. ar. 5. Sanch. c. n. 4. Azor. to. 1. l. 13. c. 8. q. 1.* quibuſdam in locis eſſe receptas: vbi autem non ſũt vſu receptę, Moniales clauſuram non ſeruantes, à peccato quidem excuſantur, quamdiu ipſis à legitima poteſtate, hoc eſt, ab Epiſcopis alijſque ſuis ſuperioribus non præcipitur. Sed quando hoc eis per ſuos Superiores mandatur, debent obedire. Quando verò expediat præcipere contradicentibus ex rerum, temporum & perſonarum circumſtantijs iudicãdum relinquimus. Ita ille. Cuius ſententiæ adhærent communiter Doctores numero primo citati, quibus adde *Leſſium, Syl. Bonac. Bannem*, ſuprà.

3. Quamuis *Bonifacius VIII. c. periculoſo, de ſtat. reg. in 6.* omnibus monialibus præceptum impoſuerit clauſuræ: eius tamen Decretalis per contrariam conſuetudinem ſcitam & notam ipſis Romanis Pontificibus in Gallia, Hiſpania, Germania derogata fuit; vnde *Cordub. annot. ad collect. prax. v. clauſ. not. 1.* doctrina eſt quòd illud ius commune in *c. periculoſo, de ſtatu reg. in 6.* non comprehendat Tertiarias in communi viuentes, tria vota ſolemniter emittentes; Tum quia illarum regula per *Leonem X.* edita & confirmata poſt illud *cap.* conceſſit eis, quòd non teneantur ad clauſuram niſi illæ, quæ clauſuram vouere voluerint: idem dicit de alijs multis monialibus aliorum ordinum, puta *Beati Bernardi & B. Benedicti.* Tum quia ſecundum *Cucc. in ſum. v. Monach. & Moniales.* iura non recepta tanto tẽpore, inuitta ſunt: nec ſufficit eſſe ſcripta & inſerta in corpore Juris, & eſſe rationabilia. Verum poſt Concil. Trident. & conſtitutiones *Pij V. & Greg. XIII.* ſuprà dictas dicendum eſt, omnes & ſingulas Moniales cuiuſcunq; Ordinis ſint, etiam Cõuertas & Tertiarias, poſt profeſſionem teneri onere clauſuræ, modò in congregatione viuant. Nouitiæ tamen non tenentur ad clauſuram, quia in iure ſermo eſt de profeſſis non de nouitijs; vt docent *Suar. c. n. 14. Mar. c. a. 3. Rodr. c. a. 2. Sanch. c. n. 13. Tamb. c. diſ. 18. quæſ. 5. & 6. Hurtad. Rodr. reſ. 26. n. 2.* Ratio eſt, quia Concilium explicans qualiam Moniales prædictum decretum comprehendat, & qualiter clauſura prædicta obſeruanda ſit, ait; *Nemini autem Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem exire à monaſterio: etiam ad breue tempus quocumque prætextu*, &c. Aduertendum tamen hic eſt ex Extrauaganti *Pij V. & Gregor. XIII.* quòd ſi prędictę Moniales indigeant, quòd conuerſę profeſſæ ad conuentus neceſſariam ſuſtentationem, colligant fidelium eleemoſynas, quæ eiuſmodi miniſterio deſtinantur, non poſſunt intra Monaſterium degere, ſed extra; in domibus contiguis debent commorari, & inde ad congregandas eleemoſynas, eisdem exire licebit; modò ſint annorum quadraginta. Vide *Murandum* citatum *q. 1. art. 5.*

4. Ordinarius qui licentiam dare poteſt Monialibus, vt extra clauſuram poſſint egredi, eſt Epiſcopus, vel eius Vicarius generalis, & ſede vacante Capitulum pro ſibi vel Sedi Apoſtolicæ ſubiectis; vt decernitur in Tridentino. Pro exemptis verò quæ regularibus ſubduntur, attento motu proprio *Pij V.* qui incipit, *Decori & honeſtati*, eſt Generalis, Prouincialis, vel alius Prælatus immediatus, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habens, &

bens, & præterea Episcopus vel eius vicarius generalis, vbi prædictus motus proprius vsu receptus est. Sed quia multis in locis vsu receptus non est, consequenter dicendum est in Monasterijs exemptis, & regularibus subiectis non esse necessariam Episcopi licentiam, sed sufficere facultatem Generalis, aut Prouincialis, aut Superioris loci Monasterij, iurisdictionē quasi Episcopalem habentis. Ratio est; quia cōsuetudo est optima legum interpres, & quantùm ad hoc, præfata constitutio multis in Prouincijs non est recepta, nec posita in praxi, vnde per non vsum iam omninò vim amisisse obligandi videtur. Ita *Mir. and. tr. de sacr. Mon. q. 3. ar. 6. Sanch. l. 3. mor. c. 15. n. 28. Suar. de rel. to. 4. l. 1. c. 9. n. 13. Azo. to. 1. l. 13. c. 8. q. 1. Rodr. to. 1. qq. reg. q. 49. a. 6. Bon. de clausur. q. 1. p. 8. Tamb. de iur. Abb. u. disp. 20. quæs. 5. & 6.* Aduertendum hic est, licentiam Superioris pro Monialibus, ad hoc vt in casibus licitis exire possint è Monasterio, necessariò esse debere in scriptis; vt habetur expressè in dicta constitutione *Pij V.* & colligitur ex Tridentino. Si enim ad ingressum cuiuscumque personæ in Monasterium, idipsum requiritur, quanto magis ad Monialium exitum; quæ grauior res est: vt adnotant *Nauar. c. 27. n. 60. Port. v. claus. mon. n. 26.*

5. Causa legitima ob quam Monialibus concedi potest egressus è claustro, in motu proprio *Decori & honestati. Pij V.* exprimitur. Prima est, *Magnum incendium*. Sed nomine autem incendij magni, intelligitur incendium ita magnum & euidēs, vt certum sit, aut saltem probabile multum videatur esse, quòd nisi Moniales omnes statim à monasterio exeant, omnes simul morituræ, atque consumendæ; quòd si ignis intus ardens potest extingui, ipsis Monialibus intra Monasterium manentibus non possint egredi etiam cum licentia Prælatorum. Secūda causa est, *Infirmitas lepræ*: id est, infirmitas adeò contagiosa, quod si ipsius radix, & origo foras non eijciatur, hoc est, Monialis eiusmodi morbo infecta, citò omnes Monasterij eiusdē sorores inficiet, proindeque cunctæ peribunt: vnde quælibet scabies incurabilis, lepra dici non debet. Tertia causa est, *Infirmitas Epidemiæ*. Nomine autem Epidemiæ, intelligitur morbus contagiosus, communitati pernicios us, & præiudicialis, qui populariter grassetur in populo, maioremque ægrotorum partem quos apprehenderit interimit; vt est pestis, morbus Gallicus, morbus D. Lazari, ignis S. Anthonij, & similes; Si tamen Moniales curari possint in Monasterio, absque aliarum infectione, non possunt è Monasterio exire, quia cessat iusta exeundi causa. Sic communiter Doctores explicant motum *Pij V. Gutt. in qq. C. anon. c. 14. n. 8. l. 1. Rodr. c. q. 49. art. 2. 3. & 4. Collect. priu. v. clauſ. Mon. post. §. 5. Leym. l. 4. tr. 5. c. 12. n. 1. Sanch. c. nu. 35. Tamb. c. disp. 20. quæs. 1.*

Sed est difficultas, an tres illæ exceptiones Epidemiæ, lepræ & incendij contentæ in prædicta Extrauagante *Pij V.* extendēdæ sint ad alios casus similes, vel vrgentiores. Quidam enim hanc extensionem negant, quia motus proprius rigidissimis verbis vtitur, dicens *nulla alia occasione & prætextu*, præterquā illius triplicis infirmitatis, licere exitum: vbi apertè quamcumque ad alios casus extensionem excludit: vtens dictione taxatiua, *nulla*, &c. Ea enim est negationis natura, vt quidquid post se inuenit, destruat, eiusq; oppositum ponat. Hæc sententia procul dubio est probabilis & iuri conformis, quam tenent & probant *Gutt. c. c. 14. n. 7. Mir. c. q. 33. a. 4. c. 1. collect. priu. Mend. v. clauſ. Mon. Cordub. ibid. Zer. in prax. Epiſ. 1. p. v. Mon. quæſt. 16. dub. 2.* dicens sic declarasse Sacram Cardinalium Congregationem.

Nihilominus contrarium vsu receptum est in nonnullis casibus. Tum quia licet dictio taxatiua extensionem ad alios casus admittere non soleat: nihilominus id fallit; dum aliter vsu receptum est, vel dum aliter ex rationabili superioris voluntate colligitur, dum eadem, vel vrgentior ratio militat. Huius sententiæ sunt *Rodr. c. q. 49. a. 5. Nau. in c. ſtat. n. 49. Bon. c. pu. 9. me. 6. Sua. c. n. 8. & ſeq. Sorb. in add. ad compend. v. Ingred. monaſt. nu. 6. Sanch. c. n. 37.* Casus autem similes præcedentibus ab his Doctoribus enumerantur. *Primo*, dum bellum contra hæreticos aut infideles geritur, periculumque est, vt nisi Moniales Monasterio egrediantur, graui damno afficiantur. *Nau. com. 4. de reg. n. 48. Azor. p. 1. l. 13. c. 8. q. 1. Sanch. c. n. 44. Secundo.* Dum totus Monialium conuentus in alium locum de consensu Episcopi transfertur. *Sorb. v. clauſ. caſu 6. ex Trid. ſeſſ. 25. cap. 5. Tertiò.* Dum propter feudum tenetur Abbatissa, vel Priorissa præstare iuramentū fidelitatis alicui Domino sæculari, & illud per procuratorem præstare nequit. *Cap. periculoſo, §. verum, de ſtatu reg. in 6. Quarto.* Dum aliquod eiusdem ordinis Monasterium est reformandum, vel fundandum, vel si Monialis ad aliud eiusdē ordinis & habitus Monasterium, in quo nulla Monialis ad Abbatissæ munus habilis reperitur, transferatur, vt sit Abbatissa, vel nouitiarum Magistra, vel vt ianuę præficiatur. *Rodr. c. quæſt. 49. art. 5. Miránd. c. q. 3. art. 3. Sorb. c. Sanch. n. 45. & ſeq. Tutius* tamen est in his Sedem Apostolicam consulere; quia ex Decreto *Pauli V.* publicato à Sacra Congregatione Episcoporum & Regularium sub *die* 22. *Decemb.* 1617. ac intimato Procuratoribus Generalibus Ordinum, *Non possunt Moniales quacumque occasione transferri de Monasterio ad Monasterium sine speciali licentia Sedis Apostolicæ, toties quoties obtinenda, neque ratione Prioratus vel alterius officij quibuscumq; in contrarium non obstantibus. Lucas Castell. tr. de elect. c. 7. Diana tract. de dub. reg. reſ. 99 Port. in dub. reg. v. clauſ. mon. n. 21. Tamb. c. disp. 20. q. 2.*

Quando necessitas è claustro exeundi manifesta est, & superior tunc pro licentia petenda adiri non potest absque graui periculo, ratione longæ distantiæ ipsius, licitum est monialibus eo inconsulto egredi; quia necessitas caret lege. Moniales tamen tenentur id superiori significare si possint, durante egressu. Vide *Sylueſt. v. rel. 7. q. 16. Rodr. c. a. 2. Sanch. c. nu. 62. Compend. priu. Mend. v. clauſ. Mon. caſu 1. Tamb. c. disp. 20. quæs. 5. num. 3. & 4. Lez. to. 3. ſum. v. clauſ. n. 10.*

Sed quæres, an monialis afficiatur excommunicatione, si grauida effecta sine legitima licentia è clausura exeat, vt fœtum edat, & delictum suum abscondat? Resp. Affirmatiuē, nisi inde timeat mortis periculum, quia solùm propter illum timorem excusari potest à fractione clausuræ tam necessariæ pro rem excusari potest à fractione clausuræ tam necessariæ pro bono regimine monialium. Tamburinius *disp. 19. quæſt. 4. in ſolut. ad 12.*

Multò minùs excusari potest monialis à transgressione clausuræ, si exeat sine legitima licentia propter habendam eurām neporum, etiam omni auxilio destitutorum, vel aliorum consanguineorum infirmorum; quia illi casus non excipiuntur à *Pio V.* in Constitutione supradicta, & clausuræ præceptum strictissimè obligat moniales. *Barbos. in collect. Bullar. v. monial. clauſ. circa egreſſ. Ben. c. q. 1. p. 9. n. 4. & 5.*

6. Moniales egredientes sine legitima facultate à clausura extra casus permissos, per Constitutionem *Pij V.* quæ incipit, *Decori & honestati* sunt ipso facto excommunicatæ maiori excommunicatione Papæ reseruata; & in eamdem incurrunt Prælati eisdem exeundi licentiam quocumq; modo concedentes, nec non & ipsas concomitantes, ac personas illarum recentes, nec non & ipsas concomitantes, ac personas illarum receptatrices. Et insuper tam egressas, quàm Præsidentes, & alios superiores, eis licentiam huiusmodi concedentes, dignitatibus, officijs & administrationibus per eas, & eos tunc obtentis, prædictus Pontifex priuat, & illas & illos ad obtenta & alia in posterum obtinenda inhabiles declarat.

An autem qui causa vrbanitatis, vel amicitiæ, vel honoris vel consanguinitatis Monialem illicitè egressam comitatur vel recipit, incurrat prædictas pœnas? dicendum est quòd non; modò non cooperetur egressui, vel perseuerantiæ in egressu. Ratio est, quia excommunicationem latam in hæreticorum receptatores, illi soli incurrunt, qui receptant vt hæreticos, id est, fauendo aliquo modo hæresi; ergo similiter illi soli receptatores, & comitantes his pœnis subdentur, qui recipiunt Monialem egressam, fauentes aliquo modo illius delicto. Sic *Rodriques c. quæſt. 49. art. vlt. Nauarr. comm. 4. de regul. numer. 51. Azor. c. l. 13. cap. 8. quæſt. 1. fin. Graffius 1. p. art. lib. 4. cap. 23. numer. 17. Miranda tractat. de ſacris Monial. quæſt. 3. art. 7.*

7. Omnibus personis cuiuscumque generis, conditionis, sexus, vel ætatis fuerint, postquam ad rationis vsum peruenerint, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ Summo Pontifici reseruatæ, prohibetur, ne intra septa Monasterij Monialium ingrediantur, sine licentia ob casum aliquem necessitatis in scriptis obtenta, ab Episcopo vel à Prelato Ordinis; cui Monasterium exemptum subest. Hæc colliguntur tum ex *cap. periculoſo, de ſtatu regular. in 6.* ibi: *Nulli aliquatenus inhonestæ personæ, vel etiam honestæ ingressus, vel accessus pateat ad easdem Moniales.* Tum ex Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 5.* ibi; *Ingredi intra septa Monasterij nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia, in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessarijs.* Idem confirmauit *Greg. XIII.* in quodam motu proprio, qui incipit. *Ubi gratia*, augens pœnas ingredientibus, & ipsis Monialibus, quæ in-

gredientes admittunt. Et *Pius V.* in ſuo motu proprio, qui incipit, *Circa paſtoralis*, innouauit & confirmauit omnia contenta in *cap. periculoſo*. Ex quibus prohibitionibus colligere eſt, ingredientes abſq; licentia, & indebitè, incurrere excommunicationem, & priuationem officiorum, & inhabilitatem ad futura officia; quæ ſunt tres pœnæ valde diuerſæ, & conſiderandæ pro diuerſis remedijs. Vt tamen incurrantur hæ pœnæ requiritur præſumptio & dolus; ſi enim quis credens ſe habere cauſam iuſtam & licentiam, quæ à parte rei tales non ſunt ingrediens non incurrit prædictas pœnas, quia non facit præſumens: imò à mortali excuſatur culpa ob bonam fidem. Ita *Rodriq. c. q. 47. a. 2. Nauar man. c. 27. n. 109.*

Sed petes, an Prælatus, vel alius indebitè præſumens & ad libitum iubeat, aut conſulat, vt aliquis intret clauſuram monialium, incurrat prædictas pœnas? Reſponſio eſt negatiua, quamuis malè iubens, vel cõſulens peccet mortaliter. Ratio eſt, quia nulla excommunicatio hic poſita ligat mandantes, vel conſulentes, ſed ſolùm ingredientes: lex autem penalis eſt reſtrigenda, non extendenda: & excommunicatio contra facientes lata non ligat mandantes, niſi lex illud exprimat; quia cenſura non debet extendi de vno caſu ad alium, vt dictum eſt ſupra *v. cenſura n. 30.* Sed hæc reſponſio limitari debet iuxta proximè dicẽda, vt ſcilicet nõ intelligatur in caſu motus proprij Greg. XIII. hic citati, qui ſub his pœnis comprehendit etiam quoſcumque permittentes vel ingredi facientes dictam clauſuram ſub prætextu licentiarum & facultatum Apoſtolicarum. Vt videre apud *Sanch. l. 6. mor. c. 16. n. 84. & c. 17. n. 35.*

An autem excommunicationem & alias pœnas *Greg. XIII.* & *Paul. V.* in conſtit. que incipit. *Monalium ſtatus.* incurrãt ingredientes Monaſteria Monialium, non prætextu licẽtiarum, ſed abſq; vlla prorſus licentia, etiam ad malum finem, Duplex eſt ſententia. Prima aſſerit omnes illicitè ingredientes & admittentes comprehendi; tum quia longè grauius delictum eſt ingredi, abſq; vlla prorſus facultate, & ſic ingreſſum admittere, quàm innitendo ſuperioris facultatibus. Ergo à fortiori ille ingreſſus, illaq; admiſſio, comprehenduntur ſub his penis. Tum quia lex quantumcumq; penalis extenditur ex rationis identitate ad ſimilem caſum, & maximè ſi eadem ſit ratio illa expreſſa. Huius ſententiæ ſunt *Nauar Man. c. 27. ſub n. 150. Gutier. qq. can. l. 1. c. 10. n. 3. Azor. 1. p. l. 13. c. 8. q. vl. Quaranta in ſum. bull. v. ... monaſteria monial.*

Mihi tamen contraria ſentẽtia probabilior eſt; quia cùm excommunicatio ſit pœnalis, non eſt amplianda, ſed potiùs reſtringenda, nec extendenda ad alium caſum, etiamſi ei ſit ſimilis, aut etiam maior ratio. Non enim eſt nouum, minora delicta aliquibus pœnis in iure ſubijci; ob aliquam ſpecialem rationem in eis concurrentem, vt hic contingit, propter maiorem ingrediendi audaciam, quæ reperitur in habentibus eas facultates: deinde non eſt certum legem penalem extendendam eſſe quoad pœnam in ea contentam, ad caſum non expreſſum, etiamſi in illo eadem inueniatur ratio; imò oppoſitum eſt verius, vt docent *Suar. de cenſ. diſ. 22. ſect. 6. n. 11. & ſeq. Sayr. de cẽſ. l. 3. c. 31. n. 10. Rodr. to. 1. qq reg. q. 47. a. 1. Dian. p. 2. tr. 2. miſ. reſ. 30. Sanch. l. 6. mor. c. 16. n. 78. Miranda tr. de Monal. q. 2. a. 10. concl. 1. Barb. de poteſt. Epiſ. p. p. 3. alleg. 10. n. 37. Tamb. c. diſ. 22. q. 1.* & alij permulti ab ijs citati. Solum ergo incurrunt pœnas bullæ *Gregorij* admittentes & ingredientes prætextu facultatum, non autem, qui admittunt & ingrediuntur ſine licentia, etiamſi ingrediantur & admittantur ad malum finem. Præterea eſt aduertendum ſecundùm *Suar. de rel. to. 4. l. 1. c. 7. n. 5. Sanch. c. n. 2. Rodr. to. 1. qq. reg. q. 48. a. 1. Dian. p. 2. tr. 2. reſ. 67. Tamb. c. diſ. 24. q. 20.* ſub prædicto motu proprio *Greg. XIII.* & prohibitione Concilij Tridentini, non comprehendi Reges, Reginas, Imperatores, Imperatrices & eorum filios & filias: Conſtitutio enim pœnalis non comprehendit perſonas tantæ notæ, & tam inſignes. Licet aliqui contradicant. Porro hæc prohibitio minimè ad pueros nondum rationis vſum adeptos extenditur; quia infantes, qui rationis vſum nondum nacti ſunt, non ſunt capaces præcepti, neq; cenſuræ, vt docet noſter *Sorb. v. ingreſſus. n. 2.* An autem amentes ſub hac prohibitione contineantur; dicendum eſt quod ſic, ſi pubertatem nacti ſint: quamuis enim ipſi culpæ incapaces ſint, eam tamen incurrent, qui eorum ingreſſus cauſa fuerint. Ratio eſt, quia hi ad peccatum incitare queunt, occaſionem peccandi alijs præbendo, tumultum excitare, perturbare Moniales, turpiter iocari, loqui turpia, iocoſa & vana, & alia id genus plurima religionis honeſtati & decentiæ valde diſſona. Ita *Nauarrus, Sanchez, Rodr.* ubi ſupra.

a. 1. Sanch. c. n. 8. Tamb. c. diſ. 22. q. 5. contra *Azor. 1. p. l. 13. c. 8. q. 5.*

Sed rogabis an in ingreſſu, vel egreſſu clauſuræ Monialium detur paruitas materiæ excuſans à peccato mortali & cenſuris? Reſp. tranſgredientes clauſuram modico ingreſſu & egreſſu, excuſari à culpa lethali, & à cenſuris in tranſgreſſores latis; quia modicum ab his excuſare ſolet: nempe quando hæc non ſunt perfecta & conſummata, ſed ſemiplena: quia nimirũ pars corporis eſt intra, pars autẽ extra; nec aliquid refert, an maior corporis pars ſit intra aut extra; dum enim totum corpus non eſt intra aut extra; non ſunt perfecti ingreſſus & egreſſus, vt culpæ lethali & cenſuris ſubiantur. Ita *Sanch. l. 6. mor. c. 16. n. 70. Tamb. c. diſ. 19. q. 4. ad 1. caſum.* contra *Graff. 1. p. deciſ. l. 4. c. 23. n. 25.* qui illud modicum exiſtimat, quando ad duos ſolos pedes eſſet intra vel extra portæ clauſuram: ſed hoc non eſt admittendum; quia cùm hic ſit verus intra clauſuram ingreſſus, vel ex ea egreſſus, ſufficiens eſt ad culpam lethalem, & cenſuras incurrendas: Nec modicum reputatur, quando perfecta tranſgreſſionis ratio in illo reperitur; vide *Dian. p. 5. tr. 5. reſ. 22.* Hinc Monialis: quæ virili more quaſi equitans inſidet muro Monaſterij non frangit clauſuram, quia reuera non exit perfectè extra clauſuram; *Tambur. de iur. Abbatiſſar. diſp. 19. quæſ. 4. in ſolut. ad 7.* Similiter dum monialis exiſtit in aperto oſtio Monaſterij non violat clauſuram, dummodò perfectè non ſit egreſſa; ſicut nec ſi impulſu brachiorum & per ioçum inuita extra ſepta Monaſterij compellatur. Naldus *v. Clauſura n. 1.*

8. Neceſſitas Monaſterij; ſeu Monialium manifeſta, cui aliter commodè occurri non poteſt, quàm ingreſſu extraneorum in Monaſterium, cauſa iuſta eſt, ob quam ingreſſus in Monaſterium Monialium conceditur. Ratio deſumitur tum ex motu Gregorij; *vbi gratiæ*, tum ex Tridentino *ſeſſ. 25. c. 5.* Nec iſta neceſſitas ſumenda eſt logico vel Metaphyſico modo, id eſt, vt ſit extrema, ſeu ſtrictiſſima, ſed ſatis eſt neceſſitas moralis; quia præcepta Eccleſiaſtica tantùm neceſſitatem moralem ad excuſandam tranſgreſſionem petunt. Non tamen quæcumque cauſa, quæ rationabilis ſuperiori aliàs fortè viſa fuiſſet, hoc tẽpore ſufficit, ſed opus eſt vt moralis neceſſitas ſubſit. Ita *Sanc. c. n. 39 & 40. Bon. de clauſ. q. 4. p. 4. Rodr. c. q. 48. a. 4. Mir. de monial. q. 2. a. 4. conc. 2. Port. de dub. reg. v. Clauſ. Monial. n. 4. Tamb. de iure Abbatiſſar. diſ. 24. quæſ. 1.* qui minorem cauſam & neceſſitatem requirunt, vt intrent mulieres, quàm vt intrent viri. Neceſſitas verò manifeſta dicitur, non ſolùm dum à toto populo ſcitur; verùm etiam, dum ſoli Prælato licentiam concedenti nota eſt: vnde non opus eſt, vt cauſa ſit omninò euidens & certa, ſed ſatis eſt, vt illam iuſtam & ſufficientem eſſe probabiliter Prælatus opinetur.

Hinc iuſtam ingreſſus cauſam habent, *Primo*, medici, chirurgi, barbitonſores, medendo infirmitati monialium neceſſarij, Pharmacopolæ; Similiter & Fabri, cœmentarij, & miniſtri neceſſarij alicui ædificio monaſterij. *Tamb. de iur. Abbatiſſar. diſ. 20. q. 6. Nau comm. 4. de reg. n. 59. Mir. and. de Monial. q. 2. a. 17. Sanch. l. 6. c. 16. n. 43. Secundo.* Confeſſarij dum alicuius Monialis confeſſionem excepturus eſt, quam commodè ad feneſtellam audire non poteſt, vt ſi Monialis ſit ſurda, vel ob infirmitatẽ decumbat in lecto: eamdem iuſtam habent cauſam miniſtraturi Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ-vnctionis infirmis. *Bon. de clauſ. q. 4. pu. 4. n. 4. Port. de dub. reg. v. clauſ. Monial. n. 9. Rodr. to. 1. qq. reg. q. 46. a. 4. Mir. c. a. 17. in prima caſu. Villalo. in ſum. to. 1. tr. 35. diſſic. 47. Dian. p. 3. tr. 2. reſ. 67. Tamb. c. diſ. 24. quæſ. 2. & 5.*

Si petas, quoties confeſſarius, aut miniſtraturus Euchariſtiam, ingredi poſſit? Reſpon. hoc licitum eſſe, non ſolùm, dum Monialis ex præcepto confiteri tenetur: ſed etiam dum id facit ex præſcripto regulæ, vel ex peculiari deuotione, vel conſolatione; quia iuſtum eſt, triſtitiam infirmæ, tam ſalutari medicina leuari, & rationi conſonum eſt, illas hoc ſolatio non deſtitui. Poſſunt etiam intrare confeſſarij in articulo mortis, vt aſſiſtant Moniali morienti, & dicant officium agoniæ vel ſepulturæ: & quidem quando Sacerdos eſt Euchariſtiam aut extremam vnctionem miniſtraturus, poteſt cum ſocio ingredi, qui Sacramenti miniſterio inſeruiat; quia indecens eſt, & a more Eccleſiaſtico alienum, fœminam huic miniſterio inſeruire: nec in his caſibus neceſſaria eſt licentia, vt ſocius ingrediatur, ſed ſufficit licentia ipſi Sacerdoti expliciteconceſſa; quia hæc etiam ad ſocium extenditur; quia in huiuſmodi caſu, ob actionis connexionem, ſocius in priuilegio comprehenditur. Item ad aperiendum ſepulchrum poſſunt intrare ſæculares neceſſarij. Non poteſt tamen confeſſarius clauſuram ingredi ſub prætextu exorcizandi aliquam

Monia-

Monialem energumenam ; vt declarauit Sacra Congregatio apud Barboſam *in Collectan. Bullar. v. Monialium clauſura circa egreſſum IV.* his verbis. *Monialis nulla energumena intra monaſterij ſepta à quocumque Presbytero ſeculari, vel regulari, etiam Confeſſario exorcizetur, ſed ad Eccleſiam exteriorem eiuſdem monaſterij, obtenta prius à Sacr. Congregatione licentia, ea de cauſa deducatur, vel tranſferatur: in tranſlatione autem huiuſmodi, ſicut & in actu exorcizationis honeſtæ perſonæ conſanguineæ, vel aliæ mulieres prouectæ ætatis, ac probæ converſationis energumenam comitentur exorciſta ſit ad actum huiuſmodi ab Ordinario approbatus: exorcizatio maneat, quo poterit, fiat ſtrepitu, Eccleſiæ ianua eouſque occluſa remaneat, quouſque exorcizatione completa ad Monaſterium energumena reducatur. Cæterum tam in reditu, quàm in acceſſu ad Eccleſiam, & Monaſterium reſpectiuè, rectè & ſine diuerticulo tendatur.*

Tertio, Superioribus licet ingreſſus cum comitatu præſcripto à *Gregorio XIII. in bulla vbi gratia.* cauſa viſitandi officinas conuentus, cellas Monialium, & ſupellectilem, dormitorij decentiam, ædificium aliquod conſtruendum aut minans ruinam, &c. & finita hac viſitatione ad capitulum conuentuale veniendi & culparum correctionem. Item cauſæ electionis Abbatiſſæ, ſi electio canonicè fieri non poſſit niſi ipſe in monaſterium ingrediatur; aliàs non. *Sanch. c. n. 54. Portel c. n. 16. Nauar. c. n. 59. Tamb. c. diſ. 24. q. 8.*

Quarto, baiuli ingredi poſſunt, dum aliquod onus in monaſterium transferendum eſt, quod à Monialibus commodè portari nequit ; debet tamen illud onus portari in vtilitatem monaſterij. *Bonac. c. n. 8. Sanch. c. n. 56.*

Quinto, Quilibet Frater minor deputatus obſequio Monialium, Confeſſor, ſcilicet & Capellanus, poteſt intrare clauſuram ad facienda omnia illa quæ Moniales facere non poſſunt, & poſſet ſæcularis, dummodò dolus abſit, & illa æquè benè poſſit facere frater ipſe. *Rodrig. c. art. 4. Portel. c. n. 13. Tamb. c. diſ. 24. q. 6.* Imò in hoc caſu iuxta Cordubam apud Sorbum noſtrum *in Comp. priu. mend. v. Ingredi Monaſteria* poteſt Prouincialis, vel Guardianus de eius licentia etiam virtuali deputare vnum Fratrem aptum ad aliquod opus faciendum intra clauſuram ; talis enim Frater tunc cenſetur deputatus obſequio Monialium, eò quòd ſit magis aptus, & à Prælato deſignatus. Ex conceſſione *Gregorij IX.* apud Caſarubium *loco citato.* §. 3.

Sexto, Fratres Minores non obſtante prohibitione ſuæ regulæ; inuitati & rogati à Prælatis Eccleſiæ, poſſunt cum illis intrare monaſteria ſuarum Monialium, ad viſitandas officinas, & cætera, pro quibus dicti Prælati poſſunt intrare. Ex conceſſione *Leonis X.* Sed conceſſio *Leonis X.* eſt viuæ vocis oraculum; vnde poſt bullas *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* nihil amplius valet, niſi per Bullam confirmetur. Illam refert Caſarubius *in Comp. v. Ingredi Monaſt. Monialium. n.* 32. & notat litera O magno, quod eſt ſignum viuæ vocis oraculi licet Authentici. *Rodr. c. a. 8. Mir. c. a. 16. Sanch. c. n. 19. Port. c. n. 18. Tamb. c. diſ. 24. q. 15.*

Septimò, Licita & iuſta ingreſſus cauſa reputatur, admittere in hoſpitium Monialem ad aliud Monaſterium tranſeuntem, aut ex iuſta cauſa extra clauſuram exiſtentem, dummodò ſit eiuſdem ordinis, & inſtituti. Item quando Monialis eſſet in aliqua priuata domo recuperandæ ſanitatis cauſa, velletq; animi recreàdi gratia, aut Moniales inuiſendi ingredi Monaſterium eiuſdem Ordinis, vel habitus, id vtiq; liceret, quia talis Monialis non cenſetur extranea, cùm ſit eiuſdem inſtituti. Idem dicendum, quando iter agendo, non eſſet Monaſterium eiuſdem ordinis, vel habitus in eo loco, vel ſi eſſet, Moniales nollent eã admittere, nec reperiretur domus, in qua commodè noctem ducere poſſet. Tunc legitima eſt cauſa, vt ex Prælati Superioris illius Monaſterij licentia (quod diuerſi Ordinis, aut habitus eſt) poſſit intra illud in hoſpitium admitti; quia religioſa charitas, quæ inter perſonas religioſas maximè decet, & honeſtas ſtatus Monialis illius, id petit. At abſq; prædicta licentia id non liceret; quia cum diuerſi ordinis Monialis ſit, eſt reuera reſpectu illius monaſterij extranea. Ita *Sanch. l. 6. mor. c. 16. n. 10. Heron. Rodrig. reſ. 26. n. 49. Tamb. de iure Abbatiſſar. diſ. 24. quæſ. 25. Villalobos* 2. p. *Sum. tr. 35. diff. 47. n. 27.*

Porrò lex generalis ſit, quòd data vrgente neceſſitate, cui ſolæ Moniales non poſſunt occurrere, & Prælatus creditus conceſſurus, poſſunt ingredi perſonę neceſſarię. Plures caſus enumerant Doctores ſup. citati, quos conſule, & per recenſitos, ſimiles facilè expedite licebit.

An ingredientes Monaſteria Monialium ex legitima licentia, teneantur finito negotio exire, & grauiter peccent & cenſuras incurrant, ſtatim non egrediendo? Reſp. teneri finito negotio exire, ſicut Monialis egreſſa cum legitima licentia, tenetur cauſa egreſſus finita redire in Monaſterium ; tamen cum hoc præceptum ſit morale, non metaphyſico, ſed morali modo intelligendum eſt; vnde qui breui temporis ſpatio immoraretur, circumiens officinas ex aliqua curioſitate, à peccato excuſaretur, vt tradunt *Comp. priu. Mend. v. ingredi Monaſt. Monialium notab. 1. Rodr. c. q. 47. ar. 11. Miranda c. de Monial. q. 2. ar. 20. Sanch. c. c. 16. n. 69. Tamb. de iure Abbatiſſar. diſ. 24. q. 12. Portel c. n. 14. Hieron. Rodr. reſ. 26. n. 30.* Ratio eſt, quia ſic vſu receptum eſt, etiam apud viros timoratæ conſcientiæ. Limitant quidam niſi corrupta adſit intentio, puta, animus percutiendi Monialem furandi, aut turpe aliquid faciendi, tunc exiſtimant talem, licet ibi breuem moram trahentem, peccare & affici excommunicatione Papæ reſeruata ; quia hic dicitur violare clauſuram ad malum finem : & eſt caſus Pontifici reſeruatus, à quo in Italia, neque priuilegiati habentes facultatem abſoluendi à cenſuris Papæ reſeruatis, poſſunt abſoluere iuxta decretum ſacræ Congregationis iuſſu *Clementis VIII.* editum pro partibus Italiæ *an. 1602. 26. Nouembris.* apud *Quaranta in ſum. bullarij v. Caſus reſeruat. n. 13. Bonac. de clauſ. q. 4. p. 4. n. 22.* Hæc ſententia eſt ſatis probabilis: quam tamen non admittunt *Sanch. c. nu. 69. Th. Zerol. in prax. Epiſc. v. Moniales ad. 8. q. v. 4. in 2. edit.* licet enim manifeſtum ſit talem peccare mortaliter, ratione corruptę illius intentionis, non peccat contra præceptum clauſuræ, nec afficitur cenſuris, licet diutina eſſet mora; quia cum legitima licentia ingreſſus eſt; vnde non poteſt dici violari clauſura; contra enim ingreſſum abſq; licentia cenſuræ ſolùm latæ ſunt. Et mihi hoc eſt ſatis probabile.

9. Epiſcopus poteſt authoritate ordinaria in monaſterijs ſibi ſubditis, facultatem ingrediendi concedere; authoritate verò delegata, in Monaſterijs Summo Pontifici ſubiectis; in illis autem quæ regularibus ſubiecta ſunt, facultas ingrediendi concedenda eſt à Generali, Prouinciali, aliòve immediato conuẽtus, ſeu Monaſterij Prælato. Ratio eſt, quia cui ligandi facultas competit, abſoluendi etiam poteſtas competere ſolet, ſed ſuperioris eſt, qui Monaſterio præeſt, clauſuram monialibus indicere, ergo, &c. Ita *Nau. comm. de reg. n. 60. Sanch. c. n. 13. Miranda. c. q. 2. ar. 2. Rodr. c. q. 46. a. 2. Azor. 1. p. l. 13. c. 8. q. 7. Tamb. c. diſ. 23. q. 1.*

Abbatiſſa autem non poteſt hanc facultatem ingrediendi Monaſterium concedere; quia ad illam non ſpectat, clauſuram indicere, cùm etiam ipſa onere clauſuræ teneatur idem dicendum de Prioriſſa & alia Monialium præfecta. Ex delegatione tamen Epiſcopi, alterius q; legitimi ſuperioris hæc facultas poteſt conferri Abbatiſſæ, in caſibus ſæpe contingentibus, & facilis aditus non patet ad Superiorem: *Nau. c. n. 59. Sanch. c. nu. 22. Graffius 2. p. deciſ. l. 8. c. 23. n. 6. Tamb. c. diſ. 23. q. 3.* Notandum tamẽ eſt, quod ad ingreſſum Monaſteriorum *ſanctæ Clarę & Conceptionis* non ſufficit licentia Epiſcopi, vel ſuperioris, ſed requiritur, licentia Papæ, præter caſus in regula iſtarum Monialium exceptos, quia hæ Moniales ſtrictiorem clauſuram profeſſæ ſunt; vide *Collect. priu. Mend. v. ingredi monaſt. Monialium nu. 2. vſque in fin. Miranda c. q. 2. a. 3. conc. 2. Rodr. to. 1. qq. reg. q. 46. a. 3. in fine. Sanch. c. n. 20. Crouſ. ad c. 11. reg. Minor. lect. 2.* Item pro Fratribus Minoribus requiritur ſpecialis licentia Summi Pontificis; vt poſſint Ingredi Monaſteria quarumcumque Monialiũ : vt patet ex regula ipſorum & conſtitutionibus *Greg. IX.* & *Nicolai III.* An autem Superiores, quibus incumbit ad hunc ingreſſum licentiam concedere, poſſint abſq; alicuius licentia ingredi in caſibus neceſſarijs, in quibus iuſtè alijs etiam licentiam concederent, iure ordinario, vel etiam ex delegatione? Reſpondendum eſt quòd ſic: quia ſicut is, qui cum alijs poteſt diſpenſare, poteſt etiam ſecum, cùm ipſe deterioris conditionis eſſe non debeat: & id ipſum conceſſit *Greg. XIII. in bulla dubijs, quę emerguntNau. de ſtat. Monach. conſ. 6. & 9. Suar. to. 4. de rel. l. 1. c. 10. 23. Rodr. c. a. 5. Mir. c. a. 14.* modò id faciant in caſibus neceſſarijs, & à paucis, ijſque ſenioribus ac religioſis perſonis comitatis.

10. Stando in ſolo iure communi, omnibus in vniuerſũ viris, ſæcularibus, Eccleſiaſticis, etiam regularibus prohibitus eſt acceſſus ad Monialium monaſteria, niſi ex iuſta & rationabili cauſa; vt patet tum ex *c. periculoſo, de ſtatu regularũ in 6.* tũ ex *c. Monaſteria, de vita & honeſtate clericorum,* vbi dicitur; *Monaſteria ſanctimonialium ſi quiſpiam clericus ſine manifeſta & notabilis cauſa frequentare præſumpſerit, per Epiſcopum arceatur, & ſi non deſtiterit, ab officio Eccleſiaſtico reddatur immunis. ſi laici, excommunicationis ſubdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.*

Quid verò per frequentiam adeundi monaſterium intelligatur, id iudicandum relinquitur arbitrio prudentis viri: & certè qui bis vna die, aut tribus diebus, aut quater in hebdomada ad Moniales accederet, cenſeretur monaſterium frequentare. Vide *Rodriq. to. 1. qq. reg. q. 45. ar. 2. Bonac. de clauſ. q. 3. p. 2. Miranda c. q 4. ar. 1. Tamb. de iure Abbatiſſar. diſ. 25. q. 1. & 3. Hieronym. Rodriq. reſ. 26. n. 4. & 44.*

An autem nos Fratres Minores prohibeamur ex vi noſtræ regulæ accedere ad Moniales? certiſſimum eſt quòd non, quidquid alij dicant: quia diuerſa ſunt ingreſſus & acceſſus. Acceſſus enim tunc dicitur; quando frater vadit tantùm ad cratem, vel ad locutorium, vel domum hoſpitum, vel Eccleſiam exteriorem: in capite verò vndecimo regulæ, dicitur: *Fratres non ingrediantur Monaſteria Monacharum*, & nulla fit mentio de acceſſum. Negari tamen nullatenus poteſt, quòd prædictus acceſſus ad Monialium Monaſteria & maximè S. Claræ, nobis Fratribus Minoribus, ſpecialiter fuerit olim prohibitus, ex præcepto *Nicolai Tertij, Benedicti Duodecimi*, & conſtitutione *Bonifacij Octaui*. Ex conceſſione tamen *Nicolai III.* ea loca, ad quæ ſeculares liberè accedunt ad loquendum cum monialibus, poterant Fratres illi cauſa prædicationis vel eleemoſynæ petendæ accedere, quibus id à ſuis ſuperioribus pro ſua maturitate fuerat conceſſum. *Rodriques* refert *Pium V.* diſpenſaſſe cum minoribus, vt non tenerentur ad præceptum non accedendi ad monaſteria Monialium, niſi eo modo, quo obligat omnes fideles & omnes alios cuiuſcumq; ordinis religioſos; vide *Tamb. de iur. Abbatiſſar. diſ. 25. quæſ. 3.*

11. Ex multis conceſſionibus Pontificum & præcipuè *Sixti IV. Eugenij IV.* vt aſſerunt *Rodriq. c. art. 5. & 6. Miranda q. 4. art. 3. Hieronym. Rodriq. reſ. 26. n. 3.* Prouinciales miniſtri licentiam poſſunt præſtare ſibi ſubditis ad accedendum ad Monaſteria quarumcumque Monialium, cum iuſta & rationabili cauſa, & quando neceſſitas id exegerit. Prælati verò inferiores prouincialibus, vt ſunt Guardiani, habent eamdem authoritatem pro Monialibus *ſanctæ Claræ* & *S. Damianes*: quantùm verò ad alia Monaſteria aliorum ordinum, non niſi pro eleemoſyna petenda, aut prædicatione facienda; aut niſi aliud ſpecialiter fuerit conceſſum à Prouincialibus miniſtris. Hæc ex conceſſionibus antiquis.

12. Præter conſtitutiones ſupradictas prohibentes acceſſum ad Monaſteria Monialium, emanauit à ſacra Congregatione Cardinalium ipſis nonis Maij anni 1590. decretum ſpecialius & diſtrictiùs prohibens dictum acceſſum ad Moniales: apud *Quaranta in ſum. Bullarij v. Monaſteria Monial. fol. 348. & Crouſers ad cap. 11. reg. Minor. lect. 2. Serbus ad compend prin. Mendic. v. Ingredi Monaſteria. Tambur. de iure Abbatiſſar. diſ. 25. quæſit. 4.* cuius tenor eſt. *Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi D. Cardinales, ſacræ Regularium Congregationis Præfecti, ad occurrendum ſcandalis, quæ contingere poſſunt, aliſque iuſtis & rationabilibus cauſis animum mouentibus, de ſpeciali & expreſſo Mandato S. D. N. D. Sixti diuina prouidentia Papæ V. viua voce oraculo eis facto, decreuerunt & mandauerunt, nulli poſt hac religioſo, cuiuſcumque ordinis, gradus, qualitatis, & dignitatis exiſtat (ſuperiore cui monaſterij, ſiu domus cura incumbit, viſitatore, vel viſitatoribus, confeſſarioq; ordinario & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, dumtaxat exceptis) licere abſque licentia expreſſa eiuſdem ſacræ Congregationis accedere ad monaſteria, ſeu domus quarumcumque Monialium vel Sororum, ſiue ſui ſiue alterius cum ſuis Oratis, ad colloquendum, ſiue tractandum cum eis. Quod ſi aliquando mandato ſui ſuperioris aliquos religioſos ad prædicandum verbum Dei vel ad celebrandas Miſſas in ipſarum Monialium, ſeu Sororum Eccleſijs ſiue Oratorijs exterioribus, ſiue extra clauſtra exiſtentibus, mittis contigerit, prohibuerunt, ne dicti religioſi vllo quæſito colore, Moniales, Sorores, aut quælibet aliam perſonam, intra clauſuram degentes, alloqui poſſint. Confeſſarijs autem ſimiliter interdixerunt, ne in ædibus monaſterij, ſeu domus, vel monaſterio, ſeu domui Monialiũ, aut Sororum contiguis pernoctent, aut alios pernoctare faciant, vel alias ſecum retineant, neve extra tempora generalium confeſſionum (quibus ſolis tantum confeſſario refectionem diurnam accipere vix permittitur, & tunc demum, videlicet cum ſua habitatio, aut virorum domus, vel monaſterium, in quo degit, à Monialium ſeu Sororum Monaſterio, vel domo, nimium diſtat, niſi tamen, & eo caſu contrarium ſpecialiter conſtitutum ſit) ibi nullo modo comedant, reficiantur, aut cibum ſumant. Quæ omnia & ſingula ſub pœnis priuationis officiorum, ac vocis activæ, & paſſiuæ ipſo facto incurrendis, aliiſq; eiuſdem Congregationis arbitrio præceperunt inuiolabiliter obſeruari: iniungentes cunctis RR. Patribus, Generalibus, Prouincialibus, &c.*

Circa quod decretum aduerte *primò*, à ſacra Cardinalium Congregatione 12. *Calend. Decembris* 1623. de mandato *S. D. N. Vrbani VIII.* conceſſum fuiſſe Epiſcopis, vt licentiam dare valeant religioſis alloquendi Moniales, ſeruatis certis regulis, & conditionibus, vt ſcilicet, per quatuor vices ad ſummum quolibet anno cuicumque regulari concedere poſſint, alloquendi Moniales ſibi in primo & ſecundo tantùm conſanguinitatis gradu coniunctas; & vt id nullo modo liceat diebus feſtiuis, aut in Aduentu, Quadrageſima, feria ſexta, Sabbato, & vigilijs, &c. *Tamb. de iure Abbatiſſar. diſ. 26. quæſ. 2. & 3. Secundo*, vbi hoc decretum eſt in vſu, obligare ad mortale; quia ponit pœnam priuationis officij, vociſque activæ & paſſiuæ, quæ eſt grauis pœna; ſed quia contrarium aliqui tenebant, ex probabili ſententia, quod lex penalis non obliget in conſcientia ad culpam mortalẽ, Eminentiſſimi Cardinales declarauerunt ſub *die 1. Julij 1606.* ſupradictum decretum obligare etiam ad mortale. *Bon. c. q. 3. pu. 4. Salas de leg. diſ. 15. ſect. 1. conc. 2. n. 16. Duan. p. 1. tr. 10. reſ. 22.*

13. Hoc decretum de non accedendo ad Moniales, ſine licentia ſacræ Congregationis, vel Epiſcopi, non eſt vſu receptum in Germania, Gallia, Belgio, conſuetudo enim eſt in contrarium, nam fœminæ & viri, præſertim laici, ſine vllo conſcientiæ ſtimulo, ad Monialium monaſteria accedũt; imò apud multos religioſos non eſt etiam vſu receptum, & conſequenter nec obligatorium. *Crouſ. ad c. 11. lect. 2.* Dubitat enim *Ferdinandus à Caſtro Palao, p. 3. tr. 16. diſ. 4. pu. 11. nu. 7.* an hoc decretum pro monaſterijs totius orbis fuerit prolatum, ſed ad ſummum pro monaſterijs Romæ exiſtentibus; quia duriſſimum eſſet, inquit, quemlibet religioſum obligari licentiam petere à Sacra Congregatione, vt ad Monialium monaſteria accederet, poſſetque cum monialibus, vel ſæcularibus ibi exiſtentibus loqui. Denique dubitat idem Auctor, an ſit ſatis promulgatum, & an ſit ſatis receptum. Proinde Bordonus *in conſ. reſ 7. nn. 78.* aſſerit, quòd in Regnis Galliarum, vbi non ſeruatur clauſura, non habet locum hoc Decretum contra loquentem cum Moniali extra clauſuram, vt reſpondit Sacra Congregatio noſtro R. A. P. Generali die 15. Martij 1594. apud Naldum *verb. Monialis.* Apud tamen Patres Societatis & Capucinos eſt in viridi obſeruantia. Nam Patres Societatis & Capucini huius Prouinciæ Belgicæ procurarunt dictum decretum relaxari, quantum ad viſitationes & colloquia Monialium, vt eas iuxta Catholicę fidei dogmata inſtruere poſſint, tum publicè tum priuatim; dummodò religioſi dictorum ordinum, id non faciant, niſi impetrata & ſcripto expreſſa ſuperiorum ſuorum facultate; vt habet Epiſtola Cardinalis Alexãdrini ad *P. Oliuerium Manarenum* Prouincialem Societatis IESV in Flandria; cuius Epiſtolæ hic eſt tenor. *R. P. Nunquam fuit animus, aut conſilium Illuſtriſſimorum Cardinalium, qui mecum in hac congregatione præſunt negotijs regularium, vt quæ ipſi ſanxerunt ad conſeruationem diuini cultus, religioſiq; inſtituti obſeruantiam, contrarium vllo modo ſortiantur effectum: propterea cum audiuerint quem fructum edant in iſtis partibus Patres Societatis Ieſu, & Capucini, ſuis documentis, & exhortationibus, quas interdum habent ad Moniales, quarum cœnobia hæreticorum fauctibus ſunt expoſita: ſtatuendum iudicarunt: vt per has literas ſtatuunt & declarant; decreto, quod regularibus interdicit viſitationes, & colloquia Monialium minimè comprehendi prædictos Patres Societatis Ieſu, & Capucinos, in iſtis nouarum partibus, quo minus, cum ad eas venerint, aut in eiſdem verſentur, Moniales viſitare, ac iuxta Catholicæ fidei dogmata inſtruere poſſint, tum publicè, tum priuatim: nulla pœna ex iis, quæ decreto continentur, ipſis incurrenda: dummodo id non faciant; niſi impetrata, & ſcripto expreſſa Superiorum ſuorum facultate; atque hæc ego paternitati veſtræ me ex animo commendo. Romæ 25. Junij M. D. XCII.*

P. tuæ Amantiſſimus in Domino
Cardinalis Alexandrinus.

Quamuis hæc Epiſtola de ſolis Belgis mentionem faciat, per communicationem tamen priuilegiorum, extenditur ad omnes illas Prouincias, in quibus eadem militat ratio diſpenſandi, vt ſunt Gallia & Germania; & rectè annotat *noſter Crouſers*; qui eadem lectione ſecunda docet licentia in ſcriptis, quam exigunt Cardinales, poſſe dari à Prælato locali; Epiſtola enim ad *P. Oliuerium*, loquitur de Prælatis in communi; quod mihi ſatis probatur, ſi RR. PP. Generales & Prouinciales hanc licentiam à ſe concedendam non reſeruent.

Verùm poſito ſed non conceſſo, quòd acceſſus ad Monialium monaſteria per ſe prohibitus non ſit; ſpectatis tamen circumſtantijs extrinſecis ſæpe ſæpiùs grauem culpam conſtituit; tum ſi praua intentione accedis, tum ſi periculum lapſus habes,

habes, vel moniali alloquendæ inijcias, tum ſi alijs ſcandalum es, & occaſio ſiniſtra de monaſterio opinionem habendi. Quę omnia maximè procedunt, ſi acceſſus ad colloquendum furtiuus ſit, hoc eſt abſque licentia Abbatiſſæ, ſeu ſuperioris: hic enim aptior eſt ad ſiniſtram ſupicionem generandam.

14. Ingreſſus mulierum in clauſtra virorum regularium iuxta Conſtitutiones Pij V. *Regularum, Perſonarum*, & Gregorij XIII. *Vbi gratiæ*; non ita abſolutè prohitus cenſetur ſub peccato mortali, & excommunicationis cenſura, niſi ille fiat prætextu facultatum Apoſtolicarum, quas ibi reuocant prædicti Pontifices. Quidam enim Doctores valde graues, vt *Suares de cenſ. diſp.22.ſect.6.num.11. Rodrig. tom. 1.qq.reg.q.48. art. 2. Layman l. 4.tr.5.c.12.num.4. Portel in dub. reg. v. Clauſura Monachorum nu.1. Crouſers ad cap.7.reg. Min. lect. 8.fol.553.* ad literam prædictarum conſtitutionum aſpicientes, docent, fœminas ingredientes monaſteria virorum non prætextu facultatum, minimè comprehendi, vel ſubijci pœnis dictarum conſtitutionum, nec religioſos illas admittentes: quia Conſtitutio pœnalis non debet extendi à caſu expreſſo ad alium non expreſſum: & gratis dicitur abſque vlla ratione, legem pœnalem extendi ad ſimilem caſum, propter ſimilitudinem rationis. Faciunt pro hac opinione Doctores num.7.citati docentes, Moniales admittentes fæculares abſque licentijs Papalibus reuocatis, pœnas *Greg. XIII.* non incurrere. Verùm poſt ſcripta prædictorum Doctorum, ad notitiam noſtram deuenit quædã declaratio *Pij V.* edita 1570. *die* 16. Iulij quę incipit, *Decet Romanum Pontificem*, &c. vbi ſic ait: *Nos intuitu & in fauorem Congregationis Montis virginis, aliquas dubitationes, quæ circa dictarum litterarum & mentis noſtræ intelligentiam oriri poſſent, elucidare & ſubmouere volentes, ſupplicationibus dictæ congregationis nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati. Apoſtolica authoritate tenore præſentium dicimus, & declaramus, fuiſſe & eſſe mentem & intentionem noſtram, quod dictæ litteræ non ſolum comprehenderent & comprehendant mulieres habentes prætendentes facultatem & indulta ingrediendi Monaſteria, ſed etiam omnes & quaſcumque mulieres alias; tam in genere quam in ſpecie*, &c Et eiſdem pœnis ſubijcit quaſcumque fœminas, virorum monaſteria ingredientes ac religioſos illas ingredi permittentes, etiamſi ſine vllo prætextu facultatum ingrediantur & admittantur. Hæc bulla habetur in Bullario Romano impreſſo *Romæ anno* 1617. Collectore *Laertio Cherubino de Nurſia, tom. 2. bullarij, bulla* 20. *Pij V.* Quandoquidem de iſta declaratione nobis conſtet, nulla iam ſupereſt dubitandi locus pœnas prioris Conſtitutionis Pianæ. *Regularum Perſonarum*, per hanc vltimam ad omnes fœminas virorum monaſteria ingredientes, & ad religioſos illas ingredi permittentes fuiſſe extenſas: vt ait *Suares to.4.de relig.l.1.c.7. num.* 9. ſe retractans poſt notitiam prædictæ Conſtitutionis; *Decet Romanum Pontificem.*

13. Secundum Conſtitutiones *Pij V.* ſuprà memoratas, fœminæ ingredientes monaſteria virorum, incurrunt excommunicationem Papæ reſeruatam; quamuis aliquando excuſari poſſint, non ſolùm ob bonam fidē, verùm etiam ob ignorantiam vincibilem, craſſam, ſupinam & affectatam; quia vt docent *Bonacina de cenſur.diſp.1.q.2.p.1.num.* 11. 12. *Sanchez l. 2.mor.cap.* 10. *num.* 38. *Syluester. v.culpa, q.*11. ad incurrendam hanc excommunicationem, requiritur audacia, ſcientia, vel ingens temeritas, quæ ſcientiæ comparetur. Ex conſtitutione *Gregorij XIII. Vbi gratiæ*, incurrunt tantummodò excommunicationem fœminæ ingredientes prætextu licentiarum à Summo Pontifice, Legato, vel alijs conceſſarum; quia aliud de ſua mente non expreſſit.

Religioſi qui faciunt aut permittunt fœminas ingredi ſua monaſteria prætextu facultatum à Sum. Pontif. vel ab alijs cõceſſarum, incurrunt excommunicationem Papæ reſeruatam, & priuationem dignitatum & beneficiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in poſterum obtinenda; vt patet in bulla *Vbi gratiæ*.

Alij verò religioſi, qui fœminas in monaſteria intromittere vel admittere præſumunt, etiam ſi fœminæ abſque pretextu facultarum ingrediantur, incurrunt ipſo facto ſuſpenſionem à diuinis, & præterea priuationem officiorum, & inhabilitatem ad illa, & alia in poſterum obtinenda; vt decernitur in motu proprio Pij V. *Regularum Perſonarum*.

Nomine autem monaſterij intelliguntur ea ſola loca, quæ ſunt intra ſepta conuentus, qui clauſura clauduntur, vel claudi debent. Et aduerte, quòd quando dicitur in conſtitut. Pij V. quòd non poſſint mulieres ingredi monaſteria & domos; per domos, ibi non intelliguntur illæ, quas habent regulares in prædijs extra ciuitatem, vel grangijs, etiam in ciuitate, ſed monaſteria & domus ſunt planè idem. Horti autem, qui ſunt annexi & contigui monaſterijs, nomine monaſteriorum comprehenduntur. De quibus vide Sorbum noſtrum *in compend. verb. ingredi monaſteria.* De ſacriſtia verò, quæ ſolo pariete diuiditur ab Eccleſia, nec ad eam ingrediendum opus eſt ire per clauſtrum, dubitat Sorbus, an in ea poſſint admitti mulieres: Sanches *lib.6. mor.cap.*17.*num.* 17. abſolutè dicit non poſſe, niſi ſit vſus. De la Crux *lib.1.de ſtatu relig. c.* 5. *dub.* 1. docet quòd quando porta ſacriſtiæ reſpondet immediatè in Eccleſia, vel in aliquo atriolo breui, ſeu vno, vel duobus paſſibus, ducenti ad Eccleſiam, quòd potiùs dicenda eſt tunc ſacriſtia pars Eccleſiæ, quàm monaſterij; vnde poterunt liberè in eam ingredi mulieres. Certum eſt tamen quod in ſacriſtijs noſtris non admittantur mulieres, vt noſtra habet conſuetudo: quamuis apud aliquos religioſos talis vſus non ſit.

16. An pœna hæc priuationis officiorum & inhabilitatis ad illa, incurratur abſque Iudicis ſententia declaratoria criminis; Affirmant *Bonacina de clauſ. q.1.p.4.num.7.& q.* 5 *p.3.num.* 2. *Claus reg. l.3.c.10.num.* 35. & alij probabiliter: quia in bulla imponitur dicta pœna, non ſolùm ipſo facto; ſed ſine alia declaratione: Ergo mihi autem probabilior eſt ſententia negatiua, quam tuentur *Sanches l.* 2.*c.*22.*num.*20.*& c.*39.*nu.vlt. Molina tom.1.de iuſtit.diſp.*96. *Diana p.*3.*tr.*2.*reſ.* 66. *Portel in dub. reg. v.inhabilitas, num.*2. *Tambur.de iur. Abbatiſſ.d.*19.*q.*3. *num.* 5. quia non omnes ſententiæ priuatiuæ nullam Iudicis executionem petentes, incurruntur abſque vlla ſententia, ſed id peculiare eſt in cenſuris: quia ea particula, *eo ipſo*, id tantùm importat vt non exigatur ſententia condemnans: & illa verba abſque alia declaratione, intelligenda ſunt de declaratione pœnæ. *Nomine officiorum* in his decretis, intelligitur officium Prioratus, Guardianatus, Prouincialatus, Generalatus, Viſitatoris, Commiſſarij Generalis, Vicarij Monachorum, ſeu Monialium, officium Abbatiſſæ, Prioriſſæ, & omnia officia, quæ ſuperiorum propria ſunt, & ſuperioritatem quamdam continent. Secus dicendum de officio Concionatoris, Confeſſoris, Lectoris Theologiæ, Definitoris, Diſcreti, Sacriſtiæ præfecti & ſimilium. Ita *Sanches l. 6. mor.c.*15.*num.*66. *Filliuc. tr.* 34.*num.*77. *Sorbus v. Ingredi monaſt. num.* 8. *Diana* 4.*p. tr.* 4. *reſ.* 224.*& p.*7. *tr.* 5. *reſ.* 27.

17. Ab excommunicatione hac abſoluit ſolus Papa, dum excommunicatio publica eſt; quia illius abſolutionem ſibi reſeruat. Quòd ſi excommunicatio eſſet occulta, poſſet Epiſcopus ab ea abſoluere virtute *Tridentini ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* Religioſi habentes priuilegium abſoluendi à cenſuris Papæ reſeruatis, poſſunt etiam ab hac excommunicatione abſoluere. Dubium tamen eſt, an id poſſint quando cenſuræ ad forum contentioſum ſunt deductæ: Negant enim *Rodrig. in expoſitione motus proprij Pij V. & Greg. XIII.num.*34. *Sorbus v. Ingredi monaſt. monial. num.* 11. *in ſuis annotationibus.* & quidam neoterici: quia facultas illa abſoluendi, cùm odioſa ſit, & damnum inferat Ordinarijs, in eorum fauorem videtur reſtringenda, per notata *C.olim, de verb. ſignific.* Nihilominùs dicendum eſt, excommunicatum vel ſuſpenſum abſolui poſſe in foro conſcientiæ, virtute priuilegiorum quibus communiter fruuntur religioſi, quamuis cenſuræ illæ deductæ ſint ad forum contentioſum, & licet publicæ ſint. Ratio eſt, quia in priuilegijs religionum conceditur abſolutè facultas abſoluendi à cenſuris ſine vlla reſtrictione, aut limitatione, ergo abſolutè intelligendum eſt, & non reſtringendum ad caſum, quo crimen eſt publicum, vel ad iudicium delatum: Deinde quando Summus Pontifex intendit facultatem abſoluendi, vel diſpenſandi limitare, ſolet id exprimere, vt patet ex priuilegio Epiſcopis conceſſo in *Tridentino ſeſſ. 24. c. 6.* cùm autem priuilegijs religioſorum hanc limitationem non adiecerit, non eſt cur nos illam adijciam. Præterea hoc priuilegium non obeſt poteſtati ordinariorum Iudicum; quia integrum ius ſemper retinent in ſuo foro exteriori: perinde ac ſi delinquens abſolutionem in foro conſcientiæ non obtinuiſſet. Ita *Sotus 4. diſt. 2. a. 3. Pelancus in directorio c.4. Henriq. l.7. c.* 13.*num.*2.*& l.*8.*c.*60.*nu.* 4. *Sanches l.*6. *c.*17.*nu.*43. *Angles* 2.*p.q.vnic.de excom. a.*4.*diffic.* 2. *Bonacina de clauſ.q.* 1. *p.* 5. *numer.*3. *Couar. cap. Alma mater* 1. *p.* §. 11. *num.*16. quibus adde *Rodrig. in addit. ad bullam cruc. num.*49. §.9. ſibi contrarium.

18. Cùm crimen præſumptuoſæ introductionis mulierum in mo-

in monaſteria virorum, & è contra, non ſit graviſſimum, neque atrox, nec ſit maius quàm adulterium. Epiſcopus, ex conceſſione Iuris, *cap. At ſi clerici. de iudicijs §. de adulterijs.* poteſt in pœnis priuationis officiorum & inhabilitatis ad illa diſpenſare, quia *Pius V. & Greg. XIII.* nec priuationem hanc ab officijs, nec inhabilitatem ad ea, ſicut excommunicationem reſeruauerunt: Et hoc maximè verum quando crimen eſt occultum in ſententia eorum qui volunt has priuationes & inhabilitates incurri abſque Iudicis ſententia declaratoria: vt patet ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. c. 6.* vbi Epiſcopis datur facultas diſpenſandi ab omnibus irregularitatibus, & abſoluendi ab omnibus cenſuris & caſibus occultis Sum. Pontif. reſeruatis. Hę enim priuationes & inhabilitates ſub nomine pœnarũ & ſuſpenſionum, imò irregularitatũ comprehenduntur, vt dictum eſt, *v. Abbas, nu. 8. §. 4.* Eadem facultas competit Superioribus ordinum Mendicantium & gaudentium ipſorum priuilegijs, erga ſubditos ſuos; ex conceſſione enim Pij V. per bullam quæ incipit, *Romani Pontificis;* apud *Rodriq. to. 1. q. 61. art. 9.* in foro conſcientiæ, eodem priuilegio gaudent erga ſuos ſubditos, quo Epiſcopi in ſuos; vt teſtantur *Henriq. l. 14. c. 19. num. 2. Sorbus v. Ingredi monaſt. num. 11. Rodriq. to. 1. qq. reg. q. 24. art. 17.* ex *cap. Et ſi clerici, de Iudicijs, §. de adulterijs.* Imò per priuilegia concedentia abſolutionem ab omnibus caſibus reſeruatis, cenſuris, & pœnis conſurgentibus ex eis, poſſet confeſſarius habens tale priuilegium abſoluere in foro conſcientiæ à prædictis priuationibus & inhabilitatibus; quia prædictæ priuationes & inhabilitates ſunt pœnæ impoſitæ, cõtra violatores dictorum Decretorum vt rectè docent *Sanchez l. 6. mor. c. 15. num. 78. Lezana t. 3. ſum. v. Clauſura n. 20.*

19. In quibuſdam caſibus ingreſſus fœminarum in virorũ monaſteria licitus eſt; vt patet ex bulla *Pij V.* memorata ſuprà; quæ incipit, *Decet Romanum Pontificem.* vbi poſtquam declarauit fuiſſe & eſſe mentem & intentionem ſuam, quòd ſuę literæ præcedentes (nempe *Regularium Perſonarum*, ſub die 24. *Octobris* 1566.) non ſolùm comprehenderent & comprehendant mulieres habentes, prætendentes facultatem, & indulta ingrediendi monaſteria, ſed etiam omnes & quaſcumque mulieres alias, tam in genere, quàm in ſpecie §. 3. dictæ bullæ ſic ait: *Significantes nihilominus, prout ſignificamus, quod propter hoc & præditas noſtras literas, non intelleximus, nec intelligimus, quod mulieribus preciudaretur, nec preciudatur aditus ad monaſteria & loca regularia dictæ congregationis, (Montis virginis, ſcilicet) ac eorum clauſtra, quando in eis Miſſa & alia diuina officia celebrantur, ac dum proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadavera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt, ſed liberè perpetuo concedimus eiſdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad loca illa dictæ congregationis, in quibus dicta opera pia exercentur, cum aliis Catholicis perſonis, accedere liberè & licitè poſſint & valeant.*

Et ſimiliter quod quando diuinum verbum in clauſtris Monaſteriorum & regularium locorum congregationis huiuſmodi proponitur; vel per aliam quamcumque cauſam tantus occurſus populi fuerit, quod commodè ingredi non poſſint, & egredi per portam Eccleſiæ, perpetuo concedimus, vt dictæ mulieres vnà cum aliis ſæcularibus perſonis poſſint ingredi & egredi per portam clauſtri Monaſteriorum, & locorum regularium congregationis huiuſmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur è monaſterio, ſicque volumus pariter & indulgemus. Hæc bulla.

His caſibus poteſt addi inſtans neceſſitas alicuius religioſi, cui alia ratione commodè occurri nequit niſi per ingreſſum fœminæ in monaſterium; puta ad lactandum infirmum religioſum, qui huiuſmodi lacte iudicio Medicorum valde indigeat, nec commodè poſſit extra Monaſterium transferri; itè ſi nullus alius inueniatur præter fœminam, qui certo morbo religioſi decumbentis mederi ſciat. Ratio eſt, quia præcepta Eccleſiæ benignè accipienda ſunt: & non obligant in tali neceſſitate, vt docent *Rodriq. tom. 1. qq. reg. q. 46. ar. 7. ad fin. Sorbus v. Ingredi monaſter. monial. num. 6. Bonacina de clauſura, q. 3. p. 4. num. 4.*

Sed circa dicta eſt notandum *Primò* quòd ſacra Congreg. Card. vt refert Sorbus noſter *in comp. verb. Ingredi Monaſt. fratrum,* declarauit, teſtante Eminentiſſ. Card. Alexandrino anno 1584. *In monaſterijs, ſeu locis Cappucinorum, quæ ſunt in fieri, vel in qua dum fabricantur adhuc conuentus ad ibi morandum non fuerit introductus, ſed ſolum ibi aliqui habitauerint fratres, pro fabrica potius ſeruitio, quàm aliter, clauſuram nullam eſſe talem, vt ſi mulieres in ea intrent, pœnas conſtitut. Pij V. incurrant. Idemque debere dici de domibus, ſeu infirmarijs in ciuitate poſitis, cùm nec Eccleſiam, nec conuentum habeant.*

Secundo. quòd, vt puellæ intrantes Monaſteria, Regularium incurrant excommunicationem, requiritur vt ad annos diſcretionis peruenerint. Et in dubio ſeptennes ad annos diſcretionis peruenijſſe dicendum eſt. Ignorantia tamen poterunt excuſari: vt docet *Sanchez l. 6. mor. cap. 17. num. 3. & 4.* Amentes autem mulieres, quæ ad annos pubertatis peruenerunt ſi ea forma ſint, vt aptæ ſint incitare ad peccatum, licet ipſæ, cùm peccati incapaces ſint, nullas incurrant pœnas, incurrunt tamen, qui eas admittunt.

Tertio. quòd non comprehendantur his pœnis Reginæ & Imperatrices ac vtrarumque filiæ: nam perſonæ, quæ ſupereminentem habent qualitatem, quales ſunt Reginæ & Imperatrices, niſi ſpecialiter nominentur, non comprehenduntur ſub generali conſtitutione. Ita *Peyrinus de priuil. to. 1. conſtit. 6. July 2. §. 3. num. 11.* citans *Sanchez & Rodriques.*

Quarto. quòd non incurreret etiam has pœnas, qui bono fine mulieres introduceret, vt ſcilicet, eſſent abſconſæ à quærentibus vel occidere, vel violare. Quod etiam dicendum eſt de monialibus admittentibus viros eodem bono fine. Sed quid, ſi muliere dicto bono fine admiſſa quis abutatur? Reſpondet Peyrinus *loco citato num. 18.* quòd non incurret: quia pœnæ inflictæ ſunt contra malè admittentes, & ingredientes: ſed hoc caſu non ingrediuntur illicitè.

20. Nullo iure religioſis indicta eſt perpetua clauſura, quamuis iure communi *cap placuit 16. q. 1. cap. iuxta cap. monachi 1. 1. & 16. queſt. 1.* omnibus regularibus ſubditis prohibetur exire à clauſtro ſui monaſterij, ſine ſui Prælati licentia expreſſa vel tacitè, præſumpta vel interpretatiua, & ſic ad aliqualem clauſuram temporalem tenentur: vt colligitur ex Capitulis hic citatis; & aduertunt *Nauar. in cap. ſtatuimus 19. q. 3. num. 29. 30. Miranda to. 1. q. 32. art. 1. Bonacina de clauſ. q. 2. p. 1. num. 1.* Quod probatur ex generali omnium religionum conſuetudine, quę vbique id obſeruat: exitus enim ſiue egreſſus à Monaſterijs ſine Prælati licentia, ſemper omni tempore viſus fuit prohibitus. Terminus verò huius clauſuræ Religioſorum comprehendit totum circuitum Monaſterij, includendo etiam in illo hortum, nemus, & alia loca illi annexa, quæ muris Monaſterij, ſeu ſeptis cinguntur. Deſignare autem huius clauſuræ terminos extra quos religioſi non poſſint ſine licentia exire, pertinet ad Prælatos ipſorum, illi enim ſunt ordinarij Iudices, & paſtores ipſorum. Naldus *in ſum. v. clauſura.*

Quale autem peccatum ſit, violatio huius clauſuræ in Monachis ſeu Religioſis; dicendum eſt regulariter loquendo non eſſe peccatum mortalem, ſed tantummodo veniale; quod probant *Nauarrus,* & alij ex ſententia *D. Thom. 2. 2. q. 186. ar. 9.* docentis, contenta in regulis religioſorum, non obligare ad mortale, niſi quoad tria eſſentialia religionis vota, & quoad præcepta formalia ipſius, ſiue Superioris: vnde obſeruantiæ aliæ, extra continentiam, paupertatem non ligant ex voto, niſi præcipiantur ab ipſa regula formaliter, ſiue a Superiore ſecundùm ipſam: ſed de his eſt obſeruatio clauſuræ, ergo. Per accidens tamen ratione alterius circumſtantiæ, poſſet eſſe mortale. v. g. ſi quis noctu furtiuè egrederetur, talis enim egreſſus reſeruari poteſt tanquam mortalis, vt patet ex bulla *Clementis VIII.* de reſeruatione caſuum. Similiter mortifera eſſet violatio clauſuræ, ſi fieret cum notabili ſcandalo, vel damno Monaſterij: aut ſi quis clauſtro egrediatur, vt extra illud diu, & quaſi ſtabili modo viuat contra Prælati obedientiam: & tunc non quatenus eſt violatio iuris communis, aut ſpecialis non intendentis obligare ad mortale, ſed quatenus eſt violatio iuris diuini & naturalis, de non damnificando & ſcandalizando proximo? vt docent *Rodriq. tom. 1. q. 50. art. 1. Portel in addit. ad dubia nu. 1. Hieron. Rodriq. reſol. 27. num. 7.*

Aduertendum tamen quòd Superior licitè licentiam exeundi à monaſterio non concedit, ſine aliqua cauſa; quia in lege non poteſt diſpenſare ſine aliqua cauſa: fieri autem poteſt, vt quælibet leuis cauſa ſufficiat; quia obligatio clauſuræ leuis eſt. Ita *Nauarr. c. Miranda c. Bonacina c. p. 1. num. 2.* contra *Suarez de relig. tom. 4. l. 1. cap. 6. num. 5. & ſeq.* aſſerentem hanc obligationem reſpectu religioſi ex ſuo genere eſſe mortalem.

CLERICVS.

SVMMARIVM.

1. *Qui veniant nomine clericorum.*
2. *Multis priuilegijs gaudet clericus iure canonico.*
3. *In rebus spiritualibus, an clerici sint immunes iure diuino à ciuili potestate laicorum.*
4. *An eodem iure diuino & naturali clerici sint exempti à ciuilibus Principum statutis?* Refertur duplex sententia.
5. *An clerici obligentur secundum vim directiuam, communibus secularium Principum legibus.*
6. *Ecclesia reprobat Principum secularium leges, quæ de Ecclesiasticis bonis aut personis decernunt.*
7. *De bonis patrimonialibus clericorum, an lex ciuilis possit aliquid statuere.*
8. *Clerici delinquentes contra legem ciuilem, non incurrunt pœnam illa lege decretam.*
9. *Clerici an comprehendantur legibus ciuilibus, quæ infirmant contractum, testamentum, &c.*
10. *Non potest clericus renunciare priuilegio exemptionis.*
11. *Priuilegia clericorum nulla lege vel consuetudine etiam immemorabili vel præscriptione possunt tolli sine Papæ authoritate.*
12. *Clericus sacri ordinis vel beneficiarius an teneatur tonsuram & habitum clericalem gestare?*
13. *Quæ vestes censendæ sint clericales & coram quo Iudice hac habitus discussio sit faciendæ.*
14. *Multa à sacris Canonibus prohibentur clericis.*
15. *Clericus in minoribus constitutus, priuilegijs* Canonis Fori *gaudet.*
16. *Clericus coniugatus an gaudeat priuilegio fori, in criminalibus & ciuilibus.*
17. *Clericus coniugatus negotiationibus vacans, an amittat priuilegium* Canonis, & fori.
18. *An nouitius criminosus, ob delictum ab eo ante religionis ingressum commissum gaudeat priuilegio fori:*
    Et quid dicendum de clerico, qui statum clericalem assumpsit cum fraude post delictum patratum.
    An nouitius habitu religionis dimisso, possit à Iudice seculari puniri ob delictum tempore nouitiatus commissum: Refertur duplex sententia.
19. *Familia clerici an gaudeat priuilegia fori.*

1. CLericus dicitur à κλῆρος Græcè, quod Latinè, sors dicitur, vel hæreditas, quia de sorte Domini est, & appellatione clericorum largè, veniunt omnes ordines habentes, in quacunque dignitate sint, aut ordine, etiam in prima tonsura: & omnes qui non sunt laici, dicuntur clerici: vnde in materia fauorabili clericorũ nomine, veniunt Episcopi, & etiam religiosi; sed in materia odiosa non; nec alij in dignitate constituti, nec etiam Canonici Ecclesiarum Cathedralium nec, Monachi, seu religiosi. *Distinct. 21. clericos. C. cum contingat, de ætate, & qualit. C. quia periculosum, de sent. excom. in 6. C. In fidei fauorem, de hæret. in 6. C. statutum, de elect. in 6.*

2 Clericus, loquendo in genere, iure Canonico multis priuilegijs gaudet: quæ recitat *Cardinalis.*

Primo, non conuenitur coram Iudice sæculari. *C. si diligenti, de foro compet. Secundo*, quòd cum verberans est excommunicatus. *C. si quis suadente 17. q. 4. Tertio*, non tenetur præstare munera seu onera personalia vel realia. *C. non minus de immun. Eccles. Quarto*, potest vendicare rem concessam Ecclesiæ ante traditionem. *C. ex litteris, de consuetud. Quinto*, eodem priuilegio gaudet familia eius, scilicet, quoad forum. *C. clericum 11. q. 1. Sexto*, facientes statuta contra clericos sunt excommunicati. *C. ees qui, de immun. Eccles. in 6. Septimo*, soli clerici possunt obtinere beneficium Ecclesiasticum *C. ex literis, de transact. Octauo*, per litteras contra laicum impetratas cum clausula generali, conueniri non potest. *C. Sedes, de rescr. in gloss. Nono*, non tenetur sportulas dare. *C. cum ab omni, de vita & honestat. cler. Decimo*, de acquisitis etiam sub patris potestate, disponere potest prout vult. *Aut presbiteros, C. de Episc. & cler.*

3. Clerici secundùm communem Catholicorum sententiam, iure diuino à ciuili laicorum potestate, in rebus spiritualibus, diuinis & Ecclesiasticis, sunt immunes & liberi: tales sunt, sacramenta ministrare, sacra munera & officia obire, sacras Litteras interpretari, pœnas Ecclesiasticas sancire, quales sunt, excommunicationes, suspensiones, interdicta, &c. idoneos Ecclesiarum ministros examinare, eligere, creare, instituere, confirmare, ad ordines promouere, & alia huiusmodi. Ratio est, tum quia potestas spiritualis est supernaturalis, & à Christo collata fuit, non Regibus, alijsque secularibus; sed Apostolis, & eorum successoribus. Tum quia in *cap. Quamquam, de censibus*, & in *cap. si Imperator, dist. 96.* habetur, *Ad Sacerdotes Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt pertinere, non ad seculi potestates.* Vide *Suares l. 4. de immunit. c. 2. & seq. Azor. to. 1. l. 5. cap. 12. quæst. 1. Bonacina in bullam cœnæ, disp. 1. q. 16. sect. 1. p. 1. & q. 19. p. 3. §. 2. Salas de leg. disp. 14. sect. 11. Molina de iust. disp. 31. Filliucius tr. 40. c. 6. q. 1. num. 155.*

4. Communi consensu Canonici iuris interpretum & nõnullorum Theologorum recepta sententia est, clericos esse exemptos, solutos & liberos à ciuilibus Principum statutis iure diuino, naturali & humano. Hæc sententia mihi probabilissima est & tenenda: Tum quia in Tridentino dicitur, Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione & Canonicis sanctionibus constitutam esse. Tum quia præcisa dispositione iuris Canonici, verum est Ecclesiasticos esse Patres, & Pastores sæcularium, ergo dicendum est aliam prohibitionem extare, qua cauetur, ne clerici potestati laicæ subijciantur. Ergo priuilegium exemptionis Clericorum fuit à iure diuino immediatè concessum, & à iure canonico postea stabilitum, vt patet ex Concilijs Constantiensi *sessione* 8. Calcedonensi *can.* 9. Tridentino *sess. 2. cap.* 20. & tandem à iure ciuili acceptum, & concessum, in *Authent. vt clerici proprios iudices conueniant.* in *L. placet, C. de sacrosanct. Eccles.* Huic sententiæ adhærent *Syluester, v. immunitas 2. q. 2. Azor. c. q. 1. Claus reg. l. 12. c. 8. num. 6. Suares contra reg. Angliæ, l. 4. c. 9. Layman. l. 4. tr. 9. 8. num. 1. Filliucius tr. 16. num. 316. Bonacina to. 2. disp. 10. q. 2. punct. 1. §. 1. num. 3. Diana p. 1. tr. 2. ref. 1.*

Plurimi tamen Theologi docent hanc exemptionem esse tantùm de iure humano, licet multum consonam iuri diuino. Tùm quia principio nascentis Ecclesiæ clerici subditi erant Principibus laicis, ad Roman. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Supponit ergo *D. Paulus* non solùm laicos, verùm etiam clericos subiectos esse laicæ potestati: cùm particula, *omnis*, neminem excipiat: Tum quia nullum sufficiens testimonium adducitur pro clericorum exemptione de iure diuino, sed licet tale ius diuinum non præbeat illis talem exemptionem, dictat tamen eam à Principibus esse concedendam, & à Romano Pontifice fieri posse. Et hæc sententia est satis probabilis; quam tuentur *Malderus 2. 2. tr. 5. cap. 6. dub. 7. Lessius l. 2. c. 33. dub. 4. num. 30. Salon 2. 2. q. 67. a. 1. concl. Victoria Relect. 1. de potest. Eccl. Sotus in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. concl. 3. 4. & 5.*

Consequenter loquendo dicendum est Clericos, eodem iure diuino, Canonico & Ciuili, liberos esse à tributis, censibus, contributionibus & alijs omnibus oneribus, quæ solent Ciuiles Principes laicis communiter imponere. Et quòd sit de iure diuino, colligitur ex *cap. quamquam, de censibus.* vbi dicitur. *Cũ igitur Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; personæ, ac res ipsarũ non solum iure humano, quinimo, & diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes,* &c. De iure autem Canonico idem patet, ex *cap. non minus*, & *cap. aduersus, de immunit. Eccles.* De iure ciuili idem constat ex *Authent. nulla communitas, C. de Episc. & cleric.*

5. Communis Theologorum & Iurisperitorum doctrina est, clericos, neque iure diuino, neque humano esse exemptos à legibus ciuilibus, quæ non sunt contra libertatem Ecclesiasticam, neque sacris Canonibus, vel Clericorum statui repugnant: dubium autem est, an clerici teneantur dictis legibus directè? Respond. quòd non, sed ex ratione naturali dictante, seruandas esse leges sæculares, propter conformitatem cum personis sæcularibus eiusdem Reip. tenentur igitur clerici seruare has leges, non vi coactiua, sed vi directiua: nemo enim tenetur directè legibus eius, qui in ipsum non habet iurisdictionem. Tales leges sunt quibus taxatur pretiũ frumenti, præscribitur modus testandi, contrahendi, &c. Et ideò si Clerici vendant frumenta vltra pretium iustè à Republica statutum, & peccant mortaliter sicut laici, & tenentur ad restitutionem. Ita *Suares de leg. l. 3. c. 34. Filliucius tr. 35. nu. 94. Diana p. 1. tr. 2. ref. 8. Tannerus 1. 2. d. 5. q. 6. dub. 2. Layman l. 1. tr. 4 cap. 13 num. 1. Nauarr. c. 23. num. 88. Sanches l. 7. mor. c. 3. num. 20. Bonacina de leg. to. 2. d. 1. q. 1. p. 6. nu. 29. Claus reg. l. 4 cap. 4. num. 16.* & alij communiter.

6. Eccle-

6. Ecclesia non recepit, sed reprobat eas sæcularium Principum leges, quæ de Ecclesiasticis bonis, aut personis speciatim decernunt præcipiendo, vetando; tametsi Ecclesiæ fauorem aut patrocinium continere videantur. Ratio est, quia eiusmodi legibus prætenditur directa laicorũ Principum iurisdictio super Ecclesiastica, talis autem vsurpatio potestatis, imminutaq; Ecclesiasticæ repugnat: quare maius Ecclesiæ præiudicium infertur, quàm commodum afferri possit; vnde rectè a Doctoribus colligitur leges Imperatorias, quales extant v. g. in tit. *Cod. de sacrosanct. Ecclesijs*, & *Auth.* eodem tit. nisi canonico iure receptæ & approbatæ sint, nullius roboris esse, tanquam profectas à non habente potestatem. *Cap. 1. bene quidem dist. 96. & cap. Ecclesia, de constit. Angelus v. lex, nu. 5. Suares de leg. l. 3. c. 34. num. 13. Abbas in C. Ecclesia, nu. 10. & in c. præsentia, num. 28. de probat.*

7. Lex ciuilis non potest aliquid statuere vel disponere speciatim de bonis patrimonialibus clericorum: quia bona adhærent personæ, ideoq; lex disponens circa bona à personis obseruari debet: at verò lex ciuilis non potest speciatim obligare personas Clericorum: ergo nec de illorum bonis speciatim aliquid disponere, siue præcipere. Probatur hæc sententia, tum ex *cap. quamquam, de censibus in 6.* vbi dicitur *personas Ecclesiasticas, & res ipsarum exemptas esse*, vbi de omnibus ipsorum rebus loquitur. Tum ex can bullæ cœnæ, in illis verbis: *Imponentes decimas, &c. personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum bona*, vbi dictio illa, *eorum*, distinguitur contra alteram dictionem sequentem, *Ecclesiarum*, & ideò non nisi de bonis patrimonialibus & proprijs clericorum intelligi potest. Si tamen bona seu Ecclesiarum, seu clericorum proprio merè reali onere Principi sæculari obligata fuerint, antequam ad Ecclesiasticos transirent, puta aliquo censu vel seruitute Principi debita, vel onere reparandæ viæ publicæ adiacentis, valeret statutum; & hoc etiam ab Ecclesiastica persona præstandum esset; quia res quæque cum suo onere transit. *Cap. ex litteris, de pignoribus.* Item si dispositio ciuilis de bonis, vel etiam personis Clericorum non sit præceptiua, sed solùm permissiua & priuilegiata, valebit etiam statutum: quia priuilegium dare, non est signum superioritatis, cùm non subdito dari possit. *Sylvest. v. Immunitas 1. num. 5. Azor. p. 3. l. 5. cap. 19. q. 7. Reginaldus l. 9. c. 25. num. 379. Suares contra Regem Anglie, l. 4. c. 24. & 25. Diana p. 1. tr. 2. resol. 40. & 4 p. tr. 1. resol. 14. Filliucius tr. 16. num 298. Layman l. 4. tr. 9. c. 6. num. 9. Lessius l. 2 c. 33. dub. 3. nu. 19.*

8. Clerici delinquentes contra legem ciuilem, non incurrunt pœnam illa lege decretam. Quia vel pœnæ decernuntur ipso iure, vel veniunt imponendæ per Iudicem. Priores quidem cum sint latæ sententiæ, eos tantùm ligant, quorum lator est Iudex; aliter ligaretur quis per sententiam latam à non suo Iudice. Posteriores autem, cùm veniant imponendæ per Iudicem, Ecclesiasticis & Regularibus inponi nequeunt, cùm imponendæ sint per Iudicem secularem, ad quod ipsi respectu Ecclesiasticorum non habent auctoritatem. Vnde clerici taliter delinquentes à ciuili magistratu puniri non possunt, sed à suis Prælatis pœna condigna affici debent, siue eadem, quæ ciuili lege in laicos constituta est, siue alia arbitraria mitiore: licet enim per legem ciuilem sit pœna designata pro tali delicto, non tenetur Prælatus Ecclesiasticus illam imponere clerico transgredienti legem: Ratio est, quia lex illa quoad illam partem, qua pœnam designat, iam pertinet ad vim coactiuam, & ideò non habet vim in clericum. Ita *Couar. in pract. qq. c. 33. Vasques 1. 2. disp. 176. c. 4. Rodr. tom. 1. qq. reg. q. 66. ar. 2. Diana p. 1. tr. 2. ref. 8. Salas de leg. disput. 24. sect. 10. num. 112.*

9. Clerici non comprehenduntur legibus ciuilibus quæ infirmant contractum, testamentum, vel reddunt personas inhabiles ad contrahendum, testandum in pœnam commissi criminis ab ipsis, vel maioribus eorum; quia talis lex pœnalis est: & vim coactiuam continet, quæ personas Ecclesiasticas non tangit: Si verò lex infirmans contractum pœnalis minimè sit, sed tantum certam formam contrahendi præscribat, irritando actus aliter factos, ex generali Iuris Canonici consensu afficeret etiam clericos; nisi in illo speciatim aliquid contrarium statutum esse reperiatur. Vide *Nauarr. conf. 4. de Constit. num. 5. edit. 2. Suarez contra Regem Anglia cap. 16. l. 4. num. 21. & 24.*

10. Clericis non est liberum renunciare priuilegijs Exemptionis, Canonis & Fori, subijciendo se Iudici laico: tum quia hoc ipsis est omninò interdictum tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, vt patet ex *secunda part. Decret. caus. 11. qu. 1.* tum quia hæc priuilegia indulta sunt, non quidem personis priuatim, sed communiter toti ordini clericali, sed persona priuata non potest cedere priuilegio concesso communitati, aut toti alicui ordini, priuatorum enim pacto iuri publico minimè derogatur, vt habetur in *cap. Si Diligenti. de foro compet.* vnde talis renunciatio illicita est & inualida, etiamsi firmata sit iuramento, quod non obligat, cùm sine peccato seruari nequeat. Quod etiam procedit, etiamsi clericus hoc faciat de consensu Episcopi; cum enim Episcopus non possit iuri communi derogare, sequitur clericum non posse in laicum iudicẽ consentire. Ita *Claus reg. l. 12. c. 7. n. 10. Sotus l. 5. de iust. q. 4. art. 1. Salon 2. 2. q. 67. art. 1. contr. 2. Fernandez p. 2. ca. 6. §. 1. num. 5. Suares de censur. disp. 22. sect. 1. num. 58. Diana p. 1. tr. 2. ref. 3. Bonacina de censur. disp. 2. qu. 4. punct. 2. num. 5. & t. 2. disp. 10. q. 2. p. 1. §. 3. num. 4.*

11. Prædicta priuilegia nulla lege vel consuetudine etiam immemorabili, vel etiam præscriptione longissimi temporis, possunt tolli sine Papæ authoritate. Ratio est, quia laici cùm sint incapaces iurisdictionis Ecclesiasticæ, numquam possunt se tueri consuetudine, etiam immemorabili, quæ nunquam legitima esse potest ad præscribendum: *Azorius t. 1. l. 5. c. 12. q. 1. Filliucius tr. 16. c. 10. num. 255. Layman l. 4. tr. 9. c. 10. num. 1. Duardus in bullã cœnæ c. 14. disp. 76. num. 5.* omnis enim consuetudo contra Ecclesiasticam libertatem reprobatur in *cap. nouerint, de sentent. excomm.* & vt bene notat *Suares contra Reg. Angliæ l. 4. c. 34. num. 16.* consuetudo turpis & exprobata etiam immemorabilis non potest inducere priuilegium. Præterea talis consuetudo nihil valet, aut operatur, quia singulis annis per bullam Cœnæ reprobatur. Dubium tamen non est, quin Summus Pontifex per speciale priuilegium ob iustam causam datum alicui Principi aut Magistratui sæculari, ex parte aliqua derogare possit Ecclesiasticæ exemptioni: vt proinde virtute talis priuilegij, Laici capaces sint iurisdictionis in Ecclesiasticas personas. *Bonacina to. 2. d. 10. q. 2. p. 1. §. 3. num. 2.* vnde *Banes 2. 2. q. 67. ar. 1. dub. 2. concl. 2. De la Cruz in director. p. 1. prac. & q. 3. a. 1. dub. 1. diffic. 4. concl. 3.* asserunt Reges Hispaniæ habere priuilegium a Summo Pontifice circa tribunal, quod ipsi vocant (de la Fuerza) & Rex Franciæ, licet Laicus, obtinet Canonicatus & beneficia confert in Regno suo, ex priuilegio Apostolico. An autem hæc priuilegia sint per Bullam cœnæ reuocata, affirmant *Sayrus de censur. l. 3. c. 25. num. 10. Diana p. 1. tr. 2. ref. 6.* & quidam alij apud Dianam. Negant *Filliucius tr. 16. num. 258. Malderus 1. 2. q. 96. art. 4.* docentes legem posteriorem vniuersalem, non derogare priuilegio anteriori speciali: Generalia enim verba, quæ rigidiora de hac re erant in bulla *Gregor. XIII.* a Posterioribus Pontificibus temperata sunt. Iudicium interim sit penes sanctam Sedem. Hæc *Malderus*.

12. Clericus sacri ordinis, vel beneficiarius tenetur secundùm iura, sub mortali tonsuram & habitum clericalem gestare: neque excusari potest contraria consuetudine, quæ rationabilis esse non potest, sed corruptela iudicanda est: Maximè si spectatis circumstantijs personæ, loci, diuturnitate temporis, &c. Clericalis tonsuræ & habitus neglectus notabiliter repugnet honestati & bono exemplo clericorum, cuius gratia talis habitus lege Ecclesiastica præcipitur. Ratio est, tum quia violat legem in materia graui: tum quia potest affici suspensione, vt habetur in Tridentino. Necessitas tamen tuendi vitam, honorem, aut diuitias proprias vel proximi, sicut excusat ab obligatione legis humanæ, ita ab hac. Item commoditas ad modicum tempus, sine honestatis detrimento, à generatione habitus excusare posset. Ita *Nauar. comm. 4. de reg. num. 27. & in Man. c. 25. num 110. Angelus v. clericus 4. nu. 6. Henriq. l. 13. c. 39. num. 4. Reginald. l. 30. num. 19. tr. 3. Bonacina to. 1. disp. 8. quæst. 2. punct. vlt. Diana p. 5. tr. 5. resol. 60.* Imò *Sylvester, v. Clericus 2. num. 2. Armilla eodem verb. nu. 11. Cauetanus & clericus Vasques 3. p. disp. 250. c. 3. num. 22.* aiunt non esse peccatum mortale, nisi interueniat temeritas, contumacia, & contemptus, & fiat notabilis excessus, vltra modum consuetum. Clerici verò minorum ordinum facilius excusari possunt à peccato, si non deferant habitum clericalem & tonsuram; quia possunt ad statum laicalem transire: Imò de iure communi non potest ad ferendum habitum cogi, nisi quatenus vt velit priuilegio clericali. *Cap. fin. de clerico coniugato.*

13. Clericales vestes censentur, quæ communi clericorum

vsu

vsu in ea prouincia receptæ sunt, & ex quarũ aspectu à quocumque clerici iudicentur: verùm si sit controuersia an habitus, cum quo inuentus est clericus, sit clericalis? hæc habitus discussio ad Iudicem Ecclesiasticum pertinet; quia ad ipsum spectat habitum à clericis deferendum præscribere; ergo ad eumdem etiam pertinet cognoscere, an habitus sit clericalis, Ita ex *cap. si Iudex laicus, de sent. excom. in 6. Sanches de matr. l. 7. disp. 46. num. 6. Couar. pract. quæst. cap. 33. Diana p. 1. tr. 2. resol. 28. Molina de iust. to. 4. tr. 3. disp. 49. Laymann l. 4. tr. 9. c. 7. num. 6.* Iudex tamen laicus dum hæc coram Iudice Ecclesiastico pendent, debet ab actibus iudicialibus supersedere; quia fieri posset, vt actus exerceat in personam exemptam.

14. Clericis multa à factis Canonibus prohibentur? vnde in *cap. clerici 2. de vita & honest. cleric.* sic habetur. *Clerici officia vel commercia secularia non exerceant, maxime inhonesta, mimis, locularibus, & Histrionibus non intendant, & tabernas prorsus euitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas, & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in officijs Ecclesiasticis, & alijs bonis studijs exercent diligenter. Casulas deferant desuper indumenta nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, nec non manicis, aut fotularibus consutitijs, frænis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus, non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Ecclesiam non gerant, sed nec alibi, qui sunt in Sacerdotio & personalibus constituti, nisi iusta causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri, vel argenti ornatum habentes, sed neque annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & in Ecclesia superindumentis lineis omnes vtantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem. Pallys diffibulatis non vtantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis.* Hæc Canon.

Item debent clerici abstinere se à negotijs sæcularibus, quę hominem à diuinis ministerijs auocant, v. g. quæ irregulare, seu ad exequendum sacri ordinis officia ineptum faciunt; vnde tenentur abstinere ab omni arte sordida, vt macellarij aut tabernarij publicè & personaliter: si tertiò moniti nominatim non desistant, seu si postquam destiterint, illud reassumant, perdunt priuilegium clericale omninò; si sint coniugati, etiam illud, *Si quis suadente*. Vide *Clement. 1. de vita & honestat. cleric. Reginald. l. 30. tr. 3. num. 18. & seq.*

Item præcipitur illis abstinere se à vanis huius sæculi voluptatibus, v. g. tripudijs saltationibus, chorcis cum mulieribus. Item *a crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, vnde vinum sibi temperent & se vino, (inquit Canon) nec ad bibendum quispiam incitetur: cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis prouocet incentiuum. Vnde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores: & ille iudicio talium plus laudatur, qui plures vrbriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super hac se culpabilem exhibuerit, nisi à Superiore commonitus satis fecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.* Ita *cap. XIIII. de vita & honestate clericorum.*

Præterea clericus negotiari non potest, quoad negotia sæcularia, maximè inhonesta: intendendo, scilicet, rebus emendis & vendendis pretio maiori, vt inde lucretur; quod est propriè mercari & negotiari: si tamen clericus negotietur semel aut iterum, non peccaret mortaliter: Sed dubium est, an clericis licitum sit negotiationem exercere per alios? probabilius est posse: quia solum prohibitum est, ne per se clerici negotientur, & negotiado per alios cessat ratio prohibitionis. *Cap. multa, ne cler. vel monach. Syluester v. cler. 3. num. 1. Toletus l. 5. cap. 33.* Ita *Malderus 2. 2. tr. 5. c. 2. dub. 4. Lessius l. 2. c. 21. dub. 1. num. 6. Molina disp. 342. num. 10. Arragon 2. 2. q. 77. art 4. Sylvius ibid. in concl. 4.* Denique ab omnibus tenentur abstinere clerici, ex quibus sequitur vel sequi potest vitæ amissio vel sanguinis effusio, vt à portandis armis, gerendo bello, ferenda sententia sanguinis.

15. Clericus in minoribus constitutus secundùm Canones *cap. cum non ab homine, de iudicijs. & C. 2. de foro comp. C. si quis 17. q. 4* duplici tolum priuilegio gaudere potest, iniens matrimonium, nimirum, & Canonis *Si quis suadente*, & fori, nempe vt non pertineat ad forum Iudicis sæcularis, in causis criminalibus, siue criminaliter siue ciuiliter agatur. Tamen vt his priuilegijs gaudeat, debet habere conditiones requisitas à Concilio Tridentino, *sess. 23. cap. 6. de reform.* videlicet, vt clericalem habitum & tonsuram deferat, & alicui Ecclesiæ ex mandato sui Episcopi, deseruiat. Denique debet vnicam & virginem duxisse, matrimonium inicns. Ideò autem his personis priuilegium Canonis concessum est, quia sacræ sunt, Deo dicatæ, ideòque Ecclesiasticæ: atqui ob hanc causam non oportet eas sæculari potestati subiectas esse, sed ad Ecclesiæ tribunal pertinere. An autem clericus coniugatus cum vna & virgine, vestes clericales & tonsuram deponens, si postea illas reassumat, gaudeat priuilegio fori? dicendum est quòd sic, vt ex communi docent *Couar. in pract. qq. c. 31. num. 8. Suares l. 4. contra Reg. Ang. c. 27. Diana p. 1. tr. 2. resol. 79. Sanches de matrim. l. 7. d. 46.*

16. Probabile est clericum coniugatum seruantem omnia requisita, hoc est, si contraxit cum virgine, & tonsuram habitumque clericalem gestet, & alicui Ecclesiæ deseruiat, tam in criminalibus quæ descendunt ex delicto, quàm in ciuilibus, quæ ex contractu, vel quasi contractu originem ducunt, gaudere priuilegio fori, & ante Iudicem Ecclesiasticum esse conueniendum. Ita *Diana p. 1. tr. 2. res. 51. Duardus in bulla cœnæ, l. 2. can. 15. q. 4. concl. 3.* & alij apud *Sanches*. Et probatur hæc sententia ex *cap. 2. de foro competenti*, & *cap. vnico de cler. coniug.* & dato quòd hic casus esset dubius in iure, potius pro iurisdictione Ecclesiastica iudicandum est, quàm pro iurisdictione laicali: Tamen communior & probabilior sententia docet, talem clericum coniugatum in causis criminalibus solis gaudere priuilegio fori, in causis autem merè ciuilibus descendentibus ex contractu vel quasi contractu, illum non eximi à iurisditione Iudicis sæcularis. Probatur hoc ex *cap. vnico, de cler. coniug. in 6.* vbi solùm conceditur clericis coniugatis priuilegium Canonis & fori, in cæteris autem minimè: Et licet textus loquatur etiam de causis ciuilibus, intelligendus est quoad capturam personæ, non autem si merè ciuiliter contra bona sine carceratione agatur. Et huius sententiæ sunt *Sanches de matrim. lib. 7. d. 46. num. 21. Couarr. in pr. qq. c. 31. num. 9. Gutieres pr. qq. l. 1. c. 5. num. 3. Laymann l. 4. tr. 9. c. 7. num. 5. Corsetanus in bulla cœnæ excomm. 16. Suares contra Regem Angliæ l. 4. cap. 28. num. 9.*

17. Plerique Doctores sentiunt clericum coniugatum, seruantem omnes conditiones requisitas, amittere priuilegia Canonis & fori, si negotiationibus vacet; quia immiscere se negotijs sæcularibus cum tonsura, quam necessariò gestare debet, vt gaudeat aliquo priuilegio, tendit in opprobrium cleri: at non decens est quempiam, vti beneficio legis, si in illam delinquat, & hoc est satis probabile: Apud me tamen multò verius est, non ob id priuari priuilegijs clericorum: quia his clericis coniugatis licita est negotiatio honesta victus causa, licet alijs clericis sit interdicta: indecens enim non est illis tonsuram deferendo negotiationi honestæ vacare: cùm nullibi id caueatur de clericis coniugatis. *Ioannes Andreas in c. vni. de cler. coniug. in 6. Farinacius in pract. tit. de inquisit. q. 8. num. 93.* Ita *Sylvester v. clericus 3. q. 3. Angelus v. clericus 9. num. 3. Tabiena v. clericus 3. q. 1. num. 2. Couarr. c. nu. 8. Azor. tom. 1. lib. 13. c. vlt. qu. final.*

18. Quamuis nouitius criminosus ob delictum ab eo ante religionis ingressum commissum, iuxta *Sixti V.* constitutionem. *Cum de omnibus*, habitu religionis spoliari, punirique debeat à Iudice sæculari, ac si religionem ingressus non esset: quia tamen hanc constitutionem hac in parte, moderatus fuit *Clemens VIII.* dicendum est ingressum religionis validum esse, ad hoc, vt nouitius priuilegio fori gaudeat; etiamsi ingressus in religionem factus fuerit cum fraude; instar clerici, qui statum clericalem cum fraude assumpsit post delictum patratum intentione subtrahendi se à sæculari potestate (si enim confugiens ad Ecclesiam post delictum, animo fraudandi Curiam sæcularem, gaudet immunitate, quamuis remaneat laicus, & ad tempus in ea moretur, multò magis gaudere debet, qui personam suam per ordinis susceptionem Deo consecrat, vt illi perpetuò famuletur, *Bartholomeus de Vecchis in praxi nouitior. disp. 11. dub. 12. num. 11. Diana p. 3. tr. 1. res. 33.* quidquid in contrarium doceant *Molina de iust. tom. 4. tr. 3. disp. 49. num. 11. Gutieres pract. qq. lib. 1. q. 5.*) Et ideò quemadmodum hic clericus puniri nequit à Iudice sæculari corporaliter, sed solùm in pecunia & bonis, ita vt idem Iudex sæcularis sit iudex causæ, non autem personæ. Ita eodem prorsus modo nouitius in hoc euentu ad summum puniri potest à Iudice sæculari in pecunia & bonis, non autem in corpore: quia satis probabile est, nequaquam posse puniri nouitium etiam in

pecunia

pecunia & bonis: vt docent noſter *Bartolomæus de Vecchiis*, *Diana* hic citati.

An autem nouitius habitu religionis dimiſſo, poſſit à Iudice ſæculari puniri ob delictum tempore nouitiatus commiſſum? Probabilis eſt ſententia affirmant. *Molina tom. 4. tr. 3. diſp. 49. num. 24. Nauarr. tit. de regul. l. 3. conſil. 58 Vecchius c. dub. 11. num. 6.* quia in eo caſu non habetur pro religioſo: Mihi tamen probabilior eſt ſententia negans. *Bonacina tom. 2. d. 10. q. 2. p. 1. §. 2. num. 5. Layman l. 4. tr. 9. c. 7. num. 5. Diana p. 3. tr. 1. reſ. 34. clauis reg. lib. 12. c. 7. num. 9.* & aliorum apud illos: quia ad cognoſcendum, cui foro quis ſubijciatur, inſpiciendum eſt delicti tempus & ſtatus in quo tempore delicti reperiebatur; ſed hic tempore delicti erat nouitius & conſequenter immunis à laica poteſtate: ergo remanet immunis etiam ob delictũ in nouitiatu commiſſum. ſicut clericus, qui tẽpore clericatus delictum commiſit, non poteſt relicto clericatu ob illud delictum à laico puniri: ergo neque Nouitius. Aduertit tamen bene noſter *Bartholomæus de Vecchis*, non poſſe nouitium cogi à Prælato religionis ad luendam pœnam delicto ſuo condignam, etiamſi re integra, id eſt, ante cœptum iudicium diſcedere vellet à religione; contra *Suares de relig. tom. 3. lib. 5. cap. 16. num. 8.*

Ex dictis infertur, quòd ſi nouitius in religione exiſtens debita ciuilia habeat, eiuſdem creditores eumdem non coram Iudice laico, vel etiam Eccleſiaſtico ſæculari; ſed coram ſuo Prælato regulari conuenire debeant: Ratio eſt, quia eidem Nouitius quoad vtrumque forum ſubditur, ac proinde creditor apud Regularem competentem Nouitij Iudicem debitum exigere debet; quia Nouitius exemptus eſt, tam à ſæculari, & laico Iudice, quàm etiam à Sæculari Eccleſiaſtico. Vide *Rodriques tom. 2. qq. reg. qu. 2. art. 10. Sanches lib. 6. moral. c. 10. num. 10. & 11.*

Porrò Nouitius de omnibus delictis, etiam homicidij voluntarij, poteſt puniri à ſuo Prælato regulari, ſi ipſe velit in religione permanere. Ratio eſt quia Nouitij, cum gaudeant priuilegijs religionis, exempti ſunt à Iudice ſæculari. Si verò Nouitius occidit, vel vulneret aliquem Monachum, ſiue committat aliquod magnum delictum, & deinde à religione aufugiat tunc à ſæculari Iudice puniri debet; quia delictum impunitum manere non debet, & è monaſterio egreſſus, eſt merè ſæcularis, vt docet *Farinacius apud Sanches citatum nu. 14.* Si autem nouitius pro delictis quæ mortem non merentur, è religione egredi velit à Prælatis regularibus puniri debet, & inuitè puniri poteſt, & incarcerari antequam egrediatur è religione. Ratio eſt; quia ſi ſub tali prætextu non puniretur à Prælato regulari, remanerent delicta impunita. Ita affirmant *Graffius tom. 1. conſ. lib. 3. de voto. conſil. 8. num. 8. Suares tom. 3. de relig. l. 5. c. 16. num. 18.* Et hoc non eſt impedire libertatem Nouitij ad egrediendum è Religione, vt habetur in *cap. Statuimus, de regul. & cap. Non ſolum, eodem tit. in 6.* Imò ſi contingat, ſeu neceſſarium ſit Nouitium ratione delicti torqueri, poterit vtique à Prælato regulari, vt profeſſus, torqueri, ad veritatem eruendam; hoc enim concernit officium Iudicis: torquendus tamen eſt tunc nouitius, non per perſonam ſæcularem, ſed per clericum, vel Religioſum, iuxta formam præſcriptam in *cap. vniuerſitatis, de ſent. excommu.*

19. An autem familia clerici gaudeat priuilegio fori? Reſpond. *Primò*, Et quidem de vxore clerici, negant *Bonacina de leg. diſp. 1. q. 3. punct. 8. §. 2. num. 9. Sanches de matr. l. 7. diſput. 47. num. 3.* cum alijs; putant enim hoc priuilegium eſſe perſonale ratione ordinum, ſicut & Religioſis ratione Religionis. Et hoc eſt ſatis probabile, vt concedit ipſemet *Sanches*. Contrarium tamen mihi placet: quia vxor ratione matrimonij fortitur forum viri, vnde in diſpoſitione quamuis ſtricta, & conceſſa viro, cenſetur quoque vxori concedi: Imò hoc priuilegio gaudet vxor, etiam mortuo viro, donec alteri nubat: quia cùm vidualis vita durat; cenſetur in priori matrimonio eſſe. *Secundò*, filij clericorum gaudent priuilegio fori, nec illos Iudex laicus poteſt punire: quia Pater & filius reputantur vna & eadem perſona, & filius dicitur pars corporis Patris: & ideò excluſa perſona Patris, cenſetur excluſa filij: Aduerte tamen hoc eſſe verum in filijs legitimis, & viuente Patre: nam Patre mortuo minimè priuilegio gaudebunt. *Tertiò*. Serui perpetui, vt mancipias, gaudent priuilegio fori, quia tales ſerui habentur tanquam pars patrimonij & ſubſtantiæ Dominorum: An autem idem dicendum ſit, de famulis non perpetuis, ſed temporalibus, conductitijs vel mercenarijs, annua, menſtrua, vel diurna mercede ſeruientibus, negant *Couarr. pr. qq. cap. 32 nu. 2. Gutiures pr. qq. l. 1. q. 4.* probabiliter. Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis, nempe hos, Dominorum priuilegijs participes eſſe, cùm famulis, non propter ipſos, ſed propter Dominorum perſonas, priuilegia conceſſa reperiantur. De his vide *Dianam part. 3. tr. 1. reſol. 7. 45. 47.*

De clerico vide *Bellum* nu. 6. *Beneficium* 3. nu. 2. *Ceſſio bonorum* nu. 6. *Emptio* nu. 16. *Exemptio* nu. 2. *Feudum* nu. 4. *Fideuſſio* nu. 6. *Gabella* nu. 10. 11. 13. *Hora Canonica* 1. nu. 3. *Interdictum* 2. nu. 25. *Interdictum* 3. nu. 2. & ſeq. *Lex* 3. nu. 4. *Ludus* 1. nu. 3. 4. *Matrimonium* 7. nu. 56. *Teſtamentum* nu. 6. *Dominium* 1. nu. 11 & 12. *Ordo* 1. num. 2.

CODICILLVS.

SVMMARIVM.

1. *Codicillus quid ſit.*
2. *Plures codicillos quis facere poteſt.*
3. *Codicillus fieri poteſt tam ab eo qui inteſtatus, quam qui teſtatus decedit.*
4. *An cenſendus ſit codicillus, quando teſtator intendit condere teſtamentum, non tamen adhibet ſolemnitatem neceſſariam ad teſtamentum, ſed tantùm ad codicillum.*
5. *Quando clauſula codicillaris teſtamento minus ſolemni adiecta non eſt, an diſpoſitio valeat, vt teſtamentum, vel vt codicillus.*
6. *Qui ſint effectus clauſulæ codicillaris ſeu expreſsè ſeu tacitè intellectæ.*
7. *Bifariam fieri poſſunt codicilli ad ſimilitudinem teſtamentorum.*
8. *Differentia inter hæredis inſtitutionem & legatum.*

1. COdicillus dicitur, quaſi paruus codex ſiue ſcriptura vltimam aliquam voluntatem continens abſque hæredis directa inſtitutione: & eſt quaſi imperfectum teſtamentum ob duas cauſas. *Prima*, quia teſtamenti ſolemnitates non requirit, quòd quinque teſtes non rogati etiam feminæ in codicillo ſufficiunt. *Secunda*, quia codicillo hæreditas neque dari neque adimi poteſt: vnde inſeruiunt præcipuè codicilli ad fideicommiſſa & legata relinquenda: item ad teſtamentum declarandum, immutandum & addendum. *L. vlt. C. de codicillis. Leſſius l. 2. cap. 19. num. 2. Bonacina de contract. diſp. 3. q. 17. num. 2. L. hæreditatem C. de codicillis.*

2. Codicillos plures quis facere poteſt, modò inter ſe contrarij non ſint, alioquin prior à poſteriore cenſebitur reuocatus: & teſtamenta autem duo ſimul conſiſtere non poſſunt, ſed ſemper poſterius, quod iure factum eſt, priori derogat, quamuis nemo exillo hæres extiterit. §. *Non tantum inſtit. de codicillis L. Conſic. ff. de nore cod. Bonacina c. num. 5.*

3. Codicillus fieri poteſt tam ab eo qui inteſtatus, quàm teſtatus decedit, & hoc non ſolum poſt factum teſtamentum, ſed etiam ante teſtamentum & cum ipſo teſtamento; ita vires codicilli ex teſtamento pendent, tamquam acceſſorij ex principali: ſi verò teſtamentum nullum factum ſit, tunc quaſi teſtamenti loco eſt codicillus, obligans hæredem ab inteſtato venientem etiam poſthumum. §. *Non tantum inſtit. de cod. L. conficiuntur ff. de iure codic. Bonacina c. num. 5.*

4. Quando teſtator intendit condere teſtamentum, non adhibet tamen ſolemnitatem neceſſariam ad teſtamentum, ſed tantùm ad codicillum, cenſebitur tunc eſſe codicillus, ſi expreſsè adiungat clauſulam codicillarem, verbi gratia, ſi diſpoſitio mea non valet vi teſtamenti, volo vt valeat vi codicilli: idem dicendum quamuis ſolum tacitè ac virtualiter hoc exprimat; verbi gratia, ſi hæc diſpoſitio mea non valet vt teſtamentum, valeat eo modo quo valere poteſt. *L. 1. ff. eod. l. vlt. §. illud quoque, C. eod. Leſſius c. nu. 3. Sa. v. Teſtamentum, nu. 16. Syluester v. Teſtamentum 1. num. 11. Vaſq. de Teſtam. c. 1. §. 7. dub. 2.*

5. Quando clauſula codicillaris teſtamento minùs ſolemniter condito neque adiecta eſt, neque ob coniecturas pro adiecta haberi poteſt, eo caſu diſpoſitio neque vt teſtamentũ, neque vt codicillus conſiſtit, etiamſi omnia ad codicillum alioquin requiſita adſint. *L. 1. ff. eod. & tit. l. vlt. C. eodem.*

6. Effectus clauſulæ codicillaris ſeu expreſsè ſeu tacitè intellectæ, ſunt, *Primò*, ex teſtamẽto minùs ſolemni, etſi hæredis

inſtitutio

institutio omnino irrita sit, hæres tamen ab intestato soluere cogitur legata propter illam clausulam. *Secundò*, si testatur carens hæredibus necessarijs, in testamento minùs solemni instituat extraneum, virtute eiusdem clausulæ, institutio directa vertitur in fideicommissariam *Tertiò*, si testator hærede necessario scienter præterito vel iniustè exhæredato, in testamento minùs solemni instituat extraneum, virtute illius clausulæ censetur hæres necessarius grauatus, vt detracta portione legitima reliquam hæreditatem restituat instituto. *L. si iure non subsistit. C. de testam. manumiss. L. ex ea scriptura §. ex his verbis ff. qui testam. facere possunt. Molina disp. 132. Layman l. 3. tr. 5. c. 8. Bonacina c. num. 5.*

7. Codicilli ad similitudinem testamentorum, bifariam fieri possunt: primùm in scriptis, adhibitis quinque testibus qui se subscribant, deinde sine scriptis per nuncupationem, declarata vltima voluntate coram quinque testibus, tametsi ea postea in scripturam redigatur. *Syluester v. Testamentum 1. qu. 2. L. fin. C. de codicillis.*

8. Inter hæredis institutionem & legatum hoc interest, quòd testator hæredem proprio ore saltem ad interrogationem alterius proferre debet: at verò legatum nutu relinqui potest, si moriturus morbo impeditus articulatè loqui non possit. *L. iubemus C. de testam. L. nutu ff. de legatis l. 32.*

Vide *Falsarius* nu. 2. *Testamentum* nu. 1.

COLVMBARIVM.

SVMMARIVM.

1. *Columbaria an sint licita?*
2. *Si columbæ bis terve tempore consueto non redeant, an sint occupantis.*
3. *Peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem, qui arte vel fraude alienas columbas ad suum columbarium attrahit.*
4. *Intra terminum lege præscriptum columbas occupari prohibitum, eas sumere est mortale cum debito restituendi.*

1. COlumbaria ordinariè sunt licita nisi lege aliqua prohibeantur; quia passim est consuetudo & ordinariè non sentitur damnum notabile; non enim columbæ minùs vescuntur leminibus prauis quæ fata suffocant & strangulant, vt lolio, melanthio, or obanche, quàm bonis, vnde secundùm quosdam tantùm prosunt, quantùm nocent: curare tamen debent qui eas fouent, vt pabulum in columbarijs non desit, sic enim minùs nocere possunt. *Nauar. c. 17. n. 116 Caietan. v. columbarũ. Syluius 2. 2. q. 66. art. 2. q. 3. concl. 4. clauis reg. l. 11. c. 10. nu. 1.*

2. Quando columbæ amittunt cõsuetudinem redeundi, verbi gratia, si bis terve tempore consueto non redeant fiunt occupantis, quia tunc censentur se recepisse in naturalem libertatem, & non amplius esse in potestate prioris Domini. *Syluest. v. Inuẽtũ, q. 2. Salon 2. 2. q. 62. ar. 3. cõtr. 4. Arragon ibid. cõcl. 7.*

3. Qui arte vel fraude alienas columbas attrahit ad suum columbarium, spargendo in eo certa semina, peccat peccato furti cum obligatione restituendi, si paruitas eum non excusat: debet tamen adesse intentio principaliter alienas columbas inescandi, nam excusaretur ille cuius principalis finis esset suas pascere & retinere, ne aliò euocentur. *Medin. in 4. l. sent. dist. 85. q. 8. apud Naua. c. n. 127. Syl. c. cõcl. 7. clauis reg. c. n6.*

4. Quando lege præscriptus est terminus, intra quem columbas aucupare prohibetur, intra illum sumere peccatũ mortale est cum debito restituendi; extra illum verò terminum eas capere, absque onere restitutionis, aut reatu peccati, licet. Ratio prioris est, quia cùm lex talem terminum præscribat, iustaque sit, consequenter efficit, vt intra illum terminum columbę sint bona propria domini illius columbarij, atque adeò illas capere non licet, quando vnum tantùm est columbarium in eo loco; Sin verò plura sint columbaria, & columbæ capiãtur intra terminum præscriptum puta intra leucam ab vno columbario, extra leucam verò ab alio columbario, tunc quidem si talibus constaret euidenter columbas, quas capere contendũt, esse alterius columbarij distantis vltra terminum à lege præscriptum, non peccarent: sed quia rarò euenire potest, vt id sciatur, in dubio præsumendum est, quòd eius columbarij sint, quod est intra terminum præscriptum à lege. Ratio posterioris est, quia cùm hoc animal quasi medium sit inter domesticũ & ferum, rebusque alienis pascatur, statuere potest Princeps, vt cum eo onere dominus columbarij dominium illarum retineat, vt si extra terminum illum capiantur maximè à dominis locorum in quibus vagantur, ea ipsa captione amittat dominiũ, & fiant capientium. Ita Salon 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. *controu.* 4. *concl.* 3. Bannes *ibid. dub. vlt. concl.* 5. Toletus *lib.* 5. *cap.* 20. *in fine.* Corduba *in Sum. quæst.* 21. *vers.* 3.

Vide *Venatio* num. 7.

COMMODATVM.

SVMMARIVM.

1. *Commodatum quid sit.*
2. *Commodatum vt diuidi possit ex parte contrahentium.*
3. *Commodatarius de qua culpa teneatur, si res pereat aut deterioretur; quando commodatum sit in gratiam tantum commodantis.*
4. *Commodatarius an teneatur de casu fortuito.*
5. *An possit cõmodatarius res suas pretiosiores, rebus commodatis præferre, vt eas saluare possit in periculo incendij, naufragij &c.*
6. *Quid faciendum si res commodata sit pretiosior.*
7. *Quid si res tua & alterius sint æquales.*
8. *Damnum quis præstabit, quando res duobus commodata fuit.*
9. *Commodatarius an repetere possit à commodante impensas maiores extraordinarias, quas circa rem commodatam sine sua culpa facere debuit.*
10. *Commodatum an possit repeti ante tempus, ob par incommodum vel damnum vitandum commodatarij.*

1. COmmodatum, *est alicuius rei ad solum vsum gratuita concessio:* dicitur *alicuius rei* ad indicandam materiam commodati, per quam ipsum distinguitur à mutuo; eo enim est, non quæuis res, sed quæ non consumitur vsu, siue sit immobilis, vt domus, siue mobilis, vt liber, siue se mouens; vt equus, mulus: mutui autem materia est res vsu consumptibilis: dicitur *ad solum vsum*, in quo commodatum differt à pignore & deposito, quorum vsus non conceditur: *gratuita*, dicitur, quia si interueniat merces, erit locatio aut contractus innominatus, do vt des, vel do vt facias. *Institutis lib. 3. tit. 15. §. item is. Layman l. 3. tr. 4. c. 14. Syluius 2. 2. q. 77. Lessius l. 2. cap. 27. dub. 1. num. 4. Syluester v. commodatum, qu. 1.*

2. Commodatum ex parte contrahentium diuiditur: nam fieri potest in bonum tantùm commodatarij, quod frequens est, vel in bonum tantùm commodatoris, vel in bonum vtriusque: porrò ex commodato commodatarius habet quinque obligationes. *Prima* est, vt re commodata vti non possit nisi ad eum vsum ad quem accommodata est. *Secunda*, est vt commodatarius teneatur commodatum restituere tẽpore præstituto. *Tertia*, est vt eamdem rem numero restituere teneatur, ea enim est aliena. *Quarta*, vt teneatur rem commodatam restituere non factam deteriorem dolo aut culpa sua. *Quinta* est, vt teneatur rem commodatam seruare eadem cura & diligentia quà res suas. *Regina. l. 25. n. 470. 471. Syluest. v. cõmodatum. Filliuci. tr. 34. n. 176. Bona. de contractibus disp. 3. q. 6. punct. vnic.*

3. Quando commodatum fit in gratiam tantùm commodantis, commodatarius non nisi de dolo, aut culpa lata quæ dolo æquiparatur tenetur, si res pereat aut deterioretur: sin autẽ commodatum fiat in gratiam ipsius smet commodatarij, tenetur de dolo & omni culpa etiam leuissima: si denique in gratiam tam commodantis quàm commodatarij, vt si commodata sint vasa ad excipiendum hospitio communem amicum, vtriusque nomine, tenetur commodatarius de culpa lata, & leui, non de leuissima: hæc autem vera sunt spectata contractus natura, tamen si aliter conuentum sit, standum erit pacto. *L. Si vt certo §. Sed interdum. ff. commodatis. Nauarr. c. 17. num. 184. Becanus de restit. q. 48. mm. 8. 9. 10.*

4. Commodatarius non tenetur de casu fortuito, nisi contrarium deductum sit in pactum, vel vsus sit re commodata aliter quàm sibi concessa fuerit, aut denique nisi ex illius mora restituendi talis casus euenerit: tamen si res commodata eodem modo peritura erat, quamuis commodatarius non fuisset in mora, aut non fuisset re vsus aliter quàm sibi concessa erat, ipse non teneretur ad illius restitutionem, sed solùm ad æstimationẽ lucri cessantis, aut damni quod Domino emerserit ob talem moram *cap. vnico. de cõmodato. Regnal. c. ex Syluestro c. nu. 9. Lessius l. 2. cap. 7. dub. 8. nu. 36. 37. Bonacina c. nu. 3.*

5. In periculo incendij, naufragij, hostilis irruptionis commodatarius potest res suas quæ sunt pretiosiores rebus

commodatis, depositis, conductis & oppignoratis præferre, vt eas saluare possit, si vtraque nequeat; quia nemo tenetur subire damnum maius vt auertat alterius damnum minus, si tamen res aliena erat apud te in tuum solius commodū quamtlis ex decentia & quadam gratitudine tenearis alteri interritum rei suæ compensare ex rebus tuis, non est tamen improbabile te non teneri compensare, quia res illa absque tua culpa periit, & proinde periit Domino. Ita *Angelus v. commodatum. Molina disput.296. Lessius l.2.ca.27.num. 23.*

6. Quando res commodata est pretiosior, teneris eam præferre rebus tuis vilioribus, eamque saluare, tuis relictis, quia depositio, commodato, pignori, locato ea debetur custodia, quam quisque prudens suis rebus adhiberet: tamen si res illa erat apud te tui dumtaxat commodi causa, non potes exigere compensationem pro rebus tuis: secùs si causa solius alterius vel vtriusque apud te erat; quia tunc non teneris cum tuo damno præstare incolumem. *Layman lib.3.tract.4. c.7.m.7. Lessius eadem. 29.*

7. Quando res tua & alterius sunt æquales, potes præferre rem tuam, si res alterius est apud te in commodum solius alterius, vel in commodum commune: si verò est in commodum tui solius teneris præferre rem alienam eamque tua relicta saluare, nec ille tibi debet compensare. *Azor. to. 3.l.7.c.7. quæst. 6. Lessius c. num. 29.*

8. Si res duobus commodata aut locata fuit, ille solus damnum præstabit, cuius dolo aut culpa perijt; si neuter culpa caruit, vterque in solidum obligatur, sed postquam vnus totum dedit, ab altero dimidium repetet: si autem duo ex pacto se obligarint ad casum fortuitum rei commodatæ, locatę, vel depositæ: repereunte, singuli tantùm pro parte tenentur, nisi expressè conuentum sit vt in solidum obligentur. *L. si vt certo. §. si duobus, ff. commodati. Molina to.2.d.297. in fine.*

9. Commodatarius à commodante repetere potest impensas maiores & extraordinarias, quas circa rem commodatam sine sua culpa facere debuit, verbi gratia, in equi curationem. modica autem impendia, sicuti & cibariorum ad commodatarium spectant. *L. in rebus §. possunt ff. commodati. Reginald. l. 25. num. 582. Bonacina c.num.4.*

10. Commodatum potest repeti ante tempus ob par incōmodum vel damnum vitandum commodatarij, quamuis contrarium sentiat *Nauarrus*; quia commodator non censetur talem euentum voluisse comprehendere, si enim de eo rogatus fuisset, expressè negasset. *Lopez l. 2.de contractibus c.34. Angelus v.commodatum,nu.4. Molina disp.294. Nauar.cap.17.nu.282.*

Vide *Depositum* n.1.3. *Locatio* 1.nu.1. *Mutuum* nu. 1.

COMMVNIO SACRA.

SVMMARIVM.

1. *Communio Sacra an sit necessaria ad salutem necessitate medij, vel præcepti.*
2. *Sacra Eucharistia ad infirmos per plateas deferri potest.*
3. *Infirmo non ieiuno an liceat sacram communionem ministrare, si mdium sit periculum mortis aut phrenesis diuturna.*
4. *Qui sex vel octo diebus antequam in mortis periculum incidisset, communicauit, an obligetur iterum Sacram Eucharistiam sumere per modum Viatici.*
5. *Perseuerante morbo & eodem periculo mortis, an liceat pluries sacram communionem accipere per modum Viatici.*
6. *Ex præcepto Ecclesiæ tenentur fideles singulis annis Eucharistiam sumere in Paschate. Et quid nomine Paschatis intelligatur? An religiosi teneantur pluries in anno communicare?*
7. *Qui in Paschate Eucharistiam non sumpsit, an possit tuta conscientia illius præceptionem ad alterum Pascha differre:* Refertur duplex sententia.
8. *In propria parochia sumenda est communio Sacra, pro implendo præcepto Ecclesiæ.*
9. *Mendicantes habent priuilegium ministrandi Eucharistiam secularibus quouis anni tempore, excepto die Paschatis.*
10. *Quid in priuilegijs regularium sit intelligendum per diem Paschatis vel Resurrectionis:* Refertur duplex sententia.
11. *Peregrini, viatores, vagi, & ij qui extra parochiam suam ad certum tempus commorantur, possunt tempore Paschatis, in parochia, in qua degunt, Eucharistiam sumere; sicut & in Ecclesijs regularium.*
12. *Serui Religiosorum, an debeant tempore Paschatis communionem accipere in propria Parochia.*
13. *An satisfaciat præcepto Ecclesiæ, qui in Ecclesia Cathedrali communionem sumeret, sine Episcopi, vel Parochi licentia?*
14. *Qui tempore Paschatis Eucharistiam indignè sumit, cum peccato mortali, an præcepto Ecclesiæ satisfaciat?* Refertur duplex sententia. *An incurrat pœnas & censuras quæ solent non communicantibus imponi?*
15. *Communionem anticipatè sumere an teneatur, qui præuidet se impediendum in Paschate, vt non possit communicare.*
16. *An melius sit frequentius communicare, quàm rarò.*
17. *In qua ætatis parte pueri obligentur ad sumptionem Eucharistiæ in Paschate?*
18. *An mortaliter peccet Pater, Mater, Tutor, Curator aut Herus, si non procuret, vt sui liberi, pupilli, mures, aut famuli, ad communionem obligati, illam sumant tempore debito.*
19. *Qui commisit peccatum mortale in articulo mortis, an teneatur ex præcepto diuino iterum communicare.*
20. *Reo ad mortem damnato, an teneatur Iudex concedere tempus communicandi.*
21. *Secluso priuilegio, laicus non potest sæpius in die communicare.*
22. *Qualibet diei hora, licitum est communicare.* Post hæc inuenies alia summaria de eadem materia.

1. COmmunio Sacra, id est, sumptio Sacræ Eucharistiæ, proprie loquendo non est hominibus necessaria necessitate medij ad salutem, cùm secundùm *D. Thom. 3. p. qu. 65. art. 4. Suares de Euchar. disput. 40. sect. 2.concl. 3. Diana p. 5. tr. 13. resol. 28.* duo tantùm sint Sacramenta, quæ personis singularibus necessaria sint, vt salutem æternam consequantur; videlicet, Baptismus pro omnibus, & Pœnitentia pro lapsis in peccato mortali post baptismum. Ita communiter Doctores post *D. Thom.* Fidelibus tamen adultis, iuxta probabiliorem sententiam *Sylui 3. p. q. 80. art.11. qu.1. concl.1. & 2. Recan. de Sacram. cap.23.qu.4. num.2. Layman l. 5.tr.4.cap.5. num.2. Diana p.3.tr.6.resol.95. Fagundes præcept.3.d.1.cap.3.nu. 4. Suares c. disp. 69. sect. 3.* necessaria est necessitate præcepti diuini, non tantùm in articulo mortis per modum viatici, sed etiam ante periculum illius, nec semel dumtaxat, sed sæpius in vita, vt patet ex verbis Christi. *Ioannis 6. Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Ratio autem est, quia instituta est per modum alimenti spiritualis, quod, sicut & corporale, sæpiùs in vita sumendum est, ad vires animæ reficiendas. Nam de vita spirituali theologandum est proportionaliter ad corporalem: ergo sicut ad vitam corporalem non sufficit, semel, aut iterum in vita cibum sumere: ita nec ad vitam spiritualem. Etenim sicut illa paulatim minuitur actione caloris naturalis, humidum radicale continuò depascentis, defectu cuius humidi radicalis vita animalis destruitur: ita hæc actione concupiscentiæ, humidum radicale amoris diuini perpetuò absumentis.

Aduerte tamen hoc præceptum diuinum non obligare, nisi quando decenter & reuerenter Sacra communio sumi potest. Tempora autem, quibus per se obligat hoc præceptum diuinum, non possunt indiuisibiliter definiri, sed prudentis arbitrio definienda sunt, ita vt ipsius executio nimium non differatur. Nam quod aliqui dicunt, esse obligationem, quoties vehemens vrget tentatio: Imprimis illa posset per alia media superari. Secundò talis obligatio est per accidens, vt rectè notauit *Suares*, hic autem agitur de obligatione per se, secluso omni extrinseco obligante. Quod verò dicit idem *Suares*, hoc præceptum obligare saltem tertio, vel quarto anno, non conuincit, quia posset quis intra tale tempus probabiliter æstimare, se nullo modo obligari ad hoc sacramentum suscipiendum. In quo casu non posset is de crimine peccati mortalis damnari. Hæc accuratè *Syluius* sup. citatus.

2. Etsi consuetudo Ecclesiæ non sit, neque deceat, vt ad omnes infirmos Sacra Eucharistia per plateas deferatur, tamen eius delatio frequentior est, quàm Sacræ vnctionis; vnde si quis diuturno morbo detineatur, vt ad Ecclesiam accedere non possit, non tantùm semel Sacram Eucharistiam, sed etiam sæpius spectatis circumstantijs locis &c. petere iure poterit

terit, vt docet *Layman c. tr. 4. cap. 5. numer. 3.*

3. Quando nullum probabile periculum mortis, vel ſuperuenientis diuturnæ phrenefis, infirmo imminere videtur, illicitum eſt ipſi non ieiuno Sacram communionem miniſtare; quia ob ſolam neceſſitatem Sacra Euchariſtia non ieiunis dari poteſt, vt docent communiter Doctores. *Suares de Euchar. diſp. 68. ſect. 3. Henriq. l. 8. c. 49. Fagundes c. l. 3. cap. 5. nu. 4. 19. Zabranus de Euchar. c. 3. d. 5. nu. 1.* qui volunt Sacramentum hoc, nonniſi à ieiunio naturali extra Viaticum non debere ſumi. Probatur ex *Concilio Carthaginienſi 3. cap. 29. 48. & ex Toletano 7. cap. 2.* vt dicetur infrà num. 40. & ſequentibus

4. Quando infirmus ſex vel octo diebus antequam in mortis periculum incidiſſet, Sacram communionem recepit ex deuotione, non obligatur iterum Sacram Euchariſtiam ſumere per modum Viatici, quamuis illi id conſulendum eſſet. quia præceptum de Euchariſtia ante mortem ſumenda, ſecundum ſubſtantiam impleuit: eò quòd vnuſquiſque in ſuis actibus cenſetur habere intẽtionem virtualem & implicitam implendi omnem obligationem, quam poteſt & debet, licet fortaſſe eam ignoret: Hanc ergo voluntatem virtualem in eo caſu habere cenſetur, quæ per hanc conditionalem rectè explicatur; quòd ſi homo cognouiſſet ſuum periculum, per modum viatici communicare voluiſſet, quod meritò præſumitur, quando tempus eſt breue: Secus dicendum eſſet ſi infirmus ante lapſum in morbum per longius tempus, puta per duos vel tres menſes non communicauerit: in tali caſu probabile eſt illum iure diuino obligari ad communionem: quòd autem huiuſmodi præceptum nunc extet, Eccleſiaſtica conſuetudo ſatis declarat. Nam ex antiquiſſimis Concilijs & Pontificibus conſtat, ſemper ab Eccleſia diligentiſſimè curatum eſſe, ne morientes ſine viatico decedant; quæ conſuetudo ita eſt recepta, vt ſine magno ſcandalo violari non poſſit, quòd eſt ſignum grauis obligationis: vt patet ex *Concilio Niceno, can. 13. Toletano XI. cap. 18. Agatenſ. c. 11.* Ita tenent *Richard. in 4. diſt. 12. art. 6. q. 1. Durandus diſp. 9. q. 2. a. 2. Sotus 4. diſp. 12. qu. 1. a. 11. Petr. Soto lect. 9. de Euchariſt. Syluius 3. p. qu. 80. art. 11. queſit. 1. Layman l. 5. tr. 4. c. 5. num. 4. Suares 3. p. tom. 3. diſput. 69. ſect. 3. Diana p. 3. tr. 4. reſol. 40. Fagundes præcept. 3 l. 1. c. 3. num. 8.* Vnde tamquam minùs probabilis reijcitur ſententia *Caiet. v. Communio Armilla eod. num. 4. Sà v. Euchar. 1.* docens illum non peccare mortaliter, qui cùm in Paſchate communicauerit, ſuperueniente mortis periculo Sacram communionem intermittit per negligentiam, ſine contemptu tamen: hæc enim ſententia de facto negat præceptum diuinum de ſumenda Euchariſtia in articulo mortis: contra quam *Henriques lib. 8. cap. 4.*

5. Qui in mortis articulo conſtitutus, Sacram communionem per modum Viatici accepit, perſeuerante morbo & eodem periculo, poterit iterum accipere per modum Viatici, quamuis ad hoc non obligetur. Ratio prioris eſt, quia moriturus valde indiget tanti Sacramenti præſidio, & id ſæpiùs, ad vincendas occurrentes tentationes, & peccandi pericula ſuperanda. Ratio poſterioris eſt, quia per vnam communionem ſit ſatis diuino præcepto communicandi in articulo mortis, ergo. An autem in hoc caſu pluries poſſit ſumi à non ieiuno & eodem die? dicetur infrà *num. 44. & 45. Syluius 3. p. q. 80. a. 8. Henriq. l. 8. cap. 50.*

6. Fideles poſtquam ad annos diſcretionis peruenerũt, precepto Eccleſiaſtico obligantur Sacram Euchariſtiam ſingulis annis ſumere in Paſchate, vt patet in *cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitent. & remiſſ.* niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus, ab huiuſmodi perceptione ſit abſtinendum. Circa quod præceptum nduerte *primò*, non ſtatim, ac homo habet vſum rationis, quo eſt capax peccati mortalis & obligationis confitendi, obligari hac lege paſchalis communionis, ſed per aliquod tempus, vel etiam per aliquot annos, poſſe ad confitendum, priuſquam ad communicandum, obligari: quia magnum eſt diſcrimen inter vtrumque Sacramentum; confeſſionis enim Sacramentũ magis neceſſarium eſt, & ex hac parte eſt anticipandum: Euchariſtiæ verò eſt longè dignius, & ideò ad illius vſum maturior ætas expectanda eſt, vt poſſit ſuſcipiens conueniente deuotione accedere, & grauiori iudicio inter hunc & alios communes cibos diſcernere. In qua verò ætate obliget hoc præceptum paſchalis communionis, conueniunt omnes Doctores non poſſe generaliter definiri hanc obligationem per hominum ætates, ſeu annorũ numerũ vnde totum hoc negotiũ pendet ex iudicio prudentis confeſſarij, qui præmiſſis interrogationibus, huiuſmodi pueros tentabit, & exinde iudicium illorum venabitur, ad præceptum hoc implendum. Ita *Nauarr. in Man. cap. 21. num. 57. Syluius 3. p. q. 80. art. 9. queſit. 1. Tolet. lib. 6. cap. 18. num. 2. Azor. tom. 1. l. 7. c. 30. qu. 10. Suares 3. p. tom. 3. diſt. 70. ſect. 1. & tom. 4 diſput. 36. ſect. 2. Fagundes præcept. 3. lib. 1. cap. 5. numer. 21. Diana part. 3. tr. 6. reſol. 70. Tannerus 3. p. diſp. 5. qu. 8. dub. 5. num. 11.* Contra *Sanctus in ſelectis diſput 26.* qui mordicùs contendit & probat abſolutè pueris miniſtrandam Euchariſtiam, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, neque diſtinguendum eſſe inter tempora confeſſionis & communionis; nam vtriuſque rei præceptum imponitur ſine vlla diſtinctione in *cap. Omnis vtriuſque ſexus*. Hanc opinionem *Sanctij* putat *Diana* probabilem.

Verum in hac controuerſia notandum eſt, quòd Rituale Romanum iuſſu *Pauli V.* editum habet. *Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum huius ſacramenti (Euchariſtiæ ſcilicet) cognitionẽ & guſtum habent, adminiſtrari nõ debet*. Proinde vide an ſeptennes pueri notitiam & guſtum huius ſacramenti habeant, antequam illos ad communionem obligatos eſſe decernas.

Secundò aduerte, nomine Paſchatis, Eccleſiaſticam conſuetudinem declaraſſe ex decreto *Eugenij IV.* vt refert *Nauar. in Man. c. 21. num. 45. Sylueſt. v. Euchar. 3. Henriq. l. 8. c. 55. Fagund. præcept. 3. d. 1. c. 5. num. 3. Suares 3. p. tom. 3. diſp. 70. ſect. 2. Bonacina tom. 1. diſput. 4. q. 7. p. 2. num. 6. Filliucius tr. 4. num. 55.* comprehendi quindecim dies, qui ſunt a Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè. Quibuſdam tamen in locis conſuetudine, aut Pontificio priuilegio hoc tempus extenſum eſt; vt vel integram Quadrageſimam complectatur, ſicuti Mediolani, vel quatuor hebdomadas, duas ante, & duas poſt Reſurrectionis diem: ſeruandus eſt in hoc vſus legitimè præſcriptus cuiuſque Diœceſis; Epiſcopi enim iuxta mentem prædicti *cap. Omnis vtriuſque ſexus*, ob aliquas rationabiles cauſas, poterunt extendere tempus Paſchatis ad implendum huiuſmodi præceptum.

Sed dubium eſt, an religioſi ſpeciali iure teneantur pluries in anno communicare? Negant Henriques *lib. 8. de Euchar. cap. 5.* & Suares *diſp. 70 ſect. 2.* Affirmat Nauarrus *in man. cap. 21.* in fine de Monachis S. Benedicti, & de Monialibus, tum propter Clementinam *Ne in agro, § ſane de ſtatu Monachorum.* Tum propter Concilium Trident. *ſeſſ. 25. cap. 10. de regular.* vbi de monialibus ſtatuit, *vt ſaltẽ ſemel ſingulis menſibus confeſſionẽ peccatorum faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiã ſuſcipiãt.*

Sed mihi dicendum eſt, cum Vaſques *diſp. 214. ca. 3.* & alijs, ſolos prædictos religioſos S. Benedicti, vi præcitatæ bullæ teneri ad menſtruam communionem, non autẽ Moniales. Prob. prior pars, tum quia Pontifex in dicta Bulla per verbum imperatiuum *Communicent* præcipit menſtruam communionem Benedictinis, quamuis illam dependentem faciat à iudicio Superiorum & Pœnitentiariorum monaſterij. Tum quia idem Pontifex in eadem Bulla eodem tenore prohibet clamoſam venationem & aucupationem, ſicut præcipit menſtruam communionem. Atqui illam prohibet ſub mortali, vt conſtat ex pœna, quam iniungit: ergo hanc etiam præcipit ſub mortali. Poſterior pars conſtat, quia Concilium nullo verbo præceptiuo vtitur, ſed tantùm monitorio & adhortatorio. Verba concilij ſunt: *Attendant diligenter Epiſcopi, & cæteri Superiores monaſteriorum Sanctimonialium vt in conſtitutionibus earum admoneantur Sanctimoniales, vt ſaltem ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccatorum faciant & ſacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant.* Vnde niſi aliunde vi propriarum conſtitutionum, ad quas Concilium videtur ſe remittere, ſub præcepto teneantur ad menſtruam communionem, vi præcitati capitis concilij non tenentur.

7. Quorundam Doctorum ſatis grauium ſententia nõ improbabilis eſt, illum, qui in paſchate Euchariſtiam non ſumſit, illius perceptionem tuta conſcientia ad alterum vſque anni proximè cõſequentis Paſcha poſſe differre. Fundamẽtum eſt, quia præceptum affirmatiuum obligans ad aliquem actum præſcripto die, vel tempore, tranſacto illo non obligat, etiamſi per impotentiam, vel malitiam in illo impletum non ſit: ſed huiuſmodi eſt hoc præceptum reſpectu temporis Paſchalis, ergo &c. Ita *Valentia tom. 4. diſput. 6. qu. 8. p. 4. Toletus l. 6. c. 18. Sà v. Euchar. num. 7. De la Crux in direct. p. 2. de Sacrament. Euchar. q. 5. du. 7. concl. 4. Syluester v. Euchar. 3. q. 15. Victoria in ſum. q. 148.*

Tamen vera & in praxi recepta ſententia eſt, quòd qui Paſchali tempore ſeu iuſta ſeu iniuſta de cauſa Sacram communionem accipere intermiſit, poſtea, quamprimùm commode poteſt, communicare debeat, vt quantò diutiùs differat, tantò magis peccatum augeat; tum quia præceptum affirmatiuum de communicando in Paſchate, tacitam negationem continet, ne vltra Paſcha communio differatur; & terminus annuus nõ conceditur, vt tunc ceſſet obligatio, ſed vt adimpletio non poſſit vlterius differri: ſicut in contractibus, quando ſtatuitur tempus vltra quod non poteſt differri ſolutio, ſi tunc non fiat obligatio non extinguitur, ſed perſeuerat. Tum quia principalis intentio Eccleſiæ eſt obligandi fideles ad communionem ſingulis annis ſumendam, ſecundariò determinat tempus Paſchale; & ſi quod ſecundarium eſt negligatur, aut ſeruari non poſſit, debet tamen impleri quod principale eſt. Ita *Suarez c.ſect.2.& to.4.d.36.ſect.3.nu.3. Sylueſter 3.p.q.80.art.11. queſit. 4. Fagundes c.c.6.nu.2. Azorius to.1.l.7.c.30.qu.5. Graſſius p.1.lib. 2.c.38 nu.25. Diana p.3.tr.4.reſ.41.& par.5.tr.13.reſ.3. Layman l.5.tr.4.c.5.nu.8. Nauarr.in Man.cap.21. num.45.*

8. Cùm Sacramentorum adminiſtratio ſit actus iuridicus, hinc qui adminiſtrat illa debet habere iuriſdictionem, vel ex iure communi, vel priuilegio, vel ex commiſſione conceſſam, in eos, quibus illa adminiſtrat: vnde oportet eum, cui Sacramentum Euchariſtiæ miniſtratur, eſſe miniſtranti reipſa & vere ſubditum: ſubditos autem nullus habet, niſi Paſtor, vel Ordinarius, vel ille cui vices Paſtoris aliquatenus commiſſæ sũt: Propterea ſtando in iure communi Canonico, ſoli Parocho ex officio competit Euchariſtiam miniſtrare; & idcirco ad propriam Parochiam accedere oportet: vel ad alienam, aut alibi de licentia tamen proprij parochi. Sicut enim Parochus poteſt dare licentiam ſuis parochianis, vt alia Sacramenta, verbi gratia, Matrimonij, Confeſſionis, Extremæ vnctionis ab alijs accipiant, ita etiam poteſt dare illam ad Sacramentũ Euchariſtiæ cùm par ſit ratio in omnibus. *Nauarr.21.num.52. Theophilus parochialis p.4.art.1. Azorius c.q.6. Henriques lib.8.c. 15.nu.1.litt.B. Crouſers ad c.7.reg.Minor.lect.6. Fagundes c. lib.1. c.5.nu.5. De la Crux de ſtatu relig.l.2.c.5. dub.3. Rodriques tom.1. q.7 reg.qu.56.art.3. Miranda to.1.q.42. art.1.* Vt decretum eſt in *cap. Omnis vtriuſque ſexus*. In *Clementina Religioſi; de priuilegijs* autem excommunicantur Religioſi Euchariſtiam, Extremam Vnctionem miniſtrantes, vel Matrimonia ſolemnizantes, ſine parochi licentia ſpeciali vel generali; & hæc excommunicatio eſt Summo Pontifici reſeruata.

9. Inre Clementinarum ſublato, priuilegia ampliſſima à Summis Pontificibus conceſſa ſunt religioſis Mendicantibus, vt Euchariſtiam miniſtrare poſſint. *Rodriques to. 1. qq.reg.q.56. art.3. Compend.priuileg.v.Communicare num.4.&* 9. plura refert, & habentur in compendio priuilegiorum mendicantium & non mendicantium; quorum etiam mentionem faciunt. *De la Crux c.l.2.c.5.d.3. Crouſers c. lect. 6. Miranda tom.1.q.42.art.2. Tamburin. de iure Abbat.tom.2.diſp.5.q.3 & 4.* ex quibus ſequẽtes reſolutiones ponimus.

Primò, omnes Sacerdotes ordinis noſtri miniſtrare poſſunt ſæcularibus Euchariſtiam, tam in noſtris quàm in alienis templis & oratorijs, extra tempus interdicti, & excepta die, qua celebratur feſtum Reſurrectionis, licentia Parochorum non requiſita, ex conceſſione *Leonis X.* apud *Rodriques*.

Sed petes, an non obſtante Epiſcopi prohibitione liceat etiam noſtris & alijs regularibus priuilegiatis miniſtrare Euchariſtiam in oratorijs priuatarum ædium? Reſp. Affirmatiuè, modò illa communio nõ ſit de præcepto, v. g. in articulo mortis per modum viatici, vel tempore Paſchatis ad implendum præceptum Eccleſiæ. Fundamentum huius aſſertionis eſt, priuilegium *Pauli IV.* anno 1557. apud Bullarium *Rodriques*, conceſſum Minoritis, cuius tenor eſt, *Quòd de cetero per totum orbem omnium vtriuſque ſexus fidelium prò tempore dicti ordinis fratres à ſuis ſuperioribus deputati confeſſores, confeſſiones etiam infirmorum vbilibet, etiam extra domos, & habitacula eorundem fratrum audire, eoſque abſoluere, ac omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Dominicæ ſacramentum Euchariſtiæ, tam illis, quam quibuſuis perſonis miniſtrare poſſint, Apoſtolica auctoritate concedimus &c.* Deinde iſta prohibitio Epiſcopi ne Religioſi dent ſacram Euchariſtiam in his oratorijs, in rigore eſſet reuocatio dicti priuilegij conceſſi Religioſis, vt patet, ſed Epiſcopus non poteſt reuocare priuilegia Papæ, neque id illi commiſit Tridentinũ *ſeſſ.22.in decreto de obſeruandis in celebratione Miſſarum* circa miniſtrationem Euchariſtiæ extra conuentum faciendam à Religioſis, licet commiſerit Epiſcopo, vt poſſit illis prohibere ne celebrent in oratorijs, quod eſt nimis diſtinctum à miniſtratione Euchariſtiæ: ergo &c. Ita *Portel in reſponſ. moral.p.3.caſ.39.* citans *Suarez to.4. de relig. lib.9. cap.3.* Cæterum regularibus conſulendum eſt, ne hoc faciant cum diſplicentia Epiſcoporum.

Secundò, non ſolùm fratres Sacerdotes, ſed etiam ſæculares Sacerdotes, de licentia fratris Sacriſtæ, poſſunt miniſtrare Euchariſtiam in templis noſtris, quibuslibet perſonis ſine licentia Parochorum. Ita conceſſit *Iulius II.* Fratribus Ordinis Minimorũ, apud *Rodriques*, cuius conceſſionis tenor talis eſt; *Vt in Eccleſijs ſuis quoties opus fuerit poſſint miniſtrare & miniſtrari facere Sacramentum Euchariſtiæ curialibus, mercatoribus, peregrinis & tranſeuntibus, ac alijs quibuſcumque perſonis*. Ita, etiam *Medin. in inſtruct.l.1.c.13.§.42. Henriq. l.8.c. 55. num.1. Sàv. Euchar.num.14. Miranda c. art.4.*

An autem Sacerdos regularis tempore Paſchali poſſit miniſtrare Euchariſtiam ſæcularibus, vt adimpleat præceptum Eccleſiaſticum annuæ communionis? Dubiæ eſt quæſtionis. Negatiuè enim reſpondent *Sua.de relig.to.4.tr.10.l.9.c.3.n.8. Portel.in dub.reg.v.Sacramẽtorũ adminiſtr.n.5. Henriq.c.n.1. Miran. c.art.* 2. quia in priuilegijs memoratis & illis quæ *Nicolaus V.* & *Sixtus IV.* conceſſerunt Generalibus, Prouincialibus & cõfeſſarijs deputatis Ordinis Minorum ad audiendas confeſſiones ſæcularium, vt omnibus quorum confeſſiones audierint, ſacram cõmunionem dare poſſint, excipitur ſemper dies Reſurrectionis, id eſt, cõmunio Paſchalis. Sed affirmatiuã ſententiam docent *Rodriq. c.a.3. De la Crux c.dub.4.cõcl.3. Diana p.2. tr.14.reſ.73.& p.6.tr.7.reſ.58. Sorbus in comp.prim. 6. verb. communicare. Crou.c.lect.6.fol.536. Bona in reſponſ.p.4.caſu* 4. Nempe Mendicantes habere priuilegium ad adminiſtrandum Sacramẽtum Euchariſtiæ, non ſolũ ex deuotione, ſed etiam ex obligatione præcepti, etiam repugnantibus parochis, tam in die Paſchatis, quàm in toto tempore Paſchali aſſignato ad impletionem illius: & hoc ex priuilegio *Nicolai V.* conceſſo Monaſterio *B. Mariæ de Guadalupe* Ordinis ac familiæ *D. Hieron.* anno Domini 1458.28. *Septembris*, quod priuilegium confirmauit viuæ vocis oraculo *Paulus III.* Deinde *Pius IV.* facultates cõceſſas particulariter huic Monaſterio, fecit cõmunes omnibus Monaſterijs eiuſdem ordinis. Quo ſuppoſito, cùm hoc priuilegium ſit iam commune omnibus monaſterijs dicti ordinis, ſequitur euidenter; quòd etiam poſſint eo frui Monaſteria Ordinum Mendicantium, & aliorum, qui Mendicantiũ priuilegijs communicant. Idem etiam licet ex priuilegio *Iulij II.* Mi nimis conceſſo ſuprà. Nec iſta priuilegia ſunt per nõ vſum reuocata, cùm *Pius IV. Sixtus V. Paulus V. in Bulla* Iniuncti nobis 1. *Decembr.* 1609. ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis cõfirmauerint, & de nouo roborauerint priuilegia Minorum & Prædicatorum, etiam per non vſum reuocata. Cæterũ quamuis hæc ſententia ex dictis maneat ſatis probabilis, in praxim tamẽ non eſt deducẽda à Regularibus, cùm parochi hoc ægrè ferant, & Epiſcopi maximè contradicant. Ratio eſt, quia priuilegia quæ ſunt contra ius commune conceſſa, ſtrictiſſimè ſunt interpretanda, & ſaltem dum hæc opinio ſecũda non fuerit magis introducta, pro prima ſtandum, & in illam inclinandum erit. Vt monent *Rodriques, Fagundes præcep.3.l.1. c.5.num.16. & Diana.*

Poſt hæc ſcripta ad notitiam noſtram deuenit declaratio Sacræ Congregationis in Epiſtola eiuſdem ad Eminentiſſimum Cardinalem Boncompagnum Archiepiſcopum Neapolitanũ tenoris ſequentis: & qua poſita corruit affirmatiua ſententia. *Conqueſti ſunt coram Sanctiſſimo Domino Rectores Eccleſiarũ Parochialium iſtius ciuitatis de Patribus Theatinis, & Societatis IESV, quòd aſſerere audent perſonas laicas aſſumentes in eorũ Oratorijs ſeu Congregationibus Euchariſtiæ Sacramentum in die Paſchatis Eccleſiæ præcepto ſatisfacere: cumque id minimè ſit permiſſum, ſed fideles ſacram cõmunionẽ tempore Paſchali à proprio, vel ab alio de ipſius Sacerdotis licẽtia ſuſcipere teneantur, Sanctitas ſua iuſſit Eminentiæ ſuæ ſignificandum, & ſub pœna ſuſpenſionis à diuinis, & alijs ſibi bene viſis ad prohibeat præfatis religioſis: moneatque ipſos laicos ſacramẽtũ Euchariſtiæ, vt ſuprà, de manu proprij Parochi teneri ſuſcipere, vt Eccleſiæ præcepto ſatisfaciãt: ita igitur pro ſua paſtorali pietate omninò curabit Eminentia veſtra, cui me humillimè commendo. Romæ die 20. Martij 1638.*

Eminentiæ veſtræ Reuerendiſſimæ.

Humillimus Seruus.

Cardinalis Veroſpius.

Tertiò,

Tertiò, in ſententia aſſerente, nõ licere Religioſis, miniſtrare Euchariſtiam fidelibus in Paſchate, eò quòd talis cõmunio eſt impletiua præcepti, conſequenter eſt dicẽdum, Religioſis non licere in articulo mortis, cùm ad mortẽ decumbentibus pro Viatico illa deferenda eſt; eò quòd tunc sũptio Euchariſtiæ ſit impletiua præcepti diuini. Ita *Layman l.5.tr.4.c.7.n.3. Sua.3.p.to.Eucha.diſ.72.ſe.2.du.vlt.comp.prim.Soci. v. Eucharis.* referentes priuilegium *Pauli III.* conceſſum Societati IESV. *Anno* 1545. in Bulla, quæ incipit *Dilecti*. Vt Religioſi Societatis poſſint Euchariſtiã fidelibus miniſtrare, excipiendo cõmunionem in Paſchate, & in articulo mortis. Verùm in contraria ſententia permanendo, idem videtur dicendũ de miniſtratione Euchariſtię in articulo mortis; quia per alia priuilegia Apoſtolica excipitur ſola communio in Paſchate, vnde per eadem cenſeri poteſt conceſſum Regularibus communionẽ miniſtrare alijs temporibus & occurrentijs. *Exceptio enim firmat regulã in contrarium*. Ita ex priuilegio *Sixti IV.* & *Leonis X. De la Crux c.c. 5.dub. 5.Crou.c.fol.* 538. Et ex concione *Pauli IV.* poſt Concilium Tridentinum *Portel c. in additione.* quam conceſſionem refert *Rodriques*, in Bullario, Bulla 3.

Quarto, Religioſi extra proprias Eccleſias, non poſſunt licitè in alienis, Chriſti fideles ex obligatione cõmunicare: quia vnuſquiſque fidelium tenetur propriam parochiã adire: & *Nicolaus V. Sixtus IV. Leo X. Paulus III.* in ſuis priuilegijs, ſemper exceperunt tempus Paſchatis, quo impletur huiuſmodi præceptum: vnde quia Religioſis extra propria Monaſteria, in alienis Eccleſijs Euchariſtiam ſuſcipiunt animo ſatisfaciendi præcepto, nequaquam illi ſatisfaciunt: & Religioſi ea intentione miniſtrantes, excommunicationem ipſo facto *Clement.1.de priuilegijs* incurrunt. Ita *Fagundes præcep. 3. l. 1. c. 5. num.* 17. *Crouſers c. lect. 6. fol.* 538.

Quintò, probabile eſt in caſu vrgentis neceſſitatis, ſiue infirmitatis, ſimplicem Sacerdotem licitè infirmis Viaticum dare poſſe deficiente Parocho, ſiue ſit Religioſus, ſiue nõ: idque vel ex præſumpta rationabili voluntate Parochi, vel certè Epiſcopi, vel Sũmi Pontificis, ſi fortaſſis, de Parochi iniqua voluntate conſtaret: *Miran.to.1.q.42.ar.3 Crou.c.fol.* 534. *Sua.c. ſectio 2. §. Sed quæres. Sotus 4.deſt.23.q.2.a.1. Fagun.præc.3.l.3.c.2.nu.20. Henr.l.8.c.55.n.1.lit.H. Rodr.to.1.qq.q.56.ar.5.* quidquid in contrarium doceant *Nauar.c.21.n.52. Sylueſt.v. Excom.7. excomm. 14.n.32.dub.3.* quia inquiunt, hoc Sacramentum, nõ eſt Sacramentum neceſſitatis. Probatur autẽ aſſertio noſtra; quia licet neceſſitas huius Sacramenti non ſit extrema, in opinione, quę docet illius ſumptionem in articulo mortis, non eſſe medium de præcepto diuino neceſſarium neceſſitate ſalutis, tamen eſt valdè grauis & ſufficiens, ad hunc modum abſque præſumptione exercendum: tum quia eſt magis pia hæc opinio & conſentanea pietati Eccleſiæ Catholicæ. Ita DD. ſup. citati.

10. Dubiũ eſt, quidnam in ſuperioribus priuilegijs, per diẽ Paſchatis vel Reſurrectionis ſit intelligendum: an ſcilicet hæc verba intelligenda ſint materialiter de ipſo tantũ die Paſchatis & Reſurrectionis, ita vt ſolũ in eo die nõ poſſint licitè religioſi Euchariſtiã miniſtrare ſæcularibus in ſuis Eccleſijs, ſiue cõmunicent ex deuotione, ſiue ex obligatione: An intelligẽda ſint formaliter pro cõmunione circa feſtum Reſurrectionis fieri debita ex præcepto Eccleſiæ? *Nauar. in Man. c. 21.nu.52.* ſentẽtia eſt, quã ſequuntur aliqui recentiores, veluti *Azor.to. 1.l.7.c.41.q.7.ad fi. Henr.l.8.c.55. Crou.ad.c.7. reg. Minor.lect.6. fol.* 539. tãtùm excipi diẽ ipſum, materialiter Paſchatis; & exinde negant regulares ipſo die Reſurrectionis Dominicæ miniſtrare poſſe parochianis cõmunionem ijs, videlicet, qui exiſtimãtur Parochiæ ſatisfeciſſe, vel poſtea ſunt ſatisfacturi: quia hoc ſignificant verba Pontificũ prohibentiũ ne regulares ſine licẽtia Parochi extra neceſſitatis caſum in Reſurrectionis Dominicæ die S. Euchariſtiã miniſtrent. Et certè praxis cõmunis omnium religioſorum eſt, vt per quindecim dies circa Paſcha paſſim miniſtrent omnibus Euchariſtiã, excepto Reſurrectionis die, non inquirentes, an qui accedunt, id faciant, vt impleãt præceptum Paſchalis cõmunionis, quod maximũ argumentũ eſt, omnes intelligere, illã diem tantùm in illis priuilegijs eſſe exceptum: alioquin ipſos oporteret, aut per 15. dies non miniſtrare, aut anxiè sẽper inquirere accedentes, quod tamen nõ fit. Propter has rationes manet hæc ſentẽtia ſatis probabilis, & contrarium docere eſt vim facere verbis *Leonis X.* Nihilominus *Sua.to.3.in 3.p.diſ.72.ſe.2. Rodr.to.1.qq.reg.q.56.ar.3. Miran.to.1.q.42.ar.2. Cons.3.p.q.82.ar.3.n.31. Sa v. Euc.n.10. Fagun. præc.3.l.3.c.2.n.17. Laym.l.5.tr.4.c.7.n.4. Bona.to.1.d.4.q.5.p.1.n.* 12. probabiliùs cenſent non tam verba, quàm mentẽ Pontificum eſſe ſpectandã; ideò vbi moralis adeſt certitudo Parochię ſatisfactũ eſſe, vel aliàs ſatisfactum iri, poſſent dicti regulares etiã prædicto die Paſchę fidelibus cõmunionẽ miniſtrare: quia verba priuilegiorum intelligenda ſunt formaliter non de ipſo die Paſchatis, ſed quòd non poſſint religioſi miniſtrare hoc Sacramẽtum in ſuis templis, ſæcularibus, quando illi cõmunicãt in eis, ad implendũ præceptum communionis annualis tẽpore Paſchatis, neque hęc interpretatio eſt abſurda, aut violenta, (vt aſſerunt Doctores cõtrariæ ſententiæ) ſed vera ac germana, ſuppoſito modo loquẽdi *cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſſ.* vbi hoc præceptum communionis Paſchalis traditur.

11. Peregrini, viatores, vagi & ij qui extra parochiã ſuam ad certum tempus, vel domicilium habent, vel commorantur: Item ij qui in ipſo tempore Paſchatis in aliena Parochia degẽtes ad ſuam accedere commodè nequeunt Sanctiſſimũ Chriſti Corpus in Eccleſijs regularium accipere. Ratio eſt, quia exceptio diei Paſchatis appoſita in *Clementin.1.de priuileg.* fuit introducta in fauorem Parochorum, & vi ſaltem eo tempore & die omnes parochiani ad ſuã Parochiã confluerent, ſed in noſtro caſu nulla fit iniuria Parochis, cùm huiuſmodi peregrini, viatores, vagi, &c. nõ ſint ſui parochiani, & propria parochia in eo oppido careant; vnde cẽſentur ipſi religioſi ex tacita licẽtia proprij parochi abſentis miniſtrare, nam cùm parochus abſens hanc licentiam non reſtrinxerit, quãdo illi in alias regiones profecti ſunt, videtur illam concedere virtualiter in hoc caſu, vt poſſint Euchariſtiam ſumere vbicumque voluerint in die paſchatis, à quocumq; miniſtrante. Nec obſtat *Eugenii IV.* decreuiſſe huiuſmodi vagos, viatores & peregrinos adipiſci incolatum ad ſacramenta confeſſionis & communionis tẽpore paſchatis, licet ibi modico tempore ſteterint; quia hoc fuit conceſſum in fauorem peregrinorum ad tollẽdos eorum ſcrupulos, non tamen eos obligauit, vt alienis Parochis ſubijcerentur, ſed reliquit eos iuris communis diſpoſitioni. Ita *Sanc. de matr.diſp.23.l.3.num.17. Rodrig. to. 1. qq. reg.q. 56.a. 6. Portel in dub. reg. v. Sacramentorum admin.nu.6. Fagun.præcep. 1. l.1. c. 8. nu.5. Diana p.3.tr.2. reſ.12. Layman c.nu.4. Suares 3.p.to.3. diſp. 72.ſect.2. Henr.l.8 de Euch. c.55.n.1.lit.G. Cauet. v Abſol. Nauar. in c. Placuit de pœnit.diſt. 6.num.27.*

12. Serui religioſorũ qui non degunt in monaſterijs, aliiſve locis à cura Parochorum exemptis, debent tempore Paſchatis communionem ſumere in propria parochia: ex declaratione Cardinaliũ tempore *Greg. XIII.* Secùs dicendum de ſeruis degentibus in huiuſmodi locis exemptis, & qui ſunt de familia religioſorum & continui commenſales, poſſunt enim in ijs locis ſumere communionem, confiteri, & Extremã vnctionem recipere, abſque licentia & approbatione Epiſcoporum vel parochorum: ſicut ibi poſſunt tepeliri inconſultis Parochis. Idẽ dicendum putat *Portel* de famulo coniugato, qui noctè dormit extra conuentum; huic enim poterunt eadem Sacramenta intra conuentum miniſtrari, eſt enim cõmenſalis continuus; ſecùs ſi ſit extra conuentũ. Ex conceſſione *Clement. IV.* & *Sixti IV.* pro Benedictinis, & confirmatur à Concil. Trident. *ſeſſ.24. c.11.* reſpectu illorum ſic ſeruientium: vbi etiam à iuriſdictione Ordinarij eximuntur. Vide *Compen.priuil. Mẽd. verb. Familiares fratrũ Rodr.to.2.qq.reg.q.68.a.1.& 2. & in bullario poſt bullas Greg. XIII. Portel c.n.9. Dia.p.3.tr.2.reſ.12. & p.5.tr.3.reſ.52. De la Crux de ſtat. relig.l.2.c.5.dub.4.concl.1. & c.6. dub.1.conc.1. Sa v. Eucha.nu.9. Sanc. de matr.l.3.diſ.23.n.12. Crou.ad.c.7.reg. Minor.lect.6.fol.* 538. *& lect.26.fol.* 754. *Laza.in ſum.to.2.c.16.nu. 15. Bona.to.1.diſp.4.q.7.p.2.n.10.* prædicta priuilegia non eſſe reuocata, & hoc valdè conforme eſſe iuri cõmuni in Clement. *Religioſi*, §. *Sane. de priuilegijs*, vbi dicitur, *Sane religioſis illis, quibus eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum vt familiaribus ſuis domeſticis, aut pauperibus in hoſpitalibus ſuis degentibus Sacramenta poſſint Eccleſiaſtica miniſtrare, nullum ex præmiſſis volumus quoad hoc præiudicium generari*. Ideò hoc ſubdit Pontifex, quia in prædicta Clementina interdictum erat Religioſis Sacramenta fidelibus miniſtrare ſine licentia Parochi.

13. Qui communionem ſumeret in Eccleſia Cathedrali, ſine licentia proprij Parochi vel Epiſcopi, non ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ de Euchariſtia ſumenda in Paſchate à proprio Sacerdote: quia nullo iure probatur Eccleſiam Cathedralem eſſe communem totius Diœceſis: vnde Archipreſbyter & Parochus Eccleſiæ Cathedralis poſſunt tantum miniſtrare Sacramenta in ſua Parochia, Ita *Sanches de matr. l. 3. diſp.23.num.17. & diſp.27. num.* 2.

Tamen quando Archipresbyteratus est quædam præbenda, cui ex officio esset annexum audire confessiones omnium Diœcesis illius, tunc esset proprius Sacerdos & ordinarius in tota illa, & proinde posset ministrare Eucharistiã in Paschate omnibus ad Cathedralem confluentibus. Sic *Palud. 4. d. 17. q. 4. a. 2. c. 4. D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 5. Sylvester v. confess. 1. q. 4. Tabiena v. Absolutio 1. num. 39.* Et in hoc sensu est vera opinio. *Bonacina tom. 1. disput. 4. q. 7 p. 2. num. 11. Sa v. Sacramentum num. 4.* qui docent Sacramenta omnia posse omnes de Diœcesi accipere in Cathedrali.

14. Qui tempore Paschatis Eucharistiam sumit existens in peccato mortali, quamuis sine fructu eam recipiat, & peccatum sacrilegij graue committat, satisfacit tamen præcepto Ecclesiæ: quia talis adimplet substantiam præcepti Ecclesiastici, quo præcipitur actualis communio, quamuis non adimpleat modum, quo dignè sumenda est Eucharistia; atque modus non cadit sub præcepto, quoties non est de intrinseca ratione actus præcepti: vnde indignè sumens, non iubetur iterum Eucharistiam sumere, neque confessarij id curant: & quamuis hoc Sacramentum ex sua natura præexigat vitam gratiæ in suscipientibus, cùm sit nutrimentum illius; tamen ex hoc fundamento, solùm sequitur, peccare mortaliter indignè suscipientem, & non sequitur, quòd non impleat præceptum. Et hæc est communis sententia *Suares tom. 3. disput. 70. sect. 3. Azor. tom. 1. l. 7. c. 41 qu. 12. Rodriques in sum. c. 64. num. 5. Diana p. 3. tr. 4. res. 43. Fagundes præcept. 3. l. 1. c. 6. num. 4. Reginald. l. 29. num. 87.* Quamuis non sit improbabilis contraria negatiua *Sylu. 3. p. q. 80. a. 11. quæst. 2. Nugnus ibi. difficult. 3. dub. 4.* Talem nempe nõ satisfacere Ecclesiæ præcepto: licet enim ex natura rei modus externus non cadat sub præceptum; potest tamen præcipi; Ecclesia autem præcipit modum quo sumenda est Eucharistia, vt patet ex verbis præcepti in canone, *Omnis vtriusque sexus*, expressis, vbi dicitur, *Suscipiens reuerenter ad minus*, &c. Ergo fideles ad illum obligantur. Prima tamen sententia est tenenda.

Cæterum quamuis talis præcepto Ecclesiæ satisfaciat indignè communicando, tenetur tamen condignè communicare ad satisfaciendum præcepto diuino: quia cùm præceptum Ecclesiasticum de annua communione sit determinatio præcepti diuini, & huic non satisfiat per sacrilegam communionem, tenebitur ad satisfaciendum præcepto diuino condignè communicare, non quidem statim, quia hoc non obligat ad certum diem, sed poterit per communionem Ecclesiasticam sequentis anni huic præcepto satisfacere; quia inter vltimam communionem, & sequentem Paschatis intercedit annus, intra quem communicans potest diuino præcepto satisfacere.

Sed petes, an qui in peccato communicauit, incurrat censuras & pœnas Ecclesiasticas, quæ solent non communicantibus imponi? Resp. negatiuè, nam huiusmodi pœnæ non imponuntur, nisi ratione violationis præcepti Ecclesiastici, sed qui in peccato communicauit, satisfecit præcepto Ecclesiastico: ergo. Tum quia nullæ sunt pœnæ in iure, quæ ipso facto incurrantur per violationem huius præcepti, sed tantum comminantur, vt viuentes arceantur ab ingressu templi, & morientes Ecclesiastica carcant sepultura. Si quæ tamen censuræ per statuta Synodalia imponerentur ab Episcopis, conclusio haberet locum.

15. Qui præuidet se impediendum in Paschate, vt intra illos quindecim dies non possit communicare, non tenetur communionem anticipatè sumere; tum quia ante prædictum tempus præceptum communionis non obligat: tum quia nemo tenetur anticipare vel tempus cui ipsum opus est, necessariò connexum, vt patet de festis & ieiunijs: vel actum, per quem non satisfit obligationi præcepti: sic autem communio est annexa tempori Paschali, vt per antecedentem non satisfiat præcepto Ecclesiæ; vnde teneretur ille, qui anticipasset, adhuc cõmunicare, quod est signum præcepto non satisfecisse, anticipando. Tum quia vsus Ecclesiæ id habet. Ita *Suares c. disp. 70. sect. 3. Fillut. tr. 4. cap. 2. nu. 59. Bonacina to. 1. disp. 4. q. 7. punct. 2. n. 15. Azorius to. 1. l. 7. c. 41. q. vlt. Coninch 3. p. q. 80. a. 11. n. 108 Diana p. 3. tr. 4. res. 42.* Quorum sententia admittitur vt probabilis à *Sylnio 3. p. q. 80. a. 11. quæst. 3.* si eiusmodi præuideat quòd poterit communicare non post longum tempus à Paschali, si verò præuideat non nisi multò tempore post Pascha se communicaturum, putat obligari ad præueniendum: quia alioquin exponeret se periculo violandi præceptum, per ni-

miam dilationem. *Layman l. 5 tr 4 c. 5. nu. 9.* verò prædictæ sententiæ etiam adhæret, dummodo intra eum annum semel communicauerit: quia si post vltimum Paschale tempus nunquam communicasti, & initio Quadragesimæ præuides, te circa proximum Pascha impeditum iri, omnino teneris præuenire, ne vltra annum sacram communionem differas, contra Ecclesiæ præceptum.

Ceterum licet Sacramentum Eucharistiæ manu alterius accipientes, vt sunt laici, teneantur in Parochia tẽpore Paschatis pro adimpletione præcepti communicare, celebrantes tamen, scilicet Sacerdotes, etiam sæculares, non ita. Sic enim consuetudine receptum est; vt docet Naldus *in sum. v. Eucharistia num. 5.*

16. Per se loquendo melius est frequentiùs communicare, quàm rarò, tum quia cum debita dispositione communicare, est opus per se bonum, abstinere autem est bonum solum per accidens; quod verò est bonum per se: melius est quàm bonum per accidens. Tùm quia opus quod ex amore procedit, præstantius est eo quod procedit ex timore; frequens autem communio habet ortum ex amore, & abstinentia ex timore, ergo. Hinc Patres hortari solent ad frequentem communionem populum. *D. Thom. 3. p. q. 80. a. 10. Syluius ibid. Suares c. disp. 69. sect. 4. concl. 2. D. Bonau. 4. dist. 12. p. 2. a. 1. q. 3. Henriq. l. 8. c. 53. Sanctius in select. disp. 22. nu. 8. Fagundes præcept. 3. l. 3. c. 7. num. 6. Reginald. l. 29. nu. 68. 69. 72. Valentia tom. 4. disp. 6. q. 8. p. 4.* D. enim *August.* in serm. 28. de verbis Domini. tom. 10. ibi: *Accipe quotidie, vt quotidie tibi prosit, panis enim quotidianus est; Sic tamen vive, vt quotidie merearis accipere.* Idem docet *D. Ambrosius.* lib. 4. de Sacramentis *ca. 6. tom. 4.* ibi: *Si quoties cumque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam.* Concilium etiam Tridentinum *sess. 22. c. 6. & sess. 13. c. 8.* nõ cessat ad frequentem vsum communionis exhortari fideles. Proinde recessus à communione numquam potest disponere ad saltem spiritualiter feruentiùs communicandũ alia vice: quia magis disponit actus ad actum similem, quàm carentia actus ad actum: Et Concilium Trident. exhibens consilium fidelibus, vt tantò quantò magis se disponere possint ad communionem, id præstent, numquam tamen consulit, quòd si adepta non sit illa magna dispositio, à communione recedant.

Sed quia multis multa occurrunt impedimenta deuotionis, aliquando melius esset abstinere à communione, vt quando ita postulat decentia & honestas. Quoties autem sumenda sit Eucharistia, nõ potest certa regula præscribi, sed pro diuersitate statuũ & personarum prudens confessarius præscribet; qui ad hoc non requiret in homine fragili, & luteum vas portante, diuinam aut Angelicam puritatem, sed satis est ea conscientiæ dispositio, quæ de præteritis peccatis habeat iustam accusationem & dolorem, de præsentibus non habeat delectationem, de futuris propositum non reincidendi, & amplius Deũ non offendendi. Vnde ad tam frequentem communionem admittendi non sunt, qui vel quæ potiùs ex consuetudine, & ad aliorum imitationem, quàm ex deuotione, frequenter aut quotidie communicare aduertuntur. Vide *D. Thomam, Bonauent. Syluium, Suares, Henriques, Sanctium, Fagundes, Reginaldum, Valentiam,* & alios, hoc numero citatos.

16. Secundum communem Doctorum sententiam (vt diximus num. 6.) non potest certa regula definiri in qua ætatis parte incipiant pueri habere discretionem sufficientem ad obligationem præcepti communicandi; quia id pro varietate locorum: educationis & ingenij variatur: communiter autem hæc discretio aduenire solet ab anno decimo, ad decimum quartum, & moraliter loquendo, neque ante illum incipit, neque vltra hunc differtur vsus plenior rationis: In dubio autem parentes & ipse confessarius de capacitate pueri iudicabunt. Consulantur *Suares c. disp. 70. sect. 1. Reginald. l. 29. nu. 83. Syluius 3. p. q. 80. a. 9. quæst. 1. Vasques 3 p. disp. 214 c. 4. num. 40. Griffius 1. p. l. 2. c. 38. nu. 15. Bonac. to. 1. disp. 4. q. 7. p. 2. num. 1. 2.* & alij citati num. 6.

18. Mortaliter peccat Pater, tutor, curator aut herus, qui notabiliter negligit procurare vt sui liberi, pupilli, minores, aut famuli domi tuæ viuentes, & ad communionem obligati eam sumant tempore debito; præsertim si sciat aut scire debeat illos non cõmunicaturos, nisi à se moneantur: quia tales tenentur suos vt ad bonũ promouere, sic à peccato reuocare. Ita communiter Doctores post *Nauarr. in Man. ca. 21. nu. 57.*

19. Qui

19. Qui in articulo mortis, sumpta communione commisit peccatum mortale, non tenetur ex præcepto diuino, iterum communicare; quia hoc neque ex scriptura colligitur, neq; ex traditione aut consuetudine Ecclesiæ, nec denique ex institutione, aut natura huius Sacramenti: quia Eucharistia non est instituta per se ad delenda peccata mortalia, sicut instituta fuit pœnitentia, vnde vsus Eucharistiæ non ita obligat; sicut obligat vsus confessionis; cùm illius præceptum iam sufficienter impletum fuerit debito tempore & in mortis articulo: si enim peccatum non intercessisset, obligatio præcepti sufficienter iudicaretur expleta: peccatum autem non est, vnde nouam obligationem induxerit. Ita *Henriques lib.8.cap.5. num.3. Reginald.l.29.num.65.Coninch 3.par.q.80.art.11. num. 100. Filiucius tra.4.c.2.num.52.*

20. Iudex per se loquendo & præciso periculo notabilis damni communis, aut alia iusta causa, tenetur reo ad mortem damnato, concedere tempus communicandi. Patet ex *c. super eo, de hæreticis in 6.* vbi præcipitur Viaticum dari hæreticis relapsis ante vltimum supplicium, si sufficientia signa fidei & pœnitentiæ dederint. Et *cap. Quæsitum 13. qu.2.* idem seruandum præcipitur cum alijs, qui propter alia delicta morte plectuntur; & idem nuper præcepit *Pius V.* motu proprio edito *anno 1569.* Et ideò etiam *Philippus II.* Hispaniarum Rex legem hac de re sanciuit *anno 1569.* qua sanctissimè & Catholicè iubet prædictis Iudicibus, vt rei mortis non nisi communicati suspendantur aut capite plectantur, & vt eis tempus ad hanc præparationem accomodum detur, iuxta mentem motus proprij *Pij V.* Ratio est, quia præceptum communicandi obligat in articulo mortis ex iure diuino, ergo tenetur Iudex reo concedere tempus, quo valeat diuinum præceptum adimplere; & hoc verum, quamuis iudices in isto tempore quo se rei debent præparare ad communionem, per confessionem suorum peccatorum, certò sciant fore eripiendos volentia; quia bona animæ præferenda sunt temporali punitioni, vt docent *Henriq.l.8.c.5.n.4. Iac.Z.Rodr.in sum.c.68. n.3. Suar.to.3.disp.69.sect.3. P.Nau.l.2 de rest.c.3.n.224. Reginald.l.29.n.70. Fagund.prec.3.l.1.c.4.n.2. Tol.l.2.c.28. Syl.v.Iudex 1.q.11.dicto 6. Sa v.Euch.n.2. Bonac.to.1. d.4. q.7.p.1.n.6.* Et licet quidam Doctores, vt *Nau.in Man.c.25. nu. 23. Victoria n.86. Sotus 4.dist.12.q.1.a.11.* excusent à mortali iudices, damnatis ad mortem non concedentes Eucharistiam prætextu reuerentiæ tanti Sacramenti, vt olim in Gallia, Hispania, Lusitania consuetudo erat, nunquam tamen illam consuetudinem laudarunt, imò potiùs arguebant maximè & reprehendebant tamquam repugnantem iuri diuino & contrariam Ecclesiastico.

An autem ille, cui Princeps iubet mortem inferri eo die absque dilatione, sit communicandus etiam non ieiunus, responsio communis est affirmatiua, quia sacra communio tunc recipitur permodum viatici; modò recipiatur vna hora ad minus ante mortem. Ita *Suar.c.disp.68.sect.5.initio. Laym.l.5.tr.4.c. 6.n.20. Dian.p.4.tr.6.res.59. Reg.l.29.c.6 q.vlt.sect.2.*

21. Laicus per se loquendo non potest sæpius in die communicare; nisi ad hoc habeat priuilegium; sed excipiendus est casus, in quo ad impediendam iniuriam huius Sacramenti, vel irreuerentiam, id sit necessarium; verbi gratia, ne in manus hæreticorum veniat, vel ne comburatur, aut in similibus; & tunc potest sumi etiam a non ieiuno; Ratio est, quia quod propter reuerentiam Sacramenti est introductum, non debet ita obseruari vt in illius iniuriam, vel irreuerentiam vllo modo cedat. Ita *Suar.c.disp.69.sect.4. & disp.68.sect.6. Coninch 3. p.q.80. a.10.n.83. Vasal.de Euchar.n.49.* Quomodo autem computandus sit dies intra quem non licet bis communicare? Resp. à media nocte in mediam noctem esse computandum, vt habet Ecclesiæ vsus; sicut enim datur communio statim post mediam noctem, etiamsi homo ante paucas horas, aliquid comedisset, ita etiam dari potest, etiamsi communicasset. Sacerdotes tamen in die Natiuitatis Domini possunt ter communicare celebrando, modò ablutionem digitorum, in prima, & secunda Missa non sumant; & hoc ex priuilegio & consuetudine Ecclesiæ. Vt habetur *in c. Nolte Sancta, de Consecr. dist.1.* Vide *Suar. to.3.disp.80.sect.3.*

22. Licitum est qualibet diei hora communicare, quamuis Sacerdos non possit post meridiem celebrare, modò suscipientes Eucharistiam sint ieiuni; licet enim frequentius soleat cõmunio dari vsque ad meridiem, quia illud tempus est opportunius tamen nulla est lex, quæ ad hoc obliget, nec consuetudo hactenus ita introducta est vt præceptum induxerit; Non videtur tamen permittendum extra casum necessitatis & ratione scandali vitandi, vt aliquis communicet sub vesperis vel intempesta nocte; quia est contra communem consuetudinem & praxim, & adest periculum scandali, cùm aliquis iudicare possit Eucharistiam dari non ieiuno. Ita *Azor.to.1 l.10.c.25.q.8. Sa v. Euchar.n.19. Angelus v.Eucharist.3.num.35. Fagundes l.3.præcep. 3.c.7.num.13. Sylvius 3.p.q.80.art.10. Suares c.disp.69.sect.4. Henriques l.8.c.53.n.5.*

SVMMARIVM.

23. *Qualis dispositio requiratur ex parte animæ ad communionem sacram sumendam.*
24. *An amenti, vel phrenetico, sit danda sacra communio in articulo mortis? & quid de energumeno.*
25. *Semisatui tempore Paschatis, & in articulo mortis, an sint ad communionem admittendi? Et quid dicendum de surdis & mutis à natiuitate.*
26. *Suscipiens sacram communionem, non debet habere conscientiam peccati mortalis.*
27. *Tenetur confiteri ante communionem, qui habet probabilem conscientiam peccati mortalis, vel qui dubitat se peccasse mortaliter, &c.*
28. *An teneatur ad confessionem, ante sumptionem Eucharistiæ, qui probabiliter credit se non peccasse mortaliter, vel se confessum esse, &c.*
29. *Præceptum de præmittenda confessione sacramentali sumptioni Eucharistiæ, an sit nouum, & obliget semper?*
30. *Quæ necessitas sit sufficiens ad dignè sumendam Eucharistiam absque sacramentali confessione?*
31. *In quibus casibus possit quis communicare, non præmissa confessione, cum actu contritionis.*
32. *Sacerdos morti proximus non habens copiam confessarij, an possit se communicare præmissa contritione.*
33. *Parochus potest celebrare ad communicandum infirmum, præmissa contritione, si non habeat copiam confessarij.*
34. *Quanta loci distantia requiratur, inter pœnitentem & confessarium, vt pœnitens dicatur non habere copiam confessarij.*
35. *In quibus casibus possit contingere penuria confessarij, quæ concurrere debet cum necessitate, vt consensus peccati mortalis, possit licitè communicare cum actu contritionis.*
36. *Habens casum reseruatum, an teneatur inferiori confiteri venialia, si sit communicaturus, & putet se tantummodo attritum.*
37. *An Sacramentum Eucharistiæ possit aliquando conferre primam gratiam homini attrito.*
38. *Qui communionem recipit, non præmissa confessione peccati mortalis, vel excommunicationis an plura peccata committat.*
39. *Sacerdos qui vrgente necessitate celebrauit, non præmissa confessione peccati mortalis, an teneatur quamprimum confiteri. Et quid dicendum de laico, qui suscepit Eucharistiam cum solo actu contritionis.*
40. *Sacram communionem recipiens, debet esse ieiunus, ieiunio naturali.*
41. *Quando dicatur frangi ieiunium naturale.*
42. *An frangat ieiunium naturale, qui deglutit aliquid sacchari, qui vespere ore acceperat.*
43. *An necesse sit, vt suscepturus Eucharistiam digesserit cibum, aut post eum dormierit.*
44. *Sacra communio, an possit dari infirmo non ieiuno, existenti in articulo mortis.*
45. *Qui semel communicauit in articulo mortis non ieiunus, an possit iterum communicare non ieiunus per modum viatici.*
46. *An Sacerdoti sit licitum, Missam celebrare, non ieiuno, ad communicandum infirmum pro viatico?* Refertur duplex sententia.

Quæ hora Ecclesia incipiat diem & quando ex eius præcepto debeat incipere ieiunium pro sumenda Eucharistia?

An consuetudo diuersa alicuius prouinciæ sumendi initium diei pro ieiunio, licitè seruari possit?

An a primo pulsu horæ duodecimæ designantis mediam noctem, debeat incipere ieiunium pro sumenda Eucharistia.

Quando plura sunt horologia, an liceat sequi quod libuerit in ordinando ieiunio pro sumptione Eucharistiæ. Et an in eadem nocte sequi liceat modò vnum, modò aliud horologium.

Dubi-

Dubitans an aliquid post mediam noctem deglutierit, an possit Eucharistiam sumere.

47. *Homo pollutus ex peccato mortali, an eodem die possit sacra communione reficì, etiamsi de illo peccato mortali facta fuerit sacramentalis confessio.*

48. *Communio sub vtraque specie, non est per se mala; nec datur præceptum diuinum, laicos & Clericos non confitentes, obligans ad Eucharistiæ Sacramentum sub vtraque specie sumendum.*

49. *Præceptum Ecclesiæ est, vt omnes Christiani, præter Sacerdotes sacrificantes, sub sola specie panis communicent.*

50. *Summus Pontifex potest vsum calicis ex legitima causa homini vel nationi concedere.*

51. *Sacerdotes quando possint non vsum sumere, & consecrare Eucharistiam.*

23. COmmunio Sacra cum debita dispositione ex parte animæ sumenda est, si fructibus eius frui velit; debet enim suscipiens esse baptizatus, infidelis enim communicans materialiter tantùm & non sactamentaliter dicitur Eucharistiam recipere: deinde requiritur fides & intentio actualis aut virtualis, implicita, vel etiam habitualis suscipiendi hoc Sacramentum. Denique suscipiens debet esse in gratia, hoc est, vt non habeat conscientiam peccati mortalis. Ratio prioris dispositionis requisitæ est, quia sine charactere baptismali nullus homo, quantumuis iustus & contritus, potest dignè suscipere hoc Sacramentum, est enim baptismus ianua ad reliqua Sacramenta; & sicut qui non est genitus, nutriri non potest, ita qui non est regeneratus in Christo per Baptismum, non est capax huius spiritualis alimoniæ. Ratio secundæ dispositionis est; quia sicut in ministro Sacramentorum requiritur intentio conficiendi Sacramenta, ita in suscipiente requiritur intentio suscipiendi: vnde qui Eucharistiam reciperet ad famem expellendam, aut qui recipit hostiam nesciens illam esse consecratam, non recipit fructum Sacramenti; quia non habet intentionem recipiendi Sacramentum. Porrò ratio cur homo debeat esse in gratia, est, quia tenetur ex præcepto diuino positiuo explicato à *D. Paulo* 1. *Corinth.* 11. probare seipsum, non tantùm, an sit in fide & fiducia consequendi salutem per hoc Sacramentum, vt volunt hæretici, sed etiam, an probabiliter sit in gratia constitutus, vt in sequentibus dicetur; De his consulendi sunt *D. Th.* 3. *p. q.* 68. *a.* 7. & *q.* 80. *ar.* 4. *Suar.* 3. *p. to.* 3. *disp.* 14. *sect.* 3. *concl.* 2. & *disp.* 66. *sect.* 1. *Fill. tr.* 4. *c.* 7. *n.* 184. & *c.* 8. *n.* 205. *Fagund. præcept.* 3. *l.* 3. *c.* 8. *Bon. to.* 1. *disp.* 1. *q.* 6. *p.* 2. & *disp.* 4. *quæst.* 6. *p.* 1. *Sylvius* 3. *par. quæst.* 68. *a* 7. & *q.* 80. *art.* 4. *quæst.* 1. & *seq. Icarigues in sum.* 1. *par. c.* 65. *Henriq. l.* 8. *c.* 45. *num.* 1. & 3. *Laym. l.* 5. *tr.* 4. *c.* 6. & *tract.* 1. *cap.* 6.

24. In articulo mortis potest Sacra communio administrari amenti vel phrenetico, si amētia vel phrenesis sit continua, modò antequàm incideret in amentiam vel phrenesim petierit explicitè vel etiam implicitè Sacram Eucharistiam, & non sit periculum vomitus vel alterius irreuerentiæ. Ratio est quia hic homo amens vel phreneticus potuit peccare mortaliter, & in amentiam incidere tantùm attritus, & nondum perfectè contritus, vnde fieri potest, vt per Eucharistiam efficiatur cōritus ex opere operato, & sic gratiam obtineat, & consequenter saluetur: Nec refert quòd necessitas dementati, vel phrenetici possit aliunde suppleri, v. g. per extremam vnctionem, vel per absolutionem; contingere enim potest, vt neutrum horum Sacramentorum applicari possit; possit autem Eucharistia, vt si iam consecrata sit, & Diaconus adsit, non autem Sacerdos. Imò quamuis Sacerdos adsit, qui illum absoluat & vngat, nihilominus non est deneganda Eucharistia propter vtilitatem & fructum, qui ex ea percipi consueuit, quia infirmus habet ius ad Sacramenta; & Pastor non potest sine iniustitia, per se loquendo, denegare. Si tamen amentia non sit perpetua, seu continua, expectandum esset donec infirmus dilucida haberet intervalla, vt ei possit Sacra communio administrari: nisi necessitas superueniens aliter suaderet. Ita colligitur ex *ca. quod in te. de pœnit. & remiss.* & tradunt *D. Th.* 3. *p. q.* 80. *a.* 9. *Sylu. ibid. Suarez c. disp.* 69. *sect* 2. *Sylu. v. Euchar.* 2. *quæst.* 5. *Viguer. de Euchar. cap.* 20. *Reginal. l.* 29. *n.* 79. *Fill. tr.* 4. *c.* 7. *n.* 187. *Catechism. Rom. tr. de Euchar. Victoria de Euchar. q.* 84. *Diana p.* 2. *tr.* 14. *ref.* 78. & *p.* 5. *tr.* 3. *ref.* 46.

Cæterum nunc à *Paulo V.* in suo Rituali limitata est hæc obligatio communicandi Amentes & Phreneticos ad eos tantum, *qui lucida habent intervalla & deuotionem ostendunt, dum in eo statu manent:* aliàs expressè Pontifex ait, eos communicare non licere, quod prohibere potuit ob Sacraméti reuerentiam. Sicut etiam ibidem prohibet, ne quando infirmus communicare non potest, Sacramentum ad eum deferatur deuotionis tantùm prætextu, quod antea Concilia & iura permittebant. Nota tamen Pontificem in sua prohibitione de non communicandis amentibus, loqui tantùm de annua communione, non autem de communione in articulo mortis, in quo iura & Concilia communionem concedunt etiam non habentibus actu lucida intervalla, modò antea petierint, & nullum sit periculum irreuerentiæ.

Cum energumeno qui ita obsidetur à dæmone vt priuetur omninò rationis vsu, eadem seruanda sunt ac cum amentibus; si autem maneat compos sui, potest prudentis arbitrio absque irreuerentiæ periculo communicare: quia nullo iure probatur huiusmodi obsessum, priuandum esse Sacramento Eucharistiæ, cuius ope à dæmonio potest liberari, vel certè iuuabitur homo, vt patienter & cum fructu laborem suum sustineat. Ita *D. Th. ar.* 9. *ad* 2. *Sylvius. Suar. c. dub.* 4. *Regin. c. n.* 80.

25. Tempore Paschatis & in articulo mortis, habentes imperfectum rationis vsum, vt semifatui, sunt admittendi ad sacram communionem, si nullum irreuerentiæ periculum adsit: quia hi tenentur præcepto Ecclesiastico, & nullo iure tempore præcepti deneganda est illis Eucharistia. Frequentiùs autem huiusmodi homines ad sacram synaxim admittere non decet, nisi quatenus prudentia dictauerit, & reuerentia Sacramenti postulauerit. *Henriq. l.* 8. *c.* 42. *n.* 2. *Bonac. to.* 1. *disp.* 4. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 7. *Possevin. de communione c.* 8. *num.* 32. *Dian. p.* 2. *tr.* 14 *ref.* 79. Quamuis *Sanctius in selectis disp.* 26. *num.* 3. & *disput.* 38. *num.* 9. doceat illis Eucharistiam ministrandam esse toties quoties eam sibi ministrari postulauerint; quia si in Paschate, vel quando communicant, nullam committunt irreuerentiam, nec etiam committent, pluries communicando, cùm tam homo suscipiens, quàm Sacramentum susceptum semper vnum, & idem sint.

Sed quæres, an mutis & surdis à natiuitate, capacibus ad cognoscendam malitiam peccati mortalis porrigenda sit Eucharistia? Resp. Affirmatiue pro articulo mortis, si aliquam iudicētur reuerentiam concipere; si enim semifatuis neganda non est, vt dictum est, quare mutis & surdis erit deneganda? quis non videt magis reuerenter & deuotè ab his accipiendam esse sacram synaxim, quam ab illis? Alijs autem temporibus: an sit illis impertienda, remittendum est iudicio & arbitrio prudentis confessarij. Vide *Incell. March. in ref. pastor. tr.* 4. *c.* 3. *q.* 1. *cas.* 4. *Diana p.* 5. *tr.* 6. *ref.* 6. & 7. Ratio est, quia licet tales homines distinctè edoceri; atque intelligere omnia non possint, quæ ad substantiam sacramentorum concurrunt; sufficit tamen, si ad S. Eucharistiam accedant, tanquam ad cibum non profanum, sed spiritualem, in animarum suarum salutem diuinitus institutum. Vnde *Layman* dicit posse his etiam Paschali tempore communio sacra administrari, *lib.* 5. *tract.* 4. *cap.* 4. *numer.* 5. quia non est certum, quòd tales, speciali Dei auxilio adiuti, mysterij veritatem per exteriora signa non agnoscant; cùm tales homines adulti & rationis compotes vt salui fieri possint, secundùm communiorem sententiam explicitè cognoscere debeant SS. Trinitatem, & filium Dei incarnatum, quæ tamen difficillimè exterioribus sine voce, ac scripto exprimi possunt.

26. Suscipiens Sacram communionem non debet habere conscientiam peccati mortalis, id est, non debet tantùm affectum peccandi deponere, sed etiam de peccato dolere debet, in quantùm à se commissum est: vnde maximè errant hæretici asserentes eò quemquam meliùs esse dispositum ad hanc communionem, quò magis eius conscientia peccatorum pondere grauatur, dummodò firmiter & minimè hæsitanter credat, ea sibi peccata non esse imputanda, propter merita Christi Domini. Ratio illorum est, qui hoc Sacramentum, non solum est cibus animæ, sed etiam medicamentum, vt dicitur *Matth.* 6. *Non sani egent medico, sed qui malè habent.* Sed hæc ratio, falsa est Sacramentum enim hoc est à Christo Domino institutum, non ad tollenda peccata per excitationem fidei, sed ad nutriendam & augendam gratiam, post remissionem peccatorum mortalium factam, per veram pœnitentiam confessionemque, & ad præseruandum à futuris peccatis, & sic medicina est præseruatiua, per maius augmentum gratiæ quam confert. *Bellarm l.* 4. *de Euchar. c.* 18. & *l.* 1. *c.* 13. & 14. *Kasensis art.* 15. *Reginaldus l.* 29. *num.* 98. Propterea dicendum est ex communi Catholicorum sententia, peccatum esse mor-

esse mortale & grauissimum sacrilegium, cum conscientia culpæ lethalis ad hoc Sacramentum accedere; vt patet ex *Concilio Tridentino sess.*13.*c.*1.*& can.*11. *D.Th.c.q.*80. *ar.*4. *Syl.ibi quæst.*1. *Suares* 3.*p.to.*3.*dis.*66.*sect.*1.& multis Patribus ab ipsis citatis. Ratio est, 1. ponit obicem gratiæ Sacramentalis. 2. quia Eucharistia est Sacramentum viuorum & realiter continet Christum Dominum per modum cibi spiritualis. 3. quia falsam efficit Sacramenti significationem; significat enim Eucharistia vnionem communicantis cum Christo capite & cæteris membris per viuam fidem seu formatam charitatẽ, hic autem cum sit inimicus, simulat se amicum, & instar Iudæ osculo filium hominis tradit.

Communicare autem indignè habet varios & indeterminatos gradus malitiæ in indiuiduo: nam vnus indignè accedit ex ignorantia, alius ex inaduertentia, alius ex infirmitate v.g metu, pudore &c. alius ex malitia, alius cum infidelitate, vt hæretici, qui hæresim suam sic occultant, & credunt se merum panem manducare, qui cæteris paribus grauissimè omnium videntur offendere, vt insinuat D.Thomas 3.*parte quæst.*80.*ar.*5.*ad* 2.

27. Qui habet probabilem conscientiam peccati mortalis, tenetur, quantumcumque contritus sibi videatur, præmittere confessionem Sacramentalem sumptioni Eucharistiæ: nisi eam prętermittat ob necessitatem communicandi, nec habeat copiam confessarij. Vt constat ex *Trident.* ibi. *Quare communicare volenti reuocandum est in memoriam eius præceptum. Probet autem seipsum homo; Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumuis sibi videatur contritus, absque præmissa confessione ad Sacram Eucharistiam accedat*, &c. & clariùs *Canone* 11. id de fide, statuit, *Declarat Sancta Synodus, illos, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem: Si quis autem contrarium docere, vel asserere præsumpserit, eo ipso excommunicatus sit.* Vnde plusquam temerarius existimandus esset, qui assereret non esse præmittendam confessionem ante sumptionem Eucharistiæ: Ita *Rodr. in sum.c.*65.*nu.*1. *Suares c.d.*66.*sect.*3. *Nauarr. in Man.c.*22.*n.*10. *Vasques* 3.*p.to.*3. *disp.*207.*n.*22. *Azor.to.*1.*l.*10.*c.*31. *q.*2. *Henriq. l.*8.*c.*45.*lit.V.*

An autem, qui dubitat se peccasse mortaliter vel aliàs confessum fuisse peccata mortalia à se commissa, teneatur confiteri ante communionem. Resp. illum qui æqualiter dubitat se mortaliter peccasse vel mortale peccatum confessum fuisse, ad confessionem teneri. Tùm quia in dubio tutior pars est eligenda. Tum quia in tali casu potest homo dici habere conscientiam peccati, nam tale peccatum est in conscientiam saltem dubiam. Tum quia homo tenetur conteri de tali peccato; ergo tenetur illud confiteri; quia in homine baptizato illud quod est necessarium contritionis obiectum, est etiam necessarium confessionis obiectum, cùm illud nequeat remitti sine ordine ad claues. Et multò magis obligandus est ad confessionem qui magis propendet in hanc partem, vt credat se mortaliter peccasse, vel mortale peccatum confessum non fuisse, quamuis habeat aliquam suspicionem vel formidinem in oppositum, propter rationes supradictas. Ita *Suar. de pœnit. dis.*22. *sect.*9.*n.* 1. *Syl. in suppl.q.*6.*a.*4.*ad* 3. *Clauis Reg. l.*1.*c.*3. *n.*4. *Nau.c.*10.*n.*7. *Sanch. l.*1.*mor.c.*10.*n.*66. *Bonac.to.*1.*d.*4.*q.*6.*p.*1.*n.*11. *Præpositus in Suppl.q.*5.*dub.*3.*n.*117. *Dian.*4.*p.tr.*3.*res.*5. *Fill.tr.*4.*num.*210.*& tr.*7.*n.*108.

28. Qui probabiliter credit se non consensisse alicui peccato mortali, vel se non peccasse mortaliter, vel se confessum fuisse, vel confessionem fuisse validam, vel tales circumstantias non esse confitendas, non tenetur ad confessionem ante sumptionem Sacræ communionis: etiamsi fortè probabilius sit, se consensisse, vel peccasse mortaliter &c. Ratio est, quia homo in rebus practicis potest sequi opinionem probabilem, non obstante contraria probabili, vel etiam probabiliori, quando in rebus ipsis non imminet aliquod periculum; Rarò enim potest homo plenam certitudinem de rebus assequi; & ideò illud iudicium pro capacitate hominis certetur sufficiens ad inferendam practicam certitudinem. Ita ex communi Doctorum sententia *Suares c.disp.*22.*sect.*9.*num.*6. *Sanches l.*1.*moral.cap.*9. *num.*14. *Henriques l.*5.*cap.*4. *Diana p.*2.*tra.* 13. *res.*1. *Malderus* 1. 2.*q.*19.*ar.*5.*dis.*86.

29. Præceptum de præmittenda confessione Sacramentali, sumptioni Sanctissimæ Eucharistiæ, positum in Concilio Tridentino ab eo qui sibi est conscius peccati mortalis, non est nouum, vt volunt, *Caiet.*3.*p.q.*80 *a.*4. *& in sum. v.Communio. Armilla v.Communio n.*1. sed declarat antiquum, tum Ecclesiasticum, tum etiam diuinum, ex Christi institutione per Apostolos declarata Ecclesiæ. Quòd autem hoc præceptum sit positum à Christo, Prob. 1. ad Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*; & infrà, *Probet autem seipsum homo* &c. quæ verba licet generalia sint, & soli contritioni possint accommodari, tamen Ecclesiastica consuetudo, vt ait Concilium Tridentinum suprà, declarat fieri debere per præuiam confessionem Sacramentalem. Confirmatur, quia hoc præceptum per vniuersam Ecclesiam fuit obseruatum, nec vllus reperitur Pontifex, aut Concilium, aut decretum, quo eius initium referri possit, ergo censendum est, esse iuris diuini. Vnde nullo modo post Concil. Trident. defendi potest sententia *Caietani*: imò qui eam docet, prædicat, pertinaciter asserit, aut publicè disputando defendit, si accedat præsumptio, excommunicationem incurrit; qui autem illam sententiam teneret, licet malè faceret, non tamen incurreret excommunicationem, nisi aliquem ex actibus in Concilio prohibitis præsumpserit exercere. Ex quibus sequitur hoc præceptum vbique terrarum obligare omnes fideles, etiam vbi Concilium Trid. neque promulgatum est, neque receptum.

Petes autem, an liceat aliquando communicare non præmissa confessione peccati mortalis, cum solo actu contritionis? Respond. licere, modò adsit iusta causa. Ratio prioris est, quia est præceptum positiuum, & quoad partem affirmatiuam, nempe, *Confitere*, non obligat pro semper: quoad partem negatiuam, videlicet, *ne communices sine confessione*, definit sæpe obligare, cùm non sit prohibitum, quia malum; sed ideò malum quia prohibitum. Ratio posterioris est, quia cum sit præceptum diuinum, non temerè debet omitti, nisi grauis causa excuset, quando videlicet duo concurrunt, vt colligitur ex Concil. Trident. defectus confessarij & vrgens necessitas; nam si habeat copiam confessarij, cur non confiteatur? si non vrget necessitas cõmunicandi, aut celebrandi, cur prætermisso Christi mandato hoc faciat? Vide *Suar.*3. *p.to.*3.*dis.*66. *sect.*4.*&* 5. *Syl.*3.*p.q.*80.*ar.*4.*qu.*1. *Bonac.to.*1.*d.*4.*q.*6.*p.*1. *n.*35. *Reginald. l.*29.*n.*103. *Valent.to.*4.*dis.*6.*q.*8.*p.*3. *Fagund. præcept.*3.*l.*3.*c.*8.*nu.*3. *Azor.to.*1.*l.*10.*c.*31. *Laym.l.*5.*tr.*4.*c.*6.*n.*5. *Henr.l.*8.*c.*45.*n.*3.*lit.I.* qui omnes communiter docent quòd solum hoc Sacramentum necessariò & ex præcepto diuino requirat hanc dispositionem confessionis; nam ad reliqua Sacramenta satis est contritum accedere, nisi etiam ratione illorum communio sit accipienda, vt in Sacramento Ordinis.

30. Necessitas, ob quam sola interior pœnitentia absque Sacramentali confessione potest sufficere ad dignè sumendam Eucharistiam, debet esse grauis, & talis quæ reducatur ad ius diuinum, si ius tantum humanum eam inducat, cedet iuri diuino; quia res satis grauis est, prætermittere executionem cuiusdam præcepti diuini, & in materia tam graui; vnde necessitas sumendi Eucharistiam in Paschate, quam Ecclesiasticum præceptum imponit: item necessitatis audiendi vel dicendi Missam in diebus festis, per se loquendo, secundùm probabiliorem sententiam & sequendam *Suar.c.dis.*66.*sect.*4. *Fernand p.*2.*c.*3. §.8.*n.*2. *Syl.*3.*p.*4.80.*art.*4.*quæs.*2. *Fill.tr.*4. *c.*8.*n.*217. *Bonac.to.*1. *dis.*4.*q.*6.*pun.* .*n.*25.*&* 26. *Coninch* 3.*p.q.*80.*a.*4. *n.*17. *Laym.l.*5.*tr.*4.*ca.*6.*n.*6. *Cæspe.tr.*22.*dis.*9.*sect.* 2.*n.*22. non est causa sufficiens, vt concius peccati mortalis possit licitè communicare, vel Missam dicere, non præmissa confessione sacramentali, nisi infamia vel scandalum adiungatur, vel Sacerdos aliunde obligetur. Ratio est, quia tunc Ecclesiasticum præceptum non potest impleri conuenienti modo, ergo excusatur homo ab obligatione seu transgressione illius: ergo cessante obligatione alterius præcepti, nulla super est sufficiens causa communicandi. Idem dicendum de præcepto audiendi Sacrum: quod per se non obligat ad Sacrum faciendum; & quamuis obligare possit cum, qui aliter audire non potest, tamen non cum tanto rigore, vt propter hanc causam sit Sacrum faciendum, etiam sine confessione præmissa.

Multò minùs excusabit commoditas, vt est consuetudo frequenter communicandi, vel si occurrat solemnissimus dies, vel si necesse sit sacrum facere pro anima purgatorij, quæ suffragijs indigere probabiliter creditur, vel spes habendi proximo quoque tempore confessarium magis notum, magisque idoneum. Ratio est, tum quia Tridentinum dicit, *necessitate vrgente*. Non ergo sola commoditas spectanda est, sed vera necessitas,

ceſſitas, tum quia non præſumitur adeſſe neceſſitas communicandi,& præceptum diuinum præmittendæ confeſſionis debet prævalere actui,qui non eſt in præcepto. Vide *Henriq.l.8.c.47.n.1.Syl.v.Euchar.2.n.10.*multos alios,quos *Dian.p.2.tr.14.reſ.63.64.*citat & ſequitur,contrarium prædictis ſentientes, ad mentem illorum non improbabiliter, eò quòd probabile putet ipſe *Diana* præceptum de præmittenda confeſſionem,eſſe tantùm iuris humani.

31. Caſus neceſſitatis ſufficientis vt poſſit quis communicare non præmiſſa confeſſione, cum actu contritionis ſint. *Primus* articulus mortis, ſiue in eo conſtitutus ille ſit qui conſcius ſibi peccati mortalis communicare vult, habens quidem copiam Euchariſtiæ,non verò confeſſarij (puta ſi adſit tantùm Diaconus) & hæc eſt neceſſitas magna & maximè propria; ſiue etiam ſit alius non ita ſibi mortalis conſcius, ad quem tamen communicandum oporteat facere Miſſam; quia neceſſitas alterius grauis eſt & ſpiritualis,& vt propria reputanda eſt. *D.Th.3.p.q.83.a.6.ad 2.Syl.3.p.q.80.ar.4.quæſ.2.Suar.3.p.tom.3.diſ.66.ſect.4.Valentia to.4.diſ.6.q.8.punct.3.Fagund.præc.3.l.3.c.9.Fill.tr.4.c.8.nu.214.Bonac.to.1.diſ.4.q.6.pun.1.Laym.l.5.tr.4.c.6.num.5.Regnald.l.29.num.105.106.& 107. Navarr.in Manual.c.21.n.49.& c.25.n.76.Tol.inſum.l.6.c.16.n.2.Caſpenſ.tr.22.diſ.9.ſect.2.n.20.& ſeq.*

Secundus caſus eſt infamiæ, ſeu quando non poteſt quis omittere communionem ſine graui infamia, quam nequit alia via vitare;hæc enim moraliter graue damnum exiſtimatur, & non eſt veriſimile,præceptum poſitiuum cum tanto rigore ac detrimento obligare.

Tertius eſt, ſcandali, id eſt, quando ſequeretur ſcandalum omittendo Miſſam vel communionem, tunc autem illud ſequitur,quando alijs occaſio præbetur iudicãdi temerè de proximo, de eòq; murmurandi, & conſequenter ipſum infamandi;non item quando ſolummodò occaſio datur admirationis, quòd conſuetam communionem omittat;ſola enim admiratio non affert hac in parte aliquid nocumenti, neque eſt res magni momenti; niſi ſimul cum illa, vel ſcandalum, vel infamia coniuncta ſit,quod tamen,moraliter loquendo, ſæpe accidere ſolet apud vulgus & leues homines.

Quartus caſus eſt, neceſſitas proſequendi Miſſam inchoatam; & ſi quidem ſit poſt conſecrationem, eſt certum apud omnes progrediendum eſſe ad communionem ſine confeſſione,cum ſola interiori pœnitentia,propter integritatem & perfectionem ſacrificij: & ne ſacrificium iam ſubſtantialiter inchoatum,interrumperetur;Si ante,tũc ſi miſſa non eſt inchoata,tenetur, ſi poteſt ſine ſcandalo,confiteri, vel vocare Sacerdotem ad altare: ſi autem eſt inchoata, aduocet ſi commodè poteſt,ſin minus poteſt proſequi & abſoluere.

Quintus eſt, neceſſitas ſatisfaciendi ſuo officio, qualis reperitur in Parocho ruſticano,qui tenetur celebrare diebus feſtis & longius diſtat ab alijs ſacerdotibus:& hanc neceſſitatem maximè indicauit Concilium Tridentinum. Quidam Doctores hoc extendunt ad eos,qui celebrant ex onere capellaniæ, vel ex indigentia ſtipis vel eleemoſynæ ad neceſſariam ſui ſuſtentationem.Ita *Henriques l.8.de Euchar.c.46. n.6.* & alij apud ipſum:verùm hæc neceſſitas ab alijs non probatur;quia ius ſtipis ad ſuſtentationem præcisè ſumptum, non eſt cauſa ſufficienter excuſans, & alioqui nimia licentia daretur Sacerdotibus ad celebrandum ſine confeſſione. Hi caſus apud Doctores certi ſunt.De quibus conſulendi ſunt DD.ſup.cit.

32. Sacerdos morti proximus non habens copiam confeſſarij, poteſt celebrare, vel etiam accedere ad Sacrarium, ſeque communicare præmiſſa contritione,quamuis nondum confeſſus ſit; quia hæc eſt vera neceſſitas communicandi, vt docent *Toletus,Sa,Valentia*, citati num. præcedenti.

33. Parochus non habens copiam confeſſarij,poteſt præmiſſa contritione celebrare ad communicandum infirmum, quia illa neceſſitas proximi in eo caſu, vt propria reputanda eſt, iuxta illud, *diliges proximum tuum ſicut te ipſum*, id eſt non tantum, quantùm, ſed in eodem ordine ad ſalutem; modò tamen ſit ieiunus. Ratio eſt, quia tunc dantur prædictæ duæ conditiones requiſitæ ad celebrandum, & communicandum abſq; confeſſione, nempe neceſſitas vrgens, & defectus copiæ confeſſarij. Ita *Suarez c.diſp.66.ſect.4.Fagundes præcept.3.l.3.cap.9.n.4.Regin.l.19.n.105.Valent.c.Bonac.c.n.22.*

34. Arbitrio prudentis viri relinquitur diiu dicandum,quãta loci diſtantia requiratur inter pœnitentem & confeſſarium, vt pœnitens dicatur non habere confeſſarij copiam, habita ratione circumſtantiarum loci,temporis,& perſonę;poteſt enim per leucam,& magis vel minùs diſtare; nam vnus facilè poterit conficere iter vnius leucæ,alter magna difficultate,& vnus poteſt ire ſine nota & ſcandalo,alter minimè;tandem vnus poterit ire ſemel,non iterum;vnde communiter illa diſtantia ſufficit, qua ob difficultatem itineris, vel breuitatem temporis, vel ob vrgentia negotia, vel ob periculum ſcandali, vel infamiæ, ſacerdos non poteſt hic & nunc confeſſarium adire ſine magno incommodo.Ita *Coninch 3.p.q.80. art.4.num.23. Suarez c.ſect.4.§. Ex his igitur. Fagundes c. cap.9. num.24. Regnaldus c. num.107.*

35. Penuria confeſſarij quæ occurrere debet cum neceſſitate,vt conſcius peccati mortalis poſſit licitè communicare cum actu contritionis,non præmiſſa confeſſione Sacramentali,cõtingere poteſt in ſequentibus caſibus. *Primò*, cùm vere non adeſt confeſſarius vllus. *Secundo*, quando adeſt quidem Sacerdos,ſed caret iuriſdictione ordinaria vel delegata,vt Sacerdos nondum approbatus;vel etiamſi approbatus ſit, tamen non habet adhuc vllam iuriſdictionem, nec is qui confiteri debet, poteſt ſibi eligere confeſſarium. *Regnal.c.n.108.Fill tr.4.num.212.Bonac.to.1.diſp.4.q.6.pun.1.n.28.29.Suar.c.diſ.66.ſect.4.Tertio*, quando etiamſi adſit confeſſarius habens iuriſdictionem, pœnitens tamen rationabiliter timet graue damnum ex confeſſione,puta non ſeruaturum ſigillum Sacramentale,ſolicitaturum ad malum, aut aliam grauem iniuriam ſibi illaturum. Et quidem ſi omnium mortalium tale periculum timeatur, tunc omninò omitti poteſt confeſſio; ſi autem alicuius tantùm, vel aliquorum, illud vel illa omitti poſſunt, cæteris confeſſis.

Quartò,quando peccator habet caſus reſeruatos Superiori, quem adire non poteſt, nec obtinere facultatem, vt per alium abſoluatur, poteſt communicare non confeſſus, ſi periculum videt ſcandali vel infamiæ niſi communicet.Ita *Fill.c.num.213. Syl.3.p.q.80. art.4. q.2. & in ſuppl.q.20. art.2. quæſ.3. Victoria in ſum.n.79.Dian.p.1.tr.14.reſ.65.* probabiliter. Quibus adde *Fag. præcept.3.l.3.c.9. num.17.* Quamuis iuxta aliorum ſententiam, ſi alia peccata mortalia haberet, deberet confiteri inferiori confeſſario, qui ob vrgentem neceſſitatem ipſum abſoluere poteſt;directè quidem à non reſeruatis, indirectè autem à reſeruatis,cum onere comparendi coram ſuperiore oblata commoditate.Ita *Valentia to.4.d.7.q.11.p.1.Suarez tom.4. d.31. ſect.3.Navar.in c.Conſideret.§.Cautus n.10.dict.5.de pœnit. Bonac.to.1.d.5.q.7.p.5.§.3.n.6.* Vide v.*Caſus reſeruatus* n.16.17. *Quintò*, ſi ſine nota, vel detrimento ſpirituali aut temporali quis etiam præſenti non poſſit confiteri, puta, quia veniet confeſſarius in notitiam alicuius complicis, vel quia celebrans veniet in ſuſpicionem alicuius peccati commiſſi apud videntes ipſum confiteri. Item quia celebrans habet inimicitias cum confeſſario, de quibus non poteſt illi commodè confiteri &c. Alij huiuſmodi caſus de facto occurrere poſſunt,in quibus,etſi aliquis confeſſarius verè ſit præſens aut adiri poſſit,cenſetur tamen moraliter abſens,quia non expedit illi confiteri ob cauſas legitimè excuſantes.

36. Quando communicaturus habens caſum reſeruatum putat ſe non contritum,ſed tamen attritum,ſi non habeat aliud mortale non reſeruatum, tenetur confiteri inferiori peccata venialia, vt hoc pacto ſaltem indirectè obtineat remiſſionem peccati mortalis reſeruati,& ſic fiat capax gratiæ ſacramentalis,cùm non poſſit peccatum mortale reſeruatum confiteri ſacerdoti approbato habenti facultatem reſeruatorum; licet enim non ſit obligatio, per ſe loquendo; ſubijciendi peccata venialia confeſſioni, per accidens tamen fieri poteſt, vt communicaturus ad illud teneatur, vt in noſtro caſu; ſi videlicet, velit ſanctè tractare, quæ ſancta ſunt. Nam qui ſolam attritionem habet cognitam, cum conſcientia peccati mortalis accedit, quia conſcientia non dicit affectum, ſed ſcientiam talis ſtatus:ille autem,qui ſic eſt diſpoſitus,ſcit ſe adhuc eſſe in peccato mortali;& ideò vt dignè accedat,& fiat de attrito contritus,tenetur venialia confiteri.Vide *Suar.3.p.to.3. diſ.66. ſect.4. & 5.Coninch de pœn.diſ.8.dub. 13.n.106.Bonac.c.num.31.Regnal. c.num.103.*

37. Qui præmiſſo examine conſcientiæ credit ſe eſſe in ſtatu gratiæ,cum reipſa peccatum mortale habeat,quod inuincibiliter ignorat, ſi actum contritionis vel ſaltem attritionis ſupernaturalis eliciat,communicando,recipiet fructum, & effectum Sacramenti; & remiſſione illius peccati mortalis? Ratio eſt,quamuis hoc Sacramentum per ſe primò non ſit inſtitutum

à Chri-

à Christo Domino ad conferendam primam gratiam, sed ad conferendum augmentum illius; tamen interdum illam confert, & peccatum mortale remittit ac delet; modò non ponatur obex ad gratiam & accedat simul bona fides, quæ per se loquendo in hoc consistit, vt quis ignoret statum suum, & existimet se in gratia accedere, ac deniq; non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet sufficientem se pœnitentiam egisse. Ex quo infertur, eum, qui cum attritione cognita communicat, peccare mortaliter, quia indignè manducat & consequenter non potest recipere effectum gratiæ dandum in termino manducationis, nam posuit obicem; illum autem, qui cum contritione existimata, vel cum attritione cognita, quam putat ex ignorantia inuincibili sufficere, accedit, recipere effectum. Nam bona fides excusat à peccato & consequenter non ponit obicem in ipsa manducatione, quare recipiet effectum, quem per accidens, conferunt Sacramenta vinorum, remissionis videlicet mortalium, & primæ gratiæ. Ita *D.Th.3.p.q.79.ar.3.Syl.ibid.Suar.3.p.to.3.disp.63.sect.2. Tol.l.2.c.29.in sum.Victor.in sum.n.76.Henr.l.8.c.45.n.2.Fagund.præc.3.l.4.c.2.Fill.tr.4.n.230.Rez.c.n.109.Syl.v.Euch.3.n.16. Bon.c.n.32. P.Soto lect.12.de Euch.* & alij communiter.

38. Qui Sacram communionem recipit non præmissa confessione peccati mortalis, si hæc tantum obligabat in ordine ad communionem, vnum peccatum committit, quia vbi est vnum propter aliud, est vnum tantùm: licet enim præceptum sit datum de confessione ante Eucharistiam, vel ante Missæ sacrificium facienda, id ideò est, vt dignè & idoneè præparati, tantum Sacramentum sumamus, aut ad tantum sacrificium accedamus; ergo qui sumit, vel qui sacrificat in peccato mortali cùm confessus ante non sit, in eo solo peccat, quòd sacrilegium admittit, indignè accedens ad Sacramentum, vel sacrificium. Nec his obstat, quòd duo præcepta frangantur; non enim ob præceptorum numerum peccata multiplicantur, sed ob diuersitatem præceptorum ad diuersas virtutes pertinentium; hæc autem vnum præceptum propter aliud constituitur, ergo vnius tantùm est præcepti violatio. Secùs dicendum esset si alio titulo teneatur confiteri; tunc enim duplex peccatum committit, vnum omissionis contra præceptum confessionis, alterum commissionis, per indignam Eucharistiæ sumptionem. *Azor.to.1.l.10.c.31.q.10. Nugnus 3.p.q.80.ar.4.diffi.3. Dian.p.2.tr.14.ref.24. Bonac.c.n.33.* Excommunicatus autem duplex peccatum committeret, si non præmissa confessione, Eucharistiam sumeret, sciens se teneri vinculo peccati, & censuræ: quia facit contra religionem, & contra obligationem censuræ; & hæ obligationes videntur esse distinctæ rationis, & proinde vtraque circumstantia aperienda esset in confessione. Ita *Henriq.l.5.c.7. num.2. Suares 3.p.tom.3. disp.66.sect. 1.concl.1.*

39. Sacerdos qui vrgente necessitate celebrauit, non præmissa cõfessione peccati mortalis, tenetur quamprimùm confiteri virtute præcepti in Tridentino *sess.13.c.7.* positi. Sed est difficultas quomodo intelligẽda sint verba illa Concilij, *Quamprimùm*. Quidam Doctores putant illicò finita Missa Sacerdotem astrictum esse confiteri per dicta verba Concilij. Ita *Sanctius in select.disp.32.n.14. Henriq.l.8.c.45.n.4.* Alij verba illa quamprimùm, id est, inter triduum exponunt; quia dicitur quãprimùm, & incontinenter fieri, quod intra triduum fit. Ita *Sanch.de matr.disp.51.l.1.n.14. Coninch.de Sacr.disp.21.dub.2. n.6.* Hæc opinio mihi placet, quia benigna. Quamuis grauissimi authores benigniorem sententiam sint amplexati, asserentes, satis esse, pro adimplendo præcepto Concilij, si Sacerdos, qui sic celebrauit, confiteatur suo tempore, nempe ante aliam celebrationem, & sic illud *quamprimùm* exponunt, cùm primùm iterum celebrauerit. Ita *Fagund.præcep.3.l.3.c.8.nu.9. Petr. Binsfeld.in Enchir.Theol.pastor.c.6. §.9. concl.6.* Et hæc sententia admittitur tanquam probabilis à *Dian.p.2.tr.14.ref.60.* An autem talis sit, peritorum iudicio relinquo discutiendam.

Præceptum verò Concilij quamprimùm confitendi, an extendatur ad laicos, qui sine præmissa confessione Eucharistiã in necessitate sumpserunt? dicendum est quòd non. Quia, inquit *Suares*, obligatio legis positiuæ, non est amplius extendenda, quàm verba eius in sua proprietate intellecta requirant; Sed cum Tridentinum non faciat mentionem laicorũ, sed Sacerdotis celebrantis in necessitate sine præuia confessione; ergo hæc obligatio ad illos non est extendenda. Ita *Suar. c.disp.66 sect.7. Dian.p.2.tr.14.ref.60. Bonac.to.1.disp.4.q.6. punct. 1.n.37. Reginald.c.n.110. Syl.3.p.q 80.ar.4.quæs.2.* contra *Nauarr. c.2.n.10. Azor.to.1.l.10.c.31.q.9.* Voluntariè enim dicunt, quòd si Concilium de laicis interrogatum fuisset, idem respondisset. Vnde consequenter est dicendum, quòd hoc præcepto statim confitendi post celebrationem, cum præmissa confessione, non ligatur Sacerdos; qui ex sua malitia celebrauit in peccato mortali, vel cum ignorantia peccati mortalis, cuius ante celebrationem, vel in ipsa celebratione non meminit, sed post celebrationem, vel si Sacerdos vrgente necessitate, communicet more laicorum absque præmissa confessione mortalium; & hæc præcipua ratio est, quia hi casus non exprimuntur in Tridentino, & nemo dicet de hoc esse præceptum diuinum. Vide *Suar.c.sect.7.& 8. Laym.l.5.tr.4.c.6.n.7. Fill.tr.4.nu.223. Coninch q.80.a.4.n.25. Dian.p.2.tr.14.ref.61. Syl.c.q.2.* qui prædictis consentit, præterquam in illo, qui ex malitia celebrat non confessus, per argumentum à minori, quòd scilicet teneatur statim confiteri, sicut & is qui in ipso sacrificio mortaliter peccaret ante communionem.

40. Ad Sacram communionem recipiendam iure Ecclesiastico *c.liquido, de consecr. dist. 2.* requiritur aliqua dispositio ex parte corporis, nempe, vt suscepturus Eucharistiam sit ieiunus, à media nocte, ieiunio non tantùm Ecclesiastico, verùm etiam naturali: Ieiunium autem naturale importat abstinentiam à qualibet re etiam modica comestibili per modum cibi, aut potus, aut medicinæ; vnde peccatum mortale est, eo die communicare, post aquę, vel alicuius alterius, etiam in minima quantitate, sumptionem: nec refert vtrum id quod sumitur, nutriat, vel non nutriat, sed videndum, an ab exteriori imponatur ori, & vitali actione deglutiatur, seu in stomachum traijciatur; hoc enim est, quod per modum cibi, potus aut medicinæ sumitur, & soluit ieiunium naturæ: Nec parum hic pro nihilo reputatur; quia illud parum leuerè prohibetur ab Ecclesia sumi ante communionem. Ita ex communi *D.Th.3.p.q.80. a.8. Syl.ibid. Suar.to.3.d.68.sect.3.& 4. Rodr.in sum.c.66.nu.1. D. Anton.3.p.tit.13.c.6.§.8. Tol.l.2.c.28.n.6. Laym.c.n.18. Dian.p.5.tr. 5.ref.12.* Et hoc est definitum in Concil. Carthaginensi, & habetur *de consecratione dist.1.cap.Sacramenta, & cap.ex parte, de celebratione Missarum.*

Ad maiorem tamen dictorum intelligentiam notandum est quòd cibus & potus dupliciter considerentur, vel secundum materiam, vel secundum formam. Materia est id, quod assumitur ad manducandum, vel bibendum. Forma verò est illa actio comestiua, & potatiua; quæ dicitur forma, quia facit quòd materia sit in actu exercito cibus, & potus. Requiritur autem tam materia, quàm forma, vt aliquid dicatur sumi per modum cibi, aut potus, quia si altera deficiat: non erit nec cibus, nec potus; vt inter alios annotauit *Lugo de Euchar. disp.15.sect.2.n.28.* Qui auctor ponit regulam vniuersalem, quod quæ non alterantur in stomacho, non soluant ieiunium naturale; addit tamen hoc esse intelligendum de eo, quod ex natura sua non est alterabile à stomacho humano; nam si per accidens non possit alterari, si sumatur, violabit ieiunium naturale. Verùm *Pasqual. in decis.mag.decis.314.* censet non debere includit intra terminos cibi quidquid quocumq; modo est alterabile: aliqua enim possunt alterari, nec tamen habentur pro cibo, vt sunt aliqua venena, quę non sortiuntur finum effectum, nisi in stomacho alterentur; vnde existimat, vt id solùm frangat ieiunium naturale, quod moraliter habetur pro cibo humano, & hoc totum metiendum esse secundùm moralem existimationem; cùm enim ieiunium essentialiter sit abstinentia à cibo, sit vt quamdiu saluatur totaliter hæc abstinentia, saluetur etiam naturale ieiunium. Sed contra illum sentiunt omnes qui putant etiam per non comestibilia solui naturale ieiunium; vt videbitur infra.

41. Si quis per modum saliuę aliquid traijcit, vt si os abluendo parum aquæ præter intentionem transmittat ad stomachũ, per modum saliuæ, aut etiam casu traijciat reliquias cibi, quæ hesterno die dentibus adhæserunt, aut deglutiat sanguinem ex gingiua, vel ex capite in os descendentem, aut aliquas pluuiæ guttas inaduertenter recipiat in stomachum, aut per modum respirationis attrahat parum terræ aut pulueris, &c. aut cùm iusculum degustando aliquid contra voluntatem deglutit, aut respirando, bestiolam ore hauriat & casu deglutiat, non dicitur frangere ieiunium naturale, quia nihil sumit per modum cibi, aut potus, aut medicinæ; *D.Thom.c.a. 8. Syl.ibid. Suares c.d. 68. sect.4. Sylueſter. v. Euchar.3. num.8. Nauarr.in Man.cap.21.num.53. Coninch quæst.80. tract.8. nu.46. Reginaldus l.29.num.119 Vasques 3.par.tom.3.disp.211.c.3.nu.31.*

Præpos.

Præpoſit.3.part.quæſt.80.art.8.dub.1.num. 40. Solueretur autem ieiunium per tabaci ſumptionem, ſi os intret, & deglutiatur, aliàs non, quia eſt medicina; vt ait *Diana par.5.tract.13. reſol.1.* Item ſi reliquiæ cibi voluntariè & ex induſtria deglutiantur; quia tunc videntur traijci per modum cibi; nec refert quòd non iumatur quicquam eodem die ab extrinſeco: ſatis enim eſt, quod antea ſic ſumptum fuerit; nam eſt quodammodò pars præcedentis refectionis. Ita communiter Doctores hic citati. Aduerte tamen contrariam ſententiam docere *Tabiena v.Communicare* §.49. qui concedit, id quod præterito die intra os tum; tum eſt, etiamſi data opera deglutiatur in ſequente, non ſoluere ieiunium naturæ, neque impedire perceptionem Euchariſtiæ, quia inquit, ad hoc opus eſt ſumptione alicuius rei exterioris, quæ ſit eodem die. Hanc ſententiam probabilem vocat *Diana p.2.tr.14.reſ.51.& p.4.tract.4.reſol.104.* qui refert *Tannerum.4.diſ.5.q.8.dub.4.n.79.* idem ſentientem; ſed ego in *Tannero* hoc non reperi. Cum Tabiena tamen ſentiunt Henriques *lib.8 cap.50.num.4.* Paſqualigus *deciſ.322.n.4.* & alij ab ipſo citati & nouiſſimè Bauny in *Theolog. moral. part.1. tra. 10.quæſt.22.*

42. Qui trãſacta media nocte deglutit aliquid ſacchari quod veſperi ore acceperat, vel qui medicinam ore ſumit, vel qui papyrum edendo traijcit in ſtomachum, quamuis illa poſtea cuomat, frangit ieiunium naturale, nec poteſt eo die communicare, quia eſſet vera comeſtio vel bibitio, ſcilicet traiectio cibi vel potus in ſtomachum, propria & per ſe actione vitali; Ita *Suar.c ſect.4. Syl.c.2.8. Azor.to.1.l.10.c.30.q.2. Henr.l.8.c.49.n.2. & c.50. Reg.l.29 n.118.119.* contra *Sum.Corona p.4.c.4. num.65. Dian.p.2.tr.14.reſ.52.& p.3.tr.4.reſ.38. De la Crux in direct. de Euchar.q.5.d.4 concl.2.* cuius verba ſunt, qui comedit modicum papyri, aut aliquid ſimile, non habens rationem cibi aut medicinæ poteſt iuxta ſententiam probabilem ſumere Euchariſtiã: quorum ſententiam putat *Henriques* falſam; qui aſſumi per modum cibi vel potus, ſolùm diſtinguitur ab eo, quod eſt aſſumi per modum ſalinæ, atque ideo quæcumque res exterior eſt ad hoc impedimentum: alias enim ſi medicina eſſet nociua, non eſſet impedimentum. Hæc ſententia eſt tenenda. Quamuis non deſinit ratione pro contraria; & quidem à priori ratio eſt, quia ieiunio naturali opponitur tantùm cibus & potus tanquam id, per quod ſoluitur; vnde quidquid tranſmittatur, & deſcendat in ſtomachum, quod ex natura ſua non ſit cibus aut potus, non contrariatur ieiunio, nec illud ſoluit. Sic papyrus ex natura ſua non eſt cibus: ideò non ſoluit ieiunium. Tum quia etiamſi papyrus eſſet alterabilis & per accidens nutriret, ſufficit, quòd ex natura ſua non ordinetur in cibum præſertim hominis: vnde non poteſt dici ſumi per modum cibi. Ita etiam pro hac ſententia *Sanctus in ſelect.diſ.42. n.23. Paſqual. c.dec.ſ.312.* quorum rationes faciunt hanc opinionem probabilem.

43. Qui ſuſcepturus eſt Euchariſtiam, non eſt neceſſe vt digeſſerit cibum, aut poſt cœnam dormierit; quia hoc nullo iure cautum eſt; & aliquis poteſt dici ieiunus à media nocte, quamuis cibum non digeſſerit; deuotio tamen & reuerentia tanto Sacramento debita exigit, vt ſacer ille cibus, prophano, communique cibo non facilè miſceatur; Propterea etiam conuenit, non ſtatim ſumere prophanam eſcam poſt ſacram, vt magis conſeruetur ſpiritualis deuotio, & erga Sacramentum reuerentia; non tamé eſt præſcriptum aliquod interuallum; nam rigor antiquus *de conſ. diſt.2.cap. Tribus gradibus*, iam olim eſt abrogatus, vt *D.Th.3.p.q.80.a.8.ad 5. Syl.ibid.* monet. Vide *Reginal.l.29.n.119. Fill.tr.8.nu.237. Suar.c.diſ.68.ſect.4. Nauarr. in Man.c.21.n.53.*

44. Sacra communio poteſt dari infirmo non ieiuno exiſtẽti in articulo mortis per modum Viatici, quando non poteſt commodè expectari tempus, vt poſſit ieiuno adminiſtrari; quia hoc priuilegium eſt conceſſum infirmo, *Cap. liquido, cap. Sacramenta, de conſecratione diſt.2.* Deinde adeſt neceſſitas tam infirmi indigentis auxilio Euchariſtiæ, quàm adimplendi præcepti diuini, quod obligat maximè in articulo mortis. Et hoc verum etiam in caſu mortis violentæ, ſi communio commodè nequeat anticipari vel differri: Ratio eſt, quia valde probabile eſt talem tunc teneri ex præcepto diuino communicare, quod maioris momenti eſt, quàm præceptum Eccleſiæ prohibentis non ieiunum communicare. *Nauar.in Man.c.21.nu. 53. Filliucius tract.4.cap.8.quæſt.11.num.238.* Ita *Suares diſpu.68. ſect.5. Sylu.c.a.8. Coninch quæſt.80.ar.8.num.50. Laym.l.5.tra.4.c. 6.num.20. Dian.p.3.tr.6.reſ.59.& p.5.tr.3.reſ.38.33. & p.6.tra.6. reſ.18.* in parte quarta ſuarum reſolutionum *tract.4.reſolut.197.* probabiliſſimum exiſtimat, idem dicendum eſſe de illo, qui mane ſumpſit Euchariſtiam & poſt prandium incidit in periculum mortis; hic enim in tali caſu, poteſt iterum non ieiunus Euchariſtiam ſumere: iuxta opinione illorum, qui aſſerunt, non ſatisfieri præcepto diuino, per communionem factam ante articulum mortis, quamuis paulò antea factam; Ratio eſt, quia præceptum communicandi in articulo mortis, cui non eſt ſatisfactum communione ante periculum facta, eſt diuinum, & maioris ponderis, quàm prohibitio Eccleſiaſtica non communicandi in eodem die, niſi ſemel; & ieiunus. Huic ſententiæ ſubſcripſerunt *Gaſpar. Hurtado de Euchar. diſp.10. diffic.2.* & plures graniſſimi viri Academiæ Complutenſis & Salmanticenſis & nouiſſimè Breſſerus *de conſ.l.3.c.8.n.100.*

45. Infirmus qui ſemel communicauit per modum viatici non ieiunus, iuxta probabiliorem ſententiam *Suar.c.diſpu.68. ſect.5. Regin.l.29.nu.120. Henriq.l.8.c.50.n.1. Fill.tr.2.n.238. Diana p.2.tr.14.reſ.75.77.& p.3.tr.4.reſ.44. Syl.3.p.q.80.a.8.* poſt ſex, ſeptem, octo vel decem dies poteſt iterum non ieiunus communicare per modum viatici. Tum quia Concilium Conſtantienſe concedens vt infirmus non ieiunus communicare poſſit, non reſtrinxit conceſſionem ad vnam vicem, cùm in ſecunda & tertia vice adſit eadem neceſſitas, quæ in prima. Tum quia credibile non eſt, piam matrem Eccleſiam velle infirmum priuare tot commodis & fructibus, quibus indiget infirmus in ſtatu mortis conſtitutus. Imò *Laym.l.5.tr.4.c.5.n.* 20. plus addit. Euchariſtia, inquit, ob mortis periculum ſi ſumpta ſit à non ieiuno, poſſe iterum accipi, ſaltem poſt ſex dierum interuallum, docent aliqui: quinimò exiſtimo ob iuſtam cauſam, puta, ſi aliquis aſſuetus frequenter, communicare, vt ſacrificare propter deuotionem, ac deſiderium difficilè abſtineat, premitti ipſi poſſe, vt altero ſtatim die iterum Sacram Euchariſtiam è manu Sacerdotis accipiat non ieiunus, dummodò mortis periculum inſtare videatur. Hæc ille, Quidquid in contrarium doceant *Vaſq.3.p.to.3. diſ.211.c. 4.n.38. De la Crux in direct.de Euch.q.5.d.4.*

Imò *Gaſpar. Hurtado diſ.9. diffic.16.* nixus authoritate Concilij Conſtantienſis *ſeſſ.13.* vbi dicitur; *Sacrorum Canonum authoritas, & approbata conſuetudo Eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, vt hoc Sacramentum non poſſit recipi à non ieiunus, niſi in caſu infirmitatis*, (ſubintellige periculoſæ) *aut alius neceſſitatis à iure, vel ab Eccleſia conceſſo vel admiſſo*, docet generatim ab infirmis non ieiunis, poſſe Euchariſtiam toties ſumi, quoties à ſanis ieiunis, quòd ab hac lege in Concil. excipiantur infirmi, ſine vlla limitatione. Sed hoc intelligerem, ſemper per modum Viatici, & perſeuerante mortis periculo. Verum in hoc pro firma & ſecura regula, ſequenda eſt praxis & conſuetudo fidelium, ne ſcandalum generetur.

46. Licere Sacerdoti Miſſam celebrare non ieiuno ad communicandum ſeipſum infirmum, vel alium qui alioqui ſine Viatico diſceſſurus eſt è vita, & maximè ſi moriens non poſſit recipere aliud Sacramentum, ceſſante ſcandalo, ſententia affirmans probabilitate non caret: tùm quia à pari poteſt conſecrare ſine confeſſione præmiſſa; tum quia communio eſt de iure diuino, ieiunium de Eccleſiaſtico, ergo illa præualebit. *Ita Maior.4.diſt.9.quæſt.3. Phiburch.de offic.Sacer.to.1.p.1.l.2.c.2.per totum.* & probabilem vocant *Filliucius tract.4.num.242. Laym. l.5.tract.4.cap.6.num.21. Diana p.3.tract.4.reſ.33.& par.5.tra.3. reſ.35.36.* Sed communis opinio eſt negans; tum quia maior eſt habenda ratio reuerentiæ & dignitatis Sacramenti, quàm neceſſitatis proximi aliqualis; tunc enim ipſe excuſatur à præcepto, cùm non ſit, qui poſſit ritè dare. Tum quia non eſt vſu preceptum, vt Sacerdos non ieiunus celebret ad communicandum infirmum, ſed potiùs in contrarium eſt conſuetudo Eccleſiæ. Ita *Suares c.diſp.68.ſect.5. Syl.3.p.q.80.ar.8. Victor.de Sacr.n.83. Valent.to.4.d.6.q.8.punct.3. Nauar.c.21.n.53. Reginald. l.29.num.121.*

Sed occurrunt nonnullæ dubitatiunculæ breuiter reſoluendæ circa tempus ieiunij naturalis pro ſumenda Euchariſtia; vnde. Petes *primò*, quando Eccleſia incipiat diem, & quando ex eius præcepto debeat incipere ieiunium pro ſumenda Euchariſtia? Reſp. Eccleſiam incipere diem à media nocte & ducere in aliam mediam noctem ſubſequentem; ideò autem incipit à media nocte, quia tunc ſol incipit aſcendere ad noſtrum Orizontem; vnde præceptum ieiunij naturalis in ordine ad ſumptionem Euchariſtiæ pro illa die, in qua eſt ſumenda, debet conſequenter incipere à media nocte antecedente; quia

quia tunc incipit dies, in qua est sumenda: & hoc præceptum obligat totam Ecclesiam. Ita *D. Th. 3. p. qu.* 80. *ar.* 8. *ad* 5. & alij communiter.

Sed quid dicendum de regionibus, in quibus per sex menses anni est perpetua nox, aut cõtinuus dies? Resp. cum *Pasq. in dec. mor. dec.* 336. præceptum esse seruandum secundùm cãpacitatẽ consuetudinis illius regionis; sed quia in nostris regionibus in media nocte absoluuntur communiter quæ spectant ad illum diem, & præsertim comestio & corpus traditur quieti; & ideo Ecclesia præcipit seruandum ieiunium à media nocte; vnde in illis regionibus tam quando durat perpetuus dies, quàm perpetua nox, necesse est, quòd habeãt certos terminos, in quibus cessent ab operando, & tradant corpus somno & quieti; erit ergo notandus ille terminus, in quo apud omnes regulariter loquẽdo solet incipere quies, & claudi vnica periodus operationum, quas solent exercere, & habendus pro termino mediæ noctis, in quo incipiat subsequens dies, seu noua periodus & ab ipso opus erit incipere ieiunium naturale pro sumptione Eucharistiæ.

Petes *secundò*, an si in aliqua Prouincia esset diuersa cõsuetudo sumendi initiũ diei, posset licitè seruari in ordine ad ieiuniũ naturale seruandũ pro sumptione Eucharistiæ? Resp. stãdũ esse consuetudini, si Ecclesiæ decreto sit recepta; quia Ecclesia potest declarare, immutare, restringere, & tollere propria præcepta. Ita *Suar. 3. p. to. 3. disp. 68. sect. 4. Sot. 4. d. 12. q. 1. a. 8. ad* 5.

Petes *tertiò*, an à primo pulsu horæ designantis mediã noctẽ, debeat incipere ieiunium pro Eucharistia sumẽda? Resp. Affirmatiuè, quia horologium est tantùm testis indicans horam esse completam; & ideo quando auditur primus pulsus, iam est hora completa, mathematicè loquendo, & per accidens est, quòd alij subsequantur, quia nimirum non potest indicari cõplementum cuiuslibet horę vnico tantũ pulsu; vnde si quis tũc bibat & continuet, etiamsi quando sonat vltimus pulsus finierit, non potest Eucharistiam sumere. Ita *Sanc. in select. disp. 42. nu. 20. Lugo de Euch. disp. 15. sect. 2. n. 37. Dian. p. 3. tr. 4. res. 36.* & alij penes ipsos. Quod tamen intelligendum est, modò pulsus horologij correspondeat motui solis.

Verùm quia impossibile est, moraliter loquendo, ita mensurare hoc dimidium noctis, vt non contingat aliquis error circa aliquam exiguam parte temporis ante, vel post mediam noctẽ, quia est impossibile habere instrumenta ita perfecta, quæ exactè correspondeant motui solis. Ergo erit impossibile obseruare præceptum ita exactè, vt statim à vera media nocte incipiat obseruantia ipsius. Vnde puto (saluo meliori iudicio) cum Pasqualiguo *decis. 338. n. 5.* in rebus moralibus mathematicè procedendum non esse, ita vt tempus mathematico modo mensurari debeat, sed sufficere, si moraliter mensuretur, ita vt in ijs, quæ pertinent ad priorem vel subsequentem diem parum referat, si pro aliquo exiguo tempore anticipetur, vel postponatur, vnde etiam parum referet, si ieiunium naturale incipiat paulò post à media nocte. Ratio est, quia Ecclesia non potest nos obligare, vt nos conformemus horologijs, quia hæc non sunt obuia vnicuiq; vt per ipsa possit se regulare; vt contingit in oppidis & villis, & etiam in ciuitatibus; quia non vbiq; per ciuitatem audiuntur pulsus horarum. Tum quia in aliquibus regionibus, vt in Italia, medium noctis non designatur aliquo pulsu horarum, cùm, vt plurimum contingat infra spatium alicuius horæ. Vnde cùm eodem modo obseruandum sit præceptum ab omnibus, non tamen eodem modo mensurari potest tempus, in quo incipiat obligatio; & proinde impossibile est, sequi ductum horologij ad vnguẽ: & proinde nec obligabit præceptum ad sequendum ita exactè, vt nulla sit discrepantia ab ipso. Deniq; hic habet locum etiam paruitas materiæ; ratione cuius censeri potest non solui ieiunium naturale illius diei; quia ad modicum initium ipsius protrahitur comestio præcedentis diei. Vide *Dian. p. 6. tr. 6. res. 34. & p. 7. tr. 11. res. 15. Bresser. de consc. l. 4. c. 11. n. 107. Caram. in reg. D. Bened. d. 101. n. 1328.* qui nouissimus tres conclusiones ponit circa præcedentẽ doctrinã.

Prima, nullum horologium esse infallibile, ideo nulli necessariò standum esse. *Secunda*, omnia horologia habere vim opinionis probabilis, nisi ita exorbitent, vt eorum error clarè & euidenter cognoscatur. *Tertia*, horologia accurata horæ quadrante à veritate deuiare; vnde infert, quòd temerarius non erit, qui censuerit vrbis horologia, quæ à stolidis sæpius diriguntur, integro quadrante exorbitare. Ideò quadrante horæ antequam sonet duodecima, incipit die sequẽs probabiliter: & æquè probabiliter antecedens dies finitur quadrãte postquam

sonuerit hora. Qui in pago aut in eremo fuerit, vbi solum est vnum horologium bene regulatum, probabiliter potest credere illud plusquam horæ quadrante à veritate exorbitare.

Sed quid si Petrus haberet horologium exquisitissimum, mediæ noctis tempus præcisè indicans? Resp. adhuc in tali casu tempus non debere mathematicè, sed ciuiliter ac moraliter accipi. Dies notabiliter incepisse dicitur cùm eius octaua pars effluxit, nempe post mediam noctem hora tertia. Dies leuiter est inchoata cùm harum trium horarũ effluxit quasi octaua pars, nempe hora 0. min. 22. sec. 30. Non puto præcepta politica, siue Ecclesiastica ea sint, siue sæcularia, tam exactè posse tempus decernere, vt reus sit qui sublatis alijs inconuenientibus, opus præceptum differat vno quadrante; quia aliàs Ecclesia rebus faciendis mathematica tempora indiceret, non moralia; quod est contra vniuersorum opinionem. Ita *Caramuel*. Et hæc sententia facilè admitteretur vt probabilis; ne dicam vt certa, ab his, qui in directione horologiorum sunt exercitati; ex praxi enim quotidiana animaduertũt horologia etiam exquisitissima propter variam intẽperiem aeris, spatio quinq; aut sex horarum, quadrante horæ à veritate deuiare. Nec mirum, si hæc horologia sint fallacia, cum pleraq; solaria, ex quibus illa diriguntur, vt plurimum per quadrantem horæ à veritate deuient, vt ipsemet sæpè sæpius animaduerti.

Petes *quartò*, an quando adsunt plura horologia liceat sequi quod libuerit in ordinando ieiunio pro sumptione Eucharistię? Responsio est affirmatiua *Sanc. in select. disp. 42. n. 18. Dian. p. 3. tr. 4. res. 36. Lugo de Euch. disp. 15. sect. 2. n. 45. Sanch. de matr. l. 2. disp. 41. n. 40.* & aliorum apud *Pasq. in decis. mor. dec. 339.* quia horologia accipienda sunt tanquam testimonia testantia de tempore: & quia sicut testimonia singularia, vnum non facit factum magis probabile, quàm faciat alterum: & proinde possum sequi, si non constet de errore, quodcumque illorum; quod etiam verum est licet plura simul sonent; quia non per hoc dant maiorem certitudinem de tempore; cùm experientia constet, quòd aliquando vnum magis accedit ad indicandum verum tempus, quàm plura simul: quia fieri potest, quòd ille, qui regulat illud, quod seorsim ab alijs sonat, habeat de tempore cognitionem magis exactam, & proinde meliùs regulet.

Sed dubium est, an in eadem nocte possimus sequi modo vnum, modò aliud horologium? Resp. quòd sic, dummodo tamẽ facta prima electione, aut dies antecedens aut subsequens non ponatur in possessione illius temporis, quod mediat inter pulsationem vnius horologij, & pulsationem alterius. Et ideò qui eligit primum horologium, & manducauit carnes, quas antea non poterat manducare, iam incœpit diem sequentem, qui est in possessione illius temporis: & ideò non potest incipere ad pulsationem alterius horologij ieiunium naturale pro sumenda Eucharistia; quia si tunc velle incipere diem, tolleret possessionem illius temporis ab Ecclesia, ad quod habet ius pro exigendo ieiunio naturali; cum iam sit receptum illud tempus pro parte sequentis diei; & fraudaretur præceptum de ieiunio sequentis diei. Plura de hoc dubio apud Lugo *disp. 15. de Euch. sect. 2. n. 46 & seq.*

Petes *quintò*, an dubitans an aliquid post mediam noctem deglutierit, possit Eucharistiam sumere, si dubium cadat supra comestionem? Aliqui negant; quia in dubio possessio est pro præcepto communicandi seruato ieiunio naturali. Ita Fagundes *præc. 3. l. 3. c. 5. n. 18.* Sanches citatus. Affirmatiua tamen sententia est tenenda. Ratio est, quia quamdiu manet dubius, an aliquid comederit, non adest sufficiens ratio, cur debeat se priuare Eucharistia; cùm alioquin habeat ius ad illam sumendam; eatenus enim deberet se priuare, quatenus id exigeretur ex præcepto Eucharistiam esse primum cibum, hoc autem non exigitur stante dubio, an solutum fuerit ieiunium: quia exigentia certa non potest fundari in re incerta; vnde solùm exigit, quãdo est certum, quòd ieiunium fuerit solutum; quia tunc vrget obligatio præcepti, & antequam sit certum, non obligat; quia tantum obligat eos abstinere, qui non sunt ieiuni. Stante tamẽ dubio speculatiuo de comestione, deponi debet dubium practicum, iudicans quòd hic & nunc sibi liceat suscipere Eucharistiam. Ita *Sanc. in select. d. 42. n. 9. Dian. p. 3. tr. 4. res. 29. Lugo c. disp. 25. sect. 2. n. 42. & 43. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. §. 4. n. 36.*

Sed quid iuris de illo, qui certus est quòd comederit, vel biberit, dubius verò an post mediam noctem, an ante, vtrum possit sumere Eucharistiam? Respondeo Doctores citatos pro secunda sententia in præcedenti casu, etiam in hoc affirmatiuæ sententiæ adhærere. Ratio est, quia in tali casu

concurrit ius certum, quod vnuſquiſq; habet ſumendi quacũque die Euchariſtiam, cum iure arcendi ab Euchariſtia, quod habet Eccleſia ratione comeſtionis poſt mediam noctem; hoc autem ius Eccleſiæ ſeu debitum ex parte dubitantis eſt dubiũ; quia fundatur in eo, quòd comeſtio fuerit poſt mediam noctẽ; quod, cùm ſit dubium, ſolùm poteſt fundare ius dubium & debitum dubium. Concurrente autem iure dubio cum iure certo, aut debito dubio cum iure certo, debet certum dubio præferri etiam in foro externo iudiciali. Sic ſi quis debeat alicui certum, & debitum ſit certum, & ſolutio dubia, quia dubium ſit, an ſoluerit, tenetur adhuc ſoluere.

Nec obſtat, quòd in tali caſu accedens ad Euchariſtiam ſe exponat periculo accedendi non ieiunus, atq; adeo peccandi. Præceptum enim prohibet ſolùm quod quis non ieiunus accedat; non autem, quòd dubitans an ſit ieiunus, non accedat; vnde cum quiſq; habeat ius accedendi, eo ipſo quòd ſibi non cõſtat ſoluiſſe ieiuniũ, poteſt vti iure ſuo; nec vllo periculo peccandi ſe exponit; quia etiamſi non eſſet ieiunus, non peccaret, quia accedit bona fide: & cùm ſolutio ieiunij non ſit certa, non habet à quo impediatur, cum ſola certa ſolutio ieiunij poſſit impedire. Sed de his ſatis. Plura apud Doctores citatos & Paſqualigum *decis.* 341. Caramuel *l.* 3. *Theolog. mor. n.* 1350. & 1353.

47. Homo pollutus ex peccato mortali, non poteſt eodẽ die ad Sacram communionem accedere, etiamſi de illo peccato fuerit facta Sacramentalis confeſſio: & hoc ſub peccato veniali: quia peccatum carnis non mediocriter abſtrahere conſueuit mentem à diuinis, nec permittere ſolet, vt Euchariſtia ſumatur cum ea deuotione, cum qua ſumenda eſt. Sed hoc intelligendũ eſt, niſi iuſta rationabilis cauſa communicãdi interuenerit, puta feſtum magnæ ſolemnitatis, aut ad euitandum ſcandalũ, aut ſi communio commodè differri nequeat in ſequentem diem. Ita *D. Th.* 3. *p. q.* 80. *a.* 7. *Syl. ib. Suar* 3. *p. to.* 3. *diſ.* 68. *ſect.* 2. & *diſ.* 66. *ſe.* 8. *Sanch. de matr. l.* 9. *diſ.* 13. *Reg. l.* 29. *n.* 117. *Dian. p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 30. Et hanc ſententiam communiter viri perfectionem vitæ ſectantes ſuadent. Quamuis quidam excuſent à peccato, etiam veniali, talem accedentem ad communionem; eò quòd nullus adſit textus hoc prohibens: cùm peccatum carnis non magis repugnet tumptioni Euchariſtiæ, quàm repugnet hæreſis vel aliud peccatum, modò priùs per confeſſionem deletum ſit. Ita *Azo. to.* 1. *l.* 10. *c.* 31. *q. vl. Nau. in man. c.* 21. *n.* 51. *Conin.* 3. *p. q.* 80. *a.* 7. *n.* 42. *Sanc. in ſelect. diſ.* 23. *n.* 30. Fatentur tamen omnes abſtinendum eſſe ab Euchariſtia, ſaltem ex decentia.

Quando autem pollutio prouenit ex cauſa tantùm veniali, certum eſt ſolummodò impedire communionem ex congruẽtia: Si verò pollutio ſit merè naturalis contingens abſq; peccato, non eſt quidem de ſe impedimentum ſumendi Euchariſtiã; ratione tamen effectum, qui in homine manent poſt illam, poſſet eſſe impedimentum, vt eſt fœditas corporis ob indecentiam immunditiei vaſis; in quo Cęleſte hoc ferculum excipitur, & diſtractio mentis ob indeuotionem; non eſſet tamen peccatum mortale cum his impedimentis communicare. Imò cùm pollutio deprehenditur ex Dæmonis illuſione prouenire, contemnenda eſt. Quę dicta ſunt de pollutione, intelligenda ſunt etiã de actu coniugali; qui poteſt eſſe, vel peccatum mortale, cùm quis cognoſcit ſuam tamquam alienã, vel veniale vt cùm quis cognoſcit ſuam præcipuè ob voluptatem carnalem, vel etiam nullum, vt cùm eandem cognoſcit tantùm cauſa prolis, vel ad reddendum debitum; Vide *Val. to.* 4. *diſ.* 5. *q.* 8. *p.* 3. *Rodr. in ſum. ca.* 65. *n.* 2. *Fill. tr.* 4. *c.* 8. *q.* 8. *Bon. to.* 1. *diſ.* 4. *q.* 6. *pu.* 2. *n.* 4. *Dian. p.* 3. *tr.* 6. *reſ.* 71. *Henr. l.* 8. *c.* 51. *Graff. l.* 1. *p. l.* 2. *c.* 30. *n.* 33. *Fag. prec.* 3. *l.* 3. *c.* 6.

48. Certum eſt de fide non eſſe prohibitum iure naturali & diuino laicis, nec per ſe malum, immò licitam communionem ſub vtraq; ſpecie corporis & ſanguinis Chriſti. Ratio eſt, quia olim tempore Apoſtolorum fuit in quibuſdam locis vſus & conſuetudo in Eccleſia communicandi laicos ſub vtraq; ſpecie. Ita *Suar.* 3. *p. to.* 3. *diſ.* 71. *ſect.* 1. *Bellar. l.* 4. *de Euch. à c.* 20. *vſque ad* 28. *Tol. l.* 2. *c.* 29. *Henr. l.* 8. *de Euch. c.* 44. Si enim hæc communio ſub vtraq; ſpecie iure diuino & naturali eſſet illicita, ac prohibita laicis, & ex ſe mala, numquam in Eccleſia vſus illius fuiſſe introductus atque approbatus.

An autem præcepto diuino teneantur fideles laici ſub vtraq; ſpecie communicare, Celebris eſt hæc controuerſia inter hæreticos & Catholicos iam inde ab anno 1412. qui fuit initium ſchiſmatis Boemici, quod poſtea confirmauit & auxit *Ioannes Hus*, pro cuius controuerſiæ reſolutione dicimus. Nullo præcepto diuino laicos, & clericos non conficientes, obligari ad Euchariſtię ſacramentum ſub vtraq; ſpecie ſumendum. Et hoc eſt de fide Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *can.* 1. Prob. quia tale præceptum, nec eſt ſcriptum, nec traditum, ergo &c. Non eſſet traditum patet ex vſu Eccleſiæ iam inde ab initio: nam *primò* fideles deferebant Euchariſtiam domum, & non ſub ſpecie vini; nam ne in templo quidem committebatur eis calix, ſed miniſtrabatur à Diacono. *Secundo.* Aſſeruabatur Euchariſtia pro viatico ægrotorum, de quo *vide Euſebium*, & nuſquam fit mentio vini. *Tertio.* In die Paraſceues ſumitur corpus Domini ſub ſola ſpecie panis, quem morem eſſe antiquiſſimum conſtat. Non eſſe ſcriptum, Probatur, quia vel Ioannis 6. *Niſi manducaueritis* &c. vel Matthæi 26. *Bibite ex hoc omnes*, Vel 1. *ad Corinth.* 11. *De pane illo edat, & de calice bibat*, nam plura loca alicuius momenti, nec afferuntur, nec afferri poſſunt. Non *Ioannis* 6. quia Dominus ibi non præcipit ſumi ſpeciem panis & vini, ſed corpus ſuum & ſanguinẽ, quę ſub alterutra ſpecie ęquè perfectè continentur. Non *Matt.* 26. nã illa verba inuitantis ſunt, non præcipientis; ſi enim præceptum continent, cur ergo hæretici negant calicem infantibus, amẽtibus excommunicatis, Turcis & Iudęis? Quod ſi accommodatè intelligenda ſunt, non poſſunt commodiùs reſtringi, quàm ad Apoſtolos, qui biberunt ex eo omnes: & ad Apoſtolorum in ſacerdotio ſucceſſores, dum offerunt incruẽtum Miſſæ ſacrificium. Non 1. *ad Corinth.* 11. quia *Paulus* illis verbis, nihil præcipit, ſed preſcribit modum dignè communicandi; vt patet ex contextu, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane* &c. Definitur etiam hæc veritas in Conc. Conſtant. *ſeſſ.* 13. & in Baſilienſi *ſeſſ.* 30. & in Epheſino *anno* 433. Vide *Suar. c. diſ.* 71. *ſect.* 2. *Syl.* 3. *p. q.* 80. *a.* 12. *quæſ.* 1. *Fagun. prec.* 3. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 3. *Tann. to.* 4. *diſ.* 5. *q.* 8. *dub.* 6. *Laym. l.* 5. *tr.* 4. *c.* 5. *n.* 11. *Enſeb. l.* 6. *hiſt. cap.* 26. *Fill. tr.* 4. *c.* 7. *n.* 205.

49. Sapiẽtiſſimè ab Eccleſia præceptum eſt, vt omnes Chriſtiani præter ſacerdotes ſacrificãtes, ſub ſola ſpecie panis communicarent. Prob. quia Eccleſia Chriſti auctoritate poteſt immutare ac diſponere ea quæ pertinent ad vſum ſacramentorum, ſalua eorum ſubſtantia. Et Tridentinum *ſeſſ.* 21. *c.* 2. dicit, Eccleſiam approbaſſe conſuetudinem communicandi ſub vna ſpecie; Non poteſt autem in ijs quæ pertinent ad mores errare. Ratio autem poteſt ſumi ab Eccleſia, à ſacramento, à communicantibus. *Ab Eccleſia*, tùm vt ſeruetur vbiq; vniformitas, quę ſeruari non poſſet in regionibus quæ vino carent: tum ad vitãdas hæreſes; Si enim populus rudis acciperet ſanguinem ſub ſpecie vini, vix crederet illum eſſe ſub ſpecie panis. *A Sacramento*, vt ſanguis Chriſti non effundatur, non irreuerẽter tractetur, ſpecies non corrumpantur, congelentur &c. *A communicantibus*, ne qui ſunt abſtemij vel alia de cauſa calicem ſumere non poſſunt, diffidant de gratia ſacramentali, aut etiam incidant in infidelitatem, putantes totum Chriſtum ſub vna ſpecie non contineri. De his *Suar. c. ſect.* 3. *Syl. c. quæſ.* 3. *Bellarm. l.* 4. *de Euch. c.* 28. *Fill. c. n.* 203. & alij numero præcedenti citati.

50. Vſus calicis poteſt ex legitima cauſa homini vel nationi cõcedi à Summo Pontifice; cùm totum hoc negotium ſit iuris Eccleſiaſtici; vnde legitur *Clem. VI.* id conceſſiſſe Regi Galliæ; qui ex priuilegio & conſuetudine bis communicat ſub vtraq; ſpecie, ſemel dum vngitur, & ſemel in articulo mortis. Imperator verò, dum tantùm coronatur vtramq; accipit ſpeciem. *Paulus III.* conceſſit ad tempus ipſis Bohemis, ſub ea tamen cõditione, vt crederent & confiterentur ſub ſpecie panis adeſſe ſanguinem Chriſti, & ſub ſpecie ſanguinis adeſſe corpus. Sed quia non crediderunt ceſſauit diſpenſatio & reuocata eſt conceſſio. Ita *Henr. l.* 8. *c.* 44. *n.* 7. *Fill tr.* 4. *n.* 203. & 204. *Fag. prec.* 3. *l.* 3. *c.* 4. *n.* 8, 9. & *ſeq. Suar. c. diſ.* 71. *ſect.* 3. qui rectè admonet rarò in hoc eſſe diſpenſandum, tum ad vitandum ſcandalum, tum vt hæreticis occaſio pertinaciæ auferatur, tum ad maiorem fidelium vnionem & conformitatem.

Aduerte tamen laicum poſſe ſumere ſpeciem vini ceſſante etiam diſpenſatione; quando nimirũ non ſumere cedere in irreuerentiã ſacramenti, vt ſi imminerent hæretici, qui ſanguinem Domini eſſent effuſuri: ſi moriatur Sacerdos ante cõmunionẽ, nec aliud adſit, qui poſſit conſumere; ſi ſanguis effundatur in terram & nõ ſit Sacerdos qui velit lambere; in his enim & ſimilibus caſibus, quod pro reuerentia Sacramenti introductum eſt, non debet contra eius reuerentiam militare. Contra *Sotum in* 4. *d.* 13. *q.* 2. *a.* 6. in alijs autem caſibus non licet.

Nam quamuis ex Concilio Toletano 11. & alijs, videatur calix datus ægrotis, qui ſpeciem panis non poterant deglutire, tamen id ſuppleri poteſt, ſi particula hoſtiæ imponatur vino, & ſic traijciat; quòd ſi non poſſit, præſtat decedere ſine viatico, quàm conſuetudinem Eccleſiæ in re tam graui relinquere,

quere,cùm ad id non obliget præceptum diuinum.

51. Sacerdotes in septem præcipuè casibus, possiunt non ieiuni sumere & consecrare Eucharistiam. *Primo*, propter integritatem sacrificij, vt quando Sacerdos aquam pro vino in calice posuit,& illam postea post sumptionem hostiæ sumpsit,tùc enim vel de nouo debet consecrare hostiam & calicem,vel saltem sanguinem tantùm propter integritatem sacrificij.Probatur , quia integritas sacrificij est maximi momenti manans ex præcepto diuino , ac propterea præualet præcepto Ecclesiastico.Ita *D.Th.3.p.q.83.a.6.ad 4.Vict.in sum.n.101.Henr.l.8.c.50.n.3.Syl.3.p.q.80.a.8.Secundo.*Quando post sumptionem calicis & eius ablutionem,videt reliquias hostię in patena vel corporali, tunc licet sacerdoti sumere illas reliquias . Ratio est , quia est vna actio moralis,quæ tamdiu durare videtur,quamdiu Sacerdos fungitur officio in ipso altari , etiamsi integram horam in communicando populo consumpsisset,& reliquiæ sint notabilis quantitatis;modò tamen sint ex ipsius sacrificio:nam si sint ab alio sacerdote relictæ,vel si ipse iam recessit ab altari, quasi functus officio suo,consultius est illas reseruare,modò id reuerenter fieri possit. Ratio est, quia absumptio harum reliquiarũ in alia missa præconsecratarum non est completio conuiuij à celebrante parati:*Syl.v.Euch.*3.§.8.*Nau.c.*25.*n.*89.*Caiet.in sum. v.Missa.Dian.p.2.tr.14.ref.*66.quamuis *March.de ord.tr.*3.*p.*3.*c.*3.*n.*19. doceat licere sacerdoti post sumptam ablutionem consumere præconsecratas reliquias tam ab alio, quàm à seipso,si in patena vel calice reperiantur.Tum quia difficile est scire rectè,an illæ reliquiæ inuentæ, post ablutionem sint ex præconsecratis ab alio vel à seipso:deinde in die Parasceues post sumptionem ablutionis Sacerdos consumit reliquias præconsecratas die præcedenti, si quæ in patena , vel in calice remaneant , ergo idem licebit omni tempore.Sed hæc sententia est singularis,de cuius probabilitate debent viri docti iudicare; Sicut singularis est sententia illorum qui probabile censent licere sacerdoti prædictas reliquias sumere etiam post recessum ab altaris priusquam missæ paramenta dimittat, si illas in calice vel in patena inueniat.Vide *Dian.p.5.tr.14.ref.*43.*& p.6.tr.6.ref.*17. *Tertiò*, Quando celebrans post consecrationem recordatur se non esse ieiunum,vel si post consecrationem hostiæ deficiat, si adesset Sacerdos alius non ieiunus , deberet sacrificium illud perficere & communicare , dummodò alius Sacerdos ieiunus ibi non adesset.Ita *Vasq.*3.*p.*80.3.*disp.*211.*c.*5.*Syl.c.a.*8.*Conin.q.*80.*a.*8.*n.*63.& alij communiter. *Quartò*, non ieiunus potest sumere Sacramentum ad auertendam grauem eius iniuriam aut irreuerentiam v.g.ne deueniat in manus hæreticorum, ne comburatur, &c.quia quod pro reuerentia Sacramenti institutum est, non debet contra eam militare & obligare. Hic ergo casus est veluti extrema, seu grauis necessitas ex parte ipsius Sacramenti,& ideo tunc cessat alterius præcepti obligatio.Ita *Suar.*to.3.*in* 3.*disp.*68.*sect.*6.*Fill.tr.*4.*n.*241. His addi potest *quintus casus*,nempe,ad vitandum scandalum verum & graue;quia spirituális talus animatum, & obligatio charitatis Dei & proximi , est maior obligatio ; quia cum huiusmodi scandalo semper est coniuncta grauis aliqua infamia eius,qui scandalum præbet,ob quam vitandam cessare etiam communiter solet obligatio legis politiuæ , quę non obligat cum tanto onere ac discrimine . Sed hic casus rarò moraliter accidit.Et licet *Nau. in man.c.*21. *n.*53. dicat non licere hoc Sacramentum sumere post cibum & potum,etiam propter vitandum scandalum; fortasse per scandalum intellexit solã populi admirationem ; quia ex hoc quod homo non sit ieiunus,moraliter loquẽdo,non sequitur scandalũ;quia multis de causis hoc potest accidere sine vlla culpa;si autẽ scandalũ sequatur,aut erit merè passiuũ,aut facilè alijs modis vitari potest.Vide *Sua.c.disp.*68 *sec.*5.*in fin.Lay.l.*5.*tr.*4.*c.*6. *n.*22.

Porrò licere sacerdoti non ieiuno celebrare ad mortem,vel vulnus vitandum docet *Amicus de Euch.disp.*27.*n.*30.*&* 38.nam tueri propriam vitam, est iuris naturalis ; vnde non potuit tali euentu lex positiua humana de non celebrando post cibum , obligare : quod tamen intelligendum est , quando non fit in contemptum præcepti , quia tunc potiùs subeunda est mors . Idem dicendum est , si Sacerdos sumpto veneno morti appropinquaret,& habens conscientiam mortalis copiam confessarij habere non posset : tunc enim poterit saltem putatiuè contritus celebrare,vt si fortè reipsa contritus non sit, virtute Sacramenti fiat ex attrito contritus . Nam in hoc casu Eucharistia est ad salutem necessaria , vnde videtur hic casus per Epikeiam excipi à lege vniuersali. *Hac ille.*

Vide v.*Eucharistia* 2.*Interdictum* 2.n.7.

COMPENSATIO.

SVMMARIVM.

1. *Compensatio quid sit ? & an facta à creditore excuset debitorem à restitutione ?*
2. *Quando compensatio sit licita .*
3. *Qui mutuum alicui semel, aut sæpius dedit,an possit ab eo occultè mutuo pecuniã accipere,quando mutuatarius nõ vult remutuare.*
4. *An possit aliquid occultè in compensationem accipere, qui amico vel consanguineo pauperi alimenta dedit;si ad pinguiorem fortunam venerit.*
5. *Quando possint famuli occultè compensationem facere , ex bonis Dominorum,pro mercede famulatus .*
6. *Seruus , an possit compensationem facere,si pressus necessitate , exiguo conuenit cum Domino.*
7. *An excommunicatio lata in surripientes,comprehendat illos qui in compensationem acceperunt.*
8. *An qui in compensationem accepit,possit à Iudice rogatus iurare se nescire,quis acceperit .*
9. *An in delictis,seu actionibus,quæ nascuntur ex delicto,licitum sit compensationem facere.*
10. *An in delictis diuersi generis licita sit compensatio.*
11. *Delicta coniugum,an mutuo compensentur,si lata sententia diuortij,contingat coniugem innocentem labi in adulterium;* Refertur duplex sententia .
12. *An detur compensatio in debitis ex iustitia,cum bonis vel obsequijs gratis collatis.*

1. COmpensatio *est debiti vtrimque & crediti inter se contributio;*hoc est,est collatio quantitatum,in quibus duo sibi inuicem sunt debitores,& creditores,vt id detrahatur de eo, quod reus debet,& minimè debitum censeatur,& pronuncietur,quod ei vicissim actor debet.*L.*1 *ff. de comp. Nau.in man.c.* 17.*n.*81.82.*Les.l.*2.*c.*16.*dub.*12.*Laym.l.*3.*tr.*2.*c.*9.*n.*9.*Fill.tr.*32.*c.* 5.*n.*150.*Syl.v.compens.*

Vnde hæc facta à creditore , est causa sufficienter excusans debitorem à restitutione.Ratio est,quia per compensationem tollitur inæqualitas , & debitor facta per creditorem compensatione, nihil retinet inuito creditore; compensans enim censetur id soluisse , quod compensat , & compensatio reputanda est solutio quædam.

In foro externo non admittitur compẽsatio, si res quas creditor & debitor sibi mutuò debebant,sunt diuersæ speciei,vt equus & pecunia.Vide *Nauarr.Less.Laym.Filliuc. Syluest.*

2. Compensatio licita est concurrentibus quibusdã cõditionibus,hoc est,licet occultè vendicare rẽ suam, vel sibi debitam,surripiendo eam alteri,modò conditiones quędam adsint.

Prima,est vt moraliter certum sit debitum & liquidum,quia liquidi ad non liquidum non datur compensatio , & in dubio melior est conditio possidentis.

Secunda , debet compensatio fieri in re sibi debita ex iustitia & non ex gratitudine tantùm.

Tertia,vt nõ possis rẽ tuã alia ratione redipisci,vel certè non absq; notabili molestia, vel expẽsis vel inimicitijs,vel amissione beneuolentiæ & fauoris,vel quando ei desunt probationes.

Quarta, vt compensatio fiat in re ipsius debitoris , aut in re ipsius creditoris existente apud debitorem nolentem eam restituere ,& non in re alterius apud debitorem depositа vel accommodata ; nam huiusmodi cõpensatio videtur fieri cõtra fidelitatem depositi,vel cõmodati;quãuis non sit improbabile in foro conscientiæ posse dari hãc cõpensationẽ,vt dicetur infrà.

Quinta , vt absit periculum scandali vel infamiæ , ne tamquam fur pecuniaris vel habearis.

Sexta , vt in compensatione non plus accipiatur , quàm debeatur,nam qui plus accipit, committit furtum cum obligatione restituendi excessum.

Septima,vt admoneat debitorem vel eius hæredes iam debitum esse solutum , ne debitum iterum sibi, aut suis hæredibus soluant,vel aliud damnum incurrant .

Octaua,quòd creditori verisimile sit, quod ad debitum recuperandum nihil sibi proderit id petere à debitore. His concurrentibus conditionibus,licitè fieri potest compẽsatio.*Clau.reg.* *l.*9.*c.*14.*n.*5.6.7.8.*Nau.in man.c.*17.*n.*113.*& seq.Bon.de rest. disp.*1. *q.vl.pu.*2.*nu.*12.*& seq.Reg.l.*23.*n.*7.*Angl.in* 4.*p.de rest. ar.*2.*diff.*20. *du.*14.*Syl.*2.2.*q.*62.*a.*8.*quæs.*1.*post con.*7.*Tann.*2.2.*disp.*4.*q.*6.*du.*14.

Notandum tamen est ex his conditionibus quainam non dimitti vt necessarias ad iustam compensationem à plerisque

Doctoribus. *Primò* enim verius putant *Mald.* 2.2.tr.4.c.1 *du.6. Dian.p.2.tr.2.ref.46.& p.7.tr.6.ref.17.* quando ex occulta compensatione, neq; scandalizas quemquam, neque turbas rempublicam, licere clam auferre, etsi absque peculiari incommodo per Magistratum possis; neque enim tunc inuadis munus Iudicis, qui ad publicam pacem tuendā constitutus est: & in tali casu agitur tantū de retinendo, & nō de acquirendo de nouo.

Secundo, Probabiliter docent *P. Nau. de rest. l.3.c.1 n.391. Tanner.c.d.14. Lef.l.2.c.27 n.16. Leym.l.3.tr.2.c.9.n.10. Dian.p.3.tr.5. ref.10.& in addit.ref.1.* in foro conscientiæ priuatam compensationem fieri posse ex re deposita apud tuum debitorem; quia de iure naturæ & gentium est, vt possit quis sibi satisfacere, quando alia via tum debitum habere non potest: opinio enim contraria (quæ est etiam probabilis ex authoritate leg. *Si quis vel pecunias, iuncta authentica ibi subiecta Cod. de depos.* habet locum pro foro externo; & quando aliter obtineri potest compensatio. Reus autem in foro conscientiæ; quia in hoc casu nulla iniuria, nec iniustitia fit deponenti, sed vis vi repellitur, nam aliter quis debitum suum recuperare non potest. Ex his conditionibus sequentes casus decidūtur.

3. Qui mutuum alicui semel aut sæpius dedit, non potest ab eo occultè mutuò pecuniam accipere, in casu quo mutuatarius non velit remutuare. Ratio est, quia licet ex honestate & debito charitatis teneatur mutuanti mutuo dare, ad id tamen non tenetur aliqua lege iustitiæ. *Bona.de rest. dis.1.q.vl.p.2.n.14.*

4. Qui amico vel consanguineo pauperi alimenta dedit, aut alia ob amicitiam, cognationem aut paupertatem, non potest ab illo, si ad pinguiorem fortunam venerit, aliquid occultè in compensationem accipere, etiamsi gratiam rependere nolit. Ratiò, quia alter ex honestate tantum tenetur & non ex iustitia, cùm nullum intercesserit pactum aut obligatio ex parte accipientis beneficium. *Claus reg.l.9.c.14.n.6. Azor.3.p.l.11.c.24. dub.4. Ronac.de contract. dis.3.q.7.pu.4.n.5.*

5. Famuli non possunt occultè compensationem facere ex bonis Dominorum, qui sponte dominis inseruiunt, cum spe acquirendi mercedem, sine tamen vllo pacto aut intentione obligandi dominos: si verò fecerunt conuentionem tacitam vel expressam inseruiendi cum pretio, possunt compensationem facere, si dominus nolit stare conuentioni, quia tunc pretium illis ex iustitia debetur. Idem dicendum, quando Dominus famulus & famulabus, considerato eorum labore, consuetudine loci, non præbet victum sufficientem; atque illi alia ratione, videlicet dominum rogando, monendo quod debitum sibi esset, consequi non possint; tunc concessum est ipsis aliqua occulta compensatione vti. Ita *Cord.in Sum.q.111. Sot.de iust.l.5.q.3.a.3. Leym.l.3.tr.3 p.1.c.1.n.10. Mol.tr.2.to 2.priore dis.506. Fill.tr.36.c.6.q.3.n.105. & 113.*

6. Quando paruo pretio conuentum est inter famulum & Dominum, ea mente vt Dominus seruitio diligenter præstito esset suppleturus, & hanc mentem famuli dominus satis aduertit, tunc ex iustitia dominus tenetur supplere, quia hoc tacitè in pacto continetur; vel si pressus necessitate, exiguo famulus conuenit, eò quòd Dominus noluerit maiori pretio cōuenire, si opera famuli multò pluris valeat, & illa dominus egeat, tenetur supplere stipendium ad æquiualentiam; alioquin potest seruus compensationem facere; quia non censetur condonare excessum pretij sibi debiti: Sicut enim, qui mercem necessitate coactus minoris iusto vendidit, in conscientiæ foro pretij defectum, quem donandi animus non fuit, exigere potest; ita etiam famulus stipendij defectum, si ob necessitatem, ob errorem, vel similem causam, operam suam minoris iusto locauit. Confer *Nau.in man.c.17.n.108.109. Med.in sum.Cod.de reb. rest.q.11. Les.l.2.c.12.n.63. Vas.opus.de rest.c.5.§.1.du.10.n.57.*

7. Si feratur excommunicatio in eos qui surripuerunt aliquam rem, non comprehenduntur illi, qui in compensationem acceperunt, etiamsi alia via recuperare potuerint; nisi in tribus casibus, scilicet, quando debitum erat dubium, vel notabiliter vltra æqualitatē progressi sunt, vel quando rem alienam acceperunt, quæ non erat debitoris; extra hos casus, non ligātur excōmunicatione, quia etsi peccauerint sic accipiēdo, non tamen peccant retinendo, & est solum peccatum in modo accipiendi, vnde non tenentur ad restitutionē. *Nau.in man.c.17. num.114. Regin.l.23.num.8. Molina disp.6.q.2.& dis.691.num.1. Med.Cod. de rest.quæst.3.causa 12. P. Nauarra de rest.l.2.cap.4.num.226.*

Immo compensans non ligatur excommunicatione, quamuis in sententia excommunicationis exprimatur iusta compēsatio. Ratio est, quia compensans retinendo rem acceptam in compensationem, non peccat mortaliter contra obedientiam censuræ, & sic hæc sententia continet errorem intolerabilem. *Vasq.de rest.c.5.§.1.dub.9.n.51. Olau.reg.l.12.c.14.n.30.& l.9.c.14. n.13. Bon.to.1.de obl.demnt.dis.6.§.6.n.1.*

Addo, quoties ipse compensans non ligatur excommunicatione, similiter nō ligari non denuntiantem hunc iustum compensatorem, quando in edicto præcipiuntur manifestari fures, vel iniusti detentores. Ratio est, quia nemo tenetur se, aut alterum innocentem prodere; & quando principalis non ligatur excommunicatione, neque ligatur minus principalis. Ita *Arrag.2.2.q.62.ar.2. Salon.2.2.q.66.ar.5.contr.1. Petr.Nau.l.3.c.1.p. 2.n.407. Fill.tr.14.q.9.c.2.n.40.* Et apud *Clauem regiam* & alij.

8. Qui in compensationem accepit iustè, potest à iudice rogatus iurare se nescire quis acceperit, nempe, vt Iudex intelligit, iniustè. Ratio est, quia in hoc casu iustam habet tergiuersandi causam. Imò si non rectè accepisset, eò quòd via iuris facilè potuisset recuperare, probabile est, iuridicè interrogatum non teneri fateri; quia alia videtur mens Iudicis, nempè an acceperit iniustè, non quoad modum tantum, sed quoad substantiam acceptionis. Ita *Nau.c.17.n.116. Bon.c.§.6.n.5. Val. 2.2.dis.5.q.13.pu.2. Clauis reg.l.9.c.14.n.14.*

9. Licitum est compensationem facere in delictis seu actionibus quæ nascuntur ex delicto, quamuis non liceat delicta committere ad faciendam compensationem; proinde qui se mutuò infamauerunt, possunt vti compensatione, dummodo infamia non sit inæqualis, & non oriatur scandalum; compensatio tamen non potest fieri reddendo maledictum, pro maledicto, & si tu me infamasti de furto, non licet mihi te ipsum infamare, ad faciendam compensationem. Verùm si tu me infamasti de furto, & ego te infamaui de furto, possum compensationem facere; tamen debet seruari equalitas delictorum, iuxta regulam in *L. vire atque vxore 40.ff. solut matr. Paria delicta mutua compensatione dissoluuntur.* Ita *Syl.2.2.q.62.a.2.quæs.10. Mal. 2.2.tr.7.du.14. Tol.l.5.c.70. Dia.p.3.tr.5.ref.30. Les.l.2.c.11. du.25.*

Proinde mutua coniugum adulteria compensantur quoad pœnas ciuiles amissionis dotis & bonorum adulteræ; & donationis propter nuptias viri adulteri, sicut quoad diuortium; & vir adulter minimè lucratur dotem aut alia adulteræ bona, nec vxor adulter donationem propter nuptias factam sibi à viro. *Sanches de matr.l.10.dis.8.n.9. Rodrig.in sum.to.1.c.99.nu.2. Vega to.1.sum.c.94.cas.2.*

10. Compensatio licita est non solùm in delictis eiusdem generis, sed etiam diuersi generis; propterea maritus qui occidit adulterantem, cum sua vxore potest compensationem facere cum iniuria sibi facta per adulterum. Ita quidam, quos tacito nomine refert *Bon.c.de rest.dis.1.q.vlt.pu.2.n.24.*

11. Secundùm probabilem multorum Doctorum sententiam compensantur mutuo delicta, si lata sententia diuortij, contingat coniugem innocentem labi in adulterium, ac proinde iure actionis competeret coniugi dimisso repetitio alterius. Ratio est, quia coniuges iure diuino nequeunt separari, nisi ratione fornicationis; ergo si vterque fuerit fornicatus, debent iterum coniungi. Ita nonnulli Iurisperiti apud Sanches, & ex Theologis. *D. Bon 4.d.35.a.vn.q.5. D. Ant.3.p.t.1.ca.21.§.6. Angles 1.p.de matr.q.9.de diuor.æ.2.diffic.6. Graff.2.p.l.1.c.12.n.85.*

Verùm probabilior sententia asserit nullam actionem acquiri coniugi adultero vt repetat innocentem, qui post diuortij sententiam adulteratus est, atq; ita ea delicta minimè compēsari, integrum tamen esse iudici vt eos concilier, ex officio suo illos cogens, quo fornicationis periculo consulatur. Ratio est, tum quia semel bene definitum, minimè retractandum est. Tū quia seruitus coniugis innocentis per sententiam diuortij semel amissa, ipso postea adulterante non renascitur: sententia enim absoluit innocētem à debito coniugalis societatis; dissoluitq; contractum matrimonij quoad ius thori & habitationis, manente vinculo: quare innocens postea fornicans, reus erit adulterij in ordine ad Deum, ob vinculum matrimonij perseuerans: non tamen peccabit adulterius coniugem dimissum, nec illi iniuriam inferret, vtpote qui iure in illius corpus destitutus erat per sententiam. Ita *D.Th.4.d.35.q.1.a.6. Henr.l.11.de matr. c.17.n.3. Bon.de matr.q.4.pu.5.n.19. Sanch.de matr.l.10.dis.9.n.30. Reg.l.31.n.330. Fill.tr.10.n.375.& 377. Gutt.de matr.c.129. n.18.*

12. Non datur compensatio in debitis ex iustitia cum donis vel obsequijs gratis collatis. Ratio est, tum quia, qui gratis dat suo creditori aliquid, non intendens per illud soluere debitum, transfert rei dominium titulo donationis, vnde non manet liber hoc modo ab antiqua obligatione iustitiæ;

cùm

cùm titulus donationis & iustitiæ sint tituli distincti; & hoc verum, quamuis debitor ignorauerit debitum ex iustitia, quando gratis contulit donum vel obsequium: obliuio enim debiti non facit, vt illa donatio liberè facta non habeat titulum donationis, vnde nec obligationem debiti ex iustitia tollere censetur. Ita *Sanch. in sum. l. 1. c. 13 n. 11. Rodrig. in sum p. 2. c. 49. conc. 2. Arragon 2. 2. q. 62. art. 8. cauſa 4. Salas de leg. diſ. 9. ſect. 2. nu. 35.* Vide *Præceptum* num. 5. *Horæ canonicæ* 5. num. 13. & Dianam *part. 7. tract. 10. reſ. 19.* qui pro contraria ſententia refert aliquos Doctores.

De compenſatione vide V. *Detractio* 2. n. 12. *Diuortium* n. 18. *Gabella* n. 9. *Horæ canonicæ* 5. n. 6. *Repreſſaliæ. Reſtitutio* 5. nu. 12. *Vſura* 3. n. 7.

CONCVBINATVS.

SVMMARIVM.

1. *Concubinatus quid ſit.*
2. *Eſt grauc peccatum: & an concubinarij ſint abſoluendi.*
3. *In articulo mortis, an poſſit concubinarius abſolui.*
4. *Pœnæ Concil. Trid. contra concubinarios ſeculares.*
5. *Clerici concubinarij notorij, an ſint ſuſpenſi.*
6. *Concubina an poſſit abſolui à concubinario.*

1. COncubinatus eſt frequens & conſuetà fornicatio cum eadem perſona; non ſufficeret autem ad concubinatum vnus vel alter actus fornicationis, ſed requiritur conſuetudo, qua aliqui quodammodo ita cohabitant, ac ſi eſſent ſimul coniugati; Vnde fornicarius proprie eſt, qui abutitur ſoluta; concubinarius verò, qui abutitur quocumque modo vxorio, id eſt, quæ ad vſum veneris illegitimæ tenetur, ita quod de mente iuris non dicitur concubina, niſi teneatur per modum vxoris. Ita *Tol. l. 5. c. 10. n. 12. Syl. v. concubinarius n. 1. Azor to. 3. l. 3. c. 5. Fill. tr. 30. c. 2. n. 55.*

2. Concubinatus eſt graue peccatum & periculoſum, quia homo non ſolùm peccat; ſed manet in ſtatu peccati & in continuo propoſito, ſaltem virtuali, peccandi; vnde tales concubinarij pœnitentes regulariter non ſunt abſoluendi antequam dimittant concubinam, cum propoſito non redeundi, etiamſi vrgeat periculum mortis: quamdiu enim perſiſtunt in proxima occaſione peccandi cum illa, non cenſentur habere ſufficientem dolorem ac propoſitum vitandi peccata in futurum. Tamen quando ſine graui infamia vel ſcandalo, vel alio graui incommodo, concubina non poteſt dimitti, tunc difficultas hæc in occaſione relinquenda, efficiet occaſionem non voluntariam, & ideò in tali caſu poſſet dari abſolutio; Verùm magna prudentia in confeſſario opus eſt, ne abſolutio impendatur indigno. *Clauis reg. l. 8. c. 2. num. 9 Nauarr. c. 16. n. 20. Regin. l. 5. n. 63. Syl. 2. 2. q. 154. ar. 2 Bonac. de matr. q. 4. pu. 14. n. 12. Tol. l. 5. c. 10. num. 12. Azor. c. 2. a. 6. Dian. p. 5. tr. 14. reſ. 107. & 108.* Vide V. *Abſolutio*, n. 7. 8.

3. Si verò non ſit concubinarius & à populo credatur eſſe, non debet abſolui donec ſcandalum tollatur & euulgetur ipſum non eſſe concubinarium; vt docet *Lopez part. 1. inſtruct. Conſc. cap. 78.* cauendum enim eſt à ſcandalo. Imò in hoc caſu eſſe ejicienda fœmina, quamuis ſcandalum, ſolùm ſit vnius perſonæ, cùm vnicuique mandauerit Deus de proximo; intellige tamen ſi ſine incommoditate ejici poſſit. Sic ex Sylueſtro *verb. Concubinarius quæſt. 2.* Sanctius *in ſelectis diſput. 10. numer. 15.*

4. Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. de ref. matr. c. 8.* grauiter vitium iſtud concubinatus in laicis reprehendit, & acriter puniri præcipit, his verbis. *Graue peccatum eſt homines ſolutos concubinas habere, grauiſſimum verò vxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu viuere, ac audere eas quandoque domi, etiam cum vxoribus alere, & retinere. Quare vt huic tanto malo ſancta Synodus opportunis remedijs prouideat, ſtatuit huiuſmodi concubinarios, tam ſolutos quam vxoratos, cuiuſcumque ſtatus, dignitatis & conditionis exiſtant, ſi poſtquam ab ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, ſeque ab earum conſuetudine non ſeiunxerint, excommunicatione feriendos eſſe; à qua non abſoluantur, donec reipſa admonitioni facta paruerint. Quòd ſi vi concubinatus per annum, cenſuris neglectis permanſerint, contra eos ab ordinario ſeuere pro qualitate criminis procedatur. Mulieres ſiue coniugatæ, ſiue ſoluta, quæ cum adulteris, ſeu concubinarijs publicè viuunt, ſi ter admonitæ non paruerint, ab ordinarijs locorum, nullo etiam requirente, ex officio grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel diœceſim, ſi id eiſdem ordinarijs videbitur, inuocato, ſi opus fuerit brachio ſeculari, ejiciantur, aliis pœnis, contra adulteros & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus.* Ita Concilium contra Laicos.

Circa hoc decretum eſt aduertendum *primò*, quòd Concilium non tollat alias pœnas à iure communi, vel ſtatutis ſynodalibus, contra concubinarios inflictas, nec alium modum procedendi contra eoſdem, niſi velit ordinarius eos excommunicare; quia tunc forma dicti Cap. VIII. ſeruanda eſt. Vnde Epiſcopus poteſt, (vt docet *Barb. in coll. to. 1. d. 1. tit. 35. c. 1. nu. 3. 4.*) in prima admonitione pœna pecuniaria concubinarium punire, quia trina monitio tunc neceſſaria eſt inter concubinarios, quando contra eos vult ferri ſententiam excommunicationis, non verò ſi pœnis pecuniarijs, vel alijs puniri illos velint Epiſcopi; quia in tali caſu, non requiritur ſolemnitas, de qua loquitur Concilium.

Secundò, quod crimen hoc concubinatus laicorum ad ſolos iudices Eccleſiaſticos pertinet puniendum; quia concubinatus legibus ciuilibus non punitur, vt ait *Iul. Clarus in pract. crim. q. 37. n. 4. Dian. p. 1. tr. 2. reſ. 87. & p. 5. tr. 1. reſ. 10. Fel. in c. cum ſit generale n. 13. de for. comp. Azor. 2. p. l. 3. c. 53. q. 2.* Et hæc opinio in puncto iuris verior eſt; atque ita videmus ſeruari de conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres; quia iudices ſæculares regulariter hoc crimen non puniunt, niſi quatenus requiſiti ab Eccleſiaſticis brachium ſuum impartiuntur. Quamuis non deſint: qui arbitrantur hoc delictum eſſe mixti fori. De quo Vide *Azorium, Dianam, Felinum*, & alios ab ipſis citatos.

5. Iure antiquo *c. quæſ. ac cohab. cler. & mulier.* clerici concubinarij notorij erant ipſo facto ſuſpenſi, ſed hoc ius per Tridentinum eſt correctum ſeu abrogatum: & ita iam non ſunt ſuſpenſi, ſed ſuſpendendi ab ordinarijs. Textus Concil. Trid. *ſeſſ. 25. de refor. c. 14.* ſic habet.

Prohibet ſancta Synodus quibuſcumque Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de quibus poſſit haberi ſuſpicio, in domo vel extra detinere, aut cum eis vllam conſuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à ſacris canonibus vel ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur.

Quod ſi à ſuperioribus moniti, ab eis ſe non abſtinuerint, tertiæ partis fructuum, obuentionum, ac prouentuum beneficiorum ſuorum quorumcumq; & penſionum ipſo facto ſint priuati, quæ fabricæ Eccleſiæ, aut alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicentur.

Sin vero in delicto eodem, cum eadem vel alia fœmina perſeuerantes, ſecunda monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes, ac prouentus ſuorum beneficiorum, & penſiones, eo ipſo amittant, qui prædictis locis applicentur; ſed etiam à beneficiorum ipſorum adminiſtratione, quoad Ordinarius, etiam vti ſedis Apoſtolicæ delegatus, arbitrabitur, ſuſpendantur.

Et ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam verſentur, tunc beneficijs, portionibus, ac officijs & penſionibus quibuſcumque Eccleſiaſticis perpetuo priuentur, atque inhabiles ac indigni quibuſcumque honoribus, dignitatibus, beneficijs, ac officijs in poſterum reddantur, donec poſt manifeſtam vitæ emendationem ab eorum ſuperioribus cum iis ex cauſa viſum fuerit diſpenſandum.

Sed, ſi poſtquam eas ſemel dimiſerint, intermiſſum conſortium repetere, aut alias huiuſmodi ſcandaloſas mulieres ſibi adiungere auſi fuerint, præter prædictas pœnas, excommunicationis gladio plectantur, &c.

Clerici vero beneficia Eccleſiaſtica, aut penſiones non habentes, iuxta delicti & contumaciæ perſeuerantiam & qualitatem, ab ipſo Epiſcopo carceris pœna, ſuſpenſione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliiſque modis, iuxta ſacros Canones, puniantur. Ita Concilium. Circa cuius conſtitutionem videndus *Nauar. l. 3. Conſil. de cohabitatione cleric. & mulierum. Conſil. 1.* Clauis regia *lib. 8. cap. 2. num. 13. & ſeq.* Petrus Ledeſma *in Summa tract. 27. cap. 18.*

6. Concubina, ſecluſo periculo noui conſenſus carnalis, aut defectus doloris, in rigore loquendo poteſt confiteri cum ſuo confeſſario concubinario. Ratio eſt, quia aliquando poterit eſſe expediens concubinarium confeſſarium excipere confeſſionem ſuæ concubinæ, ſi expediret, ſcilicet, fœminæ apud alium confeſſarium non infamari, vel quia vult fœmina citiùs à peccato liberari, aut quia ille, qui rem habuit cum illa, ſcit melius conſcientiam fœminæ ſcrutari. Textus enim cap. *Non debet Epiſcopus*, 30. quæſt. 1. ſolùm præcipit confeſſa-

rium non debere commisceri cùm fœmina, cuius confessionem audierat; non verò è conuerso, vt non auscultet confessionem eius quam carnaliter cognouerat, *Sanc. in select. disp.* 11. *n.* 16. *Dian. p.* 5. *tr.* 14. *res.* 110. *Suar. de pœn. disp.* 27. *sect.* 4. *in.* 19. *Fill. tr.* 7. *n.* 246. & alij contra *Fagund. præcep.* 2. *l.* 4. *c.* 3. *n.* 35. docentem esse mortale, si confessarius auscultet confessionem suæ concubinæ, aut alterius fœminæ, cum qua aliquando commixtus est. Sed hic Auctor non bene percepit textum prædictum, qui à *Bonifacio VIII.* est reuocatus. Vt testatur *Sanc. Vgol. de offic. & potest. Episc. p.* 1. *c.* 15. §. 8. *n.* 11.

Vide *Absolutio* n. 7. *Confessio* 4. n. 21.

CONFESSARIVS. I.

Quoad potestatem ordinariam.

SVMMARIVM.

1. *Solus Sacerdos est minister Sacramenti pœnitentiæ.*
2. *Duplex est potestas ordinis sacerdotalis.*
3. *Confessio facta non sacerdoti, in articulo mortis, non est sacramentalis.*
4. *Potestas clauium quid sit, & quotuplex.*
5. *Potestas iurisdictionis, non est eadem cum potestate ordinis.*
6. *Multiplex est iurisdictionis potestas.*
7. *Requiritur iurisdictio ordinaria, vel delegata, vt validè quis absoluat à mortalibus.*

Iurisdictio ordinaria diuino iure, in primo & supremo ordine residet in Summo Pontifice.

8. *An hæc etiam diuino iure resideat in Episcopis*, refertur duplex sententia.
9. *Parochus & eius vicarius perpetuus, Archipresbyter, & Prælati locales religionum, habent iurisdictionem ordinariam.*
10. *Iurisdictio ordinaria quoad forum internum, terminatur personis non localibus terminis.*
11. *An ratione delicti acquiratur iurisdictio, in foro pœnitentiæ, sicut in contentioso.*
12. *Quis in iure dicatur proprius sacerdos? & quando quis fortiatur parochiam.*
13. *Quis proprius sacerdos Militum, scholarium, &c.*
14. *Quis illorum, qui habent duo domicilia?*
15. *Quis vagabundorum.*
16. *Quis peregrinorum seu ster agentium.*
17. *Quis Episcoporum.*
18. *Quis Parochorum.*
19. *Quis Cardinalium.*
20. *Quis proprius sacerdos familiæ Summi Pontificis, vel Cardinalium.*
21. *Quis familiæ Episcoporum.*
22. *Quis religiosarum vel monialium.*
23. *Quis Regum & Principum supremorum.*

1. COnfessarius vt censeatur idoneus minister sacramenti pœnitentiæ potestatem sacerdotalis ordinis habere debet: neque ex dispensatione, neque ob necessitatem pœnitentiæ, sacramentum à non sacerdote potest administrari; Ratio est, tum quia ad solos sacerdotes verba Domini extenduntur, Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Tum quia hic fuit semper totius Ecclesiæ Catholicæ sensus, vt solis sacerdotibus hæc verba dicto intelligantur, vt patet ex antiquissimus ritualibus, in quibus ea verba in sacerdotum tantùm ordinatione dicuntur. Tum quia Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 6. *& can.* 10. absolutè docet & simpliciter ex iure diuino & institutione Christi solos sacerdotes esse ministros huius sacramenti, quæ autem ex institutione Christi sunt. Ecclesia mutare non potest, nec per vllam dispensationem facere, vt alius quàm sacerdos illud validè ministret. Sic *D. Th. in suppl.* 3. *p. q.* 8. *art.* 1. *Syl. ibid. Suar. de pœn. d.* 24. *sect.* 1. *n.* 2. *&* 8. *Bonac. to.* 1. *disp.* 5. *q.* 7. *p.* 1. *Comnch de sacr. disp.* 8. *dub.* 1. *Petr. Ledesm. de sacr. pœn. c.* 11. *conc.* 1. *Fernan. in exam. c.* 7. *p.* 3. §. 9. *n.* 1. & communis Theologorum omnium Schola.

2. Potestas ordinis sacerdotalis duplex communiter distinguitur, vna in corpus Christi verum, scilicet, ad consecrandum illud in sacramento Eucharistiæ; altera in corpus Christi mysticum, nimirum, ad sacramenta fidelibus administranda,

in peccatorum remissionem & diuinæ gratiæ adeptionem.

Priorem, sacerdotes accipiunt in sua ordinatione, cum traditur ipsis calix cum vino aqua mixto, superpositaque cum pane patena.

Posteriorem verò, cum Episcopus ponens manus super capita eorum dicit, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum, &c.* Hoc probatur ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 6. *& Can.* 10. *& sess.* 23. *cap.* 1. vbi docet sacerdotibus duplicem in ordinatione sua conferri potestatem, scilicet, consecrandi, & ligandi, ac absoluendi; Vide *Suar. 3. p. tom.* 4. *disp.* 16. *sect.* 3. *Fill. tr.* 7. *n.* 175. *Sot. in* 4. *d.* 20. *quæst.* 1. *art.* 1. *Syl. in supplem. quæst.* 8. *art.* 4. *quæst.* 1. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 6.

3. Confessio facta Diacono vel Subdiacono, etiam in mortis articulo, Sacramentalis non est, quia solus sacerdos iure diuino est minister sacramenti pœnitentiæ; multò minùs subsistet cõfessio facta simplici clerico, aut laico, vel fœminę, quamuis Abbatissę, vt decernitur in *Cap. Noua, de pœnit. & remiss.* Ratio est, quia tales personæ carent clauibus à Christo in Ecclesia relictis ad aperiendum aditum in cœlum per remissionem peccatorum. Ita *D. Th. in suppl. q.* 8. *art.* 2. *Syl. ibid. concl.* 1. 2. *&* 3. *Layman tr.* 6. *c.* 10. *num.* 1. *Bonac. c. n.* 2. *&* 3. *Præpositur* 3. *part. de pœn. q.* 7. *dub.* 1.

Talis confessio, ne in extrema quidem necessitate; est consulenda. Tum quia homo infamat seipsum sine causa. Tum quia non expedit peccata, occulta præsertim & grauia, manifestare extra Sacramentum. Si tamen in aliquo casu confessio fieret non sacerdoti, ex motiuo v. g. humilitatis &c. talis audiens confessionem, obligaretur vinculo seruandi secreti, & maiori quidem, quam obligatione secreti naturalis. Ratio est, quia huiusmodi confessio, licèt non sit sacramentalis, tamen dicit ordinem ad sacramentum, & gerit similitudinem aliqua cum confessione sacramentali; vnde graue peccatum mortale committeret, qui eam reuelaret. Vide *D. Bonau. 4. d.* 17. *p.* 3. *art.* 1. *quæst.* 1. *Sot. ibid. quæst.* 1. *Valen.* 3. *par. de de pœn. quæst.* 10. *p.* 1. *Vasques q.* 93. *art.* 1. *dub.* 1. *Nauarrus in Man. cap.* 21. *num.* 41. *Sylvest. v. conf.* 1. *num.* 1. *Suar. disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 12. *Becanus de Sacram.* 3. 8. q. 1.

4. Potestas clauium, apud Theologos, intelligitur potestas collata sacerdoti, qua tollitur impedimentum intrandi gloriam cœlorum: sicut enim per claues aperitur ianua, & ingressus in cubicula; ita per clauium potestatem aperitur ianua cœli, quod per peccatum originale aut per actuale clauditur; Et hæc potestas clauium duplex est, *Ordinis*, scilicet, & *Iurisdictionis*. Clauis ordinis consistit in charactere, qui in ordinatione sacerdotali confertur; & hęc clauis non est sufficiens ad auferendum peccatum, & ad impendendam absolutionem, sed huic addi debet clauis iurisdictionis; ita vt sit proprius sacerdos, habens vel ordinariam iurisdictionem, vel saltem delegatam. Ita *D. Th. in suppl. q.* 17. *ar.* 3. *& q.* 8. *ar.* 4. *in corp. Syl. ibid. Suar. disp.* 16. *sect.* 4. *Reg. l.* 1. *n.* 3. *Val. to.* 4. *dis.* 7. *q.* 16. *p.* 2. *Fill. tr.* 7. *c.* 7. *pl.* 2. & alij communiter Theologi. Quamuis quidam inter Catholicos dixerint (quorum sententiam probabilem putat Durandus, omnes sacerdotes ex vi suæ ordinationis & diuini iuris esse sufficientes ministros Sacramenti pœnitentiæ, si ex parte pœnitentis omnia necessaria concurrant; censent enim hi auctores iurisdictionem non differre à charactere ordinis sacerdotalis, sed ipsa esse characterem sacerdotalem per respectum ad sacramentum pœnitentiæ, & proinde in ordinatione sacerdotis conferri ei completam iurisdictionem, quæ absque vlteriori aliqua conditione possit validè exire in actum. Probatur hæc sententia ratione, quia implicat, quòd potestas sacerdoti in ordinatione collata, sit potestas absoluendi à peccatis, & non sit iurisdictionis; quia absoluere à peccatis, est actus potestatis iurisdictionis: aut ergo dicendum est, quòd absoluere à peccatis, non sit actus potestatis ordinis, aut si est actus eius, fatendum est, potestatem Ordinis esse etiam iurisdictionis. *Armac. in lib. de quæstionibus Armenorum. Almainus in* 4. *dist.* 18. *quæst. vn. Durand. in* 4. *d.* 19. *q.* 2. *D. Anton.* 3. *p. tit.* 17. *c.* 4. *in tertio casu. Angelus v. Claues Richard. in* 4. *d.* 17. *a.* 3. *q.* 1. *Petr. de Aquil. in* 4. *d.* 16. 18. 19. *Vasq. to.* 3. *in* 3. *p. disp.* 239. *c.* 5. *& to.* 4. *q.* 93. *a.* 1. *dub.* 2. *n.* 25.

Præterea, si potestas iurisdictionis in hoc foro non confertur vi ordinationis, sed ab hominibus, etiam non sacerdotibus, extra ordinationem, sequitur, quòd per potestatem mere humanam remittantur peccata, sed hoc est absurdum, ergo & aliud.

Deinde Concilium Tridentinum ad hoc, vt sacerdotes possint legi-

sint legitimè audire confessiones, præter potestatem in ordinatione acceptam, nihil requirit, nisi iudicium de eorum idoneitate: sequitur ergo, quòd hæc potestas in ordine collata, sit non solum ordinis, sed etiam iurisdictionis; alioquin præter illam, & iudicium de idoneitate, aliquid aliud requireretur.

Porrò Canones *c. placuit 33. q. 3. d. 7. c. omnis utriusque sexus. de pœn. & remiss. C. si Episcopus, de pœn. & remiss. in 6. Conc. Trid. sess. 23. c. 11.* quibus prohibetur, ne passim quilibet sacerdos quemlibet pœnitentem absoluat, vel ne passim quiuis pœnitens quemuis sacerdotem in confessorem eligat, minimè clausulam irritantem actum in contrarium continent, & cùm huiusmodi actuum irritationes & annullationes sint maximè odiosæ, nō debent censeri aliqua lege contineri, vel induci, nisi verbis clarissimis. Hæc sunt præcipua fundamenta quibus innititur hęc sententia, quæ etsi speculatiuè quandam probabilitatem ob rationes, quibus fulcitur, præ se ferat, His tamen non obstantibus, nullatenus ad praxim est deducenda, propter periculum sacrilegij & irritationis sacramenti; quia obstat communis sensus Ecclesiæ, & doctrina omnium ferè Theologorum, à qua in re tanti momenti, non est recedendum. De hac quæst. videndus est, *Suar. disp. 24. sect. 2. Valent. to. 4. disp. 7. q. 16. p. 2. P. Ledes. de pœn. c. 11. concl. 2. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 7. p. 1. n. 7. Tann. to. 4. disp. 6. q. 9. dub. 3. n. 43. Præpos. de pœn. q. 7. dub. 2. & 3. Syl. in suppl. 3. p. q. 8. a. 4. quæst. 1. Casp. tr. 24. disp. 5. sect. 2.* qui ad contraria argumenta respondent. Et nouissimè Amicus *to. 8. de pœn. disp. 15. sect. 1.* qui maximè probat sententiam docentem, quemlibet sacerdotem vi suæ ordinationis iure diuino accipere completam potestatem ius dicendi in quæcumque peccata confessa, & in quemcumque Christianum, qui se sponte subiunxerit huic sacro iudicio, sub conditione tamen, nisi Ecclesia prohibuerit. Vnde accedente Ecclesiæ prohibitione, absolutio impensa à Sacerdote pœnitenti, quantumcumque voluntariè se submittenti, erit nulla; eo quòd sacerdos non accipit hanc potestatem exercendam contra prohibitionem Ecclesiæ. Quare etsi ante Ecclesiæ prohibitionem potuerit sacerdos absoluere quoscumque, qui se voluntariè submisissent in hoc sacro foro; posita tamen prohibitione, non potest quemquam validè absoluere, nisi in quem ex authoritate Ecclesiæ ordinariam, aut delegatam acceperit iurisdictionem. Nam posita prohibitione Ecclesiæ, ipsa sacerdotalis potestas absoluendi à peccatis à iure diuino redditur inualida; idq; ad conseruandum debitum ordinem regiminis Ecclesiastici. Et hic modus explicandi, saluat omnia, quæ de hoc sacramento docent Theologi. Ita ille, apud quem plura de hac materia.

5. Potestas iurisdictionis, quamuis habitualiter seu aptitudinaliter eadem videatur esse cum potestate ordinis, superadditur tamen illi actualiter applicatio materiæ, circa quam exerceri debet, hoc est, iurisdictionem habenti dantur subditi in foro conscientiæ absoluendi & ligandi; vnde potestas clauium non dicit nisi meram potentiam, iurisdictionis autem potestas non est propriè potentia, sed applicatio materiæ ad agens, vt sequatur actio, nempe applicatio subditorum ad sacerdotem, vt sequatur absolutio. Cuius rei exemplum accommodum est in Episcopis sine titulo reali consecratis, quibus, licet in sua consecratione potestas Episcopalis conferatur, desunt tamen subditis in quos iurisdictionis vsum exerceant, vnde potestas ordinis est principium seu radix absolutionis peccatorum, sicut calor est principium calefactionis, potestas verò iurisdictionis solùm concurrit in ordine ad materiam seu subditos, siue generaliter & absolutè, siue specialiter & limitate respectu huius confessionis particularis. *Suarez to. 4. disp. 16. sect. 3. Filliut. tr. 7. n. 178. Med. C. de pœn. tr. 2. q. 35. c. 3. Soto 4. 4. 20. q. 1. a. 1. Syl. c. q. 8. a. 4. quæst. 1. & 2.*

6. Iurisdictionis potestas multiplex est; vna temporalis, seu sæcularis ad temporale bonum ordinata, qualis est ciuilis Regum & aliorum Principum. Altera spiritualis, qualis est Ecclesiastica in Papa & in alijs Ecclesiasticis gerentibus curam animarum.

Spiritualis adhuc duplex; vna est ad regendum populum Christianum in externo foro causarum; Altera ad curandum eundem populum in interno pœnitentiæ foro; prima dicitur contentiosa, quæ scilicet habet contradictorem, & inter contendentes exercetur, redditurque in inuitos; actor enim contendit contra reum. Secunda est voluntaria, quæ in solos subditos volentes exercetur. Prior sine potestate ordinis potest esse & exerceri, posterior autem non potest. Ita *Regin. l. 1. cap. 2. num. 11. Layman l. 1. tract. 4. cap. 5. Toletus l. 1. c. 3. Sanches de matr. l. 3. disput. 19. num. 7. Tamerus de pœn. disp. 6. quæst. 9. dub. 3. num. 59.*

7. Confessarius debet habere iurisdictionem ordinariam vel delegatam, vt validè possit absoluere à peccatis mortalibus alias non confessis. *Absolutio enim sacerdotis est ad instar actus iudicialis, quo à sacerdote velut à iudice sententia pronuntiatur*; vt definitum est in Concilio Tridentino *sess. 14. c. 6. can. 9. & cap. 7. Quoniam igitur natura & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet iurisdictionem.*

Ratio est, quia nemo potest alteri imperare, eumque ad pœnam subeundam obligare, nisi habeat super eum iurisdictionem: minister autem Sacramenti pœnitentiæ potest ligare ad pœnam; ergo debet habere iurisdictionem; & hæc necessitas iurisdictionis ordinariæ vel delegatæ, ad absoluendum, non est constitutionis humanæ, sed diuinæ; nam eo ipso quo Christus voluit sacerdotes absolutionem proferre tanquam Iudices, voluit etiam vt haberent iurisdictionem. Ita *D. Th. 3. p. q. 68. a. 6. & in suppl. q. 8. a. 4. Petr. Led. de pœn. c. 11. concl. Bon. de pœn. disp. 5. q. 7. pu. 1. n. 8. Bec. de Sacram. in specie c. 26. q. 7. n. 7. & c. 38. q. 2. Suar. disp. 24. sect. 2.* communiter Theologi.

Iurisdictio ordinaria in primo & supremo ordine residet diuino iure in summo Pontifice, qui habet illam immediatè à Christo Domino, *Cap. in nomine d. 23. c. cuncta per mundum 9. q. 3.* nam licet eligatur ab hominibus; tamen neque ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illi iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediatè munus confert; Deinde Summus Pontifex iurisdictionem hanc habet independentem ab alio, quin potiùs omnis alia pendet ab ipso; & habet illam vniuersalissimam quoad loca, personas, & culpas, & quoad modum vtendi illa, vel per se immediatè, vel per alios, seu concedendo eam alijs prout voluerit, vel oportuerit. Et ad hunc ordinem reducuntur Summus Pœnitentiarius Pontificis, Legatus à Latere, & si qui alij excellentiori modo illam participant. Ita *D. Th. opus. 1. c. 32. Fill. tr. 7. n. 188. Tann. to. 3. disp. 1. q. 4. dub. 4. n. 157. Tol. l. 3. c. 13. n. 7. Rez. l. 1. cap. 4. num. 21. 22. Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 3.*

8. Iurisdictio hæc ordinaria in secundo ordine residet in Episcopis, quos quidam Doctores dicunt simpliciter habere illam iure diuino; Ita *Maior. in 4. d. 17. q. 7. Sot. 4. d. 24. q. 2. art. 2. Victor. relect. 2. de potest. Eccl. c. 2. Castro de hæresib. v. Episc.* Ratio est, quia Apostoli acceperunt suam iurisdictionem immediatè à Christo, & ideò iurisdictio in Apostolis fuit de iure diuino, quia illam à Christo immediatè acceperunt; sed Episcopi sunt successores Apostolorum; ergo etiam Episcopi illam à Christo immediatè accipiunt, & in Episcopis est de iure diuino. Hæc opinio est probabilis.

Probabilius tamen est omnes Episcopos Ecclesiæ habentes Episcopale & pastorale munus, habere illud per Summum Pontificem seu dependenter ab illo, & proinde iurisdictionem hanc non dari Episcopis immediatè à Christo, sed per Summum Pontificem, & hoc sensu non habere illam diuino, sed humano iure. Hoc patet ex Concil. Trid. *sess. 14. cap. 7.* vbi dicitur posse Summos Pontifices Maiores causas totius orbis sibi reseruare; habent ergo Episcopi potestatem derivatam à Summo Pontifice, siquidem illi sibi possunt causas Episcoporum reseruare. Ita *D. Th. in suppl. 3. par. quæst. 49. ar. 3. Suar. disp. 24. sect. 1. Casp. tr. 24. disp. 5. sect. 4. Bann. 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 5. Grat. c. 1. d. 22. c. dudum 3. quæst. 6. cap. Antiqua de priuilegijs Tannerus to. 4. disp. 6. quæst. 9. num. 47. Medina C. de conf. q. 39. Bellarm. l. 4. de Pontif. c. 24.*

Ad fundamentum autem contrariæ opinionis dicendum est, Episcopos esse quidem Apostolorum successores in dignitate, non tamen inde sequi habere iurisdictionem ex iure diuino & à Christo immediatè: quia illa iurisdictio Apostolis fuit data tamquam Legatis, & ideò cum illis expirauit; Ad hunc ordinem reducuntur vicarij Episcoporum, Abbates exempti habentes iurisdictionem quasi Episcopalem, & similes; vt sunt Generales & Prouinciales Ordinum.

9. Iurisdictionem ordinariam denique habent etiam Parochi ex sententia omnium Theologorum & ex vsu & sensu Ecclesiæ. *C. Omnis utriusque. de pœn. & remiss.* Item vicarius Parochi perpetuus; nam ille habetur vt ordinarius pastor, qui potest vices suas delegare; imò vicarius temporalis, qui de-

mortuo pastore solet constitui, dum de alio pastore prouideatur; quia talis in toto officio pastoris succedit, & ad id ad tempus deputatur. Item Archipresbyteri, Prælati locales religionum, vt Rectores, Priores, Guardiani &c. in vniuersum omnes, quibus ex iure vel ex priuilegio speciali commissa est cura immediata aliquarum animarum: his adiunguntur Nuntij Apostolici respectu populorum suæ legationis; Decanus Capituli respectu illius; Capitulum Sede vacante, Archiepiscopus respectu populorum suorum suffraganeorum dum visitat. Hi omnes, cùm sint ordinarij possunt delegare suam iurisdictionem. *D. Thom. suppl. 3. p. q. 8. a. 4. Suar. disp. 25. sect. 1. n. 15. Sanch. de matr. l. 3. disp. 31. Henr. l. 5. tr. 6. c. 10. nu. 3. Prepos. de pœn. q. 7. dub. 4.*

10. Iurisdictio horum ordinariorum quantùm ad forum internum terminatur personis & non localibus terminis; vnde Episcopus vel Parochus potest absoluere subditum suum, si cum illo simul vertetur extra diœcesim suam vel Parochiam; imò potest illi dare facultatem eligendi confessorem vbicunque exterit. Ratio est; tum quia hoc sacramentum per se requirit iurisdictionem in personam, quia illa iudicanda est: hæc autem iurisdictio nec acquiritur, nec amittitur ratione præsentiæ, vel absentiæ localis. Tum quia hoc iudicium sacramentale nullam externam solemnitatem requirit vel externum strepitum, & proinde non necessariò est regulandum iuxta modum externorum iudiciorum, respectu quorum turbaretur gubernatio, si quilibet superior suum subditum posset vbilibet iudicare in foro contentioso; Propterea qui aliàs est ordinariùs iudex respectu personæ, vel qui in hoc foro pœnitentiæ habet iurisdictionem in aliquam personam, potest vbicumque voluerit ius dicere, in quo differt hoc iudicium ab externo. Ita *Cap. Nouit de offic. legat. L. 2. ff. de offic. proconf. Sanch. de matr. l. 3. disp. 19. n. 8. & disp. 34. n. 2. Bonac. disp. 5. q. 7. p. 2. n. 10. Victor. de Sacr. n. 151. Conin. disp. 8. dub. 3. n. 22. Henr. l. 3. de pœn. c. 7. n. 1. Dian. p. 3. tr. 6. res. 144.*

11. Quidam affirmant ratione delicti acquiri forum siue iurisdictionem in hoc iudicio sacramentali, sicut in contentioso, iuxta *cap. de Raptoribus*, & quæ ibi traduntur, ita *D. Ant. 3. p. tit. 17. c. 4.*

Sed oppositum tamquam certum tenendum est. Ratio est, quia in hoc foro idem debet esse iudex omnium culparum, quia omnes simul debent remitti, nec possunt diuidi quando sunt mortalia crimina, quia propter illa primariò datur hæc iurisdictio: ergo nec debuit hæc iurisdictio diuidi pro varietate locorum; vnde si aliquis subditus huius Episcopatus in alio peccauit mortaliter, non debet, non potest, per se loquendo, absolui in hoc foro ab illo delicto ab Episcopo, vel ordinarijs ministris, eius loci, in quo peccauit, sed à suo Episcopo, vel Parocho, aut ex licentia eius: Et hoc iudicium differt ab externo, quod prius ordinatur ad internam salutem, & reconciliationem cum Deo, & ideò ad finem illius nihil refert, quòd peccatum in hoc, vel illo loco committatur: Posterius verò ordinatur ad externam gubernationem, & publicam punitionem, quæ fit ad aliorum, exemplum, & ideò expedit, vt ibi puniatur delictum, vbi committitur. Ita *Nau. in c. placuit de pœn. d. 6. n. 83. Panorm. in c. vlt. de foro compet. n. 6. Sylu. verb. Conf. 1. q. 13. Prep. de pœn. q. 7. dub. 4. n. 31.* & alij hic citati.

12. Confessarius qui ordinariam in Sacramento pœnitentiæ habet iurisdictionem, dicitur in iure *proprius Sacerdos*, siue illâ iurisdictio sit proxima, & immediata, qualis est in Parocho; siue sit vniuersalis & quasi remota, qualis est in Episcopo vel Summo Pontifice; hinc in vnaquaque Ecclesia parochiali Parochus illius est proprius Sacerdos omnium, qui intra terminos parochiæ illius degunt, siue illi laici sint, siue Sacerdotes, per se loquendo, & seclusis priuilegijs: & iuxta ius commune & vsum Ecclesiæ, vnusquisque fidelium sortitur parochiam vbi habet domicilium firmum. Ita *Tolet. l. 3. c. 13. nu. 7. Sylu. in suppl. q. 8. a. 4. quæs. 3. Suar. disp. 25. sect. 2. Petr. Led. de pœn. c. 11. conc. 4. Mercerus in suppl. 3. p. q. 8. dub. 3.* & alij.

Nihilominus ex mente Summorum Pontificum proprius Sacerdos Canonis; *Omnis vtriusque sexus*, non Papa, non Episcopus, sed solus est Parochus: Ita *Martinus V.* in bulla per *Adrianum* citata, *volumus*, inquit, *vt hi qui fratribus confitebuntur, idem suis parochialibus sacerdotibus semel saltem in anno confiteri teneantur, prout statuit Generale Concilium*. Vides vocem *proprij sacerdotis* à Papa per alteram *Sacerdotis parochialis* glossatam.

Sixtus 4. in sua extrauag. *Vices*. idem sentit, his verbis; *Quia de iure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti*. Vbi procul omni dubio materia subiecta, per proprium Sacerdotem, Pontifex intelligit Sacerdotem Parochialem.

Idem sentit & Tridentinum *sess. 14. cap. 9.* vbi agens de distinctione Parochiarum, dicit, *vnicuiq; gregi assignatum proprium Pastorem*. Vbi proprij Pastoris nomine, satis liquet neque Papam, neque Episcopum comprehendi, cùm Summus Pontifex non habeat distinctum gregem respectu singularum Diœceson: nec Episcopus respectu singularum Parochiarum. Plura de his erudite Theophili Parochialis Auctor *part. 3. art. 5. 6. & 7.*

13. Confessarius, qui & Sacerdos proprius illorum, qui in vno loco habent domicilium, in alio verò quasi domicilium, scilicet habitationem diuturnam pro aliquo tempore anni, quamuis non fixam, vt sunt, scholares, milites, litigantes ac mercatores, est ordinarius parochus illorum locorum, in quibus pro tempore habitant; & hoc virtute consuetudinis introductæ, quæ iurisdictionem conferre potest non ratione sui, sed ratione taciti consensus & approbationis Superioris. Et fuit certè moraliter necessarium, vt huiusmodi personæ possent habere ordinarios pastores, ad quos pertineat ex officio eis ministrare Sacramenta: Ratio est, quia in eo loco habitare quis dicitur, vbi maiori anni parte habitat; sed ratione assiduæ habitationis sortitur aliquis forum externum, ita vt ibi possit conueniri de alibi gestis, ergo similiter ratione talis habitationis, acquiret forum in rebus spiritualibus, cùm vtrumque forum æquè iurisdictionem petat. Tum quia ex sola habitatione alicubi, non per modum viatoris, sed conducta domo, vel officina, contrahitur quasi domicilium, ita vt hic possit ibi conueniri; ergo similiter acquiretur quasi domicilium in rebus spiritualibus, vt ratione illius, parochus habeat iurisdictionem in sic habitantem. Ita *Glossa in Clem. in 1. de priuil. Nauarrus in cap. Placuit. de pœnit. dist. 6. num. 85. Sanchez de matrim. l. 3. disp. 23. num. 13. Suarez disp. 25. sect. 2. nu. 6. Syl. in suppl. q. 8. a. 5. quæst. 2. conc. 5. Reginal. l. 1. num. 74. & 79. Vasq. q. 93. a. 2. dub. 4. n. 4.*

14. Proprius Sacerdos illorum qui habent duo domicilia, in quibus æquè habitant pro diuersa anni parte, est vterque parochus: quia hæc iurisdictio non sequitur actualem habitationem, sed domicilium; vnde vtrique parocho in quorum parochia habent domicilia, possunt confiteri; quia in vtroque loco possunt sepeliri, & matrimonium contrahere. Debent tamen tales satisfacere illi Sacerdoti, in cuius parochia habitant, reddentes illum certum, quòd iam impleuerint præceptum. Confirmatur autem propositio: quia illi vtroque tempore habent duplicem parochiam; aliàs non verificaretur habere duo domicilia: Sicut qui certo tempore habitant in vna parochia, posteaque ad aliam transferuntur, non dicentur habere duo domicilia, quia non simul vtrumque sortiuntur, sed successiuè, modò vnum, & postmodùm alterum; Ita vtroque tempore vterque parochus est proprius illorum pastor, & proinde poterit illis ministrare Sacramenta. Ita *Nau. in c. Placuit. num. 78. Henriques l. 6. de pœnit. c. 7. num. 2. Sylu. c. concl. 4. Bonac. disp. 5. q. 7. p. 2. n. 2. Fill. tr. 7. n. 192. Fernan. in exam. p. 3. c. 7. §. 8. n. 6.*

15. Vagabundi, id est, qui nullibi certam ac constantem sedem ac domicilium habent, vel qui pristinum domicilium omninò deferentes nauigant; vel iter faciunt, quærentes vbi se collocent, proprium Sacerdotem habent parochum loci, in quo pro tempore reperiuntur. Ratio est, quia in huiusmodi hominibus actualis habitatio succedit loco domicilij, quandoquidem aliud non habent; vnde si vagabundi indigeant Sacramentis, parochus loci tenetur ea ministrare; imò potest illos compellere ad præceptum implendum; quod est optimum signum, quod parochus loci, in quo vagi reperiuntur, sit proprius ipsorum Sacerdos. Non est tamen negandum posse tales vagos etiam alteri Sacerdoti exposito & approbato ad confessiones in eo loco excipiendas confiteri, quia id etiam possunt habentes domicilium, vel quasi domicilium. Ita *Vasq. q. 93. a. 2. du. 4. Suar. disp. 25. sect. 2. n. 7. Hon. c. q. 7. p. 2. n. 4. Syl. c. concl. 5. Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 7. Prep. 3. p. de pœn. q. 7. dub. 7. n. 55. Tol. l. 3. c. 13. §. tertius casus.*

Probabile tamen est apud plurimos Doctores ipsos vagos posse cuicumque confessario fateri; quia non est maior ratio de vno quàm de alio; Ita *Victor. de Sacram. nu. 155. Henriques l. 6. c. 8. nu. 5. in K. Sa v. Confes. nn. 2. Sanch. de matr. l. 3. disp. 25. n. 7.*

cùm

eim, nulli subdantur; nec curandum est de loco hospitij ad breue tempus; non enim acquiritur parochia per talem habitationem: vnde tales sine parochia sunt, priorem enim amiserunt, & nondum aliam acquisiuerunt.

Non est autem admittenda sententia *Nauarr. in c. placuit. de pœn. d. 6. n. 79.* existimantis tales vagos posse eligere quē voluerint confessorem etiam non approbatum, quia putat in his manere integrum illud ius diuinum eligendi sibi confessarium; eò quòd Ecclesiæ determinatio, quæ est per domicilia, in eis locum non habet: Contra quem *Suares* & alij citati.

16. Iter agentes seu peregrinantes sicut retinent domicilium, etiamsi extra illud incedant, ita etiam eumdem semper retinent Sacerdotem proprium & confessarium; vnde in rigore iuris non videntur posse confiteri alieno confessario sine licentia proprij; & olim fideles facultatem petebant à suis proprijs sacerdotibus ad agendum iter: & in illa facultate censebatur dari licentia confitendi alteri in itinere; modò tamen omnium locorum spectata consuetudine, & tacito consensu Parochorum, probabilis & vera sententia est, posse has personas confiteri peccata sua, vel parocho illius loci ad quem perueniunt, aut etiam alteri Sacerdoti approbato ad confessiones in eo loco audiendas. Ratio est, quia hæc existimatur esse quædam implicita licentia proprij Sacerdotis, quia occurrit causa maximè rationabilis, & moraliter necessaria propter itineris occasiones & pericula. Hic tamen secundum *Vasqu. q. 93. art. 2. dub. 4. n. 4. Sylvester v. conf. 1. q. 11. Comnch. disp. 8. dub. 8. num. 61. Bonac. c. n. 5. Reginald. l. 1. n. 74. & 79. Sylu. c. concl. 5. Prap. de pœn. q. 7. n. 56. Suar. disp. 25. sect. 2. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. Petr. Ledesm. de pœnit. c. 11. in concl. 4.* necessaria est bona fides; nam si quis ad hoc iter ageret, vt haberet occasionem confitendi alteri, & non proprio Sacerdoti, iam illa non esset necessitas sed voluntas, & non esset iuxta intentionem Pastorum, nec iuxta consuetudinem Ecclesiæ, per quam à Summo Pontifice confertur iurisdictio ad absoluendum iter agentes, & ideò non esset valida confessio.

Nihilominus probabile putant *Pont. de matr. l. 5. c. 9. n. 6. Fill. tr. 7. n. 195. Dian. p. 3. tr. 6. resol. 28.* consuetudinem etiam introduxisse, vt non obstante eiusmodi intentione confessio valida sit. Ratio huius opinionis est, quia in tali casu non adest fraus illicita, nec dolus malus, sed quis vtitur iure suo.

17. Parochorum proprius Sacerdos nullus alius est, nisi Episcopus, regulariter loquendo, quia cùm nulla sit inter Parochos subordinatio, neque vnus sit alteri superior, non potest esse proprius Sacerdos alterius. Episcopus autem est illis immediatè superior, & ideò ille solus est proprius pastor eorum. Interdum tamen sunt aliqui qui participant iurisdictionem Episcopalem in plures Ecclesias parochiales, vt sunt aliqui Abbates vel Archidiaconi; & tunc eadem est de ijs proportionalis ratio. Ita *Suares disp. 25. sect. 2. Filliucius tractat. 7. cap. 7. n. 196. Fernandes in exam. part. 3. c. 6. §. 9. num. 12. Mercer. in suppl. q. 8. dub. 3. n. 5.*

18. Episcopi non habent alium proprium Sacerdotem præter Pontificem: vt docet *Petr. Ledesm. c. c. 11. post concl. 4. dub. 4.* neque est verum quod *Palud. in 4. d. 17. q. 3. a. 2. Sylu. v. Conf. 1. q. 2.* dicunt, proprium Sacerdotem Episcoporum esse Archiepiscopum, Archiepiscoporum verò Patriarchas, horum verò Pontificem; quia hoc nullo iure fundatur; cùm Archiepiscopus non habeat Ordinariā iurisdictionem in hoc foro in diœcesibus suffraganeorum, ergo multò minus circa ipsos Episcopos, vt bene docet *Sotus 4. dist. q. 18. q. 4. art. 2.*

19. Cardinales sicut ratione dignitatis propinquissimi sunt Pontifici, ita illum solum habent vt proprium pastorem & sacerdotem; est autem collegium illud veluti vnum spirituale corpus, cuius proximum caput est Pontifex. *Cajet. v. absol. 2. in fine. Fill. tr. 7. n. 197.*

Quamuis Papa in foro exteriori absolui non possit, cùm Superiore careat; in foro tamen pœnitentiali ligari potest peccator; vnde si mortaliter peccauit, tenetur alicui Sacerdoti confiteri; & confessarius electus hoc pacto est Superior illo, quantùm ad huiusmodi actum in foro conscientiæ. Alias nullus in Ecclesia habet iurisdictionem ordinariam in ipsum, quia cùm ipse sit caput vniuersalis Ecclesiæ, in ipso proinde omnis iurisdictio residet. *Sylu. in supplem. 3. p. quæst. 8. art. 5. quæst. 2. Fill. tract. 7. num. 68.*

Quis autem iurisdictionem Sacerdoti conferat in Ordine ad absolutionem Pontificis, non vna est Doctorum sententia; quidam enim volunt in illo casu confessarium habere iurisdictionem à Christo; quia iurisdictio quæ Summum Pontificem vt inferiorem respicit, debet prouenire à Christo, cuius Pontifex vices gerit. Ita *Palud. in 4. d. 17. quæst. 3. ar. 4. Cano relect. de pœn. p. 5.* & alij.

Sed verius dicitur Sacerdotem à Pontifice electum habere iurisdictionem necessariam ad illum absoluendum ab ipsomet Pontifice, qui quatenus Pontifex est, est superior seipso quatenus pœnitens est, & licet non possit in seipsum potestatem illam exercere, potest tamen illam alteri committere. Et *D. Tho. in 4. d. 19. q. 1. ar. 3. q. 2.* docet, Pontificem vt peccatorem subijci, vt vicarium autem Christi, dare iurisdictionem supra seipsum in illo foro pœnitentiæ. Idem docent *D. Bonau. ibid. art. 2. q. 2. Suares disp. 27. sect. 2. num. 2. Filliuc. tract. 7. num. 230. Sotus in 4. d. 18. q. 4. ar. 2.*

20. Tota familia Summi Pontificis excipitur ab ordinario iure, nam illius est ipse Pontifex proprius Sacerdos, vel summus Pœnitentiarius eius, vel ille quem ipsi designant. Solum vtuntur autem hoc priuilegio illi, qui actu sunt Romæ, & actu sunt de familia. *Reginal. l. 1. n. 31. & 32. Cajet. c. Suar. disp. 25. sect. 2. n. 12. Victor. in sum. n. 154.* & alij.

Item excipiuntur familiæ Cardinalium, nam quisq; Cardinalis est quasi proprius Sacerdos suæ familiæ, & potest per se vel per alium hoc munus exercere, vel si ipse non sit Sacerdos, potest delegare hanc potestatem.

21. Familiæ Episcoporum proprium Sacerdotem habent ordinarium Parochum iuxta ius commune, verisimile est tamen, posse Episcopum si velit, eximere familiam suam ab ordinaria Parochorum cura, & sibi reseruare, vel alium proprium designare; Ratio est, quia est superior, & potest sibi reseruare casus. *Syl. v. Conf. 1. q. 2. Suar. c. n. 12. Reg. c. Prap. 2. p. de pœn. q. 7. dub. 7. n. 53. Fill. tr. 7. n. 197.* & alij.

Excipiuntur etiam quædam personæ in speciali dignitate constitutæ, vt Decani Ecclesiarum, & interdum Archidiaconi, vel aliæ similes, quæ immediatè subordinantur Episcopis, & eximuntur a Parochorum cura; consulenda est in hac re consuetudo & specialia priuilegia. Ita Doctores hìc citati.

22. Religiosi qui proprio reguntur ordine, etiam eximuntur ab ordinaria Parochorum cura, habent enim superiorem proximum, qui est veluti Sacerdos omninò proprius, & habet etiam remotos. De Monialibus autem idem iudicandum est, nam quæ sunt subditæ Episcopo, illum habent tamquam proprium sacerdotem; ipse tamen designare potest alium qui vices eius gerat; quæ verò sunt subditæ religiosis, habent proprium Superiorem & vicarium tamquam proprium Sacerdotem. Ita *Suar. c. disp. 25. sect. 2. n. 13. Petr. Led. de pœn. c. 11. Tamb. de iure Abbat. to. 2. disp. 6. q. 1. n. 2.*

Notanda est hìc constitutio *Concilij Trid. sess. 25. c. 10. de regul.* vbi dicitur, *Præter ordinarium autem confessorem* (scilicet Monialium) *alius extraordinarius ab Episcopo, & alijs superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium confessiones audire debeat.* Vi cuius constitutionis non exigitur vt in Monasterijs exemptis confessarius offeratur simul ab Episcopo, & Superioribus regularibus, sed vt Episcopus offerat in Monasterijs sibi subditis; alij verò in exemptis; nullo tamen modo possunt Abbatissæ & aliæ monialium præfectę cum extraordinarium designare, nisi superior, cui subest Monasterium, saltem tacitè consentiat, sed est ipsorum Prælatorum.

Posset tamen Episcopus offerre monialibus sibi non subiectis, si eæ nulla ratione induci possent, vt confiteantur suis regularibus confessoribus, vt respondit Sacra Cardin. Congregatio, nec tenebitur dare regularem, sed poterit assignare etiam sæcularem.

Item concessio non videtur restringenda ad vnum tantùm, cùm fauor Tridentini hoc modo esset valde diminutus, cùm tamen quieti & conscientijs monialium velit consulere.

Per hoc decretum non impediuntur moniales confiteri ordinario confessario, si velint: quia non tenentur vti fauore sibi oblato; cauendum tamen ne confessarij ordinarij eas etiam indirectè adigant, ad sibi confitendum, v. g. austeriùs cum illis agendo, quia id Tridentini scopo aduersaretur. Hęc indicat Sacra Congregatio in cap. prædictum Tridentini.

23. Reges & Principes præsertim supremi solent etiam eximi à Parochorum cura.

De quibus nihil certum statuit potest, quia ratione suę dignitatis vel potestatis non sunt exempti ipso iure: in hoc ergo seruanda sunt priuilegia huiusmodi Principibus concessa & antiquæ

quæ consuetudines, quæ credendæ sunt legitimè introductæ & ex consensu Superiorum. Vt rectè docent *Suar.disp.25.sect.2. n.13.Laym.l.5.tr.6.c.10.n.3.Tann.to.4.disp.6.q.9.dub.3.n.54.*

CONFESSARIVS. II.

Quoad potestatem delegatam.

SVMMARIVM.

1. *Iurisdictio in pœnitentiæ foro, an possit delegari.*
2. *Soli Sacerdoti, & quidem approbato, iuxta formam Concilij Trident. potest iurisdictio, in foro interiori delegari.*
3. *Quando committitur hæc iurisdictio, non Sacerdoti, an propriè sit delegatio iurisdictionis?*
4. *An potestas nominandi confessarios pro suis familijs, concessa fœminis vel laicis, sit commissio iurisdictionis.*
5. *Qui habent iurisdictionem ordinariam, possunt eam delegare, vt Summus Pontifex, Episcopus, Parochus.*
6. *Quæ personæ aliæ comprehendantur sub Pontifice, Episcopo & Parocho.*
7. *Delegatus ab Episcopo ad vniuersitatem causarum, an possit suam vniuersum delegationem subdelegare.*
8. *Parochus inconsulto Episcopo, an possit suam curam pastoralem subdelegare. & quid dicendum de Prælatis regularibus.*
9. *Vicarius locans suas operas, vt Parochum adiuuet, an possit delegare iurisdictionem sibi commissam.*
10. *Qua forma delegetur potestas iurisdictionis.*
11. *Quibus competat potestas delegata, in foro pœnitentiæ? & quot modis hæc iurisdictio delegetur. & de primo qui est à iure.*
    Qui possint sibi eligere confessarium: Et an id possint Abbatissæ. An approbatum?
12. *De secundo modo delegandi, qui est ex consuetudine.*
13. *In articulo mortis potuit delegari iurisdictio ex consuetudine.*
14. *Item quando confessio sit de solis venialibus, vel de mortalibus rite alias confessis.*
15. *Delegatur iurisdictio per concessionem hominis.*
16. *Quomodo delegetur iurisdictio, per licentiam expressam proprij Sacerdotis.*
17. *An per licentiam tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti, delegari possit iurisdictio.*
18. *Ex ratihabitione de futuro, num acquiratur iurisdictio sufficiens ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ.*
19. *Religiosorum mendicantium iurisdictio, quæ ex vi priuilegiorum delegatur, non solum absolutionem validam operatur, sed etiam absolut hominem ab onere confitendi iterum talia peccata.*
20. *Iurisdictio delegata potest reuocari.*
21. *Quamdiu duret delegatio iurisdictionis.*
22. *An iurisdictio delegata ex concessione Pontificis, possit esse perpetua.*
23. *Iurisdictio delegata audiendi confessiones, à Papa, vel Episcopo facta, an cesset per mortem concedentis? Refertur duplex sententia.*
24. *Iurisdictio tam ordinaria, quàm delegata, an impediatur per superuenientem excommunicationem, vel suspensionem, aut etiam per interdictum ab officio.*
    Et an facultas facta à Parocho excommunicato absoluendi aliquem, sit valida.
25. *Sacramentum pœnitentiæ, an liceat ministrare cum iurisdictione dubia.*
26. *An cum iurisdictione probabili, possit quis Sacramentum pœnitentiæ administrare.*
27. *An absolutio vel dispensatio valeat, ex virtute priuilegij, quod quis ignorat.*

1. DE fide est, vt constat ex Concilijs Florentino *in decret. vnio.* & Tridentino *sess.14. de pœn.c.7.* & communi vsu Ecclesiæ, iurisdictionem in sacro pœnitentiæ foro delegari posse. Ratio est, quia ea quæ sunt iurisdictionis, delegabilia sunt; cùm enim iurisdictio non detur per aliquam internam cõsecrationem, vt dictum est supra, vel Physicam facultatem, sed per moralem concessionem, meritò potest is qui illam habet propriam & ordinariam ratione muneris, alteri eam committere, & duobus modis potest delegari; *Primo* directè, concedendo iurisdictionem Sacerdoti, vt quando vel Parochus

assumit coadiutorem ad tempus, vel Episcopus, vel Papa alicui committunt hoc munus. *Secundo* indirectè, ex parte pœnitentis, vt quando alicui conceditur facultas confessarium eligendi. *Regnald.lib.1.num.45. Suares tom.4. 3.par.disp.26.sect.1. D. Tho.in suppl.3.p.q.8.ar.5. Syl.tit. Bonac.to.1.disp.5.q.7.p.5.§.2.nu.8.* communiter Doctores.

2. Iurisdictio in foro interiori delegari non potest nisi Sacerdoti; quia ille solus potest actum huius iurisdictionis per se exercere: & sic quantum est ex vi potestatis Ordinis, cuilibet Sacerdoti potest delegari; Tamen vt rectè fiat hæc delegatio necesse est vt Sacerdos idoneus sit quoad scientiam, prudentiam, & probitatem huic muneri obeundo necessariam: Vt verò ritè fiat necesse est, vt talis Sacerdos sit approbatus, iuxta formam Concilij Tridentini, de qua infrà. *Fill.tr.7.c.8.n.204. Suar.disp.26.sect.1.n.1.*

3. Non est propriè delegatio iurisdictionis, sed potiùs quædam participatio ordinariæ iurisdictionis, quando alicui committitur hæc iurisdictio, non vt per se illa vtatur, sed vt eam alijs distribuat. Ratio est, quia Ordinariè delegatus debet ipse exercere iurisdictionem, & ex vi delegationis non potest eam subdelegare, nisi in casibus iure expressis. Sic enim vicarius Episcopi quamuis Sacerdos non sit, nec possit per ieiptum hanc iurisdictionem exercere; eam habet ita sibi commissam, vt possit alijs eam delegare; atque hoc modo potest hæc iurisdictio delegari non Sacerdoti, vt ea vtatur quando fuerit Sacerdos. Ita *Fill.c.n.205. Suar.disp.26.sect.1.n.2. Fernand. p.3.c.6.§.9.n.3.*

4. Quando laicis vel fœminis conceditur facultas prouidendi seu nominandi confessarios pro suis familijs, vel subditis, illa non est commissio iurisdictionis, quæ talibus personis fiat, sunt enim iurisdictionis spiritualis incapaces; sed solum est potestas ad eligendam personam vel designandam, qua designata Pontifex seu Prælatus Ecclesiasticus, qui talem facultatem dedit, confert illi iurisdictionem. *Fill.c.n.205. Suar.c.n.2. Syl.in suppl.3.p.q.19.a.3.*

5. Omnes qui habet iurisdictionem ordinariam, possunt illam delegare, iuxta cap. *Inter cætera, de offic. Ordinar.* Et cap. *Cum Episcopus, de offic.ordin.in 6.* Ratio est, tum quia vnus ex propriis actibus iurisdictionis ordinariæ est delegatio. Tum quia non est cogendus pastor semper per seipsum exequi officium suum: ergo potest vices suas delegare. Vnde Summus Pontifex habet illam vniuersaliſſimam potestatem delegandi, & ideò potest delegare hanc facultatem cuilibet personæ, pro quolibet loco, & pro quibuscumque peccatis: independenter ab Episcopis & Parochis, imò etiam ipsis contradicentibus; quod prouenit ex suprema eius potestate. Idem est de Episcopo in suo Episcopatu, cum hac limitatione vt Papa non reserret, vel resistat. *Sanch.de matr.l.3.disp.31.n.1. & seq. Fill.tr. 7.num.199. Laym.l.5.tr.6.c.10.nu.11. Tann.to.4.de pœn.disp.6. q.9. n.46-48.* & alij.

Parochus etiam cum accommodata proportione, respectu suorum subditorum, potest hanc iurisdictionem delegare, vt colligitur ex cap. *Omnis vtriusque, de pœnit. & remiss.* Notandum autem est quòd Parochus non possit repugnante Episcopo, vel Summo Pontifice: quemadmodum nec possunt Episcopi eodem Pontifice repugnante; Ratio est, quia inferiores habent potestatem delegandi cum subordinatione ad superiores, quibus in suo munere subijciuntur: Vnde est nulla & irrita delegatio inferioris facta, repugnante superiore, & tali deputationi resistente, & per consequens actus ex ea exercitus est inualidus. Si tamen superior sufficienter non ostendat se irritare delegationem inferioris habentis ordinariam iurisdictionem: delegatio subsistit. Ratio est, quia eo ipso non irritantur actus inferioris operantis ex potestate sua ordinaria, quòd res superiori minùs placeat. *Nauarrus in cap. placuit. de pœnit. dist.6.num.140. Regnal.l.1.num.56. Bonacin.tom.1.disp.5. quæst.7. p.4.§.1.num.12.*

Nullus alius præter hos potest iurisdictionem concedere; quia delegatus non potest subdelegare, nisi sit legatus Supremi Principis, qui est Summus Pontifex. Ratio est, quia actus communicandi iurisdictionem est actus iurisdictionis, distinctus ab actu audiendi confessionem, vel absoluendi; & ideò, cum sint diuersæ potestates, quarum posterior non continetur in priore, & posteriore concessa non censetur eò ipsò prior concedi, qui solùm habet iurisdictionem delegatam ad audiendam confessionem, ex vi illius non potest aliud efficere. Secus verò est de iurisdictione ordinaria, quæ per se loquendo

ad vtrum-

ad vtrumque actum extenditur. *Cap. cum causam, de appellat.* Quod tamen intelligendum est, quando Pastor Ordinarius in concessione nihil aliud exprimit, quàm facultatem audiendi confessiones: alioquin si vellet, posset cum facultate audiendi confessiones, potestatem etiam subdelegandi concedere, vt cum multis aduertit *Suares c.disp. 26. sect. 2. num. 24.* & dicetur *infra num. 8.*

6. Sub tribus personis numeratis comprehenduntur alię, quæ ad illas reducuntur, vt sub Pontifice, Pœnitentiarius eius Summus, & Generalis Vicarius, Legatus aut Nuncius Apostolicus: Sub Episcopo, Vicarius eius Archipresbyter Ecclesiæ Cathedralis, Vicarius Prælati regularis absentis, vt Abbatis, Præpositi, Generalis, Prouincialis, aut Guardiani, Prioris, Rectoris, Visitatoris Religionis; Sub Patocho comprehenditur Vicarius perpetuus; Idem dicendum de omni vicario posito ab Episcopo loco Curati. Hi omnes cùm in iure reputentur quasi ordinarij, suam iurisdictionem delegare possunt. Ita *Syl. v. conf. n. 4. Graff. p. 1. l. 1. c. 13. n. 11. Suar. disp. 26. sect. 1. n. 4. Tann. c. de. 3. n. 48. Laym. c. c. 10. n. 3.* & alij citati.

7. Delegatus ab Episcopo ad vniuersitatem causarum, potest vnam vel alteram causam subdelegare, non tamen vniuersam suam delegationem; censetur autem delegatus ad vniuersitatem causarum ille, *primò*, cui facta est commissio vniuersalis quoad causas certi generis, licet restricta sit quoad tempus, vel quoad locum, ita vt in illis quasi ordinario munere fungatur. Sicut notauit *Glossa in Cap. cum causam, verb. delegatus. de appellat. Sanch. de matrim. l. 3. disp. 31. num. 2.* & communiter alij apud *Sanchez*.

Secundò, si alicui delegetur iurisdictio, vt sit in priuilegium perpetuum, ratione dignitatis aut officij sui; tunc enim talis potestas iurisdictionis censetur quasi ordinaria, & interdum alteri poterit subdelegari. v. g. Si Prouincialis Guardiano committat ratione officij in perpetuum, facultatem absoluendi subditos à casibus reseruatis, potest Guardianus eiusmodi potestatis executionem alteri delegare; non ita generatim, sicut ipsi commissa est, sed particulatim in certo casu, vel ad certam personam absoluendam, v. g. si regularis à Guardiano petat, vt plenam, quam ipse habet absoluendi potestatem, monasterij confessario concedat; Secùs dicendum esset, si priuilegium illud absoluendi à reseruatis esset personale, ob hominis industriam datum; tunc enim delegari non posset. *Nau. in man. c. 27. n. 45. Henr. l. 6. c. 7. n. 3. Rodr. to. 1. qq. reg. q. 21. art. 9. Sanch. l. 4. mor. c. 54. n. 27. Dian. p. 2. tr. 17. ref. 53.*

Tertiò. Si vicarium officium alicui committatur, cui iurisdictio annexa est; puta officium Parochi absentis, vel nondum sacerdotis; Talis vnam, vel alteram causam particularem alteri subdelegare potest, puta certum exercitium iurisdictionis aut pastoralis officij alicui etiam generatim committere: v. g. Tu audias confessiones parochianorum, qui ad te accesserint. Quamuis non possit integrum vicariæ suæ officium, ideòque nec potestatem subdelegandi alteri committere; nisi consuetudo legitimè intro ducta alicubi id permittat. Vide *Nau. in C. placuit. l. 6. de pœn. n. 69. Syl. v. Vicar. q. 5. Sanch. l. 3. de matr. disp. 31. n. 15.*

8. Parochus inconsulto Episcopo curam suam pastoralem subdelegare non potest, nisi ad breue tempus. Ratio est, quia ius præcipit vt per se & non per vicarium suæ Ecclesiæ deseruiat; & si ei dispensatio per septennium concedatur causa studij, debet Episcopus sollicitè prouidere, vt per vicarium ab ipso deputandum, animarum cura diligenter exerceatur. Sic decernitur in *C. cum ex eo §. porrò de elect. in 6. c. Extirpande §. qui verò, de prebendis.*

Similiter quicumque Prælatus ordinarius potest delegare partem suæ iurisdictionis alicui, cum facultate vt is delegatus possit subdelegare; quia tunc non videtur ipse delegatus subdelegare, sed ordinarius delegans. Et id probat *Sanch. de matr. l. 3. disp. 31. n. 6. & seq. Syl. v. Delegatus n. 10. Henr. l. 6. de pœn. c. 7. nu. 6. Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 12.* ex multis textibus & Doctoribus, dicens esse communem sententiam. Addit tamen duas exceptiones; *Prima est*, quòd non deleget vniuersam suam iurisdictionem; id est, totum officium quod habet; hoc enim non potest facere absque consensu superioris. *Secunda est*, quòd talis delegatus non debet subdelegare nomine suo proprio, sed nomine ipsius Ordinarij delegantis.

Ex hac doctrina infert *Portel. in dub. reg. v. Casus reseruat. in addit. ad addit. n. 1.* Prouincialem (qui tamquam Ordinarius à sibi reseruatis solus ex officio absoluit) posse durante suo officio

delegare aliquibus authoritatem absoluendi à reseruatis cum facultate subdelegandi quibus voluerint.

9. Vicarius locans suas operas, quem Parochus præsens assumit vt se adiuuet, non potest delegare iurisdictionem sibi commissam, quia Parochus ipse non censetur tunc illi suas vices committere, sed tantùm ministerio illius vti, sicut cùm alium Parochum aut simplicem Sacerdotem approbatum aduocat ad se iuuandum in audiendis confessionibus tempore Paschatis. Hinc colligitur cur regulares, quibus à Summo Pontifice vniuersim demandata est facultas fideles omnes absoluendi à peccatis & censuris, talem facultatem alteri subdelegare nequeant. Quia ipsis simplex & nuda iurisdictio in ordine ad certum exercitium absoluendi, & non integrum officium iurisdictionis committitur. Ita *Sanch. l. 3. de matr. disp. 31. n. 19. Reg. l. 1. n. 54. Conin. de Sac. disp. 8. d. 4. n. 25.* & alij. Verùm aliquando ex rationabili & necessaria Epicheia posset talis simplex Sacerdos approbatus assumptus à Parocho infirmo vel absente vt confessiones parochianorum suorum in Paschate audiat, alium similiter approbatum sibi occurrentem subdelegare, si non inueniat se sufficientem multitudini, & non pateat facilis recursus ad Parochum: Ratio est, quia qui eum delegauit, noluit illum ad impossibile, aut tã difficile arctare, sed supponitur velle vt congruè suis ouibus satisfieret? Qui enim vult finem ex obligatione, eadem obligatione censetur velle media congrua ad finem; vt docet Petr. March. in suo Tribunali *to. 1. tr. 2. tit. 2 q. 2.*

10. Ad delegandam potestatem iurisdictionis, nulla alia forma ad hoc specialiter requiritur, præterquam quòd delegans sufficienter explicet voluntatem suam, supposita potestate: nam quibuscumque verbis, signis, aut scripturis hoc fiat, ad hunc effectum sufficit. Tum quia nec ex natura rei, neque ex speciali iure positiuo aliud requiritur. Tum quia delegare iurisdictionem, est actus voluntatis eis hominis, qui potestatem habet; ergo sine actuali voluntate eius non confertur alteri iurisdictio. Tum quia delegatio iurisdictionis fieri debet modo humano & sensibili, vt ab altero cognosci & acceptari possit, ideòque sufficit quòd voluntas delegantis, verbo, scriptura, aut facto sufficienter manifestetur. Ita ex communi *Suares disp. 26. sect. 1. Coninch disp. 8. dub. 5. Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 15. Fill. tr. 7. n. 206.*

Sed petes, vnde sciri potest; quòd concedatur potestas circa reseruata? Respondeo, hoc eliciendum esse ex verbis, quibus talis facultas fit. Vnde dicunt Doctores, quòd si Episcopus vel Prælatus dicat, *facio tibi facultatem audiendi subditorum meorum confessiones. Vel concedo tibi authoritatem meam*, huiusmodi verbis non concedi reseruata. Sed si dicat, *Concedo tibi talem casum, & omnem meam potestatem*; vel *concedo tibi potestatem meam, excepto tali casu*: quia exceptio firmat generalem regulam in contrarium; tunc talibus verbis concedi reseruata. Cæterùm quamuis talibus verbis non vtatur Prælatus & intentio eius circa reseruatorum concessionem aliunde satis constet, non oportet esse anxium de verbis huiusmodi.

11. Illis competit potestas delegata in foro pœnitentiæ, quibus data est ab Ordinarijs pastoribus, per sufficientem declarationem suæ voluntatis. Tribus modis hæc iurisdictio delegatur. Primus est a iure, & hoc modo non est alicui delegata potestas iure communi ex parte ipsiusmet confessoris, sed tantùm ex parte pœnitentis, quatenus aliquibus data est facultas eligendi confessorem: hanc autem facultatem habet *Primò* Summus Pontifex ex iure diuino; Ratio est, quia etiam ipse potest & debet confiteri, si conscientiam peccati habeat; quia hoc ius diuinum est omnibus commune; & cùm à seipso non habeat potestatem eligendi confessarium, neque habeat superiorem in terra, à quo illam accipiat, consequens est quòd inde accipiat vnde habeat omnem suam aliam potestatem, id est à Christo; Et tunc iurisdictio secundùm veriorem sententiam, (vt dictum est suprà v. *Confessar. 1. num. 19.*) transfertur in confessorem medio Pontifice. *D. Thom. in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 3. Suarez disp. 27. sect. 2. num. 2. Fernandez par. 3. c. 6. §. 9. num. 9. Syl. in suppl. q. 8. ar. 5. quæst. 2. conc. 1. Fillmc. tr. 7. n. 230. Bonac. to. 1. dis. 5. q. 7. p. 3.*

Secundò. Iure Ecclesiastico possunt eligere confessarium Episcopi electi & confirmati, licet non sint consecrati; qui verò solùm sunt electi & nondum confirmati, cùm non sint Episcopi, non gaudent isto priuilegio; Episcopi autem depositi, suspensi, excommunicati etiam hoc seruantur priuilegio; quia licet

licet interdicatur eis vsus Ordinis & iurisdictionis, non priuãtur tamen gratijs & priuilegijs; solus enim degradatus priuatur hoc priuilegio, quia solus ipse habetur tanquam si non esset Episcopus. *Cap. vlt. de pœnit. & remiss. Suarez c. sect. 2. n. 4. & seq. Syl. v. conc. 2. Palud. in 4. d. 17. quæst. 3. Reginal. l. 1. n. 66.* Deinde superiores Episcopis, vt Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, & secundùm probabilem *Angelus v. Confes. 3. nu. 3. Syl. v. confes. 1. n. 8. Cauet. in sum. v. Absol. 2.* & aliorum sententiam, etiam Cardinales; quia quamuis non sint superiores potestate, seu iurisdictione; tamen iam iuxta communem vsum Ecclesiæ, censentur superiores dignitate.

Tertio. Prælati inferiores exempti, qui habent aliquam iurisdictionem Ecclesiasticam in foro contentioto, gaudent priuilegio eligendi confessorem, vt sunt Abbates & superiores religiosorum Rectores, Priores, Guardiani, Prouinciales, nonnulli Archipresbyteri & auditor Cameræ in Romana Curia, & similes; vt sunt Referendarij; sunt enim Prælati habentes iurisdictionem & omninò exempti à Iurisdictione Ordinariorum, & immediatè subiecti Summo Pontifici, siue sint vtriusque, siue alterius tantum signaturæ, vt statuit *Sixtus V.* in Const. quæ incipit, *Quemadmodum prouidus*. Item familiares Papæ, qui ratione officij obtinent iurisdictionem, atque adeò sunt Prælati, gaudent hoc priuilegio, cùm in ipsis concurrant conditiones requisitæ ad constituendas personas priuilegiatas, nempe Prælatio & Exemptio. Nota tamen, quòd qui tantùm ratione personæ, & non ratione officij accipiunt panem de Palatio, quamuis sint verè commensales & familiares Papæ, non gaudent hoc priuilegio: quia defectu officij, & iurisdictionis non sunt Prælati. *Cap. vlt. de pœnit. & remiss. Suarez c. num. 8. Tolet. in sum. l. 3. cap. 13. num. 9. Tanner. tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 3. n. 50. Sotus 4. d. 18. q. 4. a. 2. Crousers ad cap. 7. reg. S. Fr. lect. 25. fol. 739.*

Parochi autem non sunt Prælati, nec exempti: si quis tamen esset exemptus & subiectus Papæ immediatè, probabile est quòd comprehenderetur. Non desunt tamen authores, qui etiam Parochos volunt comprehendi sub nomine Prælati, ex *C. Tua, de Cler. ægrot.* & ideo priuilegium ad ipsos quoque esse extendendum: quorum sententiam admittit vt probabilem Pasqualigus *in decis. mor. decis. 105.* sistendo in terminis iuris communis. Quia cùm in prædicto *Cap. Final.* priuilegium concedatur omnibus superioribus habentibus etiam alium Superiorem; qui modus exprimendi personas priuilegiatas importat priuilegium concessum cum amplitudine: ideò amplè accipiendum est, & nomen Superioris cum tota sua amplitudine; quia apparet fuisse intentionem concedentis amplificare priuilegium.

Vicarij verò Episcoporum secundùm *Suarez & Lugo disp. 19. de pœnitent. sect. 1. num. 3.* hoc priuilegio non gaudent; quia non sunt Prælati verè, cum non habeant iurisdictionem ex proprio titulo: sed tantùm ex commissione vtatur aliena iurisdictione. Oppositum tamen est etiam probabile, quia licet non possint tanquam Prælati gaudere dicto priuilegio; possunt tamen tanquam Superiores; nam cùm habeant eamdem iurisdictionem, habent etiam eamdem superioritatem. Priuilegium autem conceditur non tolùm Prælatis, sed etiam Superioribus. Ita *Henriques, Bossius* quos citat & sequitur Pasqualigus *Decis. 117.*

An autem sub his Prælatis comprehendantur Abbatissæ dicendum est quòd non. Ratio est, quia ex officio nullam habent respectu fori interni iurisdictionem, quòd si fortè aliquæ id faciant, scientibus ijs, qui habent ordinariam potestatem; illi censentur tacitè dare iurisdictionem confessario designato.

Hinc vnaquæq; considerare debet, an vel ex consuetudine, vel alia particulari concessione, possit confessarium eligere: quemadmodum etiam debet considerare, an ex aliquo ex his capitibus possit concedere suis monialibus potestatem eligendi confessarium: quia certum est iure id non posse. Ita Doctores communiter suprà citati.

Porrò hæc facultas prædictis concessa à iure eligendi confessarium, non determinatur vno actu, sed per hanc facultatem potest, qui illam habet suo arbitrio eligere plures confessores, vel sæpe eundem. Ratio est, quia alias ferè nullius momenti esset hoc priuilegium, quod non extenditur propter necessitatem vel impedimentum alterius, ergo illud fieri potest ex sola voluntate & arbitrio eligentis. Ita *Nauarrus in cap. placuit. num. 166. D. Antonius 3. part. tit. 17. cap. 9. Suarez disp. 27. sect. 2. num. 11. Bonac. tom. 1. dis. 5. quæst. 7. p. 3. num. 4.* & alij passim.

Sed quæritur est, an prædicti Prælati etiam religionum possint eligere confessarium extra suum ordinem, & non approbatum ab Ordinario?

Ad primam quæstionis partem respondendum est affirmatiuè cum communem Doctorum sententia ex *Cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiss.* dummodò ab eorum constitutionibus, & statutis à sede Apostolica confirmatis ex certa scientia & non tolùm in forma communi hoc illis facere non prohibeatur, vel iuxta speciales constitutiones inferiores Prælati non habeant confessorem designatus à suis superioribus; sic etiamsi per propria iura eligendus sit confessor intra Religionem, nõ poterit eligi externus. Imò vicarij dictorum Prælatorum, in eorum absentia non solùm à domo, sed etiam à ciuitate, vel si dicti Prælati essent mortui, vel alia ex causa dimisissent officium, in istis casibus vicarij haberent iurisdictionem fori conscientiæ, & contentiosi: subrogatus enim in locum alterius, in eius quoque iura, & priuilegia subrogatus esse censetur. Imò non est improbabile dictos vicarios gaudere hoc priuilegio eligendi confessarium etiam in præsentia sui Superioris; quia adhuc ipso præsente sunt verè Superiores; superioritas enim ipsis conuenit ratione officij, & quamuis non possint exercere iurisdictionem præsente Superiore, illam tamen habent, licet impeditam, quia fundatur in officio; quod etiam ex eo patet, quia absentia Superioris non confert iurisdictionem, sed electio; & ipsa solùm tollit impedimentum: aliud enim est nõ habere iurisdictionem, & aliud, habere impeditam; non enim priuilegium conceditur intuitu exercitij iurisdictionis, sed intuitu dignitatis & superioritatis, & cum vicarij sint subrogati in locum superioris localis, habent ordinariam iurisdictionem, atque adeò sunt verè superiores, etiam in præsentia proprij superioris; & cum continuò sint vicarij, continuata quoque censetur subrogatio in eorum priuilegia. Vnde huius sententiæ est Pasqualigus *in decis. moral. decis. 103.* quem consule. Licet contrarium doceat Diana citatus *& p. 6. tr. 8. resol. 15.*

Cæterùm non conuenit vt Prælati regulares confiteantur extra religionem, quamuis de rigore iuris id possint. De his Vide *Miranda in man. Prælat. to. 2. quæst. 19. ar. 7. Coriolan. tra. de cas. reser. par. 1. sect. 1. art. 21. Fillucius tract. 7. num. 231. Suar. dis. 27. sect. 2. num. 9. 10. Dian. par. 3. tract. 2 resol. 1. Crous. ad cap. 7. reg. S. Fran. lect. 25. fo. 739. Hon. c. dis. 5. q. 7. p. 3. n. 5.* qui nouissimus sub nomine Prælatorum docet comprehendi in *c. ne pro dilatione*, omnes qui superiorem nomine censentur, siue exempti sint à iurisdictione Episcoporum, siue non sint, quia particula (*exemptus*) in dicto capite posita nõ afficit nisi vocem immediatè precedentem videlicet (*Monachus Prælatus*) non autem vocem *Alius Superioribus*.

Ad secundum dicendum est, Prælatos sæculares inferiores Episcopis non posse eligere confessarium, nisi aliquem ex approbatis: Secundum probabiliorem sententiam apud Dianam hic citatum: quamuis contraria non sit improbabilis apud Pasqualigum *Decis. 93.* Ratio est, quia censet idem Author dictum *Cap. final de pœnit.* non esse reuocatum per decretum Trident. *sess. 23. cap. 15. de reform.* dum dicitur: Neminem posse sæcularium confessiones audire nisi sit approbatus ab Ordinario. Licet enim in executionem huius decreti reuocentur omnia priuilegia, non tamen cæteri debet reuocatum priuilegium hoc; quia est clausum in Corpore iuris: & priuilegia huiusmodi non reuocantur per reuocationem generalem: sed debet fieri de ipsis specialis mentio: quia non sunt plura priuilegia, sed Canones, & leges: vnde non comprehenduntur nomine priuilegiorum, vt docent *Suarez, Salas, Castr. Palaus* & alij ab ipso citati. Nec potest censeri reuocatum per supradictum decretum, tanquam per legem contrariam. Quia, vt vna lex sit contraria alteri, versari debet circa easdem res, & personas; hoc autem decretum Tridentini se extendit tantùm ad sæculares Sacerdotes, non autem ad Prælatos, & Superiores, quibus conceditur priuilegium eligendi confessarium in dicto *cap. finali*. Tum quia Tridentinum decernens quòd nemo possit reputari idoneus ad audiendas confessiones, qui non sit approbatus: loquitur de idoneitate publica & declarata: non de idoneitate sufficientiæ; nam multi sunt sufficientes, qui non sunt approbati. *Cap.* autem *fin. de pœn.* dat facultatem eligendi idoneum idoneitate sufficientiæ; quia inquit, quòd possint eligere *Prouidum & discretum*: vnde qui prouidus

prouidus & discretus est, ex vi illius priuilegij est idoneus censendus pro illis, qui possunt eligere: ex quo patet, quòd non quilibet cuiuscunq; qualitatis potest eligi: quia prædicta facultas coarctat electionem ad prouidum & discretum: & ideò si alterius qualitatis esset, electio esset nulla, neq; electus acquireret iurisdictionem, quia esset contra facultatem concessam. Et proinde in huiusmodi electione seruandum est, quod seruatur, quando pro alijs eliguntur & approbantur confessarij. Quoad verò Prælatos regulares, certum est Concilium Tridētinum nihil innouasse; & sic posse eligere sibi in confessarium quemlibet Sacerdotē, etiam ab Episcopo non approbatū. Ratio est, quia ille qui concessit eiusmodi priuilegium dictis Prælatis, etiam contulit iurisdictionem confessarijs, ab eisdem electis. Propterea Guardianus nostræ sacræ religionis potest confiteri simplici Sacerdoti nostræ religionis, etiamsi non sit ad audiendas confessiones admissus à Patre Prouinciali, quia habet potestatem ex dicto *c.ne pro dilatione*, eligendi pro cōfessario, quemlibet Sacerdotem. Quamuis non approbatum fratribus sibi subditis minimè possit assignare iuxta cōmunem praxim. Ita *Nau. in man.cap.4.num.7. Per.in dub.regul.verb. Confessarius num.14. Crous.c.lect.25.fol.739. Fag.prec.2.l.7.c.2.num.3.4.& 5. Dian.p.3. tract.2.resol.3. Coninch disp.8.dub.7.n.48. Bon.c.punct.4.§.1. num. 10. & 25.*

Sed dubium est, an virtute priuilegij *c.fin. de pœn.* possit quis eligere confessarium regularem non expositum ad audiendas confessiones à proprio Superiore? videtur enim quòd nō, quia in Trid. *sess.23.c.15.de ref.* decernitur, quòd non possit quis audire, aut esse idoneus ad audiendas confessiones, nisi sit approbatus à proprio Ordinario; vnde cum Ordinarius Regularium sit ipsorum Superior, debent esse approbati ab ipso.

Verùm affirmatiua sententia probabilis est. Ratio est, quia dictum *c.fin.* dat facultatem eligendi quemcumq; prouidum, & discretum. Ergo si regularis sit prouidus, & discretus, absq; alia facultate potest eligi; quia facultas concessa à Summo Pontifice, nō potest ab alio limitari, aut ab alio dependere, nisi expressè in ipsa concessione exprimatur; talis enim electio fit cum consensu & facultate Pontificis; qui cùm sit supremus Superior omnium religionum, facultas ipsius non subijcitur facultati Superiorum Regularium, neq; ab ijs dependet. Neq; Tridentinum infra in hoc subijcit regulares suis Superioribus; quia nec derogat priuilegio dicti *c.fin.* nec loquitur de regularibus, omnibus, sed tantū de suspensis, vbi *sess.14.c.1.de ref.* decernit, quòd subiectus contra voluntatem Prælati nō possit ad Ordines promoueri: aut suspensus, etiam extra iudicialiter illos exercere quacumque restitutione obtenta. Ita in terminis docet *Zachar. Pasq.in dec.mor.dec.107.* contra *Peregrinum.*

12. Secundus modus delegandi hāc iurisdictionē potest esse ex cōsuetudine, non quòd cōsuetudo det reuera iurisdictionē, sed potiùs est testis tacitę licentię à proprio Sacerdote sufficiēter cōcessæ nec reuocatæ, sed continuatæ cū ipsius tacito consensu: vnde consuetudine iurisdictio obtenta, sēper pendet à voluntate proprij Sacerdotis, ita vt non obstante consuetudine semper sit in eius voluntate illā reuocare, si velit; quia aliàs talis consuetudo formaliter ac directè esset contra ius diuinum, quandoquidem ex vi illius posset subditus confessorem eligere, etiam proprio Sacerdote repugnante. Ita *Vasq.quæst.83.art. 2.dub.2. Coninch disp.8.dub.8.num.61. Reginal.l.1.num.74. Suarez disp.27.sect.3.*

Propterea consuetudine omnium ferè Ecclesiarū introductū est, vt Parochi, & alij Sacerdotes sæculares cuiuis approbato & exposito cōfiteātur: eò quod ipsi varijs in locis sępe sacrificantes, eiusmodi facultate opus habere videantur: ideòque Prælati omnes ac Parochi in talem facultatem libenter cōsentiunt: *Nau.in c.plac.n.28. Tann.to.4 disp.6.q.9.n.58. Syl.in suppl.q.8. a.5.quæs.2.conc.3. Eman.Sà v.conf.n.1.*

13. Ex cōsuetudine potuit delegari iurisdictio in duobus casibus. *Primus est* de articulo mortis; nā licet hic ex multis iuribus colligatur, antiquior tamen est omni iure canonico scripto, propterea dicunt aliqui, Sacerdotem tunc habere iurisdictionē à iure diuino: quia perpetua Ecclesiæ traditio, cuius initium ignoratur, est signum iuris diuinis; huiusmodi autem est hęc traditio, ergo. Ita *Durand.4.d.19.q.2.a.4. Pal.d.20.q.1.ar.3. Armilla v. Absolutio.*

Vera tamen sententia est, hanc traditionem ortam esse ab ipsa Ecclesia, & ad summum esse Apostolicam. Omnia enim antiqua decreta, in quibus reseruātur peccata cum hac exceptione, indicant esse Ecclesiæ concessionem. Neque est aliquod aliud principium, vnde oppositum colligatur. Et verisimile est hanc delegationem cœpisse ab ipso Petro, & per tacitam concessionem Pontificum priùs continuatam fuisse, postea vero per expressum in ipso iure. Vt in c.*De cætero.* Et in c.*Ea noscitur, de sent.excom.* Proinde hæc delegatio à nemine potest tolli nisi à Romano Pontifici, qui numquam eam reuocabit, quia esset intolerabilis error, quem numquam Spiritus sanctus in sua Ecclesia permittet. Ita *D.Thom.4 d.9.quæst.1.ar.3.& d.20. quæst.1.ar.1.quæst.2. D.Bonau.dist.19.art.3.quæst.1. Petr.Sot.lect. 5.de conf. Victor.in sum.n.156. Syl.in suppl.3.p.quæst.8.ar.5. quæs.1. & ar.6.*

Proinde certa & communis sententia est in probabili periculo mortis, si interueniat vera necessitas ministri, quemlibet sacerdotem habere iurisdictionem delegatam ad absoluendum quoslibet pœnitentes, à quibuscumque peccatis & censuris. Ita *Concil.Trid.sess.14.c.7.*

14. *Secundus casus*, in quo consuetudine delegata est iurisdictio, est de confessione quæ fit de solis venialibus, vel de peccatis mortalibus ritè aliàs confessis; vnde ex Ecclesiæ consuetudine, secundùm antiquos Doctores, cuilibet sacerdoti non specialiter prohibito, id est, non excommunicato, &c. nominatim denunciato, licitum est à venialibus & mortalibus iam confessis absoluere. Et hæc iurisdictio fuit ex concessione Ecclesiæ, vt probat consuetudo; aliquando enim Ecclesia priuat sacerdotem hac iurisdictione, nempe excommunicatum denunciatū & degradatum. *Nau.in man.c.4.n.5.& 6. Suar.disp.26.sect.5.nu.5. Leym.l.5.tr.6.c.10.n.2. Med.Cod.de conf.q.36. Val.to.4.disp.7.q.10. p.2. Petr.Lad.de Pœn.c.11. Dian.p.5.tr.14.ref.86. Tann.to.4. disp.6. q.9.n.59.& 60.*

15. Tertius modus & omninò proprius huius delegationis est per concessionem hominis, quæ interdū est priuata & personalis: alia verò est magis communis & publica, & quæ per priuilegia perpetua conceditur, vt sunt ea quæ religiosis præsertim Mendicantibus concessa sunt. Ita *Suar.disp.26.sect.2.nu.3. Fill.tr.7.n.209. Tann.c.n.53.* Hæc tamen facultas ab homine cōcessa eligendi confessarium non extenditur ad casus & censuras reseruatas Pontifici, nisi peculiariter exprimatur; vt constat ex *c.si Episcopus, de pœn.in 6.* quin neque extenditur ad casus, & censuras Episcopales, vt declarauit Benedictus II. *Extrau.inter cunctas.* Certum est etiam illam non extendi ad irregularitates, vt idem Pontifex *ibidem* expressit; neque ad commutationem votorum. Non finitur autem hæc facultas donec cōpleatur actus, ad quem conceditur, nam in ordine ad illum conçeditur priuilegium; alioqui frustra esset concessum: vnde si pœnitens non potuit cum vno confessore electo confessionem absoluere, poterit alium, & alium eligere, donec cōfessionem perficiat, etiamsi vi concessionis non possit, nisi ad vnam confessionem vnum dumtaxat confessarium eligere.

16. Delegatio iurisdictionis fit per licentiam expressam vel tacitam proprij sacerdotis: Per expressam autem sufficienter acquiritur iurisdictio, non modo cùm fuerit specialis ad audiendas confessiones data sacerdoti alieno, sed etiam cùm fuerit generalis, hoc est, data generaliter ad exercenda quæ pertinent ad curā animarum, vel ad Sacramenta omnia ministranda. Expressum enim non solùm dicitur tale, quando in specie exprimitur, & manifestis verbis; vt do tibi licentiam audiendi confessiones, sed etiam quando licet specificè non exprimatur, at sub generali verborum significatione comprehenditur: verbo enim generali debent omnia comprehendi. Ita *Sanch. de matr.l.3.disp.35. Sylvius in supplem.quæst.8.art.5.quæst.1. Reginaldus lib.1. num.71. Bonacina tom.1. disp.5.quæst.7. punct.4.§.1. num.5.*

17. Delegatur præterea iurisdictio ad Sacramentum pœnitentiæ sufficiens per licentiam tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti: quæ nihil aliud est, quàm consensus Superioris de præsenti in talem confessionem.

Eiusmodi autem ratihabitio non videtur differre à concessione actuali iurisdictionis; Debet tamen Superior signo aliquo externo ratam habere absolutionem de præsenti; quòd contingit cùm vidente & sciente, ac tacente sacerdote proprio, qui potest contradicere, & non contradicit, Sacramentū ipsum pœnitentiæ administratur. Ratio est, quia scientia & patientia in ijs, quæ sunt modici præiudicij operantur consensum; consequenter ratihabitio de præsenti signo aliquo externo expressa tribuit iurisdictionem, quæ per consensum Superioris obtinetur ab eo, qui cognoscit per talem ratihabitionem consensum præstari, & iurisdictionem conferri. Ita

Nau.in man.c.9.n.6.& c.plac.n.105.Reg.l.1.n.70.89.& 90.Syl.v. Conf.1.q.6.Henr l.3.c.13.n.13.Syl.c.a.5.quæsit.1.Vasq.q.93.art.2. du.2.Crouf.ad c.7.reg.S.Fr.lect.22.

Nota tamen, si Superior ratã habeat absolutionẽ absq; signo aliquo externo, validã non esse absolutionẽ; nã concessio iurisdictionis est actus, qui humano modo ad alterũ dirigitur, vt ab eo acceptetur; nõ potest autẽ acceptari, nisi aliqua ratione exprimatur; homines enim nõ cognoscunt interiores volũtates, nisi per externa signa. Proinde taciturnitas & patientia Superioris non sufficit, sed requiritur signum aliquod externum, ex quo sufficienter colligatur, superiorem ratam habere absolutionem. Ita *Suar.disp.26.sect.1.n.16.Fill.tr.7.n.208.242.Sanch.de matr.l.3.disp.35.n 20.& 18.d.4 n.25.Sayr.de cens.l.7.c.14.num.16. Crouf.c.lect.22.f.699.Leym.l.5.tr.6.c.10.n.16.Fag.prac.2.l.7.c.2. n.71.Tol.l.3.c.13.n.4.* Quod si signum tale sit vt rem dubiam relinquat, sine dubio non sufficit; quia non satis manifestat voluntatem delegantis; & præterea exponitur homo periculo nihil faciendi si tentet absoluere.

Idem prorsus dicendum est quando ratihabitio est de præterito; quia tunc quoq; per hanc licentiam habetur de præsenti iurisdictio sufficiens ad valorẽ Sacramenti. Ita Doctores citati; qui bene adnotant hãc scientiam proprij sacerdotis cum taciturnitate, non inducere simpliciter licentiam administrandi penitentiæ Sacramentum, sed tantùm pro ea vice.

Ex dictis sequitur quòd si confessarius approbatus transiẽs per aliquod monasterium Monialium, reperiat aliquam grauissimè afflictã, & in magno periculo, eò quòd ex phantasia vel auersione, vel aliqua infirmitate etiam sine culpa confessarij: non potest illi confiteri, sed facit confessiones malas, indignè communicat, &c. Nec datur ad Superiorem cõmodus accessus vel non est conueniens vt cõfessarius vel Superior sciat: In his & similibus casibus liceret Approbato præsupponere præsentẽ facultatem & delegatione Superioris: quia certum est quòd velit & velle debeat miseræ sic afflictæ modo omni possibili succurri. Quòd enim videntur Superiores aliud interdum in genere testari, id fit quia non apprehendunt totam ouis suæ necessitatem in particulari, quam si apprehenderent, non tantùm, non concederent facultatem, sed etiam vrgerent; vt notat *Petr.March.in trib.to.1.tr.2.tit.2.q.3.*

18. Per licentiam tacitam ex ratihabitione de futuro, id est, qua Sacerdos alienus probabiliter credit, quòd Parochus ratũ habebit factum, non acquiritur iurisdictio ad validitatem Sacramenti sufficiens. Ratio est, tum quia cùm ratihabitio de futuro non solùm non sit actu, eo tempore, sed neque vnquam etiam fortè sit futura, non potest causare validitatem aliquam in actu absolutionis; quod enim non est, etiamsi futurum sit, non potest in præsenti operari efficienter. Tum quia Sacramẽtum non potest esse pendens ex futuro euentu; certũ est enim absolutionem talem datam esse à Sacerdote illi, in quem non habebat iurisdictionem; cùm illam daret, & consequẽter nullius fuisse momenti; nec per consensum subsequentem potuit effici, vt tunc iurisdictionem in pœnitentem habuerit, nec consequenter quod nunc valida sit, quia sacramentum quod in principio non habuit valorem, non potest per solum consensum alterius validum fieri. Ita *Syl.v.Conf.1.q.6.Nau.in sum.c.9. n.6.Sot.4.d.18.q.4.a.3.Syl.c.a.5.quæs.1.Suar.disp.26.sec.1.num.14. Bon.disp.5 q.7.p.4.§.1.n.13.Leym.c.n.16.Fill.tr.7 n.207. Victor.in sum.n.153.Fagund c.l.7.c.2.n.72.* communiter Doctores contra *Raymund.Palud.Capreol.Hostiens.* apud *Suar.* citatum.

19. Iurisdictio quæ ex vi priuilegiorum Mendicantium delegatur, operatur non solùm absolutionem validã quoad sacramentalem remissionem peccatorum, sed etiã omninò absoluit hominẽ ab onere confitendi iterum talia peccata: Ita definitur à Ioanne 22. *in Extr.Vas electionis de hæreticis.* Et Benedicto 11. *in Extr.inter cunctas, de priu.Syl.in suppl.q.8.a.5.Reg.l.1.nu.66.& 67.Theoph.paroch.p.3.a.16.Rodr.to.1.qq.reg.q.60.a.8.Prep.de pan. q.7.dub.6.n.46.Fill.tr.7.c.8.n.210.*

Ratio est, quia hæc priuilegia concedunt iurisdictionem in foro pœnitentiæ simpliciter, & sine vlla restrictione; ergo absolutio, quæ ex vi illius iurisdictionis datur, est omninò absoluta, & sine vllo onere cõfitendi; ergo cõfessio sic facta sufficit ad liberandum hominẽ & à culpa, & ab onere iterũ confitendi. Deinde verba priuilegiorum absoluta sunt, & sine vlla restrictione; illa enim conditio absolutionis sub onere iterum cõfitẽdi, adeò est onerosa & exorbitans ab ordinario modo confessionis, vt nisi expresse proferatur, numquã intelligatur apposita.

Hinc damnatur error, quorundã Doctorum Parisiensium, & præcipuè *Ioannis de Polliaco* dicẽtiũ hæc priuilegia nunc de facto nõ valere ad absoluendũ absolutè fideles à peccatis, ita vt liberentur ab obligatione confitendi eadẽ peccata semel in anno suo Parocho, si absq; eius licentia fratribus confessi sunt.

Sed petes, an cõfessarij mendicãtes ab Episcopis approbati, indigeãt facultate Parochorum, ad excipiendas confessiones sæculariũ: maximè si in licentijs suis habeant, ne illas excipiant extra monasteria sua absq; facultate Parochorum? Resp. negatiuè, tũ quia Sũmus Pontifex iurisdictionẽ delegauit confessarijs mendicantibus (vt patet ex eorũ priuilegijs) sine illa restrictione, vt petant facultatẽ illã exercendi à Parochis, ergo possunt illã exercere, confessiones fideliũ excipiendo, absq; Parochorũ licentia. Tũ quia si licentia Parochi esset necessaria, impertinens esset delegatio Superioris, quia licentia Parochi sola sufficeret: & ita delegatio illa conferret iurisdictionẽ. Tũ quia concessiones Papales non possunt restringere aut tollere ipsi Episcopi: cùm inferiores non possint tollere aut restringere potestatem concessam à Superiore: Vnde possunt confessarij mendic. vti sua iurisdictione etiã extra monasteria. Ratio est, quia priuilegia non conceduntur confessarijs prædictis ratione monasteriorũ, sed suarũ personarũ: & ideò possunt vti suis priuilegijs extra sua monasteria, vbicumq; voluerint, & sequũtur personas. Et hæc clarè constant ex concessione *Iulij II.* in confirmatione Ordinis Minimorũ, *quòd ipsi Patres Minimi quarumcumq; personarum, tam religiosarum, quam Ecclesiasticorum, & secularium vbilibet audire possint confessiones*, &c. Et ex bulla *Pauli IV.* sub data 20. Iulij 1557. data in fauorem Fratrum Minorũ regularis Obseruantiæ, quæ incipit, *Cum sicut* apud *Rodriques* in bullario, vbi concedit eisdem Fratribus facultatem administrandi Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ, vbicumq; extra suos, conuentus, contra nonnullos rectores parochialium Ecclesiarum, qui eosdem fratres desuper molestare & impedire conabantur, dicentes, quòd præfati fratres aliorum, quàm istorum, qui ad domus suas, huiusmodi veniunt, etiamsi infirmi existant & pro illis mittãt, nullatenus confessiones audire possint. Vnde hæc resolutio est expressa *Rodr.to.1.qq.reg.q.60.a.4.& q.61.a.4. Mir.in Man.to.1.q.45.a.14.concl.2.& 3.Henr.l.3.de pœn. c.6.n.4. Syl.v.Conf.2. q.6.* Nec refert allegatio præiudicij quod Parochi prætendũt ex eo quod Mendicãtes sine eorũ licentia audiunt confessiones suorum subditorum, & sic priuantur iure suo, & nõ possũt agnoscere, nec cõmodè gubernare oues suas.

Sed ad hæc respondet D. Thomas *in suppl.3.p.q.8.a.5.ad 1.* dicens; *Præiudicium non fit alicui, nisi ei subtrahatur, quod est in fauorem eius indultum; iurisdictionis autem potestas non est commissa alicui homini in fauorem suum, sed in vtilitatem plebis, & in honorem Dei promouendum: & ideò si superioribus Prælatis expedire videatur ad salutem plebis & honorem Dei promouendum, quod aliqua quæ sunt iurisdictionis committant, in nullo fit præiudicium inferioribus Prælatis, nisi illis, qui quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi: & qui gregi præsunt, non vt eum pascant, sed vt ab eo pascantur.* Hæc D. Thom.

Imò dicendum est, quòd per huiusmodi priuilegia Parochi iuuantur & eorum onus leuius fit, nec impediuntur quominùs possint agnoscere & gubernare oues suas: quia exteriùs possunt curam adhibere, vt bene viuant. Vt insinuat etiam D. Thomas *c.ad 2.*

20. Iurisdictio delegata potest reuocari à delegante, & nunc non ampliùs durat, & omninò extinguitur. Ratio est, tum quia res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; sicut autẽ facultas obtenta fuerat à concedente, ita etiam cessat per reuocationem concedentis. Tum quia iurisdictio delegata erat veluti quædam participatio iurisdictionis ipsius delegãtis, existens veluti in alieno subiecto, & ideò moraliter semper pendebat à delegante in conseruari, saltem quoad hoc, vt si positiuũ reuocata fuisset, reuera censeretur ablata. Tum quia delegatus non habet iurisdictionem propriam, sed commodatam, eiusque solum vsum, ergo qui illam concessit, potest absq; iniuria illam reuocare; sicut potest quis reuocare depositum, quod apud aliquem deposuit. Ita *Sanch.de matr.l.8.disp.33. nu.7. Bon.to.1.disp.5.q.7.p.4.§.1.n.8.Fill.tr.7.nu.212. Port.in dub. reg.v. Prælati potestas n.7. Prep.de pan.q.7 dub.5.n.32.*

21. Quoties delegatio iurisdictionis fit ad præfixum tempus, pro illo durat, si non reuocetur, illo autem finito ipso facto cessat. Ratio est, quia à principio, & in ipsamet concessione facta est reuocatio pro illo puncto, vel potiùs nõ est facta cõcessio pro toto tempore post illud punctũ: quia gratia, vel facultas non excedit voluntatẽ cõcedentis, si ergo cõcessio tantũ fit vsq;

ad tale

ad tale tempus, illo finito, extinguitur, quia pro toto sequenti tempore facta non est.

Quando delegatio fit indefinitè absq; temporis limitatione, certum est quamdiu viuit is qui delegauit, durare hanc iurisdictionem in delegato, quamdiu non reuocatur. Ratio est, quia iurisdictio hæc non pendet ex actuali influxu & continua voluntate ipsius delegantis physicè, sed solum ex voluntate semel habita moraliter permanente; censetur autem moraliter durare, quamdiu non retractatur. Ita *Suar. to. 4. disp. 26. sect. 3. Fill. tr. 7. n. 213. & 214. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 7. Syl. in suppl. q. 8. a. 5. quæst. 6. conc. 4. Crouset ad c. 7. reg. S. Franc. sect. 22.*

22. Quamuis, regulariter loquendo, iurisdictio delegata amittatur per mortem concedentis, si causa nondum erat inchoata, vt constat ex *c. licet, & c. Gratum, & c. Relatum, de officio delegati*, quia delegatus moraliter censetur habere vnà & eamdem iurisdictionem cum delegante, cuius vices gerit, & ideò si in delegante cessat: consequenter videtur cessare in delegato; Summus tamen Pontifex potest delegare hanc iurisdictionem perpetuam, ita vt duret post mortem eius, donec à successore reuocentur. Ratio est, quia in ipso residet suprema potestas communicandi hanc iurisdictionem, tam ordinariã quàm delegatam, & potest definire modum concessionis, magis vel minùs permanentis; vt patet in iurisdictione Inquisitoribus delegata in fauorem fidei, quæ non expirat per mortem concedentis. *c. ne aliqui, de Her. in* 6. & in illa quæ datur religiosis per priuilegia, quæ sunt perpetua. Ita *Sanch. de matr. l. 8. disp. 28. n. 54. Fill. tr. 7. n. 215. Crouset. sect. 22. §. 705. Suar. disp. 26. sect. 3. Præpos. de pœn. q. 7. dub. 5.*

23. Multi Doctores censent iurisdictionem delegatam audiendi confessiones à Papa vel Episcopo factam, cessare per mortem concedentis. Ob fundamentum iuris, re integra existente delegatum amittere iurisdictionem per mortem delegantis, in foro externo contentioso, Ita *D. Anton. 3. p. tit. 17. c. 9. Pal. in 4. d. 17. q. 4. c. vl. Philiar. de offic. Sacerd. to. 1. p. 2. l. 2. c. 24.*

Nihilominus contraria sententia est tenenda. Ratio est, tum quia delegatio huius iurisdictionis non est pensanda per regulas iustitiæ, sed gratiæ, quæ non solum pœnitentibus, sed etiam ipsis sacerdotibus est maximè fauorabilis, & nemini odiosa, ergo illis non conuenit dicta iuris regula, sed regula gratiarum factarum quæ non expirant per mortem concedentis. Vnde ita consuetudine receptum videmus, vt mortuo Episcopo, hęc iurisdictio durare, censeatur, donec à Capitulo vel successore reuocetur; quare dum non reuocatur, & durat tempus concessionis, si fortè ad tempus fuerit facta, adhuc poterunt confessarij exercere munus suum, donec respectu religiosorũ expressè reuocetur à nouo Episcopo, respectu verò Sacerdotum sæcularium saltem per mandatum generale. *c. si gratiosè, de reser. in 6. Henr. l. 6. c. 6. n. 7. Graff. l. p. l. 1. c. 13. n. 49. Sanch. de matr. l. 8. disp. 28. n. 71. & 72. Nau. in c. plac. n. 161. Bon. to. 1. disp. 5. q. 7. p. 3. n. 2.*

Idem dicendum est quacumq; ratione Episcopus priuetur Episcopatu, siue deponatur, siue ipse cedat, aut renunciet, siue aliò transferatur. De parocho autem qui delegauit iurisdictionem suam cuidam Vicario sine confirmatione Episcopi, consulenda est consuetudo; nam videtur hoc pendere ex voluntate tacita, vel expressa Episcoporum.

Sed dubium est quando, indirectè delegatur iurisdictio, facultate, scilicet, facta pœnitenti, eligendi confessariũ, quẽ tantùm eligit post mortẽ concedentis; cùm tunc primum accipiat Sacerdos ille eiusmodi commissionẽ, seu delegationẽ: à quonã eandem accipiat: Non videtur posse accipere ab Episcopo, qui iam obijt, ac proinde post mortẽ non potest eiusmodi iurisdictionem delegare, nec etiam à successore: quia vt plurimum huiusce rei ignarus est. Respondet *Crouset. ad c. 7. reg. S. Franc. sect. 22. in fine.* dari ab Episcopo defuncto, virtute facultatis factę pœnitenti, & adhuc manentis, & virtutem habentis, quamdiu non reuocatur à successore, à quo eatenus pendet, vt possit cõmitti ea iurisdictio alteri sacerdoti; eam enim iurisdictionem Episcopus, dum viueret, alienauit, vt sic dicam, & arbitrio pœnitentis alteri tradendam commisit; sicut per facultatem ipso iure datam eligendi confessarium, manet virtus perpetua conferendi iurisdictionem Sacerdoti electo, etiam post mortem eius, qui est author illius iuris, vel Canonis.

Ex quo infertur, excõmunicatũ vti posse hoc priuilegio, quia iurisdictionem nõ confert ille, qui confessarium eligit, sed qui priuilegium concedit. Non posse tamen eligi confessarium excommunicatum, imò nec quemcumque, sed ab Ordinario approbatum, quia priuilegium non præiudicat iuri communi.

24. Iurisdictio tam ordinaria quàm delegata impeditur per superuenientem excommunicationem, vel suspensionem, aut etiam per interdictum ab officio, vel iurisdictione, modo qui huiusmodi censura detinetur, vitãdus sit. Ratio est, quia talibus censuris ligatus, non potest actus iurisdictionis tam ordinarię quam delegatę exercere, & illius acta sunt inualida: vnde absolutio data ab illo, qui huiusmodi censura detinetur extra mortis articulum, est inualida, etiamsi pœnitens ignoraret ipsum esse excommunicatum; Si tamen confessio fuerit facta in eo loco, in quo Sacerdos ignorabatur esse excommunicatus, & ex cõmuni errore, ac titulo, colorato habebatur pro legitimo Sacerdote; tunc ius supplet iurisdictionem. *Ex leg. Barb. ff. de officio prat. c. Exceptionem, de exception. Sanch. de matr. l. 3. disp. 22. nu. 36. Nau. c. 9. n. 10. Sayr. de cens. l. 2. c. 2. n. 11. Vgol. tab. 1. c. 13. §. 16. Reg. l. 32. n. 7. Bon. de cens. disp. 2. q. 2. p. 2. §. 4. Vasq. tr. de excom. dub. 4.*

Sed dubium est, vtrum facultas absoluendi aliquem, siue in foro externo, siue interno, facta à Parocho, vel Prælato excommunicato, vel suspenso nominatim denuntiato, sit valida?

Negat *Suar. to. 4. disp. 26. sect. 3. disp. 44. sect. 2. & to. 5. disp. 2. sect. 3. disp. 13. sect. 1.* cum quibusdam alijs. Ratio ipsius est, quia per talẽ facultatem datur iurisdictio, qui autem vsu iurisdictionis priuatus est, non potest iurisdictionem delegare, siue dare; quia esset vti iurisdictione, sed nominatim excommunicatus, est priuatus vsu iurisdictionis, ergo illam dare validè non potest.

Nihilominus *D. Ant. 3. p. tit. 7. c. 9. Pal. in 4. d. 17. q. 4. n. 26. & 27. Nau. in c. plac. de pœn. d. 6. nu. 51. Crouset. ad c. 7. reg. S. Franc. sect. 21. Reg. l. 6. sum. casu* 119. docent talem facultatem sufficere, & per eam validè absolui pœnitentem: Ratio est, quia committere alteri suas vices, non est exercere actũ iurisdictionis; neq; numeratur inter actus iurisdictionis in *c. Accedentibus, de excess. Prel.* nec in *c. Dilectus filius, de officio Ordinarij*, quę allegat *Suar.*

Quod autem non sit exercere actus iurisdictionis; Probatur, quia actus iurisdictionis non potest exerceri, nisi in subditum; committere autem potest quis suas vices etiam non subdito. Et quamuis eiusmodi commissio possit aliquo modo dici vsus iurisdictionis, passiuus scilicet, non tamen est vsus actiuus; quo etiamsi priuaretur excommunicatus, tamen non hinc fieret etiam carere passiuo. Tum quia quando Parochus concedit licentiam suo Parochiano, vt alteri sacerdoti idoneo & approbato confiteatur, non exercet, nec facit actum iurisdictionis, sed facit, & exercet cessionem quandam iuris sibi competentis. Et huius sententiæ sunt etiam Henr. *l. 6. de pœn. cap. 7. in fine.* Rodr. *to. 2. sum. c. 14. n. 5.*

Proinde non solùm est valida huiusmodi commissio, sed si aliqualis necessitas, vel honesta causa subsit, licita est, tã ex parte dantis, quàm recipiẽtis: Sicut valida est, & licita licentia Parochi excommunicati non tolerati data assistendi matrimonio Sacerdoti; quia non est actus iurisdictionis; vt probat *Sanch. de matr. l. 3. disp. 21. n. 6. 7. 8.* Similiter nec excommunicationem incurrit religiosus, nec omninò peccat, si ex licentia Parochi excommunicati, ministret extremam vnctionem; quia ex iusta causa tantillæ communionis cum excommunicato. *Pal. in 4. d. 23. q. 2. Syl. v. vnctio.* contra *Suarez.*

25. Sacramentũ Pœnitẽtię ministrare cũ iurisdictione dubia, nunquã licet, quando dubiũ est purè negatiuũ, (quia in neutrã parte potest intellectus determinari, per iudiciũ positiuum & probabile, sed suspẽsus est & anceps) nisi cõcurrẽte duplici cõditione. Prima est quidẽ necessitas, tũ ex parte ministri, nẽpe, vt non occurrat alius, qui certiorẽ habeat iurisdictionem; tum ex parte pœnitentis, vt quando is debet necessario Eucharistiã sumere, vel si per longum tempus confiteri non possit.

Altera cõditio est, vt absolutio detur sub conditione expressa vel concepta, *si possum, vel si audiges*, & cum onere confitendi iterum illa peccata habenti iurisdictionem certam. Ratio verò est, quia concurrentibus illis duabus conditionibus, tollitur omnis inordinatio; quia necessitas facit vt actus non temerè fiat, nec mera & irrationabili voluntate; Conditio verò tollit periculum; quia si in re subsistat, infallibiliter fit Sacramentum; si verò non subsistat, nulla iniuria fit Sacramento, quia conditionalis nihil ponit in esse.

Optimũ tamen consilium est confiteri aliquod veniale peccatũ, vt tollatur omne dubium de valore Sacramẽti ex defectu iurisdictionis; quia quilibet Sacerdos a venialibus directè absoluere potest. Ita *Reg. l. 1. n. 102. Nald. in sum. v. Confessio, nu. 32. Bon. to. 1. disp. 5. q. 7. p. 3. §. 4. n. 4. Conin. de Sacr. disp. 8. du. 6. n. 43. Dia. p. 4. tr. 3. resp. 38. & p. 5. resp. 111. tr. 14. Sua. to. 4. disp. 26. sec. 6. Fill. tr. 7. n. 226. Crouset. ad c. 7. reg. S. Fran. sect. 22. §. 700.* & alij cõmuniter.

26. Dubium impropriè dictum de iurisdictione sacerdotis, quòd non excludit probabile iudicium, non obstat quo minùs is Sacramentum Pœnitentiæ administrare possit. Ratio est, quia opinione probabili vti licet in moralibus: & certè apud me nó est minus potens opinio sapientum, quam vulgi error ad conferendam iurisdictionem; quòd autem communis error, concurrente titulo putatiuo, Superioris authoritate collato, iurisdictionem conferat in pertinentibus ad forum externum, certum est in iure; *L. Barbarius, ff. de offic. Prætoris, Cap. Infamis. 3. q. 7. vers. verumtamen*. Et licet quidam doceant citata iura non habere locum in spectantibus ad forum conscientiæ, communis tamen DD. sententia est contraria; Tum quia vtrumq; forum quoad potestatè iurisdictionis, est eiusdem rationis, ergo quod statuitur in foro externo quoad valorem actus, reputatur etiã statutum in interno. Tum quia eadem & maiora inconuenientia & scandala sequuntur, si gesta in foro interno nulla essent, ac si gesta in foro externo. *Lessius l. 2. cap. 29. dub. 8. Fill. tr. 7. nu. 227. Henr. l. 2. c. 14. n. 3. 4. Dian. p. 3. tr. 2. res. 3. & p. 4. tr. 4. res. 4. Conin. dis. 8. dub. 3. conc. 6. n. 22. Mald. 1 2. q. 19. ar. 5. dis. 86. Sanch. de matr. l. 3. dis. 22. & l. 1. mor. c. 9. n. 35. Suar. dis. 26. sect. 6. Bonac. to. 1. dis. 5. q. 7. p. 5. §. 4. num. 4. Reg. l. 1. n. 102. & 103. Crouset. ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 12. fo. 701. Salas de leg. dis. 12. sect. 6. n. 24.*

Quo posito tamquam probabiliore secundum communem sententiam dicendum est, quòd eo ipso quòd confessarius sequitur opinionem probabilem in absoluendo, datur communis error in populo, & facta ex tali errore sunt valida; tunc non est dubium, quin in ædificationem Ecclesiæ Summus Pontifex illam approbet & Ecclesia tacitè præbeat iurisdictionem. aliàs nimis conscientiæ grauarentur, & mundus scrupulis implicaretur. Durum etiam esset confessarijs semper inquirere, quænam opinio esset probabilior altera, cùm in hac re Doctores inter se sæpissimè discrepent. Tum quia magnus error foret in Ecclesia Dei, si hoc non esset iurum in praxi; cùm hanc doctrinam sciente & approbante Summo Pontifice communiter tradant Clerici Authores, & sit vniuersalis Ecclesiæ vsus.

Conuenit tamen est materiam aliquam certam in confessione exprimere, circa quam confessarius habet certam & indubitatam iurisdictionem, vt sunt peccata venialia, & hoc satis est, vt confessio bona fide facta, sit rata; & verum conficiatur Sacramentum: etiamsi contingeret opinionem probabilem, in qua fundatur confessor ad audiendam confessionem, in reipsa falsam esse.

Ministri tamen & pœnitentes monendi sunt, vt vtantur semper meliori ac tutiori via, vt confessarius certam aut probabiliorem habens iurisdictionem, præferatur dubiam aut minùs probabilem habenti, nisi gratis rationabilisque causa aliter suadeat. Ita communiter Doctores: vide v. *Conscientia, nu. 9.* & seq.

27. Absolutio & dispensatio Prælatorum, vel ab eis commissionem habentium, ex virtute priuilegij, quod ipsi ignorãt, valet. Ratio est, quia validitas huiusmodi actus non pendet à notitia potestatis, sed ab ipsa potestate, & voluntate vtendi; sed hic supponitur, esse potestas & voluntas; quia præsumendum est quòd Superior, vel alius velit actum valere omni modo quo potest: iuxta regulam iuris; *Si non valet quod ago, vt ago, valeat vt valere potest*. Cap. vnico *de despons. impub. in 6.* Quod confirmatur ex exemplo Sacerdotis simplicis, qui in articulo mortis absoluit agonizantem à casu bullæ Cœnæ Domini, ignorans se posse à tali casu absoluere; certe valebit ipsius absolutio; ergo validitas absolutionis non dependet à notitia potestatis, sed ab ipso posse, vel non posse. Ita ex doctrina *Panorm. in cap. licet, de offic. ord. n. 6. & in c. cum sup. de offic. deleg. n. 12. Rodr. to. 1. qq. reg. q. 20. a. 25. Crouset. ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 22.* Scientia enim priuilegij tantum habet accusare, vel excusare à peccato, sed non inualidare vel validare actum.

CONFESSARIVS III.

Quoad approbationem eius.

SVMMARIVM.

1. *Approbatio est diuersa à delegatione iurisdictionis.*
2. *Parochus ante Concilium Trident. & post illud, an possit delegare suam iurisdictionem cuicumque Sacerdoti?* Refertur duplex sententia.
3. *Approbatio quæ fit per vniuersitates ad gradus Licentiæ, vel Magisterij, an sufficiat ad valide administrandum Pœnitentiæ Sacramentum.*
4. *Quis censeatur Sacerdos idoneus, ad confessiones audiendas, secundum Decretum Concilij Tridentini. Et an regularis ab Episcopo approbatus possit sæcularium confessiones audire, absque consensu Prælati sui, vel ipso contradicente?*
5. *Prælati regulares possunt suis subditis & famulis exponere confessarium non approbatum ab Episcopo.*
6. *Nomine Episcopi, quis intelligendus veniat, qui debet approbare confessarium.*
7. *Approbatio necessaria est omnibus confessarijs, tam regularibus quam sæcularibus.*
8. *An religiosis Mendicantibus sufficiat approbatio petita, licet non obtenta?* refertur duplex sententia.
9. *Cuiusnam Episcopi approbatio sit necessaria?* refertur quadruplex sententia.
10. *Parochus censetur vbiq; approbatus, quandiu retinet beneficium parochiale, non item alius sacerdos ab vno Episcopo approbatus. Quid sit Parochiale beneficium.*
11. *Approbatio vnius Episcopi, data simpliciter, absq; restrictione ad loca, vel personas, an extra partem sufficiat pro tota Ecclesia.*
12. *Approbatio confessarij pro certo loco, vel ad certum tempus, vel pro talibus personis, vel pro tali Diœcesi, non sufficit vltra terminos concessionis.*
13. *Episcopi possunt non delegare suam iurisdictionem sacerdotibus, a se non approbatis.*
14. *Qui habet facultatem virtute alicuius bullæ eligendi sibi confessarium approbatum ab ordinario, vt possit eligere confessarium approbatum ab ordinario alterius diœcesis?*
15. *Approbatus pro aliqua solum familia, virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij, an possit eligi in confessorem, tanquam approbatum ab ordinario.*
16. *Qui habuit beneficium parochiale, sed modo est illo priuatus: & qui alias fuit approbatus, sed modo est reprobatus, an sint eligibiles per bullam in confessorem.*
17. *An religiosus, tempore Iubilæi, teneatur eligere confessarium ab Episcopo approbatum, si intendat illud lucrari?* refertur duplex sententia.
18. *Approbatio semel facta, an semper duret donec reuocetur? Et an Episcopi possint reuocare sine causa approbationes regularium.*
19. *Ex priuilegio* Gregorij XIII. *religiosi Mendicantes semel ab aliquo ordinario approbati, dum iter faciunt, possunt vbiq; fidelium confessiones audire. Et an hoc priuilegio sit derogatum per bullam* S. D. N. Vrbani VIII.

1. APprobatio diuersa est à delegatione iurisdictionis: nam confessarij approbatio nihil est aliud, quàm iustum iudicium, seu publica sententia authenticaque attestatio quædam de Sacerdotis eam iure suo petentis sufficientia, quantùm ad scientiam & alia requisita ad audiendas confessiones; si iurisdictio ei delegetur.

Delegatio autem iurisdictionis, est concessio quædam & velut gratia liberaliter facta à Superiore; & hoc patet in religiosis Mendicantibus, qui per sua priuilegia iurisdictionem habẽt à Summo Pontifice delegatam, approbationem autem ab Episcopo. Proinde formaliter non est idem semper, approbare aliquem Sacerdotem pro confessionibus, atque ei conferre iurisdictionem, sed supposito sacerdotio, ipsa approbatio est veluti vltima conditio & complementum reddens proximè capacem ipsum sacerdotem ad ipsas confessiones audiendas, si aliunde ei conferatur iurisdictio. Ita *Suar. to. 4. dis. 28 sect. 4. Laym. l. 5. tr. 6. c. 11. n. 7. Tann. de pœn. dis. 6. q. 9. n. 24. Fag prec. 2. l. 7. c. 3. Fernan. in exam. p. 1. c. 6. §. 8. n. 17.*

Notandum tamen est, quando Episcopus approbat aliquem sacerdotem ad audiendas confessiones in suo Episcopatu, vel in aliquo oppido, aut parochia illius, tũc quidẽ ipsa approbatio, respectu omnium ad quas illum approbat, videtur esse formaliter ipsa collatio iurisdictionis in eisdem omnes; quia tunc idem est approbare, atque ei actualem iurisdictionem conferre: vt docet *Henr. l. 11. de matr. cap. 3. num. 5.* & colligitur ex *Sanch. de matr. l. 3. dis. 35. n. 7.*

2. Ante Concilium Tridentinum Parochus ex vi iuris cõmunis poterat & validè & licitè suam iurisdictionem committere cuicumque sacerdoti, qui secundùm naturale seu diuinum ius idoneus esset ad hoc Sacramentum ministrandum, etiamsi aliam iurisdictionem vel Episcopi approbationem non habe-

haberet. *Cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Ratio est, quia in delegante erat potestas quæ conuenit illi ex vi ordinariæ iurisdictionis; ex parte alterius extremi, in sacerdote erat capacitas, supponendo quòd talis Sacerdos non fuisset specialiter aliqua censura irretitus. Et proinde id nunc potest Parochus, vbi Tridentinum non est receptum, & religiosi habentes priuilegium Pontificium excipiendi confessiones, ijsdem locis non indigent Episcopi approbatione; similiter is, qui habet priuilegium eligendi confessarium, in ijs locis potest eligere non approbatum. Imò si Episcopus ibidem velit approbare omnes ad hoc, vt censeantur posse valide absoluere, eo præcepto vel statuto non adstringuntur ij, qui per priuilegium Pontificis possunt confessiones excipere; quia Episcopi non possunt impedire, quominùs religiosi vtantur iurisdictione sibi à Pontifice concessa, iuxta iuris ibi recepti dispositionem. *Suar. disp. 28. sect. 3. Fill. tr. 7. n. 255. Petr. Ledesma. de pœn. c. 11. in concl. 5.*

Post decretum Concilij Tridentini requiritur vt persona sacerdotis, cui deleganda est iurisdictio, præter omnia requisita ex diuino iure ad hoc ministerium peragendum, etiam habeat specialem Ecclesiæ approbationem, nouo illo iure decretam.

Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 15.* sic habet; *Quamuis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum etiam regularem posse confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliis idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.*

Circa quod Concilij decretum dubium graue est, an Parochus post illud possit simplici sacerdoti non approbato ab Episcopo dare licentiam audiendi confessiones suorum subditorum.

Nonnulli Patres Dominicani affirmatiuam sententiam docuerunt: Ita *M. Ioannes Gallo* & *M. Ioannes Orellana* professores publici sacræ Theologiæ in Academia Salmaticensi, quos sequitur *Petr. Ledesma tr. de pœn. c. 11. in concl. 5.* & hanc sententiam probabilè esse docet *Ioannes de la Crux in direct. de Sacra. Pœn. quæst. 5. dub. 6. concl. 2.* Parochum, scilicet, posse dare eiusmodi licentiam etiam non approbato, & validè absolui pœnitentem ab eo cui Parochus vices suas commiserit, licet ipse parochus peccet mortaliter. Ratio huius opinionis est, quia cùm Parochus sit proprius Sacerdos & pastor suorum subditorum, habet iure diuino potestatem delegandi confessores pro suis subditis, imò & iure Ecclesiastico *antiquo*, quę potestas non est abiata per decretum Concilij quod solum intendit abrogare priuilegia bullę Cruciatę & consuetudines audiendi confessiones, sine approbatione Episcopi etiam immemorabiles, quod autem Parochus possit delegare confessores pro suis subditis, non habetur ex priuilegio aliquo, sed ex iure diuino, aut Ecclesiastico antiquo.

Contra hanc sententiam obstat declaratio Eminentiss. DD. Cardinal. Concilij interpretum; cuius tenor est, *Absolutio data à Sacerdote vigore facultatis generaliter a Summo Pontifice, vel specialiter a Parocho concessæ, si ab Episcopo is Sacerdos examinatus & approbatus non fuerit, valida non censetur, etiam quoad eos qui talis Sacerdoti bona fide confessi sunt, ratis esse approbatum, vel ignorantes approbationem requiri. Congregatio enim Concilij censuit, eam esse absolutionem nullam, tametsi confitentes, quoad Deum excusari censeantur: vbi tamen resciuerint, reiterandam esse confessionem: respondit eadem Congregatio.*

Proinde dicendum est Parochos nec licitè nec validè posse subditos suos Sacerdotibus non approbatis committere, nec illos in suos coadiutores adsumere, ita habet consuetudo, quę mentem Concilij est interpretata, vt patet ex verbis illius, quæ generalia sunt; & communis hoc tempore sententia; vnde contraria nec tuta, nec practicè probabilis videtur. Quia hoc nouum ius Concilij Trident. antiquum *Cap. Omnis vtriusque sexus*, restrinxit & limitauit ad idoneum, & approbatum confessarium. Vide *Suar. disp. 28. sect. 4. Syl. in suppl. q. 8. a. 5. quæs. 4. Dian. p. 3. tr. 4. res. 146. Fag. præc. 2. l. 7. c. 2. n. 43.*

3. Approbatio quæ fit per vniuersitates ad gradus licentiæ vel magisterij, tam in Theologia quàm iure Canonico, non sufficit ad validè administrandum pœnitentiæ Sacramentum; nam Concilium præter modum approbationis ex iudicio Episcopi prouenientem, omnem aliud excludit, dum asserit, *nec ad id idoneum reputari, nisi aut Episcopo per examen, si illi videbitur, aut aliàs idoneus iudicetur.* Voluit enim Concilium hanc approbationem aliquo modo esse iuridicam, hoc est, descendere à potestate iurisdictionis, & ideò illam non concedit Academijs, nec publicæ opinioni existimationique erga famosos prædicatores, sed tantùm Episcopis, qui soli sunt veri & competentes iudices in hac re. Quamuis secundùm Motum proprium Pij V. *Etsi Mendicantium Ordines*, editum 17. *Calendas Iulij* 1567. Pontificatus sui anno 2. Lectores ex ordinibus mendicantium, & in Theologia graduati, qui cum licentia suorum superiorum ad gradum admissi fuerint, cùm de ipsorum doctrina ambigendum non sit, tam confessiones audituri, quam prædicationis munus subituri ab Episcopi non debeant examinari. *Syl. suppl. q. 8. a. 5. quæs. 4. Laym. l. 5. tr. 6. c. 11. n. 2. Suar. to. 4. disp. 28. sect. 4. Conin. d. 8. dub. 7. n. 49. Petr. Ledesma. de pœn. c. 11. in concl. 5. Henr. l. 3. de pœn. c. 6. n. 2. Tannerus de pœn. disp. 6. q. 9. dub. 2. n. 22.*

4. Duo modi designantur in Tridentino, vt quis censeatur Sacerdos idoneus ad confessiones sæcularium audiendas, scilicet, vel per beneficij Parochialis susceptionem, vel per aliam approbationem Episcopi; hinc duo certa colliguntur, primum est, quemlibet ex his modis per se sufficere, alterum est, aliquem ex his modis esse necessarium, neque aliam approbationem sufficere. Ita communiter *Syluius c. quæst. 4. Nauarrus in Man. cap. 4. n. 7. Bonac. disp. 5. q. 7. p. 4. §. 1. n. 9. & 12. Fagund. præc. 2. l. 7. cap. 2. num. 2.*

Sed petes, an Regularis qui ab Episcopo obtinuit approbationem & licentiam audiendi confessiones sæcularium, possit illa vti, absq; consensu Prælati, imò etiam ipso contradicente: & an tales confessiones sint validæ? Resp. certum esse hoc licitè fieri non posse, nec probatione indiget.

Dicendum ergo est regularem ab Episcopo admissum illicitè audire confessiones sæcularium, 1. vel quia à Superiore non est præsentatus, 2. vel quia post legitimam præsentationem simplici & extraiudiciali prohibitione est prohibitus, 3. vel quia per sententiam iuridicè est interdictus id facere.

Si primo modo audiat illicitè, & ille religiosus sit ex ordine Prædicatorum, confessiones factæ non sunt validæ, idq; propter decretum *Iulij III.* in quo reuocantur omnes licentiæ & immunitates religiosis eiusdem ordinis concessæ ad confessores eligendos, & confessiones audiendas, quas ipse Magister reuocandas iudicauerit, & annullat omnes concedendas, quæ futuræ essent sine licentia Superiorum, nisi manu Papæ, aut Cardinalis Protectoris vel viceprotectoris fuerint sanatæ. Hoc decretum in Capitulo Generali illorum Salmanticensi fuit acceptatum quoad irritationem licentiarum prædictarum.

Si autem religiosus sit aliorum ordinum communicantium in priuilegijs cum ordine Prædicatorum, & ex vi talis priuilegij Prælati irritauerint similes licentias à particularibus obtentas vel obtinendas, ipsis inconsultis, tunc etiam nec poterit licitè, nec validè absoluere: quod si Prælati irritas non fecerint eiusmodi licentias, validè absoluet: Ita *Rodriques tom. 1. qq. reg. q. 60. art. 3. Salas de leg. disp. 16. sect. 10. num. 43. Miranda in Man. to. 1. q. 45. art. 11. & 12. De la Crux de statu relig. l. 2. c. 6. du. 2. concl. 2. Diana par. 1. tr. 11. res. 13. & in addit. 3. p. res. 7. Angles in 4. de confess. ar. 8. diffic. 8. Layman l. 5. tr 6. c. 10. num. 19. Port. in dub. reg. v. Confessoris approbatio, num. 9. Tambur. in de iur. Abbat. to. 2. disp. 6. quæst. 15. num. 6.* Ratio est, quia cùm ad excipiendas validè confessiones sit edita iam lex per Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 15.* decernens conditiones requisitas; quicumq; eas impleuerit, capacitatem consequetur ad validè absoluendum. Quandoquidem ergo in concilio solùm petatur approbatio ab ordinario, regularis ab illo approbatus habilis erit ad confessiones validè excipiendas. Tum quia cum Sacerdos regularis potestatem habeat ordinis, nec illi deficiat ad audiendas validè confessiones nisi potestas iurisdictionis, illam autem possit transferre Episcopus respectu sui gregis: fit omnia requisita habere regularem approbatum ab Episcopo ad excipiendas confessiones secularium etiam contradicente proprio Prelato. Ita præter Doctores citatos etiam *Villalobos tr. 2. dis. 50. num. 3. Valerus in differ. verb. Confessor. differen. 2. num. 2. Graf. 1. p. c. ap. 13. num. 188. Sanctius in select. disp. 48. num 27. Amicus to. 8. disp. 15. sect. 3. num. 111.* qui vltimus docet posse Episcopum simul cum approbatione dare etiam Iurisdictionem Sacerdoti

regulari habitanti intra suam diœcesim absque vlla licentia sui proprij Superioris, quantùm attinet ad validitatem Sacramenti. Ratio est, quia regulares ratione habitationis sunt subditi quoad hoc Episcopis; ergo possunt ab illis approbari, & iurisdictionem accipere. Neque ad hoc necessaria est licentia proprij Superioris: Imò etiamsi proprij Superiores contradicerent, validè absoluere possent; quia habent omnia ad absoluendum requisita. Nam approbatio & iurisdictio ab Episcopo concessa, quoad valorem non pendet a voluntate proprij Superioris; sed Episcopi concedentis. Hæc ille. Et eiusdem sententiæ est *Petr. Marchant. in tribun. to. 1. tr. 2. Tit. 6. quæst. 4. dub. 2. ref. 2.* Contra *Angelum, Adrianum*, & alios neotericos docentes, Episcopos conferre talem potestatem dependenter à proprijs Prælatis præsentantibus religiosos ipsis Episcopis. Ergo sine tali præsentatione nullam esse absolutionem.

Hæc opinio esset vera, si Episcopi in suis admissionibus hanc limitationem ponerent, aliàs non; vt docet *Dian. cit. ref. 13.*

Si autem religiosus illicitè audiat, quia simplici extraiudiciali prohibitione à Prælato suo prohibitum ei est audire confessiones sæcularium, postquam ab eodem majori Prælato Prouinciali, vel Generali ad hoc fuit electus & præsentatus: dicendum est, si prohibitio eiusmodi ex iusta causa facta sit, validè quidem absoluere, sed non licitè. Ratio est, quia Superior per hanc prohibitionem non est existimandus iurisdictionem auferre velle; sed efficere sua prohibitione, vt illicitè exerceatur hoc ministerium audiendi confessiones, non vt invalidè. Ita *Rodrig. q. quæst. 60. art. 2. Layman l. 5. tract. 6. cap. 1. n. 19. Cons. ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 27. Miran. c. q. 45. a. 13. Sanch. de matr. l. 3. dis. 32. n. 2.*

Porrò si per sententiam iuridicè suspensus sit, Religiosus priùs electus & præsentatus à confessionibus audiendis, absolutio ab eo data foret invalida, si sit nominatim denunciatus suspensus. Ratio est, quia in tali casu acta iurisdictionis propriæ per taliter suspensum ipso iure invalida sunt: Secùs dicendum si non esset nominatim denunciatus suspensus, ipsius enim acta valida sunt, quia ipsi non adimitur iurisdictio, cum toleretur ab Eccles.. *Suares ac cens. disp. 26. sect. 2. num. 2. Rodriques c. art. 2. Bonacina de susp. disp. 3. par. 4. num. 7. Filluc. tr. 17. cap. 10. quæst. 3.*

Tria hìc notanda sunt. *Primum*, quòd religiosus per sententiam priuatus confessionibus à Prælato, non ab Episcopo, validè absolueret, si confessiones audiret in alio oppido, vbi omnes illum habent pro idoneo confessore, ignorantes priuationem ipsius, quod probatur, per ea quæ dicunt Doctores de Parocho communiter putato vero Parocho, cùm à parte rei talis non sit, sed habet titulum putatiuum, cuius absolutiones validæ sunt propter legem *Barbarius ff. de officio Prætoris*. Habet enim hic religiosus titulum confessoris putatiuum, imò titulum verum datum ab Episcopo; error populi circa illius iurisdictionem ex parte Prælati ablatam, est communis: habet etiam potestatem characteris. Ergo concurrunt in illo omnia requisita vt valeat lex *Barbarius*, quamdiu priuatio eius est occulta, & confessiones audit vbi pro vero confessore habetur; vide *Sanch. de matr. l. 3. dis. 22. n. 13. Nauar. plures, n. 17. & in Man. c. 9. n. 11. Henriq. l. 6. de pœnit. c. 6. n. 6. Suar. dis. 26. sect. 6. n. 7. Regin. l. 1. n. 100. Dian. p. 2. tr. 2. ref. 43. Tamburr. de iur. Abbat. to. 2. dis. 6. q. 15. n. 9.*

Secundum, notandum est, dictum confessarium posse solùm absoluere pœnitentes à casibus illis à quibus potestatem absoluendi dedit Episcopus, à quo est admissus, & non à casibus à quibus aliàs posset absoluere virtute priuilegiorum suæ religionis. Ratio est, quia non est mens Pontificis priuilegia eiusmodi concedentis, quòd illi gaudeant non electi & non præsentati à Prælato maiori seu Prouinciali, vel ab ipsis interdicti; vt tutis constat, ex *Clement. Dudum*, & ex priuilegijs per Pontifices concessis. Ita *Nau. in Man. c. 9. num. 6. De la Crux l. 2. c. 6. du. 2. concl. 1. Rodr. c. a. 3. Dian. p. 1. tr. 11. ref. 13. Henr. de pœn. l. 2. c. 6. n. 6.*

Tertium, Talem confessarium, qui sine licentia sui Prælati confessiones excipit, peccare mortaliter, si Constitutiones eiusmodi religionis ad mortale obligent, venialiter verò, si ad veniale tantùm; & ideò in illa religione, in qua constitutiones non obligant ad culpam, Sacerdos regularis sic absoluens, non peccaret saltem mortaliter. Ita *Molfes. in sum. to. 1. tr. 7. cap. 14. num. 87. Peyrinus tom. 1. quæst. 1. cap. 21. Megala 1. part. lib. 1. cap. 15. num. 8. Diana cit. resol. 13. Tamburinus de iure Abbatum tom. 2. disp. 6. quæst. 15. num. 5. & quæst. 7. num. 7. Sanchez dis. 48. num. 27.*

Hanc quæstionem eruditè tractat *Laurent. Port.* In responsionibus casuum moralium *p. 2. cas. 23.* quem consule & non pigebit; & nouissimè Ægidius Trulienck in bulla cruc. *l. 1. §. 7. du. 6. n. 7.* apud *Dian. p. 5. tr. 12. ref. 50.*

Inuper est hic notandum, quòd licet Sacerdos regularis approbatus tantùm ab Episcopo, non possit licitè audire confessiones sæcularium sine facultate sui Prouincialis; potest tamen eligi sine facultate sui Prouincialis à quolibet siue sæculari, siue regulari per bullam vel Iubilæum. Ratio est, quia tunc iurisdictionem absoluendi non habent Regulares mediante proprio Superiore; sed immediatè à Pontifice, ergo electi absoluere possunt quemcumque etiam contradicente proprio Superiore. Ita Amicus *tom. 8. de pœnitent. disp. 15. sect. 3. num. 112.*

An autem hæc doctrina locum habet respectu Fratrum Cappucinorum inspecta bulla Greg. XIV. *Decet Seraphicam religionem. die primo Iunij* 1591. cum illius moderatoria Clementis VIII. *Alias Pastor*, edita 3 Februarij 1603. consulantur ex nostris Ludouicus Cassensis in suo tom. 2. Cursus Theologici *tr. 24. de pœnit. dis. 5. sect. 10.* & Cyprianus Crousers *ad c. 7. reg. S. Francisci lect. 30.*

5. Concilium Tridentinum in suo decreto *sess. 23. c. 15.* solùm disponit de confessionibus sæcularium etiam Sacerdotum, ex quo constat ius hoc non habere locum respectu regularium; sub nomine regularium, etiam fœminæ religiosæ comprehenduntur; quia ille etiam secundum iura sæculares non sunt.

Hinc Superiores regularium possunt exponere suis subditis confessorem non approbatum ab vllo Episcopo, quia hoc poterant iure antiquo & commune seu per propria priuilegia. Ratio autem quæ mouit Patres Concilij ad id statuendum, non militat in religiosis & Monialibus; sæculares enim conscientias habent communiter grauioribus peccatis oneratas, & ideò ratio postulabat vt illis darentur, & assignarentur iudices & Medici, qui à suis Episcopis iudicentur idonei: Religiosi autem communiter sunt cautiores, sicut & Moniales in peccando, & conscientias habent magis timoratas, *Syl. in suppl. q. 8. a. 5 quæst. 4. Dian. in add. secund. ref. 4. & p. 4. tr. 4. ref. 3. Fagundes præc. 2. l. 7. c. 2. n. 2. Bonac. to. 1. disp. 5. quæst. 7. p. 4. §. 1. n. 25. Miranda in Man. to. 1. q. 45. ar. 11. concl. 2. Prepos. de pœn. q. 8. dub. 2. n. 6. Tamburr. de iure Abbat. to. 2. dis. 6. quæst. 8.*

Nec his obstat Constitutio Gregorij XV. *Inscrutabili.* 1622. *nonis Februarij. De exemptorum priuilegijs.* Qua decernit confessarios monialium non aliter posse earum confessiones excipere nisi approbati sint ab Episcopo diœcesano; a quo decreto pro parte regularium habentium Monasteria Monialium sibi subiecta supplicatum est; vnde credit Sanc. *in select. dis. 49. n. 16.* hactenus non esse executioni mandatum; & fortè ob rationes exhibitas Summo Pontifici, quas refert Laurentius Portel *p. 2. respons. Moral casu* 13. pro impedienda executione prædicti decreti.

Certum est tamen confessarium monialium, quæ Episcopo sint subiectæ, tanquam suo Ordinario, debere ab Episcopo approbari; quia omnis confessarius debet accipere iurisdictionem à Prælato earum religiosarum, quarum est confessiones auditurus; religiosæ autem hæ non habent alium Prælatum, quàm Episcopum; ergo confessarius earum debet ab Episcopo iurisdictionem accipere & approbari; vt docet *Sylvius* citatus.

Dubium est, an hoc priuilegio fruantur equites S. Ioannis, S. Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ, Montesæ. Responsio communis est affirmatiua apud Dianam *p. 3. tr. 2. de dubijs regul. resol. 30.* quia isti sunt veri religiosi per tria vota paupertatis castitatis, & obedientiæ in manibus suorum Prælatorum emissa; ergo nō secus, ac reliqui religiosi, confiteri possunt cuiuis Sacerdoti siue sæculari, siue regulari, etiam ab Episcopo non approbato. Quæ licet de iure vera sint, de facto tamen, vt *ibidem*, consuetudo est in contrarium.

Proinde religiosus habens facultatem eligendi confessariū, potest eligere quem sibi inuenerit idoneum, quamuis ab Episcopo non approbatum. Ita Præter Doctores citatos in prima editione huius operis, *Sylvius*, *Diana*, *Fagundes*, & alij. Secus dicendum de sæcularibus, qui virtute Bullæ facultatem habent eligendi confessarium; hi enim tenentur eligere ab Episcopo approbatum, etiamsi non exprimatur in Bulla: quia

quoties

quoties Pontifices non exprimunt, semper præsumendum est facultatem concedere in suis Bullis iuxta formam Concilij. Ratio est, quia cùm contrarium sit dispensatio à lege communi, non præsumitur Pontifex illam concedere, nisi id specialiter declaret: cum semper Principes stare præsumantur pro legibus, quæ suam vim iam obtinuerunt.

Sed petes, an religiosi cum sola licentia suorum Prælatorum, & sine approbatione Ordinarij possint audire confessiones suorum famulorum?

Respond. Certum esse id potuisse regulares ante Concilium Tridentinum virtute Priuilegiorum à Sede Apostolica obtentorum: vt concessit Augustinianis *Innocentius VI.* Bulla 1. & Carmelitis *Sixtus IV.* bulla 37. & Minimis *Leo X.* vt refert *Ioannes de la Cruz*. Verùm post suprà memoratum decretum Tridentini, nonnulli Doctores negant hanc facultatem religiosis non approbatis ab Ordinario; quia Concilium requirit in regularibus etiam approbationem Episcopi ad audiendas confessiones sæcularium, Priuilegijs & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus.

Hæc sententia stando in rigore iuris illius noui vera est & amplectenda. Sed quia à plerisque Doctoribus, videlicet *Rodr. in bullario pro regular. post bullas Gregor. 13. De la Cruz de stat. relig. l. 2. c. 5. dub. 4. & c. 6. du. 1. Tann. to. 2. disp. 6. q. 9. du. 2. n. 21. Tamb. de iure Abbatum to. 2. disp. 6. quæst. 16. Barb. de pot. Epis. p. 2. alleg. 25. n. 65.* adiicitur quædam declaratio Eminent. Cardinal. tempore *Greg. XIII.* super *sess. 23. de refor. c. 15.* eiusdem Concilij, cuius tenor est.

An Prælati regulares siue alij religiosorum confessores possint audire confessiones sæcularium, qui sunt de familia, aut alias deseruiunt in eorum Monasterijs, ubiq; licentia seu approbatione Episcoporum, de quo in hoc Capitulo?

Congregatio Concilij censuit audire posse confessiones sæcularium, qui sunt de familia & continui commensales, non item eorum qui deseruiũt in eorum monasterijs. Ita Sacra Congregatio, Anno 1568. die 14. Augusti, quam referunt etiam Tamburinius hic citatus & Laurent. de Peyrinis *to. 1. primi Ord. Monum. in quæst. ad §. 15. Const. 8. Iulij 2. n. 12.* Quod decretum Sacræ Congregationis intelligendum est, vt nequeant Sacerdotes Regulares non expositi ab Ordinarijs audire confessiones illorum, qui inseruiunt Monasterijs, sed non viuunt in eis, neque dormiunt: vt tonsores, sutores & huiusmodi, qui largo modo etiam familiares dicuntur.

Ideo standum est huic declarationi, quandoquidem de illa constet. Fauet ad hoc Trident. *sess. 25. c. 11. de regul.* decernens, *vt in Monasterijs, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus immineat animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum, seu locorum familia personæ tam regulares, quam sæculares eiusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, iurisdictioni, & correctioni Episcopi, in cuius Diœcesi sunt sita.*

Et licet per Constitutionem Gregor. XV. quæ incipit *Inscrutabili*, nonis Februarij 1622. huic Decreto Concilij Trident. sit aliquid additum. *Vt*, scilicet, *deinceps tam Regulares, quàm sæculares, quoscumque libuerit exempti, siue animarum curam personarum sæcularium Monasterijs, seu domibus Regularibus, aut quibusuis aliis Ecclesijs, vbi beneficium sine Regularibus sine sæcularibus incumbentem exerceant siue alias Ecclesiastica sacramenta, aut vnum ex illis ministrent, præuia Episcopi licentia, & approbatione: siue quoque modo vi dictæ curæ exercitio, aut in eorumdem Sacramentorum, vel alicuius ex illis administratione de facto absq; vlla auctoritate se ingerant in his quæ eiusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodæ iurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati, plenè in omnibus subiacebunt.*

Ex qua constitutione perspicere est, familiaribus sæcularibus religiosorum, quamuis alias exemptorum, non posse vllum Sacramentum à Regularibus administrari sine præuia licentia & approbationi Diœcesani Episcopi.

Hęc tamen Constitutio nondum est executioni mandata, vt testatur Sancius suprà; & patet ex praxi huius Belgij, vbi Authentice non fuit publicata, & proinde nec vsu recepta.

Propterea sententia affirmant Sacramentum Pœnitentiæ posse administrari à religiosis suis familiaribus sine approbatione Ordinarij, sed cum sola licentia Prælatorum, probabilitate non caret, vt docet Leza. *in sum. to. 2. c. 16. n. 16.* & illam absolutè sustinet Bordon. *ref. 34. n. 41.* citans *Megalam, Graffijs, Homobonum, Peyrinis, Fernandes* & alios.

Nomine autem familiarium, tam in Tridentino, quàm in suprædicta declaratione, *intelliguntur illi, qui actualiter seruiunt Religiosis, & intra eorum sepia, ac domos residunt, subque eorum obedientia viuunt*: quod non est intelligendum de obedientia ratione voti: nam sic essent, & ipsi regulares; sed de obedientia ratione muneris seruiendi; vt aduertit *Suarez tom. 4. de rel. tract. 3. l. 9. cap. 4. Tamburinius de iure Abbat. tom. 2. disp. 6. quæst. 16. num. 6. & seq. & dis. 7. q. 3. Lezan. in sum. to. 2. c. 16. n. 14.*

Sed dubium est, an hæ conditiones diuisim requirantur, & sufficiant, ad hoc vt quis verè dicatur familiaris, respectu priuilegiorum alicuius religionis? *Suarez* tenet, quòd stando in rigore priuilegiorum sufficit, quòd quis in obsequio religionis maneat, quod optimè intelligi potest absque hoc, quod quis habitet intra sepia Monasterij, vt patet ex priuilegio concesso à *Clement. IV.* Fratribus Minoribus apud *Rodr. to. 2. qq. reg. q. 67. art. 1.* & à *Gregorio XI.* pro fratribus Ordinis Prædicatorum. Ex textu tamen Concilij videtur vtráq; conditionem requiri, nec sufficere alterutrã, nẽpè, vt actu seruiant, & intra sepia Monasteriorum cohabitent. Sic enim loquitur Concil. *Trid. sess. 24. c. 11. de refor. Exceptis tamen iis, qui prædictis locis, aut minus alta seruiunt, & intra eorum sepia, ac domos residunt, subque eorum obedientia viuunt.* Proinde tutius est asserere vtrasque conditiones simul, & coniunctim requiri.

6. Nomine Episcopi, qui debet approbare confessorem, non venit Episcopus consecratus (secundùm mentem Concilij) si titularis tantùm sit, & oues non habeat, qui nec licitè, nec validè, potest hanc approbationem dare, nec illa ab eo peti potest; cùm enim illam dare sit aliquo modo actus iurisdictionis, & ille dum caret ouibus, careat actuali iurisdictione, inde est, quod talis approbatio, nec licitè nec validè ab eo dari possit. *Suarez de pœn. disp. 28. sect. 5. num. 1. Bonac. tom. 1. disp. 5. quæst. 7. p. 4. §. 2. num. 9. Fill. tr. 7. num. 257. Fagundes præc. 2. l. 7. cap. 2. num. 46. & seq.* Nec etiam illam dare potest Episcopus electus tantùm, & non confirmatus; quia ante confirmationem non habet iurisdictionem; poterit tamen Episcopus electus & confirmatus, licet non sit consecratus, modò habeat subditos, quia vbi confirmatur à Papa, iam habet iurisdictionem, & potest illius actus exercere. Imò Episcopus excommunicatus non toleratus & suspensus, potest, secundùm quosdam, hanc approbationem dare, quia hæc approbatio non est per se actus iurisdictionis, sed tantum testimonium approbatiuum sufficientiæ Sacerdotis, sine quo non potest Sacerdos esse idoneus minister huius Sacramenti. Ita *Navarr. in Cap. placuit. num. 51. Rodriques tom. 2. Sum. cap. 14. num. 3. Henriques lib. 3. de pœnit. cap. 6. num. 3.*

Eandem potestatem habent Vicarius Episcopi, Capitulum sede vacante, quia succedit in omni iurisdictione Episcopo, præter casus in iure expressos; Item quidam Abbates sæculares exempti, habentes iurisdictionem quasi Episcopalem in populum exemptum à iurisdictione ordinaria: hi enim possunt exponere & approbare confessores in suo territorio. Ita *Fill. tr. 7. n. 257. Suar. d. 28. sect. 5. Fagund. c. c. 2. n. 54. 55. Tann. de pœn. d. 6. q. 9. dub. 2. n. 17.*

7. Approbatio hæc, prò confessoribus sæcularium etiam Sacerdotum, necessaria est confessarijs omnibus tam regularibus, quàm sæcularibus; quia Concilium dicit, *Approbationem obtineant*. Vnde non sufficit ordinarie esse petitam & non obtentam, etiamsi fortè iniustè negetur. Ratio est, quia ex verbis Concilij, constat non censeri quempiam approbatum, nisi in re approbationem obtineat; Efficiunt enim hunc sensum, *Nisi quis sit approbatus ab Episcopo, non potest esse idoneus ad confessiones sæcularium audiendas*, huiusmodi autem conditionalis eam vim habet, vt si in re non ponatur requisita conditio, effectus sequi non possit. Non est tamen necesse vt in scriptis detur hæc approbatio, ad modum authentici testimonij & sententiæ; quia Concilium illam in scriptis non requirit; solent enim Episcopi sæpe solo verbo illam concedere; quamuis satius sit in scriptis illam habere, vt facilius de illa constet, si opus fuerit; vide *Sylvius in supplem. 3. part. quæst. 8. art. 5. quæst. 4. Suarez disp. 28. sect. 5. num. 6. Filliuc. tr. 7. nu. 257. Conuchas. q. 8. dub. 7. num. 58. Vasq. q. 93. ar. 3. dub. 3. Fernand. part. 3. c. 7. §. 9. num. 16.*

8. Maximè controuersum est inter modernos authores, an religiosis Mendicanticus satis sit licẽtiam seu approbationem petere ab Episcopis, quamuis ipsi non concedant. *Navarr. in Man. cap. 27. num. 264. Rodriq. tom. 1. qq. reg. quæst. 59. ar. 1. Miranda tom. 1. quæst. 45. art. 5. De la Cruz de stat. rel. lib. 2. cap. 6. dub. 1.*

Fagundes prac.2.l.7.c.2.num.15. Laym.l.5.tr.6.c.11.num.4. Celestinus in comp.Theol.moral.tract.1.c.16.& c.14. Dian.p.3.tr.2.res.25.& p.5.tr.13.res.45. affirmatiuè respondent. Fundatur hæc sententia in priuilegijs horum religiosorum insertis in corpore iuris, scilicet, in *Clementina dudum, de sepulturis*: vbi approbantur Religiones FF. Prædicatorum & Minorum ad confessiones sæcularium audiendas, & si Episcopus irrationabiliter Religiosis prædictis deneget permissionem audiendi dictorum sæcularium confessiones, nihilominus, possint illas audire, concedente hoc Sede Apostolica.

Negatiuam sententiam docent *Suares, Sylvius, Coninch, Filliucius, Vasques, Fernandes* & alij. Propter rationes numero præcedenti allatas; qui etiam putant *Clementina Dudum*: esse derogatum per Tridentinum.

Cæterùm quamuis respectu aliorum regularium derogatum sit concessioni *Clementinæ*: non tamen respectu Fratrum Prædicatorum, & Fratrum Minorum: quibus non vt reliquis religiosis ex priuilegio, sed vi iuris communis, in Concilio Generali Viennensi statuti competit, se posse audire confessiones sæcularium, Quapropter, etiamsi Tridentinum requirat obtentam, derogetque priuilegijs & consuetudini immemorabili, per huiusmodi tamen clausulam derogatoriam, non potest censeri derogatum *Clement. Dudum*, quoad hoc: quia Concilio Generali, quo approbante est Clementina relata in corpus iuris, non derogatur, nisi expressè. Propterea si approbationem iniustè neget præsentatis Ordinarius, possunt præsentati confessiones sæcularium audire, absque alia approbatione. Ita plerique Doctores citati pro sententia affirmatiua.

Et confirmatur hæc sententia ratione congruenti: quia leges moderniores, quando in communi tantum loquuntur & expressè antiqua decreta, legesque de casu aliquo in particulari loquentes, non reuocant, trahuntur ad sensum legum antiquarum, vt egregiè probat Nauarrus per Multos & multa iura in *cap. placuit, de pœnitent. distinct. 6. num. 147.* Vnde cum lex & decretum Clementinæ *dudum* sit antiquius decreto Concilij Tridentini, & expressè loquatur de hoc casu, & Concilium loquatur tantum absolutè & in generali; & non reuocet in particulari prædictum decretum, ac priuilegium Clementinæ *dudum*, potius Concilium Tridentinum in hoc particulari explicandum est, & trahendum ad sensum prædictæ Clementinæ, quam prædicta Clementina explicanda, trahendaque sit ad dictum, & prædictum sensum Concilij Tridentini.

9. Doctores variè sentiunt, cuiusnam Episcopi approbatio sit necessaria, vt Sacerdos non habens Parochiale beneficium, censeri possit idoneus confessionibus audiendis? Quidam enim volunt approbationem cuiuslibet Episcopi indifferenter sufficere, siue ille sit Episcopus loci, siue clerici, siue pœnitentis: quia Concilium Tridentinum nihil aliud requirit, nisi vt sit ab Episcopo approbatus; ergo vbi lex non addidit determinationem, non est à nobis addenda. Ita *Henr. l.7. de indulg.c.12.§.4. Corduba in Sum. Hispanæ quæst. 10. Alphonsus de Vega in Summ.p.1.c.62.casu 16. Petrus Ledesm. de pœn.c.11. Regin. l.1.num.186. Conin.disp.8.dub.7.num.53.* & alij apud *Sanch. in sel.disp. 44.num.1.* Tum quia mens Concilij postulantis confessarij approbationem ab Episcopis, eo tendit quod ignorantes confessarij confessionum excipiendarum munus non exequantur. Quid igitur refert tua Concilium potius vnius Episcopi quam alterius habere approbationis testimonium, & scientiæ confessarij? tanè nihil. Obid *Sanchius* ipse n. 10. prædictæ disputationis censet per principia extrinseca ductus, hoc est, ob authoritatem Doctorum citatorum; confessarium approbatum ab vno ordinario, & alibi confessiones excipientem, non peccare contra Religionem seu reuerentiam debitam Sacramento; quia irreuerentia non committitur aduersus Sacramentum, quando minister se illud valdè perficere arbitratur probabiliter; quamuis principijs intrinsecis nixus hoc est ratione idem Author arbitretur, sacrilegium fieri quoties in administratione Sacramentorum via certa pro dubia absque causa commutatur. Et probabilem hanc sententiam vocant *Sanch.de matr.disp.34.num.16. Fagund.prac.2.l.7.c.2.num.18.&* 89. Item & Caspensis respectu regularium mendicantium *tr.11.disp.3.n.31.* Vide etiam dicta a Diana *p.6.tr.7.res.59.* vbi pro hac sententia citat Ludouicum Celsum Societatis Iesu *l.5. de Hierarchia c.25.* & Stephanum Baunj *in Theol.mor.p.1.tract. 4.quæst.4.*

Alij contendunt necessariam esse aprobationem ab Episcopo loci, in quo fit confessio; quia Episcopo loci commissa est cura animarum in loco sui Episcopatus commorantium, non verò alijs extraneis Episcopis; ergo ad illum solum pertinet approbatio omnium, qui in illo loco audituri sunt confessiones. Ita *Gutier. l.1. canonic.qq.c.27. num.6. & seq. Laym.l.5. tr.6.c.11.num.9.*

Tertia opinio est approbationem requisitam à Concilio, esse approbationem Episcopi ipsius pœnitentis; ita sentiunt multi Theologi & Iurisperiti in legendo & consulendo. Ratio est, quia ad ipsum pertinet prouidere ministros idoneos suis ouibus; & fieri potest, vt iudicatus idoneus pro vno Episcopatu, non habeat scientiam sufficientem pro alio; vnde in hoc consultum est muneri & obligationi Episcoporum; ergo hæc fuit intentio Concilij. Et ita prouisum est, sicut est magis consentaneum rectæ gubernationi & ordini hierarchico, vt vnusquisque suarum ouium curam habeat. Ita *Sylu. in suppl.3. p.q.8. a.5.quæst.5.concl.1.*

Quarta denique sententia est, approbationem necessariam, esse dandam ab Episcopo illius, qui auditurus est confessiones, & illam esse sufficientem. Tum quia hæc approbatio, est secundum aliquos actus iurisdictionis, qui exercetur in subditum, ergo per se pertinet ad superiorem, qui iurisdictionem habet in eum, qui approbatur, ergo dari debet ab Ordinario eius, & cum approbatio hæc non respiciat, per se loquendo, hunc vel illum pœnitentem, sed sit absolutum iudicium de idoneitate Sacerdotis ad audiendas confessiones, ergo per se ipse ctat ad eum, qui est ordinarius Iudex & Episcopus eius, qui audituris est confessiones. Tum quia hoc patet ex duplici Cardinalium declararatione apud *Suar.disp.28.sect.6.nu.6. Fill. tract.7.num.260. Reginald.l.1.num.184. Conin.disp.8.dub.7.n.50.51. Fernand.p.3.c.6.§.9.num.17. Bonac.disp.5.q.7.p.4. §.1. nu.16. Tamb. tom.4.disp.6.q.9.n.25. Arnisæus. 8.disp.15. n.117.*

Prior est, in qua fuit quæsitum, an ex vi priuilegij, quod habet Episcopus sibi eligendi confessarium, posset sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, à proprio ordinario non approbatum? *S. D. N. audita relatione congregationis declarauit, Episcopum vigore priuilegij, de quo in cap. final. de pœnit. & remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem, sibi non subditum, qui a proprio ordinario non fuerit adhuc ad formam huius decreti admissus, seu approbatus ad audiendas confessiones.* In qua Pontifex apertè supponit, requiri approbationem Episcopi ipsius confessarij, alioquin si sufficeret approbatio Episcopi pœnitentis, posset Episcopus eligere sibi confessarium non subditum, eumque approbare. Posterior est, in qua dubitatum fuit; an Sacerdotes, qui in bulla Iubilæi debent supponi approbati ab ordinario, debeant intelligi approbati ab ordinario Pœnitentium, an confessariorum? *Declarauit S. D. N. tempore Iubilæi posse omnes Regulares confiteri peccata sua Sacerdotibus approbatis ab ordinario, ad audiendas confessiones.* In bulla autem non fit mentio nisi de ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non autem de ordinario ipsorum pœnitentium. Atqui Pontifex in Bulla Iubilæi semper vult seruare Ius Concilij; igitur ex hac declaratione sequitur iuxta Concilium solius Episcopi Sacerdotis approbationem necessariam esse, & sufficere.

Pro solutione huius dubij dicendum est, primam sententiam videri valdè amplam, nimiamque licentiam concedere, & fundamenta eius non esse firma. Similiter secunda sententia non est admittenda; quia accidentarium est huic Sacramento, quod in hoc vel in illo loco fiat, dummodo iurisdictio confessorum in pœnitentem retineatur; quilibet enim confessarius approbatus habens iurisdictionem, potest suum subditum vbicumque repertum, sacramentaliter absoluere, cùm in eis quæ fiunt absq; strepitu iudicij non violetur ius alicuius: vt diximus v. *Absolutio num.8.* & v. *Confessarius* 1.n.10. Tertia & quarta sententia tam probabiles & in praxi tutæ; mihi tamen maximopere placet quarta, propter responsa Cardinalium ex mente Pontificis facta. Huic sententiæ adhærent, *Suares, Filliucius, Reginaldus, Conninch, Fernandes, Bonacina*, & alij hoc numero citati.

10. Parochus quamdiu habet beneficium Parochiale, censetur vbique approbatus; ita vt virtute priuilegij, aut delegationis factæ ab altero Parocho cuiuscumque diœcesis orbis terrarum, eligi possit eique committi possint propriæ oues. Ratio est, quia huiusmodi beneficiatus ex Concilio Tridentino nullam aliam approbationem requirit, præterquam quod

Paro-

Parochiale beneficium habeat, vt possit sæcularium confessiones audire; vnde si extra diœcesim non posset eligi, nec etiam extra suam Parochiam posset, cùm ex vi beneficij solùm videatur approbatus pro sua Parochia; Nihilominùs ex vi Concilij reputatur illa approbatio sufficiens pro alijs parochijs, etiam alterius Diœcesis. *Suar disp.28.sect.4.n.18. Sylu.in suppl.q. 8.art.5.quæst.6 concl.1. Diana p.1.tr.11.res 8. Fagund.prec.2.l.7.c. 2.num.35. Vnaldus de confess.num.27.concl.1. Reginald.l.1.cap.16. quæst.3.num.189.*

Nomine verò Parochialis beneficij in Concilio, intelligenda veniunt etiam superiora beneficia habentia curam animarum, vt sunt Episcopatus & Archiepiscopatus, & vt sunt etiam aliqui Abbates; Archipresbyteri, Archidiaconi qui habent curam animarum annexam; quia de his omnibus eadem vel fortasse maior est ratio. *Fill.tr.7.num.257. Suar.c.n.21. Reg.c.n. 190.* Non veniunt autem hoc nomine Prælaturæ regulares. v. g. Rectoratus, Prioratus, Prouincialatus, Generalatus, quamuis affirmatiuæ opinionis olim fuerint Magister *Mantuus, Gallo, Rannes,* & *Medina* & alij Dominicani hac de re consulti Salmanticæ. Ratio nostræ assertionis negatiuæ est, quia Concilium Tridentinum loquens de omnibus religiosis expressè ait, illos debere esse ab Episcopo approbatos, vt reputentur idonei confessarij sæcularium. *Dian.p.2.tr.2.res.44.& par.5.tra. 11.resol.52. Rodr in bulla cruc.§.9. dub.1.num.4. Suares c.num.21. Tanbur.de iur.Abbat.tom.2.disp.6.quæst.17. Caspensis tract.24. disp. 5. num.63.*

Sacerdos verò qui non habet beneficium Parochiale, si sit approbatus ab vno Episcopo, non propterea est approbatus pro alijs diœcesibus, sed solùm pro tota Episcopi approbantis diœcesi, si absolutè sit approbatus; & ad hoc facit declaratio Eminentiss. DD. Cardinalium ab Archiepiscopo Valentino cõsultorum, cuius tenor sic ait: *Congregatio respondet, Approbatum ab alio quam a Valentino Episcopo, in Diœcesi Valentina non censeri approbatum ab Ordinario.* Ita *Gutt. in qq.canon. l.1.c.27. Vasq.q.93.ar.3 dub.4.num.3. Layman l.5.tract.6.c.11.num 8. Syl. e.art.5.quæst.6.concl.2. Præpositus 3. part.de pœnitent. quæst.8. dub. 4. num.19.*

11. Probabile est approbationem vnius Episcopi datam simpliciter, & absque restrictione ad loca, vel diœcesim vel personas, declarando simpliciter personam Sacerdotis esse idoneam ad Pœnitentiæ Sacramentum ministrandum, sufficere pro tota Ecclesia ex hac parte, id est, vt Sacerdos sit idoneus ad iurisdictionem recipiendam ab eo, qui aliàs possit eam delegare; hanc sententiam secuti sunt Doctores Salmanticenses, quibus, adhærent plurimi Doctores alij, vt *Suar.dis.28.sect.7. Reg.l.1.n. 188. Fill tr.7.num.261. Dian.p.1.tr.11.res.7. Henr.l.3. de pœn.c.5. num.7. De la Cruz in dir.de pœn.q.5.dub.9. Præpositus c.q.8. dub.4. num.21.* Vnde talis Sacerdos simpliciter approbatus, siue regularis siue sæcularis sit, eligi poterit ab omni eo cui facta est eligendi potestas, siue à Summo Pontifice, siue ab Episcopo, siue etiam a Parocho proprio.

12. Approbatio confessarij secundùm quid, id est, pro certo loco, vel ad tempus, vel pro talibus personis, vel pro tali diœcesi, non sufficit vltra terminos concessionis: talis est approbatio data ab Episcopo pœnitentis, qui non est ordinarius ipsius confessoris; nam ille solùm respectiuè potest illum approbare pro suis subditis, & ideò sic approbatus ab alijs non subditis tali Episcopo, eligi in confessorem non poterit, nec alio modo iurisdictionem in illos accipere; quia nullo modo est approbatus ab Ordinario respectu illorum. Ita *Sylu.in supplem.quæst.8.art.5.quæst.6. Suares disp.28.sect.7. Filliuc. tract.7. num. 262.*

An autem talis sit eligibilis per bullam Cruciatæ, aut Iubilei? Probabile est quòd sic; quia in his bullis non requiritur vt confessarius sit actu approbatus, quando eligitur, sed sufficit, vt olim habuerit approbationem; modò non fuerit ex causa reprobatus; vide *Dian. p.1.tr.11.res.9.10.& 11.& p.5.tr.12.res 49.* locis citatis.

Et tamen hic adnotandum Episcopis; quòd in approbatione Regularium pro confessionibus sæcularium excipiendis, si praxio examine Regularem aliquem idoneum inuenerint, illum simpliciter absq; vlla temporis, loci, seu personarum limitatione, indistinctè approbare & admittere debent & tenentur: vt à Sacra Eminentiss. Cardinalium Congregatione, per hæc verba, declaratum fuit, die 2. Iulij. 1587.

Regulares qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarys, eorumve examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indistinctè absq; aliqua limitatione temporis, certorumve locorum, aut generis personarum, admittantur in Diœcesi propria. De cæteris verò, qui non adeò idonei reperientur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinquit, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem Ordinarijs magis expedire videbitur, probare, & admittere.

Ita refert *Ioannes Bapt. Confectius* in summario priuilegiorum Maris magni *tit.16.c.4.*

An autem confessarij mendicantes ab Episcopis approbati, indigeant facultate Parochorum, ad excipiendas confessiones sæcularium; maxime si in licentijs suis habeant, ne illas excipiant extra Monasteria absq; facultate Parochorum, vide supra v. *confessarius 11.n.19.*

13. Quamuis attento Concilij Tridentini decreto probabile sit, vt dictum est, Sacerdotem à suo Episcopo approbatum absolutè, posse vbique recipere iurisdictionem, quantumuis mutet domicilium, & desinat esse subditus Episcopi approbantis; quia in rigore verba Concilij non amplius exigunt, & Episcopus approbans verè potuit authoritatiuè declarare talem esse idoneum ad confessiones excipiendas. Cæterùm cum approbatio nullam det iurisdictionem, possunt singuli Episcopi in suis diœcesibus, non delegare suam iurisdictionem Sacerdotibus à se non approbatis, & etiam prohibere suis parochis ne illam delegent nisi eisdem, etiam irritando delegationem secus attentatam; quod rationabiliter facere possunt, vt aliquo modo cognoscant de capacitate eorum, qui in suis diœcesibus confessiones excipiunt. Ita *Suar.sect.7. Coninch d. 8.dub.7.nu.57. Dian.p.3.t.4.res.110.146.& 160. Amic.to.8.de pœn. dis.15.sect.3.n.123.*

14. Qui virtute Iubilæi vel alterius priuilegij, facultatem habet eligendi confessarium approbatum ab Ordinario, secundùm probabilem sententiam plurimorum Doctorum, potest eligere confessarium approbatum ab ordinario alterius diœcesis. Ratio est, quia bulla non requirit Sacerdotem approbatum ab Ordinario illius loci, sed simpliciter, & in communi requirit Sacerdotem approbatum: vbi autem lex non distinguit, neque nos distinguere debemus; & sic respondisse refert *Henr.l.3.de pœn.c.6.n.7.& l.7.c.12.* præcipuos Theologos Hispaniæ Dominicanos, Minoritas, Augustinianos. Huic etiam sententiæ subscribunt, *Conin.dis.8.dub.7.num.53. Syl.in suppl.q. 8.a.3.quæst.concl.3. Cordub.in sum.quæst.10. Rodr.in bulla cruc.§.9. dub.2. Suar.dis.28.sect.7.num.6.& 10. Dian p.1.tr.11.res.7.& p.5. tr.12.res.53.*

Contrarium tamen est æquè probabile, ne dicam certum, si fides adhibenda sit prædictæ Cardinalium declarationi, ex qua euidenter colligitur, eligendum esse confessarium approbatum ab Episcopo loci, quo quis intendit sua peccata confiteri; Ratio est, quia Sacerdos approbatus in vna diœcesi, non censetur approbatus pro alia. Hanc opinionem reputant *Suares, Syluius,* & alij securiorem pro praxi & sequendam.

15. Approbatum pro aliqua solùm familia virtute Iubilæi aut alterius priuilegij posse eligi in confessorem, tamquam ab Ordinario approbatum, alij aiunt, nempe *Henr.c.n.8. Conin. c.n.57. Sanch.de matr.l.8.d.34.nu.16.* alij negant, scilicet, *Suar.c. sect.7.n.3. Rodr.in sum.to.1.c.60.n.4.* vtraque sententia probabilis est; vide Dianam *1.p.tr.11.res.10.& p.5.tr.12.res.49.*

16. Sacerdos, qui aliàs habuit beneficium parochiale, sed modò est illo priuatus, aut iustè suspensus ab illius vsu, non censetur sufficienter idoneus & approbatus ad audiendas confessiones tempore Iubilæi, aut alia occasione, excepto mortis articulo. Ratio est, quia Concilium expressè requirit, vt actu illud habeat, illis verbis, *nisi aut Parochiale beneficium habeat,* & non dicit, aut habuerit, & à iure expresso, & positiuo non est recedendum. Quapropter si ille qui renunciauit beneficio Parochiali, iam non manet ipso iure eligibilis & idoneus vt vbique eligatur; maiori cum ratione amittet rationem idonei, qui ob crimina sua, & culpa priuatus est beneficio curato, dum illo priuatus est. Ita *Suar dis.28.sect.4.n.20. Henr.l.7. c.12.n.3.& 4 Reg l.1.n.190. Dian.p.1.tr.11.res.8.& p.5.tra.12.res. 47. Syl.q.8.a.5.quæst.6.concl.1.* & alij communiter, contra *Rodr. in add.ad bullam §.9.nu.4. De la Cruz in director. de pœnit. quæst. 5.dub.8.c.4.*

Idem dicendum de eo qui aliàs fuit approbatus, sed modò iusta de causa est reprobatus.

17. Quidam existimant religiosum teneri tempore Iubilæi eligere confessarium ab Episcopo approbatum, si intendat lucrari Iubilæum. Ratio est, quia Summus Pontifex potuit animaduer-

animaduertere confessarios strictiori calculo examinari atq; approbari consueuisse ab Ordinarijs locorum, quam à Superioribus Regularium, & ideò de ipsorum sufficientia confidés, eius munus in quo Pontificiæ vices subeundæ sunt, illis potissimùm iure merito demandari voluit; deinde Superioribus Regularium non conueniunt verba illa in Iubilæo posita, *Ordinarijs locorum*, ergo neque dispositio eiusdem Iubilæi competere potest. Hæc sententia est probabilis, quam tenent, *Suarez disp.28.sect.6.n.11.Reg.l.1.n.175.Fag.prec.2.l.7.c.2.nu.12.Henr.l.6.c.7 n.4 & l.7.c.22.n.5.Iust.K.*

Oppositum tamen valde probabiliter sustineri potest. Tum quia verba bullę non apponuntur priuatiuè, sed potiùs ampliatiue in fauorem pœnitentis, ita vt pœnitens non solùm possit confiteri suo Prælato aut alteri Sacerdoti ab illo approbato, verum etiam possit quemlibet Sacerdotem ab ordinario approbatum eligere. Tum quia quando bulla Iubilæi dicit, quòd Sacerdos sit ab Ordinario approbatus, verba illa *ab Ordinario* intelligenda sunt secundum expositionem accommodam, ita vt nomine *Ordinarij* intelligatur Episcopus, si agatur de approbatione confessarii pro audiendis confessionibus sæcularium: respectu autem regularium, intelligatur Prælatus ipsorum; & hæc opinio procedit etiam quoad Nouitios. Ita *De la Cruz de statu relig.l.2.c.6.Coriol.de casib.ref.p.1.sect.3. a.13.Bon.disp.5.q.7. par.4.§.1.num.25.Diana par.2.tract.3.resolut.47. & part.5.tract. 12.resol.37.*

Dubium fuit inter Doctores, an Moniales tempore Iubilæi possint eligere quoscumque confessarios ab Ordinario approbatos, etiamsi in particulari non sint ad earumdem Monialium confessiones ab Ordinario deputati; negatiuam sententiam amplexi sunt quidam à *Dian.par.3.tra.4.ref.154. & p.5. tr.12.ref.12. & p.6.tr.8.ref.28.* citati; sed post bullam Sanctissimi Domini nostri *Vrbani Octaui*, hoc punctum non habet ampliùs difficultatem, cùm Pontifex concedat expressè Monialibus, vt tempore Iubilæi possint sibi assumere Confessarium approbatum ab Ordinario loci. Huius bullæ initium est, *Pontificia solicitudo*, & habetur *to.4. Bull.in eius const.16.* Vnde Moniales tẽpore Iubilæi, possunt eligere sibi confessarium à solo Prælato Regulari approbatum, si electus sit regularis, vel ab Episcopo, si sit sæcularis, & hoc siue Moniales sint subiectæ Episcopis, siue Prælatis regularibus, nec est necesse quòd Moniales regularibus subiectæ confessarium eligant ex sua religione; sed possunt eligere ex quacumque. Ita eruditè Laurentius de Peyr. *in priuileg.Minim.to.3.c.4.super const.Leonis X.n.4.* Bord. *in consil.reg. ref.34.num.53.*

18. Approbatio semel facta semper durat donec reuocetur, nec morte approbantis extinguitur, sicut & iurisdictio; quia gratia non expirat morte concedentis; vtraq; autem potest reuocari; & quamuis reuocans sine causa peccare possit, reuocatio tamen est valida, saltem in sæcularibus, quia tota illorum approbatio & iurisdictio pendet ab Episcopis. Pro regularibus autem extat priuilegium *Pij V.* vt semel ab Episcopo approbati, non possint ab eodem iterum examinari, possint tamen ab eius successore. De his *Suar.disp.28.sect.8.num.2.Sylu.q.8.ar.5. quæst.6.concl.5.Sà v.gratia Regnaldus lib.1. num.200.Tanner.de pœn.disp.6.q.9.nn.37.Trapositus de pœn.q.8.dub.3. num.17. Dian.p.5. tr.14.ref.21.*

Sed dubium est, an similiter Episcopi possint Parochos ad nouum examen vocare? videtur enim quòd non; tum quia animarum curatores, qui perpetuum titulum habent, à iure approbationem obtinent, quam locorum Ordinarij ab eis reuocare non valent. Tum quia Parochi medio examine acquisierunt ius quòd videlicet declarentur tanquam idonei ad munus Parochiale absolutè, & non limitatè pro aliquo tempore; igitur ius habent iustitiæ, quòd semper reputentur habiles, dum ex indicijs sufficientibus oppositum non constiterit. Sed his non obstantibus contrarium tenendum est, non solùm si de aliquo Parocho esset fama publica defectus scientiæ, sed etiam generaliter omnes Parochos, quamuis nulla præcedat infamia. Ratio est, tum quia Episcopus potest vocare ad examen confessarios tam sæculares, quam regulares, vt omnes Doctores concedunt, vt experiatur an sufficientes sint vel non, quia fundamentum sufficientiæ mutabile & variabile est, qualis est sufficientia, & boni mores? ergo etiam fas erit illi vocare ad examen Parochos vniuersos, vt ei per experientiam innotescat, an illorum scientia sit extenuata, & boni mores mutati, cùm Parochi nullo modo possint inuari iure aut exemptione magis, quàm cæteri confessarij. Tum

quia ex Concil.Trid. *sess.21. c.8.* Episcopus habet ius visitandi annis singulis Parochorum vitam & mores: quare igitur impeditus erit illorum scientiam perquirere? nisi enim perquiratur Parochorum scientia, sciri nequaquam poterit, num rectè ministrentur Sacramenta vel non præcipue Pœnitentiæ. Tum quia Sacra Congregatio Concilij *in una Placentina sub die 6.Augusti* 1618. censuit liberum esse Episcopis, tam in visitatione, quam extra, iterum examinare super doctrina & literatura Parochos approbatos ab Antecessore tempore prouisionis Parochialium, nec non superueniente rationabili causa & suspicione ignorantiæ posse examinare ad effectum *cap. 6. sess.21 de reform.* vt refert Barbosa *de potest.Parochi c.2.num.10.* Vnde hanc sententiam tenet *Sanctus in select. disp.50.* & post illum *Diana part. 4. tractat.4. resol. 59.* contra *Homobonum & Reginaldum.*

Aduertendum hìc est cum *Rodriques tom.1.qq.reg.q.59.art.4. De la Cruz de stat.rel.l.2.c.6.dub.4.concl.4.Crousaz cap.7.reg.S. Franc. lect.27.* per Constitutionem *Pij V.* quæ incipit, *Romani Pontificis*, editam anno 1571. 8. *Idus Augusti*, non esse derogatum Clementinæ *Dudum de sepulturis*, quantum attinet ad FF. Minores & Prædicatores, secundum prædictam Clemẽtinam approbatos: hi enim non debent iterum examinari, approbari, aut reprobari à successoribus Episcopis. Quantum vero ad reliquos Mendicantes derogatum est in hoc Clementinæ. Ratio est, quia Fratribus Dominicanis & Minoribus per ius commune competit hæc perpetuitas approbationis, non autem per priuilegia; vnde per reductionem priuilegiorum ad terminos iuris communis & Concilij Tridentini quam fecit *Gregorius XIII.* & Constitutionum *Pij V.* Clementinæ non censetur derogatum quoad Fratres Minores & Prædicatores. Alijs autem Mendicantibus tantum per priuilegia competit, quibus derogatur per *Pium V.* & per congregationem Concilij. In declaratione enim prædicta *Pij V.* sicut & in Concilio Tridentino non reuocatur ius commune, nec priuilegia in iure communi inserta; quia cum ista vendicent sibi aliud nobilius nomen, & sint iam leges communes, non manent reuocata, per generalem reuocationem omnium priuilegiorum: vt docent communiter Iuristæ, in *L.hæres absens, ff. de iudicijs.* secùs tamen est de alijs priuilegijs. *Fel.c.1 de reser.n.12. Nau.l.3.Cons. 87.item de regul.*

Quæri hìc deinde posset, an Episcopi possint licitè & validè sine rationabili causa reuocare approbationes liberas regularium audiendi confessiones? Respondendum est negatiuè. Ratio est, quia talis reuocatio sine causa facta, est quasi ablatio iuris iam acquisiti, vel quasi reuocatio sententiæ iustæ sine causa: ergo non tantùm erit iniusta, sed etiam nulla: Ita *Suarez disp. 28. sect. 8. num. 7. Portel in dub. reg. v. Confessoris præscriptio num.1. Diana par.3.tract.2.ref.22. & par.4. tractat.4. ref.200. Mercerus 3.p.q. quæst.8.art 4. dub.2. num.8. Tamburinus de iure Abbatum tom.2 disp.6. quæst.12. num. 7.* Proinde Sacra Eminentiss. Cardinalium Congregatio hac de re consulta sic decreuit.

Cum sacra congregationi Cardinalium negotijs Episcoporum & Regularium præpositorum, innotuerit confessarios regulares graviter conqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis & locorum Ordinarijs, ab audiendis confessionibus, quamuis de causa indiscriminatim suspendantur: & propterea sæpe contingere vt ab iisdem Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, omnibus simul vnius conuentus confessarijs, confessiones audiendi facultas adimatur.

Illustrissimi eiusdem sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri posse, vt hac sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant, re matura perpensa, ad omnem scandali materiam submouendam, & quo magis spirituali piarum mentium consolationi consulatur, statuunt ac decernunt, Archiepiscopis, Episcopis, aliisq; locorum Ordinarijs, ad quos confessarios approbandi ius spectat, confessarios regulares alias ab ipsis libere approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere posse hac minime licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente aut ob non seruatum interdictum ab ipsis Ordinarijs posito.

Statuunt insuper, eosdem Archiepiscopos, Episcopos, locorumque Ordinarios, confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius conuentus regularibus confessarijs, eadem sacra Congregatione inconsulta, nullo pacto adimere posse. Quod quidem decretum: ne quem Illustrissimi Patres opportunum & necessarium duxerunt, ita mandabiliter iubent obseruari. Romæ 20. Nouembris 1615.

Hoc decretum extat apud *Puteanum par.2.de confess. dub.vlt.*

& illud

& illud asserunt *Gauant. in Man. Episcoporum, v. confessor, nu.* 23. & 24. citatus, vbi ex *Ioanne Baptista Lezana* docet, si contra determinationes huius decreti, confessarij regulares suspendantur ab audiendis confessionibus, quòd non tenentur obedire.

19. Confessarij ac Prædicatores religiosorum Mendicantium semel ab aliquo Ordinario approbati & à suis Superioribus deputati, siue in mari, siue in terra iter faciant, possunt, non repugnantibus curatis, prædicare, & omnium fidelium cõfessiones audire, dummodò id non faciant in præsentia Ordinarij, nisi licentia ipsius desuper obtenta. Ita concessit *Gregor. XIII.* Societatis Iesu religiosis; vt videre est in Compendio priuilegiorum Societatis, *v. Confessarius*, §. 2. de quo priuilegio mentionem faciunt *Rodr. in bull. cruc. §. 9. n. 144. Gutt. l. 1. q. 4. can. c. 27. n. 21. Henr. l. 3. de pœn. c. 6. n. 8. Iust. I. Suar. dis. 28. sec. 7. num. 13. Tamb. de iur. Abb. to. 2. dis. 6. q. 14.*

An autem huic priuilegio sit derogatum per constitutionem *S. D. N. Vrbani VIII.* editam die *17. Septemb.* 1628. quæ incipit, *Cum sicut accepimus*, est dubium. Quia in dicta constitutione reuocantur omnia indulta audiendi sæcularium confessiones absq; Ordinariorum approbatione, vel examine. Vnde vt vtriùs procedatur in futurum in re tam magni momenti, esset petenda declaratio à Sum. Pontifice.

In his tamen Prouincijs Belgicis prædicta Constitutio non fuit publicata, ac proinde, nec viu recepta; cùm in his secundùm *Præp. 3. p. de pœn. q. 8. dub. 4. n. 23.* vigeat consuetudo, vt religiosi semel ab aliquo Episcopo approbati, mutantes habitationem & migrantes ad aliam Diœcesim, non petant nouam approbationem; quæ consuetudo ortum habuit ex sententia probabili variorum Doctorum: vnde religiosi ibidem iese secundùm eam gerentes, non possunt merito reprehendi, quamdiu Episcopus, ad cuius Diœcesim commigrant, eos ad examen non euocat. Idem docet *Conin. de Sacr. dis. 8. du. 7. n. 57.* his verbis. Quamdiu Episcopus non prohibet suis Parochis, aut Superioribus religiosorum, ne Sacerdotes alibi approbatos ad audiendas confessiones, in sua diœcesi exponant, hi validè assumuntur & exponuntur: quia habent conditionem à Concilio Trident. requisitam, quòd scilicet à suis Ordinarijs sint approbati.

Consulantur *Dian. p. 3. tr. 4. res. 110. 146. 160. Crous. ad c. 7. reg. S. Francisci. 27. fol. 765. Laym. l. 5 tr. 6. c. 11 n. 8.* Et pro hac sententia fauet quod docet Ioannes Sanc. *in fel. dis. 44. nu. 27. & 28.* Quando igitur, *inquit*, aliquis iudicauerit, probabilem esse opinionem cententem, approbatum ab vno Episcopo posse vbiq; excipere confessiones, & ea vti velit, iniuste punietur ab Episcopo, à quo non est approbatus, propterea quòd in Diœcesi eius audiat confessiones. Cùm enim probatum sit huic conferri iurisdictionem à Summo Pontifice, Episcopi licentia non eget: iniquumque erit puniri actum virtuosum, iuxta opinionem probabilem elicitum. Et multò minùs punire confessariũ esset fas, si constaret illum de defectu opinionis monuisse pœnitentes, tunc enim nequaquam contra charitatem nec iustitiam delinquit, Quia res quæ culpa carent, in damnum vocari non debent. *c. 2. de const.* Nec sine culpa quispiam puniendus est. *ex regula iuris in 6.*

Et quamuis Episcopus oppositam habeat opinionem iuxta quam dicat ipse commisisse crimen confessarium excipientem confessiones absq; sua approbatione, adhuc mortale erit, grauiter illum punire confessarium. Nam delictum non debet iudicari esse tale iuxta opinionem punientis, sed iuxta conscientiam delinquentis; at conscientia operans ex opinione probabili, nequaquam peccatrix est, & consequenter, nec pœna digna. Hæc ille passim.

Hæc intelligenda sunt de religiosis priuilegiatis qui iurisdictionem habent à summo Pontifice, interueniente approbatione Episcopi: non autem de alijs confessarijs: quia approbatio Episcopi quoad hos tantùm deseruit, nisi aliud explicetur, vt illis committi possit iurisdictionis materia à quocumq; proprio Sacerdote; non verò vt actu habeant iurisdictionis materiam totam diœcesim.

Porrò licet hæc sint probabilia, regulares tamen parcè & modestè in praxi hac opinione vti debent; curentq; semper habere approbationem ab Ordinario illius loci in cuius Diœcesi residunt, tum ob debitam reuerentiam, tum etiam ne exinde aliquod scandalum oriatur.

CONFESSARIVS IV.

Quoad bonitatem, scientiam, prudentiam illi necessariam.

SVMMARIVM.

1. *Ad validitatem absolutionis, non requiritur in confessario ad aliqua bonitas.*
2. *Bonitas gratiæ requiritur in confessario, vt licitè & sanctè Sacramentum Pœnitentiæ administret. Et an tot peccata committat, quot personas absoluit in peccato mortali.*
3. *Sacerdos, qui in peccato mortali incipit audire confessionem, cum spe habendæ contritionem priusquam absoluat, an mortaliter peccet.*
4. *An requiratur in confessario scientia.*
5. *Debet confessarius scire discernere peccatum, veniale sit, an mortale, non speculatiuè sed practicè. Item*
6. *Quid necessarium sit, vt pœnitens sit sufficienter dispositus, ad absolutionem. Item materiam & formam Sacramenti: Item circumstantias explicandas in confessione, casus reseruatos, irregularitates, &c. debet scire.*
7. *Confessarius debet intelligere ea, quæ frequentius eueniunt, & de aliis sufficit scire dubitare.*
8. *Relinquitur arbitrio prudentis viri diiudicandum, quænam scientia sufficiens sit, in confessario, habita ratione locorum & personarum.*
9. *Quid faciendum confessario, quando difficilis casus accidit in confessione, quem ipse nequit statim dissoluere.*
10. *Grauiter peccat, qui scienter se ingerit ministerio audiendi confessiones, absque sufficienti scientia.*
11. *An confessio sit iteranda, facta Sacerdoti ignaro; Refertur duplex sententia.*
12. *In duobus casibus, est iteranda confessio ob imperitiam confessarij.*
13. *Vt grauiter peccet Episcopus, vel superior, qui ad hoc munus exponit Sacerdotem ignarum.*
14. *Qui iudicat se non esse idoneum ad confessiones audiendas, grauiter peccat, nec tenetur præcepto superioris obedire: at si dubitet de sua sufficientia, poterit sese præcepto superioris conformare.*
15. *Quando possit scientia confessarij supplere.*
16. *An prudentia sit necessaria in confessario.*
17. *Quæ pertineant ad prudentiam confessarij.*
18. *Prudentia confessarij elucere debet in docendo pœnitente ignaro iuris diuini vel humani.*

1. NVlla bonitas requiritur in confessario aliàs approbato & iurisdictionem habente, vt validè ministret Sacramentum Pœnitentiæ, præter quandam fidelitatem, qua non fictè, sed ex vera intentione perficiendi Sacramentum, illud ministret; Tum quia Concil. Trident. *sess. 14. c. 6. & canone* 10. definit potestatem absoluendi, non impediri per peccatum mortale; Tum quia per malum ministrum non contaminatur Christi donum, quod per illum sicut purus fluuius transit & venit ad fertilem terram. Ita *D. Tho. 3. p. q. 64. art. 5. Sylu. ibid. Filliuc. tr. 7. num. 250. Bonac. tom. 1. dis. 1. quæst. 3. par. 2. §. 1.* receptus communiter.

2. Necessaria est bonitas gratiæ, saltem in conscientia confessarij, scilicet, vt non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet probabiliter se esse confessum, aut contritum; ad licitè & sanctè administrandum Pœnitentiæ Sacramentum. Ratio est, quia sacerdos sancta sanctè tractare debet, & est minister consecratus ad hoc Sacramentum ministrãdum; vnde qui peccato mortali contaminatus illud administrat, Deo iniurius est, & peccat mortaliter, cùm contraueniat diuinæ voluntati & institutioni, impudenter Sacramenta tractando cum notabili irreuerentia. Ita *D. Th. 3. par. quæst. 64. ar. 5. & 6. Sylnius ibid. art. 6. quæst. 1. & in supplem. q. 8. art. 5. quæst. 7. Suar. to. 3. dis. 16. sect. 3. & tom. 4. dis. 28. sect. 1. Reginald. l. 1. num. 161.*

Rogabis, an tot peccata committat confessarius, quot personas absoluit in peccato mortali, affirmant *Azor. 1. par. l. 4. c. 4. quæst. 6. Suar. to. 4. d. 22. sect. 5.* probabiliter. Sed contrarium est

etiam

etiam probabile, dummodo successiuè illos pœnitentes absoluat; est enim vnicum peccatum in genere moris, non autem si cum notabili interruptione, nunc vnum, nunc alium absolueret. Ratio est, quia in præcicto casu est vna Sacramenti Pœnitentiæ administratio ad plures facta. Ita *Rodr. in sum. p.1.c.248.num.26. Hem.l.2.de pœn.c.5.num.6. Fagund.præc.2.l.3. c.5.num.9. Dian.part.2.tract.7.ref.43. Sylvius 3.p.quæst.64. art.6. quæsit.1.concl.4.*

Non tamen requiritur vt Sacerdos confessiones auditurus, si culpæ mortalis sibi conscius sit, vt confessionem sacramentalem præmittat, sed sufficit, si veram contritionem habeat. Attritio enim etiam perfectissima, non est sufficiens ad debitè hoc Sacramentum ministrandum, quamuis sufficiat ad hoc idē Sacramentum debitè suscipiendum. Ratio est, quia maior perfectio requiritur ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, quàm ad illud recipiendum; qui enim illud ministrat, gerit vices Dei & tanquam ipsius instrumentum gratiam producit, & ita opus est vt si in gratia; at verò recipiens Sacramentum, non confert gratiam, sed recipit, vnde non requirit tantam perfectionem in se. Ita *Medina de pœn.tr.1.q.6. Victor. in sum.num.135.& 136. Tol.l.3.c.15. Sylvius 3.part. quæst. 64. art. 6.quæsit. 2.*

3. Cùm Sacramentum Pœnitentiæ ac ministerium eius inchoetur in ipsa confessione pœnitentis, debet Sacerdos ad totum illud ministerium accedere bene dispositus, & in statu gratiæ: quia totum illud est Sacramenti opus, ac proinde graue peccatum est in Sacerdote, qui in peccato mortali confessionem alterius audit spe habendi contritionem priusquam absoluat. Posset tamen quis excusari à mortali, si aliqua necessitate compulsus inciperet in eo statu confessionem audire bona fide, & animo habendi contritionem quamprimùm possit, antequam absoluat; quia in tali casu quando Sacerdos conficit Sacramentum iam per actum contritionis elicitum, est in gratia, vt bene docent *Sylvius*, & alij hic citati. Vide *Sayrus de pœn.c.26.num.3. Nauar.in man.c.12.num.3. Henriq.l.6.c.18.nu.6. lit.V. Dian.par.1.tract.7.ref.47. Sylu.3.par.quæst.64.art.6.quæsit.1. in concl.4.*

4. Scienti requiritur etiam in confessario, vt pœnitentem imperitum doceat, & peccata sufficienter discernere valeat; quia nullus potest licitè iudicium exercere in aliqua causa graui, neque ad hoc munus iustè deputari, nisi habeat scientiam proportionatam suo muneri, ad ferendum æquum iudicium; quia alias exponit se euidenti periculo errandi; ergo multò magis in hoc iudicio, hoc est necessarium; nam est grauissimum & de re valde difficili & obscura, nempe, conscientia hominis, in qua etiam error esse potest maioris periculi & incommodi. Ita *Nau.in man.c.4.Reg.l.1.n.139. Fill.tr.7.n.254. Syl. in supp.q.8.a.5.quæsit 7. Bonac.disp.5.q.7.p.4.§.2.nu.4. Rec.de Sacra. c.38.q.10. Petr.Ledesm.tr.de pœn.c.13. concl.1. Sylu.v.conf.3. nu.2.* & alij communiter. Vnde Sacerdos exercens officium confessarij extra necessitatem sine decenti scientia grauiter peccat; quia exponit se periculo non ritè administrandi Pœnitentiæ Sacramentum. Quanta verò in particulari debeat esse hæc scientia sequentibus numeris explicabimus ex probatis Authoribus.

5. Secundùm sententiam plurimorum Doctorum, requiritur in confessario. *Primo*, vt sciat discernere peccatum, veniale sit an mortale, non quidem speculatiuè differentiam eorum cognoscendo, sed practicè; Non tenetur tamen in particulari: audito quolibet peccato explicitè iudicare esse mortale aut veniale, sed satis est, vt audiat & intelligat peccatum commissum, licet non possit omninò determinatum ferre iudicium; quia non tenetur confessarius noscere omnes rationes & circumstantias peccatorum; alioquin nullus reperiretur aptus & idoneus confessionibus audiendis, cùm nullus ferè cognoscat, quamuis doctissimus, omnes peccatorum rationes & omnes casus difficiliores: vnde in peccatis difficilioribus potest suspendere iudicium dato pœnitenti remedio opportuno ne recidat. Ita *Nauar.c.4.num.9. Reginaldus l.1.num. 126. Vasquez quæst.93.ar.3. dub.1. num.1. Sylvius c.quæst 8. art. 5.quæsit.7. Tann.de pœn.disp.6.quæst.9.dub.5.num.98. Croix.lib.cap. 7. regula Sancti Francisci lect. 31. fol. 800. Layman l.5. tr.6. c.13. num.1.* Nota tamen quòd licet, licet teneatur cõfessarius quantùm rationabiliter potest, super singula peccata mortalia quando proferuntur siue explicantur à pœnitente reflectere, interdum tamen contingat ex naturali & inculpabili inaduertentia aut distractione, aliquod peccatum labi absq; culpa confessarij. Ratio est, quia in hoc ministerio ad extrema & quasi moraliter impossibilia, ministros huius Sacramenti siue iudicij Deus non obligat, sed tantùm ad ordinariam diligentiam & humanam, quæ communiter iudicio prudenti rationabiliter in negotio serio à timoratis adhiberi solet: nec necesse est, vt singula peccata in memoria teneat quando pœnitentem absoluit; sed sufficit, vt statum peccatoris in genere tũc apprehendat, apprehensione generali ex particularibus reflectionibus coalescente siue emanante.

6. *Secundo*; confessarius debet scire quid necessarium sit, vt pœnitens sit sufficienter dispositus ad absolutionem, tam ex parte doloris, quam ex parte propositi; quia aliàs non potest scire an iustè absoluat necne.

Tertiò, debet scire & noscere confessarius quæ necessaria sunt ad materiam & formam Sacramenti, quot & quales circumstantiæ in confessione sint explicandæ; quoties iteranda sit confessio; quando ex peccato oriatur obligatio restituendi, vt moneat pœnitentem & ab illo debitam satisfactionem, vel saltem propositum eius requirat.

Quartò, debet scire casus reseruatos, vt sciat quid possit absoluere, quid verò non possit: Item excommunicationes, vel irregularitates, quæ frequentiùs accidunt apud pœnitentes, pro quibus est expositus. Ita *Suarez tom.4.dis.28.sect.2.Sylu.c. quæsit.7. Filliucius tract.7.an instruct.confessar.c.2. Rodr.sum.c.61. num.1. Tam.c.num.94. Petr.Ledes.c.13. concl.1. Bonac.disp.5.q.7. p.4.§.2.n.7.& 8.*

7. Ex communi Theologorum doctrina, non oportet vt confessarius possit hæc omnia per seipsum discernere, sed satis est vt intelligat ea quæ frequentius accidunt, & de alijs sciat dubitare; nam si dubitat potest legendo vel alios consulendo, semper in particulari scire quid oportuerit, & sic muneri suo satisfacere. Quando autem rationabile dubium alicuius excommunicationis reseruatæ occurrit, cauere debet confessarius, ne pœnitentem absoluat, antequam consilium à sapientibus capiat; vel libros reuoluat, ad rei veritatem indagandã, ne absolutionem impendat sine iurisdictione: vide *Conninch disp.8.dub.8.num.125. Layman c.cap.13. n.1. Nauarr. in Manc. 4.n.8. Petr.Led.c.13.conc.1. Vasq.q.93.a.3.du.1.*

8. Non potest certa regula determinari, quæ scientia mediocris sufficiens sit confessionibus audiendis, sine peccato mortali, sed relinquitur arbitrio prudentis viri, habita ratione locorum & personarum: nam qui confessiones excipit in ciuitate, doctior debet esse eo, qui in pagis confessiones rusticorum audit: Item ille qui ex officio expositus est ad audiendas omnium confessiones, maiori scientia indiget, quàm alius qui tantùm audit confessiones eorum, quos credit probabiliter non habere casus difficiles: Imò secundùm *Caietanum* potest confessor docti pœnitentis scientia iuuari. Denique vt confessarius non peccet exponendo se excipiendis cõfessionibus, in genere debet nosse casus, qui frequentiùs accidunt eo loco, vbi confessiones excipit: quia talis scientia habitualis requiritur, vt suo muneri satisfaciat. Ita ex communi *Nauarrus cap.4.n.12. Reginal.l.1.num.144. Bonacin.to.1. disp.5.q. 7.p.4.§.2. Præpositus de pœnit.q.7.dub.9. Tannerus c.n.97. Sylvius in suppl.4.8.a.5.quæsit.7.*

9. Quando confessario difficilis casus accidit in confessione, quem ipse nequit statim dissoluere, sed indiget maturiori indagine, aut sapientum virorum consilio: dicere debet pœnitenti se velle rẽm meliùs cribrare; alioquin si tempus non patitur, potest tunc absolutionem impendere, modò pœnitens promittat se facturum quod iudicatum fuerit. Ratio est, quia pœnitens in tali euentu ceteru sufficienter dispositus ad beneficium absolutionis recipiendum. Imò tunc confessarius debet imponere pœnitenti vt super tium casum consulter talem vel talem peritum vel peritos in genere, & pareat eis; sicut medicus imperitus ægrum ad peritiorem remittere debet.

Quando verò casus est dubius in se, & non confessori, vt quia ipse probabiliter quidem tenet determinatè vnam partẽ, tamen pœnitens vel alius dubitat propter rationes vel opiniones Doctorum contrarias, non est præcipitanda sententia, nec deneganda, sed tutior via consulenda, & terror incutiendus ex periculo.

De hoc casu. *Henriq.c.c.26.n.9. Sylueſter v. confeſſor 3. quæſt. 10. Nauarr. in Man.c.26.n.3. Conin.de pœn.diſ.8. dub.16. n.126. Suaresdiſp.28. ſect.2.* & alios.

10. Qui scienter se ingerit ministerio audiendi confessiones absque sufficientia, grauiter peccat, vt qui nescit discernere

in qui-

in quibus casibus possit aut non possit absoluere; vel qui ignorat peccata mortalia communia, aut simplicem fornicationem, aut voluntatem deliberatam ad peccandum mortaliter, esse peccatum mortale, vel quamcumque superbiam, iram, inuidiam, gulam existimat esse mortalem, vel denique qui nescit cognoscere regulariter moralem actum, etiam sub communi ratione peccati mortalis aut venialis, secundùm generalem eorum rationem ac distinctionem, ille est prorsus inhabilis, ita vt absolutio data ab eo nullius momenti sit. Ratio est, quia talis homo non potest humano modo exercere hoc ministerium, quantalibet bona vita, conscientia, subtilitate & ingenio naturali præfulgeat ad alia munera obeunda. Ita *Nauarr. in Man. c. 4. n. 12. Laymann l. 5. tr. 6. c. 13. n. 1. Suares disp. 28. sect. 2. Tanner. c. dub. 5. n. 96. Bonacina c. punct. 4. §. 2. num. 5. Coriolanus de casib. reseru. p. 1. sect. 2. art. 1.*

11. Secundum sententiam quorumdam Doctorum, confessio esset iteranda facta sacerdoti ignoranti distinctionem peccatorum, in ratione venialis, & mortalis, aut alijs circumstantijs, inter peccatum reseruatum & non reseruatum. Ratio illorum est, quia existimare videntur talem ignorantiam esse contra substantiam Sacramenti, & consequenter scientiam oppositam esse conditionem substantialem, vt sacerdos reputetur idoneus seu habilis ad hoc ministerium: vnde talis iudex non potest iustam sententiam proferre; ac proinde neque validam circa tale peccatum, & ideò confitendum iterum erit. Hęc sententia est probabilis, quam tenent *Richardus in 4. d. 17. ar. 2. q. 8. D. Antonin. p. 3. tit. 14. cap. 19. Ledesma in 4. q. 18. art. 2. Syluester v. Confessio 1. quæst. 3. Victoria in Sum. n. 168.*

Verùm probabilior opinio est, absolutionem da tam à sacerdote sic ignorante validam esse: quia ex parte pœnitentis interuenit integra confessio, & bona fides, vt supponendum est, & ex parte sacerdotis aliqua cognitio & perceptio illius, quæ licet non sit exacta, tamen est sufficiens, vt cognoscat illam esse sufficientem materiam huius Sacramenti: ergo si super talem materiam cadat vera forma cum intentione perficiendi Sacramentum, validum fiet; quia nihil substantiale illi deest: imò & efficax erit ac formanum: quamuis enim confessarius iniustè absoluat, aut erret fortè in imponenda pœnitentia salutari, & in peccatis ob inscitiam discernendis, valida nihilominus erit eius absolutio. Ita *Vasq. q. 93. art. 3. dub. 2. Syl. in Suppl. q. 8. ar. 5. quæst. 7. Coninch disp. 6. dub. 5. n. 18. Reginald. l. 1. num. 141. & 161. Diana p. 3. tr. 4. res. 121. Petr. Sota lect. 9. de confessione Præpositus de pœnit. q. 7. dub. 9. n. 65.* Hinc qui inculpabiliter confessus est peccatum vel peccata mortalia confessario potestatem habenti etiam culpabiliter ignaro, etsi postmodum id aduertat, non tenetur ea alteri scientia sufficienti prædito confiteri; Tenetur tamen obligationibus ex peccato natis satisfacere, etsi per ignorantiam ei obligationes impositæ non fuerint, vbi in earū cognitionem venerit, v. g. si casibus erat adiuncta restitutio honoris, bonorum, reconciliationis, satisfactionis, etsi non teneatur peccata repetere, illis tamen satisfacere tenetur, quia ex natura rei remissioni peccati sunt annexa. Quod & in alijs obligationibus verificatur; vt quando scandalum est tollendum: imò si ex ignorantia confessarij, pœnitens non esset ab excommunicatione, quæ peccato erat annexa, absolutus, teneretur absolutionem ab excommunicatione petere.

12. Moraliter loquendo, tenetur pœnitens ad iterandam confessionem ob imperitiam confessarij, in duobus tantùm casibus, scilicet, quando nouit illum esse ita imperitum, vt suam conscientiam diiudicare, non sufficeret, & nihilominus illi confessus est: & tunc confessio non est inualida ex defectu ministri, sed ex defectu materiæ: cùm enim in eo mortaliter peccauerit pœnitens, non est legitimè dispositus ad absolutionem recipiendam, quia mala fide processit, quærens vel potens aduertere confessarium esse ignarum.

Secundus casus est, si pœnitens in ipsa confessione intelligat, confessarium non percipere grauitatem delicti: si tamen pœnitens confessorem suum instrueret de grauitate suorum delictorum, vt suppleret eius insufficientiam, valida esset confessio. Propterea excipiens confessionem viri pij & docti, qui potest ipsummet confessarium dirigere, non tenetur habere magnam doctrinam: eo tamen casu doctus tenetur confessarium instruere, si aduertat eum ignorare species peccatorum. Ita *Nauarr. in Man. c. 23. n. 12. Suar. disp. 28. sect. 2. n. 12. & disp. 22. sect. 6. Sylu. in Suppl. q. 8. a. 5. quæst. 7. Præpositus c. dub. 9. n. 66.*

13. Grauiter peccat Episcopus vel Superior, qui alicui sacerdoti iurisdictionem in hoc foro committit, qui non habet scientiam proportionatam huic muneri, etiamsi ad alia munera obeunda sit habilis. Ratio est, quia hoc repugnat iustitiæ & sanctitati Sacramenti: in vniuersum enim intrinsecè malum est indigno committere quodlibet munus, præsertim iustitiæ, & sacrum. Hoc autem cum eadem proportione locorum ac personarum intelligendum est, cum Concilia etiam in beneficiorum collationibus, maiorem scientiam requirant in eo, qui maiori populo præficiendus est, quàm qui minori; vide *Nauarr. in Man. c. 4. n. 12. Tannerus tom. 4. disp. 6. q. 9. n. 96. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 7. p. 4. §. 2. n. 6. Petr. Ledesma tr. de pœnit. c. 13. concl. 1.*

14. Qui ex obedientiæ præcepto confessiones audit, iudicãdo se ad id non esse idoneum, peccat, neque Prælatus id ei debet præcipere, neque subditus, si non est idoneus, debet id acceptare. Ratio est, quia sic præcipiens committit manifestum errorem, quem cognoscit Sacerdos suæ insufficientiæ conscius.

Si verò Sacerdos dubius sit de sua sufficientia, & dubium istud rationabile fuerit, non potest per se, id est, suo tantùm innixus iudicio confessiones audire sub peccato mortali; poterit tamen iudicio Episcopi vel Prælati præcepto sese conformare, cui dubium suum eiusque motiua proposuerit, modò prius conscientiam siue iudicium insufficientię suę deponat, eò quòd nouerit Prælatum ex muneris ei non iniunxisse ira, odio, amore, vel cupiditate permotũ: In dubio autẽ hæc non præsumẽtur de Superiore, sed tantùm bona fides. Ita *Suar. disp. 28. sect. 2. n. 7. Toletus l. 3. c. 15. n. 5. Sylvius c. quæst. 7. Nauar. in Man. c. 4. m. 9. Vasq. q. 93. a. 3. dub. 1. Tannerus c. n. 96. Sylvest. v. Confessor. 3. n. 3.*

15. Scientia confessarij supplèri potest, aut ferè tota, aut magna ex parte. *Primò*, quando pœnitens est satis peritus & fidelis; sed hoc tantùm est verum pro tali confessione. *Secundò*, quando pœnitẽtes ordinarij, nullos habẽt casus difficiles. *Tertiò*, in articulo mortis, cum alterius confessarij docti copia deest. *Quartò*, quando in loco sunt multi docti, quos confessarius cõsulere possit; desideraretur tamen & in his casibus, præter articulum mortis, mediocris sufficiẽtia, vt dictum est suprà: In mortis autem articulo seu periculo, sicut quælibet confessio cuiuslibet peccati sufficit, quando aliter fieri non potest; eadem ratione Sacerdos, qui aliàs, per se loquendo, esset ignorans; pro illo articulo censetur sufficienter instructus, dummodo sciat absoluere, & materiam aliquam, quæcumque illa sit, cognoscere, & dispositionem sufficientem ad absoluendum postulare, aut ex signis percipere. Item in graui anxietate morbi alicuius Epidimiæ vel pestis, quando aliquis sapientior aut nõ potest conueniẽter exponi, aut non vult se exponere. Idem dicendũ quãdo annis multis vel longo tẽpore cum graui animæ detrimento deberet quis expectare: & alius Sacerdos idoneus non occurrat, imò vt frequenter non occurret qui idioma nouerit, vt contingit ijs qui in exteris regionibus peregrinantur, militant, mercantur, vbi ordinarium idioma non nouit, posset quis in his casibus Sacerdoti ignaro confiteri, & ille audire posset & absoluere. Ratio est, quia necessitas legem non habet, & charitatis mandatum latum est nimis: & sicut præceptum de integritate materiali confessionis in necessitate cessat, sic in necessitatibus supradictis præceptum de scientia confessarij cessare censendum est: cũ non minùs confessio pœnitentis, quã scientia iudicis, imò magis ad perfectionem iudicij spectet. Vide *D. Ant. 3. p. tit. 17. c. 6. Nau. c. 4. n. 13. Tolet. l. 3. c. 15. n. 4. Tanner. c. disp. 6. q. 9. n. 97. Cario. c. p. 1. sect. 2. a. 1.*

16. Cùm ars artium sit regimen animarum, ideò in sacerdote necessaria est prudentia, vt sit idoneus minister Sacramenti Pœnitentiæ, & quatenus iudex est, & maximè quatenus est medicus, qui conuenientem medicinam peccatis adhibere debet; in rigore verò illa prudentia sufficit, per quam debito modo applicentur principia scientiæ & ad disponendum pœnitentẽ, vt pro præsentibus peccatis satisfaciat, & ad remedium adhibendum, ne in similia iterum incidat.

Proinde nemo facilè ad audiẽdas confessiones sese ingere debet, nisi mediocrem tum scientiam, tum dexteritatẽ in animabus pœnitentium gubernandis habeat; vt norit discernere causam & causam, lepram & non lepram, sententiam ferre inter partes, & varijs morbis conuenientem adhibere medicinam; si enim his præsidijs destitutus fuerit, periculum est, ne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadant.

Quod ne fiat, ad prudentiam ipsius confessarij maximè spectat, canere quæ sibi cauenda sunt: ideò pro illius instructione, pauca hic monita, & documenta ponemus, à doctissimis viris tradita, rationi maximè consentanea, & ad praxim à pijs & prudentibus confessarijs quotidie in confessionibus audiendis reuocata. Consulendi sunt *Suarez. tom. 4. disp. 28.*

sect.2. Bonacin.to.1 disp.5.q.7.p.4.§.2.n.16. Layman.l.5.tr.6.c.13. Tannerus tom.4.disp.6.q.9.dub.5. Sylvius supplem.q.8.a.5.quæst.7. Petr.Ledesma tr.de pœnit.c.13.concl.2.

17. Ad prudentiam confessarij pertinet: *Primò*, animi præparatio cum qua debet confessarius ad tanti momenti opus accedere; vnde Deum obnixè obsecrare debet purus à mortiferi criminis labe, vt sibi opem ferat, in grauissimo alienæ salutis procurandæ negotio; ac proinde cogitet Deum sibi medullitus intimum, videre quàm optimè, quid agat, quid cupiat, quo animo ductus Sacramenta administret; quia nulla inutilis cogitatio in animo latet, nullum verbum imprudens ex ore labitur, quod illi arcanarum cogitationum scrutatori & cognitori Deo non innotescat, cui de omnibus aliquando reddenda erit ratio. Vnde non pecuniæ, non honoris, non captandæ benevolentiæ cupido, non alia parum iusta cogitatio illum ad confessiones audiendas allicere debet: Dei honor & fragrans salutis animarũ zelus, stimulus illi in hac re sit. Deuitet temeritatis vitium, nihil sibi assumat, omnes se meliores & ad hoc munus aptiores existimet, etiamsi *D.Thoma* doctior & sanctior sit, quia in hoc sacrosancto sanandarum animarum officio, vel ipsa Angelorum sanctitas, prudentia, scientia superuacanea non esset, vide *Navarr.in Man.c.10.n.1.& seq. Polancus in directorio c.2.art.1. Reginald.in tr.de prudent.confessarij,c.1.*

Secundò, in confessario debet elucere paterna quædam & spiritualis grauitas, vt nihil in vultu, gestibus, vel motibus corporis: in voce videatur, quod non deceat virum maturum: vnde secundùm *D.Thom.in 4.dist.17. in expositione textus, in fine. Navarr.c.n.1. Reginal.c.cap.1.num.3. Polancus in direct.c.2.a.1. Petr.Ledesma tr.de pœnit.c.13. concl.2.* debet esse *confessor dulcis, affabilis, atque suauis, prudens, discretus, mitis, pius atque benignus.* Hinc confitentes benignè & comiter excipere debet; grauissimis etiam innumerisque criminibus corruptis, diuinam offerat clementiam, dum virus euomunt, & summa arte illi enitendum est, ne pudore victi, scelera supprimentes, inde perniciem hauriant, vnde remedium & vitam haurire debent: proinde accendere debet confessarius in se desiderium salutis animarum, & in toto confessionis decursu exercere charitatem in pœnitentem, erga illum compassionis affectum retinendo.

Tertiò, Polancus in direct.c.2.a.1. Graffius l.1.cap.24.n.2. Reginald.c.cap.1.n.4. Cùm confessarius vice Christi Iudex sit & medicus, proinde nosse debet, tum limites suæ iurisdictionis, tum statum eius qui vult confiteri. *Primum*, ne vsurpet iudicium alienum, & fortè censuram aliquam incurrat. *Secundum*, vt meliùs intelligat causã pœnitẽtis & efficaciùs possit illũ iuuare.

Aduertat itaque & intelligat, vtrum pœnitens sit suus subditus; quampridem non confessus, & an confessio illa cùm præcedentibus fuerit valida & integra. An fecerit pœnitentiam iniunctam: An sit sufficienter instructus in doctrina fidei. Obseruet etiam cuius sit conditionis, vtrũ coniugatus, an religiosus, doctus an rudis, Canonicus, Iudex, Mercator, &c. nã diuersas conditiones & status, diuersæ obligationes comitãtur.

Quarto, Aduertere debet confessarius an pœnitens decenter se habeat, an caput aperiat, an vtrumque genu flectat, an se cõponat, vt non sacerdotis faciem, sed crucifixi imaginem intueri velle videatur: An muniat se signo crucis, & confessionem generalem præmittat. Si in his pœnitens deficiat, illum docere debet.

Deinde exponat pœnitenti, hunc esse locum accusationis sui ipsius, & non excusationis, ac proinde culpam sibi soli, aut certè potius & principaliùs imputet, quàm cœlo, vel dæmoni, vel carni, vel sodalibus, vel naturali complexioni.

Quintò, si pœnitens ignoret necessaria ad salutem, suauiter remittendus est, vt discat quando id commodè fieri potest, sin minùs instruendus est in maximè necessarijs vt sciat, & firmissimè credat, vnum esse Deum, & tres personas coæquales, filium Dei esse incarnatum & passum, vt nos liberaret à morte in vitam æternam: Promittat seriò reliqua ex præcepto necessaria, se quamprimùm addisciturum, vt symbolum Apostolorum, Decalogum, vulgata Ecclesiæ præcepta; baptismum cum peccato originali, rationem confitendi & communicandi. Quòd si nesciat necessaria necessitate medij, vel recuset addiscere necessaria necessitate præcepti, non est capax absolutionis.

Sextò, Quando præcedens confessio deprehenditur fuisse inualida, curet vt omnia peccata præmisso examine repetantur, v. g. si pœnitens aliquid voluntariè reticuit, quod iudicabat esse peccatum mortale, vel si verbis obscuris mouluit, vel aduertit cõfessariũ non intelligere, si non doluit saltem aliquo dolore naturali, si statuebat suo tẽpore redire ad vomitum, &c.

Item si confessus non sacerdoti, aut non habenti iurisdictionem, vel eius vsum, si ebrio, dormitabundo, aut non habenti intentionem absoluendi: quãquam hoc postremum præsumendum numquam est, nisi vel affirmatione ipsius sacerdotis, vel alijs clarissimis argumentis euidenter constet. Quòd si confessio fuit valida, sed mutila & imperfecta ex ignorantia, oblìuione, negligentia examinis, v.g. si omissus numerus, species, circumstantiæ, sufficiet defectum illum supplere.

Septimò, si pœnitens satis instructus sit, audiat illum benignè vsque in finem, interijciendo aliquando vtrum aut alterum verbum, vbi opus est ad integritatem confessionis; sed ita dextrè vt pœnitentem non turbet: nam qui in fine hæc omnia supplere sperat, sæpè fallitur, vel propter obliuionem, vel propter inanem repetitionem. Quòd si tunc videantur adhuc aliquid deesse, breuiter id inquirat, quod ad statum & conditionẽ personæ spectat, omissis ijs, quæ verisimile est ipsum non commisisse. Ita *Polancus c.art.2. Layman l.5.tr.6.c.13. num.9.*

Octauò, Layman l.5.tr.6.c.13.n.10. Suares tom.4. disp.32.sect.3. Barthol.Medina l.2. instruct. 136. Si pœnitens rudis & imparatus est, doceat illum examinare conscientiam, & si commodè potest, remittat, vt rediens discussa conscientia saltem respondere possit ad interrogata. Si vrgeat, vt statim expediatur, habeat confessarius methodum discurrendi per peccata probabiliter à pœnitente commissa: Iuxta formam traditam, *verb. Interrogatorium*, ne si in incertum vagetur, vel idem repetat, vel necessarium aliquid omittat. Et quamuis confessarij officium sit, audire potiùs pœnitentem quàm interrogare, vt notat *Soto in 4.dist.18.qu.2. art.4.* quia tamen scopus illius est animam illam Deo reconciliare per medium à Christo institutum, tenetur sub peccato mortali, omnia media adhibere ad istum finem necessaria, inter quæ est integritas confessionis, quam per interrogationes procurare debet. Imò expediet aliquando animaduersa imperitia pœnitentis, statim ab interrogatione incipere, ne cum dispendio temporis eadem repetantur. Confessarius tamen qui ex memoriæ labilitate, humana distractione, fatigatione spiritus ex nimia intensione in confessionibus audiendis & similibus causis omitteret aliqua examinare, vel tenuiter à peccato excusaretur, vel non nisi venialiter peccaret: quia cum tanto sui incommodo & dispendio, & in cautelis quæ vix sunt in nostra potestate, nemo tenetur alienos defectus supplere.

Nonò, Cauent præterea confessarius, ne alios confessarios despiciat, temerè iudicet, maledictis proscindat, aut eorum gesta imprudenter accuset: fieri enim potest, vt prudentissimè egerint: quod tamen nec pœnitens, nec ipse percipit. Si alicuius crimen ex imprudenti pœnitentis confessione cognoscat, Christiano animo excuset, imbecillitati humanæ adscribat, roget Deum, vt illi resipiscendi mentem instillet, sibique præsto sit, vt vel ex scelerum laqueis exeat, vel ne in maiores, quàm ille inciderit, vitiorum voragines præceps ruat. Quis enim diuina orbatus ope præcipiti cursu in scelerum ambages, non rapiatur, diris hostibus circumuentus? *Malderus tract.de sigillo caput.* 12. *Petr. Ledesma tr.de pœnit.c.13.conc.2. Navarrus in Man.cap.10.nu.6.* Propterea ad prudentiam confessarij pertinet, vt cùm aliquod graue turpeve peccatum in confessione declarari audierit, nulla signa admirationis, abominationis aut pauoris ostendat, siue spuendo, siue se cruce signando; sin potiùs ac si nihil audiret; dissimulet vsque ad finem confessionis. Dum venereas culpas, aut fœminarum confessiones audit (à quibus periculum) commendet se Deo, B.Virgini, Tutelari Angelo, castique Angelicis cogitationis imbecillum animum muniat. Apud viros potiùs quàm apud mulieres operam suam collocet; magis proficiens, tutiùs aget. Viri constantiores sunt, iis autem ducibus domestica disciplina crescet, florebit: cum fœminis ne multùm temporis impendat: lubricum negotium cum fœminis longiora colloquia miscere, cum ingenti periculo, vix minimùm lucri. Ne fidat, ne fidat muliebri ingenio, cunctorum enim vna malorum fœmina principium.

Decimò, Auditurus confessionem generalem, aduertat imprimis, an aliquis defectus substantialis, præcedentes confessiones inualidauerit; nam tunc accuratiore diligentia & attentione opus est, quàm cum solùm quæritur maior fructus spiritualis; instruat pœnitentem vt omittat historias, & omnia superflua, atque adeò peccata, quæ constat esse venialia;

lia: dicat autem breuiter & dilucidè ſpecies, numerum, & circumſtantias neceſſarias grauiorum peccatorum: hæc enim ratione quantumuis longi temporis confeſſio, non tantùm expeditè, ſed etiam integrè & perſpicuè fieri poteſt, atque adeò magis accommodatè ad ſententiam de ſtatu pœnitentis ferendam, quàm ſi multæ circumſtantiæ non neceſſariæ permiſceantur: quòd ſi pœnitens non ſit capax huius inſtructionis, vt ferè contingit, ipſe confeſſarius inſtituat breue examen, ſed tamen integrum pro ſtatu pœnitentis, vt dictum eſt ſuprà, reuocando omnia ad præcepta Decalogi. Non tamen omnes omnia interrogãdi ſunt, ſed ea tantũ, quæ probabiliter cõmittere potuerunt: Imò æquum erit confeſſarijs pœnitentes monere, ne ſacramentaliter velut abſoluendas imperfectiones quæ peccata nõ ſunt narrent. Quòd ſi pœnitẽtes illas peccata eſſe putẽt, à confeſſario doceantur ſcelera non eſſe, nec deinceps indigere eas amplius confeſſioni ſubijcere vt abſoluendas; & ne in poſterum ex cõſcientia erronea peccent, id agentes quod neutiquam facinus eſt. Et quia contingit aliquando perſonas religioſas & deuotas, quæ confitentur ſingulis octo diebus & fortè ſæpius, dum accedunt ad confeſſionem, immorari tantùm quantum ſufficeret pro facienda confeſſione vnius perditiſſimi latronis, & dant multum quòd obloquantur aſtantibus. Tu confeſſor vide, an bene hoc cedat, & tollatur iſta admiratio. Poſtquam perſonam noueris, non audies niſi mortalia ſi quæ habet, vel venialia grauiora; reliqua omnia facias verbo generali confiteri. Vnde impertinenter & non ſine peccato faciunt, qui in confeſſione tempus erunt inſtructionibus ad hoc Sacramentum non faciẽtibus, de rebus & exercitijs ſpiritualibus, de moribus & directione filiarum ſpiritualium, audientes omnia, quæ eis contingere dicunt, & de eis conferentes cum multa iactura temporis, & grauibus periculis deceptionum propter familiaritates inutiles quæ ex eis naſcuntur.

Vndecimò, Audita integra confeſſione pœnitẽtis, animaduertat, an ſubſit aliqua obligatio, v.g. addiſcendi neceſſaria ad ſalutem, vitandi occaſiones peccandi proximas, non celebrandi in irregularitate, aut in Eccleſia polluta, reſtituendi honorem, famam, pecunias, aut petendi veniam ab offenſo, ædificandi proximum, quem ſcandalizauit, &c. eaque ipſi pœnitenti indicet & iniungat; *Nauarr. in cap. Fratres de pœnit. diſt. 5. n. 68. & ſeq. Couarr. de pœnit. diſp. 8. dub. 17.* videat deinde num pœnitens ſit ſufficienter præparatus ad recipiendam abſolutionem; eſtque iuuet; vt ſi non ex amore Dei, aut regni cœleſtis deſiderio, ſaltem timore gehennæ, concipiat ſerium dolorem, & tale propoſitum, quod affectum peccandi excludat, vbi expediet aliquando, cùm eſt frequens relapſus, differre abſolutionem, & experiri conſtantiam pœnitentis, vt poſteà maiore cũ fructu, abſoluatur: proderit etiam ipſum erigere in ſpem veniæ per Chriſtum obtinendæ: quod commendat Concilium Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.*

Duodecimò, Si iudicat confeſſarius diſpoſitionẽ pœnitẽtis eſſe debiliorem, quàm vt per Sacramẽtum iuſtificetur, nullo modo illum abſoluat, ſed ſuauiter dimittat, vt meliùs paratus acceda.

Si probabiliter exiſtimet eſſe ſufficientem, quòd ferè præſumendum eſt, niſi contrarium conſtet, tunc conſiderata peccatorem multitudine, grauitate, varietate, & imprimis conditione & ſtatu pœnitentis, iniungat pœnitentiam ſalutarem, quæ videlicet puniat præterita & præſeruet à futuris, modò perfici poſſit ſine nota, & ſuſpicionibus domeſticorum, v. g. auaris eleemoſynas, guloſis & ebrioſis ieiunia, accedis orationes, & alia exercitia ſpiritualia, libidinoſis cilicia & ſimiles corporis aſperitates; quia tamen ab omnibus hæc præſtari non poſſunt, excogitanda ſunt alia quædam, quæ foueant bonum propoſitum pœnitentis, vt die feſto audire duo ſacra, concionem, veſperas, ſingulis menſibus confiteri, aut etiam communicare, inuiſere loca pia, hoſpitalia, carceres, ægrotos. Interdum etiam iniungi poterunt, quæ alio titulo debentur, v. g. diligentiam adhibere in reſtituendo, ieiunando, audiendo Miſſam, fugiendo occaſiones peccati, &c.

Decimotertio, Porrò confeſſarius roget pœnitentem, an aliquid reſtet, quod grauet ipſius conſcientiam; & ſi nihil ſit, ipſum abſoluat: primò quidem à cenſuris ſi quas incurrit; deinde à peccatis iuxta formulam præſcriptam ſuprà *v. Abſoluto*. Poſt abſolutionem dimittat pœnitentem in pace, bene animatum & inſtructum proprijs remedijs aduerſus periculum & occaſiones relabendi, ipſumque Deo commendet & offerat tanquam fructum laborum ſuorum ſine dubio gratiſſimum futurũ: quia, vt ait *D. Iacobus cap. 5. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

Decimoquarto, Qui morituri confeſſionem excepturus eſt, ſiue mors immineat ex morbo, ſiue ex vulnere, ſiue ex iudicis ſententia: primò transferat animam ipſius à cura rerum temporalium, ad curam animæ, & ſalutis æternæ. Ad quod expediet præſcindere aliquando omnem ſpem vitæ longioris. 2. Excitet in ipſo fidem neceſſariorum ad ſalutem, ſpem veniæ in Chriſtum, puram charitatem in Deum, pœnitentiam & deteſtationẽ peccatorũ, ſaltẽ ex timore gehennæ. 3. Si multũ tẽporis ſuppetit, det illi ſpatium recogitandi annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, vt integram faciat confeſſionem omnium peccatorum; nam tunc maximè vrget præceptum diuinum. 4. Hortetur illũ vt diſponat domui ſuæ, prouidẽdo vxori, liberis, & alijs quibus eſt obſtrictus, condat teſtamentum, & relinquat negotia ſua, quàm poteſt liquidiſſima, ne detur hæredibus occaſio litigandi. 5. Inducat illum vt petat viaticum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & Sacramentum Extremæ-vnctionis. Statuat item de ſua ſepultura, exequijs, ſuffragijs, &c. vt corpori pariter & animæ ſit proſpectum. 6. Si periculũ eſt in mora, vt quia grauiſſimè vulneratus, vel breui priuandus vſu rationis aut linguæ, tunc ſi putetur ſufficienter diſpoſitus, ſtatim poſt vnum aut alterum peccatum abſoluatur; reliqua audiantur per otium prout tempus patietur, ſubſequente denuò abſolutione.

Pro coronide horum monitorum, ſciendum eſt, grauiſſima & multa inter audiendos diuino ritu pœnitentes, flagitia committi poſſe. Caueat proinde diligentiſſimè confeſſarius, ne ſe aliquo ſacrilegio inficiat, vel inſcitia, vel imprudẽtia, vel omiſſione neceſſariæ interrogationis, vel non præcepta reſtitutione, vel indignum aliquẽ certò quodã pauore, ſacra abſolutione donando. Ideò fortis ſit & magnanimus, nec vereatur magnitudinem cuiuſquam, memor agere ſe cauſam Chriſti, non ſuam; ac propterea ſi vir nobilis, ſi amicus confiteantur, habeat præ oculis gloriam Dei, & ſalutem pœnitentis, ad eumque ſcopum, ſuauiter & prudenter reliqua dirigat, iuxta præſcriptum Concil. Trident. *ſeſſ. 14. cap. 8. Rituale Romanum de Sacramento pœnit.* ne leuiſſima pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum particeps efficiatur: vnde mortem magis debet oppetere, quàm viro indigno Sacramenta præbere.

An autem deliquerit, intuendum ſibi eſt, ſumat ſibi ſpatium, in auditas confeſſiones inquirat, videat an aliquid peccauerit in expiandis aliorum flagitijs: ſi peccauerit, doleat, expiet ſcelem confeſſione ſua, eaque in poſterum corrigere toto animo conetur.

Caueat denique poſt confeſſionem triſtiorem aut auerſionem vultum oſtendere ipſi pœnitenti confeſſio, aut circa illum exhibere aliqua ſigna contemptus, vnde vel ipſi peccati exprobatio, vel alijs notitia aut ſuſpicio eius oriri poſſit. Debet ergo æqualiter initio dum audire incipit, & in progreſſu exterius eſſe compoſitus, & poſt confeſſionem eumdem ſe exhibere, ſicut antea comem, affabilem, aut familiarem.

18. Cùm confeſſarius ſit doctor, conſultor, medicus, & iudex pœnitentis, ideò ad prudentiam ipſius pertinet illum docere, ei bene conſulere, diligenter curare, & ad peccatorum ſingulorum confeſſionem & deteſtationem inducere, vt ſententiam ferat quam oportet: hinc ſi videat pœnitentem verſari in iuri aut facti ignorantia lethaliter craſſa, ſiue contra ius diuinum, ſiue contra humanum, tenetur eum monere & inſtruere, quamuis admonitio non ſit profutura & quodcumque ſcandalum pœnitentis ſequatur. Ratio eſt, quia ea admonitio proderit, vt liberatus pœnitens ignorantia illa, cognoſcat malum ſtatum in quo eſt, & fortè aliquando reſipiſcet, & mordebit conſcientia, ſtimuliſq; agitabitur.

Item tenetur confeſſarius monere, quando ignorantia inuincibilis eſt, ſi ſpes probabilis ſit, fore, vt monitio proſit ſinè graui ſcandalo, & detrimento pœnitentis. Ratio eſt, quia munus confeſſarij eſt pœnitentem inſtruere, cùm vel proprius paſtor ſit, vel in audiendis confeſſionibus proprij Paſtoris munus obeat: ergo cùm ſpes proficiendi adſit, tenetur docere; quamuis enim illa ignorantia nunc inuincibilis ſit, poteſt facilè vincibilis fieri.

Quando nulla ex monitione ſperatur vtilitas & ignorantia inuincibilis eſt, ſiue facti, ſiue iuris diuini, naturalis aut humani, non tenetur confeſſarius docere vel monere, imò tenetur in hoc caſu tacere propter inconuenientia, quæ inde ſequerentur; & hoc verum, quamuis peccatum illud per ignorantiam inuincibilem excuſatum, ſit in detrimentum proximi. Ratio eſt, quia nulli laqueum debemus inijcere; ſed admonere

in hoc euentu, nihil aliud esset quàm laqueum, & offendiculum opponere: nam constituius in bono statu, & bona fide, confessoris monitione, in malo & periculoso versabitur: vnde cauere debet confessarius, ne plus respondeat, quàm à pœnitente interrogetur: ad summum contentus sit ipse confessarius, interrogare pœnitentem, nihil ne sit, quod animum eius grauet, conscientiam scrupulosam reddat; & sic intelliget, vtrum pœnitens culpata ignorantia laboret.

Plura de prudentia in confessarios requisita, apud *Syluius in Suppl.q.8.ar.5.q.7. Sanches de matrim.l.2. disp.38. Coninck de pœnit.disp.8.dub.17.n.136. Layman l.5.tr.6.c.13.n.5. Diana p.3. tr.4.resol.80. Henriq.l.6.cap.27.n.4.lit.H. Suares tom.4.disput.32. sect.4. Bonacina de matrim.q.3. punct. vlt. Vasques de pœnit.q.93. art.3.dub.9.*

Vide *Correptio fraterna* num.10. *Matrimonium* 8.n.15.16.& seq. *Irregularitas* 5.n.8.

CONFESSARIVS V.

Quoad eius obligationem,

SVMMARIVM.

1. *Quando Parochus teneatur confessiones suorum excipere.*
2. *An liberum sit confessarijs non curatis, quos velint ad confessionem admittere.*
3. *An teneatur curatus dare licentiam subdito petenti, vt alieno confiteri possit? Et an subditus alieno Sacerdoti confiteri possit, dum proprius iniustè negat ad id licentiam?* refertur duplex sententia.
4. *Confessarius qui non admonet pœnitentem de restitutione facienda, an teneatur ipse restituere.*
5. *Ex culpa lata, seu ex ignorantia crassa, tenetur confessarius, si scienter dixit, seu consuluit pœnitentem, non teneri ad restitutionem damni, quod tertius patitur.*
6. *An confessarius teneatur absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cuius contrariam sequitur ipse confessarius.*
7. *An peccet confessarius absoluens non attritum.*

1. COnfessarius, qui habet curam animarum & est ordinarius pastor, tenetur per se vel aliũn, confessiones suorum subditorum audire, quotiescumque ij iustam confitendi causam habent, & opportuno tempore ac loco petunt: puta, siue ratione festi occurrentis, aut indulgentiarum propositarum, siue quia tunc temporis solent confiteri. Ratio est, tum quia Parochus ratione pastoralis officij debet suis subditis prouidere, & nequaquam subtrahere ea, quæ ad spirituale ipsorum commodum & profectum spectant, qualia sunt frequens confessio & communio. Tum quia fideles acceperunt à Christo ius petendi ab Ecclesiæ ministris, & præcipuè à suis parochis, non solum remedia necessaria, sed etiam vtilia, ergo illi tenentur ea ministrare. Tamen non toties peccat mortaliter Parochus, quoties recusat audire suum subditum, nam si Pastor sit alijs iustè occupatus, & non differat petitionem subditi nimis diu, excusari potest, & maximè si ille qui petit, habeat alium, vel habere facilè possit, à quo recipiat. Ita *Nauarr. in cap.placuit dist.6.n.152. Suar.disp.32.sect.1. Syluius in Suppl.q.8.art.5.qu.9. Henriq l.6.c.17. Coninck disp.8.dub.17.n.129. Sotus 4.dist.18.qu.4.art.2. Bonac.disp.5.q.7.p.4.§.2.n.23. Layman l.5. tract.6.c.13.n.2.*

Non est tamen improbabilis *Syluest.v.confess.1.n.14. Armilla v.Absolutio num.28. Medina C.d.confess.q.37. Reginald.l.1.n.81.* & aliorum sententia asserens Parochum ad hoc non teneri, nisi quoties pœnitens tenetur sub mortali confiteri; quod accidit semel in anno, aut in periculo mortis, aut quando confessio est pœnitenti necessaria ad aliquod mortale peccatum præcauendum. Ratio est, quia Parochus officio suo satisfacit, si onera sibi à iure, vel à Superiore imposita compleat; sed neque ius, neque Superior imponit Parocho Sacramentum pœnitentiæ ministrare subditis, nisi cùm necessarium est hos illud recipere, ergo, &c. Vide *Dianam part 3.tract.2.resol.2.*

2. Confessarijs non curatis liberum est, quos volunt ad confessionem admittere: admissis tamen & confessis absolutionem tribuere tenentur, si illos dispositos inueniant. Ratio est, quia Iudex audita causa debet reo, quem absolutione dignum existimat, absolutionem conferre; & confessarius imprudenter ageret, iniustè operando pœnitentem ad eadem peccata alteri Sacerdoti explicanda. Hi verò confessarij, quibus nõ incumbit animarum cura; in extrema ac etiam in graui necessitate tenentur audire confessiones: quamuis in communi non facilè possit assignari quando teneantur sub mortali. Vide *Sotus in 4.d.18.q.2.a.5. Henriq.l.6.c.26.n.5. Suar.disp.31.sect.5. Syluius c.quæst.9. Sancius in selectis disp.28.n.11.*

3. Communis sententia est, quando subditus habet iustam causam confitendi Sacerdoti alieno, debere curatum ipsi petenti licentiam dare. Sed controuertitur inter Doctores, an subditus possit confiteri alieno, dum proprius iniustè negat ad id licentiam petitam iustè, v.gr. si subditus cum proprio sine periculo saluris, famæ, &c. confiteri non possit, puta si sit concubina, quæ non potest ab Episcopo licentiam petere vel impetrare?

Affirmant satis probabiliter quidam antiquiores Theologi, *Palud.in 4.dist.17.q.3.a.3. Maior ibid. quæst.2. Richardus ibid.q.7. Syluester v.conf.1.q.6.* & ex recentioribus. *Toletus l.3.c.13.n.11. Henriq.l.6.c.13 n.4. Nauar.c.Placuit n.144. Rodriques 1.p.c.55.n.11. Crouset.ad c.7.reg.S.Franc. tract.17.f.646.* Ratio est, tum quia sic iure petita licentia, videtur ipso iure concessa, & defectum Parochi negantis supplet ipso iure Episcopus, defectum verò Prælati regularis, supplet Generalis Regularium, aut certè vtrumque ipso iure aut ex præsumpta voluntate supplet S. Pontifex. Tum quia hic non est timendum quòd superior maior nolit postea id ratum habere, quia hæc opinio non fundatur in ratihabitione de futuro, sed in tacita concessione de præsenti; nã saltem Papa illam facultatem libenter in eo casu cõcedit.

Nihilominus negatiua sententia est communior ac probabilior & iuri conformior. Ratio est, tum quia in *Cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit.& remiss.* sic habetur: *Si quis autem, alieno Sacerdoti voluerit iusta causa, sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat, cum aliter ipse illum non possit absoluere*, non ergo sufficit petita, & non obtenta, cùm nequitia proprij Sacerdotis negantis licentiam subdito, vt alteri confiteatur, non tribuat ei ius vt possit absolui ab alio. Tum quia quòd fideles omnes proprio Sacerdoti confiteantur, institutum est ob commune Ecclesiæ commodum, ac conuenientem gubernationem, & ideò non debet ob priuatum commodum, priuata Doctorum interpretatione limitari aut ampliari, præsertim quòd multi hac ratione confitendi impedimentum falsò prætendentes. Pastoris sui iurisdictioni se subtrahere possent. Hanc sententiam tenent. *D.Thom.in Suppl.q.8.a.4. Syluius ib. art.5.qu.2.concl.7. P.Nauarra de resol.l.2.c.4.nu.269. Suares de pœnit.dist.27.sect.4.n.14. Layman l.5.tr 6.c.13.n.3. Sotus in 4. dist.18.q.4.art.2. Medina de confess.qu.30. Fagundes præc.3.l.3.c. 9.n.17. Diana p.3.tr.4.ref.79. Præpositus de pœnit. q.7. dub.8.*

Vnde in hoc casu pœnitens debet se gerere, tanquam non habens copiam confessarij, vt docet *D.Tho.* scil. vel differendo cõfessionem, vel si necessitas vrgeat, communicet non confessus cum actu contritionis, vel secundum alios Doctores, cõfiteatur alia peccata, de quibus non est periculum, subticendo alia, donec opportunitas alterius confessarij sese offerat. Vide *Dianam* citatum hic, vbi refert vtramque sententiam, & *Fagundes* qui primam sententiam multis rationibus firmat & tandem probabilem vocat, in casu quo Superior semel atque iterum requisitus negat licentiam, pio, docto, ac religioso confessario, ad absoluendum aliquem suum subditum ad aliquo reseruato; aut il lã non vult concedere, nisi sub ea conditione, vt sibi prius præsentetur.

4. Confessarius, qui non admonet pœnitentem de restitutione facienda, non tenetur ipse ad restitutionem. Ratio est, tum quia nullam actionem iniustam exercet contra tertium, cui pœnitens restitutionẽ facere tenetur, sed tantùm confessarius peccat contra proprium officium erga pœnitentem, non adhibendo debitam solicitudinem & diligentiam in sacro ministerio exercendo. Tum quia officium quod confessario ex iustitia incũbit, solùm est in ordine ad spiritualia, vnde negligens in officio cõtra religionem peccat potiùs, quam contra iustitiam: ergo non tenetur confessarius restituere, nec ratione acceptionis, nec ratione rei acceptæ. Hæc sententia est probabilior, quàm tenet. *Suares de pœnitent.disp.32. sect.6.n.9. Reginal.l.2. n.43. Coninck disp 8. dub.17. n.144. Malder.2. 2.tr.5. cap.3.dub.24. Diana p.2. tr.2.ref.1. Bonac.de rest.disp.1.q.2.p.11.n.15. Sanch.l.1. mor.c.6. n.5.* contra quosdam neotericos, qui docent teneri, eò quòd nõ admonendo,

admonendo, virtualiter confessarius dicit pœnitentem non teneri, atque est causa mortalis, vt pœnitens non restituat. In praxi nihilominus sequenda prior sententia.

5. Si confessarius non solùm admonitionem de restitutione facienda prætermisit, verùm etiam ex culpa lata, seu ex ignorantia crassa, aut scienter dixit, seu consuluit, pœnitentem non teneri, vel faciat restituere, cùm non teneatur, tunc reuerà tenetur ipse ad restitutionem damni, quod tertius patitur, nam culpabiliter exercuit actionem damnificantiuam tertio; ex iniusta autem damnificatione oritur obligatio restituendi ergo.

Poterit tamen confessarius iterum admonere aut consilium reuocare, tum in sequenti confessione, tum extra confessionem, obtenta priùs licentia alloquendi ipsum pœnitentem de auditis in confessione; & sic retrahet influxum, quem exhibuerat in damnum tertij, & iam tollet causam nocumenti, quam posuerat; & ideò effectus illi non imputabitur. *Vasq. de pœnit. q. 93. dub. 8. art. 3. Suar. c. n. 9. Filliuc. tr. 7. c. 12. n. 374. Rebellius de oblig. iust. p. 2. l. 17. q. vlt. n. 12.*

6. Confessarius siue sit Parochus siue Episcopus, siue alius, tenetur absoluere pœnitentem habentem opinionem probabilem, cuius contrariam sequitur ipse confessarius. Ratio est, quia confessarius non potest pœnitenti ritè dispositio absolutione denegare, sed tenetur ex officio cum debita solitudine & diligentia ipsum ad Sacramenta suscipienda promouere, & qui sequitur opinionem probabilem non dicitur minùs dispositus, cùm licitè & tutè sequi liceat opinionem probabilem. Et hoc verù etiãsi confessarius falsam esse opinionem pœnitentis existimet, modò probabilis reputetur inter Doctores probatæ authoritatis. Imò etiamsi sequatur detrimentum alterius; quia posita probabilitate opinionis pœnitentis; detrimentum illud est materiale, & per accidens, & formaliter non est iniuriosum: è contrario enim sequi posset detrimentum pœnitentis, si opinionem confessoris sequatur. Ita *Sanch. l. 1. Moral. c. 9. n. 29. Clauis Reg. l. 1. c. 9. Sylu. in Supplem. 3. p. q. 9. ar. 2. q. 4. casu 2. Diana p. 2. tr. de opin. prob. ref. 11. Sanc. in select. disp. 33. n. 54. Valentia 2. 2. disp. 5. q. 7. pun. vlt.*

Quando autem pœnitens non est determinatus ex aliqua sententia probabili, sed inquirit à confessario quid agere debeat; in illo casu, si quæstio sit de restitutione, vel de alia re pertinente ad iustitiam, Confessarius dicere quidem potest suam sententiam, non tamen cogere, sed admonere pœnitentem, quomodo in contrarium sit sententia probabilis: ne scilicet decipiat pœnitentem cogendo ad restitutionem, quam fortè ille non faceret, si cognosceret secundùm sententiam probabilem se posse sine peccato à restitutione cessare.

7. Peccat mortaliter confessarius absoluens illum, quem contritum vel saltem attritum non esse, certò vel probabiliter sibi persuadet: aut non integrè, quatenus ipsi possibile est, confessum esse. Ita cõmuniter Doctores. *Suares to. 4. disp. 32. sect. 2. Petr. Soto lect. 10. de confess. Navarr. in c. Fratres distin. 5. de pœnit. n. 48. Coninck disp. 8. dub. 17. concl. 3.*

Ratio est, quia dolor de peccatis ex motiuo supernaturali cõceptus, & integra confessio peccatorum mortalium secundùm speciem, ac numerum, quatenus moraliter fieri potest, pertinent ad substantiam Sacramenti pœnitentiæ, vt decernit *Conc. Trid. sess. 14. capitulo 4. & 5.* & ideò nisi pœnitens hæc duo habeat absolutionis capax non est, sacrilegiique crimen confessarius committit, si illum indispositum absoluere præsumat.

Proinde quando pœnitens narrat sua peccata sine requisito dolore & proposito emendationis, tenetur confessarius eum ante absolutionem de hac ipsa re examinare; & si defectum reperiat, pœnitentem salubri exhortatioqe disponere.

Porrò confessarius non debet absoluere illum, qui non solvit debitam pecuniam, dum facilè potest, & absque graui incommodo, sæpeque in alijs confessionibus fuit monitus. Nam si absoluatur pœnitens non præmissa restitutione, exponitur illemet periculo euidenti non restituendi. Amor enim diuitiarum maximus est, & timendum meritò, quòd subuertet pœnitentis propositum. Posset tamen talis sis aut ter absolui. Sancius *in select. disput. 10. num. 14.* Sed de his plura v. *Confessarius 4. num. 17.* & apud *Suares* & alios.

Vide *Conscientia* num. 13. *Fides* 1. nu. 17. 18. *Restitutio* 4. nu. 15. *Vsura* 6. nu. 5.

CONFESSIO SACRAMENTALIS I.

Quoad illius naturam & necessitatem.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit confessio Sacramentalis.*
2. *Confessio peccatorum, specialis, est præcepta iure Diuino.*
3. *Est necessaria necessitate medij, lapsis in mortale post baptismum.*
4. *Pueri tenentur ad confessionem, ex præcepto Diuino: & non confitendo, an plectantur pœnis iuris?*
5. *Infideles & catechumeni, non obligantur ad confessionem vllo iure.*
6. *Ex præcepto Ecclesiastico tenentur fideles semel in anno confiteri.*
7. *Ex vi iuris Diuini præceptum confessionis aliquando obligat.*
8. *Fideles tenentur confiteri, quoties existunt in articulo mortis, si habeant conscientiam peccati mortalis: & illos tenentur Medici monere priusquam curationem corporis inspiant.*
9. *Quomodo computandus sit annus, in quo semel est facienda confessio:* refertur duplex sententia.
10. *An qui præuidet se non habiturum copiam confessarij in articulo mortis, aut sequenti tempore præsentis anni, teneatur præuenire, oblata opportunitate confessarij: & quid si sit periculum obliuionis.*
11. *An per confessionem informem, satisfieri possit præcepto Ecclesiastico, de annua confessione?* refertur duplex sententia.
12. *Qui dedita opera fecit confessionem inualidam, an satisfaciat præcepto Diuino & Ecclesiastico?*
13. *Quid si peccata sua quidem confitetur, sed culpa sua non absolutur? Et quid si ex malitia Sacerdotis absolutionem non acceperit?*
14. *Quid voluntariè fecit confessionem inualidam, an incurrat censuras inflictas contra eos, qui non sunt confessi?* refertur duplex sententia.
15. *Qui hoc anno non est confessus, an teneatur in sequenti anno quamprimum confiteri.*
16. *Qui multis annis confessionem non fecit, an satisfaciat præcepto vnica confessione.*
17. *Qui per oblitionem, vel aliam causam, aliquod peccatum mortale in confessione prætermisit, an præcepto confessionis satisfecerit.*
18. *Qui hoc anno peccata solum venialia confessus est, si post confessionem committat aliquod peccatum mortale, nondum elapso anno, an teneatur eodem anno iterum confiteri.*

1. CONfessio Sacramentalis, quæ est pars Sacramenti pœnitentiæ, *est accusatio peccatorum, coram proprio Sacerdote, ad veniam à Deo virtute clauium obtinendam.* Ita *D. Thom. 4. dist. 17. q. 3. a. 2. Reginald. l. 6. n. 2. 3. 4. & 5. Valent. to. 4. disp. 7. qu. 9. p. 1. Suares de pœnit. disp. 21. Filliuc. tr. 7. nu. 7. Bonacina to. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 1. Sylu. in Supplem. 3. p. q. 7.*

Colligitur ex Conc. Trident. *sect. 14. cap. 5.* dicitur *accusatio*, quia pœnitens exhibet se in hoc Sacramento tanquam reus qui per voluntariam sui accusationem, veniam sit impetraturus: quare qui per modum historiæ, sua peccata Sacerdoti referret, non tantùm non obtineret remissionem, sed ne Sacramentum quidem susciperet; dicitur *peccatorum*: hæc est enim propria materia confessionis, & intelliguntur peccata à nobis non ab aliis commissa. Dicitur coram *proprio Sacerdote*, per verbum *coram*, reijcitur confessio facta absenti per literas aut internuncium: per verbum *proprio* in definitione positum, excluditur confessio facta Sacerdoti non habenti iurisdictionem, quæ non est Sacramentalis; per verbum *Sacerdote*; excluduntur confessiones factæ laico, aut alteri non Sacerdoti, quas non esse Sacramentales, patet ex Trid. Dicitur *ad veniã*, &c. vt appareat finis & effectus Sacramentalis confessionis, qui est peccatorum remissio. Dicitur *virtute clauium*, quia confessarij ligant quidé & soluũt; sed potestate aliunde accepta, nempe à Christo Domino, cuius passio & merita, virtute Sacramẽti, pœnitẽtibus applicantur, & sic ianua regni cælestis ipsis aperitur.

2. Confessio peccatorum specialis, est præceptū iure Diuino. Contra hæreticos nostri temporis, qui negant vllum esse præceptum Diuinum, Sacramentaliter & specialiter peccata confitendi, sed solùm admittunt præceptum confessionis in genere, qua quis agnoscit se peccatorem, dicuntque Sacramentalem confessionem esse impossibilem, ac proinde inuentum humanum; sed fides Catholica est, Sacramentalem confessionem institutam esse à Christo, & de iure Diuino ad salutē consequendam necessariam ei, qui post baptismum in peccatum mortale lapsus est, vt definit. *Conc. Trid. sess. 14. c. 5. & can. 6. 7. & 8. Filliuc. tr. 7. c. 2. Layman l. 5. tr. 6. c. 5. n. 1. Becan. in Sum. de Sacram. c. 36. q. 1. Bellarmin. de pœnit. l. 3. c. 12. Bonac. c. pu. 4. mm. 9. Fagund. præc. 2. l. 1. c. 1. n. 1. & seq.* Ratio est, quia Sacerdotes cōstituti sunt à Christo Iudices *Matthæi* 16. 18. *Ioannis* 20. vt sententiam absolutionis vel proferant, vel non proferant, ergo necessarium est, vt fideles peccata sua speciatim exponant & cōfiteantur: quia iudicium sine causæ cognitione exerceri non potest. Vnde etiam Dominus dicit, *quorum remiseritis peccata*, hoc est, quos causa cognita, iudicaueritis absoluendos, non indefinitè quoslibet peccatores. Vide Doctores hic citatos.

3. Confessio Sacramentalis necessaria est necessitate medij omnibus fidelibus baptizatis habentibus peccata mortalia commissa post baptismum, aut in ipsa susceptione baptismi. Ratio est, quia non est aliud remedium ad consequendam veniā peccatorum mortalium à baptismo commissorum, quàm per confessionem Sacramentalem re vel voto factam: quod votum interdum sufficit, quamuis sit solum implicitum. Et hoc probatur tum ex Trid. *sess. 14. cap. 5.* tum ex cap. *Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* tùm ex communi Doctorum sententia post *D. Thom. in sup. q. 6. ar. 1. Sylu. ibid. Bonacina c. sect. 2. pu. 4. Layman l. 5 tr. 6. c. 3. n. 2. Puteanus 3. p. q. 84. a. 5. dub. 2.*

4. Non solùm adulti, verùm etiam pueri, qui sunt compotes vsus rationis, & habent conscientiam peccati mortalis, tenentur ad confessionem ex præcepto diuino: cùm hi in numero fidelium etiam recenseantur, & eis remedium hoc necessariū sit.

Quo autem tempore ad annos discretionis perueniant, non potest mathematicè definiri, sed relinquendum est iudicio prudentum Pastorum & parentium; qui si viderint eos discernere bonum & malum, præferri de mendacio, de aliqua impudicitia commissa, laudare obedientiam, concludent illos rōne vti, quēcumque annum ætatis attigerint. Proinde errant illi, qui existimant pueros non peccare mortaliter, nec teneri præcepto cōfessionis, ante decimum annum: cùm constet eos multò ante esse doli capaces & habere discretionem boni & mali. In dubio verò an puer habeat vsum rationis, præsumendum est habere, & esse obligatum confessionis præcepto, si impleuit septennium. Maxima tamen hic prudentia opus est confessario, nam multi pueri etiam post septem, octo, & amplius annos, licet peccata aliqua adferant ad confessionem, fortè ex aliqua institutione parentum eos ad confessionem mittentium, tamen Sacramentum pœnitentiæ non apprehendunt; vnde aliqua dicētes per modum confessionis nugantur circa Rosarium suum, vel galerū, vel digitos, vel socios circumspiciunt, nec ita serio se gerunt, vt videatur intelligere Sacramenti rationem. Proindè tales nō sunt sacramentaliter absoluendi, sed cum institutione & monitione aliqua, & benedictione dimittendi. Licet enim peccata aliqua confitentes, videantur dare materiam absolutionis, non est tamen sufficiens materia, nisi accedat saltem attritio supernaturalis; de qua vix est apparentia in dictis pueris, etiam post monitionem seriò rem non apprehendentibus. Si tamen probabilitatem aliquam habeat confessarius alicuius dispositionis, absoluat sub conditione saltem mente concepta, *si sunes capax, ego te absoluo, &c.* Vide *Nauar. in Manc. c. 21. n. 33. Sylu. in suppl. q. 6. a. 3. q. 3. Diana p. 3. tr. 6. resol. 87. & p. 4. tr. 3. resol. 53. & p. 5. tr. 3. resol. 68. Sanch l. 1. moral. c. 12. n. 6. Azor. to. 1. l. 7. c. 29. q. 6. Henriq. l. 4. de pœnit. cap. 5. Suar. to. 4. disp. 36. sect. 2. Pusean. 3. p. quæst. 90. par. 2. dub. 3. concl. 3.*

Notandum tamen est, pueros qui 12. annum nacti nō sunt, omittentes annuam confessionem, non plectendos esse pœnis statutis in *Cap. Omnis vtriusque sexus*, nec incurrere excommunicationem ab Episcopo latam contra non obtemperantes præceptum annuæ confessionis, etiamsi fortè peccent contra præceptum. Quia vt dicunt in *Cap. Referente, de delictis puerorum*, in pueris relinqui solet inultum, quod in aliis prouectioris ætatis humanæ leges dicunt seuerius puniendū. Ita *Corduba in Sum. q. 60. dub. 1. Vgolinus de censur. cap. 17. §. 3. nu. 5. Mercenus de Sacram. q. 6. art. 5. n. 7. Sylu. x. quæst. 3. Diana c. resol. 88. & p. 4. tr. 4. resol. 207.*

Non tamen in vniuersum id habet verum: si enim puer doli capax Clericum percutiat, incurret excommunicationem. Vt constat ex *c. pueris*, iuncta Glossa *verb. Pueros, de sent. excom.* & tradunt *Azor. c. l. 7. c. 41. q. 10. Castr. Palaus to. 1. tr. 3. disp. 1. punc. 24. §. 2. n. 9.*

5. Cùm Sacramentum pœnitentiæ fuerit à Christo institutum per modum Iudicij, & Ecclesia non exerceat iudicium nisi in eos qui prius per Baptismi ianuam ingressi sunt Ecclesiā; hinc Infideles aut Cathecumeni, non obligantur ad confessionem Sacramentalem iure Diuino vel Ecclesiastico: quia Tridentinum definit confessionem esse necessariam lapsis post baptismum, ergo non est necessaria infidelibus nondum baptizatis. Tum quia peccata commissa ante baptismum, non sunt materia huius Sacramenti, ergo infidelis non solùm non tenetur, sed neque potest illa Sacramentaliter confiteri, neque ante, neque post baptismum susceptum; ergo non obligantur infideles hoc præcepto. Ita *Medina C. de confes. q. 5. Sanch l. 1. moral. c. 12. nu. 15. Reginald. l. 6. nu. 42. Filliuc. tr. 7. n. 29. Becanus de Sacram. c. 36. q. 4. Pureamus 3. p. q. 90. p. 2. dub. 3. concl. 1.*

6. Præcepto diuino de Sacramentali confessione facienda, accessit præceptum Ecclesiasticum illud determinans quoad tempus, videlicet, quòd teneantur vtriusque sexus fideles, postquam ad annos discretionis peruenerint, confiteri semel in anno, si aliquod peccatum mortale, licet internum vel dubium, in conscientia habuerint, sub pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, & priuationis ab ingressu Ecclesiæ. Vt habetur in *c. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Ex quo colligitur teneri fideles ad confessionem semel in anno faciendā per se, & ex vi proprij præcepti distincti à præcepto communionis, & non tantum per accidens; vnde si quis ex rationabili causa excusetur à communione, nihilominùs tenetur confiteri semel in anno; & ideò pueri priusquam ad communionem admittantur, censentur obligari præcepto confessionis. Proinde qui omitteret confessionē & communionem, non vnum tantùm, sed duo peccata committeret, & vtrumque confiteri teneretur; quod non esset verum, si tantùm per accidens ad confessionem obligaretur. Ita *D. Tho. in 4. dist. 12. q. 3. ar. 1. Sylu. in Supplem. q. 6. ar. 5. q. 2. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. pu. 4. n. 9. Suarez disp. 36. sect. 1. Filliuc. tr. 7. c. 2. q. 2. Puteanus 3. p. q. 90. p. 2. dub. vlt. concl. 2.*

7. Præceptum confessionis, quamuis Ecclesia tempus nō determinaret, ex vi iuris Diuini, non solum obligaret in articulo mortis, verùm etiam aliquoties extra mortis periculum, iuxta prudentis viri iudicium. Ratio est, tum quia cōfessio instituta est, vt curentur morbi spirituales animæ, tàm in morte, quàm in vita, vt prudens iudicabit. Tum quia non est verisimile fuisse intentionem Christi Sacramentum hoc maximè necessarium instituentis, obligare peccatores tantùm semel in vita, scil. in periculo mortis. Ac proinde qui per annos plures differret confessionem, non est dubium quin peccaret mortaliter contra ius Diuinum, etiamsi non extaret præceptum Ecclesiasticum: Præcepta enim affirmatiua non solùm obligant in extrema necessitate, sed etiam quando rationabiliter iudicatur eorum actus esse necessarius. Ita *Reginald. l. 6. n. 18. Victoria in Sum. q. 132. Soto 4. d. 18. q. 1. a. 4. Couar. in c. Alma mater. p. 1. §. 1. n. 6. Bonac. c. a. 5. q. 5. sect. 2. pu. 4. n. 17. Suarez de pœnit. disp. 35. sect. 3.*

8. Fideles tenentur confiteri non solùm semel in anno, & quoties volunt Sacramentum Eucharistiæ sumere, si conscientiam habeant peccati mortalis, sed quoties existunt in articulo mortis, etiamsi eod. anno confessi fuerint. Ratio est, quia præceptum diuinum confessionis, si vnquam obligat, certè obligat in probabili periculo mortis, cùm quis teneatur præcauere periculum damnationis, magnæque suæ necessitati consulere: vnde suscipiens periculosam nauigationem, & miles quando initat prælium, aut mulier quæ primo paritura est, vel quæ aliàs peperit magna cum difficultate, & infirmus grauiter laborans, & damnatus à Iudice ad mortem: hi omnes cum existant in probabili mortis periculo, tenentur ad confessionem iterum faciendam, si post vltimam adhuc mortaliter peccauerint; quia confessio sola medium est per se institutum ad remittendum peccatum mortale, & ad conferendam primam gratiam. Vide *Soto 4. d. 18. q. 1. ar. 4. Nas. q. 90. ar. 3. dub. 2. n. 21. Sylu. in Suppl. q. 6. ar. 5. quæst. 1. Henriq. l. 4. c. 3. n. 3. Lut. X. Reginald. l. 6. n. 22. Layman. l. 5. tract. 6. c. 5. n. 5. Pusean. 3. part. quæst. 99. q. 1. p. 2. dub. vlt. concl. vlt.*

Proinde præcepto est Medicis ab *Innocentio III. cap. cùm infirmitas, de pœnit. & remission.* cuius præceptum renouatum est à *Pio V. in bulla Super gregem.* vt cum vocantur ad curandos

ægrotos, priusquam curationem corporis incipiant; hos moneant ad confessionem faciendam. Aduertendum tamen dictas Pontificias constitutiones, non obligare in quibuscumq; morbis, sed in graui, vel in periculoso: vt contra *Rodriquez, Dianam, Antoninum, & Syluestrum*, docent *Suarez to.4.disp.35.sect.3.n.4. Grasius p.1.l.3.c.14.n.7. Vigha in Sum.to.2.c.35.cas.3.* & alij. Sic enim constitutiones illas interpretata est consuetudo, vt supradicta monitio satis sit, si medicus faciat per alios.

Si autē æger in probabili mortis periculo constituatur, & pertinax sit in renuenda eō confessione, vel quādo creditur certò monitionē nil profuturā ob ægri obstinationem, nec medicus tenetur eū admonere, nec eū deseretenā mens Pontificis fuit, spirituali ægri saluti consulere, & nil frustraneum præcipit, sed in hoc casu frustranea esset admonitio, nec ad eum finem conducens. Vt docent *Sanchez l.3.Mor.cap.16.nu.10.11.& 16. Diana p.3.tr.4. res.93. Suarez c.nu.5. Filliuc.tr.7.n.34.* qui nouissimus ait bullam *Pij V.* non esse receptam in maiori vigore, & iuramentum à medicis præstitum ante gradum Doctoratus exequendi decreti, solùm intelligi: in quantùm præsens constitutio *Pij V.* vsu recepta est.

Insuper *Gregorius XIII.* in bulla, *Aliàs piæ memoriæ*, prohibuit, ne Christiani morbo affecti Iudæos, aliosve infideles Medicos ad se curandos vocent, nec ab alijs vocatos admittant. Si tamen necessitas adesset, & facultas Medici Catholici non haberetur, tunc vocare infidelem Medicum poterunt, vt significauit *Clemens VIII.* in bulla incip. *Cum sicut*, lata Romæ, die 26. Iunij 1596.

9. Secundùm communiorem sententiam, annus in quo lemelex præcepto Ecclesiastico facienda est confessio, computandus est ab vno Paschate ad sequens Pascha, vt habet communis vsus & praxis fidelium: tamen qui in Natiuitate Domini, aut alio die confitetur, satisfacit præcepto annuæ confessionis, nec postea ex vi istius præcepti tenetur denuò in Quadragesima confiteri, cum iam adimpleuerit præceptum: quamuis fieri possit vt alio titulo teneatur confiteri, vt si sit suscepturus Eucharistiam in Paschate, vel adueniat articulus mortis, aduertens se conscientiam habere lethalis culpæ. Ita *Suarez to.4.disp.36.sect.3. Aror.to.1.l.7.c.39.q.6.& 7. Henriq.l.4.c.4.nu.1. Filliuc.tr.9.c.3. Mercerus de Sacram.q.6.a.5.* & alij. Proinde consuetudo vniuersalis ferè Ecclesiæ, quę facit ius cōmune est, vt adimpleatur hoc præceptum annuæ confessionis, tempore Quadragesimæ, vel circa festum Paschæ: quam consuetudinem cùm probauerit Concilium Tridentinum *sess. 14. cap.5.*, inde fit vt hodie vnusquisque dicto tempore confiteri teneatur, si adsit conscientia peccati mortalis. Hanc sententiam docent *Suarez, c. nu.9. Medin. Cod. cōfess.q.14. Megala 1.p.l.5.c.3.n.3. Bellarm. de pœnit.l.3.c.4.& 13.* probans hanc obligationem authoritate Patrū, *Polanchius in direct. Carbo de præcept. Eccles.c.8. Matthæus Galenus in hoc præcep. Theophil. Parochialis p.3. art.8.*

Consuetudo hæc & simul probatur, & subinde nouis vinculis statutorum Synodalium nostri Belgij & aliarum Prouinciarum firmatur: vt constat ex Concilijs nostris Prouincialibus, Mechliniensi & Cameracensi de confessione. Synodo Attrebatensi *cap.4 de pœnitent.* & Synodo Audomarensi *cap.7. de pœnitent.* vnde consuetudo illa confitendi in Paschate aut Quadragesima, cuius meminit Concilium Tridentinum non est libera, sed obligatoria statutis Prouincialibus, ac Diœcesanis indicta & præcepta, cui nulla in parte, nullo in loco, nullo in tempore est derogatum. Vt solidè docet ex more Theophylus Parochialis *part.3. art.9.* Nec consuetudo hæc videtur solùm ostendere obligationem per accidens, sed etiam per se: tum quia non tantùm qui communicaturi sunt, sed cæteri etiam homines censentur teneri hac obligatione: tum etiam, quia ipsimet, qui sunt communicaturi, timent violationem huius præcepti, & non solùm ex obligatione communicandi: sed etiam ex vi huius præcepti putant se ad confessionem teneri.

Et licet *Vtinen to 1.lib.7.cap.19.q.7.* putarit Canonem *Omnis vtriusque sexus*, obligare ad confitendum semel in anno absque temporis determinatione; non tamen impedit (inquit) quin consuetudo, vel speciale ius alicubi receptum, interpretetur ad declaret confessionem annuam tempore Paschatis esse faciendam.

Non est tamen improbabilis sententia illorū, qui arbitrantur annum pro impletione dicti præcepti computandum esse à Ianuario in Ianuarium; quia annus absolutè dictus communiter & ordinariè sic computatur. Item & illorum qui putant vnicuique computandum esse suum annum, ab vltima confessione. Vide *Vasq.q.90 a.3.dub.1. Sylu. in Supplem.q.6.ar.5.q.3. Diana p.4.tr.4.resol.206.*

10. Communis sententia est, illum, qui præuidet fore quòd non sit habiturus copiam confessarij, in articulo mortis, aut sequenti tempore præsentis anni, teneri præuenire, lethalia peccata sua confitendo, oblata opportunitate confessarij, antequam adueniat articulus mortis, vel elabatur annus in quo tenetur confiteri. Quòd autem ius diuinum ad confessionem obliget, si intra annum occurat mortis periculum, per se notum est.

Posterioris verò ratio est, quia præceptum confessionis non limitatur ad Quadragesimam, ad tollendam obligationem; ergo sicut obligat post Quadragesimam, quando in illa impletum non fuit, sic obligabit ante illam, quando præuidemus impedimentum in quo, in illa illud implere non possumus: nec hoc præceptum limitatur ad finem anni; sed obligat ad confitendum semel in anno peccata commissa & non confessa: sed, si homo positus in illa opportunitate, non confiteatur statim, non implebit præceptum in anno, imò reddit se impotentem ad implendum illud, ergo tenetur nunc confiteri. Ita communiter Theologi, *D.Bonau.4.d.17.2.p.a.2 q.2. Pet. Soto de confess. sect.5. Nauar.c.2.n.10. Sylvest v.confessio 1.q.2. Reginald.l.6.n.25. Filliuc.tr.sect.7.n.38. Diana p.3.tr.14.res.69. Putean.3.p.q.90.p.2. q.1.dub.vlt.concl.3. Sylu. in Suppl.q.6.ar.5.q.3. Bonac. disp.5. q.5.sect.2.p.4.n.21.*

Sed dubium est, an ex vi iuris diuini, confessio sit in præcepto, quando probabile est periculum obliuionis alicuius peccati vel peccatorum; Resp. in huiusmodi casu non esse obligationem anticipandi confessionem. Ratio est, quia non tenetur homo iure diuino præuenire, & diligentiam facere, vt peccata conseruet in memoria, sed tantùm tenetur, quando tempus obligationis occurrit, moralem diligentiam facere, vt omnium recordetur, & integrè confiteatur, non affectando obliuionē peccatorum, neque Concilium Florentinum aut Tridentinum aliud requirit. *Sylvest.v.confessio 1.q.2. Nauarr.in Man.c.21.n.35. Victoria n.132. Sylvius q.6.ar.5.quæst.1.concl.3.*

11. Probabilissimum est per confessionem informem satisfieri Ecclesiastico præcepto de annua confessione, hoc est, quamuis integra confessio non fiat, aut legitimus peccatorum desit dolor & detestatio, aut idoneum propositum cauendi peccata in futurum, aut diligens peccatorum discussio; dummodò nihil horum in confessione dedita opera, aut per negligentiam, seu ignorantiam affectatam, quamuis per crassam à pœnitente fuerit admissum, valet confessio, nec illa eodem anno repeti debet; quamuis necessarius sit dolor, per veram cordis pœnitentiam, de culpa commissa, vt effectus gratiæ percipiatur. Ratio huius sententiæ est, tum quia præceptum Ecclesiæ obligat ad substantiam actus, non verò ad modum. Tum quia ex præcepto Ecclesiæ tantum quis obligatur recipere Sacramentum pœnitentiæ, sed qui facit confessionem informem, recipit Sacramentum pœnitentiæ; cum Sacramentum informe sit validum, vt patebit infrà v. *Confessio Sacramentalis* 6. num.8. Ita *D.Th.in 4.d.17.q.3.a.4.ad 1. Suar.disp.36.sect.7.n.6. Valentia to. 4.disp.7.q.11.pu.2.& 4. Filliuc.tr.7.n.65. Vict.n.165. Nauarr.in Man.c.9.n.13. Sylvest.v.confessio 1.q.22.23. Henriq.l.4.c.5.nu.1. Aror.to.1.l.7.c.40.q.3.*

Sed quia sententia illorum, qui negant dari posse hoc Sacramentum validum, & informe, improbabilis non est; ideo probabile etiam est per talem confessionem, præceptum Ecclesiæ non impleri, ac proinde eodem anno repeti debere. Ratio autē est, quòd Ecclesia præcipiat taliter confessionem fieri, quam Christus instituit; at cōfessio à Christo Domino instituta, debet esse omnium peccatorum integra, & debito ac legitimo cum eorum dolore coniuncta, ergo, &c. Prima tamen sententia mihi placet, quæ benignius, & mitiùs hoc præceptum interpretatur, & meritò ne pœnitentes, & suorum peccatorum confessionem facientes crebris scrupulis grauiter diu exentur. *Vasq.q.92.ar.3. dub.5.n.5. Medina de conf.q.16. Angel.v.confessio n.14. D.Bonau.in 4.dist.17.2.p.a.1.2.q.3.*

12. Qui confessionem fecit imperfectam dedita opera, aut per negligentiam seu ignorantiā affectatam, puta, quia nō confitetur omnia peccata sua, aut quamuis confiteatur omnia, quorum memoriam habet, id tamen facit sine legitima contritione cordis, aut sine debita conscientiæ discussione, nec diuino, nec humano præcepto confessionis satisfacit; quia talis, nec facit, nec facere curat, id, quod Christus instituit, & quòd secundùm Christi intentionem Ecclesia quotannis fieri præcipit. Tū quia

non

non aliam confessionẽ præcipit Ecclesia, quàm Deus, sed præcepto diuino quis non satisfacit, nisi per susceptionem Sacramenti, ergo nec Ecclesiastico. Contra *Fagundez, Victoriam, Sylvestrũ*, & alios infra. *Medina de confess. q. 16. Coninch. disp. 5. dub. 9. n. 70. Laym. l. 5. tr. 6. c. 5. n. 11. Regin. l. 6. n. 54. & 55. Sylu. in Suppl. q. 6. ar. 5. q. 4. Filliuc. tr. 7. n. 41.*

13. Qui peccata sua confitetur & sua culpa non absoluitur, vt si sit publicus vsurarius, aut meretrix, qui non volunt relinquere occasiones proximas peccandi; non satisfacit præcepto, quandoquidem de ratione confessionis à Christo præceptæ est, vt ordinetur ad absolutionem, tanquam Sacerdotis sententiam excipiendam. Ita *Azor. to. 1. l. 7. c. 29. q. 4. Filliuc. tr. 7. n. 64. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 4. n. 24.*

Quamuis *Diana p. 3. tr. 4. resol. 120. Fagundez prec. 2. l. 1. c. 4. n. 4. Vict. in Sum. n. 163. Sa v. confess. n. 1.* probabile putent aliquẽ satisfacere præcepto Ecclesiæ confessione voluntariè nulla: Ratio autem illius probabilitatis est, tum quia Ecclesia tantùm potest præcipere actum externum, ille autem qui ex malitia & culpa sua tacet aliquod peccatum, vel proximam occasionem peccandi, vel non accedit ad confessionem cum dolore requisito, exteriùs facit quod Ecclesia præcipit, tantumque deest illi actus interior. Tum quia Ecclesia præcipit confessionem, non absolutionem, vnde absolutio videtur finis, non materia huius præcepti; ergo licet aliquis ita confiteatur, vt ob malitiam suam, & culpa sua inualidè absoluatur, vel absolui non possit, nihilominus implet præceptum. Sed primam sententiam tenet.

Certum est tamen, quòd talis inualidè absolutus, liberetur à reseruatione peccatorum, si confessarius potestatem habeat ab ijs absoluendi, vt dictum est suprà *v. Casus reseruatus* num. 29. & docent *Coninck. disp. 8. dub. 12. num. 91. Layman. lib. 5. tract. 6. c. 5. nn. 11. Suar. disp. 31. sect. 4. n. 9.*

De illo autem qui prout potuit dignè confessus est, sed ex malitia Sacerdotis, vel ex aliquo casu repentino absolutionem Sacramentalem non accepit, an satisfaciat præcepto confessionis; Dicendum est quòd non, quia talis non suscipit Sacramentum, quod sine absolutione non perficitur. Quamuis aliqui contradicant. Vide *Sylu. qu. 6. ar. 5. quæst. 4. Suares disp. 36. sect. 7. num. 4. Filliuc. tract. 7. num. 64. Nauarr. in Man. cap. 10. num. 4.*

14. Quorundam Doctorum sententia non improbabilis est, pœnitentem, qui non fecit confessionem perfectam, voluntariè præmittentes aliquod peccatum mortale sine causa, aut debito caruit dolore, non incurrere censuras, si quæ infligerentur, contra eos, qui non sunt confessi. Ratio illorum est, quia quamuis talis non adimpleat præceptum, iste tamen defectus adeò est occultus, vt non videatur cadere sub pœnas Ecclesiæ. Ita *Henriquez lib. 4. cap. 5. & l. 2. cap. 14. num. 8. Nauarr. in Man. cap. 10. num. 4.*

Mihi tamen probabilius videtur, talem incurrere censuras. Ratio est, tum quia censetur contumax contra Ecclesiam, cùm non adimpleat præceptum, ob cuius transgressionem imposita censura. Tum quia sæpè Ecclesia punit exteriorem actionem propter interiorem defectum, quatenus malitia redundat in exteriorem actum, vt constat ex materia de hæresi. Illa enim actio exterior absolutè est mala; & in præsenti materia, confessio illa, & absolutio tales sunt, vt exterius non impleant præceptum Sacramenti: ergo ille homo etiam exterius non implet hoc præceptum, quod non vtcumque præcipit illas actiones externas, sed vt pertinent ad perfectionem Sacramenti. Ita *Corduba in Sum. quæst. 15. Suares c. sect. 8. num. 4. Bonacina disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 4. n. 25.*

15. Quando aliquid præcipitur ab Ecclesia absolutè & simpliciter, non spectata propriè circumstantia temporis, sed potiùs ne diutiùs executio differatur, elapso tempore determinato non cessat obligatio; vnde cùm præceptum confessionis tale sit, dicendum est illum qui non est confessus anno præterito, teneri hoc anno quamprimùm confiteri, ex præcepto annuæ cõfessionis, ita vt eò magis, ac magis peccet, quò magis ac magis confessionem voluntariè differt. Probatur autem hoc ex forma & intentione præcepti: mandatur enim, vt saltem semel in anno confiteamur: intentio verò præcepti est vt confessio tamdiù non differatur; ergo ita obligat, vt intra annum fiat confessio, vt si tunc non impleatur, semper ac continuè obliget, ne amplius differatur.

Secus dicendum quando aliquid præcipitur ob circumstantiam, conditionem, seu honorem alicuius temporis, elapso enim tempore determinato, cessat præcepti obligatio: vt patet de obligatione quotidie horas Canonicas recitandi, & audiendi Missam diebus festis. Hæc est communior probabilior sententia *Sotus 4. dist. 18. q. 1. art. 4. Regin. l. 6. num. 37. Fagundez prec. 2. l. 1. c. 4. Vasquez q. 90. ar. 3. dub. 2. num. 3. Suarez disp. 36. sect. 4. n. 2.* & aliorum contra *D. Antoninum, Tabienam, Syluestrum* apud *Suares & Diana p. 3. tr. 4. res. 130. Nauarr. in Man. cap. 21. num. 45. Nugnus in Suppl. 3. p. q. 6. a. 5. difficult. 6. Bonacina c. punct. 4. num. 26.*

Adnotandum tamen hic est, cum *Bonacina* loco citato num. 28. & 29. illum, qui non est confessus tempore periculi mortis, cùm haberet conscientiam peccati mortalis, non teneri postea quamprimùm confiteri: præceptum confessionis eo tempore obligat propter periculum damnationis, sed sublato periculo mortis, dictum periculum damnationis abest: secus dicendum de præcepto confessionis annuæ, quod obligat quamprimùm elapso anno ad confessionem anno præcedenti prætermissam, cùm terminus ab Ecclesia non fuerit appositus ad finiendam, sed ad sollecitandam obligationem. Ita ille.

16. Probabilius est, illum, qui distulit confessionem anni præteriti vsque ad præsentem annum, & vtroque anno habuit peccata mortalia necessariò confessioni subijcienda, vnica confessione non satisfacere vtrique obligationi, cùm ad vnam confessionem teneatur ratione anni præteriti: & ad alteram ratione præsentis anni. Ita videmus Pastores exigere confessionẽ debitam huic Quadragesimæ, vt nihilominus censeant manere hominem obligatum ad confitendum in sequenti, vel vsque ad sequentem Quadragesimam; vnde eodem modo, & per eandem excommunicationem exigent post sequentem confessionem. Ita *Suar. disp. 36. sect. 4. n. 5. Nugnus in Suppl. 3. p. q. 6. ar. 5. diffic. 5. Coninch. disp. 5. dub. 8. n. 65. Filliuc. tract. 7. nu. 56. Syluius 3. p. q. 80. a. 11. quæst. 4. & in Suppl. q. 6. a. 5. quæst. 3.* Oppositum tamen aliquibus non videtur improbabile, cùm vsu receptum videatur, vt qui multis præcedentibus annis non est confessus, vnam in sequentibus annis faciat confessionem.

17. Præcepto confessionis satisfecit, qui per obliuionem, vel aliam causam in cõfessione prætermisit aliquod peccatum, cuius recordatur post sumptionem Eucharistiæ, aut post Pascha: nec tenetur ex vi præcepti annuæ confessionis illud peccatum quamprimùm confiteri, aut intra illum annum, sed potest differre cõfessionem illius peccati, donec ex vi alterius obligationis iterũ confiteri teneatur. Ratio est, quia Ecclesiasticum præceptum obligat tantum ad confitenda omnia peccata illo anno commissa, quantùm memoriæ occurrunt facta diligentia: sed qui facit, vt potest, confessionem totius anni, integrè & absolutè implet præceptum Ecclesiasticum, & ideò etiam ex accidenti aliquid omittat, non manet obligatus vsque ad sequẽtem annum. Tamen, si ante communionem recordetur, tenetur, per se loquendo, peccatum illud mortale oblitum confiteri ante communionem. Ita *Nauarr. in Man. cap. 2. num. 10. Sylvius 3. p. in Suppl. q. 6. a. 5. q. 3. Suarez disp. 33. sect. 2. Valentia to. 4. disp. 7. q. 11. p. 1. Diana p. 3. tr. 4. res. 124. Victoria n. 137. Layman l. 5. tr. 6. c. 8. n. 13. De la Crux in direct. p. 2. de Sacram. pœn. q. 3. dub. 2. concl. 3.* & alij.

18. Qui confessus est hoc anno peccata solùm venialia, cùm non haberet conscientiam peccati mortalis, si post confessionem committat aliquod peccatum mortale, nondum elapso anno, tenetur eodem anno iterum confiteri: tum quia nũquam hoc anno confessus est peccata mortalia, cùm *Cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnitent. & remiss.* obliget ad mortalia semel in anno confitenda, si alicuius peccati mortalis pœnitens intra annum sibi conscius sit. Tum quia consuetudo Ecclesiæ ita videtur hoc præceptum interpretari, nullus enim contentus est confessione priori tempore facta, si tunc habeat conscientiam peccati mortalis, & Pastores Ecclesiæ eo tempore cogunt ad confessionem faciendam. Ita *Suarez disp. 36. sect. 3. num. 9. & sect. 4 n. 7. Vasques q. 90. ar. 3. dub. 2. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 1. p. 4. n. 33. Regnal. l. 6. n. 38.*

CON-

CONFESSIO SACRAMENTALIS II.

Quando Confessio Sacramentalis non obliget.

SVMMARIVM.

1. *Præceptum confessionis non obligat cum graui detrimento.*
2. *An præceptum Diuinũ & Ecclesiasticum obligent ad confessionem, quando fieri non potest seruato sigillo.*
3. *An extra articulum mortis sit obligatio confitendi per scripturam?* Refertur duplex sententia.

1. AB obligatione confessionis excusantur fideles, quoties absolutè aut sine graui detrimento fieri non potest cõfessio. Ratio est, quia nec Christus, nec Ecclesia cum graui incommodo obligant: vnde qui non habet copiam confessarij, nec eius copiam habere potest, nisi longum iter suscipiat, excusatur ab obligatione confessionis, si nequeat iter suscipere absque graui incommodo, iudicio prudentis viri: quia non solùm physica & absoluta impotentia, sed etiam extraordinaria difficultas moralis, qualis est hæc, excusat.

Similiter qui sibi aut alteri probabiliter timet reuelationem peccati, aut aliud graue detrimentum, excusatur à confessione eorum peccatorum, ex quorum manifestatione probabiliter timet reuelationis periculum, aut aliud graue detrimentum: tenetur tamen hic confiteri alia peccata mortalia, si quæ habeat, de quibus non subest periculum. Vt dicetur infrà cùm de integritate confessionis *Suarez disp. 36. sect. 6. n. 1. Sylu. in Suppl. q. 9. a. 2. q. 4. Nugnus in Suppl. q. 6. a. 6. Filliuc. tr. 7. c. 3. q. 8. Reginal. l. 6. n. 51. Puteanus 3. p. q. 90. p. 2 de conf. dub. 5. Graffius in append. l. 1. c. 10. n. 7.*

2. Non solùm præceptum Ecclesiasticum, sed etiam Diuinum non obligat illum ad confessionem qui non potest sua peccata confiteri seruato secreto sigilli confessionis; vt quando confessarius est surdus, aut pœnitens non potest peccata sua explicare nisi alijs audientibus; aut quando non potest fieri confessio nisi per interpretem: in his casibus quamuis vrgeat tempus communionis, non Diuinum & Ecclesiasticum nõ obligant ad confessionem illam publicam cum tanto incommodo. Ratio est, quia cùm hoc præceptum affirmatiuum sit, non obligat pro semper, sed temporibus opportunis: moraliter autem & prudenter non censetur opportunum tempus; quando homo non potest ordinariè, & sub secreto confiteri, & aliàs non vrget extrema necessitas. Ita *Sylvest. v. Confessio 1. n. 16. Henriq. l. 4. c. 4. n. 2. Fagundez præcept. 2. l. 1. c. 6 Sanctius in selectis disput. 32. De la Crux in direct. p. 1. de pœnit. q. 3. dub. 7. concl. 1. Sylu. in Suppl. q. 9 ar. 3. concl. 3.*

In articulo verò mortis, quando peccator non potest actum contritionis elicere, aut dubitat de sua contritione, teneretur ad confessionem illam publicam vel per interpretem, non ex vi præcepti confessionis; sed ex obligatione pœnitẽtiæ vt sic, seu satisfaciendi Deo, & ex obligatione charitatis, ne se periculo damnationis exponeret, non adhibendo media necessaria ad salutem propriam: secus dicendum si habeat actum contritionis, nec de illo probabiliter timeat. Ita *Suarez c. disp. 36. sect. 6. n. 4. Diana p. 3. tr. 4 resol. 129. Vasq. q. 91. a. 4. dub. 3. Reginald. l. 6. num. 51.*

Quidam tamen Doctores existimant talem pœnitentem in articulo mortis posse tacere peccata maioris infamiæ; quia in tali casu non tenetur tacere confessionem materialiter integrã, sed formaliter. Ita *Fagundez præcept. 2. l. 1. c. 6 n. 8. Henriq. l. 4. c. 4. n. 4. Layman lib. 5 tr. 6 c. 6. n. 5.* Imò in tali casu posse quem confiteri aliqua peccata venialia, & generatim omnia mortalia putant *Comitol. disp. 5. dub. 10 n. 77. Molfesius in Sum. to. 1. tr. 7. c. 11. n. 12.* quod non est improbabile.

3. Nonnullorum Doctorum sententia est, illum excusari à præcepto confessionis, qui non potest confiteri nisi per scriptum, vt quia vel ipse mutus est, vel confessor surdus, & non potest se alijs nutibus explicare. Ratio huius sententiæ est, tum quia nemo tenetur ad confessionem cum suo graui incommodo, & cum periculo, vt peccata ab alijs cognoscantur: Tum

quia scriptura est publicum instrumentum, & qui scribit peccata, exponit se periculo amittendi scriptum, vel vt confessor illud accipiat de manibus eius, & in publicum ferat. Ita *Nauar. in Man. c. 21. n. 138. Victor. n. 138. Valentia to. 4. disp. 7. qu. 11. p. 1. Diana p. 3. tr. 4. resol. 128. Filliuc. tr. 7. n. 63. De la Crux in direct. p. 2. q. 3. dub. 7. concl. 1.*

Sed mihi contraria sententia videtur probabilior, maximè si commodè & sine periculo confiteri possit per scripturam. Ratio est, tum quia nullum est incommodum, neque vllum damnum affert per scriptum confiteri; nam si aliquod, maximè publicam manifestationem peccati, cuius morale periculum ne sequatur facilè caueri potest. Potest enim pœnitens scribere sua peccata coram Sacerdote, & statim perfringere chartam; vel habere librum typis impressum, in quo digitis indicet peccata confessario, descripto in alia charta numero peccatorum. Tum quia qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media ordinaria saltem & commoda, conducentia ad talem finem.

Hæc sententia est tenenda in praxi, præcipuè in articulo seu periculo mortis, tanquam tecutior, ne quis periculum salutis incurrat. Ita *Sylvest. v. Confessio 1. q. 15. Sylu. in Supplem. qu. 9. ar. 3. concl. 3. Comitol. disp. 5. dub. 10. n. 78. Suarez disp. 36. sect. 6. n. 7. Nugn. in Suppl. 3. p. q. 9. art. 3. Vasq. q. 91. a. 4. dub. 5. Becan. de Sacram. c. 37. q. 7. Layman l. 5. tr. 6. c. 6. n. 4.* & alij.

Vide *Communio Sacra* n. 27. 29. & sequent.

CONFESSIO SACRAMENTALIS III.

Quoad materiam eius.

SVMMARIVM.

1. *Materia necessaria confessionis, sunt omnia peccata mortalia post baptismum commissa.*
2. *Peccata venialia sunt quidem materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria: nisi in duobus casibus. Et an sit mortale non habere dolorem de omnibus venialibus quæ in confessione dicuntur.*
3. *Peccata mortalia, aliàs legitimè confessa, sunt etiam materia sufficiens confessionis.*
4. *Peccata ritè clauibus subiecta, non sunt necessaria materia confessionis. Et an Prælati regulares possint sibi subditis statutum ponere, vt sibi confiteantur peccata omnia semel in anno, etiam aliàs ritè confessa.*
5. *An detur aliquod præceptum diuinum, vel Ecclesiasticum, obligans ad confessionem venialium.*
6. *Peccatum dubium, an sit materia sufficiens, vel necessaria confessionis?*

An qui confessus est mortale dubium teneatur reconfiteri vt certum, si postea aduertat fuisse mortale certum.

1. MAteria Sacramenti pœnitentiæ est duplex: proxima & remota. Proxima sunt actus pœnitentis, videlicet, cõtritio, confessio, & satisfactio: hoc constat tum ex Tridentino *sess. 14. cap. 3.* & Florentino, vbi hi tres actus recensentur quasi materia huius Sacramenti: Non additur *quasi*, eò quòd ista veram materiæ rationem non habeant, qualis ad constitutionem Sacramenti requiritur, sed quia non sunt materia extrinseca & visibilis, sicut est materia Baptismi, Eucharistiæ, &c.

Materia remota sunt peccata. Ratio est, quia illa remota materia dicitur, circa quam versatur proxima, hæc autem, sunt actus pœnitentis, vt dictum est, qui versantur circa peccata destruenda & abolenda, ergo. Proinde

Omnia peccata mortalia post baptismum commissa, sunt materia necessaria confessionis ex præcepto: & quantùm moraliter potest fieri, vni eidemque Sacerdoti sunt aperienda, in eadem confessione, in ordine ad vnam & eamdem absolutionem. Ratio est, tum quia peccata ante baptismum perpetrata, non subduntur tribunali Ecclesiæ, quia remittuntur per se à Baptismo, & persona pro eo statu non est de iurisdictione Ecclesiæ, ideò eius actus non sunt subiecti clauibus: Tum quia definitum est à Concilio Tridentino *sess. 14. can. 7.* his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, necessarium non esse iure diuino confiteri omnia & singula peccata*

peccata mortalia, &c. Anathema sit. Tum quia vnum peccatum mortale remitti nequit sine alio, nec Sacerdos potest absolutionem diuidere, vnum peccatum remittendo alterum retinendo. Vide *D. Thom. 3. p. q. 84. ar 2. Sylvius ibid. Suarez tom. 4. disp. 18. sect. 1. Filliuc. tr. 6. c. 3. q. 1. 2. & 3. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 3. pu. 1. & 2. Putean. 3. p. q. 84. ar. 2. Comnck de pœnit. disp. 4. dub. 3. & 4. Henr. l. 4. c. 9. Valent. to. 4. disp 7. q. 1. p. 2. Medina C. de confess. q. 5. Laym. l. 5. tr. 6. c. 3. n. 5. 6.*

2. Peccata venialia sunt quidem materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria: Probatur prior pars ex Tridentino *sess. 14. can. 7. Si quis dixerit non licere confiteri peccata venialia, anathema sit*, & cap. 5. docetur peccata venialia rectè & vtiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dici. Posterior pars probari potest ex eo, quòd pœnitentia sit secunda post naufragium tabula; peccatum autem veniale non est naufragium, cùm non frangat innocentiæ nauem, separando hominem à Deo: ergo non sunt necessariò subijcienda Sacramento pœnitentiæ. Ita *Nauarr. in Man. c. 21. n. 34. Comnck disp. 4. dub. 3. n. 27. Bonac. to. 1. d. 5. q. 3. p. 1. n. 5. Reginald. l. 6. n. 92. Suar. disp. 18. sect. 4. n. 8. Victoria in Sum. n. 166.* Proinde Pœnitens habens plura venialia, potest aliqua confiteri, & alia reticere.

In duobus tamen casibus necessariò de veniali esset facienda confessio, sicut & de mortali.

Primò, quando dubitatur de veniali an sit mortale, vel de mortali an sit veniale, hoc est, quando quis quasi in æquilibrio constitutus, non magis ad vnam partem, quàm ad alteram oppositam declinat, saltem notabiliter, etiamsi aliqualiter coniecturet de earum vna, sed sine probabilitate; secùs si habeat assensum probabilem circa factum, quod iudicet vel nullum cómisisse peccatum, vel saltem tale peccatum non esse mortale.

Secundo, quando quis tantopere afficitur ad aliquod peccatum veniale, vt timeat se per illud inducendum ad mortale, nisi confitendo frœnet fortiter talem affectum; nam consentiret alioquin in mortale, consensu saltem interpretatiuo. Ita *Sanches l. 1. mor. c. 10. n. 66. Sylvius in Supplem. q. 6. a. 4. in resp. ad 3. Mercerus 3. p. q. 6. art. 4. n. 7. Turrianus de pœnit. q. 9. a. 2. disp. 29. dub. 6. Valent. to. 4. disp. 7. q. 9. p. 3. Suarez disp. 22. sect. 9. Diana p. 4. tr. 3. ref. 5.*

Sed dubitabis, an sit mortale nõ habere dolorem de omnibus venialibus, quæ in confessione dicuntur? Resp. videri quòd sic; quia confiteri aliquod veniale absque dolore efficaci, est apponere pro materia sacramenti id, quod non potest esse eius materia: deinde confessio singulorum est partialis materia, ergo debet esse vera accusatio, ergo requirit attritionem de omnibus: Ob has rationes non pauci affirmant esse mortale. Sed apud me probabilior videtur sententia negans id esse peccatum mortale. Ratio est, tum quia in pœnitentiæ sacramento frequenter pij homines solent se accusare de imperfectionibus & defectibus, qui non sunt peccata venialia, nec aliquis dixit, eos in hoc peccare mortaliter. Tum quia materia talis culpæ leuis est; quia defectus illius doloris, vel propositi per se & natura sua non est contrarius gratiæ & iustificationi, quæ est primarius effectus huius Sacramenti, per formam significatus; neque etiam impedit remissionem aliorum peccatorum venialium, de quibus vera fit accusatio capax veræ absolutionis, non obstante obice alicuius peccati venialis. Tum quia accusans se de aliquo veniali, quod non fecit, non peccat mortaliter, secundùm communiorem & veriorem sententiam, si apponat aliam materiam veram; in quo etiam casu apponi videtur pro materia id quod non est materia valida. Ergo nec in nostro casu accusare se de peccato veniali absq; dolore, & proposito efficaci illius vitandi, erit peccatum mortale. Tum quia in alijs Sacramentis admixtio alicuius partis, quæ non sit materia valida, non est culpa grauis, dum tamen apponatur materia valida. Sic enim in baptismo, cùm aquæ effundendæ miscetur aliqua pars olei benedicti; quæ quidem non est materia valida Sacramenti. Huius sententiæ sunt *Suarez de pœnit. disp. 20. sect. 6. p. 7. Henriq. de Sacr. pœnit. l. 1. c. 26. §. 7. Fagundez l. 2. c. 1. num. 13. Caspensis tr. 24. disp. 4. sect. 10. n. 91.*

3. Communis sententia est peccata mortalia iam alijs ritè in cõfessione expressa & legitima absolutione expurgata, esse materiam sufficientem confessionis, quamuis sola & sine admixtione aliorum peccatorum. Ratio est, quia cùm ex ratione propria Sacramenti pœnitentiæ sit, vt medicinale sit, & curatiuum infirmitatis peccati actualis, & remaneant in anima post. delatam culpam & pœnam, multa alia mala, verificatur forma Sacramenti pœnitentiæ, *Absoluo te*, &c. conferendo gratiam Sacramentalem, quæ quatenùs talis, non soltùm ad culpam & pœnam sed adhuc ad alios per peccatum contractos animæ morbos sanandos extenditur. Sicut enim eadem numero aqua, quæ est materia remota baptismi, potest adhiberi in administratione plurium baptismatum, ita eadem peccata possunt inseruire pro materia plurium Sacramentorum pœnitentiæ, modò adsit distincta materia proxima, id est, distinctus dolor, & distincta confessio. Ita communiter *Caiet. to. 1. opusc. tr. 5. q. 4. Reginald. l. 6. n. 94. & 95. Suarez disp. 18. sect. 1. n. 6. Nauarr. in Man. c. 21. n. 42. Vas q. 3. p. q. 91. ar. 3. dub. 7. Filliucius tr. 6. n. 59. Bonacina tom. 1. d. 5. q. 3. p. 1. n. 10. Henriq l. 4. c. 9. num. 5.* Probatur id ex communi praxi, & vsu piorum, qui sæpè generales confessiones de suis peccatis aliàs confessis facere solent, etiamsi nullum dubium habeant, quòd priores fuerint inualidè: Ex multis regulis & Constitutionibus Sacrorum Ordinum, qui piè & sanctè alumnos suos ad generales confessiones faciendas obligant. Ex *Cap. Quem pœnitet, de pœnitent, distinct. 1.* vbi sic legitur: *Vnde patet, quod quanto pluribus confitebitur in spe venæ turpitudinem criminis; tanto faciliùs consequentur misericordiam remissionis.*

4 Peccata iam ritè clauibus Ecclesiæ subiecta, sicuti & venialia non sunt necessaria materia confessionis. Ratio est, quia nullum exstat præceptum diuinum obligans ad iterandam contritionem peccatorum, de quibus iam habita est, ac proinde nec ad iterandam confessionem peccatorum, de quibus iam facta fuit: vnde in confessione talium peccatorum sicuti & venialium, liberum est quædam exprimere & quædam reticere: item vni Sacerdoti partem eiusmodi peccatorum confiteri, & alteri alteram. Ita *Nauarr. c. 9 n. 1. Victoria n. 166. Bonac. c. punct. 1. n. 10. 11. Reginald. l. 6. n. 97. 98.*

Sed dubium est, an saltem Prælati regulares possint sibi subditis statutum ponere, vt sibi confiteantur peccata omnia semel in anno, etiam alias ritè confessa? Respond. Licitum esse statutum, si fiat cum expresso consensu ipsorum regularium. Licet enim præcisè ob integritatem & perfectionem Sacramenti, non possit fieri præceptum obligans pœnitentem ad huiusmodi confessionem faciendam, secundùm *D. Thomam quodlibeto 1. ar. 12. Durand. dist. 17. quæst. 15.* & alios apud *Nauarrum in Man. cap. 9.* tamen ex voluntario consensu, & quasi pacto inito, potest hæc obligatio suscipi à peccatore; nam potest quis voto se obligare ad generalem confessionem faciendam, vel totius vitæ, vel vnius anni, etiamsi sæpiùs ritè confessus sit, & deinde ratione voti obligatur, ad confitendum iterum mortalia, aliàs ritè confessa. Ita religiosus pariter potest consentire, vt huiusmodi statutum in religione fiat, quod obligabit sub mortali illos, qui profitentur talem religionem. Atque ita de facto refertur esse tale statutum in Ordine Cisterciensi, Carthusiensi, nec non Fratrum Carmelitarum Discalceatorum. Secluso autem statuto, & non intercedente consensu & voluntate pœnitentium, Prælatus non posset hanc obligationem absoluto præcepto imponere, quia est propria materia consilij, & ideò non cadit sub præceptum humanum: & cum res sit valdè difficilis, nulla potest esse necessitas, quę suadeat tale imponi præceptum. Vide *Nauarr. in c. placuit n. 118. de pœnit. dist. 6. Suarez 3. p. tom. 4. disp. 22. sect. 7. Henriq. l. 2. de Sacr. pœnit. c. 16. & 17. Reginald. l. 6. n. 109.* & nostrum *Coriol. de casib. reserv. par. 1. sect. 1 a. 9.*

Hodie tamen post Decretum *Clementis VIII.* de reseruatione casuum pro Regularibus, non possunt ampliùs Prælati suos subditos compellere, vt peccata sua confessa ipsis confiteantur; nisi ipsimet sponte & motu proprio id ab eis petierint; vel nisi peccata habeant reseruata, vt patet ex textu ipsius Decreti §. 3. suprà verb. *Casus reseruatus*, nu. 40.

5. Nullum datur præceptum neque diuinum neque Ecclesiasticum obligans ad confessionem venialium. Vnde secundum communiorem sententiam qui tantùm habet venialia, non tenetur ad annuam confessionem. Religiosi tamen ratione sui instituti, & sæculares ratione voti aut iuramenti possunt ad id teneri: sed quod ad religiosos attinet, non videntur ad id teneri nisi sub veniali, etiam Nigri Monachi quibus in *Clementina vnica de statu Monachorum* menstrua confessio iniungitur. Ita *Vasques q. 90. a. 2. dub. 2. Layman l. 5. tr. 9. c. 5. nu. 12. Fagundez præc. 2. l. 2. c. 1. n. 5. Caiet. t. 1. opusc. tit. 5. q. 1. Cano relect. de pœn. p. 5. Diana p. 5. tr. 13. ref. 35.*

Sed petes, an Ecclesia possit præcipere confessionem venialium. Sententia verior est affirmatiua. Ratio est, quia Ecclesia ex potestate legislatiua, quam habet in subditos suos, sicut alia opera virtutum præcipere potest, quatenus ad fidelium salutem.

Iuxtem, & bonum ſtatum Eccleſiæ opportunum videtur, ita etiam poterit præcipere confeſſionem venialium. Ita *D. Thom. in 4. d. 9. ar. 1. q. 3. D. Bonav. 4. d. 17. a. 2. q. 1. p. 3. Suarez tom. 4. d. 22. ſect. 8. n. 5. Navarr. de pœnit. d. 6. c. placuit. n. 110. Filliuc. tr. 7. num. 107. Sylueſt. v. confeſſ. 1. q. 13.* In eo enim præcepto nihil eſt alienum ab inſtitutione huius Sacramenti, neque continet aliquid adeò difficile, vt excedat materiam præcepti; ſed eſt quoddam opus religionis, quod a fidelibus frequenter, & facile exercetur, & in aliqua occaſione poteſt prudenter iudicari valde conueniens, ad placandum Deum in communi & publica neceſſitate.

6. Peccatum dubium non eſt materia ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ. Ratio eſt, quia materia huius Sacramenti eſt peccatum quod in re eſt: in re autem non dicitur eſſe peccatum dubium, ſed in ordine ad cognitionem noſtram, ex qua non variatur Sacramenti materia. Propterea cum pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipitur, debet adhiberi materia certa, ne abſolutio proferatur ſuper materia indebita. Et ſi confeſſarius non poſſit extorquere materiam certam a pœnitente, & iudicauerit abſolutionem impendendam, abſoluere debet ſub conditione, ſi materia eſt ſufficiens. Quando autem pœnitens dubitat eſt de grauitate peccati a ſe commiſſi, veniale ſit an mortale, non tenetur aliam materiam exhibere, modo non habeat conſcientiam alterius peccati mortalis, quia iam datur certa materia, ſiue illa ſit peccatum mortale, ſiue veniale. Ita *Suarez tom. 4. diſp. 18. ſect. 1. n. 12. & diſp. 22. ſect. 9. Sanchez l. 1. mor. c. 10. nu. 70. Filliuc. tr. 6. nu. 60. Bonac. to. 1. diſp. 5. q. 3. punct. 1. n. 9. Layman. l. 5. tr. 2. c. 3. num. 5.*

Imò tale peccatum dubium eſt materia neceſſaria confeſſionis; dum id dubium ex iuſta cauſa non deponitur. Ratio eſt, quia in dubijs vbi poſſeſſio non fauet dubitanti, eſt neceſſario pars tutior amplectenda: at tutius eſt ea peccata dubia confiteri: cùm ea confitens nulli ſe periculo exponat; at tutius exponit ſe periculo omittendæ materiæ neceſſariæ, nempe peccati quod verè erat mortale. Nec poſſeſſio fauet dubitanti, quia præceptum confeſſionis in hoc dubio poſſidet; nam eo ipſo quod dubium eſt, an peccatum ſit mortale, eſt certum illius confitendi præceptum, vt teſtatur Eccleſiæ vſus, & colligitur ex communi ſententia Doctorum, tam antiquorum, quàm neotericorum, & ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 14. c. 5. & can. 7.* vbi ſola venialia à confitendi neceſſitate excepit. Non ergo ſunt excipienda peccata, de quibus dubitatur, an mortalia ſint.

Sed cùm peccata in confeſſione ſint detegenda eo modo quo ſunt in conſcientia, non vt certa, ſed vt dubia ſunt confitenda: quia confiteri dubium vt certum eſt mentiri, & cùm ſit circa materiam confeſſionis neceſſariam, nequit a mortali excuſari, niſi pœnitens bona fide, & quadam ſimplicitate id faciat, exiſtimans conſultius eſſe ſe grauare, quàm exonerare, vel ne fatenda eſſe. Ita *D. Thom. in 4. diſt. 21. q. 2. a. 3. Richard. d. 16. a. 5. q. 1. Major. 4. d. 17. q. 2. Navarr. in Man. c. 9. n. 14. & c. 21. n. 54. Victoria a. 130. Graſſis 1. p. l. 3. c. 10. n. 11. Suarez diſp. 22. ſect. 9. nu. 1. & 2. Clauis Reg. l. 1. c. 13. nu. 4. Azor. 1. p. l. 11. c. 4. q. 3. Diana p. 4. tr. 3. reſ. 5. par. 6. tr. 6. reſ. 32.* & alij communiter ab ipſis citati.

Sed petes, an qui confeſſus eſt mortale dubium, ſi poſtea aduertat fuiſſe mortale certum, illud teneatur reconfiteri vt certum? Reſp. verum tantum confeſſus eſt, ſe dubium mortale commiſiſſe: vel integrè confeſſus eſt totam actionem peccaminoſam, licet dubitauerit ſimul cum confeſſario, an illa fuerit mortalis. Si primo modo confeſſus ſit, tenebitur illud vt certum reconfiteri, quia tenemur peccata confiteri eo modo quo poſt *diligentem* diſcuſſionem ſunt in conſcientia: ergo ſi peccatum dubium poſt diligens examen fuit in conſcientia certum tenebimur illud vt certum confiteri, quia vt ſic non fuit clauibus ſubiectum. Si ſecundo modo, non eſt iterum confeſſio illius peccati repetenda, ſit aliunde confeſſio fuerit irrita, vt quia data opera quæſierit pœnitens confeſſorem ignarum, ac inſufficientem ad eius confeſſionem excipiendam. Quia in tali caſu nulla eſſet nouæ circumſtantiæ ſubijcienda clauibus, quæ non ſit per priorem confeſſionem ſubiecta; nec ad confeſſionis valorem eſt neceſſarium, vt pœnitens, aut confeſſor ſciat determinatè peccatum detectum eſſe mortale: quippe in omnibus id ſcire diſtinctè & determinatè in individuo, eſt moraliter impoſſibile. Ita *Coronel in Sum. l. 3. Sanchez l. 1. mor. c. 10. n. 69. Diana p. 4. tr. 3. reſ. 5. in fine. & par. 6. tr. 6. reſ. 31.* Et hæc ſententia eſt tutior & probabilior, quamuis contrariam videatur admittere vt probabilem *Kreſſerus de confeſſ. 4. c. 18. n. 197.* obſtationes quas habet *Lugo de pœnitent. diſp. 16. ſect. 2. §. 4. n. 77.* & quam abſolutè ſuſtinet *Caramuel l. 2. Theolog. mor. nu. 1539.* dicens. Confeſſus peccatum dubium vt dubium, ſi deprehendat deinde certum, non tenetur id vt certum confiteri. Ex communi tamen ſententia & praxi tale peccatum eſt confitendum deinde vt certum, ſed an praxis ex ſcrupulo, an ex ratione certa, non diſputo. Videtur enim homo pœnitens non velle diſputare, nec librare rationes, ſed ſequi tutiſſimam partem. Hæc illæ, qui etiam numero 1478. *& ſeqq.* probat (à communi ſententia recedens) peccata mortalia dubia non eſſe in Sacramentali confeſſione aperienda; ſed an probabiliter, doctiores iudicabunt.

CONFESSIO SACRAMENTALIS IV.

Quæ conditiones illius.

SVMMARIVM.

1. *Confeſſio Sexdecim conditiones requirit.*
2. *Confeſſio debet eſſe ſimplex.*
3. *Humilis.*
4. *Pura.*
5. *Fidelis, & quale peccatum ſit mentiri in confeſſione.*
6. *Frequens.*
7. *Nuda.*
8. *Diſcreta.*
9. *Libens, & verecunda.*
10. *Integra, & ſecreta.*
11. *Lachrymabilis, & accelerata.*
12. *Fortis.*
Accuſans.
Parata.
13. *An iure Diuino teneatur pœnitens, ante confeſſionẽ, conſcientiam examinare? & qui eſt debilis memoriæ, an teneatur ſcribere peccata.*
14. *An homo plus à peccato mortali excuſetur, ſi indiſcutienda conſcientia bona fide aliqualem diligentiam adhibuerit.*
15. *An diligentia pœnitentis per ſe inſufficiens ad abſolutionẽ, per propoſitum & voluntatem reſpondendi interrogationibus confeſſarij, poſſit fieri ſufficiens.*
16. *Confeſſarius, an teneatur pœnitentem interrogare ſi probabiliter iudicet illum integrè confeſſum.*
17. *Integritas confeſſionis duplex eſt, materialis & formalis.*
18. *An ſpecies morales, & phyſicæ, ſint in confeſſione explicandæ ad eius integritatem.*
19. *De integritate confeſſionis eſt, vt omnia peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, explicentur in confeſſione quoad numerum.*
20. *Quomodo explicandum ſit in confeſſione peccatum odij ſæpius repetitum.*
21. *Quid agendum cum meretrice, quæ omnibus fuit expoſita; cum concubinario, cum illo qui rem alienam dau detinuit; & cum ruſticis qui ſine numero alijs ſunt confeſſi.*

1 CONfeſſio Sacramentalis vt ſit perfectiſſima ſexdecim conditiones requirit, ſecundum doctrinam omnium Doctorum, poſt *D. Thom. 1. in Suppiem. 3. p. q. 9. ar. 3.* qui continentur his verſibus:

Sit ſimplex, humilis confeſſio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda & diſcreta, libens, verecunda,
Integra, ſecreta, & lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

Omnes hæ conditiones non ſunt ad confeſſionem omninò neceſſariæ, ſunt tamen valde vtiles & conducunt ad recipiendũ Sacramentalis confeſſionis effectum. *Navarr. in cap. Fratres, de pœn. diſt. 5.*

2. Confeſſio debet eſſe *ſimplex*, id eſt, vt verbis ſuperfluis careat, & vt dicantur peccata ſecundum ſuam ſpeciem, ſecundũ numerum, & ſecundum grauitatem malitiæ, quam ſiue ex obiecto, ſiue ex circumſtantijs notabilem habuerint, vnde non ſufficit narrare peccata ita artificioſè, vt à confeſſario nõ ponderentur, vel ita generaliter & confuſè, vt nequeat confeſſarius percipere, an veniale; vel mortale ſit peccatum de quo fit confeſſio. Ex eo tamen quòd in confeſſione addantur ſuperflua, non redditur

Digitized by Google

tur confessio inualida, modò confessor, possit iudicare de peccatis, an mortalia; vel venialia sint. Ita *Henriq. l. 5. c. 3. & in comment. Iust. B. D. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 12. Reginald. l. 6. num. 62. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 2. §. 2. num. 1. Puteanus 3. p. q. 2. p. 2. de conf. dub. 1.*

3. *Humilis* debet esse confessio, in cinere & sacco, tum interiùs quoad illectum & affectum, vt scilicet, pœnitens sibi ipsi attribuat, culpam suorum peccatorum, non Deo vel diabolo vel carni: Tum etiam exteriùs, vt flexis genibus, aperto capite, & non cum iactantia, sed tanquam reus peccatorum suorum veniam pœnitens petat. Signum huius humilitatis est, si nihil retineat, sed omnia confiteatur, considerans se miserum, & infirmum: propterea qui peccatum suum ideò confessario celat, ne iniquitatis sua alij manifesta fiat, ne talis reputetur foris, qualis est intus, superbus est. Species enim superbiæ est velle iustum videri, qui peccator est. Vbi autem superbia regnat, humilitas locum habere non potest. Hæc conditio quoad compositionem corporis, non est de necessitate confessionis, nam aliter potest fieri cùm necessitas vrget. Ita *Nauarr. in c. Fratres c. n. 12. Reginald. l. 6. num. 63. Suares de pœnit. disp. 21. sect. 1. Sylvester v. conf. 1. q. 6. Henriq. cit. cap. 3. num. 2. Bonac. c. §. 2. nu. 2. Puteanus c. dub. 1.*

4. *Pura* debet esse confessio quoad intentionem, vt scilicet, fiat principaliter ad placandum Deum & remissionem peccatorum obtinendam; minùs autem principaliter secundario liceret spectare aliquid honestum, vt euasionem alicuius infirmitatis, aut infortunij &c.

Si verò confessio fieret ob aliquem prauum finem & mortaliter peccaminosum, inualida redderetur confessio: quia de essentia eius est, quòd fiat spe veniæ. Si autem ob finem venialiter malum, subsisteret confessio nec suo fructu careret: quia gratia Sacramentalis reperiri potest in homine affecto veniali culpa: Tum quia non fit grauis iniuria Sacramento confessionis propter finem secundarium venialem; id est habendum in consideratione, quod est principale & non accessorium. Igitur ad confessionem puram requiritur rectitudo mentis in pœnitente; vt non fiat ob inanem gloriam, vel ex hypocrisi, vel ob metum seruilem, seu timorem pœnæ inferni. Ita *Sayrus de pœnit. c. 12. Nauarr. in Man. c. 21. n. 40. & d. c. Fratres n. 55. Vasq. q. 92. a. 3. dub. 2. n. 3. Sotus 4. disp. 18. q. 2. a. 2. ad 3. Sanches l. 1. Moral. c. 3. n. 1. Graffius in appendice l. 1. c. 5. n. 24. Sylvester v. conf. 1. q. 7. Henriq. l. 5. cap. 3. n. 3.*

5. *Fidelis* debet esse confessio, id, est, verax, & sine fallacia. Circa quam fidelitatem quæritur *primò*, quale peccatum sit mẽtiri in confessione? Respond. Qui mentitur in confessione affirmando vel negando falsò peccatum aliquod mortale numquã aliàs confessum, mortaliter peccat, & huius confessio est inualida: quia confessio talis non est integra, cùm mendacium in cõfessione commissum fileatur: secùs si peccatum aliàs fuit ritè confessum, vel ex graui ex causa fileatur; quia tunc non est materia necessaria confessionis in primo casu; in secundo verò, grauis illa causa excusat ab integritate confessionis vt dicetur infra v. *Confess. Sacram. V.* Ita *Suares to. 4. disp. 22. sect. 10. Sylvest. v. mendacium. n. 3. Nauarr. in Man. c. 21. nu. 37. Nugnus in Suppl. q. 6. ar. 4. Fagundes præcep. c. 2. l. 3. c. num. 12. Coninck disp. 6. num. num. 11.*

Item contra fidelitatem peccat mortaliter, qui maiorem numerum peccatorum mortalium in confessione exprimit, quàm reuera commiserit: Ratio est, quia decipit Iudicem circa materiam necessariam, de qua primariò ferendum est iudicium: quãuis per accidens ratione bonæ fidei, posset quis à mortali excusari, & de facto excusantur aliqui simplices & rudes homines, qui credunt se tutiorem viam eligere, explicando maiorem numerum peccatorum, *Suares c. sect. 10. num. 11. Rodriq. in Sum. to. 1. c. 52. Regin. l. 6. nu. 67. Sanches l. 1. mor. c. 10. num. 68. Victoria in Sum. n. 130.*

Item qui peccata mortalia dubia pro certis & certa pro dubijs exprimit, peccat mortaliter: quia in rigore, & mortaliter loquendo, dicere dubium pro certo, & è contra, mendacium est: confessio autem debet esse fidelis & vera, & valde diuersum iudicium ferendum est de peccato dubio, quàm de certo. *Henriq. l. 2. de pœnit. c. 4. n. 5. Bonac. c. punct. 2. §. 2. num. 10. Suares disp. 22. sect. 9. nu. 2. Coninck disp. 7. dub. 8. concl. 4.* quamquam interdum possit facilè excusari pœnitens, si bona fide, & ex quadam simplicitate aliter confiteatur.

Mentiri autem in confessione affirmando vel negando falsò peccato aliquod veniale, non est plusquam veniale. Ratio est, quia tale mendacium nec est perniciosum, nec grauiter iniuriosum, cùm fit in materia leui & non necessaria; siue pœnitens intendat veniale falsò affirmatum facere materiam absolutionis, siue non. Si tamen confitens nullum aliud peccato mortale vel veniale confessario aperiret, præter illud peccatum veniale falsum, esset tunc mortale: quia mendacium esset circa materiam necessariã ex suppositione, & cõmitteretur sacrilegium, non subijciendo materiam veram & sufficientẽ Sacramentali absolutioni, & sic fieret Sacramentũ irritum. Ita communiter Doctores post *Sylvest. v. confess. 1. q. 8. Nauar. c. 21. n. 37. Sylvius in Suppl. q. 6. ar. 4. Fagundes præc. 2. l. 3. c. 2. nu. 9. & 10. Tolet. l. 3. c. 9. n. 2. Diana p. 3. tr. 4. res. 96. & p. 5. tr. 5. res. 27.*

Mentiri verò in confessione circa peccatum aliàs ritè confessum; aut circa aliquid nihil pertinens ad propriorum peccatorum institutam confessionem non est mortale. Ratio est, quia non tenetur illud confiteri; nec vllo modo falsificat materiam Sacramenti, cùm absolutè non habeat obligationem illud confitendi, nec etiam rogatus à confessario. Ita *Suares d. 22. sect. 10. n. 4. Petr. Soto de conf. l. 10. Coninck disp. 6. dub. 3. nu. 8. Henriq. l. 2. de pœnit. c. 4. num. 2. Puteanus 3. p. par. 2. q. 2. de confess. dub. 1.*

Secundò, circa fidelitatem confessionis spectat illa quæstio, an peccet mortaliter, qui apud confessarium ordinarium leuia solum peccata confitetur, quoties verò peccatum aliquod grauius admittit, alteri confessario confitetur, ordinario relicto, ne apud illum bonam opinionem amittat?

Affirmant *Victoria n. 196. Sylvest. v. confessio 1. nu. 8.* quia committit peccatum hypocrisis & virtuale mendacium. Vera tamen & tenenda sententia docet, per se loquendo, non esse peccatum mortale etiam sæpius duobus confessarijs vti, ad conseruandam bonam existimationem apud ordinarium suum. Ratio est, quia neque hoc est contra integritatem Sacramenti, cùm vtraque confessio fiat integrè: neque est vera hypocrisis, quia non apparet hic grauis aliqua deformitas, nam conseruatio bonæ famæ apud ordinarium confessarium, non est de se mala: neque est enim species mendacij, nam ille nihil falsum confitetur: & licet fortassis facto ipso permittat alium decipi, id quidem non est de se peccatum mortale. Proinde imprudenter agunt confessarij, cùm reprehendunt pœnitentes suos, qui aliquando cõfessionale eorum declinant, cùm potius id dissimulare deberent. Si tamen talis persona ob hanc causam maneret in aliqua occasione peccandi mortiferè, aut ob id exponeretur periculo sæpius labendi in peccatum mortale, mortale esset. Ita *Nauarr. c. 21. num. 40. Suares disp. 22. sect. 1. num. 13. Henriq. l. 2. de pœnit. c. 16. nu. 6. Coninck disp. 6. dub. 4. nu. 13. Bonac. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 2. n. 5. Filliuc. tr. 7. n. 7.*

6. *Frequens* debet esse confessio, non quod necesse sit extra mortis articulum, aut extra tempus suscipiendæ Eucharistiæ, sæpius confiteri, quàm semel in anno, necessitate medij vel præcepti: est tamen de consilio, vt qui frequenter peccat, frequenter confiteatur; & qui non habet peccata, nisi ea; de quibus confessus est, iterum ea clauibus Ecclesiæ subiiciat ex nouo motiuo doloris, vt vbertimorum fructuum Sacramentalis absolutionis particeps fiat. Ita *Bonac. in c. §. 2. num. 14. Filliuc. tr. 7. num. 9. Graffius in append. l. 1. c. 5. num. 33. Nauarr. in Man. c. 2. nu. 7. Suares disp. 21. sect. 1.*

7. *Nuda* debet esse confessio, id est, non palliata, neque verborum obscuritate velata; quia peccata ita sunt manifestanda Sacerdoti; vt eorum grauitatem turpitudinemve cognoscere, & dijudicare valeat, an mortalia aut venialia sint ex genere: vnde non sufficit dicere peccata in generali, nisi in mortis articulo, quando aliter fieri non potest: & qui de industria confitetur aliquod mortale alicui Sacerdoti seò quòd ab illo non bene intelligatur, & quando confessio non fuit aperta, & clara, ob verba obscura, & ex industria ad occultanda peccata inuenta, confessio est nulla, sacrilega, & iteranda. Ita *Cauet. v. confess. nu. 6. Nauarr. c. 2. nu. 7. Bonacin. c. n. 15. Suares c. sect. 1. Henriq. l. 2. de pœnit. c. 3. n. 5. Sylvest. v. confessio 1. n. 10.*

8. *Discreta* debet esse confessio, id est, vt pœnitens cautè confiteatur peccata; præsertim carnalia, pudicis verbis, & quantùm ad circumstantias, non nisi necessariæ dicantur, præter species ipsas peccatorum; debet insuper pœnitens eligere confessarium eruditum & probum quia sciat discernere inter lepram & lepram, & debita remedia conferre: qui more periti medici sciat superinfundere vulneribus sauciati vinum & oleũ, id est, misericordiam & disciplinam, vt per vinum medeantur vulnera, & per oleum, id est, misericordiam foueantur. Et

sic

ſic miſcẽda eſt lenitas cum ſeueritatem peccatorum correctione. Vt habetur in *Cap. Diſciplina, diſtinct.* 45. Diſcreta etiã, in detegendo peccatum quod cum alio commiſit non nominando perſonam. Vide *Circumſtant.* num. 14. §. 6. Ita *Caiet. c. num.* 7. *Henriq. l. 2. de pœnit. c. 3. num.* 5. *Bonacin. c. num.* 17. *Nauarr. in Man. c. 2. num.* 7. & *c. 5. num.* 4. *Puteanus c. de confeſſ. qu. 2. dub.* 1.

9. *Lubens* debet eſſe confeſsio, id eſt, ſine coactione, ita vt voluntariè fiat, non ex metu pœnæ, ſed ex amore ſanitatis animæ: qui tamen ex motiuo timoris inducitur ad confeſsionem, vel importunis precibus trahitur inuitus, ſed confiteturomnia cum debita attritione, non fruſtratur fructu Sacramenti; habet enim voluntatem & intentionẽ ſufficientẽ ad ſuſcipiẽdã pœnitentiæ Sacramentũ, quamuis cũ aliquo inuolũtario peccata ſua cõfiteatur. Propterea pœnitens qui profuit quędam non confiteri, quæ tamen prudens confeſſarius de corde extraxit, debet in fine confeſſionis fateri illam fictionem. Vide *Fagundes præcept. 2. l. 2. c. 2. num.* 4. *Henriq. c. num.* 6. *Filliuc. tr. 7. num.* 10. *Bonac. c. num.* 18. 19. *Sylueſt. v. confeſ. 1. q.* 14. *Nauarr. ad c. Fratres de pœnit. num.* 54. *Suares c. ſect. 1. num.* 3. *Regin. l. 6. num.* 75. *Puteanus c. dub.* 1.

Verecunda, in qua pœnitens erubeſcat, tum intus apud ſemetipſum turpitudine & fœditate propriæ animæ, tum foris apud confeſſarium, de opprobrio, ſeu quod defectuoſus habeatur à confeſſario; hac occaſione confeſſarius non debet pœnitentem deterrere verbis duris & aſperis, ne illum retrahat à confeſſione, ſed potiùs illum allicere debet, ad explicanda confidenter peccata ſua, differendo increpationem ad finem confeſſionis, prout dictabit prudentia. Ita communiter Doctores hic citati.

10. *Integra* debet eſſe confeſſio, quantum ad peccata mortalia aliàs non confeſſa, tam certa quàm dubia, & eorum circũſtantias neceſſarias. Sed de hac integritate infrà dicetur.

Secreta etiam, per ſe loquendo, debet eſſe confeſsio: quia licet ex præcepto diuino non extet obligatio confitendi ſecretò, id tamen eſt illi conſentaneum, imò aduerſatur iuri naturæ peccata publicare ſine iuſta cauſa; ne per publicationem generet quis ſcandalum, & prouocet quempiam ad peccandum & ne videatur gloriari in peccato ſuo.

Hinc infertur neminem teneri cõfiteri peccata ſua per interpretem, vel alijs audientibus, maleque agere Sacerdotes, qui multos pueros doli capaces in vnum congregatos ſimul audiũt. Tamen ad eſſentiam confeſſionis non eſt, vt ſit ſecreta, id eſt, vt coram ſolo Sacerdote fiat; quia valida eſt & Sacramentalis confeſſio, quæ fit per interpretem, & in neceſſitate, vt in periculo naufragij & tempore conflictus etiam alijs audientibus, quia non conſtat Chriſtum prohibuiſſe, quin aliquis poſſit iuſta de cauſa, publicè confiteri, tum ad vtilitatem, tum ad aliorum exemplum. Imò in articulo mortis poſſet pœnitens ad id teneri, ſi aduertat ſe non poſſe contritionis actum elicere de grauibus peccatis commiſsis, & nequeat confiteri in aliorum abſentia; periculum enim animæ præponderat iacturæ famæ & aliorum bonorum externorum. Ita *Puteanus 3. p. q. 2. de conf. par. 2. dub. 7. Suares diſp. 21. ſe. 2. nu. 9. Nauarr. in Manc. c. 2. n. 5. & c. 8. n. 13. Vaſques q. 91. a. 4. dub. 1. nu. 8. & dub. 3. nu. 6. Bonac. c. nu. 21. 22. & 23. Reginald. l. 6. num. 78. & 79. Syluius in ſuppl. q. 6. a. 1. Fagundes pr. 2. l. 1. c. 6. nu. 7. & 8. & l. 3. c. 1. nu. 11. Comink diſp. 6. dub. 2. num. 5.*

Quamuis ad eſſentiam, & valorem confeſsionis non ſit neceſſarium, vt ipſa confeſsio voce fiat, ſed ſufficiat in neceſsitate, quod ſenſibilis ſit & exterior per nutus, & ſigna ſenſibilia; vt docet *D. Thom. 4. diſt. 17. q. 3. a. 4. q. 3. Toletus l. 3. c. 6. num.* 1. Dubium tamen eſt, an extra neceſſitatem ipſa confeſsio & accuſatio ſemper facienda ſit ore, & an peccet mortaliter ille, qui cùm bene poſſit proprio ore confiteri, tamen per ſigna & nutus vel per interpretem, vel ſcriptum confitetur? Affirmat *Syluius in ſuppl. q. 9. a. 3. concl. 2.* valde probabiliter, & ſecundùm illum, talis non conſequitur remiſsionem peccatorum, etiamſi Sacerdos eum abſoluat; quia non vult ſeruare communem Eccleſiæ vſum: Et cùm hic modus confitendi proprio ore ſit per ſe aptiſſimus, vt comparatio gratiæ & finis confeſsionis obtineatur; ergo illius obligatio eſt grauis: vnde voluntaria illius tranſgreſsio per ſe ſatis indicat eſſe peccatum mortale.

Nihilominus non eſt improbabilis quorumdam Doctorum ſententia non peccare mortaliter, eum, qui magnum pudorem ac verecũdiam ſentiret, ſi proprio ore peccata confiteretur, & & ob id per nutus aut ſigna externa vel per ſcriptum confitetur præſente Sacerdote. Ratio eſt, quia conſuetudo proprio ore cõfitẽdi nõ obligat tam grauiter in hoc caſu. Ita *Sco. 4. diſt. 17. Vaſq. q. 9. a. 4. dub. 4. n. 7. Layman l. 5. tr. 6. c. 6. n. 3. Diana p. 3. tr. 4. reſ.* 127.

11. *Lachrymabilis* debet eſſe confeſsio, id eſt, dolens cum contritione præteritorum & propoſito deinceps non peccandi, non quòd facienda ſit cum exterioribus lachrymis, ſed cum interioribus, ſcilicet cum attritione ſaltem ea, quæ Sacramento reipſa ſuſcepto, ſufficiat ad obtinendam diuinam gratiam.

Accelerata itẽ debet eſſe confeſsio, hoc eſt, vt poſt commiſſum peccatum mortale non differatur, ſi commoditas confitendi adſit: id tamẽ eſt de cõſilio, non præcepto, cùm poſsit peccator ſe per contritionem in gratia conſtituere. *Caiet. in ſum. v. conf. Reginald. l. 6. nu.* 88. *Suares tom. 4. diſp. 21. ſect. 1. n. 3. Graſſius in appen. l. 1. c. 5. num. 26. Fagundes præcept. 2. l. 3. c. 2. nu.* 3.

Fortis eſſe debet confeſsio, id eſt, facta cum tanta animi cõſtantia, vt nihil in ea de neceſſariò dicendis omittatur ob metum aut verecundiam: debet enim pœnitens pudorem vincere innatum ex manifeſtatione ſuorum occultiſsimorum peccatorum homini ſuborientem, ſolet enim diabolus in ſalutari hac manifeſtatione, non in patratione ſcelerum pudorem ponere, vt ſic facilius homines ad tartarum detrudat.

Accuſans itẽ debet eſſe confeſsio, hoc eſt, ſibijpſi imputans peccata, non cœlo, non diabolo, non modo, non carni, non ſocijs, non complexioni &c. Similiter accuſans ſe non excuſans, hoc eſt, non prætexat excuſationes, ob quas, quæ certò nouit fuiſſe mortifera, appareant dubia, aut venialia.

Poſtremò debet eſſe *parere parata*, vt pœnitens paratus ſit obedire confeſſario in his, in quibus tenetur, vt in vitandis occaſionibus: in acceptanda pœnitentia rationabili ad ſatisfaciendũ Deo. iuxta dicenda infra verbo *Satisfactio nu.* 11. Ita *Bonac. diſp. 5. q. 5. ſe. 2. p. 2. §. 2. n.* 28. 29. *Nau. ad c Fra. n.* 101. 102. *Henriq. l. 2. de pœnit. c. 3. n.* 10. 11. *Suar. c. n.* 3. *Puteau. 3. p. q.* 90. *de conf. p. 2. q. 2. dub. 1. Fagundes c. l. 2. c. 3. n.* 16. *Graſſius in append l. 1. c. 5. n.* 42.

13. Cùm integritas formalis confeſsionis neceſſariò iure diuino requiratur ad validitatem Sacramenti pœnitentiæ, & nullus poſsit integrè fateri omnia & ſingula peccata mortalia iuxta Chriſti præceptum, niſi præuio examine conſcientiæ. *Cõcil. Trid. ſeſſ. 14 c. 5 & can. 7.* Dicendum eſt eodem iure obligari fideles, ad illud examen faciendum. Quia illud eſt medium prærequiſitũ ad omnia & ſingula peccata mortalia confitenda; vnde pœnitens tenetur tantam inquiſitionem præmittere circa peccata mortalia, quantam adhiberet in negotio arduo, vt docent *Scotus in 4. diſtinct 17. quæſt. vnica art. 2.* & omnes alij poſt ipſũ.

Hæc autem diligentia in diſcutienda conſcientia ſufficit ad confeſsionis validitatem, ſi ſit mediocris & tanta, quanta prudenti viro & humano more æſtimanti, videtur eſſe ſufficiens hominibus. Deum timentibus ac eiuſdem cõditionis cuius eſt pœnitens: Propterea in ferendo iudicio de ſufficienti examine confitentis, habenda eſt ratio conditionis perſonæ & cæterarum circumſtantiarum; hinc qui crebrò confitetur non tenetur tantam curam in diſcuſſione conſcientiæ adhibere, quantam qui ratò, neque qui paucis aut paruis negotijs implicantur, quantum qui multis & magnis; neque idiotam aut ignarum, qui neſcit perſcrutari, quantam qui doctus eſt. Ita communiter Doctores *Henriq. l. 2. de pœnit. c. 5. Nauarr. in Man. c. 9. num.* 16. *Suares de pœnit. diſp. 22. ſect. 11. Valet. to 4. d. 7. q. 11. punct. 1. Sylueſt in ſupplem. q. 9. art. 2. q. 2 Filliuc tr. 7. num.* 114. *Reginald. l. 4. n. 9. 10. 11. Layman l. 5. tr. 6. c. 8. num.* 5.

An autem qui lubricam & debilem habet memoriam teneatur ſcribere peccata, vt illa confiteatur ſuo tempore? Dicendum eſt quòd non, ſed ſufficit vt tempore confeſsionis, moralem adhibeat diligentiam, peccata in memoriam reuocandi, vt integrè confiteatur. Ratio eſt, quia non tenemur maximam diligentiam adhibere, ſed mediocrem; nec extat præceptum diuinum retinendi memoria peccata, ſed cùm adeſt tempus confeſsionis, tenemur ea confiteri, quorum recordamur, facto debito examine. Vtile tamen erit, ſcribere peccata tempore cõfeſsionis, aut etiam antea, ſi poſſimus abſque probabili periculo ſcripturam perdendi, quia diligentia hæc in re laudanda eſt, modò euitentur ſcrupuli, & nimia anxietas. Ita *Suares diſp. 36. ſect. 5. num. 6 Sylueſt in ſupplem. q. 9. ar. 3. concluſ. 3. Vaſques q. 90. art. 1. dub. 6 Filliuc. tr. 7. num.* 115. *Diana p. 2. tract. 3. reſol. 46. Tabiena v. confeſſ. 2. num.* 45. *Valentiate. 4. q. 9. p. 4 & q. 12. punct. 1. diſp. 7.*

14. Si quis ſufficientem diligentiam ſe feciſſe credat, bona fide, ſed fallatur, à peccato mortali negligentia illius excuſatur, ſi ſit homo pius habens mediocrem animæ ſuæ curam, non autem

sem si impius, quem nulla cura animæ suæ tangit. *Canus in relect. de pœnit. p. 6.*

15. Diligentia pœnitentis, quamuis de se non sufficiens ad absolutionem obtinendam, fieri tamen potest sufficiens, si pœnitens confessurus habeat propositum & voluntatem respondendi interrogationibus confessarij, quem scit de more interrogaturum & industrium in arte: verùm si confessarius aduertat pœnitentem notabiliter defeciisse circa conscientiæ examẽ, & ipse non possit defectum examinis per interrogationes supplere, remittat pœnitentem, vt debitam præstet diligentiam, eaque præstita redeat. In necessitate tamen nempè, si vrgeat conflictus belli, aut grauitas morbi, aut naufragium, aut aliud simile mortis siue naturalis, siue violentæ periculum imminens; aut etiam notabile scandalum, debet confessarius eam diligentiam adhibere, quam ipse pro circumstantia temporis, & qualitate personæ iudicauerit expedire, beneficium absolutionis impendendo; ne in statu damnationis pœnitens relinquatur. Ita *Reginald. l. 4. n. 13. Suares disp. 22. sect. 11. Nauarr. in Man. c. 10. n. 6. & ad c. Fratres de pœnit. dist. 5. n. 83. Filliuc. tr. 7. n. 115. Bonacin. disp. 5. q. 5. se. 2. p. 2. §. 1.*

16. *Coninch de pœnit. disput. 8. dub. 17. num. 130. Henriq. l. 5. c. 3. n. 10. Nauar. in Manc. 5. n. 2. Syluius in Suppl. q. 9. a. 2. quæst. 5. Nugnus ibid.* Confessarius non tenetur pœnitentem examinare & interrogare, si probabiliter iudicet illum integrè confessum: Si verò confessarius credat pœnitentem defectu examinis non integrè confessum fuisse, aut aliquod peccatum omisisse, debet ipse per interrogationes defectum supplere, habita ratione qualitatis, & status personæ: similiter tenetur si aduertat pœnitẽtem silere aliquod peccatum per inaduertentiam, vel per obliuionem; sicut enim Iudex vt ferre possit sententiam, debet causam, quam non nouit, bene examinare; & medicus inquirere morbum, quem ægrotus non potest explicare, ergo similiter confessarius; qui in *Cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnitẽt. & remission.* monetur *vt sit discretus, & cautus more periti medici diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati.* Aliàs officium confessarij per se non est interrogare, sed audire pœnitentem, & secundùm confessionem iudicare, vt docet. *Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 4.*

17. Integritas confessionis ex parte materiæ remotæ seu peccatorum, quæ in confessione dicuntur consistit in hoc, vt omnia quæ sunt in conscientia pœnitentis, in confessione aperiantur: & hæc integritas duplex à Theologis solet distingui, materialis scilicet, & formalis.

Materialis vocatur illa, quæ est de omnibus peccatis, prout in reipsa fuere commissa, & hæc est per se necessaria: quia verò potest aliquando intercedere sufficiens excusatio confitendi aliquod peccatum à pœnitente commissum, ideò potest aliquãdo Sacramentum pœnitentiæ perfici, sine reali seu materiali integritate confessionis (vt dicetur titulo sequenti) tunc verò necessaria est confessio formaliter integra, id est, de omnibus peccatis, de quibus nulla intercedit excusatio. Ita *Suares de pœnit. disp. 22. Layman l. 5. tr. 6. c. 8. num. 3. D. Thom. in Suppl. 3. part. q. 9. art. 2. Syluius ibid. quæst. 1. Bonacina disput. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. 4. Puteanus q. 3. de conf. p. 2. dub. 2. Fagundes præcep. 2. lib. 3. c. 3. n. 1.*

18. Vt integra dicatur confessio & valida, explicanda sunt in ea peccata quoad species morales, non quoad species physicas. Ratio est, quia aliquando vnus actus physicus plures habet malitias, vt percussio Episcopi, non solùm aduersatur iustitiæ, verum etiam reuerentiæ debitæ ordini Clericorum, & opponitur honori debito superiori: Aliquando plures actus physici vnam habent malitiam, vt qui se præparat ad occidendum inimicum, emit gladium, ascendit equum, &c. Vnde talis satisfacit dicendo in confessione se hominem occidisse, modò illi actus non fuerint interrupti, nec adiunctam habuerint aliam circumstantiam moraliter diuersam: vt si properando ad occidendum, conculcet segetes, tenetur hanc circumstantiam explicare; quia conculcatio segetum adnexam habet malitiam distinctam ab homicidio. Ita *Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. a. 4. conc. 6. Valent. disp. 7. quæst. 11. puncto 1. Azor. 1. p. l. 4. cap. 4. Syluius in Suppl. q. 9. ar. 2. q. 1. Suares disp. 22. sect. 2. n. 3. Vasques q. 91. art. 1. dub. 1. Filliuc. tr. 7. n. 76.* Vide *Peccatum* 4.

19. *Concil. Triden. sess. 14. c. 5. & can. 7.* Ad integritatem confessionis requiritur, vt omnia peccata mortalia post baptismũ commissa explicentur in confessione quoad numerum quantùm moraliter fieri potest. Ratio est, quia vnum peccatum mortale non remittitur sine alio, cum implum sit à Deo dimidiam sperare veniam: remissio enim peccatorum numquam datur sine gratia, gratia autem dari homini non potest cum obice peccatorum mortalium, quæ iustè potest pœnitens confiteri; sed hoc fieri non potest, nisi vni eidẽmque confessario omnia peccata integrè confiteamur, ergo. Hæc veritas definita est in Concilio Florentino in decreto *Eugenij* & in Tridentino. Proindè qui sponte, & sine vlla legitima causa excusante dimidiam facit confessionem, vnam partem peccatorum mortalium vni confessario, & alteram alteri confitendo, inualidam & sacrilegam confessionem facit, & necessariò iterandam: nam hoc Sacramentum institutum est à Christo Domino in animarum medelam, ac medicinam: medicina autem non curat, quæ non videt, & ideò meritò ex diuino præcepto incluso in ipsa institutione Christi tenentur pœnitentes omnia vulnera conscientiarum suarum confessario, tamquam medico aperire, vt omnibus congruentem applicet medicinam. Tum quia iuxta Tridentinum, hoc Sacramentum est quoddam Sacramentale iudicium, quod cognita causa sacerdos ferre debet; æquitas autem iudicij integram confessionem delicti postulat, vt pœna, quam index imponere debet, proportionetur delicto: Tum quia præceptũ confessionis ex Christi institutione subrogatum est præcepto contritionis, sed contritio non delet peccata, nisi detestaris omnia; ergo nec confessio, nisi subijcias omnia sacerdoti. Ita *D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. Syluius in Supplem. q. 9. ar. 2. q. 1. Reginald. l. 6. n. 91. Filliuc. tr. 7. nn. 73. & 81. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. Nauar. in Man. c. 9. num. 14. Vinaldus in candelab. de conf. nn. 37. Bellarmin. l. 3. de pœnitent. cap. 1.* & alij communiter. Ex quorum doctrina infertur.

20. Qui sæpius aliquẽ odio persecutus est, debet numerum actuũ odij repetitorũ, & moraliter interruptorũ explicare, modò recordetur numeri certi: si verò nõ recordetur facto examine, dicat se toties peccasse peccato odij plus vel minùs: si autem facta cõfessione recordetur, se bis aut ter suprà numerũ expressum peccasse, non tenetur iterũ confiteri illũ maiorẽ numerum; quia in prima confessione satis fuit expressus dicendo, *plus* vel *minus*: Secùs dicendũ si posteà in memoriã veniat numerus notabiliter expresso maior, vt si expressit decies se peccasse mortaliter in tali genere peccati, & posteà recordetur se vigesies peccasse, tũc tenetur in alia cõfessione explicare numerũ, cuius oblitus erat in prima cõfessione, quia est notabiliter maior, & consequenter nõ censetur sufficienter explicatus in prima confessione. Si autẽ confessus vigesies, inueniat posteà se tantũ decies illud peccatũ commisse, non teneretur talẽ numerũ retractare: nã id pœnitens fecit bona fide, & confessio fuit integra, cũ in numero maiori contineatur minor: vt aduertit Diana *p. 2. tr. 17. r. 25.* post Bonacinã. Sed de hoc vide *Reginal. l. 6. n. 126. Coninch disp. 7. dub. 7. n. 61. Suar. disp. 22. sect. 5. n. 38. 39. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. a. 4. Sylu. Suppl. q. 9. a. 2. q. 1. Nugn. b. dub. 1. diff. vn. Filliuc. tr. 7.*

Aducrtendũ tamen est quòd maior vel minor excessus illorũ verborum (*plus minusve*) sumendus sit per ordinẽ ad maiorem vel minorẽ numerum peccatorum, & ideo quando huiusmodi excessus vel defectus est nimis magnus, arbitrio prudentis cõmittitur. Vnde illa verba extendenda sunt vltra binariũ vel ternarium, secundũ maiorẽ vel minorem numerum peccatorum, de quibus pœnitens se accusauit. Ita *Fagundes præcep. 2. l. 3. c. 4. n. 9. Vasq. q. 90. ar. 1. dub. 5. Diana p. 3 tr. 4. res. 94. Nauar. in c. consideret. de pœnit. dist. 5. n. 42. Sancius in select. disp. 2. n. 13.*

21. Quando meretrix omnibus fuit exposita, & cõcubinarius tenuit concubinã tanquã vxorem, si numerus certus ab his peccatorũ haberi non possit à confessario, sufficiet tẽpus explicare quo concubinarius permansit in concubinatu, vtendo cõcubina loco vxoris: tenetur tamen meretrix quantũ potest exprimere species, & circũstantias mutantes speciẽ, vt toties dũ cõiugatis, vel clericis factorũ ordinum, vel cõsanguineis, vel contra naturã, &c. alioquin cõfessarius non posset sufficienter ferre iudiciũ de statu pœnitentis, si meretrix tantũ diceret, per annũ omnibus fui exposita. Non opus est tamẽ vt dictæ meretrices confiteãtur præambula ad copulã veluti amplexus, tactus, oscula, & actus similes, quia huiusmodi actus moraliter sociant peccatum copulæ, & sunt dispositiones præuiæ ad peccatum copulæ, & ab eodẽ numeræ copulæ obiecto habent malitiam suam quæ malitia extenditur per varias partes materiæ ipsorum actuum: deinde quia explicato principali peccato copulæ, censentur satis explicari actus antecedentes, qui communiter illam solent comitari. Vt latius docetur *v. Peccatum* 4. nu. 11.

Item satisfacit, qui rem alienam detinuit, quam potuit domino restituere, explicando tempus, quo rem detinuit: quia præceptum explicandi numerum peccatorum, non

obligat

obligat ad impossibile, sed id quod moraliter fieri potest; vnde confessarius in prædictis casibus non debet se scrupulosum gerere cogendo pœnitentem ad exprimendum certum numerũ, nam sæpe accidit; vt pœnitens explicando certum numerum faciliùs erret, quam explicando solummodo tempus consuetudinis, aut iniquæ detentionis.

Interni verò actus peccatorum declarari possunt, dicendo se fuisse paratum ad committendum vel desiderandum tale peccatum quoties occasio vel memoria illius occurrebat. Sed plura de his apud *Sotus in 4 dist.* 18. q. 2. *art.* 4. *Henriq. l.* 2. *de pœnit. c.* 5. *n.* 9. *Regnal. l.* 6. *n.* 121. 122. *&* 124. *Victoria n.* 178. *Navar. in Man. c.* 6. *n.* 15. *Suar. disp.* 22. *sect.* 5. *n.* 38. *Bonacina dis.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *p.* 2. *§.* 3. *diffic.* 2. *n.* 19. 20. 1. *Diana part.* 3. *tr.* 4. *ref.* 89. *Fagundez præcept. l.* 3. *c.* 4. *n.* 11. 12. 13. *& seq.*

Hinc insuper est aduertendum quòd Rustici homines, qui agresti, & inculto modo confitentur sine numero & diligentia, cogendi non sunt repeterè confessiones factas cũ indoctis Parochis: cùm enim bona fide confiteantur & vniformem vitæ modum & viuendi rationem habeant, statim ex confessione vnius anni, coniiciet prodens confessarius, quantum in reliquis annis peccauerint, & quot numero peccata commiserint. Vt bene post *Navarr. l.* 5. *de Consil. tit. de pœnit. conf.* 11. *&* 12. *Henr. l.* 5. *c.* 3. *n.* 10. *Fagundez pr. l.* 3. *c.* 2. *n.* 5. *&* 6. *n.* 10. *Sylvius in suppl. q.* 9. *a.* 2. *quæsit.* 1. *Diana p.* 3. *tr.* 4. *ref.* 89. *& par.* 5. *tract.* 13. *re. fol.* 84.

Porrò confessarijs maior debet esse cura de excitanda contritione in suo pœnitente, & firmo proposito non peccandi amplius; quàm de numero peccatorum nimis anxiè inquirendo, dum aliquo modo status pœnitentis agnosci potest. Nam velle rudes ad specialiorem numeri specificationem vrgere, potius est velle eos diuinare, quàm verisimilia confiteri; cùm experientia constet, si vrgeantur verisimilem numerum dicere in specie, nonnisi coniecturam parum verisimile facere: videnturque solùm importunitatem confessarij vrgentis voluisse fugere, coniecturalis alicuius numeri expressione: in diuersis enim peccatis ferè eundem numerum exprimunt, licet vnum præ altero longè frequentiùs commiserint. Meliùs itaque faciet confessarius si tales pœnitentes inducat, vt simpliciter aperiant statum, modum viuendi, consuetudines, conuersationes, inclinationem, occurrentias & incentiua, vt ex illis prudenter colligat constitutionem & malitias, quibus huiusmodi peccatores grauantur.

Vide v. *Peccatum* 4. *Circumstantia*.

CONFESSIO SACRAMENTALIS V.

Quando confessio non integra materialiter sit valida.

SVMMARIVM.

1. *Confessio ex institutione Christi, an debeat esse formaliter & materialiter & integra.*
2. *Ignorantia vel obliuio, an excuset pœnitentem ab integritate confessionis.*
3. *Confessio valida est, quando quis post sufficiens examen conscientiæ, non recordatur alicuius peccati mortalis, & ob id non confitetur.*
4. *Pœnitens, an possit peccatum mortale reticere in confessione, vel circumstantiam, quando ex manifestatione sequeretur vel pœnitentis, vel confessarij vel tertiæ personæ damnum graue in vita, vel in fama, &c.*
5. *Impotentia loquendi, an excuset ab integritate confessionis: vbi multi casus decidentur.*
   An faciens confessionem generalem & confitetur aliqua mortalia nunquam confessa teneatur explicare se ea commisisse post vltimam confessionem.
6. *Qui fecit ex iusta causa confessionem materialiter non integram, non potest plura peccata reticere, quam causa iusta postulet seu periculum immineat.*
7. *Quid requiratur, ad integritatem formalem necessariam confessionis, & an detur confessio valida, & infirmus, ob defectum integritatis.*

1 CVm præceptum Christi positum de integritate confessionis sit conformandum rectæ rationi, nec adeò strictè obliget, vt pœnitens semper teneatur illud seruare, iugum enim Christi suaue est; ideòin certis casibus validè potest confici sacramentum pœnitentiæ, absque eo quod confessio sit materialiter integra, id est, etiamsi non explicentur omnia peccata mortalia, quæ sunt materia necessaria confessionis; vnde ex institutione Christi, Confessio debet esse formaliter integra, hoc est debent in ea explicari omnia peccata mortalia, quæ moraliter explicari possunt, ita vt nulla reticeantur absque iusta & sufficienti causa, non verò materialiter. Et ideò vocatur confessio formalis, quia intentio formalis pœnitentis, erat omnia peccata in confessione aperire, nisi daretur impedimentum obliuionis & ignorantiæ, aut iusta causa hic & nunc aliqua tacendi, cum proposito tamen saltem virtuali, & præcisa obligatione, ea iterum confitendi, cessante causa, vel cùm postea in mentem venerint. Ita communiter Doctores *Suarez de pœnit disp.* 23. *Coninch disp.* 7. *dub.* 1. *Sylu. in suppl. q.* 9. *art.* 2. *quæsit.* 4. *Nugnus ibidem dub.* 1. *Layman l.* 5. *tr.* 6. *c.* 8. *n.* 2. *Bonac. disp.* 5. *q. sect.* 2. *p.* 2. *§.* 4. *Regin. l.* 6. *n.* 150. *Puteanus par.* 2. *de confess. quæst.* 2. *dub.* 5.

2. Ignorantia vel obliuio excusat pœnitentem ab integritate confessionis, qui peccatum aliàs commissum cùm adhuc rudis esset aut puer, conticuit ignorans vel illud esse peccatum, vel se teneri ad illius confessionem, modò autem acquisita maiori ætate aut saniori iudicio, cognoscit esse peccatũ necessariò subijciendum confessioni. Ratio est, quia sicut ignorantia excusat ab alijs præceptis, ita etiam excusat ab integritate materiali confessionis: licet enim huiusmodi pœnitens aliquando non excusetur ab ipso peccato, quando talia egit in illa ætate, excusatur tamen ab obligatione confitendi, quia præceptũ confessionis quoad illud peccatum ignorabat, proinde non tenetur modò iterare ac repetere præteritas confessiones, sed sufficit, idipsum peccatum omissum confiteri; quia confessiones præteritæ fuerunt validæ, & formatæ; bona enim fides & ignorantia illum excusauit.

Idem dicendum est de confessionibus rusticorum hominum rudiumque, quãdo aliqua peccata mortalia in illis tacent, ignorando peccatum esse mortiferũ ea tacere, ij enim depulsa postea ignorantia, ea, quæ per similem ignorantiam tacuerũt tantummodo confiteri tenentur, & non tenentur præteritas repetere confessiones: quamuis optimum esset suadere tali pœnitenti, vt vnam generalem totius vitæ confessionem faceret. Vide *Navar. in man. c.* 9. *n.* 15. *& in c. Fratres de pœnit. n.* 82. *Henriq. l.* 2. *de pœnit. c.* 12. *Sylvius in Supplem. q.* 9. *a.* 2. *quæsit.* 4. *Suar. disp.* 23. *sect.* 4. *n.* 6. *Laymã c. c.* 8. *n.* 5. 6. *Fagundez præc.* 2. *l.* 3. *c.* 3. *Bona c.* 5. 4. *n.* 2. *Sylvest. v. conf.* 1. *n.* 3. *& Filliucius tr.* 7. *n.* 129. *Graffius in appendice l.* 1. *c.* 10. *n.* 1.

Sanctus in select. disp. 2. *n.* 12. tamen reprehendit illos, qui solẽt accusationem præmittere eorum in confessione, quæ in ætate infantili commisere, quãdo vsũ rationis carebant ad discernendum, num illud, quod agebant scelus esset, nec ne, quod tamen materia confessionis neutiquam est. Ratio est, quia huius sacramenti materia præcisè non est illud, quod de se est peccatum, sed requiritur quòd ad culpam fuerit imputatum. Ita ille citans *Angles, Navarrum, Graffius, & Sylvestrum*.

3. Quando quis post sufficiens examen conscientiæ non recordatur alicuius vel aliquorum peccatorum mortalium, & ob id non confitetur, talis confessio valida est, licet verè materialiter, non sit integra. Ratio est, tum quia præceptum integritatis confessionis, non obligat ad impossibile, impossibile autem est confiteri peccata oblita, ergo. Tum quia omissio illa nõ est voluntaria, ignorantia enim antecedens, qualis est omnis inuincibilis, causat inuoluntarium. Quòd si memoriæ postea occurrant debet pœnitens ea confiteri, vel eidem vel alteri sacerdoti approbato, nec tenetur iterum repetere prima peccata semel ritè confessa.

Si tamen obliuio hæc peccatorum sit vincibilis seu culpabilis mortaliter, quia vel nulla prorsus diligentia adhibita est in peccatis recolendis, vel adeò leuis & cum tanta negligentia, vt moraliter, quasi nihil reputetur, secundùm omnium Theologorum sententiam, talis confessio est nulla, quia tanta negligentia, tamque voluntaria, moraliter scientiæ æquiparatur. Quod non solùm est verum, quando ignorantia est affectata, seu directè voluntaria, sed etiam quando est tam crassa & supina, vt sit manifesta, & grauissima pro negotij qualitate.

Secùs dicendum, si negligentia vel obliuio fuerit tantùm venialiter culpabilis, tunc ea non obstante confessio

formaliter integra erit & valida, quia substantialiter impletur præceptum de integritate confessionis, in quo præcipuè consistit hæc integritas formalis. Ita *Sylvest. v. conf. 1. nn. 5. Coninch disp. 7. dub. 9. n. 70. 73. Suar. de pœnit. disp. 23. sect. 3. Sylvan suppl. q. 9. a. 2. quæst. 4. Bonacin. disp. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. num. 3. Filliuc. tract. 7. cap. 5. quæst. 9. Layman l. 5 tract. 6. c. 8. nn. 5. & 6.*

4. Pœnitens potest aliquod peccatum mortale reticere in confessione vel circumstantiam, quando ex manifestatione sequeretur, vel ipsi pœnitenti vel confessario, vel tertiæ personæ damnum graue in vita, vel in fama, vel in bonis fortunæ, vel aliquod malum speciale. Ratio est, tum quia præceptum confessionis integrè faciendæ non obligat cum tanto incommodo seu nocumento proprio vel proximi. Tum quia præceptum diuinum & naturale charitatis est fortius, antiquius & absolutius, quàm præceptum integritatis confessionis. Vnde si vnum cum alio concurrat; & ambo seruari nequeant, fortius, & antiquius est sequendum, & aliud in aliud tempus differendum. Propterea si fœmina confitendo peccatum fornicationis, timeat confessarium scandalizandum, aut se ab eo solicitandam, potest & tenetur abstinere à confessione talis peccati, si non habeat copiam alterius confessarij. *D. Tho. in 4. dist. 17. q. 1. a. 3. q. 4. ad 5. Sylu. 3. p. q. 80. a. 4. q. 2. & in suppl. q. 9. a. 2. q. 4. Sotus in 4. dist. 18. q. 2. art. 5. ad 3. Suarez disp. 23. sect. 2. n. 1. Navar. c. 7. n. 3. Toletus l. 3. cap. 8. nn. 6. Diana part. 3. tra. 4. res. 131. Puteanus pag. 2. de confess. q. 2. dub. 5.*

Dubium tamen hic est, an in prædictis casibus omittendum vel differendum omninò sit sacramentum confessionis, donec confessio possit integrè fieri sine vllo incommodo, & an pœnitens ita tunc se gerere debeat, ac si, non haberet copiam confessarij? Quibusdam videtur affirmatiuè respondendum, quia de necessitate huius Sacramenti est, dicere omnia peccata, quæ homo habet in conscientia, seu quæ memoriæ occurrunt; sed in eo casu non possunt dici omnia, ergo non potest Sacramentum suscipi. Ita *Viguerius in sum. cap. 26. §. 4. vers. 17. Vasq. q. 91. a. 3. d. 8. n. 4. & dub. 9. n. 22. Henriq. l. 2. de pœn. c. 12. n. 5.*

Nihilominus dicendum est & posse & aliquando debere confessionem fieri, si aliud peccatum mortale pœnitens habeat, tacendo peccatum de quo incommodum timetur, vt in articulo mortis, aut quando occurrit præceptum annuæ confessionis, aut adest necessitas suscipiendi Eucharistiam, aut faciendi sacrum, quando sine graui scandalo, aut alio incommodo prætermitti id non potest. Item si adsit necessitas vitandi aliquam infamiam propriam, vel aliud simile incommodum; item si scandalum aliorum ex dilatione vel omissione confessionis timeatur, vel si nulla sit necessitas confessionis simpliciter, sit tamen magna vtilitas, quam per se affert Sacramentum. Quando verò nulla causa huiusmodi intervenit, sed post breue tempus speratus commoditas integrè confitendi, tunc melius erit differre confessionem; imo si cessaret omnis causa rationabilis, esset præceptum; quia tunc commodè seruari potest integritas confessionis etiam materialis, quod per se necessarium est, quando moraliter fieri potest. Ita *Bonac. tom. 1. d. 5. q. 5. sect. 2. p. 2. §. 4. num. 14. Coninch de pœnit. disput. 7. d. 9. nu. 77. Sylvius 3. p. q. 80. a. 4. q. 2. Nugnus in suppl. q. 9. a. 2. Suar. c. sect. 2. Filliucius tr. 7. num. 124.*

Qui non probabiliter timet graue periculum, sed tantummodò dubitat, aut leuiter suspicatur, non potest peccatum in confessione reticere: eò quòd præceptum integrè confitendi possideat, & in dubio iudicandum sit in ipsius fauorem. *Reginald. l. 6. num. 157. Vasques q. 91. art. 2. dub. 3. Henriques c. cap. 12. num. 5.*

Quando verò ex confessione alicuius peccati non sequitur nisi sola infamia occulta tertiæ personæ, non autem mors, aut publica infamia, vel aliud graue malum, quidam Doctores affirmant tale peccatum esse necessariò confitendum, alij autem negant: quamuis vtraque sententia sit probabilis, negatiua tamen est probabilior. Vt docetur V. *Circumstantia. num. 14. §. 6.*

5. Tertius casus confessionis non integræ materialiter, & tamen validæ, prouenit ex impotentia loquendi. v. g. Mutus qui peccata sua nutibus confitetur, absoluendus est saltem tempore præcepti, quamuis confessarius ipsius peccata integrè percipere nequeat: nam impotentia loquendi excusat ab integritate materiali confessionis. Sed dubium est, an talis teneatur confiteri per scripturam si sciat scribere, vt integram faciat confessionem? Affirmant *Granadus, Henriques, Hurtadus* probabiliter: Negant *Victoria, Nauarrus, Valentia, Sotus*, apud Dianam *part. 5. tract. 6. res. 4.* proinde vtraque opinio est probabilis.

Confessarius autem antequam muti & surdi à natiuitate confessionem excipiat, debet priùs edoceri ab his quibuscum mutus & surdus continuò habitat, quomodo cum illo nutibus agere debeat, vt vim spiritualem Sacramenti aliquo modo percipiat, & quædam peccata, quatenus potest, signis declaret, ad absolutionem accipiendam.

Item extraneus loquens eo idiomate, quod à confessario non satis bene percipitur, potest absolui, modò non sit alius sacerdos, qui bene percipiat ipsius idioma: hic enim facit ex intentione sua confessionem formaliter integram, licet confessarius satis quædam non intelligat. vide *Lopez. 1. p. instr. cap. 27. Henriq. l. 2. de pœnit. cap. 12. num. 3. Dian. part. 3. tra. 4. res. 131. Crousers ad cap. 7. reg. S. Franc. sect. 31. for. 798.*

Item quando mors propria vel aliena imminens, non permittit confessionem fieri integram; vt si pœnitens sit iam expiraturus aut sensu destituendus, potest absolui. *Fagundez præcept. 2. l. 3. c. 3. nnm. 10. 14. Victor. num. 164. Sotus 4. dist. 18. qu. 2. art. 5.*

Excusat etiam incertus euentus propinquitatis mortis; vt quando ægrotus patitur paroxismos, non debet confessarius expectare integram omnium peccatorum confessionem, sed audito vno tantùm peccato debet absoluere propter periculum moriendi in ipso paroxismo. Ita *Suarez disput. 23. sect. 1. & sect. 6. num. 2. Henriques l. 2. de pœnit. c. 12. num. 3.*

Item excusatur confessarius à peccato confitendo, qui aliquem defectum commisit in confessione, quem non potest explicare, nisi suo confessario manifestet peccatum complicis in confessione auditum, modò non habeat copiam alterius confessarij, cui sit ignotus complex. Ratio est, quia præceptum sigilli confessionis strictiùs obligat, quàm præceptum confitendi integrè materialiter, vnde confessarius censetur moraliter impotens ad explicandum tale peccatum, quod absque violatione sigilli confessionis explicare nequit. Ita *Caietan. v. confess. cond. 10. Vasques qu. 93. art. 4. dub. 4. Regin. l. 6. num. 162. Bonacin. c. §. 4. num. 5. Henriques l. 2. de pœnit. cap. 12. num. 7.*

Sotus 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. Coninch d. 7. num. 75. Sylvest. v. Confess. 1. num. 23. Medina de confess. q. 10. Diana part. 3. tr. 4. resol. 132. & part. 5. tr. 3. resol. 74. & 71. Item infirmus laborans morbo contagioso potest absolui à confessario, auditis aliquibus peccatis, si illum etiam à longè absque periculo audire diutiùs non possit.

Item ingruente procella, vel sæuiente prælio, aut incendio, confessarius potest audire simul multos alta voce peccatum aliquod confitentes, dicendo, *Ego vos absolvo à peccatis vestris* & tunc dimidiatur solùm confessio materialiter ex iusta causa, non formaliter: quia intentio & voluntas illorum erat, omnia confiteri si possent. Imò *Hurtadus de Sacram. pœnitent. disput. 9. dissic. 10.* in prædicta necessitate belli, pestis, incendij aut naufragij, quando periculum imminens aliud non permittit, docet, posse omnes simul signo aliquo, vt genuflexione, significare, se peccasse in communi, & de eo dolere, & sic simul omnes absolui. Vide Doctores hic citatos.

Notandum tamen hic est magnum concursum pœnitentium se pro confessione, non esse iustam causam dimidiandi confessionem; nec esse liberum confessario confitentes ita vrgere ad expediendum, vt non sinat eos detegere integrè suam conscientiam, vel vt omittat iuuare interrogationibus necessarijs. Ratio est, quia integritas confessionis est de præcepto Christi, vt exprimit Tridentinum, à quo præcepto concursus pœnitentium non excusat, nisi sit coniunctus cum graui necessitate, qualis contingit in conflictu belli, aut in naufragio, aut in simili periculo. In concursu tamen multorũ, sit confessarius solùm sollicitus de mortalibus aut grauioribus venialibus, reliqua curet dici verbo generali. Ita Coninch *disp. 7 dub 9. n. 93.* Contra Petr. Marchantium in suo Tribunali. *to 1. tr. 2. tit. 7. qu. 2. fol. 63.* docentem, quando ob angustiam temporis, multitudinem aduentãtiũ, imperitiam pœnitentis, impotentiam recordationis & reminiscentiæ (quia multo tempore nõ est confessus, aut inualidè multis annis confessus est) non potest confessarius pœnitentem plenè examinare, nec conuenit illum remittere; tunc posse confessarium de grauioribus aliquot peccatis illum examinare, & ad vniuersalem contritionem, ac ad firmum propositum se examinandi & alio tempore redeundi,

redeundi, excitare & ſic illum abſoluere. Hæc ſententiam non admittitur ab alijs vt probabilis: quia maximi quippe peccatores, & qui habent intricatiſſimas conſcientias fortè aduertentes ſe in tali concurſu paucis abſolui, occaſionem ita confitendi quærerent. Quare longè ſatius eſt tales tunc non confiteri, quàm hoc modo abſolui: quia cum apprehendant ſibi neceſſariò confitendum eſſe, ſemper manebunt ſolliciti vt hoc faciant.

Porrò iuſta cauſa excuſans ab integritate materiali confeſſionis, eſt, cùm quis de peccatis iam confeſſis & directè abſolutis generalem facit confeſſionem abſque vlla obligatione; huic enim licitum eſt tunc silere quædam quæ infamiam præ ſe ferunt. Ratio eſt, quia qui de venialibus confitetur, poteſt tacere quæ vult; & quæ vult tantùm confiteri, ita hic, non tenetur magis repetere ea de quibus iam confeſſus & à quibus directè abſolutus eſt, quàm peccata venialia, ergo. Nec refert quòd pœnitens dixerit confeſſario, ſe velle apud eum confeſſionem generalem facere. Licet enim ita dicendo mentiatur, id parum confert quoad hanc obligationem; nec fallit in re, quæ per ſe pertineat ad forum huius iudicis, ac proinde falſum eſt, dicere illum fallere confeſſarium in re graui, pertinente ad ſuum Iudicem. Ita *Henriq. de panit. c. 12. nu. 2. Sotus in 4. d. 18. q. 2. a. 5. Nauarr. in Man. c. 21. n. 43. Bonacina diſt. 5. q. 5. ſect. 2. p. 2. §. 3. diſſic. 2. nu. 14. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 86. Fagundez præcept. 2. l. 3. cap. 3. n. 12.*

Sed maius dubium occurrit, an ſcilicet, qui facit confeſſionẽ generalem, & confitetur ſimul aliqua peccata commiſſa poſt vltimam confeſſionem quæ numquam prius confeſſus erat, debeat explicare, illa peccata eſſe commiſſa poſt confeſſionem vltimam, vt confeſſarius ea excipiat, tanquam materiam neceſſariam? Reſpondeo eſt negatiua; tum quia peccatum idem eſt, ſiue illud antea confeſſus fuerit, ſiue non, niſi fortè mutatio temporis, afferat ſecum circumſtantiam ſpecie diuerſam; vt ſi ſe accuſet coniugatus de peccato contra caſtitatem commiſſo; quando erat ſolutus: niſi enim explicetur tempus, confeſſarius apprehendet ſpeciem adulterij. Tum quia circumſtantia illa non ſe habet ex parte peccati, ſed ex parte pœnitentis; quare illa non explicata, adhuc explicatur totum peccatum ſecundùm totam ſuam grauitatem ſpecificam, & ſecundùm circumſtantias omnes ipſum aggrauantes. Nec obſtat, quòd dicat pœnitens ſe velle confeſſionem generalem facere; per hoc enim non dicit, ſe velle confiteri ſola peccata antiqua, ſed velle ſe etiam illa comprehendere, nam confeſſio generalis omnia peccata complectitur vſq; ad hanc horam. Nec etiam refert, quòd confeſſarius intelligit, illud eſſe peccatum antiquum pœnitens enim id non dixit: atque ideò intentio abſoluendi non regulatur ab exiſtimatione priuata confeſſarij, ſed intendit abſoluere à peccatis, quæ pœnitens detulit ad iudicium, quæcumque illa ſint Ita *Bonacina de Sacram. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. punct. 2. & 3. diſſic. 4. nu. 3. Diana p. 3. tr. 4. reſ. 62. & p. 4. tr. 3. reſ. 65. Sanchez l. 1. mor. c. 10. n. 71. Lugo de panit. diſp. 16. ſect. 2. §. 1.*

6. Qui aliquam ex recenſitis cauſam habet reticẽdi aliquod peccatum, & non faciendi confeſſionem materialiter integram, non poteſt plura peccata reticere, quàm poſtulet iuſta cauſa ſeu periculum probabiliter imminens; Vnde qui habet iuſtam cauſam reticendi actum externum, non verò internum, aut è contra, actum illum debet exprimere in confeſſione, de quo non impendet periculum vel incommodum: quia confeſſio integrè facienda eſt, quantum moraliter fieri poteſt, & vt plurimùm nullum ex actu interno in confeſſione explicato impendet periculum. Ita *Bonacina diſt. 5. q. 5. ſect. 2. par. 2. §. 4. num. 20. Coninck diſp. 7. num. 95. Suarez tom. 3. diſp. 66. ſect. 4. Reginald. lib. 29. num. 108. Filliucius tract. 4. num. 213. Nauarr. in Man. c. 7. n. 6.*

In omnibus his, & alijs ſimilibus caſibus, in quibus licitè dimittatur confeſſio, abſoluitur pœnitens directè & per ſe ab illis tantum peccatis quæ confitetur; indirectè verò & conſecutiuè ab alijs, de quibus non eſt confeſſus; ea tamen obligatione & conditione, vt teneatur prædicta non confeſſa confiteri ceſſante cauſa & ſublato periculo; non tenetur tamen ea ſtatim confiteri, ſed poteſt illa in primam confeſſionem, quam fecerit, ſiue annualem ex obligatione Quadrageſimæ, ſiue ex deuotione differre, nec refert, quòd exponatur periculo obliuionis; obliuiſci enim peccatum, non eſt peccatum, vnde nec etiã exponi periculo obliuionis. Vide *Suarez diſp. 23. Toletus l. 3. c. 8. n. 1. Reginaldus lib. 6. n. 159. Bonac. c. §. 4. nu. 21. Coninck diſp. 5. nu. 66.* & alios communiter.

7. Cum ad valorem confeſſionis & de ſubſtantia Sacramenti ſit integritas formalis neceſſaria, quidam dicunt ad hanc integritatem formalem ſufficere, quòd ſit per ſe intenta, quantum eſt ex directa voluntate pœnitentis; & quòd aliqualis diligentia ad eam adhibeatur, quamuis non ſit tota illa, quæ præcepta eſt, etiamſi ob defectum eius mortaliter peccetur, dummodò defectus nec ſit directè voluntarius, nec ex ſumma quadam negligentia craſſa, & ſupina, ſed ſolum communi & ordinario modo culpabilis ſit eadem culpa mortali: vnde infert hæc ſententia poſſe aliquam confeſſionem eſſe validam in ratione Sacramenti, & non ad effectum, ſed quæ informis maneat propter defectum integritatis: Ratio huius ſententiæ eſt, quia illa confeſſio ex intentione dicentis eſt integra, habet enim voluntatem dicendi omnia, quæ commiſit, ergo id ſatis eſt, vt illa confeſſio ſit formaliter integra. Ita *Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 3. art. 3. Canus relect. de panit. p. 5. Victoria de panitent. num. 157. De la Cruz in director part. 1. de panitent. quæſt. 3. diſt. 9. Nugnus in Suppl. quæſt. 9. art. 1. Petrus Ledeſma in Summ. tom. 1. tract. de panitent. c. 13. conc. 6. Diana part. 2. tract. 3. Miſcel. reſol. 31. & part. 3. tract. 4. reſol. 65.* & omnes Thomiſtæ probabiliter. Ex quorum doctrina poſſunt confeſſarij non rarò excuſare pœnitentes ab onere reiterandi confeſſiones.

Nihilominus dicendum eſt eam tantum eſſe integritatem formalem, in qua homo nihil omittit peccando mortaliter, ſiue ex ſcientia, ſiue ex ignorantia & negligentia culpabili, ac proinde nullam dari confeſsionem validam & informem, ob defectum integritatis. Quia licet integritas materialis non ſit de ſubſtantia, tamen obligatio integrè confitendi pertinet ad ſubſtantiam, & ideò intrinſecè oritur ex ipſa inſtitutione Sacramenti; ergo nulla eſt confeſsio integra formaliter, niſi per illam ſatisfiat ſaltem huic obligationi. Ita *Caietan. in Sum. verb. confeſſ. conditum. 10. Petr. Soto de panitent. lect. 10. Nauarr. in Man. c. 9. num. 16. Suarez diſp. 23. ſect. 4. Medin. cod. de panit. quæſt. de confeſſ. iterand. Coninck diſp. 4. dub. 5. num. 40. & dub. 11. num. 71.*

CONFESSIO SACRAMENTALIS VI.

Quando confeſsio ſit inualida, atque iteranda.

SVMMARIVM.

1. *Confeſsio Sacramentalis, quædam eſt valida, quædam eſt inualida, quædam informis, & quædam formata.*
2. *Quando Confeſsio reddatur inualida ex parte confeſſarij.*
3. *An valida ſit ſacta excommunicatio nominatim denunciata, vel publicè clerici percuſſori.*
4. *Confeſsio facta ſacerdoti ignaro, an ſit iteranda:* refertur duplex ſententia.
5. *Quando confeſsio ſit inualida, & iteranda ex parte pœnitentis.*
6. *An confeſsio ſit iteranda, quando aliquod peccatum mortale prætermiſſum fuit ex ignorantia vincibili mortaliter.*
7. *Quando confeſsio eſt iteranda, an teneatur pœnitens ſingillatim omnia peccata repetere.*
8. *An detur confeſsio informis ex parte attritionis:* refertur duplex ſententia. *Et an de peccatis venialibus dari poſſit confeſsio valida & informis.*
9. *Quando Sacramentum pœnitentiæ validum & informe conferat ſuum effectum.*

1. CONfeſsio ſacramentalis, quædam valida eſt, quædam inualida. Et rurſus valida, quædam informis, & quædam formata. Cenſetur autem valida eſſe, cùm nihil

ri deest spectans ad substantiam Sacramenti pœnitentiæ, & si fiat cum diuinæ gratiæ infusione, dicitur formata; si autem desit illi effectus, ea dicitur informis. Inualida verò censetur esse, cùm aliquid ei deest spectans ad prædictam substantiam, vnde irrita dicitur, ideò repetenda. Defectus autem huiusmodi deriuantur in confessionem, tum ex parte confessarij, tum etiam ex parte pœnitentis. Et ad ista duo capita omnis obligatio iterandæ confessionis potest referri. Ita communiter DD. *Regin. l. 6. n. 144. Tolet. l. 3. c. 10. Bonacina disp. 5. q. 5. sect. 2. punct. 3. Laymann l. 5. tr. 6. c. 9. Filliuc. tract. 7. c. 4. n. 100.*

2. Confessio redditur inualida ex parte confessarij absoluentis, quoties ipse deficit in essentialibus, (Sacramentum enim non subsistit sine sua essentia, & sine ijs, quæ ad ipsius substantiam prærequiruntur) puta, si charactere sacerdotali initiatus non sit; vel si sit sacerdos, iurisdictionem tamen ordinariam aut delegatam non habebat; quia sine iurisdictione non potest sententia absolutionis validè pronuntiari: tamen si communi errore & titulo colorato credatur confessarium habere iurisdictionem, valida esset illius absolutio, Ecclesia supplente iurisdictionem in tali casu, vt dictum est suprà, & tradunt communiter Doctores ex *L. Barbarius ff. de officio prætoris.*

Defectus attentionis in confessario reddit confessionem inualidam, si ob somnum aut ob aliquam occupationem non aduertit aliquis peccata mortalia, aut circumstantias de necessitate confitendas, ideò iteranda est confessio, cùm contiterit pœnitenti confessarium non intellexisse, vel non audiuisse quæ confessus est. Tamen in hoc casu non est improbabile pœnitentem teneri tantum ea sola peccata confiteri iterum quæ à confessario non bene fuerunt intellecta, non verò illa quæ bona fide prius confessa sunt: quia nihil defuit ex parte pœnitentis, & confessor sciens ac volens formam debitam adhibuit. Nec refert, quòd statum pœnitentis absolutè non intellexerit; quia neque id accidit ex vitio pœnitentis, neque absolutè requiritur ad substantiam Sacramenti, vt patet ex eo, qui sic in mortis articulo absoluitur. Ita Mercerus 3. p. q. 9. *art. 1. in Supplem.* Layman *hic citatus.* Diana *p. 3. tr. 4. resol.* 109.

Item redditur confessio innualida & iteranda ex defectu intentionis absoluendi in confessario, quamquam ad euitandam conscientiæ inquietudinem, præsumendum est, semper confessarium habere in administratione sui muneris, intentionem faciendi quod facit Ecclesia.

Item repetenda esset confessio, quoties Sacerdos verbum aliquod formæ necessarium prætermisit, aut morte præuentus non potuit absolutionem impendere. De his consulendi sunt Doctores hic citati. *Nauarr. in man. c. 9. n. 7. Sanchez in Sum. lib. 1. c. 9. n. 35. Syluest. v. conf. 1. n. 6. Angelus v. conf. 1. nu. 22. Valentia to. 4. q. 81. p. 3. disp. 7. Sylueir in Suppl. q. 9. ar. 2. q. 6. edit. 3. Layman c. 9. n. 4. & 5. Filiuc. tr. 7. c. 4. quæst. 6. Tolet. l. 3. c. 10. n. 3. Grasius par. 1. l. 1. c. 17. Henriq. l. 2. de pœnit cap. 14.*

3. Ex parte item confessarij redditur etiam confessio inualida, cùm ipse est excommunicatus & nominatim denunciatus, vel publicus cleri percussor; hoc enim casu, vterque est vitandus excommunicatus etiam in diuinis, vnde confessio facta vni eorum extra extremam necessitatem, est iteranda. Ratio est, quia peccauit pœnitens accedendo ad talem confessarium contra præceptum Ecclesiæ de non participando cum tali excommunicato. Ita *Tolet. c. n. 5. Nauarr. c. n. 7. Grassis par. 1. l. 1. c. 16. n. 5. Suarez tom. 5. disp. 11. sect. 1. Reginald. lib. 1. n. 117. Bonacina de matrim. q. 2. pun. 8. n. 35.*

4. Quidam volunt iterandam esse confessionem factam sacerdoti ita ignaro, & nescienti discernere inter peccatum veniale, & mortale, & inter casus reseruatos, & non reseruatos. Ita illi quos citauit *v. Confessarius 4. nu. 11.* Sed contrarium probabilius est, modò pœnitens bona fide confessus sit, & confessarius habuerit facultatè absoluèndi ab huiusmodi reseruatis. Ratio est, tum quia pœnitens obtinuit absolutionem Sacramentalè ab habente facultatem absoluendi, & plenè sua peccata in confessione explicauit, nec obicem posuit valori Sacramenti. Tum quia si eiusmodi confessarius absolueret in articulo mortis, absolutio teneret: ergo & extra illum; quia casus necessitatis non facit vt quod alioquin est natura sua inualidum, sit propter eam validum. *Henriquez l. 2. de pœnitent c. 14. nu. 5. Toletus lib. 3. c. 10. n. 6. Diana par. 5. tr. 14. res. 22.*

Vera tamen esset prima sententia, *primò* quoties sacerdos cui pœnitens sua peccata confitetur, adeò rudis & indoctus esset vt nulla omninò ratione cognoscere valeret peccatorum grauitatem: secus si valeat aliqua ratione cognoscere; quamuis in particulari nesciat distinguere, & discernere species. *Nauarr. in Man. c. 9. n. 12.*

Secundò si pœnitens nouerat illam confessoris ignorantiam, vel si in ipsa confessione intelligat confessarium non percipere grauitatem delicti, vt qui simplicem fornicationem, vel omissionē cōmunionis Paschalis, non sciat esse peccata mortalia. Verùm in huiusmodi casibus, confessio iteranda esset, non tam ob ignorantiam confessarij, quàm ob in dispositione pœnitentis, qui videtur velle peccatorum suorum grauitatem tegere, dum absolutionem prudens & sciens recipit ab eo, quem videt sic imperitum; Proinde si pœnitens suum confessorem sic instrueret de grauitate suorum delictorum, vt suppleret eius insufficientiam, valeret confessio, vt dictum est suprà *verb. Confessarius 4. num. 21.* Vide Doctores ibi citatos pro hac sententia.

5. Ex parte pœnitentis cōfessio est inualida & iteranda, quoties non confitetur integrè culpabiliter mortaliter, scilicet, quia conticuit voluntariè aliquo peccatum mortale sine iusta & legitima causa; aut non præmisit debitum examen conscientiæ.

Secundò, quando non habet debitum dolorem & requisitum ad substantiam Sacramenti, puta si noluit deserere statum & occasionem proximam peccandi mortaliter; censetur enim tunc voluisse permanere in statu peccati mortalis.

Tertio, quando pœnitens est excommunicatus, & voluntariè fuit absolutus priùs à peccatis, quàm ab excommunicatione, confessio nulla est: Non enim capax est subiectum tale huius Sacramenti, cùm pœnitens faciat contra prohibitionem censuræ in re graui, consequenter inualidè, quia non integrè confitetur.

Si tamen pœnitens bona fide & ex ignorantia inuincibili iuris vel facti, putet se non esse excommunicatum, vel ignoret excommunicatum non posse absolui prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, valida erit confessio & absolutio: quia Ecclesia non intendit priuare Sacramento excommunicatum in huiusmodi ignorantia positum. Ratio est, quia excommunicatus non est incapax Sacramentorum, quamuis prohibeatur illa recipere. De his casibus videndi sunt, *Nauarr. in Man. c. 9. nu. 12. Reginald. lib. 6. num. 147. 148. Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 11. part. 3. D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. Toletus lib. 3. cap. 10. num. 2. Layman lib. 5. tract. 6. num. 1. Medina qu. de confess. iterand. Vasques quæst. 92. art. 3. dub. 1. Filiucius tract. 7. num. 94.*

6. Qui aliquod peccatū mortale ex ignorantia vincibili mortaliter prætermisit in confessione explicare, putans non esse mortale, quamuis quando peccatum perpetratum est, non fuerit ille excusatus à peccato mortali, excusatur tamen ab iteranda confessione, & satisfacit repetendo peccata in confessione prætermissa. Ratio est, quia ignorantia illa quamuis vincibilis fuerit respectu actus peccati, potest esse inuincibilis respectu omissionis in confessione: Vnde excusantur pueri & puellæ (vt suprà etiam demonstratum est, *verb. Confessarius 5. num. 8.*) ab iterandis confessionibus, qui omiserunt aliqua mortalia in confessione, ignorantes talia esse: Idem dicendum de numero & circumstantijs peccatorum omissis ex prædicta ignorantia; sufficit enim cognita obligatione illas confitendi, numero & circumstantias omissas in confessione explicare. De hoc casu etiam infra. *V. Ignorantia num. 6.* & plures apud Doctores hic citatos *Sylueft. verb. confessio 1. quæst. 3. Nauarrus in man. cap. 9. num. 15. Vasques q. 92. art. 3. dub. 1. n. 7. Reginald. lib. 6. num. 153. Diana part. 4. tract. 4. resol. 108. Sanchez in select. disp. 41. n. 19. Sylu. in Suppl. q. 9. art. 2. quæst. 4.*

7. Cùm iteranda est confessio apud distinctum confessarium tenetur pœnitens sigillatim omnia peccata repetere iam aliàs confessa, inualidè tamen. Ratio est, quia cùm confessarius sit iudex, vt absolutionem Sacramentalem impendere valeat, debet totam causam pœnitentis cognoscere, & ideò omnia delicta aperienda sunt, vt de his possit ferri iudicium. Si verò eidem confessario fiat confessio, non est opus in particulari dicere, sed in communi tantùm, exprimendo peccata in prima confessione prætermissa, & alia post illam confessionem commissa si quæ sint, modò tamen confessarius aliquo modo saltem in confuso & in genere recordetur status pœnitentis, aut pœnitentiæ à se iniunctæ; cùm autem nihil horum sciuerit confessarius, pœnitens tenetur omnia repetere, cùm præcedens confessio perinde se habeat ac si facta non fuisset. Ita *Suarez tom. 4. disp. 22. sect. 6. Henriques lib. 5. cap. 4. num. 4. Cominck disp. 7. dub. 11. num.*

11. *num.* 109. *Valentia tom.4.diſp.7.q.11 punct.3. Filliuc.tract. 7. n.102. Nauarr.in man.c.9.n.19. Vaſq q.92.art.3. dub.3. Reginald. lib.8.num.33.*

8. Magna controuerſia eſt apud Doctores, an poſſit dari confeſſio informis, ex qua verum conficiatur Sacramentum, adueniente Sacramentali forma, & tamen poſt illud ſuſceptum informis maneat, quia non eſt ſufficiès ad effectum Sacramenti conſequendum.

Quidam probabiliter negant poſſe dari huiuſmodi confeſſionem informem ex parte attritionis: quia diſpoſitio ipſa ſeu attritio, quæ ſufficiens eſt ad conſequendum Sacramenti effectũ, eſt pars eſſentialis eiuſdem Sacramenti, & ideò non poteſt confici tale Sacramentum, quin recipiatur in ſubiecto diſpoſito, & conſequenter in illo habeat effectum, atque ita formatum ſit. Ita *Gabriel in 4.d.17.q.1.art.3. dub.2. Maior. ibid. Scotus ibid. Fagundes præcept.2. l.1.c.2. Syln. in ſuppl.q.9.art.1. Layman l.5. tr.6.c.9.n.2.*

Nihilominùs contraria ſententia eſt probabilior. Ratio eſt, quia legitima Sacramenti materia ſubminiſtrari poteſt à pœnitente, vt tamen aliunde ponat obicem gratiæ, ſicut fit in alijs Sacramentis; alioquin tam certi eſſemus de accepta gratia, quam de accepto Sacramento: Proinde dicendum eſt confeſſionem poſſe eſſe informem ex parte doloris, & ex parte propoſiti.

Probatur prior pars, quia multi veniunt ad confeſſionem ex ſpiritu humano vt propter infamiam, vel ex quadam honeſtate ciuili, vel quia ita conſuetum eſt fieri, &c. qui gratiam quidem non recipiunt, propter defectum diſpoſitionis; tamen verè ſe accuſant, & ſubijciunt ſe clauibus Eccleſiæ, cum propoſito non ampliùs peccandi, ergo Sacramentaliter confitentur. Deinde in omnibus alijs Sacramentis datur Sacramẽtum validum, ſed informe ex defectu doloris, ergo & in iſto. Contrario enim opinio, quæ non admittit ex defectu dolotis confeſſionem validam, & informem, eſt nimis rigoroſa; rarò enim, aut nunquam poterunt pœnitentes eſſe quieti, & ſæpè ac ſæpius aſtringentur iterare confeſſiones; cùm nunquam eis poſſit conſtare certò, certitudine aliqua morali habuiſſe illum attritionis gradum, quem Deus inſtituerit ad effectum huius Sacramenti.

Si dicas, materia huius Sacramenti, ſunt actus pœnitentis, inter quos vnus eſt contritio, vel ſaltem attritio, quæ cum Sacramento ſufficiat ad gratiam? Reſp. contritio interior & inuiſibilis, non eſt pars Sacramenti, ſed exterior, quatenus videlicet ſigno doloris externo manifeſtatur: hoc autem ſignum potiſſimum in ſui accuſatione conſiſtit quia re, vt rectè aduertit Nauarrus in *Cap. Fratres de pœnit. diſt.5.n.33. & in man.c.9.nu.13.* minor contritio ſufficit ad veritatem Sacramenti, quàm ad eius effectum obtinendum.

Poſterior pars probatur, quia ſit aliquando, vt pœnitens putet ſe habere propoſitum abſtinendi in poſterum à peccatis, qui tamen non habet: nam vel in re non eſt paratus adhibere efficacia remedia, & vitare occaſiones propinquas: vel habet tantùm velleitatem quandam non peccandi, licet bona fide putet ſe ſufficienter diſpoſitum, & talis poteſt ſe verè accuſare, non tamen recipere gratiam, ac proindè ſuſcipit Sacramentum ſine effectu.

Notandum eſt tamen, quòd ſi pœnitenti conſtaret de inſufficientia doloris, aut propoſiti ad gratiam obtinendam, nec ipſe poſſet abſolutionem petere, nec ſacerdos impendere: ſicut nemo poteſt eum baptizare, quem ſcit manere in affectu peccati mortalis. Et quamuis qui fictè accedit ad baptiſmum, verè baptizetur, etiamſi nouerit ſuam fictionem, non tamen ſuſcipit Sacramentum pœnitentiæ, qui nouit ſuam indiſpoſitionem: Ratio eſt, quia petendo abſolui, committit ſacrilegium, vel non facit integram confeſſionem, vel non verè ſe accuſat, Atque in hanc ſententiam videndi ſunt. *D.Thom.in 4.diſt.17. q.4.q.3. Suares de pœnit diſp.20.ſect.5.nu.3. Valentia to.4 diſp.7. q.11.pun.2. Henriq.l.4.c.14.n.2. & l.5.c.11. Sayrus de pœnit. c.14. n.2. Diana part.3.tr.4.reſ.65 Bonac.to.1.diſ.5.q.6.ſect.1.punct 5. n.32. Filliuc.tr.7.c.6.q.11. Nugnus in ſuppl.q.9.ar.1. Caſpenſis tr.24.diſp.4.ſect.11.nu.99.*

Præterea ſecundùm probabilem Thomiſtarum ſentẽtiam, (vt diximus ſuprà V. *Confeſſio Sacramentalis* 5.n.7.) confeſſio poteſt eſſe informis ex ignorantia iuris: & habet locum in ijs, qui ex ignorantia mortaliter culpabili committunt peccata mortalia, v. g. delectationes morioſas, pollutiones, tactus impudicos, &c. non tanti confitentur, nec dolent, nec proponũt abſtinere, quia neſciunt eſſe peccata mortalia: ſi tamen ſcirent eſſe peccata, parati eſſent facere officium.

Dices, illa confeſſio non eſt integra, ergo non eſt valida? Reſpon. eſt integra formaliter & ex intentione confitentis; nam licet tales peccent mortaliter operando ex illa ignorantia, v.g. ſe polluendo, non tamen peccant non confitendo, quod bona fidè putant non eſſe peccatum: vnde hæc ignorantia inuoluntaria eſt, illa voluntaria, vt rectè Nauarrus *in cap. Fratres de pœnit.diſt.5.n.33.*

Huc etiam pertinent eorum confeſſiones qui non exprimunt numerum peccatorum aut circumſtantias neceſſarias ex craſſa ignorantia: non enim tenentur omnes confeſſiones præcedentes repetere, ſed ſupplere quod omiſerunt.

Porrò confeſſio poteſt eſſe informis ex ignorantia facti, vt habet etiam probabilis opinio in ſchola *D.Thomæ*, & habet locum in ijs, qui non vt oportet examinant conſcientiam, & ſic aliqua peccata mortalia omittunt: accuſant tamen ſe verè, de ijs quæ memoriæ occurrunt & ſic dant materiam abſolutionis: nec refert, quòd confeſſio non ſit integra; quia defectus ille, non eſt ex intentione pœnitentis, nam ſupponitur velle omnia confiteri quæ memoriæ occurrunt.

Sed circa hæc obijcies *primò*, vel defectus examinis eſt mortalis, vel venialis: ſi mortalis, nullum erit Sacramentum, quia non eſt integra confeſſio, ſi venialis, non impedietur gratia, ergo ex hoc capite confeſſio non poteſt eſſe informis? Reſp. hoc argumentum facit contrariam ſententiam probabilem: dico tamen, ſi defectus eſt venialis, conferri gratiam; ſi mortalis, conferri Sacramentum ſine gratia. Ratio prioris eſt, quia peccatum veniale non impedit effectum Sacramenti. Ratio poſterioris eſt, quia talis poteſt ſe verè accuſare, & conſequenter dare materiam abſolutionis: nec refert, quòd confeſſio non ſit integra, quia defectus ille, non eſt ex intentione pœnitentis: nam ponimus eum velle omnia confiteri, quæ memoriæ occurrunt.

Obijcies *Secundò*, ille interpretatiuè dimidiat confeſſionem, ergo nullum eſt Sacramentum. Prob. conſequent. quia in moralibus voluntas directa, & interpretatiua æquiparantur? Reſp. ſi negligentia fuerit tam craſſa, vt dolo proxima ſit inualida, erit confeſſio & iteranda: Si verò ſit mortaliter culpabilis, ita tamen vt omnis dolus abſit, & pœnitens verè ſe accuſet, erit valida confeſſio, tametſi conuinci poſſit ſua culpa mutilaſſe confeſſionem: hæc enim tria ita inter ſe ſunt comparanda, vt qui materialiter mutilat confeſſionem, recipiat Sacramentum, & effectum Sacramenti: qui formaliter nec effectum nec Sacramentum: qui interpretatiuè, Sacramentum quidem recipiat, non tamen eius effectum. Neque verum eſt, quòd voluntas directa & interpretatiua æquiparantur, niſi proportione quadam, & quantùm ad culpam: nam in ordine ad aliquem effectum ſæpe diſcrepant, vt patet in cenſuris Eccleſiaſticis.

Vide Sotum *in 4.diſt.18.q.3.art.3.§.ſed eſt.*

Plura de confeſſione informi apud Doctores hìc citatos in probabilitatem vtriuſque ſententiæ argumenta proponuntur: Sed hæc breuitati ſtudentibus ſufficiant.

Petes; an etiam de peccatis venialibus dari poſſit confeſſio valida & informis.

Reſp. cum diſtinctione: nam vel ille qui confitetur, venialia tantùm habet, & mortalibus caret: vel cum venialibus habet aliquod mortale, de quo penitus obliuiſcitur, & ſolùm meminit de venialibus. Si tantùm venialia habeat, non poteſt dari de ſolis venialibus Sacramentum validum & informe, ex defectu attritionis extenſiuo ad peccata venialia oblita: nam defectus attritionis in venialibus non impedit effectum gratiæ Sacramentalis, quia venialia non ſunt obex illius. Si cum venialibus habet aliquod mortale, cuius obliuiſcitur omninò, & inculpabiliter, & ſolùm venialia, de quibus meminit, confitetur, tunc quidem licet de venialibus atteratur & confiteatur, validum ſed informe efficiet Sacramentum, quia datur obex peccati mortalis oblìti ad recipiendam diuinam gratiam, de quo non habetur contrido vel ſaltem attritio. Ita *Fagundes præc.2.l.1.c.2. n.3. Filliucius tr.7.nu.168. Suares diſp.20.ſect.6.n.3.*

9. Poſito Sacramento pœnitentiæ valido & informi, dicendum eſt illud conferre ſuum effectum ſublato obice ſeu fictione. Ratio eſt, quia aliàs peccata confeſſa in confeſſione informi, nunquam remitti poſſent directè: non enim per confeſſionẽ ſequentem, quia cùm præcedens fuerit valida, non tenetur quis ea denuò confiteri: ergo per illam informem debent remitti, tunc autem procul dubio, quando remouetur fictio & obex. Sed quæres quomodo poſſit tolli fictio & obex? Reſp.

cum

sium *Suares to.4. disp.20.sect.5. num.14.15. Filliuc.tr.7.cap.6. q. 12. Ronac.disp.5.qu.6.sect.1.punct.5.n.5.6. Henriques l.5.c.11. nu. 4. Paludanus, Cauet. Canus, Ledesma, Victoria, Petrus Soto apud Henriq.* quando confessio fuit informis ob omissionem peccati mortalis ex ignorantia, vel ob defectum doloris, ad remouendum obicem erit necessaria attritio, si nullum mortale peccatum post talem confessionem sit admissum: sicut enim Sacramentum cum attritione produxisset effectum, ita illum modò producit posita attritione: Hæc etiam attritio debet extendi ad peccata oblita, & vbi hæc extensio data fuerit, statim redibit effectus gratiæ absque noua confessione, quia dolor ille qui sufficiebat cum Sacramento, sufficit etiam post illud; modo nouus obex peccati interim non committatur. In hoc enim casu non sufficeret attritio, sed requireretur contritio, vel nouum pœnitentiæ Sacramentum formatum cum attritione: quia præcedens Sacramentum non habet efficaciam circa peccata mortalia post ipsum commissa, & ideò necessaria est talis dispositio, quæ sufficiens sit ad delenda priùs confessa & simul commissa post susceptum Sacramentum informe.

Vide v. *Irregularitas* 1.num.16.

CONFESSIO SACRAMENTALIS VII.

Quoad eius sigillum.

SVMMARIVM.

1. *Sigillum quid? & quotuplex.*
2. *Quo iure confessarius teneatur ad sigillum. Et quibus pœnis plecti debeat illud violans: Et quomodo probetur sigilli violatio.*
3. *Confessionis sigillum strictius obligat, quàm sigillum secreti naturalis.*
4. *Dupliciter peccat frangens sigillum confessionis, & an in fractione sigilli detur paruitas materiæ.*
5. *Ad impediendum graue damnum publicum, an liceat Sacramentale sigillum frangere.*
6. *Quænam sub confessionis sigillum cadant.*
7. *Peccata tam mortalia, quam venialia, quamuis publica, eorumque circumstantiæ, quatenus in confessione audita, celari debent hoc sigillo.*
8. *Peccatum complicis cadit sub sigillo confessionis. Et an reuelans complicem incurrat in pœnam Canonis.*
9. *Bona & virtutes pœnitentis, an teneatur ex vi sigilli confessarius occultare.*
10. *Quæ personæ teneantur hoc sigillo.*
11. *An pœnitens obligetur sigillo Sacramentali.*
12. *An possit sacerdos, extra confessionem vti scientia per eam acquisita ad externos actus dirigendos.* refertur duplex sententia.
13. *Confessarius in confessione, licitè vtitur scientia, ab ipso pœnitente habita in alia confessione.*
14. *Sacerdos non potest dimittere famulum, quem in confessione nouit esse furem: vel denegare pœnitenti suffragium, vel Eucharistiam, &c. ob peccatum in confessione auditum.*
15. *Non tenetur confessarius confiteri suum peccatum mortale, cum reuelatione confessionis sibi factæ.*
16. *Quando ex auditis in confessione confessarius possit admonere superiorem, vt vigilet.*
17. *Prodere peccata in confessione cognita, non prodendo personam directè vel indirectè, an sit fractio sigilli.*
18. *Quàm parcissimè loqui debeant confessarij de auditis in confessione.*
19. *Quando confessarius sigilli infractor sit dicendus, quando non.*
20. *In vno tantum casu, licitum est audita in confessione reuelare, scilicet, ex licentia pœnitentis.*
21. *Alij casus in quibus hoc etiam liceat.*
22. *An possit confessarius absoluere pœnitentem, qui interrogatus negat peccatum, quod certo scit confessarius extra confessionem.*
23. *An liceat confessario interrogare de complice in confessione, in ordine ad ipsius correptionem, vt illam faciat ex licentia pœnitentis.*
24. *Quomodo se gerere debeat confessarius, si de peccatis in confessione auditis interrogetur.*

1. SIgillum per metaphoram nihil aliud est, vt à Theologis accipitur, quàm obligatio seu debitum aliquid occultandi. Diuiditur in sigillum *Secreti naturalis*, & in sigillum *confessionis Sacramentalis*. Sigillum secreti naturalis, est obligatio quædam à iure naturali inducta, ad occultandum secretum sibi ab altero commissum. Confessionis verò sigillum est obligatio à Christo Domino introducta, ad occultandum id quod in Sacramentali confessione detectum fuerit: Vnde nec verbis, nec signis, nec directè vel indirectè manifestari possunt peccata audita in confessione vt habetur in c. *Omnis vtriusque sexus de pœn. & remiss.* §. *Caueat*. Et hæc obligatio est perpetua, duratque etiam post mortem pœnitentis, ea enim vis nascitur ex præcepto negatiuo, vt obliget ad semper, & pro semper. Oritur autem hæc obligatio ex iniuria, quæ fieret sacramento, si aliquando reuelaretur hoc secretum: iniuria verò illa consistit in hoc, quòd confessio fieret odiosa; nam retardarentur homines, neque cum fiducia possent ad hoc sacramentum accedere: vnde cùm hæc reuelatio sit nociua sacramento, & nunquam possit esse verè ac moraliter vtilis, ideò nunquam est licita. Ita communiter Doctores. *D. Thom. in 4. d. 21. q. 3. a. 1. Syluius in suppl. 3. p. q. 11. a. 1. D. Bonau. d. 21. 2. p. a. 2. qu. 1. Nauarr. in man. c. 8. n. 1. Suares to. 4. disp. 33. sect. 1. Viguerius in sum. c. 16. §. 4. Layman l. 5. tr. 6. c. 14. n. 1. Bonac. to. 1. disp. 5. q. 6. se. 5. Diana p. 5. tr. 11. res. 1. Malderus de sigil. c. 1.*

2. Ad sigillum confessionis tenetur confessarius iure naturæ, iure diuino & Ecclesiastico. Prior pars patet, quia iure naturæ tenemur cauere infamiam proximi, ex reuelatione enim peccatorum in confessione auditorum pœnitenti infamia posset exoriri, ergo. Ita *Vasques de pœn. q. 93. a. 4. dub. 1. Sayr de pœn. c. 26. n. 11. Nauarr. in c. Sacerdos de pœn. d. 6. n. 33. & seq.*

Secunda pars probatur, quia Christus confessionem instituit tamquam medium facile ad obtinendum remissionem peccatorũ, iugum enim eius suaue est; difficilè autem ab hominibus exerceretur confessio, si confessarius ad sigillum non teneretur; imò confessio efficeretur odiosa & onerosa, & ab ea fideles multùm retraherentur & abhorrerent. Ita *D. Thom. in suppl. q. 11. a. 1. Syl. ibid. Henriq. l. 6. c. 19. n. 3. Coninck disp. 9. n. 4. Malder. c. 2.* Posterior pars probatur, quia in c. *Omnis vtriusque sexus de pœn. & remiss.* strictissimè præcipitur confessario sub pœna depositionis & perpetuæ pœnitentiæ in arcto monasterio faciendæ, ne verbo aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem. Pœna verò illa depositionis significat, vt reatreat omni munere & dignitate, & perpetuò priuetur omni altaris ministerio. Vide *Rodr. to. 2. qq. reg. q. 36. n. 1.* Hic tamen non incurrit irregularitatem vt bene probat *Suar. to. 4. disp. 32. sec. 8.*

Nota *primo* hanc pœnam non incurri ipso facto ante sententiam iudicis, quia ex nullo fundamento id constat.

Secundo, non infligitur hæc pœna ob quamcumque violationem sigilli, sed solum ob reuelationem peccati, de hac enim tantùm agitur in iure; quia illa est præcipua materia sigilli; vnde qui solùm reuelaret aliquod ignominiosum in confessione cognitum, sed quod peccatum non fit, non incurreret.

Tertiò, aliæ personæ distinctæ à confessario, quæ sigillo confessionis tenentur, hac pœna non plectuntur, sed mitiori, quia in fractione sigilli, non ita grauiter peccant, ac confessarius, quamuis multò grauiori, quàm si solùm frangerent secretum naturale iustitiæ. Ita *Hurtado de sacr. disp. 12. de pœn. diffic. 14. Præpositus in 3. p. qu. 11. de sigil. dub. 4. num. 39. Granado de Sacr. contr. 7. tr. 11. disp. 8. num. 3.*

Notandum *quarto* hoc crimen posse probari per testes singulares propter delicti qualitatem, quod aliter vix vmquam probari posset, vt notant communiter Doctores.

Dubium autem est, cui incumbat probandi onus, quando pœnitens dicit, Sacerdotem reuelasse confessionem absque eius licentia; sacerdos verò dicit, se habuisse licentiam à pœnitente. Multi dicunt, onus probandi incumbere confessario quam esse sententiam communem testatur Nauarrus *in cap. Sacerdos, num. 164.* & pro ea Suares affert. *D. Thomam, Richardum*, & *Syluestrum*, quia licentia non præsumitur, nisi probetur.

Alij hanc sententiam duram, & difficilem iudicant, cum sacerdos non possit probare licentiam illam, quæ regulariter secretò

secreto dicatur. quare totum hoc ex concretis circumstantijs pendere: nam si lacerdos bonæ famæ sit, & honestæ vitæ, si nihil mali pœnitenti insuluit; sed potius reuelatio tenderet ad eius bonum; præsumitur licentia & probandi onus relunti in pœnitente. Ita Rodriques *to.2.qq reg.q.36.a.1.* & Bernardus Diaz, de Lugo *in pract crim canon cap.109*

Secundo distinguendum videtur, nam si pœnitens accuset de reuelata confessione, & sacerdos neget, se tale peccatum dixisse, aut reuelasse, pœnitens debet probare, cùm crimen non præsumatur; nisi probetur.

Si verò constet, sacerdotem dixisse illud peccatum; ipse verò neget, se illud in confessione audiuisse, debet ab ipso offendi: vnde illud iterum: quo non probante, debet puniri, non tamen pœna ordinaria, sed leuiori, quia non est conuictus de delicto.

Si verò constet de reuelatione; dicat tamen confessarius se habuisse licentiam pœnitentis; distinguendum videtur; vt si accuset ipse pœnitens, sacerdos debeat probare licentiam, & purgare illã probationẽ per probationes contrarias. Si verò accuset alius tertius, maxime si pœnitens iam sit mortuus, probatio incumbat accusatori, cùm ipse non possit, nisi ad summum ex audituine carentia licentiæ. Videndus est Lapus *alleg.* 94. quæ incipit, *Quidam Presbyt.* Couarruuias *in 4.p.2.cap.8.§.12. n.10.* Syluius *p.2.ref. verb. Sigillum confessionis* 111.

3. Sigillum confessionis sacramentalis longè strictius est, quam sigillum secreti naturæ, quod in multis casibus reuelari potest, puta, quoties in detrimentum proximi vergit, temporale, vel spirituale, in damnum publicum & commune, vt docentur infra *V. Secretum nu.4.* Sigillum verò sacramentale ne iniuria fiat sacramento ita obligat, vt in nullo vitæ casu infringi possit. Vnde nec Summus Pontifex dispensare potest cum confessario vt confessionem reuelet, etiamsi vniuersa Ecclesia, & tota tota Christiana per impossibile perire deberet, nisi sacramentale sigillum reueletur. Ratio est, quia nulla est potestas in terris, quæ dissolucre possit, quod est iure naturæ, vel diuino constitutum, licet aliquando declarare possit tale ius non habere locum in aliquo casu. Hinc superiori sub pœna excommunicationis præcipienti ex fractionem huius sigilli, per reuelationẽ peccati, quod in confessione didicit, non tenetur confessarius obedire; imò mortaliter peccaret obediendo præcepto hominis, contra præceptum diuinum. Proinde sigillum illud sacramentale, nulla vnquam de causa reuelandum est, neque pro aliquo scandalo vitando, nisi volente, & facultatem dante pœnitente. Tum quia si in aliquo casu confessio contra voluntatem pœnitentis reuelari posset, illa foret communiter exosa, & in ordine ad omnes confessarios. Tum quia fractio huius sigilli est intrinsecè mala, nec vlla de causa honestari potest. Vt docent *D.Thom.c.a.1.Sylu.ibid.Suares c.disp.33.sect.1.n.11. Bonac.c.dis.5.q.6.s.c.5.n.20.Nauar.in c.Sacerdos de pœn.dist.6.n. 34.Medin.Cod de conf q.48.Filiuc.tr.7.c.11.q.1. Regin.l.3.n.19. Diana c.ref.1.Laym.in l.5.tr.6.c.14.n.2.Graffius 1 l.1.c.25.nu.4. & 5.Mulder.c.c.2.& 3.*

4. Frangens confessionis sigillum, duplici peccato se contaminat; peccat enim *Primo* contra iustitiam, violando secretum contra idem datam; quia inter confessarium & pœnitentem intercedit virtuale quoddam pactum de seruando isto secreto in omni casu, & sine vlla exceptione eius: consequenter violator sigilli tenetur ad restitutionem damni, quod ex iniusta secreti manifestatione nascitur.

Peccat *Secundo* contra religionem peccato sacrilegij, cùm faciat iniuriam sacramento pœnitentiæ, quod cum obligatione sigilli à Christo institutum fuit. Vtraque malitia est inseparabilis, quia in nullo casu potest reuelari secretum confessionis, quin vtraque malitia reperiatur: vnde violatori huius sigilli tenetur in confessione hanc duplicem circunstantiam confiteri si aduertat confessarium id ignorare, quia duplicem culpam mortalem specie diuersam committit. Sicut duplicem quoque committit culpam letalem diuersam speciei, qui frangit illicitè secretum naturale, quod sub iuramento seruare promisit, quia iuramentum habet peccatum ad speciem periurij; vnde ibi est peccatum periurij, & peccatum iniustitiæ. Ita *D. Thom. quodlibeto 12.a.17. Nauar.in Man.c.8.n.5. Hem q.l.3.de pœn.c.19. Fagundes præc.2.l.6.c.4.n.6. Suares disp.33 sect.1.n.13.& 14. Diana par.5.tr.11.ref.2.*

In fractione huius sigilli, hoc notatu dignum est, quòd non detur paruitas materiæ excusans à mortali culpa, etiamsi quod reuelatum fuerit, sit tantùm venialis, culpa. Optimam rationem huius assertionis tradit *Malder.de sigillo c.3.* quia paruitas materiæ non obstat, quominus hic reperiatur integra ratio irreuerentiæ, & offensionis Dei, sicut etiam fit in periurio assertorio & similibus: vnde arcta illa obligatio celandi peccata confessa, non est in eo fundata, quod peccata, quæ celantur, sint magna, sed in eo potius quòd res maximi momenti sit, & prorsus necessaria, totum negotium confessionis esse secretum. Aliam adiert *Suarez disp.33.sect.3.n.1. Nauarr.in c.Sacerdos de pœn.dist.6.n.39. Bonac.t.1.disp.5.q.6.fe.5.p.1.n.4. Diana par.5 tr. 5.ref.8.* Quia licet respectu pœnitentis illa regulariter non sit grauis infamia; respectu tamen Sacramenti semper est grauis iniuria, & graue nocumentum: quia alias auerterentur homines à confessione peccatorum venialium.

Tamen ex indeliberatione & inaduertentia posset esse tantùm peccatum veniale reuelare quod in confessione est auditum, si nulla sequatur infamia: quia tunc reuelans non dicit animo reuelandi, neque recordatur confessionis, sed ex alium de acceptata scientia loqui se existimat. Ita *Suarez c.sect.3.n.1.& 2. Soto relect. de secr.q.3.c.3. Syluius c. quæst.11 a.1. Malderus de sigillo c.3. Diana par.5.tr.11.ref.2.* Qui inditur quæ contra improbabilem quorundam sententiam asserentem, reuelationem peccati venialis non futuram mortalem, nisi Sacerdos dicat se audiuisse ex confessione. Quia hoc non est peccatum mortale tantum propter scandalum aliorum, quod tunc oritur, quando intelligunt illam esse reuelationem cõfessionis, seu per se propter fractionem sigilli, quia est contra graue præceptum, & in graui materia.

5. Perpetua Ecclesiæ traditio est, sigillum sacramentale frangi non posse etiam ad impediendum quodvis damnum graue publicum (vt dictum est suprà.) Ratio est, quia grauia illa mala, quibus alia via Deus prouidere potest, cùm tantum vrgeant ad tempus, minora sunt, quàm data occasio perpetui impedimenti vius sacramenti pœnitentiæ; vnde impedimenta illud cernendam est malum esse iniustificabile, ob defectum boni prædicto vtri maioris. Tum quia inordinatum esset, per destructionem sacramenti Pœnitentiæ velle succurrere necessitatibus nostris: vnde pro nullo incommodo auertendo, pro nullo bono procurando, licet confessario reuelare secretum confessionis, etiamsi ea reuelatione posset totum mundum Christo lucrifacere, aut grauissimum damnum spirituale totã Ecclesia vel Republicam vertere. Est omnium Doctorum sententia; vel etiamsi monitum esset tacerdoti: Salus enim Christianorum pendet à sacramento confessionis; quod comemari non potest, nisi seruato sigillo. *D.Thom.in suppl.3.p.q.11.art.1. Sylius ibi. Malderus tr.de sigil.c.3. Suares c.sect.1. Laymanc. c. 14.n.2. Henriq.l.6.c.19.n.5. Gutieres l.1.qq.c.11.n.49.50. Fagundes præc.2.l.6.c.1.n.7.8. Diana p.5.tr 11.ref.46.*

Sed petes, an confessarius qui per confessionem nouit, v. g. conspirationem proditorum, non possit monere eos, quibus custodia incumbit, vt vigilent: Resp. modo per omnia prospiciatur sigilli sacramentalis integritati, nec alia inuenitur via per quam graue illud malum seu damnum Reip. imminens propellatur, licitum esse generaliter superiorem monere, absq; expressione vllorum particularium. Ita *Reginald.l.3. c.2 Nauar.in c. Sacerdos de pœn.dist.6.n.124.*

Sed quia in tali admonitione tanta & multiplici circumspectione opus est, vt difficillimum sit, illam vitantem non incidere in sigilli sacramentalis violationem, aut lationem securitatis & libertatis confitentium, ideò in praxi non est illa ordinarie vtendum, ob reuerentiam sacramento pœnitentiæ debitam: quia notitia ex foro confessionis, nullum commercium habet cum his admonitionibus externis, eò quòd statim conijciet Superior vel ille cui custodia incumbit, vt vigilet, id ex confessione confessarium scire, quod redundat in detrimentum sigilli: Numquam autem potest confessarius in monendo dicere se scire periculum imminens in confessione, cùm eiusmodi forma odiosam reddat confessionem. *Fagundes c.l.6.c.3.n.8. Malder. c. c.14.fol.122. Diana p.3.tr.4.ref.76.& par.5.tr.11.ref.3.*

Multò minus reuelanda est confessio, quantumcunque illius celatio cedat in graue detrimentum tertiæ personæ, siue pœnitentis, siue ipsiusmet confessarij. Quia cum pœnitentiæ sacramentum militantis sit in totius Christianæ Reip. bonum, plus expedit secretum ipsum seruari, ne fideles abhorreant ab illius vsu, timore violationis eiusdem secreti, quàm salutem cuiuiquam particularis tueri. *Bonac.to.1.d.5.q.6.sect.5 p.4.n.19. Reginald.l.3.n.18.& 19. Sayrus de pœn.c.32.n.2.*

Sed quia in prædictis casibus persona quæ confitetur sub pec-

cavo mortali in conscientia tenetur plerumque malum immi-nens quouis modo auertere, nec potest alio, quàm monendo magistratum vel superiorem, confessarius potest illi imponere vt moneat. Ratio est, quia in hoc confessarius perfungitur munere suo, & tantùm declarat obligationem quam habet pœnitens in conscientia, quam si non sit paratus adimplere, non est dispositus ad Sacramentalem absolutionem: Imò, in tali statu, peccatum mortale sacrilegij confessarius committeret absolutionẽ sic indisposito pœnitenti dando, & pœnitens recipiendo. Si autem persona quæ confitetur, aliàs non teneatur in conscientia ad huiusmodi manifestationem; confessarius nõ potest illi hanc manifestationem imponere sine peccato sacrilegij: quia secretum siue sigillum tantum est, vt non solùm debeat præcauere omne grauamen pœnitentis, sed etiam grauamen cuiuscúque tertiæ personæ: hic autem confessarius imponẽs pœnienti vt manifestet superiori ex occasione scientiæ in confessione acceptæ hoc facit, & cõsequenter notitia accepta in cõfessione dat causam huic manifestationi externæ & grauamini quod est tali manifestatione externa, tertia persona incurrit. Vnde sigillum si non primariò & directè: secundariò tamen & indirectè soluitur, hoc ipso quòd ex sola notitia in confessione accepta, reuelatio illa deriuatur, quæ aliàs personam, manifestantem in conscientia non obligabat. Ex dictis resolue sequentem casum.

Sed rogabis, quid faciendum, si confessarius audiens confessionem Bertæ puellæ honestæ & innuptæ, in extremo vitæ periculo laborantis, agnoscat ex ipsius confessione illam esse grauidam fœtumque quem in vtero gestat viuere, neminem tamen id scire, neque audere se vlli rem istam patefacere præterquam ipsi, ne famam hactenus illæsam perdat?

Resp. ipsum debere Bertam vrgere vt fidæ alicui personæ rem declaret, sicque fœtui prospiciatur. Si metu infamiæ pergat refragari, ostendat ei periculũ cuidens ac certum æternæ damnationis, cui fœtum tuum exponit, moneatque tantillum infamiæ negligendum esse, vt anima Christi sanguine redempta non pereat, sed opera dari possit ad eam saluandam.

Si contumaciter persistat, nolitque illi extra confessionem aperire, deneget ipsi absolutionem tanquam quam indignæ & prorsus indispositæ, cùm nolit hoc facere, ad quod sub reatu peccati mortalis est obligata, declaretque quòd & se & puerum suum conijciat in æternam damnationem. Communis enim sententia docet ex *D. Thoma* vitam corporalem pro salute spirituali proximi ponere, cadere sub præcepti necessitate, in necessitatis articulo: Quantò magis tenebitur hæc famam exponere (quæ est bonum ordinis inferioris, quàm vitam (pro salute spirituali fœtus. Confessarius tamen non potest quidquam de fœtu vel de eius animatione loqui, etiamsi fœtus sit sine baptismo moriturus, quia sigillum confessionis est tam sanctum, vt ne indirectè quidem liceat vllo casu citra pœnitentis consensum frangere.

6. Illa omnia sub confessionis sigillum cadunt, quæ à pœnitente manifestanda sunt sacerdoti, per ordinem ad confessionem sacramentalem, animo se accusandi factam: quia ex horum manifestatione censetur confessarius sacrilegus sigilli violator, & confessio redditur odiosa: & hinc colligitur solutio sequentium casuum.

Quandò quis peccata sua non sacerdoti scienter manifestat, non oritur obligatio sigilli, quamuis credat ex tali confessione nasci sigilli obligationem. Ratio est, quia illa confessio non est sacramentalis: est tamen naturale secretum, quod licitum est reuelare, quando necessitas boni communi vrget. Tamen si bona fide confessio facta fuerit non sacerdoti, existimando illum verè sacerdotem, inducit obligationem sigilli. Ratio est; quia licet confessio de facto non terminetur ad sacerdotem, tamen vt fit à tali homine, ex intentione sacramenti procedit, & fit sacerdoti: vnde ipsum etiam sacramentum, & præceptum eius tegit illa peccata sub sigillo: hoc enim præceptum impositum est in fauorem pœnitentis, & sacramenti: ergo ampliandum est ad omnem confessionem bona fide factam, sub ratione & intentione & sacramẽti. Ita *Suar. disp.33. sect.2. Filiuc. tr. 27. n. 319. & 341. Sylu. in supplem. q. 11. a. 1. quæst.1. Prapositus 3.p. q. 11. de sigillo dub. 2. nu. 22. Duana par. 5. tr. 11. ref. 13. & 15. Vasq. q. 93. n. 4 dub. 2. nu. 6. Graffius 1. p. l. 1. c. 23. n. 45.*

Sacerdos non tenetur ad sigillum confessionis, cui extra sacramentalem confessionem aliquid sub sigillo, confessionis explicatum est ab eo, qui non habebat intentionem confitendi: teneretur tamen hic ad secretum naturale. Ita *Paud. 4. dist. 21. q. 3. a. 2. Nauarr. c. 18. n. 55. Sanchez de matrim. l. 3. disput. 13. n. 6. Rodrig. p. 2 sum. c. 55. n. 4.*

In dubio an aliquid confessario fuerit à pœnitente reuelatum in ordine ad confessionem, præsumi debet à confessario quòd sic, & hoc in fauorem confessionis & pœnitentis ne fiat odiosa confessio: quamdiu enim non probatur pœnitens omninò fictus, præsumitur bono animo ad confessionem accedere. Ita *Suarez disp. 33. sect. 2. n. 6. in fine, Reginald. l. 3. n. 7. Bonac. c. pun. 2. n. 4. Syluius c. q. 11. art. 1. quæst. 1.*

Si peccator sub specie confessionis veniat animo irridendi, decipiendi, pertrahendi confessorem in consortium sui peccati; non est eius confessio sacramentalis, ideòque nec inducens sigillum: vt declaratum fuit Romæ de quodam Cardinali, qui prætextu confessionis, accesserat ad alium, volens eum, in conceptæ contra Pontificem coniurationis crimen pertrahere. Ita *Soto in 4 dist. 18. q. 4. a. 5. Nauarr. c. 8. nu. 18. Malderus de sigillo c. 8. fol. 60. Vasques c. dub. 3. & 7.*

Oritur obligatio seruandi hoc sigillũ, non solùm ex confessione valida, sed ex omni, & sola illa, quæ est sacramentalis, quamuis pœnitens obsolutionem non impetrauerit. Itaque sigillum habet locum, quando confessio fit animo se accusandi in hoc foro pœnitentiæ secreto, & aliquo modo de clauibus subiiciendi vt iuuetur, eo modo quo confessor iudicabit id fieri posse, si non absoluendo, saltem dando cõsilium: vnde qui cum aliquali proposito emendæ, & aliquali dolore, licet imperfecto, & non sufficienti ad efficiendum verum sacramentum confitetur, tunc obligat sigillum: quia pœnitens habet animum confitendi sacramentaliter. Ita *Malder de sigill. c. 15. Reginald. l. 3. c. 5. n. 66. Mercer. in suppl. 3. p. q. 11. art. 2. Henriq. l. 6. c. 21. nu. 3. Ia. N. Duana p. 5. tr. 11. ref. 26.*

7. Celari debent hoc sigillo peccata tam mortalia quàm venialia, peccatorum etiam circumstantiæ, & ea omnia, quæ dicta sunt in confessione ad declaranda peccata: sed differenter: nam mortalia nec in genere nec in particulari sunt manifestãda; venialia autem in specie non possunt manifestari; non esset autem contra sigillum in genere illa manifestare dicendo v.g. Petrus confessus est peccata venialia; quia confessio stare non potest sine materia peccati venialis ad minimum; secùs si diceret Petrum confessum esse plura vel grauia venialia: quia occultum est Petrum plura vel grauia venialia fecisse. *D. Thom. in suppl. q. 11. a. 2. Syluius ibi. Malder. c. c. 15. Filiuc. tr. 7. c. 11. n. 321. Bonac. c. disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 2. n. 9. Leyman l. 5. tr. 6. c. 14. n. 4. Diana p. 5. tr. 11. ref. 49.*

Item defectus, qui ad famam pœnitentis pertinent, sub sigillo cadunt: vt si pœnitens ad manifestandum aliquod peccatum dicat se illegitimum, pauperem, aut reuelet aliquem defectum naturalem. Ratio est, quia hæc omnia saltem per reductionem, sunt materia confessionis, cùm ordinentur ad accusationem peccati, & propter confessionem faciendam dicantur. *Soto 4. dist. 18. q. 4. a. 5. conc. 2. Suarez disp. 33. sect. 3. n. 5. Prapositus 3. par. punct. q. 11. dub. 3. n. 28.*

Reliqua autem quæ ad peccatum non faciunt, vel ad infamiam pœnitentis, & quæ incidenter tamquàm nullo modo ad confessionem narrantur, sub sigillo non cadunt: cauere tamen debet confessarius, ne quod in confessione tantùm audiuit, dicat, manifestando personam, cùm circumstantes intelligunt illum ex confessione habuisse. Ita *Bonac. c. n. 10. Filiuc. tr. 7. c. 11. n. 321. Reginal. c. n. 38. Suarez c. n. 10. Duana p. 5. tr. 11. ref. 5.*

Peccatum futurum, seu propositum committendi aliquod peccatum, sub sigillum cadit; quando pœnitens illud confessario manifestauit animo se accusandi. Ratio est, quia propositũ illud, quod in cõfessione aperitur, habet illud peccatum pro obiecto: obiectum autem peccati etiam sub sigillum cadit, sicut & circumstantiæ. Secus autem si pœnitens declarauit non animo se accusandi, sed potiùs peruertendi confessarium, illumque incitandi ad malum. Ita *Malder de sigill. c. 15. fol. 132. D. Thom. 4. 11. a. 1. ad 1. Syluius ibid. quæst. 1. Duana c. ref. 25. Vasques q. 93. a. 4. dub. 3. Bonauen. 4. dist. 21. ar. 2 q. 1.*

Peccatum publicum quatenùs in confessione auditum, est materia sigilli: Vnde confessarius non potest dicere, *Illa publica meretrix confessa est mihi situs turpitudines.* Ratio est, quia si talis facultas confessario concessa esset, sæpè ea abuteretur, seu minùs publica euulgando, seu minùs certa confirmando, quod confessionem exolam redderet. Si tamen confessor aliàs nosset illud peccatum per viam publicam, posset quidem ex hac notitia loqui, caute tamen, ne suspicionem alijs ingerat visus notitiæ per confessionem; vnde non est licitum confessario

de

de peccato sui pœnitentis loqui cum ijs personis, quas certò nouit illud cognitum habere, quia obligatio sigilli est per se, & scientia aliorum est per accidens: licet enim fortasse non fiat nocumentum pœnitenti, quia non infamatur amplius, sit tamen iniuria ipsi sacramento; atque etiam potest esse onerosum ipsi pœnitenti. Ita *Nauarr. in Man. c. 8. n. 10. & in c. Sacerdas nu. 62. & 66. Sotus c. q. 4. ar. 5. concl. 3. Henriq. l. 6. c. 20. nu. 4. Bonac. c. n. 9 Layman l. 5. tr. 6. c. 14. n. 9. Praepositus de pœnit. qu. 11. dub. 3. n. 25. Diana p. 5. tr. 11. ref. 6.*

8. Peccatum complicis cadit sub sigillo confessionis, sicut & peccatum pœnitentis; siue hic potuerit suum peccatum confiteri sine expressione illius, siue non: Tum quia ex reuelatione peccati complicis sæpissimè cognosci posset peccatum pœnitentis, & exinde confessio redderetur onerosa & odiosa. Tum quia ex reuelato peccato complicis, adeò magna sequuntur incommoda in odium confessionis, vt quando reuelatio timeretur, non tenetur complicem pœnitens exprimere. Deinde complices sint *Caius & Berta*, & vterque fateatur peccatum suum vni & eidem sacerdoti, nisi complex sit sigillatus poterit *Caio* ex confessione *Bertæ*, & Bertæ ex confessione *Caij* sacerdos obijcere peccatum suum, quod nefas est. Ita *Syluius in Suppl. q. 11. a. 2. concl. 2. Malderus de sigill. c. 17. fol. 170. Suarez disput. 34. sect. 3. n. 2 Vasques q. 93. a. 4. dub. 5. Diana p. 3. tr. 4. ref. 111 Reginald. l. 3. c. 4 num. 39 Nugnus in Suppl qu. 11. art. 2. Layman l. 5. tr. 6. c. 8. n. 13.* & communi sententia omnium.

Petes, an confessarius reuelans complicem, incurrat pœnam Canonis *Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Resp. Affirmatiuè cum *Petrus Ledesma tr. de pœnit. cap. 21. Malderus tr. de sigillo c. 17.* nisi interueniat consensus pœnitentis. Ratio est ante dicta, quia manifestando personam complicis indirectè manifestaret confessarius personam ipsam pœnitentis. Aduertendum tamen est, complicis peccatum non tegi ita ex vi sacramenti, sicut peccatum ipsum pœnitentis: quod tegitur, vt significetur Deum tegere peccata per confessionem remissa; sed tegitur tamquam pars accusationis huius secretissimè, qua seipsum plenè accusare non potuit pœnitens sine accusatione, aliqua complicis. Et ideò persona complicis pertinet indirectè ad materiam propriam confessionis; ergo ad secretum & sigillum.

Non tamen licet (secundùm veriorem sententiam occasione confessionis, præcipuè si ex tali occasione id fieri sciendum esset, procedere per obtentam veniam à pœnitente, in foro externo, vel ad exemplum aliorum, ad accusationem aut punitionem complicis, hoc enim redderet confessionem odiosam: potuit enim pœnitens falli aut fallere, deficiente probatione, cùm ille non possit in testem adduci; imò negare possit tale quid se in confessione dixisse, vbi in maximas difficultates se conijciet confessor, & ipse vt diffamator conueniri poterit: vnde quid aliud accidet confessario ex eiusmodi præposterè suscepta accusatione, nisi mera confusio. Quomodò hic satisfaciet iudiciali ordini, qui requirit, vt reo innotescat testis aduersarij, aut saltem, vt ipsi ea aperiantur per quæ in suspicionem testis facilè veniat? Aut pœnitens detegitur, & erit sacrilegium, aut non detegitur, & erit calumnia *Suarez disp. 34. sect. 4. n. 23. Bannes 2. 2. q. 33. a. 8. dub. 6.*

Quis enim non poterit quamuis calumniari, & affligere hoc surdo verbere subornati confessarij aut quis confessarius, volens sine probationis calumniari, id non poterit eo prætextu, quòd in confessione tertij illud peccatum audierit? Absit, vt qui Dei iudicia exercent, diuini arcani violatores hucusque admittant. Ita *Malderus*, passim & *Bannes*.

Si verò complex correptione indigeat, curet confessarius vt ipse pœnitens per se, vel per alium discretum eam faciat: si autem alius haberi non possit, qui graue malum commune impediat, vel tollat per correptionem vel denunciationem, obligare posset confessarius pœnitentem, vt sibi extra confessionem reuelet personam complicis, modò nullum sequi possit scandalum, nulla irreuerentia sacramenti, aut fractio sigilli. Debet tamen monitio esse secreta, manendo in primo gradu correptionis fraternæ inter confessorem & ipsum solum, & in omnem euentum non vlteriùs progrediendo, *Henriques l. 2. de pœnit. c. 10. n. 8. Fagundes precept. 2. l. 5. c. 2. nu. 2. & 6.* Sed casus iste potiùs est metaphysicus, quàm moralis, vt bene docet *Malderus* suprà. *Quis enim* (inquit) *erit iste casus, vbi nemo præter confessarium reperire poterit, qui ad corripiendum sit idoneus, & simul hoc conuertat, vt inde nemo pusillorum, nemo ignorantium scandalizetur, quam confessarium ex confessione loqui?* Proinde sustinent aliqui Doctores confessarium sacrilegij culpam incurrere, qui sibi extra confessionem curat dici siue manifestari cõplicem ad auertenda mala huiusmodi, & vt possit illum manifestare superioribus. Ratio est, quia huic manifestationi, notitia in confessione accepta, dedit causam, vnde reuerà sigillum indirectè & secundariò soluitur, idque in grauamen tertiæ personæ. Si tamen nec pœnitenti, nec tertiæ personæ immineat illum imaginabile grauamen aut grauaminis periculum licet interdum manifestationem externam & consulere & imponere prout ratio negotij postulat: quia nihil inde læditur sigillum confessionis, nec ei vlla irreuerentia vel nota inuritur. Deinde licet pœnitens teneatur etiam per tertiam personam crimen alicuius tertij foris manifestare, non facilè confessarius id debet in se assumere: quia inde suspiciones contra sigillum apud infirmos & ignorantes gigni possunt: vnde & confessio redditur odiosa, & calumnijs ac detractionibus maleuolorum exponitur; præterquam quòd maleuola vel maleuolus aliquis mendacijs aliquando confessarium dementet, vt alteri noceat. Honor itaque sigilli sacri omnibus istis secundarijs emolumentis præferendus est.

9. Ex vi sigilli confessionis, non tenetur confessarius ad occultanda bona & virtutes pœnitentis, sed solùm ex vi secreti naturalis, iuxta intentionem pœnitentis. Ratio est, quia huiusmodi virtutes non solent in confessione aperiri per modum accusationis, & ex ipsarum manifestatione non efficitur odiosa confessio, nisi fortè ex virtutum narratione sternatur via directè vel indirectè ad detegenda aliqua confessi vitia vel peccata v. g. si absque licentia peccatorem etiam publicum laudet de seria sua pœnitentia quam in sola confessione aduertit. Proinde planè expedit, vt à tali laude omninò abstineat confessarius, qui post confessionem duorum vel trium dicit, hic solùm habuit venialia: inde enim suspicio oritur, quòd alij confessi sint mortalia, *Nauarr. in c. Sacerdos de pœnit. dist. 6. nu. 51. Sa v. Confessio n. 31. Reginald l. 3. c. 4. Diana p. 5. tr. 11. ref. 30. Mald. de sigill. c. 15. fol. 135.* Hinc Gerson monet *Alph. 41. lit. H. & Alphab. 18. lit. I. De personis confessis expedit magis tacere quàm aliquid dicere, vel vituperando in generali vel speciali: Laudantes enim pœnitentes suos dant occasionem male suspicandi de alijs quas non laudant, & mendaciter confitendi.* Et confessor damnatur vt infractor sigilli apud *Ludouicus Beia p. 3. casu 15.* Iuniorem laudans quòd virgo sit & sine crimine, quod enim de vna cõceditur, de altera videtur negari.

10. Multæ personæ tenentur hoc sigillo, nam quicumque mediatè vel immediatè licitè, vel illicitè non aliter quam ex confessione aliquod peccatum cognouit sigillo tenetur.

Primo loco tenetur confessarius seruare sigillum, sub grauissimis pœnis. *Gregorius* enim in *c. Sacerdos, de pœnit. dist. 6.* ponit ei pœnam depositionis, & ignominiosam peregrinationem tota vita sua faciendam *Cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* non solùm talem reuelatorem dicit deponendum esse ab officio sacerdotali; verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum: quæ pœna, vt pote generalis Concilij, hodie obtinet, & non illa prior *Gregorij*.

Secundò tenetur superior, cui confessarius aliquid in confessione auditum aperuit, vt facultatem à reseruatis absoluendi obtineret. Ratio est, tum quia sit ei detectio vt habenti claues, & vt in foro interno deleget potestatem absoluendi. Tum quia superior intelligitur vna persona cum confessario, in ordine ad impertiendã absolutionem pœnitenti: Cùm ergo confessarius teneatur sigillo, eodem etiam tenebitur superior Prælatus. Ita *Suarez disp. 33. sect. 4. n. 3. Malder. c. 13. Syluius q. 11. a. 3. Fagundes prec. 2. l. 6. c. 6. num. 2. Diana p. 5. tr. 11. ref. 12. Praepositus 3. p. q. 11. dub. 2. n. 23. Bonac. c. punct. 3. n. 3. Nauar. in c. Sacerdos nu. 105.* Et confirmatur, nam cùm sit onerosum pro casibus reseruatis debere superiorem adire, nisi is eadem lege obligaretur qua confessarius, confessio redderetur valde odiosa. Et quando inferior petit veniam absoluendi à casu reseruato, nullo modo potest personam aperire, vel causam ita explicare, vt ea venire possit in notitiam superioris: nec superior potest curiosè inquirere cùm periculo veniendi in notitiam personæ.

Tertiò obligantur illi, quibus imprudenter confessarius consilij gratia personam pœnitentis & ipsius peccatum manifestauit, siue cum licentia pœnitentis id factum fuerit, siue non. Tum quia res semper transit ad alium cum suo proprio onere: tum quia non est credendum pœnitentem dedisse huiusmodi facultatem, nisi cum onere sigilli. Vnde confessarius eo modo

reuelans

reuelans tenetur modum suæ cognitionis explicare, vt alij seruent secretum debitum Sacramento pœnitentiæ. Ita *Henriques lib.6.cap.20.nu.3. lit.S. Toletus lib.3.cap.16.n.15. Suares sect. 4.num.6. Diana c.ref.11. Nauarr. in Man.cap.8. num.7. Layman l.5.tract.6.c.14.n.18*

Imò ipsemet Diana *par.5.tr.11.ref.44.* existimat post Fagundes citatum *n.23.* quòd si pœnitens, priusquam ad confessionem accedat, consulat virum doctum de re pertinente & in ordine ad confessionem, talis consiliarius teneatur ad sacrum sigillum: quia licet talem notitiam non habeat ex confessione, vel per confessionem, habet tamen in ordine ad illam, & aliquo modo participat vsum clauis scientiæ, dirigendo pœnitentem ad confitendum, & faciendo id, quod facere deberet confessarius, si doctus esset: vnde talis consultor non posset talem notitiam manifestare Prælato præcipienti sub excõmunicatione.

Quarto tenetur interpres, quo pœnitens vtitur in peccatis suis confessario aperiendis: quamuis enim nemo teneatur per interpretem confiteri: si tamen eo modo confiteri volens inducat aliquem, qui interpretis vice fungatur, is dubiè celare tenebitur peccata secretò sibi commissa. Ratio est, quia interpres cognoscit peccatum pœnitentis ex confessione inchoatiuè Sacramentali, quia vt directa ad ipsum interpretem, est inchoatiuè Sacramentalis, quia medio ipso & per ipsum fit & dirigitur ad confessarium & subijcitur clauibus, ac proinde reuelando peccatum irrogat iniuriam confessioni inchoatiuè sacramentali, ex qua illud cognouit: & quamuis interpres non sciat peccatum vt Deus, scit tamen vt Dei sequester; Secretum enim suum deponit pœnitens apud interpretem, in Deum id transferendi causa, & in ordine ad Claues. Ita Doctores hic citati *Syluius in Suppl.q.11.a.3. Mercer ibid. Malder. c.13. Præpositus q.11.de sigill.dub.8.nu.32. Reginald.l.3.nu.26. Fagundes precept.2. l.6.c.6.n.17. Diana p.5.tr.11.ref.48.*

Quintò tenentur sigillo, qui ex malitia vel casu peccata pœnitentis audierunt, vel à confessore vel à pœnitente vltà voce loquente. Ratio est, quia res transit cum suo onere: ergo cùm confessio in se contineat sigillum, ad quemcumque transeat, semper transit cum hoc sigillo. Alias enim hoc sacramentum meritò redderetur graue, si contigeret non obligari eos sigillo; quia vel casu vel etiã sua culpa peccata in confessione audiunt, cùm confessio homini instituenda huiusmodi casibus possit esse obnoxia. Idem dicendum de illo qui intelligit mutum per nutus & signa, vel quempiam altiùs surdastro confitentem, quia contens non intendit publicè confiteri, sed secretò, ideoque expedit tales confiteri sine astantibus. *Ita D.Thom.in 4.dist.21. & quodlib.11.a.17. Nauarr.c.8.n.4.& 7. Toletus l.3.c.16. num.15. Suares disp.33.sect.4.nu.7. Diana p.5.tr.11.ref.16. Fagundes prec. 2.l.6.c.6.n.25. Syluius q.11.ar.3. Malder.c.c.13.*

Sexto probabile est, illum qui chartam inueniret, in qua exprimerentur peccata alicuius per ordinem ad confessionem, teneri solùm ap secretum naturale: Ratio est, quia charta illa est instrumentum valde remotum ad confessionem, & quia in illa nullo modo est inchoata confessio. Vnde licet peccata illa descripta fuerint, aut sint futura materia remota confessionis, quia tamen non sciuntur primò & immediatè ex occasione Sacramentali, sed omninò ab extrinseco; vnde inuentor, non videtur posse ligari, nisi solùm naturali secreto. Ita *Suares disp. 33.sect.4.n.5. Henriq.l.3 de penit.c.20.nu.2. Sotus de regendo Secret.membr.3.q.4.dub.3. Bannes 2.2.q.33.ar.8.dub.5. concl.2. Nauarr.in man.c.18.n.43.*

Tamen in fauorem sacri sigilli contraria sententia est tenenda tamquam probabilior. Tum quia chartæ istius tenor est aliquid confessionis, & quasi confessio scripta; ita vt æquiparari possit chartam eo modo inueniens, illi qui casu audit confitentem: Tum quia charta illa est quasi internuntia iuuans memoriam confitentis; itaque censetur sigillata sacro sigillo. Tum quia charta illa dici potest confessio inchoatiua: vnde in hoc dubio inclinandum est in fauorem sigilli & sacramenti. Ita *Fagundes prec.2.l.6.c.5.n.16. Graffius p.1.l.1.c.23.n.43. Rodriq.in Sum.to 2.c.55.n.4. Malder.c.c.13. Diana p.3.tr.4.ref.112.& par. 5.tr.11.ref.27.* & alij penes ipsos. Proinde nec Iudex, nec Prælatus ex sola tali notitia ad criminis inquisitionem aut punitionem procere potest, vel si processus institutus iam fuit, oportet illum rescindi & pro infecto haberi: imò qui fuit accusatus & conuictus de crimine ob talem notitiam, esset absoluendus & dimittendus; quia cognitio ex confessione habita, non debet humano iudicio deseruire, cum censeatur facta sacerdoti vicem Dei gerenti, vt docent *Delrius l.6.disquis.mag.c.1. sect.2. Reginald.l.3.n.31. Layman p.5.tr.6.c.14.n.19. Bonac.to.1.disp.5.quæst. 6.sect.5.part.3.num.8. Præpositus de pœnit.q.11.dub.4. nu.34.*

Rectè addunt *Nauarr.in cap. Sacerdos de pœnitent. dist.6.nu. 9.& 113. Coninck disp.9.num.50 Reginald. lib.3. num.34.* qui talem schedulam inuenerit, si ex titulo deprehendat contineri ea proximi confessionem, debere à lectione eius abstinere, & grauiter peccare aliquid ex ea legendo; quia grauem iniuriam infert pœnitenti inuito.

11. Pœnitens non obligatur sigillo sacramentali, sed solùm lege naturali, ne aliquid in confessione reuelet, quo vel seipsum sine iusta causa infamet, vel confessarij bonæ existimationi detrahat. Ratio à priori. Nam si pœnitens potest dare licentia confessario ad reuelandam confessionem, monitiones sibi factas, & pœnitentias sibi iniunctas, quantò magis ipse reuelare poterit? vnde illa omnia reticere debet pœnitens, ex quorum manifestatione, infamia vel aliud damnum confessario euenire potest. Quare non licet concubinæ dicere suo complici, sibi à confessario interdictam cum eo conuersationem, quando sacerdoti inde crearetur periculum: hinc quando est periculum alicuius talis incommodi ex parte pœnitentis, potest confessarius ab illo exigere secretum, vt cum ipso in negotijs suæ conscientiæ tractare liberius valeat, *Malderus cap.13.fol.108. Fagundes præcept.2.lib.6.cap.6. num.12. Syluius in Supplem.quæst.11.art.3. Bonacina c.part.3.num.2. Henriques lib.3.cap.20.§.1.de pœnitent. Toletus lib.3.cap.10. Coninck disput. 9.dub.3.*

Sed dubium est, an tunc ea teneatur pœnitens seruare sub sigillo? Aliqui Doctores affirmant, vt *Palud.4.dist.21. quæst.3. art.3. Nauarr.cap. Sacerdos n.185.* Contrarium tamen est dicendum cum *Suares disput.33.sect.4. num.2. Sotus de tegendo secret. membr.3. quæst.4. concl.4. Henriques lib.3. de pœnit. cap.20. §.1.* & alijs, qui dicunt, hoc propriè non esse sigillum, posse tamen esse secretum naturale in re graui, & dum secretò eis committitur, aliàs nulla erit specialis ratio secreti: & sic exponendi sunt Doctores, qui dicunt teneri pœnitentes seruare sub secreto, quæ confessarij dicunt; non quod teneantur ea seruare sub sigillo Sacramentali, sed quod tacere teneatur, quando animaduerterint ex eo per accidens infamari confessarium, aut detrimentum illi redundare. Vnde patet eos peccare, qui confessarios adeunt curiositatis & tentationis causa, vt eos reprehendant, traducant, & rideant apud alios, narratis defectibus ipsorum in confessione obseruatis.

12. Grauissima controuersia est inter Doctores, an possit sacerdos extra confessionem, vti scientia per eam acquisita ad externam gubernationem, vt faciat vel omittat aliqua quæ aliàs non esset facturus vel omissurus: Duplex est sententia.

Prima docet, id licere, quando effici potest absque periculo detectionis confessionis: vnde cum in gratuitis vti sacerdos liberam facultatem habet, nulla denegandi causa requiratur, sed mera voluntas sufficiat, posse sacerdotem omninò iuuari ex confessionis scientia, & facere quæ aliter non esset facturus aut denegare, quæ aliàs concederet.

Quando autem res non est gratuita, sed alius habet ius, cum requiratur aliqua causa, non posse ex sola confessionis notitia, nisi aliàs causa allegare possit, amouere ab officio, aut denegare suffragium: Ratio prioris est, quia nulla potest esse rationabilis suspicio peccati detecti in confessione, cum causa non desideretur. In posteriori verò casu cum exigatur causa iusta, nullàque alia allegari possit, potest rationabilis suspicio exoriri alicuius indignitatis illius, quæ tamen ex sola confessione cognita est. Propterea daretur occasio indignis vtendi cautelis iniustis, vt eligantur, vel conseruentur in officijs ad nutum amouibilibus, & plerumq; non sine magna iniuria sacramenti, faciẽdo scilicet confessionem suæ indignitatis cũ electoribus vel superioribus. Hæc sententia plurimos habet patronos hic citatos, fortissimisq; nititur argumentis, *D.Thom.in 4.d.21.q.3.ar.1.q.1. ad 3. Syluius in suppl.q.11.a.1.quæst.3. D.Bonau.4.d.21. in 2.par. a.2.q.1. Scotus in 1.q.2.ar.3.& 4. Suares de Euchar. q.80.art.6.d. 67.sect.3. Tannerus to.4.disp.6.q.9.dub.6.n.140. Rodriq. to.1. Sum. c.68.concl.6. Henriq.l.3.de pœnit.c.23.n.3.*

Nihilominus in fauorem sacramentalis sigilli, & cum humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissimè distet, ita debet nullatenus ab eo pendere; Altera sententia quoad praxim est amplectenda, nimirũ, non licere vti extra confessionẽ scientia per confessionem acquisita, sed se habere debere confessarium ac si nihil in confessione sciret: non tamen in omnibus, sed in his solum, in quibus esset confusio & pudor pœnitenti;

quia

quia eius honori aut perſonæ in aliquo præiudicatur, aut nõ ita bene conſulitur, ſi poſſet confeſſor vti notitia confeſſionis: Hæc ſententia fulcitur motu proprio *Clementis VIII.* de caſuũ reſeruatione pro regularibus conceſſo, vbi hanc ſententiam decidere videtur. Ibi enim dicitur, *Tam ſuperiores pro tempore exiſtentes, quàm confeſſarij, qui poſtea ad ſuperiorũ gradum fuerint promoti, caueant diligentiſſimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerint, ad exteriorem gubernationem vtantur.* Vide *Caſus reſeruatis num.* 40. Hoc decretum obligat ſub mortali vt patet ex §. *vltimo*, quia non cõtinet ſolam directionem, ſed etiam præceptum. Cùm ergo res ſit grauis, eius tranſgreſſio erit mortalis, vt docet Diana *p. 4. tract. 4 reſol.* 202.

Et licet contraria ſententia ſit probabilis; tamen vt aduertũt etiam eius ſequaces ad illam amplectendam opus eſt tantam prudentia & cautione, totque circumſtantiæ requiruntur, vt difficillimum ſit in praxim ipſam deducere.

Ratio autem potiſſima, ob quam ſacramentale ſigillum tam inuiolabiliter obligat, vt nullo modo eius notitia ad notitiã fori externi & externorum actuum deducatur, eſt, Ne hoc ſacramentum diuinum quod à Chriſto Domino in ſalutem animarũ inſtitutum eſt, reddatur hominibus formidabile; & ideò fugiendũ omninò eſt quidquid illud onerоſum ac odioſum poteſt reddere: at nihil magis odioſum illud poteſt reddere hominibus, quàm ſi illi intelligãt ſe poſſe priuari à ſuis ſuperioribus ſeu alijs confeſſarijs, officijs, ordinibus, aut mutari in alia loca; & ſibi negari ſuffragia ad communes honores, ob notitiam confeſsionis. Nam vt homines auertantur à confeſſione, & ſic fiat iniuria ſacramento, ſatis eſt, quòd antecedenter ſciant poſſe ſuperiores iuuari notitia confeſsionis, ad huiuſmodi actus externos dirigendos: quare opus eſt vt nec doceatur nec in practicam adducatur doctrina primæ ſententiæ, vt pote periculoſa, & nocua honori ac religioni Sacramenti. *Bannes* 2.2.q.33. *a. 8. ad finẽ Bonac. diſp.* 5. *q* 6. *ſect.* 5. *punct.* 4. *nu.* 8. *Layman l.* 5 *tr.* 6. *c.* 14. *nu.* 22. *Fagundes prec.* 2. *l.* 6. *c.* 3. *Filliuc. tr.* 7. *c.* 11. *q.* 7. *Malderus c.* 14. *Onuphrius de ſigillo ſect.* 2. *q.* 2 *dub.* 2. *Diana part.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 76. *& part.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 3. *Præpoſitus* 3. *p. de pœnit. q.* 11. *dub.* 7. *nu.* 52. *Caſpenſis tom.* 2. *tr.* 24. *diſp.* 7. *ſect.* 5.

Hæc tamen ſententia eſt cum grano ſalis intelligenda, nimirum vt non poſſit cõfeſſarius dicta ſcientia vti ad exterius regimen in ijs, in quibus pœnitens confundi, verecundari, damnificari, præiudicari in honore, vita, & rebus, aut in aliquo rationabiliter minorari poteſt. Vnde non eſt prohibitum, quin ſalua pœnitentium incolumitate, ſaluoque confeſſionis ſigillo, non poſſit confeſſarius dicta ſcientia vti, quando pro vita, fama, & bonis ſuis & ſuorum prudenter iudicauerit. Atque ita limitant hanc ſententiam *Fagundes*, *Sanchez*, *Malderus*.

Ex qua ſententia ſic declarata colligitur, quòd ſi ex confeſſione cognoui, parari mihi inſidias ad mortẽ, vel vulnerationẽ, poſsũ, domum non exire, aliàs exiturus. Poſſum item denegare gladiũ apud me depoſitum illi, qui eo me vult occidere, aut vulnerare. Poſſum item mutare locum, & domũ, aliunde, ſumpta occaſione, ſi ex cõfeſſione ſciã hac nocte mihi malũ grande in hoc loco intendi. Poſſum item vinum venenatum nõ bibere. Poterunt itẽ Prælati reſeruare ſibi caſus, ſi via confeſſionis ſciant vergere aliquos in detrimentum ſuæ religionis &c. Ratio eſt, quia in his omnibus caſibus nulla fit iniuria, vt ſuppono ſacramẽto confeſſionis; sẽper enim debet aliqua exema cauſa prętexti, quæ de ſe nõ ſit indicatiua, neq; directè, neq; indirectè cõfeſſionis neque vlla ſit iniuria pœnitẽti, neque inijcitur vllus ei pudor, cùm enim ſacerdos in ijs caſibus & ſimilibus ius ſuum, vel gregis ſui quærat, nemini facit iniuriã, neque poteſt quis rationabiliter conqueri, aut pudefieri, quòd quis ſuam incolumitatem, aut proximi, aut communitatis quærat: neque ex hoc poteſt rationabiliter retrahi à ſacramento pœnitentiæ; neque item ex hoc redditur onerоſa, aut odioſa confeſſio.

Petes, quomodo in concione ſcientia cõfeſſionis, vti liceat. Reſpõdeo cum *Navar. in c. Sacerdos, de pœnit. diſt.* 6. *n.* 77. ſæpe eſſe ſcãdalosũ & periculoſum dicere, *Tale peccatum in confeſſione audiui*, ſiue illud dicat in concione vel familiari ſermone: *Graſſius l.* 1. *c* 23. *n.* 39. permittit concionatoribus concionari cõtra peccata in confeſſione audita, etiam dicendo, in cõfeſſione ſe ea audiuiſſe: quamuis fateatur hoc poſterius eſſe periculosũ & ſcandalo obnoxium. *Diana part.* 5. *tr.* 11. *reſ* 36. *Malderus c.* 14. Scandalum etiam facilius oritur, quando quis paucos habet pœnitentes ſibi ſubditos, & coram eis concionatur contra defectus in confeſſione detectos: vt ſi confeſſarius nouitiorum, vel monialium concionetur coram ipſis de vitijs in confeſſione revelatis: tunc facilè contingeret rubore ſuffundi confeſſos. Quare *Henriq. l.* 6. *c.* 1. dicit non conuenire, vt vbi communiter quis prædicat ibidem confeſſiones audiat. *Bannes* 2. 2. *quæſt.* 33. *a.* 8. grauiter perſtringit eos, qui ex confeſſione concionantur, aut concionari curant, quando confeſſus inde ſit ſuſpectus, aut magis ſuſpectus de crimine quod in confeſſione explicuit.

Porrò maxima inconuenientia aliena à Chriſti inſtitutione, ex prima opinione ſequuntur, ideò illa omninò quoad praxim reijcienda eſt, & non edocenda. Leditur enim honor & religio ſacramenti, tùm quia non tam fidenter ac frequenter ad illud homines accedent, ſi ſciant inde ſibi malum aliquod euenire poſſe. Tum quia impeditur ſolatium miſerorum, quod Dominus poſuit in hoc Sacramento. Læditur fama pœnitentis, quia ſi in generali defectus alieni in confeſſione auditi, propalari poſſint, periculum eſt, vt cognoſcantur pœnitentes authores criminum. Ita Doctores ſupra.

13. Confeſſarius poteſt in confeſſione vti ſcientia ab ipſo pœnitente habita in alia confeſſione: vnde & poteſt reprehendere pœnitentem ob peccata ſæpiùs repetita: non enim frangit ſigillum confeſſionis cùm extra confeſſionem non loquatur de auditis in confeſſione. Hoc probatur ex praxi communi etiam Doctorum & timoratorum Confeſſariorum; qui interdum negant abſolutionem propter indiſpoſitionem pœnitentis & carentiam propoſiti; quam ex præcedentibus confeſſionibus aduertunt, ex quibus notant frequentem lapſum in idem peccatum. Ita *Sanchez de matr. l.* 3. *diſp.* 16. *num.* 3. *Bonac. c. punct.* 4. *num.* 8. *Malderus c. c.* 44. *fol.* 207. *Præpoſitus* 3. *p. qu.* 11. *de ſigillo dub.* 5. *num.* 41.

Tutiùs tamen aget confeſſarius, ſi cum pœnitente in ſecunda confeſſione non loquatur, niſi de illis tantùm peccatis confeſſis in prima, quæ ipſe pœnitens tangit, ac confitetur in ſecunda, non autem de omnibus, niſi de licentia expreſſa illius, quam poterit facilè petere, ſi opus fuerit. Ratio eſt, quia aliàs erit virtualis exprobratio aliorum peccatorum, & fortè id ægrè ferent pœnitentes, & moleſtam reddet, exoſamque confeſſionem; quia prima confeſſio iam fuit perfecta & conſummata, & in ea expirauit auctoritas confeſſarij quoad peccata in illa confeſſa; oportet ergo habere nouam licentiam expreſsè conceſſam, non in confuſo. Ita *Fagundes præcep.* 2. *l.* 6. *cap.* 4. *nu.* 36. *Diana tr.* 11. *par.* 5. *reſ.* 20.

Confeſſarius, qui abſque licentia pœnitentis extra cõfeſſionem de auditis in cõfeſſione, cum ipſomet pœnitente loquitur; aliqua ratione violat ſigillum, cùm extra Sacramentum confeſſionis vtatur ſcientia confeſſionis; & loquatur de auditis in confeſſione abſque licentia pœnitentis, fortaſſe cum pudore & confuſione ipſius pœnitentis: Sigillum enim hoc ſacrum requirit, vt ſacerdos fileat de his peccatis inter cætera, ideò, quia eorum commemoratio confuſionem & ruborem adducit cõfitenti; quòd vel maximè locum habet quando in faciem ei dicuntur. Ita *Sotus in 4. diſt.* 18. *q.* 4. *a.* 6. *Victoria in ſum. numer.* 185. *Malderus c. c.* 21. *fol.* 202. *Filliuc. tr.* 7. *num.* 324. *Diana part.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 6. contra *Vaſq. qu.* 93. *a.* 4. *d.* 10. *num.* 9. *Medina C. de conf. qu. de ſig.* & alios qui putant illum non peccare contra ſigillum.

Propterea ſi confeſſarius aliquem defectum cõmiſit in confeſſione, arbitrantur quidam, poſſe confeſſarium extra confeſſionem pœnitenti etiam renuenti illum aperire, quia tunc non loquitur illi extra confeſſionem, ſed in confeſſione, eam perficiendo, ſupplendo defectum illius. Ita primus *Suarez de pœnit. diſp.* 33. *ſect.* 5. *num.* 3. & poſt illum *Turrianus de pœnit. diſp.* 33. *dub.* 6. *Merc. in ſuppl.* 3. *p. q.* 11. *art.* 3. Verùm ab hac ſententia tamquam improbabili, meritò recedunt *Mald. c.* 21. *Fagundes præcept.* 2. *l.* 6. *c.* 4. *nu.* 33. *Diana part.* 5. *tra.* 11. *reſ.* 19. & 59. *Præpoſit* 3. *p. q.* 11. *de ſigillo dub.* 5. *num.* 41. *Sylvius in ſuppleme.* 3. *par. qu.* 11. *art.* 4. dicentes in prædicto caſu debere confeſſarium prudenter allicere pœnitentem ad rurſum ſibi cõfitendum, vel dicere ſe cupere loqui de re ad confeſſionem pertinẽte; quòd ſi annuat, errorem aperiat impetrata prius licentia ſi poſſit abſque ſcandalo: ſi autem noluerit acquieſcere pœnitens, prout debet, rem totam eſſe ſilentiò premendam, ſuoque tunc tatis officio confeſſarium eſſe perfunctum. Ratio eſt tum quia ex contraria ſententia daretur caſus, in quo abſque licentia pœnitentis expreſſa, loqui poſſet confeſſarius cum ipſo pœnitente de rebus ſic confeſſis, quod negant Doctores communiter. Ius enim habent & libertatem pœnitens, ne liceat ex cõfeſſione ſibi nolenti quidquam citra ſuum conſenſum extra confeſſionem de ſuis peccatis præſcribi? Tum quia tribunal

confessarij cessat finita confessione, cessat voluntaria eius iurisdictio, quando cessat voluntaria pœnitentis subiectio in tribunali illo diuino: iudicium enim fori interni & subiectio actualis ad claues, qua se subijcit confitens, iam cessat, neque confessionem perficit, (vt dicunt Authores cõtrarij) sed assumit alterius naturæ colloquium. Quod confirmatur ex eo quòd si finita confessione, aliud peccatum confitendum pœnitenti occurrat, tenetur confessarius illud audire, & nouam dare absolutionem, quia est noua confessio & nouum Sacramentum: quia per primam absolutionem finitum fuit prius Sacramentum: sic etiam in nostro casu expirauit auctoritas confessarij, quam solum habebat ad loquendum de rebus confessis intra ipsam confessionem; vnde ea finita requiritur noua licentia expressa ipsius pœnitentis.

Sed potes, an violator sigilli, an hoc casu sit puniendus pœna ordinaria Capituli, *Omnis, de pœnit. & remiss.* Resp. verius esse quod non, sed extraordinaria: quia tunc non reuelat confessionem reuelatione absolutè & strictè sumpta, sed tantùm latè; & *Cap. Sacerdos, de pœnitentia. d.6* non videtur in casu suo comprehendere eum, qui extra Confessionem ipsi pœnitenti de confessione loqueretur, sed alteri. Ita *Bonacin. disputat. 5. quæst. 6. sect. 5. part. 4. num. 8. Petr. Ledesm de pœn. cap 22. Malderus cap. 21. fol. 203.*

14. Posita doctrina præcedentis nostræ sententiæ, consequenter dicendum est *Primò*, quòd sacerdos, qui ex confessione nouit suum famulum esse furem, non potest ex sola scientia confessionis ipsum dimittere; quia talis dimissio esset quædam correptio extra confessionem pudefaciens pœnitentiam. Secus dicendum, si prudentiùs inuigilando in actus famuli deprehendat relapsum in furtum: tunc enim poterit alio prætextu, & occultè ipsum dimittere. Ita *Bonac. c. p. 4. n. 15. Regin. l. 3. n. 17. Malderus de sig. c. 14. fol. 126. Diana p. 5. tr. 11. resol. 37.* quidquid alij in contrarium sentire videantur.

Sed quid dicendum, quando ille, cui confiteri soleo, confiteretur mihi, se non esse sacerdotem, & tamen audire confessiones: an possem ego postea illum relinquere; an deberem illi, vt antea confiteri: & maximè si verè redundaret aliquod pœnitẽtis dedecus, quòd ego præter solitum illi non confiterer? Resp. cum Ioanne de Lugo *de pœnit. disp. 23. sect. 5. n. 105.* me nõ posse vt tali notitia, si ex eo vlu reiultaret aliqua saltem indirecta reuelatio, vel etiam aliquod dedecus, vel incommodum mei pœnitentis; deberem ergo alteri seriò confiteri: illi autem solũ exteriùs; vel certè cùm intentione solùm conditionata obtinẽdi absolutionem, si sacerdos esset: quo pacto sigilli integritati, & meæ etiam vtilitati consulerem; supponendum tamen est, meam confessionem alteri factam, nulli daturam suspicãdi occasionem, sed saluo sigillo posse fieri. Sed hic casus metaphysicus est potius quàm moralis, quòd ille mihi fateatur se non esse sacerdotem & velit meam confessionem seriè audire.

Secundò, non potest confessarius denegare suffragium, aut electionem ad beneficium pœnitenti, qui exterius communi hominũ opinione probus existimatur, sed ipsum nouit ex confessione improbum & indignum. Ratio est, quia confessio, nulli debet esse molesta, & grauis, neque ex ea debet pœnitens sentire aliquod incommodum, sed si ex confessionis scientia priuaretur pœnitens aliquo suffragio, sine dubio ex confessione sentiret aliquod incõmodum, eique illa esset grauis & molesta. Nec refert quòd in particulari hic & nũc ignoretur ex qua scientia agat confessarius, retrahit tamen infirmos à confessione, si nouerint fieri posse, vt occasione confessionis non eligantur, sed puniantur inuiti. Quis enim dicet inde non reddi hoc diuinum Sacramentum hominibus formidabile: quod benè aduertere debent vocales religionum, vel magistri nouitiorũ, quando negant suffragium alicui propter peccatum confessum. Ita *Bannes 2.2. q.33. ar.9. Fagundes pr.2. l.6. c.3. Malderus c. cap. 14. fol. 118. 119. Nauus q.11. ar.1. quæst. 3. Diana p.5. tr.11. resol. 4.* & ex nostris. *Sigismund. a Bononia tr. de elect. 1. cap. 5. disput. 37. num.3. Corrolanus de casib. reserv. part. 1. sect. 10. 1. articul. 16.* & alij.

Tertio Confessarius siue sit Parochus, siue alius non potest negare Eucharistiam ob peccatum in confessione auditum, nec Episcopus potest clericum repellere ab ordinibus suscipiendis ob peccatum in confessione auditum: sicuti nec Parochus potest à matrimonio repellere pœnitentem ob impedimentum in sola confessione cognitum: Ratio est, quia in his omnibus casibus sequeretur pudor pœnitenti, & confusio, & proindè esset hæc virtualis reuelatio peccati per quam confessio redderetur odiosa. Vide *Sanchez de matr. l.6. disp.16. Sotus de pœnit. l.7. n.319. Regin. l.3. num.23. Henriq. l.6. 19. ad fin. Filiuc. tr.2. 32. num.10. Onophrius de sigillo sect.4. q.7 dub.4.*

15. Confessarius, qui in aliquod mortale incidit, quod non potest confiteri absque confessionis sibi factæ reuelatione, tenetur illud tacere, & reliqua confiteri, cum proposito illud confitendi habita opportunitate absque prædicti sigilli præiudicio. Ita communis, & vera Doctorum sententia aduersus *Sotum*. Ratio est, quia obligatio sigilli est maior, quàm integritatis materialis confessionis. Sigilli enim obligatio, est iuris diuini positiui, Sacramentalis, & naturalis, (vt dictum est suprà:) Integrè autem confiteri occultissima peccata, est iuris diuini merè positiui, estque affirmatiui præcepti, & multis alijs modis contingit non obligare. Iubemur enim integrè confiteri, quatenus est moraliter possibile; non reuelare autem Confessionem vllo casu, Integritas enim materialis, quæ in hoc sita est, vt omnia peccata commissa quis confiteatur, non est de essentia confessionis, cùm pro defendenda vita & honore, & propter alias causas possit non seruari. *Suares disp.33. sect.1. n.18. Petrus Ledesma de pœnit. c.12. Estius in 4. d. 17. §.14. Syluius in suppl. 3. p. q.11. a.1. Nauarr. c.8. num.6. Diana p.5. tr.11. resol.9. Malderus cap.17. Præposit. 3. p. quæst.11. de sigillo dub.3. n.28.*

16. Quando est periculum, vt delinquens aliqua ratione cognoscatur, non potest confessarius ex auditis in confessione admonere Episcopum, vel Prælatum monasterij, vel alium, qui peccata impediat: quia confessio exindè redderetur faciliter odiosa, & subditi à confessione retraherentur: secus dicendum, si tale periculum non subsit; vnde consultiùs esset petere licentiam a pœnitente, quam concedere tenetur. Verùm in prædicto casu circumspectè agendum confessario monet rectè *Malderus*, ne hic dum sequitur probabilem speculationem, incidat in praxim periculosam: quia Sacramentalis confessio tantùm est instituta ad medendum peccatoribus in foro conscientiæ: & nisi omninò certissimus sit confessarius nihil sigillo, aut confessionis fauori id obfuturum, quod rarum est, non tenetur ad monendum superiores generatim vt vigilent ex cognitione confessionis: Conuenit enim vt potiùs ipse pœnitens hoc faciat, quàm confessarius. Vide *Azorius p.2. l.12. c.15. q.6. Crassus 1. p. l.1. c.23. num.7. Bonacina cit. punct.4. n.22. Mald. c.14. Layman l.5. t.6. c.14. n.11.* & alios citatos suprà nu.5.

17. Non est fractio sigilli, peccata in confessione cognita prodere, non prodendo personam directè vel indirectè, neque vllo subsequente scandalo. Esset tamen contra sigillum, si confessarius infamaret ciuitatem, vel ordinem quemdam religiosorum, alicuius generis peccati, quod ex sola confessione nouit: quia tunc ex reuelatione illa euenit pœnitentibus illius ciuitatis vel religionis aliqualis infamia, ob quam confessio fit illis odiosa, & ab ea retrahuntur: vnde *Suares disput. 33. sect.3. num 8. & 9. Vasqu.3. p. tom.4. qu.94. a.4. dub.3. Diana p.5. strict.11. ref.35. Less. l.6. prac.2. c.4. nu.1. & 2. & cap.5. nu.12.* docet esse peccatum mortale scandali, sed non in alia materia, quàm in materia sigilli, ergo, inquit, est peccatum mortale cõtra sigillum & Sacramẽtum; nec obstat, quòd sit apud simplices, non apud prudentes, & sapientes; nam etiam apud simplices iniuria Sacramento fiet, & oportet vt etiam simplices & ignorantes homines non deterreantur à confessione, vt securi & sine timore reuelationis confiteri possint. Ita ille, quamuis *Henriques libr.3. de pœn. cap.21. numer.6. Nauarr. capit. 8. numero 16.* existiment, in rigore non esse contra sigillum, quia in particulari non detegitur pœnitens. vnde *Malderus capit. 12. folio 93.* admonet talem non posse puniri pœna ordinaria Canonis, *Omnis vtriusque*. Præterea licitum est confessario dicere in genere peccata per confessionem cognita, etiam personarum, quæ confessa est exprimendo, verb. grat. *Ioannes confessus est mihi sua peccata*. Ratio est, quia commune est omnibus fidelibus confiteri sua peccata, & est actus virtutis: & ita nulli fit iniuria: Dicere autem, *Ioannes confessus est mihi sua peccata mortalia*, esset reuelatio confessionis: vt omnes docent.

An autem confessori liceat dicere peccatum in particulari, & personam confitentem, si peccatum sit publicum & omnibus notum. Respondeo negatiuè cum Doctoribus supra citatis *num.7. §. Peccatum publicum*, contra *Medinam*. Ratio est, tùm quia grauis generatur scandalum exinde, etiam inter pios, & Doctos; quod est signum hanc esse reuelationem sigilli,

gilli & grauem. Tùm quia in hoc attendendum eſt, ijs, quæ ſunt per ſe, non verò quæ ſunt per accidens; eſt autem per accidens alios habere notitiam illius peccati alia via; per ſe autem eſt, quòd notitia confeſſionis in publicum deferatur, quod ſimpliciter malum eſt, & iniurioſum Sacramento, quod non poteſt hac ratione non fieri onerolum. Conſuli poteſt. *D. Thom. in 4. diſt. 21. quæſt. 3. ar. 1. D. Bonauen. ib. 2 p. ar. 2. quæſt. 1. Gabriel. art. 2. c. 3. Sylvius in ſuppl. quæſt. 11. a. 1. quæſit. 2.*

18. Confeſſarij quàm parciſſimè loqui debent de auditis in confeſſione, non tantùm de ijs, quæ cadunt ſub ſigillum, ſed etiam de alijs, quæ aliquando dicuntur in confeſſione: & quia vix aberit periculum, & quia res eſt de ſe ſatis obuia ſcandalo, maximè ſi fiat coràm multis, aut paucis, ſed in eodem loco, vrbe, vbi commiſſum fuit ſcelus, & poſt breue tempus à peracta confeſſione; quamobrem opus eſt magna prudentia & cautela, etiam in petendis conſilijs ſuper peccata audita in confeſſione, & in confitendis peccatis, quæ ipſimet commiſerint audiendo vel abſoluendo pœnitentes. Multò minùs licet iocando referre peccata in confeſſionibus audita, quia eſt contra religionem Sacramento debitam, etiamſi non ſit periculum infamiæ: in honeſtum enim eſt & irreligioſum, etiam citra periculum reuelationis, ad iocos adhibere aut recreationem, quæ ex iſto ſanctuario accepta fuerint; *Suares diſput. 33. ſect. 3. num. 10. Sylueſt. v. conf. 3. quæſt. 2. Sylvius quæſt. 11. art. 1. quæſt. 2. Layman lib. 5. tract. 6. cap. 14. num. 10. Medina l. 2. cap. 4. §. 1. Sotus de tegendo ſecr. memb. 3. quæſt. 4.* Doctores paſſim eos reprehendunt, dicentes, priuandos eſſe facultate audiendi Confeſſiones, & ſecundùm *Malderus cap. 14. folio* 129. tales confeſſarii partem videntur habituri cum illis Babylonijs, qui temulenti biberunt ex ſacris vaſis templi, *Daniel.* 5. Vide Doctores hic citatos.

19. Infractor ſigilli eſt, qui dicit, ille eſt mihi confeſſus grauia peccata, aut habuit caſum reſeruatum, aut illum non abſolui, aut qui duos vel tres audiuit, de vno ait, hic non habuit peccata mortalia. quia his modis loquendi ſignificat indirectè confeſſarius alios habuiſſe mortalia, & efficit vt pœnitens magis peccator cognoſcatur, quam antea cognoſceretur. Vel qui audita confeſſione, ſurgit vt conſulat virum doctum præſentem, & illicò redit vt pœnitentem abſoluat: Item ille qui diceret, hic bene confeſſus eſt, ſed alterius confeſſio mihi non ſatis fecit. *Nauarr. in c. Sacerdos num. 64. & in man. cap. 8. num. 10. Bonacin. c. punct. 4. num. 5. & 6. Toletus l. 3. cap. 16. num. 4. & 5. Reginald. l. 3. num. 53. & 54. Layman c. cap. 14. num. 6. 7. Coninch de Sacramen. diſput. 9. dub. 1. num. 11. 12. & ſequ. Diana part. 5. tract. 11. reſol. 47. 50. Malder. de ſig. cap. 12. Sylvius in ſupplem. quæſt. 11. art. 1. quæſit. 2. Mercer. ibid. quæſt. 11. ar. 2. Fagundes præcept. 2. l. 6. c. 4. ad fin.*

Notandum tamen eſt, quòd ſine peccato poteſt dici, *non abſolui illum, quia non habebat materiam abſolutionis.* Similiter poſſet dicere, ſe non abſoluiſſe: quia pœnitens incepit confeſſionem generalem, quam nondum perfecit, & vult altera die perficere. Item, quia interruptus fui, & vocatus ad alium, & quando redij, non inueni illum, vel propter aliam cauſam ſimilem: quæ ſi non reddatur, negatio abſolutionis apud omnes generat opinionem, vel ſuſcipionem vehementem de caſu reſeruato, vel de indiſpoſitione pœnitentis nolentis reſtituere, vel relinquere occaſionem proximam.

Sed quid, ſi dicat, *non illum abſolui, quia erat captioſus, & amicus ſuæ ſententiæ, cuius contrarium ego teneo?* Reſpond. hoc non licere; quia abſolutio non negatur, niſi propter indiſpoſitionem pœnitentis; quare ſi negata eſt, quia nolebat acquieſcere ſententiæ confeſſarij, ſupponitur, quòd debebat ei acquieſcere, & per conſequens non faciebat id ad quod ſub peccato tenebatur. Immònec placet, quod aliqui addunt, poſſe confeſſarium dicere, *Ipſe dicit, quòd ego eum non abſolui.* hoc enim ipſum videtur approbare veritatem negatæ abſolutionis, niſi aliquo modo conſtet, cõfeſſarium illud non approbare.

Reuelator confeſſionis non eſſet, qui diceret, Audiui Pauli confeſſionem; vel Pauli peccata, vel Paulum abſolui à peccatis, vel Petrum audiui, qui me minutiſſimis ſuis peccatis onerauit, vel in quo non reperi materiam peccati mortalis. Dedi ei leuem pœnitentiam. Illum autem ſignum contritionis abſolui. Ratio autem eſt, quia aliquid horum dicens, nullum peccatum mortale ſiue in genere ſiue in ſpecie, nullumque veniale in ſpecie detectum ſibi eſſe ſignificat.

Tamen iſta non eſſent dicenda à confeſſario quando, quis ita ſecretò ei confeſſus eſt, vt nolit id dici ab aliquo, puta, à confeſſario ſuo ordinario, qui eo cognito, ſuſpicaretur graue peccatum ſubeſſe: tunc enim talia dicendo violaretur ſigillum, ſi non confeſſionis, ſaltem naturalis ſecreti, ad quod confeſſionem audiens ſe adſtrinxit, aut expreſsè ſi rogatus eſt à pœnitente, ne mentionem de ea re faceret, aut tacite, ſi ita is latenter acceſſiſſe notatus ſit, vt ſatisfacto ipſo oſtenderet, ſe nolle ſciri, quòd fuerit ei confeſſus. Ita Doct. paſſim hic citati.

Ex dictis infertur, interrogatum confeſſarium an abſoluerit publicum vſurarium, aut concubinarium, qui ſibi fuit confeſſus, non poſſe ſignum vllum dare, quo oſtendat, ſe non abſoluiſſe illum ſed debere reſpondere, ſe functum eſſe officio ſuo: qui dicendi modus in ſimilibus caſibus erit vſurpandus.

Denique hoc ſigillum non ſolùm frangitur per commiſſionẽ efficiendo opus manifeſtatiuum ſecreti, aut dicendo verbum, quo peccatum confeſſum detegitur; ſed etiam infringitur per omiſſionem: vt ſi confeſſarius interrogaretur, reputetne Mariam honeſtam eſſe, & taceat, aduertens ex taciturnitate interroganti ſuſpicionem generandam: violat tunc ſigillum per omiſſionem hoc eſt per non reſponſionem, vt aduertit Sancius in Selectis, *diſp. 34. n. 10.*

Coninch tom. 2. de Sacramen. diſputat. 9. de ſig. dub. 1. num. 14. Fagundes præcept. l. 6. c. 4. num. 40. Diana p. 5. tract. 11. reſolut. 22. Malderus c. cap. 12. Tenetur confeſſarius, regulariter loquendo, præbere ſchedulam & atteſtationem confeſſionis, illi, quem ob indiſpoſitionem, vel aliam cauſam non abſoluit. Ratio eſt, quia alioquin confeſſarius videretur aliquo pacto prodere peccatum occultum, & periclitaretur ſigillum confeſſionis in hoc caſu; cùm ex negatione ſchedulæ poſſit huiuſmodi pœnitens venire in ſuſpicionem apud Patrem ſuum vel Dominum, qui factæ confeſſionis teſtimonium petere conſueuit, ſtatus actualis peccati mortalis. In ſchedula tamen debet ſolùm dare teſtimonium confeſſionis ſibi factæ, nulla facta mentione abſolutionis: vnde non rectè agunt confeſſarii, qui dant frequenter teſtimonia confeſſis, in quorundam teſtimonio addentes, quod eos abſoluerint; in aliorum ſolùm, quòd ſibi ſint confeſſi, Dixi *regulariter loquendo*, quia poteſt dari caſus in quo poſſet negari talis ſchedula confeſſo malè diſpoſito, quando nimirum ceſſaret etiam indirecta reuelatio ſecreti, vt ſi nemo ſciret præter Sacerdotem, hunc eſſe confeſſum, & ipſe confeſſus vellet decipere Parochum in Paſchate, allato teſtimonio confeſſionis. In quo grauiter peccant Sacerdotes, ſi ſchedulas hoc caſu dent, quando aduertunt ipſam confeſſionem fieri in ludibrium. Quales confeſſiones ſæpè fieri conſtat, vbi, qui Catholici non ſunt, fictè confitentur, timore alicuius humanæ pœnæ. Et in hoc caſu habet locum ſententia. *Bonac. t. 1. diſ. 5. quæſt. 6. ſect. 5. punct. 4. num. 7.* neganti, Confeſſarium teneri dare ſchedulam pœnitenti, quem non abſoluit.

20. Plerique ex antiquioribus Theologis docuerunt confeſſarium, de licentia pœnitentis non poſſe reuelare confeſſionem. Ratio eſt, quia licet poſſit pœnitens cedere iuri ſuo, nõ tamen poteſt cedere iuri Sacramenti, cùm hoc ſigillum ſit introductum ex primaria Chriſti inſtitutione in religionem Sacramenti, Secundariò verò in fauorem pœnitentis. Ita *Alenſis in 4. q. 78. mem. 3. Scot. in 4 d. 21. q. 2. a. 1. Mayr ib. q. 3. a. 3. Gabr. ib. qu. vn. ar. 3. dub 4.* & nouiſſimè P. Marchantius in ſuo Tribun. Sacram. *to. 1. tr. 4. tit. 6. q. 6. Append. 2.* qui doctrinam contrariam æſtimat falſam, nec poſſe probabiliter ſuſtineri: cũ ius ſigilli non pendeat à pœnitente ſicut nec à confeſſario, ſed annexum ſit rei ſiue Sacramento, & quãuis cedat in fauorem pœnitentis, ſpecialiter tamen annexum eſt dignitati & reuerentiæ Sacramenti, adeòque illi iuri nec pœnitens, nec confeſſarius cedere poſſunt: & dato quòd cedat pœnitens iuri ſuo quod habet in famam propriam, ſicut tamen nullum ius habet in bonũ Sacramenti & myſterium ſic nec in ſigillum quo ſuum tribunal ſigillauit Deus.

Admittit tamen hæc ſententia, quod pœnitens notitiam in confeſſionem acceptam ſiue notitiam Sacramentalẽ, ſua permiſſione faciat extra-Sacramentalem ſiue extra Sacramentum acquiſitam, ideò quòd hoc ipſum quod in Sacramento dixit, explicitè, vel implicitè extra Sacramentum dicat, & velut repetat. Et in hoc ſenſu non eſt diſpenſare vel relaxare ſigillum confeſſionis, ſed eſt mutare materiam, & rem notam in Sacramento foris manifeſtare; quod ſine dubio, ſaluo ſcandalo & debitis conditionibus ſeruatis, a pœnitente fieri poteſt. Nihilominus communior ſententia Doctorum eſt affirmatiua: nempè in vno tantùm caſu licitum eſſe audita in confeſſione reuelare, cùm ſcilicet pœnitens ſponte concurrente aliqua honeſta, & graui cauſa, quæ in ipſius vel alterius vtilitatẽ vergat,

Ecclesia corrupisse credidit, dicens: Ita S. Thomas de Sacramentis in genere, Ita Scotus, Ita Durandus, Ita Gabriel, Ita Ockam, Ita Biel, Ita Cameracensis, Ita Aureolus, Ita Marsilius, Ita Almainus, Ita Major, Ita Cajetanus, Ita Ferrariensis, Ita Soto, Ita Vasquez, Ita Suarez, Ita Gregorius de Valentia, Ita Conradus, Ita Vega, Ita Tapper, Ita Bellarminus, Ita Gretserus, Ita Becanus, Ita Valentia, Ita Ruardus Tapper, Ita Gregorius Martinus, Ita Ioannes Sanctius, Ita Ioannes Azorius, Ita Ioannes Sanchez, Ita Ioannes Alphonsus Curiel, Ita Ioannes Ledesma, Ita Ioannes Hurtado de Mendoza, Ita Ioannes Gaspar Hurtado, Ita Ioannes Martinez de Prado, Ita Ioannes Martinez Silicius, Ita Ioannes Albertinus, Ita Ioannes

sessione non tantùm sua, sed etiam aliorum peccata referre. Licet enim confitenti oporteat credere pro & contra se, tamen contra alium non est ei credendum in confessione, ne detur occasio fictæ confessionis & fraudulentæ infamationis, &c.

Hæc sapientissimus Antistes. Cuius doctrina est perpetuò mente retinenda, & apud confessarios vtinam ad praxim deducenda: contra quam plurimi miserrimè sæpius cum aliorum scandalo delinquunt. Prædictis conformia docet nouissimè. *Petrus Marchantius in tribunal. Sacramen. tomo 1. tr. 4. tit. 6. q. 6. folio* 154. his verbis: Sacramentum hoc & sigillum omninò profanare, & mortaliter etiam peccare eos, qui complicis aut tertiæ alicuius personæ peccata, & defectus confessario aperiunt in confessione, & prætextu permissionis, & facultatis illicitè, inducunt confessarium vt complicem, vel tertiam personam moneat, corrigat, illam examinet, &c. putantes se credulitatem perfectam nancisci ex eo, quòd prętextu charitatis, & pietatis ista in confessione in qua mentiri non licet, dicant, vel potiùs effutiant. Nec minus Sacrilegium, immò maximum committunt confessarij, qui tali licentia freti, apud complicem vel tertiam personam de dictis & actis in confessione agunt. Horribili porrò & nefando Sacrilegio, culpabiles sunt, qui licentias, & facultates loquendi, vel agendi de dictis in confessione, tum circa pœnitentem, tum circa tertiam personam, extorquent, & harum licentiarum prætextu sacrilegè vtuntur scientia accepta in confessione ad corrigendos, immò, & apud Superiores accusandos, complices, & personas tertias, &c cet. Ratio est, quia est contra totum finem confessionis institutæ à Christo: finis enim vnicus propter quem Sacramentalem confessionem, vt necessariam à Christo institutam fuisse contendimus, ex hoc solo capite deducitur, quòd necessaria sit notitia peccatorum in sacerdote ad hoc vt de illis iudicet, siue vt illa retineat vel remittat: atqui remittere, & retinere peccata, est actus Sacramentalis ita intra Sacramentum remanens, vt extra fieri non possit: ergo quicumque vsus illius notitiæ extra Sacramentum est contra totum finem confessionis, pro vt à Christo instituta est: ergo vsus quicumque notitiæ Sacramentalis extra Sacramentum, profanus est & sanctitatem Sacramenti profanat, nec vllius facultati vel potestati committi potest, vt potè contra institutionem Christi. Prætermitto, quòd profanæ illæ licentiæ sint seminaria detractionum, infamationum, inimicitiarum, vel amina inuidiarum, odiorum, suspicionum, quin immò, & pessimorum actuum subtiles illecebræ; vt ex varijs euentibus, ego ipse qui hæc scribo, expertus sum, dum apud me, vbi superior fui, à Confessarijs etiam extra hunc ordinem ad me delatæ fuerunt querimoniæ contra aliquos innocuos subditos, quas filiæ quædam quæ deuotæ finguntur, in confessione effutiuerant cum licentia, & facultate facta confessarijs suis vt per illos denuntiarentur mihi: quas postea falsas ipse in primis confessarius deprehendens, ad me venit deceptionem suam agniturus, & famam innocuorum sacrilego confessionis sacræ abusu sublatam, restituturus. Fugite quæso, pestem illam non tantùm vt malorum originem, sed vt per se illicitam, & Christi institutioni contrariam. Nec sibi blandiatur quispiam de opere charitatis, & quòd in bonum vel pœnitentis vel tertij vtatur. Ille enim abusus est: Et tibi quidem permittitur Pœnitentis bonum intra limites, & iura Sacramenti quærere, non autem foris sacra illa notitia, & sigillo abuti. Consule si quæ consulenda habes, adhibe in Sacramento si quid potes: Extra Sacramentum sicut tu non es iudex, sic nec Sacramentalis consultor in ijs, quæ in solo Sacramento sunt proposita; si quid foris agendum est, media non desunt tam in spiritualibus, quàm in temporalibus negotijs, & pertractandis, & dirigendis; vnicuique iuxta rei conditionem sua stat via, suum forum absque Sacramento vel notitia in Sacramento accepta. Excuset Lector si ferentiùs hæc prosequor, scio enim quanta mala ex profano illo abusu proueniãt. Hæc *Marchantius*.

24. Quandoquidem confessarius non possit vti scientia per confessionem acquisita extra illam sine fractione sigilli: ideò si de peccatis in confessione auditis interrogetur, non potest ad mentem interrogantis respondere: vnde in tali casu, vel debet negare se quidquam scire etiam cum iuramento, quòd scilicet teneatur aperire, vel tanquam homini subiectus. Et si compellatur iurare, an audierit, idem iurare potest subintelligendo, tanquam purum hominem: quòd si impius quæsitor vrgeat, vt respondeat, an audierit vt Deus, respondere potest se non audiuisse, subintelligendo, ad modum causæ principalis. Ratio est, quia cum his restrictionibus non iurat falsum, & amphibologia ex rationabili causa non est illicita, vt dicemus *verb. Iuramentum* 111. *nu.* 10. Imo confessarius teneretur sic respondere, quando silendo, vel respondendo in genere, generaretur suspicio, quòd pœnitens peccatum illud commiserit. Denique si hæc non sufficiant, debet confessarius reprehendere interrogantes, illisque significare quàm grauiter hac in re peccent. Ita *Graff. 1. part. lib. 1. cap.* 23. *numer.* 2. *Malderus c. cap.* 3. *Syluius c. qu.* 11. *art.* 1. *quæst.* 2. *Diana p.* 5. *tr.* 11. *ref.* 43. *Caspensis tr.* 24. *disp.* 7. *sect.* 4. *n.* 22. *&* 23. & alij.

Hæc satis de sacro sigillo paulò fusiùs solito. Strictioribus opinionibus adhæsi, quæ fauent Sacramento; quia latæ circa præsentem materiam opiniones, odiosum, ac odiosum efficiunt Sacramentum Pœnitentiæ; ad cuius sacrosanctum Tribunal allicendi potiùs, quàm retrahendi sunt pœnitentes.

CONFIRMATIONIS SACRAMENTVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit Sacramentum Confirmationis.*
2. *De institutione huius Sacramenti.*
3. *Confirmatio, an sit necessaria necessitate medij, vel præcepti.*
4. *Eius materia duplex, remota & propinqua; & an balsamum sit de essentia Sacramenti, & quantum balsami requiratur?*
5. *Chrisma debet ab Episcopo benedici. Et an Ecclesia possit hoc ministerium Sacerdoti committere:* refertur duplex sententia.
6. *Materia proxima Confirmationis, est vnctio.*
7. *Forma sacramenti Confirmationis.*
8. *Minister ordinarius est Episcopus: Ex commissione autem Papæ etiam Sacerdos.*
9. *Episcopus ministrans hoc Sacramentum, debet esse in gratia: non tamen semper. An autem peccet mortaliter conficiendo Chrisma vel oleum infirmorum in peccato mortali:* refertur duplex sententia.
10. *Quis possit suscipere hoc Sacramentum, & qualis dispositio requiratur.*
11. *Tres sunt effectus Sacramenti.*
12. *Qui tonsuram vel ordines non confirmatus suscipit, an peccet mortaliter?*
13. *Ritus seruandi in conferendo hoc Sacramento.*

1. EX communi Theologorum & Canonistarum sententia, prout definitum est in *Conc. Florent. in Decreto Eugen. Conc. Trident. sess.* 7. *&* 23. *cap.* 4. Concilijs Florentino & Tridentino, Confirmatio, definitur esse *Sacramentum verum & proprium nouæ legis diuinitus institutum, quo homo viator baptizatus, ab Episcopo in fronte, vngitur cum chrismate sub certa verborum forma, ad fidei robur conseguendum*. Dicitur *Sacramentum*, hoc enim est de fide, vt constat ex Tridentino, & probatur. Sacramentum enim est signum efficax gratiæ ad nostram sanctificationem diuinitus institutum, talis est confirmatio, ergo: dicitur *diuinitus institutum*. Sumitur ex Sancti Ioann *cap.* 14. & 16. *Luc.* 24. *Act.* 1. quibus locis Dominus, post suum in cælos ascensum; virtutem ac robur Sancti Spiritus se missurum promisit in die Pentecostes: vnde hoc Sacramentum institutum est, non exhibendo, sed promittendo plenitudinem Spiritus Sancti: dicitur, *quo homo viator baptizatus*, ad indicandum subiectum huius Sacramenti, quod est homo viuens in hoc mortali corpore: dicitur *vngitur cum Chrismate*, vt significetur materia proxima; & remota huius Sacramenti: dicitur *ab Episcopo*, ad indicandam causam efficientem ministerialem huius Sacramenti: *Sub certa verborum forma*, vt exprimatur forma, quæ in verbis ab Episcopo prolatis continetur;

dicitur, *ad robur fidei consequendum*, vt significetur præcipuus effectus. Ita communiter Doctores post *D.Thom.* 3.p.q.72.a.1.& in 4.dist.7.q.1.a.2.quæstiuncula 3.ad 2. *Sylvius* 3.p. quæst.72.a.1. *Suarez* in t.3.p.1.n.3.disp.32.sect.1. *Petr. Ledesma tr.de confirm. c.3. Filliucius tr.3 n.7. Henriq.l.3.c.6.n.4.*

2. Institutio huius Sacramenti facta fuit à Christo Domino ante ascensionem ipsius in cælum, & quoad materiam eius & formam, probabile est designatas in die vltimæ cœnæ, cùm Christus credatur tunc confecrasse Chrisma: quod probatur ex Epistola 2. *Fabiani Papæ, in illa die*, inquit, *Dominus Iesus postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, (sicut & Sanctis Apostolis, prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma confícere docuit.* Vnde & illa consuetudo manauit in Ecclesia, vt feria V. in Cœna Domini, singulis annis materia huius Sacramenti præparetur, & benedicatur. Deinde completa fuit huius Sacramenti institutio *Ioannis* 20. vbi data fuit Apostolis plena potestas ordinationis sacerdotalis, & Episcop. per hæc verba, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*; tunc enim contulit illis plenam potestatem ministrandi hoc Sacramentum. Ratio cur hoc Sacramentum immediatè à Christo Domino sit institutum, est, quia institutio Sacramenti pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ nemini præter Christum concessa fuit. Verum quidem est Christum Dominum suis manibus hoc Sacramentum nemini contulisse, atque adeò nemini fuisse ministratum ante Pentecostem: Sed aliud est Sacramenti institutio, aliud vsus Sacramenti. *D.Tho.c.ar.1.ad 1. Sylvius ibi. Suarez c.disp.32.sect.2. Filliuc.tr.3.c.c.1.q.3. Bonac.to.1. disp.3.qu.vnic.punct.1.nu.2. & 4. Regnald.l.3.28.nu.4. Petr. Ledesm.c.c.1. concl.3. Coninch q.72.a.1.dub.2. Sot.4 d.7 qu.1.ar.1. Laym.lib.5. tr.3.c.1.*

3. Confirmationis Sacramentum non est necessarium necessitate medij ad salutem; tum quia multi saluantur sine confirmatione; vt patet in infantibus recenter baptizatis, qui moriuntur ante susceptam confirmationem. Imò non est necessarium necessitate præcepti: non diuini, quia nec sacra Scriptura, nec vllus Doctor huius præcepti meminerũ, ergo nullum præceptum diuinum extat de hoc Sacramento suscipiendo; neque etiam Ecclesiastici, quia Ecclesia non solet noua præcepta de recipiendis Sacramentis statuere, sed solùm moderetur, & determinat tempus, in quo præcepta diuina de his recipiendis obligant, & executioni sint mandanda. Ex quo fit vt nullum sit peccatum voluntariè hoc Sacramentum omittere: seclusa scandalo & contemptu. *D.Tho.3.p.q.72.a.8. ad 4. & in 4 d.7.q.1.a.1. qu.2. Sylvius 3.p.q.72.art.8. Suarez c.disp.38. sec.1. Bonac.c.pu.2.n.1. & 2, Valentia to.4.disp.5.q.2.p.3.*

Sed dubium est, an notabilis negligentia illud suscipiendi, contemptus censeatur, puta si tempore confirmationis apto occurrente, & commoditate oblata suscipiendi, non susciperetur, maximè si probabilitas adsit non futuræ commoditatis? affirmant. *Richard.4.d.7.a.5.q.1. Gabr.q. vnic.art.3. dub.3. Sylueſter v.Conf.n.3. Toletus l.2.c.24.n.13.* & alij. Sed negatiua sententia est tenenda; quia multa animæ salubriè facere intermittimus, quia cogitamus absolutè ad salutem nobis necessaria non esse, quia contemnimus: quia contẽptus consistit in hoc, quòd quis hoc Sacramentum seu receptionem illius, & effectum, seu rem vilem, & parui momenti æstimet, seu paruipendat: & huius sententiæ sunt. *Fernand.p.3.c.3.§.5.nu.1. Petr. Ledesm. de confirm.c.8.concl.4. Layman l.5.tr.3.t.5.n.4. Nauarr.c. 22.n.9. Victor. de conf.concl.48. Diana p.3.tr.4.ref.25. Suarez c.d. 38. sect.1.* & alij apud ipsos.

4. Materia confirmationis, alia est remota, alia proxima: remota est chrisma, quod conficitur ex oleo oliuarum, & balsamo, & ab Episcopo consecrato benedictum. Probatur *Primo* ex Scripturis 2.*Cor.*1. *Qui confirmat nos Deus, & vnxit nos, & signauit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris. Secundo*, ex communi consensu Pontif. Concil. & Patrum, apud *Sayrum*, *Bellarminum*, & *Suarez*. Prob. *Tertio* ratione; quia materia Sacramenti debet significare eius effectum, qui est confirmatio in fide: confirmatio autem requirit 1. puritatem, & feruorem fidei in corde, quæ significantur oleo; nam est liquor purus, lucidus, & calidus: 2. constantem confessionem in ore, quæ significatur balsamo, propter odoris fragrantiam. *D.Tho.3.p.q. 72.a.2. Sylvius ib. Sayrus de Sacram.l.1. c.3.a.3. n.5. Bellar. l.de confirm.c.8. Suar. disp.33. sect.1. & 2. Toletus l.2.c.24.n.2.*

Sed petes 1. an balsamum sit de essentia & necessitate Sacramenti. Resp. quibusdam non videri, vt *Caietan.3.p.q.72. art.2. Victoria in sum.num.40, Sotus 4.d.7.q.1.a.2. Nauar.cap.22.nu.8. Cuiarr.lib.1. var.c.10.n.4. Estius in 4.dist.7.§.8. Valent. tomo 4. disp.5.q.1.p.2.* quia Innocentius III. *Cap. Pastoralis de sacramẽtis non iterandis.* consultus, an Confirmationis Sacramentum deberet in eo iterari, qui per errorem fuit non chrismate, sed oleo delinitus, respondit nihil esse iterandum, sed cautè supplẽdum, quod incautè fuerat prætermissum; vbi supponit illud, quod omissum fuerat non esse essentiale, aliàs Sacramentum fuisset nullum, ideòque iterandum. Hæc sententia est probabilis.

Nihilominus contrarium est tenendum: quia Concilium Florentinum, affirmat huius Sacramenti materiam esse chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ & balsamo, quod odorem significat bonę famæ per Episcopum benedictum. Confirmatur, quia alioqui forma esset falsa: nam dicit Episcopus, *confirmo te chrismate salutis*, chrisma autem ex vsu totius Ecclesiæ, & sanctorum Patrum, significat compositum ex oleo, & balsamo Episcopali benedictione consecratum. Ergo huiusmodi chrisma est de substantia huius materiæ. Ita *Sylvius 3.p.q.72.art.2. [illegible]man l.5.tr.3 c.2.nu.1. Suarez disp.33. sect.1. Petr. Ledesm.de confirm.c.2.concl.7. Coninch de sacram. q.72.art.2.nu.10. Diana p.3. tr.4.ref.23. Bonacina to.1.d.3.q.vnic. p.3 nu.2.* & alij per multi ab ipsis citati. Verùm, quia prima opinio est probabilis, si hoc Sacramentum ministretur cum oleo simplici, non est iterandum absolutè, sed sub conditione, adhibita materia indubitata: vt dicitur *c.1.de sacramen.non iter.* quamuis talis ministrans peccet mortaliter vtens materia dubia.

Petes 2. quantum balsami requiratur. Respond. parum sufficere; siue illud sit orientale, siue occidentale. Ratio prioris est, quia non est de essentia materiæ, vt singulæ partes eius substantialiter mixtæ sint ex oleo & balsamo, sed solùm, vt ipsum vnguentum sit compositum & mixtum: requiritur tamen vt sit fragans, & odoriferum, quia materia Sacramenti debet significare Sacramentalem effectum. Ratio posterioris est, quia balsamum indicium, quamuis videatur alterius speciei, est tamen eiusdem generis, vt patet ex viribus & effectibus, ac proindè est verum balsamum. Ita *Suarez* hic citatus & alij.

5. Secundùm probabiliorem DD. sententiam, chrisma, quod est materia confirmationis, necessitate Sacramenti benedici debet ab Episcopo, non à simplici sacerdote. Tum quia sic habet perpetuus Ecclesiæ vsus, ex citato decreto *Concilij Florentini*, *Innoc.I.epist. 1. cap.3.* & perpetua traditione, quæ testatur chrismatis confectionem ac consecrationem, semper Episcopo reseruatam & numquam presbytero commissam fuisse; tum quia hæc est sententia. *D.Thom.c.q.72.art.4. Sylvius ibi. D.Dionys. de Eccles. Hierar.c.4. Suarez disp.33.sect.2. Valent.to.4.d. 5 q.1. punct.2. Sayrus de sacram.l.1.c.3.a.3.n.3.* & omnium fere Theologorum, a quorum doctrina non est recedendum. Quamuis *Caiet.3.p.q.72. art.3.* quidam sustineant hanc benedictionem Episcopi necessariam esse solùm necessitate præcepti, & validum fore Sacramentum cum chrismate à simplici sacerdote benedicto: hæc sententia quia singularis est & contra omnes Theologos, licet speculatiuè quandam probabilitatem præ se ferat, practicè tamen illa vti non licet, cùm hæc sit dubia & incerta materia: Et cùm confirmatio non sit Sacramentum necessitatis, nullus casus occurrere potest, neque necessitas, in qua hac materia incerta vti liceat. Sed dubium est, an saltè possit Ecclesia hoc ministerium conficiendi chrisma concedere simplici sacerdoti? Respond. probabile esse quòd sic, quia simplex sacerdos ex commissione Summi Pontificis potest Sacramentum Confirmationis ministrare, ergo ex eiusdem commissione poterit chrisma consecrare, quod est materia necessaria confirmationis. Ita *Caetan.c. Paludanus in 4.q.4.n.34.d. 7 Victoria in sum. de conf. §. 43 Valent.c. punct.2.*

Oppositum tamen longè probabilius est, quia de iure diuino solis Episcopis data est hæc potestas conficiendi chrisma, ergo sine sufficiente authoritate extendenda non est, ad alios præter Episcopos: ergo sine eadem authoritate, asserendum non est, Summum Pontificem posse quasi extendere hoc ius diuinum, seu hanc potestatem concedere simplicibus sacerdotibus. Quod colligitur ex Concil. VVormatien. Can.2. *Chrisma*, inquit, *conficere nullus præter Episc. præsumat; nam illi soli hæc dignitas concessa est.* Idem etiam docent *Concil. Romanum, Carthaginense, Hispal. Toletan.* apud *Sylvium art.3.* Ita *D. Thom.c. a.3. ad 1. Sylvius ibi. Suarez disp.33. sect.2. Petr. Ledesm. de confirm.c.2.conc.8. Nauar.c.22. n.8. Laym.l.5. tr.3.c.2.n.2. & 3. Filliuc.ar.3.c.1.n.13. Con.disp.72.a.3. dub.1.conc.4.*

Vnde

Vnde conſtat, non eſſe verum id, quod aſſeritur à Ioanne de a Crux *de ſtat. Religio. 2. cap. 5. dub. 9. conc. 2.* Vbidicit Prælatos Regularium poſſe in ſuis terris Chriſma conficere, allegans ad hoc priuilegium Vrbani II. Bulla 1. ipſe quidem hallucinatus eſt ex mendoſa impreſſione dicti priuilegij, quod eſt apud Rodriques in Bullario, quandoquidem in originali, quod habetur in Monaſterio Cauenſi Congreg. Montis Caſſini; non adeſt illa particula *Chriſma conficere* ſed dicitur, *Sacrorum Ordinum collatione, Baſilicarum, & aliarum conſecratione, ac Chriſmatis confectione duntaxat, exceptis*. Ita etiam habetur in eodem priuilegio correctè impreſso *in tom. 1. Bullarij noui Ioannis Cherubini*, vt refert Tamburinius *tomo 2. de iur. Abbat. diſp. 111. quæſt. 2.*

An autem chriſma debeat eſſe neceſſariò recens & præſentis anni. Reſpon. affirmatiuè, ſed hæc neceſſitas eſt præcepti, non ſacramenti: nam vetus chriſma, eſt verum chriſma; modò ſubſtantialiter maneat incorruptum, & retineat fragrantiam odoris. Præceptum tamen eſt graviter, vt ſingulis annis chriſma renouetur, & in die cœnæ Domini nouum conficiatur, & per parochias diſtribuatur. *Cap. ſi quis, de conſecrat. diſt. 4. Suares c. diſp. 33. ſect. 1. ſub finem. D. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 14. §. 2.*

9. Materia proxima confirmationis eſt vnctio: quia in ſacramentis, quæ in vſu conſiſtunt, proxima materia eſt actualis vſus materiæ remotæ, circa eum, qui ſacramentum recipit: & ſicut in baptiſmo materia proxima eſt ablutio, ita in confirmatione eſt vnctio chriſmatis. Illa enim eſt materia proxima ſacramenti, inquam proximè forma cadit, ſed forma huius ſacramenti proximè applicatur ipſi vnctioni, ergo vnctio eſt proxima materia: debet autem vnctio fieri in formam crucis in fronte, pollice dextræ manus Epiſcopi, non autem aliquo inſtrumento, vt penicillo. Sed non eſt ita eſſentiale, quòd vnctio fiat pollice manus dextræ, quin ſi contingeret fieri alio digito, etiam manus ſiniſtræ, ſacramentum factum teneret; præcipitur tamen in Pontificali vt vnctio fiat pollice dextro. In fronte autem illa fit, tamquam in ſede verecundiæ, vt ſcilicet, confirmatus ſine rubore & verecundia Chriſti nomen cõfiteri poſſit: & ſicut in baptiſmo tantum aquæ requiritur, & ſufficit, quantum ſat eſſe poteſt ad ablutionem, ſic in confirmatione tantum chriſmatis requiritur, & ſufficit, quantum eſſe poteſt ad vnctionem in figura crucis faciendam, in fronte eius qui confirmatur. Ita *D. Thom. 4. p. q. 72. a. 9. Sylu. ibid. Suares c. diſp. 33. ſect. 3. Diana p. 3. tr. 4. reſ. 22. Layman l. 5. tract. 3. c. 2. n. 5. Bonacina de confir. punct. 3. n. 4. 5. Coninch q. 72. a. 3. num. 50. Emmanuel Sa v. confirm. n. 9. Bellarmin. de confir. c. 8. pro. 4. Petr. Ledeſma de confir. c. 2. concl. 4.*

7. Forma ſacramenti confirmationis hæc eſt, *Signo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Conſtat ex Apoſtolica traditione, & hanc habet Concilium Florentinum: Et ratio eſt, quia conuenientiſſimè ſignificat 1. cauſam principalem, quæ eſt ſanctiſſima Trinitas. 2. cauſam miniſterialem, vt eſt is, qui verba profert. 3. effectum Sacramenti, qui eſt facere Chriſti militem, inſigniendo illum cruce, & roborando ad fidem intrepidè profitendam. Requiritur autem in hac forma expreſſio Sanctiſſimæ Trinitatis ſicut in baptiſmo: quia ſicut in illo fit profeſſio fidei, ita & in confirmatione datur robur permanendi in eadem profeſſione fidei, inter cuius myſteria, illud Trinitatis præcipuum eſt: vnde Epiſcopus, qui dictam inuocationem ſeu particulam in forma huius ſacramenti omitteret, peccaret mortaliter, non ſolùm ob violationem præcepti Eccleſiaſtici, ſed etiam maximè ob periculum ſacrilegij, cui ſefe exponeret, ſcilicet, non conficiendi ſacramentum, & applicandi formam indebitam; vnde in tali caſu iterandum foret ſacramentum ſub conditione.

Patitur hæc forma omnes variationes, quas ipſa forma baptiſmi, vnde quoties verba huius formæ quoad ſenſum ſubſtantialem variantur, inualidum erit ſacramentum confirmationis, ſicut & quoduis aliud: vt patebit in regulis tradendis de ſacramentis in genere. *v. Sacramentum 2. n. 4. & 5.*

Aduertendum tamen eſt, illud peculiare eſſe in hoc ſacramento, actionem ipſam confirmandi, neceſſariò eſſe in forma exprimendam, per verbum primæ perſonæ dicendo: *Signo te ſigno crucis*, &c. & hoc quidem cadit ſub præcepto, ita vt hic modus abſque mortali peccato omitti non poſſit, nec in alium mutari dicendo *Confirmatur ſeruus Chriſti*, hinc Græcis licitum non eſt ſub tali forma confirmare, quia dubitatur inter Doctores, an contineat mutationem ſubſtantialem. Ita communiter DD. *D. Thom. 3. p. q. 72. a. 4. Sylu. b. Sairus de ſacram. lib. 1. c. 3. a. 3. num. 7. Petr. Ledeſma de confir. c. 3. Suares diſput. 33. ſect. 5. Filliuc. tr. 3. c. 1. q. 9. 10. & 11. Prepoſitus 3. p. q. 72. a. 4. Bonac. c. pun. 3. num. 7. 8. 9. Henriqu. l. 3. c. 2. n. 4. 5. & 6. Tamerus t. 4. diſp. 4. queſt. 4. du. 1. n. 30. & ſeq. Diana p. 3. tract. 4. reſol. 27. Layman l. 5. tract. 2. cap. 3.* ex Florentino in inſtructione Armenorum.

8. Miniſter ſacramenti Confirmationis ordinarius, eſt Epiſcopus. Et hoc eſt de fide ex *Conc. Trid. ſeſſ. 7. ca. 3. de confirm. Cap. presbyteri, de conſecr. diſt. 4. D. Thom. 3. p. q. 72. ar. 11. Sylu. ibid.* Probatur, quia ſoli Apoſtoli, *Act. 8. & 19.* baptizatis imponunt manus, ex quibus locis hanc concluſionem probant SS. PP. Ratio eſt, quia confirmatio eſt, ſacramentum perfectionis, & Epiſcopi ſunt perfectionis magiſtri, ergo conueniebat, vt ab illis ſolis conferretur. Dixi, *miniſter ordinarius*, quia ex commiſſione Summi Pontificis, poteſt etiam ſimplex ſacerdos confirmare tanquam miniſter extraordinarius. Nam *S. Gregorius* Presbyteris Carolitanis id conceſſit, *l. 3 epiſtolarum, Epiſtola 26.* & refertur, *Cap. peruenit, diſt. 95.* Et tunc adhibendum eſt chriſma conſecratum ab Epiſcopo, cùm nullus poſſit chriſma conſecrare præter Epiſcopum, vt vult *Concilium Toletanum VIII. c. 7.* Hinc Abbas qui non eſt Epiſcopus, non poteſt confirmare, neque Sacerdos ſimplex ex licentia tantùm Epiſcopi. Itaque vt hæc conceſſio ſit valida, tria requiruntur. 1. vt Pontifex concedat. 2. vt concedat ſacerdoti. 3. vt ex rationabili, & vrgente cauſa; quod ſumitur ex Conc. Florent. quamquam hoc tertium fortè non ſit neceſſarium neceſſitate Sacramenti; vide *Suares diſp. 36. ſect. 2. Nauarr. in Man. c. 22. n. 8. Toletus, l. 2. cap. 24. n. 5. Victorias de confir. conc. 50. Vaſques 3. p. diſp. 219. c. 1. Petr. Ledeſma de confir. c. 9. Layman l. 5. tr. 3. c. 6. nu. 1. Tambur. de iure Abbat. t. 2. diſp. 3. q. 1.*

Epiſcopus autem quamuis ſit excommunicatus, hæreticus, vel etiam degradatus, ſemper retinet poteſtatem confirmandi, quæ fundatur in charactere ſacerdotali & Epiſcopali, qui indelebilis eſt *Filliuc. tr. 3. c. 1. n. 29. Suares c. diſp. 36. ſect. 4.*

Debet verò Epiſcopus eos tantùm, qui ſuæ diœceſis ſunt, cõfirmare, non alios; quia nullus debet mittere falcem in meſſem alienam, quamuis ſi confirmet factum teneat.

An autem, confirmans in ſua diœceſi etiam alienos concurrentes peccet & incurrat ſuſpenſionem, negant *Henriq. lib. 3. c. 6. n. 6. Sa v. confirm. nu. 2.* quia credendum eſt gratum id eſſe proprio Epiſcopo; affirmant *Petr. Ledeſma c. c. 9. con. 7. Vualdus de confirm. n. 8. c. 4.* quia hoc eſt mittere falcem in meſſem alienam: verùm in illo caſu videndum eſt, quid habeat praxis Epiſcoporum; & ſecundùm illam iudicandum. *Cap. interdicimus, 16. q. 1.* Nec Archiepiſcopus debet ſuorum ſuffraganeorum ſubditos confirmare, quamuis eos viſitet. Imnò ex declaratione Cardinalium, Epiſcopus exiſtens in alterius diœceſi, non poteſt ibi confirmare ſuos ſubditos, abſque licentia Epiſcopi illius territorij, quia in *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5. de refor. Regin. de confir. n. 21. Suares c. diſp. 38. ſect. 2. ſub finem.* Tridentino expreſsè cauetur, ne vllus Epiſcopus in alterius diœceſi. Pontificalia exerceat, abſque Ordinarij loci expreſſa licentia, & in perſonas alteri Ordinario ſubiectas, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ. Nihilominùs poſſet Epiſcopus extra diœceſim conferre tonſuram vel benedictionem ſolemnem, aut canere miſſam Pontificalem abſque prædicta licentia: cum hæc non veniant nomine Pontificalium, vt ait *Henriqu.* citatus ſupra. Cui adde Tamburinium *tom. 1. de iure Abbat. diſput. 15. quæſt. 15.* nec obſtat Concilium Trident. quia loquitur de vſu Pontificalium cum aliquo exercitio Epiſcopali, puta, chriſmandi, ordinandi, &c. vt ex contextu colligitur. Idem poteſt Epiſcopus in Eccleſijs Abbatialibus, ac alijs locis exemptis, abſque Abbatum & aliorum Prælatorum licentia: quia locus exemptus, & locus extra Diœceſim iudicantur à pari. Et pro hac ſententia citantur ibi à Tamburinio, *Franchus, Angelus, Syluester, Eraſmus Cokier, Barboſa. Rota.* Quamuis Gauantus *In Enchirid. Epiſcop. verb. Functiones Epiſcopales.* doceat negatiuam ſententiam tenendam eſſe, quam confirmat conſuetudo, ſic Tridentinum interpretata. Nihilominus ſententiam *Henriques & Tamburinij* probabilem vocat Layman *in quæſt. canonicis capit. 17. num. 224.*

9. Cùm Epiſcopus ſit miniſter conſecratus & ex officio deputatus ad hoc Sacramentum miniſtrandum, ideò debet eſſe in gratia, cùm hoc Sacramentum miniſtrat: iuxta generalem doctrinam de ſacramentis. Non eſt tamen neceſſe vt ſit ieiunus, vel vt adminiſtret in die feſto, vel in Eccleſia, quia hoc nulla lege

lege præſcriptum eſt: Seruanda eſt conſuetudo Eccleſiarum, & ab illa non eſt recedendum abſque iuſta cauſa. Conſulantur *Suares c. diſput. 28. ſect. 2. Syluius v. confir. diuina qu. 4. Graſſius 2. part. lib. 1. cap. 5. num. 12. 14. Vualdus de confir. c. 4. nu. 6. & c. 6. nu. 2. Henriq. l. 3. c. 5. nu. 6. & c. 6. nu. 7.*

Sed petes, an Epiſcopus peccet mortaliter conſecrando chriſma, vel oleum infirmorum in peccato mortali: affirmant *Medina Cod. de pœniten. tr. 1. qu. 6. Nugnus 3. p. qu. 64. a. 6. diffic. 2. concl. 3. Sylu. 3. p. qu. 64. a. 2. quæſ. 1. conc. 6.* quia conſecrationes illæ per ſe pertinent ad poteſtatem ordinis Epiſcopalis, celebranturque in Eccleſia cum magna reuerentia: & videntur quodammodo ſacramentales, quatenus per eas ſacratur materia ſacramenti: hæc ſententia eſt probabilis. Sed probabilior eſt contraria negans, ſeclusa contemptu & per ſe loquendo. Ratio eſt, quia cùm aliæ actiones, præter ſacramenta, non ſint ad ſanctificationem per gratiam proximè ordinatæ, neque in eis ſe exhibeat Epiſcopus, vt miniſter Dei ſanctificantis animam, non eſt tam grauis cauſa & ratio exigendi internam animæ ſanctitatem ad eas exercendas; ergo illas in peccato mortali efficere ex parte materiæ, non videtur eſſe graue ſacrilegium. Et huius ſententia ſunt *Suares 3. par. tom. 3. diſput. 16. ſect. 3 Coninch de Sacramen. qu. 64. art. 6. dub. 1. num. 39. De la Crux in director. part. 2. de Sacr. in genere, q. 4. dub. 3. Diana p. 3. tr. 6. reſol. 67.* Quorũ ratio videtur etiã habere locũ in conſecrante Eccleſiã, virgines, veſtes & calices, & in conferente tonſuram primam ſeu ordines minores in peccato mortali, quia hæc ſunt ſacramentalia, non ſacramenta. Secundùm probabilem ſententiam infra *v. Ord. 1. n. 4.*

10. *Cap. 1. diſp. 5. conſec. D. Thom. 3. p. q. 72. a. 8. Sylu. ibid. Suarez diſp. 35. ſect. 1. Filliuc. tra. 3. c. 2. q. 5. Nauarr. in Man. c. 22. n. 8. Graſſius 2. p. l. 1. c. 5. nu. 10.* Suſcipiens ſacramentũ confirmationis poteſt eſſe omnis homo baptizatus, ſiue ſit infans, ſiue adultus, ſiue amens, modò ante dementiam illud petierit Prob. *Lucæ 24. Sedete in ciuitate, quoad vſque induamini virtute ex alto*, quod præceptum ad omnes pertinere Eccleſiaſtica conſuetudo declarat. Ratio eſt, quia omnes hi sũt capaces effectus huius ſacramẽti & perfectionis, quæ per ipſum datur, & illa indigent: & licet hi omnes nõ ſint apti ad ſpiritualem pugnã, ad quam per ſe primò hoc ſacramentum ordinatur; ſunt tamen apti vt armentur ad pugnam, & conſignentur per characterem in Chriſti milites, vnde habeant ſuo tempore auxilium paratum.

Sed inquires quænam diſpoſitio requiratur in confirmando? Reſpond. In adulto requiri intentionem ſuſcipiendi ſacramentum ſaltem interpretatiuam. Ita *D. Thom. 3. p. qu. 78. a. 7. Syl. ibi. Suares 3. p. diſp. 14. ſect. 2. con. 1.*

In infante autem vſum rationis non habente, ſufficit voluntas Chriſti & Eccleſiæ, vt in baptiſmo; quamquam melius eſſet, conferre hoc ſacramentum pueris rationis vſum habentibus, vt recordentur ſuſcepti ſacramenti, & ideò illis impingitur alapa ab Epiſcopo, ne iterùm ad illud ſacramentum audeant accedere, cùm iterabile non ſit. *Bonac. diſp. 3. qu. vnic. p. 4. m. 5. Victoria de confi. n. 49. P. Ledeſma de confir. c. 7. conc. 5.*

Vnde ad hoc ſacramentum conuenienter ſuſcipiendum, ſufficit ætatis ſeptennium, quamuis ante dictam ætatem congruè ſuſcipi poſſit: puta, ſi manifeſtum ſit, puerum ante ætatis ſeptennium, vſu rationis præditum eſſe; vel ſi modò non confirmatur, diu non habiturus ſit occaſionem ſacramenti accipiendi; vel ſi puer in periculo mortis exiſtens, opportunè iſtud ſacramentum conſequi poſſit: vel Diœceſis conſuetudo vigeat, vt pueri ante dictam ætatem confirmentur. Ita *Sylu. 3. p. q. 72. a. 8. Suares diſput. 35. ſect. 2. Filliuc. tr. 3. cap. 2. num. 36. Vualdus in candelabro c. de ſuſcipiente. Coninch de Sacr. q. 72. ar. 8. num. 83.* qui etiam docent perpetuò amentes eſſe confirmandos; quia ſunt capaces ſacramenti & effectus eius, & nulla eſt ſacramenti irreuerentia, quòd eis conferatur, cùm ſint bene diſpoſiti, quamuis non habeant meliorem, vel optimam diſpoſitionem: imò expedit vt illis conferatur, & non differatur, tum vt habeant maiorem gloriam; tum quia non expectatur ſtatus, in quo poſſint melius diſponi.

Præterea requiritur in adulto ſuſcipiente, fides & charitas, vt cum fructu hoc ſacramentum ſuſcipiatur, vnde debet ſuſcipiẽs exiſtimare ſe eſſe in gratia; habens autem conſcientiam peccati mortalis, tenetur ante ſuſceptionem ſacramenti, ſaltem actum contritionis elicere: quòd ſi quis non valeat, aut nolit conari ad veram contritionem habendam, tenebitur ad confeſſionem præmittendam; quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt per ſe ad conferendam ſecundam gratiam, licet aliquando poſſit conferre primam. Per accidens tamen ſatis eſt attritio: *Primò*, qui-dem ex ignorantia inuincibili; ſi quis enim neſciat maiorem diſpoſitionem requiri, quia re vera contritio non requiritur, nec confeſſio; talis non indignè accedet. Et cùm Sacramentum habeat vim conferendi primam gratiam, vtique in tali caſu ſatis erit attritio. *Secundò*, ex eo quòd confeſſio non eſt neceſſaria, nec vera contritio, ſuppoſita ignorantia inuincibili, ſequitur etiam ſatis eſſe attritionem cognitam, vt docet *Filliucius*, Ratio eſt, quia talis obicem non ponit, neque peccat ſic accedendo; ergo dignè accedit. Vide *Suares tom. 3. diſput. 34. ſect. 2. Filliuc. tra. 3. c. 3. q. 6. D. Thom. 3. p. q. 72. a 7 ad 2. Nauar. in Man c. 22. num. 9. Layman l. 5. tr. 3 c. 4.*

11. Effectus ſacramenti confirmationis ſunt tres: *Primus* eſt gratia habitualis ſanctificans, conferens ſpeciale auxilium ad veram fidem conſtanter tenendam & profitendam. Ratio ſumitur ex fine inſtitutionis huius ſacramenti, cui gratia ſacramentalis debet accommodari: hæc autem gratia datur radicaliter in ipſa ſacramenti ſuſceptione, nõ ponentibus obicem; quia nimirum confertur tunc homini ius ad gratiam hanc petendã, & infallibiliter impetrandam, reipſa autem datur temporibus opportunis iuxta diuinæ ſapientiæ diſpoſitionem conſentaneam fini huius ſacramenti. Ita *D. Thom. 3. p. qu. 72. a. 7. Sylu. ibi. Nugnus Conuinch ibid. Suares diſput. 34. ſect. 2. concl 1. & 2. Petr. Ledeſma de confir. c. 5. Valentia tom. 4. diſp. 5. q. 1. p. 4.*

Sed inquires, an plures gradus gratiæ ſanctificantis conferãtur per confirmationem, quàm per baptiſmum? Reſp. hoc eſſe incertum, videri tamen valde probabile & ſcripturis, ac Patribus magis conſentaneum. 1. quia per baptiſmum dicunt hominẽ regenerari; per confirmationem dari Spiritum Sanctum, quaſi per hoc ſacramentum excellenter eius gratia conferatur. Item confirmationem eſſe ſacramẽtum perfectionis & conſummationem baptiſmi. 2. quia corpus accipit maiorem molem per vim augmentatiuam, quàm per generationem, ergo ſimiliter in ſpiritu & gratia. 3. quia Apoſtoli in ſua confirmatione, quæ facta eſt in Pentecoſte, acceperunt plenitudinem Spiritus Sãcti. Hinc apparet quã iuſtè S. Clemẽs Romanus *epiſtola 4.* ſcripſerit, omnibus feſtinandũ eſt ſine mora renaſci, & demũ cõſignari ab Epiſcopo, & ſeptiformẽ Spiritus ſancti gratiã recipere.

Secundus effectus eſt character, hoc eſt ſpirituale quoddam & indelebile ſignum, quod ſuſceptione confirmationis in anima imprimitur, quo confirmatus inſignitur tamquam miles Chriſti, vt aduerſus inimici tentationes ſit conſtans pro Chriſti fide tuenda. *D. Tho. c. a. 5. Sylu. ibi. Suar. diſp. 34. ſect. 1. Filliuc. tr. 3. c. 3. q. 4. Bonac. diſp. 3. q. vnic. p. 4 n. 2. Layman l. 5. tr. 3. c. 4. num. 3. Præpoſitus 3. p q. 72. a. 6.*

An autẽ hic character ſit diſtinctus à charactere baptiſmali? Reſpondeo poſt *Suares* & alios, characterem confirmationis eſſe qualitatẽ realiter omninò diſtinctã à charactere baptiſmi: Colligitur ex Cõcilijs & Doctoribus, *Cõcil. Trid. de ref. matr. ſeſſ. 24. c. 2.* qui æquè diſtinguũt tres characteres, Baptiſmi, Confirmationis & Ordinis: ſicut ergo character Ordinis ab alijs realiter diſtinguitur; ita & alij inter ſe. Tũ quia per hos characteres cõſignatur homo ad diuerſa numera; per baptiſmalem, vt ſit Eccleſiæ membrum & capax Sacramentorum, per alium verò, vt ſit conſignatus miles Chriſti, ad fidem eius publicè profitendam. *Plura de hoc charactere v. character.*

Tertius effectus eſt cognatio ſpiritualis, quæ oritur inter confirmatũ & patrinum. Circa autem patrinum in hoc ſacramento hæc notanda veniunt. *Primò*, Patrinũ ſeu ſuſceptorem non teneri inſtruere & edocere infantẽ quẽ ſuſcepit, quia id iure ſtatutum non repetitur, ſicut de patrino baptiſmi. Ita *Henriq. l. 3. c. 3. n. 4. Bonac. to. 1. d. 3 q. vnic. p. 4 n. 11. Layman l. 5. tra. 3. c. 7. Conuinck q. 72. art. 10.* Licet contrarium doceat *Sylu. 3. p. q. 72. art. 10.* Probabile eſt, ſi non confirmatus, alium teneat in cõfirmatione, nõ cõtrahere cognationẽ, quamuis grauiter peccet: quia non eſt legitimus ſuſceptor; vt patet ex *Cap. in baptiſmate de cõſecrat. diſt. 4.* Vbi habetur: *In baptiſmate, vel in chriſmate non poteſt alium ſuſcipere in filiolum, qui non eſt ipſe baptizatus, vel confirmatus.* vbi notanda eſt illa particula *non*, quæ poſita ante verbum *poteſt*, tollit potentiam, & efficit actum nullum. Ita *Sanch. de matrim. l. 7. d. 60. nu. 19. Reginald. l. 31. c. 20. nu. 157. Fernandes p. 3. c. 2. §. 9. Diana p. 3. tr. 4. reſ. 26. Conuinck q 72. art 10. n. 94.* Non eſt tamen improbabilis ſententia, *Sylueſt. v. Matrim. 8. numer 7. Rodriques 1. part. cap. 27. numer. 10. Sylu. c. qu. 72. art. 10.* hunc contrahere cognationem. Ratio eſt, quia etſi non ſit confirmatus, eſt tamen capax ſpiritualis cognationis propter baptiſmum, qui facit illum Eccleſiæ membrum. *Tertiò*,

Hinc Theol. Confirmatio eſt pars Sacramenti Confirmationis, quæ conſiſtit in impoſitione manuum Epiſcopi, & unctione Chriſmatis, cum verbis ſacramentalibus. Vide Confirmatio.

Confirmatio Chriſmatis, Theol. eſt pars Sacramenti Confirmationis, quæ conſiſtit in unctione Chriſmatis, cum verbis ſacramentalibus. Vide Confirmatio.

Confirmatio Sacramenti, Theol. eſt pars Sacramenti Confirmationis, quæ conſiſtit in impoſitione manuum Epiſcopi, cum verbis ſacramentalibus. Vide Confirmatio.

Confirmatio Sacramenti Confirmationis, Theol. eſt pars Sacramenti Confirmationis, quæ conſiſtit in impoſitione manuum Epiſcopi, & unctione Chriſmatis, cum verbis ſacramentalibus. Vide Confirmatio.

Confirmatio Sacramenti Confirmationis, Theol. eſt pars Sacramenti Confirmationis, quæ conſiſtit in unctione Chriſmatis, cum verbis ſacramentalibus. Vide Confirmatio.

Confirmatio Sacramenti Confirmationis

(1) Ἐπιστολὴ Κωνσταντίου πρὸς Ἀθανάσιον. Ἀ. Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας τοῖς κατὰ πόλιν καὶ ἐν τοῖς ἀγροῖς ἀδελφοῖς χαίρειν ἐν Κυρίῳ. Ἐπιστολὴν ἐκομισάμεθα παρὰ Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως, ἣν ἐπιστείλας ἡμῖν ἐκέλευσε τοῖς ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τοῖς ἐν τοῖς ἀγροῖς ἀδελφοῖς ἀναγνωσθῆναι. Ἐπιστολὴ Κωνσταντίου πρὸς Ἀθανάσιον. Ἀ. Ἀθανάσιος ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας τοῖς κατὰ πόλιν καὶ ἐν τοῖς ἀγροῖς ἀδελφοῖς χαίρειν ἐν Κυρίῳ. Ἐπιστολὴν ἐκομισάμεθα παρὰ Κωνσταντίου τοῦ βασιλέως, ἣν ἐπιστείλας ἡμῖν ἐκέλευσε τοῖς ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τοῖς ἐν τοῖς ἀγροῖς ἀδελφοῖς ἀναγνωσθῆναι.

13. *De aliis causis excusantibus à restitutione famæ.*

1. CVm damnum proximo inferatur, in bono honoratio per detractionem, illud resarciendum est restitutione, quæ vt obliget, tria requiruntur. *Primum* est, vt fama verè fuerit ablata; quantumuis enim verba famæ læsiua & diffamatoria dicantur, si à parte rei infamatio non sequatur, vel quia non creditur detrahenti, eo quòd persona leuis sit, vel quia id quod dicitur, de se diffamatorium sit, & famæ læsiuum, tale tamen nõ est, respectu personæ de qua dicitur, non habet locum restitutio famæ. *Secundum* requisitum est, vt fama auferatur iniustè, nam si iustè auferatur, nulla est obligatio restituendi, cùm sola ea peccata inducant hanc obligationem, quæ fiunt contra iustitiam, vnde qui bona fide proximum infamauit, narrando illius peccatum, quod putabat esse verum & publicum, ad restitutionem tenetur, statim vt cognouit se famæ alienæ detentorem esse, non tamen cum propria infamia, vel magno fortunarum suarum damno, sicut tenetur qui diffamauit cum iniustitiæ culpa lethali. *Tertium*, vt fama ablata nondum recuperata sit aut condonata; nam si omninò recuperata sit, ad nil tenetur qui eã abstulit; similiter si omninò condonata sit, infamator omninò liber erit; sin autem ex parte, tenebitur, quod deest restituendo supplere. *Molina de iust. tract.4.disp.40. Clauis Reg.l.11.c. 6.nu. 16.Regin.l.10.c.25.n.337 Syluius 2.2.q 92.a. 2.q.9. Arrag.2.2. q.62.a.2.dub.5.Valent.2.2.d.5.q.6.pu.5.*

2. Qui famam abstulit, tenetur sub mortali ad restitutionẽ, tam illius ablatæ, quàm aliorum damnorum ex infamia secutorum, tanquam is qui causam damni & per consequens dãnum ipsum dederit; & hoc verum, siue infamauerit falsum crimen imponendo, siue occultum peccatum aperiendo, contra *Sotum* & nonnullos alios existimantes detractorem, qui alterum infamauit verum dicendo, nõ teneri ad integram restitutionem, sed ad partialem arbitrio prudentis viri: verum tamen est, qui per suam infamiam iniustè fuit causa, ne alter consequeretur aliquod bonum, vt officium vel beneficium, non tenetur ad restitutionem quanti valebat officium vel beneficium, sed quanti valebat spes obtinẽdi officium vel beneficium: quia bonum in spe minùs valet quàm in re; si verò detractor fuit causa vt alter priuatus fuerit officio, vel alio bono iam obtento, tenetur ad restitutionem, quanti reuera valet officium, vel aliud bonum, quia restitutio facienda est secundùm æqualitatem pro damno illato. *P.Nauarr. l.2.c.4 n.373.Lessius lib.2.c.11.dub.19.Nauarr. cap.18.nu.43.Bonac.c.p.16.num.1.2. Clauis Reg.c.cap.3.nm.17. & seq.*

3. Cùm quatuor sint bonorum ordines, secundùm. *Nauarr. c.nu.47.Caiet.2.2.q.62.art.3. P.Nauarr.c.n.405.Lessius c.dub.15. Rebell. de rest.l.4.q.13.nu.1.* videlicet, animæ, corporis, famæ, aut honoris, & pecuniæ, & bona primi ordinis sint potiora bonis secunda, & secundi potiora tertij, & tertij potiora quarti. Hinc quando ex infamia illata non euenit alteri damnum in bonis superioris ordinis, nempe in spiritualibus aut in vita corporali, nulla est obligatio famam restituendi cum periculo vitæ, quia non tenetur ad restitutionem bonorum inferioris ordinis, cum notabili damno bonorum superioris, vita autem est bonum altioris ordinis, quàm sit fama, ergo. A quibusdam tamen limitatur hæc doctrina, nisi fortè bona inferioris ordinis sint tanti momenti, vt iudicio prudentis viri præponderent bonis ordinis superioris: Consule. *Syluius 2.2. q. 62.art.2. quæst.13.* citatum.

4. Iustitia commutatiua postulat, vt fiat restitutio in bonis, in quibus iniustè alterum læsisti, nempè vt vitam exponas pro vita alterius, si eam in periculum perniciariam coniecisti; famã pro fama, pecuniam pro pecunia: quia per illa tantùm fit æqualitas; quòd si hæc æqualitas per te fieri nequeat, sine iactura boni superioris, restitutio censetur impossibilis: vnde quando ex infamia quam intulisti, vni vel pluribus, periculum vitæ impendet, vel aliud grande malum, etiam cum periculo vitæ reparare teneris, non ratione solius infamiæ, sed ratione damni, quod ex ea sequitur. *Clauis Reg.l.11.c.7.n.4.Syluius 2.2.q.62 a. 6.quæst.6.Lessius c.n.37.91.*

5. Quando infamatus suis bonis actibus famam recuperauit, præcisè ratione infamiæ, non tenetur infamator ad restitutionem: quia iam infamatus nullum patitur damnum; si autem ex infamia aliquod subsecutum sit, certum est ad illius reparationem infamatorem teneri, cùm ex iniusta illius infamatione obuenerit: pro medio verò tempore, quòd intercessit inter famæ ablationem & illius recuperationem, aliqua satisfactio exhibenda est, puta significatio doloris, & veniæ petitio, si eam infamatus postulet, aliàs non est consuetum hanc satisfactionem offerre. *Reginald.l.10.n.340. Sa v.rest.nu.31.Molina tr.4.d.42.n.3.Lessius c.dub.17.*

6. Quidam docent. *Caiet.c.ar.2.Salon.2.2.qu.62.art.2.contr. 17.Nauarr.c.n.47.* quando infamatio præcedens est tam antiquata, vt probabile sit infamiam illam traditam esse oblitioni, infamatorem teneri ad restitutionem siue falsum dixerit, siue verum crimen iniquè reuelauerit, dummodò alter famæ suæ detrimentum passus sit, quia non constat moraliter auditores esse oblitos: Cæterum vera & certa sententia illorum est asserentium, nullam esse obligationem restituendæ famæ, vbi probabiliter creditur illos, qui audierunt, oblitos esse, nec vnquam recordaturos, quia cessauit iam omne damnũ, & infamia apud illos; & in hoc casu seipsum retractare, esset potiùs reducere in memoriam crimen fratris oblitum, & hæc restitutio famæ esset potiùs renouatio infamiæ. Hæc sententia est sequenda, quando crimen verum occultum fuit iniustè patefactum, si autem falsum impositum fuit, etiam post viginti annos vel triginta, fama esset restituenda, si periculum sit ne infamia illa reuiuiscat; damna autem à tempore illatæ iniuriæ vsque ad oblitionem, sunt restituenda, siue laudando, siue beneficijs, siue etiam pecunia, si temporalis rei damnum fuit. *Molina c.d.41.nu.2.P. Nauarr.c.n.423.Lessius c.dub.18.Clauis Reg.c.cap.7. n.28. & 29. Bonacina de restit.d.2.quæst.4 punct.13.Syluius 2.2.qu.62.art.2. quæst. 9.*

7. Ille qui non potest famam restituere, vel propter periculum vitæ, vel propter alias causas iustas, non tenetur ex iustitia illam pecunia compensare, si infamia reuocatione dictorum tolli nequit; & hæc sententia est probabilior contraria, quæ ait posse dari compensationem famæ cum pecunia. Ita *P. Nauarr. c.n.416.Azor tom.3.l.5.c.9. Reginald.l.10.n.342.Sa v.rest.num. 56.Lessius c.dub.16.* Ratio autem assertionis nostræ est, quia iustitia commutatiua tantùm postulat, vt restituatur, quod ablatum est, vel æquiualens, quòd si neutrum fieri possit, cessat eius obligatio: Ex æquitate tamen fieri potest, vt qui non potest famam restituere, teneatur illam pecunia compensare, vt si infamatus sit pauper & compensationem pecuniariam cupiat: imò si infamator per iudicem condemnetur ad pecuniariam satisfactionem, vel si transigat cum eo quem infamauit, certa pecuniæ summa, teneretur ex iustitia eam numerare: quia iustæ sententiæ tenetur ex iustitia parere. Vide *Duana tr.5. misc.res.30. p.3.Syluius 2.2.q.62.ar.2.quæst.13.*

8. Hæres infamatoris non tenetur loco defuncti ad restitutionem famæ, quia obligatio restituendi famam, est obligatio personalis, quæ non transit ad hæredem, sicut transit obligatio realis, quæ afficit bona defuncti; ratione tamen damnorum, si quæ fortè ex infamia suborta sint, hæres teneretur ad restitutionem loco defuncti, quia hæc obligatio non est purè personalis, sed afficit quodammodo bona infamatoris, vnde cum

ea affectione seu obligatione perueniunt ad hæredem. *Clauis reg.cap.7.num.36. Reginald.c.num.348. Lessius c. dub. 21. Pet. Nauarr.c.nu.426.*

9. Quoad modum famam restituendi, notandum est illam tripliciter lædi. *Primò*, verum crimen occultum aperiendo. *Secundo*, falsum crimen imponendo. *Tertiò*, infamando publicè aut priuatim; & secundùm hoc dicendum, quòd qui alterum infamauit, falsum crimen imponendo, tenetur retractare, quod dixit, & omnem industriam adhibere, vt falsa illa opinio animis hominum eximatur, imò addito iuramento; si hoc necessarium fuerit ad famam restituendam, & rei grauitas postulet; vnde tenetur dicere se deceptum fuisse, aut falsum dixisse, aut etiam mentitum esse: & si hæc non sufficiant ad famæ restitutionem quidam Doctores docent infamatorem teneri præter iuramentum adhibere testes, quod etiam probabile est, licet alij meritò contrarium sentiant. Ratio est, quia id non est in vsu; deindè si auditores ne iuranti quidem contra seipsum credere velint, si ex malitia eorum proueniet: vnde mala opinio quam retinent de altero, non amplius proueniet ex dicto infamatoris, sed ex eorum malitia (cùm illud longè efficacius, vtpotè cum iuramento retractauerit, quàm illud ipsum ante pronuntiarat) qui sine vlla causa volunt perperam sentire de proximo. Affirmatiuæ tamen sententiæ locus erit, cùm esset suspicio infamatorem ad palinodiam inductum fuisse, non conscientia, sed precibus aut pretio: tunc enim iustitia obligaret ad testes adhibendos, nam tunc sine illis palinodia, quantumlibet iureiurando confirmata, non esset efficax, aut talis, vt ob eam auditores possent, & deberent infamatori credere, nec haberent occasionem suspicandi rem ficte peragi, vt notat Nauarrus *in man.cap.18. num.45.* de quibus plura apud Doctores hic citatos. *Reginald.c.n.341. Valent.tom.3. d.5.qu.6. punct.3. Clauius Reg.l.11.c.3. nu.27. Bonacina c. punct.15.n.4. Syluius 2.2.qua.62. art.2.quæst.22. Diana tra.5 misc.ref.29.part.3. Tannerus 2.2.disp.4.q.6.d.6 n.141.*

10. Qui famam abstulit, dicendo crimen verum, sed occultum, secundùm quorumdam recentiorum sententiam, *Azor. c.qu.7. Nauarr.c.18.num.45. Lessius c.dub. 20.n.111. P. Nauar.l.2. c.4.nu.443. Rebellus de restit.lib.4. q.12.nu.4. Diana p.3.tr.5.misc. ref.30. 34. Syluius c.quæst.22.* non tenetur, neque potest dicere se mentitum esse, aut falsum dixisse, quia hoc esset dicere mẽdacium, quod intrinsecè malum est; debet ergo hunc modum seruare, vt sæpius coram ijs apud quos diffamauit, laudare infamatum, virtutes eius commemorando, cùm præbuerit se occasio, nulla facta mentione criminis detecti; & hic modus iuxta illos maximè congruus & opportunus est famæ restitutioni: qui autem alterius crimen manifestauit, vni vel duobus, quos sciebat vel dubitabat idem crimen alijs reuelaturos, tenetur apud omnes restitutionem facere, quia sua detractione censetur causa efficax infamiæ apud omnes, secùs dicendum si de eorum taciturnitate, & constantia non dubitabat, non enim teneretur famam restituere apud eos, quibus ipsi reuelarunt, quia damnum secutum apud alios, censetur casuale respectu primi reuelantis.

Sed quia sicut infamatus habet ius ad petendum à suo infamatore, vt restituat sibi famam commodiori via qua possit, ita infamator tenetur omni modo licito famam illi restituere. Proinde cùm valde probabilis sit sententia docens huiusmodi infamatorem posse & debere his quibus occultum fratris crimen iniquè reuelauit, affirmare se mendacium dixisse, sequitur hũc restituendi modum & facilem & licitum esse, & debere adhiberi in fama restituenda. Tum quia infamator alio modo famam bene restituere non potest, hac autem via optimè eam restituit, ergo ad hunc restituendi modum obligatur: quod probatur exindè quòd rudes & ignorantes his auditis facilè credent (quod infamator debet optare) ipsum esse mentitum priùs & fratrem nil tale commisisse. Theologi autem & docti in conscientia, ipsis auditis, suspendent iudicium, an infamatus commiserit tale crimen nec ne. Tum quia taliter retractans dictum suum non mentitur; quia verba ambigua sunt & verum habent sensum, siquidem cùm ille detraxit de proximo, dicens verum crimen occultum, verbum illud fuit iniquum peccatum & falsum practicum, habuit enim tunc hoc dictamen: reuelandum est proximi crimen occultum, quod iudicium, vt constat, fuit peccatum, & falsum practicum, ergo nunc dicendo se falsum dixisse, aut mentitum fuisse; nullum omninò committit mendacium. Plura de his apud *a Sayrum* in sua Claui regia, qui pro hac sententia citat. *Salon, Petrum Nauarra, Valentiam,*

& alios. Et licet prior modus restituendi sit bonus, non videtur tamen sufficiens apud Doctos & sapientes: quia cùm sciant teneri infamatorem ad se retractandum, nũquam opinionem illam sinistram de illo ob eius reuelationem conceptam deponent, quousque se retractauerit, etiamsi fratrem illum laudet, & commendet, non enim tollitur opinio de vitio & peccato diuulgato, ex eo quòd aliàs ab eodem laudetur. Porro aduertendum est, quòd quamuis vniuersum genus humanum hoc pessimo vitio linguæ sit plenissimum, paucissimos esse, qui vt debet fieri, illud æstiment: pauciores, qui debitè de illo conterantur; vix vllos, qui famam restituant. Huius etiam sententiæ est. *Pasqualigus in decis.mor.dec.443. Henriques in compend.cas. mor.c.9.n.7.*

Similem modum restituendi famam in hoc casu ponit Rebellus 1. *part.de obligat. iustit.lib.4.quæst.*10. si dicas, *quando hominem infamasti, putabam me verum dicere, re tamen diligentius considerata, inuenio me mendacem fuisse*, idque poteris sine peccato iuramento confirmare; cùm verò scriptura testetur Psal. 115. *Omnis homo mendax*, etsi recorderis te fuisse aliquando mẽtitum, etiam addere, ac iurare poteris te fuisse mentitum, nihil amplius exprimendo, apud te tamen intelligendo in re alia, quamuis audiens falsò id accipiat de priùs abs te audita.

Poteris etiam dicere, *quod de N. dixi, non credatis, quod ex mea malitia id dixi:* etsi opus sit, fas erit iurare: verum enim iuras, cùm ex propria tua malitia fuerit, quòd proximũ scienter infamaueris. Quando tamen per huiusmodi amphibologiam non sufficienter deterseris infamiam, quod sæpè continget, præsertim si cum callidis, vel his qui hunc modum restituendi per amphibologias iam audierunt, res agatur, ad sequentes causas excusantes à restitutione, deueniendum erit.

11. Causæ excusantes à restitutione famæ, à Doctoribus hę recensentur. *Prima*, iusta condonatio, id est, quæ non sit contra iustitiam, nec vergat in alterius detrimentum, nam illa, quæ est contra iustitiam, non est valida; vt accidit, quando infamia condonantis redundat positiuè in alium, qualis est, quæ est facta vni religioso, redundans in monasterium & alios religiosos, vel infamia vxoris redundans in maritum, vel infamia filij redundans in patrem. Ratio autem est, quia huiusmodi condonatio, cedit in damnum innocentis, cuius iuri non potest alter cedere, cùm ipse non sit dominus famæ alterius, condonatio autem, quæ non est contra iustitiam, sed solùm contra charitatem, vt est illa personæ publicæ: quæ condonat infamiam sibi illatam, valida est, quamuis illicita: quia peccat cõtra propriam charitatem condonando, & facta cõdonatione, peccat retinendo officium publicum, quod ritè non valet administrare cum tali infamia. *Lessius c.dub.24. Reginald.l.10.c.13.nu. 338. P. Nauar.c.num.385. Sa v. infamare n.3. Nauar c.13.nu.46. Tolet.l.5.c.68.num.2. Syluius c. ar.2.quæst.9.*

12. *Secunda* causa excusans à restitutione famę, est compensatio iusta; *Salon.2.2.q.62.art.2. controu.23.concl.2. Bonacina c. punct.17.n.1. Tolet.c.c.70. Angles in 4.de rest.fame dub.3. Sa ver. restit.num.33. Syluius c.quæst.10. Malder.2.2.tr.7.cap.2.dub.14. Diana p.4.tr.5.ref.30.* ex hoc enim non sequitur, quòd alius te infamarit, tu vicissim possit illum infamare, quia esset manifesta vindicta, quam nemo priuata authoritate potest facere: sed si quis te infamat, nec tu possis infamiam alia ratione auertere, licet defectus aliquos occultos aperire, ne ipsi fides adhibeatur: tamen in casu quo alium infamaueris iniustè, qui te antea infamauerat, nõ teneris ei ad restitutionem, si ipse tibi restituere nolit, sed potes vti compensatione, seruata tamen æqualitate, quantùm fieri potest; quia compensatio fieri non potest cum maiori damno alterius, vnde qui multò grauiorem infamiam intulit, diuisibilem tamen, detegendo plura crimina, tenetur ad restitutionem, donec damnum à se illatum, sit æquale damno quod alter intulit: si verò infamia non possit per partes restitui, puta quia illum de grauiori crimine infamasti, quàm ille te, tũc instar pignoris eam detinere potes, vt eum ad restitutionem compellas. Contra *Nauarrum, Valentiam, & Azorium* locis citatis suprà.

Compensatio etiam iusta potest fieri in alio genere bonorum, vt per pecuniæ, vel alterius beneficij æquiualentis damno famæ, exhibitionem, aut bonorum spiritualium, orationum scilicet ac satisfactionum propriarum, tum sacrificiorum, ac similium pro infamato, oblationem. Hoc tamen locum habet, & in obligatione est, quando nec remissio obtinetur, nec proprio in genere satisfactio famæ fieri potest, nisi fortè hunc potiùs modum velle infamatus verisimiliter credatur, quod rarò continget,

inget, si inter viuos adhuc sit, secus si iam defunctus sit. Vide D. Thomam 2.2.q.62.ar.2. ad 2.

13. *Tertia* causa est, si non possit fieri restitutio, nisi cum periculo vitæ, vt dictum est. *Quarta* est, quando restitutio alienæ famæ fieri non potest absque notabili iactura propriæ famæ, quæ sit longè maioris momenti, vnde si vir illustris infamauit plebeium, non tenetur cum iactura sui nominis reuocare, quod dixit, debet tamen aliter compensare si potest, vel obtinere condonationem. *Quinta*, quando restitutio famæ facta est impossibilis. *Sexta*, quando crimen occultum iniustè reuelatum, postea alia ratione fit publicum, tunc enim infamatus per publicitatem criminis, amisit ius ad famam. *Septima*, quãdo infamia iam prudenter existimatur abijsse in obliuionem. *Octaua*, quando fama iam bonis actibus est recuperata. *Nona*, quando detractio fuit inefficax, & nulla fuit inde infamia secuta, eò quòd infamator esset nullius fidei, vel quia illi apud quos infamauit sciebant similia. De his plura apud *Nauarr. c.c.17.n. 89. Syluest. v. detractio.q.4. Bonacina c. punct. vlt. num.5. ad 14. Lessius c.dub.26. Syluius c.quæst.10.*

DISCORDIA.

SVMMARIVM.

1. *Discordia quid: & quando sit peccatum mortale, quando veniale.*
2. *Discordia an semper sit vitium oppositum charitati.*

1. DIscordia est *inordinata dissensio voluntatis à voluntate alterius, cui consentire deberet*: vnde discordes dicũtur, quasi diuersi cordis: ex suo genere, peccatum est mortale, quoties quis à voluntate illius discordat, cum quo tenetur ex vinculo charitatis concordare, vt si proximus vult bonum aliquod obtinere sibi necessarium, aut valde vtile, & ego sine rationabili causa desiderem illum impedire: item mortalis est discordia, cùm vnus ab altero discordat, ex intentione contradicendi, hoc fine, vt ab eo discors sit, & maximè in rebus quæ ad fidem pertinent, aut quæ ad proximorum vtilitatem notabilem spectãt: potest tamen discordia esse peccatum veniale, ratione indeliberationis & inaduertentiæ, aut cùm est animus quidem contradicendi, tamen res non cedit contrà honorem Dei, aut in grauem detrimentum proximi, aut quando oritur ex sola animi libidine, consulendo propriæ vtilitati aut voluptati. Nullum est peccatum discordia, quando deficit animus contradicendi, & ex vtraque parte ratio aliqua probabilis aliquid volendum dictat *D. Thom. 2.2.q.37.art.1. Sylnius ib. Syluester v. discordia. Cauet. ibid num.2. Reginald. l.17. cap.12. n.131. 132. Nauar. c.23. nu.33. Filliuc. tr.28.c.9.n.192.*

2. Discordia, non est semper vitium oppositum charitati, sed alijs virtutibus opponi potest, iuxta obligationem, qua tenemur ab alterius voluntate non dissentire, & consequenter ad diuersa vitia pertinere potest; quia ex lege obedientiæ subditus tenetur voluntatem suam conformare cum voluntate superioris, si discordet, peccat immediatè contra obedientiam; similiter debitor quando tenetur ex iustitia consentire cum creditore, discordans peccat proximè contra iustitiam; nam peccata specificantur penes perfectiones & virtutes quibus opponuntur. *Tolet. in sum. l.8.c.11. Bonacina de charitate d.3.q.4.p. vlt.§.4. Reginald. l.17.n.131-132.* & alij communiter.

DISPENSATIO.

SVMMARIVM.

1. *Dispensatio quid? & in quantum odiosa, est strictè interpretanda: potestas vero dispensandi est latè interpretanda.*
2. *An dispensare possit legislator in sua lege*
3. *Papa dispensat in omnibus legibus, & statutis Conciliorum, etiam generalium.*
4. *Dispensat Papa in voto & iuramento.*
5. *Quilibet legislator potest secum in suis legibus dispensare.*
6. *Inferior non potest dispensare in lege superioris, quando superior dispensationem sibi reseruauit.*
7. *Quoties superior, qui legem condidit, expressè non prohibuit dispensandi facultatem, an inferior possit dispensare.*

8. *Dispensatio, an sit petenda, quoties adest probabilis opinio rem non indigere dispensatione.*
9. *Dispensatio, in lege superioris concessa ab inferiore, sine iusta causa, an sit inualida.*
10. *Quo peccato peccet, qui allegata falsa causa, aliquem inducit ad dispensandum.*
11. *Dispensatio, an sit valida in foro conscientiæ, facta ab inferiore in lege superioris, non præcognita causa, si à parte rei subesset causa legitima.*
12. *Inferior dispensans in lege superioris, cum dubio sufficientiæ causæ, an peccet.*
13. *Dispensatio inferioris in lege superioris, concessa ab eo qui bona fide credebat iustam causam subesse, & tamen non erat sufficiens, an valida sit.*
14. *Dispensatio supremi Principis in lege propria, absque legitima causa, an sit valida.*
15. *Dispensatio inferiorum in propijs constitutionibus, & legibus, facta absque causa, an valida sit.*
16. *Causa iusta eximendi aliquem ab obligatione legum.*
17. *Posita iusta causa dispensandi, an superior teneatur dispẽsare.*
18. *Inferior dispensans in lege superioris, an possit imponere mulctam pecuniariam fabricæ Ecclesiæ vel pijs operibus ex præcepto tradendam.*
19. *Princeps Supremus scienter admittens aliquem ad actum, qui habet impedimentum ad illum, censetur dispensare cum illo.*

1. DIspensatio in hac materia morali, *significat actum iurisdictionis, quo aliquis eximitur ab obligatione legis, aut quo legis obligatio suspenditur ad aliquod tempus*; & hæc dicitur totalis, si in totum obligatio auferatur; vel partialis si in partem: vnde cùm dispensatio sit quædam iuris relaxatio, ideò odiosa, & strictè interpretanda, tamen potestas dispensandi alicui cõmissa, tanquam fauorabile Principis beneficium, est latè interpretanda: quia odiosum nõ est, imò gratiosum, vt in dispensando, quis Principis vice fungatur. Vide *Azor. tom. 1. l.5 cap. 15. Sanches de matr. l.8. disp.1. & 2. Filliuc. tr.10. cap.10. n.293. p.2. Sylnius 1.2. q 97. a.4. Cronsers ad c.10. reg manor. lect.6.*

2. Legislator, vel ipsius superior, vel successor in iurisdictione, ex communi omnium sententia, potest cum inferiore subdito in lege sua dispensare, illumque ab obligatione legis eximere, perseuerante adhuc obligatione legis respectu aliorũ; quia cùm lex vim suam à voluntate, & intentione legislatoris habeat; sicut potest legem condere, eiusque obligationem simpliciter abrogare, ita etiam eiusdem legis obligationem ab aliquo actu in particulari remouere potest: vt autem dispensatio hæc in humanis legibus rectè & legitimè fiat, duo præcipuè requiruntur, *Authoritas & Causa*, quarum si aliqua desit; dispensatio legitima & iusta non erit, imò deficiente authoritate, nulla & inualida foret dispensatio. *Suares de legib. lib.6. cap.10. n.2. Clauis Reg. l.3. cap.10. nu.5. & 6. Nauar. in Man. præl. n.9. nu.15. Sylnius c. art.4. quæst.1. concl.1.*

3. Auctoritas plenaria dispensandi in omnibus legibus, & statutis Conciliorum etiam generalium, penes Papam manet; quia ex omnium consensu, potest Papa ius humanum tollere, & potestas Romano Pontifici data à Deo est, non à Concilio; vnde Summus Pontifex, potest in legibus latis ab Apostolis tãquam ab Episcopis & pastoribus Ecclesiarum dispensare, quia non est inferior Apostolis, neque Petro cui successit; obseruãdum tamen est, quando Papa in iure Canonico, vel in aliquo Concilio generali nouo, vt in Tridentino, vel antiquis generalibus Concilijs, aut in alijs decretis à se vel à Sede Apostolica factis, dispensat, specialiter exprimere debet se derogare tali decreto Concilij Trident. aliàs dispensatio aduersus Concilij decreta, & canones sufficiens non censetur, nisi in specie fiat eorum derogatio. *D. Thom. quodl.4. art.13. Vinaldus in candel. supplem. cap.10. Bonacina de disp. d.1. q.2. p.1. n.8. Ceuar to.1. de matr. p.2. c.6. §.9. Sylnius 1.2. q.97. art.4. q.1. conc.1.*

4. Quamuis Summus Pontifex (vt compertum est apud omnes) in præceptis primæ, vel secundæ tabulæ decalogi, proprie dispensare non possit, neque in articulis fidei, neque in Sacramentorum institutione, vt celebratione quo ad ea, quæ ad Sacramentorum essentiam pertinent, neque etiam in præceptis moralibus, quæ sunt de lege naturæ; in alijs tamen, quæ ita sunt de iure diuino, vt aliquid humanæ obligationis misceatur, sine dubio dispensare potest, vt in voto, & iuramẽto: quia licet sit de iure diuino seruare votum, obligatio tamen ad id faciendum, est sibi à semetipso imposita, & hanc obligationem

Papa

Papa potest tollere,& in ea dispensare. *D.Th.2.q.88.a.10.Sotus l.1.de iust.q.7 art.3.ad 3.Sylvest.v.Papa q.16.Angel.ibid.*

5. Secundùm probabiliorem sententiam,quilibet legislator, siue ille sit Summus Pontifex,siue Episcopus, siue supremus Princeps sæcularis, potest secum in suis legibus dispensare ; quia huiusmodi dispẽsatio, est actus iurisdictionis voluntariæ & gratiosæ, qui potest in seipsum exerceri, nec requirit personam distinctam; vnde ipse Summus Pontifex,Episcopus,Princeps sæcularis,Prælati regulares,siue Generales, siue Prouinciales,siue Præpositi locales, qui toti domui præsunt, & eorum vices gerentes,& quicumque delegatam dispensandi potestatem habent in vniuersum cum aliqua Communitate, cuius ipse est pars, hi omnes possunt secum dispensare in omnibus ijs, in quibus possunt cum subditis, quia non debent esse in hoc peioris conditionis quàm subditi, cum quibus ipse superior dispensare potest; *Sanches de matr.l.8.d.3.Suares de leg.l.6.c.15.n.8.Bonac. c.n.6.Azor.to.1.l.7.c.18.q.6.Sa v.religio n.47.D.Tho.2.2.q.185. ar.8.Sylvius c.quæst.1. concl.4.*

6. Cùm potestas inferioris dependeat à superiori, & superior possit inferioris potestatem impedire, illique facultatem dispensandi in propria lege adimere, hinc inferior non potest dispensare in lege superioris, quando superior dispensationem sibi reseruauit, aut inferiori prohibuit facultatem dispensandi : vnde Archiepiscopus,vel Episcopus, per se loquendo, dispensare non potest in lege Summi Pontificis,& in statutis in Concilio Prouinciali conditis,si dispensatio reseruata fuit,excepto aliquo casu particulari ratione necessitatis, dum non est congregata Synodus,vel ad Sedem Apostolicam recursus non patet, quando verò dispensatio non est reseruata,præsumitur data facultas cuicumque Episcopo pro diœcesi sua dispensandi, nisi aliter constet ex mente Concilij. *Clauis Reg.l.3.c.10.n.9.Sanch. de matr.l.8.d.17.n.36.Salas de legib.d.8.c.9.n.48. Suares c.nu. 7. Sylvius c.q.1.concl.3.Diana tr.5.misc.ref.23.p.3.*

7. Probabile est, inferiorem posse in lege superioris dispensare, quoties superior, qui legem condidit,expressè non ademit vel non prohibuit dispensandi facultatem ; quia Episcopus potest in sua diœcesi, quidquid potest Papa in tota Ecclesia,est enim Pastor ordinarius in sua diœcesi,sicut Pontifex in toto orbe.Ita *Sotus,Henriques.Arragon.apud Sanches de matr.l.1.d.60.* Quamuis probabilius sit non posse dispensare ; quia inferior non potest tollere legem superioris,illam abrogando,dispensando ve; aliquando tamen censetur Episcopo concessa facultas dispensandi in legibus Pontificijs, quoties lege aliqua conceditur dispẽsandi facultas, non expressa persona cui conceditur, vel quando vir prudens interpretatur hanc esse Pontificis intẽtionem, vt Episcopus in aliquo casu dispenset ; sicut consuetudine receptum est, Vt Episcopi in omnibus votis simplicibus dispensent, exceptis quinque reseruatis Papæ; item in rebus leuibus, quæ propriè non præcepto, sed statuto positæ sunt, & in frequentibus, id est, quæ frequenter indigent dispensatione; vt videmus Episcopos dispensare in ieiunio, in festis, & in alijs præceptis Ecclesiæ,quæ frequenter accidere consueuerunt: itẽ quando grauis aliqua necessitas vel vtilitas subitò aduenit, & commodè non patet recursus ad Papam, ex tacita ipsius concessione dispensare potest Episcopus. Vide *Azor.to.1.l.5.ca.15. Salas c.disp.20.s.3.nu.22. Diana tr.6.misc.ref.82.p.3. & tr.5.ref. 32.Clauis Reg.c.c.10.Navar.c.21.n.21 Sa v.dispensatio num. 9. Sylvest.v.dispensatio.Sylvius c.a.4.q.1.concl.2.*

8. Quando adest probabilis opinio,rem non indigere dispẽsatione, nulla dispensatio petenda est à Summo Pontifice, vel ab Episcopo, quia licitum est sequi opinionem probabilem, deposito practicè dubio;quãdo autem practicè dubitamus, an res egeat dispensatione, tunc à Sede Apostolica petenda est dispensatio,non ab Episcopo; quia aliàs esset se exponere periculo delinquendi contra legem superioris, vt se habet praxis communis. *Bonacina de dispens.disp.1.q.2.punct.1.n.18.Sanches c.l.8.d. 6.n.18.* Quamuis *Sa v.dispensat.nu.1.*quem sequuntur *Salas c. n.18. Layman l.1.tr.4.c.22.n.4. Diana p.3. tr.6.ref.82.* absolutè docent in hoc dubio Episcopum posse declarare rem non indigere dispensatione, vel ad cautelam dispensare. Quod docet etiam *Sylvius c.concl.2.*

9. Irrita est dispensatio cuiuscumque, etiam Pontificis, in iure diuino, naturali, vt in voto vel iuramento, concessa absque causa; quia tunc dispensatur in alienis bonis, & aliena voluntate superiori, & ideò vt validè fiat, desideratur causa: vnde generaliter concludendum est, dispensationem in lege superioris concessam ab inferiore sine iusta causa, non solùm non esse licitam, verum neque validam esse, quia dispensans vsurpat sibi iurisdictionem, quam non habet, & ille cum quo inferior dispensauit in lege superioris absque iusta causa, non potest vti dispensatione, nec est exemptus ab obligatione. *D. Thom.2.2. quæst.88. art.12. ad 2. Vasques 1.2.disp.178.c.3. num. 17.Reginald.l.13.nu.195.Sylvius c.q.3 concl.3. Crousers ad c.10. reg.minor.lect.6.fol.905.*

10. Qui allegata falsa causa vel insufficienti, aliquem inducit ad dispensandum, peccat eo peccato, quo peccat dispensator, nam inducit ad peccatum; nisi excusetur ob bonam fidem: si autem dubium sit de sufficientia causæ, & fideliter illam subditus superiori exponat, & superior iustam ac sufficientem iudicet, tutus erit subditus in conscientia, petendo dispẽsationem, illaque vtendo, quamuis à parte rei causa non sit iusta: quia inferior potest acquiescere iudicio superioris dispensantis, sicut licet adhærere opinioni viri prudentis. *Valent.to.2.d.7.q.5.punc. 9. Navarr.prælud.9.nu.12. & 13. Sanches de matrim. l.8.d.18. num.19.*

11. Quamuis probabile sit, dispensationem factam ab inferiori, in lege superioris, non præcognita causa, inualidam esse, etiamsi subesset causa legitima, eò quòd dispensans suæ commissionis limites excesserit. Ita *Azor tom.1.l.5.cap.15.quæst.9.* at probabilius est, huiusmodi dispensationem validam esse in foro conscientiæ, donec in foro exteriori reuocetur ; quia nullibi habetur eam dispensationem esse nullam, & factum in foro conscientiæ tenet, quando finis iuris habetur, quamuis forma & solemnitas eiusdem iuris prætermittantur. *Sanches l.4. mor. c.45.nn.6.Suares tom.1.de relig.l.2.c.33. num.13. Diana tr.de leg.ref.34.p.2.*

12. Inferior dispensans in lege superioris cum dubio sufficientiæ causæ, peccat: nam fieri potest vt causa reipsa non sit sufficiens,& periculo se exponit dispensandi sine iusta causa.Ita *Bonacina c.punct.3.n.7.* probabiliter : quidam tamen Doctores eximunt hunc à peccato, quia aliàs pateret via multis scrupulis, si causa certa requireretur ad dispensandum & superiores retraherentur à dispensationibus concedendis, & hæc sententia est probabilior, vt docent *Sanches l.4.mor.c.45 nu.10.Diana p.1.tr.10.ref.31.*

13. Valida est dispensatio inferioris in lege superioris concessa, ab eo, qui bona fide credebat iustam & sufficientem causam ad dispensandum subesse, quamuis ille cum quo dispensatum est postea cognoscat causam non fuisse iustam & sufficientem; quia non est credendum aliam esse Pontificis intentionem circa suas leges, & Dei circa suas, in quibus permittitur inferiori dispensare, id enim recta Ecclesiæ gubernatio postulat, quo scrupulis obuietur ac tutæ sint conscientiæ. Ita *Azor. to.1. l.7.cap.18.quæst.6.Diana c.resol.33.Sa v.dispensatio n.4.Sotus in 4.d.21.q.2.a.2.Sanctus disp.54.n.39.* Quidam tamen Doctores non improbabiliter opinantur, illum cum quo dispensatum est, non esse tutum in conscientia, cognita insufficientia causæ finalis & motiuæ. Ita *Salas c.sect 6.n.66.Bonac.c.n.8.*

14. Dispensatio Supremi Principis, verb. grat. Pontificis, in lege Ecclesiastica & Principis sæcularis in ciuili, in lege propria, concessa absque legitima causa, iuxta communiorem sententiam, valida est, quia tunc legislator dispensat in re propria & in propria voluntate eam mutãs à qua totam vim suam lex habebat, sicut Dominus prodigẽs bona, verum dominium transfert, quamuis delinquat prodigendo. *Rodriq. tom.2.q.47. art.5.Arragon.2.2. qu.89.art.9.Sanches de matrim. l.8.d.17.nu. 24.Diana tr.de leg.ref.32. p.1.*

15. Dispensatio inferiorum, in proprijs constitutionibus, & legibus, facta absque causa, valida est, quia etsi peccet legislator, verb. gr. Episcopus contra ius commune, imò & diuinum naturale, dictans neminem à lege generali esse absque causa eximendum, at dispensatio illa tenet, quia tunc non dispensat inferior in eo iure naturali aut Pontificio, sed solùm illud violat: idem dicendum, quando superior vel æqualis successor, dispensat absque causa in lege inferioris, vel æqualis prædecessoris; quia voluntas inferioris quasi eminenter est in voluntate superioris, & successor æqualis potestate reputatur. *Navarr. cap.15. num.74. Clauis Reg. l.6.cap.11. numer.11. Suares de leg.lib.6.c.18. Sylvius 1.2.q.97.ar.4.quæst.3.Diana tr. de leg.ref.32.Crousers c.lect.6.*

16. Causæ iustæ dispensandi, & eximendi aliquem ab obligatione legum, ad tres possunt reuocari. *Prima* causa est, vtilitas communis vel etiam priuata. *Secunda* est,necessitas communis,vel priuata.*Tertia* est pietas. Dispensatio cõcedi po-

ad Regulas Scripturæ, quæ ex ordinatione Dei ita sunt constitutæ, ut ab illis nullus debeat recedere. Ita Dispensatio Dei est, quod Deus Filium suum misit in mundum, ut per ipsum homines salvi fierent. Dispensatio Christi est, quod Christus Apostolos misit, ut Evangelium prædicarent. Dispensatio Apostolorum est, quod Apostoli Ecclesias fundarunt, & Episcopos ordinarunt. Dispensatio Episcoporum est, quod Episcopi Ecclesias regunt, & Presbyteros ordinant. Dispensatio Presbyterorum est, quod Presbyteri Ecclesias gubernant, & Diaconos ordinant. Dispensatio Diaconorum est, quod Diaconi Ecclesiæ ministrant, & Lectores ordinant. Dispensatio Lectorum est, quod Lectores Ecclesiæ deserviunt, & Ostiarios ordinant. Dispensatio Ostiariorum est, quod Ostiarii Ecclesiæ ostium custodiunt, & Exorcistas ordinant. Dispensatio Exorcistarum est, quod Exorcistæ Ecclesiæ exorcismos tradunt, & Acolythos ordinant. Dispensatio Acolythorum est, quod Acolythi Ecclesiæ luminaria accendunt, & Subdiaconos ordinant. Dispensatio Subdiaconorum est, quod Subdiaconi Ecclesiæ ministrant, & Diaconos ordinant. Dispensatio Diaconorum est, quod Diaconi Ecclesiæ ministrant, & Presbyteros ordinant. Dispensatio Presbyterorum est, quod Presbyteri Ecclesias gubernant, & Episcopos ordinant. Dispensatio Episcoporum est, quod Episcopi Ecclesias regunt, & Apostolos ordinant. Dispensatio Apostolorum est, quod Apostoli Evangelium prædicant, & Christum mittunt. Dispensatio Christi est, quod Christus Filium Dei mittit. Dispensatio Filii Dei est, quod Filius Dei Deum Patrem prædicat, & homines ad Deum Patrem convertit. Dispensatio Dei Patris est, quod Deus Pater Filium suum mittit, ut per ipsum homines salvi fiant.

Divinatio.

Divinatio est, quando quis per Spiritum Sanctum futura prædicit, & ea, quæ ad hominum salutem pertinent, ante prædicit. Divinatio

diaboli, vt ab ipso occulta doceatur; vnde si diuinatio seriò fiat, non datur parvitas materiæ à mortali excusans; ob inuincibilem autem ignorantiam, vel ob aliam causam, posset esse non mortalis.

An autem diuinatio per sortes sit licita: sciendum est primò sortes propriè esse secundùm *D.Th.2.2.q.95.art.8.Sylvius ibid. Sanches l.2.moral.c.38.n.56. Suarez de relig.to.1.l.2.de superst.c.11.Regin.l.17.n.174.Portel de dub.reg.v.venefic.n.14. & 15.* cùm aliquid fit, vt eius euentu considerato, aliquid fiat, aut innotescat. Tres sunt earum species, diuisorio, consultoriæ, diuinatoriæ. Sors diuisoria est, quando quæritur, quid cui sit exhibendum. Consultoria, quando inquiritur quid in arduo aliquo negotio sit agendum. Diuinatoria, quando quæritur quid sit futurum: quibus positis, ad quæst. respondeamus. Sortem diuisoriam multis in rebus licitam esse, modò euentus non expectetur à dæmone, vel à fortuna tanquam aliquo nomine, sed simpliciter à Deo, & caueatur ne vlli fiat iniustitia, nève quippiam agatur contra bonum publicum; nec adhibeatur in electionibus Ecclesiasticis, imò nec in sæcularibus, absque necessitate; & modò diuina oracula non conuertantur ad terrena negotia, veluti vtendo libro Euangeliorum ad sortiendum.

Sortes consultoriæ rarò sunt licitæ; quia Deus nõ vult suam voluntatem indagari sortibus, sed Ecclesiæ & Sanctorum Doctrina, ac petito à viris prudentibus consilio. Et ideò sub anathemate, in iure interdicuntur. *Cap. sortes 26.q.5.*

At possunt esse licitæ in casu magnæ necessitatis, quando super re necessariò agenda, humanum iudicium non sufficit, concurrentibus his conditionibus. *Prima*, vt debita reuerentia ad Deum mittantur sortes. *Secunda*, vt seruetur modus proportionatus, ne scilicet, Sanctorum reliquiæ aut Euangelia conuertantur ad lucra temporalia. *Tertia*, vt non fiat sortitio pro beneficiis, aut officiis Ecclesiasticis, quæ per electionem conferri debent. Ita *Azor.t.c.21. Filliuc.c.4.q.11.n.104. Bonac.c.m.15. Sanch.c.n.85. Sylvius c.ar.8.concl.3. Sigismundus à Bononia tr. de elect.dub.26.* Porrò sortes diuinatoriæ sunt illicitæ & superstitiosæ: *C.si quis Episcopus, & seqq.26.q.5.* quia tales sortes neque ex natura rei, neque ex Dei vel Ecclesiæ instituto, ferunt rei cognoscendæ; ergo sunt medium improportionatum, & admiscetur tacita dæmonis inuocatio. Ita DD. hic citati. *D. Th.c.a.8. Sylvius c.concl.4. Portel c.n.21.*

4. Qui ioci causa ostendit se velle futura diuinare, excusari potest à mortali, cùm non adsit animus superstitiosus indagandi latentia, sed est potiùs vanitas quàm superstitio: item mortalis non est diuinatio per somnia, quando quis ex simplicitate fidem facilè illis præstat, putans illa esse à Deo, vel tenuiter credit: aut quando quis credens somnium fortè esse à Deo, propter metum vel spem aliquid facit, vel omittit seu cautiùs se gerit, dummodò aliud peccatum non intercedat; hæc enim non est perfecta superstitio. *Suarez de superstitione c.9.& 10. Lessius c.d.8.n.53. Valent.c.q.12.punct.4. Navar.c.11.n.37. Sylvius c.a.1. Laym.c.n.6.*

5. Cùm tacitè & expressè eadem sit ratio, & differant tantùm inter se, sicut completum & incompletum, perfectum & imperfectum intra eamdem speciem, hinc diuinatio cum tacita dæmonis inuocatione, malitiam habet eiusdem speciei, quam habet diuinatio facta cum expressa inuocatione: in confessione tamen explicandum est, an superstitio fuerit cum tacita, vel cum expressa dæmonis inuocatione: quia hæc aliquando coniunctam habet hæresim, aut adorationem dæmonis, aut alia peccata explicanda in confessione. *Reginald.c. Sanches c.n.14. 26. Suarez c.c.10.n.2. Filliuc.c.n.72. Lessius c.n.28. Layman c.n.4.*

6. Diuinatio siue fiat per aerem, siue per aquam, siue per ignem, siue per astra, siue per somnia, est eiusdem speciei in genere moris, quamuis in genere naturæ sit diuersæ; quia quouis modo fiat, continet priuationem eiusdem perfectionis, eamdemque habet cum recta ratione oppositionem; vnde non est opus exprimere in confessione rem, per quam facta est diuinatio, diuersitas enim rei non mutat iudicium confessarij, nec diuersam constituit speciem. *Azor.to.1.l.9.c.12.quæst.3. Rodrig. in sum.cap.53.num.5. Sylvius c.ar.3. Sanches c.c.38.*

7. Qui diuinationes exercent, vel diuinos consulunt, nõ sunt ex hoc capite excommunicati, nisi eorum diuinationes manifestè contineant, aut sapiant hæresim; quia iure Canonico nulla talis excommunicatio ipso facto incurritur, quamuis eodem iure tales anathemate feriendos præcipiatur. *Cap. non oportet, 26.quæst.5.* & docent *Lessius c.d.5.n.29. Sanches c.c.38.n.91. Navar.c.27.n.12.*

8. Diuinus non tenetur restituere pecunias, quas accepit à consulentibus, pro responsis petitis & acceptis à dæmone. Ratione sumitur à communi restitutionis regula, iuxta quam non tenetur quis restituere pretium, quod accepit ob rem turpem faciendam: diuinus verò operam suam turpem adhibuit, & ideò pretium non tenetur reddere. Ita *Rodriq.in sum.v.diuinare c.7.n.4. Fernand.p.4.c.6.§.3.n.4. P.Navar.l.2.de rest.c.2.n.117.*

Vide de diuinatione *v.superstitio. Observatio vana. Magia.*

DIVORTIVM.

SVMMARIVM.

1. *Diuortium quid.*
2. *An diuortium siue repudium, olim apud Hebræos, & gentiles fuerit licitum.*
3. *Quæ sint causæ diuortij.*
4. *Per quas species luxuriæ matrimonium dissoluatur, quoad thorum & habitationem.*
5. *An per mollitiem, oscula, amplexus, & tactus cum aliena.*
6. *In quibus casibus non liceat facere diuortium, ob adulterium coniugis.*
7. *Qualis notitia adulterij sui coniugis requiratur, vt alter possit facere diuortium in foro conscientiæ.*
8. *Coniux innocens, conscius adulterij sui coniugis, an possit secluso scandalo propria authoritate facere diuortium ob adulterio.*
9. *In quibus casibus teneatur maritus sub peccato mortali, facere diuortium cum vxore adultera.*
10. *Quando vterque coniux commisit adulterium, sed alter iam emendatus est, an possit emendatus petere diuortium ob altero non emendato.*
11. *Coniux innocens, antequam status alterutrius mutetur, an possit facto diuortio cogere adulterum vt ad se redeat.*
12. *Adulter an possit repetere innocentem lapsum in adulterium, post latam sententiam diuortij.*
13. *Quando coniux innocens mutauit statum, vel quia professus est, vel ordine sacro initiatus, & postea fornicatur, an possit reddi adultero relicto.*
14. *Quando adulterium est notorium, vel post sententiam diuortij, an coniux innocens possit facere votum simplex castitatis, vel ad religionem transire, &c. inuito adultero.*
15. *Coniux innocens copulam sponte habens cum adultero coniuge, siue petendo, siue reddendo, modo adulterij sit conscius an censeatur adulterij iniuriam condonare.*
16. *Secunda causa diuortij est, ipsa hæresis, vel apostasia à fide, in qua alter coniux labitur.*
17. *Coniux Catholicus, an possit & debeat propria authoritate recedere à coniuge hæretico non resipiscente.*
18. *Ante sententiam de hæresi, an possit adulter compensare suum delictum cum hæresi, Et an hoc possit fieri post sententiam.*
19. *Ob aliud crimen à fornicatione carnali vel spirituali, si illo implicitus non pertrahat alterum ad peccandum, non licet coniugibus diuortium.*
20. *Sæuitia coniugis, an sit causa sufficiens ad faciendum diuortium non perpetuum.*
21. *Quando diuortium est absolutum & perpetuum, ratione sæuitiæ, aut furoris alterius coniugis, an liceat transitus ad religionem vel ordinem sacrum ei qui sanus est & innocens.*
22. *Apud quem parentem sit educanda proles, quando culpa alterius coniugum, diuortium factum est.*

1. DIuortium est *legitima viri ab vxore, vel è contra separatio*, & secundùm iurisconsultum, *L.2.ff.de diuort.* diuortium dicitur, vel à diuersitate mentium, vel quia in diuersas partes eunt, qui matrimonium distrahunt: simpliciter autem diuortium accipi potest. *Primò*, pro dissolutione matrimonij quoad thorum, id est, quoad carnalem copulam. *Secundò*, pro dissolutione matrimonij quoad thorum & habitationem. *Tertiò*, pro repudio & pro dissolutione matrimonij quoad vinculum: differunt verò diuortium & repudium, quòd diuortium de sola vxore, atque adeò matrimonio consummato dicitur; repudium autem de vxore, & de sponsa de præsenti nondum cognita. *Sanch. de matrim.l.10.d.1.num.1. Bonacina de matr.q.4.p.5.n.1. Sylvius in supp.q.62.*

2. Diuortium quoad vinculum, siue repudiũ apud Hebræos

fertur in ipsius odium: integrum tamen est iudici, vt eos conciliet, ex officio suo illos cogens, quando adest scandalum vel manifestum incontinentiæ periculum: hinc fornicans post diuortij sententiam, non tenetur admittere adulterum à se dimissum, donec per Ecclesiam compellatur: imò non tenetur fateri crimen coram iudice ex officio procedente, nisi iuridicè interrogatus. *Reginald. c.nu.330. Henriq. l.11.c.17.nu.3. Sanch. lib.10. disp.9.n.30. Fillinc. c.n.378.*

13. Quando coniux innocens mutauit statum, vel quia professus est, vel ordine sacro initiatus est, & postea fornicatur, nõ potest reddi adultero relicto, neque officio iudicis; quia iam monasterio vel Ecclesiæ acquisitum est ius, quod non debet amitti ob delictum: idem dicendum, si innocens sit fornicatus post sententiam, sed ante mutationem status, nam si postea mutet statum non potest compelli ad reditum cum vxore, quia vxor priuata est omni iure, & iudex ex officio non debet impedire statum perfectiorem. *Sanch. disp.9.n.35. Fill uctus c.n.379.*

14. Quando adulterium est notorium, *Cap. constitutus, de conuers. coniug.* vel post sententiam diuortii, coniux innocens potest facere votum simplex castitatis, inuito adultero, vel ad religionem transire, vel sacris ordinibus initiari, quia coniux adulter priuatus est omni iure coniugali; nec propterea necesse est adulterum etiam profiteri, sed potest manere in sæculo etiam absque voto castitatis, secundùm communem sententiã Doctorum, *Sanch. d.11.n.16. Coninck disp.35. dub.5. Reginald. c.n.326. Bonac. q.4.p.5.n.23.*

Cauet tamen innocens, ne ordines sacros suscipiat, aut religionem ingrediatur, quando delictum alterius est occultũ; quia fieri potest, vt non probato delicto restituatur vxori adulteræ, aut sequatur scandalum. Vt notat *Bonacina* citatus.

15. Innocens coniux, copulam sponte habens cum adultero coniuge etiam occulto, siue petendo siue reddendo, modò adulterii sit conscius, censetur condonare adulterii iniuriam, ac proindè deinceps non erit sibi integrum diuortium facere; quia copula illa amicitiæ actus est, & caro antea per adulteriũ diuisa, ad vnionem restituitur, & fit vna caro cum innocente; & hoc verum, siue copula fiat ante, vel post diuortium celebratum: Retentio autem adulteri apud innocentem, censetur etiam condonatio, modò innocens sit certus de adulterio, & ipsum sit ita publicum, vt nulla possit tergiuersatione celari: idẽ dicendum si innocens sponte & scienter familiarem se exhibeat adultero, colludendo, ridendo & comedendo cum eo, & à fortiori si oscula & amplexus; intercedunt: verùm secundùm probabiliorem sententiam, hæc tacita condonatio nititur tantùm præsumptione, non veritate, quare si sit animus non condonandi, non erit in foro conscientiæ; in foro tamen externo præsumitur, quia nullum est ius quod decidat esse condonationem. Ita Doctores citati. *Graffius 2.p.l.1.c.12.n.84. Henriq. l.11. c.17. Sylvest. v. duort. q.9. Fillinc. c.n.293. Satus disp.36. qu. vnic. art.1. Angles flor.1.p. de matr. qu.9. de duort. art.1. Lopez p.1. instruct. c.295.*

16. *Altera causa* diuortii à fornicatione carnali, iure diuino, naturali, & humano Ecclesiastico, est ipsa hæresis, vel apostasia à fide, in quæ alter coniux labitur; & est de fide in *Conc. Triden. sess.24. can.8.* definitum, contra quosdam hæreticos admittentes solam causam fornicationis; est tamen inter has causas discrimen; quia ob fornicationem conceditur diuortium perpetuum, ob alias autem causas solùm ad tempus quo durant; quia causa in fornicatione, est ex ipsa cõiugij natura, eò quòd fides promissa est violata, cùm hæc sit perpetua, ita & dimissio, cæteræ autem causæ, cùm non sint ex natura coniugii, non sunt perpetuæ, ac proindè, tantùm dum ipsæ permanent, permittitur diuortium. *Bellarm. l.1 de matr. c.14. Nauar. c.22.n.21. Sanch. disp.15.n.2.*

17. Coniux Catholicus potest propria authoritate recedere à coniuge hæretico non resipiscente, imò tenetur; quia ius naturæ obligat cauere proprium animæ periculum: verùm postquàm accessit sententia Ecclesiæ damnans hæreticum, in pœnam admissi criminis hæreticos, Ecclesia facit ius coniugi Catholico, in perpetuum diuertendi ab hæretico etiam resipiscẽte: ante sententiam autem & condemnationem hæretici, tenetur Catholicus resipiscentem admittere ad consortium coniugale: hinc coniuge hæretico iam Ecclesiæ sententia damnato, integrum est Catholico ad ordines transire, sicut ad religionem, votove castitatis se adstringere in sæculo, ipse verò hæreticus iam damnatus posset etiam ad religionem transire, obtenta priùs Catholici licentia, vel sine illa, si iam ipse Catholicus sit professus vel ordines sacros susceperit. Ita *Fillinc. c.nu.396. Astensis Sum.2.p.l.18 tit.21.a.2.q 14. Sanch. c.n.9. Graffius 2.p.l.1. c.12.n.85. Rodriq. to.1. sum.c.230.n.2.concl.2. Pontius de matr. l.9. c.22 n.3. Diana p.6.tr.7.res.25.* Contra quosdam apud Dianã.

18. Ante sententiam de hæreli, non potest compensare adulter suum delictum cum hæresi; quia ante sententiam non est sufficiens causa diuortii, nisi ad tempus, dum videlicet non resipiscit: postquam autem est emendatus, tenetur adulter illum recipere; vnde hæreticus ante sententiam condemnatoriam, potest diuertere ab adultero, non hic ab illo, nisi ad tẽpus: post sententiam autem, quamuis probabile sit, vtramque fornicationem, carnalem scilicet, & spiritualem, posse compensari, verius tamen est, non posse hæreticum vti adulterio pro compensatione: quia ipsi diuortium est in pœnam hæresis, & adulterium alterius non tollit pœnam hæretici: imò compensatio minimè datur, si vterque coniux in hæresim sit lapsus, atque qui hæresis non est damnatus, potest diuertere à dãnato & reconciliato, hic autem minimè ab illo, nisi ad tempus, dùm non resipiscit; & tenetur ad resipiscentem redire donec condemnetur; quia in condemnato inuenitur causa sufficiens perpetui diuortij, in non condemnato autem solùm ad tempus. Vide Doctores citatos. *Sanch. disp.26. n.3. & 4. Sylvest. v. diuortium q.11.§.14. Henriq. lib.11.c.17.n.6. & 7. Fillinc. c.nu.399. Valent. to.4. disp.10.q.4.punct.2.*

19. Diuortium coniugibus non licet ob aliud crimen à fornicatione carnali vel spirituali, si illo implicitus non pertrahat alterum ad peccandum; vnde quantumuis coniux aliis grauissimis peccatis, & sceleribus deditus sit & incorrigibilis, dummodo coniugem alterum non inducat ad peccandum, minimè diuortium licet: propterea altera causa diuortii ponenda est, quando ab altero inducitur ad peccandum, & est timor ruinæ animæ; quia iure naturali, & diuino cuique licet cauere periculum tàm corporis quàm animæ: hinc iusta causa diuortii erit, si vir sit leno suæ vxoris, vel si admittat domi viros parùm pudicos, qui marito absente ipsam sollicitent, & admonitus vir nõ adhibeat remedium; item si alter habitare nolit, nisi alter latrocinium exerceat: denique si alimenta vir administret ex rebus furto ablatis: Insuper hoc diuortium ob inductionem ad peccatum, non conceditur perpetuum, sed ad tempus, quo inductio illa ad peccandum durat, & proindè resipiscente coniuge ad peccatum inducenti, & seriò conuerso, tenetur alter coniux ad eum admittendum; vnde ratione periculi lapsus in peccatum, ad hoc diuortium celebrandum, non est necessaria iudicis sententia, quia non est perpetuum. *D. Thom. 4. dist.39. qu.1. art.6. Henriq. l.11. de matrim. c.17.n.7. Nauar. c.22.n.22. Fillinc. c.n.400. Bonac. c.n.25. Sylvest. v. matri. 9.q. vlt. Sanch. dis.17.*

20. *Vltima causa* sufficiens ad faciendum diuortium non perpetuum, est sæuitia coniugis, *C. Literas, de renunt. spoliat.* quãdo est tanta, vt absque grauis damni periculo, non possit alter cum illo habitare, donec coniux sæuiens sufficientem securitatis cautionem præstet: non solùm autem sæuitia præterita præbet iustam causam diuertendi, sed etiam timor futuræ sæuitiæ & malæ tractationis; & hæc sæuitia potest præsumi, quamdiu vir retinet concubinam domi, vel etiam extra domum; propterea vxor potest à viro recedere, donec vir dederit sufficientem cautionem pignoratitiam & fideiussoriam, vel saltem iuratoriam expellendi concubinam, illamque non recipiendi in futurum. Item furor alterius coniugis, quando ita vehemẽs est, vt alter coniux periculum habeat cohabitando, vel quando vnus coniugum tentauit alterum occidere; vel quando delictum vnius coniugis potest esse alteri causa grauis damni, vt quando vxor est venefica, liberorũ interfectrix, aut quando timetur vt enecet virũ, est causa sufficiens. Ex *Nau. c.22.n.2. Fillinc. c.n.402. Sanc. d.18. Con. 4. decr. p.2.c.7.§.5. Sylu. c.q.62.a.1.*

21. Quando diuortiũ est absolutũ, & perpetuum ratione sęuitiæ, aut furoris alterius coniugis, tunc licet transitus ad religionem vel ordiné sacrum ei, qui sanus est & innocens: quia est eadem ratio, quæ in diuortio ob adulteriũ vel hęresim: si verò non sit perpetuũ, sed tẽporale, quale cõmuniter esse solet, nõ licet; quia cùm diuortiũ non sit perpetuũ, ius cõiugale nõ est amissum, sed eius executio est temporaliter suspẽsa; vnde si sanus possit habitare cũ altero, non poterit trãsire ad religioné: idem si spes probabilis sit fore vt coniux furens redeat ad sanitate, vel sæuus ad pristinum, statum. *Sanch. c.nu.47.48. Nau. conf.5. de duort. Henriques l.12. c.5. num.10.*

22. Attento iure nouiori authenticorũ *Auth.2. licet mat. §. illud collat.8.* apud innocentẽ est educãda proles, quando culpa

alterius cõiugum, diuortiũ factum est; ab hac tamẽ regula excipiũtur aliqui casus; *Primo* si parens innocẽs esset infidelis, tũc apud fidelem, quamuis in culpa fuerit, educãda est: *Item* si mulier transit ad secundas nuptias, tunc apud patrem, etiamsi in culpa fuerit, est educanda. *Tertiò* si mater causam diuortij dedit, & ipsa est locuples, vir autem pauper, apud matrem sobolis alenda est: *Denique* debet proles educari apud parentem innocentem, rei expensis. *Emmanuel Sá v. diuort. num. vlt. Sanchez disp. 20.*

De diuortio, Vide *Compensatio* n. 11.

DOMINIVM I.

De subiecto & obiecto Dominij.

SVMMARIVM.

1. *Definitio Dominij.*
2. *Dominium, vnum est iurisdictionis, alterum proprietatis.*
3. *Dominium proprietatis diuiditur in perfectum & imperfectũ.*
4. *Soli naturæ rationali conuenire potest dominium.*
5. *Paruuli ante vsum rationis, an habeant verum dominium.*
6. *Quadruplex genus peculij potest competere filijsfamilias.* Castrense, quasi castrense, aduentitium, profectitium.
7. *An serui habeant dominium perfectum.*
8. *An religiosi.*
9. *An religiosi beneficiarij.*
10. *An alicui religioso possint superiores concedere aliqua bona stabilia, ad vsum dumtaxat, vel administrationem.*
11. *Clerici non religiosi, an habeant verum dominium bonorum patrimonialium, vel quasi patrimonialium.*
    Et an beneficiarij, eam partem fructuum, qua congrua eorum sustentationi est necessaria, teneantur erogare ad opera pietatis.
12. *Clerici beneficiarij, an sint Domini de ea parte fructuum, qua non est vllo gradu conuenientis sustentationis necessaria, sed superflua.*
13. *In rebus quæ vsu consumuntur, an vsus distinguatur à dominio?* refertur duplex sententia.
14. *Res externa, vt montes, agri, flumina, plantæ, bestiæ, &c. an cadant sub dominium hominis.*
15. *An homo possit cadere sub dominium alterius.*
16. *An homo sit dominus vitæ suæ & membrorum.*
17. *An suæ famæ.*
18. *Quæ requirantur ad acquisitionem dominij.*

1. DOminium *est ius perfectè disponendi de re aliqua corporali nisi lege prohibeatur.* hanc definitionem iurisperiti cõmuniter ponunt Dicitur autem *Ius*, loco generis: ius enim sub se complectitur tam dominium, quàm alia pleraque iura: vnde est legitima facultas aliquid faciẽdi vel obtinendi, vel alio modo se habendi, cuius violatio iniuriam constituit, dicitur *perfectè disponendi*, id est, omni modo & propria authoritate, siue in proprium, siue in alienum commodum ea vtendo, siue abutendo, siue eam distrahendo, aut consumendo, siue reseruando: hinc excluduntur omnia ea iura, quæ dicuntur dominia imperfecta, in quibus proprietas non coniungitur cum vsufructu vel cum pleno vsu, quale est illud, quod vocatur directum, quod est dominium nudæ proprietatis. Item dominium vtile, quod est solius vsusfructus, vel vsus. Item pignus, seu ius quod habet creditor in rem oppignoratam: licet enim per hæc obtineatur aliquod ius in re, ad aliquem determinatum effectum & vsum, non tamen ad omnem vsum; quia res in quibus hæc iura habentur, non possunt vendi, donari, destrui. Dicitur *de re corporali*, nam rerum, aliæ corporales sunt, aliæ incorporales; *Corporales* sunt, quæ suapte natura tangi possunt, veluti, fundus, homo, vestis, aurum. *Incorporales* sunt, quæ tangi non possunt, sed intellectu tantùm apprehendi, vt sunt ea, quæ in iure consistunt, vt ius hæreditatis, vsus fructus, ius eligendi, ius præscribendi. Dicitur præterea, *Nisi lege prohibeatur*, quia etsi iura aliquando iusta de causa alligent, & impediant ius aliquod, ne in actum prodeat, & si prodierit ne factum teneat, non tamen efficiunt eiusmodi ius non esse dominium: vnde etsi pupillus nequeat alienare bona sua, vsque ad tempus à Patre, vel à iure præfinitum, nihilominus tamen est legitimus eorum dominus. Vide *Bartolu. l. Si quas vx. §. differentia ff. de acquirẽd. possessione. Molina tract. 2. disput. 3. Sylvius 2. 2. qu. 66. art. 1. quæst. 1. Lessius l. 2. cap. 3. dub. 2. Filiuc. tr. 31 cap. 3. q. 1. Layman l. 3. tra. 1. c. 5. num. 2. Clauss Reg. l. 9. cap. 2. num. 3. Valentia to. 3. disp. 5. q. 10. punct. 1.*

2. Dominium duplex est, vnum *iurisdictionis*, alterum *proprietatis*: dominium *iurisdictionis*, est potestas gubernandi suos subditos, iudicandi, protegendi, nec non accipiendi à subditis emolumenta, quæ ea de causa debentur: diuiditur autem hoc dominium eo modo quo iurisdictio ordinaria, nempe in *Ecclesiasticum* & *seculare*. *Ecclesiasticum* dominum est potestas Papalis, Patriarchalis, Archiepiscopalis, Episcopalis, & aliæ inferiores. Dominium *seculare* est potestas Imperatoria, Regia, Ducalis, Comitalis, & similes respectu prouinciarum, oppidorum & pagorum, quæ ipsis proprio iure subsunt in negotijs secularibus: dominium *proprietatis* est ius disponendi de re aliqua tamquam sua, in suum commodum; ab hoc dominio quisque dicitur rei suæ Dominus, & competere potest, tum communitati, tum priuatæ personæ, vel publicæ. *Clauss reg. l. 9. c. 2. nu. 8. Lessius l. 2. c. 3. dub. 1. n. 2. Filiuc. c. n. 55. Becanus tr. de iust. c. 2. q. 2. Malder. de iust. & iure tr. 1. c. 3 dub. 3.*

3. Diuidi potest dominium proprietatis in *perfectum* & *imperfectum*, *L. si ita à te stipulat. ff. de verb. signific. perfectum* dicitur quod continet proprietatem rei & commodorum eius; *imperfectum*, quod tantùm habet vel proprietatem rei absque emolumentis, vel emolumenta absque proprietate; vnde hoc dominium aliud dicitur *directum*, aliud *vtile directum* continet solam rei proprietatem; & tale dominium habet filius familias in peculio, quod dicitur aduentitium, & qui dedit in emphyteusim vel feudum: dominium *vtile* continet solam rei commoditatẽ, & vtilitatem, quale habet vsufructuarius, feudatarius, emphyteuta. *Bartol. in L. si quis vi. §. directum n. 5. ff. de acquir. poss. Clau. Reg. c. n. 10. & 11.*

4. Cùm fundamentum omnis dominij, sit intellectus & libera voluntas, hinc soli naturæ rationali conuenire potest, scilicet Deo, Angelis, & hominibus: Deus quidem summum quoddam absolutissimum, & prorsus independens: in omnes creaturas habet dominium, ratione creationis & conseruationis: Angeli proprie nó videntur habere dominium nisi suarum actionum; tamen propter magnam authoritatem quam habent administrandi res corporales, possunt dici habere illarum dominium, licet tale non sit, quale est humanum. Hominibus autem proprie conuenit hoc dominium in res externas, cùm illis solis res istæ concessæ sunt, vt de illis liberè disponant ad sua commoda. Vt docent *Soto de iust. l. 4. q. 1. art. 2. Sylu. c. q. 66. ar. 1. q. 3. Layman c. n. 3. Faustus in spec. disp. 1. q. 7. 9. 10. & 11. Molina c. disp. 18. Clauss Reg. c. c. 4. Filiuc. c. n. 91. 92.*

5. Paruuli, ante vsum rationis, habent verum dominium; quia satis est, quòd habeant potentiam ad vsum liberi arbitrij, quamuis non habeant vsum; alioqui dormientes amitterent dominium suarum rerum, quod esset ridiculum: idem dicendum de amentibus; probari autem potest ex epistola. *Diui Pauli* ad Galatas 4. *Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit Dominus omnium. Victor. relect. de Indis n. 21. & 22. Lessius l. 2. c. 4. disp. 2. Becanus de iust. c. 3. q. 2. Faustus in spec. disput. 1. quæst. 12.*

6. Secundùm communem Doctorum sententiam, filijs familias quadruplex genus peculij potest competere, *Castrense, quasi castrense, Aduentitium, profectitium. Auth. Presbyteros C. de Episcop. & clericis. L. 4. ff. de Iud. L. castrense ff. ve castr. pecul. Castrense* peculium dicitur, quod in militia, vel occasione militiæ partum est. *Quasi castrense* dicitur omne id, quod ex beneficio Ecclesiastico acquiritur; imò quidquid acquiritur post clericatum, etiamsi aliàs esset aduentitium, præterea quidquid acquiritur officio publico non mechanico, vt iudicis, aduocati, tabellionis, medici, lectoris, &c. vel per donationem principis. In peculio castrensi & quasi castrensi filius familias habet plenum dominium, ita vt tota proprietas & vsus fructus, & administratio, horum bonorum sit penes filium, & de illis potest disponere per donationes vel contractus, imò etiam per testamentum & vltimas voluntates, & parens ex his bonis non potest sibi quidquam vsurpare, nisi quantùm necessarium est, pro alimentis filij, si illum ex suis alat, alioquin volente filio teneretur ad restitutionem. *Nauar. in man. c. 17. à n. 141. ad 144. Lessius c. dub. 3. Syluester v. peculium. Filiuc. n. 95. Becanus c. quæst. 3. Sylu. 2 2. q. 32. a. 8. & q. 69. art. 1. concl. 5. Faustus in spec. disp. 1. quæst. 15.*

Aduentitium peculium dicitur, summa illorum bonorum, quæ

dum a Deo et a nullo alio tenet, Bracton, fol. 34. Et dicitur a Deo, quia ipse dat ei vires, ut terram illam acquirat. Et a nullo alio, quia nullus est qui ei dominium illud auferre possit, nisi Deus. Et dicitur a nullo alio, quia nullus est qui ei dominium illud auferre possit, nisi Deus. Et dicitur a nullo alio, quia nullus est qui ei dominium illud auferre possit, nisi Deus.

Dominium Regis. Dominium Regis est jus quod Rex habet in terra sua, quod est jus quod Rex habet in terra sua, quod est jus quod Rex habet in terra sua, quod

cipiunt, etiam partis illius redundantis; peccare autem mortaliter, nisi expendant in opera pia illam partem; quod probabilius videtur, post erectionem beneficiorum & diuisionem bonorum communium. Ratio prioris est, quia conducens bona beneficij, dominium habet fructuum, qui ex huiusmodi bonis percipiuntur. Ergo etiam dominium illorum habet beneficiarius, qui huiusmodi bona locat; alioquin plus iuris in alium transferret, quàm ipse habeat, contra *text. in cap. nemo potest, de reg. iuris in 6.* Ratio autem posterioris est, quia est contra districtum Ecclesiæ præceptum, in Tridentino *sess. 25. cap. 1. de reformatione. D. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 7. Sylu. ibid. concl 3. 4. & 5. Layman l. 4. tr. 2. c. 3. n. 3. Valent. tom. 3. disp. 10. q. 3. punct. 7. Bonac. tom. 1. tr. de obl. benefic. pu. 1. & 2. Reginald. tr. 3. l. 30. n. 78. Filiuc. tr. 41. c. 6. q. 8. Bannes 2. 2. q. 32. art. 6. Graffius 1 p. l. 2. c. 100. Sotus de iust. & iure l. 10. q. 4. ar. 3. Diana p. 5. tr. 8. res. 31. Faustus in spec. disp. quæst. 18.*

Et certè nisi Ecclesiastici obligarentur superflua in pios vsus impendere, valde improuidè faceret Ecclesia, tantam affluentiam fructuum illis permittendo: id enim esset illis dare ansam & instrumentum luxus, libidinum, superbiæ, & frustrari pia fidelium vota. Ita passim Doctores huius temporis. Verùm etsi prima sententia in praxi sit consulenda, tanquam tutior & præcipuè ante factum, damnandi tamen non sunt, nec obligandi ad restitutionem, qui secùs facerent, cùm posterior sententia sit valde probabilis, & tuta conscientia in praxi possit teneri, quia nemo est cogendus ad restitutionem eorum, quæ possidet, nisi constet esse aliena: sed nulla est ratio vel authoritas, quæ sufficienter conuincat, clericos non habere dominium horum bonorum, aut hæc bona esse alijs ex iustitia debita, ergo verè sunt censendi domini: Si domini, ergo cùm malè expenderint, non tenentur ad restitutionem.

Sed petes, quanta pars fructuum constituenda sit, pro congrua beneficiarij sustentatione?

Respond. Sicut iustum cuiusque rei pretium, regulariter non consistit in indiuisibili, sed habet latitudinem quamdam infimi, medij & supremi, seu rigorosi, sic quod necessarium est ex reditibus beneficij, ad congruam cuiusque beneficiarij in particulari sustentationem, non consistit in indiuisibili, sed habet etiam latitudinem infimi, medij & supremi. Ita *Maior in 4. disp 24. q. 18. Nauarr. tr. de orat. misc. 62. n. 7. Molfesius tr. 6. c. 9. n. 42. Molina to. 1. de iust. tr. 2. disp. 145. Layman c. n. 2. Azorius 2 part. lib. 6. c. 10. q. 9. Lessius l. 2. c. 34. n. 149. Filiuc. tr. 41. c. 7. n. 19.* Ratio est, quia virtutes morales medium indiuisibile non requirunt, sed latitudinem in eo, absque ipsarum vitio, patiuntur; ergo eodem modo res habet in re beneficiaria. Habenda est etiam ratio scientiæ, & litteraturæ, nobilitatis, aut dignitatis, quam beneficiarius obtinet, aut loci, in quo beneficium habet; maior enim quantitas necessaria est in ciuitate, quàm in villa, in loco vbi est inopia, quàm vbi est annonæ copia, in Prælato, quàm in simplici Sacerdote: Præterea decens beneficiarij sustentatio, includit etiam moderata conuiuia, pro beneficiarij qualitate, consanguineis & amicis exhibenda; item includit, non solùm id, vnde remuneratorias, sed id etiam vnde moderatas, merè liberales donationes, pro loco & tempore, iuxta suam conditionem & statum efficiat. Porrò consuetudo beneficiariorum piæ timoratæque conscientiæ in quouis loco meritò habenda est pro regula, ad quam similes beneficiarij, tutò admetiri possunt familiam & sumptus ad suam competentem sustentationem, quando nulla interuenit circumstantia aliud exigens.

Plura de his apud Doctores hic citatos.

Sed ex dictis oritur aliud dubium, quænam quantitas eleemosynæ necessariò ab Episcopis & Ecclesiasticis sit expendenda in pauperum necessitatibus? Sanè commune est inter Doctores pronunciatum, totum, quod superest beneficiario post suam congruam sustentationem, expendi debere in pauperes & vsus pios: Nihilominus quidam recentiores, vt probabile admittunt, hos teneri, vt minimum, erogare quartam partem fructuum, siue redituum in opera pia, vel medietatem residui congruæ sustentationis, nec teneri ad plus erogandum per se & in necessitate communi, non in graui. Rationes huius sententiæ & Authores vide apud Dianam *p. 5. tract. 8. resol. 27.*

13. Quorumdam satis celebris sententia est in rebus quæ vsu consumuntur, vt pomo, carne, pane, vel alienantur, vt pecunia, vsum non distingui à dominio, ac proinde Fratres Minores habere verum dominium in hisce rebus, vt ait *Ioannes 22. Extrauag. ad Conditorem Canonici in reg. S. Benedict. n. 871. Sylueſter v. dominium q. 2.* sed probabilior & verior sententia est, ius vtendi posse esse separatum à dominio, etiam in ijs rebus quæ vnico actu vtendi consumuntur, vel alienantur, & consequenter ordinem Minorum non solùm in rebus alijs, sed etiam in ijs, quæ vnico actu vtendi consumuntur, habere nudum vsum seu ius vtendi separatum ab omni dominio, vt patet ex decretis Pontificum Nicolai 3. & Clementis 5. quibus tres alij Pontifices, nempe, Innocentius 4. Alexander 4. & Gregor. 9. consentiunt. Communiter probatur hæc sententia, vsum & ius vtendi, verbi gratia, pane vel pecunia, dupliciter alicui posse concedi. *Primo* irreuocabiliter, & talis vsus vocatur, vsus iuris, qui non videtur multum differre à dominio. *Secundò* reuocabiliter, & dependenter à voluntate concedentis, & hunc vsum vocat *Nicolaus 3. Extrau. exiit qui seminat. in 6. Clement. 5. in Clement. Exiui de paradiso Soto de iust. l. 4. q. 1. ar. 1. Faustus in spec. disp. 34. q. 30. Becanus de iust. c. 2. q. 9. Nauar. comment. 2. de regul. n. 3. Lessius l. 2. c. 3. disp. 8. Filiuc. tr. 31. n. 62. 63. Clauis Reg. l. 9. c. 7. n. 12. & seq. Sylu. 2. 2. q. 66. a. 1. quæst. 2.* vsum facti, non quòd in eo nihil sit iuris, sed quia non est ius absolutum & solidum, vtpote ab alieno nutu dependens, donec res ipso facto consumatur; & hoc ius sine dubio distinguitur à dominio, quia dominium est ius in re absolutum & firmum, non dependens ex alterius nutu & arbitrio. Proinde quidam Doctores aiunt in hoc non dissentire præfatos Pontifices: quia *Nicolaus Papa* solùm docet vsum facti & etiam vsum iuris cum dependentia ab alterius voluntate, qualem vsum habere solent homines, qui precario rem alienam habent, distingui à dominio; at verò *Ioannes 22.* rectè probat vsum iuris perfectum & absolutum cum independentia ab alio, quem vsum ius ciuile vocat vsumfructum, vel vsum, id est, ius vtendi vel fruendi re independenter ab alio, non distingui à dominio. Quando autem idem Papa *Ioannes 22.* ait in re vsu consumptibili eo ipso quod habetur vsus facti licitus & iustus (ad differentiam scilicet vsus facti illiciti quem habent fures in re furto sublata) habetur vsus iuris, Respondetur id verum esse, si vsus facti sit irreuocabilis, & independens à voluntate alterius; si tamen quamdiu durat, dependens sit à voluntate domini, talis vsus facti licitus & iustus est, non tamen dicitur vsus iuris perfectus, sed imperfectus, atque adeò quamuis vsus iuris perfectus & independens non distinguatur à dominio, vsus tamen imperfectus, & qui dependet ab alterius voluntate verè à dominio distinguitur. Licet enim *Ioannes 22.* in sua extrauagante abdicauerit à se & ab Ecclesia Romana dominium rerum, quæ vsu consumuntur à fratribus minoribus, hæc tamen renunciatio seu abdicatio suum non habuit effectum, quia fundata erat in falsa præsumptione, neque vnquam à successoribus suis approbata fuit: imò sequentes Pontifices dominium illud denuò ad se receperunt, vt *Paulus 4.* anno 1555. in bulla, *ex clementi*, cum expressa derogatione constitutionis *Ioannis 22.* Et *Pius 4.* in bulla *Sedis Apostolicæ* anno 1565. data etiam approbauit & confirmauit ordinationes pro reformatione Ordinis Minorum factas, quarum cap. 4. vbi agitur de receptione pecuniæ, dicitur quod *fratres minores semper sint professi omnia sua, dominium & proprietatem bonorum omnium suo vsui deputatorum, penes Ecclesiam Romanam extitisse, vsu facti simplices contenti.* Vide *Compendium prud. Mendic. v. paupertas.* vbi inuenies *Alexandrum VI.* idem dominium retinuisse, qui sequutus est in hoc *Nicolaum III.* non autem *Ioannem XXII.* Proinde quantumuis dantes eleemosynas, velint quantùm in ipsis est, transferre dominium in fratres minores, non possunt tamen, ex eo, quòd fratres illi incapaces sint dominij. Et si accideret ea quæ fratribus illis donantur, non transferri quoad proprietatem in Romanam Ecclesiam, non propterea tamen vel fierent occupantis, vel possent à quolibet auferri: quia legitimus eorum vsus competit ipsis fratribus, ac proinde non possunt isto vsu spoliari per quemlibet sine iniustitia. Igitur fratres minores assequuntur filiorum conditionem, qua vt habetur tit. De acquirenda rerum possessione L. Quidquid: *Quidquid filius familias habet ex peculio, siue cibaria sint, siue vestes, siue pecunia, vel alia, quæ vsu consumuntur, solum habet vsum facti, & proprietas remanet apud Patrem.* Vnde paupertas Fratrum Minorum non repugnat iuri ciuili. Imò testatur *Rodrig. 1. 3. q. reg. q. 30. a. 1.* in Capitulo generali Miclencnsi declaratum esse, quòd Papa *Ioannes 22.* reuocauit ante mortem suam, quidquid dixerat vel fecerat contrarium Ecclesiæ, & determinationi Romanorum Pontificum, circa prædicta. Quare constitutiones, quas fecerat cõtra declarationes *Nicolai 3. Clementis 5* nullius sunt roboris, vt in Monumentis Ordinum refertur. Plura de hac quæstione vide apud *Malder. de iust. & iur. tr. 1. c. 3. dub. 4.*

14 Res

14 Res externæ, vt montes, agri, flumina, plantæ, beſtię & ſimilia vſibus humanis ſubiecta, cadunt ſub dominium hominis; non quòd ſinguli habeant earum rerum dominium, quæ ab alijs iam occupatæ ſunt, ſed quia quiſque ius habet conceſſum ſibi à natura, vt poſſit occupare rem quamlibet, & ſibi attribuere, modò ab alio antè occupata non fuerit: Cœlorum autem & aſtrorum aliquo modo dominium homo habet, quatenus in illius vſum & obſequium facta ſunt. *D.Th.* 1.p.q.96.a.2. *Molina* to.1.tr.2.diſp.18. *Fauſtus inſpec.diſp.*1.q.10.& 11.

15. Quamuis iure naturæ omnes homines ſint cõditione pares, habentes nempe eaſdem cauſas, materialem, formalem, efficientem & finalem, iure tamen gentium & ciuili, ſuppoſito peccato & poſt Adæ lapſum, homo poteſt cadere ſub dominiũ alterius, & ita effici ſeruus illius, vt patet in multis ſcripturæ locis. *Exodi* 21. *Leuit.*25. *Deuter.*20. Ita *D.Gregor l.*21. *mor.c.*11. *Becanus c.c.*4.*qu.*4. *Claeus reg.c.c.*6.*n.*6.

16. Secundùm *D.Th.*2.2.*q.* 64.*a.*5.& *q.*65.*a.*1. *Valent.*1.3.*d.* 5.*q.*10.*p.*1.*dub.*3. *Claeus reg.c. c.*5.*n.*4. *Becanus c.c.*4.*q.*1. *Sylu. c. quæſ.*7. *concl.*5. communiter receptum homo non eſt dominus vitę ſuę, nec membrorum, ſed ſolùm cuſtos & quaſi vſuarius, dominium autem horum eſt apud ſolum Deum; quia dominium non eſt, niſi in eas res quas noſtra induſtria nobis poſſumus adſciſcere: vnde nec Princeps nec Reſpub. eſt dominus vitæ ſuorum ſubditorum vel ſeruorũ; neque poteſt pro arbitratu ſuo aliquem occidere, aut mutilare, & ſi aliquando occidant malefactores, *id* faciunt tamquam cuſtodes boni publici.

17. Secundùm communiorem ſententiam recentiorum Doctorum, *Nauar.c.*18.*n.*27. *Leſſius c.*4.*dub.*11. *Sylu. c.concl.*7. homo eſt dominus ſuæ famæ, ſicut rerum externarum; quia fama & honor ponuntur inter bona externa, quæ poſſunt à nobis acquiri & deperdi, eorum autem quæ nobis acquirimus ſummus domini, prout dictum eſt. [Vide v. *Detractio 1.num.*18.]

18. Ex diſpoſitione legum ciuilium, iuxta *Conar.l.*2.*var.c.*19. *n.*3. *Claus reg.l.*9.*c.*10.*n.*9.& 10. *Leſſius c.c.*3.*dub.*3. *Malderus tr.*1.*c.*3.*dub.*5. duo requiruntur ordinariè ad acquiſitionem dominij, quando illud tranferendum eſt ab vno in alium; *Titulus* nempe & *traditio*: Eſt autem *titulus* id, in quo totum ius primitùs fundatur, vt emptio, donatio, ſucceſſio hæreditaria, per hæc tamen nondum habetur dominium, aut ius in re, ſed ſolùm ad rem, niſi accedat certa quædam traditio, quæ eſt veluti conditio neceſſaria, vt ex vi prioris donationis vel emptionis reſultet dominium; In quibuſdam autem caſibus, iure communi Cæſareo, ad dominium acquirendum non eſſet neceſſaria traditio. *L.*1.*ff.de pignorib.Primò* ad ius hypothecæ vel pignoris, nuda conuentio vel legis diſpoſitio ſufficit. *C.ſi tibi abſenti, de præbendis in* 6. *Secundò* in beneficijs, ius in re acquiritur per collationem & acceptationem *Inſtit.de hæredum qualitate §.vlt. Tertiò* in hæreditate; dominus enim fit quis hæreditatis, ſiue per teſtamentum, ſiue ab inteſtato, ſola adita hæreditate verbo vel facto *L.A Tuio ff.de furtis Quartò* in legato, ſi enim res certa tibi legata ſit, ſtatim per acceptationem efficeris illius dominus. *L.vlt. C.de ſacro ſanct.Eccleſius. Quinto* quando aliquid donatur, venditur, aut relinquitur ciuitatib. Eccleſijs, aut alijs pijs locis, aut in redemptionem captiuorum. *Sexto* ſi princeps cõtrahat, cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, erit translatum abſque alia traditione. *Porrò* quando dominium non transfertur ab vno ad alterum, ad acquiſitionem eius ſufficit apprehenſio, ſic enim acquiruntur dominia earum rerum, quæ nullius ſunt, vt in ſequentibus dicetur.

Vide *Eleemoſyna* num.13. *Emphyteuſis* num.3.

DOMINIVM II.

De modo acquirendi Dominium.

SVMMARIVM.

1. *De diuiſione dominiorum poſt Adæ lapſum.*
2. *Quot modis dominium in homines acquiratur.*
3. *Rerum irrationalium dominium, quomodo acquiratur,*
4. *Quæ res iure gentium fiant primo occupantis.*
5. *Animalia naturæ ſuæ manſueta & domeſtica, an fiant occupantis, ſi euaſerint poteſtatem dominorum.*
6. *Penes quem ſit dominium ferę lethaliter percuſſę; vel è laqueo alterius extractę.*
7. *Lapilli & gemmæ, an fiant inuentoris, ſi inueniantur in littore maris.*
8. *Derelicta fiunt primò occupantis.*
9. *Inſulæ, quæ in mari vel in flumine naſcuntur, an fiant capientium.*
10. *Dominium bonorum vacantium, iure ciuili quando deuoluatur ad fiſcum.*
11. *Theſaurus, an tranſeat in dominium inuentoris occupantis.*
12. *Quomodo Syluarum cæduarum dominium ſibi acquirat quilibet ex populo vel republica.* Remiſſiuè.

1. GEnus humanum quaſi iure naturali habet aliquo modo dominium rerum inferiorum, quæ ad hanc vitam degendam neceſſariæ ſunt, patet Geneſis 1. *Dominamini piſcibus maris*, & ex celebri illo dicto Iuriſperitorum, *C.ius gentium, d.*1. *Lex hoc iure ff.de iuſt.& iur.res omnes iure naturæ eſſe communes.* Dominium tamen, ante diuiſionem factam, non fuit in aliquo priuato homine, ſed in toto genere humano, idque non tam actu quàm poteſtate & iure: quia author naturæ, non creauit res iſtas ad vſum vnius hominis, ſed omnium ſimul; vnde nullius erant poſitiuè, tamen ſinguli vel omnes ſimul, habebant ius ad illa occupanda, & acquirendum dominium, per anticipatam occupationem; quare hoc ius non tribuebat actu dominium, ſed tantùm potentia, vt poſſent ea bona ſibi propria facere per occupationem, à qua ſine iniuria prohiberi non poterant. Ex quo patet rerum diuiſionem, & priuata earum dominia, non repugnare legi naturali, immò lex naturalis concedit poteſtatem diuidendi bona, eaque propria efficiendi: hinc dominiorum diuiſio poſt Adæ lapſum in peccatum, non ſolùm fuit licita, vt conſtat ex multis ſcripturæ locis, ſed etiam commoda generi humano, quia magis, ſollicitus eſt quiſque ad ſua ſeruanda, quàm ea, quę cæteris communia ſunt, & ſic pacificus hominum ſtatus melius conſeruatur. Hæc autem diuiſio non eſt introducta iure naturali, nec diuino poſitiuo, nec ciuili, ſed iure gentium, ſeu communi conſenſu populorum.

Prior pars patet, quia alioqui contra naturam eſſet rerum cõmunio, quod patet eſſe falſum ex praxi primitiuæ Eccleſiæ, & vſu religionum; nec etiam iure diuino poſitiuo, quia nuſquam exſtat tale ius. Item nec iure ciuili, nam ante omne ius ſcriptum erat hæc dominiorum diuiſio, quare facta eſt iure gentium; vnde omnes gentes, non extremè barbaræ conſentiunt in hanc diuiſionem, pacis cauſa, & vt res ipſæ melius adminiſtrentur Ita *D.Tho.*2.2.*q.*66.*a.*2.*ad* 1. *Iſidorus in C.ius naturale diſt.*1. *Becanus de iuſt.c.*5.*q.*3. *Claeus reg.l.*9. *c.*8. *Valent.t.*3.3. *diſp.*5. *q.*10. *p.*2. *Layman l.*3.*tr.*1.*c.*5.*n.*5. *Fillinc.tr.*31. *c.*5.*q.*1.& 2. *Molina.p.* 1.*tr.*2.*diſp.*20.*conc.*1. *Sylu.*2.2. *q.*66. *a.*2. *quæſit.*1. communiter; quibus adde P.Nauarra *lib.*3.*c.*1.*n.*6.& *ſeq.*

2. Quatuor modis, dominium in homines acquiritur. *Primus* eſt iure belli, quando ſcilicet in iuſto bello quis capitur, iure gẽtium conſueto ſeruari in bello, mancipium fit capientium, inter Chriſtianos autem hoc ius non ſeruatur; ob conſuetudinem contrariam iam præ præſcriptam. *Secundus* modus ſeu titulus eſt, natiuitatis, qui enim naſcitur ex matre ancilla, ſiue pater libet ſit, ſiue non, fit ſeruus; quia partus ſequitur ventrem: de quibus plura ſuo loco, *v. Seruitus Tertius* titulus eſt, iuſta condemnatio, qua quis fit ſeruus, ſi ad hoc propter delictum à legitimo iudice cõdemnetur. *Quartus* titulus eſt, emptione & venditione, ſi quis enim ſe vendat vel vendatur à patre, fit ſeruus emptoris, cùm homo iure naturali ſit Dominus ſuæ libertatis, & conſequenter poſſit eam alienare, ſeque in ſeruitutem redigere. De quibus *Sylueſt.v.ſeruit.q.*3. *Claeus reg.l.*9.*c.*6. *n.*10. *& ſeq. Conar.reg.peccatum* 2.*p.* §.11.*n.*6. *Leſſius l.*1. *c.*4. *Fillinc.tr.*31.*c.* 5.*n.*116.*& ſeq.*

3 Dominium rerum irrationalium, multis modis iure acquiritur. *Primus* per occupationem. *Secundus* per natiuitatem. *Tertius* per alluuionem. *Quartus* per effectionem alicuius rei ex aliena materia. *Quintus* per acceſſionem. *Sextus* per confuſionem materiarum & commixtionem pecierum. *Septimus* per ædificationem & plantationem. *Octauus* per traditionem rei cum animo transferendi dominium. *Nonus* per poſſeſſionẽ bonæ fidei rei alienæ. *Decimus* per contractum, vel quaſi contractum de ſquibus modis particulatim agetur ſuis locis. *Ex Inſtit.& Digeſt. Titulus de acquir.rerum domino.*

4 Res illæ iure gentium fiunt primò occupantis, quæ antea nullius erant, neque vnquam fuerunt, niſi de aliquibus in particulari aliud, aut iure regni alicuius, aut iure ciuili conſtitutum ſit, ad hoc autem genus rerum reducuntur. *Primo* bruta ſeu animalia

malia natura ſua fera vel manſueta. *Secundò* lapilli in littore maris & gemmæ. *Tertiò* ea quæ habentur pro derelictis. *Quartò* ſunt ea loca, quæ aut numquam habitata fuerunt, vel ſaltem longo tempore ſunt deſerta ab incolis & habitatoribus. *Quintò* ſunt res naufragio amiſſæ vel iactatę in fundum maris per longum tempus. *Sextò* ſunt ea quæ dicuntur bona vacantia per mortem alicuius nullo relicto hærede. *Septimò* ſunt theſauri. *Octauò* ſunt ſyluæ cæduæ. *Nonò* paſcua: de ſingulis ſuo ordine dicendum. *Clauis reg. l. 9. c. 9. n. 4. Sylueſt. v. mueutum quæſit. 1. Ioan. Medina cod. de rebus reſtit. q. 12. d. 2. Filliuc. c. c. 6. n. 128.*

5. Animalia natura ſua manſueta & domeſtica, vt ſunt oues, boues, equi, ſues, gallinæ domeſticæ, & ſimiles, non fiunt occupantis, etiamſi euaſerint poteſtatem dominorum, nec licet ea capere: quia hæc licet fugerint, non tamen ideò recuperant libertatem, & adhuc manent in dominio prioris domini; vnde vbicumque ſint oberrantia, dominis ſunt reſtituenda: imò ſi à lupo vel à vulpe capta fuerint, qui ea exemerit, reſtituere debet quidquid de illis ſuperfuerit; poteſt tamen qui extraxit vel detulit, pretium ſuæ induſtriæ exigere. Animalia verò quæ manſuefieri ſolent & vſu manſuefacta ſunt, tamdiu manent ſub poteſtate dominorum; quamdiu conſuetudinem habent ex libera vagatione redeundi, ideòque non fiunt primò occupantis: vt ſunt cuniculi, cerui, pauones, columbæ domeſticæ: quod ſi conſuetudinem arbitrio prudentis amiſerint redeundi, cùm à nullo impediantur, licet ea occupare & fiunt occupantis; quia tunc cenſentur ſe recepiſſe in naturalem libertatem. Tandem animantia, quæ proprie fera ſunt & ſylueſtria, & domino carent, fiunt primò occupantis, ſiue capiantur in proprio agro, ſiue in alieno, ſiue in communi: ſi autem hæc dominum habeant, tamdiu retinetur illorum dominium, quamdiu ſub cuſtodia domini ſunt, quod ſi poteſtatem domini euaſerint, & difficilis ſit illorum captura, fiunt primò occupantis. *Paragr. gallinarum inſt. de rerum diuiſione. L. Pomponius ff. de acquir. rer. domin. Nauar. c. 17. n. 128. 129. Molina diſp. 41. Leſſius l. 2. c. 6. dub. 6. n. 28. Syl. 2. 2. q. 66. a. 2. quæſit. 2. Filliuc. c. n. 130. Becanus de iuſt. c. 5. q. 4.*

6. Dominium feræ percuſſæ lethaliter, eſt penes percutientem, ſi eam ita inſequebatur vt moraliter eſſet capturus: quòd ſi percutiens eſt tantùm cauſa, vt alius capiat, diuidenda eſt præda, quamuis dominium ſit ſolùm penes capientem: Fera autem è laqueo alterius extracta, in foro conſcientiæ, eſt illius, qui laqueum tetendit, ſi moraliter erat peruentura ad manum illius: quòd ſi euadere probabiliter poterat laqueum, ſecundùm multorum ſententiam, ſit extrahentis: Inſuper ſi fera, quam vnus perſequitur, incidat in laqueum alterius, vterque habet ius occupandi & erit primò occupantis: Aduerte tamen in his omnibus habendam eſſe rationem conſuetudinis locorum & prouinciarum. *Clauis reg. l. 9. c. 9. n. 5. Molin. to. 1. tr. 2. diſp. 42. Rodrig. in ſum. p. 1. c. 37. n. 7. Filliuc. c. n. 136. Leſſius c. n. 32.*

7. Lapilli & gemmæ fiunt inuentoris, ſi inueniantur in littore maris, ſed ad hoc dominium comparandum, non ſatis eſt aſpectus ſolus & inuentio, ſed requiritur etiam apprehenſio, vel alia exterior actio, qua quis oſtendat ſe velle acquirere eius dominium. *Inſtit. de rerum diuiſione §. lapillorum.* Venæ autem metallicæ, quamuis ſecundùm probabilem ſententiam, in nullius ſint dominio, tamen ius eas effodiendi attribuunt ſibi Principes, ſi ſint loca publica; ſi priuata, poteſtas eſt penes dominum loci niſi particularis conſuetudo loci alia ſit. *Syl. 2. 2. q. 66. a. 5. c. 1. Sotus l. 5 q. 3. a. 3. Becanus c. c. 5. q. 10. Leſſius l. 2. c. 5. dub. 12. Fagundes de iuſtit. l. 2. c. 2. n. 2.* Ex quo ſequitur poſſe Indos Occidentis ratione huius iuris prohibere Hiſpanos ab occupatione talium venarum metallorum in ſuis regionibus, antequam illæ prouinciæ Hiſpanico imperio ſubiectæ eſſent. Ratio eſt, quia quæcumque Reſpublica poteſt prohibere extraneos à venatione in ſuo fundo, & a piſcatione in ſua parte, ſeu diuerticulo fluminis. Ergo multo maiori ratione ab eruendis metallis in ſuis agris.

8. Fiunt etiam primò occupantis ea quæ habentur pro derelictis, quaſia dicuntur, quæ vel expreſſo actu domini, vel præſumpto talia facta ſunt; in dubio autem an talia ſint coniecturis eſt iudicandum: quæ verò naufragio iactantur in aquam, non hoc ipſo ſunt derelicta, multò minùs quæ eripiuntur de incendijs & ruinis: *Inſtit. de rerum diuiſ. §. pen & vlt.* Ligna autem quæ ex inundatione fluminum aſportantur, pro lignorum qualitate, pro diſtantia domini, pro induſtria appoſita ad illa eripienda, arbitrio prudentis iudicandum eſt, an pro derelictis habenda ſint. *Nauarr. in man. c. 17. n. 98. & 170. Becanus c. c. 5. q. 13. Syl. c. concl. 2.*

9. Iure communi fiunt etiam capientium inſulæ, quæ in mari naſcuntur: illæ verò quæ in flumine natæ, in medio fluminis ſunt, communes ſunt, cùm ijs qui ab vtraque fluminis parte prædia habent: ſi autem alteri parti propinquiores ſint, dominium illorum penes eos erit, qui prope ripam prædia poſſident: conſuetudo tamen habet, vt ſubditi cuiuſque reip. addicant ſuæ reip. inſulam, vel alium locum deſertum receptum, præmio ab ipſa accepto. *Inſtit. de rerum diuiſ. §. inſula Molina c. diſput. 55. & 57.*

10. Bonorum vacantium dominium, *L. 1. §. vlt. ff. de iure fiſci. Authent. omnes peregrini.* iure ciuili communi deuoluitur ad fiſcum, ſi defunctus laicus ſit, nullo hærede relicto, qui ab inteſtato ſuccedat: Peregrinorum autem bona mobilia morientium in hoſpitalibus diſtribuenda ſunt eodem iure in pias cauſas per Epiſcopum loci: multis tamen in locis, bona morientium in hoſpitalibus adiudicantur ipſi hoſpitali: alibi verò in redemptionem captiuorum erogantur.

11. Theſaurus, hoc eſt, vetus depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat, iure naturali & gentium tranſit in dominium inuentoris occupantis: *L. numquam ff. de acquir. rer. dominio. Inſtit. de rerum diuiſ. §. theſauros. D. Tho. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. Syl. v. Clauis reg. l. 9. c. 9. n. 8. Leſſius l. 2. c. 5. dub. 15. & 16. Nauar. c. 17. à n. 172. ad 176. Couarr. reg. peccatum p. 3. §. 2. n. 3. Filliuc. tract. 31. c. 6. à n. 152.* quia quæ nullius ſunt, illo iure fiunt primò occupantis: communi tamen iure ſtatutum eſt, vt ſi in propio fundo theſaurus inuentus fuerit, totus ſit inuentoris; in alieno autem & fortuitò repertus, dimidium erit inuentoris, & dimidium domini fundi; ſi autem de induſtria quæſitus ſine conſenſu domini, totus erit domini, poſt ſententiam iudicis intellige: ſi verò ex conſenſu domini quæſitus fuerit, pacto ſtandum eſt, ſi quod initum eſt; alioquin totus theſaurus erit inuentoris: quòd ſi fundus duos dominos habuerit, nimirum directum & vtilem, dimidium erit Inuentoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo eſt diuidendum: Qui autem emit locum ſciens in eo latere theſaurum, efficitur dominus totius theſauri, quia dominus loci non cenſetur dominus theſauri in eo latentis, cùm non ſit pars loci, nec fructus; ideò tamquam carens domino erit primò occupantis. *Si* theſaurus in loco publico inueniatur, verbi gratia, in flumine, in platea effoſſa in via publica, totus eſt inuentoris, licet probabile ſit dimidium eſſe Principis: quando autem in loco ſacro theſaurus inuenitur, dimidium ſibi acquirit inuentor, & dimidium eſt prælati vel Eccleſiæ, cuius fuerit talis locus ſacer; licet quidam velint totum eſſe inuentoris: Quod ſi per magiam in alieno fundo theſaurus repertus ſit, poſt ſententiam iudicis pertinet ad fiſcum pars inuentoris, Dominus autem loci ob maleficium alterius non debet ſuo iure priuari. Hæc ſecundùm ius commune: ſi autem in aliqua prouincia ſint leges & conſuetudines iuſtæ, illæ ſunt ſeruandæ. *Molina c. diſp. 56. Emmanuel Sa verb. theſaurus.*

Annotandum tamen eſt, quod non eſt propriè theſaurus, ſi quis aurum in terræ ſuperficie, vel in angulo aliquo domus reperiat, quamuis dudum ibi poſitum videatur; ideoque ad inuentorem ſpectabit, ſi dominus, vel hæredes eius ignorentur. Item ſi incolę metu belli nuper defodientes pecuniam, vel ſimilia ea deferant; erutа non cenſeri debent theſaurus, de quo loquimur; quare vel propijs dominis reſtitui, vel ſi iuſtum contra illos bellum geratur, militi inuentori prædæ inſtar cedere debent. Inſuper, ſi quis alteri veſtem vendat, in qua aurum repoſitum latuit, emptor poſtea reperiens aurum non efficietur eius dominus, ſed ei, qui poſuit, vel hæredibus reſtituere debet; cùm in venditionis contractum non venerit aurum propter ignorationem, vti habetur in *l. à tutore, ff. de res vendic.*

Sed eſto emptor triennio cum bona fide poſſederit, neſciens aurum abſconditum eſſe; dici nequit, cum præſcriptione dominium acquiſiuiſſe. Is enim, qui neſcit, non poſſidet aurum, quamuis poſſideat veſtem, in qua eſt aurum: Sine enim poſſeſſione nulla eſt vſucapio.

An autem talis inuentor poſſit ſibi retinere aurum ſi ignoretur dominus, vide dicta ſupra *ver. Bona incerta n. 2.*

12. Quando & quomodo ſyluarum cæduarum dominium ſibi acquirat quilibet ex populo vel rep. cui ſunt illę communes, dictum eſt antea verbo *Caſio lignorum*: idem iuris eſt de paſcuis communibus, ſicut de ſyluis, de quibus *Molina c. diſp. 58. & 59.*

Hæc dicta ſint de modo acquirendi dominium per occupationem; de alijs autem modis memoratis, quibus iure gentium & ciuili dominium acquiritur, quia in vſum non ita frequenter veniunt,

veniunt, in particulari mentionem non faciemus brevitatis ergo: dicta de dominio sufficiant Theologo morali, plura inperitis disputanda relinquimus.

Vide *Decima* num. 14. *Emptio* num. 2. *Feudum* num. 1. *Fidejussio* num. 3. *Praescriptio*. *Venditio* num. 21. *Haeresis* num. 19.

DOMICILIVM.

SVMMARIVM.

1. *Ad domicilium acquirendum, an animus requiratur & factum.*
2. *Domicilium habens in duabus parochijs, an possit in alterutra, qua malit, poenitentiam & alia sacramenta suscipere.*
3. *Ad domicilium ordinis comparandum, quid requiratur.*
4. *In acquirenda iurisdictionis subiectione, an habeatur ratio originis, vel potius habitationis.*

1. AD domicilium vel quasi domicilium, eiusque ratione diœcesim, vel parochiam acquirendam, animus requiritur & factum, *L. domicilium inst. gl. ff. ad municipalem & de incolis*: *animus* consistit in proposito voluntatis permanendi perpetuò; vel ad tempus anni non modum: *factum* consistit in actuali habitatione: vnde sicut domicilium animo & facto constituitur, ita vt deperdatur, vel transferatur, opus est animo & facto, nempe desertione habitationis in eo domicilio: quare sola mutatione animi perpetuò manendi, dum non mutatur prius illud domicilium habitationis acquisitum, non deperditur; quia omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur. *Sanchez de matr. l. 3. d. 23. Layman l. 5. tr. 6. c. 10. n. 6. Marchinus de ord. tr. 1. p. 5. c. 7. n. 5.*

2. Qui in duabus parochijs domicilium habet, dummodò in vtroque loco magnam anni partem habitare soleat, secundùm communem Doctorum sententiam, ipsi liberum est in alterutra qua malit pœnitentiæ & alia sacramenta suscipere: si autem recreationis tantùm causa, ad breue tempus in alterum locum secedat, vnum parochum habere censebitur, in cuius parochia principalius habitat. *Henriq. l. 6. summ. c. 7. n. 2. Comit. disp. 8. dub. 3. conc. 4. Marchinus c. n. 13.*

3. Ad domicilium originis comparandum, non satis est natum esse aliquem in oppido, in quo parentes domicilium non habebant, sed aderant ad tempus, quamuis per decennium ibi steterint & vltra, tunc enim non erit originarius loci, in quo casu natus est, sed fingitur natus in ciuitate, in qua parentes habitationis domicilium sortiebantur; *L. filius C. de municip. l. 10.* quia mater habebat animum reuertendi, & fingitur semper fuisse in loco domicilij, & ita ibi peperisse. *Navar. l. 3. consil. ult. de prabend. cons. 41. Sylvest. v. emptio q. 4.*

4. Quamuis originis domicilium ad quosdam effectus particulares inseruiat, inter quos est ordinis suscipiendi; in acquirenda tamen iurisdictionis subiectione, non habetur ratio originis, sed potiùs domicilij habitationis, quod etiam principalius censetur: in clericis autem habentibus beneficium residentiam postulantibus, idem esse solet domicilium habitationis, quod beneficij. *Navarr. de constit. consil. 4. edit. 2. Layman c. tract. 9. c. 9. num. 12.*

Vide *Confessarius* 1. n. 12. & seq. *Ordo* 3. n. 2.

DONATIO.

SVMMARIVM.

1. *Donatio quid sit.*
2. *Donatio, vna est perfecta, altera imperfecta.*
3. *Donare, qui possint.*
4. *Donare, qui non possint.*
5. *Clerici beneficiarij, an possint donare ad suum libitum fructus beneficij in vsus profanos: & quid de regularibus beneficiarijs.*
6. *An superiores regularium possint donare.*
7. *An inferiores officiales monasterij, possint donare. Fratres minores possunt etiam facere eleemosynas, modò concurrant quatuor conditiones.*
8. *An fur & raptor possint donare res furto ablatas. Et an donatio inter coniuges sit valida.*
9. *Casus in quibus donatio inter coniuges est valida.*
10. *An donatio Patris in filium legitimum, nondum emancipatum, iure communi sit invalida? & in quibus casibus iure consistat.*
11. *In qua aetate, filius emancipatus possit donare patri.*
12. *Donatio omnium bonorum suorum, tam futurorum, quàm praesentium, an iure ciuili sit invalida. Et in quibus casibus iure canonico talis donatio subsistat.*
13. *An donatio excedens quingentos solis invalida sit, quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione.*
14. *In quibus casibus valida sit donatio absque insinuatione, etiamsi 500. solidos excedat.*
15. *An donatio inter vnos, possit rescindi ad arbitrium donantis, ob ingratitudinem donatarij.*
16. *An rescindatur donatio inter vnos ipso iure, ratione susceptionis prolis legitimæ, non procogitatæ.*
17. *An possit reuocari donatio inter vnos, quando illa est inofficiosa.*
18. *Quid sit donatio causa mortis. Et ob quas causas possit reuocari.*

1. DOnatio, *est contractus quo gratis & liberaliter aliquid in alterum confertur, nullo ad id cogente iure L. Senatus ff. de mort. causa: Contractus* hic accipitur pro pacto, ex quo saltem ex vna parte oritur obligatio: per donationem liberalem, intelligitur actio donantis, natura sua apta ad transferendum dominium rei donatæ, quæ non fit ex obligatione & debito iustitiæ, sed ex mera liberalitate, aut ex gratitudine: præterea ex hac definitione, excluduntur ij contractus, in quibus aliquid datur in pretium, pro re locata, empta, cogente ex iustitia aliquo iure siue naturali, siue ciuili. *Lessius l. 2. c. 18. dubs. 2. Azor. 3. p. l. 11. c. 1. quæst. 1. Syln. 2. 2. q. 66. art. 2. quæst. 5.*

2. Duplex est donatio? *Vna* est *perfecta*, quando, scilicet, res ipsa simul traditur, & tunc transfertur dominium; *Altera* dicitur *imperfecta L. traditionibus C. de pactis*, quando nempe est verbalis tantùm, & in hac non transfertur dominium, quia ius positiuum ad transferendum dominium ordinariè requirit traditionem, quare per verbalem donationem tantum transfertur ius ad rem. *Bonac. de contr. d. 3. q. 12. p. 1. n. 1.*

3. Illi soli donare possunt liberè, qui habent dominium & administrationem cum facultate alienandi; *L. eos ms ff. de reg. iuris*, quare non sufficit dominium tantùm, quia donatio pertinet ad dispensationem bonorum & regimen: nec tantùm administratio, quia præiudicaret domino: denique debet adesse facultas alienandi, alioquin non possunt nisi prout superior vel ius permittit. *Filliuc. tr. 34. c. 2. n. 38.*

4. Donare non potest. *Primò*, ille qui rationis vsu caret ad id sufficiente, qualis requiritur in contractibus & votis: hic enim non potest actum humanum exercere. Ita communiter Doctores. *Secundò L. pupillus ff. de acquir. rer. dom.* Impubes, donare non potest sine tutoris facultate, præterquam ad causas pias, quamuis sine tutore possit sibi acquirere.

Tertiò, Prodigus, qui à magistratu positus est sub curatore, & illi est interdicta bonorum administratio: vnde qui à tali aliquid acceperit, tenetur restituere. *L. 2. ff. de curatoribus furios.*

Quarto, Minor 25. annis, si curatori subsit, donare nequit de bonis suis, quæ castrensia vel quasi castrensia non sunt, absque consensu expresso vel tacito, vel debito sui curatoris, nisi donationem approbauerit factus maior, vel iuramento confirmarit, *L. 1. C. si maior factus.* Consensus autem curatoris tacitus vel certè debitus cèsetur, vt possit donare ea, quæ alij suæ conditionis donant: qua in respectandus est natalium splendor, magnitudo patrimonij, causa donandi, & mos receptus. Imò tunc accepta ab eo non sunt restituenda; antequam repetantur à curatore, vel minore vtente beneficio restitutionis in integrum. Vide *Gomez 2. variar. c. 14. Sanchez de matr. l. 6. disp. 58. n. 21. Molina disp. 277.*

Quinto, Filiusfamilias, quamuis pubes sit, non potest absque consensu patris donare, nisi habeat castrensia, vel quasi: & si de his bonis profusè donauerit cum notabili damno, posset petere restitutionem in integrum. *L. Filiusfamilias. ff. de donationibus.* Sed si habeat aliquod bonum aduentitium, cuius vsufructus non sit acquisitus patri, sed ipsi filio, potest filius huiusmodi aduentitium alteri donare: vt docent *Conarr. de test. am. par. 3. n. 8. Clarus l. 4. sentent. §. donatio, q. 6.*

Sextò, vxor donare non potest de bonis communibus, quorum administratio ad virum pertinet, & maximè quando esset rationabiliter inuitus: quia si irrationabiliter inuitus esset

posset

a Mr Erskine, 1 Ch. Cas. 294. 2 Vern. 342. 2 Ch. Rep. 258. 2 Freem. 43. 2 Ch. Cas. 34. 1 Eq. Cas. Abr. 90. 2 Eq. Cas. Abr. 522. 2 Vern. 342. 1 Ch. Cas. 294

aduentitijs. *Quarto*, quando donat bona mobilia filio eunti ad castra. *Quinto*, quando valet donatio inter coniuges, valet etiam parentis in filium. *Fillmc. c.c.5. n.107.108. Azor. 3.p.l.11. de donatione c.9. q.1. Navarr. c.17. n.145. Lessius c.n.90.91. Emmanuel Sà v. donatio. n.13. Bonac. c. punct.3. n.2.*

11. Filius emancipatus potest donare patri, si viginti annos excedat, est enim tunc sui iuris & potest alienare; *Cap. Constitutus, de in integ. restit.* & præcipuè in his casibus, verbi gratia, si habeat peculium castrense vel quasi, vel si habeat donatum à principe, vel quando habet peculium aduentitium, in quo vsus fructus patri non est iure prohibitus. & filius in his bonis habet liberam administrationem, vt docent *Reginald. c.25. num.157. Molina c. d.242. Azor. c.c.10. quæst.3. Fillmc. tr.34. n.110. Caramuel l.2. Theol. mor. n.645.*

12. *Donatio*, qua quis donat alicui, donatione inter viuos, omnia bona sua tam futura quàm præsentia, iure communi est inualida; quia per huiusmodi donationem, auferitur potestas testandi, quod leges improbant, tamquam contra bonos mores: si tamen hæc donatio fieret causa mortis, vel bonorum tantùm præsentium, valida esset; quia per hanc donationem, non adimit quis sibi potestatem de futuris bonis testandi: in duobus autem casibus, iure canonico donatio inter viuos omnium bonorum præsentium & futurorum valida est. *L. Stipulatio hoc modo ff. de verb. oblig. Covar. rub. de testam. p.2. num.8.13. Azor. p. cap.7. quæst.8. Reginald. c. Layman l.3. tract.4. cap. 12. num.16. Molina c. d.280. Primus*, quando fit Ecclesiæ vel in aliquam alia causam piam; quia ius ciuile non potest impedire officia pietatis & consilia Euangelica, vt est talis donatio. *C. quamuis pactum, de pactis in 5. Secundus* casus est, si donatio confirmetur iuramento; nam iuramentum accedens contractui aliàs inualido, robur addit, illùmque confirmat, modò non sit contra bonos mores naturales. Nota tamen si hæc donatio omnium bonorum præsentium & futurorum fieret inter fratres, vel ex causa onerosa à patre pro matrimonio contrahendo à filio vel filia, foret, secundùm multorum *Bonac. de contract. disp.3. q.15. p.5.* Doctorum sententiam, valida. Vide Caramuel *lib.2. Theol. mor. n.615.* & sequentibus.

13. Vt non se exhaurirent homines donationibus, metu, vel fraude, vel inconsulta temeritate impulsi, *L. penult. C. de donationibus sub modo*, iure statutum est, quòd donatio excedens quingentes solidos, inualida sit quoad excessum, nisi fiat cum insinuatione: nomine autem *solidi* iure communi intelligitur nummus aureus, æquiualens decem & septem Iulijs seu regalibus Italicis: ita vt 500. solidi valeant scutis Hispanicis 700. vel vt alij volunt 750. Nomine autem *insinuationis*, intelligitur simplex suæ mentis declaratio, qua donans declarat iudici inscripti, se liberè tantam summam alteri donare: non requiritur causæ cognitio, neque decretum iudicis, sed sufficit ipsius præsentia: vnde remissio debiti liquidi prædictam summam excedentis, nisi fiat cum insinuatione, inualida est, quia debiti remissio est quædam donatio: item si quis plutibus donet, & excedat summam prædictam, donatio quoad excessum est inualida, modò illa simul & quasi vno animi impetu fiat; detrahendum autem tunc singulis, secundùm proportionem, si tamen diuersis temporibus animique motibus fiat valida erit. Vide Doctores hic citatos. *Clarus 3. donatio q.15. & 16. Azor. to.3. l.11. c.6. de donatione. Lessius c.dub.13. n.97. Bonac. c. punct.6. n.4. Caramuel l.2. Theol. mor. n.675. & 663.*

14. Secundùm doctrinam, tam legistarum quàm canonistarum in aliquot casibus: valida est donatio absque insinuatione, etiamsi 500. solidos excedat. *Primò, L. Si quis C. de donationib.* si iuramento confirmetur. *Secundò*, si donatio fiat ad redemptionem captiuorum. *Tertiò*, si ad reparationem ædium incendio vel ruina destructarũ. *Quartò*, cùm magister militum dat militi mobilia, quamtumuis pretiosa. *Quintò*, quando donatio est remuneratoria obsequiorum vel beneficiorum. *Sextò*, cùm quis renunciat bonis vel iuribus speratis nondũ obtentis. *Septimò*, cùm donatio fit causæ piæ, quia princeps sæcularis non potest legem condere in detrimentum bonorũ operũ & salutis animarũ. *Molin. c.d.279. n.9. c.13. Gom. var. c.4. n.10. Clar. c.q.17. Cara. c.n.665.*

15. *Donatio* inter viuos, id est, illa quæ fit sine mortis cogitatione, & cùm quis sic donat, vt etiam se viuo velit rem absolutè esse alterius, non potest rescindi & reuocari ad arbitrium donãtis, nisi in certis casibus. *Primò, L. Senatus §.4. ff. de mortis causa donationibus.* hæc donatio inter viuos, quamuis fit acceptata, & res sit tradita, reuocari potest ob ingratitudinem donatarij, puta, si iniurias atroces in donatorem effuderit; si manus impias intulerit; si iacturam non leuem bonis eius attulerit, vel periculum vitæ ei intulerit, si inopia pressum non aluerit: denique si donatarius non impleuit conditionẽ appositam in donatione. *Nota* tamen quòd donatio ob causam, propter ingratitudinem donatarij minimè reuocari potest: quia talis donatio potiùs habet rationem compensationis: multò minùs hæres potest rescindere donationem, ob ingratitudinem donatarij in testatorem; quia ius quod habet donator reuocandi, personale est & non transit ad hæredem. *Azor. c.l.11. c.8. quæst.1. Fill. tr.34. c.6. n.127. Bon. c. punct. vlt. n.2. & seq. Lessius c.dub.14. Caram. c. n.680.*

16. *Secundò*, donatio inter viuos rescinditur ipso *L. si vnquam C. de reuocanda donatione*, iure ratione susceptionis prolis legitimæ, non prægogitatæ: quia præsumitur fuisse facta sub tacita cõditione, nisi nascerentur donatori filij: & quidem, si donatio extraneo facta sit, tota reuocatur: si autem alicui ascendentiũ, verbi gratia, patri, auo, vel Ecclesiæ, aut ad piam causam, reuocatur solùm quoad legitimas filiorum postea susceptorum: donatarius tamen non tenetur restituere supernenientibus filijs, antequam res donata repetatur à donatore; quandiu enim non repetitur, præsumi potest condonari: multò minùs tenetur restituere fructus perceptos, antea aduentum filiorum; illorum enim est verus Dominus: quòd si donator, dum donauit expresse renunciauerit priuilegio legis, non poterit reuocare, quamdiu vixerit, quamuis ei nascantur liberi: post mortem tamen eius, poterunt filij reuocare, quatenus fuit eis inofficiosa, id est, quatenus ipsorum legitimæ præiudicauit: imò si pater iurauit non reuocaturum donationem hanc inofficiosam, iuramentum non obligat, & potest nihilominus prole susceptа reuocare: quia pater peccauit inofficiosè donando, & iuramentũ non est iniquitatis vinculum: quod si filij nati fuerint post donationem, sed adhuc viuente patre, moriantur, non reuiuiscit donatio, nisi ex coniecturis appareat patrem iterum in donationem consensisse; quia per prolis superuentũ, donatio extincta fuit, & ideò reuiuiscere non potest. *Covar. 1. var. c.19. Mol. c.d.283. n.1. Lessius c. n.110. Gomez. decis.40. Fill. c. n.132. & seq. Clarus q.22. n.4. Sylvest. v. donatio 1. n.22. Sà v. donatio n.5. Caramuel l.2. Theo. mor. n.680.*

17. *Tertiò*, donatio inter viuos reuocari potest quando illa est inofficiosa, id est, quando pater tantum donat, vt non retineat quantum postulat legitima portio filiorum, & idcirco est contra officium pietatis paternæ in filios: *L.1. C. de inofficiosis donationibus*, hinc si hæc donatio facta sit alicui ex filijs, reuocatur solùm vsque ad legitimam aliorum, si verò extraneo, animo fraudandi hæredes, nulla re filijs relicta, reuocatur solùm quo ad legitimas filiorum: quòd si Ecclesiæ vel piæ causæ facta est, solùm reuocatur vsque ad portiones filiorũ legitimas: *Nota* tamen quòd hæc donatio inofficiosa, reuocari non possit à liberis, nisi post mortẽ parentis, quia tunc primùm debetur filijs legitima. *Azor. to.3. l.11. c.8. quæst.6. Covar. 1. var. c.19. Lessius c.n.112. Bon. c. n.11. & 12.*

18. *Donatio* causa mortis est, cùm quis sic donat vt res sit donatarij post mortem donantis, & ideò vt talis sit, debet fieri ob mortis periculum vel cogitationem hæc donatio causa mortis, potest ob tres causas reuocari. *L. qui mortis causa ff. de mortis causa don. & L.3. & sequent. Primò*, si expresse vel implicitè pœniteat donatorem; pro arbitrio enim donatoris hæc donatio vsq; ad mortem, sicut testamentum & legatum reuocari potest. *Secundò*, si donator dedit intuitu alicuius periculi instantis, ex quo periculum euasit, censetur tacitè reuocata donatio. *Tertiò*, si donatarius moriatur ante donatorem, ipso iure reuocata est; secùs est in donatione inter viuos, quę morte donatarij non extinguitur, si sit acceptata, sed ad hæredes transit, quamuis sit conditionata donatio, vel in diem: In dubio autem, an donatio sit causa mortis, vel inter viuos, iudicanda est donatio inter viuos, quia non est iudicãda donatio causa mortis, nisi sit facta mentio mortis, quamuis tempore infirmitatis facta sit. *Mol. c.d.287. n.15. & d.286. n.10. Azor. c.l.11. c.11. qu.4. Clar. 3. donatio q.5. Car. c.n.682.*

De conditionib. quæ apponi possunt donationib. tùm inter viuos, tùm causa mortis, dicetur cũ de promissione tractabimus.

De Donatione. Vide *Eleemosyna* n. 7. *Paupertas religiosa*, *Promissio*, *Testamento* n.6.

D O S.

S V M M A R I V M.

1. *Dos quid sit. Et an fructus dotis sibi tradita lucretur maritus.*
2. *Duæ sunt species dotis, alia est profectitia, & alia aduentitia.*
3. *An teneatur Pater sub mortali, dotem constituere filiabus,*

Doc. quæ sacramenta sint.

Sacramenta sunt quæ ad hoc instituta sunt, ut per ea quod fit, sanctum fiat

mè neceſſarium eſt, vt fiat lex,& ſtatutum, quo ipſa dos taxetur, ne ignaræ moniales in petendis exceſſiuis dotibus ſimoniæ labe inuoluantur, & ſcandalum inferant ſæcularibus: vt hæc tamen taxa ſit iuſta & prudentialis, ſecundùm loca, & tempora & perſonas debet præſignari, ne ipſis monialibus in temporalibus aliqua fraus inferatur, & ne, quod magis oportet, in ſpiritualibus aberrent, peccatum ſimoniæ committentes. Ita *Rodriques to.2.qq.reg. q.48.art.3.& 4. Miranda de Sacr. monial. q.8.art.8.* qui nouiſſimus aduertit poſſe Superiores Monialium in aliquibus caſibus taxam dotium limitare, iuſtis concurrentibus cauſis, etiam inſciis, & contradicentibus Monialibus, dummodò ſufficiens ſemper remaneat quantitas pro ſuſtentanda Moniali.

15. Ex communi Eccleſiæ vſu, & conſuetudine, nec non ex declarationibus multorum Summorum Pontificum in pactionibus & conuentionibus ſuper dote monialium recipiendarum factis, nulla committitur ſimonia, dummodò fiant pro ſufficienti, & congruenti earum ſuſtentatione, & non tanquam pretium. Ita *D.Tho.* 2 2.*q.*100.*a.*3.*ad.*4.& alij communiter apud *Tamb.de tur. Abbatiſſ.diſp.*5.*q.*3. An autem hoc etiam intelligatur, quando Monaſterium eſt locuples? *Sotus lib.*7.*de iuſt.& iur.* 46.*art.*2. negat, Affirmant *Suares de relig.to.*1.*l.*4.*de Simon. c.* 17.*Tambur.c.num.*3. & alij ab ipſo citati. Adminus tamen ſæpius erit peccatum auaritiæ, vt docet *Lezan.to.*1.*Sum.c.*25.*n.*5.

16. Circa dotales Eleemoſynas monialium extant ſequentes declarationes Sacræ Congregationis.

Dos Nouitiæ intra tempus probationis decedentis monaſterio iam ſoluta, hæredibus nouitiæ eſt reſtituenda vnà cum fructibus, ſi quos monaſterium percepiſſet, deducto tamen victu & veſtitu.

Dos, ſiue dotales eleemoſynæ monialium ſolui debent in ære, nec aſſignatio bonorum ſtabilium, aut cenſuum permittitur. Sacr. Congreg. Epiſcop. & Regul. *in Caramanen.* 28. *Aprilis* 1588.

Dotes, ſiue dotales eleemoſynæ in ijs locis, in quibus non adſunt mercatores, aut bancharij, deponi debent in manibus probi viri, & facultoſi, qui ad omne mandatum monialium, & abſque alia exceptione eam ſoluturum ſe obliget. Sacr. Congr. Epiſcop. & Regul. *in Camarinen.* 15. *Martij*.

Dotales eleemoſynæ apud Monialium conſanguineos vel affines nullatenus relinquantur, ſed antequam puellæ habitum ſuſcipiant, deponantur actualiter apud mercatorem, vel penes aliam perſonam fide & facultatibus idoneam, vt ſtatim profeſſione emiſſa in emptionem bonorum ſtabilium & annuorum reddituum illico implicentur. S. Congr. Epiſcop. & Reg. in Luſitan. 6. Iunij 1615.

Ita Barboſa *in collect. Bullar. verb. Dos*. Cauantus *in manuali Epiſcop. verb. Monialium Nouitiarum alimenta per totum*.

De dote Vide *bona paraphernalia. Stuprum* n.2. & ſeq.

DVBIVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit dubium.*
2. *Quando dubium eſt, an latum ſit præceptum, vel lex num ſit obligatio ad præſtandum id, de quo eſt dubium.*
3. *Quando conſtat de lege vel præcepto, dubium autem eſt, an in aliquo caſu eximatur ab obligatione, an teneatur lege.*
4. *Qui certus eſt ſe vouiſſe, dubius autem eſt, an animo ſe obligandi, votum ſit emiſſum, an teneatur voto?* refertur duplex ſententia.
5. *An in dubio iuris vel facti de homicidio, cenſendus ſit quis irregularis.*
6. *In dubio de cenſuris, an teneatur aliquis ſe habere pro excommunicato, vel ſuſpenſo &c.*
7. *In dubio de peccato mortali, an teneatur quilibet illud fateri in confeſſione pro dubio. Et an in dubio cenſendus ſit caſus reſeruatus.*
8. *Qui dubitat, an ſit legitimus, an poſſit cum aliis fratribus paternam hæreditatem diuidere.*
9. *In dubio, an aliquis expleuerit* 21. *annum teneatur ſummare.*
10. *Qui dubitat num proles ſuſcepta ſit ex adulterio ſuo vel ex marito, an teneatur ad reſtitutionem. Qui certus eſt de debito, dubius autem an ſoluerit an teneatur ad ſolutionem.*

1. DVbium, ſecundùm mentem *S.Tho.in* 3.*ſent.diſt.*17.*Sot. de iuſt.l.*7.*qu.*3.*a.*2.*Sanches l.*1.*moral.cap* 10.*n.*11.*Ludo. Caſpenſis in curſu Theolo.to.*1.*tr* 9.*diſp.*4.*ſect.*1.*&*2.*Henriq.l.*14. *cap.*4.*num.*4. *Diana* 4.*p.tr.*3.*reſ.*1. *&* 2.& philoſophum, *eſt contrariarum rationum æqualitas*: vnde propriè homo dubitat de aliquo, vel circa aliquid, quando habet rationes ad vtramque partem æquiliter, aut quaſi æqualiter mouentes, ita quòd non inclinatur ad hoc magis, quàm ad illud notabiliter. Suprà dictum eſt v. *Conſcientia*, quòd, vt boni noſtri actus ſint, requiratur conſcientia practicè ſecura, & non dubia: inſuper admonuimus, ex communi doctrina, dubium aliud eſſe *ſpeculatiuum*, aliud *practicum*; illumque, qui dubium habet *ſpeculatiuum*, debere in praxi formare iudicium ſimile ſpeculatiuo, niſi ratione ſufficienti moueatur ad variandum dubium, & ad aliter in praxi iudicandum: iuſtam verò rationem, & cauſam faciendi contra dubium ſpeculatiuum, eſſe poſſeſſionem, quam diximus eſſe titulum communem non ſolùm in materia iuſtitiæ, ſed etiam aliarum virtutum, poſita ſufficienti diligentia ad veritatem aſſequendam, iuxta regulam iuris, quòd *in dubio melior ſit conditio poſſidentis*: Ex qua doctrina ponimus ſolutionem ſequentium caſuum.

2. Qui poſt adhibitam debitam diligentiam dubitat an tale ius extet, vel an aliquid includatur ſub tali præcepto: In foro externo iudicandum eſt in fauorem ſubditi poſſidentis ſuam libertatem: vnde nulla eſt obligatio ad præſtandum id, de quo eſt dubium, an latum ſit præceptum; ſiue illud ſit diuinum, ſiue humanum, ſiue conſuetudo, quæ vim legis habeat: ratio autem in promptu eſt, poſſeſſio ſtat pro ſubdito, qui ſuam poſſidet libertatem, & in hoc caſu, lex non poteſt dici ſufficienter propoſita ad obligandum, & ideò licet practicè deponere dubium ſpeculatiuum & tenere ſe non obligari. *Sanches de matr.lib.*2.*d.*41. *num.* 36. *Filliuc.tr.*21.*c.*4.*n.*163. *Bonacina de reſtit.d.*1.*q.*2.*p.*2. §. *incid. Henriq.l.*8.*c.*45.*num.*3.

3. Quando conſtat de lege, vel præcepto, dubium autem eſt, an in aliquo caſu, ratione neceſſitatis aut alterius circumſtantiæ occurrentis, eximatur aliquis ab obligatione, tenetur lege, vel præcepto, quia poſſeſſio ſtat pro lege; idem dicendum quando dubitatur, an præcepto ſit derogatum alio præcepto vel conſuetudine, vel ſit diſpenſatum in eo, vel an lex quam conſtat latam fuiſſe, fuerit acceptata: lex enim & præceptum in his caſibus ſeruanda ſunt, cùm pro ipſis ſtet poſſeſſio. *Medina* 1.2. *q.*96.*art.*6. *Caſpenſis c.diſp.*4.*ſect.*3. *n.*12. *Sanches in ſum.l.*1.*c.*10. *num.*33. *Diana* 4.*p.tr.*3.*reſ.*22. licet contraria ſententia ſit probabilis, ſi poſt adhibitam diligentiam ſufficientem, adhuc remaneat dubium. Ita expreſsè *Azorius to.*1.*lib.*2. *cap.*19. *queſt.*12. *Diana part.*1.*tr.*10.*reſ.*3. Ratio eſt, quia in hoc caſu lex ſeu præceptum improprijſſimè dicitur poſſidere. Voluntas ſuam libertatem antea poſſidebat, cui in dubio expoliari non debet, ſi ea indigeat ad damnum aliquod graue vitandum.

4. Secundùm probabilem quorundam ſententiam, qui certus eſt ſe vouiſſe, dubius autem eſt qualitatis ſeu modi vouendi, ſeu voluntatis ſe obligandi, tenetur eligere quod rutius eſt; *Nauarrus in conſil.de voto, conſil.*26.. *num.*2. *Rodriq.*2.*to.ſum.c.*94. *n.*6. quia voti interpretatio debet fieri in ſenſu maximè pleno & maximè obligatorio. *Suar.c.*5.*d.*40 *ſe ct.*5.*n.*15. *Diana.*4.*p.tr.*3.*reſ.* 10. *Sanches de matr.c.n.*33. *Regin.lib.*10.*tr.*1. *n.*71. *Filli.c.n.*165. Probabilius tamen eſt & verius faciendum eſſe libertati, & in hoc dubio vouentem teneri ſolùm ad id quod minus eſt; quia vbi tractatur de inducenda obligatione, eſt facienda interpretatio ſtricta: quòd ſi pro voto vel iuramento eſſet opinio & aſſenſus cum formidine oppoſiti, tunc iudicandum eſſet pro voto & eius obligatione: ſi quis autem certus eſt de voti valore, dubitat tamen an votum obliget ratione debitæ materiæ, aut finis vel alicuius circumſtantiæ tunc occurrentis, tenetur voto, quia voluntas non poſſidet, cùm certum ſit ſua ſe libertate priuaſſe vouendo, ſed votum poſſidet: & in ſimili dubio leges obligant. Ita *Diana c.reſol.*13.

5. In dubio de irregularitate proueniente ex homicidio, ſiquidem ſit dubium iuris, poſt adhibitam diligentiam, non eſt cenſendus quis irregularis, quia non eſt ius apparens, & poſſeſſio eſt pro libertate voluntatis: *Cap.si qui, de ſententia excommunicationis in* 6.*Cap.ad Audientiam & c. ſignificaſti, de homicidio*. ſi autem ſit facti dubium, cenſendus eſſet irregularis, non modò in foro externo, ſed etiam in foro conſcientiæ, quia ſic expreſsè iure decidituri; licet cõtrarium doceat *Henriquez* lib.14. cap.3. & 4.& cap.14. n.3.& hoc probabile eſſe

wenn diese Zeit als gleich, oder ungleich, oder Verhältniß- gleich angenommen wird, und wie sich die Zeiten verhalten, wenn die Geschwindigkeiten gleich, oder ungleich, oder Verhältniß-gleich sind? Ich habe mich bey dieser Frage nicht aufgehalten, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Zeit machen soll, die sich nicht nach der Geschwindigkeit richtet, mit welcher ein Körper einen Raum durchläuft. Ich habe mich auch nicht bey der Frage aufgehalten, wie sich die Zeiten verhalten, wenn die Geschwindigkeiten gleich, oder ungleich, oder Verhältniß-gleich sind, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Geschwindigkeit machen soll, die sich nicht nach der Zeit richtet, in welcher ein Körper einen Raum durchläuft.

Dubium. Ob die Geschwindigkeit, mit welcher ein Körper einen Raum durchläuft, sich nach der Zeit richte, in welcher er ihn durchläuft, oder ob die Zeit sich nach der Geschwindigkeit richte? Ich habe mich bey dieser Frage nicht aufgehalten, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Geschwindigkeit machen soll, die sich nicht nach der Zeit richtet, in welcher ein Körper einen Raum durchläuft. Ich habe mich auch nicht bey der Frage aufgehalten, wie sich die Geschwindigkeiten verhalten, wenn die Zeiten gleich, oder ungleich, oder Verhältniß-gleich sind, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Zeit machen soll, die sich nicht nach der Geschwindigkeit richtet, mit welcher ein Körper einen Raum durchläuft.

Dubium. Ob die Zeit, in welcher ein Körper einen Raum durchläuft, sich nach der Geschwindigkeit richte, mit welcher er ihn durchläuft, oder ob die Geschwindigkeit sich nach der Zeit richte? Ich habe mich bey dieser Frage nicht aufgehalten, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Zeit machen soll, die sich nicht nach der Geschwindigkeit richtet, mit welcher ein Körper einen Raum durchläuft. Ich habe mich auch nicht bey der Frage aufgehalten, wie sich die Zeiten verhalten, wenn die Geschwindigkeiten gleich, oder ungleich, oder Verhältniß-gleich sind, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Geschwindigkeit machen soll, die sich nicht nach der Zeit richtet, in welcher ein Körper einen Raum durchläuft.

Dubium. Ob die Geschwindigkeit, mit welcher ein Körper einen Raum durchläuft, sich nach der Zeit richte, in welcher er ihn durchläuft, oder ob die Zeit sich nach der Geschwindigkeit richte? Ich habe mich bey dieser Frage nicht aufgehalten, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Geschwindigkeit machen soll, die sich nicht nach der Zeit richtet, in welcher ein Körper einen Raum durchläuft. Ich habe mich auch nicht bey der Frage aufgehalten, wie sich die Geschwindigkeiten verhalten, wenn die Zeiten gleich, oder ungleich, oder Verhältniß-gleich sind, weil ich sie für eine Grille halte, und weil ich nicht weiß, was man sich für einen Begriff von einer Zeit machen soll, die sich nicht nach der Geschwindigkeit richtet, mit welcher ein Körper einen Raum durchläuft.

fatio num. 12. *Excommunicatio* 3. num. 27. *Gabella* num. 8. *Hæreſis* num. 3. *Ieiunium* 2. num. 11. *Irregularitas* 1. num. 9. 10. *Iudicium temerarium* num. 7. 8. *Iuramentum* 4. num. 6. *Lex* 2. n. 10. *Lex* 5. num. 4. *Matrimonium* 7. num. 80. *Præſcriptio* n. 5. *Reus* num. 2. *Reſtitutio* 2. num. 4. 5. 6. 7. *Votum* 2. num 7. *Votum* 3. num. 6. *Votum* 7. num. 21. *Ordo* III. n. 7.

DVELLVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit duellum.*
2. *Ad duellum requiritur aſſignatio temporis cum determinatione loci.*
3. *An duellum liceat, ob manifeſtationem veritatis.*
4. *An ob vanum oſtentationem.*
5. *An ob determinandam litem ciuilem vel criminalem.*
6. *An ob euitationem ignominiæ vel defenſionem honoris.*
7. *Duellum in duobus tantum caſibus eſt licitum.*
8. *An duellum prohibitum ſit iure naturali, diuino, ciuili & Eccleſiaſtico.*
9. *In quibus caſibus pœnæ contra duellum non habeant locum.*

1. DVellum eſt *bellum ſeu pugna ſingularis deliberata ab vtraque parte, ſponte & ex condicto ſuſcepta, ſtatuto loco & tempore cum periculo occiſionis, mutilationis, aut vulneris*: vnde in iure *monomachia* vocatur, id eſt, pugna vnius contra alterum: ex hac definitione duelli bene perpenſa, duellum non eſt ludicra, quæ dicitur ſcrima, ludus troianus, haſtiludium; item concertatio, quæ vel inter mulieres fieret euulſione capillorum, vel inter viros pugnis ſolummodò, aut alio inſtrumento non periculoſo. Item rixa, quæ concitatur ex ſubita ira vel ſaltem non ex mutua conuentione, interpoſito aliquo tempore inter conuentionem & pugnam: item duellum non eſt, pugna, quæ fieret ob neceſſariam ſui defenſionem, quia regulariter in ea non adeſt deliberatio, ſaltem ex parte aggreſſi: vnde nec proditor, qui conſultò ex inſidijs aliquem inuadit, nec aggreſſor, qui ex propoſito capeſſit pugnam cum altero, dicitur committere duellum, quia non adeſt mutua conuentio. *Clauis reg. l. 7. c. 13. n. 11. Valent. to. 3. diſp. 3. q. 17. p. 1. Bannes 2. 2. q. 40. art. 1. Filiuc. tr. 15. n. 107. Bonacina de cenſur. diſp. 2. q. 6. punct. 2. Salon. 2. 2. q. 64. a. 3. cont. 3. Sylueſter 2. 2. q. 41. art. 2.*

2. Cùm in duello requiratur aſſignatio temporis, cum determinatione loci, ſecundùm bullas *Gregorij* 13. & *Clementis* 8. hinc milites vel alij, qui ob priuatas inimicitias ſeipſos inuitant ad pugnandum, & diſtrictis enſibus alter alterum intermittunt, non dicuntur propriè committere duellum, nec incidunt in pœnas pugnantibus in duello propoſitas: ſecùs dicendum de illis, qui ſeſe obuiam habentes, diffidant ſe in tali loco, quo ſtatim tendunt & ibi pugnant, adeſt enim aſſignatio loci & temporis præſentis: idcircò qui diceret alteri, veni ad talem locum, vt ibi exſpecto, videtur incidere in pœnas duelli, ſicut incidit, qui videt alterum enſe carere, illique dicit, eas ad capiendum enſem, hic te expecto, vel in tali loco; pugna enim initur ex prævia conuentione, ſtatuto loco, & tempore, vt dictum eſt. Ita *Floremus de duell. c. 1. & 2. Peregrinus de duello q. 18. Sanchez in ſumma. l. 2. c. 39. n. 28. Filiuc. c. num. 112.* Non incurretur autem in pœnas latas contra Duellantes, ſi conuentio de pugnando facta ſit in rixa, & inter conuentionem & pugnam intercedat tempus, dummodo intra illud ſpatium temporis pugnantes non ſe vertant ad actus extraneos & alienos ab ipſa pugna, & arbitrio prudentis duret calor iracundiæ. Ratio eſt, quia conuentio & pugna eſt vna actio moralis continuata, & in ipſo calore iracundiæ facta. Sed principium dictæ actionis fuit rixa, & conuentio pugnæ facta fuit in rixa, & in ipſo colore iracundiæ: & durante ipſo calore arbitrio prudentis ſequuta eſt pugna; Ergo pugna illa dicenda eſt rixa, & non duellum ex condicto factum, quia in actionibus moralibus principium ſemper attendit. Ita Diana *part. 6. tract. 6. reſ. 21.*

3. Cauſæ, ob quas ſuſcipi duellum ſolet, hæ à Doctoribus communiter recenſentur. *Prima*, eſt manifeſtatio veritatis, dum ſcilicet aliqui confidunt ex victoria manifeſtatum iri veritatem, quòd ſint innocentes; ob hanc cauſam duellum non licet, ſecundum *D. Tho. 2. 2. quæſt. 95. art. 8. ad 3. Cap. ſignificantibus, de purg. vulgar. Clauis reg. c. num. 13. Sanch. c. num. 4. Toletus lib. 5. cap. 6. num. 32. Sylueſter c. quæſt. 41. art. 2.* communiter receptum, & eſt grauiſſimum peccatum mortale, ob ſuperſtitionem adiunctam: quia contra rectam rationem eligitur percuſſio proximi, periculum vitæ, & vſurpatio iudicij, cum tentatione Dei; ſæpe enim contingit habentem iuſtam cauſam ſuccumbere in duello: Innocens tamen acceptare poſſet duellum ab iniquo iudice damnatus, vt vel pugnet in duello, ad purgandum crimen, vel mortem ſubeat; ad declinandum enim mortem certam, acceptare periculoſum duellum, intentione ſe defendendi, intrinſecè malum non eſt.

4. *Secunda* cauſa, eſt virium oſtentatio: quæ tamen cauſa inſufficiens eſt ad duellum indicendum, & qui hoc fine prouocat ad duellum, peccat mortaliter, quia contra rationem eligitur atrox medium, & periculum vitæ ob vanum finem: excuſatur tamen *David* eo fine acceptans duellum contra *Goliad*, quia hoc fecit ex motione Spiritus ſancti. *Nauar. Valent. apud Sanch. c. n. 12. Sylueſter c. 2.*

5. Secundum & alios, *tertia* cauſa duelli eſſe poteſt, ob determinandam litem ciuilem vel criminalem: ob hunc finem duellum non licet, ſed peccatum quoque mortale eſt; quia non eſt proportionatum medium ad terminandum litem, armata pugna percuſſiua cum periculo vitæ: *Caietan. in ſum. v. duell. P. Nauarr. Valent. Arrag. apud Clauem reg. cit. cap. 13. num. 14.* An autem liceat innocenti opprimendo per fraudem iniuſtè ab actore, acceptare vel offerre duellum, controuerſia eſt inter Doctores, quidam enim docent relati à *Salon. q. 64. a. 3. contr. 1.* id non licere, quia is ſolus dicitur defenſor, qui inuitus ab aggreſſore cogitur ad pugnam. Alij affirmant ex *Caiet. 2. 2. q. 95. a. 8. ad 3.* licere, quando certum eſt aliàs innocentem damnandum ad mortem, non in alijs caſibus condemnationis in bonis fortunæ; quia id non eſt propriè duellum, ſed defenſio contra inuadentem. *Tertia* denique ſententia quorumdam apud *Sanch. num. 7. Bannes q. 64. art. 7. dub. 4. P. Nauarr. l. 2. cap. 3. num. 289.* eſt, etiam licere pro tuendis bonis fortunæ, in notabili quantitate, quando non eſt aliud remedium: ſed quidquid ſit de probabilitate harum ſententiarum, ſpeculatiuè loquendo, practicè tamen ſequenda eſt ſecunda ſententia. Ratio eſt, quia defenſio armis non licet, niſi contra inuadentem armis: tum quia id eſt ſubire minus malum, nempe, dubiæ mortis, aut mutilationis periculum, ad euertendum ea damna certò ob aduerſarij iniuriam ſubeunda. Ita cum *Caietano, Nauarro, in man. c. 11. n. 39. & cap. 15. n. 9.*

6. *Quarta* cauſa duelli, eſt euitatio ignominiæ, vel defenſio honoris proprij: quamuis hæc cauſa apud vulgus plurimùm valere ſoleat, vtpote, qui vilis & degeneris animi haberetur, ſi in eo caſu non acceptaret quis duellum; apud ſapientes tamen & bonos viros, non valet hæc ratio; quia apud illos non amittitur honor, ſed potiùs acquiritur, dum temerè non vult vitam ſuam, & proximi, periculo exponere, & contra legem diuinam peccare: *Clauis reg. c. n. 13. Filiuc. tr. 29. cap. 8. q. 6. n. 145.* & alij. Nihilominùs aliqui probabile putant, vt refert *Bannes c. dub. 3.* ob defenſionem honoris licere acceptare duellum, quia prouocans ad duellum, eſt inuaſor honoris prouocati, at quando non poteſt aliter conſuli honori, niſi inuaſorem occidendo, licet occidere: ergo &c. Verior tamen & ferè communis eſt contraria ſententia, nempe, non licere duellum acceptare ob honoris defenſionem: quia apud mundanos poteſt ſatis conſulere honori ſuo prouocatus, ſi dicat ſe paratum eſſe ad defenſionem, quandocumque inuaſus fuerit, acceptare tamen illud ex condicto ſe nolle, cum id ſit contra legem diuinam & humanam: deinde qui duellum offert vel acceptat, eſt infamis iure canonico & apud concilia ſapientum. Vide *Caietan. Sotus, Nauar. Valent. Azor. Leſſius, apud Sanch. c. n. 9. Sylueſter 2. 2. q. 41. art. 2. Diana p. 5. tr. 14. reſ. 99.*

7. Duellum ergo, in duobus tantùm caſibus eſt licitum. *Primus* eſt, ad ſedandos duos exercitus contrarios, licitum eſt pugnam periculo duorum dirimere per duellum: immò licet duellum acceptare ad conſeruandam exercitus æſtimationem, aut ad debilitandas hoſtium vires. *Secundus* eſt, quando aliquis compellitur ſub vitæ periculo duellum acceptare, quilibet enim poteſt conſulere vitæ propriæ, etiam cum morte inuaſoris: neque propriè hoc duellum eſt, ſed nomine tantùm, propriè namque defenſio eſt & repulſio iniuriæ: ius enim naturæ dictat vim vi repellere. Ita *Sylu. c. a. 2. Azor. 3 p. l. 2. c. 5. quæſt. 3. Nauarr. p. 15. num. 9. Sa v. duellum Tolet. lib. 5. cap. 6. Clauis reg. c. num. 15. 16. Sanch. c. num. 14.* Vide *homicidium 1. num. 25.*

8. Duellum, non ſolùm prohibitum eſt, iure naturali & diuino, ſed etiam ciuili & canonico ſub excommunicatione alij-

Durfurt, Durfurtum, Durfurtensis, Durfurtenſis, Durfurtanus, Durfurtanenſis, Durfurtinus, Durfurtinenſis, Durfurtum

dictorum verborum licet non dicatur in *Pronuncialem*, *Generalem*, *&c.* quia ſubauditur nomen dignitatis, ad quam dirigitur electio. Imò idem iuris eſt, ſi nominetur tantùm aliquis, abſque vllo prædictorum verborum, *nomino*, *conſentio*, *eligo*. Quibuslibet enim verbis electio facta valet, ſi per eam voluntatis intentio declaratur. Vnde vota & ſuffragia in electionibus eſſe debent abſoluta, certa, determinata, pura, ſincera, & gratuita. Ita habetur *diſtinct.* 23. *C. in nomine Domini*, & docent. *Syluest. v. Electio* 2. q. 3. *Ioann. Andr. in cap. Quia propter. Rodriq. c. q.* 51. *art.* 4. *Miranda in Man. tom.* 2. *qu.* 23. *art.* 17. & noſter. *Sigiſmund. à Bonon. p.* 1. *dub.* 27. Ratio eſt, quia *vota non debent eſſe alternatiua*, v.gr. conſentio in Petrum, vel in Paulum: votum enim eſt, animi deliberatio cum beneplacito determinans ſe ad hoc aliquid, ſed qui conſentit in vnum, vel in alium, non ſe determinat ad hoc aliquid, ergo. Non debent etiam eſſe *incerta*, v.gr. eligo quem Prælatus meus elegerit, &c. quia huiuſmodi voluntas eſt deceptoria, & non eſt voluntas. Non debent etiam vota eſſe *conditionalia*, v.gr. conſentio in talem, ſi eſt talis conditionis, vt puta, ſi eſt Theologus, vel noſcit iura: quia actus legitimi non recipiunt conditionem.

Aduerte tamen conditiones de præterito, vel de præſenti, quæ *in*ſunt actui, non vitiare electionem: quia adiectiones iſtæ non ſuſpendunt actum, nec faciunt illum conditionalem, verb. grat. eligo talem ad Epiſcopatum, ſi vacat. Conditiones verò de præterito vel de præſenti, quæ actui non inſunt, vt eligo Franciſcum, ſi ſit Philoſophus, vitiare electionem, quia reuera videntur ſuſpendere actum. Conditiones autem de futuro, quamuis tacitè inſint actui, vitiare tamen electionem, quia videntur exprimi ſuſpenſiuè, & faciunt actum conditionalem, & ſic non exprimuntur eo modo quo inſunt. Porrò vota non debent eſſe indeterminata, vt v.gr. volo eligere, per verba infiniti modi, & non præſentis, Eligo; quia infinitum nullam determinationem habet, differunt enim facere, & facere velle.

4. Secundus modus, ſeu forma eligendi eſt *per compromiſſum*, v. grat. ſi omnes è capitulo præſente, poteſtatem eligendi idoneum paſtorem committant vni, vel pluribus viris bonis, ac Deum timentibus, tonſura clericali inſignitis, qui compromiſſarij dicuntur: *C. Quia propter, de elect. §. vel ſaltem. Syluest. v. Electio* 2. q. 1. *Layman l.* 4. *tr.* 2. *c.* 12. *n.* 6. *Miranda c. q.* 23. *ar.* 34. & hi congruentiùs erunt in numero impari, quàm pari, id eſt, congruentiùs erunt tres, quàm duo, vt forſan diſcordet alter, duo ipſorum electionem faciant, nec oportet illos neceſſariò eſſe de collegio, oportet tamen quòd ſint viri religioſi, vt dicit Gloſſa in cap. *Quia propter*. An autem poſſit compromitti electio, aliquo de Capitulo diſſentiente? negatiuè reſpondent nulla diſtinctione habita. *Panorm. in C. Scripi. n.* 3. *& in c. Quia propter, n.* 6 *de elect. Syluest. c. q.* 15. *in fine. Miranda c. ar.* 34. quia tollitur vox ab electoribus, & præiudicatur cuilibet eorum ſingulariter ex translatione poteſtatis eligendi ab eis, in compromiſſarios: vnde in communi potior eſt conditio prohibentis. At *Gemmian. in cap. cum expediat, de elect. in* 6. *Roſella, Angelus, v. electio num.* 27. *Sigiſmund. à Bonon. p.* 1. *c.* 3. *dub.* 20. *num.* 4. Superiorem ſententiam concedunt in compromiſſo ſimpliciter facto, ſed negant in limitato. Ex quo collige compromiſſum duobus modis fieri poſſe, primò *limitatè*, ſiue *determinatè*, vt ſcilicet compromiſſarij, votis omnium ſecretò inquiſitis, eum eligere adſtringantur, in quem maior pars capituli conſenſerit: quæ forma eligendi; quaſi compoſita ex ſcrutinio & compromiſſo, cæteris melior & expeditior eſt, teſte *Syluest. v. Elect.* 2. *n.* 17. *Angel. c. Menochius conſil.* 6. *nn.* 27. *Layman c. cap.* 12. *n.* 7. *Gloſſa in C. cum expediat, de elect. in* 6. *vnquiſitus Miranda c. art.* 36. *& 37. Filliucius c. n.* 6.

Secundò, Compromiſſum fit ſimpliciter, & abſolutè, commiſſa poteſtate compromiſſariis, vt eligant quem voluerint, dummodò idoneum: nam alioquin compromittentes recipere non coguntur. Rarò tamen proceditur per hoc compromiſſum illimitatum, quia pauci ſunt, qui velint ſua voce priuari, & aliis committere. Ratio autem cur in compromiſſo limitato compromitti poſſit electio, & non in ſimpliciter facto, eſt, quia nemini fit præiudicium; nam quilibet retinet vocem ſuam & quem vult nominat.

An autem poteſtas data compromiſſariis poſſit reuocari? Gloſſa *in Cap. in cauſis, de elect.* negat, etiam re exiſtente integra; quia huiuſmodi poteſtas non eſt purum mandatum, ſed potius quædam donatio, ſeu gratioſa conceſſio iſtis compromiſſariis facta. *Hoſtienſ. in C. in cauſis Syluest. v. elect.* 2. *qu.* 11. *Miranda c. qu.* 23. *art.* 34. *concluſ.* 3. *Panorm. in cap. in Cauſis, nu.* 11. *Sigiſmund. à Bonon. c. dub.* 20. *num.* 7. aſſerunt, re non integra, non poſſe reuocari præfatam poteſtatem, ſed ſolùm re integra: res non dicitur integra, quando cœperunt compromiſſarii habere tractatum de perſona eligenda. Secus eſt autem, ſi tantummodò ſunt expleta aliqua pertinentia ad actus ſolemnitatem. Ratio huius ſententiæ eſt, quia ipſi compromiſſarij ſunt nudi miniſtri & executores deputati.

Porrò ſi compromiſſarii indignum eligant, ipſo *C. ſi compromiſſarius, de elect. in* 6. iure in pœnam delicti ſuſpenduntur à beneficijs, quæ obtinent in Eccleſia quam offenderùt: & compromittentes, indignam electionem ſcienter ratam habentes, priuantur ea vice iure eligendi ac compromittendi: Secùs ſi compromiſſarius ſolus indignum elegerit, & compromittentes, talem electionem ratam non habuerint, tùc liberè ad eoſdem reuertitur electio. *Syluest. v. Electio* 2. *q.* 19. *n.* 26. *Sigiſmund. c. dub.* 58. *n.* 13. *Layman c. nu.* 7. *Miranda c. q.* 23. *art.* 41.

5. Tertius modus eligendi eſt per *quaſi inſpirationem*: longè diſtant inter ſe electio *per inſpirationem, & per quaſi inſpirationem*. Inſpiratio enim, non eſt forma electionis; ſed eſt via Spiritus ſancti, vnde non ſubiacet legi, neque regulæ, aut formæ, quæ requiritur in electione dicti Cap. *quia propter*. Propterea electio *per inſpirationem* eſt illa, quæ fit nullo ordine ſeruato inter eligentes, vt quando quaſi inebriati omnes eligunt. Hæc via Spiritus ſancti raro, aut nunquam etenim hodie, noſtris demeritis exigentibus, vt accidit DD. Ambroſio, Martino, Nicolao. *Quaſi* verò *per inſpirationem*, eſt forma nobis tradita in Cap. *Quia propter*, & eſt, quando ſubitò & repentè, aliquo tamen ordine ſeruato inter eligentes. vnus poſt alium, ſine interuallo eligunt omnes. *Panorm. in C. quia propter, in* §. *Niſi in fin. Hoſtienſ. ibid. n.* 50. *Innocent. ibid. n.* 6. *Syneſter v. Elect.* 2. *nu.* 27. *Layman c. n.* 7. *Filliuc. tr.* 41. *c.* 3. *n.* 6.

Quatuor requiruntur ad hoc vt electio dicatur quaſi per inſpirationem celebrata. *Primo*, vt nulla præcedat nominatio. 2. nullus tractatus ſpecialis: quamuis generalis poſſit præcedere, verb. grat. Præſes Capituli poteſt præuia exhortatione commonere electores, ad eligendum Prælatum idoneum. 3. nemine diſcrepante conſentiant omnes; vnde ſi elector contemptus, id eſt, vocandus, & non vocatus, poſtea conſenſum præbeat electioni, illa electio non cenſetur quaſi per inſpirationem celebrata. 4. committendum eſt vni, qui vice omnium eligat, ne tot dicantur electiones, quot ſunt electores; & tunc cenſebuntur omnes vnanimiter elegiſſe. *Ioann. Andr. in C. quia propter, num.* 39. *Sigiſm. c. par. i. c.* 1. *dub.* 2. *num.* 6. *Miranda c. qu.* 23. *art.* 42. *concl.* 2.

6. Decreto Innocentij in Cap. *Quia propter*, quædam ſuperaddit *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 6. *de regular.* ad vitandas fraudes & ſubornationes, quæ poſſunt eſſe in electionibus quorumcunque Prælatorum, v.gr. Abbatum temporalium, & aliorum officialium ac Generalium, nec non Abbatiſſarum, Prioriſſarum: imprimis diſtrictè præcipit omnes ſupradictos eligi debere per vota ſecreta, ita vt ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, additque non fore licitum in poſterum conſtituere Prouinciales, Abbates, Priores, aut alios quoſcumque Titulares, ad effectum electionis faciendæ; aut voces & ſuffragia abſentium ſupplere. Si verò contra huius decreti conſtitutionem aliquis electus fuerit, electio irrita ſit, & is, qui ad hunc effectum ſe in Prouincialem, Abbatem, aut Priorè creari permiſerit, deinceps ad omnia officia, in religione obtinenda, inhabilis exiſtat, &c. *Hæc Concilium.*

Circa quod decretem eſt dubium, an Elector abſens valeat exprimere votum ſuum per litteras, vel procuratorem inſtituere, qui eius nomine ſuffragium in electione ferat. *cap. ſi quis iuſto, §. fin. de elect. in* 6. *Sigiſmund. à Bonon. p.* 1. *c.* 2. *dub.* 13. *Emman. Sà v. elect. n.* 11. Ad priorem partem dubij dicendum eſt, abſenti non licere vllo modo per litteras exprimere votum ſuum; quia votum non eſt exprimendum ante ſcrutinium; ſed in ipſo ſcrutinio ſecretè, & ſigillatim tantummodò, vnde actus contrarius, eſt ipſo iure nullus, nec conſuetudo contraria aliquid iuuat, propter decretum irritans appoſitum in cap. *Quia propter, de elect.* Quoad poſteriorem partem dubitationis, reſpondendum eſt, cum *Syluest. v. Elect.* 1. *q.* 3. *num.* 4. *Miranda tom.* 2. *Man. q.* 23. *art.* 7. *Rodriq. to.* 2. *qq reg. q.* 51. *art.* 6. *Sà c. nu.* 10. & alijs Electorem abſentem poſſe, ſi vult, committere vocem ſuam vni vel pluribus in ſolidum de ipſe collegio, dummodo tamen iuſto impedimento ipſe detentus ſit, ſuper quo, ſi opus fuerit fidem faciat proprio iuramento. Ita declaratum

ratum ferunt per Eminentissimos Cardinales Congregationis Regularium, qui prædictum decretum Tridentini explicantes, & declarantes, dixerunt, mentem Concilii non fuisse tollere, quin ex institutis alicuius religionis licitum sit Superioribus abientibus, atque legitimè impeditis, constituere aliquem procuratorem ad Generale Capitulum eorum loco & nomine, vocem suam deferat, & præbeat votum in quacunque electione. Notandum tamen est, si de collegio nemo velit assumere vices eiusdem absentis; ipsi, nolente Capitulo, nimo licere extraneum deputare, vt dicitur in iure Cap. *si quis iusto, §. absens quoque, de elect in 6. vbi Ioann. Andr.* docent. *Sylvest. Rodrig.* & alij.

Præterea dubitari etiam posset, an sit contra secretum suffragiorum electionis, si quis ante electionem dicat cui sit suffragaturus, aut post electionem, cui sit suffragatus? Respond. non licere electori suum votum publicare ante vel post electionē, asserendo se huic fuisse suffragatum vel ante se suffragaturum: tamen talis electio non per hoc invalidatur; quia potest elector in tali publicatione simulare, & suffragium diuersum esse ab eo, quod dicit: Concilium autem Tridentinum tantum præcipit, quòd vota in ipso actu scrutinij sint secreta; quia agit de votis, quibus actus electionis exercetur: dum autem in actu scrutinij sunt secreta, fit electio per secreta vota & obseruatur forma Concilii. Ita *Garzias de benef. part. 5. c. 4. nu. 197. Sigism. à Bonon. tr. de elect. dub. 21. n. 6.* Et ipse *Garzias* affert declarationem Congreg. *Concil. circa c. 9. 6. de regul. sess. 25.* Quæ interrogata, an electio facta cum tali publicatione teneret, respondit, quòd nec ante nec post electionem vllo modo licet electoribus publicare cui suum votum dederint. His tamen non obstantibus. *Pasqualigus in decis. moral. decis. 262.* non videtur illicita hæc publicatio, quia non est contra præceptum Tridentini, cùm loquatur tantùm de publicatione votorum in actu scrutinij, nec contra aliquam aliam prohibitionem, nam etiam alia iura semper loquuntur de votis actu suffragantibus, atque adeò in ipso actu electionis. Ita ille apud quem plura de hac materia valde subtiliter.

Ex dictis exurgit aliud dubium. Vbi sunt tres vocales, quorum vnus potest eligi in discretum, & per consequens necesse est, vt alter aliorum duorum, qui remanent, det alteri vocem suam, & ita electio non possit esse secreta, dubitatum fuit, an possit fieri electio discreti, quæ non sit contra Concil. Trid. formam? Sacra Congregatio supra Conc. Trid. de hoc consulta, respondit posse, si ita status religionis permittit.

7. Iure communi electio quælibet ad collegium pertinet. *C. 1 de elect. 7. Congregatio 16 q. 7. Sylvest. v. Elect. 1. q. 1. Rodriquez. sum. tom. 1. c. 104. n. 1. Miranda c. q. 23. art. 5. conc. 1. & 2. Navar. l. 1. consil. de elect. consil. 5. n. 1. Layman l. 4. tr. 2. c. 12. n. 3. Emman. Sa c. num 10.* ita quòd quælibet congregatio de iure, habet sibi eligere Prælatum, nisi vel consuetudo, aut priuilegium sibi obstet: & hoc verum, etiam si in aliquo collegio seu congregatione non sint nisi duo, aut tres collegæ, electio etiam pertinet ad eosdem: quòd si nemo adsit præter vnum, aliis mortuis, priuatis, suspensis, vel excommunicatis, licet collegium Ecclesiasticum non possit constitui in vno, quia ius ciuile requirit saltē tres, Canonicum autem duos. Constitutū tamen semel in multis, potest totum ius collegij venire ad vnū, & conseruari in illo.

Sed petes, an possit sequi electio Canonica, quando duo tantùm sunt electores, & vnus de collegio eligendus est? Negant. *Navar. cons. 6. de elect. n. 4. Miranda t. 2. q. 23. art. 5. conc. 2.* quia in tali casu neuter posset habere maiorem partem. Contraria tamen sententia tenenda est. Ratio est, quia inter duos potest saluari vera ratio electionis canonicæ, quæ definitur communiter à Doctoribus; *Alicuius personæ canonicè facta vocatio.* Potest namque vnus alterum canonicè vocare ad id, ad quod eligitur, præmisso prudenti, & discreto iudicio de eligibilitate personæ. Hoc autem potest contingere, si vnus vtatur eligendi potestate, & alter cedat iuri suo eligendi; tunc enim ille hunc eliget, & hic erit electus à toto collegio; quia licet in collegium constituendum requirantur plures, potest tamen ad vnum deuenire, vt dictum est. Nec talis censendus est ambitiosus; quia non incipit ipse suam electionem, sed ab alio inceptam complet. Ita *Sylvest. v. Elect. 1. q. 1. Rodriq. tom. 2. qq. reg. quæst. 53. art. 11. Sigismund. p. 1. c. 3. dub. 23. num. 5. Ancharanus in cap. nullus de elect.* & alij apud *Pasqualigus decis. 253.*

In casu tamen, quo collegium redactum esset solummodo ad vnum, ille talis solus non posset eligere seipsum, quia ambitionis notaretur, & secundùm *Glossa in C. per nostras de mr. patr.* tamquam talis deberet repelli. *C. Capitula. iunct. Gloss. v. Consuetudine, de elect.* Aduertendum tamen ex consuetudine vel priuilegio, etiam alios, qui non sunt è collegio, ius eligendi Prælatum consequi posse. *C. Querelam de elect c. Consultationibus, de iure patron.* Similiter qui est in quasi possessione iuris eligendi; conferendi, vel præsentandi, eius electio, collatio, præsentatio rata est; licet postea in iudicio ab illo euincatur.

8. Multi iure priuantur potestate & facultate eligendi, imprimis *Cap. Si celebrat. de cler. extrom. ministr.* Excommunicatus excommunicatione minori. *Secundo. cap. Cum dilectus, de consuet.* Suspensus ab officio; nisi illi vox competeret ratione beneficij, cum enim suspensio ab officio, nullo modo suspendat à beneficio, vt tenet communior & probabilior sententia apud *Sanches de matrim l. 3. disp. 51. n. 12. Henriq. de excomm. c. 32. §. 3. Sigism. à Bonon. tr. de elect. dub. 64 nu 2. Sayr. de cens. l. 4. c. 5. n. 6.* sequitur necessariò, si vox alicui competeret ratione beneficij, vocem habere in electionibus: vnde si quis Prior, Præpositus, vel Guardianus ab officio suspenderetur, suffragiū præstare prohibetur in electione discreti localis. Secus in electione in Capitulo Prouinciali, vbi ex beneficio Prioratus, Præpositurę, vel Guardianatus suffragator existit.

Tertio, Interdictus, *C. cum inter, de elect. Quarto, cap. fin. de elect.* quibus interdictum, est eligere sine licentia Superioris *Quinto, c. 11, qui de sent. excomm. in 6.* qui scienter celebrauerunt in loco interdicto suppositio, nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit eidem concessum. *Sexto, c. cum in cunctis, de elect. c. scriptum de elect. c. perpetuo eod. tit. in 6.* qui in aliqua vacatione elegerunt scienter indignum. Et idem est dicendum, si peccauerunt in postulando, quia pro ea vice sunt priuati potestate eligendi, si facta nominatione secuta est postulatio, vel electio, secus autem si non sit secuta.

Septimò, Pupilli & impuberes, id est, qui sunt intra 14. annum in viris, & 12. in fœminis. *C. ex eo de elect. in 6. Sylvest. v. Elect. 1. nu. 3. Miranda c. quæst. 23. art. 5. concl. 4. Octauò.* Conuersi siue laici non habent vocem & votum in electionibus canonicis; sicut & qui sacro ordine non sunt insigniti: & ita obseruatur in communi praxi; in omnibus Ecclesijs Cathedralibus, collegiatis sæcularibus, & regularibus: propter decretum. *Clement. vt iij qui, de etate, & qualit.* quod de nouo innouauit. *Conc. Trid. sess. 22. de reform. cap. 4. Rodriq. tom. 2. qq. reg. q. 51. a. 5. Sigism. à Bonon. c. dub. 88 n. 2.*

Apud tamen quosdam regulares Clerici professi licet nondū Subdiaconi, Laici seu conuersi ex priuilegio, statuto, fundatione vel consuetudine, gaudent voce actiua in electionibus, non obstante prædicto decreto Tridentini. *Nonò*, Laici arcentur ab electionibus religiosorum; aliàs electio est nulla: sicuti Clerici sæculares, & regulares non professi, carent vtroque iure eligendi in electionibus regularium: ad hoc tamen, vt quis possit eligere, sufficit tacita professio: vt verò possit eligi, necessariò requiritur expressa professio: Immò addendū est, vt sint professi eiusdem ordinis, vel congregationis, aliàs collatio, seu electio vel prouisio de ipsis facta, eo ipso est inanis, & irrita: quæ omnia probantur, ex iuribus hic citatis. *C. Messana, de elect. c. Quisquis, c. cum terra. c. cum ad nostram, de elect. Suares de relig. tom. 4 tr. 8. l. 2. c. 4. n. 3. Conc. Triden. sess. 14. cap. 10. de reform. & sess. 25. c. 21. de regular.*

Decimo, Omnes irregulares: *C. 11 qui, de sent. excomm. in 6.* vnde collatio, electio seu prouisio de religioso irregulari habita ad Prælaturam regularem, est ipso iure nulla & inanis: *Suares c. c. 3. n. 26. 27. Lessius l. 2. c. 34. n. 120. Conar. in reg. peccatū p. 2. §. 8. n. 6. & 7. Sayr. de censur. l. 6. c. 2 n. 25.* quia dicta Prælatura annexum habet pastorale munus, in quo est principale spiritualium functionum ministerium, quod sine vsu ordinum non completur: & hoc secundùm communem sententiam, quæ ait, Irregularitatem licet occultam, facere hominem incapacem beneficij; vt docemus *v. Irregularitas 1. n. 13.*

Quoad verò electionem actiuam. *Anchar. in c. 11 qui, num 3. de sent. excomm in 6. Sylvest. v. Elect. 1. q. 4. Azor. 2. p. l. 6. c. 14. q. 9.* asserunt irregularem inhabilem esse, ad ferendum suffragiū in electione; sed mihi placet sententia nostri *Sigism. c. dub. 67. num. 8. Navarr. c. 27. num. 244. Suares c. nu. 27. Bonacina de censur. d. 7. quæst. 1. p. 4. num. 18.* qui post *Navarrum, Suares, & Bonacinam* contrarium docet: nisi aliud speciali iure caueatur in aliqua speciali irregularitate, vt est illa homicidij notorij: nam tales homicidæ non possunt eligere, quia infamia perpetuò notati sunt, & ab omni actu legitimo suspensi a *Pio II.* per suā constitutionem, *Ad retinenda*, editam anno 1461. 28. Ianuar. quam confir-

Conſtitution. Sect. 8. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 9. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 10. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 11. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 12. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 13. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 14. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 15. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 16. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 17. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 18. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 19. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

Sect. 20. Item, Ob ein Churfürſt oder Fürſt ſeine Unterthanen, ſo ihm Eyd und Pflicht gethan, ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen möge? Antwort: Ein Churfürſt oder Fürſt mag ſeine Unterthanen ihrer Eyd und Pflicht entledigen, und ihnen ſolche Eyd und Pflicht nachlaſſen, wo ſie ſolches aus Gnaden thun, und nicht aus Argliſt, Betrug, oder Gefährde, ſondern aus rechtmäſſigen Urſachen, und ſolches ihnen nicht zum Nachtheil gereichet.

etiam si electores iuraſſent eligere digniorem. *Item* quando dignior præeſſet alteri Eccleſiæ, & eſſet poſtulandus: *Item* ſi non eſt liberum collatori vel inſtitutori conferre alteri, vel alium inſtituere quam ſibi præſentatum à patrono. *Item* quando quis beneficium reſignat digno, prætermittens digniorem. *Item* patronus laicus poteſt eligere & præſentare minus dignũ, relicto digniori. *Item* ſi beneficium ex ſua inſtitutione per Eccleſiam confirmata, vel acceptata, dandum ſit alicui ex certa familia, vel oppido. De quibus caſibus conſulantur. *Tamerus 2.2. diſp.4.q.8.dub.2. nu.17. Leſſius lib. 2.c.34.dub.13. nu.58. De la Crux in direct.p.1. prælud.7.q.7. art.2.d.9. Malder.2.2. tract. 9.c.2.dub.7. Diana p.3.tract.5.miſc.reſol.110.& p.5.tr.5.reſol.13. Sylueſter 2.2. queſt.63. art.2.queſit.4. concl.3.Nauarr. in miſc. n. 38. Reginald.tom.2. l.30.tract.3. num.200.* & vide *Beneficium 6. numer.2.*

Quis autem dignior cæteris ſit cenſendus, & præferendus in electionibus? Dicendum eſt, in propoſito digniorem dici, qui ad Prælaturam vel munus, de quo agitur, gubernandum, & ſuſtinendum, aptior, & conuenientior eſt, omnibus conſideratis, & perpenſis, non verò ſanctior vel doctior; qui tamen in cæteris non eſt ita aptus illi miniſterio, ſicut primus non tanta ſanctitate, & doctrina excellens: quia ad maiores qualitates morum & litterarum, abſolutè non eſt attendendum in hac materia; ſed ad illas ſolummodò, quæ muneri, de quo agitur, magis proficuæ & vtiliores erunt, dummodò proficiendus, ſine diligendus, ſit aliàs bonus, ac idoneus, vita, moribus ac doctrina. Ita Doctores citati. *D.Thom.quodl.8.art.16. Nauarr. in reg. peccatum p.2 §.7.nu.4. verſ.dignior. Azor p.2.l.6.c.15.queſt.1. Leſſius c.dub.14.nu.64. Sylueſt.v. Electio 1.q.16. Gutierez qq. can. l.2.q.11.n.66. Arragon.2.2.q.63. art.2.*

Hinc in deciſionibus Rotæ Romanæ à noſtro per doctiſſimo *Sigiſmund. à Bonon.tr. de elect. dub.*30. recenſitis habetur, digniorem ſimpliciter non dici, qui Eccleſiam vel munus, de quo agitur, aliàs rexit & ſuſtinuit; quia hoc reſpicit ipſius ſufficientiam, ſed non concludit dignioritatem; ita vt in concurſu, ſeu electione ſit præferendus: Item antiquioritatem receptionis ad habitum, ſiue ſacerdotij vel authoritatem ætatis, nihil conferre ad idonei ſtitatem, & per conſequens eam non eſſe attendendam: quia notum non eſt, iuniores plerumque ſenioribus doctrina & morum honeſtate præcellere: Canities enim hominũ eſt prudentia, non ætas. Sicut habetur *c.fin.diſt.84.c.Venerabilis, de præb.* Porro nullo pacto eſt attendenda nobilitatis qualitas, ad effectum eligẽdi digniorẽ, niſi in caſu, quo electio alicuius nobilis futura eſſet in vilitatem religionis vel Eccleſiæ; poſſet tunc præferri alteri abſque acceptione perſonarum. Denique dignior in electionibus arbitrandus eſt, ex circumſtantiis prudenter attentis, iuxta *Reginald. tom.2.lib.*30. *tr.3.n.*199. docentem, aliquando doctum præferendum eſſe ſanctiori idiotæ: expertum meliori inexperto: prudentem, doctiori imprudenti: nobilem meliori ignobili: prouectum, ſanctiori iuueni, & ſic de cæteris.

An ad prælaturas regulares eligendi ſint digniores communis eſt reſponſio affirmatiua. *Turrianus 2.2.diſp.*22.*dub.*4.*nu.*1. *Diana p.2.tr.1. miſcel.reſol.*61. *Portel. in dub.reg. v. Electio n.*6. qui ſic ait: *Regulares etiam tenentur ad officia eligere dignuores, ſunt enim Prælaturæ regulares, & cætera officia, beneficia Eccleſiaſtica, & proinde etiam in illis militat ratio naturalis, & diſpoſitio iuris vt eligatur dignior.* Et noſter. *Sigiſmund. à Bonon.p.*3. *c.*3.*dub.*110. *num.*13. ſpecialiter aduertit, inſpiciendum eſſe, in promouendis ad Prælaturas conuentuales, nedum ætatem & doctrinam, ſed mores & prudentiam; ita vt meritò ille ſemper præferendus ſit, qui alterum antecellit integritate vitæ, prudentia, aliiſque virtutibus ad regendam Eccleſiam opportunis, licet hic alter eſſet antiquior ætate, ſeu inſignitus gradu Concionatoris, vel Doctoratus, & in audiendis confeſſionibus exercitatus. Et ratio eſt, quia non ex eo quòd hic alter ſit Doctor, ſiue Concionator, vel antiquior, oritur vlla præſumptio, quòd illam ſuperet, vitæ ac morum ſplendore, & prudentia: vbi verò datur paritas morum, vitæ integritatis, ac prudentiæ: tunc ſanè præferendus eſſet, qui Doctor eſſet vel concionator. Hæc ille poſt *Sala.*2.2. q.63. *art.*2.*contr.*3. *concl.*2. vide præterea Dianam *part.*5.*tr.*14. *reſol.*11. An verò electores ſemper peccent mortaliter, etiam in paucitate materiæ, qui in electionibus iurant, ſecundùm veritatem cuiuſcumque conſcientiæ ſe probiores ac magis idoneos electuros: hæc quæſtio pendet ex illa, an violans iuramentum in re parui momenti, peccet mortaliter? varias ſuper hac retulimus ſententias & quidem probabiles, *iuramentum 4.* & licet tutiorem & probabiliorem dixerimus eſſe affirmatiuam: quia quod principaliter requiritur in iuramento, eſt veritas, quæ eſt eiuſdem rationis in re parua, & magna, ſicut ergo violans iuramentum in re magna, peccat mortaliter defectu veritatis, ita videtur mortaliter peccare violans iuramẽtum in re parua vt docent. *Reginald.l.*28.*n.*79. *Filliuc.tr.*25.*c.*10.*q.*7. *Leſſius l.*2.*c.* 42.*dub.*5.*num.* 23. *Bonacina tom.*2.*diſp.*4.*q.*1 *p.*14.*n.* 2. Nihilominus reuera mitior videtur opinio *Nauarr. c.*12. *nu.* 10. *Suarez de iuramẽt. libr.*3.*c.*16. *Sanchez l.*3 *moral.c.*4.*nu.*23. *Sylueſt* 2.2.*q.*98.*art.*3. *concl.*3. non eſſe peccatum mortale, quando iuramento promiſſorio ſola veritas de futuro deficit: id eſt, quando adfuit quidẽ animus adimplendi tempore iuramenti emiſſi, at poſteà res promiſſa non impletur; ſecùs dicendum, ſi veritas de præſenti deficeret, ideſt; ſi tempore quo iuramentum emittitur, non adſit animus ſeruandi rem promiſſam cum iuramento, ſiue ea parua, ſiue magna ſit, tunc enim nunquam iurans à mortifero crimine immunis erit, ſecundùm omnes: vt adnotat etiam noſter *Sigiſmund.à Bonon.p.*1.*c.*5.*dub.* 31.*num.* 15.

11. Communis ſententia Theologorum & Iuriſtarum eſt, eos, qui aſſumunt ad officia ſæcularis, v.gr. Gubernatoris oppidi, vel arcis, Prætoris, Iudicis, Capitanei, Secretarij, Commiſſarij, Quæſtoris & ſimilia ineptos, aut qui malè putantur adminiſtraturi, peccare mortaliter, & teneri ad reſarciẽda damna ex tali electione ſecuta: quia, ſiue hæc officia conferant ex debito ſui officij, vt Principes & Gubernatores, ſiue ex horum commiſſione, ſemper tenentur lege iuſtitiæ procurare Reip. miniſtros idoneos, & quantùm commodè poſſunt eius; damna impedire; atqui hoc facere non poſſunt; niſi idoneis miniſtris & officialibus vtantur, ergo ineptos adhibendo, tunc cauſa damni: *Malderus* 2.2.*tr.*1.*c.*1.*du.*5. *Fernand.p.*4.*c.*7 *n.*10. *Miranda tom.*2.*q.*23.*ar.*13.*concl.*2. *Leſſius l.*2.*c.*32. *dub.*3.*n.*13. *Diana p.*2.*tr.*1.*miſc.reſol.*67.

Verùm dubiæ eſt quæſtionis, an Principes ad hæc officia ſæcularia teneantur eligere digniores? aliqui enim aſſerunt eſſe opinionem probabilem illam, quæ docet in officijs ſæcularibus ſufficere eligere dignum, relicto digniori. Ita *Vaſques opuſc. de benefic.c.*2. §.5.*dub.*13.*nu.*97. *Molfeſius in ſum. tom.*1.*tr.*6.*c.*6.*nu.* 83. poſt *Cauet. in ſum.v. Electio.* quia, inquit, non video hic acceptionem perſonarum, nec video hic habere locum iuſtitiam diſtributiuam; cùm officium hoc non detur ciui, vt parti communitatis: nihilominus hæc ſententia eſt contra communem; vnde qui omiſſis aptioribus aſſumit minus idoneos, peccat quidem & ſæpè mortaliter, licet non teneatur ad reſtitutionem, ſi iſti verè idonei erant: quia iniuriam quamdam facit digniori, præferendo ei minus dignum: maius enim ius habet, qui eſt aptior; hæc tamen iniuria non eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ac proindè nec peccatum mortale, nec obligans ad reſtitutionem; peccatur tamen ob iniuriam vel infidelitatem in rempublicam, & contra iuſtitiam diſtributiuam, cuius ius conſiſtit ſolùm in maiore aptitudine & proportione ad bonum diſtribuendum. *De la Crux in direct.p.*1. *præcept.*7. *q.*7. *art.*2. *dub.* 11.*concl.*2. *Reginald.lib.*23.*n.*35. *Valent.tom.*3.*diſp.*5. *q.*7.*p.*2.§.5. *Gangericus Hiſpanus in ſum.Cauet.v.Electio, lit.B. Diana p.*4.*tr.* 4.*reſ.*172. *Sylueſt* 2.2.*q.*63.*art* 2.*queſit.*6.

12. Electus, non poteſt conſentire electioni de ſe factæ, niſi poſtquam ſit celebrata electio communis, reſultans ex ſingularibus conſenſibus præſtitis in ſcrutinio, aliàs electio eſt irritanda: quia ſi electus conſentiat electioni antequam vota redigantur in ſcriptis, & publicentur, tanquam ambitioſus eſt repellendus: *cap. Cum poſt petitam de elect. Sylueſt.v. Electio* 1. *qu.* 10. *c.in ſcripturis* 8.*q.*1.*c.per noſtras de ſor.patro. ſi vero* electus conſentiat electioni ſuæ, poſtquam vota redacta ſunt in ſcriptis, & iam publicata, ſed antequam ſequatur communis electio, tunc electus non poteſt quidem notari ambitione, cùm ſit priùs vocatus à Deo, & à Fratribus: at electio eſt ipſo iure nulla, quia electus erranit in forma *c. Qua propter, de elect.* ſubſtantiale enim eſt electionis, vt omnia ſuo ordine, quo præſcribuntur à dicto *c. Qua propter*, ſeruentur. Ita *Panorm.in c.quia propter, n.*16. *verſ.* 18. *Miranda to.*2.*q.*23. *art.*29.§.18. *Sylueſt.v.Electio* 1.*queſt.*10. *ſub qua* autem culpa teneatur electus conſentire electioni. Reſponſio eſt *Richard. in* 4.*quodlib.*21. quem ſequuntur *Angelus v.Electio n.*30. *Sylueſt.v.Elect.*1 *q.*19. *Mirandac art.*31. *Rodriq. to.*2.*qq.reg.q.*56.*a.*1. noſter *Sigiſmund à Bonon.p.*1.*c.*6.*dub.*39. *n.* 17. & communiter omnes, in triplici caſu electum teneri conſentire ſub culpa mortali. *Primus eſt*, ſi à Superiore cogatur, diſtricto ſanctæ Obedientiæ præcepto, & tamen ipſe conſentire recuſet,

recuſet,nec ſuffragetur ei iuſta cauſa cedendi: vt puta,quòd ſit certus de notabili defectu ſcientiæ,vel alio huiuſmodi defectu, propter quem exercere non valet munus ſibi iniunctum ſine peccato.Quòd ſi electus dubius ſit de dicta cauſa, & eã superiori expoſuiſſet, qui nihilominus ab iniungendo non deſiſteret, tunc ſubditus conuincitur obedientiam abiicere,ſi ipſe non cõſentiat.Vt notant.*Gerſon Alphab.55. lit. R.Cordub.ſuper reg.S. Franc.c.10.q.7.punct.2.* Nõ poſſet autem Prælatus regularis cogere ſuos religioſos ad acceptanda beneficia ſæcularia, vel etiã regularia alterius ordinis,quamuis vtrumque ex Pontificia diſpenſatione liceret. Ratio eſt, quia id non eſt ſecundùm regulam,ſed præter illam,nec ordinatur ad cõmune bonum ſuę religionis aut monaſterij. Poſſet tamen cogere ad ſuſcipiẽdum beneficium conſuetũ regi per regulares ſui monaſterij, quia talis gubernatio pertinet ad ſummonaſterium, vt docet Rodriqu. *to.1.qq.reg.q.34. ar.8. c. in ſcripturis. & colum 8.q.1.Rodrig.c.a. 1.Miranda c.art.31.conc.1.Cruſers ad c.8.reg.S.Franc.lect.2.f. 819.Secunda eſt*, quando ſecundùm iudicium ſuæ conſcientiæ, videtur ſibi veriſimiliter,quod non eſt,qui velit & poſſit, meliùs ſalutem animarũ procurare,quàm *ipſe*,& ex hoc videt probabiliter Eccleſię notabile imminere diſpendium,atque periculum niſi aſſentiatur.*Tertius eſt*,vbi electus per viam illicitã conſentire refugit,vt puta, abſcõdendo ſe,niſi ex ſpeciali inſtinctu Spiritus ſancti hoc faciat. Extra verò hos numeratos caſus neceſſitatis,ſi per viam illicitã quis cõſentire tenuat propter ignauiam,ſeu pigritiam, non excedit venialem culpam: ſi autẽ propter humilitatem,indignum ſe exiſtimans,meretur. Vnde iuxta. *D.Tho.quodl.5.a.23.*dicẽdum eſt, tutiùs Prælationis officium declinari,non tamen pertinaciter,cùm ad illud ſuſcipiendum ſuperna voluntas agnoſcitur.

13. Regularis canonicè electus ex ordinibus Mendicantium ad aliquam Prælaturam extra ſuum ordinem, nullum ius ſibi acquirit ex electione, poſtulatione, prouiſione ſeu vocatione in diſcordia facta. *c.quorundam,de elect. in 6. Clement.quod circa, de elect.* ſiue illa ſit de iure, ſiue de facto, vt docet. *Sylueſt.v. Elect.1.q.17.Rodriq.c.5.q.56. ar.2.Miranda c.to.2.q.23.art.14.* Alijs verò religioſis ordinum non Mendicantium,non etiã acquiritur ius in electionibus,nec conſentire eis poſſunt, ſi fuerint electi à minori parte,numero. Propterea eſt notandum,quòd ſi religioſus electioni de ſe factæ ad Prælaturam,extra ſuum monaſterium,vel Eccleſiam, non petita & obtenta licentia cõſenſerit,conſenſus non valet: & electio ipſa viribus euacuatur;huiuſmodi tamen licentiam dare poſſunt religioſorum Prælati,cõuentibus irrequiſitis, prout habetur *c.ſi religioſus, extra eod.tit. lib.6.* in iure.

14. Contra ſubornantes in Electionibus regularium,emanarunt à Sede Apoſtolica variæ bullæ, pro ſingulis ferè religionibus,quas noſter *Sigiſmundus à Bononia* in ſuo tractatu de Electionibus *dubio* 53.ſummatim refert. In primis eſt aduertẽdum, quòd ſubornatio *ſit ſuaſio,qua ſuadetur verum, vel falſum in bonum vel malum finem:* & diſtinguitur in bonam, qua ſuadetur verum in bonum finem: & malam,qua ſuadetur verum vel falſum; in malum finẽ:de qua quidem nullum eſt dubiũ, eſſe prohibitam,non ſolùm iure poſitiuo,ſed etiam naturali,cùm ſit ex ſe mala, vt cùm pecunijs,donis, & alijs indebitis modis, officia ambiuntur,& contra hanc *Clemens VIII.*conſtitutionẽ edidit, cuius rubrica eſt de *Largitione numerum. Cardinalis in Clemẽt. 2.de teſt. notabil.2.Rodriq.to.2.qq.reg. qu.57.art.1.Portel.de dub. reg.v.ſubornatio.n.1.* & 2.

Sed quæſtio eſt,num ſubornatio bona, ſit ſaltem iure humano poſitiuo prohibita? *Rodriq.* citatus negat,nixus authoritate *Nauarr.c.23.n.110.*explicantis bullam *Pij V.*contra confidentiã, ait enim,quòd dicta extranagans non de confidentia bona, ſed de confidentia mala debet interpretari. Sic omnes bullæ editæ contra ſubornantes intelligi debent de ſubornatione mala, non de bona. Finis enim harum conſtitutionum non eſt alius,quàm prouidere, ne eligantur indigni & ambitioſi, aut minus digni dignioribus præferantur. Vnde cum lex nõ obliget vltra finem intentum,qui eſt menſura obligationis (quia vltra ipſum nõ ſe extendit intẽtio legislatoris,atque adeo nec vltra ipſum aliquid operatur. *c.fin.de præbend.*) ſequitur, præfatas Conſtitutiones prohibere tantùm illos tractatus, qui aduerſantur fini intento: quales non ſunt, qui ordinantur ad electionem perſonæ dignæ; & ſententiæ Rodriq. ſubſcribunt: Naldus *in Sum.v.Relig.n.42.* & Paſquaglius *in deciſionibus moralibus dec.255.& dec.225.n.10.* Imò idem Auctor *dec.252.*docet electionem,in qua non præcedit debitus tractatus,eſſe nullam, ex *c. in Geneſi, de Electione*, quia ſine ipſo non poteſt electoribus innoteſcere, quinam ſit cæteris præferentibus. Et cùm debeat collegialiter præferri, debet etiam collegialiter innoteſcere quòd ſit præferendus.

Contraria tamen ſententia noſtro *Cruſers ad cap.8. reg. S. Franc.lect.2.f.820.* videtur tutior & omninò ſequenda; nempe, bonam etiam ſubornationem eſſe prohibitam,nec obſtare, quòd bona ſit, quominùs prohiberi poſſit: nam bonus eſt vſus calicis in Euchariſtia,& tamen multis prohibetur, propter incommoda: ſic non minùs incommoda naſcuntur ex ſubornatione, quam qui exercet iudicat bonam,ſiue verè bona ſit, ſiue apparenter tantùm, quàm ex ea,quæ manifeſtè mala eſt: ergo vtraque eſt prohibita: Deinde lex generaliter loquens,generaliter debet intelligi. Et Concil.Tridenti præcipit electionem fieri per vota ſecreta;ſed qui alium ſubornat,pro aliquo, votum ſuum ipſi ſatis euidenter inſinuat, ergo vtrumque prohibitum eſt.

Cæterum quidquid ſit de probabilitate harum opinionũ *Diana p.2.tr.2.reſ.35.Molfeſius in ſum.to.1.tr.6.cap.16. n.147. c.Si tranſitus dub.79.Lezana in ſum.to.1.c.15.n.24.* putat poſſe regularem huiuſmodi religionum (vbi adeſt prohibitio, vt ante electionem nullus tractatus de illa habeatur) cum electoribus, vel alijs per modum conſultationis, tractatum habere de aliquo eligẽdo,vt ſciat,an talis ſit dignus,vt ſi ſciat,vel alios informet, & perſuadeat vt illum eligant, dummodo hoc non efficiatur ex conſenſu, ſeu opera ipſius eligendi, ſed ſponte ab electoribus propter illius merita; nam ſi talis tractatus efficeretur per ſe ipſum vel per alios,eſſet tractatus ambitioſus, in iure prohibitus, vt pactionalis,conuentionalis, conditionalis. Sic etiam *Molfeſius. Imò Portel c.n.3.* addit,quòd ſi aliquis ſolùm petierit ab alio vt det ſuffragium pro tali indigno, vel minus digno,& hoc ſimpliciter,non ſuadendo,neque minis,neque donis,neque precibus importunis,neque perſuadendo falſas illius qualitates, ſed ſolùm leuiter petendo: talis licet peccet mortaliter, quia agit prò indigno, vel minus digno,non tamen videtur incurrere pœnas impoſitas ſubornantibus, quia non finxit: & ſubornare eſt ſuadere, aliud verò eſt ſuadere, aliud ſimpliciter petere: & plus dicit ſuadere quam petere.

Sed maius dubium occurrit, *Primò*, an electores committãt ſimoniam paciſcendo: *Eligo te illum, & tu eligas iſtum*, quem tu proponis.Caſus iſte frequens eſſe poteſt apud regulares.Negãt *Sanc. l.9.de inſt.q.5.a.2.Victoria de ſimo.n.17.* & alij recentiores.Affirmant. *Henr.Rodriq.in compen.reſ.129 Portel in dub.reg. v.Simon.nu.1. Diana p.3.tr.2.reſol.125.& p.4.tr.4.reſ.150.* Sed mihi diſtinguendum videtur.In electione enim duo debent cõſiderari;ſubſtantia nempe electionis,quæ dicit ipſam vocationẽ perſonæ dignæ ad aliquod munus: & commodum electionis, quod percipiunt electores,ſi electio fiat in tali,vel tali perſona. Si pactum ſit de electione ſecundùm ſubſtantiam, interuenit ſimonia; quia ſimonia nedum dicit quòd ſpirituale commutetur cum temporali,ſed quod ſpirituale ſubijciatur cõtractui humano. Sicuti enim ſpiritualia ſunt in ordine ſuperiori, & eleuant hominem ad participandum aliquo modo in eſſe diuino; ita ſi humano contractui ſubijciantur,inuertitur iſte ordo, & homo vtens ipſis indebitè,auertitur ab vltimo fine, quia non tendit in ipſum iuxta exigentiam rerum ſpiritualium. Vnde *in c.pactiones, de pactis*, damnatur vt illicitum omne pactum & omnis conuentio circa ſpiritualia.

Si pactum ſit de commodo electionis, videtur poſſe dici,non interuenire ſimoniam, *per ſe loquendo*, ſi de ipſo Electores paciſcantur: quia tale commodum eſt quid temporale,& tunc eſſet ſolùm commutatio temporalis pro temporali: nihilominus, quia tale commodum coniungitur cum electione, vt effectus cum ſua cauſa, qui non poteſt haberi, niſi per poſitionem cauſæ,nempè electionis, proindè tale pactum eſt etiam illicitum; quia venit in contractum ipſa electio.Ita *Paſqualigus in deo.moral.dec.224.Lezana to.4.ſum.v.Simon.n.20.*

Secundò, an in electione liceat vti ſubornatione contra ſubornationem? Affirmat *Villalobos t.2.ſum.tr.37.* quia licet vim vi repellere, & monopolium alio monopolio diſſoluere. Sed hæc ſententia nullo modo eſt probabilis, quia vis, qua altera vis repellitur, non ordinatur ad malum; ſed ad id, quod licitum, & honeſtum eſt;nempe ad defenſionem, vel perſonæ,vel rerum, quæ eſt de iure naturali; & ideo licita,& honeſta eſt contra aliã: at ſubornatio per ſe primo ordinatur ad malum, licet poſſit inde ſequi aliquod bonum: Nõ ſunt tamen facienda mala vt eueniant bona; vnde tenendum eſt nullo pacto eſſe licitum adhibere ſubornationem contra ſubornationem. Ratio eſt,quia

electot

electus subornatus non potest bene eligere, cùm eligat secundùm mensuram subornationis; vnde qui subornat, quantùm est de se, semper ponit causam malæ electionis, & intendit, quòd electio sequatur secundùm mensuram illius subornationis, & ideò intendit, quòd de se est malum: numquam autem licet intendere malum siue in ordine ad bonum, siue in ordine ad aliud malum propulsandũ. Solùm in hoc casu licebit adhibere vim contra subornantem, vt desistat à subornatione; quòd poterit fieri vel per preces, vel per munera, vel etiam per minas; aut de malo licitè inferendo, in pœnam subornationis; vel de malo in genere. De monopolio autem est diuersa ratio; quia monopolium est iniuriosum communitati, & particularibus personis, quæ sunt de communitate, & infert moralem vim, & ideò est licita defensio contra ipsum per aliud monopoliũ: quia vis moralis altera vi morali depellitur. Ita *Bonacina t. 1. disp. 1. de simon. q. 6. p. 5. n. 15. Pasqualigus decis. 251. Suarez t. 1. de relig. tr. 3. lib. 4. de simon. c. 50. n. 26.*

Plura de simonia in electionibus regularium vide v. *Simonia V. num. 6.*

Contra Fratres Minores de obseruantia, exstat bulla *Pij V.* quæ incipit, *Pastoralis officij*, in qua inter alia ordinauit, vt qui in electionibus, vel ante eas per sex menses pro se, vel pro alio, subornauerit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat, a qua nisi à Romano Pontifice pro tempore existenti, præterquam in mortis articulo, absolui non possit, ac voce activa & passiua perpetuò careat; subornatus verò, vel alius, etiam pro quo subornatio fit, qui subornantem non denuntiauerit, eandem pœnam incurrere censeatur. Hanc bullam in duobus moderatus est Gregorius XIII. per suam constit. quæ incipit, *Consueuit Romanus Pontifex, Primò*, quòd etiam Minister generalis, & Commissarius Generalis possint ab hac excommunicatione absoluere, quando de ipsis non est subornatum. *Secundò*, quòd qui subornatus, vel alius pro quo subornatio fit, qui subornantem non denuntiauerit, in dictam excommunicationem non incidat; vide *Rodriq. t. 2. qq. reg. q. 57. art. 1. Portel c. n. 4.*

Circa quas bullas vertitur in dubium, an extendatur ad alios regulares: Respondet noster *Sigismund. à Bonon. c. p. 2. c. 1. dub. 53. nu. 9. Tamburin. de iure Abbatum to. 1. disp. 17. quæst. 6.* illas bullas contra subornatores aliarum religionum, in specie, & nominatim emanatas, non extendi ad alios, contra quos non fuerunt specialiter & nominatim latæ: quia specialiter illæ bullæ loquuntur de specialibus religiosis, vnde tanquam pœnales non comprehendunt alios: hinc tenor dictarum cõstitutionum est diligentissimè inspectandus ab illis, contra quos latæ fuerunt: & vt benè aduertit. *Rodriq. to. 1. qq. reg. q. 55. art. 17.* religiosis fit solùm communicatio eorum, quæ sunt ipsis fauorabilia, non autem eorum, quæ sunt illis odiosa; vnde non fit cõmunicatio censurarum, inhibitionum, &c. Quæ cùm ita sint, in decretis generalibus editis anno 1599. die 25. Iulij pro reformatione regularium, tam Monachorum quam Mendicãtium, cuiuscumque Ordinis, & instituti à *Clemente VIII.* hæc habentur §. 35

Vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, cauetur omnes à directa, vel indirecta, vocum, seu suffragiorum procuratione, tã pro ipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis locorum, tum in cæteris, præsertim generalibus capitulis, aut congregationibus, seu alibi. Quicumque secus fecerint, præter alias pœnas, & censuras hactenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in pœnam priuationis officiorum, quæ obtinent, eo ipso incidant & ad futura quæcumque pariter inhabiles habeãtur, super quo cum eis dispensari à nemine possit, nisi à nobis, vel à successoribus nostris; & pro qualitate culparum grauius etiam plectantur. Porrò supradictas omnes pœnas ad complices & simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus. Hæc decreta fuerunt innouata anno 1624. die 21. Septembris, à Sacra Congreg. de expressa mente *S. D. N. Vrbani VIII.*

15. Excommunicatione etiam afficiuntur, & priuantur voce activa & passiua, & insuper omnibus officiis ordinis, recurrentes ad sæculares personas, mendicaturi fauores ad obtinenda intra ordinem officia, etiamsi iurent in cõtrarium & fratres, & sæculares; dummodò de malitia sæcularium non constiterit. *Rodriq. to. 2. qq. reg. q. 57. art. 2.* Prædictis tamen pœnis non afficerentur illi, qui literas quidem impetrarunt, sed ad electorum manus non peruenerunt; quia verba legis cum effectu sunt intelligẽda: vnde verba Extrauagantiũ *Pij V.* pro fratribus Minoribus de obseruantia; Et *Gregorij XIII.* pro Fratribus Prædicatoribus, intelligenda sunt de procurante fauorem cum effectu.

Insuper extat Motus proprius *S. D. N. Pauli V.* contra Superiores Ordinis Minorum S. Francisci de Obseruantia, qui fauores extra suum Ordinem attendentes, officia, dignitates, ac gratias concedunt, & contra eosdem fratres dictos fauores cõquirentes: ait enim Pontifex, *Dilectis filijs, Ministro Generali ac Prouincialibus & reliquis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Obseruantia nuncupatorum Prælatis, nunc & pro tempore existentibus, in virtute S. Obedientiæ, ac sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda præcipimus & Mandamus: Ne ad instantiam & requisitionem quarũcumque personarum tam laicorum quam Ecclesiasticorum extra dictum ordinem constitutarum, etiã Cardinalatus honore, & quacumque sæculari dignitate, & excellentia etiam ducali, regali, & imperiali fulgentium cuius prædicti Ordinis religioso, vllam gratiam concedere, vel pœnas aliquas remittere, seu gradus, honores, dignitates, officia & administrationes, functiones, & Prælaturas eiusdem ordinis cõcedere audeant. Quinimò dicti ordinis fratres, religiosos, qui contra Decreta, hac via & his mediis, conquisitos fauores, & suffragia aliquid sibi procurauerint, ad talia & similia, ac etiam maiora in eodem ordine constituenda perpetuo inhabiles declaramus. Insuper dictis religiosis fratribus eiusdem ordinis quibuscumque sub eisdem pœnis præcipimus & expressè interdicimus, vt non solum in præmissis omnibus, fauores huiusmodi minimè procurare, sed nec etiam sponte oblatos, aut ab eis minimè procuratos recipere, & similiter ne ad hunc effectum munera aliqua prædictis personis exhibere audeant, seu præsumant. Nec obstantibus constitutionibus, &c.*

Prohibuerant hoc ipsum Minoritis *Pius & Gregor. XIII.* specialibus bullis, quas citat *Rodriques* citatus supra. Illarum summa erat, quod procurantes officia & dignitates via sæcularium, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam. *Secundò* incurrunt inhabilitatem ad officia, &c. cum priuatione vocis activæ, & passiuæ. *Tertiò* iubentur vno mense carceri mancipari.

Addidit præterea *Gregor. XIII.* quòd ipso facto quòd aliquid sæcularis rogaret pro aliquo fratre, talis frater maneret inhabilis ad officia Ordinis: nisi constaret prædictum sæcularem id malitiosè fecisse, vt hac via talis frater maneret inhabilis. Sed quia aliqui dubitabant prædictos motus proprios per contrarium vsum esse reuocatos, ideò *S. D. N. Paulus V.* hoc speciali motu proprio illos renouauit, & ferè instauravit. Licet hic motus proprius mitior sit illis duobus, quia non ponit excommunicationem reseruatam, nec pœnam carceris, neque alia contenta in duobus illis.

Nota quòd res, quas Papa prohibet ne concedantur religioso ad instantiam sæcularis vel cuiuscumque personæ extra ordinem, sunt sequentes. Vlla gratia: Remissio alicuius pœnæ: Gradus: Dignitas: Officia: Administrationes: Functiones: Prælaturæ: vnde nihil ferè est alicuius ministerij honorifici in religione, quod supradictis verbis non comprehendatur. De hoc motu proprio potest videri Portel *in dub. regul. verb. Officia Ordinis.* Et ibi dicta deseruire possunt pro aliis etiam religionibus habentibus simile mandatum.

Plura de electione possent adduci, sed quia ad conscientiam parum conferunt, ideò prætermittimus. De quibus videri possunt. *Sylvester, Miranda, Rodriq.* citati in hoc tractatu, & noster *Sigismundus à Bononia* in suo aureo, de electione, & potestate Prælatorum & aliorum officialium regularium libro.

De Electione, vide *Actus humanus* 3. n. 9. *Beneficium* 2. nu. 4. *Beneficium* 6. n. 3. *Suffragium* n. 1. *Simonia* 5. n. 6.

ELEEMOSYNA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit Eleemosyna. Et quot sint opera misericordiæ corporalia & spiritualia.*
2. *An præceptum detur, de eleemosyna faciendo.*
3. *Quæ sit discernenda necessitas grauis, vel extrema.*
4. *An tempore necessitatis extremæ vel quasi proximæ, danda sit eleemosyna.*
5. *Anex superfluis teneatur homo sub mortali, non solum in extrema, sed etiam in graui facere eleemosynam:* refertur duplex sententia.
6. *An diuites & Episcopi teneantur pauperes inquirere, ad eorum necessitates subleuandas.*
7. *Qui dat aliquid existens in extremis tituli contractus vel*

mutui, an satisfaciat præcepto de eleemosyna faciendæ.

8. *An debitor extremam patiens necessitatem, teneatur soluere debitum creditori, simili necessitate laboranti.*

9. *Qui in extrema necessitate constitutus aliquid accepit, & tunc consumpsit, an teneatur translata necessitate ad illius restitutionem:* refertur duplex sententia.

An teneatur ad restitutionem recipiens eleemosynas simulans paupertatem? Remittitur.

10. *An obligetur ad restitutionem, qui non dat eleemosynam, cùm teneatur ex officio.*

11. *Qui possint facere eleemosynas.*

12. *An famuli possint de rebus dominorum eleemosynas facere. Et quid de uxoribus & religiosis est dicendum.* Remittitur.

13. *An eleemosyna faciendæ sit de propriis bonis, vel alienis.*

14. *De bonis, quæ in communi possidentur, an eleemosyna fieri possit.*

15. *An possit quis aliena capere, ad subleuandam extremam pauperis necessitatem.*

16. *An de bonis turpiter acquisitis, fieri possit eleemosyna.*

17. *An, cuius bona sunt ipso facto ob aliquod crimen fisco addicta possit extra necessitatem proximi extremam, illa dare in eleemosynam* refertur duplex sententia.

18. *Quis ordo seruandus in eleemosyna faciendæ.*

1. ELeemosyna formalis *est opus quo aliquid ex compassione propter Deum indigenti datur:* vnde est actus misericordiæ corporalis, imperatus à charitate, si ob amorem Dei fiat, meritoriusque vitæ æternæ. Secundùm *D. Tho. 2. 2. quæst. 32. artic. 1. & 2. Nauarr. in Manual. cap. 24. n. 4. Filliuc. tr. 28. numer. 57. Toletus lib. 8. caput. 27.* opera misericordiæ sunt, quatuordecim, septem corporalia, & septem spiritualia. *Corporalia sunt,* visitare infirmum, potare sitientem, pascere esurientem, redimere captiuum, vestire nudum, colligere hospitem, sepelire mortuos. *Spiritualia sunt,* docere ignorantem, corrigere peccantem, consolari tristem, remittere offendenti, portare onerosos, & orare pro omnibus.

2. Ex doctrina communi Doctorum Catholicorum eleemosyna est in præcepto, tenemurque sub mortali aliquando per eleemosynam succurrere proximo; immò ad hanc obligamur non solùm præcepto diuino, verùm etiam naturali; quia ratio naturalis dictat, vt quod nobis volumus, alteri faciamus; & Matthæi 25. multi dicuntur damnandi ob omissionem eleemosynæ, at non damnatur quis ob consilia omissa *D. Thom. c. art. 5. Syluius ibid. Reginaldus l. 4. n. 244. Valent. tom. 3. disputat. 3. quæst. 9. p. 4.*

3. Ad maiorem intelligentiam dicendorum, præmittendum est, ex *D. Thom. c. ar. 6. Syluius ibid. Azor. to. 2. l. 12. c. 9. quæst. 5. & 7. Malder. 2. 2. q. 32. art. 6. Diana p. 5. tr. 8. resol. 1.* necessitatem proximi, cui subuenire debemus, vel esse extremam quando scilicet, aliquis est in probabili periculo mortis, siue corporalis siue spiritualis, vel esse grauem, vt est illa quã incurrunt, qui non habent necessaria ad suum, & suorum statum & conditionem: vel esse communem, & est illa, quæ passim occurrit in pauperibus ostiatim mendicantibus, & qui in hospitali causa pietatis aluntur; *Præterea* notandum est, bona ex quibus facienda est eleemosyna, aut esse *superflua* vitæ, & naturæ propriæ, sed non statui: aut esse *superuacanea* non solùm vitæ, sed etiam statui: *Necessaria vitæ* dicuntur illa, quæ requiruntur ad conseruandam vitam & naturam, consequenter *superflua* dicentur ea, sine quibus vita trãsigi potest. *Necessaria* statui sunt illa, sine quibus conditio propria personæ conseruari decenter non potest; consequenter *superuacanea* statui erunt illa, sine quibus decens conditio conseruari potest: sub necessarijs autem vitæ vel statui, veniunt etiam necessitates parentum, filiorum, vxoris; ancillæ, serui & huiusmodi. *Nauarr. c. n. 6. Bonac. de charit. disp. 3. q. 4. p. 6. n. 4. & 5. Filliuc. c. nu. 63. Reginald. c. c. 20. n. 249.* & alij.

4. Conueniunt omnes Doctores, tempore necessitatis extremæ vel quasi proximi, dandam esse eleemosynam de superuacaneis vitæ, etiamsi statui necessariis; quia ordine charitatis, vita proximi præferenda est decenti nostro statui. *Azor. c. cap. 7. quæst. 5. Tolet. c. cap. 34. Soto l. 5. quæst. 1. art. 7. Valentiæ punct. 4. Filliuc. c. num. 64. Sylu. c. quæst. 32. ar. 6. quæsit 1. concl. 1. 2. 3. Diana par. 5. tract. 8. res. 7. Secundò,* obligatio est, ad faciendam eleemosynam ex necessarijs ad vitam, & decentiam in necessitate extrema proximi, ex cuius vita, pendet notabiliter salus Reip. qui salus totius, ordine charitatis præferenda est saluti partis, vnde pro Principe & patriã, vita propria est exponenda. *Tertiò,* ex necessarijs secundùm quid ad decentiam status, seu ad vitæ conseruationem, non tenetur homo facere eleemosyna, extra necessitates extremas aut graues: quia ex præcepto non tenetur homo pati incommodum rerum suarum, & restringere ea quæ ad vitæ & status conseruationem necessaria sunt, vt succurrat communibus necessitatibus, & hæc est communis sententia.

5. Grauis controuersia est, inter Doctores, an ex superfluis, teneatur homo sub mortali, non solum in necessitate extrema, sed etiam in graui, facere eleemosynam: *quidam* enim censent, vt videre est apud *Azor. 2. p. l. 12. quæst. 4. c. 7. Valentia tom. 3. q. 9. punct 4.* esse tantùm de consilio in casu posito dare eleemosynam; quia qui non procurat ea, quæ non sunt sibi necessaria ad sustentandam vitam, non peccat mortaliter: ergo neque peccat mortaliter, qui alteri non suppeditat ea, quæ non sunt necessaria ad illius vitæ sustentationem. Hæc sententia ob Doctorum authoritatem probabilis est. *Alij* docẽt etiam in graui pauperum necessitate, non verò in communi, faciendam esse eleemosynam, ex præcepto obligante sub mortali, vt aiunt *Conarr. 3. var. c. 14. num. 5. P. Nauarr. l. 3. c. 1. n. 358. Malderus c. disp. 4. pr. 1. Tertia* denique sententia affirmat de superfluis faciendam esse eleemosynam, etiam in ordinariis pauperum necessitatibus, prout recta ratio pro loco & tempore indicauerit expedire, ita *D. Thom. c. art. 5. Nauarr. c. 24. num. 5. & alij apud Filliuc. c. num. 69. & sequent. Sylu. c. art. 6. quæst. 2. Bonac. c. n. 6. 7. 8.* quia *Luce 11.* dicitur: *Quod superest date in eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis,* & hæc sententia probabilis est & valde pia: quoad praxim verò est dicendum, quãdoquidem authores secundæ sententiæ excusent à mortali, & quidem probabiliter, non est facilè damnandus de peccato mortali retinens superfluum, etiam ratione status; quia alioquin non liceret mutare statum in melius? qui tamen superflua habet, debet multum timere, & confessarius debet illis maximè consulere, vt distribuant, nec apud se retineant, quia probabilis valdè est sanctorum Doctorum sententia, illos obligari sua præcepto. Vide *Diana p. 2. tr. 1. misc. resol. 32. & tr. 2. res. 26. & p. 4. tr. 4. res. 215. & p. 5. tr. 8. resol. 14 & 15.*

6. Diuites qui habent superflua statui, non tenentur pauperes inquirere, sed sufficit vt animo parati sint ad eorum necessitates subleuandas, dum occurrerint: Episcopi verò, quia patres pauperum nuncupantur, tenentur ex officio necessitatibus occurrere, & consequenter pauperes inquirere vt ipsorum subleuent indigentiam. *Azor. c. cap. 8. quæst. 3. Malderus c. qu. 32. art. 6. disput. 2. Filliuc. c. num. 77. Diana tr. 2. misc. resol. 28. pu. 2. & p. 5. tr. 3 ref. 3.*

7. Qui extrema necessitate laboranti dat aliquid non in eleemosynam & gratis, sed titulo contractus vel mutui, vel alterius contractus, non satisfacit, iuxta probabiliorem sententiam *Reginald. l. 4. c. 20. num. 260. Valentia c. Bonac c. nu. 5. Azor. c. cap. 9. q. 1. Sotus lib. 4. qu. 7. ar. 1. ad 4. Sylu. c. ar. 6. quæsit. 5.* & aliorum nisi gratis & in eleemosynam tradat; quia præceptum obligat ad actum virtutis eleemosynæ, non verò ad alium actum: si tamen non sit extrema simpliciter necessitas, quia scilicet, quamuis egens actu non habeat, habet tamen virtute, vt si egeat pane, sed habeat nummos, vel pauper sic hic, at diues in patria, vel habeat vires & artem ad facilè lucrandum plusquam ipsi necesse sit, tunc satis esset dare mutuo: & in hoc sensu sententia. *Nauar. c. 17. num. 61. Lessius l. 2. c. 16. dis. 1. n. 8.* & aliorum teneri posset contrarium asserentium. Vide *Dianam p. 5. tr. 8. res 5.*

8. Debitor extremam patiens necessitatem, per se loquendo iuxta *Toletus cit. cap. 39. Reginaldus lib. 4. num. 316. Sotus c. artic. quarto Aragon. 2. 2. quæst. 32. art. 3. Contra Nauarr. cap. 17. num. 60. & Vasques opusc. de eleemosyn. dub 9.* & alios non tenetur restituere rem acceptam, seu soluere debitum creditori simili necessitate laboranti, siue rem acceperit medio contractu, siue non, immò in tali casu, vxor, anus, parentes, filij, & secundùm quosdam, etiam fratres, possunt creditori præferri, nam maius est debitum naturale, quod debetur illis, quàm debitum morale, quo tenemur erga creditorem; temperanda tamen hæc sententia est, modò debita non acceperit iniustè, dum verus dominus eadem necessitate laborabat; tunc enim adhuc existentem rem tenetur restituere domino, eamdem necessitatem patienti: secùs dicendum esset de illo, qui accepit ante necessitatem, & termino constituto non soluit. Vide *Dianam p. 5. tr. 8. resol. 11. & 12.*

9. Qui

9. Qui in extrema neceſſitate conſtitutus aliquid accepit, illudque in eadem neceſſitate totum conſumpſit, non tenetur tranſacta neceſſitate ad illius reſtitutionem: quia neceſſitas extrema facit omnia communia; qui verò ante neceſſitatem extremam iniuſtè, aut etiam licitè medio aliquo contractu accepit, tenetur reſtituere: quia talis contraxit obligationem reſtituendi, quæ ob ſuperuenientem neceſſitatem non fuit extincta, ſed tantummodò ſuſpenſa; quare tranſacta illa neceſſ. reuiuiſcit. Ita *Azarius* 2.p.l.12.c.7. *Syluester. v.furtum* q.5. *Bonac.c.n.16. Lorca* 2.2.*diſp.*38.*n.*14. Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis: Ratio eſt, quia furtum v.grat. non ademit mihi ius iuſtitiæ quod habeo ad rem alienam in neceſſitate extrema, neque mihi ademit ius communitatis rerum, quantū ad vſum in neceſſitate extrema, in qua ſunt omnia communia quantùm ad vſum. Ergo idem ius habeo poſt furtum: quod ſine illo haberem. Ita *Petr. Navarra l.4.c.4.n.24. Coninck. diſp.* 27. *dub.*10.*nu.*166. *Diana p.*5. *tr.*8. *reſol.*8. & alij ipſo citati.

An autem teneatur ad reſtitutionem ſimulans paupertatem recipiens eleemoſynas; vide *v. Reſtitutio* 2. *n.*8.

10. Qui non dat eleemoſynam, cùm teneatur ex officio, puta, quia eſt paſtor, Princeps vel dominus exiſtentis in neceſſitate, vel ille cui à Reip. cura pauperum demandata eſt, obligatur ad reſtitutionem: quia tales tenentur etiam ex iuſtitia ratione officij: qui autem non dat eleemoſynam cùm teneatur tantùm ex charitate & miſericordia, non obligatur ad reſtitutionē; quia charitas non obligat ad reſtitutionem, ſi contra eam fiat, ſed tantùm ad culpam, eleemoſyna debetur tantùm ex charitate. *Navar.c.*24.*n* 7. *Diana p.*5.*tr.*8.*reſ.*2. *Valentia c.q.*9.*p.*4. *Reginald.c.n.*264. *Sotus l.*5.*q.*3.*art.*4. *Syl.v.ar.*6.*quæſt.*3.

11. Omnes illi, qui rerum ſuarum habent dominium, & plenam adminiſtrationem, poſſunt facere eleemoſynas; vnde filij familias de rebus quarum habent dominium, vel vſum fructum, vt de peculio caſtrenſi, vel quaſi, poſſunt facere eleemoſynas, non autem de profectitio, cuius proprietas & vſusfructus eſt penes patrem; nec de aduentitio, cuius vſusfructus eſt apud patrem ipſo viuente: de bonis autem patris poſſet facere eleemoſynam, ſi habeat conſenſum ipſius, vel probabiliter præſumat, & maximè quando eleemoſynæ ſunt tenues, vel quando ipſi filij peregrinantur, vel reſident in ſcholis, remoti à patre; item quando accipiunt aliquam certam pecuniæ ſummam pro ſua ſuſtentatione, ſi reſtringant expenſas, poſſunt quod ſupereſt erogare in eleemoſynas. Ita *Toletus l.*8. *c.*30. *Sa v.Eleemoſyna n.*13. *Navarr.c.*17.*n.*141. *Syl.*2.2.*q.*32.*a* 8. Poteſt & tutor, & curator, qui pupilli bona adminiſtrant. *Reginald.c.n.*270.

12. Communis ſententia eſt *D.Thom.c.ar.*8.*ad* 4. *Syluest.v. eleemoſyn.q.*5.§.3. *Filiuc. tr.*28.*n.*95. *Tolet.c.c.*30.*n.*3. *Sa c.nu.* 11. famulos non poſſe de rebus dominorum eleemoſynas facere, extra caſus communes: vt ſi ſit extrema neceſſitas, ſi detur quid modicum & rarò, ſi adſit conſenſus domini ſaltem interpretatiuus, vel probabiliter ſperetur ratihabitio: denique ſi de certa ſibi portione aſſignata ad victum, detraheret aliquid per abſtinentiam, & hoc non cedat in præiudicium domini: An autem vxores & religioſi poſſint eleemoſynas facere, dictum eſt ſupra, v. *Donatio.*

13. Eleemoſyna danda eſt ex bonis propriis, vt patet Iſaiæ 58. *Frange eſurienti panem tuum.* Ratio eſt, quia per eleemoſynam transfertur dominium; hoc autem fieri non poteſt, niſi à Domino, rei vel eius authoritate: nec dicat quis eleemoſynam ſe facere ex rebus alienis, quia Dominus illarum eam facere negligit, cùm teneatur: non enim debemus alterum adigere ad id, ad quod obligatur: hoc tamen intelligēdum eſt, quando quis de alieno facit eleemoſynam, ſine vllo conſenſu Domini; nam ex eius conſenſu, vel expreſſo, vel rationabiliter præſumpto, poteſt moderata eleemoſyna fieri, maximè ab illo, qui habet aliquam bonorum adminiſtrationem; ſic filij de bonis paternis, vxor de bonis viri, ſeruus de bonis heri, & religioſus de bonis monaſterij, per cōſenſum rationabiliter præſumptum, aliquam poſſunt facere eleemoſynam vt dictum eſt, *v. Donatio.* Vide *D. Thom.c.a* 7.*ad* 3. *Valentia. Syl. Maldor. ibid. Filiuc. tract.*28. *c.*4.*nu.*36. *& ſeq. Medina q.*5.*de eleemoſyna. Reginal.l.*4.*c.*22.*nu.* 286. *Azor.*1.*p.l.*12.*c.*12.

14. Ex bonis communibus, quæ poſſidentur particulariter, id eſt, quorum certæ portiones diſtribuendæ ſunt ſingulis, non poteſt fieri eleemoſyna, niſi de conſenſu expreſſo, vel rationabiliter præſumpto ſingulorum de communitate, quorum intereſt: *Cap. cum omnes, de conſtitutionibus.* quia fieret alioquin ſingulis iniuria, cùm quilibet habeat certum, & determinatum ius ad portionem aliquam cuiuſcumque partis bonorum, quæ in commune conferri debent. Ita *Medina C.de eleemoſyna qu.* 4. *Bonac.c.n.*21.

Ex bonis autem communibus, quæ collegialiter poſſidentur, id eſt, quæ in ſingulos non ſunt diſtribuenda, niſi ad nutum communitatis, vel eius, qui illius curam gerit, poſſunt fieri eleemoſynæ, ſine conſenſu ſingulorum; quia ſufficit conſenſus ſuperioris vel maioris partis Capituli: *Cap. cum in cunctis, de his quæ fiunt.* quia ad bonam adminiſtrationem huiuſmodi bonorum, pertinet etiam, vt aliquid in eleemoſynas, pro loco & eo tempore diſtribuatur, ergo poterit hoc facere, vel communitas, id eſt, maior eius pars, vel is qui communitatis vices gerit. *Reginald.l.*4.*c.*22.*nu.*285. *Filiuc.tr.*28.*c.*4.*n.* 88.

15. Qui non habet vnde poſſit ex propriis bonis neceſſitatem pauperis ſubleuare, poteſt aliena capere, ad ſubleuandam extremam pauperis neceſſitatem, quoties pauper tantam patitur neceſſitatem, vt poſſit alienum capere; quia tunc dominus non cenſetur rationabiliter inuitus: vnde qui ſic accepit non tenetur ad reſtitutionem, poſtquam venerit ad pinguiorem fortunam, ſicut enim pauper accipiendo non teneretur, ita neque tenetur qui accepit, vt pauperi traderet, modò non acceperit medio aliquo contractu. *Emman. Sà c.nu.*8. *Vaſques de eleemoſyn.c.*1.*dub.*7.*n.*62. *Toletus c.c.*32.

16. De bonis turpiter acquiſitis, fieri poteſt eleemoſyna, quoties turpitudo eſt ob circumſtantiam accidentalem actionis, vt ex meretricio, vel homicidio patrato, vel ſententia iniuſta prolata; quia talium rerum acquiritur dominium iuſtè, etiamſi actio per quam acquiritur, mala ſit: licet cauendum ſit ſcandalum, ne Deo oblationes fiant de acquiſitis per meretricium.

Secundò, debet esse coagmentatus ex farina triticea, eaque non corrupta, sed seruante suam naturam; sicut panis ex tali farina confectus, debet perseuerare in sua substantia, si enim corruptus sit, vt speciem suam mutauerit, iam non est panis, neque sufficiens materia Eucharistiæ. *Tertiò*, vt sit coctus igne per modum assationis, vt in furno, aut sub cinere, aut ferro calido, vnde massa cruda non potest esse materia; neque si oleo aut butyro frixa, aut aqua elixa sit, quia non est panis vsualis & communis. *Quartò*, debet esse azymus, id est absque fermento in Ecclesia Latina, in Græca verò cum fermento; adeò quòd peccaret mortaliter Sacerdos Latinus in fermentato consecrans, & Græcus consecrans in azymo, quia quisque consuetudinem suæ Ecclesiæ tenetur obseruare, quamuis consecratio valida esset. Ita *D. Thom. c. art. 7. ad 3. Soto in 4. d. 9. q. 1. art. 3. Bonacina c. quæst. 2. p. 1. num. 3. Regin. c. num. 21. Tolet. c. num. 2. Filliuc. num. 78. 79. & seq. Suarez disp. 44. sect. 2. Sylvius 3. par. quæst. 74. art. 4. Diana part. 3. tract. 6. resp. 99.* Imò neque pro viatico ministrando infirmo, licet Latino Sacerdoti in Ecclesia Latina, consecrare in fermentato, neque Græco in azymo; quia licet præceptum communicandi in fine vitæ sit diuinum, & consecrandi in azymo, vel fermentato sit humanum, tamen illud est affirmatiuum, quod non obligat, nisi quando commodè fieri potest, & cum debitis circumstantijs; hoc autem est negatiuum, quod semper obligat respectu propriarum Ecclesiarum. Ita *Henriq. c. cap. 13. num. 3. Suarez c. disp. 44. sect. 3. Bonacina c. num 9. & 11.*

Sed controuersia est inter Latinos, an interdum licitum sit, vel Latino in fermentato, vel Græco in Azymo consecrare? Resp. in duobus casibus licere, quorum *primus est*, ad supplendum sacrificium; quia maius præceptum est integritas sacrificij, cùm sit diuinum, quàm determinatio materiæ, quæ est humanum. *Secundus est*, quando Latinus iter facit per Ecclesiam Græcam, vel Græcus per Latinam, vterque poterit se conformare consuetudini illius Ecclesiæ, per quam transit, & adhuc licitè poterit seruare leges suæ Ecclesiæ, si nullum sit scandalum. Secus si fiat incola loci, quia tunc tenetur seruare consuetudinem illius Ecclesiæ, vt cæteri ciues. Nec refert quod Caput sit schismaticum: Quia in illis, quæ sunt licita, tenemur obedire. Ita *Conuch. disp. 74. art. 4. dub. 3. num. 117. Amicus de Euchar. d. 26. sect. 1. num. 24.* Probabilis tamen est sententia *Vasq. disp. 174. cap. 2. Suarez disp. 44. sect. 4.* asserens Sacerdotem peregrinum extra propriam Ecclesiam teneri consecrandum iuxta morem suæ Ecclesiæ, Latinum videlicet in Azymo, & Græcum, in fermentato: quia quamuis admittatur peregrinos teneri alijs legibus & consuetudinibus loci in quo existunt, non

tamen lege consecrandi in fermentato aut in azymo, quia hæc lex sic est peculiariter recepta à subditis, vt vnusquisque morem suæ Ecclesiæ, in qua habet domicilium, seruet.

13. Materia necessaria & sufficiens sanguinis Christi, iuxta *D. Thom. quæst. 74. art. 5. Azor. tom 1. l. 10. cap. 19. Toletus l. 2. cap. 25. num. 3. Regin. c. num. 23. Graffius 2. p. l. 2. cap. 6. num. 14. Henriq. l. 8. cap. 12. num. 1. Sylvester. v. Euch. 1. num. 4. Sayr. Missa num 2. Valent. d. 6. quæst. 2. par. 1.* est *vinum vitis*, siue sit album, siue rubrum, & cuiuscumque conditionis sit: imò in vino miraculosè facto, confici potest sanguinis Sacramentum; nullum autem aliud, scilicet, ex pomis, moris malogranatis, aut ex alijs fructibus, vel herbis, aut radicibus, sufficeret ad hoc sacramentum, quia non est simpliciter vinum; ob eamdem rationem neque agresta; neque acetum, apta materia huius Sacramenti, esti *mustum* autem posset esse materia, quia verè est vinum; cauendum tamen est, ne sit fæculentum, aut impurum, alioquin committeretur peccatum ex genere suo mortale, contra reuerentiam tanto Sacramento debitam; vinum verò satis decoctum, non videtur apta materia, quia speciem mutauit, nec est propriè vinum: similiter vua non potest consecrari, nam potiùs comedi consueuit quàm potari, & materia huius Sacramenti instituta fuit res potabilis seu vinum.

De *vino* autem *congelato* dicendum est esse sufficientem materiam, quia est substantialiter vinum, & consequenter per se potabile; non est tamen conueniens extra necessitatem in illo consecrare propter dubium & actualem impotabilitatem, quòd si tanta esset congelatio, vt putaretur omninò recessisse natura vini, non esset omninò consecrandum, *Sylui. c. art. 5. Diana par. 3. tract. 6. ref. 100. Filliucius tract. 4. num. 87.* & alij. Non est materia apta calicis vinum in pane imbibitum, est tamen materia apta corporis. Primum constat, quia tale vinum imbibitum in offa panis non habet rationem potus, qualis debet esse materia calicis. Secundum prob. talis panis, etiam vino perfusus, est simpliciter panis & comestibilis per modum cibi: igitur est apta materia corporis. Lora autem seu acinacium vinum, quòd fit ex aqua infusa racemis priùs expressis, aut acinis relictis in fundo dolij post vinum iam defæcatum, seu decoctum, Secundùm omnes, non est materia sufficiens consecrationi; quia licet appareat vinum, non est verè & simpliciter vinum: si tamen parum aquæ, illis racemis aut acinis magna copia vini perfusis infundatur, in eo vino licitè & validè fiet consecratio.

14. Ex necessitate præcepti Ecclesiastici, modica quantitas *aquæ naturalis* miscenda est vino consecrando, vt constat ex definitione *Conc. Trid. sess. 22. cap. 7. & 9. & cap. 7. Diana part. 5. tr. 5. ref. 56. Suarez disp. 45. sect. 2. & 3. Vasques c. d. 176. cap 2. Conc. Turonens. cap. 19. Conuch. quæst. 74. art. 8. num. 140. Regin. c. num. 27. Bonacina c. par. 4. num. 5. 6.* antiquissimoque Ecclesiæ vsu, & perpetua traditione: quia sic creditur Christus fecisse, & repræsentatio fit aquæ & sanguinis latere Christi effluxi, significaturque effectus Sacramenti, vnio videlicet Ecclesiæ cum Christo. Ex quibus sequitur Pontificem posse dispensare vt vinum sine aqua consecretur, quod notat Henriques *lib. 8. cap. 13. v. g.* si in regione polari aqua statim vinum constringeret. Non posset tamen id fieri ab homine priuato, etiam ob grauem necessitatem, quia est præceptum Apostolicum graue; imo nec omnino improbabile est esse præceptũ diuinum. *Aduertendum* tamen est Sacerdoti, ne tantam aquæ copiam adhibeat quantum est vinum; imò curare debet, ne quantitas aquæ tertiam vini partem excedat, propterea sufficit quælibet guttula sensibilis, quæ simul est materia, siue conuersa sit in vinum, siue non: circa *tempus* autem quo facienda est aquæ mixtio, standum est consuetudini cuiuslibet Ecclesiæ aliqui enim in principio Missæ talem mixtionem faciunt, & alij post Euangelium: *Si vero* ex obliuione Sacerdos aquam non infudit & illud aduertit ante consecrationem, debet illam statim apponere; *si autem* peracta consecratione aduertat, non potest eam apponere, quia nullum extat præceptum ad infundendum aquam peracta consecratione, sed ante illam. Hęc autem aqua debet esse naturalis vt dictum est, seu elementalis: nam significat aquam, quę de latere Christi exiuit, quę fuit aqua naturalis, vt definitur in cap. *In quadam, de celebrat. missar.* Quare grauiter peccaret, qui misceret aquam rosaceam, vel similem: qui verò aquam turbidam aut aliàs vitiatam peccaret venialiter contra reuerentiam sacramenti.

Sed petes à quo mixtio facienda sit; Resp. à Sacerdote qui sacrificaturus est; nam hic perfectè Christum repręsentat, qui suo sanguine populum redemit. Non constat tamen hoc esse præceptum; nam in missis solemnibus subdiaconus aquam à sacer-

dote

gen Sacramente, und ist ein Sacrament der Liebe, der Einigkeit, des Friedens, der Gemeinschaft, der Danksagung, der Gedächtniß, der Gegenwart, der Hoffnung, der Verheißung, der Vereinigung, der Communion, der Gnade, der Herrlichkeit, der Freude, der Wonne, der Seligkeit, der Vollkommenheit, der Vollendung, der Ehre, der Tugend, der Heiligkeit, der Gerechtigkeit, der Wahrheit, der Weisheit, der Gottseligkeit, der Gottesfurcht, der Demuth, der Sanftmuth, der Geduld, der Keuschheit, der Enthaltung, der Abtödtung, der Verläugnung, der Nachfolge, der Liebe, der Barmherzigkeit, der Gnade, der Vergebung, der Versöhnung, der Erlösung, der Rechtfertigung, der Heiligung, der Wiedergeburt, der Auferstehung, der Auferweckung, der Verklärung, der Verherrlichung, der Ewigkeit, der Unsterblichkeit, der Seligkeit, der Vollendung, der Vollkommenheit

Eucharistia I. Name und Begriff. Die Eucharistie ist das Sakrament, in dem Christus unter den Gestalten von Brot und Wein wahrhaft, wirklich und substantiell gegenwärtig ist, sich selbst als Opfer darbringt und sich den Gläubigen zur Speise gibt. Sie ist Sakrament, Opfer und Mahl zugleich. Der Name Eucharistie (εὐχαριστία, Danksagung) bezeichnet vor allem den Opfercharakter, weil Christus beim letzten Abendmahl Dank sagte, bevor er Brot und Wein wandelte. Andere Namen sind Herrenmahl, Brotbrechen, Kommunion, Messe, Altarsakrament, Heilige Hostie. Die Eucharistie ist das Zentrum des christlichen Kultes und Lebens.

II. Einsetzung. Die Einsetzung der Eucharistie geschah beim letzten Abendmahl Jesu Christi mit seinen Jüngern am Gründonnerstag. Nach Matthäus 26, 26–28, Markus 14, 22–24, Lukas 22, 19–20 und 1. Korinther 11, 23–25 nahm Jesus Brot, dankte, brach es und gab es den Jüngern mit den Worten: „Nehmet und esset, das ist mein Leib.“ Ebenso nahm er den Kelch mit Wein und sprach: „Das ist mein Blut des neuen Bundes, das für viele vergossen wird zur Vergebung der Sünden.“ Er befahl: „Tut dies zu meinem Gedächtnis.“ Damit setzte er das Opfer des Neuen Bundes ein, das das Opfer des Alten Bundes ablöste.

III. Wesen. Das Wesen der Eucharistie besteht in der Verwandlung (Transsubstantiation) von Brot und Wein in Leib und Blut Christi durch die Konsekration. Nach der Konsekration sind nur noch die Gestalten (species) von Brot und Wein vorhanden, die Substanz ist Christus. Die Gestalten behalten ihre äußeren Eigenschaften, aber ihre innere Wirklichkeit ist verwandelt. Christus ist ganz und vollständig unter jeder Gestalt und unter jedem Teil der Gestalten gegenwärtig. Die Eucharistie ist Opfer, weil sie das Kreuzesopfer vergegenwärtigt und Christus sich darin dem Vater darbringt. Sie ist Mahl, weil sie Gemeinschaft mit Christus und untereinander stiftet.

IV. Gestalten. Die Gestalten sind Brot und Wein. Das Brot muss ungesäuertes Weizenbrot sein, der Wein muss Traubenwein sein und darf nicht verdorben sein. Dem Wein wird Wasser beigemischt. Die Gestalten müssen rein und unversehrt sein. Unter jeder Gestalt ist Christus ganz gegenwärtig, daher genügt der Empfang unter einer Gestalt. Die Kommunion unter beiden Gestalten ist möglich, aber nicht notwendig. Die Gestalten werden nach der Konsekration aufbewahrt, ausgestellt und angebetet.

V. Spender. Spender der Eucharistie ist der geweihte Priester. Er konsekriert in der Messe und teilt die Kommunion aus. Der Diakon darf die Kommunion austeilen, aber nicht konsekrieren. Der Bischof ist der Hauptspender. Laien dürfen die Kommunion nicht spenden, außer in Notfällen. Der Spender muss im Stand der Gnade sein und darf keine Todsünde auf sich haben.

VI. Empfänger. Empfänger der Eucharistie sind alle getauften Katholiken, die im Stand der Gnade sind. Wer eine Todsünde begangen hat, muss vorher die Beichte ablegen. Wer bewusst in Todsünde lebt, empfängt sich das Gericht. Die Kommunion soll nüchtern empfangen werden, mindestens eine Stunde vorher nichts gegessen oder getrunken. Kranke dürfen auch nach kürzerer Nüchternheit kommunizieren. Die Kommunion wird in der Hand oder auf der Zunge empfangen.

VII. Wirkungen. Die Wirkungen der Eucharistie sind: Vereinigung mit Christus, Vergebung der lässlichen Sünden, Stärkung im Glauben, Hoffnung und Liebe, Pfand der künftigen Herrlichkeit, Einheit der Kirche, Mehrung der Gnade, Abwehr des Bösen. Sie ist Speise für die Seele und Medizin der Unsterblichkeit. Sie verbindet die Gläubigen untereinander und mit der ganzen Kirche, auch mit den Verstorbenen im Fegefeuer und im Himmel.

VIII. Anbetung. Die Eucharistie wird angebetet, weil Christus in ihr gegenwärtig ist. Die Anbetung gilt dem Sakrament, nicht den Gestalten. Sie geschieht vor dem Tabernakel, bei der Aussetzung in der Monstranz und bei Prozessionen. Die Anbetung ist Ausdruck des Glaubens an die Gegenwart Christi und Antwort auf seine Liebe. Sie kann einzeln oder gemeinschaftlich geschehen.

IX. Aufbewahrung. Die konsekrierten Gestalten werden im Tabernakel aufbewahrt, damit Kranke und Sterbende kommunizieren können und damit Christus angebetet werden kann. Der Tabernakel steht meist im Chor oder in einer Seitenkapelle. Vor dem Tabernakel brennt das ewige Licht. Die Gestalten werden in einer Pyxis oder Ziborium aufbewahrt. Sie müssen vor Verderben und Missbrauch geschützt werden.

X. Feiertage. Der Hauptfeiertag der Eucharistie ist Gründonnerstag, der Tag der Einsetzung. Fronleichnam ist der Tag der Verehrung der Eucharistie. Er wird mit einer Prozession gefeiert, bei der die Monstranz mitgetragen wird. Fronleichnam ist ein Hochfest und wird meist am Donnerstag nach Trinitatis gefeiert. Die Oktav von Fronleichnam dauert acht Tage.

XI. Literatur. Thomas von Aquin, Summa theologiae, III, 73–83. Trient, Dekret über die Eucharistie, 1551. Katechismus der Katholischen Kirche, 1322–1419. Joseph Ratzinger, Eucharistie, 1967. Hans Urs von Balthasar, Theologik, 1985. Walter Kasper, Das Sakrament der Einheit, 2004.

ment. Eucharistiæ sacramentum, quod in Ecclesia Catholica celebratur, verum Christi corpus & sanguinem, totumque Christum sub panis & vini specie continet. Si quis igitur dixerit, in sacrosancta Eucharistia substantiam panis & vini una cum corpore & sanguine Domini nostri Jesu Christi remanere, negaverit que mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat panis & vini speciebus, quam conversionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat: anathema sit.

EUCHARISTIA II.

Quod vitæ æternitatem & salutem.

JOHANNIS VI.

Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis ex ipso manducaverit, non morietur in æternum.

Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.

Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.

Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.

Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.

Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.

Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum.

Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?

Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?

Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.

Scebat enim Jesus a principio qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.

Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.

Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.

Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?

Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

Et nos credidimus & cognovimus quia tu es Christus Filius Dei vivi.

Joh. 6. 51. 52. 53. 55. 56. 58. 59. 60. 61. 62. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70.

EUCHARISTIA II.

Quod vitæ æternitatem & salutem.

JOHANNIS VI.

1. *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis ex ipso manducaverit, non morietur in æternum.*
2. *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita.*
3. *Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*
4. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.*
5. *Caro enim mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*
6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.*
7. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse vivet propter me.*
8. *Hic est panis qui de cœlo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*
9. *Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaum.*
10. *Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?*
11. *Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius?*
12. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*
13. *Sed sunt quidam ex vobis qui non credunt.*
14. *Sciebat enim Jesus a principio qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum.*
15. *Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*
16. *Ex hoc multi discipulorum ejus abierunt retro, & jam non cum illo ambulabant.*
17. *Dixit ergo Jesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?*
18. *Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.*
19. *Et nos credidimus & cognovimus quia tu es Christus Filius Dei vivi.*

Joh. 6. 51. 52. 53. 55. 56. 58. 59. 60. 61. 62. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70.

Eucharistia II. 287

Eucharistia II. 287

Eucharistia II. 287

Eucharistia II.

bet esse in gratia, alioquin grauiter peccat indignè tractando Sacramenta in peccato mortali; vnde Sacerdos, habens conscientiam peccati mortalis, tenetur antequam Eucharistiam administret præparare se ad gratiam per confessionem, vel saltem per contritionem, cùm non sit necessaria confessio volenti Eucharistiam ministrare, sed tantùm illam recipere cupienti: qui autem Eucharistiam attingit ob rationabilem causam, in statu peccati mortalis, quamuis laicus sit, non grauiter peccat, quia laicus non est minister consecratus ad hoc officium, & prædictus tactus non videtur administratio Sacramenti. Ita *D. Thom. quæst. 64. art. 6. Filliuc. tract. 4. cap. 9. num. 271. Rodriques t. c. 68. num. 10. Henriq. l. 8 c. 54. num. 3. Regin. c. num. 56. Suares disp. 72. sect. 4.* Opinio tamen asserens Sacerdotem in peccato mortali ministrantem non peccare mortaliter est satis probabilis: quia qui ministrat Eucharistiam consecratam, non est minister Dei ad iustificationem proximè sicut in alijs Sacramentis, sed tantùm est veluti applicans actiua passiuis. *Syluius t. q. 64. art. 6. quæst. 1. Diana tract. de cel. Miss. resol 23.*

9. Sacerdos conficiens Sacramentum in peccato mortali, vnum tantùm numero peccatum sacrilegij committit; qui autem pluribus successiuè administrat Eucharistiæ Sacramentum extra Missam in statu peccati mortalis, secundùm *Henriques de pœnit. l. 2. cap. 5. num. 6. Rodriq. in Sum. cap. 248. num. 26. Diana p. 2. tract. 3. miscel. resol. 13. & tract. de celebr. Miss. ref. 24. & de circumst. ref. 43. p. 1.* vnum tantum numero peccatum committit, sicut etiam vnum peccatum committitur ab eo, qui multorum pœnitentium confessionem successiuè audit, nulla vel saltem modica interposita mora; quia quamuis hi actus sint physicè & quoad suam entitatem plures, tamen moraliter reputantur vna actio. Alij autem docent, esse plura peccata, quia prædictæ actiones habent singulæ suum definitum terminum in quo conficiuntur & complentur. *Bonacina t. quæst. 5. p. 2. num. 5. Suares t. d. 72. sect. 4.* quorum sententia satis est probabilis & præcipuè in ministrante Sacramentum pœnitentiæ in peccato mortali: quia quot personæ accedunt, toties variatur iudicium, nouumque conficitur sacramentum, & toties forma sacramentalis repetitur, animam sanctificans: quod si plures in necessitate v. g. in naufragio, aut in domo contagiosa iacentes simul absolueret, dicens *Ego vos absoluo*; iam solum vnum peccatum consecretur committere. Prima tamen sententia est tenenda & in praxi tuta ob authoritatem dictorum Authorum. Sed hoc iterum *verb. Sacramentum III. num. 8.*

Sed rogabis, an sacerdos in peccato mortali transferens Eucharistiam de altari in alium locum, peccet mortaliter, aut fortè de pixide extrahens, vt exponat in die solemni? Resp. non videri hoc adeo graue, vt peccatum mortale inuoluat, quia non est actio ad animæ sanctificationem ordinata, nec ad ministratio sacramenti, vt dictum est.

10. Minister huius Sacramenti tenetur nõ dare Eucharistiam existenti in peccato mortali; quia ad fidelem dispensationem pertinet, non dare sanctum canibus, nec communicare peccato alterius: vnde publico peccatori semper est denegãdo Eucharistia, quia talis non habet ius petendi, cùm illius status manifestus sit, & ius diuinum exigat, vt ipsi non detur: dicitur autem *publicus* peccator, qui vel per iudicis sententiam condemnatus est de crimine, vel in iudicio confessus est illud, vel factum ipsius criminosum ita manifestum est, vt nulla tergiuersatione celari possit: hinc iure censentur *publici* peccatores, qui exercent publicam actionem, quæ vel ex obiecto, vel ex modo quo fit, non potest fieri sine peccato mortali, vt sunt meretrices, publici vsurarij, concubinarij, hæretici, histriones & similes. *D. Thom. quæst. 80. art. 6. Navarr. c. 21. num. 55. Suares disp. 67 sect. 2. Cap fin. De cohabitat. Clericor. & mulier. Regin. l. 29. num. 50. Sylu. 3 p. quæst. 80. art. 6. quæsit. 1. Diana 4 p. tract. 4. ref. 103.*

Sed petes, quæ pœnitentia vel satisfactio requiratur, vt publici peccatores admittantur ad communionem? Resp. satisfieri debere Deo & Ecclesiæ; Deo vt pœnitentia sit vera: Ecclesiæ, vt sit tam publica, quàm est ipsa communio. Itaque si publicè communicat, debet sufficientia signa pœnitentiæ populo manifestasse: si occultè, non tam euidentia, sed ea quæ sufficiant ad tollendum scandalum, si communio ista publicetur. In mortis articulo non est exigenda manifestior pœnitentia, quàm pro ratione circumstantiarum fieri possit.

11. Occulto peccatori publicè petenti administranda est Eucharistia; si occultè autem petat, deneganda est: quia non habet ius, & nulla sequitur infamia, vel scandalum: si tamen Sacerdos solùm per confessionem peccatorem nouit, secundùm probabiliorem sententiam, regulariter loquendo, nec tenetur denegare tali peccatori Eucharistiam, nec verè debet; tùm quia redderetur confessio odiosa, moraliter enim poenitens intelligeret causam illius negationis; tùm quia Sacerdos peccatum illius scit vt Deus, non ergo debet palam facere, se illud scire aliqua ratione in foro exteriore, in quo genere se debet vt homo. *Nauarr. c. 21. num. 55. Sylu. c. quæsit. 2. Diana p. 3. tract. 4. ref. 46. Sanctus in select. disp. 8. num. 10.* Tum quia illa negatio quæ fit occultè per accidens est, quòd sit occulta, cùm de se sit publica, fit enim in occulto foro pœnitentiæ ad dirigendum actum humanum externæ administrationis ipsius sacramenti, notitia autem confessionis vti non potest homo ad dirigendos actus externos aliorum. Vnde Suares *tom. 3. in 3. p. disp. 67. sect. 3.* contrariæ sententiæ adhærens, fatetur difficulter posse illam in praxim redigi sine scandalo, aut infamia, aut suspicione reuelatæ confessionis.

12. Ex communi Theologorum doctrina, Sacramentum Eucharistiæ potest alicui denegari propter solam criminis suspicionem violentam, non autem probabilem, aut temerariam; quia violenta suspicio nititur talibus signis & indicijs, quæ licet non faciant euidentiam rei in se, sufficiunt tamen ad probabile iudicium ferendum, quando in contrarium nihil est quod excuset, suspicionemque eleuet; vnde si suspicio publica sit; publicè Sacramentum negari potest, si autem occulta sit, publicè non esset negandum, vt dictum est. Vide *Suares c. sect. 3. Regin. c. num. 55. Sylu. c. quæsit. 1.* Ratio posterioris, est, quia talis suspicio non potest gignere iudicium certum, sed tantùm dubium probabile, in casu autem dubij melior est conditio possidentis, ergo cùm suspectus habeat ius petendi, non potest illo iure spoliari. Neque dicas sacramentum esse in possessione sui iuris, vt non indignè tractetur: nam qui dat sacramentum, nihil peccat contra hoc ius, cùm constet illi de iure petentis, & non de peccato ipsius.

Colligitur ex dictis, non licere ijs, qui sunt de crimine suspecti, Eucharistiam eo fine ministrare, ne metu sacrilegæ communionis occultam veritatem manifestent: sicut iuramento compelli solent ad occultam veritatem patefaciendam: nam licet hic modus de se illicitus non sit, quo vsu est *Gregorius VII.* cum *Henrico IV.* ad probationem ipsius innocentiæ, nunc tamen ob reuerentiam sacramenti abrogatus est ne quod in nostram vtilitatem institutum est, fiat occasio ruinæ. Quare peccant viri, qui suas coniuges ad communicandum cogunt, vt hoc medio se purgent de adulterij suspicione.

13. *Primarius* effectus Sacramenti Eucharistiæ spiritualiter & sacramentaliter sumptæ, est augmentum gratiæ, quia Eucharistia per se & ex propria institutione instituta fuit ad augmentum gratiæ conferendum; vt patet ex definitione Concil. Florent. & *Conc. Trid. sess. 22. cap. 2.* & cùm instituta sit per modum cibi & potus, & hæc conferant ad vitam corporis augendo, ita hoc Sacramentum confert ad vitam animæ, quæ gratiæ est. *Secundus* effectus huius Sacramenti est collatio gratiæ actualis & specialis auxilij ad peccata vitanda, & hic effectus est infallibilis in ijs qui debitè disponuntur. *Tertius* est remissio venialium, quia datur per modum cibi, qui restaurat deperdita: & id præstat duobus modis, scilicet *ex opere operato* conferendo remissionem absque actuali dispositione, quæ per se sufficeret illa tollenda; *secundo* mediatè excitando feruorem charitatis, vnde omnia venialia remittit, quorum non adest complacentia. *Quartus* est remissio temporalis pœnæ, mediatè videlicet, ex eo quòd excitat actum charitatis, per quem remittitur pœna, non semper tota, sed iuxta quantitatem feruoris. *Quintus* quamuis Eucharistia per se primò fuerit instituta ad augendam gratiam, per accidens tamen confert etiam primam gratiam, quia iuxta probabilissimam & communiorem sententiam Theologorum, Sacramenta omnia hoc habet, vt conferant primam gratiam non ponentibus obicem, sed qui existens in peccato mortali, cuius non habent memoriam inculpabiliter, accedit bona fide, putando se esse contritum, non ponit obicem, ergo *Sextus* est, quia multùm carnis concupiscentiam ac fomitem extinguit, *D. Thom. quæst. 79. art. 1 2. Valent. tom. 4. disp. 6. quæst. 7. p. 1. Suares disp. 63. sect. 1. Reginald. c. num. 137. 138. 139. Filliuc. c. num. 153. & seq. Bonac. c. quæst. 4. par. 1. Henriq l. 8. cap. 34. Conine. quæst. 79. num. 52. Vinaldus de Eucharist. num. 67. Tolet. l. 2. cap. 29. num. 4.*

Sed rogabis *primò*, vtrum in Eucharistia sit quid præstantius, ratio sacrificij, an ratio sacramenti? Resp. rationem sacrificij esse

esse præstantiorem respectu ministri, rationem sacramenti esse efficaciorem respectu suscipientis. Prob. prior pars, quia melius est consecrare corpus Christi in Dei cultum & honorem, quàm in vsum fidelium: Sacrificatio enim per se & immediatè ordinatur in Dei gloriam, animique grati & subiecti significationem; quæ ratio honestatis maxima est inter omnes morales: nostra autem sanctificatio etiam in istum finem referri debet. Prob. posterior pars, quia sacramentum habet maiorem effectum ex opere operato, quàm sacrificium: remittit enim peccata, confert gratiam, facit ex attrito contritum &c. at effectus sacrificij longè inferior est, vt infra ostenditur *verb. Missa* 11. Ratio est, quia efficacia sacramenti & sacrificij, non pendet ex honestate & præstantia operis, sed ex Christi institutione, qui per actum minùs nobilem potuit & voluit dare maiorem effectum.

Petes *Secundò*, an peccatum veniale etiam in ipsa sumptione Eucharistiæ commissum, impediat fructum eius? Resp. negatiuè, quia peccatum veniale consistit cum gratia, neque habet formalem repugnantiam cum illa, ergo non impedit illius augmentum. Confirm. quia si peccatum veniale impediret effectum sacramentalem, esset peccatum mortale communicare in peccato veniali, quod est absurdum & inauditum.

Colligitur ex dictis hoc numero, nullum effectum huius sacramenti, quatenus sacramentum est, esse alteri communicabilem; prout tamen sacrificium est, habere vim satisfactoriam ex propria institutione, vt infra latiùs. Deinde patet, cur & quomodo aliqui viri pij & eruditi communicent pro alijs, etiam ijs qui sunt in purgatorio: non enim suam communionem alijs applicant, vt illis profit ex opere operato, sed cum ille actus sit meritorius, satisfactorius & impetratorius, intendunt pro alijs satisfacere ex opere operantis, & illis aliquid impetrare à Christo realiter ibi præsente: nam propter illam præsentiam solent feruentiùs & efficaciùs Christum pro alijs deprecari.

14. Hoc Sacramentum Eucharistiæ, nisi ponatur obex, spiritualem effectum gratiæ ex opere operato confert, in ipsius vera & reali manducatione, seu cum ipsum missum in os, stomachum transmittitur; quia in omnibus Sacramentis gratia confertur per ipsorum applicationem ad subiectum, nempe ad hominem eiusdem gratiæ capacem: sufficienter autem *subiecto applicatum* hoc Sacramentum dicitur, quando manducatum est, seu transmissum ad stomachum: vnde qui diu retinet hostiam in ore, ita vt species corrumpantur, antequam deglutiantur, non recipit fructum Eucharistiæ, quia non dicitur verè Christum manducasse: Tamen qui deglutita parte hostiæ euomit reliquas partes, aut moritur, ante plenam aliarum partium deglutionem, recipit gratiam & totum effectum Sacramenti, quamuis non receperit totam hostiam vel sanguinem, quia in ea prima parte deglutita, est totus Christus, cùm in exigua ac in magna particula reperiatur. *Suares c. sect. 4. Valent. c. quæst. 7. par. 1. Sotus in 4. d. 11. quæst. 2. art. 1. Filliucius c. num. 171. & seq. Bonacina c. punct. 2. Henriques c. cap. 43. Reginald. cit. num. 139. Sylvius 3. p. quæst. 79. art. 1. Diana tract. 6. misc. ref. 96. part. 3.*

Dubium est, an hoc Sacramentum semper continuò gratiam augeat quamdiu in nobis manet? Negant Vasques *disp. 203. cap. 2.* Sotus *4. distinct. 11. quæst. 2. art. 1.* & alij, quia aliàs sequeretur maiorem gratiam recepturum illum, qui plures: aut maiorem accipit hostiam, imò qui debiliorem habet stomachum, quia diutius in eo manent species sacramentales. Vnde hinc aperiretur via superstitionibus, plures, grandioresque procurandi hostias communicantibus: quod teste Vasques est ab Inquisitoribus damnatum. Affirmant Caietanus *3. p. quæst. 79. art. 1.* Suares *3. p. tom. 3. disp. 61. sect. 7.* & alij ab ipso citati, quia sicut cibus materialis non tantùm operatur dum sumitur, sed quamdiu durat in stomacho, nutrit & confortat, ergo idem censendum est de hoc Sacramento.

Dicendum tamen est, gratiam non augeri, nisi aucta dispositione subiecti. Prior pars probatur, quia nulla facta variatione in ipsa dispositione subiecti, nulla est ratio, ob quam debeat sacramentalis gratia augeri. Nam vel illa augeretur vltra gradum, quem Sacramentum ipsum, posita tali dispositione, effert aptum causare, eo tantùm nomine quòd talis dispositio perseueret cum Sacramento. Atqui hoc dici non potest, quia Sacramentum semel à Christo institutum gratiam causat ad instar causæ naturalis: causa autem naturalis non producit nouum effectum in subiecto, nisi facta aliqua variatione melioris dispositionis, aut applicationis agentis ad passum vel passi ad agens, ergo neque hoc Sacramentum nouum producit effectum, nisi ad nouam dispositionem subiecti.

Posterior pars probatur, nam sicut causæ naturales ad meliorem applicationem passi, melioremque dispositionem subiecti, intensiorem perfectioremque producunt effectum: ita Sacramenta ad meliorem dispositionem subiecti intensiorem producunt gratiam: igitur aucta dispositione subiecti, augetur gratia sacramentalis, cùm hæc producatur ad instar effectus naturalis.

Vide *Sacramentum* 3. & 4.

EXCOMMVNICATIO I.

Quoad eius essentiam & diuisionem.

SVMMARIVM.

1. *Multis nominibus excommunicatio in iure solet nuncupari.*
2. *Quid sit excommunicatio? & quotuplex?*
3. *Diuisio excommunicationis in maiorem & minorem.*
4. *Excommunicatio alia est à iure, alia ab homine; & vtraque vel est latæ sententiæ vel ferendæ.*
5. *Quæ sit differentia inter excommunicationem ab homine & illam quæ est à iure?*

1. EXcommunicatio multis nominibus in iure solet nuncupari. *Primò* dicitur *Anathema*, id est, execratio, maledictio, & separatio ab alijs. *Secundò*, dicitur *anathema maranatha*, hoc est, excommunicatio maior latæ sententiæ, vsque ad aduentum Domini. *Tertiò*, dicitur *mucro Episcopi*, est enim spiritualis gladius. *Quartò*, vocatur *virga ferrea*, quia per illam comprimitur hominis peccatoris audacia. *Quintò*, appellatur *mors*, nam per eam priuatur excommunicatus fructibus vitæ spiritualis; vocatur etiam *nervus Ecclesiasticæ disciplinæ. Suares tom. 5. disp. 8. sect. 1. Sayrus de cens. l. 1. cap. 3. Vgolin. tab. 2. cap. 33. §. 1. Coninch. d. 14. dub. 1.* & alij.

2. Excommunicatio est *censura Ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur aliquibus bonis communibus*, nempe *consortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragijs*: vnde excommunicatio significat quasi extra communionem; quæ *triplex* esse potest. *Prima*, est spiritualis merè interna, vt communicatio in gratia & charitate, per quam sibi inuicem communicant fideles. *Secunda*, est communio merè ciuilis, vt confabulatio, mutua salutatio, communis mensa. *Tertia*, est partim externa, vt participatio Sacramentorum, vsus sacrificij & communio in alijs officijs & rebus sacris, partim interna & milita, vt participatio suffragiorum Ecclesiæ, applicatio orationum communium ad impetrandum à Deo aliquod beneficium. Excommunicatio, per se loquendo, non priuat hominem prima communione, quia excommunicatus potest esse in gratia, sed per accidens, quatenus supponit per peccatum mortale, esse sublatam eiusmodi communionem; priuat autem secunda & tertia. *Tolet. l. 2. cap. 4. Navarr. cap. 27. num 1. Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 17. punct. 1. Filliuc. tract. 12. cap. 1. num. 3. & 4. Bonacina de censur. d. 2. quæst. 1. num. 2. Sylvius in suppl. quæst. 21. art. 1.*

3. Excommunicatio rectè diuiditur, in *maiorem* & *minorem*; *maior* est, quæ tribus supradictis bonis, consortio fidelium, nempe, Sacramentorum participatione, & suffragijs Ecclesiæ priuat. *C. penult. de sent. excomm.* *Minor* verò, vno tantùm bono priuat, videlicet participatione Sacramentorum: *præterea* maior excommunicatio non incurritur, nisi ob mortale peccatum, *minor* autem aliquando ob veniale: in iure verò, excommunicationis nomine, simpliciter intelligitur maior, quæ absolutè dicitur excommunicatio, nam verba absolutè prolata accipiuntur in sua significatione simpliciter. *Tol. c. cap. 5. n. 1. Coninch. c. num. 5. Covarr. cap. Alma mater 1. p. §. 8. n. 5. Sylvius c. art. 1. & 3.*

4. Diuiditur iterum excommunicatio in illam, quæ est à *iure*, & alteram quæ est *ab homine*. *A iure* est, quæ per aliquem canonem

nonem vel statutum, vel constitutionem fulminatur: *Ab homine* verò est, quæ per aliquem iudicem fertur: & vtraque tam à iure quàm ab homine, vel est latæ sententiæ, vel ferendæ, hoc est, aut ipso iure seu facto incurritur absque vllius sententiæ expectatione; aut est tantùm comminatoria, quæ scilicet non statim ligat sed, desideratur sententia, per quam est fulminanda. Excommunicatio tunc est *latæ sententiæ*, quando ponitur verbum præteriti, vt si dicatur, sit excommunicatus, habeatur pro excommunicato, ipso iure, ipso facto. *Comminatoria* erit excommunicatio, si ponatur aliquod verbum futuri, si dicatur, excommunicetur, vel sub pœna excommunicationis. *Toletus c. num.3.4. Filliuc.c. num 9. Nauarr.c. num.2. Sayrus de censur.l.1. cap.4.num.22.*

5. Multiplex à Doctoribus ponitur *differentia*, inter excommunicationem ab homine, & illam quæ est à iure; nam *iuris* excommunicatio semper est generalis & determinatè fertur contra facientes, vel non facientes hoc vel illud; illa autem quæ est *ab homine*, aliquando est generalis, aliquando particularis; contra determinatam personam; *deinde* excommunicatio lata ab homine, cessat, cessante vita iudicis, vel quando ab officio remouetur, ita vt de nouo contrauenientes non liget; at excommunicatio *iuris* durat etiam mortuo conditore, quamdiu ius ipsum durat, *C. vt animarum §. statuto de const. lib.6. præterea* quãdo fertur excommunicatio a canone vel statuto pro futuris culpis, ligat contra facientes intra territorium legislatoris, quãuis tempore legis latæ seu delicti non essent subditi respectu originis vel domicilij: at sententia *hominis* comprehendit illos tantùm, qui tempore sententiæ sub iudicis eam pronunciantis iurisdictione continebantur, & illi subditi erant; quia sententia sumit vires incontinenti in eum contra quem fertur; *lex* autem cum semper loquatur, obligat etiam eos qui futuris temporibus futuri sunt subditi. *Nauar.c. Toletus c.num.6. Syluester v. Excommunicatio 2.num.10. Bonac.c.num.4. Sayrus c.cap.4.num.22.*

EXCOMMVNICATIO II.

Quoad eius causas; Videlicet, efficientem, materialem, formalem, & finalem.

SVMMARIVM.

1. *De causa efficiente excommunicationis.*
2. *De causa materiali excommunicationis proxima nempe & remota.*
3. *An sufficiat ad contrahendam excommunicationem, quodcumque peccatum præteritum sine contumacia? & an requiratur effectus completus quem legislator intendit sub excommunicatione prohibere?*
4. *An mandantes vel consulentes incurrant excommunicationem nondum effectu secuto?*
5. *Ad cognoscendum an excommunicatio contracta sit vel alia censura per aliquem actionem, perpendenda sunt verba legis.*
6. *De causa materiali remota excommunicationis?*
7. *De formali causa excommunicationis?*
8. *Quæ sint circumstantiæ obseruandæ quando excommunicatio fertur in peccatum præteritum cum contumacia.*
9. *An ad validitatem excommunicationis requiratur causa rationabilis & manifesta? & quando censeatur iniusta?*
10. *An de ratione formali excommunicationis sit seruata circumstantiam loci seu propry territorij?*
11. *An excommunicatio lata per statutum contra subditos delinquentes in alieno territorio liget?*
12. *An excommunicatio lata per modum sententiæ afficiat personam subditam vbicumque sit?* refertur duplex sententia.
13. *An superior possit ligare excommunicatione extraneum delinquentem in suo territorio?*
14. *An excommunicatio lata die feriato sit valida?*
15. *Ad solemnitatem excommunicationis requiritur vt denuncietur à legitimo superiore.*
16. *De causa finali excommunicationis,*

1. CAusa *efficiens* maioris excommunicationis, iuxta *D. Tho. in Suppl quæst.22. art. 1. Syluius ibid. Nauarr.c.27. num.5.6. Sayrus de censil.1.cap.5. Suares d.2.sect.2. n.1.2. Bonac. d.1.quæst 1.par.2. Filliuc.tract.2.num.10. Tolet.l.2.c.6. Reginald.l. 9.n.115. & seq.* & alios est homo Ecclesiasticus, non quilibet, sed tantùm ille, qui habet potestatem iurisditionis fori exterioris, ordinariam vel delegatam, non impeditam, siue ferat illam medio iure & lege, quæ dicitur excommunicatio a iure, siue media sententia, quæ dicitur ab homine: vnde excommunicare potest Papa, Concilium generale, Prouinciale, Episcopi, Capitulum sede vacante: Abbates, Generales Ordinum, Prouinciales, Guardiani, & quicumque superiores habentes iurisdictionem Ecclesiasticam in exteriori foro: hinc *deducitur* fœminam non posse excommunicare, sicut nec laicum, nec simplicem Sacerdotem, quamuis curatus sit, nisi ex dispensatione Summi Pontificis, vel ex consuetudine legitimè præscripta, quia hi omnes non habent iurisdictionem exteriorem: *Aduertendum* tamen quòd Papa & Concilium generale possunt, in quacumque diœcesi existant, per sententiam vel statum, excommunicare, at Episcopus in aliena diœcesi existens, non potest nec suos subditos excommunicare, nisi petita licentia proprij diœcesani. *Præterea* potest Papa & Concilium generale quoscumque cuiuscumque diœcesis excommunicare, at reliqui Prælati non nisi suos subditos; quamuis aliquando possint non subditos excommunicare, puta, quando ratione delicti commissi in eius territorio, vel ratione contractus ibidem initi, vel ratione rei ibi sitæ, ad eius iurisdictionem aliquo modo pertinent. *D. Bonauent.4.d. 18. in vlt.par.d.quæst.3. Henr.l.13.cap.24. Sayrus c. lib.1.cap.6. num.20.*

Insuper est hic adnotandum ex nostro *Sigismund. à Bononia tract.de elect.par.3.cap.4.dub.116.* quòd quando dicimus Guardianos & alios Prælatos conuentuales, posse excommunicare, intelligendum est, respectu tantùm fori pœnitentialis, non autem respectu fori contentiosi, siue fori externi: Ratio prioris est, quia respectu eiusdem fori pœnitentialis & Curatus potest excommunicare, ergo pari ratione & Prælati Regulares inferiores idem poterunt. Posterius autem probatur; quia excommunicare est actus iurisdictionis contentiosæ fori exterioris, qui propterea fit à iudicibus; sed nullam habent à iure iurisdictionem fori contentiosi Prælati inferiores, nec item possunt procedere in forma & figura iudicij, sed tantùm per viam pœnitentiæ, corrigendo. Ergo nec valent excommunicare. Et sic conciliantur contrariæ sententiæ Doctorum affirmantium & aliorum negantium. Huic solutioni subscribit *Alterius de const. tom.1.l.3.d.7.cap.3.* & *Sacra Rota Romana.*

2. Causa *materialis* excommunicationis *duplex* est, *proxima* nempe & *remota*. *Proxima* est peccatum mortale proprium, externum, & non sufficit peccatum merè internum, quod ita in mente lateat, vt aliter cognosci non possit, nisi per reuelationẽ; quia Ecclesia non iudicat de merè internis nisi indirectè, solus Deus est iudex internorum & occultorum: *Ecclesia* autem potest quidem præcipere, vel prohibere actum internum, non secundùm se & directè, sed per ordinem ad actum externum, quem informat, vel qui non potest subsistere, sine actu interno: *hinc* faciens actum externum sine actu interno, excommunicationem incurrit, quando deficit actus internus, qui est de substantia actus externi præcepti, qualis est attentio respectu diuini officij recitandi; quando autem substantia actus externi potest subsistere, absque actu interno, non incurritur excommunicatio, quamuis cùm actus externus adimpletur, alias possit committi peccatum contra ius naturæ & diuinum, verbi gratia, indignè communicans in Paschate, non incurrit excommunicationem latam contra non communicantes eo tempore, quia indignè communicans adimplet substantiam præcepti Ecclesiastici, quod præcepit externam communionem: peccat tamen contra ius diuinum indignè communicando. Vide *Tolet.c.cap.8. Sayrus c.l.1.cap.9.num.19.24. Comnch.disp.13. dub.8. Filliuc.tract.11.num.158.162. & seq. Rodrig.in Sum.2.p.c. 67. Suares c.d.4.sect.2. Nauarr.in Man.c.27.num 9. Couar.in Cap. Alma par.1.§.9.*

3. Ad contrahendum excommunicationem, non sufficit peccatum præteritum, nisi adsit contumacia, nempe quando admonitus vt à peccato desistat, id renuit facere: vnde si homo paratus est corrigi propter quodcumque enorme peccatum præteritum, excommunicari non debet: quando autem fulminatur excommunicatio in futurum, vel quia præcipitur aliquid faciendum, vel prohibetur ne fiat, tunc duntaxat iustum sit,

sit, quod præcipitur, resque sit grauis, in transgressores potest ferri excommunicatio. Est tamen hic *aduertendum*, quòd ad incurrendam excommunicationem aliamve censuram, requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub excommunicatione vel alia censura prohibere, quia lex non ligat, nec operatur vltra legislatoris intentionem verbis expressam; hoc tamen est intelligendum, nisi sub censura principaliter prohibeatur ipsa actio vel conatus; nam ea actione posita statim censura incurreretur, quia actus censetur sufficienter completus, quantùm lex requirit, ex qua doctrina casus sequentes decidiuntur. *Sayrus c.num.25. cap.9. Filliuc. tract. 11. num.185. Henriques lib.13. cap.17. Toletus cap.8. num.2.3. Couarr. in cap. Alma 1.par.§. 10.num.4. Bonacin.d.2. quæst.1.par. 3.num.19. Nauarr. de pœn. distinct. 1. in c. cum autem num.11. Vgolin. tab.1.c.9.*

4. *Mandantes* vel *consulentes* non incurrunt excommunicationem, nondum effectu secuto, quando scilicet effectus fuit principaliter prohibitus, mandatum verò, vel consiliũ prohibitum fuit tantummodò accessoriè: item non incurritur excommunicatio, quando actus exterior non habet eam malitiam, quæ sub censura prohibetur; vt qui exteriùs profert hæresim, sed interiùs bene sentit; item non incurrit excommunicationem canonis, qui proiecit sagittam contra clericum, sed illum non attingit: similiter qui actionem aliquam exercet de se insufficientem ad effectum prohibitum sub censura; illam non incurrit, vt qui alium vulnerauit non lethali vulnere, & vulneratus moritur ob aliam causam, non incideret in excommunicationem, si quæ lata esset contra homicidas. *Valent. tom.4. d. 7.quæst.17. punct.9. Nauarr cap.27. num.11. Auila 1.part. dub. 11. Reginald. lib.9. num.216. Coninch. disput.13. dub. 8. num.75. Suares d.4.sect.3. num.6. Diana par.4.tr.4.res.240.*

5. Ad *cognoscendum*, an excommunicatio contracta sit, vel alia censura per aliquam actionem, perpendenda sunt verba legis; si enim absolutè prohibent aliquod delictum sub censura; illud voluntarium requiritur, quod sufficit ad mortale peccatum, & ad contumaciam contra censuram, quando autem verba legis non absolutè prohibent aliquod delictum sub censura, sed postulant perfectum & directum voluntarium, censura non incurritur per quodlibet voluntarium sufficiens ad peccatum mortale; sed ad eam incurrendam requiritur voluntarium directum, & ex certa scientia censuræ, vnde peccans contra præceptum ex negligentia, inaduertẽtia; vel ignorantia etiam culpabili, & crassa, non incurrit excommunicationem, quamuis peccet mortaliter contra præcẽptum. *Sanch. de matrimon.lib.9.d.32. à numer.33. ad 45. Filliuc. tract. 11.c. 6.nu.166.& seq. Suares d.4.sect.3.n.9.*

6. Causa materialis *remota* seu subiectiua excommunicationis, est homo viator, determinatus, baptizatus, inferior, subditus; hoc est, solus homo tam masculus quam fœmina excommunicari potest; vnde defunctus, dæmon, & animalia irrationalia excommunicatione ligari non possunt, quia non sunt capaces effectus illius: dicitur *determinatus*, quia tota aliqua vniuersitas, vel collegium, non potest excommunicari per sententiam, nisi in particulari distinguantur excommunicandi; alioquin huiusmodi censura cõtineret errorem intolerabilem, cùm contingeret sæpe innocentes puniri grauissima pœna excommunicationis. Dicitur *baptizatus*, quia infideles sicut, & cathecumeni, non possunt excommunicari, cùm Ecclesiæ mẽbra non sint, & illius legibus non subdantur. Dicitur *Inferior*, quia nullus seipsum excommunicare potest, sicut nec superiorem, vnde Papa à nullo excommunicari potest, quia non habet superiorem. Dicitur *Subditus*, id est, eius subiectus iurisdictioni, quia exempti priuilegio Apostolico, non possunt ab Ordinario ipso excommunicari, sicut nec alij non subditi, nisi in tribus casibus expressis. *Nauarr. cap.27. num 13. Sayrus c. l.1.cap.8 Reginald. l.9.num.133. Toletus c.cap.7. Vasques de excommun. dub.17.num.8. Suares d.5.sect.1. Sylvest. in supplemen. quæst.22. articul.4. cum D. Thom. Ex cap. ne aliqui de priuilegijs in 6.*

7. *Formalis causa* excommunicationis siue à iure siue ab homine, non sunt determinata verba, sed sufficiunt quæcumque verba, aut etiam scriptura, qua intentio iudicis sufficienter exprimatur; quia nullo iure cautum est, excommunicationem per certa verba ferendam esse: tamen verba, quibus excommunicatio exprimitur, debent esse determinata ad aliquam personam, eam nominando, si cognoscitur, vel describendo aliquo modo, vel illam designando per ordinem ad delictum; quia verba faciunt in censuris quod significant, ergo quando nullam personam significant, nullam afficiunt: *præterea* verba quibus excommunicatio fertur, debent significare de præsenti & practicè effectum, quia si significent de futuro, vt excommunicabo, &c. non infertur censura; & insuper debent continere executionem, non autem solam præceptionem. Vide Doctores citatos. *Sayrus l.1. cap.11. Nauarr. cap. 27. nu. 12. & 37. Filliuc tract.11. nu.53.56. & 57. Tolet.l.1.c.9. Coninch.d.13. dub.2.numer. 23. Reginald.libr.9.num. 194. Suares disput.18.sect.4.*

8. Quamuis in excommunicatione ferenda, nulla forma verborum iure præscripta sit, *aliquæ* tamen *circumstantiæ*, quæ ad formam quodammodo reduci possunt, obseruandæ sunt in excommunicatione, quæ fertur in peccatum præteritum cum contumacia: *Cap. constitutionem de sentẽt.excommun.in 6. Suares d.3. sect 12. Diana par.5. tract.9 resol.18.19. Sayrus l.1. cap. 12. Nauarr. cap.27. num.11. Vgolin. tab.2. cap.18.§.2. numer.4. Reginald.l.9.numer.181. Sylu. in supplemen. quæst.21.articul.4.* *Primo* enim requiritur, vt præcedat trina admonitio, qua excommunicandus priùs ter admoneatur, an velit parere; vrgente tamen necessitate, fieri potest vt vna admonitio absolutè sufficiat; quantum autem temporis spatium sit constituendum, pro singulis monitionibus: colligi potest ex iure, constituendos esse duos saltem dies, pro singulis monitionibus, quãuis iudex possit pro sua prudentia interiallum ampliare, vel restringere etiam ad vnum diem, vel ad breuius tempus, si opus fuerit: quando autem vna admonitio fit, debent dari sex dies exprimendo, vt primi duo, sint pro prima, secundi pro secunda, tertij pro tertia admonitione. *Cap. Cum medicinalis, de sent. excommunic. in 6. Henriques l.13.cap.34. Coninch. c. dub.9.num. 85. Sayrus l.1.cap.13.& cap.9. Filliuc tract.11.num 107.108.& 109. Bonacin.d.1. quæst.1.p.8. Tolet.c.cap.9. Suares de censur.d. 3.sect.13. Portel in dub.reg. verb.Excommunicare num.1. Diana par.5.tract.9. resol.73. Secundo*, requiritur vt excommunicatio feratur non solo verbo iudicis, sed in scriptis, in quibus etiam exprimi debet causa excommunicationis, & ferens excommunicationem solo verbo, sine scriptura & sine expressione causæ, aut qui parti petenti non concedit exemplar scripturæ intra mensem, si petatur, mortaliter peccat, & incurrit suspẽsionem ab ingressu Ecclesiæ per mensem; ab ipsa tamen suspensionis pœna recensita eximuntur Episcopi, secundùm aliquos etiam Prælati religiosorum, ferentes excommunicationem solo verbo, quia non fit expressa mentio eorum, vt fieri debet ad contrahendam ab eis ipso facto iuris suspensionem.

Extat priuilegium Leonis X. concedentis, quòd *Prælati ordinis Minorum regularis Obseruantiæ, cùm aliquem fratrem propter apostasiam, vel aliam causam excommunicant in capitulo fratrum, vel in communitate, non teneantur proferre sententiam in scriptis, prout in iure suo pœna suspensionis præcipitur proferentibus.* Ita habetur in compend. *priuileg. Minor. verb. Excommunicatio §.7.* & tradunt Rodriques *tom.2.qq.reg. quæst.60. art. 3.* Portel *verb. Excommunicatio num* 1. qui bene aduertunt, quod *Leo X.* non concesserit vniuersaliter hic, vt nullam sententiam excommunicationis non teneantur Prælati in scriptis proferre, sed tantùm illam, quæ per modum præcepti fulminatur cõtra aliquem fratrem particularem: Excommunicationem autem per modum statuti tenentur, iuxta terminos iuris, *in* scriptis proferre. Illa autem erit per modum statuti vel ordinationis, quæ ponitur omnibus fratribus Prouinciæ & permanenter.

Notandum tamen hoc priuilegium *Leonis X.* esse tantùm viuæ vocis oraculo concessum; imò, & non authenticum; propterea notatur *à Cassarubio* litera (o) parua, per quam viuæ vocis oracula non authentica denotare solet: ideò talis concessio inutilis est hic temporibus, nisi alio modo sit confirmata. Aliunde tamen videtur id concessum Prælatis Regularibus propter multa priuilegia, quæ ipsorum plurimi habent, quòd in correctionibus suorum subditorum non teneantur obseruare rimulas & apices iuris, inter quas ista de scriptura videtur numeranda. Pro priuilegijs autem de non obseruandis rimulis, & apicibus iuris consulatur Lugo *tomo 2. de iust. & iur.disput.at. 37.sect.14. numer.162.* citatus à Lezana *tom.3.summ.v. Censura num 6.*

Eximuntur *præterea* denunciantes aliquem excommunicatum; item ferentes censuram sine scriptura ob vrgentem & iustam aliquam causam: eximi etiam possunt qui hoc faciunt bona fide & ex quadam inaduertentia censuræ: *notandum* tamẽ

est

eſt excommunicationem vel aliam cenſuram latam ſine ſcriptura, vel ſine expreſſione cauſæ, non eſſe irritam, & inualidam, quia omiſſio ſcripturæ, ſeu cauſæ, non cenſetur omiſſio formæ ſubſtantialis, ſed tantummodo accidentalis. Ita Doctores citati.

9. Ad formalitatem ſeu validitatem ſententiæ excommunicationis requiritur cauſa *rationabilis & manifeſta*; vnde *Cap. Epiſcopus*, §. *ſi ergo*. 11. *quæſt*. 3. *D. Tho. in ſuppl. q* 21. *a*. 4. *Sylueſt. verbo. triplicitèr* poteſt eſſe iniuſta, *quando* ſcil. non prouenit ex amore iuſtitiæ, vel deſiderio correptionis, ſed potiùs ex odio, vel inuidia, & hæc excommunicatio taliter lata, licet ſit iniuſta, valida tamen eſt; quia nihil eſſentiale deficit, ratione cuius irrita debeat eſſe. *Cap. Sacro. de ſenten. excommunic. Secundò*, excommunicatio iniuſta dicitur, quando non ſeruatur ordo iuris, qui duplex eſt, vnus vocatur *ſubſtantialis*. & neceſſarius ad validitatem, qualis videtur eſſe admonitio; alter dicitur *accidentalis*, vt ſcilicet fiat in ſcriptis, & cum expreſſione cauſæ: ex hac parte redditur excommunicatio iniuſta & inualida, quando prætermiſſus fuit ordo iuris neceſſarius. *Cap. nemo*, 2. *quæſt*. 1. *Tertio*, iniuſta materialiter appellatur excommunicatio, quando cauſa propter quam fertur, non eſt vera, vel non eſt æqua, licet in iudicio per teſtes probetur vera; & hanc quamuis iniuſtam excommunicationem, iuriſperiti communiter affirmant eſſe validam, ſed Theologi negant probabiliùs; quia excommunicatio maior non incurritur, niſi propter peccatum mortale, quod verè in hoc caſu non fuit commiſſum quamuis in iudicio commiſſum probetur: vnde taliter iniuſtè excommunicatus, non priuatur ſuffragiis Eccleſiæ; nec iuriſdictione in foro conſcientiæ, & omnia geſta per ipſum valida ſunt in eodem foro: licet in foro externo, & dum ſcandali periculum imminet, taliter excommunicatus teneatur ſe gerere tamquam excommunicatum, præſertim quando dubitatur de iuſtitia cauſæ propter quam cenſura lata eſt.

10. De ratione etiam formali excommunicationis eſt, vt ſeruetur circumſtantia loci ſeu proprij territorij, quando ad illam ferendam opus eſt iuriſdictione contentioſa, quæ nequit extra proprium territorium exerceri, abſque licentia Ordinarij loci ſicut nec in loco plenè exempto, non ratione tantùm perſonarum, vt ſunt Eccleſiæ & monaſteria religioſorum, ſed rationem etiam ipſius loci: *Cap. nouit. de offic. leg. Auila* 2. *p. c.* 3. *diſp*. 2. *dub*. 1. *Reginald. lib*. 9. *num*. 155. *Nauarr. cap*. 27. *num*. 6. *Sayrus lib*. 1. *cap*. 14. *num*. 4. *Conինch. diſput*. 13. *dub*. 5. *num*. 64. quando autem non eſt opus huiuſmodi iuriſdictione, poteſt excommunicatio, aliaue cenſura ferri etiam in alieno territorio, quia ad illam ferendam non requiritur cauſæ cognitio, ſeu proceſſus vel ſtrepitus iudicialis: & plures caſus adfert, *Sayrus* citatus, in quibus validè in alieno territorio excommunicatio ferri poteſt: Tamen Prælati religioſorum, vt Abbates, Prouinciales, Priores, & alij Superiores habentes iuriſdictionem ſine territorio, poſſunt vbicumque exiſtant ferre cenſuras, & ligare ſuos ſubditos, etiamſi delinquant extra monaſteria. Vt docet, *Rodriques t*. 2. *qq. quæſt*. 59. *num*. 1. contra *Mirandam tom*. 2. *quæſt*. 35. *artic*. 8. *concluſ*. 3. Ratio eſt, quia Prælati religioſorum non habent territoria diuiſa ſicut Epiſcopi, ſed eorum iuriſdictio eſt in ordine ad perſonas ſubditas ſecundùm, & vbicumque ſint, cùm ratione voti obedientiæ ſe illis abſolutè ſubiecerint, ergo vbicumque fuerint poſſunt contra illos cenſuras ferre, & illis præcepta imponere. Ita etiam *Sylueſt. v. Excommunic*. 2. *num*. 15. *Leζana tom*. 3. *ſumm. v. Cenſura num*. 9. vbi refert quoſdam dicentes, totum mundum eſſe territorium Prælatorum Regularium: & huic ſententiæ ſubſcribit etiam *Leζana. c.*

11. Excommunicatio, vel alia cenſura, lata à ſuperiore per ſtatutum, contra ſubditos delinquentes, & exiſtentes in alieno territorio, non ligat; quia *extra territorium ius dicenti, non paretur impunè*, id eſt, nulla pœna imponitur non obedienti proprio ſuperiori, extra ipſius iuriſdictionem; nam ſtatutum reſpicit directè territorium: *Cap. 2. de conſtitut. in* 6. Hinc tranſgrediens ſtatutum proprij Epiſcopi, in locis, & parochijs exemptis, exiſtentibus tamen in diœceſi proprij Epiſcopi, non incurrit cenſuram latam contra violantes ſtatutum Epiſcopi; quia huiuſmodi locus cenſetur extra iuriſdictionem Epiſcopi, & delinquens dicitur in diœceſi eſſe tantummodò materialiter, non formaliter. *Suares d*. 5. *ſect*. 4. *numer*. 4. *Filliuc. tom*. 11. *nu*. 148. 149. *Bonacin. c. par*. 11. *num*. 6. *Azor. t*. 1. *lib*. 5. *cap*. 25. *quæſt*. 4. *Diana tr*. 5. *miſcell. reſolut*. 74. *& tr*. 6. *miſcel. reſolut*. 78. *p*. 3.

12. Secundùm probabiliorem ſententiam. *Vgolinus tab*. 1. *a*. 9. §. 3. *Sayrus c. cap*. 7. *num*. 18. *Layman lib*. 1. *tract*. 5. *part*. 1. *cap*. 4. *num*. 7. & aliorum, excommunicatio lata per modum ſententiæ, afficit perſonam ſubditam, vbicumque ſit, etiamſi extra territorium ferentis cenſuram exiſtat, ſiue lata ſit per ſententiam generalem, ſiue per ſententiam particularem, nam reſpicit perſonas ſecundum ſe. Non eſt tamen improbabilis aliorum opinio, aſſerentium Epiſcopum non poſſe excommunicare ſibi ſubditum exiſtentem extra propriam diœceſim, non ſolùm per ſtatutum, vt habet communis ſententia, ſed neque per ſententiam generalem, vel particularem, ob delictum commiſſum extra propriam diœceſim; ob delictum verò commiſſum in propria diœceſi, poſſe, quamuis in alieno territorio exiſtat. Ita *Salas de leg. d*. 14. *ſectio*. 8. *Conarr. cap. Alma* 1. *part*. §. 10. *num*. 3. *Coninch c. n*. 61. *Diana c.*

13. Superior alicuius loci, non poteſt ligare excommunicatione extraneum delinquentem in ſuo territorio, & ibi breui tempore commorantem. Ita *Clauis reg. lib*. 3. *cap*. 4. *numer*. 15. *Sanches in ſumm. lib*. 1. *cap*. 12. *Bonac. de cenſuris d*. 1. *quæſt*. 1. *par*. 11. *num*. 20. quia ad ferendas cenſuras requiritur, vt delinquens ſit ſubditus ſuperiori in quo reperitur; extraneus autem, qui non decreuit manere maiore anni parte in aliquo loco, non eſt ſubditus ſuperiori illius loci: *Suares d*. 5. *ſect*. 10. 5. *numer*. 10. *Sayrus l*. 1. *cap*. 7. *numer*. 22. tamen cum *Filliuc. tract*. 11. *nu*. 154. & quibuſdam alijs, opinantur extraneum ligari cenſuris latis per modum ſtatuti, in eo loco, in quo reperitur, non verò ligari cenſuris latis, per modum ſententiæ, quia ſententia directè fertur in perſonas ſubditas re aut ſpe, id eſt, in eos qui tunc ſunt ſubditi vel qui naſcentur; vel eò transferent domicilium; ſed verius eſt, vt dicetur ſuo loco, extraneum non teneri legibus, & ſententiis loci, in quo per modum tranſitus reperitur.

14. In ferenda excommunicatione, ſolet etiam ſeruari *circumſtantia temporis*, vt ſcilicet non feratur *Cap. final. de feriis. Vgolin. tabul*. 1. *cap. vltim*. §. 1. *num*. 3. *Sayrus lib*. 1 *cap*. 14. *num*. 8. *& cap*. 7. *nu*. 17. die feriato, qui, ex inſtitutione vel conſuetudine Eccleſiæ, dicatus eſt honori & cultui diuino, nihilominus ſi lata fuerit tunc temporis, non foret inualida; quia etſi excommunicatio poſtulet cauſæ cognitionem, non tamen ſemper & neceſſario eam poſtulat. *Arg. Cap. veniens, de ſent. excommun.*

15. *Ad ſolemnitatem* etiam excommunicationis pertinet, vt poſtquam lata fuerit contra determinatam aliquam perſonam, etiam denuntietur à legitimo ſuperiore, ſeu de auctoritate legitimi ſuperioris, qui in hac re non ſolùm cenſetur is, qui cenſuram excommunicationis tulit, aliuſve ab eo requiſitus, verùm etiam Epiſcopus, in cuius diœceſi patratum eſt delictum vetitum ſub tali cenſura: ad talem autem denunciationem non ſemper tenetur iudex, niſi aliud ratio boni priuati, vel communis ſuadeat: quando verò fit hæc denunciatio, illa facienda eſt publicè in Eccleſijs, & poſtea in ſcriptis affigi debet ad portas Eccleſiarum, cum expreſſione cauſæ iuxta conſuetudinem loci. *Cap. cura* 11. *quæſt*. 3. *Filliuc. tract*. 11. *numer*. 110. *& ſequ. Sayrus lib*. 1. *cap*. 13. *numer*. 20. *& ſequ. Suares d*. 3. *ſection*. 14. *num*. 7. *Conarr. cap. Alma mater* 1. *par*. §. 2. *numer*. 9. *Tolet. lib*. 1. *cap*. 12. *num*. 6. *Notandum* tamen eſt hic, quòd qui contraxit excommunicationem, vel aliam cenſuram, à iure vel ab homine latam, non eſt poſt delictum ſtatim denunciandus, quamuis illud notorium ſit, & publicum, ſed præmittenda eſt ante denunciationem, ſententia criminis declaratoria, quia fieri poteſt, vt reus innocentiam probet, afferatque probabilem ſui facti excuſationem. Ita Doctores citati.

16. Cauſa *finalis* excommunicationis, eſt bonum, & vtilitas hominis, vt reſipiſcat, & ad bonum ſe conuertat, vel vt à malo perpetrando retrahatur. *Cap. cum Medicinalis, de ſentent. excommunicat. in ſexto. Bonacin. c. punct. vltim.* iuxta illud 1. Corinth. 1. *vt reſurgat à peccato, & ſaluus fiat in die Domini*.

Vide *Apoſtaſia* numer. 8. 9. *Compenſatio* numero 7. *Hæreſis* numero 5. 6. 7. *& ſequent. Ignorantia* numero 17. *Index* numero 4. *Cenſura*.

EXCOMMVNICATIO III.

Quoad illius effectus.

SVMMARIVM.

1. *De primo effectu excommunicationis, qui est priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum.*
2. *An excommunicatus contritus ante absolutionem gaudeat cõmunibus suffragijs?* Refertur duplex sententia.
3. *Licet peccet Sacerdos offerens Missam in persona Christi pro excommunicato existenti in gratia, an tamen prosit illi quoad fructum?*
4. *De secundo effectu excommunicationis qui est priuare Sacramentorum participatione passiua; & an Sacramentum pœnitentiæ subsistere possit susceptum ab excommunicato?*
5. *An Sacerdos peccet administrando Sacramenta excommunicato tolerato, & non tolerato.*
6. *De tertio effectu excommunicationis, qui est priuare participatione actiua Sacramentorum.*
7. *An grauiter peccet petens aut recipiens Sacramenta ab excommunicato vitando?*
8. *An excommunicatus administrans Sacramenta incurrat irregularitatem?*
9. *De quarto effectu excommunicationis, qui est priuatio diuinorum officiorum & sacrarum rerum.*
10. *An Missæ officium excõmunicato multis modis sit prohibitũ.*
11. *An peccet audiens vel celebrans Missam in præsentia excommunicati tolerati vel vitandi?*
12. *An communicatio prohibita excommunicato, in officio diuino horarum canonicarum, intelligatur de officio solemni & publico, an verò de priuato?*
13. *An Clericus excommunicatus solemniter ministrans in aliquo ordine, incurrat irregularitatem?*
14. *An excommunicatus vitandus & non absolutus in vita, aut post mortem, examsi signa contritionis dederit, priuetur sepultura Ecclesiastica?*
15. *De quinto effectu excommunicationis, qui est inhabilitas ad beneficia, eorumque fructus.*
16. *An collatio pensionis facta excommunicato sit valida?* refertur duplex sententia.
17. *An inualidè prouisus de beneficio vel pensione ob excommunicationem, retinere possit beneficium vel pensionem? & an reualidari possit collatio beneficij.*
18. *An beneficiarius sit priuatus fructibus suorum beneficiorum, qui post illorum consecutionem, in excommunicationem lapsus est?* refertur duplex sententia.
19. *An possit percipere fructus & distributiones, qui ob iniustam excommunicationem cogitur à choro abesse.*
20. *An excommunicatus per quem non stat ne absoluatur, & non choro intersit, possit percipere distributiones?* refertur duplex sententia.
21. *De sexto effectu excommunicationis, qui est priuatio iurisdictionis Ecclesiastica.*
22. *An gesta per excommunicatum vitandum, seu non toleratum, sint inualida?*
23. *An acta ab excommunicato tolerato sint valida?*
24. *An qui obtinuit facultatem ab Episcopo audiendi confessiones, possit ea facultate vti postquam Episcopus fuit denunciatus excommunicatus?*
25. *De septimo effectu excommunicationis qui est ciuilis communicationis priuatio, videlicet in contractibus, testamentis, & quotidiano conuictu.*
26. *Excommunicatus vitandus est in quinque casibus.*
27. *In quinque casibus, excusantur fideles à peccato, communicando cum excommunicato.*
28. *An in necessitate, cum spirituali, tum corporali liceat communicare cum excommunicato.*
29. *De ultimo effectu excommunicationis, qui est priuatio communicationis in actionibus iuris ciuilis.*
30. *Quilibet excommunicatus etiam toleratus per se loquendo non potest communicare cum aliis fidelibus.*
31. *Communicans cum excommunicato denunciato in crimine criminoso peccat mortaliter, & maiorem incurrit excommunicationem.*

1. PRimus *effectus* excommunicationis maioris est, priuatio communium Ecclesiæ suffragiorum: *Cui nolus de sententia excommunic.* communia autem & generalia suffragia sunt, quædam auxilia spiritualia, quæ à clericis, quatenus ministris Ecclesiæ, offeruntur pro fidelibus; qualia sunt, sacrificium Missæ, orationes canonicæ, publicæ supplicationes, seu processiones, &c. in quibus clericus orat in nomine, & in persona Ecclesiæ: hinc applicans excommunicato communia suffragia, peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui; & secundùm *Nauarrum*, talis incidit in minorem excommunicationem, quia communicanti cum excommunicato vitando imposita est minor excommunicatio; tamen in feria sexta Paraseues, ex concessione Ecclesiæ potest publicè orari pro excommunicatis, & offerri pro illis sacrificium Missæ, eo modo quò fit in ea die, quia à generali prohibitione, potuit Ecclesia excipere illum diem. *Fillmc. tract.* 12. *numer.* 33. *Nauarr. cap.* 17. *num.* 36. *Suares d.* 9. *sect.* 1. *numer.* 4. *Sayrus l.* 2. *cap.* 4. *num.* 7. *Reginald. l.* 32. *num.* 9. *Sylu. in supplem. quæst.* 21. *articul.* 4.

Contendunt autem Doctores, an occultè excommunicatus & toleratus, hoc est, qui non est publicè per sententiam denunciatus, vel non est notorius clerici percussor, priuetur communibus suffragijs, & an peccent fideles pro illo suffragia ferentes, *Henriques l.* 13. *cap.* 11. *Coninch. disp.* 14. *dub.* 6. *num.* 40. *Vgolinus tabul.* 2. §. 2. *num.* 3. cum multis alijs asserunt non esse peccatum quamuis preces publicæ sint, quia Concil. Constitut. permittit fidelibus participationem cum excommunicatis toleratis; verùm *Suares d.* 9. *sect.* 2. *numer.* 16. *Fillmc. tract.* 12. *nu.* 40. *Sotus d.* 22. *quæst.* 1. *articul.* 4. cum quibusdam aliis, probabiliùs & meritò existimat, non licere fidelibus suffragia offerre, pro toleratis excommunicatis; quia Concilium non concedit internam suffragiorum communicationem, sed externam, vt in audienda Missa, recitando diuino officio, &c. Et hæc sententia est tenenda.

2. Affirmant quidam Doctores, vt *Nauarr. c.* 27. *numer.* 18. *Valent. tomo* 4. *d.* 7. *quæst.* 17. *punct.* 8. *Sayrus libr.* 2. *cap.* 4. *num.* 5. excommunicatum contritum, ante absolutionem, gaudere communibus suffragiis, licereque pro eo illa offerre, quia non videtur probabile, Ecclesiam priuare suis suffragijs membrum sibi fide & charitate coniunctum, & qui iam à contumacia recessit: hæc sententia ob auctoritatem Doctorum eam tenentium, & fauorem fidelium, aliquam speciem probabilitatis habet. Sed alij probabilius esse docent talem priuari communibus Ecclesiæ suffragijs; quia excommunicatus contritus, adhuc remanet excommunicatus, donec absoluatur, & consequenter priuatur communibus suffragijs. Ita *Vasques de excommunicatio. dub.* 2. *tomo* 4. *Suares disputat.* 9. *sect.* 3. *numer.* 2. *Coninch distinct.* 14 *dub.* 6. *numer.* 49. *Diana part.* 5. *tractat.* 9. *resolut.* 75. *Denique* iniustè excommunicatus, ex defectu legitimæ causæ, vel iuridici ordinis substantialis, non videtur priuatus communibus suffragijs; tamen posset orari pro illo publicè, nec offerri Missæ sacrificium, donec publicè constet, de iniusta excommunicatione: si verò iniustè sit excommunicatus ex defectu ordinis iuridici accidentalis, vel ex parte animi irati, & odio affecti, tunc videtur esse priuatus suffragijs; ratio autem prioris est, quia excommunicatio est iniusta inualida, in posteriori autem casu est valida quamuis iniusta, & ideò habebit suos effectus. *Fillmc. tract.* 12. *num.* 41. & 42.

3. Sacerdos offerens Missam in persona Christi pro excommunicato aliàs existente in gratia, etiamsi peccet, tamen prodest illi quoad fructum, qui per Missam applicatur, scilicet, tùm quoad impetrationem, tùm quoad satisfactionem; quia quando quis operatur vt minister alterius, propria malitia non impedit effectum operationis: si verò in persona Ecclesiæ offerat, nihil proderit, quia Ecclesia priuat excommunicatum suffragijs communibus; vnde Sacerdos applicando sacrificium excommunicato peccat mortaliter, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, sicut dictum est; tamen licet Sacerdoti, vt est priuata persona, orare pro excommunicato, vel in *Memento*, vel in alijs partibus Missæ, occultè, & secretò, etiãsi talis excommunicatus denunciatus sit; immò potest Sacerdos, totum pium opus dicendi Missam, vel officium diuinum, quatenus est proprium, per quod habet suum meritum, & satisfactionem, vel impetrationem, ex opere operantis, offerre pro excommunicato priuata intentione, quia hoc modo, illud opus aliàs publicum, fit priuatum. Ita *Reginald. lib.* 32. *num.* 13. *Suares d.* 9. *sectio.* 4. *num.* 3. *Nauarr. c.* 27. *numer.* 36. *Fillmc. cit. num.* 48.

num.48.& sequ. Coninch c.num.37. Henriq. l.13.c.12. Vasques c. n.3. Diana p.5.tr.9.res.77.

4. *Secundus effectus* maioris excommunicationis, est priuare Sacramentorum participatione passiua; ita vt excommunicatus percipiendo Sacramenta, quantumuis occultus sit, vel excommunicatio iniusta, modò sit valida, sacrilegium committat, & peccet mortaliter; quia de natura excommunicationis est, priuare passiua Sacramentorum participatione: *Cap. si celebrat. de cleric. excommunic. Cap. Engeltrudam quæst. 4.* validè tamen excommunicatus sacramenta recipit quoad substãtiam, licet non semper quoad effectum, id est, quoad gratiam nam quoties aliquis recipit Sacramentum, & in eius susceptione committit peccatum mortale, ponit obicem ad gratiam, qui autem ponit obicem ad gratiam, non recipit gratiam. *Reginal. l.32. n.1. Filliuc. tr.12. n.57. Sylu. c.art.4. Diana p.5.tr.9.ref.85.*

Sed grauissima *difficultas* est inter Doctores, de pœnitentiæ Sacramento, an subsistere possit non solùm quoad fructum, verùm etiam quoad substantiam, susceptum ab excommunicato, qui petit absolutionem à peccatis, antequam absoluatur ab excommunicatione, siue inuincibiliter ignoret se esse excommunicatum, siue vincibiliter & culpabiliter: pro qua *dicendum* est communiorem *Valent. tom.4.d.7. quæst 11. punct.3. Vasques cit. dub.4. Suares d.10. sect.3.num.9. Sayrus lib.2.c.2. numer.5. Coninch d.14. d 5. numer.26. Sylu. in supplemen.quæst. 21. artic.4.* & aliorum sententiam esse, quòd, quotiesquis inculpabiliter ignorat, se esse excommunicatum, vel si scit quidé se esse excommunicatum, ignorat tamen inuincibiliter esse peccatum mortale, accedere ad Sacramentum pœnitentiæ suscipiendum cum excommunicatione, talis validè recipit Sacramentum pœnitentiæ; non solùm quoad substantiam, verùm etiam quoad effectum; quia adsunt omnia de substantia Sacramenti pœnitentiæ, verbi gratia, materia, forma, intentio & iurisdictio, & quando ponitur Sacramentum quoad substãtiam, & non ponitur obex ad gratiam per peccatum, recipitur effectus Sacramenti pœnitentiæ, qui est gratia & remissio peccatorum. *Quando* autem culpabiliter mortaliter ignorat quis se esse excommunicatum, pœnitentiæ Sacramentum non recipit, quia sic accedendo cum excommunicatione, nouum peccatum committit. *Vgolinus tabul.2.cap.7.§.2. Henriques l.13. cap. 12. numer.2. Nauarr.cap.9. numer.4. Ausla 2.part.c. 6.d.3.dub. 4.* tamen & quidam alij existimant in hoc casu, ignorantiam debere esse affectatam, alioquin si tantùm sit culpabilis mortaliter, putant talem excommunicatum recipere Sacramentum pœnitentiæ informe. *Notandum* tamen hic est, quòd licet excommunicatus etiam toleratus, regulariter loquendo, peccet mortaliter suscipiendo aliquod Sacramentum, aliquando tamé potest excusari ob ignorantiam, vt dictum est, vel necessitatem, vt ob vitandam infamiam, vel scandalum, vel mortis periculum, quod alia ratione; vel probabili excusatione, vitare non potest; quia Ecclesia non obligat cum tanto incommodo, & præceptum naturale præponderat præcepto Ecclesiæ. Ita *Filliuc. c.numer.56. Bonac.d. 2. quæst.2. p. 2. numer. 4. Diana p. 5.tract.9. resolut.82. Præterea* est notandum, non incurri pœnam aliquam generaliter, ex sacramentorum receptione ab excommunicato, quia nulla extat in iure expressa: suscipiens tamen sacros ordines in excommunicatione, incurrit suspensionem. Vt colligitur ex *cap.cum illorum, de sent.excommunicationis* & docent, *Suares c.sect.3.n.6. Filliuc.c.n.54.*

5. Quamuis ex vi censuræ excommunicationis, sacerdos non peccet, administrando sacramenta excommunicato tolerato, seu non vitando: peccat tamen contra ius naturale ac diuinum, cùm eodem iure non sint administranda sacramenta indignè petenti, nisi fortè petens sit peccator occultus, & publicè petat; vel quando petens non peccat petendo, vt si petat ob necessitatem vitandæ infamiæ vel scandali. *Vasques c. dub. 2. num.12. Suares d.10. s.2. num.12. Filliuc.c.num.64.* Quando autem excommunicatus est ex ijs, qui vitandi sunt, iuxta Extrauag. *C. Episcoporum de priuilegijs in 6. Ad euitanda*, ex suo genere, & vi censuræ, peccat mortaliter, qui illi sacramentum aliquod administret, nisi excusetur ob necessitatem, vel aliam iustam causam; quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui de non participando cum excommunicato. Ita *Vgolin. c.cap.7. §.1. Pœna* autem *Cap. significauit. de sententia excommunic.* iure statutæ, contra ministrantem sacramenta excommunicato vitando, sunt, excommunicatio minor, & interdictum ab ingressu Ecclesiæ; & quidem si excommunicatio lata, sit Papæ reseruata, & denunciata, participantes clerici in diuinis cum talibus excommunicatis, incurrunt eamdem excommunicationem. *Nauarr. cap.17. numer.93. Caiet.v. excommunic.cap. 58.*

6. *Tertius effectus* excommunicationis maioris, est priuare illa innodatum, participatione actiua sacramentorum, ita vt prohibitum sit illi ministrare sacramenta cuicumque, sub peccato mortali, quod intelligendum est de excommunicato vitando & non tolerato, & nisi ignorantia probabilis vel naturalis obliuio: *Cap. si celebr. de cler. excommun. ministr.* & inaduertentia tam facti quàm iuris, vel grauis necessitas, tàm propria quàm aliorum, vel euitatio scandali excuset. *Toletus c. 11. lib.1. numer.2. Sayrus lib.2.cap.1. num.2. Filliucius c.numer. 67. & sequ. Syluius c.ar.4. Diana p 5. tract.9.resolut.83. Sacramenta* tamen administrata ab excommunicato vitando, valida sunt, excépto pœnitentiæ Sacramento, quia ad illud validè ministrandum, præter potestatem ordinis, requiritur iurisdictio, qua caret excommunicatus vitandus, extra mortis articulum; vnde confessio facta taliter excommunicato, inualida est, & iteranda, exprimendumque est in confessione, peccatum commissum per communicationem in sacris, cum excommunicato vitando. *Vgolin. tab.1. cap.13.§.16. Coninch d.14.dub.5.num. 34. Henriques lib.13. cap.10.numer.2. Reginald.lib.32. numer.7. Quando* autem sacerdos est toleratus excommunicatus, Sacramentum pœnitentiæ etiam validum est, tùm ex parte iurisdictionis, cuius vsu non priuatur sacerdos toleratus; tùm ex parte pœnitentis petentis, qui non peccat mortaliter petendo, non solùm quando ignorat illum esse excommunicatum, sed etiam quãdo scit; siue excommunicatus sit proprius parochus, siue alius sacerdos, siue adsit necessitas petendi, siue non, siue sacerdos excommunicatus paratus sit & expositus, siue non; quia ad euitanda scandala, scrupulos, & animarum pericula facultatem fecit fidelibus Concil. Constant. communicandi in Sacramentis, & quibuscumque diuinis, cum excommunicatis, suspensis, interdictis vel irregularibus toleratis. *Extrauag. Ad euitanda. Nauarr. cap.9.num.10. Suares d.11. sectio.4. Valentia tomo 4.d.7. quæst.11. punct.3. Sanches de matrimon. lib.7. disput. 9. numer.8.*

7. Extra necessitatem, grauiter peccat petens aut recipiens Sacramenta, ab excommunicato vitando iuxta *D. Thom.4.d. 4. quæst.2. artic.2. quæst.4. Suares d.11. sect.1. numer.18. Filliucius c.numer.75.76. Nauarrus in manu. cap. 22. numer. 4.* quia facit contra prohibitionem & obligationem censuræ in materia graui: quando autem necessitas vrget, non peccat, quia Ecclesia non obligat cum graui incommodo: vnde licet accipere Baptismum, Eucharistiam, Sacramentum pœnitentiæ in articulo mortis, & secundùm quosdam Doctores, etiam extremã vnctionem, quando infirmus est incapax alterius Sacramenti, nam fieri quis potest, ex receptione huius Sacramenti, ex attrito contritus. Non tamen poterit excommunicatus vitandus conferre Eucharistiam ei, qui fuit legitimè absolutus; quia tũc non vrget præceptum naturale subueniendi proximo, cùm iam sit legitimè absolutus, nec præceptum diuinum sumendi Eucharistiam, quia istud non obligat, quando aliàs est legitimum impedimentum conferendi Eucharistiam, qualis est excommunicatio maior, vt bene aduertit. *Hurtado tract.de censuris disp. 4.difficul.2.numer.7.* quidquid in contrarium doceat *Suares.*

8. Quotiescumque excommunicatus non licitè administrat Sacramenta, incurrit irregularitatem; *Cap.ss, cui, de senten.excommun.in 6.* quia cùm hæc irregularitas, sit ex delicto, debet semper supponere peccatum mortale, ideòque ipsam ministrationem peccaminosam, vnde si excusetur à peccato mortali, ob ignorantiam probabilem vel inaduertentiam suæ excommunicationis, vel ob aliã iustam causam, non incurretur etiam irregularitas, sicut si in necessitate sacerdos priuatim absque cæremonijs baptismum ministret, ad illum enim non requiritur ordo. Ita *Vgolinus tab. 1. cap.14. §.1 Nauarr.c.27. num.163. 244. Bonacina c.part.2. §.4. numer.6. Filliucius c.numer.79. 80. Sylu. c.ar.4.*

9. *Quartus effectus* excommunicationis est priuatio diuinorum officiorum & sacrarum rerum; nomine autem *diuinorum officiorum* veniunt. *C. si quis Episcopus 11.quæst.3. Primo* officiũ Missæ. *Secundo*, officium canonicum septem horarum. *Tertiò*, publica processio. *Quarto*, omnis publica oratio, aut benedictio, quæ ex Ecclesiæ vel Christi institutione fit solemniter, & est adiuncta alicui ordini, siue sacro, siue ex minoribus. *Quintò*, solemnis benedictio aquæ, palmarum, candelarum, consecratio chrismatis: sacra autem concio, vel lectio Theologiæ, seu

ſua ſcripturæ, non comprehenduntur ſub nomine officij diuini: vnde excommunicatus ex vi excommunicationis, ſiue ſit tolleratus, ſiue non, peccat mortaliter aſſiſtendo officio Miſſæ, quamuis excuſari poſſit à peccato, ſi occultus ſit, in neceſſitate inſeruiendo Miſſæ ſacerdotis non excommunicati, quando nullus alius adeſt, qui inſeruiat: ex quo patet excommunicatum, non peccare mortaliter, non audiendo Miſſam in die feſto, quamuis per ipſum ſtet ne abſoluatur; quia præceptum Eccleſiæ de Miſſa audienda, cadit ſolùm ſuper eos, qui non ſunt impediti. Vt docet *Nauarrus cap.21. num.3.* Vide *Suarez d.12. ſect.2. Toletus lib.1.cap.11.n.8. Nauarr cap.27. numer. 36. Henriques lib.13.cap.7. numer.2. Coninch d.14. dub.7. n.56. Sylueſter c.ar.4.*

10. Miſſæ officium, excommunicato multis modis eſt prohibitum. *Primò*, non poteſt Miſſa pro illo offerri, vt dictum eſt. *Secundò*, ipſa celebratio tanquam miniſtratio & confectio Sacramenti ipſi prohibita eſt. *Tertiò*, communicatio & participatio eius per externam aſſiſtentiam etiam eſt prohibita. *Quartò*, cooperatio ad illud, largiendo eleemoſynam ſacerdoti ad hunc finem, vel per mandatum, etiam prohibita eſt, quia eſt communicatio quædam. *Quintò*, celebratio eius coram excommunicato vitando, eſt etiam vetita; eſſet enim communicare cum illo in diuinis. *Sextò*, aſſiſtentia cum excommunicato vitando, in eodem officio, prohibita eſt etiam fidelibus nõ excommunicatis. *Filliucius ex. num.89. Suarez diſp.12. Bonacina c.punct.3.§.1.*

11. *Audiens* vel *celebrans* Miſſam in præſentia excommunicati tolerati, non peccat, quia ſecundùm Concil. Conſtant. nullus tenetur excommunicatum toleratum euitare, etiam in diuinis, ex vi excommunicationis. *Sayrus l.2.cap.3. nu.20. Henriques c.num.2. Si verò* excommunicatus vitandus intereſſe velit officio Miſſæ, iuxta *Reginald. l.32. num.71. Suarez c.ſect. 1.num.11. Filliucius c. numer.90. Bonacina c. numer.13. Diana par.5. tract.9.reſol.92. Leyman lib.1.tract.5.p.2 cap.2. numer.6.* & alios admonendus eſt vt exeat; quòd ſi nolit exire, vi expelli poteſt, quamuis clericus ſit, alioquin Miſſa non eſt inchoanda; ſi autem inchoata ſit, non eſt abſoluenda, ſed prætermittẽda, ſi nondum inchoata ſit conſecratio: ſi iam cœpta vel perfecta ſit conſecratio, & aduenerit, vel aduertatur aduenîſſe excommunicatus, qui non poteſt expelli ſine periculo, Miſſa eſt perficienda vſque ad communionem inclusiuè, quia præceptum de perficiendo ſacrificio inchoato, eſt diuinum, quod præualet humano, de vitando excommunicato: in hoc euentu, omnes præter ſacerdotem & miniſtrum, debent exire, & relinquere excommunicatum in Eccleſia, ſi nolit exire: ſacerdos autem completa communione, debet recedere ab altari, & ſe in ſacriſtiam, vel alium locum transferre, vt poſt communionem, & reliquas orationes perſoluat. *Notandum* tamen eſt ex *Suarez c.ſect.2. Vgolinus tab.2. cap.8.§.2.* & alijs, ſi eodem tempore plures Miſſæ in Eccleſia dicantur, poſſunt alij audire alias, præſente excommunicato vni earum, quia ſic non communicant.

12. *Communicatio* prohibita excommunicato, in officio diuino horarum canonicarum, intelligitur de officio ſolemni & publico, non autem de priuato; quia ſecundum communem doctrinam, excommunicatus ſiue ſit religioſus profeſſus, ſiue clericus habens beneficium, vel ordines ſacros, poteſt & tenetur perſoluere horas canonicas, ſicut tenebatur ante excommunicationem, quia par non eſt, vt delinquens commodum reportet ex ſuo delicto *Nauarr.cap.25. num.19. Sayrus l.2.cap. 3. num.3. Reginald. l.32. num.20.* Recitando tamen horas priuatim excommunicatus, non poteſt dicere *Dominus vobiſcum*, quia iuxta vſum Eccleſiæ dici ſolet à ſolis ſacerdotibus, vel diaconis, & ſignificat officium publicum; imò *Suarez, Nauarrus*, & alij citati putant, excommunicatum incurrere irregularitatem, dicẽdo etiam priuatim, *Dominus vobiſcum*, quamuis probabile ſit in recitatione priuata non incurrere; quia ſicut paruitas materiæ excuſat à mortali, ita videtur excuſare ab irregularitate. *Virum* autem excommunicatus poſſit ſibi in recitatione priuata, ſocium adhibere? dicendum eſt quòd non; quia eſt communicatio quædam, ſi non in diuinis, ſaltem in humanis, tamen non videtur eſſe culpa mortalis, quia huiuſmodi participatio videtur eſſe leuis, reſpectu præcepti, cùm fiat priuatim, vnde qui ratione muneris vel ſeruitij, ſolitus erat recitare cum alio, poteſt & eodem modo. Ita Doctores hic citati. *Coninch. d.14.dub.7. Diana p.5.tr.9.reſ.93. Nauarr. de orat.c.7.nu. 16. Suarez d.12.ſect.2. num.13.18. Henriques lib.13. cap.7.nu. 2. Filliucius c.num.92.93. Auila 2.p.c.6. d.8. dub.4. Vgolin.tab.1. c.13.§.14.*

13. Pœna, quæ imponitur à iure, excommunicato, propter communicationem in diuinis officijs, eſt, ſi clericus ſit excommunicatus, & miniſtret ſolemniter in aliquo ordine incurrit irregularitatem: *C. is cui, de ſenten. excommun. in 6.* ſi autem cõmunicet in officijs diuinis more laicorum, incurret tantùm excommunicationem minorem: ob Miſſæ verò auditionem, non incurritur irregularitas ab excommunicato, quia non eſt actio, quæ pendeat ab ordine: tamen ſi ſit auctor, vt coram ſe celebretur, & ſic ſacerdos, incurreret ſecundùm communiorem ſententiam, quia qui auctor eſt, æquiparatur illi, qui ſe ingerit celebrationi Miſſæ. *Nauarr. cap.27 num.163. Conarr.c. Alma mater 1.p.§.6. num.9. Suarez c. ſect.1.n.5.*

14. Excommunicatus *vitandus*, qui nondum abſolutionem obtinuit in vita, aut poſt mortem, quamuis ſigna contritionis dederit, priuatur ſepultura Eccleſiaſtica, quia hæc eſt quædam communicatio in diuinis, quæ fieri poteſt poſt mortem excommunicati cum ſuo corpore; & ſepelientes excommunicatum vitandum in loco ſacro, id eſt, in Eccleſia, vel cœmeterio, vel in alio quocumque loco ad ſepulturam, vel diuina officia peragenda deſtinato authoritate Epiſcopi vel ex conſuetudine: peccant mortaliter, & incurrunt maiorem excommunicationem, à qua nequeunt abſolui, donec ſatis factionem dederint, ad arbitrium Epiſcopi. *Cap. ſacris de ſepult. Toletus l.1. cap.13. num. 6. Nauarr.cap.27. num.23. Henriques lib.11.cap.44. Clement. 1. de ſepult. Diana p.5. tract.9.reſolut.97.* Per eos autem, qui ſepeliunt, in rigore intelligendi videntur tantùm illi, qui proprijs manibus tradunt ſepulturæ; tamen ex conſueto vſu, ſecundùm *Suarez d.12. ſect.4. Filliucius c.numer.111. Bonacina c.part.3.§. 3.* & alios quoſdam, comprehenduntur etiam mandantes, non autem comitantes, & alij qui deferunt crucem, & lumina, vel etiam cantant; nec etiam cooperantes remotè, aut negatiuè. *Diana p.5.tr 9.reſol.98.*

15. *Effectus quinus* excommunicationis, eſt inhabilitas ad beneficia, eorumque fructus. *Cap. poſtulaſtis, de cler. excommu. miniſtr. Suarez d.13. ſect.1. numer.2. Sayrus lib.2.cap.5. num.1. Nauar. cap.27.num.21. Leſſius lib.2.cap.34.d.22. Diana p.5.tra. 9.reſol.99.* vnde excommunicatus ſiue ſit vitandus ſiue tolleratus; durante excommunicatione, eſt incapax & inhabilis ad omnia beneficia Eccleſiaſtica, item ad dignitates & officia Eccleſiaſtica, quæ conceduntur ad tempus, & collatio beneficij facta excommunicato, per electionem, præſentationem, confirmationem, inſtitutionem, reſignationem, commodam, ipſo iure eſt inualida, quamuis inuincibiliter ignoret excommunicatus ſuam excommunicationem, quia etſi ignorantia excuſet à noua culpa, à noua pœna, à noua cenſura, non tamen facit actum validum, qui aliàs erat inualidus. Secundùm tamen communem ſententiam, *Bonacina c.p.4. §.1.num.9. Azor. tomo 2. l.6.cap.7.quæſt.2. Coninch d.14.d.9.nu.74.* & aliorum *acceptatio* beneficij collati ante excõmunicationem, valida eſſet, quia iura ſolùm irritant collationem, & electionem beneficij, non verò acceptationem: ſecus *dicendum*, quando collatio, electio, vel præſentatio facta fuit tempore excommunicationis, & poſt abſolutionem ab excommunicatione, ipſe collationem, præſentationem; aut electionem acceptauit: in hoc enim caſu, beneficium retineri non poteſt, quia titulus electionis & præſentationis fuit inualidus: vtpotè collatus excommunicato, ad illum per excommunicationem facto inhabili. *c. ipſo iure de reſcript. in 6. Præterea* impetratio literarum ad beneficia excommunicato obtenta eſt nulla, & collatio ipſi facta, vigore earumdem literarum irrita eſt; beneficium, datur ſimiliter ei, cui confertur abſolutio à quacumque excommunicatione ad effectum conſequendi illud: exceptis quibuſdam caſibus, ad quos non videtur ſeſe extendere huiuſmodi abſolutio, vt in caſu hæreſeos & alijs contentis in Bulla Cœnæ, & quando quis inſorduit per annum in excommunicatione; quia in generali conceſſione, non veniunt ea, quæ ſuperior non eſſet in ſpecie verisimiliter conceſſurus, ſi ſpecialiter peterentur. *Toletus l.1.cap.13. num.2. Conarr. cap. Alma mater 1.part.§.11. numero 15. Suarez ci.*

16. Secundùm probabiliorem & communiorem *Reginald. l.32. num.45. Filliucius l.12. num.123. Sayrus c.num.15. Suarez d.13. ſect.1. num.9. Henriques l.13.cap.13 num.3. Diana p.5.tra. 9.reſol.103.* Doctorum ſententiam, inualida etiam eſt *collatio* penſionis, facta excommunicato, modò ſit penſio tituli clericalis, non ſæcularis; quia eiuſmodi penſio eſt ex fructibus Eccleſiaſtici

eleſiaſtici beneficij, ac propterea quid Eccleſiaſticum, & ſicut excommunicatus eſt incapax aliorum priuilegiorum, ita videtur eſſe incapax penſionum: tales penſiones ſunt, quæ dantur clericis ob munus aliquod ſpirituale, verbi gratia ob recitationem officij Beatæ Virginis, vel ob coadiutoriam Epiſcopatus, vel parochiatus; imò, quæ dantur propter ſeruitium parentum in militia, vel alia promerita, vel quæ medio modo ſe habent, partim ſcilicet adiunctum munus aliquod ſpirituale habent, & partim ſunt ob cauſam aliquam temporalem: *Nonnulli* tamen Doctores exiſtimant non improbabiliter validam eſſe collationem penſionis factam excommunicato, quia iura irritant collationem beneficij, penſio autè non eſt beneficium; & odia ſunt reſtringenda, non amplianda. *Coninch d.14. dub.9. Aula 2.p.c. 6.d.5. dub.5.*

17. Inualidè prouiſus de beneficio, vel penſione ob excommunicationem, ſi beneficium vel penſionem retinere velit, debet excommunicationis abſolutionem petere, eaque obtenta, curare vt beneficium vel penſio ſibi de nouo conferatur ab eo, ad quem pertinebat beneficij vel penſionis collatio; tum quia prior inſtitutio fuit inualida, & ideò repetenda: Tum quia iura abſolutè irritant talem collationem, actus autem irritus eſt, ac ſi non fuiſſet. *Nauarr. cap.27. num.21. Suares d. 13. ſect.1. Filliucius c.n.128.*

Sed petes an aliquo modo reualidari poſſit hæc collatio beneficij nulliter facta? Reſpon. ex *Sanches de matrim. lib. 8. diſputat.7. num.12. ſpeculator ſit. de diſpenſat. §. nunc de Innocentius cap. innotuit num.2. de elect. Hoſtienſis ibi num.2. Ioan. Andr. num.5. Ancharanus num.2. notab.2.* & aliis, diſpenſationem ſuperuenientem, ſecundùm plures Doctores, confirmare aliquando poſſe actus præcedentes irritos, verb. gratia, inquit, præſentatio alicuius ad beneficium, electio, confirmatio, vel collatio irrita fuerũt; ex defectu aliquo obtinentis beneficium; vt quia erat irregularis, vel inhabilis; ſi hic poſtea irregularitatis illius, vel inhabilitatis occultæ diſpenſationem obtineat, eo ipſo abſque noua præſentatione, collatione, vel electione poteſt licitè retinere beneficium illud: quod verum eſt, ſiue diſpenſans habeat poteſtatem conferendi beneficium; ſiue illa careat: & citat pro hac ſententia *Speculatorem, Innocentium, Hoſtienſem, Ioannem Andream, Ancharanum.* Et hanc ſententiam probabilem & tutam eſſe docent *Leſſius lib.2. cap. 34. dubio 22. numer.119. Coninch diſput.14. dub.9. numer.73. Diana p. 5. tract.9. reſol.101.* cum his tamen limitationibus. *Primo*, vt impedimentum ſit occultum, alioquin actus nullum haberet colorem; ſed eſſet planè irritus in foro externo. *Secundò*, vt id in nullius cedat præiudicium; ſi enim duo electi eſſent, præferendus eſſet, qui caret impedimento, quia hic ſolus habet ius abſolutè. *Tertio*, dummodò beneficiarius ille non acceptauerit ſcienter, cum vitio illo, beneficij collationem, iure enim eſſet intrusus, ac proindè oporteret non tantùm prioris vitij diſpenſationem obtinere, ſed illius quoque intruſionis; cùm tunc, reſpectu illius beneficij ſit duplex impedimentum canonicum: alterum prioris vitij, alterum autem intruſionis; impetrata autem diſpenſatione vtriuſque vitij occulti, rata fiet collatio. Nã electio illa fuit valida, & efficax ex parte eligentium, ſicut & præſentatio & collatio, vt ſupponitur, ſed ſolùm requiritur capacitas in electo, ergo ſimul atque fuerit capax factus, ſublato impedimento ex vi prioris actus, ius acquiret, ſicut cùm quis acceptatio excommunicatione collationem ſibi factam ante excommunicationem, ſublato illo impedimento ius acquirit abſolutum, ex vi illius acceptationis.

18. Quorumdam probabilis ſententia eſt, vt *Sanches de matrimon. lib.3. d.51. Petr. Nauarr. l.2. cap.2. num.238. Vaſques de benefic. cap.4. §.3. dub.4.* beneficiarium non eſſe priuatum fructibus ſuorum beneficiorum, qui poſt illorum conſecutionem, in excommunicationem lapſus eſt, modò oneta & officia beneficiorum exequatur; quia nullo iure probari poteſt beneficiarium incidentem in excommunicationem, ipſo facto priuatum eſſe fructibus beneficii, quia in *cap. Paſtoralis, §. verum, de appellat.* verbum *Subtrahuntur*, non ſignificat priuationem fructuum ipſo facto, ſed potiùs faciendam a iudice; *Suares d. 13. ſect.2. Vgolinus tabul.2. cap.12. Sa verb. beneficium numer.50.* tamen, *Henriques lib.13. cap.13. num.4. Sayrus* apud Vgolinum probabilius eſſe putant, in prædicto capite contineri diſpoſitionem Eccleſiæ & priuationem fructuum ipſo iure. Vide *Dianam tr.9 reſ.104.*

19. Qui ob iniuſtam excommunicationem in ſe latam, cogitur à choro abeſſe, nec poteſt ſuum officium præſtare, poteſt percipere fructus & diſtributiones; quia nullus debet incommodum & damnum pati abſque ſua culpa, & ob iniuſtam alterius actionem; vnde qui fuit iniuſtè excommunicatus, poteſt repetere diſtributiones, quæ tempore cenſuræ fuerant collatæ aliis canonicis aſſiſtentibus choro; quamuis *Filliucius cit. num.133. Vgolinus tabul.2. cap.12. num.4.* afferant iniuſtè excõmunicatum debere repetere diſtributiones ab eo, qui ipſum iniuſtè excommunicauit; quæ omnia intelligenda ſunt poſtquam conſtiterit de iniuſta excommunicatione.

20. Quando per excommunicatum non ſtat, ne abſoluatur, & ne choro interſit, quidam Doctores apud *Sayrus lib.2. cap. 5. numer.27. Sa cit. numer.50. Suares d.13. ſect.2.* putant poſſe percipere diſtributiones, quia talis videtur eſſe legitimè impeditus: ſed probabiliùs dicendum eſt cum *Suares* & aliis nõ poſſe, niſi fortè iniuſtè & per iniuriã abſolutio illi denegetur; quia ſequeretur excommunicatum commodum reportare ex ſua excommunicatione.

21. *Sextus effectus* excommunicationis, eſt priuatio iuriſdictionis Eccleſiaſticæ; ita vt excommunicatus, quamuis toleratus, licitè iuriſdictione ſua vti non poſſit, in fauorem ſuum, & quoad ſe; *cap. Audimus 24. quæſt.1* in fauorem tamen aliorum, ſi ab iis requiſitus ſit, & non ſit vitandus, non eſt priuatus, hinc grauiter peccat excommunicatus, exercendo aliquem actum iuriſdictionis, quia hoc primariò & directè prohibetur, & eſt materia grauis. *Toletus lib.1. cap.13. num.5. Nauarr. cap. 27. à num.17. Suares d.13. ſect.1. Syluius cit. art.4.*

22. Excommunicatus *vitandus*, ſeu non toleratus, ipſo iure eſt priuatus valore iuriſdictionis; ita vt geſta per ipſum ſint inualida, quoties fiunt ex officio, tanquam iuriſdictionis propriæ; *cap. ad probandum, de rer. indic. cap.1. de ſupplenda negl. prælat. in 6.* quia Eccleſia eo ipſo quo non tolerat huiuſmodi excommunicatum, priuat vſu iuriſdictionis propriæ: tamen ille excõmunicatus validè gereret ea, quæ facit abſque vſu propriæ iuriſdictionis; vnde parochus, quamuis excommunicatus vitandus ſit, validè aſſiſtit matrimonio, & alteri ſacerdoti ſimiliter vitando validè concedit licentiam aſſiſtendi, quia actus contrahendi matrimonium non eſt actus iuriſdictionis; ex quo patet, excommunicatum poſſe validè inire contractum venditionis, aut emptionis etiam in ſui commodum, aut teſtamentum, vel profeſſionem facere, quamuis peccet ſine neceſſitate illa faciendo: *E contra* ſuperiorem ſic excommunicatum, non poſſe præcipere, aut leges ferre, vel diſpenſare in votis, vel dare licentiam ad quodlibet munus Eccleſiaſticum exercendum, vel ferre iudicium, vel delegare ſuam iuriſdictionem, vel indulgentias concedere, vel beneficia conferre, vel ad illa eligere, præſentare, &c. quia hi actus ad iuriſdictionem pertinent: *imò* extinguitur iuriſdictio vicarii, principali excommunicato vitando, quia cenſetur vna perſona & vna iuriſdictio, quæ ſi ſublata ſit in principali, etiam tolletur in eius miniſtro. De his plura apud Doctores hic citatos. *Nauarr. cap. 27. num. 36 Filliucius cit. num.145. 146. Bonacina d.2. quæſt.2. p.5. Sayr. cit. cap. 9. Aula 2. part. diſtinct.6. cap.6. dub.6. Sanches de matrimon. lib.3. dub.30. Suares d.14. ſect.1. num.4. Regnaldus libro primo num.47. 48.*

23. *Acta* ab excommunicato tolerato, ratione publici officii valida ſunt, quia Eccleſia permittens communicationem cum eiuſmodi excommunicato, in rebus ſacris, & *in aliis* pertinentibus ad iuriſdictionem; non cenſetur illam auferre; *Cap. infamis §. verum tamen 3. quæſt.7. L. Barbarius ff. de offic. prætor. Conninch. d.14. dub.10. num.89. Filliucius c. numer. 144. Toletus c. num.7. Bonacina c.num.3. & ſequ. Nauarrus cap. 27. num.21.* alioquin non bene conſultum eſſet ſaluti animarum, & plura ſcandala ſequerentur, ſi geſta per excommunicatum toleratum non eſſent valida, quamuis ipſe excommunicatus grauiter peccet, ſe ſponte ingerens in actibus iuriſdictionis, cùm nihil commodi in eius fauorem in Concil. Conſtant. ſancitum ſit: & hoc ius conceſſum ſit, non in fauorem excommunicati, ſed propter publicum Reip. vel Eccleſiæ, & inſuper admittatur exceptio contra excommunicatum, ad elidendum iuriſdictionis actum ab ipſo tempore excommunicationis factum. *Ex hac* doctrina concludendum eſt, ſecundùm communiorem ſententiam, Epiſcopum excommunicatum toleratum, validè poſſe concedere alter, licentiam adminiſtrandi Sacramentum pœnitentiæ; item collationem, electionem, vel præſentationem beneficii, abipſo validam eſſe; multò magis valida eſſet reſignatio beneficii facta ab excommunicato tam vitando quam tolerato, in fauorem tertij, quia reſignatio ex parte excommu-

communicati, non est actus iurisdictionis; licet contrarium asserant *Suares d.* 14. *sect.* 2. *numer.* 35. *Conarr. cap. Alma* 1. *part.* §. 7.

24. Iuxta communiorem sententiam Doctorum, qui obtinuit facultatem ab Episcopo audiendi confessiones, & administrandi Sacramenta, potest ea facultate vti postquam Episcopus fuit denunciatus excommunicatus, quia sicut facultas, vel eius vsus non expirat per mortem concedentis, ita neque cessat per lapsum concedentis in excommunicationem. *Sayrus c. cap.* 6. *num.* 18. *Sotus d.* 18. *q.* 4. *art.* 3.

25. *Septimus effectus* excommunicationis, est ciuilis communicationis priuatio, quæ communicatio, in *tribus* maximè posita est; in *contractibus* nempe, in *testamentis*, & *quotidiano conuictu*: *Cap. nuper de sentent. excomm. D. Thom. d.* 18. *qu.* 4. *art.* 1. *Nauarr. cap.* 27. *numer.* 17. *Diana par.* 5. *tr.* 9. *resol.* 2. *Reginald. l.* 31. *numer.* 92. vnde excommunicatus communicans cum alijs fidelibus, per se loquendo, & communicantes cum ipso, si sit vitandus solummodo ciuiliter, peccant venialiter, non mortaliter, quia materia humanæ communicationis in his rebus ciuilibus, censetur communiter leuis; Quidam tamen Doctores, vt *Suares d.* 15. *num.* 11. *sect.* 2. *Filliucius tract.* 13. *num.* 44. *Coninch. d.* 14. *dub.* 14. etiam secluso scandalo & contemptu, probabilius esse existimant (licet contrarium sit etiam probabile) esse mortale frequenter communicare cum excommunicato vitando; quia licet singuli actus communicationis in ciuilibus, sint materia leuis, multitudo tamen actuum, si sumantur per modum vnius, potest constituere materiam grauem sufficientem ad peccatum mortale.

26. Ex communi Doctorum sententia, excommunicatus vitandus est in quinque casibus, contentis eo versu.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Nomine *oris*, prohibentur confabulatio, allocutio, siue ea fiat per literas, per nutus, per nuncios, siue per alia signa amicitiæ, vt per oscula, amplexus, per acceptationem munerum, &c. Per verbum *orare*, intelligitur participatio in oratione, & suffragijs, sacramentis & officijs diuinis. Per verbum *vale*, prohibetur omnis honorifica salutatio facta verbo, vel scripto, vel signo externo, vt assurgendo excommunicato, dando ei locum, caput aperiendo; salutatio verò facta, secundùm *Suares*, verbis deprecatorijs vel ordinatis ad emendationem excommunicati, & non in ipsius honorem, licita esset & permissa, eò quòd fiat ex iusta causa; quidam tamen dicunt licitum esse resalutare excommunicatum absque verbis, quia nomine salutationis intelliguntur verba, vel literæ; hæc sententia probabilis est, licet contraria sit probabilior. Per *Communionem*, prohibetur societas, quæ fit communicando cum excommunicatis in habitatione, vel exercitio, vel contractu: ex quo fit, licitum non esse, cum excommunicato in eodem lecto dormire, in eadem domo vel parte illius habitare: propterea prohibitum est cooperari excommunicato vitando, seu facere aliquod opus simul cum eo: & insuper prohibetur omnis humanus & ciuilis contractus cum excommunicato, quamuis si fiat, validus sit, tam in ipsius fauorem quàm cum ipso contrahentis: porrò prohibitum est cum excommunicato mortuo communicare, etiam in humanis, ipsum lauando, aut vestiendo. Per *Mensam*, prohibita est participatio in cibo & potu; vnde non licet in eadem mensa cum illo comedere, nec in diuersis mensis, si hæ spectent ad idem conuiuium. Vide *D. Thom. in supplem. 3. par. qu.* 21. *art.* 1. *D. Bonauent. 4. dist.* 18. *in vlt. p. quæst.* 1. *Sayr. l.* 2 *cap.* 13. *Reginal. l.* 32. *cap.* 12. *Syluius in supplem. qu.* 21. *art.* 4. *Toler. l.* 1. *cap.* 11. *Nauarr. cap.* 27. *nu.* 20. *Bonacina c. p.* 6. §. 2. *Suares disp.* 15. *sect.* 1. *Fillmc. tr.* 13. *num.* 82. *& seq. Vgolin. tab.* 2. *cap.* 23. §. 1.

27. In *quinque casibus* iuxta *D. Thom. in* 4. *d.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *qu.* 1. *Suares d.* 15. *sect.* 3. *num.* 9. *Coninch d.* 14. *dub.* 12. *Syluius c. qu.* 23 *art.* 1. *Fillmc. tr.* 13. *num.* 98. *& seq. Reginald. l.* 32 *num.* 98. *& seq.* excusantur fideles à peccato, communicando cum excommunicato; deducuntur autem hi casus ex iure naturali, & iure positiuo explicantur; solentque à Doctoribus huius versiculi dictionibus significari.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Prima causa excusans indicatur per particulam, *vtile*, & intelligitur, vtilitas vera non ficta, tam spiritualis quàm temporalis, propria, vel ipsius excommunicati, ita vt ob hanc vtilitatem possit excommunicatus agere cum alijs, & alij cum ipso sine peccato: vnde sicut licet cum excommunicato communicare pro sua salute, licet quoque pro nostra aut aliena, nempe pro nobis consilium spirituale petendo, imò & pro commodo temporali valde necessario.

Per *legem*, quæ est secunda causa excusans, intelligitur lex matrimonij; hinc licet vxori cohabitare cum viro excommunicato petendo & reddendo debitum, & alias actiones, & obsequia ei exhibendo, quæ sunt adnexa vitæ coniugali: & è contra vxore excommunicata, licet viro cum ea communicare, quia lex matrimonij æquè obligat vtrumque: hoc tamen *priuilegium* non habet locum, si excommunicatio sit lata propter matrimonium ipsum malè celebratum, in hoc enim casu neuter potest cum altero communicare, sicut nec potest in quocumque alio crimine, nam diceretur communicare in crimine criminoso, & sic incideret in maiorem excommunicationem: nec debet extendi hoc priuilegium ad diuina, nec quando vxor petijt diuortium à marito quoad habitationem, in his enim casibus non censetur subiecta viro. Ita *Sanches de matrim. l.* 9. *disput.* 14. *num.* 9. *Bonacina c. num.* 7. *& seq. Diana p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 122. *Vasques de excom. dub.* 9.

Per *humile*, intelliguntur omnes subiecti alteri, siue tanquam filij, siue tanquam serui & ancillæ, siue tamquam famuli vrbani aut rustici, siue tamquam subiecti temporaliter suo Domino, siue tanquam subiecti spiritualiter suo Prælato: *C. Quoniam multos* 11. *qu.* 3. hi omnes possunt obedire suis superioribus, & cum eis communicare, vsuali & ordinaria communicatione; quia superior, siue sit pater, siue Dominus, siue Prælatus, non amittit potestatem per excommunicationem, quam habet in subditos, nec subditus eximitur à subiectione sui superioris per excommunicationem. *Vgolin. tab.* 2. *cap.* 23. §. 7. *Toletus cap.* 11. *num.* 7. Imò prædictæ personæ possunt in diuinis cum dominis, patribus, vel superioribus communicare, præstando ea quæ concernunt subiectionem & ministerium seu famulatum: vnde famulus potest recitare officium cum domino excommunicato, aut cum eo Missam audire, & illi sacrum facienti inseruire; hæc enim videntur ministeria & officia famulatus: non liceret tamen filio, quamuis sit parochus, Sacramenta ministrare patri excommunicato vitando, nec coram eo diuina facere, quia non competit illi hæc communio ratione coniunctionis naturalis, vel subiectionis aut superioritatis. *Suares c. sect.* 5. *numer.* 22. *Sayrus c. cap.* 14. *numer.* 19. *Henriques c. cap.* 22. *numer.* 3. *Diana part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 118. 119. 120. 124. & 125. Est insuper *aduertendum* priuilegium à iure concessum inferioribus communicandi cum superioribus excommunicatis, per relationem se extendere etiam ad superiores, quamuis ipsi sint etiam excommunicati, respectu inferiorum excommunicatorum, nam in correlatiuis dispositum in vno locum etiam habet in altero. *Bonacina c. numer.* 38. *Filliucius c. numer.* 121. *Nauarrus capit.* 27. *numer.* 20. Ab hoc *priuilegio* nihilominus excluduntur vasalli, *C. Nos Sanctorum* 15. *quæst.* 6. hi enim non possunt communicare cum suis Principibus temporalibus excommunicatis vitandis, quia à iure post sententiam criminis declaratoriam, eximuntur hi à iurisdictione subiectionis, cum dominus tunc temporis sit suspensus ab vsu iurisdictionis; quamdiu tamen Princeps non priuatur dominio temporali, non eximuntur vasalli à solutione tributorum, quæ tanquam debita illi debentur. *Reginaldus l.* 32. *numer.* 115. *Vgolinus c.* §. 9.

Per *rem ignoratam*, intelligitur, *quarta causa* excusans: nempe, ignorantia probabilis, seu minimè coniuncta cum negligentia crassa vel affectata, tam iuris quàm facti, à communicando cum excommunicatis: dubitans autem de alterius excommunicatione & denunciatione non debet illum vitare, quia faceret illi iniuriam, cùm in dubio melior sit conditio possidentis: qui dubitat autem de denunciatione, & est certus de excommunicatione, non tenetur illum vitare, potest tamen si velit. Ita *Suares disput.* 15. *sect.* 3. *numer.* 5. *Sanches de matrim. l.* 9. *disput.* 32. *& in sum. l.* 1. *cap.* 10. *numer.* 69. *Filliucius c. numer.* 129. Quid autem dicendum sit de illo, qui dubitat de sua excommunicatione, an debeat abstinere à participatione & consortio aliorum secundùm communiorem sententiam, concludendum est, in dubio iuris, neminem teneri se tanquam excommunicatum gerere, in dubio autem facti censent *Suares c. sect.* 3.

Clauis regia l. 1. cap. 13. num. 23. Azor. 1. par. l. 2. cap. 19. qu. 10. talem reputandum esse excommunicatum, sicuti & suspensũ, interdictum, irregularem: tamen probabilis etiam est sententia *Sanches c. insum. num. 54. Filliucius c. num. 130.* in summa, *Dicastillus*, & aliorum non solùm in dubio iuris, sed etiam in dubio facti, neminem censendum esse excommunicatum, vel suspensum, vel interdictum; nam in criminibus dubijs potiùs fauendum est reo, & in dubio melior est conditio possidentis suam libertatem. *4. part. tract. 3. resol. 35.*

28. *Vltima causa* excusans à participatione cum excommunicato, indicatur per dictionem, *C. Quoniam multos 11. qu. 3. Necesse*: per quam intelligitur necessitas, tam ex parte ipsius excommunicati, quàm ex parte aliorum participantium cum eo, & hæc necessitas potest esse tum spiritualis, tum corporalis, licet non sit extrema; vnde sustentationis causa, vel eleemosynæ licet aliquid dare excommunicato, illumque recipere hospitio, similiter participantes tempore necessitatis suæ spiritualis, possunt adire Doctores, Confessarium, Theologum, Episcopum; in temporalibus autem artifices licitè adeunt medicum, mercatorem & cum ijs communicant, in rebus necessarijs ad vitam, & communes necessitates; sic etiam licitum est in itinere equum ab excommunicato conducere, hospitium petere, & similia: item qui per metum grauem, vel vim cogitur communicare cum excommunicato, excusatur à peccato; censetur enim existere in graui necessitate, nec Ecclesia obligat cum tanto incommodo. *Reginaldus l. 32. num. 124. Henriques l. 13. cap. 23. Vgolin. tab. 2. cap 23. §. 11. Filliucius c. num. 122. Toletus c. cap. 11. num. 7. Bonacina c. num. 62.*

29. *Octauus effectus & vltimus excommunicationis*, est priuatio communicationis in actionibus fori ciuilis; vnde omnis actio pertinens ad forum iudiciale, interdicta est excommunicato vitando, sicut & interdicitur alijs cum ipso communicare in ijsdem actionibus: ex quo sequitur illicitum esse iudici excommunicato, agere in sæculari foro, & si sit vitandus, sententiæ ab eo latæ sunt irritæ, ob priuationem iurisdictionis: *C. decernimus de sentent. excomm. in 6.* An autem excommunicatus validè eligi possit in iudicem vel assumi ad aliam dignitatem temporalem habentem annexam iurisdictionem, *Suarez d. 16. sect. 1. & 2. Filliucius tr. 12. num. 171. Diana par. 5. tract. 9. resol. 109.* cum quibusdam ex recentioribus affirmat probabiliter validè, sed illicitè, eligi & assumi; quia nullus textus irritat ipso facto collationem dignitatis, cui est annexa iurisdictio sæcularis; probabilius tamen videtur *Sayrus l. 2. cap. 6. num. 15. Vgolino tab. 2. cap. 13. §. 3.* & alijs talem electionem fortè irritam, quia electio eius, qui non potest exercere actiones pertinentes ad Ecclesiasticum munus, ad quod eligitur est irrita, ergo etiam hæc, à pari ratione.

Præterea excommunicatus, quamuis toleratus, extrà causam suæ excommunicationis, non potest esse actor, siue per se, siue per alium, in iudicio siue temporali, siue Ecclesiastico: Ideò exceptio hæc excommunicationis, semper in quacumque parte litis admittenda est: si tamen actor agat in iudicio, & non repellatur per excommunicationem, acta sunt valida: Item excommunicatus vitandus licitè non potest ferre testimonium, nisi in causa fidei, in qua potest testari & accusare: item secundùm aliquos in causa matrimonij, quæ est valde fauorabilis: tamen testimonium excommunicati vitandi validum esset in iudicio, & in alijs contractibus; quia nullo iure probatur inualidum esse præsertim accedente consensu iudicis. *Porrò* excommunicatus vitandus illicitè exercet & suscipit officium aduocati vel procuratoris; quia participat cum alijs contra obligationem censuræ, acta tamen illius sunt valida, cum non constet illa iure irritari, donec contra eum fiat exceptio. De his pluta apud Doctores citatos. *Nauarrum cap. 27. num. 23. Henriques l. 13. cap. 7. num. 4. Coninch. d. 14. dub. 11. num. 110. Bonacina c. punct. 7. Cap. final. de sent. & re iud. Filliucius c. num. 187. Suarez c. sect. 7. & 8. Diana par. 5. tract. 9. resol. 110. 111. & seq.*

30. Quilibet excommunicatus etiam toleratus, vel occultus per se loquendo, non potest participare seu communicare cum alijs fidelibus: & quidem si sermo sit de non tolerato, certum est cum teneri ad alios vitandos, tum in diuinis, tum in humanis: Ratio est, quia communicatio eiusmodi est correlatiua, & quod de vno correlatiuorum statuitur, censetur esse statutum etiam de alio. Imò multò maior est illius obligatio, quia propter ipsum alij prohibentur. Toleratus autem vel occultus tenetur etiam ex se vitare alios: in gratiam tamen aliorum, si ij cum ipso agant, potest & ipse vicissim agere quantum postulat aliorum causa. Prior pars probatur ex *Extrauag. Ad euitanda*, quæ declarat in fine non esse suæ intentionis in aliquo suffragari ipsis excommunicatis; consequenter remanent in prohibitione iuris antiqui *Cap. cùm non ab homine, de sentent. excommunicat.* quæ neminem excipiebat, & æquè se extendebat ad denuntiatos & ad occultos. Posterior autem pars patet ex eadem & necessaria ratione: nam cùm illa Extrauagans concedat alijs facultatem communicandi cum toleratis vel occultis, ne hæc sit frustratoria, debet necessaria consequentia inferri, & ipsos requisitos à non excommunicatis, posse vicissim agere in fauorem ipsorum. Ita communiter Doctores.

31. Communicans cum excommunicato denunciato in crimine criminoso, id est, quando cooperatur crimini, vel contumaciæ, propter quam lata est excommunicatio, peccat mortaliter & maiorem incurrit excommunicationem: tum quia agentes & consentientes pari pœna puniri debent: *C. nuper, de sentent. excommun. Cap. si concubinæ, eodem. C. statuimus, de sentent. excommun. in 6.* Tum quia qui participat cum excommunicato in crimine damnato, offendit ipsum qui damnauit tale crimen: quare nil mirum si eadem pœna puniatur. Ad contrahendam tamen huiusmodi excommunicationem requiruntur 1 vt participatio fiat in crimine, postquam criminosus excommunicationem contraxit, idque sciatur abeo, qui communicat; si enim ignoret, non erit contumax, ideo neque incurret censuram 2. vt communicatio sit in crimine ob quod est excommunicatus: vt si est ob furtum, debet communicare in furto: si ob concubinatum, debet communicare in concubinatu, &c. 3. debet esse talis communicatio, vt moraliter per se influat & cooperetur ad crimen alterius, dando auxilium, fauorem aut consilium excommunicato. 4. vt ille cum quo participat sit excommunicatus non solum vitandus, sed debet esse denunciatus: vnde participans cum notorio clerici percussore non incurrit hanc excommunicationem, nisi fortè denunciatus fuerit excommunicatus. Plura de his apud *Alterius disput. 12. l. 1. cap. 9. Nauarrus in man. c. 27. n. 112.*

EXCOMMVNICATIO IV.

De minori excommunicatione.

SVMMARIVM.

1. Quid sit excommunicatio minor? & eius differentia à maiori: & ob quod peccatum ferri possit; à quo tollì queat?

1. EXcommunicatio minor *est Ecclesiastica censura priuans participatione passiua Sacramentorum, & Ecclesiastici beneficij. Cap. si celebrat de cler. excom. ministr.* Est imposita à iure propter communicationem in rebus prohibitis cum excommunicato vitando maiori excommunicatione; *differt* autem excõmunicatio minor à maiori, quia nõ priuat participatione actiua sacramentorum, neque suffragijs communibus, neque communicatione fidelium in humanis & diuinis officijs vt maior; vnde minori excommunicatione ligatus peccat mortaliter Sacramenta recipiendo, sicut ei illa administrans; si tamen ipse alijs Sacramenta ministraret, non peccaret, cùm hæc excommunicatio non priuet actiua participatione sacramentorum: nec incurrit irregularitatem celebrando vel administrando Sacramenta, cùm hæc non sit in iure expressa. *Insuper* excommunicatio minor priuat electione passiua ad beneficium, ita vt excommunicatus minori excommunicatione, non possit eligi vel præsentari ad beneficia, quamuis electio non sit irrita, sed solùm per sententiam irritanda: non priuat tamen excommunicatio minor electione, aut præsentatione actiua, sicut neque priuat actiua sacramentorum participatione. *Toletus l. 1. capit. 17. Henriques l. 13. cap. 3. Reginald. l. 32. tr. 2. sect. 1. 2. & 3. Bonac. qu. 3. Filliucius tr. 13. cap. 1. & 2. Couarr. cap. Alma mater 1. p. §. 8. num. 1.*

Excom-

Excommunicatio minor ferri poteſt & debet ob peccatum externum mortale vel veniale: & quidem per communicationem in diuinis cum excommunicato vitando incurritur hęc excommunicatio, & tunc illa peccatum mortale eſt; per communicationem autem in humanis cum eodem etiam illa incurritur, quamuis peccatum ſit tantùm veniale: vnde hoc tempore in hoc vno ſolùm caſu hæc excommunicatio minor iure contrahitur: vt habetur *in Cap. nuper, de ſentent. Excommunicationis.* Et *cap. ſtatuimus, eodem in 6.*

Demque tollitur minor excommunicatio per abſolutionem ſacerdotis non tantummodò proprii, ſcilicet Epiſcopi vel parochi, ſed etiam cuiuslibet approbati ad audiendas confeſſiones: *C. Nuper de ſent. excomm.* imò probabile eſt ſecundùm *Nauarrum*, & *Toletum* ſuprà, quemlibet Sacerdotem poſſe à minori excommunicatione abſoluere pœnitentem non habentem peccatum mortale; quia habens tantùm peccata venialia, poteſt ſe ſimplici Sacerdoti ſubijcere, & abſolutionem ab eo obtinere, ergo etiam poteſt obtinere abſolutionem minoris excommunicationis, quæ præmittenda eſt abſolutioni venialium. *Nauarr. cap. 27. numer. 25. Vgolinus tab. 3. cap. 4. §. 5. numer. 2. Suares tomo 5. diſputat. 7. ſection. 4. numer. 17. D. Thom. in ſupp. q. 24. ar. 1. Syln. ibi.*

Immò excommunicationem minorem incurſam ob peccatum veniale, etiam poſſe abſolui à ſimplici Sacerdote, quamuis ſic excommunicatus habet peccatum mortale, tenet. *Diana part. 5. tract. 9. reſolut. 3.* cum alijs ab ipſo citatis, cùm ille poſſit abſoluere à peccato, ob quod fuit incurſa. Addit inſuper non eſſe omninò alienum à ratione hanc excommunicationem poſſe tolli à quolibet ſimplici Sacerdote, quamuis ſit incurſa ob peccatum mortale: quia cùm excommunicatio minor non exigat ad ſui incurſionem peccatum mortale, non videtur exigere abſoluentem potentem abſoluere ab eo peccato mortali. Ita ille, qui citat *Hurtad. de excomm. diſp. 16. difficult. 2. n. 10.*

De hac excommunicatione plura apud Sayrum *de cenſ. lib. 2. c. 23.* & alios hic citatos.

EXCOMMVNICATIO V.

De illius abſolutione.

SVMMARIVM.

1. *An per ſolam abſolutionem iure ordinario tollatur excommunicatio maior.*
2. *Quis poſſit iure communi abſoluere ab excommunicatione.*
3. *Quis poſſit abſoluere ab excommunicatione reſeruata à iure.*
4. *An habens priuilegium à Summo Pontifice abſoluendi ab omnibus cenſuris & caſibus reſeruatis, poſſit etiam abſoluere à cenſuris & caſibus Epiſcopo reſeruatis?* refertur duplex ſententia.

   Et an in hac conceſſione veniant excommunicationes bullæ Cœnæ? & an conceſſis caſibus Bullæ Cœnæ veniat etiam hæreſis.
5. *An ab excommunicationibus Papæ reſeruatis poſſit Epiſcopus virtute Concil. Trident. abſoluere?*
6. *An Archiepiſcopus poſſit abſoluere ab excommunicatione vel alijs cenſuris ſubditos Epiſcoporum ſuæ Prouinciæ?*
7. *An quilibet Sacerdos poſſit in articulo mortis abſoluere ab omnibus excommunicationibus etiam reſeruatis: An autem poſſit alius clericus, vel laicus?* refertur duplex ſententia.

1. COmmunis Theologorum & Canoniſtarum doctrina eſt, excommunicationem maiorem, iure ordinario tolli per ſolam abſolutionem, & non per ſolam reſipiſcentiam à contumacia, iure autem extraordinario & de abſoluta Papæ poteſtate, poſſe etiam illam auferri alijs modis, *puta* ſi quem excommunicaret Papa donec talem conditionem impleat, qua impleta ipſo facto ſit liber ab ea; *vel* ſi reuocaret legem, ex cuius vi excommunicatio incurritur, ſi enim ita reuocet, vt velit haberi pro non facta, etiam quoad effectus ſecutos, ex ea etiam tolleretur excommunicatio, quam aliquis incurriſſet. *Suares diſput. 19. ſection. 1. numer. 7. Sylueſt. v. abſolutio 3. Filiuc. tr. 12. num. 230.*

2. Cùm abſolutio ab excommunicatione ſit actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ in fœminis, & laicis, & ſimplicibus Sacerdotibus non eſt, niſi ex priuilegio aliquo, ideò dicendum eſt, hos non poſſe ab excommunicatione abſoluere. *Cap. per tuas & cap. ſacro. de ſententia excommunic.* & *inſuper* addendum ab excommunicatione reſeruata lata ab homine per ſententiam generalem vel particularem, iure communi poſſe abſoluere, vel eum qui illam tulit, vel ſuperiorem eius, vel ſucceſſorem in officio, vel iudicem appellationis, vel ab ipſis delegatum *Bonacin. diſputat. 1. queſt. 3. punct. 1. numer. 1. Toletus libr. primo cap. 16.* Quando autem excommunicatio lata eſt per ſententiam generalem & nemini eſt reſeruata; abſoluere poteſt ab illa, quicumque habet poteſtatem abſoluendi à peccatis mortalibus; quia ſententia generalis in multis æquiualet ſtatuto & canoni: ſed excommunicatio aliaue cenſura canonis, & ſtatuti, iure communi poteſt auferri ab habente poteſtatem abſoluendi à peccatis mortalibus, vtiam dicetur *Sayrus libr. quinto cap. 15. numer. 22. Nauarr. cap. 27. numero 44. Reginaldus lib. 9. num. 12. Diana par. 5. tract. 9. reſolut. 4* & alij. *Suares diſputat. 7. ſect. 2. num. 23. Filiucius tract. 11. num. 302.* tamen & *Vgolinus tabul. 1. cap. quarto* cum *Filiucio* docent probabilius & verius eſſe, in rigore iuris, eum tantum poſſe abſoluere ab hac excommunicatione, qui poteſt ab homine ſpecialiter lata, quia facultas conceſſa in iure abſoluendi à cenſuris non reſeruatis, loquitur tantùm de cenſuris à iure; ergo non debet extendi ad cenſuras ab homine. Sed prima ſententia eſt tenenda.

3. Ab excommunicatione reſeruata à iure iuxta *Suares diſputat. 7. ſection. 3. & 4. Reginaldus lib. 9. num. 12. Filiucius tractat. 11. num. 281. & ſequ. Toletus cit. num. 4. 5. & 6. Nauarr. cap. 27. num. 39. Sayrus lib. 5. cap. 15. num. 22. Diana par. 5. tractat. 9. reſolut. 5. & 6.* & alios ille poteſt abſoluere, qui eam tulit, vel eius ſuperior, vel ſucceſſor in dignitate, vel ab his delegatus; ab excommunicationibus verò iuris nemini reſeruatis, abſoluere poſſunt iure communi quicumque habent poteſtatem abſoluendi à mortalibus, vt patet ex Cap. *Nuper, de ſententia excommunicat.* Quia eò ipſo, quòd ſuperior non reſeruat abſolutionem, cenſetur cuicumque confeſſario concedere facultatem abſoluendi, vt teſtatur communis conſuetudo; tamen in aliquibus diœceſibus iure particulari ſancitum eſt, ne Parochi vel alij Sacerdotes à cenſuris abſoluant, niſi ſpecialem habeant facultatem, & propterea à multis in locis reſeruatur excommunicatio maior, ſiue illa ſit ab homine, ſiue à iure, vt in Diœceſi Atrebatenſi & in quibuſdam alijs.

4. An habens priuilegium à Summo Pontifice abſoluendi ab omnibus cenſuris & caſibus reſeruatis, poſſit etiam abſoluere à cenſuris & caſibus Epiſcopo reſeruatis; alij affirmant, alij negant apud *Suares diſputat. 7. ſect. 5. num. 13. 14. Nauarr. cap. 27. num. 261.* & videre eſt ſupra verb. *cenſura num. 36* Similiter an conceſſa facultate ad abſoluendum ab excommunicationibus Papæ reſeruatis, comprehendantur etiam excommunicationes Bullæ Cœnæ? *Dicendum* eſt quòd non; quia illæ cenſuræ, iuxta vſum & morem Eccleſiæ, habent ſpecialem rationem & grauitatem ac reſeruationem, ratione cuius non cenſentur comprehendi ſub conceſſione generali. *Vgolinus tabul. 1. cap. 10. §. 4. Bonacin. diſputat. 1. queſt. 3. part. 1. numer. 12.* & alij; immò ex hac ratione inferunt quidam Doctores moderni, vt *Nauarr. cit. num. 275. Couarr. cap. Alma part. 1. §. 11. num. 15. Graffius lib. 4. cap. 15. num. 25. Sanches lib. 2. moral. cap. 12. num. 13.* in conceſſione generali omnium excommunicationum bullæ Cœnæ, non intelligi comprehenſam excommunicationem propter peccatum hæreſis; quamuis iidem authores dicant apud *Suares* praxim eſſe in contrarium, & fundatur hæc ſententia vulgari illa regula, quòd beneficium Principis latiſſimè eſt interpretandum, vt dictum eſt ſupra *ver. Caſus reſeruatus n. 35.*

Porrò qui obtinuit facultatem abſoluendi à caſibus Papæ reſeruatis, poteſt abſoluere à cenſuris illi reſeruatis, quia hi caſus reſeruati Summo Pontif. cenſentur ratione cenſuræ, vnde ſublata cenſura, quilibet Sacerdos poteſt à peccatis illis abſoluere; ſecùs dicendum de illo, qui ab Epiſcopo obtinuit facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis, talis enim non poteſt abſoluere à cenſuris, cùm apud Epiſcopum caſus & cen-

fitur ſint diſtinctæ & diuerſæ, & à diuerſis non fit illatio. *Clauius Reg. libr.1. cap.1.num.5. Suares diſputat.7.ſectio.4.numer.12. Sanches citat.cap.11. numer.1. Nauarr. cap. 27. numer. 261.* & alij.

5. Ab Excommunicationibus Papæ reſeruatis virtute *Concil. Trident. ſeſſio.24.cap.6.* poteſt Epiſcopus abſoluere in foro conſcientiæ, per ſe aut per vicarium ad hoc ſpecialiter deputatum; modò delictum, propter quod excommunicatio fuit contracta, ſit occultum, id eſt, non publicum, nec notorium, nec famoſum in ratione delicti, quamuis teſtibus probari poſſit; nec deductum ſit ad forum contentioſum: *Immò* ab excommunicatione publica, & alia quacumque reſeruata Papæ, licitè, & validè abſoluit Epiſcopus, quando excommunicatus laborat longa infirmitate, etiam non periculoſa aut ſenectute, aut alio ſimili impedimento, quod iuxta prudentis viri arbitrium exiſtimetur legitimum, vel quando delinquens eſt fœmina, vel impubes, in his caſibus non præſumitur Summum Pontif. abſolutionem reſeruare cum tanto incommodo: Vide *Henriques lib.6. cap.14. num.1. Sanches de matrimon.lib. 8. diſputat. 34. numer.55. & in ſumm. lib.2. cap.11. num.19. Nauarr. cap.27. num.90. Reginaldus libr.1. num.135. Diana part. 5. tractat.9. reſolut.6. Caſpenſis tomo 2. tractat.25. diſputat.2. ſection.12.* & alios. *Addunt* quidam ab hac excommunicatione publica, Papæ reſeruata poſſe Epiſcopum abſoluere in prædictis euentibus, etiamſi poſſit aditi legatus, vel alius habens priuilegium abſoluendi. Ita *Auila 2.p.c.7.d.1.*

Imò ipſe *Tannerus tomo 4. diſputat.6. queſt.10. dub.6. numer. 122.* docet, ſi excommunicatus excommunicatione Papæ reſeruata, propter legitimum impedimentum Papam aut alium ab eo facultatem habentem adire non poſſit, poteſt abſoluere Epiſcopus; quòd ſi nec Epiſcopum poſſit adire, Parochus; eòque deficiente, quiuis approbatus confeſſarius. Idem dicendum putant de caſibus Epiſcopalibus, quando ad ipſum non patet recurſus, Cœleſtinus *in compend. Theol. moral. tractat. primo cap.23. numer.5.* Diana *part.5. tract. 14. reſolut.58.* Granado 3. *part de ſacramen. controuer.7. tract.10. diſputat.7. num. 12.* quia par interdum videtur ratio quoad caſus Epiſcopales, fieri enim poteſt vt non minus ſit difficilis aditus ad Epiſcopũ, quàm ad Pontificem, & adſit nihilominus neceſſitas communicandi, vel celebrandi.

6. Archiepiſcopus non poteſt abſoluere ab excommunicatione, vel aliis cenſuris ſubditos Epiſcoporum ſuæ Prouinciæ, ſed tantùm ſuæ diœceſis, quia non habet in ipſos iuriſdictionem: *Cap. venerabilibus §. 1. de ſentent. excommunic. in 6.* tamen excipiuntur *aliqui caſus*, in quibus id poteſt, *quando* ſcilicet facta fuit appellatio ad illum, & cognitum fuit de appellatione; *vel* quando Epiſcopus ſuffraganeus malitioſè aut negligenter differt abſolutionem; *vel* quando viſitat diœceſim, in his tribus caſibus à iure, ratione officij, ordinariam habet facultatem ad abſoluendum. Ita *Suares tomo 5. diſputation.7. ſectio. 2. Henriques libro 13. cap.22. Sanches in ſumm.lib.2.cap. 11. num 6.* & alij.

7. Ab excommunicationibus quantumcumque reſeruatis, & aliis cenſuris in articulo mortis poteſt abſoluere quilibet Sacerdos, etiam degradatus, vel excommunicatus, vel irregularis, vel hæreticus, & ſecundùm quorumdam Doctorum ſententiam, etiam in præſentia ſuperioris, vel alterius confeſſarij approbati, cùm *Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. capit. ſeptimo*, aſſerat omnes Sacerdotes poſſe in articulo mortis abſoluere: & vbi ius non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Vide *Diana 4. part. tractat.4. reſolut. 161. 235. & part. prima tractat.5. reſolut.5. & part.5. tract.3. reſolut.57. Emmanuel Sa verb. Abſolutio. numer.3. Rodriques in 1.part. cap.59. concluſ. 3. Crouſers ad cap.7. lib.23. Nauarr. lib.5. conſil. de pœnitent. & rem ſſ. conſil. 22.numer.2. & 3.* & alios. *Laicus* autem vel clericus, qui non eſt Sacerdos, Secundùm *Suares diſputat.7. ſectio. 6. num.3. Reginaldus libr.9. num.9.* non poteſt à cenſuris in articulo mortis abſoluere, quia illis non eſt à iure conceſſum, licet quidam vt *Angelus verb. Abſolutio 3. num.15. Syluester. verb. Abſolutio 1. numer.8. ad finem. Diana par.5. tract.9. reſolut.7.* & alii apud Dianam exiſtiment poſſe: quia probabile eſt, vt etiam docent Auila *de cenſuris 2. parte capit.7. diſputat. 1. dub.3.* & Sanctius *in Select.so. diſput.44. num.7. concedit* tunc poteſtatem laico ad abſoluendum à Summo Pontifice; cum ſciens talem verſari opinionem nõ contradicat, & aliàs ſit maximè vtile illa vti, vt defunctus in loco facto poſſit ſepeliri, & pro eo ſacrificia offerri: vnde hanc ſententiam probabilem reputat etiam Layman *libro primo tract. 5. part.2. cap. 6.n.2.* licet contrariam putet probabiliorem.

Aduerte tamen *Primò*, abſolutum in articulo mortis, ab excommunicatione reſeruata, ab eo, qui alias non poterat, remanere obligatum ad ſe præſentandum legitimo ſuperiori, ſi conualuerit, vt recipiat ipſius mandatum; & confeſſarius ante abſolutionem extorquere debet, ſi fieri poteſt, iuramentum ſeſe, ſublato impedimento non perpetuo, præſentandi coram ſuperiore; immò in grauioribus delictis, vt in delictis Bullæ Cœnæ, præter iuramentum extorquenda eſt cautio pignoratitia, vel fide iuſſoria, quando pœnitens tenebatur ſatisfactionem pecuniariam præſtare; quòd ſi pœnitens non ſe præſentarit quàm commodè potuerit, reincidet in eamdem excommunicationem. Ita *Sanches in ſumma libro ſecundo cap. 13. numer.17. & ſequent. Bonacin. diſput. 1. queſt.3. part.3. numer.11. & ſequent. Coninch diſputat.14. dubio 16. numer.241.* Et decernitur in *cap. eos qui, de ſent. excommun. in 6.*

Aduertit tamen *Petrus Marchantius in tribunal.tomo primo tract.2. tabul.4. queſt.7. concluſ.3.* debere pœnitenti, ſi conualeſcat, ſolùm imponi onus comparendi in cenſuris ad externum ſiue contentioſum forum deductis; cùm obedientia aliqua ob contumaciam in externo foro præſtanda eſt ſuperiori, aut etiam ſatisfactio partis læſæ, ſi læſa ſit: ſed hæc comparitio non pertinet ad reſeruationem, quæ tunc fuiſſet, ſed ad obligationem innatam caſui ob quem cenſura incurſa fuit: ſicut quis poſtea teneretur ad reſtitutionem famæ, vel rei ex caſu conſurgente. Et ita intelligendum prædictum *capit. Eos qui, de ſentent. excommunic. in ſexto*. Notandum præterea eſt, quod abſolutio in articulo mortis à cenſuris reſeruatis virtute Bullæ, vel Iubilæi, non eſſe imponendum hoc onus ſe præſentandi, quia priuilegium hoc dat, aliàs nihil daret. Denique ſententiæ Marchantij adhæret Claudius Millardus apud Dianam *parte quinta tractat.14. reſolution.59.* & hanc doctrinam putat *Cœleſtinus* poſſe tuta conſcientia approbari, quando excommunicatio non eſt notoria, vel deducta ad forum externum, ſed omnino occulta, vel ſcitur tantùm à duobus, vel à tribus. Sed de hac noua ſententia Doctores iudicent. Obſtat enim communis Doctorum hucuſque opinio, quam tamen improbabilem cenſet *Marchantius* ſuprà, eò quòd conſequenter non loquatur ad textum Concilii Trident. *ſeſſion.14. cap.7.* & Eccleſiæ traditionem ibi expreſſam: Quòd ſcilicet *in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuerit, vt nulla eſſet reſeruatio in articulo mortis*. Si enim onus illud comparendi pro cenſuris remaneret, virtus reſeruationis illud operaretur, & tunc reſeruatio cenſeretur remanſiſſe, virtute cuius effectus ille ſequeretur, Ita *Marchantius.*

Aduerte ſecundò cenſuras, à quibus quilibet Sacerdos in articulo mortis poteſt abſoluere ſolas eas eſſe, quæ Sacramentis ab ægro recipiendis, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ obſtant, quales ſunt excommunicatio, interdictum perſonale, ſuſpenſio à Sacramentorum receptione, & Eccleſiaſtica ſepultura; non autem irregularitas, ſuſpenſio ab ordine, officio vel beneficio. *Zambrano de caſibus articul. mortis cap.quarto dub.quarto numer.17. Layman libro quinto tractat. 6. cap.12. numer.13.* Quia licet non ſic reſtringat Tridentinum, at ratio ab ipſo reddita ibi, *Ne hac occaſione aliquis pereat*, apertè deſignat ſic limitandum. Contra *Vgolinum de cenſuris 3. parte capit.2.* docentem, tunc quemlibet Sacerdotem poſſe ab omnibus cenſuris abſoluere, tam iis, quæ impediunt receptionem Sacramentorum, quam iis quæ illam non impediunt. Ratio eſt, quia Concilium dicit (à quibuſuis cenſuris) quæ particula cum ſit generalis & vniuerſalis, nec vllam excipiat, inde eſt vt omnes comprehendat; vbi enim lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus. Et hanc ſententiam nouiſſimè tuetur. *Caſpenſis tomo 2. tract.25. diſput. 2. ſect. 13. num.139.*

Qui moritur excommunicatus poteſt abſolui poſt mortem, ſi ante illam dederit ſigna contritionis ad minus vel intelligatur moraliter deceſſiſſe in gratia: & per illam abſolutionem declaratur poſſe à viuis pro tali mortuo orari nomine totius Eccleſiæ; licet enim in mortuum non feratur cenſura, poteſt tamen in eo manere effectus cenſuræ ab eo cõtractæ dum viueret. In hoc autem caſu tantùm eſt abſoluendus ab eo, qui

poc-

poterit absoluere extra articulum mortis à censura, tunc enim iam non est necessitas articuli mortis: Hæres verò defuncti, vel habens curam animæ illius, tenetur hanc absolutionem post mortem procurare. Si verò defunctus mortuus est in censura occulta, absoluatur occultè si fieri possit; quòd si non possit occultè absolui, omittatur ne infametur, nam probabile est si decessit in gratia & bona fide, non esse intentionem Ecclesiæ, vtpotè piæ matris, hunc priuare suffragiis factis nomine ipsius. Ita *Alteri. de censur. libr. 4. disputat. 1 cap. 1.* post Glossam *in cap. A nobis, de sentent. excommunication. vers. Non potuerit.*

De absolutione ab excommunicatione plura verb. *Absolutio, v. censura.*

EXCOMMVNICATIO VI.

De excommunicationibus in particulari; & primò de reseruatis Papæ in bulla Cœnæ Domini.

SVMMARIVM.

CONTRA

1. *Hæreticos, Apostatas à fide, credentes, receptores, fautores, defensores hæreticorum, legentes eorum libros de religione tractantes, retinentes, imprimentes, defendentes. Item contra schismaticos.*
2. *Appellantes ad futurum Concilium ab ordinationibus, sententijs summi Pontificis, & ad hoc dantes consilium.*
3. *Pyratas, cursarios & latrunculos maritimos discurrentes mare Ecclesiæ.*
4. *Surripientes Christianorum naufragantium bona.*
5. *Imponentes vel augentes in terris suis noua pedagia seu gabellas.*
6. *Falsarios litterarum Apostolicarum.*
7. *Deferentes seu transmittentes ad Saracenos, Turcas vel hæreticos, arma, equos, ferrum, filum ferri, &c.*
8. *Impedientes deferri victualia ad vsum Romanæ curiæ necessaria.*
9. *Vexantes in Curia morantes, aut venientes ad eam, vel ab ea recedentes: Item contra sibi falsò vendicantes iurisdictionem ordinariam vel delegatam à Papa, vel ipsius iudicibus.*
10. *Vexantes Romipetas, seu peregrinos, in Vrbe morantes, vel ab ea recedentes.*
11. *Offendentes sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & alios Prælatos.*
12. *Offendentes recurrentes ad Curiam Romanam pro suis negotijs.*
13. *Appellantes à grauamine, vel futura executione literarum Apostolicarum ad potestatem Lateranam.*
14. *Officiales & alios, qui causas Ecclesiasticas auocant à iudicibus Apostolicis.*
15. *Iudices seculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua tribunalia trahunt.*
16. *Impedientes Prælatos, ne iurisdictione sua Ecclesiastica vtantur.*
17. *Vsurpantes iurisdictiones Sedis Apostolicæ & aliarum Ecclesiarum, fructusque sequestrantes.*
18. *Imponentes decimas, collectas, & alia onera personis Ecclesiasticis.*
19. *Iudices seculares & alios ministros, qui se in causis capitalibus Clericorum interponunt.*
20. *Occupantes bona, aut terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam iurisdictionem in illis vsurpantes.*
21. *Durat hæc bulla donec alia publicetur.*
22. *Excommunicationes huius bullæ sunt reseruatæ summo Pontifici, præterquam in mortis articulo.*
23. *Reuocantur priuilegia concedentia illarum absolutionem.*
24. *Excommunicentur, qui absoluunt ab his excommunicationibus bullæ.*
25. *Quotannis hæc bulla semel in parochialibus Ecclesijs publicari debet.*
    Confessarij omnes debent penes se habere transumptum literarum huius bullæ.
26. *An per hanc bullam reuocentur priuilegia regularium.* Refertur duplex sententia.

1. EXcommunicantur per bullam Cœnæ Domini, *Primò*, Hæretici cuiuscumque sectæ, & Apostatæ à fide, credentes hæreticorum, receptatores, fautores, defensores quilibet eorum, legentes libros eorum sine licentia Papæ, continentes hæreses, vel de religione tractantes; immò retinentes, imprimentes, defendentes, quomodolibet, ex quauis causa, publicè vel occultè quouis ingenio vel colore. *Item* quicumque schismatici, & subtrahentes se, vel recedentes ab obedientia Romani Pontificis pro tempore existentis. *Fillucius tract. 16. Toletus lib. 1 à cap. 19. ad 30. Larichius in suo Thesaur. verb. Excommunicat. num. 22. Sayrus de censur. libro 3. cap 1. & seq. Nauarrus in Manual. cap. 27. à num. 56. ad 74. Syluester verb. Excommunicat. 6. 7. 8. & 9. Emmanuel Sá verb. de excommunicatorum bull. Suares de cens. disp. 21. Reginaldus l. 9. cap. 13. & sequ.*

2. *Secundò*, excommunicantur appellantes ad futurum Cõcilium ab ordinationibus, sententijs, seu mandatis Summi Põtificis, dantes ad hoc consilium, vel auxilium, fauorem; vniuersitates verò, collegia & Capitula appellantia, &c. Ecclesiastico subijciuntur interdicto.

3. *Tertiò*, excommunicatio lata est, cõtra omnes Pyratas, cursarios & latrunculos maritimos discurrentes mare Ecclesiæ, præcipuè à monte Argentario, vsque ad Tarracinam, & contra eorumdem fautores, receptatores, & defensores.

4. *Quartò*, fertur excommunicatio contra eos, qui surripiunt Christianorum naufragantium bona, siue in nauibus existentia, siue ex eisdem iecta, siue in littore inuenta, cuiuscumque generis bona sint, & in quocumque mari; *contra* hanc excommunicationem nec priuilegium, nec consuetudo, aliaue etiam longissimi & immemorabilis temporis possessio, aliusve prætextus aliquid operatur, quò minùs talia bona surripientes eam contrahant.

5. *Quintò*, excommunicantur qui in terris suis noua pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi à iure seu ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

6. *Sextò*, excommunicantur omnes falsarij literarum Apostolicarum, etiam in forma Breuis ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum Pontificem, aut per Vicecancellarium aut per eorum locum-gerentes, aut de mandato Romani Pontificis signatarum. Nec non falsò fabricantes literas Apostolicas etiam in forma Breuis, etiamque falsò signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis seu Vicecancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

7. *Septimò*, excommunicantur omnes illi, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes & inimicos, vel hæreticos per Apostolicam Sedem expressè, & nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, ligamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacumque materia, & ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus Christianos, & Catholicos impugnant; nec non illi, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipubl. concernentibus, in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas & Christianæ religionis inimicos, nec non hæreticos certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel fauorem quomodolibet præstant; non obstantibus quibuscumque priuilegijs, quibusuis personis, Principibus, Rebuspublicis, per Sedem Apostolicam hactenus concessis, de huiusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

8. *Octauò* excommunicantur omnes impedientes, seu inuadentes eos, qui victualia, seu alia ad vsum Roman. Curiæ necessaria adducunt, vt etiam illi, qui ne[illegible] Roman. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendũt per se, vel alios, cuiuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis & status, etiamsi Pontificali seu Regali, aut alia quauis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

9. *Nono*, excommunicantur omnes illi, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua vel aliorũ opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, nec non illi omnes, qui iurisdictionem ordinariam vel delegatam à Papa, vel ipsius iudicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

10. *Decimo*, excommunicantur omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad Vrbem causa deuotionis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel fauorem.

11. *Vndecimo*, excommunicantur omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos a suis diœcesibus, territorijs seu dominijs eijcientes; nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium, vel fauorem.

12. *Duodecimo*, excommunicantur omnes illi, qui per se vel per alios personas Ecclesiasticas quascumque vel seculares ad Romanam curiam super eorum causis & negotijs recurrentes, ad illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes negotiorumque gestores, Aduocatos, procuratores & agentes, seu etiam Auditores vel iudices super dictis causis, vel negotijs deputatos occasione causarum vel negotiorum huiusmodi, occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se vel per alios directè vel indirectè, delicta huiusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, cõsilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque præeminentiæ & dignitatis fuerint.

13. *Decimotertio*, excommunicantur omnes, qui prætextes friuolam quamdam appellationem à grauamine vel futura executione literarum Apost. etiam in forma breuis, tam gratiã, quam iustitiam concernentium; nec non citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum executorialium, & aliorum decretorum à Sede Apostolica, seu legatis, Nuncijs, Præsidentibus Palatij Apostol. & Camer. Apost. Auditoribus, Commissarijs, aliisque iudicibus, & delegatis Apost. emanatorum, & quæ pro tempore emanauerint: aut alias ad curias seculares & laicam potestatem recurrunt, & ea instante etiam Fisci procuratore vel Aduocato, appellationes huiusmodi admitti, ac literas, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi & retineri faciunt; quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito & consensu, vel examine executioni mandari, aut ne tabelliones & Notarii super huiusmodi litterarum & processuum executione, instrumẽta vel acta conficere, aut confecta parti cuius interest, tradere debeant, impediunt vel prohibent; ac etiam partes seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares, notorios executores, & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorũ prædictorum, capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent; ex ciuitatibus, locis & regnis eiiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt & comminantur per se vel alium, seu alios publicè vel occultè, quive aliàs quibuscumque personis in genere vel in specie, ne pro quibusuis eorum negotijs prosequendis, seu gratijs, vel litteris impetrandis, ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta sede impetrent, seu impetratis vtantur directè, vel indirectè prohibere, statuere seu mandare vel eas apud se aut notarios seu tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumant.

14. *Decimoquarto*, excommunicantur omnes & singuli, qui per se, vel alios auctoritate propria ac de facto, quarumcumque exemptionum vel aliarum gratiarum & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac aliàs causas spirituales & spiritualibus annexas, ab Auditoribus & Commissarijs Apost. Sedis, aliisque iudicibus Ecclesiasticis auocant, illorumve cursum & audientiam, ac personas, capitula, conuentus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt; quive partes actrices, quæ illas committi fecerint & faciunt ad reuocandum & reuocari faciendum citationes vel inhibitiones aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis, absolui per statutum vel alias compellunt: vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium processuum ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum ad illa fauorem, consilium aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu & donec ipsi ad Summ. Pontif. informandum, vt dicunt, supplicauerint aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram Sede Apostolic. legitimè prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint præsidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarij vel extraordinarij quorumcumque Principum sæcularium, etiam Imperiali, regali, ducali vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarij fuerint.

15. *Decimoquinto*, excommunicantur qui vel ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas Ecclesiasticas, capitula, conuentus, collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium vel parlamentum, præter iuris canonici dispositionem trahunt: vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quouis quæsito colore: nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quæuis alia decreta in genere vel in specie, ex quauis causa & quouis quæsito colore, ac etiam prætextu cuiuslibet consuetudinis aut priuilegij, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinauerint, & publicauerint, vel factis & ordinatis vsi fuerint, vnde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo ledítur, vel deprimitur, aut aliàs quouis modo restringitur, seu Papæ & Sedis Apostol. ac quorumcumque Ecclesiarum iuribus, quomodolibet directè vel indirectè, tacitè vel expressè præiudicatur.

16. *Decimosexto*, nec non qui Archiepiscopus, Episcopos, alioſque superiores, & inferiores prælatos & omnes alios quoscumque iudices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè carcerando, vel molestando, eorum agentes, procuratores, familiares, nec non consanguineos & affines, aut aliàs impediunt, quò minùs sua iurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque vtantur, secundùm quod Canones & sacræ constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini statuunt; ac etiam illi, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab ipsis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici iudicium eludentes, ad cancellarias, & alias curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, Ordinariis aut delegatis prædictis decerni & contra illos exequi procurant, illi quoque qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium & fauorem in eisdem.

17. *Decimoseptimo*, excommunicantur, qui iurisdictiones seu fructus, redditus & prouentus Papam, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes vsurpant, vel etiam quauis occasione vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatẽ habentium expressa licentia, sequestrãt.

18. *Decimooctauo*, excommunicantur qui collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera cleticis, Prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum Ecclesiarum, monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & prouentibus huiusmodi absque simili Roman. Pont. speciali & expressa licentia imponunt, & diuersis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel fauorem præstare non verentur, cuiuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentates quicumque, etiam Regnis, Prouinciis, Ciuitatibus, & terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quauis etiam Pontificali dignitate, insigniti. Et innouantur decreta super his per Sacros canones tam in Lateranensi nouissimè celebrato, quàm aliis conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

19. *De-*

19. *Decimonono*, Excommunicantur omnes & quicumque Magiſtratus & Iudices, Notarij, Scribæ, Executores, Subexecutores, quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas eccleſiaſticas, illas proceſſando, banniendo, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica & expreſſa Sanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia, quique eiuſmodi licentiam ad perſonas & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes fuerint Conſiliarij, Senatores, Præſidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.

20. *Porrò* excommunicantur & anathematizantur omnes illi, qui per ſe ſeu alios directè, vel indirectè ſub quocumque ſæculo vel colore inuadere, deſtruere, occupare, detinere præſumpſerint in totum vel in partem Alma Vrbem, Regnum Siciliæ, Inſulas Sardiniæ & Corſicæ, Terras citra Pharum Patrimonium beati Thuſcia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venayſſinum, Sabinenſem, Marchiæ Anconitanæ, Maſſæ, Trebariæ, Romandiolæ Campaniæ, & Maritimas Prouincias, illarumque terras & loca, ac terras ſpecialis commiſſionis Arnulforum, Ciuitateſque noſtras Bononiam, Cœſenam, Arimimum, Beneuentum, Perulium, Auenionem, Ciuitatem Caſtelli, Iudertum, Ferrariam, Comaclum & alias ciuitates, terras & loca, vel iura ad ipſam Romanam Eccleſiam pertinentia, dictæque Romanæ Eccleſiæ mediatè vel immediatè ſubiecta; nec non ſupremam iuriſdictionem in illis Papæ & eidem Romanæ Eccleſiæ competentem de facto vſurpare, perturbare, retinere & vexare varijs modis præſumunt, nec non adhærentes, fautores & defenſores eorum, ſeu illis auxilium, conſilium vel fauorem quomodolibet præſtantes.

21. In fine verborum ſiue excommunicationum huius Bullæ *primò* addit Summ. Pont. eam durare debere donec alia publicetur à Romano Pontifice, vnde vacante ſede non expirat.

22. *Secundò* reſeruat ſibi ſoli abſolutionem harum excommunicationum, præterquam in mortis articulo, quam nec tunc dari præcipit, niſi peccator reus ſe offerat ad ſatisfactionem ſufficientem parti læſæ, aut præſtita cautione de ſtando mandatis Romanis Pontificis.

23. *Tertiò* reuocat omnia priuilegia, per quæ abſolutio extra mortis articulum, poterat ab alio quàm à Romano Pontifice exhiberi; reuocat etiam tales facultates etiam datas à Concilijs generalibus.

24. *Quartò* decernit excommunicatos eſſe, qui aliquem abſoluerint ab aliqua excommunicatione hic reſeruata, aliaſque graues pœnas eiſdem minatur; ſed ad incurrendum hanc excommunicationem, requiritur præſumptio, vnde excuſaretur qui ex obliuione, incogitantia, ignorantiaque non craſſa talem abſolueret: hæc autem excommunicatio non eſt reſeruata Sum. Pont. ſed Ordinarius poteſt ab ea abſoluere.

25. *Quintò* mandat Summus Pontifex vt omnes Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi, alijque Prælati Eccleſiaſtici curent hanc bullam quotannis minimùm ſemel in omnibus Eccleſijs Parochialibus publicè prælegi populo. *Deinde* vt eidem & omnes Parochi, omneſque confeſſarij, hanc bullam apud ſe ſinguli deſcriptam habeant, frequenter legant; & diligenter examinent. Ita ſe habent literæ proceſſus S.D.N. *Vrbani Papæ Octaui* lectæ die Cœnæ Domini. Anno 1626. quarum explicationes videri poſſunt apud prænotatos Doctores, quas breuitatis gratia omittimus.

26. An autem per hanc bullam priuilegia Mendicantium reuocentur, alij affirmant, alij negant apud Dianam de dub. reg. reſol. 10. Vide etiam Suares *de relig. tom. 4. tract. 1. lib. 2. cap.* 21. Portel v. *Abbas num.* 10. & me-ipſum v. *Abbas num.* 8. §. 5. Vide præterea *de* his excommunicationibus v. *Schiſma* num. 5. *Hæreſis*, *Caſus reſeruatus* num. 12. 32. 33. 34. & ſequentibus.

EXCOMMVNICATIO VII.

Excommunicatione Papæ reſeruatæ extra bullam Cœnæ Domini.

Contra Omnes.

1. PErcuſſores clericorum. *C. Si quis ſuadente 17. q. 4.*

2. Perſeuerantes per annum in excommunicatione lata à delegato Papæ. *C. Quærenti, de offic. deleg.*

3. Falſarios litterarum Pontificalium. *C. ad falſariorum, de crimine fal.*

4. Habentes literas Apoſtolicas falſas & eas non deſtruentes intra viginti dies. *Cap. Dura, de crimine falſi.*

5. Incendiarios, ab homine excommunicatos & denunciatos. *C. tua nos ſententia excommun.*

6. Sacrilegos effringentes eccleſias. *C. Conqueſti eod. 6.*

7. Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa. *Cap. Nuper, eodem.*

8. Eligentes potentia inſignem in ſenatorem Romanum. *C. fundamenta de electione in 6.*

9. Vexantes eos qui cenſuram in aliquos tulerunt. *C. quicumque, de ſententia excommunicat. in 6.*

10. Abſolutos ab excommunicatione Papali ſub conditione & non implentes. *C. eos qui, de ſententia excomm. in 6.*

11. Offendentes Cardinales. *C. felic. de pœnis in 6.*

12. Exigentes tributa à perſonis eccleſiaſticis. *C. clericis de immunitate eccleſiarum in 6.*

13. Violantes interdictum modis prohibitis in Clem. *grauis, de ſententia excommunic.*

14. Falſificantes monetam Regis Franciæ. *Extr. prodiens, de crimine.*

15. Exenterantes corpora defunctorum. *Extrau. 1. de ſepult.*

16. Violantes interdictum Sedis Apoſtolicæ. *extr. etſi de pœn. & remiſſ.*

17. Conſpirantes in perſonam Romani Pontificis. *Extr. eod.*

18. Dantes & recipientes ob ingreſſum religionis. *Extrau. 1. de ſimonia.*

19. Simoniacos in ordine & beneficio. *Extrau. 2. de ſimonia.*

20. Taxantes opiniones de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. *Extrau. graue nimis de vener. ſanctor.*

21. Dantes & recipientes pro gratia, aut iuſtitia apud Sedem Apoſtolicam. *Greg. 13. Ab ipſo Pontific. 24.*

22. Offendentes Magiſtratus Prouinciæ Marchiæ Anconitanæ. *Extr. dierum de pœnis,*

23. Dantes nunciantibus prouiſiones beneficiorum vacantium in curia. *Greg. 13. ſolicitè 4.*

24. Occupantes bona Cardinalium in Conclaui exiſtentium. *Concil. Conſtant. ſeſſ. 41. decret. omnis ætas.*

25. Fingentes ſe nepotes Cardinalium, vt expediant litteras Apoſtolicas. *Leo 10. Inhærendo. 27.*

26. Impedientes executionem literarum S. Pœnitentiariæ. *Iulius 3. Rationi congruit 1.*

27. Supponentes ſe in examine vt beneficia impetrent pro alio. *Paul. 4. Inter cæter. 12.*

28. Ambientes Papatum, eiuſque cauſa ſimoniam committentes. *Paul. 4. Cum ſecundum Apoſt. 16.*

29. Com-

29. Committentes duellum, conſulentes, concedentes locum, actantes, &c. *Pius 4. Ea qua 21.*

30. Deferentes alumina ex partibus infidelium, ad fideles. *Pius 4. Ex Apoſtolicæ 43.*

31. Mittentes literas aut nuncium in conclaue, & qui receperint. *Idem. In Eligendis 63.*

32. Occupantes bona Montium pietati & locorum piorum. *Conc. Trident. ſeſſ. 22. c. 11.*

33. Fœminas ingredientes monaſteria regularium prætextu Apoſtolicæ facultatis: imò ſine prætextu. *Pius V. Regular. 20.*

34. Suadentes Papæ vt infeudet loca Eccleſiæ Romanæ. *Idem. Admonet nos 35.*

35. Capientes Chriſtianos habitantes inter Turcas, in ſeruos. *Idem licet omnibus 149.*

36. Committentes ſimoniam confidentialem in beneficijs. *Idem Intolerabilis. 85.*

37. Non reuelantes Papæ vel Ordinario conſpiratores contra Cardinales. *Idem. Infœlicis 93.*

38. Contra proponentes populo indicem caſuum & gratiarum cum indulgentijs. *Idem. Quam plenum 99.*

39. Accipientes fructus primi, vel ſecundi anni beneficij vacantis. *Idem. Durum nimis 104.*

40. Impugnantes inſtitutum Societatis Ieſu, eiuſque ſtitutiones. *Gregor. 13. Aſcendente Domin. 80.*

41. Facientes iurare illicita & contraria libertati Eccleſiaſticæ, aut decretis Trident. *Idem. Inter Apoſtol. 93.*

42. Diripientes animalia & alia bona in eccleſiaſtico ſtatu, & illa ementes, & permutantes, & recipientes. *Idem. Non ſine graui 98.*

43. Violantes eccleſiæ immunitatem. *Greg. 14. Cùm alias 7.*

44. Docentes licere per literas, ſeu interruncium, confeſſario abſente peccata Sacramentaliter fateri. *Clemens 8. 20. Ieunij anni 1602.*

45. Extrahentes frumentum, bladium, legumina, animalia, &c. ex ſtatu eccleſiaſtico, & locis immediatis. *Paulus 5. inter grauiſſimas 12.*

Contra Clericos.

46. PArticipantes cum excommunicato à Papa, admittentes eum ſcilicet, ad diuina. *C. ſignificauit, de ſententia excom.*

47. Inducentes ad iurandum de eligenda apud eos ſepultura, vel electa non mutanda. *Clement. Cupientes, §. ſanè, de pœnis.*

48. Procurantes fraudulenter alienationes Eccleſiarum in earum detrimentum. *Paul. 2. Cum in omnib. 2.*

49. Procurantes poſt mortem vnius Pontificis eligi in ſucceſſorem eius. *Leo X. in Conc. Later. ſeſſ. 5.*

50. Prædicatores qui non ſeruarint decreta pro eis in Concil. Lateran. ſub Leone X. *ibidem ſeſſ. 11.*

51. Parochos, qui non adimplent iuramenta de reſidendo certo tempore in ſuis parochijs. *Pius 4. inter multiplices.*

52. Accipientes vel retinentes apertè vel occultè beneficia quæcumque in confidentiam. *Pius 4. Romanum Pontificem 85.*

53. Abſoluentes à caſibus bullæ cœnæ, vel Papalibus, vel à reſeruatis Ordinariorum prætextu priuilegiorum. *Extr. Etſi Dominici 2. de pœn. & remiſſ. & Clemens 8. 9. Ianuar. 1601.*

Contra regulares.

54. ADminiſtrantes Sacramentum Extremæ vnctionis, Euchariſtiæ aut matrimonia ſolemnizantes abſque licentia parochorum. *Clement. 1. de priuil.*

55. Euntes vltra mare ſine licentia ſuperiorum. *Extrau. Ad noſtrum de reg.*

56. Mendicantes tranſeuntes ad non mendicantes excepto ordine Carthuſienſium ſine licentia Papæ. *Extrau. viam ambitioſ. de reg.*

57. Detinentes apoſtatas Dominicanos. *Bonifac. apud D. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 70.*

58. Moniales exeuntes de clauſura abſque licentia concedenda tantum ex certis cauſis. *Pius 5. Decori. 8.*

59. Superiores regularium non denuntiantes ſuos qui ſollicitant mulieres in confeſſione. *Paulus 5. anno 1606.*

60. Minores recipientes fratres ordinis Prædicatorum ſine licentia Papæ. *D. Antonin. 3. p. tit. 24. c. 70.*

61. Minores de obſeruantia ſubornantes in electionibus, vel procurantes fauorem extra ad officium obtinendum in religione. *Pius 5. Paſtoralis 128.*

62. Clauſtrales recipientes Minimos ſine licentia Papæ. *Iulius 2. Virtute conſpicuos.*

63. Tertiarios Eremitas &c. portantes habitum Minimorum. *Leo 10. Licet aliàs.*

64. Minimos ſubtrahentes ſe ab obſeruantia Correctorum. *Paulus 5. Cùm ſicut.*

65. Minores tempore interdicti admittentes fratres tertij ordinis ad diuina. *Clement. Cum ex eo, de ſententia excommun.*

66. Recipientes aliquem è Societate Ieſu exceptis Carthuſianis ſine licentia ſui ſuperioris, & contra ipſos de ſocietate ingredientes religionem aliam à Carthuſia: & contra dantes auxilium. *Pius 5. Æquum reputauimus.*

Contra perſonas publicas.

67. EPiſcopos, alioſque ordinarios qui vexant per cenſuras eos, qui pro ſuis negotijs, vel pro ſeruitio Papæ & curiæ, Romæ commorantur. *Extrau. 3. de priuileg.*

68. Cardinales non ſeruantes ſtatuta à Iulio II. vt, ſcilicet, ſine ſimonia eligatur Papa. *Iulius 2. Cum tam diuino 3.*

69. Cardinales reuelantes geſta in ſecreto conſiſtorio præcepta ſub ſilentio ſeruari. *Leo 10. Superna 7. §. pro reuerentia.*

70. Epiſcopos, qui in ſuſpenſione conferunt beneficia. *Pius 5. Quanta 58.*

71. Cardinales ambientes Papatum, eiuſque cauſa ſimoniam committentes. *Paulus 4. Cum ſecundum 16.*

72. Cardinales ſimoniacos in ordine & beneficio. *Pius 5. Intolerab. 85.*

73. Prælatos, qui perſonam Eccleſiaſticam, collegium vel conuentum, traxerint ad forum laicale, pro cauſis quæ ſpectant ad forum Eccleſiaſticum. *Martinus 5. Ad reprimendas 10.*

74. Dominos temporales cogentes aliquem tempore interdicti. *Clement. Grauis, de ſententia excommun.*

75. Prohibentes ſubditis ne quidpiam vendant eccleſiaſticis, neque ab eis emant. *C. fin. de immunit. Eccleſ. in 6.*

76. Ban-

76. Bannientes regulares aut proſcribentes perſonas Eccleſiaſticas. *Vrbanus 6. Quia ſicut 3.*

77. Concedentes vel permittentes duellum in terris ſuis. *Concil. Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. Clemens 8. Illius vices 11.*

78. Inquiſitores inferiores Epiſcopis, malè procedentes contra hæreticos. *Clement. Multorum §. verum, de hæret.*

79. Officiales non reddentes integrè computa Cameræ Apoſtolicæ. *Paulus 3. Cum ſicut. 40.*

80. Officiales ſacræ pœnitentiariæ expedientes aut concedentes ſibi interdicta. *Pius 5. in omnibus rebus, 83. §. omnes verò.*

81. Officiales quoſcumque Papæ, (præter Cardinales) accipientes munera præter comeſtibilia biduo conſumptibilia, dantes & recipientes. *Paulus 3. Munera 3.*

82. Legatos & gubernatores facientes, vel defendentes bannitos & homicidas. Item contra Dominos Eccleſiæ ſubiectos, qui eos reciperent in terris ſuis. *Pius 5. Ex ſuperna 10.*

Excommunicationes omiſſæ in prioribus editionibus.

83. CArdinales non ſeruantes formam, in eligendo Pontifice præſcriptam, aut præſumentes aliquid facere vel attentare contra ipſam bullam. *Greg. 15. in bulla Æterni patris 13.*

84. Fratres Minores de Obſeruantia appellantes ad ſæcularia tribunalia, contemptis Superioribus ſuis. *Greg. XIII. Quoniam 27.*

85. Eccleſiaſticas perſonas receptantes Bannitos in Regno Neapolitano, vel eis fauorem præſtantes. *Sixtus V. Hoc noſtri 6.*

86. Officiales Cameræ in contractibus Cameræ quomodolibet participantes. *Paulus III. Alias felicis 18.*

87. Facientes ſponſiones ſuper vita, morte, & futura electione Summi Pontificis, aut ſuper promotionibus Cardinalium. *Greg. XIV. Cogit nos. 4.*

88. Eos, qui armata manu inuadunt domum alicuius Cardinalis, & aliquid violenter ac hoſtiliter rapiunt, aut aliquem ibi exiſtentem vulnerant, aut ad huiuſmodi delictum, mandato, conſilio cooperantur, aut ratum habent. *Leo X. Temerarium.*

89. Extrahentes reliquias ex cœmeterijs, cryptis vel catacumbis, intra, vel extra vrbem exiſtentibus. *Ex mandato Pauli V. anno 1613.*

90. Conficientes libellos famoſos vel aliam ſcripturam contra ſtatum Ordinis Prædicatorum vel Minorum. *Alexander IV. Exalio.*

91. Commiſſarios & Iudices delegatos Sedis Apoſtolicæ, concedentes alienationes bonorum Eccleſiaſticorum fieri in detrimentum Eccleſiarum. Item contra alios dolosè, vel ſcienter procurantes huiuſmodi alienationem, aut alienationis decretum. *Paulus II. Cùm in omnibus iudicijs 2.*

92. Superiores Ordinum religioſorum non denuntiantes ſuos religioſos hæreticos, vel de hæreſi ſuſpectos. *Paulus V. Romanus Pontifex 26.*

93. Extrahentes per ſe vel per alios in bibliothecis Fratrum Minorum de Obſeruantia, libros, quinterna, folia, & res aliquas in dictis bibliothecis exiſtentes, de dictis amouentes, aſportantes, tollentes, ſeu amoueri, aſportari, aut tolli facientes, vel conſulentes; item verbo vel facto in aliquo ex prædictis alicui auxilium aut opem præſtantes. *Sixtus V. Cùm ſicut, 67.*

94. Præſumentes amouere vel ſubtrahere ex bibliothecis Ordinis Fratrum B. Mariæ de Monte Carmelo, aut earum aliqua libros & monumenta, ſiue impreſſa ſiue manuſcripta ibi exiſtentia. *Clemens VIII. Quæ ad tuenda 24.*

§. VNICVS.

SVMMARIVM.

1. *Ponitur hic textus de percuſſione clericorum*, ſi quis ſuadente Diabolo &c.
2. *Quid intelligatur* per manus violentas.
   An qui dolo aut fraude propinat venenum clerico, non faciens ei violentiam, incurrat excommunicationem huius canonis. Refertur duplex ſententia.
   An procurans abortum monialis illa conſentiente, incurrat excommunicationem.
   An percuſſio clerici facta prauo animo mortaliter peccaminoſe inducat excommunicationem, ſi ex parte operis percuſſio fuerit leuis.
   Num ante ſententiam Iudicis, ſit vitandus percutiens clericum publicè & notorie.
3. *Quis nomine* Clerici *intelligatur.*
4. *Quis nomine* Monachi.
5. *De particula* Si quis.
6. *De particula*, Suadente Diabolo.
7. *An hac excommunicatio ſit regulariter reſeruata ſummo Pontif. Et quæ ſit dicenda percuſſio leuis, mediocris, & enormis.*
8. *In quibus caſibus poſſit Epiſcopus ab hac excommunicatione abſoluere. Et an id poſſint, etiam confeſſarij ordinum Mendicantium.*

1. QVia excommunicatio lata à iure, contra percuſſores clericorum frequentius accidit, ideò de illa in particulari agendum eſt & primò ponendus textus: *ſi quis ſuadente Diabolo manus violentas in clericum, vel monachum iniecerit, Anathematis vinculo ſubiaceat & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere, niſi mortis vrgẽte periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur & eius mãdata recipiat. C. ſiquis ſuadente 17. q. 4.*

2. Per *manus violentas* iuxta *Toletus lib. 1. cap. 31. num. 4. Regin. lib. 1. num. 205. & ſeq. Filliucius tract. 15. num. 15. 16. & ſeq. Suares diſp. 22. ſect. 1. Molina tom. 4. tract. 3. diſp. 52. Nauarrus c. 27. num. 78. Crouſers ad cap. 7. reg. minor. lect. 16. fol. 633. Lezana tom. 3. v. cleric. num. 7.* & alios intelligitur actio iniurioſa contra eccleſiaſticam perſonam, immediatè conſiſtens in facto & in opere, ſiue actio fiat manibus, ſiue pedibus; vnde *actio* ob quam incurritur excommunicatio, alia eſt *principalis*, alia eſt *acceſſoria*: *Principalis* eſt ipſa iniectio manus violentæ in perſonam, aut in res perſonæ adhærentes; in perſonam, illam proſequendo furioſè, ita vt cogatur aliquod malum pati; vel detinendo in cuſtodiam, vel in alio loco, à quo non poſſit exire ſine dedecore & pudore, vel in illam conſpuendo aut virga percutiendo. *In res*, eripiendo violenter è manibus, aut violentiam faciendo rebus adhærentibus clerico, verbi gratia, violenter detinendo per veſtes, eaſdem lacerando, cohibendo equum fræno, aut frangendo frænum equi, dum clericus eo vtitur. Vnde non incurrit excommunicationem qui laceraret veſtes vel alias res, quæ clerico non adhærent, quia tunc non videtur violentiam clerico inferre.

Acceſſoria actio ob quam incurritur hæc excommunicatio, eſt mandare percuſſionem ſecuto effectu, eam nomine ſuo factam, ratam habere, conſentire, conſulendo, auxilium & fauorem præbendo, non impediendo cum teneatur ex iuſtitia, vel charitate, abſque proprio periculo: *C. mulieres §. illi verò, de ſent. excomm. Sayrus lib. 3. cap. 26. num. 18. Couinch. diſp. 14. dub. 15. num. 168. & 170. Lezan. c. num. 8.* immò clericum quamuis volentem & conſentientem percutiendo, quoties percuſſio eſt iniurioſa, & quod maius eſt, ſi clericus ſeipſum percutiat, incurret etiam excommunicationem,

quia

quia huiusmodi percussio est statui clericali iniuriosa, cui persona priuata non potest cedere. Et Canon non tam in fauorem personæ, quàm in fauorem ordinis clericalis effectus est, vt habet communissima Doctorum sententia apud *Diana tract.5. misc. resol.81. p.3. Crousers c. fol 637.* qui refert *Barbosa in collect. rom.5. part.2.decreti, causa 17. quæst.4.num.38.39. Turrianus de censur.lib.3. disput.29. d.2.* docentes, clericum voluntariè percutientem seipsum non incurrere excommunicationem Canonis huius, qui manifestè loquitur de persona distincta à percutiente clericum, & de actione alterius personæ. Hæc sententia ab his reputatur probabilis, sed tu ne recede à communi.

Petes *Primò*, an qui dolo, aut fraude, in occulto propinat venenum clerico in cibo, vel potu, non faciens illi violentiam vt sumat, ex quo sumpto clericus mortuus est, incurrat excommunicationem huius Canonis? Negatiuè respondet *Rodriques in sum.1.p. cap.80. num 13.* Ratio ipsius est, quia non fecit violentiam dicto clerico, sed solum illius naturæ, & ait idem responsum esse à Doctoribus Salmanticensibus hac de re consultis. Oppositum tamen est tenendum; per manus enim violentas, intelligunt Doctores, omnem actionem, quæ non solùm naturæ, sed etiam iustitiæ repugnat, & tangit ipsam personam: quid autem magis naturæ repugnat, hac personam tangit, quàm venenum auferens vitam: hac enim vi maior vis dari non potest; cùm auferat animam à corpore. Ita *Suares de censuris disp.5.sect.1.num.15.& disp.22.sect.1.num.23.& 28 Sayrus de cens.lib.3.cap.26. num.11.12.17 Reta in resp.moral.1.par. casu 46. Port. de dub.reg.v. Manus violentæ num.1.*

Petes *Secundo*, An procurans abortum Monialis, eique potum propinans illa consentiente, incurrat excommunicationem? Responsio est negatiua, quia talis non dat venenum, nec facit violentiam personæ sacræ, quia Monialem non occidit, imò illa consentit. Si verò occidit fœtum animatum, persona fœtus non est sacra, nec saltem incurrit hanc positam ob percussionem personæ sacræ: Quidquid sit de excommunicatione Sixti V. propter abortum. Ita *Sayrus de censuris lib.3. cap. 26.num.17. Angles 4.in quæst. de excomm art.5. difficul.3.concl.7. Rodriques in Sum.1.p.tr. cap.80. n.13. Diana. punct.7.tr.5.resol.40.*

Petes *Tertiò*, an percussio clerici facta prauo animo mortaliter peccaminoso, inducat excommunicationem, si ex parte operis percussio fuerit leuis? Resp. negatiuè. Ratio est, quia actus exterior percussionis, debet esse mortalis & grauis, non solum per relationem ad actum internum: sed etiam secundùm operis externi quantitatem: Excommunicatio enim non imponitur, nisi ob peccatum mortale externum, illud enim solùm Ecclesiæ iurisdictioni in foro externo subest, Ita *Portel. in dub.reg.v.excomm.num.11. Sanches lib.2.mor.cap.8.num.7. Diana.p.5.tr.11.5.resol 65. Rodriques c.cap.80.num.8.*

Petes *Quarto*, an ante sententiam Iudicis, sit vitandus percutiens clericum publicè & notoriè? Respond. negatiuè cum *Caleftin.in compend.Theol.mor.tract.3.cap.9. diffic.3. Diana par. 5.tr.9.resol.61.& p.3.tr.5.resol.14. Fagundes præcept.1.l.2.cap.5: num.11.& seq. Sayrus de cens.l.2.c 12.n.18.* & nostro *Crousers ad c.7.reg.S. Franc.sect.9.f.565.566.* Ratio est, quia vt vitetur publicus percussor clerici, tamquam excommunicatus, necesse est vt talis percussio nulla possit tergiuersatione celari, & nullo iuris remedio, vel suffragio excusari: vt habetur in Extrauag. *Martini V.* in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit, *Ad euitanda*. Sed cùm in nostro casu percussor clerici notorius, possit dicere se fuisse ebrium, aut in suam defensionem fecisse, vel ignorasse excommunicationem percussioni clerici esse annexam, & alia tergiuersatione celare crimen, ideò quamdiu per Iudicis sententiam non constat, illum iuris remedio non posse excusari, non est notorius clerici percussor, nec vitandus. Et vt optimè addunt *Sayrus* & post illum *Caleftinus* rarò contingent percussionem clerici ita esse notoriam facto, vt non possit aliquo iuris remedio probabilitate aliqua excusari: quamuis in sententia sacræ congregationis apud *Crousers* correctum, si talis notorietas facti talis sit, vt non sit locus tergiuersationi, sufficiens, vt vitetur excommunicatus: secus si non est tanta; & licet sit verè notorietas facti, adhuc tamen maneat locus tergiuersationi, & ista notorietas non sufficit.

3. *Nomine Clerici* secundùm *Sylueft.v. excomm.6. num.3. Conc.Trid. sess.23.cap.6. Vgolinus tab.1. cap.13. §.15. Sayrus c. cap.27. num.31. Bonacina disp.2. quæst.4. par.1. Navarr. cap.27. num.79. Molina c.disp.50. num.3.& 4. Diana c.resol.82. Crousers c.fol.634.* & alios intelligitur initiatus prima tonsura, quamuis coniugatus sit, modò deferat habitum clericalem, & seruiat alicui Ecclesiæ, & non sit bigamus; item etiamsi coniugatus dimiserit habitum, modò illum postea resumat & contraxerit cum virgine, & sit excommunicatus, suspensus, interdictus irregularis, vel degradatus tantùm verbaliter; immò qui percuteret clericum, qui post susceptos ordines sacros contraxit matrim. hanc excommunicationem incurreret, quia clericus sic ordine initiatus, non amittit priuilegium huius canonis, contractum matrimonij, quia non fit bigamus bigamia vera sed tantùm similitudinaria & ficta, de qua iura non loquuntur non incideret autem percutiens ordinatum ante baptismum vel per vim absolutam, quia talis non fruitur priuilegio huius canonis cùm inualidè sit ordinatus.

Sed dubium est, an Canonicæ sæculares gaudeant priuilegio huius Canonis? videtur quòd non, quia istæ possunt contrahere matrimonium & moniales non sunt, nec clericæ. Nihilominus probabile est, quamdiu præbendam aut beneficium competens obtinent, & in suo Ecclesiastico habitu notoriè patenter à cæteris sæcularibus fœminis distincto, siue in Ecclesia, siue alibi incedunt, censendas esse personas Ecclesiasticas ideoque gaudere priuilegio clericali & huius Canonis, & sit hæc materia fauorabilis, potiùs amplianda, quàm restringenda videtur. Si autem dimisso suo Ecclesiastico habitu, secularitèr incedunt, & ita incedentes verberentur, in hoc casu sic est iudicandum, vt de clerico, qui sine tonsura & habitu pertus percutitur. Ita fertur decisum in Rota *de regul. decis.1 in antiquis*.

4. *Nomine Monachi*, comprehenduntur quinque genera personarum. *Cap.cum illorum de sent. excomm.* *Primò* omnes religiosi, siue professi sint, siue nouitij, siue conuersi etiam bigami. *Secundò* omnes moniales, tam professæ, quàm conuersæ, & nouitiæ. *Tertiò* fratres tertiarij Sancti Francisci, vel Sancti Dominici, habitum religionis gestantes, & gregatim viuentes: mulieres verò, si virginalem, vel cælibem, vel castam vidualem, expresso voto, & sub dicto habitu vitam traduxerint, etiam hoc priuilegio gaudent, etiamsi domi viuant vt docet Diana *part.1. tract.2. resol.84.& punct.6. tract.8. resol. 30.* *Quartò* Eremitæ subiecti alicui regulæ, aut Ecclesiastico superiori; si autem vagi sint, & specialem Ecclesiasticam obligationem non habeant, non videntur gaudere. *Quintò* Milites Hierosolymitani, siue Equites Militenses, Equites Sancti Iacobi Calatrauæ, Alcantaræ in Hispania, Ordinis Christi in Lusitania. Item Equites Sancti Stephani Florentiæ, & Sancti Lazari in Sabaudia: quia hi omnes sunt Ecclesiasticæ personæ seruantes tria vota: ex quibus patet homines, qui assumpto habitu religioso adhibentur ad seruitia, & obtequia Monialium, & ad petendum pro ipsis eleemosynam, hoc priuilegio etiam gaudere. Vide *Suares disp.22.sect.1. Filliucius tract.15. num.14. Reginald.lib.1. num.214. Benac.c.num.6. Navarr. de reg. lib.3.conf 13. Sanches in sum.lib.4. cap.16. num.11. Port.de dub. reg.v. Manus violenta*.

5. Per particulam, *Si quis*, comprehenduntur omnes personæ capaces censuræ, quare omnes baptizati, vsu rationis præditi (excepto Papa) si apposuerint causam, propter quam hæc excommunicatio fertur, incurrent in illam, siue sint viri, aut fœminæ, siue puberes aut impuberes, siue inferiores aut superiores, siue laici aut clerici, aut religiosi. *Tolerus lib.1 c.31.num.2. Filliucius c.num.4.*

6. Vt incurratur hæc excommunicatio, debet fieri iniectio manum in clericum, *suadente Diabolo*, ita vt sit peccatum mortale; *Cap.nemo Episcop.11. quæst.3.* pro solo enim peccato mortali excommunicatio maior fulminatur. Vnde ab hac excommunicatione incurrenda excusantur, quamuis manus violentas in clericum iniciant; & percutiant eum, non suadente Diabolo. *Graffius lib.2.cap.49. num.6. Auila 2.p. cap.5. disput.3. dub.13. Filliucius num.26.* *Primò*, ex imperfectione actus, puta si percussio sit indeliberata & subita, iocosa & casualis, si non fiat in clericum formaliter, si non animo iniuriandi, sed ipsum defendendo.

Secundò, si percussio fiat ex ignorantia probabili, verbi gratia, si non videatur persona, vel si de nocte percutiatur, vel non agnoscatur ex habitu, quia non gestat; vel si ferat habitum, tamen rationabiliter talis reputatur esse laicus *Cap. si verò de sent. excomm. Navarr. cap.27.num* 80.

Tertiò non incurritur excommunicatio, quando quis percutit clericum causa correctionis & disciplinæ, habens legitimam facultatem, & potestatem ad percutiendum, modò non

exce-

excedat modum in percutiendo, vt excessus pertingat ad culpam mortalem. Vnde possunt Prælati torquere clericos, Magistri corrigere discipulos, etiam per laicum officiales in Ecclesia clericos turbantes diuina officia. Item seniores in Ecclesia licet non habeant officium, Domini seruos & familiam, Parentes filios, immò & propinqui consanguineos, si ad illos spectet cura corrigendi. *Reginald. l. 1. cap. 28. num. 226. & seq. Filliucius c. num. 25. Suarez disp. 22. sect. 1. num. 48. Sà v. Excomm. Papa refer. num. 2. Nauarr. cap. 27. num. 82.*

Quarto, excusatur iudex sæcularis, qui clericum inuentum in crimine, capit, & detinet in carcere, in casibus & modo sibi permisso à iure, vt si iussu prælati id faciat, vel ex voluntate interpretatiua illius, animo remittendi quàm primùm ad suum superiorem. *C. si clericus de sent. excomm. in 6. Molina c. disp. 56. num. 1. Bonacina disp. 2. quæst. 4. p. 4. num. 13.*

Quinto, si clericus percutiatur, vel occidatur, inuentus in flagranti peccato cum matre, filia vel vxore, vel sorore, quamuis percutiens vel occidens grauiter peccet, percutiendo priuata authoritate, nihilominus eximitur ab excommunicatione, eo quòd Ecclesia non reputet huiusmodi percussionem factam esse suadente diabolo, sed vehementi passione; non requiritur autem vt clericus, qui percutitur, inueniatur in actu carnalis copulæ, sed sufficit vt inueniatur in quolibet alio turpi actu, vt in osculis, vel amplexibus, vel in loco suspecto solus cum sola, & de illo adsit rationabilis suspicio. *C. si verò 1. de sent. excomm. §. nec ille. Lorichius in thesau. v. excomm. num. 23. Filliucius c. num. 22. Molina c. disp. 55. num. 6. Nauarr. c. num. 84. Reginald. lib. 1. num. 225. Conninch. disp. 14. dub. 15. num. 196.*

Sexto, non incidit in excommunicationem, qui clericum percutit, ob iustam sui defensionem, siue in persona, siue in honore, siue in rebus suis; debet autem esse defensio incontinenti hoc est, in ipso actu aggressionis; vnde mulier tentata à clerico non tantùm verbis, sed etiam facto, potest illum percutere; sicut qui aggreditur à clerico, & non potest nisi cum ignominia fugere, potest se defendere illum percutiendo: similiter insequens clericum asportantem bona sua potest, illum detinere, & percutere si opus sit, modò illa bona quæ asportantur, sit alicuius valoris. *C. si vero & Cap. ex tenore de sent. excomm. Reginald. c. num. 224. Suarez c. num. 39. Nauarr. c. 28. num. 82. Sayrus lib. 3. cap. 27. num. 20.*

Septimo, excusatur ab excommunicatione incurrenda clericum percutiens, ter admonitum ab Episcopo, vel eius vicario in generali, vel in particulari, vt tonsuram & habitum clericalem deferret, & ipse non vult deferre, quia quamdiu talis clericus non gestat habitum, caret priuilegio clericali. *C. contingit. 2. de sement. excomm. Graffis l. 2. cap. 49. num. 29. Aulà 2. p. cap. 5. disput. 3. dub. 13. Molina disp. 54. num. 1.*

Octauo, si clericus percussus iam amiserat priuilegium, nempe si erat degradatus realiter, bigamus in minoribus, scurra per annum vel breuiori tempore, ter admonitus non desistens; exercens publicè macellarium vel tabernarium, & ter admonitus non desistit; item incedens publicè in habitu laicali, ferens arma militaria vel se immiscens enormitatibus. *Regin. l. 1. num. 234. 235. Bonacina c. n. 8. & seq. Nauarr. c. num. 80. Sayrus c. n. 8.*

7. Absolutio huius excommunicationis, regulariter est Summo Pontifici reseruata, vel illi cui competit pontificia Authoritas. *C. si quis suad. 17. quæst. 4.* vt Legato à latere, aut misso in sua prouincia: *Cap. Ad eminentiam de sent. excomm.* interdum tamen Episcopus potest per se, vel per alium absoluere, quando scilicet percussio est leuis: *Cap. peruenit de sent. excomm.* pro qua est aduertendum *triplicem* esse percussionem, *Enormem*, *mediocrem*, & *leuem*. *Cap cum illorum §. quisi, de sentent. excomm.* *Grauis* percussio dicitur, quæ coniuncta est, cum graui læsione vel iniuria, vt cum membri mutilatione, vel cum magna sanguinis effusione, quæ non proueniat è naribus, sed aliunde, vel cum magno vulnere aut ictu, quamuis parum sanguinis exeat, qualis est quæ fit in suum superiorem, vt Episcopum, Abbatem, Priorem &c. aut quando percussio est valde ignominiosa, attentis qualitatibus personarum, & alijs circumstantijs, vt si personæ graui impingeret quis alapam. Percussio *leuis* dicitur, non quia sit peccatum veniale, sed ita nuncupatur respectu mediocris & enormis, quæ fit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo vel lapide, quæ nullam maculam, vel suggillationem carnium relinquit, vel quæ fit absque abscissione membri, sine effractione dentis; sine euulsione multorum capillorum, sine effusione multi sanguinis. *Mediocris* percussio dicitur illa, quę media est inter leuem & enormem, qualis est illa, qua dens extrahitur, vel capillorum copia euellitur, aut suggillatio carnis relinquitur &c. ad Episcopum vel ad alium bonum virum spectat dijudicare, quando percussio sit leuis, mediocris vel enormis: & in dubio iudicanda est enormis. Vide *Toletus l. 2. cap. 32. Sayrus lib. 3. cap. 28. num. 4. Reginald. l. 1. num. 241. Molina disp. 57. num. 1. Suar disp. 22. num. 88. & seq. Nauarr. c. 27. num. 91. 92. Syluest v. absol. 4. §. 5. Extr. per lectis apud Nauar. c. Crousers c. fol. 635. 636.*

8. Quamuis regulariter, vt dictum est, absolutio huius excommunicationis pertineat ad Summum Pontificem, quando percussio fuit enormis, vel mediocris: dantur tamen aliqui casus, in quibus illam potest dare Episcopus. *Cap. si quis suad. 17. quæst. 4.*

Primus est, quando imminet proximum periculum mortis, non solùm ex infirmitate, sed etiam si timeat hostes, prædonem, vel crudelitatem potentis, vel si sit nauigaturus periculosè, aut per loca periculosa transiturus, vel senio confectus, vel obsessus in loco, vbi machinæ iaciuntur, verbalistæ: imò in hoc casu, quilibet sacerdos potest absoluere, ex Tridentino: vt dictum est suprà. *Cap. non dubium, cap. ea noscitur, de sentem. excomm.*

Secundus est, si regularis verberet regularem eiusdem Monasterij, absolui potest à suo Prælato; *Cap. Monachi, de sent. excommun.* si verò percusserit clericum sæcularem, absoluetur ab Episcopo. *Cap. relig. de sentent. excom. in 6.* Quòd si percusserit regularem alterius claustri, absoluetur per Prælatum proprium, & prælatum eius, qui passus est iniuriam. *Cap. cum illorum, de sent. excom.*

Sed difficultas est, quando in monasterio adsunt tantùm Prælatus & alius sacerdos, & se inuicem percutiunt, non habentes alium in eodem conuentu qui eos absoluat, à quo absolui debeant, Prælatus enim tunc nequit subditum absoluere, cùm sit innodatus vinculo excommunicationis; nec etiam potest subditum in confessorem eligere, quia subditus etiam excommunicatus est, ideò eligi non potest? Resp. Si percussio non est publica, sed occulta, potest tunc Prælatus absoluere subditum, quia nondum est priuatus iurisdictione. Si verò percussio publica fuerit, cùm, ob excommunicationem Prælatus iurisdictione priuatus sit, non poterit subditum absoluere, aut è conuerso; sed debet tunc alium sacerdotem habilem extra religionem eligere, qui eum absoluat, & deinde ipse absolutus subditum excommunicatum poterit absoluere; quia subditus non habet facultatem sibi confessarium eligendi, neque Prælatus ob vinculum excommunicationis potest illam concedere, quia id esset actum iurisdictionis exercere, quod non licet nominatim excommunicato vel publico clerici percussori. Ita *Suarez de relig. tom. 4. tract. 8. lib. 2. cap. 23. num. 10. & sequent.* quamuis aliqui censeant in hoc casu eos posse se inuicem absoluere, quia necessitas non habet legem; & sicut excommunicatus in casu necessitatis absoluere potest à peccatis, ita etiam ab excommunicatione. Ita *Rodrig. tom. 1. qq. reg. quæst. 20. art. 12. Murand. tom. 2. quæst. 35. art. 24. Corvolanus part. 2. cas. 10. de ind. reg. §. 10. num. 17.* Sed prima sententia est tenenda, cum limitatione tamen, in casu quo tali Prælato competat reseruare casus in Clementina positos, & de facto hunc casum reseruauerit, tunc enim poterit subditum absoluere: Si autem Prælato non competat ius reseruandi casus, absoluere non poterit, cùm talis casus sit reseruatus vt diximus *verb. Casus reseruatus num. 40. §. 10.*

Tertius est, de clericis collegialiter seu communiter viuentibus, qui se mediocri & enormi percussione affecerunt. *Cap. quoniam, de vita, & honest. cleric.*

Quartus est, de mulieribus cuiuscumque sint ætatis & conditionis, siue sint fortes, siue debiles, viduæ, aut maritatæ, diuites aut pauperes. *Cap. Mulieres, de sent. excom.* Imò & Moniales percutientes se inuicem, vel conuersas suas, aut clericos, ab Episcopo absolui possunt. *Cap. de Monialibus de sentent. excomm.*

Quintus, Pueri impuberes qui doli capaces sunt, absolui possunt ab Episcopo, & hoc siue ante, siue post pubertatem absolui postulent: si tamen non sint doli capaces non incidunt in hunc canonem. *Cap. fin. de sent. excomm.*

Sextus, Senes, quamuis fortes sint ad ambulandum, absolui possunt ab Episcopo: Senex autem dicitur in proposito, qui ratione ætatis, iudicio boni viri, maximè Episcopi, periculosè taliter aggrederetur. *Cap. ea noscitur, & Cap. quamuis, de sent. excomm.*

Septi-

Septimus, pauper, ſi arte ſua iter agendo vti nequit, ab Epiſcopo ſuo abſolui poteſt. Si autem ſit mendicus robuſtus corpore; & mendicando ſoleat ſibi & vxori prouidere, volunt Doctores talem mendicando ad curiam ire oportere. Sed in hac re vir bonus, & prudens arbitrabitur. *Cap. quamuis & Cap. ea noſcitur. de ſent. excom.*

Octauus eſt, de alijs quibuſcumque impotentibus ad iter conficiendum: & de habentibus legitimum impedimentum, propter quod non poſſint Summum Pontificem adire; vt ſunt debiles, cœci, claudi, officiales Principum, & qui habent capitales inimicitias; hi enim poſſunt ab Epiſcopo abſolui: Sicut & illi qui non ſunt ſui iuris, vt ſerui, Filij-familias & ſimiles. *Cap. de cætero, cap. relatum, de ſent. excom.*

Circa hos caſus eſt notandum, *primo* quòd, qui abſoluti ſunt ab Epiſcopo, propter impedimentum perpetuum, non ſit illis iniungendum præceptum præſentandi ſe Apoſtolicæ ſedi, quia inutiliter & fruſtra iniungeretur. *C. ea noſcitur. de ſent. excom.* Secus de illis qui habent tantùm impedimentum temporale; hi enim tenentur ſublato impedimento præſentare ſe Summo Pontifici, vt habetur *Cap. eos qui, de ſententia excomm.* & dictum eſt ſupra *v. Excommunicatio V. n. 7.*

Secundo. Confeſſores ordinum mendicantium poſſunt abſoluere manifeſtum clerici percuſſorem, in caſibus ſaltem ad Epiſcopum pertinentibus, ſatisfactione partis manifeſta præmiſſa, vel à reo parato congruè ſatisfacere oblata: quod ſi pars offenſa id renuat, fortè vt ipſum reum vexet, non eſt præſtanda alia ſatisfactio: quando enim iſta non eſt poſſibilis, quacumque ex cauſa ſit, ſufficit idonea cautio, vel iuratoria. *Rodriques tom 1. qq. reg. queſt. 61. art. 8. Crouſers ad cap. 7. reg. S. Franciſc. fect. 12. fol. 598. Lezana to. 3. v. cleric. num. 18.* Plura de his caſibus apud Sylueſtrum *v. Abſolutio 4. num. 3.* Bonacinam *de cenſur. diſput. 2. queſt. 4. part. 5. tom. 1.* Sayrum *lib. 3. cap. 28. num. 9. & ſeq.* Filliucium *tract. 15. num. 36. & ſeq.* Nauarrum *in man. cap. 27. num. 88. & ſeq.* Dianam *part. 5. tract 9. reſol. 6.* & meipſum *v. Cenſura num. 23. 24. & ſeq.* Lezanam *tom. 3. Sum. v. Clericus.*

EXCOMMVNICATIO VIII.

Excommunicationes nemini reſeruatæ. In Decreto & Decretalibus.

Contra;

1. GVbernatores & iudices non reddentes ius Eccleſiaſticis ob negligentiam vel iniquum animum. *C. Adminiſtratores 23. q. 5.*

2. Illum, qui non electus ſaltem à duabus partibus Cardinalium in Papam, conſentit ſuæ electioni & etiam recipientes in Papam. *Hæc hodie eſt Papæ reſeruata: quia eſt ſchiſma. Cap. licet de vitanda, de elect.*

3. Rectores, Conſules & alios officiales laicos, qui taleas vel alias exactiones indebitas Eccleſijs aut perſonis Eccleſiaſticis imponunt, & eorum fautores. *Item hæc eſt reſeruata. Cap. non minus & Cap. aduerſus, de immunit. Eccleſ.*

4. Religioſos profeſſos, qui diutiùs duobus menſibus abſunt à ſuis monaſterijs ad audiendas leges, vel medicinam. *Cap. non magnopere, ne cler. vel monach.*

5. Sacerdotem vel alium clericum, habentem officium Vicecomitis aut præpoſiti ſæcularis, qui admonitus non vult ſe emendare. *C. clericis, ne cler. vel monach.*

6. Illos, qui violant libertatem Eccleſiaſticam, per modum ſtatuti vel conſuetudinis. *Hæc etiam reſeruatur Papæ in Bulla cœnæ. C. Nouerit, de ſent. excom.*

7. Illos, qui emunt vel quouis alio modo acquirunt rem Eccleſiaſticam à ſchiſmatico, vel qui recipiunt beneficium ab illo, vel conſentiunt ordinationi ipſius ſchiſmatici. *Cap. 1. de Schiſmaticis.*

In Sexto Libro Decretalium.

Contra

1. MIttentem ſcripturam, vel nuncium alicui Cardinali in conclaui exiſtenti, ad Romani Pontificis electionem, vel cum eo ſecretè loquentem. *C. Vbi periculum de elect. in 6.*

2. Dominos, Rectores, alioſque officiales, qui diligenter non obſeruant, aut fraudem aliquam committunt in eis, quæ hic præcipiuntur obſeruanda, in morte Summi Pontificis morientis in terra ipſorum. *Cap. eodem.*

3. Omnes, qui per ſe vel alios præſumpſerint verare perſonam Eccleſiaſticam, vel alia loca pia, eo quòd rogata, noluerit aut non vult eligere eum, pro quo ipſi rogarunt, aut induxerunt. *C. ſciant cuncti, de elect. in 6.*

4. Illos, qui vſurpare conantes nouè ius cuſtodiendæ, & ſeruandæ alicuius Eccleſiæ vacantis præſumunt capere aliqua bona illius: *C. generali, de elect. in 6.*

5. Accerſitum in directorem electionis monialium non temperantem à rebus, ex quibus naſci vel ali poteſt diſcordia. *C. indemnitatibus, de elect. in 6. §. poſtremo.*

6. Procurantes, quòd iudices conſeruatores ſibi dati intromittant ſe ad alia, quàm ad manifeſtas iniurias & violentias, extendant poteſtatem ad ea, quæ iudicialem exigunt diſcuſſionem. *Cap. hac conſtitutione, de offic. iudic. deleg. in 6.*

7. Illos, qui vi aut metu conſequuntur abſolutionem vel reuocationem ſententiæ excommunicationis, interdicti vel ſuſpenſionis. *Cap. vnico de his quæ vi. in 6.*

8. Illum, qui fingit caſum, vel fraudem aliquam facit, quo iudex ipſe vadat ad accipiendum teſtimonium alicuius fœminæ. *Cap. Mulieres, de iudic. in 6.*

9. Illos, qui compellunt Eccleſiaſticos vt ſubmittant Eccleſias, vel earum bona immobilia aut iura laicis in caſibus iure prohibitis. *Cap. hoc conſultiſſimo, de rebus Eccleſ. non alienandis in 6.*

10. Illos, qui inſtituunt nouum ordinem religionis, aut accipiunt nouum habitum illius, & mendicantes exceptis quatuor ordinibus, qui recipiunt aliquem ad ſuum ordinem: *ſed iam hodie non habet locum. C. vnic. de religioſis domibus, in 6.*

11. Illos, qui per ſe vel alios ſuo nomine vel alieno exigunt ab Eccleſijs, vel Eccleſiaſticis perſonis pedagium, pro perſonis aut rebus quas deferunt, vel deferri faciunt non cauſa negotiationis. *Cap. quamquam, de cenſibus, in 6.*

12. Compellentes litigare in foro ſæculari ſuper cauſis Eccleſiaſticis. *Hodie eſt reſeruata in bulla Cœnæ. Cap. quoniam, de immunitate Eccleſ. in 6.*

13. Dominos temporales prohibentes ſuis ſubditis vendere ſua clericis, aut præſtare officia. *Cap. finali, de immunit. Eccleſ. in 6.*

14. Reli-

14. Religioſos temerè habitum relinquentes, & dimittentes, & contra Doctores ſeu magiſtros, qui religioſos habitu dimiſſo, leges vel Phyſicam audientes, ſcienter docere aut in ſcholis retinere præſumunt. *Cap. vt periculoſa ne cler. vel monach. in 6.*

15. Præſumentes tradere Eccleſiaſticæ ſepulturæ hæreticos, credentes eorum, receptatores, defenſores, vel fautores; nec abſoluendi ſunt donec propriis manibus publicè extumulent. *Capit. quicumque de hæretic. in 6.*

16. Poteſtates, Dominos temporales Rectores, vel eorum Officiales ſeu Baliuos ſi de crimine hæreſis cognoſcant vel iudicent; vel ſi captos pro eodem crimine abſque Diœceſanorum, vel inquiſitorum licentia, à carcere liberent; vel ſi executionẽ pro huiuſmodi crimine iniunctam à diœceſano, vel inquiſitore non impleant, vel ſi directè aut indirectè præſumant illorum ſententiam aut proceſſum impedire. Denique omnes in his ſcienter dantes conſilium, auxilium, vel fauorem. *Capit. vt inquiſitionis, de hæret. in 6.*

17. Clericos, qui non ſunt Epiſcopi, qui permittunt in ſuis terris verſari fœneratores publicos, alienigenas, vel qui non expellunt eos ex illis vel qui locant illis, vel alio prætextu concedunt domos ad vſuras exercendum. *C. vſurarum de vſuris in 6.*

In Clementinis.

Contra.

18. ILlos, qui capientes fructus beneficij impediunt, vel infringunt ſequeſtrum inductum ſuper beneficia ab Ordinario, ob latam in Curia Romana vnam ſententiam definitiuam ſuper poſſeſſione, vel proprietate eiuſdem. *Clement. vnic. de ſequeſtr. poſſeſſ. & fruct.*

19. Sepelientes aliquem in loco Sacrato interdicto in caſibus à iure non permiſſis, aut interdictos nominatim, vel excommunicatos publicos, aut vſurarios manifeſtos. *Clement. 2. de ſepulturis.*

20. Religioſos, qui non habentes beneficium, nec adminiſtrationem, ſibi appropriant decimas, &c. *Clement religioſi de decimis.*

21. Religioſos ſimplices, qui petunt aulas Principum animo nocendi ſuis Prælatis, aut monaſterijs. *Clement. ne in agro §. quia verò de ſtat. monac.*

22. Monachos, qui ſine facultate Abbatis habent arma intra clauſtra monaſteriorum. *Ibidem.*

23. Illos, qui præſumunt impedire viſitatores monialium, in eo quod ſtatuitur à Concilio, ſi à viſitatoribus admoniti non ceſſant. *Clement. attendentes §. ſi de ſtat. monac.*

24. Eos, qui ſcienter in gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis iure Canonico interdictis aut cum monialibus matrimonia contrahunt: nec non contra Religioſos, Moniales, ac Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos matrimonia contrahentes. *Clement. 1. de conſang. & affin.*

25. Inquiſitores, & Commiſſarios illorum, aut Epiſcopi, vel capituli Sede vacante, qui prætextu ſui officij illicitè ſumunt pecuniam aliquam, & qui ſcienter confiſcant bona Eccleſiaſtica. *Clement. nolentes de hæreticis.*

26. Omnes officiales Ciuitatum vtcumque appellentur, qui faciunt, ſcribunt vel dictant ſtatuta, vt ſoluantur vſurę, vel quod ſolutæ non poſſint repeti, & eos qui iudicant vſuras eſſe ſoluendas aut non eſſe repetẽdas ſolutas, & qui ad id poteſtatem habentes non eradunt è libris talia ſtatuta. *Clement. 1. de vſuris.*

27. Religioſos qui concionantur, vel alias dicunt aliquid ad euertendos audientes à ſoluendis decimis debitis Eccleſię, & illos, qui de induſtria nullum conſcientiæ ſcrupulum incutiunt, in confeſſione pœnitentibus de ſolutione decimarum. *Clementin. Cupientes de pœnis.*

28. Religioſos, qui non ſeruant interdictum, vel ceſſationem à diuinis, quam ſeruat Eccleſia Cathedralis, vel matrix, vel parochialis oppidi. *Clement. 1. de ſent. excomm.*

Hæ excommunicatione in corpore iuris continentur, ſuperſunt nonnullæ aliæ quæ in Extrauagantibus multis habentur; ſed quia huiuſmodi excommunicationes pleriſque in locis non videntur vſu receptæ ideo illas pertermittimus.

Excommunicationes quæ in Concilio Tridentino habentur.

Contra.

1. IMprimentes, & imprimi mandantes, vendentes, apud ſe retinentes libros de rebus ſacris ſine nomine Auctoris, & ſine approbatione. *Conc. Trident. ſeſſ. 4.*

2. Prædicantes, vel docentes, vel pertinaciter aſſerentes non eſſe neceſſariam Sacramentalem confeſſionem, habita copia confeſſarij ante communionem his, quos conſcientia peccati mortalis grauat etiamſi contriti accedant. *Seſſione 13. can. 11.*

3. Raptores mulierum, ac illis conſilium, auxiliũ, & fauorem præbentes. *Seſſ. 24. c. 6. de reformat.*

4. Illos, qui quouis modo ſubditos ſuos vel quoſcumque alios, cogunt minùs liberè matrimonia contrahere. *Seſſ. 24. c. 9.*

5. Magiſtratus ſeculares, qui non præbent auxilium inuocatum ab Epiſcopis ad reſtituendam, vel conſeruandam clauſuram Monialium. *Seſſ. 25. cap. 5. de regul.*

6. Ingredientes ſepta monaſterij Monialium cuiuſcumque generis aut conditionis ſexus, vel ætatis fuerint ſine licentia Epiſcopi, vel ſuperioris in ſcriptis obtenta. *ibidem.*

7. Illos qui cogunt aliquam fœminam præterquam in caſibus in iure expreſſis ad ingrediendũ monaſteriũ, vel ad ſuſcipiendum habitum religionis, vel ad emittendam profeſſionem, quique conſilium, auxilium, vel fauorem in id dederint, vel preſentes ei actui ſcienter fuerint. *Seſſ. 25. art. 18. de regul.*

8. Illos qui ſanctam Virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, veli profitendi quoquomodo ſine iuſta cauſa impedierint; hæ omnes excommunicationes in Concilio Tridentino poſitæ, non ſunt reſeruatæ In hac ſeſſion. 25. cap. 19. excommunicantur Domini temporales concedentes locum in terris ſuis ad duellum, item committentes pugnam vel duellum item patrini conſilium dantes, ſpectatores: ſed hodie hæc excom. eſt per Clementem. VIII. Papæ reſeruata. *Ibidem.*

9. Negantes matrimonia clandeſtina ante Tridentinum celebrata valida fuiſſe: aut poſt illud matrimo-

nium à filiisfamilias inconsulto patre, celebratum, validum esse. *Conc. Trid. sess. 24. c. 1. de reformation. matr.*

§. VNICVS.

SVMMARIVM,

1. *Materia excommunicationis prima in Tridentino late, contra imprimentes libros.*
2. *In imprimendis libris requiritur approbatio superiorum.*
3. *Approbatio librorum in scriptis dari debet.*
4. *In libris imprimendis de rebus sacris debet adesse nomen Auctoris.*
5. *Regulares præter Episcopi licentiam, tenentur facultatem à Prælato suo obtinere.*
6. *An regularis, qui neglecta licentia superiorum; curat imprimi librum, incurrat pœnas Tridentini.*
7. *An qui manuscriptos libellos euulgant, non approbatos, hanc excommunicationem incurrant.*
8. *An censuræ Concily Lateranensis contra imprimentes, aut imprimi facientes librum sine approbatione, sint vsu receptæ.*
9. *Materia excommunicationis secundæ in Tridentino positæ est error & temeritas in re pertinente ad reuerentiam Eucharistiæ.*
10. *Materia excommunicationis tertiæ, est rapere fœminam dissentientem ad libidinem explendam, &c.*
11. *Materia excommunicationis quartæ est cogere ne mimus liberè matrimonia contrahantur.*
12. *Materia excommunicationis quintæ est omissio in præbendo auxilio Episcopis, circa conseruandam clausuram monialium.*
13. *Materia excommunicationis sextæ est ingressus clausuræ monialium sine licentia superiorum.*
14. *Materia septimæ excommunicationis est quodammodo sacrilegium contra libertatem professionis in religione.*
15. *Materia octauæ excommunicationis est impedire fœminam ne velum accipiat aut votum emittat.*
16. *Materia excommunicationis nonæ prima est negare matrim. sine Parocho, vel testibus celebrata, fuisse valida ante Tridentinum.*

Materia secunda excomm. est asserere matrim. sine consensu parentum celebratum irritum esse, aut ab illis ratum fieri, vel irritari posse.

1. CIrca primam excommunicationem Concilij Tridentini *sess.* 4. est sciendum, quòd materia illius sunt actiones ibi expressæ & prohibitæ. *Prima* est, imprimere libros, seu aliã scripturam sine debita & approbatione. *Secunda*, esse auctorem, vt imprimantur. *Tertia*, vendere huiusmodi libros. *Quarta*, est retinere apud se tales libros. Istæ tamen duæ vltimæ actiones, vendendi, scilicet, & retinendi, non sunt materia excommunicationis, nisi libri sint de rebus sacris, & tales sunt, qui ex professo tractant de scripturæ, de articulis fidei, de rebus ad cultum Dei, vel Sanctorum spectantibus, vel de Theologia Scholastica; secùs si de historia vel philosophia, vel inferioribus artibus. Vnde qui præfatos libros legit apud alios existentes, non ligatur excommunicatione hac, quia nullam ex prædictis actionibus exercet: quamuis si liber sit hæretici, & tractet de hæresi, vel de religione, vel aliqua contineat contra bonos mores, excommunicationem Indicis vel bullæ cœnæ posset incurrere.

2. Præterea in imprimendis libris requiritur *primo* approbatio Superiorum, vt vices gerentis & Magistri sacri palatij in Vrbe, Ordinarij, vel alterius deputati in alijs diœcesibus, & inquisitoris ex indice librorum prohibitorum. In aliquibus tamen locis, vsus obtinuit, vt libri examinentur per consilium regium, & approbentur, Superioribus Ecclesiasticis fortè annuentibus. Alicubi primo loco per Ecclesiasticos approbantur, deinde per temporales Dominos quo ad id, quod concernit gubernationem politicam.

Notandum autem est, quod non solum libri debent examinari, & approbari prædicto modo antequam imprimantur, sed etiam aliæ quæcumque scripturæ vt theses ab aliquo publicè defendendæ, carmina, vel poemata, aut orationes. Quia in Concilio Lateranensi dicitur, quod quicumque liber, aut quæcumque scriptura, antequam imprimatur, examinari debeat. Secus dicendum est de thesibus manuscriptis, quæ publicæ defendendę proponuntur in Ecclesijs, vel collegijs Regularium, hæ enim non solent approbari, cùm ad omnium notitiam non perueniant, vt habet vsus communis, & testatur Peyrinus *to. 2. q. 3. c. 9. n. 4.*

3. Secundo ista librorum approbatio in scriptis dari gratis debet, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè apparere: vnde qui curat imprimi librum legitimè approbatum, sed approbationem, & licentiam non apponit, peccat, & talis liber est prohibitus, quia reuera est impressus sine approbatione, & quia verba Concilij non solum requirunt, vt liber imprimendus approbetur, sed vt non imprimatur sine approbatione, de qua possit omnibus legentibus constare, hoc est, non sine approbatione libro appositа. Certum enim est, hoc esse quod Concilium requirit, & percipit. Neque ex eo quod sit impressus in loco, vbi Concilium obseruatur, præsumi potest esse approbatus, cum præla quandoque sint mentita, nisi ibi permittatur vendi à visitatore pio ac docto; tunc enim præsumi potest esse approbatus, ac sine scrupulo legi. Sed quid, si typographus obtenta legitima approbatione non exprimat nominatim in libris impressis nomen superiorum approbantiũ, sed hac forma vtatur, *De licentia Superiorum*, an excusetur à censura?

Respondeo, quod sic, quia nec in Concilio Lateranensi, nec in Indice librorum prohibitorum, nec in Concilio Tridentino extat præceptum exprimendi nomen ipsorum approbantium, sed solum, vt approbatio in scriptis detur, atque adeò in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè appareat.

4. Tertiò requiritur in libris imprimendis de rebus sacris vt adsit nomen auctoris id est, compositoris hic enim propriè est auctor libri. Non est tamen necesse apponere nomen determinatę personæ, sed sufficit nomen Academiæ, Collegij, ciuitatis, vniuersitatis, quia Collegium, seu vniuersitas in iure venit nomine personæ, licet fictæ. In Indice etiam librorum prohibitorum reg. 10. de impressione librorum. §. 1. habetur, vt nullus liber in posterum excudatur, qui non in fronte nomen, cognomen, & patriam præferat auctoris. Quod si de auctore non constet, aut iustam aliquam ob causam, tacito eius nomine, Episcopo, & inquisitori liber edi posse videatur, nomen illius omnino describatur, qui librũ examinauerit atque approbauerit. In his verò generibus librorum, qui ex variorum scriptorum, dictis, aut exemplis, aut vocibus compilari solent, is qui laborem colligendi, & compilandi susceperit, pro auctore habetur. Hæc ibi. Vnde Suares de censuris ait, quod dicta excommunicatio Tridentini solùm afficit eos, qui imprimunt libros sine nomine auctoris, & approbatione Ordinarij, & dummodo libri de rebus sacris tractent. Quare censet quod si quis imprimeret aliquem librum de rebus sacris non tractantem, sine dicta nominis appositione, & licentia, non incurreret dictam censuram.

5. Regulares autem præter Episcopi, & Inquisitoris licentiam ex decreto sacri Concilij Tridentini, tenentur operis in lucem edendi facultatem à Prælato, cui subiacent, obtinere, & vtramque concessionem, quæ appareat ad principium operis imprimi facere.

6. Sed rogabis, an regularis, qui curat imprimi librum cum sola approbatione & licentia Ordinarij suorum superiorum licentia neglecta, incurrat pœnas in Tridentino positas? Respondet Eximius D. Syluius de hoc casu consultus, quòd non. Vt ex textu Concilij clarum est: sed eas restringi ad eos, qui absque approbatione, & licentia Ordinarij id faciunt nam quod sequitur de Regularibus, quod ad licentiam superiorum suorum habendam, non præcipitur sub iisdem pœnis. Quamuis in aliquibus religionibus religiosi c ōtrauenientes decreto per constitutiones particulares incidant in priuationem ipso facto cuiuscumque actus legitimi, & per actus legitimos intelliguntur ad hoc propositum in ordine minorum regere, prædicare, confessiones sæcularium audire, legere, visitare, diffinire, eligere, eligi, accusare, restificati, & ad ordines promoueri, vt docet *Summa Angelica verb. Actus* §. 3. quæ etiam in const. *Fa rinery* dicuntur officia ordinis.

Sed melius *Octauianus Spatharius de modo corrig. regul. tract. 10. p. 3 cap. 12.* docet per priuationem actum legitimorum, intelligi inhabilitationem ad omnia ordinis officia, quæ cum dignitate, ac superioritate coniuncta sunt veluti Ministerianus: Commissarianus, Difinitorianus, Guardianatus, & Discretatus;

Vnde

Vnde ſic priuatus poteſt habere votum actiuum in electione Diſcreti ad Prouinciale capitulum mittendi,& ſimiliter poteſt ad ſacros ordines promoueri,& ſacras eorum functiones exercere,& ſimiliter quęcumque officia prędicationis,& lectionis, & confeſſionis,& poteſt eſſe confeſſarius Monialium, & Magiſter Nouitiorum, & ferre vota in receptione nouitiorum ad profeſſionem .Et hęc ſententia eſt iuri conformior, cùm ſolos legitimos ad hęc officia habiles decernat. Vide ſupra v. *Clauſura num.* 16.

7. Notandum pręterea eſt ex eodem Tridentino; & indice in reg. 10. hanc excommunicationem incurrere eos, qui manu ſcriptos libros euulgant,niſi antea examinati fuerint, & approbati modo tractent de rebus ſacris per librum autem intelligendum eſt opus conſummatum & integrum, quale eſt illud quod typis mandari,& in lucem edi ſolet. Ex quo ſequitur eũ, qui alteri communicat conciones, ſcripta Theologica priuatas orationes, prælectiones, annotationes, obſeruationes de rebus ſacris non examinatas,& approbatas, iuxta prędictam ſolemnitatem, non incidere in excommunicatione, tum quia Concilĩ loquitur de libris, qui ſcribuntur, vel eduntur, vt aliis communicentur, & diuulgentur hæc autem manuſcripta fuerunt ſcripta ad priuatum vſum,& commodum non verò, vt diuulgentur; tum quia ſacra congregatio Cardinalium ex reuelatione *Illuſt. Card. Alciati* declarauit ſupradicta eſſe intelligenda tantum, quando darentur, vt typis mandarentur: prout ſic reperitur Authentica Romę in noſtro Archiuio, vt refert noſter *Sorbus* citatus infrà.

8. Porrò aduertendum eſt ex *Nauarro, Caietano, & Suares*, cenſuras prędicti Concilij Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ.* 10. contra imprimentes,aut imprimi facientes librum ſine approbatione non eſſe vſus receptas. Hodie tamen Romę ſeruatur vt docet. *Toletus* Et in Indice loco citato inbetur, vt quod in Concil. Lateran. ſub *Leone X.* ſtatutum eſt ſeruetur ſub pęnis, & cenſuris contentis in eo decreto. Concilij verò Triden. conſtitutio, quia reſtrictior, ſeruanda eſt, vbi nõ eſt recepta cõſtitutio Concilij Lateranenſis De hac excommunicatione videndi ſunt *Suares* tom. 5. diſput. 23. ſect. 7. *Toletus* lib. 1. c. 41. *Nauarrus* in man. c. 27. num. 148. *Bonacina* tom. 3. d. 2. q. 2. punct. 16. *Filiucius* tract. 14. c. 6. q. 2. *Caietanus* v. Excommunicatio in fine *Azorius* p. 1. lib. 8. cap. 17. *Sorbus* in compend. priuil. mendic. v. Imprimere libros.

9. Circa ſecundam excommunicationem in Tridentino poſitam eſt notandum, materiam illius eſſe errorem, & temeritatem in re pertinente ad reuerentiam Euchariſtiæ. Et actiones eſſe quatuor. *Prima eſt*, docere non eſſe neceſſariam confeſſionem accedenti ad communionem, poſt commiſſum peccatum mortale. *Secunda eſt*, prędicare. *Tertia*, pertinaciter aſſerere illud publice vel priuatim ſciens ſub excommunicatione eſſe prohibitum. *Quarta*, publicè defendere.

Ex quibus colligitur *primo* illum, qui opinionem Caietani, & aliorum putaret probabilem, prœceptum nempe de prœmittenda confeſſione ante communionem eſſe poſitiuum latum à Tridentino,& non diuinum minimè incurrere hanc excommunicationem. *Secundò*, nec illum qui poſt commiſſum peccatum mortale cum ſola contritione accederet ad Euchariſtiã etiam habita copia confeſſarii, quia talis non dicitur docere, prędicare pertinaciter aſſerere, vel publicè diſputando defendere, ob quas tantum actiones incurritur excommunicatio. *Tertiò*, nec illum qui aſſerreret non permittendum eſſe confeſſionem in loco vbi Conc. Trident. non eſt vſu receptum etiamſi ibi firmum domicilium non habeat, quia quandiu in eo loco exiſtit, non ligatur prœceptis nec pœnis Concilij: quamuis grauiter peccet doctrinam falſam docendo de quibus vide *Suares* 3. *part.* tom. 3. *diſputat.* 66. *ſect.* 3. *Filiuc. tractat.* 14. *num.* 84. & 85. *Bonacina* tom. 3. *diſput.* 1. *quæſt.* 2. *punct.* 14. *Toletus lib.* 1. *capit.* 41. *numer.* 3.

10. Materia huius excommunicationis tertię in Tridentino latæ, alia eſt principalis nempe rapere fœminã diſſentientem, vel reſiſtentibus, parentibus aut illis, ſub quorum cura eſt, ad libidinẽ expellendã. Alia eſt acceſſoria, nempe ad id conſiliũ auxilium, & fauorem præbere. Vt autem hæc excommunicatio incurratur ob præfatas actiones acceſſorias debent in effectum influere, & requiritur vt effectus iam ſecurus ſit. Plura de hac materia in *verb. Raptus*.

11. Quartam excommunicationem imponit Concilij Tridentini his verbis. *Præcipit Sancta Synodus omnibus cuiuſcumque gradus dignitatis, & conditionis exiſtant, ſibi anathematis pœna quam ipſo facto incurrant ne quouis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant quo minus liberè matrimonia contrahant*. materia huius cenſuræ eſt cogere, id eſt, per vim aut iniuriam inducere, ne minus liberè matrimonia contrahantur: non autem retrahere à matrimonio contrahendo.

Sed dubium eſt, an iſta excommunicatio afficiat ſolum habentes iuriſdictionem, an etiam alios omnes cogentes aliquẽ ad matrimonium? Reſponſio probabilior eſt, hanc excommunicationem eos ſolùm afficere, qui temporale dominium, & iuriſdictionem in foro exteriori ſæculari habent, vt patet ex præfatione textus illius, iuxta quam intelligendum eſt ipſum decretum. Proinde parentes, qui coactione ſufficiẽte ad mortale compellunt filios ad matrimonium non incurrunt in hanc excommunicationem: neque Parochus, neque Epiſcopus, quia non habẽt iuriſdictionem in foro externo ſæculari. Imò neque Reges,& Imperatores, quamuis habeat dictã iuriſdictionem; quia dum Summus Pontifex intendit hos ligare ſolet eos exprimere: De hac excommunnicationem. Vide. *Hurtadum tractat. de matrimon. diſput.* 6. *diſſic.* 8. *num.* 29. *Sanchez de matrimon. l.* 4. *diſput.* 22. *Coninch. de Sacram. diſp.* 28. *dub.* 5. *Bonac. t.* 3. *diſp.* 2. *q.* 2. *punct.* 6.

12. Quinta excommunicatio lata in Tridentino eſt, & conſiſtit in omiſſione præbendi auxilium mortaliter culpabili, dum Epiſcopus illud ſi præberi petit à Magiſtratu ſæculari circa clauſuram monialium.

13. Sexta eſt contra ingredientes monaſteria monialium ſine licentia ſuperioris, de qua dictum eſt ſupra *verb. Clauſura nu.* 7.

14. Septimæ excommunicationis materia ſunt triplices actione expreſſæ, nempe, cogere, hoc eſt per vim aut metum grauem inducere fœminas ad ingrediendum monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum religionis, vel ad emittendam profeſſionem. Secundo dare auxilium, conſilium, fauorem ad illa. Tertiò, interponere, quoquo modo præſentiam, vel conſenſum, vel authoritatem ad illa.

Sed circa hanc cenſuram nota *primò*, quod qui cogeret per metum leuem ſeu non cadentem inconſtantem virum, illam non incurreret: neque quando metus iuſtè incuritur: neque quando fœmina inducitur præcibus etiam importunis, ſed ſine minis: neque, qui fœminæ religionem ingredi ſuadet, iniecto metu priuationi alicuius boni, ad quod fœmina alias non habet ius: neque, qui cogeret viros ad ingrediendum religionem.

Secundò, hac cenſura non ligatur, qui cogit fœminam ad emittendum votum ingrediendi religionem, nequequi cogit in caſibus iure permiſſis; puta in pœnam alicuius peccati fœminę, vel ad cautionem pudicitiæ, vel alia iuſta de cauſa à iure permiſſa.

Tertiò, ad hanc cenſuram incurrendam requiritur vt effectus ſit ſequutus, id eſt, vt fœmina ingreſſa fuerit religionem per modum nouitiæ, vel habitum ſuſceperit, vel profeſſionem fecerit.

Quartò, cenſura, huius decreti obſtringuntur etiam Epiſcopus Vicarius, Superiores, conſanguinei puellæ qui ſcientes fœminam inuito monaſterium ingredi auctoritatem illi actui prębent, vel præſentiam non ſubijciuntur tamen huic cenſuræ Reges,& Imperatores. Plura de hac excommunicatione apud *Sanches lib.* 4. *moral. cap.* 4. *Suares cenſur. diſputation.* 23. *ſect.* 4. & 7. *Rodriquez. tom.* 2. *Summ. capit. S. Diana part.* 2. *tract.* 15. *reſ.* 56.

15. Porrò in eodem capite Concilij Tridentini ſimili anathemati ſubiiciuntur ij, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo ſine iuſta cauſa impediunt. Nomine autem veli aut emiſſionis voti intelligitur profeſſio ſolemnis trium votorum: ſed quia prius habitus ſuſcipi debet ideò, qui ſuſceptionem habitus impediret, etiam cenſuram incurreret. Nota tamen hanc excommunicationem non ligare, eum, qui fœminam ſolis præcibus à religione retrahit, quia præces voluntarium non auferunt ſecus ſi dolo retraheretur: quia dolus voluntarium aufert, & eſt quoddam genus impedimenti. Ita *Sanches lib.* 4. *moral. capit.* 4. *num.* 15. *Suares diſput.* 23. *ſect. ſeptima Filiuc. tractat.* 14 *numer.* 90. *Bonacina tom.* 3. *diſput.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 3.

16. Excommunicatio hæc nona habetur in Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 1. *initio de reform. Matrimony*: his verbis *Tametſi dubitandum*

bitandum non eſt clandeſtina matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe matrimonia, quamdiu Eccleſia irrita non fecit, & proinde iure damnandi ſunt illi, vt eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera eſſe negant, quique falsò affirmant matrimonia à filisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe: nihilominus ſancta Dei Eccleſia ex iuſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit.

Huius cenſuræ primæ materia eſt negare matrimonia ſine Parocho & teſtibus celebrata non fuiſſe valida ante Concil. Trident. Præciſa enim Concilij Trident. prohibitione & irritatione, matrimonium occultè celebratum validum eſt, quia materia ſacramenti matrimonij conſiſtit in contractu, qui mutuo contrahentium conſenſu celebratur: Hinc etiam excommunicatione hac Concilij afficitur, qui aſſerit matrimonium clandeſtinum liberè celebratum in ijs locis, in quibus Concil. Trident. acceptatum non fuit, inualidum eſſe: quia talia matrimonia irritata non fuerunt à Concilio, donec acceptatum fuerit.

Materia huius ſecundæ excommunicationis eſt, aſſerere matrimonia ſine conſenſu parentum celebrata irrita eſſe, aut à parentibus rata fieri, vel irritari poſſe. Validitas enim matrimonij à voluntate parentum non poteſt pendere, cum filij, in ijs, quæ ad proprium vitæ ſtatum pertinent, non teneantur, regulariter loquendo, patri obedire.

EXCOMMVNICATIO IX.

Excommunicationes non reſeruatæ prætermiſſæ in prioribus editionibus huius operis.

Contra,

1. ABorſum procurantes fœtus animati effectu ſecuto. *Hæc excom. eſt modò Epiſcopo reſeruata. Greg. 14. Sedes Apoſtol. 8.*

2. Aſtrologiæ iudiciariæ libros, ſcripta, opera &c. legentes & retinentes, vel Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, aliarumque huiuſmodi diuinationum, vel artis magicæ, aut ſimilis materiæ. *Index librorum prohibitorum.*

3. Quoſcumque præſumentes geſtare habitum per Capucinos deferri ſolitum, vel conſimilem. *Paul. III, Exponi nobis II, Greg. XIII, regularium.*

4. Tertiarios nuncupatos Ordinis Minorum Conuentualium S. Franciſci nuncupatorum in regno Siciliæ degentes habitum eiuſdem pāni & coloris, quo ipſi Fratres Capucini vtuntur geſtantes. *Gregor. XIV. Beati Franciſci II. Greg. XV. Ex iniuncto, 15.*

Capucinos tranſeuntes ad Fratres Minores Conuentuales reformatos, ipſoſque recipientes.

5. Capucinorum ſuperiores admittentes Fratres Minores de obſeruantia ſine licentia Papæ ſpeciali per litteras expreſſa, aut eorumdem Generalis vel Prouincialium miniſtrorum Fratrum de obſeruantia licentia in ſcriptis obtenta. *Sixtus V. Pro ea 20.*

Item contra Fratres Minores de obſeruantia, qui in præmiſſis quoquo modo contrauenerint.

6. Capucinos ad laxiorem ordinem ſine Sedis Apoſtolicæ, ad Carthuſienſem verò ſine Miniſtri Generalis licentia tranſeuntes. *Vrbanus VIII. inuncti. nobis 91.*

7. Præſumentes edere gloſſas, commentarios & annotationes in Decreta Concilij Tridentini. *Pius IV. Benedictus Deus 73.*

8. Commentantes Clementinam *Exiui, de verborum ſignificationibus.* Ibidem.

9. Eos, qui ob quæſtum publicant, vel concedunt indulgentias & facultates abſoluendi à caſibus reſeruatis. *Pius V. Quam plenum.*

10. Omnes, qui recipiunt, ſeu nutriunt apoſtatas religioſos, aut auxilium, conſilium vel fauorem præſtant, ne redeant ad ſuum monaſterium. *Paulus IV. Poſtquam diuina 14.*

11. Nuntios Apoſtolicos, & alios ex quauis cauſa trāſmiſſos ad Imperatorem, Reges, Duces, alioſque Principes, impetrantes ab ipſis litteras aut fauores vocales ad dignitates obtinendas. *Sixtus IV. Etſi Romanum.*

12. Vexantes Inquiſitores, alioſque Sancti officij miniſtros. *Pius V. ſi de protegendis. 82.*

13. Impugnantes in Concionibus aut diſputationibus Montem pietatis. *Leo X. Inter multiplices. II.*

14. Abſoluentes à caſibus in bulla cœnæ contentis. *Bulla cœnæ in fine.*

15. Eos, qui in ciuitate diuerſarum linguarum & rituum, munus adminiſtrandi ſuſcipiunt, ſine conſenſu Epiſcopi. *C. Quoniam de offic. Iud. Ordin.*

16. Sacerdotes, alioſque clericos, dignitatem aut perſonarum habentes, qui legibus aut phyſicæ operam nauant, niſi ab his infra ſpatium duorum menſium deſtiterint. *Cap. ſuper ſpecula ne cler. vel monach.*

17. Clericos intereſſentes agitationi taurorum & ferarum. *Pius V. De Salute gregis. 48.*

18. Fictè reſignantes vel permutantes beneficia. *Innoc. VIII. Sicut bonus.*

19. Alienantes bona Eccleſiaſtica, aut illa retinentes ſine iuſta cauſa & ſolemnitate ac conſenſu Summi Pontificis. *Extrauag. Ambitioſæ de reb. Eccl. non alien.*

20. Mendicantes recipientes nouas domos, vel alienantes iam receptas ſine licentia Papæ. *Clement. Cupientes, de pœnis.*

21. Fratres S. Franciſci de Paula, qui Minimi vocantur, recipientes vel retinentes ſiue licentia Papæ, Fratres Ordinis Minorum de obſeruantia. *Iulius II. Exponi.*

22. Violantes exemptionem Ordinum mendicantiū pro eorum perſonis, bonis, colonis, mercibus & animalibus à ſolutione gabellarum & quarumcumque contributionum, onereque hoſpitandi milites. *Pius V. Dum ad vberes II.*

23. Facientes ſeruari ſtatuta & conſuetudines libertati Eccleſiaſticæ contrarias, vel non facientes deleri dicta ſtatuta de Capitularibus ſuis infra duos menſes poſt ſcientiam eius, &c. *C. noueris. de ſent. Excom.*

24. Magiſtratus & officiales non obedientes Cardinalibus Congregationis Sanctiſſimæ inquiſitionis. *Pius V. Sanctiſſimus I.*

25. Procuratores officij Correctoris Cancellariæ Apoſtolicæ, & litterarum minoris iuſtitiæ, ſeu contradictarum intromittentes ſe in cauſis ipſis interdictis à Pio IV. *Pius IV. Vniuerſi 54.*

26. Legatos, Vice-legatos, Gubernatores, Iudices, Officiales & Cōmiſſarios, qui præſumunt ſe in officijs notariatuum per Cameram venditis, aut vendendis, aut in ſcripturis in præiudicium Notariorum per ſe vel per alios intromittere, aut notarios illa officia ementes vexare. *Pius IV. Superna 83.*

27. Rectores, Gubernatores, alioſque officiales & miniſtros, qui pœna, & mulcta pecuniarias & confiſcationes alteri applicant, quàm Cameræ Apoſtolicæ. *Pius IV. Decet Romanum 43.*

Do-

28. Doctores vniuersitatum, Gymnasiorum & alios facultatem doctorandi habentes, si patiantur aliquem ad Cathedra vel ad gradum aliquem promoueri, non facta fidei professione. *Pius IV. in Sacrosancta.*

9. Deferentes vel deferri concedentes in statu Ecclesiastico arma breuiori mensuræ trium palmorum. *Pius V. cùm vices* 145.

30. Mandantes Christianum aliquem interfici per assassinos, siue sequatur mors, siue non: & extenditur ad eos, qui receptauerint tales assassinos, defenderint, occultauerint. *Cap. pro humano de homic. in* 6.

31. Concedentes repræsalias aduersus personas Ecclesiasticas, vel extendentes concessas. *Cap. vnic. de iniur. in* 6.

32. Eos, qui ausi fuerint impugnare literas Apostolicas concessas à Papa non coronato. *Extrauag. vlt. de sent. excomm.*

33. Fratres Minores strictioris obseruantiæ S. Francisci in Italia Calopodia non reassumentes, Soleasque portantes. *Vrbanus VIII. In supremo* 12. *Hæc tamen constitutio ad eodem Pontifice postea moderata fuit, & indulsit Superioribus Fratrum prædictorum, vt concedere possint licentiã deferendi soleas cum calcaneo vsque ad talos cum fascia vsque ad digitos circiter coopertas senibus, infirmis, & itintrantibus, qui calopodia deferre non valent. Vrban. VIII. Nuper cùm causa ibid.*

34. Extrahentes, seu extrahi permittentes libros, & folia manuscripta bibliothecarum Ordinis Prædicatorum. *Vrbanus VIII. Cùm sicut dilectus.* 54.

EXEMPTIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit exemptio? & quotuplex?*
2. *An iure communi omnes regulares, & alij clerici Episcopis subsint? & an exemptio Clericorum & Regularium à potestate secular sit iuris diuini?* refertur duplex sententia.
3. *An quando eximitur locus exempta sint omnes personæ ad eũ pertinentes, cum domibus & hortis?*
4. *Qua sit forma, qua vtitur Pontifex ordinariè in exemptione concedenda.*
5. *An regulares Mendicantes ab Ordinario citati vt in iudicio comparent, teneantur coram ipso comparere? & quid dicendum quando exemptio non est ita notoria vt illa Mendicantium?*
6. *An regulares possint priuilegio exemptionis renuntiare sine licentia Papæ?*
7. *In quibus casibus exempti subsint Episcopis?*

1. EXemptio importat libertatem, seu eductionem ab aliqua subiectione, aut seruitute, & in proposito nostro, *est quadam liberatio à potestate ordinarij inferioris à Papa, stante subiectione immediata ad Romanum Pontificem. Caput. cùm persona, de priuileg. in* 6. exemptus autem est, qui potitur exemptione, & qui non subest iurisdictioni Ordinarij, cùm solus Papa, vel Legatus à latere, possit cognoscere de causis contra exemptum. Hæc exemptio alia est *personalis*, qua eximitur persona à quocumque iudice sæculari, vel Ecclesiastico, ita vt à nullo delegato iudicari, excommunicari, interdici vel suspendi possit. Alia est *localis*, cùm idem priuilegium datur alicui loco, in eoque habitantibus, vt Ecclesiæ, aut monasterio. Alia est *vniuersalis*, qua Ecclesia vel persona cum vniuersalitate iuris sui spectat ad Papam. Alia est *particularis*, qua locus aut persona eximitur tantùm in parte & in certis casibus. Ita *Syluester verb. Exemptio numer.* 1. *Rodriq. tom.* 2. *quæst. reg. quæst.* 63. *art.* 1. *Laurichius in thesauro v. Exemptio. num.* 2.

2. Iure communi, omnes tam regulares, quàm alij clerici Episcopis subsunt, vnde à priuilegio Summi Pontificis est exẽptio, quam ille potest facere & de facto fecit. *Rodriquez cit. art.* 2. Exemptio autem Clericorum, & regularium à potestate sæculari, secundum quorumdam probabilissimam sententiam est iuris diuini, & nunquam licuit Principibus sæcularibus in eos, & in eorum bona temporalem iurisdictionem exercere iuxta illud Psalmi, *Nolite tangere Christos meos*, & illud Matth. *Filij ergo liberi sunt.* Non est tamen improbabile Clericos, & monachos eximi à potestate sæculari legibus humanis, vt ait *D. Thom. in D. Paul. ad Roman.* 13. quod nulla sit hodie lex diuina obligans, nisi naturalis, & supernaturalis Euangelica.

3. Quando eximitur locus, exẽptæ sunt omnes personæ ad eum pertinentes, cum domibus, & hortis, quæ iuxta eum sunt, ad eiúsque ius spectant exemptis autem personis tantum, non eximitur locus, neque personæ aliæ, quam in litteris priuilegij nominantur præterea exemptio data certo loco, non extenditur ad alium, & certæ rei non extenditur ad alias res, vnde personæ exemptæ propter locum, si quid delinquant extra illum locum puniuntur ob Ordinariis locorum, possúntque coram ipsis cõueniri propter res ipsorum alibi sitas *Panorm. in c. suarum de priuil. Sylues. c. n.* 3. *Larichus c. n.* 3.

4. Forma, qua vtitur Summus Pontifex ordinariè in exemptione concedẽda, est: si per indultum aliquod, quosdam recipiat in proprios Subiectos, aut nominatim eos excipiat ab Episcopi potestate, vel donet eos libertate Ecclesiæ Romanæ, vel in priuilegio exemptionis Papa dicat, Ecclesiam iuris Beati Petri existere, siue ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel si dicat quòd Ecclesia sit libera. *Ca. si Papa. de priuileg. in* 6.

Si autem Papa aliquos sumat in defensionem, vel in proprios filios tantum, non essent exempti à iurisdictione Ordinariorum Ita *Siluester caput. quæst.* 4. *Larichus c. n.* 3.

5. Regulares notoriè exempti, vt sunt Mendicantes ab Ordinario citati, vt in iudicio compareant iuxta, *Rodriquez. tom.* 2. *qq. qu.* 64. *a* 7. non tenentur corã ipso comparere: quia citatio est ipso iure irritta, quamuis fiat absque ope exceptionis, & cum sit à iudice non competente; debent tamen regulares exempti citati comparere, & allegare priuilegio proponendo declaratoriã fori ino si in citatione exprimatur causa, quę fundat iurisdictionem Ordinarij, tenerentur comparere, *Cap. cum persona de priuileg. in* 6. *Sylues. c. n.* 5. *&* 6.

Quando verò exẽptio non est ita notoria, tenentur citati comparere, & allegare priuilegium, & in loco congruo, & securo infra terminum competentem, Ordinario ostendere, & pendẽte rite super validitate priuilegii, non sunt turbandi in possessione sua etiãsi possideant contra ius commune: dummodò ex aliqua probatione, licet non sufficienti ad finale intentum ipsi iustificent possessionem, & si ad exemptionem allegetur sola præscriptio de hac debent exempti fidem facere, præscribitur autem exemptio per quasi possessionem quadraginta annis secundùm *Nauarr. cons.* 8. *de rescrip. n.* 3.

Notandum tamen hic est interpretationem priuilegij Pontificij, non spectare ad Episcopum, sed solum Pontificem prout concesserunt Clemens 4. Prædicatoribus, ac Minoribus, & Paulus 3. Societati IESV. *Collect. compendij Societ. Iesu, tit. priuileg.* §. 1. *&* 4.

6. Cum per exemptionem Summus Pontifex immediatè sibi subijciat regulares, non licet regularibus sine licentia Papæ huic priuilegio in honorem status dato renunciare iuxta quamdam decretalem *Cap. cum tempore* §. *final. de arbitr. Rodriquez. c. articul.* 10. *ex Panormit. in capit. ad Audientiam de præscript.* Imò renuntiatio absque consensu Pontificis irrita erit in quantum præiudicat iuri ipsi competenti: vnde si ex negligentia patiantur exempti, se Ordinarij subiici possunt se tueri ex iure quòd competit Papæ contra quem non præscribitur nisi centum annis.

7. Exempti secundùm pleraque iura subsunt Episcopis in certis casibus.

Primò quando exemptus esset notoriè excommunicatus vel à iure vel ab homine, tunc potest per Ordinarium denunciari, & mandari, vt euiteur *Rodriqu. c. a.* 11. *Larichus c. num.* 6.

Secundò Episcopus potest præfigere terminum exempto delinquenti, infra quem debeat, se præsentare suo iudici.

Tertiò virtute Cõc. Tr. possũt Episcopi exemptis præcipere, co-

gendo illos per censuras, vt honestè secundùm suum statum vestiantur. *Concil. Trid. sess. 14. cap 6. Quartò* non possunt regulares exempti prædicare in Ecclesijs quæ suorum ordinum non sunt, sine licentia Episcopi *Sess. 5. de reform. c. 2. Quintò* religiosi delinquentes extra claustra, possunt ab Ordinario corrigi *Sess. 25. de regul. cap. 14. Sextò* visitatio beneficiorum curatorum, quæ sunt monasterijs exemptis annexa, pertinet ad Ordinarium *Sess. 7. de reform. cap. 7. Septimo* in causis ciuilibus mercedem & miserabilium personarum, regulares extra monasteria degentes, possunt coram Ordinarijs locorum conueniri, ab ijsque, ad soluendum debitum medio iure compelli. *Ibid. cap. 14. Octauo* Episcopi possunt quoslibet exemptos compellere ad publicas processiones. *Sess. 25. cap. 13. de regul. Nonò* exempti debet obseruare interdicta Episcoporum, nisi quatenus per priuilegia sua expressè eximuntur ab eis. Multa alia possunt Episcopi facere contra exemptos, tamquam delegati sedis Apostolicæ. *Cap. nimis prava de excessibus prælat.*

De exemptione. Vide v. *Clericus* n. 3. 4. 10 *Censura* num. 20. 21. *Confessarius* 1. n. 22. *Lex* 111. num. 4.

EXHÆREDATIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit exhæredatio? & in quibus casibus filius aut filia priuari possit hæreditate.*
2. *An filia indigno nubens, parentibus inuitis, iure possit exheredari?* refertur duplex sententia.
3. *An Monachus exhæredari possit à patre, causa ingratitudinis commissa ante professionem?*

1. EXhæredatio *est alicuius à sua substantia vel hæreditate exclusio; & alterius seu alieni institutio Instit. de exhæredat.* In multis verò casibus filius aut filia priuari potest hæreditate. *Primo*, quando percutiuntur parentes iniustè cum lethali culpa, siue parens attingatur lapide, siue iustè, siue alia ratione *Authentica vt cum: de appellationibus*. *Secunda* causa exhæredationis est, si filius grauem parenti fecerit iniuriam & contumeliam, arbitrio iudicis talem dijudicatam. *Tertia* causa, si Patrem accusauit in criminalibus causis, excepto crimine hæresis & lesæ maiestatis, in quo filius Patrem accusare potest; aut contra ipsum ferre testimonium. *Quarta*, procuratio seu attentatio mortis patris etiam effectu non secuto. *Quinta*, si cum incantatoribus vel maleficis hominibus vt maleficus versetur. *Sexta*, si habeat copulam cum nouerca, seu patris vxore, modò non excusetur ignorantia facti. *Septima* si pro persona vel debito parentum fideiubere noluerit, cùm ad id esset idoneus; quod de masculis tantùm intelligitur quia fœminæ impediuntur fideiubere *L. 1. ff. ad senatusconsultum Velleianum*. *Octaua*, si filius sit hæreticus existente patre Catholico. *Nona*, si filius impedierit ne pater conficiat testamentum. Istę causæ cum proportione accommodantur parentibus, ita vt parentes aliquid prædictorum committentes hæreditate filiorum priuari possint. *Decima*, si filius dilapidauerit bona parentum cum graui ipsorum dispendio. *Vndecima*, si absque voluntate patris; officium nimi pretio exerceat, modò pater non sit eiusdem professionis. *Duodecima* si filia minor viginti quinque annis luxuriosam degere vitam elegerit. *Aduertendum* tamen est, prædictos casus locum habere solum dum filius aliunde habet quò se sustentare queat; nam in necessitate positum filium alere tenetur iure naturæ, quod leges ciuiles non tollunt *Syluest. exhæreditas 2. quæst. 2. Couarr. in test. in Cap. Raynutius Clausis reg. lib. 7. cap. 5. num. 5. Molina tom. 1. tract. 2. disputat. 168. Reginald. lib. 20. cap. 3. num. 37. Sanches lib. 4. de matr. disput. 26. num. 1. Azor. 2. part. lib. 2. cap. 3. quæst. 6.*

2. Nonnulli Iurisperiti apud *Sanches c. disputat. 24. Henriq. lib. 11. de matr. cap. 6. num. 5. Bonac. tom. 2. disputat. 6. quæst. vnic. part. 6. §. 3.* affirmant filiam indigno nubentem parentibus inuitis, iure Cæsareo posse ob hoc exhæredari; at tenendum est cum alijs non posse ob hoc exhæredari, nisi simul vitam luxuriosam eligat, non satis autem esset, si semel aut bis copiàm sui corporis furtim filia fecerit; satis autem erit si meretrix fiat, aut in lupanari publico, aut etiam extra locum publicum.

3. Exhæredari non potest monachus à patre, causa ingratitudinis commissæ ante professionem; *Cap. non liceat 19. quæst.* 3. potest tamen pater exhæredare filium matrimonium contrahentem absque eius consensu, etiamsi ante consummationem, religionem profiteatur; quòd quidem locum habet quando ingratitudo, ob quam exhæredari debuit filius, concernebat personam patris, velut si in patrem ceciderit, non autem si directè respiciat solum filium *Rodriq. to. 2. qq. reg. qu 78. art. 2.*

De exhæredatione vide *Testamentum* n. 11.

EXPOSITIVS.

SVMMARIVM.

1. *Expositivus quis dicatur? & an licet exponere infantem ex necessitate?*
2. *An expositus censeatur legitimus?* refertur duplex sententia. *An tales expositivj sint sub conditione baptizandi?*

1. EXpositivus dicitur, infans, seruus, languidus, si dimittatur sine, cura, vel ei negentur alimenta à parentibus, à dominis, vel patronis: vnde solet exponi ante fores templi, aut alio loco, vt à prætereuntibus colligatur, & ad eos, qui alere possint, portetur: illicita est hæc expositio & peccatum graue ob periculum mortis cui exponitur, nisi ita prouidè fiat, vt nullum periculum timendum fuerit *Cap. vnico de Infant. & languid. expositis*. Exponentes exnecessitate, puta, quia illum alere non possunt, excusantur à peccato: hinc in multis ciuitatibus habentur pia loca & prouentus pro eiusmodi expositis; Tamen præfecti piorum istorum locorum, expensas repetere possunt ab his, qui exposuerunt, si habent vnde dare possint. *Sylvester v. Expositus quæst. 1. 2. & 3. Nauarr. cap. 16. num. 48. Laruchus in thesaur v. Expositus num. 1. Layman lib. 3. tract. 3. par. 3. cap. 14. num. 4. Filliuc tract. 28. par. 2. num. 21.*

2. Secundum probabilem opinionem doctissimorum, expositus censetur legitimus, si facta diligentia nihil reperitur in contrarium; vnde non videtur indigere legitimatione & dispensatione, vt ad sacros ordines promoueatur; nec etiam factus regularis videtur indigere dispensatione, vt ad Prælaturam regularem admittatur: Et Turrianus *de censur. lib. 9. disput. 71. dub. 1.* asserit de iure nouo hanc sententiam tenendam esse: nam Gregor. XIV. bulla quadam edita anno 1591. in gratiam confraternitatis pro expositis decernit, vt habeantur pro legitimis, quod etiam testatur Petr. Corneio *in 3. par. tract. 5. de irreg. disputat. 15. dub. 1. num. 4* quamuis consultius sit, ob varietatem opinionem circa hoc, vt minimè ad prælationes regulares admittatur, nisi cum eo priùs, secundùm terminos priuilegiorum regularium, dispensetur. Ita *Suares de censur. disputat. 50. sect. 4. Rodriq. tom. 1. qq reg. quæst. 13. art. 1. Emanuel Sa v. Exitus num. 8. Diana par. 2. tract. 1. misc. ref. 22. & 4. par. tract. 2. ref. 58.* In dubio autem an legitimus sit, secundùm doctrinam *Couarr. in Clement. si furiosus 1. par. num. 9. Vinaldus de irregul. num. 120.* quantum ad Ecclesiastica potest Episcopus dispensare.

Sed dubium est, an tales exposititij infantes, qui reperiuntur apud portas Ecclesiæ, vel Hospitalis, sint sub conditione baptizandi? Resp. affirmatiuè etiamsi scriptum habeant collo appensum quo indicentur esse baptizati, licet multi contrarium sentiant. Ratio est, quia tale testimonium non est ita certum, vt fidem in dubiam faciat. Ergo cùm in casu dubij semper inclinandum sit in fauorem baptizandi, ne periculo exponatur eius salus ob carentiam baptismi; & ex altera parte, examine diligenti præmisso & conditione apposita, non videtur periculum reiterationis baptismi, nec vlla videtur fieri tunc iniuria Sacramento. Et certè non desunt rationes dubitandi de baptismo talium expositorum, cùm ignoretur, à quo & quomodo, siue an debita forma baptismus fuerit collatus: vide non mirum si dicatur hic aliquid ambiguitatis remanere, quę sufficiat ad reiterationem sub conditione. Propterea Synodus Cameracensis statuit tales sub conditione posse baptizari, si res aliter non possit constare. Vt annotauit Marchantius *in ref. Pastoralib. tract. 2. cap. 2. quæst. 4.*

Vide *Adulterium* num. 9.

Ex-

Google

Extrema vnctio I.

Extremæ vnctionis Sacramentum, I.

Quoad eius institutionem, materiam, & formam.

SVMMARIVM.

1. *An sit de fide, dari Sacramentum Extremæ Vnctionis?*
2. *Quid sit Sacramentum Extremæ Vnctionis.*
3. *De materia remota huius sacramẽti, quæ est oleum olivarum ab Episcopo benedictum, & an simplex sacerdos possit ex cõcessione Pontificis consecrare oleum & Chrisma? & de materia proxima, quæ est vnctio ex oleo facta.*
4. *An ad validitatem huius sacramenti, necesse sit vt oleum fuerit eo anno benedictum? & an ex Ecclesiæ vsu oleum non consecratum possit misceri oleo consecrato?*
5. *An Vnctio debeat fieri in modum crucis? & an ex præcepto debeat esse quintuplex.*
6. *An necessarium sit ordinem seruare in vngendis sensibus?*
7. *Quæ sit forma Sacramenti Extremæ vnctionis?*
8. *An forma huius sacramenti proferenda sit modo deprecatiuo? & an sufficeret illam proferre per modum indicatiuum?* refertur duplex sententia.
9. *An in casu necessitatis puta quando est periculum contagij, vel ne infirmus ante moriatur, possit minister vnica actione attingere quinque sensus?*

1. CErtum est ex fide, tùm ex *Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. & sess. 7. can. 1. de Sacram.* cùm ex *Iacobi cap. 5. D. Thom. 3. part. quæst. 29. art. 1. in supplem.* dari sacramentum extremæ vnctionis, quod institutum fuit à Christo; sicut cæterorum sacramentorum auctor fuit: quandonam fuerit institutum non constat, sed perpetua Ecclesiæ traditione, & vsu apud Græcos & Latinos certum est, extremam Vnctionem esse sacramentum à Christo institutum, & secundùm Concil. Trident. hoc sacramentum insinuatum fuit *Marci 6.* vbi Apostoli à Christo missi vngebant oleo multos ægros & sanabant; commendatumque fuit & promulgatum à *D. Iacob.* illis verbis: *Infirmatur quis in vobis* &c. Vide *Suares tom. 4. disputat. 39. sec. 1. Sylu. in suppl. quæst. 29. art. 1. & 3.*

2. Extremæ vnctionis sacramentum, *est signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto, sub præscripta verborum forma, nuncupatæ Christi institutionem ad salutem animæ & corporis.* Comprehendit hæc definitio tùm genus, quia dicitur signum rei sacræ, in quo conuenit extrema vnctio cum reliquis sacramentis, tùm differentiam cùm dicitur *quo aliquæ partes corporis* &c. quia per has particulas extrema vnctio differt ab alijs sacramentis. *Nauarr. cap. 22. num. 12. Regnal. lib. 28. num. 44. Filliuc. tract. 3 num. 68. Sylu. c. art. 1.*

3. *Materia remota* Extremæ vnctionis, est oleum oliuarum, non aliud, ab Episcopo benedictum: quamquam probabile sit sacerdotem simplicem posse de consensu Summi Pontificis consecrare oleum & chrisma. Vt diximus v. *Confirmatio* num. 5. Ratio assertionis est, quia oleum optimè significat effectum huius Sacramenti: nam 1. lenit dolorem: vnde aptè significat alleuiationem infirmi. 2. curat vulnera, & ad intima penetrat: vnde significat remissionem peccatorum, & perfectam curationem vulnerum animæ. 3. significat misericordiam qua maximè tunc indiget infirmus, & gratiam Spiritus Sancti, qua anima ægrotantis inuisibiliter inungitur, vt ait *Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 3. Conuinch. disput. 19. dub. 2. Henriq. lib. 3. cap. 8. Bonacina de Sacr. disputat. 7. punct. 2. Larichius v. Sacramentum extr. vnct. num. 3. Sylueius c. art. 4.*

Sed petes, an per Sacrum Chrisma possit hoc Sacramentum conferri? Responsio est negatiua, quia talem vsum Ecclesia modo non habet: tamen si Sacerdos per errorem vngeret infirmum, non oleo, sed sacro chrismate, videtur probabiliter dici posse nihil esse repetendum, sed rem Domino commendandam, tum quia ibi est verum oleum oliuarum; tum quia plerumque non posset fieri iterata vnctio sine scandalo: tum quia valde probabile est Sacramentum hoc validè conferri in materia sacri chrismatis. Vt docet Layman *lib. 5. tract. 8. cap. 2. num. 3.*

Hoc autem oleum infirmorum quotannis renouandum est, & vetus comburendum in Ecclesia, vel in piscinam injciendum: si verò non sit aliud oleum, nisi vetus potest instante morte fieri cum illo Extrema vnctio, & ad hunc finem seruari debet vetus, quo vsque nouum habeatur.

Materia verò *proxima* est vnctio ex oleo facta: *Ratio* prioris est, Christi institutio explicata in Concilijs Florentino, in decreto Eugenij; & Tridentino, loco citato, & confirmata vsu & traditione Ecclesiæ. *Ratio* posterioris est, quia hoc Sacramentum non consistit in ipsa materia permanente, sed in vsu, sola enim Eucharistia id habet, & confirmatur à simili in alijs Sacramentis, nam proxima materia semper est vsus remotæ, sic in baptismo est ablutio, in confirmatione vnctio.

An autem vna gutta olei sit sufficiens in vnaquaque vnctione ad conferendum hoc Sacramentum, *Suares tom. 4. disputat. 40. sect. 1. Filliuc. tract. 3. cap. 4. num. 78.* asserunt satis non esse vnicam guttam olei stillare, quia il vel non est vngere; vel certè est res aliquo modo dubia, sed oportere partem sensus perfundere. Sed hoc improbant alij & meritò; quia si diffusio necessaria esset, sanè ampulla olei facilè breui vacuaretur: dicendum est ergo, quamuis etiam guttam olei, ad veram vnctionem aliquantæ partis corporis sufficere: quia quod de quantitate aquæ circa Sacramentum baptismi asseritur, hoc etiam de quantitate olei circa hoc Sacramentum asserendum est; sed probabile est vnam guttam aquæ sufficere ad validitatem baptismi; ergo etiam vna gutta olei dicitur vngere. Ita *Tannerus tom. 4. disput. 7. quæst. 1. dub. 1. num. 16. Diana par. 3. tract. 4. ref. 177.* & ego.

4. Ad validitatem huius Sacramenti, non est necesse, vt oleum fuerit eo anno benedictum; ex consuetudine tamen, & ex præcepto, *Cap. Iuteris, de consecratione dist. 3.* debet esse benedictum eo anno; & extra necessitatem oleum alterius anni adhibere, peccatum est; & debet oleum esse simplex, modica tamen admixtio alterius liquoris, non facit vt oleum exuat propriam naturam, imò ex Ecclesiæ vsu, in necessitate oleum non consecratum, misceri potest oleo consecrato, vtrumque enim per admixtionem censetur consecratum, modò quantitas olei adiuncta, sit minor consecrata; nam extrema olei non consecrari ita iunguntur & permiscentur cum extremis olei consecrati, vt simul vtrumque censeatur consecratum. Ita Doctores citati. *Diana par. 3. tract. 4. ref. 176. & par. 5. tract. 3. resol. 90. Possevinus cap. 9. num. 1. Nauarrus c. num. 13. Reginald. c. num. 50. Victorellus de extrem. vnct.*

5. *Vnctio*, ex consuetudine, debet fieri in modum crucis, non est tamen de necessitate Sacramenti, cùm in concilijs & scriptura fundamentum non habeat. *Sylvest. v. vnct. §. 2. Diana part. 3. tract. 4. resol. 178. Henriq. lib. 7. cap. 8. num. 2.* Ex præcepto debet esse saltem *quintuplex* vnctio in quinque sensibus, vt testatur vniuersalis Ecclesiæ consuetudo & communis Theologorum doctrina. Ita *Valentia tom. 4. disputat. 8. quæst 2. D. Thom. 3. par. quæst. 32. art. 5. Suares tom. 4. disputat. 40. sect. 2. Emman. Sa v. Extr. vnct. Reginald. lib. 28. n. 52.* *Ratio* est, quia hoc Sacramentum est institutum ad tollendas sordes, & reliquias peccatorum; & ibi congruè adhibetur, vbi est radix peccati, in quinque autem sensibus sunt radices & origines peccatorum; verbi gratia, in oculis, auribus, naribus, & ore, repetita ad singulos forma: hinc si aliquis ex quinque sensibus non inungatur, inualidum erit Sacramentum: & quando aliquis caret vno membro corporis, verbi gratia, aure, &c. vel est cæcus, vngenda est pars magis propinqua sensui, quia licet exteriùs, non peccauerit infirmus in ea parte, fieri tamen potest, vt peccauerit per potentias illi membro respondentes, vt per voluntatem. *Duæ* aliæ vnctiones in renibus & pedibus, quibusdam in locis adhibentur, licet vnctio in renibus; vel vmbilico, in fœminis sit prætermittenda, propter decentiam & honestatem. *Filliucius c. num. 77. Possevinus c. num. 15. Sacerdotes* autem non vnguntur in palma, sed in superiori versa parte, quia semel in palma fuerunt inuncti, in susceptione ordinis sacerdotalis. *Suares c. sect. 2. & 3. Bonacina c. par. 5. num. 19.*

6. In vngendis verò quinque sensibus, non est necessarium necessitate Sacramenti, ordinem seruare, quia mutato ordine, adhuc completa manet significatio *Sac. num. 12. Filliucius c. num. 79.* Item saluatur significatio huius Sacramenti, per vnctionem vnius organi, vnde necessariò non est vngendum vtrumque organum vnius sensus, verbi gratia, vtraque auris vel manus; ex præcepto tamen est seruanda locorum consue-

tudo,

tudo, quæ multis in locis inoleuit, vt in organis duplex crux adhibeatur ſub vnica forma. Vt docent. *Suares c. diſputatio. 40. ſect. 1. numer. 5. Naldus verb. Extrem. vnct. numer. 2. Concil. Florent.*

7. *Forma Sacramenti Extremæ vnctionis*, tradita in Concilijs Florentino, in inſtructione Armenorum, & *Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. Per iſtam Sanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c.* Si quæ autem aliæ diuerſæ referantur, omnes reducendæ, ſunt ad hunc, quoad ſenſum ſubſtantialem.

8. Ex communi Theologorum ſententia, forma hæc profetendâ eſt modo deprecatiuo, quia datur infirmis, qui egent oratione, & tranſeunt ex foro Eccleſiæ ad forum ſuperius diuinæ maieſtatis, & ideò diuinæ clementiæ commendantur. An autem de neceſſitate huius Sacramenti ſit, vt forma illius proferatur per modum deprecatiuum, nec ſufficiat proferre per modum indicatiuum; dicendo, *Vngo hos oculos oleo ſanctificato, in nomine Patris, &cet.* controuerſia eſt inter Doctores: pro praxi autem *eſt notandum*, de fide certiſſimum eſſe, formam deprecatiuam eſſe ſufficientem ad valorem Sacramenti; indicatiuam autem meritò eſſe dubiam, cùm vnius Sacramenti non ſint duæ formæ totales non æquiualentes. *De eſſentia* formæ huius Sacramenti eſt, vt explicetur materia proxima illius, quæ continetur ijs verbis, *Per iſtam vnctionem:* reliqua autem verba, *Per ſuam piiſſimam miſericordiam:* item *per viſum, auditum, &c.* non ſunt de eſſentia formæ, cùm ſenſus verborum ſit completus, ſubſiſtatque illis omiſſis, ſunt tamen de præcepto, ita vt ſine peccato mortali omitti non poſſint. Vide Doctores citatos. *D. Thom. in 4. diſtinct. 23. queſt 1. art. 4. Philiarcus tomo primo lib. 11. cap. 12. Filliucius tract. 3. num. 80. Suares tomo 4. diſput. 40. ſect. 3. Syluius c. art. 8. & 9. Layman lib. 5. tract. 8. cap. 3. Bonacina c. punct. 3. Reginald. lib. 28. numer. 55. Diana de Sacramentis reſ. 175. p. 3.*

9. Quamuis ad ſingulas vnctiones quinque ſenſuum, præceptum ſit repetendi formam; in caſu tamen neceſſitatis, quãdo nimirùm eſſet, vel periculum contagij, vel vt infirmus ante moriatur, ſub conditione mente concepta, poſſet miniſter vnica actione attingere quinque ſenſus, vngendo vnum oculum, vnam aurem, & vnam manum, &cet. & ſuper hanc totam vnctionem proferre formam, quæ omnes quinque comprehendat, dicendo, *Per has ſacras vnctiones indulgeat tibi Deus, quidquid per viſum, auditum, odoratum, guſtum & tactum peccaſti*, ſic enim faciendo non fit iniuria Sacramento, & proximo poteſt eſſe valde vtile, cùm de attrito poſſit fieri contritus, ſi à parte rei Sacramentum ſubſiſtat. *Aduerte* tamen, in praxi non eſſe facilè recedendum à communi vſu & conſuetudine, niſi aliter poſtulet & cogat euidens neceſſitas: quia quamuis hæc opinio non ſit improbabilis, non caret etiam magna dubietate, an hæc forma ſit ſufficiens, ad valorem Sacramenti; & propterea vti forma dubia relicta certa in Sacramentorum collatione, peccatum eſt mortale, niſi neceſſitas excuſet. *Villerellus de extrem. vnct. Suares d. 40. ſect. 3. Bonacina c. Tamburinus de iure Abbat. tomo 2. diſput. 7. quæſt. 1. Poſſeuinus c. num. 19. Diana tract. de Sacramentis reſolut. 168. & part. 5. tract. 3. reſol. 80. 89.* Imò tempore peſtis. *Syluius 3. p quæſt. 32. artic. 6. quæſt. 2. in ſuppl. Layman lib. 5. tract. 8. cap. 3. Coninch d. 19. dub. 3.* probabile putant, poſſe ſacerdotem, inungere vnam tantùm partem, dicendo conſuetam formam, quorum ſententiam approbarunt Theologi Louanienſes, anno 1589. & 1593. vt teſtatur Octauius Tricaricenſis nuncius Apoſtolicus in Germania in ſuo Directorio impreſſo Coloniæ anno 1597. *tract. de Extrem. vnct. num.* 10. Vnde in Paſtorali Mechlinienſi & Rurenundenſi anni 1589. ita Decretum eſt. *In morbis contagioſis & peſte graſſante, vt periculum vitetur, ſufficit vnngi ſenſus organum ad vnctionem magis expoſitum aut detectum; dicendo. Per iſtam Sanctam vnctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid deliquiſti per viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum & greſſum. Et tunc preces, quæ prætermittende & ſubiungendæ forent, poterunt in Eccleſia coram venerabili Sacramento deuotè legi.*

Verùm, vt rectè animaduertit Mercerus *in ſupplem. 3. parte quæſt. 32. art. 5. 6. & 7.* in Paſtorali Mechlinienſi impreſſo anno 1607. cenſetur corrigi (quia omittitur) quod anno 1589. decretum fuit cap. 9. de Extrema vnctione, *In morbis contagioſis, &cet.* & in ſuum Directorium tranſtulit Octauius Tricaricenſis. Hinc veriſimiliter neque valida neque licita eſt vnctio, etiam in neceſſitate, in qua vel non nominantur ſigillatim omnes ſenſus, vel non repetitur quinquies, *Per iſtam ſanctam vnctionem, &cet.* vel inungitur ſolum caput, vel ſolum alter oculorum.

Hunc enim ritum vngendi cùm Eccleſia Romana non receperit, & pauci admodum, aut fortè nulli vſurpauerint, non obſtantibus argumentis in contrarium, & authoritatibus ſynodorum particularium, ſignum eſt nec valere, nec licere, & eſſe contra Chriſti inſtitutionem, aut ſaltem eſſe dubium; ordinarium verò ritum cum Eccleſiæ vniuerſalis conſuetudo receperit, neque inueniatur eius initium, tanquam ab aliquo Pontifice vel Concilio inſtituti, ex Apoſtolica traditione & Chriſti inſtitutione deſcendere exiſtimandum eſt, iuxta regulam traditam à D. Auguſt. *lib. 4. contra Donatiſt. cap.* 24. Hæc ille: cui ſubſcribit Capeauilla *de Sacram. c. 5. q. 30.*

Porrò ſacerdos tempore peſtis ad contagionem vitandam poteſt infirmum vngere virgula argentea, aurea, vel lignea, &cet. verè tamen oleo tincta, ſic vt perficiatur vnctio. Peracta autem vnctione, virgam eiuſmodi aut purgabit, ac in ſimilem vſum ſeruabit, ſi aurea vel argentea ſit propter reuerentiam Sacramenti, vel igne comburatur, ſi ſit lignea. Ita Syluius *in ſupplem. 3. p. q. 32. art. 3.*

Extremæ vnctionis Sacramentum II.

Quoad eius miniſtrum & ſuſcipientem.

SVMMARIVM.

1. *An miniſter neceſſarius huius Sacramenti ſit ſolus ſacerdos? & quidem proprius. Et an religioſus adminiſtrans hoc Sacramentum ſine licentia parochi, incidat in excommunicationem?*
2. *An vrgente neceſſitate validè conferatur hoc Sacramentum à pluribus ſacerdotibus partialiter?*
3. *An Parochus teneatur ex iuſtitia fidelibus ſibi ſubditis hoc Sacramentum miniſtrare? & an alij deficiente parocho teneantur ex charitate?*
4. *An ſolus homo, viator, baptizatus, & ratione vtens, de vita periclitans, corporeque infirmus, ſit ſuſcipiens hoc Sacramentum? & qualis intentio requiratur ad hoc Sacramentum ſuſcipiendum? An hoc Sacramentum fuerit collatum B. Virgini?* Refertur duplex ſententia.
5. *Quando debeat hoc Sacramentum adminiſtrari? & qualis diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente?*
6. *An ſecluſo ſcandalo & contemptu peccatum mortale ſit, hoc Sacramentum non ſuſcipere?*
7. *An ſit peccatum mortale conferre hoc Sacramentum ante Pœnitentiam & Euchariſtiam?*
8. *An religioſi poſſint conferre hoc Sacramentum familiaribus & ſeruitoribus ſuis.*

1. *Miniſter neceſſarius* Sacramenti Extremæ vnctionis, & ad eius valorem, eſt ſolus Sacerdos, quamuis excommunicatus, vel degradatus: & eſt de fide, vt conſtat Iacobi 5. *Inducat Presbyteros Eccleſiæ*. Et in nullo caſu, etiam extremæ neceſſitatis, ſecundùm communem Theologorum ſententiam, inferior Sacerdote habet poteſtatem adminiſtrandi hoc Sacramentum, quia in rebus ſpiritualibus fundatis in inſtitutione Chriſti, non licet addere exceptionem, ſine auctoritate, aut ratione euidenti: *Non poteſt* tamen licitè quilibet Sacerdos Sacramentum hoc adminiſtrare, niſi habeat iuriſdictionem, & ab Eccleſia non impeditam, vnde qui non eſt proprius Sacerdos, & adminiſtrat hoc Sacramentum, grauiter peccat, ſi ſine licentia parochi id fiat. *Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. D. Thom in ſupplem. quæſt. 31. art. 2. Suares d. 43. ſect. 1. num. 5. Reginaldus libr. 28. num. 60. Coninch d. 19. dub. 9. Syluius in ſupplemen. quæſt. 31. art. 1. & 2.*

Imò religioſus exemptus Sacramentum extremæ vnctionis adminiſtrans, ſine licentia parochi, vel ſine priuilegio Sedis Apoſtolicæ, incidit in excommunicationem *Clement. 1. de priuileg.* in neceſſitate tamen, vt quando infirmus eſt morti proximus,

Extrema vnctio II.

simus, cum ratihabitione parochi posset religiosus hoc Sacramentum conferre, absque periculo excommunicationis, quia tunc præsumitur consensus & licentia Episcopi vel Summi Pontificis. *Henriques lib.3. cap.13. num.4. Navarr. cap.27. num.101. Diana part.5. tract.3. resolut.82. Valent.to.4. d.8. quæst.1. part.2.*

Verùm secundùm *Sotus in 4. distin.23. quæst.2. artic.1 Suares t.disput.44. sect.2.* non requiritur talis præsumpta ratihabitio, ad excusandum religiosos, si hoc Sacramentum laicis, imminente iam morte, conferrent: quia non est verisimile Ecclesiam velle priuare infirmum hoc Sacramento, & consequenter, nec in extrema necessitate cuiquam prohibere, quin illud possit administrare; vnde fit vt hoc idem procedat, si Parochus nollet expressè, nec per se, nec per alium tale Sacramentum ministrare: dummodo scándalum vitetur, & constet Parochum id nunquè agere. Ratio est, quia eo casu non censetur vsurpatum ius alterius, sed defendi innocentiam. Facit ad hoc priuilegium à *Sixto IV.* concessum fratribus Minoribus, relatum à *Tamburin. de iur. Abbat. tomo 2. disput. 7. quæst. 2.* & habetur in Monum. Ordin. *vt scilicet possint administrare Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ vnctionis illis, quorum confessiones audierint, quando Rectores, seu Curati eorum malitiosè aut sine rationabili causa denegauerint, seu distulerint illa ipsis administrare, & voluit quòd super hoc stetur assertioni eorumdem confessorum, vel pœnitentium.*

2. Vrgente necessitate, validè confertur hoc Sacramentum *Extremæ vnctionis*, à pluribus Sacerdotibus, partialiter sic cõcurrentibus, vt vnus vngat vnam partem, & alius aliam independenter ab alio, prolata in singulis vnctionibus debita forma; talis autem *necessitas* est, si Sacerdos post peractas aliquas vnctiones moriatur aut propter aliquod impedimentum, omnes prosequi nequeat. Ratio est, quia cùm hoc Sacramentum habeat plures partiales materias, & formas, quarum singulæ habent suam particularem significationem, per ordinem ad suũ effectum, quamuis à pluribus conferatur, ideò non requirit necessariò vnitatem ministri; *Extra* verò necessitatem, non potest absque peccato mortali, à pluribus Sacerdotibus hoc Sacramentum administrari, quia esset contra vsum & praxim Ecclesiæ in re graui. Immò, quia est tantùm probabile & non certum, validum esse hoc Sacramentum, à duobus collatum, cuius esset ab altero vnctiones repeti, perinde atque si prior ille nihil earum inchoasset; & maximè, si mora inter singulas vnctiones factas à duobus interposita, tanta esset, vt obstare posset validitati Sacramenti. Ratio est, quia id infirmo multo est vtilius, cùm sic Sacramentum certissimè recipiat. Ita communiter Doctores. *D. Thom. c. apud Suares cit. sect.2. num.5. disp.43. Filliuc. tr.3. n.91. & seq. Sa v. Extrem. vnct. n.11. Bonac. c. punct. 4. num.7. Reginaldus c. num.62. Toletus lib.7. cap.2. Prapositus 3. part. q. vnic. de sacr. Extrem. vnct. dub.5. n.37.*

3. Minister ex officio huius Sacramenti parochus, tenetur ex iustitia fidelibus sibi subditis, Sacramentum hoc ministrare. *Navarr. c.25. num.131. Suares d.43. sect.2. Filliucius tract.3. nu. 96.97. & seq. Sylvius c. quæst.32. art.3. concl.3.* quia tenetur oues suas pascere, ordinaria remedia salutis præbendo, quando opportuno tempore requiruntur; vnde si in hoc notabiliter sit negligens, cum periculo infirmi, peccat mortaliter, & deficiente parocho, tenetur Episcopus id præstare per seipsum, vel prouidere ouibus de alio. *Aliq* autem ratione necessitatis infirmi, & deficiente parocho, tenentur ex charitate etiam sub mortali; vnde tempore pestis magis obligatur pastor, quàm alius non habens tale munus, & non potest fugere, sed adesse tenetur per se, vel per suum Vicarium, vt Sacramentum confessionis, & viaticum etiam cum periculo vitæ administret; Extremam vnctionem tenetur etiam administrare, si id potest sine morali periculo vitæ; aliàs non tenetur, quia non est sacramentum necessitatis, & sufficienter prouidetur necessitati infirmi, per confessionem & Eucharistiam. *Suares d.44. sect.3. Diana par. 5. tract.3. resol.85. & par.3. tract.4. resol.174.*

Admittetamen ex *Sylvius c. quæst.32. concl.2. & 4. Sanctius in select. disp.27. num.16.* quando contingit infirmum non potuisse recipere, neque Sacramentum pœnitentiæ, neque Eucharistiæ, tunc Parochus debet, etiam cum certo vitæ periculo, Extremam vnctionem administrare; fieri enim potest vt infirmus percepto hoc sacramento saluetur, qui alioquin esset damnandus; puta si antea non fuisset perfectè contritus, & certum esset infirmum, peccatum mortale habere aliàs non confessum.

4. *Suscipiens hoc sacramentum*, iuxta *D. Thom. in 4. distinct. 23. quæst.2. art.2. Conincb d.19. dub.7. Possenin. cap.9. Reginald. lib.28. cap.11. Lorichius verb. sacr. Extrem. numer.8. Filliucius c. num.101. & seq. Henriques lib.3. cap.11. Suarez d.42. section. 2. Navarr. cap 22. num.13. Bonacina c. punct.5. Sylvius cit. quæst. 32. art.1.2.3. & 4.* solus est homo viator, baptizatus & ratione vtens; de vita periclitans, corporeque infirmus; vnde parientes cum periculo mortis, capaces sunt huius sacramenti, sicut & lethaliter vulnerati, aut qui potarunt venenum, peste percussi; morsu viperarum læsi, rabidi homines, decumbentes periculosè ob senectutem, item phrenetici, possunt recipere hoc sacramentum, si ante phrenesim illud optauerint & præmiserint saltem actum attritionis. *Denique* omnibus illis conferri potest hoc sacramentum, qui habuerunt intentionem saltem interpretatiuam illud suscipiendi, qualem habent qui Christiane vixerunt; non est autem necessarium, vt actualiter aliquando peccauerint, sed tantùm vt potuerint peccare; quia peccatum actuale, non est materia proxima vel remota huius sacramenti, sicut est pœnitentiæ, & ideò quamuis non præcesserit, poterunt omnia essentialia sacramenti adhiberi, & conferret suum effectum. *Infantes*, perpetuò amentes à natiuitate, mortui, infideles, sani, imò & infirmi, qui nondum existunt in periculo mortis, secundùm probabilem sententiam, gerentes bellum, aut existentes in mari cum periculo mortis, damnati ad mortem per supplicium à iudice, mulieres in partu existentes, sine tamen periculo; hi omnes non possunt recipere hoc sacramentum & sunt illius incapaces. Licet quidam Doctores apud *Diana part.3. tract.4. resol.181. & tract.6. resol.89. & p.5. tract. 5. resol.85.86.* quos ipse citat & sequitur, doceãt, omnibus pueris capacibus sacramenti pœnitentiæ, atque adeò omnibus post septennium, nisi constaret carere vsu rationis, dandam esse Extremam vnctionem, licet non recipiant, nec sint idonei ad recipiendam Eucharistiam. *Layman lib.5. tract.8. cap.4. numer.2. Prapositus 3. part. quæst. vnic. de Extrem. vnction. dub.7. numero 57.* apud Sanctium *in selectis disput.27. num.6.* qui docet peccare Parochum, per se loquendo, qui non administrat vnctionẽ sacram puero habenti vsum rationis ad peccandum, quamuis ob defectum ætatis nunquam susceperit Eucharistiam; quamuis per accidens ratione ignorantiæ aut consuetudinis, si alicubi sit, possit excusari; & infert idem Auctor *num.11. & 12.* quod hoc sacramentum potiùs ministrandum est puero, qui nũquam communicauit, quàm adulto in eadem necessitate existenti, qui suscepit Eucharistiam; immò si puer sacramentum pœnitentiæ non suscepisset, idem non auderet absque vnctione relinquere illum, licet nunquam suscepisset Eucharistiam. *ibid. num.15.*

Præterea etiam adulti, in periculo mortis statim post baptismum susceptum, sunt capaces huius sacramenti; & ratio est, quia hoc sacramentum habet duplicem proprium, & infallibilem effectum; vnus est, auxilia, quibus homo potest in illa extrema luctu corroborari; alter est, remissio peccati, ita vt hi effectus sint disparati, & vnus ab altero non dependeat, possitque vnus conferri ei, qui non sit alterum recepturus; quisquis autem est capax alterutrius, est capax sacramenti; cum ergo is, qui nunquam peccauit, potest tamen peccare, per intrinsecam dispositionem, possit recipere auxilia, quibus possit corroborari, potest hoc sacramentum recipere, ergo, &c. *Mercerus tract. de Extrem. vnct. in supplem.3. part. quæst.32. art.4. Diana p.3. tr.4. ref.172.*

Sed dubium est, inter Doctores, an hoc sacramentum ministratum fuerit B. Virgini? Affirmant *Suares tom.4. disputat. 42. sect.2. Estius in 4. dist.23. §.13. Filliuc. tr.5. cap.6. nu.108.* & alij. quia corroborari; potuit gratia Dei aduersus tentationes Dæmonis, non minus ac si passura illas fuisset. Quod etiam decuit propter ipsum sacramentum, ne scilicet despici videretur, tum propter fructum, tum propter exemplum. Nec hoc est magis indecens, aiunt, quàm quod B. Virgo fuerit baptizata, quandoquidem etiam baptismus datur in remissionem peccati. At quia non significat remissionem, vt necessariò actualiter fiendam, sed solum collationem gratiæ de se sufficientis, & ordinatæ ad peccatum expellendum, ideò in virgine locum habere potuit.

Contrarium tamen aliis placet, & meritò; quia non decebat, quòd respectu B. Virginis audiretur illa vox, *Indulgeat tibi Deus quodquid peccasti, &c.* Nec extabat præceptum de vnctione suscipienda saltem in publico, sicut de baptismo. Vnde

absque

absque fractione legis vnctione non indigens, poterat non susceipere. Deinde cùm propriùs, & primarius effectus sacramenti vnctionis non solùm sit remittere venialia quæ actu insint, sed etiam reliquias peccatorum, quæ ex præcedentibus peccatis remansere; fit, subiectum quod nunquam peccauit, inhabile esse ad hoc sacramentum, sicut amens à natiuitate. Tum quia propter effectum secundarium, scilicet, augmenti gratiæ, non est ministrandum sacramentum subiecto inhabili respectu primarij. Tum quia forma baptismi non adeò explicitè exprimit suscipientem baptismum peccasse, ac forma vnctionis. Tum quia baptismus est ianua sacramentorum, quapropter licet peccato careat originali illum recipiens, eo nihilominus indigebit ad prædictum finem. Et huius sententiæ sunt *Vasques 3. part. tomo 2. disput. 119. cap. 8. Victor. num. 212. Nugnus in supplem. 2. part. quæst. 32. art. 2. diffic. 2. Sancius in select. disp. 27. nu. 19. & 20.*

5. *Sacramentum* extremæ vnctionis administrari debet, si fieri potest, quando infirmus adhuc rationis vsu gaudet, vt se magis ad fructum sacramenti disponat, & ideò non expectandum extremum vitæ periculum, quo omninò eius sit desperata salus; & si moriatur infirmus dum vngitur, debet sacerdos ab vnctionibus desistere, quia sacramentum datur viatori, & non mortuo; si autem sit dubium, an sit mortuus, sub conditione, si adhuc viuit, est administrandum sacramentum, ne subiecto incapaci illud conferatur. *Catechism. Roman. c. 8. Syluester v. Extrem. vnct. num. 5. Sa v. Extrem. vnct. numero 15. Possevinus c. num. 19. Diana p. 5. tr. 3. res. 95.*

Dispositio ad recipiendum hoc sacramentum cum fructu, non eadem sufficit, quando recipitur ab eo, qui est compos rationis, ac quando recipitur ab eo, qui non vtitur ratione: *quia* infirmus compos mentis, & habens conscientiam peccati mortalis, tenetur elicere actum contritionis, quia aliàs poneret obicem ad gratiam; in priuato autem rationis vsu sufficit attritio. *Henriques lib. 5. cap. 10. num. 2. Nugnus quæst. 32. articul. 3. Sylvius c. ar. 4. quæst. 2.*

6. *Secluso scandalo* & contemptu, sacramentum Extremæ vnctionis non recipere ante mortem naturalem, non est peccatum mortale, per se loquendo, *quia* nullum extat præceptum obligans sub mortali, ad hoc Sacramentum suscipiendum; vnde qui ex negligentia illud omittit, non peccat mortaliter. Vt docent *Suares c. d. 44. sect. 1. Sa c. num. 5. Sylvius c. artic. 4. quæst. 1. Diana part. 5. tr. 3. resolut. 97. Coninch d. 19. dub. 10.*

7. *Quamuis* vtile receptum sit, vt ante administrationem extremæ vnctionis, conferantur infirmis Sacramenta pœnitentiæ & Eucharistiæ, non videtur tamen peccatum mortale, talem ordinem immutare, si id minimè fiat ex contemptu. *Suares c. num. 8. Diana p. 5. tract. 3. resol. 92. Bonacina c. part. 5. num. 15. Filliucius tract. 3. num. 114. Henriques c. cap. 10. Barbosa de offic. paroch. cap. 22. num. 36. Sa c. num. 3. Reginald. cit. numero 74. 75. quia* aliquando fieri potest; vt quis extremam vnctionem recipere possit, non verò pœnitentiam vel Eucharistiam, & ideò in praxi retinenda est consuetudo, qua prius infimo administrantur pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, quàm Extremæ vnctionis, nisi quem infirmitas sic opprimat, vt nulla dans signa, non possit confiteri, & multò minùs Eucharistiam sumere: *vnde* quando timetur non futurum tempus, pro omnibus tribus Sacramentis suscipiendis, primò omnium facienda est confessio integra de omnibus mortalibus, postea præmittenda est Eucharistiæ sumptio Extremæ vnctionis sumptioni, quia præceptum suscipiendæ pœnitentiæ & Eucharistiæ obligat in articulo mortis.

8. Ex multis priuilegiis Summorum Pontificum, licet religiosis ministrare Sacramentum Extremæ vnctionis familiaribus, seruitoribus & aliis degentibus intra septa suorum monasteriorum. Ita concessit *Eugenius IV.* Fratribus Minoribus obseruantibus Prouinciarum Regni Castellæ. Idem concessit *Clemens IV.* eisdem Fratribus Minoribus; vt his, qui in eorum obsequijs commorantur, cuncta liberè ministrare possint Ecclesiastica sacramenta, & ipsos cum decesserint in eorum monasteriis sepelire.

Quinam autem veniant nomine familiarium; dicendum est, frequentiori vsu, dici familiares alicuius, illos, qui ei aliquo modo inseruiunt, & commensales sunt, & cum eo regulariter cohabitant: vt pluribus demonstratum est *v. Confessarius 3. num. 5.* in fine. Et docent *Rodriques tomo 2. qq. reg. quæst. 67 art. 1. Compend. priuil. mendicant. v. Familiares §. 10. Tamburin. de iure Abbat. to. 2. disp. 7. quæst. 3.* Qui etiam refert quãdam concessionem factam Benedictinis Hispaniæ, *vt possint ijs, scilicet, qui intra septa Monasteriorum, seu domorum Religionis infirmati fuerint, Extremam vnctionem Apostolica auctoritate liberè, & licitè, Parochialis Presbyteri, vel alterius cuiuscunq; Episcopi licentia, vel assensu nullatenus requisita ministrare.* Habetur etiam hoc priuilegium *in Compend. priuileg. Mendic. verb. Vnctio Extrema §. 1. & in Compend. Societ. eod. verb.* in quo solùm requiritur, vt intra septa Monasterij aliquis ægrotet; nec fit aliqua mentio familiaritatis, obsequij, vel seruitutis. Verùm hac concessione non licet vti post bullam S.D.N. Vrbani VIII. quamuis Pius V. viuæ vocis oraculo absolutè & sine limitatione declauerit, vt huiusmodi gratiæ pro foro conscientiæ non censeantur derogatæ, nec restrictæ per Concilium Tridentinum: reuocantur enim in prædicta Bulla *Aliàs felicis* 20. *Decemb.* 1631. omnia viuæ vocis oracula gratias continentia, vt intra dicetur *verb. priuilegium* 1. n. 8.

Vide *Interdictum* 2. n. 8. *sacramentum.*

Extremæ Vnctionis Sacramentum III.

Quoad illius effectus & ritus,

SVMMARIVM.

1. *Triplex recensetur effectus huius sacramenti.*
2. *An effectus partialis gratiæ detur in singulis vnctionibus?* refertur duplex sententia.
3. *An hoc sacramentum sit iterabile.*
4. *Quæ sint ritus & cæremoniæ, quibus administrandum est hoc sacramentum.*

1. TRiplex est effectus Sacramenti Extremæ Vnctionis. *Primus.* est, tollere reliquias peccatorum, id est, peccata mortalia vel venialia, quæ interdum relinquuntur post alia Sacramenta, vel quia sunt post illa & non aduertuntur, vel quia non sunt expiata, per præcedentia Sacramenta malè suscepta, & hoc ignoratur. *Secundus* est, subleuare infirmum à corporali ægritudine, sanitatemque conferre, si animæ saluti expedierit. *Tertius* est gratia habitualis, non solùm sanctificans, verùm etiam habens adiuncta specialia auxilia, ad expellendas habitudines & procliuitates ad malum, ortas ex peccato originali, *denique* proprius effectus est, corroboratio infirmi contra omnia mala, quæ mortis tempore occurrere solent. *D. Thom. in 4. disput. 23. quæst. 1. art. 2. & 3 part. quæst. 30. art. 2. Suares disput. 41. sect. 1. Valent. tom. 4. disput. 8 q. 1. p. 3. Reginald. lib. 28. n. 57. 58. Filliucius tract. 3. num. 124. Lorichius v. sacramentum Extrem. vnct. n. 5. Sylvius in suppl. q. 30. art. 1. concl. 2.*

2. Etsi probabile sit, iuxta *Adrian. Medin. Ledesma apud Suares c. sect. 2. num. 6.* & alios dari effectum partialem gratiæ in singulis vnctionibus, quia idem fit in Eucharistia, sumendo Corpus & Sanguinem, & in ordine, in singulis ordinibus. Probabilius tamen est, dari effectus huius Sacramenti, quando perficitur vltima vnctio cum sua forma essentiali; quia peccatum vnius sensus, non remittitur sine peccato alterius, & omnes vnctiones institutæ sunt ad eumdem effectum completum, & ordinantur ad vnam integram, totius hominis vnctionem. *D. Thom. Sotus Palud. apud Filliucium c. num. 126. Diana par. 3. tr. 4. resol. 179.*

3. Hoc sacramentum est iterabile, cùm non imprimat characterem; & patet ex vsu seu praxi fidelium. Ratio est, quia hoc sacramentum est medicina, non solùm contra infirmitatem animæ, sed etiam corporis, si illa expediat; quocirca recurrente periculo mortis repetenda est medicina; non tantùm in diuersis morbis sed etiam in eodem diuturniore, si morbi status mutetur: vt si postquam inunctus, qui mortis periculum euaserat, in idem rursus incidat, potest secundò inungi: quia potest de nouo roborari contra diabolicos insultus & præparari ad egressum ex hac vita, & ad ingressum cælestem. Non est autem necessarium, quòd infirmus recuperet sanitatem, & postea incidat in similem, vel alium morbum, & simile periculum, sed satis est, si manente, infirmitate, euadat periculum mortis, & post aliquod tempus, iterum incidat in periculum mortis;

mortis; quod relinquitur iudicio prudentis viri. Tunc enim toties quoties hoc accidit, potest iterari hoc sacramentum, vt infirmus habeat leuamen in articulo mortis. Quando autem infirmitas non est diuturna, & vnum tantùm est periculum mortis, non debet hoc sacramentum iterari. *D. Thom. in supplem. quæst. 33. art. 1. & 2. Sylvius ibid. Concil. Trident. sess. 14. cap. 3. de extr. vnct. Suarez 3. part. tom. 4. disput. 40. sect. 4. num. 4. & seq. Petr. Ledesma tr. de sacram. Extrem. vnct. cap. 8. Tannerus t. 4. disput. 7. quæst. 1. num. 14. Victor. in Sum. nu. 224. Henriq. l. 3. cap. 9. num. 4.*

4. *Ritus* & cæremoniæ, quibus administrandum est hoc Sacramentum, peti debent ex rituali cuiusque Episcopatus; nia tamen hic notanda sunt. *Primum* est, non opus esse adhibere alium ministrum qui respondeat, nisi aliter constitutum sit per statuta Episcoporum. *Secundum*, extra periculum peccare Sacerdotem, qui administrat hoc Sacramentum prætermissis orationibus, nam orationes necessariæ sunt ex præcepto Ecclesiæ; licet septem psalmi pœnitentiales non sint de præcepto, nisi aliter alicubi decernatur. *Tertium*, dum periculum est in mora, posse sacramentum hoc conferri, nondum recitatis psalmis & orationibus, supplendæ tamé eruntpostea orationes prætermissæ, si administrato sacramento infirmus adhuc superstes maneat. *Possevinus c. num. 11. Bonacina c. punct. 6. num. 7. Suarez disput. 44. sect. 2. Henriq. c. cap. 8. & 12. Lericinus c. n. 10. Tannerus t. 4. disp. 7. 4. 1. num. 85.*

F.

FALSARIVS.

SVMMARIVM.

1. *Quis sit dicendus falsarius?*
2. *Enumerantur varij casus quibus crimen falsi committitur.*
3. *Quæ pœna olim fuerit decreta pro crimine falsi?*
4. *An licitum sit amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. similem confingere?*

1. *Falsarius* est, qui crimen falsi committit, quod consistit in peruersione veritatis cum dolo & alterius iactura; vnde tria ad hoc crimen requiruntur, & si vnum defecerit, non est punibile. *C. ad falsarium, de crim. falsi. Sylvest. verbo Falsarius num. 1. Primò*, est veritatis immutatio. *Secundò*, dolus operantis. *Tertiò*, vt alteri inde damnum proueniat.

2. *Falsi* crimen committit *primò*, qui sine legitima authoritate monetam cudit, nam tale hominis factum, falsationem continet, dolum & iacturam Principis. *L. 2. & 3. C. de falsa moneta. Secundò*, qui falsam monetam cudit, videlicet, pondere iniquo, vel materia adulterina. *L. Quicumque, ff. ad legem Corneliam, de falsis. Angelus v. falsarius §. 8. Layman lib. 3. tract. 2. par. 1. cap. 5. num. 5. Covarr. de collat. veterum numismatum cap. 8. num. 3. 4. & 5. Molina tom. 3. poster. tr. 2. disput. 700. 701. & 702. P. Navarr. lib. 3. cap. 1. num. 312. Navarr. cap. 17. nu. 168. & 169. Rosella v. falsitas num. 5. Diana tract. 6. misc. resol. 55. par. 3. Tertiò*, qui de iusto pondere monetæ detrahit abscindendo, radendo; *tamen* si aliquid detrahatur monetis, quæ iustum pondus excedunt, & id fiat publica authoritate à monetarijs, culpa vacat, si verò fiat à priuato, verisimile est talem, vt fraudatorem ac falsarium puniri posse, quia monetæ publicæ priuata auctoritate detrahit, cum damno communitatis. *Quartò*, falsi crimen committit, qui adulterinæ materiæ nummos, puta stanneos, plumbeos tingit, seu colorat, vt appareant aurei, vel argentei. *Quintò*, qui falsas monetas, puta stanneas, aut plumbeas, pro argenteis scienter expendit, nihil obstante quòdante, etiam ab alijs deceptus fuerit; sed etsi bona fide seu ignoranter aliquis expenderit, tenetur ad restitutionem ei qui læsus fuit: imò peccat & puniri potest ille, qui nummum adulterinum alteri donat scienti ac consentienti, quem probabiliter scit eo animo accipere, vt alium decipiat, quia cooperatur ad multas falsationes inde secuturas. *Sextò*, qui testamentum, codicillum, aliud ve instrumentum vel scripturam immutat, supprimit. *L. quod sit ff. eodem. Septimò*, qui alienas literas dolosè aperit ac legit, cum alterius iniuria vel damno iniusto; secus si interueniat iusta illas aperiendi causa, puta si id fiat iure belli, aut iustæ defensionis causa contra inimicum insidias molientem, & vel si aperiens illas sit prælatus, aut pater illius ad quem mittuntur. Item, qui aperit literas alienas, vt eas ostendat aduersario mittentis: ex quo sequitur, quod procuratores & aduocati, qui iura partis ostendunt aduersario, possunt puniri pœna falsi; sicut & secretarij, vel scriptores, vel collegæ Prælatorum, qui in visitationibus generalibus, & prouincialibus ostendunt depositiones fratrum illis, contra quos sunt factæ, & deponentium nomina notificant, quod est valde notandum, vt docet Peyrinis *to. 1 q. 2. cap. 2. §. 13.* Item, qui non restituit literas ei, cui reddere mandatum accepit, sed alteri pandit, licet non aduersario mittentis, & mortaliter peccat contra fidem promissam. Item, qui literas alteri destinatas lacerat, & comburit, quasi crimine falsi potest puniri. Vide v. *Casus reseruatus* num. 40. §. 11. & v. *Secretum* num. 7. *Octauò*, venditor, qui falsis ponderibus vel mensuris vtitur, vel materiam adulterinam minus vtilem mercibus admiscet. *L. penult. ff. ad legem Cornel. de falsis. Nonò*, qui alienum partum alicui supponit. *L. 30. ff. eod. Decimo*, qui falsum profert testimonium, falsum testem in iudicium producit, aut qui iudicem corrumpit, aut qui existens aduocatus parti aduersariæ causam prodit. *L. 13. ff. eod. Vndecimò*, qui signum adulterinum fecerit, vel sculpserit; qui alienum chirographum imitatus fuerit; & qui rationes, tabulas, vel instrumentum aliquod rasura falsarit, aut signum amouerit. *L. 1. ff. eod.*

An autem qui bona fide expendit monetam falsam teneatur ad restitutionem, *Sylvest. v. falsarius quæst. 6.* & *Angel. ibid. §. 4.* asserunt, quòd ignoranter accipiens falsam monetam & scienter expendens; tenetur damnificato ad restitutionem. Igitur ex eorum sententia, si eamdem bona fide in alium transtulit, non tenetur. Contrarium docent *P. Navarr. lib. 3. cap. 1. num. 312.* & *Navarrus in man. cap. 17. num. 167.* quia error nulli nocere debet, sed suos tenere debet Auctores. Vtrumque probabile esse ait Diana *tract. 6. misc. resol. 3. part. 3.* Cæterum dicendum est teneri hunc restituere & rescindere contractum cum suo emptore: quia bona fide emens rem maiori iusto pretio, atque eodem vendens, tenetur suo emptori illum pretij excessum restituere. Quia me deceptum esse, nullum mihi ius tribuit decipiendi alterum. Quod si bona fide decipiam, excusabor quidem à culpa, at non à damno resarciendo, cùm fraudis conscius fuero. Ita etiam Sotus *de iustit. lib. 4. quæst. 7. art. 2.* Lessius *lib. 2. cap. 14. num. 26.* & alij communiter. Et dictum est supra *verb. Cambium, num. 8.*

Monetas aureas & argenteas tondentibus pœnam vltimi supplicii imponit Pius V. *constitut. 111. incip. Cum nil Magis; Octano Kalend. Nouemb. 1570.* Approbat, confirmat, & innouat Vrbanus VIII. *constitut. 75. incip. In Suprema. Idib. Nouemb. 1627.* & ad omnes, & singulas personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas cuiusuis Ordinis Societatis, Instituti, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani Regulares in omnibus, & singulis Prouinciis, Regnis, Ciuitatibus, Terris, Oppidis, Castris, & locis in Italia dumtaxat existentibus, qui aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel aliàs adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint, extendit & ampliat, ac vult vt culpabiles in præmissis reperti, præuia degradatione Curiæ Sæculari puniendi tradantur.

3. *Pœna* pro crimine falsi, olim homini libero decreta erat deportatio in perpetuum, cum confiscatione bonorum; hodie autem est arbitraria: *L. 1. §. vlt. ff. eodem. deinde* tam in conscientiæ foro, quàm in externo, resarcienda sunt omnia damna, quæ occasione commissi falsi alteri acciderunt: *præterea* falsans Pontificias literas excommunicationem incurrit bullæ Cœnæ. Vide *Layman c. 4. num. 2. Clarus §. sent. §. falsum n. 31.*

4. Licitum non est, amissa scriptura de hæreditate, nobilitate, debito, &c. similem confingere; vel conuento de pecunia mutuo accepta, quam legitimè soluerat, factæ solutionis falsum instrumentum producere; quia licet per huiusmodi falsationem non violetur particularis iustitia, neque contrahatur obligatio restituendi, peccatur tamen contra veritatis virtutem, & quidem cum reip. pernicie, vnde hæc falsatio legibus seuerè prohibetur, & cùm prohibitio sit iusta, in conscientia obligat. Ita *Covarr. lib. 1. var. resol. cap. 2. num. 3. Emman. Sa v. Falsarius num. 2. Diana tract. 6. misc. resol. 6. part. 3. Layman lib. 3. sect. 5. tr. 3. part. 1. cap. 4. num. 4.* Vide præterea Dianam *part. 5. tract. 14. resol. 40.* & *Bonfinium 7. num. 3.*

FAMVLVS.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit famulus, & quomodo differat à seruo & operario?*
2. *An famulo laboranti soluendum sit stipendium iustum?*
3. *Quod stipendium famuli censeatur iustum?*
4. *An excusentur à peccato, qui tradunt solummodo victum pueris pro illorum opera?*
5. *An merces iusta soluenda sit famulo, qui alicui seruit, nulla certa mercede constituta?*
6. *An teneatur dominus ad integram mercedis solutionem, famulum expellens domo, nondum elapso termino constituto?*
7. *An famulo existenti in infirmitate præcisa conuentione vel consuetudine, soluenda sit merces pro tempore infirmitatis?*
8. *An peccet dominus & teneatur ad restitutionem, non soluendo famulo stipendium in ea re, in qua conuenit, sed in alia?*
9. *An grauiter peccet famulus, dum non obedit domino, in rebus magni momenti?*

1. FAmulus dicitur ille, qui stipendio & mercede locat seipsum ad tempus, in obsequium Domini, *differt* autem à seruo & operario; eò quòd seruus non sit sui iuris, & soleat emi à Domino; *Operarius*, autem locat tantùm suas operas ad certum genus operis, *famulus* verò, vt dictum est, locat seipsum ad seruiendum & obsequium præstandum prout opus fuerit. *Azorius. tom. 2. lib. 2. cap. 39. quæst. 1. Reginald. lib. 20. num 57.*

2. *Famulo* fideliter laboranti, soluendum est stipendium iustum, quia dignus est mercenarius mercede sua; si autem fideliter non laborauerit, saltem intra latitudinem infimi laboris debiti, non debetur stipendium, quatenus non præstitit debitam operam; imò talis famulus tenetur ad restitutionem, non solùm ad ratam laboris omissi, quatenus non peruenit ad latitudinem infimi laboris iusti, sed etiam ad interesse, si fortè aliquod detrimentum vel lucrum cessans Domino conductori sub tecitum est; quia illius censetur causa iniusta: In casu tamen quo famulus expresse vel tacitè contentus sit minimo pretio, aut aliquo obsequio, ad id solùm tenebitur conductor, quia famulus potuit cedere iuri suo, consentiendo liberè in minus stipendium, quàm alioquin mereatur. *Nauarr. cap. 17. num. 197. Reginald. lib. 25. num. 513. Angel. v. locatio §. 15. Bonacina de contractibus disput. 3. quæst. 7. par. 4. num. 2. Sylvest. v. locatio quæst. 12.*

3. Iustum *stipendium* famuli censetur, quod passim eo loco huiusmodi operariis & officialibus tali ministerio occupatis, dari solet, ita vt non sit minus infimo, nec maius summo, quod dari consueuit; vnde si locator tuæ operæ mercedem exigat maiorem quàm sit summa, vel si conductor det minorem quàm sit infima dari consueta, facit iniuriam & tenetur ad restitutionem, reducendo mercedem ad proximos limites pretij iusti: *In dubio* autem, an stipendium sit infra infimum, non potest famulus vti compensatione, subtrahendo de rebus Domini: *In duobus* tamen casibus stipendium potest esse infra infimum. *Primò*, si conductor non egeat opera alterius, sed solum ex misericordia ad preces ipsius ipsum conducit. *Secundo*, si famulus sponte non petat iustum stipendium, vt Dominus procuret illi beneficium vel officium, siue vt amicitiam illius sibi conciliet. *Vasques in opusc. de rest. cap. 5. dub. 10. num. 56. §. 1. Reginald. lib. 25. num. 552. Molina tr. 2. disput. 506. Lessius lib. 2. cap. 24. dub. 4. Bonacina c. num. 9. Layman. lib. 3. tract. 3. par. 1. cap. 1. num. 10.*

4. Qui tradunt solummodò victum pueris, pro illorum opera, excusantur, quia communi æstimatione hoc reputatur iustum stipendium, & eorum obsequium non plus videtur mereri: Dominus tamen peccat, & tenetur ad restitutionem damni, quando puerum vel famulum conduxit paruo stipendio, hac conditione, vt permitteret ipsum literis vel arti operam dare, sed postea non potest, quia non censetur famulo

iustum dare stipendium, & facit contra conuentionem. *Azor. tom. 3. lib. 8. cap. 13. quæst. 2. & 3. Rebellus lib. 14. quæst. 13. num. 1.*

5. Famulo, qui alicui seruit nulla certa mercede constituta, si obsequia præstet, quæ communiter solent certa mercede constituta præstari, soluenda est merces iusta in ea regione consueta pro ijsdem ministerijs, quantumuis mercedem arbitrio Domini reliquerit; satisfaciet tamen Dominus tradendo pretium infimum, nam infimum continetur intra latitudinem iusti stipendij. *Lessius c. num. 25. Vasques c. num. 57. Reginald. c. num. 554.*

6. *Dominus* famulum expellens domo nondum elapso termino constituto, tenetur ad integram mercedis solutionem, nisi fortè ex grauissima causa adducatur ad ipsum expellendum; quia conductor tenetur soluere pensionem, quando non est vsus re conducta ob culpam & impedimentum ipsius conductoris: *L. qui operas ff. locat.* *Si verò* famulus decedat ante finitum tempus, secundùm *Azor. c. capit. 14. quæst. 1. Bonacina c. num. 12. Rebellus c. num. 10.* amittit totam mercedem; sed in foro conscientiæ, potiùs est dicendum, secluso pacto, denegandam esse mercedem ad ratam temporis futuri, non verò ad ratam temporis præteriti, in quo suam præstitit operam pretio æstimabilem, tenetur tamen famulus ad resarciendum damnum Domino, vnde potest illi denegari stipendium ad ratam damni. Vide *Diana tract. 6. misc. resol. 15. & 16. part. 3.*

7. Præcisa conuentione vel consuetudine, famulo existenti in infirmitate, non est soluenda merces pro tempore quo detinetur in infirmitate, quia conductor seu Dominus non tenetur soluere pensionem, quando non vtitur re conducta ob defectum locatoris; imò secundùm probabiliorem sententiam, non tenetur Dominus ex iustitia suis expensis & sumptibus curare famulum in domo sua ægrotantem; si tamen in graui vel extrema necessitate esset, ex obligatione charitatis teneretur Dominus subuenire: Recuperata verò valetudine & elapso termino ad inseruiendum, non tenetur famulus in famulatu perseuerare quousque resarciat illud tempus quo ægrotauit; nec tenetur Dominus admittere in hoc casu famulatum famuli volentis resarcire tempus elapsum, quamdiu extitit in infirmitate: quia famulandi onus præcisè fuit temporis in contractu præscripti, quo proinde transacto non manet onus in tempus sequens. *Azor. tom. 1. lib. 2. cap. 39. P. Nauarr. lib. 2. cap. 2. num. 213. Molina c. disput. 505. num. 1. Reginald. lib. 25. num. 517. Layman lib. 3. tr. 4. cap. 28. Emman. Sá v. conduct. num. 5. Diana de contract. lib. resol. 86. par. 1.*

8. Peccat Dominus non soluendo famulo, stipendium in ea re, in qua conuenit, sed in alia, & tenetur ad restitutionem damni, quod patitur famulus; vt qui loco pecuniæ tradidit famulo renitenti pannos, vel alias merces certo pretio, quas famulus viliori pretio vendidit: quia Dominus tenetur tradere famulo, quantum conuenit, minus autem censetur in hoc casu tradere, cùm famulus cogatur viliori pretio vendere quod accepit. *Vasques c. num. 63. Bonac. c. num. 15. Nauar. c. 17 nu. 111.*

9. Famulus grauiter peccat, dum non obedit Domino in rebus magni momenti, aut si debitum illi honorem non deferat, contemnendo ipsum, negligendoque vel irridendo, aut si faciat ipsi fraudem, non impendendo quantùm potest, ne Dominus ipse in rebus, aut in persona damnum patiatur: non tenetur tamen famulus vitam Domini cum periculo propriæ vitæ defendere, nisi ad defendendam vitam Domini specialiter conducatur, tunc enim id negligendo, contra iustitiam peccabit. Ita *Clauis regia lib. 7. capit. 7. numer. 12. Reginaldus lib. 20. num. 63. Layman lib. 3. tr. 3. par. 3. cap 3. num. 5. Diana tr. 6. misc. resol. 58. p. 3.*

De *Famulo* vide v. *Cambium* num. 9. *Eleemosyna* num. 12. *Compensatio* num. 5. 6. *Festum* 3. num. 1. *Furtum* 2. num. 8. *Laudes* 2. num. 3. *Parentes* num. 5. *Scandalum* num. 10. *Missa* 9. num. 3. *Vsura* 6. num. 5.

FESTVM. I.

De diei Dominicæ & aliorum festorum institutione.

SVMMARIVM.

1. *An præceptum celebrationis festorum, partim sit naturale, partim cæremoniale & partim humanum?*
2. *An obseruatio Dominicæ diei sit de iure diuino?*
3. *Quis possit dies festos instituere, & institutos abrogare? & an Episcopus possit instituere festum alicuius beati nondum relatum sanctorum numerum?*
4. *An consuetudo possit dies festos abrogare vel nouos instituere?*
5. *An Princeps sæcularis vel Respub. possit dies festos tamquam sacros instituere?*
6. *An peccet populus non adimplens vota festorum, aut aliarum rerum populi superioris ætatis?*
7. *Modus incipiendi & terminandi festa, sumendus est à consuetudine præscripta.*

1. IVxta *D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad 1. Graffius 1. part. l. 2. cap. 34. num. 1. Clauis Reg. l. 7. cap. 1. numer. 1. Reginald. lib. 19. num. 2.* & alios præceptum celebrationis festorum partim est *naturale*, partim *cæremoniale*, & partim *humanum*; *quatenus* autem hoc præceptum est naturale, obligat omnes: quia lumine naturæ cognoscimus aliquos dies cultui diuino deputandos esse, vnde ab aliquibus vocatur *morale*, id est, pertinens ad mores; *quatenus* verò diuinum & cæremoniale est, non obligat in ipsamet die sabbathi, quia cæremonialia veteris legis deleta sunt per mortem Christi. *Denique* quatenus hoc præceptum est humanum, habet certos dies determinatos ab Ecclesia, vt diem Dominicum loco Sabbathi, & quosdam etiam festiuos Beatæ Virginis & Sanctorum.

2. *Apostoli* authoritate sua, non autem lege diuina, cæperunt diem Dominicum obseruare, ac idem faciendum fidelibus præceperunt. *Nauarr. cap. 13. num. 1. Suarez de Religione l. 2. cap. 4. Azor. 2. p. lib. 1. cap. 2. quæst. 3. Bonac. tom. 2. disput. 5. quæst. unic. part. 1. Fillinc. tract. 27. cap. 2. Sylu. 2. 2. quæst. 122. art. 4. Ratio verò* cur Ecclesia Sabbathum in diem Dominicum commutauerit, secundùm communem Sanctorum Patrum & Theologorum sententiam: *Prima* est, quia Dominicus dies est signum illius diei qua Christus resurrexit. *Secunda*, ne viderentur consentire cum Iudæis, & eorum cæremonias obseruare. *Tertia*, propter multas & varias prærogatiuas, quibus hæc dies gaudet, & ob multa opera insignia, quæ in eo die facta sunt; puta Angelorum creatio, & bonorum glorificatio, malorum verò in infernum deiectio; Item eo die creauit Deus cœlum & terram; Mare rubrum recessit, vt liberè filij Israel transire possent; Manna filijs Israel è cœlo descendit; Lex data est filijs Israel in monte Oreb; Illa die Christus incarnatus est; & tres Magi natum adorauerunt: Christus ea die baptizatus fuit; & in Cana Galileæ aquas mutauit in vinum; Datus est ea die Spiritus Sanctus Apostolis, & hac die erit resurrectio generalis, quando Christus reddet vnicuique secundum opera sua. Meritò ergo ob hæc Apostoli ex illis septem diebus eum qui primus est, ad diuinum cultum consecrare voluerunt, quem & diem Dominicum dixerunt. *Clauis reg. lib. 7. cap. 1. numer. 6. Hinc* colligitur obseruationem Dominicæ diei, non esse de iure diuino, sed canonico, & consequenter posse consuetudine vel humana potestate abrogari, & in aliam diem commutari; nam legitima consuetudo vel potestas potest iuri humano derogare; idem dicendum de festis Sanctorum. Doctores citati hoc numero.

3. *Potestas* instituendi dies festos, & illos institutos abrogandi pro tota Ecclesia, est penes Summum Pontificem & Concilium generale; *quia* Papa & Concilium sunt supra totam Ecclesiam, nec requirunt consensum populi in talium festorum institutione: *Episcopi* verò, dies festos nouos instituere non possunt, nisi in suis particularibus Ecclesijs; neque communiter id facere debent sine causa vrgentissima, idque ex cleri populique consensu; vnde si populus ex causa rationabili contradicat Festo indicto ab Episcopo, ad illud seruandum non obligabitur; licet consuetudine iam receptum sit, vt festi dies instituantur, adhibito solùm Clericorum consilio. *Suarez c. cap. 11. num. 4. Emanu. Sà verb. Festum Sanchez lib. 2. moral. cap. 43. num. 11. Azor. 2. par. lib. 1. cap. 26. quæst. 4. Diana 4. p. tract. 4. resol. 178. C. final. de feriis Cap. Cum inferior de maiorit. & obedient.* Est *notandum* tamen, Episcopum non posse instituere festum in honorem alicuius beati, nondum relati in Sanctorum numerum; similiter nec posse abrogare festos dies, qui sunt instituti à Romano Pontifice, vel Concilio generali, aut totius Ecclesiæ vniuersali consuetudine; posse tamen abrogare diem festum institutum vel à suo prædecessore, vel à consuetudine particulari suæ diœcesis. *Reginald. c. num. 6. Diana tract. 5. misc. resolut. 9. p. 3.*

4. *Consuetudo* scita & tolerata, circa dies festos; idem potest quod circa alia præcepta humana, scilicet, dies festos abrogare, vel nouos instituere, quia licet sanctificatio alicuius temporis, etiam in lege Euangelica de iure diuino sit, & sit præceptum naturale, & morale, determinatio tamen diei, est de iure humano, consuetudo autem plurimùm potest & valet in omne ius humanum. *Nauarr. c. num. 5. Philiarch. de offic. Sacerd. par. 2. lib. 3. cap. 23. Reginald. c. n. 7.*

5. *Princeps* sæcularis, ciuitas, aut Respublica, dies festos tamquam sacros instituere non potest; quia diei festi cultus, vnus est ex religionis actibus quo colitur Deus, de cultu autem Dei curam solùm habent Prælati Ecclesiastici: *Cap. decernimus, de iudicijs.* posset tamen Princeps sæcularis prætextu ciuilis honoris, vel alio titulo præcipere subditis, vt tali die à seruilibus operibus, à forensibus negotijs, & ab alijs ciuilibus negotijs abstineant, & populus die illo ab operibus seruilibus abstinere tenetur, Missam tamen audire non obligatur, nisi talem diem festum cum Papæ, vel Episcopi loci consensu instituerent, accedente enim tunc Ecclesiæ consensu, verè dies festus esset. *Suarez c. cap. 12. num. 2. Sà v. Festum Azor. c. quæst. 5 Clauis Reg. c. n. 17.*

6. Peccat populus, qui non adimplet vota festorum, aut aliarum rerum populi superioris ætatis, quia licet vota personalia sint, & iuramenta, & communiter ad alios non transeant; tenetur saltem ex vi contractus & promissionis, quæ in vniuersalem successorem pertransit. *Rodriques summ. part. 2. cap. 101. concl. 13. Nauar. c. 12. n. 79.*

7. *Modus* incipiendi & terminandi festa, an scilicet à vespera in vesperam, à media nocte ad mediam noctem, à consuetudine præscripta loci sumendus est; communiter tamen more Romano festum incipit à media nocte ad mediam noctem licet quoad officium incipiat à vesperis. *Alexan. III. in cap. Quoniam, de feriis.* Imò institui potest dies festus colendus solùm vsque ad meridiem, quia qui potest totum, potest etiam partem præcipere, & tunc Missæ sacrum audiendum esset. *Suarez c. cap. 31. n. 4. Azor. c. c. 26. 48.*

FESTVM. II.

De operibus prohibitis & permissis in die festo.

SVMMARIVM.

1. *An præceptum de obseruandis festis partim sit negatiuum, partim affirmatiuum? & quod opus dicatur seruile?*
2. *Quotuplex sit opus seruile?*
3. *An opera peccaminosa sint specialiter prohibita in die festo.*
4. *An triplex sit species operis seruilis indifferentis?*
5. *An opera necessaria etsi seruilia, in curando proximo, permittantur in die festo?*
6. *Quæ opera seruilia excusentur, si in honorem & cultum Dei fiant?*
7. *An opera liberalia sint licita quæ continent cultum Dei?*
8. *An scribere sit opus seruile, si fiat ob lucrum? & an transcriptio sit licita?* Refertur duplex sententia. *Et quid de impressione librorum.*
9. *An pingere in die festo sit prohibitum?*

10. *An iteratio sit prohibita in die festo?*
11. *An altiones saltandi, ducendi chorea, canendi sint seruiles, & prohibita in die festo?*
12. *An venatio, vel piscatio sit opus seruile & prohibita in die festo?*
13. *An militia actualis sit prohibita in die festo?*
14. *An opera animæ permittantur in die festo?*
15. *Quæ opera non seruilia iure prohibeantur in die festo? & quæ possint intelligi, nomine mercatus?*
16. *Quid sit placitum? & an prohibeatur in die festo? & quando permittatur?*
17. *An qualibet sententia vetita sit in die festo?*
18. *An appellatio sit licita in die festo?*
19. *Quando curatio in die festo nulla sit?*
20. *An testes examinari possint in die festo.*
21. *An iudicium ad mortem, vel ad pœnam, sit in die festo prohibitum?*
22. *An iuramentum iudiciale vel extraiudiciale licitè fiat in die festo?*
23. *An liceat in die festo rationes subducere etiam ex mercede & officio.*

1. PRæceptum Ecclesiæ de obseruandis festis, partim est *negatiuum*, partim *affirmatiuum*: *negatiuum* prohibet opus seruile, *affirmatiuum* verò præcipit auditionem Missæ, de qua suo loco v. *Missa* dicemus. *Opus* autem *seruile* dicitur, quod ex se habet quemdam famulatum, & ab illis solùm communiter exercetur, qui alijs inseruiunt, vt fodere, arare, suere, nere & alia huiusmodi, quę seruis propriè conueniunt, etiamsi per liberos nonnumquam exerceantur, & hæc dicuntur mechanica, eo quòd artes mechanicæ in illis dirigere debeant operantem. *D. Thom. 2.2. quæst. 122. art. 4. Clauis Reg. lib. 7. cap. 2. numer. 2. Toletus lib. 4. cap. 24. Filliucius tract. 27. cap. 9. Reginald. lib. 19. numer. 36. Nauarr. cap. 13. num. 3. Sylu. 2. 2. quæst. 122. artic. 4.* Est tamen hic *notandum*, opus non censeri seruile, si ex suo genere tale non sit, eò quòd fiat ex intentione, & spe lucri. Quamuis quidam contrarium doceant non improbabiliter, vt refert *Diana part. 2. tract. 15. resolut. 35.* fundamentum prioris sententiæ est, quòd in die festo operari ob lucrum, non inuenitur aliter prohibitum in Ecclesia, quàm per prohibitionem operis seruilis.

2. Opus seruile *triplex* est. *religiosum, peccaminosum, & indifferens* siue *humanum: Religiosum* & seruile opus dicetur, si per illud colatur Deus: *peccaminosum* verò erit, si per illud seruiatur dæmoni & peccatum fiat; dicetur denique *indifferens*, si homini seruiatur in ijs quæ ad corpus pertinent: *hunc* dicèdum est opera seruilia religiosa non esse prohibita in die festo, quin potiùs commendata, quia in ijs positus est externus cultus Dei, & honor sanctorum, ob quæ dies festi instituti sunt. *D. Thom. c. art. 4. Caiet. 2. 2. q. 122. ar. 4.*

3. Iuxta communiorem sententia Doctorum apud *Suarez de religione lib. 2. cap. 18. Nauarr. cap. 6. num. 10. Azor. c. cap. 28. quæst. 10. Bonac. c. punct. 2. num. 3. Couarru. cap. Alma 1. par. §. 5. num. 3.* opera peccaminosa non sunt specialiter prohibita in die festo, quasi per illa festus dies violetur, quia præceptum diuinum & Ecclesiasticum de colendis festis, non obligat specialiter ad non peccandum in die festo, opus enim peccati formaliter non est seruile, quamuis ex parte actus materialis possit esse seruile, vt si quis furando scindat aliena ligna; & licet peccatum in die festo commissum contrahat aliquam maiorem grauitatem, & malitiam intra eamdem speciem, & secundùm aliquorum sententiam etiam specie distinctam malitiam contra religionem, quia tamen non est grauis deformitas, ideò in confessione non est necessariò ista circumstantia explicanda.

4. Operis seruilis indifferentis & humani *triplex* est species, quarum *Prima* est, necessarij operis seruilis ad hominis sustentationem; *Secunda*, ad curandum proximum: *Tertia*, ad cultum & seruitium Dei. Ex consuetudine non est prohibitum, in die festo, opus corporale necessarium ad sustentationem hominis, quamuis seruile sit: vt parare cibos, coquere, colligere fructus, vt exinde saniores sint, occidere animalia, excoriare; immò coquere panem licet, quando vel ob multitudinem populi, vel quia multi dies festi sunt, & præueniri non potuit; alioquin non licet, quando præueniri potest; nisi id permittat consuetudo; qualis est Romæ, & in plurimis locis, quæ saltem tacitè approbata est à superioribus, quæ stante tacito consensu superiorum, videtur interpretari legem, quòd non prohibeat huiusmodi opus seruile ratione necessitatis, sed ipsum permittat, sicut & alia seruilia permittit intuitu necessitatis. Excusantur etiam molitores pistrinorum, qui vuntur molendinis fluuialibus, aut venti, in quibus exiguus labor seruilis impenditur. Vide *Nauarr. cap. 13. num. 3. Clauis regia l. 7. cap. 2. Bonac. cit. punct. 3. numer. 9. Sylueſt. verb. Dominica quæst. 5. Rodriques in summ. c. 122. nu. 4. Sylu. c. art. 4.* Et infra *v. Festum* 111. *nu. 4.*

5. Opera necessaria in curando proximo, etiamsi seruilia sint, vel non sunt prohibita, vel ob necessitatem excusantur; vnde ratione huius necessitatis excusantur medici, chirurgi, & pharmacopolæ, modò conficiant solùm medicinas ob necessitatem illius diei. *Tolet. c. numer. 4. Filliucius cit. numer. 152. & 153.*

6. Opera seruilia, quæ in honorem & cultum Dei fiunt, sunt in *triplici* genere. Vt docent *Clauis Reg. lib. 7. cap. 2. numer. 3. Azor. 2. par. lib. 1. cap. 28. quæst. 5. alia* immediatè pertinent ad Dei cultum, & hæc licitè fiunt in die festo, cuiusmodi sunt organa pulsare, vti musicis instrumentis, defetre crucem, &c. *Alia* sunt præparatoria ad cultum diuinum, & hæc etiam licitè fiunt, si paulò antè facienda sint, & coniuncta sint cum ipso cultu diuino, vt est sonus campanarum, ornatus altarium, extractio sacrarum vestium & similium. *Alia* denique sunt, quæ remotè, & accidentaliter ad Dei cultum spectant, & hæc non licitè fiunt in die festo, cùm fieri possint antecedentibus diebus, vt mundare scopis templum, vestire parietes tapetibus, & huiusmodi, quamquam non esset mortale peccatum seclusso contemptu, vt aiunt. *Caietan. verb. Festor. violatio. Suarez c. cap. 21. num. 11. Filliuc. cit. num. 156.* præsertim vbi necessitas aut pietas interueniret. Multò minùs potest excusari à mortali, qui colit agros Ecclesiæ in die festo; vel conficit calices, vel ædificat Ecclesias, vel portat lapides, vel nec ad fabricandam Ecclesiam, quia cùm hæc sint per se opera seruilia, nec propriè ad Dei cultum, nisi remotissimè spectent, non excusantur à culpa, nisi fiant vrgente necessitate, vel facultate Episcopi, aut Parochi, vbi est consuetudo. *Nauarr cap. 13. nu. 4. 10. 11. Reginald. lib. 19. num. 48. Diana par. 4. tract. 4. ref. 177.*

7. *Opera liberalia*, quæ continent cultum Dei, vel ad illum proximè conferunt, vt est oratio, lectio sacra, cóncio, & similia licita sunt, immò commendantur in die festo; immò studium Theologiæ, Philosophiæ, Iuris Canonici & Ciuilis, Medicinæ, & quod est amplius, scientiarum artium mechanicarum, quatenus dicunt instructionem mentis & conceptionem, non autem quatenus dicunt praxim & vsum ipsis artis licitum est, dummodo non omittatur Missa. *D. Thom. Caietan. Sot. Nauarr. Sylueſt. apud Suarez c. c. 22. n. 3.*

8. Cùm scribere sit opus mentis, & locutio quædam permanens, ordinata ad instructionem mentis propriæ, vel alienæ, ideò liberale opus est: nec fit seruile ex eo quòd fiat ob lucrum, secundùm communiorem sententiam: quia Ecclesia non prohibuit operari in die festo propter mercedem, nisi in quantum prohibuit ipsum opus. Si ergo ratione festi non prohibet opus, nec etiam prohibet fieri ob mercedem: vnde opus liberale ex se, non censetur prohibitum in die festo, si fiat ob lucrum; contra, opus aliàs seruile, etiamsi gratis *fiat*, est prohibitum in die festo. Quapropter merces & lucrum per accidens se habent ab opus seruile, & non seruile. Ita *Caietan. 2. 2. quæst. 122. artic. 4. Nauarr. cap. 13. num. 13. Medina lib. primo instruct. cap. 14. §. 8. Lopez p. 1. cap. 52. Layman lib. 4. tr. 7. c. 2. num. 3. Bonac. tom. 2. disput. 5. q. enic. punct. 2. num. 25. 26. Suarez de relig. to. 1. l. 2. c. 24.*

Transcribere autem, etli probabile sit esse opus seruile, & græcipuè si fiat ex officio, & mercede pacta, vt notarij, commissarij, & alij officiales curiæ faciunt, quia labor est puè corporalis & mechanicus, nec est opus mentis, neque artis liberalis, quia solum est ita pingere characteres, sicut in originali leguntur. Ita *Sylu. 2. 2. quæst. 122. art. 4. Toletus lib. quarto cap. 24. Fernandes part. 1. cap. 7. §. 1. num. 10. Reginald. libr. 19. cap. 3 numer. 40.* & alij. Tamen probabilius est, non esse opus seruile. Tum quia transcribere non est aliud quàm scribere, vnde si hoc sit de se licitum in die festo, erit & illud. Tum quia talis actio transcribendi de se mentalis, & spiritualis est, & per accidens ad illam est, quòd hac vel illa intentione fiat ab operante; ergo inde non efficitur seruilis, ex officio, vel lucro, seu mercede: nam transcriptio, quædam etiam scriptio est, & opus artis grammaticæ. *Suarez c. cap. 25.*

Clauis

Clauis Reg. lib.7. capit.2. num. 15. *Medina c. capit.*14. §.8. *Bonacina c. num.*25. *Diana par.2.tr.1.miscel. resol.* 35. *Rodriq.tom.* 1. *Sum.cap.* 122. *num.*2.

Imprimere autem librum, non licet; quia tam formatio litterarum, quàm compositio & impressio mechanicum est opus, cùm tantùm dirigatur ad imprimendum chartæ talem figuram, quod corporale quiddam est: nec fit per modum locutionis cuiusdam & expressionis mentis, sicut fit transcriptio. Ita communis sententia. Contra. *Layman c. num.*3. *Diana par.4.tract.4.resol.* 62. dicentes licere typographis in die festo characteres ordinare: quia ordinatio characterum in ordine ad impressionem non est opus seruile, eo quòd sit quædam manifestatio conceptuum, & ordinatur ad illustrandum intellectum, ita vt sit veluti quædam transcriptio. Nec obstat quòd illi characteres possint ita componi vt nullum manifestarent conceptum; nam hoc quoque in scriptura contingere potest; cùm possint literæ sic calamo disponi vt nihil significent, & tamen hoc non facit quod scribere sit opus seruile. His tamen non obstantibus prima sententia est tenenda tamquam probabilior, vt docent *Gordonus in Theol. mor.lib. 6.quæst. 7. cap. 6. Suar. tom.1.de relig. lib.2. cap.* 25. *numer.* 8. quia illa ordinatio characterum de se non est expressio conceptuum, aut transcriptio expressionis conceptuum; sed est fabricatio quædam instrumenti mechanici, quod inseruire debet ad opus mechanicum: dum enim componunt characteres, fabricant illas, quas vocant formas, quibus deinde vtuntur ad cudendas litteras: vnde impressio mechanico modo transfert litteras de exemplari in impressum, idque per instrumenta mechanica. Si autem id quod ex impressione resultat, ordinetur ad illustrandum intellectum: hoc non habet ratione impressionis, sed ratione scriptionis, & illius, à quo scriptio dictata fuit.

9. Secundùm communem sententiam Doctorum, *Filliuc. c. num.* 166. *& seq. Suares c. cap.*26. *Eman. Sà ver. Festum num.* 5. ars pingendi mechanica est, & eam exercens, præsertim lucri gratia; pingendo facit opus seruile, & ideo prohibitum in die festo: pingens verò tantùm gratia reficiendi animum, aut addiscendi, non censetur opus seruile exercere, quia in eo spectat spiritualem animi perfectionem, nempe recreationem honestam aut instructionem, quæ de se est quid liberalem; probabilis tamen est quorumdam Summistarum sententia, vt *Angel. Sylvest. Armilla apud. Azor. c. cap.* 27. *quæst.* 7. negantium actionem pingendi esse opus seruile, tum quia est similis actioni transcribendi. Tum quia pingere de se est actio indifferens respectu seruorum & ingenuorum; vnde tractari solet pictura etiam à nobilibus viris; & Pictores insignes solent honorari ijs insignibus, quibus decorantur nobiles viri, quod non fieret, si pictura esset opus seruile. Et proinde pingere addiscendi gratia, est quoddam exercitium disciplinæ perficiens animam, atque adeo licitum die festo. Huic sententiæ subscribunt etiam *Layman lib.4.tract.7. cap.2.num.*3. *Lopez. par.1.instruct. cap.*52. *Pasqualigus decis.*142. & alij.

10. *Itineratio* non est opus seruile, nec per se prohibita in die festo, quia potiùs videtur opus naturale ordinatum ad corporis conseruationem, & ad negotia vbique exercenda; tamen si itinerationi addantur circumstantiæ adnexæ operibus seruilibus; vt si magno cum labore imponenda sint iumentis vel curribus onera, quæ ducantur, vel si animalia onusta, vel currus onusti de vno loco ad alium defantur, hoc esset opus seruile, per se loquendo; quamuis non videatur seruile transferre animalia de vno loco ad alium sine oneribus, vel iter agere, comitantibus mulis supellectili onustis vbi est consuetudo & postulat necessitas. Ob publicam autem vtilitatem, vel ob vitandum graue nocumentum potest continuari iter ante diem festum inchoatum bonâ fide cum oneribus. *Suares c. cap.* 27. *num.*2. *Reginald. c.num.* 38. *Azor.c. quæst.* 2. *Sà v. Festum num.*5. *Bonacina c.part.*2. *num.*25. *Diana part.* 2. *tract.*1. *miscel.resol.*36. *& 4.par. tr.4.resol.*222.

Et his infertur, non esse prohibitum cursores, siue pedestres, siue equestres die festo iter suum continuare, aut etiam incipere: quia quòd fiat currendos, non variat rationem actionis; sicut nec variat, quòd fiat ex mercede. Vt notauit Sanches *tom.*2. *opusc. lib.*5. *cap.*2. *dub.*7. *num.* 5. citans Caietanum *in Sum.* v. Festum §. *de violatione.*

11. *Actiones saltandi*, ducendi choreas, canendi & pulsandi musica instrumenta, non sunt seruiles, quia musica computatur inter artes liberales; hinc non sunt prohibitæ ex vi prohibitionis operum seruilium; sed aliunde si fiant cum excessu vel scandalo. *Filliuc. c. num.* 171. *Bonacina c.p.*2. *num.*25.

12. *Venatio & piscatio* ob voluptatem & recreationem, & quæ in industria posita est, volucrum & similium, maximè accedit ad opus liberum, & communiter tali modo exercita non reputatur opus seruile; *piscatio* autem quæ fit in mari retibus, propiùs ad opus seruile accedit, *illa verò* quæ fit in fluminibus recreationis gratia & cum arundine vel simili ratione, non videtur prohibita. *Porrò* venatio & piscatio ex officio, & quæ tota posita est in corporis defatigatione, videtur esse opus seruile & prohibita in die festo, quia hæ actiones cum magna corporis defatigatione sunt propriæ seruorum. *Navar. capit.* 13. *numer.* 11. *Medina Lopez apud Suares c cap.* 28. *Clauis Reg. lib.7.cap.* 2. *num.* 5. *Toletus lib.* 4. *cap.* 24. *numer.* 10. *Sylu. c. art.* 4. *Diana* 4. *part.tr.4. resol.* 222. Quamuis non desint qui existiment hanc piscationem etiam cum magno labore non esse vetitam in die festo. Tum quia labor corporalis non est actio seruilis, sed communis, & solùm determinatur ad esse seruile ratione operis, cum quo coniungitur; vnde de se non est prohibitus, nec etiam coniunctus cum aliquo opere, quod sit seruile; vt labor in scribendo, equitando, saltando; & in alijs huiusmodi actionibus, quæ cum labore corporali exercentur. Tum quia labor etiamsi sit magnus non mutat naturam operationis, quia semper operatio remanet eiusdem speciei; nec labor de se est seruilis, alioquin omnes labor corporalis de se esset prohibitus in die festo: nec euadit seruilis ex eo quòd sit magnus, quia incrementum rei non mutat eiusdem conditionem: esse autem seruile, vel non seruile sequitur rei conditionem & naturam. Ob has rationes hæc sententia non est improbabilis.

13. *Militia actualis*, id est, opus ipsum bellandi, quoad executionem, iuxta *Suares c. cap.*28. *num.* 8. *Filliuc. c. numer.* 175. proximè accedit ad opus seruile, quia ars militaris computatur inter mechanicas, hinc per se militia prohibita est in die festo, per accidens tamen & ex causa toleratur: cùm semper sit aliqua vtilitas aut necessitas in non differendo bello ad aliud tempus, si statim commodè geri possit: vnde excusantur, qui aggeribus, fossa, & vallo, arces, vrbes, oppida vel muniunt, & alia similia faciunt: hinc consuetudine receptum est, iuuenes diebus Dominicis, & festis artem digladiatoriam discere: quia esto discatur vsu, & exercitio operis seruilis, ob necessitatem Reipublicæ, cui maximè conuenit iuuenes exercitatos in prælio habere, permittitur videntibus, & consentientibus Prælatis, adde quòd probabile sit, dictam artem non esse mechanicam, sicut nec bellum ex se esse opus seruile, vt docent *Cajet. 2.2.quæst.* 40. *art.* 4. *Valent. tom.*3. *disput.*3. *quæst.*16. *punct.*5. *Rodriq. part.*1. *Sum.cap.*122. *num.*3. *Diana part.*4. *tract.*4. *resol.*229. 230. *Granado* 2.2. *contr.*3. *tract.*12. *disput.*4. *sect.*7. *num.*67. & alij.

14. *Opera animæ*, id est, quæ ab anima procedunt, permittuntur in die festo, exceptis quibusdam casibus in iure expressis: quia opera animæ non sunt opera seruilia: hinc *Aduocatus* potest in die festo dare operam studijs, causa litium scribere quibus studuit, informare iudices scripto, agere priuatim de lite cum procuratore, referre causam apud iudicem, vt ea cognita, commodiùs ferat sententiam: *item* licitum est Doctori conficere consilia diebus festis; & ciuibus ad consilia conuenire, & eligere ad officia, quia electio est opus animæ, quamuis terminetur ad negotia temporalia, quæ se habent tantùm materialiter ad electionem. *D. Thom.* 2.2. *quæst.*122. *art.*4. *Graffius* 2. *part.lib.*2. *cap.*34. *numer.*16. *Azor.c. cap.* 27. *quæst.* 11. *Suares c.cap.*30. *num.*9. *Cajet.*2.2. *quæst.*122. *ar.*4.

Item licitum est tabellionibus seu notarijs facere scripturas publicas die festo, quæ continent illos actus, qui die festo non sunt prohibiti; nam si actus essent prohibiti, vt solemnis examinatio testium, etiam scriptura continens tales actus, esset prohibita, quia est pars illius actus, qui prohibetur, atque continetur sub eadem prohibitione. Ita *Navarr. in man.cap.* 13. *nu.* 14. *Lopez lib.*1 *instruct.cap.*52. *Sanches tom.*2. *opusc. lib.* 5. *capit.* 2. *dub.*10. *num.* 2. Ratio huius sententiæ est, quia scriptura publica duo continet, & ipsum scribere, quod non est seruile, cùm sit manifestatio conceptum in ordine ad instruendum alium: & reductionem illius actus, quem continet scriptura, in acta publica: hæc autem neque est prohibita, quia non adest ius ipsam prohibens; neque est opus seruile; quia ordinatur ad publicè instruendum quotquot opus fuerit de illo actu.

Ex quo colligitur, etiam extra necessitatem licere die festo conficere testamenta, scripturas donationis, renunciationis,

debiti soluti: item instituere procuratorem ad exigendum, & soluendum, ad contrahendum matrimonium, &c. Item facere instrumenta emptionis & venditionis in ijs locis, in quibus vel ex consuetudine, vel ex permissione exercentur mercatus; quia tunc, cùm emptio & venditio licitæ sunt, erit etiam licita scriptura.

15. *Quatuor* opera non seruilia, *c.1.de feriis*. iure prohibentur in die festo, quæ sunt, *mercatus, placitum, iudicium ad mortem vel alium pœnam ciuilem, & iuramentum in iudicio interpositum*, nisi causa pacis aut necessitatis interponatur. Nomine *mercatus* tria possunt intelligi. *Primò* nundinæ, quæ semel aut bis in quolibet anno fiunt, iuxta diuersorum locorum mores: hæ nundinæ iure communi prohibitæ sunt; sed consuetudine legitimè præscripta, ius hoc abrogatum est: quia consuetudo derogare potest legi humanæ, ex qua hæc prohibitio est, modò noua Prælati prohibitio non accedat. *Secundò*, nomine mercatus possunt intelligi quasi nundinæ, quæ semel, bis, aut ter in hebdomada alicubi fieri consueuerunt, dum vulgares homines ad forum deferunt oua, pullos, fructus: hic mercatus non licet in diebus festis, nisi in aliquo loco consuetudo contrarium obtinuerit; quæ faciliter de nouo non debet induci, nec introducta extendi. *Tertiò*, possunt intelligi quicumque actus, siue emptionis & venditionis, siue locationis & conductionis, siue cuiuscumque alterius eiusmodi; cæterum huic præcepto etiam derogatum est consuetudine, quia vniuersaliter permittitur vt panis; vinum, herbæ, fructus, carnes, & similia ad victum quotidianum necessaria diebus festis vendantur & emantur; immò in paruis oppidis, etiam aliæ venditiones fieri solent, quia aliàs pauci essent emptores, & res vilissimè venderentur; vnde sutores, sartores, aliique similes opifices excusantur vendendo rusticis calceos, vestes, & id genus alia, quia ipsi rustici diebus profestis venire nequeunt ad emendum sine rerum suarum detrimento. Vide Doctores citatos. *Toletus lib.4. cap.24. num.12. Suares c cap.29. num.2. Nauarr. cap.13. num 8. Reginaldus lib.19 num.42.43. Filliuc.tr.27.num. 179. & seqnent. Bonacin. c.p.tr. 2. numer.10. Syluius 2. 2. quæst. 122. art.4.*

16. *Placitum*, est sententia ciuilis & strepitus iudicialis, iudicum scilicet, & notariorum, actorum, reorum, testium, procuratorum & aduocatorum concurrentium ad tale iudicium: hinc quælibet lis & causa fori, quæ agitur in iudicio, & quæcumque pertinent ad acta iudicij & formationem processus, vel ad prolationem sententiæ, prohibentur fieri in die festo: imò irritantur, si eodie fiant. *Azorius 2.par.lib.1. cap.27.qu.12. Reginaldus c.n.44. Tolet.c.n.13. Nauar. c.c. 13.n.13. Suares c.29. nu.8.& 9.* Tamen *duo* possent excusare eiusmodi actiones exercitas in die festo. *Primo*, necessitas, quia scilicet alio tempore testes haberi commodè non possunt. *Secundo* pietas, nam ex concessione Pontificis, excusantur iudices rurales dicentes ius rusticis in die festo, ne perdant diurnum laborem necessarium ad vitam, licèt etiam in die festo iudicare causas miserabilium personarum. *Diana part 2.tract.1.misc. resol. 34.* & alij ab ipso citati.

17. *Qualibet sententia* requirens strepitum iudicialem, aut cum strepitu iudiciali coniuncta, vetita est in die festo: *Cap.vltim. de feriis L. vt in die c. de feriis. alia* verò *sententiæ* non requirentes strepitum iudicialem, non videntur prohibitæ in die festo, vt patet in absolutione excommunicationis, in dispensationibus aliisque actibus voluntariæ iurisdictionis; multò magis *actus extraiudiciales* non sunt vetiti in die festo, & ob id excusari posse videntur notarij & officiales curiæ, qui domi priuatim transcribunt; *item* excusantur creditores qui priuatim & extra iudicium debitum exigunt à suo debitore. *Caiet.verb. Festor.violatio. Azor.c.quæst. 11.*

18. Iuxta communiorem sententiam, licita est *appellatio* in die festo; quia etsi ad actus iudiciales pertineat, ex consuetudine tamen non videtur sub vniuersali actuum iudicialium prohibitione contineri, cùm fiat sine magno strepitu, & res fauorabilis sit: prosecutio autem appellationis, non est licita in die festo secundùm omnes, quia fieri solet cum maiori strepitu, & non est adeò necessaria, vt est appellatio. *Panorm.c.vlt. de feriis Glossa ibid. Bonac.c.n.13. Filliuc.c.n.198.199.* & alij.

19. *Citatio* seu inchoatio causæ facta pro die festo, iniqua & inualida esse potest, quia sensus illius est partem citari, vt respondeat in die festo, quod iniquum & inualidum est; quòd si solum facta esset pro tali die mensis, in quem incideret festum, tum probabile est valere citationem pro die habili proximè sequenti; citatio autem facta in die festo, etiamsi intimatur in die profesto, prohibita est & nulla, quia citatio vt dicit actionem iudicis continentem præceptum, si fiat in die festo, nulla est, quia pertinet ad strepitum iudicialem, qui prohibitus, & irritus est in die festo. *Suares c.cap.30.num. 4. Azor c.cap.27. q. 15. Reginald.l.19.n.45.*

20. *Testes* examinari non possunt in die festo, quia actus iudiciales pertinentes ad forum contentiosum, vetiti sunt in die festo; *præterea* testes non examinantur nisi præuio iuramento; iuramentum autem iuridicum non potest in die festo exigi, vt dicetur: probabile autem est continuari posse examen testium in die festo, si in die profesto præmissum fuit iuramentum, ita multi canonistæ apud Panormitanum: eò quòd testimonium retrahatur ad diem iuramenti. Vbi tamen adesset legitima consuetudo in contrarium, vel causa pacis; aut alia necessitas, licitum esset iuramentum exigere & testes recipere, quia consuetudo potest legem legitimo tempore abrogare & Ecclesia non obligat cum tam graui incommodo. *Suares de religione tr. 2.lib.2.cap.30. num.13. Filliuc. c.num. 193. Panormit. in cap. 1. de feriis Azor. c.quæst.14. Bonacin. c.p.2. n. 21. ex cap.1.de feriis.*

21. *Tertium opus non seruile* prohibitum in die festo, est *iudicium ad mortem*, vel ad pœnam; per quod intelligitur sententia mortis, aut alia quæuis corporalis pœna; ex causa tamen posset aliquando in die festo ferri sententia ad mortem, vt cùm tempus id exigit, verb. grat. tempore belli, vel quando timetur ne iustitia impediatur, vel malum augeatur, nisi statim puniatur. *Caietan.v.festos dies. Reginald.c.n.46. Filliuc. tr. 27.n.186.*

22. *Porrò* in citato capite primo de *feriis* iuxta *Toletus l.4.c. 24. num.18. Suares c.num.16. & 17. Bonacina c.par.2.num. 10. Filliucius c.num.202.* & alios prohibetur *iuramentum iudiciale* fieri in die festo, secluſa causa pacis, aut magnæ necessitatis, aut causæ piæ; *Iuramentum* verò *extraiudiciale* etiam licitè non fit in die festo, si per illud firmentur pacta & conuenta inter homines, & præsertim contractus. Si autem per illud non firmentur pacta, nec fiat in iudicio; non videtur prohibitum in die festo quia aliàs omne iuramentum, alioqui licitum ex obiecto, fine & circumstantijs, extra tempus, ex eo solùm quòd in festo fiat, esset speciale peccatum, quod est absurdum & contra vsum Ecclesiæ, vt docent *Caietan.2.2. quæst.122.art.4. Diana tr.1.misc.resol.34.p.2.*

23. Probabile est, licere die festo rationes subducere etiamsi ex officio fiat & ex mercede: duo enim in hac operatione considerari possunt, nempe supputatio & descriptio dati & accepti seu translatio de vno in alium librum, neutrum autem est opus seruile & prohibitum. Ratio est, quia supputatio rationū non est aliud quam exercitium artis arithmeticæ, quæ liberalis & est opus intellectuale; quia consistit in diuidendis, componendis & subtrahendis numeris, & in reducendis ipsis ad certum ordinem, cui respondeat pecunia, aut aliquid aliud: Descriptio autem dati & accepti, aut translatio de vno in alium librum, neque continet aliquid seruile, quia consistit solùm in scriptione, aut transcriptione; neutra verò est opus seruile secundùm probabiliorem sententiam vt diximus supra n. 8. Ideò hanc sententiam tenet Pasqualigus *in decisionibus moral. decis.* 150. contra *Sylvestrum, Tabienam, Medinam.*

FESTVM III.

De causis excusantibus laborantes in die festo.

SVMMARIVM.

1. *Quale peccatum sit seruiliter laborare in die festo? & an necessitas imminens propriæ conseruationis vel sustentationis propriæ vitæ an? familiæ excuset laborantes?*
2. *De secunda causa excusante, quæ est necessitas Reipublicæ.*
3. *De tertia causa, quæ est necessitas proximi?*
4. *De quarta causa excusante, quæ est paruitas operis, seu leuitas materiæ.*

An, liceat in die festo molere triticum.

Quando plures in eodem opere continuo toto die festo laborant, sed singuli pro modico tempore, an peccent mortaliter.

An faciens exercere seruilia à pluribus pro eo tantum tempore, pro quo non peccant singuli mortaliter, peccet ipse mortaliter.

5. De

5. *De quinta causa, quæ est occursus lucri transitorij.*
6. *De sexta causa, quæ est absentia a loco, in quo celebratur dies festus.*
7. *De vltima causa quæ est dispensatio, & quis possit dispensare? & quid faciendum quando necessitas est dubia.*
8. *An Episcopus possit dare facultatem seruiliter laborandi, addito onere vt aliquid conferat in vsus pios?*
9. *An peccet mortaliter, qui exercet opus seruile in die festo putans se habere legitimam causam, licet reuera non habeat.*
10. *An liceat imponere amentibus & seruis infidelibus opera seruilia diebus festis exercenda.*
11. *An rationes putatis sint licita opera seruilia in die festo.*

1. PEccatum non sanctificantis festos dies, & seruiliter laborantis in die festo, ex suo genere est mortale, contra diuinum præceptum, contra religionem, & cultum Deo debitum, dantur tamen nonnullæ causæ, quas habent. *D. Thom. 2.2. quæst. 122. art. 4. Caietan. ibidem Nauarr. c. 13. num. 6. Suarez c. lib. 2. cap. 32. Clauis Reg. l. 7. cap. 2. Bonacina c. part. 3. num. 13. Reginaldus c. num. 50. 51. Diana p. 2. tract. 15. resol. 34. Pasqualigus in decis. moral. decis. 289. 290. & sequent.* & ipsius sequaces, quæ excusant laborantes seruiliter à peccato mortali, quarum *prima* assignari potest, necessitas imminens propriæ conseruationis vel sustentationis propriæ vitæ, aut familiæ; quia ius diuinum & Ecclesiasticum non intendunt obligare fideles cum tanto grauamine: vnde ob hanc causam *Primò*, excusantur pauperes, qui nisi laborent in die festo, nequeunt se sustentare, dummodò id faciant secretè; & in casu dubiæ necessitatis consulant viros doctos, vel petant dispensationem. *Secundò*, agricolæ tempore messis laborantes, ne segetes amittant ob pluuiam. *Tertiò*, coquentes lateres aut calcem in die festo, aut vitrum; quia hoc genus operis inchoatum, non potest intermitti absque notabili damno. *Quartò*, excusantur famuli, & vxores, qui præcepto Domini, vel mariti coguntur laborare in die festo, alioquin domo excluderentur, vel alimento priuarentur; modò in contemptum festi hoc præceptum non procedat. *Quintò*, satores autumni tempore timentes periculum ex dilatione, & vindemiatores tempore vindemiæ. *Sextò*, milites tempore belli aggeres extruentes, muros ædificantes; vt dictum est suprà. *Septimò*, si adsit vera consuetudo, & non abusus, excusari possunt barbitonsores tondentes barbam vel capillos in die festo; & talis consuetudo potest reperiri apud rusticos, quæ sufficiat ad excusandum à peccato, quia cùm tota die versentur in agris, potest ex tali occupatione aliquo pacto honestari, vt tolerari possit; tum etiam excusari possunt ratione damni quod subirent, tum ratione cessantis lucri. *Octauò*, sartores excusantur in multis casibus perficientes vestes in die festo; puta si illæ inseruire debeant pro illa die, & essent necessariæ pro statu congruenti, vt essent vestes sponsi & sponsæ, item vestes lugubres, & illorum omnium, qui ijs indigent ad seruandam decentiam status. Item si sartores timeant aliquod notabile incommodum, vel acerbas reprehensiones & iniurias, ex eo quod non perfecerint vestes ante festum. Vide Doctores hic citatos.

2. *Secunda causa*, est necessitas Reipub. quia multò magis subueniendum est publicæ necessitati, quàm priuatæ, vnde excusantur reficientes pontes, & vias, & alia vsui publico inseruientia, quæ sine magno incommodo differri non possunt? *Item* prouidentes de rebus necessariis ad victum diei festi, quoad ea, quæ præueniri decenter non possunt: *item* artifices, construentes tabulata, theatra ornantes pro causa publica, vt pro aduentu Principis vel ad communem lætitiam; *item* cursores excusantur, quorum opera Reipub. vtilis est, sicut & ferratores equorum, laminas ferreas pedibus equorum accommodantes, ex equorum necessitate. *Azor. 2. part. cap. 28. quæst. 5. lib. primo Filliucius c. num. 212. Tabiena verb. Feria numer. 5.*

3. *Tertia causa*, est necessitas proximi; ob hanc licet in die festo laborare, ad extinguendum ignem accensum in domo proximi; sicut & tonsori, pharmacopolæ, chirurgo licet operari ad subleuandum infirmum; & à nullo seruili opere abstinendum est pro tuenda salute aut vita proximi; *item* opera misericordiæ corporalia semper licent, modò necessitas adiungatur, vt sepelire mortuos, & ideò foueam facere, visitare infirmos, vestire nudos, & ideò vestes consuere. *Reginaldus citat. Filliucius cit. numer. 215. Bonacina cit. p. 3. n. 10.*

Porrò ex his regula vniuersalis constitui potest, quòd illa necessitas sufficiat, vt opus seruile euadat licitum, quæ est ob congruentem statum personæ propriæ, vel alienæ, siue quoad animam, siue quoad corpus, siue rei familiaris & bonorum cæterorum tam propriorum, quàm alienorum & cæterarum rerum, quæ ad personam: quocumque modo pertineant; tum etiam ob congruentem statum communitatis quoad ea omnia, quæ ad ipsam spectant: ita vt absque exercitio operis seruilis non possit stare congruens status personæ, vel Reipubl. seu communitatis, etiam quoad extrinseca, quæ ad ipsas pertinent. Ratio huius regulæ est, quia per exercitium operum seruilium subtrahitur Deo tantùm quædam integritas, & externa apparentia sanctificationis, dummodo audiatur Missa: & ideò concurrente damno quoad congruum statum, quod sequatur ex cessatione ab opere seruili cessat præceptum obligare quoad huiusmodi integritatem; quia præcepta positiua quoad substantiam non obligant cum detrimento notabili, & posita substantia adimpletionis præcepti quoad aliquam integritatem, non obligant cum detrimento minùs notabili, quod licet non sit de aliquo substantiali, sit tamen de aliquo pertinente ad congruitatem status. Vnde necessitas fundata in aliqua re de congruitate status, licet non sit de substantia, erit sufficiens, vt reddat licitum opus seruile.

4. *Quarta causa* excusans, iuxta *Suarez cit. tract. 2. libr. 2. cap. 32. n. 2. Azorius cap. 28. quæst. 5. Reginaldus c. n. 53.* & alios, est paruitas operis seu leuitas materiæ, & ita ex tali causa excusantur parum laborantes, vel suendo, vel tondendo, vel reparando aliquid: iudicium autem de huiusmodi paruitate, vt in alijs materijs relinquitur arbitrio prudentis, à multis autem reputatur pars temporis notabilis, qua vacans seruilibus à peccato mortali non potest excusari, spatium vnius horæ; sed *Suarez* putat hanc esse nimiam & rigorosam restrictionem, quia respectu totius diei pars vigesima quarta non apparet nimia nec multum impedit finem præcepti. Vnde *Diana tract. 1. miscel. part. 2. resolut. 36. & 5. miscel. resolut. 8. par. 3. Filliucius tract. 27. num. 205. Granado 1. 2. contro. 6. tract. 2. disput. 2. sect. 6. numer. 54.* excusant à mortali, ratione paruitatis materiæ, laborantem per spatium duarum horarum; quia paruitas materiæ excusans à mortali, non absolutè, & secundum se, sed respectiuè ad totam materiam præceptam, spectanda est, vt ait *Sanchez* hic citat. infra. Adhuc autem amplius extenditur à Marchantio *in quæst. Pastoral. cap. 3. quæst. 2.* vult enim tres horas esse paruam materiam excusatem à mortali. Quia similiter octaua pars respectu totius diei censetur exigua pars.

Notandum tamen est, illum non peccare mortaliter, qui pluribus diebus festis, aliqua parua opera seruilia præstat, quæ simul sumpta, magnam materiam constituunt, & notabilem temporis partem occupare videntur. *Sanchez lib. 1. moral. cap. 4. num. 12. Nauarr. cap. 13. num. 9.* quia illa modica opera seruilia non continuantur, nec integrant vnam materiam, & obligatio cultus diei festi transit cum ipso die, & consequenter opus seruile vno die factum, non continuatur cum opere seruili alterius diei; secus dicendum si tale opus seruile quamuis de se paruum & exiguum eodem die repetatur, nunc ex illius repetitione, magnum censebitur. Nonnulli tamen excusant puellam laborantem in diebus festiuis, ob euitandum otium. Ita *Sà*, *De la Cruz*, *Villalobos* apud *Diana tra. 5. misc. resol. 8. p. 3.* hic citati.

An autem liceat in die festo molere triticum quando molendinum agitatur aqua, vel vento? Affirmatiuè respondent. *Rodriques in summ. cap. 121. num. 4. Bonacin. c. punct. 3. num. 9. Fernandes par. 1. cap. 7. §. 1. num. 7.* quia tunc aut nullus, aut exiguus labor interuenit; secus autem in molendinis, quæ molunt opera bestiarum, quia in his requiritur magnus labor; vnde opus seruile, quod interuenit, est notabilis considerationis, atque adeò prohibitum; si tamen bestiæ ita assuetæ sint, vt ex se absque alicuius continua assistentia ducant molendinum, vt frequenter contingit, & modicum tempus consumatur, non esset illicitum molere: quia tunc sufficit imponere triticum, & extrahere farinam; in quo non multùm temporis solet insumi. Deinde necessitas seu incommoditas communitatis sæpè excusat, quæ tunc contingere facilè potest quando rara sunt molendina, vel vento caruerunt alijs diebus; vnde sicut in alijs operibus seruilibus incommoditas excusat, ita in hoc quoque debet excusare, vt rectè docet *Pasqualigus decis. 294.*

Sed petes *primò*, quando plures in eodem opere continuo toto die festo laborant, sed singuli pro modico tempore, an peccent mortaliter? Respond. negatiuè, tum quia nullus illorum magis violat sanctificationem festorum, quam violaret, si cæteri non laborent in eodem opere. Tum quia præceptum præcipit sanctificationem in ordine ad tempus; & ideò parum refert quòd opus secundùm se sit magnum vel exiguum, dummodo tempus non sit notabile ita vt faciat transgressionem grauem. Tum quia illæ paruæ materiæ non continuantur in ordine ad violationem præcepti, cùm sint contra distinctas obligationes, quæ sicuti non continuantur, ita nec faciunt, quòd plures leues transgressiones sint vna transgressio grauis. Vide *Sanch. l. 1. moral. c. 4. nu.* 12.

Petes *Secundò*, an faciens exercere seruilia à pluribus pro eo tantùm tempore, pro quo non peccant singuli mortaliter, peccet ipse mortaliter? Respon. negatiuè, tum quia ex eo præcisè, quòd quis inducat ad peccandum, non plus peccat, quàm peccent illi, qui inducuntur; illi autem qui laborant modico tempore in die festo, non peccant mortaliter, ergo. Tum quia præceptum sanctificandi festum est personale, & sicut impletur propria cessatione ab opere seruili; sic etiam solùm proprio opere seruili violatur. Tum quia opus seruile non est contra præceptum sanctificandi festa, vt est intentum; sed vt est exercitum; hoc autem exercitum non continuatur, quia est opus diuersorum, & contra diuersas obligationes personales. Ita *Sanchez cit. Bonacina de peccat. disputat. 2. quæst. 3. punct. quinto numer. 26.*

5. *Quinta causa*, est occursus lucri transitorij; nam cùm Ecclesia indulgeat in die festo piscationem halecum, quæ vno tantum tempore anni transire solent, pari ratione dicendum est, & de piscatione aliorum piscium, qui similiter certo tantùm tempore anni occurrunt, & de quouis alio lucro transitorio, quomodolibet repentè occurrente; quia hoc lucrum transitorium cessans reputatur pro damno. Ita *Clauis reg. c. numer.* 10. *Caietan v. festos dies Nauarr. c. Bonacina c. num.* 15. *Diana tra. 1. misc. resol.* 34. *p.* 2.

6. *Sexta causa* excusans, est absentia à loco, in quo celebratur dies festus; quia nullus tenetur legibus sui domicilij, quæ non obligant in loco, vbi pro tempore reperitur, vnde ciuis Antuerpiensis existens Tornaci, potest seruiliter laborare in die festo, qui Antuerpiæ colitur. *Suares c. cap.* 14. *num.* 11. *Nauarr. c. num.* 5. *Secundum* tamen multorum sententiam, ille qui discedit à loco vbi dies festus colitur, tenetur præuenire; Missam audiendo, si cò mane & ante meridiem peruenturus est ad locum vbi dies festus non celebratur, quia præceptum audiendæ Missæ afficit ipsum vbi ipsum deprehendit, & obligat vt quàm primùm adimpleatur, si postea adimplendum non est *Clauis reg. lib. 7. capit. 3. numer.* 12. *Sa ver. Festum numer.* 8. *Graffius 1. par. lib. 2. capit.* 34. *num.* 25. *Oppositum* autem valde probabile est apud *Sanch. de matr. lib. 3. disput.* 18. *num.* 21. *Suares de relig. lib. 2. cap.* 14. *numer.* 21 *Henriq. capit.* 25. *lib. 9. numer.* 2. *Diana par. 1. tract.* 10. *resol.* 14. in prædicto nempe casu, non esse obligationem ad audiendam Missam; quia præceptum audiendæ Missæ obligat pro tempore matutino vsque ad meridiem, non verò simpliciter pro illa breui hora matutina, aut pro tempore, quo quis futurus est extra terminos territorij, in quo dies festus celebratur.

7. *Vitima causa* excusans laborantem in die festo; Secundùm *Suares lib. 2. de relig. tract. 2. capit. 33. num. 3. Filiuc. c. numer.* 225. *Reginald. c. num.* 54. *Azor. c. cap.* 28. *quæst. 6. Clauis reg. c. capit. 3. numer.* 18. & alios est dispensatio, quam dare potest Summus Pontifex validè etiam sine causa; Episcopus autem dispensare potest in festo proprio sui Episcopatus, etiam absque causa, si verò dispenset in festo de iure communi absque causa, dispensatio nulla erit, quia esset in lege superioris: quando autem causa esset euidenter iusta, non est opus dispensatione, nisi ad vitandum scandalum & pro foro externo; in dubio verò causæ iustæ, & sufficientis, ad seruiliter laborandum, adeundus est Episcopus, si commodè adire potest; si non, Parochus ob iustam causam, ex consuetudine in aliquibus casibus particularibus dispensare potest; tum quia consuetudine potest acquiri iurisdictio; tum quia ad regimen animarum ob crebros & quotidianos casus hæc potestas Parochis moraliter est necessaria. Neque solùm dixeris tunc Parochum legem interpretari: nam omnis doctus potest interpretari cessare legem quibusdam in casibus, siue quempiam eximi à lege certis de causis. Plus verò Parochis concessum est, quàm doctis quibuslibet, ergo non solùm interpretatio est, sed & vera dispensatio auctoritatem requirens. Et licet requiratur causa rationabilis vt ipsi dispensent, non tamen requiritur euidenter iusta: sed auctoritas eorum causæ insufficientiam aut euidentiam supplet, ideoque non interpretatio solùm legis est, sed & dispensatio potestatiua. Vt bene docet *Iacob. Marchant. in resol. pastor. c. 3. quæst. 5.*

Hanc autem licentiam minimè possunt dare Iudices sæculares: nec punire illos, qui præuia Episcopi licentia operibus seruilibus vacauerunt diebus festis, vt declarauit Sacra Congregatio Cardinalium Concil. Trident. interpretum apud *Dianam part. 4. tr. 1. resol.* 94.

Sed inquiret aliquis, quid faciendum, quando necessitas est dubia: & insuper is, ad quem spectat concedere licentiam, rudis est, aut nimis scrupulosus, ita vt probabiliter censeatur, quòd non sit concessurus? Resp. quòd in tali casu potest consulere viros prudentes super ipsa necessitate, an sit sufficiens ad laborandum, & stare iudicio ipsorum, præsertim si sint timoratæ conscientiæ, tunc enim prudenter operabitur, quia operabitur secundùm iudicium prudentum, atque adeò tuta conscientia. Quod si neque adsint prudentes, quos possit consulere, potest ipse rem bene examinare, & iuxta id, quod sibi magis probabile videtur, operari. Ita *Pasqualigus decis.* 297.

8. *Episcopus* potest dare alicui facultatem seruiliter laborandi, hac de causa seu onere adiecto, vt aliquid conferat in vsus pios, quamuis necessitas non vrgeat, vt ad emenda luminaria pro aliquo templo, aut sacello, dummodò absit occasio scandali; quia onus non imponitur simoniacè tamquam prætium datæ facultatis, sed cultus ille religiosus cessationis ab operibus seruilibus in die festo, mutatur in aliud opus pium erogandi aliquid in sacratum ædium vsus, si non necessarios, saltem commodos, quod licèt fieri potest, vt patet ex Cap. *Licet. de ferys* & docent *Regnal. c. num.* 54. *Bonac. c. p. 3. num.* 21. *Azor. c. cap.* 28. *quæst.* 11.

9. Qui exercet opus seruile in die festo putans se habere legitimam causam, licet reuera non habeat, non peccat mortaliter: quod generaliter in omnibus præceptis docent. *Nauarr. in man. capit.* 23. *num.* 43. *Sanch. lib. 1. moral. cap.* 17. *nu.* 21. Ratio est, quia adest bona fides & opus apprehenditur, vt licitum ratione talis causæ; vnde non adest aliqua intentio siue directa, siue indirecta contra præceptum: quod ex eo patet, quia si putaret illam causam non excusare, abstineret à tali opere.

10. Probabile est licere imponere amentibus & seruis infidelibus opera seruilia diebus festis exercenda: quia hi non tenentur legibus ecclesiasticis, ergo qui eos laborare faceret non peccabit, quia hi non peccant: non enim qui facit amentes exercere opera prohibita in die festo, facit cõtra legem: quia non facit exerceri aliquid contra legem, quia opera seruilia exercita ab amentibus non sunt prohibita; cùm sint prohibita hominibus sanæ mentis.

Neque Dominus serui infidelis etiam peccat, quia virtute præcepti sanctificandi festa non est ipsi prohibitum imponere infideli opera seruilia: solùm enim prohibentur opera seruilia, quatenus impediunt sanctificationem festorum; vna solùm prohibentur ijs, qui debent sanctificare: & ideò cùm non sint prohibita infideli, & Dominus ea seruo infideli imponendo non exerceat opus seruile, quod impediat sanctificationem festi ab ipso persoluendam, nec faciat, quod opera seruilia in alio impediant, non facit aliquid prohibitum à præcepto. Ita *Layman lib. 1. tract. 4. cap. 10. num.* 3. & post illum *Diana par. 1. t. 9 resol. 42. & par. 5. tract. 14. resol.* 7. Vbi docet cum *Sancio*, *Sanches* & alijs fas esse ministrare infidelibus & perpetuò amentibus carnes diebus ieiunij: Vt annotaui infra verba *Ieiunium II.* pro pueris.

11. Quidam arbitrantur ratione pietatis esse licita opera seruilia in die festo, vt si exerceantur in fauorem Ecclesiæ, vel ob pauperes alendos: quia in *c. Conquestus*, *de ferijs* habetur, quòd iudicialia prohibita in Festis, licita sunt, necessitatis aut pietatis causa, ergo etiam seruilia. Ita *Sylvest ver. Dominica qu.* 5. *De la Crux in directer. præcept. 3. art. 1. num. 4. Angelus v. Feria num.* 9. 28. & 32. Sed contraria sententia est vera. Ratio est, tum quia finis pietatis non est finis operis, cùm pietas non exerceatur in ipsomet opere, sed

est

eſt finis operantis, atque adeo extrinſecus, qui non poteſt honeſtare opus aliàs illicitum: tum quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona, & non licet furari, vt des eleemoſynam; vnde nec licet exercere opus prohibitum, vt facias opus pietatis: quia ſicut in illis finis operantis non honeſtat opus (vt diximus v. Circumſtantia n. 11.) ita neque in hoc.

Ad rationem autem contrariæ ſententiæ? Reſpon. quòd cap. *Conqueſtus* loquitur tantùm de iudicialibus, vnde non debet extendi ad ſeruilia, quia illa non ſunt ſeruilia, ſed de ſe lícita in feſtis, & ſolùm ſpecialiter à Canone prohibentur, niſi forte exerceantur pietatis cauſa, quia tunc non intendit prohibere; & ideo non licet extendere exceptionem ad ſeruilia, quia non eſt eadem ratio. Ita *Nauarr. in manu. cap.* 13. *num.* 4. 10. & 11. *Rodriques in ſumm. cap.* 12. *num.* 1. & 2. *Bonacina diſputat.* 5. *qu. vnic. punct.* 3. *num.* 6. *Palaus tom.* 2. *de obſeru. Feſtor. diſputat. vnic. punct.* 10. *num.* 1. *Diana par.* 4. *tract.* 4. *reſol.* 177. & alij communiter.

F E V D V M.

S V M M A R I V M.

1. *Quid ſit feudum? & eius differentia ab emphyteuſi.*
2. *Quæ ſint conditiones requiſitæ ad contractum feudalem?*
3. *Qui ex feudum dare poſſint?*
4. *Quæres ex feudum dari poſſint? & quomodo feudum acquiratur?*

1. FEudum *eſt conceſſio rei immobilis vel æquipollentis cum translatione vtilis dominij, proprietate retenta, ſub onere fidelitatis & obſequij perſonalis exhibendi; Lab.* 2. *Feud. titul.* 23. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 24. *dub.* 1. *numer.* 5. *Filliucius tract.* 36. *capit.* 9. *nu.* 159. & 164. *Sylueſt. v. feud. Bonac. de contract. queſt.* 8. *punct.* 1. *num.* 3. *Layman lib.* 3. *tract.* 4. *cap.* 24. *num.* 1. & 2. ex hac definitione patet *differentia* inter feudum & emphyteuſim, quòd quamuis in vtroque transferatur dominium vtile in recipientem, remanente dominio directo apud traditorem, differunt tamen ratione penſionis; nam *quatenus* penſio eſt perſonalis, id eſt, conſiſtens in obſequio perſonali, dicitur feudum; *quatenus* verò penſio eſt realis, conſiſtens, nempe, in pecunia, vel frumento vel alia re ſimili, dicitur emphyteuſis: vnde *duo* ad ſubſtantiam feudi pertinent: *Primò*, vt res in feudum data, immobilis ſit, vel vt talis habeatur, vt regnum, prouincia, vrbs, pagus, ager, prædium, &c. *Secundò*, vt is qui accipit, fidelitatem & obſequium Domino promittat. Ita Doctores citati communiter.

2. *Conditiones* requiſitæ ad contractum feudalem, communiter à Doctoribus hæ recenſentur. *Prima*, debet cõſtitui feudum in re immobili, vt dictum eſt. *Secunda*, Dominium directum & poſſeſſio ciuilis rei feudalis, remanet apud Principem vel Dominum, eam dantem in feudum, & in vaſallum transfertur dominium vtile. *Tertia*, non tenetur feudatarius ad pẽſionem ſi eſt feudum purum, ſed tantùm ad obſequium perſonale, quando ad illud interpellabitur. *Quarta*, ſi obſequium debitum vaſallis non præſtiterit, amittit feudum & incidit in caducitatem, ſicut emphyteuta amittit emphyteuſim, cum non ſoluit penſionem. *Quinta*, debet feudatarius à directo domino inueſtiri, mittiue in poſſeſſionem, ac tunc eidem iurare fidelitatem. *Sexta*, non poteſt ſine domini voluntate feudum donare, vel oppignorare, vel alteri concedere in feudum. *Septima*, ſi abſque eadem voluntate illud alienarit, ipſum amittit. Plura apud *Azor. 3. part. lib.* 10. *de feud. Reginal. lib.* 25. *numer.* 550. *Iulius Clarus lib.* 4. §. *feud. Sylueſt. Angel. Tabien. v. feu. Lorichius v. feud. n.* 2.

3. Omiſſis multis, quæ de hoc contractu feudali dici poſſent, & maximè vſum habent pro foro externo, ſpectantque ad cauſidicos, pauca hæc ſummatim attingemus: *Lab. 1. feud. titul.* 1. *lib. primo feud. tit.* 6. *Azor. c. cap.* 5. *queſt.* 2. *Filliucius cit. num.* 166. *Lorichius c. num.* 5. *In feudum* dare poſſunt, qui liberam habent adminiſtrationem ſuorum bonorum, & non ſunt aliquo iure prohibiti; de iure tamen feudorum requiritur aliqua dignitas. *In particulari* poſſunt dare in feudum, Papa; Epiſcopi verò, & Abbates, præpoſiti & alij inferiores clerici in feudum tantùm dare poſſunt res, quæ ab antiquo tempore in feudum dari ſolitæ ſunt; *Præterea* Domini temporales, vt Imperator, Rex, Princeps, Dux, Marchio, Comes, Baro, & alij nobiles viri ijs inferiores. Accipere autem omnes poſſunt à dominis principalibus, ſecùs ſi vaſalli & domini minores in feudum dent. Vt patet ex iuribus hic citatis.

4. Generatim dari poſſunt in feudum *L. ſeruitutes quæ, ff. de ſeruit. vrban. res immobiles*, vel quæ pro immobilibus computantur, vt ſunt iura exigendi redditus annuos, ſeruitutes rerum, vel perſonarum; debent præterea eſſe res liberæ propriæ, & non alteri obligatæ; *Res* autem quæ prohibitæ ſunt alienari, in feudum nouum dari non poſſunt, ſecùs in antiquum; *Cap.* 1. *per quas fiat inueſt. lib.* 2. *feud. Authent. de non alien. rer. Eccleſ. Res* verò Eccleſiæ, prælati non poſſunt dare in feudum nouum, niſi ex certis cauſis & ſolemni iuris formula ſeruata. *Porrò*, feudum tribus modis acquiritur. *Azor. cit. cap.* 6. & 7. *Primò*, inueſtitura, quæ eſt apprehenſio poſſeſſionis feudi, & fit cum haſta vel aliud inſtrumentum, vt gladius, vel vexillum traditur à Domino. *Secundò*, acquiritur præſcriptione, quæ debet eſſe in ſæculari feudo, annorum 30. in Eccleſiaſtico 40. contra Romanam Eccleſiam 100. *Tertiò*, acquiritur feudum ſucceſſione, *Filliucius c. c.* 10. *Azor. c. cap.* 8. *queſt.* 1. *vnde* capti aliquo membro, iure feudorum, non ſunt habiles ad ſucceſſionem in feudo paterno vel antiquo, vſu tamen & conſuetudine poſſunt ſuccedere, quia licet perſonaliter non poſſint obſequium Domino præſtare, poſſunt tamen per alium: *fœminæ* regulariter non admittuntur in feudo, niſi exprimantur, & feudum fœmineum ſit, vel omninò francum & liberum. *Sylueſt. ver. feudum. Clar. c. queſt.* 87. *Lorichius verb. feud. numer.* 7. *Filij* ex duobus matrimonijs, præferendi in feudo ſunt ij, qui ſunt ex priore, niſi qualitas feudi aliud ſuadeat. *Maſculi* ſuccedunt feudo, exteris excluſis, etiamſi deſcendant in infinitum. *Illegitimi* non ſuccedunt, ſed bene naturales, facti legitimi per ſubſequens matrimonium. *Clericus* iam ordinatus in ſacris, vel beneficiarius retinere poteſt feudum paternum; ſi non erat ordinatus eo ipſo repudiare videtur; quòd tranſit ad ſtatum in quo perſonaliter inſeruire non poteſt. *Azor. c. cap.* 10. *queſt.* 4. *Religioſus* poſt profeſſionem amittit & dimittit feudum agnatis propinquioribus, niſi ſeruitium quod requirit feudum, præſtari poſſet à Monacho, vel à monaſterio decenter. Plura de ſucceſſionibus in feudo & aliis ad ipſum pertinentibus cernere licet apud Filliucium *tract.* 36. *toto cap.* 10. & Lorichium *in ſuo theſauro loco citato*, & alios.

F I D E I V S S I O.

S V M M A R I V M.

1. *Quid ſit fideiuſſio, & fideiuſſor? & quotuplex ſit fideiuſſio?*
2. *Quæ conditiones præcipuè requirantur ad fideiuſſionem? & quando fideiuſſor poſſit conueniri ante diſcuſſionem principalis?*
3. *Qui poſſint & qui non poſſint fideiubere?*
4. *An mulier fideiubere poſſit pro marito? & an pro alio?*
5. *An in neceſſitate aut pietate licitum ſit mulieri fideiubere, & vti poſſit beneficio Velleiani?*
6. *An Clerici poſſint fideiubere in præiudicium Eccleſiæ?*
7. *An religioſus id poſſit ſine conſenſu prælati?*
8. *An fideiuſſor poſſit licitè pecuniam accipere pro fideiuſſione?*
9. *An debitor teneatur de damno, quod fideiuſſori accidit ratione debiti ſoluti?*
10. *Quando creditor poſſit à fideiuſſore debitum exigere?*
11. *An quando plures fideiuſſores pro eodem debito ſunt, teneantur ſingulis in ſolidum?*
12. *An qui fideiuſſit pro reo cui periculum capitis vel mutilationis imminebat, reo fugiente, teneatur ad eandem pœnam?*
13. *An remaneat liber ab obligatione fideiuſſionis fideiuſſor, qui ſe obligauit ad tempus, elapſo termino.*

1. FIdeiuſſio *eſt alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, qua ſe quis obligat ad eam implendam, ſi debitor principalis non ſoluerit;*

ſoluerit. Inſtitut. de fideiuſſ. vnde fideiuſſio, eſt obligatio quædã acceſſoria ſupponens aliã alterius obligationẽ principalem, fideiuſſor autem eſt ille, qui pro alio fidem ſuam obligat, & fide ſua hoc eſt, periculo ſuo iubet eſſet, quod alius debet creditori *Duplex* eſt fideiuſſio, *vna* iudicialis, *altera* extra iudicialis ſeu priuata. *Iudicialis* eſt quà quis ſe adſtrinxit in iudicio ſe ſiſtere reum aut debitore, quando opus fuerit, vel requiſita fuerit, ſub pœna pecuniaria. *Extra iudicialis* eſt, cum quis fidem ſuam obligat extra iudicium creditori, quòd ipſe ſoluet ſi principalis debitor non ſoluerit iure Ciuili perficitur fideiuſſio verbis, quia ſine formula ſtipulationis non parit actionem in foro externo, tamquam pactum nudum: iure autem Canonico, & in foro conſcientiæ, non requiritur formula ſtipulationis, ſed ſufficit conſenſus verbis expreſſus. *Azor. 3. part. lib. 11. cap. 22. dub. 10. Rebellus l. 16. queſt. vnic. de fideiuſſione num. 5. Bonacina de contr. diſput. 3. queſt 9. punct. 1. Molina de contr. diſputat. 539. Leſſius lib 2. c. 28. dub. 1.*

2. Ad fideiuſſionem, *quatuor* præcipuæ *conditiones* requiruntur. *Prima, Inſtit de fideiuſſoribus §. 1. & 3.* vt ſit contractus acceſſorius, ſuponens aliam obligationem principalem præſentem vel futuram.; non refert autem quod obligatio principali orta ſit ex contractu, vel ex delicto, vel ex ſententia iudicis. *Secunda, Inſtitut. ſupra §. 6. Gomeſius tom. 2. caput. 13. num. 1. & 2.* vt non plus obligetur fideiuſſor, quam principalis, vnde nec alio tempore aut loco obligabit: poteſt tamen fideiuſſor arctius obligari, vt cum iuramento, vel cum hypotheca, vel cũ inſtrumento publico, quod Guarantigium vocant, quod habeat paratam executionem, etiamſi principalis debitor ita non ſit obligatus. *Tertia, Leg. cum lex ff. de fideiuſſ. Fillucius tract. 38. numer. 154. Bonac. c. numer. 2.* conditio eſt, vt inualida ſit fideiuſſio, quando contractus quo debitor principalis ſe obligauit, eſt inualidus, ſecluſo dolo, & fraude: hinc fideiuſſor tenetur quoties ex contractu principalis debitoris oritur obligatio naturalis quamuis non oriatur ciuilis, quia nihil deeſt tunc quo minus lex etiam cogere poſſit fideiuſſorem ad ſoluendum. *Quarta, Authent. Præſente C. de fideiuſſ. Leſſius c. num. 9. Fillucius c. num. 155.* vt fideiuſſor non debeat nec poſſit conueniri, regulariter loquendo, antequam ſolutio petatur, à principali debitore, nam ipſe tenetur in defectum principalis, vt patet ex *Authent.*

Tamen *aduertendum* eſt, in tribus caſibus, fideiuſſorẽ communem poſſe conueniri ante excuſſionem principalis *L. ſi dubitetur §. 1. ff. de fideiuſſ. Primò* ſi fideiuſſor renunciauerit beneficio *Authent. Præſente. Secundo*, ſi conſtet principalem non eſſe ſolucndo, aut procul abeſſe, & non habere bona in eodem territorio, è quibus deſumi pretium ſolutionis queat. *Tertiò* ſi fideiuſſor conuentus, negauit ſe fideiuſſorem, amittit enim, per hoc beneficium vt prius conueniri debeat principalis.

3. Omnes illi poſſunt fideiubere iuxta *Reginald. l. 25. num. 220. Bonacina cap. punct. 2. nu. 1. Fillucius c. num. 156. Leſſi. c. dub. 2. n. 11. & 18.* qui liberam habet ſuorum bonorum adminiſtrationem, & poſſunt principaliter obligari, nec repelluntur à iure, vnde neceſſe eſt vt habeant propria bona, & ea ſufficientia ſint ad ſoluendum debitum, & damna, quæ paſſus eſſet creditor culpa principalis debitoris *hinc* repellendi ſunt pauperes à fideiuſſione: *item* filiusfamilias niſi habeat peculium caſtrenſe vel quaſi *Authent. ſi captus C. de Epiſcop. & Cler. item* minores abſque auctoritate curatoris, & pupilli abſque tutore *ſi tamẽ* minor vigintiquinque annis pro aliquo fideiubeat obligatur naturaliter, licet beneficio reſtitutionis in integrum poſſit obligationem elidere, quia ſemper præſumitur læſus *pro patre tamen* incarcerato, ſi fideiubeat, efficax eſt obligatio, quia ad id tenetur.

4. *Mulier* regulariter fideiubere non poteſt pro marito, & ſi fideiubeat pro illo, eſt irrita fideiuſſio: *Authent. ſi qua mulier Cod. ad S. C. Velleianum l. Antiqua. §. fin. Cod. Fillucius cit. num.* 157. pro alio autem fideiubere poteſt, cum inſtrumento publico adhibitis tribus teſtibus cum ſubſcriptione; & tenetur mulier ex hac fideiuſſione ciuiliter, & naturaliter, licet cõpetat ei exception. *S. C. Velleiani* per quam poteſt elidere hanc exceptionem & hoc intellige, ante executionem ſententiæ *nota* tamen conſuetudine iam receptum eſſe, vt ſufficiat notarium publicum ſubſcribere, præſentibus tribus teſtibus.

5. Mulieri licitum eſt fideiubere, poſtulante tamen neceſſitate aut pietate, nec vti poteſt beneficio *Velleiani* in certis caſibus *Lorichus in theſauro v. fideiuſſ. numer. 2. Sanches de matr. l. 4. diſp. 9. n. 14. Primo*, ſi accepto pretio fideiubeat, vel addito iuramento, ad confirmandam fideiuſſionem tenetur ſtare permiſſioni, ſi conſciat erat priuilegij, ſi verò non erat conſcia, negant probabiliter aliqui Doctores illam teneri, ſed communis ſententia affirmat teneri ideò enim iurauit, vt ſibi omnes vias præcluderet, non implendi promiſſionem *Reginald. c. Leſſius nu. 16. Secundo* ſi renunciauit beneficio, *Velleiani* ſciens, & eius admonita, coram magiſtratu, vel cum iuramento, & non ſufficeret implicita renunciatio. *Tertiò Sylueſt. v. fideiuſſ. qu. 2. Molina c. diſp. 540.* ſi fideiubeat pro dote alterius. *Quarto* ſi pignus vel fideiuſſorem pro alio dedit, & poſt biẽnium à dicta cautione numerandum iterum ſe ad idem obligauit, vel pignus, & fideiuſſorem dedit: ſi autem ea obligatio fiat ante biennium completum non valet. *Bonacina c. p. 2. num. 2.* ſi ſe obliget ad aliquid ſoluendum pro libertate alicuius ſerui. *Leſſius cap. dub. 2. nu. 12. & 15. Gomezius c. nu. 16. Sextò* quando in fraudem fideiuſſit, vt decipere. Qui extra hos caſus aliquid à muliere fideiubente accepit non poteſt acceptum ſibi retinere, quia ex fideiuſſione inualida, non eſt translatum dominium in accipientem, & ideò tenetur ad reſtitutionem, etiam quando fideiuſſio fuit valida, mulier tamen vtitur beneficio *Velleiani*.

6. *Clerici* non poſſunt fideiubere in præiudicium Eccleſiæ; ex *Cap. Te quidem. 11. q. 1. Fillucius c. n. 158.* conſuetudine autem pro Clericis, & ſuis Eccleſiis poſſunt ex bonis patrimonialibus, & fructibus beneficiorum, quos faciunt ſuos ſic tamen vt non remaneant in egeſtate, vt habet Capit. *Odoardus, de ſolut.*

7. *Religioſus* non poteſt fideiubere, ſine conſenſu Prælati, & maioris partis Capituli ſi aliter factum ſit conuentus non tenetur niſi quatenus verſum eſt in eius vtilitatẽ, imo in re magni momenti repellitur ipſe ſuperior à fideiuſſione, niſi adſit conſenſus maioris partis Capituli. *C. quod quibuſdam de fideiuſſ. Bonac. c. n. 2. Lorich. c n. 2.*

8. *Fideiuſſor* poteſt licitè pecuniam accipere pro fideiuſſione; quia eiuſmodi onus, & obligatio quam in ſe ſuſcipit fideiuſſor eſt prætio æſtimabilis, nec fideiuſſor tenetur eam gratis ſuſcipere, & hoc verum, etiamſi fideiuſſor nullum patiatur periculum moleſtias, vel laborem fideiubendo: quia pecunia aut pretium recipitur ob obligationem ſoluendi pro debitore, quę obligatio cũ ciuilis, ſit & ſubiecta foro externo prætio æſtimabilis eſt. *Nauar. cap. 17. num. 185. Azor. 3. par. lib. 11. c. 22. d. 5. Sa v. fideiuſſio num. 1. Reginald. cap. num. 218.*

Hinc creditor poteſt aliquid accipere a fideiuſſore volente ſe eximere ab obligatione fideiuſſionis, fideiuſſio enim eſt prætio æſtimabilis, nõ ſolum ratione obligationis verum etiam ratione periculi, cui ſe exponit creditor amittendi creditum. *Couarru. 3. variar. caput. 2. numer. 6. Azorius citat. dubium. 6.*

9. Debitor non ſolum tenetur reſtituere debitum quod fideiuſſor pro ipſo ſoluit ſed etiam expenſas, & damna quæ paſſus eſt modò culpa debitoris interceſſerit: ſi verò nulla debitoris culpa interceſſit, ſed non ſoluit ob impotentiam, videtur ſolum obligandus ad reſtitutionem debiti principalis non verò ad expenſas, & damna fideiuſſoris quia non adeſt radis reſtitutionis, ob quam videantur obligandus ad reſtitutionem. *Eman. Sa v. fideiuſſ. num. 3. Azor. c. dub. 10. Sylueſt. c. n. 10. Bona c. c. p. 1. n. 15.*

10. Creditor poteſt à fideiuſſore exigere debitum, & tenetur ille ſoluere. *Primò* quando debitor non eſt ſoluendo, *Secundo* quando debitor eſſet abſens, & non poſſet commodè conueniri. *Tertiò*, quando renunciaſſet ſuo iuri, & conſtituiſſet ſe tamquam principalem debitore: *vnde* non poteſt fideiuſſor ante tempus ſolutionis debiti agere contra debitorem, vt liberet eum ab obligatione, niſi in quatuor caſibus. *Primò*, ſi fideiuſſor diu ſtetit in obligatione. *Secundo*, ſi poſt fideiuſſionem debitor diſſipet bona ſua, vel ad inopiam vergat. *Tertio*, ſi fideiuſſor fuerit condemnatus ſuper fideiuſſione. *Quartò*, ſi ab initio ita ſit conuentum inter eos. *Sylueſt. c. quæſt. 10. Azor. c. dub. 8. 9. & 13. Reginald. c. num. 221. Molina c. diſp. 546.*

11. *Quando* plures fideiuſſores pro eodem debito ſunt, ſinguli tenentur in ſolidum, qui tamen in ſolidum conuenitur, excipere poteſt, vt quilibet conueniatur pro ſua parte, *hæc autem* exceptio debet opponi ante ſententiam definitiuam, qua iubeantur ſoluere: item non competit ei, qui vel ſponte, vel compulſus per ſententiam definitiuam ſoluit, vel renunciauit tali priuilegio fideiubendo. *Porro* ſi vnus fideiuſſor totum ſoluerit, poteſt compellere creditorem, vt ſibi cedat actionem, quam habebat in reliquos fideiuſſores exigendo ab illis partes, quas à ſin-

singulis creditor petere poterat. *Leſſius lib. 2. c. 28. dub. 3. Filliuc. tr. 6. num. 163. Reginald. c. num. 221. Bonacina c. p. 1. m. 6. Molina t. d. 644.*

11 *Communis* ſententia eſt illum, qui fideiuſſit pro reo, cui periculum capitis, vel mutilationis impendebat, reo fugiente abſque culpa illius, non eſſe capite plectendum, nec pœna mutilationis, vel flagellorum *quæ* hæc ſunt ſupplicia criminum, nō ſolutionis debitorum, & fideiuſſor non potuit ſe ad hanc pœnā obligare, cum non ſit dominus ſuæ vitæ, & membrorum, vnde ex hac fideiuſſione obligatur tantum ad pœnam pecuniariam, poſt iudicis ſententiam ſoluendam. *Sylueſt. c. queſtion. 6. num. 6. Leſſius c. dub. 7. num. 41. Clauius lib. 5. ſententiar. §. fin. quæſt. 46. num. 18.*

13. *Fideiuſſor* qui ſe tantum obligauit ad aliquod tempus, verbi gratia, ad annum, remanet liber ab obligatione fideiuſſionis, poſtquam creditor prorogauit terminum debitori pro quo fideiuſſerit; *L. Celſus ff. de arbit. quia* obligatio non ſe extendit vltra conuentionem partiū: *ſi tamen* fideiuſſor obligauerit ſe ſimpliciter, nō remanet liber ab obligatione fideiuſſionis, quia obligatio indefinita non tollitur lapſu temporis. *Azor. 3. par. lib. 11. cap. 12. dub. 12. Sa c. num. 5. Nauarr. lib. 3. cap. 4. num. 160.*

Vide *Caubam* numer. 19. *Exhereditatio* numer. 1. *Vſura* 3. num. 10.

FIDEICOMMISSVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit fideicommiſſum?*

1 Fideicommiſſum *eſt illud legatum vel relictum quod fides hæredis commiſſum eſt alicui ab eo dandum. L. 3. ff. de leg. Sylueſt. v. fideicommiſſ. Filliuc. tract. 34. cap. 7. num. 145. Bonacina de contract. diſp. 3. quæſt. vltim. p. 4. num. 6. & ſequent.* cum teſtator dicit. Hæres, fidei tuæ committo, vt des legata, & commiſſa, & ſumitur fideicommiſſum, *tum* pro vniuerſali, quādo tota hæreditas relinquitur vni vt det illam alteri tum pro particulari, quando res particularis vni relinquitur vt illam det alteri; hinc fideicommiſſum dicitur legatum, vel hæreditas, ita alteri commiſſa, vt alienari non poſſit, aut relinqui aliter, quàm teſtator ordinauerit, & aliter vocatur ſubſtitutio fideicōmiſſaria de qua plura apud *Bonacinam*, & alios.

Vide *Subſtitutio* num. 5.

FIDES I.

De eius neceſſitate, & præcepto.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit fides.*
2. *Quæ ſit materia ſeu obiectum fidei?*
Quæ ſit differentia inter Credere Deum, Credere Deo, & Credere in Deum.
An fides quamuis obſcura, ſit tamen certior quauis ſcientia naturali.
An actus fidei, & ſcientiæ ſimul conſiſtere poſſint.
Quinam habeant fidem.
3. *Fides alia eſt explicita, alia implicita.*
4. *An fides quocumque tempore ad gratiam, & gloriam fuerit neceſſaria neceſſitate medij.*
5. *An baptizati in infantia poſſint facti adulti adipiſci gloriam ſine actu fidei ſupernaturalis.*
6. *An fides implicita Chriſti poſt Adami lapſum fuerit neceſſaria neceſſitate medij.*
7. *Quenam poſt Chriſti aduentum ad gratiam, & gloriam neceſſitate medij neceſſe ſit credere explicitè.*
8. *An fides actualis neceſſaria ſit neceſſitate medij, & præcepti.*
9. *An fideles teneantur ſcire, & credere myſteria contenta in ſymbolo Apoſtolorum.*
10. *An neceſſitate præcepti teneantur fideles ſcire quot ſint Sacramenta præcepta decalogi Eccleſiæ, orationem Dominicam, &c.*
11. *Quos articulos debeant ſcire explicite ſecundum ſubſtantiam?*
12. *An præceptum credendi res fidei ſit naturale, vel diuinum poſitiuum vel Eccleſiaſticum?*
13. *An poſſit dari ignorantia inuincibilis rerum fidei, quæ ſunt neceſſariæ ex medio.*
14. *An quando alicui primum fides ſufficienter proponitur teneatur ex præcepto elicere actus fidei?*
15. *An quando homo tenetur ſe ad Deum conuertere teneatur actum fidei elicere?*
16. *An debeat actum fidei elicere quis, quando tenetur exterior fidem confiteri, vel eſt in articulo mortis.*
17. *An confeſſarius teneatur interrogare penitentes Doctrinam Chriſtianam.*
18. *De quibus articulis ruſtici, debeant doceri à confeſſario.*

1 Fides eſt *virtus Theologica à Deo infuſa per quam firmiter aſſentimur ob Dei auctoritatem iis, quæ à Deo reuelata ſunt, & ab Eccleſia propoſita, vt à nobis credantur.* Dicitur, *virtus* quia eſt habitus infallibiliter inclinas intellectum in verum, cum impoſſibile ſit fidei ſubeſſe falſum, verum autem eſt bonum intellectus. Dicitur, *Theologica*, quia immediatè attingit Deum, tamquam materiam principalem, ſub ratione diuina, & increata: nam aſſentitur rebus reuelatis, propter veracitatem diuinam, ſeu quia aſſertor eſt prima veritas per eſſentiam. Dicitur *infuſa*, quia non acquiritur humanis operibus, & vt diſtinguatur a fide hæreticorum, dæmonum damnatorum, quam retinent, circa aliquas veritates fidei. Dicitur *per quam firmiter aſſentimur* quia fides non eſt notitia, ſed aſſenſus, qui immediate oritur ex iudicio de rei veritate. Dicitur. *Firmiter*, nempe ſupra omne credibile, ne videlicet Deo faciamus iniuriam dubitando de eo quod ipſe credibiliter affirmat. Dicitur, *iis quæ à Deo reuelata ſunt*: hic oſtenditur fidem eſſe earum veritatum, quæ Dei reuelatione manifeſtatæ ſunt, non earum, quæ ex humana diſciplinam aut propria experientia habentur. Dicitur, *& ab Eccleſia propoſita* &c. hic indicatur Eccleſiam ſolam habere rationem rerum fidei, quæ Deus toti Eccleſiæ manifeſtat, quales ſunt, quæ per ſacras ſcripturas habentur & per Apoſtolicas traditiones, ac per generalium Conciliorum, Summorumque Pontificum determinationes, *vnde* ſi quid alicui Deus reuelaret, id non haberet rationem rei de fide, niſi approbaret, & pro tali admitteretur ab Eccleſia, cuius eſt de huiuſmodi rebus ſtatuere. *D. Thomas. 2. 2. quæſt. 4. art. 1. Sylueſter 2. 2. quæſt. 1. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 1. quæſt. 3. Reginald. lib. 17. capit. 1. numer. 10. & ſequent. Tolet. lib. 4. capit. 1. Filliucius tractat. 22. capit. 1. quæſt. 1. Laymann lib. 2. tractat. 1. capit. 1. Bonacina tom. 2. diſputat. 3. quæſt. 2. punct. 1. Valent. tom. 3. diſp. 1. quæſt. 5. part. 1. Becanus de fide caput. 8. quæſt. 8. numer. 4. concluſ. 2. Malder. 2. 2. quæſt. 1 ſect. 3.*

2. Fidei obiectum duplex eſt iuxta *D. Thom. c. quæſt. 1. art. 1.* formale & materiale; formale eſt Deus, non præcisè qua Deus, ſed qua verax eſt; ſicut enim ſolemus credere homini narranti, non ideò præcisè, quia homo, aut diues, aut nobilis, aut doctus, ſed quia verax eſt; ſic etiam credimus Deo dicenti, ſeu reuelanti, non ideò præcisè, quia Deus, aut æternus, aut omnipotens, ſed quia verax eſt. Materia ſeu obiectum circa quod fides verſatur, ſunt omnia, quæ proponuntur credenda ab Eccleſia, tamquam à Deo reuelata; & conſtituuntur ſeptem gradus huiuſmodi propoſitionum, quæ pertinent ad Catholicam veritatem.

Primus, eſt earum, quæ apertè & in propriis terminis habentur in ſcripturis canonicis.

Secundus, quæ apertè deducuntur ex ſcripturis canonicis.

Tertius, earum, quæ habentur apoſtolica traditione.

Quartus, earum, quæ à Conciliis legitimè congregatis, à Summo Pontifice confirmatis, definitæ ſunt.

Quintus, earum, quæ tamquam de fide proponuntur à Sede Apoſtolica.

Se-

Sextus, earum, quæ vnanimi consensu Patrum, tamquam de fide proponuntur, & contra hæreticos afferuntur.

Septimus, earum, quæ euidenter deducuntur ex tribus postremis gradibus. Ita *Valent. tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 1. *Syluius* 2. 2. *quæst.* 1. *artic.* 1. *concl.* 3. *Tolet. c. nu.* 7. *Reginald. c. nu.* 12. *Castro lib.* 1. *de iust. hæret. punit. articul.* 3. *Becanus capitul. de fide capitol.* 2. *Cano lib.* 12. *de loc. Theolog. à capitol.* 7. *ad* 12.

Sed petes *primò*, quæ sit differentia, inter credere Deum, credere Deo, & credere in Deum? Respond. non esse tres actus, sed vnum in diuersa tendentem: nam primus tendit in obiectum formale. Secundus, in obiectum materiale, si sine voluntate fertur in Deum. Tertius in vltimum finem. Quamquam secundùm phrasim Scripturæ, hæc tria non distinguantur vt patet ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo*, & statim, *Credenti autem in eum qui iustificat impium*. Hæc tamen distinctio accepta est ex D. August. *tract.* 29. *in Ioannem*, & aliis locis ac recepta communiter à Doctoribus. Sed debet tamè intelligi cum peccatores fideles, dicunt Credo in Deum, nempe Spe vel remotè; alioquin symbolum illud non esset fidei, sed charitatis & peccator Catholicus mentiretur illud pronunciando, cum tamen Ioan. c. 12. *num.* 42. dixerit, *ex Principibus multi crediderunt in illum, sed propter Pharisæos, non confitebuntur*. Vide D. Th. 2. 2. q. 2. a. 2.

Petes *Secundo*, an fides quamuis obscura sit tamen certior quauis scientia naturalis?

Respondeo affirmatiuè, quia certitudo scientiarum est absolutè fallibilis, certitudo fidei absolutè infallibilis: veracitas enim diuinas, omnibus à se reuelatis, tribuit immobilitatem & firmitatem simpliciter infinitam, adeo vt per nullam potentiam possint esse falsa, quæ fide catholica credimus: sic naturales rerum proprietates, similiter, & effectus causarum impediri à Deo possunt, vt Iosue. 10. num. 13. Isaiæ 38. num. 8. Hinc Dominus Matth. 24. num. 35. Cœlum, & terra trasibunt, verba autem mea non præteribunt. Ex quibus locis apparet, quanta Dei gratia opus sit, vt bene credamus, & tam firmiter, quam dignitas diuinæ maiestatis requirit debemus enim parati esse negare potius omnem euidentiam naturalem, omnem experientiam sensuum, omnem ratiocinationem, quam vllo modo dubitare de illis, quæ Deus affirmauit, & per Ecclesiam suã nobis credenda proposuit, vt patet in potissimis misterijs fidei Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis, &c. Ita D. Thom. 2. 2. q. 4. *a.* 8.

Petes *Tertio*, an actus fidei, & scientiæ simul consistere possint Respond. negatiuè, quia actus, hi habent conditiones repugnantes nam vnus est euidens, alter obscurus, vnus necessarius, alter liber, vnus naturalis, alter supernaturalis, vnus assenti tur ob rationem intrinsecam, alter ob extrinsecam, ergo non possunt simul elici ab intellectu, quia hoc superat naturæ vires per absolutam tamen Dei potentiam posset hoc fieri, si supernaturaliter intellectus noster à Deo corroboraretur, quia non implicat contradictionem. Porrò actus scientiæ potest consistere cum habitu fidei, & actus fidei cum habitu scientiæ, ac proinde potest aliquis successiuè, modò scire, modò credere esse Deum; modò scire, per euidentem demonstrationem: sed actus fidei longè præstantior est, & certior actu scientiæ.

Petes *Quartò*, quinam habeant hanc fidem. Respondeo solos viatores, qui captiuant intellectum suum in obsequium Christi credentes firmissimè ea omnia, quæ Deus reuelauit, & per Ecclesiam, credenda proposuit, qui dicuntur Cattholici. Vnde Angeli initio creationis, & Adamus in paradiso habuerunt fidem, qui erant viatores nondum admissi in patriam: Item, illi qui sunt in purgatorio retinẽt fidem, quia partim sunt in via, partim in termino: ex vi habent fidem, quia nondum admissi sunt ad speciem ex termino habent certam spem salutis, quia sententia iam lata est. Peccatores etiam grauissimi retinent fidem diuinitus infusam quandiu peccatum infidelitatis non commiserint, vt definit Concilium Trident. *sess.* 6. *can.* 28. Hæretici non habent fidem, quia sicut commissione vnius peccati mortalis, tota charitas amittitur, ita etiam vnica infidelitate tota fides aboletur. Beati autem non habent fidẽ, quia lumen gloriæ non potest consistere cum fide. Item nec damnati habẽt fidem, quia sunt in termino, & nihil possunt sperare. Nec refert illud Iacob. 2. quod Dæmones credunt, nam hoc intelligendum est de assensu naturali non de fide diuinitus infusa. Vide D. Th. 2. 2. q. 5. *a.* 1. & 2.

3. *Fides* alia est *explicita*, alia *implicita*; *fides explicita* contingit, quando aliquid creditur in particulari, & in seipso, vnde qui credit Christũ resurrexisse, dicitur habere fidẽ explicitã mysterij Resurrectionis Christi: *implicita* verò est quando aliquid creditur, non in particulari & in se ipso, sed in aliquo alio, ideò qui credit, quidquid credit S. Mater Ecclesia dicitur habere fidẽ implicitam mysterij Trinitatis, Incarnationis, &c. quia inter ea, quæ credit Sancta Mater Ecclesia, sunt mysterium Trinitatis, Incarnationis &c.

Præterea fides aliquando accipitur pro ipsa virtute seu habitu fidei aliquando pro ipso actu credendi *Azor tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 6. *Valent.* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 2. *par.* 3. *Tolet. c. capit.* 2. *num.* 9. *Layman. lib.* 2. *tractat.* 1. *caput.* 8. *numer.* 1. *Sanches libr.* 2. *moral. capit.* 2. *num.* 2.

4. Fides accepta pro ipso actu credendi explicite aliquod supernaturale obiectum omnibus rationis vsum habentibus, quocumque tempore, ad gratiam, & gloriam consequendam fuit necessaria necessitate medij seu finis; id est, qua prætermissa salus obtineri non potuit in nullo euentu etiãsi inculpabiliter prętermittatur: quia ad Hebræos 11. dicitur, *Accedentem ad Deum oportet credere*, & in Concilio Trid. dicitur. Sine fide nulli vmquam contigisse iustificationem *Bannes* 2. 2. *quæst.* 2 *art.* 8. *dub.* 1. *conclusion.* 1. *Valent citat. punctum* 2. *Layman citat. num.* 3. *Becanus capit.* 12. *quæstion.* 1. *numer.* 5. *Concily Tridentini sess.* 6. *cap.* 8.

5. Cum principium omnis meriti sit actus fidei supernaturalis hinc baptizati in infantia, nequeunt adulti facti absque supernaturalis fidei actu gloriam adipisci, quia adulti nequeunt ob sola Christi merita gloriam consequi, sed proprijs quoque meritis indigent, vnde si puer statim ac ad annos discretionis peruenerit moriatur, ad diuinam prouidentiam pertinet, vel vt interiùs illustretur, vel ab aliquo ita illi mysteria fidei proponantur, vt credere possit. *D. Thom.* 3. *distinction.* 25. *quæstion.* 2. *articol.* 1. *quæstion.* 1. *Valent. citat. quæstion.* 2. *par.* 3. *concluſ* 1.

6. Post Adami lapsum, semper fuit necessaria necessitate medij ad gratiam, & gloriam consequendam, fides saltem implicita Christi tamquam mediatoris, & redemptoris cuius meritis hæc assequenda erant: quia in multis scripturæ locis fides in Christum omnibus tamquam ad salutem necessaria commendatur. *ad Rom.* 3. 4. & 5. *ad Corint.* 10. *Syluius c.* 9. 3. *a.* 10. *c.* 5. Vide etiam *Laym. l.* 2. *tract.* 1. *c.* 9.

7. Post Christi aduentum, & post sufficientem Euangelij promulgationem, ad primam, & vltimam salutem, ad gratiam scilicet, & gloriam, necessitate medij necesse est explicitè credere.

Primò Deum esse, & remuneratorem esse. Ratio est, quiaquis tendit in finẽ debet illum præcognoscere, sed finis est visio Dei remuneratoria ergo debemus credere Deum esse, & remuneratorem esse.

Secundò, Mysterium Trinitatis. Ratio est, quia mysterium Trinitatis, est fundamentum nostræ salutis, & sine cognitione huius mysterij, nequit Christus satis cognosci, vt pote, qui est Filius Patris, & conceptus virtute Spritus Sancti.

Tertiò Misterium Christi, nempe Christum esse verum Deũ, & verum hominem mortuum esse, ac resurrexisse, pro totius humani generis salute. Ratio est, voluntas, & dispositio Dei, qui posuit Christum tamquam fundamentum nostræ salutis, cum per ipsum saluati, & liberati sumus. Si enim explicita fides horum mysteriorum, non esset adultis necessarium medium ad salutem, sequeretur posse nunc temporis aliquem saluari in lege Mosaica, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euangelicam seruet legem Mosaicam, quæ implicitè continet fidem Christi. Hæc est sententia. *D. Thom.* 2. 2. *quæstion.* 2. *artic.* 5. 7. & 8. *D. Bonauent.* 3. *dist.* 25. *art.* 1. *quæstion.* 2. *Syluius* 2. 2. *quæstion.* 2. *articol.* 7. *conclusion.* 6. *Malder.* 2. 2. *quæstion.* 2. *articol.* 5. 7. & 8. *Lorca* 2. 2. *quæstion.* 2. *articol.* 8. *distinction.* 22. *membr.* 2. *num.* 4. *Becanus* 2. 2. *capit.* 12. *quæstion.* 3. *numer.* 2. *Fullmc. tractat.* 22. *numer.* 23. & *sequent. Reginald. libr.* 17. *numer.* 18. Ali autem rudes ab hac explicita fide excusentur, dicetur infrà num. 11.

8. *Fides actualis* non solum necessaria est necessitate medij, verùm etiam necessitate præcepti, quilibet enim tenetur assumere medium necessarium sibi ad salutem, vnde Marci vltimo, dicitur. *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, saluus erit, qui non crediderit condemnabitur. Præcepta* autem fidei in vniuersum sunt quinque.

Pri-

Primum, eſt affirmatiuum, ſciendi res fidei. *Secundum*, credendi certos quoſdam articulos fidei. *Tertium*, eſt negatiuum quo præcipitur, vt non diſentiamus à rebus fidei. *Quartum* pertinens ad actum externum eſt affirmatiuum, quo iubemur, in aliquo caſu confiteri res fidei. *Quintum*, negatiuum, quo prohibemur numquam eam denegare *Bonacina tom. 1. diſputation. 3. quæſtion. 2. punct. 2. num. 7. Filliucius 6. cap. 2. num. 31.*

9. Secundùm communem Doctorum ſententiam ex præcepto Eccleſiaſtico omnes fideles tenẽtur ſcire, & credere myſteria contenta in ſymbolo Apoſtolorum: quia omnes eiuſmodi articuli dicuntur prima rudimenta fidei, quæ publicè circũferuntur in eccleſia, & credenda omnibus proponuntur, quaſi explicitè ſcienda, & credenda. *Nota* tamen articulos fidei poſſe ſciri tripliciter. *Primo* ſecundùm ſubſtantiam, ideſt, ſecundũ ſignificationem generalem, & ſimplicem vocum, quæ continentur in eo articulo vt ſubſtantia articuli Trinitatis eſt Deũ eſſe, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & hos non eſſe tres Deos, ſed vnum. *Secundo* poſſunt ſciri ſecundùm modum, ideſt, ſecundùm eam declarationem, quæ communiter habetur in Catechiſmis, præſertim Romano. *Tertio*, poſſunt ſciri ſecundùm difficultates, quæ communiter ferri ſolent circa illos, vt poſſit ſufficiens ratio reddi eorum quæ creduntur præſertim contra hæreticos.

Omnes fideles tenentur ad ſcienda contenta in ſymbolo ſecundũ ſubſtantiam. *Paſtores* autem confeſſarij, & concionatores tenentur ſcire etiam ſecundò modo. *Denique* Epiſcopi, & Prælati tenetur etiam ſcire tertio modo, quia debent eſſe parati ad reddendam rationem eius fidei, quæ eſt in ſuis ouibus: Vide *D. Thom. 2. 2. quæſt. 2. artic. 5. Layman. 5. numer. 3. cap. 9. Azor. tom. 1. libr. 8. cap. 6. quæſtion. 2. Sanches c. cap. 3. num. 4. & 6. Syluius citat. quæſtion. 2. articul. 8. capitul. 7. Nauarr. capitul. 11. numer. 22. Bonacin. cap. numer. 13. Clauis Reg. lib. 2. cap. 9. num. 15. Regin. lib. 17. num. 18. & 19. Filliucius cit. num. 34. & ſequent.*

Quæ autem ſit ſubſtantiam rerum credendarum. Vide *Sanches cit. c. 3. num. 17.*

10. *Neceſſitate* etiam *præcepti* tenentur fideles poſtquam ad rationis vſum peruenerunt, ſcire ſubſtantiam aliorum Sacramentorum, quæ recipere tenentur, vt baptiſmi, & pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, inſuper matrimonium inire volens, vel ad ordines aſcendere, tenetur, poſſe Sacramentum, quod recipere vult, & ſecundùm probabiliorem *Bannes. 2. 2. qu. 2. art. 8. dub. 2. Valent. 2. 2. d. 1. q. 2. punct. 5. Azor c. 9. 3. Diana p. 3. tr. 5. reſ. 48.* & quorumdam ſententiam, idem dicendum de Confirmatione, & Extrema vnctione. Præterea tenentur omnes fideles præcepta Decalogi, & Eccleſiæ ſcire, quia tenentur illa exequi, quod ea ignorantes præſtare nequeunt: tenentur etiam ſcire orationem Dominicam, quia vniuerſa à Deo petenda in ea continentur: *Notandum* tamen hic eſt ſecundùm doctrinam Theologorum fideles non teneri præciſo peculiari aliquo præcepto ſub mortali ſcire memoriter prædictos articulos, vel præcepta eo ordine, vel iiſdem verbis, quibus proponuntur, ſed ſufficeret, vt illa ſciant quo ad ſubſtantiam, & ſignificationem, ita vt ſi de illis interrogentur, rectè reſpondeant, & illa debito ſapore ſerusent: eſſet autem veniale graue nõ mandare memoriæ ſymbolum Apoſtolicum, & orationem Dominicam, ideòque addiſcendum eſt ſymbolum in ea lingua, quam quiſque intelligit, alioquin ſcire ea memoriter & non intelligere, ne ſcire eſt. *Sanc. c. n. 16. Rodrig. tom. 1. Summ. c. 83. n. 1. Filliuc. c. num. 37. Bonacina c. num. 14. Diana tract. 2. miſc. reſolut. 12. part. 2.*

11. Rudes neceſſariò debent aliquos articulos explicitè cognoſcere ſaltem ſecundũ ſubſtantiam, vt Deum eſſe remuneratorẽ ſupernaturaliter Dei filium eſſe incarnatum, & mortuũ, eſſe Deum trinum eo modo quo in ſigno crucis exprimitur, quia eorum fides eſt neceſſaria neceſſitate medij, vt dictũ eſt, ſi quis autem tam hebes ſit & obtuſus ingenio, vt non poſſit articulos omnes capere ſecundùm ſubſtantiam, excuſabitur ratione impotentiæ, ſi tantum implicitè credat; vnde ſufficit, vt iſti rudes ſemel aſſenſum explicite præbuerint articulis ad ſalutem neceſſarijs, dum ſibi proponebantur à confeſſario, vel ab alio, nam dicuntur noſcere articulos fidei quantum fert ipſorum capacitas, *aliud* enim eſt explicitè credere, & aliud explicitè ſcire, ita vt quis interrogatus ſciat rationem reddere.

Primum enim eſt neceſſarium neceſſitate finis. *At Secundum*, hoc eſt explicite ſcire, ita vt interrogatus rationem reddere ſciat, eſt neceſſarium ſola præcepti neceſſitate. *Azarius citat. quæſtion. vltim. capit. 6. Regin. citat. numer. 18. Sanches citat. numer. 17. & 18. Valent. citat. punct. 4. Malder. 2. 2. quæſt. 2. articul. 7. Becanus citat. capit. 12. numer. 14. Medina inſtruct. libr. 1. capit. 14. §. 2. Diana part. 3. tractat. 5. reſol. 46.*

12 Præceptum credendi res fidei, partim eſt naturale, quatenus refertur ad ea obiecta, quorum fides eſt neceſſaria neceſſitate medij, partim eſt diuinum poſitiuum reſpectu obiectorum, quorum fides eſt tantum neceſſaria ex præcepto: quia habet vim obligandi ex præcepto Dei, & mera ipſius voluntate partim etiam eſt Eccleſiaſticum reſpectu obligationis qua fideles tenentur memoriter addiſcere ſymbolum, & præcepta Eccleſiæ. Ita *Sanches citat. numer. 13. Filliucius citat. numer. 48. 49. 50. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 7. quæſt. 2. Bannes. 2. 2. quæſt. 2. a. 8. dub. 2.*

Hinc deducitur obligationem hanc eſſe ſub culpa mortali, quia eſt in re grauiſſima, & valde ad ſalutem neceſſaria: vnde prædicta ignorãs eſt in peccato mortali, niſi ignorantia, aut impotentia excuſetur. Ita *Tolet. l. 4. cap. 2. nu. 10. Nauarr. cap. 11, nu. 22. Angelus v. ſcient. n. 1.*

13. Poteſt dari ſecundùm *Vaſqu. 1. 2. q. 76. a. 2. diſput. 121. c. 2. nu. 3. Nauar. cap. 11. num. 22. ignorantia inuincibilis* rerum fidei tam earum quæ ſunt neceſſariæ ex medio, quam, & multò magis earum, quæ ſunt neceſſariæ ex præcepto cum hac differentia, quod priorum ignorantia auferat medium neceſſarium ad ſalutem, poſteriorum verò non auferat, ſed tantùm ex præcepto, in quo admitti poteſt excuſatio: verùm inter Chriſtianos & fideles ſecundum *Diuus Thom. 1. ad Corinth. 11. lect. 4. Diuus Bonauent. 3. diſt. 25 artic. 1. quæſt. 3.* non datur ignorantia inuincibilis à peccato excuſans horum myſteriorum fidei, quæ explicitè credere tenentur, quia concionatoribus abundant, & paſſim in Eccleſia, myſteria hæc circumferuntur, ac ſolemni ritu celebrantur. Non repugnat tamen poſſe dari apud aliquem ruſticum in particulari, qui contingere poteſt nihil eos de huius præcepti vi & auctoritate audiſſe, vel ſi audierint, nihil inſtar brutorum percepiſſe, aut ſi perceperint, aliis negotijs diſtentos eſſe prorſus huius obligationis obliuios, vel tempore quo addiſcere potuerunt, caruiſſe Doctore à quo inſtruantur. Ita *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 7. quæſt. 2. Sancius in ſelect. diſput. 19. num. 4. & 5. Clauis Reg. lib. 2. capit. 9. num. 15. Filliuc. c. num. 46.*

14. *Vana* ſunt *tempora*, in quibus tenetur homo ex præcepto, elicere actus fidei. *Primum* eſt, quando fides alicui primum ſufficienter proponitur, vt infideli, tunc enim præceptum hoc per ſe ad credendi actum obligat. Infantes autem baptizati, ac inter fideles nutriti, cùm perueniunt ad rationis vſum ac fidei myſteria audiunt, neceſſitatem fidei cognoſcunt, tenentur ex vi præcepti directè ad eliciendos actus fidei, & ſi eos non eliciant, grauiter peccant, niſi per inaduertentiam ſeu inuincibilem ignorantiam excuſentur; quia quilibet tenetur aſſumere medium neceſſarium ad ſalutem: ſufficienter autem dicitur fides infideli propoſita, vt peccato infidelitatis obnoxius ſit non credendo, quando rationibus aut miraculis, aut ſignis, vel coniecturis ita proponuntur articuli fidei, vt ratio dictet fidem noſtram eſſe veram, & ipſius ſectam eſſe falſam. *Valent. 2. 2. diſput. 1. quæſt. 2. punct. 5. Layman. lib. 2. tract. 1. capit. 10. num. 2. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 7. quæſt. 6. & capit. 27. quæſt. 8. Malder. 2. 2. quæſt. 2. articul. 7. Sanches cit. lib. 2. capit. 1. numer. 3. Tolet. libr. 4. caput. 2. numer. 2. Vaſquez 1. 2 quæſt. 76. art. 2. diſp. 120. c. 5.*

15. *Secundum tempus* actum fidei eliciendi eſt, quando homo tenetur ſe ad Deum conuertere, & gratiam antea amiſſam recuperare: præceptum tamen fidei in hoc caſu non obligat per ſe directè, ſed per accidens, quatenus ſcilicet homo tenetur ſe ad Deum conuertere, quod facere non poteſt ſine ſpe & fide; qui autem in hoc caſu actum fidei prætermiſit, ſatisfacit in confeſſione dicendo ſe non fuiſſe conuerſum ad Deum, dum tenebatur conuerti. *Azor. c. caput. 7. q. 6. Sanch. c. c. 1. n. 3. Layman c. n. 3.*

Tertium tempus eſt, quando periculum eſt incidendi in aliquod peccatum niſi actus fidei eliciatur; quia quilibet tenetur aſſumere medium neceſſarium ad vitandum peccatum. *Valent. c. punct. 5. Bonac. c. p. 2. n. 11.*

16. *Quartum*, quando fidem exteriùs tenetur homo confiteri, quam non poteſt confiteri abſque actu interno fidei, tunc obli-

obligan[illegible] ad [illegible]um fidei eliciendũ, quia qui tenetur ad finem tenetur ad media, sine quibus finis subsistere non potest. *Quintus* est, in articulo mortis, quatenus homo tenetur se tunc ad Deum conuertere per actum contritionis, qui habet adiunctum actum fidei & spei implicitum. *Malder. c. qu. 2. ar. 7. Valent. c. Sanches c. num. 3. Diana par. 5. tr. 13. resol. 19.*

17. *Confessarius* tenetur interrogare pœnitentes doctrinam Christianam, quoties probabiliter iudicat illos eam ignorare, quia tenetur interrogare peccata, quæ verisimile est pœnitentem commisisse, iuxta suum statum; at huiusmodi hæc est ignorantia; quoad praxim tamen, personæ nobiles, aut quæ in pueritia bene & honestè sunt educatæ, in ciuitatibus & oppidis ciuilibus, non videntur interrogandæ, quia meritò præsumuntur, quod hæc non ignorent. Rustici autem & rudiores audiri possunt. *Quando* autem confessarius reperit pœnitentem ea ignorare, quæ scire tenetur, instruere debet antequam illum absoluat, vel reijcere donec didicerit quæ scire tenetur: *verum* si confessarius tunc nolit instruere pœnitentem, nec expediat illum reijcere, poterit & debebit docere saltem ea quæ sunt explicite credenda necessitate medij, & postea poterit absolutionem conferre, modo pœnitens priùs eliciat dolorem præteritæ culpabilis ignorantiæ, cum proposito discendi quàmprimùm, quæ discere tenetur. Vide *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 8. quæst. final. Bannes 2. 2 quæst. 2 ar. 8 dub. 2. Sanches c. cap. 3. num. 21. Fullinc. tr. 22 num. 56. Reginal. lib. 17. cap 2. numer. 18.* quia secundùm *Sanches* hic citatum & Sancium *in selectis disputat. 9. num.* 18. non tenetur confessarius denegare absolutionem ignoranti Doctrinam Christianam, etsi sæpe admonitus non didicisset, dummodo pœniteat præteritæ negligentiæ & emendationem proponat: quia de hoc peccato non est aliud censendum, quàm de alijs, in ordine ad negandam absolutionem ob relapsum: quia cuiuscumque præcepti violati emendationem proponere & dolorem habere; sufficiens dispositio est ad absolutionem, quãdo pœnitens aliud efficere non potest, tempore confessionis quàm dolere: & ob id non est absoluendus qui non restituit, aut concubinam non ejcit, quia tempore confessionis, præter dolorem & propositum, potest restituere & concubinam expellere: non autem incontinenti valebit doctrinam addiscere: vndè minùs benefaciunt qui pœnitentes rudes & ignaros varijs interrogationibus torquent, instructionibus longioribus in confessionali insudant, vt memoriter articulos aut recitent aut repetant; Hi enim in vanum sic inutili labore consumunt & conficiunt. Non est vtique ibi locus Catechismorum vbi breuiter & fructuosè res expediri non potest.

18. Illa quæ confessarius rusticos docere debet semel & iterum interrogando, sunt, in Trinitate esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nec esse tres Deos, sed vnum Deum, adhibito exemplo signi sanctæ Crucis: item Iesum Christum Dominum nostrum esse verè Dei filium, verum Deum & hominem, & esse eum qui passus est propter nostram salutem, ac esse in Sanctissimo Sacramento. Cætera verò, vt Deum remittere peccata, dare gloriam, omnia creare, Christum ad inferos descendisse & ad Cœlos ascendisse, Iudicium futurum &c. facilius scire solent & intelligunt crasso modo: In articulo autem mortis, sufficit proponere rustico tantùm credenda necessitate medij, vt mysteria Trinitatis & Incarnationis & Deum esse remuneratorem supernaturalem, Vt vel sic actum illa explicitè credendi eliciat: quia in eo statu non est ferè capax commodè aliorum, potiùs enim defatigaretur parùo cum fructu. *Graffius 1. par. lib. 2. cap. 8. Reginald. lib. 2. cap. 13. num 153. Sanches c. capit. 3. num. 22. 23. Fullinc. c. num. 57. & 58.* Vt docent Doctores locis hic citatis.

De Fide vide *Baptismus* 3. num. 9. *Ignorantia* num. 6. *Martyrium* num. 6. *Sacramentum* 3. num. 6. 7. *Sacramentum* 4 nu. 5.

FIDES II.

De externa confessione fidei, professione, & disputatione rerum fidei.

SVMMARIVM.

1. *An detur præceptum exterius fidem confitendi? quod in duobus casibus obligat.*
2. *An interrogatus de sua fide iudice, vel à persona priuata teneatur fidem confiteri?*
3. *An faciat contra professionem fidei, negans se clericum, vel sacerdotem, vel an Missam audierit, vel fecerit?*
4. *An teneatur ad confessionem fidei catholicus, qui videt imagines conculcari, aut Christum contemni?*
5. *Qui teneãtur ad faciendam professionem fidei, ex decreto Concil. Tridentini. Et an debeat hæc professio fidei fieri personaliter?* refertur duplex sententia.
6. *An quibus teneamur abstinere ex præcepto negatiuo, numquam fidem abnegandi? vbi multi casus decidiuntur.*
7. *An faciat contra præceptum fidei negatiuum qui concionibus vel cæremonijs hæreticorum interest?*
8. *An contra præceptum negatiuum faciat negans se sacerdotem, aut clericum, aut Papistam? & an contra præceptum faciat, qui metu mortis vel carceris inter hæreticos vescitur carnibus feria sexta vel die Sabbatho? & an liceat fugere in persecutione?*
9. *Quando sit illicita disputatio de fide?*

1. EXterna fidei confessio pro aliquo tempore est in præcepto; & hoc est de fide, vt cõstat Matth. 10. *Qui me confessus fuerit* &c. contra quosdam hæreticos dicentes, satis esse fidem animo retineri, & cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat omni tempore, negatiuum autem in eo inclusum numquam exteriùs negandi fidem, obligat pro semper, vt dicetur. *Præceptum* autem hoc externæ confessionis fidei affirmatiuum in duplici casu obligat. *Primò* quando magnus honor Deo debitus subtraheretur, non confitendo exteriùs fidem, aut Deus magna iniuria afficeretur; quia iure naturæ dictante, non est Deo subtrahendus honos, nec Deus iniuria afficiendus est. *Secundò*, quando alioquin impediretur magna vtilitas proximi, aut illi graue scandalum præberetur circa fidem; quia cuiuslibet virtutis actus censetur esse in præcepto, quando necessarius est ad finem charitatis erga Deum vel proximum; in duobus autem prædictis casibus, confessio fidei externa, necessaria est, ergo tunc obligabit; hinc colligere licet solutionem multorum casuum. *D. Thom. 2. 2. qu. 3. ar. 2. Mald. ibi membr. 2. Syln. ibi. ar. 2. conc. 1. Regin. lib. 17. num. 20. Toletus lib. 4. cap. 2. num. 4. Sa ver. Fides num. 4. Fullinc. tr. 22. cap. 3. quæst. 1. num. 62. Sanches lib. 2. mor. cap. 4. num. 2. Azor. 1. 1. lib. 8. cap. 7. quæst. 7. Valent. 2. 2. disput. 1. quæst. 3. punct. 2.*

2. *Interrogatus* de sua fide ab eo, qui publica authoritate fungitur, aut à iudice, tenetur ex præcepto affirmatiuo fidem confiteri, etiãsi ex fidei confessione mors impendeat ipsi cõfitẽti; quia tunc redũdat ingens honor Deo & fidei nostræ: *Rogatus* autẽ de fide à priuata persona, non facit contra confessionẽ fidei, vt habet communior Doctorum sententia, si taceat, vel interrogantem aliqua ratione eludat; quia non subtrahitur magnus honor Deo, nec proximi vtilitas impeditur, nec graue scandalum sequitur, & interrogatus potest permittere huiusmodi deceptionem, cùm iniquè & sine causa interrogetur à priuato: non licet tamen, siue rogato, siue non rogato, negare se esse Christianum, quia id esset contra præceptum negatiuum inclusum in præcepto confessionis fidei, nisi fortè interrogaretur apud aliquas nationes, vbi nomen Christiani significat potiùs nationem aliquam quàm religionem; tunc enim negans se Christianum, non peccat mortaliter in fidei confessionem, sed ad summum esse mendacium veniale. *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 1. Sylvius c. conc. 2. Bonac. tom. 2. disput. 3. quæst. 2. punct. 3. n. 4. & 7. Valent. c. dub. 3. Diana tr. 5 misc. resol. 49. par. 3. Toletus lib. 4. cap. 2. num. 4. Fullinc. tr. 22. cap. 3. num. 65. Bannes 23. quæst. 3. ar. 2. dub. 1. concl. 3. & 4. Rodr. tom. 1. Sum. cap. 119. num. 3.*

3. Non facit contra confessionem fidei, negans se Clericum, vel Sacerdotem, cùm tamen sit, & transiens per loca hæreticorum, licerè potest vestes claricales, aut religiosas deponere, vt incolumis euadat; quia ad summum illud est negare statum Clerici vel Religiosi, non autem religionem & fidẽ: *rogatus* verò ab hæreticis, an Missam audiuerit, aut fecerit, in rigore non peccat contra confessionem fidei si neget, quia illa negare, est tantùm negare opus Catholici vel statum: imò & iudici hæretico ea interroganti sub iureiurando liceret respondere negando, modò debitam restrictionem in mente addat; ita vt teneatur illi aperire. *Fullinc. tr. 22. cap. 3. numer. 68. 69. Sanches c. cap. 4. num. 10. 11. Azor. c. cap. 27. quæst. 2. Bonac. c. num. 10.*

4. Tem-

4. *Tenetur* ad confeſſionem fidei Catholicus, qui videt nagines conculcari, vel fidem, aut Chriſtum contemni, ſi er fidei confeſſionem credat impedienda hæc peccat: *item* eſt bligatio confitendi fidem, quoties infidelis ob alterius confeſ- nem inducetur ad fidem, nec extat aliud medium quo ad u inducatur: *idem* dicendum quando proximus eſt in- iculo negandæ fidei, & huic periculo proſpici poteſt per ſeſſionem fidei; ob rationes ante dictas. *Valent. c. pun. 2. dub. anches cit. numer. 4. & 5. Rodr. cit. numer. 2. Filliucius cit. 74.*

Ex decreto *Concil. Trident. ſeſſ. 24. capit. 12. & ſeſſ. 25. de reformat.* tenentur ad faciendam profeſſionem fi- rimò, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates & Patriar- prima Synodo prouinciali. *Secundò*, prouiſi de bene- bentibus curam animarum; intra bimeſtre à die ade- ſeſſionis. *Tertiò*, prouiſi de canonicatibus & dignita- n Eccleſijs cathedralibus; hi tenentur profeſſionem- cere non ſolùm coram Epiſcopo vel eius vicario, um coram capitulo: *Hæc* obligatio faciendi profeſſio- dei à *Pius IV. Iniunctum nobis*. extenſa eſt ad Præ- mnes religionum etiam militarium intra bimeſtre à ſſeſſionis ſuæ præfecturæ: eamdem obligationem ad s, magiſtros, regentes *Pius V. in ſacroſancta apud tom. 2. queſt. q. 72. ar. 2.* extendit & ad alios cuiuſ- is & facultatis profeſſores, ſiue clericos ſiue laicos, ſiue regulares: etiamſi priuatim in domibus doceant, ſeu extraordinariam cathedram aſſecuti fuerint; & hoc præceptum obligat ſub mortali, niſi aliter per conſuetudinem receptum ſit. *Porrò* hæc profeſſio fidei, iuxta probabiliorem ſententiam, debet fieri perſonaliter, ſiue per ſeipſum tactis ſcripturis: probabile tamen eſt poſſe fieri per procuratorem, cùm nullum verbum ſit in Tridentini decreto, ſignificans per propriam perſonam hanc fidei profeſſionem neceſſariò faciendam. Forma profeſſionis fidei habetur in bulla *Pij IV.* quæ incipit. *Iniunctum nobis*, iuncta Concil. Tridentino, & compendio priuilegiorum Ordinum Mendicantium. Vide *Filliuc. cit. numer. 96. Sanches c. cap. 5. num. 7. Diana par. 5. tr. 14. reſ. 23.*

6. *Ex præcepto* negatiuo numquam fidem abnegandi iuxta *Reginald. lib. 17. numer. 23. Malder. 2. 2. queſt. 3. art. 2. numb. 2. Valent. 2. 2. diſputat. 1. queſt. 3. punct. 2. dub. 4. Sylvius 2. 2. queſt. 3. art. 2. concl. 3.* & alios tenemur abſtinere à dictis vel factis, quibus fides negatur; *vnde* contra præceptum fidei negatiuum peccat, qui ſe dicit Turcam, vel Hæreticum eſſe; *item* qui vtitur ſignis, vel factis ex ſua natura proteſtatiuis falſæ ſectæ, ſeu religionis etiamſi hoc non faciat animo negandæ fidei, aut proteſtandi falſam ſectam, ſed animo celandi propriam, quia hoc eſt intrinſecè malum. *Item* peccat, qui ſacrificat Idolis, aut imagines falſorum Deorum ad collum appenſas geſtat, aut alias actiones religioſas facit, falſæ religionis ex ſua cauſa proteſtatiuas: *ſecus* dicendum, quando actiones & ſigna ſunt ex ſua natura indifferentia, tunc enim ſecundùm probabiliorem ſententiam *Sanches cit. lib. 2. capit. 4. numer. 18. 19. & 20. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 27. queſt. 4. & 6. Bonacina tom. 2. diſputat. 3. queſt. 2. punct. 3. numer. 20. Diana tract. 5. miſc. reſol. 49. part. 3. Tannerus 2. 2. diſputat. 1. queſt. 7. dub. 5. numer. 110. Suares de fide diſputat. 14. ſect. 5. num. 7. Laymann lib. 2. tract. 1. capit. 11. numer. 4.* (quamuis contraria ſit etiam probabilis) non eſſet mortale contra præceptum fidei illis vti citra ſcandalum, & citra animum ſignificandæ & proteſtandæ falſæ religionis, & proinde qui iuſta de cauſa, vt metu mortis, geſtat galerum, vel aliud genus veſtium, quo Hebræi abſque peccato vtuntur, non peccat mortaliter: imò à multis Doctoribus admittitur licitum eſſe, vti huiuſmodi ſignis, non ſolum quando indifferentia ſunt, verùm etiam quando inſtituta ſunt ad diſcernendos ſectatores falſæ ſectæ, quia inſtitutio illa paganorum, ad ſuam ſectam profitendam, non poteſt naturam ignorum horum alterare, & efficere ne adhuc ambigua & indifferentia maneant, ad aliquid aliud ſignificandum: Hac de cauſa milites catholici excuſantur aſſumentes inſignia infidelium; vel hæreticorum; vt ipſos in bello occidant, vel ne ab ipſis capiantur, modò illa ſigna non ſint ex ſe proteſtatiua ſectæ falſæ, cuiuſmodi ſunt, imago Mahumetis in vexillis Maurorum depicta, vel Martis, Mercurij vel aliorum, quos vt Deos gentes colunt. Ita *Reginal. cit. numer. 30. Sanches cit. numer. 21. & 23. Beccanus de fid capit. 9. queſt. 5. numer. 34.* Quamuis Hurtado *22. diſputat. 48. ſect. 4. §. 37.* doceat non eſſe contra exteriorem confeſſionem fidei deferre veſtes infidelium habentes depictas figuras idolorum vel auctorum falſæ ſectæ, quando non vrget præceptum confeſſionis fidei. Ratio ipſius eſt quia cùm ſolum ratione externæ apparentiæ poſſit intervenire peccatum contra exteriorem confeſſionem fidei; quia ſupponitur quòd tales veſtes adhibeantur cum recta intentione; videtur neque ex hoc capite vſum reddi illicitum, eò quòd non adſit talis externa apparentia; quia ratione veſtium induit alienam perſonam, ſub qua ſe occultat: vnde quidquid poteſt eſſe apparentiæ contra veram fidem, non ſtat in perſona propria illius, ſed in aliena; quæ præſupponitur ſequi falſam ſectam, & ideò aſſumens tales veſtes, non oſtendit extrinſecus ſe deſerere veram fidem: ſed tantùm vtitur apparentia perſonæ non habentis veram fidem, ad ſe occultandum; Et eodem ferè pacto Chriſtus aſſumpſit externam apparentiam peccatoris iuxta illud ad Roman. 8. *In ſimilitudinem carnis peccati*, non tamen per hoc peccauit.

Sed petes, an vſus veſtium, quæ actualiter important profeſſionem actualem falſæ fidei, & quibus ſacerdotes vtuntur ſolùm dum actualiter ſacrificant, ſit licitus? Reſpond. negatiuè, quia neque poſſunt deſeruire ad occultandum, cum ſint in vſu ſolùm & in actuali exercitio falſæ religionis, vnde non poſſunt deſeruire, niſi ad falſam religionem profitendam, ſi ſeriò adhibeantur.

Dubium tamen eſt, an veſtes, quæ etiam extra exercitium actuale falſæ religionis adhiberi ſolent, ſunt tamen inſtitutæ ad illam profitendam, vt ſunt illæ, quas Princeps præſcriberet tali ſectæ, ſint licitæ? Negatiuè etiam reſpondent *Suares, Becanus, Gordon. & Caſtr. Palaus*; quia vſus talium veſtium eſt quidam cultus & honoratio falſæ ſectæ, cui honos maior accreſcit, quo plures ijs vtuntur. Nihilominus contrariam ſententiam ſequuntur meritò *Azor. tom. 1. lib. 8. caput. 27. queſt. 4. Sanches lib. 2. Moral. capit. 4. numer. 20. VVigers 2. 2. queſt. 3. art. 2. numer. 56.* Quia in vſu harum veſtium præter externam apparentiam, nihil aliud illiciti eſſe poteſt: hæc autem externa apparentia non de nouo fit ab vtente his veſtibus, ſed iam ſupponitur eſſe in ijs, qui falſam religionem profitentur, neque vtens eam aſſumit in propria perſona, ſed relinquit in perſona, in qua verè præſupponitur eſſe: vnde huiuſmodi apparentia externa in Catholico accipitur vt occultatiua perſonæ, non vt proteſtatiua religionis. Hæc tamen intelligenda ſunt ſecluſo ſcandalo, & poſito periculo; quod aliter vitari non poteſt.

6. *Ex præcepto* negatiuo numquam fidem abnegandi iuxta *Reginald. lib. 17. numer. 23. Malder. 2. 2. quæſt. 3. art. 2. memb. 2. Valent. 2. 2. diſputat. 1. quæſt. 3. punct. 2. dub. 4. Sylueſtrius 2. 2. quæſt. 3. art. 2. concl. 3.* & alios tenemur abſtinere à dictis vel factis, quibus fides negatur; *vnde* contra præceptum fidei negatiuum peccat, qui ſe dicit Turcam, vel Hæreticum eſſe; *item* qui vtitur ſignis, vel factis ex ſua natura proteſtatiuis falſæ ſectæ, ſeu religionis etiamſi hoc non faciat animo negandæ fidei, aut proteſtandi falſam ſectam, ſed animo celandi propriam, quia hoc eſt intrinſecè malum. *Item* peccat, qui ſacrificat Idolis, aut imagines falſorum Deorum ad collum appenſas geſtat, aut alias actiones religioſas facit, falſæ religionis ex ſua cauſa proteſtatiuas: *ſecus* dicendum, quando actiones & ſigna ſunt ex ſua natura indifferentia, tunc enim ſecundùm probabiliorem ſententiam *Sanches cit. lib. 2. capit. 4. numer. 18. 19. & 20. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 27. quæſt. 4. & 6. Bonacina tom. 2. diſputat. 3. quæſt. 2. punct. 3. numer. 20. Diana tract. 5. miſc. reſol. 49. part. 3. Tannerus 2. 2. diſputat. 1. quæſt. 7. dub. 5. numer. 110. Suares de fide diſputat. 14. ſect. 5. num. 7. Laymann lib. 1. tract. 1. capit. 11. numer. 4.* (quamuis contraria ſit etiam probabilis) non eſſet mortale contra præceptum fidei illis vti citra ſcandalum, & citra animum ſignificandæ & proteſtandæ falſæ religionis, & proinde qui iuſta de cauſa, vt metu mortis, geſtat galerum, vel aliud genus veſtium, quo Hebræi abſque peccato vtuntur, non peccat mortaliter: imò à multis Doctoribus admittitur licitum eſſe, vti huiuſmodi ſignis, non ſolum quando indifferentia ſunt, verùm etiam quando inſtituta ſunt ad diſcernendos ſectatores falſæ ſectæ, quia inſtitutio illa paganorum, ad ſuam ſectam profitendam, non poteſt naturam ſignorum horum alterare, & efficere ne adhuc ambigua & indifferentia maneant, ad aliquid aliud ſignificandum: Hac de cauſa milites catholici excuſantur aſſumentes inſignia infidelium; vel hæreticorum; vt ipſos in bello occidant, vel ne ab ipſis capiantur, modò illa ſigna non ſint ex ſe proteſtatiua ſectæ falſæ, cuiuſmodi ſunt, imago Mahumetis in vexillis Maurorum depicta, vel Martis, Mercurij vel aliorum, quos vt Deos gentes colunt. Ita *Reginal. cit. numer. 30. Sanches cit. numer. 21. & 23. Beccanus de fid. capit. 9. quæſt. 5. numer. 34.* Quamuis Hurtado 22. *diſputat. 48. ſect. 4. §. 57.* doceat non eſſe contra exteriorem confeſſionem fidei deferre veſtes infidelium habentes depictas figuras idolorum vel auctorum falſæ ſectæ, quando non vrget præceptum confeſſionis fidei. Ratio ipſius eſt quia cùm ſolum ratione externæ apparentiæ poſſit interuenire peccatum contra exteriorem confeſſionem fidei; quia ſupponitur quòd tales veſtes adhibeantur cum recta intentione; videtur neque ex hoc capite vſum reddi illicitum, eò quòd non adſit talis externa apparentia; quia ratione veſtium induit alienam perſonam, ſub qua ſe occultat: vnde quidquid poteſt eſſe apparentiæ contra veram fidem, non ſtat in perſona propria illius, ſed in aliena; quæ præſupponitur ſequi falſam ſectam, & ideò aſſumens tales veſtes, non oſtendit extrinſecus ſe deſerere veram fidem: ſed tantùm vtitur apparentia perſonæ non habentis veram fidem, ſe occultandum; Et eodem ferè pacto Chriſtus aſſumpſit externam apparentiam peccatoris iuxta illud ad Roman. 8. *In ſimilitudinem carnis peccati*, non tamen per hoc peccauit.

Sed petes, an vſus veſtium, quæ actualiter important profeſſionem actualem falſæ fidei, & quibus ſacerdotes vtuntur ſolùm dum actualiter ſacrificant, ſit licitus? Reſpond. negatiuè, quia neque poſſunt deſeruire ad occultandum, cum ſint in vſu ſolùm & in actuali exercitio falſæ religionis, vnde non poſſunt deſeruire, niſi ad falſam religionem profitendam, ſi ſeriò adhibeantur.

Dubium tamen eſt, an veſtes, quæ etiam extra exercitium actuale falſæ religionis adhiberi ſolent, ſunt tamen inſtitutæ ad illam profitendam, vt ſunt illæ, quas Princeps præſcriberet tali ſectæ, ſint licitæ? Negatiuè etiam reſpondent *Suares, Becanus, Gordon. & Caſtr. Palaus*; quia vſus talium veſtium eſt quidam cultus & honoratio falſæ ſectæ, cui honos maior accreſcit, quo plures ijs vtuntur. Nihilominus contrariam ſententiam ſequuntur meritò *Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 27. quæſt. 4. Sanches lib. 2. Moral. capit. 4. numer. 20. VVigers 2. 2. quæſt. 3. art. 2. numer. 56.* Quia in vſu harum veſtium præter externam apparentiam, nihil aliud illiciti eſſe poteſt: hæc autem externa apparentia non de nouo fit ab vtente his veſtibus, ſed iam ſupponitur eſſe in ijs, qui falſam religionem profitentur, neque vtens eam aſſumit in propria perſona, ſed relinquit in perſona, in qua verè præſupponitur eſſe: vnde huiuſmodi apparentia externa in Catholico accipitur vt occultatiua perſonæ, non vt proteſtatiua religionis. Hæc tamen intelligenda ſunt ſecluſo ſcandalo, & poſito periculo; quod aliter vitari non poteſt.

Animaduertendum eſt illum, qui vi & metu, vel dolo, & fraudulenter, inter infideles exteriùs infidelem fingit, Maurum, Iudæum, Idololatram, aut hæreticum, & exteriùs fidem negauit, corde tamen illam retinens, peccare quidem grauiſſimè contra externam fidei profeſſionem, non tamen eſſe hæreticum comprehenſum in bulla Cœnæ; nec incurrere excommunicationem ipſius, & poſſe abſolui à quocumque confeſſario ordinario approbato. Ratio eſt, quia talis non eſt verè infidelis, vel hæreticus, cùm non habeat errorem in intellectu: Deinde hæreſis ratione ſolius excommunicationis reſeruatur, at hæreſis externa abſque errore interno non ſubiacet excommunicationi: quamuis huiuſmodi homines puniri poſſint in foro externo, tamquàm hæretici: Imò & pro excommunicatis geri debent apud eos, qui nouerunt peccatum externũ, & neſciunt animum ſemper manſiſſe Catholicum. Ita *Sylueſtrius 2. 2. qu. 11. art. 3. concl. 2. Toletus lib. 4. capit. 4. numer. 6. Suares de cenſur. diſputat. 4. ſect. 2. numer. 22. & diſputat. 21. ſect. 2. numer. 3. Sanches lib. 2. mor. capit. 7. numer. 8. Filliucius tract. 22. capit. 6. numer. 164. Fagundes p. 2. lib. 8. capit. 8. numer. 39. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 143.* & noſter *Crouſers ad capit. 7. reg. minor. lect. 4. fol. 506.*

7. *Non facit* contra præceptum fidei negatiuum, qui concionibus, vel cæremonijs hæreticorum intereſt, animo confutandi, aut notandi ipſorum cæremonias; licet fieri poſſit, vt aliunde peccet, videlicet, ratione periculi ruinæ ſpiritualis propriæ vel aliorum, aut ratione alterius prohibitionis Eccleſiaſticæ. *Quando* autem Princeps hoc præcepit ſub pœna mortis, aut præſcriptione bonorum, in contemptum vel odium noſtræ religionis, aut ad profitendam hæreticorum ſectam non licet ingredi templa hæreticorum,

Sextus, earum, quæ vnanimi consensu Patrum, tamquam de fide proponuntur, & contra hæreticos afferuntur.

Septimus, earum, quæ euidenter deducuntur ex tribus postremis gradibus. Ita *Valent. tom. 3. disput. 1. quæst. 1. Syluius 2. 2. quæst. 1. artic. 1. concl. 3. Tolet. c. nu. 7. Reginald. c. nu. 12. Castro libr. 1. de iust. hæret. punit. articul. 3. Becanus capitul. de fide capitol. 2. Cano libr. 12. de loc. Theolog. à capitol. 7. ad 12.*

Sed petes *primò*, quæ sit differentia, inter credere Deum, credere Deo, & credere in Deum? Respond. non esse tres actus, sed vnum in diuersa tendentem: nam primus tendit in obiectum formale. Secundus, in obiectum materiale, si sine voluntate fertur in Deum. Tertius in vltimum finem. Quamquam secundùm phrasim Scripturæ, hæc tria non distinguantur vt patet ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo*, & statim, *Credenti autem in eum qui iustificat impium*. Hæc tamen distinctio accepta est ex D. August. *tract. 29. in Ioannem*, & alijs locis ac recepta communiter à Doctoribus. Sed debet tamè intelligi cum peccatores fideles, dicunt Credo in Deum, nempe Spe vel remotè, alioquin symbolum illud non esset fidei, sed charitatis & peccator Catholicus mentiretur illud pronunciando, cum tamen Ioan. c. 12. *num.* 42. dixerit, *ex Principibus multi crediderunt in illum, sed propter Pharisæos, non confitebuntur*. Vide D. Th. 2. 2. q. 2. a. 2.

Petes *Secundo*, an fides quamuis obscura sit tamen certior quauis scientia naturalis?

Respondeo affirmatiuè, quia certitudo scientiarum est absolutè fallibilis, certitudo fidei absolutè infallibilis: veracitas enim diuinas, omnibus à se reuelatis, tribuit immobilitatem & firmitatem simpliciter infinitam, adeo vt per nullam potentiam possint esse falsa, quæ fide catholica credimus: at naturales rerum proprietates, similiter, & effectus causarum impediri à Deo possunt, vt Iosue. 10. num. 13. Isaiæ 38. num. 8. Hinc Dominus Matth. 24. num. 35. Cœlum, & terra trasibunt, verba autem mea non præteribunt. Ex quibus locis apparet, quanta Dei gratia opus sit, vt bene credamus, & tam firmiter, quam dignitas diuinæ maiestatis requirit debemus enim parati esse negare potius omnem euidentiam naturalem, omnem experientiam sensuum, omnem ratiocinationem, quam vllo modo dubitare de illis, quæ Deus affirmauit, & per Ecclesiam suã nobis credenda proposuit, vt patet in potissimis misterijs fidei Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, Resurrectionis, &c. Ita D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 8.

Petes *Tertio*, an actus fidei, & scientiæ simul consistere possint Respond. negatiuè, quia actus, hi habent conditiones repugnantes nam vnus est euidens, alter obscurus, vnus necessarius, alter liber, vnus naturalis, alter supernaturalis, vnus assentitur ob rationem intrinsecam, alter ob extrinsecam, ergo non possunt simul elici ab intellectu, quia hoc superat naturæ vires, per absolutam tamen Dei potentiam posset hoc fieri, si supernaturaliter intellectus noster à Deo corroboraretur, quia non implicat contradictionem. Porrò actus scientiæ potest consistere cum habitu fidei, & actus fidei cum habitu scientiæ, ac proinde potest aliquis successiuè, modò scire, modò credere esse Deum: modò scire, per euidentem demonstrationem: sed actus fidei longè præstantior est, & certior actu scientiæ.

Petes *Quartò*, quinam habeant hanc fidem. Respondeo solos viatores, qui captiuant intellectum suum in obsequium Christi credentes firmissimè ea omnia, quæ Deus reuelauit, & per Ecclesiam, credenda proposuit, qui dicuntur Catholici. Vnde Angeli initio creationis, & Adamus in paradiso habuerunt fidem, qui erant viatores nondum admissi in patriam: Item, illi qui sunt in purgatorio retinẽt fidem, quia partim sunt in via, partim in termino: ex vi habent fidem, quia nondum admissi sunt ad speciem ex termino habent certam spem salutis, quia sententia iam lata est. Peccatores etiam grauissimi retinent fidem diuinitus infusam quandiu peccatum infidelitatis non commiserint, vt definit Concilium Trident. *sess. 6. can. 28.* Hæretici non habent fidem, quia sicut commissione vnius peccati mortalis, tota charitas amittitur, ita etiam vnica infidelitate tota fides aboletur. Beati autem non habent fidẽ, quia lumen gloriæ non potest consistere cum fide. Item nec damnati habẽt fidem, quia sunt in termino, & nihil possunt sperare. Nec refert illud Iacob. 2. quod Dæmones credunt, nam hoc intelligendum est de assensu naturali non de fide diuinitus infusa. Vide D. Th. 2. 2. q. 5. a. 1. & 2.

3. *Fides* alia est *explicita*, alia *implicita*; *fides explicita* contingit, quando aliquid creditur in particulari, & in seipso, vnde qui credit Christũ resurrexisse, dicitur habere fidẽ explicitã mysterij Resurrectionis Christi: *implicita* verò est quando aliquid creditur, non in particulari & in se ipso, sed in aliquo alio, ideò qui credit, quidquid credit S. Mater Ecclesia dicitur habere fidẽ implicitam mysterij Trinitatis, Incarnationis, &c. quia inter ea, quæ credit Sancta Mater Ecclesia, sunt mysterium Trinitatis, Incarnationis &c.

Præterea fides aliquando accipitur pro ipsa virtute seu habitu fidei aliquando pro ipso actu credendi *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 6 Valent. 2. 2. dist. 1. q. 2. par. 3. Tolet. c. caput. 2. num. 9. Layman. lib. 2. tractat. 1. caput. 8. numer. 1. Sanches libr. 2. moral. capit. 2. num. 2.*

4. Fides accepta pro ipso actu credendi explicite aliquod supernaturale obiectum omnibus rationis vsum habentibus, quocumque tempore, ad gratiam, & gloriam consequendam fuit necessaria necessitate medij seu finis, id est, qua prætermissa salus obtineri non potuit in nullo euentu etiãsi inculpabiliter prętermittatur: quia ad Hebræos 11. dicitur, *Accedentem ad Deum oportet credere*, & in Concilio Trid. dicitur. Sine fide nulli vnquam contigisse iustificationem *Bannes 2. 2. quæst. 2 art. 8. dub. 1. conclusion. 1. Valent citat. punctum 2. Layman citat. num. 3. Becanus capit. 12. quæstion. 1. numer. 5. Concily Tridentini sess. 6. cap. 8.*

5. Cum principium omnis meriti sit actus fidei supernaturalis hinc baptizati in infantia, nequeunt adulti facti absque supernaturalis fidei actu gloriam adipisci, quia adulti nequeunt ob sola Christi merita gloriam consequi, sed proprijs quoque meritis indigent, vnde si puer statim ac ad annos discretionis peruenerit moriatur, ad diuinam prouidentiam pertinet, vel vt interiùs illustretur, vel ab aliquo ita illi mysteria fidei proponantur, vt credere possit. *D. Thom. 3. distinction. 25. quæstion. 2. articul. 1. quæstiun. 1 Valent. citat. quæstion. 2. par. 3. concluſ 1.*

6. Post Adami lapsum, semper fuit necessaria necessitate medij ad gratiam, & gloriam consequendam, fides saltem implicita Christi tamquam mediatoris, & redemptoris cuius meritis hæc assequenda erant: quia in multis scripturæ locis fides in Christum omnibus tamquam ad salutem necessaria commendatur. *ad Rom. 3. 4. & 5. ad Corint. 10. Syluius c. q. 3. a. 10. c. 5.* Vide etiam *Laym. l. 2. tract. 1. c. 9.*

7. Post Christi aduentum, & post sufficientem Euangelij promulgationem, ad primam, & vltimam salutem, ad gratiam scilicet, & gloriam, necessitate medij necesse est explicitè credere.

Primò Deum esse, & remuneratorem esse. Ratio est, quia qui tendit in finẽ debet illum prægnoscere, sed finis est visio Dei remuneratoria ergo debemus credere Deum esse, & remuneratorem esse.

Secundò, Mysterium Trinitatis. Ratio est, quia mysterium Trinitatis, est fundamentum nostræ salutis, & sine cognitione huius mysterij, nequit Christus satis cognosci, vt potè, qui est Filius Patris, & conceptus virtute Spritus Sancti.

Tertiò Misterium Christi, nempe Christum esse verum Deũ, & verum hominem mortuum esse, ac resurrexisse, pro totius humani generis salute. Ratio est, voluntas, & dispositio Dei, qui posuit Christum tamquam fundamentum nostræ salutis, cum per ipsum saluati, & liberati sumus. Si enim explicita fides horum mysteriorum, non esset adultis necessarium medium ad salutem, sequeretur posse nunc temporis aliquem saluari in lege Mosaica, vt si Iudæus inuincibiliter ignoret fidem Euangelicam seruet legem Mosaicam, quæ implicitè continet fidem Christi. Hæc est sententia. *D. Thom. 2. 2. quæstion. 2. artic. 5. 7. & 8. D. Bonauent. 3. dist. 25. art. 1. quæstion. 2. Syluius 2. 2. quæstion. 2. articol. 7. conclusion. 6. Malder. 2. 2. quæstion. 2. articol. 5. 7. & 8. Lorca 2. 2. quæstion. 2. articol. 8. distinction. 22. membr. 2. num. 4. Becanus 2. 2. capit. 12. quæstion. 3. numer. 2. Fillmc. tractat. 22. numer. 23. & sequent. Reginald. libr. 17. numer. 18.* Alij autem rudes ab hac explicita fide excusentur, dicetur infrà num. 11.

8. *Fides actualis* non solum necessaria est necessitate medij, verùm etiam necessitate præcepti, quilibet enim tenetur assumere medium necessarium sibi ad salutem, vnde Marci vltimo, dicitur. *Qui crediderit & Baptizatus fuerit, saluus erit, qui non crediderit condemnabitur. Præcepta* autem fidei in vniuersum sunt quinque.

Pri-

Primum, est affirmatiuum, sciendi res fidei, *Secundum*, credendi certos quosdam articulos fidei. *Tertium*, est negatiuum quo præcipitur, vt non disentiamus à rebus fidei. *Quartum* pertinens ad actum externum est affirmatiuum, quo iubemur, in aliquo casu confiteri res fidei. *Quintum*, negatiuum, quo prohibemur numquam eam denegare *Bonacina. tom. 2. disputation. 3. quæstion. 2. punct. 2. num. 7. Filliucius c. cap. 2. num. 32.*

9. Secundùm communem Doctorum sententiam ex præcepto Ecclesiastico omnes fideles tenẽtur scire, & credere mysteria contenta in symbolo Apostolorum: quia omnes eiusmodi articuli dicuntur prima rudimenta fidei, quæ publicè circumferuntur in ecclesia, & credenda omnibus proponuntur, quasi explicitè scienda, & credenda. *Nota* tamen articulos fidei posse sciri tripliciter. *Primo* secundùm substantiam, idest, secundũ significationem generalem, & simplicem vocum, quæ continentur in eo articulo vt substantia articuli Trinitatis est Deũ esse, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & hos non esse tres Deos, sed vnum, *Secundo* possunt sciri secundùm modum, idest, secundùm eam declarationem, quæ communiter habetur in Catechismis, præsertim Romano, *Tertio*, possunt sciri secundùm difficultates, quæ communiter ferri solent circa illos, vt possit sufficiens ratio reddi eorum quæ creduntur præsertim contra hæreticos.

Omnes fideles tenentur ad scienda contenta in symbolo secundũ substantiam *Pastores* autem confessarij, & concionatores tenentur scire etiam secundò modo. *Denique* Episcopi, & Prælati tenetur etiam scire tertio modo, quia debent esse parati ad reddendam rationem eius fidei, quæ est in suis ouibus: Vide *D. Thom. 2. 2. quæst. 2. artic. 5. Leyman. c. numer. 2. cap. 9. Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 6. quæstion. 2. Sanches c. cap. 3. num. 4. 5. & 6. Syluius citat. quæstion. 2. articul. 8. capitul. 7. Nauarr. capitul. 11. numer. 22. Bonacin. cap. numer. 13. Clauis Reg. lib. 2. cap. 9. num. 15. Regin. lib. 17. num. 18. & 19. Filliucius cit. num. 34. & sequen.*

Quæ autem sit substantiam rerum credendarum. Vide *Sanches cit. c. 3. num. 17.*

10. *Necessitate* etiam *præcepti* tenentur fideles postquam ad rationis vsum peruenerunt, scire substantiam aliorum Sacramentorum, quæ recipere tenentur, vt baptismi, & pœnitentiæ, & Eucharistiæ, insuper matrimonium inire volens, vel ad ordines ascendere, tenetur, nosse Sacramentum, quod recipere vult, & secundùm probabiliorem *Bannes. 2. 2. qu. 2. art. 8. dub. 2. Valent. 2. 2. d. 1. q. 2. punct. 5. Azor c. q. 3. Diana p. 3. tr. 5. res. 48.* & quorumdam sententiam, idem dicendum de Confirmatione, & Extrema vnctione. Præterea tenentur omnes fideles præcepta Decalogi, & Ecclesiæ scire, quia tenentur illa exequi, quod ea ignorantes præstare nequeunt: tenentur etiam scire orationem Dominicam, quia vniuersa à Deo petenda in ea continentur: *Notandum* tamen hic est secundùm doctrinam Theologorum fideles non teneri præciso peculiari aliquo præcepto sub mortali scire memoriter prædictos articulos, vel præcepta eo ordine, vel ijsdem verbis, quibus proponuntur, sed sufficeret, vt illa sciant quo ad substantiam, & significationem, ita vt si de illis interrogentur, rectè respondeant, & illa debito tẽpore seruent: esset autem veniale graue nõ mandare memoriæ symbolum Apostolicum, & orationem Dominicam, ideòque addiscendum est symbolum in ea lingua, quam quisque intelligit, alioquin scire ea memoriter & non intelligere, ne scire est. *Sanc. c. n. 16. Rodrig. tom. 1. Summ. c. 88. n. 1. Filliuc. c. num. 37. Bonacina c. num. 14. Diana tract. 2. misc. resolut. 12. part. 2.*

11. Rudes necessariò debent aliquos articulos explicitè cognoscere saltem secundũ substantiam, vt Deum esse remuneratorẽ supernaturaliter Dei filium esse incarnatum, & mortuũ, esse Deum trinum eo modo quo in signo crucis exprimitur, quia eorum fides est necessaria necessitate medij, vt dictũ est, si quis autem tam hebes sit & obtusus ingenio, vt non possit articulos omnes capere secundùm substantiam, excusabitur ratione impotentiæ, si tantum implicitè credat; vnde sufficit, vt isti rudes semel assensum explicite præbuerint articulis ad salutem necessarijs, dum sibi proponebantur à confessario, vel ab alio, nam dicuntur noscere articulos fidei quantum fert ipsorum capacitas, *aliud* enim est explicitè credere, & aliud explicitè scire, ita vt quis interrogatus sciat rationem reddere.

Primum enim est necessarium necessitate finis. At *Secundum*, hoc est explicite scire, ita vt interrogatus rationem reddere sciat, est necessarium sola præcepti necessitate. *Azarius citat. quæstion. vltim. capit. 6. Regin. citat. numer. 18. Sanches citat. numer. 17. & 18. Valent. citat. punct. 4. Malder. 2. 2. quæst. 2. articul. 7. Becanus citat. capit. 12. numer. 14. Medina in instruct. lib. 1. caput. 14. §. 2. Diana part. 3. tractat. 5. resol. 46.*

12 Præceptum credendi res fidei, partim est naturale, quatenus refertur ad ea obiecta, quorum fides est necessaria necessitate medij, partim est diuinum positiuum respectu obiectorum, quorum fides est tantum necessaria ex præcepto: quia habet vim obligandi ex præcepto Dei, & mera ipsius voluntate partim etiam est Ecclesiasticum respectu obligationis qua fideles tenentur memoriter addiscere symbolum, & præcepta Ecclesiæ. Ita *Sanches citat. numer. 13. Filliucius citat. numer. 48. 49. 50. Azor. tom. 1. lib. 8. caput. 7. quæst. 2. Bannes. 2. 2. quæst. 2. a. 8. dub. 2.*

Hinc deducitur obligationem hanc esse sub culpa mortali, quia est in re grauissima, & valde ad salutem necessaria: vnde prædicta ignorãs est in peccato mortali, nisi ignorantia, aut impotentia excusetur. Ita *Tolet. l. 4. cap. 2. nu. 10. Navarr. cap. 11. nu. 22. Angelus. v. fcunt. n. 1.*

13. Potest dari secundùm *Vasqu. 1. 2. q. 76. a. 2. disput. 121. c. 2. nu. 3. Navar. cap. 11. num. 22. ignorantia invincibilis* rerum fidei tam earum quæ sunt necessariæ ex medio, quam, & multò magis earum, quæ sunt necessariæ ex præcepto cum hac differentia, quod priorum ignorantia auferat medium necessarium ad salutem, posteriorum verò non auferat, sed tantùm ex præcepto, in quo admitti potest excusatio: verùm inter Christianos & fideles secundum *Diuus Thom. 1. ad Corinth. 11. lect. 4. Diuus Bonauent. 3. dist. 25 artic. 1. quæst. 3.* non datur ignorantia inuincibilis à peccato excusans horum mysteriorum fidei, quæ explicitè credere tenentur, quia concionatoribus abundant, & passim in Ecclesia, mysteria hæc circumferuntur, ac solemni ritu celebrantur. Non repugnat tamen posse dari apud aliquem rusticum particulari, qui contingere potest nihil eos de huius præcepti vi & auctoritate audisse, vel si audierint, nihil instar brutorum percepisse, aut si perceperint, alijs negotijs distentos esse prorsus huius obligationis oblitos, vel tempore quo addiscere potuerunt, caruisse Doctore à quo instruantur. Ita *Azor. tom 1. lib. 8. cap. 7. quæst. 2. Sancius in select. disput. 19. num. 4. & 5. Clauis Reg. lib. 2. caput. 9. num. 15. Filliuc. c. num. 46.*

14. *Vana* sunt *tempora*, in quibus tenetur homo ex præcepto, elicere actus fidei. *Primum* est, quando fides alicui primum sufficienter proponitur, vt infideli, tunc enim præceptum hoc per se ad credendi actum obligat. Infantes autem baptizati, ac inter fideles nutriti, cùm perueniunt ad rationis vsum ac fidei mysteria audiunt, necessitatem fidei cognoscunt, tenentur ex vi præcepti directè ad eliciendos actus fidei, & si eos non eliciant, grauiter peccant, nisi per inaduertentiam seu inuincibilem ignorantiam excusentur; quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad salutem: sufficienter autem dicitur fides infideli proposita, vt peccato infidelitatis obnoxius sit non credendo, quando rationibus aut miraculis, aut signis, vel coniecturis ita proponuntur articuli fidei, vt ratio dictet fidem nostram esse veram, & ipsius sectam esse falsam. *Valent. 2. 2. disput. 1. quæst. 2. punct. 5. Leyman. lib. 2. tract. 1. capit. 10. num. 2. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 7. quæst. 6. & capit. 27. quæst. 8. Malder. 2. 2. quæst. 2. articul. 7. Sanches cit. lib. 2. capit. 1. numer. 3. Tolet. libr. 4. caput. 2. numer. 2. Vasquez. 1. 2. quæst. 76. art. 2. disp. 120. c. 5.*

15. *Secundum tempus* actum fidei eliciendi est, quando homo tenetur se ad Deum conuertere, & gratiam antea amissam recuperare: præceptum tamen fidei in hoc casu non obligat per se directè, sed per accidens, quatenus scilicet homo tenetur se ad Deum conuertere, quod facere non potest sine spe & fide; qui autem in hoc casu actum fidei prætermisit, satisfacit in confessione dicendo se non fuisse conuersum ad Deum, dum tenebatur conuerti. *Azor. c. caput. 7. q. 6. Sanch. c. c. 1. n. 3. Leyman. c. n. 3.*

Tertium tempus est, quando periculum est incidendi in aliquod peccatum nisi actus fidei eliciatur; quia quilibet tenetur assumere medium necessarium ad vitandum peccatum. *Valent. c. punct. 5. Bonac. c. p. 2. n. 11.*

16. *Quartum*, quando fidem exteriùs tenetur homo confiteri, quam non potest confiteri absque actu interno fidei, tunc obli-

obligan[illegible]ad [illegible]um fidei eliciendũ, quia qui tenetur ad finem tenetur ad media, sine quibus finis subsistere non potest. *Quantum* est, in articulo mortis, quatenus homo tenetur se tunc ad Deum conuertere per actum contritionis, qui habet adiunctum actum fidei & spei implicitum. *Malder. c. qu. 2. ar. 7. Valent. c. Sanches c. num. 3. Diana par. 5. tr. 13. resol. 19.*

17. *Confessarius* tenetur interrogare pœnitentes doctrinam Christianam, quoties probabiliter iudicat illos eam ignorare, quia tenetur interrogare peccata, quæ verisimile est pœnitentem commisisse, iuxta suum statum; at huiusmodi hæc est ignorantia; quoad praxim tamen, personæ nobiles, aut quæ in pueritia bene & honestè sunt educatæ, in ciuitatibus & oppidis ciuilibus, non videntur interrogandæ, quia meritò præsumuntur, quod hæc non ignorent. Rustici autem & rudiores audiri possunt. *Quando* autem confessarius reperit pœnitentem ea ignorare, quæ scire tenetur, instruere debet antequam illum absoluat, vel reijcere donec didicerit quæ scire tenetur: *verum* si confessarius tunc nolit instruere pœnitentem, nec expediat illum reijcere, poterit & debebit docere saltem ea quæ sunt explicite credenda necessitate medij, & postea poterit absolutionem conferre, modo pœnitens priùs eliciat dolorem præteritæ culpabilis ignorantiæ, cum proposito discendi quàmprimùm, quæ discere tenetur. Vide *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 8. quæst. final. Bannes 2. 2. quæst. 2 ar. 8 dub. 2. Sanches c. cap. 3. num. 21. Fullinc. tr. 22 num. 56. Reginal. lib. 17. cap 2. numer. 18.* quia secundùm *Sanches* hic citatum & Sancium *in selectis disput. 9. num.* 18. non tenetur confessarius denegare absolutionem ignoranti Doctrinam Christianam, etsi sæpe admonitus non didicisset, dummodo pœniteat præteritæ negligentiæ & emendationem proponat: quia de hoc peccato non est aliud censendum, quàm de alijs, in ordine ad negandam absolutionem ob relapsum: quia cuiuscumque præcepti violati emendationem proponere & dolorem habere; sufficiens dispositio est ad absolutionem, quãdo pœnitens aliud efficere non potest, tempore confessionis quàm dolere: & ob id non est absoluendus qui non restituit, aut concubinam non ejicit, quia tempore confessionis, præter dolorem & propositum, potest restituere & concubinam expellere: non autem incontinenti valebit doctrinam addiscere: vnde minùs benefaciunt qui pœnitentes rudes & ignaros varijs interrogationibus torquent, instructionibus longioribus in confessionali insudant, vt memoriter articulos aut recitent aut repetant; Hi enim in vanum se inutili labore consumunt & conficiunt. Non est vtique ibi locus Catechismorum vbi breuiter & fructuosè res expediri non potest.

18. Illa quæ confessarius rusticos docere debet semel & iterum interrogando, sunt, in Trinitate esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, nec esse tres Deos, sed vnum Deum, ad libito exemplo signi sanctæ Crucis: item Iesum Christum Dominum nostrum esse verè Dei filium, verum Deum & hominem, & esse eum qui passus est propter nostram salutem, ac esse in Sanctissimo Sacramento. Cætera verò, vt Deum remittere peccata, dare gloriam, omnia creare, Christum ad inferos descendisse & ad Cœlos ascendisse, Iudicium futurum &c. facilius scire solent & intelligunt crasso modo: In articulo autem mortis, sufficit proponere rustico tantùm credenda necessitate medij, vt mysteria Trinitatis & Incarnationis & Deum esse remuneratorem supernaturalem, Vt vel sic actum illa explicitè credendi eliciat: quia in eo statu non est ferè capax commodè aliorum, potiùs enim defatigaretur parùm cum fructu. *Graffius 1. par. lib. 2. cap. 8. Reginald. lib. 2. cap. 13. num 153. Sanches c. capit. 3. num. 22. 23. Fillinc. c. num. 57. & 58.* Vt docent Doctores locis hic citatis.

De Fide vide *Baptismus* 3. num. 9. *Ignorantia* num. 6. *Martyrium* num. 6. *Sacramentum* 3. num. 6. 7. *Sacramentum* 4 nu. 5.

FIDES II.

De externa confessione fidei, professione, & disputatione rerum fidei.

SVMMARIVM.

1. *An detur præceptum exterius fidem confitendi? quod in duobus casibus obligat.*
2. *An interrogatus de sua fide iudice, vel à persona priuata teneatur fidem confiteri?*
3. *An faciat contra professionem fidei, negans se clericum, vel sacerdotem, vel an Missam audierit, vel fecerit?*
4. *An teneatur ad confessionem fidei catholicus, qui videt imagines conculcari, aut Christum contemni?*
5. *Qui teneãtur ad faciendam professionem fidei, ex decreto Concil. Tridentini. Et an debeat hæc professio fidei fieri personaliter?* refertur duplex sententia.
6. *An quibus teneamur abstinere ex præcepto negatiuo, numquam fidem abnegandi? vbi multi casus decidiuntur.*
7. *An faciat contra præceptum fidei negatiuum qui concionibus vel cæremonijs hæreticorum interest?*
8. *An contra præceptum negatiuum faciat negans se sacerdotem, aut clericum, aut Papistam? & an contra præceptum faciat, qui metu mortis vel carceris inter hæreticos vescitur carnibus feria sexta vel die Sabbatho? & an liceat fugere in persecutione?*
9. *Quando sit illicita disputatio de fide?*

1. EXterna fidei confessio pro aliquo tempore est in præcepto; & hoc est de fide, vt cõstat Matth. 10. *Qui me confessus fuerit* &c. contra quosdam hæreticos dicentes, satis esse fidem animo retineri, & cùm hoc præceptum sit affirmatiuum, non obligat omni tempore, negatiuum autem in eo inclusum numquam exteriùs negandi fidem, obligat pro semper, vt dicetur. *Præceptum* autem hoc externæ confessionis fidei affirmatiuum in duplici casu obligat. *Primò* quando magnus honor Deo debitus subtraheretur, non confitendo exteriùs fidem, aut Deus magna iniuria afficeretur; quia iure naturæ dictante, non est Deo subtrahendus honos, nec Deus iniuria afficiendus est. *Secundò*, quando alioquin impediretur magna vtilitas proximi, aut illi graue scandalum præberetur circa fidem; quia cuiuslibet virtutis actus censetur esse in præcepto, quando necessarius est ad finem charitatis erga Deum vel proximum; in duobus autem prædictis casibus, confessio fidei externa, necessaria est, ergo tunc obligabit; hinc colligere licet solutionem multorum casuum. *D. Thom. 2. 2. qu. 3. ar. 2. Mald. ibi membr. 2. Sylu. ibi. ar. 2. conc. 1. Regin. lib. 17. num. 20. Toletus lib. 4. cap. 2. num. 4. Saver. Fides num. 4. Fillinc. tr. 22. cap. 3. quæst. 1. num. 62. Sanches lib. 2. mor. cap. 4. num. 2. Azor. 1. 1. lib. 8. cap. 7. quæst. 7. Valent. 2. 2. disput. 1. quæst. 3. punct. 2.*

2. *Interrogatus* de sua fide ab eo, qui publica authoritate fungitur, aut à iudice, tenetur ex præcepto affirmatiuo fidem confiteri, etiãsi ex fidei confessione mors impendeat ipsi cõfitẽti; quia tunc redũdat ingens honor Deo & fidei nostræ: *Rogatus* autẽ de fide à priuata persona, non facit contra confessionẽ fidei, vt habet communior Doctorum sententia, si taceat, vel interrogantem aliqua ratione eludat; quia non subtrahitur magnus honor Deo, nec proximi vtilitas impeditur, nec graue scandalum sequitur, & interrogatus potest permittere huiusmodi deceptionem, cùm iniquè & sine causa interrogetur à priuato: non licet tamen, siue rogato, siue non rogato, negare se esse Christianum, quia id esset contra præceptum negatiuum inclusum in præcepto confessionis fidei, nisi fortè interrogaretur apud aliquas nationes, vbi nomen Christiani significat potiùs nationem aliquam quàm religionem; tunc enim negans se Christianum, non peccat mortaliter in fidei confessionem, sed ad summum esse mendacium veniale. *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 27. quæst. 1. Sylvius c. conc. 2. Bonac. tom. 2. disput. 3. quæst. 2. punct. 3. n. 4. & 7. Valent. c. dub. 3. Diana tr. 5 misc. resol. 49. par. 3. Toletus lib. 4. cap. 2. num. 4. Fillinc. tr. 22. cap. 3. nu. 65. Bannes 23. quæst. 3. ar. 2. dub. 1. concl. 3. & 4. Rodr. tom. 1. Sum. cap. 119. num. 3.*

3. Non facit contra confessionem fidei, negans se Clericum, vel Sacerdotem, cùm tamen sit, & transiens per loca hæreticorum, licerè potest vestes claricales, aut religiosas deponere, vt incolumis euadat; quia ad summum illud est negare statum Clerici vel Religiosi, non autem religionem & fidẽ: *rogatus* verò ab hæreticis, an Missam audiuerit, aut fecerit, in rigore non peccat contra confessionem fidei si neget, quia illa negare, est tantùm negare opus Catholici vel statum: imò & iudici hæretico ea interroganti sub iureiurando liceret respondere negando, modò debitam restrictionem in mente addat; ita vt teneatur illi aperire. *Fillinc. tr. 22. cap. 3. numer. 68. 69. Sanches c. cap. 4. num. 10. 11. Azor. c. cap. 27. quæst. 2. Bonac. c. num. 10.*

4. Tem-

4. *Tenetur* ad confeſſionem fidei Catholicus, qui videt imagines conculcari, vel fidem, aut Chriſtum contemni, ſi per fidei confeſſionem credat impedienda hæc peccat: *item* eſt obligatio confitendi fidem, quoties infidelis ob alterius confeſſionem inducetur ad fidem, nec extat aliud medium quo ad eam inducatur: *idem* dicendum quando proximus eſt in periculo negandæ fidei, & huic periculo proſpici poteſt per confeſſionem fidei; ob rationes ante dictas. *Valent. c. pun. 2. dub. 1. Sanches cit. numer. 4. & 5. Rodr. cit. numer. 2. Filliucius cit. num. 74.*

5. Ex decreto *Concil. Trident. ſeſſ. 24. capit. 12. & ſeſſ. 25. capit. 2. de reformat.* tenentur ad faciendam profeſſionem fidei. *Primò*, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates & Patriarchæ in prima Synodo prouinciali. *Secundò*, prouiſi de beneficijs habentibus curam animarum; intra bimeſtre à die adeptæ poſſeſſionis. *Tertiò*, prouiſi de canonicatibus & dignitatibus in Eccleſijs cathedralibus; hi tenentur profeſſionem fidei facere non ſolùm coram Epiſcopo vel eius vicario, ſed etiam coram capitulo: *Hæc* obligatio faciendi profeſſionem fidei à *Pius IV. Iniunctum nobis*. extenſa eſt ad Prælatos omnes religionum etiam militarium intra bimeſtre à die poſſeſſionis ſuæ præfecturæ: eamdem obligationem ad paſtores, magiſtros, regentes *Pius V. in ſacroſancta apud Rodrig. tom. 2. queſt. q. 72. ar. 2.* extendit & ad alios cuiuſcuis artis & facultatis profeſſores, ſiue clericos ſiue laicos, ſiue regulares: etiamſi priuatim in domibus doceant, ſeu extraordinariam cathedram aſſecuti fuerint; & hoc præceptum obligat ſub mortali, niſi aliter per conſuetudinem receptum ſit. *Porrò* hæc profeſſio fidei, iuxta probabiliorem ſententiam, debet fieri perſonaliter, ſiue per ſeipſum tactis ſcripturis: probabile tamen eſt poſſe fieri per procuratorem, cùm nullum verbum ſit in Tridentini decreto, ſignificans per propriam perſonam hanc fidei profeſſionem neceſſariò faciendam. Forma profeſſionis fidei habetur in bulla *Pij IV.* quæ incipit. *Iniunctum nobis*, iuncta Concil. Tridentino, & compendio priuilegiorum Ordinum Mendicantium. Vide *Filliuc. cit. numer. 96. Sanches c. cap. 5. num. 7. Diana par. 5. tr. 14. reſ. 23.*

6. *Ex præcepto* negatiuo numquam fidem abnegandi iuxta *Reginald. lib. 17. numer. 23. Malder. 2. 2. queſt. 3. art. 2. memb. 2. Valent. 2. 2. diſputat. 1. queſt. 3. punct. 2. dub. 4. Sylu. in 2. 2. queſt. 3. art. 2. concl. 3.* & alios tenemur abſtinere à dictis vel factis, quibus fides negatur; *vnde* contra præceptum fidei negatiuum peccat, qui ſe dicit Turcam, vel Hæreticum eſſe; *item* qui vtitur ſignis, vel factis ex ſua natura proteſtatiuis falſæ ſectæ, ſeu religionis etiamſi hoc non faciat animo negandæ fidei, aut proteſtandi falſam ſectam, ſed animo celandi propriam, quia hoc eſt intrinſecè malum. *Item* peccat, qui ſacrificat Idolis, aut imagines falſorum Deorum ad collum appenſas geſtat, aut alias actiones religioſas facit, falſæ religionis ex ſua cauſa proteſtatiuas: *ſecus* dicendum, quando actiones & ſigna ſunt ex ſua natura indifferentia, tunc enim ſecundùm probabiliorem ſententiam *Sanches cit. lib. 2. capit. 4. numer. 18. 19. & 20. Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 27. quæſt. 4. & 6. Bonacina tom. 2. diſputat. 3. quæſt. 2. punct. 3. numer. 20. Diana tract. 5. miſc. reſol. 49. part. 3. Tannerus 2. 2. diſputat. 1. quæſt. 7. dub. 5. numer. 110. Suares de fide diſputat. 14. ſect. 5. num. 7. Layman lib. 2. tract. 1. capit. 11. numer. 4.* (quamuis contraria ſit etiam probabilis) non eſſet mortale contra præceptum fidei illis vti citra ſcandalum, & citra animum ſignificandæ & proteſtandæ falſæ religionis, & proinde qui iuſta de cauſa, vt metu mortis, geſtat galerum, vel aliud genus veſtium, quo Hebræi abſque peccato vtuntur, non peccat mortaliter: imò à multis Doctoribus admittitur licitum eſſe, vti huiuſmodi ſignis, non ſolum quando indifferentia ſunt, verùm etiam quando inſtituta ſunt ad diſcernendos ſectatores falſæ ſectæ, quia inſtitutio illa paganorum, ad ſuam ſectam profitendam, non poteſt naturam ſignorum horum alterare, & efficere ne adhuc ambigua & indifferentia maneant, ad aliquid aliud ſignificandum: Hac de cauſa milites catholici excuſantur aſſumentes inſignia infidelium; vel hæreticorum; vt ipſos in bello occidant, vel ne ab ipſis capiantur, modò illa ſigna non ſint ex ſe proteſtatiua ſectæ falſæ, cuiuſmodi ſunt, imago Mahumetis in vexillis Maurorum depicta, vel Martis, Mercurij vel aliorum, quos vt Deos gentes colunt. Ita *Reginal. cit. numer. 30. Sanches cit. numer. 21. & 23. Beccanus de fid. capit. 9. queſt. 5. numer. 34.* Quamuis Hurtado 22. *diſputat. 48. ſect. 4. §. 57.* doceat non eſſe contra exteriorem confeſſionem fidei deferre veſtes infidelium habentes depictas figuras idolorum vel auctorum falſæ ſectæ, quando non vrget præceptum confeſſionis fidei. Ratio ipſius eſt quia cùm ſolum ratione externæ apparentiæ poſſit intervenire peccatum contra exteriorem confeſſionem fidei; quia ſupponitur quòd tales veſtes adhibeantur cum recta intentione; videtur neque ex hoc capite vſum reddi illicitum, eò quòd non adſit talis externa apparentia; quia ratione veſtium induit alienam perſonam, ſub qua ſe occultat: vnde quidquid poteſt eſſe apparentiæ contra veram fidem, non ſtat in perſona propria illius, ſed in aliena; quæ præſupponitur ſequi falſam ſectam, & ideò aſſumens tales veſtes, non oſtendit extrinſecus ſe deſerere veram fidem: ſed tantùm vtitur apparentia perſonæ non habentis veram fidem, ad ſe occultandum; Et eodem ferè pacto Chriſtus aſſumpſit externam apparentiam peccatoris iuxta illud ad Roman. 8. *In ſimilitudinem carnis peccati*, non tamen per hoc peccauit.

Sed petes, an vſus veſtium, quæ actualiter important profeſſionem actualem falſæ fidei, & quibus ſacerdotes vtuntur ſolùm dum actualiter ſacrificant, ſit licitus? Reſpond. negatiuè, quia neque poſſunt deſeruire ad occultandum, cum ſint in vſu ſolùm & in actuali exercitio falſæ religionis, vnde non poſſunt deſeruire, niſi ad falſam religionem profitendam, & ſeriò adhibeantur.

Dubium tamen eſt, an veſtes, quæ etiam extra exercitium actuale falſæ religionis adhiberi ſolent, ſunt tamen inſtitutæ ad illam profitendam, vt ſunt illæ, quas Princeps præſcriberet tali ſectæ, ſint licitæ? Negatiuè etiam reſpondent *Suares*, *Becanus*, *Gordon.* & *Caſtr. Palaus*; quia vſus talium veſtium eſt quidam cultus & honoratio falſæ ſectæ, cui honos maior accreſcit, quo plures ijs vtuntur. Nihilominus contrariam ſententiam ſequuntur meritò *Azor. tom. 1. lib. 8. capit. 27. queſt. 4. Sanches lib. 2. Moral. capit. 4. numer. 20. VVigers 2. 2. queſt. 3. art. 2. numer. 56.* Quia in vſu harum veſtium præter externam apparentiam, nihil aliud illiciti eſſe poteſt: hæc autem externa apparentia non de nouo fit ab vtente his veſtibus, ſed iam ſupponitur eſſe in ijs, qui falſam religionem profitentur, neque vtens eam aſſumit in propria perſona, ſed relinquit in perſona, in qua verè præſupponitur eſſe: vnde huiuſmodi apparentia externa in Catholico accipitur vt occultatiua perſonæ, non vt proteſtatiua religionis. Hæc tamen intelligenda ſunt ſecluſo ſcandalo, & poſito periculo; quod aliter vitari non poteſt.

Animaduertendum eſt illum, qui vi & metu, vel dolo, & fraudulenter, ſe inter infideles exteriùs infidelem fingit, Maurum, Iudæum, Idololatram, aut hæreticum, & exteriùs fidem negauit, corde tamen illam retinens, peccare quidem grauiſſimè contra externam fidei profeſſionem, non tamen eſſe hæreticum comprehenſum in bulla Cœnæ; nec incurrere excommunicationem ipſius, & poſſe abſolui à quocumque confeſſario ordinario approbato. Ratio eſt, quia talis non eſt verè infidelis, vel hæreticus, cùm non habeat errorem in intellectu: Deinde hæreſis ratione ſolius excommunicationis reſeruatur, at hæreſis externa abſque errore interno non ſubiacet excommunicationi: quamuis huiuſmodi homines puniri poſſint in foro externo, tamquàm hæretici: Imò & pro excommunicatis geri debent apud eos, qui nouerunt peccatum externũ, & neſciunt animum ſemper manſiſſe Catholicum. Ita *Sylueſter 2. 2. qu. 11. art. 3. concl. 2. Toletus lib. 4. capit. 4. numer. 6. Suares de cenſur. diſputat. 4. ſect. 2. numer. 22. & diſputat. 21. ſect. 2. numer. 3. Sanches lib. 2. mor. capit. 7. numer. 8. Filliucius tract. 22. capit. 6. numer. 164. Fagundes p. 2. lib. 8. capit. 8. numer. 39. Diana par. 3. tract. 4. reſol. 143.* & noſter *Crouſers ad capit. 7. reg. minor. lect. 4. fol. 506.*

7. *Non facit* contra præceptum fidei negatiuum, qui concionibus, vel cæremonijs hæreticorum intereſt, animo confutandi, aut notandi ipſorum cæremonias; licet fieri poſſit, vt aliunde peccet, videlicet, ratione periculi ruinæ ſpiritualis propriæ vel aliorum, aut ratione alterius prohibitionis Eccleſiaſticæ. *Quando* autem Princeps hoc præcepit ſub pœna mortis, aut præſcriptione bonorum, in contemptum vel odium noſtræ religionis, aut ad profitendam hæreticorum ſectam non licet ingredi templa hæreticorum,

aut ipſorum conciones audire, etiamſi ingrediens proteſtetur ſe illa facere animo non profitendi falſam ſectam, ſed intentione vitandi proprium damnum: quia tunc notabilis honor Deo debitus ſubtrahitur, vt proprio motu definiuit *Paulus V.* Occaſione cuiuſdam edicti Regis Angliæ; quod edictum præcipiebat aditum templorum in ſymbolum Religionis & ad dignoſcendos Catholicos ab Hereticis. Quapropter virtualiter cenſebantur à Iudice interrogari tunc de fide, & tamquam ſignum abnegationis fidei erat, adire congregationes & templa Anglicana; atque Catholicorum ſcandalum graue cùm quiſpiam Catholicus ea adiret. Cenſebatur ergo tunc vrgere obligatio confitendæ fidei, nec obediendi præcepto quod in contemptum religionis Catholicæ vergebat, ſimulque occaſio ſcandali erat tollenda. Ita *Azor. inſt. lib.* 8. *capit.* 27. *quæſt.* 4. & 5. *Sanches capit.* 4. *numer.* 26. & 27. *Syluius cit. concl.* 3. *Bonacina cit. numer.* 21. & 22. *Filliucius tract.* 22. *num.* 85. & 86. & alij.

8. *Porrò* contra præceptum negatiuum fidei non facit, qui ſe negat eſſe Sacerdotem, aut Clericum cùm laici fideles eſſe poſſint: *ſecus* dicendum ſi neget ſe eſſe Papiſtam; nomen enim Papiſtæ accipitur pro religione Chriſtiana *Becanus cit. capit.* 9. *quæſt.* 3. *numer.* 4. *Item* non peccat, qui in comœdijs aliiſque conſimilibus actionibus, non ſeriò fingit ſe infidelem; non enim hic fidem negat, cũ non ſeriò repræſentet, nec ita ex animo ſentiat *Reginaldus lib.* 17. *num.* 23. *Sanches cit. numer.* 15. *Denique* qui metu mortis, vel amiſſionis bonorum, vel carceris, inter hæreticos veſcitur carnibus feria ſexta vel die Sabbati, non peccat contra hoc præceptum, quia comeſtio carnium non eſt ſignum ex ſua natura proteſtatiuum hæreſcos, vel falſæ ſectæ, alioquin Catholici numquam poſſent iuſta ſuperueniente cauſa, vt tempore infirmitatis, carnibus ijs diebus veſci. *Azorius cit. lib.* 8. *capit.* 27. *quæſit.* 3. *Sanches numer.* 25. *Filliucius tract.* 22. *num.* 83. *Diana par.* 5. *tr.* 7. *reſol.* 35. & alij.

Sed rogabis, an liceat fugere in perſecutione? Reſpon. & dico *Primò*. Fugere in perſecutione non eſt negare fidem. Ratio eſt, quia qui fugit implicitè profitetur fidem; cur enim fugeret, ſi velit negare, vnde qui propter fidem captus eſt & interrogatus à Tyranno, licitè fugere poteſt, iuxta illud Matth. 10. num. 23. *Cum perſequentur vos in ciuitate iſta, fugite in aliam*.

Dico *ſecundò* fugere in perſecutione, aliquando eſt prohibitum, aliquando præceptum, aliquando conſultum. Probatur prima par. 1. *Ioan.* 3. num. 16. *Ille animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere*, quando nimirum noſtra præſentia illis neceſſaria eſt, ſiue ex iuſtitia, ſiue ex charitate: Ex iuſtitia quidem vt in Epiſcopis, Parochis &c. ſecundùm illud *Ioan.* 10 num. 11. *Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis &c.* Vnde etiam cum periculo vitæ tenentur tempore hæreſis, peſtis &c. adeſſe ſuis gregibus, niſi per alios commodè ſuccurrere poſſent. Ex charitate verò, vt cum ex officio quidem non obligamur, ſed tamen neceſſitas proximorum extrema eſt aut penè extrema, & nos ſoli poſſumus illis probabiliter ſuccurrere, ne in fide vacillent, vt diximus ſupra *verb. Charitas numer.* 18. Prob. Secunda pars, quia fieri poteſt, vt præſentia mea, vel mihi, vel gregi ſit noxia, fuga autem non contineat vllum incommodum, vt cùm ſolus Paſtor quæritur, & oues propter eius præſentiam patiuntur, aut ipſemet timet inconſtantiam in tormentis &c. Tunc enim charitatis præcipit, vt præſcindantur omnes occaſiones malorum, vt S. Paulus *Aller. 9. numer.* 25. & *S. Athanaſius* fugerunt. Prob. tertia pars, quia nonnumquam vita quorumdam ſuperiorum vel clarorum Ciuium valdè vtilis eſt Reip. & ipſorum abſentia ad tempus non multùm adferet detrimenti: tunc ergo quamuis poſſent ſine peccato apertè fidem profiteri, conſultius tamen eſt, ſeruare ſe in multorum vtilitatem ſpiritualem.

9. *Diſputatio* de fide quadruplici ex capite reddi poteſt illicita. *Primò*, ex fine, quando ſcilicet habet quis animum diſſentiendi, ſi contrariæ rationes vrgentiores ſint & intellectum eius magis vrgeant. In eo enim, cui iam fides ſufficienter propoſita eſt, eſt peccatum infidelitatis: item quando nullus bonus finis ex diſputatione ſperaretur ob perfidiam hæreticorum, eſſet otioſa, & ideò culpabilis. *D. Thom* 2. 2. *quæſt.* 10. *art.* 7. *Syluius ibid Valent.* 2. 2. *diſputat.* 1. *quæſt.* 10. *punct.* 4. *concluſ.* 1. *Secundo*, ex parte diſputantis, nempe ſi diſputans laicus ſit, quamuis doctus: quippe id illi ſub excommunicationis pœna interdicitur; hæc tamen excommunicatio non eſt lata, ſed ferenda. Nomine autem *laici*, intelligitur ille, qui verè laicus eſt, id eſt, non inſignitus primatonſura, nec religioſus. *C. Quicumque, de hæreticis in* 6. Non habet locum hæc prohibitio in caſu magnæ neceſſitatis, vel vtilitatis, ſi laicus ſit doctus; imò in locis, in quibus hæretici graſſantur, prohibitio hæc laicorum, eſt per conſuetudinem abolita & vbi hæc prohibitio eſſet in viridi obſeruantia, non quæcumque de fide diſputatio laicis interdicitur, ſed ſola diſputatio formalis, id eſt, quæ ad fidei veritatem perſuadendam aſſumitur: ſecus ſi materialis tantùm ſit, verbi gratia, exercitij gratia, vel ingenij acuminis oſtentandi, vt fit in ſcholis. *Nauarr. cap.* 11. *numer.* 27. *Bonacina cit. punct.* 4. *Sanches lib.* 2. *mor. caput.* 6. *Azor. lib.* 8. *capit.* 26. *quæſt.* 1. *Diana part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 22. *Tertiò*, ex parte auditorum, vt coram ſimplicibus, etiam exercitij gratia diſputetur, ob periculum dubitationis ipſorum; ſi tamen doctor eſſet excellens, & accommodaret ſe captui ſimpliciorum, eiſque perſuaſibiliter argumenta ſolueret, vel ſimpliciores ab hæreticis ſollicitarentur, tunc etiam poſſet vel teneretur. *Filliucius tract.* 22. *caput.* 3. *numer.* 105. *Becanus cit. capit.* 15. *quæſt.* 7. *Quartò*, ex diſputandi modo redditur quoque diſputatio de fide illicita, quando magis verborum contentione, quam argumentorum vi & ſententiarum pondere tranſigitur. *D. Thom. c. ar.* 7. *ad* 1. *Valent. c. concluſ.* 4.

Cæterum, quamuis in regionibus hæreſi infectis liceat interdum, imò teneantur Catholici ad reprimendam proteruiam hæreticorum quod de ſua fide ſciunt & ſentiunt aperto pectore edicere; omnis tamen altercatio per modum diſputationis & contentionis periculoſa eſt Laicis & idiotis: & niſi doctrina ſpecialis perſonæ & exercitatio in dogmatibus fidei excuſet, vitandæ ſunt diſputationes illæ quantumuis priuatæ: ideoque qui ſe illis ingerit, iuxta periculum quod ſibi vel alijs ex illis imminet, aut mortaliter, aut venialiter peccabit. Aduertit autem Diana *part.* 5. *tract.* 14. *reſol.* 96. ex Hurtado de Mendoza contra prædicta, laicum doctum poſſe ſine peccato diſputare cum hæretico & infideli, non obſtante hoc prohibente *cap. Quicumque, §. inhibemus, de hæret. in* 6. quia quando laicus eſt doctus, ceſſat finis prohibitionis illius legis, nempe periculum deceptionis, & deriſus myſteriorum. Loquitur hic author conſequenter ad ſuam ſententiam quam defendit vt probabilem, nempe, ceſſante totali fine legis in particulari, ceſſare eius obligationem: vt videre eſt infra *verb. Lex V. num.* 3 & hanc ſententiam demùm confirmat *part.* 5. *tract.* 13. *reſolut.* 22.

FILIVS.

SVMMARIVM.

1. *Vnde deducta ſit vox filius? & apud Iuriſtas enumerantur quinque ſpecies filiorum.*
2. *De cura filiorum erga parentes: & quomodo filij teneantur amare parentes?*
3. *In neceſſitate ſpirituali parentum tenentur filij illis ſubuenire.*
4. *Filij tenentur reuerentiam non ſolùm exteriorem, ſed etiam interiorem parentibus exhibere: & grauiter peccant aliter facientes.*
5. *Tenetur filius patri obedire in ijs, in quibus eſt illi ſubiectus.*
6. *Filius tenetur parentum neceſſitati corporali ſubuenire quantùm poteſt.*
7. *An filius poſſit ingredi religionem, parentibus redactis ad egeſtatem extremam vel grauem?*
8. *An quando neceſſitas parentum eſt extrema, filius profeſſus teneatur religione egredi?*
9. *An teneatur filius profeſſus egrediens religione ad ſubueniendum parentibus, geſtare habitum religionis ſuæ, & obſeruare maiores obſeruationes religionis?*
10. *Tenentur filij adimplere teſtamenta parentum.*
11. *Quando filius liberetur à patria poteſtate?*

1. Vox

1. VOx *filius* videtur deducta à Græco υἱὸς quod amicum significat quia omnium amicissimi sunt parentibus filij: apud Iurecõsultos enumerantur *quinque species* filiorum, *primos* vocant naturales, ac legitimos, vt sunt nati ex legitimo thoro. *Secundi*, dicuntur legitimi tantũ v adoptiui. *Tertij*, vocantur naturales tantũ, vt nati ex vna concubina indomo retenta velut vxore seu ex ambobus parẽtibus solutis. *Quarti*, appellãtur spurij, qui ne c naturales, nec legitimi sunt, vt nati ex adulterio, aut consanguinea, aut metetrice, aut vago concubitu, aut ex religioso, vel clerico in sacris, etiamsi fuerit eius legitima vxor, quam duxit laicus. *Quinti* sunt legitimi & spirituales, vt suscepti ex baptismo, & confirmatione. *Calepin. Panorm. in Cap. innotuit, de elect. Sylvest. v. Filius. Lorichius in thesaur. v. Filius num. 1.*

2. Filijs curanda sunt generaliter sex erga parentes. *Primò* enim tenentur filij parentes amore prosequi, qui amor consistit in fuga odij, quod est præceptum negatiuum, non habendo, scilicet, odio parentes, & in exhibitione signorum amoris, quod est præceptum affirmatiuum, obligans ad amandum parentes, saltem cum subest necessitas, qua iudicio prudentis viri, amoris signa exhibere tenentur vnde grauiter peccant illi qui parentes odio prosequuntur, vel graue aliquod malum animę vel corporis illis exoptant, verbi gratia, cupiendo illis mortem, vt quam primum in hereditatem succedant, & hæc circumstantia, odij, vel iniuriæ contra parentes, aut prælatos, aut superiores, in confessione est aperienda, quia habet malitiam oppositam pietati parentibus debitæ *Reginald. lib. 20. c. 2. numer. 7. & 8. Claus reg. lib. 7. capit. 5. numer. 7. Fillucius tractat. 28. cap. 1. numer. 3. part. 2. Navar. cap. 14. num. 11. Toletus l. 5. c. 1.*

3. *Secundò* filij tenentur in necessitate spirituali parentum, illis subuenire, vnde peccant mortaliter si nõ curent, vt in articulo mortis confiteantur, vel si prohibeant elemosynas, & pia legata facere pro salute animæ, & multò magis si voluntatem ipsorum auertant à faciendo restitutione illorum quæ restituere tenentur. *Reginald. c. n. 9. Filluc. c.*

4. *Tertiò*, Filij tenentur reuerentiam suis parentibus exibere, non solùm exteriorem, quæ exibetur verbis, & alijs signis, verbi gratia honorifice loquendo, non detrahendo de parentibus, assurgendo, caput inclinando, famulando, impediendo damna, &c. verùm etiam interiorem, quæ fit per recognitionem superioris, & per timorem quemdam filialem, *Sylvester verb. Filij quæstion. 22. Molfesius in sum. tractat. 2. capitul. 18. numer. 52.*

Hinc graviter peccant filij, qui parentes animo deliberato ad notabilem prouocant iracundiam, verbis contumeliosis, & in eos verba proferunt, quę ex se sunt prouocatiua in magnam iram, etiamsi parentes re ipsa indignationem non concipiant: *item* mortaliter peccant qui parentem percutiũt, quamuis percussio leuis sit, hæc enim communi hominum sensu grauis injuria reputatur: *idem* dicendum, si filius manum eleuet ad percutiendum, cum sufficienti deliberatione. *Claus reg. l. 5. c. 3. n. 3 Graffis 1. p. l. 2. c. 56. n. 6.*

Porrò qui dedignantur, vel contemnunt, vel non volunt, agnoscere parentem, vel maledicta in parentes viuos aut mortuos conijciant, quamquam à mortali possent excusari filij, qui exteriùs solùm dissimularent, & dedignarentur ex iusta causa absque contemptu interno, verbi gratia si parentes sint infames proditores, vel hæretici. *Azor. tom. 1. libr. 2. capit. 2. quæst. 10. Tolet. citat. num. 9. Bonacin. tom. 2. disputation. 6. quæst. vnic. punct. 2.*

5. *Quarto*, tenetur filius patri obedire in iis, in quibus est illi subiectus, verbi gratia, in ijs quæ pertinent ad domesticam gubernationem [modò res grauis sit] & ad bonos mores salutemque animæ, vt in vitandis prauis amicitijs, in fugiendis meretricibus ludis prohibitis, & huiusmodi. *Ratio* vtriusque casus est, quia filius iure naturæ subditus est parentibus, quo ad domesticam gubernationem, & morum, *in*structionem: vnde si dispensat bona paterna sine licentia patris, mortaliter peccabit: etiamsi hæres vnicus sit. *In rebus* autem illis, in quibus non subest patri, non peccat si non obediat, verbi gratia, in rebus malis, & iniustis, in electione status perfectioris siue de clericatu, siue de ingressu religionis: *imò* in materia matrimonij, non tenetur semper filius obedire patri, licet in duobus casibus peccet mortaliter puta si contra voluntatem patris contrahat cum aliqua indigna, id est, cum aliqua infra statum suum notabiliter, *vel* si dignã ducat, adest tamen aliqua necessitas in familia, vt iuxta patris voluntatem contrahat. *Claus reg. l. 7. caput. 5. num. 9. 10. & 11. Reginald. lib. 20. num. 16. 17. Bonac. tom. 2. disp. 6. quæstion. vnic. punct. 4. Rodrig. in summa 1. part. capit. 14. num. 2. Navarr. cap. 14. numer. 15. Bendictus in summ. libr. 2. caput. 1. num. 15.* Extra similes casus, non tenetur filius obedire patri percipienti coniugium aliquod. Imò non peccat contrahendo inuitis parentibus, si iustam causam habeat vt si iniustè prohiberentur ab illis à matrimonio prætenso, aut si vellent eum collocare in matrimonio, a quo abhorret: puta, quia imprudenti, vel ægritudine laboranti volunt eum contungere. Quod si filius non habeat iustã causam contrahendi inuitis parentibus, tenetur eos consulere, non tamen tenetur eorum consilium sequi sub peccato mortali. Ratio, est quia in matrimonio est quasi seruitus perpetua, ad quam nemò potest compelli, cum sit libertas cõditioni, & quisque libertatem debeat habere in electione status sui, vt docent communiter Doctores apud Hurtadum *tr. de matr. d. 6. diffic. 10. n. 35. & 56.* contra Bellarminum, Rebellum & Sotum. Vide tota de his *V. Sponsalia. 11. num. 7. & 8.* & apud Dianam *p. 4. tract. 4. ref. 132.*

6. Quintò sicut tenetur filius parentum necessitati spirituali subuenire, ita, & corporali, quantum potest vnde grauiter peccat filius, qui parentes infirmos non visitat, vel ipsorum sanitati non consulit: vel in carcere detentos, aut mente captos liberari non curat, vel in magna necessitate constitutis non succurrit, etiamsi parentes alioquin possent sibi per aliquam artem statui suo indecentem subuenire secùs si possent sibi subuenire per officium vel artem quæ non sit dedecori suo status, *D. Thomas 2. 2. quæstion. 125. articul. 5. Toletus. libr. 5. capit. 1. Fillucius tractat. 28. part. 2. num. 3. Claus reg. citat. numer. 15.*

7. Filius non potest ingredi religionem parentibus ideſt, patre, aut matre, redactis ad egestatem extremam, vel grauem quia præceptum præferendum est consilio, sed debet eis subuenire, modò concurrant hæ conditiones. *Prima* vt paupertas sit præsens. *Secunda*, vt necessitas sit extrema, vel grauis, quæ talis dicitur, dum parentes quidem possent sine ope alterius viuere, sed cum notabili jactura & detrimento sui status, & conditionis, vt mendicando vel famulando alijs, *Tertia*, vt filius remanendo in sæculo, possit subuenire tali necessitati de præsenti, & ingrediendo non possit. *Quarta*, vt non sit alius qui possit & velit subuenire. *Quinta* vt filius remanendo in sæculo non sit in grani, & probabili periculo peccandi mortaliter, à quo liberetur per ingressum religionis *Div. Thom. citat. quæst. 101. artic. 4. ad 2. Navarr. citat. numer. 14. Claus reg. libr. 7. capit. 6. Sylvestr. verbo Religio secunda quæstion. 7. Bonacina citat. punct. 5. numer. quarto.*

8. Filius professus dum necessitas parentum est extrema tenetur egredi religione, etiam inuito prælato, si verisimile est egrediendo quod possit subuenire: si autem necessitas sit tantum grauis, & parentes erant in tali necessitate, quando filius religionem ingressus est teneretur etiam egredi, quia huiusmodi debitum præcessit ingressum religionis: si verò non erat sed aduenit post ingressum, tunc tantum tenetur pro viribus perseuerãdo in suo statu ei subuenire, quamuis posset permissu etiam superiorum egredi *Zanches in Summa lib. 4. capit. 20. num. 14. Toletus l. 5. c. 1. num. 6. Navarr. c. 14. num. 14. Rodrig. t. 2. Sum. c. 6. num. 4.*

9. Egrediens religione filius professus, ad subueniendum parentibus, debet gestare habitum religionis suæ, & quamdiu manet in sæculo debet obseruare non solum essentialia religionis, sed etiam maiores obseruationes, siue ieiuniorum, siue aliorum prout potuit. *Cap. 2. Ne clerici vel Monachi in 6.* præterea tenetur reuerti ad suam religionem quam primum, ac parentes subleuauerit ab illa extrema necessitate, ita vt differens ex industria subleuare, vt diutiùs meretur in sæculo, non est in conscientia tutus: imò tenetur redire quandocumque iussus fuerit à prælato suo oblatis necessarijs pro subleuatione necessitatis parentum *Claus reg. citat. capit. 6. numer. 19. & sequentib. Reginaldus lib. 20. numer. 13. Fillucius citat. num. 10.*

10. *Sextò* tenentur filij adimplere cùm primùm poterunt, quæ sunt ordinata in testamentis parentum circa debita, & legata: eaque differre sine iusta causa est peccatum mortale. *Navarr. citat. numer. 16. Fillucius citat. numer. 3.*

11. Filius liberatur à patria poteſtate, per mortem patris, per profeſſionem religionis ipſius patris aut filij per promotionem ipſius ad Epiſcopatum *aut* quando pater perpetuo ſit exul, & deportatus eſt aut quando fit hæreticus, *aut* exponit filium infantem vel languidum, *aut* alio ipſum exponente conſentit, *aut* id ratum habet, *aut* quando filius emancipatur à patre coram iudice competente, *aut* quando pater ſcienter cõtrahit inceſtas, nuptias, aut ſi captus bello iuſto, aut ſeruus fit: *imo* alicubi quando filius matrimonium contrahit. Sed de his plura apud *Reginald. lib. 20. nu. 23. Emmanuel Sa v. Filius n. 23.* & alios iuriſconſultus.

De Filio, vide *Teſtamentum* n. 6. 9. *Teſtis* num. 2. *Tutela* n. 3. *Adulterium* n. 8. *Alimenta* n. 5. *Dominium* 1. n. 6. *Donatio* n. 10. 11. *Exheredatio, Eleemoſina* n. 11. *Fideiuſſio* n. 3. *Furtum.* 2. n. 1. 2. 3. *Hæres* n. 11. 12. *Irregularitas* 10. n. 3. *Ludus* 2. num. 1. *Mutuum* num. 3. 4. *Sponſalia* 2. num. 7. 8. *Religio* 2. num 8. *Contractus* n. 26.

FOEMINA.

SVMMARIVM.

1. *Quænam fœminis prohibeantur?*
2. *An fœmina vtens veſte virili peccet mortaliter.*

1. FOeminæ multa prohibentur non enim poteſt prædicare, nec publicè docere quamuis ſancta, & docta: *Cap. mulieres 33. queſt. 5.* ſecus in capitulo ſuo, & clauſtro non poteſt alijs benedicere benedictione publica bene tamen priuata eo modo quo mater filium benedicit nec tangere ſacra vaſa corporalia, nec incenſum circa altare deferre; non poteſt poſtulare, aut procurare, niſi in cauſa propria, & ſuorum, nec eſſe teſtis in teſtamento ſolemni, extra terras Eccleſiæ, vbi verò ſolemnitas non requiritur, poteſt, nec in cauſa criminali, niſi hæreſis, aut læſæ maieſtatis, aut ſimoniæ, aut cum aliter veritas ſciri non poteſt, aut cùm proceditur via inquiſitionis: non poteſt accuſare niſi in certis caſibus; nec ſe ſeu propriam ſubſtantiam obligare, pro debito viri, niſi creditum ſit conuerſum in ſuam vtilitatem; nec debet pro debito incarcerari. Plura apud *Caietan. in Summ. verb. mulier Sylueſt. v. fœmina Emmanuel Sa v. fœmina.*

2. Fœmina vtens veſte virili ex animi leuitate ſine intentione corrupta, vel ſcandalo graui non peccat mortaliter, quia hoc de ſe non eſt peccatum: niſi ex circumſtantia, vel intentione; aliquando enim licitè ſit, vt patet apud D. Ambroſium *libr. 2. de Virg.* Ita *D. Thom. 2. 2. queſt. 169. art. 2. ad 3. Nauar. c. 23. num. 22.*

Plura de Fœmina vide v. *Abbatiſſa Beneficium* 5. numer. 7. *Beneficium* 3. numer. 2. *Cenſura* numer. 9. *Feudum num.* 4. *Fideiuſſio* numer. 4 5. *Impudicitia* numer. 13. 16. *Mendacium* numer. 6. *Miſſa* 5. numer. 5. *Miſſa* 9. numer. 4. *Prædicatio* numer. 2. *Scandalum* numer. 10. *Reus* numer. 12. *Teſtis* numer. 1. Tutela numer. 3. *Conſuetudo* num. 6. *Ordo* 3. numer. 5.

FISCVS.

SVMMARIVM.

1. *An fiſcus ſuccedens in alicuius bona, ſit dicendus eius hæres?*
2. *An bona quæ debentur reo ex contractu celebrato ſub conditione, pertineant ad fiſcum ſecuta conditione.*
3. *An ad fiſcum deuoluatur hæreditas, quæ relicta fuit criminoſo ante patratum crimen?*
4. *An in fraudem fiſci poſſit criminoſus valide, & licite repudiare hæreditatem nondum aditam:*
5. *An ſuccedat fiſcus in onera delinquentis ſicut in iura.*

1. FIſcus ſuccedens in alicuius bona, non eſt propriè hæres, nec condemnati perſonam repræſentat, ſed habetur loco hæredis in quibuſdam caſibus ſpecialiter diſpoſitis, ratio eſt quia ſuccedit damnato viuenti: at viuens hæredem habere nequit *l. inter eos 51. §. fin. ff. de fideiuſſ.* præterea quæ ad hæredes extraneos non tranſeunt, nequeunt in fiſcum tranſire, hinc

perſonalia condemnati iura non tranſeunt in fiſcum, quod nõ egrediantur perſonã: & ideo ius eligendi, in alicuius perſonam collatum, ius reuocandæ donationis inter viuos, ad donantis voluntatem ex pacto competens, &c. non tranſeunt in fiſcum *Peregr. de iure fiſci l. 5. tit. 1. num. 60. & ſeq. Leſſius l. 2. c. 6. n. 37. Sanches in Sum. l. 2. c. 14. n. 4. 5. & 6.*

2. *Bona*, quæ debentur reo ex contractu celebrato ſub conditione, pertinent ad fiſcum ſecuta conditione, & fiſco competi ius adimplendæ conditionis poſt bonorum publicationem; & publicatis bonis alicuius, cenſentur publicata bona, non ſolum mobilia, verũ etiam immobilia, imò actiones, & iura, quæ pertinent ad delinquentem tunc temporis quo ipſius bona publicentur. *Vaſques 1. 2. diſp. 169. cap. 1. num. 7. Sanches c. n. 2.*

3. Non deuoluitur ad fiſcum hæreditas, quæ relicta fuit criminoſo ante patratum crimen, ſi criminoſus non adierat hæreditatem ante publicationem bonorum; quia hæreditas quam criminoſus adit poſt cõdemnationem, cenſetur bonum ſecuri fiſcus autem non ſuccedit in bonis futuris *Bonac. de contr. d. 3. q. 8. punct. vltim. §. 1. n. 7. Peregrinus c. n. 89.*

4. In fraudem fiſci poteſt criminoſus, non ſolum valide, ſed etiam licitè, repudiare hæreditatem nondum aditam, quia nullo iure conſtat inualidè repudiare, & fiſcus non eſt creditor, niſi reſpectu bonorum quæ tũc habet, nec tenetur repudians in fiſci commodum acquirere, tamen ſi à damnato aliquid in pœnam ſoluendum eſſet fiſco, tunc peccaret repudians hæreditatem, ſi alias, non eſſet illam pœnam ſoluendo, quia tunc fiſcus eſt verus creditor, & reus tenetur lege iuſtitiæ eam pœnam inſtar aliorum debitorum ſoluere. *Vaſquez 1. 2. diſp. 172. c. 3. n. 19. Sanches c. n. 54.*

5. Sicut fiſcus ſuccedit in iura delinquentis ita pariter vt ſuccedat in onera, vnde publicatis bonis criminoſi fiſcus debet ſatisfacere debitis contractis à criminoſo ante delictum, quæ bona alicuius dicuntur ea, quæ remanent deducto ære alieno: quod ſi non omnia bona publicentur, ſed tantummodò in partem fiſcus tenetur ſatisfacere creditoribus ad ratam illius partis, quæ publicatur. *Emman. Sa v. fiſcus num. 3. Sanchez l. 2. c. 22. n. 7.*

De Fiſco, vide *Dominium* 2. n. 10. *Eleemoſyna* n. 17. *Homicidium* 3. n. 9. *Locatio* 2. n. 4.

FORNICATIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit fornicatio?*
2. *An ſit de fide fornicationem eſſe peccatum mortale?*
3. *In duobus caſibus fornicatio non eſt peccatum mortale?*
4. *An in actu fornicario liceat ſe retrahere ante ſpermatiſmum.*
5. *An ſi Epiſcopus vel alius Superior fornicetur, teneatur in confeſſione circumſtantiam Epiſcopatus confiteri.*

1. FOrnicatio *eſt concubitus ſoluti cum ſoluta*; nomine *ſoluti* intelligitur vir, qui nec conſux eſt, nec conſanguineus, vel affinis nec votum habet caſtitatis: nomine *ſolutæ* intelligitur fœmina ſimiliter ſe habens *D. Thom. 2. 2. quæſtion. 154. art. 1.*

An autem ſit ſimplex fornicatio, & an ſufficiat pro tali confiteri, ſi quis cognoſcat viduam, ſi Chriſtianus genilem, vel Iudeam, vel hæreticam, ſi ſeruus ſuam Dominam, vel eius conſanguineam, vel ancillam, ſi tutor pupillam, ſi curator minorẽ; quando omnes illi ſunt ſoluti; Dicendum eſt, quod ſit dumtaxat ſimplex fornicatio, ſi abſint periculum ſubuerſionis, ſcandalum infirmorum, & contemptus legis, vel niſi ſit caſus ab Epiſcopo reſeruatus, quia talis copula habet tantum circumſtantiam aggrauantem, ſed circumſtantiæ etiam notabiliter aggrauãtes, ſecundùm opinionem probabilem multorum Doctorum, nõ ſunt neceſſariò in cõfeſſione explicandę, ergo, &c. Ita. *Sylu. 2. 2. quæſtion. 154. artic. 2. quæſtion. 2. Filliucius tr. 30. numer. 52.* contra Dianam *part. 3. tract. 4. reſ. 138.* & alios ab ipſo citatos arbitrantes cõcubitum viri Chriſtiani cum muliere infideli, Turca, Iudea, Hæretica eſſe circumſtantiam in confeſſione aperiendam, tanquam mutantem ſpeciem. Quorum ſententia eſt ſatis probabilis.

Sed

Sed exinde petes, an copula habita cum muliere, cum qua nequit quis matrimonio copulari propter impedimentum dirimens, ſit diſtincta ſpecies à ſimplici fornicatione? Reſpond. & dico.

Primò, Coitum cum cognata ſpirituali in eo gradu, in quo hæc cognatio matrimonium dirimit, eſſe circumſtantiam luxuriæ ſpecie diuerſam, ac neceſſariò fatendam: & hæc fornicatio ab aliquibus vocatur inceſtus ſpiritualis.

Secundò, concubitus cum cognatis legalibus addit malitiam ſpecificam neceſſariò fatendam, & reducitur ad inceſtum.

Tertiò, ſi quis acceſſum habeat cum conſanguinea in primo gradu ſponſæ propriæ de futuro contra publicæ honeſtatis impedimentum dirimens in eo gradu matrimonium, reductiuè committit inceſtum, & ideo talis circumſtantia erit in confeſſione aperienda.

Quarto, ſi quis coitum habeat cum qua nequit inire matrimonium ob impedimentum conſanguinitatis, vel affinitatis, eſt inceſtus diuerſus ſpecie à ſimplici fornicatione, explicandus in confeſſione.

Quintò, coitus cum impedimento impotentiæ, vt eſt frigidi, vel eunuchi, habet circumſtantiam diuerſæ ſpeciei neceſſariò confitendam; quare hic coitus reducitur ad peccatum contra naturam: quia ratio prohibitionis matrimonij inter hos, nempe impotentia generandi, & fruſtratio finis, ad quem natura coitum deſtinauit, militat etiam in copula illicita: quamuis de hoc dubitet Filliucius *tract.* 10. *part.* 2. *num.* 23.

Sextò, quando inhabilitas ad matrimonium non eſt inducta ob peculiarem inordinationem in copula, ſed ob aliam cauſam verbi gratia ob crimen, ignorantiam, metum, eſt ſimplex fornicatio: vt cum eſt impedimentum criminis, vel metus, vel erroris perſonæ, aut conditionis ſeruilis vel raptus: & ideò in tali caſu non eſt circumſtantia in confeſſione detegenda. Ita *Sanches de matrimon. libr.* 7. *diſputat.* 5. *numer.* 7. *& ſequent. Leſſius lib.* 4. *cap.* 3. *numer.* 45. *Diana part.* 6. *tract.* 6. *reſ.* 35.

Septimò, variatur ſpecies fornicationis, ſi quis poſt votum ſimplex, aut ſolemne caſtitatis, aut ordinem ſacrum, aut cùm ſit coniugatus, fornicetur: in tribus enim primis caſibus erit ſacrilegium, in vltimo autem adulterium.

2. De fide tenendum eſt, fornicationem eſſe peccatum mortale, vt patet ex Scripturis 1. ad Corinth. 6. *Nolite errare, neque fornicarij, neque Idolis ſeruientes*, &c. *Regnum Dei poſſidebunt*: tum quia repugnat rectæ rationi & iuri naturali, & eſt contra educationem & inſtitutionem prolis: nec facit fornicationem licitam quòd Principes permittant aliquando meretrices in aliquo loco ciuitatis, quia etiam Deus permittit aliqua mala, vt vitentur maiora, vel vt ſequantur maiora bona. *Diuus Thom.* 2. 2. *quæſt.* 154. *art.* 2. *Leſſius libr.* 4. *capit.* 3. *dub.* 7. *numer.* 47. *Graffius prima parte libr.* 2. *capit.* 75. *num.* 2. *Sylueſter* 2. 2. *quæſt.* 154. *artic.* 2. *Layman libr.* 3. *ſect.* 4. *numer.* 10.

3. Quamuis peccatum mortale ſit fornicatio; *duo* tamen dantur caſus, in quibus locum habet excuſatio à tali peccato: *prior* eſt, quando deficit vſus rationis, vt in amentibus, & ebrijs, qui rationis compotes non ſunt, niſi tale periculum præuiderint, & neglexerint cauere ſibi ab eo, quando potuerunt, in quo caſu excuſandi non ſunt à peccato. *Alter* caſus eſt, ex parte patientis, cùm cogitur quis ad concubitum, nam ſi in talem actum non conſentiat voluntate, licet delectationẽ carnis ſentiat, excuſatur à peccato ſaltem mortali, quod requirit plenum conſenſum voluntatis, cum quo conſenſu fornicari nullo mortis metu licet, ne ſiquidem mille mortes eſſent perferendæ. *Toletus libr.* 5. *capit.* 10. *numer.* 9. *&* 10. *Reginald. l.* 22. *n.* 20.

4. Probabilius eſt illum qui verſatur in ipſo actu fornicario teneri ſe retrahere ante ſpermatiſmum, etiamſi complex iam ſeminarit, imò etiamſi ex vi prioris commotionis, poſt retractionem, eſſet futura ſeminatio extra vas; & ratio eſt quia in actu licito nil illicitum efficitur, atque ideò ſeminandum eſt; at in actu illicito fit aliquid malum intrinſecè, quod in nullo euẽtu honeſtari poteſt; deinde omni tempore, & momento tenetur opus prauum abrumpere, nec refert quod inde ſequatur aliud incõmodum, quod ſit contra natura generationis, quia illud per accidens, & præter intentionem obuenit: nullo enim modo eſt intenta effuſio illa extra vas, ſed ſolũ abruptio operis mali: ex qua illud præter intentionem ſequitur vnde nouæ culpę reus non erit is fornicans, ſi à fœmina recedens ſeminet inuoluntariè extra vas quia pollutio inuoluntaria ex cauſa iuſta, & neceſſaria, orta culpa prorſus vacat: ſimiliter mulier fornicãs nouæ culpæ immunis erit, quæ corpus ſubtrahit, ne virile ſemen ſuſcipiat: etiamſi vir extra effundat; quia id non intendit, & dat rei licitę operam, ab incepto crimine reſiliens *Sanches de matrim. lib.* 9. *diſput.* 39. *num.* 7. *Leſſius l.* 4. *de iuſt. & iure cap.* 3. *dub.* 7. *num.* 55. *Diana p.* 3. *tr.* 4. *reſ.* 227. *Bonacina de matrim. q.* 4. *punct.* 10. *nu.* 17.

Aliqui tamen in ſupradicto caſu contrarium tenent; quia retrahere ſe eſt contra naturam generationis, quorum ſententiam, eſſe probabilem affirmant *Sanches, & Leſſius*, *Diana* tamen nec mihi placet.

5. Si Epiſcopus Generalis alicuius ordinis, Prouincialis, Abbas, & alij Superiores fornicentur, non tenentur Epiſcopatus vel Superioratus circumſtantiam in cõfeſſione aperire, ſi occulta fuit fornicatio: imò ſatis facerent, ſi tantum dicerent ſe habere votum caſtitatis. Si tamen fornicatio illa ab Epiſcopo, Generali, &c. admiſſa, ita publica eſſet, vt ſcandalum pareret: tunc aduerſus ſpecialem officij obligationem delinquerent, qua tenentur ſubditos non ſolum verbo, ſed etiam exemplo paſcere: atque adeò ſpecialis malitia ex ſtatus ac officij circumſtantia contraheretur, eaque neceſſariò fatenda. Ita *Sanches de matr. l.* 7. *diſputat.* 27. *num.* 32. 33. *Henriq. lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6. *litt. G. Villalob. tom.* 1. *Summ. tractat.* 9. *dub.* 36. *num.* 14. *Diana part.* 1. *tractat.* 7. *reſol.* 6. *Palacios* 4. *diſtin.* 16. *diſputation.* 3. *Filliucius tr.* 30. *num.* 125.

Ex quo infertur fornicationẽ Epiſcopi nondum conſecrati ſed tantum electi, & confirmati, nec ſacro ordine initiati, non excedere malitiam ſimplicis fornicationis, nec continere circumſtantiam neceſſario fatendam: eo quod nulli obligationi ſpeciali ad caſtitatem aduerſetur.

Alia de Fornicatione; vide v. *Luxuria* n. 3. 20. *Sponſalia* 3. n. 5. *Stuprum* n. 1. *Peccatum* 4. n. 11.

FRVCTVS.

SVMMARIVM.

1. *Fructus, quidam ſunt naturales, quidam induſtriales, & quidam mixti.*
2. *An poſſeſſor bonæ, vel malæ fidei teneatur reſtituere fructus induſtriæ perceptos ex re aliena.*
3. *An fructus qui extant ex re aliena ſint reſtituendi a poſſeſſoribus bonæ fidei, ſiue ſint naturales ſiue mixti.*
4. *An teneatur poſſeſſor bonæ fidei reſtituere fructus naturales, & mixtos, quando illos bonæ fidei poſſedit per triennium.*
5. *An malæ fidei poſſeſſor teneatur ad reſtitutionem fructuum quos ipſe non percepit, dominus tamen res illos percepiſſet.*
6. *An fructus reſtituere teneatur poſſeſſor malæ fidei quos percepit ex re aliena, quam ipſe meliorem effecit.*

1. FRuctus alij ſunt naturales, alij *induſtriales*, & alij *mixti*. *Fructus naturales* dicuntur illi qui ſuapte natura producuntur, nulla autem ſaltem modica hominum induſtria concurrente: quales fructus ſunt poma, glandes, herba, plantæ, & multi fructus ſyluaſtres pluresque fœtus animalium, qui abſque hominis induſtria producuntur. *Fructus induſtriales* dicuntur, qui non producuntur à natura, ſed ab hominum induſtria, vt quæſtus, qui præcipitur negotiatione, vt emendo vili, vendendo carè, ratione temporis, & loci. *Fructus mixti* dicuntur, qui partim ex reipſa, partim ex hominum induſtria producuntur quales ſunt vuę, oleum, lac, penſiones ex locatione domus, vel equi, & ſegetes, quę prouenium à terra adiuncto hominum labore. *Præterea* fructus alij ſunt *pendentes*, ſcilicet, qui nondum collecti ſunt, alij ſunt percepti, nẽpequi iã collecti ſint, & ſeparati à ſolo quamuis fortè nondum ſit in horreo, vel cellam reconditi. Alij ſunt *qui percipi potuerunt*, videlicet à virò diligentiſſimo, ſed reipſa non ſunt percepti ex lata, aut leui culpa. *Couarr.* 1. *variar. cap.* 3. *num.* 6.

Sanches in Summa l.2.capit.23.num.48. Azor.3.p.libr.4.cap.2. quæst.4.& 5. Lessius l.2 cap.12.dub.17.num.110. Molina tom.3. disput.719.

2. Fructus industrię perceptos ex re aliena,ex *D.Thom.* 2.2. q.62.art.4. *Sanches c.num.* 46. *Diana de contractibus resolut.* 32.p.1. *Vasques de restitution.cap.*5.§.1.*dub.* 23. *numer.* 83. *P. Nauarr. libr.* 4. *capit.* 1. *dub.* 6. *numer.* 48. *Sylvius* 2. 2. *quæstion.* 62. *artic.* 4. *conclusion.* 3. *Lessius libr.* 2. *capitol.* 12. *numer.* 114. non tenetur restituere possessor bonæ vel malæ fidei, quia soli fructus rei alienatæ sunt obnoxij restitutioni,non autem industrię,qui autem torquem aureum subreptum aliquoties prętio locauit,tenetur non solum ad restitutionem torquis, sed etiam pretij locationis,quamuis dominus eum locare non consueuerit quod est contra Nauarrum *in Man.capit.*17.*nu.* 15. quia illud lucrum non est fructus industriæ sed pretium locationis, sicut est pensio percepta ex locatione domus,vel equi,quę reducitur ad fructus mixtos. Sententia tamen Nauarri non est improbabilis,vt ait Diana *part.*2.*tr.*3. *Misc.ref.* 50. quę sustineri potest,tũ quando Dominus est vir diues, qui tale pretium locationis non putaretur velle tum quando res talis est, quę locari non solet v.g. si pecuniæ vel alię res locentur ad ostentationem,nam tunc potius reputabitur fructus extra ordinariæ industriæ:Cui etiam subscribunt *Malderus* 2.2. *tractat.*4.*c.* 1. *dub.*10. *Lessius l.*2.*c.*12.*n.*114.

Qui verò fructus aliquos fecit ex vino alieno aut ex tritico alieno,quod in proprio fundo seminauit, non tenetur ad eos fructus restituendos,sed satisfacit restituendo triticum furtiuũ, & damnum inde subsecutum, si ille, qui fructus percepit, fuit possessor malę fidei:quia fructus illi cẽsentur fructus meręindustrię,cum precepti fuerint ex re per se omnino sterili, *Bonacina de restitution.distinct.*1 *quæstion.* 3. *punctum vltim.* §.1. *num.*5.

3. *Fructus* qui extant,ex re aliena,tam naturales,quàm mixti,tam pendentes,quam prępcepti, restituendi sunt à possessore bonę fidei:si verò non extant tenetur restituere id,in quo factus est dictior deductis expensis,& valore industriæ. Hinc qui ex fundo,vel domo aliena fructus,vel pecuniam collegit, credens fundum, vel domum esse suam tenetur ad restituendum id in quo factus est ditior,etiamsi fructus,vel pecuniam commiscuerit cum propriis fructibus, vel cum propria pecunia? *Lessius lib.* 2. *capit.* 14. *dub.* 2. *Vasques citat. caput* 9.§.2. *dub.*1. *num* 27.

4. *Possessor bonæ fidei* non tenetur restituere fructus naturales vel mixtos,quando illos bona fide possedit per triennium: quia res mobiles vsucapiuntur triennali possessione, & hoc verum etiamsi vltima dies triennij solus sit inchoata: An autem ad prescribendos dictos fructus requiratur titulus cum possessione triennali alii affirmant, alij negant probabiliter. Vide *Molina tom.*3.*part.*2.*disputation.*718.*numer.* 1. *Sanches citat. num.*94.

5. *Malæ fidei possessor*. ad restitutionem fructuum tenetur, quos ipse non percepit? Dominus tamen rei illos percepisset:quia talis per suam iniquam detentionem, censetur causa efficax damni,& amissionis fructuum detrahendę tamen sunt expensę quas Dominus fecisset in iis fructibus percipiendis,& similiter detrahenda est æstimatio laboris impensi circa fructus quia fructus intelliguntur,qui supersunt deductis expensis,quę causa ipsorum factę sunt.*Clauis reg.lib.* 10. *tractat.* 2.*capit.*3.*numer.*23.*Couar.in regul.peccatum part.*2.§.6.*numer.* 4. *Azor.*3.*part.libr.*4.*capit.*4.*quæst.*4.

6. Cũ Domino res fructificet,hinc possessor malę fidei fructus restituere tenetur quos percepit ex re aliena,quam ipse meliorẽ effecit,quamuis illam Dominus meliorẽ non effecisset: quia illa melioratio,cum sit affixa rei pertinere debet ad dominum rei,vnde talis restituere tenetur pecuniam, quam accepit ex locatione rei alienę quam dominus non locasset,& hoc verũ, quamuis pecunia sit iam consumpta,& ex eius consumptione possessor malę fidei non sit in vlla re factus locupletior. *Lessius l.*2.*cap.*12.*dub.*17.*Sanches c.n.*103.*&* 123.*Clauis reg.c.c.*3.*n.*24.

Vide *Bona paraphernalia* num.3.*Census* num.11.12.*Decima* num.8.*Dos* num.1.*Horæ Canonicæ* 1.num.13.& seq. *Horę Canonicę* 5.*Restitutio* 2. num.6.*Vsura* 6.num.2. *Venditio* num. 20. 21.&c seq.

Furtum I.

F V R T V M. I.

Quid sit furtum, & quale peccatum.

S V M M A R I V M.

1. *Quid sit furtum?*
2. *An furtum, & rapina differant specie, in ratione iniuriæ?*
3. *An furtum ex genere sit mortale? & quomodo possit fieri veniale? An furari paruam partem reliquæ sit peccatum mortale.*
4. *Quæ quantitas sufficiens sit ad peccatum mortale?* referuntur variæ sententiæ.
5. *An furtum de se veniale,possit fieri mortale,ratione notabilis damni,vel alterius causæ?*
6. *An maior quantitas requiratur ad peccatum mortale furti, quando quis eidem magnas temporum internallis subtrahit, quàm dum breui tempore.*
7. *An furans minima à pluribus cum intentione diuescendi peccet mortaliter?*
8. *An peccet mortaliter,qui per furta minima, non intendit acquirere rem notabilem?*
   An fur detinens rem notabilem rei alienę teneatur totam summam restituere sub mortali, an verò tantùm partem, quę constituit notabilem quantitatem?
9. *An peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem in solidum omnes,qui vni per minuta furta graue damnum inferũt, si id fiat ex communi consilio.*
   An nouum peccatum mortale committat, qui post quantitatem notabilem per minuta furta sublatam, addit alia minuta furta?
   An qui aufert leuem quantitatem ab vno à quo alij abstulerant notabilem,peccet mortaliter?
10. *An continuę actu peccet, qui furto vel iniustè rem alienam, aut alteri debitam detinet? & quomodo hoc peccatum interrumpatur?& vt in confessione explicandum?*
11. *An in extrema necessitate,possit quilibet rem alienam accipere,ad subleuandam suam necessitatem?*
12. *An licitum sit aliena surripere,in graui necessitate:* refertur duplex sententia.

1. FVrtum, secundùm communem Theologorum sententiam,*est occulta res alienæ acceptio, Domino rationabiliter inuito*,:dicitur autem occulta, vt distinguatur furtum à rapina,& alijs iniustis acceptionibus per iniquos contractus, quæ fiunt Domino sciente,& vidente;dicitur rei alienæ. quia acceptio rei suæ, quæ apud alium est, non est furtum, saltem qua suæ,quamuis possit esse furtum, quatenus illa reseſt alteri commodata,vel oppignorata: dicitur *Domino inuito*: quia si quis crederet dominum ratum habere, & non dissentire, non esset furtum; dicitur *rationabiliter*,ad denotandum non committi furtum ab eo, qui aliquid aufert, quando Dominus est irrationabiliter inuitus,vt quãdo aliquid accipitur per modum iustæ compensationis,vel in extrema necessitate.*D.Thom.*2.2. 66.*art.*3. *Nauarr.cap.* 17.*numer.* 1. *Lessius lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 1. *Reginaldus libr.* 23. *numer.* 10. *Sylvius* 2. 2. *quæstion.*66.*artic.*3.

2. *Furtum,& rapina*: differunt specie in ratione iniuriæ: *quia* rapina includit violentiam, quæ fit Domino scienti, quã furtum excludit *ab iniuria* autem quæ fit per iniquos contractus,furtum,& rapina differunt:*quod* furto, & rapina patiatur Dominus damnum omninò inuoluntariè nempe per ignorantiam,vel per vim:in contractibus autem patiatur damnum inuoluntarie mixtim, si sciat iniquitatem contractus; *Clauis regia libr.* 9. *capit.* 13. *numer.* 9. *D. Thom. artic.*2.*c.* 4.*Medina Cod. de rebus restitution. quæstion.* 4. *Siluius citat. artic. quarius.*

3. *Furtum*, ex genere suo,est peccatum mortale,quia infert pro-

Proximo nocumentum, atqui hoc est contra charitatem, fieri tamen potest, vt sit tantùm veniale, ex indeliberatione nempe, ex paruitate materiæ, & quando dominus non est inuitus quoad substantiam rei acceptæ, sed solùm quoad modum; ex quo fit vt filius clam accipiens aliquid à patre vel auo, vxor à marito, nepos à patruo, & amicus ab amico liberali, & benigno, sæpius excusatur à mortali, quando verosimiliter ob iustam causam creditur dominus concessurus, si peteretur. *D. Thom. cit. art. 6. Lessius c. dub. 6. numer. 27. & 28. Clauis regia 2. cap. 14. Bonacina de contr. d. 2. quæst. 8. part. 1. num. 6. Syluius c. art. 6.*

Sed quæres, an furari paruulam Reliquiarum partem sit peccatum mortale: an verò ob paruitatem materiæ sit tantùm veniale? Resp. fortè dici posse probabiliter istud furtum excusari à mortali, ob paruitatem materiæ, quamuis vendere talem reliquiam paruulam sit peccatum mortale simoniæ. Ratio huius differentiæ est, nam vendere paruam reliquiam semper est iniuria notabilis facta Reliquiæ, quia valor illius æstimatur pro re caduca temporali, cùm res sacra quantumcumque parua, sit pretiosior omni re temporali. At in furto non fit iniuria Reliquiæ, sed habenti Reliquiam. Imò aliquando ex furto Reliquiæ resultat maior veneratio quando scilicet aufertur à loco paupere, ignobili, vel à persona infideli, vt decentius colloceter. Erit tamen hæc paruitas materiæ in Reliquia arbitranda in multo minori quantitate, quàm in materia parua vini, v. g. ad arbitrium boni viri, & æstimationem Reliquiæ. Ita Portel *in dub. reg. verb. Reliquiæ sanctorum n. 5.*

4. Illa quantitas est sufficiens est ad peccatũ mortale furti, quę omnibus consideratis infert Domino graue damnum, vel notabili priuat vtilitate; vnde non potest in genere taxari; quæ quantitas sit notabilis, sed hæc statuenda est arbitrio prudentum, pro varia personarum & locorum conditione. Ita *Vasques opusc. cap. 5. §. 1. dub. 5. de restit.* quia quod respectu vnius censetur notabile, respectu alterius non censetur tale, sed modicum & parui momenti; *hinc* secundùm doctrinam multorum Doctorum, & præcipuè *Medina Cod. de restitut. quæst. 10. Petr. Nauarr. lib. 3. cap. 1. num. 35. Lessius c. num. 29. & 30. Clauis reg. lib. 9. cap. 15. num. 9. & sequent. Bonacina c. num. 7. Reginald. l. 2. lib. 23 num. 19. Syluius 2. 2. quæst. 66. art. 6. concluſ. 4. Diana part. 2. tract. 17. resolu. 57. & p. 7. tract. 6. resolu. 58. Viguerus de iustit. tract. 3. cap. 1. dub. 2.* respectu omnium, etiam Regis, vel personarum illustrium, quæ splendidè aiunt familiam, nummus aureus ad minimum est materia notabilis & sufficiẽs ad peccatum mortale; quia tale furtum licet non noceat talibus personis quoad victum, videtur nihilominus nocere notabiliter, quatenus nummus aureus inseruit ad alendam familiam, & potest esse salarium menstruum vnius famuli inferioris. *Secundò*, respectu mediocriter diuitum, qui viuunt ex suis reditibus, quatuor regales, seu viginti asses censentur quid notabile, quia sufficit illis ad victum vnius diei. *Tertiò*, respectu personarum, quæ suo artificio & opera se sustentant, & dicuntur mechanici, duo regales sufficiunt ad peccatum mortale; quia inde commodè victitant, & hæc summa ferè æquat mercedem diurnam. *Porrò* respectu pauperis, qui mendicando sibi consulit, vnus regalis vel dimidius est materia sufficiens ad peccatum mortale furti, & tunc vera est opinio *Nauarr. cap. 17. num. 4. Notandum* tamen hic est, censeri etiam peccare mortaliter illum, qui saltem vno vel altero asse non abest à quantitate dicta, quæ enim parum distant, nihil distare videntur; & quantitas hæc mathematicè non potest statui, sed moraliter. Plura de his apud Doctores citatos.

Porrò res hæc diffiniri non potest ex quantitate pecuniæ, quia valor pecuniæ non est idem respectu omnium gentium: ergo qualitas furti non potest sumi ab ipsa pecunia, nam furripere in Hispania quatuor regales esset mortale, non autem apud Indos, apud quos minoris valoris sunt, quàm in Hispania, ob magnam copiam argenti, imò vnum regale est infima omnium monetarum, vt aduertit Molina *tom. 3. disput. 685.*

5. *Furtum* quod est secundùm se veniale ratione paruitatis materiæ, potest fieri mortale, ratione notabilis damni, vel alterius causæ concurrentis; vt si quis sutori setas surripiat, vel sartori acum, nec possint aliundè habere: sic si auferens cuipiam rem parui momenti, quam tamen ille maximi facit, & propter quam valde perturbabitur: hoc peccatum non est mortiferum in specie furti, sed in specie damnificationis iniustæ, quia huius damni causam iniustè dedit; si autem sciat fur talem solere peierare, imprecari, blasphemare, erit peccatum scandali, pertinens ad eam peccati speciem, cuius sciebat suo furto, etsi exiguo, se fore causam. *Valent. tom. 3. disputat. 5. qu. 10. punct. 5. Sotus de iustit. lib. 5. quæst. 3. art. 3. Clauis reg. c. num. 15. Lopez p. 1. c. 93 Nauarr. c. n. 2.*

6. Maior quantitas requiritur ad peccatum mortale furti, quando quis eidem magnis temporum interuallis subtrahit, paruis furtis, & non ex industria, sed per occasionem, quam dum breui tempore, vel de industria, vel simul accipit; quia homines minùs ægrè ferunt sibi auferri longo interuallo, & casu quædam minima, etiam ad notabilem quantitatem, quam eamdem quantitatem simul vel per partes, de industria; vnde, qui auferendo decem ab eodem simul, vel per partes de industria mortiferè peccat; requirentur 15. vel 16. aut etiam 20. vt quis sub peccato mortali teneatur restituere acquisitum per minuta furta fortuita; præsertim si longis interuallis sint facta. *Bonacina c. num. 9 Nauarr. cit. num. 139. Lessius c. dub. 8. numer. 46. Megala 2. 2. lib. 2. cap. 1. quæst. 3. num. 36. Diana p. 1. tr. 6. resolu. 34.*

7. Furans minima à pluribus, cum intentione coacernandi notabilem quantitatem, peccat mortaliter illa intentione, & quouis externo furto minuto ex eius vi procedente, & sub peccato mortali tenetur ad restitutionem, siue sit pauper, siue diues, modò inuitis dominis id faciat; quia ablatio rei notabilis, est peccatum mortale, & sub mortali restituendum à quo ablatum, etiamsi non damnificet multùm eum à quo ablatum est. *Valentia c. punct. 5. Salon. 2. 2. quæst. 66. art. 6. Lessius c. dub. 7. Clauis reg. c. num. 27. Syluius c. art. c. 6. quæst. 3. concluſ. 1.* tamen *Ioann. Medina Cod. de restitut. quæst. 10.* putat non esse peccatum mortale, si ille id in fraudem legis, de non furando, non faciat, sed quia fortè non habet aliàs, vnde ipse & familia sua viuat; Hæc sentẽtia teneri posset in casu, quo alij huic succurrere tenerentur, & si nossent hominis statum, non essent inuiti circa rei substantiam, etsi circa modum.

8. Qui per furta minima non intendit acquirere rem notabilem, sed ex occasione ea committit, non peccat mortaliter antequam perueniat ad tantam quantitatem, quæ continuata cum præcedente est notabilis; requiritur autem vt furta paulatim facta moraliter continuentur, quòd fiant aut intentione furandi notabilem quantitatem, aut fiant in eodem genere negotij, & non per magna temporis interualla, aut respectu alicuius communitatis, & tunc secundùm communem sententiam Doctorum, vltimum furtum implens quantitatem notabilem, fit peccatum mortale, quod [illegible] restitutionem sub eodem mortali obligat. *Vasques 1. 2. tom. 1. disput. 146. cap. 2. Azor. 3. part. lib. 5. cap. 13. quæst. 4. Petr. Nauarr. lib. 3. de restit. cap. 1. d. 6. num. 51. Vide Dianam p. 1. de paupert. resolut. 34. Syluium c. concl. 2. Nauarr. cap. 17. num. 139. Lessius c. dubio 8. num. 42.* tamen & quidam alij docent, furtum illud vltimũ per se esse tantùm peccatum veniale, sed detentionem voluntariam rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc incboatur, esse peccatum mortiferum: ex qua sententia infertur, posse dari furta solùm venialia, quæ obligent ad restitutionem sub pœna peccati mortalis, quod non est improbabile.

Sed dubium est, an paulatim furans modica, ita vt accesserit ad notabilem quantitatem, ac proindè mortaliter peccarit (secundùm communem sententiam) teneatur sub mortali totam summam restituere, an potiùs euitet mortale retentionis peccatum, restituendo illud modicum complens notabilem quantitatem ad furtum mortale petitam? Respond. probabile esse, ita furantes non teneri sub peccato mortali ad restitutionem totius quantitatis furatæ, sed tantùm ad illam partem, qua restituta cessat notabilis quantitas ad furtum mortale petita. Ratio est, quia tantum tenetur quilibet sub mortali notabile proximi damnum auferre, quod restituta modica quantite aufertur; tum quia ea vltima quantitate non accepta, non esset mortale furtum ratione parui damni proximo illati: ergo neque ea restituta, erit mortalis retentio, cùm maneat idemmet modicum damnum insufficiens ad mortalem culpam. Ita *Arragon. 2. 2. quæst. 66. art. 6. Petr. Nauarra lib. 1. cap. 1. dub. 8. num. 62. Filiucius tract. 31. cap. 10. numer. 247.* contra *Cordubam & Medinam.*

9. Quando plures vni per minuta furta graue damnum inferunt, & id fit ex communi consilio, omnes peccant mortiferè, & tenentur ad restitutionem in solidum. Ratio est, tum quia cum singuli cooperentur ad damnum notabile, sequitur singulos peccare mortaliter, & teneri sub mortali ad restitutionem.

tionem. Tum quia singuli simul cum aliis retinent notabilem quantitatem, cum damno domini; cum autem hoc damnum, vt est notabile, sit indiuiduum, nec sit maior ratio, cur vnus magis teneatur ad damnum notabile, quam alius, sequitur singulos teneri. Ita *Azor.* 3. *part. lib.* 5. *cap.* 13. *quæst.* 5. *Nauarr. cap.* 17. *num.* 130. *Sanches libr.* 7. *moral. cap.* 21. *num.* 19. Turrianus *disputat.* 15. *dub.* 2. & alij communiter. Si verò casu id fiat, ita vt alter alterius non sit conscius, nemo peccat mortiferè, neque tenetur ad restitutionem, tum quia nemo est causa notabilis damni. Tum quia, quamdiu conscius nullus fuit, nequit liberè & moraliter continuari damnum, quod vnus intulit, cum præcedentibus. Est communis sententia. Quando autem aduertunt notabile damnum inferendum ex illis minutis furtis, multi Doctores affirmant, vt *Couarr. lib.* 1. *variar. cap.* 3. *numer.* 12. *Medina de restitut. quæst.* 10. *Pet. Nauarr. lib.* 3. *cap.* 1. *nu.* 48. tunc singulos mortiferè peccare, & ad restitutionem suæ partis teneri, quia quilibet cauere tenetur, ne Dominus notabile damnum patiatur. *Lessius c. dub.* 9. *num.* 52. tamen & *Molina disputat.* 689. dicunt illum, qui alteri nullo modo suo exemplo vel hortatione est causa accipiendi, etiamsi sciat alios accipere, non peccare mortaliter, modicum accipiendo, neque teneri sub peccato mortali ad restitutionem, quia ille infert parum damni, & ex hac parte non peccat, nisi venialiter, & præter intentionem ipsius est, quòd Dominus magnum damnum patiatur. Et huic sententiæ subscribunt etiam *Sanches, Tannerus, Salas, Malderus* citati à Diana *part.* 2. *tract.* 17. *resolut.* 42. & hoc est probabile. Verius tamen est quod docet affirmatiua sententia. Tum quia quilibet eorum cooperatur ad notabile proximi damnum, estque per se partialis causa; nam licet, quod quilibet furatur, sit in se minimum, & coniunctum cum partibus, quas scit alios furari, efficit notabilem quantitatem, infertque notabile damnum, non minus, quàm si vnus solus ea modica ab eodem furaretur, & ratione huius scientiæ suum damnum continuatur cum alijs. Tum quia omnes hi concurrunt simul ad hoc damnum inferendum, nec est maior ratio, quare vnus potiùs quàm alius sit illius reus, aut omnes, aut nullus dãnari debent. Ita præter recensitos Doctores tenent *Suares de censur. disput.* 20. *sect.* 2. *n.* 3. *Rodriques to.* 1. *summ. cap.* 150. alij multi citati à *Diana* supra. Limitant tamen hanc sententiam, vt locum non habeat si inter vnum furtum, & alia sit magna dilantia, vt si post tres menses, vel quatuor postquam alij furati sunt, quis furaretur. Sed de hac quæst. iterum infra *v. Restitutio III. nu.* 13.

Rogabis, an nouum peccatum mortale committat, qui post quantitatem notabilem per minima furta sublatam, addit alia parua furta? Respon. cum distinctione; Si enim fur dum noua furta committit doleat de furtis præteritis & habeat propositum restituendi prima opportunitate, peccabit tunc solùm venialiter, & quando illa noua furta rursus ad quantitatem notabilem ascendent, committetur nouum peccatum mortiferum. Ratio est, quia cum pœnitentia interrumpat continuationem illarum quantitatum præcedentium, materia subsequens non integrabit vnam quantitatem cum præcedente, & consequenter materia subsequens, vt leuis, non sufficiet ad peccatum mortale, donec perueniatur de nouo ad notabilem quantitatem; modò non adsit intentio furripiendi maiorem quantitatem. Si autem fur actum voluntatis retinendi alienum in notabili quantitate non interrupit, & cum aduertentia præteritorum noua furta leuia committat, mortaliter peccabit, nam illa quantitas moraliter continuatur, & fur implicitè renouat actum voluntatis retinendi notabilem rem alienam; sed actus peccatorum quoties renouantur, toties peccatum nouum committitur. Vide *Lessius lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 44. *Sanches lib.* 7. *moral. cap.* 21. *num.* 7. *Diana par.* 2. *tract.* 17. *resol.* 43. & alios ab ipsis citatos. Occurrit & aliud dubium, an qui aufert leuem quantitatem ab vno, à quo alij abstulerant notabilem, peccet mortaliter? Respond. probabiliùs esse, quòd non: quia talis non est causa notabilis damni; quod iam ab alio fuerat illatum; & sic furtum suum est in parua quantitate. Nec refert, quod sicut furtum leue ab vno commissum integrare potest materiam sufficientem ad mortale, cum leui furto ab alio commissum, vt dictum est supra, ita potest continuari cum maiore. Respondetur, esse disparem rationem; quia in priori casu, non est maior ratio, quare vni potiùs, quàm alteri notabile damnum imputetur, & ita singulis imputari debet; in hoc autem casu, non item: quia illa quantitas leuis, quam aufert, non videtur continuari cum notabili quantitate, quam alij abstulerunt: & sic non cooperatur damno notabili, nec illi imputatur notabile damnum, sed tantummodò leue. Ita *Sanches lib.* 7. *mor. cap.* 21. *num* 23. *Vasques* 1. 2. *disput.* 146. *caput.* 2. & alij.

10. Qui furto vel iniustè rem alienam, aut alteri debitam detinet, continuè actu peccat; toto eo tempore, quo cùm possit non restituit, quia non restituendo lædit continenter proximum, ipsum impediens à possessione & vsu rei suæ vel debitæ, quæ læsio quò diutiùs durat, eò censetur maior; moraliter tamen loquendo, per illam voluntariam retentionem, non fit nouum peccatum, sed continuatur antiquum, quod anteà per acceptionem erat inchoatum. *Sotus de iustit. lib.* 4. *quæst.* 7. *art.* 4. *Lessius c. dubio* 3. *num.* 11. *Tripliciter* autem potest interrumpi istud peccatum actuale iniquæ detentionis, ita vt formaliter non continuetur. *Primò*, ratione ipsius propositi, vt dum quis propositum detinendi mutat, constituens prima opportunitate restituere. *Secundò*, ratione detentionis externæ, quando illa in se incipit non ampliùs esse iniuriosa, puta quia facta est impossibilis ob penuriam, &c. *Tertiò*, ratione somni vel alterius distractionis. In confessione tamen, secundùm quorumdam probabilem sententiam, non debet huius peccati interruptio explicari, sed sufficit vt explicetur. *Primò* quamdiu rem retinuerit, vt intelligatur aliquo modo multitudo actuum interiorum, vel continuatio æquiualens multis actibus internis. *Secundò*, quoties interim occasionem restituendi habuerit, & neglexerit, vt intelligatur multitudo omissionum exteriorum. *Tertiò*, An interim Dominus graue damnum vel afflictionem magnam senserit, vt sciatur quanta in illis actibus externis fuerit malitia; Alij volunt vt etiam numerus talium volitionum explicetur, si possibile sit, quod non est improbabile. Vide *Suares tom.* 4. *d.* 22. *sectio.* 5. *numer.* 30. *Henriques de pœnitent. lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. *Vasques tom.* 1. 2. *disp.* 75. *cap.* 3. *Clauis reg. libr.* 10. *tract.* 5. *cap.* 5. *Bonacina de restitut. disputat.* 1. *quæst.* 6. *part.* 1. *num.* 12. *Diana tract.* 2. *misc. resol.* 28. *parte* 2.

11. Quilibet in extrema necessitate constitutus, potest accipere rem alienam ad subleuandam suam necessitatem; quia necessitas extrema facit omnia communia; modò Dominus rei non existat in æquali necessitate, quia in pari causa, melior est conditio possidentis: vnde talis acceptio, non est furtum, aut rapina, quia non fit Domino iure inuito, tenetur enim consentire, cùm tu iure tuo vtaris; imò si Dominus velit prohibere & impedire, potest in extrema necessitate constitutus aduersus illum se tueri, tanquam qui iniustè ab altero inuaderetur; & si necesse sit seruato, iustæ defensionis moderamine impedientem occidere. *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 66. *artic.* 7. *Toletus l.* 5. *cap.* 15. *num.* 5. *Lessius c. dub.* 12. *Nauarr. cap.* 17. *numer.* 5. *Clauis reg. lib.* 9. *cap.* 13. *num.* 18. *Syluius* 2. 2. *quæstion.* 66. *artic.* 7.

12. Multi Doctores negant vt *Caietan.* 2. 2. *qu.* 66. *artic.* 7. *Sotus lib.* 5. *quæst.* 3. *art.* 4. *Couarr. ad reg. peccatum part.* 2. *§.* 1. *n.* 3. licitum esse aliena furripere in graui necessitate, quia hoc concedendo, aperiretur via infinitis & innumeris furtis, cum multi fingerent se constitutos in valde graui necessitate: nihilominus non est improbabilis sententia *Angel. verb. furtum §.* 37. *Sylues. eod. quæst.* 5. *Nauarr. cit.* apud *Lessius c. num.* 71. non solùm in extrema, sed etiam in graui necessitate morbi, famis, nuditatis, licitum esse clanculum furripere ab opulentis, si aliter graue illud malum auertere quis non possit: tum quia ex graui necessitate facilis est lapsus in extremam, ergo quod in extrema concessum est, extendendum est etiam quodammodo ad grauem. Tum qnia diues in hoc casu, non potest cum ratione esse inuitus circa substantiam acceptionis, licet modus displicere possit, si accipias antequam petieris, & inopiam tuam demonstraueris: ergo talis surreptio non erit peccatum mortale, si hic ordo non seruetur. Ita etiam *Diana tractat.* 3. *miscel. resolut.* 29. *part.* 2. *Malderus* 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 6. *dub.* 6. & alii.

De Furto, vide *Donatio* numero 8. *Eleemosyna* num. 15. *Sacrilegium* 1. num. 9. 10. *Restitutio* 2. num. 6.

FVR.

FVRTVM II.

De furto filijsfamilias, vxoris, Religiosi & famulorum.

SVMMARIVM.

1. *An mortaliter peccet filius, qui notabilem summam accipit ex bonis, quorum possessionem & vsumfructum habet pater? & quid, si bona sint castrensia vel quasi, & quæ quantitas censeatur notabilis in furtis filiorum?*
2. *Quando teneatur filius ad restitutionem, qui accepit bona quorum pater habet dominium, vel vsumfructum?*
3. *An filius peccet mortaliter peccato furti, expendendo aliquid in ludos, eleemosynas, honestam recreationem, &c.*
4. *An vxor peccet mortaliter, si summam notabilem ex bonis mariti accipiat?*
5. *In quibus casibus non peccet mortaliter vxor, accipiendo bona mariti?*
6. *An religiosus peccet mortaliter capiens ex bonis monasterij in notabili quantitate? & quid dicendum si religiosus ad proximos vsus accipiat pauperum comestibilia, vel alia?*
7. *An peccet mortaliter religiosus, & teneatur ad restitutionem, qui rem notabilem furtiuam dedit alteri extra monasterium?*
8. *An famulus peccet mortaliter peccato furti, asserendo in notabili quantitate à suo domino?*

1. MOrtaliter peccat peccato furti filius, qui notabilem summam accepit ex bonis, quorum possessionem, & vsumfructum habet pater, ipso meritò inuito; ‖ autem filius accipiat bona castrensia vel quasi, non peccat mortaliter, cùm illorum proprietas & vsusfructus ad ipsum pertineat. *Nota* tamen, non idem censeri notabile in furtis filiorum, quod censetur tale in furtis externorum, sed maior quantitas requiritur, quæ eadem non est respectu omnium, sed varia pro conditione status, ætatis, personarum, locorum, & aliarum circumstantiarum, prout prudens iudicabit; quia pater non ita est inuitus circa furtum filiorum, sicut circa furtum aliorum; consequenter pro varietate circumstantiarum, vt amoris, indulgentiæ, &c. fieri potest, vt maior quantitas requiratur, vt pater sit inuitus circa substantiam furti, quàm quoad modum. *Clauis reg. lib. 9. cap. 16. num. 13. Vasques de rest. cap. 4. §. 2. dub. 6. num. 45. Syluius 2. 2. quæst. 66. artic. 6. conclus. 3. Reginald. lib. 20. num. 27. Bonacina de restitut. d. 2 quæst. 10. part. 1. num. 5. Castrensis tract. 18. disput. 5. sect. 7. num. 53.* Vnde potest contingere quòd filius furans duos aureos non peccet mortaliter, & qui furatur sex argenteos lethaliter peccet, verb. grat. si pater sit valde diues, non est censendus filius peccare mortaliter, si ab eo auferat duos vel tres aureos, vt licitè gaudeat cum suis amicis iuxta alios suæ qualitatis, etiam inuito parente, quia non est rationabiliter inuitus. Si verò pater sit mediocriter pecuniosus ac diues, non est censendus filius lethaliter peccare, si ab eo clam accipiat valorem argenteorum septem vel octo. Si denique pater sit mechanicus pauper, quidam existimant valorem quatuor argenteorum sufficientem esse ad lethale.

2. Filius qui accepit bona, quorum pater habet dominium vel vsumfructum, tenetur restitutionem facere ex re ablata, si extat; si verò non extat tenetur ex alijs bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, si habet; si non habet, tenebitur in partitione hæreditatis cum fratribus computare, quod furripuit, in suam partem; nisi fortè constet alios fratres tantumdem expendisse, vel patrem condonasse; aut verosimiliter credatur patrem condonaturum; tunc enim pater non videtur inuitus circa substantiam acceptionis, sed solum circa modum. *Molina tom. 1. tract. 2. disput. 242. Lessius c. dub. 13. num. 77. Clauis reg. c. num. 19.*

3. *Filius* non peccat mortaliter peccato furti, expendendo aliquid in ludos, eleemosynas, honestam recreationem, etiam luxuriosam, iuxta conditionem sui status, pater enim non censetur rationabiliter inuitus: *item* si in extrema vel etiam graui necessitate proximi furripiat ad eleemosynam: *item*

si accipiat ex bonis suis castrensibus, vel quasi castrensibus, nempè ex parte occasione militiæ, vel officij publici, vel beneficij, &c. *item* si parens sit hæreticus, bona aduentitia filij, in quibus ille habebat vsumfructum, redeunt ad filium, & vsusfructus consolidatur cum proprietate; *Porrò* si filius gerit negotia patris, potest, deductis expensis quas pater facit in illo alendo, pro suo labore & industria, tantumdem accipere, quantùm daretur extraneo, nisi intendat facere gratis; *Ad hoc* tamen necesse est, vt filius ostendat expressè vel tacitè se velle lucrari: & constet parentem non facturum per se, neque inuenturum alium, qui gratis vel minoris faciat: *Præterea* non potest filius vsumfructum istius lucri sibi vendicare, ante mortem patris vel suam emancipationem; nam lucrum hoc connumeratur inter bona aduētitia, quæ pertinent ad patrem. De his casibus videantur Doctores citati. *Nauar. cap. 17. num. 144. & 157. Lessius c. dub. 13. num. 79. 80. & 81. Caspensis tract. 18. disput. 5. sect. 10. num. 55. Lopez. 2. par. cap. 23. Reginald. c. num. 27. & 28. Diana part. 4. tract. 4. resol. 66. Angelus verb. pecunia num. 11. Laymann. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 8. num. 6. Bonacina c. num. 6. & seq.*

4. *Vxor* mortaliter peccat, si summam notabilem ex bonis mariti, quorum administratio ipsius est, ipso cum ratione inuito accipiat; quia accipit illud cuius dominium, vel certè administratio & vsusfructus est alterius, & tenetur ad restitutionem, etiamsi ex dote vel ex bonis communibus accepisset. *Molina de contr. disput. 274. num. 7. Clauis reg. l. 9. c. 16. Filliucius tr. 32. nu. 263.*

5. Non peccat mortaliter vxor, accipiendo bona mariti, *quando* quantitas iudicio prudentis, non est notabilis, spectato statu, opibus, & cæteris, *Secundò*, ‖ maritus rogatus concederet, vel si det in extrema vel graui necessitate proximi; aut si det ex suis, quorum habet liberam administrationem, vt sunt bona paraphernalia, id est, quæ habet mulier alio titulo quàm dotis, vt quæ ipsa acquisiuit hæreditate, legato, donatione, aut industria extraordinaria: *præterea* potest vxor facere donationes, & eleemosynas, secundum consuetudinem aliarum suæ conditionis mulierum, quòd ‖ maritus vetet, videtur vetare excessum; *item* potest dare ad impediendum damnum mariti, siue temporale, siue spirituale, & quando maritus est amens, fatuus, absens, dissipator, rem communem in compotationes, largas donationes vel mulieres profundens; & quando pater vel mater, frater vel soror vxoris, & filij ex priori matrimonio suscepti sunt pauperes, potest illis succurrere, licet post mortem mariti, teneatur conferre in suam partem, & dotem ea, quæ tradidit parentibus in dictis casibus. *Nauarr. cap. 17. num. 154. Graffis 1. p. lib. 2. cap. 60. Iessius cit. dub. 14. Clauis Reg. lib. 9. cap. 16. num. 8. & sequ. Pet. Nauarr. lib. r. 3. cap. 1. à n. 155. Bonacina c. punct. 2.*

6. *Religiosus* capiens ex bonis monasterij in notabili quantate, peccat mortaliter, si res ablatæ non sint necessariæ, aut si sint, superior tamen concederet, ‖ peterentur. Ita *Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 6. Petr. Nauarr. lib. 3. num. 195. cap. 1. Molina c. disputat. 276. Rodriques tom. 2. sum. cap. 31.* quia facit contra votum paupertatis, exercens actum dominij: quòd si res ablata talis esset, quæ necessaria censetur ad vsum religiosorum priuatorum, vt sunt cibaria, vestes, medicinæ & huiusmodi, & sua necessitate proposita adhuc superior concedere nollet, accipiendo non peccaret, nec ad restitutionem tenetur: tunc enim superior est irrationabiliter inuitus, & religiosus habet ius sibi succurrendi, ita dictante iure naturæ. Tamen quando superiori ustè non consulit necessitati illius subditi ex bonis monasterij, eo quòd monasterio paupertate oppresso nequeat: & ideo taxantur vnicuique religioso danda iuxta monasterij facultates, tunc nequit religiosus aliqua ex conuentu vsurpare, vt sibi prouideat, absque proprietatis peccato, & obligatione restituendi, quia tunc non militat ratio tradita, eò quòd licentia non sit debita, sed iustè denegetur; vt benè aduertit Sanches post Bakium & alios *lib. 7. moral. cap. 19. num. 54. in fine.* Quænam verò quantitas requiratur, vt ea fine licentia Superioris vsurpata à religioso, ad peccatum mortale deueniatur; secundùm communem sententiam DD. ea quantitas necessaria est, & sufficit in sæcularibus ad constituendam materiam peccati mortalis furti. Consulendus est Diana *de paupertate resolut. 36. par. 1.* Sed placet mihi quod docet *Miranda in Manual. Prælat. tom. primo quæst. 28. artic. 17. conclus. 2.* quantitatem notabilem in furtis religiosorum determinandam esse in particulari pro temporum, locorum, Religionum, personarum,

tum, & aliarum circumstantiarum differentia, & iudicio & arbitrio boni viri.

Notandum autem est, quòd si religiosus ad proprium vsum accipiat paulatim comestibilia, si perueniat ad quantitatem notabilem, illum non peccare mortaliter, nec teneri ad restitutionem, quia furta ista minima in tali materia non continuantur; & in eo modo sic paulatim hæc accipiendi non est inuitus superior. Tamen si ille expressè ptohiberet sub pœna proprietatis vel furti, talium rerum acceptiones, posset esse peccatum mortale in monasterijs seu conuentibus ordinum, in quibus viget altissimæ paupertatis vsus. Bartholomæus à S. Fausto *in thesauro lib.*8. *quæst.*110. Vide *Bonacin. de larg. munerum d.*3. *par.*5. *num.*6. *Fernandes par.*1. *cap.*6. §.2. *numer.*12. *Diana tract. de paupert. relig. resolut.*35. *part.*1. *Caspensis tract.* 18. *disput.*5. *sect.*7 *n.*56.

An autem religiosus paulatim similiter in alijs bonis monasterij modica accipiens vel expendens, sine superioris licentia peccet mortaliter & teneatur ad restitutionem? Sententia affirmatiua est communis DD. si in eo furto complente materiam grauem, recordetur præcedentium furtorum, licet in alijs furtis paruis non habuerit animum ampliùs furandi; modò etiam inter hæc parua furta non sit magna interpellatio, & interuallum, puta, vnius mensis vel dimidij. Ratio est, quia in vltimo illo furto, suppositis præcedentibus incipit religiosus esse fur, & voluntariè detinere rem alienam, in notabili quantitate inuito Domino. Vide *Valentia tom.*3 *disputat.* 5. *quæst.*10. *part.*5. *Reginald. l.*23. *cap.*1. *q.* 4. *P. Nauar. de restit. lib.*3. *c.*1. *n.* 40. *Sotus de iust. lib.*5. *q.*3. *art.*3. *Filliucius tr.*31. *n.*245. & alios.

Nihilominus contraria sententia non est improbabilis, nempe parua huiusmodi furta, voluntate intercisa, quantumcunque simul sumantur, nunquam facere vnum furtum notabile mortale, & consequenter non parere obligationem restituendi. Ratio est, tum quia remanent semper in sua natura, hoc est, sunt venialia ratione paruæ quantitatis. Ita *Fernandes par.*1. *cap.*6. §.2 *num.*12. *summa corona par.*1. *cap.*1. *numer.* 28. *Nauarrus lib.*3. *consil. de statu Monach. consil.*3. *Sa ver. Furtum num.*8. *Diana par.*1. *tract. de paupert. resolut.*34. *Caramuel in reg. Sancti Bened. disputat.*62. & 63. Tum quia monachus seu religiosus est verè filiusfamilias Monasterij; Ideò de religioso, vt de filiofamilias, debes philosophari. Vide *Dianam*, *Caramuel*, & *Caspensem nostrum* loco superiùs citato, qui nouissimus aduertit religiosos votum paupertatis habentes, non cum filijs ditissimorum parentum, sed cum his, qui mediocriter pecuniosi sunt, debere computari, vt inde colligamus, quæ quantitas respectu illorum, circa danda & accipienda vel approprianda sibi de rebus monasterij, ad furtum mortale sufficiat. Vnde sicut diximus, non peccare lethaliter filios, si à parentibus clam suffurentur quantitatem quinque argentorum: ita dicendum est de religiosis, nisi alia minor assignata sit à Superioribus. Non enim credendi sunt Prælati, minùs inuiti erga suos subditos, quoad res furtiuas acceptas, quàm patres erga filios; nec minùs liberales de Christi patrimonio, quod proprio labore non acquisierunt, nec à parentibus hæreditarunt. *Hæc Caspensis.*

7. *Religiosus*, qui rem in aliqua quantitate accepit, quæ sufficit ad peccatum mortale furti, contra septimum præceptum, siue sit vsu consumptibilis, siue non, & dedit alicui extra monasterium; peccat mortaliter & ad restitutionem tenetur, tam ipse, quàm recipiens, si res extat: sin verò res consumpta sit, tenetur, qui accepit, restituere quantum ex re illa ditior factus est, seu quantum aliàs expendisset, si rem illam non consumpsisset: *religiosus* verò, qui rem alienauit, aut ipsemet sine licentia, aut necessitate consumpsit; non tenetur propriè restituere, sed tenetur admonere recipientem vt restituat; & si habeat aliquos reditus ex debita licentia, ex ijs restituere debet. *Corduba in summ. quæst.*109. *Bonacina c. punct.*3. *n.*6. & 7. *Claus reg. l.*9. *c.*16. *n.*21.

8. *Famulus* peccat mortaliter peccato furti, auferendo aliquid in notabili quantitate à suo domino: excusari tamen potest à mortali, quando minimam quantitatem victualium successiuè furatur, quæ fit notabilis progressu temporis, modò illam conuertat in proprium vsum; si verò accipiat notabilem quantitatem victualium ad vendendum, vel ludendum, vel consumendum cum externis, peccaret mortaliter peccato furti, quia dominus censetur inuitus, non solùm quoad modum accipiendi, sed etiam quoad substantiam rei. Ita *Nauarr. cap.*17. *num.*138. *Petr. Nauarr. de restitut. lib.*3. *caput.*1. *part.*3. *d.*6. *num.*220. *Lessius lib.* 2. *cap.*12. *dub.*8. *nu.* 48. Quando autem duo eiusdem familiæ famuli sunt, quorum vni cura pœnus custodiendæ demandata est, alteri non est, etsi vterque ex lege charitatis furta impedire debeat, si facilè, & sine suo incommodo possit: ex iustitia tamen fermè is solum, qui curam pœnus gerit, ad restitutionem obligatur, si non manifestat domino alios famulos ex sua officina sæpius furari. *Layman lib.*3. *sect.*5. *tract.*2. *cap.*5. *num.*6. *Nauarr. cap.* 17. *nu.*136. *Lessius lib.*2. *cap.*13. *num.*75. *Diana tract.*6. *miscel. resolut.* 58. *parte* 3.

G.

GABELLA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit Gabella, Tributum, Vectigal.*
2. *Quæ requirantur, vt gabella seu vectigal aut tributum iustè exigantur.*
3. *An liceat gabellam imponere super rebus quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, venduntur, aut adducuntur?*
4. *An fraudantes, vectigal, quod rebus venditis, vel in proprium vsum comparatis impositum est, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem?* refertur duplex sententia.
5. *An vectigal pro rebus de loco in locum transfectis, debeat solui, si non exigatur?* Refertur duplex sententia.
6. *Quando dubitatur de iustitia nouæ vectigalis, an sit obligatio soluendi?* refertur duplex sententia?
7. *An gabella, vectigal, seu tributum debeantur quando cessauit causa propter quam fuerunt imposita?*
8. *An emptor teneatur ad soluenda vectigalia, pro mercibus emptis à venditore, quem nouit fraudasse debentem vectigal.*
9. *An creditor principis possit sibi fraudatione vectigalium compensationem facere?*
10. *An clerici sacrorum ordinum, & beneficiarij, religiosi, & religiosæ, sint immunes ab obligatione gabellarum, vectigalium, & aliorum onerum? & quid de clericis minorum Ordinum & prima tonsura?*
11. *An clericus exercens negotiationem ex rebus quas negotiationis gratia aduehit, teneatur soluere gabellam?*
12. *An bona patrimonialia, & alia secularia, quæ ad ecclesiasticas, vel ad ecclesias, aut ad monasteria aduenerunt, sint immunia tam à nouis tributis, quàm antiquis?*
13. *An gabella quæ imponitur communitati, pro reparatione pontium, viarum, murorum urbis, debeatur à clericis?*
14. *Contra exigentes à clericis gabellas, vectigalia, &c. fulminata est excommunicatio in bulla Cœnæ.*

1. GAbella generatim sumitur *pro eo quod Principi vel reipublicæ à priuatis solet, ad onera communia sustentanda* & varijs nominibus appellari consueuit: aliàs vocatur *Tributum*, quod est pensio, quæ subditis soluenda imponitur, iuxta cuiusque facultates, præsertim prædiales, ad Principis dignitatem vel communia impendia sustinenda; dicitur etiã *vectigal*, quod soluitur vel pro rebus quæ exportantur vel importãtur in Ciuitatem vel Prouinciam, vel pro transactione mercium per pontes & flumina, vel à transeuntibus per aliquam viam seu locum pro custodia viarum, vel ex rebus venditis aut permutatis *Syluester v. gabella* 1. *Couar. ad reg. peccatum p.*2. §.4. *num.*1. *Lessius l.*2. *c.*33. *n.*1. & *seq.*

2. Vt gabella seu vectigal aut tributum iustè exigantur, requiritur *primò*, legitima authoritas illa imponendi, quæ existit tantùm in ijs Principibus, & Rebuspublicis, quæ in sua administratione & regimine superiorem non agnoscunt, vt sunt, Papa, Imperator, Rex, & qui quasi regalem potestatem habent, Domini locorum & Respubl. quæ legitima præscriptione ius illud quasi regium obtinent: *Alij* verò inferiores, vt Proreges, Duces, Marchiones, non possunt imponere vectigalia, aut tributa absque consensu suorum superiorum: *Comites* tamen, etiam subiectæ, possunt suis ciuibus per comitia ob bonum publicum imponere quædam onera, quæ vocantur collectæ, ad reparationem pontium, mœniorum, viarum.

Secundò,

Secundò, requiritur iusta causa, qualis est necessitas Principis, vel certè magna vtilitas boni publici cui alia ratione subueniri nequit. *Tertiò*, requiritur, vt seruetur proportio, vt scilicet, quantitas oneris distribuatur iuxta vires facultatis cuiusque, & pro ratione contractuum, quos quisque facit. Ita Doctores citati. *Suares de legibus lib.5.caput.14. Toletus lib.1. capit.21.numer.8. Nauarr.capit.27. numer.61. Lessius cit dub.1. Diana par.1. tract.3. resolut.2. Salas de legibus disput.15.sect. 10.numer.118. Vasques in opusc.capit.6.§.1. dub.1. & 2. de restit. Sylu.2.2.quæst.66.ar.8.concl.1.*

3. Ordinariè, secundùm *Diana tract.3.misc.resolut.28.par. 2. Caiet. ver.vectigal. Tolet. lib.5.capit.73. Angel.ver. pedagium num.3.* & quosdam recentiores, non licet gabellam imponere super reis rebus, quæ ad vsum necessarium familiæ emuntur, aut venduntur, aut aduehuntur; sed tantùm super illis, quæ negotiationis causa aduehuntur, quia in illis magis grauantur pauperes quàm diuites: & hoc probatur ex iure Canonico *C. Quamquam de cens.in 6.* & Ciuili: *L. vniuersi. C. de vectigal* exactores autem huiusmodi vectigalium sunt excommunicati in bulla Cœnæ: *in quatuor* tamen casibus possunt imponi talia vectigalia. *Primò*, si publica necessitas vrgeat, & vectigalia quæ aliunde colligi possunt, non sufficiant. *Secundò*, si ob aliquam causam publicam ex consensu totius populi statuantur. *Tertiò*, si pro securitate viarum, nempe personarum & rerum deuectarum imponantur, quando earum securitati, aliter consuli nequit: *Quartò*, si sit consuetudo, quæ memoriam hominum excedat, modò non constet causam ob quam imposita fuerunt cessasse. *Nauarr.capit.17. numer.202. Syluester ver. gabella 3. quæs.5. Lessius cit. dub.7. Sylu. cit. concl.4.* Vnde non est consuetudo condemnanda, qua gabellæ imponuntur carnibus, piscibus, vino, sali, oleo, & alijs huiusmodi rebus, quãdo venduntur, vel emuntur, vel extrahuntur, etiam ad proprios vsus. Ratio est, tum quia non est contra ius naturale, vel diuinum, vt huiusmodi gabellæ, vel collectæ imponantur, non enim sequitur, vt pauperes magis onerentur, ac grauentur, quam diuites: nam pauperes solent esse paucis contenti & modicò viuere: vnde pauca etiam vendunt, vel emunt, & consequenter modicum … soluunt. Tum quia ius canonicum & ciuile potest consuetudine abrogari. Quare in hac re considerandæ sunt locorum, prouinciarum, vel ciuitatum consuetudines.

4. Quidam Doctores, vt *Nauarr.capit.17.num 201. Sà v. gabella num.5. Angel ver. pedagium. Anglesin 4.de rest. vectig. diffic.4. Bena 1.par.casu 13. Vide Dianam de leg.resol.19. par.1.* docent *fraudantes vectigal*, quod rebus venditis, vel in proprium vsum comparatis impositum est, non peccare mortaliter, ac proinde non teneri ad restitutionem: quia lex purè pœnalis; qualis est ista, non obligat nisi ad pœnam, idque post sententiam iudicis; & leges ciuiles; etiamsi verbo præceptiuo vtantur, non obligant ad peccatum mortale, præsertim quando apponunt pœnam in bonis temporalibus: hæc sententia non est improbabilis: præsertim in gabellis nouis & multùm onerosis, & pro vsualibus impositis; etsi enim per tales fraudationes aliquid Principi vel redemptori decedat, mulctæ tamen & confiscationes in deprehensos facilè compensant. *Communis* tamen & verior opinio est, asserentium gabellas iustas soluendas esse in foro conscientiæ, & fraudantes eas in summa notabili, mortaliter peccare, & teneri ad restitutionem, quia quod iustè exigitur, non potest absque iniustitia defraudari. *Clauis reg. lib.9. capit.16. numer.30. Toletus lib.5. capit.73. numer.3. Sylu. cit. concl.5. Molina tract.2. disputat.674. Valent. tom.3. disput.5. quæst.6. par.5. Lessius cit. dub.8.*

5. Multi viri docti sentiunt *vectigal* pro rebus de loco in … locum transuectis, non debere solui nisi exigatur, modo nihil fraude actum sit *Tabiena, Sotus, Henriq. apud Lessium cit. num.61. Sylu. cit. concl.7.* & alij: sed probabilius est, vt ait *Vasques in opusc. cap.6.§.3. disp.2.num.26.* seruandam esse loci consuetudinem, vt videlicet subditus sponte aperiat, si consuetudine receptum sit, aliàs non *Aduertunt* tamen plurimi ex Doctoribus, eum qui, rem aliquam defert, emit, aut vendit ad solatium suæ extremæ vel magnæ necessitatis, non debere in conscientia vectigal, quia respectu talis personæ censetur immodicum, ac proinde carens debita forma iusti vectigalis. *Petr. Nauarr.lib.3.cap.1.nu.236.* post alios.

6. Quando dubitatur de iustitia vectigalis, quod de nouo imponitur, vel quando vetus augetur, de cuius iustitia non constat, secundùm multorum probabilem sententiam, præsumendum est iniustum, & consequenter non est obligatio soluendi: quia subditus est possessor suæ pecuniæ, immunis à vectigalibus, in dubio autem melior est conditio possidentis. Ita *Molina disput.674. Fullucius tract.28.part.2. capit.7. num.117. Arragon.2.2.quæst.62.ar.3 Vasques cap.6.§.3. disput.8.* Tamen veriùs esse dicunt alij esse obligationem soluendi. Ita *P. Nauar. lib.3.cap.1.num.263. Bonacina de rest.disput.2. quæst.6.par.1.n.7. Lessius cit.num.63.64. Salas cit. num.120. Sylueus cit. concl.6. Malder.2.2.tract.5.cap.6.dub.4.* quia in dubio negatiuo, quãdo scilicet subditus manet anceps, nec habet rationem aliquam probabilem, ad credendum vectigal esse iniustum, præsumendum est iustè impositum esse, cùm in huiusmodi dubio præsumendum sit in fauorem Principis possidentis facultatem præcipiendi: si tamen tales rationes probabiles subditus haberet, non teneretur in conscientia soluere, Vide Dianam 4. *par.tr.3.resol.39.* Hinc Syluester *ver. Gabella quæst.3. & 14. Sà eodem verb. num 6.* Caietanum *verb. vectigal not.4.* admonent, cùm tot conditiones ad iustitiam vectigalis aut tributi nouiter impositi, vel aucti requirantur, non facilè in conscientiæ foro ad faciendam restitutionem condemnandos esse defraudantes, nisi satis constet de exactionis iustitia, ac necessitate. Accidere enim potest, vt existente publico dubio de iustitia impositi tributi, aut vectigalis, Officiales licitè exigant; illi autem, à quibus exactio fit, si sine mendacio possint, licitè subterfugiant: v.g. si in vulgo sit probabilis, non certa suspicio, exactionem esse iniquam & rediligenter examinata, non possit agnosci probabilis causa pro Principe, ob quam nouum, vel auctius tributum exigat; tunc enim subditi negare possunt, cum potior hic sit eorum, præsertim bona sua adhuc possidentium, conditio. Officiales autem, si præceptum exigendi commodè declinare non possint, iustè exigunt: quia quamdiu non adest moralis certitudo de iniustitia causæ, præsumere possunt, quòd Princeps ita præcipiens causam iustam habeat ipsis incogitam … .

7. *Gabella*, vectigal seu tributum non debentur, quando cessauit causa, propter quam imposita fuerunt, quia in hoc euentu iniustè exiguntur: quando verò causa cessauit solùm per accidens, & princeps facit quod in se est, remanet obligatio soluendi, nam iustè tunc exigitur: *Princeps* verò non præstans id, ad quod tributum accepit, tenetur ad restitutionem, quia non accepit tributum pro se, sed pro tali causa. *Molina cit. disputat.667. Vasques cit. §.3. disput.4. & 5. Suares de cens. disp.4.cap.5.*

8. Emptor non tenetur ad soluenda vectigalia pro mercibus emptis à venditore, quem nouit fraudasse debitum vectigal: etiamsi illud soluendum sit ex quota, id est, aliqua portione & parte determinata mercium; quia onus soluendi vectigal pertinet ad eum, qui res aduehit & vendit, modò emptor non sit cooperatus venditori ad defraudandam gabellam; officiales tamen possunt facere executionem in illis mercibus, pro quibus non est solutum vectigal, quamuis merces ad alios peruenerint; quia illæ merces contraxerunt obligationem hypothecæ, cum qua transeunt ad emptorem, executio autem fieri potest in re quæ sibi fuit hypothecata. *Molina cit. disputat.675. Eman. Sà cit. num.9. Bonacina cit. num.10. Lessius c.dub.9.*

9. Creditor Principis potest sibi fraudatione vectigalium … compensationem facere, quando non potest solutionem sibi debitam à Principe obtinere; & hoc verum, etiamsi alteri elocatum sit vectigal; quia conductor non habet maius ius, quàm habet principalis: idem vsu venit in censibus, decimis, & similibus iuribus elocatis alteri; modò Dominus principalis non transferat totum ius seu dominium vectigalis, seu census in conductorem, tunc enim si prior Dominus mihi ex causa aliqua fieret debitor, post illam alienationem non liceret vti compensatione. *Syluester verb. gabella 3. quæst.9. P. Nauarr. lib.3. capit.1. numer.246. Molina cit. disputat.674. numer.10. Vasques cit.§.3. dub.3. num.37. Diana tract.2. misc. resolut.16. part.2. Mald.2.2.tr.5.cap.9.disp.16.*

10. Omnes *clerici* sacrorum ordinum, & beneficiarij, religiosi & religiosæ, immunes sunt ab obligatione gabellarum, vectigalium, tributorum & aliorum onerum: quia … hi omnes vel firmiter ecclesiastico statui sunt addicti, vel actu ecclesiæ deseruiunt: *Clerici* verò Minorum Ordinum & primæ tonsuræ, secundùm Canones, si non sint coniugati, liberi etiam sunt à tributis: longa tamen consuetudine contra-

contraria, hi qui nec beneficium habent, nec vlli ecclesiæ deseruiunt videntur hanc exemptionem amisisse, etiamsi coniugati non sint, quia iam à multo tempore vectigal & gabellas soluunt sicut laici. *Coniugati* autem clerici non sunt exempti à vectigalibus, neque iure Canonico, neque consuetudine. *Rodriques 2. part. capit. 73. numer. 11. Caiet. Quamquam de censib. in 6. Couarr. capit. 31. pract. num. 5. & 9. Quarantæ verb. vectigal. Vide Dianam part. 1. tract. 2. resolut. 36. 37.*

11. *Clericus* exercẽs negotiationẽ, ex rebus quas negotiationis, gratia aduehit, tenetur soluere gabellam: *si verò* vendat vinum, oleum & alia quę percipit ex bonis proprijs, non tenetur soluere: quia non dicitur negotiari, vendẽdo res collectas ex proprijs bonis, tamen ecclesiasticis quã patrimonialibus: negotiari enim dicitur, qui rem emit, vt eam cariùs vendat, ad lucrum comparandum: quando exactori vectigalium non constat, an quæ clericus aduehit, aduehat negotiationis causa, aut ad propriam sui vel familiæ sustentationem, standum est iuramento clerici, & ipsius nunciorum, nisi aliud suadeant circumstantiæ. *Toletus lib 5. cap. 73. Bonacina de rest. disputat. 2. quæst. 9. part. 2. numer. 2. Molina cit. disputat. 672. numer. 1. Lessius lib. 2. caput. 33. numer. 23. Diana cit. resol. 46.*

Iuramentum autem hoc præstandum est coram iudice, apud quem iuridicè probandum est, an sit verum, id, quod iuramento affirmatur: cum verò iudex Ecclesiasticus, respectu personarum Ecclesiasticarum, sit legitimus huius rei iudex, ratione exemptionis suæ, apud illum faciendum est hoc iuramentum, non apud iudicem sæcularem.

12. *Bona patrimonialia* & alia sæculatia quæ ad ecclesiasticos, vel ad ecclesias, aut ad monasteria aduenium, sunt immunia à nouis tributis imponendis: *tamen* si antequam ad illos venirent, onus aliquod certum & inuariabile annexum habebant, puta, censum aliquem, vel seruitutem Principi debitam, vel onus reparandæ viæ publicæ adiacentis; hoc etiam ab ecclesiastica persona præstandum est, quia res quæque cum onere suo transit. *Syluester v. Immunitas 1. num. 9. Diana cit. ref. 39.*

13. Ad gabellam quæ imponitur communitati pro reparatione pontium, viarum, murorum Vrbis, & similium, non tenentur clerici; nisi fortè illa gabella imponeretur æquè principaliter omnibus clericis scilicet & laicis, eò quod principaliter agatur de vtilitate clericorum: in hoc tamen casu Princeps sæcularis non potest per seipsum compellere clericos ad hanc gabellam, nisi accedat auctoritas superioris ecclesiastici; tunc enim non exigitur gabella authoritate laica, sed ecclesiastica. *Rodriques 2. part. capit. 75. num. 13. & 14. Layman lib. 4. tract. 9. capit. 6. num. 6. Diana cit. resolut. 38. Molina cit. disput. 673. Lessius c. num. 25.*

14. Contra imponentes, vel exigentes gabellas, vectigalia, vel alia tributa clericis, aliisque personis ecclesiastici vel ex eorum bonis, lata est censura excommunicationis non solùm reseruata in bulla cœnæ, sed etiam in *Cap. Quamquam, de censibus in 6.* de qua excommunicatione, legendi sunt *Suares de cens. disput. 21. sect 2. num. 99. Vgolin cap. 18. §. 3. part. 2. Molina disp. 670. Toletus lib. 1. cap. 29.*

GVLA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit gula? & dupliciter accipitur.*
2. *An gula regulariter sit peccatum veniale? & huius vitij duæ sunt species, crapula scilicet, & ebrietas.*
   Et an comedentes, vel bibentes absque necessitate, ob solam voluptatem captandam, peccent venialiter.
3. *In quibus casibus gula fiat peccatum mortale?*
4. *An sit peccatum mortale extra necessitatem vesci carne humana, & an in extrema necessitate hoc sit licitum?* refertur duplex sententia. *Et an hoc liceat timore mortis.*
   An peccatum sit, res non destinatas ad communem vsum, vel carnes crudas.
5. *Quid sit ebrietas? & vt dupliciter accipitur.*
6. *Quando ebrietas sit peccatum mortale, quando veniale?*
7. *An peccata commissa in ebrietate imputentur ad culpam mortalem vel venialem?*
8. *Gula est vitium capitale, vnde nascuntur quinque filiæ.*

1. GVla dupliciter accipitur. *Primò* generaliùs, vt etiam comprehendat inordinationem, quæ contingit in potu, & sic diuiditur in *comessationem*, & *ebrietatem* tamquam in species. *Secundò* strictè, vt opponitur virtuti abstinentiæ strictè acceptę, & sic gula est vitium in appetitione & vsu delectationis cibi & potus, debitum modum excedẽs; hoc autem fieri potest quinque modis, vt ait *D. Thom. 2. 2. quæst. 148. art. 1. & 4. Sylu. ibid. Lessius libr. 4. c. 3. dub. 1. ex D. Greg. l. 30. mor. cap 27.* qui hoc versiculo continentur.

Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Præpropere edit quis, quando tempore ieiunij ante horam comedendi fit comestio. *Lautè*, quando perquisitione ciborum læditur modestia, quærens tanta solicitudine & cura, quòd in illis fœlicitatem esse sitam ostendatur. *Nimis*, quando ex nimio cibo & potu damnum aduenit saluti. *Ardenter*, quando ex modo comedendi læditur modestia. *Studiosè*, quærens cibos nimis accuratè præparatos.

2. Gula regulariter est peccatum veniale, etiamsi absque vtilitate, vsque ad vomitum etiam intentum sese quis cibo & potu ingurgitet: liceret autem de consilio medicorum, ob vtilitatem sumere ad vomendum ampliùs quàm par est: vnde huius vitij duæ sunt species, *altera*, quæ dicitur crapula in cibo immoderato, *altera* ebrietas, quæ in potu consistit superfluo. *Nauarr. in man. cap. 23. num. 119. Diana part. 3. tract. 13. resol. 40. Caiet. in summa v. gula. Sylu. c. ar. 2. Fernandes part. 4. c. 2. §. 6. numer. 2.*

Sed petes, an comedentes, vel bibentes absque necessitate ob solam voluptatem captandam, peccent venialiter? Respondet ad hoc dubium *Sanctus in selectis disput. 2. num. 14.* quòd nempe deficiente nocumento corporis, & salutis, comedere vel bibere absque necessitate solùm ob delectationem capiendam, scilicet ob frigiditatem potus, vel suauitatem cibi, neutiquam contra rationem erit, sed talis comestio, aut potio liberè fit, vt appetitus naturalis suis fruatur actibus. At velle appetitum delectari suis operationibus, quæ contra rationem non sunt, nullatenus peccatum est, cùm scelus reperire sit impossibile, nisi contra rationem tendat operans. Dicas quęso, quare contra rationem operatur edens, aut bibens absque fame, dum aliàs esus, aut potus nocumentum saluti non inferunt? Nam si ob solam cibi delectationem gula committeretur, deficiente etiam corporis nocumento, peccatum etiam esset odorari res aromaticas ob solam delectationem capiendam boni odoris. Et esset scelus, res pulchras inspicere ob solam delectationem, quam visus in visione capit. Et esset crimen audire musicam ob capiendam auditus delectationem. Quis autem damnet hæc? Igitur nec gustus sensum, ex eo quòd appetat cibum ob solam eius delectationem, damnare erit fas, & cur peioris erit conditionis quàm alij? Hæc ille. Contra hanc doctrinam exurgit *Pasqualigus in praxi ieunij Ecclesiastici decis. 16.* qui in praxi vix putat posse separari nocumentum vel graue, vel saltem leue à potatione, vel comestione absque necessitate ob solam delectationem. Quia si cibus non est necessarius saltem ad optimè nutriendum corpus, est superfluus in ordine ad nutritionem, & ideo aggrauat naturam, quæ solùm exigit congruentem alimentationẽ, & hac de causa infert aliquod saltem leue nocumentum. Deinde falsum est, quod comedere & bibere ob solam voluptatẽ; ita vt non ordinetur cibus & potus ad alimentationem, non sit contra rationem. Nam potus & cibus debent moderari per virtutem tẽperantię, ita vt nisi sint secundùm ipsius mensuram, inordinatè se habeant, atque adeo sint contra rationem. Præterea vel quando sumitur cibus & potus ob solam delectationem est congruens alimentationi; & tunc est in ordine ad ipsam, atque adeo non est ob solam voluptatem, sed etiam ob finem alimentationis. Vel est superfluus, & tunc non seruatur ordo in ipso debitus, neque attenditur finis ipsius, sed consurgit finis oppositus, nempe oppressio naturæ, & ideo est aliquid inordinatum, & proinde cõtra rationem. Denique cibus & potus non est propter solam delectationem gustus: sed mediante ipsa propter sustentationem: vnde delectatio est finis subordinatus sustentationi, quod non contingit in auditu, visu & olfactu, quorũ delectationes immediatè sunt ad recreãdum animum. Sistere autem in fine subordinato, & non ordinare ipsum ad subordinantem, est contra rationem, quæ exigit, quòd finis ex natura sua inter medius ordinetur ad vltimum. Hæc sententia probabilior est tenenda.

3. Gula mortale peccatum est, si quis in illa delectatione, vltimum finem constituat, & fieri potest tripliciter. *Primò* expresse,

preſſe,vt cum quis expreſse ſeu in actu ſignato, illam voluptatem ſummum eſſe bonum iudicat. *Secũdo* implicitè,cũ quidẽ expreſſe non iudicat,tamen erga illam ſic afficitur, vt paratus ſit propter illam omnia humana,& diuina iura violare. *Tertio* interpretatiuę, vt cum quis affectu gulę,paratus eſt non quidẽ quoduis,ſed aliquod peccatum mortiferum admittere, puta, ſi quis ob id furatur,contractus facit iniquos, ſi non ſoluat creditoribus,vt oppiparè victitet,ſi violet ieiunia eccleſiæ, veſcendo carnibus,vel ſæpius comedendo,ſi ex gula corpori aliquod notabile damnum inferatur, ſi graue ſcandalum inde oriatur : ſi probaliter timeatur aliquod peccatum mortale, ex quantitate vel qualitate cibi ſumpti committendum. *Tolet. de ſeptem peccatis mort.cap.60. Leſſius c.n.6.& 7. Syl.n.2.q.148.art.2. Nauar. c.nu.120. Fernandes c.§.6.n.5.*

4. Extra grauiſſimam neceſſitatem,veſci carne humana eſt peccatum mortale *Valentia tom.3.diſp.9.q.3.punct.1. Leſſius c.n.10.* quia alimentum debet eſſe ignobilius alito ſecundùm rectum ordinem,vt ex inferiore gradu ad ſuperiorem eueharur in extrema autem neceſſitatem quidam Doctores id fieri poſſe affirmãt alij negant,vtrumque probabile eſt affirmans tamen ſententia videtur verior,quæ eſt *Nauar. o. n.122. Tolet.c. Dian.p.3.tr.6.miſc.reſol.48. Fernan.c.n.5.*& aliorũ:quia caro mortua eſt res inferior,& licitum eſt eam exponere feris, & auibus dilaniandam,quando viui ob crimina ſunt commeriti, cur eo caſu non poſſit homo ex ea ſumere, extrema vrgente fame:tamen non licebit eo fine hominem occidere,quia homo non eſt factus à Deo, vt inſeruiat pro cibo alterius hominis, non enim de ipſo eſt dictum à Deo ſicut de cęteris animantibus Geneſ.9. *Omne quod mouetur,& viuit, erit vobis in eſcam, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia,excepto, quod carnem cum ſanguine nõ comedetis.* Imo in præceptis ſecundæ tabulæ eſt prohibitum occidere hominem. Vnde tam iure diuino quam naturali prohibitum eſt, & proinde numquam ſtante quacumque neceſſitate eſt licitum,occidere hominem in ordine ad eſcam.

An autem timore mortis liceat carnes humanas appoſitas comedere affirmat Doctores,citati: quia ſi licet comedere in extrema neceſſitate ad conſeruandam vitam, licebit etiam ad eamdem conſeruandam,quando periculum extrinſecus aduenit,quia parũ refert,quòd metus ſit ab intrinſeco,vel ab extrinſeco. Probabile tamen eſt in hoc caſu non licere,ſed potius mortem ſubeundam eſſe: quia non licet vt medijs ad conſeruandam vitam,quæ à natura non ſunt conceſſa in hunc finem: Cibus autem carniũ humanarum non eſt medium ordinatũ,neque conceſſum à natura ad ſubſtentandam vitam,& ideo numquam licet ipſum adhibere ad hunc finem. Ita *Victoria Relect. de Temperantiam num.6.*

Sed petes quale peccatum ſit comedere res non deſtinatas ad communem vſum? Reſpondeo quòd eas comendens,peccat contra charitatem erga ſeipſum graviter,vel leuiter, prout graue,vel leue eſt damnum quod inferunt: Ex obiectũ autem, præciſo quocumque damno ob inordinationem, quam habet in ſeipſo eſt peccatum veniale: quia in hoc caſu interuenit tãtum inordinata quędam obſequentia appetitus, quę non dicit grauem de ordinationem, maximè quando adeſt concupiſcentia horum ciborum,quę ſolet excitari ex aliqua infirmitate *Azor p.1.l.7.cap.22.queſt.4. Caietan.2.2.queſt.148.a.2.circa finem.* Si tamen ceſſet concupiſcentia harum rerum, & conſequenter non fiat mutatio in materia, nec interueniat rationabilis cauſa, poſſet eſſet peccatum mortale comedere de his rebus in notabili quantitate propter iniuriam grauem proprię perſonę, contra ordinem præſcriptum à natura, factam.

Comedere autem carnes crudas, beluinum eſt opus, & ij, apud quos hoc eſt in vſu, ſunt homines barbari, & efferi, & in quibus dignitas humanę naturę ſepulta eſt : Et peccatum mortale eſt, quando inde prouenit notabile damnum quia contrariatur charitati, qua ſub mortali tenemur conſeruare propriam vitam. Nullum tamen eſſet peccatum illas comedere ex rationabili cauſa, puta ſi non adeſſet commoditas coquendi, aut quia complexio aliquid tale exigeret, aut medicinę cauſa, aut ex aliquo alio capite : quia tunc comeſtio fit conformis regulis rationis, & veſtitur illa rationabili cauſa. Ita *Paſqualigus in praxi summ. Eccleſ.verb.15.*

5. Ebrietas dupliciter accipitur. *Primò* pro defectu vſus rationis nimio potu inducto, & ſic non eſt peccatum propriè, ſed peccati effectus, *Secundo*, pro ipſa potatione, quę hunc defectum efficit,ſic eſt peccatum & poteſt,hoc modo definiri. Ebrietas *eſt exceſſus in potando cauſa voluptatis, vſque ad violentia vſus rationis priuationem.* vbi *notandum*, ſi cauſa medicinę ex præſcripto medicorum priuetur quis vſu rationis non eſſet ebrietas : *dupliciter* autem vſus rationis aufertur, *modo naturali*, ſcilicet, & *violento naturali*, per ſomnum violento aufertur quando tanta vaporum copia cerebrum implet,vt etiã in vigilia ratione vti non poſſit. *D.Thom.2.queſt.150.a.1. Caiet. v.Ebrietas Sylueſtr. v. ſeruum queſt.3. Leſſius c.n.13. Sylueſt. 2.2.q.150.a.1.*

6. Ebrietas voluntaria,eſt peccatum mortale,quando quis, ſcilicet ebrietatem intendit directè, vel indirectè tantum bibendo quantum poteſt,non curans, an ſequatur ebrietas, an non, vel quando quis aduertit ſe inebriandum ſi pergat potare,nihilominus non deſiſtit vnde peccat etiam mortaliter, qui ſcienter procurat alium inebriari, quia notabiliter vult nocere alteri: ſecus dicendũ,ſi id fecit ignorantia qualitatis potus, vel inaduertentia nimietatis eius, quia tunc aut nihil aut ſolũ venialiter peccaret. *D.Thom. citat. articul.2. Toletus citat. cap. 61. Leſſius. citat. numer.15. Nauarra citat.numer.121. Sylueſt. 2.2.queſtion.150. articul.2. Fernandes citat. §.6. numer. Sexto.*

7. *Peccata* commiſſa in ebrietate imputantur ad culpam, quando ebrietas eſt voluntaria ſeu culpabilis, & malum prævideri poterat: *& quidem* ſi ſolum venialiter quis peccauit ſe inebriandò, malum inde ſecutum ſolum erit veniale : *ſi verò* mortaliter,mortale,quia illud malum non eſt in ſeipſo voluntarium ſeu liberum, cum ab eo patretur, qui iam vſu rationis caret, ſed ſolum eſt voluntarium in cauſa: fieri tamen poteſt, vt ebrietas ſit mortifera, & malum ex ea ſecutum, etiam per ſe grauiſſimum,non imputetur ad culpam,vel ſaltem non niſi ad venialem: ad nullam culpam, ſi malum nulla ratione prævideri poterat,ad venialem autem imputabitur, ſi aliquo modo prævideri poterat, & per venialem negligentiam maior conſideratio fuit prætermiſſa. Ita *D. Thom. citat. quæſt. 150.art.4. Sylueſter vbi Caiet.vbi D.Bonau.in 2.diſt.22.ar.2.queſt. 3. Tolet cit.capit.61. Leſſius cit.num.25.& ſequent. Vide Dianam part.3.tr.6.miſcel.reſolut.52. Tanne 1.2.diſput.4.queſt.3.dub.3. num.65.*

Hinc ſecundum *Vaſquez 1.2.tom.1.diſput.127. cap.3. num. 11. Sanchez in ſelect.diſput.20.n.5.* contumelie in ebrietate dicendæ voluntas non eſt peccatum contra iuſtitiam,ſed odij in proximum. Cum contumelia peccatum iniuſtitiæ non ſit, nec in dedecus in contumelia affecti cedat, niſi à rationis compote dicatur. Proinde multa dicta, vel facta ebriorum non reputantur peccata,quæ alioquin eſſent,id quodverũ eſt etiamſi prævideantur, quia in hominum æſtimatione non cenſentur iniuriosa, quæ alias in ſana mente iniurioſa eſſent damnum tamen proximi cauere debemus in ebrietate, alioquin imputabimur.

Sed dubium eſt,an peccatum blaſphemiæ, infidelitatis, & periurij commiſſum in ebritate imputetur ad culpam? Negant *Vaſquez,& Sanchez* citati, quia vt imputetur poſtulat ſcienter fieri,& huic ſententiæ ſubſcribunt. *Salas, Sayrus, Tannerus* citati a *Diana*. Ex quorum ſententia ſequitur, quod dum aliquis ſe inebriato animo iactandi contumelias, blaſphemias aut iuramenta falſa tẽpore ebrietatis, ſi in eo ea iactet,non tenetur confiteri ſe illa iactaſſe, ſed ſatis erit explicare ſe inebriaſſe animo illo : nam illa dicere tempore ebrietatis, peccata non ſunt, ſed ad ſummum erunt effectus peccati, quos fateri non tenetur. Hæc opinio non eſt improbabilis: quamuis verior& communior contrarium aſſerat,nempe dicta peccata,licet in ſe non ſint voluntaria,nec ſcienter facta: attamen in cauſa ſunt voluntaria,cum ſint præviſa,vel debuerint prævideri,Ita *Sanchez l.1.mor.cap.16.num.44. Medina. 1.2.queſtion. 71. articul. 5. concluſion. 4. Caietan. 2. 2. queſtion. 150. articul.4.dub.2. Tolet.lib.7.de peccat.capit.61.num.5.*

8. *Gula* dicitur vitium capitale,quia,*quinque filia*, ex eo naſcuntur puta,*Hebetudo mentis*, *Immoderata lætitia*, *multiloquium*,*Scurrilitas*,*& Spurcitia*,Per *hebetudinem mentis* peccat mortaliter,qui ſe terrenis miſcens,& à cœleſtibus auocãs, conſcientiam ſuam non diſcutit, quando, & quomodo præcepto tenetur : per *immoderatam lætitiam* peccat mortiferè, qui obſcœnis cantilenis, verbis, aut geſtibus vtitur, Intendens inducere, vel credens, aut credere debens, ſe vel alium per eam inductum iri,in conſenſu alicuius actus,

mortalis cordis,oris,vel operis per multiloquium peccat quis mort.quando illo vtitur in irreuerentiam Dei notabilem, aut adeò eo delectatur, vt paratus sit id præferre implemento alicuius præcepti.Porrò peccat per *scurrilitatem*, vel *spurcitiam*, qui vestes valde impudicas gestat,aut aliàs intentione expressa,vel tacita prouocandi ad luxuriam,vel alium finem mortalem.Plura de his apud *Nauar.c.n.* 123. *Angelum v. Hebetudo Dmus Antonin.2.par.tit.6.cap.*4. §.1. *& sequent. Caietan.* 2. 2. *quæst.*148.*art.*6.*Tolet.citat.cap.*62.*Sylu.* 2.2.*quæst.*148. *artic.* 5. *& 6.*

H.

HÆRES. HÆREDITAS.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo hæreditas adeatur?.*
2. *Hæres alius est necessarius,alius non.*
3. *An hæres teneatur ad realia debita testatoris postquam hæreditatem adiuit.*
4. *Tres menses a iure conceduntur ad deliberandum, num velit hæreditatem adire.*
5. *An hæres teneatur in foro conscientiæ soluere legata, vel debita defuncti,si inuentarium non fecit, & debita excedant vires hæreditatis:*refertur duplex sententia 6.
6. *An hæres ab intestato teneatur restituere hæreditatem,& soluere legata eis,quibus testamento minus solemni debentur si sciat voluntatem defuncti:*
7. *An in iis qui pertinent ad pias causas teneatur hæres in conscientia adimplere voluntatem testatoris?*
8. *An hæredes necessarij possint aliquid sibi retinere v.g. legitimam,quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis à defuncto relictis.*
9. *Quinam possint institui hæredes:*
10. *Qui hæredes vel legatarij institui iure non possint.*
An nouitij cuiuscumque Ordinis Minorum possint hæredes institui,& succedere ab intestato.
An Fratres minores iure codicilli possint institui?
An hæredes ab intestato teneantur soluere Fratribus minoribus in foro conscientiæ æstimationem hæreditatis illi relictæ.
11. *An filius spurius non legitimatus possit institui hæres à patre?*
12. *An filius naturalis possit institui hæres à parentibus non habentibus prolem legitimam?& an succedat matri?*
13. *Hæres seu testamentarius tenetur quam primum soluere legata.*

1. VT quis fiat hæreditatis Dominus, siue per testamentum:siue ab intestato,non requiritur aliud, quam vt hæreditas adeatur:aditur autem hæreditas, dum acceptatur verbo vel facto. *L. Cum hæredes ff. de acquirenda possessione.*

2. *Hæres* alius est necessarius alius non. *Necessarius* dicitur, qui non potest priuari in totum hæreditate, qualis est filius, vxor,parens,&c. *Hæres nõ necessarius* dicitur,qui licet succedat in hæreditate ab intestato,nihilominus priuari potest, vt frater,cognatus,&c. *Ab intestato* succedunt filij,parentes,fratres, & sorores, & ita vt deficientibus descendentibus, succedant parentes deficientibus verò parentibus immediatis, succedunt aui; deficientibus anis,aut alijs ascendentibus, succedunt fratres,& eorum filij:denique deficientibus, ascendentibus, descentibus,fratribus,& eorum filijs succedunt propinquiores, per capita,vsque ad decimum gradum inclusiue. *Molina de contract. disput.*164.*Bonacina de contract.d.* 3. *quæstion. vlt.p.* 3. *num.*14.

3. Hæres tenetur ad realia debita testatoris persoluenda, postquam hæreditatem adiuit,quia sicut succedit in iura realia, non verò in personalia,quæ cum persona extinguuntur, ita etiam succedit in onera realia cum hæres personam defuncti repræsentet. *L. Hæres in omne ff. de acquirenda hæreditate.*

4. Hæredi conceduntur à iure tres menses, à die, qua nouit se institutum hæredem ad libetandum num velit hæreditatem adire intra quod tempus si hæreditatem non adierit ad nihil tenetur *L. vltim.C.de iure deliberandi* etiam inuentarium non coniecerit,nec ei potest intra dictum tempus molestia inferri à creditoribus,vel legatarijs *Emman.Sa v. heredit. n.* 34.*Reginald.l.*25.*n.*627.

5. Multi Doctores existimant hæredem, qui non confecit inuentarium non teneri in foro conscientiæ soluere legata,vel debita defuncti,si debita sua legata excedant vires hæreditatis *Sanches in summ.l.*4.*cap.*15.*num.*37.*Clauis reg. lib.* 3.*cap.* 7. *n.* 9.*P.Nauar l.*3.*cap.*4.2 *p. dub.*9.*nu.*137.*Diana tract.*5.*misc. resol.*56.*par.* 3.quia lex quæ innititur præsumptioni fraudis, qualis est lex *Fmalis,C.de iure deliberandi* cessante fraude non obligat:imò secundum hanc sententiam, nec tenebitur ad integram restitutionem post iudicis sententiam: quia sententia iudicis nititur præsumptione fraudis, sicut lex illa finalis quæ fraude non subsistente,non obligat.Quidam tamen vt *Molina distinct.*217.*Couar.de testam.cap.*1.*nu.*16. affirmant teneri. Sed tu primam sententiam tene.

6. *Hæres ab intestato*,si sciat voluntatem defuncti, tenetur restituere hæreditatem,& soluere legata eis, quibus testamento minus solemni debentur,& si dubius sit de voluntate testatoris, debet cum illis componere pro ratione dubij, & in casu quo hæres ab intestato retineret hæreditatem, & legata, possunt illi,quibus aliquid per tale testamentum erat relictum, vti occulta compensatione,nam reuera res illæ erant ipsorum, cum iuxta communem sententiam Doctorum vtriusque iuris & multorum Teologorum,oriatur obligatio naturalis ex testamento minus solemni. Ita *Lessius libr.* 2.*capit.*19.*dub.*3.*numer.* 21. *& sequent. Molina tractat.*2.*disputation.*81.*Syluestr. verb. hæreditas* 3. *quæst.* 7. *Reginaldus libr. vigesimum quintum num.*105.

Contraria tamen sententia à multis reputatur probabilis, & tuta in praxi videlicet à *Maldero,Salas,Becano,Vasques, Bonacina*,& alij apud Diana *tr.*8.*res.*75.*p.*1.putat enim hi, contractum nullam iure humano in foro exteriori,esse etiam nullum in foro conscientiæ.

7. Hæres in iis, quæ pertinent ad pias causas, tenetur in conscientia adimplere voluntatem testatoris, quam ipse testator expressit in cedula scripta,vel subscripta propria manu: in iis enim quæ pertinent ad pias causa,non est necessaria solemnitas iuris ciuilis, sed in foro conscientiæ sufficit nosse voluntatem testatoris *Eman. Sa v. legatum Couarr. in C. cum esses, de testamen.num.*12.

8. Quando hæreditas non est sufficiens ad satisfaciendum omnibus legatis a defuncto relictis, hæredes necessarij, quibus hæreditas debetur ab intestato, possunt aliquid sibi retinere,nimirum suam legitimam,cum ea priuari nequeant. *Authen. Nouissima C.de sacrosancto testamen. Authent.sed cum testam. C. ad legem Falcidiam.portio* autem legitima,est tertia pars bonorum defuncti,quando hæredes non sunt plures,quam quatuor: *quando* verò sunt plures quam quatuor, est dimidium bonorum, quod diuidendum est æqualiter inter hæredes: *Non necessarij* autem hæredes,quibus legitima portio non debetur possunt ad ratam, à singulis detrahere quartam partem bonorum defuncti,quæ Falcidia nuncupatur nisi testator expresse prohibuerit detractionem falcidiæ. *Bonac. de testam. d.*2.*quæst.p. vlt.num.*30.

9. *Omnes*,non solum priuati, verùm etiam communitates, possũt institui hæredes,& legatariæ,modò sint capaces hæreditatis,à iure nõ impediãtur,quia vt aliquis instituatur, nihil aliud requiri videtur,quã vt adsit plena potestas in disponẽte forma præscripta à iure, & capacitas in hærede: *L.* 1.*C. de sacrosanct. Ecclesijs vnde* Ciuitas,Ecclesia,Collegium,&c.possunt institui quia non habẽt incapacitatem hæreditatis,nec à iure impediũtur *L.Omnibus ff.ad S.C.Trebellianum Ciuitates* autem hostiũ non possunt institui hæredes, quia impediuntur à iure ciuili communitas infidelium *Mol.disp.*154. An autem religiosus ad Episcopatum traslatus sit capax hæreditariæ successionis. Dicendum est quodsic;quamuis fuerit Ordinis Mendicantium:ita tamen,vt bonorum sola administratio ipsi acquiratur, dominium verò Ecclesiæ cui præest:vide Siluestrum *verb.religio* 4.*q.* 10.Lessium *lib.* 2.*capit.* 40. *num.*113.*&* infra verb.*Religio* 1.*numer.*8.

10 Inter eos,qui *hæredes* vel *legatarij* institui.*Cap. Excommunicamus. primo.§. Credentes de hæreticorum* iure non possunt, numerantur, hæretici & Apostatæ, eorumque cre-

credentes, receptores, defensores, & fautores, si intra annum non pœnituerint; hinc hęredes catholici possunt tales hęredes excludere, & si impediantur, vti aduersus eos occulat compensatione, quia ius non habent *Cap. Felicis, de pœnis in 6.* Qui persequuntur Cardinales, eaſque percutiunt vel capiunt, *L. is cui ff. qui testamen. Syluestr. verb. hæreditas 3. quæst. 2.* & quicumque sunt intestabiles, actiuę propter delictum, id est, qui non possunt testari ob aliquod crimen sunt etiam intestabiles passiuę, idest, non possunt instituí hęredes, vel legatarij, vel capere ex testamento, quia prohibetur à iure persona tamen intestabilis non ob delictum, sed ob defectum aliquem, qui nō est crimen, potest capere ex testamento, vt pupillus, & mutus, hi enim sunt capaces. *Denique* Fratres Minores *Clement. Exiui de verborum signification. §. quia igitur* . iure sunt incapaces hęreditatis, & legatorum possunt tamen aliqui reditus relinqui pro fabrica oleo, vino, cera, ornamentis altaris, & Ecclesię, quia hoc non relinquitur Fratribus, sed Ecclesiæ, quę pertinet ad Summum Pontificem : Cęterum, quamuis Fratres Minores non possint instituí hęredes, potest nihilominus in eorum fauorem, hæreditas seu legatum alicui relinqui, vt vendantur per alios, & fratribus pretium tradatur, per hoc enim fratres nullum ius acquirunt *Rodrig. 1. p. c. 131. numer. 3. Nauarr. de testamen. consil. 14. Sanchez libr. 7. moral. cap. 25. numer. 12.*

Notandum autem est nouitios cuiuscumque ordinis Minorum posse hæredes instituí, ac succedere in hęreditatem paternam ex testamento, & ab intestato: quia sola professione redduntur incapaces, quam nondum emiserunt. Sed dubium primū est, an Fratres Minores possint instituí, ita vt si non valeāt iure testamenti, valeat iure codicili, & meliori modo quo potest? Quidā dicunt valere institutionē, quia quando ob hęredis conditionem non tenet testamentum hęc clausula operatur fideicommissum, ac proinde vt hęredes ad quos peruenit hęreditas videantur rogati per fideicommissum restituere instituto. Ita *Rosella v. legare num. 23. Syluest. v. Testam. 1. num. 11.* At dicendū est eos esse incapaces huius institutionis, quod effectus huius clausulę sit vt conuertatur institutio in fideicommissum vniuersale, cum quo habet similitudinem, & non in fideicommissum particulare : at hi sunt incapaces fideicommissi vniuersalis, & fideicommissum particulare potest eis relinqui. Ita *Rodrig. tom. 2. q. reg. q. 79 artic. 3.*

Dubiū secundum, an hęredes ab intestato, aut substitutus, aut cohęres, ad quos peruenit dicta hęreditas relicta Fratribus Minoribus institutis, teneantur in foro conscientię estimationem eius soluere dictis Fratribus?

Respondeo nullatenus teneri hos ad soluendam illius hęreditatis estimationem Fratribus, sed posse tutissima conscientia eam retinere. Ratio est, tum quia forum externum nulli præsumptioni innitens, sed soli veræ incapacitati hæredis instituti ita iudicabit; ergo idem dicendum est in foro interno. Tum quia in *Clement. Exiui, de verb. significat.* redduntur fratres incapaces successionum, ergo nec capaces erunt æstimationis, quia vnus percipiendæ successionis modus est eius æstimationem recipere. Ita *Rodr. cit. art. 2.* contra Bartolum, & alios.

11. *Filius spurius* (idest, qui natus est ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & natiuitatis erat impedimentum dirimens,) non legitimatus, non potest instituí hæres à patre, nec illi potest aliquid relinqui præter alimenta: *L. Licet C. de naturalibus liberis alimenta* autem nomine veniunt ea, quę pertinent ad victum, vestitum, medicinas, habitationem, &c. iuxta qualitatem personæ, quod si pater illi aliquid in testamento præter alimenta relinquat, nihil per hoc iuris illi acquiritur, sed tenetur in conscientia restituere alijs hęredibus institutis, aut venientibus ab intestato: potest tamen pater nepotem, videlicet filium proprij filij spurij instituere hęredem modò eiusmodi pater non habeat ascendentes, vel sobolem legitimam : *filius* autem spurius, potest sibi retinere, quæ sibi à matre, vel ab alijs, præterquam à patre reliquuntur, cum derelictis à patre iura sermonem habeant, & in odijs non sit faciendo extensio. Vide infra *v. Testamentum num.* 10. Ita *Reginald. libr. 25. num. 626. Lessius libr. 2. cap. 19. distinction. 6. Henriquez libr. 1. de matrimon. capit. 21. numer. 1. Sa v. hereditas num* 16.

Sed ex dictis oritur dubium, an pater possit aliquem hæredem constituere, rogando illum, vt postea ipse restituat hęreditatem filio spurio.

Respondeo omissis varijs sententijs super hoc, vt videre est apud Bannes *in præamb. ad quæstion. 62. disput. 3. de iust. & iustit.* probabilius esse, hęredem institutum à patre, non præstita fide de reddenda hęreditate filio spurio, esse verum hęredem, & dominum illorum bonorum: neque in conscientia teneri reddere illa bona hęreditaria filio spurio; quamuis possit ea restituere spurio ex sua liberalitate, & spurius tunc poterit illa retinere: cum acceperit ea à vero domino nulla lege vetante. Si autem institutus hæres tacitè, vel expressè promisit testatori sed redditurum ea spurio adhuc potest sibi retinere secundùm probabiliorem sententiam, nec tenetur implere promissum quia promissio fuit nulla, vt pote contra legem, licet peccauerit moraliter promittendo, sicut, & testator ita disponendo: quia leges talem promissionem sub grauissima pœna vetant. Si tamē hæres ea bona tradat potest spurius ea retinere. De his plura apud *Lessius libr. 2. cap. 19. dub. 6. Bonacina de contract. disput. 3. qu. 17. punct. 3. num. 15.*

12. *Filius naturalis*, (idest, qui ortus est ex parentibus soluti non habentibus impedimentum dirimens, tempore conceptionis, vel natiuitatis filij) potest instituí hæres à parentibus non habentibus prolem legitimam, relicta tamen ascendentibus legitima *L. Licet Cod. de naturalibus si verò* filius naturalis non fuit institutus hæres à patre, non habente filios legitimos, non succedit patri ab intestato præterquam in sexta parte : *si verò* pater intestatus moriatur, relictis filijs legitimis, filius naturalis non succedit in sexta parte *Molina disputat. 166. Sa v. hereditas num. 1. & 7. Lessius citat. num. 72. Bonacina de testam. d. 3. q. vlt. p. 5.*

Porrò filius naturalis succedit matri, non habenti filios legitimos etiam intestatę, vt hæres ex asse; habenti autem legitimos succedit ex æquo cum illis. *L. Si qua illustris C. ad S. C. Orfitianum.*

13. *Hæres, seu testamentarius*, in foro conscientię tenetur statim, & qua primum poterit soluere legata; & quod si negligens fuerit per annum à die monitionis factæ per Episcopum circa soluēda legata, & alia ordinata per testatorem: poterit priuari hæreditate, si est hæres extraneus; & etiam filius, salua ei legitima per *Auth. hoc amplius*, & transit ad substitutus, vel alios per ordinem. Ita Ioannes Valerus *in differen. v. legatum. diff. 1. num. 1. & 3.*

Imò plurimi Doctores apud Sanches *in opusc. tom. 2. lib. 4. c. 1. dub. 3. num. 8.* docent executores testamentorum, & hæredes non excusari à peccato mortali quando differunt solutionem debitorum, & legatorum causa vendendi res defuncti maiori pretio, nisi differant vt rebus de functi melius venditis copiosiores dentur eleemosynæ, & augmentum eleemosinę est valde magnum tempus, autem tarditatis est valde breue, ita vt arbitrio boni viri melius sit tardare. Licet enim in foro externo executores habeant annum ad exequendum testamentum, hoc tamen non procedit in foro conscientiæ.

De Hærede, vide *Codicillus* n. 8. *Detractio* 2. num. 8. *Dubium.* n. 8. *Exheredatio Fiscus* n. 1. 2. 3. *Homicidium* 3. n. 9. 12. *Locator* 2. n. 1 *Substitutio. Præscriptio* n. 9. *Testamentum* n. 5. & seq. *Votum* 3. n. 17. *Vsura* 6. n. 8. 9.

HÆRESIS.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit hæresis.*
2. *Tria necessaria ad hæresim.*
   Et quis censendus sit ignorans errans hæreticus in materia fidei.
3. *An qui dubitat de rebus fidei hæreticus sit censendus? vel qui res fidei sola opinione credit.*
   An censendus sit hæreticus pertinax, qui admonitus ab Inquisitoribus, vel ab Episcopo, adhuc perseverat in errore contra fidem?
4. *An hæresim committat, qui ex ignorantia crassa, vel affectata errorem aliquem profert contra fidem;*
5. *Hæreticus alius est interims, alius externus. Et an hæreticus purè mentalis, incurrat excommunicationem?*
6. *Quando hæreticus incurrat excommunicationem bullæ Cœnæ*

7. *In quibus casibus hæresis exterius manifestata excommunicationem non inducat?.*
8. *Qui sint dicendi credentes, receptatores, fautores, & defensores hæreticorum.*
9. *An qui legit, aut retinet, aut imprimit, aut defendit libros hæreticorum tractantes de religione aut hæresim continentes incurrant excommunicationem bullæ Cœnæ? Et quid dicendum si hæresis de libro deleatur?*
An legens librum hæreticum latina lingua compositum, quam ipse non intelligit, incidat in excommunicationem bullæ.
Quid iuris de legentibus quaterniones, chartas aut epistolas hæresim continentes.
10. *An ad incurrendam excommunicationem bullæ requiratur vt aliquis per se legat, & quæ parvitas materiæ possit excusare ab hac excommunicatione.*
11. *Qui dicantur retinere libros hæreticos?*
12. *Qui censeantur imprimentes libros hæreticorum?*
13. *Qui dicantur defendentes libros hæreticorum?*
14. *Excommunicatio lata in regula decima Indicis librorum prohibitorum contra illos, qui libros hæreticorum aut alterius authoris damnati, atque prohibiti ob suspitionem hæresis aut falsi dogmatis legit aut retinet.*
15. *An legentes scholia seu additiones hæreticorum quæ commentur in libris Catholicorum sint excommunicati.*
16. *An libri Hæresiarcarum, & aliorum hæreticorum qui de religione non tractant, permittantur.*
Vbi bulla Cœnæ non est recepta, an legentes libros hæreticorum, incidant in excommunicationem.
An in Belgio vsus Bibliorum lingua vulgaris impressorum sicut & controuersiarum permittatur.
17. *Licentia libros prohibitos legendi reuocantur à* Gregorio XV. & Vrbano VIII.
An Archiepiscopi, Episcopi libros hæreticorum legere possint non obstantibus bulla Cœnæ, & alijs Pontificum decretis.
18. *Qui possint absoluere ab hæresi.*
19. *Pœna hæreticorum, quædam sunt Ecclesiasticæ, quædam ciuiles. Et de pœna hæreticis relapsi.*
An Princeps secularis manifeste in hæresim lapsus amittat dominia regnorum suorum, & ditionum.
20. *An hæreticus liberetur ab irregularitate, & inhabilitate ad officia, & beneficia, per absolutionem à censuris, & peccatis.*

1. HÆresis est *error intellectus voluntarius, cum pertinacia, contra aliquam fidei veritatem.* Dicitur *error*, hoc est assensus falsus, (*intellectus*) quia sicut actus fidei intellectu consummatur, sic etiam error fidei contrarius intellectu completur. (*Voluntarius* verò) quia si quis circa res fidei erret inuoluntariè, non admittit peccatum hæresis (cum pertinacia) nasciturautem pertinacia, & pendet ex electione voluntatis, cum certa scientia, quę in eo consistit, vt is qui errat sciat ecclesiam contrarium sentire, & hęc nõ significat certam aliquã temporis durationem & moram, nam vno momento temporis potest esse hæreticus, sed significat voluntatis electionem cum certa notitia eius quod credit, & sentit ecclesia dicitur *cõtra aliquam fidei veritatem*, quia error in alijs rebus, non est hæresis, vnde in multis potest, quis errare, qui tamen hæreticus non est. Ita *Diuus Thom.* 2. 2. *quæstion.* 11. *articul.* 2. *Sanches in summ. libr.* 2. *capit.* 7. *numer.* 1. *Syluius* 2. 2. *quæstion.* 11. *artic.* 1. *Azor. tom.* 1 *libr.* 8. *capit.* 9. *quæstion.* 1. *Filliucius tractat.* 22. *cap.* 6. *numer.* 152. *& sequent. Layman. libr.* 2. *tractat.* 1. *capit.* 13. *num.* 1. *Bonac. de censur. disputat.* 2. *q.* 5. *p.* 1. *num.* 1. *Vasq.* 1. 2. *disputat.* 126. *c* 3.

2. Vt quis hæreticus sit & dicatur tria necessaria sunt. *Primũ* vt subiectum sit capax criminis hæresis, quę est negatio fidei susceptę per baptismum *hinc* infidelis, catechumenus, fictè vel alias inualidè baptizatus pertinaciter errantes, non dicuntur hæretici, quia nondum subijciuntur potestati Ecclesię. *Secundum*, vt errorem habeat in intellectu circa fidem, & ex huius defectu qui consentit in aliquod opus externum infidelitatis, sine vllo errore intellectus, nõ est hæreticus. *Tertium*, vt sit pertinax in suo errore: vnde qui erat circa fidem ex ignoranta litterarum, si tamen verè sit paratus se corrigere, & assentiri fidei per Ecclesiam predicatę, non est propriè hæreticus. *Diuus Thom.* 2. 2. *quæstion.* 10. *& 11 Sayr. de censur. libr.* 3. *capitul.* 4. *numer.* 10. *& sequent. Nauar. caput* 11. *num.* 27. *Valentia* 22. *qu.* 11. *d.* 1. *p.* 1. *Diana. part.* 1. *tractat.* 5. *resolut.* 1. *Sylnius citat art.* 1.

Vnde paruuli hæreticorum, qui ab initio inani fide à parentibus fuere instructi, videntes insuper eam in sua Ecclesia publicari, & à maiori parte vicinorum recipi, excusantur à crimine hæresis, quia donec illis sufficienter sit proposita fides, eam recipere non tenentur, nam quamuis isti filij hæreticorum diligentia adhibendo, inquirendo, aut bene viuendo huius obligationis notitiam assequerẽtur, quia tamen nullum habuere motiuum ad eam notitiam inuestigandam, cùm dubium nõ conceperit, an eorum secta sit erronea, talis ignorantia inuincibilis iudicatur. Vt rectè docet *Sanches libr.* 2. *moral. c.* 1. *n.* 8. *Arrag.* 2. 2. *q.* 11. *ar.* 2. *dub. vlt. Sancius in selectis disp.* 19. *n.* 4.

Similiter hæreticus, non est qui in ebrietate profert hæreses, quia sine rationis vsu pronuntiantur imò se inebrians intentionem proferendi hæreses tempore ebrietatis, propriè non peccat peccato hæresis, sed aliud peccatum infidelitatis ex prana affectione ad fidem commit. *Sancius cap. disputation.* 20. *numer.* 5.

Ex dictis infertur multum inter se differre in materia fidei, Ignorantem, Errantem, & hæreticum. *Ignorans.* enim in materia fidei dicitur, qui ex mera ignorantia errori alicui assentitur, ita vt nullius rationis aut argumenti vi moueatur ad assentiendum, sed sola simplici sua apprehensione, vel auctoritate dicentis, aut consuetudine eorum inter quòs educatus est.

Errans propriè dicitur, qui alicui errori contra fidem adhęret rationibus quibusdam sibi apparentibus, & imaginatione quadam veritatis siue etiam pietatis allectus, paratus tamen corrigi, vbi ei veritas manifesteretur. Hæreticus autem dicendus est homo baptizatus, qui voluntariè, & cum pertinacia adhęret alicui errori fidei Catholicę ex parte contrario.

3. *Qui dubitat de fide*, non tamen voluntariè, non est hæreticus: quia talis non est pertinax suæ dubitationis defensor, cum paratus sit suum iudicium, Ecclesiæ iudicio subijcere. Dubitare, quis potest dupliciter.

Primò, si vexetur motibus dubitationis circa aliquos articulos, idque ex infirmitate naturæ, vel suggestione diaboli: hic autem circa suam dubitationem potest se habere, vel repugnãdo viriliter, & hoc est valde meritorium, vel negligentius resistendo, & tunc est peccatum veniale maius, vel minus pro qualitate negligẽtiæ, vel deliberatè permittendo in se tales dubitatione sine iusta causa, & hoc est peccatum mortale, quamuis, neque amittat fidem, neque fiat hæreticus, quia tantum interpretatiuè vult, non autem formaliter, seu directè.

Secundò potest quis inuoluntarie, dubitare, si ignoret hoc ab Ecclesia definitum, vel si non aduerterit ea quæ necessaria sunt, ad sufficientẽ fidei propositionem, & tunc peccare poterit negligendo ea discere, quæ scire, & credere tenetur, non tamen erit hæreticus, quia non censetur diuinæ authoritati notabilem irreuerentiam irrogare in qua ratio infidelitatis formaliter consistit *Sanch. libr.* 2. *moral. caput.* 7. *numer.* 13. *Layman lib.* 2. *tractat.* 1. *caput.* 13. *numer.* 2. *Sylu.* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 1.

Hæreticus est, qui positiuè, & voluntariè dubitat de aliquo fidei articulo, quem sciat ab Ecclesia definitum, vel alias sufficienter propositum, ita vt prudenter debeat illum fide diuina tenere, quia in *Cap. Dubius de hæreticis*, dubius in fide infidelis recensetur, ergo si profiteatur nomen Christi, erit hæreticus. Hanc sententiam tenent sexdecim Doctores apud Sanches, *lib.* 2. *moral. cap.* 7. quibus consentiunt ex modernis. *Sylnius* 2. 2 *quæstion.* 11. *art.* 1. *Cosinc de dotib. supernat. disput.* 18. *num.* 102 *Azor. tom.* 1. *l.* 8. *c.* 9. *q.* 5 *Valent.* 2. 2 *disp.* 1. *q.* 11. *p.* 1. *Laym. n.c. n.* 5.

Nihilominus etiam probabile est contrarium, nempe talem non esse hæreticum, quia qui suspendit iudicium, non videtur errare, cùm neutri parti assentiatur, atqui dubitat, suspẽdit iudicium ergo non errat, & consequenter non est hæreticus propriè, sed tantum fictione iuris, & quo ad forum externũ: si tamen talis dubitans in fide reflectat se supra suam cogitationem dubiam, & eliciat iudicium erroneum, circa res fidei ita vt de facto putet illas esse tantum probabiles, illisque

lisque posse subesse falsum, hæreticus est & infidelis: quia opinio est assensus incertus; fides autem assensus certus, & verus, licet obscurus: & huius sententię sunt. *Sàc. l. 2. mor. c. 7. n. 12. Can. de locis l. 12. c. 9. Sàv. Hæresis. n. 1. Tanner. 2. 2. disp. 1. q. 8. dub. 6. n. 109. Portel in addit. ad dub. reg. v. Hæresis numer. 4. Pureanus 2. 2. quæst. 11. artic. 2. disput. 2. Diana part. 2. tractat. 2. miscel. resol. 51.* Quorum sententia sanè debet intelligi, quando nimirum intellectus vtriusque partis rationibus perpensis, pendulus est, nullumque iudicium format; sed quia, moraliter loquendo, cum dubitatione intellectus circa res fidei, solet esse coniunctus actualis error, quo illas non omninò certas esse iudicat: ita hæresis communiter adest.

Sed dubium est, an censendus sit hæreticus pertinax, qui admonitus ab Inquisitoribus vel ab Episcopo adhuc perseuerat in errore contra fidem, ipsis non credens? Negant *Valentia tom. 3. disputat. 1. quæst. 11. punct. 1. difficult. 4. Sanchez lib. 2. moral. capit. 7. numer. 25. Sayr. de censur. lib. 3. capit. 4. numer. 17.* & alij. Ratio est, quia vt quis sit hæreticus pertinax, debet scire, se sentire contra Ecclesiam; si ergo sit promptus credere Ecclesiæ, licet sentiat contra Inquisitores & Episcopos, non erit hæreticus pertinax. Alij distingunt, quòd in foro conscientiæ non erit hæreticus pertinax, præsumetur tamen talis in foro externo. Ratio est, quia si in foro exteriori non præsumeretur hæreticus, opus esset congregare Ecclesiam, aut adire Summum Pontificem, pro iudicando quocumque hæretico; quod non est dicendum. Ita *Suarez de fide disp. 19. sect. 3. nu. 21. Vasquez 1. 2. disputat. 126. capit. 3. numer. 7. Diana part. 4. tract. 7. resol. 36.*

Hæ duæ sententiæ sunt probabiles. Sed verius est, talem futurum hæreticum pertinacem, non solùm in foro exteriori, sed etiam in interiori. Debet tamen admonitio ab his fieri tanquam à publicis, non autem tanquam à priuatis personis: atque error debet esse circa ea, quæ sunt iam definita de fide, & vt talia ab Ecclesia proposita, vt certa & indubitata. Ratio est, quia Inquisitores sunt iudices fidei deputati à Summo Pontifice, atque adeo ipsum repræsentant: & cùm debeant iudicare circa res fidei, sequitur quòd nemo possit se subtrahere ab eorundem iudicio, alioquin se subtraheret etiam à Iudicio Summi Pontificis.

Idem dicendum de Episcopis; nam & ipsi ex officio repræsentant Ecclesiam, & gerunt vices Pontificis; & cùm sint Pastores animarum, habent ex officio instruere populos circa fidem; & ratione huius officij debent habere scientiam noui, & veteris Testamenti, vt possint & suos docere & alios confutare. In casu tamen, quo tam Episcopi, quàm Inquisitores præsumerentur non habere totam necessariam notitiam de rebus fidei, pro instruendis populis, talis posset excusari, si eorundem admonitioni non acquiescerent. Extra hunc casum dicendum est, quòd qui contradicit ipsis in ijs, quæ proposita sunt ab Ecclesia, vt fide tenenda, contradicit ipsi Ecclesiæ: quia contradicit personis publicis repræsentantibus Ecclesiam quoad auctoritatem manutenendi fidem, & ideò etiam in foro interno hæreticus est: Vnde licet dicat se non sentire contra Ecclesiam, facto tamen contradicit. *Vgolinus in bull. cœnæ part. 2. capit. 1. Rebuffus ibid. excommunicat. 1. artic. 1. D. Antonin. part. 2. sum. tit. 12. capit. 5. Pasqualigus in decis. moral. decis. 163. Palaus tom. 1. tractat. 4. disputat. 3. punct. 2. numer. 6.* & alij penes ipsos.

4. Hæresim committit, qui ex ignorantia crassa, errorem aliquem profert contra fidem, quem adhuc voluntariè proferret, si sciret illum esse contra fidem & definitionem Ecclesiæ: quia talis censetur sufficienter pertinax contra Ecclesiam: à fortiori hæresis erit, error contra veritatem fidei contingens ex ignorantia affectata, vt quando quis eligit nescire res fidei, vt liberius erret in fide; quia ille error est voluntarius cum pertinacia: si verò aliquis affectet seu eligat nescire res fidei, non vt liberiùs erret in fide, sed ex tædio & negligentia addiscendi, vel ob aliam causam, non est verus hæreticus, quia non errat cum pertinacia: In confessione tamen explicandus est affectus, quem aliquis habebat, quando errorem protulit ex ignorantia crassa vel affectata, explicandusque numerus, & qualitas articulorum, quos quis negauit; sicut est explicanda quantitas furti. *Aragon. 2. 2. quæst. 11. artic. 2. Bonacina c. nu. 7. Valentia c. disp. 1. q. 10. punct. 3. Azor. c. quæst. 8. Sayrus lib. 3. c. 4. nu. 15.*

5. Hæreticus alius est *internus*, alius verò *externus*. *Internus* seu purè mentalis est ille, qui licet internè in mente sua hæreticus sit, hæresim tamen suam nullo signo exteriori manifestat. *Externus* dicitur ille, qui hæresim suam, quam mente tenet, aliquo verbo vel signo externo manifestat etiam nemine audiente: *hæreticus purè mentalis*, non incurrit excommunicationem, & proinde potest absolui à quocumque Sacerdote, qui à peccatis mortalibus non reseruatis absoluere poterit, imò secundùm probabiliorem sententiam, non potest per Ecclesiã contra talem sententia excommunicationis ferri; cum Eccl esia non cognoscat, nec iudicet de actibus purè internis, sed illos iudicio Dei relinquat.

Rursus ipsa hæresis Exterior & Interior simul, diuiditur in Manifestam & occultam. Manifesta dicitur, quæ ita foris per signa & actus manifestata est, vt iam vel publicata vel publicanda censeatur ex circumstantijs. Occulta dicitur, quæ etsi signis & actibus exterioribus declarata fuerit, illa tamen signa in secreto, aut coram paucissimis ostensa sunt, ita vt non censeantur fortiri forum publicum, vel publicam notam. Vide *Toletus lib. 4. capit. 4. Navarr. caput. 27. numer. 56. Valent. citat. quæstion. 11. part. 3. Sayrus citat. numer. 20. 21. Diana quarta part. tractat. 4. resolut. 240. & part. 1. tractat. 5. resolut. 1. Malderus 2. 2. quæst. 11. artic. 1. numer. 2. 3. & 4. Vinaldus part. 1. de absolutionem. 10.*

6. Ex communi Doctorum sententia, *hæreticus*, qui aliquo actu externo erroris manifestatiuo, etiam occultissimo, hæresim suam manifestauit, excommunicationem bullæ cœnæ contra hæreticos latam incurrit: *vnde* non incurritur excommunicatio ab eo, qui mente reuoluens suam hæresim, non aperit caput suum Imaginibus Sanctorum, vel Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, aut non genuflectit, eò quòd non credat adesse Corpus Christi, aut Imagines non esse venerandas: secus *dicendũ*, si non aperiat caput dum hostia eleuatur, nunc enim illius hæresis concipitur ab adstantibus, & præsumeretur hæreticus; sicut etiam ille, qui ex hæresi nunquam templum ingreditur. *Sanchez in Summ. lib. 2. capit. 8. Azor. ms citat. cap. 9. & 10. Sayrus citat. numer. 26. Bonacina citat. part. 2. Bannes 2. 2. quæst. 11. articul. 4. Filliucius citat. numer. 186. & sequent. ib. Crousers ad capit. 7. reg. sect. 4. Layman citat. caput. 14. numer. 4.* *Item* non incurritur excommunicatio ab eo, qui mente reuoluens hæresim profert verba imperfecta, vt si dicat, ita esse, vel peream ne ita sit, vel si annuat capite, aut femur percutiat, aut exprimat suam hæresim per characteres, vel notas à se impositas, quando à nullo alio percipi possunt; *ratio* est, quia cum huiusmodi signa externa indifferentia etiam deducta apud Ecclesiam, nullam omninò hæresis suspicionem inducant, consequenter nec excommunicationis pœnam inducent. Item non est hæreticus nec excommunicatus titulo hæreseos, qui exterius hæresim profitetur, interius rectè & Catholicè credendo: quia hæresis formaliter est error intellectus; ergo qui nullum habet errorem in intellectu, nullam etiam habet hæresim, & consequenter nec hæreticus, nec excommunicatus est, nisi fortè negando exterius fidem Catholicam, vel exterius hæresim profitendo, id faceret, vt hæreticis aut infidelibus hac ratione faueret: quia tunc, etiamsi non vt hæreticus, tamen vt fautor hæreticorum esset excommunicatus per bullam Cœnæ. Vt docent *Sanchez citat. capit. 7. Bannes citat. dub. 2.* & post illos noster *Crousers c. sect. 4. fol. 506. Diana part. 3. tr. 4. ref. 143. Tolet. l. 1. c. 19. nu. 5.*

7. Quamuis communiter hæresis exterius manifestata etsi secretissimè, excommunicationem inducat; in aliquibus tamen casibus ea non incurritur. *Primo*, si hæreticus purè mentalis solùm in confessione sacramentali hæresim suam confessario manifestat. *Secundo*, si hæreticus suam hæresim recognoscens illam coram inquisitoribus confiteatur, vel alicui fido & pio animo reuelet, vt ab eo auxilium vel consilium quærat pro relinquenda hæresi. *Tertio*, si quis hæresim suam bonorum operum exercitio, vel abstinentia & omissione operum malorum exprimat. *Quarto*, quando quis per iocum narrat se hæreticum esse vel fuisse, nam talis manifestatio non est peccatum hæresis.

An vero qui profert in somnis hæresim vel ebrietate, quam ante somnum interius conceperat, censendus sit excommunicatus, quidam probabiliter affirmant; sed alijs probabilius videtur non esse excommunicatum, quia excommunicatio videtur imposita ob hæresim formalem, non verò ob solam materialem, qualis est propositio hæretica in somnis prolata. Vide *Bonac. c. punct. 2. n. 7. Sayrus c. numer. 28. & sequent. Sanchez cit. numer. 24. Simancha l. de catholicis institut. tit. 24. numer. 9.*

Toletus in explic. bullæ. §. 1. concl. 3 Azor. citat. cap. 10. quæst. 5. & 6. Crouſers citat lect. 4. Layman. citat. capit. 14. numer. 1. & 2.

8. Pœna excommunicationis lata contra hæreticos in bulla cœnæ, extenditur, ad eorum credentes, receptatores, fautores, & defenſores, ſecuto effectu nomine *credentium* intelliguntur, qui fidem præſtant erroribus hæreticorum, modo illam exteriùs exprimant verbis, vel ſignis, & qui licet diſtinctè non præſtent aſſenſum erroribus hæreticorum confusè tamen putant illorum doctrinam veram eſſe: Nomine verò, *receptatorum, fautorum, & defenſorum* intelliguntur, qui recipiunt, fauent, vel defendunt hæreticos formaliter, id eſt, quatenus hæretici ſunt, ſeu ex motiuo hæreſis, vel intentione fauendi hæreſi: vnde qui beneficium facit hæretico, ratione amicitiæ, vel conſanguinitatis, vel metus, non dicitur fauere hæretico, vt hæreticus eſt: dicitur autem *ſecuto effectu*, quia ſi quis intentionem habuit fauendi hæreſi, ſed fauor non eſt ſecutus non incidit in excommunicationem. *Nauarr. capit. 27. numer. 55. Sylueſtr. v. hæreſis 1. numer. 10. Toletus citat. §. 1. Sayrus. citat. libr. 3. capit. 5. num. 1. & ſequent. Graffius 1. p. lib. 4. capit. 18. Crouſers citat. lection. 3. Suares de cenſur. diſputation. 21. ſection. 2 numer. 8. Filiucius tr. 16. n. 30. Layman. c. n. 5.*

9. *Qui* ſcienter, & abſque Pontificis licentia publicè, vel occultè legit, aut retinet, aut imprimit, aut alio quouis modo defendit libros hæreticorum, tractantes de religione aut hæreſim, continentes, incurrit excommunicationem Papæ reſeruatam quamuis legat vel retineat, vel imprimat curioſitatis gratia, & abſque prauo animo: *ad hanc* autem excommunicationem incurrendam tria ſunt neceſſaria vnum eſt, vt libri qui leguntur ſint libri hominum hæreticorum. *Bulla cœnæ Domini apud Nauarr. Tolet. & Filliucium. Sayrus c. l. 3. c. 5. n. 12. Layman. c. c. 15. Azor. tom. 1 l. 8. c. 16. quæſt. 1. Crouſers c. lect. 5. Graffius l. 4. cap. 18. n. 40. & 42.*

Alterum eſt vt præfati libri contineant hæreſim, vel tractent de religione, & hæreſi ex profeſſo, & ex inſtituto: vnde, ſi de alia re tractarent, quamuis obiter interponerent aliquam hæreſim, non inducerent excommunicationem bullæ. Vt aduertunt. *Sayrus, & Graffius*, locis hic citatis contra Sanches *l. 2. moral cap. 10. num 34. & ſequent.* & Suares *de cenſur. diſput. 21. ſect. 2. num. 10.* qui volunt incurri excommunicationem bullæ, etiamſi liber vnicam tantum hæreſim contineat: quia clauſula Bullæ dicit, *Libro hæreſim continentes, aut de religione tractantes.* Vbi circa hæreſim ſolum petit, vt liber hæreſim contineat: quod verificatur vnicam continendo. Et hæc ſententia eſt ſatis probabilis. Vide Dianam *par. 1. tract. 12. reſol. 31. Tertium* eſt vt ſcienter legantur, &c. vnde qui ex ignorantia craſſa, vel etiam affectata legit, vel retinet tales libros, non incurrit dictam bullæ excommunicationem; modò ignorantia illa affectata vt ait *Sanches in ſum. l. 2. cap. 10 n. 38* non ſit coniuncta cum ingenti temeritate: tunc enim cenſetur adeſſe ſcientia. *Ingens temeritas* dicitur, quando habetur magna ſuſpicio prauitatis libri.

Sed circa prædicta occurrit dubium, an qui legit librum hæretici de religionem tractantem hæreſim tamen non continentem incidat in cenſuram Bullæ Cœnæ? Negant *Sayrus de cenſur. libr. 3. c. 5. n 12. Graffius l. 4. c. 18. n. 42.*

Ratio eſt, quia prohibitio hæc fertur in hæreſi primario, & ratione hæreſis, & hæreticorum vt ſic: extenditur ad eorũ omnes libros, hæreſim continentes verior tamen ſententia aſſerit, ſufficere quod libri alterum horum contineant, vel hæreſim, vel de religione ex inſtituto tractent: quia Bulla Cœnæ apertè loquitur diſiunctiuæ, & alterutrum tantum petit. Ita Fagundes *in præcept. Decalog. tom. 1. libr. 1. capit. 14. numer. 13.* Suares, Sanches citati à Diana, *part. ſexta tractat. 6. reſolution. 55.*

Alterum dubium eſt an liber continens hæreſim, poſſit ſine incurſione excommunicationis legi ſi hæreſis in libro deleatur? Reſpondeo affirmatiuè, modò ea delectio fiat auctoritate publica, quę relinquat totum reliquum librum liberum ad legendum retinendum, & imprimendum. Ita *Diana p. 6. tr. 6. reſ. 55.* poſt Fagundes.

10. Vt hęc excommunicatio bullę incurratur, requiritur vt aliquis per ſe legat vnde qui à famulo, vel ab alio legi audiũt, quamuis audiens ſit cauſa, cur famulus vel alius ſi audienti legat non incurrunt cenſuram: modo per hanc audientiam non præſtet fauorem hæreſi famulus tamen incurrit, niſi metu graui ad id compelleretur. *Filiucius tract. 16. cap. 2. quæſt. 8. num. 45. Sanches libr. 2. moral. cap. 10. num. 48* Quamuis *Suarez, Azorius, Layman, Sayrus*, contrarium doceant apud *Diana tr. de bulla cruc. reſolut. 33. p. 1. Graffius 1. p. lib. 4. c. 18. num. 45. Crouſers. c. lect. 5. fol. 524.*

Aduertendum tamen, non ſolum dici legere, quia lingua exprimit quę legit, ſed etiam qui oculis tantum percurrit, nihil exprimendo, vt docent Graffijs & alij, nam lectio non conſiſtit in prolatione verborum; præterea excuſatur ſecundùm *Sanches cit. cap. 10. num. 51.* ab excommunicatione, qui legit librum hæreticum, illum tamen non intelligit. Ratio eſt tum quia, cum finis huiuſmodi prohibitionis ſit, ne legẽs imbibat hęreſim, qui in hoc euentu locum habere nequit, ea prohibitio a ſui principio non comprehendit hunc caſum. Tum quia illa non eſt formalis, nec vera lectio, ſed tantum materialis, & præterea ibi ceſſat ratio legis.

Denique rogabis, an qui quaterniones, chartas, aut epiſtolas ſparſas, quæ libri partes non ſunt, hęreſim continentes legunt incurrant excommunicationem bullę cęnę fulminatam in legentes libros hæreticorum?

Reſpondeo negatiuè, quia ſimilia vere librorum appellatione non veniunt, cum libri non ſint, nec per ſe librorum partes. Lex autem pœnalis in rigore verborum interpretanda eſt, non amplianda poſſent tamen tales legentes incurrere excommunicationem bullę contra credentes hęreticis, aut eorum fautores, receptatores, aut defenſores ſi nimirum chartas, Epiſtolas, tractatus hęreſi continentes ab eis recipiant, vt vel ex iis inſtruantur, aut ea alijs communicent, aut in vulgus ſpargant. Certum eſt autem ſemper eſſe peccatum mortale, has chartas, vel epiſtolas legere ob periculum cui legentes mortaliter ſe exponunt parum enim refert ſi hęreſes in chartis aut ſparſis epiſtolis legant, an in voluminibus, & libris, cum ſit ęquale periculum, nec aliquid addat volumen vel liber aut impreſſio ad rationem periculi.

Item paruitas materię excuſat iuxta probabiliorem ſententiam *Layman citat. num. 5. Diana part. 5. tractat. 5. reſol. 42. Azorius c caput 16. quæſt. 3. Sayrus cit. cap. 5. num. 12.* & aliorum contra *Toletum* vnde qui legit tres, aut quatuor lineas excuſatur, imò *San. her.* & quidam alij excuſant legentem integram paginam. Vide *Crouſers.* lect. 5. *Fagundes in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 14.*

11. *Retinere* dicuntur libros hęreticos iuxta *Diana par. 5. tractat. 5. reſolut. 43. Sayrus citat. capitol. 5. numer. 16. Sanches citat. numer. 32. & ſequent. Reginald. l. 9. numer. 256. Bonacina cit. p. 4. num. 16. Graffius c. c. 18. num. 48. Crouſers. c. lect. 5. Layman l. 2. tract. 1. cap. 15. n. 7.* & alios qui illos retinent, ſiue curioſitatis gratia, ſiue ad eos confutandos, ſiue eos retineant in domo propria, ſiue in aliena, ſiue nomine proprio, ſiue alterius: vnde vendentes caſeum vel aromata, incurrunt excommunicationem, retinendo dictos libros, vt eorum folijs inuoluat caſeũ, vel aromata poteſt tamẽ excuſari, qui dictos libros retinet ad breue tempus, vt ad vnam horam vel duas, vel etiam ad vnum, vel duos dies, quamuis adſit opportunitas eos conſignandi ſuperiori, qui hæc retentio cenſetur in hac materia modica, & breuis. Qui autem retineret partem tantum, vel vnum folium dictorum librorum, non excuſaretur ab excommunicatione: quia ſicut legens vnum folium, incidit in cenſuram, ita eã incurrit retinẽs, licet *Sanches* excuſet retinentem vnum folium. Aduerte etiamſi quis lõgiore tempore librum apud ſe reneat donec opportunũ tempus tradendi offeratur, excommunicationem non incurret, neque peccabit, ſi ſcandalum abſit. Ita *Graffius citat. numer. 47. Sayrus citat. num. 16. Sanches citat. num. 55.*

12. *Imprimentes* libros hęreticorum cenſentur quicumque ad eorum impreſſionem propinquè cooperantur, vt ſunt dominus ſeu patronus officinę, cuius voluntate, & auctoritate imprimuntur qui faciunt expenſas pro impreſſione, qui typos, ordinant, & componunt, qui typos ſic compoſitos attingunt attamento, qui torcularia pręmunt, qui chartam madefaciunt, qui exemplar impreſſum aut typos corrigunt, &c. Ita. *Suares de cenſuris diſputat. 21. ſection. 2. Filiucius citat. n. 46. Tolet. l. 1. c. 19. numer. 20. Crouſers citat. lection. 5. Layman. citat. numer. 7.* Sanches tamen c. num. 57. exiſtimant eum, qui expenſas impreſſionis facit, qui impreſſionem corrigit, non cõprehendi nomine imprimẽtium. Sicut nec putat noſter *Crouſers* comprehendi qui librum imprimendum tradit, ſiue author ſit libri, ſiue non ſit. Qui tamen ex alio capite, nimirum ex fauore hęreſi præſtito per eiuſmodi actionem poſſunt excommunicationem incurrere.

rere. Quemadmodum etiam hæreses in illis contentas propugnando, siue impediendo, ne libri ad fidei Inquisitores deferantur, aut crementur.

13. *Defendentes* libros hæreticorum dicuntur, qui affirmant, illos non esse prauos, non esse cõburendos, vel qui impediunt, ne ab Inquisitoribus inueniantur, & hoc extenditur etiam ad eos, qui defendunt dictos libros disputationis gratia. *Sayrus c. manuer. 18. Sanches c. num. 55. Bonacina c. num. 17. Graffus cit. num. 50. Layman c. n. 7.*

14. *Qui* libros hæreticorum, aut alterius authoris damnati, atque prohibiti, ob suspicionem hæresi aut falsi dogmatis, legit, aut retinet iuxta *Azor. tom. primo lib. 8. cap. 16. quæsit. 5.* incurrit excommunicationem latam in regula decima Iudicis librorum prohibitorum; hæc tamen excommunicatio nulli resoruta est: eadem censura afficiuntur legentes libros & scripta continentia diuinationes, sortilegia, vt sunt libri & scripta Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continẽtur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia & incantationes artis magicæ, quia huiusmodi libri vetiti sunt, ob hæresis, vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem.

Illi autem libri suspicionem hæreseos incurrunt, qui continent propositiones hæresim sapientes, malè sonantes, temerarias vel scandalosas, ex quibus error nasci aut inferri potest. Propositio verò dicitur *hæresim sapere* ex qua, etsi per euidentem consequentiam hæresis inferri nequeat, per consequentias tamen probabiles & moraliter certas deduci potest: dicitur *malè sonare*, quæ etsi sensum duplicem patiatur, Catholicum nimirum & hæreticum, frequentius tamen in sensu hæretico accipi consueuit. *Temeraria* nuncupatur; quæ in rebus fidei, & morum aperte terminos rationis & auctoritatis legitimæ excedit. Tandem dicitur *scandalosa*, quæ ex sui ratione alicui offendiculum erroris in rebus fidei vel morum subministrat. Ad hæreticorum libros reducuntur libri Astrologiæ iudiciariæ, Thalmudi, Cabalisti, & alij nefarij libri, quos similiter legere aut penes se retinere nemini licet sub peccato mortali, & alijs pœnis de quibus *Clemens VIII.* Constitut. 20. & nouissimè *Vrbanus VIII.* Denique peccant etiam mortaliter legentes & retinentes libros in Indice Romano absolutè prohibitos, etiamsi propter hæresim vel eius suspicionem non sint prohibiti, siue sint Hæresiarcharum libri de materia planè indifferenti, aut moraliter bona tractantes, qui ob personarum abominationem prohibentur, siue sint libri materias inhonestas, perniciosas, scandalosas aut malè sonantes in materia morum & virtutis continentes. Consule regulas Indicis.

15. *Legentes scholia* seu additiones hæreticorum quæ continentur in libris Catholicorum, subiacent excommunicationi latæ in Indice *Sanches lib. 1. cap. 10. num. 25. Crousers c. lectio. 5.* quia legunt scripta damnata ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem; immò quidam volunt incurri illam bullæ Cœnæ, quando scholia adeò copiosa, & multa sunt, vt liber potiùs cõstituatur ex scholijs, & annotationibus, quàm ex textu, ita *Suarez in 3. part. t. 5. d. 21. sect. 2. num. 10.* quem non sequendum docet *Diana de bulla cruc. p. 1. resol. 32. & par. 5. tr. 13. resol. 16.*

16. Libri *Hæresiarcharum*, tam eorum qui hæreses inuenerunt vel suscitarunt, quàm qui hæreticorum capita, ducesve sunt, vel fuerunt, qui de religione non tractant, approbati & examinati à Doctoribus Catholicis iussu Episcoporum, permittuntur. *Regula 2. Indicis. Porrò* vbi bulla Cœnæ non est vsu recepta, vt in Anglia, Germania, Gallia, catholici legentes libros hæreticorum continentes hæreses vel de religione tractantes, non incidunt in excommunicationem, si legerint studio cognoscendi & confutandi eorum errores. *Azor. cit. cap. 16. quæsit. 6. Layman libr. 2. tract. 1. cap. 15. num. 4. Becanus 2. 2. cap. 15. quæst. 8. num. 5. Sanches l. 2. moral. c. 10. n. 42. Diana p. 1. tr. 11. res. 35.*

Proinde circa libros prohibitos concessit Patribus Societatis Pius V. *die 8. Ianuar.* 1571. vt confessarij sæcularium permittere possint suis pœnitentibus vsum librorum prohibitorum, qui non sunt editi ad stabilienda dogmata hæretica, vt sunt Biblia vulgaria, libri controuersiarum vulgari idiomate à catholicis conscripti.

Idem etiam antea 29. *Septembr.* 1566. declarauit, quòd non teneretur significare suis pœnitentibus extare indicem librorum prohibitorum, ne si aliquos haberent, & nollent eos tradere comburendos, absolui non possint.

Gregorius XIII. *die 25. Iulij* 1576. Ijsdem Patribus concessit pro regionibus septentrionalibus, vt possint absoluere pœnitentes suos, qui libellis precum Catholicis, & nulla hæreseos aut superstitionis labe aspersis vtuntur, quamuis Pij V. iussu nõ sint editi, neque eius bullam ascriptam habeant, ac possint illis concedere vsum talium librorum.

Item *die 25. Iunij* 1573. concessit, vt per Prouinciales Iesuitarum in prædictis partibus dispensari possit circa indicem librorum prohibitorum cum personis Societatis, & cum externis ad eos recurrentibus in hoc casu, qui iudicio & pietate præditi inde detrimentum non essent accepturi, & oppugnandum tantum.

Sed quia huiusmodi concessiones sunt viuæ vocis oraculo tantùm factæ, non licet modò ijs vti, quia sunt annullatæ, & reuocatæ per S. D. N. *Vrbanum VIII.* in constitutione sua. *Alias Felicis, 20. Decemb.* 1631. Quamuis in multis locis huius Belgij consuetudo inualuerit vt honestis quibusdam laicis biblia vernacula legere permittatur dissimulatione potiùs piæ tolerantiæ, quàm facultate & licentia expressa. Tenentur tamen Pastores sub peccato mortali inuigilare super Bibliorum quæ manibus feruntur editione, ne corrupta sint, & super qualitate legentium, ne curiositate, imprudentia, præsumptione, venenum inde hauriant, vnde salutem haurire debebant. Similiter ob hæreticorum vicinitatem & permixtionem in Belgio sicut permittuntur ab Episcopis controuersiæ nonnullæ idiomate vulgari imptimi, sic permittuntur vtiliter legi, vt in conuersationibus ciuilibus Catholici cum hæreticis aliquando cõuenientes eorum verbis venenosis non decipiantur, cùm sciunt & legunt ipsos in controuersijs illis ab exercitatis conuictos. Necessaria tamen etiam in hoc est Pastorum vigilantia, ne inutiles aut pernicioſæ aliquæ controuersiæ vernaculo idiomate manibus simplicium terantur, qui curiositate ducti, magis attendunt quid hæreticus proponat, quàm quid Doctor Catholicus resoluat, & respondeat. Melius sanè foret aut cõtrouersiarum impressionem idiomate vulgari omninò prohibere; aut non nisi multo discretionis sale conditas imprimere.

Porrò circa lectionem Bibliorum lingua vulgari, & controuersiarum fidei est aduertendum, quòd etsi prohibitiones factæ ab Ecclesia iustissimæ sint & vtiliter obseruandæ; non tamen vbique in tanto rigore peccati mortalis modò obseruentur: sed attendenda sit Regionum consuetudo, quæ ob causas rationabiles, aut prohibitiones illas non vrsit, aut vtiliter aliquid de earum rigore remisit: vt benè adnotat. *Petrus Marchantius in tribunali tom. 2. tract. 2. tituł. 2. sect. 4. quæst. 3. dubio 9.*

17. Cùm librorum prohibitorum lectio magno esse sinceræ fidei cultoribus detrimento nosceretur, & licentiæ libros huiusmodi legendi nimis excreuissent, *S. D. N. Gregorius XV.* motu proprio in bulla sua quæ incipit, *Apostolatus officium*, 30. Decembris 1622. Omnes, & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis cuiuscumque gradus, & conditionis existentibus, antea concessas, reuocauit, cassauit, & annullauit. Et declarauit libros, per licentias huiusmodi permissos; legentes, aut habentes, pœnas in Sacri, Canonibus, Constitutionibus Apostolicis & Indicibus librorum prohibitorum contentas, incurrere. Insuper præcepit illis, qui aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, vt eos denuncient. Decreuit præterea, vt de cætero similes licentiæ, non nisi à Congregatione S. Officij, quæ singulis Hebdomadis coram Papa haberi solet, concedantur. Hæc *Gregorius XV.*

An autem Generales Regularium, possint non obstante hac bulla *Gregorij*, & altera simili *Vrbani VIII.* data 2. Aprilis 1631. præbere subditis licentiam legendi libros prohibitos? Resp. negatiuè *Diana p. 5. tr. 13. resol. 49 Lezana to. 1. sum. c. 18. n. 96.* quia prædicti Pontifices in suis decretis reuocãt omnes tales facultates cõcessas per literas Apostolicas; aut aliter quomodocumque. Ita etiam *Lezana* contra Peyrinum *to. 2. probl. in constit. 9. Pauli V.* docentem per dictas constitutiones Gregorij & Vrbani solùm reuocari licentias particulares legendi huiusmodi libros, non verò priuilegia Regularibus concessa.

Sed dubiũ est, an Archiepiscopi, Episcopi libros hæreticorũ legere possint, non obstãte bulla cœnæ & alijs Decretis Summorũ Pontificum, quæ nemine eximunt; imò sub suis prohibitionibus omnes cuiuscumque dignitatis existant, comprehendunt?

Respon-

Responsio Azorij to. 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 13. est negatiua, quia Summi Pontifices Iulius III. Paulus IV. Pius IV. quorum bullæ extant in Directorio Inquisitorum abrogant omnes facultates legendi vel habendi libros hæreticos quibuslibet personis cuiuscumque conditionis sint, etiamsi Episcopi, Archiepiscopi, aut his maiores fuerint, exceptis Inquisitoribus & Commissarijs, super hæretica prauitate, à Sede Apostolica deputatis, dum eo officio commisso funguntur. Nihilominus quorumdam sententia est, vbi S. Sedes aliter non prouidet, in regionibus vbi non est officium S. Inquisitionis institutum, Episcopos tanquam Inquisitores ex vi & natura Officij Episcopalis posse libros hæreticorum legere ad effectum illos corrigendi, confutandi, condemnandi, &c. Tum quia in Indicibus librorum prohibitorum constituuntur Iudices & Executores ad pœnas infligendas contra eos, qui libros hæreticos vel prohibitos legunt, imprimunt, diuulgant, quæ vix fieri possunt nisi illos visitare & legere valeant, vbi causa occurrit. Tum quia vbi officium S. Inquisitionis non est institutum, Episcopi ex natura officij sunt Inquisitores hæreticæ prauitatis; ad Inquisitores autem supradicta spectare dignoscuntur. Huius sententiæ est *Petrus Marchantius* citatus suprà *dub.* 1.

18. Ab hæresi interna tantùm, & externa tantùm, absoluere potest quilibet confessarius approbatus ad confessiones excipiendas: ab hæresi autem interna & externa simul quæ sit publica, ex iure solus Pontifex absoluit. Ratio prioris est, quia hæresis ratione solius excommunicationis reseruatur; at hæresis sola interna, vel sola externa absque errore interno, non subiacet excommunicationi, cùm de internis non iudicet Ecclesia; nec censura contrahitur, nisi ob delictum verum ac consummatum; at hæreticus solùm externus, non est verè talis, quia deficit error intellectus. Ita *Nauarr. in manuali capit.* 11. *num.* 27. *Toletus lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 6. *Clau. reg. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 15. *Sylu.* 2. 2. *quæst.* 11. *ar.* 3. *quæsit.* 1. *concl.* 1. & 2. *Suares de censur. disput.* 4. *sect.* 2. *num.* 22. *Fagundes præcept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8 *num.* 39. & alij communiter. Posterius patet ex textu Bullæ Cœnæ.

Ad hoc verò vt per illud hæresis censeatur, seu dici possit externa, tres conditiones requiruntur in verbo, signo, vel facto manifestante. *Prima*, vt ita illud sufficienter manifestet hæresim internam, quod si aliquis adesset, posset illam percipere, siue ex sola natura talis signi, siue ex circumstantijs loci, temporis & aliorum concurrentium. Ratio est, quia si per illud hæresis deprehendi non potest; hæreticus manet non solùm occultus, sed internus, & sic non potest incurrere excommunicationem. *Secunda* vt actus ille exterior sit de se malus, & mortalis, non per solam relationem ad actum internum, sed etiam secundùm operis externi qualitatem, & quantitatem. Ratio est, quia excommunicatio, & similes pœnæ graues, non imponuntur, nisi propter actum externum, qui ex natura sua & secundũ quod externus est, mortalis est. *Tertia*, vt actus ille externus, sit confessio hæresis. Ita Doctores hic citati. *Vgolinus de censuris Papæ refer.* 2. *par. cap.* 1. §. 1. *num.* 17. *Bannes* 2. 2 *quæst.* 11. *ar.* 4. *dub.* 2. *Vasq.* 1. 2. *disput.* 160. *cap.* 5. *num.* 20. & 21. *Sanch. lib.* 2. *moral cap.* 8. *num.* 7 *Sylu. cit. ar.* 11. *quæsit.* 1. *concl.* 3. *Rodriq. in sum. to.* 1. *cap.* 80. *n.* 8. *Gutierez q. Canon. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 13.

Secundo, ab hæresi occulta absoluere possunt Episcopi, vigore *Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.* nec per subsequentes bullas cœnæ fuisse illis hanc potestatem sublatam, sustinent ex Neotericis *Portel ver. Episc. num.* 1. *Crousers ad cap.* 7. *reg. S. Francisci lect.* 11. *Puteanus* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *dub.* 2. *Fagundes pr.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 52. & hanc sententiam probabilem vocant *Diana par.* 1. *tract.* 5. *resolut.* 2. *Sanches cit. capit.* 11. *num.* 2. Imò *Layman lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 5. *num.* 2. hanc potestatem concedit Episcopis, etiam pro hæresi manifesta, in regionibus septentrionalibus, propter frequentiam casuum & difficultatem adeundi Papam. Vnde Episcopis huius Belgij bulla data est à *Greg. XIII. an.* 1576. die 25. Februar virtute cuius possunt absoluere ab hæresi manifesta, & alijs casibus reseruatis Papæ, etiam in bulla cœnæ Domini: hancque potestatem possunt etiam cuicumque Sacerdoti idoneo delegare.

Tertiò, Domini Inquisitores habent facultatem absoluendi ab hæresi, non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, & hæc facultas competit ciuilibus Inquisitori, & non toti Consistorio: *Lorichius ver. hæretic.* §. 12. *Puteanus cit. dub.* 2. vt docent esse probabile *Sanch. c.* 1. *cap.* 12. *Diana c. resol.* 3.

Quartò, virtute alicuius bullæ vel Iubilæi, in quibus conceditur facultas absoluendi ab omnibus casibus bullæ cœnæ, probabile est, confessarium electum posse absoluere à crimine hæresis, & ita declaratum fuisse in Sacra Pœnitentiaria Romana testatur *Filluc. tr.* 8. *nu.* 265. & docent *Reginald lib* 8. *num.* 3. *Fagund. c. cap.* 8. *num.* 38. & alij multi apud *Diana cit. resol.* 1.

Quinto, Prælati regulares secundùm *Sanch. de matr. lib.* 8. *disput.* 2. *num.* 3. possunt absoluere subditos suos ab hæresi occulta, ex priuilegio *Pij V.* quia si probabile est, authoritatem Episcoporum reuocatam non esse, per bullam cœnæ; sine dubio, inquiunt *Suares de rel. tom.* 4. *tr.* 9. *lib.* 2. *cap.* 20. *num.* 11. *Corduba. de cas. reser. par.* 1. *sect.* 1. *art.* 23. *Diana c. resol.* 6. Superiores regulares ex dicto priuilegio Pij V. apud *Rodriq. tom.* 1. *qq. reg. q.* 61. *ar.* 9. possunt hæresim occultam absoluere, quia extensio *Pij V.* generalis est, quoad omnes facultates. Imò in partibus Vltramontanis, in quibus non viget S. Inquisitionis officium, ex nouo decreto Regularibus concesso à *S. D. N. Paulo V.* possunt dicti Prælati cognoscere causas ad Inquisitionis officium pertinentes: ita tamen quòd postea quæcumque per ipsos acta fuerint, indicentur S. Inquisitionis officio. Ex qua concessione constat, Prælatos posse absoluere subditos etiam in foro externo ab hæresi, & per consequens à reliquis casibus bullæ cœnæ. Vt rectè docet noster *Crousers ad cap.* 7. *reg. S. Franc. lect.* 12. *fol.* 588. & 602.

Sexto, Posito probabile esse, priuilegijs Mendicantium non derogari, per annuam bullæ cœnæ publicationem, vt docent *Rodriq. tom.* 1. *qq. reg. quæst.* 20. *art.* 9. *Suares de relig. tom.* 4. *tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 20. *num.* 18. *Diana part.* 1. *tract.* 5. *resolut.* 6. *Sousa in bulla cœnæ cap.* 23. *disput.* 100. & alij ab ipso citati, possunt religiosi mendicantes, approbati secundùm formam iuris, absoluere sæculares à casibus bullæ cœnæ, & etiam ab hæresi, modò sint occulti: Et hæc posterior pars probatur *primo* ex Concessione *Vrbani IV.* apud Rodriques *tom.* 1. *qq. reg. q.* 61. *art.* 3. Compendium priuil. Mend. *v. Absolutio quoad Seculares* 1. *num.* 19. in qua concedit fratribus Carmelitis, vt de licentia Prælatorum Ecclesiæ, id est, prout declarauit *Sixtus IV.* modò sint confessores secundùm formam iuris præsentati, possint audire confessiones omnium Christi fidelium, causa deuotionis ad eos recurrentium, nisi talia commisissent, propter quæ esset Sedes Apostolica meritò consulenda. Sed pro hæresi, nisi illius sit, qui in hæresim coram Iudice competenti abiuratam relapsus est, non est meritò consulenda Sedes Apostolica, quia *Sixtus IV.* prout habetur in libro Monumenta Ordinum, concess. 345. declarauit, dumtaxat esse ad Sedem Apostolicam meritò destinandos, hæreticos relapsos, schismaticos & qui literas Apostolicas falsificassent, aut ad infideles prohibita detulissent, ergo ab hæresi occulta possunt prefati absoluere.

Probatur *Secundo* ex concessione *Sixti IV.* facta Fratribus Ordinis Minimorum, vt habetur in Compendio prædicto num. 20. eiusdem tituli: qua dictis concedit facultatem confessiones audiendi, & ab omnibus casibus excommunicationis suspensionis, Interdicti, ac super quacumque irregularitate, Ordinario tam à iure, quàm ab homine reseruatis, toties, quoties opus fuerit absoluendi, dispensandi, ac vota quæcumque permutandi & relaxandi, & pœnitentiam salutarem iniungendi, sicut potest Diœcesanus. Sed hæresis saltem occulta, seu in iudicium nondum deducta, tam iure antiquo, quàm nouo Tridentini, reseruatur Ordinarijs, ergo sicut hi possunt ab illa absoluere, ita & confessarii supradicti, & consequenter à reliquis Bullæ cœnæ casibus. Et confirmatur quia quando hi casus sunt occulti, iam non sunt Summo Pontifici reseruati, sed iure ordinario & non speciali competunt Episcopis, & annexi sunt dignitati Episcopali, vt patet ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 6.

Vnde dicendum est per Tridentini decretum, casus hos occultos, iam non esse Papales, sed Episcopales. Vt docent *Sanches lib.* 4. *moral. cap.* 54 *num.* 27. *Diana part.* 1. *tr.* 11. *resol.* 28. & *part.* 3. *tr.* 2. *resol.* 13. §. *Nota quarto* Imò ipsemet *Diana part.* 4. *tr.* 4. *resol.* 239. volens conciliare facultatem Tridentini Episcopis concessam, cum bulla cœnæ postea promulgatæ, sic docet; *Respondeo posse, Bullam cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & ideò non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est.* Hæc ille. Vnde prædicta sententia anno 1629. 18. Iulii in consistorio sacræ congregationis Eminentiss. Cardinalium visa, tolerata est. Et tanquam probabilis à multis Regalis Academiæ Duacensis Sacræ Theologiæ Doctoribus, admissa. Vide v. *Casus reseruatus* num. 39 & v. Abbas *num.* 8. §. 5.

Sed

Sed petes, quid occultum censeatur in decreto Tridentini? resolutionem huius quæstionis. Vide infra verb. *Irregularitas XI. num. 5.*

Septimò, Absoluere potest ab hæresi, quilibet sacerdos, etiã non approbatus, in articulo mortis; & secundùm probabilem sententiam plurimorum Doctorum, etiam præsente confessario approbato, vel Superiore, cui hæresis reseruatur. Ita *Nauarr. lib. 5. consil. de pœnit. consil. 15. Rodriques tom. 1. qq. reg. q. 56. art. 4. Henriques lib. 6. cap. 11. num. 4. Vegha tom. 1. summ. cap. 6. cas. 16.* & ex nostris *Coriolan. par. 1. sect. 2. art. 16. num. 7. Crousers ad cap. 7. sect. 23. fol. 712.* quos sequitur *Diana part. 1. tract. 5. resol. 5. & p. 4. tract. 4. resol. 161.* & *part. 5. tract. 3. resol. 65.* multos alios citans pro hac sententia. Ratio est. Tum quia secundùm Tridentinum, nulla reseruatio est in articulo mortis; quod verum non esset, si præsente Sacerdote admisso ad confessiones, ipsi & non alteri liceret confiteri, hoc enim est aliqua reseruatio. Tum quia simplex sacerdos non habet iurisdictionem pro articulo mortis, in defectum aliorum confessariorum, sed illam habet absolutè & simpliciter. Concilium enim non apposuit istas glossas & limitationes, sed loquitur absolutè: ergo neque nos illas apponere debemus; & mirum certè Doctores, qui in contraria versantur sententia, in tam periculosæ extremitatis articulo, tantas salutis consequendæ difficultates comminisci: impositas ab Ecclesia; dum volunt, illud, quod absque restrictione aliqua ab ea conceditur, restringere ad casum quo non potest haberi vel sacerdos, cui est reseruatus casus, vel sacerdos admissus ad confessiones; quasi occasione reseruationis aliter perire nemo possit, quàm ex absentia sacerdotis approbati: cùm tamen, etiam eo præsente occasione reseruationis, aliquem perire facilè contingere possit: dum scilicet reseruata non audet confiteri reseruanti, immò nec confidentiam habet, detegendi sacerdoti admisso secreta conscientiæ suæ, etiam non reseruata. Proinde Ecclesia omnem difficultatem voluit in eo articulo remouendam, vt quàm maxima facilitate moribundus anteactæ vitæ rationem cum Deo componat. Quòd si aliquando hominibus valentibus aperit Ecclesia benignitatis thesauros ablata criminũ reseruatione, quid agendum est à pia matre cum filio, vltimum spiritum exhalante? an cum illo, diutiùs aget, quàm cum valentibus agendum censet interdum? quam sententiam defendunt hoc tempore viri doctissimi, vt inquit *Rodriq.* hic citatus.

19. Pœnæ hæreticorum sunt duplices; quædam enim sunt Ecclesiasticæ, vt excommunicatio, irregularitas, priuatio potestatis spiritualis, inhabilitas ad beneficia, &c. quædam sunt ciuiles, vt priuatio bonorum, officiorum publicorum, famæ, & vitæ: omnia autem, quæ dicuntur de pœnis hæreticorum, similiter habent locum in Apostatis à baptismo, id est, in omnibus ijs, qui post baptismum, ad Iudaismum, vel paganismum defiectunt: ijsdem enim pœnis puniuntur, vt patet, tit. *de hæret. in 6.* nam Ecclesia idem habet ius in omnes ratione baptismi: & patet suprà v. *Apostasia n. 2.*

Prima ergo pœna spiritualis hæretici, est excommunicatio maior, non solùm nunc, per Bullam Cœnæ, quæ annis singulis innouatur Feria quinta Cœnę Domini; sed etiam per Innocentium III. *Cap. Excommunicamus, de Hæreticis*, & per Honorium III. *cap. Nouerit. de sentent. excommunicat.*

Secunda, est Irregularitas, de qua infra verb. *Irregularitas X.* & colligitur ex *cap. Saluberrimum*, *cap. Conuenientibus 1. quæst. 7.*

Tertia pœna, *cap. Audiuimus. cap. Apertè. cap. Miramur. 24. quæst. 1.* est priuatio omnis iurisdictionis Ecclesiasticæ; vnde ipso facto est suspensus ab officio & beneficio, ideòque nec ligare, nec soluere potest: quod intelligendum est, de hæretico nominatim excommunicato, & publicè denunciato, & seclusa extrema necessitate. Ratio est, quia iurisdictio datur ab Ecclesia, & ab eius libera voluntate pendet: ergo cum vult, potest eam auferre, sicùt in hoc casu intendit. Retinet tamen hæreticus potestatem ordinis, ad conferenda validè sacramenta: quia hæc potestas, fundatur in charactere sacerdotali, vel Episcopali, qui est indelebilis.

Quarta pœna spiritualis est inhabilitas ad beneficia; vnde hæretici ipsorumque filij vsque ad secundam generationem, ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admitti possunt: quòd si secùs actum fuerit, irritum est & inane. *cap. quicumque §. Hæretic. de hæretic. in 6.*

Quinta, est priuatio dignitatum & beneficiorum Ecclesiæ: vnde hæreticus, statim post lapsum in hæresim, priuatus est ipso iure & titulo beneficij, non tamen possessione: quia non cogitur, illud dimittere, nisi postquam crimen declaratum erit per sententiam Iudicis. *cap. Vt commissi, §. primandi, de hæret. in 6. Pius V. in Bulla cum ex Apostolatus.* Licet possit impetrari tamquam vacãs, etiam ante sententiam declaratoriam criminis. *cap. licet Episcopus, de præbend. in 6.*

Sexta pœna spiritualis, est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ: debet tamen hæreticus esse manifestus, & in hæresi decedere; quia occultus non est priuatus. *cap. Quicumque, de Hæreticis, in 6.*

Prima pœna ciuilis hæretici, qui exteriùs hæresim suam prodit, est, confiscatio omnium bonorum; id est, hæreticus statim est priuatus omni dominio bonorum in foro conscientię, quod transfertur in fiscum: retinet tamen hæreticus possessionem, quousque per sententiam Iudicis condemnetur de crimine; tunc enim fiscus ea sibi vendicat. *cap. cum secundum leges, de Hæretic. in 6. Syluius 2. 2. quæst. 11. art. 3. quæsit. 5.*

Sed petes, an Principes sæculares in hæresim lapsi, amittant dominia regnorum suorum, & ditionum? Respond. Princeps sæcularis manifestè lapsus in hæresim, amittit omnem potestatem, & iurisdictionem in subditos, & spoliatur ipso facto titulis suorum Principatuum & regnorum. Quod probatur ex c. *final. de Hæretic.* vbi Gregorius IX. absoluit subditos à debito fidelitatis dominij, & totius obsequii, qui lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto, quacumque firmitate vallata, tenebantur astricti. Vnde si per sententiam spoliatus fuerit suo Principatu, subditi non tenentur illum recipere post pœnitentiam, nisi Ecclesia illum restituat. Ratio autem, cur Ecclesia possit priuare Principes sæculares in hæresim lapsos dominio regnorum suorum, est, quia potestas ciuilis subiecta est potestati spirituali, quoniam vtraque est pars eiusdem Reipub. Christianæ; vnde potestas sæcularis, non solùm vt Christiana, sed etiam vt politica, subiecta est Ecclesiasticæ potestati, ergo potest Princeps spiritualis imperare Principibus temporalibus, & disponere de temporalibus dominijs, & regnis, in ordine ad bonum spirituale, debet enim Ecclesia: cum sit Respub. perfectissima, habere omnem potestatem necessariam, ad finem suum consequendum. *Azorius tom. 2. lib. 11. cap. 5. quæst. 8.*

Secunda pœna ciuilis, est priuatio omnium officiorum publicorum; vnde hæreticus non potest esse Aduocatus, Tabellio, aut Procurator, nec publicum aliquod officium acquirere. Tum quia est excommunicatus, quia se ab Ecclesia diuisit. *cap. Vt commissi. de hæret. in 6. cap. nulla officia, dist. 54.*

Tertia pœna ciuilis, est infamia. Vnde hæreticus post sententiam iudicis declaratoriam criminis, contrahit infamiam iuris: nec enim opus est, vt iudex condemnet reum, vt infamem; sed tantùm, vt crimen declaret. Verùm si crimen hæresis fuerit notorium per euidentiam facti, hæreticus infamiã etiam contrahit facti, non iuris. *cap. Excommunicamus, de hæretic. l. 1. ff. de his qui notant. infam.*

Quarta & vltima pœna ciuilis, est capitis supplicium. Alicubi quidem gladio necantur: vt in Flandria, & inferiore Germania. *L. Arriani. C. de Hæretic.* Alibi ligatis manibus proijciuntur in flumen, vt in Geldria. Per Italiam, Galliam, & Hispaniam igni traduntur. Hæc omnia seruanda sunt in rigore iuris, ex æquitate tamen aliquando aliter fit prout Prouinciarum fert vsus. Plura de his pœnis apud Alphonsum Castrensem *l. 2. de iusta hæreticorum punit. cap. 9.* Azorium *tom. 1. institutionum moral. lib. 8. cap. 11. 12. & 13.* Syluium *2. 2. quæst. 11. art. 3. quæsit. 3. 4. & 5.* Sanches *l. 2. moral.* Filliucium *tract. 22. capit. 7.*

Pœna hæretici relapsi est, vt curiæ sæculari tradatur sine vlla spe veniæ, & miserationis, quamuis sui peccati pœnitentiam egerit: Ei tamen non denegatur Sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ. *cap. super eo, de hæret. in 6. & cap. ad abolendam, de hæreticis.* Et si quidem pertinax sit, viuus exuritur: vt etiam non relapsus, si perseueret obstinatè in hæresim. Iure autem Canonico relapsus dicitur ille, qui postquam hæresim publicè coram Iudice abiurauit, in eamdem vel aliam diuersam incidit. Si verò quis sæpius relabatur in hæresim, a qua tamen recesserit, per cordis pœnitentiam vèl oris, coram confessario, non autem per abiurationem coram iudice, non habetur pro relapso: vt habet communis sententia in *cap. accusatus, de hæreticis in 6.* & præcipuè *Castro l. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 2. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 14. Director. Inquisitor. p. 2. quæst. 40. 55. 58. Simancbus de Catholic. institut. tit. 57.* Notandum

tandum tamen est ex *Dominico Bannes* 2.2. *quæst.*11.*art.*4.*qu.*1. *sub finem*. Principes sæculares habere potestatem hæreticos, vel puniendi (idque mitiùs vel seueriùs pro qualitate delicti) vel dimittendi & liberandi; si tamen id fine iusta causa facerent, posset contra eos procedi, tanquam fautores hæreticorum; vnde, in puniendis hæreticis magna opus est prudentia, ne vel nimia lenitate, vel nimia seueritate, Respub. Christiana detrimentum aliquod incurrat. Hæc satis de pœnis.

20. Hereticus per absolutionem à censuris & peccatis, non liberatur ab irregularitate, inhabilitate ad officia, & beneficia Ecclesiastica: nec restituitur pristinæ dignitati: vt constat ex praxi Ecclesiæ, & multis Canonibus, *causa* 1.*quæst.*7. Vnde hæreticus, si clericus sit, admittitur ad Laicam communionē, &c. Quadruplex enim impetrari potest dispensatio, semiplena, vt admittatur ad exercitium ordinum antè susceptorum; plena, vt possit fieri sacerdos; plenior, vt ordinetur Episcopus; plenissima, vt admittatur ad superiores dignitates, quemadmodum *D. Petrus* post trinam Christi negationem, summus Ecclesiæ pastor constitutus est. Vide *D. Thom.*3. *quæst.*89. *art.* 3. *Syluester v. Hæresis* 1.*quæst.*14. *num.*21. *& v. Irregularitas qu.* 5. *Azorius t.*1. *lib.*8. *c.*19. *q.*6.

De hæresi vide *Blasphemia* num.3.4. *Casus reseruatus nu.*32. 33. *& seq. Detractio* 1.nu.7. *Diuort.* n.16. *Immunitas* nu.12. *Indulg.* 2.n.1. *Irregularitas* 10. *Schisma* num.3. *Spes* n.5. *Benefic.* 7. num.3. *testamen.*nu.6. *Magia* nu.4. *Papa* nu.3. *Censura* num. 13. *Abbas* num.8.§.5.

HOMICIDIVM I.

Quodnam homicidium prohibeatur, & quod permittatur.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit homicidium & quale peccatum?*
2. *An occisio animalium prohibeatur præcepto Non occides?*
3. *An liceat priuata authoritate interficere malefactores?*
4. *An in foro animæ liceat parenti vel marito occidere filiam vel vxorem in adulterio deprehensam?* Refertur duplex sententia.
5. *An liceat homini priuato interficere Principem tyrannum?*
6. *An sit licitum seipsum perimere? vel cooperari ex iusta causa ad propriam mortem?*
7. *In quibus casibus non teneatur homo vitam suam tueri?*
8. *An Mortaliter peccet qui ex intētione aut aduertenter vitam notabiliter seruijs, &c. abbreuiat? Et an liceat sibi mortem exoptare ad vitanda mala temporalia.*
9. *An possit fœmina seipsam occidere ne ab alio violetur?*
10. *An aliquando liceat directè occidere innocentem?*
11. *In quibus casibus licita sit occisio alterius ad sui defensionem?*
12. *An licitè possit occidi furiosus, vel amens, vel ebrius, vel dormiens, alterum iniustè inuadens?*
13. *An licitum sit occidere satellites, seu publicos ministros, cum moderamine inculpatæ tutelæ?*
14. *An liceat occidere iniustum inuasorem? & an aliquando ad id teneamur?*
15. *An inuasus possit se tueri cum periculo innocentis?*
16. *An liceat aggressorem propriæ vitæ præuenire, antequam inceperit moraliter actum aggressionis?*
17. *An licitum sit occidere eum qui falsis testibus subornatis vitā tuam oppugnat in iudicio?* refertur duplex sententia.
18. *An liceat matri grauidæ præbere pharmacum mortiferum fœtui? Et an liceat impedire prolis conceptionem.*
19. *An omnibus licitum sit occidere inuasorem suarum facultatum, si illæ sint magni momenti?*
20. *Recensentur vary modi inuadendi rem alienam.*
21. *An pro defensione suæ pudicitiæ licitum sit cuilibet occidere inuasorem?*
22. *An occidere inuasorem liceat inferentem ignominiam, si aliter hæc ignominia vitari nequeat.*
23. *Vari modi ponuntur quibus honor alterius potest impeti, & auferri, & in quibus concedatur defensio.*
24. *An liceat occidere illum, qui apud Principem iudicem, vel viros honoratos falsis criminationibus detrahit de alio?* refertur duplex sententia?
25. *An licitum sit acceptare duellum?*
26. *An clerici, religiosi, & infimæ conditionis homines peccent cōtra iustitiam, occidendo inuasorem, si absque periculo vitæ fugere possint?* Refertur duplex sententia.
27. *An liceat vitam proximi, quæ ab alio priuata authoritate impetitur, tueri etiam cum interfectione inuasoris?*
28. *An teneatur quis vitam hominis priuati tueri cum probabili periculo vitæ suæ?*
29. *An peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem, qui non defendit vitam vel fortunas proximi dum commodè potest?*
30. *An potestas publica possit mutilare malefactores & occidere? & an homini liceat sibi amputare membrum, vel membri partem?*
31. *An ad vitandas carnis tentationes & ad peccatum fugiendum liceat sibi membrum vel membri partem mutilare?*
32. *An ad euitandam mortem, iubente iudice vel tyranno, licitum sit sibi membrum amputare?*

1. PRæcepto decalogi, *Non occides*, omnis & sola illa hominis occisio prohibetur, quæ rectæ rationi dissona & repugnans est, hoc est, qua homo priuatur vita rationali contra rationem rectam, & rationabilem hominis voluntatem; vnde homicidium definitur, *iniusta hominis occisio*; & est peccatum mortale, tantoque grauiùs quantò iniustitia, quæ fit hominidum vita priuatur, maior est. *D. Thom.*1.2. *quæst.*100. *artic.* 8. *ad* 3. *Victoria de homicid. à num.*14. *ad* 20. *Toletus libro quinto caput.*6.

2. Occisio animalium non prohibetur hoc præcepto, *Non occides*, immò de fide tenendum est, homines in suos vsus animantia, & plantas posse interimere, quia in scripturis homo constituitur Dominus omnium inferiorum, ergo potest ea in vsum suum conuertere, vt constat Genesis 9. *Omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum. D. Thom.*2.2. *quæst.*64. *art.* 1. *Syluius ibid. Molinam.*4. *tract.*3. *disput.* 4. *Lessius l.*2. *cap.* 9. *dub. primo.*

3. *Priuata authoritate* non licet interficere malefactores, sed tantum publica, quia non licet interficere peccatores, nisi ob bonum Reip. atqui procuratio boni publici, pertinet ad publicam potestatem, quæ est in Principe vel Magistratu; *hinc* proscripti, contra quos lata est sententia capitis possunt à priuato homine interfici, quia hoc fit publica authoritate iustitiæ, cuius quilibet est minister respectu proscriptorum: *tamen* si proscriptus esset extra territorium eius, qui condemnauit, non posset occidi, nisi Princeps loci illius facultatem concedat; imò proscripti possunt seipsos inuicem, etiam proditoriè & per insidias occidere, propter propositum sibi præmium à Principe, ob promissam libertatem, quia hoc fit publica authoritate, & aliquando expedit bono communi. Vide v. *Bannius.*Ita *D. Th.* 2.2. *quæst.*64. *art.*2. *Arragon. ibid. Azorius* 3. *par. lib.*2. *c* 2. *quæsit.*2. *&* 4. *Reginald. lib.*21. *cap.*2. *num.*18. *Syluius c.art.*2. *Syluest. v. homic.* 1. *n.*7.

4. Quidam iurisperiti putant fas esse parenti, si filiam in adulterio deprehenderit, ipsam cum adultero occidere, modò adsint hæ conditiones. *Castillo in leg.*82. *Tauri numer.*6. *Antonius Gomez ibid. num.*52. *Prima*, vt filia sit iuncta matrimonio. *Secunda*, vt sit in Patris potestate. *Tertia*, vt eodem impetu occidat filiam, & adulterum. *Quarta*, vt id fiat in domo Patris, vel generi. *Quinta*, vt deprehendat eos in opere turpi: idem putant licitum marito, in domo propria, in adulterum vxoris, si adulter sit persona vilis; quia leges ciuiles non solùm hoc permittunt, sed etiam expressè dant ius & potestatem. *L. meriso ff. de adulteriis, & l. Gracchus eod. tit. Hæc sententia* videri posset non improbabilis. Tamen contrarium est tenendum in foro animæ, scilicet, non esse licitum ante iudicis sententiam; licet impunè hoc permittatur à legibus, ob nimium dolorem, quo lacessitus hoc facit: quare peccat in conscientia, cùm sit contra ius naturæ occidere aliquem ante sententiam, & inaudita parte. *Sa v. homicid. num.*13.14. *Lessius c. dubio* 5. *Petr. Nauarr. de restitut. l.*2. *cap.*3. *num.* 220. *Diana de sacramen. resolut.* 223. *part.*3. *Sylvius in supplemen. quæst.* 60. *art.*1. *Sanctius in select. disp.*48. *num.*60. Ita etiam *Pontius de matrimon. lib.*9. *cap.*15. qui priorem sententiam improbabilem, & falsam esse existimat; & illam reprobant 48. Doctores, quos citat

cient & sequitur *Barbosa in collectan. to 4 part. 2 cauſa* 33. *queſt.* 2. Ratio eſt, quia ex contraria ſententia daretur occaſio occidendi impunè quemlibet, fingendo quòd cum filia vel vxore voluerit commercium habere, & exponeretur manifeſto periculo animæ ſic interfectorum ſalus, qui capi poſſunt, accuſati, & per Iudicis ſententiam puniri.

5. Homini priuato non licet interficere legitimum Principem, qui eſt tyrannus ſolo regimine & adminiſtratione, hoc eſt, quando iniuſtè onerat ſubditos, diſcordias ſeminat dedita opera, vt eos bonis ſpoliet, & ipſe exalteretur, ditetur &c. hæc veritas tamquam de fide tenenda eſt, vt patet ex *Concilio Conſtantienſi ſeſſion.* 15. quia Princeps etſi tyrannice regat, tamen manet ſuperior, & ſcriptura iubet nos parere Principibus ethnicis. *Quando* autem Princeps tyrannus eſt ratione tituli, nempe, ſi abſque vllo iure, armis principatum inuadat vel occupet; talis poteſt à quouis de regno interfici, modò iſtæ conditiones intercedant. *Prima*, vt non pateat recurſus ad ſuperiorem. *Secunda*, vt conſtet eſſe tyrannum titulo Imperij. *Tertia*, vt non ſit contra expreſſam Reipub. voluntatem. *Quarta*, vt non timeantur maiora mala ab eius ſucceſſoribus. *Ratio* autem eſt, quia talis non eſt Princeps, ſed iniuſtus inuaſor, continuè vim afferendo Reip. vnde etiam illi vim licet inferre, illum occidendo. Ita *Molina tom. 4 tract. 3. diſput. 6. Bannes 2. 2. quæſt. 64. art. 3. Sa verb. Tyrannus. Medina* 2. 2 *tract.* 3. *cap.* 1. *dub.* 4. *Bonacina de reſt. diſput. 2. quæſt. vlt. ſect. 1. par.* 3. *Clauius reg. cap.* 10. *num.* 2. *& ſeq. Leſſius cit. dub.* 4. *Sylueſter* 2. 2. *quæſt.* 64. *art.* 3. *concl.* 1. *& 2.* Hæc tamen ſententia communiter recepta, *Filliucius tract.* 29. *cap.* 1. *num.* 14. dubia & ſuſpecta eſt, & nemini iure conſulenda, ſi extendatur ad Tyrannum, qui inualeſcit regnum, & retineat qualemcumque poſſeſſionem Principatus & adminiſtrationem. Tum quia nullus deijci à poſſeſſione debet, niſi priùs audiatur, & iudicetur. Tum quia euidentia patrati ſceleris, quamuis accuſationem & probationem non requirat, exigit tamen ſententiam declaratiuam. Tum denique quia priuato cuiuſque iudicio, tam grauis res minimè concedenda eſt, ſed publicum iudicium poſtulat, & tamquam vltimum remedium adhibendum, cùm alia non profuerint. *Ita alij* ſatis probabiliter; qui prædictam communem ſententiam etiam admittit, nempe licere tyrannum interficere, pro eo tempore, quo inuaderet alienum regnum, & in ipſo actu inuaſionis, & huic ſententiæ adhæret etiam *Azorius tom. 2 lib. 11. cap. 5. quæſt.* 10. *Diana p. 5. tract. 4. reſ.* 21.

6. Non eſt licitum ſeipſum directè, ſeu ex intentione, perimere, iuxta communem Doctorum ſententiam: quia liber homo non eſt Dominus vitæ & membrorum ſuorum: vnde peccat mortaliter, qui priuata authoritate occidit aliquem etiam volentem & conſentientem; tamen licitum eſt, quando iuſta cauſa ſubeſt aliquid facere vel omittere, vnde certò ſcitur ſecuturus interitus, hoc eſt, licet cooperari ad propriã mortem, & id tripliciter. *Primo*, indirectè per accidens, & mediatè, exponendo vitam periculo, ob rationabilem cauſam, aut omittendo actiones ad vitam neceſſarias. *Secundo*, immediatè & directè, ſed ex præcepto Dei, vt fecit *Sampſon & Sancta Apollonia. Tertiò*, publica authoritate, ſi quis coactè ſumat venenum, hæc enim cooperatio non videtur contraria iuri naturæ. Ex his colligitur ſolutio multorum caſuum ſequentium. Vide *D. Thom. 2. 2. quæſt. 64. art. 5. Nau. cap.* 15. *num.* 11. *Toletus lib.* 5. *cap.* 6. *Clauius reg. l. 7. cap.* 9. *Leſſ. cit. dub.* 6. *Sa verb. Iudiciales actus num.* 54. *Arragon. 2. 2. quæſt.* 69. *art.* 4. *Sylueſter cit. art.* 5.

7. Communiter tenetur vnuſquiſque ſub peccato mortali vitam ſuam conſeruare, in quantùm poteſt & debet; tamen ſunt *multi caſus*, in quibus, quamuis poſſit, non tenetur homo vitam tueri. *Primo*, quando quis permittit ſe occidi, ne alter moriatur in peccato mortali: quod intelligendum eſt, de eo, qui non eſt perſona publica, & Reip. veraldijs multùm vtilis: ſi enim talis eſſet, & non alter, teneretur ſe defendere etiam occidendo. *Secundo*, miles poteſt, ſed non tenetur deſerere ſtationem in periculo communi, etſi certus ſcit ſe occidendum. *Tertio*, reus poteſt non fugere ex carcere, etſi certò ſciat ſe morte plectendum. *Quarto*, condemnatus ad mortem per famem, poteſt abſtinere à cibo clanculum oblato. *Quintò*, in naufragio potes alteri permittere tabulam à te occupatam, & committere te vndis. *Sexto*, ſi duo in extrema neceſſitate conſtituti ſint, poteſt alter alteri cedere panem, ſinere ſe emori. *Septimo*, poteſt quis obijcere ſe telo ad conſeruandam vitam Principis, & amici: imò ſi amicus ſit damnatus ad mortem iniuſtè, poteſt ſe pro illo offerre occidendum. *Octauo*, licet militibus de communi conſenſu injicere pulueri tormentario ignem quo nauis incendatur, vel dare ſe præcipites in mare, etiam cũ aperto vitæ periculo, ne nauis veniat cum ipſis in manus infidelium. *Nono*, excuſari etiam poſſunt, qui ſua corporis agilitate ambulant ſuper funem, aut ſumunt venenum, adhibito ſtatim remedio; quamuis enim hæc ſint periculoſa, nihilominus purgatur periculum, per applicationem ſufficientis remedij. *Ratio* horum omnium eſt; quia non eſt prohibitum homini, ne vitam ſuam periculis vnquam exponat, ſed tantùm ne ex intentione illam quaſi exoſam auferat. Vide *Clau. reg. lib. 7. cap. 9. num.* 19. *& ſeq. Bonacina cit. punct. 5. num. 4. & ſeq. Leſ. cit. dub. 6. num. 27 & ſeq. & a verb. homicid. Toletus lib. 5. cap. 6. Sylueſter cit. art. 5. Molder. 2. 2. tract. 3 cap. 1 dub. 19. Petr. Navarr. lib. 2. cap. 3. num. 73. 82. & ſeq. Marchant in decal. cap. 5. queſt. 8. caſ. 4. Rodrig. 1. pa. cap.* 137 *num.* 1. & 2. Doctores hic citatos & *Dianam p. 5. tr. 4. reſol. 26. 28. 31. 41. & 42. & p. 6. tract. 7. reſolut.* 48.

8. Qui ex intentione, aut etiam aduertenter ſine tali intentione, vitam notabiliter ieiunijs, vigilijs, abſtinentijs; Pſalmorum decantatione abbreuiat, mortaliter peccat, *Nauar. cap.* 25. *num.* 12. *P. Navarr. lib. 2. cap. 3. num. 88. Victoria de temper. num. 12. Azor. 1. part. lib. 5. cap. 6. quæſt. 7. Arrag. 2. 2. quæſt. 64. ar. 5. ad 5. Diana part. 5. tract. 4. reſol.* 33. *Paſqualig. in praxi ieiunij Eccl. deciſ.* 27. quia quilibet tenetur ex charitate ſeipſum conſeruare, & non habere affectum contrarium: tamen non videtur peccare, qui per moderatam abſtinentiam, per ieiunia, per macerationes vel ſtudia præuidet fore, vt vita abbreuietur non intendens mortem, ſed virtutem, hoc enim non repugnat rationi; cum hæc opera ſint laude digna.

Ex dictis ſequitur, quòd, ſi quis ſuſcipiat indiſcretas abſtinentias, & ieiunia, quæ vitam abbreuiatura ſint; ſed hoc non aduertat, & intendat profectum ſpiritualem animæ, excuſetur à peccato. Inaduertentia enim facit, quod vitæ diminutio non ſit voluntaria, vnde cùm totum id, quod eſt voluntarium ſit bonum, in hoc non peccatur.

Sed quæres, an liceat ſibi mortem exoptare, ad vitanda mala temporalia, ægritudinem, internam afflictionem, paupertatem &c. Reſpondetur affirmatiuè: quia prudenter quis cenſere poteſt maius malum aliquam afflictionem, quàm mortem, non eſt ergo contra charitatem ſibi debitam, velle moti potiùs quàm illud pati: Extra autem caſum magnæ calamitatis, aut afflictionis, huiuſmodi deſiderium vix poteſt excuſari à mortali; quia grauiter lædit charitatem ſibi debitam, qui vult priuari maximè bono naturali, cuius non eſt dominus, abſque vlla cauſa alicuius momenti: deſiderium enim mortis talis naturæ eſt, vt niſi fine honeſto aut bono non leuis momenti cohoneſtetur, grauiter malum ſit, ſicut eſt grauiter malum occidere, vel infamare proximum, niſi adſint cauſæ iuſtiſſimæ. Vide *Sanch. in ſelect. diſput. 2. num.* 9. *Sot. in 4. diſt. 5. quæſt. art. 5. poſt 5. concl. Granad. 2. 2. contr. 3. tr. 6. diſput. 2. ſect. 4. num.* 22.

9. Non poteſt fœmina ſeipſam occidere, ne ab alio violetur: nam violatio non imputatur illi ad peccatum, niſi adſit conſenſus, neque per hoc virtus caſtitatis aut laureola amittitur, cùm potiùs dicatur pati, quàm agere: ſecus dicendum eſt de viro, qui ob metum mortis fornicationem committit, hic enim non excuſatur à peccato cùm actiuè concurrat ad actum, conſentiat, & velit illum actum agere: in eo autem caſu, quo mors fœminæ comminata eſt, niſi ſinat ſe cognoſci, poteſt ſe negatiuè habere; immota manens, ſi periculum conſenſus abſit: ſed quia valde difficile eſt ob vehementem naturæ in hunc actum inclinationem, & delectationem, non conſentire, ideò licitè poterit, id periculum præueniendo, reſiſtere, etiam morte ſpreta; imò laudabiliter pro virtute moreretur. *Reginald. lib. 21. num. 43. Navarr. cap.* 16. *num.* 1. *Toletus lib. 5. cap. 6. nu. 4. & cap. 10. num. 10. Clauius reg. lib. 7. cap. 9. num. 23. Benedictus in ſum. lib. 2. cap. 4. nu. 7. Diana tr. 6 miſc. reſol. 31. par. 3.*

Ex ignorantia tamen inuincibili, poſſet quis excuſari ab homicidio ſui ipſius; puta, ad vitandam ignominiam, vel ſeruandam caſtitatem: non eſt enim improbabile ignorantiam excuſaſſe à culpa lethali actum, quo *Lucretia* ſeipſam interfecit: Nam ſe occidere ob pudicitiæ cuſtodiam, non eſt ita euidens eſſe malum, quin inculpatè poſſit ignorari, & putari licitum: & quamuis homicidium ſit contra lumen naturæ ſecundarium, hoc eſt, contra concluſiones deductas ex principis notis lumine naturali, tamen poteſt cadere ignorantia in eiuſmodi veri-

tate

tate: non solùm inter ethnicos; sed etiam apud multos Christianos: vt à multis excusatur factum *S. Apollonie*. Ita *Sotus de iustit. lib.5. quæst.1. art.5. Molder.2.2. tract.3.cap.1.dub.17. Molina de iust. tom.4. tract.3. disp.9. Fillouc. tract.29.n.67. Lessi.l.2. c.9.n* 23.& alij,apud *Dianam p.6.tr.6.res.47.*

10. Non licet occidere directè innocentem: quia cùm nullus hominum habeat dominium vitæ alterius, nemo potest eam tollere, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminum punitionem; vnde si tyrannus persequeretur innocentem, & minaretur vrbi excidium, nisi illum interimat, non potest ipsum interficere; posset tamen Respond. cogere innocentem, vt tyrannum accedat, & si ire nolit potest illum tyranno tradere; quia innocens in eo euentu; tenetur mortem obire pro patria, & vltrò se offerre tyranno, morti se exponendo, si certum sit calamitatem communem auertsum iri; ergo etiam ad hoc potest cogi. *D. Thom.2.art. 6.Sylu.verb. Molin.tom.4. tract.3. disput.10.num.4. P.Nauarr. libr.2. cap.3. num.120. Less. c. dub.7. Bonacina c.punct.7. num.1.* Imò secundùm *Tannerum, Fillucium, Bannem*, quos sequitur & citat. *Diana par.5. tract.4. resolut.23.* talis si contumaciter resistat, potest à Rep. occidi: quia reuera non est amplius innocens; sed maximè nocens; horum tamen sententiam maximè improbat *Syluius* 2.2.q.44.*art.6.* & ego.

11. Vt licita sit occisio alterius, ad sui defensionem requiritur: *Primò*, vt vis ab altero inferatur, & inuasor iniustè inuadat. *Secundò*, vt occisio fiat in ipso actu aggressionis, ita vt nó præueniatur inimicus. *Tertiò*, vt occisio non fiat post factum, quia aliàs esset vltio & non defensio; nisi fortè hoc fieret ad defensionem honoris. *Quartò*, vt fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ, hoc est, quando efficitur si tantùm, quod expedit ad vitam conseruandam, seu quando adhibetur ea moderatio, & cautio, sine qua iniuria depelli non potest. *Quintò*, vt inuasus probabiliter credat; se grauiter lædendum vel occidendum, si vim non repellat, seu inuasorem, non occidat: his conditionibus positis, fas est occidere iniustum inuasorem, ob defensionem vitæ suæ, & integritatis membrorum, *Claus regia lib.7.cap.10.num.18. Nauarr.cap.15. num.3.Sylueft.v.bellum 2. num.1. Rodriques 1. part.cap.135. Valent. tom.3. disput. 5. quæst. 8.punct 4. Lessius c.dub.8. num.41. Bann. 2.2. quæst.64. art.7. D. Antonin. 3.p. tit.4.cap.3. § 1.Syluius c.art.7.Diana p.5. tract.4. resol.1.* & 2.quia vim vi repellere, leges omniaque iura permittunt, vt ait *Alexand. III. in cap.* si verò, *de sententia excommunicat. Quare* etiam clericis & monachis hoc concessum est, sicut laicis, idque contra quoscumque, etiam contra superiores, monacho contra Abbatem, filio contra parentem, seruo contra dominum, vasallo contra principem, & in quocumque officio sit quis occupatus, si quis celebret, & inuadatur, potest se tueri, & occidere inuasorem, si necesse sit, & postea sacrum continuare; *nota* tamen si ex morte Principis sequeretur magnum reipublicæ damnum, vt bella ciuilia ob successionem, tenetur persona vilis perpeti mortem. Vt docent *Lessius c.num. 42.* & *Molina disp.14.concl.2.*

12. Licitè potest occidi furiosus, vel amens, vel ebrius, vel dormiens, qui me iniustè inuadit, si aliter euadere nó possum; qui autem iniustè inuasit à principio, sed postea voluit ab inuasione desistere, suamque voluntatem inuaso indicauit, Ticius autem inuasus noluit à pugna desistere, non peccat peccato homicidij, occidendo Titium, si aliter non potest vitam suam defendere, quàm illum occidendo; in foro tamen externo puniretur Caius tamquam homicida, & ad restitutionem damnorum condemnaretur, quia incepit actionem periculosam homicidij, ad quod præcauendum, non adhibuit sufficientem cautionem. *Lessius c.num.42. Molina tom.4. tract.3. disput. 11.n.2. Bonac.c.punct.8 n.5.* & 6.

13. Licitum est occidere satellites, seu publicos ministros cũ moderamine inculpatæ tutelæ, quando iniustè conantur interficere innocentem, vel illum capere, vt iniustè occidatur; si autem non constet cum esse innocentem, sed bona fide munus suum obeant, non possunt occidi. Ratio est, quia bonum commune postulat, vt ministris bona fide publicum officium exercentibus, iniuria, aut damnum non inferatur, *Rodriques 1.par. cap.135. n.9. Arragon.2.2.q.69.ar.4.*

14. Quamuis liceat occidere iniustum inuasorem, ob defensionem vitæ nostræ, ad hoc tamen, regulariter loquendo, non tenemur; quia possumus exponere vitam nostram pro vita temporali proximi: imò sæpè laudabilius est, permittere se occidi, quàm occidere; *in aliquibus* autem *casibus* tenemur occidere inuasorem, verbi gratia, *quando* inuasus est valdè vtilis Reipub. bonum enim commune priuato præferendum est: vel *quando* ex inuasi morte sequeretur maximum damnum familiæ, vt vxori & filijs, quibus tenetur inuasus alimenta præstare, vel *quando* inuasus putat se esse in peccato mortali, & timet damnationem, si tunc temporis occidatur, quilibet enim tenetur magis diligere salutem animæ suæ, quàm proximi. *Toletus l.5.cap.5.num.* 10. *Sà v.homicid. numer.* 17. *Molina c.d.14. num.1. Rodriques c.num.17. Lessius cit.num.56. Syluius cit. art.7. quæst.1. Diana p.5.tr.4.res.14.*

15. *Inuasus*, si non possit se tueri nisi cum periculo innocentis, quo inuasor se protegit, potest se defendere cum illo periculo, secundum Cordubæ probabiliorem sententiam; quia qui inuaditur, ius habet se tuendi & defendendi, quo iure non priuatur, ex illo innocentis interpositione; si tamen fugere potes, teneris saltem ex charitate, ne innocentem interficias; *idē* dicendum de illo, qui fugit hostem, & infantem proterit præ angustia itineris; *ratio* eadem est: quia iste ius habet ad fugam via publica, quo iure non potest priuari, in tanto discrimine, ratione infantis ibi constituti: in casu tamen quo infans esset moriturus sine baptismo, lege charitatis teneretur potius se permittere occidi, quia salutem proximi spiritalem suæ corporali anteponere tenetur, *Cordoba quæst.38. libr.1.dub.2. Petr. Nauar.l.2. cap.3. num.147. Rodriques c.num.6.* & 7. *Bonacina c. punct.7.num.1. Lessius cit.dub.9. Sylueus c.art.7.quæst.3. Diana p.5.tr.4.resol.34.*

16. *Aggressorem* propriæ vitæ non licet præuenire, antequam inceperit moraliter actum aggressionis, quia ante actum aggressionis non infertur vlla vis, quæ sit repellenda: *hinc* sequitur licitum esse vxori occidere maritum, qui iam collocauit pugionẽ sub ceruicali ad eius necem, aut parauit venenum, vel quid simile, modò non sit alia spes euadẽdi ex eius manibus: non liceret tamen adulteræ, quæ nouit maritum conscium esse sui adulterij illum occidere, si maritus nondum se parauit ad illam occidendam. *Malefica* autem, quæ magicis artibus assiduè per dæmonem nocet, potest cogi verberibus ad desistendum, quando non adest alia via euadendi; imò potest occidi, modò certò constet eam esse mali authorem, & putetur sine nouo maleficio prius maleficium tollere posse. *Præterea*, ille potest occidi, qui per famulum vel sicarium me aggreditur, nec adest alia ratio euadendi. *Porrò* quando aduersarius prouocat me ad duellum, nec aliter possum euadere, nisi illud acceptem, possum acceptare, imò si sim inermis, rogare possum vt arma mihi permittat, hæc est enim vera defensio vitæ. De his vide *Nauarr.cap.15.num.3. Bannes c.quæst.64. art.3. dub.4. concl.2.* & 5. *Rodriques cap.135. num.1. Lessius c.n. 46.* & *seqn. Bonacina cit. punct.9. Molina c.disput.12. Diana p. 3. tract.5. miscel. resol.90.* & *par.5.tract.4.resolut.5. Sylueſter 2.2. quæst.64.art.7. quæst.6. Marchantius in summ.ad decalog.cap.5. quæst 2.cas.3.*

17. Quidam Doctores concedunt, & probabile esse sentiunt, licitum esse occidere eum, qui vadit ad iudicem, vt imponat falsum testimonium, propter quod eris occidendus, vel infamandus, vel amissurus bona temporalia, vel qui falsis testibus subornatis vitam tuam oppugnat in iudicio: quia hoc non est inuasio, sed iusta defensio: Idem extendunt ad eum qui contra iustitiam legalem pandit crimen occultum. Ita *Bannes 2.2. quæst.64.art.7. dub.4.* cuius sententiam putant probabilem. *P. Nauarr.lib.2. cap.3. num.391. Rodriques in summ.tom.1.cap.75. num.1. Sanchez l.2. moral.cap.39.num.7.* Verùm licet hæc sententia speculatiuè quidem valde probabilis sit, eò quòd falsum deponens videatur me occidere alieno gladio, & me iniustè infamare, non tamen in praxi est admittenda, ob incommoda, quæ ex ea sequi possunt: facilè enim homines sibi persuaderent se per calumniam accusari, & non esse refugium præter mortem accusatoris, sicque aperiretur via multis homicidijs. Ita *Bonacin.c. punct.9.num.7. Lessius c.d.8. num.47. Diana tract.5.miscel.resol.97.part.3.* & *p.5.tract.4. resol.7. Sylueius 2.2. quæst.64.art.7. quæst.6.*

18. Numquam licitum est ante, vel post animationem fœtus, dare matri grauidæ pharmacum mortiferum fœtui, seu ex sua vi ordinatum, ad abortum, vel mortem fœtus, *Cenarr. part.2.§.3. numer.1. P. Nauarr. libr.2.cap.3. numer. 140. Nauarr. cap.25.num.62. Sylueſter verb. medicus quæst.4. Henriques l.11. cap.16. num.8. Graſſius 1. part.l.2.cap.63. numer.24. Lessius c.dub.10. Claus regia lib.7. cap.12.n.20. Diana tract. 5. miscel. resolut. 11.part.3.* quia non potes directè occidere innocentem

nocentem vt alium ferues, si id fiat post animationem; si verò ante, etiam est illicitum, quia sicut non licet ob sanitatem procurare pollutionem, ita nõ licebit procurare abortum; vtrũque enim est contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem: si mater periculosè laboret, & non supersit aliud remedium, potest ei præberi pharmacum directè tendens in curationem, etiam si putetur inde abortio secutura; modò proles nondum sit animata: quia abortio tunc censetur solùm permissa, non procurata, quia præter intentionem superuenit, matre suo iure vtente. Si proles iam animata sit, non est licitum præbere matri medicamentum directè curatiuum, cum notabili periculo prolis, si certum erat, vel valde probabile prolem sine illo viuam edendam: si autem valde probabile esset, non adhibito remedio, vtrumque moriturum, eo verò adhibito, saltem matrem posse seruari, eo casu licitè possent hæc remedia adhiberi. Sed dices, si probabile sit, vt asserunt Doctores hic citati, posse aliquem licitè procurare abortum fœtus nondum animati ad tuendam vitam matris infirmæ; ergo probabiliter etiam dici potest licitum esse procurare sterilitatem ad vitandam mortem matris, prouenientem ex conceptione fœtus, vel quia mater nimis est arcta, vel præ vteri angustia ferre nequeat; quia multò magis à generatione distat semen, quàm fœtus iam ex semine conceptus, licet nondum animatus.

His tamen non obstantibus dicendum est, nullo bono fine honestari posse sumptionem potionis, qua prolis conceptioni obstetur; prolis enim conceptionem, quæ nata est sequi ex copula carnali, impedire, est contra naturam, & naturalem finem generationis, & ideò hoc facere prohibetur in bulla *Sixti V. de abortu* §. 5. *& in c si aliquis, de Homicid.*

Ad argumentum autem propositum, est dispar ratio quoad vtrumque casum; quando enim expellitur fœtus ad tuendam vitam matris, fœtus actualiter aggreditur matrem, & est causa mortis, cuius periculum est præsentaneum, sed in casu nostro, quando præbetur medicina sterilitatis, fœtus non est aggressor matris, & periculum est distans; ergo quod est in illo casu licitum, in isto minimè erit. Ita *Syluius* 2.2. *quæst.* 64. *art.* 7. *quæsit.* 4. *concluſ.* 5. *Filliucius tract.* 29. *num.* 101. *Nauarr. in man. cap.* 16. *num.* 35. *Sanches de matrimon. lib.* 9. *disput.* 20 *num.* 2. 8. & 10. *Turrianus* 2.2. *to.* 2. *disp.* 26. *dub.* 2. *n.* 45.

19. Communis sententia Doctorum est, omnibus tam clericis quàm laicis licitum esse occidere inuasorem suarum facultatum, si illæ sint magni momenti, nec sit probabilis spes aliter illas recuperandi, quia omnibus licitum est iure naturæ vim vi repellere, non solum à propria vita, sed etiam ab ijs, sine quibus simpliciter vel commodè vita sustineri non potest; tamen si aliter facilè saluari aut recuperari res possint, non est licitum occidere inuasorem: in dubio autem an recuperari possint, inuasor posset occidi; tamen pro re minima, non videtur concessum ius defensionis, cum tanto alterius malo; res autem dicitur exigui momenti in hoc casu, quando est valoris trium, quatuor, vel quinque nummorum aureorum. *Rodriques cap.* 135. *num.* 15. 16. *Valent. tom.* 3 *d.* 5. *quæst.* 8. *punct.* 4. *Molina tr.* 3. *d.* 16. *Nauarrus cap.* 15. *num.* 2. *Lessius c. dub.* 11. *Clauis regia ext. cap.* 10. *num.* 30. *Syluius c. art.* 7. *quæst.* 8. *Diana p.* 5. *tract.* 4. *resolut.* 17. 18. & alij.

20. Varij sunt modi inuadendi rem alienam. *Primò*, si per te nitaris auferre, teque defendas contra impedientem; tunc in hoc casu licet occidere. *Secundò*, si re accepta fugias; tunc possum insequi & ferire, vel si necesse sit, eminus telo petere, non licet tamen furem interficere, qui se in tutum recepit, & rem incepit quietè possidere. *Tertiò*, si re certo loco deposita, volentem ingredi in eum locum vi impedias: tunc videtur cõcessum, vt vim vi repellam, meamque rem recuperem: si tamen desit iudex, cuius ope id possim consequi: idem dicendum, quando quis nulla interposita mora rem suam persequitur. *Quartò*, si inuadas res meas per famulum, vel arte magica per dæmonem, nec alia ratione quàm nece tua possit impediri. *Quintò*, si coniuraueris in mea damna, *Sextò*, si impedias meos debitores ne mihi satisfaciant. *Septimò*, si falsa accusatione, vel falso testimonio, me fortunis coneris euertere; nec alia ratio impediendi suppetat. *Reginald. l.* 21. *c.* 5. *n.* 67. *Sylues. v. bellum* 2. *n.* 3. *Rodriq. c. n.* 15. *Lessius c. n.* 74. 75. *Vasq. de rest.* §. 1. *dub.* 8. *n.* 43. *Diana p.* 5. *tr.* 4. *ref.* 37.

21. Pro defensione suæ pudicitiæ, licitum est cuilibet occidere inuasorem, quando pudicitia, fugiendo, aut vociferando, vel alio modo defendi non potest quàm occidendo; quia pudicitia pluris meritò æstimatur quàm multæ opes, præterquã quòd in hac re sit periculum peccati: potest tamen inuasus condonare vitam inuasori, patiendo violationem sui, quando non est periculum cõsensus. *Nauar. c. n.* 5. *Diana p.* 5. *tr.* 4. *ref.* 5. 6. *Rodriq. c. n.* 14. *Molina tr.* 3. *d.* 17. *num.* 10. *Syluius* 2.2. *q.* 64. *ar.* 7. *quæsit.* 9. *concluſ.* 1.

22. Cùm licitum sit occidere inuasorem facultatũ, etiam licitum erit occidere inuasorem inferentẽ ignominiam, si aliter hæc ignominia vitari nequit, quia secundùm *Lessius c. dub.* 12. *n.* 77. *Nauar. c.* 15. *n.* 4. *Clau. reg. l.* 7. *c.* 10. *n.* 27. *Diana p.* 3. *tr.* 5. *misc. ref.* 90. DD. hic citatos periculum famæ æquiparatur periculo vitæ; vnde potest occidi, qui virum honoratum fuste vel alapa percutit, vt inferat ignominiã, nec in hoc casu inuasus tenetur fugere, si fuga est illi ignominiosa, non enim tenetur pati tantum incommodũ, etiamsi fugiendo consentaret suam & inuasoris vitam. Hæc tamen sententia non est admittenda in hominibus plebeis infimæ conditionis, qui ex alapis & verberibus nõ magnam sustinerent ignominiã, Et in hoc casu haberet locum opinio. *Tannerus* 2.2. *disp.* 4. *q.* 8. *dub.* 4. *n.* 74. *Syluius c. ar.* 7. *quæst.* 9. *concluſ.* 2. qui contrarium docent.

23. Honor alterius potest impeti & auferri varijs modis, in quibus videtur concessa defensio. *Primo*, si baculum vel alapam nitaris impingere, de quo iam dictũ est. *Secundo*, si contumelijs afficias, siue per verba, siue per signa: Secundùm *Gomez. to.* 3. *c.* 3. *Rodriq. c. n.* 12. *P. Nau. c. n.* 376. in hoc casu est etiam ius defensionis, quia ex sententia omnium, licet contumelioſum occidere, quando aliter ea iniuria arceri nequit; sed hanc doctrinam. *Less. c. n.* 78. *Bonac. c. p.* 10. *n.* 7. *Nauar. c.* 15. *n.* 4. *Henriq. de irreg. c.* 10. & alij dicunt non esse sequendam, quia contumeliæ aliter repelli possunt: vt dictum est supra *v. Contumelia n.* 8. *Tertio*, si illata alicui alapa cesses, vel etiam fugias speculatiuè loquendo, si vir nobilis vel honoratus eiusmodi iniuria sit affectus, multi DD. censent posse repercutere & insequi fugientem, quantùm sufficit ad recuperationem honoris, quando aliter honor nequit recuperari, quia hoc non est vlcisci, sed honorem defendere; quamuis in foro externo insequens puniretur pœna homicidij, ne cædibus via patefiat, vnde in praxi, vt vitetur occasio cædiũ, contrarium sustinendum videtur, præsertim quando læsor petit veniam, vt docent *Molina*, *Azorius*, *Lessius*, *Syluius*, *Reginald.* *Filliucius* apud *Diana tr.* 1. *misc. ref.* 15. *p.* 2. *& p.* 5. *tr.* 4. *resolut.* 11. Ratio autem est, quia numquam est necessarium nec esse potest homicidium, aut vulneratio ad propulsandã contumeliã & iniuriam cõsistentem in verbis, quia per sola verba propulsari potest; & sicut annorum ictus propulsantur obiecto scuto, ita verborum iniuria propulsatur obiectis alijs verbis, quæ tuentur honorem in eo, in quo iniuria lædit. Verba .n. iniurioſa lædunt solam extrinsecã existimationẽ & honorem, quatenus ponunt in publico cõceptum iniuriantis, qui destruit honorem, & æstimationem; quia tamen hæc destructio fit per sola verba; atque verba non magis possunt destruere, quàm conseruare honorẽ, ideò si verbis destructiuis honoris opponantur verba conseruãtia eiusdem, non erit opus alia propulsatione. Tum quia per id quod occidat, aut vulneret, vlciscitur quidem iniuriã acceptã, sed non repellit, quia non impedit quin inferatur. Et proindè semper sufficiunt verba ad propulsandam iniuriam verbalem.

Proindè non licet viro quãtumuis honorato, occidere eum, qui sibi dicit contumelioſè *Mentiris*, quia homicidiũ non ostẽdit occidentem non esse illũ, qui per iniuriam pronunciatur: dũ enim per iniuriam dicitur *Mentiris*; occidendo non ostendit se non mentiri; ergo cùm occisio, aut vulneratio, aut quæcũque alia percussio non sit medium aptum ad depellendam hanc iniuriam, nec etiam esse potest medium licitum; quia hæc nõ sunt licita, nisi quando sunt apta & necessaria pro defensione. Ita *Azorius p.* 3. *lib.* 2. *c.* 1. *q.* 17. *Diana p.* 5. *tr.* 4. *resol.* 13.

24. Qui apud Principem, iudicem, vel viros honoratos falsis criminationibus detrahit de alio, vel crimẽ verum, occultum tamen, contra iustitiam pandit, si nulla ratione illud damnũ famæ auertere non possim, nisi te occultè interficiam. *P. Nauar. c. m.* 375. *Bannes* 2.2. *q.* 64. *ar.* 7. *dub.* 4. defendũt probabiliùs esse, licere talem è medio tollere: quia si contumeliæ possunt armis impediri, ergo etiam detractiones. Hæc sententia, quamuis speculatiuè probabilis esse possit, in praxi tamen non admittitur, quia multis occultis cædibus cum maga Reip. perturbatione præberet occasionem; Vide *Dianam tr.* 5. *misc. ref.* 97. *p.* 3. *& p.* 5. *tr.* 4. *ref.* 7. *& tr.* 13. *ref.* 27. *Less. c. n.* 81. *Bonacina c. p.* 10. *n.* 8.

25. Non est licitum acceptare duellum, practicè loquendo, etiamsi recusando videatur aliqua infamia imminere apud

eos cum quibus viuitur: quia recusans duellum nullum honoris sui iacturam facit apud Christianos, & pios homines; vnde ille, cui duellum offertur, potest honori suo consulere dicendo, se paratum fore duellum acceptare, si per Ecclesiæ decreta liceret, & non esse hominis, Christiani, neque nobilis exponere se perpetuæ infamiæ quam incurrunt decertantes in duello, quod si alia ratione honesta inuadatur se non de futurum Christianæ virtuti, & honori suo *Valentia to. 3. q. 17. punct. 1. d. 3 Clauis reg. lib. 7. c. 13. num. 13. Lessius c. n. 83. 84. Rodriques c. c. 136 n. 1.*

26. Quidam volunt clericos, religiosos, & infimæ conditionis homines, peccare solùm contra charitatem, si alapa percussi, vel iuste, vel quocumque alio modo inuasi repercutiant & occidant inuasorẽ, cum absque periculo vitæ fugere possint. Ita *Lessius citat. numer. 86. Iulius Clarus de homicidio num. 32. Diana p. 5. tract. 4. ref. 49.*

Sed alijs probabilius videtur, & meritò prædictas personas peccare etiam contra iustitiam, quando fugere possunt sine graui incommodo: quia tunc licita est solum secundùm iustitiam hominis occisio, quãdo necessaria est ad vitã tuendam, vel ad vitandum graue damnum: clericus enim, & aliæ prædictę personæ, nulla subeunt ignominiam fugiendo, & patienter iustinendo, ergo peccant contra iustitiam inuasorem repercutiendo. *Clauis reg. libr. 7. cap. 10. n. 28. Rodriques c. 135. nu. 13. P. Nauar. c. n. 389.*

Propterea notandum est ex *Malderus. 2. 2. tract. 3. c. 1. dub. 32.* numquam licere etiam aut furiosum inuasorem interficere, quando potes fugere, quia talem fugere non est probrosum, sed potius, non fugere. Item tenẽtur fugere filij patrem, & auũ, frater minor natu fratrem maiorem, fuga enim istorum non timidat, sed pietati adscribitur. Tamen quando ex fuga magis periclitaretur inuasus, quã si non fugeret, quia aggressor maiores vires assumeret aut à tergo ita fugiens, facilius interficeretur, vel incideret in insidias ei paratas, non teneretur fugere, esto esset persona Ecclesiastica, aut alia cui fugere non esset dedecus. Ita *Molina t. 4. tr. 3. disput. 17.*

27. Licet vitam proximi, quæ ab alio priuata authoritate inijcitur, tueri etiã cũ interfectione inuasoris, si aliter defendi nequit quia possumus cooperari ad bonum, & suscipere: patrem innocentis: innocens in hoc loco dicitur, non solùm ille qui non inuasit, sed etiam ille, qui licet dederit causam inuasionis aut inuaserit à principio, vult nihilominus postea desistere ab inuasione, imò charitas ad hoc obligat, quando sine graui incommodo nostro, vel alterius id fieri potest: idque verum est, etiamsi ille nollet defendi sed velet se pati occidi: idem dicendum quando pudicitia, honor, & fortunæ proximi nobis sanguine innecti inuaduntur, & opem nostram flagitat, quia iniuria quæ sit personæ nobis coniunctæ, in nos redundat. *Clauis reg citat. num. 35. Salon. 2. 2. quæst. 64. art. 7. Sa v. homicidium num. 16. Bonacina c. p. 11. D. Antonin. 3. part. tit. 4. c ap. 3. §. 2. Diana p. 3 tract. 4. resolution. 19. Malderus 2. 2. tract. 3. cap. 1. dub. 15.*

28. Nemo tenetur tueri vitam hominis priuati cum probabili periculo vitæ suæ etsi iure possit, si velit, quia non teneor exponere vitam meam pro vita corporali proximi: possum enim diligere vitam meam præ vita cuiusuis alterius priuati, secus est, si persona Principis periclitetur, vnde pendet bonũ. Respondeo *Notandum* tamen hic est priuatum non teneri defendere vitam alterius priuati, quando non potest sine occisione inuasoris, quia vbi mala sunt paria, nemo tenetur alterum infere, vt excludat, alterum præsertim cum id fieri nequeat, nisi per proximi occisionem. *Tamen* nos teneremur exponere bona externa, quæ non sunt nobis necessaria ad saluandam vitã, pro saluanda vita proximi. Vide *Lessius c. dub. 23. nu. 90. 92 Molina c. disput. 18. num. 1. & 2. Reginald. l. 25. cap. 6. num. 71. Diana c ref. 19. & 28.*

29. Qui non defendit vitam vel fortunas proximi, dum commodè, potest peccat quidem mortiferè contra charitatem, non tenetur tamen ad restitutionem, nisi ex iustitia teneatur defẽdere, qui verò tenetur succurrere ex officio proprio, peccat etiam contra iustitiam non succurrendo lege autem iustitiæ tenentur superiores, vt Princeps, Magistratus, Prætor iuxta modum regiminis sibi præscriptum: similiter tenetur tutor, curator, & alij, qui adhoc conducti sunt, vt famuli, milites, feudatarij. *Lessius citat. num. 93. Bonacina citat. num. 10. & 11. Diana p. 5. t. 4. ref. 20.*

30. Potestas publica potest mutilare malefactores, sicut & occidere: homine autem licet sibi amputare membrum vel membri partem: quando illius amputatio necessaria est ad salutem totius corporis; imò in tali euentu extat obligatio amputandi, si dolores sint exigui, ita iudicante medico: quia tenetur quisque vitæ suę periclitanti medijs ordinarijs non admodum difficilibus opitulari, si tamen ingentes essent cruciatus tolerãdi, non tenetur permittere, neque etiam potest ad hoc cogi, nisi quando quis est Reipubl. valde necessarius: tunc ob bonum publicum tenetur, & potest cogi à Reip. quia bonum publicum præferendum est priuato *Toletus l. 5. c. 6. n. 7. Sa verb. homicid. n. 24. Molina tom. 4. tractat. 3. disputat. 10. numer. 2. Sotus l. 5. q. 2. artic. 1.*

31. Ob sanitatem spiritualem, vt ad vitandas carnis tentationes, & ad peccatum fugiẽdum, non licet sibi membrum, vel membri partem mutilare, quia membri amputatio non est medium necessarium ad salutem animæ: non enim membra adferunt homini perniciem, sed malitia, & negligentia libertæ voluntatis: nec refert aliquos sanctos, hoc feciſſe, quia id ex diuina inspiratione, vel probabili ignorantia fecerunt: Licitum tamen est membrum affligere, & sanguinem per afflictionem eruere, quantum sufficit ad superandam tentationem, modò non sit periculum amissionis alicuius membri, aut vitę *D. Thom. 22. quæst. 63. artic. 1. ad. 3. Can. 22. Apostolorum Molina cit. disp. 9. Toletus c. Lessius citat. dub. 14. num. 98. Sylvius 2. 2. quæstion. 75. art. 1.*

32. Secundũ probabiliorem Doctorum sententiam, licitum est sibi membrum amputare iubente iudice, vel tiranno alioquin minante mortem; quia pars periculo exponitur, vt totum conseruetur: vnde qui catena ferrea detinetur in carcere occidendus vel flammis est comburendus, vel occidendus à latronibus, vel à feris vorandus, potest sibi membrum amputare vt se liberet à vinculis, & vita conseruet non liceret autem sibi membrum secare si hoc imperaret Tyrannus ob causam religionis, verbi gratia, quia fecisti Sacrum, iuberet vt tibi abscinderes manum: quia hoc faciendo videreris punire, & improbare factum tuum. *Bonacina citat par. 9. num. 4. Toletus lib. 5. cap. 6. Diana p. 5. tract. 4. resolut. 32 Tannerus 22. disputation. 4. quæstion. 3. dub. 5. numer. 100. Emmanuel Sa citat. n. 24. Lessius c. num. 101.*

De homicidio, vide v. *Bannitus, Censura, n. 26. Charitas nu. 20. Irregularitas. 6. Beneficium 7. n. 3.*

HOMICIDIVM II.

De homicidio casuali, & an inducat obligationem restitutionis.

SVMMARIVM.

1. *Quod dicatur homicidium casuale, & obligans ad restitutionem.*
   Et an adulter sit reus homicidij si maritum adulterã occidat cum moderamine.
2. *An mors vel damnum alicui tertio ex alterius maleficio obueniens huic imputetur, si illud damnum nec in se nec in causa fuerit volitum?* Refertur duplex sententia.

1. HOmicidium casuale dicitur quod omninò casu fit, prẽter voluntatem operantis. Dupliciter potest dici casuale 1. quod non est directè intentum, siue sit aliquod modo voluntarium, quod vocatur mixtum, siue sit pure fortuitum, & casuale. 2. homicidium proprié, & pure dicitur casuale seu fortuitum, quod ex aliquo opere nostro prẽter intentionem euenit, ita vt nec directè, nec indirectè censeatur volitum, id est, nec in se, nec in sua causa. Ad hoc autem duò requiruntur, *Primo* vt non vaces operi, quod tibi sit prohibitum, aut illicitum, quia periculosum. *Secundo*, vt debitam negligentiam adhibeas, ne quem lædas; si enim eam non adhibeas, operi periculoso incumbens censeris saltem in tua causa voluisse homicidium *D. Thom. 22. q. 63. artic. 8. Sylvius ib. Caietanus ib. ad 2. Lessius l. 2. c. 9. d. 15. Sayrus de cens. l. 7. c. 5. & 6. Clauius reg. lib. 7. c. 14.*

His positis dicendum est Homicidium pure fortuitum seu ca-

'aſuale, non obligare ad vllam reſtitutionem; quia nullum eſt peccatum, eſt enim prorſus inuoluntarium, vtpotè nec in ſe, nec in ſua cauſa intentum. Homicidium verò non purè fortuitum, proueniens, ſcilicet, ex eo quòd quis in opere ſuo non adhibet ſufficientem, & debitam diligentiam, obligat ad reſtitutionem, aliquando ſub mortali, aliquando ſub veniali. *Bonacina de reſtitut. diſput. 2. quæſt. vlt. ſect. 2. p. 2. num. 3. & 5. Leſſius c. num. 103. 108. & 109. Caietan. c. art. 8. Diana p. 5. tract. 4. reſol. 46.* Ratio, quia hoc homicidium eſt peccatum iniuſtitiæ mortale, vel veniale, pro ratione negligentiæ voluntariæ, ſeu voluntariæ omiſſionis diligentiæ, quam vel ratione operis, quod hic & nunc aliquis facit, vel ratione officij tenebatur adhibere; ergo ſimiliter obligatio ad reſtitutionem naſcens ex hoc peccato, aliquando erit ſub mortali, aliquando ſub veniali. Tale eſt homicidium ſecutum ex deiectione tegulæ, quando deeſt ſufficiens cautio. Item homicidium ſecutum ex negligentia magiſtratus in vrbe, vt docet *Claus reg. c. n. 7.*

Porrò ſi quis incumbat rei prohibitæ vel illicitæ, eò quòd periculoſa ſit, tamen adhibeat debitam diligentiam, etſi homicidium inde ſecutum, quadam ratione cenſeatur peccatum, non tamē peccatum iniuſtitiæ, nec obligat ad reſtitutionem: vt ſi clericus venetur, cum ſcopetis, vel telis periculoſis, & hominem caſu interficiat, adhibita tamen diligentia neceſſaria ne quem læderet, peccat quodammodo illa occiſione, volendo eius cauſam, quæ erat illicita, eò quòd eſſet via ad læſiones & homicidia, non tamen peccat peccato homicidij, aut iniuſtitiæ, ſed peccato contra religionem, quia facit id quod dedecet ſanctitatem ſui ſtatus. Ratio, quia venatio periculoſa, quæ fit cum debita circumſpectione, non ideò eſt prohibita, quòd per eam fiat iniuria proximo: alioquin etiam laico eſſet prohibita, ſed quia dedecet ſtatum ipſius illa militaris exercitio, ex qua interdum mortes hominum quamuis inculpatè eueniunt. *P. Nauarrus de reſtit. l. 2. cap. 3. num. 362. Filliucius tract. 29. cap. 7. quæſt. 5. & 6. Bonacina ut. p. 2. num. 5. Leſſius c. dub. 15. num. 104. Henriq. l. 14. c. 16. n. 1.*

Denique non eſt reus homicidij, & occiſio illa cenſetur fortuita, qui commiſit adulterium & præuentus à marito adulteræ, illum occidit cum moderamine: Ratio eſt, quia neque eſt culpabilis in cauſa, cùm adulterium ſit cauſa tantum remota, & occaſio, non enim eſt via ad occiſionem mariti, ſed potiùs adulteri: & hoc verum etiamſi antequam accederet ad adulteram, ſuſpicatus ſit hæc incommoda ventura, *Bonacina c. p. 2. n. 6 Leſſius ut. num. 106. & 107. Filliucius tr. 29. num. 35. Diana p. 5 tr. 4. reſol. 47.*

2. Dubium eſt, an damnum quod tertio alicui obuenit ex eo, quod alterum occiderim, mihi imputetur ad ſatisfactionem; verb. gratia clam peremi Petrum, & Paulo ex ſuſpicione homicidium illud imponitur ex eo quod inimicus Petri ab omnibus haberetur? Reſpond. *Primò*, ſi non ea intentione intuliſti dānum alteri, vt inde Paulo damnum accideret, ſed per accidens ſecutum eſt, te id non aduertente, non teneris Paulo ad reſtitutionem, nec eius hæredibus. Ratio eſt, tum, quia qui occidit inimicum ſuum, non tenetur ex iuſtitia cauere ne alius accuſetur, nec ideo tenetur ex iuſtitia ab hoſte ſuo perſequendo. Tum quia tale damnum merè per accidens euenit tertio, non ex actu eius, qui occidit, ſed ex actu accuſatorum & falſorum teſtium. Tum quia tale damnum rarò euenit; ergo non tenetur aduertere illud euenturum, ergo non tenetur ad reſtitutionem. Ita *P. Nauarra lib. 2 c. 1. num. 77. Sotus de iuſt. lib. 4. qu. 6. art. 2. Leſſius lib. 2. c. 9. n. 110.*

Dico *Secundò*, Si præuideat ex ſua actione damnum tertio euenturum ex aliorum malitia, ſed id nullo modo intendit, probabilius eſt illum etiam in hoc caſu nō teneri ad reſtitutionem. Prob. quia quando ex aliqua actione ſequitur damnum tertio, non ex natura actionis, vel vt plurimum, ſed ex malitia vel ignorantia aliorum, quæ ſe immiſcet, non cenſetur illa actio iniurioſa tertio. Ita *Sotus c. art. 3. ad 4. Lopez tom. 1. c. 63. Nauarrus in man. c. 15. n. 17.* Homicida tamen tunc peccauit contra charitatem præuidens tale damnum tertio ſecuturum occaſione homicidij, quod tenebatur ex charitate euitare.

Dico *Tertiò*, ſi ideò occidiſti Petrum, vt inde Paulo damnum eueniret, quidam putant te teneri de illo damno; quia actio illa, qua Petrum occidiſti, erat etiam detrimentoſa Paulo, & ex intentione nocendi Paulo, eſt perfecta, ergo etiam eſt vera iniuria externa in Paulum. Ita *Sotus* ſupra, *Molina tr. 3. diſp. 86. Corduba lib. 14. 31. art. 3. Turrianus diſput. 11. dub. 3.* Verius tamen eſt contrarium: nam animus, & intentio non facit vt opus ſit iniuſtum, niſi aliàs ex natura ſua & circumſtantijs tale ſit, ergo homicida non tenebitur ad reſtitutionem Paulo, etiamſi intenderit homicidium illi imputandum; cùm obligatio reſtituendi non oriatur ex praua intentione, ſed ex actione externa iniuſta. Ita *P. Nauar c. Leſſius c. num. 113.* Homicida tamen tenetur compenſare Paulo, cui imputatur homicidium, ea quæ coactus fuit tradere hæredibus occiſi pro damno illis proueniente ex homicidio: nam ad hæc tenebatur homicida; nec per hoc, quod alter coactus fuit illa ſoluere, hic eximitur ab illa obligatione, vt aduertit bene *Bonacina de reſtitut. diſput. 2. q. vlt. ſect. 2. punct. vlt.*

HOMICIDIVM III.

De reſtitutione propter Homicidium.

SVMMARIVM.

1. *An teneatur ad reſtitutionem qui ab altero fuit prouocatus ad pugnam, ſi fortè modum exceſſerit? & quid dicendum de illo, qui inuaditur ab altero ſine prouocatione, ſi iuſtam moderationem excedat?*
2. *An ad aliquam teneatur reſtitutionem inuaſus, qui occidit inuaſorem cum moderamine?*
3. *An Mutilator vel homicida qui alium iniuſtè aggreſſus eſt, teneatur ad omnia damna, quæ paſſus eſt occiſus aut vulneratus propter mortem aut vulnus?*
4. *An ex bonis homicidæ omnia damna ex homicidio ſecuta ſarcienda ſint?*
5. *An non ſolum pro damnis pecuniarijs ex læſione vel homicidio ſecutis reſtitutio pecuniaria debetur, ſed etiam pro damno vitæ, vel membri vel cicatricis?* Refertur duplex ſententia.
6. *An aliquid pro expenſis funeris reſtituendum ſit?*
7. *An ex iuſtitia obligetur homicida ad reſtitutionem faciendam pro anima occiſi per orationes, miſſas, eleemoſynas?*
8. *An teneatur ad reſtitutionem, qui interfecit eum qui paulò poſt naturali, vel iuſta morte erat occidendus?*
9. *An hæredes homicidæ vel percuſſoris, teneantur ad reſtitutionem, tam damni naturalis quàm temporalis, ſi ante mortem nō ſatisfecerint? & an teneatur Pater pro homicidio facto à filio?*
10. *An homicida teneatur reſtituere creditoribus defuncti, vel illis quos occiſus alebat ex liberalitate?*
11. *An ſolum obligetur homicida reſtituere parentibus occiſi, filijs, & vxori?*
12. *An ledens ſeu homicida teneatur ad aliquam reſtitutionem, quando læſus vel eius hæredes remiſerunt omne debitum?*
13. *An occidens Petrum, quem putabat eſſe Paulum, teneatur ad reſtitutionem.*
14. *An homicidium vel aliud damnum irrogatum per mācipium ſuum, vel animal, ſibi imputari debeat?*
15. *An homicida & damna quæ inferuntur per triremes Turcarum, debeant imputari remigibus Chriſtianis ibi captis?* Refertur duplex ſententia.

1. QVi prouocatur ab altero importunè ad pugnam licet modum iuſtæ defenſionis excedat, non tenetur ad reſtitutionem, homicidio, vel mutilatione ſecuta, ita docent hodie multi Doctores recentiores, Ratio; quia prouocans videtur ei condonare, cùm facit illi poteſtatem, vt contra ſe agat, quod poterit. Et idem videtur dicendum, quando duo ſe viciſſim prouocant, vel alter alterum, etiam ſimplicibus verbis abſque importunitate, & tali conſenſu pugnam aggrediuntur. Ita *Azor. 3. par. l. 5. cap. 3. quæſt. 7. Salon. 2. 2. quæſt. 62. art. 2. Leſſius lib. 2. cap. 9. dub. 21. Filliucius tract. 32. cap. 8. quæſt. 6. num. 212. Molin. tom. 4. d. 82. Diana part. 5. tract. 4. reſolut. 50. Qui autem* inuaditur ab altero ſine prouocatione, ſi limites iuſtæ defenſionis notabiliter excedat, ita vt mortiferè peccet occidendo inuaſorem ſuum, ſecundùm *Nauarr. cap. 15. num. 24. P. Nauarra lib. 4. cap. 1. n 92. Rodriq. c. cap. 138. num. 2. Vaſques de reſt. c. 2. §. 3. dub. 4.* & pleroſque hoc tēpore, tenetur integrè dāna compenſare.

pensare. Ratio, quia qui ita occidit, facit alteri iniuriam, & est iniusta causa totius damni, sicut qui dolo aut lata culpa est alteri causa damni; licet enim peccatum & iniuria minuantur ex inuasione alterius quoad malitiam, non tamen quoad restitutionem. Sic fur, qui clam accepit mille, non minùs tenetur ad restitutionem, quàm raptor, qui eadem mille vi rapuit, esto fur minùs peccarit, & minorem iniuriam intulerit in auferendo, quàm raptor.

Non est tamen improbabile eum, qui hoc modo inuasus est ab altero, & iustam moderationem excessit, non teneri ad integram saltem damnorum restitutionem; Ratio, quia etsi dānum illatum par sit, quando quis iniustè occidit aggrediendo, vel aperta vi, vel ex insidijs, & quando inuasus rei indignitate occidit inuasorem, & compensatio damni non sit æstimanda ex indignitate rei, vel magnitudine iniuriæ; tamen, qui alterum inuadit videtur ex parte amittere ius ad compensationem damni: nam sibi ipsi est causa mali, alterum iniustè adoriendo: quare si occidatur aut lædatur, sibi ex parte debet imputare. Præterea difficillimum est, iustum temperare dolorem, quare æquum videtur, vt non tam seuerè teneatur omnia damna rependere, idque communis hominum sensus approbare videtur. Ita *Sylvester v. restit. 3. quæst. 2. Gomez. tom. 3. variar. cap. 3. num. 38. Sotus de Iustit. l. 4 quæst. 6. artic. 3. Bonacina de restit. disput. 2. quæst. vltim sect. 2. part. 1. num. 3 Filliucius c. num. 213. Azorius c. quæst. 8. Lessius c. dub. 21. num. 135. Layman l. 3. tract. 3. part. 3. c. 6. num. 5. Sylvius 2. 2. quæst. 62. art. 2 quæst. 3. concl. 7. Diana c. resol. 44.*

2. Qui inuasus ab altero post fugere, vel aliter declinare pugnam, etsi id non faciat, sed sistens gradum, iusta moderatione se defendendo, occidat, non tenetur ad restitutionem. Ratio, quia non peccauit contra iustitiam, sed tantùm contra charitatem, non enim ex iustitia tenebatur fugere, vel à via declinare: nemo enim ex sua malitia, qua vult alterum inuadere, acquirit ius in eum, vt ad fugam teneatur, ita vt nisi fugiat, censeatur ei iniuriam facere, sed solùm tenetur ex charitate fugere, si sine honoris dispendio possit. Imò hæredes inuasoris occisi, tenentur restituere damna, quæ passus est inuasus, qui cum moderamine occidit inuasorem; hæc enim damna iniustè patitur inuasus ob culpam inuasoris. *Molina tom. 4. disput. 81. Bonacina c. Lessius c. num. 136. Petr. Nauarr. l. 2. cap. 3. num. 362. Diana p. 5. tr. 4. resol. 48.*

Præterea si is, quem conuitio, aut iniuria affeci, me inuadat, & ego cum moderamine inculpatæ tutelę me defendam, eumque occidam, non tenebor ad homicidij compensationem. Ratio, quia qui alteri iniuriam intulit, si armis ab eo inuadatur vltionis ergo, potest se cum moderata defensione tueri, quia alter nullum ius habet sic inuadendi priuata authoritate, ergo si eũ occidat, non facit ei in hoc iniuriam, cùm alter non amittat ius defendendæ vitæ suæ. Contra *Nauarrum cap. 15. num. 7. Rodriques 1. p. cap. 135. num. 2. Molin. c. num. 5. Bonacina cit. num. 5. P. Nauarr. c. Lessius c. num. 137.*

3. *Mutilator*, vel *homicida*, qui alium iniustè aggressus est, tenetur ad omnia damna, quæ passus est occisus, aut vulneratus propter mortem aut vulnus? verbi gratia ad damnum emergens & integras expensas factas in curatione morbi, ad lucrum etiam cessans causa vulneris: *quia* iniusta sua actione fuit causa efficax talis damni & cessationis iusti lucri; tamen non est restituendum totum lucrum, quod occisus aut vulneratus consecutus fuisset, sed quantùm illa spes lucri valebat, si quæstum aliquo officio vel artificio faciebat, ijs tamen detractis, quæ ipse consumere solebat, si obijt, vt sunt expensæ cibi, potus, &c. quæ enim ipse consumebat, non possunt censeri in lucris ad hæredes peruenientibus: lucrum enim dicitur, quod supereſt, deductis expensis, verbi gratia, si spes lucri æstimetur 1000. id quod consumpturus erat 500. supersunt tantùm 500. restituendi, verùm quia difficile est, ad vnguem definire quid restituendum sit, expedit adhibere transactionem, & compositionem cum parte, cui facienda est restitutio. *Clau. reg. l. 11. cap. 2. num. 5. & 6. Nauarr. cap. 15. num. 19. Azorius cit. quæst. 2. P. Nauar l. 4. de rest. c. 1. n. 64. Molin. c. d. 81. Couarr. l. 2. var. c. 10. num. 7. Sylvius 2. 2. quæst. 62. art. 2. quæst. 3. concl. 3. Diana p. 5. tr. 4 resol. 53.*

Nota tamen in hac restitutione pro spe lucri facienda ad arbitrium prudentis, non esse detrahendam æstimationem laboris, quia si æstimationem laboris detrahamus, vix aliquid supererit restituendum, nam sæpè lucrum non est maius, quàm æstimatio laboris: neque hæc spes lucri futuri æstimanda est, ex ætate sexaginta annorum, ad quam occisus peruenire potuisset, sed iuxta probi & prudentis viri iudicium, considerata præsenti ætate, sanitate & viribus, quibus vlteriùs putabatur vitã productus. *Arragon. 2. 2. q 62. art. 2. Vasq. c. dub. 2. n. 6. & dub 3. nu. 7. Lessius c. dub. 20. Filliucius tr. 32. n. 202. & 203.*

4. *In rigore*, omnia damna ex homicidio secuta, ex bonis homicidæ sarcienda sunt, etiamsi homicida pœnam talionis sustinuerit: quia pœna infligitur, à iudice, non vt damnum parti læsæ compensetur, sed vt iniuria Reipub. & legibus illata vindicetur, alijsque terror incutiatur. Ita *Azor. c. l. 5. c. 3. q. 6. Sàv. homicid. nu. 18. Nauar. c. 15. n. 22. Contrarium* tamen est probabile, nempe hæredes homicidæ, quando ipse in corpore plexus fuit in conscientia non teneri quidquam soluere, nisi hæredes occisi id exigant. Ita habet vsus, & docet etiam *Diana part. 5. tract. 4. resol. 60.* post *Salon 2. 2. quæst. 62. artic. 2. Angel. v. homic. Filliucius c. n. 204.*

5. Secundùm probabilem multorum Doctorum sentẽtiam, non solum pro damnis pecunarijs, ex læsione vel homicidio secutis, restitutio pecuniaria debetur, sed etiam præcisè pro damno vitæ, vel membri, vel cicatricis, idque arbitrio boni viri, quia licet damnum corporale, aut personale, nequeat pecunia, vel alia re temporali compensari ad commodam æqualitatem, tamen non cessat obligatio illud compensandi modo possibili; vnde reddendum erit id, quod secundùm moralem æstimationem, & iudicium prudentum videri potest sufficiens. Ita *Clau. reg. l. 11. c. 2. n. 10 Valent. to. 3. d. 5. q. 6. p. 5. Sylvester v. rest. 3. q. 2 §. 1. Arragon. 2. 2. q. 62. ar. 2.*

Alij tamen probabilius esse docent, pro vita vel membro, vel cicatrice hominis liberi, nihil esse formaliter, & ex iustitia restituendum in conscientia; quia restitutio, quæ debetur ex iustitia commutatiua; fieri debet ad æqualitatem iuxta rei æstimationem; liberum autem corpus, & membra hominis nullam recipiunt æstimationem. Ergo. Fieri tamen potest, vt obligetur ex quadam æquitate, & charitate ad aliquam pecuniariam satisfactionem, si hæredes sint pauperes, & non putentur mœrorem aliter deposituri, & ipse eam sine graui incommodo possit præstare; hinc si vir nobilis aut alius occisus sit, qui nihil lucri faciebat, nihil restituendum præter expensas in medicos, si quæ sint factæ. Ita Doctores hic citati. *Nauar. cap. 15. num. 22. Lessius c. dub. 23. P. Nauar. l. 4. c. 1. n. 80. Bonacina c. num. 10 Vasques c. §. 3. dub. 6. num. 17. Layman l. 3. tract. 3. p. 3. c. 6. num. 2. Sylvius 2. 2. quæst. 62. art. 2. quæst. 3. concl. 1. Filliuc. tr. 32. num. 200. & 201. Diana p. 5. tr. 4. resol. 54 & 61.*

6. Nihil pro expensis funeris ordinariè restituendum est, quamuis contrarium affirmet *Nauarrus*, quia nullum ex hoc capite illatum est damnum; nam si occisus periisset morte naturali, adhuc fuissent factæ expensæ. Ita etiam *Diana p. 5. tr. 4. resol. 53.* ex *Lessius cit. dub. 24. Bonacina c. n. 11. Filliuc. tr. 32. num. 199.*

7. *Ex iustitia* non obligatur homicida (secundùm communiorem sententiam *Molina c. d. 84. n. 10. Rodrig. c. 138. n. 8. Sotus l. 4. q. 6. ar. 3. Azor. 3. p. l. 5. c. 3. Filliuc. c. n. 205. Sylvest. v. rest. 3. q. 2.* & aliorum) ad restitutionem faciendam pro anima occisi per eleemosynas, orationes, Missas, &c. quamuis sit salubertimum consilium, & æquitas naturalis videatur quodammodo id postulare, *vnde* meritò pro satisfactione Sacramentali, potest *illi* à Confessario iniungi; *ratio* autem est, quia bonum spirituale non potest esse pretium rei temporalis: ergo non potest ex iustitia deberi pro damno vitæ. Ita etiam *Diana part. 5. tract. 4. resolut. 55.*

Sed dices hæc deberi non pro vita, sed quia occisus priuatus est facultate merendi, & satisfaciendi? Respond. illa facultas merendi est irreparabilis, nec enim meum meritum potest alteri donari, ita vt fiat meritum ipsius: satisfactio tamen alteri communicari potest; vnde videtur ex iustitia deberi, si verisimile erat, occisum in hac vita satisfacturum fuisse; ille enim iniustè ab hoc bono impeditus fuit, ergo homicida tenetur satisfacere pro hoc damno, maximè cùm hæc satisfactio commodè fieri possit. Ita docet P. Nauarra *lib. 4. capit. primo num. 44.* videtur tamen hæc obligatio non ita esse in vsu.

8. Qui interfecit eum, qui paulò post, naturali vel iusta morte erat occidendus, non tenetur ad restitutionem, quia homicida nullum damnum pecuniarium censetur intulisse, occisus enim nihil lucratus fuisset tam breui tempore: contrariũ tamen dicendum est de eo, qui occidit alium, qui paulò post iniustè occidendus erat à latrone, vel ab alio; his enim tenetur

ad

ad restitutionem, quia iniustè occidit, & damnum intulit; sicut alter, si interfeciſſet, obligatus fuiſſet. *P. Nauarr. l.4.c.1.nu.78. Vaſques c.d.3.n.8. Leſſius dub.20.n.131. Filliuc. c.n.204.*

9. Hæredes homicidæ vel percuſſoris tenentur ad reſtitutionem, tam damni naturalis, quàm temporalis, ſi ante mortem non ſatisfecerit, ſicut etiam tenentur ſoluere debita, quæ occiſor debuit ex iuſtitia aut ex contractu, modò homicida reliquerit bona libera, in quibus hæredes ſucceſſerunt; quia obligatio reſtituendi eſt realis; obligatio autem realis tranſmittitur ad hæredes: *Ad huiuſmodi* autem reſtitutionem, non tenetur Pater pro homicidio facto à filio, niſi filius habeat bona caſtrenſia, vel quaſi: quando autem bona homicidæ confiſcata ſunt. *Nauarr. c.15.nu.25. Reginald. l.10.n.320. Claus reg. l.11.c.2.nu.19. Arragon. 2.2. quæſt.62.ar.2.* dicunt fiſcum teneri ad reſtitutionem.

10. Probabile eſt homicidam non teneri reſtituere creditoribus defuncti, nam creditor non eſt ita coniunctus debitori, vt damnum quod huic fit, debeat cenſeri creditori, nam per accidens ſeu ciuili modo ei cohæret: probabile etiam eſt non teneri illis, quos occiſus alebat ex liberalitate; quia interfectus nõ tenebatur, ergo nec interfector, cùm ipſi non cenſeantur vna perſona cum interfecto. *Sotus l.4.q.6.art.3. Valent. tom.3.d.5.qu.6.p.5.§.1. Leſſius c.d.26.nu.151. Diana p.3.tract.6.miſc.reſol.54. & p.5.tr.4.reſ.56.57. Filliucius c.n.209.*

11. Homicida tenetur reſarcire damnum emergens, & lucrum ceſſans ex homicidio, parentibus occiſi, prolibus, & vxori. Ratio, quia parens & filius cenſentur vna perſona, ſimiliter maritus & vxor; quare qui occidit Petrum, is vxori, filijs, & parentibus damnum infert: nam veluti partem quamdam abſcindit, à qua illis proueniebat ſtrictiſſima obligatione vtilitas: quare ſi filius ſit occiſus, & parens debebat ſuccedere, eò quòd interfectus carebat prole, ipſi reſtitutio eſt facienda: ſimiliter ſi filius debebat parentem alere. Idem dicendum de vxore & filijs, ea enim commoda vxori, filijs, & parentibus rependenda, quæ occiſus præſtare debuiſſet. *Claus. reg. l.11.c.2.n.15. Sotus l.4. de iuſtit.q.6.ar.3.ad 3. Bonacina de reſt.d.2.q.vlt.ſect.2.p.vlt.n.2. Filliuc. tr.32.n.207. Reginald. l.10.n.314. Molina diſput.83.n.6. Layman l.3.tract.3.p.3.c.6.num.3. Sylueſter 2.2.q.62.art.2. quæſt.4. concl.1.*

Tamen probabile eſt, iuxta *Filliuc. tr.32.c.8.qu.5.n.207. Sot. Salon, Bonauent. Lopez. cum Leſſio lib.2.c.9.dub.26.nu.157. Diana p.5.tr.4.reſ.59.* & alios homicidam non teneri vxori, ſi illa nullum notabile detrimentum accepit, vel ſi æquè commodè poteſt nubere; tunc enim, non cenſetur in rebus, pecunia æſtimabilibus læſa; neque parenti occiſi niſi fortè ſit hæres, vel filius occiſus illum alebat, & aliunde ei non ſit proſpectum. Quia alioquin non cenſetur in re ſua læſus, ita vt damnum pecuniarium acceperit.

Porrò ſi interfectus tantùm habeat fratrem, qui non ſit neceſſarius hæres, ſed ſolùm ab eo alatur, futurus hæres ab inteſtato, probabilius eſt nihil illi fratri eſſe reſtituendum, nec cæteris cognatis, præter expenſas factas in curatione vulneris: Ratio prioris, eſt, quia fratres non cenſentur vna perſona cum occiſo, poſſuntque hæreditate excludi, nec homicida directè vult illis inferre iniuriam. Ratio poſterioris eſt; quia iſti ſuccedunt in iura, quæ defunctus habebat ante mortem, defunctus autem ius habebat ante mortem ad expenſas factas in curatione vulneris, *Bonacina c.p.vlt.n.3. Filliuc. tr.32.cap.8.nu.208. Layman c.n.3. Salon 2.2.q.62.art.2. Diana tr.6.miſcel.reſol.22.p.3. Sylueſter 2.2.q.62.art.2.q.4.concl.2. Nauarr. in man.c.15.nu.24. P. Nauarra l.4. de reſt.c.1.dub.10.nu.76. Panormit. in c.1. de iniur. & damno dato, n.6.* tamen & alijs placet abſolutè eſſe reſtituendum fratri, & alijs hæredibus: quia hi iacturam & damnum ab homicida patiuntur inuiti, ſicut ſi quis velit mihi donare aliquid, & tu cogas illum iniuſtè, vt nec donet, nec donare poſſit, illi & mihi facis iniuriam, ac proindè mihi donationem compenſare debes: cùm ergo violenter & iniuſtè homicida, occidendo alterum, det cauſam efficacem mei damni, vel lucri ceſſantis, idque ſcienter, tenebitur mihi aliquid reſtituere compenſationis ergo; tantòque plus, quantò certiùs erat lucrum, & beneficium, à quo inuitus excidi; nec dicas me non habere ius ſtrictum ſaltem pietatis, ſicut habent filij & parentes, quia ſaltem probabiliter expectabam aliqua beneficia & alimenta, niſi me tua iniqua machinatione impediuiſſes. Hæc ſententia non eſt improbabilis.

12. Iuxta communiorem Doctorum ſententiam, lædens ſeu homicida non tenetur ad aliquam reſtitutionem, quando læſus vel eius hæredes remittunt omne debitum. Ratio, quia filiis & vxori non fit iniuria per homicidam, niſi quatenus læduntur in ſua parte, contra voluntatem iſtius partis, ergo quãdo hæc pars condonat omne damnum, nullum ijs ius remanet; ſicut enim per eum ius acquirunt, ita etiam amittunt; erit tamen graue peccatum, ſi filijs valde egentibus, parens condonet occiſori omnem reſtitutionem, valebit tamen in conſciẽtia, niſi certæ alicuius portionis v.gr. tertiæ, quartæ vel quintæ diſpoſitio alicubi lege poſitiua, non permitteretur ei; tunc .n. non valeret remiſſio, niſi ſecundùm hanc moderationem. Deinde fieri poterit, vt homicida ex charitate teneatur, etiam poſt factam remiſſionem, aliquid prolibus, aut vxori reſtituere, vt ſi ſint valde pauperes facti ex illo homicidio, & homicida commodè poſſit illis ſuccurrere. *Claus regia l.11.c.2.nu.17. Molina tom.4.diſp.81. Filliucius c.n.210. Bonacina c. de reſtit. p.1.n.16. Bannes 2.2.quæſt.62.art.2. Salon. ibid. controuerſ.9. Gomez 3.var.c.3.de homic.nu.54. Leſſius cit.dub.26. nu.158. Diana p.5.tr.4.reſ.58.*

13. Non excuſatur à peccato mortali iniuſtitiæ, & tenetur ad reſtitutionem, occidens *Petrum* quem putabat eſſe *Paulum*: quia hæc actio eſt iniuſta contra *Petrum*, licet falsò putetur *Paulus*; tum quia, qui comburit domum *Petri*, quam putabat eſſe *Pauli*, tenetur ad reſtitutionem: ergo idem dicendum eſt in ſuprà dicto caſu; tum quia ita habetur in iure. *L. eum qui nocentem 4.§. ſi iniuria ff. de iniurijs.* Ita *Molina to.4.diſp.30.& 53. Sanches de matrim.l.9.d.32.n.27. Conarr.1.p.c.Alma §.10.nu.15. Gomez 3.variar.c.3.n.34.*

14. Homicidium vel aliud damnum irrogatum per mancipium tuum, vel animal, tibi imputabitur, ſi tua culpa lata id factum eſt, & tenebris ad totius damni reſtitutionem; vt ſi iuſſeris, ſuaſeris, impuleris, vel ſi negligens fuiſti in præcauendo; *L. ſi ſeruus ff. de noxalib. act.* neque tunc ſufficit ſeruum vel animal noxæ dedere, ſed totum damnum compenſandum: ſi verò nulla tua culpa interuenerit, non teneris ad totum damnum, ſed ſufficit mancipium vel animal noxæ dedere: liberum tamen tibi eſt, vel damnum compenſare, vel rem quæ nocuit dedere: idque poſt iudicis ſententiam. *Sylueſt. v.reſtitutio 3.q.4. Leſſius l.2.c.9.dub.17.num.119. Diana p.5.tr.4.reſ.52.*

15. Homicida & damna, quæ inferuntur per triremes Turcarum, non debent imputari remigibus Chriſtianis ibi captis: quia hi non tenentur ex iuſtitia abſtinere à remigio, quando flagris aut morte propoſita vrgentur, eſto Turcæ bellent contra Chriſtianos *P. Nauarr. l.3.c.4.n.62. Sanch. l.1. moral.c.7.nu.18. Vaſques de reſt.c.9.§.1.dub.2.nu.39. Leſſius lib.2.c.9. dub.18. Bonac. de reſtit.d.1.q.2.p.10.num.4.5. Reginaldus lib.21.cap.8.nu.119. Azor.3.p.l.4.c.15.q.2. Layman l.2.tract.3.c.13.nu.5. Diana tractat..6.miſc.reſolut.48.ver.6.p.3.* quia remigratio eſt per ſe actio indifferens: eſt enim nauis delatio per mare, qua Turcæ vectores bene & malè vti poſſunt, & ſolùm ex eorum malitia tendit ad necem Chriſtianorum, ergo non peccant contra iuſtitiam, nec tenentur ex iuſtitia abſtinere, quando tam graui ſupplicio adiguntur; ſicut poteſt quis reddere depoſitum, quando timore mortis, vel graui ſupplicio compellitur, licet inde mors alterius ſecutura videatur; in eo enim caſu, non cenſetur cooperari, ſed ſolùm non impedire alterius occiſionem: vnde communiter Doctores excuſant hos remiges ab excommunicatione in Bulla Cœnæ. Secus dicendum de ijs, qui tormenta in Chriſtianos dirigunt, ignem bombardis admouent, & pilas explodunt, aut ſagittas proijciunt, aut alia ratione pugnant contra Chriſtianos, etiamſi hoc faciant metu mortis, nam exercent actionem damnificatiuam intrinſecè malam. Nihilominus fieri poteſt, vt prædicti remiges ex charitate teneantur hoc modo non remigare; vt ſi tam ingentia damna ſequerentur, vt ad ea impedienda tenerentur vitam exponere; ſecus ſi mala ſecutura, non ita ſint magni momenti. *Nauarro c.27.n.63.* tamen *Suares to.5. in 3 par.d.21.ſect.2. Toletus in explicat.bullæ. & Sylueſter 2.2.quæſt.62.art.7. de participante.* verius videtur, abſolutè non licere Chriſtianis remigare contra Chriſtianos; quamuis enim remigare non ſit ex ſe malum, vti nec occidere vel pugnare: hoc tamen facere pro turcis, contra Chriſtianos ſecundum ſe malum eſt: nec refert, quòd mors eis intenterur, debent enim mortem pati potius, quàm ad Chriſtianorum iniuſtam perniciem, Turcis obedire.

HORÆ CANONICÆ I.

Qui teneantur ad horas.

SVMMARIVM.

1. *Quæ sint horæ canonicæ?*
2. *Quot sint horæ canonicæ?*
3. *Clerici sacrorum ordinum, beneficiarij, & religiosi ad chorum professi, tenentur ad horas canonicas.*
4. *An clerici in sacris constituti realiter degradati, excommunicati, suspensi, interdicti, teneantur ad horas.*
5. *An religiosi choro deputati, ex consuetudine teneantur post professionem ad persoluendum diuinum officium? & quid dicendum de Monialibus?*
6. *An nouitius aut conuersus post professionem teneatur ad horas canonicas.*
7. *An religiosus ejectus vel damnatus ad triremes, vel qui professionem emisit in ea religione, qua non est addicta choro teneatur ad horas?*
8. *An teneantur religiosi sub mortali ad horas publicè in choro persoluendas?* Refertur duplex sententia.
9. *An superior religiosorum possit cum ipsis dispensare ratione studiorum aut negotiorum?*
   An religiosus professus ad chorum deputatus, iusta de causa ab Abbate ad conuersorum statum translatus, teneatur ad horas canonicas.
   An conuersi loco horarum canonicarum teneantur sub mortali ad aliquid recitandum.
10. *An habentes beneficium Ecclesiasticum quamuis mansale, vel in commendam, obligentur ad horas canonicas?*
11. *An clericus habens capellaniam quamuis temporalem teneatur horas canonicas recitare?*
12. *An beneficiarius habens beneficium adeò tenue vt non sufficiat ad vitæ sustentationem, teneatur ad officium totum persolendum?* Refertur duplex sententia.
13. *An beneficiarius eximatur ab horis persoluendis, qui cùm non sit sacerdos, maiorem fructuum partem tradit sacerdoti subsituto ad peragenda beneficij onera? aut dum sua culpa beneficij fructibus non recipit?*
14. *An excusetur beneficiarius à precibus canonicis primo & secundo anno, quibus fructus non recipit.*
15. *An beneficiarius teneatur ad horas, qui pro aliquo tempore fructus non percipit? vel qui ob delictum aut alia iusta de causa priuatur fructibus?*
16. *An excusentur ab onere recitandi horas, qui nec per se, nec per suos, vllos fructus percipiunt, nec percepturi sunt?*
17. *An teneatur ad horas beneficiarius qui iniustè ob bellum, vel alia iniusta de causa priuatur omnibus fructibus?* refertur duplex sententia.
18. *An quando beneficium est litigiosum, & plures litigant circa idem beneficium, nullus eorum teneatur ad horas?*
19. *An qui iustè plura beneficia retinet, teneatur in die officium recitare toties, quot sunt beneficia?*
20. *An pensionarius teneatur officium magnum recitare?*
21. *An ante captam pacificam beneficij possessionem beneficiarius obligetur ad pensum horarum canonicarum?* Refertur duplex sententia.
22. *Quas horas dies teneantur beneficiarij vel clerici promoti ad ordinem sacrum recitare, eo die quo beneficij possessionem acceperunt, vel ad ordines sacros ad titulum patrimonij promouentur?*

1. HOræ Canonicæ vocantur illæ preces & laudes, quæ ex præscripto Canonum Ecclesiasticorum, in Ecclesia certis horis diu noctuque canuntur: & de fide tenendum est, hanc formam precandi esse piam & salutarem, ac proinde in Ecclesia retinendam; quia iam inde ab exordio Ecclesiæ, semper fuit aliqua publica precandi & laudandi Deum forma; hæ *horæ Canonicæ* dicuntur officium diuinum, quasi munus & obsequium quod clerici Deo præstant. *Vocantur* etiam officium Ecclesiasticum, quasi cleticorum ministerium & pensum: *item* quia Ecclesiæ præcepto persoluitur, & quia ab Ecclesia est institutum. *Azor tom.* 1. *l.* 10. *cap.* 1. *quæst.* 1. *Lessius l.* 2. *cap.* 37. *dub.* 3. *n.* 41. *Filliuc. tr.* 23. *n.* 86. 87.

2. Verior & communior Doctorum sententia est, *horas Canonicas*, esse tantummodo septem: quia horæ canonicæ non sunt plures, quàm ab Ecclesia institutæ sunt, Ecclesia autem instituit tantummodò septem horas, vt patet ex *capit. primo de celebratio. Missarum*, ad exemplum Dauidis, qui fatetur se tantummodò septies Deum in die laudasse *Suarez tom.* 2. *de religion. libr. quarto cap. sexto numer.* 6. *Reginald. lib.* 18. *Toletus lib. secundo cap. nono.* Tum quia hora canonica vnitatem, vel diuisionem accipit, non à temporis continuitate vel interruptione, sed à communibus terminis, quibus moralis connexio ex Psalmis, Hymnis, & cæteris concluditur. Sed preces, quæ huiusmodi terminis includuntur, solùm sunt septem, ergo, &c. Nec refert, quòd nocte Natalis Domini Missa mediæ noctis interponatur Nocturno officio & Laudibus: quia sicut continuatio temporis non facit vnam horam, ita nec interpositio duas, præsertim cùm rationabili de causa Missa interponatur. Idem dicendum de priuata lectione Nocturni officij; quod licitè, vt passim Doctores tradunt, diuiditur tempore etiam tota nocte à Laudibus; quia interruptio illa non arguit diuersitatem horarum, sed rectè ostendit res valde esse dissimiles. Quod autem tunc oratione diei vel collecta communi nocturnum officium finiatur, hoc fit, vt primæua illius officij, & antiqua institutio nobis repræsentetur, quod olim fortè communi collecta finiebatur, & constituebat horam separatam, non verò, vt iam horam octauam efficiat.

3. *Tria genera* hominum tenentur ad horas canonicas. iuxta *Reginaldus lib.* 18. *numer.* 135. *Nauarr. de oratio. capit.* 7. *Filiucius tit. numer.* 143. *Valentia* 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 2. *punct.* 10. *Azor. tit. cap.* 5. *quæst.* 4. *Sa verb. hora numer. quinto Bonacina de hor. canon. d.* 1. *quæst.* 2. *part.* 3. *numer.* 2. & alios communiter; *Clerici Sacrorum Ordinum*, *Beneficiarij*, *& Religiosi* ad chorum professi. De *clericis Sacrorum Ordinum*, probant Doctores *ex cap. Dolentes*, *de celebratione Missarum*, & ex antiqua & generali totius Ecclesiæ consuetudine, quæ cùm vim legis habeat, sufficit, vt hi obligentur; quia per ordinem sacrum accipiunt in Ecclesia statum, qui ad cultum, & laudes diuinas celebrandas est institutus: *Clerici* verò *minorum ordinum*; vel in prima tonsura constituti, non tenentur ad Horas Canonicas ex præcepto, sed tantùm ad recitationem certorum Psalmorum, bis terve faciendam, cùm Episcopus post ordinationem ipsorum ipsis iniunxerit. An autem Episcopus possit clericis præcipere aliquid singulis diebus recitandum? iuxta communiorem sententiam DD. dicendum est non posse, quamuis contrarium doceant; *Nauarrus* & *Bonacina*, hic citati.

4. Clerici ordine sacro initiati, tenentur ad Horas Canonicas priuatim recitandas, etiam post degradationem realem, vel postquam inciderunt in aliquam censuram excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, quia par non est vt ex delicto commodum referant, & soluantur vinculo obligationis præcedentis; *immò* damnati ad triremes, vel capti à Turcis, non excusantur ab hoc onere, nisi ob impotentiam vel ob aliam iustam causam; *Clerici* autem coniugati ex dispensatione Summi Pontificis, adhuc tenentur ad pensum precum canonicarum, nisi cum eis etiam fuerit dispensatum. *Sayrus de censuris libr.* 2. *capit.* 4. *Suarez de censuris disputat.* 12. *sectio.* 2. *numer.* 16. *Azor tit. cap.* 3. *quæst.* 6. *Nauar. c. num.* 17.

5. *Religiosi* choro deputati, ex consuetudine, vel ex peculiaribus decretis, tenentur post professionem ad persoluendum Diuinum Officium, etiamsi non sint sacris ordinibus initiati; *Idem* dicendum de monialibus choro mancipatis; & hæc consuetudo, secundùm doctrinam ferè omnium, obligat sub mortali; *Toletus libr.* 2. *cap.* 12. *Reginaldus libr.* 18. *numer.* 140. *Suarez de religio. lib.* 4. *tractat.* 2. *cap.* 17. *num.* 9. *Diana de horis canon. resolut.* 17. *part.* 2. & alij quamuis *Caietanus verb. hora Medina de oration. quæst.* 7. de hoc dubitent; vnde *Aragon.* 2. 2. *quæstion.* 83. *artic.* 12. putat non esse peccatum mortale, si bis terve priuatim religiosi omittant; quia hæc consuetudo orta est ex statuto regulari, quod ad peccatum mortale non solet obligare. Idem nouissimè docet Petrus Marchan-

Marchantius in ſuo Tribunali tom. 2. tract. 2 part. 2. tit. 3. ſect. 1. queſt. 2. dicens, Regulares & moniales, quæ ex vi regulæ vel voti ſpeciale præceptum non habent, ſub nullo peccato obligari ad horas canonicas priuatim recitandas; quia conſuetudo illa non habet vim legis, nec recepta fuit per modum legis ad peccatum mortale obligantis, ſed tantum ſub titulo pietatis & ſancti exercitij, quam qui præuaricaretur, indeuotionis & negligentiæ, ſeu defectus feruoris in rebus pietatis argueretur. Hanc tamen ſententiam prorſus improbandam eſſe putat Diana part. 6. tract. 8. reſolut. 12. & ideò meritò correcta fuit apud Emmanuelem Sà, à Magiſtro Sacri Palatij in editione Romana: Et idem Diana part. 7. tract. 11. reſolut. 4. prædictam ſententiam iterum improbat contra Caramuelem in reg. S. Benedicti numer. 1443. docentem Regulares ante præceptionem Sacrorum ordinum, nec ex præcepto, nec ex vi regulæ, neque ex conſuetudine in religionibus recepta teneri officium diuinum perſoluere.

6. *Nouitius* ante profeſſionem, aut conuerſus ante vel poſt profeſſionem, non tenentur ad horas canonicas perſoluendas; quia non eſt vſu receptum, vt conuerſi ad hoc onus obligentur; & nouitij non tenentur, per ſe loquendo, ad onera religionis, nondum facta profeſſione *Rodriq. 1. par. cap. 140. num. 10. Reg. c. num. 138. Leſſius c. num. 49.*

7. *Ad horas canonicas* non tenetur religioſus, qui compellitur ad triremes, vel per ſententiam ejicitur è monaſterio; remouetur enim à ſtatu, in quo conſuetudo inualuit perſoluendi diuinum officium, & transfertur ad ſtatum in quo huiuſmodi conſuetudo & obligatio non reperitur; *Bonacina c. queſt. 2. punct. 2. numer. 3. Sotus lib. 10. queſt. 5. art. 3. Item* religioſus cæcus ordine ſacro, habens facultatem & diſpenſationem viuendi in perpetuum extra monaſterium, non tenetur ad horas. *Sotus de iuſt. lib. 10. queſt. 5. art. 3. Similiter* qui in priori religione tenebatur ad horas, tranſiens ad aliam religionem in qua conſuetudo recitandi officium diuinum introducta non eſt, non tenetur. *Layman lib. 4. tract. 1. cap. 4. numer. 3. Idem* dicendum iuxta *Rodriques cit. caput. 140. numer. 14. Sanch. de matrim. lib. 8. diſput. 8. numer. 11.* de religioſo qui ex diſpenſatione Summi Pontificis vxorem duxit, aut iam exijt è monaſterio, vt illam ducat: de *Monacho* autem cæco è monaſterio ad tempus vel in perpetuum, vel etiam fugitiuo, quidam Doctores probabiliter docent; vt *Sotus, Bonacina* ſuprà citati ad horas non teneri. Sed *Nauarr. de orat. cap. 7. num. 20. Diana part. 2. tract. 12. reſolut. 18. Filiuc. c. num. 154.* & alij communiter exiſtimant probabilius eſſe, ad illas teneri, ne ex ſuo delicto commodum reportare videatur. *Porrò* illi religioſi non tenentur ad horas, qui profeſſionem emiſerunt in ea religione, quæ non eſt addicta choro; quia ex vi profeſſionis ſolius obligantur ſolùm ad tria vota, vt patet in religioſis Societatis IESV, & alijs, qui non choro, ſed aliis piis operibus deputati ſunt. *Vaſq. de benef. caput. 14. §. 1. art. 1. dub. 11. Molfeſius tr. 5. cap. 3. num. 14.*

8. *Religioſi*, regulariter loquendo ſecundùm *Suarez tom. 2. de relig. lib. 4. capit. 10. num. 15. & 16. Fauſt. tract. de hor. can. lib. 2. queſt. 186. Cauſ. ver. hora Bonac. cit. part. 2. numer. 8.* non tenentur ſub mortali ad horas publicè in choro perſoluendas, niſi accedat perſonale præceptum ſuperioris, ſingulis vel particularibus, iuſta de cauſa impoſitum, puta ſi omnes ita negligant chorum, vt diuinum officium penitus in Eccleſia prætermittatur; ex quo *differentia* patet inter religioſos & canonicos, quòd *canonici* ſtrictiùs obligentur ad chorum, cum ob id accipiant beneficium: *religioſi* verò obligentur ad horas ex vi regulæ, quæ obligare non conſueuit, ſub culpa ſaltem graui, ſed potiùs ſub pœna. Nihilominus dicendum eſt, Religioſos ad chorum deputatos, qui à choro ſæpe ſæpius abſunt, per ſe lethaliter delinquere: per accidens tamen, occurrente aliqua iuſta cauſa à ſuperiore approbata, vel approbanda, excuſari à mortali, & veniali. Atque hæc ſententia hic in genere intellecta, communis eſt Theologorum, & Canoniſtarum, quamuis in modo explicandi, quæ ſit notabilis abſentia conſtituens peccatum lethale, nonnihil differant. Ita *Sylueſter, ver. hora num. 12. Armilla ver. hora can. numer. 21. Angelus ver. Hora numer. 25. Graſſus tom. 2. concil. tit. de miſſar. celebr. lib. 3. conſ. 1. diffic. 1. num. 6. March. de ſacram. Ordin. tract. 2. part. 6. diffic. 11.* Probatur hæc ſententia, ex pœnis grauibus latis contra ſubtrahentes ſe à choro: ex grauitate autem pœnæ, colligitur grauitas culpæ. Nam in Conc. Toletano X. excommunicantur abſentes à choro abſque cauſa: at excommunicatio etiam comminatoria ſupponit culpam lethalem; ergo. Et Clemens V. in *Clement. de Miſſarum celebr.* mandat compelli ad chorum clericos Eccleſiæ Cathedralis, ac Regularis, ſiue collegiatæ, etiam per cenſuras Eccleſiaſticas: vides quomodo Clementina Eccleſias Collegiatas ac Regulares æquiparet quantum ad chori obligationem.

Præterea *Clemens VIII.* in decretis pro reformatione regularium datis 25. Iunii 1599. ſtatuit quod, *Nullus omninò cuiuſcumque priuilegij, vel ſuperioritatis etiam Generalatus, à ſeruitio chori cenſeatur immunis, niſi pro tempore, quo quis in proprij officij munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, & Prædicatoribus, ſuperiores, iis tantum duobus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit, diſpenſare poſſint. Idem quoque præſtare valeant cum ægrotis, & ſtudiorum cauſa legitimè impeditis. In eos verò qui negligentes, aut inobedientes fuerint, ſalutari pœnitentia ſuperiores animaduertant ad præſcriptum regulæ, & conſtitutionum, alimenti etiam, ſi opus fuerit, ſubtractione.*

Ex quibus patet, Prælatum Religionis vel Monaſterij, peccare lethaliter, qui abſque grauiſſima cauſa permitteret in propria Eccleſia omitti Primam, aut Nonam, aut aliam horam Canonicam conſuetam in choro decantari: & eodem modo peccare Patres illius conuentus ad chorum deputatos, voluntariè ſe à prædictis horis ſubtrahentes: quia violant conſuetudinem in materia grani, & ipſum ius Pontificium. Non eſt tamen damnanda illorum religioſorum conſuetudo, qui de ſuorum ſuperiorum licentia, certa, aliqua die à choro vacant, vt corpus defatigatum recreent, quò ferentiùs poſtea aliis diebus ad pſallendum ſurgant, dummodo ſaltem duo in choro pſallentes relinquantur, cum de iure canonico Conuentus ſiue monaſterium etiam ex duobus conſtet. Vt innuit Gloſſa iuncta textui *c. 1. 10. q. 1.*

9. Quidam Doctores docent, ſuperiorem religioſum non poſſe, etiam præciſo priuilegio, cum ipſis diſpenſare ex cauſa, verbi gratia, ratione ſtudiorum aut negotiorum; quia cum obligatio recitandi horas ex conſuetudine pendeat, quæ vim legis habet: & ſuperior poſſit in legibus religionis diſpenſare, ita etiam poterit in iſta conſuetudine. Ita *Leſſius cit. dub. 9. numer. 51. Gauantus tom. 2. ſect. 1. capit. 5. tit. 1. num. 6.* Communior tamen ſententia eſt non poſſe; quia non eſt in vſu vt vllus religionis ſuperior in recitatione diuini officii diſpenſet, ergo nullus ſuperior diſpenſare poteſt, *Reginald. lib. 18. numer. 141. Fillucius cit. caput. 9. queſt. 10. Graſſius 1. part. lib. 2. cap. 54. num. 9. Diana par. 2. tract. 12. reſol. 19.* Sed placet mihi quod docet *Suarez cit. lib. 4. cap. 28. num. 41. Quocirca*, inquit, *vnaquæque religio debet ſeruare in hoc ſuam conſuetudinem: & ſi aliqua religio ex vi ſuæ inſtitutionis aliquid circa hoc habet peculiare, illud ſeruare poteſt, ſi per contrariam conſuetudinem derogatum non eſt, vt v. g. in religione S. Franciſci, non conſuetudine tantùm, ſed ex præcepto regulæ, tenentur ſummes profeſſi ad chorum, officium recitare. Si ergo Prælati illius religionis habent ex eadem regula, vel inſtitutione, ſuam generalem poteſtatem diſpenſandi in præceptis regulæ, poterunt etiam in hoc diſpenſare, niſi ſpecialiter excipiatur; vel ordine ſcripto, vel ſaltem conſuetudine, quia tunc non diſpenſant in re communi, ſed in propria.* Hæc ille cui ſubſcribit *Caramuel* in reg. S. Bened. *num. 1351. & ſeq.*

Sed dubium eſt, an religioſus profeſſus ad chorum deputatus, iuſta de cauſa ab Abbate ab Conuerſorum ſtatum tranſlatus, teneatur horas canonicas perſoluere? Reſpon. negatiuè, quia cùm huiuſmodi obligatio Religioſis non proueniat ex vi profeſſionis, vel ex eo, quòd religioſi ſunt ſed tantùmodo ex conſuetudine, & ex eo quòd ad chorum deputantur: Vnde qui ab ipſo choro ſuperioris auctoritate iuſta de cauſa eximuntur, ab obligatione recitandi horas canonicas abſoluuntur; nam remouentur à ſtatu, in quo inualuit conſuetudo diuinum officium perſoluendi, & transferuntur ad alium ſtatum, in quo talis conſuetudo & obligatio nõ reperitur. Ita *Fauſtus in theſaur. relig. lib. 6. queſt. 171. Sotus de iuſtit. lib. 10. queſt. 5. art. 3. Aſorius tom. 1. lib. 10. cap. 6. queſt. 7.*

Dubium ălterum eſt, an conuerſi loco horarum canonicarum teneãtur ſub mortali ad aliquid recitandum? Quidam apud Sylueſtrum *verb. Hora, queſt. 2 num. 3. diſput. 7.* dicunt conuerſos vel Laicos Religioſos teneri loco Horarum Canonicarum ad recitandum aliquid, quòd ſi ex negligentia omitterent, peccarent mortaliter, quia eo ipſo, quòd applicati ſunt totaliter ad cultum Dei, habent beneficium interpretatiuè, ſcilicet,

ſcilicet, viuendi ex elemoſynis, vel reditibus monaſterij, vel de quæſtibus, qui eis conceduntur ab Eccleſia ratione applicationis ad cultum diuinum. Sed mihi dicendum videtur illorum obligationem petendam eſſe ex regulæ præſcripto, quæ ſi nõ obligat ad culpam, neq; in hoc eos ad culpam obligabit, niſi ſpecialiter id exprimat: certum eſt ex regula S.P. Franciſci noſtros laicos Fratres ſub mortali teneri ad recitationem ſui officii, prout in ea præſcribitur. Vide *Suares de relig. tom. 2. tr. 4. l. 4. c. 17.*

10. Iure communi, *beneficiarij*, id eſt, habentes beneficium Eccleſiaſticum, quamuis manuale ſit etiamſi non ſint ſacris ordinibus initiati, regulariter obligantur ad præces canonicas, ſiue beneficium ſit curatum, ſiue ſimplex, ſiue ſit alia præbenda, o tituli clericalis; quia iure naturali quiſque tenetur ad officium, propter, quod beneficium datur officium, autem complectitur horas canonicas: *Concil. Lateranenſes ſeſſion. nona §. ſtatuimus.*

Quædam tamẽ beneficia ſunt quæ ex ſua inſtitutione ad illas præces non adſtringunt, ſed ad horas, Beatę Virginis, vel quinque, *Pater, & Aue*, vel ad pſalmum *Miſerere*, talia ſunt quædam ſimplices Præpoſituræ, vel perſonatus, vel prioratus. *Nauar. de oration. capit. 7. num. 27. & 28. Leſſius c. lib. 2. cap. 34. num. 166.*

Imò tenetur ad horas qui habet beneficium integre in commendam, hic enim quamuis non habeat titulum beneficij, habet tamen illius adminiſtrationem, & ſubſtituitur in locum habentis beneficiũ cum tota obligatione. *Filliuc. tr. 23. n. 175. & 176. Azorius cit. libr. 10. c. 3. q. 6. Malderus tr. 10. cap. 2. dub. 3. quæſt. quarto.*

11. *Clericus* habens capellaniam tenetur ratione capellaniæ horas canonicas recitare, modò capellania ſit collatiua ſeu Eccleſiaſtica: hæc enim nomine beneficij venit: dicitur autem *capellania Eccleſiaſtica*, quæ authoritate Epiſcopi erecta eſt, aut quæ ab Epiſcopo confertur, & eſt conſtituta inter bona Eccleſiaſtica, etiamſi ex bonis ſeu patrimonio laicorum, aut aliorum erecta ſit. Imò Doctores hoc verum eſſe putant etiãſi capellania ſit temporalis & ad nutum amouibilis. *Nauarra de orat. cap. 7. num 27. Suares c. cap. 22. numer. 12. Filliucius cit. num. 154.*

12. Iuxta communiorem, & veriorem ſententiam *Suares cit. cap 21. num. 9. Valent. 2 2. d 6. quæſt. 2. par. 10. Toletus lib. 2. cap. 14.* beneficiarius habens beneficium adeò tenue, vt non ſufficiat ad vitæ ſuſtẽtationem, tenetur ad officium totum perſoluendum: quia beneficiarius ſponte ſua acceptans beneficium, acceptat etiam onus illi annexum: Probabilis tamen eſt illorum Doctorum ſententia excuſens eos, qui valde parũ recipiunt, à quotidiana recitatione horarum, quia qui altari deſeruit, de altari viuere debet: ac proinde, qui Eccleſiæ ſeruit, de eius prouentibus viuere debet: atqui beneficiarij Eccleſiæ ſeruiunt ergo beneficium tribuere debet ſaltem bonam partem moderatę ſuſtentationis, verbi gratia 15. vel 16. aureos, alioquin non cenſentur viuere de Eccleſia: ſecundùm tamen hanc ſententiam, hi tenerentur aliquoties ad horas, puta diebus feſtis, & Dominicis prout ratio dictauerit. *Leſſius c. dub. 31. numer. 169. Filliucius cit. num. 183. Diana tract. de hor. canonic. reſolution. 9. part. ſecunda & part. 5. tractat. 5. reſol. 25.*

13. Non eximitur ab horis canonicis recitandis beneficiarius, ſeu capellanus, qui cum non ſit ſacerdos maiorem fructum, & redituum partem tradit ſacerdoti ſubſtituto, ad peragenda, & ſuſtinenda beneficij onera, aut dum ſua voluntate, aut culpa beneficij fructus non recipit: quia adhuc retinet beneficium cùm ius ad fructus, & onus diuini officij ſit perſonale, afficiatque perſonam iuſtum beneficij titulum habentem, quæ licet de præſenti fructus non percipiat, tamen per ipſam ſtat, cum ius ad illos habeat, vnde qui poſt collationem beneficij reperitur ineptus ad munus beneficij exercendum, & proinde compellitur coadiutorem aſſumere, illique omnes aut ferè omnes fructus beneficij pro munere obeundo tradere, tenetur ad horas, quia habet titulum, & poſſeſſionem beneficij, & per ipſum ſtat quò minus fructus percipiat. *Leſſius c. num. 172. Filliucius c. num. 164. Azor. l. 10. c. 4. quæſit. 8. Vaſq. de benefic. c. 4. art. 1. dub. 3.*

14. Non excuſatur beneficiarius à præcibus his, canonicis, primo, & ſecundo anno, eo quod fructus beneficij horum annorum, in quibuſdam Eccleſijs debeantur fabricæ, vel deceſſori mortuo, vel in alios pios vſus ex conſuetudine, vel ſtatuto Eccleſiæ impendatur. Ita *Suares citat. capit. 20. numer. 11. Bonacina citat. quæſtion. 2. punct. 4. numer. 22. 23. Filliucius cit. num. 171. Leſſius citat. num. 170. 171.* tum quia alterius anni fructus recipiet poſt mortem, alterius verò recipiet per totam vitam, nempe in eo quod alioquin cum cæteris debuiſſet in fabricam impendere, quam ex fructibus ſuorum beneficiorum tenentur conſeruare: tum quia licet fructus materialiter non percipiat, recipit tamen quo ad fructum, & effectũ ſpiritualem, cum in pios vſus impendantur, quamuis hæc ſententia vera ſit tamen ſecundùm *Nauar. de orat. cap. 7. numer. 30. Layman lib. 4. tr. 2. c. 5. num. 4.* non eſt improbabile nouos canonicos non teneri pro anno fabricæ, ſi non eſt in eorum poteſtate vt aliquid ex eo recipiant.

15. *Beneficiarius*, qui capta poſſeſſione, fructus pro aliquo tempore non percipit, ſpem tamen habet alias, recipiendi, tenetur ad horas canonicas *ſimiliter* ille, qui ob delictum, aut alia iuſta de cauſa priuatur fructibus; quia hi titulum habent beneficij, nec ſimpliciter beneficij fructibus carent, cùm ſpes illa pretio æſtimabilis ſit. Quamuis hic non videatur obligandus ad reſtitutionem, ſi officium non recitet: quia Lateranenſe Concil. obligat ad reſtitutionem fructum perceptorum, hic autem nullos percipit. *Reginald. lib. 30. num. 39. tractat. 3. Nauar. in man. cap. 25. num. 103. Suar. citat. n. 15. Molineus tr. 5. c. 3. n. 40. 41.*

16. Excuſantur ab onere recitandi horas canonicas, qui neq; per ſe, nec per ſuos vllos fructus percipiunt, nec percepturi ſunt, ſi per eos tamen non ſteterit, quo minus ſint præcepturis, quia beneficiarij, neque ex ſua vel Eccleſiæ intentione, ſe obligant ad officium, niſi perſoluantur eis ſtipendia ſuſtentationis, propter quę illam obligationem ſuſceperunt. *Nauarr. de oration. capit. 7. numer. 28. Caiet. verb. hora. Leſſius citat. numer. 168.*

17. Valde probabile eſt non teneri, ad horas beneficiarium, qui iniuſtè ob bellum, vel alia iniuſta de cauſa priuatur omnibus fructibus, quamdiu priuatio iniuſta durat, & beneficiarius credit ſe numquam fructus recitationi reſpondentes recuperaturum, quia par non eſt, vt beneficiarius ob iniuſta alterius actione teneatur onus officij recitãdi ſubire, ſine ſpe fructu percipiendorum, & hic caſus videtur per epicheiam exceptus licet contrarium *Filliuc.* & alij ſentiant. Ita *Azor. cit. capit. 4. 4. quæſtion. 6. Suares citat. Garzias 3. part. capit. 1. num. 45. Layman. c. n. 4.*

18. Quando beneficiũ eſt litigioſum, & plures litigant circa idem beneficium, nullus eorum tenetur ad horas, dum nullus poſſidet, quamuis aliquis habeat titulũ, & ſperet ſe victorem futurum in cauſa: quia neuter: habet ius certum in beneficio: cum ius acquiratur per poſſeſſionem pacificam, ſi tamen vnus litigantium pacificè inceperit beneficium poſſidere, incumbit ipſi obligatio recitandi horas canonicas, quia ipſe habet ius, titulũ, poſſeſſionem, & adminiſtrationem beneficij, quamuis fructus beneficij, forte fuerint depoſiti nomine ſequeſtri iudicis authoritate. *Regin. lib. 30. n. 40. Azor. c. c. 4. q. 9. Filliuc. c. n. 160. Leſſius c. n. 163. Suar. c. c. 19. n. 10.*

19. Qui plura beneficia iuſtè, & cum legitima ſuperioris authoritate retinet, non tenetur officium toties in die recitare, quot ſunt beneficia, ſed ſatisfacit vna recitatione: quia licet Eccleſia præceperit beneficiario recitationem diuini officij, non tamen præcepit, vt officium pluries recitetur ab eo, qui plura habet beneficia, vt praxis, & conſuetudo communis indicat: *quando* autem quis iniuſtè, & abſque legitima ſuperioris authoritate plura beneficia retinet: licet directè ex præcepto Eccleſiæ non teneatur ad vllum officium recitandum, cùm nullum cenſeatur habere beneficium, nihilominus ex iuræ naturæ tenetur, quia contra voluntatem Eccleſiæ defraudat Deum Debito obſequio, & ſeruitio, & priuat Eccleſiam officio & miniſterio. Vide *Azor. c. l. 10. c. 4. quæſit. 10. Mald. tr. 10. c. 2. dub. 3. quæſit. 8. Nauarr. in miſ. 60. de oration. Suares citat. cap. 19. num. 10.*

20. *Penſionarius* non tenetur officium magnum recitare, quia penſio non eſt beneficium propriè acceptum, ſed tenetur tantum ad officium paruum Beatæ Virginis ſub eadem pœna, ſub qua beneficiarij tenentur ad recitationem diuini officij, & hoc intelligendum eſt modò penſionarius, vt clericus penſionem percipiat quia titulo ſæculari penſionem percipiens, vt cauſa belli, vel ob tintinnabula pulſanda, vel propter aperiendas fores Eccleſiæ, &c. non tenetur ad magnum, vel prauum officium: tunc autem dicitur vt clericus penſionem percipere,

quando

quando prima tonſura, ſeu ſtatus clericalis requiritur in eo, cui penſio confertur. *Suar. c. c. 22. n. 6. Felliuc. c. n. 173. Reg. l. 30. n. 41. Azor. c. c. 4. q. 3.*

21. *Nauarrus*, & quidam alij docent, beneficiarios obligari ad penſum horarum canonicarum perſoluendum, ab eo tempore quo per collationem, & acceptationem, vel per inſtitutionem, aut confirmationem incipiunt habere eius in re, & beneficium incipit eſſe ipſorum ex illo enim tempore debẽtur illis fructus, etiamſi nondum poſſeſſionem acceperint: hæc ſententia eſt rationi, & iuri valde cõformis nihilominus communior, & probabilior ait, vt videre eſt apud *Nauarr. de orat. cap. 7. num. 29. Suares de religion. libr. 4. capit. 19. num. 7. Rodriq. 1. part. capit. 141. numer. 4. Reginald. libr. 30. numer. 38. Felliuc. tr. 23. n. 158. Azor. cit. cap. 4. q. 7. Diana de horis reſolut. 21. part. 2.* non teneri niſi poſt captam pacificam beneficij poſſeſſionem: quia ſæpe ante initam poſſeſſionem, ius eſt incertum, & multis modis poteſt impediri: ergo par non eſt, vt [illegible] onus certum obligetur hæc ſententia non debet intelligi de iis, qui per induſtriã differunt poſſeſſionem, vt horas non recitent, ſed ſolum de iis, per quos non ſtat quo minus eam capiant. Quod dictum eſt de beneficio, idem dicendum eſt de penſione.

22. Sicut Beneficiarius tenetur ſolum ad recitandas horas reſpondentes horæ in qua beneficij poſſeſſionem accipit, it a clericus, quia ad titulum patrimonij promouetur ad ordines ſacros abſque titulo benefici non tenetur de eo die, quo recipit ſubdiaconatum recitare Matutinum, vel Primam, ſed ſolùm tenetur officium recitare, iuxta horam, in qua promouetur ad ſubdiaconatum idem dicendum de religioſo profeſſo ad chorum deputato, & cum proportione de recipiente penſionem. *Bonacina citat. punct. 5. Suar. citat. capitul. 27. num. 8. Felliuc. c. n. 158.*

HORÆ CANONICÆ II.

Quæ formula ſeruanda in Horis, & quomodo ſint recitandæ.

SVMMARIVM.

1. *An omnes obligati ad horas teneantur eas recitare iuxta præſcriptum Breuiarij Romani.*
2. *An habens priuilegium vtendi breuiario non Romano, poſſit vti Romano relicto proprio ſuæ religionis, vel Eccleſiæ.*
3. *An grauiter peccet recitans horas lingua Hebraica, Græca, aut alia vulgari?*
4. *An ſit mortale peccatum mutare officium vnius diei in officium alterius diei dedita opera*; refertur duplex ſententia.
5. *An qui vtuntur Breuiari Romano Pij 5. teneantur extra chorum ad officium Beatæ Virginis, & defunctorum, ad pſalmos pœnitentiales aut graduales? & quid dicendum de illis qui non vtuntur Breuiario Pij 5.*
6. *An Epiſcopus poſſit præſcribere ſuis ſubditis formam officij recitandi, vbi Romanum Breuiarium non adhibetur?*
7. *An horæ canonicæ ſint recitandæ ſtudiosè, & deuotè? & primum requiſitum vt ſtudiosè recitentur eſt, vt abſque ſyncopa.*
8. *Secundum requiſitum vt horæ ſtudiosè recitentur eſt, vt verba non mutilentur, aut truncatim proferantur, abſciſſis quibuſdam ſyllabis vltimis.*
9. *An recitans cum ſocio ſatisfaciat obligationi officij recitandi?*
10. *An ſatisfaciat obligationi, & debito chori, qui ſuas verſus alta voce canit, alios verò ſubmiſſe recitat.*
11. *An dum plures duobus recitant diuinum officium ſimul, recitandum ſit, ſalto inter recitantes, ſolum duplici choro?*
12. *An qui detinentur in pulſandis organis, vel transferendis libris ex vna parte ad aliam vel in thoro prebendæ, teneantur per ſeipſos illam partem recitare, quæ ab alijs perſoluitur.* Refertur duplex ſententia.
13. *An ſatisfaciat obligationi ille, qui ſub miſſa voce recitat ſuos verſiculos, & audit ſocios canentes ſuam partem? & an talis poſſit diſtributiones in choro percipere? An ſurdus aſſiſtens choro, & cum alijs cantans ſatisfaciat obligationi.*
14. *An in recitatione diuini officij ſeruandus ſit mos, & conſuetudo.*
15. *An recitans priuatim officium teneatur ſeipſum audire?* refertur duplex ſententia.
16. *Tertium requiſitum vt horæ canonicæ ſtudiosè recitentur eſt vt abſque interruptione? & an recitans cum interruptione lethalem culpam incurrat?* refertur duplex ſententia.
17. *An qui interrumpit officium animo repetendi illa, ſatisfaciat præcepto, niſi priora repetat*; refertur duplex ſententia.
18. *An qui officium recitauit animo non implendi præceptum, ſi poſt ea intra tempus obligationis velit officium integrum recitare, teneatur mutare animum, & aliam voluntatis actum elicere, quo velit ſatisfacere, ſeu ſatisfeciſſe præcepto per opus antea præſtitum.* refertur duplex ſententia.
19. *De altera conditione ad horas canonicas vtiè perſoluendas eſt, Deuotè, & ad hoc requiruntur duo.*
Attentio, nempe, & Reuerentia, & quæ ſit attentio.
20. *An in omni oratione, iure diuino naturali requiratur attentio, & reuerentia interna? & an omnis voluntaria diſtractio in oratione ſit peccatum.*
21. *An attentio interna ſit in præcepto, quando obligamur ad orandum ex ſtatuto Eccleſiæ* refertur duplex ſententia.
22. *An actualis attentio ſit neceſſaria ad ſatisfaciendum præcepto diuini officij? & quæ ſit actualis, virtualis, & habitualis attentio.*
23. *An attentio in horis debeat eſſe formalis expreſſa, & explicita.*
An dormitantes in choro dum diuinas laudes canunt, præcepto ſatisfaciunt.
24. *An ſatisfaciat obligationi chori, qui non attendit quando officium cantatur cantu muſicali.*

1. OMnes qui ad horas canonicas obligantur, tenentur eas recitare iuxta præſcriptum breuiarij Romani iuſſu Pij V. editis exceptis Capitulis, & Conuentibus, qui iam à ducentis annis ante editionem illius alio vſi fuerunt: vnde qui alio breuiario à ducentis annis ſunt vſi, vt ſunt multæ illuſtres Eccleſiæ, & ordines Regularium non tenentur ad acceptandum breuiarium Pij V. qui verò minori tempore, tenentur, etiamſi eorum formula à Sede Apoſtolica fuiſſet approbata permittitur tamen in bulla Pij V. Capitulis, quorum Breuiarium ducentos annos antecedit, vt cum Romano illud commutent, ſi Epiſcopus, & Capitulum conſentiant. In monaſterijs autem exemptis, non requiruntur conſenſus Epiſcopi, ſed ſufficit Capituli, & Prælati *Pius. 5. in conſt. quæ à nobis Clem. 8. in bulla cum in Eccleſia.*

2. Habens priuilegium vtendi breuiario Romano, iuxta probabiliorem ſententiam Doctorum non poteſt vti Romano relicto proprio ſuæ religionis, vel Eccleſiæ, dum priuatim recitat extra chorum quia quiſque ſuæ Eccleſiæ, ſe conformare [illegible], debet *Suar. de relig. tom. 2. l. 4. c. 23. n. 2. Vaſq. de benef. c. 4. §. 1. a. 2. dub 1.*

Nihilominus contraria ſententia eſt probabilis modò alicubi non adſit præceptum in contrarium, & ratio eſt, quia nullum eſt ius expreſſum, cur priuatim teneatur ſe magis conformare Eccleſiæ particulari quam Eccleſiæ Romanæ, quæ eſt mater omnium Eccleſiarum, vnde dicitur paſſim eſſe talis conſuetudo. *Leſſius libr. 2. cap. 37. dubit. 12. Sa v. horæ num. 6. Regin. libr. 18. num. 171. Diana de hor. reſol. 10. par. 2. Portel. v. hora can. n. 9.* Imo. *Nauar. cap 25. num. 107.* docet illos, qui nullum habent beneficium, ſed titulo patrimonij ſunt ordinati, quoduis breuiarium approbatum legere poſſe, quia poſſunt ſe cuiuis Eccleſiæ conformare, ſed verius eſt ad Romanum teneri.

3. Recitas horas canonicas lingua Hebraica, Græca, aut alia vulgari, ſine iuſta aliqua, & rationabili cauſa, grauiter peccat, quia facit contra vſitatum Eccleſiæ morem: præciſis tamen alijs circumſtantijs, grauiter non peccaret, & conſequenter

præ-

præcepto satisfaceret quoad ritum substantialem. *Filliuc. tr. 24. numer. 117. Suarez de relig. lib. 4. cap. 7. Bonacina c. quæst. 3. p. 1. nu. 15.*

4. Plurimi Doctores, vt videre est apud *Suarez, cit. cap. 23. num. 12. & 14 Filliuc. cit. numer. 186. Reginald. lib. 18. num. 172. Bonacina cit. num. 17.* existimant mutationem officij vnius diei, in officium alterius diei dedita opera, esse mortale peccatum, & consequenter mutantem non satisfacere præcepto Ecclesiæ: quia mutans officium, non adimplet præceptum quoad substantiam, cùm Ecclesia non solùm præceperit recitationem diuini officij in genere, verùm etiam in particulari, videlicet, vt tali & tali die, tale & tale officium recitetur. Verùm non est improbabilis *Azor. lib. 10. cap. 10. quæst. 2. Lessius cit. dub. 12. num. 77. Valent. t. 3. disputat. 6. quæst. 2. punct. 10. Diana de hor. resolut. 3. Leyman lib. 4. tr. 1. cap. 5. num. 4. Caramuel in reg. S. Bened. num. 1387.* & aliorum sententia asserentium, peccare solùm venialiter, siue mutet in totum, siue in partem; quia secundum illos adimplet præceptum quoad substantiam, quamuis non adimpleat quoad modum; ex qua sententia sequitur eum, qui sponte, aut inaduertenter mutauit officium, non teneri ex præcepto repetere, licet laudabile sit repetere saltem ea, quæ ad proprium officium pertinebant, etiamsi solùm esset hymnus, vel antiphona, vel lectio aliqua.

4. Qui vtuntur breuiario Romano Pij V. non tenentur extra chorum ad recitandum officium defunctorum, nec ad horas paruas Beatæ Virginis, nec ad psalmos pœnitentiales, aut graduales *Navar. de orat. cap. 10. numer. 3. & seq. Valent. cit. punct. 10.* sic expresse decernitur in bulla Pij V. *Quod à nobis.* Excipiuntur tamen Ecclesiæ, in quibus ex consuetudine recitatur officium Beatissimæ Virginis. At Fratribus Minoribus, qui ex præcepto Regulæ tenentur se conformare ritui Romanæ Ecclesiæ, & per hoc consuetudinem non faciunt, non videtur esse in præcepto, post bullam Pij V. vt etiam in choro recitent officium B. Virginis, & Defunctorum, nec non psalmos pœnitentiales, aut graduales, vt bene annotauit Politus noster *ad cap. 3. regulæ S. Franc. num. 17.* Imò idem Pontifex omninò exemit omnes clericos, vtentes breuiario Romano, tàm intra, quàm extra chorum, ab obligatione recitandi officium defunctorum, Psalmos pœnitentiales & graduales: nam loquens solùm de Officio Beatæ Virginis addit, *Hæc autem concedimus sine præiudicio Sanctæ consuetudinis illarum Ecclesiarum, in quibus officium parium Beatæ Mariæ semper Virginis in choro dici consueuerat.* Vnde cùm solùm loquatur de officio B. Virginis solito in choro recitari, clarum est voluisse Summum Pontificem tollere obligationem dicendi officium defunctorum, Psalmos Pœnitentiales & Canticum Graduum in choro, & extra chorum, etiamsi dici solerent. Vt notauit *Arragon* ibidem citandus. Illi verò, qui non vtuntur breuiario Pij V. tenentur seruare consuetudinem sui loci, & Ecclesiæ, eo modo quo consuetudo recepta est. *Arragon 2. 2. quæst. 83. art. 12. Lessius cit. num. 76.* In die Commemorationis omnium defunctorum, recitandum est ex præcepto etiam primatim officium defunctorum: quia est pars officij illius diei. Tum quia omnes obligati ad dicendas horas canonicas in illa die recitant Officium defunctorum; ergo saltem ex consuetudine adest obligatio illud recitandi. Ita 25. Doctores apud *Diana part. 4. tr. 4. resol. 242.* citati. Quod autem Officium defunctorum in die 2. Nouembris sit proprium illius diei, probari potest ex Kalendario & Martyrologio, vbi nomen quod Ecclesia tribuit festiuitati illius diei, est Commemoratio defunctorum: ergo officium magis proprium illius diei est officium defunctorum, quia per nomen festiuitatis explicatur, de quo agi officium debet.

An autem sacerdos & beneficiarij, qui tempore Litaniarum & Rogationum non interfunt processionibus, quæ publicè fiunt, teneantur priuatim Litanias in breuiario designatas, sub mortali recitare, dicetur infra *ver. Horæ canonicæ* 5. n. 2.

6. Quamuis Episcopus possit præscribere suis subditis formam officij recitandi, vbi Romanum breuiarium non adhibetur, v. gr. vt hodie fiat officium de feria, cras de sancto, &c. non tamen potest, per se loquendo, cum aliquo dispensare, vt relicto proprio breuiario aliud adhibeat; imò vbi breuiarium Romanum adhibetur: non potest, per se loquendo, concedere, vt officium vnius diei alio die recitetur, cùm ritus & forma Romani breuiarij seruanda sit, & in eis nequeat Episcopus dispensare; concedi autem posset huiusmodi dispensatio in aliquo particulari casu. *Reginaldus lib. 18. numer. 171. Navar. de orat. cap. 11. num. 26. Armilla ver. hora num. 13. Suar. c. cap. 23. nu. 17.*

Quomodo sint recitandæ Horæ canonicæ?

7. Horæ canonicæ, iuxta præceptum *Innocentij III.* in Concilio generali; recitandæ sunt, vt ipse ait, *studiosè & deuotè*, quia de ratione orationis vocalis est, vt studiosè & deuotè recitetur *Cap. dolentes de celebratione missarum.* Vt officium diuinum studiosè recitetur, tria requiruntur. Iuxta *Azor. tom. 1. lib. 10. capit. 7. quæst. 11. Toletus lib. 2. cap. 13. numer 9. Filliucius tract. 23. cap. 6. quæst. 9. Lessi. lib. 2. cap. 37. dispunct. 10. Navarr. de orat. capit. 13. numer. 37. Bonacina de hor. disput. 1. quæst. 3. par. 2. §. 1. numer. 3. Diana de hor. part. 2 resolut. 32. Primo*, vt absque syncopa, id est, absque verborum omissione, vt fit dum prima verba versiculi iunguntur vltimis, absorptis medijs: hæc syncopatio erit peccatum mortale, si sit valde magna, & maximè in officio publico, quia est contra strictum præceptum Concilij in re graui: In officio priuato non facilè erit mortale, nisi sit enormis excessus, quo casu tenebitur etiam repetere, aliàs erit tantùm veniale, modò id voluntariè fiat: si autem inuoluntariè fiat, vt ex linguæ præcipitantia, balbutie, inolita consuetudine; quæ corrigi nequeat, vel ob iustam festinationem, non erit peccatum: hinc obligationi suæ non satisfaciunt illi, qui ita cum socijs festinanter recitant, vt nondum expletis versiculis à socijs, versiculo sequentes recitare incipiunt; quia pars, quæ anticipatè dicitur, non communicatur cum socijs, qui eam audire nequeunt. Vt docent *Syluius 2. 2. quæst. 83. art. 13. cap. 5. Caram. in reg. S. Bened. nu. 1383.*

8. Vt *Horæ studiosè* recitentur. *Secundo* requiritur, vt verba non mutilentur, aut truncatim proferantur, abscissis quibusdam syllabis præsertim vltimis. *Barbos. in cit dolentes numer. 11.* hæc abscissio syllabarum vltimarum non est peccatum mortale, sed veniale, vt ait *Lessius cit. dub. 10. numer. 56.* etiamsi notabilis sit, imò si inuoluntariè fiat, nullum est peccatum; quia non violatur præceptum in re graui, cùm maneat integra precum substantia, & persueret sensus & significatio verborum.

Notandum est etiam cum *Filliuc. cit. numer. 202. & 242.* ad hunc defectum reduci nimiam celeritatem in canendo. Moraliter enim non fit sine syncopa, & aliqua abscissione syllabarum, etiamsi absque illa efficiatur, tamen est in causa vt audientes non possint verba percipere & attendere; vnde ordinariè est tantùm peccatum veniale, neque obligat ad iteratam recitationem officij, nisi adsit contemptus, vel graue scandalum, seu notabilis deformatio verborum in toto cantu. Hæc ille.

9. Vsu receptum est in Ecclesia, recitantem cum socio satisfacere obligationi officij recitandi; quia recitantes sibi commune faciunt quod alternatim recitant: modò quæ secretò dicenda sunt, à singulis integrè dicantur, vt *Pater, Ave Maria, Credo*, & hoc valet, etiamsi is cum quo recitat, non teneatur officium recitare, aut recitet sine attentione: idem valet non solùm in oratione debita ex præcepto Ecclesiæ, verùm etiam in debita ex voto, ex pœnitentia, vel alia ratione, quia rationabiliter iudicare possumus, hanc esse volentis vel præcipientis intentionem. Ita Doctores hic citati *Azor. cit. capit 7. quæst. 6. Lessius cit. dub. 9. numer. 52. Filliuc. cit. num. 241. Navar. cit. cap. 10. numer. 17. & seq. Leyman lib. 4. tr. 1. c. 5. num. 8.*

10. Diuini officij obligationi satisfacit & debito chori iuxta *Suarez de relig. lib 4. cap. 12. num. 19.* qui suos versus alta voce canit, alios verò, qui ab alio choro cantantur submissè recitat; per se ipsum totum officium, partim canendo & partim recitando. Item satisfacit præcepto, qui suos versus alta voce recitat & aliquem ab alia parte canentem audit, licet omnes audire nequeat. *Reginaldus lib. 18. num 158.* Item satisfacit qui non recitat sed attentè audit lectiones, vel orationes, vel capitula, vel responsoria cùm ab alio dicuntur *Bonacina cit. numer. 8. & seq.* Item qui non repetunt versiculos, qui per organum vel instrumentum cantantur, satisfaciunt; seruata tamen Ecclesiæ consuetudine, iuxta quam vsu receptum est, vt dum aliqui versus organo canuntur, aliquis eorum qui sunt in choro eosdem alta voce proferat: alioquin officium integrè non recitatur, cùm organum verba non proferat. *Naldus ver. diuinum officium num. 7. & 14. Molf. tr. 5. c. 2. nu. 23. Filliuc. c. nu. 191.*

11. Pra-

11. Praxis & vſus Eccleſiæ eſt, vt dum plures duobus ſimul recitant diuinum officium, non licere ita recitare officium, vt vnus dicat vnum verſum, alter alterum, tertius tertium, ſed alternatim recitandum eſſe, facto inter recitantes ſolùm duplici choro, ſiue plures ſint ex vna parte, ſiue pauciores. *Filiuc. c. nu.* 241. *Suar. c. cap* 25. *nu.* 2.

12. Multi Doctores exiſtimant eos, qui ex officio vel mandato ſuperioris detinentur in pulſandis organis, vel tranferendis libris ex vna parte ad aliam, vel in thure præbendo, non teneri per ſeipſos illam partem recitare, quæ ab aliis perſoluitur, quia tunc cenſentur officio cooperari & ſuppleri per alios, ita vſu permittente. *Reginald. lib.* 18. *numer.* 188. *Arrag.* 2. 2. *queſt.* 83. *art.* 12. *Nald. cit. numer.* 7. *Diana de horis reſolut.* 15. *par.* 2. Sed aliis probabilius videtur & meritò tales ſatisfacere quidem aſſiſtentiæ & obligationi chori, conſequenter poſſe diſtributiones accipere, non verò ſatisfacere ſimpliciter obligationi diuini officii; niſi illud poſteà priuatim recitent, vel ſaltem niſi attendant ad ea quæ interim recitantur; quia non dicitur recitare diuinum officium, qui verba diuini officii non profert, vel ad illa non attendit. Ita *Filiuc. cit. num.* 191. *Suarez cit. capit.* 14. *numer.* 13. *Sà verſicul.* 4 *num.* 83. *Navarr. de orat. cap.* 10. *nu.* 12.

13. Ille qui ſubmiſſa voce recitat ſuos verſiculos, & audit ſocios canentes ſuam partem, ſatisfacit obligationi diuini officii; quia ipſe recitat ſuam partem & communicat in parte ſociorum communicantium ſibi ſuam partem: qui verò ſuos verſus ſubmiſſa voce recitat, & alios alterius chori attentè audit, non ſatisfacit debito ſeruitio chori; quia redditus Eccleſiaſtici dantur canonicis vt inſeruiant, & cantent cum aliis: hinc talis recitans ſubmiſſa voce aliis canentibus, non poteſt diſtributiones integras percipere, quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet: hæc tamen intelligenda ſunt de beneficiariis qui per ſeipſos cantare debent, non verò de illis, qui ex priuilegio, vel ex fundatione, vel ex conſuetudine præſcripta legitimè, tenentur ſolùm aſſiſtere in choro, dum adſunt manſionarii, qui canonicorum nomine perſoluunt: tenentur tamen hi cùm adſtant choro ad attendendum & audiendum more orantium. Vide *Leſſius lib.* 2. *caput.* 34. *dub.* 33. *numer.* 184. *P. Navar. lib.* 2. *num.* 216. *caput.* 2. *Azor. cit. caput.* 11. *queſt.* 5. *Regin. cit. num.* 175. *Filiuc. cit. num.* 197. *Diana de horis reſ.* 6. *&* 33. *p.* 2.

Sed dubium eſt, an ſurdus aſſiſtens choro, & cum aliis cantans ſatisfaciat obligationi? Negat *Bonacina de hor. can. diſput.* 1. *queſt.* 3. *punct.* 2. §. 1. *num.* 20. quia is cùm non percipiat alios canentes, non facit ſuam partem ipſorum, cùm non fiat particeps communicationis, quæ per auditum habetur, & ideò non ſatisfacit obligationi recitandi officium, nec etiam obligationi chori. Item eſt tamen improbabilis ſententia. *Suar. tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *caput.* 28. *numer.* 18. & aliorum docentium ſurdum ſatisfacere obligationi recitandi diuinum officium & aſſiſtendi in choro, ſi ſimul cum altera parte chori reciter. Ratio eſt, quia implet obligationem, quantùm poteſt, & in ſe eſt: & quia nemo ad impoſſibile tenetur. Tum quia, dum ſurdus aſſiſtit & cantat ex vna parte, facit ſuos verſiculos, qui cantantur ex altera parte. Non enim, vt faciat ſuos, requiritur quòd illos audiat, ſed ſufficit ſi quod ab altera parte chori recitatur, ſit moraliter etiam oratio ipſius; hoc autem habetur per id, quod aſſiſtat, & canat ex vna parte; quia per hoc communicat cum aliis in choro; vnde abſolutè eſt de choro. Imò moraliter dici poteſt, quòd percipiat quod cantatur ab altera parte chori; nam partes chori ita ſibi inuicem communicant quod cantant, vt communicatio non fiat ſingulis ſeorſim alterius partis, ſed coniunctim toti parti, & proinde eo ipſo quòd altera pars phyſicè percipit, cenſentur ſinguli illius partis percipere. Et huius ſententiæ eſt etiam *Diana part.* 7. *tract.* 11. *reſolut.* 6. *Paſqualigus in deciſ. mor.* 407. Imò *Caramuel in reg. D. Bened. num.* 1383. *concl.* 5. docet recitantem horas cum ſocio, non teneri auſcultare ſocium; ſed ſuos quiſque verſus correctè legere ſolum debet & non incipere antequam alter deſierit. Ratio eſt manifeſta. Nullum eſt præceptum de auſcultatione; atqui vbi non eſt lex, nulla eſt obligatio; ergo nemo tenetur auſcultare ſocium, ſed ſolùm expectare. Quod ſi non expectet, peccabit mortaliter, aut venialiter iuxta materiæ quantitatem. Ita ille: qui citat *Syluius* 2. 2. *queſt.* 83. *art.* 13. *concl.* 5. pro hac ſententia: ipſe tamen Syluius hoc non docet, ſed contrarium potiùs, cùm dicat, *Non cenſetur aliquid omittere, qui alternatim legens aut cantans cum alijs, ſuu chori verſus integrè recitat, alterius verò auſcultat.*

14. In recitatione diuini officii ſeruandus eſt mos & conſuetudo, vt ait *Navarr. de orat. cap.* 10. *num.* 18. *Reginal. cit. num.* 15. *Filiucius cit. numer.* 199. *Suar. cit. cap.* 11. *num.* 10. quia hæc eſt Eccleſiaſticæ obligationis interpres & legem inducere poteſt: vnde cũ ab aliquod aliquid prætermittitur recitando cũ aliis, non conuenit eſſe valde ſollicitum in ea parte repetenda, quia materia leuis eſt, & ob ſollicitudinem illius repetendæ, facilè fieri poteſt vt nouus error committatur.

15. Recitans priuatim officium, non tenetur ſeipſum audire, quamuis. *Reginald. num.* 174. *Valent. tom.* 3. *diſput.* 6. *queſt.* 2. *part.* 10. *Filiucius cit. num.* 117. contrarium ſentiant; ſed ſufficit vt omnia verba diſtinctè proferat, ſiue ſeipſum audiat, ſiue non; quia nullo iure probatur recitantem ad hoc teneri, cùm præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum. Proinde ſufficit, quæcumque vox in recitatione horarum, nam qualiſcumque illa ſit, eſt audibilis: quòd autem de facto audiatur, vel non eſt per accidens, vel ex impedimento medii, vel ex læſione ſenſus, & hoc non cadit ſub præceptum: Vox enim nihil aliud eſt, quàm reſpiratio fracta certo modo per labia, & linguam; atqui non poſſunt, labia & lingua moueri, quin ſit vox: quomodocumque igitur articulent, eſt vox, ergo & pronuntiatio audibilis ac proinde præcepto ſatisfaciens. Ita *Azorius part.* 1. *lib.* 10. *caput.* 11. *queſt.* 4. *Diana tract. de horis canon. reſolut.* 11. *part.* 2. *Caramuel in reg. S. Bened. numer.* 1380. *&* 1381. *Tamburinus de iure Abbat. tom.* 2. *diſput.* 10. *queſt.* 9. *num.* 5. Licet ipſe Diana hic citatus & *part.* 6. *tract.* 7. *reſolut.* 10. libenter hanc ſententiam admittat pro ſcrupuloſis, non tamen abſolutè pro omnibus: quia, inquit, vox debet eſſe audibilis; ergo ſaltem ab ipſo orante & phyſicè loquendo vix poteſt formari vox, quæ ab ipſo loquente ſecluſis impedimentis audiri non poſſit. Dicendum eſt igitur eſſe neceſſarium verba ita diſtinctè, & clarè proferre, vt teipſum audire poſſis: quia verba quæ auditu percipi non poſſunt, impedimentis ſecluſis, non videntur verba; ſed quidam motus in gutture, ſeu inter dentes facti, qui potius ſunt inchoatio verborum, quàm verba. Ita ille. Sed noſtram ſententiam tenet etiam Syluius *in reſpon. moral. in Append. verb. Horæ canonicæ* 111. citans Laymann & Tannerum.

Verùm Leo X. conceſſit Fratribus Minoribus, *vt ne mutuò ſe in officio diuino impediant, aut alijs ſint faſtidioſi, illa, quæ in ordinario iubentur dici ſecretò ſub ſilentio, tam in horis Canonicis, quam etiam in Miſſa, non teneantur proferre vocaliter, ſed ſatisfaciant, dicendo mentaliter, aut legendo inter ſe per librum, quia aliqui deuotius ſic dicunt, & abſque impedimento, & faſtidio aliorum; & quod eadem modo poſſint facere, qui ſolus dicit Officium per ſe, cum prolatio verbalis ſiat præcipuè vt ab alijs intelligatur.* Ita refertur à Rodriques *tom.* 1. 44. *reg. queſt.* 42. *art.* 4. Miranda *tom.* 1. *queſt.* 37. *art.* 17.

Circa hoc priuilegium ait Nauarrus *de orat. cap.* 19. *numer.* 88. quod licet diſputando defendi poſſet, hoc non eſſe priuilegium & iure communi diuinum Officium poſſit mentaliter dici, quia verba ſolùm videntur principaliter requiri vt alii audiant, conſulendo tamen ait, id eſſe priuilegium Ioannes de la Crux *lib.* 2. *de ſtat. relig. cap* 8. *dub.* 2. abſolutè fatetur poſſe religioſos mentaliter legendo intra ſe per librum recitare officium, & alia, quæ in officio diuino præcipiuntur dici ſecretò ſub ſilentio. Ex hoc tamen non ſequitur, quòd totum officium mentaliter perſoluendum ſit, ſed ſolùm ea, quæ in officio, vel Miſſa dicenda ſunt ſecretè, cum hac tamen conditione, ne aliqui abutantur hoc priuilegio, ſi maior deuotio ſentiatur. Non ſequitur item, quòd conſecratio poſſit fieri mentaliter, cùm ex inſtituto Chriſti proferenda ſint vocaliter verba conſecrationis, ad ſaluandum ſacramentum, quod eſt ſenſibile ſignum, vt docet. D. Thomas 3. *p. q.* 60. *art* 6.

Sed quia prædictum priuilegium Leonis X. refertur iterum à Rodriques in bullario ſuo inter viue vocis oracula Leonis X. modò fas non eſt eo vti: quia S. D. N. Vrbanus VIII. omnia viuæ vocis oracula gratias continentia reuocauit & annullauit, vt dicemus infra *in Priuileg.* 1. *num.* 8. & docet Lezana *in ſum. tom.* 1. *c.* 12. *num.* 31.

Tamen recitans cum ſocio tenetur ita diſtinctè verba proferre, vt audiatur à ſocio, quia ſupplere debet audiendo, quod omittit recitando, vt docet *Bonacina cit. part.* 2. §. 1. *numer.* 24. 25.

16. *Tertium* requiſitum vt horæ canonicæ *ſtudiosè* recitentur,

tur, est, vt absq. interruptione recitetur, sed controuertitur inter Doctores, an qui horas cum interruptione recitat præcepto Ecclesiæ satisfaciat, vel lethalem culpam incurrat, quidam enim, *Nauar. de orat. c. 16. 75. Azor c. l. 10. c. 8. q. 5. Sa v. hora in fine Medina de orat. q. 16.* docent esse peccatum mortale, & præcepto Ecclesiæ non satisfieri, quando sine iusta causa sit notabilis & longa interruptio: quia pars diuini officij iam diu antea recitata censetur finita, oratio autem finita, non potest cum sub sequenti continuari. Tamen verior, & probabilior sententia ait recitante cum interruptione non peccare mortaliter, sed satisfacere Ecclesiæ precepto quo ad substantiam, siue ad longum siue ad breue tempus interruptio fiat, & ideò repetendum non esse quod ante recitatum est *Lessius c. dub. 10. n. 57. cap. 37. l. 2. Fill. tr. 25. n. 202. Diana de horis resol. 4. p. 2.* quia singuli psalmi, imo singuli penè versus per se suum habent pondus, & cõpletam significationem, suntque per se, vel præcatio quædam, vel laudatio, vel sententia, non habens connexionem necessariam cum aliis. *Suares cit. c. 11. num. 9. Bonac. cit. num. 30.* tamen, & multi alij arbitrantur, interruptionem notabilem factam à toto choro contra communem consuetudinem, & ritum Ecclesiæ graue esse peccatum ex suo genere, propter scandalum, quamuis sæpius à graui culpa excusetur, posita bonâ fide, vel ignorantia probabili: fatendum tamen est, secundum omnes, interruptionem quæ fit sine iusta causa, esse peccatum veniale, ex causa autem nullum esse.

17. Secundum *Nauarr. de orat. cap. 16. num. 74. Azor. tom. 1. libr. 7. cap. 2. q. 7. & lib. 10 c. 12. quæst. 8. Medina de orat. q. 16. Rodrig. p. 1. c. 143. n. 2.* sententiam, si quis interrumpat officium, animo, repetendi iam lecta non satisfacit precepto, nisi priora repetat: idem censet quotiescumque aliquis facit opus præceptum animo non satisfaciendi obligationi precepti, quia qui debet aliquod opus, ex precepto non liberatur obligatione, si faciat illud animo non implendi præceptum. Contraria tamen sententia, quæ est *Sanches lib. 1. c. n. 13. Vasq. part. 2. quæst. 100. a. 9. dub. 1. Lessius c. dub. 10. num. 59. Valent. t. 3. d. 6. q. 2. punct. 10. Diana cit. at. resol. 37.* est etiam probabilis, nempe talem satisfacere precepto, nec teneri repetere iam dicta: quia per liberam operis prohibiti omissionem satisfacimus precepto negatiuo, quamuis habemus intentionem non satisfaciendi: ergo satisfaciemus precepto affirmatiuo: deinde Ecclesia non percipit recitari officium animo repetendi, vel adimplendi præceptum, sed simpliciter percipit recitari quotidie officium.

18. Iuxta prædictam doctrinam, qui officium recitauit animo non implendi præceptum, si postea intra tempus obligationis nolit officium iterũ recitare, non tenetur mutare animum, & alium voluntatis actũ elicere, quo velit satisfecisse precepto per opus antea præstitum: *Sanches l. 1. moral. c. 13. num. 14. Salas de l. disp. 9. sect. 2. n. 33. Diana c. res. 37. p. 2.* quia iam satisfecit, & non obligatur ab Ecclesia ad talem intentionis actum eliciendum, sed sufficit vt desistat ab animo non adimplendi præceptum, sic enim tollit actualem effectu ad peccatum *Suares de relig. libr. 4. cap. 26.* tamen & *Lessius. c. nu. 59.* volunt necessarium esse mutare propositum intra tempus obligationis. Sed prior sententia est tenenda. Vide §. *Præceptum num. 6.*

19. *Altera conditio* ad horas canonicas ritè persoluendas, est *deuotè*, vt autem deuote dicantur, *duo* requiruntur, *Attentio* nempe, & *Reuerentia* sola enim attentio non sufficit, nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam: aliud enim est orare, aliud attentè aliquid legere. *Attentio* in oratione potest esse multiples, alia est enim *interna*, alia *externa*. *Interna* est, qua quis attendit animum ad Deum, vel res diuinas, excitatque in se erga Deum reuerentiam, & hæc alia circa verba, vt rectè pronuntientur, alia circa verborum sensum, vt mente percipiatur, alia circa Deum, vt verba orationis ad ipsũ diriganturad id quod petimus à Deo, vel ad rem aliquam piã, per quam Deum, vel sanctos laudare cupimus. *Attentio externa* est, quæ circa externam pronunciationem, & totius corporis compositionem, qua quis exterius se gerit in speciem orantis, abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit: Denique quæuis ex his attentionibus potest esse, vel actualis, vel virtualis item vel confusa, vel distincta. *Nauarr. in Manual. capitul. 25. num. 105. Toletus libr. 2. cap. 13. Lessius libr. 2. cap. 37. dub. 11. numer. 61. Cajetan. in sum. verb. hora. Diuus Thom. 2. 2. quæstion. 83. articul. 13. Azorius libr. 10. moral. l. 6. cap. 12. quæstion. 1. Crousers ad capit. 3. regul. minor. lection. tertia fol. 161. Caramuel in regula Sanct. Benedict. numer. 1387.*

20. Ex communi Doctorum sententia, in omni oratione, iure diuino naturali requiritur attentio, & reuerentia interna, quia quæ sine vlla attentione fiunt, potius materialiter proferri dicuntur, quam per modum orationis, & laudis Dei: hinc fit vt omnis voluntaria distractio in propriè dicta oratione, sit aliquod peccatum, quod non est, nisi veniale, quando oratio nõ est obligatoria nisi sub veniali: quando autem iure diuino ad orationem obligamur sub peccato mortali, tunc voluntaria distractio erit etiam peccatum mortale *Valent. tom. 3. d. 6. quæst. 2. par. 9. Suares de relig. l. 3. cap. 4. Lessius c. num. 62. Nauar. c.*

21. Multi, & graues Doctores putant quando solum præcepto Ecclesiæ obligamur ad orandum non requiri virtute illius percepti attentionem internam, vnde etsi quis interius sponte distrahatur non peccare mortifere, nec teneri repetere, modò integre omnia pronunciet & exterius ijs rebus, cum quibus interna attentio consistere nequit, nõ se occupet. *D. Anton. Palud. Angelus, Rosella, Tabiena Sylu. Med apud Les. c. num. 63. Azor c. q. 6. Comitolum. in respons. moral. lib. 1. q. 63.*

Ratio est, quia Ecclesia non potest precipere aut vetare actus internos, sed solus externos vnde non præcipit internam attentionem, nec vetat internam distractionem, sed solum externam. Quod confirmatur: quia nemo potest præcipere quod non potest punire: non potest punire transgressores, si non possit iudicare: nec iudicare potest, quod non potest cognoscere. At qui Ecclesia non potest cognoscere extra confessionem actus internos, ergo nec poterit præcipere: de occultis enim nulla ratione Ecclesia iudicat. Vide *Diana de horis resolution. 2. part. 2. & par. 7. tractat. 11. resol. 30. Caramuel. in regul. Sanct. Benedict. num. 1373. & sequent. Lugo de sacrament. Eucharist. disputation. 22. section. 2. numer. 27. Conninch. 3. part. quæst. 83. art. 6. num. 291 Layman. l. 4. tract. 1. c. 5. numer. 10. Tamburinus tom. 2. disputation. 10. quæst. 2. num. 8.* qui multas rationes adducunt ad firmandam hanc sententiam; ob quas, & illorum authoritatem manet hęc sententia satis probabilis. Cæterum quamuis secundùm hanc sententiam satisfieri præcepto possit Ecclesiastico, si distractio vitetur exterior, nihilominus in culpa semper est is qui distractionem animi interiorem non tepellit: quę enim inquit Diuus Chrysostomus hom. 79. Ad populum Antiochenum, *excusatio aut venia dabitur nobis, si cum amicis loquentes ad sumus animo mentemque adhibemus: cum Deo verò colloquentes, animis in rebus indignis peregrinamur? possetque tam fœda ac turpis esse peregrinatio illa mentis, vt duplicis sceleris, seu lethalis culpæ labem haberet; vnã, verbis causa cogitatis optatisque stupri, seu homicidij, alteram insignis iniuriæ, qua diuina preces, psalmi, sacræque scripturæ verba tunc afficiuntur.* In quibus verbis Sancti Chrysostomi, ei, qui voluntariè in horis per prauam cogitationem, cui consentiret, distraheretur duplicem culpam mortalem infert. Alteram mali optati siue cogitati: Alteram iniuriæ diuini officij.

Proinde *Contraria* sententia videtur verior, & probabilior, nempe, vt officium deuotè recitetur, requiri attentionem internam, siue illa sit ad verba, siue ad sensum verborum, siue ad Deum, &c. adeò vt si quis interius sponte alienis cogitationibus se occupet non satisfaciat precepto Ecclesię de horis dicendis, quia Ecclesia potest actum internum precipere quoties internus est de substantia actus externi, vt sit actus virtutis, & idoneus ad finem supernaturalem quod optimè colligitur ex capit. *dolentes de celebratione missarum*, vbi precipit Ecclesia verum actum orationis actus aut externus siue interno oratio non est: quia oratio in actu interno consistit, cum sit colloquium cum Deo ac proinde requirit attentionem internam. Quod autem dicitur Ecclesiam de internis non iudicare, intelligendum est de iudicio externo, & in foro fortiqui enim materialiter tantum horas legit in exteriori homine: & foro externo Ecclesię nõ iudicatur, nec externis pœnis vrgetur. In foro autem sacramentali, & conscientię, si actus externus religionis cum interno coniunctus non fuit, qui sic horas legit, iudicatur conuincitur, & condemnatur peccasse mortaliter, si in hoc culpabilis fuit. Tamen quandocunque quis non potest certò affirmare se voluntariè, & deliberatè cum plena aduertentia fuisse distractũ in officio vel notabili eius parte, non tenetur vllatenus officium vel notabilem partem repe-

tere,

tere. Ratio eſt, quia in dubijs & anxietatibus illis, Melior eſt conditio poſſidentis. Nec pia Mater Eccleſia ex ſua parte cum tanto grauamine, in tantis anxietatibus cenſetur velle ad horas obligare. Poſſidet autem quis ſuam libertatem, quamdiu de diſtractione voluntaria certò ſibi non conſtat. Ita *Reginald.l.*18.*num.*148.*Filliuc.tr.*23. *num.*254.*Nauar. c.*25. *nu.*106. *Rodriq.*1.*par.cap.*143.*Benac.cap.par.*2.§.2.*Syluius* 2.2. *quæſt.*83. *art.*13. *cap.*4. *&* 5. & alij commniter.

22. Ad ſatisfaciendum præcepto diuini officij, actualis attentio non eſt neceſſaria; virtualis ſufficit: habitualis verò neceſſaria non eſt, neque ſufficit. Dicitur autem *actualis*, *attentio*, qua quis actualiter attendit ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem Paſſionis Chriſti, vel diuinitatis: & *Virtualis* dicitur illa, cum qua quis incipit orare, & virtute illius proſequitur orationem, illa prior attentio durat virtualiter in proceſſu orationis, niſi expreſsè vel tacitè reuocetur: *Habitualis* contingit, dum quis recitat aliquid ex habitu, & vſu, nihil ad illud aduertens, vt ſi quis canat in ſomnis. Itaque ad horas canonicas perſoluendas, non eſt neceſſaria neceſſitate præcepti attentio ſingularis ad ſingula verba; ſed tantum requiritur & ſufficit moralis quædam & generalis attentio, qua moraliter quis ſcit & perpendit ſe verba & verborum ſententias proferre, etſi ſingulariter ſuper ſingulis verbis & ſententijs non reflectat. Huiuſmodi enim reflexa intentio ſingula verba eſt impoſſibilis naturę ad diuerſa per ſe diſtractæ, & quæ facilè cogitationibus etiam bonis à verborum animaduertentia diſtrahitur: debet tamen recitans ad minus aduertere ſe recitare, et moraliter ſe debito & integritati horarum ſatisfacere, quod aduertere non poteſt, niſi generali quadam & morali attentione et reflectione ad recitationem ſuam, etſi non ad ſingula quæ pronuntiantur, aduertat. Vide *Tolet.l.*2.*capit.*13. *num.*9. *Leſſ.cap.num.*17. *Filliuc.cap.num.*73. *Azor.c.cap.*12. *Sylu. cap.a.*13. *concl.*1. & 2. *Crouſers c.*

23. Attentio in horis dicendis, non debet neceſſariò eſſe formalis, expreſſa, & explicita, ſed ſufficit implicita et tacita, nam cum vtraque ſubſiſtit oratio et actus humanus; imò in intentione orandi includitur attentio: hinc patet illum ſatisfacere præcepto, qui horas recitat, intendens in genere recitare modo conſueto, vel qui recitat cum confuſa apprehenſione et propoſito faciendi opus conſuetum, ideò accipit breuiarium de more, vel qui intentionem habet laudandi Deum, vel ſatisfaciendi ſuo muneri, vel qui accedit ad Eccleſiam, de more ibi officium recitaturus, quamuis poſteà recitet inuoluntariè diſtractus. Ratio eſt, quia talis requiritur intentio qualis eſt actus in quem intentio tendere debet: atqui vt actus ſit religioſus debet ad cultum Dei ordinari. Non ſatisfaceret autem præcepto, qui intenderet ſimpliciter legere officium Matutinum veſpertinum, &c. prout materialiter ex ſuis pſalmis, lectionibus, Hymnis &c. conſtituuntur; quia hæc lectio per ſe et præcisè non eſt actio religioſa cùm officium illud poſſit legi ob ſtudium delectationem, aut alia ſimili de cauſa; debet ergo intentio dirigi in finem, qui eſt Dei cultus vt ſit religioſa. *Reginald. cap. num.*153. *Leſſ. cap. num.*71. 72. *Suar. c.lib* 4. *c.*26. *Rodriq. cap.cap.*143. *num.*4.

Sed petes, an dormitantes in choro, dum diuinas laudes canunt, præcepto ſatisfaciant? Reſp. cum *Marchin. de ſacram. Ord.tr.*2.*part.*6.*diſſic.*2.*cap.*12. vel dormitans aduertit, ſe omittere notabilem diuini officij partem: & tunc niſi repetat, quæ omiſit, præcepto non ſatisfaciet. Si autem tunc proponat eas repetere, & poſtea obliuiſcatur repetere, non peccat: quia obliuio non differt ab inaduertentia, & vtraque à culpa excuſat. Si autem ſciens & volens notabilem officij partem omiſſam negligit repetere, mortalis culpæ fit reus: quia tranſgreditur præceptum Eccleſiaſticum, obligans ad attentam, et deuotam diuinarum precum recitationem. Verùm, ſi quis dum recitat, ſomno reſiſteret, et conaretur pro viribus verba diſtinctè proferre, quantumuis poſtea ita ſomno opprimeretur, vt neque ad verba, neque ad ſenſum verborum, aut ad aliud diuinum myſterium attenderet, non peccaret: quia tantus poteſt eſſe ſenſuum ſopor, vt moraliter nequeat ſuperari, vt docet *Rodriq. ſum.part.*1. *cap.*140. *num.*17. quod tamen ita eſt intelligendum, vt is choro quidem, ſi ibi recitet officium, ſatisfaciat; non tamen obligationi illud poſtea priuatim, vt decet recitandi.

24. Nouum dubium eſt, an ſatisfaciat obligationi chori, qui non attendit, quando officium cantatur cantu muſicali? Reſpondeo Zachariæ *Paſqualigus in deciſ. moral. deciſ.*408. quod chori ſeruitium minus obligat quando officium cantatur cantu muſicali, quàm quando cantatur cantu ordinario ab ipſis aſſiſtentibus; quia tunc deputati ſeruitio chori obligantur tantum aſſiſtendum, non autem ad recitandum in choro: & ideò non requiritur illa attentio, quæ requireretur ſi tenerentur recitare, ſed tantum perſonalis aſſiſtentia: quę talis eſſe debet, vt ſit in ordine ad orationem, quæ fit à canentibus, & vt per illam cenſeantur moraliter communicare cum canentibus in oratione; vnde debet addicere aſſiſtentes ipſimet orationi: pro hoc autem non eſt neceſſaria interna attentio, ſed ſufficit ſi aſſiſtant in loco deſtinato ad aſſiſtendum, habitu & forma ad id deſtinata, et ſeruent ea, quę chorus præſcribit ſeruanda ab aſſiſtentibus. Ex quo fit, quod voluntaria diſtractio, confabulatio modeſta, cum debita corporis compoſitione, ſubmiſſa voce, non impediant, quin ſatisfiat obligationi, quia non deſtruunt moralem aſſiſtentiam et communicationem in oratione, per aſſiſtentiam: poteſt tamen hęc confabulatio eſſe peccaminoſa etiam mortaliter, ratione ſcandali, aut grauis indecentiæ, licet non impediat ſatisfactionem aſſiſtendi.

HORÆ CANONICÆ III.

Quo ordine & tempore ſint recitandæ.

SVMMARIVM.

1. *An horæ canonicæ ſint recitandæ iuxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum? & an ſit mortale, mutare ordinem horarum?*
2. *An qui in choro aliquid omiſit culpabiliter aut inculpabiliter, debeat omiſſum repetere, durante officio in choro?*
3. *An ſit peccatum mortale vel veniale facere ſacrum nondum recitato matutino?*
4. *Quo tempore horæ canonicæ ſint recitandæ?*
5. *An licitum ſit recitare matutinum & Laudes pridie ad veſperam, vel ante ſolis occaſum?*
6. *An recitantes officium in choro extra horas præſcriptas, peccent mortaliter?*
7. *An peccatum committatur ab eo, qui non recitat officium intra tempus à iure præfixum?*

1. HOræ Canonicæ ſunt recitandę iuxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum. *Cap. presbyter, diſt.*91. *Cap.*1. *de celebr. miſſar.* ideò prius recitandum eſt *matutinum & Laudes*, deinde *Prima, Tertia*, & ſic deinceps: non eſt tamen peccatum mortale mutare ordinem horarum, vt ſi Prima dicatur ante Laudes, vel veſperæ ante Primam; quia ordo horarum extra chorum, non eſt ſub præcepto niſi ſecundariò, & tamquam circumſtantia minoris momenti; vnde facilè datur iuſta cauſa mutandi, vt ſi quis ab amico, vel à ſuperiore inuitetur ad recitandam Primam, cùm ipſe nondum recitauit mantinum, poteſt cum eo Primam recitare, recitando poſtea matutinum, & qui ad chorum accedit dum canitur Tertia, ſed ipſe nondum recitauit matutinum & Primam: poteſt dicere Tertiam, cum choro & poſtea alias horas; imò non committitur peccatum mortale ſecluſo contemptu et ſcandalo, dum peruertitur ordo eiuſdem horę, verbi gratia, dicendo pſalmum ante hymnum, aut vnum pſalmum ante alium, et ſi hoc fiat ex iuſta cauſa, poteſt excuſari ab omni peccato: mutatio tamen ordinis in recitatione publica, ob ſcandalum et offenſionem populi, videtur eſſe peccatum mortale, quia grauior contemptus præcepti Eccleſiaſtici exiſtimatur. *Azor.l.*10 *cap.*10. *quæſt.*1. *Graſſius* 1. *part. l.*2. *cap.*50. *Tolet.l.*2. *cap.*13. *Nauarr. de orat. capit.*21. *Filliucius c. cap.*8. *queſt.*8. *Sàv. horæ num.* & *Suares c. cap.*11. *numer.*7. *Diana de hor. ref.*16. *part.*2.

2. Qui in choro aliquid omiſit culpabiliter, aut inculpabiliter, non debet omiſſum repetere, durante officio in choro, ſed potius debet illud reſeruare, poſt expletum officium, aut non debet illius rationem habere, ſi pars exigua ſit & parua: Ratio eſt, quia cùm totius chori ſit actio vna, chorus ſupplere cẽ-

tur,est,vt absq.interruptione recitẽtur,sed controuertitur inter Doctores,an qui horas cum interruptione recitat præcepto Ecclesiæ satisfaciat, vel lethalem culpam incurrat,quidam enim, *Nauar. de orat.c.16.75. Azor c.l.10.c.8.q.5. Sa v. hora in finẽ Medina de orat.q.16.* docent esse peccatum mortale,& præcepto Ecclesiæ non satisfieri,quando sine iusta causa sit notabilis & longa interruptio:quia pars diuini officij iam diu antea recitata censetur finita,oratio autem finita,non potest cum sub sequenti continuari. Tamen verior,& probabilior sententia ait recitante cum interruptione non peccare mortaliter, sed satisfacere Ecclesiæ præcepto quo ad substantiam, siue ad longum siue ad breue tempus interruptio fiat,& ideò repetendum non esse quod ante recitatum est *Lessius c. dub.10.n.57. cap.37. l.2.Fill.tr.23.n.202. Diana de horis resol. 4. p. 2.* quia singuli psalmi, imo singuli penè versus per se suum habent pondus, & cõpletam significationem,suntque per se, vel præcatio quædam,vel laudatio,vel sententia, non habens connexionem necessariam cum aliis.*Suares cit.c.11.num.9. Bonac.cit.num.3 0.* tamen,& multi alij arbitrantur,interruptionem notabilem factam à toto choro contra communem consuetudinem, & ritum Ecclesiæ graue esse peccatum ex suo genere, propter scandalum, quamuis sæpius à graui culpa excusetur, posita bonâ fide, vel ignorantia probabili : fatendum tamen est, secundum omnes, interrumptionem quæ fit sine iusta causa, esse peccatum veniale, ex causa autem nullum esse.

17. Secundum *Nauarr.de orat.cap.16.num.74.Azor. tom.1. libr.7.cap.2.q.7.& lib.10 c.12.quæst.8.Medina de orat.q. 16.Rodriq.p.1.c.143.n.2.* sententiam, si quis interrumpat officium, animo, repetendi iam lecta non satisfacit præcepto,nisi priora repetat:idem censet quotiescumque aliquis facit opus præceptum animo non satisfaciendi obligationi præcepti, quia qui debet aliquod opus,ex præcepto non liberatur obligatione, si faciat illud animo non implendi præceptum. Contraria tamen sententia,quæ est *Sanches lib.1.c.n. 13. Vasq.part. 2.quæst.100. a.9 dub.1.Lessius c.dub.10.num.59.Valent.t.3.d.6.q.2. punct. 10. Diana cstat.resol.37.* est etiam probabilis,nempe talem satisfacere præcepto,nec teneri repetere iam dicta : quia per liberam operis prohibiti omissionem satisfacimus præcepto negatiuo, quamuis habemus intentionem non satisfaciendi:ergo satisfaciemus præcepto affirmatiuo: deinde Ecclesia non percipit recitati officium animo repetendi,vel adimplendi præceptum,sed simpliciter percipit recitari quotidie officium.

18. Iuxta prædictam doctrinam,qui officium recitauit animo non implendi præceptum,si postea intra tempus obligationis nolit officium iterũ recitare,non tenetur mutare animum, & alium voluntatis actũ elicere, quo velit satisfacere,seu satisfeciſſe præcepto per opus antea præstitum:*Sanches l.1. moral. c. 13. num.14. Salas de l.disp.9.sect.2.n.33. Diana c.resp. 37. p.2.* quia iam satisfecit, & non obligatur ab Ecclesia ad talem intentionis actum eliciendum, sed sufficit vt desistat ab animo non adimplendi præceptum,sic enim tollit actualem effectu ad peccarum *Suares de relig.libr.4.cap.26.* tamen& *Lessius. c.n. 59.* volunt necessarium esse mutare propositum intra tempus obligationis.Sed prior sententia est tenenda.Vide *§.Præceptum num.6.*

19. *Altera conditio* ad horas canonicas ritè persoluendas,est *deuotè*,vt autem deuote dicantur, *duo* requiruntur, *Attentio* nempe,& *Reuerentia* sola enim attentio non sufficit, nam oratio est actus religionis, ac proinde requirit reuerentiam : aliud enim est orare, aliud attentè aliquid legere. *Attentio* in oratione potest esse multiples,alia est enim *interna*, alia *externa*. *Interna* est,qua quis attendit animum ad Deum,vel res diuinas, excitatque in se erga Deum reuerentiam,& hæc alia circa verba,vt rectè pronuntientur, alia circa verborum sensum, vt mente percipiatur,alia circa Deum, vt verba orationis ad ipsũ diriganturad id quod petimus à Deo,vel ad rem aliquam piã, per quam Deum,vel sanctos laudare cupimus.*Attentio externa* est,quæ circa externam pronunciationem, & totius corporis compositionem,qua quis exterius se gerit in speciem orantis, abstinetque ab operibus externis, cum quibus attentio interna consistere nequit:Denique quæuis ex his attentionibus potest esse, vel actualis,vel virtuali item vel confusa,vel distincta. *Nauarr. in Manual.capitul. 25. num.105.Toletus libr. 2. caput. 13. Lessius libr.2.cap.37.dub.11.numer.61.Caietan.in sum.verb. hora Diuus Thom.2.2.quæstion.83. articul.13. Azorius libr. 10. tom.1.cap.12.quæstion.1.Crousers ad capit.3.regul.numer. lection, tertia fol. 161. Caramuel in regula Sanct.Benedict. numer. 1387.*

20. Ex communi Doctorum sententia, in omni oratione,iure diuino naturali requiritur attentio, & reuerentia interna,quia quæ sine vlla attentione fiunt, potius materialiter proferri dicuntur, quam per modum orationis, & laudis Dei:hinc fit vt omnis voluntaria distractio in propriè dicta oratione,sit aliquod peccatum,quod non est, nisi veniale, quando oratio nõ est obligatoria nisi sub veniali:quando autem iure diuino ad orationem obligamus sub peccato mortali, tunc voluntaria distractio erit etiam peccatum mortale *Valent. tom. 3.d.6.quæst.2.par.9.Suares de relig.l.3.cap.4.Lessius c. num. 62. Nauar.c.*

21. Multi,& graues Doctores putant quando solum præcepto Ecclesiæ obligamur ad orandum non requiri virtute illius percepti attentionem internam, vnde etsi quis interius sponte distrahatur non peccare mortiferæ,nec teneri repetere, modò integre omnia pronunciet & exterius ijs rebus, cum quibus interna attentio consistere nequit,nõ se occupet. *D.Anton. Palud. Angelus, Rosella, Tabiena Sylu. Med apud Les. c.num.63. Azor.c.q.6.Comitolum. in respons. moral. lib. 1. q. 63.*

Ratio est,quia Ecclesia,non potest præcipere aut vetare actus internos, sed solus externos vnde non præcipit internam attentionem, nec vetat internam distractionem, sed solum externam.Quod confirmatur:quia nemo potest præcipere quod non potest punire : non potest punire transgressores,si non possit iudicare : nec iudicare potest,quod non potest cognoscere.At qui Ecclesia non potest cognoscere extra confessionem actus internos, ergo nec poterit præcipere: de occultis enim nulla ratione Ecclesia iudicat. Vide *Diana de horis resolution.2.part.2.& par.7.tractat.11. resol. 30. Caramuel. in regul.Sanct.Benedict.num.1373.& sequent. Lugo de sacrament. Eucharist. disputation. 22 section. 2. numer. 27. Coninch.3.part.quæst.83.art.6.num.291 Layman. l.4.tract.1.c. 5.numer.10.Tamburinus tom.2.disputation.10. quæst. 2. num. 8.* qui multas rationes adducunt ad firmandam hanc sententiam; ob quas,& illorum authoritatem manet hęc sententia satis probabilis.Cæterum quamuis secundùm hanc sententiam satisfieri præcepto possit Ecclesiastico,si distractio vitetur exterior, nihilominus in culpa semper est is qui distractionem animi interiorem non repellit: quę enim inquit Diuus Chrysostomus hom.79.Ad populum Antiochenum, *excusatio aut venia dabitur nobis,si cum amicis loquentes ad sumus animo mentemque adhibemus : cum Deo verò colloquentes,animi in rebus indignis peregrinamur? possetque tam fœda ac turpis esse peregrinatio illa mentis,vt duplicis sceleris,seu lethalis culpæ labem haberet; vnã, verbi causa cogitatis optatisque stupri,seu homicidij, alteram insignis iniuriæ, qua diuinæ preces, psalmi,sacræque scripturæ verba tunc afficiuntur*. In quibus verbis Sancti Chrysostomi, ei, qui voluntariè in horis per prauam cogitationem, cui consentiret, distraheretur duplicem culpam mortalem infert. Alteram mali optati siue cogitati : Alteram iniuriæ diuini officij.

Proinde *Contraria* sententia videtur verior, & probabilior,nempe,vt officium deuotè recitetur,requiri attentionem internam,siue illa sit ad verba,siue ad sensum verborum,siue ad Deum, &c. adeò vt si quis interius sponte alienis cogitationibus se occupet non satisfaciat præcepto Ecclesię de horis dicendis,quia Ecclesia potest actum internum præcipere, quoties internus est de substantia actus externi, vt sit actus virtutis, & idoneus ad finem supernaturalem quod optimè colligitur ex capit. *dolentes de celebratione missarum*, vbi præcipit Ecclesia verum actum orationis actus aut externus siue interno oratio non est : quia oratio in actu interno consistit, cum sit colloquium cum Deo ac proinde requirit attentionem internam. Quod autem dicitur Ecclesiam de internis non iudicare, intelligendum est de iudicio externo, & in foro fori:qui enim materialiter tantum horas legit in exteriori homine:& foro externo Ecclesię nõ iudicatur,nec externis pœnis vrgetur. In foro autem sacramentali, & conscientię, si actus externus religionis cum interno coniunctus non fuit, qui sic horas legit,iudicatur committitur, & condemnatur peccasse mortaliter,si in hoc culpabilis fuit. Tamen quandocumque quis non potest certò affirmare se voluntariè,& deliberatè cum plena aduertentia fuisse distractũ in officio vel notabili eius parte,non tenetur vllatenus officium vel notabilem partem repe-

rere,

tere. Ratio eſt, quia in dubijs & anxietatibus illis, Melior eſt conditio poſſidentis. Nec pia Mater Eccleſia ex ſua parte cum tanto grauamine, in tantis anxietatibus cenſetur velle ad horas obligare. Poſſidet autem quis ſuam libertatem, quamdiu de diſtractione voluntaria certò ſibi non conſtat. Ita *Regin. ald. l.* 18. *num.* 148. *Fillinc. tr.* 23. *num.* 254. *Nauar. c.* 25. *n.* 106. *Rodriq.* 1. *par. cap.* 143. *Bonac. cap. par.* 2. §. 2. *Syluius* 2. 2. *quæſt.* 83. *art.* 13. *cap.* 4. & 5. & alij communiter.

22. Ad ſatisfaciendum præcepto diuini officij, actualis attentio non eſt neceſſaria; virtualis ſufficit: habitualis verò neceſſaria non eſt, neque ſufficit. Dicitur autem *actualis*, *attentio*, qua quis actualiter attendit ad ſenſum verborum, vel ad piam meditationem Paſſionis Chriſti, vel diuinitatis: & *Virtualis* dicitur illa, cum qua quis incipit orare, & virtute illius proſequitur orationem, illa prior attentio durat virtualiter in proceſſu orationis, niſi expreſsè vel tacitè reuocetur: *Habitualis* contingit, dum quis recitat aliquid ex habitu, & vſu, nihil ad illud aduertens, vt ſi quis canat in ſomnis. Itaque ad horas canonicas perſoluendas, non eſt neceſſaria neceſſitate præcepti attentio ſingularis ad ſingula verba; ſed tantum requiritur & ſufficit moralis quædam & generalis attentio, qua moraliter quis ſcit & perpendit ſe verba & verborum ſententias proferre, etſi ſingulariter ſuper ſingulis verbis & ſententijs non reflectat. Huiuſmodi enim reflexa intentio ad ſingula verba eſt impoſſibilis naturę ad diuerſa per ſe diſtractæ, & quæ facilè cogitationibus etiam bonis à verborum animaduertentia diſtrahitur: debet tamen recitans ad minus aduertere ſe recitare, et moraliter ſe debito & integritati horarum ſatisfacere, quod aduertere non poteſt, niſi generali quadam & morali attentione et reflectione ad recitationem ſuam, etſi non ad ſingula quæ pronuntiantur, aduertat. Vide *Tolet. l.* 2. *capit.* 13. *num.* 9. *Leſſ. cap. num.* 17. *Filliuc. cap. num.* 73. *Azor. c. cap.* 12. *Syl. cap. a.* 13. *concl.* 1. & 2. *Crouſers c.*

23. Attentio in horis dicendis, non debet neceſſariò eſſe formalis, expreſſa, & explicita, ſed ſufficit implicita et tacita, nam cum vtraque ſubſiſtit oratio et actus humanus; imò in intentione orandi includitur attentio: hinc patet illum ſatisfacere præcepto, qui horas recitat, intendens in genere recitare modo conſueto, vel qui recitat cum confuſa apprehenſione et propoſito faciendi opus conſuetum, ideò accipit breuiarium de more, vel qui intentionem habet laudandi Deum, vel ſatisfaciendi ſuo muneri, vel qui accedit ad Eccleſiam, de more ibi officium recitaturus, quamuis poſteà recitet inuoluntariè diſtractus. Ratio eſt, quia talis requiritur intentio qualis eſt actus in quem intentio tendere debet: atqui vt actus ſit religioſus debet ad cultum Dei ordinari. Non ſatisfaceret autem præcepto, qui intenderet ſimpliciter legere officium Matutinum veſpertinum, &c. prout materialiter ex ſuis pſalmis, lectionibus, Hymnis &c. conſtituuntur; quia hæc lectio per ſe et præcisè non eſt actio religioſa cùm officium illud poſſit legi ob ſtudium delectationem, aut alia ſimili de cauſa; debet ergo intentio dirigi in finem, qui eſt Dei cultus vt ſit religioſa. *Regin. cap. num.* 153. *Leſſ. cap. num.* 71. 72. *Suar. t. lib* 4. *c.* 26. *Rodriq. cap. cap.* 143. *num.* 4.

Sed petes, an dormitantes in choro, dum diuinas laudes canunt, præcepto ſatisfaciant? Reſp. cum *Marchin. de ſacram. Ord. tr.* 2. *part.* 6. *diſſc.* 2. *cap.* 12. vel dormitans aduertit, ſe omittere notabilem diuini officij partem: & tunc niſi repetat, quæ omiſit, præcepto non ſatisfaciet. Si autem tunc proponat eas repetere, & poſtea obliuiſcatur repetere, non peccat: quia obliuio non differt ab inaduertentia, & vtraque à culpa excuſat. Si autem ſciens & volens notabilem officij partem omiſſam negligit repetere, mortalis culpæ fit reus: quia tranſgreditur præceptum Eccleſiaſticum, obligans ad attentam, et deuotam diuinarum precum recitationem. Verùm, ſi quis dum recitat, ſomno reſiſteret, et conaretur pro viribus verba diſtinctè proferre, quantumuis poſtea ita ſomno opprimeretur, vt neque ad verba, neque ad ſenſum verborum, aut ad aliud diuinum myſterium attenderet, non peccaret: quia tantus poteſt eſſe ſenſuum ſopor, vt moraliter nequeat ſuperari, vt docet *Rodriq. ſum. part.* 1. *cap.* 140. *num.* 17. quod tamen ita eſt intelligendum, vt in choro quidem, ſi ibi recitet officium, ſatisfaciat; non tamen obligationi illud poſtea priuatim, vt decet recitandi.

24. Nouum dubium eſt, an ſatisfaciat obligationi chori, qui non attendit, quando officium cantatur cantu muſicali? Reſpondeo Zachariæ *Paſqualigus in decis. moral. decis.* 408. quod chori ſeruitium minus obligat quando officium cantatur cantu muſicali, quàm quando cantatur cantu ordinario ab ipſis aſſiſtentibus; quia tunc deputati ſeruitio chori obligantur tantum ad aſſiſtendum, non autem ad recitandum in choro: & ideò non requiritur illa attentio, quæ requireretur ſi tenerentur recitare, ſed tantum perſonalis aſſiſtentia: quę talis eſſe debet, vt ſit in ordine ad orationem, quæ fit à canentibus, & vt per illam cenſeantur moraliter communicare cum canentibus in oratione; vnde debet addicere aſſiſtentes ipſimet orationi: pro hoc autem non eſt neceſſaria interna attentio, ſed ſufficit ſi aſſiſtant in loco deſtinato ad aſſiſtendum, habitu & forma ad ſi deſtinata, et ſeruent ea, quę chorus præſcribit ſeruanda ab aſſiſtentibus. Ex quo fit, quod voluntaria diſtractio, confabulatio modeſta, cum debita corporis compoſitione, ſubmiſſa voce, non impediant, quin ſatisfiat obligationi, quia non deſtruunt moralem aſſiſtentiam et communicationem in oratione, per aſſiſtentiam: poteſt tamen hęc confabulatio eſſe peccaminoſa etiam moraliter, ratione ſcandali, aut grauis indecentiæ, licet non impediat ſatisfactionem aſſiſtendi.

HORÆ CANONICÆ III.

Quo ordine & tempore ſint recitandæ.

SVMMARIVM.

1. *An horæ canonicæ ſint recitandæ iuxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum? & an ſit mortale, mutare ordinem horarum?*
2. *An qui in choro aliquid omiſit culpabiliter aut inculpabiliter, debeat omiſſum repetere, durante officio in choro?*
3. *An ſit peccatum mortale vel veniale facere ſacrum mondum recitato matutino?*
4. *Quo tempore horæ canonicæ ſint recitandæ?*
5. *An licitum ſit recitare matutinum & laudes pridie ad veſperam, vel ante ſolis occaſum?*
6. *An recitantes officium in choro extra horas præſcriptas, peccent mortaliter?*
7. *An peccatum committatur ab eo, qui non recitat officium intra tempus à iure præfixum?*

1. HOræ Canonicæ ſunt recitandę iuxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum. *Cap. presbyter, diſt.* 91. *Cap.* 1. *de celebr. miſſar.* ideò prius recitandum eſt *matutinum* & *Laudes*, deinde *Prima*, *Tertia*, & ſic deinceps: non eſt tamen peccatum mortale mutare ordinem horarum, vt Prima dicatur ante Laudes, vel veſperæ ante Primam; quia ordo horarum extra chorum, non eſt ſub præcepto niſi ſecundariò, & tamquam circumſtantia minoris momenti; vnde facilè datur iuſta cauſa mutandi, vt ſi quis ab amico, vel à ſuperiore inuitetur ad recitandam Primam, cùm ipſe nondum recitauit matutinum, poteſt cum eo Primam recitare, recitando poſtea matutinum, & qui ad chorum accedit dum canitur Tertia, ſed ipſe nondum recitauit matutinum & Primam: poteſt dicere Tertiam, cum choro & poſtea alias horas; imò non committitur peccatum mortale ſecluſo contemptu et ſcandalo, dum peruertitur ordo eiuſdem horę, verbi gratia, dicendo pſalmum ante hymnum, aut vnum pſalmum ante alium, et ſi hoc fiat ex iuſta cauſa, poteſt excuſari ab omni peccato: mutatio tamen ordinis in recitatione publica, ob ſcandalum et offenſionem populi, videtur eſſe peccatum mortale, quia grauior contemptus præcepti Eccleſiaſtici exiſtimatur. *Azor. l.* 10. *cap.* 10. *quæſt.* 1. *Graffius* 1. *part. l.* 2. *cap.* 50. *Tolet. l.* 2. *cap.* 13. *Nauarr. de orat. capit.* 21. *Fillucius c. cap.* 8. *queſt.* 8. *Sàv. horæ num.* 8. *Suarez c. cap.* 11. *numer.* 7. *Diana de hor. reſ.* 16. *part.* 2.

2. Qui in choro aliquid omiſit culpabiliter, aut inculpabiliter, non debet ſi miſſum repetere, durante officio in choro, ſed potius debet illud reſeruare, poſt expletum officium, aut non debet illius rationem habere, ſi pars exigua ſit & parua: Ratio eſt, quia cùm totius chori ſit actio vna, chorus ſupplere cẽſetur

fetur pauculum, quod à particulari ex aliqua infirmitate omittitur : vnde à repetitionibus prohibendi, sunt, qui morosè & scrupulosè dimisso vno aut altero versu, illos incongruè repetunt & continuationem suam in choro interrumpunt ; item qui inter recitandum aduertit se aliquid omisisse, potest prosequi vsque ad finem, & postea dimissum recitare ; item qui aliquem psalmum vel aliquam horam ex obliuione omisit, non tenetur iterum recitare totum officium, vt psalmum vel horam suo loco & ordine dicat, sed satisfacit supplendo omissum. *Filliuc. tract. 23. num. 199. Nauarr. cap. 15. num 5. Vasq. de benef. cap. 4. §. 1. ar. 2. dub. 4. num. 67. Angel. ver hora num. 18.*

3. Iuxta communiorem sententiam *Suar. cit. lib. 4. cap. 24. num. 6. Lessius cit. num. 81. Henriq. lib. 9. cap. 24. num. 5. Filliuc. cit. cap. 7. quæst. 6. Bonac. c. part. 4. quæst. 4. num. 11. Dian. tract. de cele. miss. resolut. 36. part. 2.* & aliorum multorum, non est peccatum mortale facere Sacrum nondum recitato matutino, quia nihil iure de hoc præceptum, nec consuetudo contraria est recepta sub peccato mortali, non enim est vlla necessaria connexio aut dependentia sacrificii ab illis precibus, vt idcircò debeant præcedere.

Sed dubium est, an saltem sit peccatum absque causa, veniale, missam priuatam dicere, ante dictum priuatim matutinum ? *Sotus de iust. lib 10. quæst. 5. art. 4. & in 4. dist. 13. quæst. 2. art. 2.* docet nullum esse peccatum, nec veniale quidem, ex eo fundamento, quòd neque hæc consuetudo est certa, siue sit generalis, siue particularis alicuius verbis, loci, aut diœcesis, neque materia est grauis, neque constat de præcepto aliquo, ergo non apparet vnde peccatum veniale sit. Ita etiam *Suarez ; p. to. 3. disp 82. sect. 1. §. Ex his verò.*

Nihilominus, quia in Missali inter defectus missæ numeratur hic, videlicet, si celebrans non dixit matutinum cum laudibus, dicendum est, esse peccatum veniale, si absque causa id fiat, & sacerdos matutinum commodè recitare prius possit ; si enim defectus est, peccatum est. Causa autem sufficiens ad excusandum ab hoc peccato veniali, est, si instet tempus consuetum, quo solet quis missam dicere. Si populus vel aliqua persona grauis expectet, vt missam audiat : Si modò commodè potest, & postea non poterit tam commodè, si modò maiorem sentit deuotionem, & aliàs non sentiet, &c. Vide *Fagundes prac. 1. l. 3. cap. 17. nn. 23. & 24.*

4. *Tempus* horas canonicas recitandi incipit à media nocte antecedentis diei, & perseuerat vsque ad mediam noctem sequentis inclusiuè ; *Cap. dolentes, de celeb. missarum.* quia diuinum officium singulis diebus recitandum est ; dies autem, iuxta communem Ecclesiæ vsum, incipit à media nocte antecedentis diei, vsque ad medium subsequentis : in officio publico seruanda est consuetudo recepta ; in priuato, etsi laudabile sit vt singulæ horæ suis temporibus & interuallis recitentur ; tamen ad vitandum peccatum mortale, sufficit vt dicantur eo interuallo, quod est inter medium noctis præcedentis & sequentis, quia sic adimpletur præceptum quoad substantiam, quamuis fortè non adimpleatur quoad horam à sacris canonibus præscriptam : vnde qui intra hoc temporis spatium recitauit differendo aut recitando ante horam præscriptam, non tenetur repetere : quia substantia præcepti adimpleta est : peccatum tamen veniale erit inuertere tempus absque causa. *Azor. 1. part. lib. 10. cap. 9. quæst. 7. 8. Nauarrus de orat. cap. 3. num. 59. Reginald. lib. 18. num. 179. Lessius cit. dub. 12. num. 78. Filliuc. cit. num. 266. Diana de horis ref. 14.*

5. Ex consuetudine licitum est, recitare matutinum & laudes pridie ad vesperam : imò etiam ante solis occasum, nempe post tempus vesperarum & completorij : paruæ autem horæ non possunt dici pridie, sed solùm post mediam noctem : & qui illas ante recitaret pro sequenti die, non satisfacere præcepto, quia non recitat intra tempus ab Ecclesia præscriptum ; *nota* tamen, quando matutinum vesperi dicitur, laudes differri posse vsque in sequentem diem ; quia antiquitus vsu receptum erat, vt prope auroram recitarentur separatim à nocturnis. *Diana cit. resolut 39. Toletus lib. 2. cap. 13. num. 7. Suarez cit. lib. 4. cap. 24. num. 9. Azorius cit. cap. 9. quæs. 3. Lessius cit. num. 79. Nauarrus de orat. cap. 3. num. 28.*

6. *Plurimi* Doctores apud *Suarez cit. cap. 15. num. 11. Regin. lib. 18. num. 180. Filliucius cap. 6. quæst. 12.* tenuiunt recitantes officium in choro, extra horas præscriptas, peccare mortaliter, nec satisfacere obligationi, qua tenentur in choro certis diei horis officium persoluere. Quia ex *c. 1 de celebration. Missar.* constat certis horis diei recitandum esse diuinum officium sub pœna excommunicationis, *Alij* tamen, vt *Valent. tom. 3. disput. 6. quæst. 2. punct. 10. Caietan. in sum. ver. hora cap. 4.* censent præciso scandalo, aliaue circumstantia satisfacere præcepto quoad substantiam, & consequenter non peccare mortaliter ; quia circumstantia temporis non videtur per se loquendo materia magis grauis, quàm sit circumstantia ordinis ; & primariò non cadit sub præceptum officij, sed secundariò : vnde cum adest aliquod legitimum impedimentum, posset etiam publicè in Ecclesia postponi, vel anticipari diuini officij recitatio, puta ob processionem, vel magnam solemnitatem, vel metum hostium inuasionis, aut insignem aliquam concionem, vel alicuius magni Principis aduentum, vel alias huiusmodi causas, quæ Doctoribus ponuntur. Hæc autem anticipatio aut postpositio fieri debet Superioris auctoritate vt monet Nauarrus *de orat. c. 3. nn. 56.*

7. Probabile est, per se loquendo, nullum peccatum committi ab eo, qui non recitat officium intra tempus à iure præfixum, seruata loci consuetudine ; nam consuetudo derogare potest iuri, vnde consuetudo legitimè introducta potest seruari. *Suarez de relig. lib. 4. cap. 27. num. 7. Azor. lib. 10. cap. 9. quæst. 2.*

Sed petes, quæ tempora dicantur destinata lectioni priuatæ ? Respond. Matutinum solere legi ab hora qua laudabiliter surgimus, vsque ad horam decimam ante meridianam : (nullus enim tenetur vesperi legere matutinum sequentis diei, licet morbum occupationesve præuideat) Minores horæ solent dici ante meridiem ; vesperæ etiam in Quadragesima ante meridiem, exceptis Dominicis : aliàs à meridie in occasum, & hinc ad mediam noctem Completorium. Ita communiter legunt, qui putant & debere horas determinatas obseruare.

Dubium autem est, an infirmus, vel habens excusabilem occupationem, qui non potest recitare horas statutis temporibus, teneatur postea illas recitare ? Negatiuam sententiam probabilem esse tenet *Diana part. 7. tract. 11. resolut. 14. Caramuel. in reg D. Benedict. num. 1442.* nam defenditur à grauibus auctoribus, & habet fundamenta probabilia, licet contraria sint probabiliora : vnde hæc opinio, inquiunt, est tuta in praxi ; consulenda ægrotis, iter agentibus & hominibus valde impeditis ob negotia occurrentia horis determinatis : Ægrotus ergo qui quartana laborat nec tenetur tempus præuenire, nec tenebitur legere horam aliquam eo tempore, quo non consueuerit legi. Rationem reddit *Candidus* citatus à *Diana* : quia licet totus dies signetur tamquam tempus omnium horarum illius diei, atque adeò si solùm attendamus ad substantiam præcepti, possent omnes horæ mane recitari, tamen quantum ad conuenientiam, & vt deuotiùs & melius adimpleatur præceptum, quædam horæ signantur ab Ecclesia mane recitandæ, quædam verò vesperi : ergo esset nimis rigorosum obligare homines ad recitandas omnes preces horarias mane, quando futurum impedimentum præuidetur ex ratione alicuius infirmitatis. Hæc sententia est à Doctoribus diiudicanda. quam ante docuerat *Raynaudus* apud eundem *Diana part. 7. tract. 14. resol. 46.*

HORÆ CANONICÆ IV.

Quo in loco, & quo corporis habitu horæ sint recitandæ.

SVMMARIVM.

1. *An clerici choro deputati persoluere debeant horas canonicas in Ecclesia iuxta institutionem beneficiorum & consuetudinem ?*
2. *An horas canonicas vbique recitare possint, qui ad chorum seu ad officium in Ecclesia persoluendum deputati non sunt ?*
3. *An Episcopus teneatur ad recitandas horas cum alijs in Ecclesia ?* refertur duplex sententia ?
4. *An Parochi teneantur ad horas canonicas publicè in choro persoluendas per se, vel per substitutos ?*
5. *An ritus recitandi officium priuatim sedendo cum standum est, sedendo dum genu flectendum est, sit in præcepto ?*

1. Omnes

1. OMnes clerici choro deputati, persoluere debent horas Canonicas in Ecclesia, iuxta institutionem beneficiorum & consuetudinem, nisi aliud cogat necessitas, consuetudo, vel fundatoris institutio; quia quilibet stare debet intentioni fundatoris: vnde canonici alive beneficiati, qui diuinum officium in choro recitare debent, non possunt percipere distributiones, quæ conferuntur canentibus in choro, nisi officium in Ecclesia publicè persoluant; quia qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. *Clement. 1. de celebr. Missarum. Reginald. lib. 18. num. 178. Suar. cit. cap. 27. num. 2. Nauar. cap. 10. num. 47.*

2. Illi qui ad chorum seu ad officium in Ecclesia persoluendum deputati non sunt, horas canonicas vbique recitare possunt; quia nullum ius reperitur, quo, per se loquendo, adstringantur ad diuinum officium priuatim in Ecclesia vel in alio particulari loco recitandum: pro reuerentia tamen diuini cultus, recitari debent in loco decenti, vbi non impediatur attentio, alioquin recitantes exponunt se periculo non satisfaciendi præcepto. *Valent. tom. 3 disputat. 9. quæst. 2. punct. 10. Azor. 1 lib. 10. cap. 11. quæst. 8. Nau. de orat. cap. 21. num. 32.*

3. Quidam summistæ volunt, Episcopum teneri ad recitandas horas canonicas cum aliis in Ecclesia, quia ipse principalem in Ecclesia sua locum tenet, ergo pars est, vt cæteris exemplo præsit choro assistendo, dum hoc illi per tempus & negotia licet; *Angel. ver. hora num. 28. Tabien. ibid. num. 29. Sylvest. ibid. q. 9. 10.* sed iuxta veriorem. *D. Thom. 2. 2. quæst. 91. art. 2. ad 3. Filliuc. 1. capit. 4. quæst. 8. Suar. lib. 4. cap. 10. num. 13.* & aliorum sententiam, dicendum videtur, Episcopum per se loquendo, non teneri choro interesse etiam diebus Dominicis aliisque festis diebus; quia vsu & consuetudine receptum videmus, vt Episcopi ad chorum, ordinariè loquendo non accedant: Quamquam Episcopus aliquando debet & tenetur choro assistere, quando, scilicet, id exigit ratio sui muneris adimplendi, aut vitandi scandali, aut exempli, aut alterius circumstantiæ.

4. *Parochi* de consuetudine ferè vniuersali & communiter recepta, non solùm per seipsos non tenentur ad horas canonicas publicè in choro persoluendas, verùm, neque per substitutos singulis diebus, imò neque diebus festis, exceptis vesperis, aut Missæ sacrificio, quod aliquibus diebus festis & dominicis solemni ritu persoluitur & celebratur. *Filliuc. tr. 23. c. 4. qu. 6. nu. 131. Suar. cit. nu. 4. & 11.*

5. Horas canonicas recitare priuatim sedendo, cùm standum est, aut stando vel sedendo, dum genu flegendum est, per se loquendo, non est peccatum; quia ritus recitandi officium hoc modo, non videtur sub rigore præcepti, sed solùm maioris deuotionis gratia receptus, saltem in priuata oratione: in publica verò facile fieri potest, vt aliqua culpa interueniat, pro ratione circumstantiæ communicantis actui malitiam, puta, quia rubricas non obseruat, aut parui pendere videtur diuina mysteria. Ita *Toletus lib. 2. cap. 13. num. 2. Filliuc. nu. 265. Suar. c. cap. 27. nu. 2. Reginald lib. 18. nu. 178.*

HORÆ CANONICÆ V.

Quale peccatum sit omissio horarum, & de fructibus restituendis.

SVMMARIVM.

1. *An mortaliter peccet adstrictus ad horas canonicas, se eas non recitet, aut partem illarum notabilem omittat?* refertur duplex sententia.
2. *Quanam omissio sit materia sufficiens ad mortale peccatum* referuntur variæ sententiæ. *Et an adsit obligatio priuatim recitandi Litanias in diebus Rogationum?* refertur duplex sententia.
3. *An clericus, qui ratione ordinis sacri & beneficij horas canonicas recitare tenetur, plura specie peccata committat illas omittendo?* refertur duplex sententia.
4. *An prætermittens aliquo die omnes horas canonicas tot numero peccata committat, quot sunt horæ omissæ?* refertur duplex sententia.
5. *An beneficiarij teneantur ante sententiam iudicis ad restitutionem fructuum, pro tota omissionis officij.*
6. *An beneficiarius omittens officium primis sex mensibus peccet grauiter, & teneatur ad restitutionem? & an qui pensum diuini officij alio die persoluit loco officij aliàs omissi, teneatur ad restitutionem?* refertur duplex sententia.
7. *An ex leuis partis officij omissione consurgat obligatio restituendi?*
8. *An qui sepius partem notabilem diuini officij omisit, teneatur sub mortali ad restitutionem?*
9. *An teneatur ad restitutionem qui diuinum officium recitauit absque attentione?* refertur duplex sententia.
10. *An qui horas omnes vno vel pluribus diebus intermisit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, quos illis, vel illis diebus responderent, restituere teneatur.*
11. *An restitutio ob omissionem horarum canonicarum facienda sit fabricæ beneficij, vel pauperibus?*
12. *An pensionarius qui parum officium Beatæ Virginis prætermisit, teneatur fructus restituere fabricæ vel pauperibus?*
13. *An beneficiarius omittens horas, liberetur a restitutione propter eleemosynas liberaliter factas?*

1. MOrtaliter peccat, qui ad horas canonicas tenetur, eas non recitando, aut partem illarum notabilem omittendo; quia violans præceptum in re graui, peccat mortaliter: hæc est sententia communis, contra *Angelum Arragonium, Rodriques* & alios existimantes eum, qui semel aut bis omittit officium ex negligentia, & non ex contemptu, non peccare mortaliter. *Lessius lib. 2. cap. 37. num. 52. Azor. lib. 10. cap. 14. Filliuc. c. cap. 7. qu. 10.*

2. Magna controuersia est inter Doctores, in assignanda & constituenda materia sufficiente ad mortale peccatum; quia *Nauarr. cap. 25. num. 68. Azor. cit. cap. 7. quæst. 3.* & alij existimant, omittentem tertiam horæ partem, mortaliter peccare, quia tertia pars horæ videtur esse pars notabilis respectu illius horæ *Suarez cap. 25. num. 15.* verò *Reginald. cit. num. 143. Rodrig. cap. 140. num. 17. Filliuc. cit. num. 246.* putant medietatem horæ paruæ, non verò tertiam partem esse materiam notabilem: quia quantitas notabilis non solùm pensanda est per ordinem ad id, cuius est pars, verùm etiam secundùm se. *Bonac. quæst. 5. part. 1. num. 2* verò & *Lessius cit. num. 52. Vide Dianam part. 2. de horis resol. 41. & part 5. tract. 5. resolut. 26.* arbitrantur, probabiliter dici posse horam esse materiam grauem, non verò tertiam partem, vel medietatem horæ paruæ; quia infra horam paruam, secundùm se, videtur modica & leuis, & consequenter non sufficiens ad peccatum mortale. Imò *Marchin. de sacr. Ordin. tract. 2. part. 6. diffic. 3. num. 5. cap. 12.* arbitratur, omissionem vnius integræ horæ, non esse lethale. Ratio est, quia singulis diebus vnicum tantummodo vrget præceptum; sed omissio vnius horæ est parua materia comparata ad integrum officium diuinum: ergo: hæc tamen sententia ab aliis non admittitur vt probabilis. Dicendum ergo est respectu totius officij grauem materiam æstimari quamlibet horam, & in matutino, quælibet Nocturnum: Ratio prioris est, quia inordinatio & grauitas materiæ respectu totius officij, non verò respectu singularium partium expendenda est, cùm omnes horæ simul vnius diei officium constituant & compleant. Cuius cũ singulę horæ partes notabiles constituant, rectè vnius horę defectus notabiliter officiũ mutilare æstimatur. Ratio posterioris est, cùm enim vnius nocturnus fuerit materia vnius stationis in nocte apud antiquos Christianos, notabiliter centeretur officium diuinum detruncasse, qui vna statione illud destituisset. Verum his non obstantibus, sententiæ *Marchini* nouissimè adhæret *Iacob. Marchan. in resol. Pastor. p. 2. tr 7. c. 2. q. 1.*

An autem quis teneatur priuatim recitare Litanias in diebus Rogationũ, & S. Marci si nõ adsit in choro, siue in professionibus, affirmãt *Tannerus, Gauantus, Bonac. Suar.* negãt *Vasq. Molfesius* apud *Dianam* de *hor. can. resol. 42. & par. 4. tr. 4. resol. 226.*

Sed affirmatiua sententia est omninò tenenda; tum quia sunt pars officii illius diei: tũ quia Rubrica breuiarij Romani sic habet. *Qui non interfunt processionibus Rogationũ, priuatim post laudes dicant litanias cũ suis precibus & orationibus sine psalmis penitentialibus.* Illa autẽ verba præceptum cõtinent, vt tenor eorum indicat, & cõmunis sensus Doctorũ tenet: tũ quia in bulla Pij V. breuiario appositа, nõ excipiũtur litaniæ, sicut excipũtur alii psalmi, ergo signũ est, quòd earũ obligationem non sustulerit, sed in suo pristino vigore reliquerit: vt doctè resoluit etiam *Sylujus* in resolutionibus suis *verb. Rogationes, quæst. 6. p. 1.*

3. *Clericus*, qui ratione ordinis sacri & beneficij horas canonicas recitare tenetur, plura specie peccata cõmittit: illas omittendo: *vnum*, scilicet, contra obligationẽ ordinibus adnexam. *Alterum* contra obligationem ex beneficio consurgentem, quia tot sunt species peccata, quot sunt virtutes, quæ violantur: hic autem non solum violatur virtus religionis, verùm etiam læditur iustitia, ratione beneficij: vnde pœnitens, qui diuinum officium prætermisit, tenetur in confessione aperire titulos suæ obligationis; an videlicet, teneretur horas recitare ratione beneficij, & ordinis sacri. Ita *Sanches de matrim. lib. 9. disput. 15. numer. 6. Suar. cit. lib. 4. capit. 13. Bonacina cit. num. 3.* quamuis *Henriq. lib. 12. cap. 12. numer. 3. Azor. 1. part. lib. 4. capit. 2. quæst. 6. Diana cit. resolut. 22.* putent vnicum tantùm esse peccatum.

4. *Quidam Doctores*, vt *Lessius lib. 2. capit. 37. dub. 9. num. 53. Tabena ver. hora quæst. 18.* sustinent prætermittentem aliquo die omnes horas canonicas, tot numero peccata committere, quot sunt horæ omissæ, quia singulæ horæ sunt distinctæ orationes, distincta officia, distinctis temporibus Deo soluenda, ad quorum singula obligamur sub peccato mortali, ergo singulorum omissio, est distinctum peccatum mortale; *Alsorum* tamen sententia verior & probabilior est, vnum numero peccatũ omissionis in die committi, quãuis fieri possit vt plura numero peccata interna, ratione actuum voluntatis moraliter interrupterum, committantur: *Ratio* prioris est, quia volitio, qua quis vult integrum officium vno die omittere, est vnum numero peccatum, modò actus voluntatis moraliter non interrumpatur, ergo etiam ipsa omissio est vnum numero peccatum. *Ratio* posterioris est, quia tot sunt peccata quot sunt actus peccaminosi interni moraliter interrupti: vt si aliquoties tempore diei voluntatem reuocaret, & omissa vna parte pœniteret, & proponeret alteram legere, ac demum relaberetur: tunc multiplicarentur peccata ratione multiplicationis actuum voluntatis. Ad rationem autem in contrarium dicendum est, quòd horæ officium non faciunt, sed officij partem, & non dicuntur simpliciter officium diuinum, nisi prout ad totale officium diriguntur. *Navarr. de orat. capit. 7. num. 6. Rodriq. capit. 14. num. 16. Sà ver. hora num. 13. Reginald. lib. 18. num. 145. Suar. cit. lib. 4. cap. 25. num. 18. Valent. tom. 3. disputat. 6. quæst. 2. punct. 10. Nota* tamen secundùm *Suarez* contra *Diana tract. de horis canon. resolut. 5. & 23. part. 2.* prætermittentem aliquo die diuinum officium, vel aliquas horas, vel notabilem eius partem: teneri in confessione aperire quod omisit, & non satisfacere dicendo se lethalem culpam commisisse in non recitando diuino officio: quia hæc est circumstantia tenens se ex parte obiecti & constituens actum, vel omissionem in suo esse indiuiduali: multò magis exprimẽdus erit numerus actuũ voluntatis moraliter interruptorum, quibus quis decreuit diuinum officium omittere.

5. Omnes beneficiarij ad horas canonicas adstricti, titulo beneficij, tenentur, etiam ante sententiam iudicis, ad restitutionem fructuum, pro rata omissionis officii, elapsis sex mensibus post obtentam beneficii possessionem, officium culpabiliter non recitauerint. Ita *Suarez cit. lib. 4 cap 29.* & hoc probatur ex Concilio Lateranensi: sub Leone *X. sess. 9.* & ex bulla Pij V. quam refert *Anarr. in man. cap. 25. nu. 122.*

6. Circa decretum Concil. Lateran. *est notandum*, eum, qui habet beneficium cum cura, vel sine cura, si primis sex mensibus officium non dixerit, peccare quidem grauiter, non tamen ad restitutionem ex prædicto iure teneri: *vnde* qui alio titulo quàm beneficij ad horas obligatur, ad nullam restitutionem tenetur eas omittendo; *similiter* qui bona fide vel ex naturali oblitione, vel ex legitimo impedimento horas non recitarunt, non tenentur restituere quidquam; quia in foro conscientiæ non debetur pœna, vbi non est culpa *Lessius lib. 2. capit. 34. dub. 32. num. 176. Reginald. lib. 30. num. 44. tract. 3. Toletus lib. 2. capit. 12. num. 4. Sylu. 2. 2. quæst. 83. art. 13. concl. 4. Imò* secundùm quosdam probabiliter opinantes, vt *Suar. cit. capit. 29. num. 12. Fillucius cit. num. 307. Molf. capit. 5. num. 17.* qui pensum diuini officij alio die persoluit, loco officij alias omissi, aut compensat aliis piis operibus, non tenetur ad restitutionem, quia rependit æquale: *verum Henriques lib. 13. capit. 13. P. Navarr. lib. 2. cap. 2. num. 180.* & quidam alii probabilius esse docent teneri; quia talis officium omittendo fructus ipso facto amisit, nec illos propria authoritate sibi applicare potest, æquale pensum soluendo. Vide *Dianam cit. resolut. 24. 34. & part. 5. tract. 5. resol. 24.*

7. Non tenetur ad restitutionem; qui leuem officii partem omisit, puta, paucos versiculos, aut vnum psalmum; etiamsi fructus respondentes illi parti omissæ, sint magnæ quantitatis: vnde secundùm *Fillucium* pro minori omissione quàm vnius horæ integræ, non est aliquid restituendum: quamuis *Reginaldus & Suarez* dicant, non solùm illum ad restitutionem fructum obligari, qui totum officium prætermisit, verùm etiam illum, qui aliquam officii partem notabilem omisit cum peccato mortali: probabile tamen est iuxta *Suarez & Toletum*, illum non teneri, dum fructus respondentes parti omissæ, sunt modicæ quantitatis, ratione tenuitatis beneficii, & non esset materia sufficiens ad peccatum mortale furti. *Toletus lib. 2. capit. 12. Reginald. lib. 30. numer. 44. tract. 3. Fillinc. c. cap. 10. quæst. 7. Diana tract. de hor. resol. 26. Banec. c. q. 5. punct. 2. nu. 13. P. Navar. lib. 2. cap. 2. nu. 196. Suar. c. cap. 30.*

Verùm his non obstantibus, quidam Doctores existimant beneficiarium prætermittentem intra annum per octo aut decem dies recitationem officii, non teneri ad restitutionem fructuum correspondentium. Ratio illorum est, tum quia nemo prudẽs priuat seruũ mercede, si per octo, aut decẽ dies cessauit seruire, vnde multò minus priuabitur beneficiarius cùm sit seruus liberalissimi Domini. Tum quia octo vel decem dies respectu totius anni, sunt parua materia; cùm neque ad trigesimam sextam partem pertingant. Ita Medina *in sum. lib. 1. capit 14. §. 11.* Lopez *tom. 1. cap. 245.* De la cruz *in direct. præcep. 3. art. 3. dub. 6. concl. 3.* Ioan. Henriques *in compend. cas. moral. cap. 29. num. 30.* Hanc opinionem probabilem ex principio extrinseco putat Pasqualigus *decis. 454.* considerando auctoritatem Doctorum, qui eam tradunt, & illorum fundamentum non contemnendum: Licet illam tamquam minùs probabilem noluerit admittere nouissimè eximi D. Syluius 2. 2. *quæst. 83. art. 3. concl. 4.* Vnde nec ego in hoc aliquid decernam.

8. Qui sæpius partem notabilem diuini officii omisit, tenetur sub mortali ad restitutionem, quamuis singulis omissionibus non respondeat pars notabilis fructuum, sed pars notabilis respondeat omnibus omissionibus simul sumptis, quia sicut qui minima furatur, tenetur sub mortali ad restitutionem, postquam peruenit ad notabilem quantitatem, ita &c. Porrò habens plura beneficia tenetur fructus omnium beneficiorum pro rata officii culpabiliter omissi restituere. *Fillinc. c. cap. 10. num. 320. Suar. c. cap. 30. Bulla Pij V.*

9. Magna controuersia est inter Doctores, an teneatur ad restitutionem qui diuinum officium recitauit absque attentione: *quidam* enim affirmant teneri vt *Navar. de orat. capit. 13. num. 17. Lessius cit. cap. 37. num. 67. Suar. cap. 30. num. 14. Fillinc. cit. cap. 10. num. 321. Sylu. 2. 2. quæst. 83. art. 13. concl. 4.* & ratio est; quia idem est aliquid non facere, & non facere rectè quoad substantiam, perinde est si non recitasset; hæc sententia est probabilis; *alij* verò non minùs probabiliter negant, vt *Diana de horis resolut. 1. Toletus cit. cap. 12. num. 6. Malder. tract. 10. cap. 2. disputat. 4.* quia ex vi Concil Later. & bullæ *Pij V.* illi soli iubentur restituere, qui omiserunt, officium, non qui negligenter vel distractè dixerunt.

10. In constitutione *Pius V. in bulla ex proximo.* statutum est, vt qui horas omnes vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur; qui verò matutinum tantùm, dimidiam; qui cæteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: *Hæc constitutio* ab omnibus Doctoribus non est in suo rigore recepta. nam *Navarr. cap. 25. num. 122. Toletus lib. 2. cap. 12. num. 5. Rodriq. 1. part. cap. 145. num. 4. Less. lib. 2. cap. 34. dub. 32. num. 177. Sà ver. benefi. num. 58. plurimi* probabiliter asserunt hanc bullam posse dilatari, & aliquam moderationem recipere, ita vt beneficiarius omittens diuinum officium non teneatur ad restitutionem omnium omninò fructuum, sed solùm respondentium oneri diuini officii; ideò *Episcopus* aut Parochus omittens officium, debet tantùm restituere tertiam, vel quartam, vel etiam quintam; secundùm *Henriques lib 13. cap. 13. num. 2. Sylu. 2. 2. quæst. 63. art. 3. concl. 4. Diana de hor. resolut. 8. & 4. part. tract. 4. resolut. 111.* partem fructuum pro rata: cæteras partes fructuum videtur posse sibi retinere ratione tituli & aliorum onerum. Imò Petrus Marchantius in suo Tribunali *tom. 2. tract. 2. part. 2. titul 3. sect. 1. quæst. 2. fol. 175.* docet certum esse Parochum,

Parochum, qui alio beneficio non obligatur vt canonicatu, capellania &c. Si horas ſuas etiam culpabiliter omittat, non teneri ad aliquam reſtitutionem: quia parochiale beneficium præcisè non datur ob penſum horarum canonicarum; ſed ob actus & labores curæ paſtoralis, quos debet Parochus ex debito conſcientiæ impendere in cura animarum. Quòd ſi canones & iura videantur illum obligare, de peculiari aliquo titulo obligationis ſunt intelligenda, non de communi Beneficiatorum. *Canonici*, alijque habentes obligationem reſidendi, reſtituant dimidiam; *alij* habentes onera capellaniæ, reſtituant dimidiam vel tertiam partem; *ſimplices* verò beneficiarij, qui ſolummodo tenentur ad horas canonicas, reſtituere debent omnes fructus pro rata officij. *Ratio* eſt, quia nonnulli beneficiarij non ſolùm recipiunt fructus pro recitatione officij, verum etiam pro alijs laboribus & oneribus: ergo par eſt vt in reſtitutione, non ſolùm habeatur ratio officij omiſſi, verùm etiam aliarum obligationum & onerum: quæ cum ſint diuerſa, facienda eſt diuerſa comparatio. Cum iſta moderatione bulla *Pij V.* iuxta *Henriques*, in Hiſpania & in alijs locis eſt recepta. *Aliorum* tamen quamplurium Doctorum ſententia eſt, videlicet, *Suar. cit. capit.* 30. *numer.* 6. *Azor. lib.* 10. *cap.* 14. *quæſt.* 5. *Reginald. lib.* 30. *numer.* 46. *tract.* 3. *Filliuc. tract.* 23. *capit.* 10. *P. Nauarrus libr.* 2. *numer.* 183. *capit.* 2. hanc bullam in rigore explicandam eſſe, ita vt omittens diuinum officium vno die, teneatur ſimpliciter & abſolutè ad reſtitutionem omnium fructuum, quos eo die percipit; quia bulla indiſtinctè loquitur & abſque limitatione. Prima tamen ſententia cum ſuis moderationibus eſt ſequenda.

11. Ex bulla *Pij V.* & ex Concil. Lateranen. *reſtitutio* ob omiſſionem horarum canonicarum, facienda eſt fabricæ beneficij, vel pauperibus, pro voluntate beneficiarij, modò aliud non ferat conſuetudo, vel ſtatutum alicubi receptum: vnde ſi beneficiarius eſt pauper, poteſt ſibi illam reſtitutionem applicare, quia non videtur deterioris conditionis aliis pauperibus, & hæc eſt eleemoſyna, quam non tam ipſe ſibi quàm Pontifex per eum facit: vbi tamen eſt conſuetudo vel ſtatutum particulare vt fiat reſtitutio ad aliquod certum pium opus, vel vt id quod alii amittunt, accreſcat aliis qui intereſunt & recitant officium; vt diſtributiones & interdum ipſum corpus fructuum non poſſet ſibi applicare, quamuis pauperi *Filliuc. cit. numer.* 324. *Leſſius cit. capit.* 34. *numer.* 177. *Toletus lib.* 2. *cap.* 12. *Suar. cit. numer.* 17. *Rodrig.* 1. *part. cap.* 145. *num.* 3. *Notandum* autem eſt, hanc reſtitutionem fieri etiam poſſe in celebrandis Miſſis, vel in alijs ſuffragiis offerendis pro defunctis, nam etiam defuncti ſunt indigentes iuxta *Nauarr. in man. cap.* 25. *numer.* 122. *Diana reſol.* 27.

Penſionarius, qui paruum officium Beatæ Virginis prætermiſit; tenetur fructus reſtituere fabricæ vel pauperibus, non verò beneficiariis: quia *Pius V.* penſionarium obligat eo modo, quo beneficiarium, vt conſtat ex eius bulla. *Suar. c. lib.* 4. *c.* 30. *n.* 22. *Beneficiarius* qui nouit penſionarij non recitaſſe diuinum officium, non poteſt ſibi penſionis fructus reſpondentes omiſſioni diuini officii retinere, cum debeantur fabricæ eccleſiæ vel pauperibus. *Bonacina cit. quæſt.* 5. *punct.* 4. *nu.* 5. & 6.

13. Beneficiarius, qui omiſit horas canonicas liberatur à reſtitutione propter eleemoſynas pauperibus largitas, non tamen hoc intuitu; quia ſecundùm *Layman lib.* 3. *ſect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 12. *numer.* 9. *Lugo de iuſtit. tom* 1. *diſputat.* 4. *ſect.* 3. *num.* 46. *Diana. tract.* 6. *miſc. reſol.* 57. *part.* 3. & *p.* 7. *tract.* 10. *reſol.* 24. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 37. *numer.* 60. *Sanches lib.* 1. *moral. cap.* 13. *num.* 11. quando obligatio reſtituendi, puta pauperibus, à iure Eccleſia ſtico tantùm promanat, probabiliter dici poteſt, eleemoſynas, quæ cum tali obligatione, quamuis non animo ſatisfaciendi factæ ſint, tamen ad eas extinguendas prodeſſe poſſe. Ratio eſt, quia eleemoſynæ non repugnat ratio debiti, quando non eſt debita ex aliqua ſpeciali lege iuſtitiæ illimet, cui fit; vnde qui habet debita incerti domini, quæ tenetur dare pauperibus, ſi det extremè indigenti, ſatisfaciet etiam præcepto ſubueniendi ipſi: quia autem faciens eleemoſynas habet interpretatiuam intentionem ſatisfaciendi omnibus debitis, quantùm poteſt, ideò cenſetur ſatisfacere etiam debito reſtituendi fructus, & conuertendi in vſus pauperum, quia ſi noſſet huiuſmodi debitum, vellet pro ipſo ſatisfacere: vnde quando cognouit, poteſt facere compenſationem. Reſolutur autem hæc opinio in illud principium theologicum, quòd ſufficit voluntas interpretatiua ad cauſandum voluntarium: vnde qui tunc facit eleemoſynas habet voluntatem interpretatiuam per illam eleemoſynam reſtituendi fructus: *ideo cenſetur* ſatisfacere obligationi reſtituendi. Voluntas autem interpretatiua ex eo colligitur, quòd quilibet prudenter agens prius vult ſatisfacere iis, quæ ſunt de obligatione, quàm præſtare ea, ad quæ non tenetur: & ideo ſi interrogaretur, an ſi cognouiſſet propriam obligationem, voluiſſet illa eleemoſyna ſatisfacere, certè reſponderet, quòd procul dubio habuiſſet talem intentionem. Licet contrarium dicendum ſit in aliis debitis, puta, furto, vſuris &c. debitor enim non liberatur ab onere reſtitutionis, quia paupertibus gratis donauit, ſecundùm probabiliorem ſententiam, vt dicetur infra *ver. Præceptum* num. 5. *Compenſatio* num. 12.

HORÆ CANONICÆ VI.

De cauſis excuſantibus à recitatione horarum Canonicarum.

SVMMARIVM.

1. *De prima cauſa excuſante à recitatione horarum canonicarum quæ eſt infirmitas gravis.*
2. *An quando dubitatur, an recitatio diuini officij valde nocitura ſit valetudini, petenda ſit indulgentia a ſuperiore?*
3. *An qui per ſeipſum diuinum officium non poteſt recitare teneatur per alium ſupplere?*
4. *Secunda cauſa excuſans ab officij diuini recitatione eſt gravis occupatio, honeſta, & neceſſaria.*
5. *Tertia cauſa excuſans ab obligatione recitationis diuini officij eſt impotentia. Et an teneatur adhibere ſocium, qui ſine illo non poteſt horas recitare. Et quid dicendum de cæco, qui horas ſuas ſcit memoriter.*
6. *Quarta cauſa excuſans, eſt diſpenſatio Summi Pontificis.*

1. PRima *cauſa* excuſans à recitatione horarum canonicarum, à Doctoribus aſſignatur, *infirmitas gravis*, ob quam pronunciatio verborum valde noceret valetudini corporis; quia credibile non eſt, Eccleſiam velle cum tanto incommodo obligare: *leuis* autem *infirmitas* non excuſat; qualis eſſe poteſt dolor ſtomachi, capitis vel pectoris, aut etiam aliquando febris tertiana, aut quartana, præſertim cum huiuſmodi febris non ſoleat toto die vehementer affligere, ita vt non vacet tempus ad horas canonicas recitandas; quia obligatio horas recitandi ſtrictiſſima eſt. *Conſequenter* ab ea non excuſat quælibet leuis cauſa; poteſt tamen aliquando infirmus excuſari à recitatione horarum canonicarum in choro, quamuis non excuſetur à recitatione priuata. *Azor. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 13. *quæſt.* 1. *Toletus lib.* 2. *cap.* 14. *numer.* 2. *Nauar. in man. cap.* 25. *num* 100. *Reginald. lib.* 18. *num.* 181. *Filliuc. tract.* 23. *cap.* 9. *quæſt.* 5. *Caramuel in reg. S. Bened. num.* 1429.

2. *Quando* dubitatur, an recitatio diuini officii valde nocitura ſit valetudini, ſi commodè præfectus vel ſuperior adiri poſſit, petenda eſt ab eo indulgentia, per quam legem ſoluamur; aut conſulendus eſt medicus, cuius conſilio & iudicio de morbi gravitate ſtandum eſt. *Azor. cit. Nauarr. de orat. cap.* 11. *num.* 3. *Diana part.* 2. *tract.* 12. *reſolut.* 28. *Bonac. cit quæſt.* 6. *part.* 1. *num.* 5. quando autem medicus ipſe dubitat, an morbus gravis ſit vel leuis, an recitatio nocitura ſit, infirmus non tenetur ad horas, quia non tenetur ſe periculo gravis damni exponere, quidquid in contrarium ſentiat *Suarez cit. lib.* 4. 4 *cap.* 28. *n.* 21.

3. Conſtans eſt omnium opinio, illum, qui per ſeipſum diuinum officium non poteſt recitare, non teneri per alium ſupplere, aut loco offici alias orationes ſubſtituere aut alium recitantem audire, aut tranſacta infirmitate recitare, quæ in infirmitate prætermiſit: *ratio prioris* eſt, quia onus recitandi officium eſt perſonale. *Secunda ratio* eſt, quia hoc ab Eccleſia non præcipitur: *poſterioris* autem eſt, quia hoc onus eſt affixum diei in honorem & cultum ſingulorum dierum: obligatio autem affixa diei tranſit cum ipſo die. *Gaſſius* 2. *part. lib.* 3. *cap.* 16. *num.* 27. *Azor cit. cap.* 13. *Sàver. Hora. num.* 3. *Hinc* colligũt Doctores peregrinationem iuſtè & legitimè quamuis

susceptam, ad certa loca pia & religiosa, iustam non præbere excusationem precum canonicarum, etsi peregrinus alium in sui locum substituerit: idem *dicendum* de adolescente, qui studiis operam dat; Et ratio est, quia pensum horarum eiusmodi est personale, & proindè quisque per seipsum debet id persoluere. *Præterea* loqui non potens, excusatur ab horis dicendis: qui autem solus non potest, & habet ad manum socium, tenetur, modò non sit surdus vel surdaster, secundùm probabiliorem sententiam, vt dicetur infra *n.* 5. Vide *Nauar. de orat. cap.* 11. *numer.* 32, & 33. *Valent. to.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 10. *Filliuc. c. c.* 9.

4. *Secunda causa* excusans ab officii diuini recitatione, est *grauis occupatio, honesta, & necessaria*, quæ in aliud tempus cõmodè differri non potest, absque scandalo, vel peccato, vel detrimento tui vel proximi; vnde hoc titulo possunt aliquando excusari concionatores vel confessarij; & *ratio* potest desumi ex benigna Ecclesiæ intentione, quæ non præsumitur cum tanto grauamine obligare. *Reginald. l.* 18. *num.* 187. *Toletus c. num.* 3. *Suares c. l.* 2. *cap.* 28. *m.* 32. *Filliuc. c. cap.* 9. *quæst.* 8. & 9. *Bonac. c. quæst.* 6 *punct.* 2 *num.* 3. *Diana p.* 7. *tract.* 11. *resol.* 1. *Notandum* tamen est, eos qui graui occupatione detinentur, teneri officium anticipatè recitare, si occupatio anticipatam recitationem permittat. Est *notandum* præterea, obligatum ad recitationem horarum, non posse voluntariè suscipere aliud munus & officiũ, cuius executio incompossibilis sit cum recitatione horarum, nam volens huiusmodi munus & officium, implicitè censetur velle omissionem canonicarum precum, modò non adsit grauis aliqua necessitas illius suscipiendi, seu, modò actio, quæ suscipitur, non putetur hic & nunc maius bonum, quàm sit recitatio diuini officii: vnde ille, qui ob grauem occupationem horas recitare nõ potuit, ad restitutionem fructuum non obligatur, quia par non est, vt pœnam subeat, qui culpam non admisit. Vide Doctores citatos, & præcipuè Caramuelem *in reg. D. Bened. disp.* 116. *num.* 1438. Vbi contra prædicta sic ait: Qui ex officio sibi legitimè iniuncto singulis diebus duodecim horis integris occupatur, nõ tenetur legere officium diuinum; licet Suares asserat eum, qui habet officium quo cum non cõsistit Horarum lectio debere vel illud relinquere, vel petere dispensationem. Vtrumque tamen falsum est. Hęc *Caramuel*. Nostram tamen sententiam, quam reprobat ille, tenet nouissimè Diana hic citatus, adducens pro hac opinione me citato etiam *Machadum, Monetam, Bonartium*.

Pro religiosis occupatis in prædicationibus, aut operibus pietatis, vt puta Confessionibus audiendis, aut Sacræ Theologiæ, ac Canonum studijs, aut infirmis, vel infirmis seruientibus, extat Priuilegium *Clementis VII.* concessum Clericis Regularibus Theatinis, quòd scilicet Superiores illorum possint dispensare super recitatione Diuinorum officiorum, ad hoc quòd ipsi occupati vel impediti, certum Psalmorum per ipsos superiores eis assignandorum numerum, non minùs septem, aut sex, cum diuisione, ac Orationem Dominicam septies, symbolum Apostolorum bis; grauiter autem ægrotantes Orationem Dominicam semel & salutationem Angelicã septies in die recitando, septem horis Canonicis satisfeciße censerentur. Vide Bullam 38. *to.* 1. Bullarij, eiusdem Pontificis.

5. *Tertia causa* excusans ab obligatione recitationis diuini officij, est, *impotentia*, qualis est carentia Breuiarij, sine quo diuinum officium recitari non potest. *Filliuc. tra.* 23. *cap.* 9. *quæst.* 3. & 4. *Nauarr. de orat. cap.* 11. *num* 23. *Suares cap.* 28. *numer* 23. quia impossibilium non est obligatio: *vnde* cæcus ex toto, aut etiam ex parte non tenetur ad officium persoluendum dum legere non potest: *similiter* qui ob cæcitatem vel ob debilitatem, seu infirmitatem, vel ob breuiarij carentiam, maiorem officii partem persoluere non potest, ad nihil tenetur iuxta *Rodriquez* 1. *part. cap.* 144. *Diana par.* 2. *tract.* 12. *resol.* 29. 30. 43. & *par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 225. *Graffius lib.* 2. *cap.* 54. *num.* 3. licet plurimi censeant talem teneri ad eam partem recitandam, quam potest, modò illa pars sit notabilis, & præsumatur intenta à legislatore. Ioannes autem Caramuel *in reg. D. Benedict num.* 1435. putat, infirmum, qui non potest recitare totum Diuinum officium, non teneri recitare partem. Ratio est, tum quia nõ datur præceptum indicens lectionem vnius horæ: tum quia ad impossibile nemo tenetur; ergo quando aliquis non potest satisfacere præcepto, non tenetur; atqui præceptum est de legendo toto officio, non de parte; ergo quando aliquis non potest satisfacere toti præcepto, non tenetur satisfacere parti. Tum quia datur vnicum solum præceptum de dicendo toto officio diuino, non pluta.

Similiter infans, cui facta fuit beneficij aut sacrorum ordinum collatio ante rationis vsum, non tenetur ad horas canonicas: imò neque in adolescentia, nisi ordinis susceptionem ratificauerit postquam ad rationis vsum peruenit. *Azor. tom.* 1. *l.* 10. *c.* 13. *quæst.* 12.

An autem, qui non potest horas recitare absque auxilio socij, quem non consueuit adhibere, teneatur ad illum adhibendum? Probabile est non teneri, si non consueuerit illo vti: vt docet. *Lessius lib.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. *num.* 54. quamuis probabilior sententia asserat, talem teneri socium adhibere, modò commodè possit adhibere & non sit surdus, vel surdaster; & beneficium habeat, ex quo fructus sufficientes habeat, ad conductionem socij; quia qui ex iustitia tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad media ad illud ordinata, sed beneficiarius ex iustitia tenetur ad horas, ergo. Secùs dicendum de illo, qui beneficium non habet, hic enim non tenetur suis proprijs expensis cõducere socium, cùm ex iustitia non teneatur ad horas, sed ex religione, vel obedientia, quæ non ita strictè obligant, sicut obligat iustitia propriè accepta. Ita *Nauar. c. num.* 23. *Suares c. num.* 13. 15. *Reginal. lib.* 18. *num.* 183. *Bonacin. de horis disputat.* 1. *quæst.* 6. *part.* 2. *num.* 8. *Filliuc. c. num.* 289. *Layman lib.* 4. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 2. Contra Sancium *in select. disp.* 15. *num* 2. docentem cœcum non teneri matutinam horam recitare, licet memoria retineat Psalmos; nec teneri socium quærere, cùm præceptum recitandi ad id non obliget, sed solùm permittat posse recitari cum socio, vt attentius & iucundiùs officium dicatur; imò nec teneri cœcum Socium admittere, etiamsi se vltrò offerat ad recitandum; quia recitare cum socio priuilegium est, & fauor, quo non vti potest liberè, quantumuis pluries consueuisset priuilegio frui. Ita *Sancius* & alij, quos refert *Garzias de benefic. p.* 3. *cap.* 1. *num.* 214. Vide *Diana part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 221. & *part.* 7. *tractat.* 11. *resolut.* 3.

Sed dubium est, an cæcus, vel ita oculis caligans, vt legere nequeat, teneatur horas persoluere, si illas memoriter sciat? Respon. teneri, quia præceptum non obligat ad recitandum per librum, neque requirit vt conditionem necessariam dicendi potestatè recitare memoriter maiorẽ partem officij, ad illam teneri dicendum est; vt docet Faustus *de hor. canon. lib.* 2. *quæst.* 219. citans Nauarrum & Azorium; quamuis Toletus *lib.* 2. *c.* 14. simpliciter excuset cæcum.

6. *Quarta causa* excusans omittentem diuinum officium, est *dispensatio summi Pontificis*; quia in hac obligatione dispensare potest, cùm Horæ Canonicæ iure humano Ecclesiastico institutæ fuerint; & ipsius dispensatio valida est, etiamsi concessa fuerit absque causa, cùm dispenset in propria lege. Episcopus verò per se loquendo dispensare non potest, quia in iure communi non habet dispensandi facultatem nisi in casu occurrente. *Toletus c. cap.* 14. *num.* 6. *Filliuc. c. cap.* 9. *num.* 304. *Bonac. c. par.* 3. *num.* 1.

I.

IDOLOLATRIA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit idololatria? & quomodo dupliciter accipiatur.*
2. *An ad actum idololatriæ tres actus concurrere soleant?*
3. *An idololatria ex genere suo grauissimum sit peccatum? & quomodo in illa tripliciter delinquatur mortaliter. Et an propter idololatriam incurratur aliqua censura.*

1. *Idololatriæ* nomine, significatur omnis cultus falsorum deorum, vt dæmonum, solis, lunæ, siderum, hominum mortuorum, & similium; vnde omnis cultus quo creatura instar Dei colitur, idololatria dicitur: & nuncupatur ab *idolo*, quod est effigies alicuius falsi numinis, ad differentiam imaginis Dei, Sanctorum & Angelorum, quę numquam appellatur idolum. *Idololatria* dupliciter accipitur. *Primò* specialiter & propriè pro cultu, quo creatura colitur loco Dei; hoc autem fit non tantùm sacrificio, quod per se soli Deo debetur, sed etiam quouis alio signo honoris, quo illi excellentiam aliquam Deo propriam tribuimus. *Secundo* Idololatria accipitur generatim & metaphoricè pro omni peccato, quo quis mortiferè inhæret creaturæ;

creaturæ; quia id propter quod homo recedit à Deo vt ei adhæreat, censetur pluris facere quàm Deum, ac proinde illud habere loco Dei, & ita est illi instar idoli. *D. Thom. 2.2. quæst. 94. art. 1. Sylvius ibid. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 11. quæst. 2. Filiuc. tr. 24. cap. 2. quæst. 1. Lessius lib. 2. cap. 43. dub. 2. Bonacina de superst. d. 3. quæst. 5. punct. 2. Layman l. 4. tr. 2. c. 2.*

2. *Ad actum* idololatriæ tres actus concurrere solent. *Primus*, est opinio diuinitatis vel perfectionis Deo propriæ: nec refert habere hanc opinionem expressè, siue tacitè, qualem habet is, qui sciens falsitatem idololatriæ, nihilominus vult facere, quod cæteri idololatræ faciunt. *Secundus*, est affectus reuerentiæ, quo quis vult se illi tamquam numini submittere. *Tertius*, est externum signum quo interior existimatio & submissio significatur. *Valent. 2.2. d. 6. quæst. 11. p. 3. Sanch. l. 2. moral. c. 37. nn. 21. Reginal. l. 17. n. 147.*

3. *Idololatria* propriè sumpta, ex genere suo grauissimum est peccatum, quia honorem diuinum & diuinitatem ipsam, quantùm in se est, transfert ad creaturam, vnde potest dici crimen læsæ maiestatis diuinæ; *hoc peccatum* est maximum inter ea, quæ opponuntur cultui diuino & religioni, quia si fiat ex perfecta notitia & libertate, includit odium & blasphemiam quodammodo. In *idololatria* tripliciter delinquitur mortaliter. *Primo*, grauissimè ex infidelitatis errore. *Secundo*, ex diuino honore alteri tributo, quàm vero Deo, etsi mentis infidelitas absit. *Tertio*, externè tantùm absque intellectus errore & affectu colendi creaturam vt Deum. *Denique* ab hoc peccato non excusat metus mortis, quia tribuere cultum Dei rei creatæ, & vanæ, est per se & intrinsecè malum, imò neque ignorantia excusat, quia recta ratio euidenter dictat non esse colendam creaturam loco Dei. *D. Thom. 2.2. quæst. 94. art. 3. Sylvius ibid. Lessius c. dub. 2. num. 10. Filiucius c. cap. 2. quæst. 8. Suarez de relig. lib. 2. c. 6. n. 20. 21. & 22. Layman c. n. 5.*

Est tamen hic notandum, quòd propter idololatriam internam tantùm, nulla Ecclesiastica censura incurratur; neque propter externam tantùm in foro conscientiæ; licet in foro exteriori ob præsumptionem, contrarium sit dicendum: propter tamen idololatriam internam & externam simul, incurritur excommunicatio Bullæ cœnæ Domini lata in hæreticos. Ita Nauar. c. 11. n. 25. Sylvest. v. *Hæresis* 1. q. 6. & alij.

Vide *Magia* n. 4. *Superstitio.*

IEIVNIVM I.

Quæ requirantur ad Ieiunium.

SVMMARIVM.

1. *Ieiunium quid? & quomodo quatuor modis accipi possit?*
2. *Quid sit ieiunium Ecclesiasticum. Et an adsit præceptum ieiunandi?*
3. *A quibus cibis sit abstinendum in diebus ieiuniorum?*
   An quãdo licet comedere ova & lacticinia, liceat etiam comedere laridum, vel sagmen? refertur duplex sententia.
   An quando conceduntur lacticinia, liceat vesci sanguine animalium?
   An in ieiunijs pro lucrando Iubileo, penitentia iniuncta, & votiuis, possint adhiberi ova & lacticinia.
4. *An cui concessum est priuilegium comedendi carnes in die ieunij, teneatur abstinere à multiplici refectione?* refertur duplex sententia.
   Quando alicui prohibentur carnes, an illi sint etiam prohibita ova & lacticinia?
   Habens licentiam edendi carnes in Quadragesima, an possit etiam comedere ova & lacticinia? An etiam pisces?
   Dispensatus ad carnes pro certis tãtum diebus, non potest alijs, illis vti.
   An dispensatus in quadragesima ad ova & lacticinia comedenda, sit dispensatus à ieunio?
5. *An qui vouit abstinere ab ouis & lacticinijs, teneatur etiam abstinere à carnibus?*
   An qui vouit abstinere à carnibus, teneatur abstinere à iure carnium?
6. *An ieunij precepto satisfaciat, qui ventrem adeo replet, vt ieunij difficultatem non sentiat?*
   An possint non ieiunare, qui ieiunando sentiunt grauiores carnis stimulos, quam non ieiunando?
7. *An in necessitate euidenti & certa comedendi cibos vetitos in die ieunij, petenda sit licentia? Et quid si dubitetur de sufficientia necessitatis?*
   An Parochus possit dispensare in lege ieunij?
   De necessitate comedendi cibos vetitos in diebus ieunij, debent iudicare medici.
   An Confessarius possit dispensare? An Prælati regularium? Remissiuè.
8. *An abstinentia plurium refectionum ad essentiam ieunij requiratur? Et an potus frangat ieunium?*
   An vsus electuariorum & conditorum?
   An lectores, Ministri mensæ in monasterijs, possint aliquid sumere ante prandium? An & Cantores ad conseruandam vocem?
   An ne potus noceat? An paruitas materiæ excuset à fractione ieunij, etiam in comestione carnium?
9. *An collatiuncula vespertina sit licita? & quæ sit eius mensura?* referuntur variæ sententiæ.
   An nobilioribus & illis qui continuo studijs vacant liceat amplior refectiuncula vespertina?
   Qui cibi possint sumi in refectiuncula? refertur multiplex sententia.
10. *An toties peccetur mortaliter, quoties in die ieunij comeditur?* refertur duplex sententia. *Et quid dicendum de illo, qui in die ieunij carnes comedit?*
11. *An qui ieunij die sciens, vel inaduertenter sumpsit ientaculum, teneatur eo die ieiunare?*
12. *An habens causam non ieiunandi, possit inuitare amicũ causa vrbanitatis vel hospitalitatis ad cœnam, quem scit solere violare ieiunium domi cœnando?* refertur duplex sententia.
13. *An graue peccatum sit Caponi in locis Catholicorum apponere carnes hospitibus suis in die ieunij? Et quid in locis hæreticorũ, si petantur carnes in contẽptũ religionis Catholicæ?*
14. *An diebus ieunij rum licitum sit cœnam apponere hospitibus, qui tenentur vel non tenentur ad ieiunium?*
15. *An qui ob negotium interrupit prandium, nondum completè sumpta refectione, possit absoluto negotio refectionẽ perficere? Et quid dicendum si interrupit animo non continuandi?*
16. *De tertio requisito ad substantiam ieunij, quod est certa refectionis hora. Et an notabilis anticipatio sit peccatum mortale vel veniale. Et an hora determinata comedendi sit de essentia ieunij? Et quodnam tẽpus dicatur notabile, vt anticipatio sit peccatũ? Quæ sint iustæ causæ horam prandij anticipandi?*
17. *An qui priuilegium obtinuit prandendi ante consuetam ieunij horam, teneatur reliqua diei parte, à cibis abstinere? An dispensatus pro sumenda multiplici refectione, possint carnibus vesci & anticipare prandium?*
18. *An possit sumere ientaculum, qui discedit mane ex oppido domicilij vbi est ieunium, peruenturus ad locum vbi non est ieiunium?*
19. *Discedens è loco vbi comeduntur carnes, an possit eas comedere, etiamsi eodem die peruenturus sit ad locum, vbi non comeduntur? Et an potens comedere carnes secundum leges domicilij, possit eas comedere in loco vbi prohibentur?*

1. IEiunium ex vi suæ significationis importat abstinentiã, & quatuor modis potest accipi. *Primo*, pro abstinẽtia à vitijs & fuga peccatorum. c. *Ieunium, de consecr. dist. 5. Secundo*, accipitur pro abstinentia à qualibet re sumpta per modum cibi, & potus, & hoc dicitur ieiunium naturale, quod frangitur quoties aliquis cibus vel potus transmittitur ad stomachum, qui autem degustat aliquid, illudque ad stomachum non traijcit, sed statim eijcit, non dicitur frangere ieiunium naturale, de quo supra diximus verb. *Communio sacra* num. 40. & sequ. *Tertio*, accipitur pro ieiunio Ecclesiastico, quo præcipitur vnica comestio in die, id est, à media nocte ad mediam vsque noctem futuram. *Quarto*, sumitur pro parsimonia & temperantia, quæ in hoc posita est, vt non plus cibi, & potus sumatur, quam ratio naturalis dictat. *D. Thom. 2.2. quæst. 147. Filiuc. tract. 27. 2. par. cap. 1. Reginald lib. 4. num. 125. Nauarr. in manu. c. 21. n. 11. Sylu. 2.2. q. 147. art. 1. Fagund. prec. 4. c. 1. lib. 1. n. 2. Sanch. in select. disp. 51 n. 1. & 2.*

2. Ieiunium Ecclesiasticum nihil aliud est, quàm, *Abstinentia voluntaria à cibo iuxta præscriptum Ecclesiæ, vel receptam consuetudinem.* Dicitur autem, *abstinentia voluntaria*, quia est actus virtutis, & præcipuè temperantiæ, & obedientiæ, qua

quia præceptum de Eccleſiaſtico ieiunio integrè, & perfectè ſeruatur: ad temperantiam enim pertinet moderari delectationes cibi & potus, ita vt conſtituat in ipſis debitam mediocritatem, quæ conſurgit ex eo quod huiuſmodi delectationes ſint ſecundùm menſuram rationis. Dicitur *à Cibo* non autem à potu: tum quia potus potiùs ordinatur ad diſtributionem cibi per corpus & ſanguinis refrigerium, quàm vt per ſe corpus alat. Tum quia nomine cibi, non veniunt medicinæ, potiones & electuaria, quæ licet nutriant, ſumuntur tamen ob infirmitatem, & ideò non ſoluunt hoc ieiunium. Dicitur *iuxta præſcriptum* &c. hinc vt eo modo fiat, tria requiruntur, *Primo* abſtinentia ciborum certi generis. *Secundò*, abſtinentia plurium refectionum. *Tertio*, certa refectionis hora: Ita communiter Doctores *D. Thom. cap. art. 1. Sylu. ibidem Leſſius lib. 4 cap. 2. dub. 2. num. 8. Fagund. cap. cap. 2. num. 1. Bonac. de præcept. Eccleſ. diſput. vltim. quæſt. 1. punct. 1. num. 7. Sanch. in ſelect. diſp. 51. num. 2.*

An autem adſit præceptum ieiunandi? Communis eſt ſententia affirmatiua: Et quia ieiunium ab Eccleſia pro diuerſis temporibus & diebus inſtitutum eſt, ideò ex iure non colligitur vnum commune præceptum ieiunandi, ſed diuerſa pro diuerſis temporibus. Sic habetur tale præceptum ex cap. *Non liceat*, cap. *Non oportet*. cap. *Placuit, de conſecrat. diſt. 3.* cap. *Quadrageſima, de conſecr. diſt. 5.* & cap. 1. & cap. *Conſilium, de obſeruat. ieiunior.*

Hi textus non condunt nouum ius circa ieiunium, ſed declarant obligationem iam ab Eccleſia impoſitam, & ideò non vtuntur præceptiuis verbis, ſed tantùm declaratiuis obligationis.

Vnde impudenter aſſerunt hæretici noſtri temporis, ieiunia eſſe libera, & ex cuiuſcumque arbitratu ſuſcipienda. Ita *D. Thom. 2. 2 quæſt. 147. art. 3. Sylu. ibidem. quæſt. 1. concluſ. 2. Nauar. cap. 21. num. 13.* & communiter omnes hoc tanquam certum ſupponunt.

3. Cibi à quibus ex præcepto ſacrorum Canonum eſt abſtinendum in die ieiunij Eccleſiaſtici, ſunt *primò*. Carnes, & quod attinet ad ieiunium Quadrageſimæ, id conſtat ex capit. *ſtatuimus*, *diſtinct. 4.* Quod autem attinet ad omnia alia ieiunia, id deducitur ex cap. *de eſu carnium*, *de conſecrat. diſt. 3.* & ex Concil. Gerundenſi *cap. 3.* & id confirmat conſtans & perpetua traditio Eccleſiæ. Vnde tenendum eſt, ex inſtitutione Eccleſiæ, abſtinentiam à carnibus eſſe eſſentialem, & neceſſariam pro ieiunio Eccleſiaſtico. Ita *D. Thom. cap. art. 8. Sylu. ibidem Tolet. lib. 6. capit. 2. num. 1. Azor. tom. 1. libr. 7. cap. 8. quæſt. 3. & cap. 10. quæſt. 6. Sanc. in ſelect. diſp. 51. num. 4.* Ratio autem eſt, quia ieiunium conſiſtit in abſtinentia ordinata ad macerandum corpus, & proinde debet eſſe abſtinentia à cibo, qui eſt magis guſtui gratus, & qui magis reficit corpus, & ſenſui ſubminiſtrat vires contra rationem: tales autem ſunt ex genere ſuo carnes.

Nomine autem *carnium* intelliguntur illæ, quæ à piſcibus contra diſtinguntur, iuxta communem Chriſtianorum vſum aut medicorum iudicium, ſecundum quod iam eſt determinatum, quænam ſit caro prohibita, & quæ non. Quidam Doctores, vt *Maior in 4. diſtinct. 15. quæſt. 3. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 10. quæſt. 6. Reginald. l. 4. num. 143.* nomine *Piſcium* intelligunt ea, quæ non diu viuunt extra aquam: nomine autem carnis volunt intelligi quæ diu viuunt: ſed hæc regula non valet, quia plura, quæ diu viuunt extra aquam, non ſunt caro prohibita in die ieiunij, vt ſunt teſtudines, quæ licet in aqua viuant, naſcuntur tamen etiam extra aquam, & in terra per plures annos viuunt. Limaces etiam viuunt extra aquam, & tamen non ſunt caro prohibita in die ieiunij. Si autem occurrat animal, de quo dubitetur, an ſit caro prohibita, tunc videndum eſt, quibuſnam magis aſſimiletur, an ijs, quorum carnes prohibitæ ſunt, an verò ijs quæ in ieiunijs conceduntur. Vide *Bonacinam de præcept. Eccleſ. diſput. vltim. quæſt. 1. punct. 2. num. 1. Paſqualig. in praxi ieiunij decis. 67.*

Secundo, *oua*, ſed tempore Quadrageſimæ, nam extra hoc tempus, iure communi non ſunt vetita, ſed ſolæ carnes: quia in iure nullus textus reperitur, qui prohibeat oua, licet quibuſdam in locis conſuetudo ea non permittat in ieiunijs etiam extra Quadrageſimam, vt in quibuſdam partibus Hiſpaniæ & Galliæ: An autem talis conſuetudo obliget ſub mortali in ijs locis vbi recepta eſt, videant illi quorum intereſt: an introducta ſit ex deuotione, an cum deſtinatione obligationis, de qua *Nauarr. in man. cap. 21. num. 15. Sanchez diſput. 51. num. 18. Sanch. lib. 4. moral. cap. 11. num. 53. Bonac. c. num. 2. Lezana in ſum. v. Ieiun. num. 3. Paſqualig. cap. decis. 71. Diana part. 3. tract. 6. reſ. 80.* Vnde non eſt admittenda doctrina *Fagund. capit. l. 1. cap. 2. num. 12.* & quorumdam aliorum aſſerentium, ex vi iuris communis, & ſecluſa quacumque conſuetudine alicuius loci aut prouinciæ, non eſſe pluſquam veniale, oua comedere in ieiunijs Quadrageſimæ, quia communiter Doctores exponunt in contrarium textum Capit. *Denique*, *diſtinct. 4.* Licet enim textus ille nullum contineat præceptum, quia inquit Pontifex, *Par autem eſt, vt nos, qui his diebus à carnibus animalium abſtinemus, ab omnibus quoque, quæ ſementinam carnis trahunt originem, ieiunemus, à lacte videlicet, ouis & caſeo.* Quærebat enim *Auguſtinus* Anglorum Epiſcopus à *Gregorio* Papa, an ſicut in ieiuniis quadrageſimæ abſtinendum eſt à carnibus, ita etiam abſtinendum ſit ab ouis & lacticiniis; quod eſt idem, ac ſi dicatur, an præceptum, quod prohibet carnes extendatur ad prohibenda etiam oua & lacticinia. Et Pontifex reſpondet affirmatiuè: & cùm dicit *Par eſt*, aſſignat conuenientiam, ob quam dicendum eſt, quod tale præceptum extendatur etiam ad prohibenda oua & lacticinia. Quare cùm ibi Pontifex non conſtituat nouum præceptum, ſed declaret ſolum extenſionem præcepti iam exiſtentis, non debuit vti verbis præceptiuis, ſed tantum declaratiuis, quibus talem extenſionem declararet. Et hic eſt ſenſus communis non ſolum Doctorum, ſed etiam cæterorum fidelium, etiam ipſorum Paſtorum, qui omnes vnaniminter putant oua prohiberi in quadrageſima ſub mortali.

Tertiò ſunt *lacticinia*, ſed iure communi ſolùm tempore quadrageſimæ vetantur, extra illud permittuntur, vt dictum eſt de ouis. Conſuetudo tamen quibuſdam in locis illa permittit, etiam in Quadrageſima, exceptis paucis diebus vt in Belgio: vnde in vſu lacticiniorum & ouorum attendenda eſt potius locorum conſuetudo, quàm ius ſcriptum; hæc enim eſt optima legis interpres. Vide *Leſſius l. 4. c. 2. n. 8. Sylu. v. Ieiunium. 15. Rodriq. tom. 1. ſum. cap. 23.*

Sed petes *primò*, an illis diebus quibus licet comedere oua, caſeum & cætera lacticinia, liceat etiam comedere lardum, vel ſagimen? Affirmant *Gloſſa in cap. presbyter. diſt. 82. Hoſtienſ. in ſum. Rubric. de ieiunio. Sylueſt. v. Ieiun. num. 16.* & probabilem vocat *Diana part. 1. tract. 9. reſ. 21.* & inſinuat. *Fagund. capit. nu. 20.* Ratio eſt, tum quia quaſi mutando formam, videtur rei ſubſtantia immutata. Tum quia in dictis diebus non prohibetur aliud, quam caro, ſagimen autem, cum ſit ſola pinguedo, non eſt caro, quia illa calore liquefcit; non autem caro: vnde potius ſe habet in genere ouorum & lactis, cum conueniat cum ipſis in eo, quod originem ducat à carne, *Paſqualig. in capit. decis. 74. num. 4.* autem putat ſagimen eſſe licitum, lardum verò minimè: quia non eſt pura pinguedo, ſed caro mixta cum pinguedine valde concocta, vnde pro carne habendum eſt, ſicut etiam habetur ſecundum communem exiſtimationem. Quod ſi pura pinguedo ſeparetur à partibus carneis, tunc putat eſſe eamdem rationem, ac de ſagimine. Cæterum neque hæc ſententia eſt admittenda, niſi vbi conſuetudo eam probaret. Ratio autem eſt, quoniã etſi pinguedo nõ ſit caro, nihilominus magis accedit ad carnis naturam, quàm vel oua vel lacticinia, ideòque dum interdicitur caro, potius cenſetur interdici adeps ſeu pinguedo, quàm oua vel lac, vel butyrum, aut alia lacticinia, niſi lex aut conſuetudo recepta aliud habeat. Ita *Vualdens. capit. 15. de quadrageſ. num. 37. Filliuc. tract 27. part. 2. num. 61. Henriq. lib. 7. cap. 13. num. 11. Sylu. in part. 1. reſolut. verb. Rogationes.* & alii.

Petes *Secundò*, an quando conceduntur lacticinia, liceat veſci ſanguine animalium? Reſp. negatiuè *Paſqualig. in praxi ieiun. Eccleſ. decis. 75.* niſi liceat fortè aut ex aliquo priuilegio, aut ex conſuetudine. Ratio eſt, quia licet ſanguis non ſit propriè caro, eſt tamen proximè caro, quia eſt in proximo ſtatu, vt conuertatur in carnem, & proinde cenſetur eſſe in eodem genere cum carne, & prohibitus in prohibitione carnis tanquam quid ipſis annexum in eodem genere, & tanquam id, quod moraliter cenſetur caro.

Rogabis *Tertio*, an in ieiuniis pro Iubileo, pœnitentia iniuncta, & votiuis, poſſint adhiberi oua & lacticinia? Reſponſio communis eſt affirmatiua. Ratio eſt, quia quando indicuntur ieiunia aut à Pontifice pro Iubileo, aut à Confeſſario pro pœnitentia, aut cùm quis ad ipſa ſe obligat per votum, niſi exprimatur aliquis ſpecialis modus ieiunandi, intelliguntur ieiunia ſecundùm conſuetudinem & præſcriptionem Eccleſiaſticam, ſeu

seu ieiunia secundum substantiam & modum, quo solent apud fideles seruari: vnde si solent seruari cum ouis, & lacticinijs, talia ieiunia erunt sufficientia pro implenda obligatione imposita à Pontifice, aut ex quocumque alio capite proueniente. Ita *Dian. part. 1. tract. 9. ref. 6. & 17. Portel. in dub. reg. v. Ieiun. in addit. num. 7. Sanch. l. 4. moral. cap. 11. num. 49. & 50. Bonac. num. 6.* & alij communiter.

Sed difficultas est, quando ieiunia votiua, pro lucrando Iubilæo & pro pœnitentia iniuncta coincidunt cum diebus in quibus lacticinia & oua illicita sunt, vt in Quadragesima, impleri possint adhibendo oua & lacticinia? Resp. certum esse tunc interuenire peccatum mortale contra præceptum abstinendi à lacticinijs, & ouis; si illa adhibeantur. An autem tale ieiunium tunc sufficiat pro implendo voto, pœnitentia iniuncta, & lucrando Iubilæo, controuertitur inter Doctores, alijs negantibus, affirmantibus nonnullis: placet tamen sententia affirmans: quia hic ex pœnitentia, voto, vel Iubilæo ad solum ieiunium eo modo quo est ab Ecclesia institutum tenetur, & ad id, ad quod obligat præceptum ieiunij vt sic; at præceptum ieiunij non obligat ad abstinentiam à lacticinijs, sed est distinctum omninò præceptum independens à secundo. Tum quia in aliquibus locis viget præceptum de ieiunio, & non de abstinentia à lacticinijs, quod fieri non posset, si esset vnum atque idem præceptum. Ita tenent *Angleam Floriq. 9. de ieiun. a. 1. post 7. dif. dub. 2. propos. Sanch l. 4. moral. cap. 11. num. 52. & 53. Portel. c. num. 8. Pasq. cap. decis. 78.* & alij.

4. Quidam existimant illum, cui concessum est priuilegium comedendi carnes in die ieiunij, nulla ratione teneri ad ieiunium et consequenter abstinere à multiplici refectione, quia abstinentia à carnibus est de substantia ieiunij, qui autem substantiam ieiunij seruare non potest, non tenetur ad ieiunium; hæc sententia est probabilis, quam tenent *Azor. tom. 1. l. 7. c. 10. quæst. 3. Pasqualig. decis. 167. Sanc. disp. 51. num. 4. Tolet. l. 6. c. 3. Diana part. 1. tr. 9. ref. 25* Sed melius alij distinguunt: aut concessum est priuilegium comedendi carnes ob debilitatem naturæ, quæ indiget meliori alimento et multiplici refectione: aut concessum est ob odium seu nauseam vel damnum piscium: si ratione primi detur, non tenetur ieiunare seu abstinere à multiplici refectione: si verò ratione secundi, tenetur adhuc ieiunare, & non potest pluries refectionem sumere: quia hoc priuilegium censetur odiosum, vtpote, contra ius commune, et consequenter strictè explicandum est, nisi fortè absolutè concedatur, vt regulariter loquendo concedi solet. Ita *Lessius c. dub. 6. num. 45. Nauarr. cap. 21. num. 22. Sanc. ieiun. m. 11. Regin. l. 4. num. 168.* & alij apud *Pasqualigum* citatum.

Quando alicui carnes prohibentur, non ideò illi prohibetur esus ouorum vel lacticiniorum, nisi aliter exprimatur, quia sunt res distinctæ, quarum vna prohiberi potest, alia non prohibita, & vna concedi potest, alia non concessa.

Item habens licentiam edendi carnes in Quadragesima, potest licitè oua & lacticinia comedere: Ratio autem est, quia cui concessum maius est, indultum est etiam minus eiusdem generis. Tum quia prohibitio carnium inducit maiorem abstinentiam, quàm prohibitio ouorum, et lacticiniorum, et vsus lacticiniorum mediat inter vsum carnis et piscium: si quis igitur per dispensationem transfertur ab vsu piscium ad vsum carnis, à fortiori transfertur etiam ad vsum lacticiniorum, tanquam ad id, quod mediat, & est quid minus. Ita *Sanc. in select. disp. 51. num 17. Azor. cap. l. 7. cap. 10. quæst. 2. 4. & 5. Pasq. cap. decis. 48. Regin. l. 4. num 145. & 171.* & alij.

Similiter qui ex dispensatione comedit carnes, quando ipsi prohibentur, potest simul etiam edere pisces, quando non inde prouenit aliquod damnum. Quia pisces de se sunt liciti in illis diebus, in quibus prohibentur carnes, & dispensatio facit licitas carnes, nec prohibet pisces. Ita *Diana part. 1. tr 9. ref. 16. Lezana ieiun. num. 11. Fagund. precept. 4. l. 1. cap. 2. num. 18.*

Dispensatus ad carnes pro aliquibus tantum diebus, non potest in ceteris ijs vti, quia præceptum semper vrget, quando non obstat dispensatio, vnde cùm dispensatio sit coarctata ad certos dies, cæteris diebus vrgebit præceptum, et obligabitur ad ieiunium, nisi infirmitas aut debilitas excuset.

Dispensatus autem ad carnes pro tribus aut quatuor diebus in hebdomada, potest sibi eligere, quos voluerit, exceptis tamen diebus Veneris & Sabbati, qui nunquam possunt eligi, quando adsunt alij dies, pro quibus potest inseruire dispensatio: ex dictis collige, quod dispensatus ad edendas carnes, vnica vice pro singulis diebus, siue in prandio, siue in cœna, non poterit altera vice comedere carnes, quia præceptum abstinendi à carnibus est negatiuum obligans pro singulis momentis, vnde cum dispensatio sit coarctata ad vnicam vicem, remanet præceptum obligans ad abstinentiam pro cæteris vicibus. Ita *Sanc. in select. disp. 51. num. 14. & 15. Bona par. 1. cas. conf. cas. 45. v Tum quia.*

Dispensatus in quadragesima ad oua et lacticinia comedenda, non est dispensatus à ieiunio: quia comestio ouorum & lacticiniorum non soluit substantiam & formam ieiunij Ecclesiastici, vt constat in ieiunijs extra Quadragesimam, in quibus lacticinia non sunt prohibita. Vnde *Pius V.* in *Bulla Cruciatæ* declarauit, quòd ieiunium stat cum ouis & lacticinijs. Ita *Sylu. 2. 2. quæst. 147. a. 4. Sanch. l. 4. moral. cap 13. num. 49. Llamas 3. part. method. cap. 1. §. 26.* & alij communiter: Imò cum forma ieiunij Ecclesiastici sit præscripta ab Ecclesia, potest à Summo Pontifice determinari alia forma ieiunij, vnde potest etiam dispensare cum aliquo, vt vescendo carnibus ieiunet; ita vt forma ieiunij consistat tantum in vnica comestione absque delectu ciborum.

5. Iuxta antedicta, qui vouit aliquo die ieiunare, aut cui indictum est ieiunium à confessario, vel à Papa tempore Iubilei, extra quadragesimam, potest vesci lacticinijs aut aliis cibis, qui iuxtà locorum consuetudinem permittuntur in quatuor temporibus anni & pernigiliis sanctorum. *Sed dubium est*, an quando quis vouit abstinere ab ouis et lacticinijs, teneatur etiam abstinere à carnibus? Resp omissis variis sententijs probabilius esse non teneri, quia huiusmodi votum habet pro obiecto peculiarem speciem abstinentiæ, nempè à tali cibo: vnde non debet extendi ad aliam speciem abstinentiæ, quæ sit maior & magis afflictiua; quia talis maior afflictio non fuit de intentione vouentis. Nec obstat, quod oua, et lacticinia originem trahant à carnibus: quia cum non sint in genere carnium, non sunt pars carnis: nec talis origo sufficit, vt abstinentia ab ipsis trahat secum ex natura rei abstinentiam à carnibus. Ita *Sanch. cap. num. 46. Bonac. to. 2. d. 4. quæst. 2. punct. 6. num 17. Dian. p. 1. tr. 9. ref. 22. in fine.*

Qui vouit abstinere à carnibus, tenetur etiam abstinere à iure carnium. Ratio est, quia talis vouens non respicit carnes materialiter, sed vt cibum optimè nutritiuum, vnde proponit subtrahere proprio corpori illam nutritionem: quam conferunt carnes. In hoc autem includitur abstinentia etiam à iure, quia ius carnis præbet eandem nutritionem, quam præbet caro ratione substantiæ carnis ipsi immixtæ, & in subtilissimas partes resolutæ. Limita tamen; nisi vouens expressam intentionem habuerit ad id non se obligandi, et licet occurrens memoriæ exciperet. Ita *Sanch. cap. num. 48.* & post illum *Pasqualig. caput. decis. 57. Bonac. tom. 2. disput. 4. quæst. 2. punct. 6. n. 23.*

6. Ieiunij præcepto satisfacit, qui ventrem adeò replet, vt ieiunij difficultatem, non solum non sentiat, nec carnis vitia comprimat, sed potius libidinem excitet et foueat; modò à cibis in die ieiunij vetitis abstineat, nec plures refectiones sumat. Ratio est quia ille dicitur præcepto satisfacere, qui præstat id quod præceptum est, & finis præcepti non cadit sub præcepto *Conar. 4. variar. cap. 10 num. 11. Reg. l. 4. num. 163. Medin. C. de ieiunio quæst. 5.*

Exinde regabis, an possint non ieiunare, qui ieiunando sentiunt grauiores carnis stimulos, quàm non ieiunando. Responsio est negatiua, sed adhuc teneri ad ieiunium: quia ieiunium non est causa, quod sentiantur tales stimuli, sed potius macerat carnem, et cohibet stimulos: vnde huiusmodi tentationes per accidens sequuntur, & vinci possunt alijs medijs, quam omissione ieiunij. Ita *Sanch l. 1. consil. cap. 1. dub. 11 Bonac de præcept. Eccles. disp. vltim. qu. ult. 1. punct. vltim. num. 15. Fillinc. tract. 27. part. 2. cap. 6. quæst. 9.* & alij; qui etiam notant, quod cùm his facilè potest dispensari; quia adest sufficiens causa ad dispensandum tendit enim hæc dispensatio in bonum dispensati & fundatur etiam in voluntate præsumpta legislatoris: quia nimirum in hac particulari persona per accidens lex sortitur oppositum finem. Addit tamen *Pasqualig. in praxi ieiunij Eccl. decis. 342.* quod si tales sint carnis stimuli, vt ob debilitatem personæ sequatur frequenter casus illius, tunc desinere obligationem præcepti quia in tali casu quod præcipitur, licet per accidens, est tamen causa ruinæ spiritualis: imò si carnis stimuli sint adeo vehementes, licet non sequatur ruina spiritualis, vt generent notabilem inquietudinem, & ob ipsos vincendos impediatur ieiunans à consuetis exercitijs licitis, non obligaret præceptum ieiunij, quia non obligat cum notabili incommodo.

7. Ad-

7. Adueniente necessitate comedendi cibos vetitos in die ieiunij, per se loquendo, non est petenda licentia, modò necessitas sit euidens & certa; quia obligatio legis tollitur ob superuenientem necessitatem: ex quo constat, quòd quando stante causa euidenti petitur dispensatio, talis dispensatio nihil operatur, quoad tollendam obligationem, sed solùm quoad quandam iustificationem pro exteriori apparentia: vnde ratione scandali vel alterius circumstantiæ, fieri posset, vt licentia petenda esset. Proinde quando confessarius vel alius vir prudens iudicat adesse causam sufficientem soluendi ieiunium, non est necessaria dispensatio superioris, quia stante tali iudicio causa fit de se excusans à ieiunio, atque adeo soluens obligationem legis. *D. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 4. in corpore Sylu. ibid. Nauar. cap. 21. num. 21. Sanches in select. dispu. 54. num. 36. Less. lib. 4. c. 2. dub. 6. nu. 45.*

In dubio autem de sufficientia necessitatis, petenda est dispensatio ab Episcopo, vel Prælato; nam dispensatio debet aliquid operari, nihil autem operaretur, si requireretur causa certa, nam tunc absque dispensatione cessat obligatio legis, vt iam diximus. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 4. Nauarr. cap. 21. num. 20. Sylu. v. Ieiunium num. 20.* asserens de communi. Quando autem dubium est, an causa sufficiat pro dispensatione, quidam putant tunc debere Prælatum, seu superiorem partim dispensare, partim commutare in aliud opus bonum. Ita *Lezana in summ. v. Ieiunium num. 10. Sanches l. 5. conf. cap. 1. dub. 5. num. 26.* & alij: mihi tamen dicendum videtur, quòd si superior dispensat in propria lege, potest dispensare, quando dubium est, an causa sufficiat pro dispensatione: quia si potest in propria lege dispensare absque causa, vt diximus supra *verb. Dispensatio nu. 15.* a fortiori poterit dispensare etiam quando dubitatur, an causa sufficiat pro dispensatione. Si verò dispensandum sit in lege superioris, adhuc poterit dispensare, quia est in possessione dispensatiuæ potestatis, & in dubijs fauendum sit possessori. Demum debent Prælati & superiores faciles se præbere cum ijs, qui petunt dispensationem in ieiunio, nec eos relinquere propriæ ipsorum conscientiæ, vt monent communiter Doctores.

Parochus autem secundùm quosdam Doctores, non potest dispensare in ieiunio præsente Episcopo vel eius vicario. Alij verò communiter tenent, posse, ratione consuetudinis: nam constat, quòd vbique consuetudo viget, quòd Parochi dispensent in ieiunio, idque introductum est consentientibus etiam Episcopis, quia licet sint præsentes, non tamen accessus ad ipsos seu eorum vicarios, est ita facilis: præsertim hominibus infimæ conditionis, & extra ciuitatem degentibus, vt quando opus est, haberi possint. Consuetudo autem & præscriptio dant iurisdictionem ijs, qui sunt capaces ipsius. *Cap. cum contingat, de foro competent.* Ideò modò Parochi iurisdictionali modo dispensant in ieiunio, tanquam superiores habentes iurisdictionem spiritualem. Ita *D. Thom. 4. d. 15. quæst. 3. artic. 2. quæst. 4. ad 3. Nauarr. cap. 21. num. 21. Sanches dispu. 54. nu. 36. Sanches lib. 8. de matrim. dispu. 9. num. 27. & lib. 5. conf. cap. 1. dub. 5. Sylu. 2. 2. quæst. 147. art. 4.* Vicarij autem Parochorum possunt etiam dispensare in ieiunio, vt notauit *Sancius* citatus, quia exercent actus iurisdictionales parochiales, & proindè tenent etiam facultatem dispensandi in ieiunio, nisi id ipsis à Parocho prohibeatur. Hæc tamen dispensatio, cùm sit in lege superioris, siue sit iuris communis, siue Diœcesana, debet tantum concedi ex rationabili causa, alioquin erit inualida, vt constat ex dictis supra *verb. Dispensatio num. 9.* vbi plura de hac materia, nec modò repetenda.

De necessitate autem comedendi cibos vetitos in diebus ieiuniorum, debent iudicare medici; qui cauti debent esse in concedendis licentijs ad carnis edendæ vsum: nec absolutè facultatem exhibeant, quando infirmo sat est limitata: Aliàs erunt medici rei fractionis duplicis præcepti, ieiunij scilicet, & carnis abstinentiæ, nisi adsit causa excusans à ieiunio, & non ab abstinentia carnium, nam tunc esset vnum peccatum: si tamen adesse censeatur causa, bona fides medicum excusaret. Si autem dubium sit, an adsit, adhuc poterit concedere licentiam, ne infirmus periculo exponatur. Aliàs medicorum consilia diuinæ cognitioni sæpe sunt contraria, quia nec ieiunare, nec fieri, aut consimilia sinunt, vt optimè decernitur in *cap. contraria, de consecrat. dist. 5.* Proinde infirmus cui declaratum esset à medico non indigere ad præcauendam ægritudinem, quotidie carnibus vesci in Quadragesima, sed tertio die, nequit illo die quo à carnibus abstinendum est, illis vti, sed potius ad ieiunium est constrictus. Notandum tamen quòd medici non debent esse nimis cauti, ne dum ieiunio fauent, noceant proximo. Sed cautio in eo debet consistere, quòd non concedant licentias irrationabiliter. Vide *Sanc. in select. dispu. 51. num. 16. Sanch. lib. 4. moral. cap. 11. n. 17. Toletus l. 6. cap. 4. num. 5. Pasqualig. in praxi sacr. Eccl. decis. 378.* & alios ab ipsis citatos.

Confessarius non potest dispensare de ieiunio, nisi adhoc deputetur ab habente facultatem dispensandi. Ratio est, quia dispensatio in ieiunio est actus iurisdictionis in foro exteriori, cõfessarius autem non habet iurisdictionem in foro exteriori; ergo. Poterit tamen confessarius declarare, an causa sit sufficiens ad non ieiunandum, & hoc pacto interpretati legẽ, quod tunc non obliget: idem dicendum de quocumque viro prudenti. Siquidem hoc spectat ad iudicium prudentiale. *Bonac. dispu. tat. vlt. de præc. Eccl. quæst 1. punct. vltim. num. 18. Polet. l. 6. cap. 4. num. 5. Pasqualig. c. decis. 389.*

Pius IV. 21. Ianuarij 56;. concessit, vt superiores Societatis Iesu, & de eorum licentia alij etiam confessarij eiusdem Societatis possint dispensare cum pueris Catholicis, famulis, ancillis, & coniugibus Patrumfamilias hæreticorum, vt possint vesci carnibus, ouis & lacticinijs sine scrupulo, quãdo ij, quibus subsunt, negant cibos quadragesimales.

Item concessit, vt ijdem possint dispensare in Germania superiori circa ieiunia, cum ijs, quibus ad ieiunandum totam Quadragesimam in illis partibus adduci non possunt. Sed id fieri voluit cum prudenti iudicio & alicuius boni occasione, aut proposito, ne dispensatio in dissipationem conuertatur, & vt habeatur consensus Ordinarij, seu Prælati, vel ipsius vicarij, saltem semel pro semper. *Ex Append. Iur. Apostolicas pro Societ. Iesu.* Sed quia hæc priuilegia sunt viuæ vocis oraculo tantùm concessa, non licet illis modò vti, quia sunt reuocata & annullata per Constitut. Vrbani VIII. *Alias Felicis*, de qua infrà V. *Priuilegium 1. n. 8.*

An superiores regularium possint dispensare in ieiunio? dicendum est, quòd sic; vt diximus supra *verb. Abbas n. 10.* & dicemus infra v. *Ieiunium 11. n. 12.*

8. Secundum requisitum ad essentiam ieiunij Ecclesiastici, est abstinentia plurium refectionum, ita vt intra spatium diei naturalis, non nisi semel corpus reficias: & hoc probari potest ex omnium consensu, & testis est ipsa consuetudo. Conueniunt autem omnes, potum liquidorum, quæ tamen habeant rationem cibi, vt ius, lac & alia huiusmodi soluere ieiunium, si in notabili quantitate sumantur extra prandium, & refectiunculam, quia per se primò huiusmodi liquida ordinantur ad nutriendum. Difficultas est, de potu vsuali, vt est potus aquæ, ceruisiæ & aliorum, quæ communiter ordinantur ad extinguendam sitim. Quidam volunt potum vini soluere ieiunium, præsertim si mane adhibeatur, quia nimirum nutrit. Ita *Alensis par. 4. quæst. 104. memb. 1. art. 3.* Alij dicunt, non licere sumere potum, quando cibus est indigestus, quia tunc potus non adiuuat, sed impedit digestionem, *Caietan. 2. 2. quæst. 147. artic. 6. ad 2.*

Sed dicendum est, *Primo*, cum communi omnium sententia, quæ consuetudine firmatur, potus sumptione quamuis crebriore non vetari: quia potus ordinatur potius ad cibi per corpus distributionem, & sanguinis refrigerium, quàm vt per se corpus alat. Quod est verum, etiamsi potus in magna quantitate, & vltra necessitatem sumatur, quia potest quidem in hoc delinqui contra temperantiam, non autem contra ieiunium. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 6. Lessius lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 10. Nauar. cap. 21. num. 13. Pasqualig. c. decis. 116.* & alij communiter. Quia prohibitio cibi extra prandium & refectiunculam, non est extendenda ad potum, cùm potus non sit cibus.

Sed dubium est, si potus vini sumatur non ad sedandam sitim, sed potiùs ad expellendam famem, an violetur ieiunium? Affirmat *D. Thom. 4. distinct. 15. quæst. 3. art. 4. quæst. 1. Sylu. 2. 2. quæst. 147. art. 6. Reginal. lib. 4. num. 153.* & alij probabiliter, maximè si potus sit valde nutritiuus: quia tunc potus sumitur per modum cibi, cùm sumatur in eum finem, in quem sumitur cibus. Alij tamen probabiliùs docent, & meritò non solui ieiunium, etiamsi sumatur in magna quantitate. Ratio est, quia Ecclesia non interdicit potum, atque adeò nec etiam effectum ipsius: vnde nutritio illa, quæ prouenit ex potu, non est prohibita, sicuti est prohibita, quando prouenit ex cibo, quia cibus est prohibitus. Atque adeò intendens talem nutritionem non facit contra præceptum ieiunii, quia non intendit ipsam, nisi vt prouenientem ex actu licito. Ita *Nauar. c. num. 13. Angles quæst. 9.*

de

de ieiun. art. 2. diffic. 2. Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1 num. 7. Diana p. 1. tr. 9. resol. 23. Lezana v. Ieiun. n. 2. & alii multi.

Secundo, non prohibetur etiam in diebus ieiunij vſus electuariorum & conditorum; quia non ſumuntur vt alimenta, ſed vt medicamenta, niſi quis hæc ſumat in magna copia in fraudem ieiunij, aut pluries, quàm neceſſitas exigat. Imò nonnulla bellaria eodem modo adhiberi poſſunt abſque violatione ieiunij, ſiquidem ſunt apta, vt præſeruent bonam diſpoſitionem corporis. Et eadem eſt ratio de fructibus ſiue recentibus ſiue ſiccis, quando iuuare poſſunt ſalutem corporalem; quia tunc habent rationem medicinæ. Item ante, vel poſt prandium licet edere pomum, vel pyrum, aut quid ſimile ad ſedandam ſitim, modò pomum, vel pyrum non ſit tantæ quantitatis, vt inſeruiat pro comeſtione, & non pro ſedanda ſiti tantùm. De his vide *Fagund. præcep. 4. lib. 1. cap. 4. Lezana c. num. 4. Filliuc. tract. 27. part. 2. n. 43. Paſqualig. c. deciſ. 133. & 135.* & alios.

Excuſantur etiam Lectores & miniſtri menſę in monaſteriis aliquid præſumentes; quia illud eſt inchoatio quædam prandij, & illa interpoſitio temporis fit ex iuſta cauſa, ne vires notabiliter debilitentur? nec cenſetur interrumpi moraliter prandium, quia communicant inſeruiendo, aut legendo cum eodem prandio, ſiquidem vacant actioni, quæ eſt pars illius prandij. *Sylu. c. art. 6. queſt. 1. concl. 1. Leſſius lib. 4. c. 2. dub. 2. num. 11. Diana p. 4. tr. 4. reſol. 142.*

Item cantores poſſunt in die ieiunii primo mane aliquid cibi ſumere, vt habeant vocem aptam ad canendum; quia quod tunc ſumitur, ordinatur ad conſeruandam vocem pro conſueta functione canendi, nec habet rationem cibi per ſe primo ordinati ad nutriendum, ſed medicinæ ordinatæ ad conſeruationem, ſeu præſeruationem. Res tamen quæ tunc ſumitur debet eſſe apta ad conſeruandam vocem, quæ ſe habeat per modum medicinæ; Idem à fortiori licebit Concionatoribus, quia ieiunium non debet impedire munus ipſorum, nec quæ ſunt neceſſaria pro ipſo exercendo, qualis eſt vox. Ita *Filliuc. c. c. 2. num. 37. Paſqualig. c. deciſ. 132. Sanches lib. 5. conſil. c. c. 1. dub. 22. num. 7.*

Porrò quando bibitur per diem in ieiunio extra prandium, & refectiunculam, licet aliquid cibi ſumere, ne potus noceat, quia concedens aliquid, cenſetur etiam concedere omnia ſine quibus ipſum commodè obtineri non poteſt; vnde cum Eccleſia in ieiuniis concedat potum per diem, cenſetur etiam concedere ea, quæ neceſſaria ſunt, ne potus noceat, atque adeò aliquid cibi: Et hoc nedum ſemel in die, ſed pluries, quoties contigit bibere licitum eſt; modò non fiat in fraudem ieiunii, vt ſi quis biberet, non ob ſitim ſedandam, ſed vt poſſet ſumere illud parum cibi; ſi enim cibus in ordine ad potum ſumptus pluries perueniat ad notabilem quantitatem, frangitur ieiunium cum peccato mortali, ſecus autem, ſi ſiſtat intra paruitatem materiæ. Ita *Layman lib. 4. tract. 8. cap. 1. numer. 7. Diana par. 1. tract. 9. reſol. 24. Bonacina c. punct. 3. nu. 4. Fagund. cap. 4. num. 14.*

Sed petes *Primò*, quænam paruitas materiæ excuſet à fractione ieiunij? Reſpon. cum *Turrian. in ſumm. par. 1. cap. 256. dub. 27. Diana par. 5. tract. 5. reſol. 11.* quantitatem duarum vnciarum communis cibi, non ſufficere ad peccatum mortale. Ratio eſt, quia ſi quantitas collationis ſerotinæ in ieiunio reducenda eſt ad quartam partem quantitatis cœnæ ordinariæ, ſicut probabiliter aſſerunt *Reginald. lib. 4. cap. 14. numer. 185. Layman c. num. 9. Filliuc. tract. 27. p. 2. num. 33.* Ergo quantitas paruitas materiæ non frangentis ieiunium, reducenda eſt ad quartam partem quantitatis collationis ſerotinæ, quæ erit vnciarum duarum. Quantitas autem cibi quæ ſingulis vicibus ſumi poteſt per diem, ne potus noceat, eſt fruſtulum panis, duæ nuces, aut quid ſimile in proportionata quantitate; talis enim quantitas eſt exigua, ſed ſufficiens, vt potui in ſtomacho commixta impediat ipſius nocumentum. Ita Doctores §. præcedenti citati.

Petes *Secundò*, an etiam in comeſtione carnium in die ieiunij detur paruitas materiæ excuſans à mortali? Reſponſio eſt affirmatiua. Ratio eſt, quia licet præceptum Eccleſiæ de non veſcendis carnibus in Quadrageſima, & alijs diebus ieiuniorum ſit negatiuum, etiam præceptum naturale de non furando, negatiuum eſt, ergo ſicut in hoc excuſat à mortali paruitas materiæ, ita in illo; non enim eſt maior obligatio præcepti poſitiui, quam naturalis. Ita *Sanches lib. 2. moral. cap. 8. numer. 17. Tannerus 2. 2. diſput. 3. quæſt. 3. num. 93. Bonacin. diſput. vlt. de præcep. Eccleſiæ quæſt. 1. part. 2. num. 2. Diana par. 1. tract. 9. reſol. 43. & par. 5. tract. 5. reſol. 32.* qui nouiſſimus ex *Antonio de Leone*, ait, paruitatem materiæ ſe extendere ad illam quantitatem, quam ſolent ſumere coqui & pincernæ ad præguſtandos cibos; vnde ſi excedat, non eſſe amplius materiam paruam. *Paſqualig. in praxi ieiunij Eccleſiaſt. deciſ. 42.* autem dicendum videtur, quòd moraliter penſanda ſit paruitas materiæ, ita vt illa cenſeatur paruitas materiæ, quæ moraliter non ſufficit, vt quis dicatur refici per talem cibum; vnde putat poſſe aſſignari dimidiam vnciam circiter & moraliter ponderatam; quia hęc quantitas parum nutrimenti poteſt afferre, & proinde per tam paruam quantitatem non poterit dici quòd quis reficiatur carne. Et ex eo colligit cum *Bonacina*, comedentem carnem in parua quantitate non incidere in caſum reſeruatum, vbi comeſtio carnis in diebus ieiuniorum eſt peccatum Ordinario reſeruatum. Item hæreticum internum comedentem carnes die prohibito in hac parua quantitate, non per hoc fore hæreticum externum, atque adeo nec incurrere pœnas latas contra hæreticos externos; quia talis comeſtio, cùm de ſe non ſit actio externa peccaminoſa mortaliter, non poteſt eſſe ea, cui tanquam hęreſi externæ imponitur excommunicatio, cùm hæc imponatur tantùm pro peccato mortali externo explicante internum.

Præterea infertur, quòd intendens initio Quadrageſimæ ſumere carnem ſingulis diebus in paruitate materiæ, non peccat mortaliter: quia quælibet illarum comeſtionum de ſe continet tantùm peccatum veniale; vnde etiam omnes ſimul continent ſolùm peccatum veniale, quia manent ſeorſim, nec continuantur aliquo modo, ita vt induant rationem vnius moralis comeſtionis, quia obligatio non comedendi carnes eſt affixa diei, ita vt ſinguli dies habeant ſingulas obligationes, vnde tranſacto die, ceſſat etiam obligatio. Deinde nunquam interuenit integra materia prohibita per huiuſmodi præceptum, nempe refectio per carnes, quia cùm ſingulis diebus ſumantur carnes in paruitate materiæ, nunquam verificatur quod adſit refectio per carnes; vt dicemus infra *verb. Peccatum 1. num. 9.* Et præter Doctores ibi citatos hanc ſententiam ſuſtinent. *Merolla, Sotus, Angles*, quos citat & ſequitur Paſqualigus *c. deciſ. 43.*

9. Quamuis vnica refectio in die ieiunij præcipiatur non tam iure canonico, quàm conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ: cum hac tamen vnica comeſtione, ex conſuetudine, quæ moribus vtentium comprobata eſt, collatiuncula veſpertina licita eſt, vt omnes communiter docent, modò non excedatur in quantitate; quia illa non dicitur refectio, ſed refectiuncula; & hoc verum, quamuis ſumatur non ſolùm ne potus noceat, vt olim, ſed etiam alendi cauſa, & abſque potu, vt docent *Navar. c. 21. num. 13. Medina C. de ieiunio quæſt. 8. Sylueſt. v. Ieiunium numer. 10. Lublinus par. 1. ſumm. v. Ieiun. num. 3. Tolet lib. 6. cap. 2. num. 5.*

Menſura autem huius collatiunculæ veſpertinæ, eſt, quam pro varietate locorum & perſonarum, conſuetudo recepta tenet: hinc aliqui volunt, quòd quilibet in ratione quantitatis cibi, ſit ingenuus arbiter, & ſincerus iudex ſui actus ad pondus Sanctuarij, hoc eſt timoris Dei, & candidæ, non ſcrupuloſæ conſcientiæ; omnia enim illa moraliter iuxta moralem æſtimationem ſunt expendenda, nec ad mathematicas menſuras confugiendum. Verùm relinquere quantitatem veſpertinæ refectiunculæ indeterminatam, hoc eſſet inuoluere conſcientiam ſcrupulis infinitis, & daret occaſionem, vt pluries nimium ſibi indulgeant, ſibi facilè perſuadentes, quòd maiori quantitate indigebant. Et licet ſpeculatiuè loquendo vera ſit ſententia affirmans, quantitatem cibi in refectiuncula veſpertina menſurandam eſſe iuxta regionis conſuetudinem, vt docent *Diana par. 1. tract. 9. reſol. 1. Leſſ. lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11. Cajetan. verb. Ieiun. Navarr. 6. num. 13. Bonacin. c. punct. 3. num. 2. Lezana in ſumm. v. Ieiunium num. 4.* & alij multi: ad praxim tamen vix deſeruire poteſt; quia non conſtat de quantitate determinata per conſuetudinem: nam viri timoratæ conſcientiæ etiam in eodem loco non conueniunt, nam alii plus, alii minus ſumunt, vel quia ſunt diuerſæ complexionis, vel quia magis, vel minùs rigoroſè ieiunia ſeruant, vel ex aliqua alia cauſa. Vnde ad repellendam incertitudinem in quanam quantitate quiſquis debeat ſumere veſpertinam refectiunculam, placita Doctorum in ſequentibus apponemus.

Quidam docent quartam partem cœnæ poſſe ſumi in veſpertina refectiuncula: quia in cæteris rebus quarta pars cenſetur modica, vt in omiſſione miſſæ, in omiſſione Horæ Canonicæ:

picæ : vnde etiam in iure modicum sumitur pro quarta parte Ita *Reginald. lib.4. num.185. Layman lib.4.tra.8. cap.1. Fill. tr.27. p.2. num.33.*

Sed hæc sententia pluribus Doctoribus non placet, *Turrian. in select. censur.2. dub.94.* enim vocat illam scandalosam, temerariam & contrariam bonis moribus. *Dian. part.1. tract.9. ref.* 1. autem eam nimis laxam vocat, qui tamen concedit octo vncias pro refectiuncula vespertina, quæ vt plurimùm est quarta pars cœnæ. Si opinio hæc *Reginaldi* & aliorum posset vniuersaliter ad praxim deduci, probabilis esset, sed quibusdam nimium cibum concedit, & alijs minimum : qui enim parcè cœnant, non debeant adstringi ad quartam partem cœnæ in refectiuncula serotina, quia quòd quis parcus sit in cœna, non debet ipsi præiudicare in ieiunio, quasi teneatur vti minore quantitate in cœnula. Qui autem plurimùm comedunt in cœna, non possunt sumere quartam partem in refectiuncula; quia quarta illa pars censeretur communis & regularis cœna. Itaque iuxta *Pasqualigus caputul. decis. 90.* prædicta opinio potest tantùm habere locum respectu eorum, qui consueuerunt sumere cœnam moderatam, quia tunc quarta pars, est quid modicum non solum respectiuè ad totam cœnam, sed etiam in se.

Aliqui assignant quantitatem duarum aut trium vnciarum. Ita *Graffis part.1. lib.2. cap. 37. num.29.* quæ tamen opinio communiter ab omnibus nimis rigorosa censetur; & consuetudo est in contrarium. Alij verò ampliant quantitatem refectiunculæ vsque ad quatuor vncias: *Azor. part.1. lib.7. caput. 8. quæst.8. Sa v. Ieiun. num 8. Lezana ibidem numer. 4.* Sed horum quoque opinio rigorosa censetur à quibusdam, quia quatuor vncia ita aliquid modicum sunt, nec sufficiunt, vt plurimum, vt faciant tolerabilem macerationem ieiunij. Itaque alij adhuc eam ampliant dicentes posse pertingere vsque ad sex vncias. *Fillucius tract.27. part.2. num. 32. Fagund. precept. 4. lib.1. capitul.4. num.13. Diana part.1 tract.9.resol. 1. Sanc. disp.52. n.7.* & alij. Hæ duæ posteriores opiniones, à recentioribus admittuntur vt probabiles, ita vt quælibet ipsarum ad praxim tuta conscientia reduci possit, sex, aut septem, aut etiam octo vncias sumendo, prout quisque suæ complexioni necessarium putauerit.

In vigilia Natiuitatis Domini, in locis vbi adest consuetudo, potest sumi refectiuncula in maiori quantitate consueta; quia sicut Ecclesia in die Natiuitatis, si sit dies veneris, aut sabbati, concedit ob lætitiam festi, vt possint fideles edere carnes : ita etiam ieiunium vigiliæ erit ieiunium lætitiæ; & vigilia vt quid accessorium sequitur conditionem festi, & participat in prærogatiuis ipsius, salua tamen substantia vigiliæ. Ita *Azor. caput.quæst.8. Sanc. cap. num.10. Diana cap. resol. 35. Fagund. cap. num.19. Pasqualig. cap.decis.92.*

Licet nobilioribus ob adeptam consuetudinem aliquantulum plus quàm plebeis in hac refectiuncula accipere : quia solent esse debilioris valetudinis, & assueti delicatioribus & pluribus epulis, plus macerantur per ieiunium quàm cæteri, etiamsi sumant ampliorem refectiunculam vespertinam, quia adhuc maior est ipsorum abstinentia : & ideo vt ipsis ieiunium tolerabile fiat, concedi potest amplior refectiuncula, ita tamen vt non perueniat ad talem excessum, vt fiat cœna. Ita *Sanctus in select. disput.52. numer. 9.* & alios citans. Quod confirmat capitul. *Non cogantur distinct. 41.* Sic etiam paulo maior est refectiuncula, qua vti solent profani homines, quàm sit ea, qua vtuntur Monachi, & reliqui viri religiosi.

Qui continuò studiis vacant, ita vt insumant in studio totum illud tempus diei, quod solet impendi in operando, possunt vti in ieiunio ampliori refectiuncula vespertina: cùm enim studia consumant spiritus, & valde debilitent, potest debilitas, quæ oritur ex ieiunio mitigari, cum ampliori refectiuncula, ne nimis rigidum sit, & impediat prosequenti die consuetas functiones. Idem dicendum de illis qui tota die vacant operibus, in quibus ingenium laborabat. Ita *Layman lib. 4. tract.8. capitul.1. numer.9. Llamas part.3. meth. capitul.5. §.24. Pasqualigus capitul. decis.99. 100.* qui etiam illud extendunt ad illos, qui difficilè capiunt somnum, quando non cœnant, quia ieiunium non debet ita debilitare corpus, vt non possit vacare consuetis functionibus : Imò quando ita impeditur, vt natura notabile detrimentum patiatur, cessat ipsum præceptum ieiunandi, vt docent communiter Doctores.

Porrò excessus, qui refectiunculam vespertinam conuertit in cœnam, est peccatum mortale : secus autem si excessus non sit valde notabilis : vnde excedere per vnam aut duas vncias præfixam quantitatem, non erit mortale : quia quantitas refectiunculæ moraliter mensuratur : & quod sit paulò amplior, adhuc manet sub ratione refectiunculæ, nec dicit notabilem deformitatem ad rectam rationem, atque adeo nec etiam fundat grauem malitiam, quæ sufficiat ad mortale. Quod diligenter debent aduertere confessarij, cum frequenter hoc accidat. Ita *Sancius in select.disp.52.num.7. Sanch.l.5. consil.cap. 1. dub.25. num.5.* & alij.

Difficultas est inter Doctores circa qualitatem ciborum, qui sumi possint in refectiuncula vespertina: Scio communiorem Doctorum sententiam esse, prout per extensum refert *Diana part.1. tract.9. ref.1.* & *part.4. tract.4. resol.117.* quòd in refectiuncula ij tantum cibi assumi possint, quibus in die ieiunij vescimur ante, vel post prandium, vt sunt vuæ, nuces, poma, pyra, herbæ & alij arborum fructus, vel alia ex saccharo condita : etsi secus fiat, ieiunium solui, vt sumantur pisces, oua & cætera lacticinia, quibus licet ex priuilegio vesci. Fundamentum huius sententiæ est, quia non debent adhiberi in refectiuncula, quæ simpliciter ordinantur ad reficiendum, & quia non est introductum per consuetudinem, quod pisces, oua & lacticinia etiam in parua quantitate adhibeantur. Nihilominus *Azor.1.part.l.7. caput.8.quæst.7. Lauor.part.1.de Iubileo cap.* 10. concedunt pisciculos paruos asserentes id esse secundùm consuetudinem. Et absolutè posse sumi, etiam partem piscis magni docet *Cauet. in sum. v. Ieunium* §.1. dicens, non referre, quid quisque sumat in refectiuncula, dummodò modum non excedat. *Bonac. disput. vltim. de præc. Eccl. quæst.1. punct.5. numer* 3. autem docet, in refectiuncula debere attendi, non qualitatem, sed quantitatem, modò iis cibis non vtamur, qui tempore ieiunii in prima refectione prohibentur,

Hęc sententia, tam quoad pisciculos paruos, quàm quoad partem piscis magni habet suas rationes satis efficaces, quas adducit *Pasqualigus caputul. decis.113.* vir spectatissimę eruditionis. Tum quia comedere pisces non est contra intentionem consuetudinis concedentis refectiunculam, quæ non solùm adhibetur propter medicinam, sed etiam propter aliqualem refectionem & ad confortandam naturam, ne nimis langueat ratione ieiunii, Piscis enim in debita quantitate sumptus non perfectè nutrit, sed tantum aliqualiter, & est cibus exigui momenti; vnde tanquam cibus maceratiuus conceditur ab Ecclesia in ieiunio. Tum quia pisces minus nutriunt, quam nutriant plures cibi, qui conceduntur pro refectiuncula. Et quoad panem id constat, nam possunt homines cum tolo pane diu viuere; si quis autem solos pisces comederet, nondiu viueret, vt testantur medici. Ob has & plures rationes putat idem Auctor, Saluo meliori iudicio, hanc sententiam valde probabilem, & audiuit pluries in diuersis congressibus viros doctos & probos stare pro illa contra alios qui oppositum asserebant. Nec videt, cur hæc sententia censeatur improbabilis & falsa à *Diana* & nonnullis aliis, cum habeat pro se meliores rationes, quàm opposita, licet pauciores authores.

Quando in die ieiunij licet comedere lacticinia, admittunt pro refectiuncula caseum & lacticinia *Layman, Turrianus*, & vbi est consuetudo etiam butyrum *Syluius*, quia est eiusdem substantię cum caseo & lacte, & solum differt, quod conficitur ex partibus lactis subtilioribus. Hanc sententiam probabilissimam putat *Pasqualigus*. Imò qui tenent, non referre, quid sumatur in refectiuncula vespertina dummodo non excedatur debita quantitas ex cibis permissis in die ieiunii, vt *Cauetanus, Bonacina, Pasqualigus* supra citati, admittent etiam oua : quia cùm refectiuncula, vt omnes concedunt, sit propter confortationem stomachi, & sublenationem naturæ, huic fini magis proportionata sunt oua, quàm alii cibi : vnde hanc sententiam censet *Pasqualigus cap. decis.115.* valde probabilem, & salem stante aliqua debilitate stomachi, posse tutò in praxim deduci.

Porrò hæc collatiuncula, quando aliqua iusta causa subest, vt ratione debilitatis, negotiorum per diem agendorum, studiorum, itineris faciendi, &c. potest sumi mane aut meridie, cœna in vesperam dilata, quia consuetudo non permittit; si tamen absque causa fiat, non erit nisi veniale, quia non violatur ieiunii substantia, sed solum circumstantia illius cœnulæ mutatur. Ita *Lessius l.4. capitul.2. dub.2.*

dub.2.num.11. Toletus l.6. cap.2.num.5. Layman lib.4.tractat.8. cap.1.num.10. Diana par.1.tract.9. resol.33. & alij contra *Navarrum, Azorium, Reginaldum* & alios existimantes per hanc mutationem cœnulæ solui ieiunium. Et certè differendo prandium ad noctem, non est dubium, quin ieiunium sit perfectius & strictius; quo enim tardius prandium prorogatur, eò est inedia productior, & longior corporis afflictio: quod sane est Legislatoris menti magis consentaneum: tolerabilius enim fert aliquis angustiam famis per spatium viginti quatuor horarum protractam si comedat vsque ad saturitatem in medio temporis, quàm si in tertia parte. Imò censet *Pasqualigus cit. decis.*103. quòd etiam absque peccato veniali posset sumi mane refectiuncula, quia id fieret saltem in commodum ieiunantis. Neque obstat consuetudo introducta vt fiat vesperi, nam illa non est taxatiua, quæ videlicet taxat, quòd non alio tempore fieri possit, neque alio ordine ex rationabili causa.

10. Quidam Doctores sustinent toties peccati mortiferè, quoties in die ieiunij plusquam semel comeditur in notabili quantitate: quia licet præceptum ieiunij videatur affirmatiuum quoad verba, reuera tamen negatiuum est: quia ita concedit vnam refectionem, vt prohibeat cæteras: vnde obligat ad comedendum semel tantùm in die; & ideò pluries comedens, pluries facit contra ipsum. Ita *Sylu.2. 2. quæst.* 147. *art.6.quæsit.3. Medina de ieiun.quæst.5. Ouar.lib.4.variar. cap.* 20. *num.*13 Contraria tamen sententia est communis & tanquam longè probabilior tenenda est, nempe non peccari saltem mortaliter, nisi in secunda: Tum quia in die ieiunij præcipitur vna comestio facienda, posito quòd aliquis velit in die ieiunij comedere; sed stante secunda comestione, non potest pro illo die habere locum, quod præcipitur ab Ecclesia, quia secunda comestio violat, & tollit illud ieiunium, quod præcipitur, & destruit substantiam, & formam ipsius, ergo posita secunda comestione cessat obligatio præcepti de ieiunio: quia non potest amplius haberi, quod per ipsum præcipitur. Ad rationem autem in contrarium respondetur, quòd præceptum ieiunij est positiuum, nam non prohibet, quòd aliquid non fiat, sed præscribit exercitium virtutis abstinentiæ & macerationem corporis, & pro hoc obtinendo, moderatur cibum, ipsum reducendo ad aliquam certam mensuram: ex hac autem præscriptione positiua consequitur negatio plurium refectionum; immò etiam si esset præceptum negatiuum, adhuc sola secunda comestio contineret peccatum, non autem subsequentes; quia cæteræ refectiones supra primam non prohiberentur singulæ seorsim, sed omnes simul indiuisibiliter. Ita *Lessius c. dub.3.num.*15. *Toletus lib.6. cap.3.num.5. Rodriques 1.part.c.* 23. *num.*1. *Nauar.cap.*21 *num.*14. *Diana par.1.tract.9. resol.44. Fernandes part.2.cap.8.§. 2. num.*10. *Pasqualigus c.decisio.*357.

Nota tamen, quòd si quis tertia vice comederet cum contemptu præcepti, aut cum noua voluntate frangendi ieiunium, si iam non fregisset, tunc de nouo, & toties peccaret, quoties id faceret, quia adesset noua intentio in voluntate contra præceptum, vt aduertunt Doctores citati. Credibile tamen est, per se in tertia & quarta refectione esse aliquod peccatum saltem veniale.

Communis omnium sententia est, comedentem carnes quando prohibentur, toties peccare mortaliter, quoties comedit. Ratio differentiæ est, quia sumptis semel cibis vetitis, adhuc viget obligatio, non comedendi cibos vetitos, quæ seruari potest cum præceptum negatiuum obliget semper & ad semper; sumpta verò secunda refectione non potest amplius seruari præceptum affirmatiuum de vnica refectione sumenda: & ideo toties peccatur mortaliter, quoties sumuntur cibi vetiti in die ieiunij: quia tot sunt actus transgressionis præcepti quot sunt comestiones inter se moraliter distinctæ. Vide *Syluius cit. quæsit.* 3. *Nauarr. cap.* 21. *n.*16. *&* 25. *Diana cit. ref.* 45. *Sancius disp.*54. *n.*42. *Laym. l.*4. *tr.*8. *c.*1. *Tannerus* 2.2. *d.*3. *q.*3. *n.*93. & alios communiter.

11. Probabile est, illum, qui die ieiunij sciens sumpsit ieptaculum, siue id cum culpa fecerit, siue absque culpa (vt causa profectionis) non teneri eo die ieiunare, etiamsi contingat non proficisci: quia ieiunium iam est voluntariè violatum, vel certè causa violandi data, nec potest illud reparari: habet locum hæc sententia, maximè quando reliquum diei talis sine cibo transigere non posset; si verò posset sine incommodo, videretur teneri abstinere à secunda refectione; quia ieiunium adhuc quoad vnicam refectionem seruari posset; sed hic supponitur ientaculum excessisse in notabili quantitate limites refectiunculæ. Aliàs si non excesserit, tunc poterit vsque ad vesperam differre refectionem; quia adhuc ieiunium poteri obseruari, quoad eam partem, in qua nondum est violatum, nempe quoad vnicam refectionem. Ita *Sylius* 2.2. *quæstion.* 147. *artic.6.quæsit.*2. *Layman lib.quarto tractat.* 8. *cap primo numer.* 12. *Lessius libr.4. caput.2.numer.* 18. *Filliuc. tract.*27. *p.*2. *num.* 24. & alij.

Quando autem nesciens esse ieiunium mane comedit, tenetur reliquo tempore seruare ieiunium eo modo quo alij, perindè ac si nihil sumpsisset, vnde potest cum alijs prandere; quia prior illa comestio, cùm prorsùs fuerit inuoluntaria respectu violationis ieiunij, non computatur. Ita *Nauarr.cap.* 21. *numer.*27. *Vinaldus de ieiun. numer. sexto. Sylueſt. verb. Ieiun.num.*21. Alij volunt, quòd debeat abstinere à prandio, & contentus esse refectiuncula vespertina, aut ad summum, vesperi cœnare: hoc tamen limitant, nisi ex hoc sequatur notabile incommodum, quia si sequatur, erit absolutus à ieiunio. Ita *Lessius c. numer.*19. *Sylueſtr, cit. quæsit.* 2. *Gordon. lib.6. theol. moral. quæst.*18. *cap.quinto numer.* 9. *Sancius in select. disputat.*52. & alij etiam probabiliter. Denique docent quidam, quòd qui inaduertenter sumpsit ientaculum, non tenetur ieiunare: quia non potest amplius illo die seruare substantiam ieiunij, eò quòd quando sumit ientaculum, non seruat præceptum ieiunij, immò ponit in esse aliquam comestionem, quæ destruit formam ieiunii, & quantum est de se non intendit illa die ieiunare: poniturque bona fide in possessione non ieiunandi pro illo die & pro illo tempore præceptum ieiunii non causat in ipso suum effectum obligationis, seu non obligat in actu secundo. Hæc sententia est etiam probabilis, quam sustinent. *Diana. part.* 1. *tract.*9. *resolut.*44. *Pasqualigus cit. decis.* 346. *Bonacin. disput. vlt. de præc. Eccl.q.*1. *punct.*3. *n.*8.

12. Quidam existimant habentem causam non ieiunandi posse inuitare amicum causa vrbanitatis vel hospitalitatis ad cœnam, quem scit solere violare ieiunium domi cœnando. Ratio est, tum quia licitum est inuitare ad actum per se bonum vel indifferentem, quando iusta causa subest, Cœna autem est actus secundùm se indifferens, ergo. Tum quia quando amicus inuitatur, non quæritur ab ipso, quod cœnet absolutè, sed quod supposito, quod iam cœnaturus sit, cœnet apud inuitantem. Ita *Nauarr.cap.* 21. *num.*24. *Sa verb. Ieiun.num.*8. *Rodriques* 1. *part.cap.*23. *numer.* 6. *Diana part.* 1. *tract.*9. *resolut.*38. *Pasqualigus c. decisio.*372. & alij probabiliter.

Nihilominus dicendum est, talem non posse inuitari seriò vt tecum cœnet, nec in mensa vrgeri vt comedat; Tum quia nemo potest inuitari ad id, quod sine peccato præstare non potest. Sed hic non potest sine peccato comedere, vt supponitur: ergo non erit licitum illum ad Cœnam inuitare. Ita *Lessius cit. dub.* 3. *numer.* 20. *Fagundes præcept.*4. *lib. primo cap.*10. *numer.*12. *Sylu.* 2.2. *quæst.*147. *articul.*3. *quæstion. vnic. Bonacina c. punct.*3. *numer.*9. *Lublinus* p.1. *in summ. v. Ieiunium n.*11. & alii.

Multò minùs licebit talem amicum inuitare ad Cœnam si non sit paratus ad cœnandum, cum intentione vt cœnet, quia tunc esset intendere peccatum illius per violationem ieiunij, supposito quòd inuitans sciret, illum non excusari à præcepto ieiunii: quia si probabiliter crederet excusari, posset inuitare, quia tunc intenderet id, quod supponeret, posse sine peccato exhiberi.

In dubio autem, an teneatur ieiunare, poterit inuitare, quia debet ipsum supponere memorem propriæ salutis, & quòd non sit acceptaturus inuitationem, si teneatur ieiunare. Immò addunt aliqui, quòd absolutè licitum sit inuitare quemcumque ad cœnam in die ieiunii, etiamsi probabiliter credatur, quòd sit acceptaturus ad exercendum actum vrbanitatis; quia talis inuitatio est potius conditionata, quàm absoluta, nempe, inuito te ad Cœnam, si possis cœnare; aut inuito te ad id, quod potes, deinde inuitare ad Cœnam, non est inuitare ad comedendum tantam, vel tantam quantitatem cibi, sed ad illam communionem mensæ, & proindè inuitatus potest assidere, & sumere solùm tantùm cibi, quod non excedat quantitatem permissam in refectiuncula vespertina. Vide Pasquaglium *decis.*373.

13. In locis Catholicorum, graue eſt peccatum Cauponi apponere carnes hoſpitibus ſuis in die ieiunij, & grauiter puniretur, ſi quis id faceret. Ratio eſt, tum quia eas apponere, quando prohibentur, non eſt quid indifferens, ſed contra præceptum, ſiquidem dum præceptum prohibet carnes, prohibet etiã omnem cooperationem ad illas comedendas, qualis eſt eas apponere. Tum quia dant ſcandalum, ſiquidem videntur contemnere præcepta Eccleſiæ; tum quia ibi cenſetur hæreſeos quædam tacita profeſſio; niſi in aliquo caſu particulari ratione euidentis neceſſitatis. Ita *Leſſius lib.4.c.2. dub.4.nn.32. Toletus c.cap.5.num.4. Navar. c.21. num.26. Bonacin. c. punct. 3. num. 9.* & alij quando enim neceſſitas adeſt, aut alia iuſta cauſa, aut priuilegium, poſſunt tunc Caupones petentibus miniſtrare carnes, quia cùm iuſtè petant, poſſunt etiam hi iuſtè & abſque peccato exhibere. Idem licitum putat *Layman l. 2. tract. 3. cap. 13. num. 5.* ad vitandum aliquod graue incommodum, aut quando concurrunt minæ, ſi tamen non adſit ſcandalum ex parte miniſtrantis, quod facilè tolli poteſt, ſi oſtendat se coactè id facere. Ratio eſt, quia tunc non concurrit ad peccatum, nam conſtat, quod coactè miniſtrat; nec præceptum Eccleſiæ obligat cum tanto diſcrimine.

In locis verò hæreticorum vbi paſſim ab alijs ſolent carnes apponi, id licitum eſſet cauponi catholico, poſitis duabus conditionibus, præciſo contemptu religionis.

Prima eſt, vt nequeat recuſare ſine ſuo graui incommodo, vt ſi aliquis vexetur à Prætore; quia carnes per ſe malum non eſt, ſed quiddam indifferens, ergo ſuppoſita legitima cauſa fieri poteſt ſine peccato; hinc excuſantur ancillæ Dominorum hæreticorum, quæ diebus ieiuniorum carnes coquunt & cœnam apponunt.

Secunda, vt non apponantur niſi petantur, non enim ingeri poſſunt non petentibus, hoc enim eſſet illos ad illicita inuitare: niſi fortè ſimul apponat carnes & piſces, relicta cuique poteſtate alterutrum eligendi: quia tunc indifferenter etiam ipſo facto ſe habent Caupones, quo ſimul declarant velle, quod quilibet ſequatur propriam conſciẽtiam. Ita *Leſſius, Laymã, Bonacina* citati ſupra.

In caſu autem quo petuntur carnes in contemptum religionis, ita vt miniſtrentur etiam in contemptum religionis, tunc caupo vel quilibet alius nullo pacto poterit miniſtrare; quia facere aliquid in contemptum religionis ita eſt malum, vt nulla ratione poſſit honeſtari. Si verò contemptus ſe teneat tantùm ex parte petentis, tunc non peccarent Caupones miniſtrando carnes, quia vendunt ſolùm cœnam ex carnibus, quæ indifferens eſt, & bene vel malè adhiberi poteſt: & in hoc caſu non adeſt obligatio in Caupone cauendi peccatum comedentis carnes in contemptum religionis: vt bene aduertit *Paſqualigus ex. dec. 368.* ex doctrina *Cajetan. 2.2. quæſt. 10. art. 4. Navarrus c. 21. n. & 26. cap. 23. num. 91.* qui docent non peccare vendentes indifferentia ad bonum, & malum applicabilia, etiamſi ſciant emi cum intentione applicandi ad malum.

14. Diebus ieiuniorum cœnam apponere hoſpitibus, qui non tenentur ad ieiunium, licet, modò ſcandalum abſit, ſi verò conſtet illos ad ieiunium teneri, verius eſt non licere, modò abſque incommodo poſſit negari, quia tenetur caupo impedire offenſionem Dei, & lapſum proximorum quantum commodè poteſt; vnde ſi ex negatione cœnæ oriretur graues rixæ inter Caupones & hoſpites, aut quòd hoſpites blaſphemarent, aut aliquod aliud notabile incommodum naſceretur, non tenentur Caupones negare cœnam; quia maiora mala vitanda ſunt. Ita *Leſſius c. num. 24. Navarr. cap. 21. numer. 24. Sanches lib. 1. moral. cap. 7. num. 34. Filliucius tract. 27. par. 2. nu. 93. Sylvius 2.2. quæſt. 147. art. 4. quæſt. 1. in fine.* & alij. Plurimi tamen ſatis probabile putant abſolutè caupones poſſe miniſtrare cœnam ijs, quos probabiliter, vel certò ſciunt non excuſari à ieiunio. Ratio eſt, quia in hoc caſu caupones non cooperãtur peccato ipſorum: nam non poteſt eſſe cooperatio ad peccatum, niſi cooperans in aliqua ſua actione deflectat à recto tramite in ordine ad peccatum alterius; ſed in hoc caſu Caupo non concurrit ad aliquam actionem, in qua incipiat peccatum, nam tantùm parat & exhibet cœnam, quæ eſt actio ordinata ad ſuſtentationem naturæ, in qua nullum eſt peccatum; peccatum autem violationis ieiunij, incipit ſolùm in comeſtione, & in intentione comedendi, non autem in intentione quòd cœna porretur, quæ de ſe non eſt mala. Et proinde Caupo in hoc exequitur proprium munus, quod licitè exercet. Ita *Bonacina tom. 2. de peccat. diſput. 2. queſt. 4. p. 2. 9. unic. num. 37. & 38. Diana part. 1. tract. 9. reſol. 49. Cajet. 2.2. quæſt. 147. art. 4. in fine Rodriques p. 1. ſumm. cap. 23. concl. 5. Paſqualigus c. deciſ. 365.* & alij apud ipſos.

Quando autem dubium eſt, an hoſpites ad ieiunium teneantur: vel decorè poſſunt interrogari, an excuſentur à ieiunio, vel non poſſunt; ſi poſſunt, ſunt interrogandi, & iuxta quod reſponderint, faciendum ſi non poſſunt propter authoritatem, præſumendum eſt excuſari, quia in dubio nemo præſumitur velle peccare. Tum quia faceret iniuriam hoſpiti negando illi cœnam, ſi quidem cum ipſo ageret tanquam cum peccatore, & ſuo facto ipſum declararet peccatorem. Deinde ſtante dubio, cùm Caupo vel tabernarius ſit in poſſeſſione miniſtrandi cibos petentibus, poterit vti iure ſuo, cùm in dubijs ſit melior conditio poſſidentis. Ita *Sylvius 2.2. quæſt. 147. art. 3. in fine Sanches lib. 1. moral. cap. 7. num. 34. Diana part. 1. tract. 9. reſol. 39. Bonac. c. num. 38. Leſſius c. num. 24.* & alij. Licet quidam ſuſtineant Caupones non teneri interrogare hoſpites, an habeant legitimam cauſam non ieiunandi; quia non ſpectat ad caupones & tabernarios moderari conſcientias aduentantium ſiue circa ieiunium, ſiue circa cætera, cùm non habeant curam ſpiritualem ipſorum. Vide Paſqualigum *Deciſ. 364.*

15. Qui ob negotium interrupit prandium nondum completè ſumpta refectione, poteſt abſolutò negotio refectionem reaſſumere & perficere modo interruperit animo continuandi: quia interruptio refectionis non conſtituit duplicem refectionem, ſed vnam integram, vtpotè procedentem ab vna voluntate continuata. Tum quia talis interruptio non tollit, quin ſit moraliter vnica comeſtio: nam illæ partes comeſtionis vniuntur in vnica intentione præfigentis vnicam ſufficientem comeſtionem: Ita *Leſſius lib. 4. cap. 2. dub. 2. num. 11. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 9. quæſt. 1. Reginald. lib. 4. num. 177. Portel in dub. regul. v. Ieiunium in Addit. num. 10. Bonacin. de præcept. Eccleſ. diſt. quæſt. 1. part. 3. num. 10. Sylvius c. art. 6. quæſt. 1. concluſ. 1. & 2. Sancius in ſelect. diſput. 52. num. 4.* & alij. Et hoc verum quamuis longa temporis mora interceſſerit; quæ iuxta *Azorem & Reginald.* remittenda eſt arbitrio boni viri. *Portel* vult interruptionem dimidiæ horæ non eſſe tempus notabile, & proinde poſſe ipſum poſſe redire ad prandium. *Bonacina* & alij aſſerunt etiam poſſe notabile tempus poſſe redire ad prandium, atque adeo etiam poſt horam integram. *Sancius* concedit, quòd etiam poſt duas horas poſſit redire, ſi ſurrexerit cum animo poſtea continuandi prandium. *Sylvius* vult poſſe prandium interrumpi per horam abſque cauſa ſine peccato mortali, quia in hoc ieiunium non lædetur notabiliter. Imò Paſqualigus *Deciſ. 121.* putat illum, qui ſurgit & à menſa nondum completa comeſtione, & ita detinetur negotijs, vt in ipſis conſumat totum diem, veſpere poſſe complere inchoatam comeſtionem: quia licet intercedant plures horæ, quia tamen tanta interruptio non eſt voluntaria, ſed ex neceſſitate, adhuc cenſetur ſecunda comeſtio pars & complementum prioris comeſtionis, quæ imperfecta fuit relicta. Hæc ſunt placita Doctorum.

Sed quid dicendum ſi interrupit abſque animo continuandi? Reſpond. non poſſe amplius licitè prandium reaſſumere, ſi longa interceſſit mora: quia comeſtio non diceretur phyſicè aut moraliter continuari, conſequenter duplex prandium reputaretur. Ita *Portel c. num. 10. Fernandes part. 2. cap. 8. §. 2. num. 18. Sancius c. n. 4.* & alij. Si verò modica interceſſit mora, is qui à menſa ſurrexit animo non continuandi, poterit adhuc mutata voluntate continuare, & ad conuiuas redire, ſi nõdum eſt perfectum prandium: quia eo ipſo, quòd quis accumbit menſæ, acquirit ius ad omnia, quæ apponuntur, de quibus poteſt comedere non obſtante ieiunio, & per id, quod proponat non amplius comedere, & recedat à menſa, non perdit hoc ius, quamdiu non præterijt tantùm temporis, quod ſufficiat, vt cenſeatur moraliter ceſſaſſe hoc ius. Regulariter autem quarta pars horæ, & fortè etiam tertia non eſt ſufficiens, vt cenſeatur ceſſaſſe hoc ius. Vide *Filliucius tract. 27. part. 2. cap. 2. num. 41. Paſqualigus c. deciſ. 125. Bonacin. c. punct. 3. numer. 10.*

16. *Tertium* quod requiritur ad ſubſtantiam ieiunij, eſt certa refectionis hora. Antiquitus autem in ieiunijs extra Quadrageſimam, hora nona, id eſt tertia poſt meridiem, ex conſuetudine erat hora ſumendi refectionem, vt colligitur ex canon. 34. Concilij Moguntiaci; In quadrageſima verò refectio differebatur vſ-

tur vsque ad vesperam; Modò autem ex consuetudine iam passim recepta, est circa meridiem, quæ consuetudo, vtpotè rationabilis, approbata est ab Ecclesia, vt condescenderet humanæ fragilitati; ea autem hora non requiritur quidem positiuè, quasi necesse sit, tunc cibum sumere, quia possumus toto die abstinere, si velimus, sed negatiuè, ne videlicet ante illam sumamus, notabili temporis spatio illam præuenientes. Meridies autem in diebus ieiuniorum intelligi debet de meridie moraliter computato, non autem secundùm astronomicum calculum, quia in rebus moralibus moraliter procedendum est. Ita communiter Doctores, *Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 11. Filliucius c. cap. 4. num. 67. Reginaldus lib. 4. num. 156. Sylvest. v. Ieiunium qu. est. 4. num. 11. Sylvius 2. 2. quæst. 147. art. 7. Conarru. lib. 4. var. c. 20. nu. 14.* & alij.

Sed rogabis, an hora determinata comedendi sit de essentia ieiunij? Responsio negatiua est probabilior, sed est tantùm circumstantia accidentalis; hinc manente ieiunio in sua substantia, mutata est in Ecclesia hora comedendi: quod fieri non potuisset, si hora determinata esset de essentia: quia non potest res subsistere mutatis ijs, quæ sunt de essentia ipsius. Ita *Nauarr. cap. 21. numer. 27. Rodriques part. 1. summ. cap. 23. Caietan. 2. 2. quæst. 147. artic. 7. Diana p. 1. tract. 9. resolut. 27.* & alij.

Dubium autem est, an notabilis anticipatio, sit peccatum mortale? Plerique Doctores, vt *Conarruuias, l. 4. variar. cap. 20. num. 16. Sylvius c. art. 7. concl. 3. Nauarr. cap. 21. num. 27.* & alij putant esse mortale, si fiat absque iusta causa: quia terminus ille præscriptus est, tanquam notabiliter faciens ad mortificationem carnis, hoc autem tollitur illa præuentione. Hæc sententia ob authoritatem Doctorum, valde probabilis est. Contraria tamen longè probabilior est esse tantum veniale; quia non solùm habet pro se insignes Authores, sed etiâ nititur optimo fundamento, quia circumstantia temporis, vt iam diximus, non est de necessitate & substantia ieiunij, quæ tantùm accidentalis est, vnde non seruata hora, adhuc satisfit præcepto ieiunandi quoad substantiam obligationis; quando autem præceptum impletur secundùm substantiam, etiamsi prætermittatur aliqua circumstantia, non committitur peccatum mortale. Cùm enim ieiunium duret per spatium viginti quatuor horarum, nempe à media nocte in mediam noctem, quo tempore est licita vnica tantùm refectio cum refectiuncula, parum refert, quòd ista refectio sumatur hac, vel illa hora; quia semper affligitur corpus per subtractionem alterius, aut plurium refectionum, vnde adest semper eadem abstinentia secundum substantiam, licet secundùm diuersum ordinem. Ita *Toletus. lib. 6. cap. 5. num. 2. Angelus v. Ieiun. nu. 2. Less. c. dub. 2. num. 13. Diana par. 1. tract. 9. resol. 27. & par. 5. tract. 5. resol. 11. Rodriques c. num. 3. Layman l. 4. tr. 8. c. 1. nu. 11. Pasqualigus c. decis. 146.* & alij.

Sed dubium est, quodnam sit tempus notabile, vt anticipatio prandij, sit peccatum mortale, vel veniale, iuxta diuersitatem opinionum? *Fagundes precep. 4. lib. 1. cap 3. num. 4.* vult horam dimidiam esse tempus notabile; quia anticipatio non est dicenda notabilis vel non notabilis comparando quantitatem temporis ad totum diem, sed debet comparari ad horam prandij, dimidium autem horæ est tempus notabile respectu horæ prandij. *Filliuc. c. cap. 4. num. 73. Diana par. 1. tr. 9. resolut. 27. Sylvius c. art. 7. concl. 2.* constituunt semihoram integram, ita tamen, vt quilibet excessus supra ipsam faciat tempus notabile. Plures Doctores docent ieiunantes prandere posse hora vna circiter ante meridiem & testantur hoc ita inualuisse, vt iam ferè consuetudine firmatum sit; quia tempus non pertingens ad horam integram, non est tempus notabile, non solùm in comparatione ad integrum diem, sed etiam in anticipatione respectu meridiei, quia non ponit notabilem distantiam ab ipso meridie. Vide *Toletus c. cap. 2. num. 5. Sanchez disput. 53. Viguer. cap. 7. institut. §. 3. vers. 1. Medina lib. 1. summ. c. 14. §. 10.* Immò posse dari anticipationem non notabilem respectu horæ præscriptæ siue à cõsuetudine, siue à Doctoribus, docet Diana *p. 5. tr. 5. resol. 10.*

Ex iusta causa anticipari potest notabiliter hora prandij in die ieiunij: quia sicut obligatio ieiunandi cessat, quando impleri non potest absque incommodo notabili; ita à fortiori cessabit obligatio seruandi in prandendo circumstantiam temporis: sed cùm minor obligatio sit, ex minori quoque causa cessabit. Causæ autem iustæ, ob quas potest in ieiunio prandium anticipari notabiliter, sunt. Lectio pro mensa, iter, concio, lectio in scholis, aduentus, & recessus hospitis, &c. Item quando superuenit aliquid extraordinarium, aut continuum, quod ita exigat anticipationem, vt absque incommodo non possit hora consueta expectari. Ita *Nauarr. cap. 21. num. 27. Sylvest. verb. Ieiun. quæst. 4. Bonacin. c. quæst. 1. punct. 4. num. 2. Diana c. resolut 27. Pasqualigus cit. decis. 149.* & alij.

17. Qui priuilegium obtinuit prandendi ante consuetam ieiunij horam, tenetur reliqua diei parte à cibis abstinere, non enim censetur lege ieiunij solutus; quia cùm dispensatio expresè sit de hora comedendi, non cadit supra substantiam ieiunij, sed solùm supra circumstantiam temporis, qua sublata potest stare substantia ieiunij. Ita *Nauarr. c. 21. num. 22. Azor. c. lib. 7. cap. 11. q. 6. Bonacin. c. n. 5.* & communis.

Similiter, qui dispensationem obtinuit sumendi multiplicem refectionem, non potest ex vi illius dispensationis carnibus vesci; bene tamen potest horam comedendi anteuertere. Ratio prioris est, quia præter præceptum de ieiunio, adest etiam præceptum speciale de abstinentia a carnibus *ex caput. Denique, distinct. 4.* quod est vniuersalius, nam comprehendit etiam adolescentes ab vsu rationis vsque ad annum vigesimum primum, & senes quoad vsque vires patiuntur: ideò dispensatus quoad plures refectiones, non est ratione talis præcepti dispensatus, quoad carnes: Posterioris autem ratio est, quia tempus comedendi in die ieiunij præscribitur tamquam accidens, & circumstantia, vt supra dictum est ex probabili sententia: ergo sublata obligatione ieiunij, tollitur etiam obligatio obseruandæ horæ, nam sublato essentiali, tollitur etiam accidentale. De his vide *Reginaldus libr. 4. num. 168. Pasqualigus cit. decis. 267. nu. 15. & 19. Valent. 2. 2. disp. 9. q. 2. punct. 5.*

18. Qui discedit mane ex oppido domicilij, vbi est ieiunium, peruenturus ad locum, vbi non est ieiunium, licet non possit in loco domicilij vesci carnibus, potest tamen sumere ientaculum. Ratio est, quia non tenetur illo die abstinere à secunda refectione, cùm in loco in quo peruenturus est, possit secundò & tertiò comedere; ergo potest primam refectionem sumere mane antequam discedat. Ita *Lessius lib. 4. cap. 2. numer. 58. Sanches de matrimon libr. 3. disput. 18. num. 22. Portel verb. Ieiun. num. 2. in addit.* Immò *Sanctius in select. disputat. 54. numer. 28. Diana part. 1. tract. 9. resolut. 3. Pasqualigus cit. decis. 63.* putant hoc esse verum, quamuis nocte sit reuersurus ad ipsammet oppidum, à quo mane exiuit, & vbi ieiunium seruabatur; nam cùm ipse ferè per totam diem fuerit in loco, vbi non ieiunabatur, potuit licitè pluries comedere, cum quo ieiunium nequit seruari; erit tamen astrictus, serò in oppidum reuersus, à carnibus abstinere.

19. Discendens è loco vbi comeduntur carnes, potest eas comedere, etiamsi eodem die peruenturus sit ad locum, in quo non comeduntur. Ratio est, quia potest sequi leges & consuetudines loci, quamdiù in ipso est, nec tenetur ibi leges alterius loci proprias, etiam proprij domicilij obseruare: quia cùm hæ leges non sint vniuersales, non habent vim obligandi extra locum pro quo sunt latæ; talis tamen vespere perueniens ad locum, in quo carnes non comeduntur, non potest comedere, si locus ad quem peruenit sit proprium domicilium; quia quilibet tenetur legibus proprij domicilij, quamdiu in ipso est. Nec obstat, quòd mane comederit carnes; quia præceptum non comedendi carnes est negatiuum obligans pro quocumque momento temporis pro quo prohibentur, nec extinguitur per id, quod quis semel in illa die carnes comederit.

Si tamen locus, ad quem vespere peruenit, non sit proprium domicilium, potest ibi carnes comedere, etiamsi ibi prohibeantur, secluso tamen scandalo. Et hæc opinio est conformis doctrinæ illorum, qui tenent peregrinos non obligari legibus loci, per quem transeunt. Ratio autem est: quia talis non est membrum seu pars illius communitatis, & ideo nec communicat in obligationibus eiusdem, nec subditur legibus, quibus illa communitas dirigitur. Plura de his apud *Sanches de matrimon. lib. 3. distinct. 18. nu. 22. Filliucius tr. 27. 2. p. n. 109. Sanc. in select. disp. 54. numer. 30. Pasqualigus cit. decis. 59. 60. Diana part. 1. tra. 9. res. 3.* & alios.

An iuxta potest comedere carnes? Resolutio Iegis propriè dictæ, quæ ligat, cum conditione, & regulariter in loco, & tempore prohibente. Regulariter nil negatiua, intra eosdem limitandum, qui terminant præcedentes legales: loci scilicet, temporis, & agentis. Quia cum in tali loco vigeat prohibitio carnis, tenebatur legem seruare. Prohibitis tamen ex etiam alienum istius loci, quia illud præceptum potest comedere carnes intra legem eius contemplationem: seu domicilij ieiuniis tenebatur. Rata ella quia præceptus fuit non ita pars communitatis illius loci per quem ratificatum fuit: & habent tanquam absentes, in priuilegio, & esse pars communitatis tui domicilij de proiecto habet ius, vt visus sanorum Iegis & confutatores codicis communitatis. Is tandem ad quem. Ad 1. dic. Non. Fauent præcepto. Ita ex 1 tit. 11. codij intra citandi verb. Lex III. numer. 5. & sequentibus.

I E I V N I V M II.

Quinam teneantur ad Ieiunium & quo iure: & quando, & de cauſis excuſantibus.

S V M M A R I V M.

1. *Omnes Chriſtiani præcepto ieiunij obligantur, etiam pueri, & ſenes, imbecilles, & ante Deum præcepto non ſtantes per ætatem.*
2. *An quilibet die ſeruante non poteſt, teneatur aliquod alteri tuum præſtare.*
3. *An omnia Eccleſiæ statuta ſint ſine humano reſpectuat. An ſtatuta ſint ſine peccato? Et an ſtatuta ſint ſine humano reſpectu? Et an

In eorum peccatorum, qui effectuum habentur, si ieiunent per 3 dies. *Leo epist. 91. cap. 2. num. 1. dist. 75. cap. 3. quibus. 7. Bonacina disput. 3. de Sacrament. Eccles. p. 2. punct. 6. num. 3. Reginald. lib. 24. num. 133.*

Notandum praeterea hic eli, vigiliarum primum annum non in computari debere de momento ad momentum, sed quod si eum eligant horis octavis mane, teneantur in reliquo diei ieiunare: nam ieiunij praecepum refpicit diem non illum, vel illum individuum, non autem horas & tempora, quae ad illum praecipiendum exempta fuit, liberum aeque ipsi illi diei ac omnibus reliquis. Imo hoc vltimum, & est quia complent annum vigiliarum primum etiam paucis tempore post illum praecepum praecedentem diem coepti, qui adhuc praecepum non habebat etiam sum, & qui tamen illius vim, & obligationem habebat, quam, ex tempore à ieiunio, & conditione in poltellione. Ita probabiliter *Soarez tom. 3. disput. 36. num. 4. Fagundez lib. 2. exam. decal. cap. 3. Diana part. 1. tractat. 1. resolut. 29. Nolano tract. de Sacram. q. 3. cap. 3. num. 2.* Probabilius tamen *Bonacina d. 3. punct. 6. num. 3.* Reginaldus tenuit hoc modo annum non incepisse plures ecclesiae in diuersa polita: quod docent *Sanchez d. Leonard. p. 2. lib. 6. num. 3.*

Quia tamen complent annum 31. Iulio quadragesimae primi anni ecclesiae obligationem tenentur ad ieiunium in fequentibus diebus quadragesimae: quia praecipuum de ieiunando non quadragesimae non est illum diem ieiunare, sed integre confluere ex pluribus praecepis alias singulis diebus, vt de eiusmodi ieiunio quadragesimae eli, & per quae impletur, vt de eiusmodi ieiunio post fecundum omnes fuas partes: obiectio, & obligationem habuit, fecundum *Sanchez d. Leonard. lib. 6. Filliuc. tract. 27. part. 2. cap. 6. num. 112. Lezana verb. Ieiunium cap. 3. num. 1. Sanchez cap. 1. dub. 2.*

2. Qui aliquo de causa non potest, non tenetur aliquid aliud loco ieiunij perficere. Ratio eli tum quia ita non mandatis obligat, tum quia ieiunium exercitium: ita autem impotens ieiunium non, non autem aliquid aliud, nec tale aliud praecipitur obligatio. Quod tamen non intelligendum eli, vt vnde non tenetur ad diem ieiunare, quia non tenetur, cum ieiunium per aliquem diem fit exercitium, vnde liquidem diei fecundum ieiunium: nisi forte virtute alicuius praecepti tam diuini ieiunium de die in diem differatur, quod quidem esse tam Primus Minores de obseruantia, si dum per lacitum, neceffitatem ieiunium differant, quamvis normali patent hoc ieiunium dum Fratribus Minoribus à *Leone X.* magis esse, ad ieiunium complendum, quam ad ieiunium de die in diem differendum. Sed contra laborem & incommoda à ieiunio euitanda fatis, vel leuiora non esse hos inflictiones ex exercitium, & primum; quod ieiunium transferre de vno die explicato alijs iisdem. Si ieiunium dextra, ceteris iisdem, & pede. Hinc *Bonacina disput. 3. de Sacram. d. 6. punct. 2. num. 3.* cum eli vnie vocis communis: de hoc obstulum *Pius V. 1. 13. constitutione quadragesimali*, quae incipit *Cum primum*, vbi tenetur indulgentia. *Hemingius tom. 1. de Poenit. & Indulgentiis* eli sententia quorumdam Scholasticorum, quod praecipium ciuium quis fatis ante hunc ieiunium fcripserit, sat de illius adimpleto. Vide *Sanchez d. Leonard. p. 2. lib. 6. num. 3. Filliuc. tract. 28. num. 188. Lezana tract. dub. 3. num. 18. Pal. punct. 2. cap. 6. p. 3. num. 8.*

3. Communis tamen eli & antiquissima ecclesiae consuetudine ciuium quadragesimae eile die ante hunc ieiunium, vt ab eo die obligent: quo animaduerto Augustinum, quia eli Ecclesiae Ecclesiae locutus, ait: *Ieiunium quadragesimae, quod ab octauo die ante diem Dominicae Resurrectionis, nisi de die ipso confiteri non conuenit nomen accepit.* Quae de Quadragesima dicta eli Christi, quo ieiunium latius ex Euangelio euangelizare nostrae ieiunium, quod tamen non habet inferius praecepum. Ita *Lezana tract. dub. 1. numer. 19. Reginald. l. 4. numer. 130. Sanchez cap. 1. dub. 3. num. 2. Nauar. c. 21. num. 12. Sed* Nauarrus tamen non eli, nisquam pollo obligari ad ieiunia per legitimum confuetudinem; qui legitima confuetudo nisi ratione iuris *de ieiunio, & de festis c. de Cons. Ecclesiae dist. 1.* Imo consuetudo potest abrogare ieiunia, vt confiterur *Sanchez*. Sic apud Mohammedanos abrogata fuit quinquagesimae primi quadragesimae. Cuius non tenuit amplius ieiunium legitime habuerunt ante Pascha, quod decretum fecerunt ab ipsis, *Cap. Ratisbonae, 2. dist. 1.* Ieiunium quadragesimae, quod ante Pascha obligabat, abrogatum eli à ieiunium ante aduentum Domini, quod ieiunatur apud Graecos. *Sanchez d. Leonard. tom. 3. Ieiunium cap. 3. Pal. punct. 3. d. 6. p. 3. Azor. tom. 1. lib. 7. cap. 19. quaest. 1. Bonacina tract. punct. 3. n. 3.* Ita olim vt tamen confuetudo recepit legi ieiunia, debet effe in fenatoribus, quia cum ex ratione ieiunium, non possit coarctare, nisi in virtute ciuilem, ad Laicos.

Sed pers *Prima*, an dictus Regulares in ieiuniis ex praecepto ieiunantur? Refpondo negando. 1. Ratio communis, haec ieiuniis, quae in confuetudine generali introducta ieiunantur; qua ratione eam esse tam communem, indicio eli generalis consuetudo vim praecepti habens, & obligationem introducendo: vnde *Sanchez* ait: *Ieiunia illa tribus diebus plures refectiones fumere, imo nec horam in ieiunio anticipare.* Ita *Sanchez d. Leonard.* Tamen fi alicubi ex tot praecepum Synodale, vel confimilem habens vim praecepti, ieiuniorum talium vigor ad praecepum, & obligationem receptu loci confentiendo, quae femper non eli obligatoria laborem vim legis, fed quae ex folius effectu, tamquam ex praecepto, quod fieri expediat. Vide *Azor. tom. 1. cap. 15. quaest. 4. Fagundez cap. 2. 2. Filliuc. tractat. 27. tom. 2. numer. 112. Fagundez part. 2. lib. 1. cap. 8. Reginald. l. 4. num. 131. & alios.*

2. Ex his patet, in Ecclesia Regularium illicet vel ab ipsa quegentibus in locis, vbi conlentudo id permittit in Sabbato ante quinquagesimam *Reliquiis* eli *Regulares, qui non ex reformatione vsu. vers. Regulares*, nili conlentudo aliter introducta, vel ipsa introducta introducta, vel ipsa introducta etiam conlequentes eruditi ebet vbi antiquus, vbi conformatio, vel ipsa introducta, vel ipsa introducta, vel ipsa introducta per quibuslam Sabbatis alicubi obtinuit, non eli extendenda ad alios diei abliuentiarum, nili etiam prolilis in ipsa introducta.

4. Ex praecepto itaque ieiunandum eli diebus ab Ecclesia praefcriptis, & quadragesimae, quae ante aduentum eli, non etiam diebus ieiuniorum fuligni poliz, nam ieiunium eli opus ipsa ieiunij, non autem ieiunium eli opus ipsa ieiunij. *Die Dominico* autem, etiam fas eli ieiunare, si non fat ex alijs ieiunijs ieiunium. Ita *Manchaca*, vbi tenet, ieiunium non eli Ecclesiaflici & fundum abit: ab Ecclesia tamen & Ecclesiae praecepum ieiunium eli, vt vigilie ieiunium, vt in diem Dominicam incidat, perfoluatur praecedenti die Sabbati. *Cap. ex parte, de diebus non ieiuniandis. Vide Pal. punct. 3. d. 6. p. 3. num. 3. Sanchez d. Leonard. lib. 6. numer. 6. & 7. Azor. tom. 1. cap. 16. quaest. 3. Reginald. lib. 4. numer. 130.*

Dies in quibus ex praecepto ieiunium indicitur eli ab Ecclesia, & ab ea ieiunium, hi lunt: Singuli Quadragelimae, & quarta Dominica. Quadragelima olim apud Ecclesiam Romanam ieiunium incipiebat initio feriae hebdomadae primae, a qua hebdomada poli Quinquagelimam vt refertur *cap. Quadragesima, dist. 75.* Quae ratio etiam colligitur, quia olim quadragelima effata etiam modo folum incipiunt in Dominica prima Quadragelimae, & non in feria quinta ante, in qua hodie etiam vulgare recentiore ante refectionem, ficuti folum diebus recentiorum quadragelimae ciuium. Et hic mos hodie adhuc obtinet apud Romanam Medicinam. *Bonacina disput. 3. punct. 6. num. 3. Sanchez d. Leonard. lib. 6. num. 3. Reginald. l. 4. num. 130. & alios.*

Telesphorus autem Papa fanciit vt circa quadragelimae ieiunium inchoandum, Quinquagelimam, vt ante feptimanam plenae ieiunarent, vt notatur in *Cap. Quadragesima, dist. 75.* Quae ratio etiam colligitur, quia olim

Modo autem ieiunij quadragelimale incipit à feria quarta cinerum, nam formae adeo ieiunia illi quatuor dies qui praecedunt Dominicam primam quadragelimae; vt nimirum ieiunium effet quadragelimale dies; prius enim erat regima fex dierum: modo autem eli reductum ad quadragelima dies, ai imaginationem vitimi Chriti. Terminatur autem ieiunium quadragelimale die ante in Sabbato inclusive ante Pascha, vt cuiuslibet communi, & vniuerlali conlentudine & communi lenlu Doctorum.

Secundo, quaenam unit tempora vt feriae in te. *Stanonus dist. 76. his verbis. Stanonus, vt notauimus quarto temporum,*

hoc ordine celebrentur primum in vesta quadrageſima; ſecundum in Sabbato ante Paſſionis: tertium in Dominica 5. quartum in Dominica more feſtæ fiat. In quibus præcipitur feiunium ... trium dierum, vt ſingulis menſibus vna dies reſpondeat, & in toto anno tot ſint dies feiunij, quot ſunt menſes. Omnia feiunia ſuntunt temporum eſſe de præcepto & obligare ſub mortali docent communiter Doctores. *Sylu. ca-qu. 4. Azor to 1. lib. 7. cap. 14. q. 2. Toletus lib. 6. 1. Paſqualis c. 4. ect. 169.*

Tertio ex iure communi habetur feiunandum eſſe in perugilijs Natiuitatis Domini & Aſſumptionis B. Virginis in ceteris. *c. Exparte de obſeruatione ieiuniorum.* Praeterea eſt etiam de iure feiunium in perugilijs Sanctorum Apoſtolorum, vt habetur ex *c. Conſilium, de obſeruatione ieiuniorum.* excluſa tamen non ſolum vigilia Sanctorum *Philippi & Iacobi*, in qua non feiuniunt de Paſchalis tertiæ feguin, verum etiam vigilia Sancti Ioannis Euangeliſtæ, quia incidit inter feſta Natalis Domini, in quo non eſt locus feiunio.

Aliter tendum tamen eſt quoad feiunia in perugilijs nouendiarum Beatorum, aliquando feiunij vniuerſaliter non ſuntunt in vſu: propterea *Paludan in 4. diſt. 1. quæſt. 4. art. 3. concl.* docet non eſſe feiunandum in perugilijs *SS. Bartholomæi, Lucifi, martyrum & Matthæi*: nec ego, vt illi vſu præcipium ſit conſuetudo ne receptum: proinde quilibet debet iequi conſuetudinem ſuæ diœceſis.

In vigilia Pentecoſtes feiunium communem ſententiam feiunium non eſt de iure: quia nullibi reperitur præceptum... de tali feiunio: obligat tamen ex conſuetudine vbique ſeruata ita ſtatuit decendum de vigilia *S. Ioannis Baptiſtæ, S. Laurentij & Omnium Sanctorum*, teſtibus *Nylan ſt. comm. 3. Sylu. art. 3. q. 7. Fagund. c. cap. 3. q. 67. n. 2.* & alijs. Licet quidam dubitent, an hæc conſuetudo introducta ſit tantum communi de obligatione, an vero tantum ex deuotione, vide *Paſqualis c. ect. 171. 172.*

Quando vigilia S. Ioannis Baptiſtæ incidit in feſto Corporis Chriſti anticipandum eſt ieiunium de immediate antecedenti, nempe feria quinta, non ſeruatur in ipſa vigilia. Ex Conſtitut. Vrbani VIII. edita die 13. Octobris anni 1638. quæ incipit, *Cum ſemper*. Hæc conſtitutio non indiget talem anticipationem ieiunij, ſed præcipit, vt conſtat ex tenore ipſius: ideo obligat ſub mortali. Porrò in alijs vigilijs non eſt obligatio ieiunandi, nili peculiaris aliqua conſuetudo alicubi receptæ ſit, dicit nominatim.

Epiſcopus poteſt transferre huiuſmodi feiunia in alium diem, dummodo ei fiat ex rationabili causa. Ratio eſt, quia licet quæ ſtatuuntur in iure canonico, non reuocantur ab Epiſcopum ſuperiorem, tamen epiſcopi inferiores ſuperiorem, vide in exequendo debet prudenter procedere. Idem poſſunt omnes Abbates & quicumque alij, qui exercent iura Epiſcopalia, ita vt exempti ſint a conſuetudine ſuæ diœceſis, cum eiusmodi feiunia habeant iurisdictionem fori Eccleſiaſtici, in hoc æquiparantur Epiſcopis. Eandem authoritatem habent Prælati regulares reſpectu ſuorum ſubditorum; ſeruantur eo reſpectu epiſcopum iura quali Epiſcopalia, & tunt executores iuris canonici reſpectu eiusmodi, quia ſunt Ordinarij ipſorum.

Et dicit eſſe obligare, quod ſit aliqua Eccleſia ſpecialis, aut loco alicuius Diœceſis cuiuſcumque aliquod feiunium ſolemne, vt eſſe feſtum Titularis aut Patroni, & eodem die incidat feiunium indictum a tine communi, poterit Epiſcopus pro ipſo, qui tunc de loco, vel de illa Eccleſia transferre feiunium in alium diem. Vide *Sylu. 2. q. quæſt. 147. art. 4. Bonacos. diſput. 1. q. 1. punct. 11. num. 19. Nauarr. c. 21. num. 11. Fagundez c. decal. 170. Fagund. præcep. eccleſiæ lib. 1. cap. 9. num. 4.* & paſſim Canoniſtas in *cap. Conſil. de obſeruat. ieiuniorum.* Vnde valde probabile eſt Epiſcopum poſſe transferre feiunium vigiliæ feſti S. Matthæi Apoſtoli, vbi celebratur, in alium diem, quando incidit in diebus vltimis diebus Bacchanalium, quia adeſt causa valde rationabilis pro tali translatione, vt nimirum vitentur tot peccata, quæ committuntur in violatione feiunij: Et Epiſcopus transferens, vtitur certe negotium Eccleſiæ, vt ſentiunt. *Leymanlib. 4. tract. 8. c. 3. num. 9. Paſqualis c. decal. 189. Diana p. 4. tr. 6. reſ. 66.*

5. Præterea Eccleſiæ de ſecundo feiunio ſuetæ communem ac receptam Doctorum ſententiam, ita obligat ad moralitates vt ſabbatice cauſa violentur, mortale nihilominus erit quotidie non eſſe contentum indeuoti ex aliqua tentatione, & ſimul tantum fiat. Tum quia res præcepta capax eſt huius obligationis, & Eccleſia abſolute præcipit. Tum quia in *cap. Conſilium, de obſeruat. ieiuniorum* declarat Pontifex, quod infirmi vtentes neceſſitate dispenſati poſſunt in ieiunijs. Vnde, cum tenuitate tamper neceſſitas, vt ſolui poſſint feiunia ſingulari eſt, præcipi ſub illius obligatione atque adeo ſub peccato mortali. Deinde violatores feiunij quadrageſimalis absque legitima cauſa, petuntur pena excommunicationis, vt conſtat ex cap. 68. *Apoſtol.* & alijs conciliis; pena autem grauis, & præterim excommunicatio non imponitur, niſi vbi adeſt peccata mortalia. Ita *Lo. 1. hom. 2. 2. quæſt. 147. art. 3. Sylu. ſtud. 3. 1. concl. 2. Sylueſt. c. 4. 1. Nauarrus c. 21. n. 13.* & communiter omnes. Quod colligitur etiam ex *c. Quadrageſimas*, & ex *Cap. ieiunandi conſtitutionibus ſeſt. 7.*

Si quis tamen putaret ſubeſſe iuſtam cauſam non ieiunandi & de ea bona fide comederet, non peccaret ſaltem mortaliter, quamuis ea non ex ſtaret, ſiquæ ſimulanter indulgeret, modo non ſit ignorantia craſſa, quæ dolo æquiparari poſſit. Ratio eſt, quia, quando cenſetur adeſſe iuſta cauſa non ieiunandi, intentio non fertur contra legem nec directe, nec indirecte: imo cenſetur eſſe ſecundum rectam rationem, quæ non eſt recta ratio dictat, quod licet ſoluere feiunium, quando exiſtimatur adeſſe cauſa iuſticiens ſoluendi, & ideo etiam operatio habet debitum circumſtantiam. Ita *Bonacina de obligatione ieiunij, punct. 16. n. 20. Tolet. ſum. lib. 6. 4. Sylu. c. art. 4. Fernand. p. 2. c. 8. 3. n. 1. 4. Paſqualis q. 6. ect. 153.*

Dubium tamen eſt, an Religioſi exempti teneantur ieiunijs ab Epiſcopo præcipitis in diœceſi, intra cuius terminos poſitum eſt monaſterium? Communior ſententia eſt negatiua. Ratio eſt, quia ſubiuncti Religioſi exempti Epiſcopis ſed iure immediate ſubiecti Sedi Apoſtolicæ, & proinde iunt extra iurisdictionem ipſorum, ergo quando inducit ieiunia, quæ ipſorum iurisdictio non extendiur ad regulares, nec etiam ſecretum obligationis, quia obligatio, quæ originatur ex iurisdictione, non excedit limites iurisdictionis. Ita *Suarez de leg. lib. 4. cap. 20. Salas de leg. quæſt. 11. diſſert. 1. num. 43. Azor p. 1. lib. 7. cap. 9. q. 2. Portel. in vberg. in verb. Feſta. Iuan p. 1. tr. 9. reſ. 36.* Si tamen ieiunia generali conſuetudine recepta iunt, tenentur ea obſeruare à Religioſis exemptis: quia generalis conſuetudo omnes ſuperiores obligat, iure diuino, & Religioſos, etſi non obligentur ex vi legis Epiſcopalis. Ratione tamen ſcandali aliquin euenturi, poſſent quoque regulares obligari ad quæ ieiunia per Epiſcopos indicta. Vt notant Doctores citati.

Dubium 2. an religioſi teneantur ad ieiunia loci, quæ ex voto obligant communiter: Affirmant *Sanchez liber 4. moral. cap. 15. num. 3. Reginald. lib. 6. diuers. 17. Salas de leg. tract. 1. ſummi cap. 11. num. 13.* quia tale votum eſt emittum pro communi omnium vtilitate, & religioſi participant de illa haec vtilitate, & conſequenter poſſunt, & tenentur impoſtabile illos non teneri. Ratio eſt, quia votum communitatis non obligat niſi quatenus aliorum voluntates iunt quodammodo in voluntatem vouentium, atque ex vi conditionis pacti, quod obligatio tranſit ad ſucceſſores. Communitas autem religioſorum, cum ſit diſtincta, tam a communitate laicorum, quam clericorum, non poſſunt voluntates ipſorum eſſe vna cum his voluntatibus vouentium, nec ſimiliter poſſunt teneri ad pactum, quod circa hoc facit, ſicut nec etiam tenentur ad alia pacta communitatis. Tum quia votum non obligat niſi emittentes & eos, quos emittens poteſt obligare. Sed ita ego voueam pro ſalute amici, non tenetur ille amicus ad tale votum. Ita *Bardanus in conſil. reg. tract. 18. num. 5. Paſqualis c. decal. 191.* qui noniſſimus *decal. 193.* docet nec monaſtes teneri ad ieiunia loci, quæ iunt ex voto, niſi contentiant ſpecialiter in talia vota & accedat etiam conſenſus Epiſcopi: nec obligatur ieiunium non ſolum ratione de illo nomine, ſed etiam pro tempore ſuccedentes, nam eiiet eadem ratio de ipſis ac de communitate.

6. Cauſæ excuſantes a ieiunio reuocari poſſunt ſecundū Doctores ad tria capita, *Impotentiam, Labores & Pietatem*. Impotentia duplex eſt, Phyſica & Moralis. Impotentia *phyſica* contingit, quando quis non poteſt abſolute ieiunare: *Moralis* contingit, quando non poteſt abſque notabili damno ieiunare: ideo ob impotentiam moralem excuſantur *infirmi*, & ſub nomine *infirmorum* comprehenduntur etiam conualeſcentes, qui nondum recuperauerunt priſtinas vires deperditas ex præcedenti morbo. Ratio, quia communis ſenſus ita interpretatur legē, vt noluerit Eccleſia obligare infirmos, nec conualeſcentes.

Etiā

Et id habet locum, etiamsi infirmitas ex propria culpa contigerit: quacumque enim causa proueniat infirmitas, semper corpus est tale, vt castigatio ipsius per ieiunium semper euadat indiscreta, & irrationabilis. Insuper si ieiunium causaret aliquem morbum, nempe capitis vertigines, stomachi ventositates affligentes, aut quid simile, cessaret obligatio ieiunandi: Item quando ieiunium impedit consuetas functiones; hoc autem impedimentum non debet necessariò esse tale, vt absolutè impediat, sed sufficit quomodocunque impediat, ne possint commodè exerceri; vt esset dolor capitis, aut quid simile. Sub nomine *infirmorum* comprehenduntur etiam valetudinarij, qui nimirum non habent aliquem actualem morbum, sed sunt complexionis malè affectæ, & proni ad actualem morbum; quia praua illa affectio complexionis æquiparatur continuo morbo, nam reddit corpus debile. Item qui habent stomachum debilem, & non possunt in vnica refectione tantum cibi sumere, quantum sufficiat ad commodè nutriendum corpus: quia videlicet illa quantitate stomachus nimis grauatur, & difficilè concoquere potest. In tali casu ieiunium euadit nimis onerosum, & afflictiuum corporis extra terminos rationis. Item qui nocte dormire non potest, nisi cœnet, non tenetur ad ieiunium: quia subtractio somni valde nocet corpori, impedit concoctionem cibi, & disponit ad infirmitates. Non sufficit tamen quòd parum impediatur; nec etiam requirit, quòd totaliter impediatur: sed solùm, quòd notabiliter impediatur per maiorem partem temporis, quo quilibet consueuit dormire. Idem dicendum, si quis noctu calefieri non possit, nisi cœnet; quia quando impeditur nocturna calefactio, non solùm corpus patitur illud præsentaneum incommodum, sed etiam impeditur transpiratio, quæ necessaria est ad conseruandam sanitatem: & proinde contingit notabile damnum, cum quo præceptum ieiunij non obligat. Debet tamen esse notabile impedimentum, scilicet, quando tale frigus percipitur, quod censeatur constituere corpus in tali statu, vt indigeat subleuamento. Proinde quando quis non potest noctu dormire, aut calefieri, nisi cœnet, non tenetur mane sumere collatiunculam, & differre refectionem ad horam Cœnæ: quia in ieiunio quilibet habet ius ad sumendam principalem refectionem in meridie, nec tenetur quis se priuare hoc iure, vt ieiunet. Hæc ex Doctoribus hic citatis. *D. Thom. in 4. distinct. 15. quæst. 3. artic. 2. quæst. 4. Sylvius 2.2. quæst. 147. artic. 4. Bonacin. cit. disputat. vltim. quæst. 1. punct. vltim. num. primo Pasqualig. cit. decisio. 261. 263. 264. & 265. & Leff. libr. quarto c. 2. dub. 6. Sanch. libr. quinto opuscul. moral. cap. primo dub. 14. Angles in Flor. quæst. 6. de ieiunio difficul. 8. Sanc. in select. disput. 54. num. 13. Diana part. 1. tract. 9. resol. 51.*

Fœminæ grauidæ aut lactantes non obligantur præcepto ieiunij. Quia non solùm habent substentare seipsas, sed etiam infantulum, vnde cibus debet esse sufficiens pro duabus personis. Et in fœminis grauidis militat specialis ratio; quia sæpè vehementissimè appetunt aliquos speciales cibos, & si non possunt satisfacere appetitui, imminet periculum proli. Ita *Nauarr. cap. 21. numer. 16. Sylu. citat. numer. 24. Sylvius c. artic. 4. Diana citat. resolut. 14.* & omnes communiter.

An autem omnes prægnantes, & lactantes absoluantur à ieiunio, dubium est, quia fieri potest, quòd aliquæ sint ita robustæ, quòd possint in vnica refectione sumere, quantum sufficit alimenti, & sibi & proli. Sed dicendum est, quod in dubio, adhuc absoluuntur ab obligatione ieiunij, quia in dubio non debent se exponere periculo nocendi infantulo. Si verò robustæ sint, ita vt vnica refectione possint seipsas, & infantulum sustentare, quidam putant obligari ad ieiunandum, quia in ipsis cessat causa, ob quam censentur aliæ dispensatæ. Alij tamen docent, & meritò prægnantes, & lactantes excusari, nec vllam adhibent limitationem: quia sicut lex non fertur pro ijs, quæ rarò eueniunt, sed quæ vt plurimum accidunt, *Leg. Ex his. Leg. Nam ad ea, ff. De legibus*. Ita etiam interpretatio legis facta per consuetudinem, quod aliquod genus personarum, non comprehendatur sub lege, non respicit, quæ rarò eueniunt in illo genere personarum, sed quod vt plurimùm fit: ideò cum vt plurimum prægnantes, & lactantes non possint ieiunare absque præiudicio infantuli, debent omnes censeri immunes. Immò illas peccare docent. *Caietan. 2.2. quæstion. 147. artic. quarto Syluester cit. numer. 24. Nauarr. cap. 21. numer. 16.* si ieiunent, nisi sint ita robustæ, vt vnica comestione satisfacere possint sibi & infantulis; hæc sententia admittenda est pro vno aut altero die, si sint bonæ complexionis; sed si ieiunia continuentur supra duos dies, non possunt excusari à mortali, & ideo præcipiendum est illis, vt non ieiunent, quia se exponunt periculo valde probabili, quòd damnum notabile infantulo sequatur. Ita *Rosella verb. Ieunium num. 17. Azor. lib. 7. cap. 17. quæst. 6. Pasqualig. c. decis. 286.*

Regulariter autem prægnantes & lactantes non possunt comedere carnes in diebus ieiuniorum, quia possunt se & infantulum sustentare cibis in ieiunio permissis; si tamen prægnantes vehementer appetant carnes, debent illis in tali casu concedi, quia talis appetitus, nisi satietur, periculosus est proli & potest causare abortum. *Bonacina c. punct. vltim. numer. 3. Filliucius tractat. 27. part. 2. numer. 114.* Cæterum prægnantes infirmæ complexionis habent rationabilem causam, vt cum ipsis dispensetur in præcepto abstinendi à carnibus.

An autem mulier prægnans possit, & teneatur ieiunare cum periculo prolis, ad vincendas carnis tentationes? Dicendum est, quòd non; quia talis potest, si vult, resistere tentationibus etiam sine ieiunio, quia hoc non est medium necessarium; vnde ordo charitatis non exigit, quòd nobis prouideamus per ea media, quæ sunt noxia proximo, quando non sunt necessaria, sed per alia prouidere possumus. *Diana p. 1. tra. 9. resol. 30. Pasqualigus c. decis. 289.* contra *Fernandez p. 4. c. 12. §. 6.*

Ob impotentiam moralem excusantur à ieiunio etiam *senes*; quia senectus ipsa est morbus & quidem incurabilis; ætas autem qua incipit hæc senectus, non est determinata in iure; quia stante varietate complexionum senectus non semper eodem tempore incipit in omnibus, cum alij citiùs, alij tardiùs incipiant pati diminutionem virtutis, & caloris naturalis. Quidam docent ætatem septuagenariam esse terminum: in quo cessat obligatio ieiunij; quia sicuti septuagenarij excusantur in iure ciuili ab oneribus personalibus, *Leg. vnica C. Qui ætate libro 10.* ita etiam excusantur à ieiunio, cùm leges Canonicæ non sint minùs mites, quàm ciuiles. Ita *Sylvest. verb. Ieiunium quæst. 6. Rosella num. 15. Tabiena qu. 17. numer. 18.* Reliqui tamen omnes ferè conueniunt excusari ordinariè etiam sexagenàrios, hac enim ætate, est media senectus iuxta medicos, in qua natura facilè inedia, & repletione grauiter læditur: attendendas tamen esse vires, & robur complexionis, quia si vires satis firmæ sint, & complexio robusta, non excusari. Ita *Nauarr. cap. 21. numer. 16. Layman libr. quarto tract. 3. cap. 3. Lessius lib. quarto capit. 2. dub. 6. numer. 41.* & alij. Quamuis probabilis etiam sit sententia docens, in ætate sexagenaria senes, licet viribus polleant, excusari à lege ieiunij. Tum quia sanitas senum non est firma, & constans, quamuis robusta videatur, sed fallax, & incerta, mediaque inter morbum, & perfectam sanitatem. Tum quia licet aliqui sexagenarii validi & fortes videantur; tamen eorum natura prolabitur, & ad interitum tendit, atque adeò adminiculo cibi frequentius sumpti indiget, vt non tam præsenti statui, quàm futuro consulatur. Ita *Sanches de matrimon. libro 7. distinct. 52. numer. 17. Portel in dub. regul. verb. Ieunium numer. 5. Sa eodem verb. num. 9. Angles 4 p. 1. quæst. 6. difficul. 6. Diana p. 1. tract. 9. res. 10. Sanctus disp. 54. n. 8.*

Mihi tamen probatur sententia illorum, qui dicunt, nullam prorsus certam posse præscribi ætatem, in qua lex ieiunij non obliget, sed attendendum esse ad robur corporis & complexionis naturæ, & iuxta eam iudicãdum esse, atque adeo id totum arbitrio prudentis relinquendum; quia sunt quippe nonnulli sexagenarii ac septuagenarii robustiores ac valentiores viribus, quàm multi quinquagenarij. Ita *Rodriques in Bull. cruciat. §. 6. dubio 2. Medina Cod. de ieunio question. 9. D. Antonin. 2. part. titul. 6. capit 2. §. 6. Fagundes præcep. 4. lib. 1. cap. 8. numer. 9. Sylvius cit. artic. 4.* Aduertendum tamen, quòd licet senes ratione ætatis excusentur à ieiunio, tenentur tamen abstinere à cibis prohibitis in ieiunio, nisi ex alio capite ijs indigeant; quia cibi prohibeantur distincto præcepto: vt docent communiter Doctores.

Petes, an religiosi sexagenarij teneantur ad ieiunia regulæ suæ? Affirmant. *Ludouic. à S. Ioann. 1. part. summæ tract. de ieiunio artic. 6. Bordonus in consil. regul. resolut. 18. numero 6.* quia obligatio regulæ est voluntarie suscepta. Nihilominus oppositum est probabile. Tum quia præceptum regulæ obligat instar præcepti Ecclesiastici, & proinde ob eandem rationem ob quam cessat lex Ecclesiastica, debet etiam cessare lex religionis: vnde ieiunia regularia sequuntur naturam ieiuniorum Ecclesiæ, & sub ijsdem modis obligant, & ex ijsdem causis dispensantur. Hinc ieiunia verb. gratia in regula Fratrum Minorum non tam voto promittuntur, quàm sub præcepto regulæ cadunt, etsi eorum obseruantiæ, qui vouet regulam, se astringat, eo modo nimirum quo præcipiuntur, & quo ieiunia obligant. Tum quia nimis onerosum esset, quod sexagenarij religiosi iam laboribus regularibus confecti, & continuo regularis obseruantiæ pondus portantes, subijciantur etiam ieiunijs, siquidem tunc ante declinationem ætatis nimis opprimerentur cum periculo damni notabilis, & inhabilitatis ad obeunda munera religionis. Nec refert, quòd adolescens ante 21. annum ætatis verb. gratia in ordine Minorum professus ad ieiunia regularia teneatur, vt dicetur infra. Respond. negandam esse paritatem in vtroque casu. Adolescens enim ille in sæculo manens non excusatur à ieiunio ratione infirmitatis, aut debilitatis, sed ex mera indulgentia ratione incrementi seu naturæ crescentis; vnde supponitur esse ex ratione ætatis potens ad ieiunandum saltem post annum ætatis 15. & 16. quo religioni est aptus: hinc si vel vouerat, vel obedientiæ se addicat in religione tenebitur ad ieiunia regularia, quia illi indulgentiæ, & priuilegio voluntariè cessit. Aliud est autem de Fratre sexagenario; supponitur enim ex communi defectu ætatis impotens, & infirmus. Ita probabiliter. *Sanchez in select. disputat. 54. num. 8. Petr. Marchantius tom. 2. Tribunal. Sacrament. tract. 12. tit. 3. quæst. 4. Hieronym. Rodriqu. in compend. resolut. 75. nu. 10. Pasqualigus cit. decis. 259. Tamburinus to. 2. de iure Abbat. disp. 12. q. 5. n. 7.* Cæterum in nostra sacra religione per quadraginta ferè annos nullos sexagenarios vidi se eximentes ab onere tam ieiuniorum Ecclesiasticorum, quàm regularium, niti aliqua alia infirmitate pressos.

A ieiunio excusantur etiam *pauperes*, qui propter paupertatem alimento carent sufficienti ad vnam refectionem in die ieiunij sumendam. Ratio est, quia, quando non adest sufficiens refectio, ieiunium esset nimis onerosum, & præter intentionem Ecclesiæ, quæ non intendit, quòd subtrahatur corpori deditum alimentum, sed solùm quòd macereturper subtractionem multiplicis refectionis, & qualitatis ciborum. Ita *D. Thom. 2. 2. quæst. 147. artic. 4. ad 4. & in 4. d. 15. quæst. 3. artic. 2. quæst. 4. Sylvius eius artic. 4. Azorius cit. lib. 7. cap. 17. quæst. 7. Reginaldus libr. 4. num. 211.* & alij communiter. Hinc pauperes mendicantes sunt regulariter excepti è ieiunio; quia ferè numquam habent congruentem refectionem, cùm ipsis deficiat, aut quantitas aut qualitas ciborum; si tamen pro aliquo die habeant congruentem sustentationem, tenentur illo die ieiunare; quia cessante causa soluente obligationem præcepti, incipit ligare præceptum.

Sed petes, quænam censenda sit congruens refectio? Respond. non sufficere panem in quantauis quantitate, sicut nec etiam fructus, & olera, sed requiri cibos, qui sint maioris nutritionis, vt notant *Angles quæst. 6. de ieunio difficul. 9. Sanchez lib. 5. consil. cap. 1. dub. 15.* quia cibi prædicti moraliter censentur incongrui, & insufficientes ad completam sustentationem. Similiter vescens ex consuetudine pane cum allio, cepis & alijs huiusmodi cibis non tenetur ieiunare: etiamsi vescatur his cibis vt seponat aliquid ob suas vel suorum necessitates, vel familiæ, vel ob dotandas filias, vel ob alium huiusmodi finem. Ratio prioris est, quia non habet congruum alimentum pro vnica refectione; & talis plus maceratur cum multiplici refectione comedendo solùm tales cibos, quàm cum vnica refectione, & vtendo cibis commodis, & congruentibus. Ratio posterioris: quia licet posset sibi prouidere de cibo congruenti, id tamen non fieret sine notabili incommodo: quia sepositio pecuniæ ordinatur ad subueniendum necessitatibus proprijs, & suorum. Ita *Pasqualigus c. decis. 279.*

Immò liceret pauperibus vsus carnium, si alium cibum inuenire non possent. Tum quia Ecclesia non obligat cum graui incommodo. Tum quia lex positiua humana non obligat, quando agitur de conseruanda vita. A fortiori isti pauperes ostiatim mendicantes possunt comedere oua, & lacticinia, quæ illis dantur, quando aliàs sunt prohibita. Ratio est, quia cùm mendicantes ostiatim non habeant vnde sustententur, nisi ex ijs, quæ ipsis dantur, quæ non præsumuntur excedere debitam ipsorum sustentationem, possunt, quæcumque sint, ea comedere ratione necessitatis, quæ ipsos soluit ab obligatione legis. Vide *Bonacin. citat. punct. vlt. num. 5. Tolet. l. 6. cap. 4. Henriques l. 7. c. 13. num. 9. Rodriques tom. 1. summ. c. 23.*

Sed dubium est, si quis haberet panem, quo posset vitam sustentare, sed non haberet alios cibos concessos, an tunc posset vesci carnibus? Dicunt quidam non posse, si per vnicum tantum diem careret alijs cibis, sed deberet contentus esse solo pane, secus si deberet carere per plures dies. Ita *Angles, Vega*. Non est tamen improbabile posse in hoc casu loco ciborum concessorum vesci carnibus. Quia lex in tantum prohibet carnes, in quantum relinquit alios cibos, quibus commodè cibari possumus, ergo habemus sufficiens fundamentum ad interpretandum, quòd non obliget, quando non relinquuntur ij cibi, quos lex præsumit relinqui; tum quia cessat intentio legis, quæ intendit moderatam tantùm abstinentiam: tum quia lex fieret nimis onerosa absque noua cauta. Ita *Pasqualig. c. decis. 49.*

Excusantur etiam *Pueri & adolescentes* vsque ad finem tertij septennij; ita vniuersalis consuetudo præceptum hoc interpretatur. Quia cùm vsque ad illud tempus magnis incrementis augescat corpus, eget copioso alimento, vnde sæpiùs capere cibum debent ob abundantiam caloris, ne accretio, & perfectio naturæ intercipiatur. Vnde Ecclesia non intendit eos obligare, quia non obligat ad ea, quæ nimis onerosa sunt, & excedunt moralem potentiam, etiamsi alioquin futura sint vtilia, vt esset ieiunium pro motibus carnis coercendis, etiam ante vigesimum primum annum; quia non intendit omne, quod vtile est; sed vult etiam, quòd non sit nimis onerosum. Ita *D. Thom 2. 2. quæst. 147. artic. 4. ad 2. Sylu. ibid. artic 4. vers. Primus est. Nauarrus cap. 21. numer. 16. Sanc. in select. disputat. 54. num. 1. Lezana in summ. v. Ieunium num. 6.* & omnes.

Tenebuntur tamen pueri & adolescentes ante vigesimum primum annum ieiunare, volentes lucrari Iubilæum sub onere ieiunij concessum, vel si à confessario imponatur pro pœnitentia sacramentali ieiunium, vel ob placandam iram Dei, ob gratias agendas pro aliquo insigni beneficio, ob implorandum diuinum auxilium in aliqua graui necessitate. In his enim casibus vrget specialis ratio, ob quam non debet excludi illa ætas. Ita *Sanchez lib. 5. consil. c. 1. dub. 2. n. 6. Pasqualig. cit. decision. 247. Sanc. cit. n. 6. Fagund. præcep. 4. c. 8. n. 5.*

Certum est etiam apud omnes, quòd pueri & adolescentes post septennium, adepto rationis vsu, obligentur ad qualitatem ciborum; ita vt non possint cibis in die ieiunij vetitis quia præcepto negatiuo de non comedendis carnibus in die ieiunij, tenentur homines postquam ad rationis vsum peruenerunt, nisi alia iusta de causa excusentur. Dubium tamen est, an liceat pueris ministrare carnes, quando prohibentur, antequam septennium compleuerint? Respondent negatiuè, vbi non est consuetudo. *Lopez 2. part. instruct. cap. 212. Sylu. cit. artic. 4.* quia debet erga ipsos seruari praxis Ecclesiæ. At licitum esse, ijs ministrare carnes, siue adsit consuetudo, siue non, docent *Sanctus in select. disputat. 51. num. 31. Diana part. 1. tract. 9. resolut. 42. Caspensis tract. de leg. disputat. 4. num. 25 Fagund. præcept. 4. libr. primo cap. 8. numer 8. Pasqualig. c. decis. 50. Sanch. lib. 2. moral. c. 12. n. 9.* & alij ab ipsis citati: & a fortiori oua.

Ratio est, quia cùm paruuli ante septennium nullo obligentur lege, nec etiam obligantur consuetudine, quæ habeat vim legis. Tum quia nec ipsi comedendo peccant; nequ talis subministratio interdicta est, quia non fit in actione, quæ sit eis aliquo modo prohibita, sed in actione honesta & de se bona. Hæc sententia est probabilis. Ob eandem rationem licet ministrare carnes, quando prohibentur, infidelibus, vt notant Authores relati: quia infideles non subsunt legibus Ecclesiasticis tanquam ij, qui sunt ex ea Ecclesiam: vnde non est illis prohibitum, comedere carnes in quacum-

que

que die, & proinde ministrans non concurrit ad aliquid illicitum. Ex qua tamen sententia non infertur, licere perpetuò amentes vel pueros carentes rationis vsu prouocare ad turpia inter ipsos exercenda, vel ad aliquid aliud contra legem naturalem: quia illa actio, cum sit intrinsecè mala ex natura sua, omnibus illis est prohibita: quamuis ob defectum rationis, & discursus, culpa illis non imputetur.

Verum licet Ecclesia non obligauerit adolescentes ad ieiunium ante 21 annum, nihilominus confessarii, aut alii quibus adolescentum cura demandata est, debent eos inducere ad ieiunium, prout expedire iudicauerint; vt incipiant assuescere ieiuniis, & turpes motus carnis illecebras comprimant, vt monet Sancius *in select. disput. 54. numer. 7.*

Dubium primum est, an adolescentes religionem Fratrum Minorum professi, teneantur ad ieiunia sui ordinis, antequam expleuerint annum ætatis vigesimum primum? Quidam enim ambigunt, & ratio dubitandi est, tum quia omnis rationabilis causa, quæ excusat à ieiuniis præceptis, excusat pariter & à ieiuniis votiuis, puta, infirmitas, debilitas, senectus, defectus cibi, necessitas, & maius bonum; & hic defectus ætatis excusat à ieiuniis præceptis; ergo & à ieiuniis votiuis: ergo hi adolescentes ad regularia ieiunia non tenentur ratione voti & regulæ promissæ. Tum quia in regula Minorum dicitur, quod Fratres tempore manifestæ necessitatis non teneantur ieiunio corporali; sed trinum istud septennium vsque ad 21. annum completum, est tempus manifestæ necessitatis; ergo hoc tempore fratres ieiunio corporali non tenentur. Propter has & similes rationes sententiam hanc amplectuntur. *Medina libr. 1. sum. capit. 14. §. 10 Graffius part. 1. libr 2. capit. 37. num. 42. Tambur. de iur. Abbat. tom 2. disp. 12. q 4. n. 4.*

Nihilominus dicendum est, prædictos adolescentes ad præfictę regulæ ieiunia teneri: tum quia hi in minori hac ætate constituti, possunt expressè explicitum votum emittere de ieiunando Quadragesimam, & de ieiunando Aduentum singulis annis. Tum quia hi adolescentes simpliciter ieiunare valent, quamuis non ita commodè. Et quamuis à regulari præcepto de ieiunio excipiatur necessitas ex labore aliquo proueniens, & quamuis in ætatis defectu sit similis, vel vrgentior ratio, tamen hæc causa non censetur excepta, quia ipsi sua sponte in hac ætate se huic regulæ submiserunt: & consuetudo ordinis à temporibus antiquis interpretata est hoc præceptum mox post emissam professionem hos adolescentes obligare. Ita *Rodriques tom. 2. qq reg. quæst. 100. artic 8. Syluest. v. Ieiun num. 18. Sylu. 2. 2. quæst. 147. articul. 4. Crousers ad capitul. 3. reg. S. Franc. lect. 6. fol. 190. Bordonus in consil. reg resol 18. numer. 6. Portel. v. Ieiun. numer. 2. in dub. reg. Lezana v. Ieiun. numer. 6. Diana part. 1. tract. 9. resol. 16.* & alii communiter apud *Pasqualigum Decis. 254.* licet in contrariam sententiam inclinet.

Ad aliam autem rationem opinionis contrariæ, dicendum est, quod his adolescentibus defectus ætatis, non est moralis necessitas, propter quam à ieiuniis his votiuis excusentur, quia promittendo regulam istam, suo iuri voluntarie renunciauerunt.

Notandum tamen est, hos adolescentes ante 21. ætatis annum expletum, ad ieiunia vigiliarum, & quatuor temporum, non plus obligari, quam cæteri fideles: non enim astringuntur ex præcepto regulæ, vt patet: nec ex præcepto Ecclesiæ propter ætatis defectum, ergo. Ita *Rodriques cap. art. 6.* & *Portel.*

Secundum dubium est, an qui vouit se ieiunaturum certis diebus hebdomadæ, vel anni, in perpetuum seu toto vitæ tempore, excusetur, postquam ad sexagesimum ætatis annum peruenit? Negat *Layman. libr. 4 tract. 8. capitul. 3. numer. 2.* Quia cum votum sit perpetuum, & emissum pro toto tempore vitę, debet eiusmodi obligatio durare toto tempore vitę. Et licet hoc votum obliget instar præcepti Ecclesiastici, quod attinet ad formam & modum ieiunandi, non item quod attinet ad personas. Qui enim præcepto Ecclesiastico non obligantur, ii propria voluntate se obligare possunt ad ieiunandum, vt dictum est de adolescentibus vouentibus ieiunare iuxta regulam S. P. N. Francisci. Ergo similiter, tametsi ponamus sexagenarios etiam robustos, liberari lege Ecclesiastica ieiunii, non obstat tamen, quominus ad ieiunandum ea ætate voluntario voto se aliquis obliget: idque ipso facto facere præsumitur, quando vouet, se perpetuò seu toto vitæ suæ tempore ieiunaturum, quamdiu sine notabili corporis detrimento ieiunare potest. Hæc sententia mihi maximè placet ob rationes quibus fulcitur. Attamen contraria non caret probabilitate (licet improbabilem illam vocet *Layman.*) Quia votum ieiunii obligat instar legis Ecclesiasticæ de ieiunio: atqui Ecclesiastica lex ieiunii communiter lata, non obligat sexagenarios, secundùm probabilem quorumdam sententiam; Ergo nec obligabit votum, nisi aliter ex intentione vouentis constet. Et sicuti præceptum Ecclesię cessat obligare, quando obligatio esset nimis dura; ita etiam votum, quia non plus vouens censendus est se obligare, quam soleat obligare legislator habens potestatem obligandi: nam legislator intendit obligare quantum subditus rationabiliter obligari potest. Nec obstat, quod votum sit emissum pro toto tempore vitæ, quia intelligitur de toto illo tempore, in quo vouens est capax rationabiliter talis obligationis, atque adeò iuxtà mensuram obligationis præcepti Ecclesiastici. Ita *Sanches libr. 4. moral. capitul. 11. numer. 54. Bonacina capitul. punct. vltim. numer. 4. Diana part. 1. tractat 9. resol. 20. Pasqualigus, capitul. decis. 260. Tamburinus de iur. Abbat. tom. 2. disput. 12. quæst. 5. num. 7. Portel. v. ieiun. num. 5.*

Si quis autem voueret se ieiunaturum certis diebus toto vitæ suæ tempore etiam in senectute post annum sexagesimum: votum ex natura sua obligaret, quia obligat, quantum se extendit intentio vouentis. Ex alio tamen capite potest non obligare, nimirum senectus sit adeo debilis, vt non possit sine graui damno sustinere tale onus; censetur enim tale votum emissum ex suppositione, quod senectus sit futura satis robusta, & possit resistere oneri: vnde si est diuersa, ac expectabatur, censetur variatum subiectum obligationis, atque nec inducta obligatio pro illo lata, vt bene aduertit *Pasqualigus* citatus.

In bullis Cruciatæ à temporibus Pij V. dispensatur cum religiosis præfatæ ætatis sexagenarijs, non in ieiunio, sed ad vescendum ouis & lacticinijs, vt tradunt *Sanches de matrim. lib 7. disp 32. num 17. Portel. capit. num 5. Hieronym. Rodriq. resol. 75. num. 10.*

Tertium dubium est, an Frater Minor committat duplex peccatum frangendo ieiunium in sexta feria intra festum omnium Sanctorum, & Natiuitatem Domini, & intra Quadragesimam vique ad Resurrectionem? Respons. est negatiua, quia non facit contra duo præcepta; sed tantùm contra vnicum, Ecclesiæ scilicet, quantum ad Quadragesimam, & Regulæ ratione Aduentus: extra enim id temporis, tantum tenetur sexta feria ieiunare: quia Regula Minorum non obligat ad ieiunium sextæ feriæ intra Quadragesimam speciali præcepto, sed communi Ecclesiæ, quo tenentur omnes fideles. Ita *Rodriques tom. 2. qq. reg. quæst. 100. articul. 8. in fine Quando in 4. distinct. 26. propos. 53.* & post alios *Hieronymus Rodriques resol. 75. numer. 9.*

An autem duplex peccatum committat Frater Minor non ieiunans sexta feria, in qua occurrit vigilia, vel ieiunium quatuor temporum, dictum est supra *verb. Circumstantia numer. 14. §. 111.* vide Sancium in selectis *disputat. 11. numer. 17.* & Bordonum *in consil. regul. resolut. 18. numer. 13.*

7. Secunda causa excusans à ieiunio, est, *Labor* cum quo non sufficit laboranti vnica refectio in die ieiunij, & hoc certum est apud omnes. Controuertitur tamen inter Doctores, an labor corporalis voluntariè susceptus absque vlla necessitate, eximat ab obligatione ieiunandi, si causet tantam lassitudinem, quæ de se valeat excusare à ieiunio? Quidam docent laborem non necessarium non extinguere obligationem ieiunandi. Alii dicunt, quod tunc præuideatur, vel debeat præuideri, quod talis labor mediante lassitudine impediet ieiunium, non potest suscipi, & si suscipiatur, peccatur mortaliter in causa contra præceptum ieiunii: si verò non præuideatur, aut non debeat præuideri, quod impediet ieiunium, tunc potest suscipi, etsi inde proueniat notabilis laſ-

laſſitudo, ſi non ieiunet, non peccabit, quia bona fide proceſſit. Ita *De la Crux in director. part.1. præcep.3. art.4. dub. 9. numer.9. Filliuc. tract.27. part.2. capitul.6. numer.123. Rodriques part.1. ſum. capitul. 23. concluſ. 6.* Alij docent, quod poteſt aſſumi talis labor, etiamſi præuideatur, quod ſit ſuperuentura laſſitudo reddens impotentem ad ieiunandum. Hæc ſententia eſt communior. Ratio eſt, tum quia præceptum ieiunij obligat tantùm eos, quos reperit potentes ad ieiunandum; non autem quos reperit impotentes: Vnde quando quis eſt factus impotens, non amplius ſubditur obligationi ipſius. Tum quia præceptum hoc obligat tantum ad abſtinentiam ſecundùm talem formam præſcriptam, non autem ad conſeruandas vires corporales, ita vt valeat ieiunare: vnde cum quiſquis ſit dominus propriarum virium corporalium, poteſt eas impendere in hoc, vel illud exercitium, prout libuerit: & ſi ex hoc fiat impotens ad ieiunandum, non facit contra præceptum ieiunij, quia vtitur iure ſuo & facit id, quod non prohibetur præcepto ieiunij. Ita *Bonac. tom.2. diſput.2. queſt 8. punct.1. num.16. Lublinus par. 1. ſum. v. Ieiunium numer.29. Diana part. 1. tract.9. reſol.40. & 52. Sanchus in ſelect. diſput. 54. num. 14. & 20. Laymann lib.4. tract.8. capitul.3. numer 5. Sanchez lib.5. conſil.capitul.1. dub.7. Paſqualig. cap.deciſ.317.*

Sed rogabis, an defatigatus ex labore voluntario aſſumpto ob finem inhoneſtum excuſetur à ieiunio? Reſp. quod factus impotens ad ieiunandum ex labore ob turpem finem, aut non prouidens impotentiam, non peccat ſecundùm omnes. Si autem præuideat impotentiam, quidam docent talem peccare in cauſa contra præceptum ieiunij; quia præuidet, quod talis labor erit cauſa non ieiunandi, atque adeo dat cauſam peccato. Ita *Rodrigues, De la Crux* citati ſupra. Verius tamen eſt, ſolùm peccare contra illam virtutem, cui contrariatur ille finis inhoneſtus, non autem contra præceptum ieiunij. Ratio eſt, quia non eſt volitum aliquid, quod tanquam cauſa contineat violationem præcepti de ieiunio, quando obligat; ſed ſolum eſt volitum aliquid, quod cauſando impotentiam ad ieiunandum ſoluit obligationem ieiunandi. Rurſus præceptum ieiunij non obligat, vt quis ſe abſtineat à laboribus inhoneſtis, vt poſſit ieiunare, quia præcipit abſtinentiam ijs tantum, qui poſſunt ipſam ſeruare, non autem impotentibus. Ita *Medina libr. 1 ſum. capitul.23. concluſ.6. Diana part.1. tract.9. reſol.40. Bonacina capitul. numer.16. Sanc. diſput. 54. numer. 20.* & alij. Labor enim in actu turpi reddens impotentem ad ieiunandum non poteſt aſſumi, non ratione præcepti de ieiunio, ſed ratione turpitudinis: Vnde non ieiunans, quia impotens etiam ex actu turpi, non tenetur id in confeſſione explicare; ſed ſufficit, ſi explicet ſolum illum actum turpem.

Sed quid ſi in fraudem ieiunij ſe defatigaret, peccaret deſiderio illo frangendi ieiunium, quia nimirum fit fraus præcepto, quod iam in intentione & deſiderio frangitur. *Naua. capitul. 21. numer. 17. Bonacina capitul. num.16. Laymann capitul. numer. 5.* Sed ex doctrina *Sanchez capitul. numer.14. & 20. Diana capitul. reſol. 52. Paſqualigus capitul. deciſ. 320.* & aliorum, contrarium eſſet dicendum: nam in tali caſu non interuenit fraus, ſed fuga quædam obligationis, quæ non ſufficit ad cauſandum peccatum: vt fraudetur autem lex, oportet, vt retineat ſuam vim obligandi, & fiat aliquid tanquam licitum, quod tamen ſit contra obligationem ipſius.

Ob laborem eximuntur à ieiunio quotquot labore ſuo victitant, cum quo probè ieiunium conſiſtere nequit, vt ſunt primò, agricolæ, fabri-ferrarij, vel lignarij, cæmentarij, argentarij in pecunijs cudendis, vel vaſis conficiendis laborantes, & omnes operarij, qui opera, & artes laboriolas exercent, vt ſunt *Textores*; eſt enim ars textoria valde laboriola, cùm requirat magnam corporis & continuam agitationem: ſignanter quando texuntur panni ſiue lanei, ſiue linei, ſiue ſerici, aut alia huiuſmodi.

Piſtores ſeu Fumarij excuſantur etiam à ieiunio: quia ars fumaria eſt valde laboriola & requirit vires robuſtas, & niſi cœnarent, debiles exiſterent pro illo labore.

Sutores conficientes calceos, ſecundum probabilem ſententiam excuſantur: quia quamuis ſutores ſedentes laborent, magnum tamen conatum adhibent, & non ſolum manus, & brachia applicant labori, ſed etiam crura & pedes, vt contineant calceos, dum vtroque brachio ſuunt: vnde ex tali labore totum corpus laxatur, & cùm continuus ſit, valde magnus cenſendus eſt. Idem dicendum eſt de ijs, qui calceos incidunt, vt poſtea tradant alijs conſuendos, ſi tota integra dies in hoc exercitio inſumeretur cum magna applicatione, & celeritate.

Coqui, qui pro pluribus habent parare fercula, ita vt inſumant totum diem in tali præparatione, & tractent cacabos & ollas magnas, excuſantur à ieiunio; quia talis labor valde notabilis eſt, præſertim cùm ſit coniunctus cum motu diſcurrendi huc & illuc. Accedit etiam quod ignis, cui per bonam partem diei aſſiſtunt, aut ſaltem frequenter, ſicut valde calefacit corpus, ita etiam laſſat.

Molitores, per totum diem molentes qui portant triticum, imponuntque molendino, colligunt farinam, & aſportant, atque alia huiuſmodi opera exercent, quæ neceſſaria ſunt pro molitione, excuſantur à ieiunio: quia requiritur magnus labor & continuus. Si autem ſemel aut bis imponant triticum molendino, & colligant farinam in modica quantitate, non excuſabuntur. Si autem triticum & farina ſint in magna quantitate, ita vt habeant portare onera grauia, aut plura mediocria per multas vices, tunc labor grauis cenſendus eſt.

Fullones, *Lanarij*, *Coriarij* non ſunt obligati ad ieiunandum, quia hæ artes ſunt multum laborioſæ: ſi per ſeipſos exerceant omnia opera artis: ſi tamen leuia quædam exercerent, & laboriola facerent exerceri per alios, tunc non excuſarentur, nam tunc ceſſaret labor qui eſt cauſa excuſans.

Circumeuntes ciuitatem cum mercibus venalibus liberi ſunt à ieiunio, ſi per totam diem circumeant: quia comparantur ijs, qui pedites iter agunt: talis enim circuitio valde defatigat corpus, vnde labor ſufficiens eſt, vt ſoluat obligationem ieiunandi: non eximentur autem à ieiunio ratione talis exercitij, ſi per modicum tempus, ipſum exerceant: quia tunc labor non habetur pro conſiderabili, ratione breuis durationis. Plura de his operarijs vide apud *Paſqualigus cap. deciſ.* 290. 296. 297. 298. *& ſeq. Leſſius l.4. capitul. 2. Bonac. de præced. Eccleſ. diſput. vltim. quæſt. 1. punct. vltim. numer. 8. & ſeq. Fagund. præced.4. l.1. capitul 8. Sylueſtr 2. 2. quæſt. 147. artic.4. Nauarr. capitul. 21. numer. 16. Lezana v. Ieiunium numer.8. Sanchez in ſelect. diſput. 54. num.14. 15. Diana p. 1. tr.9. de ieiunio reſ.7.9. & alijs.*

Hi omnes operarij exercentes artes laborioſas non tenentur ieiunare, iuxta communem ſententiam, etiamſi diuites ſint, & aliunde habeant victum & conſueta commoda familiæ. Fundatur hæc ſententia in declaratione *Eugenij IV.* ann. 1440. apud *Nauarr. capitul. 21. numer. 16. Sylueſt. v. Ieiunium queſt.9. Fagund. præced.4. l.1. capitul.8. numer.15. & 16. Sanchez capitul. numer.14.* & alios: *Opifices*, ſcilicet, *ſuas artes exercentes, aut Coloni, colendis ſerendiſque agris, aut alijs eiuſmodi rebus operam dantes, ſiue ſint diuites, ſiue pauperes, ad ieiunia ſub peccato mortali, non tenentur, & à confeſſarijs abſolui poſſunt, conſulendo illis, vt in eleemoſynis, aliiſque pijs operibus occupentur.* Ita Eugenius IV. Ex dicto priuilegio putat *Fagund.* Pontificem omnes artifices indiſcriminatim excuſare, ſiue eis concedendo priuilegium non ieiunandi, ſiue declarando eos non comprehendi lege ieiunij: hanc tamen ſententiam non admittunt alij Theologi regulariter quoad quoſdam operarios, vt dicetur infra.

Imò operarij non ſolum excuſantur à ieiunio eo die, quo laborant, verùm etiam eo die quo laborem intermittunt, vt ſi interueniat dies feſtus, & præſertim ſi ieiunando graue ſentirent incommodum ob laborem præcedentis diei, vel ſi redderentur inepti ad laborem ſequentis diei, iuxta iudicium prudentis viri. Quod tamen ita accipiendum eſt, vt id verum ſit, quando vno aut altero die contingit ceſſare ab exercitio laboriolo: quod ſi ceſſatio eſſet longior, tunc diebus intermedijs, excepto primo & vltimo, obligaretur ad ieiunium. *Medina l.1. ſum. capitul.14.§.10. Sylueſt 2. 2. queſt. 147. art. 4. Sanch. l.5. conſil. capitul.1. dub.7. numer.10. Diana capitul. reſ.9 Paſqualig. c.deciſ.293.*

Ob eandem cauſam excuſantur ſuſcipientes iter pedeſtre: hic enim cenſetur grauis labor, & maximè debilitat, quia continuus motus exigit, quòd abundanter ſpiritus animales ſubmittantur inſtrumentis, quibus exercetur, & ideò cum

cùm valde ſpiritus conſumantur, ſequitur notabilis debilitas, & laſſitudo & ideo opus eſt maiori cibo ad reſtaurandum corpus. Ita communiter Doctores, & ſpecialiter *Nauarr. capit. 21. numer. 16. in fine. Toletus libr. 6. capit 4. num. 2. Bonacina cit. punct. vlt. num. 11. Sancius c. nu. 21.* & alii.

Sed dubium eſt, an debeat eſſe iter longum, an verò breue? Quidam ex Doctoribus citatis abſolutè loquuntur, nec definiunt dies; Alii volunt, quòd ſit iter plurium dierum: & hæc ſententia eſt probabilior: quamuis non ſit improbabile, quòd ſufficiat iter vnius diei, ſi in illo die contingat ieiunium, quia attendenda eſt, præſens fatigatio, quæ cum illo die ſit notabilis, eſt ſufficiens, vt ſoluat obligationem ieiunii: quia cauſa ſufficiens ad ſoluendam obligationem præcepti ſemper ſoluit, ſiue diu duret, ſiue parum.

Quantum autem debeat eſſe iter pro ſingulis diebus, vt excuſet à ieiunio? *Rodriques t. 2. qq. reg. quæſt. 100. art. 3.* docet excuſari ab obligatione ieiunii conficientes iter ſex leucarum pedeſtres, & hoc regulariter, & vt plurimum; ea enim poteſt eſſe itinerantis debilitas, vel itineris aſperitas, vel quid ſimile, vt ex breuiori ſpatio excuſetur, ad arbitrium prudentis viri. Alii putant, præſcindendo a quibuſcumque aliis circumſtantiis, ſeptem, aut octo milliaria Italica ſufficere. Verùm meliùs opinantur, qui docent nullam poſſe ad excuſationis legitimam rationem dari certam menſuram longitudinis itineris. Aliquis enim aſſuetus faciliùs decem leucas perficiet abſque ſolutione ieiunii, quàm alter non aſſuetus quinque. Quidam quinque, quàm alii tres. Siue enim debilitas vel fatigatio ab intra veniat, ſiue ratione Aeris, vt caloris nimii, pluuiarum, tempeſtatum: ſiue ratione itineris prærupti, montoſi, aut luto valde obſiti, &c. quis minori etiam itinere fatigari poteſt, & à ieiunio excuſari. Generalis ergo menſura excuſationis à ieiunio eſt fatigatio, deficientia naturæ in itinere & opere quocúque; ita vt quis ſibi ipſi bona fide ſit ſincerus arbiter: & ſi ſibi nõ poſſit ſatisfacere credat viro bono & prudenti, maximè cõfeſſario, cuius eſt de hoc iudicare. Vide *Paſqualigus in praxi tenn. Eccl. deciſ.* 313. *num.* 5.

Iter habentes in curru, regulariter non excuſantur à ieiunio: non enim interuenit labor conſiderabilis, cùm ſedentes trahantur: nec equitantes ſunt immunes à ieiunio, quando iter eſt breue, & equus placidus, & obtemperans, atque greſſu facili, & ſine agitatione incedens. Si verò iter ſit plurium dierum & præſertim in æſtate, quando calor conficit equitantes, *Fillucius* & *Bonacina* docent equitantes eſſe immunes à ieiunio etiam ab initio itineris, quia non eſt attendendus ſolùm præſens ſtatus, ſed etiam futurus. Ita *Fillmc. tract. 27. part. 2. capit. 6. numer. 122. Bonacina citat. punct. vlt. num. 11. Syluius 2. 2. quæſt. 147. art. 4. Fagund. præc. 4. lib. 1. cap. 8. num. 17.* & alii.

Quamplures volunt, quòd vt iter tollat obligationem ieiunii, debet ex neceſſitate ſuſcipi, aut quòd ſaltem commodè differri non poſſit. Quia præceptum præponendum eſt rebus voluntariis, quando ſimul cum ipſis obſeruari non poteſt. Ita *Angles in Flor. quæſt. 6. de tempor. diffic. 10. dub. 1. Nauar. c. nu. 16. Leſſius l. 4. c. 2. nu. 33.* & alii.

Alii verò non adhibent hanc limitationem, ſed abſolutè docent, quòd iter pedeſtre ſoluat obligationem ieiunandi; Et hæc ſententia non eſt improbabilis. Ratio eſt, quia præceptum de ieiunio eſt meré præceptiuum, & nullo modo prohibitiuum, ex qua optimè colligitur, quòd hoc præceptum nõ obligat ad omittenda, quæ cum obſeruantia ipſius incompatibilia ſunt, etiamſi ſine incommodo poſſint omitti; quod confirmatur ex declaratione *Eugenij IV.* ſupra, vbi declarat, quòd exercentes artes laboriosas, etiamſi diuites ſint, & poſſint conſequenter intermittere laborem, aut minuere ſine incommodo, non teneantur ieiunare. Ita *Sanc. in ſelect. diſput. 54. numer. 11. Paſqual citat. deciſ. 314. Med. lib. 1. inſtruct. confeſſ. cap. 14. §. 10.* & alii.

8. Non excuſantur à ieiunio mechanici, quorum labor eſt exiguus, vt ſint pictores, ſculptores, quorum opus eſt ingenij potiùs quàm virium: præſertim illi, qui non per totam diem, ſed tantùm per aliquam partem & potiùs recreationis cauſa vacant his exercitijs: quia nulla adeſt cauſa excuſans, ſiquidem labor exiguus eſt, nec corpus fatigatur ex longa & continua attentione. Ita *Layman lib. 4. tract. 8. capit. 3. numer. 3. Diana part. 1. tract. 9. reſolut. 8. Sylu. citat. art. 4. Sanc. c. numer. 16.* & alij copera *Fagundes*.

Sartores & Barbitonſores non eximuntur à præcepto ieiunij: quia horum exercitia non exhauriunt vires, cùm fiant cum labore moderato, & ideo poteſt corpus optimè reſiſtere cum ieiunio: nam tunc eſt neceſſaria multiplex comeſtio, quando per laborem exhauriuntur vires. Ita communiter Doctores *Leſſ. citat. num. 43. Tolet. lib. 6. cap. 4. numer. 2. Reginald. lib. 4. num. 216. Bonac. c. punct. vlt. num. 12.* & alij.

Scholares tenentur ad ieiunium, iuxta communem ſententiam: quia ſi non poſſunt ieiunare, debent laborem extraordinarium ſtudij remittere & ſeruare ieiunia, quia publica obſeruantia non eſt facilè omittenda. Ita *Azor. part. 1. libr. 7. capit. 17. quæſt. 8. Molf. part. 1. ſum. tract. 10. capit. 4. numer. 43. Bonacina citat. numer. 12.* Quando autem ſtudium eſt continuum & aſſiduum, poſſet eſſe cauſa ſufficiens, ob quam ſoluatur obligatio ieiunandi, quia magis laſſat & debilitat, quàm quodlibet exercitium corporale mechanicum, nam vt dici ſolet, tanquam lima ſurda conſumit. Atque hoc regulariter eſt verum, licet per accidens in aliquo ob bonam & fortem complexionem ſtudium non cauſet damnum valde conſiderabile. Scholarem tamen non teneri minuere conſuetum etiam ſtudium, vt poſſit ieiunare non eſt improbabile: quia officium ſtudendi eſt ipſi proprium à quo non tenetur abſtinere, ſicut nec cæteri tenentur abſtinere à proprio officio, vt ſtatim dicetur. Ita *Paſq. cit. deciſ.* 333. *Sanc. in ſelect. diſput. 54. nu. 17.*

Excuſantur etiam illi, qui damni vitandi vel notabilis lucri (cuius occaſio non ſemper datur) captandi cauſa laborant, etiamſi ex officio non ſoleant. Fundamentum eſt, quia lex ieiunij ordinatur ad bonum animæ, ſed ſine detrimento temporali, nam intendit eleuare ad opus virtutis, & ideò non contrariatur ſtatui temporali, ſed ipſum ſupponens perficit per exercitium virtutis. Vnde quando per accidens ſequitur, quòd contrarietur inferendo aliquod incommodum, aut impediendo aliquod commodum, ceſſat obligare, quia obligatio annexa cum damno eſt contra intentionem legis interpretatiuam. Ita *Leſſius citat. numer. 43. Nauarr. cap. 21. numer. 16. Toletus lib. 6. capit. 4. Med. C. de ieiunio q. 9. Layman lib. 4. tr. 8. cap. 3. nu. 3.*

Denique omnes, qui officio ſuo fungi nequeunt cum ieiunio excuſantur, etiamſi labor non ſit niſi ingenij. Tum quia parum refert qualis ſit labor, ſi non patitur ſecum ieiunij vſum. Tum quia labor ingenii redundat etiam in corpus ipſum affligendo, quatenus ex labore ingenii conſummuntur illi ſpiritus, quibus corpus foueretur, & in ſuo robore manuteneretur: vnde plus patitur corpus ex labore ingenii proportione ſeruata, quàm patiatur ex labore corporali, quod ſatis conſtat in iis, qui continuò ſtudiis incumbunt. Ita *Bonacina citat. num. 10. Paſq. cit. deciſ.* 325. *Angel. de ieiunio qu. 6. diffic. 10.*

Hinc Aduocati, Procuratores, & Iudices qui multum laborant, ita vt totum diem in ſuo munere inſumant, excuſantur à multis Doctoribus: quia cum debeant ſtudere, ſcripturas legere & ponderare, ſcribere pro clientibus, valde fatigantur: quia hæc munera requirunt continuum mentis conatũ, & conſumunt naturalem vigorem, vnde remanet corpus laſſum & defatigatum, & ideo quando continua ſunt; & aſſidua incompoſſibilia ſunt cum ieiunio: Et à fortiori non tenentur minuere laborem, vt dictum eſt de ſcholaribus. Hæc ſententia eſt probabilis, quam tenent *Diana part. 1. tract. 9. reſolut. 12. Sanc. citat. num. 17. Sanch. lib. 6. conſ. capit. 1. dub. 13. num. 10. Summa Corona part. 1. capit. 1. numer. 80. in fine Paſqualig. citat. deciſ.* 334. & alii: quamuis eos non excuſent *Ledeſma, Regin. Sylueſtr, Azorius, Gordonus, De la crux:* & alii: quia nimirum non ita laborant, vt excuſari poſſint.

Scribas, qui per totum diem ſcribunt, excuſant *Angles citat. diff. 10. append. 1. Diana part. 4. tractat. 4. reſolut. 130. ſum. Corona citat. numer. 50. in fine Paſqualig. citat. deciſ.* 335. & alii Labor enim ingens eſt, & caput valde fatigatur, interuenit magna conſumptio ſpirituum, & naturalis vigoris: *Tres digiti*, inquit *Angles*, *ſcribunt, cætera membra dolent*. Addc, quòd qui aſſiduè ſcribunt, non poſſunt in vnica refectione tantùm cibi ſumere, quantùm ſufficiat, alioquin nimis grauarentur, nec poſſent ſuo muneri incumbere; vnde etiam ex hoc capite excuſantur.

De

De notatis autem, & per totum diem laborem trasferendo ieiunium, eadem eſt ratio, ac de feſtis. Et tantum vacant componendis inſtrumentis & aliis ſcripturis, non abſtinentur ab opere ieiunandi; quia labor valde modicus eſt, nec eſt continuus. Ita *Angel. caput. 2. q. 1. caput. 17. quæſt. 3. Sanchez, l. 1. cons. caput. 1. dub. 7. Gordan. l. 6. quæſt. 18. caput. 2. & ali.*

Apud Typographos non excuſantur à ieiunio typos colligentes: Ratio eſt, quia nullus ferè interuenit labor ingenij, & mentis. Labos autem corporalis modicus eſt, nec eſtimatur ab aliquo in communi æſtimatione corporis: Sic tamen vtendo præſtim examinatur: labor enim ſpiritum grauis eſt, cum debeant literæ, recolere, & præmere pectum, & requirit vires robuſtas. Ac proinde non eſt ſine ſpeciali dubitatione. Ita *Diana part. 4. tract. 4. reſol. 134. Gordan. l. 6. quæſt. 18. cap. 6. & alij.*

6. Tertia cauſa excuſans à ieiunio eſt *Patrea*. Vnde, ob idem excuſantur omnes, qui operibus præſtantioribus, velmaioris momenti incumbunt, quæ ipſi ex communi non perficere nec poſſunt, quale eſt ſtudium ſacræ literaturæ, ſpeculatiuæ & operatiuæ. Ratio eſt quia præcepta Eccleſiæ non impedunt maius bonum, quia ita præcipiunt homines, vt ſibus homini ſit impoſſibile alteriùs boni maioris, ceſſet ipſorum obligatio ex generali intentione, ſeu finibus Eccleſiæ, qui non ſuppoſitis directionis charitatis ſtatuunt ſemper minoribus maiorem gloriam Dei. Quæ reperitur in maiori bono in comparatione minoris. Quæ autem partiale ſint maius bonum, eam ſemper tam excuſationis à ieiunio, quam à non ſtudio, ſeu ſcripturis, ſeu ſimilibus. Ita *D. Thom. 2. 2. quæſt. 33. artic. 2. quæſt. 3. ſup. 2. 2. quæſt. 147. artic. 4. Navarr. caput. 21. num. 16. Sanchez quæſt. 1. num. 2. Filiutius tract. 32. Reginaldus caput. 20. num. 32. Lugo diſput. 2. num. 13. & 14. Palaſ. tract. 4. diſput. 2. punct. 3. num. 11. & 12. & communiter.* Diximus autem deſtitutas à ſecundo bono, quando opera illa ſtudia ſint, vt eorum exhibitum ſemper non deſit, atque adeo reddant ieiuniandi incommodum: non tamen requiritur, quod reddant ſtudia incommodioſiſſima, quæ ſint ſine ſtudio, aut ſine vllo vacatet talibus operibus. Sed hæc non habita difficultas in exercendo his operibus ſtudioſi ieiunio.

Concionatores, qui ſpargendo ſalem in Quadrageſima, concionantur, omnino examinatur ab obligatione ieiuniandi; hæc enim munera requirit vires corporales validas, & corpus ſanum ſpiritibus, & ſuſtinendum concutiendo, quod valde debilitat corpus, & adeo vt conferuentur vires corporales ad concionem ita ſeruandum eſt ieiunium. Item ſecretarius Regis, quia concionatur ſæpe, & ſæpe in deſcendo: quia concionatur frequenter concionem, debent conſeruare robur & vires, quæ ieiuniando magis præparant. Qui ex ſtudio incommodiſſimo ſuſtinent, non tenentur ieiunare: pudet ante concionem, & in die concionis: quia minuitur concionandi vires integræ pro concione, & labor concionis ipſe. Vt habet obligatio ieiunandi ante ipſe die concionis. Ita *Paſqualigus in opus Ieiunij Eccleſiæ. deſ. 226.* Hanc tertiam admittunt communiter Doctores; quamuis nonnulli ieiunare non poſſint, ſi poſſint leuerenter: ſic maxime, illi, qui ſemel tantùm in hebdomada concionantur, nili eſſent debiles & delicatæ complexionis: de quo hoc tertium membrum patuit ad tabulam boni viri. Vide *Sayr. lib. 2. c. 20. quæſt. 147. artic. 4. & magis bonus. Bonac. caput. 3. punct. 1. num. 1. Diana part. 4. tract. 4. reſ. 136. & 137. Sanchez diſput. 14. num. 2. Filiutius tract. 32. num. 44. & alios.* In noſtra autem Sacra religione, iuxta conſtitutionem Ordinis cantum eſt, de permittantur nobiſ concionari, qui ieiunando id minus exercere non poſſunt: imo per totam Quadrageſimam debent vel ſtrict quadrageſimam, vbi in ieiunio permiſſis de non aliis. Quod ſtatutum hactenus inuiolabiliter obſeruatum eſt.

Lectores Theologiæ, Philoſophiæ, Iuris ciuilis & Canonici, Medicinæ, &c. non ſunt omnes excuſandi à ieiunio, ſed tantum illi, quorum labor improbus eſt, vel complexio debilior, quamque ſuo munere cum ſatisfactione obeundi ſufficiat. Ita *D. Thom. quodlib. 1. articul. 18. Sylu. caput. artic. 8. Bernard. part. 2. caput. 8. §. 2. num. 12. & ali.*

Confeſſarij etiam eximuntur à ieiunio, quando eam modò ieiunare non poſſunt: quia melius eſt, & vtilius confeſſiones audire, quam ieiunare; ieiunium autem non eſt ſimpeditum malorum boni: ſed hoc intelligendum eſt pro ſe diebus tantum, quibus confeſſiones munus, & per maiorem partem diei: nam hoc quo eſt valde laborioſum, cum requirat continuam attentionem, & mentis agitationem, cum interrogandi penitentibus, cum in expendendis peccatis, & circumſtantijs, tum in decernenda obligatione penitentis, & in aliis huiuſmodi: vnde cauſant magna debilitas capitis, & conſequenter totius corporis: vnde plures nequeunt diu reſiſtere per plures horas: & maxime quando confeſſiones laboriſæ ſunt, & occurrunt caſus difficiles, & ſæpe. Si tamen occurrant per plures horas confeſſiones peccatorum venialium, non excuſarentur, quia mens non fatigaretur: quod etiam profectò dici poteſt, quando occurrunt pernitentes, qui ſtatim ſunt abſoluendi, cum imbecilles ſint, nec mentem fatigant, quia nec ſolent quam obligationem tenentur in tali matere obſeruare. Vide *Sayr. l. 7. c. 1. quæſt. 18. Filiutius tract. 32. c. 1. n. 1. caput. 8. numer. 19. Sylu. caput. artic. 4. Ludovic. part. 1. ſum. n. 6. num. numer. 5. Diana part. 1. tract. 9. reſol. 16. Paſqualig. caput. deſ. 226. n. 24. & 25. Bonac. numer. 9. & alios.*

Ornantes templa non ſubeuntur præcepto ieiunij: hoc enim quem dies illi ſint, notabilis eſt, quia hæc illis difficultas, portantes ornamenta, ædendum ſcalas, & in alijs huiuſmodi fatigantur: vnde labor ſpiritum equiparari poteſt laboriantium, quæ ſolum ambitu excuſantur à ieiunio *Reuer. caput. priuil. ultim. numer. 13. Molf. part. 1. ſum. reſol. 10. caput. 4. num. 42.*

Peregrinantes ad loca ſanctiùm excuſari à ieiunio, ſi peregrinatio commodè differri poſſit, docent *Dian. Thom. 2. 2. quæſt. 147. artic. 4. ad 1. Sylu. eodem verſ. Et hoc intelligo. Sayr. & alij* fatis communiter. Alias poſſunt ieiunare: nam Eccleſia non impedit fidelibus obligationem abſtinendi à peregrinationibus, vt ieiunio vacent. Nonnullorum tamen ſententia affirmat, quod voluntaria peregrinatio poſſit iuſtificari, etiamſi ob laborem non poſſit ieiunari ieiunium. Fundamentum ſuppoſitionis eſt, quia peregrinatio non debet eſſe magnum malorum boni, ſine communis, ſine propriæ particularis, & proinde quod poteſt prætermitti ieiunium, quando ſtatur de voluntaria peregrinatione. Peregrinationes ad loca ſancta eſt maius bonum, quia eſt actus religioſus, quo eſt vitus excellentior, quam ſit abſtinentia. Ergo illa tanquam *Sayr. lib. 7. c. 1. num. 14. Filiutius part. 1. tract. 3. num. 1. Paſq. cap. deſ. 241. probabiliter.*

Exercentes ſupradicta opera pietatis voluntaria, ſine ex officio tenentur, ſine ex beneficio, & non ex officio, obedientia, aut voto, immunes ſunt à ieiunio. Fundatur hæc opinio in doctrina *D. Thom. 2. 2. q. 185. quæſt. 3. artic. 1. ſi quis ad 3. quam ſequuntur communiter *Sylu. l. 1. caput. 3. dub. 5. numer. 10. Layman l. 4. tract. 8. caput. 3. numer. 4. Bonacina, 1. quæſt. punct. ultim. numer. 13. Sylu. 2. 2. quæſt. 147. artic. 4. Reginaldus numer. 36. & 37.* Ratio eſt: quia ſi tales ieiunarent, ſequeretur inconueniens, quando impoſſet opus nobilius, & maioris charitatis, & obitus officius charitatis. Et proinde iuxta ipſum, hæc opera interpretari poſſunt, vt ieiunio vacent, quando ſufficiunt. Deinde huiuſmodi opera v. g. Concionari, docere, adminiſtrare Sacramenta, orare templa, peregrinari ad loca ſancta, & natura ſua ſunt talia, vt poſſint excuſare à ieiunio, ergo etiam ſi voluntariè aſſumantur ex necedent equiuocumque capite ieiunij præcepti. Contra *Navarr. cap. 21. num. 16.*

17. Excuſatur etiam coniux, qui cum ieiunio debitum reddere coniugium non poteſt: nam in hoc cum coniuge duo præcepta, nempe præceptum ieiunij reddendi debitum & præceptum Eccleſiæ de ieiunio. Cedit autem in hoc concurſu præceptum de ieiunio: tum quia obligatio ieiunij eſt ſtricta, & propter eos alterius præterea obligationis virtutis, quàm eſt abſtinentia. Tum quia præceptum reddendi debitum eſt naturale diuinum, & ideò præceptum diuinum præcepto humano, quale eſt præceptum ieiunandi *Sanch. de matr. l. 9. d. 3. numer. 10. Leſſius quæſt. numer. 23. Bonacina quæſtion. punct. vltim. numer. 14. Sanc. diſput. 53. numer. 23. Paſqualig. caput. deſ. 180. Sylu. 2. 2. quæſt. 47. artic. 4.* & alij communiter. Cenſetur autem coniux ſolutus ab obligatione ieiuniandi: vel poſſe reddere debitum: quando non poſſit ſine notabili debilitate illud reddere. Tenetur autem ex iuſtitia reddere

reddere debitum moderatè: quia per hoc satisfacit fini matrimonij, & iuri quod competit alteri coniugi: Hæc autem moderata redditio debiti debet considerari attenta qualitate coniugum: nam alia est ratio de iuuenibus, & alia de proiectis in ætate, alia de robustis, & alia de debilibus. Non potest autem quis non seruare ieiunium, vt valentior sit in viu matrimonij secluso periculo incontinentiæ alterius coniugis: quia hoc non est necessarium ad matrimonium, nec ad regularem, & consuetum vsum illius: Imò ex quorumdam sententia, coniuges ob reddendum debitum possunt in quadragesima vesci carnibus; nam obligatio reddendi debitum vt pote naturalis, & diuina præualet præcepto Ecclesiæ: hoc autem continget, si complexio sit valde debilis, ita vt sine carnibus difficile possit soluere debitum.

Item vxor excusatur, quam maritus ieiunare non permittit, eo quod metuat eius valetudini, vel formę, aut quia putat esse nimis debilem: quia bonum matrimonij exigit, quod conseruetur mutuus amor maritalis: in hoc enim consistit qui est status matrimonialis: Bono autem status matrimonialis cedi præceptum Ecclesiæ, quale est præceptum de ieiunio, quando per accidens est ipsi contrarium. Vxor verò censenda est constitura in tali statu, vt ob ieiunium minus placeat viro, quando vir notat in vxore pallorem, & debilitatem tanquam quid extraordinarium & sibi displicens, & propterea vt causans etiam displicentiam vxoris. Nota tamen si fortè maritus id faciat contemptum Ecclesiæ; tunc potius mors oppetenda esset, quàm parendum. Ita *Nauarr. capitul.21. num.16. in fine. Fagund. prec. 4. l.1. capitul.8. numer.18. Sanch. capitul. numer. 11. Sanc. in select. disput. 54. numer.24. Pasqualigus capit. decis.281. Bonac. cap. num.14.* & alij communiter.

Imò nec tenebitur vxor ieiunia seruare, quando à marito frangere præciperetur, & ex inobedientia notabiles discordiæ exoriundæ forent: cum præcepta positiua non obligent cum scandalo; hoc est, quando ex scandalo sumpto ab alio, nocumentum temporale esset exoriundum præceptum seruanti. Tamen si dubium esset rationabile, an rixæ magnæ considerationis, vel leuis, essent censendæ, in hoc euentu, opus esset declaratione personæ doctæ, seu alias bene intelligentis, seu potius dispensatione. Ita *Sanctius capitul. numer.26. Sylvius capitul. articul.4. vers. Ex his. Toletus, l.6. capitul.4. numer.4. Sanchez capitul. d.3. num.13.* & alij.

Item si fœmina sustinere velit discordias, siue alia mala, à ieiunio cessare non tenebitur, nec ad illud à confessariis poterit obligari, & sibi imputet maritus blasphemias, & maledictiones à se emissas. Proinde scandalum mariti ieiunium vetantis, est merè passiuum, Pharisaicum, & ortum ex malitia ipsius. At si maritus ex rationabili causa nolit vxorem ieiunare, tunc tenetur vxor obedire ad vitandum scandalum mariti; tunc sicut rationabiliter maritus vult ieiunium omitti, ita vxor irrationabiliter resistit, & proinde occasio scandali est irrationabilis, & facit, quod scandalum conuertatur in actiuum. Ita *Paludan. in 4. distinct. 15. quæst.4. art.2. Pasqualigus capitul. decis. 283. Sanctius in select. disput. 54. num.26.*

Mulier catholica nupta hæretico potest non ieiunare, si maritus hæreticus præcipiat secluso contemptu religionis: quia cum maritus id non faciat in odium religionis catholicæ, & sinat vxorem viuere ritu catholico, non adest alia obligatio, nisi illa, quam secum affert præceptum de ieiunio: hæc autem cessat, quia agitur de vitanda perturbatione familiæ, & rixis inter coniuges, vel quia incommodum sit familiæ parare cibos ieiuniorum, vel quia sit dispendiosum; cum quibus incommodis non obligat præceptum Ecclesiæ. Tamé si vxor posset facilè inducere maritum, vt sibi permittat ieiunare, teneretur inducere, & ieiunare: nam signum esset, quod non haberet multam repugnantiam, & proinde quæ non præponderaret obligationi præcepti. Ita *Azor. part. 1. l. 7. capitul.18. quæst.7. Lublinus part.2. sum. v. Ieiun. numer.15. Fagund. prec.4. l.1. cap.9. n.10.*

Fœmina nubere volens excusatur à ieiunio, si ob illudesset deformis efficienda notabiliter: quia deperditio formæ in ordine ad nubendum, censetur notabile damnum; quia hæc valde à viris attenditur. Præceptum autem ieiunii non obligat cum notabili detrimento. Notabilis autem esset deperditio formę, quę statim ab vnoquoque notaretur. Nota tamen, quod poterit tantum excusari in Quadragesima, sed non in singulis diebus: nam tenebitur bis aut ter in hebdomada ieiunare: nisi fortè complexio si tam delicata, vt ex his quoque ieiuniis notabiliter offendatur muliebris forma. Ita *Sanchez l.9. de matrim. disput.3. numer.12. Sanctius, disp. 54. numer 25. Fagund. cap.cap.8. num.18. Pasqualig. cap.decis. 285.* & alij.

11. Dubitans an habeat iustam causam non ieiunandi, tenetur ieiunare, nisi dispensationem non ieiunandi obtineat à Superiore, vel nisi dubium deponat, consilio Parochi vel confessarii, vel alterius boni viri, aut alia ratione: quia in dubio fauendum est possidenti, sed professio stat pro lege. Ergo. Ita *Lessius capitul.dub.5. numer.34. Tolet l.6. capitul.4. numer.5. Sanch. de matrim. l.2. d.41. num.38.* & alii. *Pasqualigus capitul. decis.* 354. autem arbitratur in tali casu, quod professio stet pro libertate, dubium pro obligatione, & ideò in dubio melior est conditio libertatis: præceptum enim non obligat, nisi potentes ieiunare, & ideo impotentes sunt in possessione, ne obligentur, vnde non afficiuntur obligatione præcepti, quousque certum sit quod sint potentes.

Qui dubitat an expleuerit vigesimum primum annum, post adhibitam sufficientem diligentiam, non tenetur ad ieiunium: tum quia possessio est pro libertate, & dubium de præcepto. Tum quia ius incertum non potest præualere contra ius certum, nam minus non potest præualere contra maius: stante autem dubio de complemento anni vigesimi primi, adest ius certum possidendi propriam libertatem, & ius præcepti obligantis ad ieiunium est incertum: quia cum præceptum non obliget, nisi expleto anno vigesimo primo, & m est dubium tale complementum, remanet etiam dubia obligatio, quia remanet dubium fundamentum, seu materia, circa quam versatur talis obligatio. Ex quo fit, quod, quando quis nescit tempus præcisum, quo complet annum vigesimum primum, non teneatur ieiunare, nisi quando potest formare determinatum iudicium quod talis annus iam completus sit. Quod si probabile sit, quòd sit completus, & etiam quod non sit completus, tunc sequi potest vtrumlibet: quia non est maior ratio de vna parte, quàm de alia, & ideo ex libertate sua potest se determinare. Vide *Sanctium, in select. disput. 54. numer.5. Layman l.1. tractat. 1. capitul.5. §.4. numer.33. Dian. part.1. tract.9. resol.49. & part.4. tract.3 resol.21. Fagundes praced.4. l.1. capitul.8. numer.7.* & alios communiter.

Si quis autem dubitet, an die Iouis sit hora duodecima mediæ noctis, adhuc potest edere carnes: tum quia est in possessione dies Iouis, & non tenetur quis credere non esse diem Iouis, quousque euidenter sciat. Tum quia, quando quis dubitat, an sit media nox, dubitat, an incœperit obligatio abstinendi à carnibus: Vnde ius præcepti est dubium, an valeat pro illo tempore, ius autem comedendi carnes in die Iouis est certum, ius autem dubium non potest præualere contra certum. Idem dicendum de quocumque die in quo comeduntur carnes, si sequens ieiunii aut abstinentiæ sit. Si dicas, ius comedendi carnes reddi dubium ex eo, quod dubitatur, an vrgeat præceptum ieiunandi vel abstinendi à carnibus. Sed hoc non potest dici, quia ius certum non immutatur per dubium, quod adsit in contrarium, atque adeo non cadit à tua certitudine, alioquin sequeretur, quod res fidei, quę certæ sunt, euaderent dubiæ, ex eo, quod in contrarium adessent dubitationes. Ita *Sanchez de matrim. l.2. disput.41. numer.40. Pasqualigus capitul. decis. 163. Fagundes, capitul. capitul.10. numer.2. Ghilinus in sum. v. ieiun. numer.18. Diana part.4. tract.3. resol.18.* & alii ab ipsis citati.

E contra si hodie sit dies veneris, aut ieiunii, & dubitetur an sit media nox, aut hora duodecima noctis sonuerit, non potest quis edere carnes, nec cœnare: quia possessio est pro præcepto, cùm constet hodiernum diem esse abstinentiæ vel ieiunii, & dubitetur an transacta sit hora: non enim potest quis prudenter credere eam iam transiuisse, quousque habeat aliquam rationem probabilem. Ita Doctores citati §. præcedenti *Pasqualigus in praxi ieiunij Eccles. decis.164.*

tamen videtur, quòd possit quis in hoc casu cœnare, quia non vrget ampliùs præceptum: hoc enim dubium oriri non potest, nisi propter vicinitatem mediæ noctis, aut quia etiam paulo ante transacta sit, nam si longè abesset, non esset dubium, an sit transacta. Stante autem vicinitate mediæ noctis, moraliter censetur esse media nox; vnde cùm in hoc casu media nox sit computanda moraliter, potest tunc cœna sumi absque violatione ieiunij, quia erit comestio pertinens ad diem subsequentem ieiunium. Ita ille.

Ex dictis oritur difficultas, quomodo sit computanda media nox, an mathematicè, an verò moraliter? Respon. Doctores moderniores quosdam docere, computandam esse mathematicè; vnde inferunt, quòd si quis comedens audiat primum pulsum mediæ noctis, non potest continuare comestionem quousque finiantur omnes pulsus, si sequenti die sit ieiunium. Ratio ipsorum est, quia cùm non possit obseruari media nox iuxta cursum Solis, volunt mathematicè seruandam esse iuxta indicationem horologiorum. Sed quàm incertum & sæpe falsum sit hoc fundamentum, supra demonstrauimus, *verb. Communio Sacra num.* 46. Et ideò dicendum est, præceptum de seruando ieiunio à media nocte in mediam noctem, esse intelligendum de media nocte moraliter computata: non autem mathematicè. Ratio est, quia non potest imponi ab Ecclesia præceptum, nisi eo pacto, quo seruari potest, alioquin obligaret ad impossibile; non potest autem seruari, nisi computetur media nox moraliter: nam media nox mathematicè non potest cognosci, nisi obseruentur cursus stellarum, quod est impossibile: tum quia pauci admodum sciunt obseruare, tum quia non possunt obseruari, quando cœlum est nubilosum. Tum quia horologia nunquam ita exactè procedunt, provt constat experientia, vt indicent præcisè horam, & tempus, quod currit, sed solùm indicant moraliter, nempe plus minusve. Vnde ex hoc fundamento remanet probabile esse dari parvitatem materiæ in postponendo v. gr. cœnam post mediam noctem, ad quam subsequitur ieiunium, sicut etiam in anticipanda comestione in die ieiunij ante mediam noctem; & proinde excusare à peccato mortali, & etiam à veniali, si intercurrat iusta aliqua causa. Sed de his plura supra *verb. Communio sacra num.* 46. & apud *Pasqualig. in praxi ieiunij Eccles. decis.* 158. 159. & 160.

12. Obligatio ieiunandi tolli potest per dispensationem: quia cùm ieiunia, quæ in Ecclesia obseruantur, sint de iure humano vt dictum est supra, obligatio ad ipsa potest tolli per dispensationem; quam dare potest absolutè Summus Pontifex, non solùm concedendo alicui, vt nunquam ieiunet, sed etiam tollendo omninò legem ieiunij. Et hoc verum, etiamsi lex de ieiunio Apostolica, sit aut in Concilio generali sancita. Ratio est, quia lex humana debet esse sub dispositione potestatis humanæ: & cùm nulla potestas humana sit maior potestate Pontificis, sub ipsius dispositione erit omnis lex humana Ecclesiastica, atque adeo etiam lex de ieiunio, & proinde poterit ipsam tollere, aut in ipsa cum aliquo dispensare. Ita *Nauarr. capit.* 21. *numer.* 21. *Con.* 2. *part. Decret. capit.* 6. §. 9. *numer.* 8. *Azor part.* 1. *libr.* 7. *capit.* 18. *quæstion.* 2. *Sylu. quæst.* 7. & alij communiter. Canonistæ in *c.* 1. & *cap. Concilium, de obseruat. ieiuniorum.*

Episcopi etiam possunt dispensare cum aliquo in ieiunio, quando adest rationabilis causa: non tamen possunt abrogare præceptum de ieiunio, si sit vniuersale. Ratio prioris est, quia leges debent sufficienter prouidere communitati, atque adeo debet esse in quacumque communitate particulari sufficiens iurisdictio pro illa regenda, & prouidendo in ijs, in quibus non potest recurri ad supremum superiorem, talis autem est facultas dispensandi in lege ieiunij: quia non potest in quocumque casu occurrenti recurri ad Pontificem. Posterior pars probatur: quia inferior non habet iurisdictionem supra leges superioris, vt habetur ex *cap. Cum inferatur. cap. Quod super his. De maiorit. & obedient.* Ita *D. Thom.* 4. *dispu.* 15. *quæstion.* 3. *art.* 2. *quæstion.* 4. *Sylu.* 2. *q.* 147. *art.* 4. *Nauarr. cit. n.* 21. *Lezan. verb. ieiunium num.* 10. & alij communiter.

Quando lex localis ieiunij est lata ab Episcopo aut ab eius prædecessore, potest ab ipso abrogari: quia quilibet legislator potest propriam legem reuocare, & etiam sui prædecessoris, nam habet parem auctoritatem cum ipso. Si autem præcipiatur ieiunium à lege Concilij Prouincialis, tunc non potest abrogari ab Episcopo, licet possit in ipso dispensare: Si verò lex de ieiunio sit tantùm Synodalis facta in Synodo Diœcesana, poterit ab Episcopo abrogari: quia quidat vigorē legi, potest etiam tollere per abrogationem. Ita *Suar. de leg. libr.* 6. *capit.* 26. *numer.* 9. *Sanch. de matr. lib.* 8. *disput.* 17. *num.* 33. *Pasqualig. c. decis.* 384.

Prælati regulares, attento iure communi possunt dispensare suos subditos, sicut Episcopus suos, circa ieiunia Ecclesiastica, & comestionem ouorum, carnium & aliorum prohibitorum in Quadragesima, & à fortiori, vt possint anticipare horam prandij ante horam nonam. Ratio est, quia sunt Prælati ordinarij suorum subditorum, & proinde habent iurisdictionem spiritualem circa ipsos, & spectat ad Prælatos subditos dirigere in iis, quæ spectant ad animam: & ideo debent habere sufficientem facultatem pro munere proprio, quod non saluaretur, nisi possent dispensare in ieiunio. Vnde priuilegium quod *Eugenius IV.* concessit viuæ vocis oraculo Fratribus Ordinis *D. Hieronymi*, quòd nimirum Prælati possint dispensare in ieiuniis Ecclesiæ proprios subditos, & in eorum absentia vicarij, non confert ipsis aliquam nouam iurisdictionem, sed est potius quidam declaratio iurisdictionis, quam habent. Cauendum tamen est ab vsu cuius priuilegij in eo, quod concedit confessoribus Fratrum vt possint licentiare, etiam familiares monasterij infirmos & debiles circa ieiunia Ecclesiastica, & cibos prohibitos, etiam sine consilio medici: quia his temporibus non valet, cùm sit viuæ vocis oraculum & proinde reuocatum ab *Vrbano VIII.* vt sæpius dictum est. Idem dicendum de priuilegio *Leonis X.* quo concessit Fratribus minoribus maximè Prædicatoribus, actu prædicantibus, vt possint sine scrupulo & seruato ieiunio, anticipare, seu retardare horas comestionis & serotinæ collationis. Vide *Cajet.* 2. 2. *quæstion.* 147. *art.* 4. *Sylu. ibid. Mirand. tom.* 2. *quæstion.* 30. *art.* 11. *concl.* 2. *Hieron. Rod. in comp. resolut.* 75. *numer.* 2. *Portel. in dub. reg. ver. Ieunium num.* 5. *Nauarr capit.* 21. *num.* 21. *Tamb. de iur. Abbat. tom.* 2. *disputat.* 12. *quæst.* 5.

De Ieiunio Vide *Communio sacra* num. 46. *Lex. III.* num. 5. & seq. *Satisfactio* num. 5. *Dubium* num. 9. *Præceptum* num. 9.

IGNORANTIA.

SVMMARIVM.

1. *Ignorantia alia est iuris, alia facti, alia pœnæ.*
2. *Alia est iuris communis, alia iuris particularis.*
3. *Subdistinctio ignorantiæ in probabilem, seu inuincibilem, & in vincibilem seu culpabilem.*
4. *Ignorantia vincibilis alia est affectata, alia crassa & supina.*
5. *Ignorantia aliquando appellatur antecedens, aliquando comitans, & aliquando consequens.*
6. *An possit dari ignorantia inuincibilis iuris diuini & mysteriorum fidei, nec non aliquorum præceptorum naturalium?*
7. *An ignorantia inuincibilis aut probabilis tam iuris quam facti, excuset à peccato?*
8. *An per iuramentum ignorantia inuincibilis probetur in foro externo?*
9. *An teneatur repetere confessionem, qui peccatum aliquod ignorantia vincibili aut etiam scienter commissum prætermisit in confessione?*
10. *An possit dari ignorantia inuincibilis legum particularium spectantium ad proprium statum & officium.*
11. *An ignorantia possit facere vt peccatum ex mortali fiat veniale?*
12. *An laborans ignorantia inuincibili vnius circumstantiæ, non verò alterius excusetur à peccato respondente illi circumstantiæ quam nouit, seu quam culpabiliter ignorat?*

13. An

13. *An qui præceptum aliquod non adimplet ob inaduertentiam vel ignorantiam quæ ipsius culpa contingit, excusetur à peccato?*

14. *An peccata commissa ex ignorantia culpabili sint eiusdem speciei cuius sunt peccata quæ fiunt cum scientia?*

15. *An ignorantia vincibilis formaliter sit peccatum?*

16. *An ignorantia inuincibilis pœna excuset à peccato & à pœna?*

17. *An qui contra ius diuinum vel naturale scienter delinquit, ignorans tamen ius Canonicum afficiens omnes excommunicatione qui non obtemperant, incidat in excommunicationem?* refertur duplex sententia.

An ignorans reseruationem pœnalem alicuius casus, incurrat illam.

18. *An ignorantia comitans excuset actionem externam à peccato, à restitutione, ab incurrendis censuris & irregularitate ex delicto?*

19. *An ignorantia affectata augeat peccatum? & excuset ab incurrenda censura?* refertur duplex sententia.

20. *An ignorantia vincibilis factis siue iuris excuset ab incurrendis censuris vel irregularitate ex delicto? Et an ignorantia legis irritantis actum efficiat etiam actum irritum.*

1. IGnorantia alia est *iuris*, alia *facti*, & alia *pœnæ*. *Ignorantia iuris* contingit, quando nescitur præceptum, vel prohibitio. *Ignorantia facti* contingit, quando adest scientia & notitia legis, seu iuris, sed ignoratur factum, quod prohibetur in dicta lege. *Ignorantia pœnæ* contingit, quando nescitur latam esse talem pœnam contra delinquentes. *Azor. tom. 1. lib. 1. cap. 12. quæst. 1. D. Thom. 1. 2. quæst. 76. Præpositus ibid. ar. 4. dub. 1.*

2. *Ignorantia* alia est *iuris communis*, alia *iuris particularis*. *Ignorantia iuris communis* contingit quando ignoratur ius, seu lex vniuersalis, quæ vniuersaliter obligat. *Ignorantia iuris particularis* est illa, qua ignoratur ius obligans solùm particulares aliquas personas, vel tantùm in aliquo particulari territorio *Bonacina de censur. disputat. 1. quæst. 2. punct. 1 Crouset. leg. proœmialis prima ad reg. S. Franc.*

3. *Ignorantia* siue sit iuris, siue facti, subdiuiditur in *probabilem*, quæ dicitur inuincibilis & inculpabilis, & in *improbabilem*, quæ vincibilis & culpabilis nuncupatur: *Vincibilis* est, quæ vinci potuit, sed ignorans non adhibuit sufficientem diligentiam iuxta qualitatem negotij ad illam vincendam. *Ignorantia probabilis* dicitur illa, quæ vinci non potest etiam post adhibitam sufficientem diligentiam. *Vasq. de pœnit. quæst. 92. ar. 3. dub. 1. Præpos. c. dub. 1. Crousers. cit.*

4. *Ignorantia vincibilis*, alia est *affectata*, alia *crassa & supina*. *Ignorantia affectata* contingit quando quis eligit nescire præceptum, vt liberiùs peccet. *Ignorantia crassa & supina* dicitur illa, quæ procedit ex lata culpa ignorantis, seu ex summa negligentia, vt quando quis nullam vel modicam adhibuit diligentiam ad cognoscendum id quod scire tenetur *Nauarr. cap. 23. nu. 45. Henriq. lib. 13. cap. 23. Crouset. cit. fol. 4.*

5. *Ignorantia* aliquando appellatur *antecedens*, aliquando *comitans* & aliquando *consequens*. *Antecedens* dicitur illa, quæ est probabilis & inuincibilis, qua non posita actus malus non fieret: *Ignorantia comitans* dicitur illa, quæ sit non adesset, actus nihilominus fieret: *Ignorantia consequens* dicitur, quæ quouis modo est voluntaria & culpabilis. Et hæc supradictæ diuisiones ignorantiæ, quoad rem moralem accommodari possunt inaduertentiæ, & obliuioni & naturali inconsiderationi, quæ contingit, quando quis habuit cognitionem præcepti, sed hic & nunc ad illud non aduertit, *D. Tho. 1. 2. quæst. 6. ar. 8. Sylu. ibi. Præpositus ibid. dub. 1. 2. & 3. Sanch. lib. 1. moral. cap. 16. nu. 8.*

6. *Ignorantia inuincibilis* dari potest iuris diuini, & mysteriorum fidei: nam aliqui infideles extiterunt, ad quos nulla peruenit cognitio mysteriorum fidei, ergo respectu illorum datur ignorantia inuincibilis; & hoc verum, non solùm in ignorantia pura & simplici, verùm etiam in illa quæ coniuncta est cum errore; nam si rudis instruatur ab hæretico, quem ipse nescit hæreticum, sed putat virum probum & doctum, ab eoque aliquos errores contra fidem simul cum aliquibus veritatibus imbibat, dicitur habere

ignorantiam inuincibilem coniunctam cum errore, quæ non imputatur ad culpam, cùm nullam de veritate habuerit cognitionem. *Non solum* autem iuris diuini dari potest ignorantia inuincibilis, verùm etiam aliquorum præceptorum naturalium, quia aliqui pueri inuincibiliter ignorant pollutionem illicitam esse: Non tamen omnia præcepta naturalia inculpabiliter ignorari possunt, extant enim aliqua præcepta notissima, & clarissima, quæ dicuntur prima principia iuris naturæ, vt sunt illa, *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*, *Colendus est Deus*, *Malum vitandum*, *Bonum faciendum*, *&c.* Multò magis dari potest *ignorantia inuincibilis* legum humanarum, seu iuris non solum particularis, verùm etiam communis, quia fieri potest; vt quis nihil vmquam de lege aliqua cogitauerit, vel si cogitauit, debitam adhibuerit diligentiam ad veritatem cognoscendam, & tamen nondum venerit in ipsius cognitionem. *Claus Regia l. 2. capitul. 9 numer. 17. Sanch. l. 1. moral. capitul. 16. numer. 32. Caspensis tract. 12. disput. 5. numer. 19. & seq. Comit. de pœnit. disput. 8 dub. 17. numer. 135. Sylu. 1. 2. quæst. 76 art. 3. quæst. 2. conclus. 5. Regm. l. 11. numer. 23. Nauarr. capitul. numer. 46. Valent. t. 2. disput. 6. quæst. 6. punct. 1. Azor. 1. 1. l. 1. capitul. 13. Diana de Sacram. resol. 108. part. 3. Præpositus 1. 2. quæst. 76. articul. 4 dub. 2. Sylu 1. 2. quæst. 76. articul. 3. quæst. 2. conclus. 4.*

7. *Ignorantia* tam iuris quàm facti inuincibilis, aut probabilis, excusat à peccato: quia nullum est peccatum nisi sit voluntarium; voluntarium autem non potest esse cum ignorantia inuincibili iuris vel facti, supponit enim cognitionem, & vsus libertatis nostræ nititur cognitione tamquam radice. *Nauarr. capitul. 23. numer. 46. Vasq. par. 2. disp. 122. cap. 2. Sylu. c. conc. 6. & 7.*

Aduertendum tamen hic est, tunc ignorantiam inuincibilem non excusare à peccato per eam commissio, quando huius ignorantiæ causa data est, propria vel aliena voluntate nobis imputabili. Vnde excæcatio quæ ex peccatorum actualium gurgite prouenit, cui se homo sponte immersit, sic vt iusto iudicio extincta omni luce diuinæ gratiæ in altissimis tenebris à Deo deseratur, non excusat à peccatis per cæcitatem illam commissis, licet se quis peccare ob cæcitatem nesciat, quia eius causam propria voluntate dedit.

Item secundò iuxta mentem Diui Augustini, & eius sequacium, excæcatio seu ignorantia inuincibilis quæ ex peccato originis proximè venit, non excusat à peccatis, quæ ex ea committuntur, quia peccatum primi parentis fuit commune totius naturæ, & perinde nos culpam ac pœnam per illud incurrimus, ac si nostrum esset personale, cuius licet causam propria voluntate non dederimus, dedimus tamen aliena, quæ quodammodo etiam erat nostra, quia totius naturæ: Vnde sic ait Diuus Anselmus, *capitul. 17. de concord. grat. Quoniam natura humana peccando deseruit iustitiam, ad peccatum illa imputatur impotentia, quam ipsa peccando sibi fecit, nec solum impotentia iustitiam habendi, sed etiam impotentia illam intelligendi.*

Itaque cum primus parens scientiam legis naturæ ad cuius normam vitam suam dirigere debebat, in creatione vt debuit à conditore infusam habuerit, ac vires ad eam custodiendam acceperit, & homo sua culpa perdiderit: ideò quidquid iam mali vel per illius legis ignorantiam, non solùm vincibilem, sed etiam inuincibilem, vel per virium imbecillitatem designat, ei in culpam imputatur, vt apertè tradit Diuus August. *epistol.* 105. his verbis: *Per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis; siue qui nouit, siue qui ignorat, siue qui iudicat siue qui non iudicat: Quia & ipsa ignorantia eorum qui intelligere noluerunt* (ecce ignorantia vincibilis) *sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt* (en ignorantia inuincibilis) *pœna peccati est. Ergo in vtrisque non est iusta excusatio, sed iusta damnatio.* Et ad Iulianum in opere imperfect. *Cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem nesciunt, ipsum boni appetendi malique vitandi ignorantiam patiuntur, peccandi necessitatem. Necesse est enim vt peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quid non debeat facere, facit. De quo genere malorum Deus*

roga-

rogatur, vbi dicitur: Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ ne memineris. *Psalmus 24. Quod genus delictorum, si non imputaret Deus iustus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.*

Itaque sententiam Diuus Augustinus de ignorantia inuincibilis iuris naturæ à culpa non excusante, præter cæteros acriter, & resolutè defendens *Gregorius Arimenensis* sic ait:

Cum dicitur, quod secundum omnes Doctores, non imputantur homini quæ ex ignorantia simpliciter inuincibili committuntur, Dico quod illud est intelligendum de ignorantia, quæ non est peccatum, nec pœna peccati, cuius ille sit, vel fuerit reus. Nam ignorantia quæ præuenit ex peccato nequaquam excusat, saltem à toto; Si enim non peccassemus in Adamo, nullus hanc ignorantiam habuisset, & ideo neminem excusat.

Idem sustinet Estius *in 2. distinct. 22. §. 14.* additque *Innocentium, Adrianum & Caietanum* consentire. Et ne cui nimis admirabile & dutum videatur, quod homines in aliquo peccent, in quo se peccare inuincibiliter nesciunt. Occurrit Diuus Augustin. *libr. 3. capitul. 18. de grat. & lib. arbitr. Nec mirandum est*, inquit, *quod homo vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat, alia est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque quo bene vti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui stans rectè non faciat, (vt quiuis homo in primo suo parente) amittat scire quid rectum sit. Et qui rectè facere cum posset, noluit, amittat posse, cum velit.* Et consequenter in homine, qui in istam necessitatem vltrò se conjecit, ait. *Quædam etiam necessitate facta improbari.* Hæc summatim de sententia Diuus Augustini circa ignorantiam iuris naturę, quę rectè explicat quo sensu sit intelligenda communis doctrina Theologorum de ignorantia inuincibili.

8. *Ignorantia* inuincibilis probatur in foro externo, per iuramentum ipsius, qui ex ignorantia legem non impleuit, si spectatis circumstantijs dubitatur an legem ignorauerit, & non sit plena presumptio contra ipsum, quod legem sciuerit, aũt illam crasse ignorauerit; quia in dubio æquitas non patitur, vt quis condemnetur; si verò non sit dubia presumptio, sed clara contra aliquem, poterit ignorantiam probare aliquibus signis, quæ moraliter coniungi non solent cum scientia illius legis, seu negligentia culpabili illius scienda. Et hęc omnia probantur ex *Cap. præsumitur, de reg. iur. in 6.* vbi dicitur reg. 47. *Præsumitur ignorantia, dum scientia non probatur.* Vbi Glossa ait, probari ignorantiam per iuramentum, vel probando aliquid quod necessariò consequitur ignorantiam. Et hoc frequentius eueniet in homine idiota, & circa legem particularem, quę non est omnibus nota vel facilis. Ita *Bonacina tom. 2. disput. 2. quæst. 8. part. 3. numer. 13. Molina tract. 5. disput. 81. numer. 4. Nauarr. l. 1. consil. tit. de constitut. consil. 1. numer. 6. Castro de leg. pœn. l. 2. cap. 14.*

9. *Ille* excusatur ab obligatione repetendę confessionis, qui peccatum aliquod ignorantia vincibili, aut etiam scienter commissum prętermisit in confessione inuincibiliter aut probabiliter ignorans, se teneri ad peccatum illud in confessione aperiendum, non enim peccauit reticendo peccatum in confessione, inuincibiliter aut probabiliter ignorans tale peccatum in confessione manifestandum esse: idem *dicendum* de eo qui in prima confessione culpabiliter prętermisit aliquod peccatum ex ignorantia vincibili aut etiam scienter, sed in reliquis confessionibus prętermisit bona fide, eò quod nullam de tali peccato, aut de tali omissione cogitationem habuerit, facto diligenter examine; aut eò quòd in reliquis confessionibus prudenti ratione iudicauerit illud non fuisse peccatum; hic enim non tenetur repetere confessiones bona fide factas, cum à peccato excusetur ratione bonę fidei, seu ignorantię inuincibilis aut probabilis; consequenter satisfaciet repetendo confessionem in qua culpabiliter ex ignorantia vincibili, aut etiam scienter peccatum prętermisit. *Vasques de pœnitent. quæst. 92. articul. 3. dub. 1. numer. 9. Nauarr. capitul. 9. numer. 15. Comitol. disput. 7. dub. 9. numer. 70. Bonacina capitul. numer. 17. Diana de Sacram. resol. 108 part. 3. Sylvius in Supplem. quæst. 9. art. 2. §. 3.*

10. Qui per ignorantiam inuincibilem aliquid facit, vel omittit contra proprium officium, excusatur à peccato, quia datur ignorantia inuincibilis etiam legum particularium spectantium ad proprium statum & officium, quando nulla præcessit de huiusmodi legibus cogitatio: aut si præcessit cogitatio, sed adhibita debita diligentia ad inquirendam veritatem, veritas comperta non fuit: qualis autem diligentia adhibenda sit ad veritatem assequendam, seu ad superanda ignorantiam, non potest certo definiri, sed iudicio prudentis relinquendum est hoc iudicium, habita ratione præcepti, officij, & qualitatis personæ, aut etiam circumstantiæ temporis & locis, ita vt tanta diligentia adhibeatur studendo, aut consulendo peritos, quæ viro prudenti sufficiens videatur attenta qualitate loci & temporis. *Sanches lib. 1. moral. capit. 16. numer. 21. & 27. Reginald. lib. 15. n. 75. Suar. de censur. disput. 4. sect. 8. Vasq. part. 2. disput. 123. cap. 2. num. 6. Sylu. 1. 2. qu. 76. ar. 3. qu 3. concl. 1. & 2.*

11. *Ignorantia* potest facere vt peccatum ex mortali, fiat veniale, quia peccatum cum ignorantia seu negligentia culpabili tantummodò venialiter commissum, est nimis imperfectè voluntarium; voluntarium autem imperfectum excusare potest à mortalitimò quælibet ignorantia legũ humanarum, potest à peccato mortali excusationem parere, modò adsit aliqua bona fides, & modò ignorantia non sit crassa vel supina, quæ contingit, quando præcedente cogitatione legis, seu obligationis sciendi, nulla aut valde modica adhibita fuit diligentia: Vnde fieri potest, vt ignorantia, quę respectu iuris diuini vel naturalis diceretur culpabilis mortaliter, sit tantummodò venialis respectu iuris humani, modò adsit bona fides, & non adsit ignorantia crassa, vel supina, vel affectata; quia leges humanæ sunt adeò benignæ, vt non intendant adeò strictam obligationem inducere, sicut exigit & inducit ius diuinum & naturale. Ita Doctores citati. *Sanch. lib. 1. moral. capit. 17. numer. 17. 20. Reginald. lib. 11. nu. 19. Sà ver. lex nu. 15. Suares de Sacram. disp. 22. sect. 3. to. 4.*

12. *Laborans* ignorantia inuincibili vnius circumstantiæ, non verò alterius iuxta *D. Thom. 1. 2. quæstion. 76. art. 3. Sanches lib. 1 moral. cap. 16. numer. 10. Sylvius cit. quæst. 4.* non excusatur à peccato respondente illi circumstantiæ, quam nouit, seu quam culpabiliter ignorat; nam peccatum illi circumstantiæ respondens censetur voluntarium: vnde qui fornicationem externam nouit esse peccatum, sed inuincibiliter ignorat desiderium fornicandi esse peccatum, non peccat desiderio fornicationis: peccat verò exterius fornicando.

13. Qui præceptum aliquod non adimplet ob inaduertentiam, vel ignorantiam, quæ ipsius culpa contingit, vt si quis culpabiliter omittat sacrum in die festo, quo tempore enunciatur edictum de blasphemis ad inquisitores deferendis, excusatur à peccato; quia laborat ignorantia inuincibili, cùm nulla præcesserit cogitatio, vel dubitatio præcepti obligationis denunciandi aut sciendi talę præceptum *Claus Regal lib. 2. cap. 9. numer. 35. Sanches cit. numer. 31. Valent. 1. 2. disputat. 8. qu. 6. p. 1.*

14. *Peccata* commissa ex ignorantia culpabili, sunt eiusdem speciei cuius sunt peccata, quæ fiunt cum scientia: quia opponuntur eidem virtuti & præcepto, quamuis leuiora sint ob ignorantiam: *vnde* sequitur, eum, qui peccatum aliquod perpetrauit, non teneri in confessione explicare, num peccauerit ex ignorantia vincibili vel scienter, quia hæ circumstantiæ sunt tantummodo aggrauantes, vel minuentes, quæ necessariò non sunt explicandæ in confessione, vt dictum est. *Suares tom. 4. disputat. 22. sect. 4. numer. 14. Sanch. lib. 1. cap. 17. num. 15. Claus Reg. c. num. 38. Dian. p. 4. tr. 4. resolut. 35.*

15. *Ignorantia* vincibilis, non est formaliter peccatum; quia sequeretur eum, qui culpabiliter ignorat, quod scire tenetur sub mortali, semper in statu peccati mortalis existere, etiam eo tempore, quo non potest scientiam habere: *dicendum* tamen est ignorantiam vincibilem esse peccatum ratione negligentiæ, quam quis commisit dum potuit scire, quæ scire tenebatur: & insuper hæc ignorantia vincibilis, est peccatum oppositum præcepto & virtuti, ex qua homo tenetur aliquid scire, vel facere, nam exponit se periculo faciendi contra præceptum talis virtutis, non curando ipsius cognitionem & scientiam. *Reginald. lib. 11. numer. 15. Sanch. cit. lib. 1. cap. 17. numer. 7. Vasq. 1. 2. disputat. 118. 119. cap. 2. & 3. Vide Dian. de Sacr. resol. 165. p. 3. & p. 4. tr. 4 resol. 37.*

16. Igno-

16. *Ignorantia inculpabilis* nem, non excusat a peccato, nec tollit obligationem, & restitutionem damni, quod ignoranter fecimus. & quidem primum, & ultimum probatum est in cap. *Ignorantia*, 26. q. 4. Secundum probatur ex communi, plurimis citandis ad cap. 1. de Constitutionibus, ubi tenemus, quod ignorantia inculpabilis non excusat a peccato, & Navarr. cap. 27. num. 18. Sed ille addit, quod ignorantia inculpabilis non excusat ab obligatione restituendi, si ex illa damnum aliquis dederit, quia ignorantia inculpabilis est peccatum, & ideo obligat ad restitutionem damni, quod ignorantia tenetur dare, quia ignorantia non excusat a peccato, & ita est communis. *Vide Dicitum parch. malum, & culpam.*

Quæ autem dicta sint de ignorantia inculpabili, intelligenda sunt de ignorantia, quæ est circa materiam gravem. Nam si quis nesciat rem exiguam alii esse propriam, est excusatus, ut excusatur, & probatur communiter cum Navarr. cap. 17. num. 18. Sylvest. verb. *Ignorantia* 1. q. 3. Angel. eod. verb. num. 3. Rosell. eod. verb. num. 1. Tabien. eod. verb. num. 1. Ratio est, quia parvitas materiæ excusat a peccato, & consequenter ab obligatione restituendi, ut dicemus infra, *Parvitas materiæ*, num. 1. & 2. & ideo ignorantia, quæ circa parvitatem materiæ versatur, excusat a peccato, & consequenter ab obligatione restituendi, ut dicemus infra, *Parvitas materiæ*, num. 3. & 4. Quæ

*Suares c. num.*10. *Reginaldus l.9. num.*198. *Filliucius c. cap.8. quæſ.*12. quia in iure generaliter aſſeritur ignorantiam, quæ non eſt craſſa nec ſupina, excuſare ab omnibus ſententijs quorumcumque ordinariorum: ergo ignorantia iuris vel facti, quæ ita eſt craſſa, & ſupina, vt non excuſet à culpa mortali, non excuſat ab incurrendis cenſuris; quia cenſuræ dicuntur pœnæ contemptus; videtur autem ſufficienter adeſſe contemptus, quando committitur aliquod delictum ex ignorantia, quæ adeò craſſa, vel ſupina eſt, vt non excuſet à mortali peccato. Secus dicendum ſi ignorantia ita leuis eſt, vt excuſet à culpa mortali, hæc enim etiam excuſat à cenſuris. Tamen ſecundùm *Sanches, de matrim. l 9. diſput.*32. *num.*31. *Tanner. Cœleſtinus apud Dian. p.5. tract.9. reſol.*17. *Caſpenſis tr.*25. *diſp.*1. *ſect.*8. *n.*110. non eſt improbabile cenſuram non incurri, quando ignorantia eſt vincibilis mortaliter, ſed non eſt craſſa, & ſupina, ſiue ſtatuatur Epiſcopi, ſiue Pontificijs conſtitutionibus; tum quia in *cap.*2. *de conſtit. in*6. vniuerſaliter dicitur excuſare ab omnibus ſententijs quorumcumque Ordinariorum, ignorantiam, quæ non eſt craſſa nec ſupina: vbi nomine ſententiæ non ſola excommunicatio, ſed omnes aliæ pœnæ ſaltem ſpirituales comprehenduntur: quia indefinita iuris propoſitio tradens regulam, prout ibi fit, æquiualet vniuerſali. Tum quia ad incurrendam cenſuram requiritur veluti contemptus, quia cenſura eſt pœna propter hunc contemptum, qui quidem non reperitur, vbi adeſt ignorantia, quamuis ſit vincibilis, & mortaliter culpabilis. Intelligitur autem hoc quando cenſura imponitur abſolutè ſine additione aliquorum terminorum, qui requirunt vel ſcientiam expreſſam vel ignorantiam affectatam; quando enim requiritur vel hæc ſcientia expreſſa vel ignorantia affectata ad cenſuram, excuſat ab ea craſſa vel ſupina. Et hæc ſententia eſt tuta, & valde notanda pro multis materijs in particulari, qua ratione poſſunt plures in foro conſcientiæ excuſari ab incurſione cenſuræ.

An autem ignorantia legis irritantis actum aliquem, efficiat vt etiam actus ille irritus ſit, qui fit ab ignorante legem illam.

Reſpondet Sanches *c. n.*18. annullationem actus, quando non eſt de defectu ſolemnitatis, ſed in delinquentis pœnam, non incurri ad legem ignorantibus.

Plura de ignorantia v. *Actus humanus* 2. num.8.9.10. *Cenſura* num.29. *Confeſſio* 5. num.2. *Conſcientia* num.34. *Miſſa* 9. num.6. *Præſcriptio* num.6. *Excommunicatio* 3. num.4. *Correptio* num.10. *Culpa* num.6. *Debitum coniugale* 1. num.16. *Fides* 1. num.13. *Hæreſis* num.4. *Inceſtus* num.6. *Irregularitas* 1. num.7. *Irregularitas* 9. num.5. *Matrimonium* 8. n.15.16.17.18. *Confeſſarius* 11. num.27. *Homicidium* 1. num. 9. *Sepultura* num.2.

IMMVNITAS.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit immunitas Eccleſiaſtica? Et quo iure ſit introducta.*
2. *An Eccleſia authoritate Epiſcopi fundata etiam non benedicta, licet polluta, vel interdicta ſit, gaudeat immunitate Eccleſiaſtica?*
3. *Quid nomine Eccleſiæ quoad hanc materiam immunitatis veniat?*
4. *An priuilegio immunitatis gaudeant Monaſteria, domus regulares, & ſeculares, loci ſacri aut religioſi, hoſpitale, Palatium Epiſcopale, vel quæcumque oratoria?*
5. *An ſacrilegium committatur contra immunitatem, ſi quis à ſatellitibus fori ſecularis capiatur intra Eccleſiam, &c. ſi fracto carcere intra illam ſe receperit?*
6. *An violetur immunitas Eccleſiæ, dum reus extra locum ſacrum comprehenſus deducitur ad carceres per cœmeterium aut Eccleſiam, ſi per vim extrahatur, & inde recuſet exire?*
   Et an reus amplexans Sacerdotem deferentem Euchariſtiam gaudeat immunitate?
7. *An omnes fideles baptizati licet ſint interdicti, & excommunicati, hæretici, gaudeant immunitate?*
8. *An dubitores in loco ſacro exiſtentes gaudeant Eccleſiæ immunitate?*
9. *An immunitate gaudeant latrones publici, depopulatores agrorum, & committentes homicidia ſeu mutilationes in Eccleſijs aut cœmeterijs?*
10. *An qui proditorie aliquem occidit priuilegio immunitatis gaudeat?*
11. *An reus aſſaſſinij priuati ſint immunitate?*
11. *An rei hæreſis vel crimine læſæ maieſtatis immunitate priuentur?*
13. *Quos effectus pariat immunitas Eccleſiaſtica?*
14. *An extrahens delinquentem è loco ſacro peccet peccato ſacrilegij, & iniuſtitiæ? Et an reus extractus è manibus ſatellitum, ſi confugiat ad Eccleſiam, gaudeat immunitate.*
15. *Quas pœnas incurrat violator immunitatis Eccleſiaſticæ?*
16. *An Prælati locorum gaudentium immunitate, teneantur delinquentes ad locum immunem confugientes conſignare curiæ ſeculari? ſi ipſi res non gaudeant immunitate?*
17. *An clerici poſſint expellere confugientes ad Eccleſiam, & alia loca immunia?*

1. *Immunitas* Eccleſiaſtica quoad locum eſt exemptio ſeu priuilegium Eccleſiæ ſeu templo conceſſum, vt ibi exiſtentes tuti ſint à laica poteſtate, & delinquentes ad illa loca confugientes per vim extrahi non poſſint: *C. inter alia, de immunit. Eccl. Immunitas* hæc introducta eſt iure Eccleſiaſtico, non verò naturali, vel diuino, vt patet ex iure Canonico, titulo *de immunitate Eccleſiarum*, & ex conſtitutione *Gregorij XIV.* in *Bulla cum alias nonnulli* 7.

2. *Eccleſia* authoritate Epiſcopi fundata, ſiue benedicta ſit, ſiue non; quamuis in ea nondum celebrata fuerint officia diuina, gaudet Eccleſiaſtica immunitate, licet polluta vel interdicta, vel etiam diruta ſit; modò non ſit diruta authoritate Epiſcopi ſine ſpe reædificandi; in hoc enim caſu amitteret immunitatem, quia priuilegium hoc, eſt veluti accidens morale, accidens autem deſtruitur deſtructo ſubiecto. *Suares tom.*1. *de relig. tract.*2. *l.* 3. *cap.*9. *num.*2. *Sylueſt. Angel. v. Eccleſ.*

3. Nomine *Eccleſiæ*, quoad hanc materiam immunitatis, non ſolum venit interius Eccleſiæ corpus, verum etiam tota Eccleſiæ fabrica, vt tectum, partes parietum exteriores, campanile, ſacriſtia Eccleſiæ coniuncta, cœmeterium; *Cap. ſi quis in atrio, & C. Id conſtit.*17. q 4. *C. ſicut antiquitus* 17. q.4. *Suar. c. n.*7.8. *imò* hæc immunitas, iure communi extenditur ad fines, ſeu confinia Eccleſiæ, vſque ad quadraginta paſſus, ſi Eccleſia fuerit maior, ſeu matrix, & metropolitana; *ſi verò* fuerit Eccleſia minor protenditur vſque ad triginta paſſus: præciſa tamen conſuetudine in contrarium, & exceptis Eccleſijs in ciuitate conſtructis, in quibus ob locorum anguſtiam hoc ſeruari non poteſt.

4. *Priuilegio* immunitatis Eccleſiaſticæ, ex conſtitut. *Gregorij XIV. c. Cap. ad hæc de religioſ. domibus. C. ad conſtituimus* 17. q 4. *Couarr. 2. var. c.*20. *n.*4. *&* 5. *Suar. c. c.*9. *n.*20. gaudent monaſteria, domus regulares, & ſæculares, locive ſacri, aut religioſi; vnde extenditur hæc immunitas ad totum clauſtrum, ſeu habitationem religioſorum, etiam ad viridarium, quia totus ille locus eſt ſacer, & religioſus. *Præterea* extenditur ad hoſpitale fundatum authoritate Epiſcopi, & ad ſeminarium, quia hoſpitale, & ſeminarium reputantur loca pia, & religioſa. *Palatium* ſeu domus Epiſcopi eodem priuilegio gaudet, modò conſtructum ſit intra quadraginta paſſus Eccleſiæ ſuæ, quia ſic reputatur locus ſacer, alias non, niſi fortè in palatio conſtructum ſit oratorium in quo diuina celebrentur: *Diana* tamen abſolutè dicit Palatium Epiſcopi, ſiue cum capella, ſiue ſine capella, ſiue intra quadraginta paſſus, ſiue extra gaudere ea immunitate, qua gaudet ſponſa eius Eccleſia, *tract.* 1. *de immunitate Eccleſiaſtica, reſolutione* 27. *parte* 1. *Denique* oratorium authoritate Epiſcopi conſtructum, & perpetuò dicatum cultui diuino, cenſetur locus ſacer, & religioſus; ſecus ſi priuata authoritate ſit conſtructum.

5. *Sacrilegium* committitur contra loci ſacri reuerentiam, & immunitatem, dum à ſatellitibus fori ſæcularis capitur delinquens, qui fracto carcere recipit ſe intra Eccleſiam, vel oratorium, vel hoſpitale authoritate Epiſcopi conſtructum, vel in monaſterium religioſorum, vel in palatium Epiſcopi, vel vbi vſu receptum eſt, in domum parochi, aut canonicorum aliorumve Eccleſiaſticorum, non diſtantem triginta paſſibus ab Eccleſia: *idem dicendum*, ſi ad hæc loca confugit, poſtquam ſe è manibus ſatellitum exemit, etiamſi tunc ad mortis ſupplicium duceretur, vel dum ſatellites ipſum inſequerentur ad capiendum: vnde non poteſt capi reus, qui clauſas Eccleſiæ ianuas, vel ſeram vel quid ſimile apprehendit, vel qui ſupra tectum ſeu tegulas Eccleſ. exiſtit; & ſatellites capientes reum ſuper tecto exiſtentem, aut adhærentem

tem valuis, aut ſeræ Eccleſiæ, peccant contra immunitatem, nam reus exiſtit in loco immuni, quod ampliandum eſt, etiamſi delinquens capiatur per eam pallij, aut corporis partem, quæ extra tectum, vel valuas aut extra alium locum immunem prominet. *Graſſius* 1. *part. l.* 2. *cap.*48. *num.*7. *Couarr. c. num.* 3. & 18. *Suar. c. cap.*9. *num* 8. *Azor. to.*2. *l.*9. *cap.*9. *queſt.*9. *Bonacin. tom.*2. *d.*3. *q.*7. §.2. *num.*10. *Dian. tract.*1. *de immunit. Eccleſ. reſol.*73. *p.*1. *Fagund. p.*2. *l.*4. *cap.*4. *num.*63.

6. *Non violatur* immunitas Eccleſiæ, dum reus extra locum ſacrum comprehenſus, deducitur ad carceres per cœmeterium aut Eccleſiam, etiamſi per vim extrahatur, & inde recuſet exire, hic enim non dicitur capi in loco ſacro, cùm liber ad Eccleſiam vel cœmeterium non confugerit: idem *dicendum* dum capitur reus ſeipſum voluntariè offerens, nolenſque loci ſacri immunitate frui; quia licet priuilegium immunitatis immediatè conceſſum ſit loco ſacro; tamen mediatè redundat in fauorem hominum, quilibet autem cedere poteſt iuri ſuo: *item* non violatur immunitas, dum reus blanditijs, aut deceptione, aut promiſsionibus ſine coactione, extractus à loco ſacro, capitur extra locum ſacrum, immunitas autem violatur per violentam extractionem. *Couarruuias*, *c. num.*13. *Suar. c. cap.*13. *num.*2. *Nauar. cap.*25. *num.*21. *Graſſius c. num.*7. *Vide Dian. de immun. Eccleſ. reſ.*30. *p.*1. *tract.*1. *Porrò* reus amplexans Sacerdotem deferentem Euchariſtiam, non poteſt capi à ſatellitibus ob reuerentiam Sacramenti, licet in hoc caſu ſecundùm aliquos non violetur immunitas Eccleſiaſtica, nec reus reſtituendus videatur: præciſa conſuetudine in contrarium. *Bonacina c. num.*11. *Couarruuias l.*2. *var. cap.*20. *num.*6. Concors tamen omnium ferè Doctorum ſententia eſt, talem gaudere immunitate; vt videre eſt, apud *Dianam cit. reſ.*28.

7. *Omnes fideles* baptizati, quamuis interdicti, & excommunicati, præter hæreticos in delicto hæreſis, gaudent immunitate: imò, & infideles, ſi fieri volunt Chriſtiani, protegendi ſunt immunitate Eccleſiæ, quia par eſt vt Eccleſia eum defendat, qui ſeipſum gremio Eccleſiæ committere non recuſat, & hæc immunitas prodeſt in omnibus caſibus, ſeu cauſis, tam ciuilibus: quàm criminalibus, exceptis caſibus in iure, & conſtitutione *Gregor. XIV.* expreſſis; quia iura indiſtinctè, & indefinitè loquuntur, & ſolùm excipiuntur aliqui caſus; exceptio autem firmat regulam in caſibus non exceptis: *Notandum* tamen ſecundùm veriorem ſententiam vſu receptam, Prælatum Eccleſiaſticum poſſe Clericos à loco ſacro extrahere, etiam in illis caſibus, in quibus laici extrahi non poſſunt à iudice ſæculari: quia in iure nulla fit mentio Clericorum, ſed tantummodò laicorum, vt patet in conſtitutione *Gregorij XIV.* Vide *Conar.* 2. *var. reſol. cap.*20. *num.*11. *Sylueſt. v. Immunitas* 3. *queſt.* 3. *Suar. tom.*1. *de relig. tract.*2. *cap.*10. *num.*13. *Nauar. cap.*25. *num.*22. *Tanner.* 2. 2. *d.*5. *q.*8. *dub.* 1. *num.*16. Multi tamen apud *Dianam de immunit. Eccleſiarum, p.*1. *tract.*1. *reſ.*24. docent Clericos gaudere immunitate: quia iura Canonica, & ciuilia indiſtinctè loquuntur: ergo tam Clerici, quàm laici comprehenduntur.

8. Debitores in loco ſacro exiſtentes gaudent Eccleſiæ immunitate, quamuis ſuſpecti ſint de fuga, vel ſint obſtricti debito publico, vel decoxerint cum magno Reipub. detrimento: imò, & blaſphemi, modò non ſint hæretici. Adulteri exiſtentes in Eccleſia non poſſunt capi à iudice ſæculari; quia hi caſus non excipiuntur in conſtitutione Gregoriana. *Suarez, c. cap.*13. *num.*3. *Bonacin. c.* §.4. *num.*3.4. *Dian. cit. reſ.*32.

9. *Immunitate Eccleſiaſtica* non gaudent. *Primò*, latrones publici, hoc eſt, qui palàm, & publicè prædantur, vel publicas vias obſident, vel caſtra tenent vt tranſeuntes ſpolient; *Cap. inter alia de imm. & Bulla Gregor. citata. Azor.* 2. *par. cap.*9. *q.*9. *Nauar. c.*25. *num.*20. quidam tamen Doctores volunt fures occultos ſeu furantes in vijs priuatis, non priuari immunitate, quia non dicuntur obſedisse vias frequentatas, quamuis *Suarez* putet contrarium conſuetudine receptum eſſe. *Secundò*, Depopulatores agrorum, quamuis nocturni non ſint, non gaudent priuilegio immunitatis, id eſt, qui diripiunt alienos agros, vt qui ſegetes ſeu fructus furripiunt, vineas vaſtant. *Tertiò*, Committentes homicidia ſeu mutilationes in Eccleſijs, aut earum cœmeterijs, carent immunitate; quia par non eſt, vt immunitate Eccleſiæ fruatur, qui in Eccleſia deliquit: & hoc ampliandum, quamuis delictum in alia Eccleſia commiſerint, ſiue ſine ſpe immunitatis, ſiue cum ſpe, commiſſa fuerint: imò ſiue extra Eccleſiam exiſtat, qui occidit vel mutilauit, modò occiſus vel mutilatus fuerit in Eccleſia: *An autem* hac immunitate priuetur, qui exiſtens in Eccleſia, ſi extra Eccleſiam exiſtentem occidat vel mutilet. *Nauarrus, c. num.*21. *Couarruuias, c. n.*15. *Suarez c. cap.*11. *num.*6. & 7. affirmant, & quidam alij: *Bonacina, c. num.*8. & 9. *Dian. tr. de imm. Eccl. reſ.*9. 10. *tract.*1. *p.*1. negant, quia hic caſus non eſt iure, neque in Conſtitut. Gregor. expreſſus, cùm non ſit completus in Eccleſia. *Qui* autem vulnerauit in Eccleſia, ſed vulneratus extra Eccleſiam mortuus eſt, priuatur immunitate, quia delictum homicidij cenſetur commiſſum in Eccleſia. De mandante vero homicidium, vel mutilationem in Eccleſia, quidam vt *Suarez, c. num.*7. *Diana p.*1. *tract.*1. *reſ.*10. aiunt priuari Eccleſiæ immunitate: ſed alij probabiliter negant apud *Dianam*, quia qui mandat homicidium vel mutilationem fieri in Eccleſia, propriè loquendo non dicitur occidere vel mutilare. *Denique* committentes alia delicta in Eccleſia præter homicidia, vel mutilationes, non incurrunt priuationem immunitatis poſt Conſtitut. Gregor. quia non eſt trahenda priuatio immunitatis ad caſus in bulla non expreſſos. *Farinacius in deciſ. conſ.*76. *num.*7. & 9. *Diana tr. de imm. Eccl. reſ.*2. *p.*1. *tr.*1. quamuis contrarium docuerint Doctores, qui ante illam conſtitutionem ſcripſerunt. Vt *Nauarrus, Couarruu. Suarez.*

10. *Quartò qui proditorie proximum ſuum occiderunt*, deſtituti ſunt priuilegio immunitatis: *Conſtitut. Gregor. XIV.* proditor autem dicitur, qui amicitiam ſimulabat cum eo quem occidit, ſeu qui dolosè aliquem ſeducit, vt occidat, ſeu qui hominem interfecit nihil tale præuidentem, qui autem occidit inimicum, non dicitur proditor, in rigore loquendo, quamuis illum occidat à tergo, aut dormientem, nam hic necem præuidere poterat, & præcauere. *Gomez variar. reſ.* §. *de homic. c.*3. *n.* §. *Suarez c. c.*11. *num.*12. *Diana c. reſ.*31.

11. *Quintò*, *Reus aſſaſſinij* immunitate priuati ſunt: vt patet ex bulla Gregor. *Aſſaſſini* dicuntur propriè illi, qui pecunia aut alio pretio accepto, vel promiſſo conducti, præuio mandato occidunt homines incautos, ſeu nihil tale ab eis præcogitantes: ſimiliter priuantur immunitate, qui tradita pecunia mandant aliquem per aſſaſſinos occidi; quia iſti dicuntur rei aſſaſſinij: & ſecundùm ſententiam Doctorum, ad aſſaſſinium requiritur, vt occidatur Chriſtianus: & in dubio præſumendum eſt occiſum fuiſſe Chriſtianum, ſi in terris Chriſtianorum fuerit occiſus. *Couarruuias*, 2. *var. c.*20. *num.*9. *Suarez c. c.*11. *num.*15. *Julius Clarus* §. *Aſſaſſinium n.*13.

12. *Sextò*, *Res hæreſis* priuantur immunitate Eccleſiaſtica: *Conſtit. Gregor. XIV. Bonacin. c. n.*21. 22. *res* autem *hæreſis* dicuntur, non ſolùm ij, qui cum pertinacia ſentiunt contra fidem, verùm etiam ij, qui auxilium, aut refugium præbent hæreticis, tamen in illis locis vbi hæretici impunè habitare permittuntur, nec propter hæreſim puniuntur, *Diana tract. de immun. Eccleſ. reſ.* 29. *p.*1. *tract.*1. putat in criminibus non exceptis, gaudere, vt cæteri, immunitate Eccleſiarum. *Septimò*, *Res criminis læſæ maieſtatis* in perſonam Principis, non gaudent priuilegio immunitatis; ſed ad hoc crimen læſæ Maieſtatis requiritur, tum vt ipſamet perſona Principis offendatur, tum & à ſuo ſubdito. Vide *Dianam p.*1. *tr.*1. *reſ.*6.

13. *Immunitas Eccleſiaſtica*, multos parit effectus. Secundùm *Couarr. c. c.*20. *n.*18. *Suarez c. c.*12. *n.*5 & 2.4. & *ſeq. Cap. diffinim* 17. *q.*4. *Cap. inter alia de imm. Sylueſt. v. Immunitas* 3. *q.*7. *Bonac. c.* §.5. *Primus* eſt, vt reus capi nequeat in Eccleſia. *Secundus* eſt, vt non apponatur impedimentum, quo exiſtenti in loco ſacro non deferantur alimenta, veſtitus, aut alia, quæ ad vitam neceſſaria ſunt: tamen iudici ſæculari licet extra locum ſacrum obſidere delinquentem, in Eccleſia exiſtentem, vt iſtum capiat, dum ſe reciperet extra locum ſacrum. *Tertius* eſt, vt exiſtenti in loco ſacro nulla vis aut damnum inferatur. *Quartus* eſt, vt dum reus in Eccleſia exiſtit, damnari nequeat ad mortem, vel ad pœnam corporalem, imò actus tacti à laico iudice erga delinquentem, per vim extractum à loco ſacro, irriti ſunt, vtpote facti ſine iuriſdictione. *Quintus* eſt, vt delinquens per vim extractus ab Eccleſia, reſtituatur Eccleſiæ eidem, vel alteri, in qua æquè tutus, & liber eſſe poſſit; imò probabile eſt, extractum per vim poſſe reſtitui Epiſcopo, quia Epiſcopus repræſentat Eccleſiam; modò hac reſtitutione facta, abſtractus ſit æquè tutus, ac ſi reſtitutio facta fuiſſet Eccleſiæ. Ita *Diana c. reſ.*16.

14. Extrahens delinquentem è loco ſacro, *Primo*, peccat peccato ſacrilegij, quia grauem iniuriam facit loco ſacro, in cuius reuerentiam conceſſum eſt immunitatis priuilegium. *Secundò*, grauiter peccat peccato iniuſtitiæ, quia facit iniuriam delinquenti habenti ius reſiſtendi; vnde qui per vim extraxit delinquen-

tem, tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde passus est delinquens, quia ex peccato contra ius alterius consurgit obligatio restituendi. *D. Thomas* 2.2. *qu.*62. *art.*2. *Suar. c. l.*3. *cap.*13. *num.*4. *& 9. Valentia tomo* 3. *disp.*6. *q.*15. *p.*1.

Sed petes, an si reus extractus è manibus satellitum, confugiat ad Ecclesiam, sit restituendus curiæ sæculari, quæ fuit iniustè priuata? Resp. in tali casu Ecclesiam teneri restituere reum curiæ sæculari. Ratio est, tum quia iniusta spoliatio non priuat dominum iure, & dominio rei, qua spoliatur, alioquin non esset iniusta. Tum quia nemo sibi potest retinere rem alieni iuris, sed tenetur restituere domino. Quod præsertim verum est, si dominus contradicat tali retentioni. Ex his autem principijs iuris naturalis sit, quod iniustè spoliatus habeat ius ad reperendum quod suum est, nec possit ab aliquo impediri; & quòd habens rem, ei qui est iniustè spoliatus, teneatur restituere. Nec vlla lex, siue diuina, siue humana potest oppositum statuere; alioquin non esset lex. sed iniquitas, quia statueret iniustum. In casu autem nostro curia sæcularis iniustè spoliatur reo; quia spoliatur per vim ab ijs, qui non habent potestatem, & per captionem ipsum fecerat sui iuris, & dominij; vnde non obstante hac iniusta spoliatione retinet ius, & dominium supra reum, & proinde potest ipsum repetere apud quemcumque sit, & non potest à quocumque impediri ne repetat; vnde Ecclesia illum habens apud se, tenetur restituere. Si enim Ecclesia iniustè spoliata reo, est restituenda; ergo etiam curia sæcularis est restituenda, quando iniustè reo spoliatur. Nec iuuat priuilegium Ecclesiæ de immunitate; quia hoc consistit tantùm in eo, quòd possit protegere reos; non autem quòd possit protegere iniustitiam, & facere contra principia legis naturalis nolendo reddere alteri quod suum est. Reus enim confugiens ad Ecclesiam, vt gaudeat immunitate, debet esse liber, non solùm physicè, sed etiam moraliter; alioquin non potest protegi: hic autem moraliter non est liber; nam cùm iniustè capiatur, non priuatur curia suo iure. *Nauarrus in sum. Bullar. tit. de immun. n.*14. *Francus decis.*709. *Pasqualigus c. decis.*486. *in decisionibus moral.* contra *Dianam p.*6. *tr.*8. *res.*5. cuius sententia est etiam probabilis. Vide *Sanchium in select. disp.*44. *n.*52. *in fine*.

15. *Varias* pœnas incurrit violator immunitatis Ecclesiasticæ, nam de iure ciuili incidit in crimen læsæ Maiestatis, & alibi decernitur puniendum esse pœna capitali, & vltimi supplicij; *l.*2. *C. de his qui ad Eccles. Suar. c. cap.*13. *n.*6. sed hæc pœna non est amplius in vsu. *Cap. quisquis* 17. *q.*4. Iure Canonico erat pœna excommunicationis ferendæ non latæ: sed in constitut. Gregor. est excommunicatio lata, vt constat ex textu, apud *Bonacinam* citatum. *Imò* hanc excommunicationem incurrent mandantes extrahi reum à loco sacro, & iudices qui nec mandauerunt extrahi, nec extraxerunt, sed extractum Ecclesiæ restituere noluerunt, aut morti adiudicarunt. *Clarus in pract.* §. *fin. q.*30. *Praxis Neapol. c.*17. *n.*7.

16. *Prælati* locorum gaudentium immunitate, tenentur delinquentes ad locum immunem confugientes, consignare curiæ sæculari illum requirenti, si cognouerint aliquod delictum ab eis commissum fuisse, propter quod immunitatis priuilegium amiserunt; vt constat ex constitutione *Gregor. XIV.* tamen antequam delinquens, qui ad locum sacrum confugerat, curiæ sæculari tradatur, obtinenda est primò ab Episcopo vel ab eius officiali facultas expressa capiendi, & extrahendi delinquentem, & debet assistere aliqua persona Ecclesiastica ad hoc deputata, dum extrahitur, Episcopus autem non tenetur stare processui à laica potestate facto, quo ostenditur reum priuandum esse immunitate, sed debet ipse nouas probationes recipere, ipsique certò constare de delicto rei, antequam tradatur curiæ sæculari. Vide *Bonacinam c.* §.7. *Dian. c. resol.*14. *Filliucius tr.*15. *cap.*6. *num.*148. *& seq.*

17. Clerici non possunt expellere confugientes ad Ecclesias, & alia loca immunia, sed debent suscipere defensionem confugæ, vt habetur ex Cap. *Miror.* Cap. *Reum.* Cap. *Definuit.* Cap. *Sicuti antiquitus* 17. *quæst.*4. & cap. *Inter alia, de immunitat. Eccles.* Ratio est, quia dans immunitatem alicui loco, dat etiam ius omnibus, qui indigent confugiendi, ad ipsum; ergo qui expellit, priuat confugam iure suo, atque facit contra iustitiam: & hoc etiam extendendum est ad eos, qui quomodocumque impediunt ne confugæ recipiantur in locis immunibus, quia impediunt ius confugientis in re graui, atque adeo mortaliter peccant. Ex quibus colligitur quòd clerici, & regulares nequeant expellere confugas à domibus gaudentibus immunitate, aut à conuentibus reijciendo ipsos ad Ecclesiam: quia cùm etiam conuentus, & dictæ domus gaudeant immunitate, habent ius non solùm confugiendi ad Ecclesias, sed etiam ad dictas domos, & conuentus, & ideò non possunt priuari suo iure; quia quod concessum est à Superiore, nequit auferri ab inferiore. Si tamen confugæ in Monasterijs immodestè se gerant, aut in alijs locis immunibus, ita vt turbent quietem, & damnosi sint disciplinæ regulari, possunt expelli absque eo quòd expellentes incurrant aliquas pœnas: quia immunitas est priuilegium loci, & proinde non debet esse cum damno ipsius, & eorum, ad quos locus pertinet: quia quod conceditur in fauorem, non debet in dispendium retorqueri, quod contingeret, si confugæ suis immodestijs præiudicarent habitatoribus loci immunis. Ita *Pasqualigus c. decis.*469. *& 470.*

Si tamen malefactores ad Monasteria Monialium confugiant, non sunt ab ipsis admittendi, dedecet enim earum statum, & sexum id facere. *Si autem ipsi vi ingrediantur clausuram*, prout iustè id aliquando facere possunt; si sibi timeant mortem, aut aliquod magnum malum; cessante tamen periculo non possunt ibi manere. Si verò nolunt inde exire, & non gaudeant immunitate Ecclesiastica, tradi possunt Curiæ Ecclesiasticæ, iuxta modum præscriptum in Constitution. *Gregor. XIV.* Si verò illa gaudeant, ad minus extrahi debent è clausura Monasterij, & poni in alio loco sacro extra illam, data etiam facultate in vtroque casu viris ad illos ejciendum è clausura. Ita *Sanches l.*6. *moral. cap.*16. *n.*59. *Bonac. de claus. q.*4. *punct.*4. *n.*13. *Lezan. to.*3. *sum. v. claus. n.*31.

IMPVDICITIA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit impudicitia?*
   Et an detur in rebus venereis paruitas materiæ excusans à mortali?
2. *Quomodo tactus, oscula, & amplexus tripliciter fieri possint? & vt sint ex seres indifferentes.*
3. *An oscula, tactus, & amplexus causa amicitiæ sint peccata?*
4. *An oscula, tactus, & amplexus habita causa delectationis venereæ inter solutos sint peccata mortalia?*
5. *Quis sit dicendus tactus libidinosus, & venereus?* referuntur variæ sententiæ.
6. *Qualiter tactus, oscula, amplexus quæ fiunt causa delectationis sensibilis quæ est in ipsis, variè vocentur à Doctoribus.*
7. *An tactus, amplexus, & oscula quæ fiunt ob solam delectationem sensibilem sint peccata mortalia?*
8. *An tactus, amplexus, & oscula facta ex curiositate, leuitate vel ioco sint peccata mortalia?*
9. *An tactus, & oscula in coniugatis excusentur à mortali, si sit periculum pollutionis?*
   Et an coniugatus peccet mortaliter seipsum tangens propter voluptatem.
10. *An oscula, & tactus non impudici permittantur sponsis de futuro?*
11. *An propria verenda tangere cum venerea delectatione, aut cum periculo delectationis venereæ sit peccatum mortale?*
12. *An tangere aliena pudenda ob delectationem veneream sit peccatum mortale?*
13. *An peccet mortaliter fœmina aduertens se ab alio libidinosè tangi, si non se retrahat?*
14. *An aspectus rerum turpium ob delectationem naturalem, & sensitiuam tantum, sit peccatum mortale?*
15. *An aspicere concubitum viri cum fœmina ex sola curiositate, vel concubitum brutorum, vel propria verenda, sit peccatum mortale?*
16. *Quomodo peccet puella mortaliter, quæ se præbet conspiciendam adolescenti à quo se credit turpiter concupiscendam?*
17. *Quomodo ornatus externus virorum vel mulierum sit peccatum mortale vel veniale?*
18. *An turpiloquium sit peccatum mortale?*
19. *An comœdus interesse sit mortale?*
20. *An choreæ sint ex se illicitæ?*
21. *An aperienda sit circumstantia personæ agentis, & patientis, quando in tactibus, aspectibus, & verbis turpibus fuit commissum peccatum mortale?*

1. Im-

1. IMpudicitia eſt *peccatum luxuriæ; quo ſolutus, vel ſoluta vacat tactibus libidinoſis abſque intentione alterius operis, aut actus conſummati*: dicitur *peccatum luxuriæ*, hæc enim deformitas connumeratur etiam inter ſpecies luxuriæ, & differt ab illis, ſicut delectatio moroſa à conſenſu in ipſum actum; vnde verſatur hoc peccatum circa delectabilia ſecundùm tactum in materia venerea, dicitur, *quo ſolutus, vel ſoluta*, quia inter coniuges eiuſmodi tactus, poſſunt eſſe liciti, ita vt non ſint peccata mortalia, modò non ſit periculum pollutionis, dicitur, *vacat tactibus*, ſic aiunt *Caietanus*, & *Armilla*, *v. Impudicitia*, & per hoc verbum *vacat*, ſignificare voluerunt grauitatem actionis pertingentis ad peccatum mortale, quaſi non quilibet ſimplex tactus eſſet materia ſufficiens, ſed replicatus, & in tali materia grauis requiratur ad peccatum mortale; quia ſecundùm *Nauarrum*, *prælud.9. num.12. & ei ſicut de pœn. d.1. num. vlt. Clauem Regiam*, *l.8. cap.6. num.1. Sanches de matrim. l.9. d.46. num.9. P. Sot. l. de doct. Chriſt. Vaſques*, 1. *d.108. num.3. Malderum*, 1. 2. *queſt.74. art.10. Marchant. in qq. Paſtor. ad decalog. cap.6. queſt.2.* probabile eſt dari in hac materia leuitatem materiæ excuſantem à mortali, vt dicetur infrà *v. Peccatum* 1. num.7. dicitur, *libidinoſis*, quia tactus ex ſe non ſunt quid intrinſecè malum, ſed res indifferens, ſecundùm *D. Thom.* dixi *abſque intentione*, quia ſi tactus conſiderentur vt quædam antecedentia vel ſubſequentia actum conſummatum luxuriæ, ſic certum eſt, eſſe peccatum mortale eiuſdem ſpeciei, cuius eſt actus ad quem tendunt; ſi verò ex intentione operantis eligantur per ſe, tamquam vltimus terminus illius actionis, & quatenus habent aliquam rationem delectabilis, ſecundùm ſenſum tactus, & hoc pacto pertinent ad hanc ſpeciem luxuriæ.

2. Tactus, oſcula, & amplexus tripliciter fieri poſſunt, iuxta *Leſſium*, *l.4. cap.2. dub.8. Reginald. tom.2. l.22. num.6. Primò*, in ſignum amicitiæ, & iuxta conſuetudinem patriæ. *Secundò*, cauſa delectationis concubitus. *Tertiò*, cauſa delectationis ipſius tactus vel oſculi ſecundùm ſe conſiderati, vt eſt delectabilis carni, & remotè diſponens ad ſeminationem: *vnde* contactus partis verendæ totidem modis fieri poteſt, verbi gratia, cauſa medendi, vel alia neceſſaria, *vel* cauſa voluptatis concubitus, *vel* cauſa voluptatis illius contactus per ſe ſpectati, *vel* denique cauſa curioſitatis aut leuitatis: quibus prænotatis dicendum eſt cum *S. Thoma*, 2.2. q.154. *art.4. Sanch. c. num.2. Nauar. cap. ſicut de pœnit. d.1. num.13.* quem omnes ſequuntur; quòd:

Oſcula, amplexus, & tactus ex ſe, & obiecto ſuo ſunt res quædam indifferentes, quia eiuſmodi opera ſunt actiones, & ſenſationes quædam, quæ poſſunt bene, & malè fieri, licitè, & illicitè; vnde tactus pudendorum fœminæ factus à viro, eſt res indifferens, quia aliquando poteſt licitè fieri, vt cauſa medendi, vel alia neceſſaria; etiamſi inde delectatio aliqua vel turpis motus ſuboriatur, vel etiam pollutio ſequatur, modò abſit conſenſus in illius delectationem.

3. *Oſcula*, tactus, & amplexus cauſa amicitiæ ſecundùm patriæ conſuetudinem, non ſunt peccata, ſed res per ſe licita: quia ibi nulla eſt turpitudo, ſed caſtus amor, vt patet ex ſcripturis, & vſu omnium gentium: *imò* delectatio inde ſequens licita eſt, quia ſicut licitum eſt delectari amicitia, ita etiam teſtificatione, & vſu ſigni amicitiæ *Ronacina de matr.q.4.punct.9.n.12. Leſſius c.n.56. Roariq.in Sum.com. 1.c.202.n.2. Sanch.c.n.3. & 13. Nau. c.16. n.11. Syln.2.2. q.154. art.4. concl.1. Laym. l.3. ſect.4. num.10. Habenda* tamen ratio eſt decentiæ, & cauendum ſcandalum, etiam puſillorum, & hoc verum etiamſi inde motus ſenſualitatis inordinatus, & venerea delectatio in carne tantùm inſurgeret, modò cohibeatur, & alioqui non ſit periculum conſenſus, nec fiat exceſſus, aut mutatio delectationis ſubinde oriatur: item non eſt mortale, nec ſæpe veniale exoſculari molles infantium carnes, id enim non ex libidine oritur, ſed ex amore teneræ infantilis ætatis, & amore honeſto; alioquin innumeri parentes, & nutrices damnarentur. Vt docet Syluius *concl.4.* poſt *Sanch.*

Sed circa prædicta aduertendum eſt ordinariè peccatum mortale ſaltem ratione periculi non euadere, qui ſub prætextu parentelæ, honeſtæ amicitiæ, moroſis, & repetitis oſculis vtuntur, & ſi enim in aduentu, & valedictione oſculum honeſtum, & leue permittatur; nullatenus tamen permittuntur moroſa, & incongrua repetita oſcula: Nec ſibi de intentione, & affectu caſto blandiantur: tela enim inimici ignita ſunt, & ſagittarius ille inuiſibilis etiam in die pleno caſtitatis ſagittas venenatas emittere nouit. Summum enim eſt periculum in moroſis, & fixis oculis perſonarum alterius ſexus, etiam ex motiuo honeſtatis; etſi enim à motiuo primo honeſto procedant, delectatio tamen in carne illa conſequens ſtatim rapit imaginationem, & potentias rationales, niſi valde leuiter, & leuiſſimo attactu fiant per actum leuiter tranſeuntem. Non minus interdum periculi eſt in moroſis illis puerorum oſculis, & amplexibus, ex quibus natura corrupta interdum impuras delectationes haurit. Etſi enim in puerili carne libido abſit, in ijs tamen, qui incongruè iſtis oſculis vtuntur, non rarò libidinem excaleſcere miſeriæ humanæ probant.

4. *Oſcula*, tactus, & amplexus habita cauſa delectationis venereæ, inter ſolutos ſunt peccata mortalia; iuxta omnium ſententiam poſt *D. Thomam*: *c. art.4. Leſſius c. n.57. Filliuc. tract.30. num.172. Syln. c. art.4. concl.3. Laym. c. num.10.* quia excitare in ſe deliberatè veneream delectationem, inter ſolutos eſt peccatum mortale, ſicut eſt ipſe concubitus, & copula ad quam delectatio illa tendit ex ſua natura, & ſunt eiuſdem ſpeciei, cuius eſt actus ad quem delectatio refertur: duobus autem modis poteſt tactus eiuſmodi exerceri. *Primò*, ſi quis vtatur oſculo tamquam diſpoſitione ad concubitum. *Secundò*, ſi vtatur tamquam ſigno, quo phantaſiæ repræſentetur ipſe concubitus, in vtroque caſu eſt peccatum mortale. Item ex duplici capite tactus impudicus poteſt dici. Primò ex ratione materiali ipſius tactus, vtpotè, quòd in membris verecundis aut libidinoſis mulieris fiat. Secundò, ex ſolo affectu impudico, & libidinoſo: vt tactus manuum, faciei, brachij, preſſio pedis, &c. Prioris quidem generis tactus ſub peccato mortali prohibentur, quia per ſe ad libidinem incitat, & libidinoſis eſt via ad concubitum, & delectationes laſciuas. Tactus verò ſecundi generis, non plus habent malitiæ, quàm affectus impudicus ſuggerit. Ex eo enim totam malitiam accipiunt. Vnde ſi affectus tendat in concubitum vel delectationem carnalem, & libidinoſam, eſt huiuſmodi tactus peccatum mortale, quamuis ſit honeſtus ex natura, & materiali ſuo: quapropter non abblandiantur ſibi, qui ſolas manus mulieris, aut faciem tangunt, ſi enim tactus illi ab affectu ad libidinem excitandam vel fouendam procedant, ſunt peccata mortalia.

5. *Magna* controuerſia eſt inter Theologos, quis ſit dicendus tactus libidinoſus, & venereus? *Caietanus c. queſt.154. art.4.* quem ſecuti ſunt alij recentiores, vt *Valentia*, *Leſſ. Sanches apud Filliuc. c. n.181.* ait non modò eſſe libidinoſum eum, qui fit ex intentione concubitus, vel delectationis concubitus, ſed etiam eum, qui fit ex intentione delectationis ſenſibilis tantùm, quia hic etiam eſt ex ſua natura actus circumſtans coitum, & habet idem motiuum ſeu obiectum moraliter, quòd habet actus quem circumſtat; vnde erit licitus ſi fiat inter coniugatos, illicitus autem ſi inter ſolutos.

Alij verò, vt *D. Th. in q. de mal. Luxur. a.2. D. Ant. 2 p. tit.5. c.1. §.9. Sil. c. concl.4. Rodriq. to.1. Sum. c.202. n.2. Nau. c. ſicut, de pœn. d.1. n.15. Azor. tom.3. l.3. c.25. not.3. Filliuc. c. num.191.* apud *Sanches*, & apud *Filliucium* docent, tunc tantùm eſſe libidinoſum actum, quando fit ex intentione actus luxurioſi, vel delectationis eius hanc ſecundam ſententiam antiquiores; Doctores, vnà cum *Sancto Thoma* complexi videntur, vt videre eſt apud *Filliucium*, qui ipſorum verba formalia affert: *Caietani* verò, & aliorum ſententia, nec videtur ad mentem *S. Thomæ* nec omninò vera: quia ratio libidinoſi, in oſculis, & amplexibus, eſt ſeparabilis ſecundùm ſe, quia hæc poſſunt fieri ſine peccato, & libidine; vnde ratio delectabilis, ſecundùm ſenſum tactus, & ratio libidinoſi, diuerſæ ſunt realiter, vnde ſecundùm hanc ſententiam dicendum eſt, tantùm libidinoſum, & venereum dici eum, qui fit propter delectationem peccati mortalis in materia luxuriæ; non autem, qui fit propter delectationem ipſius ſecundùm ſe, vt habet adiunctam molitudinem, leuitatem moderatam, caliditatem, & alias qualitates primas, vel ſecundas naturaliter.

6. *Tactus*, oſcula, amplexus, quæ fiunt cauſa delectationis ſenſibilis, quæ eſt in ipſis, variè diſtribuntur, & vocantur à Doctoribus, *Caietanus c. art.4.* enim vocat *delectabiles* ſecundùm ſenſum tactus, & libidinoſos, quem loquendi modum plerique ex Summiſtis ſecuti ſunt. *Azorius c not.* docet hoc dictum *Caietani* eſſe ſeuerius, & dicit oſcula tunc eſſe libidinoſa, quando fiunt ob delectationem capiendam ex eis, qualis capi ſolet antecedens vel comitans, vel conſequens copulam. *Leſſius l.4. c.3. dub.8. n.58.* vocat per ſe *delectabiles* carni, & remotè diſponentes ad ſeminationem. *Sanches de matr. l.9. d.46. n.4. & 6.* vocat *delectationem* ſenſibilem venereum, & libidinoſam conſurgentem ex ipſis tactibus ſiſtendo in ea. *Comitolus l.4.q.20. n.6. Filliuc.*

*hinc. c. n.*180. & 194. vocat *tactum* primarum qualitatum qualis eſt leuitas, & mollitudo. His viſis *dicendum* eſt, hos actus ſecundùm probabiliorem ſententiam, meliùs vocari delectabiles ſecundùm ſenſum tactus, vel ſecundùm primas, aut ſecundas qualitates naturales mollitiei, leuitatis, quàm libidinoſos, aut venereos, quia ex ſe poſſunt haberi ſine vlla libidine, & venerea commotione, ſiue illi tactus fiant in partibus pudendis ſine non, quia ſpeculatiuè loquendo, & in rigore ſolius tactus delectabilis, vt eſt quid molle, calidum, leue, & huiuſmodi, abſque periculo, & ſenſu libidinis vel pollutionis, eadem videtur eſſe ratio de illis, ac de alijs corporis partibus. Ita *Layman, c. num.*10. *Sylueſter* 2. 2. *q.*154. *art.*4. *concl.*4.

7. *Probabile* eſt iuxta *Soſam* 4. *d.*34. *q.*1. *art.*2. *Martin. de Magiſt. Vmber. Gabr. Nau. Anton. Nider. Marg. confeſſor. Vguer. Rodriq. apud* tactus, amplexus, & oſcula, quæ fiunt ob ſolam delectationem ſenſibilem, quæ in ipſis eſt, abſque admixtione alterius delectationis concubitus, vel actus luxurioſi, non eſſe peccata mortalia; quia delectatio naturaliter conſequitur actum, & eſt eiuſdem malitiæ. Cùm ergo ſubſtantia tactuum non ſit ex ſe peccatum, nec delectatio conſequens illam erit; *praterea* obiectum non efficitur malum propter delectationem, ſed ideò eſt mala delectatio, quòd verſetur circa malum obiectum, ergo tactus, qui, ea delectatione ſecluſa, mali non ſunt, ratione delectationis non erunt lethales: hæc ſententia multos habet fautores, vt refert *Sanches c. num.*6. Et nouiſſimè *Iacobo Marchantio in qq. Paſtoral. ad Decalog. c.*6. *q.*2. vita eſt non improbabilis, quia voluptas illa ex oſculo capta, videtur ſpectare ad paruitatem materiæ, in hoc genere peccati, & ſolùm remotè diſponere ad voluptatem mortalem, quæ in concubitu carnali eſt, ſic ergo voluptas illa venialis cenſeri poteſt, ſicut quæ remotè diſponunt ad alia peccata mortalia, ſolùm in genere peccati venialis cenſentur, v. g. litigium diſponit ad homicidium, hauſtus immoderatus ad ebrietatem, non tamen mox ſunt peccata mortalia. Nec valet dicere ex Galeno, & alijs medicis, quòd omnis delectatio venerea ſit inchoatio quædam pollutionis, atque adeò pertineat ad mollitiem. Et ſicut inchoatus actus occiſionis eſt mortalis, ita etiam quæcumque eiuſmodi delectatio: Nam reſpondetur, quòd quando inchoatio tam exigua eſt, vt actus moralis non cenſeatur phyſicè ſecundùm ſubſtantiam aut virtute, moraliter loquendo, iam eſſe, ſed ſolùm in diſpoſitione remotiori, aut imperfectiori, non erit talis inchoatio mortalis, etſi actus fuerit mortalis. Et huic etiam ſententiæ ſubſcribit. *Ioannes Caramuel Lobkowitz, in reg. S. Benedicti diſp.*69. *n.*1052. & *ſeq.* probans dari laſciuas actiones, quæ ſint leues iiſdem ferè argumentis, quibus *Marchantius* ſupra. Vt videre eſt infra verb. *Peccatum* 1. n.7. §. *Sanè. Quoad* praxim tamen, vt notant *Filliucius c. num.*176 179. & 195. *Sylueſter* 2. 2. *q.*154. *art.*4. *concl.*4. *Salas* 1. 2. *q.*74. *tr.*13. *d.*6. *ſect.*20. *n.*139. *Vide Dianam* 4. *p. tr.*4. *reſ.*136. Actus huiuſmodi ob delectationem ſolam ſenſibilem aſſumpti, vitandi ſunt ſub peccato mortali, tamquam periculoſi adducendi delectationem concubitus, vel alterius actus luxurioſi, vt pollutionis, & præcipue ſi fiant inter perſonas diuerſi ſexus, habiles ad commiſcenda carnaliter corpora, in partibus inhoneſtis; quia oſcula in iis partibus, non fiunt niſi ex amore libidinoſo, & deprauato, & practicè loquendo, ſemper ſunt oſcula libidinoſa inter non coniugatos. Inter hos autem, etſi non ſint cenſenda peccata mortalia, tamen increpandi ſunt, qui hoc faciunt, tanquàm operis arguentis animum nimis mollem, & libidini deditum. *Sylueſter*, 2. 2. *q.*154. *art.*4. *concl.*6. *Diana p.*3. *tr.*4. *de Sacramentis reſ.*225. Contra *Sylueſtr.* & *Rodriq.* affirmantes eſſe mortale apud *Dianam* citatum.

8. *Probabile* eſt iuxta *Nauarrum, c. ſicut de pœnit. d.*1. *n.*11. & *in man. c.*14. *num.*42. *Sylueſter c. a.*4. *concl.*2. *Laym. c. n.*10. *Graffius* 1. *p. l.*2. *c.*75. *n.*10. *Sanch. de matr. l.*9. *d.*46. *num.*10. *Leſſ. c. dub.*8. *num.*61. *Bonac. de matrim. q.*4. *p.*9. *n.*5. *Filliucius c. c.*9. *num.*199. 200. 201. *Cauet. v. impudicitia*. Tactus, amplexus, & oſcula, ſi fiant ex ſola curioſitate, leuitate, ioco vel alia ſimili, non excedere culpam venialem, ſublato ſcandalo, & periculo quod transierantur in libidinoſos; quia tunc eiuſmodi tactus apprehenduntur ſub alia ratione magis elcuata, & ſpirituali, & conſequenter non habent tantam vim ad commouendam naturam, affectus enim in ijs non quærit voluptatem libidinoſam, nec ſenſibilem, ſed tantùm curioſæ cognitionis, vt ex tactu aliarum rerum mollium, leuium, & moderatè calidarum: & quidem ſi tactus ſint in partibus honeſtis, & non omninò impudicis, probabiliſsimum eſt: *ſi verò* ſint impudici, hoc eſt in partibus impudicis propijs, nec etiam excedunt culpam venialem, quia quando Doctores dicunt tactus eſſe peccata mortalia ſi libidinoſi ſint, vel fiant cauſa voluptatis, quam reſtrictionem non adderent, ſi putaſſent etiam ob curioſitatem fore peccata: idem dicendum de tactibus obſcœnarum partium brutorum. *Si verò* ſermo ſit de partibus alienis, multi etiam excuſant à mortali, ſi fiant ex curioſitate; quia verò res eſt plena periculi, ideò maximè ab his eſt abſtinendum: qui tamen ſimplici tantùm tactu ſecretiores alterius partes in tranſitu tangeret, non eſt facilè damnandus de mortali, vt aiunt. *Filliucius c. Sylueſter* 2. 2. *q.*154. *a.*4. *concl.*3. ſicut *Nauarrus* non damnauit virum, qui fœminæ mamillas iocosè abſque alia praua delectatione tangeret. *Contraria* tamen ſententia, quæ generaliter tactus, & oſcula, ob periculum peccati mortalis ſub mortali cenſet vitandos eſſe, practicè loquendo probabilior eſt.

9. *Tactus, & oſcula* in coniugatis excuſantur à mortali, etiamſi capiantur ob delectationem abſque intentione copulæ coniugalis, modò non adſit periculum pollutionis extra vas. *Sylueſter*, 2. 2. *q.*154. *art.*4. *concl.*6. *Azor. 3. p. l.*3. *cap.*25. *qu.*2. *Henriq. lib.*11. *c.*16. *n.*7. *Comitck de matrim. d.*34. *dub.*11. *n.*113. Ex quo fit, vt etiam à mortali excuſentur verba obſcœna, & aſpectus inter coniuges, ſecluſo periculo pollutionis, deſiderio, aut delectatione alterius ſponſæ. *Notandum* tamen inter coniugatos, tactus, & oſcula cum periculo pollutionis, imò cum pollutione, non eſſe mortalia in tribus caſibus. *Primò*, ſi pollutio accidat reddenti, quia quamuis petens non poſſit petere oſcula cum periculo pollutionis, poterit tamen pati ea, etiamſi polluatur; quia non dat operam rei illicitæ, & hoc eſt præter intentionem eius. *Secundò*, nec etiam in petente, ſi intenderet copulam, & cum iam intendit per oſcula eam excitare, polluitur, propter ſuprà dictam rationem. *Tertiò*, ſi fierent ad excitandum amorem vel ad eum conſeruandum, & tum præter intentionem ſequeretur pollutio, ita Sanches *de Matrim. libro* 9. *diſp.*45. *num.*35. Filliucius *tract.*10. 1. *part. n.*356. Diana *tr.*4. *de Sacramentis reſolut.*217. & *p.*6. *tract.*6. *reſol.*37.

Verùm ab hac ſententia *Sanches, Filliucij*, & aliorum recedit. *Præpoſitus*, 3. *p. de matrim. dub.*25. *n.*186. quia eo caſu poteſt vitari pollutio petendo actum coniugalem, quem coniugatus poteſt exercere: ſi enim dans operam rei alioquin licitæ, & præceptæ aduertat inde ſecuturam pollutionem, quam retenta actione poſſit impedire, tenetur impedire, alioquin, inquit, mortaliter peccabit; cùm ergo coniugatus in hoc caſu poſſit occurrere pollutioni per actum coniugalem, qui non eſt ei difficilis, tenetur illum exercere: propter quam rationem, per ſe loquendo, ſentit idem Author compartem, quæ per modum reddentis tactus, & oſcula cum delectatione venerea patitur vel exercet, teneri actum coniugalem petere, ſi aduertat in ſe pollutionis periculum, & nulla circumſtantia extrinſeca excuſet; alioquin pollutionem cenſendam ei voluntariam, cùm eam poſſit impedire per medium non extraordinarium ſtatui matrimoniali, idque ſine magno grauamine, vt ſupponendum eſt. *Bailla*, cuius opinio in praxi ſequenda eſt, tamquam ſecurior: licet altera ſit etiam probabilis ob Doctorum authoritatem, qui illam tuentur, quia benigna eſt, & in coniuges indulgens.

An autem mortaliter peccet coniugatus in abſentia coniugis ſeipſum tangens propter voluptatem captandam abſque pollutionis periculo, affirmant. *Salas*, 1. 2. *tom.*2. *tr.*15. *diſp.*6. *ſect.*4. *num.*129. *De la Cruz in direct. p.*1. *prac.*6. *ar.*9. *dub.*12. *Vaſques* 1. 2. *diſp.*113. quia coniux non habet dominium corporis proprij in ordine ad vſum veneris ſecum explendum. Sed tantùm habet dominium corporis ſui conſortis; quapropter vtens proprio corpore in ordine ad venerem ſecum, vtitur re aliena, cùm in ordine ad veneris vſum, ſiue oblectationem, corpus proprium ſic erit reputandum ac ſi eſſet alienum; & cùm aliàs talis vſus prohibitus ſit circa materiam grauem, mortale crimen fore cogimur arbitrari. Quamuis *Sanches l.*9. *de matrim. diſput.*44. *n.*16. putet tantùm, cum aliquibus peccare venialiter, eò quòd tactus ille indifferens ſit ad copulam coniugalem vel illicitam; poteſtque ad vnam vel alteram referri; & cum aliàs ex intentione tangentis ſe, à ſua natura, & ab hoc ordine non diſtrahatur, vt ad copulam illicitam ordinetur, quia id ſupponitur, non eſt cur culpa lethali damnandus ſit. Ita *Sanches* cui ſubſcribunt. *Gaſpar Hurtado, de matrim. d.*10. *diſſic.*10. *n.*47. *Petrus Ochagauia de matr. tr.*5. *q.*12. *n.*9. *Prepoſitus* 3. *p. q.*6. *de matr. dub.*26. *n.*188. Sed prior ſententia eſt tenenda, quia licet tactus ille indifferens dicatur in eo ſenſu, quòd ordinabilis eſt ad fornicationem, vel copulam coniugalem; tamen intrinſecè malus eſt,

quate-

quatenus coniuge petitum vitiat propolo corpore in ordine ad veneream lecum expletionem, quod illi prohibitum est, & non in ordine ad explendam cum coniuge quæ absens experitur. Fundamentum autem Sanchez, & aliorum citatorum, videtur esse tantum cultum venæ illam, tactum illius, vertim nec malum: vt fusè docet *Sanchez in relect. disp. 11. num. 36. Diana p. 2. tr. 13. resp. 37. & p. 3. tr. 4. resol. 127. & p. 4. tr. 4. resol. 147.*

10. *Oscula*, & tactus non impudici, qui post fponsalia fiunt: fine quibus delectationis exercitatio haud facilè locum habet, modo non fiant in peccatis paludosis, & non fit periculum pollutionis, vel confectæ copulæ, quia licet matrimonium post hæc copulam licitum sit, magis tamen fas est ab matrimonium fieri tactus licitos. *Tolet. l. 5. c. 15. Sylv. e. v. castitas. 1. Sanchez l. 1. de matr. d. 10. n. 4. & 5. Bonac. d. 3. q. 4. punct. 3. n. 8.* Imò post dicta oscula, tactus, & amplexus ele licita, etiamsi pollutio prævia sequatur, dummodo id faciatur necessitate compulsi ab illa, quæ non consentiat in peccatum, cum multitudo & suffert laborem, nisi tactæ inuictis oculentur, & amplexentur. Et in dicto defectibo exercitio non requiritur copulatio, aſpectibus, & tactus vertim copulatis à pomitis de futuro, continuo, non eſt mortalis: quia eſt de obiecto omnino licito, & reſpicit illud matrimonium, & in quo non adeſt periculum: cui ſatis timeri venialis ſi debitus abſit finis, tanquam otioſa, & quæ non ceſſitate, & petitæ causæ: vt dixit Sanchez docet *disp. 47. num. 18.* Hæc tamen non eſtimo licita inter ſponſalia, & matrimonium ſolutione, ſi Papa dispenſaverit, quia hi de præſenti non iuat affectu tendunt ſponſalia, ſed ſub conditione pendente à futuro. *Certe tamen tamen tenendi, Henriquez lib. 11. c. 19. num. 4. Leſſius lib. 15. n. 1230. & alii*, quia haec delectatio eſt à natura inſtituta ad copulam, qua cum ſit illicita non poſſit eſſe nec in illicito illa haec delectio, vtraque ſententia probabilis eſt. Vide Dianam *p. 2. tr. 3. reſol. 127. & p. 3. tr. 4. reſol. 147.*

11. Non ſolum illicitum eſt mas impudicè tangere feminam, & è contra, verum etiam illicitum eſt tangere propria pudenda: cum non ſit neceſſe ad matrimonium exercitio delectationis vti veneream, ſi quis tamen ea tangat ex cutioſitate, vel leuitate, vel cauſa caſtrationi innata, non peccat mortaliter, qua ita ſe habuiſſent quæ non adeſt natura ſpecialis ad tactum, cum adeſt contactu alieno. Imò interueniente iuſta cauſa aut neceſſitate illicitum eſt impudicum tangere propria pudenda, vt videntur alibi peccato mortali; tunc enim tactus eſt moraliter honeſtus, & conſentaneus rectæ rationi; vt cauſa medendi, quamuis inde patiatur immutationem concupiſcentiæ ſenſibilis, quæ etiam cum periculo pollutionis. *Sanchez. c. num. 14. Bonacc. c. n. 8. Leſſius d. dub. 8. num. 60. Nauarr. de parent. c. 8. cas. num. 13. Diana p. 2. tr. 12. reſol. 158.*

12. *In ſpecimen* eſſitum, vt ſi vir vxi, aut femina feminæ putandum ſit, quod ex delectatione venerea, quæ ex tactu coniugum ſequeretur, mortale peccatum erit, quia tactus illi ad ſolam delectationem pertinens, vt quidam illos inchoatoſpecies eſſet ex quatuor illis, quæ ex duobus abſque animo iungendi illis habetur *Sanchez c. n. 12. Diana tr. 3. reſol. 127. & p. 5. Escobar etiam Sanchez c. n. 12. Bonacc. c. n. 11.* Quia ſi quis ſine neceſſitate, tam inhonellas brutorum partes etiamſi non facias intentione, ſi inſpiciendi ſemina, quia non non exercitur tam vehemens delectatio, vt non indicia ſaginetur, & peccatum mortale. Tactus vero vir hic tactus poteſt accidere à mortali, quia eſt actus minus eſſentialis, & honeſtus, ſi ſupponas ad vitandum libidinem vt docet Bonacina. Vide Dianam *p. 2. tr. 3. reſol. 127.* Vide Dianam circa eapus, iumenta aut alia pecora verſantes, & contendere genere ſuo, quæ ſine peccato quidem poſſunt peccatum mortale fiat, ſed de illo referendum eſt ad ſpeciem bellialitatis, eſt enim ita adquiſitum inchoatus. Nec videntur facile excuſandi, ſi ſuo ſexui ex cutioſitate, aut leuitate, vel ſimilibus peccatum mortale fiat, nihil ſit valde leuiter factus.

13. *Femina* quæ ſponſum ſe ab libidinoſo tangi, & aſtus ſine impudicè, peccat mortaliter non ſe retrahendo, quia concurrit ad actum interiorem malum, & minus periculoſum interiorem ad ex. venereas, quando autem iuſta non extenditur honeſti, & hunc iuxta conſuetudinem patriæ, ad indicandum benevolentiam, & hunc in publico, femina non peccat mortaliter, ſi non retrahendo, & non repellendo alterum: nam repellendo ingereret animo adſtantium ſuſpicionem peccati, & periculo exponeret famam alterius, ſi vero ſunt in ſecreto, peccat mortaliter contra charitatem, non impedendo, ſi commodè poteſt: quia quilibet charitatem tenetur curare, quantum commodè poteſt, & ſine dicto. *Azorius l. 8. p. 1. c. 15. q. 8. Leſſius d. dub. 8. n. 64. Filliuc. tr. 30. c. 9. n. 166. 167. Greſſius l. 1. c. 25. n. num. 11.*

14. *Aſpectus* veterum turpium, ſecundum probabiliorem ſententiam, *Caietani, v. impudicitia, & adelectatio. Nauar. c. 16. num. 21. Bonacc. c. 4. q. punct. 4. n. 11. Leſſius c. 6. n. num. 211.* ob delectationem naturalem ex ſe, & ſecundum naturam, ſubiectum peculiæ tranſeundi ad delectationem veneream, non videtur excedere culpam venialem, quia fecundum ſe aſpectus eſt quantum ad hunc, non eſt ex mala, ſed indifferens, & naturam ſui obſi obiam delectationem ſenſibilem, non eſt finis adeò malus, vt eſſet per aſpectus peccatum mortale, ſi ſit ſine periculo, ob ſolam delectationem ſenſibilem, ſine peccata mortalis, quia tam grauiter non eſt, & magis mouetur, aſpectus autem non ita ordinatus ad veneream, & remotius ad turpia illicita, quam tamen apud *Sanchez c. num. 11. 12. 13. & 14. & Reg. Diana p. 3. c. ſimplex. reſol. 28. Sylv. v. 2. q. 154. ar. 4. con. 2. Filliuc. c. num. 3. & 4.* Quia ſi ſit ſine periculo conſenſus, vtrum ſit ſine ſupponit, attingat ita dicunt ſimiliter eſſe mortales aſpectus obiecti turpis ob delectationem, quæ ex illo conſequuntur, licet illud intentaur: & hæc ſententia eſt ſatis probabilis: *Eatenus* eſt tamen, ſi aſpectus ſit partium ſecretarium delectationem generantium, quia ſunt ſpecialiter, & per ſe delectabiles, vt diximus eſſe, vt ſub mortali ſit obligatio ab illo ſe abſtinendi: licet tandem dum ſi ob ſolam curioſitatem videat aliquas partes ſecretas ſemini tantum, tam non turpiter, vt non dicat mortale magnæ contentionis in corpore; vel à ratione pueritis, aut senilis ætatis: aut ſimiles contemptibiles, quia ſi periculum pollutionis, vel tactus ſit per accidens in aſpiciente, ipſe enim aſpectus eſt mortale: tunc enim ſi periculum ſit certum expiendi delectationem veneream *Praepositum* putenda aſpicere ex cutioſitate non eſſet mortale, ſi periculum ſit probabile, eſſet mortale. *Sanchez c. num. 15. Diana* illa regula ſtruenda eſt in hoc toto genere tactuum, & aſpectuum, vt ſi habitudo ſint connexa non mortale eſt, ſi mortale, mortale eſt, ſi dubium ſit, dubium ſit, tanquam practicè periculoſi ſub eodem peccato mortali ſuggerendi ſunt, ſi de circumſtantiis, & mente incerti ſumus, à tactu vitandi ſunt ſua earum partium, quæ communiter ad libidinem excitant. Vide *Reginaldum tom. 2. lib. 22. c. 1. num. 7. Filliuc. c. n. 210. Sanchez c. n. 18. 19. 20. Bonacc. c. num. 13. Diana c. 2. reſol. 168.*

16. *Fatile*, quæ ſit præter complacentiam adulterii, à quo ſe cohibere poſſit concupiſcentiam, ſimiliter peccatum generali facultati, quando data opera ſe præbet illius complacentia, abſque vlla neceſſitate: ſeu potius ex quadam vanitate, non a ſe cohibet concupiſcentiam, quæ ſine facile ſe cohibere poſſet, ſine vel leuitate, aut ne putet ſe ſui laborem, vel ſimilibus, exeundi domo, vel ſtandi ad oſtium domus, vel ad feneſtram, non videtur mortaliter. *Sanchez l. 1. de Sanct. d. 10. n. 8. Nauar. c. 14. num. 29. Diana tr. 1. reſol. 17. & p. 2. tr. 12. reſol. 122. c. 18. & 19. Bonacc. d. 3. q. punct. 4. n. 11.* Quæ ſententia acceptum quadantum. Vide *Sanchez num. 10.*

17. *Ornatus* feminæ virorum vel mulierum, eſt delectio ornamentorum, quibus vtuntur ad ornandum ſuum corpus, & quidem indumenta eſt autem peccatum mortale vel veniale. *Primo*, ſi quæ te ornat ex animo, vt eo magis poſſit adamari: aut inducit homines ad illos peccata mortalia ex ſe vel moraliter. *Secundo*, ſi eum ſolicitudinem in illo ponat, vt propterea negligat neceſſaria ad ſuum ſtatum. vt Miſſam in die feſto. *Tertio*, ſi illis non eſt contenta, formine oſtendant pectora nuda, vt publicheres videantur, vbi eſſet conſentiendo excitari poſſint, quamuis præſtare auferri talem conſuetudinem. *Quarto*, mulieres tacta, & genuflexa, & pingeres, vt alios rapiant ad ſe concupiſcentiam inſpectum mouendo. Si id agant ad regendum aliquam ſexe ſuo malum, vel quam deficiens vtio, vel vt ei magis grata ſint, non eſt peccatum. *Quarto*, ornare ſe ſplendide pro decentia ſui ſtatus, & more regionis, modo id ſit bono fine, non eſt peccatum etiam mortale, ſi

ciatur ad eius concupiſcentiam: immò ornare ſe vltra decentiam ſui ſtatus, modò abſit malus animus, & ſatisfaciat debitis, & legatis, non eſt peccatum mortale. *Sextò*, ornare ſe moderatè ob ſolam vanitatem, oſtendendo ſuam pulchritudinem, & elegantiam corporis, abſque alio malo fine, non eſt mortale. *Septimò*, portare veſtes ita ſubtiles, vt verenda appareant, eſt mortale propter ſcandalum. *Leſius l.4.c.4.dub.14. Nau. cap.16. n.14. & Cajet. & Sylu. v. ornatus Filliuc. tr.30. c.10. n.221. Bonac. c.n.25. Graffius 1.p.l.2. c.77. n.5. Nau. c.14. n.37. Dian. tr.1. miſc. reſ.30. p.2. Turrian. 22. diſp.69. d.2.*

18. *Turpiloquium*, id eſt, verba turpia proferre, ſcribere, vel audire, non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens, ac proinde huius honeſtas, vel malitia pendet ex circumſtantijs adhibitis, ac fine proferentis, ſcribentis, vel audientis verba illa turpia: vnde ſi fiat animo oblectandi ſe rebus ipſis turpibus narratis, & obiectis imaginationi eſt peccatum mortale: ſi verò fiat propter delectationem, quæ ex narratione præcisè capitur, abſque alia praua intentione, vel abſque affectu venereo, eſt peccatum tantummodò veniale; quia hæc delectatio remotè ſolum diſponit ad turpia: per accidens tamen verba illa turpia, cantiones vel geſtus, poſſunt eſſe peccata mortalia, vt ratione ſcandali adſtantium; cùm audientes ſunt ſpiritu debiles, & non probatæ virtutis, & verba aut cantiones ſunt valde laſciuæ, & inhoneſtæ. Ita *Sanches de matrim. l.9. d.46. n.34. & ſeq. Azor. 3. p. l.2. c.25. q.1. Graſſius 1.p.l.2. c.75. Filliuc. tr.30. n.212. & præced. Tolet.l.5.c.14. Nau. c.16. num.14. Sylu. 2. 2.q.153. a.5. concl.1.2. & 3. Sanc. in ſelect. diſp.21. n.20.*

19. Non eſt mortale comœdijs intereſſe, vbi nec res turpes repræſentantur, nec modus repræſentandi eſt turpis; vel ſi hæc concurrant, audiuntur ob ſolam vanam curioſitatem, abſque periculo probabili lapſus in aliquod peccatum mortale: at quando turpia repræſentantur, vel modus eſt turpis, audiunturque ob delectationem ex ipſis turpibus rebus conſurgentem, aut cum probabili ruinæ periculo, eſſet lethale: componentes verò aut repræſentantes comœdias, quæ res valde turpes ad venerem excitantes continent, peccant mortaliter: idem dicendum de ſcribentibus aut interpretantibus libros turpes, & plenos laſciuijs, quia ex ſe præbent hi ſufficientem cauſam ruinæ, ſicut pingentes turpia, vt Venerem aut Adonidem detectis pudendis, aut diaphano velo opertis. *Sanches de matr. l.9. d.46. num.41. & ſeq. Filliuc. c.num.210.211. Bonac. c.n.23. D. Anton. tit.3.c.7.§.5. Sylueſt. Ang. v. Iudus.*

20. *Choreæ* ex ſe non ſunt illicitæ, neque damnandæ peccati mortalis, ſed tantùm ex mala intentione vel abuſu, vel probabili periculo libidinis in aliquo, vel ex aliqua circumſtantia, *puta* loci, ſi fiant in loco ſacro, aut temporis, ſi fiant tempore celebrationis diuinorum officiorum, & arceant ab illis. *Tertiò*, ratione perſonarum, vt ſi à clericis exerceantur, quibus iure communi prohibitæ ſunt. *Quartò*, ratione modi, ſi fiant modo impudico, & laſciuo: his ſublatis circumſtantijs, & ſublata peccandi occaſione, non peccant mort. qui eas ducunt: etiamſi eas ducant diebus feſtis: & *ratio* eſt, quia choreæ ſunt ſigna publicæ lætitiæ, & ſunt receptæ per conſuetudinem, ſæpeque ſunt conciliatrices benevolentiæ inter adoleſcentes, & puellas, vnde contrahuntur matrimonia inter eos; tollendi ſunt tamen abuſus ſi qui miſceantur. *Sylueſter, Angelus, v.chorea. Azor.c. c.26. Bonac.c.n.24. Filliuc. c.n.223. Lopez 2.p.c.31. v.3. Nider in decalog.præcep.6. cap.3. num.4.*

21. Quando in tactibus, aſpectibus, & verbis turpibus fuit commiſſum peccatum mortale, aperienda eſt communiter in confeſſione circumſtantia perſonæ, tam agentis, quàm patientis, circa quam aut à qua habita fuit delectatio mortalis, in tangendo, aſpiciendo, &c. quia hæc delectatio eſt eiuſdem malitiæ cuius eſt actus conſummatus, & tendit ad conſummandum actum. *Bonacina, c.n.16. Sylu. 2.2. q.154. a.4. concl.5. Sanch. c. n.18. 31. & 46. Cajet. v. Impudicitia.*

Plura de impudicitia v. *Delectatio. Debitum coniugale* 2. *Diuortium* n.5. *Luxuria.*

INCESTVS.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit inceſtus?*
2. *An inceſtus ſit grauiſſimum peccatum mortale?*
3. *An omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei?* referuntur variæ ſententiæ.
4. *An gradus inceſtus exprimendus ſit in confeſſione?*
5. *An copula habita inter confeſſarium, & pœnitentem reducatur ad inceſtum? & ſit circumſtantia neceſſario explicanda in confeſſione? & an inceſtum committat confeſſarius ſollicitans pœnitentem ad turpia in confeſſione, vel propè actum confeſſionis?*
6. *Duplicem effectum habet inceſtus cum conſanguinea vxoris in primo, & ſecundo gradu.*
7. *An inceſtus cum conſanguinea propria impediat petitionem debiti?* refertur duplex ſententia, *ſcilicet Canoniſtarum, & Theologorum.*
8. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare in impedimentis, quæ ſuperueniunt matrimonio, & impediunt debitj petitionem. Et an confeſſarij Ordinum Mendicantium id etiam poſſint, ex commiſſione ſui Prouincialis.*

1. INceſtus, *eſt congreſſus cum conſanguinea vel affine intra gradus prohibitos*, id eſt, in quibus non poteſt celebrari matrimonium, quales ſunt omnes gradus conſanguinitatis, & affinitatis ex matrimonio contracti, vſque ad quartum gradum; ex fornicatione autem vſque ad ſecundum: *vnde* qui copulam habet cum perſona deſcendente ab eodem ſtipite, à quo ipſe deſcendit vſque ad quartum gradum, committit inceſtum propter conſanguinitatem; *ſi verò* rem quis habeat cum conſanguineis vxoris ſuæ etiam vſque ad quartum gradum, inceſtus etiam committitur propter affinitatem ex matrimonio conſummato ortam; *ſimiliter* ſi quis copulam illicitam habeat cum Berta, contrahit affinitatem cum conſanguineis Bertæ, vſque ad primum, & ſecundum gradum, & inceſtum committit, quia ex copula illicita inducitur affinitas impediens, & dirimens matrimonium vſque ad ſecundum gradum poſt *Conc. Trid. ſeſſ.24. de reformat. c.4. cap. non debet, de conſang.* Hinc in nomine inceſtus continentur coitus fornicarij ſequentes, vt ſi quis coeat fornicariè cum matre aliena, & poſtea cum filia eius, aut cum duabus ſororibus aut duabus conſobrinis fœminis, aut cum auia, & poſtea nepte eius, aut cum amita, & matertera, & poſtea cum nepte filia ex patre vel ſorore. Item ſi quis fornicariè coeat cum ea, quam frater ſuus aut pater, aut auus, aut conſobrinus antea polluerat per fornicationem. Vide *Leſium, l.4. c.3. dub.12. num.75. Filliuc. tr.30. c.5. quæſt.1. Sylu.2.2. q.154. a.9.*

An autem ſit inceſtus, ſi conſanguinei ſodomiticè commiſceantur, affirmatiuam ſententiam docent *Azorius, p.3.l.3.c.18. q.5. Graſſius de Arbitr. confeſſ. l.2. c.34. n.3.* quando coitus ſodomitici fiunt inter maſculos cognatos in primo, & ſecundo gradu, licèt proprie non ſit inceſtus quantùm ad matrimonium contrahendum, impediendum, aut dirimendum, cùm exinde nulla contrahatur affinitas: tamen ſodomiæ inceſtuoſæ rectè dicuntur, & reductiuè iſtud peccatum pertinet ad inceſtum, vt docet *Sylueſter*, 2. 2. q.154. *a.12.* vnde ſecundùm illum, coitus illi ſodomitici inter cognatos, vſque ad quartum gradum incluſiuè, habent ſpecialem deformitatem, & malitiam præter ſodomiticam, & confitendus eſt gradus, tum conſanguinitatis, tum affinitatis. Verùm hæc ſententia quoad primum, & ſecundum gradum, communiter recipitur in praxi, ſed quoad alios gradus non ita: Fatendum eſt tamen ratione inceſtus, non eſſe caſum reſeruatum abuſum fratris aut ſororis per actum ſodomiticum inter gradus prohibitos, vt ſentit *Diana p.3. tr.4.reſ.101. & p.1. tr.7. reſ.31. & p.7. tr.12. reſ.18.* qui etiam putat probabile in tali caſu, gradus conſanguinitatis vel affinitatis non eſſe in confeſſione explicandos, eò quòd ſint tantummodò circumſtantiæ aggrauantes intra eandem ſpeciem. Imò Sancius *in Selectis diſp.40. num.21.* probabilius reputat nullum inceſtus reatum reperiri inter affines eiuſdem ſexus etiam in primo gradu ex iure poſitiuo, quia iuxta Sanches *de matrim. lib.7. diſp.67. n.8.* nullibi reperitur ſpecialis prohibitio acceſſus ad affines, niſi quando inter illos interdicitur matrimonium, & ideò tota prohibitio copulæ dimanat à matrimonij prohibitione, eſtque illi acceſſoria. Igitur cùm Eccleſia non appoſuerit impedimentum affinitatis inter duos viros affines, aut duas fœminas, fiet, coniunctionem carnalem inter ipſos viros, aut inter fœminas, inceſtuoſam non eſſe. At ſi pater cum filio rem carnalem habuerit, inceſtus labe inquinabitur, quia iure naturæ debita erat reuerentia.

Sed inquires, an coitus ſodomitici inter cognatos qui ſolùm ſunt lege humana poſitiua Eccleſiaſtica, vel ciuili, addant etiam ſpecialem malitiam, eò quòd ſint perpetrati cum ijs, qui ſunt cognati cognatione ſpirituali, vel legali? v.g. ſi quis coeat cum eo, quem baptizauit, vel ex baptiſmo leuauit: Item, ſi quis coeat

cum

cum eo, quem in filium adoptauit, vel arrogauit.

Item, ſi quis coeat cum aliquo, & poſtea coeat cum fratre illius. Reſponſio *Azorij tom.* 3. *l.* 3. *c.* 18. *q.* 4. eſt negatiua, quia nulla extat ſpecialis lex, quæ eos coitus cohibeat præter legem naturalem in genere prohibentem ſodomiticum peccatum; hæc ſententia admittitur vt probabilis à *Diana p.* 7. *tract.* 12. *reſ.* 17. verior tamen eſt ſententia affirmatiua: ſi enim baptizans terminam, & poſtea accedens ad illam copula naturali, peccat contra reuerentiam illi debitam, tamquam ſpiritualiter cognatæ, vt omnes fatentur, cur non peccabit, ſi accedat ſodomiticè ad baptizatum à ſe? nam eo ipſo quòd lex humana poſitiua conſtituit huiuſmodi cognationem ſpiritualem, inde quaſi naturaliter reſultat vt contra rectam rationem ſit non ſeruare erga prædictas perſonas debitam reuerentiam, & pietatem. Itaque poſita illa cognatione iure naturæ exigitur reuerentia, & pietas, contra quam fiet in luxurioſo congreſſu, & non minùs in ſodomitico, quam in naturali.

2. *Inceſtus* eſt grauiſſimum peccatum mortale, vt conſtat ex Scripturis; *Leuitici* 18. 1. *ad Corinth.* 5. & eſt contra reuerentiam, & honorem debitum, in hoc genere actuum, conſanguinitati vel affinitati: & hoc peccatum eò eſt grauius, quò perſona, cum qua copula habetur, eſt magis coniuncta; vnde grauius eſt peccatum, cæteris paribus, inceſtus cum conſanguinea, quàm cum affine, & grauius ſi committitur in primo, quam in ſecundo gradu. *D. Thomas* 2. 2. *q.* 154. *a.* 9.

3. *Controuertitur* inter Doctores, an diuerſitas graduum faciat diuerſitatem ſpecificam, in inceſtu ſiue, an omnes inceſtus ſint eiuſdem ſpeciei: *Nauarrus in man. c.* 16. *n.* 3. *Valent. tom.* 3. *diſp.* 9. *q.* 3. *punct.* 3. aſſerunt omnes gradus conſanguinitatis differre ſpecie, non ſolùm à gradibus affinitatis, & cognationis legalis, ſed etiam inter ſe, & conſequenter omnes inceſtus differre ſpecie, prout differunt gradus. *Diana, de circumſt. reſ.* 31. *p.* 1. & *p.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 234. *Caiet.* 2. 2. *q.* 154. *n.* 9. *Bonac. de matr. q.* 4. *punct.* 16. *num.* 5. & nonnulli recentiores volunt omnes gradus, & omnes inceſtus eſſe eiuſdem ſpeciei, & ſolùm eſſe circumſtantiam aggrauantem intra eamdem ſpeciem, ſicut maior quantitas rei ablatæ in furto; & ideò addunt non oportere eſſe ſollicitum in explicandis gradibus in confeſſione. Quamuis hæ ſententiæ ſint ſatis probabiles, verior tamen, & probabilior eſſe videtur ſententia *Leſſij, l.* 4. *c.* 3. *dub.* 11. *n.* 79. *Azor.* 3. *part. l.* 3. *cap.* 9. *q.* 1. *Filliuc. tr.* 30. *c.* 5. *num.* 96. & aliorum affirmantium gradus conſanguinitatis differre ſpecie à gradibus affinitatis, cognationis legalis, & ſpiritualis, gradus verò conſanguinitatis, non differre ſpecie inter ſe, ſicut nec inter ſe ſpecie differunt gradus affinitatis, & cæteri gradus; & ſecundùm hanc ſententiam, inceſtus commiſſus cum conſanguinea, differt ſpecie ab inceſtu cum affine, vel cum cognata cognatione legali vel ſpirituali; quia multò immanior cenſetur inceſtus cum matre, quàm cum nouerca; cum ſorore, quàm cum vxore fratris, vel alia cognata legali, vel ſpirituali, ergo ſignum eſt gradus conſanguinitatis differre ſpecie à gradibus affinitatis, & ab alijs gradibus impoſitis iure poſitiuo.

4. Iuxta opinionem rectè ſentientium, vt ait *Clauis Regia, l.* 8. *cap.* 4. *num.* 3. *Syln.* 2. 2. *q.* 154. *a.* 9. *Cenineck de pœnit. d.* 7. *dub.* 3. *num.* 13. & 21. *Rodriq. tom.* 1. *Sum. c.* 308. *n.* 3. gradus inceſtus exprimendus eſt in confeſſione, contra *Caietanum*: & *ratio* eſt, quia licet circumſtantia aggrauans non ſit neceſſariò exprimenda in confeſſione; tamen qualitas perſonæ, cum qua commiſſa eſt copula, non eſt circumſtantia actus ſeu peccati, ſed potiùs illud obiectum eſt quid pertinens ad ſubſtantiam actus conſideratiin individuo.

5. *Inceſtus* non eſt iuxta *Filliucium tr.* 30. *n.* 105. *Emman. Sà v. confeſſ. n.* 25. *Caſpenſis to.* 1. *tr. de peccat. diſp.* 2. *n.* 56. *Dian. tr.* 3. *miſcel. reſ.* 11. *p.* 2. *Azor.* 3. *p. l.* 3. *c.* 9. *q.* 5. 6. *Bonac. c. n.* 8. 9. *Rodriq. to.* 2. *qq. reg. q.* 27. *a.* 1. 2. *Nald. v. confeſſ. n.* 26. *Caram. in reg. S. Bened. num.* 1015. *Sanc. in ſelect. diſput.* 11. *num.* 3. niſi metaphoricè copula inter confeſſarium, & pœnitentem, neque circumſtantia neceſſariò explicanda in confeſſione, contra *Sanchez*, & alios; quia inceſtus committitur inter cognatos; Sacramentum autem confeſſionis non inducit propriè cognationem ſpiritualem, cùm in nullo iure expreſſa reperiatur: tamen ſi confeſſarius vratur Sacramento tamquam medio ad ſollicitandam pœnitentem, vel eam ſollicitauerit in confeſſione, vel propè actum confeſſionis, ante vel poſt, non committit quidem inceſtum, ſed ſacrilegium neceſſariò explicandum in confeſſione, ob grauiſſimam irreuerentiam quam irrogat tanto Sacramento, & de hoc crimine cognoſcunt Inquiſitores hæreticæ prauitatis; quia talis incurrit vehementem ſuſpicionem hæreſis contra Sacramentum Pœnitentiæ: & in hac re fides præſtatur vnico teſti, quia difficillimum eſt, vel impoſſibile, crimen aliter probare. Conſule Dianam 4. *part. tr.* 5. per totum. *Notandum* tamen hic eſt, quòd ſi confeſſarius, qui cognouit pœnitentem ſuam; illam baptizauerit, commiſit inceſtum, ratione cognationis ſpiritualis conſurgentis ex collatione baptiſmi: imò *Bonacina* hic citatus ait, parochum habentem copulam cum ſua parochiana, committere ſpeciale peccatum, etiamſi eam non baptizauerit, quia peccat contra proprium officium, tenetur enim ex officio oues ſibi ſubiectas bonis moribus imbuere: & maximè ſi peccatum ſit notorium, vt dictum eſt ſuprà de Epiſcopo fornicante. *v. Fornicatio n.* 5. cuius tamen ſententiam non admittit *Sanchez*.

6. Inceſtus cum conſanguinea vxoris in primo, & ſecundo gradu peculiarem effectum, eumque dupliceм habet: *prior* eſt, quòd impediat petitionem debiti, eò quòd cognoſcendo conſanguineam vxoris, factus ſit vxoris affinis eo gradu, quo ipſa vxori erat ſanguine iuncta: ignorantia tamen affinitatis excuſaret ab hac pœna inceſtui conſtituta. *C. tranſmiſſa* 1. & 2. *de eo qui cognouit conſ. vxoris Leſſ. c. num.* 81. Similiter quando coniux habet tantùm ignorantiam ſolius pœnæ impoſitæ, videlicet; ne petatur debitum, ſcit tamen prohibitum eſſe à iure accedere ad conſanguineam vxoris: tunc non indiget diſpenſatione ſicut nec ille qui tale ius ignorabat. Ita probabiliter *Portel in add. ad dub. reg. v. ignorantia n.* 29. *Dian. p.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 12. *Sanch. de matr. l.* 9. *d.* 32. *num.* 20. Eſt tamen hic aduertendum, ſi quis haberet rem cum muliere in tertio, & quarto gradu cum ſua vxore coniuncta, ſibique eodem gradu affine, non impediri à petitione debiti; quia nullum ius Eccleſiaſticum ſtatuit inceſtum in tali caſu à petitione debiti impedire. Ita *Baſilius Pontius de matrim. l.* 7. *cap.* 33. *num.* 5. *Dian. p.* 3. *tr.* 5. *reſ.* 19. *Rod. tom.* 1. *qq. reg. q.* 63. *a.* 1. qui citat *Nauarrum* apud *Dianam*. Præterea aduertendum eſt, & ex probabili ſententia. *Sanchez, c. l.* 7. *d.* 83. *Propoſitus* 3. *p. de matrim. dub.* 9. *n.* 81. *Dian.* 4. *p. tract.* 2. *reſol.* 43. & aliorum aſſerentium ad affinitatem contrahendam requiri in copula vtriuſque ſeminationem: vnde ſi quis haberet copulam cum conſanguinea, vel affine vxoris, & illa non ſeminauerit, non contrahi vllum impedimentum, & ideo poſſe virum ſine alia diſpenſatione petere debitum ab vxore. *Alter* effectus eſt, quod mortua vxore non poſſit aliam ducere, quòd ſi ducat, multi Doctores volunt, non poſſe debitum ab ea petere abſque diſpenſatione, quam poteſt concedere Epiſcopus: debet tamen hoc peccatum eſſe conſummatum, hoc eſt; vt ſeminis emiſsio ſecuta ſit intra vas naturale, vt dictum eſt.

7. *Nauarrus*, & plerique canoniſtæ exiſtimant, ſimile impedimentum inducere inceſtum cum conſanguinea propria: *Nauarrus in c. tranſmiſſa* 1. & 2. *cit.* tamen ab illorum ſententia recedit, *D. Thomas in* 4. *d.* 34. *q.* 1. *a. vlt. Leſſ. c. n.* 82. *Sanches de matr. l.* 9. *d.* 27. quem communiter ſequuntur Theologi: vtraque ſententia probabilis eſt; quamuis hæc Theologorum probabilior ſit, & tenenda; & *ratio* eſt, quia cùm hæc ſit pœna, non eſt extendenda vltra caſus in iure expreſſos; ius autem, ſolùm interdicit petitionem debiti inceſtuoſo cum conſanguineis propriæ coniugis: vnde infertur huiuſmodi inceſtuoſum, ſi abiq; diſpenſatione petat debitum, peccare lethaliter: quia contrauenit præcepto Eccleſiæ in re graui, & petitio illa debiti, inceſtuoſa eſt, tenetur tamen inceſtuoſus hic debitum reddere coniugi petenti: quia innocens non debet iure ſuo priuari propter delictum alterius.

Aduertendum eſt Epiſcopum poſſe diſpenſare in impedimentis, quæ ſuperueniunt matrimonio, & impediunt debiti petitionem, vt quando matrimonio iam contracto, ſuperuenit impedimentum cognationis ſpiritualis, vel affinitatis, ratione cuius coniux, qui eſt effectus affinis, priuatur iure petendi. Quia quamuis rigore iuris attento nequeat; at ratione conſuetudinis iam præſcriptæ id poteſt. Atque praxis ipſa id teſtatur: paſſim enim Epiſcopi in hoc diſpenſant. Et hoc verum, quamuis ad quoſcumque potentes diſpenſare ſit facillimus aditus. Quia hæc poteſtas, quamuis ordinem duxerit ex neceſſitate medendi periculo incontinentiæ coniugum, at iam ea poteſtas ex conſuetudine præſcripta conuenit abſolutè Epiſcopis, vt docent *Sanchez, de matr. l.* 8. *diſp.* 12. *n.* 13. 15. *Valent. to.* 4. *d.* 10. *q.* 5. *punct.* 5. *Filliuc. tr.* 10. *n.* 308. *p.* 2. Ex conceſſione *Pij V.* viuæ vocis oraculo poterant olim confeſſarij ordinum Mendicantium à ſuis Prouincialibus deputati, diſpenſare cum inceſtuoſis ad petendum debitum: ſed modò cùm omnia viuæ vocis oracula ſint reuocata ab

Vrba-

Vrbano VIII. in bulla, *Aliàs Felicis* 20. *Decemb.* 1631. dicendum est prædictos confessarios id non posse: nisi de nouo illis à S. D. N. concedatur. Verùm *Lezana in sum. to. 3. verb. Assumptus n. 4. & 5.* obseruat hodie adhuc non obstante dicta bulla, posse Regulares dispensare in dicto casu ex quodam priuilegio concesso Monachis Monasterij S. Benedicti Congregationis Vallisoletanæ à *Iulio* 11. anno 1503. quod refert Rodriques in suo Bullario *Bulla* 23. & cuius etiam meminit Sorbus noster *in Compend. Priuileg. Mendic. verb. Dispensatio*. Concurrentibus tamen aliquibus conditionibus. Primò, hos confessarios deputandos esse ad talem dispensationem faciendam per superiorem monasterij, ita vt non sufficiat generalis facultas audiendi Confessiones fidelium, sed requiritur ista deputatio ad hoc munus specialiter; Et mortuo superiore vel amoto qui talem designationem fecit, cessat designatio ab illo facta, eò quod illa est ad nutum concedentis reuocabilis. Secunda conditio est, vt dicta dispensatio efficiatur in Sacramento Confessionis, & non extra: efficiatur in domibus, & Ecclesijs Religionis, & non extra: quæ quidem omnia non erant necessaria ex Priuilegio *Pij V.* & aliorum Pontificum. Monet tamen *Diana p. 6. tr. 8. res. 32.* vt ex his Confessarij Regulares cautè procedant in dispensando super petitione debiti inter vxoratos; quia post bullam *S. D. N. Vrbani VIII.* non deseruiunt priuilegia antiqua. Sed tu Lector iudica. Vide *Priuilegium* 1. n. 8.

De incestu vide *Exheredatio* n. 1. *Matrimonium* 7. num. 73. *Matrimonium* 8. n. 7. *Fornicatio*.

INDVLGENTIA I.

Quid sit indulgentia, & quis possit eam conferre.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit indulgentia?*
2. *Quis possit indulgentias concedere?*
3. *An Summus Pontifex vel Episcopus ante consecrationem possint concedere indulgentias?*
4. *An facultas concedendi indulgentias possit à Papa vel Episcopo, cuicumque etiam laico delegari? Et an indulgentiæ, quæ alicui conceduntur à Summo Pontif. applicandæ imaginibus, &c. possint in alterum transferri, à quo applicentur.*
5. *An Episcopo inferior possit indulgentias concedere absque Summ. Pont. vel Episcopi licentia?*
6. *An ad valorem indulgentiæ necessaria sit aliqua causa finalis honesta, & pia, indulgentiæ proportionata?*
7. *An honor Dei, Ecclesiæ vtilitas, bonum commune vel priuatum sit iusta causa concedendi indulgentias?*
8. *An quando adest iusta causa concedendi indulgentias nullo insuncto opere, possit Sum. Pont. illas absolutè concedere nullum opus requirendo.*

1. SEcundùm communem ferè Doctorum sententiam, *Indulgentia* nihil aliud est, quàm *relaxatio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis concessa homini existenti in gratia à Prælato per applicationem Thes. Ecclesiastici: D. Thom. in supplem 3. p. q. 25. Sylu. ibid. art. 1. Valent. tom. 4. d. 7. q. 10. punct. 1. Nau. de indulg. not. 10. & seq. Suar. tom. 4. disp. 49. & 50. Fillinc. tr. 8. c. 3. q. 1. Graffius in append. l. 2. cap. 1. Henr. l. 7. cap. 1. Regin. l 7. n. 99. Coraub. l. 5. q. 4 5. 6.* Ex hac definitione licet colligere *Primò*, quod per indulgentias homo solùm absoluatur à pœna, quam pro peccatis luere debet in purgatorio. *Secundò*, per indulgentias non remittatur culpa mortalis, aut venialis, sed pœna; Neque obstat in iure aliquando concedi indulgentiam à culpa, & à pœna: sensus enim est, per huiusmodi indulgentiam concedi facultatem eligendi confessarium, qui absoluat ab omnibus peccatis. *Tertiò*, quòd per indulgentias non remittatur pœna æterna, sed temporalis quidem debita peccato actuali, non autem originali: debet tamen priùs culpa auferri per pœnitentiam. *Quartò*, quòd indulgentia non prosit existenti in peccato mortali, non solùm pro remissione pœnæ debitæ tali peccato mortali; verùm neque pro remissione aliorum peccatorum mortalium aliàs remissorum, iuxta communiorem sententiam *D. Thom.* & aliorum. *Quintò*, quòd indulgentiæ non à quolibet concedi possint, sed ab eo solùm qui potestatem habet illas concedendi, qualem habent Prælati Ecclesiæ. *Sextò*, quòd acceptatione Dei conseruetur in Ecclesia Thesaurus; constat non solùm ex infinitis meritis Christi, verùm etiam ex Sanctorum satisfactionibus ipsis superfluis; vnde *notandum* quòd in operibus hominis iusti, duo considerantur, *meritum* scilicet, & *satisfactio*. Meritum non communicatur alijs, satisfactio autem potest communicari: cùm igitur multi sancti, plus satisfecerint, quàm ipsi indigerent, ipsorum satisfactiones superabundantes in thesauro Ecclesiæ conseruantur, distribuendæ per Ecclesiæ Prælatum. Thesaurus hic inchoatus fuit ante Christi aduentum vsus tamen istius thesauri non fuit in veteri lege, quia Christus nondum contulerat facultatem distribuendi thesaurum.

2. *Potestas* concedendi indulgentias secundùm *D. Thomam in addit. q. 26. art. 3. Tolet. l. 6. cap. 31. num. 1. C. cum ex eo, de pœnit. & remiss. Suar. d. 55. sect. 3. Navar. c. not. 32. num. 11. Fillinc. c. c. 4. Sylu. in supplem. q. 26. art. 3.* primariò tamquam in causa efficiente, relidet in Sum. Pont. quia Summus Pontifex tamquam Summus Princeps, & vniuersalis Ecclesiæ rector, iure diuino custos, & distributor est thesauri, iuxta illud Christi ad Petrum, & ad successores eius: *Pasce oues meas*: Episcopus autem, non habet primariò facultatem concedendi indulgentias, sed eam accipit à Summo Pontifice: consequenter potest tantum indulgentias concedere, quantum illi permissum fuerit à Sede Apostolica, vnde illi cum limitatione, & restrictione concessa est hæc potestas: hinc in dedicatione Ecclesiæ, indulgentiam vnius anni, & in anniuersario dedicationis, aut aliàs, concedit solùm indulgentiam quadraginta dierum, & irrita est concessio indulgentiæ facta ab Episcopo, vltra limites sibi præscriptos, quoad excessum solùm: similiter non potest concedere indulgentiam pro mortuis, quia hoc non est illi à iure concessum.

3. Cùm concessio indulgentiarum sit actus iurisdictionis, non ordinis; hinc Summ. Pontifex electus, licet nondum sit consecratus, potest concedere indulgentias, *Reginald. c. n. 123. Graffius c. cap. 2. num. 24. Sa v. indulgent. num. 16. Sylu. c. ar. 2.* Idem dicendum de Episcopo electo, & confirmato, etiamsi nondum sit consecratus: & validæ sunt indulgentiæ concessæ ab Episcopo existenti in peccato mortali, vel excommunicato, modò denunciatus non sit. Vt docet *D. Thom. c. art. 4.*

4. Summus Pontifex de plenitudine suæ potestatis potest delegare cuicumque etiam laico facultatem indulgentias concedendi, Episcopus verò non potest huiusmodi facultatem laico demandare, *Reginaldus c. n. 116. & 177. Suar. c. d. 55. sect. 6. Bonac. tom. 1. disp. 6. q. 1. p. 3. n. 10. & seq. Valent. c. punct. 3. Sylvius c. art. 2.* quia per se loquendo, non potest in iure communi dispensare: potest tamen hanc facultatem suo Vicario, aut alteri clerico delegare, quia hæc facultas concedendi indulgentias, iure ordinario illi competit, ergo potest eam delegare, nisi adsit in contrarium prohibitio: Vicarius tamen Episcopi, non potest absque speciali facultate Indulgentias concedere, quia hæc facultas est quasi reseruata dignitati Episcopali, vt ait *Navarr.* suprà citatus. Idem dicendum videtur de capitulo sede vacante, iuxta communiorem sententiam, vt dictum est supra *verb. Capitulum n. 9.*

Sed rogabis, an indulgentiæ, quæ alicui conceduntur à Summo Pontifice applicandæ imaginibus, coronis, &c. possint in alterum transferri, à quo applicentur? Resp. affirmatiuè stando in iure communi. Tum quia, qui tales indulgentias applicandas accipit, non solùm accipit ipsas indulgentias, sed etiam facultatem eas applicandi cuinam materiæ voluerit; vnde censetur ad hoc munus delegatus; Sed quia delegatus à Summo Pontifice potest rursus delegare, *Cap. final. de offic. iudic. delegat.* & *Cap. cum causam, de appellat.* ideò cùm sit delegatus ad tales indulgentias applicandas, potest alium subdelegare, qui eas nomine suo applicet cuinam materiæ placuerit. Tamen si quis ab alio, quam a Pontifice accipiat talem facultatem, non poterit in alium transferre indulgentias applicandas: quia ex vi subdelegationis terminatur in ipso facultas: & tunc valet regula, quòd *delegatus non potest delegare*. Proinde qui petit indulgentias à Pontifice nomine alterius, ideò iste, non verò qui petit, censetur delegatus, & poterit alterum subdelegare: quia tunc intelliguntur concessæ personæ, cuius nomine petuntur.

Sed quid, si Pontifex concedens benedictiones dicat nolle ab alio applicari posse, quam ab eo, cui conceduntur, an adhuc possint applicari ab alio, si ad ipsum ab obtinente transmittantur? Resp. in hoc casu concurrere voluntatem priuatam Pontificis cum iure communi; nam ratione iuris communis possunt huiusmodi

modi benedictiones ad alium transmitti, vt probatum est, hoc autem prohibetur per voluntatem priuatam Pontificis; quia autem priuata voluntas non præualet legi, & proinde ipsi non derogat: ideò saluo meliori iudicio, possent adhuc ad alium tranſmitti, à quo applicentur; attendendo ad ius commune. Quod autem priuata illa voluntas non deroget in hoc iuri communi, ex eo patet; quia non est voluntas legislatoris, & ideò non æquiualet voluntati publicæ, qua lex sancitur; & consequenter non est tanti ponderis, quanti est voluntas publica legis: & proinde debet cedere tanquam inferioris ordinis, & relinquere in suo robore ius commune. Ita *Pasqualigus in decis. moral. decis.* 492.

5. Nullus Episcopo inferior potest indulgentias concedere, absque Summi Pontificis, vel Episcopi licentia: vnde Abbates, & Prouinciales Religionum, Cardinales, qui non sunt Episcopi, parochi, non possunt Indulgentias concedere, licet Prælati religionum possint alios efficere participes satisfactionum, & orationum quæ fiunt in Religione, antequam in thesauro Ecclesiæ reponantur, vt dicetur infra verb. *Suffragium* n. 1. *Suares c. d.* 55. *sect.* 4. *Henriq. l.* 7. *c.* 31. *Regnal. c. num.* 124. *Nauar. c. not.* 41. *num.* 18. *Syln. c. q.* 26. *art.* 1.

Negandum tamen non est, quòd Prælati regulares poterant olim ex Apostolico priuilegio, & gratia indulgentias concedere, & de facto aliqui Prælati hoc tempore concedunt Indulgentiam plenariam suis subditis peractis visitationibus, sed hæc potestas est ipsis limitata à *Paulo V.* vt dicetur infra n. 12. Ex concessione variorum Pontificum; vt habetur in *compend. priuileg. mendic. verb. Indulgent. quoad seculares* 5. & apud Rodriq. *tom.* 2. *q. reg. q.* 96. *art.* 1. & apud Dianam *part.* 4. *tractat.* 4. *resolut.* 22. possunt Fratres Prædicatores, & Minores, & qui cum ipsis communicant in priuilegijs, concionantes in suis domibus quocumque anni tempore, concedere auditoribus suis 18. annos, & 320. dies indulgentiæ: extra suas verò Ecclesias 18 annos, & 222. dies tantùm. Tempore verò Quadragesimæ in suis domibus sexies 24. & 6. 156. annos, & 24. dies. Debent tamen illas indulgentias expressè concedere in communi nomine suæ Sanctitatis, aliàs essent nullæ. Et has putat *Portel in dub. reg. v. Predicatores num.* 15. non esse reuocatas à *Paulo V.* quia non sunt concessæ fratribus directè, sed sæcularibus.

6. Ex communi sententia omnium Doctorum, ad concedendum indulgentiam necessaria est aliqua causa finalis, quæ moueat concedentem, eaque honesta, ac pia esse debet, & indulgentiæ proportionata, non modò ad vtilitatem, ita vt alioqui culpa committeretur, verùm etiam ad valorem, ita vt à solutione obligationis satisfaciendi absolutè non liberaret, etsi redderet immunem ab iniunctæ pœnitentiæ in confessione obligatione, & multò magis valeret ad alias concessiones, quæ indulgentijs adiungi solent, vt eligendi confessorem, qui possit absoluere à casibus reseruatis, dispensare in votis, & huiusmodi: & *ratio* est, quia cùm Sum. Pont. non sit Dominus, sed dispensator, & distributor Thesauri indulgentiarum, ideò rem sibi commissam distribuere debet iuxta rationabilem Domini voluntatem. *Suar. c. d.* 54. *sect.* 1. & 2. *Filliuc. tr.* 8. *cap.* 5. *Reginald. l.* 7. *num.* 126. *Coninch. d.* 12. *dub.* 6. *Valent. tom.* 4. *d.* 7. *q.* 10. *punct.* 4. *Syln. q.* 25. *a.* 2. *q.* 2. *Dian. p.* 5. *tr.* 12. *ref.* 10.

7. *Iusta causa* concedendi indulgentias, est honor Dei, Ecclesiæ vtilitas, bonum commune, vel priuatum: imò in quolibet actu pio inueniri potest causa iusta ad concedendam indulgentiam, si ex illo aliqua Ecclesiæ vtilitas, & gloria diuina redundet, siue sit actus internus, siue externus, siue fiat tunc, siue futurus sit, siue fiat ab eo, qui consequitur indulgentiam, siue fiat ab alio, vt contingit, quando indulgentiæ applicantur defunctis per modum suffragij: regulariter tamen indulgentia quæ toti Ecclesiæ conceditur, requirit causam communem immediatè pertinentem ad vtilitatem totius Ecclesiæ, vel certè alicuius principalis partis eius, aut vnius regni vel prouinciæ: non oportet autem vtilitatem hanc immediatè esse spiritualem, aliquando enim potest esse temporalis, qualis est defensio Ecclesiæ ab hostibus eius, aut expulsio famis aut pestis à Deo impetranda: denique sufficientissima causa est Christiani populi reformatio, vel spirituale augmentum, quæ causa maximè nunc est in vsu. *Bonacina c. punct.* 4. *Tolet. l.* 6. *c.* 34. *Sà v. inaug. num.* 1. *Graffius c. num.* 44. 47. *Suar. disp.* 54. *sect.* 4. *num.* 4. & *seq. Syln. c. concl.* 1. 2. 3. 4. & 5.

8. Cùm adest iusta causa concedendi indulgentias nullo iniuncto opere, Summ. Pont. potest illas absolutè concedere, nullum opus requirendo: vt si defuncto de Ecclesia benemerito indulgentiam concedat, vt alios hoc pacto trahat ad consimilia merita. Denique fideles, in æstimanda causa indulgentiæ, proniores esse debent in sufficientiam eius, præsertim cùm à Summ. Pontif. conceditur, nec temerè contrarium existimandum est, etsi huiusmodi æstimatio ad fidem non pertineret: quia in facto Principis præsumitur causa, saltem quando non vergit in præiudicium tertij. *Reginaldus c. num.* 196. *Suares c. d.* 54. *sect.* 4. *Filliuc. c. cap.* 5. *Tolet. cit. n.* 6. *Graffius c. c.* 6. *n.* 26.

Vide *Capitulum* num 9. *Iubileus*, *Suffragium*, *Satisfactio* num. 13.

INDVLGENTIA II.

Quæ requirantur ad indulgentiam consequendam; quantum valeant, & quamdiu durent.

SVMMARIVM.

1. *Quis sit capax indulgentiæ? & an Catechumenus*: refertur duplex sententia.
2. *An suscipiens indulgentiam debeat esse in gratia.*
3. *An ad consequendum effectum indulgentiæ requiratur, vt is qui præstat opera sit in gratia toto tempore, quo singula opera præstat?*
4. *An qui præstitit omnia bona opera, vel saltem vltimum opus præscriptum ad consequendam indulgentiam, dum existeret in peccato mortali, consequatur indulgentiam remoto peccato per pœnitentiam?* refertur duplex sententia.
5. *An ad consecutionem indulgentiæ requiratur, vt qui illam est suscepturus, præstet ea, quæ præscripta sunt à superiore? & qualis amissio operis immunis priuet fructu indulgentiæ?*
6. *An possit quis vno, & eodem actu, seu eadem ratione lucrari indulgentias, diuersis vijs concessas?* refertur duplex sententia.
7. *An vno, & eodem tempore, diuersis actibus, possit quis consequi plures indulgentias?*
8. *An indulgentiæ tantum valeant quantum sonant?*
9. *Duplex est indulgentia, plenaria, & temporalis?*
10. *An indulgentia plenaria idem valeat quod plenior & plenissima? & in quo differat à iubileo?*
11. *An indulgentiæ tamdiu durent, quamdiu concedens eas durare voluerit, & non vltra?*
12. *Quis possit indulgentias reuocare? & an cesset indulgentia cessante causa.*
13. *An indulgentia concessa pro mortis articulo semel tantùm accipi possit?*
14. *An indulgentia pro mortis articulo concessa, percipi possit in articulo vero, quando nullum requiritur confessarij ministerium.*

1. SVsceptor indulgentiarum debet esse homo fidelis, viator, vnde infideles nondum baptizati non videntur capaces indulgentiæ, sicut, & hæretici, apostatæ à fide, excommunicati etiam contriti. *Suares c. disp.* 52. *sect.* 2. *n.* 1. & *seq.* De catechumenis autem disputant Doctores, an illis prosint indulgentiæ, quidam enim apud *Henriques, l.* 7. *cap.* 18. *n.* 3. *Diana p.* 5. *tract.* 12. *ref.* 9. *Layman lib.* 5. *tr.* 7. *cap.* 6. *n.* 1. vt *Corduba, Nauarr. Sà*, & alij dicunt indulgentias prodesse catechumenis non per modum absolutionis, & iudicij directè tamquam subditis Ecclesiæ, cùm nondum sint subditi, sed per modum suffragij. Idem docent de catechumenis in purgatorio existentibus: sed probabilior sententia ait, quæ est *Suares, c. sect* 1. *num.* 2. *Coninch cit. disp.* 12. *dub.* 10. *ad finem*, & aliorum, indulgentias catechumenis non prodesse, quia nullus videtur capax remissionis culpæ ex opere operato, nisi susceperit Baptismum, ergo neque videtur capax remissionis pœnæ per indulgentias.

2. Secundum requisitum in eo qui vult indulgentiam lucrari iuxta *D. Thomam*, 3. *p. in addit.* q. 27. *art.* 1. *Reginald. c. n.* 168. est, vt sit in gratia, quia certum est indulgentiam non valere illi, qui est in peccato mortali ad remissionem pœnæ temporalis debitæ ratione illius peccati, in quo perseuerat: quia pœna non potest remitti, nisi priùs remittatur culpa. Vnde si quis iustus habeat venialem culpam nondum remissam, respectu illius non poterit consequi effectum indulgentiæ, quia non potest reatus pœnæ auferri manente culpa.

Hinc

Hinc talis non poteſt lucrari Indulgentiam abſolutè plenariam, quia non dimittitur ei illud veniale, in quo voluntarie manet: & ipſe impedimentum ponit, propter quod illa indulgentia non eſt ei plenaria; ex quo colligere eſt frequenter fieri, quòd plenariam indulgentiam non lucretur, licet Bulla ita ſonet: quia frequenter fit, vt aliquæ parvæ venialibus obnoxiæ ſint, nec illis abſolutè careat, ſed potiùs complectant, non obſtante contritione, & confeſſione mortalium, quorum remiſſionem etiam totius penæ illis debitæ lucratæ ſunt.

Tamen ad effectum indulgentiæ conſequendum, non eſt neceſſaria abſolutio cuiuſlibet veſtigialis culpæ, exiſtit in gratia per contritionem modo in bulla non expetitur confeſſio quando autem haec expetitur, vt ſi dicatur *contritis & confeſſionatis*, ſufficit ſic expectorem eſſe in gratia per contritionem, ſed neceſſaria eſt confeſſio in eo, qui commiſit peccatum mortale poſt vltimam confeſſionem. Si verò nullum mortale commiſit poſt vltimam confeſſionem, probabiliſſimum eſt ita ſentientium plurimorum Doctorum, *Suarez d. 52. ſect. 2. Nauarr. cap. 21. n. 18. Conineh. d. 12. dub. 7. n. 18. Graſſus c. 5. n. 8. Reginald. c. 7 172. Emmanuel Sa v. indulg. n. 2. Rodric. in Sum. c. 183. num. 12. Henriq. ct. 7. cap. 12.* Iuſtificatorem indulgentiam non obligari ad confeſſionem, nili Summus Pontifex aliter declaret, quia talis dicit poteſt contritus, & confeſſus ad effectum conſequendi indulgentiam; cùm habitualiter perſeverent in prima contritione, & confeſſione nonnulli tamen apud *Dianam p. 1. tr. de bulla Cruc. reſ. 107. & p. 5. tr. 11. reſ. 50. Sylu. in ſupplem. q. 27. a. 1. queſt. 1.* contrarium ſentiunt, quorum ſententia in praxi eſt conſulenda, ne putemus ſe poſſe cum expectare lucrandi indulgentiam. Quando autem in bulla expetitur certe confeſſio venialium ad indulgentiam lucrandam, tunc ſine dubio illa ſufficiens eſt illis non, quia, quando expetitur in bulla confeſſio, fermo eſt de confeſſione ſufficiente, quam ſacerdos ſummam habet peccati mortalis, nili aliàs expetiatur, ſic habet communis vſus, & ſenſus Eccleſiæ.

Certum ad minorem claritatem huius, non grauabor hic apponere verba *Sylui* locobic citati: vbi quæritur ad fructum indulgentiæ percipiendum, requiratur confeſſio ſacramentalis?

Reſpondet, eam requiri poſſe, vel vt partem operis iniuncti, vel vt diſpoſitionem ad fructum gratiæ. Si primo modo; eſt neceſſario adhibenda, vtrimque quia haberi poteſt pecca venialia: quia totum opus præſcriptum eſt adimpletum. Si poſteriori, facere illam tenetur is, qui peccati mortalis habet confeſſionem, & non alter.

Pitet, quia confeſſio eſt medium ordinatum ad conſequendam reliquiis veniam peccatorum mortalium. Poſteriùs, quia diſpoſitio, propter quam præcipitur confeſſio, iam habetur. Quando autem exigatur confeſſio, vt pars operis; quando verò tolum, vt diſpoſitio ad fructum gratiæ, docet ipſe Pitet, *Summar. infraſcr.* 2. Quando concedit indulgentia, ſed non niſi iis qui confeſſionem præmiſerint; requiri videtur vt pars operis. Quando concedit contritis, & confeſſis dubium eſt; probabilius tamen videtur, tunc requiri vt diſpoſitionem, ideoque non eſſe neceſſariam, niſi peccati mortalis confeſſionem habentibus. Haec ille.

Sed circa prædicta eſt aduertendum *Gregorium XIII.* concedentibus Confeſſariis Societatis Ieſu, *quod quando ad acquiſitionem indulgentiæ plenariæ vel ſubitus requiſita eſt confeſſio, & Euchariſtia, ſi tamen per etatem, vel per aliud legitimum impedimentum non poſſunt confiteri, vel communicare, indulgentiam, cæteraquam, & qui impoſſibilitatem non recuperant, ſi poſt ſubitum impedimento perfecerint quæ præſcribuntur, indulgentiam conſequuntur, etiamſi dies conſtitutus præterierit.* Haec eſt magna conceſſio, vt ait *Rodriguez* 2. 99. *reg.* 9. 88. *art.* 2. quæ non eſt reuocata per *Paulum V.* quia non eſt indulgentia, ſed priuilegium. Vtrosque *Portal. in dub. reg.* 9. *Indulgentia* n. 8.

Praeterea eſt notandum, quòd ſi fiat duo indulgentiæ diuinis immediatis diebus conſequendæ, quarum vtraque confeſſionem, & communionem requirit, ſatis eſſe quòd quis confiteatur, & communicet in primo, dummodo in ſecundo perſeueret in gratia, & non conſtet expreſſe de voluntate requirenti duas confeſſiones diſtinctas. ita *Turrian. apud Dianam p. 4. tract. 4. reſol. 166.*

2. Secundùm communem Doctorum ſententiam, ad conſequendum effectum indulgentiæ, non requiritur, vt is, qui præſtat opera, ſit in gratia toto tempore, quo ſingula opera præſtat, ſed communiter ſufficit, vt in gratia exiſtat, dum facit vltimum opus, quo poſito conſequitur indulgentia: vnde qui tempore iubilæi leuiter, aut vitiæ Eccleſiæ, dum exiſtit in peccato mortali, confeſſus fuit iubilæum, & deinde communicet in gratia; quia opus præſcriptum eſt *continuandum* indulgentias non debere neceſſario eſſe ſatisfactorium aut applicare ipſas indulgentias; ſed eſt conditio, qua poſita Summus Pontifex applicat indulgentiam & communio vtii conſtat hanc eſſe Summi Pontificis intentionem, cùm ille non præcipiat omnia opera fieri in gratia. *Tolet. lib. 6. cap. 27. num. 3. Nauar. not. 19. & 32. Filliuc. tr. 8. cap. 6. q. 6. Suarez d. 52. ſect. 2. Regin. c. num. 173. Sa v. indulg. num. 2. Dianap. 3. tr. 6. reſol. 18. Sylueſt. v. indulg. 1. n. 6.* Quia aliquando probabile putant idem dicendum, ſi quis ſuſcipiat facram Euchariſtiam in peccato mortali, vel faciat confeſſionem facrilegam, modo non vitiet habitum, ſaltem ſecundum probabiliorem ſit in gratia, & communio non ſit vltimum opus ex requiſitis. Vide Dianam hic citatum, qui idem confirmat. *p. 5. tr. 12. reſ. 17.* citat medium.

4. Probabile eſt, iuxta ſententiam *Henriquez* 1. 7. *c. 9. n. 3. Sylueſt. v. indulgent. queſt. 7. Paludi. in 4. d. 20. queſt. 4.* illum, qui præſtitit omnia bona opera, vel ſaltem vltimum opus præſcriptum in bulla ad conſequendum indulgentiam duntaxat in effectu in peccato mortali, conſequi indulgentiam remoto peccato per penitentiam; quia ſicut per penitentiam reuiuiſcit quodammodo ſtabilis Sacramentalis facta in ſtatu peccati, ita reuiuiſcere videtur indulgentia, quatenus pendet ex opere operato Chriſti, & Sanctorum, quod applicatur vtcunque per indulgentias. Contraria tamen ſententia, quæ eſt *Suarez d. 52. ſect. 2. n. 14. Nauarr. c. num. 21. Regin. c. Filliuc. c. n. 172. Tolet. c. n. 9. Vide Dianam p. 4. tr. 4. reſ. 94. & p. 5. tr. 11. tr. 12. reſ. 04.* Eſt probabilior: quia indulgentia tantum valeat, quantum exprimitur: fed in concedenda indulgentia non exprimitur eum obtinere ſecundum fictionem iuris poſt peccatum. Deinde dicimus indulgentiarum fois Dei amicis aperiri videtur.

5. *Tertium requiſitum* ad conſequendum indulgentiæ eſt, vt qui illam deſiderat, præſtet præcipuè eam præſcriptum opus, in concedente indulgentiæ; quia indulgentia concedituri à ſuperiore ſub conditione talis operis, quo non adimpleto, non obtinente indulgentia, cum dispoſito non ſimiliter, non adimpleto conditione. *Nota* tamen, illum, qui præterminet leuem partem operis iniuncti, tecundum probabiliorem ſententiam ſuſficienti poſſe, non priuari tructu indulgentiæ; quia partem pro nihilo reputatur, præſertim autem materiæ non totum conſtituenda eſt tecundum ſe, & abſolutè, ſed etiam reſpectiuè ad opus iniunctum. Vide *D. Thomam c. 9. 27. a. 1. Nauarrum c. 21. 19. num. 21. Tolet. c. num. 9. Regin. c. num. 176. 177. Suarez d. 52. fect. 5.* Præterea qui cupit obtinere indulgentiam, debet opus præſcriptum per ſe ipſum adimplere, nam ſuperior conferens hac conditione indulgentiam concedere. *Bonacina t. 1. d. 6. q. 1. p. num. 5. Nauarrus cap. 21. num. 19.* Quamobrem, aliquem actum quem iuxta probabilem, vel etiam iuxta probabiliorem opinionem credebat non eſſe neceſſarium ad conſequendam indulgentiam, non confeqit indulgentiam, quia non erat reipſa neceſſarius eſt ad lucrandam indulgentiam: quia communis error, & probabilis opinio non iupplet defectum, cùm nullum grauc incommodum publicum ſequatur, ratione cuius discrimen ſit Summum Pontifex reuocabilem conferre, & ſupplere defectum, ſicut conſtat ſupplere iurisdictionem intereuenientc communi errore, & titulo colorato aut probabili opinione. *Graſſius c. 9. num. 6.*

6. Quidam putant poſſe aliquem vno, & eodem actu meritorio eodem tempore conſequi indulgentias diuerſis vijs conceſſas: Sed melius dicendum eſt, ſtando eſſe intentionem concedentis indulgentias, vnius poſſe lucrari plures indulgentias. Ita *Corduba* qu. 35. *ar. unic. lib. 5. Graſſius c. n. 55. Suar. diſp. 52. ſect. 8. n. 10.* Intentio autem concedentis verobimilior eſt, vt pro qualibet indulgentia conſequenda conferatur de ſpecie operis præſcripti; ille autem qui habet plura grana, & imagines cum priuilegio conſidendi indulgentiæ, lucratur indulgentiam ad quam conſequendam, ſuam determinauit intentionem equi vero ad vnum intentionem intendentem, lucratur ratione omnium ſimul eandem quantitatem. Vide *Dianam part. 5. tract. 12. reſolutionem 11. Pragelis. 3. part. q. 24. de Iubilo, dub. 10. n. 95.*

7. *Quintum* vnus actus non impedit alium, ſed vterque ſimul inhibitete poteſt, poteſt quis vno, & eodem tempore diuerſis actibus conſequi plures indulgentias, *Bonacina catat. num. 31. Suarez in Sum. lib. 1. cap. 14. num. 21.* quia talis diſcipatet præſtare opera præſcripta ad plures indulgentias conſequendas,

das, & ſicut ſe habet vnum opus ad vnam indulgentiam, ita duo ad duas: *Similiter* quando indulgentia conceſſa eſt abſque temporis determinatione, poteſt quis ſæpius eodem die conſequi indulgentiam conceſſam viſitantibus Eccleſiam tali die; quia qui præſtat opus præſcriptum ad conſequendam indulgentiam, illam conſequitur; ſi verò indulgentia conceſſa ſit cum determinatione, & explicatione temporis, v.g. ad vnum vel paucos dies, huiuſmodi indulgentia conceſſa eſt pro vna tantùm vice, niſi aliud exprimatur, quia tempus præſcribitur, vt oſtendatur non poſſe ſæpius eandem indulgentiam obtineri. *Nauar. cit. not.31. num.36. Tolet. l.6. cap.28. Regin. l.7. n.153. Suar. d.57. ſect.2.*

8. Indulgentiæ, ſecundùm communem doctrinam Theologorum, & Canoniſtarum, tantum valent, quantum ſonant: quia ſuperior facultatem habet concedendi indulgentias ad remittendam tantam pœnam, & tantam pœnam vult remitti, quantam ſonant indulgentiæ, ergo. Vnde qui moritur ſtatim obtenta indulgentia plenaria, in cælum euolat abſq; dilatione, & mora, quia indulgentia plenaria ſonat remiſſionem omnis pœnæ. *Vinald. de indulg. tit.9.n.11. Conunch.d.12.dub.6. Suar.diſput.56. ſect.3.Sylu.c.q.25. a.2.*

9. *Indulgentia* duplex eſt, *plenaria*, & *temporalis*; *plenaria* eſt illa, qua remittitur tota pœna ſimpliciter, vel in aliquo certo genere; illa dicitur remittere totam pœnam ſimpliciter, quæ conceditur ſine additione particulæ, *de iniunctis pœnitentijs*, cùm autem additur de pœnitentijs iniunctis, valet ad delendas pœnas reſpondentes pœnitentijs iniunctis, & conſequenter hæc indulgentia remittit pœnas in certo genere. *Indulgentia temporalis* dicitur illa, qua non remittitur tota pœna, ſed tanta quanta in bullis exprimitur, & hæc diuidi poteſt in *carenam, quadragenam, & ſeptenam*: *Carena* accipitur pro indulgentia, qua remittuntur tot pœnæ, quot fuiſſent remiſſæ peragendo pœnitentiam in pane, & aqua quadraginta diebus cum ſeptem annis. *Quadragena* eſt indulgentia, qua remittitur pœna reſpondens pœnitentiæ quadraginta dierum, ſi hæc facta fuiſſet iuxta canones pœnitentiales; idem dicendum de *ſeptena*: vnde quando in bullis conceditur indulgentia ſeptem annorum vel quadraginta dierum, non ſignificatur hominem per conſecutionem talis indulgentiæ liberari à pœnis in purgatorio luendis ſpatio ſeptem annorum, & quadraginta dierum, ſed potiùs obtinere tantam pœnæ remiſſionem, quantam obtinuiſſet, ſi tanto tempore pœnitentias iuxta canones egiſſet, vnde in forma indulgentiarum non dicitur, relaxamus tot annos pœnæ, ſed pœnitentiæ. *Henriq. de indulg. c.15. Tolet. l.6.c.30. Valens.tom.4. diſp.7.q.20.p.3. Nauar.de indulgent. notab.11. Filliuc. tr.8.c.7.q.7. Reginald. l.7. n.150. & 151.*

10. *Indulgentia plenaria* idem valet quod plenior, & pleniſſima, & dicitur pleniſſima ſolùm amplificationis gratia: *Iubileus* autem per hoc differt ab indulgentia plenaria, pleniore, & pleniſſima, quòd in Iubilæo concedi ſolet facultas commutandi vota, & abſoluendi à caſibus reſeruatis. *Tolet. l.6.c.24. n.2. Conunch d.12.n.28. Suares d.50. ſect.4. Reginald.c. n.146.*

11. *Indulgentiæ* tamdiu durant, quamdiu concedens eas durare voluerit, & non vltrà; quia gratia dependet à voluntate concedentis, ipſiuſque voluntatem verbis expreſſam non excedit. *Graſſius in addit. c.8. Suares d.57. ſect.2. n.2. Sa v. Indulg. n.9. Reginald. c.n.158.159. & ſeq. Nauar.c. not.31. n.27.* Vnde *indulgentia* abſolutè, & ſimpliciter conceſſa, per ſe loquendo, perpetuò durat: *indulgentia* verò alicui conceſſa, deſinit eo deſtructo per mortem: conceſſa autem communitati perſeuerat quamdiu manet communitas: conceſſa alicui loco abſq; limitatione temporum, tamdiu durat quamdiu durat locus: *vnde* indulgentia conceſſa alicui templo, quod paulatim deſtruitur, & reædificatur, non ceſſat per reparationem, & reædificationem, adhuc enim cenſetur idem locus: *ſi verò* Eccleſia tota deſtruatur, & iterum in eodem loco ædificetur, adhuc indulgentia durat, modò templum non fuerit deſtructum authoritate ſuperioris, vel domini ſine ſpe refectionis: nam tunc indulgentiæ ceſſarent, cùm priuilegium illud cenſeatur veluti quoddam accidens morale, quod deſtruitur ſubiecto deſtructo. Sed hæc indulgentia in caſu quo Eccleſia tota deſtrueretur, & in eodem loco ædificaretur, aliquibus videtur valde dubia: quia reuera illa eſt alia Eccleſia, non ſolùm phyſicè, ſed moraliter, & ideo indiget noua conſecratione. Aliter dicendum eſſet, ſi non tota ſimul, ſed per partes diueretur: tunc enim numquam prior Eccleſia deſijt eſſe, ſed ſemper moraliter eadem perſeuerauit. Ita *Lugo de Pœnit. diſp.27. ſect.8. n.150.* ſed de his plura apud *Dianam p.5. tr.12. reſ.20. & p.6.tr.7.reſ.32.*

Porro indulgentia quæ conceditur alicui feſto, non transfertur cum officio illius feſti. Si verò cum officio transferatur etiam feſtum, & in conceſſione non fiat mentio diei menſis, ſed ſolùm feſtiuitatis, tunc veriſimile eſt indulgentiam quoque transferri, quia indulgentia conceditur pro die feſto talis Sancti; dies autem feſtus illius eſt, quando eius officium ac feſtum celebratur. Ita *Syluius p.1. reſol. v. Indulgentia* 11. cui adhæret *Diana p.6. tract.8. reſ.31.*

12. *Indulgentia* deſinit eſſe per reuocationem concedentis: quia ſuperior poteſt, non ſolùm validè, ſed etiam licitè, per ſe loquendo, etiam abſque cauſa indulgentias pro ſuo arbitrio reuocare. Imò *ſucceſſor* in dignitate poteſt indulgentias ab anteceſſore conceſſas reuocare, nam ſucceſſor reputatur vna perſona moraliter cum concedente, cùm ſuccedat cum eadem auctoritate: *inferior* verò non poteſt reuocare indulgentias à ſuperiore conceſſas: quando autem Summus Pontifex indulgentiam reuocat, illa non extinguitur antequam reuocatio peruenerit ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat: vnde qui inuincibiliter ignorans reuocationem indulti ſibi conceſſi, confeſſus eſt bona fide peccata reſeruata, vel cenſuras, remanet abſolutus virtute indulti, in quo continebatur facultas abſoluendi à reſeruatis, & cenſuris in ordine ad indulgentiam; quia Summus Pontifex non præſumitur reuocare donec cognitio reuocationis perueniat ad aures eorum, quibus conceſſa fuerat: *non ceſſat* tamen indulgentia ceſſante cauſa, propter quam conceſſa fuerat, quia indulgentia perpetua concedi poteſt ob cauſam temporalem. *Suares diſputation.57. ſection. 2. num. 5. Graſſius cit. cap.8. Reginald. citat. n.161. Syluest. v. gratian.4. Sa v. indulg. n.9. Bonac.c.p.8. n.8. Filliuc. c. c.9. Nugnus q.27. a.4. diffic. vlt.*

Sed quia plurimæ Indulgentiæ olim fuerant conceſſæ diuerſis Ordinibus ac Religioſis, de quibus latè Compend. priuileg. Minorum *verb. indulgentia quoad Fratres*. Et Rodriquez *tomo ſecundo queſtionib. regular. queſt.88. & ſequent.* Paulus V. in bulla *Romanus Pontifex* quæ eſt 21. aliàs XVI. In bullario nouo, reuocauit omnes, & ſingulas indulgentias conceſſas per Prædeceſſores ſuos Summos Pontifices, quibuslibet Regularib. ac Monialib. cuiuſuis Ordinis, illaſq; annullauit, ac decreuit, quòd loco illarum ibi reuocatarum omnes, & ſinguli religioſi gauderent conceſſis in bulla, cuius tenorem in gratiam Regularium Perſonarum apponemus: quia plerisq; hucuſq; ignotus fuit.

PAVLVS PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex in Beati Petri Sede conſtitutus, cui inter alia cœleſtis Indulgentiarum theſauri diſpenſandi cura incumbit, ſolicitè proſpicere debet ac ſolerter, vt huiuſmodi indulgentiarum diſpenſatio, & vſus, ad Dei gloriam, & animarum ſalutem præcipuè dirigatur, & ne ex illarum multiplicitate confuſio, aut inanis interpretatio exoriatur.

§. 1. *Proinde cùm ſel. record. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter magna cum diligentia, & ſollicitudine procurauerit, abuſus, & corruptelas tum in communicando Indulgentiarum theſauros, tum in modo illos recipiendi irreptos tollere, & propterea ſua quadam conſtitutione formam aggregandi, inſtituendi, & rectè adminiſtrandi Societates, & Confraternitates præſcripſerit, licet morte præuentus hanc piam eius voluntatem ad finalem executionem deducere, neque etiam vt cogitauerat, circa indulgentias à pleriſque Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus, Religionibus, & Ordinibus Monaſticis, & Mendicantibus diuerſis temporibus conceſſas aliquid deliberare potuerit.*

§. 2. *Nos, qui nullis noſtris meritis, ſed ſola Dei benignitate ad Summi Apoſtolatus officium vocati ſumus, ſuſceptum à tanto Pontifice Pium hoc opus ad optimum finem perducere cupientes, vbi primum Catholicæ Eccleſiæ regimen ſuſcepimus, Venerabilibus S. R. E. Cardinalibus ad hoc opus à dicto Clemente Prædeceſſore deputatis, de quorum numero, tempore ipſius Clementis Prædeceſſoris eramus; iunximus, vt in illo opere ad vlteriora progrederentur, & Indulgentias Regularibus conceſſas recognoſcerent, iſque recognitis rem nobiſcum communicarent.*

§. 3. *Cùm itaq; præfati Cardinales priuilegia, conceſſiones, & gratias prædictis Religionibus, & Ordinibus conceſſas diligenter inſpexerint, & examinauerint, ac eorumdem Ordinum Superiores, & Officiales plures audiuerint, ac circa eaſdem indulgentias*

varia dubia, & incertitudines, & confusiones adesse compererint, & ex iudicio eorumdem etiam Regularium vel aliquorum ex illis nobis proposuerint valde expedire, pro eorum maiori securitate, & beneficio, vt indulgentias ipsis Religionibus, & Ordinibus ad instar, vel per communicationem aut alio modo hactenus concessas annullaremus, & reuocaremus, ac aliàs particulares illis concederemus.

§. 4. Nos, matura super hoc consultatione præhabita, cupientes personis Regularibus quibuscumque quorumuis Ordinum tam Monasticorum, quàm Mendicantium, spirituale solatium, & iuuamen afferre, infrascriptas indulgentias, & gratias quas personis Regularibus intra claustra, aut extra, cum licentia tamen suorum Superiorum legitima de causa illis concessa degentibus tantummodo suffragari debere declaramus, concedendas duximus.

§. 5. Omnibus igitur Christi fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & Constitutiones Apostolicas habitum regularem à legitimis Superioribus causa profitendi in illo susceperint, die primo eorum ingressus in ipsam religionem, si verè pœnitentes, & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam.

§. 6. Ac cuilibet nouitio, qui pœnitens, & confessus ac Sacra Communione refectus post completum probationis annum professionem emiserit, etiam Plenariam.

§. 7. Necnon cuilibet Religioso intra claustra sua Monasterij viuenti, qui in festo principali sui Ordinis confessus, & sacra communione refectus fuerit, aut Missam recitans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, etiam Plenariam.

§. 8. In cuiuslibet vero mortis articulo, si pariter verè pœnitens, & confessus, ac sacra communione refectus vel quatenus id facere nequiuerit, saltem contritus nomen Iesu ore, si potuerit, sin autem corde deuotè inuocauerit, etiam Plenariam.

§. 9. Qui verò ad Presbyteratus ordinem canonicè promotus, & confessus primam Missam celebrabit, necnon etiam ijs religiosis, qui pariter confessi ac Sacra Communione refecti eidem Missæ interfuerint, aut ipso die Missam similiter celebrabunt, etiam Plenariam.

§. 10. Iis verò, qui de suorum superiorum licentia à negotijs per decem dies alieni in Cella commorabuntur, aut ab aliorum conuersatione separati in piorum librorum, & aliarum rerum spiritualium animos ad deuotionem, & spiritum inducentium lectionibus operam suam dederint, addendo sæpe considerationes, & meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, diuinarum beneficiorum, quatuor Nouissimorum, Passionis Domini Nostri Iesu Christi, & aliorum exercitiorum, orationum iaculatoriarum aut vocalium saltem per duas horas in diem, & nocturnis orationibus mentalibus seipse exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem, aut annualem vel ordinariam, Sanctissimam Eucharistiæ Sacramentum sumpserint aut Missam celebrauerint, quoties pro quolibet prædictorum exercitiorum, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus.

§. 11. Præterea idem Religiosi intra claustra viuentes, qui suam Ecclesiam deuotè visitauerint, & vt præfertur orauerint, consequuntur eadem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Vrbis, & extra eam diebus stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde ac si ipsas Vrbis Ecclesias personaliter visitarent.

§. 12. Omnibus item Religiosis intra claustra vt supra viuentibus, qui quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ in quolibet die quinque Annos, & totidem quadragenas.

§. 13. Iis verò, qui de suorum superiorum licentia in itinere existentes aut extra claustra degentes tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare similiter dixerint, etiam quinque Annos, & totidem quadragenas.

§. 14. Necnon etiam eisdem Religiosis qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi, & sacra communione vltima Dominica mensis huiusmodi refecti fuerint, sexaginta annos, & totidem quadragenas.

§. 15. Qui verò contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient tres annos, & totidem quadragenas.

§. 16. Quotiescumque autem de licentia Summi Pontificis aut suorum Superiorum in ditiones, & terras infidelium aut hæreticorum ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & hæreticos ipsos ad fidem Catholicam conuertendum, & Ecclesiæ gremio reducendum missi fuerint, si pœnitentes, & confessi, ac Sanctissima Communione refecti fuerint, vel Missam celebrauerint, vt melius ad huiusmodi opus sese parare valeant, pro duabus vicibus, videlicet quando itineri se accingent, & quando in Prouinciam vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingressi fuerint, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

§. 17. Et insuper cùm Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis progressu collocare voluerit, vt Religiosis, qui dictis orationibus saltem spatio duarum horarum in diuerso tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, necnon disciplinæ, & obseruantiæ regularis augmento pias ad Deum preces, vt supra dictum est, effuderint, si confessi, & Sacra communione refecti fuerint, aut Missam celebrauerint, Plenariam similiter omnium peccatorum Indulgentiam, & remissionem, vt præfertur, concedimus.

§. 18. Volumus autem vt omnes supradictæ Indulgentiæ, & gratiæ Religiosis regularibus cuiusuis Ordinis tam Monastici quàm Mendicantis diuturnæ, vt præfertur concessæ, etiam omnibus Monialibus cuiusuis regulæ approbatæ, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viuentibus, & perpetuam clausuram seruantibus tam Ordinarijs locorum, quàm etiam regularibus cuiuscumque Ordinis, regulæ, & Instituti subiectis suffragentur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus duraturis.

§. 19. Cæterum omnes, & singulas Indulgentias quibuscumque Ordinibus, & Institutis regularibus huiusmodi etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis regularibus, tam vigore priuilegiorum, & literarum Apostolicarum; quàm viuæ vocis oraculo aut aliàs quouis modo per quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac nos, & Apostolicam Sedem hactenus concessas, confirmatas, approbatas, & innouatas, auctoritate, & tenore, prædictis perpetuò reuocamus, cassamus, annullamus, & abrogamus, & ad præsentium nostrarum literarum præscriptum reducimus, & moderamur.

§. 20. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac eorumdem Ordinum, & Institutorum Regularium, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis, etiam Mare magnum, & Bullaurea nuncupatis, eisdem Ordinibus, & Institutis, eorumque Monasterijs, Conuentibus, Collegijs, Domibus, Superioribus, & personis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumq; totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quauis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis & ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuscumque.

§. 21. Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides habeatur vbiq; quæ præsentib. ipsis originalibus literis haberetur.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die 23. May 1606. Pontificatus nostri anno 2.

Circa hanc reuocationem est aduertendum primò, quod in illa tolum reuocantur indulgentiæ olim concessæ directè ipsis

Reli-

Religiosis, & Monialibus seu Religionibus, quales erant illæ, quibus soli religiosi vtebantur. At non videtur in dicta reuocatione prohiberi quo minus Religiosi lucrentur alias indulgentias concessas à Pontificibus vniuersis Christi fidelibus: tum quia Religiosi etiam sunt fideles: tum quia non sunt peioris conditionis, quàm sæculares: tum quia similes indulgentiæ non sunt concessæ primò, & directè personis Regularibus, sed omnibus Christi fidelibus absque limitatione, & restrictione.

Secundò. Per istam reuocationem non reuocantur indulgentiæ concessæ Regularibus pro defunctis. Ita fertur *Paulum V.* declarasse Congregat. S. M. Fulien. viuæ vocis oraculo facto *Cardin. Bandino* die 23. Februar. 1609. & docet Peregrinus, *1. p. sui compend. verb. Indulgent. num. 9.*

Quare omnes sacerdotes regulares, qui Dominicis diebus, aut in solemnitatibus Domini Nostri Iesu Christi, & B. Mariæ celebrant, & non sacerdotes quotiescumque communicant, consequuntur plenariam indulgentiam per concessionem *Innocentij VIII.* factam Minoribus. Sed istam non possunt lucrari pro se, quia quoad viuos reuocata est per hanc constitutionem. Possunt autem illam applicare pro defunctis. Idem dicendum de similibus indulgentijs pro defunctis concessis: vt refert Peregrinus *loc. cit. §. 12. & 13.*

Tertiò Per istam reuocationem non reuocantur indulgentiæ concessæ pro articulo mortis. Nam quæ speciali digna sunt nota, non censentur tacitè esse sublata, vt dicitur *in leg. Item apud Labeonem §. Ait Prætor, ff. de iniuriis.* Ita *Alphons. Leo 1. p. de Iubil. q. 6. n. 243.* qui id colligit ex quadam declaratione facta ab *Vrbano VIII.* publicata Romæ ab Illustriss. Coccino Vicegerente Pœnitentiariæ, anno Iubilæi 1625. quòd anno iubilæi non suspenduntur indulgentiæ concessæ pro articulo mortis. Quare poterunt regulares in dicto articulo frui indulgentia concessa à *Sixto IV. Eugenio IV.* &c. de quibus Casarub *v. Indulg. quoad fratres.* Et Peyrinus *de priuil. to. 2. const. VIII. Pauli V. §. 19. n. 10.*

Porrò indulgentijs in hac constitutione *Pauli V.* concessis possunt etiam frui religiosi, quando extra proprias domos, & Ecclesias commorantur, visitando altaria Ecclesiarum illorum locorum, in quibus commorantur, siue ibi sint per modum itineris, siue per modum status ad breue tempus. Ita refert *Peregrinus 1. p. sui compend. tit. Indulgentiæ num. 7.* declarasse *Paulum V.* post hanc indulgentiarum reuocationem, viuæ vocis oraculo. Nec suspiceris istud viuæ vocis oraculum esse reuocatum: quia in ista declaratione nulla continetur gratia, solùm declarat Pontifex, per suam constitutionem non esse derogatum huic priuilegio, quod est valde diuersum à concessione gratiæ. Qui enim declarat, nihil de nouo concedit. Et à diuersis non fit illatio.

Item infirmi, & decrepiti religiosi, qui non possunt Ecclesiam adire ad lucrandas indulgentias ab hoc Pontifice concessas regularibus, possunt eas consequi in lectulo suo, dummodò agant aliquod opus pium arbitrio confessarij. Ita declarauit *Paulus V.* Congregationi S. M. Fulie. ann. 1609. vt habetur in eorum compend. *tit. infirmi §. 4.* & referunt etiam *Peregrinus* eodem tit. §. 1. *Peyrinus* loco superius dicto §. 4. Vide etiam de prædictis *Lezanam in sum. to. 1. c. 3. n. 19.*

13. Quidam Doctores non improbabiliter opinantur, indulgentiam pro mortis articulo concessam, semel tantum accipi posse, & consequenter expirare, si semel accepta sit, nisi superior in concessione indulgentiæ aliter expresserit. *Sà v. indulg. n. 5. Fumus v. indulg. n. 23.* Oppositum tamen videtur probabilius, quia propositio indefinita æquiualet vniuersali: propterea facultas absoluendi à reseruatis in articulo mortis, non expirat per vnum mortis articulum, sed adhuc licet ea frui, superueniente nouo mortis articulo, ergo: *Bonacin. c. p. 8. num. 11. Cordub l. 5. q. 39.*

14. Indulgentia concessa pro mortis articulo percipi solùm potest in articulo mortis vero, quando in concessione indulgentiæ nullum præscribitur, seu requiritur confessarij ministerium: quia finis, & intentio concedentis est, vt infirmus decedat ex hac vita absque onere luendi pœnas in purgatorio: huic autem fini satisfacit solum in vero mortis articulo: si verò in concessione indulgentiæ præscribitur, seu requiritur ministerium confessarij, huiusmodi indulgentia accipi potest non solùm in vero, verum etiam in præsumpto, & probabili mortis articulo, alioquin sæpius inanis redderetur huiusmodi concessio. *Nauarrus de indulg. not. ab. 30. num. 3. Regin. l. 7. n. 156. Bonac. c. n. 12. Nugnus in addit. q. 27. a. 4.*

INDVLGENTIA III.

Indulgentiæ pro defunctis.

SVMMARIVM.

1. *An indulgentiarum fructus possint per Pontificem defunctis in purgatorio detentis applicari?*
2. *An indulgentia concessa à Summ. Pontifice pro defunctis, prosint tantum illis per modum suffragij?*
3. *An necesse sit vt sit in gratia, qui facit opus ad consequendam indulgentiam pro defuncto?*
4. *An possit homo in hac vita degens indulgentiam lucrari alteri homini in hac vita existenti?*
5. *An indulgentia pro defuncto acceptata tantum illi prosit quantum prodesset accipienti, si eam pro seipso accepisset? & an indulgentia habeat infallibilem effectum respectu animæ defunctæ:* refertur duplex sententia. *Et de causis cur indulgentia multoties accipiatur pro eodem defuncto?*

1. COmmunis sententia Theologorum in 4. est, indulgentiarum fructus posse etiam applicari, & prodesse defunctis, quando ad illos expresè extenduntur per Summum Pontif. Fundamentum autem huius veritatis est, communis sensus, & traditio Ecclesiæ, quod partim nobis constat ipsa experientia, & vsu, partim ex antiquis Doctoribus, *D. Thoma in 4. dist. 45. q. 2. art. 3. q. 1. Suar. d. 45. sect. 1. & disp. 53. sect. 1. num. 3. Valent. t. 4. d. 11. q. 1. p. 1. Coninch de pœnit. d. 11. dub. 1. Sylvius in suppl. q. 71. a. 10. concl. 1. Supponit* tamen hæc veritas duas alias, *vna* est, esse aliquas defunctorum animas pœnis temporalibus subiectas, & ideò dari purgatorium, in quo animæ detinentur, donec persoluerint pœnas peccatis debitas, pro quibus in hac vita debitam non præstitere satisfactionem: *alia* est, inter viuentes, & defunctos posse esse communicationem suffragiorum, ita vt suffragia viuentium pro defunctis oblata possint illis ad remissionem pœnarum prodesse.

2. *Indulgentiæ* concessæ à Summo Pontific. pro defunctis, quamuis plenariæ sint, prosunt defunctis per modum suffragij, non per modum iudicij, & authoritatis, modò applicentur defunctis in gratia existentibus: ex quo patet *notandum primò*, nullum præter Romanum Pontif. posse indulgentias plenarias pro defunctis concedere. *Secundò*, Ecclesiam non posse animas in purgatorio existentes per modum iudicij soluere, cùm non habeat iudiciariam potestatem in animas in purgatorio existentes, cùm sint extra forum Ecclesiæ. *Tertiò*, indulgentias prodesse defunctis, non per modum iudicij, & authoritatis, sed per modum suffragij, id est, per modum auxilij, & adiutorij Ecclesiastici illis applicari. *Quartò*, quando Summ. Pont. concedit indulgentias pro omnib. fidelibus, non comprehendi defunctos, quia nomine fidelium, simpliciter veniunt viuentes. *Quintò*, indulgentias prodesse defunctis in purgatorio existentibus, non detrusis ad interna loca, cùm extra gratiam sint, neq; etiam beatis, cùm non habeant reatum, & obligationem ad pœnam, pro qua satisfaciendum sit per indulgentias. Vide *Suar. d. 53. sect. 3. Nau. c. not. ab. 22. Tolet. l. 6. c. 32. n. 1. Filiuc. tr. 8. c. 8. q. 5. Reginald. l. 7. n. 193. Bonac. t. 1. d. 6. q. 1. p. 6. num. 9. & 10. Valent. tom. 4. d. 7. q. 20. p. 1. & 5. Sylu. c. concl. 2.*

3. Qui facit opus ad consequendam indulgentiam pro defuncto, non est necesse vt sit in gratia, quamuis requiratur quòd defunctus sit in gratia; licet enim existens in peccato mortali non possit suis operib. satisfacere pro se aut alio, nihilominus potest indulgentiam pro defuncto lucrari, si faciat opus præscriptum ad obtinendam indulgentiam pro defuncto, tunc enim ipse non dicitur satisfacere, sed facere opus, quo posito Summ. Pontif. applicat defuncto indulgentiam, id est, satisfactionem Christi, & Sanctorum: quia indulgentia suum habet valorem ex opere operato, & non dependet à gratia illius, qui pro defunctis indulgentiam lucratur. *Coninch q. 12. dub. 7. n. 39. Henriq. c. 9. num. 6. Tolet. l. 6. c. 32. n. 5. Nau. not. 19. n. 9. Regin. c. n. 195. Portel. in dub. reg. v. Indulgent. n. 24. Dian. p. 5. tr. 12. ref. 38.*

4. Ex concessione Summi Pont. potest homo in hac vita degens, indulgentiam lucrari alteri homini, in hac vita existenti: & hoc verum, quamuis non adsit consensus, & scientia illius, cui applicatur; cùm enim hic passiuè se habeat, non videtur necessarius ipsius consensus vel scientia: *Bonac. c. n. 12. Suar. d. 52. section. 7.*

5. Cùm Indulgentia tantum valeat quantum sonat, hinc fit, vt indulgentia pro defuncto accepta, tantum illi prosit, quantum prodesset accipienti, si eam pro seipso accepisset: vnde Indulgentia plenaria accepta pro defuncto, ad remissionem omnis pœnæ defuncto prodest, modò Deus eam acceptet. *Nauar. not.22. num.50. Reginald. c. num.198. Filliuc. tract.8. cap.8. quæs.13. Bonacin. cit. num.15.* Cur autem multoties indulgentiæ pro eodem defuncto accipi consueuerint, multis de causis hoc fit. *Primò*, quia fieri potest, vt ex parte accipientis Indulgentiam pro defuncto contigerit defectus, propter quem Indulgentia efficiatur irrita, & inualida. *Secundò*, quia fieri potest vt aliquis defectus intercesserit in concessione Indulgentiæ, vt si concessa sit absque vlla omnino causa. *Tertiò*, quia fieri potest, vt Deus non acceptarit Indulgentiam, nam Indulgentia, iuxta quosdam Doctores, non habet infallibilem effectum respectu animæ defuncti, sed liberum est Deo illam acceptare. Ita *Cordub., qu.16. lib.5. Caietanus apud Henriq. cap.7. num.4.* hæc sententia à multis non probatur, & ideò dicunt, tam infallibilem esse indulgentiam, per modum suffragij, quàm absolutionis; & ideò tam infallibiliter habere in defuncto effectum, quando pro illo conceditur, sicut habet in viuente, si cætera sint paria, id est, si in concedente supponatur potestas, & in pia causa sufficientia seu proportio, & quòd opus iniunctum seu conditio postulata sufficienter impleta sit: hanc sententiam dicunt veriorem. *Suares. d.53. sect.3. Valent. c. d.7. qu.20. p.5. Nauarrus not.22. num.18. Coninch d.10. dub.7. n.58. D. Thomas in 4. disp.45. q.2. art.3. Sylu. c. concl.4. Dian. p.5. tract.12. resol.8.* Confirmatur hæc sententia ex verbis Christi: *Quodcumque solueris*, vbi nomine *solutionis*, non intelligitur sola absolutio iudiciaria, sed etiam omnis dispensatio, imò, & omnis fauor, & gratia, ex vi illius potestatis facta, ergo semper est valida, & rata apud Deum, si fiat ex rationabili causa, seu claue non errante. Consulatur Syluius *in supplement. quæstion.71. artic.10.*

Si dicas, ergo Pontifex posset sic certò animam liberare, & consequenter etiam omnes, quia potest pro omnibus ex infinito hoc thesauro pretium sufficiens offerre? Respond. sicut Pontifex non potest dare indulgentiam viuis sine iusta causa, & proportionata, ita nec mortuis, & sic totum illis prodest pro ratione causæ sufficientis: Nec enim ex solo misericordiæ motiuo potest Pontifex quaslibet animas liberare, quia dispensatio thesauri erga illas debet etiam fieri cum moderamine, & discretione.

INFIDELITAS.

SVMMARIVM.

1. *An fides habeat duo vitia contraria?*
2. *Quotuplex sit infidelitas?*
3. *An infidelitas negatiua sit peccatum?*
4. *An infidelitas priuatiua semper sit peccatum?*
   An peccent catholici, negligentes discere articulos fidei, quos scire tenentur?
   An qui sunt in tali ignorantia continò peccent?
5. *An infidelitas positiua sit peccatum mortale?*
   An grauissimum omnium peccatorum?
6. *Quot sint species infidelitatis positiuæ?*
7. *An infideles baptizati possint cogi ad retinendam fidem?*
8. *An infideles, qui numquam fidem susceperunt, sint compellendi ad eam suscipiendam?*
9. *An ritus infidelium, & hæreticorum sint tolerandi?*
10. *An libertas religionis à Principe Catholico possit introduci, & permitti?*
11. *An liceat communicare cum infidelibus vel Iudæis?*

1. FIdes habet duo vitia contraria, vnum per excessum, leuitatem credendi, alterum per defectum, quod vocamus generaliter infidelitatem. Prius vitium est in illis, qui credunt ante euidentiam credibilitatis, ac propterea imprudenter credunt; alterum est in illis, qui fide sufficienter proposita, nolunt credere sicut par est, & defugiunt authoritatem diuinam, siue habeant errorem contrarium, siue non.

2. Infidelitas est triplex, negatiua, priuatiua, & positiua. *Negatiua* est in eo qui potest habere fidem, & tamen non habet sine culpa, sua, vnde dici potest nuda fidei carentia, qualis est in eo, cui fides vel non est annunciata, vel certè non sufficienter, vt fuit in Indis, & Iaponijs, antequam audirent prædicationem Euangelij. *Priuatiua* est in eo qui potest ac debet habere fidem, eamque culpabiliter non habet, etiamsi nullum habeat errorem in intellectu positiuum: vt quando aliquis non vult fidem audire, vel auditam sufficienterque propositam omittit acceptare. *Positiua* seu contraria est, vel in eo, qui res fidei sufficienter propositas recusat credere, vel in eo, qui habet errorem contrarium, in quo genere maxima pars infidelium versatur. Vide *D. Thom. 2.2. qu.10. a.1. Sylu. ibid.* & alios commentatores ibi.

3. Infidelitas negatiua non est peccatum. Nam damnata est à *Pio V.* & *Gregorio XIII.* hæc propositio. *In Bulla Prouisionis nostræ n.65. D. Thom. 2. art.1. Sylu. ibid. concl.1. Infidelitas purè negatiua, in illis quibus Christus non est prædicatus, est peccatum.* Prob. ex scripturis Ioan. 15. num.2. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent*: sed eis, qui infidelitatem habent negatiuam Christus neque per se, neq; per suos ministros est locutus mysteria fidei: ergo peccatum infidelitatis non habent. Et confirmatur, Ad Roman.10. num.10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt.* Hinc D. Augustinus *ep.105. Ignorantia*, inquit, *in illis qui intelligere noluerunt, peccatum est: in ijs, qui non potuerunt, pœna peccati est.* Ratio est, quia nullum peccatum est sine voluntate, hæc autem ignorantia est inuoluntaria, quam depellere non est in hominis potestate, vt supponimus. Vnde patet hanc infidelitatem non facilè contingere circa Deum, vt authorem naturæ, & creatorem omnium, sed maximè circa mysteria supernaturalia fidei Christianæ, vt colligitur ex epist. *ad Rom. 1. n.21.*

DICES, si rectè viuerent infideles, cum auxilio Dei ordinariò sicut possunt, illuminarentur à Domino Deo, ergo ipsis imputanda est infidelitas, quam sic saltem pellere potuerunt? Resp. negando consequentiam, quia inuincibiliter ignorant, se debere rectè viuere ob hunc finem: vnde damnabuntur quidem propter peccata, quæ committunt contra legem naturæ, non tamen ob infidelitatem, quæ nullo modo fuit volita.

4. Infidelitas priuatiua, semper est peccatum. Ratio est, tum quia is cui doctrina fidei est sufficienter proposita, tenetur eam acceptare, ergo si omittit acceptare, peccat. Tum quia hæc infidelitas est in eo qui tenetur habere fidem, & eam tua culpa non habet. *D. Thom. c. art.1. Sylu. ibid. conc.2.*

Petes *primò*, an sic peccent Catholici, qui negligunt discere articulos fidei, quos expressè scire tenentur? Resp. peccare graviter non tamen peccato infidelitatis. Prior pars patet, quia cognitio illorum est necessaria ad salutem; tum per se, tum vt incitemur ad functiones aliarum virtutum, charitatis, misericordiæ, religionis, temperantiæ, &c. Prob. posterior pars, quia sunt fideles, & adhærent diuinæ authoritati, credentes quidquid credit Ecclesia; alioquin amitterent fidem, & desinerent esse Catholici.

Petes *secundò*, an qui sunt in tali ignorantia continuò peccent? Resp. non peccare continuò, sed tunc tantùm de nouo peccant, quando aduertunt, vel facilè aduertere possunt suam obligationem, & non concipiunt propositum discendi, aliàs non contrahunt nouum peccatum, sed manent in antiquo.

5. Infidelitas positiua, semper est peccatum mortale, nisi excusetur ob indeliberationem. Prob. quia est peccatum mortale ex genere, nec admittit paruitatem materiæ: nam contemnere authoritatem diuinam, semper est graue.

Sed petes, an sit grauissimum omnium peccatorum? Resp. negatiuè, quia odium Dei, est omnium peccatorum grauissimum, quia directissimè Deum impugnat. Infidelitas tamen superat omnia peccata, quæ opponuntur virtutibus moralibus, vt sunt homicidium, adulterium, Bestialitas, &c. nam immediatè contemnit authoritatem diuinam, & vt loquitur *D. Ioan.* epist.1. c.5.n.10. *Mendacem facit Deum*, quod intellige quando est directè voluntaria: nam si interpretatiuè tantùm volita est, non est necessariò maior. Vide *D. Thomam c. a.3.*

6. Tres sunt species infidelitatis positiuæ, *Hæresis, Iudaismus, Paganismus.* Prob. qui pertinaciter negat fidem Catholicam sufficienter propositam, vel profitetur Christum expressè, vel non, si profitetur expressè, erit hæreticus; si non, vel tunc vel omnino non profitetur Christum, & erit paganus; vel in signo tantùm & figura, & erit Iudæus. *D. Thomas, 2.2. qu.10. artic.5. Sylueus, ibid. & Malacr. Betan. 2.2. c.13. q.2. Bonac. to.2. disp.3. q.2. punct.7. n.1.*

Ex quibus patet *primò* omnes infidelitates in hac diuisione com-

comprehendi: nam membra consistunt in contradictione. Vnde quamuis idololatræ, & Philosophi differant, quòd hi non credant idola esse Deos, tamen in formali ratione paganismi conueniunt, reijcientes totam fidem, & ne insigno quidem eam profitentes: *Mahumetani* autem tametsi mixtam habeant religionem, & multa nobiscum, ac cum Iudæis communia retineant, absolutè tamen sunt pagani, quia Christi fidem omninò reijciunt, & quod nobiscum credunt, non recipiunt, quia à Christo traditum, sed quia à *Mahumet* approbatum.

Patet *secundò*, ante Christum duas tantùm fuisse species infidelitatis, hæresim, & paganismum; hæresis erat in Iudæo pertinaciter aliquid negante, contra veritatem fidei, quales fuerunt Saducæi, Matth. 22. *n.* 23. paganismus erat in Idololatris.

Patet *tertiò*, neminem posse simul esse hæreticum, iudæum, & paganum; neminem hæreticum, & iudæum; nec hæreticum, & paganum; nec iudæum, & paganum: quia istæ species sibi repugnant.

Patet *quartò*, has species esse accidentales: nam omnis infidelitas habet eamdem specie deformitatem, videlicet, contemptum diuinæ authoritatis; quod autem sit magis voluntaria, vel extendat se ad ampliorem materiam, vel quod profiteatur Christum, nihil videtur facere ad differentiam essentialem.

Dices, ergo sufficiet dicere in confessione, sui infidelis tamdiu; nam dicit speciem, & numetum peccati? Respond. negando consequentiam, quia infidelitati iungunt ferè blasphemiæ quædam, vt contra diuinitatem, contra humanitatem Christi, contra Sanctos, contra sacramenta, &c. quæ valde inter se differunt; ac propterea necesse est etiam exprimere genus hæresis, Lutheranismum, Caluinismum, Libertinitatem, &c. præterquam quod hæc omnia notabiliter confessarij iudicium immutent. Adde eos qui baptizati sunt, non tantùm in fidem peccare, sed etiam in iustitiam legalem; quia subtrahunt se ab Ecclesia, in cuius corpus, tamquam membra quædam inserti fuerunt. Imò secundum *Syluium* tenetur pœnitens confiteri qualitatem errorum suorum in particulari, dicendo in quibus propositionibus errauerit, vtrum v. g. negando diuinitatem Christi, an humanitatem, an veritatem corporis Christi in Eucharistia, an purgatorium, an infernum, &c. eò quòd hæc notabilem addant malitiam, si quidem non mutent speciem. Tum quia, vt in eis possit doceri à confessario de veritate Catholicæ religionis. Tum quia multi Doctores censent has tres infidelitates differre specie, imò, & hæreses inter se. Ita *Sanchez l. 2. moral. c. 7. n. 17. Valent. tom. 3. d. 1. q. 10. punct. 3.* contra *Durand p. 3. tract. 7. ref. 46.* qui post *Reginaldum*, & *Sotum* putat non esse explicandam speciem hæresis: quia omnes materialiter se habent ad speciem peccati.

7. Infideles baptizati, qui fidem aliquando susceperunt, vt hæretici, & apostatæ, possunt cogi ab Ecclesia, vt eam retineant. Ratio est, quia sunt subditi Ecclesiæ, ergo possunt ab Ecclesia cogi, vt desistant ab iniuria Religioni inferenda per hæresim, & apostasiam. Ita *D. Thomas* 2. 2. q. 10. *a.* 8. *Malderus*, *Bannes ibidem*.

Princeps autem sæcularis non potest omnes compellere, sed suos tantùm subditos, & eos pro quibus vel ab Ecclesia, vel ab eorum Principe fuerit requisitus: quia Principes sunt custodes legum diuinarum, & humanarum.

8. Infideles, qui numquam fidem susceperunt, non sunt compellendi ad eam suscipiendam. Quia coactio vt legitimè fiat, debet compellens habere iurisdictionem in eos, qui coguntur; alioquin erit potestatis vsurpatio, sed Ecclesia non habet potestatem in eos, qui numquam fidem susceperunt. Tum quia fides nostra exponeretur contemptui, & periculo sacrilegij: infidelis enim, qui inuoluntariè fidem susciperet, oblata opportunitate illam abnegaret.

Aduertendum tamen est, quòd hi possunt à suo Principe Christiano compelli, vt seruent legem naturæ, siue circa cultum vnius Dei, siue circa mores politicos: si enim Principes non posset infideles sibi subditos cogere ad obseruationem legis naturalis, sequitur quòd ad nullius legis obseruationem cogere illos possit; quia nullæ leges humanæ obligant, nisi quatenus à naturali deriuantur. Non est tamen sæpissimè expediens vt Christiani Principes hac sua potestate vtantur, ne infideles à recipiendo Euangelio auertantur, illorum seueritate, neve grauiora quædam mala eueniant.

Notandum præterea, quòd infideles non possint impedire fidei prædicationem, & vt ne impediant possunt à fidelibus Principibus compelli: cùm enim Ecclesia habeat à Christo ius prædicandi Euangelium per totum mundum. *Matth.* 28. *num.* 19. & *Marci* 16. *num.* 15. consequens est quòd vel bello, vel alijs modis compescere possit eos, qui huiusmodi prædicationem impedire conantur. Ita *D. Thomas* citatus, & alij communiter eius interpretes.

9. Ritus infidelium, qui non sunt baptizati, tolerari non debent, nisi aut propter maius malum vitandum, aut ne maius aliquod bonum impediatur, videatur expedire quod tolerentur. Prior pars probatur, quia ritus ipsorum nihil vtilitatis adferunt, & cùm sint contra legem naturæ, Principis fidelis est, illos extirpare. Posterior pars prob. quia Iudæorum ritus rectè ab Ecclesia tolerantur, etiamsi Iudæi in illis exercendis peccent. Ex hoc enim quòd Iudæi tolerantur in suis ritibus, hoc bonum prouenit, quòd testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus; illi enim ritus continent figuram eius rei, quam nos credimus. Vnde libri eorum, quibus sacra scriptura simpliciter exponitur, tolerantur, quia fidei nostræ non aduersantur, sed potiùs eam confirmant, libri verò quos contra Christum, & Ecclesiæ fidem scribunt, tolerari non debent, sed comburi.

Ritus hæreticorum non sunt tolerandi, quando Principum catholicorum potestate est eos extirpare, vel impedire absque notabili iactura boni communis; quia sunt maximè pernicioſi, & *sermo eorum vt cancer serpit* 2. Timoth. 2. n. 17. Si tamen eorum ritus absque grauissimo Ecclesiæ detrimento impediri nequeant, licitum est eis permittere publicum exercitium suæ religionis: quia licet permittere quædam mala, vel propter aliquod bonum, quod ex eis sequitur, vel propter aliquod malum quod vitatur. Sed plura de his apud *D. Thomam c. art.* 11. *Syluium*, *Lorcam*, *Malder. ibi. Azor. tom.* 1. *l.* 8. *c.* 23. *q.* 18. & 19. *Valent.* 2. 2. *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 7. *Fillinc. tr.* 22. *c.* 5. *q.* 10. *Bonacin. tom.* 1. *disp.* 3. *q.* 2. *pun.* 8. *n.* 4.

10. Libertas religionis à Principe Catholico introduci non potest, neque permitti. Ratio prioris est, quia non licet approbare hæresim, libertas autem conscientiæ non potest sine hæresis approbatione introduci, cùm libertas conscientiæ plures contineat errores contra fidem. *L. nullus C. de sum. Trinit. L. Cunctos C. de hæreticis.* Deinde libertas religionis valde repugnat publicæ tranquillitati, quæ sine fidei vnitate seruari non potest: ex charitate autem, & iustitia tenetur Princeps Catholicus publicæ tranquillitati consulere, ideò non potest ab ipso libertas conscientiæ introduci. Posterioris ratio est, quia qui potest peccatum aliquod impedire, & non impedit, censetur eiusdem peccati cooperator, & particeps, nisi iustam ipsius permittendi causam habeat. Vnde *Paulus V.* numquam voluit concedere facultatem Catholicis Principibus permittendi libertatem religionis sectatoribus hæreticæ prauitatis, quamuis ex denegata libertatis concessione asperrimum, & diuturnum bellum cum periculo amittendorum regnorum, & prouinciarum ingrueret, vt testatur *Bonacina* citatus §. 1.

Verùm quamuis Princeps aut Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debeat libertatem religionis, si tamen id facere non possit sine grauiori incommodo boni publici, & Catholicæ religionis, potest eam tolerare, tamquam minus malum, ad euitandum maius, quod alioqui sequeretur: Ex duobus enim malis, minus est eligendum, si vtrumque euitare non possumus. Ratio est, quia tunc illud minus malum non eligitur præcisè, vt malum quoddam est, sed vt medium vtile ad euitandum maius malum, ac proinde eligitur sub ratione boni vtilis. Ita *D. Thomas c. art.* 11. *Cajet. ibi. Cap. nemo*, *dist.* 13. *Molina tr.* 2. *de iust. & iur. disp.* 335.

11. Licitum est communicare cum infidelibus non baptizatis in rebus politicis ac ciuilibus, quales sunt, contractus ciuiles, & politicæ conuersationes, vt emptio, venditio, conuiuia, modò non sit periculum seductionis, aut scandali; cum illo autem periculo non licet. Ratio est, quia iure naturæ quilibet tenetur abstinere ab ijs, quæ sibi ruinæ causam afferre possunt.

Communicare autem cum infidelibus, in ijs rebus, & actionibus, quæ directè pertinent ad cultum infidelitatis, opera religionis ipsorum faciendo, nullo modo est licitum; quia hoc esset eorum sectam profiteri, & veram fidem negare vt colligitur ex illo 2. Corinth. 6. n. 14. *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. Licitum tamen est infideles admittere ad prædicationem verbi Dei, non autem ad auditionem totius missæ, sed tantùm ad missam cathecumenorum, vt statuitur. *Cap. Episcopus, de consecr. dist.* 1. Ita *D. Thomas c. art.* 9. *Syl. Turrian. Malder. ibid. Fillinc. tr.* 22. *n.* 128. *Bonac. c. punct.* 6. *num.* 1.

In multis casibus specialiter prohibetur communicatio cum Iudæis. 1. est cohabitatio *Cap. Iudæi* 2. *de Iudæis* 2. ne Christiani comedant azima Iudæorum, secluſa tamen necessitate. 3. aduocatio Iudæorum ad medendum, secluſa necessitate. 4. receptio medicinarum à Iudæis paratarum. 5. Ingressus in idem balneum, ita vt fidelis communicet cum Iudæo in eadem lotione. 6. conuiuium cum Iudæis, saltem quando Iudæi cibos discernunt, & aliquos respuunt; modò Catholicus non sit missus ad curandam conuersionem Iudæorum. 7. ne Christianæ mulieres nutriant filios Iudæorum in domibus ipsorum Iudæorum. 8. ne Christiani accedant ad nuptias, vel solemnitates Iudæorum, nec choreas cum ipsis ducant, nec ipsorum synagogas inuisant ijs temporibus, quibus superstitiosa ab ipsis celebrantur. 9. Ne Iudæi admittantur ad publica officia inter Christianos. Isti omnes casus colliguntur ex *Cap. ad hæc, cap. nullus cap. eisi Iudæos, de Iudæis, cap. omnes*, 28. *quæst.* 1. de quibus *Syluest. v. Iudæi n.* 2. *Caiet. in Sum. v. Iudæorum communicatio. Bonacin. c. punct.* 6. *Sylu. c. art.* 9. *Fillinc. tract.* 22. *cap.* 5. *q.* 1. *Sanch. l.* 2. *moral. cap.* 31. *n.* 4. *& seq.*

INTERDICTVM I.

Quid sit interdictum, & quotuplex.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit interdictum? & de eius diuisione in locale, personale, & mixtum.*
2. *An interdicto loco censeatur populus interdictus?*
3. *Quid sit interdictum locale generale?*
4. *Quid sit interdictum personale generale?*
5. *An ciues communitatis interdictæ, qui absunt dum fertur interdictum, subiaceant interdicto?*
6. *An amentes, & pueri carentes vsu rationis, censeantur interdicti, interdicta communitate?*
7. *An interdicta aliqua ciuitate intelligantur etiam interdicta suburbia?*
8. *An interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, censeantur etiam interdictæ religionum Ecclesiæ?*
9. *An interdicta Ecclesia, intelligantur interdictæ capellæ, & cœmeteria contigua Ecclesiæ?*
10. *An in interdicto personali, vel locali includatur index, qui tulit interdictum?*

1. INterdictum *est ecclesiastica censura, sacramentorum, vsum, diuina officia, & sepulturam Ecclesiasticam secundum seipsam prohibens. Cap. non est nobis de sponsalibus, interdictum*, aliud est *locale*, aliud *personale*, & aliud *mixtum*. *Locale* est quo directè interdicitur locus, ne in eo diuina officia audiantur ab incolis vel extraneis: quamuis personæ loci interdicti possint alibi audire diuina officia. *Personale* est, quo prohibetur populus, vel aliqua persona particularis, audire diuina officia vbicumque sit, & ideò immediatè dirigitur ad personam, differtque à locali, quòd non terminetur ad certum locum. *Mixtum* verò complectitur locale, & personale, quare hoc interdictum interdicit locum, & personas simul. Vnumquodque illorum potest diuidi in *simplex*, & *mixtum*, hoc est generale tantùm; aut particulare tantùm, aut generale, & particulare simul. *Nauarrus c.* 27. *num.* 164. *Tolet. l.* 6. *cap.* 21. *Fillinc. tr.* 18. *num.* 1. *Suares de cens. dis.* 32. *sect.* 1. *& 2.*

2. Interdicto loco, non censetur interdictus populus, nisi aliud exprimatur: & posito interdicto personali, non censetur positum interdictum locale, nisi hoc exprimatur à iudice. Vnde interdicta aliqua Ecclesia possunt Sacerdotes illius Ecclesiæ in alia Ecclesia persoluere diuina officia, modò ipsi non fuerint in causa culpabili, ob quam latum sit interdictum; qui enim causam dederunt culpabilem interdicti localis, nullibi possunt audire vel persoluere diuina officia: posito autem interdicto locali, non possunt ciues illius loci, imò neque exteri celebrare in loco interdicto. *Reginaldus, lib.* 32. *tr.* 3. *c.* 25. *num.* 5. *Syluester v. interdict.* 2. *n.* 7. *Cap. sicut, de sentent. excom. in* 6.

3. *Interdictum locale generale* illud est, quo interdicitur locus vniuersalis, vt regnum, aut prouincia, aut diœcesis, aut ciuitas, aut villa, aut castrum. Vnde interdictum parochiæ est generale, si per parochiam intelligatur totus ambitus alicuius castri: si verò in ciuitate, oppido, vel castro sunt aliæ parochiæ non est generale, sed speciale, multò magis erit interdictum speciale, non generale, quando interdicuntur aliquæ Ecclesiæ vel omnes cuiuscumque loci. Propterea diuina officia celebrari poterunt extra Ecclesias, videlicet in domibus priuatis, in quibus aliqui habent priuata sacella. *Suares c. sect.* 2. *num.* 7. *Fillinc. c. num.* 5. *Henriq. cap.* 41. *l.* 13. *num.* 3. *Sayr. de censur. l.* 5. *cap.* 2. *num.* 13. *& 14.*

4. *Interdictum personale generale* est, quo interdicitur generaliter populus totius regni, vel prouinciæ, vel ciuitatis, vel villæ, vel castri: speciale verò, quo interdicitur pars aliqua populi, & communitatis. *Valentia, tom* 4. *d.* 7. *q.* 18. *punct.* 2. *Nauar. c. n.* 167. An autem interdicto clero censeantur interdicti religiosi; affirmant *Suares, c. sect.* 2. *num.* 17. *Couar. c. Alma p.* 2. *§.* 1. quia populus distinguitur in populum, & clerum, sed religiosi non comprehenduntur sub nomine populi, ergo comprehenduntur sub nomine cleri: *Sayrus citat. cap.* 4. *num.* 29. *Henriques c. num.* 3. negant, quia religiosi in fauorabilibus veniunt nomine cleri, non verò in odiosis: interdicto populo non intelligitur interdictus clerus, & è contra. Interdicta autem familia, interdicti censentur clerici, & alij eiusdem familiæ, quia interdictum simpliciter fertur in personas illius familiæ *Suares, c. n.* 14. *Fillinc. c. n.* 14. *Præterea* quando interdicuntur Doctores alicuius ciuitatis vel collegij, censentur etiam interdicti clerici Doctores illius ciuitatis vel collegij, quia nomen Doctoris tam conuenit Doctoribus clericis, quàm laicis: Ita *Henriques, c. num.* 3. *Aula §. p. d.* 1. *dub.* 4. *conc.* 9. contra *Sayrum, c. cap.* 4. *num.* 30. *Vgolin. tab.* 5. *cap.* 20. *§.* 5. interdicto verò populo ciuitatis, non intelliguntur interdicti, qui habitant in suburbijs, quando habitantes in suburbijs non sunt de populo ciuitatis; alias centerentur interdicti.

5. *Ciues* communitatis interdictæ, qui absunt dum fertur interdictum, subiacent interdicto. *Sayrus c. c.* 4. *n.* 13. *Vgolinus c. §.* 5. quia sunt pars communitatis interdictæ: si verò actu habeant domicilium alibi, aut aliò transferant domicilium, desinunt esse interdicti, modò ipsi non dederint causam culpabilem interdicti. *Interdicto populo* non intelliguntur interdicti exteri alterius ciuitatis, vt sunt scholares, quamuis ad longum tempus ibi habitent. *Nauarrus c.* 27. *n.* 167. *Fillinc. c. n.* 14. quia non sunt pars illius populi vel communitatis. Qui verò habent duo domicilia, vnum in eo loco in quo totus populus est interdictus, aliud in alio loco vbi non est interdictus, aliqui affirmant ipsum esse interdictum, alij negant, idque probabiliter, hinc fit vt ille qui habet domicilium in loco non interdicto, subiaceat interdicto, si transferat domicilium in locum vbi ciuitas, & populus est interdictus, quia fit pars illius communitatis. Vide *Bonacinam, de censur. d.* 5. *p.* 1. *num.* 19. *Henriq. c. c.* 42.

6. *Amentes*, & pueri carentes vsu rationis, non censentur interdicti, interdicta communitate, quia infantes non sunt capaces doli, & culpæ: hi tamen priuantur Ecclesiastica sepultura tempore interdicti: hoc enim est interdictum locale, quod directè afficit locum: per *interdictum* generale personale latum contra aliquam communitatem intelliguntur interdictæ singulares personæ, quæ sunt partes illius communitatis, quia non interdicitur communitas abstractè sumpta. *Fillucius c. n.* 24. *Sayr. c.* 4. *n.* 23. *Suar. c. d.* 34. *sect.* 1. *n.* 34.

7. *Interdicta* aliqua ciuitate, intelliguntur etiam interdicta suburbia; id est ædificia quæ sunt extrà muros illius ciuitatis, vel illis contigua vel vicina respectu quorum locorum oriretur occasio parui pendendi interdictum, si in illis locis celebraretur: & hoc valet etiamsi illa loca sint alterius diœcesis, & non subdita iudici Ecclesiastico, à quo latum est interdictum, quia tunc illa suburbia non censentur interdici ab Episcopo, sed à iure communi. *Suares, c. n.* 32. *Coninch d.* 17. *dub.* 1. *num.* 18. *Fillinc. c. num.* 8. *& 9.*

8. Concilium Tridentinum statuit vt interdicta aliqua ciuitate per interdictum locale generale, censeantur etiam interdictæ religionum Ecclesiæ, quæ aliàs sunt exemptæ; vnde religiosi tenentur seruare interdictum locale generale: per *interdictum* tamen speciale non potest Episcopus interdicere Ecclesias exemptas, quia ius illi hoc non permittit. *Concil. Trident. sess.* 25. *de regul. c.* 12. *& 22.*

9. *Interdicta* Ecclesia intelliguntur interdictæ capellæ, & cœmeteria contigua Ecclesiæ, quia censentur vnum corpus cum Ecclesia, & accessorium sequitur principale: *contigua* dicuntur ea, quorum extrema sunt simul, seu quorum extremitates se inuicem tangunt. Ita vt inter vnum, & alterum non interponatur aliquid aliud. *Nauar. c. n.* 167. *Regin. l.* 32. *tr.* 3. *Sayr. c.* 2. *n.* 16.

10. In

10. In Interdicto personali, non includitur iudex qui tulit interdictum, quia non potest seipsum interdicere, cùm non habeat iurisdictionem coactiuam in seipsum, sicut neque habet in superiorem vel æqualem, sed tantum in subditos: in *locali* verò interdicto includitur etiam ipse iudex, vel superior, vel æqualis: quia effectus interdicti sunt instituti à iure communi, in iure autem communi non potest iudex inferior Papa dispensare: vnde iudex qui aliquem locum interdixit, tenetur abstinere ab officijs persoluendis in eo loco, quia hoc est effectus interdicti introductus à iure communi, in quo non potest dispensare. Vide *Felinc. c. n.24. Nauar. c. n.167. Conmch c. n.25.*

INTERDICTVM II.

De effectibus Interdicti.

SVMMARIVM.

1. *Effectus interdicti ad tria capita reuocantur?*
2. *An tempore interdicti localis, sacramenta baptismi, & confirmationis solemniter administrari possint?*
3. *An interdictus personaliter, interdicto personali generali, vel speciali, possit recipere sacramentum Confirmationis, vel Baptismi?*
4. *An Pœnitentiæ sacramentum tempore generalis interdicti localis concedatur?*
5. *An Eucharistiæ sacramentum infirmis, in probabili mortis periculo existentibus, tempore interdicti localis administrari possit cum solita solemnitate?*
   An autem sacerdotes non celebrantes vel alij clerici sani tempore interdicti Eucharistiam sumere possint refertur duplex sententia.
6. *An sacerdos, qui sublato interdicto habet ius administrandi Sacramentum Eucharistiæ, possit illud ministrare tempore interdicti, in articulo mortis?*
7. *An tempore interdicti localis generalis, teneantur fideles ad implendum annua communionis præceptum, recipere sacramentum Eucharistiæ?* refertur duplex sententia.
8. *An Extremæ-Vnctionis sacramentum ministrandum sit personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis, generalis, vel particularis?*
9. *An sacramentum Ordinis administrari possit personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis?*
10. *An licitum sit matrimonium contrahere, non obstante interdicto?* refertur duplex sententia.
11. *An sponsalia de futuro licitè, & validè fieri possint tempore interdicti, siue in eo loco interdicto, siue inter personas interdictas? An benedictiones nuptiales licitæ sint tempore interdicti?*
12. *De secundo effectu interdicti, qui est priuatio diuinorum officiorum.*
13. *An tempore cuiuscumque interdicti siue localis siue personalis, obligati ad horas debeant eas priuatim recitare?*
14. *An tempore interdicti localis generalis, liceat singulis diebus in Ecclesijs, & monasterijs celebrare?*
15. *Quæ sit differentia inter interdictum locale generale, & locale speciale?*
    Et inter interdictum locale, & personale?
16. *Quæ sint festiuitates in quibus licitum sit tempore interdicti localis generalis, celebrare Missas, & diuina officia publicè, & solemniter?*
17. *Quæ personæ possint admitti ad diuina officia, tempore interdicti localis generalis?*
18. *De tertio effectu interdicti, qui est Ecclesiastica sepultura, vel ingressus Ecclesiæ priuatio.*
19. *An tempore interdicti localis generalis, licitum sit in loco sacro interdicto sepelire laicos adultos, in ijs festiuitatibus, in quibus, secundum ius, publicè possunt celebrari diuina officia?* refertur duplex sententia.
20. *An tempore interdicti localis, vel personalis generalis, possint infantes vel amentes sepelirì in loco sacro?*
21. *An laicus tempore interdicti sepultus in loco non sacro, sublato interdicto exhumandus sit, & sepeliendus in loco sacro?*
22. *An peccet sepeliens laicum interdictum?*
23. *An interdictus ab ingressu Ecclesiæ, possit in Ecclesia vel cœmeterio sepeliri?*
24. *An ab ingressu Ecclesiæ interdictus, possit formaliter audire diuina officia, & audiendo peccet mortaliter?*
25. *An Clerici, religiosi, & moniales, eorumque nuntij non interdicti, qui seruarunt interdictum, possint tempore interdicti localis generalis, vel specialis sepeliri in loco sacro.*
26. *Quando interdicitur clerus, an comprehendantur personæ religiosæ.*

1. OMnes *effectus* interdicti ad tria capita reuocantur, quæ sunt *priuatio actiua, & passiua* quorumdam Sacramentorum: *priuatio actiua*, & *passiua* diuinorum officiorum: & similis *priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ*. hi tres effectus communes sunt proportionaliter omni interdicto, tam locali, quàm personali; & vtrique tam generali, quàm particulari. *Cap. si ciuitas, Cap. si sententiæ. & Cap. Alma mater, de sententia excommunicationis in 6.*

2. Tempore *interdicti localis*, siue interdictum sit generale, siue sit particulare, Sacramenta Baptismi, & Confirmationis administrari possunt paruulis, & adultis, infirmis aut sanis, idq; solemniter cum catechismis, exorcismis, vnctione chrismatis in vertice, publicè, & apertis ianuis: *C. Quoniam, & C. Alma de sent. excom. in 6. vnde* parochus, cuius Ecclesia est interdicta, non tenetur aliam Ecclesiam non interdictam adire, vt Sacramentum Baptismi administret, quia illius parochia, quoad hunc effectum non est interdicta. *Sayrus, l.5. cap.7. n.3. Fillinc. tr.18. n.31.32. Suar. d.33. sect.1.*

3. Sacramentum Confirmationis potest recipere interdictus personaliter, interdictus interdicto personali generali: ille verò qui speciali, & personali interdicto ligatus est, aut qui dedit causam interdicto, ad hoc Sacramentum non potest admitti, nisi priùs condignam satisfactionem ab Ecclesia præscriptam præstiterit, quia hic est reus culpæ, & contumaciæ: *præterea* licitum est ministrare baptismum, etiam solemniter, personæ interdictæ interdicto personali generali: *persona* verò specialiter interdictæ non licet extra necessitatem ministrare sacramentum Baptismi: in necessitate licet, priuatim tamen; *similiter* personaliter interdictus interdicto generali personali, & qui causam non dedit interdicto, potest ministrare sacramentum Confirmationis, licut & Baptismum: specialiter verò interdictus non potest. Ita Doctores citati. *Regnaldus l.32. n.24. Sayr. c. c.7. num.6. Suar. c. n.9. Fillinc. c. n.33.35. Bonac. d.5. q.3. p.1. n.4.5. & 6. Dian. p.5. tr.10. ref.63.*

4. *Pœnitentiæ* sacramentum, tempore generalis interdicti localis, iure nouo conceditur, tam sanis, quàm ægrotis, *Henriq. l.13. c.45. Tolet. l.6. c.23. n.6. Conarr. in C. Alma p.2. §.3. n.1. Sayr. c. n.8. & 9. Conmch d.17. d.2. num.42. Suar. c. num.20. Fillinc. c. n.38. Excipiuntur* tamen excommunicati, qui non admittuntur ad pœnitentiam, tempore interdicti, nisi in articulo mortis, vel à legitimo superiore fuerint absoluti. *Secundò*, excipiuntur illi, quorum culpa, dolo, vel fraude, latum est interdictum. *Tertiò*, excipiuntur etiam illi, qui auxilium, consilium, fauoremve dederunt ad delictum perpetrandum, propter quod latum est interdictum: isti enim absolui non possunt, nisi priùs satisfaciant, vel si hoc non possunt, idoneam saltem cautionem dent de satisfaciendo, vel saltem, quando hæc præstare non possunt, iurent se quamprimùm poterunt satisfacturos, simulque curaturos, vt ab alijs satisfiat. Ita statutum est in Cap. *Alma, de sentent. excommun. in 6.* vnde quilibet confessarius, qui non dedit culpabilem causam interdicto locali, potest tempore interdicti localis, in loco interdicto, administrare Sacramentum Pœnitentiæ; idem *dicendum* tempore interdicti personalis generalis: quando autem specialiter est interdictus confessarius, non potest licitè hoc Sacramentum administrare, excepto casu necessitatis, quamuis secundùm aliquos apud *Dianam, p.5. tr.10. ref.62. Bonacin. c. §.3. n.2.* valida sit confessio. Sed hoc non est certum, quia interdictum priuat rebus diuinis quantùm potest.

5. *Eucharistiæ* Sacramentum, iure antiquo, & etiam à fortiori iure nouo, infirmis in probabili mortis periculo existentibus, tempore interdicti localis administrari potest, cum solita solemnitate, id est, cum gestatione luminarium, cum sono campanulæ, & cum recitatione psalmorum, & cum apparatu Sacerdotis, & Christi fidelibus cum luminaribus ipsam Eucharistiam comitantibus: vnde fœminæ vicinæ partu, dum prima vice paritura est, vel si aliàs peperit cum periculo, & suscipienti periculosam nauigationem, item præliaturo, aut illi qui est suspendendus, licitum est Eucharistiam administrare, tempore interdicti localis,

& hoc

& hoc per modum viatici, quia hi omnes versantur in probabili periculo mortis: alio verò tempore lecluso priuilegio, non licet in loco interdicto Eucharistiam recipere. *Cap. permittimus de sentent. excommun. Cap. Alma mater. de sent. excommun. in 6. C. quod in te, de pœnit. & remiss.* Extra verò locum interdictum licet, modò recipiens non sit personaliter interdictus interdicto speciali, vel generali, vel non dederit causam culpabilem interdicto: An autem Sacerdotes non celebrantes, & similiter alij clerici sæculares sani, tempore interdicti Eucharistiam sumere possint? Communis Doctorum sententia apud *Sayrum c. n.21. 26. Henriq. c.45. num.2. Suarez d.33. sect. 1. num.28. Navarr. c.27. n.169. Bonacin. c. §.2. num.8. Vgolinus c.7. §.6. n.5. tab.5.* est negatiua, quia Eucharistia, ex vi ipsius interdicti prohibita est, ergo non alia ratione licitè clericis ministrari poterit, quàm in casibus iure expressis, scilicet, Missam celebrantibus, & morituris; à communi tamen sententia recedunt non improbabiliter *Suarez, c. n.35. Filliuc. num.42. Sylvest. v. interd. 5. q.7.* dicentes, Sacerdotibus non celebrantibus posse concedi Corpus Christi, quia priuilegia sunt amplianda: hæc opinio est magis pia, & fauorabilis; communis tamen prior sententia videtur tutior, & iuri scripto conformior.

6. *Sacerdos*, qui sublato interdicto habet ius administrandi Sactamentum Eucharistiæ, potest illud administrare tempore interdicti, in articulo mortis; modò ipse non dederit causam interdicto, nec sit ligatus speciali interdicto: *similiter* interdictus personaliter interdicto generali, potest recipere Eucharistiam, per modum viatici absque alia satisfactione, modò non dederit causam interdicto, nec sit specialiter interdictus; ab his enim prius est exhibenda satisfactio, si potest exhiberi; sin minus exhibenda est cautio. *Conninch d.17. dub.2. num.45. Suarez c. n.26. & 24. Filliuc. c. n.39.*

7. Quidam Doctores censent, tempore interdicti localis generalis, licere, imò, & fideles teneri, ad implendum annuæ communionis præceptum, recipere Sacramentum Eucharistiæ: quia in die Paschatis iure concessum est diuinis interesse, & consequenter videtur concessum Eucharistiam suscipere; hæc sententia est *Suarez c. n.37. Conninch c. n.36. Filliuc. c. n.42.* Communis tamen aliorum opinio est, id non licere, neque ad id fideles obligari, quia interdictum priuat susceptione Eucharistiæ, præterquam in articulo mortis, vt in iure decernitur: & Eucharistia non venit nomine officiorum, quæ permittuntur tempore interdicti, vnde dispositum in vno, non censetur dispositum in alio. Ita sentiunt *Sayrus c. n.25. Covar. c. §.3. n.1. Bonacin. c. §.2. n.11. Sylvest. v. interdict. 5. n.5.*

8. *Extrema-Vnctionis* Sacramentum, non est ministrandum personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis generalis, vel particularis, nisi aliquibus sit permissum ex priuilegio speciali: hinc personaliter interdictus non potest percipere hoc Sacramentum in loco non interdicto, quia interdictum personale afficit personas, & suum in illis producit effectum, vbicumque existant: *Cap. quod in te, de pœnit. & remiss. Præterea* hoc Sacramentum, tempore interdicti localis, non potest vlli etiam personæ non interdictæ, quamuis sit clericus non interdictus, in loco interdicto ministrari, & hoc verum etiam in illis festiuitatibus, in quibus ex priuilegio iuris licitum est audire diuina officia, vt bene ait. *Sayrus l.5. c.7. num.29. Navar. c.27. n.179. Suar. d.33. sect.1. Filliuc. tr.18. c.2. q.6.*

9. Sacramentum *Ordinis* administrari non potest personaliter interdicto, aut tempore interdicti localis: quia interdictum priuat perceptione Sacramentorum, nisi fiat aliqua specialis exceptio, in aliquo Sacramento, quam non constat factam fuisse in hoc Sacramento; *Cap. non est vobis de sponsalibus & C. responso, de sentent. excommun. excipitur* tamen casus necessitatis, vt si non essent Sacerdotes, qui tempore necessitatis conferrent Sacramenta, tunc licitum esset conferre ordines in loco interdicto, si non esset alius locus commodus non interdictus: vnde qui non est personaliter interdictus, potest in loco non interdicto ordines suscipere, & tempore interdicti localis, possunt clerici, & laici ordines suscipere alibi, modò causam culpabilem interdicto non dederint. *Vinald. de interd. num.111. Henriq. l.13. c.45. §.4. Sayrus c. num.38.*

10. Multi Doctores tenent non improbabiliter, licitum esse *matrimonium* contrahere, non obstante interdicto, *Toletus c. c.23. Conninch d.17. dub.2. n.48. Henriq. c.45. n.3.* immò *Covar. in cap. Alma mater, p.2. §.2. n.7. Navar. cap.27. num.179.* asserunt, inter interdictos personaliter, & specialiter posse licitè matrimonium contrahi, quia licet matrimonium sit Sacrament. tamen est etiam contractus humanus, imò substantialiter est contractus, & ratio Sacramenti est illi adiuncta, contractus autem humani, non sunt prohibiti per interdictum, ergo nec matrimonium est prohibitum. *Suarez d.33. sect.1. num.50. & seq. Filliuc. c. q.8. Bonacina c. §.3. num.8. Reginald. l.32. tr.3. n.28.* docent probabilius esse non esse licitum personis interdictis, aut tempore interdicti localis contrahere matrimonium, nisi fortè contrarium receptum sit per consuetudinem; quia licet matrimonium sit contractus, nihilominus est etiam Sacramentum, Sacramenta autem non possunt licitè administrari interdicto, vel tempore interdicti exceptis Sacramentis in iure expressis. Vide *Dianam de sacrament. resol.267. part.3. & p.5. tractat.10. resolution.81.*

11. *Sponsalia* de futuro licitè, & validè fieri possunt tempore interdicti, siue in loco interdicto, siue inter personas interdictas: quia illud neque est Sacramentum, neque aliquid sacrum, sed est tantùm quidam humanus contractus: benedictiones verò quæ fiunt super coniunctos, licitæ sunt tempore interdicti localis generalis, modò fiant ianuis clausis, excluſis excommunicatis, & interdictis, sine solemnitate, & coniugati habeant priuilegium assistendi diuinis: imò istæ benedictiones fieri possunt cum solemnitate ijs diebus, in quibus licitum est persoluere solemniter diuina officia, exceptis diebus, quibus solemnitates nuptiales prohibentur ab Ecclesia: tamen est *notandum* huiusmodi benedictiones, non posse fieri super coniugatos, quorum vterque vel alter est personaliter interdictus interdicto particulari, aut etiam interdicto personali generali. *Suarez c. sect.1. num.46.47. Covar. c. num.7. Henriq. cap.44. num.1. Bonacina c. num.9.*

12. *Secundus effectus* interdicti, est *priuatio diuinorum officiorum*. Vnde tempore interdicti localis generalis prohibitum est, celebrare Missas, & diuina officia publicè in loco interdicto, vti sono organorum, & campanarum pro officio: nomine autem *officij diuini* intelligitur illud, quod fit in Ecclesia à ministro Ecclesiastico, seu à persona consecrata vel deputata ad illud officium: *Cap. Si Ciuitas. Cap. si sene. Cap. Alma de sent. excommun. in 6.* hinc sequitur horas canonicas esse officium diuinum: imò sacramentalia veniunt nomine officij diuini, vt sunt omnes ceremoniæ sacræ, quæ spectant ad solemnem ritum sacramentorum immediatè, vel præparatoriè, vel consecutiuè, vt est solemnis benedictio nuptiarum, templi, vasorum sacrorum, corporalium, vestium sacrarum, Candelarum, Ramorum, Cinerum, fontis Baptismalis, aquæ, Benedictio solemnis Episcopi, litaniæ processionaliter recitatæ cum cruce, & superpelliceis. Officia autem, quæ ex suo modo non requirunt personam Ecclesiasticam ad ea deputatam, non censentur prohibita tempore interdicti, quia non censentur officia Ecclesiastica, & communia, sed priuata: vnde generalis confessio, & absolutio, angelica salutatio, benedictio mensæ, crucis adoratio, priuata officia recitari solita à confraternitatibus, animæ commendatio, prædicatio, purificatio mulierum post partum, & similia officia permittuntur. *Suarez, c. disp.34. section.3. num.4. Filliuc. tractat.18. cap.3. num.79. Reginald. l.32. cap.28. num.32. Sayr. l.5. cap.5. n.38. & seq.*

13. Tempore cuiuscumque interdicti, siue localis, siue personalis, obligati ad horas, priuatim eas recitare possunt, & debent, siue ad eas teneantur ex voto speciali, siue ratione beneficij, siue ratione ordinis sacri: & beneficiarij eas omittentes tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis. *Navarrus c.27. num.175. Filliucius c. num.62. Suar. cit. sect.3. cap.5. num.10.*

14. Iure antiquo, tempore interdicti localis generalis, Missam semel in hebdomada celebrare licebat, idque causa conficiendi Eucharistiam pro infirmis: *Cap. permittimus de sentent. excommun. Cap. Alma Mater de sent. excommun. in 6. Sayr. c. cap.5. num.5. Suar. cit. num.12. Reginald. cit. num.34.* iure autem nouo *Bonifacij VIII.* in Cap. *Alma mater*, conceditur, vt singulis diebus, in Ecclesijs, & monasterijs celebrari possit, cum quadruplici hac moderatione. *Primò*, vt celebretur submissa voce. *Secundò*, ianuis clausis. *Tertiò*, non pulsatis campanis. *Quartò*, excluſis excommunicatis, & interdictis. Est autem *aduertendum* iuxta *Navarrum c. num.177. Conninch d.17. dub.2. n.33. Henriq. c.46. num.1. Filliuc. c. n.69.* circa has moderationes, quòd, quando celebratur, ita ianuæ claudi debent, vt illi qui prohibentur interesse, non possint videre diuina officia; & tam submissa voce debet Missa dici, vt canentes non possint moraliter loquendo audiri ab existentibus extra Ecclesiam.

siam, qui prohibentur audire. *Preterea* quamuis licitum sit pulsare campanas, ad conuocandum populum, ad concionem, ad comitandam Eucharistiam, quæ ministratur infirmis, vel salutationem angelicam, vel ad indicandam populo festi diei solemnitatem, ad ostendendas reliquias: ad diuina tamen officia non licet pulsare, imò in sacrificio Missæ, non est licitum vti tintinnabulo, cùm hostia eleuatur, vel ad *sanctus*: loco autem campanæ adhibenda est tabula cum matraca vel tuba, quia hæc instrumenta non sunt vetita, cùm non veniant nomine campanarum.

15. Magna *differentia* est, inter interdictum locale generale, & locale speciale, quòd tempore interdicti localis specialis, non est licitum singulis diebus celebrare diuina officia vel Missas, sed solùm licitum est semel in hebdomada celebrare Missam ad renouandam Eucharistiam in loco, vbi asseruatur Eucharistiæ Sacramentum, sicut licitum erat iure antiquo. Nam circa hoc nihil tancitum est iure nouo. *Preterea* differentia est inter interdictum locale, & personale, quòd tempore interdicti personalis personæ interdictæ personaliter interdicto particulari vel generali, non possunt celebrare Missas, nec interesse. Vide *Reginald. c. n.*33. *Henriq. l.*13. *c.*44. *n.*3. *Sayr. c. c.*5. *n.*8.9. *Nauar. c. n.*173. *Bonac. c. p.*4. *n.*6.

16. In Cap. *Alma mater*, dantur aliquæ festiuitates, in quibus licitum est tempore interdicti localis generalis non verò speciales, celebrare Missas, & diuina officia publicè, & solemniter, cum sono campanarum ianuis apertis, alta voce, admissis interdictis, etiam illis quorum causa latum est interdictum, modò non admittantur ad oblationes vel communionem. *Festiuitates* sunt Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Assumptionis Beatæ Virginis. *Martinus V.* & *Eug. IV.* addiderunt solemnitatem Corporis Christi cum octaua. Et *Leo X.* addidit diem Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis simul cum octaua: istæ autem festiuitates incipiunt à primis vesperis vigiliæ vsque ad completorium ipsius solemnitatis. *Suares*, *d.*34. *sect.*1. *n.*33. & 38.41. *Filliuc. c. n.*79. *Conինch c. dub.*2. *n.* 37. *Rodriq. c.*116. *num.*8. *Nauarr. c. n.*182. *Sot. Aula*, *Cominch*, *apud Bonac. c. n.*14. Nomine autem Festiuitatis Domini, Paschæ, &c. non solùm intelligitur primus dies; sed etiam alij sequentes; quamuis *Suar. Filliuc.* & *Regin.* contrarium doceant.

17. *Tempore* interdicti localis generalis, aliquæ personæ admitti possunt ad diuina officia, vt infantes carentes vsu rationis, amentes: quia huiusmodi personæ defectu libertatis & iudicij nondum sunt capaces præcepti, & obligationis: item clerici non coniugati etiam extranei, modò ipsi non sint excommunicati, vel interdicti, nec dederint causam culpabilem interdicto, clerici verò coniugati, qui non sunt addicti, & applicati alicui ministerio sacro, reputantur tanquam sæculares, quamuis gestando tonsuram, & habitum gaudeant priuilegio canonis, & fori: laici verò non habentes priuilegium, non possunt admitti ad Missas, vel ad diuina officia: habentes autem priuilegium assistendi diuinis officijs, possunt admitti. *Suares d.*34. *sect.*1. *n.*34. *Henriq. c.*42. *n.*4. *Conինch d.*17. *dub.*2. *n.*27. *Nauar. c. n.*175. *Sayr. l.*5. *c.*5. *n.*35. *Filliuc. c. num.*71. *Reginald. c. n.*35. Imò secundùm probabiliorem sententiam *Nauar. c.*21. *n.*3. *Soins* 4. *d.*13. *q.*2. *art.*1. *Sà v. interdictum n.*21. *Filliuc. c. n.*73. & aliorum diebus festis, & dominicis tenentur Missam audire, quia præceptum audiendi sacrum in die festo, obligat omnes legitimè non impeditos; laici autem priuilegium habentes audiendi sacra, non dicuntur impediti. Porrò habens priuilegium audiendi diuina officia, potest simul cum sua familia diuinis interesse; modò inter eos non adsit aliquis, qui dederit causam culpabilem interdicto: nomine autem familiæ, aliqui recentiores intelligunt vxorem, filium, nepotes, seruos, & famulos in illius domo commorantes.

18. *Tertius effectus* interdicti tam localis, quàm personalis generalis, aut specialis est, *Clement.*1. *de sepult. Ecclesiasticæ sepulturæ*, *vel ingressus Ecclesiæ priuatio*: sepulturæ autem Ecclesiasticæ priuatio est, non posse sepeliri in loco ab Episcopo consecrato, vel in cœmeterio ab Episcopo benedicto, vel in loco vbi diuina peraguntur, vel cum pompa funerali Ecclesiastica: vnde sequitur, tempore interdicti localis, non posse laicos, quamuis non interdictos, sepeliri in loco sacro interdicto, & multò minùs excommunicatos, & interdictos: *Laici* verò, qui non sunt personaliter interdicti, nec dederunt causam culpabilem interdicto, possunt tempore interdicti sepeliri in loco sacro non interdicto: interdicti possunt sepeliri in campo vel in cœmeterio ab Episcopo deputato, non tamen benedicto: *Preterea* laici, qui habent priuilegium assistendi diuinis officijs, tempore interdicti morientes, possunt sepeliri in loco sacro, quamuis in priuilegio non exprimatur sepultura, quia cui concessum est principale, hoc est posse assistere diuinis, illi videtur etiam concessum accessorium quod est sepultura. *Suares d.*35. *sect.*1. *Filliuc. tr.*18. *c.*4. *Sayr. l.*5. *c.*8. *Sylues. v. interd.*5. *n.*10. *Reginald. c. n.*37. *Nauar. c.*27. *n.*181. *Cominck c. dub.*2. *n.*52.

19. Multi Doctores negant, tempore interdicti localis generalis, licitum esse in loco sacro interdicto, sepelire laicos adultos, in ijs festiuitatibus, in quibus secundùm ius publicè possunt celebrari diuina officia, & *ratio* illorum est, quia sepultura non est diuinum officium: hanc sententiam tenent *Suares d.*35. *sect.*1. *n.*13. *Conինch c. dub.*2. *n.*55. *Filliuc. c. n.*99. & alij. Contraria tamen sententia videtur probabilior, & tenenda: quia mitior, & benignior; tum quia cui licitè communicamus viuo in diuinis officijs, possumus etiam communicare mortuo in sepultura, vt est quoddam accessorium ad principale diuini officij; & huius sententiæ sunt. *Nauarr. num.*181. *Sayr. c. cap.*8. *n.*11. *Henriq. c.*46. *n.*4. & alij.

20. *Tempore interdicti localis*, non possunt infantes, vel amentes sepeliri in loco sacro, *quia* per interdictum locale, locus fit incapax sepulturæ, cuiuscumque sit cadauer, siue illud sit adulti, siue infantis: *tempore* verò interdicti personalis generalis, non possunt hi sepeliri in loco sacro, quia videntur aliqua ratione pars communitatis: *tempore* autem interdicti personalis specialis, possunt sepeliri in loco non interdicto, quia ipsi non afficiuntur interdicto speciali, & ideò nullum est impedimentum ex parte personæ, neque ex parte loci. *Nauarrus c. n.*168. *Sayrus cap.* 8. *num.*5. *Filliucius num.*90. *Henriquez cap.*42. *num.*3.

21. *Laicus* tempore interdicti sepultus in loco non sacro, sublato interdicto, exhumandus est, & sepeliendus in loco sacro; nam sublata censura, cessat etiam illius effectus: *Laicus* verò, qui non dedit cautam culpabilem interdicto, nec est interdictus, sepultus illicitè in loco interdicto; durante interdicto, non est exhumandus, vt sepeliatur in loco non sacro. *Sa, v. interd. n.*27. *Sayr. c.*8. *n.*21. *Henriq. c.*44. *n.*5. *Filliuc. n.*97.

22. Non peccat *sepeliens* laicum interdictum interdicto personali generali, *Suar. d.*35. *sect.*2. *num.*2. *Regin. num.*38. & 47. quia interdictus solùm interdicto generali, non est vitandus: idem *dicendum* de sepeliente in loco interdicto, antequam locus denunciatus fuerit interdictus: *sepeliens* autem interdictum specialiter, & nominatim, incurrit excommunicationem latam in *Clementina* 1. *de sepult. Conինch citat. num.*75. Ille verò censetur specialiter denunciatus, qui est membrum alicuius communitatis; quæ denunciata est interdicta.

23. *Interdictus ab ingressu Ecclesiæ*, non potest in Ecclesia, vel cœmeterio sepeliri, nisi fortè dederit signa contritionis, tunc enim potest absolui, & sepeliri in loco sacro: *C. is cui*, *de sent. excommun. in* 6. *Preterea* huiusmodi interdictus priuatur actione seu exercitio ordinis sacri in Ecclesia, consequenter non potest celebrare, & Sacramenta ministrare, imò fit irregularis exercendo ordines sacros in Ecclesia, quia violat interdictum per exercitium ordinis sacri: poterit tamen extra Ecclesiam celebrare, vt in aliquo tentorio, vel oratorio priuato, imò, & in cœmeterio, quia, vt ait *Suares*, interdictus ab ingressu Ecclesiæ non censetur interdictus ab ingressu cœmeterij, consequenter non prohibetur, quo minùs possit ibi celebrare, aut ibi diuina audire, si celebrentur, eò quòd cœmeterium in rigore non veniat nomine Ecclesiæ, & versemur in materia odiosa, quæ non est extendenda. Vide *Filliucium citat. num.*101. & 103. *Sà v. interd. num.*19. *Sayr. cap.*7. *num.*20. *Nau. cit. n.*170. *Reginald. num.*39.40. & 41.

24. Non potest *interdictus* ab ingressu Ecclesiæ iuxta *Suar. d.*34. *sect.*1. *num.*36. *Regin. c. n.*41. *Conինch c. num.*59. *Filliuc. c. num.*104. *Nauar. c.* formaliter audire diuina officia, & audiendo mortaliter peccaret, eò quòd faceret contra prohibitionem in re graui, quamuis non fiat irregularis: quia non violat censuram per exercitium ordinis: vnde si tempore diuinorum officiorum transiens per Ecclesiam alio fine, aliquid incidenter audiat, non peccat mortaliter, quia non dicitur formaliter audire vel interesse diuinis officijs, sicut neq; peccat, si tempore quo non celebrantur diuina officia, ingrediatur Ecclesiam, ibique priuatim oret, etiamsi ibi reconditum vel repositum sit Eucharistiæ Sacramentum: secus *dicendum* esset, si huiusmodi interdictus, existens extra Ecclesiam audiat Missam, vel diuina officia, quæ in Ecclesia celebrantur; quia tunc licet non sit materialiter, &

quoad

quoad corpus in Ecclesia, dicitur tamen esse sensu formaliter, & animo. Ex quo patet huiusmodi interdictum posse in Ecclesia exercere actus iurisdictionis in foro exteriori, vt excommunicare, &c. quamuis non possit absoluere sacramentaliter. *Aulas. p.5. disp.4. sect 1. dub.2.* quia talis absolutio est actus ordinis: *Porro* hic potest recipere Sacramenta in Ecclesia, quando non celebrantur diuina officia, quia talis interdictus, non est priuatus vsu Sacramentorum, sed vsu diuinorum officiorum, & sepultura; ita *Sayrus de susp. c.7. num.11. Bonac. c.p.5. num.12. Henriq. c.3.n.2.* & alij, contra *Suar. d.35.sect.4. n.5.* & alios.

25. *Clerici*; id est, initiati aliquo ordine vel tonsura, religiosi, & moniales, eorumque nouitij non interdicti, qui seruarunt interdictum, nec illius cautam culpabilem dederunt, possunt tempore interdicti localis generalis, vel etiam specialis, sepeliri in loco etiam specialiter interdicto, id est, in Ecclesia vel cœmeterio sacro, modò hoc fiat sine solemnitate, & sine sono campanarum: *C. Quod in te de pœnit. & remiss.* imò post Cap. *Alma mater*, possunt sepeliri cum diuino officio, & Missa, iuxta moderationem illius capitis, id est, submissa voce, ianuis clausis, interdictis, & excommunicatis exclusis; quòd si cœmeterium extra Ecclesiam existat, officia celebrari poterunt in Ecclesia, seruata solemnitate Cap. *Alma*: deinde in cœmeterium cadauer cum silentio transferri poterit, *Nauar. c. n.176. Suar. d.35 sect.1. & 3. Sayr. l.5.c.8.n.6. & 13. Regin. l.32. num.37. Henriq. c.44.*

26. Quando interdicitur Clerus, non comprehenduntur personæ religiosæ, nisi ex antecedentibus, vel consequentibus constet de contraria mente Iudicis, vel legislatoris. Ratio est, quia secundum multos, tales in odiosis non comprehenduntur nomine cleri, etiamsi primam tonsuram habeant, nisi ex adiunctis aliud colligatur. Si tamen religiosus haberet beneficium sæculare, v. g. pastoratum, Canonicatum, ita vt censeantur à suis segregatus, sub nomine cleri comprehenderetur. Si autem interdictum feratur sub nomine personarum Ecclesiasticarum, comprehenduntur etiam religiosi, quamuis conuersi, & moniales; quia etiam hi diuino seruitio se manciparunt, & vocantur personæ Ecclesiasticæ. Imò comprehenduntur eremitæ; verius est etiam comprehendi nouitios, quia etiam censentur personæ Ecclesiasticæ, quamdiu versantur in probatione; si interdicantur religiosi, verius est eos non comprehendi, quia in odiosis non veniunt nomine religiosi, bene autem in fauorabilibus. Ita *Portel in dub. reg. v. interdictum n.5. Præpositus in 3.p. qu.4 de interd. dub.2.n.11. Coninch disp.17. dub.1. n.9. Aula de censur. p.5. disp.1. dub.4. concl.7. Laym. l.1. tr.5. p.4. c.4. n.3. Hieron. Rodriq. ref.80. n.8.* quidquid in contrarium sentiant *Suares, de cens. disp.32. sect.2. num.17. Couarr. in Cap. Alma mater, p.2. num.8. §.1.*

Sed dubium est, an priuilegia Mendicantium quoad celebrandum tempore interdicti, sint reuocata per Concilium Tridentinum *sess.25. cap.12. de regul.* Respondeo specialia Regularium priuilegia, vt pro suis festis, & per eorum octauas, aliisque certis diebus non seruent interdictum, non esse reuocata per dictum Concilium, nec esse contra Concil. Trident. quod reuocat tantùm priuilegia generalia, quæ in quibusdam religionibus haberi videbantur, quæ concedebant, vt non obligarentur ad vlla interdicta seruanda, et ainsi ab Ecclesia matrice seruarentur. Ita docent Rodriques *tom.2. qq. reg. quæst.112. art.1.* Sayrus *lib.5. cap.3.n.24 & 25.* Portel *v. Interdictum num 3.* Diana *part.3. tract.2. resol.133.* Sorbus *in Compend. v. Interdictum 3. in princip.* apud quos plura de priuilegijs concessis Ordinibus Mendicantium, vt possint celebrare in suis Ecclesijs tempore interdicti.

Et posito quòd priuilegia regularium ante Concil. Tridentinum concessa; sint per idem Concilium *sess.25. cap.12. de regular.* reuocata, vt quidam affirmant: aliter tamen dicendum est, si aliquod priuilegium post ipsum Concilium Religioni alicui indultum fuerit, prout fuit illud *à Clemente VIII.* Fratribus Minoribus concessum, in quo approbat priuilegia, quòd ijdem Fratres Minores possint tempore interdicti, quacumque etiam Apostolica auctoritate appositi, celebrare festa Sanctorum suæ Religionis, & de nouo concedit, vt possint dictis priuilegijs vti in testo *S. Didaci*, & Portiunculæ. Et quod dicitur de interdicto, intelligendum est etiam de cessatione à diuinis, eadem enim ratio militat.

INTERDICTVM III.

De peccatis, & pœnis violantium interdictum.

SVMMARIVM.

1. *An mortaliter peccent laici violantes interdictum?*
2. *An clerici tam sæculares, quam regulares violantes interdictum, per exercitium alicuius ordinis sacri, peccent mortaliter, & incurrant irregularitatem, & suspensionem ab officio?*
3. *Quotupliciter interdictum à clericis possit violari?*
4. *An clericus violans interdictum per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium incurrat irregularitatem?*
5. *An celebrans coram interdicto incurrat irregularitatem? & an mortaliter peccet clericus communicans cum nominatim interdictis?*
6. *Qui sint dicendi nominatim interdicti denunciati, & an quando fertur personale interdictum contra collegium vel communitatem, singuli sint nominatim denunciati interdicti?* refertur duplex sententia.
7. *An sit peccatum in rebus humanis communicare cum interdicto?*

1. MOrtaliter peccant, ex suo genere, laici violantes interdictum locale generale, speciale, vel personale. *Suar. d.34. sect.5. Sayr.l.5. c.14.n.5. Filliuc.c.num.54.81.* quia faciunt contra prohibitionem censuræ in materia graui, hæc doctrina ab omnibus recipitur, quoad violantes interdictum personale, quamuis quoad locale, quidam vt *Nauarrus, n.187 Caietan. v. interd. Regin. l.32. tr.3. n.42.* & alij existiment tantummodò peccare venialiter, secluso contemptu, violentia, scandalo, aut aliqua circumstantia extrinseca mortali. Nullam autem pœnam incurrunt laici præcisè ob violationem interdicti, quia nulla est in iure expressa, præterquam in *Clement. II. de sent. excomm.* vbi ligantur excommunicatione laici cogentes aliquem celebrare diuina officia in loco interdicto, aut vocantes alios interdictos, vt interfint diuinis officijs, quæ celebrantur in loco interdicto, aut prohibentes, ne interdicti exeant, postquam fuerint admoniti à celebrantibus exire. *Coninch d.17.dub.4.n.73. Bonacin. c.p.7.n.2. Nau.c.n.104.*

2. *Clerici* tam sæculares, quàm regulares, violantes interdictum, tam locale quàm personale, tam generale, quàm speciale, peccant mortaliter ex suo genere, quia faciunt contra præceptum in re graui; vnde violantes interdictum scienter per exercitium alicuius ordinis sacri, incurrunt irregularitatem, & vltra illam, incurrunt etiam suspensionem ab officio, consequenter à iurisdictione, violando interdictum locale: *C. is cui, de sent. excomm. in 6. Cap. tanta de excessib. Prælator. Cap Episcoporum, de priuilegijs in 6. C. is qui, de sent. excommun. in 6. Cap. postulastis, de cler. excommun. Clement.1. de sentent. excommun.* præterea incurrunt interdictum ab ingressu Ecclesiæ, violantes interdictum locale saltem generale; insuper violantes priuantur electione actiua, & passiua, imò per sententiam possunt priuari beneficijs: regulares autem non seruantes cessationem vel interdictum locale generale, quando seruatur ab Ecclesia Cathedrali seu matrice oppidi, seu parochiali, ipso facto excommunicantur à iure, etiamsi reipsa interdictum sit nullum.

3. *Interdictum* tripliciter à clericis potest violari. *Primò*, dum clericus vinculo interdicti ligatus, functionem ordinum exercet conterendo Sacramenta. *Secundò*, dum ipse non est interdictus, sed Sacramenta confert in loco interdicto. *Tertiò*, dum nec ipse, nec locus est interdictus, sed Sacramenta confert interdicto: in primis *duobus casibus* incurritur irregularitas: in *tertio* verò, valde probabile est non incurri, quia hic casus non est in iure expressus. *Suares, d.34. sect.4. Filliuc.n.56. Bonac.c. p.7. num.4.*

4. *Clericus* violans interdictum per aliquam actionem non spectantem ad ordinem, vel ad suum officium, non incurrit irregularitatem, dum illam actionem facit vt laicus: hinc clericus sepeliens interdictum in loco interdicto, sine diuinis officijs, non fit irregularis: *similiter* qui tempore interdicti pulsat campanas ad conuocandum populum ad Missam, sed postea reipsa Missam non celebrat, non est irregularis, licet peccet mortaliter: *præterea* qui audit Missas, diuina officia vel eorum partem notabilem

bilem in loco interdicto, grauiter peccat, sed non incurrit irregularitatem, quia auditio non est actio ordinis sacri: *item* clericus interdictus recipiens Sacramenta, non ligatur vinculo irregularitatis, quia receptione Sacramenti non exercet ordines. *Deinde* Sacerdos assistens matrimonio, aut priuatim baptizans non fit irregularis, quia hic non est actus ordinis sacri, *secus* si benedicat sponsis, aut solemnitates baptismi supplcat. Vide *Henriques c.46. n.1. Bonac. c. p.7. n.8. Suar. c. n.15. & 21. Sylvest. v. irreg.q.13. Filliuc. c. n.59.*

5. *Celebrans* coram interdicto, non incurrit irregularitatem, quia hæc irregularitas non extat in iure; *Clericus* autem communicans cum nominatim interdictis, in rebus, à quibus sunt interdicti, mortaliter peccat, vt si coram illis celebret, vel illos ad diuina officia admittat, vel ad sepulturam, vel ad Sacramenta: *imò* si clericus, quamuis exemptus ab ordinaria iurisdictione, celebret coram illis, aut admittat excommunicatos publicos, vel interdictos, ad diuina officia seu Sacramenta, vel Ecclesiasticam sepulturam, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciat ad arbitrium illius qui tulit interdictum: & hoc habet locum non tantum de clericis celebrantibus, verum etiam de clericis habentibus regimen Ecclesiæ, qui permittunt huiusmodi interdictos audire diuina officia. *Nauarrus cap.25. n.94. Suar. c. disp.34. sect.4. n.29. Sayr.c.14.n.11.Sa.v.interdictum. Aula disp.5. dub.4. Filliuc.n.57. & 147.*

6. *Nominatim interdicti* denunciati dicuntur illi, qui exprimuntur nomine proprio, vel nomine officij, vel alio signo manifestante talem personam in particulari; *vnde* secundùm *Nauarrum n.187. c.27. Sa v. interdict. n.3.* quando fertur personale interdictum contra aliquod collegium, vel communitatem, singuli illius collegij vel communitatis non videntur nominatim denunciati interdicti, quia per nomen communitatis, non sufficienter exprimuntur omnes ciues nominatim: Alij tamen Doctores docent, & meritò contrarium probabilius esse: & huius sententiæ sunt *Suares, d.37. sect.2. n.3. Sayr. l.5. c.12. num.23. Filliuc. tract.18. cap.6. Henriques cap.43. num.7.* quia communitas nihil aliud est, quàm singuli homines: & ferè impossibile est, interdicendo communitatem, singulos nominare.

De irregularitate ex defectu lenitatis ſeu ex homicidio iuſto proueniente.

SVMMARIVM.

1. *Quæ ſit irregularitas ex defectu lenitatis procedens; & quæ pars corporis, membrum dicatur?*
2. *An qui iuſtè mutilat, vel occidit, vel cooperatur ad mutilationem, vel homicidium, ſecuto effectu fiat irregularis?*
3. *An quilibet iudex ferens ſententiam mortis vel mutilationis, eiuſque aſſeſſores, & alij miniſtri iuſtitiæ ſecuta morte vel mutilatione fiant irregulares ex defectu lenitatis?*
4. *Conſultores interrogati an quis teneatur denunciare vel accuſare in materia ſanguinis, an ligentur irregularitate, ſi in genere aperiant ius, & doceant veritatem: & quid dicendum de iis, qui præparauerunt aut vendiderunt venenum aut funem, &c.*
5. *An clerici aſſiſtentes executioni ſententiæ ſint irregulares? & quid iuris de clericis habentibus iuriſdictionem temporalem, ſi conſtituant prætores, & alios officiales qui cauſas ſanguinis inquirant, & delicta puniant?*
6. *An iudex Eccleſiaſticus ſit irregularis qui aliquem degradat, & tradit brachio ſæculari?*
   Et quid de Inquiſitoribus qui tradunt aliquos iudici ſæculari comburendos?
7. *An ſiat irregularis Prælatus, vel Princeps ſæcularis legem, & ſtatutum condens, quo aliquid ſub pœna mortis prohibetur, ſi iudex ex lege ductus aliquem occidat? & an liceat ſacerdoti præbere conſilium Principi, vt talem legem ferat?*
8. *An ſit confeſſarius irregularis nolens abſoluere pœnitentem, niſi reum dignum morte puniat ſecundum iura? vel ſi hortetur pœnitentem in iudicè interrogatum, vt fateatur veritatem, & ex confeſſione puniendus ſit pœna mortis?*
9. *An clericus adiuuans chirurgum vel medicum ad iuſtè ſecandum ægroti membrum ſit irregularis?*
10. *An clericus ſiat irregularis exercendo officium medici vel chirurgi?*
11. *An clericus exercens chirurgiam vel medicinam ſecundum regulam artis, ſit irregularis, ſi membrum aliquod abſcindat cauſa ſanitatis?*
12. *An ſiat irregularis accuſans alium in cauſa criminali petendo vindictam, ſecuta mutilatione vel morte: quia de petente ſatisfactionem vel intereſſe ſibi debitum, ſi proteſtetur ſe non intendere pœnam ſanguinis?*
13. *An teſtis ferens teſtimonium in cauſa ſanguinis incurrat irregularitatem ſecuta morte, vel mutilatione?*
14. *An Aduocatus notam irregularitatis incurrat, qui cauſam ſuſcipit rei; quando ſequitur mors vel mutilatio accuſatoris calumniatoris?*
    Et in quibus caſibus aduocatus ſiat irregularis?
15. *An occidens alium in bello tam iuſto quam iniuſto incurrat irregularitatem?*
16. *An bello iuſto poſſint intereſſe tam laici quàm clerici, abſque irregularitate, etiamſi hortentur milites ad pugnam? Item an præbentes ſeu vendentes arma ſint irregulares? & in neceſſitate an liceat clericis pugnare?*
17. *Quis poſſit diſpenſare in irregularitate contracta cauſa belli?*

1. IRregularitas, quæ ex defectu lenitatis procedit, illa eſt, quando quis occidit vel mutilat hominem abſq; peccato: ad hanc autem irregularitatem requiritur, vt actu fiat hominis viuentis occiſio, vel membri mutilatio, ſeu abſciſſio; nec ſufficit amputatio membri alicuius mortui, animo vindictæ ac rabiei explendæ facta: ſufficiet verò occiſio vel mutilatio hominis infidelis, vel excommunicati, vel banniti, vel etiam infantis editi in lucem, aut exiſtentis in vtero matris: deſideratur etiam ad hanc irregularitatem incurrendam, vt occidens vel mutilans ſit baptizatus, doli capax, & influat in homicidium, vel mutilationem, extra caſum neceſſitatis, & citra iuſtam defenſionem. *Cap. ſinali ne clerici vel monachi in 6. D. Thom. 2.2. q.40. art.2. Sayr. l.6. c.15. n.3.8.10. & ſeq. Reginald. l.30. n.96. Nauar. c.27. n.209.* *Membrum* autem dicitur, ſecundùm communiorem ſententiam, illa pars corporis, quæ habet ſuum proprium ac peculiarem actum ab alijs diſtinctum, vt ſunt manus ad palpandum, pedes

pides ad ambulandum, et alia vitiandum, aures ad audiendum, nares ad odorandum, lingua ad loquendum; unde digiti, quo interiorum manus dicuntur qui inferiunt lingue, & os, propriè manus, manus iunt, vel partes membri, vnde interpretantur ei, qui scribit non indocte. *Graffius i. 2. c. 61. n. 4. Henriq. l. 13. c. 8. n. 1. Sylvius 2. q. 65. art. 1. concl. 3.*

2. Clerici aut alii inhabiles mutilant, vel occidunt, vel cooperans ad mutilationem, vel hom cidium, fecuto effectu fit irregularis; defectus tenitatis, quæ impedit ordines fuscipere, & eos exercere *Sanchez lib. 7. de matrim. disp. 100. n. 1. Pirhing. l. 1. tit. 11. §. 1. n. 1.* Quia ergo clericus, qui mortem accelerauit aut causam propinquam mortis dedit, delicto vel dolo, vel negligentia fit fallo repellitur ab ordinibus nouicidat vel mutilatores, tam ... iuris quam canonici, qui non prz fe ferunt peccatu & maniuetudinem, vt non interpretentur fed potius quandam crudelitatem, quod Christi crucifixores, vt ait *Sayrus* cum aliis com... *Caiet. quæ quadam dub. 50. Tolet. lib. 5. c. 70. Coninch comp. disp. 10. Filliuc. tract. 28. cap. 9. qu. 1. Sanch. c. num. 2.* vnde doctrim generaliter tradita sequentes conclusiones patent.

3. Nobilissimus est, inferior Summo Pontifice, ferens sententiam mortis, vel mutilationis, cuique officiales, cooperatores illi illes competentes reum, requentes eum ad executionem ventantem *Filliuc. c. n. 250. Reginald. c. n. 161. Sayrus lib. 6. c. 10. n. 3. Notarius* ferentem vel cogens ferentem, confidentes in cuius fangulis, nulla pœna cui ecclesiæ, quæ contentes reum ad impositionem cauti ecclesiastis, *Molinis tom. 4. tr. 3. disp. 7. n. 1. Conin. c. n. 2. Sanch. c. num. 8. Illine. 1. lib. 3. tit. 47. c. 3. & 6. Filliuc. c. n. 250. Reginald. c. n. 161.* Quia causæ autem aut pœnæ vel sufficiunt exercere, vt vinde texas ad mortem ducatur, *fabricantes* tuscan ad infligendum aliquem in particulari de *crimes* iniuriis particulari committem imperium, quo pode declarat immem apparet, vt clericus, qui fabricam exercet ad longum durum, & aliquem, vt ex eo vel minuitur crudeli beneficentiam mortem *Sayrus* cit. Ecclesiasticus qui fert duriffimam fententiam, qua ad mortem, vel mutilationem, vt dam membri, manifeste enim bertatem, quæ

vel medicum non licet me obligare ad vindictam, vel punitionem alicuius delicti. Ergo non est irregularis. Antecedens ad talionem apparet, & de aliis canonicum non esse impositas irregularitates hac ratione vi, medico, nisi tutio in culpa, cui meritum agregatur, & ad actus, quibus ex illis irregularitatibus non impeditur. Ecclesia non imponit, sic clerico qui medicinæ exercitium irregularitatem non imponit sicl fictam probitur, ac ignorare fatear potest. *Navarr. c. 27. n. 127. Henriq. lib. 14. c. 11. §. 1. Sayr. c. 8. n. 17. & 18.*

16. *Circumcisio* etiam benedictum non fit irregularis, exercendo officium notarii, vel clericigi fecundum regulam artis, citra abscissionem, vel adustionem, quæ ritualiter non requiritur, sic Apostolicum esse, quod fide pana irregularitatis. *Molina tract. 2. d. 27. n. 6. Sayr. l. c. n. 20. & 21. Rodrig. c. 171. Diana tr. 2. p. 8. resp. 31. Circumcisio* ritualiter facta, & peracta, fecundum probatiorem eli, medici obligationem ne adurendo, scindat vitam potest non fecisse, vel impedire, quo casu non eli alius ad hoc munus pertitus. Et hæc eli communis tenentia aliquæ excedit Perplexus; quia non videtur, quod medicus ad hoc teneatur, cum alias non sit irregularis.

17. *Lector* exercens circumcisionem, vel medicinam, licentiam irregularitatis, quæ ex illis oritur, quamvis non obtinuit aliquod ab feinde, cum à fanctis, quia in humanis sanctiones, vel exercitium non tollit insidias, vel minutionem, cum obtinentur ante, vertum confitentur: tamen li culpa vel imperitia medici vel chirurgi mors fequatur, vel membri mutilatio, irregularis eli, quia per illos, qui tamen ignorant, fubeat: eli irregularitas, quotiens culpabilis mortalitate: fatis caufa accelerationis mortis, irregularitas eli: licita cum fit in delicto, fupponit graviam culpam: li vero commettere prudentia, & absque notabili negligentia fecit. *Navarr. cons. 1. de homicid. Sayr. l. 7. c. 7. num. 6. Navarr. loco cit. num. 129. Filliuc. cons. num. 176. Azorius p. 2. lib. 6. c. 11. q. 2. Sanchez in decal. l. 2. c. 41. n. 11. Rebellus lib. 19. q. 3.*

18. *Qui accusa ad alium* in causa criminali petendo vindictam in irregularis, & causa mutilationis vel mortis, etiamli proferitur eius intentione petenda pœnam mortis vel fanguinis: quia eo ipfo quod in fententia pœnam mortis, vel mutilationis petit pœnam fanguinis, quæ propriè illos dicitur à lege imponitur. *Cap. petitione 2. de homicid. in 6. Molina tract. 2. d. 27. n. 6. Sayr. l. c. n. 20. num. 4. Suarez d. 47. §. 2. n. 3. Filliuc. cit. num. 188. Conradus cit. dub. 10. num. 8. Sayr. l. c. n. 20.* Quia accusat vel denunciat bonum proximi vindictæ, vel finistis dictorum vel interrefle fibi detestatus, etiam in criminibus dignis mortis, non fit irregularis, quamvis propter accusationem mendacem pœnam fanguinis, etiam li pollea fequatur mutilatio vel mors. *Navarr. cap. 27. num. 111. Rebellus l. 19. q. 3. n. 10.* Quia non videtur, quod accusator, vel denunciator fit pœna criminalis: aut etiam contingentiori, fit irregularis: fecus autem de reo, & testibus, quia pœnam pœnalem patiuntur, ut habetur *Cap. Prælatos de homic. in 6.*

Aliqui etiam Doctores dicunt, quod accusator, licitus eft cum pœna fanguinis, & mutilationis, vel fimilibus, vel alijs, etiam fi publica præcedens accufatio, quia fecus damnum reparatur propterea. *Panor. c. 1. de Cler. non resid. Felin. c. 1. de Cler. peregrin. Diana par. 1. tract. 3. resol. 13. Sayr. l. c. cap. 18. num. 5. Rodrig. c. 171. num. 3. Azor. p. 2. l. 6. c. 11. q. 2. num. 11.* Vide citatos poteli tunc non irregularitatem accusare inimicum denunciationem testimonium fuum fecisse, vel fententiam tulisse. *Navarr. cons. de homic. num. 8. Sayr. c. 8. 7.* Poteli etiam ad fui defenli ionem vel honorem, alterum accufare, etiamli sequatur mors per mutilationem, quæ accusatori infligitur, quia non fecus ac fententia de irregularitate potestatem non ut executor, *c.* & voluntaria in caufa fanguinis: *Filliuc. cit. num. 188. Conradus cit. dub. 10. num. 93.* Et hæc procedunt, si ad cautelam irregularitatis accusare, & denunciare intendat, & ex folo hoc accusationem denunciarent ad confidendum ibi, & relaxandum fuis. An autem qui ad hoc denunciat, per mittendo procedi ad tertiam monitionem, & mortem delinquendo vindictam, & fanguinem, incurrat irregularitatem, *Navarr. cit. num. 126. Toletus l. 5. c. 58. n. 2. Filliuc. cit. loco. Sayr. l. 7. c. 8. n. 3. Sayr. c. 8. num. 7. Suarez d. 46. §. 19.* negant, quia verisimile in materia penali, qua benignior pars accipienda eft. *Cap. in pœnis, de regulis iuris, lib. 6.*

19. *Tertio* fertur reflus vitium in caufa fanguinis, fecuritis irregularitatem incurrit in actu, vel mutilatione, fine mortis exantlatio, fine num de hoc verum etiamli illius alterius exhibendo ad mutilationem ab ipfo adjudicata, vel imponendum vel ad executandum cum, licet poltea mors fecuta fuerit ob probationes minus vel, vel ob propria ea rei conditionem, quia quicumque cooperatur immediate ad mutilationem, fit irregularis. *Cajetanus tractatu 18. Nauar. cap. 27. n. 121. Sayr. d. 47. §. 2. num. 3. Rebellus l. 19. q. 3. n. 10. Sayr. l. 7. c. 8. n. 3. Sayr. c. 8. n. 18. n. 1. Filliuc. cons. cap. 9. n. 7.* Vide citatos non poteli cupidas irritandi reflitutionem contra reum in caufa fanguinis, in mancum tamen rei poteli reflare de licentia Judicis, vel eius vicarij, nec incurrit irregularitatem ad teflimonium ferens, quamvis testes tenantur ad illud ferendum, vel quod non fecerint ferendo, & accusator calumniator, quia mos accusatoris reipectu clerici reflatus non incurrit irregularitatem ferendo fuit accufatio ut patet dicto, *Vide Damian q. 49. n. 2. 3. & 4.*

20. *Quarto* fertur reflus vitium rei, non incurrit notam irregularitatis, quando fequitur mors vel mutilatio accufationis, qui competens eli calumniator, nili poteli accufationem, pœnam fanguinis. *Molina tract. 2. d. 27. n. 11. Filliuc. cit. n. 137. Sayr. d. 47. §. 2. n. 2. Rodrig. c. 8. Felin. cap. 8. 1.* incurrunt autem irregularitatem omnes, qui vindictæ defendendæ causa, fi in illa mors vitæ detentionem fecuta eli mors vel mutilatio accusatoris; isto hoc quamvis plures dicant, quia bona fide fecerit, credens ac accusationem effe iniuflam: *Navarr. cap. 27. num. 128. Rotac. cit. q. 6. §. 1. num. 6. Similiter* Advocatus incurrit irregularitatem, si cum accusatore, vel rei negligentia illa tam valde cognoverit, quam exaditio & accusatum manus fuum incolpet, qui vere innocens eli. *Sanchez Henriq. l. 14. c. 11. §. 1. Regnal. l. 30. num. 133. Filliuc. cit. num. 137. Leon* Advocatus vel procurator, qui in causa criminali accusatorem vel testibus tione rei, contra quem pro accusatore agebat qua exercitor causa fanguinis vel mutilationis: nec excusatur ab irregularitate, quamvis ad officium accusatoris, aut delatorem exercendum aut Syndicefficium cum interfectionis in causa criminali petendo pœnam fanguinis contra quis opponitur in causa fanguinis vel cum irregularitatem, vis excipiantur in iure, vel exceptionem accusatoris, aut testium, vel rei, vel in forma, vel in processu. *Cajetanus de homicid. in 6. Covar. par. 2. §. 5. Layn. disp. 5. resp. 2. Sayr. c. 8. num. 7. Navarr. Rebellus l. 19. q. 3. n. 10. Sayr. de irreg. dub. 11. num. 104. Consule de Sayr. num. dubit. 18. dub. 10. n. 95.* patuit in casu quo accusator cum probationibus minus vel fufficientibus, ex minus bona fide accusat ab accusatum: quia nili adjudicatus eodem priuilegio vel poliet: prior accusatio, quæ non accusandi. *Vide Sayr. l. 7. c. 8. n. 7. & 8. num. 16. & 34.*

21. Contrahitur etiam irregularitas ob bellum, non occidere aliam in bello tum iuflo, quam iniuflo incurrit irregularitatem, quia eli contra merita C. *pœnitentia, de homicid. si feroritas tantum in bello exercetur, quæ concedebatur ab Ecclesia, non tamen ita* quæ eli ex bello iniuflo, dicitur ex decisio, quæ non fit irregularis. *Sayr. l. 7. c. 8. n. 8.* Quia bello peracto, quamvis vide procedentes ad bellum iniuflum alio fint quam pugnando, & occidendo non incurrunt irregularitatem occidendo aliquem inimum, ad defendendum vitam propriam, dum eam aliter nam non poffunt, quia ipfum occidendo vt habet *Clementina. Si furiosus de homicid.* Quia non videtur ex tunc in bello iniuflo pugnandi, fiant irregulares, fine bellum iniuflum fine mutilationem, vel mortem inferendo, quæ pœnam fanguinis, & fidem in caufa volunt homicidium, & consequenter reum homicidij fine irregularitatis. *Vide Sayr. l. 7. c. 8. n. 8. Rebellus l. 19. q. 3. n. 16. Rodrig. l. 3. c. 171. Henriq. l. 14. c. 11. Diana par. 2. tract. 3. resol. 17. & 20.*

22. *Quinto* poffet poffunt intendi tum clerici qui in bello absque irregularitate, etiamli hominem militet, vt fuo fangvine manibus non fordidet, nec in pugnando in gentes ad pugnandum, & gerendum, ad vincendum, ad bellum moliendum, ad pœnam, defendendum, & hoc non fine fanctione eli, ita tamen ut bellum vsde duces exercitus, consiliarios militis, tubicines, pulsatores tympanis, & alij quibus ratione concurrentes ad bellum iuflum, non fint irregulares, nili per fepios matutent, vel occidant, vel homicidae ad occidendum aliquem in particulari. *Navarr. cap. 27. num. 115. Sayr. cap. 19. lib. num. 1. Regnal. dub. 130. num. 165. Filliuc. cit. num. 169. & 170. Nauar. c. num. 114. Felin. cap. 13. 1.* Item prohibentes fieri violentiam animalium, lo inito, non fint irregulares, etiamli animalia fint offenfiua: qui vero potentes arma in bello iniuflo, ipfis imutantur hoc iniuflo in bello fecerit, nec vllo inter eos mutuo irregularitatem: *Cap. petitio tua de homicidio. Sayr. d. 47. Felicus, fecus num. 11. Filliuc. cit. num. 169.* Quamvis dicti notati poffint prohiberi arma ad occidendum inter vtiam, & quæ

regnente absque facultate per folgit paganere: per le loquendo, poffunt irregulares in exercitio animi tranquillo, non vexillo exercitus pugnare: imo poffunt aliquando pugnare in bello, quando fcilicet neceffitas ad defendendum patriam, & bona, & perfonam hoc fuligenes violentum. *Molin. tract. 4. d. 73. n. 1. & 2.* Hinc clerici pugnantes in bello Sanctæ Pontificiæ, fecus autem non fiunt irregulares, nec conftituens principi bellum iuftum contra eum.

17. Iure communi, in irregularitate contracta caufa bello difpenfat Sanctus Summus Pontifex, quia ille folus poteft hanc bellum caufatam iuftam iudicare: Epifcopi autem non poffunt in hac irregularitate difpenfare: quia in Ordinatione excifa eft facultas Epifcopis difpenfandi in irregularitate ex delicto occulto propriorum, excepta irregularitate homicidij voluntarij: quæ irregularitas autem quæ propter bellum contrahitur, aut non procedit ex delicto, ut occulto, quando bellum eft iuftum vel fi procedit ex delicto, non homicidium eft voluntarium, aut latens publicum. *Sanch. n. 343. Sayr. lib. 6. 19. Bonac. d. 3. q. 1. punct. 6. n. 25. Filiut. Quæstion. 9. p. tr. 29. n. 180.*

Au autem hæc irregularitas ex delictu leniuris fit difpenfabilis ab Epifcopis. *Bonacina, Avila, Sanchez, Tamburin* negantes fententiam oppofitam, quia in Tridentino folum concedituir irregularitas ex delicto: hæc fententia eft probabilior. Et fequenda, quia *Diana 4. p. tr. 2. refolut.* quamvis contrariam probabilem etiam indicetur *Rebfferes, Coninckius, Portelis, Medina*, & aliis quos refert, & feguitur Beriedict. *Regul. Epifcop. alphabet. 19. num. 47.*

Au autem in illa difpenfent Prælati regulares, Vide v. *Abbas* num. 8. 9.4.

IRREGVLARITAS VI.

De irregularitate proueniente ex aliquo delicto,

De irregularitate ex delicto homicidij voluntarij.

SVMMARIVM.

1. *Quamplicter poffit contingere irregularitas prouenies ex homicidio voluntario?*
2. *Quo tempore accefio ad membri abfciffio inducat irregularitatem?*
3. *An mandans tantu vel expreffus homicidium, vel fit homicida? & quomodo?*
4. *An confilium dantis homicidium aut membri abfciffionem, fecum mouens vel mandatum, fit irregularis, & quomodo homicidij? Et fi irregularis, qui alteri fuadet furtum, an fit confilium, fuafio, vel cooperatio?*
5. *An auxiliantes aut cooperantes ad homicidium, vel fint homicidæ, & irregulares?*
6. *Quo fenfu dicatur irregularis, quando unus percuffit iuniter, fed alio poffea accedente, interficiunt percuffum?*
7. *An fit irregularis percuffor, qui percuffit mortuum, & non mortifere, fed quamuis mortem negligentia medicis, aut chirurgis, & male curantibus ipfius percuffi? Et quotuplex duplex fententia.*
8. *An excommunicatus irregularis, qui tractum habens cum alteris, adinuenit accurrentes in fui auxilium, ne quid mali alteri vifurant, fuccurrentes occidunt alterum? Item innocens? Et quid de auxiliante ad alio qui alteri tradit arma, ad occidendum alium?*
9. *An irregularis alterum incurrat qui interim ex officio, vel ex fententia, vel ex prouifione alterum defendens? Et num defendens fe homicidium ignorat. Et an Dominus non irregularis homicidium per mandatum a famulo, fiat irregularis: An clericus irregularis cetat incurrat, fi non impedit abortionem fœtus a fe gravatæ reddita?*
10. *An contrahatur irregularitas ex fola ratihabitione homicidij ab alio commiffi, vt facta fua nomine? Et eorum duplex fententia.*
11. *Quo poffit difpenfare in qualibet irregularitate prouenienie ex homicidio?*
12. *An Epifcopus poffit difpenfare in irregularitate ex homicidio*

ab exfecti prouenienie?
And in forte Prælato regulares?
13. *Archidiacus fuffraganeus difpenfandi in irregularitate, exercendo actum homicidij? Et an poffit Vicarius Epifcopi difpenfare ab irregularitate prouenienie ex homicidio, non tamen ex caufa, fed tantum a re non caufali. & an refidens poffit delinquens? Et certur duplex fententia.*
Et an irregularitas contracta ex mutilatione, fit ab Epifcopo difpenfabilis.

1. PRima fpecies irregularitatis ex delictis, enumeratur illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario, quod duplicitur contingit homicidium voluntarium, dicitur. Scilicet fimpliciter, quando fcilicet illud intenditur absque ordine ad alterum. Secundum indirecte, & fecundum quid, quando fcilicet non intenditur homicidium in fe directe, & in actu fignato, homicidium autem fecundum certum intentum in actu exercito, eo quod aliquid aliud intenditur, & de homicidio confequens illud fecluditur, vt qui enim grauiter ferit alterum in capite, non intendens mortem, neceffario tamen inducit, & intendit mortem. *Sanchez lib. 6. de mat. fall. 1. num. 7. Filiut. 1. c. 27. n. 130. Bonac. d. 3. q. 1. punct. 3. n. 4. Sayr. lib. 6. c. 19. n. 3. 4. 5. 6. & 8. n. 1. Homicidium autem poteft dici voluntarium, vt exclufis omnibus humanitus vel conditionis, tunc enim eft voluntarium, quando intendit ex mandato vel confilio, aut etiam quando mandans aliquem occidi vel quo facile ipfo poteft mors alterius, & fieri poteft vt homicidium reftrictu mandatum fit voluntarium, vel contingat, quando vero exequutus mandatum vel confilium fit caufale, vel contra? vt mandans homicidium mortem, mandatarius vero velle leniorem inuitum interea, vt eleet remouere vel alia de caufa, contingit leniter vulnus, vele contra. *Molina disp. 35. Sayr. l. 7. c. 1. n. 1. Filiut. c. 28. n. 132.*

2. *Homo hagitus* aut occidens, vel abfcindens alterius membrum voluntarie: Implicitus vel explicitus quod 1. eft irregularis fecuta morte aut mutilatione: *S. Thomas. de parte ent. difp. 1. homicidium* dicitur de illa actione, quæ ex fua natura eft cauſa occidi vel mutilati: & qui abfque iuſta cauſa filij membrum amputat a corpore, homicidium committere effe vel videtur, modo mutilatus non fit efficiens vel medium, vel ex fua natura & primo intentum tamen irregularis non eſt, qui non occidit, ſed de illius membro vel totius mutilatione non intendit, vel eſt, vel ex ſua natura eſt, non tamen hoc eſtendit in cauſa, aut qui cauſam aliquam reddit aliquem mutilari non intendens vel qui mutilat aliquem, & non dignus non eſt membrum ſibi pars membri, vel qui mutilat ex iuſtis, qua iure non videtur mutilare. *Bonacina. Sayr. l. 7. cap. 2. Sayr. l. 4. cap. 11. Nau. c. 27. n. 207. Tolet. l. 5. c. 71. n. 3. Filiut. tr. 30. c. 1. Regin. l. 30. n. 93.*

Dicitur mutilatus, quando qui abſcindit aliqui digitum, velinguli vitium in facie etiam cum magna effuſione ſanguinis, non tamen ſit mutilatus, ſed ſolum dicitur mutilatus, quando vel inutilis, abſcifus tamen digito aut detorquet vulnerato digito, vel magnopere deformis, & ingenere deformitatem: & contra. vtrò amputans alteri membrum, non eſt irregularis, qui dicitur propriè membrum abſcindere, quod ſimiliter ſit, qui ſolum ſit vulnus membrum abſcindens, non manet irregularis. *Avilabon. de regular. 20. num 3. Dicitur parte tertia: ita quod ſi vulnus ſit, & pars membri abſcindatur. 26. 60. Bonacina d. 7. q. 4. p. 3. Pyrrh. cap. 4. 5. Filiut. tr. 30. c. 1. n. 130. Sayr. l. 7. c. 1. num. 4. & 10. Sayl. 2. p. 96. 1. 2. Sayr. c. 19. n. 3.*

3. *Mandans* tacitus vel expreſſus homicidium, cum eſt homicidij, conſequenter eſt irregularis. & mandans tacitus homicidium, qui ex natura ſua nouit occidi mandatum, & illum nouo mandatum interpretatur. *Navarrus cons. num. 3. Tolet. lib. 5. cap. 78. Sayrus lib. 7. cap. 1. num. 6. Suarez d. 44. fect. 2. Filiutius tract. 30. c. 1. n. 132. Regnaldus tract. 30. num. 134.* qui mandans conſtitut cauſa efficax homicidij, & damnit: tantum ſi mandatum occidat alterum poſſimum cognouit parens inſtum eſſe inter illos, & mandantem, homicidium eorum mandatum non eſſet imputandum, ſed potius maiore mandatum ſi: *Sayrus decretum* ſi mandantium ignorant parens, & familiaritatem eſſe à mandante ex eiſtimant: quia tunc mandatum non conſtituit eiuscmodi, cum illius remouet non innocuerit mandatum: *Cap. final. de homicid. in 6. Sayrus cast. num. 7. Diana 4. part. refol. 9. refolut. 14. Suarez difputat. 15. fect. 3.* item reus eſt homicidij, & homicidæ, qui mandat, vt liberare, percutere, vel capere, aut in carcerem detrudere, aut

narm

ſuum inimicum; imponendo expreſsè ne occideret, & curaret, ne occideretur; ſed nihilominus mandatarius inimicum reipſa occidit; quia mandauit actiones, quæ ſunt periculoſæ mortis, non adhibita ſufficienti diligentia ad mortem præcauendam.

4. *Qui cumque conſulit* illicitè homicidium, aut membri abſciſſionem illi, qui paratus non erat ad homicidium vel mutilationem patrandam, reus eſt homicidij, & irregularis, ſecuta morte vel mutilatione, modò conſulens non retraxerit influxum, quem exhibuerat per ſuum conſilium: conſulens verò homicidium alicui iam parato ad occidendum, non fit irregularis, quia non cenſetur cauſa efficax homicidij, quamuis peccet ratione affectus, & intentionis homicidij: *C. ſi quis viduam d.* 50. *Sayrus l.*7. *c.*3. *n.*1. *Tolet. l.*1. *c.*79. Hinc dicendum iſtum eſſe irregularem, qui dedit conſilium faciendi abortum fœtus animati anima rationali, ſecuto tamen effectu: *Filliucius tract.*20. *n.*19. *Regin. l.*30. *n.*96. *Diana c. reſ.*14. *&* 18.

An autem ſit irregularis, qui non potuit dimouere fœminam à conſilio dato de abortu faciendo, affirmatiuè ex *Nauarro*, & *Corduba* reſpondet *Aula* de cenſuris apud *Dianam reſolut.*15. & hæc ſententia eſt probabilior, & tutior: quamuis contraria *Henriques l.*14. *c.*16. *num.*5. non ſit improbabilis. Vide deinde *Dianam p.*3. *tr.*5. *miſc. reſol.*83. Vbi concludit cum *Layman l.*1. *tr.*5. *p.*2. *c.*5. *n.*7. in gratiam confeſſariorum, ad tollendos omnes ſcrupulos, quòd qui alteri propoſitis rationibus homicidium iniuſtum perſuaſit, ſi eas poſtea ſeiò, & quatenus poteſt efficaciter, retractauit, ſecuto nihilominus homicidio, nec in excommunicationem, nec in irregularitatem, nec etiam probabiliter in obligationem reſtituendi incurrit: quia in hoc caſu non videtur executor alterius conſilio moueri, ſed potiùs ſuamalitia.

Non eſt irregularis, qui alteri ſuadet furtum, cui ſcit imponi dere ſupplicium mortis, quia non peccat contra iuſtitiam circa mortem inferendam latroni, ſed contra fortitudinem, quia conſulit illi, quando, & quomodo non oportet, vt ſe exponat periculo vitæ: Ratio eſt, quia hoc modo non eſt cauſa homicidij poſitiuè influens, ſed tantùm peccat contra fortitudinem, ſuadendo illi, vt ſe offerat periculo vitæ ſine cauſa; nec is dicitur homicida per ſe, & propriè in iure ad effectum irregularitatis.

Idem eſt de conſulente alteri in bello fugam, cui eſt annexa pœna mortis, quamuis ſciret fugientem exponere ſe periculo capturæ, & etiam de conſulente alteri, vt fugiat à carcere à quo ſub pœna mortis fugere non poteſt, vel vt effringat carcerem, cui effractioni eſſet impoſita pœna mortis. Ita *Vaſquez* 1. 2. *diſputat.*100. *art.*8. *dub.*3. *Caſpenſis tom.*2. *tr.*25. *ſect.*8. *n.*48.

5. *Auxiliantes*, aut cooperatores ad homicidium, rei ſunt homicidij, & conſequenter irregularitatis, ſecuta morte vel mutilatione: vnde quando plures de communi conſenſu aggreſsi ſunt aliquem hominem, & inuaſus ex vno tantùm vulnere periit, omnes ſunt rei homicidij, & irregulares, etiamſi non omnes percuſſerint: ſi verò non ſe concitarunt, nec præmiſerunt conſilium, ſed ſubita quadam rixa inflixerunt vulnera, & vnus tantùm lethale vulnus inflixit, ille tantùm videtur reus homicidij, qui lethale vulnus inflixit: quando verò neſcitur quiſnam lethaliter vulnus inflixerit, omnes qui dubitant à ſe lethale vulnus inflictum eſſe, debent ſe tamquam irregulares gerere: quòd ſi plures vulnera inflixerunt, quorum ſingula non ſunt ex ſe mortalia, ſed ſimul ſumpta, ſunt cauſa ſufficiens mortis, ſinguli incurrunt irregularitatem. Ita *Sayrus, l.*7. *c.*4. *n.*12. *Molin. d.*33. *n.*1. *&* 7. *Reginald. c. n.*160. *Suar. d.*44. *&* 45. *Filliuc. num.*109. *& ſequent. Similiter* quando plures percuſſerunt abſque præmiſſo conſilio, & conſenſu, & non conſtat, ex quo vulnere percuſſus obierit, debent omnes ſe tamquam irregulares gerere, quia, in dubio facti homicidij dubitans cenſendus eſt irregularis, vt habetur *cap. Significaſti de homicidio. Couarruuias, Clementina ſi furioſus, par.*2. *§.*2. *Vide Dianam tract.*1. *miſc. reſolution.*18. *p.*2.

6. Quando vnus percuſsit leuiter, ſed alij poſtea accedentes lethaliter percuſſerunt, abſque cooperatione illius qui leuiter percuſsit, vltimi ſunt irregulares, quia lethaliter percuſſerunt: quando autem primus lethaliter percuſſit, cæteri verò aduenientes leuiter ſolùm percuſſerunt; ſolus primus erit irregularis, modò vulnus iſtorum non ſit cooperatum ad mortem citiùs inferendam. *Sayrus cit. num.*15. *Henriques lib.*14. *cap.*14. *num.*2. *Nauar. c.*27. *n.*223. *Diana tract.*1. *miſcel. reſol.*18. *part.*2.

7. *Plurimi Doctores* affirmant eſſe irregularem eum, qui iniuſtè percuſſit, leuiter tamen, & non mortiferè, ſi propter eam percuſſionem, vel ex negligentia medici, aut chirurgi imperitia, vel culpa, & malo regimine ipſius percuſſi, ſequatur mors; quia percutiens videtur cauſa ſatis propinqua mortis, quòd verò non fuerit adhibita diligentia in medicamine vulneris, volunt eſſe per accidens reſpectu mortis, percuſſionem verò, ſeu vulnus directè, & per ſe ad mortem pertinere. Sic *Nauarrus c.*27. *n.*223. *Sylueſt. v. hom.*2 *qu.*2. *Vuald. de irregul. n.*141. *Maiol. lib.*5. *cap.*48. §.4. *Alia opinio* negat eſſe irregularem, quia illa percuſſio non eſt cauſa immediata mortis; & certè, vt ait *Sayrus, l.*7. *c.*4. *n.*16. quamuis prima opinio videatur communior; hæc tamen ſecunda videtur rationi magis conſentanea, & ſic ſentiunt *Tolet. l.*1. *c.*80. *Salon* 2.2. *q.*64. *artic.*8. *Henriq. lib.*14. *c.*14. §.4. & quidam alij.

8. Non eſt *cenſendus irregularis*, qui rixam habens cum altero, admonet accurrentes in ſui auxilium, ne quid mali alteri inferant, etiamſi accurrentes occidant alterum intuitu huius. *Reginald. c. num.*147. *Henriq. lib.*14. *c.*13. *n.*4. quia ipſe non cenſetur mortem cooperari; ſed homicidium reſpectu huius ſequitur per accidens: *Molina c. d.*33. *memb.*6. *n.*6. *Vgolinus c.*17. *num.*2. *Irregularis* verò eſt, qui præſtat aliquid præuium ad homicidium, vel ad mutilationem, verbi gratia, tradendo vni arma, quibus alterum occidit, modò ſuſpicionem aliquam habuerit illa arma peti ad malum aliquod patrandum: *ſi verò* neſciuit nec ſuſpicatus eſt peti ad malum aliquod patrandum, excuſatur ab irregularitate, quia excuſatur à culpa. *Molina. Vgolinus. Multò minus* irregularis erit tradens alteri arma ad aliquem occidendum, ſi ille, cui tradidit arma non committit homicidium illis armis, ſed alijs, quia reipſa non cenſetur influere in homicidium. *Suar. d.*45. *ſection.*3. *num.*10. *Filliucius citat. num.*100. *&* 125.

9. *Qui tenetur* ex officio, vel ex ſtipendio, vel ex promiſſione alterum defendere, & non defendit, incurrit irregularitatem, ſi voluntariè non impediat homicidium, quod tenebatur ex iuſtitia impedire: quia talis peccat contra iuſtitiam, non impediendo, & cenſetur cauſa moralis homicidij: quando autem tenebatur impedire ex ſola charitate; non incurrit irregularitatem: *hinc* ligantur irregularitate ſecuta morte Princeps, non impediendo neces; iudex, non impediendo iniuſtam ſententiam contra vitam innocentis; medicus, non curando eos à quibus pretio conductus eſt; dominus, non adhibendo diligentiam ne animalia quæ ſub ſuo dominio vel cuſtodia exiſtunt nocumentum aut vulnera infligant: hi omnes tenentur ex officio, & iuſtitia impedire damna. *Suarez d.*45. *ſect.*4. *num.*5. *Sayr. l.*7. *cap.*4. *num.*3. *& ſeq. Nauar. c.*27. *n.*231. 232. *Tolet. l.*1. *cap.*83. *num.*4. *Henriq. l.*14. *c.*12. *n.*7. *Reginald. l.*30. *n.*168. *& ſeq. Dominus* verò non impediens homicidium patrandum à famulo, non fit irregularis, ſicut neque pater non impediens homicidium patrandum à filio, modò filius vel famulus non ſit commiſſurus homicidium intuitu patris vel heri, tunc enim herus vel pater tenetur ex iuſtitia impedire, ſi poteſt; alioquin cenſetur cauſa moralis negatiua homicidij. *Bonacina cit. p.*8. *num.*40. *Molin. to.*4. *tr.*3. *d.*33. *Tolet. cit. n.*3.

Notandum tamen hic eſt, quòd non impediens homicidium, quod tenebatur ex iuſtitia impedire, incurrat irregularitatem homicidij voluntarij, ſi non impediuit ex odio, & ex directa intentione, vt occideretur; ſi verò non impediuit, ex aliquo timore humano, vel ex negligentia, aut auaritia, videtur incurrere irregularitatem homicidij caſualis, in qua poterit Epiſcopus diſpenſare: quia hoc homicidium non eſt directè intentum, nec perpetratum, ergo propriè non videtur appellandum voluntarium, ſed caſuale. *Suarez, cit. ſect.*4. *num.*9. *Filliuc. tract.*20. *num.*130.

Sed quid dicendum de clerico, qui ſciens mulierem à ſe prægnantem redditam, meditari conceptæ ab ea ſobolis abortionem, an irregularitatem incurrat, ſi hanc pro virili non impediat? Rationes pro affirmatiua ſententia ſunt. 1. quia eiuſmodi fornicator videtur teneri fœtum illum in vita tueri, tamquam eius generationis cauſa; error autem cui non reſiſtitur, approbatur: & is dicitur reus homicidij, qui cùm commodè potuiſſet, non impediuit alterius occiſionem. *C. Significaſti, de homicidio.* 2. Reus eſt homicidij, qui cauſam præbet. Fecit id clericus, nam impræganando mulierem, eam redegit in has anguſtias, vt aut fœtum ab illa extingui, aut famæ ſuæ iacturam pati eſſet neceſſe; ergo clericus incidet in irregularitatem, ſi eius electionem non impediat. Sic ſentiunt *Portel. in dub. reg. v. Abortus num.*14 *Dian. part.*4. *tractat.*2. *reſolution.*8. citans *Rodriques, Layman, Auilam*; & alij multi citati à *Diana*. Pro negatiua autem adduci poſſet quòd clericus in hoc caſu non concurrit nec

cooperatur vllo modo positiuè, sed solùm merè negatiuè, non defendendo quem defendere tenebatur, irregularitas autem solùm incurritur propter cooperationem positiuam, ergo, &c. Tum quia satis probabile est patrem non teneri defendere vitam filij ordinarij lege iustitiæ, sed pietatis, & officij paterni, ergo, &c. Vnde hanc sententiam admittunt tanquam probabilem *Turrianus*, *Hurtado*, *Lessius* à *Diana* citati, quibus subscribit *Lugo tomo 1. de iustit. disput. 10. section. 11. num. 222. Caspens. tomo 2. tract. 25. disput. 5. section. 8. num. 38.* qui ex prælato fundamento infert, contra præcedentem doctrinam, eum qui non impedit homicidium, quod ex iustitia tenetur impedire, non incurrere irregularitatem, etiamsi ex dolo non impediat. Ratio est, quia licet iste sit causa moralis, seu voluntaria homicidij quod non impedit, & consequenter influat moraliter, & voluntariè in illud: nihilominus non est causa positiua influens positiuè, vel opere aliquo, vel auxilio, vel consilio; & in iure hæc irregularitas non fertur, nisi contra verè, & positiuè homicidas saltem consilio, aut animatione, non contra non impedientes homicidium. Et pro hac sententia citantur *Hurtado*, *Vasques*, *Turrianus*, *Præpositus* apud *Dianam 4. par. tract. 2. resolut. 7.*

10. *Nauarrus*, *Sylvester*, & quidam alij dicunt irregularem esse, ratum habentem homicidium suo nomine factum, ipso etiam insciente; secus autem vbi non esset commissum homicidium nomine ratum habentis, sed alterius, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur; *Nauarr. citat. num. 233. Sylvest. v. homicid. 1. qu. 7. Molin. cit. d. 33. memb. 3.* Verior tamen, & communior opinio docet, non contrahi irregularitatem ex sola ratihabitione homicidij ab alio commissi, licet suo nomine: quia ratum habens homicidium, quod nec præcepit, nec consuluit, licet peccet peccato mentis, & voluntatis, non tamen peccato homicidij actualis, ita *Suarez d. 44. section. 3. Sayr. cit. l. 7. c. 4. num. 17. Filliucius num. 39. & 41. Reginald. l. 30. num. 140. Diana 4. p. tr. 2. resol. 13.*

11. *Summus Pontifex* potest dispensare in qualibet irregularitate proueniente ex homicidio iusto vel iniusto, voluntario vel casuali *Suarez d. 44. sect. 4. num. 35. Aula part. 7. d. 6. section. 5.* quia supremam habet potestatem in terris, & in impedimentis iuris humani potest dispensare: *Episcopus* tamen non potest dispensare in homicidio voluntario iusto secundùm probabiliorem sententiam; vel iniusto, quia in *Concil. Tridentino sess. 14. c. 7. & s. 24. cap. 6.* conceditur Episcopis facultas dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario: Licet quidam Doctores sustineant vrgente magna necessitate scandali, vel alia, & difficili existente recursu ad Papam, vel propter inopiam, vel magnam distantiam, dispensare posse; & hoc siue ex eius ordinaria potestate, siue ex tacita Pontificis commissione: non enim credendum est, Papam sibi dispensationem reseruasse in tanto animarum periculo. Et hanc sententiam docent *Henriquez*, *Sylvester*, *Cornejo*, *Aula* quos citat, & sequitur *Diana par. 4. tr. 2. res. 100.*

12. *Episcopus* potest dispensare in irregularitate ex homicidio casuali proueniente, modò delictum sit occultum: *Bonacin. c. punct. vltim. Valent. tomo 4. d. 7. q. 19. p. 3. §. 5. Sayr. l. 7. c. 7. num. 22. hinc* sequitur Episcopum posse dispensare cum eo, qui habebat intentionem leuiter percutiendi, sed accidit vt secutum fuerit homicidium; *Item* cum eo, qui causa defensionis commisit homicidium occultum, non seruato moderamine inculpatæ tutelæ: *Suarez, Filliuc. cit. Molin. c. tractat. 3. d. 3. num. 7. Item* cum eo, qui mandauit seruo vt alterum percuteret, sed caueret, ne mutilaret vel occideret; nam homicidium inde sequens non est propriè voluntarium respectu mandantis, sed est casuale culpabile: *Reginald. cit. num. 29. Tolet. cap. 84. Sa v. Irregul. in fine. Item* potest Episcopus dispensare in irregularitate proueniente ex iniusta mutilatione occulta, quia ista irregularitas consurgit ex delicto occulto, in qua, virtute Tridentini potest Episcopus dispensare: Tamen iuxta veriorem sententiam. *Nauarr. cit. num. 240. c. Molin. c. num. 8.* non posset *Episcopus* dispensare cum eo, qui alium occidit in rixa inopinato suborta, etiamsi homicidium sit occultum: neq; cum illo qui contraxit irregularitatem occidendo in bello iusto, etiamsi occisio sit occulta, nam ista irregularitas non prouenit ex homicidio casuali, aut ex delicto homicidij, sed ex homicidio iusto voluntario. Episcopus autem solùm potest dispensare virtute Tridentini, in irregularitate proueniente ex delicto homicidij non voluntarij. *Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 6.* Vide *Dianam 4. p. tr. 2. res. 70.* referentem multos Doctores asserentes Episcopum posse dispensare in irregularitate iustæ occisionis, quia hoc conceditur Episcopis in dicto loco Concilij, dum excipitur homicidium voluntarium: nam ibi sub nomine homicidij voluntarij, excipitur tantùm occisio hominis iniusta prohibita in quinto præcepto Decalogi. Ita *Barbos. Bannes*, *Medina*, *Hieronym. Rodriq.* & alij.

Prælati regulares virtute suorum priuilegiorum possunt dispensare in irregularitate contracta ex homicidio simpliciter voluntario illicito, modò sit occultum, non autem si sit publicum. Probatur id per Bullam *Pauli III.* concessam Generali, Abbatibus, Prioribus, & Præsidentibus Ordinis, & Congregationis Sancti Benedicti valliscoleti, quam refert *Rodriques* in suo Bullario inter Bullas eiusdem *Pauli III.* vbi concedit prædictis potestatem dispensandi subditos singulis annis prima die Lunæ Quadragesimæ super quibuscumque irregularitatibus, quauis occasione, vel causa contractis. Quo priuilegio gaudent omnes Prælati cuiuslibet religionis Communicationem priuilegiorum habentes.

An autem idem possint Prælati virtute Concessionis *Martini V.* factæ Priori Monasterij S. Benedicti Valliscoleti apud Casarubium *v. Absolutio Ordinaria quoad fratres* § 40. Resp. Doctores, qui ante bullas *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* quæ abrogant, & annullant omnia priuilegia viuæ vocis oraculo concessa, scripserunt, affirmatiuè respondere: sed his temporibus nihil valet. Quod maximè notandum est, & aduertendum quando similia viuæ vocis oracula leguntur apud *Casarubium*, *Cordubam*, *Rodriques*, *Sorbum*, *Portel*, *Mirandam*, *Cronsers*, & alios, qui ante istas reuocationes scripserunt: plerique enim ex istis sæpius in suis sententijs innituntur huiusmodi viuæ vocis oraculis iam reuocatis, proinde hoc tempore cautè procedendum est, in vsu similium priuilegiorum non Bullatorum, ne error in praxi cum animarum detrimento contingat. Sed plura de his viuæ vocis oraculis dicemus infra v. *Priuilegium* 1. *num. 8.*

13. Affirmant multi Doctores, habentem facultatem dispensandi in irregularitate, excepta illa: quæ prouenit ex homicidio voluntario posse etiam dispensare ab irregularitate proueniente ex homicidio non solùm casuali, verùm etiam ex non casuali, & ex defectu perfectæ lenitatis; quia homicidium voluntarium propriè dicitur illud, quod fit voluntariè, & iniustè, sed homicidium casuale non dicitur fieri voluntariè, & homicidium ex defectu lenitatis non dicitur propriè homicidium, nec fit iniustè: ita sentiunt *Suarez d. 47. sect. 6. num. 13. Molina, disput. 79. num. 3. Filliucius tract. 19. num. 282. Nauarrus citat. num. 240. Reginald. l. 30. num. 23.* Alij tamen probabilius esse docent, & meritò, non posse Episcopum in vllo homicidio voluntario, etiam iustè, & licitè patrato dispensare, nam homicidium iustum reuera appellatur homicidium in iure canonico. *Clement. 1. de homicid.* Ita *Toletus, lib. 1. cap. 82. num. 8. Salon, & Arragon 2. 2. q. 64. art. 8.* Vide *Dianam 4. p. tractat. 2. resolut. 69. & 70.*

Hic quæri etiam posset, an irregularitas contracta ex mutilatione alicuius membri, sit ab Episcopo dispensabilis: Negatiuam sententiam docent *Sanchez*, *Henriques*, *Medina*: sed contraria sententia est communis, cui adhærent multi recentiores citati à *Diana c. resol. 71.* Præterea peti poterit an qui plura homicidia commisit, contraxerit plures irregularitates necessariò in dispensatione manifestandas, affirmatiuè respondent *Sanchez*, *Coninck*, *Rodriques*: licet in contraria sententia sint *Henriq. Filliuc. Sanch.* apud *Dianam, quem consule res. 86.*

IRREGVLARITAS VII.

De irregularitate proueniente, ex homicidio facto ad defensionem sui, rerum suarum, ac proximi; nec non ex homicidio casuali.

SVMMARIVM.

1. *An irregularis sit, qui occidit alium ad vitæ suæ defensionem?*
An autem fiat irregularis homicida occidens innocentem vitæ cum moderamine, si ipse homicidæ causam dederit innocentis? refertur duplex sententia.

2. An

2. *An censendus sit irregularis, qui ob honoris vel bonorum suorum defensionem aliquem occidit seruato moderamine inculpatæ tutelæ,* refertur duplex sententia.
3. *An occidens aut mutilans aggressorem Patris, Fratris, aut alterius consanguinei, vel proximi innocentis sit irregularis?* duplex est sententia.
4. *An qui alterum occidit ad sui defensionem, in foro externo præsumatur irregularis, donec hoc probet?*
5. *An homicidium casuale inducat irregularitatem?*
6. *Vt irregularitas ex homicidio casuali incurratur, an requiratur peccatum mortale vel veniale?* refertur duplex sententia? *Et an dans operam rei illicitæ periculosæ homicidij, secuto homicidio sit irregularis?* refertur duplex sententia.
7. *Multi hic enumerantur casus in quibus non incurritur irregularitas ob homicidium casuale.*
8. *An qui dat causam periculosam homicidij sit irregularis? sibi multa de hac irregularitate?*
9. *An irregularis sit qui inter dormiendum interimit infantem? similes hic casus ponuntur, in quibus incurritur irregularitas, & in quibus non.*

1. IRregularis non est, qui occidit alium ad vitæ suæ defensionem, non excedendo notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ: quia huiusmodi homicidium non reputatur voluntarium, sed necessarium, vnde sicut non imputatur ad culpam, consequenter neque ad pœnam: qui tamen notabiliter excederet moderamen cum peccato mortali, incurreret irregularitatem, vt fit, quando quis occidit inuasorem, à quo se poterat tueri fugiendo, aut vulnerando solum, & non occidendo; *Clement. si furiosus de homicidio. Sayr. l.6.c.17.num.1. Suar. d.46. sect.1.* An autem fiat irregularis homicida occidens inuasorem vitæ cum moderamine, si ipse homicida cautam dederit inuasionis; & inuasionem præuiderit secuturam, vt accidit quando quis alium contumelijs afficit, vel adulterium committit cum ipsius vxore? Affirmant *Nauar. c.27. n.238. Coninch d.18. dub.9. n.75. Filsinc. tr.20. num.155.* & multi alij. Negant verò *Suares, d.46. sect.1. n.11. Rezin. l.30. n.110. Henriq. l.14. c.10. n.3.* & alij; vtraque sententia probabilis est, vt videre est apud *Sayrum, l.6. c.17.n.18.* & apud *Dianam p.4. tr...res.2.*

2. Magna controuersia est inter Doctores, an censendus sit irregularis, qui ob honoris, vel bonorum suorum defensionem aliquem occidit, seruato moderamine inculpatæ tutelæ? *Prima* & communis opinio ait esse irregularem; quia irregularitas huius speciei est quodcumque homicidium, aut mutilatio etiam iusta, nisi in casibus à iure expressis, sed in iure non est casus nisi in vitæ suæ propriæ defensionem: ergo citra hunc casum occidens aut mutilans in defensionem honoris, aut bonorum fortunæ, irregularis est: huius sententiæ sunt *Nauar. c. n.21. Valent. to.3. d.5. q.8. p.4. Salon. & Arragon 2.2. q.64. a.8. Reginald. l.30. num.107.* & alij apud *Sayrum*. *Secunda* opinio docet, non esse irregularem: quia occidens priuatim alium sine culpa, non incurrit irregularitatem, sed occidens alium ad defensionem rerum suarum occidit sine culpa, ergo &c. occidens verò publica authoritate fit irregularis ex defectu, quamuis occidat sine peccato; nam iustius homicidium est voluntarium, ita sentiunt. *Lessius, l.2.c.9.d.11. Suar. d.46. sect.2. Conar. in Clem. si furiosus. Sayrus l.6.c.17.n.22. vide Dian. part.2. tract.1. miscel. resol.16. & 4. part. tractat.2. resol.4.* vtraque opinio probabiliter defendi potest.

3. An occidens aut mutilans aggressorem Patris, Fratris, aut alterius consanguinei vel proximi innocentis, sit irregularis, duplex est sententia. *Prima* dicit esse irregularem, quia in *Clement. si furiosus, de homicidio*, dicitur non esse irregularem occidentem, quando aliter mortem propriam vitare non potest, nisi occidendo inuasorem; secus ergo dicendum est in occisione pro vitanda morte proximi: & sic sentiunt *Nauar.c.n.21. Tolet l.1. c.76.n.1. Henriq. l.14. cap.11.§.3. Sayr.l.6. cap.17.num.21.* apud *Sayrum*. *Altera* tamen opinio docet, non esse irregularem; quia ad incurrendam irregularitatem ob priuatum homicidium, requiritur culpa homicidij, in hoc autem casu non adest culpa, cum licitum sit vim vi repellere, non solùm ad propriam defensionem, verùm etiam ad defensionem proximi, & extranei. Et huius sententiæ sunt, *Emmanuel Sa, v. irregul.n.2. Conink c. n.88. Suar. d.46. sect.3. P. Nau. l.2.c.3. num.419. Dian.4. part. tractat.2. resolut.5.*

4. Qui alterum occidit ad sui defensionem, in foro externo, non præsumetur hoc fecisse ad sui defensionem, nisi probet, nam habet præsumptionem contra se, quia homicidium, & mutilatio ex sua natura mala sunt, & delicta, in delictis autem præsumitur dolus: quare homicida non debet ad ordines promoueri, vel susceptos exercere propter scandali periculum, antequam ab Episcopo declaretur, an defensio necessaria fuerit, & seruatum sit moderamen: in foro autem conscientiæ standum est iudicio prudentis viri. Ita *Henriques, l.14. c.10. num.2. Reginaldus, lib.30. num.112. Suarez d.45. sect.5. num.9. Filliuc. tract. num.63.*

5. *Homicidium omninò casuale*, quod non est volitum in se, nec in causa, non inducit irregularitatem, quia nullo modo est peccaminosum aut voluntarium: vnde homicidium commissum ab amente, vel furioso non habente tunc temporis lucida intervalla cum perfecta libertate sufficiente ad peccatum mortale, item ab ebrio vel dormiente, qui non præuidit illud secuturum, vel ab infante rationis vsu carente, non inducit irregularitatem. *Cap. dilectus de homicid. Filliuc. c. n.54. Suar. d.45. sect.5. Nauar. c. num.230.*

6. *Vt irregularitas* ex homicidio *casuali* incurratur, iuxta communiorem ac veriorem sententiam *Sayrus l.7. c.5. num.4. & 5. Nauarr. c. n.252. Bonac. c. q.4. p.7. n.6.* requiritur quòd non sit omninò casuale, sed volitum in causa seu implicitè voluntarium, & ideò peccatum mortale, licet *Toletus l.1. c.76. Cordub q.37.* & quidam alij apud *Sayrum*, asserant hanc irregularitatem posse incurri ex peccato veniali. Hinc secundum priorem sententiam, dans operam rei illicitæ vel illicitæ, non est reus homicidij aut irregularitatis, si debitam diligentiam adhibuit, ne sequeretur homicidium.

An autem dans operam rei illicitæ periculosæ homicidij, secuto homicidio sit irregularis, duplex est sententia satis communis inter Doctores, *prima* est *Nauarr. c. n.237. Tolet. c. cap.77. & 78. Suar. d.45. s.6. n.12. Sayr. l.7. c.5. n.11. & 12.* & aliorum asserentium esse irregularem, quia eò ipsò quòd quis dat operam rei illicitæ periculosæ, censetur velle homicidium inde sequens, & ideò cum sit voluntarium, inducet irregularitatem, & hoc videtur expressum in *Cap. Tuanos, de homicidio*.

Altera sententia est *Lessius l.2 c.9. d.15. Filliucius c. n.70. P. Nauarr. l.2.c.3. n.362. Henriq. lib.14.c.15. n.1. Bonacina cit n.9. Diana 4. p.tr.2. res.20.* negantium dantem operam rei illicitæ periculosæ esse irregularem, si debitam adhibuit diligentiam, ne sequeretur homicidium: quia huiusmodi homicidium non est voluntarium in se, vt supponimus, neque in causa, per hoc quod voluntariè detur opera rei illicitæ periculosæ: nam periculum tollitur, & purgatur per sufficientem diligentiam, quæ facit, vt homicidium non dicatur voluntarium: hæc secunda sententia potest probari excipiendo casus in iure expressos, *Cap. vlt. de homicid. in 6.* & in *Cap. Tuanos*: & dicendo, quando datur opera rei periculosæ, ex qua ratò mors contingit, secus quando datur opera rei illicitæ periculosæ ex qua solet mors vt plurimùm sequi.

Causam verò iustam vtendi his amphibologijs, & æquiuocationib. esse dicunt quoties id necessarium aut vtile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita vt veritatis occultatio censeatur tunc expediens ac studiosa. Item cùm ratio operis aliàs iusti id requirit: vt in stratagematib. belli, in explorationibus, in insidijs, detensione contra inimicos: ad aduersos casus auertendos: ad vtilitatem aliquam sibi vel proximo iustè conciliandam: Nullus tamen amphibologiæ vsus fraudi, dolo iniusto vel iniuriæ alicui suffragari debet aut potest: vnde qui in tali casu amphibologia vtitur, si nocumentum sit graue, mortaliter peccat: quia nunquam licet iniustum nocumentum proximo inferre, aut tali nocumento iniusto etiam negatiuè cooperari. Secus si nocumentum sit iustum, & iustè inferatur: tunc enim licebit ei, qui illud potest inferre; amphibologia vti vt inferatur: Ratio est, quia in hoc casu, illa per se mala non est, cùm in aliquam vtilitatem feratur, & nocumentum ipsum, quod infertur, licitum est: hinc potest miles amphibologia vti vt inimicum decipiat, & illi noceat: idem licebit iudici, vt veritatem à reo expiscetur. Item amphibologia licebit furem deducere vt à satellite capiatur, &c. Non licebit tamen in casibus militiæ, in quib. quouis modo hosti communi vsu fides est decreta, fidem frangere. Similiter in contractib. cum inimico, & in eorum materia, & circumstantijs, in quib. ob publicam, & communem societatem nulla amphibologia admittitur. Sicut non licet adulterari, fornicari, & alia peccata committere ex quibus damnum etiam iustum hosti eueniat. Vide *Nauar.c. in q.1.& in q.2.n.10. Sanch.c. n.19. Dian. tr.1. misc. res.25. p.2.*

11. Si quis orationem de futuro confirmet iuramento, vtendo aliqua amphibologia, fuco verborum, aut aliqua conditione tacitè subintellecta, atq; adeò iuret id quod est verum secundùm mentem suam, falsum autem secundùm mentem eius cui iuratur peccat mortaliter, si faciat, vel sponte se offerens sine necessitate, vel à superiore legitimè iussus iurare, *Nau.c.12.n.8. Clau.reg.l.5. c.4.n.21. Tolet.l.4. c.21.n.9. Less.l.2.c.42.n.46.48. Azor. c. c.4. q.5. reg.4. Armil. v.Iuramentum n.16. Lopez 1.p. c.42.* quia præceptum naturale religionis, non solùm obligat ad tuendum honorem diuinum, efficiendo verum id in cuius confirmationem reuera est inuocatum diuinum testimonium, sed etiam id quod rationabiliter potest credi ab alijs fuisse diuino confirmatum testimonio; aliàs minueretur, per se loquendo apud illos honor diuinus: & superiori, vel Iudici, vel parti fieret iniuria, & peruerteretur iudicium. *Excusant* tamen aliqui iurantem absque necessitate à periurio, & peccato mortali, si amphibologijs vtatur extra iudicium, & in materia non præiudiciali, vel si irrationabiliter compelleretur ad iurandum: quia in hoc iuramento deficit sola discretio seu iudicium, cuius defectus solus, non efficit iuramentum mortaliter peccaminosum. *Bonac. de leg.d.4.q.1.p.12. Filliuc. tr.25.n.331. Sanch.c.n.22.* Vide Dianam *p.2. tr.1 misc. res.25. & p.3.tr.6.misc.res.30. & Sanch.c.tot.c.6.* Vbi multi casus referuntur, in quibus licet iuxta hanc sententiam amphibologijs vti.

Porrò pro regula generali sit, quòd omnis amphibologia, siue in verbis, siue in restrictionib. & intentionib. mentalib. consistat, quæ iustitiæ, fidelitati vel charitati proximo debitæ in aliqua materia graui aduersatur: est peccatum mortale: Vnde constat, quàm pernicioſus sit vsus restrictionum mentalium, & qualiter iuri naturali, quatenus homo est animal sociale, repugnet, omnemq; societatem dissoluat, nihilq; est aliud quàm sentina fraudum, & deceptionum, omni animæ Christianæ omnibus modis abhorrenda tamquam radix multorum peccatorum mortalium.

Vide v. *Compensatio* n.8. *Festum* 2. n.22. *Reus*.

IVRAMENTVM IV.

De peccato iurantis ex consuetudine, & violaptis iuramentum, & quomodo iuramentum sit explicandum.

SVMMARIVM.

1. *An consuetudo iurandi per se sit peccatum mortale?*
2. *An mortaliter peccet qui aduertit se habere consuetudinem peierandi, & non adhibet remedia ad illam tollendam? & quando talis possit absolui?*
3. *An violans iuramentum in re parui momenti peccet mortaliter?* refertur duplex sententia.
4. *An qui emisit iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna quam iustè potest infligere, teneatur iuramentum adimplere?*
5. *An iuramentum cadens supra propositum vel promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione iurantis, vel ex*

dispositione iuris, vel ex consuetudine iam recepta, eo modo explicandum sit, quo explicatur, & obligat ipsa promissio?

6. *An iuramentum in dubio explicandum sit, vt quantum fieri possit minus obliget, seruata verborum proprietate?*

1. CONsuetudo iurandi, vt sumitur pro habitu inclinante ad actus similes illis, à quibus fuit productus, per se non est peccatum mortale, cùm ipsa sit potiùs effectus peccati mortalis; peccatum enim non consistit in habitu, sed in actu, vel in omissione alicuius actus: vnde qui habet consuetudinem iurandi, sed non mentiendi, non est in statu peccati mortalis, nec peccat mortaliter, etiamsi non conetur talem consuetudinem euellere; quia talis consuetudo non est magis mala quàm sint ipsi actus iurandi, habitus enim desumit suam malitiam ab actibus, sed actus non sunt mortaliter mali, cùm non sint periuria, *Valent.* 2.2. *disp.*6. *q.*7. *punct.*3. *Reginald. l.*18. *art.*87. *Sanch. l.*3. *moral. c.*5. *Filliuc. tr.*25. *c.*10. *q.*9. *Syln.*2.2. *q* 98. *art.*3. *concl.*3. *Qui verò* habet iurandi consuetudinem, & mentiendi, & coniungendi mendacia cum iuramento, peccat mortaliter, si talem consuetudinem euellere non conetur, quia censetur esse in proxima occasione peccandi mortaliter, cùm illa consuetudo inducat ad coniungenda iuramenta cum mendacio. *Clau. reg. l.*5. *cap.*5. *n.*10. *Suar. l.*3. *c.*6. *Nauar. c.*12. *n.*6. *Syln. c. concl.*1.

2. *Qui* aduertit se habere consuetudinem peierandi, & non adhibet remedia ad illam tollendam, mortaliter peccat, quoties aduertit talem consuetudinem, & eam non conatur extirpare. Ita *Valent. c. p.*3. *Bonacin. c. p.*13. *n.*4. *Sanch. cit. c.*5. *num.*13. *Graff. t.p.l.*2. *c.*20. *n.*14. *Dian. tr. de circumst. ref.*55. *p.*1. ab eo tamen statu peccat potest quis se liberare, dolendo de peccatis, & mala consuetudine; *praterea*, & proponendo se amplius non malè iuraturum atque adeò non habiturum talem consuetudinem, vnde talis, si habeat firmum propositum abstinendi in futurum ab huiusmodi iuramentis, in rigore, & per se loquendo potest absolui, quia hæc consuetudo non dicitur occasio extrinseca ob quam sit illi deneganda absolutio. Postquam verò pœnitens praui hanc consuetudinem efficaci proposito retractauit, tunc consequentia falsa iuramenta, & verba blasphemiæ eadem consuetudine quasi naturali, & necessario impetu prouenientia non imputabuntur ad peccatum, cùm neque sint voluntaria in se, vt supponitur, neque in sua causa, puta consuetudine, quippe quæ ab ipso per propositum retractata, non amplius voluntaria censeri debeant: sed indeliberata orta ex praua consuetudine iurandi. Et quando Doctores dicunt negandam esse absolutionem habenti consuetudinem iurandi, intelligendi sunt de habente consuetudinem iurandi ex aduertentia: non autem quando proferuntur iuramenta inaduertenter, cùm tunc non sint peccata, quantumcumq; ex pessima consuetudine naicantur; quamuis tutiùs aget Confessarius in tali casu, si faciat accusare pœnitentem de negligentia in extirpanda praua consuetudine iurandi. Ita *Laym. l.*1. *tr.*2. *c.*3. *num.*6. *Sanchez in select. disp.*20. *nu.*5. & 7. *Dian. p.*3. *tr.*5. *ref.*62. & *p.*1. *tr.*7. *ref.*55. *Suar. de relig. tom.*2. *de suram. l.*3. *cap.*7. *n.*3. & *seq. Caspensis tr.*12. *disp.*3. *n.*54. Tamen ratione scandali vitandi quod peierans alijs præbere solet, iuxta prudentis confessarij iudicium, absolutio aliquando deneganda esset, aut differenda, prout iudicauerit saluti pœnitentis expedire. Vt monent communiter Doctores.

3. *Certum* est apud omnes violantem iuramentum promissorium in re magni momenti, peccare mortaliter, vt dictum est, controuertitur tamen inter Doctores, an violans iuramentum in re parui momenti, peccet mortaliter. *Caiet.* 2.2. *q.*89. *artic.*7. *Couar. l.*1. *variar. c.*1. *n.*2. asserunt, quando res parua est tota materia promissionis, tunc violatio iuramenti erit peccatum mortale, quia tota promissio violatur; si autem sit pars materiæ promissæ, erit tantùm veniale: *Nau. c.*12. *n.*10. *Suar. l.*3. *cap.*16. *Sanch c.*4. *n.*23. *Syln. c. art.*3. *concl.*4. *Dian. p.*4. *tr.*4. *ref.*70. & *p.*5. *tr.*5. *ref.*4. dicunt non fore nisi venia e, si res parua promissa sit tota materia, siue pars tantùm; quia hoc nihil aliud est, quàm fidem violare iuramento datam in re parua, quòd est tantùm peccatum veniale. *Less. l.*2. *c.*42. *d.*5. *Valent. c.d.*6. *q.*7. *p.*2. *Reginald. l.*18. *n.*79. *Bonac. c. punct.*14. affirmant transgredientem iuramentum in re parua sero promissa, peccare mortaliter, siue sit tota materia, siue pars: quia qui rei paruæ promissionem, quam iuramento confirmauit, non implet; is quantùm in se est, facit Deum testem falsi; hoc autem est peccatum mortale, cùm sit magna in Deum iniuria: istæ tres sententiæ sunt probabiles, sed tertia tutior, & probabilior videtur.

4. *Qui emisit* iuramentum comminatorium de infligenda alicui pœna, quam iustè potest infligere, tenetur iuramentum adimplere, modò eius adimpletio non sit impeditiua maioris boni, aut non sit sublata causa, propter quam adimpleri debeat: *secus* si causa variata est, iuramentum enim habet hanc tacitam conditionem, nisi causa varietur; *censetur* enim causa variari, quoties aduenit causa non puniendi: quòd si quis comminetur ex passione, & ita seu animo vindictæ inordinatæ, non tenetur seruare iuramentum, quia iuramentum vt sic, non habet materiam bonam. *Reginald. l.*18. *n.*56. *Clauis reg. c. cap.*5. *num.*12. *Bonac. c. num.*3.

5. Secundùm communem Doctorum sententiam, iuramentum cadens supra propositum vel promissionem habentem tacitam conditionem ex intentione iurantis, vel ex dispositione iuris, vel ex consuetudine iam recepta, eo modo explicandum est, quo explicatur, & obligat ipsa promissio; quia iuramentum sortitur conditiones actus, super quem cadit; hinc qui iurauit se soluturum alteri centum, potest vti compensatione non soluendo, si alter sibi totidem debeat, quia promissio censetur facta cum tacita conditione, nisi aliunde satisfecero vel compensauero: similiter qui promisit aliquid absenti cum iuramento, potest promissionem antequam acceptetur reuocare, quia censetur facta cum conditione, si acceptet. *Cod. de non numerata pecunia.* Multa inferuntur corollaria ex propositione hac, quæ breuitatis causa omittimus, & videri possunt apud *Suar. l.*2. *c.*32. *Sanch. c. l.*3. *c.*17. *n.*15. *Regin. l.*18. *n.*34. *Less. l.*2. *c.*42. *d.*7. *Bonac de iuram. punct.*16. *num.*2.

6. *In dubio* iuramentum, ita explicandum est, vt quantùm fieri potest, minùs obliget, seruata verborum proprietate; vnde iuramentum, vel votum non ludendi, intelligitur de ludo illicito, non verò de licito, qui recreationis gratia suscipitur, nisi aliter coniiciatur de iurantis aut vouentis intentione; nam vbi agitur de obligatione contrahenda, stricta interpretatio facienda est; ideò iuramentum restringendum est, vt quantùm fieri potest, minùs obliget: *Cap.*1. *de iureiurando in* 6. si tamen constet iurantem aut vouentem se voluisse obligare ad abstinendum à ludo licito, tenebitur ex vi iuramenti abstinere: intentio autem iurantis colligi potest ex fine, quo ductus est ad iurandam aut vouendam abstinentiam à ludo. *Sanch. l.*3. *c.*17. & 18. *Nau. c.*12. *n.*11. *Rodrig. t.*1. *p.c.*188. *n.*10. *Regin. l.*28. *n.*34.

IVRAMENTVM V.

De pœnis periurij, & quibus modis tollatur obligatio iuramenti.

SVMMARIVM.

1. *De quatuor pœnis periurij.*
2. *Quomodo obligatio à iuramento dupliciter tolli possit?*
3. *Tolli potest obligatio iuramenti, mutatione materiæ, condonatione, irritatione, commutatione, & dispensatione, & de primo, & secundo.*
4. *Quis possit irritare iuramenta?*
   Et an Curatores possint irrita reddere iuramenta minorum? & tutores impuberum?
5. *An quando commutatio iuramenti in aliud opus facta est, teneatur iurans ex vi iuramenti ad illud in quod facta est? & quis possit commutare iuramenta ex potestate ordinaria, & delegata?*
   Et an potens commutare vota possit etiam commutare iuramenta de eadem materia? refertur duplex sententia.
6. *An commutatio iuramenti, in æquale, vel minus, vel melius possit fieri propria authoritate?*
7. *Quis possit in obligatione iuramenti dispensare, &c. An iuramenta castitatis, religionis, &c. sint reseruata Summo Pont. sicut similia vota?*
8. *An Prælati regularium possint in iuramentis subditorum dispensare? & an id etiam possint confessores ordinum mendicantium ex priuilegio circa pœnitentes suos?*
9. *An dispensans in iuramento sine rationabili causa peccet, & valida sit dispensatio in foro conscientiæ?*
10. *Quæ sint causæ iustæ relaxandi iuramentum, quamuis emissum sit in fauorem tertij?*

1. PRima, & principalis pœna periurij, quæ vtroque iure, tam Pontificio quàm Cæsareo irrogatur, est infamia; ad hanc tamen

tamen infamiam contrahendam concurrere debent duæ conditiones, scilicet quòd solemniter iurando peierauerit, & quòd postea in foro iudiciali sit de periurio publicè condemnatus, ita vt sit a ferendo testimonio repudiandus. *Can. infames 6. q.1. Can. quicumq; q.1. L. si quis maior C. de transactionib. Secunda* est, quòd periurium assertorium rei præsentis vel præteritæ, iure ciuili punitur pœna criminis stellionatus, & ideò periurus ad tempus exuiat; periurium autem promissorium hanc etiam iure ciuili pœnam habet, vt præter infamiam, periurus pœnam contractus soluat, & actionem omneq; conuentionis commodum amittat. *L. vlt. ff. de crimine stellio. L. si quis maior c. Couarr. in C. quamuis p.1. Tertia* est, quòd periurium simplex priuato homini iniuriam, & præiudicium irrogans, iure Pontificio pœna depositionis ab ordine, si clericus sit, punitur; quòd si falsum dixerit testimonium in iudicio, vltra depositionem, detruditur in monasterium: si laicus sit, & crimen capitale sit, qui falsum testimonium aduersus reum dixerit, puniendus erit eadem pœna, qua puniretur reus ipse, si criminis conuictus foret: si verò crimen capitale non sit, tunc pœna falsi in homine libero est deportatio, omnium bonorum publicatio; in seruo autem vltimum supplicium. *Cap. cum non ab homine de iudic. Can. Si Episcopus d. 50. Couarr. in C. quamuis p.1. §.7. n.6. de pact. in 6. Claus reg. l.5. c.9. num.7. Quarta* pœna est, quòd periurus priuandus est beneficio: procedunt tamen hæc omnia in periurio, ratione deficientis veritatis, non autem ratione deficientis iustitiæ iudicij; ex periurio enim in illis nec infamia incurritur, nec a testimonio repellitur, nec beneficio Ecclesiastico priuandus est. *Syluest. v. periurium n.5. Sotus l.8. q.2. concl.6. a.3. Caiet. 2.2. q.89. a.2. Quinta* est, quòd collatio beneficij facta periuro, est ipso iure nulla, quia periurus est infamis, collatio autem beneficij facta infami, est ipso iure nulla. *Filliuc. tr.25. c.12. in fin.*

2. *Obligatio* a iuramento dupliciter tolli potest: *Primò*, impediendo ne illam ab initio inducat. *Secundò*, tollendo iam inductam. *Impediri* potest obligatio iuramenti per legem, si lex statuat vt iuramentum contractui vel promissioni alicui adiectum, sit irritum, & nullam inducat obligationem, *Bonac. de iuram. punc. 17. n.1. Less. c.c.42. dub.12.* Sic Tridentinum irritare videtur renunciationem bonorum etiam cum iuramento factam ante duos menses præcedentes professionem: *Conc. Trid. sess. 25. c.16. de regul. Sanch. l.3. cap.22. n.11. Alio modo* impediri potest obligatio, quando prohibetur executio, ita vt sine peccato fieri non possit, quomodo putant multi impediri obligationem pœnæ conuentionalis, sponsalibus appositæ, & iuramento confirmatæ.

3. *Obligatio* iuramenti iam inducta tolli potest quinq; modis; *Primò*, mutatione materiæ. *Secundò*, Condonatione. *Tertiò*, Irritatione. *Quartò*, commutatione. *Quintò*, dispensatione. *Quantum* ad primum, scilicet, *mutatione materiæ*, apparet obligationem iuramenti cessare, si materia iuramenti fiat illicita, nam iuramentum non est vinculum iniquitatis; aut si materia fiat impossibilis, nam ad impossibile nemo tenetur. *Secundò* tollitur obligatio iuramenti *condonatione*, seu relaxatione eius in cuius fauorem factum est iuramentum; quilis enim potest condonare promissionem factam in suum fauorem, etiamsi facta sit in modum voti; quia qui hoc modo vouet, & iurat, censetur solùm se obligare sub conditione tacita, si ille, in cuius fauorem iurat, velit acceptare; illo igitur remittente obligationem, aut nolente promissionem acceptare, iurans liber erit ab obligatione iuramenti, vt si voueas Deo, & iures te ducturum Catharinam pauperem, vel daturum illi dotem vt melius nubat: Catharina remittente obligationem, permanebis liber ab obligatione promissionis quamuis iuratæ, *Less. c.d. 12. n.57. Clau. reg. l.5. c.7. Azor. l.11. c.9. Sanch. l.3. c.20. n.4. Rodr. in sum. c.244. n.10. Syl. 2.2. q.89. a.9. Laym. l.4. t.3. c.11.*

4. *Tertio* tollitur obligatio iuramenti *irritatione* facta per superiores, quib. subiecta est materia iuramenti: hanc facultatem irritandi iuramenta licut, & vota etiam sine causa, habet pater respectu filiorum, & filiarum, superior respectu subditorum, dominus respectu seruorum, maritus respectu vxoris in ijs reb. in quib. tales personæ sunt subiectæ, *Sanch. de matr. l.6. disp.39. n.10. Clauis reg. l.5. c.8. n.5. Regin. c.n.64.66. Laym. c.n.1. & 2.* quia nullus potest iurare in præiudicium alterius; vnde omnes illi possunt irritare iuramenta, qui vota eiusdem materiæ irrita reddere poterant: *L.1. & 2. C. si aduersus venditionem. Less. c. n.61. Est notandum* tamen quòd iuramenta minorum non possunt curatores irrita reddere, quamuis possint irritare vota realia ipsorum, quatenus eorum administrationi officiunt, vnde minorib. non conceditur restitutio in integrum, si ex contractu læsi sint, si iuramento illum confirmarunt, nam iuramentum supplet defectum ætatis eo tq; dispositione legis efficit maiores. *Cap. Pueri 22. q.5.* Secus dicendum de iuramentis impuberum, hæc enim irritari possunt a tutoribus; quia nihil iura in contrarium statuerunt.

5. *Quartò* iuramenti vinculum tollitur *commutatione*; vt si ille, cui factum est, concedat aliud opus loco illius, quod iuramento promissum est, præsertim hic *notandum* est, quando talis commutatio facta est, iurantem non teneri ex vi iuramenti ad illud in quod facta est, quia illud iuramento non promisit, sed ex pacto, quo illud loco alterius acceptauit; secus autem est in commutatione voti, quia dum acceptas commutationem, tacitè Deo promittis id in quod fit commutatio, quæ promissio, cum Deo fiat, habet vim voti. *Præterea* est notandum quòd omne iuramentum promissorium vel fit in honorem Dei, & sic continet votum, vel fit in fauorem hominis, & tunc vel acceptatur, vel non acceptatur; si fiat in honorem Dei, vt si iures te auditurum Sacrum, &c. commutari potest ab eo, qui simile votum potestate ordinaria commutare potest: hæc potestas competit Episcopis, & alijs Prælatis habentib. iurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos; hi possunt omnia talia iuramenta, præter ea quæ implicant votum Pontifici reseruatum, commutare; quia in illis dispensare possunt: commutare autem minus est quàm dispensare; nam dispensatio omninò remittit iuramenti obligationem, commutatio verò non item, sed vnum in aliud mutat, vel æquale, vel melius. *Vide Less. l.2. c.42. dub.12. n.57.58. & 59. Bon. c. q.1. punct.17. n.7. Clau. reg. l.5. c.8. n.14. Sanch. de matr. l.8. d.16. n.7. Rod. 1. p. c.191. concl.10.* Ex potestate delegata, regulares qui ex priuilegio commutant vota, possunt etiam commutare iuramenta de eadem materia, iuxta communiorem ac veriorem sententiam Doctorum, quia secundum *D. Thom.* & plurimos DD. iuramenti vinculum per se minus est, quàm voti; at cui concessum quod maius est, censetur etiam concessum quod minus. *Arrag. 2.2. q.89. a.12. Lop. de voto q.5. n.42. Viuald. c.14. q.8. Laym. c. n.8. Contrarium* tenet *Nau. c.27. n.275. Azor. c. l.11. c.10.* & quidam recentiores, quorum sententia conformis est stylo Curiæ Romanæ, solet enim tanquam speciale priuilegium concedi potestas commutandi iuramenta.

6. *Commutatio iuramenti* in æquale vel minus bonum, quamuis fieri non possit sine authoritate Prælati, aut alterius habentis ad hoc potestatem; in illud tamen quod certum est melius esse, vnusquisq; pro suo arbitratu commutare potest: vnde omnia iuramenta extinguuntur professione Religionis approbatæ sicut, & vota; nec refert etiamsi talia iuramenta cedant in commodum tertij, quia si promissionis verba ad illum directa non sint, nullum ille ius acquirit; si autem iuramentum fiat in fauorem hominis, & validè fit acceptatum, non potest commutari ab alio, ipso inuito, nisi interuenerit iniuria, vel nisi hoc fiat in iustam ipsius pœnam, vel nisi commune bonum ita efflagitet; quia superior non potest tollere ius alterius sine vrgentissima causa, ille autem in cuius fauorem præstitum est iuramentum, acquisiuit ius per acceptationem. *Clau. reg. l.5. c.8. n.15. C. scriptura de vot. Less. c.c.42. dub.12. n.58. Bonac. de iur. punct.17. n.7. Couar. 2.2. q.88. a.12.*

7. *Quintò*, iuramenti obligatio tollitur dispensatione, seu abolitione, hæc fit authoritate Superioris, & quidem Summi Pont. in omni iuramento dispensare potest ex causa rationabili, cessante damno tertiæ personæ, *Tolet. l.4. c.23. Arrag. c.a.9. Episcopus* autem ex causa cum sibi subditis, non solùm declarare potest, quando dubium est, an aliquid sub iuramento promissum sit debita voti materia, sed etiam dispensare potest in omnibus iuramentis, quæ si essent vota, posset in illis dispensare, quia vinculum iuramenti minus est quàm vinculum voti; vnde quicumq; potest à voto absoluere, à iuramento etiam de eadem re emisso absoluere potest iuxta probabiliorem sententiam. *D. Th. q.89. a.9. ad 3. Clauis reg. l.5. c.8. n.9. Bon. c.n.11. Filliu. tr.25. c.9 q.9. Syl. 2.2. q.89. a.9.*

Sed non constat inter Doctores, an quando iuramenta sunt absoluta castitatis, Religionis peregrinationis Hierosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ, censeantur reseruata Summo Pontifici, sicut similia vota?

Affirmant quidam, eò quòd iuramentum factum Deo includat votum: iurans enim Deo se seruaturum castitatem, vel ingressurum Religionem: id promittit Deo, iuramentoq; firmat. Et proinde ibi est votum, quod nihil aliud est, quàm promissio facta Deo: Reseruatis ergo votis castitatis, Religionis, &c. censentur à fortiori reseruata similia iuramenta. Ita *Valent. 2.2. disput.6. q.7. punct.4. Caiet. 2.2. q.89. a.9. Sot. de iust. l.8. q.1. a.9. Rodrig. tom.2. Sum. c.99. n.3. Tolet. l.4. c.23. n.2. Diana par.4. tract.4. res.69.*

Negant alij esse reseruata: quia numquam in facultate concessa circa relaxanda aut commutanda iuramenta, excipiuntur hæc, sed sola, quæ in tertij præiudicium vergunt. Nec ex votorum reseruatione deducitur sufficienter reseruatio iuramenti circa

eandem materiam. Ita *Nauarrus l.2. consil. de iureiur. conf.3. n.4. Tabiena v. Iurare q.20. n.21. P. Ledesma tom.2.sum.ir.11. cap.4. dub.2.*

Verùm placet mihi quod docet *Sanch.l.8. de matrim.disp.13. & 3. moral. c.19. n.6.* nempe, regulariter, & in plurimum hæc iuramenta esse reseruata Pontifici, vtpote quæ communiter votum iureiurando confirmatum claudunt. Sed quia possunt aliquando hæc iuramenta fieri, ita vt nullam promissionem Deo factam includant, sed mera sint iuramenta: quia scilicet, iurans intentione caruit promittendi ac offerendi aliquid Deo, sed solùm per iuramentum quasi assertorium, id se facturum affirmauit: & ideò in hoc casu posse Episcopos dispensare, & consequenter Confessiones ordinum Mendicantium.

8. *Prælati* regularium exempti ab Ordinario circa suos subditos in iuramentis dispensare possunt, sicut Episcopi: imò etiam omnes confessores ordinum Mendicantium, & alij confessores regulares, qui priuilegijs ordinum Mendicantium fruuntur, ex priuilegio Innocentij Papæ VIII. & Eugenij IV. possunt dispensare in omnibus votis in quibus possunt Episcopi, & consequenter in omnibus iuramentis, iuxta doctrinam suprà traditam *Arragonij, Rodrig. Clau. Regia*, contra *Nauarrum, Azorium, Emanuelem Sá, Lessium*, & alios. *Clauis reg.c.n.10 Rodrig.1.p.c.191. n.10. Arragon q.88. art.12. Sanch. l.4 moral. c.53.num.8 & 9. & lib.3. c.19. num.5.* Sed de hoc priuilegio Innocentij VIII. videdicenda infra *verb. votum V 11. num.10.* fuit enim tantùm vitæ vocis oraculum, & ideò hoc tempore annullatum per bullam Vrbani VIII. *Aliàs fœlicis*, vt dicetur *verb. Priuilegium 1. num.8.*

9. *Dispensans* in iuramento sine causa rationabili peccat, nec valet dispensatio in foro conscientiæ, quia respectu illarum rerum, quæ ex iure diuino aut natura pendent, non habet Summus Pontif. excellentem, & supremam potestatem, sed tantùm dispensatoriam, quæ data est ei in Ecclesiæ ædificationem, & non in destructionem: *Causa* verò dispensandi in iuramento elicienda est, vel ex grauitate operis, & imbecillitate iurantis, vel ex diminuta operis vtilitate, vel respectu boni communis: & quæcumque causa sufficiens ad dispensandum in votis, sufficit etiam ad dispensandum in iuramentis: *obseruandum* tamen est, quando causa non est sufficiens ad dispensandum, posse iuramentum partim relaxari, & partim commutari, habita ratione causæ. *D. Thomas* 2.2. q.88. *art.12. ad 2. Caietanus ibid. Conarruu. inc. quamuis p.1. §.3. num.5. Soto l.8. q.1. art.9. Valent.2.2. d.6. q.7. p.4. Sanch. cit. num.4. cap.19. Sylu.2.2. q.88. art.12. concl.4.*

10. *Denique*, causæ iustæ relaxandi iuramentum quamuis emissum in fauorem tertij, sunt *Primò*, si metu vel fraude sit extortum. *Secundò*, si alia iniustitia interceßit, vt cùm vsurarius exigit iuramentum de soluendis vsuris; item quando quis in contractu grauiter læsus est, & coactus est illum iuramento confirmare, vel non aduertens læsionem sponte confirmauit. *Tertiò*, in iustam pœnam, quando is cui præstitum est, id meretur, siue quia iniquè exegit, siue quia commisit aliquid, ob quod meretur bonis spoliari, siue quia contumax in Ecclesiam. *Quartò*, si bonum commune postulet. *Less. l.2. cap.42.dub.12. n.62. Bonac.c.n.8. Sylu.c.concl.4.*

L.

LEX I.

Quid sit lex, & quotuplex, & qui possint legem ferre.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit lex?*
2. *De diuisione legis in æternam, naturalem, humanam, & diuinam: & primo de æterna.*
3. *Quid sit lex naturalis, & quotuplex?*
4. *An lex naturalis sit mutabilis?*
5. *An lex naturalis sit indispensabilis?*
6. *An quo lex ferri debeat? Et præcipuè Ecclesiastica?*
7. *Qui possint leges ciuiles ferre? Et an potestas ferendi leges possit alteri delegari?*

1. SEcundùm *D. Thom.* 1.2. q.90. *art.1. & seq. Valent.* 1.2. *d.7. q.1. par.2. Clauis reg. l.3. cap.1. Azor.1.p.l.5. cap.2. qu.1. Tolet. tract. de 7. peccatis c.18. Bonacina de legib. d.1. q.1. punct.1. Syluius* 1.2. q.90. *Becan.* 1.2. *tract.3. cap.1. qu.1. Caspensis tom.1. curs. Theolog. tract.13. disp.1. sect.1. Lex est ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*: ex hac definitione colligitur. *Primo*, legem esse actum intellectus, habere tamen adiunctum voluntatis actum antecedentem, quatenus scilicet id legislator præcipit, quod fieri vult, lex autem non est qualiscumque actus rationis seu intellectus, sed tantùm rationis practicæ, non autem speculatiuæ. *Secundò*, exprimitur finis legis, qui est bonum commune, non enim institui debet lex in priuatum commodum alicuius, sed in vtilitatem communem: & licet aliquæ leges immediatè ferantur ob bonum particularium personarum, vt sunt leges conditæ in fauorem minorum, pupillorum, nihilominus cedunt etiam in bonum commune. *Tertio*, colligitur, legem debere ferri ab eo qui habet curam communitatis, & obligandi potestatem, quia lex habere debet vim cogendi, & inducendi ad præstandum opus præscriptum. *Quarto*, infertur, legem vim legis non habere, nisi sufficienter promulgata sit, voce, scilicet, aut scripto, ijsque innotescat; quibus instituitur; quia contra rationem est, vt quis obligari possit ad faciendum, aut vitandum id, quod nullo modo implere potest: nemo enim potest velle id quod prorsus ignorat, quia voluntas non fertur in incognitum.

2. *Communior* legis diuisio illa est, qua lex in *Æternam, Naturalem, Humanam*, & *Diuinam* diuiditur, prout illam tradunt. *D. Thomas cit.q.91. art.1. Suarez de legibus l.2. cap.1.2. & 3. & lib.10. cap.8. Azor. cit. cap.1. q.5. Clauis reg. c.cap.2. Valentia c. q.2. punct.1. Sylu. c. q.91. Becanus c. q.2. Lex* æterna latè accepta, est ipsa mens diuina, quæ ab æterno omnia ordinauit: *strictius* verò accepta, est mens, & ratio Dei, bona præcipiens, & mala prohibens; vnde peccatum definitur dictum vel factum vel concupitum contra legem Dei æternam: lex Diuina est illa, quæ vim habet quatenus à Deo proficiscitur, & hæc est duplex, *vetus* qualis erat Mosaica, & *noua* nempe lex Euangelica, qualis est lex Baptismi, &c. Subdiuidi potest lex Diuina, in *Diuinam naturalem*, & *Diuinam positiuam*: *Diuina naturalis* est illa, qua præcipitur idem, quod præcipitur à lege naturali: *Diuina positiua* est illa, qua præcipitur aliquid quod lege naturali non est sancitum; vt est præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem Eucharistiæ ab habente conscientiam peccati mortalis. *Lex humana* est illa, quæ fertur auctoritate humana dependenter tamen à Deo: & hæc lex, *alia* est Ecclesiastica, *alia* sæcularis. *Ecclesiastica* est illa, quæ fertur Ecclesiastica potestate, vt à Papa, Concilio, &c. *Sæcularis* est illa, quæ potestate sæcularium fertur, vt à Rege, vel Imperatore.

3. *Lex naturalis* est lumen rationis humanæ, quod Deus naturæ conditor, vnà cum natura mentib. hominum impressit, quo cognoscunt aliquid faciendum, vel non faciendum: vel secundùm alios lex naturalis est ipsamet conuenientia, seu disconuenientia rei cum recta ratione. *Duplex* verò est hæc lex naturalis: *Prima* dicitur per se nota, & indemonstrabilis, vt sunt illa prima principia legis naturæ: bonum amplectendum, malum fugiendum: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, &c. *Secunda* est illa, quæ non est ita clara, & per se nota, nam dari potest aliqua lex naturalis ita ignota, & obscura, vt aliquis ab ipsius transgressione ob inuincibilem ignorantiam excusetur. Vide quæ diximus *v. Ignorantia* n.7. *Vasq.1.2.disp.150.c.3. Suar.de leg.l.2. c.6. Clau. reg. c.2.n.10. Sot.de iust.l.1. q.4 art.4. Sylu.c. q.94. art.1. Becan.cit. cap.3.q.1.*

4. *Lex naturalis* non est mutabilis secundùm se, sed semper obligat manentibus ijsdem circumstantijs, & non mutata materia, quia illa consistit in rebus ipsis habentibus conuenientiam vel disconuenientiam cum recta ratione, si ergo res ipsæ, & circumstantiæ rerum non mutentur, manet eadem conuenientia vel disconuenientia: *potest* tamen in aliquo casu particulari, & quoad aliquem hominem in particulari casu mutari, propter aliquas circumstantias, & causas impedientes talium præceptorum obseruantiam: v. g. secundùm legem naturalem depositum reddendum est petenti, tamen mutatis rebus, & circumstantijs contraria nascitur veritas: si enim qui gladium deposuit apud aliquem postea insanus factus illum reperat, non debet reddi, ne malè vtatur. *Medina* 1.2.q.94. *art.4.6. Reginald.l.13. n.43. Clauis reg.c. c.2. n.11. Suar.de leg.l.2.c.15. Mol.tr.3.de iust.d.disp.49.n.3. Sylu.c. q.94. art.5. Becan. c.q.3.*

5. Cer-

5. *Certum* eſt apud omnes, legem naturalem eſſe indiſpenſabilem: Deus tamen diſpenſare poteſt circa ius naturæ in ijs, quæ à Deo ita dependent, & ita mutari poſſunt, vt poſita mutatione, licita videantur, vt Deus diſpenſauit cum Hæbræis in pluralitate vxorum, quæ eſt contra ius naturæ; ex quo fit vt Deus diſpenſare nequeat in odio Dei aut in mendacio, aut in primis principijs iuris naturæ. Summus autem Pontifex poteſt iuſta de cauſa in aliquibus, quæ ſunt de iure naturæ vel diuino diſpenſare, vt in ijs in quibus admitteretur aliquid obligationis humanæ, quia experientia docet concedi diſpenſationem in voto, & iuramento, quæ ſunt adimplenda ex obligatione iuris naturæ, & diuini: in primis verò principijs iuris naturæ, aut in ijs quæ proximè deducuntur ex primis principijs, vt in præceptis decalogi, aut in ijs quæ ſpectant ad ſubſtantiam Sacramentorum, aut in dogmatibus fidei, aut in ſacrificio, aut etiam in alijs, quæ ſunt inſtituta a Deo, diſpenſare nequit Summus Pontifex, quia non adeſt ſufficiens cauſa propter quam diſpenſare poteſt in illis. Inferior enim ſine iuſta cauſa non poteſt in lege ſuperioris diſpenſare, aliàs diſpenſatio eſt irrita. *Azor. 1. par. lib. 6. c. 1. Sanches de matr. lib. 8. diſp. 6. Bonacina c. punct. 2. n. 10. & 12. Valent. 2. 2. diſp. 7. q. 4. p. 6. Clauis reg. c. num. 12. Becanus c. q. 4.*

6. *Cum actus condendi legem* ſit vnus ex præcipuis actibus quo Reſpublica gubernatur, & illa gubernetur ab ijs, qui iuriſdictionem, & publicam poteſtatem habent, hinc lex ferri debet ab eo qui publicam poteſtatem, iuriſdictionem, & vim cogendi habet; vnde leges Eccleſiaſticæ ferri poſſunt à Summo Pontifice in toto orbe: leges autem ciuiles ferre poteſt pro territorio ſibi ſubdito; imò ipſe *Papa* poſſet leges ciuiles, & politicas ſaltem indirectè per ordinem ad finem ſpiritualem ferre etiam in alieno territorio, quoties id neceſſarium eſſe duxerit per ordinem ad ſalutem ſpiritualem. *D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. Caſpenſis tract. de leg. d. 1. ſect. 3. num. 30. Suares de legib. lib. 3. c. 6. num. 6. & 7. Syluius 1. 2. q. 96. art. 5. q. 5. Becanus 1. 2. tr. 3. cap. 1. q. 5. Epiſcopi*, Patriarchæ, Archiepiſcopi, poſſunt ferre leges pro ſua diœceſi, modò nihil ſtatuant contra ius commune, per Eccleſiæ tamen decreta impediuntur ne leges vel ſtatuta ferant in cauſis grauioribus, quia hæ Summo Pontifici per regulam generalem reſeruatæ ſunt. *Sanch. de matr. l. 8. d. 17. n. 36. Suar. l. 4. c. 5. n. 3. & c. 4. Cap. querelam, de elect. Suar. l. 4. c. 5. num. 4. Cardinales* poſſunt in loco ſeu Eccleſia ſui tituli ferre leges obligantes ſuum territorium; leges verò vniuerſales condere non poſſunt. *Capitulum* Eccleſiæ cathedralis poteſt mortuo Epiſcopo leges vel ſtatuta facere duratura donec reuocentur ab Epiſcopo ſucceſſore. *Bonac. c. p. 3. n. 29. Abbates* exempti, alijque ſimiles prælati habentes iuriſdictionem Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem, qualem habent prælati qui iure ordinario poteſtatem habent excommunicandi, ſuſpendendi, &c. poſſunt leges condere in ſuis quaſi diœceſibus. *Salas de leg. d. 8. ſect. 10. Suar. c. l. 4. c. 5. n. 4.*

7. *Leges ciuiles* ferre poſſunt Imperator legitimè electus in regna, & prouincias ſibi ſubditas, non verò in orbem vniuerſum, quia Imperator poteſt ſolùm obligare ſubditos: *ſimiliter* Reges poſſunt pro ſuo regno leges ferre, ſicut, & *Principes Supremi*, qui ſuperiorem in iuriſdictione temporali non agnoſcunt. *D. Thom. cit. q. 90. art. 3. Valent. c. d. 7. q. 5. p. 2. Suar. c. l. 3. c. 9. n. 2. & 3. Vaſq. 1. 2. d. 153. c. 2. & 3.* Imò Regina, cui dominium regni iure hæreditario vel alio titulo competit, contracto matrimonio poteſt, & debet leges ferre, niſi vices ſuas marito committat: quia ad eum pertinet adminiſtratio, & poteſtas condendi leges, ad quem pertinet ius, & dominium regni. *Salas, d. 7. ſect. 9. num. 63. Vaſq. c. c. 3. Suar. l. 3. c. 9. num. 10. L omnes ff. de iuſt. & iur. l. 3. C. de legib. Præterea* communitates perfectæ ſeu reſpublicæ, quæ per ſeipſas gubernantur, qualis eſt Veneta, Genuenſis, & limites, poſſunt leges condere pro ſuis territorijs. *Ciuitates* verò, quæ non habent poteſtatem ſupremæ reipublicæ, ſed poteſtatem in Principem tranſtulerunt, non poſſunt per ſe ſolas condere legem ex vi propriæ poteſtatis. *Cap. 2. de offic. legati in 6. Suares l. 4. cap. 5. num. 4. Porrò* facultas ferendi leges poteſt alteri delegari, vnde Legati Summi Pontificis ſeu Nuncij Apoſtolici poſſunt in ſua prouincia leges ſeu ſtatuta facere, quæ mortuo ipſo Legato perſeuerent, donec à Summo Pontif. vel habente æqualem poteſtatem reuocentur. *Item* Concilia generalia, ſi fiant auctoritate Summi Pontificis, poſſunt leges, & ſtatuta generalia facere, iuxta facultatem ipſis conceſſam à Summo Pontifice. *Molina de iuſt. tr. 2. d. 21. Suares citat. cap. 6. num. 7.*

LEX II.

De conditionibus, & materia legum.

SVMMARIVM.

1. *Quæ conditiones requirantur ad condendam legem?*
2. *An promulgatio legum quæ feruntur ab aliquo, v. g. particulari, debeat in ſingulis oppidis vel ciuitatibus fieri?*
3. *An leges latæ ab Imperatore vel ab aliquo Rege vel Principe habente plura regna vel prouincias, promulgari debeant in ſingulis prouincijs?*
4. *An Romani Pontifices conſtitutiones quæ in corpore iuris non continentur, requirant ſere communis duorum menſium ſpatium, & promulgationem in ſingulis prouincijs?* refertur duplex ſententia.
5. *De quinta conditione ad legem humanam requiſita, quæ eſt lapſus temporis ſeu termini à legislatore præſcripti.*
   Et an quando lex abſq; vllius termini determinatione lata fuit à ſupremo Principe, ſtatim obliget poſt promulgationem? refertur duplex ſententia.
6. *An lex vſu non recepta vi careat, quamuis ſit legitimè promulgata?*
7. *An lex condita à legitimo ſuperiore cum intentione obligandi populum, etiamſi non acceptet, valida ſit, & obligationem inducat populo non acceptante?* Refertur duplex ſententia.
8. *An lex acceptata quoad vnam partem, obliget ſimpliciter?*
9. *An à peccato excuſetur, qui abſque ſufficienti cauſa legem promulgatam non ſeruat, vel in cauſa eſt ne accipiatur?*
   Et an ſucceſſores peccent, legem negligendo ſecuti primos?
10. *In dubio an lex promulgata fuerit acceptata, an præſumendum ſit fuiſſe acceptatam?*
11. *An ad ſubſtantiam, & rationem legis requiratur ſcriptura tanquam conditio neceſſaria?*
12. *Quæ ſit materia legis?*
    Et an actus quarumcumque virtutum poſſint eſſe materia legum?
13. *An actus interni poſſint ab Eccleſia, vel à lege humana de facto præcipi vel prohiberi?*

1. AD *condendam legem* ſex conditiones requiruntur. *Prima* eſt, vt feratur à legitimo ſuperiore. *Secunda*, vt feratur ob commune bonum, vt iam dictum eſt in præcedentibus. *Tertia*, vt ſit iuſta. *Quarta*, vt promulgetur. *Quinta*, lapſus temporis ſeu termini à Legislatore præſcripti. *Sexta*, vt lex vſu ſit recepta ſeu acceptata. *L. leges C. de legib.* Cùm ergo lex feratur ob commune bonum, debet idcirco intimari communitati, in cuius vtilitatem, & commodum fertur, hoc autem fit per publicationem. *Nomine* verò *publicationis* non ſolùm intelligitur publica propoſitio ſeu denunciatio legis, quæ fit voce præconis, verùm etiam intelligi poteſt illa, quæ fit affigendo legem in loco publico, vel alio ſimili modo iuxta locorum conſuetudines, vel decreta: nec requiritur vt ſingulis intimetur lex, & denuncietur, ſed ſufficit vt publicè promulgetur, ita vt ad aures ſingulorum proceſſu temporis peruenire poſſit: *hinc* ſequitur epiſtolas Pontificias non habere vim legis, niſi publicentur, eo modo quo publicari ſolent epiſtolæ: *item* legem reuocatoriam alterius legis antiquæ non obligare ante promulgationem, quia de ratione legis eſt promulgatio. *Item* interpretationem legis factam auctoritatiuè, non habere vim legis niſi promulgetur. Vide *D. Thom. 1. 2. qu. 90. art. 4. Nauar. c. 23. n. 44. Suar. l. 3. c. 16. n. 2. Molin. tract. 5. de iuriſdict. diſp. 70. n. 1. & 2. Azor. 1. p. l. 5. cap. 3. q. 7. Bonacin. de leg. d. 1. q. 1. punct. 4. n. 11. Becan. 1. 2. tr. 3. c. 1. q. 4.*

2. *Promulgatio* legum quæ feruntur ab aliquo populo vel à Ciuitate vel Epiſcopo, vel Archiepiſcopo vel à Principe inferiore, facienda eſt in ipſo populo, vel ciuitate, vel curia Principis, vel Epiſcopi, vel Archiepiſcopi, iuxta morem in ſingulis locis receptum, & inſtitutum: non autem opus eſt vt in ſingulis oppidis vel ciuitatib. fiat promulgatio niſi aliter in ipſamet lege præſcribatur, vel aliter conſtet de mente Legislatoris, quia lex hoc modo lata, cenſetur ſufficienter promulgata, ergo facta huiuſmodi promulgatione, incipiet ſtatim obligare. *Suar. c. l. 3. c. 16. n. 7. Clau. reg. l. 3. c. 5. n. 6. Sylueſt. verbo lex q. 6. Azor. 1. p. l. 5. c. 7. q. 2.*

3. *Leges latæ* ab Imperatore, vel ab aliquo Rege, vel Principe habente plura regna vel prouincias, promulgari debent in singulis prouincijs, vnde subditi illius prouinciæ, in qua non est facta promulgatio, non obligantur his legibus: quia quantum ad leges imperiales ita definitum est, in *Authent. vt nouæ constitutiones*. *Nota* tamen quòd Rex aliusve Princeps, qui non est subditus legibus imperij, potest de sua potestate absoluta, vnica publicatione in vno loco facta, obligare omnia sua regna vel prouincias, quia hoc non est contra ius naturæ. *Valent. d.7 q.5. p.5. Sylvest. v. lex q.6. Sot. de iust. l.1. q.1. art.4. Suarez l.3. c.16. n.14. Sylvius* 1. 2. *q.96. art.4. q.11. concl.2.*

4. Controuertitur inter Doctores, an Romani Pontificis constitutiones, quæ Bullæ Pontificiæ aut diplomata vocantur, nec in corpore iuris continentur, requirant iure communi duorum mensium spatium, & promulgationem in singulis prouincijs: quidam enim docent iure communi non sufficere promulgationem in curia Romana publicam, & solemnem, nisi etiam in singulis prouincijs promulgentur: & propterea non ligare nisi post duos menses exactos à promulgatione in prouincijs, quia ius ciuile, vbi iuri canonico non aduersatur seruari ab Ecclesia solet, propterea eadem videtur esse ratio de Pontificijs, quæ est de Imperatorijs constitutionibus: ita sentiunt multi Iurisperiti apud *Azorium*, & inter Theologos *Sotus l.1. de iust. q.1. art.4. Angel. v. lex n.12. Medina* 1.2. *q.90. art.4. Vtagers* 1.2. *q.69. art.4. à num 84. ad 93. Miranda tom.2. q.25. artic.4. Molina tom.2. tract.2. disput.395. Layman l.1. tract.4. c.2.* Et hanc sententiam probabilem putant *Sylvius*, *Becanus*. Secunda opinio docet, iure ipso communi sufficere promulgationem in curia Romana publicam, nisi aliter in lege exprimatur. Hæc secunda sententia est iam per consuetudinem vsu recepta, ac ita amplectenda: quia nusquam ius Canonicum statuit, vt Pontificiæ constitutiones in singulis prouincijs promulgentur, nec iure ciuili Romani Pontifices tenentur; vnde Bulla Cœnæ Domini non solet nisi Romæ publicari, & tamen secundum illam vbique iudiciales sententiæ pronunciantur: & huius sententiæ sunt. *Vasques* 1.2. *d.156. cap.2. Suar. l.4. c.15. num.3. Reginald. l.13. num.155. Azor. 1. par. l.3. cap.3. q.3. Sylvius* 1.2. *q.96. artic.4. q.11. Diana de leg. ref.8. & 9. part.1. Sylvest. v. lex q.6.* Nihilominus (secundùm Becanum 1. 2. *tract.3. c.6. q.6. num.6.*) si quis habiter in aliqua prouincia, vbi eiusmodi leges promulgatæ non sint, potest esse liber in conscientia, etiamsi illas leges non seruet, quia potest vti probabili opinione eorum Authorum, qui defendunt eiusmodi leges non obligare in singulis prouincijs, nisi ibi sint promulgatæ, vel saltem consuetudine receptæ. Communiter tamen ab omnibus receptum, & approbatum est, vt leges reuocatoriæ priuilegiorum, & indulgentiarum vim obligandi non habeant, quousque promulgatæ sint, non solùm in prouincia, sed etiam in ciuitate ac parochia. Ita *Clauis regia, l.3. c.5. num.13. Valent d.7. q.5. p.5. dub.2. Sotus l.1. q.1. art.4. Becanus c. cap.6. q.6. num.7. Cassensis de leg. d.1. sect.4. num.60.61.* contra *Suarez, Vasques*, & *Salas* apud Syluium 1.2. *q.96. art.4. Conc.1.* quod colligitur ex *Cap.1. de concess. prabend. in 6.*

5. *Quinta conditio* ad legem humanam requisita, est lapsus temporis seu termini à Legislatore præscripti: vnde si Legislator spatium duorum mensium apposuit ad obligandum, subditi non obligantur nondum elapsis duobus mensibus, cùm lex non obliget vltra intentionem, & voluntatem legislatoris. *Valent. d.7. q.5.p.5.* Quando autem nullius termini determinatio ad obligandum fuit apposita, quidam Doctores vt *Navar. cap.23. num.44. Emanuel Sa v. lex n.8. Reginald. l.13. n.152.* arbitrantur legem latam à supremo Principe, vt à Papa, Imperatore, aut Rege non obligare, nisi post duos menses à promulgatione; probabilior tamen sententia quæ est *Suar. l.4. c.15. n.11. Vasq. d.156. cap.3. Molina tract.2. disp.395. Azor. 1.p.l.5. c.7. q.8. Bonac. cit. p.4. num.25.* & aliorum asserit, legem statim post promulgationem obligare, quia lex eo ipso quòd publicè lata est, vim, & rationem habet imperij, ergo statim obligat, nisi Legislator aliter exprimat: habet tamen locum *prima* sententia in legibus ab Imperatore conditis, quia sic habetur in *Authentico, Vt facta nouæ constitutiones*.

6. *Quarta conditio* legis communis est Canonici, & iuris ciuilis interpretum opinio, legem vsu non receptam, vi carere, quamuis sit auctoritate Principis constituta, & legitimè promulgata, quia perspicuè *Gratianus* ait leges instituuntur cùm promulgantur; approbantur, cum moribus vtentium recipiuntur, & hoc videtur conforme benignæ Legislatorum voluntati, ne nimis suis subditis onerosi videantur: lex autem dicitur vsu non recepta, quando populus vel maior pars populi prosequitur facere, quod facere consueuerat ante legis promulgationem, & hoc verum siue populus sciat legem promulgatam esse, siue ignoret: dicitur verò lex vsu recepta, & acceptata, quando non vnus vel duo eam recipiunt, sed maior pars communitatis eam recipit, faciendo quod lex præcipit, aut illam approbando verbo vel scripto, aut illam non reijciendo. Ita *Reginald. l.13. n.160. Navar. c.23. n.41. Rodrig. tom.1.qq.reg. q.6.art.11. Suar. l.4. c.16. num.9. Azor. l.5. c.4.q.1. & 2. Caspensis tr. de leg. disp.1. sect.4. num.39.*

7. *Lex condita* à legitimo superiore cum intentione obligandi populum, etiamsi non acceptet legem, valida est, & obligationem inducit populo illam non acceptante: quia Legislator videtur habere vim obligandi populum independenter ab ipsius consensu, alioquin maioris potestatis esset populus, quàm Princeps, ita *Suarez, l.3.c.19 Reginald. l.13. n.161. Rodrig.c.qu.6. art.6.* contra *Navarr. c.23.n.41 Valent. d.7. q.5.p.5.* qui dicunt talem legem non esse validam, quia non est iusta nec lata in commune bonum.

8. *Lex* acceptata quoad vnam partem, non obligat simpliciter, sed solùm quoad eam partem, quæ acceptatur, & acceptata in vna prouincia, & non in alia, obligat solùm in ea prouincia, in qua recepta est. *Nauarrus cit. n.62. Reginald. c. num.165. Et quando* lex acceptata est à maiori parte communitatis, minor pars peccat legem non obseruando, & pœnam legis incurrit, nisi fortè per inuincibilem ignorantiam excusetur: quando verò maior pars communitatis legem non acceptauit, minor pars non peccat non obseruando. *Rodriques artic.10. Bonacina c.n.34.*

9. *Communis* sententia est, illum non excusari à peccato, qui absque sufficienti causa legem promulgatam non seruat, vel incausa est ne accepretur; contra *Sylvestrum*, & nonnullos alios existimantes, per se loquendo, non peccare, nisi graue damnum aut incommodum Reipublicæ, & communitati inde proueniat. *Suar. l.3. c.10. num.10. Clau. reg. l.3.c.5. num.14. Reginald. cit. num.162. Hinc patet* quid discriminis sit inter desuetudinem siue non vsum legis, & consuetudinem legi contrariam; nam in eo differt, quòd primi, qui consuetudinem contra legem inducunt, delinquunt, nisi ex aliquo accidenti excusentur; successores tamen non peccant, quia bona fide possunt legem negligere secuti primos, qui contra legem fecerunt: at quando lex non est vsu recepta, etiam primi qui frangunt, non peccant, id sciente legislatore, & non puniente cùm commodè possit. *Bonac.n.40. Azor. l.5. c.4. q.5.*

10. *Quando dubitatur*, an lex promulgata, fuerit acceptata, præsumendum est fuisse acceptatam; quia possessio stat pro lege, nam pro eo stat possessio, pro quo stat legis præsumptio. *Salas disp.13. sect.5. Bonacina cit. num.44.* Vnde asserenti legem non esse acceptatam incumbit onus probandi non fuisse acceptatam; nec lex censetur non acceptata, ex eo quòd casus legis per multos, etiam fortè per mille annos non accidit; quia desuetudo, seu non vsus nihil facit contra legem quando casus legis non accidit. *Rodriques cit. art.12. Lessius l.2. cap.22. dub.13. Azorius* tamen *1.p. lib.2. cap.19. q.12.* & Diana *tract.10. de legibus ref.3.p.1.* probabile putant, in dubio an lex sit vsu recepta necne, præsumendum esse non fuisse acceptatam, quia possessio stare videtur pro subditis suam libertatem possidentibus: de hac q. Vide etiam Dianam *4.p.tr.2.ref.14.*

11. *Ad substantiam*, & rationem legis, non requiritur scriptura tamquam conditio necessaria, quia lex potest promulgari, & acceptari etiamsi in scriptis non sit expressa: & priuilegium est validum posito consensu concedentis, & valida est in toto conscientiæ quælibet facultas concessa à Summo Pontifice, statim ac supplicationem admisit subscripto verbo, *placet* aut *fiat*: quamuis in foro externo iudicetur imperfecta, & inualida: vbi tamen contrarium est vsu receptum aut sancitum in aliquibus priuilegijs seu casibus, id obseruandum, sicut de facto decernitur in sententijs, ad quas communiter requiritur scriptura. *Suarez l.4. c.14. num.2. Regin. l.13. n.166. Valent. d.6.q.1.p.2. Becanus p.2. tr.3. c.1. q.3. n.2.*

12. *Materia legis* est illa circa quam versatur lex, seu quæ præcipitur vel prohibetur à lege; vnde actiones humanæ sunt materia legum; quia circa illas versatur lex, præcipiendo bonas, & prohibendo malas; *hinc patet*, actus quarumcumq; virtutum posse esse materiam legum, quia sunt actus humani, imò actiones ex se indifferentes possunt esse materia legum, quia sunt actiones humanæ. *Nota* tamen quòd lege humana præcipi non possint omnes actus virtutum simpliciter, & collectiuè, quia difficillimum

limum effet omne arbitrium voluntati collectivæ obtemperare: tamen veluti ex hypothesi, quæ humanam non omnia probabiliter, ut ea tantum, quæ expedit, pacem, & quietem detrahant, quæ ut fiant ea vetent omnes leges, & quæ ut omittantur eam conservabilitatem communitatem, quæ Deo, & sanctis interdum placet, aliqua enim peccata vel existentiæ polleat, sic mercatio inquit leges eximitur, ut videlicet usurpet, & vitare, vt cæsuarem facit. D. Thomas 2. 2. q. 96. art. 2. & 3. Alens. 3. 2. q. 96. a. 2. & 3. Cam. rel. 2. 2. q. 77. art. 1. & 2. Sotus de Iust. & Iure lib. 6. q. 2. art. 1. & 2. Nauar. cap. 23. n. 3.

15. Alii excusantes à peccato præcise confederati, non peccant ob licentiæ, nec à lege humanæ de facto percipi vel posthac: tum ratio fundamentalis, quæ ita lex humana non potest leges ferre de eo, de quo non potest iudicium ferre, de tentatione, aut de intentione, & voluntate peccandi quorum actus externi, vel quatenus tales necessitati ad effectum quem mutatio adhuc exteri, sibi quatenus nullam conscientiam aliquam habent, vis dependentes, & pollutæ de Ecclesia percipi vel probari, quia ad eiectum Ecclesiæ gubernationem pertinet ad eiectum interni modo considerati, ab Ecclesia practice vel probari, potium: sic Ecclesia excommunicat eos qui ex odio vel mentem constitutionem peccandi, vel ex alio inquinato animum. Confessarius vel dicendum, quando leges hoc prohibet, vel præcipit aliquem actum externum, licitum est prohibere, vel præcipere actum internum illi subjectum, vt ei prohibeat tantum, prohibet etiam voluntatem efficacem, qua propositum abdicatum fanandi, vel si præcipiat recitationem officii, præcipit etiam intentionem qua voluntem recitandi; qua actus externi eli obtentum adhuc tantum, adhuc tantum per hæc actus obedit, ab eoquæ non præcem, & similium tantum. D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 2. ad 3. Alens. 3. 2. q. 100. a. 2. Cam. rel. 2. 2. q. 100. a. 2. Sotus de Iust. & Iure lib. 7. q. 1. Nauar. cap. 27. num. 83. Valent. 2. 2. q. 83. punct. 2. Reginald. 2. 13. num. 2. Bonac. 2. 2. d. 1. q. punct. 5. n. 13. Rec. 1. 2. tr. 2. cap. 6. q. 3.

Vide Confessarium 3. Præceptum 9. 3.

LEX III.

Qui teneantur legibus humanis.

SVMMARIVM.

1. *An homo subditus, capax rationis immo teneatur legis, & subditum legis.*
2. *An Principes sint legibus vt conditus, vel dorsilius obligentur.*
3. *Et an patrias sint legibus communis subiacuerit?*
4. *An mores tollant obligationem Principes subiacendi legibus?*
5. *An clerici teneantur legibus civilibus vt conditus vel dorsilius?*
6. *An exemptiones exemptio teneantur obseruare leges Synodales Episcopales?*
7. *Et an facultates sint monasteria regularium exemptorum, explicentur, vel non obligent leges civiles?*
8. *An peregrini sint vasorum ingentur leginis generalibus latis a Summo Pontif. & acceptatis ac loco vbi peregrinantur an teneantur legibus municipalibus, & statutis ac quis reperiantur? ceteraque duplex tenendis.*
9. *Qui vel sit vasorum, an qui adventa & peregrini teneantur legibus locorum particularibus seruare, etiamsi non decernuntur eis, sicut vasorum mores pœna, & ceteris?*
10. *An vasa, & illa qua prima domicilium relinquentes quorum non habent, teneantur, vel non, & confuetudines loci in quo etiam obtent reperiantur?*
11. *Et an qua colligere seruantes mendum.*
12. *An peregrini, dum a propria domicilio abfunt, teneantur seruare leges, & consuetudines sui domicilij, si in eo locum non reperiantur non obligent? reliqua duplex limenda.*
13. *An latent ad latentem obligationem leges transfire ad locum vbi in non obligat?*

1. VEtus communem Doctorum sententiam, *subditum legi* esse homo capax rationis, cuius rationis, sexus teneatur legi ex quo nunc inducitur aut Catechumenum non obligat legibus Ecclesiæ, quia subdita est catechumenus non est fidelium Ecclesiæ: progressa infideles non peccant, si comedant carnes in die Iouis, nec mulieres ante puerperiem sibi carnes legibus colligunt Ecclesiæ, quamvis ipsi nouissimi ad eiectum peruenerunt, non adhuc legi legibus humanis, quia modum non habent, nec legibus Ecclesiasticis quorum ignorant, quia non habent, neque legibus Ecclesiasticis quorum conflat communem esse sufficientem, quia complexo interno potentiarum adæquate rationis vsu, non modum vero complexo externo, non teneatur legibus Ecclesiasticis, quia ante legem non est peccatum adhuc vbi vbi rationis: peccatum autem vsus rationis, & potentiarum adæquatum est, vbi abiciens temporis promulgationis, immediate legibus, quia ante peccatum est peccatum negare legi cognitæ, ubique parere: per ita tamen loquendo legem intelligere, vbique parere potest, vt ex dictis patet. Et licet quoad aliquos actiones, quamvis vnus temporis ratione non vtantur, de delectabilitatem, ita vbi vtentes sunt. Et consentit communiter Doctores, tempore antenatis, homines aut innocentibus ignorantiæ. *Sanchez. de sacram. disp. 10. n. 2. Pet. Nauar. 3. 6. n. 4. Ioan. Medin. 1. 1. c. 4. n. 4. Diana tr. 8. miscel. 3. 7. & 8. Cam. 2. 2. q. 10. a. 3. ad 3. Filliu. 1. 1. n. 3.*

2. *Principes* per se, & directe vt plurimum fuis legibus ex vi conditionis non obligantur, quia videlicet humanæ civiles obligationis potest ex potestate ferendi legem, de aute autem pari in pares æqualem non habet legem, & patria ex civiles, quia ipsi leges ipsi non possunt, cum nihil subsit in legibus: *præterea* genus pœnis in delictum, & ex consensu, & impositio mutuo, quia non habet in legibus pœnæ subditum condemnationis fore, in contra legem agat: vnde à Papa petuit Cæsarem, non est excommunicatus ac. 8. Dist. 17. vnde legem pœnæ, non habet, quia ipse habet, nec in perennum principij. *Cæterum* ex decreto. Verum tamen est Principes suis legibus quoad vim coactiuam, & pœnam in foro externum liberos esse, ex iure tamen, & æquitate, quamuis ne delictum quoad vim directiuam, & meritum illi teneantur ad seruandas tuas leges habentes rationem, & naturam ne sit minus iuste, & necessarium ad bonum commune, vt vtens, & etiam principis: fic omnia iura iam diuina quam humana circumscribere videmur: & ratio ipsa fuadet caput debere se conformare, & exteris membris. Cæsthan Principes tenebit eos qui dicunt, non facient: Tamen si legem non habent maiorem voluntatem, per quæ Principes excommunicatur, ac. 8. Dist. 17. Principes vero peccant leges tenere; vt si Princeps leges cauit ne arma sacris ferantur, peccat si legem præcedentem transgrediatur. *Thomas 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. Alens. 3. 2. q. 96. a. 2. Cam. 2. 2. q. 10. a. 3. Sotus de Iust. & Iure lib. 1. q. 4. Nauar. cap. 23. num. 168. Silues. 2. q. 96. art. 5. q. 3. Reg. 2. 2. d. 9. q. 167. 2. Ioan. Medin. 1. 1. c. 4. n. 3. Pet. Nauar. 3. 6. n. 3. Rec. 1. 2. tr. 2. cap. 6. q. 3.* Nec *dandum* etiam hic est, quando Princeps non sit subditus legi cum populo legem condens, vt nullum id obligationem vim legis, cum quia legi quæ ipsi communitas est communitas est communitas eli, sicut licuit ea communitate quæ ipsi formali primitiuæ, *Cæterum* esse *Cæsar. Aurea cum quæ* a. *Caiet. tr. de leg. Aquinat. 1. 2. q. 90. a. 3.*

3. *Principes* qui suis legibus non obtinent, non peccat mortaliter nisi ratione ex eam, quia ex hac obligi, vt vitare vitam, aut legi stantes, legi tatur autem non præsumitur vele illi tantum obligationem imponere, cum vnis legibus tantum tenebitur ad vitandum scandalum. *Sotus de Iust. & Iure lib. 1. q. 5. Nauar. cap. 23. n. 3. Valent. 2. 2. q. 83. punct. 2. n. 3. Reginald. 2. 13. num. 2. Bonac. 2. 2. d. 1. q. punct. 5. n. 13. Rec. 1. 2. tr. 2. cap. 6. q. 3.*

4. *Clerici* ratione Ecclesiæ non tenentur legibus ciuilibus vt vt conditus ex vi vel verò directiua teneantur legibus ciuilibus vergentibus in commune bonum, & non repugnantibus libertati Ecclesiæ, sacris canonibus, & officio clericali, quæ clerici non obtinere clericum cives sunt, & meritus reipub. inferiores fed reipublicæ ciuilis non nisi legibus ciuilibus propriis quantum, ideo ea etiam quæ mens conducunt ex vtilitate ciuitatis, & bonum publicum, & vtiliter tenentur, & non clerici, quæ non etiam non vtiles ratio vel ratione in Principe non obligantibus, aut vendere tritici non nisi pretio quam in Principe communi.

tum, peccat contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem; quia licet clericus directè non teneatur lege ciuili, nihilominus directè tenetur lege naturali iuſtitiæ prohibentis triticum vendi, aut aliquid aliud vltra taxam ſeu pretium, quod communiter iuſtum æſtimatur. Ita *Suar. l. 3. c. 34. Clau. reg. c. c. 4. l. 3. n. 16. & 17. Rodrig. 1. p. c. 193. num. 2. Nauar. cap. 23. num. 89 Sylu. citat. quæſt. 4. Azor. 1. p. l. 5. c. 12. Sayl. lex n. 11. Dian. cit. reſol. 12.* Inferunt tamen aliqui Doctores ſecluſo ſcandalo clericos non peccare mortaliter, ſi leges Principum ſæcularium non obſeruent, poſito, quòd directè non teneantur ad illas. Ita Bonacina *de leg. d. 1. q. 1. punct. 6. num. 53.* Salas *de leg. diſp. 14. ſection. 10. num. 11.*

Sed inquires, an regulares exempti teneantur obſeruare leges ſynodales Epiſcoporum? Reſp. verius eſſe non teneri, niſi tantùm ex decentia, & ratione ſcandali vitandi; ac proinde ſi ſcandalum ceſſet, numquam peccare illas non obſeruando. Ratio eſt, quia Regulares non ſolùm à poteſtate Principis ſæcularis, ſed etiam Epiſcoporum ſunt exempti, & conſequenter ab omnibus ordinationibus ſynodalibus, & prouincialibus; ac proinde leges Epiſcoporum, & ieiunia ab illis impoſita non ligant religioſos, ſecluſo ſcandalo; niſi quoad Feſtorum obſeruationes, interdicta, & alias cenſuras: quia iure communi ita cautum eſt. Ita *Caſpenſis de leg. d. 4. ſect. 2. Suar. de leg. l. 4. cap 20. Pont. de matrim. l. 5. cap. 7.* & plures alij, contra *Vaſques diſput. 167. cap. 4. n. 32.* & alios aſſerentes. Regulares iure naturæ obligari, ſaltem quoad vim directiuam, ad illas leges, quæ non derogant ſtatui religioſo, & ſpectant ad communem obſeruantiam, & deuotionem totius populi. Vide ſupr. *v. Ieiunium 2. n. 5.*

Sed maius dubium occurrit, an ſeculares intra monaſteria regularium exemptorum exiſtentes teneantur ad leges ſuæ diœceſis? Affirmant *Suares, Coninck, Salas, Alterius,* & alij multi apud *Paſqualigum* infra citandum. Ratio illorum eſt, quia monaſteria non ſunt plenè exempta à iuriſdictione Ordinarij, ſed tantùm quoad caſus in iure expreſſos, & ideo talis exemptio tanquam odioſa, quia derogat iuri Ordinariorum, non eſt extendenda ad caſus non expreſſos in iure, præſertim quia potiùs conuenit perſonis, quàm loco. Oppoſitum tamen eſt ſatis probabile, nempe non teneri ad leges ſui Ordinarij. Et colligitur ex Trid nitino, quod præcipit regularibus, vt ſeruent interdicta Ordinariorum, & Feſta: ergo ſecluſo præcepto non tenerentur ſeruare, vt dictum eſt. *Conc. Trident. ſeſſ. 25. c. 12. de regular.* Tum quia extra territorium ius dicenti non paretur impune, *c. vt animarum, de conſtitut. in 6.* quia iuriſdictio non extenditur ad alienum territorium, & proinde non poteſt obligare ſubditum exiſtentem in alieno territorio. Locus autem exemptus comparatur alieno territorio, & quidem licet ſit in territorio, ratione tamen exemptionis ſe habet vt territorium alienum; nam eximitur à iuriſdictione Ordinarij, ita vt non poſſit in ipſo aliquid iuriſdictionis exerceri. *Cap. Cum Epiſcopus, de officio ordinar. in 6.* Vnde exiſtentes intra monaſteria non tenebuntur legibus Ordinariorum. Ita docent *Henriq. l. 13. cap. 26. num 2. Bonacin. tom. 2. diſp. 1. de leg. q. 1. p. 6. n. 66.* ſpecialiter de ieiunio, *Laym. l. 1. tr. 4. c. 11. n. 5. Paſqualigus praxis ieiun. Eccl. deciſ. 212. & 213.* & alij.

5. *Peregrini*, ſeu *viatores* ligantur legibus generalibus latis à Summo Pontifice, & acceptatis in loco vbi peregrini reperiuntur: An autem hi teneantur legibus vel conſuetudinibus locorum in quibus reperiuntur? Iuxta probabiliorem, & communiorem ſententiam dicendum eſt, peregrinos, & viatores, qui ad aliquem locum perueniunt abſque intentione ibi conſtituendi domicilium, vel ibi manendi maiore anni parte, non ligari legibus locorum in quibus pro tempore reperiuntur. Ita *Sanches de matr. l. 3. d. 18. & in ſum. l. 1. cap. 12. n. 37. Clau. reg. l. 3. c. 4. num. 15. Regin. l. 13. num. 171. Azor. 1. p. l. 7. c. 19. q. 4. Diana tract. 5. miſc. reſ. 73. p. 3. & p. 1. tract. 10. reſ. 13. 15.* Contra *Suarez l. 3. cap. 33. n. 3. Sylu. l. 2. q. 96. art. 5. quæſt. 4.* & alios, contrariam ſententiam non improbabiliter tenentes: *Ratio* autem *prioris* ſententiæ eſt; quia ad obligandum requiritur iuriſdictio in obligante, & ſubiectio in eo, qui obligatur, per breuem autem moram præcisè non acquiritur iuriſdictio, & ſubiectio, vnde viator non ſortitur ſorum loci per quem tranſit; & Epiſcopus non poteſt ſacramenta conferre extraneo, excepto pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſacramento, in quo peculiaris extat conſuetudo. Vnde ex hac ſententia infertur poſſe Germanum iter facientem per Italiam, ſi abſit ſcandalum, tempore ieiunij comedere oua, & lacticinia: quemadmodum, & Mediolanenſem tranſeuntem per loca, vbi quatuor diebus ante Dominicam Quadrageſimæ ieiunatur, non ieiunare: & Caſtellanum iter facientem per Luſitaniam animalis extremitates, atque inteſtina die Sabbati comedere. Ratio omnium eſt, quia non tenetur quis ſeruare leges, & conſuetudines loci, per quem tranſit, ſed poteſt vti priuilegio, & conſuetudine ſuæ patriæ: Et licet tale priuilegium videatur conceſſum loco, adhuc tamen eo vti poſſunt omnes, qui moraliter cenſentur loco præſentes, & qui vt præſentes in ipſo iure habentur, quales ſunt, qui mox in patriam, vbi proprium domicilium habent ſunt reuerſuri. Huic ſententiæ nouiſſimè ſubſcribit *Amicus tom. 5. de iuſt. diſp. 5. ſect. 16. n. 359.* qui etiam aduertit, quod, licet iter faciens non teneatur ad leges, & conſuetudines loci, per quem tranſit, poteſt tamen, maximè cùm fauorabiles ſunt, eas acceptare.

6. *Quamuis aduenæ*, & peregrini, iuxta dicta, non teneantur legibus locorum per quæ tranſeunt, excipiuntur tamen communiter à doctoribus aliqui caſus, in quibus hi tenentur leges locorum particulares ſeruare, etiamſi non decreuerint in *illis* locis maiori anni parte commorari. *Primò* excipitur ſcandalum, ad quod euitandum certum eſt illos teneri ad leges locorum, *Sanches l. 1. moral. c. 12. num. 25. Suar. l. 3. cap. 33. num. 6. & ſeq.* *Secundò* excipitur contractus, qui ſecundum leges ciuiles celebrandus eſt, ſeruatis ſolemnitate, & conditionibus receptis in loco vbi celebratur, excepto contractu dotis, in cuius celebratione non attenditur ſtatutum loci in quo initur, ſed attenditur ſtatutum loci in quo vir habet domicilium. *L. exigere ff. de iudiciis Sanch. de matr. l. 3. d. 18. num. 11. C. licet 20. de foro compet. Salas d. 14. ſ. 4. n. 53.* Præterea ratione rei ſitæ in loco legislatoris, fit quis ei ſubditus, non quidem abſolutè, ſed ſolum quoad rem illam, quæ in alieno extitit territorio. *Tertiò*, quando eædem leges, & conſuetudines obligant non ſolum vbi aduena reperitur, verum etiam in proprio ipſius aduenæ territorio, tunc tenetur has leges ſeruare: quia hæc eſt praxis, & vſus communis vnanimi fidelium ſuperiorum conſenſu receptus. *Sanches l. 1. moral. c. 12. n. 38. Caſpenſ. c. num. 26. Suar. l. 2. de relig. c. 14. n. 15.* Quamuis putet *Fagundez de prac. Eccleſ. tract. 1. l. 1. c. 7. num. 20.* ad neutras obligari: quia aduena ſeu peregrinus non eſt ſubditus legislatori illius loci vt eum obligare poſsit ſuo præcepto; & quia non tenetur abſens, ad leges patriæ: ergo, &c. Vnde ſi feſtum, vel ieiunium ſeruetur in patria, & in loco per quem tranſit, ex præcepto vtriuſque Diœceſis Epiſcopi, tunc videtur peregrinus ad neutrum obligari. Et ideo hanc ſententiam putat probabilem, etiam quoad casus reſeruatos: licet contrariam, vt probabiliorem confirmet. Et huic ſententiæ probabili ſubſcribunt, *Sanctius in ſect. d. 54. num. 31. Diana p. 1. tract. 9. reſ. 18.* Nec eſt reputandum, inquiunt, inconueniens in illo casu peregrinum verbi gratia ad non ieiunandum eſſe liberum; nam vagi, qui certum domicilium non habent, nullis particularibus legibus locorum per quæ vagantur vinciuntur, vt ſuſtinet idem Sanctius *n. 34.* cum alijs à ſe citatis. Nec eſt abſurdum, inquit *Paſqualigus in praxi ieiun. deciſ. 206.* quod aduena non teneatur legibus, qui non eſt ſubiectus legibus; talis autem non eſt ſubiectus *propriij* domicilij legibus, quia hæ non ligant extra territorium, vt decernitur in *Cap. A nobis, de ſentent. Excommunicat.* & in *c. Animarum, de conſtit. in 6.* & tradunt communiter Doctores. Nec etiam legibus loci tenetur, quia hæ non obligant niſi ſubditos, & qui ſunt de tali communitate pro qua ſanctæ ſunt: hic autem aduena non eſt incorporatus illi communitati. Ergo. Neque *iuuat, inquit idem Author,* recurrere ad praxim, & vſum, quaſi communi iure Gentium introductum, & vnanimi fidelium ſuperiorum conſenſu approbatum: Nam de hac praxi, & vſu, nec de hoc iure Gentium conſtat: imò ex iure oppoſitum colligitur, nam non permittunt leges, quòd poſſit quis non ſubditum grauare. Nec poſſunt ſuperiores inter ſe conuenire, quòd *propriij* ſubditi ligentur legibus alieni territorij, ſiue eædem ſint in vtroque territorio, ſiue diuerſæ, nam hoc eſſet exercere iuriſdictionem extra proprium territorium, ſiquidem darent facultatem alteri ad minus ligandi ſuos ſubditos extra territorium, quod ex præallegatis textibus facere non poſſunt. Vnde ex hoc quoque capite corruit ille vſus, & praxis ſuperiorum conſenſu introducta. Et Doctores ſupra citati *num. 5.* non loquuntur conſequenter, vt ſpecialiter de *Sanches* aduertit *Pontius de matrim. l. 5. c. 7. n. 12.* Non enim cohæret, quòd aduenæ non teneantur legibus loci, in quo ſunt, & quòd teneantur legibus talis loci, quando eædem ſunt etiam in proprio domicilio: quia cùm leges *propriij* domicilij non cauſent aliquam obligationem extra proprium territorium, neq; etiam obligare poſſunt, vt ſeruentur leges externæ, quando hæ alias non obligant. *Quartò*, quando

inobſer-

in obſtentania ſen violatio legum vergit in damnum vel iniuriam illius loci, in quo aduena peccatur, tunc illus loci leges ferunt tenetur quia per non eſt, vt extraneus ibi commoretur cum damno exiſtentium in eo loco quorum damnum, & iniuriam non prohibet quos vel frumentum à fuo regno extrahi, aut peregrinos vitra tantum tempus ibi commorari, aduenas tenentur illis legibus. *Sanchez citat. cap. 13. num. 36. Suarez de legib. l. 3. cap. 23. num. 8.*

7. *Et* qui nullibi certam ac conſtantem ſedem ac domicilium habent, ſed hinc inde vagantur, & illi qui potius domicilium retinquentes, quærunt vbi ſe collocent, iuxta *Sanch. de matrim. l. 3. d. 18. num. 3. Reginald. l. 3. num. 15.* & alios, & illi ſe aduenæ non habent, & conſuetudines loci in quo etiam obiter reperiuntur, quia illas videntur non ſe extendere ad illos ſtatutas, & legibus municipalibus, aut etiam decretis Epiſcoporum, quod non videtur conſentaneum ipſorum ſubiti, & rebelle gubernationi, ſpeciosa ratio poſſet videri, & à quibuſdam asserito recipere locum dicentibus. *Clauſ. tamen reg. 2. Leſius, Layman* apud *Dianam d. reſol. 16.* docent tales vagos nullis legibus municipalibus, tantum teneri; quia non incolæ aut inhabitantes. Et ſecundum illos, hæc ſententia fatis probabilis eſt.

Verum pro, an ita determinatè teneatur, vagi in caſus referutos ſic indicate: *Scio* quod 1. Reg. *Vgolin. de offic. & potestat. Epiſcop. p. 2. c. 19. §. 4. n. 4.* in caſu Romano Pontif. relevatum tantum incolæ, non autem in caſu ſimili extraneos, nam, aduenas interiorem parochiani non ſunt, ex quo domicilium in eodem loco diſpectibus non habent: qua ratione parochianus aliquis quis ſit: eſto igitur in caſum aliquem referutum ab aliquo Epiſcopo incidam, ibi tamen referuntur non erit, cum eius ſubditi non ſint. Et ſecundum hanc ſententiam interiorem leſibus ad leges illas communis. Nec obſtat hunc meliorisconditionis, fed miſerabiliores, vtpote quia ſtatim ſe commodum, & locare emptionibus ſuum domicilium habentium, qui licet non poſſerunt fauoribus illis ſtatutis uti, ita oneribus non affici quum, & erit. Vt docet *Sanchez citat. diſp. 18. n. 14.*

8. Quidam Doctores apud *Sanchez* docent, & ſatis probabiliter peregrinos in aliam locum per modum tranſitus, & hoſpitij conſiſtentes, tam à propria domicilio, quam à veneri ſtatuas leges, & conſuetudines ſui domicilij, quamuis in eo loco in quo reperiuntur non ſint obligatos tenere: Probabilis tamen & communior ſententia affirmat illis non teneri, quia ſicut agentia naturalia non agunt vltra naturam ſuæ activitatis, ita Principes, & legislatores non extendunt ſuas conſtitutiones vltra ſuum territorium, cum abſolutam iuriſdictionem circa illa, legislatoris in terendo legibus habeant ad proprium caſus territorium: & quamuis exiſtens in alieno territorio ſemper maneat ſubditus ſuperioris proprij territorij in bonis, & radicaliter non tamen eſt actu inſubditus illi quia per actiones ad ſuperioris territorij ſe diriguntur exercendas non ſolum ad leges municipales, & proprias propij territorij, verum etiam ad leges iuris communis, quarum obſeruantia vigit in proprio territorio, non vero in loco in quo per tempore reperitur & ex hoc colligunt Doctores matas illationes. *Ex* Conſtitutiones cuiuſcunq; poſt obligationem ſuum, ſi ſeruatas, & aliarum legum etiam iure communi latarum. *Amplians* poteſt hanc ſententiam etiamſi ſuperior proprij territorij per ſtatutum interdum ordinet extra peregrinos ſuum territorium degentes iuriſdictionem eſſe etiam ſe extendit extra proprium territorium. *Reſpondeo*, terminos ſuæ iuriſdictionis non ſolum per ſtatutum ſe, vt videtur in alieno territorio non teneatur legibus ſui territorij, modò ipſe, & ſimul reis, circa quam operatur, & operatio ipſa ſuum territorium non ſi extendit extra territorium, ſi exiſtit vero vel circa quam agit, exiſtat intra territorium, alterius legibus, & penis territorij quo ea exiſtit, nam delictum non cenſetur commiſſi extra territorium, ſi exiſtit in eo. *Sanchez de matrim. l. 1. diſp. 18. n. 17. & 18. & in ſum. l. 1. c. 12. n. 26. Suarez l. 3. c. 23. n. 3. Gonzal. l. 1. diſp. 8. n. 8. Regin. l. 3. n. 20. Clam. reg. 1. 7. cap. 1. n. 11. Azor. l. 1. c. 17. q. 30. quæ ſ. Bonac. de legib. d. 1. q. 1. p. 6. n. 3. & 4. Diana de leg. reſ. 24. p. 1. & 2. n. 3. & in reſol. reſp. p. 1. Coſpenſis tr. de leg. diſp. 3. diſt. 3. n. 40. Sanchez in ſum. d. diſput. 24. num. 27. Palaudius in prax. tract. 6. diſcl. 1. n. 2.*

Sed dubium eſt, an licet ob ſtigiendam obligationem legis à territorio ſe locum, vbi lex non obligat? Negativa ſententia eſt *Rodericus tom. 1. cap. 13. §. 3. n. 2. & 3. & ſeq. Lezius l. 1. c. 4. q. 11. n. 30. Clauerius l. 7. c. 7. n. 11. in fine*, & aliorum. Fundamentum ipſorum eſt, quia quamuis ex actione non teneantur degentes extra leges, tamen ex mente primi principantur, *c. Sabbi-*

& Cap. Ex tenore, de reſcriptis. Deinde quia leges Eccleſiaſticæ, cum promulgantur ob ſubditorum ſpiritualem vtilitatem, habent annexam conditionem quòd non liceat ſubterfugere obligationem ſine iuſta cauſa. Hæc ſententia eſt probabilis. Oppoſita tamen ſententia eſt tenenda. Ratio eſt, quia lex ſeu præceptum non obligat extra locum, ex quod iuriſdictio non ſe extendit extra territorium, vt videmus. Et interiore ſex non obligat, niſi ad id, quod per ſpiritum principiter: vnde ſi principaliter non, non obligat nec in territorium intra locum; obligat autem, quòd quis non exeat à loco. Quare quando quis exit à loco in die iuuini, vitare iure ſuo quod habet, vt poſſit exire de ſubditorum, & ſic non peccat. Quatenus vero iure ſuo, tenetur fraudem legi, etiamſi ſe fubtrahat ab obligatione ipſius: quia *Nullus tenetur dolo vtere, quo ſuum ius vtitur. Reg. Nullus, ff. De regulis iuris*. Vnde quando non interuenit malus animus, fed intentio propri commodi, non interuenit dolus ſeu fraus, nam agitur de libertate, quam quilibet potuit ex iuſta obligatione præcepti. Gratis dicitur aliquem illo fundamento, quòd leges Eccleſiaſticæ non ſint tenentes illum conditionem, quòd non exeat effugere obligationem abſque iuſta cauſa: nam non promulgantur cum tali conditione, neque tali conditio eſt ipſis annexa ex natura ſua, quia lex non obligat vltra id, quod principaliter, non principiter autem, quod non liceat effugere obligationem, ergo. Hanc ſententiam inſinuat *Pont. de matrim. l. 5. c. 9. n. 4. Sanch. l. 1. num. 13. Bonac. de leg. tom. 1. d. 1. q. 1. punct. 6. n. 4. Sanchez l. in ſelect. diſp. 54. num. 20. Diana p. 1. tract. 9. reſp. 8. Fleurand. de Sacram. diſp. 5. de matrim. diſp. 5. in fine, & alij.*

Vide Clericus n. 5. & 7. & ſeq. *Iouenum* 2. n. 11. *Communis Sacra n. 17. Conſeſſus c. n. 4.*

LEX IV.

De obligatione legis humanæ, & de lege pœnali.

SVMMARIVM.

1. *An lex humana tam ciuilis quam Eccleſiaſtica poſſit obligare in conſcientia?*
2. *Quomodo diuidatur leges, an lex humana obliget ad peccatum mortale, an ad veniale?*
3. *Et vtrum lex humana ſundatur in intentione legislatoris?*
4. *Et ſecunda regula qua deſumitur ex verbis præcipiens quibus lex humana fertur.*
5. *Et quæ ſit ſenſa ſententia præcipimus.*
6. *An quibuſdam aliis verbis præcipiendo, aut continendo præcipiendo aliquæ materiales obligent vt venialiter?*
7. *Et tertia regula, quæ ſi grauitas materiæ qua præcipitur. Et vnde diuidatur peccata an materia ſit grauis, & quando leue?*
8. *De quarta regula qua eſt communis ſenſus Eccleſiæ, prudentum exiſtimatio, talem legem obligare ad mortale, quando ſuſtinet grauem materiam?*
9. *De quinta regula, quando ſolum grauis pena corporalis aut temporalis adiuncta legi ſufficit apponatur, tunc lex tam obligat ſub mortali?*
10. *An autem lex pœnalis ponam continens obligat ſub mortali? reſertur duplex ſententia.*
11. *An lex Eccleſiaſtica præcipiens aut prohibens aliquid ſub pœna aliqua cenſura, vel pena Eccleſiaſtica, obligat ſub mortali?*
12. *An lex humana ponalis obligat ad culpam?* reſertur duplex ſententia.
13. *An leges quæ non ſunt propriè pœnales, & præcipitiæ, ſed potius commutatiuæ, & conſtitutiuæ obligent in conſcientia? Et an leges humanæ obligent cum periculo vitæ.*
14. *An præciſe ſcandalo, & perturbatione rep. leges vtiles obligant in conſcientia? & quo modo poſſint dici vtiles? & an lex fundata in præſumptione falſi obliget, ſi verſatur ſic in contrarium?*
15. *An omnia quæ habentur in iure Canonico habeant vim legis? An declaratiuæ Cardinalium ſint obligatoriæ.* Referuntur duplices ſententiæ.
16. *An decisiones Rotæ etiam Romanæ habeant vim legis?*

1. Ex

1. EX multis Scripturæ locis conſtat legem humanam, tam ciuilem quàm Eccleſiaſticam obligare poſſe in conſcientia; ita vt ipſius tranſgreſſio ad grauem culpam imputetur: certum eſt etiam ſecundùm communem, & certam Doctorum ſententiam, non omnes leges humanas obligare in conſcientia, præſertim ſub mortali; quia quando legislator exprimit ſe nolle in conſcientia obligare, niſi ad pœnam, certum eſt non obligare niſi ad pœnam, nam lex non obligat vltra mentem legislatoris à qua dependet. *Sanch. l. 3. moral. c. 9. num. 34. Suar. l. 4. c. 17. Clau. reg. l. 3. c. 7. n. 1. Valent. t. 2. d. 7. q. 5. p. 6. Caſpen. tr. de lex. diſp. 4. ſect. 1.*

2. *Regula*, quibus cognoſci poſſit, quando lex humana obliget ad peccatum mortale, quando verò ad veniale, hæc communiter à Doctoribus aſſignantur. *Prima* fundatur in intentione legislatoris: colligitur autem ipſius intentio tum ex grauitate materiæ, tum ex alijs coniecturis: quando autem lex abſolutè fertur, neque vllo modo verbo aut ſigno declarat ſe non habere intentionem obligandi in conſcientia, tunc pro ratione materiæ magis vel minus grauis iudicandum erit, legem ex parte legislatoris obligare in conſcientia ad culpam venialem vel mortalem: & quamuis in dubio lex interpretanda ſit potiùs quod obliget ad veniale, quam ad mortale, quia tamen in dubijs pars tutior eligenda eſt, & peccatum fugiendum eſt, quoad nos in dubio ferunte debemus legem ac ſi ad mortale obligaret; at verò quoad iudicandum de alijs, qui in tali dubio legem tranſgreſſi ſunt, conuenit nonnunquam habita ratione rei, & perſonæ, interpretari de veniali, & ſi conſilium eis dandum ſit, monendi ſunt, ne exponant ſe periculo peccandi agendo contra legem. *Suar. c. 18. l. 4. Regin. l. 15. n. 46. Med. t. 2. q. 96. a. 4. d. 1. Valent. tom. 2. d. 7. q. 5. p. 6. Clauſ. reg. c. 7. n. 29. Nau. c. 23. n. 57. Sylu. t. 2. q. 96. a. 4. quæſ. 5. Tolet. l. 2. tr. 3. c. 6. n. 3. n. 5. Caſpenſis c. ſect. 2. n. 11.*

3. *Secunda regula* dignoſcitur ex verbis præceptiuis, quibus lex humana fertur; modò aliud non conſtet de mente legislatoris, aut de materiæ leuitate non exeuntis; quia per ſe, & ex natura ſua verba præceptiua non important obligationem ſub mortali, vt patet in legibus diuinis, in quibus verba præceptiua talem obligationem non arguunt, iuxta propriam vim & ſignificationem: vnde colligendum eſt legem præſertim Eccleſiaſticam ſub mortali obligare in materia graui, ſi ſub illis verbis feratur; *Iubemus, obligamus, præcipimus, præcipiendo, mandamus, prohibemus, vetamus, damus, præcipimus, præcipiendo, mandamus, prohibemus, vetamus, interdicimus, debeant, teneantur, obligentur, non poteſt, neceſſe eſt, non liceat*, &c. niſi ex materiæ leuitate, vel aliunde contrarium conſtet. *Nau. c. n. 50. Bonac. c. p. 7. §. 4. n. 4. Suar. l. 3. c. 26. n. 6. Sylueſt. v. præceptum q. 2. Vaſq. d. 158. cap. 3. Becanus c. num. 7. Caſpenſis c. ſect. 2. n. 12.*

4. *Item* eſt obligatio ſub mortali, quando in lege adhibetur verbum *iniungimus, mandamus*, vel præcipio ex vi voti vel iuramenti, vel ſub pœna præſtiti iuramenti; aut præcipio in virtute ſanctæ obedientiæ, vel ſtrictè præcipio, aut arctè iubeo, aut mando ſub interminatione aut obteſtatione mortis æternæ, vel diuini iudicij, aut ſub indignatione Dei, aut Sanctorum Petri, & Pauli, aut ſub maledictione æterna ſeu diuina. *Sal. d. 10. ſ. 9. n. 52. Nau. cap. 23. num. 53. Sa v. lex num. 3. Vaſq. d. 158. c. 5. Quando* lex fertur adhibito verbo, *Oportet*, vel per verba communia modi imperatiui, vt ſi dicatur, *caueant, audiant, faciant, dicant, facite*, abſtinere, ſecundùm *Nau c. 23. num. 53. Armill. v. lex n. 4.* obligant ſub mortali in materia graui; *Clau. reg. l. 3. c. 7. num. 26. Sa v. lex num. 5.* negant, niſi aliud conſtet de mente legislatoris. Exemplum particulare eſt in regula Patris noſtri Francici, cùm prohibet Minoritis in itinere equitare. Hoc enim prohibet verbis ſatis communibus, neque rigoroſis, videlicet, *& non debeant equitare* &c. Vbi vides per verbum *non debeant* induci peccatum mortale iuxta declarationem Pontificum: quia videlicet alias materia prohibita eſt grauis reſpectu talis ſtatus pauperis, & humilis. Proinde prudentia viri timorati conſiderans verba legis, ſeu ſtatuti ſimul cum materia præcepta; vel ſola verba per ſe; vel ſolam materiam, iudicabit an obligent ad mortale vel veniale.

Idem dicendum, ſi ſub iſta loquendi formula lex feratur, Sanximus, intendimus, volumus, innouamus, ſtatuimus, decernimus, habilitamus, ordinamus, quidam enim volunt talem legem obligare ſub mortali, *Azor. l. 5. cap. 6. quæſt. 5. Sylueſt. v. præcept. q. 2.* alij verò exiſtimant legem ſub huiuſmodi verbis conditam non contnere grauem obligationem, niſi aliunde ex grauitate materiæ, aut ex detrimento boni communis, quod ex non obſeruatione ſequeretur, contrarium dicendum ſit. Vide Dianam *tr. 6. miſc. reſol. 7. p. 3. Clauis regia c. num. 28. Regin. l. 15. n. 48.*

5. *Tertia regula* eſt grauitas materiæ, quę præcipitur: quia ex grauitate materię licet colligere grauem legis obligationem, ſicut etiam ex leuitate materiæ colligendum eſt legem non obligare ſub mortali, & legislatorem non poſſe legem ferre obligantem ſub mortali in re quæ leuis eſt in ſe, & per ordinem ad finem, ſeu ſecundùm circumſtantias illi connectas: quia rectè ratio dictat ad grauem, & mortalem culpam, grauem materiam requiri, & leuis materia videtur incapax tantæ obligationis, imò Deus in materia leui non obligat ſub mortali, vt patet in furto leuis, & modicæ quantitatis. Si tamen poneretur præceptum ſub mortali in materia leui, quamuis non obliget nec obligare poſſit ſub mortali, obligaret ſaltem ſub veniali; quia actus qui non valet vt agitur, valet ſaltem eo meliori modo quo valere poteſt. *Suar. de legib. l. 3. c. 25. n. 2. 4. & ſeq. Sanch. l. 1. moral. c. 4. n. 4. Vaſq. t. 2. diſp. 158. c. 4. & 6. Salas de leg. diſp 10. ſect. 9. n. 46. & ſect. 10. n. 72. Bonac. de legib. p. 7 §. 4. n. 13. & ſeq. Regin. l. 15. num. 43.*

An verò ſuperior circa materiam grauem obligare poſsit ſub veniali? Negant *Vaſq. c. c. 3. & 4. Becan. tom. 2. tr. 3. cap. 6. q. 3. Salon 2. 2. q. 77. a. 1. contr.* 8. & alij: quia voluntas ſuperioris ſolùm requiritur ad imponendam obligationem, ſed poſtea qualis obligatio ſit, ex grauitate vel leuitate rei, quæ præcipitur, ſumenda eſt. Contraria tamen ſententia tenenda eſt, quia obligatio legis ex voluntate legislatoris dependet, & vltra illius mentem nequit extendi. Ita *Suar. c. c. 27. n. 7. Leſſ. l. 2. cap. 41. d. 9. num. 74. Sanches lib. 6. moral. cap. 4. num. 25. Diana tract. 6. miſc. reſol. 91. part. 3.*

Vt autem poſſit cognoſci an materia ſit grauis, vel leuis, certa regula non poteſt præſcribi, ſed prudentis arbitrio relinquendum eſt: vir autem prudens in hac re iudicanda, *Primò*, ſpectare debet finem quo legislator adductus eſt ad legem condendam; vnde ſi res præcepta valde conducat ad finem à legislatore intentum, ſeu valde non repugnet fini à legislatore intento, cenſebitur materia grauis, ſecus ſi non multum conducat, aut fini grauiter non repugnet; vnde ſit vt quæ cenſetur materia grauis reſpectu vnius præcepti, poſſit eſſe leuis reſpectu alterius. *Secundò* vir prudens debet ſpectare circumſtantias, quibus ductus eſt legislator ad ferendas leges, qualis eſt ratio vitandi ſcandali, aut damni communis, aut periculi violandi vota, nam materia quæ in ſe leuis eſt, & incapax obligationis ſub mortali, fieri poteſt capax tantæ obligationis reſpectu circumſtantiarum. Vnde nonnulli maximè decipiuntur exiſtimantes non obligare præceptum Prælati ſub mortali de ſeruando ſilentio, hoc, aut illo tempore, aut de illo efficiendo, quod ex ſe non magni momenti appareat, quippe fieri poteſt, vt circumſtantia aliqua ei materiæ grauitatem addat: *Crouſers ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 14. fol. 636. Sylu. t. 2. q. 96. art. 4. quæſit. 4. Caramuel in reg. S. Bened. n. 43. & ſeq. Caſpenſis c. ſect. 2. num. 14.* Hinc in iure humano difficile eſt ex ſola materia diſcernere præcepta ſub mortali, cùm res, quæ leuis videtur, ac eſt talis in ſe conſiderata, ſit magni momenti, attentis circumſtantijs, quas ſuperior ſpectat, ac ſubditi ignorant. Ita *Valent. t. 2. diſp. 7. qu. 5. punct. 6. Cuet. in Sum. v. præceptum. Dian. p. 5. tr. 5. reſ. 47.*

6. *Quarta regula* eſt, quando lex aliqua ſub quibuſcumque verbis communi conſuetudine præſertim Eccleſiæ, aut prudentum exiſtimatione intelligitur obligare ad mortale, vere obligat ad mortale, quia communis conſenſus Eccleſiæ ſeu conſuetudo eſt optima legum interpres, maximè cùm ipſa per ſe vim legis habeat: vnde legislatores ipſi humani tacitè, & implicitè non intendunt obligare communitatem, niſi ipſa, vel maior illius pars legem illam tamquam obligatoriam acceptauerit: ſi ergo lex non recipiatur tamquam ad grauem culpam obligans, non eſt aſſerendum legem obligare ſub mortali, niſi legislator voluerit obligare ſub mortali independenter ab acceptatione. *Nauar. cap. 23. n. 58. Valent. t. 2. d. 7 q. 8. p. 6. dub. 3. Tolet. de 7. peccat. mort. c. 19. Clauſ reg. l. 3. c. 7. n. 23.*

7. *Quinta regula*, quando grauis pœna corporalis aut temporalis alicui legi iuſtæ apponitur, quæ ex ſua natura præſupponit culpam mortalem, tunc lex illa ſeu mandatum obligat ſub mortali. *Suar. l. 3. c. 26. n. 4. Vaſq. d. 159. c. 3. n. 22. Clau. reg. c. 6. n. 25. Bonac. cit. n. 27. Valent. c. dub. 3.* quia lex iniqua eſſet, quæ pro re leui, tam graui pœna illius tranſgreſſorem puniret: hinc lex ciuilis lata ſub pœna capitis, ſeu mortis, mutilationis, ſeruitutis, perpetui carceris; damnationis ad triremes, confiſcationis bonorum, aut amiſſionis multorum bonorum, vt centum, aut etiam quinquaginta aureorum, aut ſub pœna infamiæ, aut priuationis officij publici, aut ſub pœna exilij, obligat ſub mortali; hæc enim grauis pœna videtur: *Nauar. c. 23. n. 57. 58. Reginald. l. 15. n. 50.* cum nonnullis alijs, arbitrantur legem pœnalem continen-

tem

tem pœnam, etiam amissionis omnium bonorum, aut famæ, aut vitæ non inducere obligationem sub mortali in lege humana: inducere verò obligationem sub mortali ex lege naturali, quatenus ius naturæ dictat vitam propriam tueri, nec quisquam potest vitam propriam prodigere: & hoc est satis probabile.

Est *notandum* tamen, etiam secundùm communem sententiam, legem continentem grauem pœnam non obligare sub mortali; quoties pœna in re leui imponitur tantummodò ad terrorem; quia superior non intendit nec potest obligare, sed tantummodò terrorem incutere, nec intendit talem pœnam exequi. *Salas disp.10. sect.9. n.67. Suar. c.*

8. *Lex Ecclesiastica* aliquid præcipiens aut prohibens sub graui aliqua censura vel pœna Ecclesiastica, qualis est excommunicatio maior, aut grauis suspensio, irregularitas ex delicto, realis aut verbalis depositio obligat sub mortali, & hoc valet non solùm in censura ipso iure lata, verùm etiam in ferenda, vt docet communior sententia. *Navarr. c.23.n.53. Suar. l.4. cap.18. Becan. tr.3. c.6. q.3. n.10.*

9. *Controversia* est grauis, & difficilis inter doctores, an lex humana pœnam constituens conscientiam ita adstringat, & teneat, vt eius violatio sit peccatum: Doctores in tres sententias abierunt. *Prima* in vniuersum docet nullam legem ciuilem pœnam irrogantem, ita conscientia tenere, vt eius violatio culpæ tribuatur, quamuis pœna sit grauis, & magna, vt amissionis bonorum, capitis, &c. modò aliunde non constet legislatorem velle sub mortali culpa obligare, aut modò non adsit scandalum, vel contemptus, quia legislator apponens pœnam temporalem censetur excludere æternam, nam qui vnum exprimit, & aliud tacet, censetur excludere quod tacet. *Cap. Nonne, de præsumptionibus*, huius sententiæ sunt *Reginald. l.15. n.50. Navarr. in man. c.23. n.55. & in C. Fraternitas 12. q.2. n.23. Imola in C. cum contingat de iureiurand. Felin. in c.1. de sponsal. Valent. d.7. q.3. p.6. Miranda tom.2. q.25. a.18. concl.2. Caramuel in reg. S. Bened. n.30.* quorum sententiam probabilem existimat *Valentia. Secunda opinio* distinguit. Aut lex pœnalis siue sit Ecclesiastica, siue ciuilis, est absolutè, & simpliciter pœnalis, aut mixta; si mixta sit, quæ scilicet primò aliquid fieri iubet aut prohibet, & deinde pœnam non obtemperantibus constituit, ita conscientiam tenet, vt qui contra facit, culpam contrahat; Si verò sit simpliciter pœnalis, quæ scilicet nihil præcipit aut vetat, sed solum pœnam irrogat eis, qui certum aliquid fecerit, violator talis legis nullam culpam incurrit, pœnam tamen à lege irrogatam meretur: sic senserunt *Henric. quodlib.3. q.22. Angelus v. inobedientia q.1. Alphons. Castr. l.2. de lege pœnali c.9. Becanus Malderus Vasq. apud Dianam cit. resol.20. Tertia opinio* in vniuersum ait, omnem legem humanam pœnalem, siue Ecclesiasticam, siue ciuilem, obligare sub mortali aut veniali, iuxta materiæ grauitatem aut leuitatem, nisi aliunde constet de contraria legislatoris mente; quia lex quæ continet præceptum obligat in conscientia, sed lex pœnalis continet præceptum, ergo lex pœnalis obligat in conscientia, ita *D. Thomas 1.2. q.96. art.4. Suar. l.3. cap.26. & l.5 c.2. Tolet. de 7. peccatis c.20. Clauis reg. l.3. c.9. num.5. & seq. Azor. l.5. c.6. q.3. & 4. Dian. tr. de legib. resol.17. Caspensis tr. de leg. disp.2. sect.4. num.43.* Hæc tertia opinio est probabilior, & communior: de hac materia fusè tractat Clauis regia *l.3. c.9.* Azorius citatus: primam sententiam, tanquam vulgi sententiam referunt Sotus *l.1. q.6. art.5.* & Castro *lib.1.c.8.* quia hic videtur vsus, & communis interpretatio, maximè quoad leges sæculares, de quarum transgressione non consueuit fieri scrupulus conscientiæ, vel apud doctos vel apud indoctos, nisi cùm per eas etiam lex diuina naturalis, aut reuelata aut canonica infringeretur.

10. *Leges* quæ non sunt propriè pœnales, & præceptiuæ, sed potiùs conuentionales, & conditionales, aut modales, quibus legislator aliquid permittit ea conditione, & modo, vt qui tale opus facere voluerit, vel in tali opere inuentus fuerit, tantum pecuniæ soluat, vel instrumenta aut merces amittat, in conscientia non obligant; quia legislator non intendit tales actus prohibere, sed potius illos permittit adiecto grauamine, & onere, vt illos exercens tantam pecuniæ summam soluat. *Clau. reg.l.3.c.9. n.11. Salas disp.15. num.18. Sotus l.1. q.6. art.5. Bonacin. c.p.7. §.2. num.5.*

An autem leges humanæ obligent cum periculo vitæ? Certum est illas posse aliquando obligare. Ita *Sotus de iust. l.1.q.6. art.4. Suares de leg. l.3. c.30. num.4. Caspensis c. sect.8. num.86. Becanus 1.2. tr.3. cap.6. q.4. Vasq.1.2. disp.161. c.2. Layman l.1. tract.4. cap.14. num.6. Bonacin. tom.2. d.2. qu.8. p.2. num.6. Diana p.5. tract.3. ref.19.* quia in Reipub. debet esse sufficiens potestas ad conseruandum bonum commune: sed aliquando bonum commune postulat, vt aliquis exponat se periculo vitæ: ad discernendum verò an lex humana obliget cum periculo vitæ; hæc regula sit. Quando obseruatio legis humanæ plus confert communi bono reipub. aut communitatis, aut Religionis, quàm conseruatio propriæ vitæ, tunc lex obligat cum periculo vitæ: Eodem modo quando violatio legis humanæ plus nocet bono communi, quàm amissio propriæ vitæ, tunc etiam obligat cum periculo vitæ: vnde sequitur non passim, sed rarò fieri vt lex humana obliget cum periculo vitæ: quia ratò fit vt obseruatio legis plus prosit communi bono quàm conseruatio vitæ.

Ex his colligo legem humanam obligare cum periculo vitæ *Primo*, interueniente fidei, aut Christianæ Religionis iniuria: vt si in odium, contemptumve Religionis, vel Ecclesiæ præciperet Tyrannus infringere præceptum: in quo casu quælibet lex etiam leuissima, obligat cum mortis periculo. *Secundo*, interueniente scandalo: exemplo *Eleazari*, qui mortem potiùs elegit, quàm simulare se carnes comedisse lege prohibitas, ne adolescentes scandalizarentur. *Tertiò*, Episcopus potest præcipere Parocho sibi subdito, vt assistat in oppido ad administrandum sacramenta, tempore pestis, etiam cum probabili periculo mortis ipsius Parochi. Similiter tenetur miles non deserere locum sibi determinatum à Duce; quia bonum commune victoriæ, aut salus Reipub. maius bonum est, quàm propria vita. Sed plura de his vide infra verb. *Prælatus*, *n.13.*

Hic agendum esset de pœnis, quæ transgressoribus legum pœnalium imponuntur, an delinquentes teneantur eas persoluere ante omnem iudicis sententiam, sed de his verbo *Pœna*.

11. *Lex iniusta* non obligat in conscientia, nec peccat qui legem iniustam non obseruat, præciso scandalo, & perturbatione reipublicæ: nam ratione vitandi scandali aut perturbationis, & damni communis certum est homines teneri ad obseruantiam legum, quoties eas sine culpa seruare possunt: est tamen hic *Notandum* legem multis modis posse dici iniustam. *Primò* quando repugnat legi diuinæ, & tunc certum est legem humanam non obligare, quia vitium præcipi non potest, cùm sit materia inepta præcepti affirmatiui. *Suar. de leg. l.1.c.9. Molin. de iustit. tr.5.q.73.n.1. Clau.reg.l.3.c.7.n.1.*

Secundò quando aduersatur bono communi; tamen iudicandum est legem respicere bonum commune, quoties non clarè constat oppositum, nam possessio stat pro lege, & in foro externo præsumitur *in fauorem* superiorum facultatem habentium ad condendas leges. *D.Thom. 1.2. q.96.a.4. Sylvest. v.lex q.5. Tab. q.24. Angel. n.4.*

Tertiò dicitur lex iniusta, quando transcendit, & excedit facultatem, & potestatem legislatoris, vt si præcipiatur actus merè internus. *Clauis regia citat. num.3. Sylvest. cit. quæst.5. & 9. Castro l.1. cap.5.*

Quartò quando subditis imponitur onus improportionatum causæ, vel quando subditis onus inæqualiter imponitur, non seruata debita proportione, vt si pauper sine rationabili causa æquali, aut maiori onere soluendi grauetur quàm diues. *Sotus l.1. q.6. artic.4. Suares lib.1. cap.9. num.16. Clauis reg. cit. Sylu. Castr. Tabien. cit.*

Quintò dicitur lex iniusta materialiter, quando fundatur in falsa præsumptione contra rei veritatem notam illi, contra quem fertur lex; idem dicendum de sententia; vnde qui in iudicio falsa præsumptione per sententiam conuincitur debitor alterius, & cogitur soluere, non tenetur soluere; imò facta solutione, potest vti occulta compensatione, seruatis regulis compensationis, ex quo qui obtinuit iniustam sententiam, tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ, quidquid inde fuerit consecutus. *Navarrus cap.23. num.62. Sylv. lex n.1. Azor. l.5. cap.6.qu.4. Clauis reg. cap.7. n.8.*

Aduertendum est, duplicem esse præsumptionem, *vnam periculi*, seu potentiæ, quæ vt plurimùm ad actum reuocatur; *alteram facti*: Quando lex fundatur solùm in præsumptione periculi seu potentiæ, obligatio legis non ideò cessat, quòd factum in particulari cesset, vt in professione ante legitimam ætatem, quæ irritatur à iure, non quia in casu particulari desit sufficiens iudicium, sed propter periculum defectus iudicij: quando autem lex fundatur in præsumptione facti, seu quando dicitur definitiua facti, obligatio legis cessat, si veritas facti sit in contrarium, vnde hæres qui non fecit inuentarium, non tenetur in foro conscientiæ ad soluendum creditoribus testatoris, vltra vires hæreditatis; quia lex cogens hæredem ad soluendum creditoribus vltra vires

hæredi-

hæreditatis, non confecto inuentario, fundatur in præsumptione, præsumens hæredem bona defuncti suripuisse, lex autem quæ fundatur in præsumptione non obligat, si veritas sit in oppositum. *Sanchez l.4.moral.c.15.n.37. Salas de legib. disp.10. sect 4.n.19. Suar. l.3.c.23 num.9. Bonacina c. q.1.p.7.§.3.n.8. Syluest.v. lex q.9 Syl. 1.2.q.96.a.4.q.10. Dian.p.1.tr.de leg.ref.27. & p.2.tr.5. misc. ref.56.*

12. Quæri hic etiam posset, an omnia quæ habentur in iure Canonico obligent, & habeant vim legis? Responsio est negatiua apud *Dianam p.3. tr.6. misc. ref. 26.* quia cum in corpore iuris habeantur plura desumpta ex Concilijs Prouincialibus, & alia ex Sanctis Patribus, ideò non omnia quæ in eo continentur obligant omnes, aut habent vim legis: nam solus Pontifex, & Concil. Generale ab eo approbatum, habent vim obligandi vniuersam Ecclesiam. Vide *Rodrig.to.1.qq.reg.q.6.a.2. Suar.de leg. lib.4. c.5.n.6.*

Similiter, An declarationes Eminentiss. Cardinalium habeant vim legis? Duodecim Doctores affirmant apud *Dianam* citati, non esse declarationes doctrinales sicut latas à Doctoribus, & iurisperitis, sed esse definitiuas, seu decisiuas vim legis habentes, & vt leges recipiendas, vtpote latas ex commissione Papæ, & à personis habentibus interpretandi, & respondendi facultatem à Principe.

Nihilominus contrariam sententiam, & meritò docent præstantissimi Theologi. Ratio horum est, quia vt lex obliget, necesse est vt promulgetur, sed dictæ declarationes non promulgantur, ergo non obligant: licet maximi sint ponderis, & ab ijs recedendum non sit, sine firmissimo fundamento. Ita *Bonac. de leg.disp.1.q.1.p.8.n.4. Pertelen dub.reg. v.Card.declarat. Sanch. de matr.l.8.disput.2.num.10. Dian.p.1.tract. de leg.ref.29.* & multi alij.

Proinde *Vrbanus VIII.* apud Barbosam sub die 11. *Augusti anni* 1632. decreuit, vt nulla fides illis tamquam declarationibus Cardinalium adhibeatur, nisi sint in Authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis præfecti ac secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint, alias minimè. *Barbos. in collect. Bullar. v. Congreg.2.* Verba autem Decreti sunt hæc. *Cum ad notitiam huius Sacræ Congregationis peruenerit, quamplures declarationes, decreta, seu decisiones sub nomine eiusdem Sacræ Congregationis absque illius authoritate impressas in libris, seu alijs operibus circumferri, & allegari, multasque ex declarationibus, decretis, seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, illorumque qualitates, & circumstantias, à se diuersis temporibus factas, secundùm ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan alias mentito S. Congregationis nomine confictas, nulloque proptereà authentico sigillo munitas, illasque per Tribunalia tam in vrbe, quàm per orbem circumferri, & allegari; considerans eadem Sacra Congregatio Rituum, quantum detrimenti recipi posset si aliqua fides illis adhibeatur, ex speciali S. D. N. Vrbani VIII. iussu mandat, & præcipit huiusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam, sed tantùm illis, quæ in authentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentiss. Cardinalis Prefecti ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munita fuerint. In quorum fidem hæc propria manu subscripsimus, & sigilli proprij S. Rituum Congregationis impressione communiri ac typis mandari iussimus. Datum Romæ die 11. Augusti 1632. C. Episcop. Port. Card. Pius. locus ✠ sigilli. Iul. Rospi gloss. Secr.*

De his declarationibus plura apud Lezanam *tom.3. Sum. verb. Sacra Congreg.*

13. Item decisiones etiam Rotæ Romanæ non habent vim legis. Ratio est tum quia Auditores Rotæ non habent authoritatem condendi leges; vnde neque quod per suas decisiones statuunt, potest habere vim legis: tum quia innituntur tantùm rationibus probabilibus, & non euidentibus, & non continent aliquid necessarium, sed tantùm probabile: quamuis habeant maximam authoritatem, & proinde non sit ab ipsis discedendum, nisi in contrarium obstet vrgentissima ratio: aut ob rationes magis prægnantes: aut nisi saltem adsit probabilior ratio. Vide *Suar.de leg.l.7.c.13.circa finem, Salas de legib.disput.19.sect.19. n.109. Sanch.de matr. l.8. disp.2.n.10.*

Vide *Consuetudo* n.7. *Dubium* n.2. & 3.

Lex V.

LEX V.

De causis, quibus cessat legis obligatio.

SVMMARIVM.

1. *De multis causis quibus legis obligatio cessat; & id summarie, & remissiue.*
2. *An lex antea recepta vim obligandi amittat per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per restrictionem præcedentis legis?*
3. *An legis obligatio cesset cessante causa motiua seu finali legis respectu totius communitatis.*
   Et quid iuris si causa cesset tantummodo respectu particularis personæ?
4. *In dubio an causa cessauerit in totum seu respectu totius communitatis, quid præsumendum sit?*
5. *An lex possit abrogari per non vsum seu desuetudinem.*

1. REcenseri possunt *multæ causæ*, quibus obligatio legis cessat, vt vis absoluta, impossibilitas, inaduertentia, & ignorantia, metus seu periculum grauis incommodi, Lex contraria, dispensatio, cessatio causæ finalis, & motiuæ, Epicheia, quatenus per epicheiam aliqui casus censentur excepti. Consuetudo contraria: de aliquibus his causis iam egimus suis titulis, & locis, & agemus de quibusdam v. *Peccatum*, modò autem de lege contraria, & cessatione causæ finalis.

2. *Lex* antea recepta vim obligandi amittit per legem posteriorem contrariam, seu per reuocationem, seu per restrictionem præcedentis legis, iuxta correctionis seu restrictionis qualitatem, quia posterior voluntas principis præfertur priori, etiamsi in posteriori lege nulla prioris legis mentio fiat: *si tamen* prior lex fuerit firmata iuramento assertorio de præsenti, & de futuro, vt si legislator iuret se legem non reuocaturum, tunc lex prior non reuocatur per posteriorem contrariam, nisi in ipsa fiat mentio prioris, quia non præsumitur legislatorem velle sibi laqueum inijcere derogando legi, cui sine periurio derogare nequit. *Suarez de legib. l.6. c.27. Azor. 1.p. l.5.c.16.20.& 21. Bonacin.cit. p.11.§.1. Sà v. lex n.29. Cæpensis tract.de leg.disput.6.num.11.* Similiter est dicendum quando lex prior est particulare statutum alicuius loci; nam posterior lex vniuersalis, non censetur abrogare consuetudines speciales locorum, statuta, & priuilegia. Ratio est, quia Princeps censetur ignorare consuetudines speciales; ergo non censetur eas abrogare velle, nisi earum mentionem fecerit *C.1. de consti. in 6.*

Aduertendum autem est, quod vt lex cesset per abrogationem duæ conditiones seruandæ sunt. *Prima*, vt sit causa pertinens ad bonum commune; quoniam abrogare legem vtilem Reipublicæ, absque legitima causa, esset abuti potestate, & iurisdictione, ac proinde Princeps qui sine iusta causa legem abrogat, peccat; quamuis abrogatio semel facta valida sit; quia cum obligatio legis pendeat à voluntate legislatoris, cessante eius voluntate, procul dubio cessabit lex. *Secunda* conditio est, vt abrogatio legis promulgetur; ita vt aliquo modo subditis manifestetur illius reuocatio. Ratio est, quia lex semel publicata, semper viget, & subditi illa adstringuntur, donec reuocatio illis insinuetur.

2. *Legis obligatio* cessat, cessante causa motiua, seu finali legis in totum, & respectu totius communitatis, etiamsi non adsit aliud decretum; quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur: si tamen ob plures causas motiuas seu finales lex condita sit, & vna causa cesset, manentibus cæteris, non cessat legis obligatio; sicut neque cessare videtur, si alia similis causa superueniat: deinde si causa cesset tantummodò respectu particularis personæ, seu in casu particulari, non cessat legis obligatio, quia lex non respicit simpliciter singulares personas, sed communitatem: quod intelligendum est, modò lex seu motiuum legis cesset in casu particulari solùm negatiuè, non verò si cesset contrariè: tunc autem lex seu legis motiuum contrariè cessat, quando turpe est legem seruare, seu quando materia legis facta est iniqua, seu contraria alteri præcepto magis obliganti, & tunc certum est legem non obligare, quamquam in dubio an causa legis cessauerit, præsumendum sit non cessasse: si verò subditus sciat vel probabiliter iudicet causam esse iustam, vel est probabile causam esse iustam, non peccat legem non seruando; quia licitum est sequi opinionem probabilem, & bona fides excusat a peccato. *Castro l.1. de leg. panis c.5. Conar.C.cum esset de test. num.15.*

*num.*15. *Rodriq.* 1. *p. c.*196. *Clauzeg. l.*3. *c.*1. *num.*5. *& 6. Nau. c.*23. *num.*43. *Layman l.*1. *tract.*4. *cap.*21. *num.*3. *Suar. de leg. l.*6. *cap.*8. *num.*1. *& c.*9. *n.*2. *Sa v. lex. num.*35. Tunc ratio legis tantùm negatiuè ceſſat, ſi in tota materia legis iam non inueniatur ratio, ob quam lex poſita fuit, licet ea ſublata, adhuc materia per ſe mala non ſit, nec impoſſibilis, nec inutilis, aut iniuſta.

Diana tamen cum *Nauarro*, *Henriques*, *Angelo*, & alijs citatis in ſuo tractatu de legibus *reſol.*28. hanc diſtinctionem intelligere non poteſt, nempe legem non obligare quando finis eius adæquatus ceſſat in generali, ſecus tamen in particulari: quia lex non ſolùm obligat omnes in generali, ſed ſingulos in ſpeciali, ergo ſicut deficiente ratione apud omnes manent omnes deobligati, ita deficiente apud vnum manebit vnus deobligatus. Hæc ſententia eſt contra communem. De hac iterum quæſtione, idem Diana *par.*5. *tract.*14. *reſol.*96. & *par.*7. *tract.*10. *reſol.*33. confirmans ſuam priorem ſententiam vt probabilem ex authoritate Doctiſſimi Ioannis Caramuel *in Comment. ad regulam D. Benedicti diſp.*5. *num.*50. & Machadi. Verum ne quis circa præſentem opinionem erret eximendo ſe ab obligatione legum & præceptorum obligantium ad mortale, obſeruandum eſt, quod lex ſæpe propter finem remotum præcipiat actiones alioquin de ſe etiam honeſtas, quæ ſublato ordine ad finem remotum habent ſpecialem honeſtatem, & ſunt materia virtutis: v. g. lex ieiunij habet finem compeſcentem motus turpes, & præcipit abſtinentiam: abſtinentia moderata eſt per ſe materia temperantiæ, & per ſe laudabilis, hinc ſi quis abſque periculo turpium motuum veſceretur contra legem ieiunij, adhuc peccaret; quia manet alius finis proximus, legis, nempe exercitium temperantiæ: vnde carentia periculi luxuriæ non excuſat à ieiunio. Ex exemplo allato reſolue ſimiles caſus contingentes contra præcepta Superiorum. Vide Paſqualigum *in praxi ieiun. Eccleſ. aeciſ.*32. & ſup. verb. *Ieiunium* 1. *num.*2.

4. *Ex dictis* colligere eſt, quando dubitatur vtrum cauſa ceſſauerit in totum ſeu reſpectu totius communitatis, præſumendum eſſe non ceſſaſſe; quia in dubio præſumendum eſt in fauorem poſſidentis, lex autem poſſidet, quia conſtat legem latam eſſe & dubitatur de ipſius excuſatione: ſimiliter patet legem ſimpliciter non ceſſare, niſi cauſa generaliter ceſſet: imò ſi cauſa generaliter ceſſet pro aliquo ſolùm tempore, lex non dicitur abſolutè ceſſare, ſed potiùs eo tempore ſuſpendi: item legis obligatio ceſſat, quoties non eſt ampliùs commoda & vtilis. *Salas de leg. diſp.*21. *ſect.* 10. *num.*24. *Caiet.* 2. 2. *quæſt.*120. *a.*1. *Suar. l.*6. *cap.*9. *num.*3. *& ſeq.*

5. Lex non poteſt abrogari, per non vſum ſeu deſuetudinem purè negatiuam, poteſt autem per eam, quæ inuoluit actus contrarios; Prior pars probatur: quia non eſt hic vllum ſignum mutatæ voluntatis in legislatore. Prob. poſterior pars, quia quando non vſus, implicat actum contrarium legi formaliter æquiualentem, paulatim receditur à lege, donec prorſus aboleatur. *C. Ioan. de cleric. coniug. Nau. de conſuetudine conſil.*2.

LOCATIO, ET CONDVCTIO I.

De ſubſtantialibus locationis.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit locatio?*
2. *Quid ſit conductio?*
3. *Quæ res poſſint locari, & quæ non?*
4. *An pecunia poſſit locari?*
5. *An licitum ſit conductori rem quam ipſe conduxit alteri locare?*
6. *An qui facultatem habet emendi, & vendendi poſſit contractum locationis & conductionis inire? & quibus vetitum ſit quædam conducere?*
7. *Quid faciendum quando duo vel plures habent domum vel fundum communem, & vnus vult vni locare, alter verò non vult, aut vnus vult locare ad vnum vſum, alter ad alterum?*

Vide *Conſuetudo* num.13. & ſeq. *Diſpenſatio Epicheia.*

1. LOcatio eſt *contractus quo perſona, vel res aliqua, ad vſum vel fructum pretio conceditur*, ex quo fit, vt quis non ſolùm rem ſuam, mobilem vel immobilem, ſed etiam ſeipſum, ſeruum ſuum & operam ſuam alteri locare poſſit ad vſum vel fructum: *quædam* enim locantur ſolùm ad vſum, vt ſeruus, equus, domus, & ſimilia, quorum fructus, non eſt alius quam vſus ipſorum: *quædam* ad fructum, vt agri, paſcua, iura, reditus, vectigalia: dicitur in definitione, *pretio*, id eſt, pro pecunia, ſicut enim emptio requirit pecuniam, ita etiam locatio: ad diſtinctionem precarij & commodati, in quibus non interuenit pretium, ſed gratis celebrantur. *Sylueſt. v. locatio. Filliuc. tract.*36. *cap.*1. *Leſſius lib.*2. *capit.* 24. *dub.* 1. *num* 1. & 2. *Sylu.* 2. 2. *q* 77.

2. Conductio eſt *contractus quo perſona vel res ad vſum vel fructum comparatur pretio*; ex quo fit vt conductor dicatur is, qui mercedem ſoluit pro vſu vel fructu rei acceptæ, locator verò, qui accipit mercedem pro vſu vel fructu rei tra ditæ. *Reginald. lib.*25. *num.*489. *Bonacin. de contr. d.*4. *quæſ.*7. *part.*1. *num.*2.

3. *Omnes res* quæ vendi poſſunt, poſſunt etiam locari, niſi ſpecialis extet prohibitio, quia non plus requiritur ad locandum quàm ad vendendum. *Aliquæ* tamen prohibentur locari, vt *L.*1. *§. locaſi.a, ff. locat. L. locare ff. locati, Fill. c.c.*1. *q.*6. ſeruitutes prædiales, viæ ſcilicet & ſubiectiones prædiorum, quamuis vendi poſſint. è contra aliquæ res locari poſſunt, ſed vendi prohibentur, vt res pupilli & minoris: item bona dotalia poſſunt à viro locari non verò vendi. *Res* autem Eccleſiæ ad breue tempus locari poſſunt ab ijs, qui præſunt Eccleſiæ; non verò ad longum tempus, id eſt, ad decennium, vt habet *Clementina* 1. *de rebus Eccleſ. non alien.* & in locis vbi alia *Clementina*, *Ambitioſæ*, eſt recepta, ſub grauiſſimis pœnis prohibitum eſt, ne de rebus Eccleſiæ, vt fundis, domibus, prædijs locatio fiat vltra triennium, alioquin eſt inualida locatio: vbi autem pœnæ iſtius extrauagantis *Ambitioſæ*, non ſunt receptæ, elocatio rerum Eccleſiæ poterit fieri ad nouem annos; non eſt tamen tolerabile, quod quibuſdam locis fit, vt beneficiarij prædia Eccleſiæ ad multos annos exigua penſione elocant, ea lege vt ſtatim conductor ſoluat poculum vini, vt vocant mille florenorum, fraudant enim hoc modo ſucceſſores, ſi fortè interea mori contingat, percipientes partem penſionis ſucceſſoribus debitam; vnde tenentur eorum hæredes ad reſtitutionem ex illa pecunia anticipata pro numero annorum, qui poſt mortem beneficiarij ſuperſunt. *Con. lib.* 2. *var. cap.*16. *num.*1. *Leſ. c. d.*10. *num.*67. *Rodriq.* 1. *p. cap.*18. *Sa v. conduct. num.* 14. *Nauar. c.* 27. *num.*150. *Sylu. v. alienatio quæſt.*13. *Azor.* 3. *de locatione c.*4.

4. Non ſolùm ea quæ ſunt pecunia æſtimabilia locari poſſunt, verùm etiam ipſamet pecunia, ad pompam ſcilicet, accipientis, vel ad pignus; modò pecuniæ dominium perſeueret apud locatorem, & iret ipſius periculo, ita vt ſi pereat abſque lata vel leui culpa conductoris pereat, ipſi locatori; quoties enim aliqua res perit abſque alterius culpa, domino perit. *Rebell. l.*14. *q.*4. *n.*1. *Regin. c. n.*489. *Rodriq. c. concl.*3.

5. Licitum eſt conductori rem quam ipſe conduxit alteri locare, modò aliter non ſit deductum in pactum cum primo locatore, & modò primus locator non patiatur damnum: *L. Nemo C. de locat.* hinc conductor non poteſt locare meretrici domum quam ipſe conduxit, nam hoc cederet in damnum & opprobrium primi locatoris; ſecundus verò conductor, tenetur ſoluere penſionem ſecundo locatori, cum quo iniit contractum; tamen bona ipſius quæ reperiuntur in illa domo, remanent tacitè hypothecata pro penſione ſoluenda domino domus ex *L. ſolutum. §. ſolutum. ff. de pignoraticia actione. Reginald. num.* 505. & 506. *Molina tom.*3. *tract.*2. *d.*497. *num.*7. *Fill. c. c.*1. *queſt.* 5.

6. Qui facultatem habet emendi, & vendendi, poteſt contractum locationis & conductionis inire, niſi ſpecialiter prohibeatur: excipiuntur autem aliquæ perſonæ, quibus vetitum eſt quædam conducere, quales ſunt curiales, & milites, quibus vetitum eſt prædia conducere ad colendum; curiales dicuntur, qui obſtricti & obligati ſunt curiæ. *Filliuc. c. cap.* 1. *quæſt.*3. *L. curiales C. eodem tit. L. Milites. Cod. de loc. Bonac. c. par.* 1. *num.*9. *Cap. multa ne Clerici, vel monachi.* Item clericis & monachis prohibetur conducere prædia laicorum; præciſa neceſſitate; quamuis poſſint ſuccedere conductori.

7. Quando duo vel plures habent domum vel fundum communem, & vnus vult vni locare, alter verò non vult, aut vnus vult locare ad vnum vſum, alter ad alterum, aut vnus locare vult perſonæ honeſtæ, alter inhoneſtæ, prævalet contractus illius, qui habet maius ius in re ſeu potiorem partem, vel qui vult locare perſonæ honeſtæ: quando verò non eſt potior conditio vnius quàm alterius, mittendæ ſunt ſortes, aut recurrendum eſt ad iudicem pro concordia: imò validus eſt contractus locationis rei communis factus ab vno ſocio vel à pluribus, alijs diſſentientibus, ſi diſſentiant abſque iuſta cauſa. *Fillincius ci-*

tat. capit. 1. num. 16. Gom. tom. 2. var. cap. 3. num. 14. Bonacin. tit. num. 6.

LOCATIO II.

Ad quos tranſeat locatio, quibus pereat, & ex qua culpa locator, & conductor teneantur.

SVMMARIVM.

1. *An locatio tranſeat ad heredem ſeu ſucceſſorem vniuerſalem?*
2. *An conductor teneatur ſoluere penſionem ſingulari ſucceſſori?*
   Et an vxor mortuo marito teneatur ſtare locationi facte à marito durante matrimonio?
3. *An minor vel pupillus teneatur finita tutela vel cura ſtare locationi facte à ſuo tutore vel curatore? & an concedatur iure reſtitutio in integrum ſi leſus fuerit? & an Colonus qui agrum ſeminauit poſſit expelli ab emptore, ſi dominus agrum vendiderit?*
4. *An fiſcus teneatur ſtare locationi facta per condemnatum ante patratum delictum?*
5. *An Prælatus vel beneficiarius teneatur ſtare locationi antea facta ab anteceſſore?*
6. *An res locata pereat domino, ſi caſu fortuito pergat? an conductor teneatur ad penſionem, ſi re conducta non vtatur, aut eam non colat?*
7. *An conductor teneatur de dolo, de culpa lata, de leui, leuiſſima.*
   Et de caſu fortuito?

1. CVm hæres, & ſucceſſor vniuerſalis, vicem gerat prædeceſſoris, illiuſque perſonam repræſentet, & ſuccedat in ipſius iura, & onera realia, hinc etiam locatio tranſit ad hæredem ſeu ſucceſſorem vniuerſalem, qui ſcilicet ſuccedit non ſolum in re locata, verùm etiam in alijs: *L. emptorem C. de locato*. Succeſſor verò ſingularis, qui ſcilicet ſuccedit in re particulari, & non in alijs, qualis eſt emptor, donatarius, vel legatarius, non tenetur ſtare contractui locationis celebrato ab eo, cui ſuccedit in re particulari, niſi anteceſſor in alienatione aliter expreſsè vel tacitè conuenerit; aut niſi bona locatoris ſint hypothecata conductori: & ratio eſt, quia ſingularis ſucceſſor non repræſentat perſonam locatoris, nec ipſius obligationes ſuſcipit. *Filliuc. tract. 36. c. 2. q. 1. & 2. Bonacin. de contract. d. 3. quæſ. 7. p. vlt num. 2.*

2. *Conductor* non tenetur ſoluere penſionem ſingulari ſucceſſori, niſi anteceſſor locator ceſſerit illi ius ſuum: nec tenetur conductor ſtare contractui locationis, poſtquam res tranſijt ad ſingularem ſucceſſorem, nam ei numquam ſe obligauit: *Maritus* autem, qui accepit in dotem aliquam rem locatam, quam ignorabat locatam eſſe, non tenetur ſtare locationi, cenſetur enim ſucceſſor ſingularis. *Card. Tuſchus tom. 5. concl. 418. Conarr. 2. variar. c. 15. n. 3. Molin. d. 490. L. Si filio familias ff. ſol. matrim.*

Vxor verò mortuo marito vel ſoluto matrimonio tenetur ſtare locationi factæ à marito durante matrimonio, quoad locationem bonorum paraphernalium, nam huiuſmodi locatio cenſetur facta à marito nomine vxoris, tamquam ab adminiſtratore, & procuratore: non verò tenetur ſtare locationi fundi dotalis, nam maritus cenſetur locaſſe nomine proprio, non verò nomine communi: vxor tamen tenetur ad ſeruandum maritum indemnem, ne damnum ob id patiatur. *Gom. 2. var. cap. 3. de locat. n. 8. Molin. d. 492. Conarr. c. n. 5.*

3. *Minor* vel pupillus tenetur finita tutela vel cura ſtare locationi factæ à ſuo tutore vel curatore, quia quæ tutor vel curator agit, non agit ſuo nomine, ſed nomine pupilli vel minoris, alioquin ſequerentur magna incommoda, diſſenſiones, & lites in Repub. *L. ſi tutela ff. de admin. tut. Filliuc. tit. cap. 2. quæſ. 4. Gom. 1. var. c. 15. Regin. l. 25. Molin. diſp. 492.* Minori tamen iure conceditur reſtitutio in integrum, ſi notabiliter comperierit ſe læſum: idem dicendum de locationibus factis ab adminiſtratoribus vel rectoribus collegiorum, hoſpitalium, ciuitatum, &c. *L. nihil ſpeciale ff. de legatis Sylueſt. v. locatio qu. 11. num. 11.* *Colonus* autem qui agrum ſeminauit, non poteſt expelli ab emptore, ſi dominus agrum vendiderit, quia intempeſtiuè expelleretur cum damno fructuum; par autem non eſt vt conductor damnum fructuum patiatur: imò ſi venditor accepiſſet omnes fructus, colonus poſſet agere contra venditorem.

4. *Fiſcus* tenetur ſtare locationi factæ per condemnatum ante patratum delictum, ſi ipſe ſuccedat in omnibus bonis vel in aliquota eorum parte, vt in dimidia, vel tertia, tunc enim fiſcus reputatur hæres, & ſucceſſor vniuerſalis; ſi verò fiſcus ſuccedat tantummodò in ea parte quæ confiſcatur, non tenetur ſtare locationi, quia cenſetur ſucceſſor ſingularis, & conſequenter poteſt expellere colonum. Imò fiſcus non tenetur ſtare locationi, quam delinquens celebrauit poſt patratum delictum, propter quod delinquentis bona ipſo iure publicantur, quia cùm fiſcus ante locationem acquiſierit ius, delinquens non potuit fiſco præiudicare. *Regin. l. 25. n. 543. Sanch. l. 2. moral. c. 22. n. 53. Filliuc. c. c. 2. q. 3. Mol. diſp. 491. n. 1. & 2.*

5. *Prælatus* ſucceſſor tenetur ſtare locationi antea factæ nomine ipſius Eccleſiæ de rebus non pertinentibus ad ipſum Prælatum, ſed ad ipſam Eccleſiam, tamen competit ius reſtitutionis in integrum Eccleſiæ, ſi læſa inueniatur: *Præterea* Prælatus vel beneficiarius non tenetur ſtare locationi factæ ab anteceſſore, nomine proprio in ſuam vtilitatem de rebus ſuæ dignitatis vel beneficij deputatis, ad proprios prælati vel beneficiarij reditus, & ſuſtentationem; quia ſucceſſor non dicitur hæres vniuerſalis, & locatio facta eſt à beneficiario nomine proprio, & de re, de qua non poterat pacifci, niſi pro tempore, quo ipſe retinebat beneficium: & hoc intelligi debet, modò alicubi non adſit conſuetudo legitima in contrarium; aut modò res ſit integra, & nondum inchoatus ſit annus, & conductor incepiſſet operas adhibere in re colenda, locatio non finitur pro eo anno, conſequenter locator non poteſt expellere conductores, nec conductor poteſt recedere inuito beneficiario, alioquin locatio intempeſtiuè finiretur. *Sylueſt. v. locatio q. 11. Molina diſp. 492. num. 6. Sa v. conductio num. 10. Conarr. 2. var. c. 5. Quarana v. alienat. n. 19. Riccius v. alienatio deciſ. 123.*

6. *Res locata* perit domino, ſi caſu fortuito pereat: vnde ſi ſuperueniat aliquod impedimentum ex parte rei conductæ abſq; culpa conductoris, ob quod meritò deſerat, vel ea non vtatur, aut non colat, non tenetur ad penſionem pro illo tempore; quia conductor non cenſetur promittere penſionem, niſi quatenus re illa poterit vti aut frui: ſi tamen illud impedimentum proueniat culpa conductoris, vel etiam ſine culpa, ab illa originem trahat, vt ſi ſui commodi cauſa vel damni vitandi cogatur aliò proficiſci, & rem locatam deſerere, non poteſt conductor quidquam de penſione detrahere, niſi quatenus cum domino rei conductæ conuenerit: quod ſi res alteri non erat locanda æque bene; in eo caſu non eſt ſummo iure agendum, ſed res ex æquitate tranſigenda, ita vt non tota merces ſoluatur, ſed tamen aliquid arbitrio prudentis, prout conditio rei poſtulauerit: aduerte tamen, quando conductor eu vel opera conducta non eſt vſus, ſi ea res vel opera alteri pro mercede aliqua elocata fuerit, tantumdem de pretio prioris conductionis detrahendum. *Filliucius c. c. 2. q. 8. Leſſ. l. 2. c. 24. dub. 2. Nauar. c. 17. n. 187. Conarr. l. 3. var. cap. 1.*

7. *Conductor* tenetur de dolo, de culpa lata, & de leui, non autem de leuiſſima, nec de caſu fortuito, eò quòd contractus ſit in commodum vtriuſque: conductor enim tenetur, ſi res quam conduxit ad ſuum vſum vel ad fructum ex ea capiendum, ipſius negligentia periit, vel deterior facta eſt: numquam tamen tenetur, niſi aliunde deductum ſit in pactum, ſi eam diligentiam, & circumſpectionem in re cuſtodienda, & tractanda adhibuit, quæ commoniter ab huiuſmodi conductoribus adhiberi ſolet: Locator verò tenetur conductori, ſi locet illi rem vitioſam, indeque fiat vt conductor damnum capiat; requiritur tamen in hoc caſu aliqua negligentia vel culpabilis ignorantia in conductore. Ita Doctores citati. *Filliucius, tract. 36. cap. 2. in fine. Leſſius lib. 2. capit. 24. dub. 6.*

LOCA-

LOCATIO III.

De pensione soluenda, remittenda, vel augenda, & de restituenda re conducta.

SVMMARIVM.

1. *An iure communi pensio soluenda sit in fine anni? & quando locator rei fructiferæ teneatur remittere totam pensionem, & quando partem tantum?*
2. *An locator possit pensionem augere, quando aliquo anno est extraordinaria vbertas?*
3. *Quot modis locatio finiatur?*
4. *An locator in quibusdam casibus possit rem locatam repetere nondum finito locationis tempore? & de primo, quando conductor per biennium continuum vltra terminum præfixum distulit solutionem pensionis.*
5. *De aliis causis ob quas expelli potest conductor ante tempus.*

1. IVre communi *pensio soluenda* est in fine anni, nisi aliter conuentum sit, aut probet consuetudo, & pro ea censentur obligati fructus in prædio separati, & res inductæ in prædium, animo vt ibi sint quamdiu duraverit conductio, & si extrahantur, tacitè hypothecatæ censentur: *L. soluendum §. 1. soluendum, ff. de pignoraticia act. L. ex conducto, ff. locat. Fillinc. tract.36. cap 3. q.1. Locator* autem rei fructiferæ, remittere tenetur totam pensionem quando sterilitas vel calamitas anni est tanta, vt conductor nihil ex re conducta perceperit, nisi aliter sit conuentum; vt si eluuione, vel hostium incursione, vel grandine vastentur segetes: *C. propter sterilitatem, de locato, & conducto Gom. tom.2. c.3. n.18. Con. pract. q. c.30. Fillinc. c.c.3. q.3. Si autem* calamitas vel sterilitas non sit tanta, vt nihil percipiatur, tamen reuera sit magna, facienda est remissio pensionis pro rata: quando autem censeri debet sterilitas magna, ob quam sit facienda remissio pro rata: dicendum est, illam esse magnam sterilitatem, vel quam iudicium vulgi talem definierit; vel quando res conducta non dat dimidiam partem fructuum quos dare consueuit; vel quando detracto semine, & expensarum æstimatione, non supereſt quod sufficiat saltem dimidiæ pensionis solutioni, si autem id quod supereſt, sufficiat dimidiæ pensioni tunc nulla remissio est facienda. *Gom. c. num.19. Nauar. c.17. n.190. Less. l.2. c 24. n.13.14. L. Si merces ff. locati. Item* non tenetur locator quidquam remittere si inter ipsum, & conductorem intercesserit pactum de integra pensione soluenda in quouis euentu: *similiter* non tenetur quidquam remittere pensionis, quando ipse locator est partiarius, seu quando pensio consistit in parte aliquota fructuum, vt in dimidia vel tertia, quia partiarius colonus quasi societatis iure, & damnum, & lucrum cum domino fundi partitur. *Lex Conducto ff. locat. Cap. propter sterilitatem, cit. Gom. c. Dian. tract 6. misc. resp.17. p.2. Denique* non tenetur quidquam remittere, quando præcedentium annorum fertilitas compensat præsentem sterilitatem; quòd si præcedentes anni eam non compensent, tamen si sequentes id præstent, tunc id quod remittit annis præcedentibus, potest inde repetere; compensatur autem sterilitas per fertilitatem, si anni præcedentes, & sequentes simul collati, tantum attulerint commodi colono supra consuetum modum, quantum annus sterilitatis damni.

2. Quando aliquo anno est *extraordinaria vbertas*, proueniens ex cœli clementia, vel alio fortuito, non autem dumtaxat ex coloni industria, locator potest pensionem augere; & hoc probatur à paritate rationis, quia si pensioni aliquid est detrahendum ob sterilitatem, etiam postulat æquitas, vt ob insolitam vberratem aliquid ei addatur: modò ratione istius vbertatis, non multum minuatur pretium, ita vt longè maiorem pecuniam tunc possit conductor conflare, quàm ordinariè solet, & hæc seruanda sunt secundùm ius commune, seclusis pactis in contrarium, propriis legibus, & consuetudinibus. *L. si merces §. vis maior. ff. locati. Fillinc. c. c.3. q.5. Less. c. d.3. n.21.22.*

3. *Locatio* duobus modis finitur. *Primò* lapsu termini constituti: non finitur autem locatio, sed potiùs censetur prorogata, quando locator sciens permittit conductorem retinere rem ipsam locatam. *Secundò*, finitur mutuo contrahentium consensu; nam res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur; locatio verò facta sub hac conditione vt duret donec locator voluerit, non solùm finitur locatore volente positiuè vt finiatur, verùm etiam sola ipsius locatoris morte, quia voluntas finitur morte; his duobus modis *tertius* posset addi, quando scilicet, res locata perit. *L. nec eis licet. C. locat. Molin. disp.498. num.9. Rebell. de locatione, q. 12. Gom. de locatione cap.4. n.15.*

4. *Locator* non potest rem locatam repetere, nondum finito locationis tempore; quia non potest resilire a contractu inuito conductore, qui per contractum locationis ius acquisiuit ad certum vique tempus: Doctores ex iure Cæsareo passim recensent *quatuor causas*, ob quas licitum est conductorem expellere, vel priuare conducto, & approbantur iure Canonico. *L. Aede. ff. locati. C. propter sterilitatem §. verum, de locato. Nauarrus cap.17. num.193. Sæv. conductio num.7. Fillucius tract.36. cap.3. quæs.8. Lessius lib.2. cap.24. dub.7. num.32. Prima* est, quando conductor, cui res ad quinquennium vel ad plures annos fuit locata, per biennium continuum vltra terminum præfixum distulit solutionem pensionis debitæ pro re conducta; quia frangenti fidem fides seruanda non est, sed conductor non seruat fidem soluendæ pensionis termino constituto, ergo. Imò si res locata fuit ad pauciores annos, secundùm *Nauarrum*, & multos alios, conductor videtur posse statim expelli si non soluat: quamuis *Lessio* videtur verius semper esse biennium expectandum, quando res vltra biennium est conducta.

5. *Secunda causa*, ob quam expelli potest conductor ante tempus, est casus improuisus per quem domus, quam elocasti, tibi incipit esse necessaria ad habitandum: & hæc causa tantùm locum habet in domibus causa habitandi necessarijs, non autem in prædijs rusticis, seu agris (vt si prior domus quam inhabitabas, corruat vel comburatur, vel cogaris migrare propter hostes) quia lex hoc concedens continet priuilegium quod non debet extendi. *Tertia causa* est, si domus vel alia res elocata necessariò egeat refectione vel instauratione, quæ non potest fieri inhabitante conductore; illa tamen peracta, domus est conductori restituenda. *Quarta* est, si conductor re conducta abutatur, siue damnum inferendo, siue infames personas introducendo, siue alia ratione cum scandalo vtendo. Prima, & quarta causa habent locum non solùm in ædibus, & prædijs vrbanis, sed etiam in prædijs rusticis, imò etiam in mobilibus. *L. Aede, qua, C. de locato. Bonacin. de contract. disp.3. qu.7. part.2. num.11. 12. & 13. Fillucius citat. cap.3. quæs 8. Lessius cit. dub.7. n.34. & 36. Gom. tom.2. cap.3. n.6.* Vide Catamuel *lib.2. Theolog. moral. n.697. & sequentibus.*

LOCATIO IV.

De obligationibus mutuis locatoris, & conductoris.

SVMMARIVM.

1. *An locator teneatur aperire conductori vitium rei locatæ?*
2. *An teneatur locator ad refarciendas expensas necessarias factas à conductore, in refarcienda re conducta; vel etiam vtiles, quæ duraturæ sunt vltra conductionis tempus?*
3. *An locator teneatur ad onera, & tributa imposita pro re locata?*
4. *Quæ sint obligationes locatoris, & conductoris?*

1. SIcut venditor tenetur aperire vitium rei venditæ emptori, ita etiam locator tenetur aperire conductori vitium rei locatæ: vnde ille qui locauit alteri vasa vitiosa, tenetur ad restitutionem damni, quod passus est conductor non admonitus de rei vitio, modò intercesserit culpa locatoris lata vel leuis, similiter qui equum assuetum sese in aquam dimittere alteri locauit ad merces transferendas, tenetur ad restitutionem damni, quod inde passus est conductor non admonitus de vitio equi. *Nauar.17. n.196. Sylvest. v. locatio q.18. Fillinc. tr.36. c.4. q.1. Bonacin. cit. p.2. num.1.*

2. *Locator* tenetur non solùm ad refarciendas expensas necessarias factas a conductore, in refarcienda re conducta, verùm etiam ad refarciendas expensas vtiles, quæ duraturæ sunt vltra conductionis tempus: quia qui sentit commodum, par est vt sentiat onus, sed locator sentit commodum ex melioramento, & expensis à conductore factis: ergo, &c. quod intelligendum est modò conductor illas expensas non fecerit ex præmissa conuen-

tione meliorandi rem conductam ſuis expenſis, nam conuentio legem facit inter contrahentes: *Locator* tamen qui initium odi onus adiecit conductori, tenetur aliquid conducturi de pensione detrahere, vt alia ratione gratuamen impoſitum compenſare, nec conductor voluntarie remittat: *l.1. C. Locat. Mol. tom.2. tract.2. diſputat.356. num.3. Reginald. l.25. num.508. Gomez 2. var. cap.3. num.10. Filliuc. citat. cap.4. num.63. Notandum* autem hic eſt, quòd ſi conductor aliquas fecit expenſas ad hunc vſum, & temporale commodum, quod ex re conducta temperari poſsit abſque detrimento rei, non poteſt petere expenſas à locatore, cum eas fecerit in ſui commodum, earque poſſit auferre.

3. *Locator* tenetur ad onera, & tributa impoſita pro re locata, niſi aliter conuenerit cum conductore; vel niſi aliter poſtulet loci conſuetudo; quia qui ſentit commodum, par eſt vt ſentiat onus. *Azor. 3. par. l.8. cap.8. L. quod ille 8. quicumque ff. de ea public. Rebellus l.14. q.9. Hinc patet* locatorem teneri ad taxam ten tributum, quod pro domo ſoluti conuenit, & inſuper teneri ad munienda & reficienda viam ante domum: *Alioquin* autem impoſita pro fructibus, non tenetur locator, ſed conductor, quia conductor percipit fructus, & commodum ſentit, ergo ſentire debet onus pro fructibus impoſitum.

4. *Obligationes* ergo locatoris in ſumma quinque ſunt. *Prima*, vt det rem locatam conductori ad vſum, & fructum. *Secunda*, vt vitium occultum pertaciat. *Tertia*, vt ſoluat impenſas neceſſarias. *Quarta*, vt relaxet damna ſine culpa ſecuta. *Quinta*, ne repetat rem locatam ante tempus. *Porro*, ſi quis operam locauit locauit, ſi pluribus tradita eſt, præfertur prior; ſi vni tradita eſt, is præfertur eius. De conductione famulorum v. *Famulus*.

Obligationes conductoris ſunt. *Prima*, vt ſuo tempore ſoluat pensionem ſortis. *Secunda*, vt non vtatur re locata niſi pro vſu conuentum. *Tertia*, vt reſtituat finito tempore. *Quarta*, ne deteriorabiliter aut irrecuperabiliter tempus. *Quinta*, vt reddat integram rem acceptam: de his obligationibus in particulari agunt *Filliucius tract.36. c.2. q.1. & 5. Bonacin. de contract. d.3. quæſt.7. punct.3.* citati.

LVDVS I.

Quid ſit ludus? an licitus? & quomodo reddatur vitioſus?

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit ludus?*
   Et an quilibet colluſorum poſsit reſilire à contractu ludi quoties voluerit?
2. *An ludus ex natura ſua licitus ſit?*
   Et ex quibus circumſtantijs poſsit fieri illicitus?
3. *An ratione affectus lucri, vel ex circumſtantia loci ſacri, vel temporis, vel perſonæ, ludus peccatum mortale fieri poſsit?*
4. *An ludi hiſtrionum ſint liciti? & an clerici facere poſsint ludos ſarnales?*

1. LVdus propriè accipitur pro dictis vel factis ad delectationem animi deſtinatis; hoc verò accipitur *pro contractu, quo ludentes inter ſe paciſcuntur, vt victori cedat quod vterque depoſuit*: vnde hic contractus poteſt dici pactum, vt victori certaminis, res ab vtroque expoſita tribuatur: & quilibet colluſorum poteſt reſilire à contractu ludi quoties voluerit, re integra; quando verò res non eſt integra, id eſt, quando alea vel ſors iam incepta eſt, non licet à ludo facto reſilire, antequam ſors conſummetur, niſi alter conſentiat; ratio enim contractus poſtulat, ne alter abeo reſiliat cum damno alterius contrahentis inuiti. *D. Thom. 2.2. q.168. a.2. Leſſ. l.2. c.26. n.1. Filliuc. tr.37. c.4. Azor. 3 p. l.5 c.24. dub.7.*

2. *Ludus* ex natura ſua licitus eſt, & ex ſe res indifferens: ſi tamen ob honeſtos fines appetatur, bonus & honeſtus erit: fieri autem poteſt *illicitus* ex multis circumſtantijs. *Primò*, ex affectu ad malum, vt ſi ludens paratus ſit ratione ludi facere, vel omittere aliquid, cuius actus, vel omiſſio eſt peccatum mortale: vt quando omittitur ſacrum in die feſto: quando admiſcentur facta aut dicta praua, vt blaſphemiæ, conuicia; vel quando intercedunt fraudes contra leges ludi; *leges* autem *ludi* dicuntur illæ, quæ ſeruantur in eo loco in quo ludituv, vel quando alter dolo aut vi, aut metu perterrahitur ad ludum, vel quando interuenit irreuerentia contra Deum, vel ratione periculi alicuius notabilis nocumenti; vel quando ludus exercetur cum eo, qui non poteſt pecuniam ludo exponere, vel donare, vel alienare: in his caſibus ludus eſt illicitus mortaliter, ſuppoſita rei grauitate, & magis patebit ex dicendis. *D. Thom. c. q.168. art.2. Clauis reg. l.11. c.12. num.2. Bonacin. de reſt. d.2. q.3. n.3. Filliuc. c. cap.4. q.3. Valent. tom.3. diſp.5. q.6. punct.5. dub.8. Sylu.2.2. q.168 art.3. Carm. l.2 Theol. mor. diſp.15.*

3. *Ludus* peccatum mortale non erit. *Nauarr. cap.20. n.3. Filliuc. citat. cap.4. num.55 Dian. p.7. tract.9. reſol.1. Primo*, ratione affectus lucri; intentio enim lucrandi non eſt ex ſe mala, niſi aliunde deprauetur, actus otioſus tamen erit ſi non ordinetur ad aliquem finem honeſtum. *Clauis reg. citat. num.4. Reginald. l.10. num.385. Leſſius cit. dub.1. num.5. Azor. 3. p. l.5 cap.27. q.2. Diana 4. par. tract.4. reſ.183. & par.7. tract.9. reſ.3. & 4. Portel de dub. reg. v. Ludus n.1. Secundo*, ex circumſtantia perſonæ; nam clerici, & monachi, imò etiam prælati aliquando licitè ludunt etiam talis, & chartis lutorijs ob honeſtam causam, modò abſit ſcandalum, & non violent aliquam legem obligantem ad mortale: quia prohibitio facta clericis beneficiatis, vel in ſacris conſtitutis, nec non religioſis ludendi lucri grauitate pœnæ depoſitionis, priuationis ab officio, & beneficio in Cap. *Inter dilectos, de exceſſibus prælat.* ſecundum alios Doctores, videtur per contrariam conſuetudinem tolerata; modò raro ludant, abſque ſcandalo, recreationis causa, & modicam pecuniam ludo exponant iuxta ipſorum conditiones: nam Canones non videntur recepti cum tanto ipſorum præiudicio. *Sylueſt. v. Lud. num.2. Nauar. cit. Bonacin. cit. n.14. Sylu.2.2. q.168. artic.3. Tertio*, ex circumſtantia loci ſacri, non eſt ludus peccatum mortale, niſi forte fiat cum ſcandalo, vel irreuerentia Dei, vel Eccleſiæ, aut niſi forte ſit comœdia, quam in loco ſacro fieri non decet: imò aliquando licitè exercetur ludus in Eccleſia puta ad recreandum infirmum ibi exiſtentem, &c. *Quarto*, ex circumſtantia temporis præciſè, non eſt mortale peccatum, quia ludere in die feſto per ſe loquendo, non eſt mortale, niſi alia mortalis circumſtantia ſuperaddatur; ex dictis colligi poteſt quando ludus peccatum ſit mortale, vel veniale, aut nullum.

4. *Ludi hiſtrionum* ſunt liciti, modo honeſtè fiant, ſecus, ſi turpiter, & inhoneſtè, aut cum reprehenſione turpium exerceantur: *Sa v. Ludus num.10. Clauis reg. cit. num.4. Notandum* tamen eſt clericos non poſſe facere ludos ſarnales, dedecet enim perſonam Eccleſiaſticam hoc modo repræſentare; propterea eos tamquam reos mortalis culpæ damnant. *Angelus v. Ludus num.2. Salon 2.2. q.4. de homicid. art.6. concl.2.* & certè non videntur excuſandi, niſi forte hoc raro facerent breui tempore, & abſque ſcandalo.

LVDVS II.

Quæ conditiones requirantur ad iuſtitiam ludi.

SVMMARIVM.

1. *De prima conditione ex requiſitis ad iuſtitiam ludi, quæ eſt, vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, quam in ludum deponunt.*
   Et an aliquis iſtorum qui ludere non poſſunt, lucrari poſsit ab eo qui ludere poteſt?
2. *An vxor poſsit de bonis ſibi cum viro communibus, & dotalibus ludere ſine licentia viri: & an religioſus ludere poſsit, ſine conſenſu Prælati?*
3. *An ludens aliena pecunia faciat lucrum ſuum quod ludendo acquirit? hic agitur de ludo furis, vſurary, famuli, & depoſitary.*
4. *De ſecunda conditione ad iuſtitiam ludi, ſcilicet, vt ludens non vtatur fraudibus contra leges ludi.*
5. *An qui fingit ſe ignarum alicuius ludi, in quo eſt exercitatiſſimus, vt ea ratione trahat ad ludendum alium qui verè eſt ignarus, teneatur reſtituere quidquid ab eo tali fraude decepto, lucratus fuerit?*

6. *An*

6. *An qui actionem factam ab altero colluſore acceptauit, eò quòd à tertio inſpectore chartarum vtriuſque colludentis admonitus fuerit.*
Vt eam acceptaret, teneatur ad reſtitutionem, ſi ante monitionem decreuerat non acceptare?
7. *De tertia conditione ad iuſtitiam ludi videlicet, vt alter alterum per iniuriam, verb. grat. minis, fraude, conuitijs ad ludum non pertraxerit, & an teneatur ad reſtitutionem pecuniæ ludo acquiſitæ, qui alterum ſic pertraxit?* refertur duplex ſententia.
8. *De quarta conditione ad ludum neceſſaria, vt ſit æqualis conditio ludentium, & an quis plus lucrari poſſit, quam colluſor ab eo lucrari queat?*

1. PRima conditio ex requiſitis ad iuſtitiam huius contractus eſt, vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, quam in ludum deponunt, non enim poſſunt res alienas, vel quas alienare non poſſunt periculo exponere, vel illius rei dominium in alterum transferre: vnde filiusfamilias de bonis caſtrenſibus ludere poteſt abſque conſenſu patris, non de aduentitijs, niſi pater concedat vſumfructum; qui tamen lucratur, non tenetur reſtituere, vt nec ipſe filius ea alienans. *Leſ. cit. dub.2. num.7. Filiuc. tractat.37. c.7. q.1. Bonacin. cit. q 3. p.2. num.10.* De proteſt tijs neque ludere poteſt contra iuſtam patris voluntatem, cum contentu patris licitè ludit. *Toler. l.5. c.27. Rodrig. 1. par. cap.188. Valent. tom.3. diſput 5. qu 6. punct.5. dub.8. Sot. l.4. de iuſt. q.5. art.2. Sylu.2.2. q.168. art.3. concl.1. Dian. de contract. reſ.67. p.8. Cian. reg. l.11. c.12. num.9.* Communis Doctorum opinio eſt, quòd ſi filiusfamilias vel aliquis iſtorum, qui ludere non poſſunt, lucratus fuerit ab eo, qui ludere poteſt, & colluſor potens perdere, bene potuit colludere cum eo, qui non poteſt alienare; non tenetur reſtituere quod lucratus eſt: quia ſcienti, & volenti non fit iniuria: ſi autem colluſor ignoret eum cum quo ludit, talem eſſe, cui prohibetur alienatio, verbi gratia, quod ſit filiusfamilias, aut minor, & talis perſona ſic alienare prohibita, ab altero qui perdere poteſt lucretur aliquid, ad reſtitutionem eius quod lucratus ſit, obligatur, perinde ac alter illi; quia natura contractus hoc poſtulat, vt ſemper oporteat vtrumque ex contrahentibus eſſe ligatum aut nullum, ſicut igitur maior 25. annis non poteſt aliquid à minori lucrari, ita nec minor à maiori. *Filius* tamen qui in curia aut in Academia centum ducatos quotannis expendit, ſi quatuor, aut quinque ludo diſpendat, veriſimile eſt patrem ſuum habere ratum, cum probè ſciant vix iuuenes non poſſe ſine illis diſpendijs viuere. *Nauar. c.17. n.12. Lop. p.2. c.33. q.3. Dian. tract.5. miſc. reſ.44. p.3. Sylu. c. concl.3.*

2. *Vxor* non poteſt de bonis ſibi cum viro communibus, & dotalibus ludere ſine licentia viri, niſi iuxta morem patriæ; ſaltem in notabili quantitate; de bonis verò paraphernalibus, quæ ſcilicet illi extra dotem, vel hæreditate, vel donatione, vel aliqua alia via aduenerunt, ludere poteſt. *Clauis reg. cit. num.7. Bonacin. cit. par.2. num.10. Filiuc. tractat.37. num.133. & ſeq. Sot. l.4. q.5. artic.2. Nauar. cap.10. num.12. Clauis reg. citat. num.15. & 16. Sylu. citat. artic.3. concl.3.* *Religioſus* de conſenſu prælati ludere aliquid poteſt; non ſi excedat, vel illicitus ſit ludus etiam laicis, & ſæcularibus: imò probabilis opinio eſt, quod religioſus aliquid lucre e poſſit; quantum verò, dubitatio eſt; de bonis monaſterij non poſſet, niſi quantum intra terminos adminiſtrationis poſſet prælatus in alios ſimiles contractus exponere; ſi excedat, irritus erit contractus; de alijs bonis paulò liberior eſſe poteſt prælatus in concedenda licentia. *Religioſus* verò qui degit extra monaſterium, ludere poteſt modicum quiddam, vt quatuor aut quinque in centum. *Portel de dub. reg. v. Ludus num.2.* autem exiſtimat religioſum poſſe ludere illam quantitatem, quam extra ludum licitè donare, vel alienare poteſt, iuxta ſuam regulam, & conſtitutiones. Hæc enim regula certa eſt, & generalis: parum enim intereſt, ſi potens donare, vel alienare, donet aut alienet gratis, vel per ludum ſibi aliàs licitum.

3. *Ludens* aliena pecunia non facit lucrum ſuum quod ludendo acquirit, vt accidit quando fur vel vſurarius vel famulus, vel depoſitarius pecuniam alienam ſuo nomine ludo exponit, & vincit: *Filiuc. cit. cap.6. q.1. Bonacin. cit. num.15. Dian. part.7. tract.9. reſ.19.* & lucrum acquiſitum reſtituendum eſt colluſori perdenti, ſi fur non habeat aliud quod traderet perdenti ſi perdidiſet; quia contractus ludi videtur inualidus, vtpote celebratus per dolum dantem illi cauſam; accepta autem per contractum iniuſtum, & inualidum retineri non poſſunt: quod limitandum eſt, niſi aliter conſtet de intentione colluſoris: *Molina* tamen *d.*518. & quidam alij putant, tale lucrum non eſſe reſtituendum, modò alter ſocius neſciret pecuniam alienam eſſe, quia in hoc caſu contractus ludi eſt validus, ſicut eſt valida venditio rei alienæ, quoad transferendum dominium pretij in venditorem, ergo ludens aliena pecunia facit lucrum ſuum; *An autem* fur poſſit ſibi retinere lucrum ludo acquiſitum; quando alter colludens qui pecuniam perdidit ſciebat rem quam fur ludo exponit, eſſe furto ſublatam: *Molina cit. num.2.* negat poſſe retinere, quia nihil acquiri poteſt contractu inualido. *Bonacina cit. p.2. num.17.* affirmat poſſe retinere, quia ſicut venditor rei alienæ non tenetur emptori ſcienti rem alienam eſſe, reſtituere pretium; neque tenetur de euictione; ita neque tenetur fur reſtituere pretium colluſori. *E contra* qui lucratus eſt fure vel vſurario, poteſt ſibi retinere rem ludo acquiſitam, ſi eius rei dominium ſpectabat ad vſurarium vel furem, vt accidit, quando fur ludendo vel negotiando pecunia furtiua comparauit ſibi alias pecunias vel res, iſtarum enim rerum vel pecuniarum factus eſt Dominus: Si verò dominium illius rei non ſpectabat ad furem vel vſurarium, ludens cum fure, vel vſurario, non poteſt ſibi rem ludo acquiſitam retinere, poſtquam cognouit alienam eſſe, tenetur enim ratione rei acceptæ rem domino reſtituere, aut ipſi furi vt recuperet æquale. *Reginald. l.20. n.389. Molina c. diſp.518.*

4. *Secunda conditio* ad iuſtitiam ludi eſt, vt ludens non vtatur fraudibus contra leges ludi, alioquin tenetur tum ad reſtitutionem eius, quod ſic lucratus eſt, tum etiam ad reparationem damni, quod incurrit qui alioquin lucraturus erat: poſſunt tamen excuſari aliquando qui fraudes aliquas, & aſtutias adhibent in ludendo, quas natura ludi patitur, cùm ludentes eò ipſò quo conueniunt ad ludum tacitè vel expreſsè conſentiunt in dolos, quos leges ludi admittunt; huiuſmodi enim non tam doli quàm cautelæ, & artes ludentium dicendi ſunt, & vtrique ludentium communes, & notæ, vt ſi quis videat ſocium errantem in numerandis ſignis, & non moneat, vel ſi quis aduertens ſe certò lucraturum, rogat aduerſarium velit ne deponere duplum. *Leſius cit. num.13. Filiucius tract.37. cap.6. quæſ.3. Azor. 3. part. l.5. cap.25. Valent. tom.3. d.5. quæſ. ſexta punct. quinto dub.8.*

5. *Qui* fingit *ſe ignarum* alicuius ludi, in quo eſt exercitatiſſimus, vt ea ratione trahat ad ludendum alium, qui verè eſt ignarus, tenetur reſtituere quidquid ab eo tali fraude decepto lucratur; quia cenſetur cauſa damni per fraudem: idem dicendum de illo qui ſinit vel permittit ſe vinci in primo vel ſecundo iactu, vt deinde facilius vincat. *Qui autem* ob ſuam peritiam moraliter certus erat ſe lucraturum ludendo vel ſpondendo, ſecundùm communem Doctorum ſententiam, non poteſt ſibi lucrum retinere, ſi alter ſocius ignarus erat ipſius peritiæ longe maioris, quamuis nullam etiam fraudem, & ſimulationem adhibuerit, qua induceret alium ad ludendum: quia per errorem ſiue dolum dedit cauſam contractui ludi, quem ſi alter ſciuiſſet, non celebraſſet, ſecus dicendum eſt, ſi peritiam ipſius non ignorabat, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. *Reginal. l.10. num.587. Filiucius cit. c.8. q.7. Molina diſp.517. num.4. Clauis reg. l.11. cap.12. num.18. Rodrig. 1. p. c.188. Sà v. Ludus num.8. Sylu.2.2.q.168. art.3. concl.1.* An autem qui lucratur ob maiorem ludendi dexteritatem colludenti ignoram, teneatur ad integram lucri reſtitutionem, aut ſolùm ad partem, iuxta proportionem periculi cui ſe expoſuit: quidam volunt teneri ſolùm ad partem, alij verò ad integram, vtraque ſententia probabilis eſt. Vide *Bonacinam cit. punct.2. num.6. Diana part.7. tract.9. reſolut.30.*

6. Qui auctionem factam ab altero colluſore accepetit, eò quòd à tertio inſpectore chartarum vtriuſque colludentis admonitus fuerit, vt eam acceptaret, tenetur ad reſtitutionem, ſi ante admonitionem decreuerat non acceptare, nam vtitur fraude alterius admonentis, ſicut autem qui admonuit, peccauit contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem in defectum illius quem admonuit, ita tenetur admonitus: ſi verò decreuerat ante admonitionem acceptare, ad nihil tenetur, ſi verò ante admonitionem dubius erat an acceptaret, videtur ſolùm obligandus ad partem. *Clauis regia lib.11. cap.12. num.23. Molin. diſ.517.n.3. Lopez de contract. l.2.c.22.*

7. *Tertia conditio* ad iuſtitiam ludi eſt, vt alter alterum per iniuriam, minis, fraude, conuitijs ad ludum non pertraxerit, quia ſi ille ſic pertractus perdat, alter eſt ei cauſa damni per iniu-

tum, ac proinde tenetur ad reſtitutionem. *Clauſ reg etc. 1. 1. n. 1. Tabi. 4. Rodrig. 1. 4. q. 108. concluſ. 3. dubit. 2.* Quamvis tamen quiſdam Doctores putent, quòd ſi pertrahit alterum, p. exiſt, consilio id ludere, non tenetur ad reſtitutionem pecuniæ habo acquiſitæ, ſed ſolum tenetur arbitrio prudentis ad ſatisfactionem interiùs, modò qui per minas vel conſilia, vel timorem conqueritur, potuerit aliquatenus lucrari, ſe perdere: ac proinde contractus lucri talis, nam deficiente æquali conditione ludendum: ita tuſſicula contractus, ut certe petitudines ad reſtitutionem: *de reſtitutione Doctorum eſt, quia ſi ille ſic inductus* vitiatus, potest ſe ludere tantum, quia ſolum inducitur potius ad lucrum, deber enim eſſe par utriuque conditio: hæc ſententia eſt communis apud omnes quæ eſt communis, videtur verior. *Medina dub. 3. tit. Gaet. ſas de contract. p. 2. c. 10. Bonac. de contract. d. 4. q. 4. p. 1. num. 9.* Vide Dianam *part. 7. reſtitut. q. reſol. 13.*

8. *Quarta conditio* ad ludum neceſſaria, eſt, ut ſit æquala conditio inter ludentes, quæ ſe habet ex parte ipſorum ludi: ita ut quilibet tam poſſit plura quàm cadere ab eo lucrari quæ ſit, quàm lucrari poſſit, nam quilibet poteſt ſe ludere tantum, quia quisquam aut vigeat, quia æquale eſt debet verisimile conditio, ludo. Et conſtare poteſt lucri excreſcentia, punctuatione modo 10. poterit ab illo lucrari in ſingulis manus, & vices: ſiſic ergo ſunt ſatis pares, ut vnus poſſit plus lucrari quam perdere, ut quandoquidem utilitas non conſiderantur tres ſubſtantiæ vitium, non peccatum, & cedit ſanctio; vel quando ludo exponit denarios ſuos, ſed non ſimiles, cum enim poteſt lucri quam perdere, quo eius poſit pecuniam tuam modo maiori pericolo: *Item in* diuerſis materiis ludus vitiatur, quia poteſt ſe ludere cum modo decem, & 20. ludo tuo, alia decem, ſi tamen non minimus habentis eius exponere, poteſt vnus vnicum alium ad 20. ludere decempeq; qua in his caſibus nulla reperitur æqualitas. *Vide Medinam de reſtit. mercat. Palaſ. d. 3. q. 4. §. 2. Navarr. c. 17. n. 154. Ciaurriez. l. 2. c. 12. n. 10. & 30. Sanch. l. 4. q. 1. art. 2. Bonacz. d. 4. q. 4. p. 1. Diana de reſtitutione tom. 7. p. 3. tract. 2. reſol. 8. 9. & 13.*

D V D S III.
De reſtitutione facienda acquiſitorum per ludum veritum.

S V M A R I V M.

1. *An exigitur per ludum veritum ſine dolo, fraude, &c. abſque qua adiuncta ſint ſatis potentes, ut poſſint lucrari pecuniam, quam* vitiatur ludus? *Sententia.*

2. *An qui ludit ludo non veritum attendens non ſolum, quia ſolutum reperit, ſed etiam quia lucratus eſt de ludo?*

3. *An qui ludit ludo veritum, ſed non ſciens ſolum, poſſit ſibi propria auctoritate recuperare perdutum ante cognitionem iuris ſuum?*

4. *An quando ludus petens alicuius in ludo veritus, poſſita fide ſolutionis, transferatur dominium rei ampla in translationem, ita ut poſſit ipſe ſine conſenſu ſolutoris tenentem* vitiatur ludus lentia.

1. QVidam animi Theologi vt D. *Bonauentura q. dub. 25. Palud. d. 4. q. 4. Richard. d. 16. art. 3. q. 2.* dicunt acquiſita per ludum veritum, nec ſine humana prohibitum (quale eſt ludus iuris, taxillorum, chartarum, &c. qui magis ſtimulantur in forte, de cuius, quibus in medicina) de fere tamen & diuino eſſe reſtituenda, vel paupertinis, & victus & bonum ſtatum ad ſuum ſtatum: *Alii* vidente, ſi ludum videtur ſtatum, per ludum habuit non transferitur dominium, licet per contractum ſine ſuo illi tranſtulerit, & habitum ſe *abdicent. Alii etiam ſolus. C. de reſtit. & ſumpt. fun. Tabi. l. 5. c. 27. n. 7. Laſſ. l. 2. c. 20. n. 116. 17. Ciaur. reg. l. 1. c. 12. n. 27. & 28. Aragon. 2. 2. d. 62. Navarr. c. 20. n. 19. Lugo. tom. 2. tract. 2. d. 32. diſp. 2. n. 36. & 40. c. conſ. 2.* Communis tamen, & vera ſententia affirmat, acquiſita per ludum ſine dolo, fraude, vi, aut quo res ſuas alienare poſſit: una conſentia reperit poſſe eſſentia ludus ille legis prohibitum, & damnoſum in ſua ſubſtantia ludum poſſidere, & mantinendum dominii rei non impediat, quia legis prohibitionem, & ſtatim, ſeruantur vitium ſolutionis ludi, contractuum, nec eſſicunt ludentes inhabiles ad dominium transferendum, ſed ſolum concedunt poteſtatem repellendum in ludentes, vt ſic per ſententiam ſolutionis ludi, ſeruantur, & nec ſufficit vt reperitio pœnarum ſit, aut etiam ſit in iudicio aliquatenus conſentiens, quia vidiſſe habeatur reſtituere, aut hanc enim vidiſſe non teneatur.

2. Qui ſuſt ludo veritu intendens non ſolutur, aut intendens ludum reperire, non poteſt reſtituere quæ lucratus eſt ex ludo; quia dolus dat cauſam contractus, aliter enim collutor non laderet, ſi ſolum ſolutor ludo ſolutus eſſet vt reperire ſolutum, & ideo dicitur non poteſt reſtituere, quod per decipionem obtinuit: *Sanch. l. 4. q. 1. art. 2. Laſſ. l. 2. c. 20. n. 116. Tabi. l. 5. c. 27.* Contra Dianam *part. 7. reſt. reſ. 13.* & alios, qui arbitrantur tenetur ad reſtitutionem, quia ſolutor ſolutus eſt: quia ad violentum contractus non requiritur in contrahente animus coactionis aliud quod ſit obligari: ſed ſufficit animus obligandi & ex obligatione: ſatis contrahentis ſufficit, ex eoque eſt ſolutus, licet eoque non habeat animum ſolutori perimere: ſic matrimonium eſt violentus licet contrahens condemnetur per iudicia ſponſam ducere, & alibi non reperit, ſuntne ſolutus ludo ſolutus, ſed ſolum ſolutor ſolutus eſt ludo ſolutus: *Sanch. l. 4. q. 1. art. 2. n. 3. Bonacz. l. 4. q. 1. p. 2. art. 2. diſc. 2. num. 2. Diana p. 7. reſt. reſ. 13.*

3. *Mascardus controuerſam facit* inter Doctores, an quando ludus petens alicuius in ludo veritu, præſtita fide de ſolutione, transferat dominium rei ampla in translationem, ita vt poſſit eam in conſcientia ſolutor retinere. *Sanch. in Sum. l. 1. c. 33. num. 144. Navarr. c. 20. n. 17. Laſſ. d. 20. n. 20. Bonacz. d. 4. q. 4. p. 1. num. 8. Coninck. de reſtit. q. 62. n. 8.* Quidam enim iuſte probabiliter tenent ſtando in foro exteriori ſolutorem ludo ſolutum ludo lumma veritu perdidit, non teneri in conſcientia ſolutore quod perdidit ludo veritu, ſed ſolum ſolutor ludo ſolutus, quia quod perderet: quia iure Ciuitero finitum, vt vitius non cogatur ſolutor, atque priuari eſt non cogi in foro exteriori, & licet in conſcientia ſolutor ſolutus: *Sanchez. in Sum. C. de reſtit. & ſumpt. fun. Valent. tom. 3. diſput. 6. Salmt. 20. 3. q. 11. de decimis art. 6. diſc. 3. punct. 3. n. 11. Bonacz. d. 4. q. 4. p. 1. num. 8.* quod *Alii* tamen *Doctores* non minus probabiliter affirmat, tenetur in conſcientia ſolutor reſtituere ludo ſolutum ludo lumma ſolutus, quia ex vna parte promiſſio de relicta iure naturali ſtanda, & eſt, & ex alia parte ſolutor eſt ludo ſolutus, quia quæ promiſſionem, & contractum illum irritat, & annullat, ita enim illa in Authentico ſolutus dat iure reperendi in ludo, nec vllum ſolutor ſolutus poteſt ſolutus reddi vt priorem obligationem, vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. De hac controuerſia vide Diana *p. 7. reſt. reſ. 13.*

L V X R I A.
Quid ſit luxuria, & de eius ſpeciebus.

S V M A R I V M.

1. *Quid ſit luxuria generatim, & ſtrictè ſumpta?*
2. *An luxuriæ genus ſub ſe contineat mortale, & veniale ſpecies?*
3. *Et quæ ſint eius filiæ?*
4. *Et numquisnam luxuriæ ſpecies? & quæ ſit vitio humanæ naturæ?*
5. *Et explicatur peccatum dicere contra naturam?*
6. *Et an quodlibet in materia luxuriæ peccatum poſſit eſſe contra naturam?*
7. *An mollities ſit ſpecies voluntariæ ſui peccatum mortale?*
8. *Et quibus ſpecies voluptuoſitatis ſit mortale? & an mortale, quæ animi ex aliquod peccatum ſit voluntariæ in conſcia?*

9. *An*

7. *An ſit peccatum mortale quando pollutio ſequitur ex vi naturæ, vel ex aliqua cauſa quæ habet alium effectum, vel quæ aſſumitur propter vtilitatem vel bonum finem?*
8. *An excuſari poſſit pollutio à mortali præter intentionem ſubſecuta ex tactu licito, & in eo præuiſa, ſi tactus ille neceſſarius ſit, & ceſſet periculum conſenſus?*
9. *An ſit mortale illi actui operam dare ob pollutionem in ea præuiſam, quando nec neceſſitas, nec cauſa vtilitas adeſt, nec periculum conſenſus in illam ſubeſt?* Refertur duplex ſententia.
10. *An ſit obligatio vitandi pollutionem in cauſis quæ per ſe, & proximè non ordinantur ad illam?*
Et quæ ſint illæ cauſæ per ſe turpes, & ad luxuriam directè pertinentes, & quæ non ita proximè, ſed remotè venerem excitent?
11. *An pollutio præuiſa in gula peccato mortali habeat ſpecialem pollutionis malitiam mortalem?*
12. *Quando actus habeat malitiam mortalem inter ſolutos, ſi ſit pollutionis præuiſæ, & non intentæ cauſa?*
Et an pollutio ſit mortalis quæ ſequitur ex rebus venialiter turpibus?
13. *Quidedit cauſam culpabilem pollutioni, & antequam illa ſubſequuta fuerit, pœnituit, an pollutio poſtea ſubſecuta culpa vacet?*
14. *An liceat aliquando deſiderare vt ſibi vel alteri eueniat pollutio, vel de ea ſequuta gaudere?* refertur duplex ſententia.
15. *Quando pollutio nocturna ſit peccatum, quando non?*
16. *An propter ſanitatem aliquando liceat pollutionem directè procurare?*
17. *An fas ſit cooperari ad ſeminis iamè lumbis deciſi effuſionem?*
18. *An omnes pollutiones ſint eiuſdem ſpeciei?*
19. *An mortale ſit procurare magnam commotionem ſpirituum deſeruientium generationi?*
20. *An voluntaria ſeminis emiſsio extra vas, aut is modus congrediendi ex quo illa ſequitur, inter coniugatos ſit peccatum mortale?*
Et an maritus poſſit deſiſtere à copula inchoata?
21. *Quotuplex ſit Sodomia?*
Et quæ eius pœna?
22. *An aliquando ſodomia habeat aliam malitiam, v.g. ſacrilegij, iniuſtitiæ, adulterij, &c.*
Et an explicanda ſit in confeſsione perſona cum qua perpetrata fuit?
Et an ſit differentia inter ſodomiticam copulam, & actum ſodomiticum?
23. *Quid ſit beſtialitas?*
Et an differat ſpecie pro diuerſitate belluarum cum quib. perpetratur?
24. *An coniunctio naturalis facta modo indebito ſit peccatum mortale?*
25. *Quod ſit peccatum grauiſsimum in peccatis contra naturam?*
26. *Remedia contra luxuriam.*

1. LVxuria à luxu dicitur, & generatim ſumpta ſignificat omnem exceſſum non ſolùm in re venerea, ſed etiam in veſtitu, epulis, vnctionibus, & ſimilibus delitijs: ſtrictè autem accipitur luxuria pro exceſſu in re venerea; nam luxurioſus dicitur quaſi luxatus, & ſolutus in voluptates: maximè enim animum hominis diſſoluunt voluptates venereæ. *D. Thom. 2. 2. q. 153. art. 1. Leſſ. l. 4. c. 3. dub. 5. num. 39. Syln. 2. 2. q. 153. art. 1. Laym. l. 3. tract. 4. n. 9.*

2. *Luxuria*, ex ſuo genere peccatum eſt mortiferum, & præterea vitium capitale, vt conſtat ex Apoſtolo *ad Galatas 5.* recenſente luxuriam inter ea opera carnis, quæ qui exercent, regnum Dei non conſequentur. *D. Thomas c. art. 4. & 5. Clauis reg. l. 8. cap. 1. num. 4. & ſeq.* quòd autem luxuria ſit vnum ex ſeptem vitijs capitalibus, docent *D. Gregor. l. 31. moral. cap. 31. Syln. 2. 2. q. 153. art. 5. Iſidorus apud Leſſium c. n. 44. D. Antonin. p. 2. tit. 5. c. 9. Summa corona confeſſ. p. 1. c. 1. de Luxuria. Nider in decalogum præcept. 6. c. 1. n. 7.* quia multa alia ex illo oriuntur, tum propter vehementiam delectationis venereæ, tum etiam propter connaturalitatem huiuſmodi concupiſcentiæ. Luxuriæ enim finis, cùm ſit delectatio venerea, quæ maximè appetibilis eſt ex delectationis vehementia, quæ tanta eſt, vt ſenſus abſorbeat, & rationem impediat; ideo ad eam aſſequendam, & nutriendam, multa alia peccata homo committit: & ſicut delectatio venerea eſt maxima, ita paſſio, & appetitus concupiſcibilis, circa ſuum obiectum delectabile eſt vehementiſſimus, ita vt vires ſuperiores taliter abſorbeat, id eſt intellectum, & voluntatem, vt circa ſuas operationes penitùs deordinentur. Numerantur autem communiter octo filiæ luxuriæ, nimirum *Cæcitas mentis*, ita vt luxurioſus non apprehendat bonum, & malum vt ſunt, videmus enim huiuſmodi homines, bona temporalia diſſipare, viuendo luxuriosè, & honorem paruipendere, aut multa alia ſibi inconuenientia facere: vnde in eis per luxuriam impeditur primus actus rationis, videlicet *Simplex intelligentia*, quæ aliquem finem apprehendit vt bonum.

Secunda eſt *Præcipitatio*, qua per concupiſcentiam luxuriæ impeditur ſecundus actus rationis, qui eſt *conſilium* de his, quæ propter finem agenda ſunt; nam qui amore capti ſunt, de rebus agendis ſibi conſulere non valent, vt eas dirigant ad debitum finem: hinc multoties in varia mala labuntur propter conſilij defectum.

Tertia eſt *Inconſideratio*, quia per luxuriam tertius rationis actus impeditur, ſcilicet, iudicium de agendis: qui enim hac pice maculantur, iudicium amittunt, multis periculis ſe exponentes, vt ſuam aſſequantur voluptatem.

Quarta eſt, *Inconſtantia*, quia per luxuriam impeditur quartus rationis actus, qui eſt *præceptum* de agendis, in quantum homo ex impetu concupiſcentiæ impeditur, ne exequatur id, quod ratio faciendum eſſe decreuit: nam qui in rebus venereis implicatur, taliter ab impetu bullientis libidinis impeditur, vt ſæpe retractet, quod propoſuerat: Vnde in omnibus ſuis decretis inconſtans apparet.

Quinta eſt, *Amor ſui*: nam cùm in delectatione rei venereæ concupitæ inebrietur, amat ſe inordinatè amore concupiſcentiæ, vt etiam propriam vxorem, & filios contemnat, ſibi ſoli complacendo.

Sexta eſt, *Odium Dei*, in quantum prohibet delectationem concupitam: Nollet enim leges, & præcepta hanc prohibentia inueniri, vt magis deſidiosè his vacaret.

Septima eſt, *affectus præſentis ſæculi*, quia luxuriari ſibi bonum eſſe videtur, & vt permaneat in his voluptatibus nunquam velle ſeneſcere, nec mori: & quia iam ſcit hoc non poſſe fieri, ſtatutum eſt enim homini ſemel mori, & poſt mortem ſequi noſtrarum malarum operationum iudicium, ſequitur.

Octaua, *Horror futuri ſæculi*, quia dum nimis carnalibus delectationibus detinetur, contemnit, & faſtidit ſpirituales: & quia nimia detentio, & perſeuerantia in delectationibus carnalib. per viſcum amoris, & contemplatio grauitatis peccati cum terrore inferni, faciunt amittere ſpem gratiæ futuræ, non curando, de ſpiritualibus bonis, incidit in *deſperationem*, quæ eſt Nona, & vltima filia. Ecce in quot laqueos incidunt, qui in hoc vitio habituantur. Itaque qui contemplationi addicti ſunt, & literis dediti, venerem experiri fugiant, ne talibus implicati, à ſapientia diſtrahantur: fugiant item qui iudicant, & regunt, ne iudicium peruertant: Luxuria namque vſu augetur, & fuga extinguitur.

Præter has luxuriæ filias, quæ internæ ſunt, ponuntur ab *Iſidoro* quatuor externæ, ſcilicet, *Turpiloquia*, ſiue turpes, & obſcœnu ſermones. *Scurrilitas* ea qua in iocis, & facetijs ita exceditur, vt admiſceantur laſciua ad riſum excitantia. *Ludicritas*, qua quis quaſi ludit, & oblectatur verbis ludicris, ea in carnalem delectationem ordinando. *Stultiloquium*, quo quis fatuas, & ineptas fabulas loquitur ad obſcœnitatem pertinentes.

3. Communiter à Doctoribus ex *Gratian. 36. q. 1. c. lex illa. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 1. Nauar. c. 16. n. 3. Leſſ. cit. dub. 6. num. 45. Clauis reg. cit. n. 6. Tolet. l. 5. c. 10. num. 4. Valent. tom. 3. diſp. 9. q. 3. punct. 3. Filliuc. tract. 30. c. 2. Angelus, Sylueſt. v. luxuria. Syln. cit. q. 154. artic. 1.* numerantur ſex ſpecies luxuriæ: *Fornicatio*, *Adulterium*, *Inceſtus*, *Stuprum*, *Raptus*, & *vitium contra naturam*: cuius numeri *ratio* vt intelligatur, ſciendum eſt, principalem actum venereum, ad quem reliqui referuntur, eſſe ſeminationem, in quo dupliciter poteſt committi inordinatio. *Primò*, quoad ſubſtantiam illius actus, vt cùm non fit in organo naturali, vel cum perſona legitima. *Secundò*, quoad modum vel alias circumſtantias; vt cùm inter coniuges in eo tantùm peccatur, quòd debitus modus in congreſſu, aut debita moderatio, vel congruum tempus, aut locus non ſeruetur: Luxuria generatim vtrumque inordinationem complectitur, ſed hic accipitur, & aſſignantur ei ſpecies, vt dicit inordinationem quoad ſubſtantiam actus; vnde ratio harum ſpecierum ſic accipi poteſt,

poteſt, vel enim eſt inordinatio circa actum principalem, quòd ita fiat, vt non poſsit ſequi generatio, & ſic eſt peccatum contra naturam; aut quia ita fit, vt non poſſit ſequi commoda inſtitutio, & promotio prolis vſque ad ſtatum perfectum, & ita ſimplex fornicatio, quæ eſt ſoluti cum ſoluta: aut quia fit cum perſona incongrua, idque quadrupliciter; *Primo*, quia nimium propinqua, & ita eſt inceſtus. *Secundò*, quia alteri iuncta, & ſic eſt adulterium. *Tertiò* quia ſub poteſtate parentis, & ita eſt ſtuprum. *Quartò*, quia non conſentit, & ſic eſt raptus. Sacrilegus autem concubitus refertur ad adulterium, quia perſonæ ſacræ, connubio quodam ſpirituali Deo ſunt coniunctæ: inordinatio autem quæ in tactibus, & oſculis impuris ſita eſt, & impudicitia dici ſolet, refertur ad illam ſpeciem, ad quam diſponit. Sed de his omnibus ſpeciebus in particulari ſuis locis, & titulis agitur, modò autem de vitio contra naturam. Ita Doctores citati.

4. *Peccatum* dupliciter dicitur eſſe contra naturam. *Primò* generatim, quia eſt contra dictamen rationis naturalis, & hoc modo etiam fornicatio, inceſtus, adulterium, &c. dicuntur eſſe contra naturam. *Secundò* ſtrictè, quia eſt contra ordinem, quem natura etiam in cæteris animantibus requirit, ſeu quem natura illius actus poſtulat, vt poſſit ſequi conceptus: *Natura* autem *actus veneri*, vt ex eo poſſit conceptio fieri prolis eiuſdem ſpeciei: poſtulat quinque. *Primò*, coniunctionem duorum. *Secundo*, eandem in vtroque naturam. *Tertiò*, diuerſum ſexum. *Quartò*, organa ſeu vaſa congrua. *Quintò*, debitum modum. *Hinc* fit vt quinque modis poſſit eſſe peccatum contra naturam in hac materia. *Primò*, quando ſemen emittitur, & quæritur voluptas carnalis abſque coniunctione naturali per ſui corruptionem, & hoc peccatum vocatur *mollities* vel *pollutio*. *Secundò*, ſi fiat per concubitum ad rem non eiuſdem ſpeciei, ſed alterius naturæ, vt cum bruto vel dæmone, & vocatur beſtialitas. *Tertiò*, quando non ſeruatur ſexus, vt quando maſculus congreditur cum maſculo, vel fœmina cum fœmina, & dicitur ſodomia. *Quartò*, ſi in diuerſo ſexu eiuſdem ſpeciei, ſed non in congruo vaſe vel inſtrumento, vt quando quis congreditur cum fœmina extra vas naturale, & hoc peccatum dicitur etiam ſodomia, ſed non eſt omninò propriè ſodomia. *Quintò*, ſi coniunctio quoad cætera ſit naturalis, ſed inordinatio ſit in modo, vt ſi auersè fiat, vel viro ſuccumbente, ita vt non poſſit ſequi generatio, de his omnibus modis in particulari nobis agendum eſt, in quibus reperitur peccatum contra naturam *Claus regia l.8. c.5. num.4. & 5. Bonacina de matrim. qu.4. p.10. num.1. Filliucius tract.30. c.8. Navar. c.16.n.3. Sa v. luxuria. Leſſ. l.4.c.3.dub.13. n.89. Vlu.1.2.q.71.a.2.*

4. Communis Doctorum ſententia eſt, *molliciem* ſeu pollutionem, ſi plenè voluntaria ſit, eſſe peccatum mortale: ſi autem non ſit plenè voluntaria, ſolùm veniale, vel nullum: iuxta illud Apoſtoli, 1. *ad Corinth.6. Navar. c.16. num.6.8. D. Thom.2.2. qu.154. art.5. Valent. diſput.9. qu.4. p.3. neque adulteri, neque molles regnum Dei poſſidebunt*: deinde pollutio eſt contra ordinem naturæ, & contra naturam generationis: *hinc* ſequitur pollutionem in ſemiexpergefacto non eſſe peccatum mortale, eò quòd non ſit ſufficienter voluntaria defectu pleni iudicij, & aduertentiæ. Et hoc negari abſque errore in fide non poteſt, vt conſtat etiam *Geneſ.*38. Vbi ſcriptura aſſerit, Deum occidiſſe Onam filium Iudæ, eo quòd in terram ſemen effunderet. Imò, & peccatum *Her* fuiſſe etiam pollutionis *Geneſ.*38. eſt communis ſententia: licet non animo inuido id fecerit, vt frater, ſed ne vxoris pulchritudinem læderet, ſi illa conciperet, & pareret.

6. *Pollutio* dupliciter poteſt eſſe voluntaria. *Primò* per ſe. *Secundò* in cauſa. *Per ſe* vt cùm directè eſt volita, & procurata; quia vt actus dicatur voluntarius, non ſufficit eſſe volitum, ſed etiam requiritur vt ab illa voluntate procedat; & hoc modo pollutio eſt peccatum mortale; etſi non voluptatis, ſed ſolius ſanitatis, vel tentationis mitigandæ cauſa procuretur. *Leſſ l.4.c.3. dub.14. num.95. & ſeq. Clau. reg. l.8.c.5.n.7. Tol. l.5.c.13. In cauſa*, voluntaria eſt pollutio, quando præuidetur ex aliqua cauſa ſecutura, & illam ideircò tenemur vitare, nec tamen vitamus, *Aduertendum* tamen eſt ſecundùm *Sanch. de matrim. l.9. d.45. num.4. & ſeq Graff. t.p. l.2. c.87. Navar. c.16. n.7. Sa v. luxuria. Rodrig.tom.1.Sum.c.49.num.2.Sylu.2.2.q.154.a.11.concl.1.* tria requiri vt aliquod peccatum ſit voluntarium in cauſa. *Primò*, vt aliquo modo præuiſum ſit illud ſecuturum, quod enim nullo modo eſt cognitum, non poteſt cenſeri voluntarium ſeu liberum, ac proinde nec poteſt imputari ad culpam. *Secundò*, vt cauſam propter illum effectum tenearis vitare, ſi enim cauſam vitare non teneris, iam effectus ille non poteſt tibi imputari ad culpam, vnde non cenſebitur tibi voluntarius, ſed ſolùm permiſſus maioris boni cauſa: non teneor autem cauſam vitare, quandò ipſa ſecundùm ſe eſt licita, præſertim ſi ſit conſentanea officio vel pietati, vel habeat notabilem commoditatem, vel finem honeſtum: quod intelligendum eſt, modò abſit morale periculum conſenſus, vt cum quis ſe ſatis firmum credit, vt huiuſmodi illecebra non ſit voluntas rationalis permouenda: ſi autem ſubſit morale periculum, ita vt non confidat ſe fore ſatis firmum, tenetur cauſam vitare. *Tertium* quod requiritur ad voluntarium in cauſa, eſt, vt cauſa non vitetur, ex dictis decidunturcaſus ſequentes.

7. *Qui* expertus eſt ſe pollui ex equitatione abſque conſenſus periculo, non tenetur pedeſter incedere ab illaque deſiſtere: quia eſt res vtilis, nec cauſa per ſe, & ſuapte natura pollutionis: *ſimiliter* non committitur peccatum mortale, quando pollutio ſequitur ex vi naturæ, vel quando ſequitur ex aliqua cauſa, quæ habet alium effectum vt ex ebrietate: vel ex cauſa quæ aſſumitur propter vtilitatem vel bonum finem, vt quando quis audit confeſſiones, vel ſtudet propter concionem, etiamſi præuideat inde ſecuturam pollutionem, modò abſit periculum conſenſus. *Navarr. cap.16.n.6. & 7. Sa v. luxuria n.8. Bonac. c. p.10.n.6. & 7. Leſſ. dub.14. n.98.*

Imò non tenetur Parochus deſerere officium, etiamſi expertus ſit pollutiones voluntarias procurare, ſumpta occaſione ex laſciuis auditis in confeſſione, dum ſaltem proponat firmiter vlterius huiuſmodi peccato non conſentire: cum nullus debeat officio priuari quod de ſe abſque peccato exercere poteſt? teneretur tamen confeſſiones tunc non audire confeſſarius auſcultans pœnitentes ex ſola deuotione: nam cauere ſe quis debet ab impietione conſilij, ſi periculum ſit frangendi præceptum; niſi ex defertione exercitij confitendi ſequeretur infamia confeſſarij, tunc enim periculum inuoluntarium eſſet. Vide *Lopez* 1.p. *inſtruct. c.25. §. per hoc vltra. Navar. c.3. num.26. Sanc. in ſelect. diſp.10. n.18.*

8. *Item* excuſari poteſt à mortali pollutio præter intentionem ſubſecuta ex tactu licito, & in eo præuiſa, quando tactus ille eſt neceſſarius, & ceſſat conſenſus periculum, vt ex amplexu iuxta patriæ conſuetudinem, quo euitato in notam inurbanitatis incideretur: & ex tactu quo chirurgus verenda fœminæ attrectat, vel ex eorum aſpectu, cauſa medicinæ adhibendæ: Aliqui etiam excuſant pollutionem prouenientem ex fricatione pudendorum facta ad ſedandum magnum pruritum, vel ex lotione partium pudendorum fœminæ facta ab ipſa ad purgandum fœtorem: nam iſtæ cauſæ ſunt ex natura ſua licitæ, & fiunt ex magna neceſſitate, modò non adſit periculum conſenſus. Ita *Sanch. de matrim. l.9. d.45. num.8. & 9. Filliuc. tract. 30.cap.8. Bonacin. cit. p.10. n.8. Dian. tr.5. miſc. ref.22. p.3. Reginald. l.22. num.42. Sanc. in ſelect. diſp.21. num.30.* cùm iure naturæ cuilibet ſit conceſſum medicinas applicare ad ſui curationem: quòd ſequatur vel non præter intentionem operantis pollutio, non eſt curandum: quia tunc pollutio non eſt voluntaria, ſed permiſſa, & potiùs agens patitur pollutionem, quam actiuè ad illam concurrat. At refricare pruritum, ad dolorem ingentem leniendum, neceſſarium eſt, dum non adeſt opportunitas applicandi alia medicamina.

Præterea ex dictis ſequitur accubantem ſic vel aliter, & ſententem ſe ex tali ſitu in pollutionem venire in ſomno, vel in vigilia, dum abſit periculum conſenſus, & determinatus ſit non conſentire, & experientiam non conſentiendi habeat, non teneri aliter decumbere; licet illi minimè vtilis eſſet talis modus decumbendi, ſed ſolùm ad commodiùs quieſcendum in lecto intenderetur; quia nemo conſtrictus eſt vitare cauſam per accidens influentem in pollutionem, quamuis experientiam ſit allecturus pollutionis, dum tamen abſit periculum conſenſus. Multò magis ſi talis modus decumbendi eſſet illi neceſſarius ad leniendum aliquem dolorem, vel ad dormiendum, non tenebitur quis modum accubandi variare, cùm tunc pollutio voluntaria non ſit, neque etiam interpretatiuè: nullus enim tenetur cum damno, ſenſualitatis motibus inuoluntariè ſibi obuenientibus reſiſtere: alias iugum Dei onoroſum eſſet, nec caſtitatis virtus iuſtè tunc poterit conqueri de homine, quòd motibus aduerſus illam non reſiſtat actionibus exterioribus. Ita *Claus regia l.8. c.5. ante n.13. Tolet. l.5. c.13. n.6. Curiel 1.2. q.74.art.8.dub.2. §.3. Sanc.cit. diſp.21. n.11.& 20.* Si tamen venereus motus notabilis eſſet, & adeſſet periculum in illum conſentiendi, quia patiens vacillat, conſentiat vel non, ſurgere tenetur ſub mortali à lecto vel alio ſitu: quia periculum peccandi fugere tenemur.

9. Ma-

9. *Maxima* controuerſia eſt inter Theologos, an ſit mortale illi actui operam dare ob pollutionem in ea præuiſam, quando nec neceſſitas, nec cauſæ vtilitas adeſt, nec periculum conſenſus in illum ſubeſt; in triplicem enim ſententiam Doctores abierunt: *Prima* docet eſſe mortale, quamuis cauſa alias licita ſit, quia in reliquis præceptis etiam humanis, non excuſat quæuis cauſa, ſed neceſſaria vel valde vtilis; ergo à fortiori in hoc, quod iuris naturalis eſt, & verſatur circa rem intrinsecè malam, ſic ſentiunt *Medina* 1.2. q.74.a.6. ad 3. & 4. *Valent.* 2.2. *diſp.* 9. q.3 *part.* 4. *Rodriq.* 1. *p. Sum.* c.211.n.1. *Secunda ſententia* docet, dantem operam cuicumque rei illicitæ etiam veniali, teneri ſub mortali, ab ea abſtinere, ratione pollutionis in ea præuiſæ: vt quando ex nimio cibo aut potu præuidet pollutionem ſubſequendam, qui exceſſus eſt communiter venialis; quia effectus malus in cauſa præuiſus, communicat cauſæ ſuam malitiam, cùm ergo pollutio ſit ex ſe mortalis, præuiſa in cauſa veniali reddet illam mortalem: huic ſententiæ fauent *Soto* 4.d.12. q.1. a.7. *Cordub.* l.2. q.23. *Armill.* v. *pollutio* n.1. *Tertia* denique *ſententia* docet pollutionem eſſe mortalem quoties cauſa, in qua præuidetur, eſt mortalis, & proinde tunc adeſſe actui ſpecialem malitiam ratione pollutionis præuiſæ: quia cùm illa pollutio non ſit in ſe volita, ſed in cauſa in qua præuidetur, in tantùm mala erit, in quantùm mala eſt cauſa; in tantùm enim culpa eſt, in quantùm eſt voluntaria, ſi ergo cauſa eſt lethaliter mala, talis erit pollutio, huius ſententiæ videntur eſſe *D. Thom.* 2.2.q.154. a.5. *Caiet.* 2.2. q.154. a.8. *Clau. reg.* l.8. cap.5.num.9. *Angel.* v. *pollutio. Sylueſt.* v. *pollutio in fine*, & alij multi; vnde hæc ſententia, eſt communior, & probabilior, quamuis aliæ duæ non ſint improbabiles: ob authoritatem dictorum Doctorum.

10 *Nonnulli recentiores Thomam Sanchez* ſecuti in prædicta controuerſia ſic diſtingunt: vel cauſæ in quibus pollutio præuidetur, ſunt ex luxuriæ genere per ſe turpes, & ad luxuriam directè pertinentes, vt tactus, aſpectus, amplexus, verba turpia, hæc enim proximius, & ſæpius cauſæ ſunt venereæ delectationis excitantque appetitum ad illum. *Vel cauſæ* non ſunt ex genere luxuriæ, vt nimius eſus, aut potus, equitatio. *Bonacin. de matrim.* q.4. p.10. *num.*2. *Vaſq.* 1.2. qu.74. a.8. *diſp.*115. *Sanchez de matrim.* l.9. *diſp.*45.n.14.15 & 16. *Henriq.* l.11.c.16 *num.*6. *Caiet.* v. *pollutio ad finem*. *Nauar.* c.16. *num.*6. *Suar.* 3.p. q.80. *art.*7. *Dian.* tract.1.*miſc.*ref.31.p.2.*Sylu.*2.2.q.154.a.11.*concl.*2. Hæ enim quamuis venerem excitent, at non ita proximè, ſed remotè. *Rurſus*, vel cauſæ proximæ aut notabiliter influunt in pollutionem, vt accidit quando vir aſpicit partes pudendas fœminæ, vel alium luxuriosè tangit, aut parum influunt, vt quando quis curiosè aſpicit, vel curiosè legit: quibus ſic poſitis, dicendum eſt ſecundum mentem illorum, valde tenuem eſſe obligationem vitandi pollutionem in cauſis, quæ per ſe, & proximè non ordinantur ad illam; quales ſunt quæ ad luxuriam minimè pertinent, ſed per accidens, & præter intentionem agentis, ex illis ſequitur, dummodò abſit periculum conſenſus in illius delectationem, & per illas non intendatur pollutio: vnde ſolùm reperitur culpa mortalis ratione pollutionis præuiſæ nec intentæ, quando abſque vrgenti neceſſitate exercetur actio ex ſua natura turpis, & per ſe tendens ad actus venereos excitandos pollutionemque conſummandam: quia qui vult illas illicitas, periculoſas, & ſibi notas cauſas pollutionis propriæ, conuincitur ve ſe culpabiliter ipſam pollutionem, quæ earum eſt naturalis effectus: *Aliæ* verò *cauſæ*, quæ ad luxuriam non pertinent, non ſunt verè, & mortaliter cauſæ pollutionis, ſed per accidens, & ſecundùm quid, & potius illa effuſio procedit à virtute naturali expellente. Hoc fundamento poſito ſequentes illationes ponimus.

11. *Pollutio præuiſa* in gulæ peccato etiam mortali, vt in ebrietate, vel nimia comeſtione mortali, non habet ſpecialem pollutionis malitiam mortalem, niſi ſit intenta, aut ſit probabile conſenſus periculum: & hoc verum, quamuis cauſæ non ad luxuriam pertinentes, vt nimia comeſtio, ebrietas mortalis efficerentur lethales in genere luxuriæ, ratione ſolius finis intenti ab operante, adhuc enim pollutio in illis præuiſa, & præter intentionem accidens, non eſſet mortalis, quia finis ille nil cooperatur ad pollutionem, nec deſiderium copulæ, ceſſante delectatione in ipſa cogitata, habet rationem cauſæ pollutionis: vt ſi quis calida comedat vel excedat in potu mortaliter, vt potentior ſit ad fornicandum. *Sanch.* c. n.17.18. *Vaſq. Suar.* c. *Nauar.* c.*num.*8. *Angel. Sylueſt.* v.*pollutio. Caiet.*2.2.q.154.a.5. *Dian.* tract.1.*miſc.* ref.31. p.2. *Sylu.* c. *concl.*2.

12. Nullus actus habet malitiam mortalem inter ſolutos, eò quòd ſit pollutionis præuiſæ, & non intentæ cauſa, niſi ſecluſo pollutionis periculo, eſſet mortalis contra ſextum decalogi præceptum, quia ſoli tales actus ſunt notabilis cauſa pollutionis: *hinc* infertur pollutionem non eſſe mortalem, quæ ſequitur ex rebus venialibus in genere luxuriæ, ſiue illæ ſint veniales defectu plenæ aduertentiæ, vel ex ſuo genere, ſiue ex paruitate materiæ ſi hæc dari poſsit, modò ceſſet probabile conſenſus periculum: vt ſi ex tactu leui manus, viſu, verbis, lectione, aliquantum libidinoſis, & venialiter turpibus ſequatur pollutio. Et *ratio eſt*, quia huiuſmodi cauſæ leuiter concurrunt ad pollutionem, ac proinde illa inde ſequens, non cenſetur ſufficienter volita, ita vt imputetur ad peccatum mortale. Ita *Sanch.* c.n.24. *Henriq.* l.11.c.16. n.6. *Sa v. luxur. Bonacin.* cit. q.4. punct.10. n.9. *Dian.* part.2. tract.1.*miſcel. ref.*31. *Sylu. ſecunda ſecundæ quæſ.*154. *artic.*11. *concl.*2.

Ioannes tamen *Sanch. in ſelect. diſ.*21. *n.*15. *Salas* 1.2.*to.*2. *tract.*13. *diſp.*6. *ſect* 18. *num.*118. q.74. cenſet verba impudica, cogitationem turpem, & tactus, quæ ſint crimina mortalia, etſi ſint cauſæ per ſe ordinatæ ad pollutionem, non tamen efficaciter in illam influentes eſſe, aliàs ferè numquam apponerentur, quin ſequeretur pollutio. Contrarium tamen euenire teſtatur experientia. Quapropter cùm inefficaces cauſæ ſint pollutionis, non magis influunt in eam, quàm ſi eſſent per accidens cauſæ. Si tamen cogitatio turpis coniungeretur cum magna commotione ſpirituum genitalium, efficaciter habebit influxum in pollutionem: tunc enim cùm illa commotio ſit cauſa per ſe efficaciter influens in pollutionem, & cogitatio turpis ſit cauſa illius commotionis, tenebitur homo auferre cauſam cauſæ pollutionis. Vnde cogitatio turpis ſola, tantùm eſt cauſa remotè influens in pollutionem, cauſas verò remotè influentes vitare non tenemur, ratione pollutionis; quatenus verò in ſe malæ ſunt, illas fugere ſemper obligamur. (Et concludit infrà) actus turpes de ſe non eſſe per ſe cauſas efficaciter influentes in pollutionem, ſed ratione commotionis ſpirituum genitalium. Ita ille ſubtiliter more ſuo contra *Sanchez*, & alios hic citatos. Sed an probabiliter *Diana par.*2.*tract.*2.*ref.*54. remittit iudicio aliorum: & meritò.

13. Qui dedit cauſam culpabilem pollutioni, & antequam illa ſubſequuta fuerit, pœnituit legitimè cauſæ datæ, vacat culpa pollutio poſtea ſubſequuta: quia cum cauſa ſit interciſa, iam pollutio eſt omnino inuoluntaria, & quamuis de ſe non ſit ſatis fateri cauſam pollutioni datam, non etiam fatenda ſit ipſa pollutio, tamquam verè propriè peccatum; tamen ſi quis ante ſubſecutam pollutionem confiteatur cauſam datam, probabile eſt non teneri confiteri poſtea pollutionem ſubſecutam, quia iam nullam habet malitiam, & ſatis expreſſa eſt in ſua cauſa. Ita *Henriques* l.5.c.5. *num.*5. *Rodriq. tom.*1.c.210. *Graſſius* 1.p.l.2.cap.87. n.14. *Sanch.* c. n.30.

14. *Quidam Doctores* negant ſatis probabiliter, licitum eſſe aliquando deſiderare, vt ſibi vel alteri eueniat pollutio, vel quod euenerit gaudere; quia quod licet deſiderare, fas etiam eſt procurare, vt fiat ſaltem per alios, atqui nullo modo poſſumus procurare vt fiat pollutio, quando non licet eam deſiderare. In *Sylu.*2.2.q.154.a.5. *Valent.*to.3. d.9. q.3.p.3. *Sot.*4. d.12.q.1. a.7. *Lop.*p.1. c.74.

Contraria tamen ſententia videtur verior, ad cuius intelligentiam dicendum eſt nullo modo licitum eſſe pollutionem deſiderare, aut de ea iam facta gaudere cauſa voluptatis, etiamſi ſine culpa acciderit: conſenſus enim in illam delectationem eſt peccatum mortale: ſicut nec licet illam procurare, aut aliquo modo ad illam iuuare, aut aliquid eo fine, vt eueniat, facere, nec vlla ratione poteſt quis eam ſibi deſiderare, vt ex vi illius deſiderij diſponatur aut incitetur ad illam: vnde debet hoc deſiderium eſſe omnino ineffic.x. *Clauis reg.* l.8. c.5.n.14. *Tolet.* l.5. c.13. n.4. *Vaſq.* to.2.d.115 c.3. *Nauar.* c.16. n.7. *Leſſ.* l.4.c.3. *dub.*14.n.104. & 105. *Sanch.in Sum.*l.1.c.2.n.17. Quamuis probabile ſit licitum eſſe illam deſiderare ſimplici affectu, cauſa alicuius boni effectus cum ea coniuncti, vt ſanitatis, cauſa ſedandæ tentationis, obtinendæ tranquillitatis animi, &c. quia id quod hic deſideratur, non eſt peccatum, ſed per ſe indifferens, deſideratur enim vt fiat via naturali per cauſas à natura conſtitutas, ſine omni libera cooperatione: *Ob eandem* rationem probabile eſt de illa iam facta gaudere, quia quod licitum eſt deſiderari vt fiat, licitum etiam eſt gaudere de facto: hæc enim ſunt eiuſdem moris, infrequens enim non eſt, quòd ob honeſtum finem liceat deſiderare effectum aliquem per cauſas naturales euenire, & de eueniente gaudere, quem tamen efficaciter intendere, aut procurare numquam liceret: & ideò si legitimus

Rex

Rex cum multorum ruina Rempublicam administrat, licitum est boni communis causa optare simplici affectu, vt moriatur, aut eo mortuo gaudere, etsi tamen mortem ipsi procurare non liceat. Ita *Diana tract. 5. miscel. resol. 21. & 87. p. 3. Sanc. in select. d. 21. num. 45. Tanner. t. 2. disp. 4. quæst. 8. num. 145. Fernandes p. 4. cap. 2. § 4. num. 3. De la Cruz in direct. p. 1. precept. 6. a. 8. dub. 10. concl. 2.* & alij 22. Doctores, quos citat & sequitur Sanches hic citatus.

15. *Pollutio nocturna* secundùm se, & in se, sicut voluntaria non est, ita neque peccatum erit *D. Thom. 2. 2. quæst. 154. a. 5. Toletus l. 5. cap. 13. Nau. cap. 16. num. 8. & v. luxuria num. 9. Sylvest 2. 2. quæst. 154. art. 5. cap. 1. 2. 3. & 4. Claus reg. l. 8. cap. 5. num. 11. & seq.* potest autem in somnijs pollutio *tripliciter* accidere. *Primo*, ita vt tota sit in somnijs. *Secundo*, quando inchoatur in somnijs, & consummatur in vigilia. *Tertio*, quando emissio seminis partim fit in somno, partim in vigilia. *Similiter* solent tres causæ pollutionis nocturnæ assignari; *vna* est corporalis, scilicet superabundantia humoris seminalis in corpore, causata ex nimia corporis calefactione, aut ex alia quacumque commotione. *Altera causa* est naturalis, interior scilic. t, cum ex cogitatione præcedenti contingit aliquem dormientem pollui. *Tertia causa* est spiritualis, & extrinseca, cùm scilicet ex operatione dæmonis commouentur phantasmata dormientis ad talem actum prouocantia. His politis, *dicendum* est.

Vt pollutio nocturna sit peccatum mortale ex causa antecedente, requiritur vt causa sit apposita tempore vigiliæ ex intentione ad hunc finem, vel deliberatè quis in eam consentiat, de eaque delectetur ob delectationem veneream inde secutam: aliàs ipsa pollutio excusatur à mortali, imò & aliquando à veniali; si ex sola dæmonis malignitate & malitia contingat. *Fill. tract. 30. n. 148. S. Antonin. p. 2. tit. 6. cap. 5.* Proinde bene aduertit *Sanctius in selectis disp. 21. num. 13. & 17. Vasq. 1. 2. tom. 1. disp. 115.* nullam dari causam intra genus luxuriæ, quæ efficax sit ad pollutionem secutam in somnis. Nam si eam præcens est causa, influxum efficacem non habet, minus multò illum habebit, dum abiens reperitur. Quapropter opus non erit fateri pollutionem prauitatem in omni causa, quæ sit peccatum mortale intra genus luxuriæ, nisi quando causa fuisset apposita ea intentione, quòd videlicet sequeretur in somnis pollutio. Hæc ille: qui etiam putat satis esse confiteri causam pollutionis, & non esse necessarium ipsam pollutionem in somnis habitam explicare. Licet contrarium doceat *Sanch. de matr. l. 9. d. 45. num. 30.* alterius non esse satis causam pollutionis dare non fateri, sed eam fatendam esse ipsam pollutionem.

16. Propter tam fatalem nunquam licet directè pollutionem procurare, nec medicus potest præbere medicinam, quæ nihil aliud operetur, quam excitare naturam ad pollutionem, quia hoc est contra naturam generationis, quod prohibetur in *Cap. cum infirmitas, de pœnit. & remiss.* per hæc verba. *Cæterum cum anima sit pretiosior corpore est ab interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute alicui ægroto suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.* Vbi Doctores vniuersi textum intelligunt de crimine pollutionis: Licitum tamen esset sumere medicinam reboluentem semen in sanguinem, vel in alium humorem: imò licitum est fœminæ, quæ propter semen corruptum patitur accidentia venenosa conari fricando vel adhibendo medicamenta ad expellendum semen corruptum, quod est noxium sanitati, etiamsi inde sequatur aliqua veri seminis emissio; nam illa emissio sequitur per accidens ad expulsionem seminis corrupti: verum vt hoc liceat, debet abesse periculum consensus in delectationem, vel in pollutionem, & constare semen illud esse corruptum: nam si tantummodò dubitetur sine probabili opinione, an sit corruptum, non licet conari ad illud expellendum, quia præsumendum est in fauorem seminis, quod sit aptum ad generationem. *Sa v. luxuria num. 11. Sanch. de matr. l. 9. d. 17. num. 15. Bonac. de matr. quæst. 4. p. 10. num. 12. Sanctius in selectis disp. 21. num. 29. 30. Diana p. 2. tr. 2. miscel. resol. 54.* Hanc tamen sententiam non admittit *Rebellus p. 2. de obl. iustit. l. 3. q. 19. sect. 3. in fine*, quia sic admitti videretur pollutio tanquam licita ex causa salutis. Nec valet dicere, quòd similiter fas sit membrum abscindere, cuius dominium non habemus, propter conseruationem totius corporis, quia abscissio licita est, quando aliud remedium non restat: at pro medicando semine corrupto plura suppetunt remedia, quæ peti possunt, tum ab arte medicinæ ad corrigendos prauos humores, ex quibus fit seminis corruptio; tum à nuptijs contrahendis, & ab alijs cautis. Alioquin leprosis, qui semen corruptum habent, & alijs similibus licitæ forent pollutiones; quod nemo hucusque dixit. Vnde qualiscumque seminis effusio ex intentione extra legitimum vas intrinsecè mala est, & mortifera censeri debet; non sunt autem facienda mala, vt eueniant bona.

17. Non licet cooperari ad seminis iam è lumbis decisi effusionem, quamuis retentio saluti corporis graue detrimentum allatura sit; quia verè est seminis administratio, & fluxus illius procuratio, & non solùm pati; vbi tamen est in naturali fluxu pollutio, in somnijsque cœpit, illam non impedire ob morbi periculum, cessante periculo contentus in delectationem, licet: quia non est procurare sed pati emissionem seminis, quæ non impeditur à patiente, ne corruptus ille humor noceat, etiam dicendum est, vbi pollutio cœpit culpa patientis, si enim in ipso fluxu præteritæ culpæ eum pœniteat, non tenetur fluxum reprimere, quia iam pœnitentia interrupit actionem præcedentem: nunc autem solùm patitur. *Sa v. luxuria vers. ceptam in somno. Vega t. 2. Sum. cap. 67. casu 1. Diana tract. 5. miscel. resol. 21. p. 3. Fagundes pr. 3. l. 3. cap. 6. num. 11. Cordub. l. 1. quæst. 23. Sanch. de matrim. l. 9. d. 17. num 16.*

18. Pollutio siue fit per contrectationem membri absque seminatione, vt in impubere, siue per solam cogitationem intensam rerum venerearum ex proposito, siue per externam procurationem, semper est eiusdem speciei, quoniam hæc omnia materialiter vel per accidens se habent ad voluntariam pollutionem absque concubitu quocumque: quando autem cum alterius opera contingit, peccatum est grauius propter participationem in alterius peccato, non tamen ob id fiat alterius speciei, nisi copula sodomitica accedat, aut fornicaria, per accidens tamen possunt esse pollutiones diuersæ speciei, ratione circumstantiæ adiunctæ habentis diuersam speciem malitiam. Si enim homo desiderio, imaginatione ac morosa delectatione, interim dum se polluit, cum altera persona coire voluntate efficaci vellet, verè erit peccatum illius speciei, cuius esset si verè coiret cum illa persona, quam affectat, v.g. si affectat coniugatam, erit adulterium; si virginem, stuprum; si hominem sodomia, & hæc circumstantia in confessione explicanda erit. *Fill. tract. 30. cap. 8. quæst. 7. Cajet. 2. 2. quæst. 154. a. 11. dub. 2. Navarr. cap. 16. num. 6. Azor. 3. p. l. 3. cap. 23. Tolet. l. 5. cap. 13. Bonac. c. num. 15. Clav. reg. c. cap. 5. num. 7. Dian. p. 7. tr. 12. res. 15.* quibus adde Caramuel *in reg. D. Bened. num. 983.*

19. Procurare magnam commotionem spirituum ordinatorum ad pollutionem, vel ad magnam distillationem per media aliàs etiam licita, peccatum est mortale: quia talis alteratio, & commotio est inchoata quædam pollutio; & ad pollutionis consummationem essentialiter ordinatur: secus vbi leuis quædam distillatio, & spirituum commotio procuraretur, excusaretur enim à mortali id procurans, ratione paruitatis materiæ, cessante omninò pollutionis periculo. *Sanch. c. num. 17. Bonac. c. quæst. 4. punct. 10. num. 13.*

Sed quoad praxim dubium est, quandonam cognoscatur delectationem veneream seu commotionem esse modicam vel notabilem? *Sanch. de matr. l. 9. disp. 46. num. 9.* modicam videtur appellare illam: quæ secum non trahit periculum pollutionis, aut consensus in copulam carnalem. E contrario notabilis erit, quæ comes habuerit periculum pollutionis vel copulæ. Hæc tamen ratio etsi frequenter vera sit, & admittenda in pluribus casibus, non tamen in omnibus, vt docet *Ioannes Sanctius in select. disp. 21. n. 22.* nam in senibus, ægris vel conualescentibus, aut in defessis ex pluribus coitibus periculum pollutionis, vel copulæ deficit, non tamen notabilis delectatio venerea. Rationem ergo vniuersalem ad ferendum iudicium de grauitate vel leuitate delectationis affert ipse *Sanctius*, ab experimento illam sentientis esse desumendam. Si enim delectationem ferè turbantem rationem sentiat homo, ad aliaque cogitanda præter carnalia non permittentem, notabilis, & grauis iudicabitur; quæ circumstantiæ si deficiant, leuis & modica reputari debebit. Nisi fortè quis dixerit, numquam euenire delectationem veneream mentem turbare, nisi adsit pollutionis periculum. Quod si verum sit, reincidit hæc, cum sententia *Thomæ Sanchez*. De his plura verb. *Peccatum 1. n. 7. vers. An autem.*

20. Inter coniugatos voluntaria seminis emissio extra vas, aut is modus congrediendi ex quo illa sequatur, est manifestum scelus mortale contra naturam Ita *Sanch. de matr. l. 9. d. 17. num. 12. Cajet. 2. 2. quæst. 154. a. 11. Henriq. l. 11. cap. 16. num. 7. Bonac. c. num. 16.* quia aduersatur fini generationis naturali, ad quam natura ipsa semen destinauit; vnde maritus non potest absque peccato mortali desistere contra voluntatem vxoris ab inchoata copula, quia faceret iniuriam vxori, quæ habet ius petendi com-

completam copulam: de consensu tamen ipsius vxoris non peccat maritus, retrahendo se à seminando, modò ipsa vxor non seminauerit, & non sit periculum pollutionis extra copulam in vtroque vel saltem in altero coniuge. Imò potest ipse maritus ex consensu vxoris ob morbi periculum, se retrahere ab inchoata copula, licet ex hoc aliquando sequatur pollutio: quia non est peccatum dare operam rei licitæ, & actioni honestæ, quamuis præuideatur sequutura pollutio, dummodo absit periculum consensus: quia tunc pollutio non est in se volita, vt supponitur, neque dici potest volita in causa, quia non tenetur maritus illam actionem omittere, ne sequatur pollutio, stante iusta causa. Ita Præpositus 1.2.q.74. *art.*10.*dub.*1. Aduertit autem Diana *par.*6.*tr.*6.*ref.*37. non debere causam esse necessariam, aut valde vrgentem ad excusandas pollutiones etiam à veniali, nam si requireretur causa valde vrgens vel necessaria, cùm sint innumeræ actiones alioquin licitæ, ex quibus solent prouenire pollutiones, daretur locus perpetuis scrupulis, & nimijs anxietatibus, quod grauissimum foret. Si autem vxor iam seminauit, maritus non potest absque peccato mortali desistere à copula, quando ipse non seminauit; quia si maritus desisteret, prodigeretur semen fœminæ, & fieret contra finem generationis: non esset tamen peccatum mortale, si fœmina ipsa se retraheret, vel conaretur non seminare, postquam maritus seminauit; quia iuxta communiorem sententiam, semen fœminæ non est necessarium ad generationem, & ideò vxor se retrahens nulli facit grauem iniuriam, nec facit contra finem generationis in re graui. *Sanch. c. d.*19. *num.*4. *Graff.* 1. *p. l.*2. *c.*82. *Sà v. debit. coniugale. Notandum* tamen ex causa vrgentissima posse maritum relinquere imperfectam copulam etiamsi fœmina seminauerit, vt si graue periculum vitæ superueniat perficiendo, vel ita exigat naturalis honestas alijs superuenientibus. *Sanch. d.*19. *n.*6. *Bonac. c.n.*16. Aliter dicendum est de fornicante, hic enim potest, & tenetur desistere ab inchoata copula, etiamsi fœmina renuat, & etiam seminauerit, aut sit periculum emissionis seminis, aut alterius peccati in muliere: item debet fœmina fornicans se retrahere antequam vir seminet etiamsi ipsa seminarit; quia quilibet tenetur se retrahere à peccato. Vt dictum est supra v. *Fornicatio* n.4. *Sanch. c. n.*7. *Bonac. c. n.*17.

21. *Sodomia* duplex est, *quædam* imperfectior, qua seruato debito sexu, non seruatur debitum vas: est mortale peccatum, sed per eam non incurruntur pœnæ Ciuili vel Canonico iure constitutæ contra Sodomiam; & ideò peccatum est distinctæ speciei: *Sodomia* verò propriè accepta est, qua ex affectu ad indebitum sexum vir concumbit cum viro, vel fœmina cum fœmina, & hoc peccatum turpissimum, & grauissimum est, iræ diuinæ prouocatiuum, vt patet ex Scripturis *Genes.*19. *ad Roman.*1. & propter hoc vitium Deus immittit bella, famem, pestes, terræ motus, & similia. *Filliucius*, *tr.*30. *c.*8. *qu.*9. & 10. *Azor.* 3.*p. l.*3. *quæs.*18. *c.*18. *Cajet.*2.2. *q.*154. *a.*2.

An autem in casum reseruatum Sodomiæ incidat fœmina cum fœmina congrediens si effusio seminis intra vas naturale sequatur? Negatiuè respondet Diana *par.*7. *tr.*12. *ref.*13. quia licet actus iste ad Sodomiam reducatur, cùm sit inter personas eiusdem sexus: tamen non est verè, & propriè Sodomia: quia licet non seruetur sexus, seruatur tamen vas: Si autem casus dari posset, vt intra vas præposterum alterius, fœmina semen emitteret, tunc ligaretur hac reseruatione: quia tunc peccaretur contra vas debitum, & contra sexum.

Rei huius nefandi criminis iure Ciuili sunt infames, & legibus municipalibus comburi solent. *L. Cum vir, C. de adu. Cap. Clerici, de excess. prel. Clau. reg. l.*8. *c.*5. *n.*16. Iure canonico antiquo, clericus conuictus de hoc vitio detrudebatur in monasterium. Iure autem nouo per Constit. *Pij V.* quæ incipit *Horrendum illud scelus*, clericus exercens sodomiam omni priuilegio clericali, officio, beneficio, & dignitate priuatus degradatur, & brachio sæculari traditur. Non incurreret autem has pœnas clericus si solum bis vel ter hoc detestabile crimen admisit: quia non dicitur talis sodomiam exercere, & ideò exercentes dicuntur, qui aliquid frequenti vsu, & quasi ex consuetudine faciunt. *Nauar. c.*27. *n.*249. *Suar. de cens. disp.*31. *sect.*4. *n.*22.

Præterea ad incurrendas has pœnas necessarium est, vt peccatum sit in sua specie consummatum, non enim sufficit quælibet pollutio vel immunditia cum aliquo, nisi intercedat coitus intra vas ordinarium illius delicti, & seminatio; quia lex puniens delictum requirit vt delictum sit consummatum. *Rodriq. 1. p. c.*209. *Filliuc. c. Nauar. c. Diana tr.*3. *misc. ref.*63.65. *part.*2. *Sanch. in Sum. l.*2. *c.*22. *num.*20. *Gom.*3. *var. c.*vlt. *n.*3. *Dian. c. ref.*67. Non tenetur tamen clericus in foro conscientiæ cedere beneficio, officio, & dignitati, aut restituere fructus ante sententiam iudicis, quia hæc est lex pœnalis ad cuius executionem requiritur actio iudicis, & hoc modo videtur recepta bulla supradicta *Pij V.* Hinc secundùm probabilem. *Nauarri, Rodriq.* & aliorum sententiam, sodomita, quamdiu delictum est occultum, non incurrit suspensionem vel irregularitatem, quia suspensio, & irregularitas non incurruntur nisi in casibus iure expressis. *Nauar. c.n.*249. *Rodriq. 1. p. c.*219. *Diana p.*2. *tract.*3. *misc. ref.*68. *Henriq. l.*14. *c.*5. *n.*1.

An autem copula sodomitica cum fœmina comprehendatur sub casu reseruato sodomiæ? dic quòd non, secundùm Dianam *p.*2. *tr.*1. *misc. resol.*29. Ratio est, quia in Sodomia propriè peccatur non solùm contra vas, sed etiam contra sexum: masculus autem præposterè cognoscens fœminam, licet non seruet vas, seruat tamen sexum, ergo.

Sed quæres, an impuberes incidant in casum reseruatum Sodomiæ, aliqui affirmant: tum quia Episcopi absolutè loquuntur, ergo reseruatio absolutè est intelligenda. Tum quia impuberes obligantur ceteris legibus, & censuris, & si possunt peccare mortaliter, consequenter reseruatione ligari possunt. Verius tamen est impuberes ligari quidem reseruationibus adnexis ijs peccatis, quæ non sunt carnalia, qualia sunt homicidium, blasphemia, &c. ijs verò, quæ sunt adnexæ peccatis carnalibus, non ligari, cùm regulariter loquendo non compleant. Tum quia peccata carnalia, quæ genitalibus fiunt non tribuuntur impuberibus ex *Cap.*1. *de delict. pueror.* & hoc procedit etiam quando impubes patitur à pubere, qui licet ligetur casibus, non tamen impubes: quia ex eo quod miscetur cum pubere non amittit impubertatem, ratione cuius eximitur à reseruatione: Vide Dianam *p.*7. *tr.*12. *ref.*13.

An autem hæc bulla *Pij V.* contra clericos sodomitas, obliget in foro conscientiæ, & sit vsu recepta? affirmat Nauarrus *in Manuali cap.*27. *n.*249. Contrarium docent *Graffius*, *Bellochius*, *Aula*, *Henriques*, *Quaranta*, *Filliucius* apud Dianam *tract.*3. *misc. resol.*61. *p.*2. vbi probant supradictam Extrauagantem tantùm pertinere ad forum exterius, & non esse in foro conscientiæ vsu receptam.

22. *Sodomia* aliquando habet aliam malitiam, vt sacrilegij, quando committitur cum Religioso, sacerdote, aut habente votum castitatis; aut malitiam iniustitiæ, quando fit cum violentia contra alium, aut adulterij, quando fit cum coniugato; aut contra pietatem, & reuerentiam debitam cognatis, quando perpetratur cum masculo cognato intra primum vel secundum gradum, vnde in confessione explicanda est persona cum qua sodomia perpetrata fuit. *Clauis reg. c. n.*20. *Less. l.*4. *c.*3. *n.*90. *Bonac. c. p.*11. *n.*7. *Azor.*3. *p. l.*3. *c.*18. *q.*5. Secundùm probabiliorem sententiam *Sylnius* 2.2. *q.*154. *art.*12. *Azorij*, & aliorum. Sed in sententia illorum qui tenent circumstantias aggrauantes intra eandem speciem, non esse in confessione aperiendas, posset aliquis probabiliter in tali casu se accusare de actu sodomitico tantùm con consanguineo vel affine, sine explicatione gradus primi, & secundi cum quibus habita fuit copula: quia secundùm illos incestus non differunt specie. Ita *Diana p.*3. *tract.*4. *ref.*101. & alij apud ipsum.

Imò vir coniugatus, iuxta *Sanches de matrim. d.*17. *l.*9. *n.*5. qui præpostero actu incipit cognoscere suam vxorem, sed actum perficit, & seminat in vase naturali peccat mortaliter contra *Nauarrum lib.*5. *consil. de pœnit. consil.*7. *Angelus v. debit. n.*25. quia vtitur vase indebito, & illegitimo à quo natura ipsa abhorret. Tum quia ille actus nec ex se, nec ex tangentis intentione potest ad actum coniugalem referri: eo quod medium improportionatum, & alterius ordinis luxuriæ sit. Sicut esset mortale distinctę speciei inter solutos habere animum intra vas debitum consummandi, vacando prædicto actui. Si dicas, quod, quidquid coniuges efficiunt seruato vase legitimo, non excedit veniale crimen? & vas seruari dicitur, quoties extra illud non effunditur semen? Resp. non dici vas legitimum seruari, quando vsurpatur illegitimum, ad alterius luxuriæ ordinem tendens, licet intra illud non consummetur. *Porrò* differunt sodomitica copula, & actus sodomiticus: *copula* namque *sodomitica* fit masculino coitu iaculando semen intra pudenda posteriora. *Actus* verò *sodomiticus* est am fit polluendo seipsum cum secunda persona, quæ non solùm inter virò, sed etiam inter fœminas esse potest. *Benedictus in sum. l.*2. *c.*8. §.1. *num.*4. *Clauis reg. citat. num.*16.

Plura de hoc vitio tradit *Ignatius Lopez* in pract. Crimin.

Canon

pœnis contra magos iure ciuili aut canonico impositis, plura apud *Suar. de relig. tom. 1. l. 2. cap. 19. Reginald. l. 17. num. 191. Azor. tom. 1. l. 9. c. 26. q. 3.*

Vide *Superstitio* num. 5.

MALEFICIVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit maleficium & quotuplex?*
2. *Ad quot genera reuocentur omnia maleficia?*
3. *Quæ sint remedia maleficij?*
   Cur Deus sinat nos affligi à maleficis?
   An malefici etiam bonis nocere possint?
   Cur diabolus noceat hominibus potius per homines quàm per seipsum?
   Quare suadeat Dæmon abuti rebus sacris?
4. *An aliquando licitum sit maleficorum & diuinatorum aliàs paratorum opera uti?*
5. *An petere liceat vt maleficus aut alius vno maleficio dissoluat aliud?*
6. *Quomodo maleficus possit cognosci?*
7. *Quæ inquirenda sint à confessario in audiendis confessionibus maleficorum vel maleficarum.*

1. MAleficium est *ars ac potestas nocendi alijs ex pacto expresso vel tacito cum dæmone: duplex* est, *amatorium* scilicet ad excitandum amorem carnalem, & *veneficum* ad nocendum alijs. Amatorium quidem, vllius voluntatem cogere non potest ad amandum, obiectiuè tantùm mouet commouendo phantasmata, quibus afficiatur voluntas ad rem amandam: quia licet sint quædam rerum naturalium, vt herbarum & lapidum vires & facultates quæ amoris & concupiscentiæ flammam possint accendere; nulla est tamen in rebus naturalibus facultas ingenita, quæ suapte natura excitet, alliciat, & accendat hominem ad amandum hunc aut illum certum hominem, & quòd quis excitetur ad amandum hunc vel illum hominem, ex dæmonis facultate prouenit, qui hominem aliunde ad amandum in vniuersum excitatum, allicit ad amorem erga hunc vel illum.

Veneficium verò nocet alteri vel in persona propria cum lædendo, occidendo, aut sterilem reddendo, &c. vel eidem nocendo in sua substantia pecoribus, vineis, arboribus, &c. idque per pluuias aut tonitrua, &c. Et in hoc etiam maleficio, dæmon solus operatur ad vocem malefici; cum enim is vult alicui malum inferre, aut pro rem exsiccare, dæmon qui exactè rerum omnium naturalium vim & naturam tenet, clam applicat venena, inficit aerem, &c. Imò etiam ipse ingreditur corpora & torquet homines: si etiam maleficus velit rebus nocere dæmon excitat tempestates, portat nubes, agros inundat, pluit lapides & grandines, destruit vineas, populatur sata, diruit tecta &c. Ita *Clauis reg. l. 4. cap. 6. num. 23. Tolet. lib. 4. cap. 16. Pilliucius tract. 24. cap. 8. quæs. 1. & 2. Reginald. lib. 17. num. 175. Azor. tom. 1. lib. 9. cap. 26. quæs. 1.*

2. *Maleficia* omnia ad quinque genera reuocantur. *Primò*, ad cognoscendum occulta, & procul posita; vt consilia & actiones personarum quæ longè absunt. *Secundò*, ad morbos mirabiliter inferendos, & causando homicidia, dolores, aut destruendo vineas, animalia, subuertendo domus, arbores, & huiusmodi. *Tertiò*, ad inducendam sanitatem. *Quartò*, ad falsas & præstigiosas apparitiones & actiones. *Quintò*, ad motus vel mutationes rerum & effectus mirabiles, & communi hominum iudicio impossibiles. Vix enim aliquod maleficium reperiri potest, quod sub vno horum non contineatur. *Bonac. tom. 2. d. 3. q. 5. p. 5. num. 3. Clauis Regia lib. 4. cap. 6. num. 23. Sylvest. v. maleficium quæs. 5.*

3. *Remedia* maleficij iuxta *Sanchez lib. 2. moral. capit. 41. num. 25. Reginald. cit. num. 183. Less. lib. 2. capit. 44. d. 5. Suarez de relig. lib. 2. cap. 17. Filiuc. cit. cap. 8. quæst. 3. Delrio lib. 6. cap. 2. quæs. 3. sect. 3.* possunt esse vel *naturalia*, quæ plerumque paruam vim habent, quia diabolus facilè omnem illorum actionem eludit, si velit; tamen sunt adhibenda: vel sunt *supernaturalia*, quæ sunt optima, vt magna fides susceptio baptismi, confessio peccatorum, sumptio Eucharistiæ, exorcismi ecclesiæ, aqua benedicta, reliquiæ Sanctorum, signum crucis, inuocatio nominis Iesu, Beatæ Virginis & aliorum Sanctorum, cum ieiunio & oratione. Vel sunt *moralia*, id est, quæ pertinent ad pactum cum dæmone dissoluendum, quando ex pacto nocet, quod fit amouendo signa magica ad quorum præsentiam nocumentum diabolus irrogat.

Sciendum tamen est, per hæc Ecclesiastica remedia non semper homines liberari, idque ob duas causas. *Primò*, quia obstat peccatum, vel illius qui curat, vel illius, qui curandus est. *Secundò* ob maius bonum illius qui patitur.

Petes *primo* cur Deus sinat nos affligi à maleficis? Resp. causam primam esse, vt Athæi & infideles confutentur, qui dicunt non esse Diabolum, nec vllum spiritum: 2. vt confundantur hæretici, dum è possessis hominibus per res benedictas & sacras Diaboli expelluntur. 3. vt ipsi magi conuertantur, quando vident se, contra pios nihil posse: & sic conuersus fuit. *S. Cyprianus* teste *Greg. Nazianzeno*. 4. vt ostendat Deus suam prouidentiam sinens Diaboli vti libero arbitrio, & naturalem suam potestatem exercere. 5. vt Deus tentet nos, an illum sincerè diligamus: qui enim illum verè non diligit, ad magos & Diabolum confugit. 6. vt exerceatur patientia, vt in *Iob*, vel humilitas. 7. vt puniantur peccata parentum & propria, &c.

Petes *secundò*, an malefici etiam bonis nocere possint? Resp. affirmatiuè, quando vtuntur causis naturalibus, vt venenis: esset enim miraculum; si causa naturalis vim suam non exerceret: quãdo verò ipsimet non agunt, sed Diabolus, tunc rarò bonis nocent, quia in bonis non habent tam liberam potestatem: solent autem malefici maximè nocere infantibus, siue non baptizatis, ob peccatum originale, & aliquando etiam baptizatis, sed tunc potius nocent parentibus, idque Deus permittit ob peccata parentum, vel ad probandam eorum fidem, vel quod infantes à nutricibus veneficis, Diabolo offerantur.

Petes *tertiò*. Cur Diabolus noceat hominibus potius per homines, quàm per seipsum? Resp. *Primò*, quia sic pluribus nocet: multò enim plura damna infert per homines, quàm per seipsum, vt resistere superioribus, excitare hæreses, abuti rebus sacris, &c. *Secundò*, vt plures decipiat, quia naturaliter homines abhorrent consortium Diaboli, non hominum. *Tertiò*, vt maiorem Deo iniuriam facit, cùm abutitur creatura rationali ad malum.

Petes *vltimò* cur suadeat Dæmon abuti rebus sacris? Resp. *Primò*, vt maleficorum peccata reddat grauiora; hoc enim pacto non tantùm sunt malefici, sed etiam sacrilegi. *Secundò*, vt faciliùs decipiat, persuadendo huiusmodi effectus non fieri à Dæmone, sed à Deo, vtpotè per res sacras effectos.

4. Nullo modo licitum est, etiam pro re graui & vrgente bono publico, maleficorum & diuinatorum aliàs paratorum opera vti; quia actio, quæ petitur, est intrinsecè mala, & consequenter pro nullo bono consequendo, aut malo vitando licitum est ita operari, & proinde nec petere, quia esset cooperari peccato alterius. Ita communiter sentiunt Doctores contra *Ang.* verbo *superstitio* §. 13. *Tol. l. 4. c. 16. Suar. cit. lib. 2. cap. 18. num. 3. Nauar. cap. 11. num. 29. Sanch. cit. lib. 2. c. 41. num. 5.* Vnde consulere magos, maleficos vel diuinos, vel eorum spectaculis interesse, quæ fiunt arte diabolica, vel ad hoc conferre pecunias, est peccatum mortale; vt patet *Deuteron. 18.* & in vtroque iure graues pœnæ constitutæ sunt, tam contra magos & alios superstitiosos, quàm contra eos, qui ipsos consulunt: qui enim obseruat Ariolos, haruspices, vel incantatores, vel eorum phylacterijs vtitur est ipso facto excommunicatus, *C. Si quis 26. quæst. 5.* & libri magici sunt comburendi, ex Indice Concil. Tridentin. Multi tamen à mortali in hoc casu excusantur ob ignorantiam, quia nesciunt ista à dæmone fieri, vt docet *Nauarr. cap. 11. num. 31.*

5. Non licet petere vt maleficus aut alius vno maleficio dissoluat aliud; quia hoc esset maleficium & habere pactum cum diabolo, seu consentire saltem in illius pactum, quod non licet; rogari tamen posset maleficus, vt dissoluat maleficium modo licito, faciendo ea, quæ præstari possunt sine ope dæmonis: imò quisque ius habet tollendi & destruendi ligaturas, nodos, volumina capillorum, & alia signa malefica posita à maleficis eo fine vt diabolus desinat nocere; etiamsi ex ablatione signi malefici aliquod damnum maleficio aut alteri sequatur, eò quòd dæmon ita pactum inierit cum ipso maleficio: quia ex parte tollentis hæc signa, nulla intercedit dæmonis inuocatio vel cooperatio ad damnum malefici; quando autem dubitatur, an maleficus sciat modum licitum dissoluendi, præsumitur solùm scire modum superstitiosum, consequenter ab eo peti non potest dissolutio maleficij, sed priùs interrogandus est, an nesciat modum licitum dissoluendi maleficij; quia petere cum illo dubio esset se exponere manifesto

ſeſto periculo petendi rem illicitam, & ſic eſſet inducere ad nouũ peccatum. *Clauis Reg. lib. 4. cap. 6. num. 27. Sanch. lib. 2. cap. 41. S. Th. 2. 2. quæſt. 43. art. 4. quæſt. 2. concl. 2. Sylueſt. cit. quæſt. 8. Tolet. lib. 4. cap. 16. Leſſ. cit. dub. 6. Nau. cap. 11. num. 29. Suar. l. 2. cap. 18. Fill. tract. 24. cap. 8. q. 4. & 5. Vide Sylu. 2. 2. q. 96. ar. 4. Laym. l. 4. tr. 10. c. 4. num. 9.*

Si tamen petens certus ſcit, quod maleficus ſciat licitè & illicitè ſoluere maleficium, tunc licitum eſt petere ab eo abſolutè vt maleficium ſoluat, quamuis conſtet petenti fore vt medio illicito vtatur. Ratio eſt, quia quod petitur à maleſico poteſt ab illo benè & malè fieri: ſcandalum autem paſſiuum accipit maleficus ex ſola malitia ſua, quia illa petitio nec eſt mala, neque habet ſpeciem mali, ſed potiùs eſt bona, cum præmoueatur petens vrgenti neceſſitate & occaſione ad id petendum; & non teneatur abſtinere à tali petitione cum graui ſuo incommodo & alieno, cuius occaſione alius ex malitia peccat. Tum quia omnes fatentur licitum eſſe petere ab vſurario mutuum, & ab infideli iuramentum, quando petens eis indiget, quamuis exploratum illi petenti ſit fore, vt ille ſub vſuris mutuet, & hic iuret per falſos deos. Ita *Suares, Leſſius, Filliucius*, & alij hoc numero citati, quibus adde iterum Sanchez *de matrim. lib. 7. diſp. 95. n. 11.* Dianam *p. 5. tract. 7. reſ. 15.*

6. Maleficus poteſt quis cognoſci ex confeſſione propria, vel aliorum, qui eiuſdem delicti conſortes ſunt, vel ſi chirographum aliquod reperiatur penes aliquam perſonam manu eius, atque ab ea recognitum, quo ſe dæmoni volens dedicauit, aut ſi impreſſum gerat ſignum aut ſtigma, quo maleficæ ſolent inſigniri: vel ſi penes aliquam reperiantur aliqua venena, hoſtiæ, bufones, membra humana, imagines cereæ acubus infixæ, vel ſi dæmonem inuocare ſolere conuincatur, ſi minata fuerit mulier alicui malũ, & deinde quis reperiatur morbo, ac faſcinatione correptus: denique ſi teſtes aliqui ſunt contra aliquem teſtificantes, quòd viderint eum veneno aut vnguento aliquo linire animalia, quæ poſteà mortua reperta ſunt. *Binſeld. de confeſſ. maleſic. Malleus maleficarum p. 3. Clau. reg. c. num. 24.*

7. *Confeſſarius* in audiendis confeſſionibus maleficorum, vel maleficarum, quinque præcipuè inquirere debet. *Primum*, an intercefſerit pactum aliquod cum dæmone, in quo promittant ſe negaturos Chriſtum, & fidem Chriſtianam abiuraturos; vel ſi diabolum adorarint: actioneſque nefandas ac ſacrilegas erga venerabile Euchariſtiæ ſacramentum exercuerint. Confeſſarius autem curare debet, vt maleficus diſſoluat pactum cum dæmone initum, peragendo pœnitentiam patrati criminis, & perfringendo chirographum, ſi apud ſe habeat, vel eius exemplar. *Secundum*, an in tali peccato aliquam hæreſim habuerit credendo ſacramenta Eccleſiæ, nihil valere, &c. *Tertium*, quomodo confecerit maleficium, an ſcilicet ex rebus ſacris, aqua benedicta, oleo ſancto, cera benedicta, imò etiam ex ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, & an crediderit illis rebus talem virtutem ineſſe ad tales effectus: tunc & ſacrilegij & hæreſis reus eſſet. *Quartum*, circa damnum illatum, an perſonæ, vel rebus damnum intulerit: quia tenetur ad reſtitutionem omnium damnorum, cùm ſit cauſa efficax damni, imò ſi conſtet pecuniam à dæmone traditam, alicui furreptam eſſe, Domino reſtituenda eſſet. *Quintum*, an expreſsè ſacrificauerit dæmoni, vel cum eo rem carnaliter habuerit, vt ſolent Lamiæ & ſtriges, &c. Vide *Tolet. l. 4. c. 16. Suar. c. l. 2. c. 17. Sanch. cit. c. 40. Clau. reg. l. 4. c. 6. num. 25. Bonac. c. q. 5. punct. 5. num. 11.*

Quamuis difficile, non tamen impoſſibile eſt, è poteſtate Diaboli eripere eos, quos ſibi deuinxit pacto: hinc confeſſarius magnam operam adhibere debet. 1. Vt agnoſcere incipiant hoſtis infeſtiſſimi mendacia, fraudes, & falſa promiſſa. 2. Vt abiurato diabolo, fidem, ac ſpem in Deum concipiant, qui peccatores omnes ad ſe inuitat, & reuerti volentes recipit: Eximenda enim ipſis eſt perſuaſio, quam multæ ſagæ habere ſolent, propter pactum initum, à Dæmone liberari non poſſe. 3. Vt frequentes preces v. g. litanias Sanctorum & varias collectas ſpiritu fidei feruente pœnitens recitet, vel coram ipſo ab alio recitentur. 4. Vt crucis ſigno, ſacris imaginibus & reliquijs Sanctorum, aqua benedicta, & ſimilibus vtatur. 5. Vt ſacramentum confeſſionis frequentet apud eundem confeſſarium, qui ſtatum illius cognitum habet, vt congruas interrogationes formare, & apta remedia præſcribere poſſit. 6. Vt fidei Catholicæ profeſſionem ſæpius repetat, & Symbolum Apoſtolicum frequenter recitet.

Vide *Exheredatio* n. 1. *Homicidium* 1. n. 16. *Homicidium* 2. n. 2. *Matrimonium* 7. n. 79. 80. *Superſtitio* num. 3.

Maledictio.

MALEDICTIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit maledictio & quotuplex?*
2. *An maledictio formalis ex genere ſuo ſit peccatum mortale et & quando poſſit eſſe veniale?*
3. *An maledictio materialis ex genere ſuo ſit tantùm peccatum veniale? & quando poſſit eſſe mortale?*
4. *An maledictio materialis, qua quis imprecatur alteri malum ſub ratione boni vel iuſti, vel vtilis, ſit aliquando licita?*
5. *Quando maledicere creaturis irrationabilibus ſit licitum, vel illicitum?*

1. MAledictio eſt *imprecatio ſeu exoptatio mali alicui facta ſub ratione mali* hoc eſt intendendo malum ipſum: *duplex* eſt maledictio, *formalis* nempe & *materialis*: *formalis* maledictio eſt, qua quis imprecando vel imperando vult alicui malum euenire vt malum eſt: *Materialis* eſt, qua quis imprecando vel imperando alicui euenire malum ſub ratione boni iuſti aut vtilis, aut qua quis malum alicui optare videtur, ſine intentione tamen & deſiderio mali quod ore profertur. *S. Th. 2. 2. q. 76. Clauis reg. lib. 2. cap. 5. numer. 12. Filliuc. tract. 40. capit. 5. quæſ. 7.*

2. *Maledictio formalis* quæ fit cum animo & intentione, vt alteri malum eueniat, ex genere ſuo peccatum mortale eſt. Ita *Diu. Thom. cit. artic. 3. Valent. tom. 3. diſp. 5. quæſt. 19. p. 1. Tolet. lib. 4. cap. 13. Bonacin. tom. 2. d. 3. quæſ. 6. p. 3. num. 4. Filliuc. cit. cap. 5. num. 147. Sot. de iuſt. l. 5. quæſt 12. art. 3. Fernand. p. 4. cap. 2. §. 5. num. 4. Sanc. in ſelect. diſput. 2. numer. 2.* Quia procedit ex odio interiori & indirectè charitati repugnat: & hæc maledictio formalis ad diuerſas peccati ſpecies pertinet, ſicut & odium interius à quo procedit; ſi enim imprecatur mortem, eſt homicida; ſi incendium domus optat, vel bonorum, eſt incendiarius; ſi bonorum ablationem deſiderat, eſt fur. Interdum autem maledictio formalis poteſt eſſe peccatum veniale ratione paruitatis materiæ, aut ex defectu deliberationis: vt ſi fiat primo motu, vel habitu quodam naturæ, aut ex alia paſſione: hac de cauſa parentes à mortali ſæpius excuſantur maledicta in filios conijciendo, quia deſinit conſenſus & plena deliberatio, vt ait Azor. *tom. 3. lib. 13. cap. 10.* Diana *tract. 6. miſcel. reſolut. 13. par. 3.*

3. *Maledictio materialis*, qua quis intentione & deſiderio mali, quod ore profertur, malum aliquod nominat, ſolùm peccatum veniale eſt ex genere ſuo, quia grauitas mali penſanda eſt vel ex intentione maledicentis, aut ex damno quod infertur; & in hoc caſu deeſt intentio, & inſuper nullum infertur *damnum*: imò fieri poteſt, vt hæc maledictio aliquando non ſit peccatum veniale, v. g. ſi ioco, & ludo fiat & cauſa recreationis honeſtæ, vt quæ in conuiuijs, ludis, & comœdijs amico & familiariter amico dici ſolet: ratione autem circumſtantiarum poſſet eſſe hæc maledictio grauiſſimum peccatum, vt ſi Prælatus vel grauis perſona malum ſubditis precetur, aut filius parentibus, ſubditus ſuperioribus; opus enim illud non ſolùm ſcandaloſum eſt, ſed etiam genus quoddam contumeliæ continet, propter reuerentiam, quæ illis debetur: *Clau. reg. cit. cap. 5. lib. 12. num. 16. Filliuc. c. cap. 5. n. 148. Sylu. 2. 2. quæſt. 76. art. 3. Caiet. Sylueſt. Nau. apud Fernand. c. num. 4.*

4. *Maledictio materialis*, qua quis imprecatur alteri malum ſub ratione boni vel iuſti, vel boni vtilis, non eſt peccatum, ſed licita in caſibus, in quibus licitum eſt illud malum velle & tale bonum: quia quod licitum eſt deſiderare, licitum eſt precari, ſed licitum eſt cuique etiam priuato velle malum proximo vel ratione iuſtitiæ vel gloriæ Dei, vel ratione boni communis: hinc patet à mortali excuſari illum, qui filijs mortem imprecatur, ne in futurum delinquant, vel quid turpe faciant. *S. Thom. citat. quæſt. 76. art. 1. Reginald. lib. 18. num. 203. Leſſ. l. 2. cap. 45. d. 5. num. 30. Filliuc. cit. c. 5. Sanch. in ſelect. diſp. 2. num. 7. & diſp. 6. num. 1.*

5. Maledicere creaturis irrationabilibus ſecundùm ſe conſideratis, vanum & otioſum eſt: *Tolet. l. 4. cap. 13. Clauis reg. citat. numer. 19. Filliuc. citat. capit. 5. quæſt. 10. Bonacin. citat. n. 4. & 5. Leſſ. cit. dub. 5. num. 29.* Quia creaturæ irrationales ſecundùm ſe non ſunt capaces mali & boni in ordine ad felicitatem

vel

vel infelicitatem: si verò creaturæ naturales considerentur non secundum se, sed per ordinem ad creaturam rationalem, seu vt sunt bona hominis, idem est ac hominibus maledicere, ac proinde eadem ratione est licitum, vel illicitum eis maledicere, quia licitum vel illicitum est maledicere ipsis hominibus: si quis autem maledicat creaturæ in ordine ad Deum, quatenus est res Dei, committit blasphemiam, quia videtur imprecari malum Deo in rebus ab eo factis. *Porrò* in confessione explicandæ sunt omnes malorum species, quæ quis alteri imprecatus est illi maledicendo: *Clauis reg. cas. num.* 20. Quia diuersa erunt crimina si distinctam inferant iniuriam, & damnum in rem quæ maledicitur: vnde deprecari malam mortem temporalem alicui, & immediatè in eodem interuallo optare & implorare quòd à Dæmone rapiatur, duo peccata necessariò confitenda erunt. Vt etiam docet Sancius *in selectis disp.* 6. *num.* 1.

De Maledictione vide verb. *Charitas* n. 23. *Contumelia. Detractio.*

MANDATVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit mandatum?*
2. *An generale mandatum ad illicita se extendat? & an mandatarius possit recusare mandatum nondum susceptum?*
3. *Quæ sint substantialia contractus mandati?*
4. *Quæ sit obligatio mandatarij qui mandatum accepit absque vlla forma expressa?*
5. *Quot modis mandatum finiatur?*
6. *In quibus casibus mandatum non finiatur morte mandatoris?*
7. *An præcepta Superiorum expirent illorum morte.*

1. MAndatum est *contractus innominatus, quo quis officium honestum gratuitò expressè vel tacitè susceptum exequendum, in gratiam alterius*: ex hac definitione colligitur. *Primò*, mandatum debere esse de re bona & honesta: mandatum enim de re mala & contra leges non obligat, cùm nullus obligari possit ad rem turpem. *Secundò*, mandatum debet fieri gratis, quia si merces pro eo sumatur, transit in locationem: non autem si tantùm spes sit remunerationis habendæ: imò etiam cum promissione remunerationis non tollitur ratio mandati: stipendium tamen pro executione debetur, si in pactum deductum fuerit, & mandatarius consueuerit recipere mercedem; ex circumstantijs id intelligendum erit. *Tertiò*, mandatum expressè vel tacitè fieri potest: *tacitè* fit, quando quis sciens & tacens patitur, vt alter suum negotium gerat. *L.* 2. *ff. Mandati. Expressè* fit quando committitur signis, vel verbis expressis. *Azor.* 3. *p. l.* 9. *c.* 1. *Fill. tract.* 39. *cap.* 1. *Regin. l.* 25. *num.* 607. *Molin. tract.* 2. *disp.* 548. *Laym. l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 4. *c.* 26. *num.* 1. & 2.

2. *Generale mandatum* ad illicita non extenditur; de re illicita inualidum est, & damna ex iniquo mandato restituenda sunt: mandans autem percuti, non occidi, si sequatur occisio, non punitur pœna ordinaria homicidij, sed mitiori: *Molin. c. disp.* 550. *Fillmc. cit. cap.* 1. *q.* 6. *Mandatarius* verò potest recusare mandatum nondum susceptum; nam mandatum est contractus dependens ab vtriusque contrahentis voluntate: susceptum iam mandatum recusare non potest, nisi iusta superueniat causa recusandi, qualis est capitalis inimicitia interueniens inter mandantem & mandatarium, aut suspicio qua mandatarius factus est suspectus mandatori. *Bonac. de rest. d.* 1. *q.* 2. *p.* 6. *num.* 11. *Regin. c. Azor. c. c.* 6.

3. *Substantialia* contractus mandati, sunt consensus vtriusque, præcessio obligationis alicuius, vt sit de re bona, vt in eo dando mandans certam formam præscribat: vnde quæ mandatarius facit contra vel præter, vel citra formam mandati, non validè facit, quoties certa forma sibi præscripta fuit: nam qui mandati fines egreditur, aliud agere videtur quàm si quod sibi mandatum est: hinc qui equum ab altero accepit vendendum centum nummis aureis, & tantùm vendidit nonaginta, tenetur mandanti reddere centum, eò quòd fines mandati egressus sit vendendo tantùm nonaginta *L. diligenter ff. mandat. Molin. c. disp.* 552. *num.* 1. *Fill. c. c.* 1. *in fin.*

4. Quando mandatarius mandatum accepit absque vlla forma expressa, debet diligenter, prudenter & rationabiliter negotia præstare, quæ hoc modo præstiterit, valida erunt & rata habenda à mandatore: nam censetur facta iuxta rationabilem mandatoris voluntatem: propterea qui mandauit alteri, vt sibi equum emeret nullo expresso pretio, validè emet quocumque pretio emat, modò pretium sit iustum: *L. præterea C. mandat. Azor.* 3. *p. l.* 8. *c.* 23. *quæst.* 8.

5. *Mandatum* finitur multis modis. 1. Per lapsum termini constituti, contractus enim non durat vltra conuentionem & intentionem contrahentium: *L. procuratorem ff. mandati. Fillmc. tr.* 39. *cap.* 2. *q.* 7. *Regin. l.* 25. *n.* 608. *Molin. cit. d.* 552. *n.* 6. *Sanches de matr. l.* 1. *disp.* 60. *Laym. l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 4. *cap.* 26. *n.* 6. 2. Per reuocationem mandati factam ab ipso mandatore: hic enim potest mandatum reuocare, quamdiu res est integra, id est, quamdiu res mandata nondum est inchoata, re autem inchoata non potest mandator reuocare mandatum cum damno mandatarij: post reuocationem autem mandati, gesta per mandatarium inualida sunt, quoties mandatario innotuit reuocatio mandati; valida verò sunt, si reuocatio mandati non innotuit mandatario, excepto casu matrimonij, quod constat non validè celebrari post reuocationem mandati, etiamsi procurator ignoret mandati reuocationem. *Instit. de mandato* §. *item si adhuc.* Finitur mandatum per mortem mandatoris vel mandatarij: modò res sit adhuc integra: excipiuntur tamen sequentes casus.

6. *Mandatum* in his casibus non finitur morte mandatoris. *L. Si verò* §. *vlt. ff. mandati. Primò*, quando datum fuit mandatum de re aliqua exequenda post mortem mandatoris. *L. Si cum fundum ff. de pactis. Sanch. c. l.* 8. *d.* 28. *n.* 27. *Sà v.* 9. *n.* 4. *Secundò*, quando mandatum factum fuit in gratiam mandatarij; vnde confessarij absolutè delegati ab Episcopo non amittunt iurisdictionem audiendi confessiones morte Episcopi; si verò non sint absolutè delegati, sed illis concessa sit iurisdictio ad beneplacitum concedentis, amittunt iurisdictionem morte concedentis, secus si concessa sit ad beneplacitum sedis, seu dignitatis: nam sedes seu dignitas perseuerat mortua persona. *L. Si ego, ff. de iure dotium. Tertiò*, non finitur quando factum fuit gratia & fauore dotis. *Sanch. de matr. l.* 8. *disp.* 28. *num.* 49. *Quartò*, quando delegata est alicui facultas & iurisdictio sub nomine dignitatis, & non sub nomine proprio illius, à quo fuit datum mandatum, dignitas enim non extinguitur, sed persona. *C. si delegatus de officio iudicis in* 6. *Quintò*, quando mandans dicit se concedere iurisdictionem, donec reuocauerit, sed postea reipsa non reuocauit ante mortem.

7. Quando dicitur mandatum non expirare morte mandantis, quando res non est integra: intelligitur de mandato iurisdictionis, id est, per quod committitur iurisdictio. Nam præcepta superiorum, ad aliquid faciendum, vel non faciendum obligantia, si non emanent per modum constitutionis à potenti illam facere, sed sint mandata ab homine, semper expirant mandantis morte, quamuis res non integra sit. Quia cùm ea præcepta minime sint constitutiones, non sunt ex natura sua perpetua, nec possunt ligare extincta præcipientis iurisdictione per eius obitum, vel per eius amotionem ab officio: quia quoad hoc perinde habetur ac mortuus, cùm vtroque casu extinguatur præcipientis iurisdictio, à qua præcepta vim habent. Ita *Sylues. v. Delegatus qu.* 6. & *v. Mandatum q.* 3. *Cordub. in reg. S. Franc. c.* 10. *q.* 3. *punct.* 1. *Menoch. de arbitr. l.* 1. *quæst.* 69. *num.* 4. *Caspensis tract. de legib. disp.* 1. *sect.* 6. *num.* 80. & *seq. Bonac. de leg. disp.* 1. *q.* 3. *p.* 8. §. 1. *num.* 25. 26.

Vide *Præceptum* num. 1. & 3.

MARTYRIVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit martyrium?*
2. *An arrogatio mortis vel eius acceptatio, & perpessio sint opera virtutis vel impietatis?*
3. *Quæ conditiones requirantur ad martyrium? & de prima, quæ est in adultis voluntas illud suscipiendi.*
4. *De secunda conditione, quæ est, vt mors inferatur odio Christi, vel religionis Christianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis.*
5. *De tertia conditione, quæ est, vt non resistat Tyranno.*
6. *De quarta, scilicet, vt fide supernaturali veritatem illam credat, pro qua tuenda mortem eligit.*
7. *Vltimum requisitum ad martyrium est, vt in adulto suscipiente*

martyrium adſit attritio ſupernaturalis, ſi habeat peccatum mortale ſecundum quoſdam Doctores, & ſecundum alios debet eſſe contritus.

8. *An ad martyrium requiratur dolor formalis peccatorum, vel ſufficit virtualis?*

9. *An martyrium ex opere operato habeat vim delendi omnem culpam & panam?*

10. *An martyrium ſit Sacramentum? & quando ſuum effectum conferat?*

11. *An martyrium ſit in præcepto: & quando.*

1. MArtyrium idem eſt quod teſtimonium; paſſim apud ſcriptores eccleſiaſticos accipitur pro teſtimonio veritatis, fidei, vel alicuius virtutis per mortis tolerantiam; quod *ſimpliciter* fieri poteſt. *Primò*, cum aliquo actu, quo mors ipſa propter illum finem acceptetur, vt in adultis ratione vtentibus, & hoc eſt martyrium perfectum & formale. *Secundò*, ſit abſque vllo actu, ſicut in paruulis propter Chriſtum occiſis, quos in honorem martyrum receptos veneratur Eccleſia, merito Chriſti ſupplente defectum propriæ voluntatis. *Diu. Thom. 2.2. quæſt. 124. art. 2. Suar. tom. 3. diſp. 29. ſect. 1. & 2. Leſi. lib. 3. cap. 1. dub. 2. num. 12.*

2. Cùm in martyrio tria conſiderari poſſint, nempe *irrogatio* mortis odio fidei vel virtutis, *acceptatio* & *perpeſſio*: certum eſt primum non eſſe opus virtutis, ſed impietatis & iniuſtitiæ; ſed acceptatio & perpeſſio mortis cauſa fidei vel veræ virtutis ſunt actus eliciti à virtute fortitudinis & patientiæ, imperati ab aliis virtutibus, pro quibus obeundis martyrium ſubitur, præcipuè autem imperatur à charitate, cùm ſit actus magnæ dilectionis in Deum: *Diu. Tho. c. art. 2. ad 3. Henriq. l. 2. c. 34. num. 1. Iust. B. Leſſ. c. num. 15. & 18.*

3. *Ad martyrium* quinque conditiones requiruntur: *D. Tho. cit. q. 124. art. 1. Henriq. c. c. 36. num. 1.* *Prima* eſt, vt in adultis adſit voluntas ſuſcipiendi martyrium, quia ſicut in adulto baptizando requiritur libera acceptatio baptiſmi, quæ non ſubſiſtit ſine intentione ſuſcipiendi baptiſmum, ita etiam requiritur in adulto ſuſcepturo martyrium: *Tolet. l. 2. c. 22. Sa v. martyr. num. 3.* In infantibus verò vſu rationis carentibus, non requiritur huiuſmodi voluntaria & libera acceptio. *Suar. diſp. 29. ſect. 2. Coninch quæſt. 66. num. 136.* Dormiens autem ſi vir iuſtus ſit & occidatur in odium Chriſti, dicitur martyr, quando martyrium præuidit & in illud conſenſit; talis enim conſenſus ſufficit: qui autem occiditur inter dormiendum, & nihil antea cogitauit de martyrio, martyr non dicitur, non enim habuit voluntatem formalem aut virtualem ſuſcipiendi martyrium: *Regin. l. 27. num. 18. Tolet. cit. num. 7.* Infans verò adhuc in vtero matris exiſtens poteſt eſſe martyr, ſi vna cùm matre occidatur in odium fidei, quia cùm proles reputetur vnum quid cum matre, par eſt, vt particeps ſit eiuſdem martyrij.

4. *Secunda conditio*, ad martyrium omninò perfectum requiſita, eſt, *Leſs. c. dub. 3. num. 20. Bonac. de Sacram. d. 2. quæſt. 1. num. 10 & 11. Henriq. cit. cap. 37. num. 1. Coninch cit. dub. 2. num. 135* vt mors inferatur odio Chriſti vel religionis Chriſtianæ, vel alicuius veritatis fidei, vel propter opus virtutis: hinc hæretici, etiamſi putent ſe pro doctrina Chriſti occidi, non ſunt martyres; quia mors illa non infertur illis odio doctrinæ Chriſti, ſed hæreſeos, quæ doctrinæ Chriſti repugnat, vnde *D. Auguſtinus* ait, martyrem non pœna, ſed cauſa facit, nec ſufficit ad martyrium propoſitum ſuſtinendæ mortis, niſi reipſa vulnus lethale recipiatur de ſe illatiuum mortis.

5. *Tertia conditio* eſt: *Leſs. l. 3. cap. 1. dub. 3. num. 36.* vt non reſiſtat tyranno; hinc milites quamuis pro fide Chriſti pugnent & multùm mereantur, ſi pura intentione id faciant, non ſunt tamen martyres, cùm in bello occumbunt; quia martyr Chriſti debet in patiendo imitari Chriſtum, cuius paſſio eſt exemplar martyrij; vnde ſicut ille dedit teſtimonium veritati patiendo, non repugnando; ita omnes qui volunt eſſe martyres Chriſti, non debent perſecutori armis repugnare, ſed ſinere ſe tranquillè occidi.

6. *Quarta conditio* requiſita eſt, vt fide ſupernaturali veritatem illam credat, pro qua potiſſimum tuenda mortem eligit; quia ſi proprio iudicio illam teneat, ſicut hæretici, non tam tuetur doctrinam & auctoritatem Chriſti, quàm ſuam: *Leſſ. cit. num. 37.*

7. *Vltima conditio* ad martyrium eſt, vt in adulto ſuſcepturo martyrium adſit attritio ſupernaturalis; ſi adultus habeat peccatum mortale: non tamen neceſſaria eſt contritio aut dilectio Dei ſuper omnia: quia martyrium à Sanctis Patribus comparatur & anteponitur baptiſmo, ſed in baptiſmo ſufficit attritio, ergo ſufficit etiam in martyrio: & ſecundùm hoc, ad martyrium non requiritur charitas antecedens imperans actum martyrij, ſed ſufficit charitas conſequens, quæ videlicet conſequatur martyrium. *Suar. diſp. 29 ſect. 3. Henr. c. 34. n. 3. Conuncb. cit. dub. 2. n. 140. Bonac. cit. p. 1. num. 7.*

Cæterum quamuis probabile ſit attritionem ſufficere cum martyrio ad iuſtificationem, tamen non eſt certum, quia multi Doctores tenent in exiſtente in peccato mortali, vt martyrium ei proſit ad ſalutem, neceſſariam eſſe veram contritionem ex dilectione Dei ſuper omnia profectam; quia putant hi Doctores martyrium non conferre gratiam per ſe & vi ſua, ſed ſolùm ex opere & affectu patientis; quare ſicut peccator extra martyrium non poteſt iuſtificari ſine vera contritione, niſi ſacramentum Pœnitentiæ ſuppleat, ita nec in martyrio, ita ſentiunt *Paiud. 4. d. 4. q. 6. art. 1. Hall. 4. p. q. 22. memb. 5. art. 1. Canus relect. de pœnit. p. 3. Bann. 2. 2. q. 124. art. 5. dub. 1. ad 7. Leſi. cit. dub. 4. n. 43. Sylu. 3. p. q. 66. a. 11. q. 3.* Vnde in illo extremo æternæ ſalutis diſcrimine homo non poteſt ſequi vias dubias relictis certis, ſed tenetur eligere certam, quantùm fieri poteſt; alioquin ſine cauſa exponit ſe periculo damnationis; nam ſi prima opinio non ſit vera, eius probabilitas non ſupplebit defectum neceſſariæ diſpoſitionis, & ita martyr ille non ſaluabitur.

8. Quamuis *voluntas patiendi* pro Chriſto per ſe ſufficiens ſit ad fructum martyrij in iuſtis, peccator tamen qui per obliuionem & inaduertentiam peccatorum non elicit actum attritionis, eò quòd tunc temporis totus detineatur in expellendo metu mortis, recipiet etiam fructuum martyrij. Ita *D. Th. 3. p. q. 66. a. 12. Suar. diſp. 29. ſect. 3. Bellarm. de bapt. l. 1. c. 6. Henr. c. c. 36. n. 1. & 2. Sot. d. 6. ſect. 2. art. 7.* quia licet ad martyrium per ſe requiratur dolor formalis, nihilominus probabile eſt ex accidenti ſufficere virtualem, qui clauditur in voluntate ſuſcipiendi martyrium, nam ſi volenti mori pro Chriſto peccata occurrerent, illa deteſtaretur, & hæc voluntas dicitur actus contritionis virtualis, quia continet aliquo modo deteſtationem peccatorum, & amorem Dei: tutius tamen eſt, actus formalis pœnitentiæ elicere cum martyrio. Si autem peccator conſcius ſibi eſt peccati mortalis, tenetur excitare in ſe dolorem & petere veniam, vt Deo reconcilietur; pœnitentia enim eſt medium neceſſarium ad reconciliationem, quando homo aduertit ſe eſſe in peccato, vt docent *Leſſ. c. n. 49. Sylu. 3. p. q. 66. a. 11. quæſt. 3.*

9. *Martyrium* ſeu externa perpeſſio pro fide ſuſcepta per ſe, & quaſi ex opere operato, habet vim delendi omnem culpam & conferendi gratiam iuſtificationis ſubiecto debitè diſpoſito, & tollendi omnem reatum pœnæ: *D. Th. 3 p. q. 87. a. 1. ad 2. Suar. c. d. 29. ſect. 2. concl. 1. Valent. to. 4. d. 4. q. 3. punct. 4. concl. 4. Henr. l. 2. c. 36. n. 3. Leſs. c. dub. 5. n. 56. Sylu. 3. p. q. 66. a. 11. quæſ. 4.* Quia ſi vis delendæ omnis culpæ & pœnæ collata eſt baptiſmo, eò quòd ſit myſtica quædam configuratio mortis Domini, multò magis conuenit hanc vim tribui martyrio, quæ eſt realis conformatio cum Chriſto moriente; quod intelligendum eſt, modò aliquod peccatum actuale non committatur in ipſa martyrij ſuſceptione, vnde qui ſuſcipit martyrium cum peccato veniali actuali, puta ex vana gloria, non obtinet remiſſionem illius culpæ, aut pœnæ reſpondentis illi culpæ, quæ tunc committitur; quod idem accidit in baptiſmo, qui non remittit omnem culpam, niſi tollatur obex omnis culpæ actualis: *D. Th. c. q. 68. a. 2. Ex quo* patet non ſolùm ſacramenta, verùm etiam martyrium conferre gratiam ex opere operato ob ſpeciale priuilegium datum à Chriſto: *Matth. 10. Qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.*

10. *Martyrium* non eſt ſacramentum, quamuis conferat gratiam ex opere operato: quia martyrium non eſt cauſa phyſica inſtrumentalis gratiæ, ſicut eſt ſacramentum; & deinde ſacramentum eſt quædam ceremonia ſacra inſtituta ad Dei cultum; martyrium verò ſeu cruciatus, quatenus prouenit à Tyranno, eſt actio praua & execranda, quæ fit in odium Dei, quamuis ex parte martyris ſit actus virtutis, cui Deus contulit priuilegium, vt ipſius intuitu gratia conferatur & culpa & pœna deleatur. *Regin. l. 27. n. 7. Suar. d. 29 ſect. 3. Henr. l. 2. c. 34. n. 1. Valent. c. punct. 4. Suar. 3. par. diſp. 29. ſect. 3. verſ. fin. Henriq. lib. 2. cap. 39. num. 1.* Secundum probabilem multorum Doctorum ſententiam, martyrium ſuum effectum confert quando martyr accepit cruciatum lethalem, ſeu vulnera de ſe naturaliter mortifera, ita vt mors nequeat ampliùs euitari: quia martyr poſtquam accepit huiuſmodi vulnera, dicitur mortuus in cauſa; & non poteſt aliud

inſtans

inſtans congruenter aſſignati in quo martyrium ſuum præſtet effectum: *Caiet. 2. 2. q. 124. art. 4. ad 2. Coninch q. 66. num. 159.* Quamuis aliqui dicant ſecuti, gratiam conferri in inſtanti vitæ terminatiuo, & quidem ſi illud momentum ponatur vitæ extrinſecum, poſſet anima mereri & accipere gratiæ augmentum iam ſeparata à corpore, quod eſt improbabile. *Bonac. de Sacr. diſput. 2. q. 1. par. 3. num. 2. Sylu. 3. p. q. 66. art. 11. quæſ. 5. D. Tho. 2. 2. quæſ. 124. artic. 4.* Si tamen illud momentum ponatur vitæ intrinſecum, ita vt homo deſinat per vltimum ſui eſſe, ſic valde probabiliter dici etiam poteſt, martyrium conferre gratiam in illo inſtanti: quia idem inſtans eſt terminus intrinſecus martyrij: patet inſuper ex ratione primæ ſententiæ, illum qui recipit vulnera naturaliter illatiua mortis, non priuari fructu martyrij, ſi poſteà à morte naturaliter ineuitabili miraculosè à Deo liberetur, vt benè ait *Suarez* ſuprà.

11. *Martyrium* rarò eſt in præcepto, cùm ſæpe non ſe offerat neceſſitas propter quam teneamur martyrium ſubire; quando autem grauis neceſſitas & cauſa ſeſe offert, puta ad tuendam fidem, tunc eſt in præcepto, quia bonum fidei & Reip. Chriſtianæ præponderat vitæ noſtræ: regulariter autem loquendo ſufficit martyrium in animi præparatione, id eſt, vt homo ita ſit affectus & animo paratus, vt mortem pateretur, ſi neceſſitas & occaſio ſeſe offerret, quamuis illam quærere non teneatur. *D. Tho. in 4. diſt. 49. q. 5. art. 3. Henriq. l. 2. c. 39. num. 4.*

De Martyrio, vide *Baptiſmus* 1. num. 6.

MATRIMONIVM I.

Quid ſit matrimonium, & de eius eſſentia.

SVMMARIVM.

1. *Vnde matrimonij nomen deriuetur? & quæ ſint eius ſynonima.*
2. *Tripliciter matrimonium conſiderari poteſt?*
3. *In quo conſiſtat eſſentia matrimonij?*
4. *An matrimonium ſit in præcepto?*
5. *Ad quid matrimonium fuerit inſtitutum? & quando ſtatus coniugalis ſit inferior cœlibatu?*
6. *Diuiſio matrimonij in legitimum, & ratum & conſummatum. In verum & præſumptum. In clandeſtinum & probabile.*
7. *Quænam ſint materia & forma Sacramenti matrimonij?* referuntur variæ ſententiæ.
8. *Quis ſit miniſter Sacramenti matrimonij.*
9. *An matrimonium poſſint inter abſentes per litteras vel per procuratorem valide celebrari? & quæ conditiones deſiderentur vt procurator abſentis nomine valide contrahat?*
10. *An matrimonium contractum per litteras vel per procuratorem ſit ſacramentum?* refertur duplex ſententia.
11. *Ætas iure requiſita ad matrimonium. Et quando malitia poſſit ſupplere ætatem. Quale peccatum contrahere ante ætatem?*

1. *Matrimonij* nomen deriuatur à matre, quia mulier nubit, vt mater efficiatur: appellatur alio nomine, nuptiæ: connubium: *Nuptiæ* autem & *connubium* nuncupantur ab obnubendo ſeu velando, quia quaſi nube obtegitur virgo velamine quodam, dum benedicitur. *Vaſq. de matr. diſp. 1. c. 1. Fill. tract. 10. c. 1. Sylu. in ſupp. q. 41. Pont. de matr. l. 1. c. 1. num. 3.* Appellatur etiam *coniugium*, ab effectu, eò quòd duos, vt vna caro efficiantur, coniungit, & ſub eodem iugo perpetuo.

2. *Matrimonium* tripliciter conſiderari poteſt. *Primò*, vt officium naturæ ad liberos procreandos; & definiri poteſt, *maritalis coniunctio viri, & fœminæ inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. Secundò*, conſiderari poteſt vt remedium concupiſcentiæ ad ſeruandum in voluptatibus modum. *Tertiò*, vt nouæ legis ſacramentum, ad onera matrimonij diuina gratia ſubleuanda; & definitur ſacrum ſignum gratiam conferens, qua & reprimere concupiſcentiam & fideliter cohabitare ad prolem educandam coniuges valeant. *Sanch. de matr. l. 2. diſp. 1. num. 1. Fillinc. c. q. 2. Bonac. de mat. q. 2. p. 1. num. 1. Sylu. c. q. 44. art. 3. Pont. c. c. 2. num. 10.*

3. Cùm in matrimonio multa inueniantur, nempe mutuus conſenſus, externus contractus, mutua corporum traditio, quoddam vinculum ortum ex contractu, obligatio ad reddendum debitum, ius quod eſt in vnoquoque ad alterum, vſus & conſummatio matrimonij; quidditas tamen & eſſentia matrimonij conſiſtit in vinculo illo, quo formaliter ſunt coniuges vniti, quod oritur ex mutua traditione; vnde nec conſummatio matrimonij, nec conſenſus internus, nec externus contractus ſunt id, in quo matrimonij eſſentia conſiſtit, nec mutua corporum traditio. quia illa tranſit matrimonio permanente, nec mutua obligatio & ſubiectio ad reddendum debitum, quia hæc ceſſat, vel alterius adulterio, vel ingreſſu Religionis communi conſenſu, manente tamen vinculo matrimonij conſummati. *Diu. Thom. 4. diſt. 27. quæſ. 1. art. 2. Victoria de matrimon. num. 246. Henriq. de matrimon. l. 11. cap. 8. num. 2. Hurtado de matrim. diſput. 3. diſſic. 1.*

4. Matrimonium olim, cùm pauci erant homines, erat in præcepto: quia homo tenetur conſeruare ſpeciem generatione, ſicut tenetur conſeruare ſuum indiuiduum, per ſumptionem cibi, & ideò tunc obligabat ſingulos; nunc autem multiplicatis hominibus hoc præceptum obligat ſolùm rectores cõmunitatum, vt hi neceſſitate occurrente compellant ſubditos ad matrimonia ineunda. *Diu. Thom. 4. diſt. 26. quæſ. 1. art. 2. Valent. tom. 4. diſ. 10. quæſ. 1. p. 4. Vinald. 1. p. de matr. num. 9. Sylu. in ſuppl. qu. 41. art. 2. concl. 1. & 2. Henriq. l. 11. c. 1. num. 5. Fillinc. cit. capit. 1. numer. 8. Reginald. l. 31. numer. 3. Molin. tom. 1. tract. 2. diſ. 22.* Verùm iam non eſt neceſſe, vt ſint ſolliciti ea de re, cùm homines de ſe ſatis ſint procliues ad matrimonia, & cùm hoc præceptum matrimonij naturale ſit, ideò obligat vrgente neceſſitate etiam Religioſos, moniales, & alios habentes votum caſtitatis; quia votum quod vim habet à propria voluntate, non poteſt præiudicare præcepto naturali de conſeruanda ſpecie. *Imò* extra caſum neceſſitatis conſeruandæ ſpeciei teneretur quis matrim. inire ſub mortali, quando ſequerentur ſeditiones, & bella in Rep. niſi Principis filius vxorem duceret, & tunc teneretur hic ad matrimonium ratione præcepti ſcandalum vitandi & de impediendis Reipub. damnis. *Sanchez l. 2. d. 3. num. 4. Bonacina cit. p. 3. num. 4. Diana de Sacrament. reſ. 289. p. 3.*

5. Matrimonium ante Adami lapſum inſtitutum eſt in naturę officium, eo autem ſecuto, in concupiſcentiæ remedium, & tandem in noua lege eleuatum fuit à Chriſto vt eſſet ſacramentum: *Reginald. lib. 31. num. 9. Vinald. cit. numer. 7. Sanchez l. 2. d. 4. Henriq. l. 11. cap. 2. Sylu. cit. quæſ. 42. art. 2. concl. 1. 2. & 3.* In lege naturæ, ſecundùm quoſdam, inſtitutum fuit ab Adamo in illis verbis, quæ Deo inſpirante protulit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*; Licet probabilius ſit inſtitutum eſſe ac præceptum à Deo illis verbis, quæ dixit Geneſ. 1. *Creſcite & multiplicamini*. In nouo autem teſtamento eleuatum fuit in ſacramentum, ſecundùm veriorem ſententiam, quando Chriſtus dixit: *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Matth. 19.

Sed rogabis, an ſtatus coniugalis ſit inferior cœlibatu? Reſp. Affirmatiuè. Et eſt de fide definitum à Conc. Tridentino *ſeſſ. 24. canone* 10. contra hæreticos noſtri temporis, qui vel æquant matrimonium virginitati, vel etiam præferunt. Prob. 1. ad Corinth. 7. 38. qui *matrimonio iungit virginem ſuam bene facit, & qui non iungit melius facit*. Ratio eſt, quia cœlibatus conſulitur à Chriſto Matth. 19. 12. *qui poteſt capere capiat* &c. & eſt gratior Deo; habet plurima commoda ſpiritualia, quibus caret ſtatus coniugalis.

Dices matrimonium eſt ſacramentum, non autem votum continentiæ, ergo matrimonium eſt præſtantius? Reſp. comparandum eſſe ſtatum cum ſtatu, non ſtatum cum ſacramento: ſtatus continentiæ altior eſt & maioris gratiæ & meriti, quàm ſtatus coniugalis: Sacramentum tamen ſemper auget gratiam in quocumque ſtatu ſuſcipiatur. Itaque matrimonium eſt præſtantius ſecundùm quid, neque id ex natura ſua, ſed ex benignitate Chriſti Domini, qui gratiam ſacramentalem ſuperaddit: qua tamen longe maiorem accipiunt, qui propter Chriſtum nuptias contemſerunt.

6. *Diuiditur* matrimonium in *legitimum, ratum, conſummatum. Sanchez lib. 2. diſ. 1. numer. 9. Sotus 4. diſt. 26. quæſ. 2. artic. 3. Veracruz 3. part. artic. 35. Sylueſtris in ſuppl. quæſ. 59. artic. 5. concluſ. 2. Legitimum* dicitur, quod legitimo conſenſu contrahitur, quale eſt apud infideles; poteſtque dici contractus quidam, quem infideles celebrando non peccant, cùm ſit in officium ſeu propagationem & conſeruationem naturæ

naturæ humanæ, atque in remedium concupiſcentiæ; non tamen eſt ſacramentum, quia *infideles* carent Baptiſmo, qui eſt ianua omnium ſacramentorum. *Conninch. quæſ.* 64. *art.* 8. *d.* 3. *Reginald. l.* 31. *num.* 2. Vnde matrimonium contractum ex dilatione Pontificis à fidelibus cum cathecumena, licet aliqui dicant eſſe ſacramentum ex parte ſolius fidelis, quia ille ſolus eſt ſacramenti capax; probabilius tamen eſt ex parte neutrius eſſe ſacramentum, quia matrimonium in vtroque coniuge eſt vnum numero ſacramentum, ſicut eſt vnum numero matrimonium: ergo ſi in vno non eſt ſacramentum, nec erit in altero. *Sanch. c. d.* 9. *num.* 5. *Speculum* 2. *p.* 9. 26. *Gutieres de matr. c.* 42. *num.* 5. Matrimonium autem infidelium fit ſacramentum, & confert gratiam, cùm ambo baptizantur; quia ſtatim ac baptizantur, matrimonium illud repræſentat vnionem Chriſti cum Eccleſia, efficiturq; indiſſolubile, ſaltem vt matrimonium fidelium ratum. *Henriq. lib.* 11. *cap.* 8. *Bellarm. de matr. lib.* 1. *c.* 5. *Bonacina c.* 9. 2. *p.* 2. *num.* 5. Multi tamen Doctores valde probabiliter docent matrim. hoc effici ſacramentum, quando poſt Baptiſmum interueniunt noui conſenſus, vel præcedentes rati habentur, per aliqua ſigna externa, vt per verba, per nutus, aut per copulam maritalem, non tamen exigitur, vt hæc fiant coram Parocho & teſtibus. Alij denique aſſerunt, matrimonium contractum inter infideles, non poſſe fieri verum ſacramentum etiamſi poſtea baptizentur; quia matrimonium eſt eſſentialiter contractus inter baptizatos initus, qui hic nullo modo poni poteſt. Ita *Fentius, Vaſquez, Conninch.* apud Dianam *tr. de Sacramentis, reſol.* 253. *part.* 3.

Matrimonium ratum dicitur, quando eſt ſacramentum nondum tamen copula carnali conſummatum, quale fuit matrimonium inter Beatiſſimam V. & Sanctum Ioſeph. *Conſummatum* verò *matrimonium* eſt, quando eſt iam copula carnali perfectum. *Sanchez c. diſput.* 1. *num.* 9. *Soto* 4. *d.* 26. *q.* 2. *art. vlt.*

An autem inter fideles poſſit eſſe matrimonium, quod non ſit Sacramentum, *Sanchez, La man, Conninch*, & alij negant, quia ex Chriſti inſtitutione, inſeparabilis eſt ratio Sacramenti à contractu matrimonij. Contraria tamen ſententia Dianæ placet *par.* 3. *tract. de Sacramentis reſol.* 255. quam etiam amplexi ſunt *Vaſques, Pontius, Rebellus*.

Rurſus matrimonium, aliud eſt verum, aliud præſumptum. Matrimonium verum eſt, vbi nihil eſſentiale deeſt. Præſumptum eſt, quod verum eſſe ab Eccleſia præſumitur, ſiue tale ſit, ſiue non, cùm enim Eccleſia ex ſignis externis iudicet, illud habet pro vero matrimonio; quod legitimis argumentis tale probatur & contra præſumptionem eiuſmodi, inquit Pontifex *Cap. ſi, qui, de ſponſal.* non eſt probatio admittenda.

Item aliud eſt, clandeſtinum, aliud probabile in iudicio, aliud publicum: vt colligitur ex c. 2. *de clandeſt. deſponſat.* Clandeſtinum eſt, quod tam occultè contrahitur, vt exinde legitima probatio non appareat. Probabile eſt, quod licet in facie Eccleſiæ contractum non ſit, tamen per idoneos teſtes poteſt legitimè manifeſtari. Publicum eſt, quod vicinia ſciente in Eccleſia manifeſtè eſt celebratum. Cæterum poſt Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 24. *de reform. matrim. cap.* 1. nullum dari poteſt matrimonium verum (vbi Concilium eſt receptum) quod idem non ſit probabile, quia requiritur præſentia parochi & teſtium. Vnde omnia matrimonia quæ præſentiam Parochi & teſtium non habent, cenſentur clandeſtina, atque adeo nulla, etiamſi factum per alios multos probari poſſet, vt dicetur infra.

7. Quantùm ad materiam & formam Sacramenti matrimonij, Doctores in varias ſententias abierunt, vt videre eſt apud *Sanchez*: *quidam* enim exiſtimarunt materiam matrimonij eſſe conſenſum coniugum expreſſum per verba, vel ſigna; formam verò eſſe verba ſacerdotis. Sic *Canus lib.* 8. *de locis topicis cap.* 5. *Alij* putarunt materiam eſſe conſenſum, formam verò eſſe verba, quibus conſenſus exprimitur; Ita *Nauarr. c.* 22. *num.* 20. *Alij* docuerunt materiam eſſe verba, formam verò eſſe conſenſum, vt *Maior* 4. *a.* 26. *q.* 1. *Alij* opinati ſunt ipſos contrahentes eſſe materiam, verba verò eſſe formam: ita *Vaſques de matr. d.* 3. *cap.* 5. *Alij* putarunt materiam eſſe verba, quæ proferuntur à priore contrahente, formam verò illa quæ à poſteriori; ſic *Henriq. l.* 11. *c.* 2. *num.* 5. & 6. Verior tamen & amplectenda ſententia docet, verba ſeu ſigna, quibus conſenſus exprimuntur eſſe ſibi inuicem materiam & formam, vnde traditio corporum ipſorum contrahentium eſt materia huius ſacramenti, forma verò eſt acceptatio eorumdem expreſſa per verba, vel ſigna, & ratio huius ſententiæ eſt, quia traditio illa corporum imperfecta eſt & inefficax, donec acceptetur, & accedente acceptatione perficitur & determinatur matrimonium: ergo vtraque verba ſunt materia quatenus important traditionem, & ſunt forma in quantùm important acceptationem, & ſic ſe inuicem determinant; iuxta communiorem ſententiam Theologorum. Ita *Sanchez l.* 2. *d.* 5. *num.* 6. *Suar. to.* 3. *d.* 2. *ſect.* 1. *Conninch. diſp.* 24. *dub.* 4. *num.* 33. *Rodrig. cap.* 215. *Filliucius tract.* 10. *cap.* 1. *quæſ.* 7. & 8. *Diana tract. de Sacram. reſ.* 251. *p.* 3.

8. *Miniſter* huius ſacramenti matrimonij ſecundùm *Suar. c. diſp.* 16. *ſect.* 1. *Reginald. l.* 31. *num.* 52. *Conninch. d.* 24. *dub.* 3. *n.* 34. *Sanch. l.* 2. *d.* 6. Nunquam fuit ſacerdos, nec ante, nec poſt Concil. Trid. ſed ipſi contrahentes ſunt miniſtri conficientes ſacramentum matrimonij, quia matrimonium clandeſtinum quod ſine ſacerdote celebrabatur ante Tridentinum, erat verum matrim. & ſacramentum: Poſt autem Concil. verba parochi vel alterius ſacerdotis non ſunt de eſſentia matrimonij, ſed *ijs* penitus omiſſis conſtat matrimonium. *Suar. c. ſect.* 4. *Bonacina c. p.* 4. *num.* 6. *Henriq. lib.* 11. *cap.* 2. *Diana de Sacrament. reſol.* 199. *Mercerus in ſuppl.* 3. *p. queſt.* 42. *dub.* 3. Poteſt tamen dici ſacerdos *miniſter accidentarius*, quamuis non ſit eſſentialis, quatenus ex officio iungit & benedicit contrahentibus, & propter hoc aſſiſtendo matrimonio & ſponſos benedicendo in peccato mortali, non peccat mortaliter; quia *ipſe* non miniſtrat nec conficit ſacramentum. Coniuges verò contrahentes in mortali, licet grauiter peccent quatenus recipiunt ſacramentum, quia ponunt obicem ad gratiam, non tamen peccant quatenus adminiſtrant, quia ipſi non ſunt miniſtri conſecrati ad id munus, ſed ſolum illis conceſſum eſt neceſſitate quadam.

Non deſunt tamen Theologi præſtantiſſimi, qui aſſerunt ſacerdotem eſſe miniſtrum matrimonij, inquantum ſacramentum eſt, ita vt ante Tridentinum clandeſtinum matrimonium legitimum fuerit, non tamen ſacramentum: & ratio illorum eſt, quia actio ſacramentalis eſt ſacra, ergo miniſtrum ſacrum & formam ſacram petit, ne contractus purè ciuilis & profanus ſit. Huius ſententiæ eſt Melchior Canus, *ſupra*, quem ſequuntur nouiſſimè duo Doctiſſimi viri Guilielmus Eſtius *in* 4. *diſt.* 26. §. 10. & Franciſcus Syluius 3. *p.* 9. 42. *ſupplement. ar.* 1. *q.* 1. Conſule illorum argumenta, & tunc iudicabis de probabilitate huius ſententiæ. Vide etiam Dianam *de Sacramentis ref.* 254. *par.* 3.

9. Cùm natura contractus poſtulet, vt poſſit celebrari per litteras, vel procuratorem inter abſentes, hinc matrim. quatenus contractus eleuatus tamen in ſacramentum à Chriſto, poteſt etiam inter abſentes per litteras vel procuratorem celebrari, & fuit ſemper validum matrim. contractum per procuratorem etiam ante Concil. Trident. *Cap. finalis de procurat. in* 6. *Molina de contr. diſp.* 51. *Filliucius tr.* 10. *c.* 1. *q.* 10. *Sanchez l.* 2. *d.* 11. & 12. *Henriq. lib.* 11. *c.* 2. *n.* 2. *Conninch. d.* 24. *dub.* 9. *num.* 67. *Quatuor* tamen conditiones deſiderantur, vt procurator abſentis nomine validum ineat matrim. *Prima*, vt habeat ſpeciale mandatum ad matrimon. nec ſatis eſt generale ad omnia negotia. *Secunda*, vt ſit mandatum ad contrahendum cum certa perſona, nec ſufficeret generale ad contrahendum cum quacumque. *Tertia*, vt procurator per ſeipſum exequatur, non enim ſubſtituere poteſt niſi expreſſè hoc in mandato contineatur. *Sylueſt. v. matr.* 5. *queſt.* 11. *Vinald. de matr. lib.* 1. *num.* 44. *Quarta*, vt tempore quo procurator contrahit, non ſit reuocata poteſtas, ſi enim reuocata ſit, quamuis reuocatio lateat procuratorem & alterum coniugem, eſt irritum matrim. quamuis iuramentum de procuratore non reuocando præmiſſum ſit. Si autem procuratore miſſo ad contrahendum mandans in amentiam incidat, & talis perſeuerat dum procurator nomine ſuo contrahit, ſecundùm *Sanchez, Bonacinam, Henriques*, apud *Dianam* cit. reſol. 249. valeret matrimonium: licet inualidum putet *Pontius*. *Sanchez c. n.* 20. & *diſp.* 12. *num.* 3. *Gutierez de matr. c.* 45. *Henriq. c. num.* 6. *Poſt Concil. Trident.* requiritur inſuper vt procurator celebret matrimonium coram parocho & teſtibus; alioquin inualidè celebrat, ſicut inualidum eſt etiam matrimonium contractum per litteras, quando illud non innoteſcit parocho & teſtibus, quando verò illis innoteſcit per litteras traditio & acceptatio vtriuſque contrahentis, eſt validum.

10. Quidam Theologi affirmant matrimonium contractum per litteras vel procuratorem eſſe quidem verum matrimonium, non tamen ſacramentum, quia perceptio & confectio ſacramenti eſt actus perſonalis, & vt conſtat in omnibus alijs ſacramentis, requiritur, vt miniſter applicet formam ad materiam in ſubiecto præſenti: alioquin ſequeretur quod ſacramenta conferant gratiam abſenti & ſic occupato circa alia; hæc ſententia valde probabilis eſt, quam tenent eximij DD. *Cauc. tom.* 1. *opuſc. tr.* 12. *Victor de matr. num.* 244. *Eſtius in* 4. *ſent. d.* 26. §. 10. *Syluius ſuppl. q.* 42. *art.* 1.

art.1. quæſt.3. concl. 2. Duacenæ Academiæ publici profeſſores: poſt *Caietanum*, *Victoriam*, & *Canum* apud Dianam *tr. reſol.* 25. *Reginaldum c.*215. *Henriq. lib.*11. *c.*2. *num.* 2. Communior tamen ſententia eſt eſſe ſacramentum, quia matrimonium inter præſentes eſt ſacramentum: ergo etiam celebratum inter abſentes, cùm tunc concurrant materia, forma, & intentio miniſtri, id eſt, contrahentium intendentium recipere ſacramentum vel ſaltem facere quod intendit S. Mater Eccleſia. *Ledeſma de matr. q.* 42. *art.*1. *dub.*7. *Sanches c. diſp.* 11. *num.*28. 30 *&* 31. *Notandum* autem *primò*, quòd quando matrimonium fit per procuratorem, procurator ipſe non ſit miniſter, nec in ipſo recipiatur Sacramentum, nec verba ipſius ſint materia & forma Sacramenti, ſed ipſi principales, contrahentes ſunt miniſtri & recipiunt in ſe Sacramentum, & expreſſiones conſenſuum ipſorum, quatenus innotescunt per procuratorem, ſunt materia & forma, procurator autem eſt conditio ſine qua non. *Soto* 4. *d.*27. *q.*1. *ar.*3. *Lopez* 2. *p. de matr. c.* 35. *Secundò*, eſt aduertendum, mittentem procuratorem teneri ſub culpa lethali eſſe in gratia eo tempore, quo veriſimile eſt fore vt procurator nomine ipſius contrahat, quia tunc recipit Sacramentum. *Gutierez c.*43. *num.*23. *Bonac. q.*2. *p.*5. *num.*4. Verùm ad tollendos ſcrupulos, qui per procuratorem contraxerunt, benefacient ſi poſtmodum ipſimet iterum matrimonium ineant, quia ſententia affirmans eſſe ſacramentum tale matr. non eſt ita certa, vt tollat probabilitatem contrariæ ſententiæ, & ideò iteratur ne fortè prior conſenſus ſit reuocatus.

11. Ætas iure requiſita ad matrimonium validè incundum, eſt pubertas, nempe, annus duodecimus in fœmina, in viro autem annus decimus quartus. *C. Continebatur. C. atteſtationes. C. Ex litteris de deſponſat. impuberum. D. Thomas in ſupplem. q.*58. *art.*5. *Sylueſter ibi.* hæc verò ætas tam in viro quàm in fœmina, debet eſſe completa; quamuis ſatis ſit vltima dies anni duodecimi in fœmina & 14 in viro; vt docent Sylueſter *v. matr.* 5. *q.*1. & Tabiena *v. matrim.*2. *queſt.* 6. Ideò enim hæc ætas à Canonibus definitur, quòd tunc præſumantur habiles ad copulam, & ad conſenſum coniugalem. *Vide Dian. p.*3. *tr.*4. *reſol.*277. *& p.*5. *tract.*5. *reſ.*16.

Ante dictam pubertatis ætatem in dubio, nec mas, nec fœmina præſumuntur generationi apti; vnde ante eam ætatem aſſerenti hanc aptitudinem incumbet onus probandi, quia præſumptionem contra ſe habet, vt docent *Nauarr. in Man. cap.* 22. *n.*29. *Couarr.* 4. *decret.* 2. *p. cap.* 5. *num.* 3. Aliquando tamen malitia poteſt ſupplere ætatem, & validum eſſe matrimonium ante ætatem iure præſcriptam, initum, ſi tunc adſit potentia generandi, & ſufficiens diſcretio ad ſe obligandum, vt expreſsè definitur in iuribus hic citatis. *C. de illis, el.* 2. *C. puberes, & C. final. de deſponſ. impub.*

Sed inquires, quanto tempore ante dictam ætatem malitia eam ſuppleat? Sanches *ſit. diſp.*104. id relinquit arbitrio iudicis, quia nihil videtur iure præſcriptum. Hurtadus autem *de matrim. diſp.* 22. *diffic.*12. cenſet, eſſe tempus vnius integri anni, vt exprimitur in *c. Continebatur de deſp. imp.* ac proinde puellam habentem vndecim annos completos, & puerum habentem tredecim, eſſe proximos pubertati, vt malitia ſupplente ætatem, poſſint validè matrimonium contrahere.

Dubium autem eſt, quale peccatum ſit matrimonium contrahere ante legitimam ætatem? Communior & probabilior ſententia aſſerit eſſe peccatum mortale: quia textus *Cap.*2. *de deſponſat. impub.* continet præceptum obligans ad mortale; dicit enim Pontifex, *Diſtrictius inhibemus*, in quibus verbis prohibitio eſt continens præceptum: Interueniente tamen iuſta cauſa, ex licentia Epiſcopi non eſſet mortale, ante legitimam ætatem matrimonium contrahere; vt habetur in dicto cap. 2. Ita multi antiqui apud Sanches *de matrim. lib.* 1. *d.* 17. *numer.*5. Et ex neotericis *Gutieres de matrim. cap.*2. *num.* 16. *Bonac. de matrim. quæſ.*1. *par.*4. *num.*7. *Filliuc. tract.* 10. *par.* 1. *numer.* 259. *Pontius de matrimon. lib.*7. *capit.* 65. *numer.* 3. *Henriques l.*11. *cap.*13. *num.*13.

(*)

MATRIMONIVM II.

De indiſſolubilitate matrimonij.

SVMMARIVM.

1. *De ſignificatione matrimonij rati & conſummati.*
2. *Quonam iure indiſſolubilitas matrimonij tam rati quam conſummati proueniat?* referuntur variæ ſententiæ.
3. *An Summus Pontifex poſſit diſpenſare in matrimonio rato?* refertur triplex ſententia.
4. *An per profeſſionem trium votorum ſolemnium in religione approbata dirematur vinculum matrimonij rati? & quid dicendum de votis coadiutorum in Societate Ieſu: & quorumdam Tertiariorum D. Franciſci, Dominici, & Auguſtini.*
5. *Quandonam cenſeatur matrimonium eſſe conſummatum & proinde indiſſolubile?* referuntur variæ ſententiæ.
6. *An conſummatum matrimonium per copulam vi extortam intra bimeſtre à iure conceſſum ad deliberandum de religionis ingreſſu* refertur duplex ſententia.
7. *An bimeſtre illud ante conſummationem matrimonij, præſcriptum ſit ſponſis ad profitendum, vel ad deliberandum de religionis ingreſſu? & an Iudex poſſit illud reſtringere vel prorogare?*
8. *An tranſactio bimeſtris poſſit quilibet coniux ingredi religionem ſi matrimonium non ſit conſummatum.*

1. MAtrimonium *ratum* ſignificat vnionem diſſolubilem Chriſti cum anima exiſtenti in gratia: *conſummatum* autem ſignificat indiſſolubilem vnionem Chriſti cum Eccleſia per carnem aſſumptam: *& ratio differentiæ* huius ſignificationis eſt, quia ſolùm per matrimonium conſummatum fiunt coniuges vna caro, quare ſolùm matrimonium conſummatum ſignificat eam coniunctionem, per quam Chriſtus factus eſt vna caro cum Eccleſia, per Incarnationis Myſterium: vnde ſecundùm omnium ſententiam, matrimonium conſummatum ſaltem iure diuino indiſſolubile eſt, vt patet Matthæi 19. *quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. Cap.* 2. *de conuerſ. coniugato. & C. lex.* 27. *q.*2. *D. Paulus ad Epheſ.*5. *Filliuc. tract.*10. *cap.*2. *Sanch. de matr. l.* 2. *diſp.*14. *num.*1. *&* 2. *Bonac. de matrim. quæſ.*2. *par.*11. *numer.*1. quod etiam habet locum in matrimonio conſummato infidelium, lex enim Chriſti omnes obligat, licet ex diſpenſatione Chriſti explicata per D. Paulum 1. *ad Cor.* 7. diſſoluatur, ſi alter tantùm conuertatur ad fidem: hæc indiſſolubilitas eſt vnum ex tribus præcipuis bonis matrimonii, & eſt de ſubſtantia illius.

2. *Controuertitur* inter Doctores, an indiſſolubilitas matrimonii, tam rati, quàm conſummati, proueniat ex iure ipſo naturali, & ex matrimonii natura, vel tantùm ex iure diuino poſitiuo, ex ratione ipſa Sacramenti, vel ſignificationis, vel ex eccleſiaſtico: *multi* dicunt vtrumque matrimonium ex iure diuino naturali indiſſolubile eſſe: quia ſi non eſſet iure naturali indiſſolubile: diſſolui poſſet cæterorum contractuum more per mutuum conſenſum, & huius ſententiæ ſunt *D. Th. in ſupplem. queſt.*67. *artic.*1. *Sylueſter ibid. Soto* 4. *d.*27. *q.*1. *a.*4. *Conar.*4. *decret.* 2 *p. cap.*7. *§.*5. *num.*5. *Bonac. c. num.* 2. *Corduba l.*1. *quæſt.*25. Alii docent prouenire ex præcepto Dei poſitiuo, quia ſtatim poſt naturam lapſam fuit repudium licitum ſecundùm multos vſque ad legem Euangelicam, ſic *Abulenſis* 1 *reg. cap.*8. *queſt.*97. 103. *&* 113. Alij tenent indiſſolubilitatem matrimonij rati prouenire ex iure humano Pontificio: ſic quidam Iuriſperiti apud *Sanchez* cum *Medina l.*5. *de ſacrorum hominum continentia c.*89. *&* 73. *Probabilior* tamen ſententia ait, aliqualem inſeparabilitatem eſſe de natura matrimonij, & ita competere etiam matrimonio rato de iure diuino & naturali: omnimodam tamen indiſſolubilitatem non competere matrimonio ex iure naturæ, nec ex ratione Sacramenti, ſed ex ſignificatione, qua Chriſtus erexit illud ad ſignificandam vnionem indiſſolubilem Chriſti cum Eccleſia, per carnem aſſumptam, & quia hæc ſignificatio tantùm conuenit in matrimonio conſummato, & ideò illud ſolùm eſt omninò indiſſolubile. *Filliuc. c. cap.*2. *num.*33. *Sanch. l.*2. *d.*13. *num.*7. *Henriq. l.*11. *cap.*2. *num.*3. *Sylueſter in ſuppl. queſt.*61. *artic.*2. *queſit.*2.

3. *Solemnis controuerſia* eſt apud Doctores; tam Theologos, quàm Iuriſperitos, an in matrimonio rato diſpenſare poſſit Summus Pontifex, vt diſſoluatur. *Scotus* 4. *d.*31. *queſt.*1. *Soto* 4. *d.*27.

d.27. q.1. a.4. *Rodriq. c.238. n.5. Arrag. t.2. q.88. art.11. Plurimi* docent id non posse Pontificem: quia Pontifex nequit dispensare contra ius naturale, & diuinum: sed indissolubilitas matrimonij rati, est de iure naturali diuino, ergo. Hæc sententia probabilissima est, quam tenent communiter Theologi. *Navarr. c.22. num.21. Reginald. l.31. n.38. Filliuc. c.c.2. q.8. Conninch. d.26. dub.3. num.33. Probabilior* tamen sententia ait, posse Pontificem dispensare, quia in dubijs, sententiæ superiorum est standum & maximè Pontificis: constat enim varios Pontifices de facto dispensasse: quia Summus Pontifex potest diuina authoritate dispensare in aliquibus, quæ non deducuntur proximè ex principijs iuris naturæ, sed remotè, & quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ, modò interueniat iusta & legitima causa; vt in voto solemni, iuramento, matrimonio rato, *Sanch. l.2. disp.16.* Causa autem iusta censetur notabilis in qualitate disparitas, grauis timor scandali magni futuri, ex quo rixæ graues & neces oriuntur, lepra alteri superueniens: aut quando alter coniugum asserit se non habuisse animum contrahendi, aut vt vir efficiatur Episcopus.

4. *Quamuis matrimonium ratum* per se, & ex sua natura, dicatur perpetuum vinculum & indissolubile, ex priuilegio diuino dirimitur matrimonij rati vinculum per professionem trium votorum solemnium, in approbata religione: vnde coniugatus qui ante consummatum matrimonium, professionem facit in approbata religione remanet liber ab obligatione matrimonij, eò quòd ipsius matrimonium dissoluatur per sequentem professionem: & licitum est vxori in sæculo manenti cum alio matrimonium contrahere, ita definitum fuit, tum in Tridentino, tum ab alijs Pontificibus. *Conc. Trid. sess.24. can.6. Ioannes 22. antiquæ, de voto. Lessius l.2. c.41. d.8. n.69. Sanch. d.18. Sylu. in suppl. q.61. art.2.*

Notandum tamen est matrimonium ratum non dirimi per vota simplicia, quæ emittuntur à quibusdam Tertiarijs, tum viris, tum fœminis beatorum Dominici, Francisci & Augustini, qui collegialiter non viuunt, sed in proprijs domibus. *Victor. de matr. num 236. Sotus 4. d.27. q.1. art.4.* Per vota tamen Tertiariorum vtriusque sexus, qui collegialiter viuunt sub regimine Prælati ex vi suæ regulæ approbatæ, sub qua emittunt vota illa, dissoluitur matrimonium non consummatum: quia eorum vota absoluta, & absq; restrictione sunt professio solemnis, vt respõdit *Paulus III.* conuentui a Patrib. Dominicanis. Imò *Põtius de matr. l.9.c.8.* affirmat idẽ de votis viuentiũ in proprijs domibus sub arbitrio & regimine Prælati, quia eo ipso eorum vota sunt professio solemnis. Item per vota Equitum *S. Ioannis* dissoluitur matrim. ratum: quia professi horum est solemnis, & in ea vouent castitatem absolutam, absque restrictione: secus dicendum de votis & professione Equitum Calatrauæ, & Alcantaræ, & *S. Iacobi*, quamuis sint verè religiosi. Ratio est, quia matrimonium antea factum est compatibile cum eorum votis, quia tantùm vouent castitatem coniugalem. Item per vota clericorum & Monialium Ordinis militaris in claustro viuentium, dissoluitur matrimonium non consummatum, quia sunt solemnia, & absoluta. Vide *Sanch. de matr. l.2. disp.18. Pont. t.c.c.7. Azor. to.1. l.13. c.6 q.4. Henriq. l.11.c.8. num 7.* Non dirimitur per vota coadiutorum formatorum in Societate Iesu emissa, sunt enim simplicia, quamuis publicè emittantur. Sicut nec dirimitur per consecrationem alterius coniugis in Episcopum, aut per susceptionem ordinum sacrorum, quia ius de sola solemni professione hoc statuit, *Sanch. d.18. num.9. Valent. to.4. d.10. q.3. Syl. c. quæst.1.*

5. *Vt matrimonium* dicatur indissolubile, debet esse consummatum, & tale censetur quacumque ante semen recipiatur intra vas naturale, siue penetratio vasis fiat, siue non: & hoc verum, quamuis dæmonis ministerio semen viri in vase debito recipiatur, quia ea copula sufficiens est generationi, per eamque sponsi vna caro efficiuntur. *C. extraordinaria 35. q.3. Henriq. l.11. cap.8. num.8.* Controuertitur tamen inter Doctores, an matrimonium censeatur consummatum, dum sponsus vas fœminæ penetrat, minimè tamen intra vas semen effundens? quidam enim aiunt sufficere, vt vir penetret vas, licet intra non seminet, quia sponsa non minùs apta redditur matrimonio in hoc casu, quàm si vir seminasset: & huius sententiæ sunt multi *Petr. Ledesma de matr. c.28. dub.1. Medina l.5.c.76. & 79. Rodriq. 1.p.c.239. num.2. Sylues. v. matr.8.q.15.* discipuli *D. Thomæ* cum *Rodriques. Filiuc. tr.10.c.2. n.42. Sanch. l.2. d.21. num.5. Henriq.c.c.15.n.3.* Verior tamen sententia ait, id non sat esse, sed necessario requiri, vt semen virile vas sponsæ subintret: quia tunc debet dici matrimonium consummari, cùm coniuges fiunt vna caro, quod fit, dum recipitur semen intra claustrum fœminæ. Vltetius inquirunt Doctores, an *matrimonium censeatur consummatum*, si solus vir intra vas naturale seminet? & quamuis *D.Th.3.p.q.31.a.5.ad 3. Syluest. v. matrim.8.q.15.* communis sententia affirmet censeri consummatum, eò quòd semen fœmineum ad generationem necessarium non sit: Probabile tamen est, non consummari, nisi etiam fœmina seminet, quia multi satis probabiliter tenent semen fœmineum esse ad generationem necessarium, Hippocrates & Galenus & ex Theologis *Abul. paradoxo 1. c 486. Caiet. 2. 2. q.154. art.12. Diana 4. p. tract. 2. ref. 43. & p. 5. tr. 13. ref.54.* ex quorum sententia probabiliter dici posset, quòd si vir seminante fœmina non seminauerit, idque partibus constet, possent religionem ingredi & profiteri, & pars relicta in sæculo aliud matrimonium inire: &, stante probabilitate huius sententiæ, qui habuit copulam cum consanguinea vel affine vxoris, si illa non seminauit, non contraxit vllum impedimentum, & ideò potest sine alia dispensatione petere debitum. *Henriq. l.11. c.8. num.8. Nau. c. cap.22. num.84. Notandum* præterea est matrimonium non consummari per copulam præcedentem, quia matrimonialis non est, sed fornicaria.

6. Quidam Theologi censent non consummari matrim. per copulam vi extortam, vt intra bimestre à *C. ex publico, de conuers. coniug.* iure concessum ad deliberandum de religionis ingressu, & ita professione secura vel obtenta Pontificia dispensatione matrimonij vinculum dirimi, quia per illam solam copulam matrim. consummatur, quæ vnionem Christi cum Ecclesia representare potest, sed huiusmodi est sola copula voluntaria cùm vnio Christi voluntaria fuerit. Quamuis apud *Durand. 4. d.27. q.2. num.14. Palud. 4. d.27. q.3. art.2. Syluest. v. diuortium q.5.* quoldam hæc sententia probabilis iudicetur; tanquam *Henriq. l.11. c.8. num.10. Rodr. 1.p. cap.238. num.2. Vict. de matr. num. 255.* certum tamen tenendum est matrim. consummari, & efficaci prorsus indissolubile; quia ex parte viri liberè fuit contractum matrim. & ideò ex parte eius est omninò indissolubile, quamuis sponsa profiteatur, & cum matrimonij vinculum claudicare nequeat, idem erit ex parte sponsæ. *Sanch. l.2. d.22. num.152. Sot. 4. d.27. q.1. art.4. Filliuc. tract. 10. c.2. num.47. Rodriq. c.11.2. Dian. p.3. tr. de Sacrament. ref.242. Pont. de matr. l.9.c.10.n.3.* Sponsus tamen intra bimestre copulam extorquens vi vel timore graui, peccat lethaliter, quia aufert corporis integritatem, cùm non habeat ius, donec bimestre transierit, & ideò reputatur hæc grauis iniuria facta sponsæ: quia licet secundùm probabilem sententiam multorum Doctorum, possit talis sponsa vi cognita adhuc religionem ingredi; quia viri culpa alterius bonum impedire non debet, probabilissima tamen est sententia contraria, nempe ipsam non posse ingredi, & maximè si ex ea copula proles secumra sit. Vide Syluium *in supplem. q.61. art.1.*

7. Secundùm probabiliorem sententiam, bimestre illud ante consummationem matrimonij præscriptum est sponsis, non ad profitendum, sed ad deliberandum de religionis ingressu; ad profitendum autem datur integer annus, qui annus à iudice coarctari nequit, sine causa vrgenti, quia Tridentinum generaliter & per verba negatiua statuens ne ante annum fiat professio, est generaliter & in omni casu intelligendum: lex enim vniuersalis negatiua est vniuersaliter intelligenda. *Armilla v. diuortium n.5. Sot.4. d.27. q.3. art.4. Henriq. l.12. c.5. num.8. Rodriq.c.238.n.2. Illud autem* bimestre concessum sponsis ad deliberandum de religionis ingressu, non est ita præcisum, quin iudex possit causa cognita illud restringere vel prorogare, quia licet quando datur terminus à lege absque Iudicis ministerio, nequeat Iudex restringere, vel propagare, cùm non sit supra legem: secus tamen est, vbi datur ministerio Iudicis: vt contingit in *Cap. ex publico* citato; vbi non signatur bimestre, sed mandatur iudici vt designet: licet iudex ab eo bimestri facilè discedere non debeat cùm iuris terminus sit. *Nau. c.16. num.24. Sanch. l.2. d.24. num.12. Rodriq. p.1. c.242. num.1.*

8. Sed difficultas est, an transacto bimestri, possit quilibet coniux ingredi religionem, si matrimonium nondum sit consummatum? Responsio est affirmatiua, quamuis plures anni elapsi sint à matrimonio inito, dum consummatum non sit, quamuis alter nolit, & antea interuenerit iniusta debiti negatio: quia in dicto *c. ex publico, de conuers. Coniugat.* absolutè conceditur facultas ingrediendi Religionem ante consummatum matrimonium, & duo menses tantùm assignantur, vt intra eos nequeant coniuges cogi ad consummandum, & vt eis transactis possint cogi vel ad consummandum, vel ad religionem ingrediendum, & non vt postea nequeant ingredi.

MA-

MATRIMONIVM III.

De cauſa efficiente matrimonij quæ eſt conſenſus mutuus.

SVMMARIVM.

1. *An ad matrimonium neceſſarius ſit conſenſus mutuus?*
2. *An carnalis copula ſit de eſſentia matrimonij? & an conſenſus matrim. conſtituens, ſit explicitè in carnalem copulam? & quæ ſint matrimonij bona?*
3. *An contrahens matrimon. debeat implicitè intendere bonum Sacramenti & alia duo matrimonij bona?*
4. *An ſit peccatum veniale matrim. contrahere propter copulam? & an ſit mortale contrahere expreſſa conditione excludendo matrimonij fines?*
5. *An ad matrimonium celebrandum ſufficiat conſenſus internus.*
6. *An ſit neceſſarium conſenſum vtriuſque coniugis ſimul tempore præſtari?* refertur duplex ſententia. *Quæ diſtantia inter vtriuſque conſenſum obſtet valori huius contractus.*
7. *An requiratur, vt vterque denuò conſentiant ad valorem matrimonij, quando conſenſus alterius coniugis fuit fictus vel metu extortus?* refertur duplex ſententia. *An ſit neceſſarium vt qui iterum eſt conſenſurus conſcius ſit nullitatis matrimonij?* refertur duplex ſententia.
8. *An quando matrim. fuit nullum defectu conſenſus vtriuſque contrahentis, vel propter metum vtrique incuſſum, requiratur, vt conſenſus aliquo ſigno externo manifeſtetur ad validandum matrimonium?*
9. *An validum ſit matrimonium, ſi ſubeſt aliquis error facti, vel iuris, & vterque conſentiat quantum in ipſis eſt?*
10. *An taciturnitas ſufficiat ad exprimendum conſenſum matrimonialem?*
11. *Quæ coniecturæ ſufficientes cenſeri debeant ficti conſenſus in matrimonium?*

1. AD matrim. neceſſarius eſt *conſenſus mutuus*, quia in matrimonio eſt mutua traditio corporum: ſed quod eſt vnius non traditur alteri abſque proprio conſenſu: *Conc. Florent. de Sacram. matrimonij*. Imò ſecundùm probabiliorem ſententiam, per nullam potentiam poteſt matrimonium conſtare abſq; proprio conſenſu: quia conſenſus eſt de eſſentia matrimonij, res aut autem per nullam potentiam poteſt conſiſtere abſque ſua eſſentia: quòd ſi vinculum hoc conſiſtere nequit, de potentia Dei abſoluta, abſque contrahentium conſenſu, multò minus humanę poteſtati hoc conceſſum erit; poterit tamen Princeps quando bono communi valde expediret, aliquem compellere vt alicui nubat, ipſo tamen inuito matrim. conſtituere nequit. Ita *Sanches l. 2. d. 26. Filliuc. tract. 10. cap. 4. quæſt 1. Victoria de matr. num. 7. Henriq. l. 11. cap. 1. num. 3. & c. 6. num. 7. Sylvius in ſuppl. q. 45. art. 1. concl. 4.*

2. Cùm carnalis copula non ſit de matrimonij eſſentia, ſed eius effectus & operatio, perfectio autem eſſentialis conſiſtat in mutua corporum traditione ad copulam, hinc conſenſus matrimonium conſtituens non eſt explicitè in carnalem copulam, ſed in ius & poteſtatem ad talem copulam, implicitè autem & virtute ad copulam. *D. Tho. 4. d. 28. q. 1. art. 4. Suar. 3. p. q. 29. art. 2. ſect. 1. Vinald. de matr. num. 50. Henriq. l. 11. c. 15. num. 1. Filliuc. tract. 10. c. 3. q. 3. Bonac. q. 2. punct. 10. num. 4. Sanches l. 2. d. 29. num. 4. Tolet. l. 7. c. 2.* Propterea Doctores *tria bona* conſtituerunt, quæ neceſſariò debent intendi à contrahentibus, vt matrimonium ſine peccato ineatur. *Primum* eſt, bonum ſacramenti, quod inuenitur in matrimonio, quo coniuges diligunt ſe ſicut Chriſtus Eccleſiam dilexit, gratiamque recipiunt, qua facilius vinculum perpetuum tolerent. *Secundum* bonum, & eſt bonum prolis, quæ generatur & educatur ad diuinum obſequium, & licet non ſemper ea ſequatur, ſaluatur tamen ſemper in ipſo fine intrinſeco ad quem matrimon. dirigitur: *Tertium* bonum eſt fidei, id eſt, fidelitatis, quo coniuges ſibi mutuò obligantur ad reddendum debitum, negandumque corpus cuique alij.

3. Contrahens matrim. debet ſaltem implicitè intendere bonum ſacramenti, quod euenit, quando non habet intentionem contrariam, quare ſi haberet animum etiam corde retentum aduerſum bono ſacramenti, intendens non contrahere matrim. niſi ad tempus, non eſſet verum matrimonium. Non eſt tamen opus vt implicitè intendat alia duo matrimonij bona: imò quamuis haberet intentionem aduerſam alijs duobus matrimonij bonis corde ſolo retentam, nec in pactum deductam, matrimonium valeret: *ratio prioris* eſt, quia de ratione matrimonij eſt, vinculum eſſe perpetuum; intendens autem matrim. inire diſſolubile & ad tempus, verè non intendit matrim. *Ratio* autem *poſterioris* eſt, quia ea intentio nil attinens ad contractus ſubſtantiam aufert, quia poſito quod velit quis contrahere, obligatur ex vi contractus, ad non agendum aliquid contra prædicta bona, non obſtante ſua intentione. *D. Tho. 4. d. 31. q. 1. art. 3. corpore. Filliuc. t. c. 3. n. 74. Tabiena v. matrim. 2. q. 3. Sanch. l. 2. d. 29. num. 11. D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 19.*

4. Cùm matrimonium primariò inſtitutum ſit à Deo in naturæ officium ad propagationem ſobolis; ſecundariò autem in remedium concupiſcentiæ, & vitationem fornicationis, hinc cum matrimonium ordinatur ad copulam, eſt peccatum veniale, ſi non principaliter ad ſobolem vel concupiſcentiæ remedium ordinetur, ſed ad alios fines indifferentes, matrimonio tamen extraneos, vt pulchritudinem, diuitias. *Caiet. tract. 12. de matr. q. 8. Vinald. 1. p. de matr. num. 68. Rodriq tom. 1. cap. 240. num. 2. Henriq. lib. 11. c. 4. num. 2. Nau. c. 22. num. 79. Angel. v. matr. 2. num. 25. 26. Conarr. 4. decret. 2. p. c. 1. num. 7.* Si tamen fines indifferentes matrimonio extranei ſunt ſolùm cauſa ſecundaria & applicationis ad contrahendum, nulla eſt culpa, quia nulla eſt debiti finis inordinatio. *Sanches d. 29. num. 20.* Quando autem matrim. non contrahitur ratione copulæ coniugalis, tunc licitè contrahitur, ſcilicet, quamuis non intendatur ſoboles, nec concupiſcentiæ remedium, vt contingit matrimon. B.V. *Henriq. l. 11. c. 4. num. 2. Tabien. v. matrim. 2. q. 4. num. 5. Porrò* ſi contrahentes expreſſa conditione excludant matrimonij fines, peccant lethaliter, quia ſacrilegium eſt grauis iniuriæ ſacramentis illatæ, expreſſè excludere finem ad quem inſtituta ſunt.

5. Ad matrim. celebrandum non ſufficit conſenſus internus, niſi exprimatur verbis vel ſignis: quia matrimon. eſt ſacramentum, de ratione autem ſacramenti eſt, eſſe ſignum externum ſenſibile; non eſt tamen neceſſe, vt conſenſus exprimatur per verba determinata, ſed ſufficit ſi per nutus & ſigna ſufficienter manifeſtetur, nullum enim extat præceptum obligans ſub mortali ad contrahendum matrim. verbis: quamuis ſit aliquod peccatum non exprimere conſenſum verbis, quando non ſubeſt iuſta cauſa contrahendi matrim. ſine verbis; non enim recedendum eſt à communi vſu & à regula certa & ordinaria, abſque iuſta cauſa: quòd ſi nutibus ſolis contractum ſit, eſt nihilominus ſacramentum, quia ſecundùm communem Theologorum ſententiam omne matrim. fidelium eſt ſacramentum: *Sanch. l. 2. diſp. 30. 31. Coninch d. 24. dub. 8. num. 63. Filliuc. tr. 10. c. 3. q. 4. Gutier. c. 63. num. 23. Rodriq. tom. 1. c. 216. num. 5. D. Th. in ſuppl. q. 45. art. 2. Sylvius ibid.*

6. Non eſt neceſſarium, conſenſum vtriuſque coniugis ſimul tempore præſtari, ſed ſatis eſt temporis mora intercedente: *Sanches l. 2. d. 32. num. 3. Henriq. lib. 11. cap. 3. num. 6. Sylvius cit. art. 2. quæſt. 1. Rodriq. cap. 216. num. 8.* Modò conſenſus prioris coniugis reuocatus non ſit, quia in omni contractu ſatis eſt conſenſus diuerſo tempore adhiberi; & quamuis aliqui affirment ſatis eſſe, ſi alter præſtet conſenſum quocumque temporis ſpatio intercedenti, quia tamdiu dicitur prior in conſenſu perſiſtere, quamdiu non reuocat, ita *Nauarr. cap. 22. num. 80.* Nihilominus dicendum eſt exigi ſimultatem moralem, ita vt non magnum interuallum inter vnius & alterius conſenſum diſtet, quia in alijs etiam contractibus, per longi temporis lapſum hæc voluntas non manet virtute, ſed reuocatur. *Filliuc. tract. 10. c. 3. q. 6. Vega lib. 3. ſum. caſu 75.* & alij.

Quod autem interuallum & quæ diſtantia inter vtriuſque conſenſum obſtet valori huius contractus? non conueniunt Doctores: *Sotus 4. d. 27. quæſt. 1. art. 3.* enim exiſtimat, diſtantiam ſeptennij obſtare: *Henriq. l. 11. de matr. c. 3.* diſtantiam biennij: *Bart. Ledeſma de matr. dub. 17.* diſtantiam vnius anni. *Sanches* verò taxationem diſtantiæ obſtantis remittit arbitrio prudentis, attentis peculiaribus circumſtantijs. Qui omnes ſupponunt, diſtantiam minorem ea, quæ ab ipſis aſſignatur, non obſtare valori matrimonij. Sententia tamen *Sanches* eſt amplectenda: quia aliquando longum tempus cenſendum eſt à quolibet fuiſſe præſcriptum, etiam vbi Tridentinum viget, vt quando quis per epiſtolam conſentit in procul abſentem: & aliquando breue, aut breuiſſimum, vt quando quis conſentit in præſentem, à qua citò aut

ſtatim

ſtatim expectat conſenſum. Quoties verò quis conſentit, & non expreſsè in perpetuum, nec tempus aliquod determinatum ſuo conſenſui præſcribit, cenſetur implicitè tempus aliquod limitatum ſuo conſenſui præſcribere: quia nullus eſt qui velit perpetuò conſenſum alterius expectare & quoad hoc ſuſpenſus manere. *Hurtad. de matr. diſp.3. diſficult.8. Diana p.3. tract.4. reſ.292.*

7. Quando conſenſus alterius coniugis fuit minùs legitimus, quia fuit fictus, vel metu extortus, licet ſatis probabile ſit, vt incipiat valere matrim. requiri, vt vterque denuò conſentiat: *Pontius de matr. lib.4. c.24. 25. Ledeſma de matr. dub.19. Palacios 4. d.27. diſp.1.* Quia cùm matr. claudicare non poſſit, deficiente vnius conſenſu, eſt prorſus irritum; vnde vt reualidetur, requiritur vtriuſque conſenſus. Probabilior tamen ſententia ait, ſatis eſſe, vt ille qui minùs legitimè conſenſit, denuò conſentiat, dum alter conſenſum non reuocarit: quia cùm conſenſus alterius validus de ſe fuerit & ſufficiens ad matrimonium, nec reuocatus fuerit, iam ex parte huius conſenſus nihil deſideratur, ſolus autem deeſt conſenſus illius, qui fictè aut metu conſenſit. *Navar. cap.22. num.80. Henriq. l.11. cap.3. num.6. Sanch. d.32. num.9. Filliuc. cit. num.84. Diana tract. de Sacram. reſol.292. Sylueſt. ſuppl. q.45. art.2. queſt.2. concl.1.*

An autem neceſſarium ſit in hoc caſu, eum, qui iterum eſt conſenſurus eſſe, aut fieri conſcium nullitatis: *Cuiet. to.1. opuſc. tract.12. queſ.2. Sot.4. diſt.28. q.1. art.2. Sanch. l.2. de matrim. diſ.32. n.10.* Docent omninò ignarum nullitatis, etiam abſq; formidine nullitatis, poſſe ſufficienter conſentire, ad reualidandum contractum, ac proinde ſufficere, vt qui conſcius eſt nullitatis, inducat ignarum, vt maioris amoris cauſa renouent conſenſum, id eſt, dicendo mutuò: *Ego te accipio in conjugem*, aut in ſignum conſenſus ſe amplexando: imò habere copulam affectu maritali, quamuis alter nullitatem ignoret. Ratio prioris eſt, quia huic conſenſui nihil videtur deficere vt ſit ſufficiens, cum ſit conſenſus perſonæ habilis, quo conſentit in traditionem corporis. Poſterioris autem eſt, quia copula videtur ſufficiens ſignum conſenſus coniugalis. Hæc ſententia eſt probabiliſſima: Contraria tamen eſt etiam probabilis, nempe, omninò ignarum nullitatis, non poſſe ſufficienter conſentire ad reualidandum matrimonium nullum; ac proinde neceſſarium eſſe, fieri conſcium nullitatis; quia in eo, qui caret notitia nullitatis; ſed credit ſuiſſe validum, nequit eſſe intentio de nouo tradendi dominium corporis, & ſe obligandi. Sufficeret tamen notitia formidoloſa, qua quis iudicet forſaſſe contractum fuiſſe nullum; quia hæc ſufficit, vt ſic formidoloſè iudicans, intendat ſeriò tradere dominium ſui corporis, & ſe obligare ſub hac conditione, ſi fortè non eſt traditum, vel ſi fortè contractus fuit nullus. Ita *Navarr. c.22. num.47. & 80. Conarr.4. decret.al. p.2. c.4. n.5. Henriq. lib.11. de matrim. cap.3. Fontius de matrim. l.4. cap.25. Diana par.5. tract.13. reſol.87.*

8. Quando matrim. fuit inualidum defectu conſenſus vtriuſque contrahentis, vel propter metum vtrique incuſſum, tunc ad validandum matrimonium non ſufficit vt conſenſus internus ab vtroque præſtetur, ſed requiritur vt aliquo ſigno externo manifeſtetur: quia matrimonium inualidum defectu conſenſus vtriuſque contrahentis, de nouo ita celebrandum eſt, ac ſi antea non fuiſſet celebratum: non eſt tamen neceſſarium, vt de nouo contrahatur coram parocho & teſtibus, tum quia parochus & teſtes fuerunt præſentes externo contractui. Tum quia in Tridentino *ſeſſ.24. cap.1. de reform. matrim.* vbi irritantur matrimonia facta abſque præſentia Parochi & aliorum teſtium, tantùm irritantur matrimonia clandeſtina, quæ antiquo iure prohibita erant, & ex quibus oriri poterant incommoda & grauia peccata maximè eorum qui clam cum vna contrahebant, eaque relicta aliud publicum matrimonium ineunt, cui malo nequibat Eccleſia mederi, cùm ipſi de priori matrimonio minimè conſtaret. Sed hæc ratio non ſe extendit ad hunc caſum, cùm priùs matrimonium inualidum, in foro Eccleſiæ validum & publicum fuerit, (eius enim nullitas & impedimentum occulta ſunt) & ſubinde ſi aliud matr. inire vellent, impedirentur ab Eccleſia credenti matrimonium illud publicum, validum fuiſſe: ergo decretum Tridentini numquam hunc caſum comprehendit, nec illo obligauit. Ita *Henriques l.11. c.3. num.6. Bonac. q.2. p.9. num.3. Navar. cap.22. n.80. Coninch diſp.24. dub.10. Hurtad. de matrim. d.3. diſſic.11.* Qui nouiſſimus dicit ſic declaraſſe *Pium V.* & ſacrum pœnitentiariæ prætorium ea declaratione frequenter vti. Contra *Pont. de matrim. l.5. cap.6. Gutier. l.1. qq. can. c.18.* & alios ſuſtinentes matrimonium debere denuò coram Parocho & alijs teſtibus celebrari.

Certum eſt tamen apud omnes, ad reualidandum matrimonium publicè & plenè probabile nullum quamuis coram Parocho & alijs teſtibus celebratum, neceſſarium eſſe illud iterum coram Parocho & alijs teſtibus celebrare: quia prior contractus fuit publicè nullus, & poſterior, vtpote factus abſque præſentia dictorum non poſſet ab Eccleſia iudicari validus, ex defectu probationis requiſitæ à Tridentino faciendæ, teſtimonio videlicet Parochi & aliorum teſtium. ergo.

9. Validum eſt matrimonium ſi ſubeſt aliquis error, ſiquidem ſit facti, vel iuris, & vterque conſentiat quantum in ipſis eſt: ſi verò contracto aliquo matrimonio, quod validum ex errore exiſtimetur, denuò conſentiatur in illud, non ideo conualidatur, ſed tantùm ratificatur contractum quod nullum eſt. *Sanch. cit. diſp. 33. 34. Henriq. lib.11. c.11. n.5. Filliuc. tract. 10. c.3. queſ.7. Arrag.2.2. queſ.73. art.6. cap.3. Navarr. cap.22. num.47.* Cùm verò impetrata diſpenſione vel ceſſante impedimento de nouo conſentiendum eſt in matrim. anteà ſcienter nullum, vtriuſque conſenſus requiritur, vt extemè renouetur. *Quando* autem ratificandum eſt matrimonium inualidum ob occultum impedimentum, coniux inſcius de priori nullitate; certior fieri debet, celata nullitatis cauſa, & renouandus conſenſus, at ſi ſcandalum timeretur, vel reſciſſio matrimonij cum infamia, ſatis eſſet cautè inſcij conſenſum de nouo exquirere, diſſimulata nullitate. Coram parocho autem tunc renouandus eſt conſenſus quando anteà coram ipſo matrim. contractum non eſſet, vel impedimentum ab aliquo ex aſſiſtentibus cognitum: quamuis in hoc caſu beneficio diſpenſationis poſſit etiam ſecretò inter contrahentes tantùm renouari. Vide *Sanch. cit. diſp.36. Bonac. cit.p.9. num. 6.7.10. Rodriq. c.219. num.2. Navar. c.22. num.70. Reginald. l. 31. num.183. Coninch d.24. dub.10. num.90. Sylueſt. cit. concl.2. & 3.*

10. Taciturnitas non ſufficit ad exprimendum regulariter conſenſum matrimonialem, quia taciturnitas non habetur pro expreſsione conſenſus: ius tamen aliquando accipit taciturnitatem pro expreſſione conſenſus, vt accidit quando quis promittit fœminæ, quæ tacet coram patre, vel matre, vel alio curam ipſius gerente, & pater, vel mater, vel alius curam ipſius gerens pro ea repromittit, tunc enim validè matrim. contrahitur, ſi fœmina interiùs conſentiat de præſenti: quando tamen puella tacet, & nullus pro ea reſpondet, quamuis *ipſa* interiùs conſentiat, non eſt validum matrimonium: neque quando aliquis promittit de præſenti puellæ tacenti, & extraneus pro ipſa reſpondet & repromittit. *Ratio diſparitatis* eſt, quia quæ parens vel tutor agit, cenſetur agere in gratiam & fauorem puellæ cuius curam gerit, & tunc valet regula iuris; *qui tacet conſentire videtur*: quando autem extraneus pro tacente reſpondet, puella non tenetur loqui, nec promiſſio alterius eſt illi ſimpliciter grata: vnde taciturnitas non accipitur pro expreſsione conſenſus. *Conarr. 2.p. cap.4. n.4. Nau. c.22. num.58. Sanch. l.1. diſp.23. Coninch diſp. 21. dub. 3. Gutierez. de matr. c.13. num.1. Vide Layman l.5. tract.10. p.1. c.2. num.13. Dianam tract. de Sacrament. reſ.270.271.272. par.3.*

11. Quamuis regulariter loquendo iudicis arbitrio committatur, quæ ſufficiant coniecturæ, certitudinemque moralem faciant ficti conſenſus in matrim. *Sanch.l.2.d.45. num.5. & 6. Navarr. cap.22. num.76. Sylueſt. v. matrim. 4. queſt.9. dict.3. Victoria de matrim. num.249. Sot.4. d.27. queſt.1. art.3.* ſufficientes tamen hæ cenſeri debent. *Primò*, ſi cum vir protulit verba conſenſus incontinenti reuocat, poteſt enim præſumi per errorem verba protuliſſe. *Secundò*, ſi vir ſtatim ſe fictè conſenſiſſe aperiat aliudque matrimonium ineat, vel tranſeat ad religionem, aut ad ſacros ordines promoueatur. *Tertiò*, ſi vir, aſſerens ſe fictè conſenſiſſe, ſit longè diſpar, ita vt prudentis arbitrio vix credi poſſit eum illam duxiſſe; tamen hoc caſu viro non promoto ad ſtatum religionis, non eſt tutum fœminæ ad alias tranſire nuptias, cùm paſſim ſuppetant exempla virorum, qui cæco amore capti nuptias valde impares celebrant. *Syl. c. Navarr. c. Ledeſma 2. p.4. q.47. art.2. Quartò*, etſi non inueniatur ea diſparitas, fictus tamen conſenſus deregitur à viro, ſi id iuramento confirmet, & probabile ſit eum non peierare, & ſimul aliam vxorem ducat, vel religionem profiteatur, vel ordinem ſacrum aſſumat. *Sotus c. propoſit.1. Quintò*, ſi puella neget verum conſenſum ſe præſtitiſſe, vel ſimilibus coniecturis metum patris comprobans, eique honeſtæ vitæ, & alij nubit.

MA-

MATRIMONIVM IV.

De matrimonio clandestino.

SVMMARIVM.

1. *Quod dicatur matrimonium clandestinum? & an semper fuerit illicitum?*
   An ignorantes legem Concilij valide contrahant sine parocho & testibus?
2. *An peccatum mortale sit matrimonium contrahere non præmissis denunciationibus?*
3. *An sit peccatum mortale, omittere vnam tantummodo denunciationem? & an aliquando liceat matrimonium contrahere sine denunciationibus absque facultate Ordinarij.*
4. *Quis Episcopus vel Prælatus possit cum vtroque contrahente dispensare in denunciationibus?*
5. *Quæ sint causæ vt Episcopus possit dispensare in denunciationibus?*
6. *An sit peccatum mortale matrimonium consummare non præmissis denunciationibus?*
7. *Vbi, quando, à quo fieri debeant denunciationes ex præscripto Concil. Tridentini & Cardinalium declaratione?*
8. *An quilibet teneatur sub culpa lethali manifestare impedimentum licet occultum, quod nouit inter volentes contrahere, si illud non possit probare.*

1. MAtrimonium *clandestinum* dicitur, quod clam fit; quod duobus modis potest contingere: *Filliuc. tr. 10. cap. 5. quæst. 1. Henriq. lib. 11. cap. 5. num. 1. Rodriq. 1. t. cap. 217. num. 1. Primò*, quando fit sine parocho & testibus. *Secundò*, quando celebratur omissis denunciationibus: quando autem cæteræ solemnitates omittuntur, non clandestinum, sed minùs solemne appellatur. *Concil. Tridentin. sess. 24. cap. 1. Valent. tom. 4. d. 10. quæst. 2. punct. 4. Matrim.* primo modo, hoc est sine parocho & duobus vel tribus testibus est inualidum, quamuis ante Conc. Tridentin. validum fuerit, vnde culpa animo maritali habita, absente parocho & testibus, modò non sufficit ad matrimonium, licet alàs sufficiens fuerit. *Conninch disp. 27. dub. 1. Matrimon.* autem contrahentes sine parocho & testibus peccant mortaliter, quia faciunt irritum matrimonium, & sacramentum, & contra prohibitionem ecclesiæ in re graui. Ex declaratione autem Cardinalium, matrimonium non est clandestinum & inualidum, quod domi celebratur, modò præsentes sint parochus & testes, vt refert *Rebellus 2. par. lib. 2. quæst. 7. num. 11.*

Sed petes *primò* an matrimonium clandestinum, hoc est sine parocho, & testibus, semper fuerit illicitum? Responsio est affirmatiua, vt patet ex Tridentino *Cap. 1. de reform. matrim. sess. 24.* vbi habetur quod Ecclesia semper illud detestata fuerit & prohibuerit: & idem constat ex *Cap. Nullus, 30. quæst. 5.* & *Cap. Cum inhibitio, de clandest. desponsat.* Vnde peccabatur & contra bona matrimonij, & contra præceptum Ecclesiæ, quod cum esset de materia graui; eius transgressio erat mortalis, ob grauissima incommoda ex illo prouenientia: tamen concurrentibus quibusdam legitimis causis poterat licitè fieri; de quibus videri possunt *Nauarr. in manual. cap. 16. numer. 37. Sotus 4. dist. 28. quæst. 1. art. 2.*

Petes *Secundò*, an qui inuincibiliter ignorant legem irritantem Concilij, validè contrahant sine Parocho & testibus? Videtur quòd sic; quia lex non obligat ignorantes inuincibiliter, quamuis irritatoria sit, si irritatio & inhabilitas imponatur vt pœna, vt imponi videtur in dicta lege Tridentini: quia eo ipso, quod ignorantia inuincibilis excusat à culpa, etiam excusat à pœna, quæ tantùm infligitur ob culpam. Nihilominus Contrarium dicendum est ex communi sententia. Ratio est, tum quia ignorantia, quamuis inuincibilis, non supplet solemnitatem ex lege requisitam ad valorem actus. Tum quia quamuis lex non afficiat ignorantes, quoad pœnam extrinsecam: bene tamen afficit quoad intrinsecam annullationis actus. Ita *Sotus, Medina, Nauarrus, Rodriques, Angles*, & alij apud *Sanchez de matrim. l. 3. disput. 17. num 9. 10. & 11.* Nullitas autem, quæ à Tridentino dicta lege includitur, non inducitur in pœnam; quia non inducitur ad puniendos contrahentes clandestinè, sed tantùm in odium matrimonij clandestini ne valeat absque dicta assistentia, ob incommoda & inconuenientia quæ ex eo oriri possunt.

2. Quamuis matrimonium clandestinum quod contrahitur absque præmissis denunciationibus validum sit, quia iure antiquo validum erat, & ab eo recedendum non est absque manifesto decreto irritanti: peccatum tamen mortale est sic contrahere, quando denunciationes omittuntur sine facultate aut legitima causa: quia violatur præceptũ ecclesiæ in re grauissima, cũ grauia mala sequi posse ex omissione denunciationum: *Nauar. c. 22. n. 70. Regin. lib. 31. num. 222. Rodriq. c. 221. num. 2. Sanch. l. 3. d. 5. num. 6. Diana de Sacram. ref. 241. p. 7. Sylu. in suppl. q. 45. art. 5. quæst. 9. Bonac. q. 2. p. 6. num. 7. Filliuc. tr. c. 5. q. 6. Diana de Sacram. ref. 237. p. 3.* Facultas autem dispensandi in denunciationibus ante & post matrimonium consummationem, in Tridentino conceditur Ordinario; nomine verò *Ordinarij* intelligendus est Episcopus, aut alter Prælatus habens iurisdictionem quasi Episcopalem, qui non sit subditus Episcopo, aut etiam Vicario generali: non autem parochus aut alius inferior sacerdos. Quamuis Basilius Pontius doceat *l. 5. de matr. cap. 31. num. 3.* potestatem dispensandi in denunciationibus solis Episcopis iure Tridentino concessam, & non his, qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, vt Abbatibus & similibus: & pro firmanda sua sententia adducit quamdam declarationem sacræ Congregat. de qua si constaret authenticè, esset illi standum.

3. In Concil. generali Lateranensi II. præceptum erat, vt denunciationes præmitterentur matrimonio, quod decretum innouauit Concil. Trident. iussitque vt matrimonio præmittantur denunciationes; ter à proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festiuis in ecclesia, inter Missarum solemnia publicè faciendæ. *Concil. Lateran. 2. c. 51. Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. Sylues. v. matrim. 6. q. 7. Diana de Sacram. ref. 236. p. 3. Sanch. l. 3. d. 5. num. 7.* Secundùm multos Doctores non esset mortale, si parochus omitteret vnam tantummodò denunciationem & moraliter certus esset nullum subesse impedimentum, *Regin. l. 31. num. 224. 236. Gutier. c. 56. num. 3.* Imò aliquando matrimon. potest sine denunciationibus celebrari: etiamsi non adsit facultas Ordinarij, quando nempe periculum est in mora, ita vt non possit adiri Episcopus, & alioquin Episcopus teneretur dispensare si posset adiri. *Conninch. disp. 27. dub. 6. num. 59. Sanch. l. 3. d. 10. num. 6.* Tenetur verò Episcopus dispensare, vt matrim. celebretur sine denunciationibus, quando alioquin sequeretur aliquod damnum publicum, aut damnum notabile priuatum.

4. *Episcopus* vel *Prælatus* alterius contrahentis potest cum vtroque dispensare in denunciationibus, sicut potest alteruter prælatus ratione connexionis vtrumque copulare matrimonio. *Sanch. l. 3. d. 7. num. 7. Diana c. ref. 239. Bonac. q. 2. p. 6. num. 7.* Et hoc maximè verum de prælato in cuius diœcesi celebrandum est matrim. *Regin. cit. num 225.* Et hanc facultatem dispensandi in denunciationibus potest Episcopus delegare alteri, cùm illi competat iure ordinario. *Sanch. d. 7. num. 5. & 6. Præterea* qui possunt in denunciationibus dispensare, possunt similiter ex iusta causa breuiare vel prolongare denunciationum tempus, & ne denunciationes diebus festiuis, sed ferialibus fiant. Vide Dianam *de sacr. ref. 237. 238. p. 3.*

5. Vt Episcopus possit dispensare in denunciationibus, debet habere iustam causam; *multæ* autem *causæ* iustæ assignantur à Doctoribus. *Henriq. lib. 11. cap. 5. Nauarr. cap. 22. numer. 70. Reginald. l. 31. num. 225. Filliuc. c. cap. 5. q. 7. Sanchez l. 3. d. 9. Conninch d. 27. num. 57. Prima*, quando creditur matrim. iniustè impediendum, vt per maleficia, aut parentum, vel aliorum fraudes. *Secunda*, contrahentium pudor, vt quia sunt dispares ætate, &c. *Tertia*, quoties denunciationes fieri non possunt absque detrimento aut notabili incommodo in fama, vel in corpore, vel in bonis fortunæ, vel absque scandalo. *Quarta*, si vicinum sit tempus, quo prohibitum est nuptijs benedici, vt tempus Quadragesimæ, vel Aduentus. *Quinta*, notabilis sponsorum commoditas. *Sexta*, quando magnates contracturi sunt. *Septima*, dum in mortis articulo constitutus vult concubinam ducere. Quando in his casibus dispensat ordinarius, debet informari, an aliqua impedimenta subsint inter contrahentes.

6 Sicut est peccatum mortale contrahere matrim. ante præmissas denunciationes, ita peccatum mortale erit illud consummare, illis non præmissis; quia contrahentes exponunt se periculo fornicationis non adhibendo diligentiam ab Ecclesia præscriptam; & hoc non tantum prima vice, sed etiam toties quoties habent copulam; quia eadem prorsus militat præcepti ratio, imminet enim fornicationis periculum, cùm nondum adhibita sit diligentia ab Ecclesia præscripta, vt faciliùs impedimenta detegantur.

tur. *Nau.c.22.n.83. Reg. c.n.237. Sanch.l.3. disp. 11. Coninch d. 27.n.51.& 58. Henriq.l.14. cap.16. n. 11. Rodriq.1.p.cap.221.* Sc quidam alij negant mortaliter peccare, quando parochus & contrahentes adhibuerunt debitam diligentiam, ad inueſtigandum impedimentum & moraliter ſunt certi nullum ſubeſſe impedimentum. Et hæc opinio probabiliter ſuſtineri poſſet.

7. Ex præſcripto Concilij Tridentini, & Cardinalium declaratione: *Concil. Trident. ſeſſ.24. cap.1. de reform. matrim. Diana de Sacram. reſol.235.p.3. Reginald. cit. num.225. Henriq. l.11. c.7. num.1. Primo*, denunciationes faciendæ ſunt in propria parochia; & quando ſponſi ſunt diuerſarum parochiarum faciendæ ſunt in vtraque parochia; ſi verò contrahentes habeant plura domicilia ſeu parochias, faciendæ ſunt in parochia, in qua diutiùs habitant & principaliorem habent larem, vel potiùs in ea parochia ſponſorum, in qua veriſimilius eſt ſciri impedimenta, vt in parochia in qua fuit antiqua parentum habitatio. *Coninch d.27. dub.5. num.46. Rodriq. cap.217. num.6. Secundò*, faciendæ ſunt denunciationes à proprio contrahentium parocho, vel ab alio de licentia ipſius parochi; & parochus denunciationes omittens abſque legitima & iuſta cauſa ſuſpendendus eſt ab officio per triennium. *Cap. cum inhibitio de clandeſt. deſponſat. Sanches l. 3. d.6. num.8. Reginald. cit. num.226. Tertiò*, debent fieri denunciationes tribus diebus feſtis continuis, non peccaret tamen parochus mortaliter ſi vno vel altero die feſto omittat ratione paruitatis materiæ, ſecùs ſi multos dies feſtos inter vnam & alteram denunciationem interponat. *Bonacina q.2. p.6. num.17.18. Sanches d.6. num.9. & 10. Regin. num. 227. Vide Dianam de Sacr. reſol.236. p.3. Quartò*, faciendæ ſunt in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia: Doctores tamen dicunt poſſe fieri extra Eccleſiam in loco ad quem magna populi copia confluit, vt in prædicationibus: imò fieri poſſent alio die quàm feſto, quando ſcilicet ingens hominum multitudo ad Eccleſiam accedit.

8. Quilibet tenetur ſub culpa lethali manifeſtare impedimentum, licet occultum, quod nouit inter volentes contrahere; quia quilibet tenetur ſaltem inferiore præcipiente, detegere peccatum inferens tertio damnum: non teneretur autem denunciare conſcius impedimenti cum graui ſuo incommodo; & ſi timeat probabiliter magnum ſcandalum ex denunciatione, quamuis mandatum denunciandi ſub excommunicationis pœna latum ſit; & modò illud ſciuerit in confeſſione. *Rodriq. c.216. num.9. Sanches l.3. diſp.13. Nauarr c.22. num.83. Reginald. l.31. num. 228. Bonacina. p.6. num. 20. Sanches c.num.7. Rodriq. c.n.9.* Qui autem nouit impedimentum ex ſolo auditu, vt ſi audierit à perſona fide digna, tenetur ea non denunciante manifeſtare, quia dictum hominis fide digni facit fidem & veram notitiam; ſecus ſi audiuit à perſona nil certum ſciente, vel ſi non meminit à qua perſona audierit. *Sanch. cit. num.3. Coninch c. dub. 7. num.61. Obſeruandum* tamen hic eſt, ſi impedimentum ortum habeat ex peccato occulto non ſtatim denunciandum eſſe, ſed laborans eo impedimento fraternè admonendus eſt, vt deſiſtat à matrimonio, ſi ſperetur vtilitas ex monitione, quòd ſi monitis non acquieſcat, denunciandus erit.

An autem quis teneatur ex vi denunciationum denunciare impedimentum matrimonij occultum, quod non poteſt probare, affirmant communiter Doctores apud Dianam *de Sacramentis reſolut. 221. part.3.* licet contrariam ſententiam teneat *Baſilius Pontius*.

MATRIMONIVM V.

De Miniſtro & ſolemnitatibus matrimonij.

SVMMARIVM.

1. *Quis ſit miniſter ſolemnitatis matrimonij? & an vbi Concilij Tridentini decretum non eſt acceptatum, validum ſit matr. ſine parocho & teſtibus?*
2. *An in locis vbi Tridentinum obligat, exigatur neceſſitate Sacramenti aſſiſtentia proprij parochi, vel alterius ſacerdotis de eius licentia vel ordinarij? & quis ſacerdos debeat intereſſe matrimonio vagorum?*
3. *An parochus alterius contrahentis poſſit validè aſſiſtere illius matrimonio in alterius contrahentis, qui ſibi ſubditus non eſt, parochiæ* refertur duplex ſententia.
4. *An Parochus aſſiſtens matrimonio debeat eſſe ſacerdos?* refertur duplex ſententia.
5. *An matrimonium contractum coram parocho excommunicato, ſuſpenſo, vel irregulari non tolerato ſit validum? & an licentia quam dat parochus matrimonio aſſiſtendi ſit actus iuriſdictionis?* refertur duplex ſententia.
6. *An Archiepiſcopus poſſit coniungere in matrimon. ſubditos ſuorum ſuffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi? & quis præter parochum dare poſſit licentiam matrimonio aſſiſtendi? & qualis debeat eſſe licentia.*
   An ſacerdos, qui delegatam habet authoritatem aſſiſtendi matrimonio, illam poſſit alteri ſacerdoti delegare?
7. *An licentia aſſiſtendi matrimonio extorta per metum vel dolum ſit valida?*
8. *An Parochus interdictus ſeu prohibitus ab Epiſcopo aſſiſtere matrimonio, adhuc validè aſſiſtat?*
9. *Quando parochus validè aſſiſtat matrimonio iniuſtum beneficij habenti?*
10. *An geſta per illum qui abſque legitima authoritate intruſit ſe in officium iudicis, Parochi, vel confeſſarij ſint invalida in vtroque foro?*
11. *An ad validitatem matrimonij requiratur vt parochus vel alius ſacerdos aſſiſtens matrimonio vtatur aliquibus verbis in celebratione matrimonij?*
12. *An ad valorem matrimonij neceſſaria ſit præſentia duorum vel trium teſtium? Et an matr. contractum ſine parocho & teſtibus, tranſeat in ſponſalia de futuro. An ſponſalia tranſeant in matrimonium per copulam ſubſecutam?*
13. *Religioſi ſolemnizantes matrimonia ſine licentia parochorum, excommunicationem Clementinæ incurrunt, ſecundum aliquos, & inſuper ſuſpenſionem Tridentini. Qua pœna ſint puniendi contrahentes clandeſtinè?*

1. *Miniſter ſolemnitatis matrimonij eſt parochus, & teſtes duo. Filliuc. tract.10. cap.6. Concil. Trident. ſeſſ.24. cap.1. ad fin.* Hi ſemper adeſſe debent etiamſi in mortis articulo contrahendum matrim. eſſet, nec in eo diſpenſare, quacumque exiſtente neceſſitate, Epiſcopus poteſt. *Sanch. l. 3. d. 18. n. 28. Gutierrez c. c.61. num.12. Reginald. l.31. num.176. Henriq. l.11. cap.3. num.8. Pont. de matr. l.5. cap.9.* In locis tamen, in quibus non eſt promulgatum Concil. Trident. vel in quibus non eſt acceptatum, ſaltem quoad hoc particulare decretum, validum eſt matrimon. ſine parocho, & teſtibus, quia lex non obligat niſi ſit promulgata & acceptata: vnde ſi incola vnius loci in quo promulgatum & acceptatum fuit Tridentinum, transferat ſe in locum vbi non fuit promulgatum Concilium, poteſt validè contrahere ſine præſentia parochi & teſtium, tum quia leges non cadunt abſolutè ſuper perſonas ſubditas, ſed ſuper perſonas exiſtentes in loco, vbi leges receptæ ſunt; ergo: tum quia hoc eſt ſpeciale in contractu, vt celebretur iuxta ſolemnitates receptas in eo loco, vbi celebrandus eſt. *Coninch d. 27. dub. 1. L. ſi fundus ff. de euict. E contra* ſi incola illius loci, in quo non eſt acceptatum Concil. Trident. diuertat ad eum locum, in quo eſt acceptatum, non poteſt contrahere abſque parocho & teſtibus, quia licet extraneus non teneatur legibus loci ad quem diuertit abſque intentione ibi manendi maiore anni parte, in contractibus tamen debet ſequi leges & conditiones præſcriptas in eo loco, in quo ille celebratur; ſed matrim. eſt verus contractus, ergo. Scio quoſdam contrariam dictis ſententiam tenere, quando ſcilicet aliquis in fraudem legis Concilij Tridentini, & vt contrahat ſine parocho & teſtibus, eò proficiſcitur vbi Tridentinum non eſt acceptatum, non animo ibi habitandi, ſed cum voluntate matrimonium ibi contrahendi, ac mox ad locum habitationis redeundi; tunc enim ſecundùm illos, matrimonium eſſet inualidum, vtpote contractum contra decretum Concil. Trid. quod omnes parochianos loci vbi illud fuit publicatum reddit omninò inhabiles ad matrimonium contrahendum *aliter quàm præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi ſeu ordinarij licentia, & duobus vel tribus teſtibus*. Non ſolùm in ſua parochia, vel in ſua prouincia vbi publicatio facta fuit, ſed etiam in aliena vbi non fuit publicatum. Facit pro hac ſententia reſponſum Sacræ Congregationis factum Franciſco Zipæo ann. 1628. Decemb. 9. vt ipſe teſtatur *in conſultat. Canonicis l.4. tit. de ſponſ. & matrim. conſul.6.* quo declaratur tale matrimonium, eſſe nullum. Sed quia de iſta declaratione nobis non conſtat authenticè, puto non eſſe recedendum à probabiliori & communiori noſtra ſententia; quamuis contraria ſit etiam probabilis, quam ſuſtinent Syluius *p.3. reſ. va-*

rian.

viar. v. Matrimonium 8. Diana *p.6. tr.7. ref.29.* Rebellus *tr. de matrim. l.2. q.7. n.16.* Rodriques *tom.1. Sum. latine c.17. n.2. in fine Petrus, & Bartholomeus Ledesma* apud Sanches hic citatum.

Ad rationem autem aduersariorum respondeti posset, quòd quamuis dictæ personæ decreto Trid. fuerint astrictæ, & factæ inhabiles, non tamen vniuersaliter, sed tantùm pro locis in quibus habebant domicilium quando receptum fuit, quia prædicta inhabilitas non fuit absolutè contracta, & quasi personalis, sed tantùm legalis ex lege inhabilitante, ac proinde cessat vbi, & quando lex cessat.

Tamen aduertendum est ex Sacræ Cardinalium Congregationis declaratione 19. Ianuar. 1603. apud Syluium *in supp. q.43. art.5. quæst.4.* Matrimonia contra formam Concilij Tridentin. contracta etiam in his duobus casibus esse valida. *Primus* vbi constat decretum Concilij esse publicatum, vel aliquo tempore in parochia obseruatum: sed Parochialis Ecclesia (vtpotè vacans) proprio Paracho caret: itidem Cathedralis caret Episcopo, atque Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi: nullusque alius ibi est, qui vices Parochi vel Episcopi suppleat; matrimonium valet absque præsentia Parochi: seruata tamen in eo, in quo potest, forma Concilij, nempè adhibitis saltem duobus testibus. *Secundus*, si extent quidem Parochus, & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, vterque metu hæreticorum lateat, ita vt verè ignoretur vbinam sit: vel si eodem metu à Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque forma Concilij, adhibitis tamen duobus testibus. Consule D. Syluium *c. in tertia editione Duacensi*.

Ex dictis colligitur *primò* matrimonium publicè contractum, sciente maiore viciniæ parte, esse inualidum, si Parochus desit: quia Tridentinum statuit formam substantialem pro matrimonio contrahendo, forma autem specificè, & propriè, & non per æquipollens impleri debet. *Secundò* infideles inhabitantes Christianorum loca, in quibus viget decretum Tridentini, non teneri coram Parocho, & testibus contrahere: quia hæc lex Concilij est merè Ecclesiastica, cui non subijciuntur infideles, cùm extra Ecclesiam omninò sint. *Tertiò*, fideles inhabitantes loca, vbi obligat decretum Tridentini, illud tamen inuincibiliter ignorantes, inualidè contrahere absque Parocho, & testibus. Ratio est, tum quia quamuis lex non afficiat ignorantes, quoad pœnam extrinsecam, vt dixi *verb. Ignorantia num.20.* tamen afficit quoad intrinsecum annullationis actus. Tum quia quoties constitutio exprimit, à quo tempore debeat obligare, afficit ignorantes, quoad nullitatem actus, licet non afficiat quoad alias pœnas: sed decretum Tridentini irritans clandestina matrimonia, assignat tempus à quo incipit obligare, nempe transactis duobus mensibus à publicatione in quamlibet parochia; ergo ab illo tempore obligat, quoad annullationem matrimonij, etiam ignorantes. Vide supra *verb. Actus num.2.* & *Matrimonium IV. num.1.*

2. Vt valeat matrim. exigitur necessitate sacramenti assistentia proprij parochi, vel alterius sacerdotis de eius licentia, vel ordinarij, in locis vbi Trident. obligat: *Henriq. l.11. cap.3. n.2. Rodriq. c.219. n.5. Coninch d.27. dub.2. n.18. Sanch. l.3. d.19. num.4. Filiuc. tr.10. c.6. q.2. & 3.* sufficit autem parochus alterius contrahentium, vt si in parochia sponsi matrim. celebretur, sufficit parochus ipsius sponsi, & si in parochia sponsæ parochus sponsæ; licet enim quoad reliqua sacramenta parochus alterius contrahentis, non sit vtriusque parochus, at quantùm ad matr. parochus alterius, est vtriusque, ratione connexionis, eò quòd matr. non nisi inter duos consistere potest. *Gutier. c.62. num.4. Sanch. c. d.24. n.2. Conninch c. n.19.* Illos autem qui duplicem habent parochiam habitationis, vt qui hyeme habitant in vno loco, æstate verò in alio, quilibet parochus ex duabus illis habitationibus potest coniungere, quia vterque est illorum proprius parochus. *Concil. Trid. sess.24. c.7. Sanch. c. disput.25. Gutier. c.65. num.6.* Matrimonio autem vagorum qui nullibi domicilium habent, potest quilibet parochus validè interesse, sicut quilibet potest illorum confessiones audire, & sacramenta administrare. Cauere tamen debet parochus, ne illorum matrimonijs assistat, antequam adhibuerit debitam diligentiam in indagandis impedimentis, & antequam obtinuerit ab Ordinario licentiam assistendi illorum matrimonio, vt præscribit Tridentinum.

3. Quidam Doctores aiunt, parochum alterius contrahentis non posse validè assistere illius matrimonio, in alterius contrahentis, qui sibi subditus non est, parochia, sed in sua tantùm; atque ita eum esse solum parochum legitimum, qui cum parochus sit alterius contrahentis, in propria ipsius parochia matrimonio interest, sic probant hanc sententiam ex declarationibus Cardinalium. *Nauar. c.25. in fine l.4. consil.tit. de sponsal. cons.52. Rodriq. c.219. num.5. Henriq. l.11. cap.3. n.2. Sanch. l.3. d.19. num.11. Reginald. l.31. num.177. Gutier. cap.62. n.4. Dian. tract. de Sacram. ref.272. p.3. Tenendum* tamen prorsus est, sufficere proprium alterius contrahentis parochum etiamsi in parochia alterius sibi non subditi, matrim. celebretur; quia assistere matrimonio reducitur ad iurisdictionem voluntariam, cùm non exigat causæ cognitionem, ergo validè extra parochiam exercetur: hinc infertur proprium parochum posse sine peccato coniungere suos subditos in matrimon. non solùm extra propriam parochiam, sed etiam extra propriam diœcesim. Cùm enim ex decreto Concilij Tridentini *sess.24. c.1. de reform.* constet, formam ab eo præscriptam, & seruandam in celebrandis matrimonijs in eo intrinsecè, & essentialiter sitam esse, vt adsit Parochus, vel alius Sacerdos de licentia Parochi, siue Ordinarij, ac duo præterea treve testes: ergo reliqua omnia extrinseca sunt, & accidentaria, puta locus, tempus, & reliqua eiusmodi: quamuis ordinariè in loco sacro debeat fieri. Ex causa tamen parochus posset assistere in loco non sacro, puta si malitiosè impediendum esset matrimonium, vel sine periculo ad locum sacrum accessus non pateret: vnde non esset mortale assistere domi, etiamsi non adeo graues causæ intercedant, si modò solemnitates postea in Ecclesia peragantur, puta benedictio, & aliæ cæremoniæ in Rituali præscriptæ: vt habetur, & iniungitur in Rituali Romano.

4. Quamuis probabile sit parochum assistentem matrimon. debere esse sacerdotem, vt aiunt *Rodriq. c.217. num.9. Syl. in suppl. q.45. art.5. q.7.* Multò tamen probabilius est, non desiderari, vt parochus sit sacerdos: atque validum erit matrim. contractum coram parocho, qui non est sacerdos; quia parochus non sacerdos exercere potest omnia quæ à potestate ordinis non dependent, sed interesse matrimonio non est actus ordinis; & illius præsentia non requiritur in hoc casu ad exercendam functionem sacerdotalem: verùm quamuis parochus non sacerdos validè possit assistere matrimonio, non tamen licitè, quia cùm debeat benedictionem dare, & ex præcepto Ecclesiæ dicere, *Ego vos coniungo*, hoc vt decenter fiat, à Sacerdote debet fieri. Itaque si contingeret Parochum non sacerdotem assistere, non potest stola vti nec dare benedictionem. Vide *Nauar. l.4. consil.30. tit.5. Henriq. l.11. c.3. Filiuc. c.6. n.203. Reginald. cit. num.177. Sanch. l.3. d.20. n.10. Gutier. c.62. num.16.17. Bonac. q.2. p.8. n.16. Alter* tamen qui de licentia parochi assistit, debet esse sacerdos, vt ait Trid. vnde minimè potest conferri hæc licentia non sacerdoti, quare assistente diacono de licentia ordinarij vel parochi, matrim. erit irritum, secundùm omnes Theologos, & Iurisperitos. *Rodriq. c.217. num.12. Henriq. l.11. c.3. num.5.* Non requiritur autem vt sacerdos, cui datur licentia à parocho assistendi matrimonio, sit approbatus ab ordinario, imò validè assistit, quamuis sit excommunicatus, suspensus, interdictus, vel irregularis, quia hæc assistentia non est actus iurisdictionis, exercerique potest per excommunicatum, vel irregularem, vel etiam degradatum, vt ait *Sayrus de censur. lib.5. cap.22. num.26.*

5. *Matrimonium* contractum coram parocho excommunicato, suspenso, vel irregulari non tolerato, est validum: quia excommunicatus, suspensus, vel irregularis, dum parochia non priuatur, manet in possessione, & verus parochus est, quia præsentia parochi requiritur in matrimonio, quasi authoritatem præstans illi, sed authoritatem præstare actui sua præsentia, non est actus iurisdictionis, ergo potest validè fieri ab excommunicato non tolerato. *Henriq. l.11. cap.3. Syl. cit. quæs.7. Dian. part.5. tractat.9. resolut.78. Reginald. cit. num.177. Conninch cit. dub.2. num.24. Gutier. cap.62. num.23. Victor. de confess. num.152. Nauar. l.4. cons.47.* Et licet quidam probabiliter sustineant, licentiam quam dat parochus matrimonio assistendi, esse actum iurisdictionis, & proinde si detur ab excommunicato non tolerato parocho, inualidam esse, nec matrim. valere, quia date licentiam alieno sacerdoti audiendi confessiones subditorum parochi est actus iurisdictionis, & ita inualidè conceditur ab excommunicato non tolerato.

Probabilior tamen sententia ait, non esse actum iurisdictionis, ac proinde tam licentiam sic concessam, quàm matrimonium valere. *Bonacina, citat. num.22. Sanches lib.3. d.21. num.7.*

An autem peccet Parochus excommunicatus toleratus assistens matrimonio, negat *Sanchez*: Sed *Vasq.* & *Basilius Pontius* putant esse mortale. Vide Dian. *de Sacrament. resol.* 233. *p.* 3. & *p.* 5. *tr.* 9. *resol.* 79.

6. Archiepiscopus non potest coniungere in matrimon. subditos suorum suffraganeorum, vel dare licentiam illos coniungendi, quia ipse non est ordinarius illorum, nec est eorum superior, nisi in gradu appellationis: hanc autem licentiam præter parochum dare potest Episcopus, Vicarius eius generalis, prælatus habens authoritatem quasi Episcopalem, vt sunt Cardinales in ecclesijs suorum titulorum, quidam Abbates in Ecclesia nulli Episcopo subiecta, Vicarius parochi habens facultatem administrandi sacramenta, & assistendi matrimonijs, siue sit permanens, siue amouibilis sit. *Henriq. l.* 11. *c.* 3. *n.* 4. *Rodriq. c.* 217. *n.* 16. *Sanch. l.* 3. *d.* 28. *Regin. n.* 178. *Cominch c. dub.* 2. *num.* 17. Secundùm multos Doctores, licentia hæc non debet esse tacita, qualis est illa, quæ oritur ex tolerantia vel ex ratihabitione, sed debet esse expressa, qualis est licentia ad assistendum specialiter matrimonio, vel ad exercenda omnia parochi officia, vel ad ministranda omnia sacramenta. Licet *Sanch. cit. d.* 15. *Cominch c. num.* 31. *Regin. n.* 181. *Sylu. in suppl. q.* 45. *a.* 5. *quæst.* 8. dicant sufficere tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præsenti.

Licentia tamen tacita ex ratihabitione de futuro, qua scilicet alienus sacerdos probabiliter credit parochum ratihabiturum, non est sufficiens vt sit validum matrimonium, quia valor Sacramenti non potest esse in pendenti, sed statim aut debet esse validum, aut irritum. Nota tamen hanc licentiam non debere dari in scriptis; quia Tridentinum hoc non exigit; & scriptura non est de essentia gratiæ, & priuilegij.

Sed petes, an sacerdos qui delegatam habet auctoritatem assistendi matrimonio, illam possit alteri sacerdoti delegare? Responsio communis est negatiua, nisi sit delegatus ad vniuersitatem causarum. Vnde deficuitor, qui ad tempus vel per Episcopum, vel per Parochum constitutus est ad administrandam curam pastoralem, alium subdelegare potest ad hunc effectum, eo quòd delegatus sit ad omnia negotia Pastoralia. Vicarius autem Pastoris qui simul cum ipso curam administrat, alium sibi substituere non potest, eo quòd non censeatur delegatus ad vniuersitatem causarum: multoque minus quilibet alius sacerdos, quem fortè Parochus in aliquo negotio sibi adiutorem adhibuerit. Vide quæ diximus supra verb. *Confessarius* 11. *n.* 7. 8. 9. & infra verb. *Vicarius n.* 2. & *seq.*

Quis autem dicatur proprius Parochus contrahentium? verior tententia est, illum esse proprium, qui habet potestatem ordinariam administrandi illis sacramenta: vt idem sit in Conc. Trident. *Proprius Parochus*, qui in *Cap. Omnis, vtriusque sexus*, proprius Sacerdos. Ita *Sanch. de matr. l.* 3. *d.* 23. *Sylu. in suppl. q.* 45. *a.* 5. *quæst.* 5.

7. *Quando* licentia assistendi matrimonio extorta fuit per metum leuem aut grauem, matrimon. est validum: *quando* verò extorta fuit licentia per dolum, & mendacia versantia circa causam finalem est inualidum matrimon. secus autem *dicendum* quando licentia fuit extorta per dolum, & mendacia versantia tantummodò circa causam impulsiuam. *Gutier. c.* 69. *n.* 14. *Sanches l.* 3. *disp.* 39. *Regin. c. n.* 182.

8. *Parochus* interdictus seu prohibitus ab Episcopo assistere matrimonio, adhuc validè assistit; quia posito eo interdicto seu prohibitione, parochus adhuc retinet iurisdictionem: idem dicendum quando huiusmodi prohibitio facta fuit adiutori vel vicario parochi. *Rodriq. 1. p. c.* 217. *Reginald. c. n.* 179. Imò parochus cui vetitum fuit à superiore administrare sacramenta propter insciitiam, validè adhuc assistit matrimonio, quia huiusmodi assistentia non est propriè administratio sacramenti, modò parochus sit compos sui, & externo sensu percipiat consensum contrahentium, siue per se immediatè, siue percipiat per interpretem, quod adeò verum est, etiamsi ibi per vim detineatur. *Sanch. c. disp.* 39. *n.* 1. *Bonac. q.* 2. *p.* 8. *n.* 19. *Filliuc. tr.* 10. *cap.* 6. Sic enim saluatur finis decreti Concil. Trid. qui est, vt tale matrimonium Ecclesiæ constare possit. A fortiori valebit, quando Parochus dolo vocatus interest matrimonio. Idem si casu interfit, est enim eadem ratio. Peccabunt tamen mortaliter contrahentes si Parochum vi detineant, tum ratione iniuriæ, tum ratione contemptus Ecclesiæ, non enim eius authoritate contrahunt. Quod idem eadem ratione dicendum est, quando Parochus casu transibat, vel dolo ad aliud vocatus accessit.

9. *Parochus* iniustum titulum beneficij habens: puta quia commisit aliquod delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus beneficio, vel quia habet beneficium incompatibile, vel quia accepauit beneficium in excommunicatione, validè assistit matrimonio, etiamsi ipso iure sit priuatus beneficio, modò in iudicio nondum fuerit illo legitimè spoliatus, quia adhuc est parochus cum titulo colorato, & errore communi: *Sanch. de matr. l.* 3. *disput.* 22. *n.* 60. 61. & *seq. Henr. l.* 11. *c.* 3. *n.* 4. *Rodr. c.* 217. *n.* 8. *Fill. tr.* 10. *c.* 6 *q.* 4. *Regin. l.* 1. *n.* 97. *Cominch d.* 27. *dub.* 2. *n.* 26. *Less. l.* 2. *c.* 29. *dub.* 8. *n.* 67. 58. Est tamen hic *notandum* quod vt gesta valeant ab hoc parocho, tria concurrere debent. *Primò*, vt adsit titulus coloratus seu putatiuus, qui censetur adesse, quando superior legitimus confert alicui dignitatem vel beneficium, sed collatio est inualida ob occultum aliquod impedimentum recipientis collationem, vt si fiat excommunicato, titulus coloratus est, quando aliquis recipit dignitatem vel beneficium à legitimo superiore, sed postea committit delictum, ratione cuius est ipso iure priuatus illa dignitate vel beneficio: vel quando superior occultè reuocat dignitatem vel facultatem. *Secundò*, requiritur vt adsit error communis, id est, error probabilis, quo aliquis communiter habeatur pro vero titulari beneficiario, parocho, &c. non sufficeret autem error vnius vel duorum. *Tertiò*, vt nullum adsit impedimentum iuris diuini vel naturalis: his positis gesta per iudicem, prætorem, parochum, confessarium valida sunt, quia ius humanum supplet defectum veri tituli, vt habetur *L. Barbarius ff. de officio prætoris. Diana. 4. p. tr. 4. resol. 4. & tr. 1. misc. resol. 29. p. 2. Croisers ad c. 7. reg. minor. lett. 22. f.* 701. Et huiusmodi defectus suppletur etiam ab Ecclesia quando adest opinio probabilis, tunc .n. censetur adesse error communis, & titulus coloratus, vt accidit quando est opinio probabilis aliquem posse absoluere à reseruatis, aut censuris, aut posse assistere matrimonio, tunc .n. sequens opinionem probabilem validè absoluit, validè assistit matrim. *Bonac. q.* 2. *p.* 8. *n.* 25. *Caiet. v. confess. sterat. Palud.* 4. *d.* 17. *q.* 6. *a.* 1. Secus dicendum si cum titulo colorato, & errore communi interueniat impedimentum iuris diuini, vel naturalis, nam tunc prælatus vel Ecclesia non potest huiusmodi defectum supplere, cùm non habeat potestatem in superiorem, sicut potest supplere, & de facto supplet defectum iuris humani, ne alias sequantur multa incommoda, multæ perplexitates, multa dubia, & multi scrupuli. Sed de his vide v. *Conscientia n.* 10.

10. *Gesta* per illum, qui absque legitima auctoritate intrusit se in officium iudicis, Parochi, vel confessarij, sunt inualida in vtroq; foro, quia intrusus non habet titulum verum vel coloratum, vnde si aliquis simplex capellanus vel sacerdos constitueretur parochus à laico, inualidè assisteret matrimonio, & inualidè absolueret, quamuis communiter haberetur pro vero parocho. *Nauar. c.* 9. *n.* 9. *Gutier. c.* 62. *n.* 26. *Sanch. l.* 3. *d.* 22. *n.* 29. *Cominch d.* 27. *dub.* 2. *n.* 26.

11. *Ad validitatem* matrimonij, non requiritur, vt parochus vel alius sacerdos assistens matrimonio, vtatur aliquibus verbis in celebratione matrimonij, quia Tridentinum in clausula irritante non facit vllam mentionem verborum, tenetur tamen sacerdos ex præcepto eiusdem Tridentini vti his verbis, *Ego vos coniungo in nomine Patris, &c.* vel saltem vti alijs verbis iuxta ritum, & consuetudinem patriæ: *Regin. l.* 31. *n.* 175. *Sanch. l.* 3. *d.* 38. *n.* 47. *Cominch c. dub.* 4. *n.* 45. *Henr. l.* 11. *c.* 2. *Sanch. d.* 38. *n.* 7. An autem omissio horum verborum sit peccatum mortale, alij affirmant, alij negant probabiliter. Vide *Dianam de Sacramentis resolut.* 256. *p.* 3.

12. *Præter parochum* ad valorem matrimonij, necessaria est præsentia duorum vel trium testium, quæ debet esse moralis, & humano modo, vt scilicet aduertant, & intelligant quod agatur, & debet esse hæc præsentia testium simultanea, & non sufficit successiua: hinc dormientes, amentes, ebrij, furiosi, quamdiu carent lucido intervallo, non sunt testes idonei ad matrim. quia non possunt esse præsentes humano modo; aliæ autem personæ quæcumq; illæ sint, modò sint doli capaces, possunt esse testes in matrimonio cuiuscumque ætatis, conditionis, & status existant; vnde impuberes vsum rationis habentes, fœminæ, consanguinei, pater vel mater, familiares, infideles, excommunicati admitti possunt in matrimonio, quamuis non admittantur tanquam testes idonei in alijs rebus; quia Tridentinum nullos testes excipit, & hi possunt esse præsentes moraliter; nec requiritur vt testes sint rogati, nullo enim iure requiritur ista solemnitas in matrimonio, imò validum esset matrimon. quamuis testes præsentes sint per violentiam, modò aduertant quod agitur. *Concil. Trident. sess.* 24. *cap.* 1. *de reform. matrimon. Filliuc. tr.* 10. *cap.* 6. *q.* 10. *Bonacin. q.* 2. *p.* 8. *num.* 44. *Sanch. l.* 3. *d.* 41. *Gutier. cap.* 55.

cap.55. num.9. Regin. l.31. num.183. Coninch c. dub.4. Sylu. in supplem. quæst.45. art.5. quæs.9. Nihil etiam obstat quod tamquam alia de causa vocati sint, & testes & Parochus, atque inter conuiuandum v. gr. coram illis res geratur etiam non prænonitis, modò tunc appareat contrahentes ipsorum præsentiam requirere, possintque ea quæ geruntur, cognoscere: quòd si Parocho affectante de facto non intellexerit, iudicat Sacra Congregatio valori matrimonij non obstare. Vnde non est necessarium, vt Parochus matrimonio adsit tamquam ex intentione exhibendi suam præsentiam auctoritatiuam in persona Ecclesiæ, sed omninò sufficit quod præsens sit & possit testari, appareatque quod ad illum actum adhibitus sit. Idem dicendum de testibus: nam isti dicuntur præsentes cum sufficienter aduertant ad id, quod agitur, possintque de hoc ferre testimonium, nec vlla alia præsentia requiritur in Tridentino. Ita Sanches *c. disp.*39. Gutierez *cit. num.*9. Reginald. *c. num.*182. contra Bonacinam *c. num.* 13. & 49.

An autem matrimonium contractum sine præsentia Parochi, & testium, transeat saltem in sponsalia de futuro? affirmant *Henriq. Layman, Coninch, Rebellus*. Negant *Gutierez, Ledesma, Barbosa*, cùm *Diana de sacramentis ref.*258. Vtraque sententia probabilis est.

Maius dubium occurrit, an sponsalia transeant in matrimonium per copulam subsecutam; *C. veniens*, 15. *c. is qui fidem*, 30. *& c. final. de sponsal.* Resp. iure antiquo ex copula habita post sponsalia, tamquam ex prudenti indicio piè præsumi ab Ecclesia matrim. quia Ecclesia præsumebat, sponsos iam contraxisse matrimon. ne præsumeret illos ad non proprium coniugem accessisse, quod etiam nunc præsumitur ab Ecclesia, vbi Trident. non viget; hoc tamen matrim. non erat verum, sed tantùm præsumptum, non solùm quando copula fiebat animo fornicario, vt admittunt Doctores, sed etiam quando fiebat affectu coniugali, vt docet *Ponius de matr. l.2. c.13.*

Certum est, vbi Tridentinum viget, non transire, quando neque sponsalia, neque copula fuerunt habita coram Parocho, & alijs testibus; quia absque eorum præsentia matrimonium neque validè contrahitur, neque præsumi potest ab Ecclesia, quæ iam ad valorem illius requirit prædictorum præsentiam. Certum etiam est, quando copula non fuisset habita coram illis, quamuis sponsalia fuissent coram eis habita: Imò id etiam certum est, quando sponsalia non fuissent habita coram Parocho, & alijs testibus, quamuis copula fuisset coram illis habita: quia tunc tantùm possent testificari de copula, & non de sponsalibus.

Quando autem ipsa sponsalia, & copula habita sunt coram Parocho & testibus, est difficultas, an tunc sponsalia transeant in matrimonium, siue verum, siue præsumptum vbi Tridentinum viget? *Sanches de matrim. l.3. disp.40. num.7. Henriq. l.11. de matr. cap.3. num.7.* & alij docent, transire in matrimonium (& ius antiquum manere illæsum) verum quidem, si animo coniugali, præsumptum verò, quando fornicario haberetur copula: adeò vt probata copula, & sponsalibus contra eodem parocho & testibus, præsumeret Ecclesia matrimonium, cogeretque ad illud, sicut ante Tridentinum cogebat. Verùm stante Declaratione Eminentiss. DD. Cardinal. apud *Rebell. de sponsal. l.4. in declarat. Sacr. Congreg. sect.3. num.41.42.* dicendum est, non transire in matrimonium adhuc præsumptum. Tenor huius declarationis est. *Martha, quæ contraxit sponsalia de futuro, cum N. cum quo carnalis copula sequuta est, potuit ingredi monasterium, & habitum religionis suscipere, in eo permanere, & profiteri, & postquam professionem emiserit, tunc ab Ordinario pronunciandum licere N. matrimonium liberè contrahere cum alia muliere.*

Decretum hoc annullat solum contractus matrimonij per verba de præsenti clandestinè factos; sponsalia verò per verba de futuro, reliquit in terminis iuris communis, præterquam quod per copulam præfatam sponsalia in matrimonium non transibunt. Et ratio est, quia copula, adhuc præsuppositis sponsalibus, non erat neque est verum signum consensus, sed tantùm erat prudens indicium contractus ante copulam facti; ergo quamuis ipsa, & copula fiant coram Parocho & alijs testibus, non transibunt in matrimonium: non ex defectu præsentiæ; sed ex defectu signi exterioris, absque quo nequit fieri contractus matrimonij post Tridentinum. Ita *Coninch de sacr. disp.21. num.21. Hurt. de matr. disp.3. diffic.14. n.55.* & alij.

13. In Clementina *Religiosi, de priuilegijs*, excommunicatione reseruata Pontifici afficiuntur religiosi solemnizantes matrimonia, non habita super his Presbyteri parochialis licentia speciali. Sed notandum est, quòd solemnizare matrimonia, non sit idem quod ministrare; nam sicut hoc solis contrahentibus competit, ita per religiosos fieri non potest. Neque solemnizare idem est, quod *instar* Parochi contrahentibus adesse, nam licet præsentia parochi iuxta Concilium Tridentinum dici possit quædam solemnitas matrimonij, non tamen est illa, de qua Canon præsens qui solùm de illa solemnitate loquitur, quæ consistit in sacerdotali benedictione, quam sponsi, post matrimonium ritè contractum, solemniter in ecclesia recipiunt.

Præterea assistens matrimonio sine licentia afficitur suspensione lata in Conc. Trident. *sess.24. cap.1. sub finem*, vbi sub pœna suspensionis ipso facto interdictum est parocho, alijsque sacerdotibus, tam regularibus, quàm sæcularibus, ne alterius parochiæ sponsos sine parochi licentia in matrimonium coniungere, aut benedicere audeant; alioquin suspensi maneant, donec absoluantur ab Ordinario illius qui matrimonio interesse, vel benedictionem conferre debebat.

Sed dubium est an religiosus solemnizans matrimonia hoc tempore sine speciali facultate, incurrat vtramque censuram, excommunicationem scilicet & suspensionem? Respond. Probabilius esse affici sola suspensione Concilij Tridentini, in quam excommunicatio illius Clementinæ, in hac parte commutata videtur. Tum quia ita declarauit sacra Cardinalium congregatio. Tum ne duplex pœna ob idem delictum incurratur. Ita Sayrus *de censur. lib.4. cap.15. num.2.* Suarez *de censur. disput.22. sect.4.* Bonacina *de matrim. quæst.4. punct.6. num.2.* licet contrarium teneant Nauarrus, Vgolinus, Sanches, Altetius, Miranda, Barbosa apud Tamburinum *de iur. Abbat. tom.2. disput.8. quæst.3.*

Porrò contrahentes absque Parocho; & alijs testibus vbi Tridentinum viget, puniendi sunt pœna graui arbitrio Ordinarij, vt statuit Tridentinum. Et vbi Tridentinum non viget, contrahentes clandestinè absque testibus, & forsan etiam absque proprio sacerdote, sunt etiam puniendi pœna arbitraria, vt statuitur *in Cap. final. de Clandestina desponsat.* Et in eodem cap. sic contrahentes etiam puniuntur in eo, quòd eorum proles sit illegitima, quando contrahunt in gradu prohibito, quamuis ignoranter. In aliquibus diœcesibus excommunicantur ipso facto excommunicatione Synodali. In Castella illis imponitur pœna priuationis omnium bonorum, & exilij ab his regnis, & quòd possint à parentibus exhæredari. de quibus *Sanch. de matr. l.3. disp.47.*

MATRIMONIVM VI.

An matrimonium possit celebrari sub conditione.

SVMMARIVM.

1. *De conditionibus quæ apponi possunt contractui matrimonij.*
2. *An matrimonium initum sub necessaria conditione, sit absolutum & validum, ante expectationem euentus conditionis, non solùm in foro externo, sed etiam in interno?*
3. *An matrimonium sub aliqua conditione turpi celebratum, quæ bonis præcipuis bonis aduersetur, sit irritum?*
4. *An conditio honesta, licet contraria sit bonis matrimonij, irritet illud?* refertur duplex sententia.
5. *An conditio turpis, quæ non est contra substantiam matrimonij, sicut & impossibilis, habeantur pro non adiecta?*
6. *An conditio honesta, & possibilis de præsenti, vel de præterito, vel de futuro adiecta matrimonio, illud vitiet?*
7. *An matrimonium contractum inter habentes aliquod impedimentum sub conditione, si Papa dispensauerit, validum sit, adimpleta conditione seu adueniente dispensatione?* refertur duplex sententia.
8. *An conditiones impertinentes habeantur pro non adiectis in matrimonio?* refertur duplex sententia. *Et quid sit conditio impertinens?*
9. *An standum sit in conscientia foro intentioni contrahentis matrimonium sub conditione, qualiscumque conditio sit?*

1. CONditiones quę apponi possũt cõtractui matrimonij, *alia* sunt necessariæ, *alia* turpes, *alia* impertinentes, *alia* impossibiles, *alia* honestæ, *alia* de præterito, *alia* de præsenti, & *alia* de futuro; & tandẽ ex turpibus *quedam* sunt cõtra substãtiam, & bona

bona matrimonij, & hæ quæ repugnãt præcipuis bonis matrimonij, id eſt, fidei ſeu fidelitati, & ſacramẽto, ſeu indiſſolubilitati matrimonij, vt contraho tecũ, ſi generationẽ prolis euites, vel donec pulchriorem inueniam. *Alia* ſunt turpes, non contra ſubſtantiam & bona matrimonij, vt contraho tecum, ſi mecum concubueris. Inſuper eſt *aduertendum*, quòd matrimonium ipſum conditionem non recipiat; bene tamen eius conſenſus, hoc eſt, conſenſus præſtitus ad matrim. poteſt ex conditione pendere, at matrim. ipſum minimè, quia quamdiu conditio pendet, matrimonium non eſt. De quibus *Sanch. de matr. l. 3. diſp. 1. n. 3. Bonac. q. 2. punct. 10. n. 3. & 4. Fill. tr. 10. c. 4. q. 11. & ſeq.*

2. *Matrimonium* initum ſub neceſſaria conditione eſt abſolutum, & validum ante expectationem euentus conditionis, non ſolùm in foro externo, ſed etiam in interno, modò contrahentes non habuerint intentionem ſuſpendendi conſenſum, vſque ad conditionis euentum: tunc enim matrim. ſub neceſſaria conditione celebratum, non eſt validum de præſenti, cùm non adſit mutuus conſenſus de præſenti: ſicut neque eſt validum, ſi contrahens apponat conditionem neceſſariam, credens illam eſſe contingentem, quia non habet conſenſum de præſenti, cùm intendat tantummodò contrahere dependenter ab euentu illius conditionis. *Conditio* neceſſaria eſt, duco te in vxorem, ſi cras ſol orietur, &c. *Nauarr. cap. 22. num. 67. Coninch d. 29. dub. 1. n. 8. Henriq. l. 11. cap. 12. num. 4. Victoria de matr. n. 260. Sanches l. 3 d. 2. num. 2. Sylu. in ſuppl. q. 43. art. 1. q. 1. concl. 5.*

3. *Matrimonium* ſub aliqua conditione turpi celebratum, quæ ſit contra ſubſtantiam matrim. ſeu quæ tribus præcipuis bonis aduerſetur, irritum eſt, ſi conditio adiungatur, vt de futuro præſtanda; quia conditio contra ſubſtantiam contractus deſtruit contractum; ſi tamen huiuſmodi conditio adhibeatur, poſt contractum matrim. non efficit illud inualidum, cùm iam ſupponatur eſſe validè contractum; idem *dicendum*, quando huiuſmodi conditio non adiungitur, vt de futuro præſtanda, ſed apponitur de præterito, vel de præſenti. vnde ſi quis dicat puellæ, contraho tecum ſi fornicationem commiſiſti, validè ſtatim matrimon. contrahit, ſi puella fornicata ſit: ſecus ſi fornicationem non commiſerit. *Cap. final. de condit. appoſit. Gutierez. cap. 82. num. 4. & ſeq. Coninch c. dub. 3. Sanch. l. 3. diſp. 9. Conar. 2. p. Epit. cap. 3. §. 1. num. 9. Sylu. c. concl. 3.*

4. *Quidam Doctores* docent ſatis probabiliter, conditionem honeſtam, licet contrariam bonis matrimonij, non irritare illud, vt ſi duo contrahant hac lege, vt in perpetua caſtitate viuant, aut conſummato matrimonio Religionem profiteantur; quia copula carnalis non eſt de eſſentia matrimonij, ergo conditio de non habenda, non illi aduerſatur, licet ſit contra bonum prolis, atque ideò nec illud irritat, ita *Coninch diſp. 24. dub. 4. num. 43. Bonacina q. 2. punct. 10. n. 13.* *Alijs* tamen, & meritò probabilius videtur eiuſmodi conditionem vitiare matrimonium, quia repugnat ſubſtantiæ matrimonij, eò quòd matrimon. requirat conſenſum ſaltem tacitum in copulam, qui conſenſus non adeſt, quando matrimon. ſub dicta conditione celebratur, & huius ſententiæ ſunt, *Sanches l. 3 d. 10. num. 2. Henriq. l. 11. cap. 4. num. 1. Vuald. de matr. n. 56. Gutierez c. 82. n. 11.*

5. *Conditio turpis*, quæ non eſt contra ſubſtantiam matrimonij, ſicut & impoſſibilis, adiecta matrimonio, habetur pro non appoſita, matrimoniumque manet validum; modò adſit conſenſus contrahentium abſolutus; ſecus *dicendum* ſi non adſit conſenſus abſolutus, & contrahentes non conſentiant, niſi ſub conditione turpi vel impoſſibili; tunc enim non eſt validum matrimonium, eò quod non adſit conſenſus de præſenti, qui ad validitatem matrimonij neceſſarius eſt. *Leſius l. 2. c. 18. n. 122. Sanches l. 3. diſp. 15. Henriq. l. 11. c. 12. n. 5. 6. Valent. tom. 4. d. 10. q. 7. punct. 3.*

6. *Conditio honeſta*, & poſſibilis de præſenti, vel præterito, adiecta matrimonio illud non vitiat, nec ſuſpendit; ſed ſi conditio tunc eſt vera, vt ſi pater tuus vult, vel voluit, eſt ſtatim validum matrimonium; ſi verò eſt falſa, eſt ſtatim irritum, quia tunc nihil deeſt ad matrimonij ſubſtantiam, cùm adſit conſenſus mutuus de præſenti, ſi conditio tunc eſt vera. *Sylvius c. concl. 8. Gutierez. cap. 81. Coninch d. 29. dub. 1. num. 8. Sanches l. 3. d. 6. num. 1. & 2. Diana de ſacrament. reſol. 291. p. 3. Navar. c. 22. num. 65. Bonacina c. n. 20. Coninch c. num. 11. Matrimon.* tamen celebratum ſub conditione honeſta, & poſſibili de futuro, non eſt validum ante conditionis euentum: quia ea eſt natura conditionis de futuro, vt ſuſpendat valorem contractus ſub ea initi, in euentum conditionis: An autem neceſſarium ſit in his caſibus, vt parochus, & teſtes ſimul aſſiſtant impletioni conditionis, vt matrim. valeat? alij affirmant, alij negant probabiliter. Vide *Gutierez. c. 81. num. 7. Sanches d. 8. num. 23. 24.*

7. *Matrimonium* contractum inter conſanguineos vel affines, vel inter alios habentes aliquod impedimentum ſub conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, validum eſt, adimpleta conditione ſeu adueniente diſpenſatione; quia contrahentes ſub illa conditione non contrahunt pro tunc, ſed pro tempore futuro, videlicet, pro tempore conditionis adimpletæ, quo tempore ſunt habiles, & nihil obſtat quominus perficiatur matrimon. ergo verè perficitur matrimon. tempore illius conditionis adimpletæ per diſpenſationem. *Sanches d. 8. num. 10. Coninch d. 29. num. 18. Conar. 2. p. cap. 3. num. 8. Bonacina c. num. 23. Sylu. c. concl. 10. Sanches l. 3. diſp. 3. num. 3. Diana de ſacramentis reſol. 290. p. 3.* referunt quoſdam Doctores contrarium aſſerentes probabiliter de ſponſalibus, talem nempe promiſſionem eſſe nullam; quia ea conditio tamquam impoſſibilis reijcitur: imò tales conſanguineos incurrere excommunicationem latam in *Clem. vnica, de conſang.* docet *Gutierez. qq. Canon. lib. 1. cap. 22. num. 17.* Mihi nihilominus dicendum videtur ſponſalia inter eos, qui habent aliquod impedimentum dirimens, etiam eſſe valida, appoſita conditione, *ſi Papa diſpenſauerit*, ita vt adueniente conditione diſpenſationis, incipiant obligare, non ſecus ac cæteri contractus conditionati adueniente conditione appoſita. Ratio eſt, quia huiuſmodi ſponſalia reſpiciunt matrimonium licitum; quia licet de ſe ſit prohibitum, ex diſpenſatione tamen fit licitum, & ſponſalia non ordinantur quomodocumque ad ipſum, ſed vt ſtat ſub diſpenſatione, atque adeo vt licitum. Et ratione conditionis ſuſpenditur obligatio, quam inducunt vſque ad tempus, quo impletur conditio; vnde ſponſalia prout inductiua obligationis, habent tractum veluti ſucceſſiuum, quo durant quouſque ponitur conditio, atque adeo quouſque matrimonium ſit licitum. Ita *Pontius de matrim. lib. 3. cap. 15. num. 4. Prepoſitus de matrim. queſt. 9. dub. 3. num. 25. Mercerus in ſupplement. 3. p. q. 43. ar. 3.*

8. Aliqui cenſent *conditiones impertinentes* haberi pro non adiectis in matrimonio, ſed nullo iure aut ratione id probant; quare dicendum eſt matrimon. contractum ſub conditione impertinenti de futuro non eſſe validum; antequam verificetur conditio, validum verò eſſe ea verificata, & adimpleta; quia omnis conditio, iure non improbata, poteſt apponi matrimonio, ſed hæ conditiones impertinentes nullo iure reprobantur, ergo poſſunt validè apponi. *Sotus 4. d. 29. queſt. 2. art. 3. Conditio impertinens* eſt, ſi quis dicat duco te in vxorem, ſi cognouero te bene morigeratam, vel pulchram ab alijs exiſtimari. *Sanch. l. 3. diſp. 18. Bonac. cit. num. 24. Gutierez c. 82. n. 31.*

9. *In conſcientia foro* ſtandum eſt intentioni contrahentis matrimon. ſub conditione, qualiſcumque conditio ſit, hoc eſt, quamuis Eccleſia iudicet matrimon. quando conditio eſt neceſſaria, turpis aut impoſſibilis: præſumit enim minimè defuiſſe conſenſum, huiuſmodi conditionibus adiectis, vnde ſi contrahens noluit inire matrimon. niſi eueniente conditione, non erit matrimonium ante illius euentum, & ſi numquam euenire poſſit, quia impoſſibilis eſt, numquam erit matrimon. quia matrimon. abſque conſenſu nullatenus eſſe poteſt; quando autem dubius eſt animus apponentis conditionem, ſtandum eſt præſumptioni fori externi, & reiecta conditione iudicandum erit matrimonium quando Eccleſia ſic iudicat: In dubio autem pro vtroque foro, iudicandum eſt pro matrimonio. *Filliucius tract. 10. cap. 4. num. 136. Sylueſt. v. matrim. 3. quæſt. 2. Conar. 2. p. cap. 3. §. 2. Sanchez lib. 3. diſput. 1. num. 4. Plura de conditionibus apud Sanchez toto libro quinto, vbi agit de conſenſu conditionato.*

MATRIMONIVM VII.

De impedimentis matrimonium dirimentibus, & quot sint?

SVMMARIVM.

1. *An sit de fide posse Ecclesiam impedimenta matrimonium dirimentia statuere?*
2. *An desideretur iusta causa, vt Summus Pontifex ritè, & rectè valeat impedimenta matrimonij indicere?*
3. *An Princeps sæcularis possit impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex iusta causa suis legibus indicere, seclusa prohibitione Ecclesiæ?*
4. *An consuetudo legitimè præscripta & rationabilis, possit inducere nouum impedimentum dirimens?*
5. *An culpa lethalis sit matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti? & quid si contractus fiat ex metu graui?*
6. *Quot sint impedimenta matrimonium dirimentia?*

1. EX multis Pontificum & Conciliorum decretis & præcipuè ex Trid. constat, fide catholica tenendum esse, posse Ecclesiam impedimenta matrimon. dirimentia statuere, ac matrimon. aduersus eam prohibitionem contractum, esse irritum; nec id est mutare essentiam aut variare materiam & formam sacramenti, sed irritum facere contractum humanum, qui in sacramento matrimonij prærequiritur: *dupliciter* autem potest Ecclesia contractus irritare: *Concil. Trident. sess. 24. de matrim. Canone 3. & 4. Filliuc. tract. 10. 2. p. c. 1. q. 1. Sanches de matr. lib. 7. disp. 1. Bonacina de matr. q. 3. punct. 1. Sylu. in supplem. q. 50. art. 1. q. 5. concl. 5. Primò*, mediatè reddendo personas inhabiles ad contrahendum matrimon. *Secundò*, immediatè irritando contractum matrimonij: qua ratione potest etiam irritare matrimonia infidelium, modò illa irritet, non tamquam Princeps Ecclesiasticus: quia Ecclesia non habet potestatem supra infideles, sed tamquam Princeps sæcularis erga subditos.

2. Vt Summus Pontifex ritè & rectè valeat impedimenta matrimonij indicere, desideratur iusta causa; quia ipsius potestas non est ad dissipandum, sed ad rectam Ecclesiæ administrationem: & proinde non existente iusta causa, matrimonium aduersus prohibitionem Pontificis initum, foret validum, culpaque vacaret; quia extra primum consanguinitatis gradum inter ascendentes & descendentes matrim. vinculum est iure naturali & diuino inuentum, quod nequit ad libitum Pontifex interdicere: *Filliucius c. cap. 1. q. 3. Victoria de matrim. 1. p. secunda partis. Sanches c. disp. 1. Armilla v. matr. num. 54.* Episcopus autem posset huiusmodi impedimenta statuere in sua diœcesi, si ius diuinum & naturale attendatur, ex generali tamen Ecclesiæ consuetudine, hæc potestas soli Pontifici reseruata est. Vt docet *Syluius c. concl. 5.*

3. Secundum probabiliorem & veriorem sententiam, Princeps sæcularis ex genere & natura suæ potestatis, posset impedimenta dirimentia fidelibus sibi subditis ex iusta causa suis legibus indicere, nisi Summus Pontifex hanc sibi potestatem reseruasset, quia iuxta *D. Thom. 4. disp. 34. art. 1. ad 4.* matrimonium inquantum contractus ciuilis, est in officium communitatis institutus, subiacet legis ciuilis ordinationi: verumtamen ista potestas supra matrimon. illis ablata est ab Ecclesia; quia matrimon. non tantùm est contractus, sed etiam res spiritualis, & sacramentum, supra quod non se extendit potestas sæcularis; vnde cùm causa dotis & matrimon. infidelium sint nudi contractus, non tamen sacramentum, nec res spiritualis, Principibus sæcularibus relicta est potestas circa illa, & potest Princeps apponere aliqua impedimenta, per quæ dirimatur infidelium sibi subiectorum matrimonium. *Henriques l. 21. c. 1. num. 4. Coninch disp. 30. dub. 1. num. 5. Bellarmin. de matrim. l. 1. cap. 32. Valent. tom. 4. disp. 10. q. 5. punct. 1. Victoria c. p. 1. sect. 1. Sanch. cit. disp. 3. num. 2. & 3. Syluius c. q. 5. concl. 1. 2. & 4.* Vide præter Doctores hic citatos *Dianam p. 5. tract. 1. resol. 16. & p. 7. tract. 1. resol. 23.*

4. Consuetudo legitimè præscripta, ac rationi consona, qualis petitur ad legem statuendam & statutam derogandam, vires habet inducendi nouum impedimentum dirimens, ac subindè matrimon. aduersus eam consuetudinem initum, erit nullum, idque ex vi solius consuetudinis, etiam absque scandalo & adminiculo alterius iuris, nec ad eam inducendam desideratur scientia Pontificis, sed eo ignorante, potest talis consuetudo legitime præscribi, suumque operari effectum, dummodò sit consuetudo mixta clericorum & laicorum: nam laici non possunt per se solos immutare aliquid spectans ad leges ecclesiasticas. *Coninch c. num. 13. Bonac. c. num. 7. & 8. Filliuc. tract. 10. 2. p. c. 1. q. 5. Sanch. l. 7. disp. 4. num. 11. Syluius c. concl. 7.*

5. *Matrimonium* contrahere cum impedimento dirimenti, iuxta omnium sententiam, culpa lethalis est: quia contrauenitur præcepto iuris naturalis, si de iure naturæ sit impedimentum, vel ecclesiastici, si sit de iure ecclesiastico, idque in re magni momenti: *Filliucius c. c. 1. q. 7. Sanch. l. 7. disp. 5. num. 1. & 4. Sylu. c. q. 4. concl. 1.* Ex metu tamen graui cadente in constantem virum cum hoc impedimento contrahere, vacaret culpa lethali ex natura rei & cessante alio scandalo, modò absit animus consummandi, & metus non incutiatur in odium fidei vel Religionis. Ita *Vasques, Suarez, Becanus, Salas* apud *Diana p. 3. tract. 6. misc. resol. 48. & 83.*

Dubium autem est, an cum impedimento dirimenti contrahere, sit duplex peccatum mortale? Nonnulli affirmant: quia præter peccatum inobedientiæ contra ius naturale, aut Ecclesiasticum, quo impedimentum fuerit introductum, etiam reperitur peccatum sacrilegij irritationis Sacramenti contra Religionem. Verius tamen est, tunc non reperiri peccatum sacrilegij, seu irritationis Sacramenti, sed tantùm vnum peccatum contra prohibitionem in impedimento inclusam: quia tunc non irritatur Sacramentum matrimonij, quia non efficitur id cui ex institutione Christi conuenit ratio sacramenti, nempe contractus validus; ergo tunc tantùm peccatur contra prohibitionem, aut naturalem, aut positiuam, in impedimento inclusam. Vide *Sanches de matr. l. 7. disp. 5.*

6. *Impedimenta*, quæ non solùm impediunt matrimonium, sed etiam dirimunt, secundùm ius antiquum, sunt duodecim: secundùm verò ius nouum, sunt quatuordecim, nam Conc. Trid. duo addit, scilicet raptum & defectum præsentiæ Parochi & testium, quæ omnia impedimenta his versibus continentur. *Tolet. l. 7. c. 7. Nauarr. cap. 22. num. 30. Filliuc. tract. 10. 2. p. c. 1. q. 10.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sit affinis, si forte coire nequibis.
Si parochi & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tuta.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

Hæc impedimenta dicuntur dirimere matrimon. eò quòd inualidè contrahatur cum illis, quando autem iam contracto matrim. superueniunt, illud non dirimunt: quædam ex his impedimentis sunt de iure naturali, alia de iure Ecclesiastico: *Alia* reddunt personam inhabilem absolutè, & proinde respectu cuiuscumque matrimonij: vt sunt impotentia, ligamen, ordo, votum solemne. *Alia* verò non absolutè, sed respectu alicuius matrimonij cum certa persona: vt cognatio, affinitas, publica honestas, cultus disparitas, crimen: de quibus omnibus sigillatim. Ita *D. Thom. 4. d. 34. q. vnica art. 1. Valent. tom. 4. d. 10. q. 5. punct. 2. Sanches de matrim. l. 7. disp. 6. num. 4.*

De impedimento erroris.

SVMMARIVM.

7. *Quotuplex error possit concurrere in matrimonio? & quid iuris de errore antecedente circa substantiam personæ?*
8. *An error personæ concomitans reddat matrimonium inualidum?*
9. *An matrimonium celebratum cum errore qualitati seu dolo antecedente, sit validum, & quid si qualitas in qua erratur apponatur in ipso contractu per modum conditionis?*
10. *Quomodo dignosci possit quando error qualitatis redundat in errorem personæ?*

7. QVADRUPLEX in matrimonio potest concurrere error. *Primus* est personæ, cùm vna persona pro alia supponitur. *Secundus* est, conditionis seruilis, cùm contrahens liber existimat se contrahere cum libera, & est ancilla. *Tertius* est, qualitatis, cùm credit se cõtrahere cum pulchra, nobili, virgine, & est deformis, plebeia corrupta. *Quartus* est, fortunæ, cũ putatur diues & est

pauper. *Magister 4. dist. 30. c. 1. D. T. 1. 2. q. 6. ar. 8. & in suppl. q. 51. art. 2.* Quilibet ex his erroribus vel est antecedens actum, nimirum causam actui faciendo præbens, ita vt eo non existente actus nequaquam fieret; vel est concomitans actum, qui scilicet non inducit ad volendum, sed ita concomitatur actum, vt eo non existente actus fieret; quibus positis dicendum est: Certum esse apud omnes, matrimonium contractum cum errore antecedente, circa substantiam personæ, inualidum esse, non solùm iure humano, sed etiam iure naturali, quia error libertatem & consensum aufert; at matrim. absque consensu, est iure naturæ irritum; vnde non solùm inter fideles, sed etiam inter infideles matrimon. initum cum errore personæ, inualidum est, quia iuri naturæ infideles subditi sunt; nec potest ecclesia statuere, ne error personæ matrim. dirimat. *Sanch. l. 7. d. 18. num. 12. Filliuc. tr. c. 2. num. 32. Reginald. l. 31. num. 92. Gutier. c. 89. num. 2. Coninch d. 31. dub. 1. Sylu. in suppl. q. 51. art. 2.*

8. *Error personæ* concomitans, puta, quando quis contrahit cum Maria, existimans esse Catharinam, sed ita est dispositus habitualiter in voluntate, vt cognitam Mariam æquè libenter aut libentiùs duceret, reddit matrimon. inualidum; quia, vt validum sit matrimon. necessarius est consensus & voluntas positiua, error autem concomitans, quamuis non efficiat actum esse inuoluntarium, efficit tamen non esse voluntarium. Ita *Henriq. l. 11. cap. 10. num. 1. Conink c. dub. 1. num. 9. Bonac. quæst. 3. p. 2. num. 4. Sanch. c. d. 18. num. 6. Sylueus c. art. 2.*

9. *Matrimonium* celebratum cum errore qualitatis seu dolo antecedente, qui ineundo matrim. causam præbet, aliàs non ineundo, non est inualidum: quia tale matrim. est simpliciter voluntarium quoad naturam & substantiam rei, quamuis quoad accidentia, non sit voluntarium: tamen si qualitas, in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipso contractu matrimoniali, siue verbis exprimatur, siue mente contrahentis retenta sit, matr. inualidum esset; vt si quis dicat, duco te in vxorem, si dives sis, vel nobilis, inualidè contrahit, si ipsa non est dives vel nobilis: præterea si error qualitatis in errorem personæ redundet, matrim. foret inualidum defectu consensus absoluti, cùm erretur circa personam. *Tolet. l. 7. cap. 3. Nauar. cap. 22. num. 32. Gutierez c. 89. num. 3. 6. & 7. Coninch c. num. 11. Filliuc. c. c. 2. quæst. 2. Sanch. l. 7. d. 18. num. 18. 21. & 23. Syln. c. a. 2.*

10. *Ad cognoscendum* quando error qualitatis redundet in errorem personæ, est aduertendum, quòd quando qualitas in qua erratur designat aliquam certam & determinatam personam distinctam ab ea quæ præsens est, tunc error circa qualitatem refunditur in personæ errorem, ac matrimon. dirimit. Vt si Maria contraxit matrimon. cum Petro qui se fingebat filium Regis Franciæ, cuius verè non erat filius, nihilominus Maria filium Regis sibi in mente proposuit, in illumque consentire directè voluit; in hoc casu error qualitatis dicitur redundare in errorem personæ; quoties autem qualitas, in qua erratur, non determinat individuam personam, non est error personæ, sed solius qualitatis, vt si quis se filium Regis fingat, minimè explicans cuius Regis filius sit, vnde matrim. cum tali errore contractum est validum, cùm adsit consensus absolutus circa illam personam. Plura apud *Regin. l. 31. num. 95. Nauar. cap. 22. num. 32 Sanch. c. disp. 18. num. 26. & 27. Coninch c. num. 12. Bonac. c. quæst. 5. punct. 2. num. 7.*

11. *Error* non præstat naturale impedimentum matrimonio ineundo, sicut naturalis impotentia ad copulam coniugalem; quia seruitus cognita non aduertatur substantiæ matrimonij. *C. 2. de coniug. seru. Sanch. d. 19. num. 13. Sylues. v. matr. 8. q. 2. Ang. v. matr. 3. imp. 4. num. 5.* Vnde validum est matrimonium seruorum inter se, & matrim. liberi cum ancilla, vel liberæ cum seruo, non ignorata conditione seruitutis: an autem *error seruitutis* ita obstet, vt iure naturali reddat irritum matrimonium initum cum libero sic erranti? affirmant aliqui Doctores & satis probabiliter; licet probabilius sit, solo iure ecclesiastico id matrimonium irritari, quamuis id valde iurinaturali consonum sit. *Filliuc. tr. 10. 2. p. cap. 2. num. 41. Henriq. l. 11. c. 10. n. 3. Victoria de matr. num. 270.*

12. *Non omnis* error conditionis efficit vt matrim. sit nullum, sed quando conditio errantis fit deterior, vt quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam: quando autem persona cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis, matrimon. non est inualidum, quia hoc impedimentum inductum fuit ab ecclesia ad tollendam inæqualitatem, & ne fieret iniuria alteri contrahenti: magna autem inæqualitas esset, si validum esset matrim. quando fit deterior conditio errantis, id est, quando liber contrahit cum serua, quam credebat esse liberam: si autem liber credit alterum seruum & sit liber, siue sit ipse seruus siue liber, valebit matrimonium, quia errans inuenit digniorem conditionem, quam ipse putabat, similiter valebit, si seruus contrahat cum ancilla, credens eam esse liberam, eò quòd serui conditio non efficiatur deterior, sed æqualem suæ conditionem reperiat: *Tolet. l. 7 cap. 3. num. 4. Filliuc. c. c. 2. num. 44. Gutier. c. 90. n. 27. 28. Nauar. c. 22. num. 33. Sanch. cit. num. 23. Henriq. c cap. 10. num. 4. Vualdus de matr. num. 120. Sylueus in suppl. q. 52. art. 1. Notandum* tamen hic est, matrimonium fore validum, si liber contraheret cum serua, sciens vel opinans vel probabiliter dubitans esse seruam, quia in hoc casu non fieret illi iniuria, cum inæqualitas videatur esse voluntaria. *Bonac. q. 3. p. 3. num. 4. Rebel. l. 3. q. 3. s. 2. num. 12.*

13. Quando Dominus seruum tradit liberæ in matrim. nescienti seruitutem, hoc ipso illum liberat à seruitute: idem si tradat ancillam libero conscio seruitutis, & ancillam per instrumentum dotet: sit enim illa hoc ipso libera, & in vtroque casu coniugium validum est. *Auth. ad hoc c. de lat. liber. Sanch. l. 17. d. 20. Filliuc. c. c. 2. num. 45. Gutierez c. 92. Sanch. disp. 21. Bonac. c. num. 7. Speculum 1. p. art. 30. Sylues c. q. 52. art. 2.* Inuito autem domino, seruus validè potest contrahere matrim. cum serua vel libera, modò seruitus sit nota personæ liberæ; cauere tamen debet seruus, ne dominum priuet debitis obsequijs, cùm per matrimonium non eximatur ab obligatione erga dominum, contracto autem matrimonio, seruo illi nempe, coniugi vel domino potiùs obsequendum est, cuius necessitas magis vrget, & si cætera paria sint, coniugi potiùs est satisfaciendum.

14. *Dominus* non potest absque peccato mortali vendere seruos in locis distantibus, in quibus serui non poterunt sibi *debitum* reddere, quando matrimon. de domini consensu contractum est: at quando ignoranter aut inuito domino matrimon. contractum est, non debet dominus in parte remota illos vendere absque necessitate, vt si inueniat iustum pretium in eodem loco, contrarium tamen facere, non esset culpa lethalis. *Henriq. l. 11. cap. 10. num. 4. Toletus l. 7. cap. 7. num. 3. Nauarr. c. 22. num. 34. Sà v. matr. de impe. num. 1.*

15. *Post contractum* matrimonium, vir in seruum potest se vendere, etiam vxore renitente, non ita vxor absque consensu viri. Et quoad seruitutem vel libertatem, filij sequuntur conditionem matris, nisi contrarium receptum sit per consuetudinem in aliquo loco; tamen quoad honores & nobilitatem, sequuntur conditionem patris. Est autem aduertendum, si mater fiat libera, vel tempore conceptionis, vel partus, vel medio tempore, filius non remanet seruus nisi quando mater grauida fit serua iure belli, quia in hoc casu fœtus fit seruus cum matre, quamuis mater fuerit libera tempore conceptionis. *Filliuc. tr. 10. 2. p. cap. 2. n. 55. & seq. Sanch. c. d. 24. Bonac. cit. num. 11. Gutier. cap. 93. Sylueus citat. artic. 3. & 4.*

De impedimento erroris conditionis seruilis.

SVMMARIVM.

11. *An error seruitutis reddat iure naturali irritum matrimonium, vel tantum ecclesiastico?* refertur duplex sententia.
12. *An omnis error conditionis efficiat vt matrimonium sit nullum?*
13. *An ex eo quòd Dominus seruum tradit liberæ, vel è contra, in matrim. nescienti seruitutem, hoc ipso illum liberet à seruitute? et an valide seruus possit inuito Domino matrimonium contrahere cum serua?*
14. *An Dominus possit absque peccato mortali vendere seruos in locis distantibus, in quibus non poterunt sibi debitum reddere?*
15. *An vir & vxor post contractum matrimonium possint se vendere absque mutuo consensu?*

(:·)

De impedimento voti.

SVMMARIVM.

16. *An sit de fide quod votum solemne castitatis emissum in professione validæ religionis approbatæ, dirimat matrimonium etiam consummatum factum post ipsam professionem?*
17. *Quo iure matrimonium sit irritum post solemnem professionem* refertur duplex sententia.

16. CErtissima fide tenendum est, *votum solemne* castitatis emissum in professione valida religionis approbatæ, dirimere matrimon. etiam consummatum factum post ipsam professionem, & consequenter religiosum professum, inualidè contrahere matrimonium; sic enim definitur in Concilijs multis, & nouissimè hæc veritas definita est in Concilio Tridentino. *Conc. Trid. sess.24. de matrim. can.9. Sanch. l.7. disp.26. Valent. to. 4. disp.10. q.5. punct.3. Gutierez c.94. Sylvius in supplem. q.53. art.2.* Eamdem vim dirimendi matrim. subsequens *Greg. XIII.* Summus Pontifex concessit tribus votis simplicibus, quod emittunt Patres Societatis Iesu peracto biennio nouitiatus, vt patet ex ipsius bulla, quæ incipit: *Ascendente Domino*.

17. *Magna controuersia* est inter Doctores, tam Theologos quàm Canonistas, quo iure matrim. sit irritum, post solemnem professionem contractum? & in triplicem sententiam Auctores abierunt; *quidam* enim censent, votum solemne professionis religionis, ex vi sua, ac iure naturali diuino, vim habere matrimonium posteà initum irritandi, secluso quocumque iure ecclesiastico; quia iure naturæ res vni tradita, inualidè traditur alteri; nemo enim transferre potest ius in alium, quod iam non habet; at per votum solemne religiosi transfertur dominium personæ in Deum, ita vt non habeat iam religiosus dominium sui corporis ad vsus matrimonij, ergo iure naturæ est irrita translatio dominij in coniugem per matrimonium, & hanc sententiam sequuntur plurimi ex antiquis Theologis, vt *D. Th. 4. d. 38. q.1. art.3. q.3. D. Bonauent. ibid. art.2. q.1. Durand. q.1. in fin. Maior q.14. concl.1. Sotus de iust. l.7. q.2. art.5. Henriq. l.12. c.5. num.2. & 3. Valent. 2. 2. d.6. q.6. p.5. Sylvius c. art.2.* *Secunda sententia* ait, id non ex iure naturali, sed ex diuino positiuo consurgere. Ita *Almain. apud Sanch. disp.26. num.3.* in suo tractatu de potestate Ecclesiæ. *Tertia* denique *sententia* quæ nunc est probabilior & communior, & ideò ampliectenda, docet, solo iure ecclesiastico matrimon. dirimi; quia votum simplex non dirimit matrim. ergo neque votum solemne, votum enim solemne nihil habet supra votum simplex, ratione cuius magis dirimat matrimon. quàm simplex, excepto decreto ecclesiæ: sicut enim in voto solemni traditur persona Deo, ita etiam in simplici; & videtur hoc definitum à *Gregorio XIII.* in bulla citata. Ita *Regin. l.31. num.113. Gutier. c.94. num.6. Lessius lib.4. capit.41. num. 68. Bellarm. l.2. de monachis c.34. Filliuc. tr.10. 2. p. c.4. num. 118. & 119.*

De impedimento Cognationis carnalis.

SVMMARIVM.

18. *Quid sit Cognatio carnalis? & quomodo distinguatur per lineas & gradus; & quotuplex sit linea?*
19. *Quomodo computandi sint gradus consanguinitatis?*
20. *De prima regula, pro linea recta ascendentium & descendentium.*
21. *De secunda regula, pro linea transuersa æquali?*
22. *De tertia regula, pro personis consanguineis in linea transuersa æqualiter distantibus à communi stipite.*
23. *An matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ sit ipso iure naturæ irritum? & an eodem iure sit irritum matrim. contractum in quolibet gradu ascendentium & descendentium?* refertur duplex sententia.
24. *An iure naturæ matrim. sit irritum in primo gradu æqualis lineæ transuersæ, vt inter Fratrem & sororem?* refertur duplex sententia.
25. *An matrimonium celebratum inter personas consanguineas intra quartum gradum inclusiuè, in vtraque linea, inualidum sit? & quid iuris, si duo consanguinei inæqualiter distent à stipite?*

18. C*Cognatio carnalis*, quæ & consanguinitas dicitur est vinculum personarum ab eodem propinquo stipite descendentium, carnali propagatione contractum. *Distinguitur* hæc cognatio per lineas & gradus. *Linea* dicitur ordinata collectio personarum ab vno stipite descendentium, diuersos continens gradus, seu potiùs ipsæmet personæ tam ascendentes, quam descendentes collectiuè sumptæ. *Gradus* est mensura personarum, qua cognoscitur quanta sit propinquitas consanguinitatis, vel distantia inter ipsas, quæ in linea includuntur. *Linea* duplex est, *alia* dicitur recta, *alia* transuersa seu collateralis. *Recta* est illa, secundùm quam multæ personæ ita descendunt ab vno stipite immediatè, vel mediatè, vt vna sit genita ab altera, vt filius à patre, nepos à filio &c. & hæc recta linea *quædam* est ascendentium, in qua continentur personæ, à quibus origo deducitur, vt pater, auus, proauus, atauus; *alia* descendentium, quæ claudit personas originem ab eo stipite trahentes, vt filios, nepotes, pronepotes &c. *Linea collateralis* est illa, secundùm quam multæ personæ ab vno stipite immediatè vel mediatè procedunt, ipsæ tamen personæ à se inuicem non descendunt; vt sunt fratres & eorum filij, patruus, amyta: stipes est persona illa, à qua omnes personæ de quatum coniunctione tractatur, descendunt & originem ducunt. Ita *Gutierez de matr. c.94. num.1. Filliuc. tr.10 2.p. cap. 5. Reginald. l.31. num.140. Sanch. de matr. l.7. disp.50. num.2. & 3. Bonac. de matr. q.3. p.5. §.1. num.3.4. & 5. Valent. tom.4. disp.10. q.5. punct.3. Sylu. in suppl. q.54. art.1.*

19. Ad computandos consanguinitatis gradus, vt scilicet, cognoscatur in quo gradu vnus consanguineus existat cum alio, *triplex* à *D. Thom. in 4. dist.40. q.1. art.2.* quem cæteri Doctores sequuntur, regula assignatur.

20. *Prima regula*, in linea recta ascendentium & descendentium hæc est. *Tot sunt gradus, quot sunt personæ* dempta vna persona, scilicet, stipite; propterea cùm pater, & filius sint duæ personæ, si stipitem demas, id est, patrem, pater & filius erunt in primo gradu, eò quòd dempto stipite remaneat vna persona: similiter pater & nepos sunt in secundo gradu, eò quòd tot sint gradus, quot sunt personæ, dempta vna; personæ autem in hoc casu sunt tres connumeratæ, videlicet, pater, filius, & nepos: *Coninch d.32. dub.1. Regin. c.11.141. 142. Sanch. c. disp.50. num.4. Sylu. c.1. 2.*

21. *Secunda regula*. Quando personæ quarum gradus quæruntur, sunt in linea transuersa æquali, eodem gradu distant inter se, quo distant à communi vtriusque stipite proximo; vt duo fratres distant inter se in primo gradu, quia in eo distant à primo stipite, in quo coniunguntur, qui est parens: filij duorum fratrum consanguinei in secundo gradu, quia in eodem coniunguntur in communi vtriusque stipite proximo, qui est auus. *Bonac. c. n.5. Conarr. in epitom. p. 2. cap. 6. §.6. Tolet. l.7. cap.9. Sylu. citat. art.2.*

22. *Tertia regula*. Quoties personæ consanguineæ in linea transuersa distant inæqualiter à communi stipite, eo gradu distant inter se; quo gradu alter magis remotus distat à communi stipite, vt patruus & filius ex fratre distant inæqualiter ab auo, in quo vniuntur, ille enim distat in primo gradu, hic verò in secundo, vtpote qui est eius nepos, alter verò eius filius, distabunt igitur inter se, in secundo consanguinitatis gradu. *Sanch. c. n.5. & 6. Valent. c. punct.3. Sylu. c. a 2.*

23. *Matrimonium* in primo gradu consanguinitatis lineæ rectæ, nempe inter parentes & filios, est ipso iure naturæ irritum; *D. Tho. 4. d. 40. q.1. ar.3. Valent. tom.4. d.10. q.5. p.3.* quia omnes gentes bene instructæ, solo naturæ lumine edoctæ, nuptias inter hos nefandas existimarunt; imò plurimi Doctores existimant, eodem iure naturali fore irritum matrim. contractum in quolibet ascendentium & descendentium, gradu, quia cùm omnes ascendentes habeant ratione principij & superioris, ideò ob reuerentiam superioribus debitam, inualidum erit matrimon. inter huiusmodi personas celebratum, hæc sententia est satis probabilis quam tenent *Nau. c.22. Regin. l.31. num.119. Coninch d.32. dub.1. num.16. Tolet. l.7. c.9.* Alijs tamen & meritò probabilius videtur matrimon. in linea recta esse irritum iure naturæ, in primo tantùm gradu; quia ascendentes non habent rationem principij per se respectu omnium descendentium, sed solùm respectu filiorum ab ipsis immediatè procedentium; respectu autem aliorum descendentium, habent rationem principij tantummodò per accidens. Et secundùm hanc sententiam infertur matrimon. contractum ab infidelibus in secundo, tertio, & quarto gradu lineæ rectæ, validum esse, quia matrim. in his gradibus non est irritum iure naturæ, vnde conuersi ad fidem non sunt separandi,

parandi, niſi cum patre & matre coniuncti ſint: ſic ſentiunt *Sanches l.7. d.51. nums.19 Filliuc. tract.10. 2.p. c.5. num.180. Bonac. q.3. punct.5. §.1. num.8. Sil. v. matrimonij impedimenta, n. 4. Sylius cit. art.3.*

24. Quamuis quidam Doctores, vt *Sanch. de matr. l.7. d.52. num.10. Præpoſit. in ſuppl.3.p.q.7. de impediment. dub.9.n.73. Pont. de matr. l.7. cap.32. n.3. Dian. p.4. tract.4. reſ.93. Hurt. de matr. diſp.17. diffic.5. num.12.* probabile putent, attento ſolo iure naturæ, matrimonium eſſe validum in primo gradu æquali lineæ tranſuerſæ, vt inter fratrem & ſororem; quia cum frater & ſoror non ſint directè vna caro, vt ſunt pater & filius, nec inter ipſos repugnet æqualitas, nec ſit mutua reuerentia debita; cùm neuter ſuperior ſit: non videtur matrimonium inter eos aduerſari ſubſtantiæ coniugij: ac proinde non erit iure naturæ irritum; vnde iuſta concurrente cauſa diſpentare in eo poſſet Summus Pontifex, & hanc ſententiam clarè videtur tenere. *D.Tho. 2.2.q.154. art.9. ad 3.* quamuis *Sot.4.d.40. q.vnic. art.4.* immeritò damnauerit illam tamquam erroneam. Sed quidquid ſit de probabilitate huius ſententiæ; Contrariæ tamen adhærendum eſt tamquam probabiliori, nempe inter fratres & ſorores, eſſe interdictum ac irritum iure naturæ matrimonium: tum quia inter fratrem & ſororem eſt maximus pudor naturalis, cui maximè aduerſatur actus coniugalis; tum quia Summus Pont. requiſitus ad diſpenſandum in primo gradu, numquam voluit diſpentare; ergo ſignum eſt ipſum non poſſe. Ita docent *Sanch. c. num. 11. Præpoſitus c. Sylu. in ſuppl. q.54. art.3. Bonac. de matr. q.3. par.5.§.1. num.11. Val. diſq.1.2. quæſt.74. art.8. diſp.112. num.7. Filliuc. cit. num.182.*

25. Iure eccleſiaſtico, matrimonium celebratum inter perſonas conſanguineas intra quartum gradum incluſiuè, tam in linea recta quam in linea tranſuerſali, inualidum eſt; tamen ſi duo conſanguinei inæqualiter diſtent a ſtipite, vt ſi alter diſtet vltra quartum gradum, alter verò intra illum, poſſunt matrimonio copulari; quia tunc attenditur gradus conſanguinitatis penes diſtantiam remotioris à ſtipite, remotior autem à ſtipite diſtat vltra quartum gradum, ergo ambo erunt conſanguinei inter ſe vltra quartum gradum. *Cap. Non debet de conſang. Conc. Trident. ſeſs.24. de matr. canone 3. D.Tho. in ſuppl. q.54. art.4. C. final. de conſanguinitate.*

De impedimento cognationis ſpiritualis.

SVMMARIVM.

26. *Quid ſit cognatio ſpiritualis? & quo iure hæc cognatio ſit inducta?*
27. *Quotuplex ſit cognatio ſpiritualis poſt Concilium Tridentinum.*
28. *An cognatio ſpiritualis contracta à viro in baptiſmo vel confirmatione transfundatur ad vxorem, & è contra?*
29. *Quæ requirantur ad contrahendam cognationem in baptiſmo vel confirmatione?*
30. *An omnes tangentes baptizatum contrahant cognationem, quando nulli deſignantur patrini?* refertur duplex ſententia.
31. *An qui mittit procuratorem ad ſuſcipiendum infantem contrahat cognationem, an verò procurator?* refertur duplex ſententia.

26. COgnatio ſpiritualis *eſt propinquitas quædam perſonarum, exſtante ecclefiæ conſurgens, propter collationem baptiſmi, vel confirmationis, vel ſuſceptionem recipientis hæc ſacramenta*: hæc cognatio non eſt ex iure diuino naturali, aut ex diuino poſitiuo, ſed ex ſolo eccleſiaſtico, & ex alijs ſacramentis præter baptiſmum & confirmationem, minimè oritur, quæ matrim. aut dirimat aut impediat. *C. de eo & c. ſiquis filiaſtram 30. q.1. Gutier. c.100. Filliuc. tr.10.2.p.c.5. num.188. Regin. l.31. num.148. Sanch. l.7. d.54. Bonac. q.3.p.5.§.2.* Illa autem cognatio, quę ſuperuenit matrimonio, vt quia alter coniux fuit patrinus alterius in confirmatione, aut leuauit de ſacro fonte filium alterius, aut communem, matrimonium præcedens minimè diſſoluit: hoc verò impedimentum cognationis ſpiritualis eſt perpetuum, ac proinde non extinguitur morte perſonæ, quæ mediante contracta eſt, vt in affinitate & reliquis impedimentis contingit.

27. Hodie attento nouo iure Concilij Tridentini, *duplex* eſt tantùm *ſpecies* cognationis ſpiritualis, nempe, *paternitas & cõpaternitas*; *paternitas* contrahitur inter baptizantem cum baptizato & inter patrinos cum ipſomet baptizato; & ſimiliter inter confirmantẽ cum confirmato: & inter patrinos confirmationis cum ipſomet confirmato: *Compaternitas* autẽ contrahitur inter baptizãtẽ cum patre & matre baptizati, & inter hos parẽtes carnales baptizati cum patrinis baptiſmi: & ſimiliter inter hos parentes confirmati cum confirmante, & cum patrinis confirmationis. *Conc. Trid. ſeſs. 24. c.2. Nau. cap.22. num.40. Tolet. l.7. c.18. Filliuc. c. num.190. Sylu. in ſuppl. q.56. art.4.* Hinc Parochi incidentes in tactum libidinoſum aut delectationem moroſam circa puellam a ſe baptizatam, vel circa fœminam cuius aliquam prolem baptizarint, non ſatisfaciunt ſi in confeſſione dicant, quod attigerint vel conſenſerint in puellam aliquam, vel in mulierem coniugatam, aut viduam, ſed etiam addendum eſt, talem eſſe à ſe baptizatam, vel aliquam prolem illius mulieris baptizaſſe. Cùm enim ſit hic cognatio ſpiritualis, talis actus vel conſentus ad inceſtum reducitur. Et hic caſus ſatis frequens eſſe poteſt, vbi Paſtores lubrici degunt, quia facile eſt cogitatione labi. Ita Sancius *in Selectis diſp.40. num.25.*

28. Ex declaratione Pij V. *cognatio ſpiritualis* contracta à *viro* in baptiſmo, vel confirmatione, non transfunditur ad vxorem & è contra: imò vir & vxor ſimul alienum puerum in baptiſmo iure communi ſuſcipere poſſunt, quia cognatio hæc non contrahitur inter ipſoſmet patrinos, vnde non priuantur iure exigendi debiti. *Pius V. in bulla, Cum illius vicem. Rodriq. tom.1. cap. 225. Henr. l.12. cap.11. Sylu. cit. art.4.*

29. *Ad contrahendam* cognationem in baptiſmo vel confirmatione, multa requiruntur. *Gutier. c.100. num.7. Bonac. c.§.2. n.9. Primò*, vt teneatur infans in baptiſmo, vnde quando puer eſt domi baptizatus, & in eccleſia ſupplentur ſolemnitates, non contrahitur cognatio ab eo, qui illum ſuſcipit in eccleſia. *Sanch. lib.7. d.62. num.5. Gutier. c.100. n.9. Secundò*, vt puer ſuſcipiatur, quando primò baptizatur, vnde ſi infans rebaptizetur non contrahitur cognatio; ſi verò dubium ſit de priori baptiſmo, & infans rebaptizetur ſub conditione, præſumendum eſt contrahi cognationem. *Rodr. c.225. Rebell. q.6. num.16. l.3. Dian. p.5. tract.3. reſ.7. Tertiò*, requiritur, vt ſuſcipiens, puerum teneat, quando baptiſmus ſolemniter adminiſtratur; vnde qui ſuſcipit puerum in baptiſmo priuatim adminiſtrato, non contrahit cognationem: quamuis baptizans priuatim contrahat, ſiue vir fuerit, ſiue fœmina. *Henriq. lib.12.c.11. num.3. Reginald. c. num.151. Quartò*, requiritur contactus, ita vt ſuſcipiens ſeu tenens verè dicatur ſuſcipere ſeu tenere: præterea debet puer ſuſcipi de manibus baptizantis ſtatim ac baptizatus eſt. *Regin. l.31. num.155.157. Sanch. d.58.61. Quintò*, requiritur intentio expreſſa vel tacita præſtandi munus patrini, ſeu ſuſcipiendi de ſacro fonte, hinc vt quis ſit legitimus ſuſceptor & contrahat cognationem, debet habere vſum rationis. *Sylueſt. v. matr. 8.q.7. Regin. num.155. Sexto*, requiritur ne adſit error perſonæ: quia intendens ſuſcipere filium Petri, & eſt filius Pauli, non contrahit, ſecus ſi intendat ſuſcipere præſentem, quicumque ille ſit. *Coninch d.32. dub.2. num.25. Sanch. l.7. diſp.60. Valent. d.4. q.2. p.3. Regin. c. num.157. Septimo* requiritur vt baptizans aut ſuſcipiens ſit baptizatus, alioquin non contrahit cognationem, vnde fidelis baptizans, vel confirmans, vel tenens filium infidelis, non contrahit cognationem cum patre vel matre infideli, quia infidelis illam non contrahit; hæreticus tamen ſuſcipiendo, vel baptizando cognationem contrahit, quia eſt baptizatus & ſubiectus eccleſiæ: ſicut & religioſus contrahit cognationem ſuſcipiendo alios in baptiſmo, vel confirmatione, quamuis ſit illi prohibitum ſuſcipere *cap. non licet, de conſecratione, diſtinct.4.* Similiter fidelis non confirmatus & tenens fœminam in confirmatione non contrahet cognationem ſpiritualem cum illa: quia quamuis habeat vitam ſpiritualem ratione baptiſmi, at non habet conditiones petitas ab Eccleſia, vt verus ſuſceptor ſit: vt conſtat ex *cap. in baptiſmate, de conſecrat. diſtinct.4.* ibi. *In baptiſmate, vel in Chriſmate non poteſt aliuum ſuſcipere in filiolum ipſe qui non eſt baptizatus, vel confirmatus.* Quod verbum, *poteſt*, præſuppoſita negatione tollit potentiam, & reddit actum nullum: vnde nec inceſtus labe inquinabitur ille cognoſcens fœminam, cuius patrinus fuit in confirmatione: & hæc ſint dicta iuxta probabiliorem ſententiam: quia quidam docent non confirmatum contrahere cognationem, tenendo aliam in confirmatione, vt dictum eſt ſupra *v. Confirmatio num.11.*

30. *Quando* nulli deſignantur patrini, quidam Doctores valdè probabiliter cenſent, omnes tangentes baptizatum contrahere cognationem, quia à iure antiquo recedẽdum non eſt, niſi quoad

excepta

excepta in nouo;ita *Nauarr.num.*39. *Henriq.l.*12. *cap.*11. *num.* 3. *Sa v.matr. imped. num.*5. Alij tamen vt *Suar.* 3. *p. queſt.*57. *art.*8. *Sanch. d.*57. *num.*12. probabilius exiſtimant in hoc caſu neminem contrahere hanc cognationem, ſiue tangat ſimul, ſiue ſucceſſiuè. *Coninch c. num.*35. *Regin. c. num.*152. *Quando* verò plures deſignati à parentibus vel ab alijs curam infantis habentibus tangunt, omnes contrahunt cognationem, modò tangant ſimul; ſi autem tangant ſucceſſiuè, ſolus primus, qui baptizatum ſuſcipit, vel ad ſummum duo, ſi fuerint maſculus & fœmina, cognationem contrahunt: *Bonac. c. num.*26. 29. *Quando* autem plures deſignati ſunt à parentibus, ſed parochus admittit vnum tantùm & vnam, cognatio contrahitur tantummodò ab ijs, qui fuerunt à parocho admiſſi: ſi verò nulli ſint deſignati à parentibus, cognationem contrahent deſignati à parocho.

31. Iuxta probabiliorem ſententiam, qui mittit procuratorem ad ſuſcipiendum infantem, ipſe contrahit cognationem, non autem procurator; quia quæ agit procurator non agit proprio nomine, ſed nomine mittentis; & mittens ipſe fuit deſignatus, non verò procurator; ſic fertur declaraſſe Cardinales. *Coninch c. num.*40. *Sa c. num.*5. *Bonac. c. num.*34. *Sanch. d.*59. *num.*4. *Regin. c. num.*156. *Tolet. l.*7. *cap.*4. putant in hoc caſu cognationem non contrahi neque à mittente, neque à procuratore. *Toletus* verò & quidam alij exiſtimant contrahi à procuratore, modò ipſe intendat contrahere, non verò à mittente, & hæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles. *Plura de hac cognatione apud Sanchez* citatum.

Vide *Debitum coniugale* 1. n.12. & 13.

De impedimento Cognationis legalis.

SVMMARIVM.

32. *Quid ſit cognatio legalis? & quotuplex?*
33. *Quid ſit Adoptio? & quotuplex? Et an cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta, dirimat matrimonium?* refertur duplex ſententia.
34. *Quæ requirantur vt aliquis adoptare poſſit?*
35. *Inter quos cognatio legalis impediat, & dirimat matrimonium?*
36. *An filius adoptantis poſſit matrimonium contrahere cum filia adoptati, &c. & quo iure hoc impedimentum ſit inductum?*
37. *An cognatio legalis matrimonio ſuperueniens impediat debiti petitionem?*

32. COgnatio legalis *eſt propinquitas quarumdam perſonarum ex adoptione proueniens*; & *triplex* communiter aſſignatur à Doctoribus cognationis legalis ſpecies. *D. Thom.*4. *d.*42. *art.*1. *Gutierez* 1. *l.*2. *cap.*102. *num.*4. *Regin. l.*31. *num.*161. *Filliuc. tract.*10. 2. *p. cap.*5. *num.*198. *Prima*, eſt linea recta inter adoptantem & adoptatum, & deſcendentes adoptati. *Secunda*, eſt tranſuerſalis inter adoptatum, & filios carnales adoptantis. *Tertia* eſt per modum cuiuſdam legalis affinitatis, ad ſimilitudinem affinitatis naturalis, quæ eſt inter adoptantem, & vxorem adoptati & è contra inter adoptatum, & vxorem adoptantis.

33. *Adoptio* autem eſt *legitima extranea perſonæ in filium vel nepotem aſſumptio*: & *duplex* eſt, *alia* perfecta, & *alia* imperfecta. *Sylu. in ſuppl. queſt.*57. *art.*1. *Coninch d.*32. *dub.*3. *num.*42. *Regin. c. num.*158. *Bonac. queſt.*3. *p.*5. §.3. *Sanch. l.*7. *d.*63. *num.*2. *Dian.*4. *p. tract.*4. *reſol.*120. *Perfecta* dicitur adoptio, qua adoptatus interueniente Principis auctoritate, tranſit in poteſtatem adoptantis, & fit ipſius hæres neceſſarius, ſaltem in quarta bonorum, id eſt in legitima: *Imperfecta* autem hoc à præcedente differt, quòd per eam non tranſit adoptatus in adoptantis poteſtatem, nec illi tamquam neceſſarius hæres ex teſtamento ſuccedit, ſed tantùm ab inteſtato.

An autem cognatio legalis orta ex adoptione imperfecta dirimat matrimonium? affirmant *Pontius de matrimon. Rebellus*, *Prapoſitus*, quia iura abſolutè loquuntur: Nihilominus probabilior ſententia aſſerit contrarium, quia cùm Matrimonium ſit res fauorabilis, iura illud dirimentia ob adoptionem reſtringi debent ad perfectam. Ita *Sanches*, *Syluius*, *Filliucius*, *Layman* apud *Dianam c. reſ.*120.

34. Vt aliquis adoptare poſſit requiritur. *Primò* vt adoptans ſit ſui iuris, & maior viginti quinque annis. *Inſtitut. de adoption.* *Secundò*, vt adoptans non ſit fœmina. *Tertiò*, vt adoptans habeat potentiam naturalem ad generandum: qualem habent ſecti gladio aut facti eunuchi per morbum, hi enim ſunt tantummodò impotentes ex accidenti, non ex defectu. *Quartò*, vt adeo ſit prouectæ ætatis vt excedat adoptatum decem & octo annis, & poſſit eſſe pater carnalis adoptati: his poſitis quilibet adoptare, etiamſi ſit ſacerdos, & quilibet poteſt adoptari, modò ſit præſens. *Sanch. c. d.*63. *num.*3. *Sylueſt. v. adoptio num.*2. *Bonac. c.* §.3. *num.*3.

35. *Cognatio legalis* impedit, & dirimit matrim. contractum. *Cap. per adoptionem* 30. *queſt.*3. *c. ita dirigere* 30. *queſt.*3. *Nau. cap.*22. *num.*45. *Cap. fin. de adoptione*. *Primò*, inter adoptantem & adoptatum, & deſcendentes adoptati vſque ad quartum gradum. *Secundò*, inter vxorem adoptantis & adoptatum, inter vxorem adoptati, & adoptantem. *Tertiò*, inter filios ſeu filias adoptantis & adoptatum ſeu adoptatam: ex quo patet, hoc impedimentum non perpetuò durare, nam ſi filij adoptantis emancipentur, vel ſi pater eorum moriatur, poterunt contrahere cum adoptata.

36. *Filius adoptantis* poteſt matrimon. contrahere cum filia adoptati, quia nulla intercedit cognatio inter has perſonas. *Item* quando plures adoptati ſunt ab vno & eodem, poſſunt adoptati inter ſe matrim. inire. *Præterea* adoptatus poteſt contrahere matrim. cum filia illegitima adoptantis, ſicut adoptans poteſt contrahere cum filia filiæ adoptatæ. *Porrò*, hoc impedimentum eſt iure eccleſiaſtico inductum, vnde validum eſt matrim. contractum ab infideli in cognatione legali, quia infideles non ſunt ſubiecti legibus eccleſiaſticis, *Reginald. cap.*162. 163. *Sa c. n.*6. *Nau. cap.*22. *num.*45. *Sanch. d.*63. *num.*35. 36. & 21. 22.

37. *Cognatio legalis* ſuperueniens matrimonio iam contracto, non impedit debiti petitionem, quia nullo iure conſtat, vbi debiti petitio in eo caſu interdicatur: ſponſalibus autem de futuro ſuperueniens, illa dirimit. *Roſella v. Impedimentum num.* 16. *Sanch. c. n.*19. 20.

De impedimento Criminis.

SVMMARIVM.

38. *Quæ ſint crimina quæ matrimonium impediunt & dirimunt? & de primo, quod eſt occiſio coniugis alicuius cauſa contrahendi cum eius coniuge.*
39. *De altero crimine, quod eſt adulterari ſcienter cum coniuge alterius, & contrahere matrimonium de facto vel dare fidem de contrahendo. Vbi deciduntur multi caſus.*
40. *Qui ſint caſus in quibus non oritur impedimentum dirimens, quamuis quis occidat coniugem ſuam vel alterius?*
41. *An hoc impedimentum criminis contrahatur ab infidelibus? & ſit iure Eccleſiaſtico indultum?*

38. DVo ſunt *crimina*, quæ matrimonium iure impediunt & dirimunt; *C. ſignificaſti, de eo qui duxit*. *C. ſi quis vxorem*, 31. *queſt.*1. *Gutier. de matrim. cap.*105. *Coninch diſp.*31. *num.*62. *Nau. cap.*22. *num.*46. *Sanches l.*7. *d.*78. *Filliuc. tract.* 10. 2. *p. cap.*8. *num.*253. *Bonac. queſt.*3. *punct.*6. *num.*4. & *ſeq. alterum* eſt, occiſio coniugis alicuius cauſa contrahendi cum eius coniuge, quæ facta vtroq; machinante perpetuò impedit, etiamſi alter infidelis eſſet, & ad eius conuerſionem procurandam patrata fuiſſet: facta verò altero tantùm machinante non ſufficit, niſi adulterium interueniat; vnde vt hoc crimen ſolius homicidii inducat impedimentum dirimens, hæc requiruntur. *Primò*, vt matrim. contra quod machinatio facta eſt, verum ſit. *Secundò*, vt machinatio ſortiatur effectum, ſubſecuta videlicet morte alterius coniugis. *Tertiò*, vt homicidium ſit vxoris, ſi enim vir occiditur, ſecundùm aliquos non incurritur hoc impedimentum, ſed verius eſt etiam incurri, morte viri. *Quartò*, vt tam mortis machinatio, quàm adulterium interueniat, niſi vterque cooperatus ſit ad mortem, tunc enim adulterium non requiritur. *Quintò*, vt quando alter tantùm machinatus eſt mortem, adulterium commiſſum ſit vtrique notum. *Sextò*, vt homicidium coniugis eo fine factum ſit, vt cum altero coniugum ineatur. *Henriq l.*12. *cap.*14. *Valent. tom.*4. *d.*10. *queſt.*5. *p.*3. *Sa c. n.*7. *Notandum* tamen eſt *Primò*, eum, qui dedit mandatum occidendi, ſed poſtea reuocauit mandatum, cuius reuocatio innotuit mandatario ante mortem coniugis, non eſſe reum huius impedimenti, ſicut nec eſt reus ille, qui dedit conſilium quod

nihil

nihil influxit, vel qui ratam habuit occisionem coniugis. *Sanch. c. num.*23. *Coninch c. num.*64. *Secundò*, Impedimentum hoc non reddit machinantem inhabilem simpliciter ad quodcumque aliud matrim. sed tantùm respectu adulterantis, vel eius, qui simul in coniugis mortem machinatus est ad ineundum inter se matrimonium.

39. *Alterum crimen* est adulterari scienter cum coniuge alterius, & contrahere matrim. de facto vel dare fidem de contrahendo: desiderantur tamen *aliquæ conditiones* ad hoc impedimentum incurrendum, *Prima*, est Adulterium cum feminis intra vas effusione. *Secunda*, vt cum adultero concurrat promissio etiam simplex, siue adulterium præcedat, siue subsequatur. *Tertia*, vt promissio matrimonij sit externa, quamuis ficta, fictione tamen non apparente exteriùs, licet probabile sit secundùm *Layman, Dianam, Sà Henriques*, quòd promissio matrimonij seriò, & ex animo fiat, non fictè. *Quarta*, vt adulterium perpetratum sit sciente vtroque adultero alterius matrimonium. *Quinta*, vt promissio ab altero acceptata sit, & repromittat, secundùm *Layman*. Taciturnitas autem eius, cui promissio fit, absque alio acceptationis signo, numquam sufficit ad hoc impedimentum incurrendum. *Sexta*, vt matrim. priùs contractum sit validum, si enim esset reuera irritum, adulterium illud æstimatum, cum futuri matrimonij promissione, nullum præstaret impedimentum. *Citatum* 31. *quæst.* 1. *C. fin. de eo qui duxit. Nauarr. c. num.*46. *Tolet. l.*7. *cap.*10. *Filliuc. c. cap.*8. *num.*256. *Diana de sacramentis resol.*198. *Sanch. l.*7. *d.*79. *Coninch disp.*31. *dub.*5. *Ronac. c. punct.*6. *num.*8. *& seq. Layman. l.*5. *tract.*10. *p.*4. *cap.*10. *num.*4.

Ex dictis resoluuntur sequentes casus. Violat aliquis vxorem alterius, claustra quidem inuadens pudoris, sed intra vas naturale ad generationem fabricatum, nihil effundit: eidem mulieri siue pactione, siue iurata sponsione futurarum nuptiarum fidem astringit. Quærebatur an ob eam fidem, & concubitum adulter matrimonij spe dejectus fuerit; quo post adulteræ virum defunctum, cum ea coniungi optaret? & num viua, seu etiam mortua adultera, matrimonium cum eius sorore contrahere posset? Responsum fuit ad primum quæsitum, quòd adulter post mortem viri adulteræ, illam in matrimonio posset habere: quia intra naturale vas illam non polluit: vnde concubitus ille verum adulterium non fuit. Ad secundum dictum fuit, nuptiarum fœdus cum adulteræ sorore fieri posse; quia ex illo concubitu nulla fuit contracta affinitas, quæ in fornicario coitu feminum commissionem requirit, vt docetur *infra num.*70. Notandum tamen si aut fides, aut iurata pactio vim habuerint sponsalium cum mutua fide contrahentium, sororem eius quæ polluta est, ducere non posse, propter impedimentum iustitiæ publicæ honestatis.

Item Caius & Berta dant sibi inuicem fidem, quod mortuis coniugibus suis matrimonium inter se contrahent: Caius autem mortua vxore sua, ducit aliam, & postea adulteratur cum Berta; quærebatur an matrimonium irritetur. Respondsum fuit negatiuè; quia non dirimitur matrimonium cum huiusmodi Berta contractum, ob adulterium, in diuersis matrimonijs cum fide data perpetratum a Caio cum eadem Berta.

Item matrimonium non dirimitur, si contrahitur per eum, qui quidem duxit, sed nec ante, nec post huiusmodi contractum matrimonium, cognouit ductam eiusmodi in vita prioris vxoris; ideò ista mortua poterit postmodum validè contrahere cum illa, quàm secundò duxerat. *Cap. final. de eo, qui duxit in matrim.*

40. *Non oritur* impedimentum dirimens quando aliquis occidit coniugem suam vel alterius, vt possit contrahere matrimonium cum alia, quæ non fuit particeps homicidij vel adulterij. *Sanch. l.*7. *disp.*78. *num.*15. 16. *& seq. Guter. cit. num.* 20. 22. *Henriq. l.*12. *cap.*14. *Rodriq. tom.*1. *cap.*228. *Sà verb. matrim. imped. num.*7. *Nec quando* duo conspirant in mortem alterius coniugis, vel quando adulter occidit alterum coniugem non intentione contrahendi matrimon. cum adultero, sed ob alium finem, puta, liberiùs libidinem explere: *Nec quando* adulter occidit vxorem animo ducendi aliquam indeterminatam, vel ducendi aliquam determinatam, modò non habeat intentionem ducendi illam, cum qua peccauit; *Nec quando* quis occidit vxorem in flagranti crimine adulterij deprehensam, aut quando alter occidit impunè per leges, nisi fortè per dolum dederit causam adulterij, vt eam posset occidere, & ea mortua posset contrahere cum alia complice talis machinationis seu propij adulterij. Item nec orietur impedimentum per ratihabitionem occisionis coniugis sui perpetratæ ob finem contrahendi: in hoc enim casu ratihabitio non æquiparatur mandato: ad quem tanè effectum opus est præcedere priùs per machinationem, & tractatum, quod non est in prædicto casu, in quo ratificatio subsequitur, & non præcedit occisionem: vt in specie notauit Sylvester *verb. Consensus, in fine.*

41. Hoc impedimentum criminis contrahitur tantummodò à fidelibus, quia inductum est ab ecclesia, cui non sunt subiecti infideles: requiritur vt totum delictum contractum sit post baptismum, vnde si infidelis contraxit matrimon. ante baptismum, & post baptismum commisit adulterium, non incurrit hoc impedimentum; quia impedimentum criminis non incurritur ob vnum tantummodò delictum, sed propter vtrumque, id est, propter adulterium cum matrimonio, vel cum promissione matrimonij, vel cum homicidio, vt dictum est. *Gutier. de matrim. cap.*105. *n.*6. *Bonac. c. n.*20. 21. *Sanches l.*7. *disp.*73. *n.*49.

De impedimento disparitatis cultus.

SVMMARIVM.

42. *An matrimonium inter fidelem & infidelem, hereticam, Apostatam vel excommunicatam sit irritum? Et quid si sit periculum peruersionis.*
43. *An matrimonium infidelium sit sacramentum? & in quantum contractus valeat?*
44. *An matrimonium fidelis cum infideli dissolui possit; si hic cohabitare velit absque iniuria creatoris?* refertur duplex sententia. *Et an requiratur ad dissolutionem matrimonij sententia Iudicis? Quando dissoluatur matrimonium?* refertur duplex sententia.
45. *An licitum sit fideli transire ad religionem vel ordines aut votum simplex castitatis emittere, quoties infidelis mutare conuerti renuit?*
46. *An proles doli capax cogenda sit ad fidem quando alterutter parens solus fidelis est?*

42. *Matrimonium inter disparis* cultu, nempe inter fidelem & infidelem est irritum iure ecclesiastico: imò inter personam baptizatam & cathecumenam est irritum matrimonium: quia cathecumena baptismo caret, qui est sacramentorum ianua, quamuis fidem teneat & in gratia constituta esse possit; iure autem diuino vel naturali non est inualidum hoc matrimon. quamuis sit illicitum propter periculum prolis. *Conc. Tolet.*3. *cap.*14. *Regin. l.*31. *num.*167. *Fill. tract.*10. 2.*p. num.* 225. 226. *Guter. de matrim. cap.*104. *Coninch d.*31. *num.*41. 43. *Sanch. c. d.*71. *Nauar. cap.*22. *num.*48. *Syluius in suppl. q.*59. *a.*1. *concl.*1. 2. *& 3. Matrim* verò inter fidelem & hæreticam, vel apostatam vel excommunicatam, validum est, cùm nullo iure irritetur, quia inter hos non est cultus disparitas, cùm omnes sint baptizati; tamen graue peccatum committitur, quando contrahitur cum hæretico, secluta consuetudine aliquorum locorum in contrarium. Vt in Germania, Gallia, Polonia: in ijs enim ex consuetudine recepta, & tolerata licent coniugia catholicæ personæ cum hæretica, dummodò catholica liberè permittatur, & absque peruersionis periculo in fide permanere. Quia ea coniugia, ineuntur instar aliorum contractuum ciuilium ob amicitiæ leges, & ad communem pacem, & Reipublicæ tranquillitatem tuendam. Ita *Azor. tom.*1. *l.*8. *c.*11. *q.*5. *Serar. in opusc. de matr. num.*18. *Bellarmin. de matr. l.*2. *c.*23. *Regin. c. n.*169.

Sed dubium est, an cum probabili periculo peruersionis, dictum matrimonium sit licitum ex magna aliqua & eximia causa, pum, vel augmenti, & propagationis Ecclesiæ, vel tranquilli eius status, vel libertatis Catholicorum, qui sub aliquo hæretico Principe, & consiliarijs hæreticis oppressi tenentur. Ratio dubitandi est, quia numquam licere potest se exponere periculo peccandi, nam qui amat periculum, peribit in illo; & salutem suam spiritualem contemnere conuincitur, qui se obijcit tam probabili eius amittendæ periculo.

Nihilominus ad quæsitum affirmatiuè respondent *Pont. de matr. in append. c.*6. *Dian. p.*3. *tr.*4. *ref.*269. Quæ exponere se periculo salutis spiritualis amittendæ, quamuis peccatum sit, non tamen ex his peccatis est, quæ quauis circumstantia posita vel detracta suam deformitatem retinent, sed cuius malitia pendet ab his, aut illis circumstantijs.

Quare ea expositio periculi culpa vacabit, quando ex magna fit & vrgenti causa. Tunc enim non est amare periculum, sed amare ingens illud bonum, ad quod sine eo periculo peruenire non

non potest: Itaque periculum adit inuitus, non amans. Qui ergo eo modo periculum subit in tali coniugio, vt magnum Ecclesiæ, aut alteri Reipub. commodum sequatur, non peccat: dum tamen contrahat cum firmo proposito non labendi, fidensque de diuina misericordia, & gratia fore, vt eripiatur ab eo periculo sine crimine; siquidem vrgente Dei causa illud periculum subire non recusat. Confirmatur hæc sententia, tum ex doctrina plurimorum Theologorum asserentium non esse peccatum exponere se periculo spiritualis salutis ex aliqua vrgente causa; inter quos referuntur *D. Thom.* 2.2. *quæst.* 10. *a.* 9. *Caiet. in sum. v. periculum. Sanch. l.* 1. *moral. cap.* 8. *num.* 3. *Armilla v. periculum. Nauarr. in man. cap.* 3. *n.* 14. *& in c. negotia, de pœnit. dist.* 5. *num.* 8. *Graffius in arbitrar. confess. l.* 2. *c.* 49. *à n.* 5. *Suar. 3. p. to.* 4. *disp.* 32. *Sà v. Absolutio. n.* 12. *Vasq. opusc. de restit. c.* 1. *§.* 2. *dub.* 6. *n.* 23. *&* 24. Tum exemplo *Iudith*, quæ pro sui populi salute publica, potuit se periculo castitatis amittendæ exponere, munita orationis præsidijs. Tum ex coniugio *Esther* cum *Assuero* pagano. Ex quibus peripicitur, offerre se periculo peccandi tunc esse peccatum, quando sit sine causa vrgente, vel necessitate ad id obligante, non verò si talis adsit causa.

Proinde qui absque vlla spirituali vtilitate absque vllo sibi imminentis detrimenti grandis periculo, absque vlla necessitate ex mera libertate connubia cum hæreticis iungunt, videant in quod satis periculum & peccatorum incentiuum se præcipitent. Periculum enim magnum est, ne vir illecebris mulieris; mulier violentia viri peruertatur. Periculum est subuersionis prolium quæ ab alterutro parente hæretico facilè infici poterunt, & prauis eius erroribus ac moribus informari, prœualente in eas aut paterna potestate parentis hæretici, aut dulcedine hæreticæ matris earum animos demulcentis, ita vt cum lacte infidelitatem imbibant.

43. *Matrimonium* infidelium quamuis sacramentum non sit, est tamen contractus, & vt talis valet; vnde quando conuertuntur ad fidem non sunt separandi, nisi inter eos sit aliquod impedimentum dirimens iure naturæ, vel nisi adsit aliqua causa ob quam dissolui possit horum matrimonium, vel nisi contraxerint cum impedimento dirimente inducto ab eorum Principe: *Notandum* tamen est, quando vnus infidelium conuertitur ad fidem altero persistente in infidelitate, dissolui posse matrimonium, quando infidelis non vult habitare cum fideli; aut si velit quidem habitare, sed non absque iniuria creatoris: quod contingit quando infidelis compellit fidelem ad peccatum vel quando infidelis non vult nomen Dei aut Christi audire, nisi cum despectu, vel quando nomen Dei blasphemat. *Henriq. l.* 12. *cap.* 13. *Nau. c. Sanch. c. disp.* 73. *num.* 3. *Filliuc. c. n.* 230. *Valent. to.* 4. *disput.* 10. *q.* 1. *punct.* 7. *D. Th. in suppl. q.* 59. *a.* 2. *&* 5. *Syluest. ibid.*

44. Quamuis probabile sit *matrim. dissolui* non posse, si infidelis conuerti renuat, sed velit cohabitare absque iniuria creatoris; secundùm sententiam *Nau. c. n.* 49. *Tolet. l.* 7. *c.* 11. *Valent. c.* & ita tunc obligari fidelem ad cohabitandum, tamen *Dian. de sacram. ref.* 252. *p.* 3. *Sanch. disp.* 74. *n.* 8. 9. *Banac. c. p.* 7. *n.* 6. *Fill. c. n.* 239. *probabilius* est etiam tunc dissolui posse, quia prohibitum est ab ecclesia fideli habitare cum infideli propter periculum peruersionis, quod vt plurimum accidere solet. *Ad dissoluendum* aut matrimonium in hoc casu, non requiritur sententia Iudicis, sed sola satis est admonitio infidelis facta à fideli, an conuerti velit, nisi aliunde constaret obstinatio; *quando* verò dissoluatur matrimonium non est certum apud Doctores, qui in tres sententias abierunt: *Rodr. to.* 1. *c.* 229. *Rich.* 4. *d.* 39. *a.* 2. *Alij* enim dicunt statim dissolui non expectato transitu fidelis ad aliud matrim. quando nempe infidelis admonitus recusat legitimè habitare. *Hoc sensu c. gaudemus Ioann. Andr. n.* 15. Secundùm *alios* dissoluitur, quando elapsus est terminus ab ecclesia constitutus ad determinandum, an infidelis velit legitimè habitare, quamuis hæ sententiæ sint probabiles: *Sanch. d.* 75. *n.* 2. 3. 4. *Sà c. n.* 8. *Conuinch disp.* 26. *n.* 63. *Nau. c.* 22. *n.* 49. *Valent. to.* 4. *d.* 10. *q.* 1. *p.* 7. *Probabilius* tamen est, non dissolui prius matr. donec fidelis ad alias nuptias transeat, ita vt generatio vnius sit corruptio alterius; quare si fidelis numquam mutet statum, perseuerabit prius matrimonij vinculum, & quotiescumque infidelis conuersus fuerit ad fidem, tenebitur fidelis illum tamquam verum coniugem admittere.

45. Certum est licere fideli transire ad religionem, vel ordines, aut votum castitatis simplex emittere, quoties infidelis monitus conuerti renuit, licet habitare velit absque creatoris contumelia, & sine pertractione ad peccatum finem: tamen consilium, esset existente probabili spe conuersionis infidelis, vt coniux ad fidem conuersus non transeat ad religionem, vel ordines, aut votum castitatis emittat. Et quidem per professionem in religione, matrimonium etiam priùs consummatum dissoluitur, per ordines autem, aut simplex castitatis votum non soluitur, verum tamen est fidelem conuertum, qui suscepit sacros ordines, non esse restituendum alteri coniugi, qui conuertitur postquam fidelis initiatus est ordinibus, nam ille debet sibi imputare quod tardè conuersus sit *D. Thom.* 4. *d.* 39. *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 4. *Filliuc. cit. num.* 244. *Henriq. l.* 11. *cap.* 17. *num.* 8. *Bonac. cit. par.* 7. *num.* 9. 10. *Sanch. cit. disput.* 76. *Conuinch disput.* 26. *num.* 66.

46. Quando alteruter parens solus fidelis est, si proles sit doli capax, non est cogenda ad fidem, sed suæ libertati relinquenda; nullus autem sui compos ad fidem cogendus est: si autem non sit doli capax, eius conditionem sequi debet, qui ad fidem conuertitur, quia eo ipso quo alteruter coniux est fidelis, ius habet ecclesia compellendi ipsum, vt prolem doli minimè capacem baptizet. *Cap. Iudæi* 28. *quæst.* 1. *Conc. Tolet.* 4. *cap.* 56. *D. Thom. cit. art.* 4. *ad* 4. *Sanch. distinct.* 73. *num.* 16. In dubio autem an proles sit capax doli, præsumendum est in fauorem fidei: Ita *Sot.* 4. *distinct.* 39. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 2. *Sà verb. matr. imped. num.* 8.

De impedimento violentiæ vel metus.

SVMMARIVM.

47. *An matrimonium per metum grauem celebratum sit inualidum? Quo iure sit irritum?* refertur duplex sententia. *Et an matr. per vim & metum grauem celebratum inter infideles sit validum?*
48. *Quomodo metus incuti possit ab extrinseco, id est, ab homine?*
49. *An, quando metus incutitur à causa libera, non tamen ad hunc finem vt matrimon. ineatur, sed ob aliam causam, matrimon. cum tali metu celebratum sit validum?*
50. *An, quando contrahens metu mortis cogitur contrahere & consummare matrimonium, sit inualidum?*
51. *An, vt metus graue arrcat matrim. necesse sit vt incutiatur ab altero contrahente?*
52. *An matrimonium celebratum cum metu graui adiuncto iuramento sit validum?*
53. *De excommunicatione quæ lata est in Concil. Trident. contra impedientes, ne matrimonia liberè contrahantur.*

47. *Septimum impedimentum* dirimens matrim. est violentiæ vel metus, vnde matrimon. per metum grauem celebratum seu cadentem in constantem virum, iure ecclesiastico est inualidum, modò metus iniustè sit incussus à causa libera ad hoc, id est, ad extorquendum consensum: ex quo patet per metum leuem non reddi matrimon. inualidum, quia in iure non habetur ratio metus leuis, nisi ille metus tollat omninò consensum; tunc enim irritum esset in conscientia, quia ad validitatem eius, iure naturæ consensus requiritur. *C. veniens* 2. *de despons. Cap.* 2. *de eo, qui duxit. Nauarr. cap.* 22. *n.* 50. *Tolet. l.* 7. *cap.* 12. *Regin. l.* 31. *num.* 76. 78. *Victoria de matrim. num.* 268. *Couarru.* 2. *par. cap.* 4. *§.* 5. *num* 6. Cæterùm multi Doctores volunt etiam iure naturæ irritum esse matrimonium celebratum per metum grauem, quia ex matrimonio coacto sequuntur grauissima incommoda aduersa matrim. fini; ergo debet iure naturæ irritum esse. *Fill. tr.* 10. *p.* 1. *n.* 109. *Sanch. l.* 4. *d.* 14. *num.* 2. 3. *Bonac. quæst.* 3. *par.* 8. *num.* 8. 9. Alijs tamen doctoribus probabilius videtur solo iure ecclesiastico esse irritum matrimon. metu extortum, quia cæteri contractus celebrati cum metu graui non sunt inualidi iure naturæ; ergo neque matrimon. videtur inualidum iure naturæ. Et secundum hoc matrimon. per vim & metum grauem celebratum, inter infideles validum est, quia non subsunt iuri ecclesiastico. Vide *Dianam de sacramentis resol.* 230. *p.* 3.

48. Metus *dupliciter* incuti potest ab extrinseco, id est, ab homine. *Primò*, iustè. *Secundò*, iniustè. Quando quis sub graui pœna cogitur à iudice contrahere matrimon. & stare sponsalibus antea celebratis, quæ ille recusabat adimplere, *iuste* cogi-

cogitur ad matrimon. & iure licito compelli poteſt cùm teneatur illud perficere, & ideò validum eſt matrim. cum tali metu contractum. *Iniuſtè* incutitur, v.g. quando quis minatur accuſare furem de furto, niſi talem mulierem ducat: hic minatur iniuſtè accuſationem per ordinem ad extorquendum conſenſum; conſequenter matrimon. cum huiuſmodi minis ſeu metu celebratum videtur inualidum. *Coninch. d* 28. *n.*15. *Henr. l.*11. *cap.*9. *num.*2. *Rodriq.* 1. *par. cap.*230. *Bonac. cit. num.*10. & 11. *Reginald. l.*31. *num.*79.

49. Quando metus incutitur à cauſa libera, non tamen ad hunc finem, vt matrimon. ineatur, ſed ob aliam cauſam, matrimon. cum tali metu celebratum eſt validum: quia licet matrimonium celebratum per metum incuſſum ad alium finem, quàm ad extorquendum conſenſum, ſit aliquo modo inuoluntarium; illud tamen inuoluntarium non cenſetur cauſa conſenſus, ſed tantùm occaſio, conſequenter non ſufficit ad reddendum irritum matrimon. vnde validum eſt matrimonium contractum à deſloratore puellæ; quem pater vel frater puellæ volebat occidere, ſed ipſe deflorator ſua ſponte obtulit ſe ad celebrandum matrimonium vt mortem euitaret. *Similiter* validum eſt matrimonium quod obſeſſus contraxit cum filia obſidentis, vt euaderent moleſtiam obſeſſionis, modò obſidens non obſederit ad hunc finem vt obſeſſus duceret propriam filiam. *Item* matrimonium foret validum contractum inter filiam medici & ægrotum, quem medicus curare nolebat, niſi duceret propriam filiam, nam metus mortis non eſt incuſſus à medico, ſed à morbo. *Sanch. l.*4. *diſput.*12. *Coninch cit. num.*9. *Henr. cit. num.*2. *Reginald. l.*31. *num.*79. *Bonac. cit. num.*16. *& ſeq. Sà v. matr. imped. num.*9. *Coraubæ Summa queſt.*171. *punct.*1.

50. Inualidum eſt matrimonium, quando contrahens metu mortis cogitur, non ſolùm contrahere matrimonium, ſed etiam illud per copulam conſummare, quia non poteſt eſſe validum matrimonium niſi validus ſit conſenſus, ſed conſenſus per metum grauem extortus eſt inualidus, ergo. Deinde copula nihil operatur ad validitatem matrimonij niſi adſit conſenſus validus, & libet. *Gutier. cap.*76. *n.*11. *Coninch cit. dub.*4. *n.*42. *Sanch. l.*4. *d.*18. *num.*5.

51. Vt *metus cadens* in conſtantem virum irritet matrimonium, non eſt neceſſe vt incutiatur ab altero contrahente, ſed ſatis eſt ſi incutiatur ab alio, abſque ſcientia & culpa contrahentis: quia ſiue metus per contrahentem, ſiue per alium inferatur, non minus tollit libertatem conſenſus, qui ad matrimonij validitatem requiritur. *Gutier. cap.*76. *n.*12. *Sanch. l.*4. *d.*12. *n.*19. *Bonac. q.*3. *p.*8. *n.*25.

52. Matrimonium celebratum cum metu cadente in conſtantem virum, adiuncto iuramento, non eſt validum: quia per iuramentum non ſuppletur defectus conſenſus requiſiti ad matrimonium: hinc iuxta communiorem ſententiam non eſt opus relaxatione iuramenti, quia vbi nullum eſt vinculum, nulla eſt obligatio, nec ideò illud matrimonium reſoluitur in ſponſalia, quia huiuſmodi contractus iure poſitiuo eſt irritus, & ſicut matrimonium requirit conſenſum liberum, ita etiam ſponſalia. *Sà de imped. num.*9. *Reginald. l.*31. *num.*87. *Gutier. cap.*76. *n.*9. *Sanch. l.*4. *d.*20. *n.*15. *Rodr. c.*131. *n.*4. Imò ſi quis iuraſſet non contrauenire, ſeu ſtare matrimonio celebrato per metum grauem, non tenetur ſtare illi iuramento, quia nullus poteſt obligari ad peccatum; peccatum enim eſſet vti matrimonio inualido, quale eſt matrimonium celebratum per metum grauem. *Couar. 4. decret. 2. p. c.*3. §. 5. *Regin. n.*88.

53. In Concilio Trident. lata eſt excommunicatio contra Dominos temporales, magiſtratus, & alios cuiuſcumque gradus, qui ſubditos, vel alios quoſcumque directè vel indirectè cogunt ne matrimonia liberè contrahant in hac tamen excommunicatione, non comprehenduntur Domini cogentes ſua mancipia matrimon. contrahere, ſicut neque comprehenduntur patres, qui prohibent vel cogunt filios inuitos ad matrimon. nec qui prohibent matrimonium contrahere; *Concil. Trid. ſeſſ.*24. *cap.*9. *de matrim.* Concil. enim non loquitur de prohibentibus, ſed de cogentibus; multi tamen Doctores volunt etiam comprehendi prohibentes. Vide *Sanch. l.*4. *d.*22. *Gutier. cap.*79. *num.*11. *Henr. l.*11. *cap.*6. *num.*5. *Nau. c.*27. *n.*150.

An autem ſponſalia metu grani contracta valida ſint, & iuramentum accedat, vel iuramentum ſaltem obſeruandum ſit, donec relaxetur: probabiliſſimum eſt illa non firmari iuramento, nec ratione illius obligare, aut relaxatione indigere: quidquid dicat *Henriquez* in contrarium, licet improbabiliter *lib.*11. *c.*9. *num.*6. Ita *Dian. de Sacram. reſ.*278. *par.*3. *Sanchez. cit. diſp.*21. *num.*3.

De impedimento ordinis.

SVMMARIVM.

54. *Quo iure ordo ſacer validè ſuſceptus dirimat matrimonium ſubſequens? & an dirimatur matrimonium antea contractum per ſuſceptionem ordinis ſacri?*
55. *An vnquam fuerit permiſſum in Eccleſia ſiue Latina ſiue Græca ſacro ordine præditos matrimonium inire? & an permiſſum ſit modò Græcis coniugatis ſacros ordines ſuſcipere?*
56. *An Clericus ordini ſacri matrimonium contrahens peccet mortaliter, & ſit excommunicatus, incurratque irregularitatem etiam ante conſummationem?*
57. *An coniux poſſit ad ordines ſacros promoueri de conſenſu vxoris? vel quando poteſt facere diuortium quoad thorum, an poſſit etiam religionem intrare? Et an promotus ad ordines ſacros de conſenſu vxoris, poſſit petere vel reddere debitum? Et qui ſine conſenſu, an ſit irregularis?*
58. *An ordines minores impedimentum matrimonio præſtent?*

54. *Ordo ſacer* validè & ſine graui metu ſuſceptus, iure eccleſiaſtico dirimit matrimonium ſubſequens, ità enim definitum eſt à multis Pontificibus, & nouiſſimè à Tridentino. *C.*1. *&* 2. *qui cler. vel vouentes. Concil. Trid. ſeſſ.*24. *can.*9. *Gutier. c.*94. *num.*10. *Filliuc. tr.*10. 2. *par. num.*121. Ex hac propoſitione patet, *Primò*, ordines minores nec dirimere nec impedire matrimon. *Secundò*, ſi ordo ſit inualidè ſuſceptus propter aliquem defectum eſſentialem, matrim. validum eſſe, vt ſi quis ordinem ſuſcepit ab eo qui ſe finxit Epiſcopum, cùm non eſſet. *Coninch diſ.*20. *num.* 145. *Henr. l.*12. *cap.*5. *num.*9. *Sanch. l.*7. *d.*29. *num.*5. *Tertiò*, patet ſacrum ordinem per metum grauem ſuſceptum non dirimere matrim. ſi metus fuit incuſſus à cauſa libera, quia neque obſtat conſtitutio eccleſiæ, neque votum ſolemne ordini ſacro annexum, cùm illud ſit inualidum, quamuis contrarium doceat *Baſilius Pontius* apud *Dian. de Sacramentis reſolut.*193. *par.*3. *Quartò*, infertur votum non dirimere matrim. iure naturali, ſed tantummodò impedire. *Bonac. queſt.*3. *par.*9. *num.*114. *Sanch. l.*7. *d.*28. *num.*11. *Sylu. in ſuppl. queſt.*53. *artic.*3. *queſt.*1. Vnde ſi Summ. Pontifex diſpenſaret cum ſacerdote abſque legitima cauſa, validum eſſet matrim. quamuis illicitum, nam cenſeretur ablatum eſſe impedimentum dirimens ab eccleſia inductum. *P. Ledeſm. queſt.*53. *art.*4. *D. Thom. in ſuppl. queſt.*53. *art.*4. *Sylu. ibid. concl.*1. *Quintò*, patet matrim. antea contractum non dirimini per ſuſceptionem ordinis ſacri; & hæc eſt *differentia* inter maiores ordines & profeſſionem, *quòd* profeſſio diſſoluit matrim. non ſolùm ſequens, ſed etiam antecedens; modò non fuerit conſummatum: *ordines* verò maiores diſſoluunt ſolummodò ſequens. Ita *Ioann.*22. *in Extranag. Antiquæ tit.*6.

55. Nunquam fuit permiſſum in Eccleſia, ſiue Latina, ſiue Græca, ſacro ordine præditos matrimonium inire: quia ab initio naſcentis eccleſiæ id prohibitum fuit, vt conſtat ex canone Apoſtolorum *Canon. Apoſtol.*17. *Sanch. l.*7. *d.*18. *num.*3. *Azor. p.*1. *l.*13. *c.*13. *Sylu. c. concl.*1. *&* 4. Vnde ſi Græcus aliquis ſacerdos contraheret matrimonium, inualidè contraheret: *Innoc.* 3. *Cap. cum olim, de Cler. coniug.* permiſſum tamen eſt Græcis iam coniugatis ſacros ordines ſuſcipere, & vti matrimonio ante ſacros ordines celebrato, quia decretum eccleſiæ decernens eſſe annexum ordinibus ſactis votum ſolemne caſtitatis, non eſt acceptatum à Græcis, & ſic minimè peccant vtendo matrimonio ante ordines inito.

56. Initiatus *ordine ſacro* matrimonium contrahens peccat mortaliter, & eſt excommunicatus, *Clementin.* 1. *de conſanguinit.* incurritque irregularitatem etiam ante conſummatum matrimonium; ſecundùm *Sanchez leg.*7. *diſtinct.*48. *Couarruu.* 2. *par. cap.*6. §.3. *num.*1. & alios, licet *Nauarr. cap.* 27. *numer.*195. *Coninch diſtinct.*35. *dub.*6. *num.*32. *Sanchez. eit. diſtinct.*39. & quidam alij negent incurrere ante conſummationem.

57. Quando coniugatus poteſt facere diuortium quoad thorum, & habitationem, aut religionem intrare, poteſt etiam inuita vxore

vxore ad ordines ſacros promoueri. *Conink. d.35.dub.6 n.31. Zanc.c.dub.39. Nau.c.22.n.52. Rod.1.p.c.224.conc.4.Gut.c.46. Syl.c.4.* Præterea de conſenſu libero, & legitimo vxoris licitè ſacros ordines ſuſcipere poteſt modò vxor ingrediatur religionem ſi iuuenis ſit, aut ſaltem vouerit caſtitatem, ſi ſit ſenex, qui autem ſacros ordines ſuſcepit de conſenſu vxoris, peccat mortaliter petendo, aut reddendo debitum, qui verò ordines ſuſcepit abſque conſenſu vxoris non poteſt petere debitum, quia per votum caſtitatis ſacris ordinibus adnexum, obligauit ſe ad ſeruandam caſtitatem poteſt tamen reddere vxori petenti, nam ipſa non fuit priuata ſuo iure, propter ordines ſuſceptos à viro abſque legitimo illius vxoris conſenſu. Imò talis cõiugatus ad ordines promotus contra diſpoſitionem iuris, & abſque legitimo vxoris conſenſu, irregularis erit. *Extrauag. antiq. Sayr. l.4.c.14 n.28.*

Vide infra verb. *Religio.* 11.n.2.

58. *Ordines minores* nullum prorſus impedimentum matrimonio præſtant, quia nullus eſt textus id interdicens; imo nec eccleſiæ integrum eſt. ijs qui hactenus ad ordines minores promoti ſunt continentiæ legem indicere: nec peccat clericus ex iuſta cauſa recedens à clericatu, etiamſi viduam ducat, aut bis matrimonium ineat, abſque cauſa autem venialis culpa eſſet. *Nauar. cap. 25. num. 120. Sanch. l. 7. d. 31. Tolet l. 4. c. 18. num. 4. Rodriq. c. 224.*

De impedimento ligaminis.

SVMMARIVM.

59. *Quid ſit impedimentum ligaminis? & an habere plures vxores, iure diuino ſit prohibitum? & an Summus Pontifex poſſit diſpenſare in vxorum pluralitate? An polygamia ſit intrinſecè mala?*

60. *An bina, trina, quaterna, & vlteriores nuptiæ prioribus diſſolutis licitæ ſint ac verum ſacramentum.*

Et an benedictio ſit ſecundo nubentibus impertienda.

61. *Quanta certitudo de morte alterius coniugis requiratur, vt coniux ſuperſtes poſſit ad alias nuptias tranſire? Et an vxor, quæ ſecundo nupſit credens priorem virum, eſſe mortuum teneatur recedere à ſecundo, poſtquam cognouit priorem virum ſuperſtitem eſſe; & quid ſi tantummodo dubitet an poſſit petere vel reddere debitum.*

62. *An Iudicis prudentis arbitrio, ſpectatis circumſtantijs relinquatur, an probatio mortis prioris viri ſit ſufficiens, vt ſecundò nubat?*

59. PEr *impedimentum ligaminis*, ſignificatur vinculum prioris matrimonij, quo durante poſterius eſt irritum, *Conc. Trid. ſeſſ.24. de matrimon.can.2. D.Th.4.d.33.q.1.ar.1. Sanch. l.7.d.80.n.4.5. Fill.t.10.2.p.n.161.* & quidem plures habere vxores diuino iure in Euangelica lege prohibitum eſt; quia tamen contra primarium matrimonii finem, non eſt qui prolis educatio, & generatio eſt diſpenſatum à Deo fuit cum antiquis patribus, quorũ exẽplo etiam ad reliquos ex Iſraelitico populo propagata diſpenſatio eſt: *Henr. l.12.c.6.n.2. Valent.t.4 diſſ.10. q.1.p.3.col.4.* Quare nullis fidelibus nec infidelibus licita eſt hodie polygamia, & dum infideles baptiſma ſuſceperint, cogendi ſunt ad primam vxorem legitimam redire, ſeparandique ſunt ab aliis matrimonijs prima vxore ſuperſtite initis tanquam ab omninò irritis *Comit. d.26.d.2.n.10. Regin. l.31. nu.4. Gut. de matrim. c.106.* Summus Pontifex nullatenus poteſt in hac vxorum pluralitate diſpẽſare, quòd, tum lege naturali, tum etiã lege Chriſti, ob veram ſacramenti ſignificationem interdicta, nec vlla conſuetudine effici poteſt licita hæc vxorum pluralitas: eò quod cõſuetudo prævalere nequeat aduerſus ius naturale, & diuinum poſitiuum, ſed ſolum contra humanum.

Sed exinde petes an polygamia ſit intrinſecè mala? Reſp. Polygamiam mulieris eſſe contra ius naturæ Polygamiam viri, eſſe præter ius naturæ, nec admittere diſpenſationem humanam ſed tantum diuinam, vt dictum eſt Probatur prior pars quia vt mulier habeat plures viros repugnat omnibus matrimonij finibus, vt norant. *Sot.4.diſt.33.q.1.a.3. Bellar.l.1.c.10. de matr.* Nam quatuor fines matrimonij conſtitui poſſunt, primus ſuſceptio, & educatio prolis: at mulier, quæ multis miſcetur redditur ſterilis vt Philoſophi, & medici docent, & experientia in meretricibus oſtendit: vir autem prolem incertam non tam ſtudiosè educabit, cum ſuſpicari poſſit ex alterius mariti femine procreatam. *Secundus*, communis vitæ, ſocietas familiæ adminiſtratio, & officiorum domeſticorum partitio, at hic finis per multitudinem virorum planè impeditur, perinde ac ſi in vno corpore eſſent plura capita; quod eſt contra illud Domini Matt. 6. Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire, *Tertius eſt* remedium concupiſcentiæ: at hæc incitaretur potius, quam mitigaretur, præterquam quod iras, rixas, & diſcordias, excitaret inter riuales, quas discordias vxor non poſſet commodè compeſcere; cum illi conueniat ſubijci, & obedire, non præeſſe, & dominari. *Quartus*, vt ſit Sacramentum Chriſti, & Eccleſiæ, cui iſta poligamia planè repugnat: nam vnus Chriſtus eſt, cui Eccleſia iungi debet nec ſine fornicatione plures Deos agnoſcere poteſt. Poſterior pars probatur ex inſtitutione matrimonij in paradiſo, nam quamuis opus eſſet propagatione generis humani, Deus tamen vnicam coſtam traxit ex Adamo, eamque ædificauit in mulierem, dicens, *erunt duo in carne vna*, vt oſtenderet monogamiam eſſe iuris naturalis. Vnde, & *Adam* coactus eſt eſſe monogamus, quia nec filiam potuit ducere, nec neptem, aut pro neptem. Deinde videtur iniquitas quædam, & inæqualitas, vt vxor totam ſe viro tradat, vir autem non ſe totum vxori, cui etiam conſequens eſt, vt vna magis diligatur, quam alia, quod eſt fomentum rixarum, & contentionum, etiam inter fœminas ſanctas vt *Geneſis* 16. inter Saram, & Agar. *Geneſis.* 30. inter Liam, & Rachelem. 1. *Regum* 1. inter Annam, & Phennenam Ita *Sanch. lib.7. diſputat.* 83. *Bellarm. c.cap.11. Henric. l.12 cap.6. Couar. 4. decret. 2. par. c.7. §.3 Hurtad. de matrimon. diſputat.9. d.ffic.1.* Cæterum, quamuis pluralitas maritorum ſimul cum vna vxore iure naturali ſemper fuerit illicita, & nulla, potuit tamen diuina conceſſione fieri valida, & licita, vt contra *Bellarminum*. docent *Sanchez*, & alij: quia Deus eſt ſupremus dominus corporum omnium.

60. Quidam hæretici ſecundas, & vlteriores nuptias, etiam prioribus morte alterius coniugis, diſſolutis, damnarunt. *Conc. Nicen. can.8. Sanch. l.7.d.81 Gut. c.106. num.10. Bonac. de matrim. quæſt.3. par.10. num.10.11. Fill. tract.10 2. par. cap.4. in fine D.Th. in ſupplem. quæſt.63.a.1. Syl. ibid.* at veritas Catholica eſt, binas, quaternas, & vlteriores nuptias prioribus diſſolutis licitas eſſe ac verum ſacramentum: *ratio prioris* eſt, quia cum primæ nuptiæ morte penitus diſſolutæ ſint, nullum poſſunt alijs legitimè incundis impedimentum præſtare. *Ratio poſterioris* eſt quia nihil deeſt ratione cuius non ſit ſacramẽtum cum in illis reperiantur omnia quæ pertinent ad ſacramentum matrimonij, nimirum perſonæ legitimæ quæ ſunt debita materia remota, expreſſiones conſenſuum, quæ ſunt materia propinqua, & forma. Tamen denegatur illis ſecundis nuptiis benedictio, quando ſaltem alteri coniugi in priori matrimonio impertita eſt, ne repetita in vilipendium eat vt habetur in *Cap. vir. de ſecundis nupt* ij. Quamuis cõſuetudine introductũ ſit, vt ſemper conferatur Benedictio etiam, in ſecundis nuptijs, quando alter coniux benedictionem nõ ſuſcepit, ſiue ſit vir, ſiue fœmina. Ratio eſt, quòd non cenſeatur iterari benedictio, cum impenditur, per ſe ratione coniugis non benedicti: per accidens autem etiam alteri confertur, quia non poteſt vni conferri, & non alteri. Ita *Sanch. lib.7. diſputation.83. numer.23. Henric. lib.11. de matrimon capit. 2. numer. 3. littera G.*

61. Vt *Coniux ſuperſtes* poſſit cum alio matrimonium inire, requiritur certitudo moralis tanta de morte alterius coniugis, quanta indicio prudentis ſufficit ad credendum priorem coniugem certò mortuum eſſe. *Rodriqu. cap. 232. Sanchez lib. 2. diſtinctio. 45. num. 6.* Vxor tamen quæ contraxit matrimonium ſecundo credens priorem virum eſſe mortuum, tenetur recedere à ſecundo poſtquam cognouit priorem virum ſuperſtitem eſſe alioquin exponit ſe periculo adulterij, & peccat mortaliter petendo, vel reddendo debitum, poſt huiuſmodi notitiam; ſi verò non certo nouit priorem virum ſuperſtitem eſſe, ſed tãtummodò dubitat non poteſt exiſtente dubio debitum petere tenetur tamen alteri coniugi petenti reddere, quia alter coniux habet ius petendi, nec tenetur credere coniugi dubitanti inualidum eſſe matrimonium, niſi dubitans ita probet vt alter propter eius motiua, & probationes teneatur credere. *Nau. c. 22.n.53. Gutier. de matr. c.50. Henr. l.11.c.15. num.13. Sanch. l.2.d.41.n.32.*

62. *Probatio* mortis prioris viri, non omninò qualis esse debet, præscribi potest, sed iudicis prudentis arbitrio attentis circumstantijs occurrentibus relinquitur. & illud est speciale in morte probanda, vt testes non citata parte, sed ex mero iudicis officio examinari possint imò opinantur aliqui sufficere testem vnum affirmantem coniugis mortem vt liceat alteri secundas nuptias transire. sed verius est non sufficere vnum testem; si tamen coniux obierit in loco distanti, ita vt non possint facilè haberi aliæ probationes satis erit nuncius: longissima autem absentia coniugis non est probatio mortis illius, sicut nec haberur per solam famam, nisi fortè tanta sint indicia, vt nullus sit amplius dubitandi locus de illius morte. *Rodr. c. n. 1. Cou. c. 51. n. 3. Sanch. l. 2 d. 46. Bonac. c. n. 13. Synes. v. mat. & quæst. 13. Dian. de sacramentis ref. 214. p. 3.*

De impedimento publicæ honestatis.

S V M M A R I V M.

63. *Quid sit honestas publica: & ad quem gradum consanguinitatis se extendat post Conc. Tridentinum?*
64. *Quo iure sit inductum hoc impedimentum?*
65. *An hoc impedimentum sit perpetuum?*
66. *An ex sponsalibus conditionalibus oriatur publica honestas ante conditionis eventum? & an ex matrimonio rato? & ad quem gradum extendatur?*
67. *An ex matrimonio rato irrito oriatur impedimentum publicæ honestatis? & quid quando sponsalia communi dissolvuntur consensu?*

63. HOnestas publica, secundum *D. Th. 4. dist. 41. q. 1. a. 2. q. 4. Regin l. 31. n. 126. Filli. tr. 10. 2. p. nu. 220. Cou. c. 103. n. 5. est propinquitas ex sponsalibus validis, & certis promanèt robur trahens ab ecclesiæ institutione propter honestatè eius*: ex quo patet ex sponsalibus invalidis, & cum persona incerta non consurgere impedimentum publicæ honestatis, & attento iure antiquo durabat hoc impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus consurgens, vique ad quartum gradum, hodie autem per *Conc. Trid. sess. 24. c. 3. de matr.* ad primum tolùm consanguinitatis gradum extenditur; cum affinibus autem alterius sponsi non oritur, quia ius hoc impedimentum statuens cum solis consanguineis, interdicit nuptias.

64. Hoc impedimentum publicæ honestatis non est inductũ iure naturæ, vel diuino, sed iure ecclesiastico, vnde infidelis, qui tempore infidelitatis contraxit sponsalia cum Berta, potest validè matrimonium inire cum eius matre, vel sorore, non solùm ante baptismum, verum etiam post susceptum baptismum quia infidelis non subditur legibus ecclesiæ à quâ est hoc impedimentum. *Sanch. l. 7. dist. 68. n. 2. Bonac c. p. 11. n. 6.*

65. Impedimentum hoc est perpetuum, ita vt nec morte alterius sponsi extinguatur, *Cap. sponsam, & Cap. si quis dispensaverit, 27. q. 2.* multo minus cessabit hoc impedimentum, quando sponsalia dissolvuntur mutuo consentu contrahentium, tum quia impedimenta matrimonij non dependent à voluntate contrahentium: sed ab ecclesia, quæ constituit, vt impedimentum publicæ honestatis consurgat ex sponsalibus validis. Tum quia nulla maior sponsalium dissolutio accidere potest quam alterius sponsi morte, sed in tali casu durat etiam impedimentum, ergo: *Tolet. l. 7. cap. 13. num. 2. Sanch. cap. num. 21.* Verum in contraria sententia sunt *Pontan. l. 7. c. 36. num. 9. Cou. c. 103. Rebell. p. 2. l. 3. q. 14. num. 3. Sa v. Matr. num. 18.* qui citant declarationem Cardinalium sic asserentem. *Si sponsalia solumnitur de consensu, Congregatio censuit esse invalida.* Vnde si de hac declaratione constet Authentica, dicendum esset ex sponsalibus, mutuo consensu dissolutis nullum nasci impedimentum. Proinde, qui contraxit sponsalia cum filia, & postea illis ex cõmuni consensu dissolutis, cum matre contrahere nullo opus est dispensatione Pontificis, vt resoluit. *Dian. par. 3. tract. 4. ref. 222. Hurt. de matrim. disp. 21. dif. 1.* Ratio est, quia sponsalia quæ mutuo consensu dissolvuntur euanescunt immediatè & ratione sui, & sponsis viuentibus vnus desinit ad alterum pertinere, & e contrà, non verò quæ morte alterius dissolvuntur: quia istamediatè tantum ex defectu subiecti, & ipsis viuentibus semper vnus pertinuit ad alterum, & è contrà: ac proinde ex istis, vt pote perpetuis, & semper validis, oritur hoc impedimentum, & non ex illis. Et ob eamdem rationem non oritur ex sponsalibus dissolutis quia vnus ob causam sufficientem resiliuit.

66. Ex *sponsalibus conditionalibus* nulla oritur publica honestas ante conditionis euentum: quare valebit matrimonium initum cum sorore eius sponsæ, conditione nondum existante: *Henr. l. 12. cap. 10. num. 2. Rodr. cap. 233. n. 3. Sot. 4. d. 41. q. 1. a. 2. Sanch. c. ai. p. 69.* quia cum conditio suspendat consensum vsq. ad eius aduentum, antequam impleatur, sponsalia non sunt valida ex defectu consensus quod intelligendum est, quando conditio est de futuro si n. conditio sit de præsenti, aut præterito: oriretur statim impedimentum publicæ honestatis, si conditiones verè extent. *Regin. l. 31. num. 128. Fill. cap. cap. 6. num. 225. Sanch. c. d. 70. num 16. Rodr. c. 234. Valent. tom 4. d. 10. q. 5. p. 3.* Sicut ex sponsalibus de futuro consurgit publica honestas matrimonium dirimens cum consanguineis sponsæ in primo gradu à fortiori consurget ex matrimonio rato, quod fortius vinculum est, & maiorẽ coniunctionem importat, & hoc impedimentum honestatis ex matrimonio rato, extenditur vsque ad quartum gradum: vnde vir mortua vxore ante consummatum matrimonium non potest ducere consanguineam vxoris vsq. ad quartum gradum. Sic declarauit *Pius V.* in motu proprio *ad Romanum spectat.*

67. Oriatur hoc *impedimentum publicæ honestatis* ex matrimonio rato irrito quacumque ex causa modò non sit ex defectu consensus. *Henr. l. 12. cap. 10. n. 2. Valent. cap. punct. 3. Bonac. c. p. 11. n. 11. Sanch. d. 70. n. 1.* quia à iure antiquo recedendum non est nisi quatenus aliter decernitur iure nouo sed iure antiquo consurgebat hoc impedimentum ex matrimonio inualido, modo nõ esset inualidum defectu consensus ergo: sic etiam habetur ex declarationibus Cardinalium. Tamen *aduertendum* est ex matrimonio rato inualido non induci impedimentum publicæ honestatis dissoluens priora sponsalia valida: publica enim honestas superueniens sponsalibus non dissoluit illa, sicut dirimunt cætera impedimenta sponsalibus superuenientia *Nauar. cap. 22. num. 57. Sanch. d. 68. num. 24. Bonacin. cap. num. 21.*

Ex matrimonio autem rato conditionato, conditione de futuro suspendente consensum non oritur ante impletionẽ conditionis, quia ante eam neque habet vim matrimonij absoluti, neque sponsalium absolutorum: iustitia autem publicæ honestatis non oritur nisi ex sponsalibus dicto modo absolutis, ac proinde neque ex matrimonio, nisi absoluto, etiam consuetudine desumpta ab exemplo sponsalium oritur verò ex matrimonio conditionato post impletionem conditionis, vel quia tunc habet: veram rationem matrimonij perfecti, & absoluti, vel quia habet rationem sponsalium, vt aliqui opinantur.

De impedimento affinitatis.

S V M M A R I V M.

68. *Quid sit affinitas, & quomodo mensurentur gradus inter affines; & an linea affinitatis sit duplex?*
69. *An ad contrahendam affinitatem requiratur copula perfecta?*
70. *An contrahatur affinitas ex copula, in qua sola femina, vel solus vir seminat? & c.*
71. *Vsque ad quem gradum affinitas contracta ex copula licita, vel illicita iure Ecclesiastico dirimant matrimonium?*
An ius antiquum quo ad impedimentum affinitatis, censeatur sublatum in prouincijs vbi Concil. Tridentin. non est publicatum;
72. *An affinitas ex matrimonio consurgens dirimat iure naturæ matrimonium in aliquo gradu linea recta inter ascẽdentes, & descendentes* refertur duplex sententia.
73. *Quos effectus pariat affinitas matrimonio contracto superueniens.*
74. *An scienter contrahentes in gradibus affinitatis, vel consanguinitatis ab ecclesia prohibitis ipso facto excommunicationem incurrant?*

68. AFfinitas. A Theologis, & iuris vtriusque professoribus definitur, *propinquitas personarum proueniens ex carnali copula licita, vel illicita omni carens parentela.* Eius gradus

gradus ita numerantur, sicut dictum est in consanguinitate, nam quoto gradu quis consanguineus est viri, vel fœminæ cognitæ, eodem est affinis fœminæ vel viro; & mensurantur gradus inter affines iuxta gradus consanguinitatis; quare stipes in affinitate dicitur duplex illa persona quæ per carnis copulam commiscetur, cum vtraque sit origo & radix huius affinitatis: Vnde *linea affinitatis* est duplex, sicut & consanguinitatis, *quædam* est recta ascendentium & descendentium: ascendentes sunt socer, vitricus, nouerca: descendentes sunt, gener, nurus, priuignus, & priuigna. *Alia* verò est linea transuersa collateralium: hi sunt qui alterutri coniugi sunt consanguinei in linea transuersa, nam alteri sunt affines in eodem gradu lineæ transuersæ. *Diu. Thom.* 4. *d.* 21. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. *Filliuc. tract.* 10. 2. *p. n.* 206. *Reginald. lib.* 31. *num.* 145. *Sanch. lib.* 7 *d.* 64. *Gutier. de matrimon. cap.* 99. *Sylu. in suppl. qu.* 55. *art.* 3. 7. & 8. *Nauarr. cap.* 22. *num.* 42. *Couar.* 2. *p. cap.* 6. § 7.

69. Ad *contrahendam affinitatem*, requiritur copula perfecta, in qua virile semen intra vas fœmineum recipiatur: ex tola autem vasis fœminei penetratione, non emisso intrà virili semine non oritur affinitas: *Cap. Fraternit.* 36. *qu.* 10. *Reginald. lib.* 31. *num.* 147. *Filliuc. tract.* 10. 2. *p. num.* 208. *Gutier. cap.* 87. *num.* 15. *Sà de impediment. num.* 13. *Nauarr. cap.* 22. *num.* 42. *Sylu. c. art.* 3. quia tota ratio ob quam ex copula oritur affinitas, est, quòd per eam vir & fœmina vna caro efficiantur; at non efficiuntur vna caro; nisi per copulam perfectam ac sufficientem ad prolis generationem, qualis est illa sola in qua virile semen intra vas fœmineum recipitur, siue fiat matrice fœminea semen attrahente, siue dæmonis ministerio, siue quacumque arte, siue casu, siue sponte, siue vi etiam absque vasis penetratione: quia id ad prolis generationem sufficit.

Ab hac tamen doctrina recedit Basilius Pontius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 13. *num.* 2. docens, quòd si quis extraordinariè polluat fœminam aliquam, emittens semen post extractum è vase naturali membrum, quamuis postmodum casu illabatur semen in naturale vas, nulla resultat affinitas: sicut nec si semen alicuius ope Dæmonis deferatur in vterum fœmineum: quia illi non sunt facti vna caro, nec sibi adhæserunt. Sed circa hæc primam sententiam tene.

70. *Non contrahitur* affinitas ex copula in qua sola fœmina seminat, quia ea sola non satis est ad prolis generationem: *neque* ex quacumque extra vas legitimum pollutione; neque ex congressu spadonum, quia semen prolificum non emittunt; *neque* ex copula sodomitica, quia ex ea non potest sequi generatio; *neque* ex copula habita cum muliere mortua: *Bonac. quæst.* 3. *p.* 12. *num.* 11. *Sanch. d.* 64. *num.* 10. & *seq. Gutier. cap.* 54. An autem requiratur ad affinitatem contrahendam vtrumque coniugem semen emittere, & sic seminum commixtionem fieri: *Graff. t. par. lib.* 2. *cap.* &c. *num.* 8. *Vinald. de matrim. num.* 194. *D. Thom.* 4. *d.* 41. *qu.* 1. *art.* 1 *Dian.* 4. *par. tract.* 2. *resolut.* 43. & *tract.* 6. *misc. resolut.* 19. *p.* 3. quidam Doctores satis probabiliter affirmant id requiri, quia iuxta medicorum communem sententiam vtrumque semen ad generationem desideratur: *Rodrig. t. par. cap.* 227. *num.* 1. *Syluest. v. matrimon.* 8. *qu.* 15. *Sylu. c. art.* 3. *Sanch. c. nu.* 21. Communior tamen sententia & probabilior ait nullatenus desiderari semen fœminæ, sed sufficere ad affinitatem, si vir intra claustra pudoris fœminei seminet, quia iuxta veriorem sententiam, ea est copula perfecta & sufficiens ad generationem, & subinde ad affinitatem.

71. *Affinitas contracta* ex copula licita siue coniugali, saltem iure Ecclesiastico dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum: *Concil. Trident. sess.* 24. *de matrim. cap.* 4. *Rodrig. c. cap.* 227. *num.* 4. *Reginal. c. num.* 147. *Filliuc. c. cap.* 6. *quæst.* 3. *Sylu. c. Artic.* 6. *conclus.* 2. & 4. *Ex illicita* verò copula dirimit tantummodo vsque ad secundum gradum inclusiuè; vnde coniuges non possunt validè matrimonium inire cum consanguineis sui coniugis vsque ad quartum gradum inclusiuè: Ille autem qui fornicatus est cum aliqua, potest matrimon. contrahere cum consanguinea illius in tertio, vel quarto gradu. sic in Concil. Trident. hæc affinitas restricta est. *Cap. nulli, cap. æqualiter* 35. *qu.* 3. Iure autem antiquo interdictum erat ac irritum matrimon. cum alterutrius coniugis consanguineis, sicut cum proprijs vsque ad septimum gradum, & ita vsque ad illum extendebatur affinitas. At restricta est per *cap. non debet, de consang. & affinit.* ad quartum gradum. Sed difficultas est, an hoc ius antiquum quoad impedimentum affinitatis censeatur sublatum in prouincijs vbi Concilium Tridentinum non est publicatum: Censent aliqui verisimile esse, vbi lex Tridentini non est promulgata, adhuc perdurare hoc affinitatis impedimentum matrimonium dirimens vsque ad quartum gradum, siue affinitas ex matrimonio consurgat, siue ex fornicatione. Sed contrarium alijs videtur verius. Ratio est, quia in lege derogatoria alterius legis quid prohibentis, aut irritantis promulgatio non ita solemnis, sed in singulis prouincijs requiritur, sed regulariter sufficit facta in curia, seu Concilio: nam promulgatio Romana, quæ tota ad onera non fuit sufficiens sufficiens fuit ad iuuamina, & ad tollenda onera: vnde dicendum est vbi Concilium Tridentinum non est publicatum, valida esse matrimonia contracta in tertio aut quarto gradu affinitatis ex copula illicita. Hanc sententiam docet *Zypæus in consult. canon. l.* 4. *tit. de cognat. spirit. consult.* 1. & tamquam probabilem admittunt. *Prapositus* 1. 2. *q.* 95. *art.* 1. *dub.* 7. *Dian. p.* 6. *tract.* 8. *resolut.* 26. *Malder.* 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. *dub.* 2. qui nouissimus putat nihilominus eius resolutionem petendam esse à Summo Pontifice, vel à Sacra Congregatione Concilij Tridentini.

Ex dictis patet resolutio cuiusdam casus, qui his temporibus accidit, & talis est. Duo consanguinei vnus *Caius* existens in secundo, alter *Titius* in tertio gradu consanguinitatis inter se, quamdam Bertam in matrimonium ducendam sunt frequentati, & vnus cum illa copulam fornicariam habuit alter verò matrimonium de præsenti contraxit & consummauit: Dubium erat an matrimonium illud fuerit validum. Responsum fuit affirmatiuè. Ratio est, quia secundùm Concilium Tridentinum affinitas contracta ex illicita copula dirimit tantummodo matrimonium vsq; ad secundum gradum inclusiuè: & cum isti prædicti duo consanguinei sint inter se in tertio consanguinitatis gradu, quia à remotiori à stipite fit denominatio in istis gradibus: sequitur quòd in eodem tertio gradu sit affinis Bertæ ille, qui matrimonium de præsenti cum illa contraxit. Atqui Concilij Tridentini decretum restrinxit affinitatem matrimonium dirimentem ad secundum gradum ex copula illicita, sed ex licita vsque ad quartum inclusiuè: Dicendum est ergo prædictum matrimonium esse ratum & indissolubile post consummationem: quia nullum reperitur ibi affinitatis impedimentum dirimens in primo & secundo gradu, sed tantùm in tertio, in quo non prohibetur matrimonium, quando affinitas ex illicita copula procedit. Aduertendum tamen est illum, qui fornicatiè copulatus est, non posse validè post mortem cognati Bertam viduam ducere: quia modò inter illos adest affinitatis impedimentum in tertio gradu, quod post Concilij Trid. decretum, matrimonium dirimit vsque ad quartum gradum inclusiuè, quando ex matrim. illa affinitas consurgit. Et hanc sententiam confirmant. Eximius Dom. *Syluius* de hoc casu consultus.

72. *Controuersia* est inter Doctores, an affinitas ex matrimon. consurgens dirimat iure naturæ matrimon. in aliquo gradu lineæ rectæ inter ascendentes, & descendentes: docent enim. *Sylu. v. matrim.* 8. *qu.* 15. *d.* 6. *P. Soto lect.* 10. *de matrim. Philiarch tr.* 1. *p.* 2. *l.* 2. *cap.* 11. *quidam* in recta linea prohiberi iure naturæ matrimon in quocumque gradu in infinitum: quia eadem reuerentia debetur affinibus ac consanguineis: & eodem modo ab vtrisque abstinendum est: *Alij* tenent in primo gradu affinitatis lineæ rectæ prohibitum ac irritum esse matrimon. iure naturæ, vt inter priuignam & vitricum. socerum & nurum, &c. quia omnes nationes ab huiusmodi matrim. videntur abhorrere, sicut cum consanguineis in primo gradu. sic *Sylu. c. conclus.* 3. *Valent. tom.* 4. *d.* 10. *quæst.* 5. *p.* 3. *Vasqu.* 3. *part. quæst.* 91. *Artic.* 1 *d.* 4. *Coninc. d.* 32. *dub.* 4. *num.* 53. *Couarruu.* 2. *par. cap.* 6. § 7. *Pont. de matrimon. lib.* 7. *cap.* 34. *num.* 5. *Gutierez. cap.* 99. *num.* 9. *Henriqu. lib.* 12. *cap.* 9. *num.* 5. *Bonacin. p.* 12. *num.* 7. *Sanch. d.* 66. *num.* 7. *Filliuc. c. c.* 19. 9. *num.* 215.

Probabilior tamen sententia negat affinitatem dirimere matrimon iure naturæ in vllo gradu etiam lineæ rectæ, quia non est tanta indecentia inter has personas, nec tanta turpitudo reperitur, quæ videatur sufficiens ad irritandum matrimon. iure naturæ vel diuino, sicut inter consanguineos in primo gradu; vnde dicendum est solo iure Ecclesiastico inualidum esse matrimon. etiam in primo gradu, quia ex dispensatione Ecclesiæ aliquando fuerunt celebrata matrimonia cum nouercis, vt testatur Bonacina citatus: & probat *Sanches* id matrimonium non censeri apud omnes gentes interdictum. Nam *Valer. Maximus lib.* 5. *cap.* 7. & *Plutarchus in vita Demetrij* referunt, Seleucum tradidisse filio suo Antiocho in matrimonium Stratonicem propriâ vxorem: ac id factum laudat ipse Valer Maximus. Et 3. *Reg.* 2. Adonias filius Dauid petijt Abis ac Sunamitidem in vxorem: & illa erat vxor Dauid, vt constat ex 3. *Reg.* 1. Signum ergo

est, id matrimon. non esse iure naturæ interdictum. Confirmatur autem hæc opinio ex eo quòd Pontifices non rarò pro foro conscientiæ dispensant in dicta affinitate orta ex copula fornicaria, & tamen est eiusdem rationis cum ea, quæ oritur ex copula coniugali: quia fornicarij eodem modo fiunt vna caro per copulam ac coniuges. Hanc sententiam præter Doctores hic citatos tenent *D. Thomas, Præpositus, Hurtadus*, & alij citati à *Diana p. 4. tr. 4. resol. 93.* & nouissimè me citato *Doctissimus Caramuel in Theolog. moral. l. 2. num. 551.* Deinde Concilia Agatense *can. 61.* Eupa ponense *can. 30.* & Aurelianense III. *can. 10* prohibentia expresè matrimonium cum priuigna: cum Nouerca, cum relicta Fratris vel auunculi, præcipiunt, vt matrimonia ante illam prohibitionem contracta non dissoluantur. Et Aurelianense decernit, nec esse dissoluendum matrimonium inter prædictos contractum cum ignorantia legum Ecclesiasticarum.

73 *Affinitas* matrimonio contracto superueniens, vt accidit, quando quis post matrimonium contractum, copulam habet cum consanguinea suæ vxoris in primo, & secundo gradu, *duplicem* effectum parit. *cap. 1. de eo qui cognouit. Gut. ca. 87. num. 2. 6. Sanch. l. 7. disput. 15 Sylu. c. artic. 6. conclus. 1. Azor. 3. p. l. 5 cap. 20. Regin. lib. 31. num. 194. Primus* est, vt coniux qui commisit incestum cum consanguinea alterius coniugis in primo vel secundo gradu non possit ab ea debitum petere, priuatur enim iure petendi, licet teneatur reddere debitum alteri petenti, quia par non est, vt innocens damnum patiatur ob culpam delinquentis. *Secundus* effectus est, vt coniux nocens non possit alium coniugem ducere, mortuo illo quem de præsenti habet. Ad hanc autem pœnam priuationis iuris debiti petendi, non requiritur sententia iudicis, sed ipso facto incurritur. Vide *v. Incestus* num. 6.

74 In iure, pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, constituta est contra eos, qui scienter audent contrahere in gradibus affinitatis vel consanguinitatis ab Ecclesia prohibitis. *Clementina vnica de consanguin. Sylu. c. quæst. 55. artic. 9.*

De impedimento impotentiæ.

SVMMARIVM.

75 *An impotentia perpetua coeundi sit impedimentum dirimens matrimonium? & vnde consurgere possit hæc impotentia?*

76 *An impotentia perpetua coeundi iure naturæ dirimat matrimonium, si illud antecedat? & quid iuris si impotentia sit tantum temporalis?*

Et an cum impotentia perpetua & cognita possint impotentes contrahere? refertur duplex sententia.

77 *Qualis impotentia ex parte fœminæ dirimat matrimonium?*

78 *An impotentia accidentalis, qualis est in senibus, matrimonio obstet? & quid iuris de matrimonio Eunuchorum vel spadonum?*

79 *An impotentia ex maleficio consurgens si illud sit perpetuum, dirimat subsequens matrimonium?*

80 *In dubio an maleficium matrimonium præcesserit vel non, quid præsumendum?* refertur duplex sententia.

81 *An coniuges possint debitum petere vel reddere, vel detectari, tangendo, ostendendo, quando illis constat adesse impotentiam perpetuam? & quid illis ius permittat, si dubitetur an impotentia sit perpetua?*

82 *An impotentia matrimonio superueniens illud dirimat, siue ratum, siue consummatum fuerit? & quid liceat illis coniugibus taliter impotentibus?*

83 *Quid iuris de matrimonio hermaphroditorum?*

84 *An sterilitas obstet valori matrimonij: & quid iuris de coniugio fœminæ non potentis parere absque manifesto mortis periculo.*

75 VLtimum impedimentum dirimens matrimon. est *impotentia coeundi*; scilicet, impedimentum perpetuum naturale aut accidentale ad copulam naturalem perfectam: *cap. Fraternitatis de frigidis & maleficiatis*. Illa verò dicitur *impotentia perpetua* coeundi, quæ non potest remoueri arte humana, aut sine probabili periculo animæ, aut corporis. Potest consurgere hæc impotentia ex viri frigiditate, aut ex fœminæ arctitudine, tamquam ex causa intrinseca, & naturali: Ex causa verò accidentali extrinseca, consurgit etiam hoc impedimentum, ver. gr. si ex maleficio, quod vtrique sexui commune est, aut ex castratione quæ viris est peculiaris. *Rursus* impotentia *quædam* est perpetua, *quædam* temporalis: tandem impotentia perpetua *quædam* est absoluta respectu omnium, *quædam* verò respectiua respectu huius vel alterius similis. *D. Thom. 4. d. 34. Nau. ca. 22. num. 59. Sanch. lib. 7. d. 92. num. 1. Filliuc. tract. 10. 2. par. num. 61. Henriq. l. 12. c. 7. Sylu. in suppl. q. 58. art. 1. quæst. 1.*

76 *Impotentia perpetua* coeundi antecedens matrimonium, dirimit illud, non solùm iure Ecclesiastico, verùm etiam iure naturæ, ex quacumque causa proueniat: *cap. 2. de frigid. & malefic.* quia ad valorem matrimonij requiritur, vt coniuges possint fieri vna caro, sed cum impotentia perpetua non possunt fieri vna caro, ergo. *Impotentia* verò *temporalis* matrimonium non dirimit, excepta impotentia ratione ætatis, quando nempe matrimonium celebratum fuit inter impuberes nondum aptos ad generationem: ius enim Ecclesiasticum *cap. continebatur*, & *cap. ex tenore, de despon. impub.* matrimonium impuberum irritat, quamuis impotentia eorum temporalis sit, quòd in alia impotentia temporali minimè statuit. *Impotentia* autem perpetua matrimonio superueniens, siue rato, siue consummato non dirimit illud. *Gutier. cap. 112. num. 2. Reginal. l. 31. num. 99. Comit. d. 33. num. 77. Sanch. d. 92. num. 2. Bonac. qu. 3. p. 13. num. 12. Sylu. c. quæst. 2.*

An autem impotentes cum impotentia perpetua & cognita possint inire verum matrimonium in ordine ad tactè viuendum communior & probabilior sententia negat: quamuis *Basilius Pontius de matrim. l. 7. cap. 55.* affirmatiuam sententiam teneat, & probet probabiliter ad sensum *Diana 4. par. tract. 4. resolut. 75.* qui etiam post *Sanchez* pro hac sententia citat *Paludanum, D. Antonin. P. Soto, Medinam*. Ratio autem cur impotentia perpetua semper dirimat matrimonium, siue sit cognita, siue ignorata, est: quia per hoc quod cognoscatur, non desinit esse contraria substantiæ matrimonij; quandoquidem non compatiatur secum traditionem corporis ad actum coniugalem, quæ est de intrinseca ratione contractus matrimonij: deinde hanc sententiam videtur apertè definire *Sixtus V.* in bulla edita 1587. vbi declarat matrimonia cum spadonibus vel eunuchis cum quibuslibet mulieribus, seu defectum prædictum ignorantibus, seu scientibus, esse, semperque fuisse irrita. Vide hanc sententiam tenent *Sanch. c. d. 92. num. 2. Valent. tom. 4. d. 10. qu. 5. punct. 3. Tolet. l. 7. cap. 16. Layman l. 5. tract. 10. p. 4. cap. 11. Præpositus in suppl. q. 7. dub. 19. num. 166. Tann. tom. 4. disp. 8. q. 4. d. 8. n. 136. Sylu. in suppl. q. 58. ar. 1 q. 2.*

77 *Impotentia* ex parte fœminæ vocatur *arctitudo*, quæ si tanta sit, vt semen recipere intra vas non possit, irritat etiam matrimonium, & hæc impotentia potest esse perpetua respectu vnius, quæ non erit respectu alterius, vt quando fœmina est arcta vni & non alteri, nec est vllum remedium quo reddatur lata & apta priori: & quidem respectu huius, circa quem est impotentia perpetua dirimitur matrimonium; tunc autem perpetua censetur, quando nulla humana arte absque corporali periculo, vel absque peccato removeri potest. *Filliuc. c. 5. cap. 3. num. 64. Sanchez c. d. 93. num. 2. Bonacina c. num. 6 Pan. lib. 7 cap. 61.* Nomine autem *periculi corporalis* non intelligitur mors ipsa, ita vt impedimentum, quod absque morte tolli potest, non censeatur perpetuum, vt nonnulli iurisperiti immeritò affirmant (quia quamuis quod absque morte tolli potest, non fit physicè perpetuum, potest tamen esse moraliter tale) sed intelligitur periculum mortis, vt deducitur ex dicto *cap. Fraternitatis*, quia periculum mortis moraliter æquiualet morti.

Imò quod auferri non potest absque graui & perpetuo morbo, censetur perpetuum: quia moraliter æquiualet morti physicæ, non minùs, imò magis, quàm periculum mortis: quia ad vitandum talem morbum, potest rationabiliter appeti periculum mortis, imò etiam mors ipsa.

Quod autem possit dari impotentia respectu vnius, & non alterius, ex eo probatur: quia contingere potest, quòd vir ita sit debilis, mulier ita arcta, aut membrum viri sit ita grossum, & os vasis fœminei ita angustum, quod fœmina nulla humana industria possit, absque vitæ periculo, ei viro proportionari, vt ab eo cognoscatur, & quod sit proportionata alteri, aut possit proportionari absque dicto periculo, vt possit ab eo cognosci. Fœmina verò arcta quæ medicorum iudicio potest fieri apta proprio viro per incisionem, iuxta communem sententiam tenetur illam pati etiam cum graui dolore, quia hoc videtur necessarium ad copulam, cuius potestatem, & ius transtulit in maritum; non teneretur tamen incisionem pati cum grauissimo morbi incommodo; Matrimonium autem cum hac im-

impotentia celebratum eſt validum, cùm non ſit perpetua, fœmina enim illa poteſt arte humana fieri apta per inciſionem, quamuis ipſa nolit eam pati, aut non teneatur pati. *Henriq. l. 12. cap. 7. num. 8. Sanch. c. num. 32. Sà v. matrim. imped. n. 14. Gutier. cap. 112. num. 31.*

Nihilominus in tali caſu tale impedimentum eſſe perpetuum & matrimonium declarandum nullum, docet *Baſilius Pontius de matr. l. 7. c. 62. n. 2.* Vnde fœmina non tenetur pati inciſionem, vt facilior pateat aditus viro. Et hanc ſententiam eſſe probabilem docet *Diana* pluribus in locis, *trac. de ſacramentis reſol. 201.* Et in *Additionibus ſecundarijs reſolut. 3. p. 3.* dicens dum defectus congrediendi cum fœmina non oritur ex nimia & ſpeciali arctitudine fœminæ, ſed ex parte viri, ob extraordinariam debilitatem, aut quid ſimile, tunc non teneri fœminam ſciſſionem pati; imò ipſi viro incumbere, vt ſe ope medicinæ reddat habilem ad copulam. Quòd ſi per triennium facto experimento non valeat coire, declarabitur per Eccleſiam nullum eſſe matrimoniũ. Vnde ſecundùm *Hurtad. de matr. diſp. 22. d. ſect. 3. n. 8.* impotentia ad penetrationem vaſis dirimit matrimonium, quamuis ſit potentia ad ſeminandum extra vas, imò in ore vaſis; tum quia hæc ſeminatio per ſe non ſufficit vt per eam coniuges fiant vna caro (id eſt principium vnius carnis) etiamſi forte & per accidens aliquando ſufficiat, ſi forte aliquando virtute naturali matricis intromittatur pars aliqua ſeminis ſufficiens ad generationem, & conſequenter ad affinitatem: tum etiam, quia potentia ad ſic ſeminandum eſt impotentia moralis ad ſeminandum, quia talis ſeminatio nequit fieri ordinariè abſque peccato, iuxta dicenda infra *num. 81. 82.*

78 Quando *impotentia accidentalis* tantùm eſt, vt ex ſola ſenectute proueniat, matrimonio non obſtat. *Filli. c. c. 3. num. 74. Rodriq. c. 234. num. 5. Henriq. l. 12. c. 7. num. 3.* quia ſenex ſemper retinet intrinſecam potentiam ſuam ſeminandi, quæ tantùm per accidens per ſenecturem impeditur: poteſt enim aliquando aliqua arte iuuari ad conſummationem matrimonij: *Sanch. d. 62. n. 24. Gutier. c. 112. n. 15.* Quidam tamen Doctores matrimonium eſſe irritum docent contractùm à ſene, ſi omninò impotens ſit ad copulã, hic enim laborat impotentia perpetua. Quando teſtes abſciſſi ſunt matrimonio obeſt, & quidem ita, vt etiam irritet, ſi vterque teſtis abſciſſus eſt; ſecus ſi tantùm vnus: hinc matrimonium contractum cum Eunucho perfecto, vel ſpadone, qui ſcilicet caret ſemine inualidum eſt, vt declarauit *Sixt. V.* Idem dicendum de illis, qui non ſunt Eunuchi perfecti, ſed nihilominus habent vtrumque teſtem ita contuſum vt ſint inepti ad verum ſemen emittendum. Et probatur ex eo quod docét communiter Doctores, impotentiam ad ſeminandum, quamuis ſit potentia ad penetrandum vas, inhabilitare ad matrimonium, quod ſignificari videtur in *Cap. 1. de frigidet. & Maleficiatis*, dum fœminæ, quia non potuit effici mater à viro quem acceperit, conceditur licentia vt nubat alteri. Ex eo autem quod vir nequeat ſeminare, quamuis poſſit penetrare vas, non poteſt fœmina fieri mater per ſe ex defectu veri ſeminis neque contrahentes poſſunt fieri vna caro, id eſt principium vnius carnis; ergo impotentia ad ſeminandum inhabilitat ad matrimonium, quamuis ſit potentia ad penetrationem vaſis: Hi enim Eunuchi nequeunt verum ſemen emittere, quamuis poſſint virgam erigere, & vas fœmineum penetrare, vt docent *Regin. l. 31. n. 102. Tolet. lib. 7. cap. 16. n. 2. Filliuc. c. cap. 3. n. 76. 77. Sanch. c. num. 17. Sylu. c. quæſt. 4.*

Infirmi verò, exiſtentes in articulo mortis, quamuis iam non poſſint coire, habiles ſunt ad matrimonium, vt docent communiter Doctores, & vius Eccleſiæ probat: quia eorum impotentia non cenſetur perpetua: quia quamuis duret vſque ad mortem, id contingit per accidens ex defectu ſubiecti: quia ſubiectum non moretur, tandem potentia fieret expedita.

79 *Impotentia* ex maleficio conſurgens, ſi illud perpetuum ſit, dirimit ſubſequens matrimonium. *C. fin. de frigid. Henriq. l. 12. c. 8. Bonac. c. n. 9. Sanch. d. 94. num. 8. Regin. c. num. 104. Fill. c. c. 3. q. 6. Sylu. c. ar. 2.* Cenſetur autem *maleficium perpetuum*, ſi vel non niſi alio maleficio tolli poſſit, vel miraculo; puta, quia coniuges poſt experientiam triennalem, non potuerunt copulam habere, præmiſſis precibus & alijs remedijs, pro maleficio amouendo; *Notandum* autem eſt, maleficium quandoque impedire potentiam abſolutè, & quoad omnes, quandoque tantum reſpectu vnius: at ratiò contingit circa omnes, & communiter eſt erga vnam vel alteram perſonam maleficium; & tunc cum perſona illa, ad quam eſt impotentia, dirimetur matrimon. ſi illa perpetua ſit.

80 Quando dubitatur, an maleficium matrimonium præceſſerit, vel factum fuerit poſt celebratum matrimonium? quidam Doctores ſatis probabiliter opinantur præſumi factum poſt matrimonium, conſequenter non eſſe impedimentum dirimens; quia impotentia matrimonium dirimens debet præcedere matrimonium & non ſubſequi. Ita *Sanch. l. 7. d. 103. num. 3. Regin. l. 31. num. 105. Gutier. c. 116.* Alijs tamen probabilius videtur dicendum, in hoc caſu præſumi maleficium fuiſſe factum ante matrimon. & conſequenter eſſe impedimentum dirimens matrimon. quia in dubijs iudicandum eſt in fauorem matrimonij, quando matrimon. poteſt ſortiri ſuum effectum, id eſt, procreationem prolis, vel ſaltem fugam fornicationis. Ita *Henriq. l. 12. c. 8. num. 3. Bonac. c. p. 13. num. 11. Sà v. matr. imped. n. 14.*

81 Coniuges quibus conſtat adeſſe impotentiam perpetuam, non poſſunt debitum petere, vel reddere, nec poſſunt delectari tangendo, oſculando; *Henriq. l. 12. cap. 7. num. 71. Sà c. num. 14.* Quia hi actus ſunt actus coniugales, qui non poſſunt exerceri exiſtente matrimonio inualido: *Gutier. c. c. 114. Coninc. d. 31. n. 83. Sanch. diſp. 97.* Quando autem non conſtat adeſſe impotentiam perpetuam, ſed tantummodo dubitatur, permittuntur coniuges ſimul cohabitare per triennium vt matrimoniũ conſummetur, quo tempore ſi nequeant conſummare, facienda eſt ſeparatio propter periculum incontinentiæ; ſecluſo verò incontinentiæ periculo, iura permittunt, vt vir habeat tanquam ſororem quam non poteſt habere vxorem, vt conceditur in *C. Conſultationi*, & *cap. Laudabilem, de frigid. Triennium* autem experientiæ ad conſummandum, incipit à die copulæ attentatæ, quãdo impotentia prouenit ex frigiditate vel maleficio, quando verò prouenit ex arctatione, incipit quando incipiunt remedia adhiberi. *Regin. c. n. 107. Sanch diſp. 110.* Non tamen opus erit, vt triennium iſtud ſit continuum mathematicè; ſed morali modo accipi debet prout vulgariter coniuges continuè cohabitare dici ſolent. Si tamen notabilis, & tota ſimul interpolatio facta fuiſſet, ſuppleri debebit, tantundem temporis ſuperaddendo; nam de paruulis interpolationibus, etiamſi tota eorum collectio notabile temporis ſpatium conflaret, non erit curandum. Itaque iudicio prudentis iudicis id definiendum erit.

82 *Impotentia* matrimonio ſuperueniens illud non dirimit, ſiue ratum ſiue conſummatum fuerit, & quidem quando eſt impotentia ſola veri ſeminis effundendi, vt quando vir vtroque teſticulo orbatur, ita vt coire queat, licet non ſit capax veri ſeminis emittendi, licet illi copula, & culpa vacat, ſiue petat ſiue reddat, quia hic vitur iure ſuo, vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit; ſemen autem non emitti per accidens cõtingit; & ſic obtinetur finis matrimonij ſecundarius, nempe ardoris concupiſcentiæ ſedare; nequeat tamen de copula extra vas quia illa non eſt coniugalis, nec iure matrimonij innititur, ſicut illa quæ habetur intra vas. *Valent. tom. 4. d. 10. q. 5 p. 3. Tolet. l. 7. c. 16. num. 4. Rodriqu. 1. p. c. 234. num. 2. Henriq. l. 12. c. 8. n. 3. Sanch. l. 7. d. 102. Fill. tr. 10. 2. p. nn. 103. Sylu. in ſupp. q. 58 art. 1. quæſt. 5.* Vnde quando vir poſt matrimonium in eam impotentiam incidit, vt intra vas fœmineum ſeminare nequeat; vel quia fœmina ita arcta facta eſt, vt ſemen recipere non valeat, vel ob viri imbecillitatem aliumve morbum, nequaquam licitus erit coniugalis acceſſus cum hoc periculo, quia copula coniugibus permiſſa eſt ſolùm intra vas legitimum; liciti tamen eſſent his coniugibus tactus & oſcula, & amplexus, ſi pollutionis periculum abſit: vbi autem probabilis ſeminandi intra vas ſpes ſubeſſet, licitum eſſet ad id conari, quamuis per accidens ac præter intentionem extra vas ſemen effundatur, quia coniux ille operam dat rei licitæ procurans copulam ſibi poſſibilem ac permiſſam, & præter intentionem ſequitur externa illa effuſio. *Caiet. 2. 2. qu. 154. ar. 1. Sot. 4. d. d. 34. q. ar. 2. Henriq. l. 11. c. 15. num. 4. & c. 10. num. 7. Rodriq. cap. 242. num. 9. Nauar. ca. 21. num. 60. Sanch. l. 9. d. 17. num. 20. & ſeq.*

83 *Hermaphroditus* in quo ſexus eſt æqualis & neuter præualet, poteſt eligere quem ſexum ipſe voluerit, & ſecundùm illum contrahere matrimonium, quando autem præualet vnus ſexus, poteſt matrimon. inire iuxta ſexum qui in ipſo præualet; vnde ſi præualet ſexus virilis, poteſt contrahere cum fœmina, ſi præualet ſexus fœmineus, poteſt contrahere cum viro: Ad medicos autem pertinet iudicare, vel ad matronas peritas, quinam ſexus præualeat; in dubio tamen iudicium ferendum eſt ex ipſius hermaphroditi aſſertione: *Notandum* autem eſt, hermaphroditum in quo vterque ſexus eſt æqualis, facta ſemel electione ſexus, & contracto ſemel iuxta illum ſexum matrimonio, non poſſe abſque graui peccato mortuo coniuge mutare electionem, & ſe-

eundem alium sexum contrahere matrimonium; variaret enim electionem in re grauissima: quamuis si contraheret, validum esset matrimonium, quia illius potentia naturalis non auferretur per electionem, aut per iuramentum antea præstitum non variandi electionem sexus; *Parochus* verò non debet assistere matrimonio hermaphroditi, in quo vterque sexus est æqualis, donec hermaphroditus coram iudice Ecclesiastico protestatus sit cum iuramento, quem sexum sequi velit. Vide *Fel. c. c. 3. n. 90. 91. Gutier. cap. 119. Sanch. l. 7. d. 106. Comit. K. d. 31. nn. 89. Bonac. t. 4. p. 12. num. 26. & seq. Henriq. l. 14. cap. 8. n. 6. Maiolus l. 5. de irregul. c. 27. num. 16.*

84 Sterilitas non obest valori matrimonij: quia etsi id matrimonium non sortiatur primarium finem, qui est generatio prolis; attamen sortitur secundum, qui est satisfactio concupiscentiæ, intercedente vera copula. Ita *D. Th. 4. d. 34. q. vnic. ar. 2. ad 3.* communiter receptus.

Sed dubium est, de coniugio fœminæ non potentis parere absque manifesto mortis propriæ periculo, cùm tamen apta copulæ sit, an ea impotentia matrimonium dirimatur. Probabilis certè est satis sententia affirmatiua; quia in *cap. Fraternitatis, de frigid. & Maleficiat.* decernitur mulierem arctam, quæ sine vitæ periculo aptari nequit congressui viri, esse incepiam matrimonio; atque eam impotentiam censeri perpetuam: At fœmina non potens absque vitæ periculo parere, nequit absque eo reddere debitum, & cognosci à viro: reddens enim exponitur periculo conceptionis & partus. Ita *Victoria in suis prælectionibus. Rodriq. tom. 1 summ. cap. 234. num. 6. Petr. Ledesm. de matrimon. qu. 58. artic. 1.*

Probabilior tamen est sententia negatiua. Ratio est, quia reperitur in eo matrimonio obligatio, & traditio potestatis corporum ad perfectam copulam, & talem tempore senectutis cessabit tale periculum, ideoque cùm non sit perpetua talis impotentia, non dirimet matrimonium. Impotentia enim pariendi absque vitæ periculo, tamquam quid posterius ipsa matrimonij essentia, illud viciare nequit. *Henriq. l. 12. de matrim. c. 7. num. 8. Filiuc. tr. 10. p. 2. n. 65. Sanch. de matr. l. 7. disput. 91. n. 27. & 28.*

Item habilis est matrimonio fœmina quæ filios omnes pareret mortuos.

De impedimentis quæ posuit Concilium Tridentinum agimus ibi: & quidem de primo vide matrimonium V. & de secundo vide verb. *Raptus*.

MATRIMONIVM VIII.

De impedimentis non dirimentibus.

SVMMARIVM.

1. *De primo impedimento non dirimente, quod est interdictum iuris, tempus scilicet, Aduentus & Quadragesimæ.*
2. *De secundo impedimento, quod est Catechismus. An autem hoc impedimentum catechismi sit sublatum per Tridentinum?* refertur duplex sententia.
3. *De tertio impedimento, videlicet sponsalia prius celebrata cum alia persona? & an peccet mortaliter qui sine iusta causa contrahit cum hoc impedimento?*
4. *De quarto impedimento, quod est votum simplex castitatis, vel ingrediendæ religionis, vel suscipiendi sacros ordines, vel non nubendi. Et an habens votum religionis seu castitatis peccet mortaliter contrahendo matrimon. animo ingrediendæ religionis antequam consummet?* refertur duplex sententia.
5. *Quid respondendum astricto voto castitatis vel alio simili voto impediente contractum matrimonij, si regat an matrimon. validum sit cum huiusmodi impedimento?*
6. *De quinto impedimento matrimonium impediente, quod est crimen sepimplex.*
7. *An incestus, sit crimen matrimonium impediens, cum quacunque alia? & qualis debeat esse iste incestus?*
8. *An raptus alienæ sponsæ, siue de præsenti, siue de futuro impediat matrimonium cum rapta & cum quacunque alia?*
9. *An vxoricidium priuata authoritate factum matrimon. impediat? & quid dicendum de homicidio viri ab vxore patrato?*
10. *An susceptio pr opriifilij vel alterius coniugis in baptismo vel confirmatione, si fiat animo impediendi matrimonium, impedimento eniam præfici cum alio contrahendi, mortuo coniuge?*
11. *De quinto crimine matrimon. impediente, quod est Parricidium.*
12. *Sextum impedimentum est solemnis pœnitentia.*
13. *Septimum crimen matrimonium impediens est matrimon. scienter cum moniali contractum.*
14. *An peccet mortaliter, qui contrahit matrim. cum dictis impedimentis non dirimentibus absque dispensatione?*
15. *An confessarius teneatur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia inuincibili vel vincibili matrimonium inualidè contraxit?*
16. *Ad odus cognoscendi pro confessario an aliquis laboret ignorantia inuincibili?*
17. *An laborantem ignorantia inuincibili teneatur confessarius admonere si credat admonitionem non statim profuturam, sed futuram vt breui tempore prosit?*
18. *An possit confessarius absoluere coniugem inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens, si nolit reddere debitum ob iram, indignationem, aut ob aliam causam iniustam.*

1 *Impedimenta* non dirimentia matrimonium sunt quinque. *Cap. non licet. Conc. vxorem 33. q. 1. Cap. Capellanus de feriis. Conc. Trid. sess. 24. c. 10. Primum*, dicitur interdictum iuris, tempus scilicet feriatum, quale est Aduentus & Quadragesimæ, in quo prohibitæ sunt nuptiæ quoad benedictionem scilicet & solemnem traductionem sponsæ in domum sponsi; nam matrimonij contractus, traductio sponsæ in domum sponsi, & consummatio ipsa prohibita non sunt, si absque solemnitate fiant, nisi alicubi contraria vigeret consuetudo: An verò tempore Aduentus & Quadragesimæ sit peccatum mortale traducere sponsam solemniter in domum sponsi & conuiuia solemnia facere, negat *Sanchez* hic citatus, quem sequitur Diana *tract. de Sacramentis, resol. 166. p. 3.* licet contrariam sententiam teneat *Pontius* non improbabiliter, *de matrimon. l. 6. c. 8. n. 10.* Nomine verò *Interdicti* intelligitur etiam prohibitio Episcopi, aut vicarij, aut iudicis, aut Parochi interdicentis alicui ne matrimonium contrahat, donec aliqua causa vel impedimentum examinetur, vnde contrahens cum huiusmodi interdicto vel prohibitione peccat mortaliter, tacit enim contra prohibitionem superioris in re graui. *Regin. l. 31. n. 188. Nauar. c. 22. n. 68. Sanch. l. 7. disput. 7. Conarch. d. 30. n. 25. Sylu. in suppl. q. 51. art. 1.*

2 *Secundum impedimentum* impediens matrimonium; est *Cap. per Catechismum, de cognatione spirituali in 6.* imperfectè, scilicet cognatio quædam spiritualis orta ex eo quòd quis puerum baptizandum teneat in Catechismo, respondendo sacerdotis interrogationibus: hæc impedit matrimonium subsequens cum iisdem personis cum quibus spiritualis cognatio impedit: Controuertitur tamen inter doctores an id catechismi impedimentum sit omninò sublatum per Tridentinum: multi enim aiunt adhuc manere, vt *Nauar. c. 22. n. 72. Valent. l. 7. c. 18. num. 6. Vgolinus de matr. c. 20.* quorum sententia valde probabilis est, licet communior modò opinio sit, id impedimentum catechismi esse omninò sublatum per Tridentini decretum; quia Tridentinum omninò abstulit cognationem baptismi, præterquam inter tenentes in ipso baptismo, ergo censebitur ablata cognatio pueri in Catechismo solo, quæ si primam originem attendamus à baptismo procedit: Et ideò iam vsu receptum videtur, vt non petatur dispensatio super hoc impedimento; quia vbi non est vinculum, non est opus dispensatione seu relaxatione. *Gutier. c. 84. n. 6. Regin. c. n. 190. Conarch. c. n. 24. Sanch. d. 1[illegible]. n. 11. & 12. Bonac. q. 4. p. 14. n. 6. Diana de sacr. resol. 160. p. 3. Sylueſt. cap. art. 1.*

3 *Tertium impedimentum* non dirimens, sunt sponsalia priùs celebrata cum alia persona, omnis enim qui post contracta sponsalia cum vna, sine iusta causa contrahit cum alia matrimonium aut sponsalia, peccat mortaliter secundùm omnes, quia omnis contractus obligat ex iustitia, sed hic est contractus, facio, vt facias, est namque & reciproca obligatio, ergo obligat ex iustitia & sub mortali. *Filiuc. tr. 10. 2 p. c. 9. q. 4. Nau. c. 22. n. 74. Regin. c. n. 187. Coninck dub. 3. n. 23. Sylueſt. c. a. 1.*

4 *Quartum impedimentum*, est votum simplex castitatis, vel ingrediendæ religionis, vel suscipiendi sacros ordines vel non nubendi, quia huiusmodi votum non importat corporis traditionem, sed solam promissionem, atque adeò verum dominium manet apud voventem, *Cap. De vidua. Cap. si quis votum 27. q. 1. & C. vnico de voto in 6.* ea autem est natura promissionis, vt impedat licitam translationem dominij rei promissæ in alterum, vtpote quæ est aduersus fidem præstitam, non tamen illam irri-

irritam reddat, quippe quæ facta est à voto domino: quod dictum est de voto, idem dicendum est de iuramento facto de his rebus vel de castitate seruanda, quia huiusmodi vota vel iuramenta è diametro aduersantur statui matrimonij, ac proinde id impediunt, non tamen dirimunt. Ita *Regin. l.* 31. *n.* 184. *Tolet. l.* 7. *c.* 18. *n.* 3. *Sanch. l.* 7. *d.* 11. *n.* 6. *Gutier. q.* 85. *n.* 1. *Sylu. in suppl. q.* 53. *art.* 1.

An autem habens votum religionis, seu castitatis peccet mortaliter contrahendo matrimonium animo ingrediendæ religionis, antequam consummet matrimonium? communis tenentia est affirmatiua; quia facit grauem iniuriam alteri coniugi, cogeretur enim eius professionem expectare; Sic Sanches *l.* 1. *d. sp.* 43. *n.* 7. & 18. Diana *de sacram. resol.* 281. Contraria tamen sententia est probabilis, quam tenent *Angelus*, *Caietanus*, *Leacsma* & alij apud Dianam citatum: & maximè in tribus casibus. *Primus* est, quando id matrimonium necessarium esset ad vitandum magnum scandalum. *Secundus*, quando adesset notabilis metus, etsi non cadens in virum constantem, amittendæ vitæ, aut famæ, non inito matrimonio. *Tertius*, quando voto astrictus non posset aliter religionem ingredi, eò quòd inclusus teneatur. Ita *Sanches c. num.* 8.

5 Si astrictus voto castitatis, aut alio simili voto impediente contractum matrimonij, roget, an matrimonium validum sit cum huiusmodi voto celebratum, præcito periculo peccati interroganti, veritas aperienda est. *Gutier. c.* 85. *n.* 5. *Reginald. l.* 11. *cap.* 14. *num.* 186. *Sanch. l.* 7. *d.* 11. *num.* 12. *Comit. d.* 30. *num.* 32. Si verò periculum sit, vt interrogans audita rei veritate contrahat matrimon. respondendum est verbis ambiguis, vel cum æquiuocatione, ne detur occasio ruinæ & scandali; si verò interrogans eludi non possit cauta responsionis, nec cautè veritas celari possit; veritas aperiri potest, explicata tamen grauitate delicti & sacrilegij quod admittitur ab eo, qui cum huiusmodi voto audet ad nuptias aduolare.

6 *Quintum impedimentum* impediens matrimonium, *Syluius in suppl. q.* 50. *art.* 1. est crimen septuplex, quod his versibus comprehenditur.

Incestus, raptus, sponsæ, mors, medicina, mariti,
Suscepti propriæ sobolis, mors, prælia, vetus.
Vel si pereunt solemniter, aut monialem
Accipiat. Prohibent hæc coniugium sociandum.

7 *Primum crimen* impediens matrimon. est incestus, copula scilicet habita cum consanguineis coniugis, vsque ad gradum prohibitum, *n.* 1. & 2. *c. cum translata, de eo qui cogn. consang. Filliuc. tr.* 10. 2. *p. c.* 9. *q.* 6. hic enim impedit cum quacumque à toto incestum, & quamuis probabile sit admissum tantùm intra secundum gradum impedire, probabilius tamen videtur etiam admissum intra quartum, vt clim. impedimento esse: *Bonac. c. p.* 14. *num.* 11. *Gutier. c.* 87. *n.* 7. Si copula habeatur cum consanguineis sponsi de futuro, etsi propriè incestus non sit, oritur tamen impedimentum cum quacumque alia, dum complex delicti superstes est. Ex incestu autem cum propria consanguinea probabilius est impedimentum vlum non oriri, quia iura videntur loqui tantum modo de incestu cum affine, iuxta *Sanchez l.* 7. *d.* 15. *n.* 16. *Gut. c.* 87. *n.* 10. & 20. & alios cõtra *Nau. c.* 22. *n.* 74.

Secundum crimen, est raptus alienæ sponsæ, siue de præsenti, vt omnes censent, siue de futuro, vt est probabile. impedit enim matrimonium cum rapta & cum quacumque alia. *c. statutum.* 27. *q.* 2. *Nau. c.* 22. *num.* 74. *Henriq. lib* 12. *c.* 2. Ipsa enim sponsa, quæ suum consensum præbuit raptori, impeditur, ne possit cum alio contrahere matrimonium.

9 *Tertium crimen*, est vxoricidium; *cap. Admonere*, 33. *q.* 1. si enim fiat priuata auctoritate, etiam in vindictam adulterij commissi, impedit matrimonium cum quacumque alia, secundum Sanches *d.* 19. & *Gutierez*: hoc crimen ab aliquibus doctoribus extenditur ad homicidium viri paratum ab vxore: ita *Nauarr. c. num.* 74. *Henriq. c. n.* 1. *Gutier. c.* 88. *n.* 4. Probabilior tamen sententia asserit contrarium: quia nullus textus loquitur de homicidio viri parato ab vxore, vt aiunt *Tolet. c.* 19. *l.* 7. *n.* 3. *Filliuc. c.* 9. *n.* 188. *Sanch. l.* 7. *d.* 16. *n.* 8.

10 *Quartum crimen* est susceptio proprij filij vel alterius coniugis, in baptismo, vel confirmatione, si nat animo impediendi matrimonio, vt scilicet alter coniux priuetur debito coniugali ob impedimentum inde consurgens spiritualis affinitatis; *Cauall. de eo* 30. *q.* 1. *Filliuc. c. c.* 9. *num.* 189. *Bonac. q.* 10. *n.* 17. Hic enim contrahit impedimentum, ne mortuo coniuge possit cum alio matrimonium inire.

11 *Quintum crimen* est Presbytericidium, modo homicida fuerit de crimine conuictus in iudicio. *Nauarr. c.* 22. *n.* 74.

12 *Sextum impedimentum* est solemnis pœnitentia; quamdiu enim quis facit publicam pœnitentiam, impeditur ne matrimonium contrahat. *Canon. de his* 33. *q.* 2. *Sanch. l.* 7. *disp.* 6. sed hodie solemnes pœnitentiæ non sunt in vsu.

13 *Septimum impedimentum* est matrimon. scienter cum moniali contractum. *Canon. si quis* 27. *q.* 1. *Nau. c.* 22. *num.* 74. in hoc enim casu contrahens non solum inualidè contrahit matrimon. cum moniali, verum etiam impeditur, ne possit cum alia contrahere.

14 Præcisa consuetudine in contrarium, mortaliter peccat, qui contrahit matrimon. cum dictis impedimentis non dirimẽtibus absque dispensatione, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui. *Gut. c. c.* 87. *num.* 23. *Regin. l.* 31. *nu.* 192. *Bonac. p.* 14. *nu.* 21. *Sanch. l.* 7. *d.* 17. vbi autem consuetudo viget, vt cum his impedimentis nulla petita dispensatione matrimon. ineatur, prorsus culpa vacat illud inire; quia consuetudo vires habet ad abrogandam legem Ecclesiasticam: & hæc consuetudo videtur iam legitimè præscripta, vt affectus a quo ex his impedimentis minimè petita dispensatione matrim. ineat; excepto voto, sponsalibus & interdicto. Sic testantur Doctores antiqui & Neoterici & præsertim *Nauar. c. num.* 75. & 85. *Diana de sacramentis resol.* 259. *Comit. de sacram. disp.* 30. *dub.* 3. *nu.* 35. *Syluius* in suppl. q. 50. *art.* 1. *quæst.* 1

15 *Confessarius* tenetur admonere pœnitentem, qui ex ignorantia vincibili & culpabili moraliter, matrimon. inualidè contraxit, quamuis admonitio non sit profutura, & quodcumque scandalum pœnitentis sequatur; quia si confessor dissimularet, conferret sacramentum indigno, cum lethali culpa; pœnitens affectus sit. *Quando* autem pœnitens inualidè contraxit ex ignorantia inuincibili iuris vel facti & nullus speratur fructus ex admonitione, sed potiùs timetur scandalum, vel notabilis infamia, non tenetur nec potest confessarius pœnitentem admonere, quia nulli debemus laqueum injicere, sed quando nullus speratur fructus, injicimus laqueum admonendo, qui enim non peccabat ratione ignorantiæ, peccabit posita admonitione: Si autem speretur admonitio profutura sine graui scandalo, vel detrimento, teneretur confessarius admonere, quia confessarius ex officio tenetur instruere & admonere pœnitentes. *Similiter* si immineret periculum damni communis, teneretur confessarius admonere, etiamsi nullus ex admonitione speraretur fructus; vt accidit quando populus scit huiusmodi impedimentum & scandalum tumi, quia illa ignorantia est contra bonum commune, ratione scandali; bonum autem commune præferendum est priuato. *Arrag. t.* 2. *q.* 33. *art.* 6. *Comit. de pœn. d. n.* 136. *Filliuc. tr.* 7. *c.* 12. *q.* 4. *Sanch. l.* 2. *d.* 38. *Reginald. l.* 2. *num.* 45. *Gutier. c.* 48. *nu.* 3. *Sylu. in suppl. q.* 55. *art.* 9. *Diana p.* 3. *tr.* 4. *resol.* 50.

16 *Confessarius* potest cognoscere, an aliquis laboret ignorantia inuincibili, prudenter curando intelligere, an pœnitens credat se esse in bono statu, vel an habeat dubiam conscientiã, quod prudenter faciendum est, ne ex interrogatis aut interrogandi modo constituatur pœnitens in dubia fide, qui priùs illaetam cõscientiam habebat; potest enim contingere vt aliquando in mala fide fuerit, nunc autem in bona sit; sicut ignorantia quæ in vno vincibilis est, potest in alio inuincibilis esse. *Sanch. l.* 2. *d.* 38. *nu.* 3. *Bonac. q.* 4. *p.* 16. *n.* 10. *Sot. 4. d.* 18. *qu.* 2. *art.* 4. *Adrianus quodlib.* 5. *art.* 2. *Quando* autem pœnitens dubius interrogat confessarium vel alium de aliquo impedimento, tenentur hi aperire veritatẽ, quamuis credant se nihil profuturos: quia pœnitens non dicitur in eo casu laborare ignorantia inuincibili, sed potius vincibili, cùm dubitetur de impedimento: alioquin censeretur confessarius errorem approbare, si veritatem non manifestaret *Sanch. de pœn. d.* 32. *sect.* 4. *num.* 2. *Vasq. de pœn. qu.* 93. *art.* 3. *dub.* 9. *num.* 2. *Henriq. l.* 6. *c.* 17. *n.* 5.

17 Quando *confessarius* credit admonitionem non statim profuturam, sed futurum, vt breui tempore proficiat, tenetur admonere pœnitentem laborantem ignorantia inuincibili impedimenti. tamen melius esset admonere pœnitentem post absolutionem, quam ante, ne turbetur & ponat obicem ad gratiam: *Similiter* potest differri admonitio ad tempus opportunum, si putetur pœnitentem ægrè laturum admonitionem, illamque melius susceperum, si alia vice admoneatur. *Gutier. c.* 46. *nu.* 4. *Azorius C. de confess. q.* 19. *dub.* 2. *dicto* 3. *Sanch. c. d.* 38. *n.* 16.

18 *Confessarius* non potest absoluere coniugem inuincibiliter ignorantem impedimentum dirimens matrimonium, quando coniux ita est actualiter affectus, vt nolit reddere debitum ob iram, indignationem, vel ob aliam causam iniustam, si non spe-

rit fructum admonendo illum de invaliditate matrimonij; quia ipse cernitens est in statu peccati, cùm credat se iniustè denegare debitum. *Bonac. de matrim. q. 3 p. el. n. 5. Sylu. c. qu. 15. ar. 9.*

An autem in proposito casu possit Confessarius præcipere, vel monere vt reddat? *Sot. 4. d. 38. q. 2. art. 4. ad 2. Bonac. c. num. 6. Sylu. c. ar. 9.* negant, quia nouit confessarius non esse legitimum matrimonium, & ita reuera non teneri reddere, ergo præcipiès vt reddat, præcipit fornicationem, quæ intrinsecè mala est: vnde confessarius in hoc casu debet dicere in genere, coniuges teneri reddere debitum. *Sanc. tamè l. 2. d. 38. n. 8. Henriq. l. 6. c. 27. n. 5. Comit. d. 8. dub. 17. n. 139.* dicunt, quandoquidè pœnitens relinquendus sit in illa ignorantia & peccet lethaliter ea supposita, non reddendo confessarium teneri non absoluere, nisi proponat se deinceps redditurum, & ita posse cogere vt reddat; quia confessarius non præcipit rem malam, sed debitam suppositis circumstantijs occurrentibus.

MATRIMONIVM IX.

De dispensationibus matrimonialibus.

SVMMARIVM.

1. *An Summus Pontifex possit in aliquo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimente dispensare?*
2. *An solus Papa in omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis tam dirimentibus, quam non dirimentibus, possit dispensare? & quid possit in hoc Legatus Pontificis?*
3. *An in aliquo casu possit Episcopus in impedimentis dirimentibus dispensare post contractum matrimon.*
4. *An Episcopus possit dispensare in impedimentis, quæ superueniunt matrimonio & impediunt debiti petitionem?*
   Et an ex vrgentissima necessitate possit in impedimentis dirimentibus ante contractum matrimonium.
   Et quis dispenset in impedimentis non dirimentibus?
   An religiosi mendicantes habeant aliquod priuilegium circa impedimenta tollenda matrimonio bona fide consummato?
5. *Quæ sint causæ iustæ dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus?*
6. *Monitiones quædam pro confessarijs vt ritè dispensationes Sacræ Pœnitentiariæ exequi valeant.*

1 SEcundùm communissimam Doctorum sententiam, in nullo impedimento iure diuino naturali matrimonium dirimente, potest Summus Pontifex dispensare, excepto voto solenni religiosorum, quia si hæc facultas relicta esset in Ecclesia, multa consurgerent pericula fornicationum, vt inter fratres & sorores spe obtinendæ dispensationis ad contrahendum matrimonium. Hoc autem colligitur ex vsu Ecclesiæ quæ in nullo euentu hactenus dispensauit, vt matrimon. parentum cum filijs, aut fratrum cum sororibus ineatur. *Gutier. cap. 122. Fill. tr. 10. 2. par. num. 301. Nauar. cap. 22. nu. 84. Sanch. l. 8. d. 6. n. 10. Rodriq. cap. 236. num. 1.*

2 In omnibus impedimentis matrimonij iure humano inductis tam dirimentibus, quàm non dirimentibus, solius est Summi Pontificis dispensatio: quia illa omnia sunt iure communi inducta, in quo, tamquam in lege superioris, nequeunt inferiores ordinariè dispensare; vnde nec legatus Pontificis potest in his impedimentis dispensare, nisi specialiter hoc illi à Pontifice concedatur: quia legatus etiam à latere, circa dispensationes ea solùm potest in prouincia sibi commissa, quæ potest Episcopus in sua diœcesi. *Bonac. q. 3. p. 15. n. 2. Couar. 4. 2. p. ca. 6. §. 10. Sanch. c. d. 6. num. 14. 15. Filliuc. t. c. 10. num. 302. Sylu. in suppl. qu. 50. ar. 1. quæst. 2.*

3 *Episcopus* potest aliquando dispensare in impedimentis dirimentibus, quæ iure naturali non dirimunt, quando, scilicet, post contractum matrimon. detegitur impedimentum dirimens illud: *requiratur* tamen, vt concurrant hæ circumstantiæ, vt matrimonium sit contractum bona fide ab vtroque, vel ab altero ex contrahentibus, (quamuis quidam apud Dianam *part. 5. tract. 14. res. 18* putent probabile esse posse etiam Episcopum dispensare licet matrimonium mala fide cum impedimento dirimenti contractum sit) & impedimentum sit occultum, matrimon. verò publicum, nec coniuges possint separari absque magno scandalo, nec ad Summum Pontificem vel ad eius nuncium pateat recursus propter paupertatem, aut propter locorum distantiam, aut ob alia legitima impedimenta: *Gut. c. 49. n. 6. & seq. Valent. t. 4. d. 10. q. 5. p. 5. Nauar. n. 85. Sa v. episcopus n. 43. Sanch. l. 2. d. sp. 40. n. 3. & seq. Bonac. c. p. 15. n. 4. Sylu. in suppl. q. 50. d. 1. quæst. 1. Dian. p. 2. tract. 2. resolut. 17.* quia quamuis regulariter nequeat Episcopus in lege Pontificis, aut Concilij dispensare, potest tamen in casu vrgentis necessitatis, quando ad Pontificem aditus non patet: nec credibile est velle Papam reseruare sibi dispensationem in casu tantæ necessitatis; vnde præsumitur concessa facultas Episcopo dispensandi pro foro conscientiæ. Proinde circa hæc est notanda doctrina Ioannis Sancij *in selectis disp. 43. n. 8.* cuius hæc sunt verba.

Licet ex principijs intrinsecis reor, inferiorem non posse ex epicheia dispensare in lege superioris in casu vrgentis necessitatis; tamen ex principijs extrinsecis ductus ob authoritatem, vi rationes Doctorum affirmantium, posse dispensare, non damnarem inferiorem dispensantem, imò quod magis est, si conspicatus fuissem Episcopum trepidantem dispensare super impedimentum occultum matrimonij in casu vrgentis necessitatis, cõsulerem id recta conscientia agere posse ob authoritatem tantorum Doctorum id posse fieri censentium, putantiumque tunc velle superiorem facultatem dispensandi inferiori tradere, ne pauperes, aut aliàs impediti sine remedio remaneant, in periculo peccandi semper persistentes.

4 Secundùm communem sententiam, Episcopus potest dispensare in impedimentis, quæ matrimonio superueniunt, & impediunt debiti petitionem, v. g. in cognatione spirituali, vel affinitate. Imò ex sententia *Sanch. de matr. l. 8. d. 12. Pont. l. 8. c. 13. n. 6. Val. q. 1. 2. d. 178. c. 2. Salas de leg. d. 20. sect. 3. n. 27. Regin. l. 1. n. 205. Bonac. q. 3. p. 15. n. 6. Sylu. c. quæs. 2. Barb. allegat. 3. 5. n. 5. Velorell. in Nauar. c. 22. n. 85. Dian. c. resol. 17. Molfes. in sum. to. 1. tr. 4. c. 12. n. 35. Casp. tr. 26. disp. 10. sect. 1. n. 5.* Episcopum posse ex vrgentissima necessitate in impedimentis dirimentibus dispensare per se, vel per alium delegatum, etiam antequam matrimonium sit contractum, quando scilicet, non est tuus accessus ad Pontificem vel ab eo denominatum, & omnibus medijs possibilibus tentatis, non potest aliter obuiari grauibus incommodis scandali, infamiæ & alijs. Ratio est, quia impedimentum dirimens, de quo agitur, est iuris humani. Ergo sicut Episcopus in eo dispensare potest in casu necessitatis vrgentissimæ post contractum matrimonium, ita priusquam contrahatur: præsumitur enim habere tacitam facultatem Summi Pontificis in vtroque casu pro foro conscientiæ: & quamuis Episcopus in lege Pontificia non possit ordinariè dispensare, hoc tamen potest in necessitate grauissima.

In impedimentis verò non dirimentibus potest Episcopus dispensare, excepto voto castitatis perpetuæ & religionis *Nauar. c. 22. n. 85. P. Ledes. q. 55. a. 6. Dian. tr. de sacramentis res. 259. Sylu. in suppl. c. 50. a. 1. quæst. 1.* quia quamuis inferior non possit dispensare in lege superioris, per se loquendo, consuetudine tamen iam receptum est, vt dispensatio illorum impedimentorum non obtineatur à Papa, excepto voto castitatis & religionis.

Sed quæres, an Religiosi mendicantes habeant aliquod priuilegium circa impedimenta tollenda matrimonio bona fide consummato? Resp. aliquos asserere Mendicantes habere priuilegium à Leone X. ad dispensandum cum his qui scienter aut ignoranter contraxere Matrimonium, cum impedimento affinitatis, modò id notorium non sit, nec in iudicium deductum. Ita *Rossens. in l. de causa matr. Regis Angliæ. Veracruz 2. p. spec. a. 17* dicunt id priuilegium non esse in vsu, vel non esse concessum, nisi pro vnico solo actu: penes doctos sit hoc iudicium.

Est & aliud priuilegium *Gregorij XIII.* concessum Patribus Societatis Iesu 24. Augusti 1576. pro partibus vltramontanis, vt in ijs locis & Parochijs, vbi Concilij Trident. decretum, de irritandis Matrimonijs clandestinis, promulgatum est, & ab aliquibus non seruatum, qui induci non possunt, vt iterum seruata forma Concil. contrahant, possint ab eorum confessarijs absolui: *Sanch. de matr. l. 8. disp. 6. n. 28. Rodr. to 3. qq. reg. q. 2. a. 2.* & ipsi confessarij possint cum talibus dispensare in foro conscientiæ, vt rursus secreto inter se contrahant, non seruata Concilij forma: & vt postquam sic contraxerint, proles ita suscepta ipso facto legitima censeantur.

Idem concessit 2. Septembris 1580. vt possint dispensare cum ijs, qui contraxerunt cum impedimento criminis, qui non putant esse illicitum dare fidem de Matrimonio contrahendo post mortem coniugis, viuente altero coniuge: imò putant esse iustissimum, vbi interuenit copula. Hæ concessiones habentur in Appendice ad lit. Apostolicas pro Societ. Iesu. Sed quia fuerunt

tantùm

tantùm vitæ vocis oraculo factæ, iam illis non licet vti; quia per Constitut. *Vrbani VIII.* iunt annullatæ. Vide infra *v. Priuilegium 1. num. 8.*

5 *Causa iusta* dispensandi in impedimentis Matrimon. dirimentibus, hæ solent à Doctoribus communiter assignari. *Prima*, extinctio magnæ litis, & vt pax consanguineorum comparetur per Matrimonium; & ad hanc causam reducitur cuitatio scandalorum inter cognatos, item quando dispensatio est quasi remedium necessarium obuiandi alicui magno delicto. *Secunda*, quando ob loci angustiam vel nimis propagatam fœminę cognationem in loco inugni quem inhabitat, non reperitur Matrimonium æquale, præterquam cum consanguineis, & affinibus. *Tertia*, defectus dotis competentis, vt fœmina nubat iuxta suam conditionem extraneo æquali. *Quarta* conseruatio diuitiarum in eadem cognatione quando ampliſſimæ iunt. *Quinta*, illustris familiæ conseruatio in eodem sanguine. *Sexta*, excellentia meritorum siue dispensationem petentis, siue eius cui petitur. *Septima*, proles habita ex consanguinea, quando bona fide suscepta est; imò satis est prolem bona fide alterius tantùm coniugis esse susceptam. *Notandum* autem est quando causæ aliquæ singulæ non sufficiunt, multas aggregatas adiuuari ad inuicem; quia singula quæ non prosunt, simul collecta iuuant. Ita *Nau. c. 22. n. vlt. Fill. tr. 10. 2. p. n. 315. Rodrig. c. 256. n. 2. Graffis p. 1. p. l. 2. c. 81. Sanch. l. 8. d. 19. Henr. l. 12. c. 3. n. 9. Con. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 9. Syln. c. quæs. 3.*

6 Et quia aliquando à *sacra pœnitentiaria* conceditur confessario facultas dispensandi cum aliquo in impedimentis Matrimonij: monenda quædam pro confessarijs ponemus, vt has dispensationes citè exequi valeant. *Sanch. ac his in particulari l. 8. d. 34. disp. 27. n. 38. 39. 40. d. 30. n. 12. Bonac. c. punc. 15. n. 7. Regin. l. 31. n. 219 Fill. c. 10. n. 362. & seq. Primò* confessarius debet diligenter inquirere num res ita sit sicut exposita fuit Summo Pontifici, & hoc à pœnitente ipso, cui fidem præstare debet. *Secundò*, non est necessarium vt pœnitens, cui concedenda est dispensatio, præmittat confessionem. *Tertiò*, relinquitur prudentiæ confessarij, vt iniungat pœnitentiam, quando pœnitentiæ non sunt taxatæ à sacra pœnitentiaria. *Quartò*, delictum debet esse occultum in ratione delicti, dicitur autem occultum, quando non laborat publica infamia, aut quando non est deductum ad forum contentiosum. *Quintò*, huiusmodi dispensatio prodest solùm in foro conscientiæ. *Sextò*, pœnitens qui obtinuit facultatem vt possit à confessario dispensari, potest vno confessario negante dispensationem, adire alium confessarium. *Septimo*, Matrimonium non est validum antequam confessarius virtute mandati Summi Pont. vel pœnitentiarij dispenset, aliud enim est mandatum, aliud dispensatio. *Octauò*, Matrimon. inualidum ob occultum aliquod impedimentum, iterum celebrandum est coram parocho & testibus, quando semel celebratum fuit coram Parocho & testibus conscijs illius impedimenti, aut quando impedimentum probari potest in iudicio, secus dicendum est, quando delictum est omninò occultum. *Plura de dispensationibus his Matrimonialibus possent adduci, sed quia pleraque pertinent ad forum externum, ab his supersedemus, de quibus videndi sunt Sanchez, l. 8. disp. 35. & Filliucius tr. 10. 2. p. c. 10. Guttierez à c. 22.*

MENDACIVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit Mendacium? & an formaliter opponatur veritati?*
2. *Quomodo mendacium diuidatur?*
3. *An omne mendacium sit peccatum?*
4. *An mendacium iocosum & officiosum absque iuramento prolatum sit mortale aut veniale?*
5. *An mendacium perniciosum sit peccatum mortale?*
6. *An peccet mortaliter qui sine graui damno proximi mendacium profert, etiamsi proferat in iudicio vel etiam in confessione, &c.*

1. MEndacium secundùm *Diu. Augustin. l. 1. contra mendacium* est *falsa significatio vocis cum intentione fallendi seu falsum dicendi*, ex qua definitione colligitur tria ad mendacium requiri. *Primum* est, quòd falsum proferatur. *Secundum* est, quòd falsum credatur. *Tertium* est, quòd audiens fallatur, vel deceptio intendatur; *hinc patet* mendacium formaliter & directè opponi veritati, ac proindè falsum esse debet vel reipsa, vel saltem ex opinione dicentis ideò enim mendacium dicitur, quia contra mentem dicitur; idemque est mentiri, quod contra mentem ire. Licet mendacium ordinariè committi soleat verbis, quia verba principem locum tenent inter signa, quibus aliquis decipi potest; tamen etiam nutibus, signis, aut taciturnitate quandoque committi potest: formale autem mendacij in hoc consistit, vt qui dicit mendacium, putet esse falsum quod dicit, nam qui affert aliquid falsum quod putat esse verum, non committit mendacium formaliter, sed solùm materialiter. Vide *D. Th. 2. 2. q. 110. a. 1. Clau. reg. l. 12. c. 1. nu. 1. Fill. t. 40. c. 2. n. 33 Less. l. 2. c. 47. dub. 6. n. 33. Syln. 2. 2. q. 110. a. 1.*

2. *Mendacium* dupliciter diuidi potest, *uno modo* secundùm propriam rationem ipsius seu per se, & sic in quantum opponitur veritati, *diuiditur* in *mendacium* quod transcendit veritatem in maius, quod circa materiam determinatam pertinet ad iactantiam. & in *mendacium* quod deficit à veritate, in minus, quod pertinet ad ironiam. Si verò mendacium consideretur ex parte finis, ob quem committi solet, diuiditur in *perniciosum*, *officiosum*, & *iocosum*. *Perniciosum* dicitur, quod committitur intentione nocumenti alterius; *officiosum* est, dum intenditur bonum vtile alterius, vel fuga alicuius damni; *iocosum* appellatur quod causa voluntatis suæ vel alienæ dicitur. *Nauar. c. 18. n. 3. Tolet. de peccat. mortal. c. 54. Filliucius c. cap. 2. n. 34 Syluest. v. mendac. q. 1. Azor. 3 p. l. 13. cap. 1. D. Tho. c. art. 2. Syln. ibid.*

3. Secundùm communem Doctorum sententiam, omne mendacium est peccatum; quia cùm voces naturaliter sint signa intellectuum, hoc est, rerum prout intellectę sunt, innaturale est & indebitum, quòd aliquis voce signi fiet id, quod non habet in mente, vnde intrinsecè & ex genere suo adeò malum est, vt nùquam licitum sit, etiam ad vitandum scandalum aut aliud quodcumque malum siue corporale siue spirituale, imò nec ad saluādam vitam hominis corporalem aut spiritualem animæ; non est tamen mendacium, cùm quis vtitur amphibologia vel restrictione tacita, quia non intendit dicere falsum, nec loqui contra mentem, sed vel mentem suam aliter exprimere, quàm alter intelligit, vt in amphibologia, vel non totam exprimere, sed solùm ex parte, altera parte orationis interius retenta. Ita *D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. Less. c. n. 39. 35. Bonacina de mendac. q. unica p. 2. n. 1. Clauis reg. c. cap. 2. num. 5. Toletus c. cap. 54. Caiet. v. mendac. Syluius c. art. 3.*

4. *Mendacium iocosum & officiosum* absque iuramento prolatum, nec in perfectis, nec in imperfectis, ex natura actus, est mortale, sed tantùm venialè peccatum, seclusio graui scandalo, quia huiusmodi mendacium nulli grauem iniuriam affert, & censetur mater a leuis; imò qui assiduè committeret mendacia iocosa, vel etiam officiosa, non peccaret mortaliter; quia licet ista mendacia multiplicentur, semper tamen remanent leuia & venialia præcisio scandalo & iuramento. *Nauarr c. 18. n. 3 Less. c. n. 40. Clauis reg. l. 12. c. 2. n. 18. Toletus c. cap. 54. D. Thom. c. art. 4. Syluius ibi.*

5. *Mendacium perniciosum* ex genere suo cum deliberatione prolatum, est peccatum mortale, nisi aliunde ex materiæ leuitate exculetur; quia contrariatur dilectioni Dei vel proximi, quæ autem opponuntur dilectioni Dei & proximi, sunt peccata mortalia ex suo genere, quamuis aliquando fieri possint venialia, ratione paruitatis materiæ vel indeliberationis: *Nauar. c. n. 4. & 5. Caiet. 2. 2. q. 110. art. 4. Sylueſt. v. mend. q. 4. Filliucius tra. 40. c. 2. nu. 38. Azor. c. cap. 1. dub. 6. Clauis reg. c. num. 15. Syluius cap. art. 4.* hinc mentiri in re fidei, vel scripturæ, vel morum, ex sua natura perniciosissimum est: sicut mortale est mentiri in doctrinis naturalibus, si pertineant ad praxim virtutis & vitij, quamuis omne scandalum secludatur, aut contemptus: hinc prædicator scienter prædicans falsa miracula, vel fingens vitam Sanctorum aliter quàm sit, vel pronuncians falsas indulgentias, falsas reliquias, grauiter peccat: *similiter* hypocrita, qui vitæ sanctitatem fingit vt facilius seminet errores, vel vt sibi vberiores eleemosynæ erogentur, vel vt beneficium assequatur, quo est indignus, aut quando quis fingit probitatem; aut morbum, aut vulnera, aut pauperratem maiorem, vt sibi maiores eleemosynæ erogentur, quàm opus sit ad vitam commodè sustentandam, peccat mortaliter mendacio perniciolo, posita materiæ grauitate seu graui damno. *D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 4. Bonacina c. n. 9. Nauarr. c. n. 8. Azor. c. cap. 4. dub. 1. & 2.*

6. *Non peccat* mortaliter qui sine graui damno proximi mendacium profert, etiamsi proferat in iudicio vel etiam in sacramento confessionis, nec ò mendacium non sit coniunctum cū iuramen-

iuramento, & si fiat in confessione, non sit circa materiam necessariam, vel circa totam materiam confessionis. *Lessius l.2.ca.31.num.13. Filliucius c.ca.2.num.44. Reginald.l.6.num.68. Suarez t.4.d.22.sect.10.n.7. Claus Reg.l.12.cap.2.num.19.21. Similiter* non peccat verbo mendacij mutuatarius, qui recepit centum ab alio & reddidit, sed non potest probare, negare enim potest in iudicio se ea accepisse cum restrictione mentali, quæ nūc debeat: quia non mentitur qui vtitur amphibologia aut verbis æquiuocis. *Azor.3.par.l.13.cap.4.dub 6. Sylu.v.fœmina num.2. Tabena ibi.num.4. Item* non peccat mortaliter, qui habitu & vestibus mentitur sexum, vt si fœmina vtatur habitu virili, aut vir habitu fœmineo, modò non adūt periculum grauis scandali, vel alia lex hoc specialiter prohibens sub peccato graui, quia non est mendacium perniciosum: sicut peccat tantummodo venialiter, qui vtitur laruis in bacchanalibus secluso malo fine, & periculo. *Sanches de matrim.l.6.disp.27. num.8. Nauar.cap.Inter verba concluſ.1.corollar.6 num 60. Soto in 4.dist.29.quæst.2. art.3. Similiter* non est rea mendacij fœmina, dum bonis artibus & medijs aliàs licitis, defectum virginitatis tegit, & tamquam virgo matrimon.contrahit, quia cùm non intendat alterum decipere, sed ius suum tueri, & ad illud tuendum vti possit verbis amphibologicis aut medijs aliàs licitis, non dicitur mentiri: Si tamen vxor probabiliter credat detectum viro detegendum, eoque detecto pessimè cum ea acturum, vel ipsam interfecturum, aut vitam plenam discordijs transacturum, grauiter peccaret saltem contra charitatem, imò contra iustitiam, si vir graue damnum ob defectum non manifesta tum patiatur, aut si vir in contractu matrimonij, vel in sponsalibus expresserit se nolle cum ea contrahere niti virgo sit, tunc enim dicitur virum decipere, illique iniuriam irrogare.

Vide *Venditio* num.13. *Iuramentum* 3. *Confessio* 4. *num.5.*

METVS.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit metus? vbi de metu intrinseco & extrinseco.*
2. *De metu graui & item: & de quinque conditionibus ad constituendum metum grauem necessarijs.*
3. *Quis dicatur metus cadens in constantem virum?*
4. *An gesta ex metu mortis excusentur a peccato.*

1. METus secundùm *Vlpianum l.1.ff.de eo quod metus causa. Sanchez de matrim. lib.4. disputat.12. num.2. Sylvius 1.2.quæstio.6. artic.6. est instantes periculi vel futuri causa mentis trepidatio* Multas diuisiones metus admittit. *Primò*, enim metus alius est intrinsecus, alius extrinsecus: metus intrinsecus dicitur ille, qui à causa intrinseca vel naturali infertur, qualis est metus grauis mortis proueniens ex periculosa infirmitate, aut ex feris & animalibus: hic metus dicitur intrinsecus seu à causa intrinseca, vt distinguatur à metu extrinseco, qui fit à causa extrinseca libera, id est, ab homine.

2. *Secundo* metus quidam est cadens in virum constantem, & est timor magni mali, qui & iustus, probabilis & grauis appellatur, quidam verò est metus cadens in virum inconstantem, & vocatur timor iniustus, improbabilis, leuis & vanus: Vt autem metus cadat in constantem virum, desiderantur quinque conditiones. *Prima* est, vt malum quod timetur, graue sit in se consideratum. *Secunda*, vt æstimatio mali quod timetur, sit fortis. *Tertia*, vt metum incutiens potens sit minas executioni mandare. *Quarta*, vt metum incutiens minas exequi solitus sit in eodem genere mali comminati. *Quinto*, ne possit timens facilè occurrere malis quæ timentur: *Notandum* tamen est vt timor grauis dicatur, non requiri realem & veram pœnarum illationem, quia sic non timor sed damnum diceretur, vnde satis est timor probabilis proximæ illationis. *Bonacina de matrim.qu.3. punct.8.num.3. Sanchez de matrim.l.4.disp.1.nu.9.10.& seq Sylvest. v.metus qu.1.*

3. *Metus* cadens in constantem virum, est timor alicuius mali, quod viro constanti est formidabile: qualis est metus mortis, mutilationis, atrocis cruciatus, longi carceris, diuturni exilij, seruitutis, stupri in viro vel in fœmina, amissionis honorifici status amissionis omnium bonorum, vel certè notabilis partis, Infamiæ iuris vel etiam facti, quæ difficulter possit abtergi. *Cod. de his quæ metus. Cap.cum dilectus, de his quæ vi. & leg. nec timorem.ff.quod metus causa. Sanchez de matrimon.l.4.d.5. Lessius lib.2.cap.17.d.6.num.35.* Excommunicationis iniustæ secùs si iusta sit, hæc enim facilè potest cauere: sublata contumacia. *Præterea* etiam metus grauis dicitur, si hæc mala liberis nostris timeamus, vel parenti, vel vxori, vel fratri, sorori, vel alteri arctissimo amicitiæ vinculo nobis copulato. *Reginald.l.31.num.85. Valent. tom.4.d.10.q.3.p.2. Henriq.l.11.cap.9. Bonacina c.nu.6. Coninck disp.28.dub.2.n.m.33. Diana tr.5. misc.resol.20.part.3. Ad metum* quoque grauem pertinet metus reuerentialis, quo filius timet offensionem parentum, pupillus tutorum, subditus principis, vxor viri, monachus Abbatis, clericus Episcopi: præsertim si metus sit ingens & coniunctæ sint minæ, vel timor malæ tractationis, vel preces importunæ, vehementes scilicet & sæpius repetitæ. *Porro* ad iudicandum quinam sit metus cadens in constantem virum, & qui non cadens, relinquendum est arbitrio prudentis; nam metus non est pendendus & metiendus ex causa, ex qua nascitur, & ex natura rei, sed potiùs ex persona, cui incutitur: vnde metus dici potest respectiuè grauis qui est alicuius mali, quod etsi viro constanti non sit formidabile, tamen fœminæ, vel seni, vel puero, vel homini meticuloso formidandum merito videtur.

4. Gesta ex metu mortis excusantur à peccato, modò non sint ex obiecto & intrinsecè mala, & in odium & contemptum Religionis Christianæ non imperentur.

Proinde licet metu mortis, secluso homicidio in obsidione vesci carnibus humanis. Item licet celebrare missam sine altari, calice consecrato, vestibus sacris, modò vestes non sint valdè sordidæ, nec vas immundum sit. Item metu mortis licet matrimonium contrahere cum impedimento dirimenti, sine intentione tamen consummandi. Item metu mortis aut alterius nocumenti licet sacerdoti porrigere Eucharistiam peccatori occulto, in occulto tamen.

Item conficere sacramenta in materia dubia. Item cum vitæ discrimine quis non tenetur Eucharistiam, vel Baptismum suscipere, quoties moraliter certus sit de contritione. Plures casus inuenies apud Dianam, *par.3.tr.6.resol.48.* & 83. Sancium *in selectis disp.35.n.6.& sequent.& disp.44.n.12.*

De Metu. Vide *Actus humanus* 2. num. 5. *Contractus* num. 20. & seq. *Beneficium* 2.n.6.7.& 9.

MISSA I.

De ratione & essentia sacrificij Missæ.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit Missa?*
2. *Quid nomine sacrificij Missæ intelligatur?*
3. *Quæ sint partes essentiales sacrificij Missæ?*
4. *An requiratur rure diuino ad sacrificium Missæ vtriusque speciei panis & vini consecratio?* refertur duplex sententia.
5. *An oblatio sit de essentia sacrificij? & an contingat duplex oblatio in Missa?*
6. *An ad Missæ sacrificium requiratur consumptio, & immutatio victimæ oblatæ?* refertur duplex sententia.
7. *An sacrificium Missæ differat ab omnibus aliis sacrificijs.*

1. MIssæ nomen in iure canonico, Patribus item, atque Conciliis, accipitur pro missione, id est, dimissione Catechumenorum: Olim namque in fine Missæ, quæ dicebatur Catechumenorum, publica voce Diaconus clamabat: Ite Missa est, quib. verbis ab Ecclesia excludebantur Catechumeni Energumeni, Pœnitentes, quibus fas non erat consecrationi corporis & sanguinis Domini interesse: hinc cœpit vulgarium hominum vsu integrum Missæ sacrificium, Missa appellari, sumpto vocabulo à publicis illis verbis, quæ ad omnium adstantium aures perferebantur. Nunc verò nomine *Missæ* intelligitur *actio illa sacra, qua conficitur Christi corpus quod Deo in Missa offertur à sacerdote sumitur per communionem*: dicitur autem *Missa* à Latinis, quia per consecrationem Christus ad nos mittitur à patre, & per oblationem ac sumptionem à nobis remittitur ad patrē. A Græcis dicitur *Liturgia*, id est, publicum munus & ministerium sacrificij cruenti Christi. Ab Hebræis dicitur *Mincha*, id est, oblatio: hinc patet Missam esse sacrificium. *D. Thom.3.par. q.83.art.1. Azor.1.par.instit.moral.l.10.c.18.q.1.& 2. Durandus l.2.c.1.n.4.& 5.de ritibus Eccl.q.3.par.disp.221.c.1.nu.2. Toletus l.2.c.4. Sylvius 3.p. q.83.art.1.q.1.&*

2. No-

2. Nomine *sacrificij Missæ*, intelliguntur externa & sensibilis actio, qua res aliqua ita Deo offertur, vt legitimo ac solemni ritu à publico ministro in honorem Dei aliquo modo immutetur. Eius *formalis* ratio in iotema significatione posita est, tum respectu Dei, suprematæ videlicet eius excellentiæ, tum respectu hominis, subiectionis ad Deum. *Materialis* verò duo continet. *Primò*, rem quæ offertur. *Secundò*, actionem per quam offertur: illa per sacrificium immutari aliquo pacto debet & hæc talis esse, vt per eam immutari, vel conseruari illa possit. *Suar. de Eucha. d. 72. sect. 1. & 2. Reginald. l. 29. n. 145. Filliu. tr. 5. cap. 1. q. 5. Bonacina tom. 1. disp. 4. q. vlt. punct. 1.*

Cæterum, quo modo in mysterio Eucharistiæ sit mutatio ad essentialem sacrificij rationem necessaria: & omninò qualiter allata definitio illi conueniat, variè Catholici assignant sacrificalem hanc in Missa mutationem: sed omissis sententijs, probabilior existimat substantialem sacrificij Missæ mutationem in eo potissimum sitam esse, quòd Christus Dominus, qui naturaliter homo viuus est, cibo potuique inidoneus, nisi occidatur, in hoc sacramento quasi iterum mortuum accipiat esse, in quo iam tamquam occisus comedi, & sanguis eius possit potari, quod sacrificij veri rationem habet, quamuis non realis immolationis, quia immolatio ex vsu vocis dicit cruentam sacrificationem. Sed plura de his vide apud Malderum 2. 2. *tr.* 10. *c.* 3. *dub.* 1.

3. *Partes essentiales* sacrificij Missæ sunt *consecratio, oblatio, & consumptio*; quòd autem consecratio sit pars essentialis ex ipso nomine sacrificij patet, quod constitit in re sacra, seu rem sacram efficit, alioquin si consecratio non esset de essentia sacrificij, sequeretur quemlibet posse Missam celebrare & sacrificare, cùm non solùm sacerdotes, verùm etiam alij offerant & sumant Eucharistiam. Hinc quoties sacerdos frangit & sumit hostiam pridie consecratam, nec ipse aliam consecrat, non fit propriè sacrificium, cùm non adsit noua hostiæ consecratio: sicut fit sacrificium quando vnus sacerdos perficit Missam inchoatam ab altero, qui perijt post consecrationem, adest enim consecratio, & actio præcedentis coniungitur cum actione alterius, ita vt integretur & perficiatur vnum sacrificium: similiter quando sacerdos hostiam, quam in Missa consecrauit, reponit in sacrario, & ipse sumit hostiam ab alio consecratam: fit sacrificiù, adest enim consecratio, oblatio & sumptio. Vide Doctores citatos. *Azor. t. l. 10. c. 19 q. 1. Coninck qu. 83. art. 1 num. 36. Reginald. c. num. 146. Bonacina c. p. 2. Henriqu. l. 9. cap. 9. num. 1. Sylu. 3. part. quæst. 83. art. 1. qu. 2. concl. 4.*

4. *Duæ* sunt *opiniones*, an iure diuino ad sacrificium Missæ vtriusque speciei panis & vini consecratio requiratur: *vna* affirmat, ac proinde similiter docet authoritate Romani Pontificis fieri non posse, vt sacerdos in sola consecratione panis sine vino sacrificet, sic *Soto in 4. d. 9. qu. 1. art. 1. Sylueft. v. Eucharist. 1. qu. 5. Sylueſter c. qu. 3. Vasquez 3. p. d. 223. c. 3.* & quidam alij opinantur. *Altera* sententia ait vini consecrationem diuini iuris non esse, sed canonici dumtaxat: & ex Christi præcepto solum panis consecrationem requiri: Et cùm Romanus Pontifex possit ius canonicum remittere & relaxare, consequitur, inquiunt huius opinionis auctores, vt vbi vinum haberi, aut seruari nequit vllo modo, facultatem Pontifex ius canonicum relaxando, concedere queat, vt in sola consecratione panis sacrificetur. & huius sententiæ sunt. *Maior 4. d. 9. q. 3. ad 5. Adrianus 4. d. 9. qu. 6. Henriqu. c. n. 10. Nugnus qu. 84. art. 1. Azorius c. qu. 2.* Vtraque sententia est valdè probabilis, quia vtraque multorum & magnorum Theologorum authoritate fulcitur. Prima tamen est tenenda. Vt diximus *v. Eucharistia 1. n. 8.*

5. Quantùm ad *oblationem*, an sit de essentia sacrificij, non est dubitandum, quia non censetur sacrificium donec res offeratur: & proinde si sacerdos facta consecratione moriatur, tenetur alius sacerdos offerre & sumere vt integrum fiat sacrificium: *aduertendum* tamen, dupliceem oblationem in Missa contingere. *Prima* est, quando offertur panis vt fiat corpus Christi: & hæc oblatio nullo modo pertinet ad substantiam huius sacrificij, neque vt essentialis pars neque vt integralis, sed tantùm est cæremonialis quædam præparatio ab Ecclesia instituta, ad conciliandam deuotionem & reuerentiam, animosque fidelium excitandos ad mysterium ipsum peragendum. *Secunda* oblatio fit, quando post consecrationem offertur ipsum Christi corpus: hæc secundùm probabiliorem sententiam pertinet ad essentiam sacrificij, vt docent *Bonac. c. p. 2. n. 6. Henriq. Azor. Nugn. c.* Quidquid in contrarium dicant *Suar. tom. 3. d. spu. 75. sect. 3. Coninc. q. 83. art. 1. num. 96. Vide Sylu. c. concl. 4.* quorum tamen sententia est satis probabilis docens, oblationem essentialem in ipsa actione consecrationis siue immolationis compleri: quia illa dicitur essentialis oblatio, qua Christus ipse vius est cibus in victima cœna consecrauit: nulla autem alia reperitur oblatio à Christo facta, quam illa quæ verbis illis & operatiua ac consecratiua forma significatur.

6. Ad Missæ sacrificium requiritur *sacerdotalis sumptio*, non quatenus est qualitcumque vsus sacramenti, sed quatenus est perfecta consumptio & immutatio victimæ oblatæ: quia de ratione sacrificij generatim est, vt sacerdos sacrificans de victima oblata participet: imò de essentia sacrificij, & præsertim holocausti est, vt tota victima consumatur & realiter immutetur, sed hoc non fit in hoc sacrificio, nisi per sumptionem sacerdotis consecrantis vel alterius deficiente primo. Ita *Cabr. in can. sect. 26. Sot. 4. d. 13. qu. 1. art. 4. Bellarm. de Missa l. 1. c. vlt. Ledesm. 1. p. 4. qu. 23. art. 4. Multi* tamen Doctores satis probabiliter opinantur sumptionem sacerdotalem sacramenti Eucharistiæ non esse de essentia sacrificij, sed esse quid posterius, solumque pertinens ad perfectionem quasi exterinsecam talis mysterij totamque essentiam sacrificij in consecratione consistere: quia consecratio est sufficiens actio ad sacrificandum, & continet repræsentationem mortis Christi, est ergo sufficiens mactatio mystica, ergo in illa sola consistit essentia huius sacrificij, vt dictum est *Suarez, d. 75. sect. 5. D. Bonau. 4. d. 14. art. 1. q. 4. Maior 4. dist. 9. Vasqu. 3. par. disp. 222. c. 5. Sylu. c. quæst. 2. concl. 3.*

7. Hoc sacrificium Missæ differt toto genere ab omnibus sacrificijs, tum legis naturæ, tum Mosaicæ. Probat. quia alius est offerens, alia res oblata, alius modus offerendi, alius modus significandi, & inter illa vetera, erat sæpe distinctio specifica, aut etiam generica, vt inter holocausta, victimas pacificas, oblationem similæ, libationes, &c. Sacrificium Missæ differt à sacrificio crucis: quia ritus offerendi in quo essentialiter consistit sacrificium est valdè diuersus vt patet: nam in cruce fuit per veram mortem, in Missa per consecrationem; ibi cruentè, hic incruentè.

Missæ sacrificium differt accidentaliter à sacrificio quod Christus post cœnam obtulit non essentialiter. Quod non essentialiter probatur, quia conueniunt, non tantum in materia & termino oblationis, ac principali offerente, sed etiam in ritu externo, conamur enim nunc maximè exprimere eum ritum, quem Christus tunc seruauit. Quod autem differat accidentaliter. Probat. quia, secundùm Philosophos, actio quæ diuersis temporibus exercetur, numero saltem differt à præcedente, & consequenter certis accidentibus: sacrificiù autem in actione consistit, ergo. Tum quia differt in re obtata, nam in cœna fuit Christus mortalis, in Missa est immortalis. Tum quia illud cœnæ mortem Christi futuram, hoc autem præteritam. Hæ autem omnes differentiæ, vt patet efficiunt tantùm discrimen accidentale. Vide Suar. *tom. 3. in 3 p. disp. 76 sect. 1.*

MISSA II.

De effectibus & Valore Missæ.

SVMMARIVM.

1. *An Eucharistia sacrificium ex opere operato primam gratiã, & remissionem mortalium per se conferat?*
2. *An sacrificium Missæ per se & ex opere operato sine speciali actu suscipientis remittat culpam peccatorum venialium?* refertur duplex sententia. *Et an idem sacrificium ex opere operato conferat augmentum gratiæ?*
3. *An bona temporalia, per modum impetrationis possint aliquo modo esse effectus sacrificij Missæ?*
4. *An Missa sacrificium ex sua institutione habeat vim satisfactiuam & valeat ad remittendam ex opere operato partem temporalem pro peccatis debitam?*
5. *Quotuplex sit fructus Missæ?*
6. *An valor sacrificij Missæ quatenus offertur à sacerdote sit infinitus intensiuè vel extensiuè?*
7. *An effectus sacrificij Missæ respondens oblationi sacerdotis, qui medius nuncupatur vt sic finitus sit, & vnus tantum? & an quoad impetrationem sacrificium sit valoris infiniti? &c.*
8. *An Missa vt sacrificium est, valorem accipiat ex opere operato? & vt includit preces & orationes an valor Missæ respondens precibus sit ex opere operantis?*
9. *Quibus fructus sacrificij Missæ tribuatur?*
10. *An ad fructus Missæ recipiendos habitualis gratia requiratur*

& an liceat sacrificium offerre pro excommunicatis, pro infidelibus, paganis, & catechumenis? & an prosit beatis, vel damnatis? & quid fiat de fructu sacrificij, qui nulli applicatur, vel incapaci.

1. EVcharistia sacrificium, *primò* primam gratiam, & remissionem mortalium, non quidem ex opere operato, sed per modum impetrationis, & mediatè bonum motum in nobis excitando, per quem gratiam inueniamus in auxilio opportuno: non semper efficaciter, sed sufficienter ex parte sua & infallibiliter confert, præsertim si pro seipso quis offerat. *Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. 2. ex quo* patet sacrificium Missæ non conferre primam gratiam, & remissionē peccatorum per se & immediatè: quia sequeretur confessionem non esse simpliciter necessariam ad tollendum peccatum mortale commissum post baptismum, & non dici secundam post naufragium tabulam: *deinde* etiam patet auxilium, quod per sacrificium confertur ad eliciendum contritionis actum, non semper esse efficax, sed tantùm sufficiens: quia experientia constat peccatorem, pro quo sacrificium offertur aliquando non converti, neque specialiter moueri ad conuersionem: quamuis respectu eorum qui actualiter conuertuntur, & contritionis actum eliciunt, possit dici sacrificium efficax. *D. Thom. 4. d. 12. qu. 2. art. 2. Bonac. d. 4. qu. vlt. p. 3. Filliuc. tr. 5. num. 59. Henriq. lib. 9. c. 14. Azor. 1. p. lib. 10. ca. 20. Miranda 1. p. qu. 41. art. 8.*

2. *Sacrificium Missæ*, secundum probabiliorem sententiam *Suar. c. d. 79. sect. 5. Conink qu. 83. art. 1. d. 8. num. 135. Regin. l. 29. num. 111. Bonac. c. p. 3. num. 5. Filliuc. c. cap. 3. num. 62.* non remittit culpam, etiam peccatorum venialium per se, & ex opere operato, & sine speciali actu suscipientis: quia licet remissio pœnæ fieri possit, per solam extinctam condonationem, non tamen remissio culpæ etiam venialis, & sine infusione alicuius doni habitualis seu actualis, qua tollatur illa macula, quam peccatum veniale in anima delinquentis relinquit: vnde Missæ sacrificium, nec etiam augmentum gratiæ confert ex opere operato, quia omnis effectus ex opere operato fundatur in aliqua Christi promissione, qua id statuit, atque promisit, sed nulla talis promissio in scripturis facta legitur: ergo. *Probabilior* tamen est sententia, *Henriqu. l. 9. c. 13 Cordub. l. 1. q. 3. not. 4.* & aliorum asserentium, per sacrificium deleri peccata venialia, non solùm mediatè, verùm etiam immediatè, sicut per sacramentalia.

3. *Bona temporalia* possunt etiam aliquo modo esse effectus huius altissimi sacrificij: non quòd Missæ sacrificium præstet prædicta bona ex opere operato, sed tantùm per modum impetrationis: & proinde sacrificium appellatur impetratorium; quod patet ex vsu Ecclesiæ, quæ semper consuevit offerre hoc sacrificium, tam pro spiritualibus, quàm pro temporalibus obtinendis. *Azor. c. l. 10. c. 21. qu. 4. Suar. c. d. 79. sect. 7. Valent. tom. 4. d. 6. q. 11. p. 1. Filliuc. c. cap. 3. num. 71.*

4. *Missa sacrificium* ex directa institutione sua habet vim satisfactoriam, & valet ad remittendam ex opere operato aliquam pœnam temporalem debitam pro peccatis mortalibus, siue venialibus, & ob id dicitur satisfactorium, & in Concilio Tridentino habetur hoc sacrificium offerri pro vivorum peccatis & pœnis: sed hoc intelligendum est, quòd licet per hoc sacrificium ex opere operato pœna remittatur, at non semper tota, sed pauca quædam pro vnius cuiusque deuotione & dispositione: ille ergo reatus pœnæ aut pœnarum quæ remanet post prædictum effectum, ex opere operato remitti etiam potest per hoc sacrificium per modum impetrationis. *D. Thom. 3. par. qu. 79. art. 5. Suarez c. d. 79. sect. 6. Vasques 3. p. d. 228. cap. 4. Reginald l. 29. nu. 151. Bonacina c. p. 3. num. 7.* Ratio horum est, quia sacrificium crucis, quatenus erat actus externus offerebatur potissimùm in satisfactionem pro pœna peccatis nostris debita: nam meritum & compensatio iniuriæ Deo allatæ, per internos actus principaliter fiebant: ergo similiter nostrum sacrificium maximè respicit satisfactionem, cùm sit repræsentatiuum visibilis & externæ passionis Christi.

5. *Valor* seu *fructus Missæ* triplex est. *Primus* dicitur generalis, quem Ecclesia intendit applicari non solùm omnibus omninò fidelibus viuis & defunctis, verum etiam Summo Pontifici, Imperatori, Regi Episcopo, & alijs fidelibus, quorum meminit sacerdos in sacrificio, siue sint absentes, siue etiam præsentes, quem fructum quisque recipit maiorem aut minorem iuxta Christi determinationem, intentionem Ecclesiæ, & propriam vnius cuiusque cooperationem ad sacrificium. *Secundus fructus* seu *valor* est *specialis*, & est proprius ipsius sacerdotis, quem secundum sacerdos non tenetur, nec etiam potest ex sententia multorum Doctorum alteri applicare. *Tertius* est medius, quem alij appellant specialem: & hic competit ijs pro quibus sacerdos intendit sacrificium specialiter offerre, & applicare iuxta praxim Ecclesiæ. *Suarez c. d. 79. sect. 9. Valent. t. 4. d. 6. qu. 11. p. 1. Navarr. c. 25. num. 92. Vasquez 3. p. d. 231. c. 7. Miranda q. 41. art. 4. Azor. 1 par. l. 10. c. 20. q. 9. Fagundez præcept. 1. l. 3. c. 6. n. 4.*

Ritus triplex est sacrificij Missæ fructus: *Meritorius*, *Impetratorius* & *Satisfactorius*. *Meritorius* dicitur: quo celebrans vel Missæ assistens gradum aliquem specialem gratiæ & gloriæ sibi promeretur ex vi illius actionis. Hic autem fructus est personalis, & celebranti aut assistenti speciali assistentia tantùm cedit. *Impetratorius* fructus est: quo alicui bona salutaria impetrantur. *Satisfactorius* est: quo pœna peccatis debita, virtute huius sacrificij compensatur: & hi duo fructus posteriores alijs applicantur iuxta intentionem sacerdotis, qui pro aliquo vel aliquibus in Missæ sacrificio orat, vel portionem satisfactionum Christi in virtute oblationis corporis & sanguinis eius certo modo illis applicat.

6. *Valor* sacrificij, quatenus offertur à sacerdote, non est infinitus intensiuè. *Suarez disput. 79. sect. 12. Regnald. c. num. 152.* quia sequeretur vno sacrificio posse totum purgatorium exhauriri: si autem Missæ sacrificium consideretur quatenus continet Christum, certum est esse infiniti valoris. *Vasqu. 3 par. t. 3. d. 230. cap. 3. num. 9. Tolet. l. 1. cap. 6. num. 2. Reginald. l. 29. num. 157. Fagund. c. cap. 6. num. 8. Bonauent. 4. dist. 45. art. 2. qu. 3. Valor* autem generalis Missæ est infinitus extensiuè, id est, non tot prodest, quin possit prodesse pluribus; quia sequeretur quo plures sunt adiantes in Missa diminui valorem Missæ, & sacrificium minùs prodesse singulis quod non videtur admittendum. *Præterea* sequeretur Christianos detrimentum pati ex generali applicatione sacrificij crescente Christianorum numero, quibus Ecclesia intendit sacrificium secundùm ipsius generalem valorem applicari.

7. *Effectus sacrificij Missæ* respondens oblationi sacerdotis, qui medius nuncupatur, vt sic finitus est & vnus tantùm, vnde si pro multis offeratur, siue diuersis intentionibus specialibus, siue vna tantùm communi, vt pro populo & pro tota communitate, fructus eius minuetur in singulis, tanòque magis, quantò illi plures fuerint, supposita vniformi applicatione. *D. Thom. 3 par. qu. 79. art. 5. & in 4. d. 45. qu. 2. art. 4. quæstiuncul. 3 ad 2. Miranda qu. 41. art. 20. Suarez c. sect. 12. Bellarmin. tom. 2. l. b. 2. de Missa cap. 4.* quia si fructus, qui speciali modo competit sacerdoti, finitus est, ergo etiam videtur finitus fructus respondens oblationi vt sic, qui specialiter alteri offertur à sacerdote. & probatur hoc ex praxi Ecclesiæ, quæ cùm sit interpres institutionis Christi, offerre consuevit multas Missas ad eumdem rem obtinendam, & per hoc satis indicat valorem Missæ finitum esse. *Conink q. 83. art. 1. dub. 10. num. 187. Suarez c. sect. 12. Bonacina c. p. 1. num. 6. Filliucius tr. 5. cap. 3. in fine num. 91. Tamen* si spectemus sacrificium quoad impetrationem, præcisò merito & satisfactione iam dicta, dicendum erit esse valoris infiniti, secundùm se, quatenus Deus intuitu sacrificij potest plura & plura bona concedere, non tam vni quàm pluribus, cùm impetratio imitatur solùm diuinæ misericordiæ. Præterea si consideretur fructus, qui respondet offerentibus vt offerentes sunt, dicendum etiam videtur sacrificium esse valoris infiniti syncategorematicè & extensiuè, ita vt non minuatur quatenus cùm sacerdote offerunt, & suo modo concurrunt ad oblationem & sacrificium.

8. *Missa*, vt sacrificium est, valorem accipit ex opere operato. *Toletus lib. 2. cap. 8. Vasques 3. p. d. 229. cap 2. Grasijs 1. p. li. 2. cap. 45 num. 9. Counc. c. dub 7.* quia alioquin Missæ sacrificium non differret à sacrificijs veteris legis; quæ producebant effectū ex opere operantis: si tamen Missa consideretur quatenus includit preces & orationes, valor Missæ respondens precibus, & orationibus est ex opere operantis, quia confertur iuxta merita & dispositionem recipientis: *Miranda qu. 41. artic. 14. Valent. c. p. 1. §. 15. Sotus 4. d. 13. qu. 2. art. 1.* Vnde hoc sacrificium prodest omnibus fidelibus ex opere operato, vltra illorum meritum & dispositionem, non tamen omnes fideles æqualiter participant fructum sacrificij, sed inæqualiter iuxta maiorem dispositionem illius pro quo offertur, & iuxta maiorem, vel minorem cooperationem ad sacrificium.

9. *Fructus sacrificij Missæ* tribuuntur: *Primò* ministris offerentibus. *Secundò* alijs fidelibus cooperantibus ad sacrificium. *Tertiò* toti Ecclesiæ vt probabile est. *Quartò* denique ijs pro quibus sacrificium offertur. *Toletus l. 2. c. 7. Filliar. 5. c. 7. qu. 6. & ipse*

qui-

quidem sacerdos duplicem *fructum* refert, præcipuè satisfactionis, qui ex opere operato conferitur; *alterum* vt publicus minister est, *alterum* vt priuatus offerens, quem tamen, nisi iustus sit, haud recipit. *Is vero* pro quo offertur, vnum tantum accipit, satisfactionis, quam sacerdos, vt publicus minister est, ipsi confert. *Demum* priuati offerentes satisfactionum suarum partem offerre non possunt, quia personalis est, etli probabile sit, ex charitate posse sicut alias satisfactiones proprias, *Coninba lib.1. qu.3. Henriqu.l.9.cap.18 num.7.*

10. Ad *fructus Missæ* recipiendos habitualis gratia requiritur, & viatoris status, qui tamen etiam existentibus in purgatorio conuenit, cum quoad pœnarum remissionem adhuc in via censentur esse. *Filliucius c.cap.3.qu.8. Bellarmin. de missa l.2.cap. 6. Suar.d.78.sect.3. Miranda c.qu.41.art.18.* Et patet ex vsu Ecclesiæ, quæ pro defunctis offerre consueuit Missæ sacrificium: *Sa v. Missa num.40. Conuc. qu.85. art.1. dub.9. Probibet* tamen Ecclesia sacrificium offerre pro excommunicatis; *pro infidelibus* autem, & paganis potest offerri vt conuertantur; sicut & pro Catechumenis. *Benacuna c.p.5.num.5. Suar.l.3. disputat.79. sect.10. Notandum* autem est, sacrificium Missæ non prodesse illi, cui applicatus fuit sacrificij fructus, sed illi non profuit propter obicem peccati vel excommunicationis, sublato obice: quia sacrificium oblatum pro iusto tunc temporis non indigente satisfactione non impeditur nec conseruatur donec indigerit, ergo multò minus suspenditur, vel conseruatur pro peccatore.

Sed petes, quid fiat de fructu sacrificij, qui nulli applicatur vel incapaci? Respond. reponi in thesauro Ecclesiæ, vt prosit fidelibus in communi: quamquam rarus est, qui non habeat virtualem intentionem sibi vel amicis, quibus deuinctus est, fructum illum applicandi: nam vnusquisque bene instructus censetur priùs vel de facto satisfacere suis obligationibus, quibus tenetur. In praxi tamen tutius est, actualiter applicare, ac propterea cum dubitamus, an is, pro quo offerimus sit capax, consultum est, vel nobis, vel alteri sub conditione applicare, quam vocant illam secundæ, aut tertiæ intentionis: ver.gr. Si Paulus capax non est, prosit Petro: si nec is, Ioanni &c. Vide Suarez hic citatum *disput.79. sect.10. in fine. Regin.lib.29. num.155. Suar. tom.3.d.79.sect.10. Henriq. lib. 9.cap.14. num.2. Mirand.quæst. 41. art.5. Beatis* non prodest sacrificium, nisi quatenus per ipsum coluntur & honorantur: Missa verò dicitur de aliquo Sancto, vt de Sancto Petro, Paulo, vt inuocetur, colatur, & honoretur specialiter, & ad gaudium quoddam accidentale, quatenus Sanctus gaudet honore, qui in sui memoriam Deo exhibetur. *Azor.1.part.lib.10.cap.12. quæst.7. Bellarmin. lib.2.de missa cap.6. Similiter* damnatis in inferno existentibus non prodest Missa, quia in inferno nulla est redemptio: vnde non est offerenda Missa pro eo, quem constaret mortuum esse in notorio peccato mortali: vnde probabilius est, friuolam esse historiam de capite mortui, qui Sancto Machario locutus est, & de anima Traiani Imperatoris precibus S. Gregorij ex inferno liberata, vt sentiunt Melchior Canus, Sotus, Bellarminus *lib.2. de purgatorio cap.8.* Baronius *tom.8.* quamquam alij defendant tamquam aliquid extraordinarium. *Paruulis* verò ex hac vita decedentibus cum solo peccato originali, sacrificium Missæ etiam non prodest, neque etiam si decedunt ante rationis vsum post baptismum, nam statim euolant in cœlum.

MISSA III.

De ministro sacrificij Missæ, & eius obligationibus.

SVMMARIVM.

1. *Quis sit minister proprius sacrificij Missæ? & an missa sacerdotis existentis in peccato mortali tantùm valeat, quantum probi & iusti?*
2. *An sacerdos qui stipendium accepit pro missa celebratione, satisfaciat missam celebrando in peccato mortali, vel in excommunicatione?*
3. *An prosit alijs missa sacerdotis ligati excommunicatione occulta, vel suspensione, vel irregularitate? & an talis peccet mortaliter celebrando ad euitandam grauem infamiam, vel mortis periculum, &c.*
4. *An sacerdos teneatur quotidie celebrare? & quando ad id tenetur Parochus: obligeturque ad applicationem sacrificij pro populo?* refertur duplex sententia.
5. *An sacerdos legitimè non impeditus mortaliter peccet si numquam celebret toto anno?* refertur duplex sententia.
6. *An Beneficiarius seu Capellanus teneatur iuxta institutionem capellaniæ & intentionem fundatoris missas celebrare? & an obligetur ad quotidie sub mortali celebrandum, si capellania instituta sit ad celebrandum quotidie?*
7. *An in Ecclesijs cathedralibus, conuentualibus & collegiatis sit obligatio quotidie celebrandi? Et an Ecclesiæ regularium sint collegiatæ.*
   An feria quinta in cœna Domini, In die parasceues, & Sabbato Sancto possint dici missæ.
8. *An capellanus qui tenetur missas celebrare, possit per alium supplere? & an qui per seipsum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, possit missas in aliud tempus differre ob impedimentum?*
9. *An sacerdos accipiens à pluribus plura stipendia pro missæ celebratione, possit vnica missa omnibus satisfacere? si stipendia simul sumpta non excedant quantitatem necessariam ad strictam ipsius sacerdotis sustentationem pro vnico die?* refertur duplex sententia.
10. *An sacerdos, qui tenuem eleemosynam accipit pro missa, vel missis celebrandis, teneatur totum sacrificij valorem respondentem tradentibus eleemosynas applicare? & an possit numerum missarum minuere?*
11. *An qui tenetur quotidie missam celebrare ratione Capellaniæ aut eleemosynæ acceptæ aut canonicatûs satisfaciat suo oneri, dum missam capitularem seu conuentualem cantat?*
    Et an missa conuentualis possit pro quocumque applicari per Prælatum.
12. *An Capellanus teneatur quotidie missam applicare fundatori, si constet de quotidiana obligatione? & an sacerdos teneatur missa valorem applicare iuxta intentionem illius qui tradidit eleemosynam?*
13. *An qui tenetur missam quotidie celebrare, possit semel in hebdomada vtulo honestatis à celebratione abstinere? & an teneatur tunc per alium supplere?*
14. *An qui ex promissione vel ex fundatione tenetur celebrare certas & peculiares missas v.gr. de Spiritu Sancto, de Beata, vel de Requiem, peccet si aliam missam ex iusta causa celebret?*
    Et an in altari priuilegiato pro defunctis satisfaciat si quis celebret missam, quæ non sit de Requiem. Adducuntur hic quædam Declarat. S. Congreg. circa missas.
    An sacerdos obligatus celebrare in altari priuilegiato pro defunctis, satisfaciat obligationi celebrando in alio altari, & applicando indulgentiam plenariam quam assequitur in virtute coronæ, vel medaliæ benedictæ?
15. *An Prælatus regularis præcipere possit suo religioso, vt ad intentionem suam missæ sacrificium applicet.*
    Et an si sacerdos regularis applicet missas contra intentionem superioris valeat talis applicatio. Et quid si præcipiat superior dici alias preces?

1. *Minister proprius* ex officio sacrificij Missæ est *Sacerdos? Cap. Firmiter de summ. Trin. Suar.d.72.sect.4. Regin.l.29.n.56.* Quia ille solus est minister consecrationis, quæ vna est ex præcipuis partibus sacrificij: hic autem sacerdos vt ritè officio suo fungatur, debet habere intentionem celebrandi, & præterea fidem & gratiam: cùm sit minister consecratus, & deputatus ad hoc. *D.Th.3.p.qu.82.art.6 Nauar.c.25.nu.79. Tolet. l.2.c.8.* Nihilominus si sacrificium offeratur à sacerdote existente in peccato mortali: prodest & habet suum fructum quatenus nomine Christi & Ecclesiæ offertur: quia fructus qui respondet sacrificio ex institutione Christi & meritis Ecclesiæ, non potest impediri, vel minui per improbitatem sacerdotis, cùm huiusmodi fructus conferatur ex opere operato: si verò sacrificium consideretur secundùm merita ipsius sacerdotis: minùs valet, si offeratur ab improbo, quàm probo & iusto, nam Deus magis iustos, quàm improbos exaudit.

Notandum tamen hic est *primò*, quòd Christus Dominus principaliter etiam nunc offert hoc sacrificium. Probatur, tum quia constat ex scripturis ipsum esse sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, & quidem in æternum: atqui non esset talis sacerdos, nisi vsque ad finem sæculi per suos ministros sacrificaret sub speciebus panis & vini. Tum quia Apo-

solus *ad Hebræos 7.* hanc differentiam constituit inter vetus testamentum & nouum, quòd in illo plures essent sacerdotes, in hoc autem vnus tantùm, ergo necessarium est, vt principaliter adhuc exerceat munus sacerdotis, applicans fructum vnici illius sacrificij, quod semel obtulit in cruce. Hinc Concilium Tridentinum *sess. 22. cap. 2.* definit, quod *vna eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa?* Et sic patet, cur hoc sacrificium semper sit Deo acceptissimum. *Malachiæ 1.* etiamsi ab iniquo ministro offeratur.

Nota *secundò*, quòd, licet omnis & solus sacerdos ritè ordinatus proprius minister Christi Domini sit, tamquam instrumentum principaliter sacrificantis, populus tamen Christianus suo modo offert Missæ sacrificium. Est tententia communis, quæ probatur ex Canone, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, & infra, *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ &c.* Ratio est, quia sacrificium est cultus communis, & publicus conueniens aliquo modo toti populo, cùm sit iuris naturalis, ergo populus saltem per sacerdotem censebitur etiam sacrificare, idque vel generali quadam denominatione, vel speciali; generali, quia totum corpus Ecclesiæ, per sacerdotem, tamquam per membrum sacrificat, ergo & quilibet qui est in Ecclesia, censebitur offerre, quia est membrum eius. Speciali, vel quia ministrat sacerdoti præsertim solemniter, vel quia dat stipendium, vel quia assistit sacrificio, conformando suam intentionem, & deuotionem intentioni & precibus sacerdotis &c. Sed de his plura apud *Suar. tom. 3. d. 77. sect. 1 2. & 3. Filliuc. tract. 5. cap. D. Tho. 3 par. qu. 83. artic. 1. ad 3.*

2. *Sacerdos*, qui stipendium accepit pro Missæ celebratione: satisfacit Missam celebrando in peccato mortali. *D. Thom. q. 82. art. 6. Valent. tom. 4. d. 6. quæst. 1. p. 5. Azor. 1. par. lib. 10. cap. 21. quæst. 5.* Quia applicat illum fructum seu illam partialem portionem satisfactionis quam tenetur tamquam minister publicus applicare: Missa tamen huius mali sacerdotis pro se offerentis nullo modo ipsimet sacerdoti prodest, quia ponit obicem ad fructum sacrificij, sibique iudicium manducat & bibit. *Si autem* sacerdos offerens sacrificium sit excommunicatus, toleratus tamen, nec vitandus sacrificium prodest non solùm quatenus sit nomine Christi, verùm etiam quatenus sit in persona Ecclesiæ, licèt prædictus sacerdos grauiter peccet sponte se ingerendo diuinis: si verò Missæ sacrificium fiat ab excommunicato vitando, non prodest quoad valorem, quem habet sacrificium ex parte Ecclesiæ, cùm Ecclesia non toleret huiusmodi sacerdotem, nec velit per illum orare; quoad valorem verò quem habet sacrificium ex virtute Christi prodest, nam hic valor & fructus non impeditur per indignitatem ministri, cùm ab ipso non proueniat, sed à Christo. *Henriqu. lib 9. cap. 6. num. 18. Suar. tom. 3. d. 11. sect. 2. num. 11. Azor. 1. cap. 21. qu. 6. Sot. 4. d. 13. qu. 1. art. 7. & 8. Bonac. d. 4. q. vlt. p. 6. num. 7.*

3. *Missa* sacerdotis ligati excommunicatione occulta, vel suspensione, vel irregularitate, non solùm prodest alijs, verùm etiam talis sacerdos excusari potest à peccato, quoties alioquin incurreret grauem infamiam, vel mortis periculum, vel aliud graue detrimentum non celebrando, vel non communicando, quia excommunicatus priuatur celebratione, & sumptione sacramentorum ex præcepto Ecclesiæ. Ecclesia autem non videtur obligare cum tanto incommodo. *Henriqu. lib. 9. cap. 18. num. 2. Nauarrus. cap. 27. numero 139. Azor. 1. part. lib. 10. capit. 31. quæst. 6.*

4. *Nullus sacerdos* tenetur quotidie celebrare, *Cap. quotidie, de cons. 2. Filliuc. trac. 5. cap. 4. qu. 3.* Quia quotidiana celebratio in præcepto non est, sed in consilio, & ex se melior; aliquando tamen nedum absque peccato, sed etiam cum merito intermitti potest. *Nauar. cap. 25. num. 135. Vasqu. 3. par. d. 231. cap. 1. num. 1. Diana de celebr. miss. par. resol. 26. p. 2.* *Sacerdos* verò curam animarum habens tenetur per se vel per alium celebrare saltem singulis diebus, quibus populus tenetur Missam audire, vt diebus festiuis & Dominicis. Tamen secundùm plurimorum Doctorum sententiam, non videtur Parochus obligandus ad applicationem sacrificij pro populo singulis prædictis diebus, nam obligatio ad celebrandum & obligatio ad applicandum fructum sacrificij, videntur obligationes diuersæ: cum a iuris obligari possit ad celebrationem, quamuis non obligetur ad applicationem. Ita *Suar. disput. 86. sect. 1. Vasq. c. d. 234. art. 6. cap. 4. Reginald. lib. 23. num. 238. Comit. qu. 83. artic. 1. dub. 11. Sylu. 3. parte quæst. 83. art. 1. quæst. 17.* Quamuis multi, quos tacito nomine refert Suarez, sentiant Parochum teneri singulis diebus festis Missæ sacrificium suis oribus applicare: verum in hac controuersia dicendum videtur, parochum præcisa alia constitutione teneri in præcipuis solemnitatibus Domini, & diebus dominicis, aut saltem semel in hebdomada sacrificium suo populo applicare. Vt docet *Bonacina de missæ sacrificium d. 4. quæst. vltim. p. 7. num. 7.*

5. Secundùm probabiliorem, & in praxi securiorem Doctorum *D. Thom. 3. par. quæst. 82. art. 10. Filliuc. tract. 5. cap. 4. qu. 1. Nauar. cap. 25. num. 88. Mirand. 1. par. qu. 40. art. 7. Vide Diana tract. resolut. 9. sacerdos* legitimè non impeditus mortaliter peccat, si nunquam celebret toto anno, quia quantum est ex parte sua, facit vt in vanum receperit gratiam Dei, & dat occasionem scandali & ruinæ, cùm ingerat suspicionem praui conscientiæ, & secundùm hoc vt simplex sacerdos in peccatum mortale non incidat, debet aliquoties in anno celebrare, saltem diebus festis præcipuis, vt ter aut quater in anno, modò reliquis diebus festis Missam audiat: *D. Bonauent. d. 12. qu. 2. artic. 2. Sanch. in select. disput. 7. num. 16. Victoria de missa. 94.* Nonnulli tamen Doctores opinantur sacerdotem simplicem, nullo detentum impedimento, non peccare mortaliter non celebrando, modò communicet in Paschate, nec adsit scandalum vel contemptus.

Sed prima sententia est tenenda, quæ efficaciter probari potest ex Concil. Tridentin. *sessio. 22. cap. 1.* docens quod Christus *Corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem*, Dum igitur Concilium affirmat, per hæc verba, *Hoc facite in meam commemorationem*: Christum præcepisse Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, vt hoc sacrificium offerrent, comprehendit sub hoc præcepto omnes etiam simplices sacerdotes, cum etiam simplices sacerdotes, in munere, & officio sacerdotali succedant Apostolis. Et in hoc sensu verba Concilij intellexit Catechismus Romanus. Imò Pius V. qui fuit immediatus executor Concilij Tridentini in eodem sensu hæc verba Concilij intellexit, dum oppositam sententiam *Caietani* abradi iussit ex commentarijs D. Thomæ 3. *par. quæst. 82. artic. 10.* Tum quia sacerdos non legitimè impeditus omittens celebrare, quantum in ipso est priuat Sanctam Trinitatem laude & gloria, Angelos lætitia, peccatores venia, iustos spirituali subsidio, & gratia, existentes in purgatorio refrigerio, Ecclesiam spirituali beneficio, seipsum medicina & remedio. Ita Beda, quem refert Gabriel *in canon. lect. 87.* Et quamuis ex Sanctis aliqui a celebratione Missæ semper abstinuerint ob reuerentiam Sacramenti, non ob id imitandi sunt à sacerdotibus: quia plurima Spiritus Sancti instinctu operati sunt Sancti *præter* communem legem, qui si deficiat, lex communis sequenda est, & non est fingendum faci è Spiritus Sancti instinctum pro nonquam celebrando adesse: è contra plures ex Sanctis quotidie celebrarunt, & non est maior ratio quare non celebrantes, quàm celebrantes sint imitandi.

Ex quibus infertur excusari authores, qui oppositam sententiam ante Concilium docuerint. Nam ante explicationem Concilij non poterat hoc præceptum obligare, cùm non expressè contineatur in verbis Christi, vnde necessaria fuit Concilij explicatio, vt tale præceptum obligaret. Mirum est autem quod aliqui Doctores, qui scripserunt post Concilium, illudque videre atque expendere debuissent, oppositum mordicus doceant. Vt bene aduertit Amicus *tom. 7. disp. 33. sect. 9.*

6. *Beneficiarius* seu cappellanus tenetur iuxta institutionem cappellaniæ, & intentionem fundatoris Missas celebrare. *Rodriqu. cap. 249. Filiucius tract. 1. 5. cap. 6. num. 173. Reginald. lib. 29. num. 166.* Vnde si cappellania instituta sit ad celebrandum quotidie: tenetur quotidie sub mortali celebrare, nisi iusta de causa, vel ob legitimum impedimentum Missam omittat. *Henriqu. lib. 9. cap. 24. num. 4. Nauarr. cap. 25. num. 135. Sylu. c. art. 2. Tamburinus tom. 2. disput. 5. quæst 9. Bonac. c. p. 7. num. 6. Diana cit. resolut. 28.* Aliquando enim potest Missæ sacrum prætermittere absque peccato, puta ob infirmitatem, vel ob grauia negotia, aut ob honestatem & decentiam: nam onus celebrandi quotidie, intelligitur salua honestate, decentia & deuotione habita: Imò iam viu receptum est vt sacerdos, qui tenetur onere cappellaniæ quotidianæ, possit semel in hebdomada sacrum prætermittere ratione honestatis.

7. In Ecclesijs Cathedralibus, Conuentualibus, & Collegia-

giatis, Ecclesiasticum est præceptum, vt quotidie saltem vna Missa celebretur, dempta feria sexta Parasceues: quod tamen intelligendum est, si sit conueniens numerus sacerdotum: Aliàs enim si conuentus sit exiguus, aut numerus sacerdotum, tum semel, aut iterum in hebdomada intermittere, vel nullum, vel saltem non mortale peccatum foret: Vt docent *Suar. tom. 3. disput. 80. sect. 2. Soius in 4. dist. 13. q. 2. art. 2. Rodrig. tom. 1. q. reg. qu. 43. art. 14. Layman l. 5. tr. 5. cap. 3. num. 5. Diana p. 2. tr. 14. resol. 76. Fagund. l. 3. precept. 1. cap. 15. nu. 9.* Hæc obligatio colligitur tam ex *cap. cùm creatura de celebrat. Missarum*: tum ex vsu Ecclesiæ habente vim legis: vnde si omitteretur, fieret cum scandalo: & eius omissio erit mortalis, nisi adsit iusta excusationis causa. Per se autem hæc obligatio est Rectorum eiusmodi Ecclesiarum, quia tenentur saltem curare, vt non desit quotidianum sacrificium, hoc enim est vnum ex muneribus, propter quod à fidelibus aluntur.

Sed rogabis, an aliquando in prædictis Ecclesijs sit obligatio dicendi duas Missas, vnam de festo, alteram de feria? Respondet *Gauantus in comment. ad rubric. missalis tom. 1. p. 3. tit. 11. num. 7.* & 11. noui præscribentem, vt in ferijs Quadragesimæ, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigiliarum, si in eis occurrat festum duplex, vel semiduplex, vel Octaua, in Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis cantentur duæ Missæ, esse de re grauissima. & proinde obligatoriam ad mortale: & ita asserit, declarasse Sacram Rituum Congregationem: cuius declarationis verba refert *Diana* suprà citatus.

Dubium autem est, an Ecclesiæ regularium sint Collegiatæ, & in prædicta Rubrica comprehendantur? Responsio est negatiua. Tum quia, in odiosis nomine Ecclesiasticorum, regulares minimè comprehenduntur: ita nomine Ecclesiarum Collegiatarum in hoc onere monasteria minimè veniunt. Tum quia Ecclesiæ Regularium appellantur propriè Conuentuales ab *Innocentio IV.* in bulla *Cum tamquam veri & fidele*; ad differentiam Collegiatarum, quæ sunt propriè Canonicorum. Ita *Rodrig. t. 1. qq. reg. qu. 43. art. 12. Diana p. 2. trac. 14. resolut. 76. Villalob. tom. 1. trac. 8. differ. 19. num. 4. Gauantus c. m. 12. Leyana tom. 4. sum. v. missa num. 49.* qui nouissimus probabile putat sufficere, quòd in Ecclesijs Regularium vna dictarum Missarum cantetur, & alia recitetur. Quia nec decreta S. Congregationis aliud petunt, nec id est in praxi receptum.

Feria quinta in cœna Domini vna tantùm Missa publicè à primario sacerdote celebrari solet, & in hac Missa fit communio cleri, in memoriam, quod Christus communicauit Apostolos. *Cap. in Cœna, de consecrat. dist. 2.* Priuatim tamen aliæ etiam Missæ dici possunt, matutino tempore, vbi talis vigeret consuetudo: & hoc antequam finiatur Missa solemnis, & recondatur Christi corpus; quia immediatè post incipit dies Parasceues. Ratio est, quia nulla lex id prohibet, vt ex communi docent. *Sotus 4. dist. 13. qu. 2. art. 2. Nauarr. cap. 25. num. 88. Suar. disp. 80. sect. 2. Sylueir 3. par. qu. 83. art. 2. qu. 3. Fagund. precept. 1. l. 3. cap. 15. num. 14.*

In die Parasceues hoc est, feria sexta hebdomadæ sanctæ, nullus sacerdos veram & propriam Missam celebrare licitè potest faciendo nimirum consecrationem, sine qua nulla est propriè Missa. Ita communiter Doctores cum *D. Thoma 3. par. qu. 83. art. 2. ad 2. ex cap. Sabbato de consec. dist. 3.* docent, addendo esse peccatum mortale, hanc antiquissimam Ecclesiæ traditionem, in re tam graui violare. Ratio est, quia cum eo die peracta sit passio Christi, cessare debet Missa, quæ est figura & memoriale passionis. Non est tamen prohibitum eo die communicare, laicorum more: quia hæc prohibitio neque ex scripto iure, neque consuetudine colligitur. Vide *Suar. d. 80. sect. 2. Laym. lib. 5. tr. 5. c. 14. n. 7. Sylueir c. art. 2. quæst. 1. Azor. tom. 1. l. 10. c. 24. qu. 3. Fill. tr. 5 c. 4. num. 106. Sanc. in select. disp. 22 num. 20.*

Sabbato sancto vna tantùm Missa publicè celebranda est: priuatim autem, quamuis probabile sit licitum esse cuiuis sacerdoti Missam celebrare, idque practicè tutum sit facere, maximè quando adest iusta causa, & intercedit licentia Superioris, & post inchoatum saltem solemne sacrificium Paschalis officij: Consultius tamen est omittere. Prior pars patet, tum ex authoritate Doctorum. *Suar. d. 80. sec. 2. in fine. Sylu. 3. par. qu. 83. art. 2. quæst. 2. Layman l. 5. tr. 5. cap. 4. num. 3. Sotus 4 dist. 13 qu. 2 art. 2. Comitck quæst. 83. artic. 2. dub. 2. Gutierez l. 1 qq. canon. cap. 30. num. 36.* qui ita sentiunt, & aliorum præterea Doctorum & proborum virorum, qui hoc in praxi obseruant: tum quia id nullo iure prohibeatur: Capitulum enim *Sabbato dist. 3. de consecrat.* prohibens omnem Missæ celebrationem ipso die Sabbati Sancti & Parasceues, iam per contrariam consuetudinem est abrogatum quoad solemnem Missam in Sabbato Sancto, vt est manifestum; & cùm non adducatur alia Ecclesiæ constitutio, quæ solemnem missam permittens, inhibeat reliquas; non apparet quare sit dicendum reliquas esse prohibitas.

Secunda pars assertionis ex eo patet; quòd multi etiam docti viri etiamnum contrarium sentiant & religiosè obseruant. cum *Nauar. in man. cap. 25. num. 88. Francolinus de horis canon. c. 30. Gauantus Comment. in Rubr. Missal. par. 4. tit. 10. num. 43. & seq. Azor. tom. 1. l. 10. cap. 24. quæst. 4.* quia non satis certò constat prædictum caput *Sabbato*; per consuetudinem quoad priuatas Missas fuisse & esse abrogatum; quandoquidem maxima pars sacerdotum hactenus à priuatis Missis abstinent. Non est ergo, ait *Azor.* cur vnus sacerdos non consentiat cum alijs, qui à sacrificando cessant; non est cur consuetudinem receptam non seruet; non est, cur alios offendat.

8. *Capellanus* qui tenetur Missas celebrare, potest per alium supplere, quoties non constat, fundatorem voluisse obligare capellanum ad Missæ celebrationem per seipsum & non per aliũ: *Emanuel Sá v. Beneficium num. 28.* quia qui per alium facit, per seipsum facere censetur. *Azor. 1. par. l. 10. cap. 24. quæst. 7.* Imò qui per alium satisfecit cùm ipse nondum esset sacerdos, licet peccauerit recipiendo beneficium, cuius onus non poterat ipse persoluere, non tenetur tamen ad restitutionem, quia tantum exhibuit per alium celebrando, quantum per seipsum exhibuisset. *P. Nauar. de restit. l. 2. cap. 2. num. 32. Rodrig. cap. 251. Præterea* ille qui per seipsum tenetur aliquibus diebus in hebdomada celebrare, ob impedimentum Missa differre potest in aliud tempus: possuntque Missæ à Titio celebrandæ, ab alio celebrari, Titio ignorante. Vide *Dianam cit. resol. 18.*

9. *Nonnulli Doctores* putant sacerdotem accipientem à pluribus plura stipendia pro Missæ celebratione, posse vnica Missa omnibus satisfacere, saltem si stipendia simul sumpta non excedant quantitatem necessariam ad strictam ipsius sacerdotis sustentationem pro vnico die; quia qui altari seruit de altari viuere debet, sed eleemosyna ab vno accepta non sufficit ad victum, ergo sacerdos potest nouam eleemosynam ab alio accipere, illique sacrificium applicare, ita *Henriquez l. 7. cap. 22. num. 4. Rodriquez cap. 251. num. 4. Sotus l. 9. quæst. 3. artic. 1. Angelus v. Missa num. 52. Suar. d. 86. sect. 2. & 3. Miranda quæst. 41. artic. 23. Vasquez 3. par. d. 234. cap. 4. Toletus lib. 2. cap. 8. num. 3. Nauar. cap. 25. num. 2. Diana tr. de celebrat. miss. resolut. 8. p. 2.*

Contrarium tamen in praxi omninò sustinendum videtur cum communi sententia: quia non stat promissis, qui plures pro eadem Missa recipit stipes, inscijs offerentibus, facit enim contra voluntatem ipsorum offerentium: & qui contrariam sequitur opinionem, non modicam animis hominum ingerit sordidæ cupiditatis & auaritiæ suspicionem, contrariamque opinionem scandalum inter populares excitasse testantur multi Doctores. Et modò prior sententia corruit propter decretum Sacræ Congregationis in contrarium: vt videbitur infrà. *Missa VII.*

Si enim in Mechanicis artibus, & inter terrenarum rerum mercatores tota veritas, & sinceritas obseruatur: & in legibus ciuilibus quæcumque fraus, & quodcumque præiudiciale mendacium punitur, quæ veritas in Christiano Sacerdote requirenda, qui est magister Euangelicæ veritatis? Tum quia in re graui contra promissionem agere, est peccatum mortale; at non dicere tot Missas pro tot stipendijs, Missas exquirentibus promissas, est contra promissionem, fidem, iustitiam, & charitatem: quia Sacerdos pluribus Missis obligatus, & prætermissis, Deo honorem non defert & cultum; & eum, qui multis stipendijs datis Missas exquisiuit iniustè priuat notabili fructu spirituali, satisfactionis videlicet, ac impetrationis, quem intendit sibi, & alijs, præcipuè defunctis, qui grauissimis pœnis afficiuntur, procurare: maximè si is, cui facta est promissio, testamento, voto, pœnitentia, debebat eas Missas facere celebrari: ergo Sacerdos, qui pluribus Missis pro Missis, vna tantummodo Missa vult satisfacere, mortaliter peccat. De his plura apud *Fraxinellum de sacerd. obligat. sect 4. conclus. 3. numero primo. Petrus Nauarra de restitut. libro secundo cap. secundo num. 381*

10. *Sacerdos* qui tenuem eleemosynam accipit, verbi gratia, quinque assium pro Missa, vel Missis celebrandis, tenetur totum sacrificij valorem respondentem tradentibus eleemosynas applicare, nec potest numerum Missarum minuere, aut eleemosynam ab alijs extorquere saltem, quando omninò voluntariè

contentus fuit illo stipendio & expresè promisit se Missam vel tot Missas celebraturum. Ita *Suarez d.86.sect.4. Coninck qu.83. artic.1.a.10.num.193. Henriquez li.9.cap.22. num.5. Vasq. 3.p. qu.83.d.234.cap.3, Bonacina c.p.7.§.2.num.8.* quia tenetur stare promissis & conuentioni; promisit autem Missæ valorem, & non partem tantum, sacerdos autem debet ubi fuerque imprudentiæ incommodum imputare ob exiguam eleemosynam, nam censetur cessisse iuri suo, quo poterat eleemosynam exigere iuxta taxam. *Aliqui* tamen Doctores putant sacerdotem, quando nihil promisit nec expressit, posse à diuersis tot parua stipendia exigere quæ respondeant debitæ eleemosynæ, & vno tacito omnibus satisfacere, aut posse minuere numerum Missarum: ita *Azor. 1 par.lib.12.cap.6.qu.4. Reginald.l.23. num.* 234 & hæc sententia posset habere locum in loco vbi est assignatum stipendium pro celebranda Missa, & in casu quo pauper sacerdos nihil habet vnde viuat, nisi ex Missa. Ratio est, quia qui minus tenuia stipendij dat, & pro eo Missam celebrari pro se solo postulat, rem iniustam postulat, vnde sacerdos paupertate coactus potest se indemnem seruare. Sicut famulus, aut operarius cui condigna merces non tribuitur, potest damnum suum quò melius, otuerit resarcire, etiamsi in principio ob paupertatem coactus sit pacisci pro iniusto & inæquali stipendio: Et similiter qui ob necessitatem cogitur triticum emere iniusto pretio, potest tunc iniustitia alia via se indemnem seruare. Neque his videtur obstare Decretum Sacr. Congregat. de celebr. Missar. *infra n. decis. VII.* Vbi Sacr. Congregat. sub obtestatione diuini iudicij mandat, vt tot Missæ dicantur, quot fuerunt præscriptæ, quamuis recepta stipendia sint exigua, & incongrua. Nam debet intelligi quando sacerdos omninò voluntarie, non coactus paupertate, contentus fuit oblato stipendio, & expresè promisit se tot Missas integras dicturum: quo modo etiam limitauit suam sententiam Suarez supra. Et tunc tenebitur magis ratione fidelitatis & præcepti, quàm iustitiæ: vide pro hac tententia etiam *Peyrinus c.3 de priuileg. in addit. ad constit. Pyrrhi c.1. num.26. Tamburi. de iur. Abbat. tom.2. disp.5.q.9.n.7. Miranda in man. tom.1.qu.41.art.23.concl.3.*

Ex dictis inferunt Doctores citati, quòd quando sacerdoti commendatæ sunt centum Missæ promisso iusto stipendio statim post earum celebrationem, & ijs celebratis, non potuit sacerdos sine lite & alijs incommodis lites comitantibus, stipendium recuperare, si ab eodem deinde, qui primò commendauit dictas centum Missas, commendentur aliæ centum, poterit sacerdos sibi compensare, minuendo has centum Missas, id quod contumplit in priori stipendio recuperando. Ratio est, nam sicut sacerdos, accepto stipendio tenetur ratione iustitiæ Missas celebrare, ita commendans Missas tenetur ratione iustitiæ in vtroque loco stipendium tribuere, vt aduertit etiam *Suarez* loco citato *sect.prim.a.* Sed in obligationibus iustitiæ datur compensatio, ergo & hic sacerdos potest sibi damnum datum præcisè certum & liquidum, iuxta communem taxationem, quod alia via recuperare non potest, compensare, iuxta supra dicta verb. *Compensatio num.2. Caterum* ex decreto *Concil. Tridem. sess 25. cap.4 de reform. Rodr.q.2.p.cap.251.num.13.* Tridentini pertinet ad Episcopos in Synodo diœcesana, & ad generales ordinum in capitulis generalibus numerum Missarum minuere, quando stipendium est exiguum, constituta debita eleemosyna. Hæc sententia vique modo probabiliter sustineri poterat: sed nunc contrariam opinionem docent & statuum Eminentissimi Cardinales in Decreto §.3. Dana *p.2.tract.de celebratione Missarum resolut.7* Vide etiam Sylvium 3.*par.qu.83.art.1. quæst. 17.* & decretum infrà *Missa VII.*

11. *Sacerdos* qui tenetur onere Missæ quotidianæ, ratione capellaniæ aut eleemosynæ acceptæ, aut canonicatus, regulariter loquendo dum Missam capitularem seu conuentualem cantat, non satisfacit oneri capellaniæ, aut eleemosynæ acceptæ, aut canonicatus, quia canonicus per se loquendo tenetur Missam applicare pro capituli obligatione, nam Missa conuentualis est intrinseca ipsi capitulo, & intima Missæ capitulari. *Cap. cum creatura de celebratione missarum.* Quando verò non constat, vtrùm cantans Missam teneatur illam applicare, potest sacerdos siue sit canonicus, siue sit Parochus, siue alius, Missam quam solemni ritu cantat in Ecclesia collegiata vel parochiali ad libitum applicare; in dubijs enim melior est conditio possidentis suam libertatem. *Reginald.l.29.n.208. Suar.d.86. sect.2. Possevinus cap.2.num.25.*

Non est tamen improbabilis sententia *Peyrini de priuileg. num.3.cap.1.num.20. in addit. ad constit. Pyrrhi. Diana p.5. trac.13. resolut.51.* secluså consuetudine in contrarium, asserens; Missam conuentualem posse applicari pro quocumque voluerit Prælatus: quia non apparet vllum præceptum, neque diuinum, neque humanum in contrarium, omnia enim sunt concessa, quæ non inueniuntur prohibita. An autem Missa Conuentualis Mon alium sit necessario applicanda generaliter pro viuis, & defunctis, vt faciunt Fratres Minores: Resp. Cordubæ negatiuè *ad Compend. Priuileg. mendic. monialis*, & post illum Rodriqu. *tom.3.qq.reg.qu.6.art.8.*

12. *Capellanus* tenetur quotidie Missam applicare fundatori, si constet de quotidiana obligatione, quamuis non constet de fundatione capellaniæ, cum nulla reperiatur secluså tacita. *Sylvest. v.missa.1.num.7. Naldus v.missa num.13* secus *dicendum* si clarè constet testatorem in institutione capellaniæ respexisse solum Ecclesiæ, vel Altaris cultum & venerationem. *Bonac. punct.7.num.13.* & *sequentibus. Similiter* sacerdos tenetur Missæ valorem applicare, iuxta intentionem illius, qui tradidit eleemosynam, & simpliciter petijt Missam pro se, vel pro defunctis, vel pro alia necessitate: vnde qui accepit eleemosynam ad celebrandam Missam pro defuncto, & aliam eleemosynam ab alio, non satisfacit suæ obligationi applicando fructum satisfactionis defuncto, reliquos verò fructus alteri: quia petens Missam non censetur petere partem fructus, sed integrum fructum pro se, vel pro suis.

13. Quamuis qui tenetur Missam quotidie celebrare, possit semel in hebdomada titulo honestatis a celebratione abstinere, non potest tamen eodem die Missam alibi, aut pro alio celebrare aut abstinere a celebratione oblectationis, vel itineris gratia nisi aliter constet de mente fundatoris. *Sylvius 3. par. quæst.83.art.2. Sylvest. v. missa.1. quæst.7. Azor.3.par.lib 11.cap. 6.quæst.4. Franzellius sect.4. conclus.4.* §.3. Quia à diuersis non est faciendæ latio, consequenter cessatio concessa vno die causa honestatis, non est extendenda ad causam oblectationis, itineris. *Sa v.missa num.46. Henriq.l.9.cap.24.num.4. Soto l.9.qu. 3.art.1. Sylvest. v. miss. 1.qu.7.* Tamen qui tenetur quotidie celebrare, si frequentem missæ celebrationem velit semel in hebdomada titulo honestatis, aut alia iusta de causa intermittere, tenebitur eo die per alium supplere, si in fundatione capellaniæ non fuit electa persona, sed solùm habita fuit ratio loci, aut Missæ celebrandæ: vt si dicatur in fundatione, *Capellanus quotidie celebret per se, vel prouideat per alium*. Si verò electa sit persona, vt si dicatur, volo vt sacerdos electus ad hanc capellaniam quotidie celebret, non tenetur capellanus, qui semel in hebdomada, iusta de causa Missam intermittit, per alium supplere, quia obligatio Missæ quotidianæ imposita sacerdoti, intelligitur salua decentia & honestate; alioquin videretur immungi obligatio ad rem illicitam. *Azor. 1.par.l.10.cap.24.qu.7. Porrò* quoties sacerdos duplici obligatione tenetur, nec potest vtrique satisfacere per se, vel per alium, satisfaciendum est priori, quia in hoc casu prima obligatio celebrandi præualet posteriori.

14. *Sacerdos*, qui ex promissione vel ex fundatione tenetur celebrare certas & peculiares Missas, vt puta de Spiritu Sancto, vel de Beata, vel de Requiem, per te loquendo, infideliter ageret si alias celebret Missas, quia non stat promissis, & fidem datam violat. *Azor.1.par.lib.10 cap.32.qu.6. Nauarr. cap.25. num.134. Sa v.missa num.48. Rodriqu. cap.2. 8. num.9. Tolet. l.2.cap 8.num.2. Reginald.l.29.num.208. Diana trac.de celebrat. missar.resol.31. & tr.6.miscel.resol.62. p.3. Tamburinus de iure Abbat.tom.2. d.1par.5.qu.9.num.27. &* 30. fieri tamen potest vt non delinquat, si aliam Missam e. iusta causa celebret, vt si in eum diem incidat solemnitas alicuius sancti, de quo celebretur officium simplex semiduplex, duplex seu solemne; quia licet Missa de Requiem, quam quis tenetur pro defuncto celebrare, magis prout defuncto, quàm alia, si Missa consideretur secundum preces ab Ecclesia impositas ad hunc finem; nihilominus, si consideretur vt sacrificium est, æqualiter prodest, & defectus Missæ petitæ suppleri potest & compensari deuotione & intercessione illius sancti, cuius Missa celebratur. *Bonacina c.p.7.§.3. num.6. Diana cit. resolut.* 32. Vnde qui suscepit onus celebrandi triginta Missas Sancti Gregorij pro defunctis, non tenetur singulas de Requiem celebrare, ijs præsertim diebus quibus officium solemniter celebratur; imò non est necesse Missas Sancti Gregorij sine interruptione celebrare, quia interruptio non tollit Missarum effectum. Hinc Panormitanus in *Cap. Quidam laicorum, de celebratio. Missar.* docet turpe esse Sacerdotibus ad laicorum petitionem relinquere Missas cum officio concordantes propter peculiares ex deuotione. Et Syluester

nesset v. *Missa* 1. §. 4. refert, nullam Missam esse defunctis salubriorem, quàm propriam diei currentis. Propterea in Missali Romano, in principio Rubricarum, sic habetur: *Missa dicatur secundum ordinem officij.* Et in Rubrica de Missis votiuis, leguntur hæc verba: *Sequentes Missa votiuæ, licet pro Sacerdotis deuotione quacumque die dici possint per hebdomadam, quando festum non occurrit, hoc tamen passim, nisi rationabili de causa, fieri non debet; sed, quoad fieri potest, Missa cum officio conueniat.* Tamen permittitur aliquando hæc permutatio Missæ *de Requiem* promissæ, in aliam occurrentem, puta, si esset scandalum laicorum, vel mulierum. Si expressè promisisset, animo se obligandi, aut iuramento firmasset promissionem. Porrò in die obitus, & anniuersarij, Missa *de Requiem* promissa, est celebranda, etiam occurrente festo duplici, vel semiduplici.

Verùm, quia prædicta maximè confirmantur ex declarationibus Sacræ Congregationis, & passim apud Authores non inueniuntur, ideo hic sunt adducendæ, quæ ad doctrinam traditam desernire possunt.

Prima. *Missa duæ sunt celebrandæ in Ecclesia, in qua ex legato relicto præcipitur vt singulis Sabbatis celebretur* Missa de B. Maria, *si in Sabbato occurrat festum solemne alterius Sancti*, S. Congreg. Rit. in Pampilonen. 1. Septembr. 1607. *Barbosa in collecta, Bullar. v. missa* 1.

Secunda. *Missa votiua à testatoribus relicta non sunt acceptandæ de cætero, nisi in illis diebus, in quibus secundum regulas Missalis celebrari possunt: de Missis verò iam acceptatis, petenda est à Sanctissimo dispensatio pro transferendo in dies, in quibus licent.* Sac. Congregat. Rit. in Turricana 1. & 3. Septembr. 1612. & 19. Maij 1614. *Barbosa c.*

Tertia. *Missa conuentualis in Quadragesima, Aduentu, Quatuor temporibus, & similibus etiam quòd in dictis diebus occurrat festum duplex, non est omittenda, sed vtraque Missa, nempe de Sancto, & de feria est celebranda.* Sac. Congreg. Rit. in Lunens. Sarzan. 5. Mart. 1633. *Barbosa supra.*

Quarta. *Missa defunctorum non est prætermittenda, si ex legato relicto ordinetur, vt celebretur singulis diebus, qua de præcepto non seruantur, licet sit festum duplex, quod de præcepto non seruatur, quo casu duæ Missa sunt celebrandæ, vna de festo, altera Defunctorum, vt licitè lucrari possit eleemosyna relicta.* Sac. Congregat. Rit. in Pampilonen. 1. Septembr. 1607. *Barbosa c. ver. Missa defunctorum V.*

Quinta. *Missa defunctorum non sunt celebrandæ, & cantandæ in diebus solemnibus.* Sac. Congregat. Rit. in Veronen. 23. Iunij 1607. *Barbosa c.*

Sexta. *Missa pro defunctis vna de Requiem celebrari potest in Dominicis & Festis, insepulto, & in Ecclesia præsente corpore, vbi mos erat, vigeat consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa.* Sac. Congreg. Rit. die 23. Maij 1603. *Barbosa* ibidem.

Septima. *Missa celebrata in altari priuilegiato pro defunctis non suffragatur, nec indulto satisfit nisi sit de Requiem, licet in indulto non exprimatur.* S. Congreg. Rit. in Pistorien. 1. Iunij 1601. & in Toletan. 13. Iulij 1601. *Barbosa* ibidem.

Octaua. *Missa de Requiem in altari priuilegiato non potest dici in die festo duplici, & de præcepto, qui incidit in diem assignatum pro dicto Altari priuilegiato.* Sac. Congreg. Rit. sub die 24. Aprilis 1627. *Barbosa* ibidem.

Nona. *Missæ de Requiem tolerari possunt in festo duplici quod non est de præcepto pro voluntate testatorum implenda.* Sac. Congregat. Rit sub die 1. Septembr 1607. & 20. Iunij 1626. *Barbosa* ibidem. Animaduertit autem *Gauantus* non dixisse Sacr. Congregat. id licere ad arbitrium viuorum, sed pro implenda voluntate defunctorum.

Decima. *Missæ de Requiem non possunt dici in illis diebus, quibus prohibetur fieri de festo duplici, nimirum infra Octauam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, in hebdomada maiori, feria quarta Cinerum, & in vigilijs Natiuitatis Domini & Pentecostes.* Sac. Congreg. Rit. 28. Augusti 1626. *Barbosa* ibidem.

Vndecima. *Missas, quæ circumferuntur à S. Congr. non approbatas, S. Gregorij, pro viuis, & defunctis, quindecim Auxiliatorum, & de Patre æterno, exceptis illis, quæ sunt permissa Regularibus tantum, vt sunt Rosarij, S. Mariæ de monte Carmelo, & alias, sicut etiam officia ab eadem non approbata, prohibuit, resecit omninò & damnauit respectiuè, & pro prohibitis, & damnatis habere voluit.* Sac. Congregat. Rituum sub die 7. Aprilis 1628. *Barbosa c. v. Missæ* 3.

Duodecima. *Missam peculiarem de Rosario celebrandi quando vnus in legato pio imponitur, tunc loco Missæ de Rosario, celebratur Missa votiua B. Virginis de tempore.* Sac. Congreg. Rit. in Polignamen. 31. Iulij 1632. *Barbosa* ibidem.

Sed quæres, an quando sacerdos accipit stipendium pro celebranda Missa in altari priuilegiato pro defunctis, satisfaciat obligationi celebrando in alio Altari & applicando indulgentiam plenariam, quam assequitur in virtute coronæ, vel medaliæ benedictæ?

Negant *Benac. tom. 1. d. 4. qu. vlt. punct. 7. §. 4. nu. 5. Gauantus in Rubric. Missalis tu. 12. n. 5.* Affirmant *Megala tom. 2. variarum resolut. 187. num. 10. Marchin. de ord. trac. 3. p. 2. c. 24. num. 8.* Sed circa hanc quæstionem est dicendum, quòd, quando ille, qui petit Missam in Altari priuilegiato, vniuersaliter locutus est, & nullum Altare particulare determinauit, sacerdos satisfacit obligationi alibi celebrando cum calculo, vel medalia liberante animam è purgatorio. Ratio est, quia non fraudat intentionem petentis Missam, quia soluit quod ipse intendit; dum enim petit Missam in altari priuilegiato, non aliud intendit, nisi quòd illud sacrificium habeat annexam indulgentiam liberantem de purgatorio: quia quod celebretur Missa in tali Altari, non est intuitu Altaris, sed intuitu indulgentiæ: vnde Altare materialiter se habet; nec cadit per se sub intentionem: hoc autem priuilegium est etiam annexum calculo, seu medaliæ benedictæ, cum qua qui celebrat pro defunctis ex opere operato liberat animam de purgatorio: vnde exhibet quod promiserat. Nec potest dici quòd illa indulgentia sit minoris efficaciæ, & certitudinis: non primum; quia est similiter plenaria per modum suffragij: non secundum; quia tunc indulgentia est omninò certa, quando prouenit à potestate certa, qualis est illa, quæ est in Vicario Christi: siue ergo Pontif. concedat hanc indulgentiam celebranti in tali Altari, vel celebranti cum medalia benedicta, semper interuenit eadem potestas dispensandi, vnde indulgentia quoque habet eamdem certitudinem: vt docte resoluit Pasqualigus *dec. 494.*

Qui autem promisit Missam in tali Altari priuilegiato determinato, non satisfacit obligationi celebrando in alio cum applicatione indulgentiæ suæ medaliæ. Ratio est, quia dum quis determinatè petit in tali Altari habet aliquem specialem finem, nempe vel bonorem Altaris, vel commodum populi: & hoc maximè verùm, si Missæ sint ordinariæ pro statutis diebus. Si autem Missæ sint manuales, quæ in dies singulos solent exigi, etiàsi pluries simul ab vno aliquo exigantur in aliquo Altari determinato, sacerdos satisfaciet celebrando in alio altari & applicando indulgentiam plenariam per modum suffragij: quia sunt huiusmodi Missæ aduentitiæ & non addictæ cultui alicuius specialis loci. Ita *Fraxinellus de obligat. faciend. fest 4 concl 4. §. 9. num. 2. Alphons. de Leone de offic. confessar. p. 3. num. 29. Pasqualigus in dec. moral. dec. 427. & 428. Homobonus in examin. p. 1. tract. 4. cap. 13. qu. 123. Diana p. 4. tract. 4. resolut. 40. & p. 6. tract. 6. resolut. 12.*

15. Dubium est an Prælatus regularis præcipere possit suo Religioso, vt ad intentionem suam Missæ sacrificium applicet? Resp. Posito quòd Prælatus possit præcipere suis subditis actus internos, quatenus ad actus exteriores pertinere possunt, & sunt necessarij ad hoc, vt actus externi, in quibus quis Superiori subditus, rectè exerceantur, potest suis subditis præcipere, vt Missam celebrantes, habeant intentionem applicandi eius valorem ad ipsius Prælati intentionem. Ratio est, quia hoc non est disponere de actu interno subditi, qui est applicatio medij valoris Missæ; sed est disponere de illo actu, quatenus connexus est cum exteriori actu celebrationis eiusdem Missæ, qui rectè perfici non potest sine applicatione actus interni; idcircò per necessariam connexionem bene potest Prælatus illum præcipere; & Religiosus non obediens peccabit contra obedientiæ votum in re graui. Ita *Rodriques tom. 3. qq. reg. quæst. 19. art. 2. Miranda tom. 1. q. 26. ar. 3. Sanch. l. 6. moral. c. 2. nu. 6. Tambur de iure Abbat. tom. 2. disp. 21. q. 5. Suar. de leg. l. 4. c. 13. Regn. l. 13. n. 21. Peyrin. tom. 1. de subdito q. 1. c. 1. §. vnic.*

Sed controuertitur, an si Sacerdos regularis applicet Missas contra intentionem Superioris, valeat talis applicatio? Negatiuè respondent *Scotus quodlib. 10. Cordubа lib. 1. quæst. 3. notab. 5. Ledesma 2. 4. quæst. 10. artic. 14. Gauantus in comment. Rubric. p. 3. tiul. 12. num. 18 Marchinus tract. 3. p. 2 cap. 33.* Ratio illorum est, quia Religiosus non habet velle & nolle, nec propriam voluntatem, sed eam totam retulit in voluntatem superioris: ergo nec votum, nec applicatio Missarum valida erit contra voluntatem Superioris. Hæc opinio satis est probabilis.

Tamen probabilior opinio est, cui adhæreo, valere huiusmodi applicationem contra obedientiam Prælati factam; peccare tamen Religiosum contra votum. Fundamentum huius sententiæ est; quia sicut in Sacramentorum administratione Sacerdos operatur, vt Christi minister; ita & in oblatione sacrificij Missæ, ergo sicut in Sacramenti administratione debet esse intentio propria, & personalis; ita in applicatione Missæ, in qua Sacerdos ita se gerit, vt habens à Christo potestatem immediatam, adeo vt intentio eius, & Christi, vna esse censeatur; ergo Sacerdotis intentio quoad hoc, neque Ecclesiæ, neque Prælato subijci, ita vt per illum irritari possit, licet subdatur quoad obligationem faciendi vel non faciendi. Ita *Suarez 3. par. tom. 3. disput. 79. sect 9. Fagundes præcept. 1. lib. 3. cap. 10. num. 4. Henriq. l. 9. cap. 21. num. 6. Diana p. 2. tract. 14. resolut. 72. Sylvester verb. Missa 1. num. 12. Tamburinus tom. 2. disput. 5. quæst. 8. Lezana in sum. c. 4. num. 35. tom. 1.*

Si quæras, an idem dicendum sit de alijs precibus, ver. gr. Officio Defunctorum, S. Mariæ, septem Psalmis &c. præceptis à Prælato pro satisfactione alicuius signatæ personæ, & pro alia applicatis? Resp. non esse parem casum: nam ideò diximus, tunc valorem Missæ proficere, iuxta intentionem celebrantis, quia hic operatur, vt minister Christi, & sacrificium illud ex meritis Christi operatur; vnde quoad istum valorem ex opere operato parum refert, sit ne minister in gratia vel non; hoc tamen casu totus valor operis pendet ex operante, qui cùm, vt supponimus sit inobediens, propter præceptum superioris non obseruatum, & per consequens non sit in gratia, opus illud nullum habebit valorem, cum sit penitùs demortuum, nec poterit proficere quoad satisfactionem, nec personæ operanti, vel cui ipse dabit; nec personæ cui applicuit superior. Ita Suar. *tom 4. in 3. par. d. 55. sec. 5.* & videri potest Miranda *tom 2. q. 50. artic. 3.* Si tamen opera essent ex illis à Christo vel Ecclesia institutis, vt Pater noster, Horæ Canonicæ &c. secundùm aliquos operarentur etiam aliquid ex opere operato, ob virtutem eis inhærentem ex institutione Dei, vel ipsius Ecclesiæ vniuersalis vt habent Nauarrus tr. de horis canon. *cap. 19. num. 59. & 62. & cap. 20. nu. 39.* vel etiam possumus dicere, quòd hæc opera valeant tanquam facta ab Ecclesiæ ministro. Vt Nauarrus obseruat.

MISSA IV.

Quo in loco tempore, & qua hora Missa sit celebranda.

SVMMARIVM.

1. *An prohibitum sit Sacerdoti sacrificium facere in alijs locis, præterquam in locis Episcopi auctoritate consecratis: Quanta debeat esse necessitas vt possit Episcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata. Et an priuilegia mendicantium celebrandi extra Ecclesiam sint reuocata per Concilium Tridentinum?* refertur duplex sententia.
An Episc. contradicente & prohibente possint priuilegiati celebrare in cellis particularibus post Concilium Tridentinum. An in altaribus virtute priuilegiorum erectis, possint Sacerdotes seculares missam dicere.
Quale sit peccatum celebrare in Ecclesia violata? Et an celebrans fiat irregularis?
2. *An qui ex titulo vel ex commenda tenetur in aliqua Ecclesia, vel altari celebrare, possit id in alia Ecclesia vel altari absque peccato mortali & obligatione ad restitutionem?* refertur duplex sententia.
3. *An peccet mortaliter Sacerdos, qui est notabiliter in mora celebrandi missas pro ijs à quibus vel pro quibus stipendium accipit?*
4. *An Sacerdos non habens eleemosynam satisfaciat missas anticipatè dicendo?*
5. *An iure ordinario semel tantùm in die sacrificare liceat? & an ob extraordinariam necessitatem liceat bis celebrare?*
6. *Qua hora tempus celebranda missa regulariter incipiat? & an liceat celebrare post meridiem? Et quid possint Religiosi circa hac virtute suorum priuilegiorum?*
7. *An tres missæ quæ in die Nativitatis celebrantur possint nocte ante auroram celebrari.*
8. *An Sacerdos peccet mortaliter, qui celebrat missam ante matutinum vel iterum?* refertur duplex sententia.
9. *An Prælatus in celebratione missarum in diebus festis, mutare debeant suarum Ecclesiarum ritum, præcipuè Episcopo vel Ordinario loci festum aliquod obseruari.*

1. IVxta antiquo prohibetur *Sacerdos* sacrificium facere in alijs locis, præterquam in locis Episcopi auctoritate consecratis, *C. sicut de consecr. d. 1. cap. Clericos de consecr. dist. 1.* & ante Concil. Trid. licebat Sacerdoti ex consensu Episcopi sacra facere in priuatis domibus quæ sacræ non erant super altari sacro portatili; nunc verò post *Conc. Trid. sess. 22. Azor. 1. par. l. 10. cap. 26. Navarr. c. 25. num. 82. Sylu. 3. p. qu. 83. art. 3. concl. 4.* solus Romanus Pontifex id concedere potest; quia in Tridentino cautum est, ne Episcopi patiantur in priuatis domibus atq; omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum cultum tantùm dedicata oratoria ab eisdem Ordinarijs designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium à sæcularibus aut regularibus quibuscumque peragi. An autem quando Oratorium priuatæ domus est tantùm diuino cultui dedicatum atque permanenter, possit Episcopus concedere licentiam post Concilium Tridentinum, vt in ipso Missa celebretur, Affirmant *Zerola in praxi Episcop. 1. ver. missa*, asserens Sacram Congregationem ita pluries declarasse, *Beia part. 4. cas. conf. casu 33. Rodriq. tom. 1. qq. reg. quæst. 43. art. 6. Suar. to. 3. disp. 81. sect. 3. Gutier. l. 1. qq. c. 30. nu. 28. Quar. v. missa.* Quod videtur habere fundamentum in ipso Tridentino; nam solum prohibet, ne Episcopi permittant celebrari extra Ecclesiam & extra Oratoria diuino tantùm cultui dicata ab ipsis Episcopis visitanda; Huiusmodi autem oratoria sunt ex illis, de quibus Concilium ait posse in ipsis celebrari; cùm sint tantùm diuino cultui dicata, & ab Episcopis visitentur.

Oppositum tamen tradunt. *Nav. c. 25. n. 81. Bonac. disp. 4. q. vlt. p. 9. n. 11. Miranda to. 1. q. 40. act. 9. Fagund. prac. 1. li. 3. c. 13. Gau. in Rubr. miss. p. 1. tit. 20. March. de Ord. tr. 3. p. 3. c. 9. n. 7. Lugo disp. 20. de Euch. sect. 2. nu. 50.* quorum aliqui censent id prohiberi per Conc. Trident. Alij verò solum per Decretum Sacræ Congregat. editum iussu *Pauli V. anno* 1615. 10. Martij; per quod absolutè prohibetur Episcopis, ne concedant huiusmodi licentias, imò iubentur vt concessas reuocent.

Quoad praxim autem dicendum est variam esse Episcoporum circa hanc licentiam dandam, etiam in nostro Belgio; aliqui enim negant, alij concedunt, nixi authoritate prædictorum Doctorum; Cæterùm si Oratorium priuatæ domus sit permanenter dicatum cultui diuino & habeat ingressum expositum, vt quilibet ingredi possit, Episcopus posset concedere licentiam, vt in ipso celebretur. Ratio est, quia licet huiusmodi Oratorium sit erectum ex intentione commoditatis priuatæ, de se tamen publicum est, cùm habeat ingressum omnibus expositum, & sit erectum auctoritate Episcopi, & subiaceat eiusdem visitationi: vnde in huiusmodi Oratorio posset celebrari ianuis clausis, ita vt accedant tantùm Domini, & illi, quos ipsi voluerint admittere; quia ex præcepto habemus tantùm quòd missa celebretur in Ecclesia seu Oratorio publico; non autem quòd publicè celebretur in ipso, De his plura apud Pasqualigum *in decis. moralibus dec. 165. & seq. Diana tract. de celebrat. miss. resol. 38. Sa v. missa num. 20.* Missæ sacrificium absque peccato fieri potest, extra loca consecrata, tempore necessitatis, Episcopi consensu, vbi commodè id peti & impetrari potest, aut etiam sine eo, vbi commodè id peti non potest, quia Concil. Trident. solum abusus voluit è medio tollere priuatæ celebrationis; qui cùm oriantur tantùm ex continuatis licentijs extra casum necessitatis, hanc tantùm facultatem abstulit Episcopis, nimirum concedendi licentias permanentes & stabiles, extra casum necessitatis.

Sed petes, quanta debeat esse necessitas, vt possit Episcopus concedere licentiam celebrandi extra loca deputata? Resp. non posse vnquam interuenire absolutam necessitatem celebrandi extra loca deputata; quia quando non potest celebrari in locis deputatis, cessat præceptum audiendi Missam.

Itaque solùm potest interuenire quædam necessitas moralis fundata in exigentia deuotionis fidelium: quia videlicet indecens sit quòd fidelium deuotio defraudetur non celebratione; aut quia sit valde conueniens, quòd fruatur tali celebratione; aut quia celebratio censeatur necessaria ad conseruandam deuotionem: quæ est ponderanda, habita ratione circumstantiarum. Vnde generaliter tunc censenda est adesse necessitas, quando cultus diuinus notabiliter læditur, aut imminuitur, si non celebretur.

Hinc ratione necessitatis potest in castris milium in tentoriis,

torijs, aut etiam sub dio celebrari, & maximè diebus festis, & quando pugnandum est; tum quia tunc militum deuotio valdè periclitaretur, nisi sacrificio frueretur. Tum quia cùm in pugna milites se exponant euidenti periculo mortis, oportet vt possint se præparare per sacram Eucharistiam. Imo etiam diebus non festis habet locum necessitas, quoad Generales & alios primarios Doctores militum, vt possint facere celebrare in castris, in suis territorijs.

Secundò, tunc adest necessitas celebrandi extra loca destinata quando quacumque ex causa confluit magna multitudo, ita vt non possit capi intra locum destinatum ad celebrandum, tunc enim potest extra ipsum erigi altare, & ibi celebrari.

Tertiò, quando nauigantes appellunt ad aliquod littus, & per notabile tempus, puta per mensem, caruerunt sacrificio Missæ; potest ibi celebrari cum debita tamen reuerentia & decentia, & dummodò non adsit aliquod periculum. Item si appellant ad littus in aliqua ex solemnioribus festiuitatibus, potest adhuc ibi celebrari, quamuis per paucos dies caruerint sacrificio, quia non est conueniens quòd in illa festiuitate sacrificio fraudentur. Vide *Nauarrum in man. cap. 25. num. 82. Reginald. lib. 29. num. 176. Faust. de Euchar. l. 2. qu. 170. Suarez 3. part. tom. 3. disp. 81. sect. 3. Rodriqu. tom. 1. qq. regul. qu. 43. art. 6. Bonac. disput. 4. de Euchar. q. vlt. punct. 9. Pasqualigus in decis. moral. decis. 167. Negotius 3. par. qu. 83. art. 3.*

Quartò, ex declaratione Sacræ Congregationis apud Barbosam *par. 2. de offic. & potest. Episcopi alleg. 23. num. 8. 9.* potest Episcopus concedere talem licentiam, quando adest causa rationabilis, ob quam non est licitus egressus è domo, ex quacumque causa id proueniat, dummodò talis causa per notabile tempus duret, aut coincidat cum aliqua principaliori solemnitate; quia tunc, cum sit impeditus legitimè accessus ad Ecclesiam, rationabile est, vt pro aliqua vice concedatur huiusmodi licentia, habita tamen ratione qualitatis personarum & circumstantiarum: non debet enim hæc licentia cuicumque personæ concedi, sed tantùm personis conspicuis, quæ dignæ sint vt tali honore, & fauore gaudeant.

An autem priuilegia Mendicantium celebrandi, extra Ecclesiam sint reuocata per Concil. Trident. *sess. 22. in Decret. de obser. & euit. Suarez 3. par. tom. 3. disput. 81. sect. 3. Nauar. in Man. cap. 25. num. 82* affirmant, sed negatiua sententia *Io: Prapositus in 3. par. qu. 83. art. 3. num. 151.* videtur verior: quia in decreto Concilij nulla est clausula, quæ priuilegijs regularium antea concessis deroget vel ea reuocet: vnde constat priuilegium datum Prædicatoribus & Minoribus in *Cap. in his, de priuileg.* non esse reuocatum per Trident. quod confirmat, quia Canon insertus iuri communi non debet dici reuocari nisi sufficienter constet de reuocatione, cùm sit fauorabile ius commune remanere & eius reuocatio censetur odiosa, in præsenti autem non clarè constat reuocari, ergo: *Hæc Prapositus*. Et in eadem sententia esse videtur. *Rodriques tom. 1. qq. reg. qu. 43. art. 5.* dicens quòd modò possimus vti dictis priuilegijs celebrandi in altari portatili, in oratorijs, plateis, & in omni loco honesto, quamdiu non contradicunt Episcopi. Aduertant tamen religiosi, inquit *Rodriq.* ne vtantur priuilegijs concedentibus vt Missæ possint celebrari in cameris secularium: vbi ipsi dormiunt, & fœminis non solùm suis, sed etiam fortè alienis coniunguntur. Indecentissimum enim est vti talibus priuilegijs, nisi aliqua vrgentissima necessitate instante. Hæc ille. Ita etiam *Ioan. de la Cruz. de stat. relig. lib. 2. cap. 5. dub. 7. concl. 3. & 4. Portel. in dub. reg. v. Altare nu. 1. Pasqu. in dec. mor. dec. 54.*

Quod autem per Tridentinum non reuocentur priuilegia regularium, patet ex eo, quòd Decretum Concilij Tridentini non est prohibitiuum actus, sed concessiuum facultatis prohibendi; & dirigitur tantùm ad Episcopos, quos delegat vice Sedis Apostolicæ ad exequendum actum prohibitionis etiam contra regulares: ergo possunt regulares id quod antea poterant, quousque ab Episcopis prohibeantur: cùm ante talem prohibitionem, nulla alia sit prohibitio, sed tantùm facultas prohibendi.

Ad tollendum autem omne dubium extat priuilegium *Gregorij XIII.* concessum Societati IESV, quòd non obstante Concilio Tridentino possint Presbyteri dictæ Societatis in missionibus, quæ à Superioribus fiunt, aliàs seruata forma concessionis *Pauli III.* videlicet, cum debita reuerentia, & honore sacrificium Missæ cum altari viatico celebrare vbique gentium, etiam in castris militum, modo loca, etsi communia & prophana, tamen tuta & honesta sint, & Præpositus Generalis, aut per eum Prouincialis Præpositi, eo tunc vtendum fore iudicauerint, potestur que ibi ipsi Presbyteri sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministrare fidelibus ad illud sumendum debitè præparatis.

Estque aliud priuilegium eidem religioni concessum ab eodem Pontifice. Vt licet, in domibus suis in priuato oratorio à Prouinciali approbato; possint Missæ dici sine alia Episcopi approbatione, non obstante Concilio Tridentino. Hæc priuilegia referunt *Rodriques c. art. 4. Henriq. l. 9. ca. 27. num. 2. in comment. lit. S. Nald. in summ. v. Missa num. 32. Regin. l. 29. nu. 178. Tambur. de iure Abbat. to. 2. disp. 5. quæst. 6. March. de ord. tr. 3. p. 3. c. 9. num. 13.* quæ participantur ab omnibus Regularibus communicationem cum prædicta Societate habentibus.

Est & aliud priuilegium concessum à *Pio IV.* Canonicis Regularibus Sancti Saluatoris Lateranensis sub die 18. Maij anno 1565. vt possint celebrare in cellis, seu cameris suorum infirmorum, nulla Ordinariorum licentia requisita: vt habetur in priuilegijs eorumdem Canonicorum Lateran. & refertur in Compend. *priuileg. Congregat. Sanctæ Mariæ Fuliensis, tit. infirmi §. 5.* & notant *Marchin. de Sacr. ordin. tract. 3. par. 3. c. 9. n. 12. Pasqu. in decis. mor. decis. 176.* Nec huic priuilegio obstat decretum Tridentini: quia concessum fuit post ipsum Concilium, & cum amplissimis clausulis derogatorijs etiam constitutionum editarum in Concilijs Generalibus. Non est autem necesse quòd infirmitas sit magni momenti, sed sufficit quòd ratione infirmitatis non possit infirmus exire à cubiculo, vt exprimitur in priuilegio.

Adnotant præterea Doctores hic citati quod si infirmi regulares gaudentes dicto priuilegio reperiantur extra claustra in domibus sæcularium, possint nihilominus facere celebrare in suis cubiculis: quia priuilegium non est locale, sed personale, proinde sequitur personam, ita vt in quocumque loco ipsa sit, illo vti possit. Cap. *Priuilegium, de Regulis iur. in 6.*

Dubium est, an moniales subiectæ Regularibus communicantibus in priuilegijs gaudeant dicto priuilegio celebrandi in cubiculo infirmarum? Respondeo cum *Pasqualigus* loco citato, qui citat *Castr. Palaus p. 1. tr. 3. de priuil. disp. 4. punct. 2. §. 9. nu. 1.* participare etiam ipsas ex eo, quod participant regulares, quibus ipsæ subiectæ sunt; quia cùm Moniales sint veluti quid accessorium regularium & pars eiusdem ordinis, priuilegium concessum regularibus extenditur secundariò etiam ad ipsas, quatenus illius capaces sunt. Et hoc constat ex Bulla *Sixti 4. in Bulla sacri. Peyrin. tom. 1. priuileg. in constit. 4. Sixti 4. §. 7. n. 30.*

Sed petes *Primò* an Episcopo contradicente & prohibente possint adhuc Regulares non obstante Decreto Concilij Trid. celebrare in grangijs & cellis particularibus? Respond probabile esse quòd sic cum altari portatili. Ratio est, quia Concilium Tridentinum *sess 22.* so ùm concedit Episcopis ne permittant celebrare in priuatis domibus, aut omnino extra Ecclesiam. Hæc verò prædia, seu grangiæ, non sunt priuatæ domus, quia non sunt domus priuatarum personarum, aut sæcularium, sed monasteriorum, & communitatum Religiosorum, nec sunt omninò extra Ecclesiam, sed bona ipsius. Ita Lezana *in sum. quæst. Regul. tom. 3. verb. Altare n. 14.*

Petes *secundò* an in prædictis altaribus virtute horum priuilegiorum erectis possint Sacerdotes sæculares Missam dicere? Respondet ad hoc dubium. *Suar. 3 par. tom. 3. disp. 81. sect. 3. Tamb. de iur. Abbat. tom. 2. disp. 5. quæst. 6. num. 4. Marchin. de ordin. tr. 3. p. 3. cap. 9. num. 13. Leym. lib. 5 tr. 5. cap. 5. num. 5.* nempe in his priuilegijs valdè considerandum esse, an dirigantur ad personas tantùm Religiosorum, vel ad loca ipsorum. Nam si priori modo concessa sunt, non possunt ad sæculares extendi. Tale est priuilegium primum *Gregorij XIII.* concessum Presbyteris Societatis: quo non licet vti Sacerdotibus sæcularibus. Si autem posteriori modo sint concessa, poterunt in huiusmodi loco non solùm Religiosi; sed etiam quilibet alij Sacerdotes celebrare: quia priuilegium dirigitur ad locum seu ad Prouincialem, cui communicatur illa Episcopi authoritas approbandi absolutè locum illum ad sacrum faciendum: & huiusmodi est priuilegium postremum *Gregorij*.

Petes *tertiò*, quale sit peccatum celebrare in Ecclesia violata? Resp. esse per se peccatum mortale Missam facere, aut horas canonicas publicè recitare, aut sacramenta ministrare in polluta Ecclesia, antequam purificetur & reconcilietur. Ratio est, quia id cederet in magnam irreuerentiam Ecclesiæ & sacramenti, & violaretur præceptum Ecclesiasticum in materia graui *c. Presbyter, de consecr. dist. 1.* & docent *D. Tho 3 par. qu. 83. art. 3. ad 2. Nauar. in man. cap. 25. num. 83. Sylvest. verb. Consecratio.* Posset

tamen

tamen Episcopus ex causa dare facultatem, vt in polluta Ecclesia Missa fiat, antequam reconcilietur, vt docet *D. Thomas* suprà, v.g. si Episcopus esset absens, vel infirmus, nec esset in eo oppido alia Ecclesia, in qua possent sacra celebrari: vnde, nec populus missam audire, nec sacramenta recipere diu posset. Imò tanta posset esse necessitas, vt si Episcopus accersiri non posset, absque alia eiusdem licentia, adhuc sacra licerent: quomodo excusantur, qui in Anglia, Gallia, Germania, in violata Ecclesia propter sepulturam hæretici missam celebrant. Ita *Suarez, Fagundez.* Similiter excusatur sacerdos celebrans in Ecclesia polluta, quoties pollutio contingeret post cœptum Canonem, imò tunc tenetur Missam prosequi vt sacrificium perficiat, secùs, si ante Canonem Missæ violatio accideret. Item excusatur celebrans in Ecclesia polluta ad communicandum infirmum morti proximum: & quamuis in polluta Ecclesia Sacramenta ministrari non possint, si tamen Ecclesia sit parochialis, licebit in ea baptizare, & seruare Eucharistiam pro communicandis infirmis. Ita *Vgolinus de offic. Episcop. cap.* 29. §. 7. *Sayrus de censur. lib.* 5. *cap.* 16. *num.* 29. Nam hęc omnia permittuntur in quocumque interdicto. *Cap. fin. de sentent. ex commun.* in Ecclesia autem violata proprie non interuenit interdictum. Vnde,

Celebrans in Ecclesia polluta non incurrit irregularitatem, aut aliam censuram. Colligitur manifestè *Cap. Is qui de sentent. excom. in* 6. & docent *Suar., c. sect.* 4, *Layman. l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. licet quidam putent celebrantè scienter in ecclesia polluta incurrere pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, cum quo si celebret, irregularitatem incurret. Sed hoc de iure non constat.

2. Qui ex titulo vel ex conuentione tenetur in aliqua Ecclesia vel altari celebrare, non potest in alia Ecclesia vel altari absque peccato mortali celebrare nisi hoc faciat ex iusta, & rationabili causa: *Nauar. c.* 23. *n.* 134. *Azor. 1. p. l.* 11. *c.* 24. *q.* 8. *Graffis 1. p. l.* 2. *c.* 53. *nu.* 9. *Henriq. l.* 9. *c.* 23. *n.* 5. *& 6. Diana de celebrat. Miss. ref.* 29. *p.* 2. quia non adimplet voluntatem, & intentionem testatoris, nec præstat id ad quod fuit electus, & assumptus & hoc verum etiamsi Sacerdos hoc faciat de consensu hæredum: ob legitimum tamen impedimentum illud Sacerdoti liceret: imo ex iusta causa concedere potest Episcopus, vt aliquando Missa in alia Ecclesia vel in alio altari celebretur, si nequeat celebrari in loco constituto *Azor. tom. 1. l.* 10. *c.* 24. *quæst.* 8. Vnde aliqui Doctores docent Sacerdotem, qui absque iusta causa alibi contra fundatoris voluntatem celebrauit non tolum peccasse mortaliter si sæpius hoc fecerit, verum etiam teneri ad aliquam restitutionem, vt compenset, sacrificia alibi facta *Possem. c.* 2. *n.* 25. *Bonac. c. p.* 6. §. 4. *n.* 5. Non videtur tamen improbabile non teneri ad restitutionem, quia non priuauit fundatorem fructu sacrificij, quamuis peccauerit alibi celebrando. Vt docent Diana & alij hic citati.

3. *Mortaliter peccat Sacerdos* qui est notabiliter in mora celebrādi Missas pro ijs à quibus, vel pro quibus stipendium accepit; *Regin. l.* 22. *n.* 236. *Henriq. l.* 9. *c.* 22. *n.* 8. *Syluester v. Missa* 3. *q.* 10. quia fieri potest, vt dilatio vergat in damnum illorum, quibus applicandum est Missę sacrificium, vt si tempus sit elapsum ad obtinendum quod intendebatur ab eo qui tradidit eleemosynam, vel tardius illud consequatur. *P. Nauarra lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 366. *Rodriq. c.* 251. *n.* 7. Imò fieri potest, vt Sacerdos qui Missæ celebrationem distulit obligandus sit ad restitutionem stipendij accepti, vt si accepit eleemosynam pro impetranda infirmi valetudine, & ipse celebrationem Missæ distulit in tempus: quo infirmus obierat. *Bona. c.* §. 5. *n.* 2. *Reginald. c. P. Nauar. c. Rodr. c. Diana tr. de celebr. Miss. ref.* 25. *p.* 2. Vnde licet Sacerdotes mercenarij possint accipere aliqua stipēdia pro aliquibus Missis, quas non possunt statim persoluere modò non sit periculum defraudandi intentionem tradentium eleemosynam; cauere tamen debent, ne multa stipendia congerant pro Missis ad longum tempus duraturis alioquin exponerent se periculo defraudandi mentem tradentium eleemosynas, & non persoluendi Missas tempore opportuno, aut simpliciter morte superueniente,

4. *Sacerdos* non habens eleemosynam an satisfacit Missas anticipatè dicendo hac intentione vt illarum Missarum valorem applicet pro eo, qui postea, sibi tradet eleemosynam modo non intendat effectum sacrificij suspendere ad illud vsque tempus quo sibi tradetur eleemosyna. Affirmant *Suar. d.* 79. *sect.* 9. *Lessius l.* 2. *c.* 3. *d.* 234. *n.* 22. *Comit. q.* 83. *a.* 1. *n.* 168. *Possen. c.* 2. *n.* 21. & ratio illorum est, quia fructus sacrificij anticipatè celebrari prodest certæ personæ tradituræ eleemosynam, cum persona sit certa in mente Dei, & sit capax fructus, & Sacerdos mentem suam in ipsam dirigat, & pro ipsa Missæ sacrificium offerat. *Arragon. de instit. quæst.* 83. *art.* 3. *Reginald. l.* 23. *n.* 237. Verùm in praxi huiusmodi consuetudo non est approbanda, & toleranda, quia redolet nimiam lucri cupiditatem, & etiam par est, vt qui tradit eleemosynam, sciat Missam pro se celebrandam, vt melius se disponat ad recipiendum sacrificij fructuum vnde ex mandato *Clementis VIII.* sub die 15. Nouemb. 1605. hæc sententia ab eminentissimis Cardinalibus, tamquam pluribus nominibus periculosa fidelium scandalis, & offensionibus obnoxia, atque à veteri Ecclesiæ more nimium abhorrens improbata, & condemnata fuit testibus Diana *de celebrat. Missarum resolutione* 16. Tamburino *de iure Abbat. tomo* 2. *disputat.* 5. *quæst.* 9 *num.* 21. Marchino, *de ordin. tractatu* 3. *par.* 2. *c.* 31. *num.* 6. *& seq.* Nota, tamen quod hoc decretum licet emanauerit *à Clemente VIII.* Publicatio tamen illius non fuit facta per epistolam, nisi à Paulo V. eius successore; eo quod decima quinta die Nouembris anni 1605. quando id factum fuit Pontifex erat *Paulus V.* Hinc prouenit diuersitas apud Authores in citando Summo Pontifice, Lezana *tom.* 4. *summ. verb. Missa num.* 52. post *Gauantum.*

Concedendum autem est, Sacerdotem, qui tenetur singulis hebdomadis aliquas Missas celebrare pro fundatore, vel pro aliquibus defunctis, per se loquendo satisfacere illas in hebdomada antecedente celebrando; quia persoluit anticipatè ad instar boni & solliciti debitoris: si tamen contrarium specialiter exprimatur in fundatione capellaniæ, non potest capellanus Missas anticipatè persoluere, mens enim fundatoris tamquam lex implenda est. *Rodriq. cap.* 251. *concl.* 8. *P. Nauar. l.* 2. *cap* 2. *num.* 371. *Bonac. c.* §. 5. *num.* 4. *Reginald. c. num.* 237. *Diana tr. de celebrat. Miss. resol.* 16. *p.* 3.

5. *Iure ordinario* semel tantùm in die sacrificare licet, si diem Dominici natalis excipias, in quo ter Missam celebrare licet: *Cap. consuluisti, de celebrat. Missarum*: multi tamen Doctores existimant ob extraordinariam necessitatem, Sacerdotem posse bis in die celebrare, modò sit ieiunus, nec se purificauerit in prima Missa. *Necessitas* est *Primò*, quando propter tenuissimum reditum Sacerdos habet duas parochias, & die festo in vtraque est celebrandum. *Secundò*, quando pro infirmo communicando deficit Sacramentum, & non adest alius Sacerdos celebraturus; *Addunt* aliqui Doctores hoc idem licitum esse, quando die festo aduenium peregrini Missam audituri, aut quando ad Ecclesiam accedit vir illustris, putà Princeps aut Episcopus; verùm cum hæc abierint in desuetudinem ob multiplicitatem Sacerdotum, standum est legitimæ locorum consuetudini. Vide *D. Tho. 3. par. qu.* 83. *art.* 2. *Sylvius ibid. quæst.* 4. *Suar. disp.* 80. *sect.* 4. *Rodrigues ca.* 249. *Victoria de Euchar. num.* 97. *Vasquez 3. par. d.* 232. *cap.* 3. *Vide Diaam p.* 5. *tract.* 5. *resolut.* 18. Habenda est præterea ratio loci: nam in partibus Septentrionalibus, in quibus hyemales dies sũt bre-

ortissimi, licitum est, citiùs Missam incheare, alioqui nimis breue esset tempus, quod intercedit inter initium, quo inchoandæ, & finem, quo absoluendæ sunt missæ: *similiter* ob easdem causas liceret post meridiem vna vel duab. horis celebrare consuetudine id permittente; Hinc *Nauarrus cap.* 25. *num.*87. *Vsuald. de Euchar. num.* 50. *Bonac. d.*4. *qu. vlt. p.*9. *num.*6. putat Missam absque vllo priuilegio celebrari posse vsque ad horam tertiam post meridiem; contrarium tamen in praxi obseruatur, & secundùm vsum communem, si quis per horam post meridiem non perficiat Missam, non videtur à mortali excusandus præcisa iusta causa: vt docet *Bonacina*, quamuis *Azor. tom.*1. *l.*10. *ca.*25. *qu.*6. tertiam horæ partem sufficere doceat vt Sacerdos dicatur grauiter peccare differendo Missæ celebrationem post meridiem. Cæterum minor causa requiritur ad sacrum inchoandum post meridiem, quàm ante auroram; cum maior indecentia sit celebrare de nocte quàm aliquanto post meridiem. Ad Rubricam autem seruandam, non est necesse Missam absoluere in puncto ipso meridiei, sed sufficit, si missa in meridie inchoetur. In hoc autem Belgio & alijs vicinis Regionibus videtur quoad tempus illud matutinum, esse consuetudine contraria præscriptum contra ordinationem communem Ecclesiæ: Solent enim sacerdotes vbique pluribus etiam horis ante auroram celebrare maximè in hyeme, cùm sol tantùm circa Octauam oritur. Quoad meridiem tamen antiqua Ordinatio communiter seruatur.

Religiosi tamen quibus ex priuilegio concessum est, per horam ante diem celebrare, possunt etiam per tres horas ante ortum solis Missas dicere & itidem per tres horas post meridiem. Ita *Diana p.*2. *trac.*14. *resolut.*33. & 34. citans *Suar. Ioannem de la Crux*. Imò ex priuilegio *Alexandri VI.* concesso Monachis S. Benedicti in Monasterio de Monte Serrato, possunt celebrare Missas in tuo Monasterio duabus horis immediatè post mediam noctem, vt refert Rodriques *in bullario bulla* 13. *Alexand. VI.* & eius compendiator Hieronymus Rodriques *resol.*25. *n.*2. & 2. Vide etiam Portel *v. missa n.*3. & 4.

Notandum autem quòd in casu necessitatis ad dandum viaticum ægroto, aliàs absque viatico morituro, posset Sacerdos transacta media nocte celebrare: nam maioris momenti videtur succurrere ægroto periclitanti, quàm post mediam noctem ante auroram non celebrare.

7. An autem tres Missæ quæ in die Natiuitatis celebrantur, possint noctu ante auroram celebrari. *Nauar. cap.* 25. *num.*87. *Miranda qu.*40. *art.*8. dicendum est vsu receptum esse, vt prima tantummodo Missa noctu celebrari possit: multis tamen in locis per consuetudinem introductum est, vt omnes missæ noctu celebrentur: vide *Suar. d.*80 *sect.*4. *Conuc. q.*83. *art* 2. *num.*217. *Rodriqu. cap.*248. *num.*5. *Reginald. l.*29. *nu.* 174. Existimant posse omnes ante auroram celebrari; quia non potest, inquiunt ipsi, vlla sufficiens ratio afferri cur vna & non omnes noctu celebrari possint. Ita etiam sentit Diana *c. resol.*35. Et confirmatur hæc sententia, quia si quis vellet ea nocte post matutinum vnam tantum Missam celebrare, non adstringeretur ad primam, sed posset secundam, vel tertiam celebrare. Est igitur priuilegium alterius noctis, quæ ab Ecclesia habetur tanquam dies, vt omnes tres Missæ de nocte possint celebrari. Nec obstat, quòd in Rubrica Missalis statuitur. Nam illæ Rubricæ intelligendæ sunt de Missis Conuentualibus, & solemnibus, vt prima dicatur post mediam noctem. Secunda in aurora. Tertia in plena die.

8. *Duplex* est sententia Doctorum an peccet mortaliter, qui celebrat Missam ante matutinum recitatum: *quidam* enim valdè probabiliter affirmant: Et huius sententiæ fuerunt quidam antiqui Theologi: quos secuti sunt aliqui recentiores: *Azor.* 1. *p. l.*10. *cap.*28. *qu.*17. *Grafius l.*2. *cap.*40. *num.*6. *Henriq. l.*9. *cap.*14. *num.*7. *Valent.* tamen & communior modò opinio est negatiua per se loquendo: quia non videtur tanta connexio inter Missam & horas Canonicas, vt conuertens hunc ordinem reus lethalis culpæ constituendus sit: & nulla lex sancita est in toto iure Canonico obligans ad mortale celebrantem, non persoluis horis matutinis. Hanc tenent *Suar. d.*82. *sect.*1. *Less. l.*2. *ca.*27. *num.*81. *Filliuc. tr.*23. *c.*7. *qu.*6. *Bonac. de horis canon. d.*1. *q.*3. *p.*4. *num.*11. *Diana c. resolut.*36. *Syluius* 3 *par. qu.*83. *art.*2. *quæst.*4. & dictum est *v. Hora Canonica* 3. num. 3.

9. An Prælati in celebratione Missarum in diebus festiuis, mutare debeant suarum Ecclesiarum ritum præcipiente Episcopo, & Ordinario loci festum aliquod obseruari? Respond. Concilium Tridentinum *sess.*25. *de regul. cap.*12. statuere quod, *Dies Festi, quos in Dioecesi sua Episcopus seruando præceperit, ab omnibus, etiam regularibus seruentur*, quæ verba à Sac. Congregatione Concilij sic interpretantur, vt referunt *Quaranta in sum. Bullarij v. Priuilegia Regularium*. *Tambur. de iure Abbat. tom.*2. *disp.*5. *q.*9. *num.*19.

*Congregatio Concilij censuit decretum c.*12. *versu. Dies etiam. Festi sess.*25. *de Regular. ita esse intelligendum, vt Regularium ritus illis semper permaneat quoad missas celebrandas, & cætera diuina officia tam publicè, quàm priuatim ab ipsis Regularibus in eorum Ecclesijs persoluenda, nec circa hæc ab Episcopis quoquo modo quidquam in contrarium eisdem Regularibus præcipi posse, quod si de facto præceperint, Regulares nequaquam ipsis Episcopis obedire teneri. Verùm quoad conciones & lectiones, quas ijdem Regulares ad populum habuerint, debere se conformare Euangelijs, & Epistolis quibus Clerus secularis vtitur illis diebus.*

Et sic resolutum propositum dubium manet.

MISSA V.

De alijs requisitis ad celebrationem Missæ.

SVMMARIVM.

1. *An ex præcepto iuris communis missa celebranda sit in Ecclesia consecrata aut benedicta, & in altari lapideo consecrato, non enormiter fracto?*
An autem possit missa celebrari in mari vel flumine? refertur duplex sententia. *Et an aliquando sine altari consecrato?*
2. *Requiritur præterea ad Missam, Patena, Calix ex argento, vel auro, vel stanno: qui non potest tangi a laicis, si sit consecratus & chrismate perunctus.*
Et an si in Calice non consecrato quis celebret bona fide, remaneat consecratus?
3. *Corporalia ad missa sacrificium requiruntur, quæ debent esse consecrata, confecta ex tela linea aut cannabea, munda: grauiter peccat adhibens corporalia immunda.*
4. *Duæ mappæ, vel saltem vna duplicata, alba, cingulum, amictus, manipulus, stola, & planeta requiruntur ad missam, & debent benedici ab habente potestatem: & an omissio harum vestium sit peccatum mortale?*
5. *Ad missam deinde requiritur liber, Crux, Lumen ex cera: debet Sacerdos dicere preces dum se vestit & harum omissio an sit mortale? requiritur etiam minister masculus, non femina.*
Et an in necessitate liceat sine ministro celebrare? An celebrare sine tonsura sit peccatum mortale.

1. EX præcepto *Cap. nullus Presbyter, de consecr. dist.*1. *Reginal. l.*29. *num.*176. iuris communis *Missa celebranda* est in Ecclesia consecrata ab Episcopo, aut saltem benedicta, & in altari lapideo consecrato, integro & non enormiter fracto, vnde non potest Missa celebrari absque graui peccato extra Ecclesiam, aut extra Oratorium ab Episcopis designatum secluso priuilegio, nisi adsit iusta necessitas: *Suar. d.*81. *sect.*3. *Sylu.* 3. *par. qu.*83. *art.* 3. *c.*4. & in casu aliquo particulari iusta occurrente causa potest dispensare Episcopus, vt Missa extra Ecclesiam in loco honesto celebretur. *Vasq.* 3 *p. d.*233. *c.*1. *In mari* autem vel in flumine, vbi periculum imminet effusionis sanguinis, non potest Missa celebrari: si verò periculum non adsit effusionis sanguinis, *Sa v. missa num.*19. *Graff. lib.*2. *cap.*42. *num.*10. *Henriq. l.*9. *c.*17. *num.*2. putant, posse celebrari: sed contrarium est sustinendum, nisi aliter consuetudine, vel priuilegio concessum sit. Prout concesserunt *Clemens VIII.* & *Paulus V.* re multùm, diuque perpensa Patribus Societatis IESV nauigantibus in Indias quando mare est tranquillum & non adest periculum effusionis sanguinis: Quod autem dicitur de nauigantibus in Indias, intelligi debet etiam de alijs nauigantibus in longinquas partes: & non solùm quando adest necessitas exhibendi viaticum constituris in articulo mortis, sed etiam, quando est nutrienda deuotio nauigantium: vt esset in solemnioribus festiuitatibus, quia tunc censetur adesse necessitas moralis. Vide *Diam. p.*5. *tr.*3. *resol.*40. *Lugo d. disp.*20. *de Euchar. sect.*3. *Amic. tom.*7. *disp.*33. *num.*346. *Præterea* non potest Missa celebrari sine Altari, tam firmo, quàm portatili consecrato: Altare autem portatile fieri non potest ex duobus lapidibus inuicem eo ligatis, sed ex vno tantùm: & quãdo altare firmum seu lapis integer qui toti Altari superimponitur

Digitized by Google

tut est consecratus non opus est altari portatili. Vt dictum est v. *Altare*, & docent *Vasqu.d.*233.*c.*4. *Sylvest.v.altare q.*3. *Sylv. e.art.*3.*quæst.*4.

Sed petes, an liceat aliquando celebrare sine Altari consecrato? Resp. non licere. Nam Pontifex tametsi possit, numquam tamen solet dispensare: si quis tamen metu mortis adigeretur ad sic sacrificandum, sine contemptu fidei, aut Ecclesiasticæ potestatis, posset hoc modo sibi consulere: quia nulla lex humana, vt sic, obligat sub periculo vitæ: imò in hoc casu liceret missam celebrare sine altari, calice consecrato, aut vestibus sacris. Vide Dianam *p.*3.*tr.*6.*resol.*48. qui pro hac sententia citat *Azorium*, *Vasqu. Becanum*, *Valentiam*.

2. *Ad missam* celebrandam præter Ecclesiam consecratam, vel benedictam, & præter altare consecratum, *Cap. vt Calix de consecr. dist.*1. *Suar. disp.*83.*sect.*7. *Primò* requiritur patena & calix consecratus & chrismate perunctus, confectus ex argento vel auro, vel stanno: non autem ex auricalco vel ære ne vomitum prouocet; per calicem significatur sepulchrum Christi, per patenam verò significatur lapis sepulchro superimpositus.

Notandum autem est, Calicem, patenam, & alia ornamenta, quæ immediatè attingunt Corpus Christi, vt est palla & corporalia, non posse tangi à laicis absque peccato. *Cap. sacratas d.*23. *Bonac. c. punct.*9.*num.*20. peccatum tamen, per se loquendo, non videtur mortale, seclusò scandalo & contemptu, quia non videtur materia grauis.

Sed petes, an si in calice non consecrato quis celebret bona fide remaneat consecratus? Resp. probabile esse, quòd sic. Ratio est, quia Ecclesia pollutâ non eget alia reconciliatione, si quis in ea bona fide celebrauit: Igitur calix etiam non egebit consecratione, vel benedictione postquam in illo celebratum est: Sacrificij enim dignitas, habet vt sanctificet locum sine alia reconciliatione: & sicut Ecclesia sanctificatur per sacrificium: ita per contactum sanguinis Christi sanctificatur calix, & fit sacer sine alia consecratione. Ita *Henriq. l.*9 *de missis, c.*27.*num.*6. *Lezan. tom.*3.*fusi. v. Calix num.*8. *Aulla de consec. p.*5.*disp.*7.*dub.*3.*concl.*1. *Sà v. Ecclesia num.*19. *Diana p.*2.*tr.*14. *res.*69. *& p.*5.*tr.*13. *resol.*60. *& p.*6.*tr.*6.*resol* 28. Qui idem dicendum putant de vestibus nondum benedictis, si alius Sacerdos bona fide cum ipsis Missam antea celebrasset. Vide v. *Altare* n. 1.

3. *Secundo* requiruntur ad Missæ sacrificium Corporalia, quæ debent esse consecrata, & confecta ex tela linea aut cannabea quoad eam partem, qua continetur Calix. *cap. consulto. de consecr. dist.*1. *Hostiens. tr.*5. *c.*4. *fo.*10. *Regin. l.*29.*num.*195. remanent autem consecrata, quamdiu manent integra & non fracta notabiliter; vnde post lotionem, non sunt iterum benedicenda: Adhibens verò corporalia immunda peccat, & quidem grauiter, si valdè notabiliter sint immunda, facit enim contra reuerentiam tanto Sacramento debitam in re, quæ proximè attingit Corpus Christi.

4. *Tertiò* requiruntur duæ mappæ, vel saltem vna duplicata, ex tela confecta & benedicta; quamuis non adeò necesse sit, vt sint benedictæ: *quæ* in necessitate possunt adhiberi mappæ laicorum non benedictæ, quæ postea laicis restituuntur, vt aiunt *Suar. disputat.*81. *sect.*6. *Reginald. lib* 29. *num.* 194. *Sà v. missa numero* 7.

Quartò requiruntur vestes Sacræ, id est, *alba, cingulum, amictus, manipulus, stola & planeta*: *Rodriqu. cap.*248.*nu.*12. *Valent. tom.*4.*d.*6.*qu.*11.*p.*3. *Nauarr. cap.*25. *num.*84. Hæ autem *vestes* amittunt benedictionem & noua indigent benedictione, quando ita franguntur, vt non sint aptæ ad vsum, ad quem fuerunt destinatæ, aut non amplius priorem retineant figuram: *Cingulum* verò indiget noua benedictione, si ita perfringatur, vt nulla ipsius pars sufficiat ad cingendum: *Dian. c. resol.*57. *Bonac. c. p.*9. *cap.*26. *Omissio* harum vestium præcisa inaduertentia & magna celebrandi necessitate inducit peccatum mortale, etiamsi vna tantùm omittatur; idem dicendum, si adhibeatur aliqua non benedicta, si autem adhibeatur immunda, committitur saltem peccatum veniale *Graff. l.*2.*cap.*42. *num.*2. *Angelus v. missa nu.* 56. *Rodriq. c.num.*13. *Dian. c. resol.*58 *Cauendum* præterea sacerdoti est, ne cooperto capite celebret saltem tempore consecrationis, nisi aliter cogat necessitas morbi aut caluitiei: præciso tamen scandalo & petita ab Episcopo licentia. *Sà v. missa nu.*15. *Henriq. l.*9.*cap.*26.*num.*3. *Ob honestatem* insuper requiritur, vt Sacerdos sit indutus calceis, quamuis hac de re non extet præceptum obligans sub mortali.

5. *Quintò* ad Missam celebrandam requiritur *liber*, & Sacerdos recitans Missam sine libro, qui saltem non contineat Canonem, mortaliter peccat, per se loquendo, cùm se exponat periculo grauiter errandi. *Nauar. cap.*25.*num.*83. *Sylu. c. qu.*3. *Comunck qu.*83.*num.*251. *Vasqu. d.*233.*cap.*3.*num.*26. *Diana resolut.* 46. Si tamen in aliquo loco vbi non adesset Missale, aliquis Missam celebraret, quidam putant in tali casu sacerdotem non peccare, dummodò sit ita instructus, & de sua memoria confidens, vt moraliter non dubitet posse se omnia integrè dicere sine Missali, quamuis non sine alio libro loco Missalis: ne notam aliquam incurrat apud alios. Ita *Diana* citatus. *Crux* præterea requiritur, quamuis qui eam omittit, non videatur reus culpæ lethalis.

Sexto, requiritur lumen, quod ex consuetudine conficitur ex cera, quamuis in necessitate sufficiat candela ceba cea, aut etiam lucerna ex oleo. *Suar. d.*83. *sect.*6. *Regin. l.*29.*num.*196. *Tolet. l.*2.*c.*2. *Dian. resolut.*45. 67. ex consuetudine duæ saltem candelæ adhibentur, quamuis vna sufficere videatur.

Septimò, requiritur vt Sacerdos dum se vestibus induit recitet preces ab Ecclesia præscriptas, quarum omissionem putant peccatum mortale. *Nauar. l.*3. *conf. de celebrat. Missar. conf.*2. *Sylu. e. art.*6 *Azor.*1. *par. l.*10. *cap.*29. *qu.*5. Licet probabilius contrarium *Henriqu. l.*9. *cap.*24. *Bonac. p.*9.*num.*31. *Dian. c. resolut.*41. alijs, & meritò videatur; quia consuetudo recitandi huiusmodi preces, non videtur recepta cum tanto rigore, caueat tamen Sacerdos ne illas omittat.

Octauo, requiritur vt Sacerdos adhibeat aliquem masculum sibi ministrantem, non autem fœminam, quia iure cautum est, ne fœmina ad altaris ministerium adhibeatur: *Cap.*1. §. *final. de cohabit. Cleric. & mulierum. Suar. d.*87. *sect.*1. *Coninc. c. nu.*284. *Regin. c. num.* 164. Vnde quando superuenit necessitas celebrandi pro communicando infirmo, quidam volunt potiùs celebrandum esse sine ministro, quàm fœminam adhibere: quamuis fœminæ possint remotè inseruire, & respondere Sacerdoti vt faciunt Moniales in choro In necessitate quando non adest alius, Sacerdotem celebrantem cum fœmina non peccare mortaliter docuit Sylvius *citato art.*5. quia in hoc casu fœmina non præsumit, sed inseruit ex commissione Sacerdotis, propter stantem necessitatem; cui subscribit *Nugnus* 3.*par. qu.*83. *art.*6. Haberur enim in Capitulo de cohabitatione cleric. & mulierum, *Inhibendi manquoque, vt nulla fœmina præsumat accedere, aut Presbytero ministrare, aut inter cancellos stare vel sedere*. Vbi indicat, non debere mulieres admitti intra chorum. Quod est contra Domicellas eligentes sibi locum propinquè ad altare, non sine indecentia & distractione Sacerdotum. Cui rei Episcoporum vel Prælatorum regularium respectiuè quoad suas Ecclesias auctoritas deberet obuiare, quandoquidem iure prohibeatur.

Sacerdos autem qui extra necessitatem sine ministro celebrat non potest excusari à mortali: quia facit contra præceptum Ecclesiæ in re grauj; licet aliqui excusent celebrantem in die festo, ne ipse vel populus Missa careat, aut moribundo sit dandum viaticum. *Bonac. c. p.*9.*num.*32. *Suar. c. Dian. de celebr. miss. resol.* 43.44. *Sylu.* 2.*par. qu.*83.*art.*5. *Cassensis tr.*23.*disp.*3. *sect.*6. *n.*95. Sed dubium occurrit, an celebrare sine tonsura, sit peccatum mortale: Resp. sine rationabili causa frequenter absque tonsura ad celebrandum accedere, etiamsi absque contemptu fiat, à peccato mortali non excusari: quia iura id seuerè præcipiunt sub anathematis pœna, vt patet ex *cap. si quis, de vita & honest. cleric.* & hoc præceptum ex obiecto sito obligat ad mortale, cùm sit de re graui, vt notat Vasqu. infra citandus.

Cum causa autem rationabili certum est aliquando licitum esse sine tonsura celebrare; patet in sacerdotibus inter hæreticos versantibus, qui ne deprehendantur, sine tonsura incedunt & celebrant.

Quando verò censeatur peccare mortaliter sacerdos intonsus celebrans, certò definiri non potest, nisi pensatis singulis circumstantijs, personæ, loci, & temporis diuturnitate, penes quam maximè definienda est grauitas huius peccati. Ita Sylvester *verb. Clericus* 2. §. *Pro intelligentia*, Vasquez 3. *part. disputat.*250. *cap.* 3. Eadem quoque ratio est de habitu clericali, sine quo ex aliqua rationabili causa aliquando celebrare, nullum erit peccatum, secus si frequenter, & sine causa: quia vtrumque sub grauissimis pœnis præcipitur in bulla *Sixti Quinti* edita anno 1589. 18. Ianuarij, quæ incipit, *Cum sacrosanctam*.

MIS-

MISSA VI.

De defectibus in Missa contingentibus, & corrigendis.

SVMMARIVM.

1. *Quid faciendum Sacerdoti si defectus quidem contingat circa materiam consecrandam?*
2. *Quid agendum, quando Sacerdos malitiosè noluit consecrare hostiam? vel si in suscipiendo calice advertit non esse speciem vini, sed aquam, aut acetum?*
3. *Quid, si animal, aut aranea decidit in calicem ante consecrationem, vel post? & quid, si Sacerdos post sumptionem advertit, vel monitus fuit vinum fuisse veneno infectum? & quid, si hostia consecrata vel sanguis in terram cadat?*
4. *Sacerdos advertens se aliquid omisisse spectans ad integritatem formæ, quomodo debeat supplere defectum? & quid, quando dubitat an habuerit intentionem consecrandi? Quid, si ante consecrationem adverterat non miscuisse aquam vino, vel hostiam esse notabiliter fractam? vel si hostia cadat in calicem dum frangitur, vel si species vini consecrati congelentur?*
5. *Quid, si Sacerdos ante vel post consecrationem deficiat? vel dubitetur an consecraverit?*
6. *Quale peccatum sit in missa aliquid omittere? & an sit obligatio repetendi postea quod omissum est.*

1. IN *Missa* vitandi sunt defectus; quod si aliquis contingat circa substantialia, supplendus est, vt in missali præscribitur. *Filliuc. trac. 5. cap. 5. qu. 9. Tolet. lib 2. cap. 9. Angelus v. Missa num. 15. Sylvest. v. Eucha. cap. 2. num. 14. Azor. 1. part. lib. 10. cap. 33. qu. 5. & 6. Reginal. l. 29. num. 213. Conine. d. 83. nu. 276.* & quidem si sit circa materiam, vt si Sacerdos comperiat hostiam non esse confectam ex tritico, aut loco vini positam esse aquam, vel acetum, vel alium liquorem, aut si aduertat materiam appositam non esse certam & indubitatam, sed eam, de qua dubitatur inter Doctores, debet aliam materiam certam & aptam assumere, eamque consecrare facta oblatione si commodè eam possit facere: quòd si non adsit præsens vinum, nec possit afferri sine graui scandalo, Sacerdos potest sacrificium perficere in vna tantùm specie, nam præceptum affirmatiuum consecrandi sub vtraque specie, non obligat in tali euentu. modum autem se gerendi in noua consecratione, talis præscribitur à Doctoribus, vt fiat sine scandalo: Sacerdos debet accedere ad cornu altaris, simulando se velle purificationem accipere, deinde posito vino in calice, accedat ad medium altaris ibique consecret inciplendo ab illis verbis, *Simili modo*, & absque eleuatione subiungat, *Vnde nos memores*. Et statim sumat. Nec opus est in hoc casu vt nouam hostiam Sacerdos consecret. Vide Doctores hic citatos.

2. *Sacerdos* qui malitiosè noluit consecrare hostiam, & post sumptionem calicis ipsum pœnitet erroris, non solùm potest, verùm etiam debet hostiam consecrare ob integritatem sacrificij. *Rodrig. cap. 250. concl. 2. Suar. Nauar. c.* si verò in neutra specie consecrauit, non est opus vllam materiam consecrare. *Conine. num. 280. Bonac. c. punct. 1. num. 7.* Qui in suscipiendo calice aduertit non esse speciem vini, sed solùm aquam aut acetum, debet potiùs deglutire, cùm non videatur posse in calicem expuere absque indecentia, & fortasse non sine scandalo astantium, quia præceptum celebrandi cum ieiunio non videtur obligare cum tanta indecentia vel scandalo.

3. Quando *animal* aut *arenea* decidit in calicem ante consecrationem, alia materia sumenda est, eaque offerenda & consecranda. *S. Thom. 3. p. 85. art. 6. ad 3. Suar. disp. 85. sect. 1. Azor. l. 10. cap. 33. q. 3. Sa v. Missa num. 34.* Si verò decidat post consecrationem, extrahendum est id quod est noxium, & species consecratæ sumendæ sunt, si vtrumque non incommodè fiat; sin minùs, extracto animalculo vel veneno, illæ species vini lineo aut stupa exiccari debent, exiccataque comburi, & combustæ in sacram piscinam proijci. *S. Thom. c. Sylvest. v. Eucha. 2. q. 9. Sot. 4. d. 13. qu. 2. art. 6. An autem* in hoc casu aliud vinum sit de integro consecrandum, *Sanctus Thomas* affirmat, cæteri verò negant, liberum est cuique quam malit sententiam amplecti.

Tabien. v. Missa num. 32. Bonac. d. p. 10. num. 11. Quando autem sacerdos post sumptionem aduertit, vel admonitus fuit vinum fuisse veneno infectum, potest species consecratas eo more in vas mundum, quia non videtur Sacerdos obligandus cum tanto suo incommodo ad eas retinendas, sicut neque tenetur eas sumere. *Azor. c. cap. 33. qu. 8 Sa v. missa num. 34. Tabi. d. lib. 2. cap. 9. Species* verò quas quis euomuit, seruandæ sunt donec euanescant: sicut etiam si animal comedit Eucharistiam, cremanda est Eucharistia, si potest, & conseruanda donec corrumpatur, & post corruptionem comburenda, sicut etiam ipsum animal comburendum est, & ipsius cineres mittendi licet in piscinam. *Henriq. lib. 9. cap. 37. num. 4. Rodrig. cap. 250. num. 3. Graff. l. b. 2. c. 46. num. 4. Bonac. c. num. 10. Si hostia* consecrata in terram cadat, vel super tapetem, Sacerdos radere debet, mundare ac lauare locum, & pulverem proijcere in piscinam: *si verò* sanguis decidat, debet absorberi, si commodè absorberi potest, deinde locus radi & lauari: si verò decidat super barbam Sacerdotis sufficere videtur, si repetita lotione, barba purgetur, iuxta receptam consuetudinem.

4. *Quando* Sacerdos *aduertit* se aliquid spectans ad integritatem formæ omisisse, debet defectum supplere, vt validum efficiat Sacramentum, nec satisfacit repetendo solùm verbum quod omisit, sed debet totam formam repetere, si alia verba interiecta fuerunt: *D. Thom. qu. 83. art. 6. ad 5. Suarez disp. 8. sect. 1. Rodrig. qu. cap. 250. num. 2. eadem dicendum* est, quando aliquod verbum omissum est, de quo dubitatur inter Doctores, an sit de integritate & essentia formæ: *Regin. l. 9. num. 21. Conine. qu. 83. num. 281. Henriq. c. cap. 36. Item* debet repetere verba consecrationis, quando dubitat an habuerit intentionem consecrandi formalem, aut virtualem, quia hic defectus est substantialis; debet autem dubium esse probabile, & in hac materia non oportet esse scrupulosum, ne via dæmoni aperiatur. *Sylvest. v. miss. 1. qu. 5. Si verò* præteritum est aliquid, quod non est de substantia sacrificij, non est ex necessitate postea supplendum cum perturbatione ordinis ab Ecclesia præscripti. *Graffis lib. 2. cap. 46 num. 5. Tolet. l. 2. cap. 9. Similiter* si Sacerdos ante consecrationem aduertat hostiam esse notabiliter fractam, aut non immiscuisse aquam vino, debet aliam hostiam accipere & aquam vino immiscere post consecrationem verò non debet aquam miscere. *Azor. c. cap. 33. qu. 9. Henriq. c. cap. 37. num. 5. Angelus v. missa num. 23.* Si hostia cadat in calicem dum frangitur, potest perfici Missa absque alia iteratione, *si species* vini consecratæ congelentur, non est iterum facienda consecratio, sed calefaciendæ sunt species congelatæ admotis ad calicem linteis calidis, vt per modum potus sumantur.

5. *Quando* Sacerdos morte vel graui infirmitate ante consecrationem impeditur, ne sacrificium absoluat, non est per alium Sacerdotem perficiendum: *D. Thom. qu. 84. art. 6. ad 1. Azor. c. cap. 33. qu. 1. Tolet. lib. 2. cap. 9. Rodrig. cap. 250. num. 4.* Si autem post consecrationem, alius Sacerdos supplere debet, modò sit in gratia, etiamsi ieiunus non sit: incipiendo ab eo loco vbi alter reliquit: si verò Sacerdos sit in peccato mortali, nec habeat copiam confessarij, debet elicito actu contritionis sacrificium perficere. *Henriq. c. cap. 40. & 41. Bonac. c. num. 21. Si verò* moriatur Sacerdos post sumptionem hostiæ, non tenetur alter perficere, cum essentia sacrificij, iuxta probabilem nonnullorum sententiam, saluari possit in sumptione vnius tantùm speciei. *D. Tho. 4. d. 8. qu. 1. Henriq. cap. 40. num. 4. Sylvest. v. Eucha. 2. num. 12. Quando* autem dubitatur, an Sacerdos qui inter celebrandum defecit, hostiam consecrauerit. Sacerdos supplens debet aliam hostiam sumere eamque consecrare, simul consecrando sub conditione, eam de qua dubium est an sit consecrata: vel potest nouam hostiam consecrare, eam verò de qua dubitatur an sit consecrata, sumere post sumptionem vtriusque speciei, antequam sumat purificationem.

6. Sacerdos in Missa nihil ex electione omittere debet: & præcipuè in Canone: *Filliucius tomo primo tract. 5. cap. 5. nu. 155. Marchan. in 4. regul. de Sacram. tr. 4. cap. 5. qu. Diana p. 2. trac. 14. resol. 42. 49. 59. & p. 5. tr. 5. resol. 45. Caspens. trac. 3. disput. 3. sect. 7. num 95. & 96.* vbi facilius efficitur peccatum mortale aliquid omittere: ex paruitate tamen materiæ, aliquando erit solùm peccatum veniale talis omissio: puta vnius *Kyrie eleison*, vel *Credo*, vel *Gloria in excelsis*, vel alicuius commemorationis: idem si quis omittat in Canone nomen alicuius Sancti, vel tempore Paschali ea quæ interponuntur in *Communicantes*, aut in actione, *Hanc igitur oblationem*, &c. Similiter non est nisi veniale cæremonias aliquas, quæ inter principales non annume-

ran-

rantur, sine contemptu prætermittere, verbi gratia, Crucem aliquam, manuum eleuationem pectoris tunsionem, &c. Ratio est, quia non sunt partes simpliciter necessariæ ad Missam, nec quid notabile ad integritatem Missæ spectans, constituunt. Imò secundùm *Dianam*, non peccat mortaliter Sacerdos in Missa maiori, si non legat submissa voce Epistolam & Euangelium postea à Subdiacono & Diacono canendum, hoc ex leuitate materiæ: illa autem lectio quæ omittitur, videtur esse magis priuata, non tam pro populo, quam pro ipso Sacerdote. Et licet in se materia sit grauis, si omninò omittatur; potest tamen esse leuis, si non ab vtroque, sed ab vno solo canteur, vel legatur. Vide Doctores hic citatos.

Sed rogabis, an qui per obliuionem, aut negligentiam aliquid omisit, teneatur id postea repetere v.gr. Gloria, Credo, aliquam collectam, vel si legit alienam Epistolam aut Euangelium. Resp. non teneri, nisi esset de substantia consecrationis, aut aliquid necessariò requisitum ad subsequentes ceremonias, vt est fractio hostiæ: nam omnia quæ in missa dicuntur, ita sunt disposita, vt variato ordine, & quasi extra proprium locum constituta, non rectè cohæreant, ac propterea consilium est ijs prætermissis ad subsequentia transire. vt notat D. Thomas 3. *par. quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 5.

Præterea cùm celebrans teneatur ad omnia quæ præscribuntur in Missali ita vt nihil possit omittere; ita nihil potest addere de suo sine peccato: Nihilominus aliter faciendo, aliquando est solùm peccatum veniale; quando scilicet parua aliqua oratio additur ex deuotione, & non recitatur alta voce coram populo. Ratio est, quia sicut leuitas materiæ solet à peccato mortali excusare, non est ratio cur in præsenti non excuset. Ita *Sylvius* 3. *part. quæst.* 83. *art.* 6. *Dian. part.* 5. *resol.* 63.

Circa obligationem rubricarum Missalis, aduertendum est ex *Fagund. præcep.* 1. *l.* 3. *cap.* 21. *num.* 7. & 8. *Suar.* 3. *par. tom.* 3. *disp.* 85. *sect.* 1. illas non obligare communiter ad mortale; & ideò qui aliquam aut aliquas illarum scienter sine causa omitteret, mortaliter non peccaret, nisi contineant essentiam seu, quasi essentiam sacrificij; vel non dimittat tantam illarum partem, vt nouum ritum in Ecclesiam non introducat. Ratio est, quia regulæ Missalis de supplendis defectibus, ad peccatum non obligant, illæ enim non sunt præcepta, sed doctrinales quædam instructiones, quæ tantam obligationem inducunt, quanta est doctrina in qua fundantur, & solùm Summus Pontifex in eis intendit approbare tanquam bonam, ac probabilem eam doctrinam, quam continent.

Hinc grauius est, addere aliquem nouum ritum præsertim in Ecclesia inusitatum, v.g. certum numerum candelarum, &c. quàm aliquid ex præscriptis omittere, & tamen in omissione potest interuenire peccatum mortale ex grauitate materiæ, v.g. si omittatur mixtio aquæ, si panis azymus, si fractio hostiæ, si mixtio cum sanguine, si eleuatio hostiæ post consecrationem, &c. ac propterea si præuidetur defectus ante consecrationem, præstat omittere missam, quàm indebito modo sacrificare. Posset tamen omissione aliorum sacrorum Rituum sacerdos peccare mortaliter *primò* ob contemptum, & grauem incuriam in illis addiscendis & practicandis: censebitur enim interpretatiuus contemptus sacrorum, & sacrarum institutionum, ac irreuerentia notabilis si notabiliter in illis sit incurius. *Secundo* cùm non tantùm negligit Sacras cæremonias, sed histrionum more pro libitu gestus & modos sibi fingit, vel ab alijs effictos efformat: vt proh dolor! plurimos videmus, qui in S. Sacrificio Histriones magis apparent, quàm sacerdotes, etiam cum scandalo videntium, & Sacrificij non mediocri irreuerentia.

MISSA VII.

De stipendio dando Sacerdoti pro celebranda Missa.

SVMMARIVM.

1. *An Sacerdos possit pro celebratione missarum eleemosynam, seu stipendium accipere, imò & exigere?*
   An quando quis absque stipendio promittit missam, teneatur illam offerre?
2. *An sacerdos obligatus ad quotidie celebrandum possit nouas eleemosynas accipere pro celebratione missarum, & omnibus vnica Missa satisfacere.*
3. *An qui plures collegit eleemosynas, & vnicum applicauit missa sacrificium, teneatur ad restitutionem.*
4. *An stipendium pro missis celebrandis ab omnibus sacerdotibus tam diuitibus, quàm pauperibus sumi possit? & quanta debeat esse eleemosyna?*
5. *An peccet mortaliter sacerdos, & teneatur ad restitutionem, qui pro missæ celebratione accipit, & exigit importunè ab inuitis eleemosynam supra taxam ab Episcopo præscriptam, aut legitima consuetudine receptam?*
6. *An titulo paupertatis possit sacerdos ad vitæ sustentationem supra taxam exigere.*
7. *An qui detentus infirmitate per 15. dies & amplius non celebrauit, teneatur per alium supplere ad ratam temporis quo non celebrauit, si iuxta Capellania institutionem tenebatur ad onus quotidiana celebrationis?*
8. *An sacerdos, qui plura colligit stipendia pro celebratione missarum, possit per alios sacerdotes satisfacere, retenta sibi parte eleemosynarum inscio dante & inscijs sacerdotibus?*
   Decreta S. Congregationis de celebratione missarum.
   Declarationes aliquot S. Congregationis Concilij, super decretis eiusdem Congregat. de celebratione missarum.
9. *An sacerdos ratione vnius Missa possit plura stipendia recipere.*
   An duplex stipendium possit sacerdos pro vna Missa accipere, applicando partem soluam vni, & alteri suam partem propriam.
10. *An maius stipendium possit sacerdos accipere, pro obligatione dicendi missam summo mane, vel ad loca distantia, vel pro missa solemni, vel in diebus festis, &c.*
    Et an quando datur stipendium non pro applicatione sacrificij, sed vt populus missam audiat, possit sacerdos alteram eleemosynam accipere pro applicatione sacrificij?
11. *Quamuis Episcopi, Abbates & Generales Ordinum ex Concilio Tridentino potuerint Missas Capellanarum, & Anniuersariorum ad minorem numerum reducere; hodie tamen talis facultas reuocata & ablata illis est per Decretum Sacræ Congregationis.*
    Refertur quædam Concessio S. D. N. Vrbani VIII. facta Fratribus Ordinis Minimorum, & minorum conuentualium pro reducendis missis.

1. *Cum operarius dignus sit mercede sua*, vt ait Christus *Matthæi* 10 Hinc Sacerdos potest pro celebratione Missarum eleemosynam, seu stipendium in sui sustentationem accipere: idque exigere potest absque labe simoniæ per viam iuris, aut illud in pactum deducere, antequam Missæ sacrum faciat: quia Sacerdos non recipit eleemosynam tamquam pretium rei spiritualis, sed pro sua sustentatione, aut pro labore extrinseco, aut pro obligatione celebrandi in tali loco, vel tempore, aut quia priuat se facultate dandi operam alijs rebus, ex quibus licitè posset lucrum referre, vel aliquid aliud facere, quæ pretio æstimabilia sunt. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *Suar. disp.* 86. *sect.* 1. & 3. *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *d.* 8. *Azor.* 3. *par. lib.* 12. *cap.* 3. *qu.* 1. *Conine. qu.* 83. *art.* 1. *num.* 197.

Sed quæres, an quando quis absque stipendio promittit alicui missam se pro illo oblaturum, teneatur eam offerre? Resp non semper teneri, nam sæpe dicta promissio tantùm est simplex declaratio animi & propositi, quod tunc habet, sine intentione se obligandi ad non mutandum illud, sed omninò implendum, & tunc non manet rigorosa obligatio, sed solùm ex quadam decentia vt sine graui causa animus non mutetur. Ita Suar. *tom.* 3. *in* 3. *par. disp.* 86. Portel. *in dub. reg. verb. missa num.* 10. Si autem promittendo habuit animum se obligandi, adhuc tenet Diana cum multis *p.* 2. *trac.* 17. *resol.* 9. *in fine*. Quòd non est mortale non obseruare: nam omissio sacri ex liberalitate promissi, non est in genere damnorum spiritualium, quòd possit constituere peccatum mortale. Si tamen sacerdos promittat sacrum ad soluendum gratitudinis debitum, putant quidam, quòd celebrare teneatur: nam tunc iustitiæ, & naturalis debiti est talis promissio, non simplicis liberalitatis.

2. *Sacerdos*, qui ex titulo, vel ex conuentione tenetur Missam quotidie celebrare, non potest nouas eleemosynas accipere pro celebratione Missarum, & omnibus vnica vel paucioribus Missis satisfacere, etiamsi plures collectas in celebratione Missarum adiungat, aut hoc faciat, sciente & concedente superiore. *Nauar. cap.* 25. *n.* 92. *Regin. l.* 23. *n.* 234. *Conine. q.* 83. *art.* 1. *n.* 192.

Secus

Secus Henr. l.9 c.23.& c.22. Suar. disp.86 sect.3. Syl. v. miss. n.10. Reg. c. num.234. si hoc faciat ex priuilegio Summi Pontificis, aut si offerentibus eleemosynas constet ipsum Sacerdotem teneri Missæ sacrificium aliis applicare: quia Summus Pontifex sicut potest ex iusta causa Missas reducere, ita etiam potest concedere, vt vnum vel pauca Missæ sacrificia offerantur, & quando offerentes nouam eleemosynam conficij sunt prioris obligationis in Sacerdote, contenti esse videntur de fructu quem possunt percipere: seque voluntariè periculo exponunt non recipiendi fructum integrum sacrificij.

3. *Qui plures* collegit *eleemosynas* & vnicum applicauit Missæ sacrificium, tenetur ad restitutionem, vel Missas prætermissas celebrando, vel curando vt per alios celebrentur, vel restituendo stipes acceptas, admonitis ijs qui eas dederunt, Missas non fuisse celebratas: quia ex violatione iustitiæ cum damno alterius, consurgit obligatio restituendi. *Rodriqu. cap.251. concl.2. cap.45. nu.17. Talet. l.2. cap.8.*

4. Stipendium pro Missis celebrandis ab omnibus Sacerdotibus sumi potest, siue pauperes sint, siue diuites, siue absque beneficio, siue cum illo, modò obligationibus ex eo nihil detrahatur: *Suar. d.86. sect.3. Filiuc. tract.5. cap.6. qu.2.& 7. Rodriqu. ca.252. num.4. Nauar. cap.23. num.101.* Imò parochi à recipiendis huiusmodi stipendijs non excluduntur, cùm possint ijs diebus, quibus pro suis ouibus sacrificare non tenentur, offerre sacrificia pro alijs. *Reginal. l.23. num.232. Conuinc. qu.8; d.10. num.192. Bonac. de Missa p.8. num.9.& 10. Henriqu. l.9. cap.22. num.3.* *Tantam* verò eleemosynam accipere potest Sacerdos pro Missa celebranda, quanta præfixa fuerit per Episcopum, vel per legitimam consuetudinem, aut etiam per arbitrium viri prudentis, deficiente consuetudine aut taxa Episcoporum. Vnde Episcopus potest legem condere, vt tantum stipendium tradatur, ita vt laici non dent minus, nec Sacerdotes maius exigant: non est tamen liberum Episcopo statuere, vt Sacerdotes non accipiant minorem pecuniam, nam occluderetur via liberalitati, charitati, & pietati illorum. Tum quia potest sacerdos cedens iuri suo, minori stipendio esse contentus, sicut potest nullum accipere stipendium. Neque enim lex ita fideles obligat ad dandum iustum stipendium pro Missa, vt non possint consentiente sacerdote, minus dare. Et certè maximè expediret, quòd Episcopi in suis Diœcesibus stipendia missarum determinarent, iuxta Epicheiam, & considerationem rationabilem attentis Terrarum, Regionum, Personarum, Occupationum, Modorum & omnium quæ occurrunt, circumstantijs, ad euitandam confusionem quæ singulis diebus oritur, tum ex auaritia fundatorum, tum ex vilitate sacerdotum, & eorum ad quos res pertinet, qui quaslibet fundationes recipiunt in onus successorum, vt sibi viliter pauca corradant. Vnde in Decreto Sacræ Congreg. infra de celebr Missar. prohibetur: Ne seculares sine licentia Episcopi vel Vicarij Generalis in scriptis obtenta: Regulares verò sine sui Generalis vel Prouincialis similiter facultate, onera perpetua Missarum deinceps recipiant: idque sub grauissimis pœnis, quæ ibidem referuntur.

Aduertant igitur pacificentes de stipendio, non posse obligare suos successores, & grauare iniustis stipendijs: quia istud grauamen est contra iustitiam: Vnde successores cognita iniustitia stipendij & grauaminis, statim possunt renunciare fundationi, quasi facta non esset, nisi ipsi fundatores vel etiam hæredes stipendium augeant iuxta temporis & constitutionum ab Episcopis factarum rationem.

5. *Sacerdos*, qui pro Missæ celebratione accipit stipem, & eleemosynam supra taxam ab Episcopo præscriptam, aut legitima consuetudine receptam, si illam exigat importunè ab inuitis, peccat mortaliter posita materia notabili, & tenetur ad restitutionem excessus, quia facit contra iustitiam augendo pretium taxatum à superiore. *Suar. tom.3. d.86. sect.2. Aior. 3. par. l.12. cap.6. Rodriqu. 1. par. cap.251. Non peccare* autem Sacerdos si ex liberalitate offerentis reciperet eleemosynam pinguiorem supra taxam, quia excessus censetur donari. *Reginald. l.23. num.232. Posseuin. de Missa cap.2. num.25. Sacerdotes* verò, qui sordida quadam lucri cupiditate deserunt priorem Ecclesiam, in qua celebrare tenentur, seque alio conferunt ad sacrum faciendum, ob pinguiorem eleemosynam, tàc unt contra propriam obligationem, & scandali præbent occasionem, & ideò mulctari punirique debent. *Aior. 1. par. l.10. c.24. q.9.*

Sed circa prædicta est notandum, quod vbi stipendium non est taxatum lege superioris, sed priuata dumtaxat æstimatione & vsu fidelium: tunc sicut in reliquis pretijs rerum datur summum, infimum, & mediocre, eò quòd aliqui summo, aliqui infimo, mediocri alij pretio eandem rem vendunt: ita in Missa dicenda triplex distingui poterit stipendium, supremum, infimum, & mediocre; licitumque erit Sacerdoti vique ad supremum stipendium pro Missa, etiam ex pacto petere, non tamen vt pretium, sed vt honestam suæ personæ sustentationem. Imò addit Henriqu. *lib.9. de sacrific. missæ cap.22. num.2.* posse sacerdotem in iudicio compellere, vt ex iustitia consuetum stipendium pro celebrata missa sibi soluatur: quia ex pacto mutuæ conuentionis oritur obligatio iustitiæ ex vtraque parte. Et quidem mirum est, Opificum & mechanicorum stipendia singulis diebus, considerata calamitate temporum & caritate annonæ, augeri: Sacerdotes autem Domini cogi diminuta stipe velut mendicare.

6. Non potest Sacerdos titulo paupertatis aliquid suprà taxam exigere ad vitæ sustentationem, quia Missæ sacrificium non est institutum ad sustentandam Sacerdotis vitam, cùm Sacerdos promoueri nequeat ad ordinem sacerdotalem, nisi constet habere bona, seu titulum sufficientem ad vitæ sustentationem. *Nauar. cap.25. num.92. Toletus lib.2 cap.8. num.4. Miranda tom.1. qu.11. art.23. Suar. c.d.88. sect.4.* Vnde Sacra Congregatio in Decretis §.3. sub obtestatione diuini iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ à Sacerdotibus celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Vide Dian. *tr.de celeb. Miss. ref.8. p.2.*

7. *Sacerdos*, qui ob prauam valetudinem ad modicum & breue tempus v.gr spatio 15. dierum non potuit onus quotidianæ celebrationis iuxta capellaniæ institutionem adimplere, non tenetur per alium supplere ad ratam temporis, quo detentus fuit in infirmitate, quia non præsumitur fundatorem voluisse Sacerdoti tam strictam obligationem imponere: tamen si longior fuerit infirmitas Sacerdos non erit immunis ab obligatione celebrationis per alium, aut abonere restituendi mercedem hæredibus, quam pro celebratione Missarum accepit. *Rodriqu. cap.251. num.3. Bonac. de Miss. d.4. qu.vlt. p.8. num.17. Sylu. 3. par. q.83. art.2.* Quidam tamen non improbabiliter affirmant, quod si capellanus obligatus ad quotidie celebrandum ægrotaret per duos menses, non teneri per alium celebrare, nec ipse factus sanus relictas missas dicere, quia breue tempus intelligitur spatium duorum mensium, & cùm fundator mentem suam non explicuerit, se non intendere dare stipendium nisi quotidie celebranti, quacumque causa exclusa, non est credendum quòd voluerit tam strictè obligare: vnde enim viuet pauper Capellanus infirmus, qui nihil habet præter stipendium missæ, si eo paruo tempore, quo plus indiget, teneretur alteri stipendium elargiri? Ita *Peyrinus in priuileg. tom.3. cap.1. num.24. Lugo de sacram. Eucharist. disput.21 sect.1. num.49. Pet. Nauar. de restit. l.2. cap.2. num.211. Naldus in sum. v. Miss. num.11.* Sed *Hurtadus de Missa disp.4. d.ffic 1.* docet capellanum non teneri compensare missas omissas pro vno mense, si infirmitate aut alio impedimento non voluntario impeditus existat: nisi constitutio aliqua aut nota consuetudo obstet. Prior tamen sententia vt probabilior & securior est amplectenda. Vide *Dian. p.2. trac.14. resol.27.& par 4. trac.4. resol.238.& p.5. trac.13. resol.51. Caspensem tr.23. disp 3. num.47.* qui nouissimus extendit etiam ad infirmitatem duorum mensium & colligit ex *cap. significatum. de prebendis.* Secus, quòd idem dicas de missis manualibus; nam hæ debent omnes celebrari, sicut promissæ sunt.

8. Secundùm probabilem Doctorum quorumdam sententiam, *Suar. d.86. sect.3. Henriq. l.9. cap.22. num.8. Filiuc. trac.5. cap.6. qu.9. Vasqu. 3. par. d.234. cap.4.* Qui plura colligit stipendia pro celebratione Missarum, poterat olim per alios Sacerdotes satisfacere retenta sibi parte eleemosynarum, inscio dante & inscijs Sacerdotibus, per quos pentium Missarum persoluitur, modò Sacerdotibus celebrantibus tantam tradidisset eleemosynam, quantam fert communis taxa: quia Sacerdos qui pecuniam accepit, vt Missæ sacrificium per seipsum celebraret, factus est dominus pecuniæ cum obligatione celebrandi Missam, nec est veluti simplex dispensator, ergo potest partem illius pecuniæ sibi retinere: retinet enim quod suum est, nec vlli facit iniuriam. *Nauarr. cap.25. num.92. Reginald lib.23. num.240. Sà v. Missa num.45. Posseuin. cap.2. num.19. Secus dicendum* de sacrista, vel alio qui stipes colligit, vt per alios curet Missas celebrari, hic enim non potest sibi partem retinere, nisi hoc ei lege aliqua, vel consuetudine ratione officij permittatur.

Aduertendum tamen est, modò Sacram Congregationem cõtrarium determinasse in §.5. Decretorum, quæ hic per extensum

ad clariorem, & securiorem dictorum intelligentiam ponimus. Et ad hoc deueniendum necessariò erat; nam Sacerdos aliquis posset processu temporis tot stipendia cumulare, vt etiam non celebrando Missas, efficeretur diues, quod turpis lucri speciem ab Ecclesia prohibitum sapit.

DECRETA

Sac. Congregationis Concilij, Sanctissimi D. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate edita, de celebratione Missarum.

CVm sæpe contingat, in quibusdam Ecclesijs tam magnum Missarum celebrandarum numerum, ex varijs defunctorum relictis, aut piorum eleemosynis impositum esse, vt illis pro singulis diebus præscriptis nequeat satisfieri: & tamen noua onera missarum in dies suscipiantur: indèque fiat, vt depereant piæ testantium voluntates, obstricta benefactoribus fides violetur, defunctorum animæ suffragijs priuentur, Ecclesijs debitus subtrahatur cultus, ac Christi fideles graui scandalo affecti, plerumque à similibus charitatis operibus retrahantur.

Cumque his malis maximum inter cætera tormentum præbeat, aut quòd ij, qui Missas supra vires celebrandas suscipiunt, sperent illas breui, ad pauciorem numerum a Superioribus reductum iri: aut quòd Ecclesijs, forte pecuniarum absumptarum plerumque nuda remanent onera Missarum absque vllo emolumento; aut quod eleemosyna pro illis celebrandis sit adeò tenuis, vt non facilè inueniantur, qui velint huic se muneri subijcere, & reditus Ecclesiæ, aut Monasterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere compellantur: Sac. Congregario Cardin. Conc. Trident. Interpretum animaduertens, facturam se rem Deo gratissimam, charitatique ac Iustitiæ maximè consentaneum, si pro viribus fatagat, hunc reterrimum abusum è Christiana Republica conuellere, atque eradicare, Sanctiss. D. N Vrbani, diuina prouidentia Papæ VIII. authoritate sibi specialiter attributa, infrascripta decreta edidit.

Ac primò districtè prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad Apostolicam Sedem recurratur, quæ, re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones, & commutationes huiusmodi, quas contra huius prohibitionis formam fieri contigerit, omninò nullas, atque inanes decernit.

Deinde, vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua, siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum Sacerdotibus, Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Monasterijs, Conuentibus Congregationibus, domibus, ac locis pijs quibuscumque, tam secularibus, quàm Regularibus, S. Congreg. sub attestatione diuini Iudicij mandat, ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant: quinimò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.

Id verò, vt deinceps obseruetur exactiùs Sacra Congregatio eadem authoritate reuocat priuilegia, & indulta omnia quibusvis personis, Ecclesijs, ac locis pijs, tam secularibus, quàm Regularibus cuiuscumq; Ordinis, Congregationis, & instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebrationes, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum onera in futurum suscipiendi satisfiat.

Ac similiter, omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam, cum certa eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.

Præterea, vbi in Ecclesijs, in quibus onera Missarum in perpetuum imposita sunt, Sacerdotes in eis, vt par est, adimplendis ob tepidiores, ac segniores reddantur, quòd onera huiusmodi cum nulla, aut parua sint vtilitate coniuncta: statuit, atque decernit, vt pecuniæ, ac bona mobilia Ecclesijs, Capitulis, Collegijs, Hospitalibus, Societatibus, Congregationibus, Monasterijs, Conuentibus, ac locis omnibus, tam secularibus, quàm Regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuæ Missarum celebrandarum, ab ijs ad quos pertinent, sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes eadem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primùm insumendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa & individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur: ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorundem pretium sub eadem pœna, vt supra, deponi, atq. in alijs bonis stabilibus itidem fructiferis, cum eiusdem oneris repetitione, atque annexione conuerti debeat.

Ad hæc S. Congregatio quibuslibet Capitulis, Collegijs, Societatibus, & Congregationibus, necnon omnibus, & singulis Ecclesiarum, ac piorum locorum, tam secularium, quàm Regularium Superioribus, vel alijs, ad quos pertinet, districtè prohibet, ne in posterum onera perpetua suscipiant Missarum celebrandarum: & seculares quidem sine Episcopi, vel eius Generalis Vicarij; Regulares verò, sine Generalis, vel Prouincialis consensu, & licentia in scriptis, & gratis concedenda; alioquin secularis, qui huius prohibitionis transgressor extiterit, ab ingressu Ecclesiæ interdictus sit eo ipso: Regularis verò pœnam priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ ac passiuæ; absque alia declaratione incurrat. Eleemosynas verò manuales, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum accipere possint, si oneribus antea impositis, ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant: alioquin omninò abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam ipsorum oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant ab Ecclesijs cum inscriptione illa, *Eleemosyna pro Missis*, vel alia simili, sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne fideles hac ratione frustrentur.

Episcopus verò, seu eius Vicarius, aut Generalis, vel Prouincialis, vbi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant, de singulis Missarum celebrandarum obligationibus cuique Ecclesiæ, Monasterio, aut loco pio incumbentibus: nec antea assensum huiusmodi, aut licentiam præbeant, quàm eis legitimè constiterit illius Sacerdotes tam nouo oneri suscipiendo, quàm antiquis iam susceptis satisfacere posse: præcipuamque rationem habeant vt reditus qui Ecclesijs & locis pijs relinquuntur, omninò respondeant oneribus adiunctis, secundùm morem, cuiusque ciuitatis, vel prouinciæ intelligantque si in re tanti momenti defides, aut negligentes fuerint, in nouissimo die se huius prætermissi muneris rationem esse reddituros.

Postremò Illustres Patres, non sine graui animi dolore intelligentes simulata è omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice, pullulare ex maiori Regularium numero, quàm ferant reditus & eleemosynæ cuiusque Monasterij: inhærentes Summorum Pontificum ac Sacror. Trid. Conc. decretis hac de re editis, Sanctiss. D. N. authoritate præcipiunt, ac mandant omnibus, & singulis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus Monasteriorum, Conuentuum ac domorum Regularium bona immobilia possidentium, vel non possidentium cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti existentium intra fines Italiæ, & insularum adiacentium, vt singuli ad quos pertinet, in qualibet prouincia, adhibitis duobus, aut tribus Regularibus sui Ordinis, vel Congregationis, probatioribus, & rerum vsu peritioribus, bona immobilia, census, reditus, & prouentus omnes, consuetas item eleemosynas, & obuentiones, tam communes Monasteriorum, Conuentuum, & domorum eiusdem prouinciæ, quàm etiam singularibus personis religiosis assignatas seu permissas, in communem vsum deinceps conferenda, decem annorum immediatè præcedentium habita ratione diligenter & matuè recognoscant, ijs omnibus detractis quæ reparationes, præstationes, grandines, sterilitates, aliaque huiusmodi generis onera consueuerunt absorbere: eaque omnia scripto fideliter exarata, idem Superior cuius interest, in proximo capitulo seu congregatione generali, vel prouinciali, coram tribus iudicibus ab ipsomet Capitulo seu congregatione deli-

deligẽdis, proponat, qui computatis huiusmodi redditibus, eleemosynis & obuentionibus vniuersis & oneribus, vt suprà detractis, sedulò examinent, quot Religiosi homines, connumeratis etiam laicis alijsque necessarijs seruientibus, in vnoquoque monasterio, Conuentu & Domo regulari, iuxta regionis & proprij instituti morem, victum & vestitum, & medicinalia in cõmuni habentes, competenter valeant sustentari. Tum eorumdem bonorum, reddituum, eleemosynarum & onerum præcisam notam ipsimet Capitulo, seu Congregationi exhibeant, vt in illo diligenter omnibus discussis; cuiusque familiæ monasterij; Conuentus, ac domus regularis in singula quaque prouincia certus earum tantùm personarum numerus, Patrum Capitularium voto præfigatur, quæ redditibus, eleemosynis, & obuentionibus, vt superiùs sufficienter ali possint, Ne verò Superiores qui id præstare debent, segnius, aut remissius quàm par est, suo muneri satisfaciant; Mandat Sacra Congregatio, vt infra annum, post proximum Capitulum Generale, vel Prouinciale computandum, omnia hoc de genere particulariter gesta, in Authenticam formam redacta, ad Sacram ipsam Congregationem Concilij singuli mittant, numerumque familiæ, singulorumque Conuentuum monasteriorum & Domorum huiusmodi regularium, Capituli, seu Congregationis Generalis, vel Prouincialis sententia, & auctoritate præfinitum, idem Superiores, tam Generales & Prouinciales omnes, quàm locales perpetuò seruare omninò teneantur, nec possint illum quoquo modo augere, etiam prætextu augmenti reddituum, absque Sacræ ipsius Congregationis licentia, Superiores autem huiusmodi, qui prędicta omnia in prefixo termino non præstiterint, vel numerum, vt suprà prescriptum quouis modo augere præsumpserint, priuationis omnium officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, vocisque activæ ac passiuæ, & ad omnia tuæ religionis officia, & gradus inhabilitatis perpetuam pœnam eo ipso incurrere, atque alijs etiam grauioribus à Sede Apostolica infligendis pœnis S. Congregatio subiacere voluit & declarauit.

Deinceps verò Monasterium, Conuentus, Domus, Congregatio, vel Societas Religiosorum, seu Regularium, nullibi recipiatur, nisi præter alia ad id requisita, in singulis eiusmodi locis, duodecim saltem Fratres, aut Monachi, seu Religiosi degere, & ex reditibus, & consuetis eleemosynis, detractis omnibus, vt suprà, detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti fœlic. recordat. Gregor. XV. hac de re editi. Alioquin Monasteria & loca huiusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim Religiosi, vt suprà sustentari, atque inhabitare non poterunt, & actu non inhabitauerint; Ordinarij loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ iurisdictioni subiecta esse intelligantur.

Porrò, ne vllo vnquam tempore hæc in obliuionem, seu desuetudinem abeant, Superiores locales cuiusque Monasterij, Conuentus, ac Domus Regularis curare, atque efficere teneantur sub pœna priuationis officij, vocisque activæ, & passiuæ ipso facto incurrenda, vt in perpetuum, sexto quoque mense, id est, feria secunda post Dominicam primam Aduentus, & feria sexta post Octauam Corporis Christi, præsentes ordinationes in publica mensa perlegantur.

Omnibus tam Ecclesiasticis personis, cuiuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore, ac potestate præditis, præsentia Decreta declarandi, vel interpretandi facultate penitus interdicta.

Non obstantibus, quoad suprascripta omnia & singula in presentibus Decretis contenta, Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium; Militarium etiam Sancti Ioan. Hierosolymitani, Congregationum, Societatum ac cuiuslibet alterius instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Ecclesiarum monasteriorum, Conuentuum Collegiorum, Capitulorum, Hospitalium, Confraternitatum, & aliorum quorumcumque tam secularium, quàm regularium locorum, necnon illorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis, etiam Mari Magno, seu Bulla Aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus & formis, specialis & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitùs omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent, præsentibus expressis habens, quibus, quoad ea quæ præsentibus aduersantur, illis aliàs in suo robore permansuris. Sacra Congregatio, Sanctitatis suæ authoritate, & specialiter & expresè derogat, cæterisque contrarijs quibuscumque.

Et ne præmissarum ignorantia à quoquam prætendi possit, voluit eadem Sacra Congregatio, vt presentes ordinationes in valuis Basilicarum S. Ioannis Lateranensis, & principis Apostolorum de vrbe, ac in Acie Campi Floræ, vt moris est, affixa, omnes, ad quos pertinet, ita arctent, & afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.

Vtque earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ die 21. Iunij 1625.

Cosmus, Cardinalis de Torres.

Locus † sigilli.

Prosper Fagnanus, S. Congr. Secret.

DECLARATIONES.

Aliquot Sacr. Congregat. Concilii Sanctiss. D. N. Vrbani Papæ VIII. authoritate editæ, super Decretis eiusdem Congr. de celebratione Missarum.

SVper primo Sacræ Congregationis Decreto, *de celebratione Missarum*, quo prohibetur ne Episcopi in Dioecesana Synodo, aut Generales in Capitulis Generalibus, vel aliàs quoquomodo reducant onera vlla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis.

Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, vt non sit qui velit onus illi iniunctum subire, & si recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro moderatione oneris, totum, aut ferè totum insumendum sit, pro expensis ad id necessarijs?

Et quid si permittatur Episcopo in fundatione, vt possit huiusmodi onera moderari?

Secundò, super secundo eiusdem Congregationis Decreto, quo cauetur, vt celebrentur tot Missę quot ad rationem tributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint.

Quæritur, an verba illa, *prescriptæ fuerint*, intelligenda sint de præscriptione facta ab offerente, vel ab Ordinario?

Tertiò, an cùm Ordinarius prescripserit eleemosynam congruam iuxta qualitatem loci, personarum, ac temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur Missas sibi ab offerente prescriptas celebrare?

Quartò, an Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione beneficij, seu capellæ, legati, aut salarij; possint etiam manualem eleemosynam, pro Missis votiuis, aut defunctorum, recipere; & vnico Missæ sacrificio vtrique oneri satisfacere?

Quintò, posito, quòd testator relinquat, vt celebrentur pro sua anima centum Missæ, absque vlla præscriptione eleemosynæ.

Quæritur, an liberum sit hęredibus, eleemosynam sibi bene visam prescribere, an verò eadem eleemosyna præscribenda sit ab Ordinario?

Sextò, super tertio Congregationis Decreto, in quo eadem Congregatio reuocat priuilegia quibus indulgetur, vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus, plurium Missarum oneribus in futurum suscipiendis satisfiat;

Quæritur, an verba *in futurum suscipiendis* intelligenda

sint de oneribus suscipiendis post priuilegium?

Septimò, super quarto eiusdem Congregationis Decreto, quo prohibetur Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eandem missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta celebrandam committat;

Quæritur, an permittendum sit administratoribus Ecclesiarum, vt retineant aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis manutentionis Ecclesiæ, Altarium, inseruientium, paramentorum luminum, vini, Hostiæ, & similium?

Octauò, an hoc Decretum habeat locum in beneficijs, quæ conferuntur in titulum, id est, an Rector beneficij, qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficij.

Nonò, an Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita pro celebratione missæ debeant dare eandem integram eleemosynam ijs, quibus missas celebrandas committunt: An verò satis sit, vt dent celebrantibus eleemosynam consuetam?

Decimò, super quinto eiusdem Congregationis Decreto, quo inter cætera statuitur in hæc verba, *Eleemosynas vero minores, & quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum ijdem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt nouis quoque onera obire valeant; Alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam spontè oblatis in futurum recipiendis, & capsulas auferant, &c.*

Quæritur, an hoc decretum prohibeat absolutè, quominus accipiant nouas eleemosynas ij, qui acceptis, non satisfecerunt, & quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere?

Vndecimò, quid, si differens eleemosynas audito impedimento, consentiat, vt Sacerdos missam celebret cùm primùm poterit?

Duodecimò, an pœnæ interdicti, & aliæ appositæ in eodem Decreto, afficiant tam eos, qui accipiunt eleemosynas contra formam ibi præscriptam, quàm eos, qui non auferunt capsulas ab Ecclesijs, vt ibidem præcipitur?

Decimotertiò, an in hoc Decreto comprehendantur illæ capsulæ, quæ apponi solent in Ecclesijs in die commemorationis omnium Sanctorum, & vulgò dicuntur, *Casse de morti*?

Decimoquartò, an administratores Ecclesiæ magnæ deuotionis, & concursus, possint eleemosynas pro missis celebrandis accipere, si ijsdem missis non nisi post longum tempus satisfacere valeant, ne aliàs cultus Ecclesiæ & deuotio, ac concursus fidelium, vt aiunt, minuantur?

Decimoquintò, quia prohibitio dicti Decreti videtur aliquibus directa solis Capitulis Collegijs, Societatibus, Congregationibus, nec non omnibus & singulis Ecclesiarum, & piorum locorum, tam sæcularium, quam Regularium Superioribus, de quibus fit expressa mentio, non autem priuatis Sacerdotibus, qui tamen comprehendi videntur sub clausula generali, *& alijs ad quos pertinent*, supplicatur pro opportuna declaratione?

Decimosextò, super septimò eiusdem Sacræ Congregationis Decreto, quo cauetur, vt in singulis monasterijs Religiosorum præfigatur numerus, qui ex consuetis reditibus, aut eleemosynis commodè possit sustentari.

Quæritur, an vbi hæc præfixio facta iam fuit in vim similis Decreti Sanct. Mem. Pauli V. absque tamen computatione redituum cuiuscunque Religiosi, sit denuò facienda, necne?

Decimoseptimò, an Nouitij, ad habitum Regularem admissi, possint admitti ad professionem in monasterijs, in quibus habita, vt suprà præfixione numeri, commodè alij non possint?

Decimooctauò, super vltimo, quo cauetur, vt nullibi recipiantur Conuentus Regularium, nisi præter alia ad id requisita, duodecim saltem Fratres in eis degere, & competenter sustentari valeant, ita vt alioquin subsint iurisdictioni Ordinarij.

Quæritur, an hoc Decretum, quod videtur editum in ordine ad celebrationem missarum, comprehendat eas Religiones, quæ non consueuerunt onera missarum recipere, vt sunt Religiones Capucinorum, ac Societatis IESV.

Vltimò, an idem Decretum, vbi disponit, vt nullibi recipiantur monasteria, nisi &c. habeat locum in Italia dumtaxat, ad quam est restrictum Decretum proximè antecedens, an verò etiam extra Italiam?

Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, authoritate sibi à Sanctissimo Domino Nostro attributa, ad singula dubia superiùs proposita ad hunc modum respondit: videlicet.

Ad primum, etsi legatum sit adeò tenue, nihilominus, pro reductione oneris vt supra à imposito ab ijs, ad quos pertinet, Sedem Apostolicam esse adeundam, quæ absque vlla impensa id statuet, quod magis in Domino è re esse iudicauerit; verum tamen si in ipsa beneficij erectione expressè cautum fuerit, vt liceat Episcopo iniunctum onus reducere, ac moderari, legem hanc fundationis quam Decreta hac de re edita non sustulerunt, esse validam, & obseruandam.

Ad secundum, esse intelligenda de præscriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario. Quòd si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum, non præscripserit, tunc tot Missas celebrari debere, quot præscripserit Ordinarius, secundùm morem suæ ciuitatis vel Prouinciæ.

Ad tertium, teneri.

Ad quartum, Sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare, ratione beneficij, seu capellæ legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique obligationi satisfacere.

Ad quintum, censuit, vbi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo præscribendam eleemosynam congruam, quæ respondeat oneribus missarum celebrandarum, secundùm morem ciuitatis, vel Prouinciæ.

Ad sextum, ita esse intelligenda.

Ad septimum respondit, permittendum non esse, vt Ecclesiæ, ac loca pia, seu illorum administratores, ex eleemosynis Missarum celebrandarum vllam, vtcunque minimam portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesiæ, & loca ipsa aliàs non habent reditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint, & tunc, quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeundæ, & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecunijs, quæ supersunt, expensis, vt suprà deductis, absolutè tot Missæ celebrentur, quot præscriptæ fuerint ab offerentibus eleemosynas.

Ad octauum, non habere locum, sed satis esse vt Rector beneficij, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundùm morem ciuitatis, vel Prouinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficij aliud cautum fuerit.

Ad nonum, debere absolutè integram eleemosynam tribuere Sacerdoti celebranti, nec vllam illius partem sibi retinere posse.

Ad decimum, respondit, non prohibere absolutè; ac propterea etsi oneribus iam susceptis non satisfecerit, posse tamen noua etiam onera suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infrà modicum tempus possint omnibus satisfacere.

Ad vndecimum, quamuis onera suscepta infrà modicum tempus adimplere nequeant, si tamen tribuens eleemosynam pro aliarum Missarum celebratione, id sciat, & consentiat, vt illæ tunc demum celebrentur, cùm susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non prohibere, quo minus eo casu eleemosyna accipiatur, pro ijsdem Missis, iuxta benefactoris contentum celebrandis.

Ad duodecimum, has pœnas non habere locum, nisi in suscipientibus onera perpetua Missarum celebrandarum sine licentia Episcopi, vel eius Generalis Vicarij, aut Generalis, vel Prouincialis.

Ad decimumtertium, comprehendi.

Ad decimumquartum, non posse, nisi de consensu eorum, qui eleemosynas tribuunt, vt suprà in responsione ad duodecimum.

Ad decimumquintum, comprehendi etiam priuatos Sacerdotes.

Ad decimumsextum, numeri præfixionem esse iterum faciendam

endam, seruata forma vltimi Decreti de hac re editi.

Ad decimumseptimum, esse admittendos ad professionem, si aliàs habiles existant, ac deinde in aliquo alio Monasterio eiusdem Religionis esse collocandos, vbi commodè ali possint.

Ad decimumoctauum, censuit comprehendere.

Ad vltimum, habere locum etiam extra Italiam.

Cosmus, Card. de Torres.

Locus † sigilli.

Prosper Fagnanus, S. Congr. Secret.

9. Ex his Decretis, & declarationibus concludi potest, nullum Sacerdotem, ratione vnius Missę plura stipendia, siue ab vno, siue à pluribus recipere posse: Ita etiam *Nauarr. in Manual. cap. 25. num. 92. Suar. disp. 86. sect. 2. concl. 4. Vasqu. 3. par. disput. 234. cap. 4.* Et contraria sententia à nullo tuta conscientia sustineri potest, cùm eam iniquam, & impiam, vtpotè inter populares scandala excitantem, & non modicam animis sordidę cupiditatis, & auaritiæ suspicionem ingerentem vocitent Doctores passim. *Angles in 4. de valore missæ art. 2. Barbos. de offic. & potest. Episcop. p. 2. allegat. 24.*

Sed dubium est, an Sacerdos possit duplex stipendium pro vna Missa accipere, applicando partem solitam vni, & alteri suam partem propriam?

Affirmatiuam sententiam videtur docere *Filliuc. trac. 5. cap. 6. num. 181.* sed cum aliqua limitatione, asserens, sacrificantem posse partem sacrificij sibi debitam applicare illis, pro quibus teneretur, cùm autem ignoretur, quanta pars sit illa, putat partem trium Missarum posse suppleri vni, quæ dicenda esset, & applicanda tota vni: quod seruare poterunt illi, qui cùm stipendia multa receperint, omnibus satisfacere non possunt. Hanc sententiam probabilem vocant *Gauant. in comment. Rubr. Miss. p. 3. tit. 12. num. 29. Diana p. 1. tract. 14. resolut. 14. Tamburin. de iure Abbat. tom. 2. disputat. 9. quæst. 9.* Sed hæc sententia à Sacra Congregatione prædicta correcta est, per responsionem ad quartum: ex qua absolutè, & sine vlla distinctione videtur prohibere Sacerdotibus; ne pro vna Missa stipendium duplicatum accipiant.

10. Prædictis Decretis non obstantibus, maius stipendium posset Sacerdos accipere, pro obligatione dicendi Missam summo manè, vel ad loca distantia: quia maiori labore afficeretur: In Decreto enim Sacræ Coogregat. maius aliquod stipendium vnius Missæ ex rationabili causa recipi non prohibetur, sed ne plura stipendia pro vna missa celebranda sumantur, mandat, & præcipit.

Hinc pro Missa solemni maior etiam eleemosyna debet assignari, quàm pro Missa priuata: Item quando imponitur ei missa cum officio defuncto: tum maius stipendium assignandum est, & in die Natiuitatis pro tribus Missis tria stipendia secundùm proportionem Missarum assignanda sunt. Ita *Suar. 3. par. tom. 3. disputat. 86. sect. 2. Petr. Ledesm. in summ. 1. parte de Eucharist. cap. 18. conclus. 9. Benacun. tomo primo disputat. 4. quæst. vltim. punct. 8. numero 13. Homobon. de examin. Eccles. tomo primo tractat. 4. quæst. 120.* Imò quidam addunt, quòd in diebus festis potest Sacerdos pro Missæ celebratione duplum eleemosynæ, quæ alijs diebus dari consueuit, accipere.

Sed dubium est, an quando datur stipendium, non pro applicatione sacrificij, sed pro cultu Ecclesiæ, vel commoditate populi, vt Missam audiat, possit sacerdos alienam eleemosynam accipere pro applicatione sacrificij, absque peccato, & obligatione restitutionis? Respond. affirmatiuè, quia declaratio Sacræ Congregationis, dum ait, sacerdotes quibus diebus tenentur Missas celebrare ratione beneficij, Capellæ, legati, aut salarij, si eleemosynas pro alijs etiam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem Missa vtrique oneri satisfacere; intelligenda est, dum sacerdotes prædicti celebrare tenentur pro peculiari alicuius intentione: vnde non comprehendit nostrum casum: vt docent *Bartholomæus à Sancto Fausto de Iubileo lib. primo quæst. 81. Homobonus in consult. cas. conscient. p. 5. resp. 63. Diana par. 2. tractat. 14. resolut. 80. & part. 4. tractat. 4. resolut. 16. Gauantus in commentar. ad Rubric. Missal. tomo primo p. 3. tit. 12. num. 5.*

11. Ex Concilio Tridentino Episcopi, Abbates, & Generales Ordinum poterunt Missas Capellaniarum, & Anniuersariorum iusta de causa ad minorem numerum reducere, hi in Capitulis Generalibus, illi autem in Synodo Diœcesana: stante tamen Concilij Tridentini Decreto, Prælati habentes auctoritatem diminuendi obligationes, non possunt reducere Missas in fundatione aliqua appositas: quia verba Concilij sunt de Missis relictis, à defunctis: similiter non poterunt restringere Missas, quæ ex dotatione Ecclesiæ, vel Altaris celebrari debent, etiamsi beneficiorum fructus non sufficiant pro oneribus sustinendis, quia non possunt alterare mentem fundatorum.

Nec etiam possunt diminuere Missas particulares votiuas pro defunctis, vel similes, quarum Missarum stipendia à particularibus personis exiguntur, nisi consensus eorum, ad quos pertinent prædictæ Missæ, habeatur.

Nec etiam poterunt restringere missarum numerum, quæ stipendijs in futurum iunt petendæ; nam in ijs, in quibus potest aliquis dispensare, non potest in futurum statuere, quia esset occasio peccandi, & fideles decipiendi.

Hodie talis facultas Episcopis, Abbatibus, & Generalibus à prædicto Concilio tradita, reuocata, & ablata eis fuit per dictum Decretum Sacræ Congregationis sub his verbis. *Primò districtè prohibet*, &c. Et licet per Tridentinum tradita erat Prælatis auctoritas reducendi ad minorem numerum Missas relictas ante ipsum Concilium tantum, non autem post ipsum Concilium relictas: Per hoc tamen Decretum Sacræ Congregationis prohibentur fieri reductiones ad minorem numerum, tam de Missis, & legatis, postquam ante dictum Concilium relictis, vt patet ex illis verbis, *aut post idem Concilium impositæ, aut in limine fundationis.*

Nihilominus Laurentius de Peirinis *ad Constitut. 5. Vrbani VIII. tom. 1. priuileg. Ordinis Minimorum* refert quandam concessionem *Vrbani VIII.* factam anno 1626. die 13. Iulij Fratribus eiusdem Ordinis Cœnobij Ianuensis, vt legata Missarum perpetua, exigua, & oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana reducerentur: decernitque per celebrationem Missarum sic reductarum saluti animarum eorum, quorum intentione Missæ sic reductæ fundatæ fuerunt, suffragari: perinde ac si illæ verè, & realiter, & cum effectu celebrarentur.

Hoc autem priuilegio in pari causa per communicationem non modò aliæ eiusdem Ordinis Domus; sed etiam aliorum ordinum familiæ, quæ communicant in prædictis priuilegijs, perfruuntur, vt docet Marchinus de ordine *tract. 3. parte 2. ca. 10. num. 7.* Diana *p. 6. tract. 6. resolut. 11.* Caspensis *tract. 23. disput. 3. minor. 106.* Et hoc priuilegium est virtualis quædam & Apostolica missarum reductio determinans certum earum stipendium, quod post dictum Decretum de celebratione Missarum emanauit, sicque extra omnem controuersiam valet.

Est præterea alia concessio Vrbani VIII. facta Minoribus Conuentualibus *pridie nonas Augusti, anni 1639.* vt in conuentibus, in quibus Missarum reductio non erat facta, fieri posset in primo Capitulo, ad rationem Sexaginta scutorum. *In addit. ad Peyrin. constitut. 27.* Horum autem priuilegiorum communicationem non admittit. *Leza. tomo 4. summ. ver. Missa num. 31.* Pro alijs Ordinibus: quia secundùm praxim Religionum gratiæ concessæ per Breuia particularia à Summo Pontifice, vel Sede Apostolica alicui domui, vel conuentui, non solet communicari alijs, neque eiusdem, neque diuersæ Religionis domibus: aliàs magna confusio, & absurda inde sequerentur: sed etiam quia Pontifex in dictis literis non concedit facultatem reducendi talia onera Missarum, sed ipse ea reducit de consilio Dominorum Cardinalium Congregationis Concilij, Si autem hoc factum Pontificis communicaretur alijs Religionibus habentibus communicationem cum Minimis, & Minoribus, procul dubio non esset ipsis necessarium recurrere pro talium onerum reductione ad Sedem Apostolicam, sed vti hac reductione, vel innumeris alijs, quæ quotidie fiunt ab eadem Sede, quod est absurdum, & contra quotidianam experientiam, qua constat omnes Religiones solitas esse recurrere ad Sacram Congregationem singulis vicibus pro similibus reductionibus.

Vnde miratur hic Author *Dianam*, & *Caspensem* sequi hanc sententiam *Marchi-*

nii.

MISSA VIII.

De præcepto audiendi Missam diebus festis & Dominicis.

SVMMARIVM.

1. *An quilibet fidelis post septennium teneatur ex præcepto audire Missam diebus festis, & Dominicis? & quid intelligatur nomine auditionis missæ? & an satisfaciat præcepto qui voluntariè vagatur circa aliqua negotia?* refertur duplex sententia.
2. *Qualis præsentia corporis, & intentio requiratur, ad hoc præceptum implendum?*
3. *An mortaliter peccet qui missam vel eius partem notabilem diebus festis non audit? & quænam sit dicenda pars notabilis?*
4. *An satisfaciat præcepto qui vnam partem missæ audit ab vno sacerdote, aliam ab alio? vel qui sacrum duorum sacerdotum media ex parte audiret?*
5. *An cæcus, vel surdus qui missæ interest præcepto satisfaciat? vel qui missam audit per metum, vel nesciens esse diem festum; vel animo non satisfaciendi præcepto?*
6. *An qui tempore missæ confabulatur, vel dormitat, nugatur, vel videt cum aliis notabiliter, &c. satisfaciat præcepto?*
7. *An qui toto tempore missæ confitetur peccata sua satisfaciat præcepto de audienda missa?*
8. *A quo sacerdote sit audienda missa?*
9. *Quo in loco sit audienda missa? & quando peccet non audiens in propria Parochia?*
10. *An peregrinus teneatur audire missam si perueniat ad aliquem locum in quo celebratur dies festus, qui non celebratur in proprio territorio?*

Et an parochianus in cuius parochia celebratur dies festus, peccet mortaliter missam non audiendo, si ante meridiem fuerit extra limites parochiæ?

1. EX *præcepto Ecclesiastico* quilibet fidelis adultus, baptizatus, completis septem annis, tenetur diebus festis, & Dominicis Missam audire, nisi legitimo detineatur impedimento; *Cap. Missas, cap. omnes fideles, de consecrat. d.* 1. Et hoc probatur tum ex iure Canonico, tum ex consensu omnium Doctorum, tum ex vsu & consuetudine totius Ecclesiæ: nomine autem *auditionis missæ* intelligitur illa actio, per quam quis interest Missæ humano modo, corpore scilicet & mente in tali distantia, vt possit saltem videre Sacerdotem & attendere ad illius ministerium; vnde ebrij & amentes existentes in Ecclesia dum Missæ sacrum celebratur, non dicuntur Missam audire, quia nequeunt humano modo interesse. *Suar. d.* 88. *sect.* 2 & 5. *Sanchez. l. moral. cap.* 13. *num.* 17. *Nauar. cap.* 21. *num.* 2. *Dian p.* 5. *trac.* 13. *resol.* 77. Nomine autem Missæ, quæ præcipitur audiri intelligitur non Missa sicca, qualis solet in mari dici, quia hæc non est vera Missa, sed tantùm intelligitur Missa in qua vera fit consecratio quocumque ritu permissa a Romano Pontifice celebrata, siue Latinorum, siue Græcorum, siue Syriorum, siue Mozarabum; quia dicto præcepto tantùm præcipitur auditio veræ Missæ, & quæcumque non sicca, ex dictis est vera Missa.

An autem satisfaciat præcepto de audienda Missa, qui existens in Ecclesia voluntariè vagatur circa alia negotia: Secundùm probabilem aliquorum Doctorum sententiam dicendum est hunc satisfacere, modò non exerceat actionem externam incompossibilem cum intentione interna, & assistat sacro cum externa reuerentia, tum quia talis hic & nunc dici potest actum externum Religionis exercere, quamuis non habeat internam aliquam reuerentiam: tum quia talis moralis externa præsentia orta ex voluntate se præsentem sacro sistendi ad Deum colendum, est obiectiuè Dei cultus, & ratione illius aliquis sufficienter dicitur moraliter sacro interesse & Missam audire. Ita *Conine. qu.* 83. *num.* 301. *Sylvester v. missa* 2. *qu.* 6 *Medina de orat. qu.* 16. & *cod. de pœnit. Angel. Armil. verbo missa. Ioan.* 4. *p. tit.* 4. *resolut.* 107. & *p.* 2. *trac.* 12. *resolut.* 2. *Valentia tom.* 3. *disputat.* 4. *sect.* 3. *num.* 25. Probabilior tamen sententia & ferè communis, ait, non satisfieri præcepto ab eo qui voluntariè vagatur si plenè aduertat se distractum esse, & alienis tapimentis cogitationibus, quia Ecclesia præcipit auditionem Missæ, vt est actus humanus & religiosus, quomodo autem potest esse actus humanus & religiosus sine attentione. Ita *Suar. c. d.* 88. *sect.* 3. *Bonac. de missa p.* 1. *num.* 4. & *de hor. canon. d.* 1. *q.* 3. *p.* 2. §. 2. *num.* 4. *Sylvius* 2. 2. *qu.* 122. *art.* 4. *quæst.* 2.

2. *Ad hoc* præceptum implendum corporis præsentia requiritur moraliter sumpta, vt nimirum percipere possit quid agatur: *Marchin. de ordin. tr.* 3. *p.* 3. *cap.* 17. *num.* 13. *Suar. disput.* 88. *sect.* 3. *Nauar. in c. quando, notab.* 13. *num.* 27. & *in Manual. cap.* 21. *num.* 8. *Sà v. missa audire num.* 2. *Bonac. c.* 7. 11. *num.* 25. requiritur etiam intentio saltem virtualis audiendi Missam; nec obest alia praua intentio, vt aspiciendi libidinosè fœminas, priori coniuncta, dummodò requisita adsit attentio, vel ad res sacras, vel ad ea quæ dictis aut factis significantur, vel ad diuina; si inuoluntariè aliquando distrahatur, remanet virtualis attentio cum qua cœpit assistere: psalmi vel aliæ preces in Missa recitari possunt, & iam ex obligatione, & impleri pœnitentia in confessione habita. modò etiam debita sacris actionibus Missæ, vt haberi facilè potest, non desit attentio. *Porrò* secundùm *Soto* 4. *d.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. *Nauarr. cap.* 21. *num.* 8. *Angel. v. ferię num.* 42. minor attentio in missa necessaria est, quàm in horis canonicis recitandis: quia oratio est actio magis rationalis, quàm illa moralis præsentia, quæ necessaria est ad implendum præceptum de audienda Missa.

3. *Mortaliter* peccat, ex suo genere, qui Missam, vel eius partem notabilem diebus festis non audit, quia omissio facti est res grauis, ex suo genere, & grauiter peccat transgrediens præcepta in re graui. *Toled. l.* 6. *cap.* 8. *Nauar. cap.* 21. *n.* 1. & 2. *Azor.* 1. *par. l.* 7. *cap.* 3. *qu.* 2. quænam autem sit dicenda pars notabilis Missæ, ad virum prudentem pertinet iudicare, consensu tamen omnium constat dimidiam Missam, aut etiam tertiam partem esse materiam notabilem, cuius omissio est peccatum mortale; vnde secundum *Nauar. c. nu.* 2. *Rodriquez. cap.* 123. *num.* 1. *Toled. l.* 6. *cap.* 7. *Sylu. c. qu.* 3 *Suar. disp.* 88. *sect.* 2. Si quis omittat vsque ad Epistolam exclusiuè, non dicitur omittere partem notabilem sufficientem ad mortale, si verò omittat vsque ad Epistolam inclusiuè, mortaliter peccat: quamuis *Sylu. v. missa* 2. *q.* 1. *Conine. c. K qu.* 83. *num.* 285. *Azor. c. q.* 2. & alij putent non peccare mortaliter omittendo vsque ad Epistolam inclusiuè, nisi simul omittat Euangelium, quod satis probabile est, licet prior sententia probabilior videatur: Imò satisfacit præcepto, qui præmittit principium Missæ vsque ad Euangelium, tacitam partem perficit ipsum legat, vel ab alio attentè audiat. Ita *Sà v. missa audire num.* 2. *Henriq. l.* 9. *cap.* 25. *num.* 7. *Suar. c. sect.* 2. *Azor. Rodriq. citati.*

Addunt præterea plurimi Doctores, eum qui primum Euangelium non audiuit, satisfacere præcepto Missæ, vltimum Euangelium audiendo, quia non est necesse Euangelium alicuius diei audire, aut audire duo Euangelia: *Lorca tom. cap.* 25. *num.* 8. *Graff. l. p.* 1. 2. *cap.* 35. *num.* 11 *Sà c. num.* 2. *Insuper* satisfaciunt præcepto, qui dum inferuiunt, recedunt à sacrificio, vt deferant vinum aut hostiam, aut thus, præsumuntur enim non abesse, dum hæc faciunt quæ ordinantur in solemnitatem eiusdem officij; modò non recedant ab Ecclesia, quod si recedant, id fiat per breue tempus. Vide Dianam *parte* 5. *tract.* 5. *resolut.* 44. & *tractat.* 14. *resolut.* 70.

Sed nouum dubium occurrit, an satisfaciat præcepto de audienda Missa, qui egreditur ab Ecclesia, quando sacerdos vult consecrare, & finita consecratione statim regreditur: vel si ante sumptionem discederet, & statim rediret? Respondeo in his casibus Missæ non tam esse considerandam moram, siue longitudinem, quàm dignitatem & propinquitatem, vel necessitatem ad subsistendum sacrificij, & ideò Doctores communiter facilè permittunt omitti ea quæ antecedunt, vel sequuntur Canonē Missæ, in quo maximè necessaria sunt quæ de consecratione vsque ad sumptionem continentur, & ideò censent esse certum non implere hoc præceptum ab eo qui tempore consecrationis, & communionis abest; sed quia dubium est in quo essentia sacrificij consistat, an in consecratione, an verò in sumptione sacerdotali: probabile est, illum, qui voluntariè & sine necessitate exit ante consecrationem, & vltra quæ facta redit, peccare mortaliter: quia qui tunc nō adest, præsens non est, neque assistit huic sacrificio: non est enim iudicandum de absentia Missæ iuxta mensuram temporis quod illi correspondet; nam partes Missæ non sunt homogeneæ, sed heterogeneæ, & ideò illud breue tempus consecrationis æquiualet longiori tempori aliarum partium: vt docent Cardinalis Lugo de Eucha. *disput.* 22. *sect.* 1. *num.* 4. Iacobus Marchantius *in resolut. Pastor. de Sacram. tract.* 4.

c.3.qua.4. quamuis in contraria sententia sit Hurtadus in omissione solius consecrationis.

Ex dictis aliud dubium oritur, an qui non potest Missam integra n audire, quia venit v.g in medio Miſ æ, teneatur saltem audire illam partem quæ restat? Negat Sancius *in selectis disputation.15.num.5.* & ad mentem illius probabiliter, quia in illa parte præceptum de audiendo sacro nequit impleri quo ad substantiam. Cardinalis Lugo distinguit, nam vel aliquis potest adesse consecrationi; vel non: Si potest tenetur illi adesse, quia illa est pars principalis, & reliqua pertinent ad eius complementum si vero peracta sit consecratio, non tenetur reliquæ parti adesse, quia qui non adest tempore consecrationis, non offert sacrificium illud, nisi generali ratione. sicut omnes alij fideles, ergo non obligatur ad assistendum alijs partibus. Ita ille loco citato *numer.6.* Sanches verò *libr.1. moral. capit.19. numer.6.* citans *Suares* sustinet accedente causa audiendi sacri tempore, quo præfatio dicitur si non sit aliud, teneri audire, quia ea quæ à consecratione vsque ad consummationem continentur, sunt maximè necessaria, & per se primò intenta in præcepto audiendæ Miſ æ, vt porè in quibus sacrificij substantia consistit, reliqua autē sunt accidentariò annexa ad eius perfectionem maiòre nque solemnitatem: vnde, qui culpa sua aut absque ea non potest integrè præceptum Miſ æ quoad accidentalia seruato teneturad partem substantialem, quæ ab accidentali optimè diuidi potest. Hæc tenentia est tenenda.

4. *Satisfacit* præcepto Miſ æ audiendæ, qui Missam audit siue de Sancto, siue de mortuis, siue priuatam, siue solemnem etiamsi ritu Græco, vel Syriaco celebretur *Filliucius tr.5.c.7.n.204. Tolletus l.6.c.7. Nauar.cap.21.n.2. Sà c.n.2. Conarruch. c. num.187. Azor.c.q.3.* Impletur etiam præceptum, dum quis vnam partem Missæ audit ab vno sacerdote, aliam ab alio: quia hic dicitur Missam audire, cum duæ medietates Miſ æ constituant vnam Missam: consultius tamen esse vnius integram Missam audire. Sed circa hanc resolutionem est difficultas an præcepto satisfaciat, qui prius ab vno sacerdote audit posteriorem partem & deinde ab alio priorem? Quidam dicunt non esse graue peccatum hoc facere, quando non est magna interruptio temporis, quia solum adest hic inter ſio temporis, quæ non videtur magna deformitas, sicut dicunt Doctores de inuersione ordinis in recitatione horarum canonicarum, & non audent damnare hanc sententiam, sed relinquunt iudicio Doctorum, vnde nec ego condemnabo. Imò tecum iam quondam Doctores satisfaceret præcepto Miſ æ, qui tacitum mutuum Sacerdotum, medias ex parte audiendo *Miſ a* audiendo *num 2. Graffis lib. 2. cap. 35. n.4. Rodriguez t.1. c.123. n.1. Diana mihi, misc. ref.18.p.2. & p.5. r.14. resp.2.* verbi gratia si quis audiens Missam vnius Sacerdotis vsq. ad consecrationem, & eodem tempore audiret Missam alterius Sacerdotis à consecratione, vsque ad finem *Conarruch. cap. num. 2 8. Cabrensis tr.23. disp.4. sect.1. num.19* Contrarium tamen in praxi consulēdum est tum quia tutius, & magis pium, & consentaneum est. Tum quia auditio Miſ æ in se successiua est, & refertur ad integritatem illius quod natura sua est ens successiuum, cuius partes simul esse non possunt. Vndæ hæ duę partes Miſ æ quæ simul celebrantur, vnius successiui partes non sunt, & consequenter ad eamdem auditionem spectare non possunt.

5. *Caecus*, qui Miſ æ interest cum deuotione, satisfacit præcepto, etiamsi longè distet à sacerdote. *Bon.c. p.11.m.192. Suar. d.88 sect.3. Similiter* & surdus, & ille, qui sacerdotem submissa voce celebrantem audit, modò adsittat cum deuotione. *Item* qui Missam audit per metum attente tamen, aut animo inspiciendi formas, satisfacit, *Henriq.c.25.n.6.* qui Missam audiuit nesciens esse diem festum non tenetur aliam Missam audire, quamuis postea nondum elapso merid e intelligat esse diem festum: nam recipit Miſ am audiuit. *Rodrig.c. 123. num. 2. Nauar.c. 21.n.12. Conarruch. cit.num.109. Suar.d.88.sect.3. Item*, qui Miſ am audiuit, animo non satisfaciendi præcepto, auditione illius Miſ æ, ed cum intentione audiendi aliā secundum probabilem sententiam non tenetur aliam ipsa audire, quia ecclesia non præcipit Missam audiri animo adimplendi præceptum, & hic iam adimpleuit præceptum, cum Miſ æ interfuerit corporaliter, & mentaliter: tenetur tamen ille desistere ab actuali intentione non satisfaciendi cum actuali affectus non obediendi ecclesiæ præcepto sit peccatum contra virtutem ad quam pertinet illud præceptum. Tum quia prior actus exterior voluntariè factus, quatenus fuit actus humanus, & moralis habuit totum id quod ad substratum præcepti adimplenda sufficit, tantum debuit obedientia voluntatis ergo si hæc postea adimpugnetur per subsequentem voluntatem, & moralem relationem, satis erit ad implendum præceptum per priorem actum sic relatum Sylueſtris tamen 2.2.q.122.a.4. docet talem non satisfacere præcepto, ideoque debere aliam Missam audire, & hæc sententia est etiam probabilis. Vide inf a v. *Præceptum n.6.7.*

6. *Qui tempore* Miſ æ notabiliter confabulatur, vel dormitat, nugatur, vel ridet cū alijs, pingit aut alios docet, &c. non satisfacit præcepto ecclesiæ, quia non interest mentaliter, cum exerceat actus, qui communiter excludunt attentionem. *Nauar.c.21. n.6. Graffis c.35.n.8. Henriquez n.5. Tamen*, qui ita confabularetur aut rideret vt non impediretur attentio requisita ad missæ sacrificium audiendum præcepto satisfaceret, quia tali licereturhabere sufficientem attentionem, vt ait *Soto. 4.d.13.q.2.a.1.*

7. Non satisfacit præcepto de audienda missa, qui toto tempore Miſ æ confitetur peccata sua si commodè potest confessionem in aliud tempus differre, nec adest necessitas præcepti confessionis quia hæc lex de peccatis confitendis, videtur esse maioris ponderis ac momenti, quam lex de Missa audienda *vera* autem *prior* est, quia ecclesia præcipit assistere Miſ æ per modum orationis, qui autem peccata sua confitetur tempore missæ non videtur assistere per modum orationis *deinde* opus præcepti non est omittendum propter voluntariā confessionem, quæ est opus consilij, nec obstat vtus in contrarium, hic enim est corrigendus, nisi aliter suadeat necessitas possunt autem aliqui excusari ob necessitatem communicandi tempore missæ, vel propter intentionem audiendi eodem die aliud missæ sacrum, aut propter bonam fidem aut ratione paruitatis materiæ, & ob easdē causas videtur posse excusari Confessarius si tempore missæ confessiones audiat, modò simul intendat audire missam, si illam non velit, vel non possit dicere, Potest enim confessiones audiendo, simul attendere ad ea, quæ Sacerdos dicit, vel facit in missa non vltra progrediendo, nec distinctè intelligendo, sed solùm attendendo, vt ad rem quandam sacram, & hæc attentio est sufficiens; quia illa satis est, vt illa missæ auditio seu præsentia sit humana moraliter, & ex obiecto religiosa. Vide *Suar. disp. 88. sect.6. vers. fatemur; capit. Azor.1.p.l.7.c.7. quæst. 8. Bonac. c.p.11. num. 26.*

A sortiori missa, quæ præcepto ecclesiæ audiri debet est sacræ diuini verbi auditioni anteponenda cùm ea quæ præcepta sunt præterniitti nō debeant, vtpa de quibus tantum est datum consilium ob causas atque præsertim si quidquid in contrarium dicat Angelus *verbo Eucharistia n.5.* Ita *Suar. c. Azorius cap. q. 30.*

8. *Missa* a quocumque sacerdote licitè audiri potest, modò non sit nominatim excommunicatus suspensus, vel interdictus, degradatus, vel publicus clerici percutor publicus concubinarius, & denunciatus, ab his enim non licet missam audire, quia præcepto ecclesiæ prohibentur celebrare, & idcirco in diuinis maximè vitandi sunt. *Tolet.lib.6 cap. 8. Nauar.c.25.num.79.*

9. Quocumque in loco, missæ sacrum audiatur præceptum missæ audiendæ adimpletur siue audiatur in propria parochia, siue in ecclesiis religiosorum, siue in oratorijs priuatis, siue extra ecclesiam, fieri tamen potest vt aliunde quis peccet non audiendo missam in propria parochia, vt si quis nolit eam audire ex contemptu, aut quando parochus declarat, quæ parochiani scire tenentur. *Azor.1.p.l.7.c.6. Suar.d.88.sect.2. Rodr.c.123. num.6.* Extat enim priuilegium *Leo. X. apud Nauar.cap.21.n.5. Azorium cap.quæst.7. Sylvium 2.2. quæst.122. artic.4.quæst.6.* cuius tenor est. *Auctoritate Apostolica declaramus, & tenore præsentium notum facimus omnes Christi fideles vtriusque sexus, qui nō contempto proprio sacerdote parochiali, ne ecclesijs fratrum Ordinum Mendicantium, Dominicis, & alijs festum audire debent Missas audiendi satisfacere præcepto ecclesiæ de audienda Missa nec in labem aliquam peccati mortalis penamue properā incurrere.* Idem decernit etiam *Pius V. in bulla Et si Mendicantium Ordines*, Anno 1567. An autem his priuilegijs sit derogatum per bullam *Gregorij XIII.* quæ incipit *In tanta negotiorum mole*, apud *Nauarrum* in fine manualis Theophilus Parochialis *p.4. a.7.* respondent affirmatiuè, quia Prædictus Gregorius reduxit illam Pianam Constitut. ad terminos iuris communis, & ad decreta Concil. Tridentinum & cum Priuilegium *Leonis X.* sit eiusdem argumenti, per consequens illi derogatum esse censet. Deinde per contrarium priuilegiorum Ordinum mendicantium factam ab eodem Gregorio per Bullam *Ex benigna, & à Clem. VIII.* per Bullam *Cum pastoralis*, & ab alijs Pontificibus semper apponitur clausula, Dummodò sacris Canonibus, & De-

Cle-

cretis Concilij Tridentini non sint contraria. Per quam clausulam omnia Mendicantium priuilegia ad eosdem iuris communis antiqui & noui terminos reduxerunt vno ore prædicti Pontifices. Et huius reductionis effectus hic est vt quidquid priuilegij, & gratiæ est quod deprehenditur, vel in vsu non esse, vel contrariari iuri communi sacris Canonibus, & decretis Concilij Tridentini, ipso facto vim non habeat, sit cassum, derogatū sit nullum, non sublistat, ita Theophilus *art. 7. & 8.* vbi probat priuilegia supradicta *Pij V. & Leonis X.* esse contraria iuri communi antiquo, & sacris Canonibus decretis sacri Concil. Tridentini. Hæc sententia est satis probabilis, quamuis contraria apud omnes fideles sit in vsu, quia non satis constat inter Doctores an prædicta Bulla Pij V. *et si mendicantium Ordines* fuerit reuocata per *Gregorium. XIII.* Multi enim affirmant bullam, *Inuenta negotiorum Mole*, non fuisse publicatam, inter quos est doctissima *Nauar.* testis oculatus exiliens Romæ, eodem tempore, qui in summa Latina impressa Antuerpiæ anno 1584. in fine, subdit. *Quia promisimus inserere Bullam Gregorij. XIII. si exiret interea, quæ quia non exiuit, &c.* in quibus verbis clarè inuit prædictam Bullam *Gregorij* fuisse quidem proposita in mente, & proposito Papæ, vel etiam scriptam, sed non exiuit, id est non fuit promulgata: & ex consequentia nullum obligat, cū sit de essentia legis, vt promulgetur iuxta communem Doctorum sententiam: Idem potè *Nauar.* tenent *Henriq. Peyrinus, Thom. à Iesu, Hieronymus Lamas* citati à Diana *p. 3. tr. 2. res.* 107. Vnde non poterit condemnari hodie ille, qui dixerit prædictam Bullam *Pij V.* & priuilegia in eadem religiosis concessa, non esse reuocata, sed in suo robore manentia, vt bene aduertit portet *in respons. moral. p. 2. casu 26.*

10. *Peregrinus.* vel alius extraneus, qui peruenit ad aliquem locum, in quo celebratur dies festus, qui non celebratur in proprio territorio, non tenetur propter loquendo Missam audire in eo loco ad quem peruenit, nisi habeat intentionem ibi manendi maiore anni parte, quia non est subditus legibus illius loci *si autem* dies ille festus celebretur etiam in proprio territorio, aut sit colendus & celebrandus ex iure communi quamuis fortè ex consuetudine non celebretur in proprio territorio secundum *Suar. t. 1. de religione l. 2. cap. 14. n. 23. Henriq. l. 9. c. 25. n. 2.* & alios esset obligatio Missam audiendi: quamuis *Sanch. de matr. l. 3. d. 18. n. 21. 19. Rodrig. 122. n. 1.* cōtrarium sentiat. Hinc parochianus in cuius parochia celebratur dies festus non peccat mortaliter missam non audiendo, si ante meridiem futurus sit extra limites parochiæ in qua celebratur dies festus, nam iste pro tēpore, quo reperitur extra territorio illius parochiæ, exemptus manet ab obligatione audiendi missam, & gaudet priuilegio loci in quo reperitur. *Suar. c. n. 21. Bonac. c. p. 12. nu. 3. Sanch. c. n. 21. Henriq. c. n. 2.*

Vide *Lex* 3. n. 8. *Festum* 3. n. 6.

MISSA IX.

De causis excusantibus ab audienda Missa.

SVMMARIVM.

1. *Qui excusentur ab audienda Missa ob impotentiam corporalem?*
2. *Qui ob spiritualem?*
3. *Qui ob impotentiam moralem?*
4. *An teneatur missam audire puella, quæ si domo exeat credit se ab adolescente lasciuo concupiscendam*: refertur triplex sententia.
5. *An qui nō potest Missam audire teneatur alias orationes recitare, aut alio die Missam audire?*
6. *An inculpabilis ignorantia, rationalis obliuio, vel inconsideratio, censura, excusent fideles ab audienda Missa? & an tempore interdicti habens priuilegium Missa audienda peccet non audiendo.*

1 VARIIS *de causis* excusatur quis ab audienda Missa die festo, *prima*, est impotentia, quæ triplex esse potest. *corporalis*, nimirum *spiritualis*, & *moralis*; Ob impotentiam corporalem excusantur, 1., illi, qui non possunt missā audire, absque damno graui corporali, proprio, vel alieno, vt sunt infirmi quando autem dubitatur de conualescente, an periculū infirmi morbi sit incursurus, exeundo domo ad Missam audiendam, medicus, vel superior, vel Parochus iudicabit, nisi ipse sit vir satis prudens, qui valeat iudicium ferre: ob id etiam excusantur infirmarij, & illi omnes, qui ad scripti sunt custodiæ ægroti, si non possint audire Missam, & custodire infirmum, & non habeant aliū, quem ad custodiam infirmi substituant. *Suar. d. 88. sect. 6. Tolet. lib. 6. cap. 9. Nauarr. cap. 21. num. 3. Henriq. l. 9. cap. 25. nu. 10 Sylu. t. 2. qu. 122. art. 4. quæst. 10. Azor. 1. par. lib. 7. cap. 7. qu. 1. Grafius t. 2. cap. 36. num. 5.*

Secundo nutrix, quæ non potest secum ferre puerum adhuc lactantem, & quem non potest domi reliquere absque probabili damni periculo, vel non potest ferre ad Ecclesiam absque grauis scandalizantis, vel astantium perturbatione; idem dicendum de ea, cui custodia paruulorum commissa est. *Comun. qu. 83. num. 286. Nauarr. c. num. 3.*

2. *Ob impotentiam spiritualem* excusatur ille, qui non potest Missam audire absque graui detrimento spirituali proprio vel alieno: *Henriq. c. cap. 21. num. 12. Nauarr. c. n. 9. Bonac. de Missa punct. vlt. num. 2.* Vide excusatur mater, quæ domi remanet ad custodiendam filiam, cui probabile periculum timet, si eam ducat ad Ecclesiam, aut solam domi relinquat.

3. *Ex impotentia morali* excusatur ille, qui nequit audire missam absque graui detrimento sui, aut proximi, siue illud sit animæ, siue corporis, siue famæ, siue honoris, siue lucri, siue alterius boni, & ob id excusantur, qui habent graue negotium impediens; *item* qui ratione officij prohibentur exire, vt custodes arcium. *Item* domini, & conductores grauiter occupati in negotio moram non patiente. *Item* iter faciens, qui alioqui socios necessarios amitteret, quibus opus habet ad iter peragendum; excusantur etiam curtores, vel nautæ, aut muliones, qui cogerentur magnas expensas facere, si immorarentur in Missa audienda: *item* fæcè excusantur pastores ouium, qui non possunt sine periculo grauis aut grauis detrimenti missam audire, custodientes domum, vel præparantes cibos in oppidis, vbi vnica Missa celebratur, fœminæ honestæ quæ carent veste conuenienti suæ personæ, aut socia aut pedissequa. *Excusantur* etiam illi, qui non possunt domo securi exire. *Famul.* item aut vxores timentes rixas & verbera, si ad missam accedant. *Excusantur* præterea illi, qui ad Ecclesiam peruenerunt inchoata iam Missa, si non habeant copiam alterius sacerdotis, aut non præuiderint fore, vt non peruenirent opportunè ad Ecclesiam. *Excusantur* item qui longiùs distant ab Ecclesia, si commodè nequeant Missam audire; *item* qui vinculis detinentur, aut quibus domus loco carceris constituta est, aut qui domi per vim detinentur, licet in ea habeant oratorium approbatum. *Excusantur* etiam viduæ ob consuetudinem certo tempore domi se continentes, & puellæ nobiles, quæ domo non consueuerunt exire, secus dicendum, si soleant exire ad ludos, aut choreus, aut spectacula. Vide Doctores citatos. *Azor. c. cap. 7. qu. 1. Suar. d. 88. sect. 6. Nauarr. cap. 21. num. 3. & 4. Tolet. lib. 6. cap. 9. Bonac. de missa d. 4. qu. vlt. p. vltim. Rodrig. in fusc. cap. 123. Sa v. missæ audito num. 3. Grafius 1. par. lib. 2. cap. 36.*

Sed petes, an qui præuidet in die festo se non posse audire sacrum ab hora nona, teneatur præuenire, & audire hora septima, vel octaua. Responsio communis est affirmatiua: quia quoad horam in qua missa est audienda, non est tempus omninò limitatum hac lege; sed tantùm præcipitur vt ea die sacrum audiatur quacumque hora, moraliter loquendo, id fieri possit, & ita si Missa non esset dicenda nisi in principio diei, vel esset differenda vsque ad meridiem obligaret præceptum ad illam tunc audiendam, quia obligat simpliciter vt eo die impleatur.

4. *Puella* verò quæ creditur ab adolescente lasciuo, & fragili concupiscendam, si domo exeat, secundùm *Nauar. cap. 21. num. 3. Henriq. c. cap. 25.* tenetur missam audire, quia hoc damnum, & scandalum per accidens sequitur; *Soto 4. d. 13. q. 2 art. 1.* consulit missam relinquere. *Sa c. n. 3.* verò putat posse relinquere, sed non teneri; quod est probabilius.

5. *Porrò*, qui non potest Missam ob aliquod impedimentum audire, non tenetur alias orationes recitare, aut alio die Missam audire, quia præceptum affirmatiuum tolùm obligat pro tempore designato, & pro materia præcepta ad certum tempus. *Suar. c. sect. 5 & 6. Nau. c. 21. n. 7.*

6. *Inculpabilis ignorantia*, rationalis obliuio, vel inconsideratio, excusant fideles ab audienda missa: *Suar. d. 88. sect. 6. Nauarr. cap. 21. num. 3. Azor. l. 7. cap. 7. qu. 1.* Sicut & censura; cùm impossibile sit aliquem obligari ad id, à quo per censuram tenetur ab-

ſtinere, & quod ſine peccato præſtare non poteſt: imò excommunicatus non peccat non audiendo Miſſam in die feſto, etiáſi poſſit facilè abſolutionem excommunicationis obtinere. *Qui* autem habet priuilegium Miſſæ audiendæ tempore interdicti, peccat non audiendo miſſam, nullum enim habet impedimentum, quo minùs poſſit Miſſam audire. *Sa. c. num. 4. Nauarr. cap. 21. num. 3.*

Vide *Excommunicatio* 3. num. 10. & 11.

MONS PIETATIS.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit Mons pietatis? & cum quibus conditionibus conſtituatur?*
2. *An conditionibus poſitis in monte pietatis committatur vſura? huc refertur decretum* Leonis X. in Concilio Lateranenſi.
3. *An homo priuatus poſſit huiuſmodi montem inſtituere?*
4. *An depenentes pecuniam apud montem pietatis poſſint aliquid recipere vltra ſortem, ſecluſo lucro ceſſante vel damno emergente?*
5. *Tituli ob quos lucrum euadit iuſtum ex depoſitis ſupra montem pietatis.*
6. *An mons pietatis poſſit exigere à mutuatarijs, non ſolùm quod eſt neceſſarium pro expenſis miniſtrorum, ſed etiam pro ſoluendis penſionibus, aut cenſibus, &c.*
7. *An poſſit Mons aliquid exigere a mutuatarijs ratione pecuniæ ſibi tradita, etiamſi illa pecunia non pertineat ad montem?*
8. *An mons poſſit exigere expenſas pro miniſtris, quas exigit à cæteris, quando pignora non indigent labore, & cura vt conſeruentur?*
9. *An mons pietatis poſſit aliquid exigere à mutuatarijs in ſui augmentum?*

1. MOns *pietatis* eſt ſumma pecuniæ vel alterius rei mutuabilis deputatæ ad ſubueniendum per mutuum neceſſitatibus pauperum: conſtituuntur autem hi Montes cum hiſce conditionibus; *Prima*, vt ex illis detur mutuum ad certam ſummam pauperibus, non autem diuitibus. *Secunda*, vt ad certum tempus, v gr. ad annum vel paulò ampliùs id eis permittatur. *Tertia*, vt mutuatarij dent pignus idoneum. *Quarta*, vt ſingulis menſibus aliquid minutum ſoluant pro ſumptibus neceſſarijs ad montis conſeruationem, vt pro ſtipendio miniſtrorum, qui montem cuſtodiunt & adminiſtrant, ſemperque parati eſſe debent ad mutuandum, ac pignora recipienda, cuſtodienda, reddenda; pro conductione domus, pro libris rationum, cæteriſque neceſſarijs inſtrumentis. *Quinta*, ſi contingat mutuatarios non ſoluere termino præfixo, pignus vendatur ſub haſta, vt ex eo vendito ſatisfiat monti, & eius miniſtris, quod verò ſupereſt reſtituatur domino pignoris. *Filliuc. tract. 34. p. 2. nu. 165. Tolet. l. 5. cap. 38. Bonac. de contract. d. 3. qu. 3. punct. 12. Leſſ. lib. 2. cap. 20. dub. 23. num. 190. Sylu. 2. 2. quæſt. 78. artic. 4. quæſt. 1. concluſ. 1.*

2. *His conditionibus* poſitis, in monte pietatis, & hac ratione mutuandi, non eſt vſura, ſed potiùs pietas, & iuſtitia, quid quid in contrarium dicant Caietanus, & Sotus: *Leo* enim *decimus* in Concil. Lateranenſi approbat hoſce montes tamquam pios, & cupit eos erigi cum conditionibus expoſitis, ſic enim ait: *Declaramus & definimus montes pietatis, in quibus pro eorum impenſis & indemnitate aliquid moderatum ad ſolas miniſtrorum impenſas, & aliarum rerum ad illorum conſeruationem pertinentium, pro eorum indemnitate dumtaxat, vltra ſortem, abſque lucro eorundem montium recipiuntur, nec malæ ſpeciem præferre, nec vllo pacto improbari.* Ratio autem cur hi montes liciti ſint, eſt quia nihil exigitur à mutuatarijs, ratione mutuationis, ſed ſolùm ratione expenſarum, quæ neceſſariæ ſunt ad montis conſeruationem, & adminiſtrationem: atqui licitum eſt aliquid pro his expenſis exigere, ergo quod in iſtis montibus datur, iuſtè exigitur: & nulla æquitas poſtulat, vt quis cum damno ſuo mutuet, ergo tantùm exigere poteſt quantum eſt neceſſarium ad damnum vitandum. *Regin lib. 25. num. 207. Nauarr. de vſur. nu. 59. Azor. 3. p. l. 5 cap. 8. Valent. t. 3. d. 5. qu. 23. p. 4. Leſ. c. n. 191. Fell. c. cap. 9. num. 167. Medina de vſur. qu. 10. Tolet. c. numero 5. Sylu. c. concl. 2.*

3. *Homo priuatus* poteſt huiuſmodi montem inſtituere, etiáſi pecuniam illam ſub onere alicuius cenſus accepiſſet, & exigere à mutuatarijs quantum opus eſt, vt ſe indemnem præſtet, etiamſi octo vel decem in centum ab illis ſoluenda eſſent. Negotium enim mutuatarij hic mons vtiliter gerit, exigendo oct., vel decem in centum, cùm iam ſoluat 33. & in quibuſdam locis 44. vel 45. Verum tamen eſt prædictum montem fieri vſurariũ, ſi aliquid accipiatur ad augendum montem, vel vt dominus mõtis aliquod lucrum referat, acciperetur enim aliquid ſupra ſortem in mutuo, abſque iuſto titulo, vt lucri ceſſantis, vel damni emergentis. *Leſſ. c. num. 194. Bonac. c. num. 3. Salas de vſur. dub. 33. num. 3. 10. Molina diſp. 325.*

4. Communis ſententia eſt, non poſſe deponentes pecuniam apud Montem pietatis, aliquid vltra ſortem recipere, ſecluſo lucro ceſſante, vel damno emergente, ſed ſi recipiant, eſſe manifeſtam vſuram. Ratio eſt, quia inter montem, & tradentes pecunias, non poteſt eſſe alius contractus, quàm depoſiti ſeu mutui; nam deponens pecuniam, dando facultatem depoſitario, vt illa vtatur, cenſetur mutuare: Ratione autem mutui non poteſt aliquid recipi, cùm hoc ſit contra præceptum naturale, & diuinum: neque etiam ratione depoſiti, quia contractus depoſiti debet eſſe gratuitus. Ita *Nauar. l. 5. conſil. de vſur. conſil. 17. Azor. tom. 3. l. 5. c. 9. qu. 5. Filliuc. trac. 34. p. 2. n. 177. & 178.* & alij communiter. Verùm ex indulto Summorum Pontificum plurib⁹ in locis oppoſitum eſt in vſu: nam deponentes pecunias apud Montes pietatis tuta conſcientia quatuor, vel quinque pro centum vltra ſortem annuatim recipiunt, Sic conceſſit *Paulus III.* conſeruatoribus & Præſidentibus Montis pietatis Ferrariæ per Bullam quæ incipit, *Charitatis opera die* 10. *Iulij* 1549. Vbi derogat conſtitutionibus in contrarium, etiam Concilij Lateranenſis. Proinde ſtante tali indulto, licitum eſt percipere illa quatuor vel quinque pro centum ex pecunijs, quæ ſupra Montibus pietatis collocantur: quia cenſentur dari ex liberalitate, & gratitudine montis, qui mutuum recipit. Ita *Bonac. tom. 2. de contract. diſp. 3. qu. 3. punc. 12. num. 9.* Vt hoc pacto alij alliciantur ad tradendam pecuniam, & pauperibus ſubueniatur. Proinde in hoc caſu Pontifex declarat legem prohibentem lucrum ex depoſitatione ſupra Montem pietatis non obligare: quia videlicet obſeruantia ipſius eſſet impeditiua maioris boni: pertinet enim ad bonum communitatis, quod ſubleuentur pauperes: non poſſet autem ſubleuare Mons pietatis, niſi apud ipſum depoſitarentur pecuniæ; quæ non depoſitarentur, niſi depoſitantes perciperent lucrum aliquod: & ideò ſi ſeruaretur lex de non percipiendo lucro in hoc caſu, impediretur maius bonum. Sed plura de his apud Paſqualigum *in deciſionibus moral. deciſion. 184. & 185.*

5. Tituli, ob quos lucrum iuſtum euadit ex depoſitis ſupra Montem pietatis, ſunt. *Primò*. Emolumentum magnum quod præſtat communitati, qui depoſitat ſuam pecuniam apud montem: prouidet nempe vnde poſſit ſubleuare egenos quod redundat in maximam vtilitatem illius. Hoc autem emolumentum eſt pretio æſtimabile; quia totum id, eſt pretio æſtimabile: quod redundat in commodum temporale. Et ſicut pecunia præſens eſt magis æſtimabilis, quàm abſens; ita qui dat præſentem, vt tantumdem recipiat de abſenti, poteſt aliquod pretium in compenſationem accipere.

Secundò, euadit iuſtum prædictum lucrum, attendendo fidem ſubleuandi pauperes, nempe ratione obligationis, quam in ſe ſuſcipit mutuandi pauperibus pro tanta ſumma. Cùm enim ad communitatem ſpectet, quantùm fieri poteſt, ſubleuare egenos: vt habeat promptam pecuniam, vnde hoc præſtare poſſit, contrahit cum hoc, & illo, vt ſe obliget pro aliqua quantitate pecuniæ ad mutuandum pauperibus, & pro tali obligatione ſoluit tot pro centum. Cùm autem omnis obligatio ſit pretio æſtimabilis, poteſt quoque annuatim aliquod pretium iuſtè accipi, vt docet *Sot. de iuſtit. lib. 6. qu. 1. artic. 2. Molin. de contract. tib. diſp. 308. num. 4.*

Tertiò, poteſt euadere iuſtum huiuſmodi lucrum; ſi pecunia non cenſeatur mutuari, ſed accommodari, ita vt tranſeat in locatum. Quod fieri poteſt accedente declaratione Principis, & exigente bono publico. Quod virtualiter ſit à Pontifice, quando concedit fructus poſſe percipi ex pecunia monti tradita. Cùm enim pecunia valdè vtilis ſit, & poſſit, prout applicatur, magnos fructus cauſare, poteſt tamquam res vtilis & fructifera non ſecus ac domus & ager eſſe materia contractus locationis, ita vt ipſam quis alteri locet, vt inde percipiat illos fructus, quos poteſt cauſare; & tunc poteſt ex tali locatione percipere fructus:

quia

quia ſicut pecunia conſideratur vt merx ratione commoditatis numerandi, deferendi, &c. ita etiam poteſt conſiderari vt res fructifera, cùm reuera ſit talis: vnde hic titulus interuenit ſecundùm ſubſtantiam, licet non exprimatur.

Quarto. Probabile eſt huiuſmodi lucrum reddi iuſtum, ſi ſit intuitu translationis dominij, & priuationis eiuſdem, non autem intuitu mutui.

Omne enim dominium rei vtilis qualis præſertim eſt pecunia, eſt pretio æſtimabile: ſicut etiam priuatio eiuſdem rei vtilis: vnde cùm quis ſe priuat facultate, & potentia conuertendi pecuniam in obuios vſus lucratiuos, vt eſſet cambium, mercatura, aut emptio rei fructiferæ, poteſt percipere lucrum, quod poſſet habere. Ita *Medina c. de reſtitut. qu.* 32. *Dian. p.* 5. *tract.* 13. *reſolut.* 50. *Petrus Ledeſma in ſumm. p.* 2. *tract* 8. *cap.* 35. *concluſ* 4. Et hoc pacto ceſſant rationes, ob quas lucrum ex mutuo eſt iniuſtum. Denique licitum eſt percipere quinque pro centum ex pecunia depoſita apud Montem pietatis; quia percipitur ex taxatione Principis.

Taxatio autem Principis iuſta eſt; quia ſicut habet poteſtatem taxandi valorem monetarum, ita etiam habet poteſtatem taxandi fructum, qui percipi poſſit ex depoſitatione pecuniæ apud Montem pietatis. At qui bonum communitatis exigit vt taxentur ad eam ſummam, quæ ſolet percipi, quando fundantur cenſus, vt adſit concurſus depoſitantium. Et hoc fuiſſe motiuum talis taxationis, conſtat ex Bulla *Pauli III.* ſuprà citata.

6. Mons pietatis poteſt exigere à mutuatarijs non ſolùm quod eſt neceſſarium pro expenſis miniſtrorum, ſed etiam pro ſoluendis penſionibus ſeu cenſibus, aut quocumque alio titulo pecunijs debitis depoſitantibus. Ratio eſt, quia licitè poteſt Mons ſe ſeruare indemnem dum mutuatur; exigendo à mutuatarijs quidquid ipſe ſoluere tenetur intuitu illius commodi, quod paratum habet pro mutuatarijs, præſertim cùm non negotium proprium, ſed ipſorum gerat; qui autem alicui inſeruit cum proprio diſpendio poteſt licitè exigere, quo reſarciatur. Si igitur debet Mons ſeruari indemnis in expenſis pro miniſtris, vt decernit *Leo X.* ſupra, debet etiam ſeruari indemnis in expenſis pro parandis pecunijs in commodum mutuatariorum: non enim æquum eſt, vt ipſi ſentiant commodum, & mons incommodum. Ita *Bonacina de contract. diſputat.* 3. *quæſt.* 3. *p.* 12. *num.* 3. *Azor. tom.* 3. *lib.* 5. *cap.* 9. *qu.* 2. *Regin. lib.* 25. *num.* 209. *Paſqu. in deciſ. moral. dec.* 186. Imò ſecundùm Leſſium *in appendice de monte pietatis qu.* 2. quæ eſt poſt libros eiuſdem de iuſtit. & iure, poteſt exigere etiam quod eſt neceſſarium pro paranda & inſtruenda domo, in qua conſeruentur quæ pertinent ad montem; quia habere domum cum omni apparatu neceſſario pertinet ad montis conſeruationem, id eſt ad conſeruandum montem indemnem.

7. Quando Mons pietatis habet pecuniam ſibi ab aliquo deputatam pro mutuando pro certo aliquo tempore; ita vt non tranſeat in dominium montis, poteſt etiam tunc à mutuatarijs aliquid exigere intuitu expenſarum, non ſecus ac ſi pecunia eſſet propria montis. Ratio eſt, quia tales expenſæ fiunt non pro conſeruanda propria pecunia, ſed fiunt intuitu mutuandi; atque adeo in beneficium mutuatariorum; nullo enim pacto fierent, niſi adeſſet finis mutuandi; vnde ſpectat ad mutuatarios ſeruare indemnitatem quoad ipſas. Ita *Salas tr. de vſur. dub.* 33. *num* 8. *Molina tom.* 2. *de iuſtit. diſput.* 325. Contra *Azor. p.* 3. *lib.* 5. *ca.* 9. *quæſt.* 4. Qui docet ad pecuniæ dominum ſpectare, facere omnes expenſas, quæ ſunt neceſſariæ pro eiuſdem conſeruatione, & debere concurrere cum monte pro rata ad expenſas miniſtrorum domus, & aliarum rerum.

8. Mons pietatis poteſt exigere expenſas pro miniſtris, quas exigit à cæteris, etiam ab ijs, qui dant pignora, quæ non indigent labore & cura, vt conſeruentur, vt ſunt vaſa argentea, gemmæ, &c. Ratio eſt, quia quod exigitur à mutuatarijs non eſt intuitu conſeruandi pignora, ſed pro conſeruatione montis, & expenſis quas facit.

Neque enim poſſet Mons mutuari, niſi haberet miniſtros, qui ipſi inſeruirent; & ideo debet ſeruari indemnis ab expenſis quas facit pro miniſtris: & mons adhuc in ordine ad ipſos habet miniſtros paratos, & per accidens eſt quòd non tradant pignora, quæ indigeant curâ. Ita *Leſſ. lib.* 2. *ca.* 20. *dub.* 23. *num.* 194. *Salas de vſur. dub.* 33. *num.* 8. *Salon. tom.* 2. *de iuſtit. qu.* 78. *artic.* 2. *controuerſ.* 27.

9. Ex communi ſententia Doctorum, Mons pietatis non poteſt aliquid accipere à mutuatarijs in ſuipſius augmentum: Ratio eſt, quia ſi mons aliquid exigeret ſupra expenſas, ratione

mutui exigeret, atque ideò committeretur vſura. *Medina de vſur. qu.* 10. *Leſ. c. num.* 193. *Arragon.* 2. 2. *qu.* 77. *artic.* 4. Non eſt tamen improbabilis ſententia. *Villalob. p.* 2 *ſum. tract.* 22. *diff.* 14. *Paſqu. in deciſ. moral. dec.* 204. Docentis tunc poſſe montem augmentum capere ex mutuo, ſi omnes qui ſunt de loco, inter ſe conueniant, vt qui mutuum accipiunt à monte aliquid modicum tribuant monti, vt augmentum accipiat, vt ſubſiſtere poſſit contra fortuitos caſus. Ratio eſt, quia quod ſoluitur ſupra expenſas, non ſoluitur ratione mutui, ſed per modum donationis ad augendum montem; poteſt autem mons licitè recipere omnes donationes: Non eſt autem opus, vt omnes, & ſinguli ſe obligent ad hanc donationem: ſed ſufficit ſi obligentur ab ijs, qui regunt communitatem, poſſunt enim obligare ſubditos ad ea omnia, quæ concernunt bonum communitatis. Et huic ſententiæ ſubſcribit *Paſqualigus*.

MVRMVRATIO.

SVMMARIVM.

1. *Murmuratio quid ſit & quot modis accipiatur.*
2. *Murmuratio mala eſt triplex, & de prima, quæ eſt contra Deum.*
   Tripliciter murmuratur de Deo, nempe de nimia ſeueritate, de nimia benignitate, & de aeris inæqualitate.
3. *Murmuratio ſecunda ſit contra Prælatos, & ſuperiores.*
4. *Murmuratio tertia eſt contra ſocium ſeu proximum.*
5. *Murmurationis diuerſa ſunt ſpecies.*
6. *Murmuratio an ſit graue peccatum?*
7. *De pœnis, quas Deus infert propter peccatum murmurationis.*
8. *Prælatus audiens aliquem detrahentem religioſis ſubditis ſuis, & non reſiſtens, peccat mortaliter.*
9. *Superior patienter debet ferre ſubditorum murmurationes, & detractiones: illos tamen tenetur debitis pœnis corripere, ad famam ſuam tuendam.*
10. *Murmurationes clauſtralium præcipuè ſunt tres.*
11. *Murmuratio oritur à Septem peccatis capitalibus, à malignitate, ab otio, &c.*

1. MVrmur, ſeu murmuratio dicitur *primò*, iuxta *Sylueſtr. v. murmuratio, & Angel. ib.* Omnis locutio ſubmiſſa vel clanculoſa, aut ſecretè & ſubmiſsè, & clanculò facta, vnde & metaphoricè riuus aquæ dicitur murmurare; cuius ſtrepitus lenis eſt, & proinde audientibus gratus: ſed quoniam aquarum murmur ex repercuſſione illa eſt, qua ab aquis aquæ impelluntur ad curſum & agitationem, ideò quilibet ſtrepitus, ſiue ſonus ex aliqua preſſura auditus, murmur & quidem graue vocatur, iuxta illud *Plin. 2. hiſtor. natur. cap.* 80. dicentis de hiatibus terræ. *Præcedit comitaturque terribilis ſonus, alias murmur, ſimilis mugitibus, aut clamori humano, armorumque pulſantium fragori.*

Secundò, murmuratio eſt querela cum impatientia in his, quę homo debet patienter ferre. Et iſto modo murmur eſt in communi locutione: de quo dicitur in Pſalmo 105. *Murmurauerunt in tabernaculis ſuis, & non exaudierunt vocem Domini, & eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto.* Vbi tria demonſtrat Pſalmiſta. Et querelam de Deo inſinuat ibi. *Murmurauerunt*. Et permanentiam in malis demonſtrat, ibi. *Non exaudierunt*. Et pœnam de vitio deſignat, ibi. *Et eleuauit*. Nota quòd populus ille antiquus ſignificans populum Chriſtianum, hoc egerit in tabernaculis ſuis, id eſt cùm eſſet otioſus. Non enim laborantibus, ſed otioſis hoc contingit, vt aduertit *D. Anton.* 2. *p. tit* 7. *c.* 2. §. 2.

Tertiò, murmuratio fit ex re iniuſta modo iniuſto ſicut religioſus dicitur murmurare, quando aliquid iniuſtum quidem patitur, ſed tamen non exponit Prælato rationem ſuam, ſed alijs, quorum non eſt ei prouidere.

Vnde murmuratio peccatum eſt coincidens cum detractione: quamuis minus ſignificetur murmurationis nomine: quia magis ſoni, quàm vocis peccatum ſignificat. Hinc ſonum querelæ, impatientiæ murmur vocant Doctores, quaſi multum preſſus aut pulſus homo ſonet. Et tamen ſecundùm rem detrahitur illi contra quem murmuratur, tamquam iniuſtè aut irrationabiliter, &c. ſe habuerit vel habeat. Vt docet *Caietan. in ſum. ver. murmurat o*.

2. Mur-

2. Murmuratio mala triplex est, *prima* contra Deum. Vnde dicitur Exod. 16 8. *Dabit vobis Dominus panes in fauxitate, eo quod audierit murmurationes vestras, quibus murmurastis contra eum; nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* 14 est, iniquę istæ & improbæ querimoniæ contra Deum sunt. Et Num. 11. 1. *Orium est murmur quasi dolentium pro labore contra Dominum.* Et Iudas Apostolus in sua Canonica postquam dixisset: *Venit Dominus facere iudicium contra eos, qui locuti sunt contra Deum*, subiunxit, *Hi sunt murmuratores querulæ*. Et ideo D. Paulus ait: *Ad Philipp. 2. 14. Omnia facite sine murmurationibus, vt sitis sine querela, & simplices filij Dei*. Vbi querelam murmurationi adiunxit, & vtramque simul relegauit.

Tripliciter murmuratur de Deo, *primo*, de nimia seueritate. Murmurant enim aliqui & conqueruntur de Deo cùm multùm affliguntur, vel magna paupertate, vel infamia, vel persecutione, vel infirmitate, aut tentatione dicentes, Deum esse crudelem erga se, vel alios tribulatos, & plus aduersitatis eis dare quàm possint portare, & se à Deo esse derelictos. Sed ò quàm magnam falsitatem isti loquuntur! Omnis doctrina sana gentilium & Catholicorum clamat Deum pijssimum, & clementissimum fore, omnem aduersitatem ab eo procedere, & electos suos sibi acceptissimos multipliciter hic flagellare, & tunc magis eis adesse. Ratio est, quia ipse cum tribulatis, qui sunt parati ad sustinendum, portat onus. *Psalm. 90. Cum ipso sum*, inquit per Psalmistam *in tribulatione, eripiam eum*, & citò quia breuissima, & quasi momentanea est vita nostra; *& glorificabo eum.*

Secundò, murmurant aliqui de nimia benignitate Dei, vel quia recipit magis peccatores ad pœnitentiam & dat eis magna dona, vel tolerat malè agentes tandiu in malis suis, & non punit, vel quia dat impijs & sceleratis magnas prosperitates. Sic scribæ & Pharisæi murmurabant contra Iesum dicentes. *Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis*, Luc. 15 2. & iterum Luc. 19 murmurabant quòd ad hominem peccatorem, scilicet *Zachæum, diuertisset*. Quod autem Deus sustineat peccatores magna benignitas, & patientia Dei est, non reprehendenda, sed dulciter amplexanda & veneranda. Quis enim ille tam innocens, qui velit subitò puniri de defectibus suis, certè nullus? Expectat ergo diu vt victi eius benignitate, homines reuertantur ad illum. Isa. 30 18. *Expectat vos Dominus vt misereatur vestri, propterea exaltabitur parcens vobis*.

Tertiò alij murmurant contra Deum ob aeris intemperiem, vt cùm est multa siccitas, vel cùm est nimia inundantia aquarum, vel cùm est intensus calor, vel frigus perdurans, & huiusmodi, quasi Deus non bene disponat ista. Sed iniustè murmuratur. Nam vt dicitur Sapient. 8. 1. *Sapientia Dei disponit omnia suauiter*. Sed quia non agit secundùm velle nostrum, ideò murmuramus quasi simus sapientiores Deo, & velimus eum instruere quomodo debeat mundum gubernare.

3. Secunda murmuratio fit communiter contra Prælatos, & superiores, & de illis creberò inferiores queruntur: ideo murmurationis nomen ad incontinentiam linguæ contra superiores suos querimonias iactantis tractum & deiumptum est, vt cùm Exod. 15. 24. scriptum legimus. *Murmurauit populus contra Moysen dicens, quid bibemus? Exod. 16. 2. Murmurauit omnis congregatio contra Moysen, & Aaron in solitudine, & dixit ad eos; vtinam mortui essemus in Aegypto, quando sedebamus super ollas carnium: cur eduxisti nos in desertum?* Ideo improbæ iniquæ querimoniæ contra præfectos rationem murmuris habent, quoniam præfecti Dei funguntur officio, quatenus omnis potestas à Domino Deo est, & non est potestas nisi à Deo. *Hæc autem in figura facta sunt nostri*, inquit D. Paulus 1. *Corint. 10.* Id est, propositi sunt nobis Israelitę in exemplum, non imitandum, sed fugiendum: ideo subdit, *vt non simus concupiscentes malorum, neque murmuremus.* Vel in figura facta sunt nostri: quia futurum erat, etiam in Euangelica lege, vt aliqui fierent murmuratores, & detractores: quorum peccatum sicut in Israelitis figuratum est, ita non dubitent, supplicium pro peccato tanto sibi debitum, iam multoties in veteri testamento præfiguratum varijs murmuratorum & detractorum supplicijs, in se ipsa implendum. Tolerabile autem malum esset, si hæc figura impleretur in illis tantùm, qui necdum liberati à seruitute peccati, in Ægypto huius sæculi, vanitatibus varijs deseruiunt in vanitate sensus sui. Verùm, quòd etiam apud illos eiusmodi figura in malum videatur impleta, qui gloriantur in libertate filiorum Dei: ita, vt qui cùm essent in sæculo prorsus ignorarent, quid esset murmuratio: videantur in monasterio murmurando vorum emisisse: tam sunt proni ad omnem murmurationem, & assidui in illa. Dolendum certè nimis est; vtinam, vtinam sicut hoc malum grauissimum est, ita in plerisque monasterijs non esset frequentissimum. Sed proh dolor! tam familiare est tactum, vt nusquam ferè non reperiatur, nec de illo erubescatur: imò vt malum ferè nullum vel exiguum censeatur. *Vbique*, inquit *D. Bern. serm. 14. in Cantic. in choro adolescentularum*, id est animarum religiosarum, tales inueniam, quæ acta sponsæ (Dei curiosè obseruent, derogandi, non imitandi causa. Torquentur in bonis seniorum suorum: malis palcuntur. Videas ambulare seorsum, conuenire sibi, & sedere pariter: mox quę laxare procaces linguas, in detestandum susurrium, vna vni coniungitur: nec spiraculum incedit in eis: tanta est libido detrahendi, audiendive detrahentem. Ineunt familiaritates, ad maledicendum: concordes ad discordiam, conciliant inter se inimicissimas amicitias: & pari consentaneæ maligni tatis affectu, celebratur odiosa collatio, multum dissimilis certè à collationibus Sanctorum Patrum: qui de rebus diuinis inter se conferebant, quotie cunque conuenichant.

4. Tertia murmuratio fit contra Socium seu proximum, quia non seruit sibi prout vellet: aliquando etiam murmurat quis, cùm videtur nimis grauari in obsequijs vel operibus, vt cùm pauperes, vel Religiosi petunt eleemosynas, & hi à quibus petuntur murmurant dicentes.

Isti indiscreti sunt, & non faciunt nisi petere; & dent, murmurando dant. Sed dicit D. Petrus. 1. *Pet. 4. 9. Hospitales inuicē*, scilicet ad subueniendum, *sine murmuratione*. Sic Martha murmurabat contra Magdalenam, quia non iuuabat eam ad ministrandum. Et *Iudas* de effusione vnguenti dicens: Vt quid perditio hæc &c.

5. Sunt diuersæ species murmurationis: Alij enim nudè & irreuerenter, vti in buccam venerit, vitus euomunt detractionis, ex quadam quasi impotentia ad tacendum. De quibus Ecclesiastic. 19. 11. *A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus parturientis infantis. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.* Familiare omninò in probis vitium, linguæ petulantia. Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam quam retinere non possunt, obumbrare conantur. Videris præmitti alta suspiria: sicque quadam cum grauitate, & tarditate, vultu mæsto, demissis supercilijs, & voce plangenti, egredi maledictionem: & quidem tantò persuasibiliorem, quantò creditur ab his, qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Doleo, inquit, vehementer, pro eo quòd diligo eum satis, & numquam potui eum de hac re corrigere. Et alius. Mihi quidem benè compertum fuerat de illo illud: sed per me numquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta res est, veritatem negare non possum: dolens dico, reuera ita est. Et addit: Grande damnum. Nam alijs quidem in pluribus valet: cæterum in hac parte (vt verum fateamur) excusari non potest Hæc passim *D. Bernardus* supra. O os abundans malitia! O lingua concinnans dolos! Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum: imperceptibiliter diripiendo bonum nomen proximi.

6. Murmuratio est peccatum graue, vt docet *D. Bernardus serm. 47. de modo viuendi*. Quia hoc vitium præcipuè charitatem, quæ Deus est, præcæteris acriùs impugnare, & persequi cognoscitur. Omnis enim qui murmurat vel detrahit; primùm quidem seipsum prodit vacuum charitate. Deinde; quid aliud murmurando vel detrahendò intendit, nisi vt is cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipsis apud quos detrahit: ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt, & quantum in se est, necat funditus, & extinguit.

Non solum autem, sed & in absentibus vniuersis, ad quos volans verbum, fortè per eos qui præsentes sunt, peruenire contigerit. O quàm citò ingentem multitudinem animarum velociter currens sermo, tabe malitiæ huius, inficere potest. Vnus est qui loquitur, & vnum tantùm verbum profert: & tamen illud vnum verbum, vno in momento, multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. Nemo ergo putet leue peccatum esse murmurare: quia vt ait *D. Bernard. serm. de triplici custodia. Et dicimus, leuis est ferme; reuera, mollis & exigua caro lingua hominum, quis sapiens magi pendat? Leuis quidem res ferme, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat: leuiter transit, sed grauiter vrit, leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit: profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur, facilè volat, atque ideo facilè charitatem violat.*

Ille certè leue non est arbitratus, qui murmurantibus aiebat. *Exod. 16. 8 Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum*:

minum: Nos enim quid sumus, qui murmurastis contra nos. Sed nec ille, qui dixit. 1. *ad Corinth.* 10. 10. *Neque murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore:* illo nimirum, qui positus est, in hoc ipsum, vt à terminis beatæ illius ciuitatis arceat murmurantes. Vnde murmuratio mala semper est peccatum, veniale aut mortale, secundùm conditionem personarum, circumstantiarum, animarum, quod generali regula difficile est diffinire, vt docet *Sylvest. v. murmuratio.* In Religiosis autem omnis murmuratio sæpissimè est grauis, vtpote in Christum. Christum enim tentat (inquit *D. Bernard. serm. 47. de modo viuendi.*) Qui pro cibo, vel potu, siue pro vestimento murmurat. Sicut scriptum est; Tentauerunt Deum in cordib. suis, vt peterent escas animabus suis. Contra Christum facit, qui in Monasterio pluiquam oportet requirit. Et *Anacletus* Papa apud *Gratianum ca. viltemus dist. 90.* Sententia Chami damnantur, qui suorum Præpositorum culpas produnt: pudenda enim illorum operire, non autem denudare tenentur.

Caueant ergo Religiosi à murmuratione, & detractione, non solùm ore proferenda, sed etiam auribus excipienda. Qui enim apud vos de proximo murmurat & detrahit, quantumuis vobis blandiri videatur, sit vobis semper suspectus; cogitate, quòd sicut apud vos de alijs, ita de vobis apud alios æquè facilè murmurare potest.

7. Pœnæ, quas Deus infert pro vitio murmurationis multiplices in scripturis enarrantur. Sanè contra eos qui aduersus *Moysen*, & *Aaron* è populo suo murmurauerunt, pestilentiam comminatus est dicens. *Num.* 14. 12. *Feriam eos pestilentia atque consumam.* Et licet precibus *Moysis* reuocauerit mulctam hanc, aliam subrogauit inquiens; *Nu.* 14. 23. *Non videbunt terram pro qua iurauí patribus eorum.* Quæ sanè ad exitum vique perducta fuit.

Et hoc figurat quòd murmuratores non valent intrare in Regnum Cœlorum figuratum per terram illam. Quod & D. *Gregorius* dicit. *Regnum Cœlorum nullus qui murmurat, accipit.* Quod verum est, quando murmuratio est mortalis, scilicet, cum odio Dei, vel hominum, vel tanta displicentia quòd decidat à charitate Dei, vel proximi, vel cùm ex locutione murmuris sequitur notabile scandalum alijs; & sicut tale vitium excludit à Regno, ita consequenter inducit ad æternum interitum. Vt docet *D. Anton. p. 2. tit. 7. cap. 2. §. 4.* Maria soror *Moysis* eo quòd murmurauit contra illum, lepra repleta est, cadente supra eam quasi nix. Cuius supplicij mysterium explicans *D. Augustinus to. 10. serm. 26. ad Fratres in Eremo*, ait, *Ideo murmuratricem sororem lepra percussam fuisse, quia sicut lepra totum corpus deuorat, & sibi adhærentem inficit, sicut & murmurator non solùm seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes interficit, & occidit.* Inde est, quòd & Synodus generalis, ex *Basilio* magno in constitutionibus Monasticis, vt à *Gratian. cap. plerumque 2. qu. 7.* refertur, constituit huiusmodi murmuratores à Fratrum vnitate abijciendos, & illorum opera ableganda. Quod etiam *Augustinus* supra iussit dicens: ò quàm pestis misera & mortalis! ò quàm venenosa! Hæc enim est, quæ conuentus Clericorum, & ciuitates multas destruxit. Et quia grande periculum est inter murmuratores habitare, ideò expellendi sunt, ne cæteri corrumpantur.

Portò efficax remedium contra murmuratores, & detractores, si authoritate vales, est imitari Dauidem, *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Sin minus, consilium *Prou. 25. 23. Salomonis*, est sequendum: tristem. scilicet, & morosum murmuratori se exhibere. *Ventus enim Aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem.*

8. Hinc Prælatus seu superior audiens aliquem detrahentem Religiosis subditis suis, & non resistens, peccat mortaliter. Ratio est. quia non obstans damno sui proximi ad quem tenetur ex officio suo, peccat contra charitatem & iustitiam; at Prælatus ex officio suo tenetur bona temporalia & spiritualia suorum religiosorum curare, & seruare; ergo tenetur famam, quæ est maximum bonum suo subdito conseruare, & à detractoribus eam redimere. Ita *D. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 4. Malderus 2. 2. tr. 2. tract. 7. de iustit. cap. 1. dub. 15. Naldus v. superior num. 8.* & alij. Qui Doctores fortitan hac D. Pauli monentur sententia. *Ad Rom. 1. Susurrones, & detractores digni sunt morte, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.*

9. Cæterum quia Superior debet exercere charitatis virtutem erga proximum, Fratres, filios & subditos religiosos, iuxta illud Augustini, qui agens de Prælatorum regimine, ait, *August. c. 25. Regulæ. Ipse vero qui vobis præest, non se existimet potestate dominante, sed charitate seruiente, feliçem.* Et hac dilectione, & charitate hoc maximum præcipuè sequitur bonum, vt ipse patienter ferat religiosorum suorum murmurationes, & detractiones, easque studiosè se ostendat ignorare, admonente Ecclesiast. 28. 28. *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras.* Et sic adimpletur Pauli præceptum. 2. *Corinth.* 6. 4. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, per gloriam, ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* Imò recordetur Prælatus aliquando dum esset in minoribus, etiam alios commitijs similibus se affecisse, & animam propriam, & conscientiam, his Ecclesiast. 7. 22. verbis corroboret. *Sed & cunctis sermonibus qui dicuntur, ne accommodes cor tuum, ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi; scit enim conscientia tua quia, & tu crebro maledixisti alijs.* Cogitet Prælatus in semetipso forsitan aliquando reperiri maiora crimina, quàm illa, quę per calumniam ei imputantur: & hanc auream Stoici meditetur sententiam, nimirum: *Si quis ad te deferat, ille de te maledicit, ne excusa quæ dicuntur, sed respondet, ignorat ille, & quæ mihi adsunt mala alia, alioquin non sola hæc diceret.* Ex his non inferant Prælati subditos excusari in re graui eisdem detrahentes: quia cùm ex hac detractione malum oriatur exemplum, & Prælatorum fama erga subditos deperdatur, tenentur tunc Prælati debitis pœnis suam defendere existimationem, ne graue introducatur scandalum & sub mortali propriam famam redimere obligentur. Ita *D. Thomas 2. 2. qu. 73. art. 4. Pet. Navard. 2. de restitut. cap. 4. num. 125.* & alij communiter. Ratio redimendi famam habetur ex D. Greg. *in Ezech. Hom. 9.* sub his verbis. *Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent si possunt, detrahentium sibi verba compescere, vt eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.* Studeant igitur Prælati bonam sibi famam retinere, & super omne huius vitæ bonum eandem redimere conentur.

Et ex dictis inferant iniuriam sibiipsis illatam per murmurationem, & detractionem, sub hac formalitate, quatenus Prælati sunt, punire astrictos esse: dummodò detractio publica sit & Prælati existimentur viri prudentes, & probi, non zelo vindictę, sed propter emendationem detrahentis, ad Dei maiorem gloriam, & honorem, & ad proximi ædificationem. Ita *Glossa in ca. Si quis ab Episcopo 2. qu. 7. Abbas in cap. dilectus num. 3. de pœnit. Graffijs 2. part. l. 3. cap 4. num. 6.* & alij.

10. Murmurationes claustralium tres sunt præcipuæ.

Prima est, quòd murmurant, taxando omnes actiones Prælati, malas augendo exaggeratione & ampliatione: bonas in malas retorquendo, vel diminuendo, vel tacendo, vel internos sensus numquam imaginatos eliciendo: dubias in sinistrum interpretando.

Aduerte peccatum esse, & aliquando mortale, manifestas Prælatorum culpas damnare, illas augendo, manifestando, notificando. Tum quia contra charitatem proximi est illius defectus manifestare: tum quia ex odio id prouenire solet: tum quia resultat in infamiam illius, cui culpæ reuelantur, vt diximus supra *v. Detractio 1.* Qui autem bonas actiones in malas retorquet sine dubio peccat mortaliter, & Diabolo similis efficitur. Gen. 3. Quò verò ad actiones dubias, peccat etiam subditus, & mortaliter pro earum qualitate, & malitia eas in sinistram partem interpretando, tum quia cùm sit ars artium, scientia scientiarum hominem regere, cùm sit moribus varius, virtute diuersus, sensus superioris facilè non intelligitur: præstat enim aliquando cum discolo remissè se habere, ne cum omninò perdat, & cum discipulato austerè vt eum retineat. Vnde D. *Gregor. 3. part. pastor admon. 5. Admonendi*, inquit, *sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temerè iudicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala rectè redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur.*

Secunda murmuratio claustralium est, quando aliqui fratres exaltantur, ipsis postpositis. Multi enim sunt, qui eam de seipsis habent opinionem, vt putent, neminem vnquam reperiri posse aptiorem regimini quàm ipsos: Natos se æstimant ad imperandum. Maximam sibi irrogari iudicant iniuriam, si quandoque sine officijs relinquantur: quos audies in cœtu præsertim iuniorum, se, suaque magnificare, laudare, & extollere, si quid vnquam, dum aliquo munere fungerentur, gloriæ & honoris dignum exantlarint.

Quibus rebus accensos iuniores, vulpes istas non agnoscentes, audies murmurare, blaterare contra Prælatos ipsorumque regimen; obseruantiam diminui, relaxari, penitus deperdi; Religionem quamprimum ruituram, eo solùm quòd illius Zelato-

res

tes ad illam regendam, & gubernandam non admittuntur. Recordentur tales ambitiosi Christi Domini, qui *Ioan.6.15. Cum cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Considerentque isti, qui honores, quasi præmia suarum actionum, exquirunt, quòd qui eos hic recipiunt, æterna præmia perdunt; & ibi illis dicetur, *Luc.16.21. Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua*. Relinquant igitur mundanos illos. & onere verè plenos honores, vt illos æternos nec eamur accipere, & quidquid à superioribus factum fuerit, desursum prouenire existiment, vt quietiùs in religione viuant.

Tertiò, murmurant claustrales, si eis magna, & pinguis, & pretiosa pictantia non detur, omnia sibi comedere superiores blaterando, cibos omnes nauseando, omnia stomachando, & fastidiendo. De istis luculenter ait *D. Bernard serm.30. in Cantic.* Legumina, inquiunt, ventosa sunt: Caseus stomachum gravat: Lac capiti nocet: Potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiam, olera Porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt: quale est hoc, quòd in totis fluuijs, agris, hortis, collarijsque reperiri vix possit, quod comedas? Puta te quæso, Monachum esse, non medicum. Parce obsecro primum quietiori, parce deinde labori ministrantium; parce grauamini domus, parce conscientiæ: conscientiæ dico non tuæ, sed alterius, illius videlicet, qui propè sedens, & edens quod sibi apponitur, de tuo singulari ieiunio murmurat &c.

Qui de cibarijs murmurant, sunt in triplici differentia; Alij enim murmurant, nisi pretiosa cibaria illis tribuantur, & isti planè sunt suæ professionis immemores; non enim recordantur, se paupertatem fuisse professos. & quòd pauperes Christi quandoque pane carent: vnde magna peruersitas est, pretiosos quærere cibos, dum scitur, Dominum suum in pauperibus egere. Cum his loquitur D. Hieronym ad Nepotianum, dicens. *Natus in pauperi domo, & in tugurio rusticano, qui vix miliu, & pane cribrato ruginem fatiare ventrem poteram, nunc simulam & mel fastidio*. Alij non quærunt quidem pretiosos cibos, sed vilibus & communibus contenti, eos vellent studiosè, & accuratè præparari. Alij denique quantitatem ciborum deposcunt, non curantes, an pretiosi sint, vel optimè præparati, necne. Sed isti non aduertunt, quòd excessus ciborum nocet tum corpori, tum animæ, tum famæ, & reputationi. Quibus tandem sententiam vnam proponere non grauabor. *Hug.l.1.cap.8.de claustr. anim. Abundans est pauperi Religio, mediocri sufficiens, tolerabilis diuiti, infirmis larga, delicatis competens, fortioribus moderata, pœnitentibus misericors, peruersis severa, Bonis optima.*

11. Hoc flumen murmurationis, per totum fluens Vniuersum, suisque aquis singulos pene homines proluens, ex multis fontibus ortum ducit, videlicet ab vno quoque vitiorum capitalium. *A superbia. Num.12.1.* Tale murmur Aaronis & Mariæ; tale murmur Pharisæorum de Christo manducante cum Matthæo, & Simonis super Magdalenam. *Luc.5.30. Ab inuidia. Luc.15.39.* Ita murmurabant operarij in vinea, quòd bonus ille Paterfamilias vltimò vocatos alijs pares fecisset. *Matth. 20.11. Ab ira. Num.16.41.42.* Sic omnis multitudo filiorum Israel murmurauit contra Moysen & Aaron, dicentes, quòd interfecissent populum Domini, ita vt cum oriretur seditio, & tumultus incresceret, Moyses & Aaron ad tabernaculum fugere sint coacti. *Ab accidia. Num.11.1.* vti, *factum est murmur populi, quasi dolentium pro labore*. *Ab auaritia*. Vti Iudas de facto piæ illius peccatricis. *A luxuria*. De hominibus enim luxuriosis dici potest cum Propheta. *Isa.26.16. In tribulatione murmuris doctrina tua eis*: eò quòd inuiti audiant, momentaneum esse quod delectat, æternum quod cruciat. *A tiula. Exod.16.2.* Vti peruersus ille populus, qui optabat mori in Aegypto, & illic sedere super ollas carnium.

Ex filiabus horum peccatorum capitalium oritur etiam murmur 1. *Ex malignitate*. Vt notat *D. August.l.51. homil.hom.1.* cum ponderat ea verba Psalm.49. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum*: quod ipse alibi legit, ponebas detractionem. *Quod dixit*, ait Augustin. *Sedens, ostendere voluit, quod non transitoriè detraxerit, nec ei surreptum sit passione quadam subita, vt malum de proximo loqueretur, sed sedens, id est ex odio, & malignitate, quasi ad hoc vacans, vt derogaret proximo suo*. 2. Oritur *ex otio*.

Probatur ex eodem loco Psalm. *Sedens* &c. vt explicatur in *c. ex merito, 6. qu.1.* Quare loquebaris, quia sedens, quia otiosus eras. Propter hoc vitium *Adam* fuit expulsus è Paradiso, in quo positus erat à Domino, *Gen.2.15. Vt operaretur, & custodiret illum*. Et quia *Eua* otiosa aures serpenti præbuit, & *Adam* similiter otiosus auscultauit *Euæ*, ideò facillimum fuit, illis transgressionem præcepti Dei persuadere, quo transgresso, è Paradiso electi sunt.

Ita etiam otium dejcit Monachum de Monasterio, illum vagabundum reddit: omnia fastidire facit, semper noua quærere, & vetera abhorrere suadet: vnde D. Hieronym. *in epist. ad Rustic. Aliquid operis facito, vt te Diabolus semper inuenias occupatum*. 3. Murmuratio oritur *ex vilitate, & demissione animi*. Quid enim vilius murmuratore? Quid infirmius & demissius? Ideò infames, & deteriores latronibus dicuntur Cap. *ex merito. Cap. Deteriores, & cap. infames, 6. quæst.1.* Quia vilissimos, & nullo honore dignos videre est, de viris honoratis murmurare, ijs detrahere, eosque deprimere, cùm enim talibus viris, similes esse non possint, procurant totis viribus, & posse, ipsos fieri similes sibi. 4. Oritur *ex inconsideratione propriorum defectuum*. Vnde Christus *Matth.7.5. Quid autem vides festucam in oculo Fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides?* D. *Augustin. in Psalm. 49. Tolle te à tergo tuo, vbi te videre non vis, & constitue te coram te*.

Multa alia de hoc vitio, tum ex scripturis, tum ex Patribus, tum ex alijs scriptoribus Catholicis possent afferri, sed hæc pro nostro instituto sufficiunt. Hoc tantùm addendum est, rem esse mirabilem, quòd cùm omnes Authores linguas suas contra hoc vitium acuant: Ita pauci tamen reperiantur, qui illud penitùs euitent. Vnde *D. Hieronym. in epist. ad Celant. Pauci*, ait, *admodum sunt, qui huic vitio renuncient, rarique inuenies, qui ita viam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam: tantaque huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab alijs viijs recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum Diaboli laqueum, incidant*. Ad quod etiam facit Glossa super illud Prouerb. 24. *Cum detractoribus ne commiscearis*, quæ ait, *Hoc specialiter vitio pene periclitatur totum genus humanum*. Plura de murmuratione. Vide *verb. detractio*.

Vtinam non inueniretur hæc iniquitas in hæreditate Iacob.

MVTVVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit Mutuum? & quomodo differat à commodato, & permutatione?*
2. *De diuisione mutui in expressum seu formale, & in tacitum seu implicitum ac virtuale.*
3. *An omnes qui possunt contrahere iure naturæ obligentur ex mutuo? & an in certis casibus priuilegio iuris positiui non obligentur filifamilias, Ecclesiæ, Ciuitates, & Minores?*
4. *In quibus casibus filius seu filiafamilias teneatur ad restitutionem mutui accepti?*
5. *An quando aliquid mutuo traditum est Ecclesiæ vel loco pio, vel oppido, Ecclesia, vel locus pius vel oppidum teneatur ad restitutionem?*
6. *An si nomine pupilli tutor, vel curator, nomine minoris mutuum acceperit, teneatur ille postea maior factus soluere?*

1. MVtuum est *contractus, quo quis alteri rem suam tradit numero, pondere, vel mensura constantem, vt statim fiat accipientis, cum obligatione vt similis specie, & bonitate restituatur. L.2. ff. si certum petatur*. Ex hac definitione patet differentia huius contractus ab alijs: nam in hoc transfertur dominium rei in accipientem, vnde incrementum valoris rei mutuo datæ cedit mutuatario, tamquam domino rei: *differt* autem à commodato & permutatione quia in commodato eadem res reddenda est, in permutatione autem reddenda est res alterius speciei, sed in mutuo recipitur res similis in specie, & bonitate: ex quo sequitur, quando accipitur pecunia ad ostentationem, & pompam, non ad illam expendendam, non censeri celebratum contractum mutui, sed commodati, nam censetur accepta pecunia cum obligatione restituendi eandem numero, in commodato enim dominium rei non transfertur in commodatarium. Ita *Filliuc. tract.34. cap.10. qu.1. Less. l.2. c.20. dub.1. num. 3.4. & 5. Regin. l.25. num.165. Arragon. 2 2 qu.78. art.1. Caspens. tr.19. a. sp.3. sect.1.*

Præterea patet mutuum celebrari tantùm de ijs rebus, quæ recipiunt functionem, id est, quarum vna dari, & substitui potest loco alterius, vinum pro vino, pecunia pro pecunia, ita vt vna fungatur sufficienter vice alterius. *Gomez 2. variar. capitulo 6. numero 1.*

2. *Mutuum* multipliciter diuiditur, tum ex parte rei quæ traditur, in rem, quę consistit in numero, vel pondere, vel mensura; tum ex parte modi, & sic diuidi potest in *expressum* seu *formale*, & in *tacitum* seu *implicitum* ac *virtuale*: *expressum*, contingit quando quis mutuat alteri tradendo rem ipso facto mutuatario: *tacitum* & virtuale dicitur illud, quod virtute includitur in alijs contractibus, & ob id mutuum palliatum nuncupatur, vt quando quis vendit alteri domum maiori pretio, concessa dilatione ad soluendum, censetur enim virtualiter mutuare pretium emptori vsque ad terminum illi concessum, & ad soluendum præfixum. *Fill. tract. 34. cap. 10. qu. 5. Bonac. de contract. disput. 3. quæst. 3. p. 1. num. 4. Molina de contr. disp. 303.*

3 Iure naturæ, ex mutuo obligantur omnes, qui possunt contrahere, nisi priuilegio iuris positiui eis concessum sit, vt in certis casibus non obligentur, vel certè obligationem possint elidere exceptione. *Less. c. dub. 2. Fill. c. cap. 40. qu. 6. & 7. L. 1. ff. de Senat. consult. Macedoniano.* Tale autem priuilegium concessum est filiofamilias, Ecclesiæ ciuitatibus, & minoribus:

Vnde si filiusfamilias absque consensu patris acceperit mutuam pecuniam, non tenetur in effectu ad restitutionem, ne post mortem quidem patris: quia potest opponere mutuatori exceptionem Senatusconsulti Macedoniani, quo concessum est ei, vt non teneatur soluere. *L. 7. & 9. ff. de Sen. C. Macedoniano.* Hæc autem exceptio competit etiam filiæfamilias, & parentibus eorum, & hæredibus, & fideiussoribus eorum. Et quamuis verbis huius Senatusconsulti solum videatur tolli obligatio ciuilis secundùm *Couarruuias rel. peccatum p. 1. §. 3 num 4. Reginal. c. num. 155.* & alios; tamen secundùm *Mol. d. 301. Less. nu. 8. Sanch de mat. l. 6. d. 39. num. 3.* etiam tollitur obligatio naturalis, ita vt in foro conscientiæ non teneatur vnquam tale mutuum restituere, si velit hoc priuilegio vti.

Ius autem hoc decreuit ad euitanda, & præcauenda incommoda, quæ occasione mutui à filijs vel filiabus familias accepti subortiebantur, filij enim ad persoluendam pecuniam mutuo acceptam, occasionem arripiebant inferendi mortem parentibus.

4. *Multi* tamen sunt *casus*, in quibus filius seu filiafamilias tenetur ad restitutionem mutui accepti.

Primò, si habet bona castrensia, vel quasi castrensia:

Secundò, quando accepit mutuum iussu vel consensu patris.

Tertiò, si pecunia versa est in vtilitatem patris.

Quartò, quando accepit mutuo pecuniam ad ea, ad quæ insumenda erat pecunia a patre, vt si filius absens causa studiorum accipiat mutuum necessarium, vt viuat, vt emat libros necessarios.

Quintò, si publicè putabatur sui iuris.

Sextò, si filius iurauit se soluturum; in hoc tamen casu potest filius qui iurauit, obtinere iuramenti relaxationem à Prælato; quia in fraudem legis appositum est, & aliàs lex facilè redderetur inutilis.

Imò si filius post acceptam mutuo pecuniam viuente patre renunciaret huic priuilegio Macedoniano adhuc non teneretur soluere, quia hoc priuilegium videtur principaliter concessum in fauorem parentum nullus autem cedere potest priuilegio in fauorem alterius concesso. *Gom. tom. 2. c. 6. n 2. Bonac. c. p. 1. nu. 7. & 8. Less. c. n. 9. & 11.*

5. Quando aliquid mutuo traditum est Ecclesiæ, vel loco pio, vel oppido. *L. Cunctis ff. Si certum pet. Authen. hoc vt porrectum de sacrosanct. Eccles. L. 1. C. de foluendis.* Ecclesia, vel locus pius, vel oppidum non tenetur ad restitutionem, nisi mutuans probet pecuniam mutuatam conuersam fuisse in vtilitatem Ecclesiæ, vel loci pij, vel oppidi. Ita Reginald. *cit. num. 176. Lessius c. num. 12.*

6. Si tutor nomine pupilli, vel curator nomine minoris mutuum acceperit non tenetur ille postea etiam maior factus soluere, nisi creditor probarit id in eius vtilitatem esse conuersum: datur tamen actio aduersus illum qui mutuum accepit nomine alterius, potest enim cogi ad seruandum indemnem eum, qui tradidit pecuniam: imò si minor mutuum acceperit, & inde se læsum deprehenderit, puta, quia pecuniam inutiliter consumpsit, potest petere restitutionem in integrum, vt non teneatur, nisi quatenus inde factus est locupletior, vel ditior: *Mol. c. disp. 300. Rbell. lib. 8. quæst. 1. sect. 3. Less. c. numero 15. 16. & 17. Filliu-*

cius c. cap. 10. quæst. 10. Gom. t. 2. cap. 14. numero secundo.

De mutuo vide *Commodatum* num. 1, *Eleemosyna* numero 7, *Vsura* 1. num. 1, *Vsura* 2.

N.

NOTARIVS,

SVMMARIVM.

1. *Quis creare possit notarium? & quomodo in illo necessaria sint scientia, obligatio, veritas, fidelitas, & iustitia; & hoc de primo.*
2. *Quæ sit obligatio notarij?*
3. *In quo consistat veritas, & fidelitas requisita in Notario?*
4. *An iustitia requisita in notario consistat in conficiendo instrumento, & in iusto pretio exigendo.*
5. *An notarius possit pretium iustum aut aliquid vltra taxam exigere? & inde peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem.*

1. NOtarius creari potest à Papa, Imperatore, Rege, & Republica non agnoscente superiorem, & Ducibus habentibus iuxta Principum, & ab Episcopis in Ecclesiasticis per totam diœcesim eorum. *Quinque* necessaria sunt in notario publico, *scientia, obligatio, veritas, fidelitas, & iustitia. Notarius*, qui alias vocatur tabellio, tabellarius, tabulatius, scriba, tenetur habere scientiam saltem mediocrem earum rerum, quæ ad officiũ pertinent, vnde si ex eius negligentia, vel ignorantia pars aliquod damnum patitur, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem; scire etiam debet clausulas apponi solitas in contractibus, aliasque solemnitates, quæ seruari, & adhiberi debent & solent, vt Authenticum sit instrumentum: vt sunt inuocatio nominis Dei, Annus eiusdem, Indictio, dies, mensis in quo celebrantur contractus, locus in quo legitur instrumentum, testes, nomen, & signum tabellionis. *Clau. Regia l. 12. cap. 25. num. 1. & 2. Fill. tr. 40 cap. 10. qu. 10. Tolet. l. 5. c. 61. Bonac. tom. 2. d. 10. qu. 3. p. vlt. n. 1. Regin. l. 25. n. 684.*

2. *Obligatio notarij* est, conficere instrumenta, & conscribere acta de quibus rogatus fuerit, quia est persona publica, quæ Regis seu Reipublicæ delegatione habet munus illud publica conscribendi instrumenta: in principio enim sui officij iurare solet, se confecturum instrumenta sine diminutione veritatis, & commissione falsitatis, quando requisitus fuerit. *Clau. Regia c. n. 3. Fill. c. n. 299.*

3. *Veritas & fidelitas* requisita in notario consistit. *Nauarr. cap. 25. num. 15. Tolet. l. 52. c. 61. Clau. Reg. c. num. 7. & 8.*

Primò, vt caueat ab omni falsitate, falsitas est *mutatio veritatis cum dolo & malitia*; ne scilicet fingat ea, quæ inter partes acta non sunt, & ne ex malitia aliquid addat, mutet, aut detrahat, quo instrumentum falsificetur: sic enim vltra peccatum graue quod committit, tenetur ad restitutionem damni inde secuti.

Secundò, debet obseruare verba, & ea scribere secundùm quod partes dixisse & non intellexisse cognoscit. *Tolet. c. Clau. Reg. c. num. 9. Banac. c. num. 3. Regin. c. n. 682.*

Tertiò, tenetur seruare apud se copiam, & originale omnium instrumentorum neque hoc alicui dare, sed petentibus solùm concedat transsumptum, alioquin tenetur de damno illato.

Quartò, non debet instrumenta occultare petentibus aut indigentibus, quibus illud implere incumbit, sed vltrò illis etiam manifestare, vt illa impleant, maximè si contineant legata.

Quintò, tenetur Notarius certiores facere partes de obscuris, & præcipue mulieres, & personas simplices, alioquin est in dolo.

Sextò, debet notarius conficere acta de his, quæ duobus sensibus percipiuntur, scilicet visu & auditu; vnde si scribat in instrumento pecuniam fuisse numeratam, quę reuera non fuit tenetur pœna falsi: quamquam non peccaret, si dum partes fateantur se pecuniam recepisse, scribat pecuniam acceptam fuisse, quamuis reipsa accepta non fuerit, nam perinde est, ac si pecunia accepta fuerit, cùm pars iuri suo cedat.

4. *Iustitia* requisita in notario, in duobus consistit, *nimirum*, in conficiendo instrumento, & in iusto pretio exigendo: *Circa primum* de conficiendo instrumento, cáuere debet, ne faciat instrumenta illicita, & iniusta, pempe instrumenta palliata, nomi-

ne

ne iuſti contractus, aut ſuper rem iniuſtã: ſic enim vltra peccatum tenetur ad reſtitutionem: *Item* ne faciat inſtrumenta prohibita, vt ſunt inſtrumenta vſuraria, vel prohibentia vſuras repeti: *Item* inſtrumenta contra libertatem Eccleſiæ: notarius enim talc inſtrumentum faciens, peccat mortaliter, & excommunicandus eſt. *Item* notarius conficiens teſtamentum nuncupatiuũ alicuius non ſanæ mentis, peccat, & tenetur reſtituere legitimis hæredibus ſi hoc ſcienter faciat. *Clau. Reg. c. num. 12. 13. & 14. Tolet. l. 5. cap. 61. Nauarr. c. num. 54. Reginald. l. 25. num. 691. Bonac. c. num. 4. & 5.*

5. Notarius non poteſt pretium iniuſtum aut aliquid vltra taxam exigere, dum pretium à lege taxatum eſt: & ſi aliquid vltra taxam in notabili quantitate accipiat, peccat mortaliter contra iuſtitiam, & tenetur ad reſtitutionem exceſſus, niſi forte exceſſus dono ſibi traditus ſit: quando autem lege ſancitum eſt, vt notarius aliquid vltra taxam non accipiat, etiamſi ſponte offeratur, peccat quidem notarius ſi aliquid vltra præſcriptum accipiat occatione ſui officij, ſeu ratione ſcripturæ, facit enim contra legem, & contra iuramentum de ſeruanda lege pretij, niſi aliquid accipiat ob laborem, & induſtriam extraordinariam: non tamen tenetur ad reſtitutionem, quia lex tantùm vetat receptionem, non verò præcipit reſtitutionem rei acceptæ. *Nauarr. c. num. 54. Tolet. c. cap. 61. Regin. c. num. 694. Clau. Regia lib. 12. cap. 25. numero 18. & ſeq. Rodriqu. 2. par. cap. 2. Fernand. p. 4. cap. 13. §. 2.*

De Notario, vide *Simonia* 3. num. 5. *Irregularitas* 5. *num.* 3. *Vſura* 6. numero 5.

O.

OBEDIENTIA.

SVMMARIVM.

Quid ſit obedientia, & inobedientia?
Obedientia, & inobedientia, alia eſt materialis, alia formalis.
2. *Quod ſit obiectum obedientiæ & inobedientiæ?*
3. *An obedientia formalis ſit ſub præcepto?*
4. *An inobedientia formalis ſit peccatum mortale?*
Et quale peccatum ſit inobedientia materialis.
5. *Conditiones obedientiæ religioſæ vt ſit Deo grata: & de prima, vt fiat ſine mora.*
6. *Secunda conditio, vt fiat ſine querela & murmuratione.*
7. *Tertia conditio, vt fiat gratanter, & hilariter.*
8. *Quarta, vt fiat fortiter & perſeueranter.*
9. *An inobedientia ſit origo omnium malorum?*
10. *An obedientia votum ſit præcipuum inter omnia vota eſſentialia?*
11. *An vt religioſus teneatur ſuo Prælato obedire, ſatis ſit, vt ipſius voluntas ei innoteſcat?*
12. *An ſubditus dubitans, an id quod præcipitur ſit licitum, teneatur ſuperiori obedire?*
An ſubditi ad bellum à Principe vocati, poſſint & debeant obedire, ſi de iuſtitia belli illis non conſtet?
13. *An poſſit & debeat ſubditus obedire, ſi certus ſit ſuperiorem dubitare, an id quod iubetur ſit licitum?*
14. *An religioſi ex voto obedientiæ teneantur omnia quæ continentur in regula, ſub mortali obſeruare?*
15. *An religioſus violans paſſim ſtatuta ſuæ religionis ad culpam non obligantia, peccet mortaliter?* refertur duplex ſententia.
16. *An religioſus habens propoſitum faciendi contra omnes, vel præcipuas ſuæ religionis regulas etiam ad culpam non obligantes, peccet mortaliter?*
17. *An religioſus teneatur eſſe perfectus?*
18. *An teneatur religioſus tendere ad perfectionem per omnia ſupererogationis opera?*
Quando religioſi peccent contra præceptum tendendi ad perfectionem? referuntur variæ ſententiæ.
19. *An contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem peccet religioſus, ſi ſeruans regulam, & vota intendat non attingere ad perfectionem?*
20. *An peccet ſæcularis, ſi propoſuerit ſe conſilia non ſeruaturum, non ex eorum contemptu?*
21. *Obedientia exaltatur.*

1. EX doctrina *D. Th. 2. 2. quæſt. 104. art. 2. ad 1. Sylu. ibid. Fauſtus in theſaur. relig. lib. 6. qu. 35. Sanch lib. 6. moral. cap. 1. Nauarr. in man. cap. 23. num. 35.* & communiter recepta, obedientia dupliciter vſurpatur: nam alia dicitur obedientia materialis ſeu generalis, quæ nihil aliud eſt, quàm omne opus virtutis, quo impletur præceptum, etſi non ea intentione expreſsè fiat: & contra inobedientia eſt omiſſio eiuſdem actus præcepti: Et hæc obedientia non eſt ſpecialis virtus, ſed generalis, & inobedientia vitium generale; quiuis enim actus virtutis obligans eſt obedientia, nam homo credit per fidem, diligit per charitatem, ſuffert tribulationes per patientiam, &c. & ſic exercet actum obedientiæ materialiter & vniuerſaliter ſumptæ. Altera autem eſt formalis, ſeu ſpecialis, & eſt illa, qua quis aliquid facit ea expreſsa intentione, quia ſuperior, ſiue ille ſit Deus, ſiue alij inferiores ab ipſo ſita mandat, ac vult. Et hæc eſt ſpecialis virtus inter cæteras virtutes morales.

Inobedientia verò formalis eſt vitium inclinans ad omittenda præcepta eò quòd præcepta ſunt, & hæc inobedientia eſt vitium ſpeciale.

Vnde ad peccatum inobedientiæ formalis neceſſariò duo debent concurrere, nimirum tranſgreſſio præcepti, & contemptus præcipientis: vt diximus ſupra *verb. Contemptus num.* 5.

Rurſus obedientia, alia eſt perfectionis, & alia neceſſitatis, quam ſufficientem appellat *D. Thom. quodlib. 1. artic.* 15. Perfectionis eſt illa, quæ obedit in omnibus, quæ contra Deum non ſunt, de qua *D. Bern. de diſpenſ. & præcept. in princ. Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs profeſſionis, largioris voluntatis fertur in latitudinem charitatis; & ad omne quod iniungitur, ſpontanea, vigore liberalis alacrisque animi modum non conſiderans, in infinitam libertatem extenditur.*

Obedientia verò neceſſitatis eſt illa, quæ terminis regulæ, & votorum coarctatur, de qua idem Bernardus loco citato: *In quo profitetur, ſpondet quidem obedientiam; non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundùm regulam, nec aliam quàm Sancti Benedicti; vt oporteat eum, qui præeſt, non frena ſua laxare voluntati ſuper ſubditos, ſed præfixam ex Regula ſibi ſcire menſuram: & ſic demum ſua imperia moderari, circa id ſolum, quod rectum eſſe conſtiterit, nec quodlibet rectum, ſed id tantum, quod præfixus Pater inſtituit, aut certè, quod ſit ſecundum quòd inſtituit.* Ratio autem neceſſitatis obedientiæ peti poteſt ex mala inclinatione noſtræ voluntatis, quæ cùm prona ſit ad malum ab adoleſcentia ſua, quaſi phrenetica præcipitem ſe daret, niſi detineretur; vnde ſicut phrenetico cuſtodia, & lex eſt imponenda, ita & noſtræ voluntati, quod fit per ſuperiorum præcepta & obedientiam: vt bene docet *B. Laurent. Iuſtinianus in ligno vitæ, tract. de obed. cap.* 1.

2. Obiectum obedientiæ, & inobedientiæ eſt ſolum præceptum ad culpam obligans; quia cùm ea quæ ſolùm ſunt ſub conſilio ad nihil obligent, nec eorum executio eſt verè. & propriè obedientia, ſed plus quàm obedientia. Tamen quando aliquis exequitur id quod nouit ſuperiorem deſiderare vt faciat, nolle tamen præcipere, poteſt eſſe obedientia propriè accepta, ſi tale ſuperioris deſiderium accipiat pro aliquo, ſaltem interpretatiuo ſiue tacito præcepto; alioquin autem erit generalis quædam obedientia, cuius ratio conſiſtit in hoc, quòd quis accommodet ſe voluntati ſuperioris, ſiue præcipiat, ſiue non præcipiat. Ita *D. Thom. 2. 2. quæſt. 186. artic. 9. in fine corporis. Leſſius libro 2. cap. 46. dub. 4. numero 23. Valent. 2. 2. diſput. 7. q. 3. punct. 1.*

3. Obedientia formalis non eſt ſub præcepto, nec Prælatus poteſt iubere religioſo, vt hoc modo operetur. Ratio prioris eſt, quia non eſt neceſſarium vt faciamus opus bonum ſub ea formali ratione, qua eſt præceptum: ſufficit enim vt illud faciamus propter intrinſecam ipſius bonitatem, aut vt Deo placeamus: ſic enim abundè ſatisfacimus præcepto.

Probatur autem ſecunda pars, tum quia iſte modus operandi non eſt neceſſarius vt illud opus ſit actus virtutis: poteſt enim eſſe actus virtutis ratione propriæ bonitatis, vel quia fit ex affectu charitatis aut religionis, abſque intuitu præcepti.

Tum quia actus internus non poteſt ab homine præcipi, niſi quatenus eſt neceſſarius ad conſtituendum externum in aliqua virtutis ſpecie. Ita *Sylueſter 1. 2. quæſt. 100. art. 9. concl. 3. Valen. ibidem numero 5. Leſſius c. dub. 6. num. 42. & 44. Sanchez libro primo mor. c. 13. n. 9. infra v. Præceptum. n. 5.*

4. Inobedientia formalis est peccatum mortale ex genere suo grauissimum: quia ob illam Angelus cœlum, Adam Paradisum, Saul regnum, Salomon amorem diuinum perdidit. Vnde *Diu. Bernardus serm. 6. in cant.* loquens de Christo. *Non dabit* (inquit) *inobedienti copiam sui tantus amator obedientiæ, vt potius mori, quàm non obedire maluerit.* Potest tamen hæc inobedientia interdum esse peccatum veniale, aut propter imperfectionem actus, cùm scilicet deest deliberatio plena, aut propter defectum iudicij.

Sed quia inobedientia formalis non potest accidere absque actuali præcepti contemptu, nolle enim obedire præcepto eo quòd præceptum sit, est illud contemnere, ideo duplex hæc malitia specie diuersa, est in confessione aperienda vt diximus supra *v. Contemptus num. 6.* & docent *Lessius c. dub. 6. num. 45. Caietan sum. v. Inobedientia. Lopez 1. par. cap. 55. in fine. Syluius 2. 2. qu. 105. art. 1.*

Inobedientia verò materialis, siue sit contra præceptum diuinum, siue contra humanum, aliquando est veniale, aliquando mortale peccatum; prout fuerit vel peccantis intentio, vel præcepti materia, vel scandalum quod alijs datur.

5. Vt obedientia præsertim religiosa sit Deo grata, & meritoria, quædam conditiones requiruntur: quarum *prima est*, vt fiat sine mora, iuxta illud Psalm. 118. 32. *Viam mandatorum tuorum cucurri*. nempe vt non expectet strictum præceptum, non differat, non tergiuersetur, non excuset, non lentè & cum torpore ad opus accedat.

Hanc promptitudinem commendat *D. Bernardus in lib. de præcepto*. dicens, *Verus obediens moras nescit, fugit cunctationem, ignorat tarditatem, præcipientem præuenit, oculos parat visui, aures auditui, linguam voci, manum operi, pedes itineri, & totum se colligit, vt imperantis impleat voluntatem.*

Hæc tamen promptitudo obediendi non in omnibus exhibenda est; sed in ijs tantum, quæ ad Religionis exercitia, vel regularem disciplinam, aut mortificationem pertinent: Non enim ordinariè laudabile est, se promptum, & alacrem exhibere in acceptandis Prælaturis, præsertim extra ordinē, sed potius expedit modestè deprecari & expectare etiam præceptum, vt doctissimi, & sanctissimi fecerunt. Ratio est, quia tam multæ dotes requiruntur, vt quis sit idoneus ad Prælaturam, præsertim ad Episcopatum, vt arrogantiæ sit, putare se omnibus illis præditum. Vt bene monet *D. Greg. l. vlt. moral. cap. 13.*

6. Secunda conditio, vt fiat sine querela, & murmuratione, iuxta illud Pauli. *Ad Philip. 2. 14. Omnia facite sine murmurationibus*. Hinc secundum D. Bernardum, *Multos videmus*, inquit, *post præceptum imperium multas facere quæstiones, cur, quare, quamobrem, sepius interrogare; crebras ingemmare querelas; quærere, quare hoc præcepit, vnde hoc venit, & quis inuenit hoc consilium? Inde murmuratio, exclamatio, simulatio impossibilitatis, aduocatio amicorum: tales sane non facium obedientiam Deo acceptam, nec hominibus gratam.*

Vnde obedientia debet esse cæca ad rationes præcepti scrutandas; nempe vt non velit scire causas, cur quid præcipiatur: sed satis ei sit præcipi, vel proponi ab eo, qui locum Dei tenet, nec constet per se esse illicitum: hanc conditionem maximè cōmendant sancti Patres, *D. Bernard. l. de præcepto. & dispensatione*. Siue Deus, siue homo Vicarius Dei mandatum quodcunq; tradiderit, pari profectò obsequendum cura pari reuerentia deferendum: vbi tamen Deo contrarium non præcipit homo. Et infra: Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus: quid enim interest, vtrum per se, an per suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus? *D. Gregor. l. 2. cap. 4. in 1. Reg.* Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta scrutatur, quia qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur: nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire. *Cæsar. ad Monachos hom. 8.* Quidquid tibi à senioribus fuerit imperatum accipe tanquam de cœlo, sicut de ore Dei prolatum: nihil reprehendas, nihil dissentias, in nullo penitus murmurare præsumas: quia in monasterio seruire venisti, non imperare: potiùs obedire, quàm iubere: totum sanctum, totum iustum, vtile iudica quidquid tibi à Prælato videris imperari.

Et certè sine tali modo obediendi vix potest constare pax & bona administratio in congregatione religiosa: erunt enim assiduæ disputationes & altercationes inter subditos, & superiores: velle enim à superioribus rationes exigere mandatorum, est contra humilitatem, & modestiam religiosam: quia hoc non est se gerere vt subditum, sed vt parem; neque facere opus quia præcipitur, sed quia iudicatur expediens.

Porrò obedientia debet esse cæca ad imperfectiones, & vitia superioris, vt hęc non consideret, nec ob hęc minùs ad obediendum parata sit; sed solùm consideret eum, cuius locum tenet, scilicet Christum.

3. Tertia conditio obedientiæ est, vt grauanter & hilariter fiat, iuxta illud Eccles. 35. *In omni dato tuo hilarem fac vultum tuum.* Vnde D. *Bernardus in serm. ad Fratres de Monte Dei. Seueritas in vultu, dulcedo in sermonibus, multum colorant obedientiam obsequentis. Nubilosa corporis compositio, & facies tristitia tenebris obfuscata deuotionem ab anima recessisse significant.* Vide Tambur. *tom. 2. disp. 21. quæst. 4.*

8. Quarta & vltima conditio obedientiæ, vt fiat fortiter & perseueranter; vt non detrectet exequi difficilia, & postquam inceperit, non resiliat ob difficultates occurrentes, iuxta illud Matth. 10. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et Dominus factus est obediens vsq. ad mortem, mortem autem Crucis*: ad Philipp. 3. Vnde D. *Bern. in l. ad milites templi ca. 13. Manum tuam misisti ad fortia, agendum est instanter, constanter obediendum; nec inter verborum, seu verberum asperitatem, tuta regalis est semita relinquenda.* Et iterum: *Memento fratres, Christus ne periret obedientiam, perdidit vitam. Obediendum est igitur perseueranter, quia nihil prodest currere, & ante cursum metam deficere.*

Hæc obedientia dictis conditionibus exornata Deo est acceptabilis. Cum enim omnis potestas a Domino Deo sit, & cum illo sit semper, consequens est, vt sicut qui potestati resistit, Dei ordinationi reluctetur, sic qui potestati paret, Dei ordinationi subseruiat. Ratio autem est, quia vt habet D. *Thom. 2. 2. q. 104. art. 1.* sicut in rebus naturalibus superiora mouent inferiora ad suas actiones propter excellentiam virtutis collatæ diuinitus, sic in rebus humanis oportet quòd superiores moueant inferiores per suam voluntatem, ex vi auctoritatis diuinitus ordinatæ: Mouere autem per rationem, & voluntatem est præcipere. Porro tam excellens est obedientia, quòd per eam fiant plus meritoria reddantur, non solùm quæ nobis constat esse indifferentia, sed etiam quæ sine peccato alias vix possent fieri; vt patet, quando dubium est, vtrum aliquid sit peccatum, necne: etiamsi, remota obedientia, licitum non esset id facere: accedente tamen illa, per præceptum Prælati, licitum redditur. Propterea obedientem meritò aliqui assimilant nauiganti, qui siue bibat, siue dormiat, siue flet, siue ambulet, semper proficit in via.

9. Sicut obedientia omnium bonorum genitrix & promotrix est: ita & inobedientia omnium origo malorum. Sicut enim in Christianis signum est præuium & certissimum ad hæresim & apostasiam à fide prouentis, dissentire à capite, Vicario Ecclesiæ; nolleque ipsi obedire: ita argumentum magnum est Apostasiæ à religione in proximo futuræ, quando religiosus aliquis male sentit, obloquitur de Prælatis, nec ipsis vult parere: quantumuis prætendat ipsos esse indiscretos. Currus rité in axibus perunctis non stridet sub onere: ita qui in anima habet gratiæ vnctionem. Quapropter sicut stridor currus arguit vnctionis defectum, ita murmur religiosi: etiam exequentis præceptum, arguit gratiæ carentiam in illo. Nec dicat aliquis, leuia sunt, in quibus non obedio: quia in hoc magis reprehensibilis es, quod in leuibus, & facillimis non obsequeris: potestq. dici tibi id quod serui Naaman Domino suo dixerunt. 4. *Reg. 5. Pater, si rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi: Lauare, & mundaberis.* Vtinam non essent plures quibus Prælatos oporteat dicere, si velint obedientiam ab eis sibi præstari. *Luc. 18. Quid tibi vis faciam*: vel præcipiam, qui tamen dicere tenentur Prælatis idem quod D. Paulus, *Act. 9. Domine quid me vis facere?* O quanta peruersitas, resumere rem Deo sanctam! Grande malum propria voluntas, quā solam Deus odit, & punit, quæ bona opera etiam inficit. Hinc D. *Paulus ad Hebr. 13.* ad promptam Prælatis obedientiam exhibenda n exhortans subditos, *Vt cum gaudio*, inquit, *& non gemente: animarum enim vestrarum: hoc enim non expedit vobis.* Heu! quàm multis Religiosis, rectificatis in ingressu religionis per simplicitatem obedientiæ, non inquirendo quid, quare, vel quomodo (quæ omnia sunt quæsita Diabolica) circa præcepta Prælatorum: sed simpliciter illa exequentibus, dici poterat & potest: Fecit Dominus hos homines rectos: at illi infinitis se immiscuerunt quæstionibus. O miseri & cœci! quid quæso, per tot quæstiones quæritis? mementote quid initio susce-

pti

pri ordinis religioſi ſtatueritis? Quomodo à Sancto propoſito reſiliiſtis? Et certe ſicut primi Parentes in Paradiſo per inobedientiam ſuam, ſtatum rectitudinis amiſerunt: ita & plures religioſi, per obedientiæ profeſſionem rectitudinis ſtatui reſtituti, ab eo ſemper deiecti fuere, per minùs ſimplicem ad obedientiam animum.

10. Obedientiæ votum eſt præcipuum inter omnia eſſentialia vota. *D.Thom.2.2.qu.186.art.8.Sylu.ib.* Ratio eſt, quia tantò aliquod votum eſt maius, quantò per ipſum Deo aliquid præſtantius offertur, ſed per votum obedientiæ offertur Deo propria voluntas, quæ eſt maior & præſtantior, quàm corpus proprium quod offert Deo homo per caſtitatem & quã bona fortunæ quæ per votum paupertatis offeruntur. Ergo. Vnde D.Gregorius *l.4. ſuper l.1.Reg.cap.5.* ait, *Cæteris virtutibus Dæmones repugnamus: per obedientiam vincimur.* Confirmatur autem cõcluſio, nam votum obedientiæ continet ſub ſe alia vota caſtitatis, & paupertatis, & non è contra.

Nam etſi religioſus teneatur ex vi voti ſeruare caſtitatem, & paupertatem, hęc etiam cadunt ſub voto obedientiæ, & vt obediatur diuinæ voluntati. Ioannes autem XXII. *Extrauag. Quorundam, de verb.ſignif.* Pontif. Max. dicit: *Magna eſt paupertas, ſed maior continentia, maxima autem obedientia, ſi cuſtodiatur illæſa.* Quorum reddens rationem, ait, quod prima rebus, ſecunda carnis, tertia verò menti dominatur.

11. Etſi religioſus teneatur de congruo ſe conformare in omnibus voluntati ſui Prælati, non tamen peccat id non faciendo, niſi ſibi de re aliqua ponatur expreſsè vel tacitè formale præceptum. Imò nec tenetur religioſus obedire, etiamſi norit actum intellectus ſuperioris imperantis, niſi eſſet voce expreſſius. Ratio eſt, quia homines ſolùm ligantur imperio modo humano explicato, & intellecto. *D.Thom.2.2.qu.104.art.1. Toletus de 7.peccat.mort cap.15.num.10.Vaſqu.1.2.qu.93.art.3. diſput.155.* Ex quo ſequitur, quòd Prælatus rogans ſubditum vt faciat, vel non faciat aliquid, quod alioquin facere non tenetur; non obtemperando, non erit inobediens, vt dicitur in *cap. Denique, diſtinct.40.* & ratio eſt, quia preces non obligant precarum ad obſequendum ex debito iuſtitiæ, ſed ex humanitate. Si dicas, quòd preces ſuperiorum ſunt præcepta, vt communiter dicitur. Reſp. non eſſe præcepta neceſſariò exequenda, ita vt non exequens poſſit inobediens dici, & tanquam talis puniri, ſed dicuntur præcepta largo modo, & ex humanitate, & reuerentia, & de perfectione obligantia: indiſcretus enim eſſet, & inurbanus ſubditus, qui ad ſui ſuperioris preces non faceret, quidquid, ipſum cupere intelligeret.

Idem dicendum eſt, ſi Prælatus conſulat, non enim tenetur ſubditus facere quod conſulitur: vt habetur *Cap. Quiſquis 14.qu.1.* Ratio eſt, quia conſulens non imperat, nec vult obligare, ad obſeruationem conſilii, alioquin nihil differret à præcipiente.

12. Quando ſubditus dubitat, an id quod præcipitur ſit licitum, necne, quidam docent non teneri, nec poſſe ſubditum in hoc caſu obedire ſuperiori. Quia tunc faceret contra conſcientiam, quod non licet. Ita *Rodriqu par.2.ſum.cap.9.num.4. Vaſqu. 1.2.qu.19.art.6.diſp.66.num.51.* At pro certo tenendum eſt ſubditum in re dubia teneri obedire ſuperiori.

Tum quia in dubio an res ſit licita, necne, melior eſt conditio poſſidentis. Atqui ſuperior eſt in poſſeſſione iuris imperandi; ergo in dubio poteſt illo tuo iure vti. & per conſequens ſubditus tenetur in tali dubio ſuperiori obedire. Nec dici poteſt etiam ſubditum eſſe in poſſeſſione ſuæ libertatis, quia pro illo eſt vera poſſeſſio, pro quo eſt præſumptio iuris, & in alterum contra quem eſt ea præſumptio, transfertur onus probandæ exemptionis ſuæ. At præceptum ſuperioris in dubio præſumitur iuſtum, vtpotè cui ſubditus vice Dei gubernandum ſe tradidit.

Tum quia, alias ſequeretur, quòd ſuperior quoties aliquid fieri præciperet, teneretur ſubditis rationem reddere eorum quæ iubet, quod in graue vergeret detrimentum religionis. Ita D.*Thom.4.diſt.19.qu.4. Nauarr.cap.23.num.37. Caiet. in ſum. v.Bellum. Bannes 1.2.qu.40.art.1. Fauſtus in theſauro relig.lib.6. qu.59. Alter.tom.1.lib.12 cap.19.qu.9.* & alij. Definita eſt hæc concluſio in cap. *Quid culpatur, in fine 23.quæſt.1.* vbi ſic dicitur. *Vir iuſtus ſi forte etiam ſub Rege, & homine ſacrilego militet, rectè poteſt ille iubente bellare, ſi quod ſibi iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt; vel virum ſit, certum non eſt, ita vt fortaſſe reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem offendat ordo ſeruiendi.* Ex quo conſequitur, quòd vt ſubditus poſſit, & teneatur obedire ſuperiori, non eſt neceſſarium, vt ipſe ſubditus videat eſſe bonum quod præcipitur, ſed ſatis eſt, ac ſufficit, vt ipſe non intelligat euidenter eſſe malum. Imò nec tenetur ſubditus priuſquàm obediat, inueſtigare, an licitum ſit: quia vt rectè aduertit D. *Thom. de veritate qu.17.art.5. ad 4.* ad officium ſubditi non pertinet inquirere, atque inueſtigare ſit ne bonum, & expediens, quod præcipitur, ſed rem præceptam exequi, dum ei euidenter non conſtat, eſſe malam, & examen illud valdè perfectioni obedientiæ repugnat, quæ, vt ſancti Doctores tradunt, debet eſſe cæca.

Hinc etiam ſubditi ad bellum à Principe vocati, quoties non conſtat illis de iniuſtitia belli, poſſunt, & tenentur obedire ſuo Principi, vt habetur in *Cap. Quid culpatur* citato: quia tenentur de ſuperiore meliora cogitare, & niſi euidens ſit iniuſtitia, non dijudicare Principem, & licet reipſa poſtea conſtaret eis de iniuſtitia belli, propter obedientiam tamen non peccarent, nec reſtituere tenerentur: quia ipſi cauſas, & rationes belli examinare non tenentur. Ita *Molina, Diana, Malderus*, & alij citati verb. *Bellum num.3.§. Porrò milites.* Nomine autem ſubditorum hoc loco intelliguntur etiam alienigenæ, qui ſub continuis ſtipendijs Regis alicuius degunt tam pacis, quàm belli tempore. Hi enim ſtipendiati tanquam famuli cenſentur, qui ſimiliter in dubio tenentur obedire Dominis ſuis. Secùs de illis, qui tunc temporis conducuntur. Ita *Caiet.2.2.quæſt.169.artic.2. Nauarr.in man. cap.15.num.15. Valentia 2.2. diſput.3. quæſt.16. punct.2. Diana p.4.tract.5.reſolut.7.*

An autem idem dicendum ſit de militibus exteris, ſtipendio ad bellum conductis? Reſponſio communis eſt negatiua, vt teſtantur Doctores proximè citati.

Nihilominus tamen, ſi de iure belli dubitent, & aliunde ſciunt Principem à quo ſunt ſtipendio conducti, virum eſſe Catholicum, & pium, & qui bellum niſi iuſtum ſuſcipere non ſolet, tunc milites illi tuta conſcientia poſſunt probabiliter exiſtimare bellum illud eſſe iuſtum. Vide *P.Nauarra lib.2.de reſtitut.ca.3.nu. 261. & 266. Fauſtus in theſaur.relig.l.6. qu.61.* & alios citatos v. *Bellum num.3.*

13. Subditus non tenetur nec poteſt licitè obedire: ſi ipſe certus ſit ſuperiorem præcipientem dubitare quoque, an id quod iubetur ſit licitum. Ratio eſt, quia tota cauſa, ob quam in dubio ſubditus poteſt & tenetur obedire, eſt, quia ſuperior eſt in poſſeſſione iuris imperandi, & quando ſuperior eſt dubius, an res præcepta ab ipſo ſit licita, non ei fauet poſſeſſio, vtpotè, quæ eſt præcipiendi ea ſola, quæ licita eſſe credit; ergo ſubditus non tenetur, nec poteſt licitè obedire. Ita *Sanch.lib.6.moral.cap.3. num.21. Salas 1.2.quæſt.21.tractat.8. diſput.vnic.ſect.26. nu.275.* Si autem ſuperior dubitet aut credat id quod iubet eſſe illicitum, aut excedens ſuam poteſtatem, & ſubditus non dubitet, ſed credat illud eſſe licitum, tenetur tunc ſubditus obedire: ſicut ſi ego ex errore putem rem à te poſſeſſam non eſſe meam, & malè petam mihi reddi tanquam meam; tu qui ſcis rem illam eſſe meã, teneris in conſcientia mihi reddere.

14. Ex voto obedientiæ religioſi non ita tenentur regulas ſeruare, vt tranſgreſſio cuiuſuis ſit culpa mortalis, aut venialis, ſed obligantur ad res in regula contentas eo modo quo in ipſa continentur: nempe, ſi continentur tanquam præcepta obligantia ſub mortali, tenentur ſub mortali: ſi ſolùm vt obligantia ſub veniali, tenentur ſub veniali, ſi ſolùm vt conſilia ſub nulla culpa obligantia, ad nullam quoque culpam obligabuntur. Ratio eſt, quia religioſus promittens ſeruare regulam, vel obedientiam ſecundum regulam, non promittit ſingula in particulari, & collectiuè: ſed ſolùm mores ſuos iuxta regulæ præſcriptum componere, ſeu obedire ſecundùm regulam. Ergo eodem modo intelligitur obligari, quo regula præſcribit, & obligat.

Aliàs periculoſiſſimus eſſet, ac multis paſſim peccandi ruinis expoſitus religionis ſtatus, cùm multa minutiora in regulis præſcribantur quæ facillimum eſt tranſgredi. Ita expreſsè diffinitur de nobis Fratribus Minoribus, qui non vtcumque promittimus obedientiam, ſed expreſsè promittimus ſeruare regulam D.ui Franciſci. Cap. *Exiit qui ſeminat, de verbor.ſign. in 6.§ in primis*: Et *Clement. exiui de paradiſo, §. cùm igitur in primis. De verbor. ſign. ſic.* Atque ita docent D. *Thom.2.2. quæſt.186.art.9. Sylueſt. v.religio 1.q.8.dict.1. & qu.11.dict.5. Vaſqu. 1.2. quæſt.96. art.4. diſput.162.cap.4. Fauſtus in theſaur.relig.lib.6.q.121. Angel.v.religioſus num.28. Sylu.2.2.qu.186.art.9.*

Quod veriſimum eſt, etiam profitens intenderet ſe obligare ſub mortali, aut veniali ad ſingula in regula contenta, putans ea errore ita velle inſtitutorem regulæ.

Quia reuera intendit profiteri vt conſuetum erat in tali reli-

gione, & maior obligatio eſt inuoluntaria, vtpote quæ ex erro re proceſſit.

15. Quidam volunt religioſum, qui paſſim ſtatuta ſuæ religionis, etiam ad culpam non obligantia, violat, peccare mortaliter: quia talis conſuetudo eſt quidam legis contemptus. Ita *Angelus v. Inobedientia in fine. Vaſq. 1.2. qu. 96. art. 4. diſput. 158. cap. 6. num. 60.*

At veriſſima, & communis ſententia eſt in contrarium. Nam actus replicati ſunt eiuſdem ſpeciei cum primo, ac proinde ejuſdem malitiæ: ſi ergo primus venialis eſt, & cæteri venales erunt. Tum quia nullus ex his actibus in conſuetudinem ductis, aſſignari poteſt, qui culpam lethalem contineat: nec illi actus vniuntur, vt contingit in minimis furtis. Nec prava conſuetudo faciendi contra legem, dicitur eius contemptus, vt reſtè docet D. *Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 3.* & notauimus ſupra *verb. Contemptus num. 5.* cum Sanch. & Suar. ibi citat.

Quia contemptus in ſolo actu interiori voluntatis perficitur, ac proinde ob ſolam externi operis multiplicationem, contemptus induci nequit. Et hoc verum per ſe, & ex ſola venialis natura. Interdum tamen ob venialium frequentiam (quando ſtatuta obligant ad ſolam venialem culpam) conſurgit mortalis culpa, non quidem ratione frequentiæ, ſed ratione periculi proximi tranſgreſſionis votorum, grauisque offenſionis aliorum. Erit quoque mortale ſtatuta religionis ad ſolam pœnam obligantia ideò violare, vt religioſus impediat quantùm in ſe eſt, finem illorum.

Ratio eſt, quia hic tranſgreſſor proportionaliter ſe habet ad finem præcepti, ſicut qui tranſgreditur ex contemptu, ſe habet ad præceptum ipſum, ſeu præcipientem: nam ille reſpuit finem, ſicut ille reſpuit præceptum. Exemplum ſit: non ſolum peccat mortaliter, qui non vult ieiunare, quando ad id tenetur, quia non vult ſubijci præcepto: ſed etiam: ſi ideò omittit ieiunare, quia non vult domare carnem, ad quod eſt inſtitutum ieiunium. Ita *Caietan in ſum. v. præcepti tranſgreſſio. Armilla v. præceptum. num. 4. Fauſtus in theſauro relig. lib. 6. queſt. 152. & 153. Valent. 1. 2. diſputat. 7. queſt. 5. punct. 6. Sanch. lib. 6. moral. cap. 4. num. 21. & 22.*

16. Religioſus habens propoſitum faciendi contra omnes, vel præcipuas ſuæ religionis regulas, etiam ad culpam non obligantes, peccat mortaliter. Ratio eſt, tum quia hic probabiliſſimo contemnendi regulas periculo ſe exponit. Tum quia religioſus tenetur ſub mortali ſic viuere, vt non ſit notabiliter alijs ſcandalo, & offenſioni, cauſaque ruinæ religionis: inducendo alios ſuo prauo exemplo ad nimis relaxatam vitam: ſed hæc dãna inferret habens huiuſmodi propoſitum, ergo. Ita *Cordubas in reg. D. Franc. cap. 1. qu. 3. poſt 3. dictum. Sotus in 4. diſt. 15. qu. 2. art. 1. Sanch. l. 6. moral. cap. 4. num. 18.* Quamuis *Sylueſt. v. relig. 1 qu. 12. Valent. 2. 2. diſp. 10. qu. 4. punct. 5.* Putent religioſum non eſſe in ſtatu damnationis, ſi ipſe vellet ſeruare votum ex præcipuis ſtatutis, etiamſi nollet ſeruare alia, ſi per illud vna cum ſuis votis niteretur ad perfectionem tendere. Ad quam rationem poſſet reſponderi, quòd obſeruantia vnius ſtatuti etiam principalis non impediret grauem Religionis ruinam, grauemque periculum ſpernendi regulam, & tranſgrediendi vota: & licet non teneatur Religioſus ad perfectionem currere, tamen ſub mortali tenetur ita ſuos mores corrigere, vt alijs religioſis ſcandalum non præbeat, quod non vitatur per obſeruantiam vnius vel alterius ſtatuti. Ob eandem rationem eſſet peccatum mortale, ſi religioſus haberet animum non ſeruandi præceptum ſuperioris, niſi quando ſub mortali obligat. *Vt dicemus infra verb. Peccatum 1. num. 8. in fine.*

17. Religioſus non tenetur eſſe perfectus, & ſubinde omnia illa exequi, quibus charitatis perfectio continetur: tenetur tamen ad id tendere, & operam dare, vt perfectionem charitatis comparet, eaque exequatur, quæ ad illam comparandam neceſſaria ſunt: quia ſtatus Religionis non eſt ſtatus perfectionis acquiſitæ, ſed eſt ſtatus, & via, & veluti progreſſus ad perfectionem acquirendam.

Ergo illum profitens non tenetur eſſe perfectus, ſed niti progredi ad perfectionem: quippe operanti ad finem non conuenit ex neceſſitate, vt finem iam comparauerit, ſed vt aliqua via ad ipſum tendere conetur. Ergo non eſt mendax & ſimulator facto ipſo, ſi poſt ſtatum religionis aſſumptum, perfectionem non conſequatur, ſed ſi illam conſequi non intendat; ac proinde non peccabit non conſequendo, ſed non intendendo. Ita D. *Thom. 2. 2. qu. 184. art. 5. ad 2. & qu. 186. art. 2. & art. 9. Sylu. b.* D. *Anton. 3. part. tit. 16. cap. 3. §. 1.* *Nauarr. comment. 1. de regul. num. 10. dict. 10. Vigur. lib. inſt. cap. 27. §. 1. vers. 12. Bonac. 2. 2. qu. 33. art. 3. dub. 3. concluſ. 3. Kodriq. tom. 3. q. reg. qu. 48. art. 1. ad finem. Cordub. in reg. D. Franc. cap. 1. qu. 3. dict. 2.* Hæc concluſio ſecundum *Nauarrum* citatum eſt terribilis multis religioſis, qui neque actu ſeu actualiter, nec virtute ſeu virtualiter habent animum ſe in dies magis in charitate perficiendi, neq. curant pluſquam boni clerici ſeculares, vel laici ad eam tendere.

18. Non tenetur religioſus niti ad perfectionem per omnia ſupererogationis opera ad illam acquirendam valentia, ſed præcipua quæ ſunt præſcripta ſecundùm vnius cuiuſque religionis regulas ad acquirendam charitatis perfectionem. Ratio eſt, quia neque Deus, neque Eccleſia, neque vota in religione emiſſa, aliquid eius ab eo petunt, quàm vt agat vitam regularem iuxta ſuum inſtitutum à Sede Apoſtolica approbatum. Ita Doctores num. præcedenti citati.

Sed petes, quando delinquatur contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem? Reſpond huic præcepto tunc temporis contraueniri, quando eſt contemptus conſiliorum, quibus peruenitur ad perfectionem; ille autem contemptus tunc contingit, quando religioſus ideò regulas tranſgreditur, quòd nolit illis ſubijci. Ita D. *Thom. 2. 2. qu. 186. art. 2. in fin. corp. & artic. 9. Caiet. ad ar. 2. circa ſolut. ad 2.* & alij. Licet quidam dicant hoc accidere hunc mortalem contra præceptum tendendi ad perfectionem contemptum, quando religioſus apud ſe ſtatueret tantummodò omnia peccata mortalia cauere, præceptis omnibus ſui inſtituti, & voti ſeruatis, & conſilia omnia prætermittere. Et hanc eſſe mentem D. *Thomæ* contendunt: nuſquam enim dixit exigi, quòd religioſus ſit huius præcepti reus, vt ex perfectionis contemptu peccet, ſed tantùm, vt perfectionem contemnat; vnde hæc opinio dicit aliud eſſe contemnere perfectionem, & conſilia, quibus ad illam peruenitur, & aliud peccare ex illorum contemptu: quia peccare ex illorum contemptu, eſt illa omittere, eo quod omittens ſubijci illis, vt à Deo traditis, nolit. At contemnere eſt non æſtimare, quare dicunt eum religioſum perfectionem contemnere, qui animum habet non tendendi ad illam, ſeu in animo habet ad perfectionem progreſſum, & gradum non facere: etſi talis non peccet ex contemptu, ſed ex negligentia, vel cupiditate, vel ex alia cauſa. Ita *Sylueſt. v. Religio 1, queſt. 3. Tabiena v. Religio qu. 4. num. 3. Cordubas in reg. D. Franc. cap. 1. qu. 3. dict. 3.*

Cæterum non eſt improbabilis ſententia docens religioſum non peccare mortaliter contra præceptum tendendi ad perfectionem, ſi firmiter proponat exequi quidquid vouit, & omnia præcepta regulæ, & ſuperiorum obligantia ſub mortali; at reliqua conſilia, quæ ſic non obligant, omittere; ſed tantùm peccabit venialiter tunc contra id præceptum.

Probat. prima pars, quia nulla ratio vrget ad damnandum id ſimplex propoſitum tanquam mortale, contra præceptum tendendi ad perfectionem, nam eò ipſo quòd vult omnia vota, & ſibi in regula, & à ſuperioribus præcepta exequi, vult ad vitæ perfectionem progredi & conſilia multa Euangelica ſeruare: & ſic non notabiliter, ſed leuiter à perfectionis propoſito deficit, dum cætera, quæ in regulis, & à ſuperioribus præſcripta non ſunt, proponit non ſeruare abſque eorum contemptu. Talis tamen religioſus alio ex capite mortaliter peccabit ob periculum tranſgreſſionis votorum, & defectus perſeuerantiæ, vt dictum ſupra *num. 16.*

Secunda pars probatur, quòd contemptus ille poteſt eſſe venialis, & mortalis. Mortalis erit, quando eſt ſimplex contemptus eo quòd conſilia omittere religioſus intendit, quia eis ſubijci non vult, vtpote à Deo traditis. Venialis autem quando eſt non nullus, & imperfectus contemptus, eò quòd non tot conſilia ſibi non præcipi. Ita *Sanch. lib. 6. moral. cap. 5. num. 9.* Eiuſdem ſententiæ videtur eſſe *Azor. tom. 1. l. 11. cap. vlt. qu. 11.* etſi non ita clarè loquatur, nec explicet qualis culpa ſit illi propoſitum, quando non eſt ex contemptu conſiliorum. Tota hæc controuerſia nata eſt inter Doctores propter verba D. Thomæ citati artic. 2. in ſolutione ſecundi argumenti, vbi ſic ait: *Sic etiam religioſus, ſeruans usque debet, non peccat, ſi reliqua omittat, magis non conſeruans illa.* Quæ diuerſimodè à Doctoribus explicantur.

19. Contra hoc præceptum tendendi ad perfectionem peccat etiam mortaliter religioſus, ſi ſeruans regulam, & vota, intendat non attingere perfectionem vitæ religioſæ, neque finem per illa intentum; quia licet non teneatur attingere, tenetur tamen non habere actum contrarium, ſcilicet, propoſitum non attingendi per talia media: alioquin fruſtra apponeret media

cum

cum intentione repugnanti fini, ad quem talia media ordinantur. Ita *Cordubensis reg. D. Franc. cap. 1. qu. 3. poſt 3. dub. Sanchez c. num. 10.*

20. Peccat venialiter ſecularis, ſi ſola præceptorum obſeruatione contentus, proponeret ſe conſilia non ſeruaturum, non ex eorum contemptu, ſed quia ſibi præcepta non ſunt: quod peccatum non conſiſtit in omiſſione conſiliorum, ſed in ea firma animi deliberatione contra conſilia; quippe etſi liceat omittere conſilia, at fas non eſt animum deliberata actione, & proposito contra conſilia firmare, ne aditus Spiritui ſancto ſemper ad meliora promouenti obſtruatur. Quod autem non ſit mortale, patet ex eo quòd res non eſt ita grauis, cum conſilia non obligent, niſi vt non contemnantur. Ita *Caiet. 2. 2. qu. 186. ar. 4. Azor. c. queſt. 11. Valent. 2. 2. diſput. 10. quæſt. 4. punct. 4. Cordub. c. dub. vlt.*

21. Porrò de obedientia multa ſcripſerunt Sancti Patres notatu digniſſima; hæc eſt illa, vt aiebat Auguſtinus, quæ concordiam conſeruat in Angelis, pacem nutrit in Monachis, tranquillitatem generat in ciuibus.

Hæc eſt illa, ſine qua Reſpublica ſtare non poteſt, ſine qua familia aliqua regi non poteſt; quam enorme vitium, quod obedientiæ contrarium fuit; per hoc Diabolus cœlum perdidit, per hoc homo paradiſum amiſit, per hoc Saul regnum, per hoc Salomon amorem diuinum. O Sancta Dei ſponſa Obedientia, tu perfecta ſcala, qua in cœlum aſcenditur, tu quadriga, qua Elias vectus eſt in Paradiſum, tu porta Paradiſi fidelium, & clauſura reorum inferni: ô ſancta Obedientia! tu patientiam probas, tu manſuetudinem examinas.

Plura de Obedientia vide v. Conſcientia *num.* 21. §. *Petes ſexto* 30. & 37. Denunciatio *num.* 7. 9. & 11. Fauorabilis *numero* 9. Filius *num.* 5. Ieiunium 11 *num.* 20. Præceptum Prælatus Confeſſarius IV. *num.* 14. Abbatiſſa. *num.* 4. Religio IV. *num.* 9. Religio VI. *num.* 8. Reus *num.* 13. Schiſma.

OBSERVATIO

Vana.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicatur obſeruatio vana?*
   Et eius differentia à diuinatione.
2. *Quot ſint eius ſpecies? & de prima quæ dicitur Ars notoria.*
3. *De ſecunda ſpecie vanæ obſeruationis, quæ eſt Obſeruatio ſanitatum.*
4. *Quot regulæ aſſignentur ad cognoſcendum effectum ſuperſtitioſum?*
5. *An ſint damnandi de ſuperſtitione homines ſeu familiæ aliquæ quæ dant operam medendis quibuſdam morbis, vt rabido morſu canis?*
6. *De tertia ſpecie obſeruationis vanæ, quæ eſt obſeruantia eventuum.*

1. OBſeruatio vana dicitur, cùm aliqua ſunt, vt adhibeantur ad aliquem effectum, ad quem nec à Deo, nec à natura vllam vim habent, vt cùm ex conſideratione alicuius euentus fortuiti, conijcit quis aliquid proſperi vel aduerſi, & inde actiones ſuas moderatur.

Superſtitio vanæ obſeruationis hoc à ſuperſtitioſa diuinatione differt, quòd diuinatio referatur tota ad cognitionem linguarum rerum occultarum indebito modo conſequendam: Obſeruatio verò ſuperſtitioſa refertur vltrò ad obtinendas alias communitates, ſiue animi, ſiue corporis, puta ad potiendum nuptijs alicuius puellæ, ad ſanitatem, vitæ prorogationem, cognitionem linguarum, artem aliquam difficilem ex tempore addiſcendam, ad conſequendam miram in diſputando ſubtilitatem ſine exercitio; non tamen diabolus verè ipſis ſcientiam infuſam confert, ſed ipſe loquitur in illis, & mouendo eorum imaginationem perſuadet illis, quid loquantur, cuius ſignum eſt, quod quando conuertuntur, & renunciant diabolo, ad priſtinam ignorantiam & rudi tatem redeunt; vnde hæc obſeruatio vana mediis inutilibus minimè à diuina prouidentia conſtitutis, procurat communitates prædictas, & varias corporum immutationes, & vt à dæmone operatio noſtra dirigatur, vt quando adhibentur preces, vel ſacra, vel ſcripta, vel appenſa collo, concurrentibus variis aliquibus circumſtantijs, ex quibus appareat illas preces primò ad Deum referri, quaſi ab illo ex ſe pendetur effectus, ſed ad dæmonem ſaltem tacitè, & implicitè inuocatum. Ita paſſim Doctores hic citati. D. *Thom. 2. 2. qu. 96. art. 1. & ſeq. Sylueſt. v. Superſtitio 1. Sanch. l. 2. moral. cap. 40. num. 1. Leſſius l. 2. c. 42. dub. 1. num. 62. Filliuc. tract. 24. cap. 6. qu. 1. Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 13. p. 2. Azor. 1. part. lib. 9. cap. 22. Bonac. tom. 2. diſput. 3. quæſt. 5. p. 4. Claudius. lib. 4. cap. 6. num. 1. Nauarr. cap. 11. num. 11. Layman l. 4. tract. 10. cap. 4. num. 6.*

2. *Obſeruationis vanæ* tres ſunt ſpecies, ad quas reduci poſſunt omnes: *Ars notoria, obſeruantia ſanitatum, & obſeruantia eventuum*, ſiue fiant cum re preſſa, ſiue cum tacita dæmonis inuocatione. *Filliuc. tract. 24. cap. 6. queſt. 8. Valent. 2. 2. diſp. 6. queſt. 13. punct. 1. Reginald. l. 17. num. 186. Clau. Rey. c. num. 2. Leſſius, num. 62. Ars notoria* eſt ſuperſtitio, qua quis credit ſe conſequutum ſcientiam abſque labore per quædam ieiunia, orationes, inſpectiones figurarum, prolationes verborum ignotorum, & alia huiuſmodi vana, & inefficacia: & hæc ſuperſtitio eſt peccatum mortale, ex ſuo genere: quia ſaltem tacitè inuocatur diabolus, eique attribuitur poteſtas infundendi animæ ſubitò habitus ſcientiarum, quod ſolius eſt Dei.

Licitum tamen eſt, vti ſcientia ope dæmonis acquiſita, modò conſeruatio aut vſus illius ſcientiæ non pendeat à dæmone, quia cognitio ſui ſcientia ex ſe bona eſt, & peccatum, quo pacta, & acquiſita eſt, pertranſiit, vt docent *Suar. de ſuperſt. l. 2. c. 17. num. 1. & 2. Sanch. l. 2. cap. 41. & 42. Layman c. num. 9.*

3. *Obſeruantia ſanitatum* eſt, quando adhibentur aliqua verba, vel alia ſigna, aut cæremoniæ inanes ad hominum, vel aliorum animalium curandos morbos, ſiſtendum ſanguinem, mitigandos dolores; ad conſeruandam vitam vel valetudinem; ad ſe præſtandum immunem contra læſiones hoſtium, vel caſus fortuitos, & ſimilia. *Bonac. tom. 2. d. 1. qu. 5. p. 4. num. 7. Leſſius c. num. 63. Fillic. cap. 6. num. 157. Huc* etiam pertinent ſuperſtitioſi illi effectus, qui ſuperant actiuitatem cauſæ naturalis applicatæ, & qui fiunt ſine motu locali, & quando ſtatim euaneſcunt, & non permanent. *Suar. c. cap. 19. Clau. Reg. l. 4. cap. 6. num. 4. Layman c. num. 6. Sanch. c. cap. 40. num. 44.* In dubio autem, an effectus ſint à cauſa naturali, an verò excedant vires cauſæ naturalis, præſumendum eſt prouenire à cauſa naturali, quia dubium explicandum eſt in mitiorem partem: *Sylu. 2. 2. qu. 96. art. 4. Nauar. c. n. 11. num. 34. Eodem* etiam pertinent omnia periammata, amuleta, breuia, imagines, reliquiæ, verba ſacra, preces deſcriptæ, quæ geſtantur à quibuſdam ne poſſint lædi, aut ne effluat ſanguis, aut ob alios ſimiles fines, ſi contineant aliquas circumſtantias plures quàm neceſſarias.

4. *Tres regulæ* ſolent aſſignari à Doctoribus ad cognoſcendum effectum ſuperſtitioſum. *Delrius l. 2. cap. 5. & 6. Suar. c. cap. 15. num. 14. Tolet. l. 4. cap. 14. Sanch. lib. 2. cap. 40. num. 43. Clau. Rey. lib. 4. cap. 6. num. 6.*

Prima eſt, quando media inutilia adhibentur, tanquam neceſſaria ad illum effectum, vt ſi aperiantur fores adhibeantur tanquam neceſſariæ.

Secunda, colligitur ex modo operandi, præſertim ex diſtantia loci.

Tertia, quando effectus ſuperat exigentiam, & actiuitatem cauſarum naturalium, ſeu quando conſtat effectum non poſſe aliunde prouenire, quàm à ſolo bono, vel malo ſpiritu, & ex his regulis colligunt Doctores multas caſuum deciſiones. *Nauar. in Manual. cap. 11. num. 16. 24. Leſſius c. num. 64. Sanch. lib. 2. c. 40. num. 43. Diana. p. 2. tr. 11. reſ. 13. §. 13. Fillucius tract. 24. cap. 6. qu. 11. num. 161.* Porrò in his, & ſimilibus obſeruantijs eſt ſuperſtitio mortalis, ex genere ſuo, ſi animus ſit adhibendi huiuſmodi circumſtantias, tanquam per ſe efficaces ad effectum impetrandum à Deo, ſcilicet, ſanitatem, & incolumitatem rerum ſuarum. Dupliciter tamen poteſt accidere, vt hæc non ſit obſeruatio ſit tantum peccatum venialè. *Primò*, propter ignorantiam vincibilem, non craſſam. *Secundò*, ſi his vanitatibus detur operam, non quaſi efficacibus, ſed tantùm vanis ex leuitate quadam. *Bonac. c. num. 23. Reginald. lib. 17. num. 170.* Ex paruitate autem materiæ, non eſt in huiuſmodi peccatum venialè: nam deformitas huius peccati conſiſtit in hoc: quòd quis ſibi, vel dæmoni tribuit effectum proprium Dei, quando causa adhibita non eſt ad eum ſufficiens: deinde expreſsè aut tacitè initur commercium cum dæmone; quælibet autem iſtarum de formitatum, ſecundùm ſe abſtrahendo à quantitate materiæ eſt valdè grauis, ergo, &c. *Valentia c. d. §. 6. qu. 13. punct. 13.* tamen putat dari poſſe paruitatem materiæ excuſantem à mortali, quoties non inter-

uenit

uenit pactum expressum cum dæmone, vt si quis semel ioco, & ad experiendum effectum, causa curiositatis, faciat mouere annulum super filum: quod etiam admittunt. *Sanch.c.num.*13. & 25. *Filliuc.c.num.*161.

5. Non sunt simpliciter damnandi de superstitione homines, seu familiæ aliquæ, quæ dant operam medendis quibusdam morbis, vt rabido morsui canis; quia nulla sufficienti ratione probari potest horum officium esse superstitiosum, quamquam tales personæ ab Ordinarijs diligenter examinandæ sunt, antequam hoc munus exercere permittantur; inspiciendum enim est, an hoc faciant remedijs naturalibus, vel ex gratia gratis data, vel ex pacto cum dæmone, nam in his facile contingere potest dæmonis deceptio, confessarij autem debent magnam adhibere circumspectionem, & cautionem in absoluendis ijs, qui ad sanandos morbos remedijs externis vtuntur, virtutem naturalem non habentibus ad eos curandos, quamuis publicè tolerentur, & permittantur. *Delrius lib.*4. *cap.*3. *quæst.*4. *Sanch.li.*2. *cap.* 40. *num.*44. & 47. *Azor.*1. *par.l.*9 *cap.*25. *q.*1. *Suar.c.ca.*15. *num.* 25. *Nau.cap.*11. *num.*36.

6. *Obseruantia euentuum* est, quando fortuitò aliquid occurrit vel accidit homini, ex quo tibi vel alteri aliquid aduersi vel læti coniectat, & inde actiones suas moderatur, obseruans loca, verba, audita, tempora, vel occursus hominum aut animalium; vt si domo egredienti occurrat vulpes, aut canis, aut cadauer, &c. indeque occasionem sumat credendi; negotium aut diem sibi futurum infaustum, & infortunatum. *Filliuc. tract.*24. *cap.*6. *qu.*8. *Bonac. c. num.*21. 22. & 23. *Lessius c.num.*65. 66. *Clau. Reg. lib.*4. *cap.*6. *num.*5.

O D I V M.

S V M M A R I V M.

1. *Odium quid sit, & quotuplex.*
2. *Odium repugnat charitati, & est omnium peccatorum grauissimum.*
3. *Quando odium est peccatum mortale, quando veniale.*
4. *An omnia odia proximi sint eiusdem speciei:* refertur duplex sententia.

1. ODium est *alienatio seu auersio voluntatis ab eo quod æstimatur vt malum*: aduersatur amori directè ac proinde sicut duo sunt amorum genera, amicitiæ, & concupiscentiæ, ita est odium inimicitiæ, quo volumus alicui malum, vt ipsi malè sit, & est odium abominationis, quo fugimus aliquid, vt nobis incommodum.

Vtrumque rursum duplex: aut enim tendit in Deum, aut in proximum, estque interdum permixtum omnibus peccatis, adeò vt omne peccatum mortale, secundùm prudentem æstimationem, sit odiumquoddam Dei, omnisque iniuria in proximum, participet odium proximi. *D. Thom.*1. 2. *qu.*29. *art.*1. & 2. 2. *q.*34. *art.*1. *Bonac. tom.*2. *disput.*3. *qu.*4. *punct. vlt.* §. 1. *Layman lib.*2. *tract.*3. *cap.*8. *num.*1. *Filliuc. tract.*28. *cap.*8. *num.*16. *Syluius* 2. 2. *quæst.* 34. *art.*1.

2. Si sumatur odium, vt est speciale peccatum directè repugnans charitati, est omnium peccatorum grauissimum, siue quæ in Deum, siue quæ in proximum committuntur, respectiuè tamen si præcisè considerentur; nam quædam peccata odium Dei includunt, & superaddunt alias deformitates. vt blasphemia cõpleta, Apostasia, &c. quædam peccata in proximum, præter odiũ inferunt graue nocumentum, vt homicidium, detractio, &c. Vnde odium inimicitiæ, tum erga Deum, tum erga proximum, per se & intrinsecè malum est, & ex genere suo mortale. D. *Thom.*2. 2. *qu.*34. *art.*2. & 4. *Syluius. Valent. ibid. punct.*2. *Mald. Turrian. ibid. Toletus lib.*4. *cap.*9. *num.*1. *Layman. c. num.* 3. *Fill. c. num.*175. 176.

3. Cùm Deus infinitè bonus sit, & in eum nulla malitia siue defectus intrinsecè, vel extrinsecè cadere possit, ob quem abominatione, atque odio dignus sit, hinc odium abominationis erga Deum per se & intrinsecè malum est, & ex genere suo mortale peccatum. *Laym. c. cap* 8. *num.*5. *Turrian.*2. 2. *disp.*91. *dub.*1. *Bonac. c.* § 1. *num.*6. *Tolet. de septem pecc. mort. cap* 70. *Reginald. lib.*17. *numero* 114. *Layman c. numero quarto Syluius. c. quæst.*34. *art.*6. *quæst.*4.

Fieri tamen potest vt odium inimicitiæ erga proximum, sit tantùm peccatum veniale, aut nullum.

Primò, ex actus imperfectione seu indeliberatione.

Secundò, ex paruitate materiæ, quando leue aliquod malum proximo imprecamur.

Tertiò, quando non fertur immediatè in ipsum hominem, sed in vitium.

Quartò, si feratur quidem in naturam, seu hominem ipsum, non tamen ibi sistat, sed desideret hoc vt medium ad emendationem.

An autem peccatum odij in Deum possit esse veniale ob paruitatem materiæ: *Laym. c. n.*4. *Bonac. c. num.*3. *Syl. quæ.*4. dicendum putant quòd non', quia quodlibet odium Dei maximè repugnat summæ bonitati Dei, qui summè bonus est, nec in ipsum vlla ratio mali cadere potest. Vide v. *Peccatum* 1. *num.*7.

4. Probabile est omnia odia proximi esse eiusdem speciei, si considerentur formaliter vt odia sunt. hoc est, vt pro obiecto habent malum proximi, quatenus malum eius est, quia sic spectata, habent vnam rationem formalem obiecti. scilicet malum proximi, vt malum proximi est; vnde secundùm hanc opinionem sufficit, vt pœnitens dicat se toties odisse proximum, & non opus est explicare, an illud odium versaretur circa famam, diuitias, & personam. *Caiet.*2. 2 *qu.*34. *art.*6. *Valent.*2. 2. *disp.*9. *qu.*3. *p.*2. *Bannes* 2. 2. *qu.*34 *art.*6. *dub.*2. *Bonacina tom.*2. *d.*3. *q* 4. *p. vlt.* §. 1. *n.*10. *Diana de circumst. resol.*31. *p.*1.

Contrarium tamen probabilius putant. *Suar. tr. de char. disp.* 6. *sect.*2. *num.*1. & 3. *Sylu.*2. 2. *q.*34 *art.*6. *qu.*2. Quibus ego assentior: nam afficere proximum iniuria in vita, vel in fama, sunt peccata diuersa specie contra iustitiam, propter materiæ diuersitatem: ergo pari modo efficient diuersitatem in odio: vnde quoad mores, talis diuersitas est aperienda in confessione: quia sicut diuersum specie peccatum est, ex odio inimicum occidere, spoliare, vel infamare, ita etiam specie diuersum erit, si ex illa velit; cum eiusdem virtutis aut vitij sit velle quippiam, & hoc ipsum facere.

De odio, vide *Ira* num.4. *Confessio* 4. num. 20. *Luxuria num.* 2. *Peccatum* 4. num. 2.

O R A T I O.

S V M M A R I V M.

1. *Oratio quid sit.*
2. *Oratio triplex est, & est in præcepto.*
3. *Casus in quibus oratio est in præcepto.*
4. *Oratio Dominica comprehendit summam petendorum.*
5. *Orare conuenit soli naturæ rationali.*
6. *An Sancti sint nostris precibus inuocandi.*
7. *Pro quibus sit orandum.*

1. ORatio est *decentium rerum petitio à Deo, siue ad ipsum Deum dirigatur siue ad alios propter ipsum Deum*: In oratione *tres actus* spectari possunt; *Primus*, est desiderium nostrum, quo bonum aliquod nobis, alijsve conferri aut malum auerti desideramus. *Secundus*, huius desiderij practica quædam explicatio, quæ nihil aliud est, quàm petitio quædam. *Tertius*, collatio boni desiderati, vnde patet orationem esse immediatè actum rationis practicæ, sicut & Religionis. *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 83. *art.*1. 2. *Filliucius tract.*23. *cap.*2. *quæst.*1. *Azor.*1. *part. lib.*9. *cap.*29. *quæst.*4. *Suar. tom.*2. *de relig. lib.* 1. *cap.* 29. *Syluius* 2. 2. *quæst.* 83.

2. *Oratio* triplex est, *vna* publica, vel priuata. *Secunda*, mentalis aut vocalis. *Tertia*, obsecratio, vel oratio, vel postulatio, vel actio gratiarum. Necessaria est adultis ad salutem ex præcepto Religionis & consequenter diuino obligans indeterminatè ad mentalem aut vocalem: quia oratio est medium quoddam sine quo auxilium ad salutem necessarium obtineri nequit; non tamen est illa sufficiens, quia requiritur præterea Baptismus, & mandatorum obseruatio, & in lapsis pœnitentia. *Filliuc. c. cap.*2. *n.*38. *Lessius l.*2. *cap.*37. *d.*3.

3. *Oratio* est in præcepto *Primò*, quando peccator se ad gratiam disponere tenetur, vt quando ipse Sacramentum aliquod administrare vel suscipere debet. *Secundò*, in euidenti periculo mortis, præsertim si quis sit in peccato mortali. *Tertiò*, in vehementi tentatione, cui alia ratione putat se non posse resistere: *Notandum* tamen est in casibus, quibus oratio ad aliquod malum auertendum videtur necessaria, omissionem eius non esse peccatum, nisi quis aliquo modo aduertat suam obligationem;

alio-

alioquin omiſſio non cenſebitur voluntaria, vt eſt contra præceptum. vnde nec ad culpam imputabitur: quando autem eſt culpabilis ratione periculi alterius peccati, non habet malitiam diſtinctam ab illo peccato, nam ſolùm eſt mala, quia eſt interpretatiua volitio illius peccati. *Medina C. de orat. qu. 11. Nau. de orat. cap. 3. Filliuc. c. cap. 2. qu. 3. Leſ. c. dub. 13. num. 12. Diana par. 3. tract. 5. miſcell. reſolut. 16. Sylu. c. quæſt. 83. art. 2. Becanus 2. 2. qu. 83. art. 2.*

4. Summa petendorum breuiter comprehenſa eſt oratione Dominica; quæ licet omnia diſertè non contineat, ſed præcipua tantùm, quæ maximè nobis præ oculis habenda, ad ea tamen reliqua facilè reduci poſſunt: vnde ſecundùm *D. Thom. c. art. 5. & 9. Filliuc. c. cap. 2. quæſt. 5. Leſſius c. dub. 4. Azor. c. cap. 34. Becanus c. qu 4.* & alios inter ea quæ à Deo peti poſſunt quædam abſolutè petenda ſunt, vt ferè ſunt ea quæ oratione Dominica continentur, alia ſolùm ſub conditione tacita vel expreſſa, ſi nobis ſint futura ſalutaria, vt ſunt diuitiæ, honores, longa vita, opulenta matrimonia, vxor ſpecioſa, pulchræ proles & ſimilia.

5. Soli naturæ rationali ſuperiorem agnoſcenti orare conuenit, à quo aliquid boni ſibi vel alteri expectare poſſit. *D. Thom. c. art. 10. Azor. c. cap. 29. Alexander de Ales p. 4. qu. 26. membr. 3. art. 4. Leſſius c. dub. 5. Becanus c. q. 5. Sylu. c. art. 10.* vnde conuenit Angelis, animabus beatis, viatoribus & defunctis qui ſunt in purgatorio; damnatis autem oratio propriè non competit, quia carent pio affectu, ex quo oratio procedere debet, vt ſit actus virtutis; Chriſto etiam ſecundùm humanam naturam in cœlo conuenit, quia ſecundùm veriorem ſententiam, Chriſti anima etiam modò rogat diuinitatem pro hominibus; quia id non dedecet ipſam, cùm in via ſæpiſſimè id fecerit, & ſtatui beatitudinis non repugnet.

6. Certiſſima eſt Catholicorum ſententia, ſanctos eſſe noſtris precibus inuocandos. *Theologi in 4. diſt. 45. Conc. Trid. ſeſſ. 25. de inuocat. ſanctorum. Leſ. c. dub. 6. D. Thom. quæſt. 83. art. 4. Sylu. ibi. Becanus c. qu. 6.* non tanquam primarios authores vitæ, & ſalutis noſtræ, quaſi ſua ipſi authoritate, & poteſtate poſſint remittere peccata, infundere virtutes, dare vitam æternam, id enim eſſet aperta idololatria, ſed tanquam amicos Dei chariſſimos, vt pro nobis orent, ſuamque nobis opem porrigant: & hoc veterum patrum confirmat authoritas, & Conciliorum decreta, generalis demum totius Eccleſiæ conſuetudo.

7. Pro omnibus orandum eſt, qui nondum ſunt in termino, etiam inimicis noſtris; quia omnibus ſalutem deſiderare, & quantum commodè poſſumus, procurare debemus: non tamen ita intelligendum eſt, quaſi orare debeamus, vt abſolutè omnes ſalui fiant & nemo damnetur, hoc enim fruſtra, & ſtultè oraretur: vnde etiam pro paganis, ſchiſmaticis, & hæreticis, excommunicatis, improbis, & ſceleratis eſt orandum, vt reſipiſcant & ad ſaniorem mentem, melioremque vitæ frugem reuocentur: orandum etiam eſt pro pijs, & iuſtis, ne ſuperbia efferantur, & intelligant ſe interiorum etiam ſuffragijs indigere. D. Thom. c. *artic. 7. & 8. Azor. 1. par. libro 9. cap. 31. Leſſius c. dub. 7. Filliuc. tractat. 23. cap. 2. quæſt. 10. Sylu. c. artic. 7. & 8. Becanus c. quæſt. 7.*

Plura de oratione, V. *Suffragium, Satisfactio* num. 5. *Simonia* 3. n. 6. *Pœnitentia* 4. n. 7. *Iubilæus*.

ORDO I.

De eſſentia, inſtitutione ac numero ſacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

1. *Ordo quid ſit.*
   Et vt aptiſſimè hoc Sacramentum vocabulo Ordinis fuerit appellatum.
2. *Quando hoc Sacramentum fuerit inſtitutum.*
3. *Quot ſint Ordines.*
   Et an Epiſcopatus, Cardinalatus, Papatus, Prima tonſura ſint Ordines.
4. *An ſinguli Ordines ſint vera ſacramenta:* vbi referuntur variæ ſententiæ Doctorum.

1. ORdo, per quem in Eccleſia quidam quaſi gradus officij dignitatisque conferitur. *Concil. Trid. ſeſſ. 23. can. 3. Sacramentum eſt, quæ ſpiritualis poteſtas circa Euchariſtiam in Miſſa ſacrificio traditur.* Dicitur *Sacramentum* quia habet illatria, quæ requiruntur ad rationem Sacramenti, nempe *primò* ſignum externum, quod eſt impoſitio manuum. *Secundo*, promiſſionem gratiæ. *Tertiò*, mandatum. Dicitur quo *ſpiritualis poteſtas traditur*: ſic enim ſignificatur, per formam quæ ſolet proferri: *Accipe poteſtatem*, &c. & ita ab illa exteriorum verborum forma, diuina virtute profluit character Ordinis, tanquam proxima actiua potentia, per quam ordinatus exerceat ea, quæ ſunt ſui ordinis: dicitur *Circa Euchariſtiam*, intelligè mediatè vel immediatè.

Poteſtas immediata eſt illa, qua directè confici poteſt Euchariſtia, & hæc confertur in ordine ſacerdotali: Poteſtas verò mediata eſt illa, per quam exerceatur aliquod miniſterium, quod dirigitur, & ordinatur ad Euchariſtiam tanquam ad finem, quod miniſterium in ſingulis ordinibus reperitur. Ita *D. Thom. in ſuppl. qu. 34. art. 2. & 3. Sylu. ibid. Valent. tom. 4. diſp. 9. queſt. 1. p. 2. Pefanius in ſuppl. quæſt. 40. diſput. 1. Marchinus de Sacrament. Ordinis tract. 1. p. 1. cap. 4. Vaſq. tom. 3. in par. diſp. 235. c. 2.*

Aptiſſimè & ſapientiſſimè hoc ſacramentum vocabulo Ordinis fuit appellatum: cùm enim ordo iuxta *D. Auguſt. lib. 19. de Ciuit. cap. 13.* Sit parium, diſpariumque rerum ſua cuique loca tribuens diſpoſitio: & in Eccleſia Dei ſint varij miniſtri, gradus multi, variaque ac diuerſa munera, inferiora, media, & ſuperiora, recta ratione collocata: ideò hæc Clericorum claſſis, veluti terribilis caſtrorum acies ordinata, vocabulo Ordinis congruenter recenſetur.

2. Sacramentum Ordinis creditur inſtitutum à Chriſto in vltima cœna cùm Apoſtolis ſuo corpore, ſanguineque refectis, illa adiunxit verba. *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. quibus verbis Chriſtus contulit Apoſtolis auctoritatem ſacerdotalem, eiſque, ac eorum ſucceſſoribus in ſacerdotio dedit præceptum conſecrandi, vt patet ex Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 1.* & conſentiunt D. Thom. *c. art. 4. Henriq. in ſum. lib. 10. ca. 3. Regin. lib. 30. num. 3. tract. 1. Bonacina de Sacram. diſp. 8. q. un. punct. 1.* Contulit autem Chriſtus per excellentiæ poteſtatem Apoſtolis omnes Ordines ſimul: nam ſub principali, quod eſt ſacerdotium, cæteri omnes comprehenduntur, tanquam participantes, licet imperfectè, poteſtatem aliquam circa corpus Chriſti miniſtrandum, & inſeruiendum Sacerdoti.

3. Hæretici noſtri temporis tres tantùm Eccleſiaſticos ordines concedunt; nempe, Epiſcoparum, Presbyteratum, & Diaconatum; reliquos Ordines humanum inuentum fuiſſe dicunt: *Calunus lib. 4. inſtit. cap. 4. & 19. Kemnitius in Exam. Trid. ſeſſ. 23.* Catholica tamen veritas eſt, ſeptem ſaltem Eccleſiaſticos ordines ſemper in Eccleſia fuiſſe, nempe *Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtatum, Acolythatum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyterium.*

Probatur hoc ex Concilijs genetalibus. Romano ſub Syluſtro *cap. 3.* Laodicenſi, Chalcedonenſi Carthaginenſi IV. *cap. 3.* cùi interfuit *S. Auguſtinus*, Florentino in inſtructione Armenorum, & denique in Tridentino *ſeſſ. 23. can. 2.*

Controuertitur inter Doctores Catholicos, an Epiſcopatus ſit ordo à Presbyterio diſtinctus? Quidam enim affirmant eſſe verum Ordinem, verumque Sacramentum à Presbyterio aliquo modo diſtinctum, diſtinctumque imprimere characterem.

Probatur autem hæc opinio, quod vbi eſt diſtincta materia, & diſtincta forma, ibi eſt diſtinctum Sacramentum: ſed Ordinatio Epiſcopi habet diſtinctam formam à forma ſacerdotali; habet item diſtinctam materiam, quæ vel erit ſacra capitis vnctio, vt aliqui volunt, vel manuum impoſitio.

Deinde Epiſcopus in ſui conſecratione accipit veram, & realem poteſtatem indelebilem ordinandi Miniſtros Eccleſiæ, & conferendi Sacramentum Confirmationis, quam poteſtatem prius non habebat: ſed character nihil aliud eſt, quàm poteſtas ſpiritualis indelebilis animæ impreſſa, ergo. Hæc ſententia eſt ſatis probabilis, quam ex antiquis tenent *Soto in 4. diſt. 24. art. 2. Durand. qu. 6. Altiſiodor. lib. 4. ſum. cap. de ord. Petr. Soto. lect. 4. de Sacrament. Ordin.* & ex recentioribus *Bellarm. lib. 1. de Sac. Ord. cap. 5. Vaſq. 3. par. tom. 3. diſp. 240. cap. 4. Valent. tom. 4. diſput. 9. qu. 1. punct. 4. Conine. de Sacram. diſp. 10. dub. 2. Layn. li. 5. tr. 9. cap. 7. & 4.*

Probabilior tamen opinio negat Epiſcopatum eſſe ordinem, loquendo propriè de ordine, per quem conferatur peculiaris poteſtas ad conficiendum Chriſti corpus, & ad ſacrificandum; quæ vis per Epiſcopi conſecrationem acquiratur poteſtas quædam indelebilis, reſpectu quarumdam actionum ſacrarum, quæ ſacerdoti

cerdoti non conueniunt. Tum quia character Episcopatus, & character sacerdotalis propriè non dicuntur duo ordines, sed vnus, qui dicitur extendi, & perfici in Episcopatu vtrumque integrum ac perfectum ordinem constituit. Alias sequeretur esse octo ordines, quod videtur esse contra communem sententiam: vnde Episcopatus non potest validè conferri alicui non sacerdoti, vel infanti, quia Episcopatus non est ordo distinctus ab ordine sacerdotali.

Tum quia si Episcopatus esset ordo distinctus à Presbyterio; ergo esset distinctum Sacramentum; ergo in Ecclesia Dei essent plus quàm septem sacramenta, quod repugnat. Tum quia Tridentinum *sess.23.cap.1.& 2.* Enumerans omnes ordines, siluit Episcopatum; ergo signum est Patres Concilij fuisse in sententia negante Episcopatum esse ordinem à Presbyteratu distinctum. Ita DD. D. Thom. *in suppl.3.part.qu.40.art.5. D.Bonau.in 4.d.24.qu.2.art.3. Alensis 4.p.tr.ju.20.membr.8.art.1. Conarruu. lib.1: Var.cap.10. num.15.& 16. Fillinc.tract.9.cap.1.num.12. Reginald.lib.30.num.5. Sot.de iustit.lib.10.qu.1.art.2. Henriqu. l.10.c.2. Bonac.c.unic.num.3.*

Item magna est controuersia inter Canonistas, & Theologos an prima tonsura sit ordo: isti enim affirmant; quia prima tonsura initiati gaudent Clericorum priuilegijs: sunt enim capaces beneficiorum, quorum sunt incapaces laici: & fruuntur priuilegio Canonis, *Si quis suadente*. Cùm ergo tonsura habeat priuilegia aliorum ordinum merito ordo dici debet. Ita *Angelus ver. Ordo num.1. Nauarrus in Manual.cap.22.num.18. Couarru. in Cap. Quia nos, num.4. de test. Barbosa de potestat. Episc. alleg 2. num.16.& 17.* & alij communiter.

Multò tamen verior & Concilio Tridentino conformior est Theologorum sententia, asserens primam tonsuram non esse Ordinem. Ratio est, quia licet tonsuratus habeat ex deputatione Ecclesiæ, & priuilegio gradum quemdam inter Clericos, & sit capax iurisdictionis Ecclesiæ, & beneficiorum: tamen eiusmodi priuilegium non pertinet ad vllam rationem aut partem sacramenti, nec habet vllum officium adnexum circa ministerium Altaris sed tantùm est præparatio quædam ad ordines, sicut catechismus ad Baptismum.

Tum quia licet Concilium Tridentinum hanc litem dirimere noluerit, si quis tamen attentè verba Concilij consideret, satis inspiciet ipsum Theologorum opinioni valdè fauere. *sess.23. cap.2.& 4.6.* & nullibi Concilium primam tonsuram, Ordinem vocat. D. Thom. *in 4.d.24.qu.4.art.1. D. Bonau. Albert. Paludan. ibid. Sayr. de censur.l.b.4.cap.4. num.7. Bonac.c. punct.1. num.6. Fernand.p.3.c.11.§ 1.num.4. Layman lib.5.tr.9.c.3.n.3. Suar. de Sacr.disp.1. sect.2.*

Cardinalatus autem non est Ordo sacer, nec imprimit characterem: nec fuit à Christo Domino institutus: quod probatur; quia non habet consecrationem aliquam, nec materiam, nec formam, ergo neque erit ordo.

Proinde Sancti Patres, Concilia generalia, summique Pontifices enumerantes omnes Ordines sacros, de gradu Cardinalatus nullam fecerunt mentionem.

Cardinalatus ergo est tantum dignitas Ecclesiastica eminentissima à Pontificibus antiquitus inducta, vt sibi in regimine Ecclesiæ Assessores, & Consiliarios haberet, eo modo, quo Moyses septuaginta seniores sibi adsciuit; Proinde potest à Papa extingui, consequenter non erit de iure diuino, neque erit Sacramentum Ordinis. Ita *Bellarm. lib.1. de Cleric. cap.16. contra. Sotus in 4.d.24.qu.2.art.4. Azar.p.2.lib.4.cap.1.qu.3* contra nonnullos alios.

De Papatu verò, certum est apud omnes Theologos, illum non constituere Ordinem distinctum ab Episcopatu, neque imprimere distinctum characterem.

Tum quia Ordo, vt dictum est, est sacramentum constans ex materia, & forma; sed Papatus, nec habet materiam, neque formam peculiarem; ergo Papatus non est Ordo.

Tum quia, etsi Papa habeat maiorem potestatem iurisdictionis, quàm habeat Episcopus, tamen in potestate conficiendi Corpus Christi, consecrandi Episcopos, confirmandi & ordinandi sunt æquales; sed in huiusmodi potestate consistit character Ordinis, ergo. Ita D. Thom. *lib.4. contra Gentes, cap.76. Soto c.artic.4. conclus.2. Bonacina de Sacrament. disp.8. quæst. un.p.1.num.5.*

4. Magna controuersia est inter Doctores, an singuli ordines sint vera sacramenta: extra controuersiam autem est Ordinem sacerdotalem esse verè ac propriè sacramentum.

Quod constat ex Tridentino *sess.23. cap.2.& can.1. Si quis*, inquit, *dixerit, non esse in nouo testamento sacerdotium visibile externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi, & offerendi verum Corpus, & Sanguinem Domini, & peccata remittendi, & retinendi: sed officium tantum, & nudum ministerium prædicandi Euangelium; vel eos, qui non prædicant, non esse Sacerdotes, anathema sit.*

Quibus verbis omnes Hæreticorum impostoras breui oratione repellit. Et certè si alicui ordinationi conuenit esse Sacramentum nouæ legis, maximè ordinationi Presbyteri: quia per eam confertur Presbytero potestas consecrandi, & potestas absoluendi à peccatis, quæ sunt maximæ, & excellentissimæ omnium, & ad quarum exercitium gratia sacramentalis non est parum vtilis.

Hanc veritatem docent omnes Theologi *in 4.dist.24.* & Canonistæ *in Cap. Ad abolendam, de Hæreticis*, quæ ex diuinis literis, Sanctis Patribus, Conciljs & rationibus probatur à *Marchin. de ordinar. tr.1.p.1.cap.10. Valent. disp.9. qu.1. punct.4.* & alijs.

Episcopatus, secundùm communiorem sententiam, est etiam Sacramentum: quia in ordinatione Episcopi absolutè, & simpliciter confertur Spiritus sanctus, ergo in ea confertur gratia sanctificans & potestas dandi duo sacramenta, confirmationem, & ordinem; ergo est sacramentum: licet sit tantùm vnus ordo cum sacerdotio, non quidem specie, sed genere, vt docent *Bellarm. lib.1. de Sacram. Ord. cap.5. Fillinc. tract.9. cap.1. num.24.* & alij.

Præcipua difficultas est, an reliqui ordines sint Sacramenta. *Durandus in 4.dist.24.q.2. Cajet. tom.1. opusc. tr.11. Medina de sacror. hom. continent. cap.26. Sotus in 4. d.24. qu.1. art.4.* & alij contendunt præter sacerdotium nullum alium ordinem, verum Sacramentum esse.

Tum quia actus aliorum ordinum exerceri possunt à non ordinatis, ergo alij ordines non sunt sacramenta.

Tum quia omnes ordines ad Eucharistiam conficiendam, vel ministrandam ordinantur: hanc autem solum Presbyterium attingit, reliqui ordines soìùm disponunt, quidam remotiùs, alij propinquiùs, ergo solum Presbyterium erit verum Sacramentum, cæteri verò ordines erunt sacramentalia.

Alij asserùt tres ordines maiores esse sacramenta, minores verò esse sacramentalia quia si essent sacramenta, sequeretur eos peccare, qui accedunt ad eos suscipiendos cum conscientia peccati mortalis, aut qui illos exercent in tali statu, quod videtur nimis durum. *Nauar. in Man. cap.22.n.18. Vasq.to.3. in 3.p. disp.237. c.2. Sotus in 4 d.24.qu.1.art.4. Layman l.5. tr.9.c.4.* & alij.

Alij verò quorù sententia est cõmunior, docent omnes ordines esse sacramenta, omnes enim vnum Sacramentũ efficiunt, cùm ad vnum proximum finem referantur, nempe ad Eucharistię Sacramentum dignè ministrandum; vnde singulis sua munera, officiaque tributa sunt, & ideò singulis ratio Sacramenti conuenit: cum in ipsis etiam reperiatur forma, & materia. *D. Thom. 4.d.24.artic.2.& in supplement.3. part. quæst.37. artic.2. D. Bonauent. ibidem. Canisius disputat. 20. num. 47. Fillucius c.num. 26.27.& 28. Marchin. de ordin. tr.1.p.1.c.8.& 9. Hurtado tr. de ord. disput.8.& 9. Sylvius in suppl.3 par.q.37.art.2. qu.1.2.3.& 4. Bonac.c.punct.2.n.2.*

Et hæc satis insinuat *Eugenius IV.* in suo Decreto, dum postquam definiuit Ordinem esse Sacramentum, & materiam illius esse illud per cuius traditionem confertur Ordo, & assignauit materiam Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus, addit, *& similiter de aliis per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem*; quo absque dubio supponit etiam minores ordinationes esse Sacramentum, & rationem Sacramenti genericam participare.

Nec minus suffragatur Concilium Tridentinum *sess.23.* in qua, cùm omnes ordines *c.2.* enumerasset, posteà *c.3.& can.3.* Sacram ordinationem determinat esse Sacramentum: sed propositio indefinita in materia doctrinali, æquipollet propositioni vniuersali, ergo ex his Concilijs colligitur, singulos ordines, etiam minores, esse vera Sacramenta, & non solùm sacramentalia.

Porrò etiamsi sint tot ordines, omnes tamen rectè dicuntur vnum Sacramentum Ordinis.

Et hæc vnitas est integralis, quatenus, sicut ex pluribus membris habentibus diuersa officia, accidentia, & operationes, vnum corpus integratur, sic ex pluribus ordinibus, vnus ordo integratur, ex qua integritate completè, & perfectè Sacramentum Ordinis constituitur.

Vel

Vel dicere poſſumus, Ordines eſſe vnum Sacramentum, vnitate finis ad quem omnes vltimatè ordinantur, qui eſt dignè offerre ſacrificium Euchariſtiæ, aut miniſtrare in eo. Ita *Filliuc. tract.9.cap.primo numero 15. Marchinus c.tract.p.1. cap.15.numero 14.*

Vide *Apoſtaſia* n.8. *Matrimonium* 7.n.54.

ORDO II.

De materia, & forma Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

1. *Quæ ſit materia remota, & proxima huius Sacramenti. Et an inſtrumenta, quæ ordinando traduntur, debeant immediatè ab Epiſcopo porrigi.*
2. *An contactus materiæ ſit de eſſentia ſacramenti. Et an debeat eſſe ſimultaneus cum prolatione verborum.*
3. *Quæ ſit materia remota, & proxima Sacerdotalis Ordinis.*
4. *De materia Diaconatus, Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, Oſtiariatus.*
5. *Quæ ſit forma Sacramenti Ordinis.*
6. *Quæ ſint officia Sacerdotis, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris.*

1. CVm in omni Sacramento reperiatur materia remota, & proxima: ideò materia remota Sacramenti Ordinis eſt inſtrumentum aliquod, quod ordinibus initiandis traditur, in ſignum poteſtatis ſpiritualis, quam recipiunt, vt inſtrumento ſuum ordinem exequantur.

Proxima verò materia eſt eiuſmodi inſtrumenti traditio ab ordinante, & eiuſdem acceptatio ab ordinando. Non eſt opus eam materiam eſſe conſecratam, propter quod Chriſtus ſuo cõtactu vtique Calicis, ad quem tamquam ad finem cæteræ reuocantur, conſecrauit. Ita *Bonacina de Sacram. d.1.q.2.p.1. Filliuc. tr.9.num.29. & 30. Marchin.c.tr.1.p.1. cap.16. num.25. Sylu in ſupplem.qu.37.art.2.qu.2. Vaſq.diſp. 236. cap.3. Reginald.lib.30. num.7.*

Sed dubitari poſſet, an inſtrumenta quæ ordinando tangenda traduntur, debeant immediatè ab Epiſcopo porrigi, an verò per alium tangenda tradi poſſint?

Reſpondet *Marchinus*, quòd ſi Epiſcopus porrigeret, & parus ſacerdos verba proferret; ordinatio nulla eſſet, quia ſimplex ſacerdos non eſt ordinis miniſter.

Si verò Epiſcopus proferat verba, & parus ſacerdos materiam tangendam ordinando porrigat, & hic ordinatur ad Ordines maiores, ordinatio valida non erit, iuxta *C. Subdiaconus diſt. 23.* Si ad minores, ordinatio tenet, iuxta *C. Acolythus diſt.23* & docet *D.Thom.in 4 diſt.25.qu.1.ad 2. & in ſupplem.3.par.q.38. art 1.ad 2.*

2. Secundùm communem, & tenendam Doctorum ſententiam, contactus materiæ, eſt de eſſentia Sacramenti, ita vt non cenſeatur ordinatus, qui materiam realiter, & phyſicè non contigit.

Tum quia in omnibus alijs Sacramentis, ſi non ſit phyſicus contactus, Sacramentum nullum eſt, vt patet in Baptiſmo, Confirmatione, Extrema-Vnctione; ergo ſimili modo idem fatendum erit in hoc Ordinis Sacramento.

Tum quia oportet ad valorem Sacramenti veritatem formæ eius adimpleri: dicitur enim, *Accipe hoc, aut illud*: quibus verbis imperatur contactus corporalis: ſi ergo contactus non fiat, veritas formæ non implebitur, & ita nullum erit Sacramentum: Tum quia ſicut porrectio alius inſtrumentorum, quę ſunt materia ordinis, ab Epiſcopo facta prærequiritur ad valorem huius Sacramenti; ergo & acceptio paſſiua corporalis, quæ fit mediante contactu, ad idem Sacramentum validandum exigetur. Tum quia *Gregor. IX.* in *Cap. Presbyter. de Sacram. non iterand.* Apoſtolica traditione tactum corporalem in ordinationibus neceſſarium eſſe adſtruit. Ita D.Thom. *in 4. diſt.24.qu.1.art.1. quæſtiunc.5. ad 3. Paludan.qu.1.art.1. Vgueri. cap.16.§.6. Valent. diſput.9.q.1.punct.5. Conink diſp.20. dub.7. num.70. Marchinus de ordin.tract.1.p.1. cap.16.num.5. Bonacina c. punct. 3. num.12. Fernand.p.3.c.11.§.6.*

Non eſt tamen ita hoc intelligendum, vt in ſacerdotio neceſſe ſit hoſtiam & vinum immediatè attingere, ſed ſufficit attingere Calicem, & Patenam: nam qui Calicem attingit, moraliter cenſetur attingere vinum in eo contentum, & qui attingit Patenam, cenſetur etiam attingere hoſtiam in ea contentam; quamuis tutius ſit attingere Patenam, & hoſtiam immediatè iuxta ritum Eccleſiæ, ne ordinandus periculo ſe exponat non recipiendi ordinem. Ita *Soto in 4. diſt.24.qu.1.art.2. Diana p.2. tractat.16. reſolut.3. & p.3.tract.4 reſolut.185. Nugnus in ſupplem.3 par.qu. 34. art.5.*

Ad tollendos tamen ſcrupulos qui in hac materia poſſent obtingere, nonnulli Doctores putant eſſe probabile, non eſſe neceſſarium, vt ordinandus, neceſſitate Sacramenti, tangat phyſicè materiam, ſed ſufficere, ſi extenſione manuum, vel alio ſigno ſenſibili æquipollente ſignificet, ſe talem materiam illi ab Epiſcopo oblatam acceptare.

Ratio huius ſententiæ eſt, quia traditio inſtrumentorum tantùm deſeruit ad determinandam poteſtatem, quæ datur. Sed ad hoc non requiritur contactus, ſed oſtenſio præſens cum ſigno acceptatiuo: quia non eſt eadem ratio quæ in Baptiſmo, Confirmatione, & Vnctione: non enim dicitur quis lauari, vel vngi, niſi aqua vel oleum attingat eius corpus. Ita *Albert. in 4.d.24. Henriq.lib.10.cap.10.lit.B. Vaſq.diſp.246. cap.2. num.19. & 20. Layman lib.5.tract.9.cap.5.num.4. Hurtado tract. de ordin. difficult.15. Diana c. Reginald. lib.30. numero K. & ſeq. Filliuc. tract.9.num.34.*

Quamuis hi omnes fateantur contactum materiæ eſſe de neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici; vnde ſi ordinandus, vel Epiſcopus ſcienter illum omittant, vterque lethaliter peccabit; quia eſſet tranſgreſſio in materia graui contra Pontificalium omnium Rubricam.

Sed petes, an talis contactus ita cum verborum prolatione ſimul eſſe debeat, vt ſi ſimul non ſit, nullum ſit Sacramentum? Reſponſio probabilis eſt, neq; ad ſubſtantiam huius Sacramenti, imò neque ad præceptum implendum, debere talem contactum ſimul eſſe in eodem inſtanti Mathematico cum prolatione verborum, ſed ſufficere, ſi ſimul ſit moraliter, vt eſt, ſine mora interpoſita; quia cum ſimultate morali ſubſiſtit ſignificatio Sacramentorum; ſiue ergo prolatio verborum, ante vel poſt contactum fiat, nihil refert. Vide *Henriq.lib.1.cap.9.nu.10. Layman lib.5.tract.2.cap.7.num.8. Victor.de baptiſm.num. vlt. Diana p.3.tr.4.reſ.6. & p.5.tr.5.reſ.40. & tr.13.reſ.48.* & infrà *v. Sacramentum 2.num.9.*

3. Materia remota ſacerdotalis ordinis, eſt Calix cum vino, & patena cum hoſtia; materia verò proxima, eſt traditio Calicis cum vino vitis, & patenæ cum hoſtia ex frumento; qua traditione ſecuta, ſi moriatur Epiſcopus antequam illa verba proferat; *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis*, &c. remanet quidem ſacerdos initiatus ordine ſacerdotali ad conſecrandum corpus, & ſanguinem Chriſti, quamuis his verbis prætermiſſis, imperfecta ſit ſacerdotalis poteſtas, cùm ſacerdos à peccatis nequeat abſolutionem impendere. Proinde duplex materia ſacerdotij aſſignatur; *Prima eſt*, traditio Calicis cum vino, & patenæ cum hoſtia, quæ eſt poteſtas offerendi ſacrificium, &c. *Secunda eſt*, impoſitio manuum vnà cum verbis; *Accipe Spiritum ſanctum*, &c. Vtraque autem eſt de eſſentia, quia confertur diſtincta poteſtas, vt dictum eſt.

Hinc ordinatio Sacerdotis conſtat duabus partialibus materijs ad perfectam ipſius ordinationem eſſentialiter requiſitis, & per vnamquamque confertur noua poteſtas ſupernaturalis.

Probatur autem hæc duplex poteſtas ex Euangelio, ex quo conſtat Chriſtum diuerſis temporibus has duas poteſtates Apoſtolis tradidiſſe; nam poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam in vltima cœna tradidit; poteſtatem autem remittendi peccata poſt Reſurrectionem, *Ioannis* 20. At, ſi poteſtatem remittendi peccata, accepiſſent in ipſa poteſtate offerendi ſacrificium, vt quid Chriſtus tam expreſſis verbis poſt Reſurrectionem de nouo illam eis contuliſſet, ſi anteà iam contulerat. Ergo etiam Epiſcopus diuerſis temporibus has poteſtates Sacerdotibus tribuit.

Deinde Concilium Tridentinum agens de Sacramento Extremæ-Vnctionis *ſeſſ.14.cap.13* definit, *Miniſtrum huius Sacramenti ſolum eſſe ſacerdotem ab Epiſcopo per impoſitionem manuum Presbyterij rite ordinatum.*

Quibus verbis declarat manuum impoſitionem eſſe partem eſſentialem ſacerdotalis conſecrationis. Ita *Scot. in 4.d.24.quæſt. vnic. Paludan.d.25 qu.1. Bellarm.de ord.lib.2.cap.9. Sylu.in ſupplem.3.par.qu.37.art.2.quæſt.4. Marchin.de ordin.tract.2.p.2. cap.5.*

pre-

propos.1.2.& 3.Vasq.tom.1.in 3.par. disput.239. cap.3.Fernand. p.3.cap.11.§.5. Filiuc.tract.9. num.42. Bonac. c.punct.3.num.3, Viguer.in inst.cap.16 §.6. Hurtad.tract.de ord.difficult.11.

Contra quosdam recentiores Theologos asserentes ordinationem Sacerdotis pertici in prolatione primæ formæ cum applicatione materiæ iuxta & impositione manuum cum verbis secundæ formæ, non esse de essentia, & substantia ordinis sacerdotalis, sed esse Sacramentalia adhibenda ratione præcepti. Vide *Valent.tom.4.d isp.9.q.1.punct.5.Negan.in suppl. 3.par. quæst.37. art.5. Diana p.3.tr.4.resol.187.*

Sed quid faciendum si quis solo pane, & Calice vacuo ex obliuione initiaretur, an talis ordinatio esset nulla, & repetenda? Respond. *Henriq.lib 10. cap.10.num.1. Diana p.3.tract.4.resolut. 186. Bonac.c.punct.3.num.3. Homobon.tr.4.c.9.q.75.*

Probabile esse conferri ordinem sacerdotalem, nec esse necessariò iterandum: Ratio est, quia potestas conficiendi vtramque speciem non traditur diuisim, vnde qui potest vnam speciem consecrare, potest & aliam, cùm Christi corpus coniunctum sit cum sanguine, & è contra

Verùm cùm hoc sit tantùm probabile, & non certum, tutius foret repetendam ordinationem sub conditione, si non es ordinatus; & hoc ad vitandum spirituale fidelium detrimentum: quia si ille Clericus sic ordinatus non esset coram Deo verus sacerdos, neque verè Corpus Christi conficeret, neque peccata verè absolueret: ergo præceptum charitatis erga proximum sequi partem tutiorem tunc obligabit; vt bene aduertunt *Turr.in select.p.1.disput.21 dub.2. Tamer.tom.4.disp.74.2.dub.4. n.19. Diana p.4.tr.4.resol.119. March.de ord.tr.2 p.8.c.5.prop.2.n.4.*

4. Materia Diaconatus. Liber Euangeliorum cum impositione manus: vnde verior est sententia illorum qui in hac ordinatione Diaconi agnoscunt duas partiales materias, & duas partiales formas; quæ ambæ simul iunctæ constituunt vnum integrum Sacramentum diaconalis ordinationis. *Bellarm.de ord.lib. 1.c.9. Victoria de Sacr.n.227. Sylu.in suppl.3.p.q.37.art.2. quæst. 3. Laym.lib.5.tr.9.c.5 n.2. Marchin.c.p.7.c.2. Henriq.lib.10.c.8. n.3. Diana p.3.ar.4 resol.188.*

Nam de impositione manus, non videtur dubitari posse, cùm ex Scripturis non alia materia colligatur. De traditione autem libri Euangeliorũ est Concilium Florentinum, assignans illum pro materia. Ergo vtraque erit de essentia Diaconatus.

Nec refert, quòd initio Ecclesiæ Diaconi fuerint ordinati per solam manus impositionem, cùm Euangelia nondum erant scripta; hoc diuina dispensatione factum, probant Doctores, vt ad exhibitionem principalis partis materiæ, tota Diaconalis ordinis potestas conferretur.

Materia Ordinis Subdiaconatus est traditio Calicis vacui, & patenæ vacuæ: vt definitum est in tribus Conciliis, Carthaginiensi IV. *cap.4.* Toletano *canon.27.* & in Concilio Florentino *sub Eugenio IV. in Decreto fidei, post vltimam sessionem.*

Sed dubium est inter Catholicos, an traditio libri Epistolarum sit partialis materia huius ordinis?

Quidam enim nasilomani; quia per vtramque traditionem & per verba vtrique correspondentia denotatur, & traditur potestas ad duas actiones, quæ sunt propriæ Subdiaconi, nempe ad ministrandum Sacerdoti vasa Corporis, & Sanguinis Christi, & ad legendum Epistolas publicè cum manipulo. Ergo negari nequit, vtramque traditionem, & verba vtrique correspondentia, ad ordinationem Subdiaconi pertinere tanquam materiam, & formam Ita *Filliuc.c.n.45. Fornar de ordinib.c.2. Tan.disp.7.qu. 2.dub.3. Med l.1.de comm cap.44.* Et hanc sententiam amplectuntur ordinariè examinatores.

Nihilominus negatiua sententia à pluribus satis probabiliter sustinetur; quia in prædictis Conciliis de libro Epistolarum, seu de potestate legendi solemniter Epistolas, nulla fit mentio: Quod confirmatur ex eo quòd ab exordio nascentis Ecclesiæ liber Epistolarum noui testamenti non extaret; cùm Epistolæ Pauli, & aliorum Apostolorum successiuè post Ecclesiæ primordia conscriptæ fuerint Ita *Sylu.c.qu.37.art.2. quæst.3 Layman c.cap.5. n.3. Comit.disp.20.n.69. Vasqu.disp.238.c.5. Valent.disp.9. qu.1. punct.5. Diana p.3.tr.4.ref.189.*

Materia *Acolythatus* remota duplex est, nempe candelabrum cum cereo extincto, & vrceolus vacuus: proxima est porrectio horum instrumentorum, quæ in hoc ordine duplicantur, ad significandum duplicem potestatem: Per traditionem enim primi instrumenti recipit potestatem deferendi: Secundi verò potestatem ministrandi propinquiùs ad Altare.

Vtriusque autem materiæ meminit Concilium Carthaginiense IV. *Canone 6* Ita *Viguer.in instit.cap.16 §.6. Vasq.disput.237. num.35. Marchin.tr.2.par.5.c.2. Hurtad.tr.de ord.d.ffic.14. Tanner.disp.7.q.2.dub.3.*

Materia remota ordinis *Exorcistatus*, liber est exorcismorum, proxima, traditio eiusdem libri: meminit huius materiæ Concilium Carthaginiense IV. *Canone 7.* Romanum Pontificale, nec non Romanus Catechismus.

Lectoratus materia remota est liber continens prophetias veteres, & noui Testamenti: proxima est traditio eiusdem libri.

Materia *Ostiariatus* sunt claues Ecclesiæ. Cymbalum autem quod etiam ordinando in receptione huius ordinis porrigitur, vel non est materia ostiariatus, sed sola quædam cæremonia, significans munus esse Ostiarij, etiam campanas pulsare: vel illud erit materia minùs principalis.

Et quamuis de huiusmodi materijs nihil habeatur in scriptura, sufficit tamen traditio Apostolorum, quæ colligitur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine, & vsu: nec non ex communi Theologorum sententia.

5. Forma Sacramenti ordinis sunt verba, quæ ab Episcopo proferuntur imperatiuo modo cum expressione potestatis, quæ confertur: adhibetur autem forma huius Sacramenti modo imperatiuo, vt ostendatur ordinatum debere fungi munere susceptione videatur illud inutiliter suscepisse.

Et quidem de essentia formę sunt omnia illa verba quibus potestas exprimitur; prout habetur in Pontificali, & docent D. Th. *in supplem.qu.34.art.4. Vasqu. disp.240.cap.5.num.58. Henriques l.10. cap.5. lit.B.*

Notandum verò est, Episcopum, qui profert formam, debere etiam exhibere materiam tangendam: *Suar.tom.5.disp.42. sect. 3.num.12. Bonac.de ordin.punct.3.num.16. Marchinus de ordine tr.1.p.1.c.16.n.16.*

Licet valida esset ordinatio, quando plures initiantur ordine Sacerdotali, si Episcopus prolata semel vnica forma in plurali præbeat materiam pluribus successiuè tangendam, non repetita forma; licet notabile tempus aut spatium, puta etiam quartæ horæ dimidium, inter illorum contactum, & verborum prolationem elabatur; tamen moraliter esse simul censentur, dummodò continuatione quadam talis contactus perагatur. Et ita, hanc ordinationem esse validam, declaratum fuit Romæ in quadam Cõgregatione, teste *Forn.de Sacr.Ord. apud Tolet.c.2.n.5.*

6. Sacerdotis officium est, conficere Sacramentum Eucharistiæ, administrare Sacramenta excepta confirmatione & ordine, prædicare verbum Dei, & populum benedicere; *Sylua in supplem.3.par.qu.37.art.2, quæst.2.3.& 5. Vasq.disp.236.cap.10. Regin.l.30.cap.3.num.1,& seq. Henriq.l.10.cap.8.& 9. Bonac. de Sacr.punct.3.n.17. Valen.tom.4.disp.9 q.1 punc.3. Marchi.de ord. t.2.p.2.3.4.5.6.7.& 8. Fil.t.9.c.2. Hurt.t.de ord.diffic.11.& seq.*

Hic tamen cauendum est ab errore sectariorum dicentium, munus prædicandi ita Sacerdoti esse proprium, vt qui concionibus habendis aptus non sit, minimè verus sit Sacerdos: quorum delirium, ex indelebili Sacerdotis charactere, ex Sacerdotis etymologia, ex munere concionandi etiam solis Diaconis concesso, ex Ecclesiæ vsu, & antiqua traditione satis reprobatur.

Ad Diaconum pertinet publicè, & cum stola Euangelium legere in Ecclesia, assistere Sacerdoti sacrificanti, eique panem, & vinum à Subdiacono accepta porrigere, vel Altari imponere, Sacerdoti subseruire in Sacramentis administrandis.

Olim præcipuum Diaconi ministerium erat Eucharistiam fidelibus dispensare, quo munere fungebantur illi septem Diaconi ab Apostolis electi *Actor.*2. Sed hæc potestas ob aliqua incõmoda inde secuta à Niczeno Concilio Diaconis abrogata fuit. In necessitate tamen, non est illis sublata facultas deferendi infirmis Eucharistiã, abiente Presbytero, illamque morte vrgente pro viatico suppeditare.

Quinimo si adsit Sacerdos, qui infirmo animam agenti sacram synaxim ministrare nollet, sed illum deferret; tunc absque alia illius licentia, & ipso etiam inuito, liceret Diacono viaticum illi dispensare; vt diximus suprà *v. Eucharistia 2. num. 4.* post Doctores ibi citatos.

A fortiori potest Diaconus deferre pyxidem in qua corpus Dominicum repositum sit, ab vno Altari ad aliud, vel ab vno loco ad alium: quia Diaconus iure diuino habet potestatem super Corpus Christi contentum in vasis sacris, vt docet D. Thomas *3. par qu.82.art.3.ad 1.*

Propterea olim Diaconi ministerium erat Sãguinem Christi populo sub vtraque specie communicanti propinare. Item in

neceſſitate poteſt Diaconus etiam ſolemniter baptizare in abſentia Epiſcopi, & Presbyteri: quamuis nunc ob ſacerdotum numerum vſus iſte in Eccleſia Dei fuit ſublatus.

Porrò officium Diaconi eſt, in doctrinæ & prædicationis officio aſſiſtere Epiſcopo, vel Presbytero: quamuis ad ipſum non pertineat prædicare ex cathedra, ſed ſolùm recitare Euãgelium, & ipſum, aut fidei articulos, catechiſmi formã exponere, niſi ob neceſſitatem aliud ei permittatur.

Subdiacono competit aquam ad miniſterium Altaris præparare, Diacono miniſtrare, Pallas Altaris, & corporalis abluere, Calicem, & Paténam in vſum ſacrificij eidem offerre, Panem conſecrandum pro populo in Altari ponere, Crucem in ſupplicationibus geſtare, Epiſtolam in ſolemni Miſſa cum proprijs ornamentis illius ordinis canere.

Acolyti officium eſt porrigere Subdiacono vrceolos cum vino, & aqua, præparare lumina ad ſacrificium, & transferre cereum accenſum ad Altare.

Ad Exorciſtam pertinet imponere manus ſuper energumenos, illisque exorciſmos legere ad fugandos dæmones; & id non ſolùm corporaliter, ſed & ſpiritualiter Catechumenos obſidentes, ante ipſam Baptiſmi ſuſceptionem.

Lectoris eſt legere Prophetias, & Scripturas in Eccleſia.

Porrò ad Oſtiarium pertinet claudere, aperire, & cuſtodire Eccleſiam, admittendo dignos ad ſacra & excludendo indignos. Sed plura de his officijs apud Doctores hic citatos.

ORDO III.

De Miniſtro, & ſubiecto Sacramenti Ordinis.

SVMMARIVM.

1. *Ordinarius miniſter huius ſacramenti, ſolus eſt Epiſcopus, quamuis excommunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus.*
An Angelus, & diabolus poſſint eſſe miniſtri huius ſacramenti.
An Cardinales presbyteri, Abbates, poſſint conferre primam tonſuram & Minores ordines. Et quid poſſint quidam Abbates circa Subdiaconatum, Diaconatum ex priuilegijs.
An conſecratio Epiſcopi debeat à tribus Epiſcopis fieri, vel ab vno tantum.
2. *An Epiſcopus poſſit ſubditis alterius, ſine licentia proprij Epiſcopi, ordines vel primam tonſuram conferre.*
Et quis ſit dicendus proprius Epiſcopus originis, domicilij vel beneficij.
3. *Epiſcopus electus & confirmatus, licet non conſecratus poteſt litteras dimiſſorias dare ſubditis, vt ab alieno Epiſcopo ordinentur.*
Capitulum Sede Vacante non poteſt dare dimiſſorias niſi in certis caſibus.
4. *Ordinatus ab alieno Epiſcopo ſine literis dimiſſorijs, remanet ſuſpenſus ab executione ordinis ſuſcepti. An conferens primam tonſuram non ſubdito, ſine literis dimiſſorijs, ſuſpenſionem incurrat?* refertur duplex ſententia.
An liceat Epiſcopo ordinare non ſuum, ſub ſpe ratihabitionis.
Vltramontani non poſſunt in Italia ordinari, niſi illorum litera dimiſſoria à Nuncijs Apoſtol. examinentur. Ex conſtitut. Vrbani VIII. in hac tamen conſtit. non comprehenduntur Regulares.
Prælati regulares an poſſint ſuis ſubditis dare dimiſſorias, vt à quolibet Epiſcopo ordinentur.
Si regularis ordinetur ſine literis dimiſſorijs ſui Prælati, an in aliquas pœnas incidat.
Quæ iuris, ſi regularis laicus aſcendat ad Clericatum extra obedientiam Prælatorum ordinis.
An litera dimiſſoria expirent per mortem concedentis.
5. *Qui iure diuino ſint inhabiles ad ordines.*
6. *Qui iure naturæ non ſint apti ad miniſtrandum in ordinib. ſuſceptis.*
7. *Requiſita iure Eccleſiaſtico, vt ritè & canonicè quis ad ordines promoueatur.*
8. *An pœnam ſuſpenſionis incurrat ille, qui promouetur ad ſacras ordines ſine titulo vel patrimonio, nulla præmiſſa petitione cum ille perſonæ?* refertur duplex ſententia.

1. ORdinarius huius Sacramenti miniſter, ſolus Epiſcopus eſt, & quidem proprius, vt patet ex *Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 4. & can. 7.* & docent D. Thom. *in ſuppleme. 3. par. quæſt. 38. art. 1. Sylu. ibi. Archinus de ord. trac. 1. p. 2. cap. 1. & 2.* & alij communiter.

Contra hæreticos noſtri temporis, qui volunt poteſtatem conferendi ordines eſſe in tota multitudine fidelium, & Clero. Et ratio eſt, quia ſolus Epiſcopus eſt Chriſtianæ Reipubl. præfectus & ſacrorum Princeps. Ad ſolum verò Principem, & præfectum pertinet officia, & miniſteria diſtribuere: ergo.

Et cùm hæc poteſtas fundetur in chatactere Epiſcopali, qui indelebilis eſt, ideò illam non amittunt Epiſcopi licet ſint excommunicati, vel interdicti, vel ſuſpenſi, aut priuati Epiſcopatu, & validè hoc Sacramentum conferunt, ſi ritè adhibeant materiam, & formam eius, & cætera requiſita: quamuis ſuam poteſtatem illicitè exercerant in excommunicatione, ſuſpenſione, &c. & ordinatus ab excommunicato vitando incurrat ſuſpenſionem; vt habetur in *cap. 1. & 2. de Schiſmaticis*, & docent *Sot. 4. diſt. 25. qu. 1. art. 1. Henriq. lib. 10. c. ca. 21. Vaſqu. diſp. 243. cap. 1.* ex communi.

Quamuis Angelus ordinarius Sacramentorum miniſter eſſe non poſſit; quia ad Sacramenti eſſentiam, ſicut exigitur verum & naturale elementum, ita etiam verum & naturale verbum ſenſibile: atqui Angelus, etiam aſſumpto corpore, non dicitur propriè loqui, cùm eius locutio non ſit vitalis: Nihilominus diuina diſpenſatione, & extraordinaria Dei lege poſſet Angelus Ordines conferre, ſicut contigit *S. Amphilochio*, qui fuit ab Angelis ordinatus Iconij Epiſcopus: quę ordinatio ab Epiſcopis illius Prouinciæ fuit approbata. Ita D. Thom 3. *par. qu. 64. art. 7. Sylu. ibi. Marchinus de ord. tr. 1. p. 2. cap. 7.* quia Deus potentiam ſuam non alligauit miniſtris.

Si quis tamen ordinaretur à Diabolo, nulla foret talis Ordinatio; quia illi nec per ſe ordinandi poteſtas competit, neq; eam ex diuina diſpenſatione habere præſumendum eſt.

Ex facultate Summi Pontificis ordines minores conferri poſſunt à Cardinalibus Presbyteris; imò & à quolibet ſimplici Sacerdote: nulla enim afferri poteſt ſufficiens ratio, cur hoc à Sede Apoſtolica concedi nequeat. Ita *Victoria num. 234. Valent. diſput. 9. qu. 3. p. 1. Comit. diſput. 20. dub. 9. num. 77.* & alij communiter.

Item Abbates Presbyteri, ius mitræ & baculi habentes, benedicti ab Epiſcopis, poſſunt conferre primam tonſuram, & ordines minores ſuis ſubditis regularibus, vt habetur in Cap. *quoniam, diſt. 69. cap. cùm contingat, de ætate & qualit. C. Abbates, de priuileg. in 6.* in Concil. Trident. *ſeſſ. 23. cap. 10. de reformat.* & diximus *v. Abbas num. 6.* vbi adnotauimus ex declaratione Cardinalium apud *Quarant. v. Ordo §. Abbatibus. Sorbum v. Ordines ſacri num. 5. Suar. to. 4. de relig. trac. 8. l. 2. cap. 29. num. 20. Vaſqu. diſp. 243. num. 33. Tambur. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 2. quæſt. 7. Caram. in reg. S. Bened. nu. 1633. Marchinus de ord. tr. 1. p. 2. c. 10. Dianam p. 5. tract. 13. reſol. 93. Præpoſitum 3. par. q. vnic. de ord. dub. 13. num. 127.* & alios ab ipſis citatos, etiam poſſe Abbates tonſuram, & ordines minores ſæcularibus Epiſcopi iuriſdictioni ſubiectis conferre, dummodò ipſius Epiſcopi conſenſus acceſſerit, & ab eo quiſque dimiſſoriales literas impetrauerit; ita tamen vt non ſufficiat id generatim Epiſcopum conceſſiſſe; ſed hæc conceſſio ſemper ſingulis ordinandis ſit neceſſaria.

Similiter declarauit Sacra Congregat. poſſe ſupradictos Abbates conferre prædictos ordines alijs Regularibus, qui dimiſſorias literas ſpeciales ſuorum Superiorum habuerint, nec non ſpecialem aſſenſum Epiſcopi loci illius, in quo huiuſmodi ordines ſunt conferendi: ideò in pacifica poſſeſſione adhuc perſeuerant plerique Abbates conferendi Ordines minores, tam Clericis ſæcularibus, quàm regularibus, modo prædicto, vt aſſerit *Tamburin.* citat.

Porrò Abbates, qui prædictos Ordines conferre poſſunt, id etiam validè efficiunt, etiamſi excommunicati, hæretici, ſuſpenſi & interdicti ſint; tales enim validè Sacramenta adminiſtrant, iuxta dicenda *verb. Sacramentum I I I. num. 6.* Licet ſic facientes irregularitatem incurrant, propterea quòd actum Ordinis, qualis eſt ordinare, tempore cenſuræ exercuerint, iuxta dicta ſupra *verb. Irregularitas I X.* Similiter, ſi prædicti fuerint notorij, ſeu vitandi, qui recipiunt tales ordines ab ipſis.

os, suspenduntur ab illorum executione. Cap.1. & 2. *de schismatic.*

Locus autem, in quo tales ordines conferre possunt Abbates, est proprium Monasterium tantum. Ita enim habetur ex Cap. *quoniam, dist.69 & cap. cum contingat, de etate, & qualit.* Si tamen Abbas rogetur à Prælato alterius Monasterij exempti, potest etiam ibi tales Ordines suis subditis Regularibus conferre. *Lezana tom.4. sum. v. Ordines sacri, numero* 8. qui citat *Sanchez.*

Sed dubium est, an Abbates possint ordinare suos Nouitios, ante professionem? Sayr. *de censur. l.4. cap.13. num.5. Rodriques tom.3. qq.reg. qu.23. art.2. Miranda tom.1. qu* 38. *art.9. conclus.2. Vecchius trac. de Nouit. disput.11. dub.8. num.4. Marchin. de ord. tr.1. p.2. cap.10. num.10. Tamburin. tom.2. disp.2. quæst.10 num.3.* Responsio communis est negatiua. Ratio est manifesta ex textu Tridentini, requirente in ordinando ab Abbate, quòd sit Regularis, & subditus Abbati ordinanti. Cum ergo Nouitius non possit strictè appellari regularis, neque absolutè & plenè subditus sit Prælato Regulari quoad ordines recipiendos, sed solùm quoad munus probationis, vnde non possunt Prælati regulares Nouitios suis dimissorias concedere, quia non adhuc perfectè subiacent iurisdictioni Prælatorum Regularium; sed hoc munus spectat ad Episcopum loci Nouitiatus. Nec obstat Priuilegium *Iulij II.* relatum à *Suar. tom.4. de rel. g. trac.8. l.2. cap.29. num.12.* cuius vigore poterant olim Abbates perpetui Cisterciensis clericali charactere insignire etiam Nouitios: quia cùm Nouitij non sint in hoc subditi Superiori religionis, tale priuilegium à Tridentino est sublatum; vt clarè constat ex verbis illis: *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs, &c.*

Quæres tamen, si Nouitius ordinandus sit, à quonam Episcopo ordinari debeat? vtrum ab illo, in cuius Diœcesi exiuit Monasterium probationis, an verò ab Episcopo in cuius Diœcesi commorabatur Nouitius, antequam Nouitiatum ingrederetur?

Quidam tenent hoc spectare ad Episcopum in cuius Diœcesi reperitur Nouitius in probatione. Alij putant pertinere ad Episcopum, in cuius Diœcesi Nouitius domicilium habebat, quando ingressus est Religionem, & vtramque sententiam existimat probabilem nolter Vecchis *disp.11. dub.8. num.2.* Tamen probabilior est prima sententia. Ratio est, quia Nouitius ex parte sua animum perpetuò habitandi habet, quo quidem animo affecti omnes ingrediuntur, quamuis in Nouitiatu sint ad experiendam Religionis austeritatem, & si ferre non potuerint, liberum sit egredi.

Tum quia dedicatio Nouitij pura est, & non conditionalis, quamuis mutabilis, & resoluenda in euentum conditionis, si Religio non placuerit; ergo per hanc Nouitij dedicationem acquiritur domicilium. Ita *Barbosa de iur. Eccl. l.1. cap.33. numero 65. Sanch. l.6. moral. cap* 10. *num.21.* & alij ab ipsis citati: quibus adde *Lezanam to.1. cap.24. num.6.* Vide infra de eadem *qu. verb. Religio III. num.14.*

Sacri verò ordines, iuxta communem Theologorum sententiam, non videntur posse à simplici Sacerdote etiam de consensu Papæ, vel ab alio quàm ab Episcopo conferri. Tum quia iure diuino videtur determinatus Sacri ordinis minister: tum quia Concil. Trident. statuit, ne Abbates conferant minores ordines alijs quàm suis Monachis, significando non debere conferre Sacros ordines, etiam sibi ipsis. Ita D. Thom. in 4. d.25. qu.1. *art.1. ad 3. Bellarm. de or. l.c.7. Conar. l.1. var. cap.10. num.10. Rodr. in sum. p.2. c.13. n.4.* & alij.

Verùm si fides adhibenda sit priuilegio ab *Innocentio VIII.* concesso *Ioanni* Abbati Cisterti j consecrandi, & ordinandi suos Monachos Subdiaconos, & Diaconos: aliter esset dicendum; vide *Tamburin. tom.2. disp.2. quæst.5. & 6. Marchin. c p.2. cap.13. Lezana tom.2. sum. cap.2. num.* 37. docet hoc priuilegium esse reuocatum à Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.12. de reformat.* Quatenus statuit, vt neque Regulares sine diligenti examine Episcoporum ordinentur, derogando priuilegia omnia contraria. In quo loco, duo videntur statui, primum est, quòd Regulares debent Sacris Ordinibus ab Episcopo initiari.

Alterum est, quòd id debent facere præmissa diligenti examinatione, quod videtur contrarium esse priuilegio concesso alicui Abbati, ad ordinandos suos subditos Sacris ordinibus.

Nec obstat quod dicto priuilegio modo dicti Abbates vtantur. Respondet Rodriques, quòd ideò forte illo vti sunt modò, quia in partibus, vbi eorum sunt Monasteria, non sunt recepta decreta Concilij: non enim in tota Gallia fuerunt recepta.

Apud omnes Catholicos certum est, ex decreto, & constitutione Ecclesiæ in Cap. *cum prouinciales, dist.74* & in Cap. *Ordinationes, dist.64.* ordinationem Episcopi, non posse nisi à tribus Episcopis fieri: An autem consecratio ab vno solo facta extra Pontificis dispensationem sit valida, non conueniunt Doctores, alijs negantibus, alijs affirmantibus: Sed tu tene negatiuam, quam docent *Glossa, Bellarmin, Vasqu. Marchin. tract.12. num.4. Conink & Hurtado de ordin. disput.*19 quos consule.

2. Episcopus non potest subditis alterius sine licentia proprij Episcopi, ordines vel primam tonsuram conferre: quia ordinandus a solo tuo Episcopo, cui subijcetur, debet ordines recipere, & non ab alio. *C. eos qui, & C. cum nullus, de tempor. ordinat. in 6.* Proinde nec Archiepiscopus subditos sui suffraganei, sine eiusdem licentia, tam intra, quam extra eiusdem Diœcesim licitè potest ordinare. *Cap falno, 9. q.3.*

Ille autem appellatur proprius Episcopus, qui est Episcopus *originis*, vel *domicilij*, vel *beneficij*. Cap. *Rodulph. de rescriptis. Sanch. de matrim. l.3. disput.*23. *num.* 3. Episcopus originis est, Episcopus loci, in cuius Diœcesi natus est, is qui ordinandus est, & in quo parentes habent domicilium, non autem dum parentes ibi essent causa itineris vel negotij: hinc mulier prægnans, si extra Diœcesim suum filium parit, filius alibi natus originem ibi traxit, vbi parentes domicilium habebant.

Difficultas est, an etiam dicatur Episcopus originis, in cuius Diœcesi natus est pater Clerici ordinandi? Respondeo, originem Patris sufficere, vt filius etiam alibi semper commoratus, possit ab Episcopo, cui pater erat subditus, ad ordines assumi. Ita *Barbosa de potestat. Episcop. p.2. allegat.4. num.7. Bonacin. de Sacrament. disp.8. qu.vnic. p.4. num.*13. *Molfesius in sum. tract.2. cap.2. num.7. Dian. p.4 tract.4. resol.*143. *Marchin. de ord. tract. 1. p.5. cap.6. num.6.* Et ideò Sacra Congregatio Concilij *die* 16. *Decembr.* 1599. & 12. *Augusti.* 1628. & 7 *Aprilis* 1629. declarauit, quod quis ordinari potest ab Episcopo originis paternæ, tametsi pater tempore natiuitatis illius filij ad aliam Diœcesim iam transtulerat domicilium.

Episcopus *domicilij*, dicitur Episcopus loci in quo quis habitat, vel incipit habitare cum animo ibi semper manendi. Quid autem requiratur ad domicilium, vide supra *v. Domicilium*, & *Confessarius 1. num. 12. & seq.* Obserua tamen Episcopum ratione domicilij tantummodo posse aliquem prima tonsura, vel minoribus Ordinibus initiare; non verò alijs Ordinibus, vbi Episcopus Originis eundem ordinasset, ad titulum beneficij requirentis residentiam, vel ad titulum patrimonij pro necessitate, & vtilitate suæ Ecclesiæ, tunc enim, etti dictus Clericus domicilium ad alium Episcopatum transferret, non posset ab eo Episcopo ratione domicilij contracti promoueri ad Diaconatum, & Presbyteratum; quia tunc remitti debet ad priorem Episcopum, vt inseruiat Ecclesiæ, cui priùs fuit adscriptus, ex Concil. Trident. *sess.*23. *de reformat. cap.*16. & docent *Quaranta in sum. Bullar v. Ordo, vers. Circa tertium. Marchin. tract.1. p.5. cap.7. num.*14. qui bene etiam adnotat ex *Barbosa de potest. Episc. allegat.4. num.*32. Barones, siue feudatarios, posse ad ordines ab eo Episcopo promoueri, in cuius Diœcesi obtinent feudum, etiamsi ibi non habitent, & alibi domicilium retineant; idem dicendum de eorum filijs.

Episcopus beneficij est Episcopus loci, in quo quis habet beneficium præsertim residentiale, quamuis tenue, licet fortè non resideat ex dispensatione: dixi *præsertim residentiale* vt volunt *Abbas, Angelus*, & alij.

Verùm communis sententia Doctorum ex textu, Cap. *cùm nullus, de tempor Ordinationum in 6.* est, non requiri, quòd tale beneficium residentiam habeat annexam: quia illud Cap. generaliter loquitur de quocumque beneficio absolutè accepto, ratione cuius potest quis ordinari.

Proinde si quis duo diuersa beneficia, sub diuersis Episcopatibus locata haberet; à quolibet ipsorum Episcoporum liceret ordines recipere: quia vtriusque est subditus, non secus ac qui sub diuersis Parochijs æquè habitaret, posset à singulis Parochis Sacramenta recipere. Vide *Garzias de benefic. par.2. capu.4. num.9. & 15.*

Quaranta verb. Ordo vers. Circa secundum: Henriqu. lib. 10. *capitulo* 22. §.1.

Barbosa de potestat. Episcopor. allegat.4. numero 46. *Rubeus v. Ordo, numero* 7. *Dian. p.4. tract.4. resolut.* 51. & *p.6. tractat.8. resolut.24.*

3. Episcopus non solùm potest per seipsum ordines conferre, verùm etiam potest alteri Episcopo dare facultatem conferendi

tendi ordines ſuis ſubditis, concedendo literas dimiſſorias, & commendatitias: dummodo ſit electus & confirmatus, quamuis nondum conſecratus; quia ea, quæ ſunt iuriſdictionis, poſſunt etiam ab Epiſcopo non conſecrato exerceri. Ita Concil. Trid. *ſeſſ.*23.*c.*8.& 10

Capitulum, Sede Vacante, non poteſt dimiſſorias concedere intra annum à morte Epiſcopi, vt ſtatuit Tridentinum; quòd ſi ſecus fecerit. Eccleſiaſtico interdicto punitur, & ſic ordinati, ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo priuilegio Clericali, præſertim in criminalibus, gaudent: ſecutâ tamen prius deſuper Iudicis Eccleſiaſtici declaratione: vt nouiſſimè declarauit Vrbanus VIII. in conſtitut. aduerſus malè promotos, die 11. Decembris 1624. quæ incipit, *Secretis æternæ prouidentiæ*. In maioribus verò ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati ſunt ipſo iure ſuſpenſi.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus poteſt Capitulum Sede Vacante dimiſſorias concedere. *Primus* eſt, quando Epiſcopatus vacauit per annum. *Secundus*, quando quis eſt ita arctatus vt perderet beneficium receptum, vel recipiendum ſi tunc temporis non promoueretur ad ordines. Imò poſſet Capitulum, Sede Vacante intra annum literas teſtimoniales de vita, & moribus ordinandi tradere, vbi quis per Pontificium diploma impetraſſet ab alieno Epiſcopo, extra ſuam diœcelim ordinari. Hæc ex Tridentino locis his citatis.

4. Qui ordines accepit ab alieno Epiſcopo abſque Summi Pontificis auctoritate, vel abſque literis dimiſſorijs ſui Ordinarij, incapax eſt beneficij, remanet ſuſpenſus, caret priuilegio ordinis, & ordinatio eſt irrita, non quoad ſubſtantiam, ſed quoad executionem ordinis: Concil. Trident *ſeſſ.*6.*cap.*5.& *ſeſſ.*23.*ca.*8.*de reformat.* Hæc tamen ſuſpenſio nunc poteſt ab Epiſcopo auferri, modò delictum ſit occultum, ex conceſſione eiuſdem Tridentini *ſeſſ.*24.*cap.*6. quæ à Sixto V. fuerat Romano Pontifici reſeruata, in quadam Conſtitutione incipiente, *Sanctum & ſalutare*. Sed cum moderatus eſt *Clemens VIII.* per aliam Bullam quæ incipit: *Romanum Pontificem decet*, & ad ius Tridentini, & *Pij II.* redacta eſt præcedens Sixtina, Et quia *Pius II.* vtitur verbo *Præſumpſerit*, quod magnam ſignificat temeritatem; ideò comprehendit ſolùm eos, qui data opera, aut cùm ignorantia affectata ab alieno Epiſcopo Ordines recipiunt. Vnde ab hac ſuſpenſione excuſat ignorantia, etiam vincibilis, dummodo non ſit affectata: pœna enim non imponitur, niſi propter culpam, ſed ignorantia excuſat à culpa; ergo & à pœna. Ita *Nauar. in Man.c.*27.*n.*254. *Tolet.l.*1.*ſum.c.*48.

Sed difficultas eſt, an conferens primam tonſuram non ſibi ſubdito, ſuſpenſionem incurrat? *Tolet.l.*1.*cap.*49.*num.*4. *Zerola p.*1.*prax.v. Dimiſſoriæ. Molfeſ.tract.*2.*cap.*2.*num.*15. & alij negant; tum quia hæc ſuſpenſio eſt à Trident. lata contra ordinantes non ſuum, ſed prima tonſura non eſt ordo: ergo. Tum quia in pœnalibus non eſt facienda extenſio ab vno caſu ad aliũ. Sed in contrariam ſententiam, & meritò tranſierunt. *Rebuff.de litteris dimiſſ.num.*5. *Leſſ.l.*2.*cap.*44.*dub.*19.*num.*91. *Bonac.de Sacram.diſp.*8.*qu.*4.*p.*4.*num.*26. *Azor.p.*2.*l.*3.*cap.*49.*q.*4. *Diana p.*3.*tract.*4.*reſol.*194. Tum quia hic caſus habetur expreſsè *Cap. finali, de tempor.ordinat.in* 6. Tum quia Tridentinum eſt interpretandum iuxta regulas Sacrorum Canonum, & modum loquendi eorum: ſed in iure Canonico ſub nomine Ordinis etiam prima tonſura comprehenditur. Cap. *Cùm contingat, de ætate, & qualitate*. Ergo.

Maius dubium eſt, an liceat Epiſcopo ordinare non ſuum ſub ſpe ratihabitionis? Reſpond. quod ratione bonæ fidei, in foro conſcientiæ poſt factum excuſarentur, tam ordinans, quàm ordinatus *cap. Lugdunenſis*, 9 *quæſt.*2. Ratihabitio enim retrotrahitur, & mandato comparatur, *Regula iuris* 10. *in* 6. Deinde ad incurrendam hanc ſuſpenſionem requiritur præſumptio, quam excuſat bona fides, ſaltem in foro interno: & ideò licitam eſſe hanc ordinationem ſub ſpe ratihabitionis, ſuſtinent *Suar. de cenſur.diſp.*31.*ſect.*1. *num.*17. *Molfeſ.trac.*2. *cap.*2. *numer.*14. *Fornar.de ord.cap.*5.*num.*4. *Marchin.de ord.tr.*1.*par.*5. *cap.*11. *Diana p.*3.*tr.*4.*reſol.*191.

Quamuis ante factum non tam facilè id permittatur, nam in ijs quæ ſunt contra ius & tangunt alterius iuriſdictionem, non eſt facilè præſumenda ratihabitio: cùm aliàs conſenſus proprij Prælati per literas haberi poſſit. *Quarana v.Ordo. Bonac.c.*qu. 4.*num.*28.

Porrò duo ſtatuit nouiſſimè Vrbanus Octauus in conſtitutione ſua, *Secretis æterna*, primum quoad Vltramontanos, ne ſcilicet ab vllo Epiſcopo, in Italia exiſtente, vllum ordinem, tam maiorem, quàm minorem, imò neque ad primam tonſuram promoueri poſſint, etiamſi habeant literas ſuorum Prælatorum dimiſſorias, niſi illæ eædem a Nuncijs Apoſtolicis, vel à Collectore in illis partibus commorante, deinde à Vicario Papæ in alma Vrbe in ſpiritualibus Generali examinatæ, & probatæ fuerint: aliter ordinantibus per annum ab exercitio Pontificalium: ordinatis verò ſuſpenſionis pœnam perpetuam indiſpenſabilem imponit.

Quoad Italos verò ordinatos ad primam tonſuram, vel ad alium Ordinem maiorem, vel minorem cum falſis dimiſſorijs, priuat priuilegio fori, & ſæculari poteſtati, ſecuta Iudicis declaratione, eoſdem ſubmittit.

Regulares Vltramontani non comprehenduntur ſub hoc decreto, tum quia in illo nulla fit Regularium mentio, tum quia conceſſio dimiſſoriarum quoad Regulares, non pertinet ad Epiſcopum ſub cuius diœceſi morantur, ſed pertinet ad Generalem vel Prouincialem illius Ordinis. Proinde Regulares Vltramontani habentes dimiſſorias à ſuis Prælatis, à quocumque Epiſcopo Italo ordinari poterunt.

Prælati Regulares ex declaratione Sacræ Congregat. Cardinalium apud *Quarana ver. Ordo in fine. Diana p.*2. *tract.* 16. *reſolut.*13.*p.*3.*tractat.*2.*reſolut.*7.& *p.*4.*trac.*4. *reſolut.*7. & ex priuilegio *Clementis VIII.* Conceſſo Congregationi Sancti Benedicti Vallisoleti anno 1590. 2. Auguſti. Poſſunt ſuis ſubditis dare dimiſſorias, eoſque mittere ordinandos ad quemlibet Epiſcopum: quod à multis Doctoribus extenditur etiam ad Nouitios, vt obtineant *Suar.de relig.tom.*3.*lib.*5.*cap.*16. *num.* 17. *Marchin.de ordin.trac.*1.*p.*6. *cap.*4. *Vecchius in praxi diſput.* 11.*aub.*3.*num.*3. *Diana* locis citatis. *Tamburin.tomo ſecundo diſputat.*2. *quæſt.*25. & 27. *Caramuel in reg.Sancti Benedicti num.* 1634. quoad ordines minores.

Verùm cùm à Superioribus Regularibus, Epiſcopo Diœceſano abſente, vel non habente ordinationes, dimiſſoriales literæ dabuntur, in eis cauſa huiuſmodi abſentiæ Diœcesani Epiſcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum, exprimenda eſt; vt decreuit Sacra Congregatio 15. *Maij* 1596. ex mandato Sanctiſs. D.N. *Clementis VIII.* Quod qui non fecerint, officij, & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, ac vocis activæ, & paſſivæ priuationis, ac aliàs arbitrio eiuſdem Sanctiſs. D.N. Papæ reſeruatas pœnas incurrent.

Poſſunt etiam Abbates & alij Prælati exempti habentes Diœceſim cum iuriſdictione Epiſcopali, concedere huiuſmodi dimiſſorias etiam ſuis ſubditis ſæcularibus. Ex deciſione Rotæ in vna Salmantina Iuriſdictionis die nona Maij 1544. cum Seraphino. Vt tradit Lezana *tom.*3, *Sum.verb. Dimiſſoria num.*3. & *tom.*4.*v. Ordines Sacri num.*13. Qui etiam probabile putat Prælatos poſſe dare dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos oblatis, ſeu Commilitis ſuorum ordinum tria vota non emittentibus, aliàs capacibus & habilibus. Sunt enim illi aliquo modo ipſis ſubditi, religionum membra, & ſub earum obedientia degentes, & multis Religioſorum priuilegijs fruentes.

Sed dubium eſt, an ſi quis Regularis ordinetur ſine literis dimiſſorialibus ſui Prælati, in aliquas pœnas incidat? *Suar.de cenſur.diſp.*31. *ſect.*1. *num.*14. *Henriq.l.*13.*cap.*38.§.1. dicunt; quod per Extrauagantem Pij II. *Cùm ex ſacrorum*. Remanet perpetuò ſuſpenſus. Sed dicendum eſt per Concil. Trident. *ſeſſ.*23.*ca.* 8.*de reform.* non remanere ſuſpenſum, niſi quamdiu ſuo Superiori videbitur expedire, quod habetur ex Cap. *Salomiana*, *diſt.* 63.*c.* 4 iuncta Gloſ. *verb. Ordinatio diſt.*71. Ita *Gutier. can.qq.li.* 1.*c.*16.*n.*24. *Sot.in* 4.*diſt.*25.*q.*1.*ar.*3. *Riccius* 3.*par prax. reſ.*216. *Nau.in Man.c.*27.*n.*155.

Hæc autem ſuſpenſio non incurritur; niſi propter ſuſceptionem Ordinum Sacrorum ſine licentia, vt conſtat ex Bulla relata Pij II. Vnde qui minores ordines ſuſciperet, ſiue dictis dimiſſorialibus, non remaneret ſuſpenſus, nec miniſtrando in ijs ordinibus fieret irregularis; peccaret tamen mortaliter, niſi Prælatus dictam ſuſceptionem ratam haberet.

Eſt inſuper hic adnotandum, quòd ſi Regularis aliquis Laicus ad Clericatum aſcendat extra obedientiam Prælatorum Ordinis, etiamſi vique ad ſacerdotium fuerit promotus, poſtquam reuerſus fuerit, omni honore Clericali priuari debet, nec permitti, vt Canonicum perſoluat officium, ſed reduci debet ad priſtinum omninò ſtatum.

Ita conceſſit Leo X. vt referunt *Rodriqu. tomo primo qq. reg. quæſt.*42.*artic.*19. *Portel.in dub.regul. ver. Hora Canon. numero quarto. Compend.priuileg.verb. Laici Fratres num.*4. & *v. Ordines ſacri num.*4.

Petesan literæ dimissoriæ expirent per mortem, vel cessationem Prælati, qui eas concessit? Respond. literas dimissorias semel concessas semper valere, nec morte, vel cessatione officij concedentis expirare, nisi per successorem reuocentur. Ratio est, quia gratia, vel fauor non cessat ob mortem concedentis, per text. *in cap. fi super gratiam, de offic. Iudic. deleg. in 6.* & docent *Nauar. in cap. placuit, de pœnit. dist. 6. num. 34. & 163. Barbosa de potest. Episc. alleg. 7. num. 23. Henriq. lib. 10. cap. 22. § fin. March. tr. 1. p. 6. cap. 6.* & alij communiter.

5. Quamuis solus homo recipiendi ordinis capax sit, non tamen omnis legitimè illum recipit: *D. Thom. in supplem. 3. part. qu. 39. artic. 1. Sylu. ibid.* & primò quidem, iure diuino inhabiles sunt ad ordines, fœminæ *C. Noua, de pœn. & remission.* non baptizati ex *Cap. veniens. de Presbyteris non baptizatis.* Hermaphroditus, si æquè aut magis participet fœmineum quàm virilem sexum, *L. Quæritur 10. ff. de statu hominum.* Quòd si sexus virilis prævaleat, tunc posset validè ordinari, quia, vt vir est censendus, opus tamen esset tunc Pontificis dispensatione, cùm Hermaphroditus sit irregularis. Iuxta Sayrum, *de censur. lib. 6. cap. 8. num. 25. Nauar. ca. 27. num. 203. Suar. de censur. disput. 51. sect. 2.* quamuis *Tolet. lib. 1. cap. 63. num. 6. Fornar. de ord. c. 3. nu. 1.* Arbitrentur non esse irregularem, modò res non sit notoria vnde cessante scandalo, & monstruositate corporis prævalente que sexu virili, posset etiam licitè ordinari, licet tutius esset à Papa dispensationem petere; vt monet *Marchinus de Ordin. tr. 1. p. 4. cap. 2.*

Denique iure diuino inhabiles sunt inuiti; nam in adultis requiritur intentio: Et quidem si absolutè sint inuiti non tenet ordo, ex *Cap. Presbyteris dist. 50. cap. maiores, de baptismo, Sylues. v. Ord. 4. num. 1. & 2. Henric. c. 14. § 3. fol. V.* & communis.

Qui verò per metum ordinaretur, validè quidem reciperet ordines, cum subsistat intentio sufficiens ad ordines cum inuoluntario mixto, sicut sufficit ad seruanda præcepta: voto tamen castitatis non adstringitur, nec ad recitandum diuinum officium tenetur, modò non ratificauerit sponte ordinationem verbis aut facto, aut semel, vel pluries liberè vtendo ordine suscepto: vnde taliter ordinatus matrimonium contrahere posset absq; dispensatione. *Bonac. de ord. qu. vn. p. 5. num. 40. & de matrim. qu. 3. p. 9. n. 12. Sanch. de matr. disp. 29. 3. Comitol. disp. 20. n. 250. March. de ord. tr. 2. p. 6. c. 8. diffic. 9.*

Ratio est, quia nullum votum iure naturæ obligat, nisi acceptetur à Deo: sed Deus non acceptat votum perpetuæ continentiæ graui, & iniurioso metu extortum, ergo. Quamuis in contraria sententia sint *Pont. de matr. l. 7. c. 29. n. 3.* & alij, quorum opinionem probabilem existimat *Dian. p. 3. tract. 4. resolut. 193.*

Certum est tamen, si vis, vel metus sit iustè incussus, quia Prælatus vrgente necessitate aliquem ad sacros Ordines præcepto compelleret, cui ipse consensisset; tunc compulsum lege continentiæ adstringi, & si postea nubat, matrimonium esse irritum. Ratio est, quia ille irrationabiliter est inuitus; nec patitur iniuriam, si ad factos Ordines ob publicam vtilitatem compellatur.

Infantes, furiosi perpetuò, & amentes ordinandi non sunt: si tamen ordinibus initiantur, characterem recipiunt. Ratio est, tum quia iure naturæ non sunt inhabiles ad illos, tum quia priusquam vsum rationis possit validè baptizari, confirmari, & Eucharistiam sumere, ergo poterit etiam validè Ordinari. Tum quia omnis potentia est prior suo actu; & ideò aliquis potest habere potentiam in aliquo statu, & tempore, cuius non habeat pro eo statu, & tempore actum.

Ergo puer poterit per ordinationem, characterem recipere, licet illum in statu pueritiæ nequeat exercere Ita D. Thom. *in 4. d. 25. art. 1. qu. 2.* & *in supplem. qu. 39. art. 2. D. Bonau. d. 25. art. 2. quæst. 2. Vasqu. disp. 246. Marchin. de ordin. tract. 1. p. 4. cap. 4. Bonac. c. punct. 5. num. 3. Molfesius Sum. tract. 2. cap. 12.* & *16. Regin. lib. 30. num. 30.*

Tum quia in duobus Sacramentis tantùm vsus rationis perfectus requiritur ad valorem Sacramenti, nempe in pœnitentia, cuius materia sunt actus pœnitentis per proprium consensum, & in Sacramento matrimonij, quod includit pro materiali humanum contractum, qui mutuo contrahentium consensu perficitur.

Notandum tamen est, quòd illis, qui post vsum rationis inciderunt in amentiam, secundum communiorem sententiam, non validè conferuntur ordines, si illos nullo modo priùs experierunt: cenſentur enim habitualiter nolle ordines suscipere. Ita *Sot. in 4. dist. 25. qu. 1. art. 2. Suar. de Sacram. d. 14. sect. 2. Comitol. K. disp. 20. num. 12.* & alij, quamuis contrarium sentire videatur. *Valent. disp. 9. quæst. 4. p. 1. Regnald. c. num. 30.*

6. Iure naturæ administrandum in ordinib. susceptis, qui non sunt nec perpetuò amentes, omninò cæci, muti, priuati manibus, & similes, qui natura ipsa ita sunt impediti ad vsum ordinum, vt neque cum ijs dispensari possit, aut non soleat ordinariè.

Iure autem Ecclesiastico inhabiles sunt omnes irregulares, hoc sensu, vt recipiendo peccent & ab eorum vsu suspendi maneant, quamuis characterem recipiant.

Vt verò validè ordines suscipiantur, requiruntur tria in adulto aliquin capaci, nempe, debita materia, debita forma, & intentio tam ministri, quàm recipientis: vt cum fructu, requiritur in suscipiente conscientia absque labe peccati mortalis, recta insuper intentio, & vitæ morumque probitas. De his Doctores passim numeris præcedentibus citati.

7. Secundùm omnia Ecclesiastica iura multa requiruntur, vt ritè & canonicè quis ad ordines promoueatur.

Primò, ætas conueniens quæ ad primam tonsuram, & minores tres, est septennium completum; ex *C. de ijs, dist. 28.* pro Acolytho annus duodecimus completus, *Cap. in singulis, dist. 77.* Pro Subdiacono 22. pro Diacono 23. pro Sacerdote 25 Ita Tridentinum *sess. 23. cap. 12. de reform.* Pro Episcopo trigesimus annus completus esse debet, *Caiet. in cuncl. de elect.* in alijs ordinibus maioribus sufficit annum esse cœptum, cùm Concilium tantum præcipiat, vt ante prædictum tempus indefinitè nemo ad Sacros Ordines promoueatur, & in fauorabilibus dies cœpta pro completa censeatur: vt docet *Rodriq. tom. 3. qq. reg. p. 23. art. 7. Regin. l. 30. num. 30. Bonac. c. punct. 5. num. 12. Dian. p. 2. tract. 16. resolut. 27.* Qui duo postremi dicunt sufficere annum esse cœptum per vnum medium diem.

Sed petes, quando quis dubitat, an habeat legitimam ætatem ad ordines, vel beneficia, vel ad alium actum requisitam, possit promoueri? Respondeo est negatiua: quia tunc possessio est pro præcepto, & ideò illud seruandum est, donec constet de ætate: semper enim extat præceptum negatiuum non assumendi Ordines ante ætatem; cùm verò volens suscipere Ordines toto tempore antecedente dubitationem, habuerit ius certum ad non suscipiendos Ordines, hoc ius certum vinci non debet à iure dubio superueniente. Ita Sancius in select. *disp. 43. nu. 7.* Carmuel *lib. 3. Theol. mor. d. num. 1557.*

Secundò, requiritur in ordinando, vt sit confirmatus, & initiatus prima tonsura: Confirmatio tamen non requiritur vt quid essentiale ad ordines; vnde ordinatio facta non confirmato est valida: imò probabilius est Sacramentum confirmationis, neque esse ante ordinationem necessarium necessitate præcepti: cùm in iure Canonico nullum sit præceptum suscipiendæ confirmationis ante ordinationem. Et cum Concilium Tridentinum dicit: *Prima tonsura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis, non susceperint.* Hæc verba præceptum non important, sed decentiam, & congruitatem, vt docent *Sot. in 4. d. 24. qu. 1. art. 4. Nauarr. cap. 12. num. 9. Victoria de ord. num. 232. Comitol. K. disp. 20. dub. 10. num. 102. Marchin. de ord. tract. 1. p. 4. cap. 3. Dian. p. 2. trac. 16. ref. 4. & p. 4. tr. 2 ref. 55.* Contra Toletū, *Bonac. Fornarium.* & alios. Vide suprà *v. Charac. num. 4. & 5.*

Tertiò, scientia sufficiens ad vsum vniuscuiusque ordinis. Et quidem Concil. Trident. in promouendis ad primam tonsuram requirit, vt sciant fidei rudimenta, & saltem legere, & scribere *sess. 23. cap. 4.*

Ad minores ordines, requirit vt intelligant linguam Latinam *sess. 23. c. p. 11.*

In ijs verò qui promouendi sunt ad Subdiaconatum, & Diaconatum exigit cognitionem eorum, quæ pertinent ad istos ordines *sess. 23. cap. 13.*

Ad sacerdotium autem requirit illam scientiam, quam possit illo ministerio populum docere necessaria ad salutem, ritèque administrare sacramenta, *sess. 23. cap. 14.*

Minor tamen scientia in regulari, quàm in sæculari Clerico desideratur; quia de illo verisimilius iudicatur propter aliorum societatem in literis profecturum, quæ præsumptio in sæculari Clerico locum non habet. Ita *Miranda, tom. 2. qu. 8. art. 7. Rodriq. tom. 1. qq. reg. qu. 24. art. 7. Dian. p. 2. trac. 16. resol. 29. Marchin. tr. 1. p. 5. c. 3. num. 9. Tamburin. tom. 2. disp. 2. qu. 21. num. 5. Barbosa potest. Episc. alleg. 46. num. 14.*

Modò bene sciat legere, & cantare. Non debent ideò Episcopi nimis rigorosè in Religiosorum ordinandorum examine procedere.

Quartò requiritur testimonium morum, quod solet exhiberi tem-

tempore ſcrutinij antequam promoueatur. Concil. Tridentin. *ſeſſ.23. cap.5.*

Quinto requiruntur interſtitia temporum, non ſolùm in maioribus, verùm etiam in minoribus ordinibus ſuſcipiendis, ita vt qui ſuſcepit vltimum minorum ordinum, debeat per annum expectare, donec ad ſacros ordines promoueatur. Concil. Trid. *ſeſſ.23. cap.11.& 13.* & eadem interſtitia vnius anni ſeruanda ſunt à Subdiaconatu ad Diaconatum, & à Diaconatu ad Presbyteratum, niſi neceſſitas, aut Eccleſiæ vtilitas iudicio Epiſcopi aliud expoſcat.

Diſpenſatio interſtitiorum pertinet ad Epiſcopum, etiam reſpectu religioſorum exemptorum, non autem ad Prælatum Regularem. Tum quia Concilium Tridentinum hanc diſpenſationem iudicio, & arbitrio Epiſcopi ſemper relinquit. Tum quia hoc fuit declaratum à Sacra Congregatione Cardinalium, his verbis. *Congregatio Concilij cenſuit, Superiores Regulares non poſſe diſpenſare ſuper interſtitijs Regularium ordinandorum: ſed id pertinere ad Epiſcopum ordinantem, qui tamen quoad cauſam diſpenſationis iudicium facere debet ex atteſtatione Superiorum Regularium.* Ita *Sorbus in Compend.priuileg. v. Ordines. Miranda tom.1.qu.38.art.7. Barboſ.allegat.18.num.10. Quarania verb.Ordo, Diana p.3.tract.2.reſolut.112. Marchin.tract.1.p.7.ca.2.num.368. & ſeq.*

Ad hoc autem, quòd Epiſcopus cenſeatur diſpenſare, ſufficit, quòd ſciens ordinandum non impleuiſſe tempus deſignatum à Concilio pro interſtitio ipſum ordinet, quia omne Canonicum impedimentum, cuius diſpenſatio ad Epiſcopum pertinet, cenſetur ſublatum, ſi illud ſciens Epiſcopus ordinauerit, vt reſoluit Barboſa hic citatus.

Non poſſet autem Epiſcopus Ordinans cum non Diœceſano diſpenſare in interſtitijs, niſi in dimiſſorijs hoc ipſi concedatur: prout habetur in declaratione Sacr. Congregat apud eumdem Barboſam.

Diſpenſare etiam poſſunt in his interſtitijs Vicarius generalis Epiſcopi, & Sede Vacante Capitulum: imò idem facere poſſunt Abbates Regulares erga ſubditos ſuos Regulares profeſſos, quãdo eos minoribus ordinare poſſunt: quia ad quos ſpectat ordinare, ſpectat etiam diſpenſare ab interſtitijs.

Qui ſuſciperet ordines non ſeruatis interſtitijs, nullam propterea incurreret cenſuram vel irregularitatem, quia non eſt in iure expreſſa.

Quamuis ordinans, & ordinatus grauiter peccarent, quia ſunt tranſgreſſores Canonum in materia Ordinum, quæ eſt grauiſſima. Ita *Suar.de cenſur.diſp.31. ſect.1.num.43. Filliuc.tract.20. num.190. & ſeq. Dian.p.4.tr.2.reſol.55.*

Aduertendum autem hic eſt, poſſe alicui vni, & eadem die omnes ordines minores conferri ex rationabili cauſa, & conſenſu Epiſcopi; non verò primam tonſuram, & Minores ordines, præciſa legitima conſuetudine; quia non tolluntur à Tridentino cõſuetudines ambiguæ, niſi vbi id expreſsè declarat: atque ſic fuiſſe declaratum à Sacra Congregatione tollantur *Suarez de.diſp.11. ſect.1.num.41. Miranda tom.1.qu.38.art.8.concl.2. Sorb.Ordines ſacri. Rodriq.tom.3.qq.reg.qu.23.art.4. & in Sum. p.2.cap.36.*

Quinimò aliqui graues Scriptores abſolutè docent, ſecluſa conſuetudine, noſtra etiam tempeſtate licere Epiſcopo eidem eadem die ex cauſa iuſta minores omnes, & ſimul Subdiaconatum conferre.

Ratio illorum eſt, quia de nullo iure Canonico eſt veritum, & in Trident. *ſeſſ.23.cap.13.de reform.* ſolùm prohibetur, duos Ordines Sacros eidem eadem die conferri. Sic *Ioſ.Gutier.lib.1.qq. can.q.26.n.31. Molfeſ.in ſum.t.2.cap.8. & cap.14. Vaſq. diſp.246. c.5.num.48. Dian.p.2.tr.16.reſol.28.*

Quamuis ſoleant, & laudabilius Epiſcopi die antecedente Sabbatum Ordinationum, initiare minoribus ordinandos, vt ſequenti die eoſdem ex cauſa iuſta ad Subdiaconatum promoueant: quam conſuetudinem in Hiſpania vigere teſtatur *Vaſquez*, in Italia *Molfeſius*: in Belgio autem noſtro plerique Epiſcoporum hanc etiam conſuetudinem ſeruant.

Sexto requiritur vt ordinandus non ſit irretitus aliqua cenſura, præſertim excommunicatione: nam priuat excommunicatio ſuſceptione ſacramentorum, vt diximus ſuprà v. *Excommunicatio 3.num.4.* & docent *Nauar.cap.25.num.69. var.de cenſ.diſput. 31. ſect.1.num.57* ex communi.

Septimo requiritur ordinata receptio: hoc eſt, vt non priùs altior ordo aſſumatur, quàm inferior; quamuis ordo collatus ſit validus, nec repetendus.

Excipitur tamen Epiſcopatus, qui ante Sacerdotium nec etiã validus eſſet, vt dictum eſt ſuprà. Ordinatus autem per ſaltum, eſt ipſo iure ſuſpenſus ab Ordine, per quem ſaltum ſuſcepit: eſtque impeditus, ne alios Ordines, ſi qui recipiendi reſtarent, poſſit recipere, vt definitur in *cap.vnico, de cler.ordinat per ſaltum, ca. ſolicitudo diſt.52.* Concil. Trident. *ſeſſ.23. cap.14. de reformat.* Si verò in hoc Ordine malè ſuſcepto miniſtrauerit, vel nouum ordinem ſuſceperit, efficitur irregularis.

Octauo, Concil.Trid.ſeſſ.21. ca.2. Titulus requiritur ad ſacros ordines recipiendos, qui triplex, vel beneficij, vel patrimonij, vel paupertatis, ſeu profeſſionis ſolemnis in religione approbata, ad quam reuocatur Titulus Societatis IESV poſt biennium probationis: ex conceſſione enim *Gregorij XIII.* poſt ſimplicia vota, etiam ante profeſſionem ſolemnem, religioſi Societatis, quemcunque ordinem ſacrum recipere poſſunt, de Præpoſiti Generalis mandato.

Quod ſi contingat è Societate illos eijci in ſacris iam conſtitutos, & carentes beneficio, vel patrimonio, tunc Prælati eiuſdem ſocietatis de honeſto victu illis prouidere debent, donec ſufficiens beneficium fuerint conſecuti.

Ex declaratione autem Sacræ Congregationis, debet illis prouideri de reditu quadraginta aureorum annuorum ex bonis religionis, vt refert *Marchin.tr.2.p.6. cap.5.* & apud quem plura de titulis beneficij, & patrimonij.

Qui mala fide per fraudem promouetur ſine titulo, incurrit ſuſpenſionem, ſicut & ille qui recipit Sacros ordines ficto patrimonio, vel beneficio, faciendo pactum cum Epiſcopo ordinante ante ordinationem, vel cum patrono præſentante, non petendi victum, alimenta, aut prouiſionem; vt docent *Auila 3.p.d.5. dub.4. Nau.conſil.15. de temp.ordin.l.1. Suar.c.diſp.31. num.33.* & alij: & ex *cap.ſi quis, de Simonia* habetur, Epiſcopum, vel Patronum præſentantem ſuſpenſum eſſe per triennium. *Quarana v.Ordo, Henriq.lib.13.c.37.nu.2. Rodriq.in Sum.p.2. ca.15. n.4. Ledeſm.de ord.cap.7.diffic.3.concl.6. Tolet.l.1.cap.49.n.5. Dian. p.3.tr.4.reſol.184.*

Notandum tamen eſt hac ſuſpenſione non affici eum, qui poſtquam ſuſcepit ordinem Subdiaconatus ad titulum patrimonij ſibi donati, illud reſignauit in fauorem donatoris vel alterius, & deinde abſque nouo titulo promotus eſt ad Diaconatum, vel Sacerdotium; hic etenim non dicitur recepiſſe Diaconatum, vel Subdiaconatum ſine vero titulo patrimonij, cùm talis renunciatio irrita ſit ex decreto Tridentini *ſeſſ.21.cap.2. de reform.* prohibentis, ne penſio aut patrimonium, ad cuius titulum quis fuit ordinatus, abſque Epiſcopi licentia alienari, aut remitti poſſit, donec is beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens fuerit conſecutus, vel aliunde habeat, vnde viuat. Ita Doctores hic citati.

8. Controuerſia eſt grauis inter Theologos, an pœnam ſuſpenſionis à iure communi impoſitam, incurrat ille, qui promouetur ad Sacros Ordines ſine titulo vel patrimonio, nullo præmiſſo pacto cum vlla perſona? hæc difficultas prouenit ex intelligentia textus Concilij Tridentini *ſeſſ.21.cap.2. de reformat.* vbi hanc ſuſpenſionem contra ordinatos ſine titulo videtur innouare in illis poſtremis verbis, *Antiquorum canonum pœnas ſuper his innouando.* Nam aliqui volunt, innouaſſe pœnam ſuſpenſionis ordinatis; eò quòd appellatione antiquitatis venit illa, quod eſt antiquius, ſed pœna ſuſpenſionis contra ordinatos ſine titulo lata in *Cap.Nemunem, & in cap.Sanctorum diſt.70.* eſt multò antiquior ea, quæ fuit lata in *Cap.Cùm ſecundùm Apoſtolum.* Ergo Tridentinum innouans antiquos Canones, innouauit antiquorem ſuſpenſionem latam contra ordinatos ſine titulo. Hæc ſententia eſt probabilis, quam tenent *Suar.diſp.31. ſect.1.num.33. Nauar.in Manual.cap.27. num.158. Reginal.lib.32.numer.72. tract.2. Sanch.de matrim.lib.6.diſp.32. Rodriq. p.2.Sum.cap.15. num.1. Fagund.præcep.1 l.3.c.8.n.7. Benac. de Ordin.punct.5.nu. 24. Filliuc.tr.17.n.89.*

Nihilominus apud me contraria videtur verior, & probabilior, nempe Tridentinum his verbis non innouaſſe pœnam ſuſpenſionis, ſed onus alimentorum Epiſcopis impoſitum: Et ſic ſæpè fuit reſolutum per Sacram Congregationem, de anno præſertim 1583. his verbis. *Ordinatus contra formam huius decreti ſine beneficio vel patrimonio, non eſt per hoc ſuſpenſus, nec aliquam pœnam incurrit, ſed cogendus eſt Ordinarius illi prouidere, iuxta Cap.Cum ſecundùm Apoſtolum, de prebendis, qui ſolus Canon., non alij, à Concilio innouatur.* Hæc declaratio extat apud *Barboſa de poteſt.Epiſc.allegat.20.num.27. Molfeſius c.Homobon. p.2. tract.11. cap.10. 22. Garcias de benefic. p.2.cap.5. num.28.29.* & alios, qui etiam teſtantur, hunc eſſe ſacræ Pœnitentiariæ

vsum, vt ordinatos sine titulo non habeat pro suspensis. Tum quia verisimile non est Tridentinum voluisse eas poenas innouare, quæ iam per Innocentium III. correctæ erant, nulla facta huius rei mentione. Ita etiam *Toletus l.1.cap.48. num.18. Henriquez.lib.10.cap.37.§.2. Sayr.de censur.l.4. cap.14.num.16. Diana p.2.tract.16.resolut.5.* Sed plura de his apud citatos Authores.

De vestibus autem quibus indui debet Sacerdos ad sacram, & ordinationem, aut dum Missæ sacrum facit, & quam significationem singulæ vestes habeant, consulendi sunt Tolet. *lib.2.cap.2.* & alij Summistæ. Bonacina citatus *punct.5.n.43. & seq.* Marchinus *de ordine tract.4.*

ORDO IV.

De effectibus ordinis, & quo tempore conferendus sit.

SVMMARIVM.

1. *De primo effectu ordinis, qui est gratia.*
2. *Secundus effectus ordinis est character.*
3. *Cœlibatus onus adiunctum habent ordines sacri iure Ecclesiastico, non diuino.*
   An sacri ministri Ecclesiæ ad continentiam obligentur ex præcepto ecclesiastico, an vero ex proprio voto.
4. *Quibus temporibus ordines sint conferendi.*
5. *An religiosi possint extra tempora ordinari virtute suorum privilegiorum.*

1. SAcramentum Ordinis duplicem effectum habet. *Concil.Trid.sess.23.cap.3.*

Primus est, duplicem gratiam conferre habitualem nempe, in quantum est Sacramentum, seu iustificantem, augendo ipsam ex opere operato; & propriam, qui dignè qui recipitur ordo a suscipiente ministratur.

Hoc Catholica fides docet contra Hæreticos nostri temporis, qui dicunt Sacramenta non esse causas gratiæ, sed solum ministrare ad eam excitare fidem. Contra quos *Concil.Trident.sess.7.can.8.* Rationem reddunt *D.Thom.in suppl.3.p.q.35.art.1. Sylu.lib.Marchinus tr.1.p.3.cap.1. Bonac.de ordine punct.6.num.3. Fill.tr.9 cap.3.num.52.53.* & eius discipuli: Cùm opera Dei sint perfectissima, ideò numquam aliqui Deus aliquod munus confert, quin etiam illi tribuat media necessaria ad tale munus rectè exercendum. Sicut igitur in baptismo datur gratia ad reliqua Sacramenta dignè recipienda, ita in ordinatione datur gratia iustificans, qua sanctè, & religiosè eadem Sacramenta possint administrari.

2. Secundus effectus ordinis est character, qui imprimitur tam in maioribus, quàm in minoribus ordinibus, & integrè confertur, cùm integra materies & forma completur in singulis. *D.Thom.c.art.2. Sayr.de Sacram.l.3.cap.1.num.11. art.2. Vasq. 3.p.3.disp.241. & 244. Sotus d.10.num.3. & 16.* Ratio est, quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem, in aliquo gradu potestatis, & dignitatis ad Sacramentorum dispensationem; deinde omnes ordines semel suscepti perpetuo manent, nec vnquam iterantur, vt probat totius Ecclesiæ perpetuus consensus.

Proinde Concilium Tridentinum damnans hæreticorum dogma, sentientium ministros noui testamenti, temporariam solùm potestatem habere, semelque ordinatos posse rursus fieri laicos, definiit sub anathemate, in Sacramento Ordinis characterem imprimi. *sess.7.can.9. & l.lib.3.cap.4.*

3. Proprium est sacrorum ordinum, vt cœlibatus Ecclesiastico iure onus adiunctum habeant, non iure diuino: & vtrumque probatur ex Tridentino *sess.24.can.9.* cuius hæc sunt verba, *Si quis dixerit Clericos in sacris constitutos, vel Regulares solemniter castitatem professos, posse matrimonium contrahere, contractumque valere esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; anathema sit.* Quibus verbis cœlibatum sacrorum virorum, non sub diuinum aliquod præceptum, sed in legem Ecclesiasticã quoad Clericos, & in solemne votum quoad professos, tulere Concilij retulerit; ergo manifestum est prædictorum cœlibatum non à iure diuino, sed ab Ecclesia ortum habuisse.

Quod etiam probatur ex communi, & vera sententia *D.Th. 2.2.qu.88.art.11. Paludan. in suppl.3.p.qu.40.d.sp.3. Bellarm. l.1.de Cler.c.cap.18. & 19. Gaet.tom.1.opusc.tr.27. Layn.lib.5. tr.9.c.11.num.1. Marchini de ord.tr.2.p.6.cap.8.diffic.1. Hurtad.tr.de ord.diffic.24.* Quia talis lex diuina positiua, neque ex Scriptura sacra, neque ex Patrum traditione colligitur. Proinde in Ecclesia Græca non prohibetur vsus matrimonij sacerdotibus Romano Pontifice permittente, ergo signum est contrarium de iure diuino non esse, sed tantùm de iure Ecclesiastico, vt eum magis conuenientem.

Sed dubium est, an sacri Ecclesiæ ministri ad continentiam immediatè obligentur ex præcepto Ecclesiastico, an verò ex proprio voto.

Responsio probabilior est, obligationem illam continentiæ immediatè oriri ex proprio voto, quod secundum Ecclesiæ legem ipso facto, seu susceptione sacri ordinis emittere debent. *C.cum olim de clericis coniug. C.nuper de voto, & vxor redempt. 6.Vasq.disp.247. Medina l.5 de continent.cap 2. Couar.c.trac.27. Sanch.de matr.l.7.disp.27.num.10.& 12. Laym. c.ca.11. Marchin.tr 2.p.6.cap.8.diffic.6. Hurtad.c.diffic.26. Pont.de matrim. l.7.c 2.n.7.*

Si verò accidat, aliquem non vouere, seu ob ignorantiam, seu ob malitiam, nihilominus per Ecclesiasticam legem ad continentiam compelletur, adeò, vt ad matrimonium contrahendum inhabilis existat, & in hoc casu talis non ex proprio voto, sed immediatè ex lege Ecclesiastica ad seruandam continentiam obligabitur, quæ etiam inuitos constringere, & ignorantes ad aliquem actum inhabiles reddere potest. Ecce, ex hac sententia sequitur illum qui ordinatur intendendo non vouere continentiam, non tantùm peccare pro tunc quando ordinatur non vouendo, sed etiam pro tempore sequenti, quousque aut explicitè aut implicitè vouerit, quia ad eam vouendam tenetur tanquam ad aliquid annexum statui quem suscepit.

Proinde actus venereus exterior sacris initiati, qui saltem implicitè vouit, est triplex peccatum distinctæ speciei, nempe vnum luxuriæ contra castitatem, & aliud sacrilegij contra religionem, ex qua obligat votum, & aliud quasi sacrilegij contra eiusdam sacram rationem legis Ecclesiasticæ id prohibentis, inuitam reuerentiæ statui Ecclesiastico debitæ.

Actus verò interior voluntatis, & appetitus, de quo non potest Ecclesia iudicare, non erit peccatum contra dictam sanctam, quia non est contra dictam legem Ecclesiasticam, quia Ecclesia nequit illum prohibere.

Certum est, nec licita, nec valida apud Græcos fuisse coniugia post sacerdotium susceptum; & id semper in omnibus Catholicis Ecclesijs etiam Orientalibus obseruatum fuisse constat; ita vt nullo ex omnibus sæculis desumpto exemplo, hæretici nostri temporis ostendere possint, Sacerdotem, id est, Episcopum, vel Presbyterum cum approbatione Ecclesiæ Orientalis, aut Occidentalis, vxorem duxisse.

Ideò probabile est iure diuino prohiberi sacerdotem à contrahendo nouo matrimonio. Ratio est, quia licet id in Euangelio non expressum, tamen videtur seruatum à tempore Apostolorum, quod indicat Christi ordinationem, quia statuti huius principium ignoratur.

Quamuis Pontifex authoritate Christi ex graui causa possit cum vno aut alio sacerdote dispensare vt vxorem ducat. Vide *Ecclam.lib.1.de cler.cap.18. Major in 4.dist.24.qu.2. Couar.de matr.part.2.cap.6.§.3. Azor.p.1.lib.13.cap.14.qu.7. Henriquez.lib.10.cap.14.num.5. Fill.tract.9.num.66. Sanch.de matr. lib.7.disp.28.*

Quibusdam tamen in locis permissum fuisse Diaconis vxores ducere, si in susceptione ordinis continentiam non promiserunt, colligi videtur ex *Concil.Ancyrano cap.10.* De Subdiaconis vero ex *Greg.l.1.Ep.ff.42 ad Petr.Diaconum.*

4. Ex generali consuetudine Ecclesiæ prima tonsura quouis tempore, quocumque die, & feriata conferri potest. Ita Doctores *in cap.primi. de temp.ordin.* Minores Ordines quibuscumque diebus Dominicis, & festis solemnibus, modò non sint tot ordinandi, vt generalis ordinatio videatur, quæ solis præscriptis temporibus etiam quoad minores est peragenda. Ex iusta tamen causa minores tradi possunt in ieiunio Quatuor temporum ante Sabbatum, & hoc pluribus in locis consuetudine introductum est, ne quis in eodem die Sabbati simul recipiat Ordines minores, & Subdiaconatum quamuis id non sit prohibitum. Quinimò in rigore iuris, nec videtur vetitum quacumque die Minores conferre *cap. Quando, dist.75.*

Ordines sacri solis præscriptis temporibus generalium Ordinationum tradi possunt, videlicet, in Sabbato Quatuor tem-

porum

perum anni, & in Sabbato ante Dominicam Passionis, & in Sabbato Sancto ante Dominicam Resurrectionis, vt habetur in *Cap. de eo autem de temp. ordin.*

Quamuis propter reuerentiam, & honestatem, Ordines siue minores siue maiores conferri debeant ab Episcopo inter Missarum solemnia & ieiuno, vt consulit Tridentinum *de reformat. sess. 23. cap. 8.* Si tamen secùs fiat, Ordinatio tenet, nec vllam suspensionem incurrit Ordinans, vel Ordinatus, dummodò seruetur vera forma, & materia ordinationis, vt bene aduertit Marchin. de *Ord. tr. 1. p. 7. c. 5. n. 17. 18.*

Sed petes, an liceat Episcopo aliquando ex iusta causa conferre maiores Ordines de Dominica? Respondeo affirmatiuè Henriqu. *lib. 10. cap. 12. num. 2. Syluest. v. ordo 2. quæst. 6. Villalobos in Sum. tom. 1. tr. 11. d. 13. Marchin. c. num. 9. Diana p. 2. tr. 16. resol. 28.* Nempe mane diei Dominicæ immediatè sequentis generalem Ordinationem, si in Sabbato ob ordinandorum numerum Ordinationes expediri non potuerint, & dummodò continuetur ieiunium Ecclesiasticum, tam ab ordinante, quàm ab ordinato Cap. *Quod à Patribus, dist. 75.* nam in eo casu fictione Canonica mane diei sequentis trahitur ad Vesperam Sabbati præcedentis, & sic conferri dicuntur Ordines in Sabbato.

Ordinatus extra tempora legitima, absque speciali Summi Pontificis dispensatione incurrit suspensionem ab Ordinis executione, vt habetur in Extrauaganti Pij II. *Cum ex sacrorum*, & hæc suspensio est perpetua, à solo Papa dispensabilis, vt docent *Barbos. de potest. Episc. allegat. 17. num. 14. Bonac. de cens. disp. 5. qu. 6. punct. 5.* Licet si occulta sit, Episcopi ex Tridentino *sess. 24. cap. 6. de reform.* ab ea absoluere possint.

Porrò Episcopatus non potest conferri, nisi in die Dominica, vt constat ex antiqua praxi Ecclesiæ, & tradit Leo I. *Epist. 79. c. 1.* & refertur in Cap. *Quod dicendum dist. 75.*

5. Religiosi possunt extra tempora ordines recipere, cùm in hoc habeant multa priuilegia: & maximè priuilegium Gregorij XIII. pro Societate IESV, quo præcipit Ordinarijs, vt istos religiosos cum licentia suorum Superiorum ordinent, etiam extra tempora, in tribus festis continuis, & non seruatis interstitijs, & ab quo vlla Ordinum functione, nec eos inquisant de genere, vita, moribus, de officijs, & cæremonijs Ecclesiasticis. Et quamuis idem Gregorius prohibuerit hoc priuilegium communicari aliis Ordinibus priuilegia Societatis participantibus, & ob hanc causam *Suar. de leg. lib. 8. cap. 17. num. 8. Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 246. ca. 5. num. 50. Hurtad. de ordine d. 21. Diana p. 6. tr. 2. resolut. 57. Celest. in compend. tr. 8. cap. 4. qu. 4.* scripserint hoc priuilegium ita Societati esse proprium, vt eius Regulatibus non communicetur etiam in priuilegio eiusdem participent; nihilominus his non obstantibus, multi alij Ordines, vt Theatini, & Barnabitæ, hoc priuilegio potiuntur, quia alij Pontifices post *Greg. XIII.* priuilegia Societatis dictis Ordinibus absque vlla limitatione concesserunt, vt asserit Marchinus *de ordinar. tr. 1. p. 7. cap. 7.*

Nulla etiam potest esse dubitatio quoad nos Fratres Minores, & eos qui nostra fruuntur priuilegijs concessis, & concedendis, cùm *S. N. D. Papa Clemens VIII. & Paulus V.* priuilegia Fratrum Minorum confirmauerint, ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis.

Præterea id unum priuilegium concessit Monachis *S. Hieronymi*, & *S. Benedicti*, *Alexandrin. I.* & *Egypt. I.* quod non esse à Tridentino reuocatum, docet *Rebuffus in prax. gratiar. art. 17. & 10. n. 8. quæst. 23. art. 5. Barbos. de potest. Episcop. allegat. 17. num. 6. p. 1.*

Denique asserit *Portel. de debitor. in Ordens sacri, num. 4. Diana p. 3. tract. 2. resol. 31. & 112.* De simili priuilegio concesso Ordini suæ Congregationi S. Ioannis Euangelistæ in Pomerania à *Clemente VIII. die 22. Nouembris 1596.* videlicet, quòd sine ordinari extra tempora, & per quemcunque Episcopum extra tempus Dominicæ, vel festis continuis, vel interpolatis, non seruatis interstitijs à Concilio Tridentino designatis.

De aliis obligationibus Clericorum, *videatur Clericus.*

De ordine, vide *Apellatio* num. 8. *Acceptatio* num. 7. num. 54. *Domicilium* num. 4. *Interdictum* 2. num. 9. *Sententia* 6. num. 1. *Suspensio* 2. num. 10. *Irregularitas* 8. num. 5. *Korom* 1. num. 6. *Chorus iter. Beneficium* 3. num. 4. & 5.

PACTVM.

SVMMARIVM.

1. *Pactum quid sit,*
Et eius diuisio in nudum, & vestitum.
2. *An pactum nudum vel vestitum pariat obligationem in vtroque foro?*
3. *Quid sit pactum legis commissoriæ?*
4. *Quid sit pactum additionis in diem?*

1. PActum, est *duorum consensus atque conuentio videlicet, ad aliquid dandum, faciendum, vel non faciendum.* *L. 3 ff. de pactis. C. pactum, de verb. signif. Layman. lib. 3. tr. 4. cap. 1. & 2. Fill. tract. 33. cap. 2. num. 15.* dicitur autem *pactum* à pace, eo quòd per pacta pax fieri soleat; *duplicitèr* pactum diuiditur, in pactum, nempe, *nudum*, & *vestitum*. *Nudum* dicitur, quod tantùm consistit in conuentione, & caret omni alio firmamento, vt donatio, mutuum, antequam re perficiatur, & omnis innominatus contractus antequam impletus sit ex altera parte. *Vestitum* dicitur, quod habet aliquid amplius, vnde iure ciuili firmetur, de quibus verb. *Contractus*.

2. *Pactum vestitum* parit obligationem in vtroque foro; *Sylvest. v. pactum. L. iuris gentium, ff. de pactis. Fill. c. num. 88. pactum* autem *nudum* non parit obligationem in foro ciuili, ne multiplicentur lites, vnde permittit ius ciuile illud rescindi causa pœnitentiæ, etiam alia parte nolente, modò non sit ex vtraque parte impletum; vel si ex altera tantùm, liberum est illi qui impleuit, vel pœnitere, vel cogere parem ad complendum reciprocum, quamuis pactum nudum non pariat obligationem in foro ciuili, nisi confirmetur iuramento, habet tamen alios effectus, nempe, quòd pariat exceptionem, impediat solui repetitionem, item quòd tribuat ius compensandi in foro conscientiæ, & si accedat fideiussor efficaciter obligetur, & vt possit pignus retineri. *Less. lib. 2. cap. 17. d. 4. Leym. cap. 2. num. 3. Sylvest. verbo pactum qu. 3.*

In foro autem Ecclesiastico pactum nudum obligationem parit: quia ius Ecclesiasticum respicit obligationem naturalem, & conscientiæ, quod ad salutem animæ infimum est. & hoc verum, modò pactum initum sit cum expressione causæ.

3. *Pactum legis commissoriæ* illud est, quod apponitur venditioni, ita vt si intra certum tempus emptor non soluerit pretium, res non sit empta; & quia apponitur in fauorem solius venditoris, hinc fit vt non impleto pacto, sit in ipsius potestate vel rescindere contractum, vel cogere emptorem vt pretium soluat, quod si eligat alterum illorum semel, non potest alterum eligere, sed tenetur stare, si autem res periret, antequam dissolutus contractus, periit emptori.

Emptor verò tenetur tempore statuto pretium offerre etiamsi non interpelletur à venditore; quando autem non staret per emptorem quò minus pretium offeret, sed per venditorem, quia videlicet abfuit; non incidit emptor in legem commissoriam, *Sylvest. v. pactum q. 2. Fill. tract. 35. cap. 7. nu. 165. 166. L. 2. & 4. ff. de lex. commiss.*

4. *Pactum additionis* in diem est, quando aliquid venditur ea conditione, vt si alius intra tempus definitum, maius pretium offerat, vel meliorem conditionem, res non sit vendita: *L. 1 ff. de in diem addict. Sylvester verb. pactum num. 2. Fillius tract. 35. cap. 7. numero 168. 169. Less. lib. 2. capitulo 21. dub. 25. numero 125. 126.*

Apponitur autem in fauorem solius venditoris, ideò ipse eligit dissolucre contractum, vel cogere ad pretium soluendum, si eiusmodi pactum fuit conceptum verbis directis, nec dominium redit ad venditorem, etiam antequam res fuerit ei reddita ab emptore, si indirectis, non redeunte traditionem. In Doctores etiam. De Pacto, vide *Census* num. 20. & sequent. *Contractus* num. 6. 10. *Vsura 2. Vsura 4.* num. 3. *Venditio* num. 2. 3. *Emptio*.

PALLIVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit pallium? & quando illo vtuntur Papa, Patriarcha, & Archiepiscopi.*

1. PAllium est ornamentum ad modum stolæ sacerdotalis crucibus nigris intextum super alia ornamenta delatum, humeros ad instar coronæ pectulque circumdans, ante dependens, significans plenitudinem Pontificalis officij: illo vtitur Papa semper & vbique: Patriarcha autem & Archiepiscopus solùm infrà Missarum solemnia, in Ecclesijs suæ Prouinciæ, non autem extra Ecclesiam, pura in processione: Debet hodie peti à Papa intra tres menses à tempore consecrationis, vel confirmationis, si ante fuit consecratus. *Cap. Pallium d. 100. Sylvest. v. pallium. Emman. Sa v. pallium. Sanch. l. 4. moral. c. 38. num. 9. Marchin. de ordine tr. 4. cap 9. Hostiensis in sum. l. 1. tit. de Authorit. pallij.* Ante eius receptionem non potest quis se Archiepiscopum nominare, sed potè: nec conuocare Concilium, nec conficere chrisma, nec dedicare basilicas, nec ordinare Clericos, nec Episcopos consecrare: Non potest autem Archiepiscopus pallium suum alteri commodare; imò debet cum eo sepeliri, quia personam eius non transit. Plura de pallio apud *Marchinum* citatum.

PAPA.

SVMMARIVM.

1. *Papa vnde dictus? & an sit tantus Christiani populi pastor?*
2. *An Papa sit iurisdictio à Christo proueniat?*
3. *An Papa errare possit in decretis fidei vniuersalibus, quæ toti Ecclesiæ proponit?*
4. *An in disputandis particularibus quæstionibus, Papa, etiam vt publica persona errare possit?*

1. PApa dictus est, quasi admirabilis a Papæ interiectione admirantis, eò quòd Vicarius sit Christi, & Dei, cuius est terra & plenitudo eius. Est totius Christiani populi pastor, ouium Ecclesiarum caput, & Episcopus Episcoporum, ex Christi institutione. *Clement. Romanum, de iureiurando. Sylvest. v. Papa num. 1.*

2. Iurisdictio Papæ non confertur à Cardinalibus per electionem, sed postquam ij personam designarunt, à Christo prouenit vi promissionis factæ Sancto Petro *Matth. 16.* vnde obseruatum semper fuit, vt Summus Pontifex à nemine iudicari, aut deponi possit, nisi in hæresim notoriam labatur, saltem postquam ab Ecclesia declarata est. *Layn. l. 1. tract. 4. cap. 6. §. 1. num. 6. 7. Suar. l. 4. de leg. cap. 7.*

3. Quamuis Papa quoad suam personam in hæresim etiam notoriam incidere possit, tamen ob Dei prouidentiam errare non potest in decretis fidei vniuersalibus, seu quæ toti Ecclesiæ proponit, quatenus sine Episcoporum Concilio; neque in præceptis morum vetantibus, circa res ad salutem necessarias, vel quæ per se bonæ aut malæ sunt; quia si Papa in his fidei aut morum decretis erraret, tunc tota Ecclesia in errorem contra fidem aut doctrinam Christianam induci posset; quod impossibile est. *Azor. tom. 2. l. 5. c. 5. Bann. 2. 2. q. 1. ar. 10. dub. 2. Layn. lib. 2. tr. 1. c. 7. n. 1. & 2.*

4. Errare potest Papa, etiam vt publica persona in dijudicandis particularibus quæstionibus, quæ plerumque de facto sunt, quia assistentia & directio Sancti Spiritus promissa est Petro, & successoribus eius in ordine ad Ecclesiam, ne eam in errorem inducant; cuius rei periculum nullum est in decretis particularibus non pertinentibus ad vniuersam Ecclesiam. Bannes *c. dub. 6. conclus. 4.* Bellarminus *lib. 4. de Pontifice cap. 2.* Corduba *lib. 4. qu. 1. prop. 10.*

De potestate Papæ, vide *v. Beneficium* 5. num. 1. 3. *Bigamia* num. 11. *Bona incerta* num. 9. *Casus reseruatus* num. 1. *Censura* num 9. & 18. *Confessarius* 1. num. 7. & 19. *Confessarius* 2. num. 5. & 11. *Dispensatio* num. 3. & sequent. *Eucharistia* 1. num. 11. *Festum* 1. num. 3. *Festum* 3. num. 7. *Feudum* num. 3. *Gabella* num. 2. *Hora Canonica* 6. num. 6. *Indulgentia* 1. *Indulgentia* 3. num. 1. & 2. *Interdictum* 4. num. 1. *Irregularitas* 1. num. 4. *Irregularitas* 2. num. 16. *Irregularitas* 11. num. 4. *Lex* 1. num 6. *Matrimonium*

2. num. 3. *Matrimonium* 7. num. 12. *Matrimonium* 9. num. 1. & 2. *Simonia* 1. num. 6. *Religio* 1. num. 8. *Votum* 5. num. 2. & 3. *Votum* 5. num. 5. *Votum* 7. num. 3. *Ordo* 1. num. 3.

PARENTES.

SVMMARIVM.

1. *Qui parentum nomine intelligantur?*
2. *Quæ sint obligationes parentum erga filios?*
3. *In quibus casibus parentes negare possint filijs alimenta?*
4. *Ad quæ præcipuè teneatur Pater?*
5. *Quæ teneantur famuli præstare heris suis? & quæ vicissim Dominus seruo?*
6. *Ad quæ teneantur Clerici erga Prælatos? & beneficiarij erga Episcopos vel alios superiores?*
7. *Erga subditos ad quæ teneantur Episcopi? & de ipsorum residentia: & quæ iusta causa absentiæ esse possint?*
8. *Quæ sint virtutes Principis Laici, & quæ eius peccata?*
9. *De obligationibus viri erga vxorem suam.*
10. *De obligationibus vxoris erga virum suum.*
11. *De discipulorum debito erga magistros.*
12. *De obligationibus magistrorum erga discipulos.*

1. PArentum nomine, quos in honore habendos esse statuitur in quarto præcepto Decalogi, præcipuè intelligi debent ij, qui carnaliter nos genuerunt; tamen etiam alij superiores comprehenduntur, vt domini respectu seruorum; Prælati erga subditos suos. *Graffis l. 2. decis. cap. 55. num. 3.* Princeps laici comparatione suorum subditorum; denique viri respectu vxorum; Magistri & alij huiusmodi, discipulorum, & sibi subditorum respectu. De obligatione filiorum erga parentes dictum est supra v. *Filius.*

2. *Obligationes* parentum erga filios ad sex capita reuocari possunt.

Primum, subministrare filijs necessaria ad vitam, si possunt, & contra facientes peccant mortaliter.

Secundum, non transmittere filios ad domus hospitalium, vel eos exponere in publicis vel priuatis, nisi in necessitate extrema vel graui.

Tertium, instituere bonis moribus per se vel per alios, consequenter eos corrigere.

Quartum, non vendere illos absque iusta causa, qualis esset ad euitandam propriam mortem aut filiorum, aut in casu in quo ipsimet parentes seipsos licitè vendere possunt.

Quintum, liberare à seruitute, vel quia capti fuerint in bello, vel quia geniti sint à patre ex aliqua serua.

Sextum, prouidere filijs studere volentibus, si modò parentes possint, si studium sit conueniens eorum statui, si in eo progressum faciant. Vide *Nauarr. in Man. cap. 14. num. 17. Filliuc. tract. 28. p. 2. cap. 2 num. 21. & seq. Tolet. lib. 5. cap. 1. Tabiena v. Filius §. 19.*

Vnde peccant parentes si absque causa rationabili filios a progressu in bono reuocent, & impediant, v. gr. si reuocant vota filiorum, quæ bona eorum venia fecerunt; si ab ingressu religionis absque iusta causa impediunt; si filios post emissa vota contingentiæ in ætate deliberandi vi, aut dolo ab eorum implectione retrahant, vel consulant, aut cogant eos tunc ad matrimonium.

Item qui sine iusta causa inuitos filios, aut filias matrimonio iungunt.

Item qui dolis aut minis inuitas filias, nisi in casibus à iure permissis ad ingressum Monasterij, vel susceptionem habitus, vel professionem faciendam cogunt, in quo vltimo casu per Concilium Tridentinum *sess. 25. de reg. cap. 18.* excommunicantur. Item si patiantur filias suas amatores habere ob malum finem, vel eas à consortio malo non separent.

3. *Parentes* negare possunt alimenta filijs in quinque casibus.

Primo, si patrem accusent extra casus iure concessos.

Secundo, si ipsimet alimentis egeant ad sustentandam propriam personam.

Tertio, si fuissent ingrati.

Quarto, si artem habeant aut aliquid aliud quo sustentari possint secundùm statum suum.

Quinto, si aliquid facerent eorum, ob quæ possunt à parentibus

bus exhæredari legitimè. *Sylueſt. v. Filius §. 24. Angel. v. filius §. 22. Fullinc. tr. 28. p. 2. c. 2. n. 25.*

4. *Ad tria* præcipuè, & generaliter tenetur pater; *Primum* eſt, prouidere filijs in futurum, quantum honeſtè poteſt, habita ratione circumſtantiarum particularium. *Secundum* eſt non poteſt exhæredare filios ſine iuſta cauſa. *Tertium* eſt, tenetur dotare filias, etiam ſpurias, quia dos eſt loco alimentorum, ſi pater ob paupertatem non poſſet, teneretur mater. *D. Thom. 2. 2. quæſt. 101. art. 2. Nauar. c. 14. num. 17.*

5. *Tria* præſtare tenentur famuli heris ſuis, honorem, reuerentiam, & obſequium; dominus viciſſim *tria* debet ſeruo, honeſtam ſuſtentationem quoad victum, & veſtitum, & habitationem. *Secundò*, inſtitutionem in rebus fidei & Chriſtianæ Religionis, ſi Chriſtianus ſit. *Tertio*, correptionem fraternam, ne vitioſus euadat, de quibus plura verbo *Famulus*, & apud *Summiſtas v. famulus. Syl. Angel. Armilla, Azor. tom. 2. lib. 2. cap. 38. quæſt. 1.*

6. *Clerici* erga Prælatos ad multa tenentur, in actibus tamen internis obedire non tenentur neque in malis etiam venialiter; in dubio de peccato, præcipienti Prælato tenentur obedire, debet autem eius voluntas illius denunciata eſſe; tenentur autem obedire in pertinentibus ad Clericos, ſeu ad ſtatum Clericalem, in quibus nolle obedire, ſi res eſt grauis, eſt peccatum mortale: *D. Thom. 2. 2. quæſt. 104. art. 5. Fillinc. tr. 5. n. 194.*

Si autem Epiſcopus Clerico præcipiat, vt reſignet alteri ſuum beneficium, non tenetur obedire; niſi eſſet aliqua cauſa, vt quia eſſet ineptus, & Epiſcopus vult dare idoneo.

Præterea beneficiarij tenentur ad ſubſidium charitatiuum, contributionem, videlicet, quandam in pecunia, vel reacquiſitioni à beneficijs tactam in quibuſdam caſibus erga Epiſcopos vel alios ſuperiores. Et quamuis dicatur charitatiuum, poteſt tamen ſubditos Epiſcopus compellere ad illud ſoluendum: hoc enim à principio petebatur ex charitate; poſtea adiuuante iure ex certis cauſis etiam peti poteſt ex iuſtitia. Cauſæ iuſtæ illud exigendi, ſunt 1. Solutio debitorum, quæ contraxit Epiſcopus prouentibus iure Eccleſiæ ſuæ. 2. ſi magnas fecerit expenſas in negotijs totius diœceſis 3. emptionis alicuius magni momenti ad conſeruandam Eccleſiam ſuam &c. iter factum ad Papam, vel Imperatorem, vel Regem ob Eccleſiæ ſuæ neceſſitates, &c. ide quibus *Azor. tom. 2. lib. 9. c. 14. Fillinc. c. num. 95. & ſeq.* De obligationibus autem parochorum erga Epiſcopũ, & parochianos ſuos, & religioſorum erga ſuperiores, ſuis locis dicetur.

7. *Epiſcopi* viciſſim ad multa tenentur erga ſubditos, & in primis ad reſidentiam, ad quam probabilius eſt teneri iure diuino, ad breue tempus tamen cum cauſa abeſſe poſſunt: *Valent. to. 3. diſp. 10. q. 3. punct. 5. Sotus de iuſtu. l. 10. qu. 3. art. 4. Fillinceus c. num. 106. & 107. Iuſta* autem *cauſa* abſentiæ ſunt, Chriſtiana charitas ad eſt, proximorum vtilitas. *Secunda*, vrgens neceſſitas vitæ, ſiue corporalis, vel morbi periculoſi. *Tertia*, eſt debita obedientia. *Quarta*, eſt Eccleſiæ vel eius vel propriæ vel vniuerſalis. *Quinta*, eſt vtilitas Reipublicæ; vnde in reſidentia Epiſcoporum ex cauſa iuſta poteſt diſpenſari à Romano Pontifice, vel Metropolitano. Plura de obligationibus Epiſcoporum verb. *Epiſcopus*.

8. *De obligatione* ſubditorum erga Principem laicum in ordine ad ſoluendas gabellas dictum eſt verbo *Gabella*. *Azor. tom. 2. l. 11. cap. 5. Fillinc. c. num. 124.* Superiores temporales viciſſim tenentur in multis erga ſubditos ſuos, vnde *virtutes* Principis laici propriè numerantur octo, ſcilicet, *Religio in Deum, Clementia, & manſuetudo, Liberalitas, Iuſtitia, Fortitudo præſertim bellica, Prudentia rerum agendarum, Magnificentia in extruendis templis, erigendis academijs, &c. & Magnanimitas. Nauar. in Manual. cap. 25. num. 1. Fillinc. c. num. 125. Azorius c. ca. 6.* Peccata verò Principum, quamuis multiplicia eſſe poſſint, ad decem tamen reduci poſſunt.

Primò igitur peccant in immodica regnandi libidine; in indicendo bellum iniuſtum; in ſocordia, & negligentia in muniendis arcibus regni, vnde populi ſecuritas & pax pendet; in non reficiendis publicis vijs, & cuſtodiendis, vnde ſalus viatorum periclitetur: in non ſubueniendis pauperibus & miſerabilibus perpetuis egeſtate laborantibus: in non tollendis prauis conſuetudinibus viuendi, contractuum lege naturali vel Eccleſiaſtica prohibitorum, in eorum aut ſpectaculorum, cum morali periculo peccatorum mortalium: In imponendo iniquæ tributa, vel antiqua fine cauſa augendo, vel cogendo ſubditos ad extruendas ſuas domos, non adhibita mercede: ſi iniquas leges condant, ſi Eccleſiaſtica iura ſibi abrogent, ſi cogant per vim vel fraudem ſubditos facere ſibi donationes, & tunc tenentur ad reſtitutionem. Si leges condant in ſuum priuatum commodum. Si cogant ſubditos ad certa matrimonia contrahenda, vel impediant à contrahendo.

9. *De obligationibus* viri erga vxorem ſuam, dicendum eſt *Nauarr. cap. 14. num. 19. Clau. Reg. lib. 7. c. 7. num. 7. & ſeq. Tabi. l. 5. cap. 2. Fillinc. tr. 28. 1. par. num. 139. & ſeq. Laymann l. 5. tr. 10. p. 3. cap. 2. num. 6. Primò*, virum vxorem ſuam in diuinis præceptis impedire non poſſe, in humanis autem poſſe iuſta de cauſa.

Secundò, vir vxorem ſuam grauiter & multo minus atrociter percutere non poteſt quia non eſt ſerua, ſed ſocia: at modo leuiter cædere iuxta culpam habita ratione perſonæ, conditionis, & ſtatus matrimonij, iure poteſt.

Tertiò, tenetur non afficere illam iniuria, ſed poteſt tamen moderatè illam corrigere verbis non tamen contumeliosis.

Quarto, tenetur attendere domus gubernationi quantum ad rem, & mores.

Quintò, tenetur cohabitare cum illa, nec poteſt abſque iuſta cauſa longo tempore abeſſe, iuſta autem cauſa eſſet negotium alicuius momenti, obedientia ſuperioris, inimicitiæ, exilium ad breue tempus.

10. *Vxor* ad aliqua tenetur etiam erga virum ſuum, *Tabiena c. cap. 2. Nauar. cap. 14. num. 20. Clau. Reg. c. num. 10. Fillinc. c. nu. 144. & ſeq. Sylueſter v. vxor, §. 8. Primò*, propter obedientiam debitam in redditione actus coniugalis, tenetur etiam vxor obedire in his quæ pertinent ad bonos mores, & familiæ gubernationem: ita vt nolle obedire viro præcipienti in materia grauis, aut velle gubernare ſpreto viro ſit peccatum mortale. *Secundò*, in rixis cum viro peccare poteſt, ſi ſua moroſitate & rixis virum in blaſphemias prorumpere faciat, vel ſi ex conceptu non præbet ei obedientiam debitam in iuſto præcepto. *Tertiò*, tenetur vxor ſequi virum, quò hic velit eam ducere, vt ſimul cohabitent exceptis hiſce caſibus.

Primo, ſi mortis periculum immineret. *Secundo*, ſi periculum peccati mortalis. *Tertiò*, ſi ipſa eſſet ancilla. *Quarto*, ſi vir vagus eſſet & ita factus poſt matrimon. *Quinto*, ſi in matrimonio pactum interueniſſet non mutandi locum: ſi tamen contingeret caſus vrgens mutandi, teneretur non obſtante pacto.

11. *Diſcipuli* erga magiſtros honorem, & reuerentiam debent. *Fillinc. tr. 28. 2. par. cap. 10. num. 149. & 150. Nauar. cap. 25. num. 59. Secundò*, in rebus pertinentibus ad bonos mores eis obedire tenentur, ſicut parentibus.

Tertiò, debent diligenter vacare ſtudijs, in quo poſſunt aliquando grauiter errare ratione damni ex hoc illati familiæ.

Quartò, pecuniam à parentibus traditam debent expendere ſecundum voluntatem magiſtrorum, quorum curæ commiſſi ſunt in res ſcilicet honeſtas: vnde in his peccare poſſunt, puta, ſi ſtudeant ob finem mortalem vel ſine iuſta cauſa. Academiæ ſtatuta obligantia ad mort non ſeruent. Si ſuffragentur indigno aut curent alium ſuffragari, venalis fiat prælector vel rector Academiæ. Si ſcientias veritas aut ſuperſtitioſas edifcant. Si contra veritatem à ſe cognitam altercentur non diſputandi gratia, & maximè ſi hoc fiat cum ſcandalo. Porrò ſi ſtipendium præceptori debitum non ſoluant cùm poſſint.

12. *Obligationes* magiſtrorum erga diſcipulos ſunt, vt non diſſimulent eorum peccata, ſed reprehendant & corrigant vbi opus fuerit. *Secundò*, debent promouere in literis. *Tertiò*, curam eorum gerere in rebus pertinentibus ad mores & honeſtam educationem: vnde magiſtri cauere debent ne doceant animæ noxia, quæ eſſent contra fidem aut bonos mores, aut ne doceant falſa vt vera ex induſtria, quia hoc eſſet mortale, ſicut etiam ſi auerterent ſcholaſticos auditores ab alijs Doctoribus eius inſtitutis eorum, vel damnò auditorum: item ne ſtipendia maiora iuſto exigant: & ne ſe exponant ad docendum, ſi idonei non ſint: debent præterea ſe accommodare captui diſcipulorum: & vt non denegent doctoratus inſignia dignis, vel tribuant indignis, peccarent enim mortaliter præſertim in Theologia, iure Canonico, ciuili, & medicina.

Porrò caueant magiſtri ne admittant ſcholaſticos imbutos malis moribus quoad fieri poteſt. *Fillincius c. num. 151. & ſeq. Nauar. cap. 25. num. 55. & ſeq. Caietanus in ſumma v. magiſtrorum peccata.*

Vide *Alimenta. Charitas* num. 10. *Communio ſacra* num. 18. *Dos. Religio* 2. num. 8. *Correptio* num. 6.

PA-

PAROCHVS.

SVMMARIVM.

1. *Parochus debet esse legitimus; viginti quinque annorum; intra annum a collatione beneficij debet fieri Sacerdos, &c.*
2. *Ad quæ teneatur Parochus ex officio suo?*
3. *Qualiter se gerere debeat Parochus, auditurus confessiones eorum qui peste infecti sunt.*

1. PArochus, secundùm iura, debet esse legitimus, & qui illegitimè natus beneficium habet curatum absque Papæ dispensatione, nec potest reditus percipere, nec beneficium retinere, insuper debet agere annum vigesimum quintum, & post collationem beneficij curati intra annum sacerdos fieri debet, aliter perdit titulum ipso facto: *Cap. cum in cunctis, de elect. & Concil. canon, de elect. in 6. Conc. Trid. sess. 7. cap. 4. Tolet. l. 5. cap. 5.*

Præterea debet esse idoneus ministerio, & officio quod assumit, vnde cui scientia necessaria deest, nec animum habet discendi, vel non cognoscit se aptum ad discendum, vel qui peccator est publicus nec de emendatione cogitat, peccat mortaliter suscipiendo beneficium curatum.

2. *Parochus* ex officio tuo ad multa tenetur. *Layman l. 5. tr. 6. cap. 13. num. 1. & 2. Tolet. c. cap. 5. Emmanuel Sa v. Parochus num. 4. & 5. Filliuc. tr. 22. ca. 2. num. 46. & 47. Navarr. in Man. cap. 25. num. 131. Bonacina tomo secundo disput. 6. qu. vnic. punct. 8. num. 4.*

Primò, si aliquid ei deest ad officium necessarium tenetur inquantùm potest curam adhibere, vt discat si ignorans sit, & se corrigat, si sit malæ vitæ.

Secundò, tenetur residere.

Tertiò, debet celebrare Dominicis, & Festis diebus, & aliquot etiam ex diebus alijs, secundum loci consuetudinem.

Quartò, tenetur populo prædicare, & docere populum necessaria ad salutem, puta Symbolum, Decalogum. Pater noster, & peccata communia, generalesque virtutes: signanter mysterium Trinitatis & Incarnationis: & negligentia magna in his docendis mortalis est.

Quintò, tenetur ministrare sacramenta, non solùm tempore obligationis, sed etiam cum suscipiuntur ex deuotione.

Sextò, tenetur inquirere in parochia sua peccatores publicos, & vitia publica, & corrigere per se, vel Episcopus manifestare.

Septimò, debet infirmos suæ parochiæ visitare & scire, an Sacramentis indigeant.

Octauò, sepelire etiam pauperes suæ parochiæ, licet inde nullam eleemosynam speret & illorum animas Deo commendare.

Proinde Parocho notanda est specialis doctrina circa hæc Ioannis Sancij *in selectis disp. 47. num. 17. & 18.* Si defunctus pauper sit (Paroche) noscas tibi non licere pretium exigere: quòd si tibi onus videatur subire idem etiam corporalis Medicus, Aduocatus, & alij: potius ergo tu qui munere superas: Nec fidas hoc in totum à Viceeurato agendum: iste enim quia pauper strictiùs forte pauperem, & viduam premet: per temetipsum si feceris, exemplum dabis: nec iussisse sat esse putes, quia nullus superiorum exemplo efficacior. Cupiditatem, radicem omnium malorum esse minimè ignores, id est, auaritiam.

Illud itaque malum tu prodis dum sepelire mortuos non vis, nisi emolumenta perceperis, vel saltem pignora tecum habueris. Scandalum ex hoc Paroche generas, laicos detractores inuenies) sat tibi sit post laborem mercedem recipere.

Nonò, tenetur Parochus promissum sacrificium absque mora implere: quia iniuria grauis est animam in purgatorio ob eius culpam detineri, vel consecutionem rei postulatæ differri. Et in *cap. qui oblationes* cum sequentibus 13. *quæst.* 2. appellantur defunctorum necatores, retinentes illorum oblationes, & à fortiori missas.

Decimò tenetur cæremonias sui muneris rectè scire: quia aliàs periculo errandi se committet.

Vndecimò, Nimiam cum Parochianis familiaritatem euitare debet: quia homo est, defectus habens, quos minùs conuersando celabit; loca suspecta, velut horrida fugere debet; non rusticus tamen nec austerus sit.

Duodecimò tenetur discordias inter parochianos componere: quia obligatur damna sui gregis vitare. Denique tenetur Parochus curam habere de munditia suæ Ecclesiæ: altarium, puri-

ficatoriorum, & maximè corporalium: quia in *cap. Relinqui nolumus*, de custodia Eucharistiæ hoc præcipitur. *Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.*

Ab immundis in mensa quidem abhorres, ò Paroche, & eadem cultui admittes diuino? aranearum telis cernis Ecclesiam coopertam; pudeat tam vilibus adornari sacrata.

Porrò Parochus vitam suam ita instituere debet orationis frequentia, cibi ac potus temperantia, corporis castitate, locutionis modestia, in pauperes misericordia, erga omnes humanitate, & charitate, vt quod verbis in Ecclesia populum edocet, ipse opere confirmet, ac veluti in imagine ostendat: proinde per vicos & oppida non discurrat, sed domi suæ se contineat, vt statim vbi necesse fuerit, ad visitandos infirmos accedere, eosque opportunis remedijs iuuare possit.

Verùm doctrina sua, quamuis sana parum effecturus est, nisi etiam vitæ exemplo præeat, & quod alijs, tanquam ad salutem necessarium, aut vtile suadet, idem consilium sibi det & exequatur.

Si enim propriam animam sibi coniunctissimam non curat, quomodo cum fructu alios excitabit ad charitatem Dei, rerum cœlestium desiderium, si ipsemet eo igne cœlesti priuatus sit? quomodo alios exhortabitur ad temperantiæ, castitatis virtutem, si ipsemet vino deditus, & impurus existat?

3 *Parochus* auditurus confessiones eorum, qui peste vel simili morbo contagioso infecti sunt. ante omnia curare debet, vt si fieri possit, in loco ipso libero, seu aere non infecto constitutus sit; vnde ipsi infirmi obligati sunt vt è cubiculo aut domo ad confitendum egrediantur, vel ad fenestram, parocho foris stante, portentur, si id sine graui eorum incommodo fieri possit: *Layman. l. 5. tr. 6. cap. 13. num. 4. Capanilla cap. 1. 4. 9. & cap. 3. qu. 29. Zambr. c. 4. dub. 6. num. 12.*

Si autem infirmus egredi vel loco suo moueri non possit, neque etiam tam alta voce confiteri, vt è loco distante audiri queat seu propter suam infirmitatem, seu propter sinum decumbentes: tunc parochus, communiter loquendo accedere debet, & pœnitentes in secreto audire: si tamen timeat periculum contagionis, vt non audeat cum pœnitentibus diu morari, poterit eos rogare, vt statim dicant quædam grauiora, alijs omissis, quæ propter moralem impossibilitatem audiri nequeant, quia sicuti pœnitens excusatur quominus integram peccatorum confessionem facere teneatur, si ex ea mortis periculum ipsi immineat: ita etiam excusari videtur confessarius, quominus integram confessionem audire teneatur, ex qua sibi mortem probabiliter timet. Vide Dianam *p. 5. tr. 3. res. 53. 74.*

De Parocho, vide *Beneficium* 3. num. 4. *Censura* num. 9. *Confessarius* 1. num. 9 *Confessarius* 2. num. 5. 8. 11. *Confessarius* 3. num. 2. 10. *Confessarius* 5. num. 1. 3. *Eucharistia* num. 7. Extrema-Vnctio 2. num. 3. *Horæ Canonicæ* 4. num. 4. *Interdictum* 5. num. 5. *Matrimonium* 5. *Beneficium* 7. num. . . *Residentia*. *Restitutio* 3. num. 8. *Votum* 7. num. 24. *Religio* 1. num. 9. *Casus reseruatus* n. 6.

PAVPERTAS Religiosa.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit paupertas regularis? & an religiosus retineat dominium, seu ius honoris ac famæ suæ, &c.*
2. *An contra paupertatis votum peccet religiosus, si rem quampiam, sine superioris sui consensu accipiat, retineat, occultet, abscondat, permutet, aut alteri donet?*
   An ad consensum præsumptum superioris sufficiat eius tacitumitas?
   An vt licentia superioris excusset subditum à vitio proprietatis, requiratur, vt voluntariè sit concessa?
   An consensus præsumptus superioris liberet à vitio proprietatis, etiamsi superior facilè adiri possit, vel res differri?
   Quomodo possit conijci consensus approbatiuus, & tacitus Superioris?
3. *An accipiens tantùm comestibilia absq. Prælati licentia contra paupertatis votum religiosus peccet? & quæ quantitas horum esculentorum seu poculentorum requiratur ad constituendum peccatum mortale? An peccet mortaliter religiosus approprians sibi vnum denarium?*

4. An

4. *An vſus rerum non conſumptibilium, v.g. librorum abſque ſuperioris licentia poſſit excuſari à peccato mortali?*
5. *An violet paupertatis votum Religioſus, ſi pecuniam vel aliam rem ſibi à Prælato deſtinatam ad certum vſum, contra eiuſdem voluntatem in alium vſum, expendat?*
Vel ſi res ipſi ad vſum conceſſas per culpam amittat, deſtruat?
6. *An paupertas religioſa violetur à religioſo, ſi qua ab aliis ipſi donata ſunt accipiat ac retineat ſine Prælati conſenſu.*
Et an monaſterium obligetur ex contractu vel delicto religioſi?
7. *An peccet contra paupertatem religioſus aliqua abſcondens ne ſuperior ſciat, nolens permittere liberæ eius diſpoſitioni, &c.*
8. *An tranſgreſſores ſint voti paupertatis procuratores, Oeconomi, & ſindes monaſterij adminiſtratores, ſi rem quamcumque aliter largiantur, aut expendant, quàm ordinis regula, aut ſuperiorum voluntas poſtulet.*
In aliquibus caſibus poteſt religioſus dare inconſulto Superiore.
9. *An attento iure communi antiquiori poſſit religiosum Prælatus concedere religioſis peculium?* referuntur duplex ſententia.
10. *An poſt decretum Concilij Tridentini liceant quoque peculia, ſi monaſterium pauper ſit?* refertur duplex ſententia.
11. *An religioſo habenti peculium ex licentia ſuperioris, liceat id pro libito ſuo in quoſvis vſus expendere?*
An religioſus male expendens peculium ex ſuperioris licentia, ſit proprietarius: & an teneatur accipiens ad reſtitutionem? referuntur duplex ſententia.
An dicendus ſit religioſus proprietarius, qui de ſuperioris licentia poſſidet multa ſuperflua reſpectu ſui ſtatus?
Quid dici debeat neceſſarium, quid verò ſuperfluum Religioſi?
An religioſus quoad mobilium ſuperfluitatem vel conuenientiam tuta conſcientia poſſit ſtare arbitrio prudentis Superioris?
12. *Quæ ſit cauſa iuſta concedendi peculij Monacho?*
13. *An peccet mortaliter Prælatus Religiosus non miniſtrans neceſſaria ſubditis, cùm commodè præbere poſſit, & ſic peculij cauſam præbens?*
14. *An religioſus contra paupertatis votum peccet, ſi ſine ſuperioris expreſſa aut rationabiliter præſumpta licentia, à diuite pecuniam, vel alia dona accipiatur proſs, ſed vt det pauperibus vel conſanguineis, nomine eleemoſynæ?*
15. *An in votum paupertatis peccet religioſus, ſi rem donatam, vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm liberam eius diſpoſitionem, abſque ſuperioris licentia acceptat, quamuis in fauorem alterius?*
16. *An religioſi omnia bona, de quibus ipſi antea non diſpoſuit per profeſſionem, ante commune tranſeunt in Monaſterium, ſi habeat ius ſucceſſionis?*
17. *An religioſus beneficiarius: interim dum beneficium Eccleſiaſticum obtinet, habeat adminiſtrationem redituum ſui beneficij?*
18. *Cui acquirat religioſus habens beneficium extra ſuum monaſterium vel ordinem?*
19. *An Prælatus poſſit religioſo alicuius rei vſum irreuocabiliter concedere?*
Et an id poſſit Summus Pontifex?
20. *Quæ ſint pœnæ iure Canonico decretæ Religioſo proprietario.*
Circa quas ſecundum Concil. Tridentin. ſeſſion. 25. de regularibus, adducuntur quædam Declarationes Eminentiſs. DD. Cardinal.

1. PAupertas regularis eſt votum ſolemne, quo quis profitetur ſe nihil habere, nec habere poſſe; vnde hoc voto Religioſi omnes, & ſinguli impediuntur, ne proprium quid habeant. hoc eſt, Religioſo prohibetur, etiam Canonico Regulari, habere ſibi ſeu ſuo nomine vſum, dominium directum, vel vtile, aut poſſeſſionem in pecunia, ſeu re pecunia æſtimabili, tam mobili quàm immobili. *Rodrig. tom. 3. q. 43. qu. 19 art. 3. & 4. Leſſ. lib. 2. cap. 41. num. 78. Sanch. l. 7. moral. cap. 18. num. 25. Miranda tom. 1. qu. 28. art. Fauſt. in theſaur. lib. 8 qu. 11.*

Interim verò Religioſus retinet dominium ſeu ius honoris, ac famæ ſuæ, ſicut ius eligendi, præſentandi, conferendi; item Regularem beneficium, atque iuriſdictionem ſpiritualem habere, atque ad talia iura acquirenda, retinenda, recuperanda ſuo nomine agere non prohibetur.

2. Contra *paupertatis* votum peccat religioſus, ſi rem quampiam ſeu domi ſuæ ſeu foris, etiam ex ijs quæ ad victum, veſtitum, &c. pertinent, ſine ſuperioris ſui conſenſu expreſſo, tacito, aut præſumpto accipiat, retineat, occultet, abſumat, permutet, alteri donet? *Azor tom. 1 lib. 12. c. 12. Valent. tom. 3. d. 10. qua. 4. punct. 3. Sanch. c. 19. n. 7. Leſſ. c. 28.*

Verum ſi in aliqua Religione conſuetudo vigeat recipiendi aliqua, aut expendendi, non petita ſuperioris licentia, excuſantur Religioſi per tacitam licentiam Prælati, quam tolerando conſuetudinem rationabiliter declarat. *D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 8. ad 1. Arrag. ibid. Diana de paup. reſol. 31. p. 1. Leymann lib. 4 tract. 5. cap. 7. Sanch. c. num. 15.*

Conſenſus verò præſumptus eſt, quando iuſtam ob cauſam mihi perſuadeo, ſi Prælatus ſciret me talem rem habere, accipere, abſumere, expendere, contentum fore: *Quando* autem Prælatus inuitus eſt, quòd clam, aut eo non rogato accipiatur, abſumatur, ſi tamen inuitus non ſit, quoad rem ipſam, quia rogatus facilè concederet & conſentiret) committitur quidem peccatum ſaltem veniale, ſed non contra paupertatis votum.

Sed inquires, *Primo* an ad conſenſum præſumptum ſufficiat taciturnitas ſuperioris videntis religioſum aliquid accipere, vel expendere, & non contradicentis? Reſp. Si ea taciturnitas ſit ſola quædam permiſſio ſuperioris, non excuſat religioſum. Tum quia cùm variis ex cauſis poſſit ſuperior tacere, non eſt, cur ex ea taciturnitate præſumatur illius conſenſus tacitus: tum quia etiam ipſius Dei permiſſio, qua quempiam in multa peccata labi permittit, non excuſat à peccato labentem.

Si autem taciturnitas illa non ſit pura permiſſio, ſed ſit approbatio quædam, eſt conſenſus tacitus, ſufficiensque ad liberandum à culpa religioſum.

Quod ſi petas, quandonam taciturnitas illa ſit pura permiſſio & quando ſit approbatio? Reſp. quod in ſimili materia, nempe furto, explicant Doctores.

Si Dominus videat rem ſuam ſubripi, taceatque præ verecundia aut timore, eſt pura permiſſio, non excuſans à furto ſubtrahentem, ſecus quando hæc ceſſarunt & potuit commodè prohibere, tunc enim eſt approbatio. Vide *Rodrig. tom. 3. qq. reg. qu. 29. art. 11. Navar. comment. 2 de reg. num. 22. corell. 9. Fauſt in theſaur. relig. lib. 8. qu. 113.*

Petes *Secundò*, an, vt licentia ſuperioris excuſet Religioſum à tranſgreſſione voti paupertatis, requiratur, vt illa ſit voluntatiè conceſſa? Reſp. affirmatiuè, quare ſi precibus valdè importunis concedat Superior aliquid accipere, vel retinere, non excuſatur Religioſus à tranſgreſſione voti paupertatis, quando reuera ſuperior inuoluntariè, & vt importunitatem repellat, conſentit, aliter omninò repugnaturus; tum quia ea non eſt licentia, ſed violentia.

Tum quia preces importunæ efficiunt mixtum inuoluntarium, & conditionalem nolitionem, quoties illis ceſſantibus rogatus id non efficeret, ſed importunitate quaſi victus, & vt eam repellat, id facit: Secus quando importunè rogatus, poſtea libentiſſimè exequitur.

Similiter, ſi metu, aut dolo licentia illa extorqueatur, non excuſat Religioſum à vitio proprietatis, quia ea non eſt voluntaria.

Item non excuſatur Religioſus, quando aliquid retinet ex licentia Superioris, non liberè, ſed quaſi coactè concedentis, eo quòd timet Religioſum illum, qui Prælato non permittente magnas fundit querelas, & murmurat, tanquam iniuria affectus: quia licentia hæc non eſt voluntaria, ſed permiſſio coacta ad vitandum maius malum Pluta de his apud *Navarr. c. numero 21. Corollar. 7. Rodrig. c. artic. 12. Cordub. in ſum. qu. 54. Leſſ. lib. 2. cap. 4. num. 25.*

Petes *Tertiò*, an conſenſus præſumptus ſuperioris liberet regulares à vitio proprietatis, etiamſi Superior adiri facilè poſſit? vel res differri? Reſp. quamuis longè meliùs & ſecuriùs ſit operari in hac materia cum expreſſa Superioris licentia, ſufficere tamen licentiam tacitam, ſeu probabiliter præſumptam, etiam in caſu quo poſſet licentia poſtulari: ſed ob aliquem humanum reſpectum, vel pudorem, aut aliquam difficultatem adeundi Superiorem non poſtulatur: quia quando rationabiliter præſumitur Superiorem id velle, etſi expreſſus illius conſenſus non habeatur, tamen non dicitur res fieri abſque eius licentia; tum quia tacitum, & expreſſum regulariter æquiparantur, Gloſſ. *in l. expreſſa, ff. de reg. iur.* & docent *D. Thom. 2. 2. qu. 32 art. 8. ad 2. Tamburin. de iur. Abbat. tom. 2. diſput. 22. qu. 8.* & alij ab ipſo citati.

Licet

Licet contrarium teneat noſter *Crouſ. ad cap. 7. reg. S. Franciſ. lect. 14. fol. 613.*

Petes *quarto*, ex quibus principijs, vel circumſtantijs poſſit conijci conſenſus approbatiuus, & tacitus Prælati? Reſp. *primò*, ex conſuetudine, & vſu Religionis, in qua Religioſi timoratæ conſcientiæ ſoliti ſunt in caſibus occurrentibus præſumere conſenſum approbatiuum. 2. Ex qualitate ſuperioris, ſi v.g. ſit dulcis, & valdè procliuis ad condeſcendendum ſubditis, nec ſimiles diſpenſationes ſoleat reprehendere, cùm facilè poſſit. 3. Ex qualitate ſubditi, vt ſi ſuperiori ſit valdè dilectus, vel vir grauis, & optimis moribus exornatus. 4. Ex rebus, ſi ſint leuiores, & pene nullius momenti. 5. Ex facto ipſo, vt ſi talis diſpenſatio in commodum, & vtilitatem Monaſterij cedat. Ita Fauſtus in *Theſaur. relig. lib. 8. qu. 162.* qui in *quæſt. 164.* Aduertit, ſecundùm varias Religionum conſuetudines, & varios Prælatorum mores, maiora, vel minora eſſe in Religioſis motiua, vt huiuſmodi tacita licentia præſumatur.

Ex quo fit, vt in vna religione ſit proprietatis vitium quod in alia eſt actus virtutis: imò inter Monaſteria eiuſdem Religionis, quod in vno licet, in alio non licet, non alia de cauſa quàm ob diuerſas conſuetudines, Prælatorum conditiones, maiorem, vel minorem ſuis ſubditis licentiam concedentium, ob cuius rei ignorantiam multi hallucinati ſunt, volentes ex conſuetudinibus aliarum Religionum, vel Monaſteriorum regulam vniuerſalem ſtatuere, putantes id ſibi in ſua Religione eſſe licitum, quod in alijs Religionibus licentia tacita permittitur, non animaduertentes. quòd quamuis paupertatis votum apud omnes Religioſos ſit idem ratione tamen tacitæ licentiæ hic, & non illic præſumptæ, extendi etiam in Religioſis magis, aut minus hanc diſpenſandi facultatem.

3. *In particulari* contra paupertatis votum peccat Religioſus, etſi tantùm comeſtibilia abſque Prælati licentia accipiat, & abſumat: quia ſolum etiam vſum ſeu abſumptionem rei, abſque Prælati licentia attentare, repugnat voto, imò eſt etiam furti ſpecies, ſi res inuito Prælato ex bonis communibus Monaſterij vſurpetur; ſin verò ab externis accipiatur & abſumatur, eſt ſolùm contra paupertatem: *Laſſ. l. 2. cap. 41. num. 79. verſ. 7. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 12. Layman c. num. 4. Clau. Reg lib. 9. ca. 16. num. 20. Sanch lib. 7. c. ap. 21. num. 33. Notandum* tamen eſt, maiorem quantitatem horum eſculentorum ſeu poculentorum requiri ad conſtituendum peccatum mortale ſeu furti, ſeu præuaricationis voti, quàm in rebus alijs; partim quia talium rerum acceptio, & abſumptio propter naturæ neceſſitatem facilius excuſatur; partim quia earum dominium non vendicatur, aut retinetur, ſed merus vſus appropriatur per quem res mox abſumitur. Vnde *Suar. de relig. tom. 3. lib. 8. cap. 11. num. 41.* de iſtis eſculentis, & poculentis, ſi tantùm ad proprium vſum actualem, & trãſitorium à Religioſis aliquid ſumatur, regulariter non admittit eſſe peccatum mortale, niſi damnificatio Religionis eſſet nimia; & in re extraordinaria, & pretioſiore; extra enim huiuſmodi caſum, res huiuſmodi reputantur leuioris conditionis; & quamuis Prælatis hoc diſpliceret, non tamen ita ſunt inuoluntarij, vt illam reputent materiam grauem in ordine ad paupertatem, ſed ſolùm in ordine ad decentiam, & perfectionem Religionis.

Hinc *Tanner. 2. 2. diſp. 3. q. 3. dub. 4. num. 106.* ait, *Nulla etiam Prælati fuerint, eiuſmodi acceptiones quoad ſubſtantiam rei acceptæ, iniquas reddere poteſt.*

Sententiæ *Suar.* ſubſcribit Caramuel *in regul. S. Benedict. diſp. 60. num. 888. & ſequent.* dicens: Religioſus, qui ex cibis ordinarijs Monaſterij ſolet clandeſtinè aliquid ſumere, & hoc frequentiſſimè, vt conſumat in actualem vſum, ſui, aut alterius Confratris, non frangit votum paupertatis.

Clandeſtina ciborum ſumptio non eſt Prælato inuoluntaria, qua ſubreptio eſt, ſed qua clandeſtina: Atqui iſte modus non eſt contra paupertatem; ergo talis ſumptio non eſt contra Prælati voluntatem.

Sed illud quod fit, permittente Prælato, in hoc genere eſt licitum; ergo hæc ciborum ſubreptio eſt in conſcientia licita. Prælatis non diſplicere hanc ciborum ſubreptionem quoad ſubſtantiam, ſed ſolùm quoad modum, conſtat; quia Monachi tractandi ſunt vt filij, & commune eſt filijs à ſuis parentibus clanculò cibos ſubripere, quod ſub terminis noſtræ reſolutionis, à nemine cenſetur eſſe graue.

Hæ tamen ampliationes *Suar. Tanneri*, & *Caramuel* locum habere poſſunt in Monaſterijs diuitibus, & opulentis: Aliter enim eſſet philoſophandum, in ordinum ſuperiores, in quibus viget altiſſimæ paupertatis vſus, expreſsè prohiberent iſtas clandeſtinas acceptiones ſeu receptiones eſculentorum & poculentorum ſub pœna proprietatis; tunc enim, cùm ipſis diſplicant non ſolùm quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum, poſita materia graui, poſſet eſſe peccatum mortale proprietatis vel furti. Vide *Bartholom. à S. Fauſto in theſaur. relig. l. 8. q. 110. Clau. Reg. l. 9. c. 16. n. 20. & 21.*

Quæ autem quantitas in cibis ſimul ſumptis ſufficiat ad peccatum mortale, non determinant *Suar. Dian. p. 1. de paup. reſol. 30. Caram.* nec ego; quia debet conſiderari rei quantitas, valor, finis: & hæc quantitas non poteſt in omnibus rebus, & in omni euentu præſcribi: quia attenta rerum qualitate, & circumſtantijs alijs, res hæc variatur, vt ſi ſint res, quæ ſolent accuratè cuſtodiri ad peculiares neceſſitates, nec communiter cum omnibus expenduntur, vt ſunt ſaccaro condita, quæ vulgò Conſeruas appellant. minor quantitas ſufficit ad mortale, quàm in alijs eſculentis ad communem vſum deſtinatis.

Inſuper in his communibus eſculentis maior quantitas exigitur, quando illorum eſt abundantia, eo quòd ex Conuentus fundo percipiuntur, quàm ſi eſſet penuria, eo quòd emerentur.

Similiter ſi Religioſus accipiat ab externis comeſtibilia ex licentia domini, non tamen ſui ſuperioris, maior quantitas exigitur, vt ſimul accepta ſit peccatum mortale, quàm quando accipitur ex Monaſterij bonis, quia hoc cedit in vtilitatem Monaſterij; minùs enim hic ex bonis illius ſumet: quæ omnia debet conſcientiæ conſultor ſedulò examinare, & neminem condemnare ſine euidenti ratione; ad condemnationem enim in foro interiori, opinio probabilis non ſufficit, cùm licita ſint quæ fuerint probabilia. Hæc ex doctrina Doctiſſimi *D. Ioannis Caramuel*, loco citato, & aliorum. Hæc de comeſtibilibus.

An autem peccet mortaliter Religioſus, qui inuito Prælato ſibi appropriat denarium vnum, vel plures non facientes materiam notabilem? Plurimi cenſent cuiuſcumque rei etiam minimæ vſurpationem ſine Prælati conſenſu factam eſſe peccatum mortale.

Hanc opinionem videntur tenuiſſe Sancti Patres, *DD. Benedictus, Hieronymus, Bonauentura, Anonimus, Caſſianus*, & plerique alij qui ſtrictiſſimè de hac materia loquuti ſunt: prout refert *Fauſtus in theſaur. relig. l. 8. q. 187.* At communis & veriſſima ſententia negat eſſe peccatum mortale.

Ratio eſt, quia lex Religioſorum de nihil ſibi appropriando, non eſt fortior, quàm lex Dei de nihil furando, At tranſgreſſio legis diuinæ de non furando excuſatur à culpa mortali propter rei exiguitatem, vt docent communiter Doctores, *D. Tho. 2. 2. q. 59. art. 4. ad 2. & qu. 66. art. 6. ad 3.* & alij poſt ipſum, ergo. Nec obſtant dicta Sanctorum Patrum: Non enim ſic intelligendi ſunt, quaſi is religioſus, qui rem ſibi vſurpat, vel diſpenſat abſq; licentia Prælati, ſtatim peccatum mortale incurrat, ſed ſolùm quid committat peccatum, quod ex genere ſuo eſt proprietatis, etſi ratione modicitatis materiæ ſit veniale peccatum.

Summa ergo pecuniæ requiſita ad conſtituendum peccatum mortale contra votum paupertatis, illa eſt quæ ſufficit ad furtum mortale in ſæcularibus, vt diximus ſupra verb. *Furtum 11. num. 6. Et v. Caſus reſeruatus, num. 40. §. 4.*

Quod tamen intelligendum eſt de materia ſufficienti per ſe ad furtum mortale, ſeclusis perſonæ, vel loci, aut temporis circumſtantijs: verbi gratia furari acum à ſartore non habente aliam, eſt quandoque peccatum mortale ratione damni, & lucri ceſſantis.

At id actus furtum, quod commiſſum à Religioſo eſſet in genere furti peccatum mortale, non eſſet tamen tale in genere proprietatis, & ſic reſeruato proprietatis vitio, non cenſeretur hoc reſeruatum; & è contra ſi in genere furti furari vnum aureum à Rege, eſſet veniale, vt quidam volunt, at in genere peccati proprietatis eſſet mortale.

Ratio eſt, quia furti malitia pendet ex damno, quod infertur proximo, at peccatum proprietatis ſolam voti violationem reſpicit, qua inuito ſuperiore aliquid ſibi Religioſus appropriat.

Nota etiam quòd non ſemper ſumma per ſe notabilis abſque ſuperioris licentia accepta, ſatis eſt ad conſtituendum peccatum mortale proprietatis.

Quia res magnæ æſtimationis poteſt ad ſolum breuiſſimi temporis vſum modici valoris vſurpari, reponendo ſtatim in eodem loco: & ideo erit ſolum peccatum veniale contra votum, vt ſtatim dicetur. *Fauſtus in theſaur. relig. libro octauo quæſtione 193.*

4. Quamuis voto paupertatis repugnet, vſum rerum non con-

consumptibilium, vt librorum, sibi absque superioris licentia vsurpare, aut alteri seu domestico, siue externo concedere, seu commodare; sæpe tamen excusatur à mortali Religiosus ob materiæ paruitatem; quia vsus libri non perpetuus, sed temporalis tanti non æstimatur, vt mortalis peccati materia sit. *Less. c. nu. 79. v. 5. Sanch. lib. 7. cap. 20. num. 6. Layman c. num. 4.* & alij. Nisi accedat præceptum Superioris hoc prohibens sub mortali.

5. *Votum paupertatis* violat Religiosus, si pecuniam vel aliam rem sibi à Prælato definatam ad certum vsum, contra eiusdem voluntatem in alium vsum expendat: *Less. c. vers. 10. Layman c. Sanch. c. cap. 19. num. 115. Faust. in thesaur. relig. l. 8. qu. 101. Rodr. tom. 3. qq. reg. qu. 29. art. 10.*

Item si res ipsi ad vsum concessas per culpam seu negligentiam latam, quæ dolo æquiparatur, amittat, destruat, quia is actus, est proprius dominij, qui Religioso interdictus est: quod si Religiosus peculium habeat suæ administrationi commissum, debet ex eo restitutionem facere Monasterio, cui ex tali destructione, vel quacumque inutili alienatione damnum illatum fuit.

6. *Paupertas religiosa* violatur à Religioso, si quæ ab alijs ipsi data vel donata sunt, accipiat ac retineat sine Prælati consensu: *C. ad monasterium de statu monachor. Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 140.* Quia quidquid Religiosus donatione, legato, hæreditaria successione, vel contractu acquirit; non sibi ipsi, sed ordini vel Monasterio acquirit, si capax sit, perinde ac seruus domino suo acquirit: *C. quod quibusdam, de fideiuss. Azor. tom. 1. li. 12. cap. 11. quæst. 11. Contra* verò Monasterium non obligatur ex contractu vel delicto Religiosi sui, nisi quatenus consensum præbuit; vel exinde aliquid commodi accepit; si tamen promissioni vel contractui Religiosi celebrato absque Prælati consensu, fideiussor accesserit, vel pignus ab altero datum sit, videtur obligatio nasci.

7. *Voti paupertatis* religiosæ transgressor est Religiosus, si aliqua abscondat ne superior sciat, nolens permittere liberæ eius dispositioni: aut si tamquam iniuria affectus sit, murmuret, dum ei à Prælato adimuntur: *Similiter* si quæ etiam cum Prælati licentia acceperat Religiosus, postea abscondat, ne Prælatus volens ea reuocare, propositum suum exequi possit: & *ratio* est, tum quia tales actus sunt actus dominij independentis, siue iuris proprietarij, qui voto paupertatis religiosæ repugnant, tum quia, qui non habet animum promptum ad reddendum quod habet, est proprietarius: at, qui Prælato abscondit quod ad suum vsum deputatum habet, ne illi auferatur à Prælato, non est paratus ad reddendum, vt constat, ergo est proprietarius. Hinc si Prælatus alicui Religioso facultatem concesserit retinendi rem aliquam, & ipse eam recludit, vel apud familiares, vel consanguineos deponit, ne sequens Prælatus videndo illam auferat, est proprietarius. Ratio est, quia eo ipso retinet rem independenter à voluntate superioris, ac proinde est proprietarius. Nec obstat, quòd hic à primo licentiam obtinuerit, vt occultè illam retineret. Quia ea non obstante potest idem superior, vel alius ad libitum reuocare, tenetur Religiosus ex vi voti eam liberam reuocationem non impedire: impedit autem, quando rem celat, ne auferatur. Hinc religiosus, qui dicit se animo esse paratum ad nutum superioris relinquere quod habet cum licentia, & tamen de Prælato conqueritur, vel murmurat, vel alijs modis nititur, ne sibi id quod habet per Prælatum auferatur, non est rutus in conscientia; quia peccat lethaliter non solum ob scandalum, verum etiam ob votum paupertatis violatum, cùm constet, licentiam illam esse coactam, magisque permissiuam, quam concessiuam, sicut multa mala fieri permittuntur, ne maiora committantur, vt dictum est suprà num. 2. Ità Less. *c. num. 79. Sanch. c. cap. 19. num. 60. Syluester v. relig. 6. qu. 7. Laym. c. cap. 7. num. 8. Faustus in thesaur. relig. l. 8. qu. 126. Rodriq. tom. 3. qq. reg. quæs. 29. art. 10. & 12. P. Nauar. l. 1. de restit. cap. 1. num. 174. 179.* Ex quibus colligitur ratio, quare clauium vsus semper fuerit à Patribus condemnatus, quia, scilicet; ex illo sequitur sæpe Religiosos contra solemne votum paupertatis multa superioribus occultare.

8. *Procuratores*, Oeconomi, & similes bonorum Monasterij administratores, transgressores sunt voti paupertatis, si rem quamcumque seu domestico seu externo largiantur, aut expendant aliter, quàm ordinis regula, vel consuetudo, aut superiorum voluntas postulat: *D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 8. Nau. comment. 2. de Regul. num. 9. Molina tom. 2. d. 276. Syluius 2. 2 qu. 32. artic. 8.* Vnde qui ab eiusmodi œconomis aliquid vltra quàm ipsorum potestas se extendit, acceperit, furti particeps fit, & si Religiosus est, etiam voti prævaricator. *Cap. Fraternitatem, de donat. Sanc. c. cap. 19. num. 30. Graffis p. 1. lib. 3. cap. 5. num. 133. Similiter* paupertatis votum violant Prælati Religionum, & contra iustitiam delinquunt, si bona conuentus aliter expendant vel donent quàm ordinis sui regula, vel consuetudo, aut superiorum Prælatorum voluntas ipsis permittit, & talis donatio aut alienatio irrita est, & restitutioni obnoxia, posita materia graui & notabilis.

Dantur tamen aliqui casus, in quibus licet Religioso, inconsulto superiore aliquid dare in eleemosynam.

Primus est, cùm pauper eget extremè, nec aditus patet ad superiorem: Quia hic adest tacitus præcepto naturali diuino debitus superioris consensus. *Nauar. in man. cap. 17. num. 105. Rodriq. t. 2. qq. reg. q. 57. art. 2.*

Secundus est, quando pauper graui necessitate laborat, nec facilè patet recursus ad superiorem, tunc enim adest præsumpta superioris licentia, vt illi subueniat. D. Thom. *4. d. 15. qu. 2. art. 5. quæst. 4. Nauarr. c. num. 105. Tolet. de septem peccat. mort. c. 28.*

Tertius, quando Religiosus cum debita superioris licentia moratur extra Monasterium, studiorum, aut alterius honesti negotij causa; tunc de suo viatico, & ex his, quæ sibi sunt in propriam sustentationem assignata, potest eas eleemosynas largiri, quas alij eiusdem ordinis, & conditionis erogare solent. Quia pietas, & licentia se sustentandi, ad id etiam videtur se extendere de licentia tacita, siue præsumpta Prælati. *Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 11. num. 85. Valent. 2. 2. d. 10. qu. 4. punct. 3. Azor. tom. 1. li. 12. cap. 10. qu. 3.*

Quartus casus est, quando Religiosus habet administrationem alicuius Villæ, ea lege, vt quotannis certam quandam pensionem Monasterio soluat, & cætera vsui suo cedant: hic soluta pensione, de reliquo poterit exponere in eleemosynam, & alia opera pia absque proprietatis nota, quia id expressè vel tacitè videtur contineri in tali administratione.

Idem dicendum de Religioso, qui ex iusta licentia viuit extra Monasterium, nec ab eo recipit aliquid, sed de suo labore, & industria ac eleemosynis victum comparat. *Nauar. commentar. 2. de reg. num. 8. Molin. tom. 2. de iust. d. 276. Rodriq. tom. 3. qq. reg. qu. 29. art. 10. Valentia c. punct. 3.* & alij.

Quintus, quando Religiosus aliquid sibi subtrahit de his, quæ ad suum victum, & vestitum illi tradunt, verbi gratia, si certa summa pecuniæ illi assignetur ad sui sustentationem, eo pacto, vt nihil amplius teneatur Monasterium ei dare, nec ipse rationem reddere, sed vt suo damno, vel commodo eam expendat; potest enim in eleemosynas erogare. *Nauarr. & Molin. cit. Arrag. 2. 2. q. 32. art. 8.*

Circa hos casus est obseruandum, quòd in nullo illorum, excepto primo, potest Religiosus eas eleemosynas largiri, renitente superiore. Ratio est, quia solus extremæ necessitatis casus dat ius Religioso faciendi eleemosynam inuito superiore. Vt rectè monet D. Thom. 2. 2. *qu. 32. art. 8. ad 1.* In cæteris autem requiritur licentia saltem probabiliter præsumpta.

9. *Quidam* Doctores negant, attento iure communi antiquori integrum esse Religionum Prælatis, concedere Religiosis peculium, id est, reditus annuos nutum superiorum reuocabiles, ad solos vsus honestos & pios, ex causaque legitima. *Molanus p. 5. cap. 20. conclus. 3. & 4. Theodoret. Carth. apud Sanch. c. cap. 22. num. 4.* Quia Religiosis interdicitur paupertatis voto habere proprium; at huiusmodi est peculium, est enim peculiare vsui Religiosi illius, & sic non commune, sed proprium: *Rodriq. 1. 2. cap. 33. num. 3. Azor. tom. 1. l. 12. cap. 9. quæs. 1. Sanch. c. num. 5. Nauar. comment. 2. de regul. Probabilior* tamen sententia affirmat, huiusmodi peculium iure communi antiquo permissum esse ex licentia superioris; quia in paupertatis votum non delinquit, qui rem aliquam ex licentia superioris & ad eius nutum reuocabili possidet, & talis non vtitur rebus tamquam suis, sed vt alienis, cum alieno superioris arbitrio ducatur.

10. *Maximè* controuertitur inter Doctores, an eiusmodi peculium, quod attento iure antiquo religioso potest concedi, possit quoque attento nouo Tridentini decreto, atque ita ius commune maneat incorrectum. *Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. de Regularibus.* Plurimi enim sustinent id iam non esse licitum, atque adeò correctum ius commune, quia id videtur clarè interdici in eo decreto, atque huius sententiæ sunt *Rodriq. tom. 3. qq. reg. qu. 29 art. 10. & 11. Lessius lib. 2. cap. 4. num. 30. Molin. tom. 2. d. 276.* & multi alij apud *Sanch.* temperat hanc sententiam *Valent. t. 3. d. 10. qu. 4. p. 3.* nisi Monasterium ita pauper sit, vt ex cõmunibus reditibus nequeat Religiosis satis prouidere, tunc enim licebunt peculia. *Nauar. comment. 2. num. 15. & 18. de regul. Sà v. religio num. 48. Graffius 1. par. lib. 3. cap. 5. num. 53. Sanch. lib. 7.*

cap.32.num.11. Dian.tr.de paup.resol.32.p.1. Altera autem sententia sustinet in decreto Tridentini nihil noui iuris induci, sed solùm declarari ius, quo semper prohibitum erat, tum ne superflua Religiosis assignarentur, tum ne ea conditione aliqua relinquerentur, vt independenter à Prælati voluntate, seu irreuocabiliter retineri possent; & ideò secundùm hanc sententiam, licitum erit hodie peculium, ex iusta causa Religiosis concessum ad vsus licitos & honestos, & reuocabile ad superioris nutum, sicut iure antiquo il licitum erat, ita sentiunt *Navar.* multis in locis, *Sa, Graffius, Sanchez, Diana*, & multi alij apud ipsum.

Nonnullas tamen conditiones statuunt Doctores huius sententiæ, vt licitè absque proprietatis nota, Religiosi possint habere reditus vitalitios.

Prima est, vt non illos habeant quoad dominium tamquam suos proprios, sed solùm quoad simplicem vsum facti congruentis pro suis particularibus necessitatibus.

Secunda, vt eos habeant ex expressa, aut saltem tacita suorum Superiorum licentia.

Tertia, vt huiusmodi reditus sint moderati.

Quarta, vt prædicti reditus, vel aliæ quæuis res illis concessæ, sint incorporatæ communibus bonis Monasterij.

Quinta, vt sint reuocabiles ad nutum Superioris.

Sexta, vt non malè vtantur, expendendo illos in vsus illicitos, & prophanos.

Septima, vt non vagè & ad vsus indeterminatos illis relinquatur dispositio prædictorum bonorum, sed tolùm ad certos vsus determinatos, pios, licitos, necessarios, & à Superiore cognitos.

Octaua, vt id fiat ex aliqua iusta, & rationabili causa.

Nona, vt prædictos reditus illis concessos, non habeant penes se, sed in manu publici officialis per Superiorem assignati.

Decima, & vltima conditio est, vt subditus quando ab officiali necessaria petit, exponat in particulari suas necessitates; nam alias tantùm esset officialis materialiter, & subditus esset dispensator, cùm illa bona ipse pro libito acciperet, & distribueret, quod est contra mentem Concilij.

His positis, Doctores huius opinionis censent saltem quandam esse consuetudinem, non obstante dispositione dicti Concil. Trident. Ratio est, quia cùm sint in potestate publici officialis, vel Procuratoris, in superioris potestate esse dicuntur, cum officialis locum habeat Superioris: adeò vt si quando Monasterium egeat in communi, ex illis pecunijs, ac bonis, prouideantur necessaria Monasterij.

Quod certè non rarò Superiores tentare deberent, vt discerent subditi, non proprietatem, sed vsum, & cum ad nutum Superioris se habere.

Proinde Religiosus qui tenet peculium apud Depositarium, tamquam rem propriam, & computat minutatim quidquid per ipsum Depositarium expenditur, nec patitur, vt Prælatus possit de eo ad libitum disponere, mortale peccatum committit contra votum paupertatis.

Nec obstat dicere mentem Romani Pontificis esse, vt prædictum peculium remaneat depositatum, ac designatum pro eius indigentijs, ac proinde Prælatum non posse de eo absque ipsius consensu disponere.

Quia depositum ad hoc inuentum est, vt auferatur à Religiosis vsusfructus & administratio peculij, & incorporetur, saltem quoad proprietatem, & vsumfructum cum bonis Monasterij, licet quoad vsum simplicem facti remaneat designatum ad subleuandas eorum indigentias; administratio verò eius resideat penes prædictum Depositarium, & hoc de licentia Prælati, & amouibiliter, & non vt præfati Regulares habeant eius proprietatem, vel vsum irreuocabiliter, ita vt Prælatus non possit de eo ad libitum disponere, quia hoc esset in proprio dispensare. Ita eruditè satis Bartholomæus à Sancto Fausto *in Thesaur. relig. li. 8. qu.30.*

11. Non licet Religioso habenti ex legitima superioris licentia peculium, id pro libito suo in quosvis vsus expendere; sed tenetur in vsus honestos: imò Prælatus nec solus, nec cum Capitulo permittere potest Religioso, vt bona, ex quacumque causa, aut titulo prouenientia, in vsus quoslibet etiam vanos aut illicitos expendat, aut superflua, vel pretiosa quæ statum Regularem dedecent penes se habeat. sed vterque, tum Prælatus licentiando, tum subditus ea vtens, voti paupertatis præuaricator existit: quin & donatio talis seu alienatio irrita est ac restitutioni obnoxia; nam Prælatus subdito maiorem facultatem conferre non potest, quàm ipse habet. *Miranda tom.1.qu.28.art.9. Rodriqu.t.2.qq.vsq.qu. 26.art.7. Clau. Reg. lib.9. cap.36. Navarr. comment.2.num.23. Sanch. l.7. cap.19. num 30. 31. & seq. Faust. in thesaur. relig. lib.8. quæst.100.* Tum quia Prælatus non potest pro suo arbitrio & libera voluntate in quos voluerit vsus bona Monasterij exeendere; quamuis enim apud ipsum præcipua administratio proxima bonorum Conuentus reperiatur, *C. cum ad monasterium, de statu monachor.* tamen certum est illum non esse proprium dominum, sed administratorem, cuius curæ omnia illa commissa sunt, non vt disponat de ijs ad libitum in vsus vanos, superfluos, ac illicitos, vt dominus.

Tum quia ipse Prælatus votum paupertatis emisit & est inca. pax dominij; quia Monasterium non transtulit in illum dominium bonorum, quod est penes se, ergo non potest, vt dominus illa dispensare, sed tenetur distribuere in illos vsus, in quos destinata sunt.

Notandum tamen est, Religiosum malè expendentem peculium ex superioris licentia, non incurrere pœnas proprietatis, quia eæ statutæ sunt contra Religiosos absque omni Superioris licentia peculium tenentes: & consequenter etiam dicendum est, nec ipsum Prælatum sic superfluè expendentem incurrere prædictas pœnas: quia si licentia ab ipso concessa subditis est valida ad eum effectum, vt liberentur à proprietarij pœnis, liberabitur quoque ipse sic expendens; quia eadem licentia vti potest, quam ipse subditis concedere valet. Vide Navar, *comment.2. de regul. num.21.*

Sed quia confessarij omnes opiniones scire debent, vt postea secundum prudentiam illis vtantur, & si aliter fieri non potest, onera non imponant ferre non valentibus, vel nolentibus, quando probabiliter fieri potest, ideò contra communem doctrinam hoc numero relatam, nonnulli recentiores admittunt vt probabilem opinionem illam, quæ docet Religiosum habentem licentiam expendendi aliquam pecuniam in vsus, qui sibi placuerint, aut in suas honestas recreationes, si in vsus turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis, & accipientem in tali casu non teneri restituere. Citantur pro hac sententia *Bann. Lopez, Rebellus, Ioannes Franciscus Suar.* Cardinalis *Lugo, Ioann. Machadus*, à Diana *p.3.tract.2.resol.65. §. Nota tertiò, & resolut.98.* Quam confirmat nouissimè vt probabilem *p.7.tract.11.resol.22.* Rationem autem huius sententiæ reddunt citati authores: Quia in alijs materijs licentia generaliter concessa non intelligitur limitari ad solos vsus, vel casus alioquin non turpes, nec illicitos, sed in ijs etiam aufert malitiam, quam posset habere ex defectu talis licentiæ, quamuis remaneat turpitudo, & malitia ex alio capite; ergo cùm Prælatus vniuersaliter concedit licentiam expendendi pro libito, non est cur præsumatur limitare licentiam ad vsus solùm aliunde non illicitos, sed potiùs velle auferre impedimentum ex parte sua quantum potest.

Verum amice lector ne recedas à communi sententia: quia ipsemet Diana *part.2.tract.15.resol.54.* fatetur se quasi coactum hanc opinionem retulisse, dicens: *Scripsi hæc*, inquit, *ut re tam grauis, quasi coactus, & Deus scit si cum magna, & intima cordis tristitia, vt fragilibus conscientijs aliquod remedium exhiberem; nam si contraria sententia in praxi omnino amplectenda esset, vt alium mordicus consulebam, mille laqueis restitutionis pènè innumeris tenerentur, & nemo restitueret.* Hæc ille. Bordonus etiam *in consil. regul. resol.43. q. 17.* sustinet licentiam expressam expendendi pecunias in vsus illicitos, & turpes excusare à vitio proprietatis, & ab obligatione restituendi, licet aliàs peccet mortaliter Religiosus taliter expendens: quia licentia hæc quamuis sit illicita, ac proinde non excuset à peccato infidelis administrationis, excusat tamen à peccato iniustitiæ, & à pœna restitutionis, & proprietatis; sed an probabiliter, penes doctiores sit iudicium.

Ex dictis oriuntur dubia breuiter resoluenda, de hac materia. Primum. An Religiosus sit dicendus proprietarius qui de Superioris licentia possidet multa superflua respectu sui status? Respondeo conuenire inter Doctores, hunc Religiosum mortaliter peccare, qui de licentia Superioris quantitatem notabilem expendit in vsus superfluos, aut vanos, aut tenet multa superflua, & Superiorem etiam mortiferè delinquere, cùm facultatem cõcedit Religioso, vt plus habeat ad vsus quotidianos quàm par sit. Ratio est, quia secundùm iura ex bonis communibus apud Religiosos nec dari nec accipi plus debet, quàm necessarius cuiusque vsus, ac indigentia postulet. Vnde in *Conc. Trid. sess.25.ca.2. de reg.* Decernitur, ne superfluum Religiosis concedatur, sed quæ statum Religiosum deceant.

Et hoc idem statuit Sacra Congregatio apud *Quarrum. in sum. Bul-*

Nullar. v. casus reservatus. Deinde probatur ex *Clementina*, vbi strictè prohibetur Monachis Sancti Benedicti, quælibet pretiositas, aut superfluitas in suis vsibus. Quam prohibitionem ad omnes Religiosos pertinere affirmat. *Nav. comment. 4. de regul. num. 27.*

Sed dubiæ est quæstionis, an talis Religiosus peccet peccato proprietatis? quidam existimant hunc non peccare peccato proprietatis, sed auaritiæ, quia nihil vsurpat absque Superioris licentia, & est paratus ad nutum Superioris omnia relinquere. Ita *Lessius l. 2. cap. 41. dub. 9. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 12. quæst. 5. Nav. c. non dicatis num. 21.* & alij.

Verius tamen est huiusmodi Religiosum contra votiuam paupertatem peccare. Ratio est, quia hic ex omnium communi sententia peccat mortaliter, sed non apparet quale illud peccatum sit, nisi proprietatis, ergo.

Tum quia vtitur rebus superfluis contra voluntatem Summi Pontificis, qui est supremus omnium Religiosorum Prælatus, nam in Concil. Trident. *sess. 25. c. 2. de regul.* decernitur, vt eorum suppellex statui paupertatis quam professi sunt, conueniat, nihilque superflui in ea sit. Ita *Maior in 4. dist. 38. quæs. 9. Nauarr. lib. 3. de restitut. cap. 1 dub. 1. num. 168. Graffis 2. par. l. 3. cap. 19. num. 15. 26. & 34.* & alij.

Sed petes, quid dici debeat necessarium, quid verò superfluum Religiosis? Resp. quod necessarium dicitur non solum quod absolutè est necessarium, ita vt sine illo res nullo modo possit consistere, quod & necessarium simpliciter dicitur. Sed & illud dicitur necessarium, sine quo res non potest decenter & congruenter conseruari, quod à Philosophis dicitur necessarium secundùm quid.

Superfluum dicitur, quod pensatis omnibus circumstantijs Religionis, personæ, loci, temporis, officij, &c. neque ad vitam, neque ad decentiam statum Religiosorum est necessarium. Vnde quod in vna Religione iudicatur moderatus vsus, in altera vt superfluus merito reijcitur, & quod in eodem Monasterio vni est necessarium, respectu alterius censetur superfluum, & quod alicui tempore infirmitatis est opportunum, id recuperata sanitate eidem est inconueniens.

Ex quibus infertur 1. quòd Religiosos, qui de licentia Superioris vtitur rebus ita abondanter vt reliqui Religiosi patiantur necessitatem, peccat, quia ita faciendo facit iniuriam alijs cùm bona Monasterij pro indigentibus communia sint, & tantus potest esse excessus vt peccet mortaliter contra votum paupertatis, tam dispensans Superior, quàm dispensatus: quia ex officio tenetur Prælatus fideliter, & rationabiliter dispensare bona Monasterij. Ita Lopez *2. par. instruct. cap. 6. Rodr. p. 2. sum. lar. ca. 33. Faust. in thesaur. relig. l. 8. qu. 96.*

Infertur 2. quòd Religiosus qui recipit, vel in cubiculo suo retinet arma, vt scloperum, lanceam, thoracem & his similia: vel qui in cellis amplissima supellectili, paramentis, picturis, imaginibus aureis, aut argenteis, alioque rerum vario, & multiplici ornatu, diuitum sæculi more abundare non veretur, contra votum paupertatis peccat.

Infertur 3. quòd Superiores, qui superflua ædificia, aut nimis curiosa construunt, dummodo illa excedant statum paupertatis, aut decentiam sui status, peccant mortaliter, & sunt proprietarij. De quo abusu loquens. *D. Bernard. in apolod. ad Guil. Abb. Et in Epist. ad Fratres de Monte Dei* sic ait. *Iam enim submiserunt de cre altum fastigia. & (quantum sinit pudor) ambitiosa cellularum edificia, & abstracta fastidia simplicitatis, & rusticitate, quasi religiosas quasdam nobis creamus habitationum honestates. Dimissam enim nobis à Patribus nostris mire hæreditarie formam paupertatis, & sanctæ simplicitatis speciem, rursum detestem domus Dei alienantes à nobis, & à cellis nostris, per manus artificum exquisitorum, cellas non tam Eremiticas, quam aromaticas ædificamus nobis de eleemosynis pauperum.* Et post pauca. *Ergo obsecro in peregrinatione huius sæculi, in militia hac super terram ædificemus nobis non domos ad habitandum, sed tabernacula ad deferendum: vtpote cito inde vocandis, & migraturi in patriam.* Hæc D. Bernardus.

Porrò quoad mobilium superfluitatem vel conuenientiam, potest Religiosus tuta conscientia stare arbitrio prudentis superioris, nisi de excessu arbitrij constiterit, habita, nempe ratione personæ, officij, & Regulæ, statusque paupertatis quam professus est, & cæterarum iisdem qualitatum. Ita *Faustus in thesaur. relig. l. 8. qu. 96.*

Certum magnæ abusio est, vt in loco paupertatis, vbi diuites penuriam inducunt, pauperes superfluitatem quærant: in loco afflictionis, vbi delicati mortificantur, homines rusticani res delicatas affectent. Vnde idem D. Bernard. *in serm. 4. de aduentu. Videmus autem* (inquit) *pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeo pusillanimes inuenirentur, & tristes, vipeis Reges, & Reges cali, sed ibi sunt qui pauperes esse volunt. eo tamen pacto, vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur.*

Ingemiscamus ergo nos Religiosi, qui nudam Crucem, nudi sequi debemus, & clamemus cum eodem *D. Bernardo ad Guilielmum Abbatem. Miror*, inquit, vnde inter Monachos tanta intemperantia in conuiuationibus, potationibus, in vestimentis, & lectisternijs, & equitaturis, & constructionis ædificijs inolescere potuit, & quod deterius est, vbi hæc studiosiùs, voluptuosiùs, atque effusiùs fiunt, ibi ordo melius teneri dicatur, ibi maior putetur Religio.

Ecce enim parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur. Et contra remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentum, & equorum fastus honestas, lectorum superfluus cultus munditia.

Cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio, discretionem confundit, talis misericordia, crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur.

Quæ enim charitas est, carnem diligere & spiritum negligere? Quæue discretio totum dare corpori, & animæ nihil? *&c. Et infrà eadem Bernard. 1. Timoth. 6.* Habentes victum, & vestitum, his contenti simus. Nobis autem pro victu fastidium, nec vestitum appetimus, sed ornatum.

Quæritur ad inducendum, non quod vilius, sed quod subtilius inuenitur, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat, non denique (*iuxta Regulam*) quod vilius comparari potest, sed quod venustius, imò vanius ostentari. Heu me miserum qualemcumque Monachum. Cur adhuc viuo videre ad id deuenisse ordinem nostrum? *&c. Et infrà.* Miror autem cùm Regula dicat, ad magistrum respicere, quidquid à discipulis delinquitur, & Dominus per Prophetam, sanguinem in peccato morientium de manu Pastorum requirendum esse minetur, quomodo Abbates nostri patiuntur fieri talia, nisi fortè (si audeam dicere) nemo fidenter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit.

Nec dicant quidam ex dictis Religiosis, quòd talia superflua teneant de licentia Prælatorum? Ad quos posset responderi, quòd Prælati non possint cum talibus, vt habeant, & vtantur superfluis dispensare quia illud, non est dispensare, sed dissipare. Cùm enim quilibet Religiosus victu, & vestitu debeat esse contentus 1. *Timoth. 6.* quomodo contra tot iura, & eorum regulas potest cum talibus in tali superfluitate dispensari.

12. *Causa iusta* peculij concedendi Monacho duplex est, nempe *necessitas*, aut *vtilitas grauis, priuata aut publica*. *Graffis 2. p. dec. l. 3. cap. 18. num. 28. Laymann c. cap. 7. num 14. Sanch. l. 7. cap. 22. num. 20. Prudentia* est, vt pro victu vel vestitu Religiosi, quando Monasterium necessaria illi non suppeditat, vel ad emendos libros spirituales, vel quibus discat, aut animus recreetur honestè: *publica* autem, vt ad libros emendos ad docendum, & concionandum. *Nauarrus comment. 2. de regul. num. 24. & 25.* Autem putat arbitrio prudentis relinqui, quæ sit iusta causa, nam consideranda sunt, persona, locus, finis, in quem conceditur, tempus, & quantitas rei concessæ, & id genus alia.

13. Prælatus Religionis non ministrans necessaria subditis cùm commodè præbere potest, & sic peculijs causam præbens, peccat mortaliter; quia secundùm *D. Anton. 3. part. tit. 16. cap. 1. §. 11. Sylvest. v. Religio 6. qu. 7. fin. Sanch. c. cap. 22. num. 26. & 27. Lessius l. 2. c. 41. dub. 5. Valentia 2. 2. disp. 10. q. 4. punct. 2.* & alios, non sunt Prælati in tuto statu. non adhibentes diligentiam debitam vt in communi vita transigatur, quando id commodè & sine magno scandalo fieri potest. Similiter peccant mortaliter subditi dantes peculijs causam resistendo vitæ communi, cùm illis necessaria ministrentur & similiter grauiter murmurando, & magnas querelas fundendo.

Item, peccat mortaliter contra votum paupertatis Prælatus, qui recipit plures Religiosos quam reditibus, vel eleemosynis commodè sustentari possint.

Quia facit contra præceptum Concil. Trident. *sess. 25. cap. 3.* & hoc in re graui, & valdè necessaria ad conseruandum statum Religiosi bonum progressum: ibi enim sic dicitur. *In Monasterijs tantum immensus constituatur, ac in posterum constitueretur, qui vel*

ex reditibus proprijs monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Ita *Bartholom. à S. Fausto in thesaur. relig. l. 8. q. 32. & 195.* Nec valet contra prædicta, excusatio quorumdam Religiosorum dicentium, quòd quando ipsi professionem fecerunt, non intenderunt ad alium modum viuendi se obligare, quàm qui tunc temporis vigebat in Religione, & votum non obligat vltra intentionem vouentis.

Quia quamuis verum sit quòd votum non obligat nisi secundùm intentionem vouentis, hoc tamen intelligitur, quando in potestate vouentis est sic, vel sic vouere: sed quando est eis præscripta forma, & modus viuendi, sicut fit in solemni professione, id minimè est verum.

Vnde isti non possunt in vouendo mutare formam professionis per intentionem contrariam ei, quod verba sonare videntur. Tum quia quando isti fecerunt professionem, se obligauerunt ad obseruantiam regulæ, & non ad abusum eius, ex negligentia, vel malitia inobseruantium introductum.

Nec valet etiam dicere, quòd prædictus viuendi modus toleretur à plerisque Religionum Prælatis, qui subditos non cogunt ad vitam communem.

Quia si id aliquo modo videantur tolerare Superiores, eorum tolerantia potiùs dicenda est permissiua, quàm approbatiua. Sola autem tolerantia permissiua & non approbatiua non sufficit ad eximendum transgressorem à peccato.

Et est igitur laudabilis vitæ religiosæ consuetudo, qua vestes in communi loco asseruantur; & inde in singulas hebdomadas, menses, & annos, in vsum cuiusque distribuuntur. Quibus quidam præficiuntur, vt eas custodiant, excutiant, purgent, refarciant ac renouent.

Vbi nullus apud se habet vestes, præter eas, quæ ad quotidianum vsum necessariæ sunt; nullus apud se pecuniam tenet, præter officiales, quibus bonorum Monasterij administratio, & cura committitur.

Ac denique communis est omnium victus, communis mensa, communis vestitus in communi loco solitus asseruari. Contrà verò, ea improbanda est consuetudo, vbi Religiosorum quisque aliquid apud se habet, vnde viuat, quod in communem locum non affert; vbi singuli plus habent, quàm quod sibi sit necessarium ad vitam tuendam. Vnde *D. Basil. in constit. monasticis cap. 9.* ait, *Perfectissimam ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria, & priuata cuiuslibet rei possessio exclusa est, à qua omnis abest dissentio, omnis perturbatio, & rixa, sed omnia sunt communia, animus, mentes, corpora, eaque quibus necessario ad cultum, & victum vtitur.*

Huic vitæ instituto quid est tandem, quod iure æquiparari possit, quid beatius dici? quid hac communione, vnitate, & necessitudine aptius? D. Chrysostom. in homil. 8. ad popul. Antiochen. laudans in Religiosis hanc communem vitam, & æqualem, ait, *vna mensa & ministrantibus, & suscipientibus, & exhibentibus eadem fercula, eadem indumenta, habitacula eadem, eadem vita, non est ibi* (meum) *ac* (tuum) *sed hoc verbum penitus eliminatum est, multarum causa malorum.*

14. *Religiosus* contra paupertatis votum non peccat, si sine Superioris expressa aut rationabiliter præsumpta licentia à diuite pecuniam, vel alia dona accipiat, non pro se, sed vt alijs det, puta pauperibus vel consanguineis; modò donationem nullo modo acceptet, neque quoad ipsam rem, neque quoad dispositionem de re; quia hoc casu diues nullum omnino ius pretio æstimabile à se in Religiosum transfert. *Sanch. de matrimon. l. 6. disput. 4. num. 7. & lib. 7. moral. cap. 30. num. 4. Layman l. 4. trac. 5. cap. 7. num. 16. Caramuel in reg. S. Bened. num. 887. Diana de paup. resol 8. & 29. Fagund. præcept. 2. l. 8. cap. 6. num. 18. Suar. tom. 3. de relig. l. 8. cap. 11. num. 45. Consequenter* Religiosus, cùm nihil iuris sibi vendicet contra votum paupertatis, non delinquit, sed habet se vt merus intercessor, vel vt eleemosynarius, cui à diuite pecunia committitur, vt eam nomine illius pauperibus ipse distribuat, qui existimauerit esse magis indigentes.

Item si Religiosus acciperet ab alio pecuniam tantum in custodiam, vt eam reddat, quoties dominus voluerit, per se non esset contra paupertatem, licet posset esse contra obedientiam, & contra decentiam religiosam si occultè fiat. Ita *Suar.* citatus hic. Hinc qui ex improuiso mortuus inuentus est in cella cum marsupio denariorum, non est priuandus Ecclesiastica sepultura: quia iura non priuant officio Altaris talem Monachum viuentem cum peculio, nisi quando priùs monitus noluit dimittere: ergo sic mortuum non priuabunt sepultura Ecclesiastica; deinde talis mortuus poterat se purgare, quòd denarij essent sui amici, consanguinei, vel sibi depositi, vel concrediti, vt alteri deferret loco eleemosynæ vel restitutionis: sed hoc limitandum est dummodo talis Religiosus non sit Minorita, ob strictiorem regulæ prohibitionem erga pecuniam recipiendam, nisi circumstantiæ probabiles occurrerent in contrarium. Ita *Portel. v. Sepultura num. 11. Hieronym. Rodriqu. in compend. resolut. 128. numero 20.*

15. *In votum paupertatis* peccat Religiosus, si rem donatam vel secundùm se, vel secundùm liberam eius dispositionem, absque Superioris licentia acceptat, quamuis in fauorem alterius; quod pluribus modis fieri potest. *Turr. 2. 2. d. 84. dub. 3. Layman c. numero 16. Bartholom. à Sancto Fausto in thesaur. religio. lib. 8. quæst. 117.*

Primò, si diuite pecuniam ipsi donare volente expressè vel tacitè acceptet donationem, petat tamen vt detur consanguineo.

Secundò, si Religiosus in donationem sibi factam consentiat, & rem donatam accipiat, protestetur tamen, se non seruaturum, sed consanguineo suo donaturum.

Tertiò, si Religiosus pecuniam accipiat ad distribuendum liberè pauperibus quibus ipse voluerit independenter à voluntate dantis: quia in his casibus ius pretio æstimabile in Religiosum transfertur, quod paupertatis voto repugnat.

16. Religiosi omnia bona, de quibus ipse antè non disposuit, per professionem iure communi transeunt in Monasterium, modò habeat ius successionis: ius autem succedendi habent omnia Monasteria Regularium, præter domos & collegia Societatis Iesu, Minorum de Obseruantia & Capucinorum. *Authent. si qua mulier. Code Episc. & Cleric. Cap. Quia inveteratis, & cap. Si qua mulier. 19. q. 3. Navar. comment. 2. de regul. num. 44. & seq. Lessius l. 2. cap. 41. num. 81.* Cæteris omnibus Ordinib. virorum, & mulierum etiam Mendicantibus concessit *Conc. Trident. sess. 25. de regul. cap. 3.* Vt bona immobilia possidere possint, vnde etiam vt in eis succedant: & quidem Societas per suas constitutiones hoc iure caret, non solùm in domibus professis sed etiam in Collegijs vt docet *Lessius.*

Sed notandum est, quòd religiosi Societatis sunt in triplici gradu.

Primò enim sunt coadiutores formati cum voto simplici obediendi in manibus Prælati, per quod non possunt profiteri in alia Religione (excepta Carthusiensi) votum verò paupertatis illos facit bonorum incapaces.

Voto autem simplici continentiæ, efficiuntur incapaces ad matrimonium.

In secundo gradu sunt quidam, qui tamquam scholares approbati coarctantur, quorum vota Prælatus non acceptat nisi implicitè, post scrutinium probationis biennij.

Differt tamen scholaris à coadiutore formato in paupertate: quia scholaris cum licentia Prælati potest ad tempus retinere dominium bonorum, sed sine vsu & administratione.

In tertio gradu sunt professi quatuor votorum, qui soli ius habent suffragij in Congregatione generali. Et hi in secunda eorum Congregatione generali coacta anno 1565. totius Societatis nomine renunciauerunt cuicumque iuri prouenienti ex concessione Concilij Tridentini hic citati, ad habenda bona immobilia in communi in domibus professorum, vel eorum Ecclesijs.

Quod statutum postea approbauit Gregorius XIII. Pontifex maximus anno 1584. *in Extrauag. Ascendente Domino* vbi totum Societatis institutum retulit, & confirmauit, decidens, coadiutores formatos Societatis Iesu per simplex paupertatis votum, & per solemne professos reddi incapaces omnis hæreditariæ successionis, & cuiuscumque proprij habendi, & domos professas Societatis nullos reditus habere posse. Sed plura de his apud *Sanch. li 6. mor. c. 18. n. 11. & seq.*

Verùm licet Monasteria iure Canonico, & ciuili habeant ius succedendi, vt dictum est, potest tamen contraria consuetudine legitimè præscripta derogari huic iuri succedendi in professi bona: vnde apud Gallos, & Hispanos ex more abrogatæ sunt eiusmodi leges & Canones, apud quos vniuersa bona profitentium Religionem, nisi ex pacto Monasterio reseruentur, ad consanguineos propinquiores perueniunt; talis etiam consuetudo viget apud Belgas, vt experientia ipsa constat. Vide *Couarru. de testam. cap. 1. n. 21. ad finem.*

17. Ex facultate Iuris Canonici. *Rodriq. tom. 1. q. 4. reg. quæst. 34. art. 7. Lessius c. num. 94. Navar. c. num. 10. & 11. Sa v. religio nu. 46. Layman c. num. 17* Religiosus beneficiatus, interim dum beneficium Ecclesiasticum obtinet, redituum administrationem habet,

habet, quos proinde, tum ad sui sustentationem, tum ad alias causas pias expendere potest, & hoc verum, licet beneficium manuale sit, ita vt beneficiarius arbitratu Prælati (modò ex causa iusta) reuocari possit, quia pro tempore quo beneficium manuale, seu reuocabile iustè obtinet, fructuum administrationem sibi ex Canonum constitutione deposcit: *Clement. 2. de vita, & honest. §. sed & tales. Clement. 1. de suppleud. neglig. Prælat.* habet etiam locum hæc assertio; si beneficium Regulare sit, verbi gratia prioratus, habens proprios reditus: tamen in hac re attendendum est ad cuiusque ordinis regulam, & legitimè introductam consuetudinem.

Reditus verò Parochiarum quæ Monasterijs incorporatæ sunt, ad Monasteria pertinent, non ad Vicarios Regulares obedientiarios, nisi quantum ex Prælati Regularis voluntate ad victum, & sustentationem eisdem designatur, cum dependentia ab eodem.

18. Religiosus habens beneficium extra suum Monasterium vel ordinem, acquirit non Monasterio, sed beneficio: vnde reditus beneficij, qui post amotionem aut mortem beneficiarij superfunt, ad Ecclesiam eam vel beneficium, cui seruiuit, & cuius intuitu acquisiti fuerunt pertinere debent: quæ autem religiosus beneficiarius extra Monasterium aliunde acquirit, videlicet ex eleemosynis, hereditate, legato, propria arte, vel etiam ex pensione ipsi constituta, ea Monasterio saltem post mortem beneficiarij acquiruntur, si id bonorum in communi capax sit. *C. Statutum. 18. qu. 1. Azor. tom. 1. l. 12. cap. 10. quæst. 6. Lessius c. num. 91. Sanc. l. 7. c. 32. n. 76. Barthol. à S. Fausto in thesaur. relig. l. 8. q. 55. Nau. com. 4. de regul. n. 69.*

Hæc tamen intelligenda sunt de beneficijs, quæ non sunt de mensa ipsorum Prælatorum, seu ipsorum Monasteriorum, vt expresè declaratur in *Clement. vnic. de suppleud. neglig. Prælat.* quia si essent sic Monasterijs vnita ex speciali Sedis Apostolicæ indulto, tunc id non procederet: vnde nec ob mortem prouisi vacare dicerentur per text. *in cap. vnico, verf. Quidam etiam, de excess. Prælat. n 6.* Quia Monasterium, ad quod tales fructus spectant, nunquam moritur.

Quo casu beneficiarius non dicitur acquirere, sed tribuere Monasterio, quod suum est, ex speciali applicatione ei facta. Verùm quamuis beneficia pleno iure ad Monasterium, seu ad eius Abbatem spectarent; si tamen eorum reditus & prouentus mensæ Abbatialis, siue Monasterio applicati non essent; tunc regularis beneficiarius suæ Ecclesiæ, non Monasterio acquireret, vt patet in dicta Clementina, & docet Suar. *de Relig. tom. 4. tr. 8. lib. 5, c. 19. n. 9.*

19. Non potest *Prælatus* religioso alicuius rei vsum irreuocabilem concedere; quia Prælatus nihil religioso concedere potest, quod voto paupertatis repugnat; habere autem vsum alicuius rei non dependentem, seu non reuocabilem à Prælato, voto paupertatis repugnat: *Sanch. l. 7. cap. 17. num. 28. Sylu. v. Abbas quæst. 3. Angelus ibidem. §. 17. Graffis p. 2. lib. 3. cap. 18. numer. 27. Cordub. quæst. 54. not. 2. Nauarr. l. 3. consil. consil. 20. numero 12. de regul.*

Imò nec Pontifex concedere hoc posset Monacho sic manenti, nisi eum à voto paupertatis absoluendo: quando autem Superior concessit religioso vsum illius rei, promittens se non reuocaturum; certum est tenere reuocationem, quamuis sit statutum editum à Prælato cum Conuentu iuramento stabilitum; erit tamen periculus in reuocando, quando statutum illud non tenderet in detrimentum salutis æternæ.

Sed petes primò, an subsistat legatum relictum religioso vel Moniali, ea lege, vt ad ipsos, non autem ad Monasterium pertineat? Respond. Legatum sub prædicta conditione relictum, esse benignè interpretandum, & voluntatem testatoris explicari debere eo modo, quo subsistere & seruari possit, nempe, vt vsus seu commoditas ad Religiosum vel Monialem pertinere debeat cum dependentia à Prælati vel Abbatissæ consensu, qui cùm primum consensum denegauerit, corruet legatum, seu institutio: sin verò consensum perduerit, interim iuris dominium Monasterio acquisitum sit. Ratio est, tum quia verba in dispositionibus intelligi debent secundùm conditionem personæ, ad quã diriguntur, cùm igitur hæc verba dirigantur ad religiosum vel Monialem, qui proprietatis sunt prorsus incapaces, & solum vsum possunt habere, & hunc quidem ex consensu Superioris, & ab eo dependenter, verba dispositionis intelligi debent, vt id legatum obtineat religiosus vel Monialis eo modo, quo habere potest, nempe, quoad vsum permittente superiore Ita habetur in *L. plenum §. equitis, ff. de vsu, & habitat. inst.* Tum quia oportet dispositionem quamcumque ita interpretari potiùs vt valeat, quam vt pereat, vti docent Doctores in *L. in contrahenda, ff. de regulis iuris.* Tum quia verborum perplexitas interpretanda est ex præsumpta disponentis voluntate, *l. qui quadringenta, ff. ad l. Falcidiam.* Huius sententiæ sunt *Rodriqu. t. 2. qq. reg. qu. 125. art. 2. Azor. tom. 1. l. 12. cap. 10. qu. 3 Graffis 1. par. l. 3. cap. 5. num. 41. Molina tom. 1. trac. 2. disput. 140. Syluester v. Religio 8. quæst. 5. Diana p. 3. tr. 2. resol. 34. Angelus v. Monasterium num. 2. Tabiena v. Monachus, qu. 14. num. 15. Hieronym. Rodriqu. in compend. resolut. 88. num. 4. Nauarr. lib. 3. consil. de regular. conf. 75. dub. 8.* Qui etiam adnotant hoc esse verum, quamuis testator in ea cõditione exprimeret, vt nihil iuris afferens commoditatem, seu quoad vsum adquiratur Monasterio, secus autem quoad dominium.

Aduertendum tamen, quòd, licet integrum sit religioso seu Moniali acquirere legatum hoc ex Superioris permissu, intelligendum est ad solos vsus religiosis permissos, vt in vsus pios, & in proprias necessitates subleuandas, quod & in Monasterij vtilitatem redundat, vtpote quod liberatur onere prospiciendi necessitatibus illis.

Idem dicendum, etsi testator diceret, *cum conditione vt expendat in vsus, quos voluerit.* Intelligendum enim est de vsibus religiosos licitis, vt verba accommodentur personæ, ad quam diriguntur, & vt actus teneat. Atque hæc omnia simili ratione locum habent in donatione facta religioso seu Moniali, simili conditione adiecta.

His verò addendum, tametsi corruat legatum, si Prælatus seu Abbatissa consentire nolit, vt vsus & commoditas rei ad religiosum seu Monialem pertineat; quia non est impleta conditio, sub qua dispositio facta fuit: si tamen Prælatus ex sua parte consentiat, religiosus verò seu Monialis vsum & commoditatem sibi competentem, Monasterio resignet, validam fore resignationem; quia conditio illa à testatore adiecta, erat in gratiam & fauorem religiosi vel Monialis; quibus autem fauori suo renunciare potest. Plura de his apud Doctores hic citatos.

Petes secundò, an corruat legatum cum expressa conditione, quòd omninò quoad dominiũ pertineat ad religiosum seu Monialem, & nullo modo ad Monasterium? Respondeo affirmatiue: quia in vltimis voluntatibus, sicuti in omni alia dispositione, primum locum voluntas testatoris obtinet, eaque regit conditiones; si ergo clarè appareat, noluisse testatorem aliter relinquere, nisi cum conditione quæ impleri non potest corruere debet relictum. Ita docent *Syluester, Molina, Rodriques* suprà citati.

Petes tertiò, an Religiosis vel Monialibus aliquid possit legari cum conditione, quòd Prælatus vel Abbatissa in tali Legato se intromittere non possit, & casu quo Superior se intromittat Legatum pertineat ad quemdam extraneum? Respondet ad hoc dubium *Rodriq. tom. 2. qq. reg. qu. 125. art. 3.* Religiosos viros seu Moniales, qui propter Deum abnegauerunt suas proprias voluntates, non debere acceptare legata hoc modo relicta, nisi conditio in ipsis apposita omninò tollatur, ita vt apud eorum Prælatos libera maneat administratio: Et confirmat hoc, exemplo cuiusdam *Arseni* nobilis Monachi in Ægypto commorantis; cùm enim ipsi quoddam testamentum fuisset delatum, in quo illi quoddam legatum relinquebatur, noluit testamentum videre dicens, prius ipsum, quàm testatorem è vita discessisse, & per consequens tale Legatum ipsi relinquere minimè potuisse. Hæc ille.

Deinde hæc conditio admodum turpis foret, si Superior obligari debeat ad dandam licentiam continuò vtendi dicto legato per religiosum illum sub periculo nullitatis & cessationis legati ipso facto; ita vt in alios vsus dictum legatum applicari non possit, hæc enim est species proprietatis, & vix intelligi potest, quomodo ille vsus dependeat à voluntate Superioris, qui eum tenetur huic personæ concedere sub tali periculo, atque ita arctatur ad consentiendum dicto vsui.

Sed hoc intelligendum est, modo aliunde consuleretur necessitati religiosi seu Monialis, iuxta moderationem, quam status religiosus permittit.

Maximè facit ad hoc decretum *Clementis VIII.* editum 25. Iulij 1599 confirmatum per *Vrban. VIII.* 26. Octobris 1624. cuius decreti hic tenor est.

Quò Tridentini Concilij Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius obseruentur; Præcipitur, vt nullus ex Fratribus etiamsi Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, prouentus, census, eleemosynas, siue ex concionibus, siue ex lectionibus,

aut pro Missis: tam in propria Ecclesia, quam vbicumque celebrandis aliove ipsorum vsque labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi ex eleemosynis consanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possint, sed ea omnia superiori tradantur, & conventui incorporentur, atque cum caeteris illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit.

Ex quibus non apparet ipsum legatum sola negatione licentiæ Superioris illo vtendi, ipso facto redire ad extraneum substitutum, & expirare absque alia vlla Iuris solemnitate, propter ius acquisitum Monasterio ratione dominij, & proprietatis dicti legati per illam incorporationem; vnde Monasterium subleuatur, iuuatur & exoneratur sitque locupletius, quo iure priuari non potest ad libitum substituti eo grauati, per negationem dictæ licentiæ.

Concludendum est ergo cum eodem *Rodrigu. c. qu. 125. art. 6.* Prælatum posse ad libitum etiam inuito subdito, disponere de tali legato in vtilitatem Conuentus, & totum teneri ipsi religioso in necessarijs subuenire sicut alijs subditis, iuxta Decretum *Conc. Trid. sess. 25. c. 2. de regular.* nam relicta Monacho potenti in communi, statim Monasterio acquiruntur, contra quod iuris dictator nihil valuit disponere: qua adiectio pœnæ actui interdicto, est ipso iure nulla.

Quod si legatum fuit relictum Fratri Minori de danda certa quantitate pecuniæ, cum eius ordo incapax sit dominij talis rei, expedit debere iuxta dantis voluntatem in necessitates præsentes, vel imminentes ipsius religioti, quibus factis, vel cessantibus reliquum poterit a Prælato conuerti in vtilitatem Conuentus.

Si verò res legata est talis speciei, quòd illa possit licitè vti Conuentus, cum eius dominium statim tranſeat in Sedem Apostolicam, erit Prælatus tanquam administrator rerum pertinentium ad eandem sedem, poterit de ea disponere, nec tradi legatario quidquam dare tenebitur, sed tantùm necessaria, sicut alijs subditis ei subministrare. *Ita Rodrigu.* & ego contra quoldam alios aliter opinantes Saluo, &c.

20 *Pœna* iure Canonico decretæ religioso proprietario, seu proprium retinenti sunt tres. *C. Monachi, de stat. monach. Sanch. l. 7. c. 20. n. 11.*

Prima, religiosus proprium habens tempore mortis inuentus, nec illud abiecerat, in loco sacro sepeliri non potest, sed in sterquilinio cum canibus per eum possessa, & si in loco sacro sepultus fuerit, est extrahendus, si absque magno scandalo id fieri potest. *C. cum ad monasterium, de stat. monachor. Sanches c. numero 12.*

Secunda pœna est, vt Monachus habens proprium à Monasterio expellatur: sed hodie huic pœnæ locus non est, sed vt ad pœnitentiam agendam in carcerem detrudatur intra Monasterij septa, ne vagandi occasio præbeatur *Conc. Trident. sess. 25. c. de regularibus. Laymann cap. 7. num. 22. Faustus in Thesaur. relig. l. 8. qu. 198.*

Tertia pœna est, vt si religiosus proprium habens deprehensus fuerit aut conuictus, priuatus sit biennio voce activa & passiua, atque iuxta sui ordinis constitutiones puniendus: hæc pœna non incurritur ante sententiam iudicis nec à dantibus aliquid absque superioris licentia, quamuis hi peccent in paupertatis votum sed à retinentibus.

Hinc, religiosus ex eo quia dedit vel expendit aliquid absque superioris licentia, non potest dici quòd moriatur proprietarius, ad effectum vt prædictas pœnas incurrat.

Quia textus citati clarè de possidentibus proprium loquuntur: vnde etiam religiosus, qui moritur cum parua quantitate pecuniæ, non potest dici quòd moriatur proprietarius, vt denegetur ei sepultura Ecclesiastica, quia vt colligitur ex iure illi solùm debent priuari sepultura, qui cognoscuntur euidenter mori in peccato mortali, vt cum Nauarro soluit Rodrig. 1. *p. Sum. latin. cap. 149. num. 1.*

Circa caput secundum Concilij Tridentini sessione 25. de regularibus fuerunt proposita quædam dubia Sacræ Congregationi Eminentiis. Cardinal. Concilij interpretum, quæ ita resoluta sunt.

Primò, quæsitum fuit, An ex dispensatione inferiorum Summo Pontifice liceat Regularibus possidere vel tenere agros, annuos reditus, aliaque bona immobilia videlicet, & mobilia superflua, non obstante decreto Concil. Trident. *sess. 25. de regul. cap. 2.*

Secundò, an propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum possidentes, vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua, à culpa, vel a pœna excusentur?

Tertiò, an superioribus alleuerantibus huiusmodi se licentiam posse concedere, fides adhibenda sit?

Quartò, an Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares, quoad mobilium superfluitatem, & conuenientiam?

Quinto, an superiore quantumuis requisita necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam vel inuito eo illa sibi comparare seu retinere?

Sexto, & quatenus liceat: an itidem cùm necessaria ideò negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterij facultates non supperunt?

Septimò, an dicti superiores Regulares dictum caput secundum declarare, & interpretari possint?

Ad primum Congregatio Concilij respondet, non licere.

Ad secundum, non excusari neque à culpa, neque à pœna ipso facto incurrenda.

Ad tertium, minimè adhibendum.

Ad quartum, nisi de excessu arbitrij constiterit, vtique stare debere, habita videlicet ratione personæ, officij, & Regulæ, statusque paupertatis quam professi sunt, & consecrarum itidem qualitatum.

Ad quintum, non licere.

Ad sextum licere, si præcisa necessitas sit ad individui sustentationem, cæterum communem penuriam ab omnibus percipiendam, vsque adeò vt si quid priuatim alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferri oporteat, qui ex eo primum fuerat eius necessitati, cuius intuitu illud obuenerit. Si peculiari aliqua necessitate vltra communem prematur, reliquum Conuentui incorporetur, & in communem cedat vtilitatem.

Ad septimum, & vltimum, non posse.

Hieronymus Card. Matthæus.

Plura apud Sanchez de paupertate religiosorum, toto libro septimo operis moralis. Et apud *Dianam tract. de paupertate religiosa.* Faustum *in thesaur. l. 8.*

De paupertate. Vide *Dominium* 1. *num.* 8. 9. 10 Fideiussio *num.* 7. Religio 4. *num.* 12.

PECCATVM I.

Quid sit peccatum, & de eius diuisione & distinctione.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit peccatum? & quid lex æterna?*
2. *De diuisionibus peccatorum?*
3. *Quare peccatum dicatur mortale, quare veniale?*
4. *Quotuplex sit veniale peccatum?*
5. *Vnde dignosci possit, quando peccatum mortale ex genere, an veniale sit?*
6. *An quodcumque peccatum ex genere suo letale, & in quacumque materia, possit fieri veniale ex perfecta deliberationis defectu.*
7. *An peccatum mortale ex genere in veniale transeat ratione paruitatis materiæ, si hæc paruitas in eo reperiatur? & quæ sint peccata in quibus non reperitur paruitas materiæ excusans à mortali?*
   Et an in rebus venereis detur paruitas materiæ excusans à mortali. refertur duplex sententia.
8. *An veniale transeat in mortale, ob duplex præceptum, ob vsum & consuetudinem committendi venialia? ob periculum in mortale incidendi? ob multiplicationem venialium? ob peccantis dignitatem aut sanctitatem? & quale peccatum sit propositum committendi omnia venialia?*
9. *Quæ sit regula ad cognoscendum an plures materiæ parua ita in vnam coniunguntur & coalescant, vt materia grauis euadat, & materia sufficiens ad peccatum mortale?*
10. *An in materia iniustitiæ, ex parua materia multiplicatione magna consurgat ac sufficiens ad mortale? An in materia intemperantiæ, festorum obseruatione, multiplicatione præceptorum, & in materia de voto.*

11. *An*

Google

11. *An quantitas materiæ, quæ sufficit ad peccatum mortale, absolutè spectanda sit; an vero causa, ratione totius.*
12. *Peccatum veniale ex genere suo transit in mortale,*
Ratione finis mortalis adiuncti.
Ratione specialis contemptus vel inobedientiæ.
Ratione vltimi finis impositi.
Ratione scandali.
Ratione periculi proximi in mortale incidendi.
Ratione conscientiæ erroneæ.
An idem numero peccatum veniale, manens idem in genere moris possit fieri mortale, & è contra.
13. *An possit quis peccare venialiter, qui non possit mortaliter.* refertur duplex sententia.
14. *An peccatum veniale consistere possit cum solo originali.* refertur duplex sententia.

1. PEccatum generaliter sumptum, est defectus perfectionis debitæ in esse, in ordine ad aliquem finem. *D.Th. 1.part.qu.63.art.1.* Vnde & Monstra dicuntur à Philosopho peccata naturæ. *Arist.2.Physic. Fernand.p.4.cap.1.§.1.num.1. Syln. 1.2.qu.71.art.6.*

Quia in illis natura frustratur suo fine: item Grammaticus, cum vitiosè loquitur, & Medicus cum imperitè curat, dicuntur peccare, quia a regulis artis deficiunt, quæ præscribunt modum perueniendi ad certum finem: hic autem sumimus peccatum strictiùs, pro eo solo defectu, qui auertit, vel impedit hominem ab vltimo fine, qui est æterna beatitudo. *Syln.1.2.qu.71.art.1. Mald.1.2.qu.71.art.3.*

Notandum autem est illam differentiam esse inter vitium, & peccatum, quæ est inter habitum, & actum, nam vitium est principium peccati, inclinans hominem ad exorbitandum à sua regula; peccatum autem est actus carens rectitudine debita, aut omissio actus necessarij ad finem, pejus tamen est peccatum quã vitium, sicut actus virtutis melior est ipsa virtute; quia actus sunt formaliter liberi, laudantur aut vituperantur, merentur præmium aut pœnam, habitus autem nihil horum habent, nisi quatenus à liberis actibus generantur.

Peccatum aliud est *actuale* & aliud *habituale*: *habituale* dicitur, quod post actuale, per modum habitualis defectus, permanet, donec deleatur & emundetur. Et licet Actuale peccatum variè definiatur, tum à Patribus, tum à Doctoribus, conuenienter tamen à D.Thom. *1.2.qu.71.art.vlt.* & alijs post D.Augustin. *l.22.contra Faust.cap.27. Syln 1.2.qu.71. art.6. Fernand. c.num.1. Sanch.l.1.moral.cap.1.num.1. Laym.l.1. tract.3. cap.1. Filliuc.tract.21.num.218. Becan.tom.2. malt.2. cap.1.numero 1. Clau.Reg.l.2. cap.5. num.4. Bonac.tom.2. disp.2. qu.2.p.1. num.1. Caspens. tom.1.tract.de peccat.disp.1. sect.3. Mald.1.2.qual.71. art.6.* definitur, *Dictum: factum, concupitum contra legem æternam*.

Et quamuis hæc definitio propriè conueniat peccato commissionis, accommodatur tamen etiam peccato omissionis, quod est non dictum, non factum &c. iuxta legem æternam: vnde Nomine dicti, vel facti, vel concupiti, comprehenduntur vniuersa oris, operis ac cordis peccata; & tanguntur pro ipsis dicendi, faciendi ac concupiscendi actibus.

Actus autem hic latè sumitur, vt comprehendat etiam omissionem actus debiti ex præcepto. *Lex æterna* accipitur hic, pro ratione & voluntate diuina, qua Deus vult vt nihil fiat inhonestum: hinc vniuersa peccata, siue contra ius naturale, siue contra humanum, sunt contra legem Dei, non quia propriè, & directè aduersentur iuri diuino, sed quia Deus iuri naturali, & humano parere iubet. Ita Doctores hic citati.

2. Cùm peccatum sit priuatio rectitudinis quæ est in virtute, & vna ac eadem rectitudo diuersissimis modis possit violari, fit vt magna sit diuersitas peccatorum, quæ à confessario diligenter perscrutanda est, cùm sit iudex in foro diuino, debeatque causam pœnitentis plenè cognoscere, vt ex bono, & æquo iudicat inter partes: possunt tamen hæ diuisiones ad septem capita reuocari.

Prima diuisio in *Originale*, & *actuale*. *D.Thom.1.2.qu.81.ar.3. Syln.ibid. concl.2. & qu.81.art.1.q.4. & 5. Vasqu.1.2.disp.132. ca.8. num.33. Aztor. 1.part.l.4.cap.26 & 29. Becan.tom.1.tract.2. cap.9. qu.6. Bonac.c.p.2.num.4. & 10. Valent.tom.2.disp.6.qu.11.*

Originale est, quòd omnes homines contrahunt ex Adam per naturalem propagationem, & definitur *priuatio iustitiæ, & sanctitatis debitæ inesse singulis ex pacto facto à Deo cum Adamo*. Nomine autem iustitiæ originalis, intelligunt Doctores directè gratiam sanctificantem, cum qua reliqua dona, Adamo non peccante, coniuncta fuissent, & in posteros transmitterentur. Hoc peccatum veram rationem peccati habet, & dicitur voluntarium in nobis, non voluntate propria, sed voluntate aliena, id est, Adami, quatenus censemur consensisse in pactum Adami cum Deo factum in nostrum commodum, & vtilitatem de transmittenda in nos iustitia originali, Adamo seruante pactum.

Vnde Apostolus ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum Mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*. Quem locum accipiendum esse de peccato originali affirmat Tridentin. *sess. 5.* Actuale est, dictum, factum, &c. Vt suprà.

Secunda diuisio, est actualis peccati in mortale, & veniale. De qua infrà.

Tertia est in peccatum commissionis, & omissionis, vt dicetur inferiùs.

Quarta, Peccatum aliud est *cordis*, aliud *oris*, aliud *operis*. Hæc autem diuisio quatuor modis intelligi potest.

Primò, vt sint species peccatorum completæ, quorum quædam consummantur corde, seu cogitatione, vt hæresis, odium Dei, inuidia proximi &c. Quædam ore siue sermone, vt blasphemia, periurium, detractio &c. Quædam opere, vt homicidium, adulterium, furtum.

Secundò, vt sint tres gradus vnius & eiusdem peccati, vt cùm quis vult fornicari, inuitat mulierem & fornicatur: hic enim est vnum peccatum, constans variis partibus hæterogeneis, quarum prima est propter secundam, & secunda propter tertiam, ac propterea sufficit in confessione peccatum ipsum vnico verbo exprimere, quando hæc moraliter simul contigerunt.

Tertiò, vt sint tres species peccatorum, sed imperfectæ, & inchoatæ ex intentione operantis; vt cùm vnus delectatur cogitatione fornicationis, nolens loqui aut facere turpia. Alius delectatur & loquitur, nolens opus perpetrare.

Tertius delectatur, loquitur, & consummat opus; etsi enim hi tres gradus sint subordinati, possunt tamen ex operantis intentione separari.

Quartò, vt sint tres imperfectæ species consensus interni, sine vlla manifestatione exteriori, vt cùm aliquis consentit in delectationem fornicationis, alter in verba turpia, tertius in ipsum opus.

Aliã deformitatem habet cogitare turpia, aliam loqui turpia, aliam turpia perpetrare. De his *D.Thom.1.2. qu.72.art.7. Syln. ibid. Bonac.c.disp.2.qu.4.p.5.num.6. Clau.Reg.l.2.cap.6.numero 4. Regin.l.19.c.1.num.7. Caspen.tom.1.tract.de peccat.disp.2.sect. 1. Mald.1.2.qu.72.art.7.*

Quinta diuisio. Peccata alia contra *Deum*, alia sunt contra *proximum*, alia contra *seipsum*; quia quamuis omnia peccata sint contra Deum, & contra ipsum peccantem, quædam tamen ratione obiectorum, & ratione virtutum contrariarum, peculiariter sunt contra Deum, vt quæ repugnant virtutibus Theologicis, Religioni, pœnitentiæ, &c. quædam peculiariter contra proximum, vt immisericordia, iniustitia &c. quædam peculiariter contra ipsum peccantem, vt quæ repugnant fortitudini, & temperantiæ. D.Thom. *1.2.q.72.art.4. Syln. Mald.ibi. Filliucius tractat.21.num.240. Clau.Reg.l.2. cap.6.num.2. Laym.lib.1. tract.3.cap.4. num.5.*

Sexta. Peccata alia sunt per *excessum* alia per *defectum*: Ratio est, quia virtus consistit in medio, habetque certam mensuram & modum, quem possumus excedere, aut non attingere: vt contra fidem nimis leuiter quiduis credendo, & nimis dubitando post sufficientem fidei propositionem: contra spem, desperatione, & præsumptione: contra charitatem, non amando quando oportet, & zelando pro Deo non secundùm scientiam.

Hæ porrò species sunt essentialiter distinctæ, nam sunt contrariæ, & destruunt diuersas rectitudines vnius & eiusdem virtutis. D.Thom. *c.art.8. Filliuc.c.num.240. Syln.ibid. Aztor.1.part. l.4.cap.7.qu.3.* & alij.

Septima diuisio. Peccata alia sunt *carnalia* alia *spiritualia*: & *D.Greg.l.31.moral.cap.31. D.Thom.1.2.qu.72 art.2. Syln. ibid. Clau.Reg.c.num.3. Laym.c.num.6. Filliuc.c.num.240. Malder. 1.1.q.72.art.2.* Ex septem vitijs capitalibus, duo docent esse carnalia; quinque spiritualia. Carnalia sunt quæ in carne consummantur, vel quorum obiectum est aliqua delectatio carnalis, vt vt sunt, Gula, & Luxuria.

Spiritualia, quæ habent obiectum elevatum supra carnem, etiamsi

etiamsi pertineat ad appetitum sensitiuum, vt ira & auaritia, maximè autem superbia, inuidia, acedia.

3. Rectè diuiditur peccatum actuale, in *mortale*, & *veniale*: In materia morali notitia huius discriminis fundamentalis est, & primaria: nam sicut Theologi speculatiui potissimæ partes sunt definire, quæ propositio sit fide tenenda, & quæ non: Ita Theologus Casuista nullus erit, nisi norit discrimen inter peccatum mortale, & veniale, vnde hæc materia de peccatis illi debet esse familiarissima; nam maximè conscientiam attingit, & latiùs funditur quàm materia virtutum, cùm bonum sit finiti, malum autem infiniti.

Peccatum mortale vocamus, quod mortem animæ affert; iuxta illud Ezechielis 18. *Anima quæ peccauerit ipsa morietur.* Veniale est quod facilè veniam consequitur ex natura sua: ipsum tamen mortale peccatum aliquando vocatur veniale *ex euentu*, quando videlicet remittitur: aliquando *ex causa*, quando nimirum ex passione, vel ex ignorantia commissum est: nam tunc videtur magis venia dignum, quàm si ex malitia committatur.

Hæretici nostri temporis cum Pelagianis, nullum agnoscunt peccatum veniale ex natura sua, sed omnia peccata, volunt mortem æternam mereri; nam peccata mortalia vocant ea omnia, quæ non condonantur; venialia, quæ iustis propter fidem in Christum non imputantur. *Sanch. l. 1 moral. cap. 1. nu. 1. Azor. 1. par l. 4. cap. 8. qu. 1. & 2. Bonacin. tom. 1. disp. 2. quæs. 3. p. 1. Clau. Reg. l. 2. cap. 6. num. 1. & cap. 14. Becan. 1. 2. trac. 3. cap. 2. qu. 2. D. Th. 1. 2. qu. 88. art. 2. Nau. in man. pral. 9. num. 7. Caspens. tomo 1. tr. de peccat. disp. 3. sect. 1.*

Sed fide tenendum est, esse quædam peccata, suapte natura venialia, quæ nec iustitiam excutiant, nec mortem æternam mereantur: vt constat ex scripturis, Conciliis & Patribus, & doctrina omnium Catholicorum & ratio ipsa docet verbum otiosum, risum immoderatum, &c. non mereri pœnas gehennæ aut suscitationem diuinæ amicitiæ. Vide *Bellarm. de amissione gratiæ lib. 1 cap 9. Valent. 1. 2. disp. 6. q. 18. punct. 1.* & nostrum *Ludouicum Caspen. c. d. 3. sect. 3.*

Malitia peccati mortalis consistit in contemptu amicitiæ diuinæ, & in auersione ab vltimo fine: Ratio est, quia amicitia, seu gratia diuina est vita animæ nostræ, quæ statim amittit, qui amici graue præceptum non obseruat; graue autem præceptum est, quod est regula necessaria ad vltimum finem; vnde etiam fit, vt talis censeatur collocare finem vltimum in creatura, quod est frui vtendis, & vti fruendis: quandocumque enim offertur homini occasio mortaliter peccandi, statim Deus proponit illi hanc conditionem, aut superata tentatione hanc, quod potes per meam gratiam, aut alioquin amicitia nostra vertetur in odium eap tale.

Quare si homo propriam voluntatem prætulerit voluntati diuinæ, meritò censetur amicitiam ipsius contemnere, & auerti ab vltimo suo fine; eumque constituere in creatura, atque adeò plus diligere creaturam quàm creatorem: licet enim qui ob delectationem transgreditur vnum præceptum, & reliqua seruat, vel qui peccat sine venia & pœnitentia, aliàs non peccaturus, expressè nolit renunciare amicitiæ diuinæ, tacit tamen id interpretatiuè & imputatiuè, nam conuincitur pluris facere suam oblectationem, quàm legem Dei, quæ necessaria est ad consequendum vltimum finem: neque enim refert, quòd directè nolit recedere ab amico, quia voluntas directa sæpe repugnat voluntati interpretatiuæ.

Malitia peccati venialis consistit in repugnantia cum rectaratione, salua amicitia diuina. Ratio est, quia peccatum veniale, est quid imperfectum in genere peccati, & offensionis, vnde quamuis mereatur aliquam indignationem amici, & pœnam temporalem, non tamen rescindit amicitiam, & consequenter non incurrit pœnam æternam, quæ cum amicitia consistere non potest

Quanta autem sit vtriusque peccati malitia? dicendum est, malitiam peccati mortalis, esse moraliter infinitam: quia secundùm legem iustitiæ non potuit, nisi infinito pretio expiari: physicè tamen non est infinita, cùm nullus actus creaturæ, possit habere infinitam intensionem; & vnum peccatum mortale sit altero grauius. Est igitur infinita dupliciter. *Primò*, obiectiuè, quia contra infinitam maiestatem.

Secundo, comparatiuè idque vel respectu peccatorum venialium, quamuis enim darentur infinita peccata venialia, necdum attingerent malitiam vnius peccati mortalis; vel respectu bonorum operum, quia Deus magis odit vnicum peccatum mortale, quàm amet omnes virtutes sanctorum, cuius signum est, quod si quis haberet omnia merita omnium sanctorum, & Angelorum, admisso tamen vno peccato mortali, statim excideret gratia Dei, & vt est apud *Ezechielem ca. 18. Omnes iustitiæ eius quas fecerat non recordabuntur.*

Vnde etiam nulla pura creatura potuit nos ex condigno liberare à seruitute peccati.

Malitia autem peccati venialis, est quidem in infinitum minor malitia peccati mortalis; habet tamen suam quamdam infinitatem.

Probat. prior pars, quia est alterius ordinis, neque continet in se contemptum Dei, ac propterea numquam adæquabit malitiam peccati mortalis, etiamsi crescat in infinitum.

Probat. Secunda pars, quia omne malum culpæ altioris est ordinis, quàm malum pœnæ, & consequenter magis vitandum, quam quæuis pœna, siue illa sit negatiua, siue positiua; hinc bonitas finis numquàm potest abstergere malitiam, quæ est in medio intrinsecè malo, quia semper repugnat rectæ rationi, huiusmodi medium adhibere, ac propterea continet quamdam infinitatem malitiæ. Vide *Bonac. tom. 2. disp. 2. q. 2 punct. 5.*

4. Communis sententia est, triplex esse peccatum veniale, *ex genere, ex paruitate materiæ, ex indeliberatione. D. Thom. 1. 2. qu. 74. art. 10 & qu. 88. art. 2, & 6. Clau. Reg. l. 2. cap. 14. num. 8. 9. & 10. Azor. 1. par. l. 4. cap. 9 qu. 7. Bonac. tom. 2. disp. 2. qu. 3. p 3. Sanch. l. 1. moral. cap. 1. num. 4. Becan. c. cap. 2. qu. 1. num. 6. Laym. l. 1. tract. 3. cap. 5. num. 4. 5. Tolet. l. 8. cap. 2. Nauar. in Manpralat. 9. num. 11. 12. Reginal. l. 15. numero 10. 31. Filliuc. tract. 21. num. 250. Syln. 1. 2. quæs. 88. art. 2. conclus. 3. Caspensis c. disp. 3. trac. de peccat. num. 5.*

Peccatum veniale *ex genere* est, quod versatur circa obiectum malum non repugnans amicitiæ diuinæ, nec auertens ab vltimo fine, vt est verbum otiosum, risus immoderatus, mendacium officiosum aut iocosum: vnde quamuis deliberatè fiant circa totum suum obiectum, non continent culpam mortalem, nisi fortè ex dispositione peccantis, vt si quis ita affectus esset ad inanes fabulas, vt propter eas omitteret præceptum diuinum aut humanum, vel eas referret ad graue aliquod peccatum, v. g. ad adulterium perpetrandum.

Peccatum veniale *ex paruitate materiæ* est illud, quod cùm ex genere suo sit mortale, excusatur tamen à tam grandi culpa, quia obiectum circa quod versatur, non censetur tanti momenti, vt reducat actum in suam speciem. v. g. furtum est peccatum mortale ex genere suo, quia contra iustitiam; at si quis à diuite furetur quatuor aut quinque asses, non videtur esse tantæ æstimationis, vt propterea dissoluenda sit amicitia: si verò à paupere, poterit videri iusta causa hostilitatis, propter notabile nocumentum.

Simile est in recitatione horatum, in auditione sacri, in ieiunio: at in multis alijs peccatis nullam est inuenire materiæ paruitatem excusantem à mortali, vt in infidelitate, periurio assertorio, odio Dei, fornicatione, &c. nam in his omnibus etiam minus quod sit, constituit peccatum mortale.

Peccatum veniale *ex indeliberatione* est, quòd cum sit mortale ex suo genere, & habeat materiam sufficientem ex dispositione peccantis, excusatur à grauiori culpa, quia nimirum ex parte ratio fuit præuenta, vt solet fieri in motibus subitis infidelitatis, blasphemiæ, libidinis, &c. qui propterea vocari solent *Secundo primi*. Nullum autem est peccatum tam graue, quin hoc titulo possit fieri veniale, quando, videlicet, aduertentia rationis fuit imperfecta & semiplena, vt si quis subitò moueatur ad odium Dei, ad blasphemiam, &c. & ratio non ita aduigilet sicut oportet, sed tamen reijciat ante plenam facti cognitionem, & consensum, excusabitur à peccato mortali, propter incompletam actus libertatem. Vide Doctores citatos, *Diu. Thomam*, & alios.

5. Quamuis ex testimonio D. *Augustini de ciuit. Dei l. 21. c. vlt.* Valde difficile sit regulas tradere, quibus discerni possit peccatum mortale à veniali, atque in hoc fateatur suam ignorantiam: ex communi tamen Theologorum sententia, tres regulæ solent assignari, tum de aliquibus certum, tum de multis probabile, vt possit formari iudicium.

Et præcipuè iuxta *And. Vega l. 14. Syl. 1. 2. q. 88. art. 2. Bonac. 2. disp. 2, qu. 3. p. 3. num. 5. Azor. 1. par. l. 4. cap. 9. qu. 8. Sanch. l. 1. moral. cap. 1. num. 4. Filiuc. tract. 21. num. 246. Becan. 2. p. tract. 2. cap. 2. qu. 8. Clau. Reg. l. 2. cap. 14. ad fin. Valent. tom. 2. disputat. 6. qu. 18 p. 3. Regin. l. 15. num. 34. 37. & 38. Caspens. c. tract. de peccat. disp. 3. sect. 1.*

Prima est *scriptura diuina*, ex qua discimus esse quædam peccata

cata quæ merentur iram diuinam, quæ dicuntur esse abominabilia, execranda, Deo exosa, vel excludere à Regno Dei, esse digna morte, aut quibus dicitur væ, pro certo sunt mortalia: cùm verò scriptura leuioribus verbis aliquid reprehendit; signum est peccati venialis.

Secunda regula, est *sensus, vel consensus fidelium*, qui ex libris Sanctorum Patrum ac Doctorum Scholasticorum, & ex vsu Catholicorum deprehenditur; cùm enim Ecclesiæ & ipsius Doctoribus præstanda sit fides, iure optimo sequitur, illa habenda esse tamquam mortalia, aut venialia, quæ communi Doctorum consensu, & Ecclesiæ traditione mortalia aut venialia iudicantur.

Sic cognoscimus esse peccatum mortale communicare sine præuia confessione peccati mortalis, quo quis sentit se grauari; violare ieiunium, omittere horas Canonicas &c. non autem esse huiusmodi omittere concionem aut Vesperas, facere quædam opera in die festo, &c.

Tertia regula est, *raro humana*, quæ proposito præcepto geminæ charitatis, considerat actum de quo quæritur, vtrum illi consentiat, an repugnet, nam si non aduersatur charitati, nullum est peccatum; si aduersatur leuiter, erit peccatum veniale; si grauiter, erit mortale; vnde peccata contra virtutes Theologicas, vel Religionis virtutem, vel iustitiam & quæ ad luxuriam pertinent, sunt ex genere suo mortalia: quæ autem quispiam contra solum bonum proprium perpetrat, sunt ex genere suo venialia: Et ad hoc melius discernendum, notandum est in lege naturali semper esse inspiciendam materiam: nam grauitas obligationis, huic semper adæquatur; in lege autem positiua inquirendam esse mentem legislatoris, vtrum pro qualitate materiæ, voluerit subditos obligare, an verò laxiùs aut strictiùs: proinde attendenda est qualitas ac tenor verborum præcepti, an leuerè præcipiat, an grauem pœnam statuat in transgressores.

Considerandum est præterea, an peccatum commissum sit deliberatè, an indeliberatè, vtrum ex malitia, an ex infirmitate, vel ignorantia excusante à mortali. vel non: an paruitas materiæ possit peccantem liberare à mortali, &c. Consulantur Doctores hic citati.

6. Secundùm communem Doctorum sententiam, quodcumque peccatum ex genere suo lethale (vt dictum est suprà) & in quacunque materia potest fieri veniale, ex perfectę deliberationis defectu: quia cùm ad mortale peccatum plena aduertentia, & deliberatio requiratur, non est credibile Deum velle pœnis æternis eum addicere, qui cum imperfecta aduertentia, & deliberatione aliquid peccaminosum facit. D. Thom. 2.2. qu. 35. art. 3. & qu. 36. art. 3. & qu. 162. art. 5. *Sylu. ibid.* & 1.2. qu. 88. art. 6. *Nauar. in Man. pralud.* 9. *num.* 11. *Clau. Reg. l.* 2. *ca.* 14. *num.* 8. *Fernand. p.* 4. *cap.* 1. §. 1. *num.* 18. *Caspensis* 5. *tract. de peccat. disput.* 2. *sect.* 3.

Vnde quamdiu cogitatio aut dubium circa obiecti malitiam intellectui non se offert, quamtumuis cogitatio. & consultatio circa illius vilitatem ac delectationem sint, non est principium sufficiens in intellectu, vt de morali eius malitia deliberare queat.

Hæc verò inaduertentia, quæ à peccato mortali excusat, ex his ferè radicibus consurgit: scilicet, Ignorantia inculpata: Oblitione naturali: distractione humana: Improuisione similiter inculpata: Turbatione animi: Præcipitantia: Præuentione: Violentia: Dolo, vel impedimentis similibus, *Caiet. in sum. v. delectatio. Vasq.* 1.2. *d.* 107. *cap.* 4.

Plena autem consideratio ad lethalem culpam petita, sic ab imperfecta, & semiplena ad solam venialem sufficienti secernitur; quòd hęc contingat, quoties homo ita aliquid esse malum aduertit, sicut illi qui nondum plenè à somno excitati pollutionis illis contingentis malitiam aduertunt.

Illa verò, quando homo plenè aduertit, instar perfectè à somno excitatorum. *Præterea* vltra plenam intellectus considerationem, sicut ad mortale requiritur consensus voluntatis plenus ac perfectus, & vt ratio superior attendat rationibus æternis, quales sunt, diuina prohibitio illius actus, promissio pœnæ æternæ, &c.

Ad peccatum tamen veniale sufficit imperfectus consensus ac tepiditas quædam in quacunque cuiusuis criminis suggestione expellenda. Vt docent D. Thom. 1.2. qu. 15. art. 4. *Caiet. Sylu. ibi. Sanch. l.* 1. *mor. c* 1. *num.* 12. & 13. *Bonac. tom.* 2. *d.* 2. *q.* 3. *p.* 5. *num.* 3. communiter recepti.

7. Peccatum item mortale ex genere in veniale transit ratione paruitatis materiæ (vt superiùs patet) si hæc paruitas in eo reperiatur: quia vbi materiæ paruitas est, modica offensio reperitur, ac proinde non excedit culpam venialem. *Sylu.* 1.2. *qua.* 88. *art.* 6. *concl.* 2. *Fill. tr.* 21. *num.* 250. *Nauar. in Man. pral.* 9. *nu.* 12. *Laym. l.* 1. *tract.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. *Suar. tom.* 1. *de relig. l.* 4. *cap.* 3. *nu.* 3. *Bonac. c. punct.* 3. *num.* 10. & 11. *Hugol. de Simonia tab.* 1. *c.* 17. *num.* 3. *Fernand. c. num.* 18. *Dian. p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 28. & 1. *Caspens. tr. de peccat. disp.* 3. *sect.* 4.

In quibusdam tamen peccatis, hęc paruitas minimè reperitur, & ideò hac ratione venialia reddi nequeunt, quod contingit quoties integra irreuerentiæ & offensionis ratio, in materia parua inuenitur. huiusmodi sunt illa quæ immediatè & directè circa Deum versantur, vt odium Dei, contemptus ipsius, infidelitas, vera & formalis blasphemia, periurium assertorium; & Simonia, per quam res reuera spiritualis venditur; quantumcumque enim rei minimæ Deus adducatur in testem, adducitur vt testis falsus; eique mendacium tribuitur: similiter quamuis modica res spiritualis vendatur, & quamtumuis modicum sit pretium, est mortale, eò quòd planè rei spirituali irrogetur iniuria, eam pretio æstimando.

Quomodo autem possimus cognoscere peccatum esse veniale ratione paruitatis materiæ? *Sanch. l.* 1. *moral. ca.* 4. *num.* 2. *Valent.* 1.2. *disput.* 7. *qu.* 5. *punct.* 6. *Clau. Reg. l.* 3. *cap.* 7. *num.* 14. *Suar. tom.* 5. *in* 3. *par. disp.* 4. *sect.* 6. *num.* 11. & 12. & *disp.* 18. *sect.* 3. *nu.* 16. & 17. *Crous. ad cap.* 7. *reg. S. Francisci sect.* 14. *Azor. tom.* 1. *l.* 5. *cap.* 6. *qu.* 5. *Castro. l.* 1. *de leg. pœnal. cap.* 5. *docum.* 2. *Dian. p.* 5. *tract.* 5. *resol.* 1.

Notandum est peccatum esse veniale, quando res quæ præcipitur, vel prohibetur est parua, non solùm secundùm se, verum etiam per ordinem ad finem, vel circumstantias propter quas talis res præcipitur vel prohibetur.

Quando verò secundùm se quidem parua est, sed efficitur grauis ratione finis, vel circumstantiæ, tunc peccatum est mortale, quia materia grauis effecta est: vnde grauitas vel leuitas materiæ in præceptis positiuis pensanda est, ex qualitate finis eiusmodi præceptorum; an scilicet eiusmodi finis sit valde necessarius, necne; & ex conducibilitate ad eumdem finem, siue, an tanta materia multùm vel parùm conferat ad talem finem; quia si finis sit valde necessarius, tanta verò materia notabiliter iudicio prudentis conferre videatur ad illum consequendum, tunc materia erit grauis; si verò alterum desit, erit materia leuis. Porrò etiamsi quantitas materiæ sit magna, si tamen notabiliter non officit fini, etiam necessario, leuis tamen est censenda; è contra si materia præcepti in se sit leuis, multùm tamen conferat ad finem præcepti, aliàs necessarium, grauis obligationis potest esse capax; vt cùm propter scandalum vitandum prohibetur quis intrare aliquam domum; Arbitratur tamen noster *Crousers* ex toto fine, quem intendit præcipiens, quantumuis sit necessarius, consurgere non posse obligationem grauem, nisi materia ipsa ad talem finem multùm conferat, vel multùm officiat.

An autem in rebus venereis detur paruitas materiæ excusans à mortali? affirmant *Sanch. de matrim. l.* 9. *disp.* 46. *num.* 9. *Nau. pralud.* 9 *num.* 12. *Sanc. in select. disp.* 11. *num.* 22. *Clau. Reg. lib.* 8. *cap.* 6. *num.* 1. *Salas* 1.2. *d.* 6. *sect.* 21. *num.* 149. *Vasq.* 1.2. *d.* 108. *nu.* 3. *P. Sot. de doctr. fol.* 26. *Mald.* 1.2. *q.* 74. *art.* 10. & hanc sententiam probabilem speculatiuè docet *Malderus*: quia si in cæteris præceptis datur materiæ paruitas, cur non in hoc? Admittit etiã leuitatem materiæ in motibus carnis, qui facilè subrepunt, & à quibus homo vix eiusmodi liber esse potest, Petrus Marchantius in suo Tribunali *tom.* 2. *tr.* 7. *tit.* 1. *qu.* 2. *resol.* 2. & leuitatem non attendit in ipsis tactibus si aliàs sint impudici, & ad libidinem tendant, sed leuitatem in motu carnis leui, & subreptitio, ratione cuius tactus non infigitur, vel qui ex tactu aliàs non inhonesto consurgit.

Aduertit item Sancius loco hic citato, quòd licet manum, brachium vel pedem fœminæ premere, pellicare, digitos intorquere, mammillas tangere, & similia, peccata venialia sint intra genus luxuriæ, ob paruitatem materiæ: dummodò absit finis mortalis, vel pollutionis periculum, & consensus in eius delectationem: Hæc tamen si fiant tempore Sacramenti ministrandi, vel immediatè ante vel post, erunt mortalia, & damnanda ob grauem iniuriam illatam Sacramento.

Quamuis enim intra genus castitatis leuia illa sint, intra Religionis tamen genus grauia reputantur.

Quidquid sit de specu latiua probabilitate huius sententiæ; Negatiua sententia est sustinenda, vt communior & tutior in praxi, cùm contraria periculis non careat.

Probat autem hanc sententiam *Rebell. q.* 2. *l.* 3. *qu.* 19. *sect.* 3. quia

gnia cùm nulla fit tam exigua fornicatio, quin ſit peccatum mortale, & delectatio ſortiatur morem actus, videtur omnis delectatio morosa in ista materia esse mortalis.

Deinde omnis delectatio venerea, & carnis commotio, est suapte natura ordinatum medium ad externam pollutionem, imò inchoatio quædam pollutionis; & ſicuti inchoatus actus pollutionis est mortalis, ita etiam quæcumque eiusmodi delectatio quæ ſit ex motu humoris ſeroſi, qui est ſubſtantia & materia ſeminis: cùm per venas, & arterias ſpermaticas, per modum hederæ ſiue capreolorum protenſas, à renibus ad vaſa pudenda deſcendere incipit, & per commotionem ſpirituum genitiuorum incaleſcit, tamquam per cauſam efficientem inſtrumenta iam. Et huius ſententiæ ſunt *Tanner. t. 2. diſp. 4. queſt. 8. dub. 6. num. 109. Leſſ. l. 4. cap. 3. num. 109. Pont. de matrimon. l. 10. cap. 16. §. 2. num. 8. Filliuc. tract. 30. num. 166. Laym. l. 4. tract. 5. cap. 8. num. 2. Diana p. 3. tr. 5. reſol. 1. & p. 7. tract. 11. reſol. 28. Sanc. l. 5. moral. c. 6. num. 12* de contraria ſententia ſe retractans, quia, inquit, in quauis venerea delectatione deliberatè admiſſa apertum eſt periculum incidendi in maiorem aliam delectationem, manifeſtè mortalem.

Quare nec audeo, nec vnquam auſus ſum excuſare à confeſſionibus huiuſmodi delectationum quantumuis modicarum declarationem. Ita ille, & ipſemet *Diana* putat periculoſum eſſe, aſſerere dari in re venerea paruam, & leuem quantitatem.

Sanè pro maiori huius quæſtionis elucidatione non grauabor hic apponere verba Docti D. *Ioannis Caramuel in Comment. ad reg. S. Bened. diſp. 69. & 70.*

Leuis tactus manuum fœminæ, habet duas malitias diſtinctas, alteram intrinſecam, alteram extrinſecam. Intrinſeca eſt malitia leuis, vtpote quæ ſumitur ab actus quantitate, quæ tenera eſt leuis: extrinſeca eſt grauis, quoniam ſumitur à periculo, quod ſupponitur euidens & graue. *Eudem* dixi; non enim eſt proximum, ſi ſit probabile; quoniam ſi illud probabiliter inſit, probabiliter etiam non inſit.

Periculum enim, vt conſtet proximum; debet eſſe euidens phyſicè aut moraliter; ſi enim tantum ſit probabile, periculum mortale non eſt; nam probabiliter etiam cenſere poteris, periculum nullum ſubeſſe. Rationes euidentes aſſenſum prædeterminant: ſi ſint meræ probabiles mentem non cogunt, ſed opinio egendi committitur optioni voluntatis.

Deinde ad proximum periculum inducendum, materia debet eſſe grauis, nulla enim euidentia poteſt dari phyſica aut moralis, ſi materia ſit leuis.

Ratio eſt quia materia leuis nunquam tam tyrannicè prædominatur voluntati. Ideò fur facilius abſtinebit à furto vnius quadrantis, quàm à furto mille nummorum. Et paulò ſuperiùs fatetur hic idem Author, periculoſum eſſe aſſerere dari materiam paruam: quia (inquit) qui putat hanc vel illam actionem ſenſualem, eſſe leuem dum illam elicit, ſæpe ſe exponit periculo vlteriori; vnde ſi hoc ſit alterius rei etiam leuis, erit temerarium; non enim datur proximum, ſi materia ſit parua: ſi periculum ſit euidens & rei grauis erit peccatum mortale; ideò doctiſſimè *Malderus* docet, ſpeculariuè poſſe admitti materiam paruam, practicè autem (hoc eſt ratione periculi frequenter imminenti) non poſſe; nam actus ex ſua natura leuis, poterit eſſe peccamina grauiter, ſi grauiter ſit periculoſa.

Et ſic vtraque ſententia poterit inter ſe conciliari, dicendo; quòd omnis delectatio venerea ſit pollutionis inchoatio remota vel proxima; ſi actus pollutionis grauiter ſit inchoatus, erit peccatum mortale; non autem qui fuerit inchoatus leuiter. Hæc ille paſſim. Cui ſubſcribit nouiſſimè noſter Caſpenſis ex parte *tom. 1. Curſus Theolog. tr. de pecc. diſp. 3. n. 36.*

8. Peccatum veniale non tranſit in mortale, ex eo quòd nouum ſuperioris, aut diuinum naturale illud prohibens accedat, ſed erit duplex ſola venialis culpa: Nam is actus ex leuitate materiæ, venialis tantùm eſt culpa: accedente autem nouo Dei mandato, vel humano imperio, materia minimè mutatur, ergo huius ſemper cenſetur: & ob id non lethalem, ſed duplicem venialis delicti habere poterit determinatem. *Sanch. l. 1. mor. cap. 5. num. 1. Aſor. tom. 1. l. 4. c. 9. q. 10.*

Nec veniale tranſit in mortale ratione vſus, & conſuetudinis committendi venialia, quia actus replicati ſunt eiuſdem ſpeciei cum priori, ac proinde eiuſdem deformitatis; frequens enim legis tranſgreſſio non dicitur eius contemptus, vt docent D. Tho. *2. 2. quæſt. 186. art. 9. ad 3. Sco. 3. d. 29. qu. 1. Aſor. c. qu. 11. Syln. 1. 2. qu. 88. art. 4. concl. 4. ſub finem. Caſpenſis c. tract. de peccat. diſp. 3. ſect. 6.* Licet aſſerat ſecum & creet interdum periculum contemptus: Vnde aliquando venialia multiplicata in mortale tranſeunt, non ratione frequentiæ, ſed periculi in mortale incidendi: Sicuti ex multis venialibus conſurgit aliquando vnum mortale, non quod venialia in mortale tranſeant, ſed quia erant venialia ex materiæ paruitate atque modicæ illæ materiæ continuantur vt vnam grauem efficiant.

Nec veniale fit mortale ex peccantis dignitate aut ſanctitate; quia dignitas vel ſanctitas eius qui peccat, auget quidem peccati grauitatem, non tamen adeò, vt quod veniale eſt, in lethale tranſire faciat, cùm materia & obiectum ſint ſenia. *Aſor. c. queſt. 14. Sanch. lib. 1. moral. capitule quinto num. 5. Mald. 1. 2. quæſt. 73. art. 10.* & alijs.

An autem peccet mortaliter habens voluntatem committendi omnia peccata venialia, ſolaque mortalia vitandi? duplex eſt ſententia. Affirmant *Caſpenſis tract. 12. diſput. 3. num. 53. Sanch. c. num. 4. Suar. tom. 2. de relig. l. 5. cap. 5. in fine. Laym. l. 1. tract. 3. cap. 5. num. 7.*

Ratio eſt, quia qui vult ſe exponere periculo peccati mortalis, peccat mortaliter; ſed qui vult committere omnia peccata venialia, vult ſe exponere proximo periculo peccati mortalis. Ergo &c. Negat *Diana p. 2. tract. 6. reſolut. 24.* poſt *Iacob. Gran. 1. 2. contr. 6. tr. 2. diſp. 2. ſect. 7.*

Quia malitia interni actus voluntatis deſumitur ab obiecto, prout proponitur à ratione; ſed obiectum huius internæ voluntatis, ſunt omnia venialia, & nulla maior malitia proponitur à ratione præter malitiam venialem. Ergo interna voluntas committendi omnia venialia, non poteſt eſſe culpa mortalis.

Hæ duæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles; ſed prima mihi videtur probabilior, maximè quando voluntas illa eſt in materia periculoſa, puta luxuriæ; apertum enim eſſet mortalis libidinis periculum: ob fragilitatem naturæ, propoſitum admittendi confabulationes, aſpectus, tactus, quoties ſolùm venialia fuerint. Præterea idem Sanch. *l. 6. moral. c. 4. num. 20.* docet in Religioſo eſſe peccatum mortale, decretum nunquam ſe concinendi ab vllo actu; propterea quod prohibeatur in regula, aut à Prælato, niſi prohibeatur ſub mortali.

Vnde neceſſariò dicendum eſt, inter ea ſtatuta, ad quorum ſingula determinatè non tenetur religioſus ſub mortali, teneri ad aliqua vagè ſub mortali: quæ obligatio naſcitur ex præcipua votorum obligatione, quæ obligat ad perſeuerandum in religione abſque notabili detrimento, & ruina illius, & periculo tranſgreſſionis votorum.

9. Ad cognoſcendum, an plures materiæ paruæ ita in vnam coniungantur & coaleſcant, vt materia grauis euadat, ac ſic peccati mortalis ſufficiens materia conſtituatur, hæc regula conſtituenda eſt. *Vaſqu. 1. 2. qu. 88. num. 4. diſp. 146. cap. 2. num. 3. & 4. Suar. tom. 2. de relig. l. 5. cap. 3. num. 9. & ſeq. Sanch. l. 2. moral. ca. 4. num. 9. Laym. l. 1. tract. 3. cap. 5. num. 7. Bonac. tom. 2. d. 2. qu. 1. p. 5. n. 23. Cruſ. ad c. 7. reg. S. Franc. lect. 14. fol. 619. Filliuc. tr. 21. num. 1 §4. Diana p. 5. tr. 5. reſol. 52.*

Quoties parua poſtremi venialis materia nequit cum præcedentium materia moraliter continuari, ita vt pro vna reputetur, nec effectus relicti continuari moraliter poſſunt, multiplicatio tranſgreſſionis præcepti in materia parua non conſtituit materiam grauem ac culpam lethalem.

Exempla ſunt. Si quis in Quadrageſima quotidie bolum panis extra ſtatuta tempora comedat: ſi opifex omnibus diebus feſtis horæ quadrantem operi ſeruili inſiſtat, ſecluſo ſcandalo, & contemptu: ſi Clericus quotidie aliqua verba in officio secundo per negligentiam omittat.

Ratio eſt. Quia cùm omnes ex materiæ diuerſæ ſint, nec in vnam coaleſcant: nec effectus ab eis producti, nequit ex illis grauis materia conflari, ſed ſingulæ diuiſæ manebunt, & ita paruæ. *Si autem* plurium tranſgreſſionum paruæ materiæ inter ſe moraliter vniantur & coaleſcant, ſiue ſecundùm ſe ipſas, ſiue ſecundum effectum ab ipſis productum, tunc completur malitia mortalis in vltima tranſgreſſione, cuius materia ſiue obiectum, licet præciſè ſpectatum, paruum ſit; tamen propter moralem connexionem cum antecedentibus, grande reputabitur, & notabilis materia euadet. *Vt patebit in caſibus ſubſequentibus.*

10. In materia iniuſtitiæ, ex paruæ materiæ multiplicatione magna conſurgit ac ſufficiens ad mortale. Id patet in furtis exiguis petitis minimarum rerum, quorum ſingula, cùm obligationem ex damno illato poſt ſe relinquunt, certum eſt damnum in re-

tum

rum ea repetitione crescere posse, quod notabile fiat: furtum verò per quod notabile fit, mortale sit: quod tamen, si ex alijs furtis propter damnum permanens, nulla remansisset obligatio, leue, & veniale tantùm esset.

Et vt annotat rectè noster *Crusers* communiter circa materiam iustitiæ commutatiuæ ex multis leuibus consurgere potest graue damnum, & grauis obligatio, non sic verò circa materiam iustitiæ distributiuæ, ex quius læsione, cum nulla relinquatur ex damno illato obligatio, fit vt multa leuia damna pluribus leuibus materijs illata non constituant aliquod notabile; quia nullam illæ leues iustitiæ distributiuæ læsiones post se obligationem relinquunt, etiamsi circa eandem personam essent factæ. Medina 1.2.qu.88.art.4.Syln.2.1.qu.66.art.6.quæst.3.cap.2. *Bonac.c.nu.* 24.*Crus.c.dect.*14.*fol.*620.*Vasqu.de restit.cap.*9.*dub.*5 §.1.*Laym.c.num.*7.*Sanch.c.n.*10.*Azorius p.*3.*l.*5.*c.*13.*Diana p.*5.*tr.*5.*resol.* 52.*Caspensis tr.*12.*disp.*3.*n* 56.

Item hac continuatio contingit in materia intemperantiæ, ac proinde vltimum, quod ratione paruitatis materiæ esset veniale, efficitur mortale ratione præcedentium, propter moralem effectus relicti continuationem, vt accidit in eo qui sæpius exiguum quid eodem ieiunij die comedit, modò ea, quæ degustantur, efficiant materiam notabilem.

Secus dicendum de eo, qui diuersis ieiunij diebus paruæ quædam comedit; hic enim à mortali excusatur, quia comestiones non continuantur, ita vt vnum & eandem materiam moraliter constituere videantur, cùm obligatio ieiunij cesset lapsu dierum. *Clauis regia lib.*2.*cap.*14.*num.*20 *Sanch.c.num.*11. *Bonac. c.num.*17.*Crousers c.Vasqu* 2.2.*disputat.*158.*cap.*6.*num.*60. *Diana p.*3.*tract.*6.*resolut.*43.*& p.*5.*tract.*5.*resolut.*52. *Caspensis c. num.*57.58.

Idem euenit in festorum obseruatione: si enim multa opera seruilia diuersis vicibus fiant eodem festo, ita vt simul sumpta perueniant ad quantitatem temporis notabilem, videntur moraliter continuari, consequenter integram materiam notabilem, & sufficientem ad peccatum mortale: secus dicendum, si quis diuersis diebus festis seruilia exerceat, *Nauar.in Man.cap.* 13.*nu.* 6.*Reginald.lib.*19.*num.*53. *Azorius 2.par.l.*1.*cap.*28.*qu.*5.*Sanch. l.num.*12.*Diana c.resolut.*52.

An autem paruæ materiæ diuersorum præceptorum coalescant in vnum, & faciant quantitatem notabilem mortaliter peccaminosam; vt si in die festo incidat ieiunium, & exinde quis teneatur ad ieiunandum, ad audiendam Missam, ad non laborãdum: an si ex singulis his obligationibus modicum quid omittat, ita vt omnia illa modica quantitatem notabilem efficiant, peccet mortaliter? Resp. est negatiua. Quia talis nullum præceptum in materia graui transgreditur, sed multa, singula tamen in leui materia, & hoc verum, siue quis obligetur ad hæc ex voto, siue ex præcepto Ecclesiastico: quia non est differentia inter transgressionem voti, & præcepti Ecclesiastici de eadem re. Vt notant *Valent.tom.*3.*d.*6.*q.*8.*p.*4.*Cordub in sum.qu.*188. *Arragon. 2.2.q.*88.*art.*2.*concl.*3. *Nauar.c.*12.*n.*65.

In materia de voto, ex leui materia transgressionis sæpius repetitæ circa leuem materiam, coalescere & consurgere potest aliquid notabile, in quo fundari possit ratio mortalis peccati: vt patet in eo, qui sæpius prætermittit orationem Angelicam, aut leuem eleemosynam singulis diebus ex voto faciendam, dum mortalis peruenit ad talem omissionem, quæ continuata cum præcedentibus, censetur notabilis, quamuis singulæ prædictæ omissiones sint tantummodo peccata venialia, nec sufficiant ad mortale peccatum, tamen tandem sumptæ integrant & constituunt materiam grauem sufficientem ad mortale peccatum: secus dicendum si votum talis orationis, vel leuis eleemosynæ factum sit in honorem, & solemnitatem certi temporis, seu diei; tunc enim omissiones non continuantur, nec integrant vnum peccatum mortale: quia obligatio respiciens honorem certi temporis, cessat lapsu temporis: & sic in votis personalibus ita semper est intelligendum, dum aliud non constat. *Rodrig.in sum.*2.*par.c.*101. *Sanch.lib.*1.*moral.cap.*4.*num.*14.*Crusers c.dect.* 14.*sub finem.* *Suar.de leg.l* 3.*cap.*28.*num.*11. *Clauis reg.c.num.*20. *& 21.Valentia c.p.*4. *Diana p.*5.*tr.*5.*resol.*53.

11. Quamuis regula vna generalis assignari non possit, an quantitas materiæ, quæ sufficit ad mortale peccatum, absolutè spectanda sit, an verò comparatione totius? docent *Suar.tom.* 2.*de relig.l.*4.*cap.*25.*num.*16 *& tom.*1.*L.*2.*cap.*31.*num.*2. *Sanch. l.*1.*moral.cap.*4.*num.*17.*Laym.l.*2 *tract.*3.*cap.*5. *num.*10.

Magnum & paruum non omninò absolutè, sed etiam cum comparatione ad totum, cuius pars est, prudentis viri morali iudicio, æstimandum esse, vt intelligatur, sit ne sufficiens mortalis peccati materia: quia quod absolutè magnum est, comparatione totius, à quo multoties superatur, paruum quandoque censetur, & moraliter non valdè æstimabile: vnde qui vouit, in piam causam se erogaturum ter mille aureos, & omnes soluit præter tres, quos non soluere proponit, talis voti præuaricatio non est mortalis, cùm non censeatur notabilis: quia qui totum votum reale exoluit; præter partem eius millesimam, is fermè expleuisse existimatur. Consulantur Doctores hic citati.

12 Peccatum veniale ex genere suo transit in mortale, in sequentibus casibus. D.Thom.1.2. *quæst.*88.*artic.*2. *& 4. Syln. Medina ibi.Nauar.in Man.prælud.*9.*num.*18.*Regin.l.*15.*ca.* 5.*anc.l.*1.*nou.*4.5.*n.*7.

Primo. Ratione finis mortalis adiuncti: vt si quis leue mendacium proferat, vt fornicetur: affectus enim ad peccatum continet culpam illius speciei, cuius est peccatum ad quod est affectus; deinde omnis actus etiam de se bonus ob finem mortalem, est peccatum mortale: actus enim à fine iudicatur; Aduerte tamen mortale ex genere non fieri veniale ratione venialis intentionis: quia malum per bonam intentionem non efficitur bonum; quia hoc est ex integra causa, malum verò ex quocumque defectu. Vt docet D. Thom.1.2.*quæst.*18.*artic.*4.*ad* 3. post D. Dionysius *de diuinis nom.cap.*4.

Secundo, D.Thom.1.2.*quæst.*186.*art.*9. *Nauarr.in prælud.*9. *num* 17.*& cap.*13 *num.*42.*Clauis Reg.lib.*2.*cap.*14.*num.*15.*Syln.* 2.1.*quæst.*186. *num.*9. Ratione specialis contemptus vel inobedientiæ: puta, quando aliquid fit in contemptum vel consilij diuini vel regulæ & legis etiam non obligantis ad mortale, vel superioris vt superior est, vel quia non vult subijci legi seu præcepto vel superiori præcipienti, de quo plura, verb. *Contemptus*.

Tertio. Si ponatur in eo vltimus finis, quia scilicet eo affectu committitur, vt non dubitet ad id committendum transgredi præceptum sub mortali: D.Thom.1.2. q.88.*art.*4.Syluius *ibid.concl.*3.*Suarez de pœnit.d.*22.*sect.*4.*num.*11. *Reginald.li.*15. *num.*32. Ratio est, quia constituere vltimum finem in aliquo actu, est colere illum tanquam Deum, vt si quis dicat nolo aliam beatitudinem, nisi iocosè mentiri. *Sanch.c.cap.*5.*num.*14. *Bonacina tom.*2.*d.*2.*quæst.*3.*p.*5.*numer.*tertio. *Molina tom.*1. *de iust. disput.*114. Obserua tamen ad incurrendum peccatum mortale propter affectum, quem quis habet ad illud, non sufficere affectum habitualem, quo quis scilicet est ita dispositus, vt aduenientе occasione committeret peccatum mortale, sed requiri affectum actualem: habitibus enim non meremur, neque demerentur, sed actibus.

Quarto, Ratione scandali: *Nauarr.in Manuali prælud.*9.*num.* 18.*Summa Corona p.*1.*cap.*1.*num.*23. *Clauis Reg.c.num.*16. *Bonacina c.num.*19.*Sanch.l.*1.*moral.cap.*6. Si enim actus ex se bonus vel indifferens potest effici peccaminosus mortaliter ratione scandali, multò magis peccatum veniale fieri potest mortale ratione scandali: v.gr. Ornatus mulierum, aut hominum, quamuis ex se non excedat rationem peccati venialis, si tamen probabiliter credi potest per eum, proximum mortaliter peccaturum, ob scandalum erit mortalis; quia quilibet cauere tenetur quantum potest proximi peccatum, & non abstinendo ab illo veniali, censetur ruinam proximi saltem indirectè velle, & cooperari damno seu peccato ipsius, & consequenter peccare peccato generali scandali, eo videlicet peccato cuius dat alteri causam directam vel indirectam. Sed de hoc v. *Scandalum*.

Quinto. Ratione periculi proximi in mortale incidendi: tunc autem contingit hæc moralis proxima occasio, vel hoc morale proximum periculum, quando ex suo genere occasio talis est, vt frequenter homines similes conditionis ad peccatum mortale inducat, vel experimento constet in hoc homine talem effectum habere, *D.Bonauent.*4.*d.*17.*p* 3.*artic.*2.*quæst.*1. *Nauarr.cap.*3. *num.*14.*Bonacina c.p.*5.*num.*17.*Suarez tom.*4.*in* 3.*par. disput.*32. *sect.*2.*Cordub in sum.quæst.*4.*Alter Summæ cap.*7.*Caspensis c. tract.de peccat.disp.*3.*n.*52.

Ratio est, quia habitum spiritualem temnere conuincitur, se tam probabili eius amittendæ periculo obijciens: si tamen ita mutatæ sint res, aut ea cautio adhibeatur, vt cesset periculum; vel si causa grauis ei se periculo exponere vrgeat, non erit mortale: Ratio posterioris est: quia cùm tota ratio peccati ex periculo consurgat, qualitercumque id cesset, cessabit quoque peccatum: Posterius probatur, quia tunc periculum illud non est moraliter voluntarium, cùm moraliter loquendo, sine graui periculo vitari nequeant; & ideò non tam quis dicitur illud amare, quàm timere tubire.

Por-

Porrò in hoc probabili peccandi mortaliter periculo, fatendæ sunt circumstantiæ illius peccati, cuius periculo se quis exposuit; quia in moralibus, inquit *Suar.tom.5.in 3.par. disputat.18. sect.3.num.16.*

Eiusdem malitiæ est constituere se in morali periculo admittendi alicuius criminis, atque illud admittere: nam eodem præcepto, quo quis crimen vitare tenetur, obligatur quoque ad proximum illius periculum vitandum.

Sextò, Nauar.in Man.prælud.9.num.9. Medina 1.2.*qu.*88. *art.*4. *Bonacina c.num.*18. Veniale fit mortale, ratione conscientiæ erroneæ, v.gr. si fiat contra conscientiam erroneam dictantem id esse mortale, vel de eo dubitantem: vt dicere verbum iocosum sine proximi offensione, est de se veniale: si tamen hoc dicendo quis crederet aut dubitaret esse mortale, peccaret mortaliter, propter conscientiam quam habet. Vide v. *Conscientia num.*33. & sequentibus.

Aduertendum autem hic est ex D.Thom.1.2.*quæs.*88.*artic.*4. *Sylu.ibid.concl.*2. *Medina* 1.2,*qu.*19.*art.*1. *Clau.Reg.l.*2.*cap.*13. *num.*20. *Valent.tom.*2.*disp.*6.*q.*19.*p.*2.& alijs, idem numero peccatum veniale, manens idem in genere moris, non posse fieri mortale, nec è contra: quia non dicitur vnus actus numero secundùm esse morale, si voluntas aliquo modo mutetur: sed non potest fieri de veniali mortale, nisi voluntas mutetur, ergo semper est alius numero actus, secundùm esse morale, quando de veniali fit mortale: tamen secundùm esse naturæ, idem actus potest esse venialis, & mortalis: nam cum indeliberatione inchoatus, potest continuari, & perseuerare aduenientè plena, & perfecta deliberatione.

13. An autem possit quis peccare venialiter, qui non possit mortaliter? hoc est, possitne aliquis habere, vsum rationis sufficientem ad peccandum venialiter, qui tamen non habeat sufficientem ad peccandum mortaliter? duplex est sententia: prior est affirmatiua, & probabilis, quia vsus rationis acquiritur successiuè, ergo potest quispiam priùs habere vsum rationis imperfectum, qualis ad peccatum veniale sufficit; & postea perfectum, qualis ad peccatum mortale requiritur: & vix negari potest id ad tempus saltem accidere in semidormientibus, semiebrijs, semiamentibus, &c. & huius sententiæ sunt. *Valent.c.qu.*19.*p.*3. *Nauar.in man prælud.*9.*num.*11. *Salas* 1.2. *disp.*18. *sect.* 8.*num.*44. *Maior in* 3.*dist.*37 *qu.*14. *Tannerus* 1.2. *disp.*4. *quæs.*5. *dub.*4.*num.*76.

Altera sententia, quam puto probabiliorem, est negatiua D. *Thom.*1.2.*qu.*89.*art.*6. *Syluius ibi. Capreolus in* 4.*dist.*16.*q.*1.*art.* 3. *Victoria relect* 1 3.*p.*2. *Caietanus, Conradus, Malderus in* 1.2. *qu.*89.*art.*6. & aliorum.

Ratio est. Quia materia peccatorum mortalium notior est, quàm venialium; nam notius est, quòd homicidium, & periurium sint mala, quàm mendacium, & verbum otiosum, ergo non potest quis ita esse dispositus, vt possit cognoscere venialia peccata, & nullum mortale: Deinde qui potest honestum à turpi discernere, is consequenter potest mereri & demereri; adeòque etiam peccare mortaliter: sed omnis venialiter peccans id potest. Ergo &c.

Nihilominus fatetur quidam Neotericus, illum, qui laborat inuincibili ignorantia diuinitatis, posse peccare venialiter, v.gr. occidendo, adultetando, furando. &c. quia contra dictamen rectæ rationis; non tamen mortaliter, quia nec agnoscit amicitiam diuinam, nec supremum illum legislatorem, nec vltimum suum finem. Ita *Tannerus c.num.*75. Sed an probabiliter? iudicent viri docti.

14. An cum solo originali possit consistere peccatum veniale? videtur non posse, quia puer non baptizatus, simul ac ad vsum rationis peruenerit, tenetur deliberare de seipso, & conuertere se ad Dominum Deum: quod si fecerit, liberabitur à peccato originali, quia Deus iustificabit illum; si non fecerit, peccabit mortaliter: nam lex naturalis in illo instanti ipsi proponitur, & innotescit, ac proinde debet eam acceptare, lex, inquã, de instituenda vita in ordine ad vltimum finem. Hæc sententia velut probabilis sustineri potest, & eam docent D. Thom.1.2. *qu.*89.*art.*6. *D.Antonin.p.*1.*tit.*10.*cap.*1.§.1. *Soto l.*2.*qu.*3.*artic.* 10. *Nauar.cap.*11 *num.*8. *Syl.*1.2.*qu.*89.*art.*6. *Bannes* 1.2.*q.*10. *art.* 1. *Victoria relect.*13. & alij Thomistæ. Sed quia paulò durior est, dicendum est cum *Suar.tom.*4. *d.*11 *sect.* 2. *Cæspensis tr.*12. *disp.*3. *sect.*7. *D.Bonau.in* 4.*d.*21.*art.*1.*qu.*1. *Valent.*1.2. *disput.*6. *qu.*19.*p.*3. *Vasq.*1.2.*disp.*149.*cap.*2. *Bonacina tom.*2. *d.*2.*qu.*1.*p.*2. *num.*3. *Aior.tom.*1.*l.*4.*cap.*10. *qu.*2. communiori sententia hoc tempore extra scholam D. Thomæ, peccatum veniale posse consistere cum solo originali: nam pueri in primis illis cogitationibus, mouentur naturaliter à sensibilibus, & si peccant, id fit communiter in materia leui, vt in paruis furtis, in ira, gula, mendacijs, &c.

Tum quia moraliter impossibile est, vt homo præsertim ab infidelibus parentibus natus, qui nihil hactenus de Deo audiuit aut intellexit, in primo statim instanti vsus rationis Deum agnoscat, ac in eum fide supernaturali credat, sine qua charitatis actus elici nullo modo potest.

Tum quia nusquam extat præceptum conuertendi se ad Deũ in primo instanti vsus rationis, nec in scripturis diuinis, nec in lege naturali, vnde traditio tale præceptum non agnoscit: *Tanner.*1.2.*d.*4.*q.*5.*num.*86. *Salas* 1.2.*disp.*18.*sect.*3.*n.*10.

Quamuis probabile sit, postquam incipit Deum clariùs cognoscere, & suam dependentiam ab illo, tum in esse gratiæ, tum in esse naturæ, teneri illum non diu differre suam in Deum conuersionem, per amorem & generale propositum bonæ vitæ: quia ipsum quoque charitatis præceptum, aliquoties in vita obligare probabilius est: numquam tamen videtur mihi peccare mortaliter nisi aliquo modo aduertat, hanc suam tam grauem obligationem.

Vide *Actus humanus* 1.num.24. *Confessio* 3. *Dubium* num 7. *Charnas* num.9.

PECCATVM II.

De peccato commissionis, & omissionis.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit peccatum commissionis, & omissionis?*
2. *An differat peccatum commissionis, & omissionis?*
3. *An peccatum commissionis grauius sit peccato omissionis?*
4. *An omissio culpabilis vel inculpabilis possit esse sine aliquo actu?* refertur duplex sententia.
5. *An actiones quæ causa sunt opus debitum omittendi mala sint & peccata, etiamsi aliàs bona sint?*
   Et vt cognoscatur, quę actio sit causa peccati omissionis, quæ verò sit tantùm comes.
6. *Quando tota malitia peccati omissionis contrahatur?* refertur duplex sententia.

1. EX communi sententia, peccatum cõmissionis est quod aduersatur præcepto negatiuo, omissionis verò quod affirmatiuo. Præceptum negatiuum est, quod vetat aliquam actionem realem; Affirmatiuum quod iubet actionem: Vnde patet aliqua præcepta nomine esse affirmatiua, quæ reipsa sunt negatiua, vt *ieiuna, restitue*: nam tantumdem valent, ac si dicas, *ne comedas bis, ne detineas alienum*: Et contrà, aliqua esse reipsa affirmatiua, quæ videntur negatiua. vt *ne omittas sacrum*; nam duæ negationes affirmant. Ratio horum omnium est, quia affirmatio per se opponitur negationi; commissio autem, est veluti affirmatio practica, nam consistit in actu positiuo, ergo propriè opponitur præcepto neganti. Omissio autem cum consistat in non agendo, est veluti negatio, ac proinde opponitur præcepto affirmanti.

Præterea præceptum negatiuum obligat semper, & ad semper, ac proinde numquam licet facere actionem realem, quæ prohibetur, nisi extinguatur obligatio legis. Affirmatiuum autem obligat semper, non ad semper, eaque de causa sæpe licet omittere actionem realem, quæ præcipitur; vnde non tenemur Deum semper actu diligere, sacrum semper audire, &c. Sed sufficit, si tempore & loco id faciamus. *Sylu.*1.2. *qu.*72.*art.*6. *Laym. l.*1.*tract.* 3.*cap.*4.*num.*1. *Becan.* 1.2. *tract.*2.*cap.*3.*q.*1. *Filliuc.tr.* 21.*cap.*7.*num.*155.& *seq. Clau.Reg.l.*2. *cap.*6. *num.*5. *D.Tho.*2. 2.*qu.*33.*art.*2.& *q.*79. *art.*3.

2. Peccatum commissionis differt à peccato omissionis: quia omissio consistit in priuatione actus præcepti, vt non audiendi sacrum; commissio verò in faciendo actu, qui contrarius est præcepto vt furandi contra præceptum, Non furaberis: Sed quia omissio fundatur aliquando in aliqua commissione, vt omissio restitutionis in ablatione alieni fundatur, omissio satisfaciendi in illatione damni vel iniuriæ factæ: ideò peccatum commissionis,

sionis, & omissionis, differunt specie materialiter tantùm, sed non formaliter. *D.Thom.1.2.qu.72.art.6. Sylu.ibi. Azor.lib.4. num.1.cap.3.qu.1.& 2.*

Materialiter, hoc est, considerando esse naturale vtriusque formaliter autem idem est, quod considerando vtrumque secundum propriam rationem peccati. Quamuis *Bonac.to.3.d.2. qu.4.num.1. Valent.1.2.disp.6.qu.2.p.2.* cum *Clau.Reg.lib.2.cap. 6.num.6.*

Doceant illa peccata differre specie, etiamsi considerentur formaliter secundùm ino dinationem, & propriam malitiam: quia aliud peccatum est omittere Missam, quod est peccatum omissionis, aliud irreuerenter, & iniuriosè tractare Missam verbis obscœnis, & blasphemis, quod est peccatum commissionis.

3. Peccatum commissionis grauius est peccato omissionis; tum quia plus recedit à virtute, vt qui odit, plus recedit à virtute charitatis, quam qui non amat: tum quia peccatum commissionis immediatè priuat bonitate debita actui: peccatum verò omissionis mediatè tantùm priuat bonitate, cùm huiusmodi peccatum immediatè consistat in priuatione actus mediatè in priuatione bonitatis, quæ deberet ineße actui: Peccata autem omissionis inter se distinguuntur in grauitate, & leuitate, ex inæqualitate operis debiti; quia videlicet vnum sit perfectius altero, vel imperfectius; vt omissio amoris Dei, maius peccatum est, quàm omissio Sacri. *Filiuc.tract.21.cap.7.num.260. Bonac. c.punct.4.num.2.*

Grauitas porrò peccati omissionis, per se, ac cæteris paribus, æstimanda est, ex qualitate operis præcepti quod omittitur: per accidens tamen, vel propter disparitatem necessitatis aut aliarum circumstantiarum actus, æstimanda est ex maiori obligatione, vel necessitate: item ex causa magis vel minus excusante: item ex difficultate quæ operi esset adiuncta; vel ex perfectione voluntarij. Vide *Azor.tom.1.lib.4.c.3.qu.8. Sylu.1.2.qu.71.art.5. qu.3. & Filliucium.*

4. Dubium est inter Doctores, an peccatum omissionis absolutè possit esse sine omni actu, qui sit causa vel occasio illius, aut saltem alioqui incompossibilis cum executione præcepti? Quod ad primum attinet, loquendo nimirum de actu, qui sit causa vel occasio illius, D.Thom.1.2.qu.71. art.5. Videtur absolutè asserere, necessario in peccato omissionis interuenire actū aliquem, qui sit causa vel occasio illius, seu coniuncta omissioni seu ipsam præcedens: Eandem sententiam ita etiam absolutè tuentur *Caietan & Conrad.ibid. Mazist.in 2.disp.35.cap.11. D. Bonau.ibid.dub.1.* & alij quos sequitur *Vasq.1.2.disput.93.cap.2. Gabr.in 4.dist.41.qu.1.art.5.*

Qui nomine actus in proposito notat intelligi, non tantùm operationem alicuius facultatis vt ambulare, audire, videre, sed etiam id quod se habet per modum actus, qui præcepto aliquo potest prohiberi, aut imperari, vt armatum esse, quiescere, stare, tacere: Hæc enim & similia si fiant liberè, possunt esse capacia virtutis ac vitij. Huius autem sententiæ rationem præcipuè petunt ab experientia, & conditione animi nostri, qui nunquam planè solet esse otiosus. Alij doctrinam *D.Thomæ* sic explicant, vt mens eius fuerit docere, quod moraliter loquendo, necesse sit in peccato omissionis reperiri aliquem actum, qui sit causa vel occasio omittendi, quamuis simpliciter ac physicè secundùm possibilitatem Logicam aliter fieri possit: Ita *Medina 1.2.q.71. art.5. Valent.1.2.disput.6.qu.1.punct.4. Tann.1.2.disp.4.quæst.4. dub.1.num.9. Azor.tom.1.l.4.cap.3.qu.3. Bonac.tom.2.disp.2.q.4. punct.4.num.12* post *Durandum, Marsilium, & Adrianum.* Quorum sententia mihi verior videtur, maximè in omissione culpabili, & moraliter loquendo; quia inculpabilis omissio esse potest per solam negationem actus, vt omissio sacri in die feriato, vel die festo, si quis naturaliter obliuiscatur diei festi; hæ enim omissiones inculpabiles essent.

Quòd autem physicè, & absolutè loquendo omissio reperiri possit sine vllo actu, qui sit propriè actus, patet; vt, si quis tempore, quo præceptum contritionis obligat, suspendat actum contritionis, nullum actum exercet incompossibilem cum actu contritionis, cùm negatiuè se habeat, vt supponitur.

Porrò actus ille, sine quo omissio esse non potest, (moraliter loquendo) dicitur causa illius per se vel per accidens: quia non semper necesse est actum illum, qui iungitur cum omissione, esse directè intentum à voluntate, satis est, quòd sit indirectè volitus.

5. Actiones, quæ causa sunt operis debitum omittendi, malæ sunt & peccata, etiamsi aliàs bonæ essent: tum quia illa actio est mala, quæ est causa peccati; sed actio, quæ est causa omissionis, est causa peccati, ergo est mala; tum quia inter circumstantias requisitas ad opus bonum, vna est, vt effectus, qui ex illa sequitur, non sit malus: cùm ergo ex tali actu sequatur omissio peccaminosa, eaque sit vel præcogitata, vel per se aut vt in pluribus consequens talem actum, non potest non addere isti actui malitiam: vnde ira incautè iacere sagittam quod ex hoc sequatur homicidium, est peccatum, etiamsi iactus sagittæ non sit secundùm se malus.

Illæ autem actiones, quæ neque sunt causæ omissionis præcepti, neque sunt talis occasio, vt ex ea cum affectu præceptum omittatur, neque etiam adimunt facultatem illud implendi, sed ipsam omissionem nudè comitantur, si aliundè non sint malæ, non sunt peccata, etiamsi sint incompossibiles cum executione præcepti.

Vnde qui statuit die festo non audire sacrum ex pigritia, vel quia est frigidum, & ne interea sit otiosus applicat se ad sua studia: tale studium non est peccatum; nam ex se bonum est, & ratione omissionis non habet vllam circumstantiam malam, cùm neque sit causa illius, nec occasio: deinde fieri potest, vt tale studium sit præceptum, v.gr. si vouisset studere omni tempore, quo domo non egrederetur. Et confirmatur hæc sententia, quia alioqui quis necessariò peccaret, quidquid demum faceret dum sacrum omittit. Vide D.Thom.1.2.*quæst.71.artic.5. & quæst.2. de malo art.1.*

Ad dignoscendum autem quæ actio sit causa peccati omissionis, quæ verò sit tantùm comes, hoc tenendum est. *Actio*, quæ per se primò eligitur, & secundùm se sola consistere non potest cum obseruatione præcepti quod omittitur, etiamsi eligatur post voluntatem omittendi, dicitur causa illius, & est mala. Illa verò actio quæ secundariò eligitur, cum priore comes tantùm est, ideò non mala; quidquid in contrarium asserat *Valent.* 1.2. *disp.6.quæst.1.punct.4.* Putans talem actum esse causam omissionis: sed nostræ sententiæ subscribunt *Medina* 1.2. *qu.71. art.5. Azor.tom.1.l.4.cap.3.qu.5. Sylu.1.2.quæst.71.art.5. qu.1. concl.* 2. & 3. *Tamerus* 1.2.*disp.4.qu.4 dub.2. Filliuc.tract.21.c.7.qu.6.* & 7. *Dian. p.3.tract.6.resol.8. Clau.Reg.l.2.cap.6.num.13. Bonacin.tom.2.disp.2. qu.4. punct.4.num.13.* & *seq. Vasq.qu.1.2. disput. 93.cap.2. Laym.l.1.tr.3.cap.4.num.2. Calpensis tom.1.tract. de peccat. disp.1. sect.7.*

Pro praxi tamen admittendum est, actus qui sunt causa vel occasio omissionis, seu ex quorum affectu omittitur opus præceptum, non esse peccata distincta à subsecuta omissione, si alioquin non sunt ex se mali, ideòque sufficere in Sacramentali confessione accusare omissionem, etiamsi illi actus qui fuerunt causa omissionis, non exprimantur: quia tales actus cùm non sint ex se mali, non habent malitiam distinctam à malitia omissionis, neque opponuntur alteri virtuti, quàm illi, cui omissio ipsa opponitur: secus dicendum, si actus in se sint peccata; retinebunt enim suam malitiam: vt si quis omittat sacrum, vt furetur, fornicetur, &c.

6. Dubium est inter Doctores, an peccatum omissionis tunc solùm accidat, cùm causa culpabilis omissioni datur; an verò eo tempore, quo actus præceptus executioni esset mandandus, præcipua autem difficultas est in eo casu, quo ipsa omissio tempore præcepti, non est amplius in libera potestate omittentis: puta si tunc dormiat, vel sit ebrius, aut per aliquem alium actum se culpabiliter fecit impotentem. Qua de re sunt duæ opiniones oppositæ.

Prima ait, in hoc casu, tunc solùm peccari, quando causa culpabilis omissioni datur, ipsam verò omissionem actualem propriè peccatum non esse, quia pro tempore quo præceptum obligabat, sub libera potestate omittentis non est. Ita *Alensis 2.par. qu.113.memb.7. Richard.in 4 d.9.art.2.quæst.3. Vasq.d.94.cap.2. Azor.tom.1.l.4.c.3.qu.4.* & alij.

Secunda sententia est aliorum, qui censent eo solùm tempore peccari quo præceptum est exequiendum, etiamsi tunc nullus sit vlius rationis; quia tunc præceptum pro illo dumtaxat tempore obligat. Ita D.Thom.2.2.*qu.79.art.3.ad 3. Sanch.l.1.moral.cap. 17.num 9. Filiuc.tr.21.cap.7.q.8.*

Pro solutione tamen huius dubij, mihi dicendum venit, vtroque tempore peccari peccato omissionis quando causa omissionis potuit ac debuit vitari, & cum causa voluntaria omissioni datur, & cum accidit ipsa omissio, modò tamen hæc in sua causa maneat voluntaria: Prima pars est certa; quia tunc aliquis peccat, quando est causa peccati voluntaria, & docetur etiam Diu. Thom.2.2.*q.150.art.4.*

Secunda pars probatur: quia tunc temporis, licet omissio actualiter non sit amplius voluntaria, nec in se, nec in sua causa, est tamen voluntaria in sua causa virtualiter, quatenus ex vi præcedentis voluntatis, qua quis voluit causam nondum per contrariam volitionem retractatam: Huius conclusionis sententiam tradunt Medin. 1.2. *qu.71. art.5. Valent. 1.2. disp.6. qu.1. punct.4. Tanner. 1.2. d.4. qu.4. dub.1. Syln. 1.2. qu.71. art.5 quæst.2. conclus. 1. & 2.* & est communis Thomistarum recentiorum, vt testatur *Vasq.* suprà citatus; ipsa tamen omissio peccatum non est, si pro tempore, quo accidit, non sit in potestate omittentis, nec etiam in se, vel in sua causa sit voluntaria; vt quia ante tempus executionis præcepti, hominem de causa data pœnituit: aut quia homo vel non potuit, vel non debuit cauere secuturam omissionem.

Porrò ipsum externum omissionis peccatum tunc existit, quando occurrit articulus præcepti. Ratio est, quia omissio exterior, est priuatio actus præcepti: ergo tunc existit, quando actus deberet fieri.

Et licet peccatum omissionis quasi inchoatiuè, siue secundùm propositum, dici possit fieri eo tempore quo ipsius causa culpabiliter ponitur; consummatiuè tamen vel executiuè, atque simpliciter tunc demum, quando adest tempus operis implendi.

Hoc autem diligenter obseruandum est, tum propter censuras Ecclesiasticas, tum propter restitutiones, tum propter integritatem confessionis: omissio enim exterior accedens ad voluntatem omittendi, quamuis sit tantùm denominatiuè peccatum, necessariò tamen exprimenda est, quia est peccati pars materialis.

PECCATVM III.

De causis peccatorum.

SVMMARIVM.

1. *In omni peccato reperiuntur duo, actus vel omissio, & priuatio rectitudinis debitæ in esse.*
2. *Causa interna peccatorum sunt voluntas, intellectus, imaginatio, & appetitus.*
   Causæ peccatorum externæ sunt illecebræ mundi, & carnis, Diabolus, & homo.
3. *Causæ interna peccatorum sunt quatuor,*
   Ignorantia intellectus, passio appetitus, malitia voluntatis, actus alterius peccati.
   Quod sit peccatum ex ignorantia.
   Ex passione seu infirmitate.
   Ex malitia.
4. *Inter hæc peccata, grauissimum est peccatum ex malitia.*
5. *Quomodo vnum peccatum possit esse causa alterius.*
6. *Exempla obiecta sensibilia, quomodo sint potius occasio peccati, quam causa.*
7. *Deus nullo modo est causa vel author peccati.*
   Quamuis sit causa actus secundùm genus naturæ consideratus, seu in quantum est ens, & actus.

1. IN omni peccato sunt duo: 1. actus, vel omissio. 2. priuatio rectitudinis debitæ in esse, illud est materiale peccati, hoc formale, & in quo ratio eius consistit. Certum est ex D. Thom. 1.2. *qu.75. art.1. Sylu. ibi. Clau. Reg. l.2. cap.8.* & communi sententia peccatum habere aliquam causam: quia de nouo incipit, cum antea non esset: ergo debuit suo modo produci, ab aliqua causa.

Peccatum secundùm materiale, causatur à voluntate creata: quia materia peccati est actus liber, vel omissio eius.

Peccatum verò secundùm formale, non habet causam efficientem, sed deficientem. Ratio est; quia effectus priuatiui causa, per se debet esse priuata, quamuis per accidens causa positiua adesse possit. Itaque integrum principium peccati est voluntas creata, deficiens à sua regula, in operationibus liberis. Vt docet D. Thom.

2. Peccatum habet varias causas tum internas, tum externas. Ratio est, quia licet nihil sit, quod cogat aut necessitet voluntatem ad peccandum, tamen multa sunt, tum intra hominem, tum extra, quæ ipsum alliciant, & inclinent ad prosequendum aliquod bonum, contra regulam legis æternæ.

Intra hominem sunt iuxta D. Th. *c. art.2. Sylu. ibi. Azor tom. 1. l.4. cap.12. Bonac. tom.2. disp.2. q.3. punct.1. Clau. Reg. c.num.1. Tann. 1.2. disp.4. q.9.* Primò voluntas, quæ est directa, & integra causa peccati, actum malum eliciens & in se suscipiens: quia vt dicit *Augustinus* nulla alia re fit anima hominis serua libidinis: nisi propria voluntate; Sicque rectè dicitur, prima, principalis, & immediata causa peccati: licet enim aliæ potentiæ concurrere possint ad peccandum, earum tamen actus, sicut tantùm denominantur liberi a libertate voluntatis, quæ essentialiter est libera; sic etiam denominantur deordinati & culpabiles siue peccata, à deordinatione voluntatis, in qua est primum immediatum principium peccandi.

Voluntas tamen per se non est causa peccati, sed per accidens quatenus est per se causa actus, in quo est defectus perfectionis debitæ.

Secundò. Intellectus, vt proponens voluntati bonum commutabile, nec attendens ad regulam sibi præscriptam.

Tertiò. Imaginatio. & appetitus, vt inclinantes voluntatem ad consensum peccati.

Vnde duplex causa peccati interior recenseri potest, Mediata seu remota, & immediata seu propinqua. Remota est apprehensio sensitiuæ partis, & appetitus sensitiuus: Proxima est intellectus, & voluntas. Et licet hæ omnes causæ deordinatè concurrant ad vnum & idem peccatum, ver gr. dum primò sensus proponit obiectum delectabile appetitui: deinde appetitus, dum in illud inclinatur, quodammodo trahit seu allicit rationem, vt ipsa probet id cui ipse afficitur: tum ratio cessans à consideratione regulæ debitæ, illud approbat, ac voluntati præsentat: voluntas verò consentiendo perficit seu complet rationem peccati; Non tamen ista semper concurrunt necessariò ad omne peccatum: nihil enim repugnat quin aliquando peccatum committatur contra inclinationem appetitus sensitiui, aut contra scientiam intellectus. *Vide Sylu. 1.2. q.77. art.2.*

Extra hominem sunt peccatorum causæ. *Primò*, illecebræ mundi & carnis, vt sunt obiecta delectabilia, honorifica, vtilia, &c. *Secundò*, Diabolus. *Tertiò*, Homo. Hi tamen vtuntur obiectis externis, vt alios trahant ad peccatum. D. Thom. *1.2. q.75. art.3. Alens. p.2. sum. q.94. memb.3. art.4. Clau. reg. l.2. cap.8. n.5. Sylu. 1.2. q.75. art.3.* & alij.

Potrò cum peccatum prouenit ex defectu intellectus, dicitur peccatum ex ignorantia, cum autem ex defectu aut deordinatione appetitus sensitiui, dicitur peccatum ex infirmitate, cum autem ex deordinatione voluntatis, dicitur peccatum ex malitia: Ratio est, quia deordinatio intellectus contingit per ignorantiam, appetitus sensitiui per passiones seu ægritudines animæ, voluntatis verò per malitiam; sicque denominantur peccata à sua causa: quibus positis & præmissis, dico.

3. Peccatorum causæ interna potissimum sunt quatuor, ignorantia intellectus, passio appetitus, malitia voluntatis, actus alterius peccati.

Peccatum ex ignorantia seu imperitia est, quod à vincibili ignorantia voluntarium diminuente, tanquam à causa, per accidens, procedit: vt patet ex dictis suprà titulo *Actus humani 2. num.8.9.10. & titulo ignorantia.* Notandum tamen hic est excludi ignorantiam inuincibilem, & inculpabilem: nam quamuis hæc possit esse occasio peccati, numquam tamen causa: vt si quis voluntariè sese inebriet, inuincibiliter ignorans se fornicaturum, & non potaturus si præsciuisset: nam quamuis hæc ignorantia occasionem dederat ebrietati, ipsa tamen ebrietas non est peccatum ex ignorantia: fornicatio verò nullam habet rationem peccati.

Dixi *inculpabilem*, quia potest dari ignorantia inuincibilis, quæ tamen sit culpabilis vt est illa, quæ ex culpa originali est orta, & est causa cur homo delinquat, vbi non delinqueret, si instructus esset scientia illi opposita; sicut concupiscentia sæpe facit nos velle, quæ illa non mouente, non vellemus. Vide quæ diximus suprà v. *Ignorantia num.7.* ad mentem *D. Augustini*, & insuper D. Thom. *1.2. qu.76. art.1. Sylu. ib. Angel. in Flor. 2. sent. d.22. qu.2. art.2 diffic.1. Bonac. tom.2. d.2. qu.5. p.1. Filliuc. tract. 21. cap.10. quæst.5. Clau. Reg. lib.2. cap.9. num.31. Laym. l.1. tract. 3. cap.7. num.1. Tanner. 1.2. d.4. qu.9. dub.1. Caspens. tr.12. disp.5. sect.1.*

Excluditur *secundò*, ignorantia affectata, nam quod ex illa fit, censetur fieri ex malitia, vt insinuant Sancti Patres.

Excluditur *tertiò*, inconsideratio: nam cum inconsideratione

po-

poteſt peccari, & ex ignorantia, & ex paſſione, & ex malitia, vt inſinuat D. Thom. 1.2.q.78. *art.* 1. *ad* 1.

Peccatum ex paſſione, ſeu infirmitate eſt, quod fit ex motu appetitus ſenſitiui minuente libertatem voluntarij. Talia ſunt peccata ex vehementi ira, triſtitia, libidine, &c.

Dico *vehementi*, quia leuis paſſio non minuit libertatem, nec item illa quæ excitatur à voluntate, quæ ſecundùm D. Thom. *c. qu.* 77. *Sylu. ib. Bonac. c. num.* 1. *Laym. c. num.* 1. *Azor. tom.* 1. *lib.* 4. *c.p.* 2. *qu.* 8. *Clau. Reg. c. cap.* 10. *Fillinc. c. num.* 377. Vocatur conſequens; nec item ea, quæ eſt ex praua conſuetudine, ſiue malè agendi, ſiue non reſiſtendi ſuis paſſionibus. Vnde *Ariſtot. lib.* 7. *Ethic. cap.* 8. Philoſophus elegantèr dicit intemperantem peccare ex malitia, incontinentem ex infirmitate: ſi tamen per pœnitentiam habitus ille malus factus ſit inuoluntarius, peccatum ſequens, cenſebitur eſſe ex paſſione. Sed de hoc plura noſter *Caſpenſis tractatu* 12. *diſput.* 5. *ſect.* 4. & *D. Th.* cum alijs.

Peccatum ex malitia eſt, quod ex plena libertate committitur: quia libertas voluntatis minuitur dupliciter.

Primò, ab intellectu per ignorantiam.

Secundò, ab appetitu per paſſionem, ergo quando ignorantia abeſt & paſſio, dicimur peccare ex pura libertate, quæ denominatione quadam extrinſeca, vocatur malitia.

Vbi tamen notandum eſt, peccatum ex malitia, ſtrictiùs aliquando ſumi pro peccato ex contemptu: vt cùm quis peccat, vt Deum offendat; vt ſe contumacem, & inobedientem oſtendat, &c. hic autem ſumitur latè: nam omne peccatum quod non fit ex ignorantia vel ex paſſione, cenſetur hic fieri ex malitia. D. Thom. *c. quæſt.* 78. *art.* 1. Sylu. Caiet. Conrad. Medin. *ibi. Valent.* 1.2. *d.* 6. *q.* 8. *p.* 1. *Clau. Reg. c. cap.* 11. *num.* 1. *Lyam. c. nu.* 1. *Tanner. c. q.* 9. *num* 50 51. *Fillinc. c. num.* 380.

4. Inter hæc tria peccatorum genera, grauiſſimum eſt peccatum ex malitia; quia plena libertate fit: & cum aliquo contemptu, vnde magis voluntarium eſt.

Deinde ſequitur peccatum ex paſſione; nam quamuis minuat liberum, auget tamen voluntarium, & facilius vitari poteſt, quã peccatum ex ignorantia, quod minuit liberum, & voluntarium ſimul. Hinc ſecundum *D. Gregorium lib.* 25. *moral. cap.* 16. *Grauius quidem peccatur infirmitate, quam ignorantia, ſed, multò grauius ſtudio, quàm infirmitate.* Ita etiam *D. Thom.* 1.2. *qu.* 78. *art.* 4. *Sylu. ibi. Becan.* 1.2. *trac.* 2. *cap.* 4. *Nau. in c. ſciendum nu.* 5. *d.* 2. *de pœn. Tanner. c. num.* 52.

5. Vnum peccatum poteſt & ſæpè ſolet eſſe cauſa alterius peccati: idque ſecundùm omnia quatuor cauſarum genera, vt præclarè declarat D. Thom. 1.2. *qu.* 75. *art.* 4. *Sylu. ibi. Bonacin. c. num.* 1. *Tanner. c. qu.* 9. *dub.* 6. *num.* 109. & *ſeq. Clau. Reg. l.* 2. *cap.* 12. *num.* 4. 5. & 6. *Vaſq.* 1.2. *diſp.* 136. *Med.* 1.2. *qu.* 84. *art.* 2. *Caſpenſis tr.* 12. *diſp.* 5. *ſect.* 8. Iuxta illud Gregorij homilia 11. in Ezechielem: *Peccatum quod per pœnitentiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit.*

Dicitur autem peccatum eſſe cauſa alterius quatenus tollit gratiam, & charitatem, verecundiam, & timorem, quibus retrahebatur quis à peccando; ſeu quatenus per vnum peccatum accipit homo diſpoſitionem, qua inclinatur voluntas ad alterum præſertim eiuſdem ſpeciei, vel quod ſaltem cum eo affinitatem, & dependentiam quandam habet, v.g. per actum libidinis vel per exceſſum gulæ, redditur homo procliuior ad alios luxuriæ, & intemperantiæ actus.

Vnde hæc quarta cauſa conſtituit peccata capitalia quæ nihil aliud ſunt, quàm capita, fontes, radices, cauſæ & matres aliorum peccatorum: vt ſunt illa ſeptem vulgatiſſima, *Superba, Auaritia, Luxuria, Inuidia, Gula, Ira, Acedia.*

Inter hæc autem præcipua ſunt, ſuperbia, & cupiditas: ratio prioris eſt, non ſolùm quia primum peccatum Angelorum fuit ſuperbia, aut quia Adam peccauit ex ſuperbia, verùm etiam quia ex peccato ſuperbiæ reliqua originem trahunt, quatenus ſuperbus non veretur præ ſuperbia in alia peccata incidere. Ratio poſterioris eſt. Quia auarus audet quodlibet ſcelus committere ad congregandum pecuniam: vnde dicitur *Eccleſiaſt.* 10. *Auaro nihil eſt ſceleſtius.* Et primæ ad Timoth vlt. *Radix omnium malorum eſt cupiditas.* Ita *D. Thom. Sylu. Bonacina, Tannerus, Clau. Reg. Vaſq. Medina, Caſpenſis*, & alij.

6. Certum eſt ex ſacris literis, dari cauſas exteriores peccati; ſed illæ obiectiuè tantum poſſunt cauſare peccatum, per ſpeciem boni, quam ingerunt ſenſibus, vnde ſunt potiùs occaſio peccati, quàm cauſa. Tales ſunt, *Homo, Diabolus, Obiecta ſenſibilia.* D. Thom. 1.2. *q.* 75. *art.* 3. Sylu. *ibi.*

Et quidem de homine, res eſt ſatis aperta, quòd poſſit ſuaſu, & conſilio ſuo, alijſque modis, & vijs alterum ad peccatum inducere, adeoque poſſe eſſe cauſa peccandi impulſiua: habet tamen homo peculiarem rationem cauſandi peccatum in poſteros per naturalem propagationem: ſed hoc tantùm conuenit in primum noſtrum parentem, in cuius voluntate omnium noſtrum voluntates, etiam ſi eatæ Virginis, decreto diuino poſitæ fuerunt, hac lege, & conditione, vt ſi de ligno vetito non comederet, toti poſteritati, gratiam acceptam conſeruaret, ſin autem, toti poſteritati auferret, & generaret filios iræ, obnoxioſque peccato, quod vocamus originale. D. Thom. 1.2. *queſt.* 82. *art.* 1. & *ſeq.*

Sylu. *ibi. Tannerus* 1.2. *diſp.* 4. *q.* 9. *dub.* 6. *nu.* 103. *Bonac. tom.* 2. *diſp.* 2 *q.* 3. *p.* 1. & *q.* 1 *punct.* 3. *Vaſq.* 1.2. *diſp.* 130. & 132. *Azorius. tom.* 1. *l.* 4. *c.* 30. *q.* 9.

Hoc autem peccatum, origine vnum eſt, & propagatione, ſeu non imitatione, transfuſum omnibus, ineſt vnicuique proprium nec per naturæ vires, vel per aliud remedium tolli poteſt, quàm per meritum vnius mediatoris Domini Ieſu Chriſti, quod per baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ ritè collatum, tam adultis, quàm paruulis applicatur, vt definit *Concil. Trid. ſeſſ.* 5. *nu.* 3 Statim igitur atque quis naturali via concipitur, ex vi ſuæ Conceptionis, peccatum hoc contrahit, per efficientiam quandam moralem, ab Adamo manantem, qui omnes ſuos poſteros ad eum ferè modum infecit, quo peccator in ſe relinquit habitualem quandam maculam, actu peccati iam tranſacto, à qua formaliter denominatur peccator.

Certum quamuis Beatiſſima Virgo Maria, quatenus peccauit in Adamo, habuerit obligationem ſeu neceſſitatem contrahendi peccatum originale, de facto tamen præſeruata fuit, ne cum peccato originali conciperetur, & naſceretur: & licet hæc ſententia non ſit quidem certa, ſed adeò eſt probabilis vt oppoſitæ meritò præferatur: quæ potiſſimum probatur Eccleſiæ auctoritate & vſu multis modis huic ſententiæ fauentis: vt patet ex conſtitutionibus Sixti IV. *Cum præexcelſa, & Grauem nimis.* Pij V. *Speculum Domini*, anno 1570. Pauli V. *Sanctiſſimus Dominus noſter.* die 31. Auguſti 1617. Vbi prohibet, vt nullus in concionibus ad populum vel actibus publicis intelligere, lectionibus, concluſionibus, diſputationibus teneat, vel defendat opinionem D. Thomæ, dicendo B. Virg. conceptam cum originali, idque propter ſcandalum fidelium.

Tamen prohibet ne in actibus publicis Prædicatores, vel Lectores dicant opinionem D. Thomæ eſſe peccaminoſam, vel hæreticam, ſicut Sixtus IV. & Pius V. antea decreuerant. Imò iubet Paulus V. quòd in publico opinionem D. Thomæ non impugnent, nec de illa aliquo modo agant ſeu tractent. Et concedit Epiſcopis, & Inquiſitoribus vt procedant contra oppoſitum facientes. Tandem S. D. N. Gregorius XV. anno Domini 1622. 21. Iunij, vt patet ex eius Bulla 29. tom. 4. Bullarij, ſub excommunicationis pœna, & alijs pœnis præcepit, ne opinio D. Thomæ, etiam in priuatis colloquijs, vel ſcriptis practicetur, vel defendatur.

Poſtea tamen idem Pontifex 28 Iulij eiuſdem anni 1622. conceſſit omnibus, & ſingulis Ordinis Prædicatorum Fratribus vt de cætero in quibuſcumque priuatis eorum colloquijs, ſeu conferentijs, inter ſe dumtaxat, & non inter alios, aut cum alijs, de materia eiuſdem Conceptionis B. Mariæ Virginis differere, & tractare, abſque vllo pœnarum in dictis decretis contentarum incurſu liberè, & licitè poſſint, & valeant. *Vaſq. tom.* 3. *ad* 3. *par. diſp.* 116. & 1.2. *diſp.* 130. *Suar.* 3. *par. tom.* 2. *diſput.* 3. *ſect.* 5. & 6. Sylu 1.2. *q.* 81. *art.* 3. *concl.* 2. *Tannerus* 1.2. *diſp.* 4. *q.* 7. *dub.* 2. *Bonac. tom.* 2. *q.* 1. *p.* 3. *Rodrig. to.* 1. *qq. reg. qu.* 57. *Portel. in dub. reg. v. Conceptio Deipara n.* 9. & *v. Prædicatores n.* 6. *Hieron. Rodrig in compend. reſol.* 30.

Fauet ad hæc ſupra dicta Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. vbi Beatam Mariam Virginem vocat immaculatam: & idem comprobat authoritas SS. Patrum, communiſque Doctorum, & Academiarum huius ætatis conſenſus.

Diabolus eſt author omnium peccatorum occaſionaliter, plurimorum cauſaliter.

Probatur prima pars, quia primis noſtris parentibus peccatum perſuaſit, quod fuit origo omnium peccatorum ſubſequentium.

Probatur ſecunda pars, quia cùm hominẽ ſuperauerit in Paradiſo, ius quidem in illum acquiſiuit, ac propterea illum tentat, inſtigat, impellit ad malum, non quidem cogendo aut neceſſitando liberum arbitrium, ſed per externam ſuggeſtionem, proponendo obiecta quædam ſenſibus grata, quæ poſſint trahere ad

consensum; item per suggestionem internam, commouendo spiritus, & humores atque adeò imaginationem, & appetitum sensitiuum ad varios motus impellendo, quibus homo inclinetur ad peccandum.

Non tamen omnia, & singula peccata ex Diaboli suggestione accidunt, nisi remotè; quatenus nimirum ipsa quoque naturæ corruptio quæ subinde nobis est causa peccandi, ex ipsa quoque serpentis ac diaboli suggestione seu tentatione prodijt. Ratio est, quia mundus & caro nostra, etiam per se sola satis ad nos tentandos virium habent. D. Thom. 1.2. qu. 80. *Sylu. ibi. Claus Reg. l.2. cap.12. num.2. Tannerus 1.2. disp.4. q.9. dub.6. nu.102. & seq. Malderus 1.2. q.80. art.2. Filliuc. tr.21. c.10. q.13. Caspensis tr.12. disp.c. sect.7.*

Obiecta sensibilia, seu res exteriores causæ nonnunquam peccati esse solent; nam experientia docet sensibilia exteriora hæc mouere appetitum sensitiuum, vnde fit, vt inducatur homo ad peccandum: non tamen mouent eum ex necessitate, nisi fortè aliquo modo dispositum, id est, nisi fortè contingat appetitum sic esse dispositum, vt à rebus exterioribus possit de necessitate moueri; sicut est quando ille appetitus subest vehementib. passionibus, vsum rationis tollentibus: tunc enim idem est iudicium fiet de animalibus brutis, quia scilicet appetitus necessariò sequitur impetum passionis.

Nihil ergo immediatè mouere potest voluntatem ad causationem peccati, quæ tamen sola proximè peccat, & ideò ipsa sola est causa sufficiens peccati, & complens ipsum. *D. Thom. 1.2. q. 5. art.3. Sylu. ibi. Clau. Reg. l.2. c.12. n.3.*

7. Orthodoxa sententia est Deum verè ac propriè loquendo, nullo modo esse causam vel authorem peccati: & hæc veritas potest confirmari ex scripturis, Patribus, & Concilijs, contra hæreticos, qui docent Deum esse authorem peccati, & causam cur homo peccet, ipsumque sicut bona, ita mala operari, voluntate creata vel merè passiuè se habente, vel saltem ipsorte solùm & non liberè agente; & consequenter addentes hominem necessitari ad peccandum, tum à Deo, tum ab eius prouidentia, & ordinatione. Conc. Trident. *sess. 6. can. 17.*

Quæ quidem omnia magnam continent in Deum blasphemiam, & communiter damnantur à Catholicis Doctoribus: tum quia Deus non potest id velle, quod ipsius naturæ aduersatur; peccatum autem aduersatur naturæ diuinæ, cùm Deus sit summum bonum, culpa verò summum malum. ergo Deus non est causa peccati; non directè, quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum; Deus autem cùm omnia ordinet in seipsum, sicut in vltimum finem, non potest esse, neque sibi, neque alijs causa recedendi ab ordine, qui est in ipsum: Non etiam indirectè, quia is qui non præbet alicui auxilium ad euitandum peccatum, si hoc faciat secundùm ordinem sapientiæ, & iustitiæ non est causa peccati, ne quidem indirectè.

Quando autem Deus non præbet aliquibus auxilium ad euitandum peccatum, hoc facit secundùm ordinem suæ sapientiæ, & iustitiæ, cùm ipse sit sapientia & iustitia: ergo non est causa peccati, ne quidem indirecta: nam vt aliquis non impediendo, sit causa indirecta peccati, requiritur, vt is non solùm potuerit, sed etiam debuerit illud impedire.

Quod tamen de Deo dici non potest, quando quidem ipse tamquam causa vniuersalis, & generalis totius vniuersi rector, nec tenetur impedire modum agendi causarum particularium, nec etiam omnibus dare gratiam efficacem, qua reipsa vitentur omnia peccata. Sic D. Thom. 1.2. *qu.79. art.1. Sylu. ibi Tanner. 1.2. disp.4. q.9. dub.4. Bellarmin. l.2. de statu peccat. c.18. Becanus p.2. tr.2. cap.6. quæst.1. Bonac. tom.2. d.2. quæst.5. punct.2. Caspensis tract.12. disputat.5. sect.5.* & communis Theologorum schola.

An autem Deus saltem sit causa actus peccaminosi, non formaliter seu secundùm eam rationem qua est peccatum; sed materialiter, secundùm substantiam seu entitatem considerati, qui substernitur malitiæ peccati? Vera, & certissima est responsio *D. Thom. c. art.2. Sylu. ibi. Becanus c. qu.2. num.3. & 4.* Deum esse causam omnis actus secundum genus naturæ considerati, siue in quantum est ens & actus, atque adeò etiam esse causam actus peccati, seu actus peccato substrati, tametsi non sit causa actus peccati formaliter, siue secundùm quòd est peccatum. Quare autem homo dicendus sit peccare, & non Deus, etiamsi Deus operetur eundem actum quem homo? Quidam vt Suar. *opusc. de auxilijs l.1. cap 6. Molina in concordia qu.14. art.13. disput.31. Tannerus c. dub. c. Bonac. c. p.2. num.1.* Hanc rationem adferunt, quia Deus præbet homini concursum seu influxum, qui est indifferens, quique determinatur ad malum ab humana voluntate, non autem à Deo.

Verùm huic responsioni obstat, quod si concursus Dei foret ex se indifferens ad bonum, & malum, ergo voluntas hominis perinde posset illum determinare ad bonum, sicut ad malum ac per consequens posset vnus à discernere ab alio, quod est contra Apostolum 1. *ad Corinth. 4.* dicentem, *Quis te discernit?* Denique concursus vel influxus Dei, quo actualiter operatur cum causis secundis, non est aliquid extra ipsas causas positum, quod ab illis accipi possit, vt eo deinde vtantur, applicantes illud, vel ad bonum vel ad malum prout voluerint, sed est vel ipsa actualis operatio Dei, vel actio causæ secundæ vt pendens sine in quantum fit à Deo per illam: non est igitur vnde influxus Dei dicatur esse indifferens, quando actualiter eum tribuit. Ita Doctissime, & subtiliter. *Sylu. 1.2. d.79. art.2. in resp.13.* Potius ergo dicendum videtur, idcirco Deum non esse causam vel concausam peccati, sed hominem; quia Deus illam actionem operatur, eiusque causa est totum vt est actio: homo autem eam operatur non tantum vt est actio, sed etiam vt est defectuosa, siue in quantum est priuata bono ordinis quem deberet habere. Sed hæc satis Theologo morali.

PECCATVM IV.

De distinctione specifica, & numerica peccatorum cordis, oris, & operis.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicantur peccata cordis, oris, & operis? & an differant specie inter se.*
2. *An peccata sint varia & necessariò connexa.*
3. *An inæqualitas peccatorum specifica, & principaliter desumatur à diuersitate obiectorum seu finium intrinsecorum.*
   Grauitas peccati attenditur ex dignitate, & perfectione virtutis, cui opponitur.
   Et secundum eius causas, seu diuersas rationes voluntarij.
   Item aggrauatur peccatum ex circumstantijs.
   Ex conditione personæ peccantis, vel in quam peccatur.
   Ex nocumento quod peccans sibi, aut alteri infert.
4. *An peccata specie distinguantur secundum obiecta, aut per ordinem ad virtutes quibus opponuntur specie diuersas? refertur duplex sententia.*
5. *An diuersitas præceptorum materialis sola, inducat diuersitatem specificam peccatorum.*
6. *An distinctio numerica peccatorum internorum, desumenda sit ex distinctis numero malitijs seu contrarietatibus ad rationem.*
   Quando actus voluntatis moraliter censeatur interruptus.
7. *An in eodem actu possint dari plures malitiæ solo numero distinctæ, & in confessione aperiendæ.* refertur duplex sententiæ.
8. *Quando peccata qua sermone complentur, multiplicentur specie, & augeantur numero.*
9. *Peccata quæ opere consummantur, an specie multiplicentur ex obiectis specie distinctis; ex fine, & ex circumstantijs mutantibus speciem.*
10. *Peccata operis numero multiplicentur ex multiplicatione operis interrupti moraliter, & ex multiplicatione obiectorum quæ numero distinguantur.*
11. *An actus præcedentes, concomitantes, & subsequentes peccatum, qui ex intentione referuntur ad actum principalem, sint peccata numero distincta, & in confessione necessariò explicanda.*

1. PEccata cordis propriè loquendo, dicuntur illa, quæ cõplentur in ipsa ratione, & voluntate, vt odium Dei, vel proximi, hæresis, inuidia, ira, superbia, iudicium temerarium, & similia, vnde hæc peccata cordis, vt plurimum aut pertinent ad delectationis, aut ad desideria.

Peccata oris sunt illa, quę consummantur in ore, vt detractio, mendacium, periurium, &c.

Pec-

Peccata operis sunt illa, quæ opere ipso perficiuntur, vt est furtum, homicidium.

Vnde hæc peccata ex se sunt completa, & perfecta. Aliquando tamen considerari possunt vt incompleta, & per ordinem ad illud, quatenus sunt via, principium, origo, dispositio ad peccatum operis; peccatum enim operis aliquando trahit originem à corde, & aliquando ab ore.

Imò in vno eodemque peccato, hæc tria inueniri possunt, ita vt vnum sit quasi gradus, dispositio, & præparatio ad alterum.

Quamobrem luxuriosus primò meditatur de fornicatione admittenda, secundò solicitat verbis mulierem, & tertiò actum committit, quæ omnia vnum peccatum perfectum reputantur.

Quibus positis dicendum est cum D. Thom. 1.2. qu. 72. art. 7. *Magistro in d. 42. Bonac. tom. 2. disp. 2. qu. 4. p. 5. Sylu. 1.2. quæst. 72. art. 7. Claud Reg. l. 2. cap. 6. num. 4. Tannero 1. 2. disp. 4. qu. 2. dub. 2. num. 33. 34. Fillinc. tr. 21. cap. 8. num. 274. Reginald. l. 15. cap. 1. num. 7. Valent. 1.2. disp. 6. qu. 2. punct. 2.* & alijs, peccata quæ complentur in corde ac voluntate, differre specie à peccatis, quæ perficiuntur, & consummantur in ore, vel opere.

Quia habent diuersa obiecta, vt odium Dei, detractio, & furtum. Si verò peccata cordis, & oris considerentur vt sunt origo, & principium, seu dispositio ad peccatum operis, non differunt specie: quia opponuntur eidem virtuti, & priuationem perfectionis, & bonitatis eiusdem specie includunt: Interdum tamen differunt numero, sicut quando non simul perpetrantur, sed per diuersa temporis intervalla.

2. Peccata neque sunt paria, neque necessariò connexa. Prior pars est de fide contra hæresim Iouiniani, vt constat ex *D. Hieron. lib. 2.* contra Iouinianum. Et probatur ex scripturis Ioannis 19. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*. Item n. 7. vers. 26. *Peius operati sunt quàm patres eorum*. Ratio autem est, quia peccatum est quidem recessus ab ordine rationis: atqui peccata non tollunt totum ordinem rationis, sed aliquid eius: ergo secundùm quod plus vel minus de isto ordine tollunt, eò sunt maiora vel minora iuxta etiam quòd plus vel minus voluntarij, aduertentiæ deliberationis, affectus, aut iuxta virtutum inæquales perfectiones, à quibus deuiatur, maior vel minor est recessus à recto rationis ordine.

Fundamentum Iouiniani erat, quòd omne peccatum consisteret in priuatione, sed vna priuatio non est maior alia, nullus enim magis moritur quàm alter, cum mors consistat in priuatione vitæ, ergo vnum peccatum non est maius alio, ergo omnia sunt paria.

Ad quod respond. in primis peccata non esse priuationes puras, quia peccatum est actus debito ordine priuatus: deinde quædam sunt priuationes, quæ suscipiunt magis, & minùs, illæ nimirum quæ aliquid relinquunt de habitu opposito.

Peccatum verò est de numero talium priuationum, cùm semper aliquid relinquat deordinationis: vt declarat D. Thom. 1.2. qu. 73. art. 1. & 2. *Sylunst ibi. Vasq. 1.2. disp. 99. cap. 7. Valent. tom. 2. disp. 6. q. 3. p. 1.* & 2. *Bonac. tom. 2. disp. 2. qu. 4. punct. 1. num. 1.* & 4. *Azorius tom. 1. l. 4. cap. 19. quæst. 1.* & 2. *Tannerus 1.2. d. 4. qu. 3. dub. 1. Claudius Reg. l. 2 art. 7 num. 1. 2. 3. Malderus 1.2. quæst. 73. art. 1.* & 2.

Posterior pars probatur ex illo Iacobi 2. *Quod si non Mœchaberis, occides autem, factus transgressor legis.* Supponitur enim hic posse quempiam esse homicidam, qui non sit mœchus. Ratio autem est. Quia tum peccata, tum vitia, sæpe inter se pugnant vt prodigalitas, & auaritia, gula, & nimia abstinentia, &c. & quamuis non pugnarent, tamen non statim qui furatur est adulter, aut homicida.

Possunt tamen peccata dici aliquo modo connexa, quatenus vnum est via, & dispositio ad aliud: & hoc pacto intelligendi sunt Patres, cùm asserunt peccata esse inter se connexa.

3. Inequalitas peccatorum specifica, & principalis, hoc est, magis intrinseca, & inseparabilis, desumitur à diuersitate obiectorum seu finium intrinsecorum; prout vnum obiectum, magis quàm alterum rationi repugnat, seu actus prauus circa vnum potius obiectum quàm circa alterum deteriori priuatione deformatur. D. Thom. 1.2. q. 73. *art. 3. Sylu. ibi. Claud. Reg. l. 2. cap. 7. num. 5. Tannerus 1.2. disp. 4. qu. 3. dub. 2.*

Ratio est, quia grauitas peccati attendenda est ex eo, vnde habet speciem; peccata autem habent speciem ex obiectis.

Et hinc est quod aliquorum peccatorum vnum sit grauius altero, secundum suam speciem, vt homicidium furto.

Ex quo colligo, cæteris paribus, seu secundùm se, grauiora esse peccata quæ committuntur in Deum, vt infidelitas, blasphemia, odium Dei, hæresis, &c. eis, quæ in creaturam perficiuntur: Inter ea quæ in proximum diriguntur, maiora sunt, quæ animæ saluti aduersantur, eis, quæ corpori inferuntur. Item peccata spiritualia esse graviora peccatis carnalibus, quia spiritualia turbant ordinem rationis in materia sublimiori.

Secundò, grauitas peccati attenditur ex dignitate, & perfectione virtutis, cui opponitur; quia quò peccatum opponitur virtuti nobiliori, eò versatur circa præstantius obiectum; sicut autem virtus, & vitium specificantur ex obiectis, ita virtutis dignitas, & vitij grauitas attenditur ex obiectis.

Confirmatur, quia in hac ipsa diuersa priuatione seu oppositione ad diuersam rectitudinem virtutis, consistit peccatorum inæqualitas: Intellige hanc doctrinam, modò omnia sint paria: quia alioquin, potest aliquod peccatum contra charitatem Dei vel proximi esse minus graue, quàm peccatum aliquod contra iustitiam aut temperantiam, quando ex hoc acciperetur aliquod maximum in genere suo, & ex altero acciperetur aliquod leuius in genere suo. D. Thom. 1.2. *qu. 73. art. 4. Sylu. ibi. concluſ. 1. & 2. Tannerus c. dub. 2. num. 31. Claud. Reg. c. n. 6. Azor. c. c. 19. quæst. 4. Bonac. c. q. 4. punct. 1. n. 5* & alij.

Tertiò, Grauitas peccati attenditur secundùm eius causas, seu diuersas rationes voluntarij: quia voluntas quæ est causa peccati per se, quò maior est & vehementior, eò peccatum grauius est: item finis qui dicitur causa peccati, per accidens, quò peior est, eò peccatum est grauius. Vt dictum est suprà. *D. Thom. c. art. 6. Sylu. ib. Bonac. q. 4. p. 1. num. 6. Tannerus c. num. 33.* & alij.

Quartò, Aggrauatur peccatum ex circumstantijs: vt quæ non solùm in eadem specie augere possunt, vt fit per quantitatem maiorem obiecti, verbi gratia furti: itemque per maiorem intensionem eiusdem actus, sed etiam in diuersam ac grauiorem speciem, transferre, aut nouam ei superaddere. D. Thom. *c. art. 7. Sylu. ibi. Claud. Reg. c. num. 13.*

Quintò, ex conditione personæ peccantis, vel in quam peccatur: Ratio prioris est, quia quò quis plura beneficia a Deo accepit, eò exhibet se magis ingratum, deliberatè peccando.

Item quò quis scientia vel virtute, vel statu maior est, eò magis potest vel debet abstinere à peccatis, & ipsorum peccata solent esse magis scandalosa, & consequenter grauiora.

Ratio posterioris est, quia persona in quam peccatur, est quodammodo obiectum peccati; grauitas autem peccati ex obiecto attenditur. D. Thom. *c. art. 9.* & 10. *Sylu. ibi. Bonac. c. num. 6. Sylvester v. relig. 6. num. 14. Tannerus c. num. 34.* & 35. & alij.

An autem conditio personæ in quam peccatur sit exprimenda in confessione? Vide v. *Circumstantia n. 6.*

Sexto. Peccati grauitas attenditur ex nocumento siue corporali, siue temporali, siue spirituali, quod peccans sibi aut alteri infert: & quidem si nocumentum ex peccato prouenies sit præuisum, & intentum, eius quantitas directè auget grauitatem peccati; quia tunc illud nocumentum est per se obiectum voluntatis eius qui peccat; si autem præuisum sit, sed non intentum, auget peccatum indirectè; quia non est per se ac directè voluntarium, neque vt finis, neque vt medium; Si verò neque præuisum, neque intentum sit, sed per se sequatur ex actu peccati, directè illud aggrauat; Si autem sequatur solùm per accidens, non aggrauat illud directè.

Ratio D. Thomæ est, & communiter recepta; quia quæcumque per se consequuntur ad peccatum, quodammodo pertinent ad ipsam peccati speciem, & virtualiter seu implicitè voluntaria sunt, hoc ipso quo actus peccati est voluntarius. Per se autem sequi censetur illud, quod vel semper, vel vt plurimum comitatur.

Porrò ab ijs omnibus totalis malitia peccatorum desumenda est: quia quantò magis humana actio consentanea est rationi, tantò perfectior est; & à contrariò, quanto minus accedit ad lumen rationis, tantò imperfectior est, & deterior, peccatum autem minus accedit ad lumen rationis quò perfectiori fini repugnat, & in imperfectius obiectum fertur, cum peiori fine ac peioribus circumstantijs rectæ rationi repugnantibus; vnde secundum hæc omnia, variatur peccatorum grauitas. Ita communiter Doctores. Vide D. Thom. *c. art. 8. Sylu. ibi. concl. 1. 2. & 3. Bonac. c. num. 6. Tanner. c. q. 3. dub. 3. Claud. Reg. l. 2. ca. 7. num. 13. Fill. tr. 21. c. 9. q. 9. Vasq. 1.2. disp. 102.*

4. Peccata distinguuntur specie secundum obiecta; quia peccatum est actus humanus; Actus autem humani distinguuntur specie secundum obiecta, ergo. Ita D. Thom. 1.2. *q. 72. ar. 1. Sylu. ibi. Vasq. 1.2. quæst. 72. in comment. art. 1.*

Quod idem est dicere, peccata distinguuntur specie secundùm oppositas virtutes, ac per consequens secundùm priuationes rectitudinis virtutum oppositarum ; vt volunt *Beran. tomo 2. tractat. 1. cap. 5. quæst. 2. Bonacin. tom. 2. disput. 2. quæst. 4. punct. 3. num. 1. & 2.*

Quia nihil aliud est distingui secundùm obiecta formaliter ùtpra; quatenus scilicet oppositionem habent specialem, quàm distingui penes diuersas perfectiones, quibus peccata priuant; peccatum enim proximè consistit in priuatione perfectionis, seu rectitudinis, & honestatis debitæ actui: sed honestas, & rectitudo desumitur ex obiecto, & per ipsum distinguitur; ergo peccatum distinguitur penes obiecta.

Quamuis nonnulli Doctores putent peccata distingui specie per ordinem ad virtutes, quibus opponuntur, specie diuersas. Ratio est, quia peccatum natura sua in recti priuatione consistit; ergo peccata specie ab se inuicem distant, cùm sint priuationes boni, & recti specie diuersi, nimirum, quia carent diuersis circumstantiis rectæ rationi debitis: Exempli gratia, furtum idcirco specie distinguitur à blasphemia, quia illud est oppositum iustitiæ, istæ religioni; quæ specie differunt. Ita *Scot. in 2. d. 35. quæst. 1. Gabr. ad fi. 37. quæst. 1. artic. 3. Tamer. 1. 2. disput. 4. quæstio. 2. dub.*

Quorum sententia est satis probabilis, inquantùm concedit peccata diuersis virtutibus opposita esse specie diuersa; tamen non esse admittenda, in quantùm sustinet ex oppositione solum ad virtutes specie diuersas colligi distinctionem specificam peccatorum: quia eidem virtuti opponi possunt peccata specie diuersa, vt sunt peccata rapinæ, furti, adulterij, &c. quæ virtuti iustitiæ opponuntur, & sunt peccata specie distincta. Ita *Azor. tom. 1. l. 4. c. 2. q. 3. Laym. l. 1. tr. 3. c. 2. n. 2.*

5. Diuersitas præceptorum materialis sola, non inducit diuersitatem specificam peccatorum: puta si idem eodem modo, & ratione, diuerso solum tempore, vel à diuersis præcipientibus præceptum aut prohibitum sit, vel si vnum præceptum sit diuinum, alterum humanum. *D. Thom. 1. 2. quæst. 72. art. 6. ad 2. Sylu. tbi. ar. 6. concl. 1. & 2. Cait. Conrad. & Medina tbi. ar. 6. Valent. tom. 2. disput. 1. qu. 2. p. 1. Suar. 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 4. Sanch. l. 1. mor. al cap. 14. num. 9. & 10. Tamer. 1. 2. disp. 4. quæst. 2. dub. 3. Vasqu. 1. 2. disp. 98. cap. 2. & 3. Laym. l. 2. tract. 1. cap. 2. n. 1. Bonac. tom. 2. disputat. 2. quæst. 4. p. 5. numero quinto. Claur. reg. lib. 2. cap. 5. num. 14. & 15. Azor. tom. 1. l. 4. cap. 2. quæst. 6. Casper. tom. 1. trac. de peccat. disp. 2. sect. 3.*

Ratio est, quia peccata non sortiuntur differentiam specificam ex eo, quòd opponantur entitati materiali præceptorum, vel eidem aut pluribus præceptis sæpius repetitis; cùm talia præcepta esse possint vbi nulla omninò est specifica diuersitas obiectorum formalium; sed quia opponuntur præceptis formaliter, & ex parte obiecti spectatis: Aliàs in omni violatione humani præcepti, ineffet duplex malitia, vna contra humanum; altera contra diuinum præceptum. Sic furtum est vnius speciei peccatum, quamuis prohibitum sit lege naturali, & politiua, tum diuina, tum humana.

Secus dicendum, quando præcepta sunt diuersa formaliter, & ex parte obiecti specie distincti, etiam in materia eiusdem virtutis: tunc enim cùm specialem ac distinctam habeant repugnantiam cum recta ratione, & actum qui præcipitur, transferunt ad virtutem specie diuersam; peccata quæ illis præceptis opponuntur, sunt diuersæ speciei: vnde adulterium Religiosi est peccatum in triplici specie constitutum, nempe contra castitatem, quia accedit ad non suam, contra iustitiam, quia cognoscit alienam, & contra religionem seu votum, quod ad virtutem religionis pertinet.

Sic Religiosus qui ex voto tenetur ieiunare die veneris, duplex specie peccatum non ieiunando committit si in eum diem etiam præceptum Ecclesiæ ieiunium concurrat; quia ipse facit contra plura præcepta diuersæ rationis, siue (vt alij loquuntur) ex diuerso motiuo imposita; scilicet contra votum, quod ad religionis virtutem spectat: & contra præceptum Ecclesiæ, quod pertinet ad temperantiam.

Igitur qui plura præcepta eiusdem rationis, siue ex eodem motiuo lata transgreditur, vnum simplex peccatum committit; qui verò plura diuersæ rationis, seu ex diuerso motiuo posita, duplex vel etiam triplex committit peccatum, secundùm quod duo vel tria sint distincta motiua transferentia actum præceptum ad duas vel tres diuersas virtutes.

6. Distinctio numerica peccatorum internorum desumenda est ex distinctis numero malitijs seu contrarietatibus ad rationem: quia vt docet D. Tho. 1. 2. q. 39. art. 3. *in corp.* Singularitas, & pluralitas nominis substantiui attenditur secundùm formam significatam per nomen.

Tot itaque erunt distincta numero peccata intra eundem speciem quot erunt actus voluntatis moraliter interrupti circa idem obiectum peccati: Ratio est, quia interrupto moraliter actu voluntatis circa obiectum peccati, cessat continuatio, & completa est perfectissimè malitia illius peccati; vnde si post interruptionem moralem eliciatur nouus actus, priori non subordinabitur, & distinctam numero habebit malitiam, & consequenter distinctum erit peccatum.

Censetur autem actus voluntatis moraliter interruptus, quoties nec formaliter, nec virtualiter perseuerat, quod fit *primò*, quando voluntas prior est, vel per veram pœnitentiam, vel per contrariam voluntatem, reuocata: si enim tunc redeatur ad priorem voluntatem, actus ille posterior non potest censeri continuari cum priori; cùm neque ab inuicem dependeant, neque in vno aliquo coniungantur: vnde quando quis habuit voluntatem fornicandi, & postea illam retractauit, si iterum vult fornicari, prior voluntas fuit interrupta, & secunda quam habet ad fornicandum, est distinctum numero peccatum à priori.

Secundò, per voluntariam cessationem ab actu, per quam fit, vt illa interruptio sit perfectè voluntaria, & consequenter moralis: vnde si postea ad idem obiectum cogitatione quis redeat, multiplicabitur actus: quare si quis visa fœmina morosè delectetur, eamque delectationem voluntariè deserat; statim autem vel altera, vel eadem conspectu rursum delectetur, bis peccabit, quia sunt duo actus mali, quorum vnus ad alterum, nullum ordinem, nullamque connexionem habet. Ita D. Thom. 2. *sent. dist.* 42. *qu.* 1. *art.* 1. *Sylu.* 1. 2. *quæst.* 72. *art.* 9. *in conclus.* 2. *Bonac. tom.* 2. *disput.* 2. *qu.* 4. *p.* 2. *num.* 5. *Suar. to.* 5. *de voto cap.* 6. *num.* 10. *Azor. tomo primo l.* 4. *cap.* 4. *qu.* 4. *Filliuc. tract.* 21. *cap.* 8. *num.* 314. 315. *Laym. l.* 1. *tract.* 3. *cap.* 3. *num.* 3. *Nauar. in Man. ca.* 6. *numero* 16. *Henriq. l.* 5. *cap.* 5. §. 5. *Less. l.* 2. *cap* 12. *num.* 21. *Tamer.* 1. 2. *disp.* 4. *qu.* 2. *dub* 4. *Graffius l.* 1. *c.* 20. *à num.* 10.

Nonnulli recentiores post *Vasq. l.* 2. *disp.* 75. *cap.* 2. *Bonac. num.* 13. *Caspens. c. sect.* 9. *num.* 76. & 77. Addunt tertium modum per inuoluntariam cessationem, siue id accidat per naturalem inaduertentiam, & distractionem ad alia, siue per somnum, in quo cessante vsu rationis, & deliberationibus, non videtur actus voluntatis liber posse continuari, ideoque interrumpetur: verùm de hoc tertio modo est valdè dubitatum, etsi enim concedi possit per eiusmodi interruptionem physicè multiplicati actus, non tamen videtur moraliter, quia cùm distrahitur animus inuoluntariè ad alia, prior voluntas interpretatiuè remanet, cùm non sit retractata, per contrarium propositum, vel per cessationem voluntarium.

In ordine autem ad confessionem, illi tantùm actus multiplicantur numero; qui moraliter multi sunt, non autem, qui tantùm physicè: quia hæc multiplicatio tantùm inferuit in ordine ad iudicium salutare ferendum à confessario.

7. Controuertitur inter Doctores, an in eodem actu possint dari plures malitiæ solo numero distinctæ, & in confessione aperiendæ? Duplex est sententia; quæ licet in speculatiua distinctione differeret, quod ad praxim tamen attinet, non multùm in re differt.

Affirmatiuam sententiam docent Vasqu. 3. *par. tom.* 2. *qu.* 91. *art.* 1. *dub.* 4. *Azor. tom.* 1. *l.* 4. *cap.* 4. *qu.* 3. *Sylu.* 1. 2. *q.* 72. *art.* 9. *concl.* 2. *Diana p.* 1. *trac.* 7. *resol.* 29. & *p.* 3. *tr.* 4. *res.* 164. *Henriq. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 6. *Claus regin. l.* 2. *c.* 5. *n.* 14. & alij penes ipsos. Ratio illorum est, quia malitia peccati consistit in respectu contrarietatis ad rectam rationem, cùm autem actus dicat ordinem ad plura obiecta, ex quorum vnoquoque per se prouenit contrarietas ad rationem, sequitur esse plures malitias numero distinctas, & ideò plura numero peccata explicanda in confessione.

Hæc sententia est probabilissima, quando vnus actus simul versatur circa plura obiecta, eiusdem quidem rationis, sed quæ non habent se per modum vnius, is enim est virtute multiplex in genere moris, continetque tot malitias numero distinctas, quot sunt eiusmodi obiecta numero totalia, & integra: Vt qui vno ictu occideret decem homines, faceret vnum peccatum physicè, ratione vnius actionis, in quo essent decem malitiæ morales numero distinctæ.

Si autem vnus actus versetur circa plura obiecta per modum vnius, ità scilicet vt vel vnum sit pars alterius, vel omnia tamquàm plures partes constituant vnum totum; est tantùm vnus, vniusque peccatum; vt furtum Bibliothecæ in qua sunt multi libri, quo-

quòrum singuli fortè possint facere materiam grauem furti, & tamen vnum tantùm peccatum est illius furtum, quia libri illi sunt obiecta partialia, & constituunt integram bibliothecam.

Ob has rationes hæc sententia mihi modò maximè arridet, quamuis in prima huius operis editione; contrariæ tanquam probabiliori adhærendum esse insinuauerim. Nauar. in *Man. c. 6. n. 18. Bonac. tom. 2. disp. 2. q. 4. punct. 2. num. 1.*

Nihilominus negatiua sententia est etiam probabilis, quam tenent *Suar. in 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 5. num. 33. Fill. tract. 21. cap. 8. num. 320. 321. Laym. l. 1. tr. 3. c. 3. n. 2.*

Ratio est, quia licet actus tendat in plura obiecta materialiter distincta, non tamen tendit in illa per modum plurium, sed per modum vnius: vnde eiusmodi obiecta diuersa numero materialiter & physicè, faciunt tantùm actum peccati grauiorem, & sunt vnum obiectum formaliter, & moraliter.

Sed quia hæc opinio docet omninò declarandum esse in confessione; quot homines quispiam odio habuerit vno actu, vel percusserit, vel occidere voluerit: parum differt hæc sententia à priori; siue enim sint decem peccata odisse decem homines, siue vnum habens malitiam decem peccatorum, perinde est: hoc enim vnum æquiualet illis decem.

Aduertendum tamen est hic, quando circa duo, vel plura obiecta distincta, duo, vel plures actus successiuè versantur, non vnum tantum modo peccatum committi, sed plura: vnde si quis percutiat Petrum, statimque nulla interposita mora percutiat Paulum, non vnum tantummodo peccatum committit, sed duo: quia non solùm physicè, verùm etiam moraliter reputantur duo actus completè distincti. Vt notat *Bonac. tom. 2. disp. 2. q. 4. punct. 2. num. 3.* Quia diuersitas numerica peccatorum desumenda videtur ex diuersitate obiectorum, seu personarum, circa quas diuersi actus versantur.

Ex dictis hoc numero, & præcedenti, deciduntur multi casus in praxi sæpius occurrentes; quos cernere licebit in Authoribus hic citatis, & breuitatis gratia prætermittimus. Vide ver. *Censura n. 25. 26.*

8. Peccata quæ sermone complentur, multiplicantur specie, & augentur numero, quando verbum seu sermo dirigitur, & refertur ad obiecta specie diuersa; vt si quis alium vocet hæreticum, latronem, adulterum, tria peccata contumeliæ committit specie distincta: vnde quando multiplicantur peccata oris specificè, multiplicantur etiam numericè quoad malitiam moralem, & in confessione necessariò explicanda: quia omnes species peccatorum aperiendæ sunt in confessione: & eiusdem multiplicatio peccatorum oris, est specifica; quæ autem specie distinguuntur, etiam distinguuntur numero, ergo etiam erunt distinctè in confessione manifestanda: Secus dicendum de illo, qui ex eodem impetu odij vel iræ, eodem conuitio repetit, appellando quempiam quater vel quinquies furem, vnum enim peccatum committit, saltem quantùm ad necessitatem confitendi: quia prior voluntas perseuerat, & prius peccatum continuatur saltem moraliter: ita vt omnes illi actus vnam rixam constituant tanquam eius partes, Nauarrus in *Man. cap. 6. num. 18. Henriq. lib. 5. cap. 8. num. 3. Tanner. t. 2. disput. 4. qu. 2. dub. 4. num. 55. Sylu. t. 2. quæst. 72. artic. 9. in fin. Caspensis tomo primo tract. de peccat. disputat. 2. sect. 8. num. 68.*

Verumtamen non est reticendum, probabilissimam esse sententiam illorum Doctorum, qui docent omnes contumelias esse eiusdem speciei, *Caiet. 2. 2. qu. 72. art. 1. Mol. tomo quinto tract. 4. disp. 19. num. 3. Aior. 3. p. l. 13. cap. 5. dub. 1. Diana p. 1. tract. 7. resol. 28. 30. 50. & 51. Reginald. l. 24. cap. 5. num. 102. Sanch. in select. disput. 6. numero 2.*

Vt etiam diximus v. *Contumelia num. 4.* tum quia conueniunt in ratione formali, quæ est intentio auferendi alteri suum honorem: & satis esse in confessione dicere, toties contumelia affeci meum proximum, nec requiri, vt dicatur, illum vocaui ebrium, latronem, adulterum, &c.

Tum quia in his specifica, & individualis ratio peccati potiùs petenda est ex motiuo, quàm ex materiali obiecto. cùm alteri tantùm velimus ista mala, vel proferamus tales, vel tales iniurias, contumelias, detractiones, quia eum odio habemus, aut quia nobis displicet, aut quia ei intendimus auferre suum honorem. Et secundùm hanc sententiam, quando quidem hæc peccata specificè non multiplicentur, nec numero multiplicabuntur. Hæc opinio in praxi est satis tuta: inde si quidem pœnitentes à multis scrupulis, & confessarij ab interrogationibus immunes erunt. Bonacina *tomo primo disputat. 5. q. 5. sectio. 2. p. 2 §. 2. diffic. 3. num. 17. & tomo secundo disp. 2. quæst. 4. p. 2. n. 13.* Caspensis *c. num. 69.*

9. Peccata, quæ opere consummantur, specie multiplicantur. D. Thom. 1. 2. *qu. 72. art. 9. Sylu. ibi. Suar. tomo quarto disput. 22. sect. 5. Aior. 1. part. libro quarto cap. 4. quæst. 6. Bonacina tomo secundo disp. 2. quæst. 4. p. 2. num. 14. Caspensis tom. 1. tr. ac. de peccat. disp. 2. num. 72.*

Primò, ex obiectis specie distinctis, vt sunt furtum, homicidium, fornicario, & similia. hæc enim obiecta specie distinguuntur, & ideò etiam actiones, quæ versantur circa illa.

Secundò, ex fine, v. g. in homicidio simplici, & eo quod fieret ex intentione furandi, vel adulterandi; hoc enim secundum specie distinguitur à primo ex fine.

Tertiò, Ex circumstantijs mutantibus speciem: vt furtum rei sacræ specie distinguitur à simplici furto, ratione circumstantiæ specie distinctæ.

Potrò quocumque modo ex dictis multiplicentur peccata operis specificè, multiplicantur etiam numericè, quoad malitiam moralem in confessione explicandam.

10. Peccata operis numero multiplicantur duobus modis.

Primò, ex multiplicatione operis interrupti moraliter, vt si quis ter eandem fœminam cognoscat diuersis temporibus, vel eodem tempore, vnam copulam subinde complendo post aliam sunt enim tres copulæ numero distinctæ, tres videlicet motus humoris spermatici, qui ter incalescit & emittitur.

Secundò, ex multiplicatione obiectorum, quæ numero distinguuntur, vt si quis vno ictu tres conficiat ex intentione: quando autem opera externa multiplicantur ex intentione ad vnum finem, si non habeant opera illa diuersam malitiam à fine intento, constituunt vnum peccatum; vt qui manè proficiscitur ad interficiendum suum inimicum, & in itinere sæpius eam voluntatem iterat, nunc de ea nunc de alijs rebus cogitando: emit gladium, instruit equum.

In ordine ad confessionem, peccata numero distincta altero ex duobus modis declaratis, etiam distinctè manifestanda sunt quantum fieri potest; quæ verò efficiunt vnum peccatum moraliter, vt dictum est, nonnisi tanquam vnum exprimenda sunt. Nauar. *in man. cap. 6. num. 16. 17. Laym. l. 1. tr. 3. c. 3. nu. 4. Aior. c. qu. 6. Vasq. 1. 2. disp. 75. c. 3. Tanner. 1. 2. dis. 4. q. 2. dub. 4. n. 54. Bon. 5. n. 14. Caspensis c. n. 73.*

11. Vsus totius Ecclesiæ habet, actus præcedentes, & concomitantes peccatum, qui ex intentione referuntur ad actum principalem, non esse numero distincta peccata, nec in confessione esse necessario explicanda, sed sufficere dicere actum principalem: quia sic habetur sufficiens cognitio status pœnitentis, ad salubre iudicium de illo ferendum in foro pœnitentiæ. Ita communiter Doctores. *Nau. c. Consideret. de pœn. dist. 5. nu. 48. Sylu. 1. 2. q. 72. art. 9. in concl. 2.*

Exemplum sit, de eo, qui intendit fornicari cum aliqua muliere, & ad eum finem cum ea loquitur, tam osculatur, amplexatur, tandemque fornicatur; talis satisfacit, si se accuset de fornicatione commissa, etiamsi actus illos qui paulò ante fornicationem tanquam eius dispositio proxima præcesserunt, non exprimat; quia omnes illi actus cum fornicatione, ad quam ordinantur, coniuncti, vnum peccatum totale constituunt; & satis intelligitur in principali quod exprimitur. Bonacina *tom. 1. disput. 5. qu. 5. sect. 2. p. 2. §. 3. difficult. 2. num. 12. & tomo secundo disput. 2. qu. 4. p. 2. num. 7.* Reginald. *lib. 6. num. 119.* Valent. *tom. 4. disput. 7. quæst. 11. p. 1. assert. 4.* Caspensis *c. numero 55.* Sanctius *in select. disp. 6. num. 5.*

An autem qui fornicatus est, teneatur etiam confiteri oscula, tactus, amplexus, &c. qui copulam subsequuntur affirmant Vasq. *3. part. tom. 4. qu. 91. art. 1. dub. 5. num. 35.* Suar. *3. part. tom. 4. disput. 22. sect. 5. num. 26.* Coninck *de pœnit disput. 7. dub. 7. num. 59.* Sylu. *c. art. 9.* Quia cùm illa non ordinentur ad copulam præcedentem, sed ad sequentem, non possunt cum illa eumdem actum moralem constituere; Subsequentes enim actus, neque sunt partes copulæ quæ iam præcessit, & consummata est, neque ex natura rei eam sequuntur, sed ex malitia tantùm operantis, & ideò pertinent tanquam dispositiones ad nouam fornicationem: ergo in confessione explicandi. Hæc sententia sine dubio est probabilissima, & nihil maximè probatur.

Quamuis contraria in praxi communiter obseruetur; quam docent. *Nauar. in Man. cap. 6. num. 7. Henriq. l. 5. cap. 5. numero quinto, & cap. 3. num. 3. Aior. p. 1. l. 4. cap. 4. ad finem. Diana p. 1. tract. 7. resol. 42.*

Fil-

Fillinc. tract. 21. cap. 9. num. 335. Caramuel in reg. S. Bened. num. 1020. Caspensis c. num. 55. Sanctius in select. disp. 6. num. 3.

Ratio est, quia talia oscula, & tactus cum actu, & affectu principali coniunguntur, & cum eo constituunt vnum numero peccatum, vnde explicato actu principali, etiam censentur huiusmodi actiones explicatæ. Et secundùm hanc sententiam, qui post copulam adhuc loquitur de re turpi, aut post peccatum commissum gaudet, vel loquitur de peccato commisso, & eius accessoriis, tangit vel osculatur meretricem ad maiorem delectationem, non tenetur has circumstantias exprimere, modò ab alia negotia agenda non se diuerterit, sed in eodem situ, & statu quo peccauit perseueret, retinens fœminam penes se: & hæc non fecerit ad iterandam fornicationem. *Nau. c. num. 17. Azor. c. qu. 5. & 6.*

Aduerte tamen si actus qui præcedunt vel comitantur, habeant malitiam distinctam ab actu principali, distinguuntur numero, & sunt distinctè exprimendi in confessione: quia sunt actus, & peccata specie distincta, quoad malitiam moralem: Exemplum in eo qui pergit ad homicidium, & in via, peierat, blasphemat, furatur &c.

Similiter quando tactus, oscula vel amplexus non fiunt ex affectu fornicationis, sed tantùm ob libidinem in ipsis repertam; si fornicatio postea fiat ex alio affectu, tunc erunt peccatum distinctum à fornicatione, quia tunc non ordinantur ad illam, ex affectu operantis, vt bene aduertit Hurtado *de Sacram. disp. 9. de pœnit. diffic. 6.*

PECCATVM V.

De subiecto peccati.

SVMMARIVM.

1. *Peccatum formaliter sumptum, est in sola voluntate, denominatiuè verò in intellectu, imaginatione, & appetitu sensitiuo, in ore, & opere.*
2. *An in sensualitate sit peccatum?*
   Et vt ipsius motus culpabiles sint, an requiratur aduertentia ex parte intellectus, & consensus ex parte voluntatis.
   Et an motus sensualitatis primò primi, secundò primi, & secundò secundi sint peccata, & qualia.
3. *An omnes motus appetitus ex causa voluntaria, sint peccata.*

1. PEccatum formaliter sumptum est in sola voluntate; quia peccatum formaliter debet esse liberum ergo in ea potentia quæ formaliter habet libertatem: deinde actus virtuosus vt sic, est in sola voluntate, ergo & actus vitiosus.

Peccatum verò denominatiuè potest esse in intellectu seu ratione, in imaginatione, & appetitu sensitiuo, in ore, & opere. Probatur quia quædam sunt peccata, quæ nata sunt consummari in intellectu, vt ignorantia culpabilis error, hæresis; quædam in phantasia, & appetitu, vt peccatum morosæ delectationis, &c. quædam in ore, vt periurium, blasphemia: quædam in opere, vt homicidium, furtum: hæc tamen omnia sunt peccata denominatiuè seu per denominationem extrinsecam: nam tota culpa est in voluntate, quæ potuit ac debuit, ope & auxilio rationis, has inordinationes comprimere, & impedire: cùm omnes istæ potentiæ, & instrumenta necessariò agant, nec habeant libertatem, nisi à voluntate communicatam. D. Thom 1. 2. *quæst. 74. art. 1. & 2. Caietan. Syl. ibi. Vasq. 1. 2. disp. 103. cap. 2. & 4. Bezan. 1. 2. tr. 2. cap. 5. qu. 1. Bonacina tomo 2. disputat. 2. quæst. 6. p. vnic. Fillinc. tract. 21. cap. 10. qu. 1. & seq. Tanner. 1. 2. disputat. 4. qu. 8. dub. 1.*

Nota tamen rationem sæpè vsurpari pro tota portione rationali, vt includat etiam voluntatem, & sic *D. August. lib. 12. de Trinit. cap. 2. D. Thom. 1. 2. qu. 74. art. 7. & qu. 15. art. 4* Omne peccatum tribuunt rationi eamque diuidunt in superiorem, & inferiorem. Ratio superior est, quę rationibus æternis conspiciendis vel consulendis adhæret Inferior, quæ per rationes temporales iudicat de agendis.

Quamuis igitur peccata, quæ versantur in materia spirituali, vt infidelitas: odium Dei, &c tribuantur rationi superiori, & quę versantur in materia corporali, tribuantur rationi inferiori; præsertim si venialia sint, verbi gratia peccatum gulæ: tamen hoc per quandam appropriationem, seu accommodationem intelligendum est: nam nullum est peccatum, quod ad rationem superiorem non pertinet vel directè, vel imputatiuè, quia ipsius est, omnes vires inferiores gubernare, & in vltimum finem dirigere.

2. In sensualitate nullum est peccatum, sine ordine ad voluntatem: quia nullus hominis actus vel motus, potest esse verum ac propriè dictum peccatum, nisi homo sit eius causa vel principium, in quantum est homo; sed eorum motuum qui in sensualitate exurgunt independenter à voluntate, homo non est causa vel principium in quantum est homo: ergo tales motus non possunt esse peccata.

Cum dependentia tamen à voluntate, potest esse peccatum in sensualitate, hoc est, in appetitu sensitiuo, qui est virtus quædam appetitiua naturæ sensitiuæ, complectiturque concupiscibilem, & irascibilem. D. Thom. *c. art. 3. Sylu. ibi. cond. 1. Vasq. 1. 2. disp. 104 cap. 1. Laym. l. 1. tr. 3. cap. 5 num. 11. & 12. Fillinc. tract. 21. num. 350. 351. Becanus c. quæst. 4. & 5. Caspens. tract. 12. disp. 4. num. 7. & seq.*

Ad hoc autem vt ipsius motus culpabiles sint, ex parte libertatis duo requiruntur.

Primum, aduertentia ex parte intellectus, qua motus prædicti præuideantur futuri ex causa libera, aut sentiantur præsentes, & considerentur secundùm aliquam rationem mali moraliter.

Secundum. Ex parte voluntatis consensus; vel directus vel indirectus, hoc est, in causa voluntaria; requiritur præterea grauitas ipsorum motuum, & malitia obiecti ua; nam si motus ipsi leues sint, erunt tantùm peccatá venialia. *Less. l. 4. cap. 3. dub. 15. num. 116. Bonac. tomo primo de matrim. q. 4 p. 7. num. 6. 7. 8. Tanner. 1. 2. disp. 4. qu. 8. num. 13. & dub. 2.*

Hinc secundùm communem Doctorum sententiam, motus sensualitatis *primò primi*, id est, præuenientes rationem, & voluntatem, non sunt peccata mortalia, *Bellarm. l. 5. de amissione gratiæ cap. 5. Tanner. 1. 2. disp. 4. qu. 8. dub. 3. Sylu. 1. 2. q. 74. art. 3. concl. 2. & 3. Bonac. de matrimon. c. punct. 7. num. 3. Valent. 1. 2. disp. 6. qu. 4. punct. 2.*

Et est de fide contra Lutherum, & Caluinum, vt patet in Concil. Trid. *sess. 5.* de peccato originali Canone vltimo, vbi anathemate feriuntur dicentes, non tolli per baptismum in renatis *totum id, quod verè ac propriè habet peccati rationem*. Ratio est, quia nemo peccat in eo quod vitare non potest; sed hos motus, homini lapso euitare impossibile est, etiamsi sit iustificatus, vt constat ad Romanos, 7. & 8. & ex ipsa experientia. Ergo, &c. Confirmatur argumento D. Augustini *l. 1. de Ciuitate Dei c. 15.*

Motus concupiscentiæ in corpore dormientis non est peccatum, ergo nec in corpore non consentientis, quia non plus hic cooperatur, quàm ille; imò minùs aliquando; cùm fortiter resilit.

Motus sensualitatis primò primi, non sunt peccata venialia. D. Thom. 1. 2. *qu. 74. art. 3. Sylu. ib. Azor. 1. par. lib. 4 cap. 5. qu. 3. Becan. 2. p. tract. 2. cap. 5. qu. 4. & 5. Cordub. l. 2. q. 23. dub. 9. Claus reg. l. 8. cap. 6. num. 8.* Est contra Caietanum 1. 2. *qu. 74. art. 4.* cuius sententia censetur erronea: quia omne peccatum est voluntarium, sed quod præuenit voluntatem, non est voluntarium, ergo. Et hoc valet non solùm in primis motibus sensualitatis: verum etiam in primis motibus voluntatis, & intellectus, vt accidit quando aliquis subitò malè suspicatur de proximo. Vt docet *Azorius c. qu. 4.*

Motus secundò primi sunt peccata venialia, vt plurimùm. D. Thom. *c. art. 3. ad 3. Sylu. ibi. art. 3. in conclus. 4. fol. 380. Clau. reg. c. num. 10 Azor. c. qu. 3. Nauar. in man. pral. 9. num. 11. & cap. 11. num. 4. Laym. l. 1. tract. 3. cap. 5. num. 12.* Et patet ex ipso nomine, nam vocantur secundò primi: quia partim sequuntur rationem, partim præueniunt.

Sequuntur, quia ratio aliquando aduertit turpitudinem alicuius cogitationis, sed imperfectè, & agnoscit aliquo modo esse contra legem Dei, sed quasi per transennam, & sic aliquantulum resistit.

Præueniunt, quia ratio non plenè iudicat; an sit materia peccati mortalis, & an sit tanti momenti, vt statim debeat discuti, propter negligentiam aliquam quam admittit; & sic non excusatur quidè ab omni culpa, non tamen facit hominem reum violatæ amicitiæ, & tranigressionis mortalis.

Motus secundò secundi, id est, perfectè deliberati, sunt peccata pro ratione materiæ, venialia vel mortalia, loquimur autem de peccatis denominatiuè: nam consensus voluntatis in hos mo-

tus, est formaliter ipsum peccatum. Quia actus accipit malitiam ab obiecto; tales autem motus, sunt obiectum nostri consensus, ac proinde qui voluntariè tristatur de aliquo bono proximi levis momenti, contra rationem peccat venialiter; qui autem tristatur de notabili bono proximi peccat mortaliter, nam committit peccatum invidiæ in materia gravi. *Clau. reg. c. numero 10. Bonac. 2 par. tract. 2. cap. 5. q. 5. Bonac. de matr. q. 4. p. 7. n. 8. Tann. t. 2. disp. 4. q. 8. dub 4.*

3. Non omnes motus aperiens ex causa voluntaria sunt peccata, etiamsi expressè voliti & in ipsis essent peccata mortalia. Sed duo requiruntur.

Primum, vt quis expertus sit se non incurrere probabiliter periculum consentiendi per voluntatem in tales motus.

Secundum, vt causa voluntaria quæ adhibetur, habeat vel honestatem, vel vtilitatem, vel necessitatem aliquam, ratione cuius curandum non sit de motibus contingentibus. Talis causa est, audiendi confessiones, vel legendi libros tractantes de his rebus, alioqui viles, vel equitandi: vel si consuetudo esset in patria osculandi, amplexandi, vel tangendi manus, &c. Quod si causa voluntaria talis non esset, puta cum quis dedit causam iocosis verbis, vel aspectui immoderato, vel curiosa lectioni, vel denique aliqua alia causa secundum se mala venialiter, si fuit motus præuisus, & cauteri potuit, etiamsi mortale peccatum non sit, erit veniale: quod autem veniale sit patet, nam si causa venialis fuit, & inde videbatur futurus, aliqua erat obligatio cauendi: At verò non esse mortale peccatum talem delectationem, quoties animus non trahitur intentione turpis delectationis ad immoderatum aspectum, &c.

Manifestum est, quia alioqui difficillimum esset, in humano conuictu, à mortali peccato abstinere, præsertim verò ex aspectu.

Neque obstat, quòd voluntarium in causa sufficiat ad peccatum mortale homicidij, vel alterius damni, quod alteri infertur; nam propter summam facilitatem quæ hi motus sequuntur, maius voluntarium requiritur, ex causa rei, ad mortale, quam ad homicidium aut simile aliud peccatum, non quidem tamquam fundamentum generis motus, & malitiæ, ad hoc enim sufficit quodlibet voluntarium, sed vt circumstantia necessaria ad mortale, quia alioqui motus ille censetur venialis culpæ, infirmitas enim nostræ naturæ molum excusat, quæ in homicidio, & alijs huiusmodi locum non habet.

Et certè consonum videtur fragilitati humanæ, vt homo non teneatur sub peccato mortali vitare omnem affectum inanem, ex qua est periculum ne exurgat aliquis motus naturalis dissonus rectæ rationi: alioqui vix possemus quempiam vel loqui, vel audire, vel videre sine periculo peccati mortalis. Et cùm hi motus facillimè exurgant, vt censeantur mortales: videtur requiri maius voluntarium, quam sit illud quod solum est voluntarium aliquo modo in causa quæ sit causa venialis. Hæc doctrina colligitur ex Doctoribus hic citatis. *Sylu. 1. 2. qu. 74. art. 3. quæst. 1. conclus. 1. 2. & 3. Henric. t. 1. cap. 16. num. 6. Tanner. 1. 2. disput. 4. quæst. 8. dub. 4. Vasq. 1. 2. disput. 106. 107. & 108. & in opusc. de restit. c. 3. §. 2. dub. 6. num. 24. Bonac. de matrimon. quæst. 4. p. 7. num. 3. Suar. 3. par. quæst. 80. art. 7. Becan. 2. par. tract. 2. cap. 5. quæst. 6. Caspensis tract. 12. disput. 4. num. 21. 24. & seq. Sanc. in select. disp. 21. num. 3. March. in ref. pastor. c. 6.*

PECCATVM VI.

De effectibus peccatorum.

SVMMARIVM.

1. *Primus effectus peccati est corruptio naturæ.*
2. *Macula in anima post peccatum relicta, est secundus effectus peccati.*
   Et an hæc macula, sit aliquid physicum, an morale: refertur duplex sententia.
3. *Reatus pœnæ est tertius effectus peccati.*
4. *Peccatum mortale personale meretur pœnam æternam, tum damni, tum sensus.*
5. *Peccatum veniale meretur pœnam temporalem, tum damni, tum sensus.*
   Et an per accidens peccatum veniale aliquando puniatur à Deo pœna æterna. Refertur triplex sententia.

1. PEccatorum effectus potissimi, secundùm D. Tho. *n. t. 2. qu. 85. art. 1. 2. 3. & seq.* Sylu. *ibi. art. 1 Clau. reg. l. 2. cap. 13. n. 1.* & communem sententiam Theologorum sunt tres. *Corruptio naturæ, Macula animæ, reatus pœnæ.* Quomodo autem peccatum corrumpat naturam? Notandum est, bonum naturæ dici tripliciter.

Primò, ipsa naturæ principia, vt sunt anima, & corpus: item proprietates consequentes, vt intellectus, voluntas, & cæteræ potentiæ.

Secundò, propensionem ad virtutem, & honestatem.

Tertiò, donum iustitiæ originalis.

Peccatum corrumpit naturam; Est de fide contra Pelagianos, vt constat ex sacris litteris, ex Patribus, & Concilio Tridentino sess. 5. Can. 1. *Si quis non confitetur totum Adamum, per illam prævaricationis offensam, secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse: Anathema sit.* Hæc autem corruptio mouit Philosophos, vt quoniam veram huius mali originem ignorabant, accusabant naturam, tamquam nouercam, quæ hominem omnium animalium longè nobilissimum, tot miserijs circumuallasset. Modus autem huius corruptionis talis est. Tanner. *t. 2. disp. 4. q. 10. dub. 1. n. 5.*

Peccatum neque tollit, neque minuit principia naturæ, aut eius proprietates naturales. Est contra *Lutherum*, qui vult donum iustitiæ originalis fuisse homini naturale. Et contra *Caluinum*, qui docet per peccatum amissum esse liberum arbitrium. Ratio autem conclusionis est, quia homo per peccatum non desinit esse homo, ergo nihil amittit eorum, quæ ad veritatem humanæ naturæ pertinent, quale est imprimis liberum arbitrium: Tamen natura, & liberum arbitrium, dicitur vulneratum, quia amisit quædam supernaturalia bona, quibus etiam in ordine naturæ perficiebatur, D. Thom. *c. art. 1. ad 1. Sylu. ibi. concl. 1.* Tanner. *c. num. 9. Valent. tom. 2. disp. 6. q. 15. punct. 1. Caietan. Conrad. in 1. 2. q. 85. art. 3. Clau. Reg. c. n. 1.*

Vnde peccatum tollit harmoniam animæ, per quam sensualitas rationi, & ratio plenè subijciebatur Deo; Item corporis impatibilitatem & immortalitatem: quia sustulit supernaturale donum iustitiæ originalis, cuius beneficio hæc harmonia, & immortalitas constabant: & sic mansit homo in sua nuditate culpabili, subiectus morti, & reliquis miserijs huius vitæ, habens intellectum obscuratum, voluntatem pronam ad malum, appetitum concupiscibilem, effrenem & indomitum, irascibilem valdè debilem, quæ sunt quatuor animæ vulnera: D. Thom. *c. art. 3. Tann. n. 11.*

Porrò peccatum impedit inclinationem ad bonum, non tollit. Sylu. *c. concl. 2. Valent. 1. 2. tom. 1. d. 137. Clau. Regin. c. numero primo, Sotus libro primo de Natura, & gratia cap. 13. Bonacina tomo secundo disp. 2. qu. 7. p. 1. Valent. c. quæst. 15. p. 2. Salas 1. 2. d. 13 sect. 2.*

Probatur prior pars, quia in voluntate est propensio quædam ad bonum honestum, cuius vsus & executio difficilis reddituer per peccatum; nam & aufert gratiam Dei, & gignit habitum virtuti contrarium, & reddit hominem inepiorem ad secundum ordinem rectæ rationis: quod maximè patet in nationibus quibusdam barbaris, quæ omnem humanitatem exuisse videntur.

Probatur secunda pars, quia hæc propensio realiter est ipsamet voluntas, quatenus habet essentialem ordinem ad bonum honestum, ac proinde in seris illis nationibus, semper manent aliqua generalia naturalis legis principia, v. gr. Deum esse colendum, nemini faciendam iniuriam, vt docet D. Thom. *1. 2. quæst. 86. artic. 1.*

2. Secundus effectus peccati est *macula* in anima post peccatum relicta, quæ non nisi gratia abluente, & animæ inhærente, tolli potest.

Sed magna difficultas est, in quo formaliter consistat hæc macula, verum sit aliquid physicum, an morale; verum reale, an rationis? Scotus *in 4. dist. 14. qu. 1. § dico ergo*. Existimat peccati maculam ex qua peccator quis dicitur, post commissum peccatum, non esse aliud, quàm relationem rationis, hoc est, obligationem, & reatum ad pœnam, quatenus anima post actum peccati, est obiectum iræ diuinæ, & intellectus, & voluntatis Dei destinantis hominem ad debitam pœnam.

Sed mihi dicendum videtur cum D. Thoma *1 2. quæst. 86. art. 1. & 2. & quæst. 109. articulo septimo, & qu. 89 articulo primo, & 4. Syln. 1. 1. quæst. 86. articulo primo conclus. 2. & 4. Caietan. Conrad. Mercinab. Valent. tom. 2. disp. 6. quæst. 16. p. 1. Summa corona p. 1. cap. 1. num. 10. Clauis Reg. l. 2. cap. 13. Alex. 1. par. l. 4. cap. 14. qu. 1.*

qu.1 & 3. Tannero 1. 2. disp. 4. qu. 10. dub. 2. num. 31. & 38. Caspensi trac. 12. disp. 6. sect. 2. & communi sententia, maculam peccati, non esse reatum seu obligationem ad pœnam; quia obligatio ad pœnam, est posterior quàm macula: ergo non potest esse idem cum ea; sed defectum seu privationem nitoris animæ. Cum autem animæ nitor seu pulchritudo, & decor sit duplex; vnus ex refulgentia luminis rationis naturalis, per quam in suis actibus dirigitur ad Deum, vt authorem naturæ. Alius ex refulgentia luminis supernaturalis, scilicet sapientiæ & gratiæ, per quam perficitur in ordine ad Deum, tamquam finem supernaturalem; Peccati macula priuationem dicit illius vtriusque nitoris, eò quòd peccatum sit destructiuum ordinis, non solùm naturalis, sed etiam supernaturalis.

Hinc licet priuatio nitoris gratiæ, quæ ob diuersa peccata sequitur, eadem sit, causæ tamen huius priuationis cum sint diuersæ, & inæquales, consequenter ex parte causæ, diuersæ & inæquales maculæ erunt; sicut etiam diuersæ dicuntur vmbræ ob diuersitatem corporum, quæ inter lumen solis, & terram interponuntur, tametsi omnes vmbræ eiusdem luminis priuationes sint.

Cæterum quamuis peccata venialia non eamdem maculam inferant quam mortalia, & non denominent hominem simpliciter maculatum, sed ex parte, necessariò dicendum est, etiam ex peccato veniali contrahi maculam; quia à peccatis venialibus verè iustificamur & emundamur.

Hæc tamen macula quam infert peccatum veniale, est priuatio illius nitoris, qui fertur in charitatis vsu, quem peccata venialia impediunt, continetur: vnde qui habet solum peccatum veniale, eo ipso quòd in gratia existit, meritò simpliciter dicitur mundus, etsi secundum quid maculatus dici possit. D. Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 1. Alensis p. 2. qu. 107. membr. 1. art. 1. p. 4. Vasq. 1. 2. qu. 139. cap. 5. Valent. c. q. 16. p. 1. Bonac. tom. 2. q. 2. p. 2. n. 2. Tanerus c. n. 33. & seqq.

3. Tertius effectus peccati est *reatus pœnæ*: hic autem reatus pœnæ non est aliud, quàm quòd homo per peccatum dignus sit pœna, atque adeò ad pœnam luendam diuinitus ordinatur. Ratio est, quia peccatum peruertit ordinem rerum institutum à Deo, ergo debet aliquid adhiberi, quod ordinem illum restituat, subdendo peccatorem eius potestati, quem offendit; illumque deprimendo, quemadmodum se inordinatè erexit: hoc autem fit per pœnam; nam pœna est incommodum positiuum aut priuatiuum naturæ, aut voluntati contrarium à superiore inflictum, aut ordinatum ad seruandum æqualitatem iustitiæ.

Dico *Oranium*, propter pœnas voluntarias, quas assumunt pœnitentes in vindictam suorum peccatorum. Vbi nota, aliud esse culpam, aliud pœnam, aliud reatum pœnæ, aliud debitum pœnæ. Culpa est ipsa peccati malitia actualis vel habitualis. Pœna est incommodum ad puniendam culpam inflictum. Reatus pœnæ est obligatio ad luendam pœnam pro culpa propria: Debitum, etiam pro aliena. Ita D. Thom. 1. 2. qu. 87. art. 1. Sylu. ibi, Valent. c. qu. 17. punct. 1. Mor. tom. 1. l. 4. cap. 24. qu. 3. Tanner. 1. 2. disp. 4. qu. 10. dub. 3. num. 45. Bonac. tomo secundo disp. 2. qu. 7. p. 1. Clauis reg. l. 2. cap. 13. num. 7. Becanus 2. p. tr. 2. cap. 8. qu. 1. Caspensis tr. 12. disp. 6. sect. 4.

4. Peccatum mortale personale meretur pœnam æternam, tum damni tum sensus. Ita D. Thom. 1. 2. qu. 87. artic. 3. Sylu. ibi, Concil. Trident. sess. 6. cap. 14. & can. 25. & sess. 14. can. 5. Clauis reg. l. 2. cap. 13. num. 8. Tannerus 1. 2. disp. 4. qu. 10. dub. 3. num. 47. Becanus c. cap. 8. qu. 5. & alij communiter.

Est de fide quoad vtramque pœnam. Contra *Origenem* eiusque sequaces, qui sentiebant damnationem non fore planè æternam, sed tum dæmones, tum etiam animas perpetua quadam vicissitudine damnationis & beatitudinis vsuras: ita vt post aliquot sæcula a damnatione liberati ad beatitudinem redeant: & ex hac rursum post multa sæcula tædio contemplationis excidãt. Probatur assertio aperte ex scriptura, Matthæi 25. *Ite in ignem æternum*. Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*.

Ratio est, quia duo sunt in omni peccato mortali, auersio à bono incommutabili, & huic respondet pœna damni, id est priuatio beatitudinis. nam *tolletur impius, ne videat gloriam Dei* Isaiæ 26. & conuersio ad bonum commutabile, & huic respondet pœna sensus, vt qui se glorificauit, & in delicijs fuit, experiatur nunc tormentum, & luctum.

Quare autem peccatum mortale, licet breuissimo tempore committatur, & voluptas eius citò transeat, debeat puniri in æternum? Rationes sunt; *prima*, quia peccator nunquam potest satisfacere Deo, pro irrogata iniuria; ergo semper potest iustè puniri, quia ante satisfactionem semper manet reatus & dignitas pœnæ.

Secunda, Peccator ita dispositus est, vt manentibus iisdem circumstantijs, semper vellet peccare, atqui voluntas semper peccandi, iustè semper punitur, vt ait D. Gregor. *Iustum est enim, vt qui in suo æterno peccant contra Deum, in Dei æterno puniatur*. Et communis est sententia Theologorum, peccatum mortale puniri citra condignum, hoc est, Deum ab æterno decreuisse, mitiorem pœnam infligere peccatis, quàm ex rigore iustitiæ merentur. Vt refert *Becanus c. qu. 6.*

5. Peccatum veniale meretur pœnam temporalem, tam dãni, quàm sensus. D. Thom. 1. 2. qu. 87. art. 5. Sylu. ibi. Pœna damni consistit in dilatione visionis Dei, post egressum animæ: pœna sensus consistit in doloribus, quos animæ perpetiuntur in purgatorio.

Vt habetur in Concil. Trident. *sess. 9. can. 30. & sess. 22. cap. 2. & can. 3. Valent. tom. 4. disp. 10. qu. 1. p. 1. §. 6. Bellarm. l. 2. de Purgatorio cap. 11.*

Ratio est, quia in peccato veniali, est suo quodam modo auersio, & conuersio, ac propterea meretur pœnam vtrique deformitati accommodatam. Et quamuis non sit de fide, animas in purgatorio, vero & corporeo igne torqueri, vt notauit *Bellarminus*, est tamen ita certum, vt absque temeritate non videatur negari posse.

Dubitari hic posset, an saltem per accidens, nonnumquam peccatum veniale à Deo puniatur pœna æterna: puta, si quis discederet ex hac vita, habens peccatum veniale coniunctum peccato mortali: vel si quis vnà cum peccato mortali ex hac vita secum ferat reatum alicuius pœnæ temporalis, remanentem post remissum peccatum, seu mortale, seu veniale: De qua re sunt tres sententiæ: prima est *Scoti, Gabrielis, Nauarri, Medinæ* apud *Azorium*, & *Tannerum* infra, in vniuersum asserentium, etiam apud inferos peccatum veniale dimitti: quia veniali per se, pœna solùm temporaria debetur; qua persoluta tollitur culpa.

Secunda, est veterum Scholasticorum *Alensis, Alberti, Durandi*, qui de pœna temporali, remanente post remissum peccatum, seu veniale, seu mortale affirmant; de peccato autem veniali negant. Tutior tamen & probabilior est sententia docens, peccatum veniale coniunctum mortali personali, in inferno puniri æterna pœna: item nec pœnam peccatis remissis debitam finiri in damnatis: quia omnis remissio tam culpæ, quàm pœnæ, nititur meritis Christi; quorum fructus damnatis non potest applicari. Ita ex communi docent D. Thom. *c. art. 5. ad 2. Sylu. ibi, Valent. qu. 17. p. 4. tom. 2. Suar. 3. par. tom. 4. disputat. 11. sectio. 2. num. 11. Tanner. c. quæst. 10. dub. 4. numero 75. & 80. Azor. c. li. 4. cap. 10. qu. 5.* & alij penes ipsos.

Plura docent de hac materia peccatorum Scholastici: sed quæ adduximus, ex quæstionibus D. Thomæ desumpta sunt, quæ conscientias tractanti, & gubernanti, maximè necessaria sunt: ac proinde hæc materia Theologo Morali seu Casuistæ debet esse familiarissima: nam maximè conscientiam attingit, & latiùs funditur quàm materia virtutum; cùm bonum sit finiti, malum autem infiniti, vt diximus suprà.

PENSIO.

SVMMARIVM.

1. *Pensio quid sit? & quomodo differat à beneficio.*
2. *Quotuplex sit pensio.*
3. *An solus Papa possit imponere pensiones de iure.*
   Et an in certis casibus ex consuetudine, id etiam possint Episcopi.
   An Abbates pensionibus grauari queant à Principe, sine beneplacito Papæ.
4. *An Legati à latere ex iusta causa possint etiam pensiones imponere.*
5. *An Summus Pontifex possit pensiones conferre omnibus, etiam inhabilibus ad statum clericalem.*
6. *Quæ sint obligationes Pensionarij?*
7. *An iniustitia, iniquitas, Simonia, & confidentia sint peccata quæ committi possint in materia pensionis? & primò, vt contra iustitiam peccare possit Tenens?*
8. *Quomodo pensionarius peccet contra æquitatem?*

9. *An*

9. *An post Constitutiones Pij & Sixti V. Simoniacè peccari possit in materia pensionum?*
Et an hæc Simonia aliquas pœnas inducat.
10. *An pensio quæ datur ad officium aliquod spirituale possit pretio vendi absque vitio Simoniæ.*
Et an reliquas pensiones mixtas liceat redimere sine authoritate Papæ? refertur duplex sententia.
11. *An non habens facultatem transferendi, possit de pensione ipsa, quoad ius ipsum exigendi fructus, contrahere, illam vendendo, permutando, &c.*
12. *An qui potest transferre pensionem, possit id facere accepto pretio sine Simonia?*
13. *An committatur Simoniaca confidentia prohibita, & vitiosa, quando pensio cedatur, transfertur, intercedente pacto de exactione omnium vel partis fructuum, in favorem conferentis vel alterius?*
14. *An pensio debeat esse moderata? & an ex consuetudine tertia pars redituum ex beneficio extrahi possit?*

1. PEnsio est *ius certæ pensionis ad tempus exigendæ aut soluendæ, ex determinato beneficio, aut à beneficiario Ecclesiastica beneficia possidente*. Differt autem pensio à beneficio potissimùm in duobus.

Primò, quòd pensio sit pars quædam iuris beneficialium redituum alteri constituta, & designata.

Secundò, beneficium in perpetuum ministrorum vsum suapte natura constituitur, quamobrem morte vel renunciatione beneficiati vacat, & alteri conferri debet; pensio autem ad tempus decernitur; ita vt vel renunciatione, vel morte pensionarij omninò finiatur, sicuti vsusfructus morte vsufructuarij. Vide *Azor. tomo secundo lib. 8. cap. quinto quæstione prima. Filliuc. tractat. 42. cap. primo numero secundo. Less. l. 2. cap. 34. dub. 37. Sylu. 2. 2. qu. 100. art. 4. concl. 2.*

2. Pensio duplex est, laica & Clericalis. Pensio laica seu temporalis dicitur, quæ ob temporalem aliquam causam constituta, laico etiam competere potest: vt quæ datur Ecclesiæ Œconomo, cantori, Patrono, aut defensori.

Pensio verò Clericalis appellatur, quæ in solos Clericos cadit. Ea iterum duplex est, *vna* simpliciter spiritualis, quæ Clerico ob spirituale ministerium datur, vt concionatori, Parochi Vicario, &c.

Altera media, siue mixta, quæ in Clericali quidem statu fundatur, tamen non propter spirituale ministerium confertur, sed ob aliam causam, eamque vel lucrosam, vt quæ Clerico pauperi, vel Parocho seni loco alimentorum assignatur: vel onerosam, vt quia aliquis lite beneficiaria cedit, vel quia beneficium alteri resignat, seruata sibi, cum Episcopi authoritate, pensione, vel quia beneficium suum cum altero tenuiore permutat. *Layman l. 4. tract. 2. cap. 18 num. 2. Tolet. l. 5. cap. 82. Azor. c. qu. 5. Filliuc. c. cap. 1. num. 5. 6. Sylu. c. concl. 1. Bonac. de Simonia disput. 1. qu. 4. §. 13. num. 1. & 2.*

3. *De iure communi* nullus potest pensiones imponere, nisi Summus Pontifex: in certis tamen casibus, consuetudine iam præscripta, & ex iusta causa pensionem constituere possunt Episcopi.

Primò, si assignetur seni Parocho non valenti amplius deseruire, vt alatur. *Secundò*, si causa transactionis in lite.

Tertiò, si causa permutationis, ob inæqualitatem fructuum: In causa verò simplicis resignationis, Doctores Episcopo id non concedunt, nisi resignans esset senex & ad præstandum officium ineptus, vel nisi aliqua rationabilis causa interueniret, in his autem casibus non potest eam constituere, nisi ad vitam eius cui assignatur: & in tali casu obligatio pensionis soluendæ ad successorem transit, quamdiu pensionarius viuit, *Sà v. pensio numer. 5. Suar. tomo primo de relig. libro quarto cap. 24. num. 37. Filliuc. c. cap. 2. num. 3. Layman c. num. 3. Navar. l. 3. conf. 22. numero quarto de Simon. Sylu. c. concl. 4.*

Sed petes, an Abbates pensionibus grauari queant à Principe, si eiusmodi pensiones personis Ecclesiasticis pauperioribus reseruentur? Ad hoc dubium respondet *Franciscus Zypeus in Analytica enarrat. iuris Pontif. l. 3. t. 1. Vt Eccl. benef. sine diminut. confer. controuers. 5.* Canonicus, & officialis Antuerpiensis, his verbis. Quantùm ad potestatem Principis (sepositis priuilegijs, & indultis suæ Celsitudini fortè concessis) si de iure communi loquamur, videntur sæculares Principes, etiamsi pro patronis, & defensoribus Ecclesiarum suæ ditioni subiacentium haberentur, etiam earum ad quarum fundationem vel dotationem eos contulisse non constat, non possunt tamen vel pensiones imponere, vel de ijs aliter authoritate propria quoquomodo disponere, sed tantùm hoc Pontificem rogare. Patronis enim solummodo liberum est, in fundatione pensionibus onerare beneficium, vel quid aliud instituere non autem post illam. *Cap. quanto, extra de censibus.*

Propterea de iure non potest Princeps sine consensu Pontificis, eiusmodi grauaminibus Abbates onerare: nisi sub beneplacito Papæ: quod antequam interueniat, nullas vires habet vlia promissio, aut effectum obligatio. *Cap. super eo, C. Verum, extr. de cond. app. C. si pro se, de rescript. in 6.* adeò quidem, vt non excusetur à pœna Simoniæ, qui ante dicti beneplaciti interuentum, vtitur effectu talis reseruationis, exigendo, scilicet, aut recipiendo pensionis solutionem. Et expressè satis traditur in Bullis à *Pio IV. & V.* super confidentijs editis: vbi inter cætera etiam statuitur, vt si quis inciderit in contrauentionem (vt est recipere pensionem ante confirmationem Papæ) vt statim pensio cesset ac extincta sit, teneaturque recipiens ad restitutionem. Ita ille, qui pro hac sententia citat *Flaminium, Parisium, Nauarr. Conar.* & alios.

4. Eodem modo quo Episcopi, possunt etiam Legati à latere pensiones imponere: ad quam ponendam, non semper requiritur iusta causa, hoc est, qua fit ex debito iustitiæ, requiritur tamen semper iusta, id est, æqua & rationabilis in ipso ponente: quinimmò vt inferior Papa validè pensiones imponat, debet semper interuenire causa iusta, id est, legitima, qualem scilicet leges præscribunt, quæ in Pontifice, cùm sit supra legem, non requiritur; requiritur tamen in eo iusta, id est, rationabilis, ne peccet in imponendo; vnde constans sententia est, pensionem ex falsa causa, & non subsistente concessam, nullam esse, si causa fuit motiua, & principalis: secus si impulsiua tantùm, & merè accessoria. *Filliuc. c. cap. 2. numero 6. 7. & seq. Azor. tom. 2. li. 8. cap. 6. quæst. 2.*

5. Respectu Papæ non datur exceptio personarum non habilium ad pensiones, sed omnibus personis, tam veris, quàm fictis, possunt ab illo conferri. vt fœminis, infantibus, irregularibus, &c. regulariter tamen inhabiles sunt ad eas obtinendas præsertim Clericales, quicumque sunt inhabiles vel absolutè, vel durante impedimento ad statum Clericalem, & qui sunt inhabiles ad officium recitandum: à pensione verò laicali, nulla persona lege positiua excipitur: imò secundùm probabiliorem sententiam, excommunicatus capax est pensionis de nouo obtinendæ, contra *Suar.* citatum, *Flamin. de confid. qu. 3. & quæst. 27. numero 167. Azor. cap. 7. quæst. 12. Garz. p. 1. cap. 5. num. 134. Suar. t. 3. d. 3. sect. 1. num. 9.*

6. Obligationes pensionarij hæ sunt. *Filliuc. tract. 42. cap. 7. num. 1. & 2.* Pensionarius sine causa pensionem exigens, tutus est in conscientia, si pensio imposita sit à Papa: si verò pensio imposita fuit ab inferioribus, nec poterit illam exigere. Tenetur pensionarius tantùm ad officium paruum Beatæ Virginis: quod si illud omittat, fructus suos non facit & tenetur ad restituendum. *Constit. Pij Quinti.*

Præterea tenetur pro rata pensionis, ad soluenda onera superuenientia fructibus beneficij, ab eo, qui potest imponere, nisi pensio sit reseruata libera, & ab omni onere exempta: tunc. n. ad illa tenebitur tantùm titularis. Tenetur quoque pensionarius ad tonsuram, & habitum Clericalem, ex constitutione *Sixti Quinti*, si pensionem exigit, & pensio excedat sexaginta. Ita *Nau. c. 25 n. 122. Garz. p. 1. c. 5. n. 14.*

7. *Peccata* quæ in materia pensionis committi possunt, ad quatuor reduci possunt; *iniustitiam* nempe, *iniquitatem*, *Simoniam*, & *confidentiam*. Igitur contra iustitiam potest *titularis* peccata omnia committere, quæ potest in solutione debiti debitor, quæ ad duo capita reducuntur, calumniosam negationem debiti, & morosam illius solutionem. *Fill. tr. 42. c. 9. n 1 & 2.*

Pensionarius verò contra iustitiam peccat, si exigat sine iusto titulo, vel si non verificata causâ propter quam data fuit pensio, vel si non verificata conditione narrata, & id in præiudicium titularis, vt cum narratur beneficium grauatum, maioris valoris esse quàm verè sit.

8. Contra æquitatem peccat *pensionarius*, si beneficiario omninò grauato, vel exiguos fructus colligente, integram pensionem velit exigere. quòd sit in omni casu integrè reseruata: peccat quoque, si super quotidianis distributionibus pensionem constitutam pergat integram exigere. licet beneficiarius nullos alios fructus ex aliquo casu percipiat, quàm quos solutioni pensionis impendit. *Fill. c. n. 2.*

9. Cer-

9. Certum est, post constitutiones *Pij*, & *Sixti quinti*. *Sayr. de censur. cap. 5. num. 15. Arragon. 2. 2, qu. 100. artic. 4.* Simoniacè peccari posse in materia pensionum contra eos, qui putant pensionem esse quid merè temporale, ac proinde circa eam Simoniam non posse interuenire. D. Thom. 2. 2. *quæst. 100. art. 4.* Simonia autem hæc interueniens in pensionibus illicita est, quia prohibita, non è contra, per Papam enim potest auferri: quod non esset, si prohibita esset, quia illicita: *Nauar. ca. 23. num. 111. Cordub. l. 1. q. 21. Fill. c. c. 9. n. 6. & 7.*

Verùm Simonia hæc commissa in pensionibus nullas pœnas inducit, quoties Simonia purè committitur contra pensiones: nam pœnæ impositæ Simoniacis loquuntur de Simonia circa beneficia: vnde cùm pensio mixta est, & simul interuenit vitium contra beneficium, tunc præter peccatum, etiam incurritur pœna, non ratione Simoniæ pensionalis, sed beneficiariæ. Tunc autem Simonia purè committitur circa pensiones, non circa beneficia, quoties de illis pacisciturr sine vlla relatione ad beneficia: non purè verò, & beneficialis erit, cùm vt pretium beneficij vel vt merces pro beneficio in pactum deducitur.

10. *Pensio* quę datur ad officium aliquod spirituale, non potest pretio vendi absque vitio Simoniæ, nec etiam potest redimi: talis est pensio quæ datur concionatori vel adiutori Episcopi. *Bonac c. num. 3 & 4 Less l. 2. cap. 35. dub. 22. n. 122. & seq. Vict. relect. 1. de Simonia n. 4. §. Sylu c. concl. 2.*

Pensio, autem illa, quæ fundatur in titulo merè temporali, potest redimi, & etiam sine Simonia vendi pretio, quia nec in titulo spirituali fundatur, nec refertur ad functionem spiritualem.

Quantùm autem ad reliquas pensiones mixtas, vt quæ datur Parocho seni, aut pauperi Clerico ad sustentationem, aut quæ ad litem componendam, aut quæ datur resignanti in fauorem vel commutanti cum altero, quidam putant non licere eas redimere sine authoritate Papæ, quia stylus Curiæ, qui facit legem communiter, habet, vt tales redemptiones sine authoritate factę reprobentur, & nullæ, & inualidæ censeantur, licet propter illas excommunicatio non incurratur: sic *Nauar. cons. 63. de Simon. Flam. qu. 13. de inf. Ciarl. p. 1. c. 5. num. 20. Laym. l. 4. tract. 10. cap. vlt. §. 5. num. 48* & multi alij apud ipsum.

Sententia tamen affirmans redemptionem hanc licitam esse, standa soli rationi probabilior est, quia redimere non continet vllius rei spiritualis vel annexæ conditionem, aut acceptionem pro re temporali: non est ergo id illicitum nec Simoniacum. *Less. c. num. 124. Tolet. l. 5. c. 92. Valent. t. 3. d. 6. q 16. p. 3. Fillmc. c. n. 9. 10. & 11. Dsana 4. p. tr. 4. resol. 153.*

Tum quia si quis ciuis pecunia præsenti liberaret se ab obligatione soluendi decimas: nihil spirituale, vel spirituali adnexum conferetur per pecuniam acquirere, esto, illæ decimæ recipiendæ erant à Parocho propter titulum spiritualem, sed tantùm diceretur acquirere libertatem, siue immunitatem quandam, quę per se est quid temporale. ergo similiter hic ille qui pecunia se liberat ab obligatione soluendi pensionem, tuo beneficio impositam, nihil spirituale, aut spirituali adnexum acquirit, esto pensio erat recipienda ab altero ob causam aliquam spiritualem.

Tum quia etsi hæc immunitas pendendi portionem fructuũ beneficij, sit in Clerico redemptore connuncta cum spirituali officio, ac titulo beneficij, & vtrumque aliquem respectum ad eum habeat, quatenus ea libertate obtenta, vtile erit Clerico beneficium quoad omnes partes fructuum: hoc tamen non sufficit, vt illa immunitas sit materia simoniæ: materia enim Simoniæ debet esse quid spirituale secundùm se, vel certè debet in suo conceptu includere ordinem ad spirituale, sicut ius beneficij includit; constat autem immunitatem illam per se optimè posse intelligi absque tali ordine, illa enim nihil aliud est, quàm iam hanc personam non debere pendere quotannis 5. vel 10. ex fructibus, qui secundùm se temporales sunt.

Aduertunt tamen Caietan. *tom. 1. opusc. tr. 31. resp. 10. Toletus, Lessius citati*, dum quis resignat beneficium sub onere pensionis, non posse fieri pactum vt constituta pensio redimatur; id enim apertam continet Simoniam, quia istud onus est pretio æstimabile.

Pari modo Simonia est, si pensionem redimas resignando, vel conferendo beneficium; quia datur beneficium pro re temporali; eiusdem enim rationis est, extinguere aliquod debitum seu onus temporale, & tantumdem acquirere.

Huiusmodi autem pensiones mixtæ ex praxi receptа solent redimi seu extingui, consentiente pensionario, quinque annatis. Neque ad hoc opus est alia facultate, vt docent *Toletus*, & *Lessius*: quia redimere talem pensionem, non est emere aliquod ius spirituale, sed extinguere onus temporale: scilicet debitum soluendi quotannis certam summam.

11. Non habens facultatem transferendi, non potest vllo modo de pensione ipsa, quoad ius ipsum exigendi fructus, contrahere, illam vendendo, permutando, &c. Less. *c. dub. 21. Nauarr. cons. 6. de Simon. Flam. de confid. quæst. 24. Filliuc. c. num. 13. 14.* Vnde qui sic transferret, peccaret contra iustitiam, & contra religionem; at commoditas, quæ oritur ex pensione, potest vendi; & aliter in commercium deduci, neque enim hæc commoditas est spiritualis, eò quòd sit annexa spirituali pensioni; nam pensio non est spiritualis in se, sed quia annexa spirituali, accessorium enim accessorij non sequitur naturam principalis, sed tantùm accessorium principalis.

12. Qui potest transferre pensionem, non potest id facere, accepto pretio sine Simonia, quia verè dat aliquid spirituale, pro temporali recipiendo; vnde peccat qui transfert pensionem, reseruata sibi dum viuit omnium fructuum exactione, aut qui transfert pensionem accepta quacumque pecunia in pretium, & ex pacto, siue pro se, siue pro alijs. *Tolet. cap. 81. & 92. Valent. c. punct. 5. Less. c. dub. 22. Bonac. c. numero quinto. Laym. l. 4. trac. 10. cap. 8 num. 47.*

13. Quando *pensio* ceditur, transfertur, confertur cum confidentia vitiosa, interueniente pacto de exactione omnium, vel partis fructuum in fauorem conferentis vel alterius, non committitur confidentia Simoniaca prohibita constitutionibus Pij IV. & V. cùm tantùm illæ loquantur de confidentia beneficiali: quando autem pensio constituitur in caput vnius, ad fauorem, & commodum alterius, ad illum spectat obligatio vitæ Clericalis, & officij recitandi, qui verè est pensionarius, nempe qui habet ius pensionis, & non commodum. *Filliucius tractat. 42. capite vno quæstio. 12. & 13. Flamin. de confid. quæst. 23. 24. Lessius c. dub. 12.*

14. *Pensio*, secundùm communem Doctorum sententiam, debet esse moderata, vt tantùm maneat beneficiario, præsertim Ecclesiæ rectori, vt commodè se sustentare, officiumque misericordiæ erga pauperes, & hospitalitatis erga peregrinos exercere possit, sicut & alia sibi incumbentia onera præstare. Consuetudine autem iam ferè introductum est, vt nomine pensionis ex beneficio tertia redituum pars ex trahatur. *Cordub. l. 1. quæst. 21. d. 2. Less. lib. 2. cap. 34. num. 206. Laym. lib. 4. tract. 21. cap. 18. num. 6. Sylu. c. concl. 5.*

De pensione. Vide *Emphyteusis* num. 4. *Excommunicatio 3.* num. 16. 17. *Locatio 2. n. 2. Locatio 3 Simonia 4.* num. 7. 9. *Horæ canon. 1. n. 20. Horæ canon. 5. n. 12.*

PIGNVS.

SVMMARIVM.

1. *Quid sint Pignus & hypotheca? & an in iure hæc nomina synonima sint?*
2. *An pignoris obligatio triplici ex causa nascatur, & de pignore Prætorio, & Conuentionali.*
3. *Quid sit legitimum pignus seu hypotheca? & vt detur in vniuersalem, & particularem.*
4. *An non solùm res corporales quæ existunt, sed etiam quæ futura sperantur, subijci possint pignori?*
5. *An illa quę non possunt vendi, possint esse pignori.*
6. *Quis possit pignori dare?*
7. *Quæ peccata circa pignora contingere possint?*

1. Pignus latè sumptum, *res est subiecta vel obligata pro debito, vt si aliter satisfactum non fuerit, inde satisfieri possit: strictè* sumptum addit traditionem eius creditori, vel alteri loco illius. *L. contrahitur, L. creditor ff. de pignor.*

Hypotheca latè sumpta, idem est quod pignus latè sumptum; *strictè* verò sumpta hypotheca, est res subiecta modo dicto, non facta traditione rei ita obligatæ.

In iure tamen hæc nomina idem valent; vnde deinceps pignus, & hypothecam pro synonimis vsurpabimus. *Less. lib. 2. ca. 28. d. 5. Laym. l. 3. sect. 5. tr. 4. cap. 30. num. 1. Bonac. de contractib. disp. 3. qu. 10. p. 1. num. 2. & 3.*

2. *Pignoris obligatio* triplici ex causa nascitur, *vel* ex Prætoris iurisdictione, quod dicitur pignus Prætorium, *vel* ex partium conuentione, quod dicitur pignus conuentionale; *vel* ex iuris con-

Digitized by Google

constitutione quod dicitur pignus legitimum: *Sylvest. v. pignus. Azor. 3. par. lib. 7. cap. 2. Filliuc. tract. 38. cap. 9. num. 169. & seq.* Laym. *c. numero secundo, Less. c. dub. 6. Bonac. c. punct. 2. numero 1. & 2.*

Prætorium pignus subdiuiditur in *iudiciale*, & quod *propriè prætorium* dicitur: *Iudiciale pignus* est, quod in executionem sententiæ iudicis auctoritate constituitur, mittendo creditorem in possessionem bonorum debitoris postea quam is in soluendo contumax extitit.

Prætorium verò *pignus* est, quod ante latam sententiam à magistratu constituitur, mittendo actorem in possessionem vel retentionem bonorum, quatenus ipsi cautum fit. *Regin. l. 25. num. 502. Molin. disp. 528. num. 14. 15. Conuentionale pignus* est, quod partes contrahentes expresè constituunt siue rei interuentu, siue solo consensu; & hoc *duplex* est, vnum *generale*, quod ad omnia bona se extendit, non solùm præsentia, sed etiam futura; verùm in huiusmodi pignore seu hypotheca, non censentur ea comprehensa, quæ nemo prudens in specie facilè obligaret, vt quotidiana vestis & supellex, artificum instrumenta, &c. *Particularis* verò hypotheca est vnius, vel plurium rerum in specie obligatio.

3. *Legitimum pignus* seu hypotheca est, quæ neque iudicis præcepto, neque partium conuentione, sed legis dispositione constituitur vnde etiam tacita hypotheca vocari solet, quæ etiá subdiuiditur in *vniuersalem, & particularem*; *Azor. c. cap. 3. Mal. de contract. disp. 526. Less. c. dub. 6.* Laym. *c. nu. 3.* Sylvest. *v. pignus q. 1. Bonac. c. p. 2. num. 1.* vniuersalis illa est, qua omnia bona ex legis dispositione obligantur, qualis est illa, quam *Primo*, habet vxor in bonis omnibus mariti, pro solutione dotis, in qua comprehenduntur bona omnia præsentia, & futura.

Secundò, Fiscus in bonis cuiuscumque debitoris sui.

Tertiò, Bona omnia tutoris, vel curatoris, ita vt & administratoris Ecclesiæ, vel hospitalis tacitè obligata sunt pro administratione.

Quartò, liberi habent tacitam hypothecam in bonis patris, pro administratione aduentitiorum.

Quintò, Res empta ex pecunia pupilli obligata ipsi est, donec pretium accipiat.

Sextò, quæ a conductore in prædium vrbanum illata sunt, obligata censentur pro pensione, & damno rei, plures casus habent *Lessius*, & *Bonacina*, citati.

4. Inter *Res corporales*, quæ subijci possunt pignori, non solùm comprehenduntur illæ quæ iam existunt, verùm etiam quæ erùt & futuræ sperantur; tales sunt fructus pendentes, pecorum fœtus, ancillarum partus, etiamsi nondum concepti sint: Ex rebus incorporalibus subijci possunt hypothecæ, iura, nomina debitorum, seu debita quæ debentur vni, vsusfructus, emphyteusis sine præiudicio tamen proprietarij, item census; vectigalia, iurisdictio, Molina *c. disp. 529. num. 2. & seq.* Laym *c. nu. 4.* Less. *c. dub. 7.* Bonac. *c. p. 1. n. 5.*

5. *Illa* non possunt esse pignori, quæ non possunt vendi, vt Ecclesia, cœmeterium, sepulchrum, ius patronatus, mobilia pretiosa cultui diuino dicata, vt calices, casulæ; res publicæ, vt plateæ, & alia deputata vsui communi, item liber homo, nisi in casibus quibus in seruitutem legitimè redigeretur, potest tamen dari obses, præsertim in causa belli, vt fiant pacis, Filliuc. *tr. 38. c. 9. q. 5. Azor. c. c. 6.* Laym. *c. num. 4. & 5. Less. c. dub. 7. Bonac. c. nu. 5. Rodrig. 2. p. c. 26 num. 1.* Cæteræ res oppignorari possunt ab ijs, qui earum liberam habent administrationem, siue sint mobiles, siue immobiles. Vide Molinam *ci. disp. 529.*

6. *Quicumque* habet liberam suarum rerum, vel alienorum bonorum administrationem, potest pignori dare: *L. Solum. §. vlt. ff. de pign. Azor. 3. p. l. 7. cap. 5. Filliuc. tr. 38. num. 176. Bonac. c. nu. 4.* hinc *pupillus* non potest absque decreto iudicis rem suam loco pignoris obligare auctoritate tutoris, quod locum habet in obligatione voluntaria, non necessaria: item *seruus* non potest aliquid loco pignoris obligare; nec *defunctus* bona heredis, nisi heres ratam habeat obligationem; nec *C. Nulli de reb. Eccles. non alien.*

Prælatus potest subijcere res Ecclesiæ hypothecæ speciali: potest tamen in contractibus iure permissis, obligare generaliter bona Ecclesiæ, sine traditione illorum: *L. Nemo ex socijs ff. pro socio. Socius* potest pignori dare rem sibi cum socio communem, *L. Solutum. ff. de pign.*

Procurator autem, vel qui negotia alterius gerit, potest aliquid pignori dare, quando speciale mandatum habet, vel si habeat vniuersam bonorum administrationem cũ libera potestate.

7. *Peccata* quæ circa pignora contingunt, secundùm *Nauar. c. 17. n. 203. & 204. Graffius 1. p. l. 2. c. 92. n. 38. & 39. Laym. c. n. 6. & seq. Fill. c. q. 9. & 10. Azor. c. c. 10. sunt Si creditor* initio domino vtitur pignore, admittit furtum; *si fœnore*, & volente, admittit vsuram, nisi sit vsus, qui gratis inter amicos conceditur vt est libri alicuius.

Item si sua culpa graui vel dolo pignus periret, & non vult soluere pignus, peccat: *Item* pacitcens cum debitore, quòd si ad certum tempus non redimat, pignus cedat creditori, nisi fiat in pœnam domini, ita vt pro vendito iusto pretio habeatur: *Item* si transacto tempore pignus vendat antequam dominum admoneat, nisi sit pactum in contrarium.

Creditor autem potest pignus retinere, donec debitor omnia soluat vsque ad minimum quadrantem: potest etiam post tempus alteri pignorare; fructus tamen ex pignore fructifero perceptos debet soluere, sed impensæ debent fieri quæ circa pignus factæ sunt. *Plura apud* Azorium *de pignore, & hypotheca toto l. 7. Tertia partis, & apud* Filliucium *tr. 38. c. 10. Bonacinam* de contractibus disp. 3. qu. 10.

Vide *Census* n. 7. 10 *Vsura* 4. n 3. 4.

POENA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit pœna Iuridica?*
2. *Quotuplex apud Theologos sit pœna?*
3. *De diuisione pœnæ à Iurisperitis?*
4. *An ex parte causæ pœnam inferentis triplex pœna possit constitui?*
5. *An pœna imposita à iure in vno casu censeatur imposita in alio, si illa duo in iure æquiparentur?*
6. *An pœna imposita à iure in aliquo delicto, locum habeat in alio vicino ipsi delicto?*
7. *An pœna positiua, & priuatiua incurrantur sine sententia iudicis, & executione per ipsum, siue imponatur ipso iure, siue facto?*
8. *An pœna conuentionalis debita sit in foro conscientiæ, quãdo non imponitur pro interesse lucri cessantis, aut damni emergentis?* refertur duplex sententia.

1. POena est id, quod pro culpa infertur, quia dicitur à puniendo; & est quæ punit & vindicat, quod quisque commisit: & nomine pœnæ loquendo iuridicè, & non Theologicè, stricte, & propriè venit solum corporalis, id est, afflictiua corporis; largè tamen sumitur pro omni quod minuit de patrimonio, vel priuat aliquo legitimo. *De pœn. dis. 3. pœnitentia. Sylvest. v. pœna qu. 1.*

2. *Pœna* in genere, à Theologis *duplex* ponitur; *Prima* scilicet *priuatiua*, quæ dicitur pœna damni, *largè* est, qua pro culpa aliquid aufertur, & infertur priuatio; *propriè* verò est, qua pro culpa aufertur perfectio, & infertur priuatio, non repugnans appetitui semper: cuiusmodi est carentia diuinæ visionis, quæ etsi fortè repugnet appetitui in damnatis, non in pueris decedentibus sine baptismo.

Secunda dicitur *positiua*, quæ dicitur pœna sensus, id est, afflictiua appetitus, siue superioris, siue inferioris, & propriè pœna sensus est, qua auferitur perfectio, & infertur priuatio afflictiua appetitus semper saltem naturaliter. Tolet. *l. 3. cap. 3.* Sylu. *c. q. 1.* Vasq. *1. 2. disp 100. ca. 1. num. 3 Caspens. tom. 1. Curs. Theolog. tr. de leg. disp. 5. sect. 1. n. 1.*

3. A Iurisperitis *pœna* diuiditur *dupliciter*, scilicet, *secundum se*, & *ex parte* causæ pœnam inferentis. *Diuidendo* ergo eam secundùm se in genere est triplex.

Primum enim *genus* est spiritualis pœnæ, vt increpatio, censura Ecclesiastica, verbi gratia excommunicatio, interdictum, & suspensio; item infamia, depositio.

Secundum genus est corporalis, puta, ieiunij, vel abstinentiæ, verberum, seruitutis, publicationis bonorum, exilij, mortis, detruncationis, vel etiam deportationis.

Tertium genus est pœnæ pecuniariæ, quę aliquando infertur pro iniuria illata personæ, vel loco; aliquando pro satisfactione illati damni; inferuntur etiam ad punitionem criminis, quòd in nullius est iniuriam, nisi Dei, saltem per modum eleemosynæ. Sylvest. *q. 2. Filliuc. tr. 21. cap. 11. n. 421. & 422.*

4. *Ex parte* causæ pœnam inferentis, *triplex* potest pœna

constituí. *Vna* est legalis, quæ lege decernitur propter crimen, seu culpam; *Altera* iudicialis, quam in particulari causa iudex imperat. *Tertia*, conuentionalis, quæ partium contrahentium consensu statuitur, soluenda ab eo, qui à contractu recesserit, vel in mora culpabili fuerit restituendi debiti. Inter quæ pœnarum genera, discrimen hoc est, quod strictioris interpretationis sit pœna legalis, quam conuentionalis, & iudicialis. *Sanch. libro quarto moral. cap. 22. numero 25. Laym. lib. 3. tract. 5. tract. 4. cap. 16. num. 12.*

5. Quamuis in fauorabilibus, pœna imposita à iure in vno casu videatur imposita in alio, quando illa duo in iure æquiparantur: sed in pœnalibus contrarium est dicendum, quia quando aliqua duo in iure sunt paríficata communiter, & est eadem ratio expressa, vel indubitatè præsumpta, tunc statutum in vno, extenditur ad aliud, etiam in pœnalibus, sed quando non sunt communiter parificata, sed solùm in aliquibus casibus, tunc non extenditur, similiter licet ratio sit eadem, tamen non extenditur pœna, sed sola prohibitio; quia tunc extenditur etiam quoad pœnam. *Emmanuel Sà v. pœna numero octauo. Syn. c. numero quarto, Dian. de leg. resolut. 26. p. 1. Portel in addit. ad dub. reg. v. Lex numero 15. Bonacina de leg. disp. 1. quæst. 1. p. 8. numero 25.*

6. Pœna imposita à iure in aliquo delicto, locum non habet in actu vicino ipsi delicto, nisi quis actum perficiat: licet talis aliter sit puniendus iudicis arbitrio: idem dicendum in pœna imposita per statutum, quia verba statuti exigunt actum perfectum, vnde non sufficeret inchoasse: secus autem de pœna quæ venit imponenda per decretum iudicis, quia talis sic punitur ac si perfecisset, ex quo peruenit ad actum propinquum. Et ideò in legibus pœnalibus diligenter considerare oportet, qualisnam sit res, aut operatio, quæ per talem legem prohibetur, & propter quam pœna à lege imponitur. Si enim pœna feratur ob aliquem actum, intelligitur de actu consummato. Ratio est, quia statutum, & maximè pœnale, est strictissimè interpretandum. Id quod intelligitur, nisi constitutio puniat attentatum. Quare licet peccet is, qui consuluit delictum, non tamen incidit in pœnam contra delicti patratorem ipso iure impositam, nisi ipsa lex vtrumque in eadem pœna comprehenderet, scilicet consulentem, & facientem. *Sanch. de matrim. l. 10. disp. 4. num. 12. Sylu. 6. q. 5. Sà v. pœna num. 12.*

7. Secundùm communem Theologorum, ac Iurisperitorum sententiam, pœnæ ponuntur, quæ ad sui executionem aliqua actione indigent, siue imponantur ipso iure, siue facto, non incurruntur sine sententia iudicis & executione per ipsum: cùm enim idem non debeat esse agens & patiens; oportet actionem iudicis sententiam ferentis adesse, qua in illas incidatur. Sanch. *de matrim. l. 9. d. 39. num. 1. & 4. Sà v. pœna num. 1. Caietan. 2. 2. qu. 62. art. 3. Dian. p. 4. 6. misc. resol. 79. p. 3. Sylu. 1. 2. qu. 96. art. 4. quæst. 9. Molin. t. 1. tr. 2. disp. 96.*

In pœnis autem priuatiuis, quæ nullam actionem ad sui executionem desiderant, sed secum trahunt executionem, vt excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas, aut si lex dicat: Sit incapax, aut inhabilis, tunc nulla opus erit ad huiusmodi pœnas incurrendas iudicis sententia. Quamuis in his duobus casibus contrarium doceant Sotus, Molina, Sanch. *lib. 2. Moral. cap. 39. num. 1. Nauarrus, Portel, v. Inhabilitas*: quorum sententia habet rationes satis probabiles, vt ait Diana *4. par. tr. 4. resol. 26.* Tum quia inhabilitas est pœna valdè acerba & ita per Epicheiam excipienda est à regula pœnarum priuatiuarum: maximè cum pœna priuationis officiorum ob sui etiam acerbitatem expectet iudicis sententiam.

Tum quia non omnes sententiæ priuatiuæ nullam iudicis executionem petentes, incurruntur ipso facto absque vlla sententia, sed id peculiare est solùm in tribus censuris: & hoc patet in particulari circa priuationem bonorum temporalium, quibus priuatur hæreticus, quæ imponitur ipso facto, & tamen iuxta Doctores communiter, imò & iuxta praxim expectatur sententia iudicis.

Tum quia illa particula, *eo ipso*, solùm importat, vt non requiratur sententia condemnans, seu pœnam statuens, iam enim posita est; at non tollit, quin requiratur sententia declarans crimen. Ex qua sententia satis probabiliter sustineri potest, quòd si delinquens non incurrit inhabilitatem antequam declaretur per sententiam iudicis, poterit talis quamdiu est occultus ferre suffragium in electionibus, vt docet Sotus *lib. 4. de iustit. qu. 6. art. 3. ad finem.*

Poterit quoque acceptare officium, vel beneficium antequam declaretur inhabilis per sententiam: & maximè si ex non suffragando in electionibus, vel ex renunciando officijs ipsi resultaret grauis infamia. Huic etiam sententiæ adhæret Villalob. *in sum. tom. 1. t. 3. diffic. 25. num. 3.* Caspensis noster *tr. de legibus disp. 5. num. 13. & seq.*

8. *Magna controuersia* est, inter Doctores, vtrum pœna conuentionalis debita sit in foro conscientiæ, quando non imponitur pro interesse lucri cessantis, aut damni emergentis; in tres sententias Doctores abierunt. *Prima* enim sententia ait, pœnam conuentionalem debitam esse in foro conscientiæ: quia perinde est, ac si condemnatio interueniisset, cùm pacto se obligarint contrahentes ad soluendam pœnam illam, & nil tam naturale sit ac pacta seruari. P. Nauar. *t. 3. de rest. cap. 2. dub. 10. n. 336. Palud. 4. d. 27. qu. 1. ar. 2.* ait, non teneri resilientem soluere pœnam conuentionalem, donec alius contrahens eam petat, illo tamen petente, statim teneri, nulla iudicis sententia expectata: quia petitio illa in pœna conuentionali, vices habet sententiæ iudicis in pœna legali, quare sicut in hac desideratur sententia iudicis, ita in illa creditoris petitio. Sà *v. pœna num. 1. Molin. tom. 1. tract. 2. d. 97. Secunda sententia.*

Cæterùm quamuis hæ duæ sententiæ sint satis probabiles, probabilius tamen est, non deberi pœnam conuentionalem ante iudicis sententiam, quia intentio contrahentium, & eas pœnas constituentium, nisi aliud verbis exprimatur, ea est, vt per tales pœnas compelli possint ad fidem seruandam, & teneantur ad eas secuta condemnatione. Sanch. *de matrim. l. 1. disput. 37. num. 4. Nauar. cap. 23. num. 67. Gutier. qq. can. l. 2. ca. 20. num. 13. Diana tr. de contra resol. 29. p. 1.* Præterea, quia has pœnas sæpe moderatur iudex, qui debet iudicare, an sint exorbitantes, necne; ergo necesse est, vt, ad earum obligationem inducendam, ipsius sententia accedat.

Vide *Adulterium* num. 2. *Blasphemia* num. 9. *Concubinatus* num. 4. 5. *Iuramentum* 5. num. 1. *Decima* num. 15. *Falsarius* nu. 3. *Hæresis* num. 8. *Ignorantia* num. 17. *Immunitas* num. 15. *Incestus num. 6. 7. Indulgentia* 1. *Interdictum* 3. num. 2. & seq. *Irregularitas* 1. *num. 7. Iudicium publicum* num. 10. *Lex* 4. nu. 7. & seq. *Pauperias religiosa* num. 20. *Schisma* num. 5. *Simonia* 6. *Reus* nu. 17. *Rapius* num. 4. 5. 6. & seq. *Religio* 5. n. 5. *Vsura* 4. *Vsura* 5.

POENITENTIA I.

De Pœnitentia, vt est virtus.

SVMMARIVM.

1. *Vnde dicta sit pœnitentia? & quid sit?*
2. *In quibus conueniat pœnitentia, vt virtus est, cum ea, quæ est sacramentum?*
3. *In quibus differant virtus, & sacramentum pœnitentiæ?*
4. *An pœnitentia sit virtus Theologica, an moralis, infusa tamen dono Dei in animam?*
5. *Quod sit obiectum materiale, & formale pœnitentiæ?*
6. *Quæ sint actus pœnitentiæ interni, & externi?*
7. *Quæ requirantur ad veram pœnitentiam interiorem?*
8. *Quot sint species pœnitentiæ exterioris?*

1. Pœnitentia à pœna dicta est, vt idem sit pœnitere quod pœnam tenere, & pœnitentia sit quasi pœnæ tenentia: vnde *pœnitentia* sumpta pro virtute, nihil aliud est, quàm *dolor animi seipsum affligentis, vel pœnitentis ob malè commissa vel omissa*; *D. August. l. de vera, & falsa pœnit. cap. 19.* hæc autem vox, pœnitentia, quatenus est virtus, dupliciter sumitur, *aut sine dolore* vt in beatis, quos sine dolore pœnitet suorum peccatorum, *vel cum dolore* vt in viatoribus, qui non tantùm nolunt, sed etiam dolent peccasse. Secundùm D. Thom. *3. par. qu. 85. ar. 1. 2. & 3. Layman. l. 5. tr. 6. cap. 1. Nauar. in Manu. cap. 1. n. 10. Candelabr. aureum de Sacram. pœnit. tit. 4. Sylu. 3. par. quæst. 85. artic. 2.* pœnitentia est *virtus inclinans hominem ad detestationem peccati cum efficaci voluntate satisfaciendi Deo per illud offenso*. Et hæc virtus pœnitentiæ, de iure naturali incœpit ab ipso primo omnium parente.

2. *Pœnitentia*, vt virtus est, conuenit in quinque cum ea, quę est Sacramentum.

Primò, quia vtraque est medicina vtilis ad delendum peccatum actuale, & necessaria, si peccatum mortale sit.

Secun-

Secundò, vtraque dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, ita vt prima quidem nauis ſit innocentia ad conſequendam ſalutem, quòd ſi frangatur per peccatum mortale, ab eo liberat ſola pœnitentia.

Tertiò, vtraque verſatur circa eandem materiam nempe peccatum actuale.

Quartò, vtraque requirit idem ſubiectum, nempe hominem adultum, virtus quidem etiam non baptizatum, Sacramentum ſolùm baptizatum.

Quintò, vtraque poteſt iterari, non modò circa idem peccatum, ſæpius videlicet detestando illud, vel aperiendo in confeſſione, verùm etiam circa diuersa, quæ poſt pœnitentiam, & confeſſionem committuntur. Suar. *tom.4.diſput.1.ſect.1. Filliuc. tr.6.c.3.n.3.*

5. In alijs *quinque* differunt virtus, & Sacramentum pœnitentiæ.

Primò, quia virtus ponitur ſub genere habitus vel actus, Sacramentum ſub ligno ſacro.

Secundò, virtus eſt actus internus, ita vt in eo ſolo ſaluetur ratio virtutis, etſi prodeat in externum; at Sacramentum eſt actio externa propriè.

Tertio, virtus eſt pars quædam Sacramenti per ſuum actum, nempe per dolorem, Sacramentum eſt ipſum totum quod præter dolorem, & alios actus, dicit etiam abſolutionem.

Quartò, virtus eſt causa gratiæ per modum diſpoſitionis, Sacramentum per modum cauſæ efficientis, & ex opere operato.

Quintò, virtus eſt de iure diuino naturali, ſi peccatum commiſſum ſit; at Sacramentum eſt de iure diuino poſitiuo, nempe inſtitutione Chriſti, vnde virtus ſemper fuit neceſſaria in omni ſtatu, Sacramentum verò tantùm in ſtatu gratiæ. Plura apud Suar. *c. ſectio 2. Filliuc. c. numero quarto, Bonacin. d. 1. diſputat. 5. qu. 1. punct. 2.*

4. Pœnitentia non eſt virtus Theologica, quia hæc habet pro obiecto Deum, at pœnitentia habet ſatisfactionem pro offenſa, & ſi aliquo modo reſpicit Deum, reſpicit in obliquo tamquam finem cui, ſicut religio cultum Dei: Eſt autem virtus moralis per ſe infuſa, & ſupernaturalis; non poteſt autem acquiri pœnitentia per actus frequentatos, ſicut aliæ virtutes morales, ſed infunditur ſpeciali dono Dei in animam, vnde coniungitur ſemper cum charitate.

Poteſt tamen reduci pœnitentia ad iuſtitiam virtutem Cardinalem, tamquam partem illius potentialem, tum quia eſt ad alium, tum quia per pœnam reddimus Deo aliquam compenſationem. D Thom. *3. par. quæſt. 85. art. 3. Filliuc. c. num. 15. 16. 17. Laym. l. 5. trac 6. cap. 1. num. 3. Suar. t. 4. d. 7. ſect. 1. Sylu. 3. p. d. 85. ar. 1. & ar. 2. quæſit. 1.*

5. *Obiectum materiale* pœnitentiæ vt fugiendum, eſt malum culpæ: deteſtatio enim peccati eſt actus ad quem inclinat pœnitentia, actus autem verſatur circa materiam virtutis: *Aliquo* tamen *modo* obiectum materiale pœnitentiæ poteſt dici malum pœnæ, non vt fugiendum; ſed vt amplectendum, tamquam medium ad deſtruendum peccatum. *Obiectum* verò *materiale* pœnitentiæ, vt amplectendum, eſt aliquod opus bonum, quia ſunt duæ partes iuſtitiæ, declinare a malo, & facere bonum. *Obiectum formale* pœnitentiæ (formale obiectum voco proximum, & intrinſecum eius motiuum quod coincidit cum fine intrinſeco) eſt reſarcire diuinam iniuriam, & velle ſatisfacere pro pœna. Suar. *tom. 4. diſput. 2. ſect. 1. & 3. Filliuc. c. cap. 1. quæſt. 4. & 5. Layman. c. num. 3.*

6. *Actus pœnitentiæ interni* ſunt, qui procedunt à voluntate ſuppoſito actu intellectus ſibi proportionato, & habent regulariter coniunctum etiam actum appetitus ſenſiti, tamquam conſequentem actum internum voluntatis: *Actus* verò *pœnitentiæ externi* propria ratione ſumpti, ſunt ij, qui per facultates exteriores exercentur, & à pœnitentia ſunt imperati: eiuſmodi ſunt actus, quibus expiatur peccatum commiſſum, vt contritio, confeſſio, ſatisfactio, ieiunium, eleemoſyna, oratio, &c. D. Thom. 3. *p. q. 85. ar. 4. Suar. c. diſp. 3. ſect. 1. Fill. c. q. 8. & 10.*

7. Ad *veram pœnitentiam* interiorem ſex partes requiruntur.

Prima, eſt deteſtatio peccati.

Secunda, propoſitum ampliùs non peccandi. *Tertia*, pœna voluntaria. *Quarta*, intentio remouendi ſequelam. *Quinta*, quòd ſit propter Deum.

Sexta, quòd cum ſpe veniæ: & hæc virtus pœnitentiæ primo noſtro Parenti Adamo, atque omnibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinarunt, ſemper neceſſaria fuit ad ſalutem, vt patet in Concil. Trident. *Catech. Roman. p. 290. Siguer. de pœn. §. 4. Sotus 4. d. 14. quæſt. 1. artic. 1. Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. cap. 1.*

8. *Pœnitentia exterioris* tres ſunt ſpecies: *vna* dicitur ſolemnis, *altera* publica *tertia* ſecreta Sacramentalis; *Pœnitentia ſolemnis* eſt illa, quæ olim ſolita erat imponi in primitiua Eccleſia, cuius forma illa erat; Sacerdotes, & alij Clerici portabant ad portam Eccleſiæ magnos peccatores populi in prima die Quadrageſimæ, & erant ibi coram omni populo, & aſpergebant cinerem ſuper capita eorum, induebanturque ſaccis benedictis ad agendam pœnitentiam, &c.

Per hanc pœnitentiam ſolemnem, efficitur pœnitens infamis, ſi eſt laicus ſit etiam irregularis ad ordines ſuſcipiendos: ſi verò Clericus ad maiores ordines ſuſcipiendos: ſed hodie hæc ſolemnis pœnitentia non eſt amplius in vſu. *Pœnitentia publica* duplex eſt, *Prima* iudicialis. *Secunda* ſacramentalis. *Iudicialis* eſt illa, quæ à iudice Eccleſiaſtico in foro Eccleſiaſtico imponitur, vt quando præcipitur alicui ſæculari, eſſe in Eccleſia ſine calceis cum candela accenſa in manu. Sacramentalis eſt illa, quæ imponitur à confeſſore in foro pœnitentiali. Sylueſt. *v. pœn. 1. Armilla. Tabiena ibi.* D. Thom. *4. d. 14. Nau. c. 23. n. 74. Candid. aureum de pœnit. ſolemni, & publica.*

POENITENTIA II.

De pœnitentia vt eſt Sacramentum, de eius inſtitutione, neceſſitate, & præcepto.

SVMMARIVM.

1. *An pœnitentia ſit ſacramentum? & quando inſtitutum? & qua ſint de fide credenda circa huius ſacramenti inſtitutionem?*
2. *An actus pœnitentis, contritio, & confeſſio, ſacerdotisque abſolutio, ſimul ſumpti debeant nomine ſacramenti pœnitentiæ?*
3. *An in ſacramento pœnitentiæ diſtinguatur tria, ſcilicet, res tantùm, ſacramentum tantùm, & res ac ſacramentum ſimul?*
4. *An ſacramentum pœnitentiæ in lege nouæ ſit neceſſarium medium ad ſalutem, in re vel in voto ſuſceptum?*
5. *Quomodo peccatum mortale remittatur per ſacramentum pœnitentiæ in voto?*
6. *An iure diuino teneatur quis peccatum illud confiteri, & recipere abſolutionem, à quo, contritione iuſtificatus eſt?*

1. POenitentia eſt Sacramentum nouæ legis à Chriſto inſtitutum Ioannis 20. cùm inſufflauit, & dixit eis: *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 1. & ſeſſ. 7. can. 3. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, quorum retinueritis retenta ſunt*: his enim verbis habemus tum externam cæremoniam ſeu ſenſibile ſignum abſolutionis; tum etiam promiſſionem gratiæ, ſeu remiſſionis peccatorum legitimæ abſolutioni infallibiliter annexam; vnde *tria* tamquam de fide credenda ſunt circa Sacramenti huius inſtitutionem.

Primum, relictum eſſe à Chriſto in Eccleſia Sacramentum ad remittenda peccata poſt baptiſmum commiſſa. *Secundum*, Sacramentum hoc eſſe diſtinctum à Sacramento baptiſmi. *Tertium*, ſecundùm ritum eſſentialem fuiſſe à Chriſto inſtitutum. Suar. *tom. 4. diſp. 17. ſect. 1.* Laym. *lib. 6. trac. 6 cap. 3. num. 1. Fill. tr. 6. cap. 2. num. 31. Bonac. tom. 1. diſp. 5. qu. 2. punct. 4.* Sylu. *3. par. qu. 84. art. 1. & 7.*

2. *Nomine Sacramenti pœnitentiæ*, intelligi debent partes eius eſſentiales, actus ſcilicet pœnitentis, qui ſunt Contritio, & Confeſſio, & ſacerdotis abſolutio per modum vnius aggregati moralis ad modum entium naturalium: hinc pœnitentia definiri poteſt, *Sacramentum reconciliationis poſt lapſum, in actibus pœnitentis, & abſolutione ſacerdotis conſiſtens*. Vide Suar. *c. diſput. 18. ſect. 2. Filliuc. c. num. 35. Bonac. c. punct. 2. num. 1. Nauar. in Man. cap. 22. num. 11.* & alios.

3. Cum in *Sacramentis* diſtinguant Theologi *tria*, ſcilicet, *rem tantum*, id eſt, effectum vltimum Sacramenti: D. Thom. *3. p. quæſt. 84. artic. primo ad 3* Sylu. *ibi*. *Suar. c. diſput. 18. ſect. 1. Filliuc. c. num. 42.*

Qui per illud fit & significatur, nihil autem facit aut significat, & *Sacramentum tantum*, quod significat & facit gratiæ effectum, non autem fit nec significatur, & *res ac Sacramentum* simul, quod & aliquid significat & causat & ab exteriori Sacramento significatur, & causatur, & ideò vtriusque scilicet rei, & Sacramenti rationem, & denominationem participat. In Sacramento pœnitentiæ *Sacramentum tantum* sunt actus externi pœnitentis, & ministri, quia significant gratiam, & sunt causa non autem significantur: *remissio* autem peccatorum, & gratia quæ ad hunc effectum præstatur, est res tantùm, quia est proprius effectus huius Sacramenti.

4. *Sacramentum pœnitentiæ* in lege noua necessarium mediù est ad salutem non absolutè sicuti baptismus, sed ex hypothesi, si homo baptizatus in mortale peccatum lapsus sit: Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *D. Thom.* 3. *par. qu.* 84. *art.* 5. *Filliuc. c. num.* 44. 45. 46. *& seq.* Laym. *l.* 5. *tract.* 6. *ca.* 3. *num.* 2. Suar. *d.* 17. *sect.* 2. *&* 3. Sylu. 3 *p. qu.* 84. *art.* 5. *Bonac. c. q.* 2. *p.* 3. *n.* 1. Hoc tamen Sacramentum in re sumptum, non est semper medium necessarium ad iustificationem vel remissionem peccati, sed sufficit in re vel in voto, vt ait communis Theologorum sententia, quia veræ conuersioni in Deum per contritionem promissa est remissio peccati; & cùm Sacramentum non possit statim adhiberi, propositum eius sufficit saltem implicitum iuxta communiorem sententiam, quale includitur ex natura rei in amore Dei super omnia, & proposito seruandi omnia mandata in posita institutione, & necessitate huius Sacramenti, vt ait D Th. *d.* 17. *q.* 3. *ar.* 5.

5. *Peccatum mortale* remittitur per Sacramentum pœnitentiæ in voto susceptum, ad eum modum quo in emptione alicuius rei ante solutum integrum pretium dominium, & possessio rei confertur, quamuis tunc absolutè detur, tamen id fit cum ordine ad futuram solutionem, vnde quando hæc postea fit, licet non acquiratur nouum aut maius dominium talis rei; soluitur tamen, & prior contractus in suo ordine completur: sic per contritionem datur remissio peccati in ordine ad futuram confessionem, quasi ad futuram solutionem; vnde cum postea fit confessio completur contractus prior quantùm ex parte nostra potest, & debitum est Suar. *disput.* 17. *sect.* 3. *numero* 6. *Filliuc. c. numero* 47. 48. *Reginald. lib.* 28. *num.* 42. *Vasqu.* 3. *par. quæst.* 84. *art.* 5. *Bonac. c. num.* 3.

6. Qui contritione iustificatus est à peccato mortali, iure diuino tenetur peccatum illud confiteri, & recipere absolutionem, quamuis non statim primo quoque tempore, sed quando instat obligatio, Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. *Concil. Constant. sess.* 8. *Bonac. c. num.* 6. *Filliuc. c. num.* 51. Vnde si quis deliberatè nollet peccata sua in hoc Sacramento detegere, non iustificaretur per contritionem, & peccaret mortaliter, sed de hoc plura *V. Confessio. De materia autem, & forma Sacramenti pœnitentiæ abunde actum est V. Confessio, & V. Absolutio.*

POENITENTIA III.

De effectibus primarijs Sacramenti Pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

1. *Quot sint effectus primarij sacramenti pœnitentiæ? & de primo, qui est remissio culpæ mortalis.*
2. *An aliquando possit remissio peccati mortalis obtineri sine formali actu pœnitentiæ?*
3. *An sit de fide quod vnum peccatum mortale non possit remitti sine alio?*
4. *An commutatio pœnæ æternæ in temporalem sit secundus effectus sacramenti pœnitentiæ.*
5. *An gratia sacramentalis sit tertius effectus sacramenti pœnitentiæ?*
6. *An ablatio reliquiarum peccatorum sit quartus effectus pœnitentiæ?*

1. EFfectus primarij Sacramenti pœnitentiæ, quatuor sunt, *remissio* peccati mortalis *commutatio* pœnæ æternæ in temporalem, *Sacramentalis gratia*, & *ablatio reliquiarum peccatorum*. D. Thom. 3. *par. qu.* 86. *art.* 1, *Suar. tom.* 4. *dis.* 8. *sect.* 1. *&* 2. *Concil. Triden. sess.* 6. *cap.* 14. *Henriq. l.* 4. *cap.* 30. *&* 31. *Sylu.* 3. *par. qu.* 86. *art.* 1. *Bonac. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 1. *p.* 2. *Bellarm. de pœn. cap.* 15. *Conink d.* 2. *de pœn. dub.* 1. *nu.* 7. Quoad primum certum est quòd pœnitentia sit sufficiens ad tollendum peccatum mortale, non modò si semel sed & quoties homo peccauerit; & quòd nullum sit peccatum adeò graue, nec tam multa vt non possint deleri per veram pœnitentiam in hac vita; vt patet Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor*. Hinc patet Deum nemini constituisse, neque certum numerum, neque certum genus peccatorum, quibus positis deneget auxilium ad pœnitentiam: quòd si aliquando dicuntur aliqua peccata irremissibilia, vt peccata in Spiritum Sanctum, sensus est, esse difficilè remissibilia, & requiri magnam gratiam; vt ait Henriq *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 6, non quòd Deus gratiam pœnitenti dare paratus non sit, sed quia homo directè diuinam gratiam oppugnat, qua sola liberari à suo peccato poterat. Vnde nulla est peccatorum magnitudo, aut multitudo, quæ per veram pœnitentiam aboleri non possit. Ratio est, quia nostra pœnitentia nititur meritis, & passione Christi, vt docent Concil Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. & 8. cuius sanguis emundat nos ab omni peccato, 1. *Ioannis* 1. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi; quibus verbis significatur infinita quædam vis passionis Christi ad exhaurienda omnia peccata possibilia. Ex quo sequitur per minimum gradum pœnitentiæ veræ, innumera peccata quantumuis grauissima momento temporis posse deleri, non quidem efficienter, nec formaliter, sed dispositiuè,

2. Quamuis pœnitentia, per se loquendo, necessaria sit secundum proprium, & formalem actum doloris seu detestationis ad consequendam remissionem peccati mortalis: nihilominus aliquando potest remissio peccati mortalis obtineri sine formali actu pœnitentiæ; quia si quis peccata obliuiscatur, vel ea non consideret inculpabiliter, & habeat actum dilectionis Dei super omnia, vt potest, quia cum naturali inconsideratione vel obliuione peccatorum potest esse actualis consideratio diuinæ bonitatis, & alicuius motiui, quod inducat ad diligendum Deum super omnia, consequenter etiam in voluntate erit amor Dei, & per consequens iustificabitur: Extra igitur casum naturalis obliuionis vel inconsiderationis, numquam remittitur peccatum sine formali actu pœnitentiæ: quando autem deest pœnitentia formalis, est necessaria virtualis cum voto istius formalis, ideoque necessarius amor Dei super omnia; vnde sine altero ex his duobus actibus peccatum mortale non remittitur secluso Sacramento, quia in hoc satis est attritio, & secluso priuilegio Martyrij, in quo potest esse satis voluntas sola moriendi pro Christo, quæ est virtualis pœnitentia, vt dictum est V. *Martyrum*. Vide D. Thom. *c. art.* 2. *Nauarr. cap.* 1. *num.* 10. *Med. tract.* 1. *de pœn. qu.* 2. *na* 3. *Suar. c. disp.* 9. *tota sec.* 1. *Filliuc. tr.* 6. *cap.* 4. *qu.* 3. Sylu. *c. ar.* 2. *quæst.* 1.

3. Secundum communem Theologorum sententiam, de potentia ordinaria Dei, & de facto, vnum peccatum mortale non potest remitti sine alio, & hoc est de fide: D. Thom. *c. qu.* 86. *ar.* 4. *Suar. c. a.* 10 *sec.* 1 *Filliuc. c. qu.* 4. *Conc. Trid. sess.* 6. *cap.* 7. *& sess.* 5. *can.* 5. Sylu. *c. art.* 3.

Et ratio in primis est connexio, quam habent omnia peccata mortalia in ordine ad veram contritionem, quia non potest dici vera contritio vnius peccati mortalis quin sit omnium: & idem est de connexione in amore super omnia, nam cum illo non potest esse aliquod peccatum mortale, *qui enim in vno offendit, factus est omnium reus*, quantùm ad priuationem amoris, Henriq. *cap.* 13. *l.* 4. *§.* 8. *Nauarr. cap.* 26. *num.* 11. Sylu. *v. Confessio* 3. *num.* 12.

Vnde licet pœnitentia per se, & directè tantùm deleat peccata confessa, quia absolutio, & sententia iudicialis tantùm cadit in accusationem factam, per accidens tamen, & indirectè ratione gratiæ, quæ vi Sacramenti infunditur, etiam delentur oblita, & omissa ex causa excusante, sed semper remanet obligatio illa subijciendi claues, vt deleantur directè, & per se.

4. *Secundus effectus Sacramenti pœnitentiæ* est, vt remissa culpa mortali de facto, & secundùm legem ordinariam remittat pœnam æternam, & illam commutet in temporalem; hæc verò temporalis pœna non semper tota remittitur. Concil. Trident. *sess.* 6. *c.* 14. neque pars eius certa, sed iuxta contritionis proportionem; quando autem tota pœna non est subtata per primum actum pœnitentiæ, quod superest pœnæ per alios subsequentes actus, & per reliquarum opera virtutum tolli potest. D. Thom. *c. art.* 4. *Suarez disput.* 10 *sec.* 3. *Henriqu. lib.* 4. *cap.* 14. *numero primo c. art.* 4. *Bon. tom. d.* 5. *q.* 6. *sc.* 1. *p.* 4. *n.* 1. *&* 2.

5. Ter-

5. *Tertius effectus* huius Sacramenti est gratia sacramentalis, id est, speciale auxilium diuinæ assistentiæ in eum finem, vt præseruet à peccatis, & facilius homo perseueret in iustitia: fit etiã per eiusmodi gratiam pœnitens humilior, & cautior, & dictis auxilijs roborantur potentiæ eius ad victoriam reportandam à dęmone, qui maximè per hæreticos hoc Sacramentum impugnat, sciens quidquid est pietatis, & Religionis in Ecclesia, magna ex parte ex eo prouenire, D. Thom. 3 *par. qu. 62. art. 2. Sotus d. 1. qu. 3. ar. 2. d. 7. Filliucius c. 9. Henriq. l. 4. cap. 14. n. 3. Bonacina tom. 1. d. 1. qu. 4. p. 5.*

6. *Quartus effectus* pœnitentiæ est tollere reliquias peccatorum ex parte, vt propensiones in praua obiecta relictas ex vitijs, & dat vigorem contra tædium, & fatigationem animi, & corporis ex peccato relictam, & tepiditatem spiritualem: inter effectus etiam connumeratur, quod pœnitentia ante communionem ex præcepto diuino necessaria confert vestem nuptialem, qua disponitur homo ad cœleste conuiuium, ne repulsam patiatur: interdum etiam in viris pijs, qui deuotè confitentur, affert pacem, & tranquillitatem conscientiæ, D. Thom. *c. qu. 86. art. 5.* Concil. Trident. *sess. 14. c. 1. Sotus d. 15. qu. 1. ar. 5. Henriq. c. nu. 3. & 4. Filliuc. c. qu. 10.* Sylu. *c. art. 5.*

POENITENTIA IV.

De effectibus secundarijs pœnitentiæ.

SVMMARIVM.

1. *Quot sint effectus secundarij sacramenti pœnitentiæ? de primo, qui est remissio venialium.*
2. *An peccatum veniale dimitti possit cum de eo voluntas actu vel virtute sibi complacet?*
   Et an ad remissionem venialium requiratur formalis pœnitentia aut virtualis?
3. *An contritio, vel attritio tollat omnia peccata venialia?*
4. *Quomodo, & quando remittantur peccata venialia, cum quibus homo iustus decedit è vita?*
5. *An veniale coniunctum cum mortali remittatur per sacramenta?*
   Et an venialia remittantur ex opere operato per se per sacramenta in homine iusto?
6. *An per sacramentalia remittantur peccata venialia ex opere operato ad modum Sacramentorum?* refertur duplex sententia.
7. *Quot sint sacramentalia?*
8. *An vnificatio operis sacramenti fictè suscepti, sit effectus secundarius pœnitentiæ? & an pœnitentia vnificet etiam alia opera?*
9. *An restitutio in pristinam dignitatem, & merita sit tertius effectus minus præcipuus pœnitentiæ.*
   Quanam opera reuiuiscant per pœnitentiam?
   An homo ita per pœnitentiam restituatur in integrum, perinde ac si non peccasset.

1. TRes *sunt effectus* secundarij Sacramenti Pœnitentiæ.
Primus, est remissio venialium.
Secundus, vnificatio operis Sacramenti fictè susceptí.
Tertius, restitutio in pristinam dignitatem, & merita.

Quoad primum certum est, remissionem peccati venialis esse beneficium gratiæ, nec posse viribus naturæ comparari, sine auxilio Dei gratuito: in subiecto enim remissio venialis supponit gratiam sanctificantem, quæ siue tunc fiat, vt cùm per Sacramenta quis iustificatur, vel extra illa vi contritionis, siue quæ præcesserit, & adhuc maneat quando remittuntur: & quamuis peccata venialia de facto numquam absque gratiæ infusione remittantur, vel eius augmento, per se tamen eam non requirunt; quia gratia habitualis, etiamsi sit valdè intensa, non pugnat cum veniali culpa; ergo non expellit eam sicut mortale. Ita D. Tho. *qu. 87. art. 2. Suar. d. 11. sect. 1. & 2. Sotus d. 16. qu. 2. art. 4.* Sylu. *c. qu. 87. art. 2. qu. 1. Filliuc. tract. 6. cap. 5. qu. 1. & 2. Vasqu. quæst. 87. articulo 3. dub. 2. & 3. Bonacina c. sect. 2. p. 1. Henriqu. lib. 4. cap. 15. num. 3.*

2. Nullum veniale dimitti potest, cùm de eo voluntas actu vel virtute sibi complacet, tunc enim peccat venialiter, quando autem peccatum committitur, illud remitti non potest: formalis autem contritio de peccatis venialibus, licet sit sufficiens ad illa tollenda, non tamen est necessaria, sed sufficit virtualis pœnitentia, quia per hanc reuocamus voluntatem moraliter auersam per peccatum veniale: nomine autem *virtualis pœnitentiæ* intelligitur ille actus, qui est erga Deum ac diuina, vt ob eius excellentiam ac bonitatem tamquam condignam dispositionem, vel omnia vel aliqua deleat ex suæ dispositione sapientiæ: *D. Thom. qu. 87. art. 2. D. Bonau. d. 21. art. 1. qu. 2. Suar. disp. 11. sect. 3. Laymann l. 5. tract. 6. cap. 4. num. 12. 13. Coninck d. 2. dub. 14.* Sylu. *c. qu. 87 art. 1. conclus. 2. Bonacin. c. p. 3. num. 1. & 5. Vasqu. d. 87 art. 1. dub. 1. Henriques c. num. 6.*

Talis est actus amoris Dei super omnia, & quilibet meritorius, si ab operante referatur ad effectum, vt per eum venialis remissio obtineatur, si autem actus amoris, licet intensus, & feruens, non tamen extendatur ad omnia, sed ad quædam tantùm venialia grauiora, tunc enim illa tantùm delebuntur non alia, quia eodem modo respectu eorum tunc erit proportionata dispositio.

3. Quæcumque *contritio* tollit respectiuè omnia peccata venialia, id est, illa de quibus habetur; vnde si sit vniuersalis de omnibus, omnia tollet: *Attritio* autem in peccatore non est sufficiens ad delenda venialia: at in iusto probabile est venialia peccata tolli per solam attritionem, imò & per contrarium propositum, vel per actum virtutis repugnantem aliquo modo veniali peccato, & excludentem complacentiam illius. D. Thom. 4. *d. 16. qu. 2. art. 2. qu. 4. ad 3.* Suar. *d. 11. sect. 3. num. 11. D. Bonau. d. 21. ar. 1. q. 2. Filliucius c. n. 116.*

Quamuis probabile etiam sit per attritionem non deleri peccata venialia: quia attritio non est actus charitatis, nec debitam habet cum peccatis venialibus oppositionem. Ita Bonacina *cit. p. 3. num. 8.* post Vasqu. *disp. 87. art. 1. dub. 1. num. 6.*

4. Omnia peccata venialia, cum quibus homo iustus decedit, remittuntur quoad culpam in primo instanti separationis animæ à corpore, per actum veræ dilectionis, & contritionis, cùm enim anima decedat in charitate, habet perfectissimam cognitionem sui status, & quia videt habere se etiam venialia, habet actum formalem detestationis illorum, & sic remittuntur, *D. Thom. qu. 7. de malo art. 11. Richard. Paludan. apud Suar. d. 11. sect. 4. Filliucius c. num. 123. Vasq. c. dub. 2. num. 11.* Ita etiam Syluius *cit. art. 1. quæsit. 2.*

3. Peccatum veniale coniunctum cùm mortali remittitur per Sacramenta: imò veniale etiam per se solùm in homine iusto remittitur per Sacramenta ex opere operato: *Suar. d. 12. sect. 1. Henriq. l. 4. cap. 15. Filliuc. c. num. 124. & seq. Bonacina c. sect. 2. p. 1. Vasqu. c. art. 3. dub. 2. & 3. D. Thom. 3. par. qu. 87. art. 3.*

Vnde Sacramenta remittunt venialia etiam absque motu voluntatis per se sufficiente, quia sic etiam tollunt mortale; ad id tamen necesse est, vt homo non ponat obicem, id est, vt accedat sine actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate recipiendi Sacramentum, & effectum eius, in quo continetur quædam virtualis retractatio peccati venialis.

6. Ex communi sententia Doctorum, certum est per Sacramentalia remitti peccata venialia, sicut habet traditio antiqua, & communis fidelium vsus: sed dubium est quomodo remittantur; *quidam* enim *Doctores* dicunt ex opere operato vel immediatè ad modum Sacramentorum supposita dispositione, quod scilicet, non sit complacentia contraria, & homo vtatur piè ac religiosè huiusmodi rebus, vel mediatè excitando actum sufficientem, vt attritionem, vel alium bonum motum; hæc sententia est satis probabilis, quia videtur magis pia, & conformior decretis Patrum, & hanc tenent Victor. *de pœnit. num. 110. Sot. 4. d. 15. q. 2. art. 3. Ledesm. 1. p. 4. q. 28. ar. 3.*

Alij verò generaliter negant sacramentalibus efficaciam ex opere operato, quia Ecclesia non habet potestatem instituendi causam, quæ possit hunc effectum ex opere operato conferre, vel quia etiamsi habeat, non constat de tali institutione, hæc sententia est etiam probabilior & tutior, quam tenent D. Tho. *4. d. 16. qu. 2. art. 2. Alens. 4. par. qu. 65. membr. 3. art. 4. Suar. d. 12. sect. 2. Filliuc. trac. 6. num. 129.* Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 4. num. 17.* Sylu. *c. artic. 3. Bonacin. c. sect. 2 p. 2. num. 4.* & multi alij apud ipsos.

7. *Sacramentalia* nihil aliud sunt, quàm remedia quædam ab Ecclesia instituta, quibus solet attribui effectus remissionis venialium; numerantur autem nouem.

Primò, aqua benedicta, quæ habet eximios effectus. *Secundò*, panis benedictus. *Tertiò*, actio quædam facta, vt quæ fit ante baptismum, & dum consecrantur manus sacerdotis, caput Episcopi, aut regis vncti. *Quartò*, benedictio Episcopalis vel Abbatis consecrati. *Quintò*, confessio generalis, & tunsio pectoris.

Sextò, ingressus in Ecclesiam consecratam, vel oratio facta in illa. *Septimò*, oratio Dominica. *Octauò*, auditio Missæ.

Nonò, audire concionem sacram. D. Thom. *quæst.* 87. *art.* 3. Sotus 4. *d.* 15. *qu.* 2. *art.* 3. Henriquez *lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 8. Filliucius *c. num.* 127. Suares *disp.* 12. *sect.* 2. Reginaldus *lib.* 5. *num.* 43. Bonacina *c. num.* 1.

8. *Secundus effectus* secundarius pœnitentiæ est, quod viuificat opus Sacramenti rectè susceptì: verbi gratia, si baptismus vel confirmatio, vel alia Sacramenta, excepta Eucharistia, rectè recepta fuit, cum remittetur rectè per pœnitentiam, tunc Sacramenta operantur effectum suum, & ita viuificant opus Sacramenti vnde tunc *dicitur gratia* hominis confertur, *altera* vi Sacramenti præcedentis rectè vel informiter susceptì, *altera* ratione pœnitentiæ. *Nauarr. cap.* 3. *num.* 5. *Filliuc. c. num.* 131. 132. *Henriquez libro primo de pœnitent. c.* 16. §. 2. *Bonacina tomo primo d.* 5. *quæst.* 5. *sect. prima p.* 4. *num.* 17. 18. *& disput.* 6. *quæst.* 1. *p.* 5. *numero* 13.

Præterea pœnitentia viuificat etiam alia opera, ea nimirum quæ sunt speciali ratione operis Christi, vt est *Primo* pœnitentia à confessario iniuncta.

Secundo satisfactio Missarum, vel in offerentibus, vel in ijs pro quibus offeruntur.

Tertiò indulgentiæ: hæc enim opera omnia, licet fiant in peccato mortali, sunt tamen valida ad satisfaciendum, & obtinendum pro viuis effectum propitiationis pœnæ temporalis, non autem tunc illum consequitur quando quis est in peccato mortali, sed dicitur reuiuiscere, quando per pœnitentiam homo resurgit. Hæc opinio est probabilis, sed non certa. Vide *Bonacinam citat.*

9. *Tertius effectus* minus præcipuus pœnitentiæ est, in primam virtutum dignitatem restituere; & primò quidem virtutes intus restituit, hæc enim gratum comitantur, deinde opera bona, per peccatum mortale mortificata reuiuiscunt, non ex sola misericordia vel iustitia, sed ex vtraque virtute simul: viuificantur autem non ad solum accidentale præmium, sed ad proprium, & vt vocant, essentiale: redeunt verò secundum totum primum valorem, siue sit intentio eadem, siue per remissionem contrito eadem qua resurgit, siue in Sacramento, siue extra illud, D. Thom. 3. *part. qu.* 89. *Suarez ibi, & opuscul. de reuiuiscent. disp.* 1. *& 2. sect.* 3. *Henriquez lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 5. *Filliuc. tract.* 6. *c.* 6. *per totum, num.* 21. *Vasquez 1. 2. disp.* 221. *c.* 5. *& 6. Bonac. tom.* 1. *d.* 5. *q.* 6. *sect.* 2. *p.* 4. *Sotus d.* 22. *a.* 2. *p.* 1. *Medina de pœnit. q.* 8. Sylu. *t. p. q.* 89. *ar.* 2.

Neque verò eiusmodi gratia meritis mortificatis debita, summam dispositionem exspectare debet vt tribuatur, sed in ipso viuificationis instanti, hæc dispositio sit intensa, hæc remissa tota confertur: Vnde si vt semper ad maiorem gratiam homo resurgat, tam & prioris gratiæ cumulum accipit, & nouum eius gradum dispositionem quam resurgit proportionatum.

Non ita peccata remittuntur (dimissaque Deo benignitas est) redeûnt, cùm denuò quis peccat, sed tantum imperfecto quodam modo redire dicuntur, quatenus eadem gratiæ priuatio redit, & pœna ob acceptati beneficij ingratitudinem maior, & hanc opinionem probabilem vocat Sylu. *ut.* quamuis illa, quam tradit D. Thom. *qu.* 89. *art.* 2. nequaquam vt improbabilis reijcienda sit, sed velut probabilis sustineri possit, dicendo quòd homo post pœnitentiam non semper resurgit in æqualigratia, & virtute. Sed probatur superior assertio ex scripturis Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam &c. omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor*: atqui si Deus auferret pœnam tantum essentiale, vel minueret in æternum peccata pristina puniret, & sic videretur maximè recordari. Deinde Ezech. 33. *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua*: atqui plurimum noceret, si vel multum, vel parum detraheret pristinis meritis. Ioel 2. *Conuertimini ad me in toto &* [illegible] *vobis annos quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca*, hoc est restituam vbertatem meritorum vestrorum. Vide supra tibi Glossa.

Petes *primò*, quænam opera reuiuiscant? Respondeo omnia, & sola quæ aliquando vixerunt, nempe opera supernaturalia iustorum, quibus Deus promisit vitam æternam.

Itaque opera solis naturæ viribus facta, aut opera peccatorum supernaturalia, vt gr. fides, spes, attritio, ieiunia, eleemosynæ, &c. quamuis multas habeant spirituales vtilitates, nihil tamen faciunt ad meritum aut satisfactionem apud Deum, iuxta illud 1. ad Corinth. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Dices, satisfactio à confessario iniuncta, si expleatur in peccato mortali, postea reuiuiscit, ergo opus mortuum potest reuiuiscere.

Resp. antecedens esse dubium, sed eo admisso negatur consequentia; quia in opere satisfactorio duo considerantur actiones, vna Christi quatenus satisfactio est pars Sacramenti, altera hominis, qui eam perficit in peccato mortali, hæc non reuiuiscit, quia nunquam habuit vitam, illa reuiuiscit, quia tantùm fuit impedita ex hominis indispositione.

Petes *Secundò*, an homo ita per pœnitentiam restituatur in integrum, perinde ac si non peccasset. Respondeo ita videri apud Deum, excepta innocentia, & virginitate: nam virginitas requirit inexperientiam libidinis; innocentia consistit in non peccasse, quæ cùm facta sunt, infecta fieri non possunt.

In Ecclesia verò non semper restituitur homo in pristinam dignitatem, vt constat ex multis Canonibus apud D. Thom. 3. *p. quæst.* 89. *artic.* 3.

POSSESSIO.

Possessor.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit possessio? & quotuplex.*
2. *Quid sit possessio facti?*
3. *Quid possessio iuris?*
4. *Triplex possessio recensetur, Naturalis, Ciuilis, & Mixta.*
5. *Quot modis acquiratur possessio?*
6. *An iuris fictione acquiratur aliquando possessio sine apprehensione corporali?*
7. *An legum dispositione interdum transferatur possessio, absque vlla apprehensione?*
8. *Quomodo possessio iurium, & seruitutum acquiratur?*
9. *Quot modis possessio amittatur?*
10. *Qui sint effectus possessionis?*
Et per quem debeat dari possessio beneficij?

1. POssessio dicitur à pedum positione, nam per pedum positionem supra bona immobilia, quæ sunt potissima, vt super agrum, vel fundum solet acquiri possessio: *L.* 1. *ff. de acquir. vel amit. possess. Layman. lib.* 3. *sect.* 5. *trac.* 1. *cap.* 7. *num.* 1. *Becanus trac. de iustit. cap.* 2. *qu.* 15.

Tribuitur autem hoc nomen interdum ipsis rebus possessis, quo pacto dicuntur possessiones: sed modò accipimus pro *actu*, vel *iure possidendi*: vnde *actus possidendi* dicitur *possessio facti*, *ius* autem *possidendi* dicitur *possessio iuris*.

2. Possessio facti est *detentio rei corporalis, vel apprehensio, administrante corpore, & animo, & iure*; ita Sylues. *v. dominium q.* 2. *Molina de iust. tom.* 1. *trac.* 2. *d.* 12. *Couar. ad reg. possessor. p.* 2. *initio, num.* 2. *Lessius lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 40. *Layman c. num.* 2. 3. *& 4. Becanus c. concl.* 2. *Malaerus de iust. & iur. tract.* 1. *c.* 3. *dub.* 6. ex qua definitione patet.

Primò, quòd ad possessiones requiratur ordinariè *apprehensio*, quæ est inceptio possessionis, *detentio* deinde est continuatio.

Secundò, dicitur *rei corporalis*, quia huius propriè dicitur possessio. res autem incorporeæ, vt iurium, beneficiorum, & huiusmodi dicitur quasi possessio.

Tertiò, dicitur *administrante corpore*, quia vt rem aliquam incipias possidere, debes eam aliquo modo corporaliter apprehendere, vel manibus, vel pedibus, vel oculis, siue per ipsum, siue per procuratorem, siue per seruum.

Quartò, dicitur *administrante animo*, quia debet eam apprehendere animo possidendi: vnde depositarius non dicitur possidere depositum, quia non detinet illud animo retinendi.

Quintò, dicitur, *& iuris*, quia ius facit vt talis detentio sufficiens sit ad constituendam possessionem, nec impedit quo minùs censeatur possessio, sicut impedit ne detentio rei sacræ à laico, dicatur possessio.

3. Possessio iuris est *ius insistendi alicui rei tamquam suæ, non pro-*

Digitized by Google

prohibita poſſideri. Dicitur *ius*, vt excludatur poſſeſſio facti, quæ formaliter eſt ipſa occupatio, & detentio, vnde hoc ius oritur, ſi iuſta fuerit. Bartolus *in l.1. ff. de acquirenda poſſeſſione. Couarr. c. num.3. Fulgin. tr.31. cap.3. num.83. Leſſius c.num.41. 42. Becanus de iuſt. & iure c.2. q.15.*

Quòd ſi illa detentio fuerit iniuſta, non oritur ex ea ius in conſcientia ſed tantum in foro ciuili.

Secundò dicitur, *inſiſtendi rei*, vt excludatur dominium, quod per ſe, & formaliter eſt ius perfectè diſponendi de re. Hoc verò ius in eo ſitum eſt; quòd poſſeſſor poſſit tam pacificè tenere, & iuris remedijs, & interdum etiam armis tueri aduerſus perturbantes.

Tertiò dicitur, *tamquam ſua*, quia ſi quis inſiſtat rei alterius, alter poſſeſſor erit. Vnde tutor non eſt poſſeſſor bonorum pupilli, nam pupillus poſſidet per tutorem, ſic etiam poſſum aliquid poſſidere per alium, procuratorem, ſeruum. Vt autem poſſideam per alium, requiritur vt ille habeat animum rem detinendi pro me: ſi enim intendat pro ſe detinere, id eſt, tamquam ſuam, non poſſideo per illum, quia non meo nomine retinet; excipio tamen ſeruum, & filium nondum emancipatum. Hi enim cum ſint eius conditionis, vt non acquirant ſibi, acquirunt Patri, & Domino, etſi hunc animum non habeant.

Quartò dicitur, *non prohibita poſſideri*, quia nemo poteſt habere ius poſſidendi contra iuris diſpoſitionem, v.g. poſſidendi res ſacras, locum publicum, ius decimarum ſi laicus ſit.

4. Etſi varijs modis diuidi poſſit poſſeſſio, nimirum vel pro diuerſitate titulorum (quo pacto dicimus rem aliquam poſſideri pro empta, pro donata, pro legata, id eſt, titulo emptionis, donationis aut legati, vel ratione bonæ, & malæ fidei; vſitatiſſima tamen eſt ea diuiſio qua in *ciuilem*, *naturalem*, & *mixtam* diuiditur. *Azor. 3. par. lib. 1. c.31. q.3. Filliuc. c.n.84. Leſſius c.dub.10. Becanus c.q.16. Malder. c.dub.7.*

Ciuilis eſt, quæ ſolo animo retinetur. Quamuis enim initio, vt incipias poſſidere, requiratur adminiculum animi, & corporis, tamen, vt poſteà retineas & continues poſſeſſionem, ſufficit animus retinendi rem: nec deſiſtendi à poſſeſſione: hoc modo poſſidet is qui abeſt à rebus ſuis. *Naturalis* eſt, quæ corpore ſimul & animo poſſidetur, vt quando quis occupat rem vt ſuã: poteſt hæc naturalis coniungi ciuili, vt quando quis per ſe vel per alium eſt præſens rebus, quas ciuiliter poſſidet; tunc enim dicitur ciuiliter, & naturaliter poſſidere. *Mixta* eſt, cùm quis corpore, & animo iuſte, & accommodatè iuri ciuili rem habet.

5. Poſſeſſio tribus modis acquiritur. Ita Gomez. *in legem 45. Tauri n.5. l.3. ff. de acquir. poſſeſſ. Becanus c.q.17. Filliucius c. num.85. Molinaeus c.dub.8. Primò*, *Apprehenſione vera*, *apprehenſione ficta*, *legis diſpoſitione*.

Apprehenſio vera eſt, quæ fit manibus vel pedibus: hæc eſt neceſſaria, quando acquirenda eſt poſſeſſio earum rerum quæ dominum non habent, vt ferarum gemmarum, theſaurorum, inſularum, fluminum, hæreditatis relictæ; vel quando quis etiam clam, vel vi poſſidere vult, vel denique ſi alius rem poſſideat, qui tibi nolit poſſeſſionem tradere, debes eam verè apprehendere, vt poſſideas. Niſi forte authoritate iudicis ea tibi eminus oſtendatur, & ficto animo tradatur.

6. *Iuris verò ſictione* acquiritur ſine apprehenſione corporali, multis modis; & hæc apprehenſio ficta locum habet, quando res habet poſſeſſorem, à quo tradatur; vel quando loco poſſeſſoris authoritate iudicis traditur. Azor. *c.cap.32. Gomezius c.n.55. Leſſius c.dub.11. Molinaeus c.diſp.13.*

Primò, ſi antiquus poſſeſſor tradat alteri, cui vult poſſeſſionem cedere claues domus, in qua ſunt merces tradendæ.

Secundò, ſi tradat alteri ſcripturam vel inſtrumentum vt conſtet de titulo, quo rem poſſidet.

Tertiò, ſi antiquus poſſeſſor è loco remoto vel propinquo oſtendat prædium, dicatque ſe illius poſſeſſionem tradere, alius autem accipiat, tunc enim dicitur oculis apprehendere ſucceſſionem. Plures modos vide apud *Azor. Leſſium, & Becanum.*

7. *Legum diſpoſitione* interdum transfertur poſſeſſio, abſque vlla vera, vel ficta apprehenſione, ſi leges ita ſtatuunt, Couarru. *l.3. var. c.5. num.6. Leſſius c.n.48. Filliuc. n.87.* Quia modus acquirendæ, & amittendæ poſſeſſionis, iuri humano ſubiacet, quod poteſt ſtatuere varios modos, prout magis videtur expedire Reip. pro diuerſitate rerum & prouinciarum, & hæc dici ſolet à Doctoribus ciuiliſſima poſſeſſio, quia fit ſola legis ciuilis diſpoſitione, abſque vllo animi vel corporis adminiculo, etiam neſciente eo, qui incipit poſſidere.

8. *Poſſeſſio iurium*, & *ſeruitutum* duobus modis acquiritur. *Couarr. reg. poſſeſſor. 2. par. initio à §.8. Leſſius c.num.49. Filliucius c.num.88. Becanus c. concluſ.4.*

Primo, vſu iuris tamquam ad ſe pertinentis, ſciente, & ferente eo, ad quem pertinebat: concedere, vel prohibere.

Secundò, miſsione in agrum, in quo quis ſeruitutem vult conſtituere, & alterius profectione eodem animo: verùm in his omnibus ſpectandæ ſunt conſuetudines regnorum, & prouinciarum, quæ admodum ſunt variæ.

9. Poſſeſsio rerum mobilium, tum ciuilis, tum naturalis amittitur, *l. Poſſidere, ff. de acquir. poſſeſſ. l. Pomponius, ff. ibidem, Becan. c.q.18. Leſſius c.dub.12. Azor. c.cap.34.*

Primo, ſola voluntate poſſeſſoris nolentis eam amplius poſſidere.

Secundo, per furtum aut rapinam alterius.

Tertio, ſi alterius cuſtodiæ ſubſit, qui eam incipiat detinere tamquam ſuam.

Quarto, per fugam, ſi ſint animalia, vel per amiſsionem rei, v.gr. boriæ, annuli: poſſeſsio tamen ſeruî, & ancillæ non amittitur per ipſorum fugam.

Quinto, ſi ſit rerum immobilium non amittitur poſſeſsio, niſi poſita ſcientia, & patientia prioris poſſeſſoris. Multos alios modos recenſent *Azorius, Becanus, & Leſſius*, quos conſule.

10. Priuilegia poſſeſsionis bonæ fidei, hæc ſunt. *L.3. ff. de vi, & vi armata, L.1. C. vnde vi, & Capitulum, de reſtit. ſpoliat. Laym. c.num.8. Filliuc. c.num.90. Molina c.diſp.16. Becanus c.quæſt.19. Malderus c.dub.9.*

Primo, parit præſcriptionem, & facit vt res, quæ non eſt tua, elapſo tempore certo fiat tua, & omnes fructus percepti.

Secundo, In iudicio parit præſumptionem dominij.

Tertio, poſſeſſor poteſt armis ſuam poſſeſsionem, non ſolùm naturalem, ſed etiam ciuilem tueri.

Quarto, Poſſeſſor expulſus poteſt armis ſuam poſſeſsionem repetere, modò id fiat confeſtim & non ex interuallo.

Quinto, poteſt quis acriùs ſuam poſſeſsionem tueri vim vi repellendo.

Sexto, Si Dominus rei iniuſtè expellat poſſeſſorem à poſſeſsione, amittit dominium, & applicatur expulſo: ſi autem non ſit Dominus, tenetur reddere poſſeſsionem expulſo, & inſuper æſtimationem eius. Ita *L. Si quis in tantam, Cod. vnde vi*, quæ videtur non eſſe ampliùs in vſu, vt docet *Couarr.*

Sed peres *Primo*, per quem debeat dari poſſeſsio beneficij; Reſpõdeo iure pertinere ad Archidiaconum *Cap. ad hæc, de offic. Archidiac.* vel ad Decanum *Cap poſt dict. de conceſſ. præbend.* tamen hodie per quemcumque capitur, ſiue Notarium Apoſtolicum, ſiue Regium, vel per Notarium ab Epiſcopo creatum; imò etiã per Clericum vel Sacerdotem. Rebuffus *in For. dimiſſ. in poſſeſſ. num.11. & 13.*

Secundo, An quis per ſeipſum poſſit eam capere? Reſponſio eſt negatiua.

Ratio poteſt eſſe, quia inter agens & patiens debet eſſe differentia. Rebuffus *de requiſit. in lit. col. n.21.*

Tertio, an requiratur inſtrumentum, vel ſufficiat ſcriptura priuata, & teſtium depoſitio? Reſpondetur quod non, ſed ſufficit ſcriptura priuata, trino teſte ſignata, quæ æquiualet inſtrumento: imò etiam per teſtes. Rebuffus *c.n.4.*

Quarto, quomodo probetur poſſeſsio? Reſpond. probari per inſtrumenta, ſcripturam priuatam tribus teſtibus munitam, & per teſtes.

Quinto, quid fieri debet ab accipiente poſſeſsionem? Reſp. per ingreſſum Eccleſiæ, aquæ benedictæ aſperſionem, oſculum Altaris maioris, ſonum campanæ. Rebuffus *c.n.17.*

De Poſſeſsione, vide *Dubium*, *Fructus*, *Precarium num.2.* *Præſcrip.* 1. num.2.3. *Beneficium* 7. num.3. *Reſtitutio* 2. *Reſtitutio* 4. num.5.6. & ſequent.

PRECARIVM,

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit precarium?*
2. *Quæ requirantur ad ſubſtantiam contractus precarij? & quæ ſit differentia inter commodatum, & precarium?*
3. *Ex qua culpa teneatur qui precaria accepit, & habet?*
4. *Quot modis precarium finiatur?*
5. *An precarium finiatur concedentis morte?*

Vel

Vtí conceſſum non ad tempus finitum, repetatur conceſſum, quouſque non reuocetur?

6. *An ex precario conceſſo ſimpliciter, & abſolutè oriatur ciuilis actio qua repetatur.*

7. *An precarium differat à precaria, & precarijs.*

1. PRecarium ſecundùm Iuriſconſultum, *eſt quod precibus petentis viendum conceditur, tamdiu, quamdiu is qui conceſſit, patitur*, id eſt, *non reuocauerit*: *L.1. ff. de precario. Azor.3. par. lib.7. de precario cap.1. Layman l.3. trac.4. cap.14. Leſſius lib. 2. cap.27. dub.1. numero quarto, Caramuel l.2. Theolog. moral. numero 625.*

Conſtituit hic contractus in eiſdem rebus, in quibus commodatum; poteſt enim precario concedi res mobilis, res ſe mouens, & res immobilis: Iura item ſeruitutis, tum vrbanæ, tum ruſticæ, precario dari poſſunt.

2. Ad *ſubſtantiam* contractus precarij pertinet, *Fillincius trac.34.1. par. cap.9. num.197. 198. Nauarr. cap.17. num.182. Bonac. de contract. d.3. quæſt.15. Leſſius c.num.4. Reginald. l.25. numero 450. & alij de contract. diſp.298. Azor. c. cap. ſecundo qu.2.*

Primo, conſenſus dantis, & recipientis. *Secundo*, traditio, in ea enim perficitur.

Tertio vtris qui dat precario, poſsit repoſcere rem datam, quando voluerit; & in hoc *differt* à commodato; nam *commodatum* datur ad certum vſum, & ad certum tempus expreſſum vel tacitum, *precarium* non ita; precarium tamen non poteſt ſtatim reuocari niſi ſuperueniat aliqua rationabilis cauſa, alioquin præſumeretur donus in concedente: imò pactum ne is qui dedit poſsit repetere ante certum tempus, eſt nullum, quia eſt contra ſubſtantiam & naturam precarij; nec contraria conſuetudo quicquam poteſt efficere: *L. & habet, §. cum quis, ff. de precar. & L. precaria, ff. de precario*. *Poſſeſſio* autem *ciuilis* rei precariò datæ, manet apud dominum illius, *naturalis* verò eſt penes accipientem: *Porro* precarium poteſt conſtitui etiam inter abſentes, dummodò res tradatur.

3. Qui precariò accepit & habet, ſolùm tenetur ex dolo, & lata culpa non autem ex leui vel leuiſſima culpa: *L. contractus, ff. de regul. iur.* Sylu. *v. precarium quæſt.2.* Azor *c. cap.2.* Layman *c. num.5.* Quia licet in contractibus, qui ſolùm fiunt cauſa recipientis, obligetur is qui accipit ex leuiſſima etiam culpa, ab hac tamen regula generali excipitur precarium, quoniam etſi ſolùm ſit ad vtilitatem accipientis, reuocari tamen poteſt ad nutum eius qui dedit

4. *Precarium* quatuor modis ſoluitur, ſeu finitur, Couarruu. *l.3. var. cap.15. num.1.2. & 3. Molina c. diſp.298.* Azor. *c. cap.3. Bonacina c. num.5.* Layman *c. num.5.*

Primo, obitu eius cui datum eſt; eſt enim beneficium in perſonam eius, qui accipit, collatum, ac proinde cum perſona extinguitur.

Secundo, voluntate eius qui conceſsit. *Tertio*, finito tempore ad quod res eſt precario data. *Quarto*, quando is qui precarium conceſsit, rem precariò datam alienauit; tunc enim niſi voluntate noui domini res eadem maneat penes eum, qui ab initio precariò poſsidebat, finitur & tollitur precarium. Quidam tamen volunt precarium nec morte concedentis, nec pura morte recipientis ſolui, ſed mera voluntate concedentis: vnde quando recipiens moritur, ſi concedens non repetat, videtur illud concedere hæredi: & ſi concedens moriatur, & hæres non repetat, videtur illud iteratò concedere. Ipſe enim concedens moraliter ſumptus non moritur; nam in hærede moraliter viuit, hoc eſt, ita ſe habet ac ſi realiter viueret. Hanc ſententiam ſolidè probat Caramuel *lib.2. Theolog. moral. n.683. & ſequent.* cuius rationes ſunt à Iuriſperitis expendendæ.

5. Quando *precarium* conceditur non ad tempus finitum, repu atur conceſſum quouſque non reuocetur, aut pœniteat concedentem; *L.2. §.1. ff. de precar. L.4. ff. locat. Conar. c. num.2. Fill. c. num.202.203.* vnde ad hoc vt finiatur, neceſſe eſt reuocari per contrarium actum concedentis; *quando* autem ad tempus certum neceſſarius eſt idem actus contrarius, vt ceſſet ante id tempus, *L.1. & 2. ff. de precar.* Azor. *c. cap.3.* Molina *c. numero 8.* Bonacina *c. num.5.*

Quando verò conceditur aliquid ad beneplacitum concedentis, vel interim dum concedens voluerit, tunc finitur morte concedentis: *abſolutè* tamen loquendo precarium non finitur concedentis morte, quia precarium datur vt eo vtatur is qui accipit, donec voluntatem reuocauerit, qui conceſsit, ſed voluntas morte reuocata non cenſetur.

6. Ex precario conceſſo ſimpliciter & abſolutè, nulla oritur ciuilis actio, qua repetatur, ſed tantùm repoſcitur interdicto de precario: *L. interdum, ff. de precar. L. & habet, §. cum qui, ff. de precar.* Azor. *c. qu.2.* Ex precario autem dato, expreſſa conditione vt redderetur, quando repeteret is qui dedit, oritur actio quæ dicitur (*præſcriptis verbis*) quæ ciuilis eſt, ſed innominata: quod ſi datum ſit ex ſtipulatione, tunc repetitur actione ciuili quæ dicitur [*ex ſtipulatu*.

7. *Precarium* differt à precaria, & precarijs; *precaria* enim ſunt res precibus petentium datæ ad vſum ſed quinto quoq; anno repetuntur, ſeu reuocantur, niſi earum traditio renouetur. Hoſtiensis *in Summa tit. de precarijs*. Azor. *c. qu.3.* Filliucius *c. num.205.*

Precaria eſt res precariò data ad vſum alicuius donec moriatur.

Precarium eſt res conceſſa alicui ad vſum, quæ repeti poteſt ab eo qui conceſsit, quando voluerit.

De Precario vide v. *Locatio* 1. num. 1.

PRÆCEPTVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit præceptum?*
   Et an differat à mandato, & conſilio?
2. *Quotuplex præceptum fuerit in lege veteri? & modò in Euangelica?*
3. *An ſit differentia inter præceptum, & legem?*
4. *An per ſolum actum humanum, & liberum impleri poſſit præceptum tam diuinum, quam humanum?*
5. *Qualis intentio exigatur ad ſatisfaciendum præceptis?*
   Et an obligationi ſuſtitiæ ſatisfiat abſque animo illi ſatisfaciendi?
6. *An ſatisfiat præcepto quando expreſſim adeſt voluntas, & intentio non ſatisfaciendi præcepto per illud opus?* refertur duplex ſententia.
7. *An peccet mortaliter, qui intentionem habet non ſatisfaciendi præcepto, per opus aliàs à ſe præſtitum?*
8. *An poſſit ſatisfieri præceptis per actus, qui peccata ſunt?* refertur duplex ſententia.
9. *An vnico actu poſſit diuerſis præceptis ſatisfieri?*
10. *An tranſgreſſio operis duplici præcepto imunitis ſit duplex culpa, aut contineat circumſtantiam in confeſſione explicandam?*
11. *An poſſit vno, & eodem tempore diuerſis actibus duplici præcepto ſatisfieri?*
12. *An quando duo præcepta incompatibilia concurrunt, violandum ſit quod minus obligat?*
13. *Quid faciendum quando attentis omnibus circumſtantijs, vis maior neutrius præcepti incompatibilis non conſtituerit?*
14. *An præcepta Decalogi ſint iuris naturalis?*
15. *An præceptum ſuperioris de re leui obliget ad mortale?*
16. *An modus operis præcepti, cadat ſub præcepto?*

1. PRæceptum de mente D. Thom. 1.2. *qu.99. art.1. & qu.100. art.9. & 2.2. q.44. art.1. Syluſtri v. præceptum. Sylu. 1.2. q.99. ar.5.* eſt *motio ſuperioris aut legis imperatiua alicuius faciendi vel omittendi ex debito*, id eſt, *ex neceſſitate ſalutis*; Vnde *differt à mandato*, quia illud eſt motio ad aliquid melius, ſed non ſub neceſsitate ſalutis; deinde propriè præceptum per ſe facit præcipiens; *mandatum* verò per aliud. *differt* etiam à conſilio, *tum* quia conſilium ad præceptum vt ad finem ordinatur, *tum* quia conſilium non eſt de neceſſarijs ad ſalutem, niſi ſecundùm præparationem animi, ſi oportet, *tum* quia præceptum eſt motio imperatiua, conſilium verò ſuaſoria.

Tum quia præceptum ſemper eſt ſuperioris. Conſilium verò non tantùm ſuperioris, ſed etiam paris, aut inferioris.

Tum quia præceptum obſeruatum habet præmium, non obſeruatum habet pœnam. Conſilium autem ſi nõ ſeruetur nullam habet pœnam, & ſi ſeruetur maius habet præmium.

2. *Præceptum* in lege veteri fuit triplex, ſcilicet, *morale*, *iudiciale*, & cæremoniale, de quibus diffusè & pulcherrimè, D. Th. 1.2. *qu.99. & ſeq.* Sylueſt. *quæſt.1.* Tolet. *l.4. cap.9.* Filliuc. *tract. 21. cap.7. num.257.*

Morale autem in genere eſt duplex, ſcilicet *affirmatiuum*, quod mouet ad aliquid faciendum, vt honora patrem, & ſemper

præ obligat ad illud faciendum, sed non ad faciendum semper, sed in tempore ac loco determinato. Et *negatiuum*, quod scilicet monet ad aliquid non faciendum, vt non furaberis, quod obligat semper & ad semper omittendum.

Præceptum item duplex est, diuinum, & humanum. Diuinum illud est, quod à Deo immediatè factum est; qualia sunt præcepta Mosaica, & Euangelica: & diuiditur in naturale, & positiuum.

Præceptum naturale est, quod sic à Deo est, quod naturæ hominis sit insertum, ita vt ratio hominis illud attingat. Huiusmodi sunt decem præcepta decalogi.

Præceptum verò diuinum positiuum est, quod datum est à Deo, sed ratio hominis illud non attingit, nisi priùs per reuelationem aliquam ei manifestetur.

Huiusmodi fuerunt in veteri testamento præcepta cæremonialia, & iudicialia; & in Euangelio sunt præcepta fidei, & Sacramentorum.

Præceptum humanum est, quod ab homine per potestatem sibi à Deo datam, proficiscitur.

Et est duplex, ecclesiasticum, & sæculare. Ecclesiasticum est, quod à potestate Ecclesiastica fit, nimirum à Papa, Concilio, Episcopo, vel aliquo Ecclesiastico Prælato. Et dicitur Canonicum à Canone, qui significat regulam. Sæculare autem seu Ciuile est, quod a potestate sæculari est tantum, nimirum ab Imperatore, vel Rege, vel Duce, vel alio Principe, aut Republica, aut communitate, aut aliquo alio superiore.

Rursus præceptum humanum est duplex, pœnale, & non pœnale, seu purum. Pœnale est, quod pœnam præcepti transgressori constituit. Non pœnale, seu purum, quod tolum præcipit, aut vetat. Præceptum pœnale iterum est duplex, purè pœnale, & mixtum. Præceptum purè pœnale est illud, quod nec præcipit, aut vetat, sed tolùm pœnam irrogat his, qui certum aliquid faciunt, vel omittunt. Præceptum verò mixtum est, quod non solùm aliquid fieri iubet, aut prohibet, sed etiam pœnam transgressori irrogat. Ita Authores citati supra *v. Lex 1. n. 2.*

3. Quodcunque præceptum de singulari bono non habet rationem legis, nisi secundùm ordinem ad bonum commune, hoc est quando omnibus commune est: hinc præcepta patrisfamilias in aliqua domo, non habent vim legis, sed præcepti tantùm; quia non habent vim in totam ciuitatem, & communitatem. D. Tho. *1. 2. q. 90. ar. 2. Vasq. 1. 2. disp. 151. cap. 3. num. 15. 16. 17. Sylues. v. mandatum q. 3. Angelus, Armilla. Nau. l. 1. tr. 4. c. 1. n. 5. Sylui. 1. 2. q. 90. ar. 2. concl. 1.*

Quid autem referat legem esse commune præceptum, non particulare; est maxima obseruanda *differentia*, quia *mandatum* aut præceptum finitur morte præcipientis: *lex* autem donec à tuccessore, vel consuetudine abrogetur, perseuerat: *ratio* verò *differentiæ* ex natura ipsius præcepti, & legis sumpta videtur; nam lex fertur à Principe nomine totius Reip. semper permanentis, & ideò ipsa etiam manere debet; cùm autem alicui imponitur præceptum singulare à Principe vel à superiore, ipse Princeps illud imponere videtur, non tam ipsius Reip. nomine, quàm suo, vt curam illius gerat, cumque mortis cura Principis cesset, ipsa morte, præceptum illius etiam cessat.

4. *Nullum præceptum* siue diuinum, siue naturale, siue humanum impleri potest, nisi per actum humanum, & liberum, quo quis velit efficere id, quod præceptum iniungit verbi gratia, est opus velle audire sacrum in die festo, &c. *Vasq. 1. 2. q. 100. ar. 9. n. 2. 3. & 8. Azor. t. 1. l. 7. c. 2. q. 6.*

Quia cùm præceptum hominibus imponatur, non brutorum more, sed humano modo implendum est; atque idem exigi dicendum est, ad implenda vota, iuramenta, pœnitentiam Sacramentalem, quia de his omnibus eadem est ratio, *Less. l. 2. c. 37. num. 67. Arag. 2. 2. q. 83. ar. 13.*

Hinc deducitur, recitantem horas licet attentissimè, sola legendi vel addiscendi voluntate, non satisfacere præcepto, quia id non est orare, cùm voluntas orandi defuerit; Sanch. *l. 1. mor. c. 13. n. 4. Vasq. num. 8.*

Similiter si quis non sui compos, sed ebrius aut dormiens recitaret, aut sacro interesset, non satisfaceret; quòd non audierit vel recitauerit actu humano: Suar. *tom. 3. disp. 88. sect. 3.*

Item qui omninò inuitus sacro interesset vel ieiunaret, non impleret præceptum, quia vbi est ea coactio, deficit voluntas audiendi sacri: Az. *t. 1. l. 10. c. 1. q. 9. Sot. l. 2. q. 3. ar. 9. col. 3. Sylui. 1. 2. quæst. 100. ar. 9. concl. 3. Laym. l. 1. tract. 4. cap. 4. num. 9. Bonac. tom. 2. disp. 1. q. 1. p. 10.*

Qui tamen metu quamcumuis graui impleret præcepta, illis satisfaceret, quamuis enim peccet voluntatem non implendi habens, si in sua omnimoda libertate esset, ac cùm metus non tollat, sed solùm minuat libertatem, illa impletio est actus humanus & liber ac proinde illa satisfit præcepto.

5. Licet ad præcepti impletionem exigatur intentio, & voluntas operis præcepto iniuncti exequendi, verbi gratia, audiendi sacri; at non exigitur intentio satisfaciendi præcepto per id opus; quare qui præcepti immemor, aut ignorans esse diem festum, sacro interesset, verè id præceptum impleret: Valent. 2. 2. *disp. 6. qu. 2. punct. vlt. Andrad. tom. 1. Sum. cap. 128. Suar. c. d. 88. sect. 3. Henriquez l. 9. c. 15. num. 6. Azor. tom. 1. l. 7. cap. 2. qu. 6. Fagund. præcep. 1. lib. secunda, cap. 7. num. 14. Vasq. t. 2. quæst. 100. ar. 9. num. 5. Diana tract. 6. miscel. resol. 68. per. 3. Sylues. 1. 2. quæst. 100. ar. 9. conclus. 3.*

Imò secundum *Suar.* non est necessarium, vt postea cum diè festum esse nouit, satisfacere per Missam auditam velit: quia præcepta id solum iniungunt, vt ponè, & voluntarie actu humano opus per ea iniunctum exequamur; non autem vt quis peculiari alio voluntatis actu, & in actu signato velit etiam præcepto satisfacere, cùm tamen ibi ea obligatio inueniatur; præcepta enim non obligant ad obedientiam formalem, sed materialem, nempe, vt fiat quod præcipitur, quamuis non fiat propterea quod præcipitur. Præcepta negatiua tamen impleri possunt secundum omnes, sine vlla intentione, & voluntate; quia cùm hæc præcepta non requirant aliquam actionem, procul dubio impleri possunt absque vlla intentione; nam eo ipso quòd quis furtum non committit, implet præceptum non furandi. Præcepta verò affirmatiua cum requirant actionem liberam, impleri non possunt absque voluntate.

Sed inquires, an qui fecit pœnitentiam ímpositam à confessario absque intentione illam adimplendi, imò cum intentione contraria, teneatur illam denuò facere; Affirmat Valq. *t. in opusc. de beneficijs cap. 4 §. 1. ar. 3. dub. 7. d. 117.* Quia satisfactio est pars Sacramenti, sed omnia Sacramenta exigunt in adulto, vt validè recipiantur, intentionem, & voluntatem recipiendi: ergo cùm satisfactio sit pars Sacramenti, non potest habere valorem in subiecto non solùm non consentiente, sed dissentiente, & resistente positiuè vel per voluntatem contrariam. Verùm tamen est talem non teneri denuò facere pœnitentiam. Tum quia cùm pœnitentia ex quodam consilio præcepto debeatur, idem de illa, quod de alijs præceptis sentiendum est.

Tum quia non semper requiritur intentio in suscipiente Sacramentum eo tempore quo fiunt omnia, quæ componunt Sacramentum: vnde dolor qui est pars Sacramenti, potest haberi absque memoria præcedente recipiendi Sacramentum.

Sic etiam dici potest de satisfactione; nam illa postea non fit à pœnitente tanquam à Ministro operante, nomine Christi, sed solùm fit ex obligatione, & debito propter sententiam, & præceptum præcedens confessarij: ad hoc autem vt fiat aliquid ex debito, & obligatione, non requiritur, vt fiat ex animo satisfaciendi illi debito: vnde licet pœnitens in ieiunio non recordetur pœnitentiæ impositæ, adhuc satisfacit ieiunando ex deuotione; nec opus erit, vt mutetur ea intentio, sed satis est scire per illud opus impletam esse pœnitentiam. Ita Sanch. *lib. 1. moral. cap. 13. num. 17. Diana p. 6. tr. 6. resol. 43. Lugo de pœnit. disp. 25. sect. 3. n. 37.* & alij infrà citati *n. 6.*

Sed dubium est, an obligationi iustitiæ satisfiat, absque animo illi satisfaciendi, hoc est, an qui titulo donationis, vel eleemosynæ aliquid alicui tradit, non datum eo titulo sed titulo iustitiæ ad extinguendum debitum, si debitum cognouisset, satisfaciat obligationi iustitiæ, qua tenebatur. Resp. Secundùm probabiliorem sententiam negatiuè.

Ratio est, quia obligationes iustitiæ, neque contrahuntur neque soluuntur, nisi dependenter à voluntate contrahentium, quæ in hoc casu ratione oblationis, & incogitantiæ ponitur non fuisse: iustitia enim obligat ad seruandam æqualitatem, æqualitas autem non seruatur, dum res traditur, non vt debita, sed animo donandi. Ita Ludouic. Lopez *de contract. c. vlt. Sanch. lib. primo moral. cap. 13. num. 11. Salas de legib. disp. 9. sect. 2. nu. 35. Bonac. de leg. disp. 1. qu. 1. punct. 10. num. 13.*

His tamen non obstantibus contrarium admittitur tanquam probabile à *Diana p. 5. trac. 13. resol. 94. & p. 7. trac. 10. resolut. 19.* ex doctrina *Nicol. Baldelli in Theolog. moral. tom. 1. l. 3. disput. 25. num. 18.*

Negari enim, inquit, non potest quin etiam in materia iustitiæ possit sufficere ad illius obligationes tollendas intentio generalis, & implicita, quæ de facto habetur ab vnoquoque satisfacien-

ficiendi omnibus suis obligationibus, quibus absolutè potest satisfacere per vnamquamque suam actionem.

Neque oblitio, & incogitantia huius, vel illius obligationis specialis potest tollere, aut impedire voluntatem generalem, & implicitam satisfaciendi omnibus, quæ habentur, sed solùm tollit, aut impedit voluntatem specialem & explicitam satisfaciendi huic, aut illi obligationi in specie, vt ex se patet: & ideò in casibus potuis obligationes iustitiæ dicendæ sunt verè tolli dependenter à voluntate eorum, quæ per illas sunt obligati, &c. Ita ille. Cuius sententiæ subscribit Pasqualigus *dec.* 455. in decis. moralibus.

Et secundùm hanc sententiam intentia implendi quamcumque obligationem, semper videtur haberi, saltem generaliter, & semper potest præsumi ab vnoquoque, quando non constat de intentione contraria: ad cautandum enim voluntarium sufficit voluntas interpretativa: quamuis tutius sit explicitè animum habere omnibus obligationibus satisfaciendi.

6. *Aliqua controuersia* est inter Doctores, quando expressim adest voluntas & intentio non satisfaciendi præcepto per illud opus, an adhuc satisfiat; vt si quis ex deuotione in die festo sacrum audiat, expresse intendens non satisfacere obligationi per id sacrum, vere implet præceptum, *Communis sententia* negat hunc satisfacere. & ait teneri aliud sacrum audire, quia actus non operantur vltra agentium intentionem; & debens centum non satisfaciet totidem donans; & huius sententiæ sunt Azor. *lib.* 7. *cap.* 2. *qu.* 6. *l.* 10 *cap.* 8. *qu.* 7. *Roarig. c. cap.* 124. *num.* 2. *Henriq. l.* 9. *cap.* 25. *num.* 6. Sylui. *c. art.* 9. *concl.* 3. & alij multi apud Sanchez. *Suar. tom.* 3. *d.* 88. *sect.* 3. *Arragon.* 2. 2. *qu.* 83. *art.* 15. *Vasq. qu.* 100. *art.* 9. *Less. lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 59. & *ca.* 46. *dub.* 6. *num.* 42. *Sanch. l.* 1. *cap.* 13. *num.* 13. & 14. *D. Ant. qu.* 3. *trac.* 6. *Miscell. resol.* 6. & 77. *Fagund. præcep. l.* 1. *lib.* 2. *cap* 7. *num.* 14. *Bonacina de leg. disput.* 1. *qu.* 1. *p.* 10. *numero* 19. *Caspensis trac. de leg. disp.* 3. *sect.* 5. *num.* 62. & *seq.*

Quamuis hæc sententia sit valdè probabilis, *contraria* tamen, nempe hunc implere præceptum, ab alijs merito probabilior videtur; quia nullus præceptum transgreditur, eò quòd nolit id ad quod præceptum non obligat, sed præcepta non obligant ad habendam intentionem illis satisfaciendi; non ergo violantur habita contraria intentione, scilicet, non satisfaciendi: *Præterea* regula illa à contrarijs citata, vera est, quando ex agentis intentione pendet implere per illum actum, cuius contrarium hic cõtingit. *deinde* per donationem acceptatam vt donationem, non satisfit debito iustitiæ, secus si tanquam debiti solutio acceptaretur intendendo, vt alter obligatione iustitiæ liberaretur. Suarez tamen, & *Lessius* temperant, vt intelligatur hæc sententia dummodò exequens opus cum intentione non satisfaciendi præcepto, non persistat in ea intentione, sed voluntatem mutet tempore opportuno, id est; intra obligationis præcepti tempus, & velit per opus præcedens satisfacere præcepto; verùm iure optimo alij neoterici hanc voluntatis mutationem non desiderari affirmant, vt præceptum impleatur, sed sufficit si illam conscientiam deponat eorum se satisfecisse.

7. Quamuis iuxta prædictam sententiam præcepto satisfaciat, qui intenti non non habet satisfaciendi, peccat tamen mortaliter secundùm Sanch. *c. numero* 11. *Bonac. c. num.* 20. non contra illud præceptum speciale, illud enim tantùm obligat ad exercendum actum humanum opus iniunctum, sed contra præceptum naturale diuinum, quo tenetur quisque subiectus esse legi, & legislatori: vnde virtute dicti generalis præcepti, tenetur non persistere in ea praua voluntate, etsi transactum sit tempus illius præcepti implendi. Quamuis Suar. *t.* 3. *de Sacram. d.* 88. *sect.* 3. & *Laym. l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 4. Putent talem affectum ad peccatum, esse peccatum eiusdem speciei, cum ipso peccato actualiter cõmisso. Vide eumdem Suarez *l.* 3. *de leg. cap.* 13. & *tom.* 2. *de relig. cap.* 26 *num.* 12.

8. Quidam Doctores negant per actus, qui peccata sunt, satisfieri præceptis, vt si quis ob vanam gloriam vel ob mulierem concupiscendam Missæ interfit. *Adrian. Maior. D. Antonin.* apud *Sanch. cap.* 14. *num.* 1.

At tamquam certum tenendum est, satisfieri, quia leges præcipiunt substantiam actus, non modum, nisi modus sit de intrinseca actus ratione secundùm se, aut prout sub lege cadit; vt attentio aliqua est de orationis essentia: quantumcumque ergo finis sit malus, impletur substantia actus præcepti, etsi contra aliud peccetur, cui malus ille finis opponitur: D. Thom. 1 2. *qu.* 100. *art.* 9. & 10. *Nauarr. cap.* 21. *num.* 7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 6. *q.* 1. Suarez 4. *tom. d.* 38. *sect.* 8. Syluius 1. 2. *qu.* 100. *art.* 9. *concl.* 3. Idem dicendum de pœnitentia Sacramentali, voto & iuramento facto Deo, quod de reliquis præceptis. Ita etiam *Caspensis noster eus sect.* 6.

9. Res est certa apud Doctores, posse vnico actu diuersis præceptis satisfieri; vt vnico ieiunio potest satisfieri voto, & pœnitentiæ sacramentali, & præcepto ieiunij, si ieiunium alicuius Vigiliæ voueatur, ac imponatur in pœnitentiam obligato aliàs ad ieiunandum: Medina *Cod. de satisf. qu.* 4. & 7. *Sanch. libro primo moral. cap.* 22. *num.* 5. & 6. *Diana tract.* 6. *Miscell. resolut.* 86. *part.* 3.

Ratio autem *differentiæ* inter realia iustitiæ commutatiuæ debita, & legalia, vt voti, legis, pœnitentiæ iniunctæ, est, quòd in illis aqualitas rei ad rem attendatur, & ideò cùm vnum debitum nequeat pluribus satisfactionibus esse æquale, nequit vnica solutione debitis satisfieri. Hæc autem ex legislatoris intentione pendent intentio autem legis, voti, pœnitentiæ possunt in vnum, & idem opus tendere: *Clauis regia lib.* 6. *cap.* 3. *numero* 22. *Azor. lib.* 11. *cap.* 14. *qu.* 1. *l.* 1. *Nauarr. cap.* 26. *numero* 23. *Henriqu. l.* 5. *cap.* 19. *num.* 5.

Notandum tamen est, quando aliquid alicui imponitur pro pœnitentia Sacramentali, quando aliud ex mente confessoris nõ colligitur, minimè satisfacturum pœnitentem per opus aliàs debitum, sed intelligitur de voluntario; quia mens confessarij in satisfactionem opera imponentis, in dubio interpretanda est de operibus voluntarijs, quando opus non est alligatum diei, in qua aliud præceptum concurrit, & nili ex circumstantijs rationabiliter credatur noluisse confessorem adeò grauare pœnitentem, tunc enim meritò credi potest fuisse intentionem, vt per opera alias debita satisfaceret, vt ait *Suar. tom.* 4. *d.* 37. *sect.* 6. *numero* 5. *Henriq. l.* 5. *cap.* 19. *num.* 5.

10. Quamuis idem opus duplici præcepto iniunctum sit, non subinde erit duplex culpa, aut continebit circumstantiam in cõfessione necessariò explicandam eius transgressio, vt si Missa omittatur in die festo incidenti in Dominica, Azor. *tomo primo lib.* 4. *cap.* 2. *Clauis regia, lib.* 1. *cap. quinto numero* 14. & 15. *Vasques* 1. 2. *d.* 98. *numero* 8. *Henriqu. l.* 5. *cap.* 5. *numero* 6. & *c.* 6. *num.* 6. *Diana de circumst. resolut.* 22. *p.* 1. *Sanch. disp.* 11. *numero* 17. *in selectis*.

Quia præcepta hæc sunt de eadem materia, & ob idem virtutis motiuum, sed tunc erit duplex culpa quando de eadem materia sunt, & ad diuersas pertinent virtutes, vt si omittatur Missa debita ex die festo. & pœnitentia iniuncta; vel ex eadem virtute ob diuersum eius motiuum, vt si sit debita ratione festi, & voti, vel ratione voti, & iuramenti. *Sanch. c. cap.* 14. *numero* 10. *libro primo moral.* Imò nec multiplicatio eiusdem vinculi efficit, vt transgressio sit duplex culpa, aut circumstantiam necessariò confitendam habeat, vt voti multiplicatio. Vide verb. *Circumstantia* num. 14. §. 3. & *Peccatum* 4. n. 5.

11. Potest vno, & eodem tempore, diuersis actibus duplici præcepto satisfieri, quando vnum non impedit aliud; quòd nullibi temporum diuersitas præcipiatur: vnde secundùm vniuersos fere Doctores, potest quispiam tempore quo Missam in festo præceptam audit, recitare Horas Canonicas, vel quascumque alias preces, ad quas ratione ordinis, voti, aut pœnitentiæ iniunctæ tenetur; similiter qui duplicem Missam audire tenetur, potest eas simul audire, dum eæ simul in duplici Altari celebrantur, quia potest vtrique corpore esse præsens, & vnica attentione ad Deum habita satisfacere. Nauarrus *cap.* 23. *numero octauo*, *Caspensis tomo primo trac. de peccat. disp.* 2. *sect.* 3. *numero* 18. *Suarez tomo quarto d.* 38. *sectio.* 6. *numero quinto*, *Valent.* 2. 2. *d.* 6. *quæst.* 2. *punc. vltim. Sanch. c. numero* 11. & 12. *Diana* 4. *p. tractat.* 4. *resolut.* 107.

12. Quando *duo præcepta* incompatibilia concurrunt, est violandum quod minus obligat, & sic minus malum est eligendum, si malum dici potest, quia in hoc euentu non est malum, sed bonum id præceptum transgredi; regulariter autem omne præceptum naturale diuinum, & diuinum positiuum obligat magis, quàm humanum: cùm sit superioris præceptum: *Vasques* 1. 2. *disp.* 66. *cap.* 1. & *cap.* 4. *numero* 23. *Azor. tomo primo, li.* 2. *cap.* 18. *qu.* 4. *Medina* 1. 2. *qu.* 19. *art.* 6. *qu.* 4. *concl.* 4. *Sanchez libro primo cap.* 10. *numero* 16. 17. 18. *Diana p.* 4. *tr.* 3. *resolut.* 70. *Granado* 1. 2. *contr.* 2. *tr.* 11. *disp.* 6. *num.* 8.

Insuper naturale diuinum plus, quàm diuinum positiuum: insuper præcepta primæ tabulæ, plus quàm præcepta secundæ, & negatiua plus, quam affirmatiua, & præcepta altioris virtutis, pluſquam inferioris: tamen posset euenire ob materię vnius præcepti paruitatem, & alterius magnitudinem vel propter maius

boni

boni communis periculum, quod ex inferioris præcepti transgressione imminet, vt hoc magis obliget.

13. *Quando* attentis omnibus circumstantijs, vis maior neutrius præcepti incompatibilis constiterit, vtrumuis eligi potest; quia vtrumque impleri nequit, & neutrius maior est ratio, vt alteri præponatur: Medina *c.conclus.4. Cordub in qq.lib.3. quæst. 5.post 2.propos.fit.Granado c.disp.6.n.8. Idem dicendum* est, quando minus graue, est certius, nec apparet an ea certitudo maiori alterius grauitati præponderet: *Si autem* exiguus inter illa duo præcepta excessus repetiatur, sola venialis culpa erit, leuius seruare, omisso grauiori; quia ea materiæ paruitas à mortali excusat.

14. *Præcepta decalogi*, secundùm communem Theologorum sententiam, sunt iuris naturalis; vnde quamuis eiusmodi præcepta in veteri lege sint tradita, semper tamen manent: non enim morte Christi sublata sunt: sed non manent vt præcepta veteris legis, sed quatenus sunt præcepta legis naturalis. *Theologi in 3. d.37. D.Thom.2.2.qu.122.artic.1. Azor.3.par.libro primo cap.3. quæst.2. Fulsuc.tractat.27. cap.1.numero 1. 2. & 3. Syluius 2.2. qu.122.art.4.*

Scendum tamen est tertium Decalogi præceptum de Sabbato colendo, partim cum cæteris conuenire, partim differre: *differt* quidem, quia reliqua præcepta naturalia sunt, & ideò perpetua, nec mutari, nec tolli vllatione possunt; *at præceptum* de Sabbati cultu, si statutum tempus spectetur, non fixum & constans est, sed mutabile, quia non ad mores iuris naturalis, sed ad cæremonias diuinitus in veteri lege institutas pertinet; hinc diem Sabbati in d em Dominicum Apostoli mutarunt: Conuenit idem præceptum cum reliquis præceptis Decalogi non ritu, & cæremonijs, sed quia aliquid habet, quod ad naturæ mores & ius attinet, Dei enim cultus, qui hoc præcepto continetur, à naturæ iure existit.

15. *Præceptum superioris* de re leui non obligat ad mortale, etiamsi qui præcipit id velit & iubeat in virtute S. Obedientiæ; *Valent.1.2. a.7.qu.5.punct.6. Sa v.præceptum num.1. Clauis reg. l.3. cap.7.num.4. Azor.tomo primo libro quinto cap.6.q.5. Syluius 1.2 qu.96.art.4 q.3.concl.3. Caramuel in regul.S.Bened.num.94.*

Quia quando materia exigua est, attentis omnibus circumstantijs, illius obligationis est incapax, & voluntas superioris taliter præcipientis rationi dissona est, nec refert siue materia præcepti sit partialis, siue totalis, quando enim totalis est, si adhuc sit parua, non obligabit ad mortale: quæ autem dicenda sit materia leuis quæ grauis? Ité an superior circa materiam grauem obligare tantùm possit sub veniali? Vide v. *Lex* 4.n.5.

16. Dubitari hic posset, an modus operis præcepti, cadat sub obligatione? aduertendum est, primò aliud esse implere legem seu præceptum, quoad substantiam operis, aliud quoad modum. nam qui semel in die comedit cibos non prohibitos, præstat id quod præcipitur, lege ieiunij Ecclesiastici, etiamsi alioquin se inebriet, aut cibum intemperanter sumat; at verò modum non seruat, qui in actu virtutis requiritur, nempe vt fiat cum omnibus circumstantijs requisitis ad actus honestatem.

Vnde pro responsione ad dubium, dicendum est, finem & habitum non cadere sub legis obligationem; vt habet communis sententia: ratio prioris est, quia præcepta non dantur de fine, sed de medijs; neque enim imperator præcipit militibus victoriam, sed pugnam in ordine ad victoriam: vnde est illud vulgatum, finis præcepti non cadit sub præceptum.

Posterior pars probat. quia habitus comparatur ex actibus multiplicatis, qui ordinariè requirunt diuturnitatem temporis, vnde impossibile est ab initio operari ex habitu acquisito. D. Th. *1.2.qu.100.art.9. Suarez de leg.lib.3.cap.29. Sanchez libro primo moral.cap.14. numero primo. Salas de leg.disput.9. sect.2. numero 34. Layman libro primo tract.4.cap.4. Nauarrus in Manual. cap 21. num.7.*

De præcepto vide ver. *Abbas* num. 10. *Abbatissa* num.4. *Lex* per totum.

PRÆDICATIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit prædicatio & prædicator?*
2. *Qui possint prædicare?*
3. *An religiosi in Ecclesijs sui ordinis, & in parochijs, vel alijs Ecclesijs possint prædicare?*
4. *An sit mortale prædicare sine legitima licentia?*
5. *An peccet mortaliter prædicans in statu peccati mortalis?*
6. *An prædicare sit actus ordinis sacri, aut officium diuinum?*
7. *An religiosi Mendicantes debeant examinari ab Episcopis ad prædicandum in alienis Ecclesijs?*

1. PRædicatio propriè est sermo publicus quantum ad locum, & generalis quantum ad intentionem ex consuetudine habentis certam formam; puta, quod prædicans habeat gradum distinctum, quoad locum; vt sumat thema, inuocet Spiritum sanctum, & huiusmodi: vnde exhortatio facta in scholis disciplinatorum, & Ecclesijs monialium, clausis ianuis, & sermones qui fiunt in refectorijs religiosorum, vel ad clerum, & qui fiunt literaliter, vel quocumque alio modo ex intentione dirigantur, determinatè ad certum genus personarum, etiam in loco publico, prædicationes non dicuntur. *Prædicator* autem dicitur, qui iure communi, vel priuilegio prædicationis officium prosequitur. *Syluester verb.prædicatio.*

2. *Prædicare* possunt, *Syluest.c.quæst.1. Primò* Papa, & quilibet cui ipse commiserit.

Secundò, Episcopus etiam in alterius diœcesi, nisi prohibeatur à diœcesano: ex commissione autem Episcopi possunt Archidiaconi, & Diaconi.

Tertiò, omnes Prælati Ecclesiastici, si sint Diaconi, quantum ad subditos suos, non autem alijs, nisi approbante aut priuilegiante Episcopo, & sub nomine Prælati intelligitur etiam curatus sacerdos.

Quarto, ex commissione possunt omnes Clerici tam sæculares, quàm regulares, modò sint Diaconi. Non licet verò prædicare laico, nec mulieribus publicè, etiamsi sit Abbatissa, licitè tamen adhortantur; nec religiosis quantum ad infideles, nisi de licentia superioris, & auctoritate Sedis Apostolicæ; imò nec quoad fideles, nisi quantum ad hoc sint priuilegiati, quia hoc officium est curæ.

Ex concessione tamen *Pauli III.* facta Patribus Societatis in Bulla, *Cùm inter cunctas*, anni 1545. quilibet ex Societate, qui ad hoc idoneus repertus fuerit, & per Præpositum deputatus, etiàsi sacris ordinibus non sit initiatus, gaudet facultate prædicandi Verbum Dei; munus enim concionandi, non est ita annexum aliquo iure diuino vel humano ordini Diaconatus, vt propterea limitanda sint vniuersalia verba Pauli III. ad solos Diaconos, quia prædicandi munus propriè non est actus alicuius ordinis. Ita ex Suar. *de relig.tomo quarto lib.9.cap.1.num.11.& 12.* hic citato.

3. Religiosi cuiuscumque ordinis sint, de licentia suorum Prælatorum, & petita benedictione ab Episcopo, licet non obtenta, possunt prædicare in suis Ecclesijs, ac in plateis, & communibus locis, nisi ipsemet Episcopus velit ibidem vel in suis Ecclesijs prædicare, aut coram se prædicari facere: *Concil.Trid.sess. 25.cap.2.sess.24.cap.4.de reformat. Rodriq.tom.3. qu.32. art.1.& 5. Compend.priuileg.Mendicantium, absolutio quoad facul. Capucin.* In parochijs verò, & alijs Ecclesijs, requiritur expressa sui superioris & Episcopi licentia. *Diana 4.par.tract.4.resol.22. Portel ver.Prædicatores num.2. Peyrinis tomo primo qu.1 q.22. Nauarr. cap.25.num.141.*

Quidam tamen viri docti tenent, Parochum posse dare licentiam religioso notoriè docto concionandi bis, terve in sua Parochia sine Episcopi approbatione, & Patres Societatis, necnon communicantes eorum priuilegijs, approbati ab vno Episcopo, habent dum itinerantur, facultatem vbique prædicandi, non contradicente Parocho proprio, nisi adsit ibi Episcopus loci, à quo tunc licentia petenda esset, ex concess. *Greg.XIII.*

4. *Mortale* quidam putant, prædicare sine legitima licentia, & huius sententiæ est *Cauet. in Summa v. Prædicatorum peccata. Nauar.cap.25.num.141.& 142. Sa v.Prædicare.* Certum verò est, mortale esse, si quis prædicet valdè inutilia, aut scienter falsa in fidei doctrina vel morum, vel miraculis, aut vita Sanctorum, & si quis detrahat Prælatis vel sacerdotibus, eos nominando vel æquiualenter dicendo, præsertim quò laicis placeat: *non esset autem mortale* prædicare ob vanam gloriam aut pecuniam principaliter; nisi gloria aut lucrum sit vltimus finis.

Non est autem dubitandum de regularibus sine licentia Superiorum suorum prædicantibus, quin peccent mortaliter. Tum quia Concil. Trident. *sess.5.cap.2.* præcipit, quòd regulares nisi à superioribus de vita, & moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint, in Ecclesija etiam suorum Ordinum prædicare non possint.

Tum

Tum qua in Bulla Leonis X. in Concil. Later. relata à Quaranta *in Sum. Bull. verb Prædicator.* Excommunicantur excommunicatione Papali ipso facto prædicantes sine licentia suorum Prælatorum: cùm autem excommunicatio supponat peccatum mortale sequitur. Regulares absque suorum Superiorum licentia in suorum Ordinum Ecclesijs prædicantes, peccare mortaliter; præterquam quod faciunt contra votum Obedientiæ in re graui. Ita *Reginald. l. 18. num. 130. Zerola in praxi, verb. Prædicatio num. 2. part. 1.*

De sæcularibus verò prædicantibus sine licentia Episcopi cõmunior sententia est illos peccare mortaliter: quia prædicantes sine licentia possunt excommunicari, ex *cap. excommunicamus, § nec verò, de haret.* Excommunicatio autem secundùm communem sententiam supponit peccatum mortale, ergo illi peccant mortaliter. Vnde immeritò pro contraria sententia citor nouissimè à Diana *par. 8. tr. 7. resol. 11.*

Nota etiam esse Regulares, alias habentes licentiam prædicandi, rationabili existente causa a suis Superioribus suspendi à dicto munere, pendent enim à voluntate ipsorum ratione obedientiæ. Sic tamen suspensi si nihilominus prædicauerint, licet mortaliter peccent, propter transgressionem præcepti Superiorum in graui materia, non tamen sunt irregulares, quia prædicatio non est actus alicuius Ordinis.

5. Prædicator qui fungitur officio suo in peccato mortali occulto, secundum communem sententiam, non peccat mortaliter. Suar *tom. 3. disp. 16. sect. 3. Valentia tom. 4. disp. 3. q. 5. punct. 3. Sylu. 3. par. qu. 64. a. 6. qu. 1. concl. 9. Sotus in 4. dist. 2. qu. 5. art. 6. Caietanus in Sum. v. prædicator. peccata. Diana de Sacrament. resolut. 19.*

Quia nullum est præceptum diuinum, aut humanum, quo quis teneatur concionari in gratia, & quamuis hoc munus maximè pertineat ad pastores animarum, quia ratione officij, & iurisdictionis ex diuino præcepto habent hanc curam, & obligationem, vt significat Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* non tamen est proprie actus alicuius ordinis, sed actio quædam honesta, quæ ex suo genere pertinere potest ad charitatem, seu misericordiam ac prudenter exerceri potest a peccatore sine nouo peccato mortali: quia actus prædicandi non est peculiariter consecratus, nec assumitur à Deo, vt sit instrumentum nostræ sanctificationis.

Nota tamen hæc esse intelligenda per se: nam per accidens, fieri potest, vt prædicator peccet mortaliter: *Primo* ratione scandali, si peccatum eius est publicum: nam sic Verbum Dei fit quodammodo contemptibile, & inefficax.

Secundò, propter contemptum, vt si quis parui faciens Verbum Dei, & fructum eius, pro nihilo ducat, in eo statu prædicare. *Tertiò*, ex modo prædicandi, si abutatur verbo Dei, tamquã profana declamatione. Et in his casibus posset habere locum sententia D. Thom. 4 *d. 19. qu. 2. art. 2. Caiet. 2. 2. qu. 187. artic. 3. Nauar. cap. 21. num. 141. Angelus ver. prædicator, numero septimo*, & aliorum asserentium esse mortale, prædicare in peccato mortali.

6. Cùm *prædicare* non sit actus ordinis sacri, nec officium diuinum prohibitum interdicto aut suspenso à diuinis, vnde excommunicati possunt audire concionem, & lectionem sacram: possunt etiam legere sacras lectiones *Cresponsa, de sent. excommun. Nauari, cap. 27. num. 176. Caiet. 2. 2. qu. 187. art. 1.* Ita etiam Syluius *c. concl. 9.*

7. Dubium est, an ex vi Trident. Episcopus debeat examinare Regulares, si prædicare velint in alienis Ecclesijs? Responsio est negatiua, quia hoc examen in Concil. Trident. *sess. 5. c. 2.* non committitur Episcopo loci, sed superioribus Ordinum quibuslibet respectu suorum: nec, vt Regulares prædicare possint in Ecclesijs Diœcesanorum, præter examen, & approbationem Superiorum, examen aut approbationem ipsius Diœcesani requirit; sed tolam eiusdem licentiam, quam gratis concedere iubetur. Quapropter sicut Regulares non tenentur se subijcere examini Episcopi, neque etiam Episcopus iure id exigere potest à Regularibus, & contra dispositionem Concil. Trident. facit, si tantum, quia fratres nolunt se eius examini subijcere, non vult eis dare licentiam prædicandi in sua Diœcesi. Ita noster *Cronst. ad cap. 9. reg. 5. Franciscus sect. 1. Mirand. in Manuale primo q. 50. ar. 2. Dian. p. 3. artic. 2. resolut. 111. Peyrinus de prim. tom. 3. in addit. ad constit. Sixti IV. cap. 2. n. 10.*

Praxis tamen DD. Episcoporum est in contrarium, & ita declarasse Sacram Congregationem die 22. Ianuarij 1628. testatur Barbosa in Concil. Trident. *sess. 5. cap. 2. num. 20.* De qua declaratione si constet Authenticè, non est ab ea recedendum.

Verùm aduertere debèt Prælati Regulares se peccatum mortale committere, si Religiosos suos absque examine de vita, moribus, & scientia, imò scientes idoneos non esse, approbent ad prædicandum verbum Dei, etiamsi dicant, se illos approbare ad prædicandum verbum Dei, etiamsi dicant, se illos approbare gratia honoris, vel vt eorum precibus importunis satisfaciant: licet enim tales nec hæreses, nec errores, neque doctrinas falsas prædicent, sed optimas, populum tamen aliquando ad risum prouocant, vel propter nimiam obliuionem, vel inordinatam recitationem, absq; fructu currentes ab extremo ad extremum, scripturas falsificant, peruertunt historias, nomina mutant, & peiora præstant; quæ omnia mala Prælatis perperam licentiam concedentibus tribui possunt, vt mouet *Tambur. de iur. Abbat. to. 2. disp. 11. quæst. 2.*

Religiosi Mendicantes, ex concessione Pij Quinti semel examinati in vna diœcesi ad prædicandum, non possunt in ea amplius examinari; quod si sint graduati in Theologia aut lectores, non egent examine Episcopi: *Pius V. in constit. cùm Mendicant. ordines. Compend. privil. Mendic. v. prædicatores. Sà v. prædicare, nu. 6.* Ex declaratione autem Cardinalium non potest Episcopus sine causa rationabili suspendere à prædicatione.

Vide *Fœmina* num. 1. *Episcopus* num. 8. *Mendacium* num. 5. *Suspensio 2.* num. 11.

PRÆLATVS.

SVMMARIVM.

1. *Qui sint dicendi Prælati? An in causis criminalibus, regulares non exempti à Prælato sui Ordinis, an ab Episcopo iudicari debeant?*
2. *In Prælatis regularibus duplex est potestas, dominatiua, nempe, & politica.*
3. *Prælatorum potestas in subditos est ordinaria.*
4. *An Prælatus regularis possit obligare subditum in conscientia, per legem, & præcepta?*
5. *An Prælatus possit suis subditis actum purè internum præcipere.*
6. *An contra regulam Religionis possit aliquid Prælatus præcipere?*
7. *Quando possit Prælatus aliquid præcipere suis subditis, quod est supra illorum regulam?*
8. *An possit Prælatus ea, quæ sunt præter Regulam, subditis iniungere?*
9. *Prælato præcipienti quæ sunt secundum regulam, tenetur religiosus obedire.*
   Et an Fratres Minores teneantur obedire in his quæ sunt supra eorum regulam? refertur duplex sententia.
10. *An Prælatus Generalis cum maiori parte Capituli Generalis possit noua statuta edere, inuitis aliis, arctantia singulos religiosos ad vitam austeriorem non promissam?* refertur duplex sententia.
    Sixtus IV. *Fratrum Minorum statuta reuocauit & annullauit obligantia ad mortale extra regulam.*
11. *An Prælati Fratrum Minorum possint præcipere vel prohibere aliquid sub pœna peccati mortalis vel excommunicationis, non obstante dicta constitutione* Sixti IV.
    Et an possint sibi reseruare absolutionem excommunicationis à se latæ. Remissiuè.
12. *Prælati non debent esse faciles ad ferenda præcepta obligantia subditos sub peccato mortali.*
13. *Præceptum Prælati ordinariè non obligat, vbi adest probabile vitæ periculum.*
    An possit Prælatus regularis præcipere subditis aliquid cum eorum vitæ periculo? refertur duplex sententia.
14. *An Generalis alicuius religionis possit præcipere suis subditis, vt ad Indos, & infideles eant, causa eorum conuersionis.*
15. *Quando irrita sit renunciatio Prælaturæ regularis, et quando valida.*
16. *An Prælati religionum possint ad libitum sine causa spoliare Prælatos manuales suis Prælaturis, vel eorum potestatem restringere.*
17. *Quæ sint virtutes requisitæ in Prælatis.*
18. *Prælatura munus est valdè durum.*

19. Quæ

19. *Quæ obseruanda sint à Prælato pro bono regimine subditorum.*
20. *Prælatiuntia sunt sex præcipua.*

1. PRælatus dicitur quasi antè latus siue positus. *Panormit. in c. cùm ab Eccl. de offic. Ordin. Angel. Syluest. Sa, v. Prælat. Zerola in praxi Episc. p. 1. ver Prælat. Tamburr. tomo primo de iure Abbat. disp. 1. quæst 1. num. 7. & 8.* Dupliciter accipitur.

Primò, largè ab allusione vocabuli, quilibet habens curam, vt comprehendantur, & Rectores Ecclesiarum Parochialium, qui præsunt Parochianis in foro animæ.

Secundò, strictè, & propriè, vt is solus qui habet aliquam iurisdictionem ordinariam fori contentiosi, etiam ex iure speciali, puta præscriptione vel priuilegio: hinc Prælatus propriè dicitur, qui Ecclesiæ collegiatæ, sæculari vel regulari, præficitur.

Inter Religiosos sunt Prælati, Abbates, Generales, Prouinciales, Priores, Guardiani, Rectores, Commissarij, Visitatores, Præpositi, &c. non autem Superior, Priore nec mortuo nec amoto, nec Vicarius Guardiani, quia non habet iurisdictionem ordinariam: Sed priore mortuo vel amoto, Superior videtur Prælatus, quia habet iurisdictionem ordinariam, scilicet iure speciali, & idem videtur de Vicario conuentus; quia non fit nisi Priore mortuo, vel amoto. Ita *Panormitanus*, & alij hic citati.

Sæculares Prælati, alij dicuntur Priores, alij Præpositi, alij Decani, alij Archidiaconi, alij Archipresbyteri, & alij similes habentes iurisdictionem fundatam in priuilegio, aut consuetudine.

Prælati Ordinum alij exempti sunt à iurisdictione Episcoporum, ver. gr. Prælati Mendicantium, qui proinde Summo Pontifici immediatè subiecti, quasi Episcopalem in suos Regulares iurisdictionem habent. Alij sunt Prælati non exempti, qui nihilominus ordinarij iudices suorum Regularium existunt, saltem in causis pertinentibus ad regularia statuta, & disciplinam. Quamobrem illos punire, incarcerare, excommunicare possunt: ita vt Episcopus in tali casu se immiscere non debeat, nisi ob negligentiam Prælati Regularis, vel si Regularis à Prælato suo multum differt, vt notauit Abbas *in cap. cùm contingat num. 24. de for. competent.*

Sed rogabis, an in causis criminalibus, puta furti adulterij, homicidij, &c. Regulares non exempti à Prælato sui Ordinis, an ab Episcopo iudicari debeant? Resp. De iure communi, cognitionem iudicialem eiusmodi criminum ad solum Episcopũ pertinere: quia in Trident. *sess. 24. ca. 20. de reform.* decernitur causas criminales Episcopi tantùm cognitioni, & examini relinquendas esse. De consuetudine tamen testatur Nauarrus *lib. 3. cons. de regul. cons. 58.* se nullum vidisse Monasterium, in quo non Abbas de criminibus suorum Regularium cognoscat & puniat; etiam in forma iudicij; exceptis ijs, quæ depositione digna sunt, præsertim notoria & scandalosa: horum enim cognitio Episcopo reseruata esse solet: vt docet Abbas *in c. licet, num. 2. de offic. Ordinar. & c. cùm contingat, num. 21. de foro competent.* De alijs verò criminibus iudicare Prælatis Ordinum permissum est, non priuatiuè, sed cumulatiuè, vt ait Nauarrus locis citatis, id est, vt læsus etiam ius habeat Regularem, si velit, coram Episcopo accusandi: præsertim si Prælatus Ordinis negligat: quia vt docet idem Abbas in *c. vltim. num. 1. de statu Monach.* Correctio Monachorum primo loco ad Abbatem spectat, in defectum verò Abbatis ad Episcopum. In his tamen attendenda est consuetudo, quæ iurisdictionem dat & aufert. iuxta *Cap. duo simul, de offic. Ordinarij.*

2. In Prælatis Regularibus duplex est potestas, vna dicitur dominatiua, seu œconomica; altera politica, seu iurisdictionis. Per dominatiuam intelligitur ius acquisitum Religioni, atque eius Prælatis ad imperandum Religiosis, eorumque operibus vtendum, prout conueniens iudicauerint: eò enim ipso quòd quis in aliqua Religione professionem emittit, per obedientiæ votum priuat se dominio in seipsum, & transfert illud in Prælatum Religionis, vnde oritur in eis potestas dominatiua singulorum Religiosorum ita se tradentium, quæ est distincta à potestate iurisdictionis, & ab ea separabilis. Per potestatem iurisdictionis, intelligitur potestas spiritualis, ad claues Ecclesiæ pertinens, à Christo Domino tradita, vel deriuata medio Summo Pontifice eius Vicario, vel alijs Episcopis. Vide *Suar. de relig. to. 3. lib. 2. cap. 18. num. 6 & seqq.*

3. Potestas Prælatorum in subditos est ordinaria. Ratio est, quia iurisdictio competens alicui ex commissione perpetua, non temporali, dicitur Ordinaria, sed Prælati potestas ex perpetua commissione illi datur, nisi à Summo Pontifice auferatur, ergo est Ordinaria, vt colligitur ex Bart. *in l. 1. §. si plures, ff. de exercit. act. Panorm. in C. quoniam. de offic. deleg. & certum. Nau. in Comment. 2. de regul. num. 65. Couar. 3. variar. cap. 20. num. 6.* Deinde iurisdictio quæ conuenit ratione officij, vel dignitatis, vel consuetudinis, est Ordinaria, sed Prælatis prædictis competit iurisdictio ratione officij, & dignitatis, & etiam immemorabilis consuetudinis, ergo.

Confirmatur insuper hæc iurisdictio Prælatorum Regularium quamplurimis priuilegijs à Sede Apostolica concessis, vt videre est suprà *v. Abbas nu. 8.* sed iurisdictio ex priuilegio competens non personæ, sed dignitati, & officio, est Ordinaria, & omnia iura potestatis Ordinariæ habet.

4. Certum, & commune est apud Doctores, Prælatum Regularem posse obligare subditum in conscientia, per legem & præcepta, supposito consensu vniuersali Ecclesiæ, ac vera religiosi status institutione, & approbatione.

Talis autem potestatis duplex est titulus: primus est, votum obedientiæ, quo subditus obligatur ex hoc voto: comparantur enim subditus, & superior in hoc casu, sicut actio, & passio; quia non potest subiectum pati, nisi potestas sit in agente; ita nõ posset subditus obligari, nisi esset potestas in Prælato ad obligandum. Alter titulus huius obligationis est iurisdictio Ecclesiastica Prælatis necessaria, & de facto communicata sufficienter ad hũc actum; vt patet ex vsu Ecclesiæ, & ex priuilegijs singulatum Religionum. De quibus plura apud Sanch. *l. 5. moral. ca. 1. num. 20. Suar. de relig. tom. 4. tr. 8 l. 2. c. 8.*

5. Prælatus non potest suis subditis actum purè internum secundùm se præcipere; nec consequenter subditi tenentur ad ipsi ita præcipienti obtemperandum. Ratio est, quia illa potest quis præcipere, de quibus potest iudicare, & pœnas sumere, sed de actibus meré internis nemo, nisi solus Deus, iudicare, & punire potest; occulta enim Deo reseruantur.

Actus tamen internos, quatenus spectant ad complementum actuum externorum, vel sunt necessarij ad esse physicum, aut morale actuum externorum, vel quatenus inuicem connexionem, vel dependentiam aliquam habent, potest Prælatus præcipere, & prohibere indirectè, seu consequenter, nempe prout habent annexos actus externos. ex ipsis actibus interioribus procedentes Sic in *Clement. 1. §. quia verò, de stat. Monach.* prohibetur Monachis sub pœna excommunicationis, ne in curias Principum, animo nocendi suis Prælatis aut Monasterijs, se conferre præsumant: prohibetur autem animus nocendi, non prout est actus mentis interior, secundùm se, sed prout est tali accessui coniunctus. Vide *D. Thom. 2. 2. qu. 104. artic. 5. Caietan. Syl. ibi. Sanch. lib. 6. moral. cap. 2. numero quinto. Suar. de leg. lib. 4. cap. 13. num. 6. Rodriqu. tom. 3. qq. reg. qu. 19. art. 2. Miranda tomo primo qu. 26. art. 3.*

6. Prælatus Regularis non potest quidquã præcipere, quod certò constat esse contra Regulam Religionis: Ratio est, quia tale præceptum non est validum, excedit enim limites potestatis præcipientis quæ non est ad destructionem, sed ad ædificationem secundùm talem statum.

Si tamen Superior possit super ea parte Regulari dispensare, & iusta de causa ad ita præcipiendum moueatur, subditus tunc parere debet, quia etsi opus illud iniunctum ex regula illicitum sit, tamen ex rationabili Prælati dispensatione fit licitum, & non censetur amplius esse contra regulam, sed secundùm illam, cùm per dispensationem legitima de causa à Prælato factam, tollatur eiusdem regulæ vinculum. Ita D. Thom. 2. 2. *qu. 104. art. 5. Mic. art. 8. Nauar. in Man. cap. 23. num. 39. Suar. de relig. tom. 3. tr. 7. l. 10. cap. 8. Sanch. l. 6. moral. cap. 3. num. 8. Faust. in Thesaur. relig. l. 6. q. 83.* & alij.

7. Prælatus Regularis non potest subditos obligare ad ea, quæ sunt omninò supra regulam. Ratio est, quia Prælatus non est Dominus, sed custos, & minister regulæ, eiusque potestas non se extendit vltra ipsius Regulæ terminos, ergo non potest eius terminos excedere in suis præceptis, iuxta illud D Bernardi: *Prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec vltra extendi potest, nec contrahi citra.*

Nil me Prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat, quàm promisi, vota mea nec augeat, sine voluntate mea, nec minuat sine certa necessitate. Supra regulam sunt ea, quæ ipsius regulæ limites excedunt, vt ire ad infideles, vbi adest magnũ mortis, vel seruitutis periculum, ieiunium, vel aliæ similes austeritates, quas Regula non præscribit. Ita D. Thom. *c. & quodl. 10. art. 10. Caietan. 2. 2. quæst. 88. ar. 8. D. Bernard. l. de præcept. & dispens.*

Sylueſt.ver.relig.6.qu.6. Nauar.commentat.4.de regul.nu.23. Rodr. p.2. c.9. num.1.

In tribus tamen caſibus poteſt Prælatus aliquid præcipere ſubdito, quod ſit ſupra ipſius regulam. *Primò*, in pœnam alicuius criminis admiſſi, *Secundò*, ſi putetur neceſſarium ad ſeruanda vota. Sic præcipitur clauſura monialibus arctiſſima, etiam ſi talem ante non vouerint, quia hęc eſt neceſſaria ad cuſtodiam caſtitatis, quam vouerunt.

Tertiò, ob aliquam publicam neceſſitatem, poteſt Prælatus quædam auſteriora ad tempus omnibus imponere, puta pro impetranda pluuia, aut pro belli, aut plagæ remotione: quia hæc omnia indirectè ad regulam pertinent. Sic Eccleſia præcipit ieiunia, & Vigilias. Si tamen Prælatus vni ſoli, abſque aliqua peculiare cauſa hæc auſteriora iniungeret, non teneretur ſubditus ei obedire, quia id non eſſet regulæ conſentaneum, ſed ſupra regulam. Ita Corduba *ſuper regul. D.Franc.cap.*10. *quæſt.*2. *Regin. l.*18. *numero* 395. *Angel.verb. Religioſus numero* 30. *Miranda c. quæſt.*26. *art.*10. *Fauſt.in Theſaur.relig.libro ſexto queſt.*85. *Sylueſt.c.qu.*6.

8. Non poteſt Prælatus ea, quæ ſunt præter Regulam, ſubditis iniungere, nec tenentur ſubditi Prælato præter regulam aliquid præcipienti obedire, dummodo ad regulam quoquomodo non reducantur. Ratio prioris eſt, quia Religioſus obedientiam in Religione promittens, intendit ſe obligare iuxta ipſius regulas; at Prælatus non poteſt obligare ſubditum, niſi ad ea, quę per ſuam profeſſionem promiſit; vnde Prælato præcipienti ſpuere in parietem, leuare feſtucam, aſpicere aues volantes, & ſimilia fatua, & irriſoria, non tenetur ſubditus obedire. Ratio poſterioris eſt quia ad regulam pertinent non ſolùm ea, quæ in ipſa expreſsè continentur, verùm etiam illa, quæ in ea continentur implicitè, & quæ ad ipſam quoquomodo poſſunt ordinari, vt ſi Prælatus alicui ſubdito præcipiat, vt ſe reficiat, recreet, &c. tenetur ille obedire, cùm expediat vt quandoque religioſus recreetur, & à religionis auſteritatibus abſtineat, ne indiſcretè ex nimio feruore deficiat in vita religioſa. Ita D.Thom. *in* 2 *diſt.*44. *qu.*2. *art.*3. *D.Antonin.*3. *par.tit.*16. *c.*1 §.9. *Corduba in ca.*10. *reg. q.*2. *n.*4. *& ſ.punct.Reginald.l.*18. *num.*395. *Crouſ.ad ca.*10. *reg. S.Franc.lect.*2. & alij.

Porrò Prælato aliquid præcipienti infrà regulam non tenetur Religioſus obedire, niſi adſit iuſta cauſa ita præcipiendi. Inf. a regulam dicuntur ea, quæ ſunt laxiora, quàm Regula præſcribat. Ita Leſſ. *lib.*2. *cap.*41. *dub.*9. *num.*76. *Nauar.in comment. 4.de regul.num.*21.

9. Religioſus tenetur ad parendum Prælato præcipienti, quę ſunt ſecundùm Regulam ſuæ Religionis, & non obediendo peccat mortaliter, ſi tale præceptum ex genere ſuo obliget ad mortale: puta, ſi eſſet in materia graui, & intentio Prælati foret obligandi ſub mortali. Ratio eſt, quia qui tunc illud omitteret, violaret votum obedientiæ, ex quo tenentur Religioſi adimplere, quidquid à Superiore præcipitur. Ad regulam autem ſpectant illa *primò*, quæ in Regulæ ſtatutis continentur. *Secundò* ea, quæ etſi in illa non exprimantur, tamen ſaltem in vniuerſum continentur in ea, tamquam neceſſaria ad regulam obſeruandam, vt ſunt mutua obſequia, ſine quibus bonus religionis ſtatus conſeruari nequit, & ea, quæ ſpectant ad pœnas tranſgreſſionis regularum. Ita D. Thom. *quodl.*10. *artic.*10. *Sylueſter, ver.relig.*6. *quæſt.*6. *Nauar.in Manual.c.*23. *num.*49. *Sanch.l.*6. *mor.c.*2. *n.*8. *& 9. Corduba in c.*10. *reg.qu.*2. *dict.*6. *Vaſqu.*1.2. *diſp.* 154. *c.*4. *num.*10.

Sed circa prędicta eſt obſeruandum primò, quòd non tantùm tenetur Religioſus ex voto obedientię obedire Prælato iubenti quæ peculiaria Religionis ſunt, ſed etiam iubenti præcepta omnibus Chriſtianis communia, vt ſi iubeat audire Miſſam, vel ieiunare diebus, quibus id Eccleſia præcipit; nam hæc pertinent indirectè ad regulam, tamquam præambula neceſſaria. Ita Caietan. 2.2. *quæſt.*186. *artic.*5. *circa ſolut.ad* 1. *Sanch.c.numero* 10. & alij.

Secundò obſeruandum eſt ſecundū D.Bonau. *in c.*1. *reg.S.Franc. Sancti, l.*6. *moral.cap.*2. *num.*16. regulas, & conſtitutiones in diuerſis Religionibus eſſe varias, ac proinde poteſtatem præcipiendi, & obligationem obtemperandi eſſe variam, & ad plura, vel pauciora, prout regula diſponit, extendi: nam in regula noſtra Sancti Franciſci *c.*10. præcipitur, *vt fratres obediant ſuis miniſtris in omnibus, quæ promiſerunt Domino obſeruare, & non ſunt contraria animæ ſuæ & regulæ.*

Sed dubitat hic aliquis, an teneantur fratres, virtute prædicti præcepti, obedire in his quæ ſunt ſupra regulam? Reſpond. duplicem eſſe ſententiam inter Doctores Ordinis. Prima docet, non teneri obedire, niſi in illis, quæ in regula præcipiuntur, vel ad eorum obſeruantiam referuntur, quæque ad regularem vitam rationabiliter ordinari aut reduci poſſunt, vt ſunt omnia pertinentia ad mutua obſequia fraternæ Societatis; ſine quibus ordo eſſe non poteſt: vt ſunt, miniſtrare infirmis, cibos parare, & coquere, hortum colere, ſacriſtiam curare, & alia eiuſmodi.

Secunda ſententia non alios fines obedientiæ Fratrum Minorum præſcribit, quàm quos regula ſimpliciter intellecta ponere videtur, dicens *In omnibus quæ promiſerunt*, &c. *& non ſunt contraria*, &c. Fulcitur hæc ſententia multis auctoritatibus apud Cordub. *in cap.*10. *reg.S.Franc.qu.*2. & præcipuè *S. Bernardini* in 3. opere ſerm. de obedientia art. 3. in Reſponſ. ad 12. argum. in quodam Dialogo ſuper materia obedientiæ, vbi ait: *Obedientia Euangelica Fratrum minorum triplicem tantùm habet limitem, ſcilicet, manifeſtum peccatum, manifeſtum periculum, manifeſtum contagium, id eſt, impurtitatem regulæ,* & maximè mihi placet hæc opinio, tamquam probabilior.

Verùm ex hac non poterunt Miniſtri ad mortalem culpam ſubditos obligare, niſi ea quæ præcipiunt ſint valdè neceſſaria ad conſeruandam regularem obſeruantiam: quæ ſi talia non fuerint, putat noſter *Crouſ cap.*10. *reg.S.Franciſ.lect.*3. non eſſe materiam capacem grauis obligationis ſed leuis, aut certè nullius: intellige præcisè, quantum eſt ex vi præcepti: niſi aliunde ratione ſcandali, vel quia quod præcipitur in pœnam peccati imponitur, vel aliquid eiuſmodi aggrauet materiam de ſe leuem: ſicque conciliari poſſunt oppoſitæ ſententiæ.

10. Quidam ſuſtinent Prælatum Generalem cum Capituli Generalis maiori parte, inuitis alijs, poſſe noua ſtatuta edere arctantia ſingulos Religioſos ad nouam vitam auſteriorem non promiſſam. Ratio eſt, quia Religioſi propriam voluntatem omninò in Superiores tranſtulerunt. Ita multi Iuriſperiti apud Sanch. *lib.*6. *mor.c.*2. *n.*17.

Nihilominus dicendum eſt id fieri non poſſe. Cordub. *in cap.* 10. *regul.Sancti Franciſci quæſt.*2. *in punct.*6. *Syl. verb.relig.*6. *qu.* 6. *Angelus ver.Religioſus numero* 29. *Vaſqu.*1.2. *quæſt* 95. *artic.*2. *diſput.*154. *cap.*4. *numero* 25. *Felinus in Cap. cum omnes, de conſtitut.* Tum quia Pontifex non conceſſit Capitulo Generali facultatem ad auſteriorem vitam inducendam, ſed ad edenda ſtatuta regulæ conformia, ad illam illæſam conſeruandam. Tum quia noua illa auſteritas, cùm concernat Religioſos vt ſingulos, & non quatenus vnum corpus conſtituunt, debet ab omnibus approbari, vt omnes obliget. *Regul.quod omnes* 29. *de regul.iur. in* 6.

Tum quia non plus poteſt Prælatus cum maiori parte Capituli in præcipiendo perpetuò, & omnib. per ſtatutum, quàm in præcipiendo ad horam huic vel illi oretenus. Tum quia Religioſi non tranſtulerunt omninò ſuam voluntatem in ſuperiorem, vt poſſit quæcumque iubere, ſed vt poſſit ea ſola quæ ad regulam directè, vel indirectè pertinent. Imò nec hoc non tantùm poſſet Generalis cum maiori Capituli parte, ſed nec conſentientibus omnibus Capitularibus: quia cùm reliqui iam profeſſi non conſentiant, & ſint ſtatuta rigidiorem vitam inducentia, non poſſunt abſque nouo conſenſu eis obligari.

Sed quia in ordine Fratrum Minorum erant nonnulla ſtatuta, & ordinationes ab ipſorum Capitulo Generali facta, per quæ aliqua eiſdem fratribus prohibebantur obligatorié extra regulam, & quædam alia præcipiebantur ſub excommunicationis pœna, vel alijs cenſuris Eccleſiaſticis, ſeu alijs pœnis, quas contra facientes ipſo facto incurrebant, à Sede Apoſtolica petierunt, vt cenſuræ, & pœnæ prædictæ in contra facientes ipſo facto latę, in comminatoria, & infligendas, & temporales pœnas mutarentur, & ſic ſaluti plurimorum conſuleretur. Ideò Sixtus IV. Romanus Pontifex petitioni illorum Fratrum annuēs, In Bulla, quæ incipit, *Circumſpecta Apoſtolica Sedis benignitas*. edita anno 1480. Kalend. Decembr. Pontificatus ſui anno decimo ſic decreuit:

Nos igitur qui fidelium animarum diſpendijs libenter obuiamus, eorumq; ſaluti ſinceris deſideriis exoptamus huiuſmodi ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus, atque decernimus quod Miniſtri, Cuſtodes, Guardiani, & Fratres dicti ordinis præſentes, & qui pro tępore fuerint, ex ſtatutis ſeu conſuetudinib. vel declarationib. dicti ordinis præter regulam quomodolibet, & à quibuſcumq; editis, etiā confirmatione Apoſtol. vel quauis firmitate alia roboratis, illis cōtra faciēdo nulla Eccleſiaſtica cenſura, nulloq; mortalis peccati vinculo ligari valeāt, nec cenſuras, nec pœnas ſeu mortale peccatum huiuſmodi incurrant:

niſi

nisi tales essent casus, vel excessus qui diuina lege, seu præcepto Romanæ Ecclesiæ meritò inducerent ad mortales; censuras, & pœnas taliter latas harum serie reuocantes, & annullantes, illasque ad vim comminationis pœnarum comminatoriarum, & ferendarum, seu corporales, & temporales pœnas prædictas per Generalem Ministrum, Custodes, Guardianos, & alios Prælatos ipsius ordinis ferendas, & infligendas teducentes.

Quodque Ministri, Custodes, Guardiani, & alij ipsius ordinis Prælati prædicti, temporales seu alias pœnas pro non obseruatione dictorum statutorum, secundum qualitatem personarum, locorum, & temporum, & alias prout videbitur saluti animarum fratrum eorumdem in Domino expedire, ferre, & promulgare, ac delinquentes ab illis absolcere valeant.

Non obstantibus statutis, ordinationibus, & declarationibus præmissis, quibus quoad hoc expresè derogamus, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis: nec non alijs statutis, & consuetudinibus dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis alia firmitate roboratis contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat, &c. Ita Sixtus IV.

11. Circa prædictam constitutionem notandum est *primò*, illam non prohibere Prælatis, ne præcipiant aut prohibeant suis subditis aliquid sub pœna excommunicationis, aut alterius censuræ, aut sub pœna peccati mortalis, sed quod sub his pœnis statutum permanens non edant; & declarat Fratres non teneri his statutis in conscientia nec obligari.

Non obstante ergo prædicta Constitutione, Prælatus Regularis ex Ordine Minorum, in occasione graui, potest præceptum subditis imponere obligans ad mortale, & sub poena excommunicationis.

Ratio est, quia in eos habet Ecclesiasticam iurisdictionem in foro exteriori, & interiori; at excommunicare, & censuras ferre ad talem iurisdictionem spectat, ergo. Nec requiritur quòd in scriptis feratur hæc excommunicatio, iuxta formam *Cap. sacro, de sententia excommunicationis in 6.* quia Prælatis Ordinis Minorum concessit *Leo X.* vt cùm aliquem fratrem propter apostasiam, vel aliam causam excommunicant, in Capitulo fratrũ, vel communitate, non teneantur proferre sententiam excommunicationis in scriptis, prout sub poena suspensionis præcipitur in iure: Nec obstat etiam quòd talis excommunicatio non fit lata præuia trina monitione, sicut requiritur ad excommunicationem ab homine latam: quia hæc non habet locum in excommunicatione, quæ fertur a Prælatis Regularibus, per modum præcepti, satis enim monet Iudex eo ipso, quòd iustè aliquid præcipit, aut prohibet, & sufficit si subditus contumax, qui agnoscens præceptum, cui annexa est excommunicatio latæ sententiæ, illud nihilominus transgreditur, ac proinde tali censura ligatur Ita *Compend. Priuileg. Mendic. v. Absolutio ordinaria quoad Fratres §. 26. Sayrus de censur. l. 1. cap. 12. num. 21. Suar. de cens. disput. 7. sect. 13. & disp. 3. sect. 8. Aula p. 2. de cens. ca. 5. disput. 1. dub. 10.* & alij.

An autem Prælati Regulares possint sibi reseruare absolutionem ab excommunicatione à se lata? probabilius est, quòd non, vt diximus v. *Casus reseruatus* num. 43.

Notandum est *secundò*, omnia statuta Religionis Minorum obligantia ad culpam vsque ad tempora *Sixti IV.* per eumdem esse sublata, & reuocata: & redacta, vt solummodo obligent ad pœnam.

Tamen quia Pontifices præcedentes nequeunt ligare manus suorum succedentium, tenebuntur fratres ad statuta postea facta, & de cætero faciẽda auctoritate Apostolica: Ad quod etiam est quædam declaratio Pij V. apud Bellarium Rodriques, inter viuæ vocis oracula, vbi ait: *Per quæcumque statuta, etiam Apostolica, non obligantur fratres ad aliquas censuras seu pœnas Ecclesiasticas, vel ad peccatum mortale, sed tantum ad pœnas, seu pœnitentias per Prælatos iniungendas, non obstantibus quibuscumque Apostolicis, seu regula declarationibus, dummodò non sit contemptus, vel mandatum non sit impositum sub pœna excommunicationis, vel in virtute sanctæ obedientiæ.* Ex quo fit, quòd statuta facta auctoritate Apostolica, post *Pium V.* sub dictis pœnis obligant in conscientia. Sed de his plura apud Rodriq. *tom. 1. qq. reg. qu. 10. a. 8. Mirand. in Manuali Prælat. tom. 2. qu. 29. artic. 10. Portel. in dub. regul. v. statutum n. 12. & seq. Compend. priu. Mendic. v. statuta ordinis Cordub. ibid.*

12. Prælati Regulares non debent esse faciles ad ferenda præcepta obligantia subditos, sub peccato mortali: cùm experientia rerum magistra demonstret, eorum frequentiam magis contemni, quàm formidari, & infælices exitus, in perniciem animarum subditorum, inde subsequi: vnde Prælati à multitudine præceptorum, & ordinationum abstineant, ne laqueum subditorum animabus injiciant, nec propter defectum vnius, vel paucorum, quos non audent corripere, communitatem inuoluant. Faueat his Concilium Tridentinum *sess. 25. de reform. c. 3. Quamuis*, inquit, *excommunicationis gladius nervus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valdè salutaris, sobriè tamen magnaque circumspectione exercendus est, cùm experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus inuitiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potius parere, quàm salutem.*

13. Regulariter loquendo, Prælatus religiosus præceptis suis non intendit obligare subditos, vbi adest probabile vitæ periculum, si illud non est per se materiæ præceptæ annexum, nec à Superiore præuisum, aut excogitatum.

Ratio est, quia præceptum humanum non potest strictius quàm præceptum naturale aut diuinum obligare: multa autem præcepta diuina, & naturalia alioquin ad mortale obligantia non adstringunt cum periculo vitæ, verùm nec cum maximo detrimento proprio.

Deinde nemo obedientiæ votum emittens habet intentionem, se adstringendi cum huiusmodi periculo; imò si hoc intenderet, talis intentio, tanquam temeraria, & imprudens censenda effet insufficiens ad inducendam obligationem in conscientia. Ita Suar *de relig. tom. 3. lib. 10. cap. 4. num. 15. & tomo quarto tract. 8. lib. 2. cap. 8. numero 29. Azor. p. 1. libro primo cap. 11. qu. 1. Sanc. l. 1. mor. c. 18. num. 4.*

Dubium autem est, an possit Prælatus regularis præcipere aliquid subditis cum eorum vitæ periculo? Quidam negant id posse Prælatum: tum quia tota hæc obligatio radicaliter fundatur in voto obedientiæ, & consequenter in intentione vouentis: nullus autem intendit se obligare ad parendum in huiusmodi euentu.

Tum quia tantùm obligatur Religiosus ad obediendum secundùm regulam; Regula autem non præcipit res adeò difficiles, nec cum tanto discrimine, ergo. Ita Tabiena v. *Episcop. §. 5. com. 5. Armilla v. Obedien. num. 5.*

Nihilominus dicendum est, hunc modum præcipiendi non excedere potestatem Prælati religiosi: & proinde si velit obligare in casu particulari non obstante mortis periculo, eius præceptum tenere, ac seruandum esse, quando dirigitur ad conseruationem communis boni religionis: Caietan. *tom. 3. opusc. tract. 9. Suar. de leg. l. 3. cap. 30. num. 3. & 4. Bonac. de leg. disput. 2. quæst. 8. punct. 2. n. 11.*

Ratio est, quia Prælatus Religionis est verè Superior, habens potestatem ad omnia, quæ ad perfectam gubernationem inter homines necessaria esse possunt: huic autem modus obligationis sæpe necessarius est.

Proinde tempore pestis potest Prælatus subditis præcipere, vt Religiosis eodem morbo contagioso ægrotantibus, tum in spiritualibus, tum in temporalibus cum vitæ periculo ministrent: hoc enim est necessarium ad conuenientem Monasterij gubernationem, & ad conseruationem status Religiosi, & propterea ad eius commune bonum. Monent tamen Rodriq. *tom. 3. qq. reg. q. 31 art. 3. Sanch. l. 6. moral. c. 2. n. 56.* non debere Prælatum valdè infirmos, & debiles, vel insignis conditionis viros, quorum vita communi Religionis bono esset valdè vtilis, vel necessaria, ad ministrandum fratribus peste laborantibus destinare, præsertim si adessent alij, qui hoc munus rectè præstare possent.

Non posset tamen Prælatus suis Religiosis præcipere, vt externis pestilentiæ morbo laborantibus tam in spiritualibus, quã in corporalibus inseruiant; & si ita præciperet, subditi non tenerentur obedire: imò licitè possent à loco, vbi Epidimiæ morbus grassatur ad vitam saluãdã aufugere; quod maximè locum habet in religiosis, qui ex instituto suæ regulæ, soli contemplatiuæ vitæ vacant, non habentes pro obiecto exercitium operum pietatis; hi namque numquam ad id adstringi possunt, quidquid eis præcipiatur; cùm tale præceptum nec ad obseruantiam regulæ, nec ad generale communitatis bonum spectet: sed illi tantùm ad illum tenentur, qui ex officio, vel ex voto suæ professionis ministrant infirmis; hi enim non solùm ex debito charitatis, sed etiam ex iustitia tempore pestis obligantur assistere, & huiusmodi ministerium extra Monasterium exercere.

Religiosi Mendicantes, quorum institutum est spirituali proximorum saluti incumbere tamquam Episcoporum coadiutores, tempore pestis, deficientibus Parochis, vel non sufficientibus

numero ob multitudinem populi, & quando non essent alij Sacerdotes, qui Episcopi iumentis vellent Parochis auxilio esse. monitii ab Episcopo tenentur iussu Prælati Regularis infimis ministrare Sacramenta, & tenetur Prælatus id præcipere; quia hoc non est supra eorum Regulam, sed secundùm illam; cum eorum munus sit, esse Episcoporum, & Parochorum coadiutores in salute spirituali proximorum adiuuanda: & ob id eleemosynis fidelium sustentantur. Ita D. Thom. 2.2. *qu.* 186. *ar.* 2. *& 9. & qu.* 187. *ar.* 1. *ad* 3. *& qu.* 188. *art.* 4. *ad* 2. *& 5. Rodrig. c. qu.* 31. *art.* 4. *Sanch. lib.* 6. *moral. cap.* 2. *num.* 60. *& seq. Bannes* 2.2. *qu.* 13. *ar.* 3. *dub.* 5. & alij.

14. Generalis alicuius Religionis non potest præcipere Religiosis subditis suis vt ad Indos, infideles, vbi imminet periculum martyrij, vel ad hæreticos, & schismaticos, causa eorum conuersionis procurandæ tendant.

Ratio est, quia res est difficillima, multisque animæ, & corporis periculis expolita: atque ita regulæ præceptum excedit. Excipiuntur tamen Religiosi Societatis Iesu, qui speciali voto ad hoc se obligant: hos enim potest Generalis obligare ad omnes has partes, & alias quantumuis remotas tendere ad seminandum Euangelium, quia præceptum hoc non excedit eorum institutum, sed illi conforme est. Sed cùm Pontifici Summo cura vniuersalis bona communis incumbat, ille solus posset etiam præcipere alijs religiosis eo modo quo alijs Clericis secularibus, vt ad Indos conuertendos pergerent, in casu quo necessitas boni communis id postularet; vide Rodriqu. *tom.* 3. *qq. reg. q.* 19. *art.* 7. *& 8. & tom.* 2. *Sum. cap.* 9. *num.* 5. *Lopez* 1. *par. instruct. cap.* 56. *Cordubam reg. Stellæ Francisci cap.* 10. *qu.* 2. *Less. lib.* 2. *ca.* 41. *dub.* 9. *num.* 75. & alios.

15. Prælatus Regularis renuncians Præturæ coram alio, quàm legitimo Superiore huiusmodi renuntiatio in ordine ad Ecclesiam: valida tamen aliquo modo est in ordine ad ipsum renunciantem, ita vt Superior renunciationem factam tatam habere, & renunciantem ad dimittendum beneficium cogere possit: nisi dum res integra eum pœnitentia ductus reuocauit. Cap. *Admonet. & C. penult. & vlt. de renunciat. Cap. non oportet* 19. *causa* 7. *quæst.* 1. Hæc colliguntur ex iuribus hic citatis.

16. Quamuis Superiores Religionum possint amouere, & spoliare Prælatos manuales de suis Prælaturis manualib. quomodocunque, & quandocunque ipsis placuerit, etiam sine causa, nec ipsi Prælati manuales possint conqueri, siue agere quidquam contra spoliatores: quia Superiores illos à dictis Prælaturis amouendo vtuntur iure suo, nec illis iniuriam faciunt. Cap. *Cum ad monasterium* §. *ales in fin. nulla gloss. verb. perpetuo de statu monachor.* In vno tamen casu id non erit licitum, nempe pendente accusatione, vel inquisitione contra aliquem. Ratio est, quia dum Superior cœpit accusationem, vel inquisitionem contra subditum ad effectum spoliandi eum Prælatura, tum ipsa spoliatio superueniens non considerabitur, vt ius simplex, & imperium Superioris in subditum, sed vt pœna illius delicti, de quo ipse iam cœpit accusationem, seu inquisitionem: sed talis pœna non potest imponi, nisi priùs probato delicto. Ergo, &c. Ita noster *Sigismundus à Bononia tract. de elect. p.* 1. *c.* 7. *dub.* 47. *num.* 7. *& seq. Riccius in praxi tom.* 4. *resol.* 51. *Lezana p.* 3. *tit.* 2. *resol.* 117. *Pasqualigus in dec. s. new. dec. s.* 461. vide v. *Correptio Fraterna nu.* 13. *vers. Notandum*. Sed rogabis, An potestas Prælatorum Regularium possit restringi, & coarctari à suis Prælatis maioribus? Respond. cum *Rodrig. tom.* 1. *qq. reg. qu.* 17. *art.* 7.

Quòd potestas iurisdictionis, seu gubernationis, quæ data est præfectis Regularibus non est independens, sed dependens à Superioribus omnibus. Nam ordine Hierarchico data est illis potestas. Et sic Superiores Religionum Prælati possunt iusta existente causa restringere, & coarctare authoritatem inferiorum Prælatorum: quia licet vtrisque data sit potestas memorata iure diuino, concessa tamen est ordine Hierarchico, vt minores pendeant à maioribus.

Verum tamen est, quòd nequeunt maiores Prælati restringere potestatem inferiorum Prælatorum ordinariorum sine iusta causa. Quare si secus fecerint; peccabunt, licet factum teneat; & possunt tempore visitationis de ea re conueniri, & puniri: quia ex eo quòd Prælati omnes Regulares memorati, sunt ordinarij, & non delegati, habent suam authoritatem beneficio legis, non solùm humanæ, sed etiam diuinæ. Et ideò si ad libitum restringatur sine vlla causa, iniuria illis irrogatur.

17. Virtutes requisitæ in Prælatis sunt. *Primò*, tenentur bonum commune Religionis semper affectare, proprio commodo postposito, pro regulari obseruantia vitam, si opus fuerit, in periculo constituentes, & iustitiam semper præ oculis habentes; ipsa enim est pax Religionis, tutamentum obseruantiæ Regularis, immunitas communitatis, nutrimentum spirituale Religiosorum, gaudium, silentium, & securitas in pulchritudine pacis.

Secundò, in Prælatis maximè est necessaria fortitudinis virtus, iustitia enim sine fortitudine, terga nonnumquam vertit atque eos deserit, quos tueri deberet; sicut fortitudo sine iustitia iniquitatis fomes est. Ad quam pertinet virtute, & valore irrumpere iniquitates non extimescendo faciem potentum, innocentes contra malignantes validos protegere; cum aliquibus reis aliquando dissimulare: cùm enim si ab ea prudentia omnium sit virtutum moralium forma, separetur fortitudo, rem & nomen fortitudinis perdet, & ad vitium temeritatis accedet: prudenter enim quandoque dissimulantur peccata, ne inde maiora incommoda, grauioraque mala suscitentur.

Tertiò, interesse debet in Prælatis pietas, & misericordia, non nimia tamen, sicut nec nimia iustitia, & seueritas, sed misceanda est lenitas misericordiæ cum seueritate iustitiæ, & rigor iustitiæ cum oleo misericordiæ, faciendo quoddam ex vtroque temperamentum vt neque multa asperitate exulcerentur subditi, nec nimia benignitate soluantur; quamuis in plurimum debeant Prælati esse procliuiores in pietatem, & benignitatem, maximè in paruis, & vulgaribus culpis, non enim conducit, & quaslibet, & omnes simpliciter punire.

Postrò Prælatorum munus est suam congregationem à vitijs, & peccatis expurgare, vt boni quietè ad opus suum exire, & ad operationem suam vsque ad Vesperam mortis, & beatam illam spem consequi valeant, & ne morbidæ, & scabiosæ oues infici sint sanas.

Priùs tamen correptio fraterna commendata in Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 1. *de reform.* præcedere debet, à qua dolor & verecundia peccatorum aliquando originatur, quæ à Sacris Canonibus pro non parua pœna reputatur. Ita prudenter & piè docet Rodrig. *tom.* 3. *qq. reg. q.* 54. *ar.* 5. *c.* 7. *& 9.*

18. Proinde Prælaturæ munus durum valdè est, vt constat ex Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 1. *de reformat.* Ecclesiarum regimen, *inquit*, est onus Angelicis humeris formidandum. Tam graue est Prælatorum officium his temporibus, quibus quisque ferè sibi licere putat quodlibet, vt miserrima sit Prælatorum vita, non solùm malorum sed meliorum: dum enim manum ad depellenda crimina adijcere volunt, impiorum seueriſſimè excandescit ira, oderunt eos in dum metuunt, & qui timetur, timeat oportet, vel à factis, vel à calumnijs saltem. Et tot sunt cauillationes, maledicentiæ, detractiones, calumniæ, impertinentiæ subditorum, vt Prælatos etiam sapientes & rectos contuibent; & qui bona intentione Prælaturam receperunt, bonisque artibus eam exercere studuerunt, victi subditorum insolentijs, quibus manna de cœlo descendens nauseat aliquando, in illos sæuire coguntur.

Quare cogitur quidam Sapientissimus Prælatus sub sarcina Prælaturæ gemens exclamare. O captiuitatem domesticam, ò splendidam seruitutem, ò onerosum honorem, ò secretam passionum domatricem, ò afflictionum pelagus, ò mortificationum oceanum, ò tribulationum radicem, ò ingratitudinum mare, ò inquietudinum matrem, ò mœstarum cogitationum nutricem, ò animarum corporumque perditionem infœlicem dignitatem? Quo infortunio ad tuas vnquam deueni manus? Pereat illa dies, in qua dictum est mihi, Prælatus creatus es. Lugenda dies, & nigro signanda lapillo, tanquam origo omnium miseriarum; dies, quæ fuit finis quietis, & principium tribulationum. Audite iuuenes lenem non animo, neque ætate, sed corpore, rectum iter serò cognitum monstrantem cum Seneca epist. 8. Quasi à facie colubri dignitates fugite, habent enim decoras facies, sed deformes sunt intus. Dulce accidens, amara substantia, medicina videntur malorum prima facie, sed venenum sunt bonorum in progressu. Elongate & fugite. Vita baiulorum est vita Prælati, scopus maledicarum linguarum subditorum. At Deus immortalis, quàm bene dicebat ille, *si fuissem de numero Prælatorum, non fuissem de numero electorum.* Et quidam è Senioribus nostris Deum quotidie rogabat ne in Prælatura decederet.

Hoc vnum reperi in tot molestijs solatium, quòd alijs communicare non grauor, & puto simpliciter bonis Prælatis necessarium, mentalem esse nimirum orationem. Hæc enim pabulum est mentis, & corporis. Nam corpus & mens tot curis fatigata, nisi semel in die ad minus, ijs depositis, recreentur, quod in dicta fit oratione, & non alibi, succumbant necesse est.

19. De-

Digitized by Google

19. Demum pro prudenti ſubditorum regimine, quædam à Prælatis obſeruanda ſunt.

Primum. Nullum negotium aggrediendum, niſi omnibus, quę illud circumſtant, diligenter conſideratis: Qui enim *feſtinus eſt, pedibus offendet*. Prouerb. 19. & D. Gregorius *homil. 37. in Euang. Omne, quod agimus, præuenire per ſtudium conſiderationis debemus*. Quia multis malorum cauſa feſtinatio eſt. Et notæ ſunt illæ illuſtrium virorum ſententiæ *Feſtina lentè*. Item. *Periculoſa eſt præpropera prudentia*.

Secundum. Conſilium aliquando mutandum, ſi negotium exigat. Quare omninò imprudens exiſtimandum eſt, & procul ab officijs arcendum illud hominum genus, qui quod ſemel apprehendunt, numquam dimittunt.

Facilitate autem, & flexibilitate nihil eſt in homine melius rationi parere, ratione flecti, ratione duci hominis ſapientis eſt. Vnde Seneca epiſt. 27 *Vis tibi omnia ſubijcere, ſubijce te rationi*. & *D. Greg. l. b. 8. regiſt. epiſt. 12. Illa præpoſterum ſollicitudo vitij, in qua rerum ratio agit*.

Tertium. Non facilè credendum. Eſt hic neruus, atque arcus imperij iuxta illud Eccleſiaſt. 19. 4. Sapientis. *Qui citò credit, leuis eſt corde*.

Non omni verbo credas. Et D. Bernard. *lib. 2. de conſid. cap. vlt. Eſt vitium, cuius ſi te immunem ſenſis inter omnes, quos noui, ex his, qui cathedras aſcenderunt, ſedebis ſolitarius, &c.* Facilitas credulitatis hæc eſt, cuius callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis cauiſſe verſutias. Inde eis ipſis pro nihilo iræ multæ; inde innocentium frequens addictio, inde præiudicia in abſentes.

Multò minùs credere debet Prælatus inimicis reconciliatis de nouo, id eſt, ijs, qui ex inimicitia formali amici recenter facti, deinde reconciliati ſunt: illa enim inimicitia, ſeu rixa, eſt quaſi renouatio amicitiæ. Quare caueat Prælatus prudens, ne facilè credat huiuſmodi diſcordatis, nam, cùm concordauerint, poſtea ſibi inuicem referent, quidquid ſinguli ab eo audierint. Sed curabit, vt dicti reconcilientur.

Quartum. Nihil ſine conſilio faciendum Eccleſiaſt. 32. 24. *Fili ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*. Prou. 1. *Audiens ſapiens ſapientior erit*. Tamen à conſiliario cauendum. Eccl. 37. 9 *A conſiliario ſerua animam tuam, prius ſcito, quæ ſit illius neceſſitas*, id eſt, vide ne cui temerè, re non ſatis conſiderata, fidas.

Probanda priùs, & experienda fidelitas, tentanda ſenſim mens eius, rebus adhuc integris. Vide quibus indigeat, an intereſſe ducatur, an conſilio tibi dato, proprio an tuo commodo ſtudeat, nam tunc eius verbis ſtandum non eſt, iuxta illud Gregor. lib. 1. regiſt. ind. 9 epiſt. 31. *Nullus tibi fidelior eſſe ad conſilium poteſt, quàm qui non tua: ſed te dilexit*. Et Ariſt. 8. Ethic. c. 4. *Qui ſunt ob vtilitatem amici, hi ſimul cum vtilitate diſſoluuntur; non enim hi ſeſe mutuo, ſed vtilitatem amabant*. Bonus autem conſiliarius debet eſſe ſenex, quo cum creuerit virtus, & ætas. Iob. 12. *In antiquis eſt ſapientia, & in multo tempore prudentia*. Debet eſſe expertus in ea re, de qua ab eo petitur conſilium. Eccleſiaſt. 38. 33. *Vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt*.

Quintum. Lingua cohibenda, verba enim Prælati notantur attentè, & circumferuntur velociter, & multam faciunt in animis ſubditorum impreſſionem. Vnde Laurentius Iuſtin. tract. de prud. cap. 4. *Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt, Dum igitur conſiderandum eſt, quid loquendum ſit, & adhuc tacitè prouidendum, ne quid dixiſſe pœniteat*. Nec aliter cognoſcitur ab imprudente prudens quàm ab ore. Quod ita verum eſt, vt, ſi ſtultus tacere ſciat, prudens iudicetur. Prouerb 17. 28. *Stultus quoque, ſi tacuerit, ſapiens reputabitur, & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens*.

Sextum. Delatores non audiendi. Prouerb. 4. *Remoue à te os peruersum & detrahentia labia ſint procul à te*. Et D. Bernardus *lib. 4. de conſiderat. cap. 6.* Clandeſtinas, & ſuſurratas delationes non recipias, & hanc velim generalem tibi conſtituas regulam, vt omnem, qui palam veretur dicere, quod in ore locutus eſt, ſuſpectum habeas. Quòd ſi, te iudicante dicendum coram, ille renuerit, delatorem iudices, non accuſatorem.

Per delatorem intelligitur ille, qui falſis delationibus cum aliqua mixtione veritatis Superioris gratiam aucuparur, aures ſemper illius pulſans, de quibuſcumque etiam minutiſſimis rebus monens; nam eos, qui zelo charitatis ducti, de malefactis Superiorem monent, vt prouideat, eſſe audiendos nemo negat, quando id bono communi eſt neceſſarium.

His tamen, quantumuis grauibus, Prælatus non debet plenam adhibere fidem nec iudicium firmare, ſed ſolùm cautus reddi.

Septimum. Subditorum nimia familiaritas vitanda; parit enim ea contemptum, vt habet text. in *L. Obſeruandum ff. de offic. præſid.* Et Apuleius de Deo Socr. *Parit conuerſatio contemptum, raritas conciliat ipſa rebus admirationem*. Continuus enim aſpectus minùs verecundos homines ipſa ſatietate facit. Non debet itaque Prælatus ſe contemni pati, ſed debet habere curam ſuæ dignitatis conſeruandæ, *L. 1. ff. de poſtuland.* & ſcire, quòd omni familiaritati eſt dignitas præferenda.

Illi igitur grauitate vtendum, id eſt conſtantia, quatenus à leuitate contra diſtinguitur, ita vt non quacumque re leui moueatur ad ridendum, loquendum, murmurandum, currendum. Et de hac loquitur Apoſtolus ad Titum 2. 7. *In omnibus præbe te exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate*.

Octauum. Liberalitas in ſubditos exercenda. Hæc enim amorem conciliat, corda rapit ſubditorum, defectus, ſi quos habet Prælatus, extinguit: hæc Prælatum firmat & ſecurum in ſtatu tuetur: hæc inimicos amicos reddit, inuidos quietat, & ſeditioſos pacificat. hæc facit, vt Prælatus ametur à ſubditis, & grauiras, vt timeatur.

Nonum, & vltimum. Conſeruatio pacis inter ſubditos, iuxta illud Pſalm. 132. *Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, ſicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron*. Ad quem locum ait D. Baſil. *Quemadmodum à capite vſque ad barbam, & ſummitatem indumenti, ſacrum vnguentum decurrens, ſacerdotem bona fragrantia replebat, ita & à Principe vſque ad ſubditos concordia vtilitas deſcendit*.

Vnde in iure, cuius cuſtodes debent eſſe ſuperiores, habentur tituli de pace ſeruanda inter ſubditos, *l. 2 feud. tit. 53. & tit. 27. de pace tenenda*. Hinc *D. Auguſt. ſerm. 2. ad Fratr. in Erem.* O Monache vix poteris inuenire in præſenti vnum, quod ſit bonum, & iucundum; cupis tamen illud inuenire? Perſequere pacem, & amplectere eam; hæc eſt enim ſola virtus, quæ habet bonum, & iucundum: hæc eſt illa bonitas, quę nos habitare facit vnius moris in domo, vt ſimul viuere, ſimulque mori ſemper optemus. O pax, tu mentis ſerenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis conſortium! Hæc eſt illa ſumma felicitas, quæ bella compeſcit, iras comprimit diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis placet, à cunctis optatur: beatus, qui te habet: maledictus, qui te odit, & frangit inter homines, quoniam antichriſtus eſt, & filius perditionis.

Vnde meritò odientes pacem diſſipari optabat Pſ. 67. 11. Dauid dicens, *Diſſipa gentes, quæ bella volunt*. Et D. Gregor. 3. *parte paſtor. admon. 23. Diſcordes namque admonendi ſunt, vt certiſſimè ſciant, quia quantislibet virtutibus polleant, ſpirituales fieri nullatenus poſſunt ſi viris per concordiam proximi negligunt*. Quare deploranda eſt miſeria illorum conuentuum, Prouinciarum, ſeu Religionum, ſi quæ reperiantur, in quibus inuenta illa dæmonum, factiones ſcilicet, reperiuntur, & vigent, in quibus nullum bonum poteſt reperiri, vt ait Greg. loco citato. *Penſemus*, inquit, *quanta ſint mala diſcordiæ, quæ niſi extincta funditus fuerint, bonum ſubſequi non permittunt*. Odio enim ſe inuicem habent factionarij, de ſe inuicem continuè murmurant; alter alterius notat actiones, inueſtigat, ſocios interrogat, ſpeculatur, in Calendario ſcribit, ne obliuiſcatur, & locijs nunciat, vt ſuo tempore Superioris propalet, interim diuulgat, curat adhibere teſtes, ſi non fuerint, nec deſunt qui ſe offerant, etiamſi nihil viderint; ſemper alter in alterum machinatur, irridet, ſubſannat; actiones, & quidquid à quocumque factionis contrariæ factum fuerit, culpat, maculat. Suos vnumquoque factionis caput defendit, eorum occultat, vitia, protegit, ne puniantur, imò ſouet ſecundùm inclinationes, quas nouerit, ne ab eo reſiliant, & ad aduerſarium tranſeant.

Vnde ambitioſos ſpe dignitatum nutrit, ſuperbos blandiendo inflat, incontinentes excusat, culpam in humanam fragilitatem proijciendo, exemplo aliorum cooperiendo, &c. Hinc Regularis diſciplina eneruatur, funditus deſtruitur, imò ne nominatur quidem: Nouitios enim nondum habitum Religionis indutos, & iuniores profeſſos conatur vnuſquiſque in ſuam factionem trahere, extraordinarijs diligentijs tractos fouet, nutrit &c. Audiamus D. Bernard. *epiſt. 116. O ſtulti filij Adam, qui contemnunt pacem, & gloriam appetunt, & pacem perdunt & gloriam*. Reſonat illud 1. Paul. ad Corinth. 1. 12. *Ego quidem ſum Pauli: ego autem Apollo, ego verò Cephæ*. O factionum capita, Væ vobis,

qui peccare facit populum Dei. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, ambitionis, superbiæ, & inuidiæ, quibus quasi loris astricti plaustrum peccatum trahitis, &c.

His malis Religionum Prælati occurrere debent, capita talium factionum euellendo, has in malo congregatas societates dissipando, dispergendo, annichilando, vt pacem veram, concordiam sanctam, charitatem perfectam suis conuentibus, Prouincijs, & Religioni restituant.

Restituetur sine dubio illa vera pax, si capitibus amputatis tria vitia extirpare Prælati curent. 1. est Inuidia, propter quam fuit Iacob Gen. 37. 4. Ioseph fratri suo non poterant pacifice loqui.

Hoc vitium licet ferè insanabile sit, potest tamen aliquando deliniri humilitate, fraterna charitate, contemptu terrenarum rerum, amore æternæ beatitudinis. Sed melius, si distribuantur honores secundùm merita, & pœnæ secundùm demerita. 2. est Superbia, vnde Prouerb 13. 10. *Inter superbos semper iurgia sunt.* Hoc vitium facile totum humilitatis præscinditur. & vilipendio personæ. 3. est Cupiditas habendi; vnde dici solet, quòd quietissimè viuerent homines, si hæc duo pronomina tollerentur, *Meum, & Tuum.* Hoc vitium tollitur per strictam obseruantiam voti paupertatis: per æqualem distributionem bonorum Monasterij.

Quibus extirpatis, redibunt Saturnia regna, & bonis pacis perfruentur omnes cum gaudio. Et quod ad Prælatos spectet, pacem Religionis procurare, conuincunt *Cap. Dissidentes, Cap. sinderesim & Cap. placuit c. præcipimus dist. 90.*

Alia prudentiæ monita, & præcepta vide apud Cornel. à Lapide in *cap. 4. epist. Pet. ver. 1.* Peyrinum *tom. 2. Prælato q. 2. cap. 3. 9. 10. & seq.*

20. Nisi Dominus supponat manum suam, importabile est Prælaturæ onus. Quod considerans Gedeon aiebat. *Non dominabor vestri, sed Dominabitur vestri Dominus.* Et D. Nazianz. *orat. 1. num. 21. Difficile est scire parere, sed multo difficilius scire imperare, præsertim in Imperio, quod in lege diuina situm est, & ad Deum dicit.* Hæc difficultas oritur tum ex parte Prælati, cuius est non solùm corpora, sed animas regere.

Tum ex parte subditorum quorum alij qui bonæ, alij malæ indolis, & inclinationis sunt, alij melancholici, alij hilares, alij docti, alij ignari, alij seditiosi, alij pacifici, alij murmuratores, alij quieti, alij cellioræ, alij cursores, & denique alij boni, alij mali; Ostendit ut autem hæc difficultas Prælatorum in regendis subditis per D. Petr. 5. Apostolorum Principem. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, prouidentis non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntariè, neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Ex quo colliguntur sex Prælati munia. 1. Quòd debet esse pastor: bonus autem pastor est, ait *D. Thom. l. 3. de regim. cap.* 11. Qui principaliter bonum subditorum intendat; qui per se sufficiens reperitur, quique in omnibus bonis superexcellit & qui curam habet subditorum. Et *D. Bernard. in sentent.* Boni pastoris est vigilare super gregem propter tria necessaria, videlicet ad disciplinam, ad custodiam, ad preces. Ad disciplinam, propter morum correctionem, ne grex commissus propria molestia deficiat. Ad custodiam, propter diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate. Ad preces, propter tentationum instantiam, ne vincatur à pusillanimitate. In disciplina rigor iustitiæ. In custodia spiritus consilij. In prece affectus compassionis.

Secundum, Prælati munus est, vt non coactè, sed sponte pascat; id est, non ambitione, vel auaritia, aut alterius terrenæ rei amore gregem pascat, sed solum intuitu supernæ mercedis.

Tertium, Prælati munus est, vt subditos regat secundum Deū, scilicet, alacriter procurans munus impositum secundùm Dei voluntatem obire; soli Deo placere cupiens, illius solius gloriam quærens, & ad eum solum oues dirigens.

Quartum, munus est, vt hoc non fiat turpis lucri gratia. Audiamus D. Hieronym. ad Nep. *Nonnulli sunt distortes Monachi, quàm fuerint seculares, & Clerici, qui possideant opes sub Christo paupere quas sub locupletes & fallace Diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit antè mendicos.*

Quintum munus est, vt Prælatus non sit imperiosus, nec imperiosè vexet subditos, sed *morum mansuetudo*, vt ait *D. Basil. reg. 43. ex fus. disp.* Et humilitas cordis, hæc præcipua Antistitis insignia sunto.

Talis enim fuit Christus, qui dixit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Sextum munus est, vt Prælatus sit forma, & exemplar gregi suo, iuxta illud Apostoli. 1. *ad Timoth. 4.* Exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate. Et *D. Nazar. orat. 1. num. 26.* Neque enim ab eo, qui hanc viam suscepit hoc solum requiritur vt malus non sit (malum enim esse plerique etiam è vulgo turpissimum censent) verum etiam vt virtute præstet, iuxta illud Scripturæ præceptum, quo declinare à malo, & bonum facere iubemur.

Denique his ritè à bono Prælato obseruatis, Deus, qui bonorum operum remunerator est, eidem pro tot laboribus toleratis intus & foris, bona tribuet & in hac vita, & in futura. In hac vita tribuet illi Deus tria bonorum genera, de quibus D. Thomas, *l. 1. de regim. Princip. cap. 10.*

Primum, quòd illius dominium perpetuum facit; intelligas, quatenus est ex parte subditorum.

Secundum, tribuit Deus communitati, cui præest, abundantiam bonorum temporalium.

Tertium, tribuit homo Prælato bonum nomen etiam post mortem. In futura autem præmium alterius vitæ, iuxta illud D. Petri. *Et cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* Et cùm vltra coronam gloriæ essentialem, constituant Theologi alias coronas accidentales, quas Aureolas vocant, vna ex illis aureolis debetur Prælatis, vt docet *D. Thomas* citatus cap. 9. & de illa aureola loquitur *D. Petrus*, quando dicit, quòd Pastores percipient *immarcessibilem coronam gloriæ*. Vnde quo maior Prælati fuerit charitas, zelus, & labor, eò patiter illius maior erit gloria, & laurea. Sed de Prælato satis.

Plura de Prælatis, vide v. *Apostasia* num. 10. *Benedictio* num. 7. 10. *Bigamia* num. 12. *Abbas, Censura* num. 3. *Confessar. 2.* num. 11. *Clausura* num. 11. *Donatio* num. 6. *Feudum* num. 4. *Immunitas* num. 6. *Interdictum* 4. num. 1. *Irregular. 3.* num. 7. *Irregular.* 11. num. 6 9. *Iuramentum* 5. num. 8. *Legatio* 2. num. 5. *Ludus* 1. num. 3. *Matrimonium* 4. num 4. *Paupertas religiosa* nu. 9. 10. 15. 19. *Pignus* num. 6. *Beneficium* 7. num. 3. *Votum* 7. num. 3. 11. *Correptio Fraterna* num. 6. *Ordo* 3. *Priuileg.* 4. num. 11. *Priuileg.* 6. in 5. *Præceptum. Obedientia.*

PRÆSCRIPTIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit præscriptio? & vt tripliciter accipiatur apud Iuristas.*
2. *Qua requiruntur ad legitimam præscriptionem?*
3. *An ad præscriptionem requiratur possessio?*
4. *De secunda conditione ad præscriptionem, qua est bona fides.*
5. *An qui dubitat, an res sit sua, habeat bonam fidem, si incboet possessionem cum eo dubio?*
6. *An ignorantia iuris clari etiam inculpabilis, prosit ad præscribendum?*
   Et quid dicendum de errore vel ignorantia iuris dubij? vel facti?
7. *An mala fides authoris noceat successori vniuersali vel particulari seu heredi mediato?*
8. *An qui titulo legati, donati, empti rem bona fide accepit ab authore malæ fidei, possit eam præscribere?*
9. *De tertia conditione ad præscriptionem, qua est titulus probabiliter præsumptus.*
10. *An ad præscriptionem sit magis necessaria bona fides quàm titulus?*
11. *De quarta conditione ad præscriptionem, qua est, continuatio possessionis tempore legibus definito.*
    Et qua sint tempora iure præfixa ad præscriptionem rerum immobilium, tam inter præsentes, quàm absentes?
12. *Quo tempore præscribantur bona Principis?*
13. *Quot annis aduersus legem Canonicam, vel ciuilem præscribatur.*
14. *Qualiter præscribantur seruitutes?*
15. *An qui legitimè præscripsit rem aliquam, teneatur ad restitutionem, si termino præscriptionis elapso constet fuisse alienam?* refertur duplex sententia.
16. *Quæ res non possint præscribi?*
17. *Quando præscriptio dicatur procedere, dormire vel interrumpi?*
18. *An contra præscriptionem detur restitutio in integrum?*

1. Præ-

1. PRæſcriptio apud *Couar. ad reg. poſſeſſ. in princ. p. 1. §. vnic. num. 4 Fill. trac. 31. num. 182. Laym. l. 3. tr. 1. c. 8. num. 1. 2. & 3. Leſſ. l. 2. cap. 6. dub. 1. num. 2. Sylu. 2. 2. quæſt. 66. articulo ſecundo quæſit. 6.* Iuriſtas, & plerosque Theologos tripliciter accipitur.

Primò generatim, vt idem ſit quod exceptio, quæ opponitur ad excludendam actionem intentam ab actore: vnde cùm exceptio ſit vel dilatoria (vt cùm opponis iudicem non eſſe competentem) vel peremptoria (vt ſi opponas te ſoluiſſe quod petitur) etiam præſcriptio erit vel dilatoria vel peremptoria.

Secundò, accipitur ſpecialiùs pro exceptione peremptoria, proueniente ex eo, quòd tempore legis definito, rem aliquam poſſedimus, vel iure aliquo vſi ſumus, vel quod alius tali tempore ab vſu alicuius iuris ceſſauerit.

Tertiò, accipitur pro dominij acquiſitione, vel iuris alieni eliſione ex tempore legibus definito proueniente, & ſic præſcribitur domus, ager, vinea, &c. & hoc modo ſumpta à luriſperitis plerumque accipitur pro vſucapione.

2. Ex communi Doctorum ſententia, ordinariè ad *legitimam præſcriptionem* requiruntur quatuor. Sylueſt. *v. præſcrip. 1. num. 1. Sà v. præſcriptio.*

Primò poſſeſſio. *Secundò* bona fides. *Tertiò*, titulus præſumptus. *Quartò* continuatio poſſeſſionis cum bona fide per tempus lege præſcriptum.

3. Sine *poſſeſſione* non datur præſcriptio: debet autem eſſe hæc poſſeſſio. *Reg. iur. in 6.*

Primò propria, qua ſcilicet quis nomine ſuo poſſidet, non alieno, ideò tutor & curator non præſcribunt res pupilli, & minoris.

Secundo debet eſſe vel *ciuilis tantum*, quia ſcilicet ſolo animo rei noſtræ etiam abſentes inſiſtimus; vel *ciuilis*, & *naturalis* ſimul, qua videlicet corpore, & animo res poſſideatur, naturalis autem ſola non ſufficit: hinc habens rem alienam apud ſe depoſitam vel commodatam vel conductam, non poteſt eam præſcribere, ſicut nec colonus, procurator, & qui habet vſumfructum alicuius rei non poteſt præſcribere proprietatem: ſed ſolummodo vſumfructum, idem dici poteſt de re indiuiſa communi pluribus, hæc enim non poteſt ab aliquo eorum, quorum eſt communis, præſcribi, cùm poſſideatur nomine alieno: defectu huius conditionis non poſſunt præſcribi loca ſacra, & ius decimarum à laico, cùm ſit incapax poſſeſſionis ciuilis talium, regulariter qui non eſt capax poſſeſſionis, non poteſt præſcribere, vt Religioſus: ideò requiritur capacitas actiua reſpectu poſſidentis, & capacitas paſſiua reſpectu rei, quæ poſſidetur. Couarruu. *c. num. 7. Fillruc. c. numero* 185. & 205. *Leſſ. c. num. 6. Reginald. l. 10. numero* 292. *Sà c. numero ſecundo. Bonac. de reſtitut. diſput. 1. qu. vlt. p. 2. §. 2. num. 4. Azor. 3. par. l. 1. cap. 18. Clau. reg. l. 9. cap. 12. Sylu. c.*

Secunda conditio ad præſcriptionem eſt, *bona fides*, quia iuxta *Reg. iur. 2. in 6. C. vigilanti. & c. vlt. de præſcript. Leſſ. c. numero 9. Regin. c. num.* 293. *Poſſeſſor* malæ fidei vllo tempore non præſcribit: & iure Canonico derogatum eſt omni conſuetudini aut legibus ciuilibus aſſerentibus, dari poſſe præſcriptionem abſque bona fide: *bona* autem *fides* in propoſito eſt credulitas, qua quis ſibi prudenter perſuadet rem eſſe ſuam, vel ſaltem neſcit eſſe alienam, modò ignorantia non ſit craſſa vel affectata. *Clau. reg. l. 9. c. 12. n. 12. Fill. c. n* 192.

Hinc debitor qui iam triginta annis elapſis non ſoluit debitum, non poteſt illud præſcribere, quia non dicitur habere bonam fidem, ſi tamen bona fide triginta annis poſſederit ius non ſoluendi, vel exiſtimauerit ſe nihil debere; vel debitum ſolutum aut condonatum eſſet, poſſet præſcribere.

Prior pars probatur, quia cum ea ſcientia retineri non poteſt debitum, toto tempore ad præſcribendum neceſſario abſque peccato: & ob id retentio, & poſſeſſio illa cum mala fide practica, cùm ergo poſſeſſor malæ fidei practicæ vllo tempore non præſcribat, & omnis præſcriptio, quæ abſque peccato confici nequit, ſit iure Canonico reuocata, non poterit eiuſmodi debitum præſcribi.

Nota hic, quòd etſi per accidens quis toto tempore ad præſcribendum neceſſario, excuſetur aliquando à culpa non reſtituendi, quia tunc non eſt ſoluendo, &c. nihilominus præſcribere nequit.

Ratio eſt, quia ſi eo tempore rationabiliter differt ſolutionem, ſolùm id poteſt eo animo, vt poſtea ſoluat; nec ſanè vlla ratio poſtulat, vt hoc caſu ius humanum in alterius damnum, præſcriptionem concedat. Posterior pars probat. quia tunc retentio & poſſeſſio eſſet cum bona fide, tam practica, quàm ſpeculatiua; vnde optimè ſufficeret ad præſcriptionem. tum debiti, tum actionis ad illud. Sà *c. num. 2. Clau. Reg. c. num. 12. Couarru. reg. poſſeſſor. §. 7. num. 3. Sylu. c.*

Similiter non præſcribit qui bona fide incœpit poſſidere, ſed nondum finito tempore ad præſcriptionem requiſito, malam fidem habuit; ſi poſtea tamen mala fides iterum deponatur, eò quòd comperiatur re vera non fuiſſe malam fidem, ſed errore, præſcriptio continuaretur, & non interrumperetur.

5. *Dubitans* an res ſit ſua, non habet bonam fidem, ſi inchoat poſſeſſionem cum eo dubio, quia ad hoc vt incipiam facere rem meam quæ antea non erat, requiritur, vt determinatè iudicem, vel rem eſſe nullius, & ſic fieri meam per occupationem, vel eſſe meam quamuis antea non aduerterim. *Clau. reg. l. 9. ca. 12. nu. 14. Azor. c. cap. 8. Leſſius l. 2. c. 6. dub. 3.*

Quòd ſi dubitem an ſit mea, an aliena, iniquè ago eam mihi arrogans, cùm non ſit melior mea conditio, quam alterius: in hoc caſu ſi dubium verſetur inter duos, quorum neuter bona fide poſſidebat, res eſt diuidenda, quia par eſt ius vtriuſque. *Reginald. c. num. 298 Fill. c. num. 187. 188. Laym. c. num. 10.*

Quando verò dubium ſuboritur poſt inchoatam bona fide poſſeſſionem, dubitans poteſt rem, de qua dubium oritur, præſcribere adhibita prius diligentia ad inquirendum, an res ſit aliena: quia cùm rem poſſideat iam bona fide, dubitando, erit melior eius conditio, iuxta regulam iuris. *Couar. reg. poſſeſſ. p. 2. §. 7. Leſſ. c. dub. 4.*

Secus dicendum de eo, qui dubitat rem ſuam eſſe & ſimul dubitat, an poſſit illam retinere; hic mala fide continuat poſſeſſionem, vnde non procedit ei præſcriptio. *Fill. c. num. 187. & Leſſ. c. num. 11.*

Hinc ſequitur, non dari medium practicè inter bonam, & malam fidem, nam ſi dubitet quis in principio, habet malam fidem, ſi verò dubitet cùm eſt in progreſſu, habet bonam: ſpeculatiuè tamen qui dubitat, nec bonam nec malam fidem habet.

6. *Ignorantia iuris clari* etiam inculpabilis, non prodeſt ad præſcribendum; *L. iur. ff. de iuris & facti ignorant. Sylueſt. v. præſcrip. 1. num. 4. Nauar. l. 1. conſil. 6. tit. de offic. iud.*

Vnde qui aliquid acquiſiuit contractu vſurario, ignorans contractum eſſe iniuſtum; eò quòd crediderit aliquas vſuras exigi poſſe, non poteſt acceptum per huiuſmodi contractum præſcribere: iuris tamen *clari ignorantia* ſeu error inculpatus, ſufficit ad præſcribendos fructus ex illa re perceptos: quia ignorantia circa fructus videtur ignorantia facti, quæ prodeſt ad præſcribendum. *Leſſ. c. numero 16. Fillruc. c. numero 189. Mol. diſput. 64.*

Iuris autem *dubij* valdè, & etiam verè dubij error vel ignorantia, id eſt, de quo ſunt variæ doctorum opiniones, ſufficit ad præſcriptionem; quia quando ius aliquod eſt verè dubium, poſſunt adeſſe opiniones vtrinque probabiles circa illud ius: quilibet autem ſequi poteſt opinionem probabilem, & qui ſequitur opinionem probabilem, non dicitur habere malam fidem: *Clau. reg. c. n. 24. Couar. c. n. 12. §. 7.*

Vnde qui aliquid accepit per contractum de quo dubitatur, an ſit licitus, poteſt acceptum retinere, & conſequenter præſcribere, ſi vtrumque adſint opiniones probabiles de iuſtitia illius contractus: *L. numquam ff. de vſucapionibus*. Porrò *ignorantia facti* prodeſt ad præſcribendum concurrentibus alijs conditionibus: *Hinc* ſi rem acceperis à fure neſciens eſſe furem, tenes illam bona fide orta ex errore facti.

7. Iuxta probabiliorem ſententiam, mala fides auctoris nocet ſucceſſori vniuerſali, non particulari; hoc eſt, qui accepit rem vt hæres immediatus, qualis eſt filius, nullo tempore poteſt eam præſcribere, etiamſi bona fide acceperit; quia hæres, defuncti perſonam repræſentat, ita vt fictione iuris cenſeatur vna eadem perſona; non videtur tamen omninò improbabile hæredem poſſe vſucapere ſpatio triginta annorum. *L. ſi mala fides C. communia de vſucapionibus. Fill. c. num. 191. Leſſ. c. 4. 13. num. 42. 43. Sanch. l. 2. moral. cap. 23. num. 154. Clau. reg. c. numero 38. Rodrig. 2. p. c. 23. num. 2.*

Hæres autem *mediatus*, id eſt, hæres huius hæredis poteſt eam tempore ordinario præſcribere, ſi bona fide hæres prior poſſederit; *ſimiliter* ſucceſſor in re particulari vt donatarius, emptor & legatarius, &c. Validè præſcribit modò bonam fidem habeat; & *ratio eſt*, quia perſonam ſui auctoris non repræſentat: ſed tempus computandum eſt à die obitus defuncti, non ante.

Sed quæres, ſi quis in beneficio aut alia dignitate Eccleſiaſti-

ca,

ea,succedit alicui defuncto mala fide possidenti aduersus alium, ad quem tale beneficium vel dignitas pertinebat, an possit illud cum bona fide præscribere, non computando tempus possessionis malæ fidei prædecessoris? Resp.affirmatiuè. quia hic non possidet titulo hæredis illius (esto forte aliquando hæres illius sit) sed ex concessione, aut collatione eius, ad quem spectabat beneficium aut dignitatem conferre.

8. Qui bona fide accepit rem alio titulo (vt legati, donati, empti) ab auctore malæ fidei, potest eam præscribere tempore ordinario, præterquam in duobus casibus. *L. an vtiam ff. de diuers. temp. præscr. Less. c. num.* 43.

Primus est, si res sit immobilis & is contra quem præscribitur, ignoret eam ab alio possideri.

Secundus est, si illa res sit furtiua vel vi possessa, tunc enim requiruntur triginta anni.

9. *Tertia conditio* ad præscribendum est *titulus probabiliter præsumptus*, id est, qui bona fide putetur validus; vt donationis, testamenti, vel successionis ab intestato, emptionis, permutationis, &c. *L. i. ff. de vsucapionib.* Non est autem necessarium, vt ille titulus sit verus, id est validus, nam hic sufficit sine præscriptione ad transferendum dominium; sed satis est vt probabiliter putetur verus, quamuis re vera inualidus sit, vt quia venditor non habuit potestatem vendendi tunc enim ius facit vt res aliena exacto tempore definito fiat tua: *Aduertendum* autem est, non semper requiri titulum ad præscriptionem, quia sæpè fit vt tituli obliuiscamur, requiritur tamen vt breuiore vel ordinario tempore fiat præscriptio. *Bonac. c.§ 2. num.* 22. *Fill. c. num.* 193. *Lay. m. c. num.* 12. *Couar. reg. peccatum p.* 2. §. 8. *Syl. c. Art. secunda quæst.* 6.

10. *Ad præscriptionem* magis necessaria est bona fides quàm titulus, nam sine bona fide numquam currit præscriptio; currit verò aliquando sine titulo; nam titulus requiritur ad præscribendum tempore definito, & ordinario; non verò ad præscribendum tempore longiori. *C. si diligenti, de præscr. Menoch. l.* 3. *præsump.* 131. *num.* 32.

Vnde si ad aliquid præscribendum ordinariè cum titulo requirantur decem, aut viginti anni, ad præscribendum sine titulo sufficiet spatium triginta vel quadraginta annorum, iuxta qualitatem materiæ, quæ præscribitur, modò adsit bona fides. Sylu. v. *præscript.* 1. *num.* 2. *Sà v. præscr. num.* 3. *Mol. disp.* 76. *Regin. c. num.* 299.

Hinc priuatus, qui aliquid præscripsit contra aliquam Ecclesiam tempore quadraginta annorum, aut contra Ecclesiam Romanam 100. annorum, non tenetur probare vel allegare titulum, modò ius commune non repugnet præscribenti, tunc enim allegandus esset vel probandus titulus, vel deficiente titulo, ostendendum esset tempus immemoriale, quo res possidetur, id est, cuius initij non extat memoria etiam apud seniores.

11. *Quarta, & vltima conditio* ad præscriptionem, est *L. vn. Cod. de vsucap. & inst. de vsucap.* §. 1. *Authent. quas actiones C. de sacrosanct. Eccles. ii. Fill. c. num.* 196. *Lessius c. numero* 22. *Syl. c. Continuatio possessionis tempore legibus definito:* quare res mobiles corporales (quales sunt vestis, animalia, nauis, debitum rerum mobilium, vel actio ad obtinenda debita rerum mobilium) priuati hominis vel etiam cuiuuis Ecclesiæ etiam Romanæ, præscribuntur possessione bonæ fidei cum titulo per triennium inter præsentes, inter absentes verò requiritur spatium quatuor annorum cum titulo, & bona fide. Ad vsucapionem verò rerum mobilium sine titulo, requiruntur anni 30. siue priuati eæ sint, siue Ecclesiæ. *C. sanctorum de præscr. Layman c. n.* 13. *Less. c. nu.* 23. *Fill. c. num.* 197.

Ad præscriptionem rerum immobilium, vt sunt ager, domus, & res incorporeæ, vt iura, debita, actiones, seruitutes requiritur contra priuatos spatium decem annorum inter præsentes cum titulo, inter absentes verò requiritur spatium 20. annorum. Authent. *quas actiones c. Lessius c. num* 25. *Bonac. c. num.* 28. *Molin. d.* 72. Contra autem rem immobilem Ecclesiæ (modò non sit Ecclesia Romana) vel loci pij, vt hospitalis, Collegij Canonicorum, Episcopi, vt Episcopus est, iure communi requiritur spatium 40. annorum tam cum titulo, quàm sine titulo, tam inter præsentes, quàm inter absentes, siue is qui præscribit sit priuatus, siue sit vna Ecclesia contra aliam. *Less. c. num.* 23. *Fill. c. nu.* 197. *Mol. c. d.* 69.

Aduerte autem *Primo*, præsentes dici eos, qui sunt in eadem ciuitate vel territorio eius vel parte regni, siue res præscribenda ibi sit siue alibi. Absentes verò, qui in diuersis ciuitatibus, vel regni partibus seu territorijs commorantur. Rodriqu. *tomo primo qq. q.* 36. *articulo* 3. *tom.* 3. *qu.* 33. *articulo secundo. Secundo*, quod nota contra Ecclesiam Romanam, id est, contra Papam, vel patrimonium eius vel bona Ecclesiæ Lateranensis, requiritur decursus 100. annorum: quod ex priuilegio *Eugen. IV.* & *Pij V.* extenditur ad Monasteria.

12. *Bona* Principis tamquam priuati, eodem tempore, quo priuari bona, præscribuntur: collecta pro publica necessitate 40. annis: *Less. c. dub.* 12. *Fill. c. num.* 200. *Couarr. c.* §. 2. *n.* 7. Ius imponendi vectigalia 40. annis cum titulo, sine titulo tempore immemorabili. Quæ verò debentur Principi in recognitionem supremæ potestatis, nullo tempore præscribi possunt.

13. Contra leges ciuiles præscribitur consuetudine 10 annorum, quando aliàs non putatur Princeps consensisse in eam cõsuetudinem: aduersus autem legem Canonicam requiruntur 40. si consuetudo sit aliquo modo contra ius Ecclesiæ: probabile tamen est sufficere etiam 10. vt in ciuili, quando obligatio subditorum ad seruandam legem, non censetur præiudicare alicui iure Ecclesiæ. *Angel. v. consuetudo num.* 8. *Sylvest. ib. num.* 6. *Fill. c. n.* 101. *Less. c. n.* 44.

14. *Seruitus personalis* præscribitur spatio 10. annorum cum titulo inter præsentes, inter absentes spatio 20. annorum cum titulo; sine titulo verò spatio 30. annorum: *Seruitus realis* si continua aut quasi continua sit, præscribitur spatio 10 annorum inter præsentes; viginti verò inter absentes. *Seruitus* verò *discontinua* non præscribitur, nisi tempore immemorabili, quia possessio in huiusmodi seruitute non potest esse continua. Couarr. 1. *var. cap.* 17. *num.* 11. *Azor.* 3. *part. l.* 1. *cap.* 22. *qu.* 10. *Less. c. dub.* 9. *Fill. c. num.* 198. Porrò de tempore quò iura, aquæductus, stillicidia, actiones, hypothecæ, fideicommissa præscribuntur. Videri possunt *Azor. Mol. d.* 70. & deinceps.

15. Multi Doctores putant, illum qui legitimè præscripsit rẽ aliquam, si termino præscriptionis elapso constet fuisse alienam, teneri ad restitutionem, nisi intercesserit negligentia domini in re sua inquirenda; eò quòd leges præscriptionis videantur solùm institutæ in pœnam negligentiæ domini, ita Adrian. 4. *q.* 2. *de præscr. Med. C. de rest. q.* 18. *Scot.* 4. *d.* 15. *qu.* 2. & *Lessius c. num.* 50. *Filliuc. c. num.* 202. *Clau. reg. c. num.* 34. *Lopez* 1. *par. cap.* 133. *Diana p.* 6. *tr.* 7. *resol.* 12.

Verum communis sententia asserit, præscriptionem transferre dominium in possessorem bonæ fidei legitimo tempore, etiãsi absit negligentia in eo contra quem præscribitur; quare legitima præscriptio excusat à restitutione non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ; nam possidens rem bona fide, facit illam suam per continuationem temporis à lege constituti: hoc enim à iure sancitum fuit, vt lites vitarentur, & ne diu, & ferè semper incerta essent dominia rerum.

Tum quia in Principe est plena potestas, tam in subditos, quã in eorum bona, quatenus commune bonum, & vtilitas publica postulat: atqui hęc postulat vt bonæ fidei possessor interuenientibus certis quibusdam conditionibus, tantaque certo tempore, rem quam possidet præscribat, dominiumque illius consequatur, quod antiquus dominus, esto nulla interuenerit ipsius negligentia, amittat, ergo iustè Principes legem statuerunt, quę vim habeat etiam in foro conscientiæ, & cuius virtute dominium rei præscriptæ in præscribentem transferatur.

Nec refert quod fundamentum præscriptionis est bona fides, ergo, cùm bona fides tunc cessat, cùm cognoscitur res fuisse alterius, tenebitur tunc præscribens rem suo domino iam cognito restituere.

Resp. bonam fidem toto tempore ad præscribendum dato, antequam dominium via præscriptionis comparetur, esse fundamentum præscriptionis, cognitio verò superueniens post rem præscriptam, & dominium illius comparatum, quod res illa ante præscriptionem fuerit alterius, nihil impedit præscriptionem iam peractam, nec illam reuocat.

16. Nullo modo præscribi possunt. *Primò*, exemptio ab obedientia superioris. *Secundò*, res vsibus publicæ deputatæ, vt forum, via publica, Pons &c. *Tertio*, ius decimarum à laicis post Concil. Magnum Lateranense præscribi nequit. *Quartò*, limites Prouinciarum, Episcopatuum, & Parochiarum, si de his constet, si autem non constet, præscribi possunt. *Quinto*, res indiuisa communis pluribus, nullo tempore ab aliquo illorum præscribi potest. Vide Dianam *tract. 5. Miscell. resolut. 77. par. 3. Sylvest. v. præscript. 2. qu. 12. Molina disp.* 79. *Less. c. n.* 48.

17. Præscriptio tunc dicitur procedere, quando post inchoationem eius bona fide, legitimè continuatur, tunc autem non procedit, quando non incipit, vel quia deest possessio ciuilis, vel

titulus in ea, in qua is requiritur, vel bona fides, vel quia res non poterit alienari lege reſiſtente, vt fundus dotalis, bona aduentitia fil familias, &c.

Dormire dicitur præſcriptio, quando poſtquam eſt inchoata, ceſſat aliquo tempore, ita tamen, vt illo præterito, rurſum continuari poſſit cum priore. *Interrumpitur* autem vel naturaliter, vel ciuiliter; *naturaliter* quando incipit deeſſe bona fides, vel titulus, vel poſſeſſio: *Ciuiliter* verò quando per aliquem actum iuridicum interpellatur, vt per litis conteſtationem, citationem &c. Ita Syluest. *v. præſcript. 1. num. 7. Leſſius c. num. 49.* Filliuc. *c. numero* 208. *Molina diſputatio.* 78. Couarruu. *reg. poſſeſſor. p. 2.* §. 12.

18. Contra præſcriptionem datur *reſtitutio in integrum*, quæ nihil aliud eſt, quam quoddam remedium, quod finita præſcriptione relinquitur priori domino, qui rem tuam amiſit, nempe, vt authoritate iudicis poſſit reſtitui in dominium, & poſſeſſionem rei amiſſæ: hoc remedium conceditur.

Primò, minoribus ætate, id eſt, qui nondum 25. annos expleuerunt.

Secundò, pijs locis, & Eccleſijs etiamſi præſcriptio ſit 40. annorum, Eccleſiæ enim conceſſum eſt priuilegium minorum, eſtque ipſa inſtar minoris vel etiam pupilli.

Tertiò, maioribus ætate conceditur in præſcriptione 10. & 20. annorum; modò tamen probent, cum iuſta, & probabili ignorantia ſua, aut omninò ſine negligentia præſcriptionem fuiſſe peractam: habent hi quatuor annos à notitia completæ præſcriptionis. Molina *diſputat. 80. Filliuc. c. numero* 209. 210. *Leſſius c. dub. 18. Regnald. lib. 10. numero* 31. *Layman. l. 3. tra. 1. cap. 8. num. 20. 21.*

De præſcriptione vide *ver. Feudum* numero 4. *Reſtitutio* 5. numero 15.

PRIVILEGIVM I.

Quid & quotuplex, A quo, & cui concedendum ſit priuilegium.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit priuilegium? & de eius diuiſione in reale, & perſonale.*
2. *De triplici priuilegio perſonali.*
3. *An in dubio priuilegium iudicandum ſit reale?*
4. *De alijs diuiſionibus priuilegij, nempe de gratioſo, remuneratorio, conuentionali, &c.*
5. *Priuilegium aliud eſt quod proprio motu Principis confertur, aliud verò in gratiam petentis.*
   Et quod ſit inter ea diſcrimen?
6. *Quis poſſit priuilegium conferre?*
7. *An ſubditis tantùm priuilegium concedi poſſit?*
8. *An Bullario, ſeu ſcriptura ſit de eſſentia priuilegij?*
   Omnia priuilegia viua vocis oraculo. Regularibus conceſſa à Summis Pontificibus, reuocata ſunt ab Vrbano VIII. & Gregorio XV.
   Quid ſit viua vocis oraculum?
   An per conſtitutiones dictorum Pontificum reuocentur viua vocis oracula, quæ per Bullam poſtea fuerunt confirmata? refertur duplex ſententia.
   An ſub hac reuocatione veniant priuilegia declaratiua aliorum priuilegiorum, ſacrorum Canonum, & Apoſtolicarum conſtitutionum aut ſtatutorum religionis?
   An priuilegium per Bullam vni religioni conceſſum, & viua vocis oraculo alteri communicatum, cenſeatur his conſtitutionibus reuocatum?
   An ſublata ſint indulgentiæ viuæ vocis oraculo conceſſæ?
9. *Priuilegium conceditur Motu proprio, vel ad inſtantiam partis.*

1. PRiuilegium eſt veluti priuata lex, in alicuius fauorem data; quia in priuilegio aliquis fauor conceditur, qui iure communi non conceditur, aliàs priuilegium fruſtratorium eſſet, & inutile. *Diuiditur* multipliciter priuilegium. *C. Abbate de verbor. ſignif.*

Primò, in reale ac perſonale. *Priuilegium reale* eſt, quod proximè ac directè alicui conceditur, reſpectu rei, loci, muneris, dignitatis, puta prædij Monaſterij, Eccleſiæ, Epiſcopatus.

Perſonale eſt quod conceditur immediatè perſonæ ratione ſui: *diſcrimen* autem eſt inter priuilegium perſonale, & reale, quod priuilegium perſonale perſonam ſequitur & cum ea extinguitur; priuilegium verò reale cohæret rei & cum eadem expirat. Suar. *de leg. l. 8. cap. 1. Laym. l. 1. tr. 4. cap. 23. Azor. 1. part. libro quinto cap. 22. Bonac. tomo ſecundo d. 1. q. 3. p. 1. num. 6. Rodriqu. tom. 1. p. reg. qu. 7. ar. 1. & 2. Portel. de dub. regul. v. Priuilegium num. 1. & 4.*

2. *Priuilegium perſonale* triplex conſtituitur. *Primum* propriè ac ſingulariter perſonale, quod vni tantùm conceditur per ſe, per accidens tamen familia, & domeſtici de eo participant, vt eſt priuilegium alicui conceſſum audiendi vel celebrandi Miſſam tempore interdicti generalis.

Secundum eſt priuilegium communiter perſonale, quod certo perſonarum generi conceditur, puta minoribus 25. annis priuilegium reſtitutionis in integrum; & hoc priuilegium tranſmittitur etiam ad hæredes, quia non meræ reſpectu perſonæ, ſed etiam ratione rei, videlicet, interuenientis læſionis conceſſum eſt.

Tertium priuilegium corporale, quod corpori ſiue communitati confertur, vel ea conditione vt ſinguli è communitate priuilegio frui poſſint, vel vt communitas tantum & collectiuè; & hoc priuilegium non extinguitur cum perſonis ſingularibus, ſed continuatur in perſonis perpetuò ſuccedentibus. *Syluest. v. priuileg. qu. 1. Layman c. num. 3. & 4. Bonac. c. num. 10. Rodriqu. c. ar. 2. Hieronym. Rodriq. reſol. 116. Miranda in Man. Prælat. to. 2. qu. 41. ar. 2.*

3. In dubio priuilegium iudicandum eſt reale, quando eſt fauorabile ſeu purum beneficium; quia beneficium Principis latè explicandum eſt, & decet eſſe munificum; quando verò priuilegium eſt contra ius commune vel præiudicat tertio, in dubio, perfectè loquendo, iudicandum eſt tamquam perſonale: cùm huiuſmodi priuilegium ſit odioſum, & odia ſint reſtringenda: ratione tamen alterius circumſtantiæ, vt poſſeſſionis, vel maioris probabilitatis in alterutram partem, iudicandum eſt in fauorem illius partis quæ poſſidet, vel pro qua ſtat maior probabilitas. *Suar. l. 8. c. 3. a num. 14. vſque ad 19. Salas de legib. diſp. 7. ſect. 6. Portel. c. num. 5. Pont. de matrimon. lib. 8. ca. 18. §. 1. num. 7. Dian. p. 4. tr. 3. reſol. 51.*

4. Priuilegium *aliud* dicitur gratioſum, quod ſcilicet gratis conceditur, nulla habita ratione meritorum illius, cui conceditur, vel aliorum. *Aliud* remuneratorium, quod conceditur alicui ratione meritorum ipſius, vel alterius. *Aliud* eſt conuentionale, quod conceditur intercedente pacto ſeu conuentione. *Aliud* purum, quod abſolutè conceditur. *Aliud* eſt ob bonum commune. *Aliud* immediatè & proximè ob bonum priuatum. *Aliud* eſt purè fauorabile, quod confert fauorem, & commodum, nullique affert incommodum, & præiudicium. *Aliud* eſt odioſum, quod vni confert fauorem, & alteri præiudicium, vt dum quis eximitur ab onere decimarum. *Suar. c. cap. 6. Azor. 1. par. libro quinto cap. 23. Bonacina c. numero* 8. 9. 10. & 11. *Portel c. num. 6.*

5. Priuilegium *aliud* eſt, quod proprio motu Principis confertur, *aliud* verò in gratiam petentis: diſcrimina inter ea ſunt:

Primò, quod illud, ſi cætera paria ſunt, fauorabilius eſſe ſoleat, hoc verò magis odioſum, præſertim ſi gratia inſolita ſit.

Secundò, priuilegium quod motu proprio conceditur, excludit præſumptionem ſubreptionis: ſecus ſi ad inſtantiam petentis.

Tertiò, priuilegium quod proprio motu confertur, ordinariè ſuum effectum non ante conſequitur, quàm priuilegiato innotuit, excepto illo, quod non per modum ſpecialis reſcripti, ſed generali lege ſeu ſtatuto conceditur, ad remunerandum aliquem de Republica bene meritum.

Illud autem quod in gratiam petentis, per procuratorem datur, ſtatim ſuum effectum ſortitur, cum ferens annuit, vel voluntatem ſuam ſignificauit, etiam adhuc ignorante eo qui poſtulauit. Sanch. *de matrimon. l. 1. diſp. 6. num. 29. & l. 3. d. 36. Suar. c. l. 8. cap. 25. num. 10. & ſeq. Azor. 1. cap. 3. qu. 5. & cap. 23. qu. vlt. Syluest. c. q. vlt.*

Item aliud priuilegium eſt inſertum in corpore iuris Canonici. Aliud verò eſt extra corpus iuris. Etſi licet vtrumque coram Deo æqualem vim habeat, differunt tamen, *primò*, quia priuilegium inſertum in corpore iuris, eſt quaſi lex publica, & obligat omnes ad ſui obſeruationem ſeu conſeruationem.

Pri-

Priuilegium verò extra corpus iuris, contentum ſcilicet in aliqua Bulla particulari, non ita promulgatur, neque ita obligat, niſi poſt exhibitionem authenticam, & iuſtificatam.

Secundò, differunt, quia priuilegia contenta in corpore iuris non reuocantur, niſi de illis fiat ſpecialis mentio, vel dicatur quòd reuocantur etiam priuilegia in iure communi contenta, & ſic non ſufficit reuocatio quantumcumque generalis: priuilegia verò poſita extra corpus iuris reuocantur per quamcumque reuocationem generalem, vt dicetur infra *verb. Priuileg. 3. num. 3.* & docent Mirand. *in Man. tom. 2. qu. 43. art. 2. concl. 5. Bonac. de leg. diſputat. pr. ma quæſt. 3. p. 8. §. 3. n. 15. Portel in dub. regul. per. Priu. ceſſante n. 67. Diana p. 5. tr. 13. reſ. 93.*

6. Omnis & ſolus ille, qui legem condere, etiam priuilegium conferre poteſt; quia priuilegium non cuiuſuis hominis beneficium dicitur, ſed quod publica poteſtate alicui confertur, ad faciendum aliquid vel omittendum, hinc Summus Pontifex poteſt directè in ſpiritualibus priuilegia concedere omnibus, & vbique, aut etiam in temporalibus, in proprijs legibus, & territorijs.

In alienis verò legibus temporalibus poteſt indirectè omnibus priuilegia concedere, quatenus opus fuerit per ordinem ad ſpiritualia: Epiſcopus poteſt in proprijs ſtatutis priuilegia conferre ſuis ſubditis. Imperator verò, Rex, Princeps ſupremus, poſſunt priuilegia exiſtentibus in ſua ditione concedere in legibus à ſe latis Sylueſt. *v. Priuilegium qu. 2. Suar. l. 8. c. 9. & 10. Regin. l. 13. n. 234. Laym. c. nn. 14. Azor. c. l. 5. c. 22. q. 3. Salas c. d. 17. ſect. 3. n. 27. Miranda to. 2. q. 41. ar. 3.*

7. *Priuilegium* propriè & ſtrictè acceptum quod eſt contra ius, ſeu quo quis directè ab obligatione legis eximitur illis tantummodo concedi poteſt, qui aliquo modo ſunt ſubditi: quia per priuilegium homo eximitur à lege, ſed illi ſolùm à lege eximi poſſunt, qui ſunt aliquo modo ſubditi, ergo. *Priuilegium* verò, quod eſt præter ius, ſeu quo quis non directè eximitur ab obligatione legis, quodque propriè non eſt actus iuriſdictionis, ſed quaſi donationis, & dominij illius rei vel iuris, quod per priuilegium datur, concedi poteſt perſonis quæ non ſunt ſubditæ: vnde Clerici, & Religioſi licet non ſint propriè, & directè ſubditi principibus ſæcularibus, nihilominus ſi Princeps ſæcularis condat legem ciuilem putè fauorabilem, poſſunt illam recipere, & illius fauore frui. Layman. *l. 1. tr. 4. cap. 23. num. 15.* Suar. *c. cap. 9. num. 4.* Bonac. *c. punct. 2. num. 5.*

8. Ex ſententia communi Canoniſtarum, ſcriptura ſeu Bullatio non eſt de eſſentia priuilegij: vt ſumitur ex *ca. Inſtrumentum, 25. quæſt. 2.* vbi glo ſſa notat, & ex *Clement. dudum, de ſepult.* quia tamen ſine literis authenticis non poteſt priuilegium probari, ideò ad faciendam fidem in iudicio, neceſſaria eſt omninò ſcriptura ſeu Bullatio: & ad euertenda quamplurima inconuenientia, & abſurda, quæ ex contrario facto poſſent exoriri. Propterea Leo X. *conceſſit Fratribus Minoribus, vt poſſint in foro conſcientiæ vti omnibus conceſſis à Sede Apoſtolica, ſine per Bullas, aut breuia, aut viuæ vocis oracula, prout in libris Ordinis reperiuntur, ac ſi omnia ſpecificè fuiſſent tunc expreſſa, quæ omnia pro maiori conſcientiarum ſecuritate de nouo conceſſit.* Item idem Leo X. conceſſit, *quod non ſint minoris efficaciæ & valoris viuæ vocis oracula, quàm ſi per Bullam, aut breue, ad perpetuam rei memoriam eſſent conceſſa, & hoc in foro conſcientiæ tantum.*

Eſt & aliud priuilegium *Iulij 2.* conceſſum Fratribus Eremitis S. Auguſtini, prout in eorum monumentis continetur, *quo conceſſit eiſdem, quod omnia priuileg. a. facta Ordinibus Mendicantium, & illis qui ſuis priuilegijs gaudent per ſe, ſine per communicationem ſine fiant facta in forma Breuis, ſine per ſupplicationem expedita, in quibus placuit, vt ſignatura ſola ſufficeret, eandem omninò vim, & efficaciam habeant, tam in iudicio, quàm extra iudicium, ac haberent ſi plumbeo ſigillo eſſent conſignata.* Vide Tambur. *tom. 1. diſp. 16. quæſt. 2.* de iure Abbatum.

Verùm poſt has conceſſiones Gregorius X V. in Bulla *Romanus Pontifex in Specula*, &c. die 2 Iulij 1622. reuocauit omnia, & ſinguła priuilegia, gratias, & conceſſiones quaſcumque viuæ vocis oraculo factas quibuſuis Ordinibus, exceptis oraculis factis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & eorum manu firmatis. Hanc conſtitutionem Gregorij extendit S. D. N. Vrbanus VIII. per Bullam ſuam quæ incipit: *Aliasfœlicis. 20. Decembr.* 1631. ad conceſſiones, & gratias viuæ vocis oraculo, etiam à Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas.

Circa quas Conſtitutiones nonnulla dubia ſuborta breuiter ſunt reſoluenda, ſecundùm doctrinam Auctorum, qui poſt illas ſcripſerunt: vt certa ab incertis diſtinguantur.

Dubium primum. Quid ſit Oraculum viuæ vocis? Reſp. Oraculum viuæ vocis eſt conceſſio, ſeu gratia oretenus facta ſine ſcriptura à Summo Pontifice. Vnde non ſolùm conceſſiones factæ per Bullam, aut Breue, non dicuntur Oracula viuæ vocis, ſed etiam illæ, quæ fiunt per ſignaturam Papæ, quando ſcilicet ipſe alicui petitioni propria manu ſubſcribit, vel ſolùm ſcribendo fiat, quia tales conceſſiones non fiunt oretenus, ſed etiam manu. Ita Portel *in dub. reg. v. Vuæ vocis oracula numero primo. Bordon reſolut. 31. quæſtio. 1. Lezan. tom. 4. ſumm. v. Oracula viuæ vocis, num. 4.*

Dubium ſecundum. An per dictas Conſtitutiones reuocata etiam ſint viuæ vocis Oracula, quę etſi primitus verbotenus cõceſſa ſint, poſtea tamen per Bullam, vel breue fuerunt confirmata ex certa ſcientia, ſeu plenitudine poteſtatis? Reſp. Probabilem eſſe ſententiam affirmatiuam *Bordoni* loco citato *quæſt. 5.* Ratio eſt, quia adhuc remanent Oracula, ac conſequenter ſubiecta reuocationi, aliud eſt enim, aliquod priuilegium confirmari, & innouari, ſi aliàs non ſubſiſtebat, quod fit per confirmationem *ex certa ſcientia, ſeu expleniudine poteſtatis*, aliud tranſire in naturam, & conditionem Bullæ exuendo nomen Oraculi; priori enim modo Oraculum innouatum adhuc remanet Oraculum, in quo ſenſu, cùm ea priuilegia fuerint confirmata vt oracula, à dictis Pontificibus concluditur reuocata fuiſſe. Poſteriori autem modo, ſi quæ ſunt ſic confirmata, & innouata, nulla mentione de ipſis facta vt oraculis in actu ſignato, non ampliùs oracula ſunt, ſed priuilegia per Bullas, aut Conſtitutiones conceſſa, ac proinde in hoc ſenſu non intelliguntur reuocata, eò quòd nunc nulla ratione ſunt oracula. Nihilominus non eſt improbabilis ſententia Peyrin. *tom. 3. de priuil. cap. 12. conſt. 18. alias 28. Vrban. 8. num. 1. Lezana tom. 4. ſupr. cit. num. 7.* nempe, non eſſe reuocata, non ſolùm quando prædictæ viuæ vocis Oracula nominatim & expreſsè referuntur in Bulla, ſeu Breui, ſed etiam quando in genere, aut in communi ſub nomine viuæ vocis oraculi innouantur, aut confirmantur ex certa ſcientia, ſeu cum illa clauſula. *Quorum tenores ac ſi de verbo ad verbum*, &c. Vnde inferunt prędicti Authores viuæ vocis Oracula conceſſa Religionibus Mendicantibus ante *Pium V.* & *Gregorium XIII.* non reuocari per dictas Conſtitutiones, quia ipſe *Pius V.* in Bulla *Etſi Mendicantium Ordines*, & *Gregorius XIII.* in Conſtitut. *Ex benigna*, confirmant omnia priuilegia etiam viuæ vocis Oraculo conceſſa Mendicantibus, & iam deſinunt eſſe conceſſa per viuę vocis Oraculum, ſed ſunt conceſſa per nouas dictorum Pontificum Conſtitutiones. An autem hæc doctrina practicari poſſit, aut ſit conformis menti Pontificum, docti videant: proinde vt in his tutiùs agatur, inquirendum eſt, quid ſtylus Romanæ curiæ ſentiat, aut ſeruet.

Dubium tertium. An ſub hac reuocatione veniant priuilegia declaratiua aliorum priuilegiorum Sacrorum Canonum, & Apoſtolicarum conſtitutionum, aut ſtatutorum Religionis? Reſpon. non venire: quia huiuſmodi declaratiua non ſunt in detrimentum Eccleſiaſticę diſciplinę, ſed multùm cõducunt ad conſeruationem Religioſorum in regulari obſeruantia. Ita *Lezana, Peyrinus*. Dummodo prædictæ viuæ vocis Oracula declaratiua non contineant aliquam gratiam, priuilegium aut indultum. De hoc dubio vide Dianam *part. 8. tract. 7. reſol. 58* Vbi refert Santorium à Melfi *in comment. ad conſt. minor. ſtat. 2. dub. 3.* docentem, etiam poſt Bullas *Gregorij XV.* & *Vrbani VIII.* licere Regularibus in priuata recitatione horarum, illas perſoluere mentaliter, ex declaratione *Leonis X.* facta Minoribus viuæ vocis oraculo: quæ conceſſio ad mentem illius, non eſt gratia, ſed gratię declaratio; vnde infert quòd priuilegium recitandi mentaliter horas eſt declaratio iuris communis. *Cap. dolentes, de celebr. Miſſar.* Sed an hęc ſententia probabiliter in praxi admittenda ſit, ipſe *Diana* remittit iudicio aliorum: vnde contrarium docuimus ſupra *verb. Horæ Canonicæ 11. num. 15.*

Dubium quartum. An priuilegium per Bullam vni Religioni conceſſum, & viuæ vocis Oraculo alteri communicatum, cenſeatur his conſtitutionibus reuocatum? Reſp. non eſſe: quia gratia conceſſa per viuę vocis Oraculum hoc modo, intelligitur omnino ſicut Apoſtolicum diploma: communicare enim vni Religioni priuilegia alterius, idem eſt, ac illi eadem concedere, ſicut conceſſa fuerant priori Religioni. *Bordon. c. q. 6. Peyrinus ſuper hanc Bullam Vrban. 8. n. 2.*

Dubium quintum. An ſublatæ ſint indulgentię viuæ vocis oraculo conceſſę? Reſpond. probabile eſſe quod non. Tum quia de his nulla fit expreſſa mentio, nec venirè commodè poſſunt nomine

mine priuilegiorum, aut gratiarum, sed sunt omninò diuersa, & à diuersis non fit illatio, præsertim in odiosis, qualis est hæc Constitutio, cùm sit reuocatoria tot priuilegiorum.

Tum quia id videtur colligi ex Nauarro dum dicit eas non venire sub nomine indultorum, & gratiarum, quas solent reuocare Summi Pontifices initio suę assumptionis per regulas Cancellariæ. Ita Peyrin. *tom. 3. ad hanc constit. Vrbani 8. c. 12. nu. 1. ad finem. Bordon. c. q. 4. Lezana tom. 4. v. Oracula n. 5. Nau. conf. 17. de pœnit. n. 3.* qui vltimus contrarium probabile etiam censet.

Dubium sextum. An viuæ vocis Oracula, quæ suum sunt sortita effectum ante prædictas constitutiones, hoc tempore adhuc valeant? Resp. per Constitutionem *Greg. XV.* illa non reuocari, vt patet ex ipsius contextu: & declarauit Sac. Congregatio die 2. Aprilis 1625. Per Constitutionem tamen *Vrbani VIII.* cùm nihil tale dicatur, videntur reuocari. saltem quatenus respiciunt effectum pro futuro tempore. Licet contrarium quidam sentiant, cùm id non exprimatur in Constitut. Vrbani. Si enim ipse in hoc coarctare Constitutionem Gregorij voluisset, debebat illud declarare. Et certè videmus quosdam Religiosos post Vrbanam Constitutionem adhuc vti Oraculo viuæ vocis celebrandi officium quolibet die Sabbati non impedito, de Immaculata Conceptione B.M. Virginis, nulla noua concessione facta: quod signum est, illud adhuc vigere, cùm id fiat publicè vidente, & nõ contradicente Pontifice. Vidè Lezanam *tom. 1. sum. cap. 3. num. 21.* & *Santerium* loco citato, suprà.

Plura de his apud Authores hic citatos. Quæ autem, & qualia sint huiusmodi viuæ vocis Oracula Religionibus concessa, constat ex Compendijs priuilegiorum ipsarum. Multa ipsorum habet *Cassarubius* in tuo Mendicantium, & non Mendicant. Priuileg. Compendio, vbi ea quę sunt authentica notat [O] magno, quæ verò authentica non sunt [o] paruo. *Rodriques* etiam in suo Bullario plura refert circa singulos Pontifices, qui illa concesserunt.

9. Priuilegium duobus modis præcipuè solet concedi. Primò ex *motu proprio* quando scilicet Princeps ad illud concedendum, non mouetur precibus alicuius, sed ex sua sola liberalitate. Secundò modo datur vt plurimùm *ad instantiam partis.* In multis tamen differunt, quòd concessum ad instantiam partis, non est adeò voluntarium, & liberale, sicut est concessum ex motu proprio. Et proinde priuilegium cum clausula ex *motu proprio* ampliat priuilegium, quantùm patitur proprietas verborum; quod non habet priuilegium concessum ad instantiam partis. *Secundò* differunt, quia aliquando qui petijt priuilegium, cogitur vti priuilegio petito: si verò fuit illi concessum ex motu proprio, numquam potest cogi vt illo vtatur. *Tertiò* differunt, quia priuilegium subreptitiè impetratum ad instantiam partis non valet. At datum motu proprio valet, quia clausula *motus proprij* tollit omnem subreptionem. Ita Suar. *de legib. l. 8. c. 12. Miranda in man. tom. 2. qu. 45. ar. 1. concl. 2.* & alij.

PRIVILEGIVM II.

De multis priuilegij qualitatibus.

SVMMARIVM.

1. *An priuilegium valide possit obtineri absque mandato vel scientia illius in cuius fauorem obtinetur? vel etiam an ipso inuito?*
2. *An priuilegium habeat vim ante acceptationem eius, cui conceditur, vel ipsius nuncij aut procuratoris, qui vicem ipsius gerit?*
3. *An priuilegium possit à concedente reuocari antequam à priuilegiario accipiatur?*
4. *An reuocatio iurisdictionis valeat, antequam reuocatio intimetur ab ipso reuocante, illi, cui concessa fuerat?*
5. *Qualis debeat esse materia priuilegij? & an priuilegiatus teneatur vti suo priuilegio?*
6. *An forma substantialis contenta in priuilegio seruari debeat, vt valeant actus facti virtute priuilegij?*
7. *An priuilegiarius possit priuilegio vti in qualibet territorio concedentis, si absque loci determinatione concessum sit?*
8. *An priuilegiarius vbique, etiam extra territorium concedentis, possit vti suo priuilegio personali?*
9. *An in priuilegijs explicandis seruanda sit verborum proprietas, iuxta vsum communem, & an priuilegium odiosum stricte explicandum sit?*
10. *An priuilegium quod est contra ius, aut quod alteri damnum infert, stricte sit explicandum?*
11. *An dispensatio vel priuilegium contentum in corpore iuris late sit explicandum?*
12. *An potestas concedendi priuilegium vel dispensationem, late sit interpretanda seruata verborum proprietate?*
13. *An potestas dispensandi extendatur quoties vergit in præiudicium tertij?*
14. *Quomodo explicandum sit priuilegium concessum ad instar alterius priuilegij?*
15. *An priuilegium censeatur solummodo concessum ijs personis, vel rebus quæ sunt in priuilegio expressę, vel quam eo comprehendantur propter significationem vocis, &c.*

1. PRiuilegium vel dispensatio validè potest obtineri absque mandato vel scientia illius, in cuius fauorem obtinetur: vnde valet dispensatio obtenta à Titio ad contrahendum cum affine vel consanguinea; quamuis ipsa non sit conscia dispensationis; imò validè potest obtineri dispensatio pro inuito, & nolente, & superior habens talem facultatem pro illis dispensare potest, quia sicut lex ferri potest in inuitum, ita etiam exẽptio à lege seu dispensatio. *Sanch. de mat. l. 8. d. 26. Henriq. l. 11. cap. 3. num. 6. Salas de leg. disp. 20. sect. 14. num. 13.*

2. *Priuilegium* non habet vim, donec acceptetur ab eo cui conceditur, aut ab ipsius nuntio vel procuratore qui vicem ipsius gerat; vnde valida sunt gesta quæ priuilegiarius facit postquam per nuntium vel procuratorem acceptauit priuilegium vel dispensationem, etiamsi priuilegiarius priuilegij concessionem nondum cognouerit; ex hoc valida est confessio facta Sacerdoti ignaro concessionis sibi ab Episcopo factę ad excipiendas confessiones, si concessio acceptata fuerit ab ipsius procuratore: *secus dicendum*, si licentiam sibi concessam cognouit per alium quàm per nuntium; neque potest priuilegiarius vti priuilegio, antequam ab ipso vel à procuratore accipiatur. Miranda *in Man. tom. 4. qu. 41. art. 6. Laym. l. 1. tr. 4. cap. 23. num. 9. & 28. Regin. l. 1 numero 104. Sanch. l. 4. moral. cap. 48 num. 7. Suar. de leg. l. 8. c. 25. num. 25.*

3. Præterea priuilegium alicui concessum potest à concedente reuocari antequam à priuilegiario acceptetur, quia sicut liberum est priuilegiario nõ acceptare, ita superiori priuilegium reuocare: quod intelligendum est de priuilegio ex mera concedentis liberalitate concesso. Sanch. *de matr. l. 3. disp. 36. numer. 4. Salas de legib. d. 17. sect. 5.*

4. Non valet reuocatio iurisdictionis, antequam innotescat illi, cui concessa fuerat imò iuxta valdè probabilem nonnullorum sententiam non sufficit quælibet notitia reuocationis, sed opus est vt reuocatio intimetur ab ipso reuocante, vel per eius Epistolam, aut alium ipsius nomine, vt per procuratorem aut nuntium ab ipso ad id destinatum; quia res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur; sed iurisdictio acquiritur vnione voluntarum superioris concedentis, & alterius acceptantis per se vel per alium ad id destinatum. Sanches *de matrimon. libro 3. disputat. 30. numero 11. & seq. Henriq. l. 7. cap. 20. numero primo. Layman c. num. 28.*

5. *Materia priuilegij* debet esse honesta, rationabilis, fauorabilis, & debet consistere in aliqua facultate ad agendum aliquid vel non agendum, ad recipiendum vel non recipiendum: Effectus autem priuilegij respectu priuilegiarij consistit in facultate aliquid faciendi vel omittendi: Priuilegiarius tamen, per se loquendo, non tenetur vti suo priuilegio, nam quod in alicuius fauorem concessum est, non debet in ipsius incommodum, vel grauamen retorqueri: In duobus tamen casibus priuilegiatus tenetur vti suo priuilegio. Suar. *l. 8. cap. 9. num. 1. Salas disput. 17. sect. 4. num. 29.*

Primò, quando ex omissione vsus priuilegij sequitur aliorum præiudicium. *Secundo*, quando actus qui alias erat illicitus, efficitur licitus per priuilegium, si ille idem actus legi subijciatur vt si alicui concedatur priuilegium audiendi Missam tempore interdicti. Rodriq. *tom. 1. qq. regul. qu. 61. art. 15. Bonac. to. 2. d. 1. q. 3. p. 4. §. 1.*

6. Vt validi sint actus facti virtute priuilegij, requiritur vt seruetur forma substantialis contenta in priuilegio; quia actus sine forma substantiali celebratus non est validus. *Bonacina c. §. 2.*

7. Quando priuilegium fuit absolutè & absque loci determi-

mination concessum, priuilegiarius potest tali priuilegio vti in quolibet territorio concedentis; quia vbi ius non distinguit aut limitat, neque nos distinguere aut limitare debemus: nisi aliter constet de mente concedentis: mens autem legislatoris colligi potest, tum ex verbis, tum ex supplicatione, tum ex re quæ petitur, tum ex antecedentibus, tum ex consequentibus, tum ex ratione motiua, & finali ob quam priuilegium conceditur. Suares *lib. octauo cap. 26. num. 4. Bonac. c. p. 5. Layman. l. 1. tract. 4. ca. 13. num. 16.*

8. Cùm priuilegium personale personam afficiat illique inhæreat, quocumque perga:, hinc priuilegiarius, per se loquendo, potest vbique etiam extra territorium concedentis vti priuilegio personali sibi concesso absque determinatione loci, modò in alieno territorio non extet specialis aliqua prohibitio; per accidens tamen ratione scandali vel alterius circumstantiæ fieri potest, vt priuilegiarius priuilegio sibi concesso nequeat vti extra territorium concedentis, aut etiam intra concedentis territorium. Hinc qui generalem habet facultatem audiendi confessiones in aliqua diœcesi, potest quocumcumque illius diœcesis confessiones audire etiam extra diœcesim. Sanch. *de matr., lib. 8. disp. 51. n. 17. Suar. de legib. l. 8. cap. 26. num. 16. Azor. tom. 1. lib. 5. c. 23. q. 5. Laym c. n. 16.*

9. In priuilegijs explicandis seruanda est verborum proprietas, iuxta vsitatam verborum significationem vel vsum communem qui seruari consueuit in eo foro à quo conceditur. *Syluest. v. priu. q. 3. Azor. c. l. 5. cap. 23. q. 2.* Quod intelligendum est, modò nihil absurdi sequatur ex verbis prædicto modo acceptis. Suares *l. 5. c. 28. n. 19.* Salas *d. 17. sect. 6. n. 43.*

Vnde priuilegium purè fauorabile latè explicandum est, quantum rationabiliter iudicatum fuerit seruata verborum proprietate, quia odia restringi, fauores autem conuenit ampliari; & beneficium Principis latè explicandum est. Bonacin. *c. p. 7. num. 5.* E contra priuilegium odiosum regulariter loquendo, strictè explicandum est: quia princeps in odiosis censetur solùm voluisse derogare, quatenus expresè per verba declarauit.

10. Priuilegium quod est contra ius aut quod alteri damnum infert, strictè explicandum est, nisi aliter cogat necessitas, vel grauis aliqua causa, tunc ampliari potest prout recta ratio, & prudentia dictat, vt si dispensatio alioquin redderetur inutilis, & illusoria, aut si hoc exigat materia necessariò & inseparabiliter connexa. Nauar. *cap. 21. num. 6. Sanch. de matr. l. 8. disp. 1. nu. 19.* Suar. *l. 8. c. 27. n. 5.*

11. *Priuilegium* contentum in corpore iuris, non est strictè explicandum, cum censeatur vim legis & iuris communis habere: *c. cap. 27. num. 8.* Salas *disp. 20. num. 90. idem* dicendum de dispensatione, quę continetur in corpore iuris, seu quæ per legem vel Canonem conceditur; hæc enim est quasi lex, consequenter latè interpretanda. Azor. *l. 5. cap. 23. qu. 2. Item* priuilegium irregulari concessum ad beneficia, censetur solùm concessum ad beneficia simplicia non ad dignitates, & beneficia curata. Sanch *c. num. 26. Item* priuilegium concessum illegitimo ad ordines, intelligitur concessum ad ordines minores, quia hæc dispensatio est contra ius commune. Salas, Azor. Suar. *ut. Item* priuilegium ad lites concessum strictè accipi debet, quatenus occasionem litigandi, & alios vexandi præbet: *similiter* illud quod vergit in præiudicium tertij, contra ius tertio quæsitum, restringendum est quantum verba patiuntur.

12. Quamuis priuilegium contra ius seu dispensatio strictè explicanda sit, quantum proprietas & significatio verborum patitur: Sà *v. dispensat. num. 7. Sanch. de matr. l. 8. disp. 1. Mol. tr. 2. disp. 173.* Ipsa tamen potestas concedendi priuilegium vel dispensationem, latè est interpretanda, seruata verborum proprietate; quia hæc potestas non repugnat vlli iuri, vtilis est enim ad commune bonum, si moderatè & prudenter exerceatur, nec vlli notabile præiudicium affert, licet præiudicet ipsi Principi, qui voluntarie cedit iuri suo: hæc autem potestas licet non extendatur ad casus non comprehensos sub lata verborum significatione, extenditur tamen ad casus adaptabiles casibus in potestate expressis; & secundùm Sanch. extenditur ad consecutiua etiam separabilia, in quibus eadem vel maior ratio est Henriqu. *l. 7. cap. 30. Suar. t. 4. d. 56. sect. 2. num. 8. Nugnus de indulgent. qu. 27. art. 4. diffic. 3. Bonac. c. q. 7. §. 1. num. 18.*

Hinc priuilegia & facultates Bullæ Cruciatæ aut Iubilæi latè sunt explicandæ, cum sint res fauorabilis, vtilis ad commune bonum, ordinata ad subueniendum necessitati publicæ Ecclesiæ, nec dici videntur vniuersaliter priuilegia contra ius, nec concedantur in fauorem aliquarum personarum expressarum: idem dicendum de facultate absoluendi à reseruatis confessario concessa.

13. *Potestas dispensandi* non extenditur, quoties vergit in præiudicium tertij, vel quando præiudicat illi, qui facultatem ordinariam habet ad dispensandum; quia superior non præsumitur velle alteri notabile præiudicium afferre, vel quoties adest consuetudo in contrarium: *Item* non extenditur ad ea, in quibus ipse superior non potest dispensare, vel quæ sunt specialissimè reseruata ipsi Summo Pontifici, vt dispensatio in matrimonio rato, voto castitatis aut religionis: vel quoties dirigitur ad dispensandum cum personis expressis, & quoties facultas cõceditur ad instantiam, & petitionem illarum personarum, cum quibus dispensandum est. Sanch. *de matrim. l. 8. d. 2. num. 3. 4. 5. 6. Sylvest. ver. dispensatio qu. 5. numero 9. Couarru. 4. decret. 2. par. cap. 8. § 8.*

14. Priuilegium quod dicitur ad instar, est illud, quod alicui datur per similitudinem, vel æquiparationem ad aliud concessum alteri, vt si dicat Pontifex, concedo ordini Prædicatorum priuilegium ad instar, id est, ad similitudinem priuilegij Minorum: secundum priuilegium dicitur ad instar, & priuilegium Minorum dicitur exemplar.

Hoc priuilegium concessum ad instar alterius priuilegij, ita explicandum est, vt per ipsum concessus censeatur omnis fauor & gratia cum eadem extensione, & limitatione, quæ continetur in alio ad instar cuius priuilegium est concessum. Ratio est, quia in hoc consistit æquiparatio vel imitatio, quam significat priuilegium, seu verbum ad instar, seu ad similitudinem. Aduertendum tamen est, quòd aucto priuilegio exemplari seu primo, non augetur priuilegium ad instar, quia dans priuilegium secundum, seu ad instar, solùm respicit ad statum quem tunc habebat exemplar, & non ad statum futurum. Neque è contra si augeatur priuilegium ad instar, non augetur exemplar, non enim habent hęc duo quoad hæc dependentiam.

Imò ille cui communicata sunt priuilegia aliorum, potest illis vti, etiamsi alij quibus concessa fuerant, illis priuentur vel non vtantur. Ratio est, tum quia priuilegium ad instar est distinctum, & factum est proprium illius, cui secundò concessum est: tum quia communicatio priuilegij est noua concessio, & priuilegium vnius, non pendet à duratione alterius. Ita Suar. *de leg. libro octauo cap. 15. & cap. 17. Miranda in Manual. tomo secundo qu. 42. art. 5.* Rodriqu. *tom. 1. qq. regul. quæst. 9. art. 9. Portel. in dub. reg. ver. Priuilegium numero 15. 16. Hieronym. Rodriq. resol. 116. num. 33. Nau. in comm. de Iubilæo notab. 26. num. 8. Tambur. tom. 2. de iure Abbat. disp. 17. quæst. 5.*

15. *Priuilegium* censetur solummodò concessum ijs personis vel rebus, quæ sunt in priuilegio expressæ, vel quæ in eo comprehenduntur, propter significationem vocis, aut propter materiæ aut actionis connexionem, vel propter iuris dispositionem: *Suar. de leg. libro octauo cap. 10. numero 7.* Rodriqu. *tom. 1. qq. qu. 13. art. 22. Bonac. c. punct. 7. §. 2. numero 2. & seq. Sanch. de matrimon. lib. 7. d. 47.*

Vnde priuilegium concessum Religiosis extenditur etiam ad Moniales; concessum filijs extenditur ad filias, fratribus ad sorores: *Item* priuilegium concessum bonis mariti, extenditur etiam ad bona vxoris communia cum bonis mariti: *Item* priuilegium concessum Sacerdoti vt possit celebrare tempore interdicti, extenditur ad alterum qui inseruiat sacerdoti: *Vxor* præterea gaudet priuilegijs nobilitatis obtentis à viro, sed non priuilegijs Clericatus.

Item priuilegium audiendi officia diuina tempore interdicti, extenditur etiam ad familiares, & domesticos: Filius verò non gaudet priuilegijs patris, excepta nobilitate, aut alia concessione à iure facta.

Porro in dispensationibus non est argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, modò minus non includatur in maiori, tunc enim dispensatio seu priuilegium extendi videtur ad minus, quia qui concedit totum, censetur etiam concedere partes. Mol. *tomo 2. disputat. 191.* Henriq. *lib. 7. cap. 30. numero 7.* Salas *disput. 10. sect. 20. numero 96.*

PRI-

PRIVILEGIVM III.

Quibus modis priuilegium finiatur.

SVMMARIVM.

1. *Septem præcipuè modis priuilegium amittitur.*
2. *An priuilegium gratiosum contra ius vel præter ius concessum, extinguatur per reuocationem concedentis, vel successoris, vel eius superioris?*
   Et quid si priuilegium datum sit per contractum oneros um?
3. *Quotuplex sit reuocatio priuilegij? & an per clausulam generalem: Non obstantibus quibuscunque priuilegijs, censeantur reuocari priuilegia in corpore iuris contenta, vel quæ concessa sunt per modum contractus?*
   An quando priuilegium vel decretum continetur in Concilio Generali moderno, quale est Tridentinum, necessaria sit mentio Tridentini, vt censeatur illis derogatum?
4. *An tacita reuocatio priuilegij fiat per actum Principis priuilegio contrarium?*
   Et an priuilegium quod non continetur in corpore iuris reuocetur per legem posteriorem contrariam, vel per priuilegium contrarium?
5. *An requiratur publicatio reuocationis, vt priuilegij reuocatio facta per legem habeat suum effectum?*
   Et an in generali reuocatione priuilegiorum, censeantur reuocata priuilegia regularium.
   An per Bullam Cruciatæ reuocentur vel suspendantur priuilegia regularium.
6. *An priuilegium, quod in solius priuilegiarij fauorem concessum est, amittatur per voluntariam priuilegij renunciationem factam à priuilegiario & acceptatam à concedente?*
7. *An finiatur & amittatur priuilegium lapsu temporis præscripti, seu cessatione conditionis sub qua concessum fuerat?*
8. *An priuilegium amittatur per vsum materialiter & formaliter priuilegio contrarium?*
9. *An priuilegium quod habet tractum successiuum præsa protestatione, amittatur in vtroque foro per quemlibet actum materialiter & formaliter contrarium priuilegio?*
10. *An priuilegium personale & reale extinguantur per mortem illius, cui concessum fuerat? & an in dubiis priuilegium censeatur personale?*
11. *An gratia facta seu priuilegium ritè obtentum cesset morte concedentis, si concessum sit simpliciter sine aliqua conditione? & quæ dicatur gratia facta & quæ facienda?*
12. *An commissiones dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus, quæ in foro externo ordinarijs committuntur, in interno autem confessoribus, expirent morte concedentis re integra?* refertur duplex sententia.
13. *Quod dicatur priuilegium ritè obtentum, seu gratia facta?*
14. *An cessante tota priuilegij causa, amittatur & finiatur priuilegium, quod est contra leges vel ius alterius?*
15. *An per abusum priuilegium amittatur?*
16. *An priuilegium affirmatiuum, quo conceditur facultas aliquid faciendi in grauamen alterius, amittatur per non vsum?*
    Et quo tempore cesset priuilegium concessum Ecclesiæ, monasterijs, &c. per non vsum?

1. PRiuilegium multis modis amittitur & præcipuè septē. *Primò*, per reuocationem, & renunciationem. *Secundò*, per lapsum temporis. *Tertiò*, per contrarium vsum. *Quartò*, per mortem illius cui conceditur aut per mortem concedentis. *Quintò*, per cessationem causæ finalis. *Sextò*, per abusum. *Septimò*, per non vsum, de quibus sigillatim.

2. *Priuilegium* quod merè gratiosè ad operandum aliquid contra ius vel potiùs præter ius subdito concessum est, extinguitur per reuocationem concedentis, vel successoris, vel eius superioris. *Suar. de leg. l. 8. cap. 7. Mirand. tom. 2. qu. 43. art. 2. concl. 5. Laym. l. 1. tract. 4. cap. 23. num. 24.* Quia sicut superior potest aliquem ab obligatione legis eximere, ita potest ad eamdem legis obligationem reducere, & reuocare. *Regin. l. 9. num. 381. Less. l. 2. cap. 33. num. 35. Priuilegium* tamen quod datur in remunerationem, vel præuia pecunia, vel per contractum oneros um, qualis est dispensatio data in foro externo, non potest reuocari; quia superior non potest alterum rebus suis vel ei debitis priuare sine graui necessitate vel iusta causa spectante ad bonum commune, quæ sufficiat vt alter priuetur rebus. *Bonac. tom. 2. d. 1. qu. 3. p. 8. §. 3. num. 3. & 4. Suar. c. num. 2. & 9. Salas de leg. d. 20. sect. 18. Dian. p. 4. tr. 1. resol. 82. Tambur. tom. 1. d. 16. q. 13.*

Aduertendum autem est *Primò*, quòd in reuocatione priuilegij onerosi tenetur reuocans compensationem facere, cùm alterum re sua priuare non possit absque compensatione: in reuocatione autem priuilegij gratuiti non tenetur. *Secundò*, priuilegium datum non subdito, ab eoque acceptatum, regulariter loquendo reuocari non posse, nisi tanta rerum mutatio superueniat, vt priuilegium censeatur grauiter pernicios um Regi vel Regno, & tunc huiusmodi priuilegium datum etiam per contractum, reuocari potest, ob communem vtilitatem, quæ priuatè est præferenda.

3. *Reuocatio priuilegij*, duplex est, *vna* expressa, & *altera* tacita. *Expressa* vel fit in specie, vel per clausulam generalem. *Layman. c. num. 26. Salas disp. 17. sect. 14. num. 77. Portel. in dub. reg. v. Priuilegium num. 66-67. De la Crux de statu reg. l. 2. l. 6. cap. 2. Non obstantibus quibuscunque priuilegijs*, per quam tamen clausulam non censentur reuocari priuilegia, quæ in corpore iuris continentur, nisi eorum quoque clausula derogatoria exprimatur; cùm enim correctio iuris vitanda, & non facilè præsumenda sit, ideò ius generale posterius non tollit prius speciale, si ob specialem aliquam rationem exceptum videri possit. *Syluest. v. Priuileg. qu. 10. Suar. l. 8. cap. 28. num. 2. Bonac. c. §. 3. num. 15. 16.* Imò per hanc clausulam generalem non reuocantur priuilegia in corpore iuris non contenta, quibus insertum est, quòd sublata censeri non debeant, nisi specialis eorum mentio fiat: reuocata tamen etiam ista censebuntur si plenissima derogatio fiat, per quam voluntas derogantis sufficienter significetur. *Azor. 1. part. l. 5. cap. 22. qu. 12.* Porrò reuocatio facta per huiusmodi clausulam generalem non extenditur ad priuilegium concessum per modum contractus, nisi exprimatur, neque ad Bullam Cruciatæ, cum priuilegia illius concessa sint cum onere, & per modum contractus: neque ad priuilegia contenta in Concilijs generalibus; imò si priuilegium vel decretum contineatur in Concilio generali moderno, quale est Tridentinum, secundùm *Sanches de matrimon. l. 8. d. 33. num. 8. & 10. & d. 35. num. 17. Henriqu. l. 7. cap. 26. num. 3. Molin. tract. 2. d. 173.* necessaria est mentio Tridentini, & non sufficit generalis mentio Conciliorum: nisi aliter constet de mente concedentis, aut nisi priuilegium irritum redderetur, tunc enim derogatio hæc generica haberi debet pro expressa, & specifica.

4. *Tacita reuocatio* priuilegij fit per actum Principis contrarium, qui non possit subsistere absque derogatione priuilegij; vt si Princeps iubeat exigi tributum ab eo quem exemerat à tributis. *Layman. c. num. 27. Salas c. num. 72. 73 Suar. l. 8. cap. 39. num. 2. Bonac. c. num. 14. & seq. Portel. in dub. reg. v. Priuilegium num. 68.* Dummodo præsumi possit eum scire, & recordari antè concessi priuilegij; vnde, secundùm communem sententiam, priuilegium quod non continetur in corpore iuris, non reuocatur per legem posteriorem contrariam, vel per priuilegium contrarium: nisi in ea expressa mentio fiat priuilegiorum, quia Princeps non præsumitur scire facta particularia, quæ non continentur in corpore iuris.

Item neque per particulare mandatum, seu præceptum, seu rescriptum Principis. *Azor. c. qu. 9. Suar. cap. 39. num. 4.* Reuocatur tamen per sententiam contra priuilegium latam ab eo qui potest priuilegium auferre: quia huiusmodi sententia comparatur iuri contrario ipsi priuilegio: modò iudex conscius sit priuilegij.

5. Vt *priuilegij reuocatio* facta per legem habeat suum effectum, requiritur publicatio reuocationis; facta verò publicatione, priuilegium manet reuocatum, ita vt acta non valeant, etiàsi ignoranter & absque culpa fiant. *Suar. lib. 8. cap. 40. Salas d. 17. sect. 17. numero 80. L. Barbar. ff. de offic. præt.* Excipiuntur tamen actus publici facti cum errore communi, & titulo colorato; nam isti validi sunt. *Azor. c. cap. 22. qu. 7. Bonac. c. numero 24. Portel. c. num. 67. 70.*

Sufficit autem quod reuocatio priuilegij concessi communitati, vel collegio, vel ordini, vel dignitati, vel prouinciæ, vel parochiæ, denuncietur communitati seu corpori communitatis, vel ordini, vel collegio, vel dignitati; cui concessum fuerat, & non est necesse vt innotescat singulis: imò satis est vt reuocatio publicetur in loco cui concessum fuerat. *Azor. c. quæst. 7. Salas c.*

num. 82 *Portel.in dub.reg.ver. Licentia in addit.nu.*1. Hinc confessarius, cui concessa fuerat facultas absoluendi à reseruatis, valide absoluit pœnitentes post reuocationem facultatis factam priuatim & sibi ignotam; secùs dicendum esset, si reuocatio facta fuit per legem. Vide quæ diximus suprà ver. *Priuilegium* 2. *numero* 4.

Aduertere tamen oportet, secundùm Rodriques *tom.*1. *qq. reg. quæst.*9. *art.* 6. quòd in reuocatione generali priuilegiorum non censentur reuocata priuilegia Regularium, & præcipuè Mendicantium quia sunt ob merita concessa; quæ priuilegia ob merita numquam in dubio reuocari censentur, etiam per reuocationis verba quantumuis generalia, & geminata. Imò multi Iurisperiti apud Tamburinium *tom.*1. *de iure Abbatum, disp.*16. *quæst.* 12. *num.*9. docent in genere, quòd priuilegia concessa vel data ob remunerationem sint irreuocabilia, vti habita titulo oneroso: idque multis auctoritatibus probat Sardus *consil.*540. *num.*39. & *conf.*419. *num.*51.

Sed petes, an priuilegia Regularium reuocentur vel suspendantur per Bullam Cruciatæ, vbi illa publicatur? Resp. negatiuè secundùm probabiliorem sententiam quæ hodie in praxi obseruatur. Ratio est, tum quia talis Bulla solùm reuocat indulgentias, & non priuilegia sunt enim valdè inter se distincta priuilegium, & indulgentia; ac proinde possunt Religiosi stante Bulla Cruciatæ absoluere pœnitentes ab omnibus sibi concessis per sua priuilegia propria, & communicata, ac si Bulla non extaret. Tum quia cum hæc priuilegia sint fauorabilia, non speciali Monasterio concessa, sed toti Religioni, & ordinentur in bonum commune fidelium, non suspenduntur per verba generalia, si de illis specifica mentio non efficiatur. Ita *De la Crux de statu relig.lib.*2. *cap.*3. *dub.*7. *concl.*3. *Henriq.l.*6. *cap.*16. *num.*7. *Sanch. l.*4. *moral. cap.*54. *n.*62. *Dian. p.*1. *tract.*11. *resol.*100. Imò probabile est, secundum hos Doctores, neque per Iubileum anni Sancti dicta priuilegia suspendi. Subscribunt his Doctoribus Tamburin. *tom.*1. *de iure Abbat. disp.*16. *quæsit.*16. Miranda *in Man. tom.*1. *qu.*46. *art.*11.

6. *Priuilegium*, quod in solius priuilegiarij fauorem concessum est, amittitur per voluntariam priuilegij renunciationem factam à priuilegiario, & acceptatam a concedente; non autem amittitur per renunciationem factam per dolum vel metum; quod intelligendum est de priuilegio quod habet tractum successiuum & consistit in potentia faciendi vel omittendi aliquid in futurum, qualis est facultas audiendi confessiones, non soluendi tributa, &c. non autem de illo quod habet effectum momentaneum, quod scilicet operatur statim ac obtentum est, vt dispensatio in irregularitate, hoc enim renunciari non potest. Layman. *c.num.*20. *Sanch. de matrimon. l.*8 *disp.*32. *Suares l.*8. *cap.*33.

An autem Prælati, cæterique religiosi possint renunciare priuilegijs sui ordinis, seu religioni concessis? Respondendum est negatiuè: quia renunciatio est abdicatio illius quod cuique proprium est; at priuilegium totius Ordinis non est proprium vnius religiosi, neque vnius Prouinciæ, & proinde totum Capitulum generale potest renunciare huic priuilegio. Ita Tambur. *de iur. Abbat. tom.*1. *disp.*16. *quæsit.*15 *Portel. in dub. reg. v. Priuilegium num.*52. *Dian. p.*3. *tr.*2. *resol.*87. vt patet ex *ca. si diligenti, de foro competenti*.

7. *Secundò* priuilegium amittitur & finitur lapsu temporis præscripti, seu cessatione conditionis sub qua concessum fuerat; quia priuilegium non durat vltra intentionem concedentis: hinc priuilegium datum ad vnum actum, cessat tali actu finito priuilegium verò simpliciter, & indeterminate concessum non finitur vno actu, sed est perpetuum. *L. quoties de precibus Imperatori offerendis*. *Sanchez. libro octauo disput.*28. *Suar. lib.*8. *cap.*5. 29. & 32.

8. *Tertiò* amittitur priuilegium per vsum materialiter, & formaliter contrarium priuilegio: *vsus* autem *materialiter* solum contrarius priuilegio illud non tolleret; requiritur insuper vt actus fiat ab eo: qui potest priuilegio explicitè renunciare, nam qui non potest explicitè renunciare, neque potest implicitè. amissio enim priuilegij per contrarium vsum contingit ob tacitam renunciationem; priuilegio autem principaliter concesso in vtilitatem priuatam is potest renunciare in cuius fauorem concessum est: sed quando priuilegium concessum est intuitu boni communis, non potest persona priuata illi renunciare, etiamsi redundet in bonum illius personæ priuatæ, modò bonum priuatum non sit separabile à communi; vnde nullus clericus potest priuilegio Canonis aut fori concesso Clericis renuntiare. Vide Sylues. *ver. priuileg. quæst.*10. *Suar. lib.*8. *cap.*35. *num.*5. & 24. *C. ad Apostolicam de reg. Cap. si diligenti de foro competenti. Azor.*1. *par. lib.*5. *cap.*22. *qu.*10. *De la Crux de statu relig. l.*2. *c.*3. *dub.*3.

9. *Priuilegium* quod habet tractum successiuum, præcisa protestatione, amittitur secundùm quid in vtroque foro per quemlibet actum materialiter & formaliter contrarium priuilegio, modò fiat ab eo, qui potest priuilegio cedere, vel de ipsius consensu, & voluntate; secus dicendum de priuilegio quod respicit vnum actum seu quod fit in continenti, hoc enim simpliciter tollitur per vnum actum contrarium præcisa protestatione; quia renunciatio quoad vnum actum in tali euentu censetur renunciatio simpliciter. Bonac. *tom.*2. *disp.*1. *quæst.*3. *p.*8. §.6. *num.*14. 16. *Suar. lib.*8 *cap.*35. *num.*17. *Tambur. tom.*1. *lt.*16. *qu.* 14. *num.*20.

10. *Quartò* extinguitur priuilegium personale per mortem illius cui concessum fuerat, quia censetur personæ inhærere, ergo corrupta persona priuilegium etiam corrumpitur: censetur autem priuilegium personale, quod extinguitur morte personæ, quando in concessione solùm exprimitur nomen illius cui conceditur; nisi aliter ex circumstantijs appareat. Sanch. *de matrim. l.*8. *disp.*27. *Azor.*1 *par. l* 5. *cap.* 22. *quæst.*6. *Salas disput.*20. *sect.*17. *num.*124. *Fillinc. tract.*10. *num.*342. 343. *Couarru.*3. *var. cap.*15. *num.*2. *Gutter. de matrim. cap.*125. *num.*1. & 9. *Bonacin. c. punct.*3. §.1. *num.*1. & *seq. Tambur. tom.*1. *de iure Abbat. disput.* 16. *quæst.*11. *Priuilegium* verò *reale* non extinguitur morte illius cui concessum fuerat, sequitur enim rem ipsam & successiuè transmittitur ad illos, qui rem ipsam acquirunt; vnde quando committitur priuilegium seu facultas expresso solo nomine dignitatis, priuilegium censetur concessum dignitati, consequenter non extinguitur morte illius, qui tale priuilegium executioni mandandum acceperat, sed transmittitur ad successorem in dignitate, siue res non sit integra, siue sit integra; modò aliunde ex circumstantijs, aut verbis vel ex subiecta materia non colligatur priuilegium esse personale: *Porrò* quando facultas alicui committitur expresso personæ, & dignitatis nomine, priuilegium censetur personale, siue præponatur nomen delegati, siue nomen dignitatis; quia nomen dignitatis contrahitur, & limitatur à nomine personæ tamquam genus à specie. *In dubio* autem in hac materia, priuilegium censetur personale, & præsumptio respiciens personam præualet præsumptioni respicienti dignitatem, ex his regulis multæ casuum decisiones sumuntur apud citatos Authores.

11. *Gratia iam facta* seu priuilegium ritè obtentum, non cessat morte concedentis. modò concessum sit simpliciter sine aliqua conditione, seu particula restringente vsq; ad mortem concedentis; quia priuilegium est veluti quædam donatio, quæ non cessat morte concedentis: & illud verum, siue priuilegium sit purè fauorabile, siue sit contra ius commune, siue contra ius alterius, siue priuilegiarius inceperit vti priuilegio ante mortem concedentis, siue nondum vsus sit. Cap. *si super gratia de off. delegat. in* 6.

Quando autem priuilegium datur cum aliqua limitatione restringente priuilegiū vsq. ad mortem, finitur morte concedentis: vt si dicatur, vsq; ad beneplacitum nostrum, vel donec voluero, &c dicitur verò in proposito *gratia facta*, quando perfectè conceditur ei in cuius gratiam datur, ac independenter ab alio cui facienda committatur: alia est *gratia facienda*, quando non conceditur ei absolutè in cuius fauorem datur, sed dependenter ab alio cui facienda committitur: & hæc gratia extinguitur morte concedentis re integra: id est si nondum priuilegiarius inceperit vti priuilegio. Plura apud Sanch. *c. disputat.*28. *numero* 64. *Suar. libro octauo capitulo* 31. *Fillinc. tractat.*10. *capitulo* 10. *quæstione* 10, *Sà verb. gratia numero primo. Layman libro primo tractat.*4. *cap.*23. *num.*17. 18. *Nauarr. cap.*27. *num.*153. *Crouf. ad cap.*7. *reg. minor. lect.*22. *fol.*705. 706.

12. *Magna dissensio* est inter Doctores, an commissiones dispensandi in impedimentis matrimon alijsque rebus quæ in foro externo Ordinarijs committuntur, in interno autem confessoribus, expirent morte concedendis re integra? *Quidam* enim expirare eas affirmant, quia non sunt gratiæ factæ, cùm dentur ad dispensandum in fauorem tertiæ personæ determinatæ: & hæc sententia est satis probabilis, quam tenent *Nauarr. capitulo* 29. *numero* 253. *Sayr. de censuris libro septimo cap.*14. *numero* 9. & alij. *Probabilior* tamen sententia ait, huiusmodi concessiones gratiam esse factam & consequenter non expirare morte concedentis: quia quando in literis gratiæ in alicuius fauorem concessis, minister executurus est voluntarius, vtpotè cui non præcipitur vt exequatur, sed sola exequendi facultas cõceditur

tur non fauore ipſius, ſed eius cui gratia eſt concedenda, tunc eſt gratia facienda, ac proinde expirat morte concedentis re integra: at quando eſt executor neceſſarius, vtpotè qui exequi iubetur, ſi preces veritate nitantur, tunc eſt gratia facta, ac proinde non perit morte concedentis re integra; in primo enim caſu nullum ius eſt acquiſitum, cùm liberum ſit delegato expedire, & non expedire: in ſecundo verò acquiſitum eſt ius illi, in cuius fauorem gratia conceſſa eſt. Sanch. *l.8.de matrim.d.28. numero* 87. *Henriq.l.12.capitulo ſecundo numero quinto. Filluc. tract.* 10. *numero* 347. *Rodriqu.cap.235.numero* 3. *Suar.de cenſur.diſp.* 41. *ſect.2.*

13 *Priuilegium ritè obtentum* ſeu *gratia facta* ſunt: Iuriſdictio ſeu facultas abſque determinatione temporis alicui conceſſa ab Epiſcopo, vel à quouis alio Ordinario ad confeſſiones audiendas, vel ad abſoluendum à reſeruatis. Sanch. *c.num.*72. *& ſeq. Laym.l.1.tr.4.cap.22.num.*18. *Sá v gratia n.4. Gutier.de matr.c.*125. *num.*24. *Suar.de pœnit.diſp.*26. *ſect.*3. *Item* licentia alicui facta non ieiunandi vel celebrandi in Oratorio priuato, vel laborandi in die feſto vel eligendi ſibi confeſſarium, vel exigendi decimas, vel recipiendi ordines à quocumque Epiſcopo per literas dimiſſorias; & quæcumque licentię alicui conceſſæ abſolutè & abſque temporis determinatione non expirant per mortem concedentis, iure communi Canonico; licet in quibuſdam Religionibus contrarium practicetur, vt, ſcilicet, licentiæ datæ à Prouinciali vel Generali ceſſent & expirent ipſo mortuo vel amoto ab officio; proinde videnda ſunt ſtatuta cuiuſque religionis, vt bene annotauit Portel *in dub.reg.verb.Licentia. Salas d.* 20. *ſect.*17. *num.*125. *Sanch.c.num.*30.57.73. *&* 94. *Suar. de leg. l.8.c.*31. *n.*5.

Secus dicendum de iuriſdictione contentioſa delegata, aut de literis iuſtitiæ, aut de facultate commiſſa confeſſario ad diſpenſandum cum aliqua perſona deſignata in voto vel impedimento, vel ad abſoluendum Titium à reſeruatis vel cenſuris, hæc enim expirant morte concedentis, aut per remotionem eius ab officio; modò res adhuc ſit integra.

14. *Quintò* amittitur & finitur priuilegium, quod eſt contra leges, vel ius alterius, ceſſante tota ipſius cauſa, modo priuilegium nondum mandatum ſit executioni. Sanch. *l.8.de matrim. diſp.*30. *n.*16. *Aſor.l.5.c.*22 *qu.*14. *Bonac.c.p.*8. §.2. vel niſi ſuperior ob cauſam temporalem, quam ſufficientem putat ad diſpẽſationem perpetuam concedendam, abſolutè diſpenſet: aliàs non eſt credibile, Principem velle conſeruare priuilegium, ſeu voluiſſe concedere, vt priuilegium contra legem duret, ceſſante eius cauſa, & iniqua videretur eius conceſſio, cùm paria ſint à principio non habuiſſe cauſam, & cauſam iam finitam eſſe. Suares *c.l.8.cap.*30. *Sylueſt.ver.priu. qu.*10. *Salas d.*20. *cap.*6. *nu.*67. Afferunt priuilegium ſolùm ceſſare, dum ipſius cauſa contrariè ceſſat, vel dum adimpletio ſeu executio, ſeu uſus priuilegij factus eſt iniuſtus aut iniquus, vel cùm priuilegium redditur inutile, aut dum priuilegium incipit eſſe pernicioſum illi, in cuius fauorem conceſſum fuerat, nam quod alicui conceditur ob gratiam, non eſt retorquendum in eius diſpendium. Hæc ſententia ob Authorum eius authoritatem non eſt improbabilis.

15. *Sextò* amittitur priuilegium per abuſum, cùm quis ex priuilegio peccandi occaſionem ſumit, aut fini, ob quem priuilegium conceſſum eſt, directè repugnat: *Plerumque* tamen non amittitur ex ipſa rei natura; ſed vel iuris conſtitutione, quo pacto in iure ſtatuitur, vt qui in Eccleſia vel cœmeterio delinquunt, Eccleſiaſtica immunitate non gaudeant; vel per iudicis ſententiam; *Interdum* tamen amiſſio priuilegij per ſe, & ex natura rei conſequitur, cùm ratio, & fundamentum priuilegij per abuſum tollitur; ſed de hoc plura apud Suar. *de legib.lib.*8. *ca.*36. *numero* 1. *&* 7. *Salas d.*17. *ſect.*13. *numero* 67. *Layman.l.*1. *tract.* 4. *cap.*23. *num.*24. *Bonac.c.*§.7. *Tambur.com.*1. *de iur. Abbat.diſp.*14. *num.*23.

16. *Septimò* priuilegium affirmatiuum, quo conceditur facultas aliquid faciendi in grauamen aliorum, amittitur, per non vſum ſpatio decem annorum inter præſentes, viginti autem inter abſentes; id eſt, illi in quorum grauamen cedit priuilegium, præſcribunt exemptionem à tali onere per tempus legitimum; & *ratio eſt*, quia omnes obligationes ac ſeruitutes tam reales, quàm perſonales ita extinguuntur; ſi altero iure ſuo pro temporum occaſione numquam vtente, res obligata legitimi temporis decurſu, vt libera poſſideatur ac denique vſucapiatur. *L.*1. *ff. de nundinis.*

Reliqua autem priuilegia, quæ abſolutè gratiæ ſunt, in nullius grauamen cedentes, vt abſoluendi à caſibus reſeruatis, celebrandi ante auroram, regulariter loquendo nullo tempore etiam longiſſimo amittuntur per non vſum, modò priuilegia conceſſa ſint abſque temporis determinatione: In iure tamen excipitur priuilegium nundinarum, quod amittitur per non vſum ſpatio ab ipſo iure præſcripto. Suares *de legib. libro octauo ca.*34. *numero* 15. *Layman.c.num.*21.22. *Bonac.c.*§.5. *Rodriqu.tomo primo q. qu.*8. *art.*4.

Similiter priuilegium conceſſum Eccleſiæ, ceſſat per non vſum quadraginta annorum, & contra Eccleſiam Romanam eſt neceſſaria præſcriptio, ſeu non vſus centum annorum. Cap. *de quarta, de præſcript. C.*1. *eodem tit. l.*6. *C. prima actione, & c. nemo* 16. *quæſt.*3. *Rodriq.tom.*3. *qq.reg.qu.*35. *art.*2. *De la Crux de ſtatu relig.l.*2. *cap.*3. *d.*2. *Tambur.tom.*1. *diſp.*16. *qu.*14. *num.*7. *Portel. ver. Priuilegium in addit. ad addit.* Contra monaſteria; loca, perſonas, vel alia bona Religioſorum non currit præſcriptio non vſus, niſi poſt 60. annos, imò poſt centum annos; ex conceſſione Eugenij Quarti facta Benedictinis Bulla 17. Aduertendum autem vt currat dicta præſcriptio requiritur, quòd habeatur notitia talis priuilegij, & voluntas non vtendi illo: & quod occurrat caſus de quo loquitur priuilegium, infrà tempus talis præſcriptionis; aliàs ſi non occurrat, non amittitur priuilegium. Portò, quando Papa confirmat aliqua priuilegia hoc tenore, ſcilicet, quatenus ſunt in vſu, hoc eſt, quæ adhuc ſunt in vſu, per iſta verba fit, quod ſi ſint aliqui anni tranſacti pro præſcriptione contra talia priuilegia, incipiant de nouo priuilegia ex inſtanti talis confirmationis; ac ſi tunc de nouo concederentur, & ſic anni tranſacti nil deſeruiunt præſcriptioni. ita annotauit Cordub. *in addit. ad Compend. priuileg. ver. Abſoluto quoad ſeculares* 1. *verſic. quoad* §.19. Quod præcipuè locum habet, ſi confirmatio facta ſit *ex certa ſcientia*: nam hæc clauſula habet vim reſtituendi priuilegia reuocata, non ſolùm priuata auctoritate, id eſt à ſolo Summo Pontifice, ſed etiam reuocata à iure communi: vt docet Suar *de leg.l.*8. *c.*29. *n.*4. *&* 5.

PRIVILEGIVM IV.

De Confirmatione, innouatione, & vſu Priuilegiorum perſonarum Regularium.

SVMMARIVM.

1. *Duobus modis confirmantur priuilegia* in forma communi, *ſcilicet, &* ex certa ſcientia, *&c.*
2. *Multi Romani Pontifices confirmarunt Priuilegia Fratrum Minorum* ex certa ſcientia, *&c.*
3. *An confirmatis priuilegijs alicuius Religionis* ex certa ſcientia, *cenſeantur etiam confirmata priuilegia ad illius inſtar, alteri religioni conceſſa? Et quid iuris, ſi priuilegia confirmentur in forma communi.*
4. *An confirmatio* ex certa ſcientia *confirmet priuilegium, quod à principio fuit nullum, falſum, ſeu ſubreptitium.*
5. *In confirmationibus priuilegiorum, quid operetur clauſula*, Quatenus ſunt in vſu.
6. *Quid iuris de Clauſula*, Et ſacris Canonibus.
7. *Quid de Clauſula*, Et decretis Sacri Concilij Tridentini non aduerſantur.
8. *An regulares poſſint in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum.* Refertur duplex ſententia.
9. *De Clauſula*, vt non cenſeantur reuocata priuilegia, niſi de eis expreſſa de verbo ad verbum mentio fiat.
10. *Innouatio priuilegij quid ſit, & quid importet?*
11. *An Generales Ordinum, Capitula Generalia, & Prouincialia poſſint tollere, limitare, ſeu reſtringere ſibi ſubditis, vſum quorumcumque priuilegiorum Apoſtolicorum.*
12. *An priuilegiatus contra pariter priuilegiatum, priuilegio gaudeat.*

1. PRiuilegia duobus modis ſolent confirmari. *Cap. quia diuerſitatem, de conceſſ. prabend. Cap poſtulaſti, de reſcript. Primò*, confirmantur in forma communi, id eſt, in confuſo ſicut iacent, ſine examine, & hæc dicitur confirmatio in for-

ma communi. *Secundò*, confirmantur priuilegia *ex certa scientia*, vel *ex plenitudine potestatis*, vel cum clausula, *non obstante lege disponente in contrarium*. Supponit enim tunc Pontifex habere se notitiam claram illorum priuilegiorum, idque facere præuio examine, & inquisitione.

Confirmatio priuilegij in forma communi nullum ius nouum confert, nec dat valorem priuilegio, si erat inualidum, & ita non potest dici concessio priuilegij sed pura roboratio. *Cap. examinata, de confirmat. vtil.* Ratio est, quia confirmare non est de nouo facere, sed roborare factum; confirmatio autem in forma communi solùm significat in Principe animum confirmandi, ergo nec valorem, nec ius confert de nouo ex vi talis confirmationis. Proinde si hæc confirmatio cadat supra actum incapacem, seu nullum, nihil confert. Si verò conferatur à superiore, & actus sit confirmabilis, additur robur præcedenti priuilegio.

Confirmatio priuilegij ex certa scientia habet vim nouæ concessionis talis priuilegij. Cap. 1. *de transact.* Cap. *si Apostolica, de prabend. in* 6. Ratio est, quia confirmatio ex certa scientia habet vim confirmandi actum nullum, reddendo illum de inualido validum, ergo habet vim concessionis priuilegij; validare enim actum, seu priuilegium, quod antea erat nullum, planè idem est, quod denuò illud concedere.

Tamen si Pontifex confirmans, ex certa scientia ponat aliquam clausulam per quam dicat se nolle confirmare priuilegia aliàs nullum, vt si dicat, quatenus sunt in vsu: tunc si aliquod priuilegium sit iam nullum, quia non est in vsu, non confirmantur ibi priuilegia ex certa scientia. Plura de his apud Suar. *de leg. l.* 8. *c.* 18. Tamburinium *tom.* 1. *de iure Abbat. d.* 18. *qu.* 1. & 5. Vecch. *disp.* 9. *dub.* 13.

2. Priuilegia Fratrum Minorum, ad hunc vsque diem fuerunt à variis Pontificibus confirmata *ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis*. Habentur Bullæ confirmatoriæ horum Pontificum in Bullar. *Rodriqu.*

Primus est Paulus II. qui cum clausula *ex certa scientia*, tantùm confirmat.

Secundus est Sixtus IV, qui vltra clausulam. *Ex certa scientia*, addit etiam *ex motu proprio*, innouatque omnia, & singula Ordinis priuilegia. Tertius est, Leo X. qui etiam *Motu proprio, & ex certa scientia*, confirmat & innouat, ac communicat dictis Fratribus omnia priuilegia aliorum ordinum Mendicantium. Quartus est Clemens VII. qui vltra clausulas, *motu proprio, & ex certa scientia*, addit *ac de Apostolica potestatis plenitudine*. Quintus est Iulius III. qui omnia priuilegia, etiam per viam communicationis, & extensionis alijs ordinibus concessa pro ordine Minorum confirmat, innouat, ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, sed limitat, dicens: *Quatenus sunt in viridi vsu*. Sextus est Paulus IV. dicens: *Ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine approbamus, & innouamus, etiam per modum communicationis, & extensionis*, Septimus est, Pius IV. qui eadem similiter clausulas, *Ex certa scientia, ac de plenitudine potestatis* exprimit, addens etiam *per modum communicationis, &c.* Octauus est Gregorius XIII. ponens eadem omninò clausulas, sed limitat, *Quatenus sunt in vsu, & Sacris Canonibus ac decretis Trident. Conc. non aduersantur*. Nonus est Sixtus V. qui similiter etiam confirmat, subtiecit tamen illa verba. *Quatenus sunt in vsu*. Decimus est Clemens VIII. qui ponit clausulam. *Ex certa scientia* tantùm, & limitat, *In omnibus, in quibus, decretis Trident. Conc. non aduersantur, & saluis etiam decretis in fauorem Fratrum Reformatorum concessis*.

Tandem Paulus V. eadem priuilegia confirmauit anno Domini 1609. per quamdam suam Bullam, quæ incipit, *Inuicti nobis Pastoralis*. Sed expresse non posuit clausulam, *Ex certa scientia, & plenitudine potestatis*, dicit tamen se confirmare cum eisdem clausulis, decretis, declarationibus, & formis contentis in Bulla confirmatoria Clementis VIII. ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso ibi insererentur: vna autem ex principalibus clausulis dicti Clementis est confirmare *ex certa scientia*, abstinuit tamen Paulus V. à clausula, *quatenus sunt in vsu*.

Ex his vides priuilegia Minorum esse confirmata à tot annis, absque clausula, quatenus sunt in vsu. Et à tot annis esse confirmata *ex certa scientia*: nec refert quòd vltimus D. Paulus V. non confirmauerit *ex certa scientia*. Hæc enim taciturnitas non reuocat certam scientiam antecessorum illius, qui vsque ad Clementem VIII. priuilegia confirmarunt *ex certa scientia*. Has confirmationes priuilegiorum referunt etiam Tamburin. *tom.* 1. *de iure Abbatum disp.* 18. *quæst.* 3. & Miranda *tom* 2. *q.* 42. *art.* 1. Sed quia aliarum Religionum Bullas confirmatorias suorum priuilegiorum prolixum esset ad longum recensere, ideò ab illis supersedemus quæ videri possunt apud eundem *Rodriq.* & summatim apud *Tamburin.* & *Miranda* locis citatis.

3. Ad horum priuilegiorum maiorem intelligentiam scire oportet, quòd confirmatis priuilegijs alicuius Religionis *ex certa scientia* censentur etiam confirmata priuilegia ad illius instar alteri Religioni concessa, si talis religio participans habet communicationem priuilegiorum alijs concessorum, & concedendorum: tunc enim huiusmodi confirmatio censetur quasi noua concessio. Ita Bartol. *in l. more maiorum, ff. de iurisdict. Rodriqu. tom.* 1. *qq. reg. q.* 8. *ar.* 2. *Miranda tom.* 2. *qu.* 42. *art.* 5. *Portel. in dub. reg. v. Priuilegium n.* 34.

An autem idem dicendum sit, si priuilegia confirmentur in forma communi? Negatiuè respondent *Rodriqu. Miranda* citati: & ratio est, quia sicut per reuocationem priuilegiorum alicuius religionis, non censentur reuocata priuilegia ad instar; ita per confirmationem priuilegiorum alicuius religionis non censentur confirmata eius priuilegia ad instar; cùm contrariorum eadem sit disciplina, & pariformis ratio. *Suar. de legib. l.* 8. *cap.* 19. *num.* 10. tamen & *Laurent. de Peyrin. in declarat. const.* 4. *Iuuy* 2. *num.* 12. *tom.* 1. Censent id etiam valere, etsi confirmatio sit in forma communi: Ratio est, quia etiam confirmatio in forma communi, gratia, & priuilegium est: vtraque sententia probabilis est, sed prima mihi magis placet.

Notandum tamen est, si Papa confirmet *ex certa scientia* priuilegia vnius Ordinis, non censere etiam confirmare *ex certa scientia* priuilegia propria alterius Ordinis participantis priuilegia illius primi Ordinis. Ratio est, quia Papa non intendit confirmare *ex certa scientia* nisi tantùm priuilegia v gr. Minorum, & non Minimorum; seu priuilegia specialia Minorum: ergo non confirmat *ex certa scientia* priuilegia specialia Minimorum, aliàs pura confirmaret quàm intenderet. Ita Suar. citatus *c.* 19. *n.* 12. & 13.

4. Confirmatio ex certa scientia non confirmat priuilegium, quod à principio fuit nullum, falsum, seu subreptitium: quia non est mens Principis concedere nisi quod antea verè concessum fuit: id verò quod nullum fuit numquam fuit concessum: Tamen reualidaret hæc talis confirmatio priuilegium à prædecessore reuocatum per specialem Bullam, seu specialem reuocationem. Secus verò quando præcedens priuilegium fuit reuocatum per ius commune, vt per Concilium Tridentinum, & alia iura, in hoc enim secundo casu non confirmantur ex certa scientia priuilegia reuocata per ius commune. Ita Rodriqu. *tomo primo qq. reg. qu.* 8. *art.* 3. 4. *Rotella ver. Absolutio* 1. *num.* 123. *Suar. c. cap.* 19. *numero quarto*. *Cordub. ad Compend. verb. Absolutio quoad seculares* 2. *ad* §. 16. *Lezan. tom.* 3. *summa ver. clausula numero* 29.

5. Clausula in confirmationibus priuilegiorum posita, *Quatenus sunt in vsu*, confirmat tantùm priuilegia illa, quæ sunt in obseruantia summque valorem retinent; non autem ea, quæ inualida, & amissa sunt per non vsum, vel per contrarium vsum: secùs autem si sunt in vsu, quamuis inualida per quamcumque aliam causam; quia tunc & eo casu per confirmationem *ex certa scientia* reualidantur, & innouantur. Ita De la Cruz *de stat. relig. l.* 2. *cap.* 3. *dub.* 2. *concl.* 6. *Rodriq. c. ar.* 3. & 4. *Suar. c. cap.* 18. *num.* 16. & 17. *Mandosius tr. de priuileg. ad instar glos.* 15. *Panormit. in cap. cùm super de causa possess.* & *propriet. Hieron. Rodriq. resolut.* 116. *num.* 11. *Portel. ver. Præscript. num.* 2. & *ver. Priuil. in addit. num.* 4. *Barbos. in collect. ad cap. cùm dilecta de confirm. vtil. Miranda tom.* 2 *quæst.* 42. *art.* 4. *concl.* 2. *Diana p.* 3. *tract.* 2. *resolut.* 88.

Qui bene aduertunt circa hanc clausulam, quòd scilicet non extendatur ad abrogata per contrarium vsum spatio sexaginta annorum præscriptum iuxta priuilegium Eugenij IV. apud Rodriques in Bullario Bulla 17. eiusdem Eugenij. Imò idem Eugenius in alio priuilegio concesso Congregationi Sanctæ Iustinæ Ordinis S. Benedicti apud Bullarium Bulla 11. sine restrictione temporis prædicti concedit, vt possint vti suis priuilegijs etiamsi contra illa habuerint contrarium vsum ignoranter, vel scienter obseruatum, sed illa in suo vigore, ac robore permanere vult, & declarat.

Dicta autem priuilegia modò innouata sunt quoad nos minores per Sixtum Quintum, & Clementem VIII. confirmantes, & innouantes nostra priuilegia, etiam per modum communicationis, & extensionis concessa cum clausula *Ex certa scientia, & de plenitudine potestatis* abstinentes se à dicta clausula limitante, *Quatenus sunt in vsu*. Plura apud Doctores hic citatos.

6. Cir-

6. Circa clauſulam, *Et Sacris Canonibus*, eſt obſeruandùm, quòd Sacri Canones, de quibus *Gregorius XIII.* in ſua priuilegiorum confirmatione, non intelliguntur illi, qui in corpore iuris communis inſerti ſunt, atque illud conſtituunt; quia cùm omnia ferè priuilegia ſint contra ius commune, huiuſmodi confirmationes parum aut nihil operarentur; ſed ſunt Canones inſerti in Concilio Tridentino; quod oſtendit dictio illa, *Et*, quæ eſt coniunctiua, & coniungit Canones Concilij cum ipſius Decretis. Quapropter Sixtus V. ad tollendum omne dubium ſuſtulit dicta verba, *Sacris Canonibus*, in confirmatione priuilegiorum Ordinis Minorum, & idem fecit *Gregorius XIV.* quoad Ciſtercienſes: quo poſſunt per communicationem frui Mendicantes, & aliæ Religiones communicantes. Ita Sorbus *in Compend. ver. Priuilegia. Rodriqu. c. q. 8. art. 3. Laur. de Peyrin. tom. 2. ſuper Conſtit. 1. Greg. 13. §. 3. num. 2. Portel. ver. Priuilegium num. 65. Dian. p. 3. tract. 2. reſol. 59. Lezan. tom. 3. ſumm. ver. clauſura num. 27.*

7. Sed difficultas eſt, an per clauſulam, *Et decretis Sacri Concilij Tridentini non aduerſantur*, ſint abrogata, & reuocata priuilegia omnia, quæ continent aliquid contra aliqua decreta prædicti Concilij Tridentini? Reſpond. hac de re eſſe duas extremas opiniones: Sed nos adhæremus ſententiæ, quæ docet, per hanc clauſulam non reuocari omnia priuilegia quouis modo contraria ipſi Concilio, ſed tantùm ea, quæ expreſsè in illo reuocantur per Clauſulam, *Non obſtantibus*, &c. quæ clauſula in eiuſdem Concilij decretis aliquando apponitur, aliquando verò non, vt patet obſeruantibus; aliud eſt enim quòd priuilegia ſint Tridentino contraria, aliud quòd ſint ab eo reuocata; ea enim ſunt ſimpliciter Concilio contraria, quæ ab illo reuocantur; at quæ non reuocantur tacitè admittuntur, & à Papa confirmantur, etiam ponente illam clauſulam.

Nec obſtat, quod ipſum Concilium *ſeſs. 25. de regular. cap. 22.* omnia, & ſingula in ſuperioribus decretis contenta obſeruari præcipiat, non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, &c. nam intendit ea tantùm reuocare, quæ aduerſantur decretis eiuſdem *ſeſs. 25. de regular.* non autem illa, quæ ſunt contra decreta aliarum ſeſſionum. Exemplum ſit, Ordinari extra tempora eſt contra Tridentinum *ſeſs. 23. cap. 8.* Quia tamen ibi Concilium non reuocat priuilegia Regularium, quæ ipſi habent in contrarium? eadem priuilegia manent integra, licet ipſi Concilio ſint contraria, quia ibi quoad illud non ſunt derogata. Ita Suar. *de leg. l. 8. cap. 18. num. 17. ad finem. Nauar. in Man. cap. 27. num. 190. Rodriq. tom. 1. qq. reg. qu. 8. art. 8. De la Crux de ſtatu relig. l. 2. ca. 3. dub. 6. Portel. in dub. reg. ver. Priuilegium num. 31. Lezan. c. num. 26.* & probabile putat *Mirand. tom. 2. qu. 42. art. 3. §. ſed alij.* Dicens hanc reſolutionem eſſe habitam olim à multis grauiſſimis Doctoribus Iuriſperitis, & Theologis, Eccleſiaſticis, & Regularibus: quamuis Laurent. de Peyrin. *c. n.* 3. dicat, ſenſum communem iſtius clauſulæ, modò obtinere in praxi, vt per eam cenſeantur derogata priuilegia, non ſolùm quæ à Concilio per clauſulam, non obſtantibus, derogantur, ſed etiam ea, quæ iure eidem Concilio ſimpliciter contraria.

De priuilegijs autem ſpecialiter, & expreſsè reuocatis in Tridentino, videndi ſunt Rodriqu. citatus *q. 8. ar. 7.* & Ioannes de la Crux. *c. dub. 6.*

8. Maius dubium eſt, an Regulares poſſint in foro conſcientiæ vti priuilegijs ſuis, quæ ſunt expreſsè reuocata per Concilium Tridentinum? Affirmant Henriq. *lib. 7. cap. 24. num. 8. lit. K. Rodriq. tom. 1. qq. reg. qu. 8. art. 9. Sanch. l. 5. moral. cap. 4. numero 16. Sorb. in Compend. priuileg. fol. 85. edit. Neapolit. Compendium Societ. Ieſu ver. Concilium Trident. §. 3.* & alij. Ratio illorum eſt, quia in foro conſcientiæ ſunt reualidata priuilegia Regularium per Pium V. viuæ vocis oraculo facto Fratribus Minorib. apud Bullarium Rodriq. etiamſi ſint contra Concilium Tridentinum quod poſtea non fuit reuocatum per *Gregorium XIII.* in ſua generali reuocatione priuilegiorum Mendicantium contra idē Concilium à Pio V. conceſſorum, quia ea tantùm reuocauit in foro exteriori ad vitandas lites, & diſcordias, vel reuocauit ſolùm conſtitutiones ſcriptas, non verò oracula viuæ vocis, quæ non ſunt conſtitutiones.

Nihilominus negatiua ſententia eſt certa. Mirand. *in Manua. tomo primo qu. 39. art. 1. concl. vnic. Dian. p. 3. tract. 2. reſol. 59. De la Crux de ſtatu relig. l. 2. cap. 3. dub. 6. concluſ. 3. Portel. in dub. reg. ver. Priuilegium num. 64.*

Tum quia Gregorius XIII. non tantùm reuocat priuilegia ſcripta & litteras, ſed etiam reliqua indulta, etiam ſine literis expedita: dum dicit in Bulla, (*in tanta rerum, & negotiorum mole.*) *Quin etiam abroganus omnia irritantia, & alia decreta, & quacumque alia ipſis litteris, & conſtitutionibus appoſita, & aliàs eorum occaſione, vel cauſa facta, his noſtro ſtatuto, ordinationi, & reductioni aduerſantia, &c.* Tum quia Gregorius in dicta Bulla etiam meminit confeſſionum audiendarum, pœnitentiarum iniungendarum à religioſis, quæ pertinent ad forum conſcientiæ: quæ etiam non poſſunt ita fieri ſecretè, quin factum in publicum prodeat, & ad aures Epiſcoporum deueniat, ex quo oriūtur turbationes, & lites. Tum quia modò ſunt reuocata omnia viuæ vocis oracula per Conſtitutionem *Vrbani VIII.* vt dictum eſt ſuprà *ver. Priuileg. 1. num. 8.*

An autem hæc Bulla Gregorij XIII. *In tanta, &c.* fuerit publicata vide ſupra v. *Miſſa VIII. num. 9.*

9. Priuilegia, in quibus eſt clauſula, *vt non cenſeantur reuocata, niſi de iis expreſſa de verbo ad verbum mentio fiat*; vt reuocata intelligantur, debet in ſecundo priuilegio apponi clauſula, *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegijs, etiamſi de verbo ad verbum de illis mentio expreſſa fieri deberet.* Ratio eſt, quia Summus Pontifex hoc loquendi modo ſatis indicat, velle priuilegium reuocare; at priuilegium vim habet ab ipſius Summi Pontificis voluntate. Secus dicendum eſſet, de reuocatione facta ſolummodo per clauſulam generalem reuocatoriam; ea enim non extenditur: quia Papa per clauſulam generalem non ſufficienter indicat velle huiuſmodi priuilegia reuocare.

Cenſetur tamen ſufficienter derogatum huiuſmodi priuilegijs per Clauſulam, *Quorum tenores*, per hanc enim ex obſeruantia Curiæ derogatur quibuſcumque priuilegijs habentibus derogatoriarum derogatorias. Ita ex *Compend. priuil. Mendic. ver. priuilegia Fratrum, §. 24. Syneſt. verb. priuilegium quæſt. 10. Mirand. in Manual. tomo ſecundo quæſt. 45. art. 6. Rodriq. tomo primo qq. reg. quæſt. 9. art. 6. Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. gloſ. 36. numero 30.*

Solent in priuilegiorum confirmationibus apponi multæ aliæ clauſulæ: qualiter autem declarandæ, & interpretandæ veniant, & ſub quibus regulis interpretatio hæc fieri debeat, videndi ſunt Auguſtin. Barboſa *De clauſul. vſufrequent.* Rodriq. *tom. 1. q. reg. q. 8 art. 12. 13. 14. & ſeq.* Miranda *in man. Prælat. tom. 2. qu. 45.* Tamburin. *de iure Abbatum tom. 1. diſp. 18. queſit. 6.*

10. Innouatio priuilegij iuxta duplicem acceptionem poteſt intelligi, ſicut & nomen priuilegij æquiuocè poteſt ſumi: vno modo pro ipſo iure, vel gratia per Principem conceſſa: alio modo pro inſtrumento authentico, in quo talis conceſſio, & fides ſeu probatio eius continetur. Cap. *cùm dilecta de confirm. vtil. non figura, ff. declionibus.*

Hinc ergo innouatio priuilegij interdum refertur ad ſolùm inſtrumentum, quia veruſtate fortè conſumitur, & ideò innouatio eius conceditur. Aliquando verò poteſt referri ad rem ipſam, vt ius antiquitus conceſſum poſtea innouetur.

Innouatio priuilegij priori modo non confert ius nouum. Ratio eſt, quia huiuſmodi innouatio ſolùm fit ad faciliorem probationem eius, quod in priuilegio continebatur, & iuxta tenorem eius eſt facienda; nihil omninò addito, vel etiam detracto: ac ſubinde intentio Principis, hanc innouationem fieri concedentis, non eſt quidquam de nouo tribuere, vel conceſſionem extendere, aut nouum robur adijcere; ſed ſolùm tenorem eius, quod antea erat conceſſum in ſcripturam redigere ad facilioremprobationem vel diuturniorem.

Imò talis innouatio ius in priuilegio contentum non confirmat ſecundùm ſe, quia illi robur aut valorem non addit: quoad nos verò quodammodo confirmat, quia facilior vel diuturnior fit probatio.

Quando verò agitur de innouatione ipſius gratiæ, ſeu priuilegij, quatenus importat formalem ipſam conceſſionem: ipſa innouatio regulanda eſt ad inſtar confirmationis, vt dictum eſt ſuprà: & ita ſi innouatio fiat in forma communi, dicitur innouare actum prout eſt, & nihil mutat de eo ſtatu, in quo antea erat: hic modus innouandi priuilegia non eſt in vſu.

Innouatio autem priuilegij ex certa ſcientia confert ius nouum de ſe, & æquiualet conceſſioni, ideoque reſtituere poteſt priuilegium perditum, & à fortiori omnem veruſtatem eius tollere, & in priſtinum ſtatum illud reſtituere. Verbum enim *Renouandi* licet poſſit dici de re præexiſtente, tamen cum proprietate etiam poteſt cadere in rem, quæ iam perijt, & iterum excitatur, ſicut reſurrectio dici poteſt quædam renouatio.

Proinde per talem innouationem fit, vt ad præſcribendum contra tale priuilegium, neceſſarium ſit computari tempus à tempore talis renouationis: quia licet per aliquot annos priùs

fuerit inchoata præscriptio contra illud priuilegium, si non fuit consummata, postea non poterit computari ad reuocationem priuilegij consummandam, sed oportebit de nouo inchoari: quia innouatio est quædam restitutio rei ad priſtinum ſtatutum. Sed de his plura apud Surd. *consil.* 144. *num.* 13. *Rodriqu. tom.* 1. *qq. reg. qu.*8. *art.*2. *Suar. de leg. lib.*8. *ca.*20. *Coraldus in Compend. priuil. mend. ver. Absolutio quoad ſæculares* 2. §. 19. *Caſarub. in Compend. verb. Priuilegia Fratrum* §. 15. *Panorm. & Felin. in cap. inter dilectos de fide inſtrument. De la Crux l.*2. *de ſtatu relig. c.*3. *dub.*2. *concl.*6.

11. Superiores Prælati, & maximè Generales Ordinum, Capitula Generalia, & Prouincialia possunt tollere, limitare, seu restringere sibi subditis, vium quorumcumque priuilegiorum Apostolicorum: vt patet ex nonnullis priuilegijs ad hoc à S. de Apostolica religionibus concessis: & primò Leo X. concessit quòd Generalis Ordinis Fratrum Minorum in suo Capitulo Generali, & quilibet Prouincialis in suo Capitulo Prouinciali, de consensu eiusdem Capituli, vel maioris partis, declarare possit, & valeat, vtrum ab vlu alicuius concessionis, viuæ vocis oraculo fictæ, abstinere debeat. *Porte, in dub. regul. v. Priuileg. num.*78. *Hieron. Rodriq. resol.* 116. *n.*26. *Mirand. in Man. tom.*2. *qu.*43. *art.*4. *Rodriq. tom.*1. *qq. reg. q.*9. *art.*2. *Tambur. tom.*1. *de iure Abbat. disp.*16. *quæſt.*9. *Dian. p.*3. *tract.*2. *reſolut.* 7. *Peyrin. in priuileg. Minimor. tom.*1. *Conſtitut.*2. *Julij* 2. §. 3. *numero* 9. Et prędictę determinationi stare debent omnes tam Fratres, quàm Moniales Ordinis. Habetur in supplemento, & refertur in Cōpendio priuil. Mendicant. *v. Priuilegia Fratrum* §. 16. Hæc concessio est viuæ vocis oraculum.

Similem concessionem habent Cistercienses à Clemente IV. prout refertur in illorum Compendio *verb. priuilegium* §. 6. & apud Mirandam *in Man. Prælat. tom.*2. *qu.*43. *art.*4.

Nuperrimè *Gregor. XIII.* apud Compendium Societatis *tit. Eiusdem vſus* §. 2. concessit, ac decreuit, ne personæ Societatis Jesu, absque expressa Superiorum eorumdem licentia, vti possint facultatibus in Iubilæis, aut Bullis Cruciatæ, confessionalibus, aut alijs quibuscumque Apostolicis indulgentijs quomodocumque hactenus concessis, & in posterum concedendis & declarauit præterea, posse superiorem, dum huiusmodi licentiam concedit, limitare eam ad vnum vnius aut alterius facultatis, & prohibere vsum reliquorum etiam in eadem Bulla, aut indulto contentorum. Quibus quidem indultis, ac priuilegijs possunt vti, & frui quicumque alij ordines priuilegium habentes communicationis.

Supradicti tamen Generales, vel Prouinciales Prælati, & Capitula Generalia, vel Prouincialia nequeunt virtute prædictarū concessionum, tollere aliquid, quod sit contra vsum Sacrorum Canonum; nam quæ de iure statuta sunt, habent vim obligandi ad culpam, vel pœnam, iuxta ipſius iuris dispositionem, quæ obligatio in totum à Prælatis tolli nequit.

Proinde si aliqua religio per suas constitutiones prohibeat superioribus confiteri extero Sacerdoti, & hæ constitutiones sint confirmatæ à Summo Pontifice tantùm in forma communi, adhuc inualida remanet confirmatio, sicut constitutio illa est inualida, cum non adest facultas condendi leges contrarias Sacr. Canonibus. Ratio est, quia talis confirmatio non dat valorem, sed tantùm roborat, si reperit; nam confirmare non est de nouo facere, sed factum roborare, vt desumitur ex cap. *Exammata, de confirm. vtil. vel inut.* & ex cap. *Dudum, de decimis.*

Secus dicendum si confirmatio sit in forma speciali, nempe ex certa scientia; tunc enim validatur illa constitutio, atque adeo per ipsam derogatur priuilegio quoad eos qui subsunt tali constitutioni: quia confirmatio ex certa scientia reddit validum, quod aliàs erat inualidum, id est, validat constitutionem aliàs inualidam contrariam Canoni; sequitur etiam quòd deroget priuilegio. Ita *Castr. Palaus p.*1. *tract.*3. *de priuil. disp.*4. *punct.*2. §. 10. *num.*3. *Suar. de leg. l.*8. *cap.*18. *num.*12. *& cap.*33. *à numero* 4. *Dian. p.*3. *tr.*2. *reſol.*1. quod desumitur ex c. *ſi Apoſtolica*, vbi glos. *verbo confirmamus, de prębend. in* 6.

12. Constitutissimum est in iure, quòd priuilegiatus, contra pariter priuilegiatum non gaudet priuilegio. *Authent. de Sanctiſs. Epiſc.* §. *ſed hæc præſens. L. verum, ff. de minor.* Quæ quidem generalis regula intelligenda est, & verum habet, quando priuilegiatus vterque priuilegio gaudet, quod est dicere, quando duo concurrunt simul, qui priuilegium habent, & sunt in casu, quo vtrumque priuilegium valet: qui quidem casus non dabitur de facili, nam regulariter loquendo is præferendus est alteri, qui priuilegium actu habet, & practicè in ea re, & specie, de qua agitur. *L. vltima, ff. quibus ex cauſis maiores.* Exemplum est, habet Dux militum priuilegium à Rege vt obliget quemcumque plebanum recipere hospitem militem.

Habet e contra plebanus Minorum confrater, eò quòd recipiat in sua domo Fratres Minores, priuilegium à rege ne cogatur ad recipiendos tales milites, vel hospites sæculares: in tali casu Dux priuilegiatus non potest agere contra talem plebanum priuilegiatum, sunt enim priuilegia mutuò pugnantia, & habentia oppositionem respectiuam. Vide Rodriqu. *tom.*1. *qq. reg. qu.*9. *art.*11. *Portel in dub. reg. v. Priuil. num.*25. *Hieronym. Rodr. reſol.*116. *num.*36.

PRIVILEGIVM V.

De communicatione priuilegiorum.

SVMMARIVM.

1. *Quæ ſit efficacia communicationis priuilegiorum apud Regulares.*
2. *Religioſi mendicantes habent inter ſe communicationem priuilegiorum.*
3. *Proordine Prædicatorum extat Bulla Leonis X.*
4. *Ordini Minorum communicationem priuilegiorum conceſſerunt Alexander V. I. Leo X. Clemens VII. Paulus IV. & alij.*
   Fratres Capucini gaudent priuilegijs Monachorum Camaldulenſium, & Fratrum Minorum, ex conceſſione Clementis VII.
5. *Aliæ religiones mendicantes habent ſimilia communicationis priuilegia.*
6. *Religiones Monachales, & alij non mendicantes communicant etiam in priuilegijs.*
7. *Monales etiam gaudent priuilegijs religionis, quam profitentur.*
   An tertiarij vtriuſque ſexus gaudeant priuilegijs Ordinis Minorum.
8. *Monialibus Ordinis Prædicatorum conceſſit Leo X. omnia priuilegia Ordinum mendicantium.*
9. *Priuilegia odioſa, & pœnalia non communicantur.*
10. *An communicato priuilegio, etiam reſtrictio eius communicetur.*
11. *In communicatione priuilegiorum, an communicetur vſus vel non vſus.*
12. *An priuilegia conceſſa vni Monaſterio, vel Prouinciæ alicuius Ordinis, concedantur etiam omnibus Monaſterijs, vel prouincijs eiuſdem religionis.*
13. *An religio communicans in priuilegijs cum alijs Ordinibus, poſſit vti dictis priuilegijs contra alium ordinem, cui primùm fuerunt conceſſa.*
14. *An communicatio priuilegiorum intelligenda ſit non ſolum de priuilegijs conceſſis tunc temporis, ſed etiam de poſtmodum concedendis.*
    An Fratres Mendicantes vti poſſint priuilegijs Societatis IESV.

1. Efficacia communicationis priuilegiorum apud religiones in hoc consistit, quod ius vni concessum per aliquod priuilegium, alteri etiam conceditur per quandam extensionem, vel certè per quandam multiplicationem talis priuilegij: vt nomine communicationis significari videtur. Ad intelligendum autem, qualis, & quanta sit hæc communicatio, verba indulti attentè pensanda sunt; tum ex parte illius, cuius priuilegium communicatur, tum ex parte eius, cui communicatur, tum denique ex parte modi, quo communicatur.

2. Religiosi Mendicantes habent inter se communicationem priuilegiorum, vt declaratum est per Iulium 2. *Bulla* 8. 9. & 18. apud Rodriqu. in Bullario. Per Leonem 10. *Bulla* 2. & 3. Iulium 3. *Bulla* 1. Paulum 4 *Bulla* 1. Piũm 5. *Bulla* 22. Præcipuè inter Fratres Prædicatores, & Minores est ampliſſima priuilegiorum communicatio, de quibus omnes ferè citati Pontifices in suis Bullis sermonem faciunt.

3. Pro ordine Prædicatorum extat quædam specialis Bulla Leo-

Leonis X. in qua illi communicat ampliſſimè motu proprio, ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine omnes gratias, indulgentias, & alia quæcumque priuilegia, & indulta, conceſſa, & concedenda in alijs Ordinibus Mendicantibus. Rodriq. in Bullario, Bulla 33. Leonis X.

4. Pro ordine Minorum eſt alia ſimilis, ſed non tam ampla communicatio priuilegiorum conceſſorum Ordinibus Mendicantibus facta per Alexandrum VI. Bulla IX. & alia per Leonem X. Bulla VIII. & alia ampliſſima per Clementem VII. Bulla I I. in qua motu proprio, & ex certa ſcientia, tribus Ordinibus Sancti Franciſci communicat omnia indulta, gratias, indulgentias, & alia quæcumque priuilegia conceſſa, & concedenda alijs quibuſcumque Ordinibus, tam mendicantibus, quàm non mendicantibus, decernens etiam regulam Fratrum Minorum eſſe obſeruabilem, meritoriam, ac fundatam in Euangelio. Quæ Bulla confirmata eſt à Paulo IV. Pio IV. Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. & alijs Pontificibus.

Sed quoad nos Fratres Capucinos gaudemus omnibus priuilegijs Monachorum Camaldulenſium, & Fratrum Minorum ex ſpeciali conceſſione Clementis VII. in Bulla, quæ incipit: *Religionis zelus* edita anno Domini 1529. quinto nonas Iulij, ſub dat. Viterbij, vt videre ex apud Later. Cherub. *Bullar. Conſtit. 2. dicti Clement.* § 9. ſub his verbis.

Nec non omnibus, & ſingulis priuilegijs, indultis, & gratijs Ordinis Fratrum Minorum huiuſmodi, ac Eremo Camaldunenſi, B. Romualdi, illiuſque Eremitis, in genere, vel in ſpecie hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, & quibus ipſi quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, ac vti, & potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, plenam & liberam licentiam, & facultatem concedimus.

Monachi autem Congregationis Eremi Camaldulenſ. participant omnia priuilegia, gratias, conceſſiones, & indulgentias, quibuſcumque Regularibus elargitas, ac in poſterum elargiendas, tam directè, quàm per viam communicationis, ex indulto Gregorij XIV. eis impartito, anno Domini 1591. die 24. Septembris, Pontificatus ſui anno 2. vt patet ex eius Conſtitutione, quæ incipit: *Ex iniuncto nobis*, quæ eſt 18. in ordine in Bullario nouo.

5. Aliæ etiam religiones Mendicantes habent ſimilia communicationis priuilegia: ita conceſſit Auguſtinianis Alexander VI. *Bulla* 12. & Carmelitis Sixtus IV. *Bulla* 37. & 38. & Minimis Pius V. *Bulla* 22. Vbi numerat illos inter Mendicantes. Et idem ſtatuit ibi de Ordine Seruorum B. Mariæ, & de Ordine Ieſuatorum B. Hieronymi, ac de Ordine Societatis Ieſu. Hos enim quatuor ordines facit Mendicantes Pius V. ibi: & ſic gaudent priuilegijs aliorum Mendicantium. Et pro Minimis adeſt recens communicatio, Vrbani VIII. apud Tambur. *tom. 1. de iure Abbat. diſp. 17. qu. 1. n. 37.*

6. Religiones etiam Monachales, alij non Mendicantes habent etiam ſimilia priuilegia communicationis: ita conceſſit Benedictinis Eugenius IV. *Bulla* 7. & Ciſtercienſibus Greg. XIII. *Bulla* 10. & Carthuſienſibus Gregor. XI. & Pius II. vt referunt *Rodriq. tomo primo qq. reg. qu. 55. art. 8. Tambur. c. queſt. 1. numero* 22. Hi duo Auctores referunt alia priuilegia communicationis pro alijs religionibus etiam militaribus.

7. Potrò dubitari poteſt, vtrum Moniales etiam gaudeant priuilegijs Religionis, quam profitentur? Reſpond. Sixtum IV. ſtatuiſſe (*vt habetur in lib. Monum. Ordin.*) quòd Monaſteria, & loca Monialium Sanctæ Claræ & S. Dominici, eorumque Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, Procuratores, Syndici, Oblati, & vtriuſque Sexus Tertij Ordinis de Pœnitentia Nuncupatæ perſonæ prædictæ, eiſdem priuilegijs, & immunitatibus, indultis ſpiritualibus, & temporalibus fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordinibus, & illorum profeſſoribus, domibus, & locis, ac Procuratoribus, & Syndicis, & Oblatis, & Conuerſis, ſeu alijs quomodolibet per Prædeceſſores ſuos aut per ipſummet Sixtum hactenus conceſſis, & in poſterum concedendis, quauis auctoritate (quatenus earum ſexui, & ſtatui, non contradicant) liberè, & licitè vti poſſint & debeant in omnibus, & per omnia prorſus, & ſine vlla differentia, ac ſi eiuſdem Monaſterijs, locis, & perſonis prædictis nominatim conceſſa forent, & concederentur expreſsè. Ita *Mirand. in Man. tom. 2. q. 46. art. 2. Rodr. c. art. 13. Lezana tom. 5. ſum. in mare magnum Carmel. num. 385. & in Bullam auream* § 4. n. 7.

Item Bonifacius VIII. (prout habetur in Compend. priuileg. Mendicant. verb. Monales § 4.) ſtatuit quòd ſi quæcumque Moniales commiſſæ fuerint gubernationi fratrum Minorum, virtute alicuius Indulti Apoſtolici Moniales ſic commiſſæ gaudeant priuilegijs conceſſis, & concedendis prædictis fratribus: & certum eſt Moniales Sanctæ Claræ, virtute Indulti Apoſtolici, commiſſas fuiſſe gubernationi fratrum Minorum.

Moniales Sanctæ, & immaculatæ Conceptionis priuilegium habent communicationis, per indultum *Leon. X.* apud Rodriq. *c. art. 15. Miranda c. art. 2.*

Moniales Tertiariæ gaudent priuilegijs Ordinis Minorum, prout habetur in ſupplemento, ex conceſſione *Leon. X.* qui conceſſit, quòd poſſint gaudere, & potiri omnibus, & ſingulis priuilegijs, gratijs, prærogatiuis, exemptionibus, & indultis, ſub quibuſcumque verborum formis, conceſſis & concedendis, Monialibus Sanctæ Claræ, ſuper quo dat conſeruatores. Ita Mirand. *c. artic. 2. Compend. priuileg. mendicant. ver. Communicat. priuileg.* §. 17.

Aduertendum tamen eſt, quod multa inueniuntur conceſſa Tertiarijs ſub obedientia fratrum Minorum viuentibus, prout videre eſt ex literis Apoſtolicis ſuper hoc emanatis, de quibus non eſt ambigendum, quòd gaudeant etiam poſtquam ab obedientia obſeruantiæ ſunt ſeparati: vt ſunt Moniales Tertij Ordinis, quæ poſt Pium Quintum ſe Ordinarijs ſubdiderunt, & ab obedientia Prælatorum Ordinis Minorum ſe abſtraxerunt, quæ non obſtante receſſu à tali obedientia gaudent dictis priuilegijs; cum nulla ſit differentia inter obedientiam Prælatorum Minorum, & obedientiam Ordinariorum; de ſimilibus enim, ſiue connexis idem eſt iudicium. *Cap. inter cæteras, de reſcrip. Ca. tranſlato, de conſtit.* Facit etiam ad hoc quod Sixtus IV. ſupra concedens Monialibus Sanctæ Claræ, & Sancti Dominici, nec non vtriuſque ſexus Tertiarijs priuilegia eorumdem Fratrum, non diſtinguit, ſi viuant ſub cura, & regimine eorumdem Fratrum, ſed concedit abſolutè Monialibus S. Dominici, & S. Franciſci. Vide Portel *p. 2. reſponſ. moral. caſu* 14. *LeZana tom. 5. ſum. in mare magnum Carmel. n.* 385.

An autem Prælati regulares poſſint Moniales ſibi ſubiectas renunciare, & Epiſcoporum iuriſdictioni ſubijcere? Probabile eſt quòd non. Ratio eſt quia huiuſmodi Moniales exemptæ à iuriſdictione Epiſcoporum, ſunt immediatè ſub iuriſdictione Summi Pontificis.

Ex hoc enim infertur contra ius Papæ eſſe dictas Moniales relinquere, ac iuriſdictioni immediatæ Epiſcoporum ſubmittere, vt pluribus docet Lezana *tom. 5. ſum. in mare Magnum Carmelitarum* § 33. *n.* 264.

Sed quia Tertiarij vtriuſque ſexus in præſenti, ſunt in triplici differentia, prout Leo X. in Concilio Lateranenſi diſtinxit, & habetur in ſupplemento Ordinis conc. 84. & 87. Primi n. ſunt viuentes collegialiter, & iſti gaudent priuilegijs, ſicut fratres Mendicantes, abſque alia differentia, in quantum eorum capacitas permittit.

In ſecundo gradu ſunt Mulieres continentiam virginalem, aut vidualem promittentes, & habitum Tertiariorum geſtantes: & hæ pariformiter gaudent, vt primi, niſi in his, quibus expreſsè diceret Papa quòd ſolùm concedit pro viuentibus in Congregatione.

Vltimi ſunt coniugati, aut qualitercumque à præfatis duabus ſpeciebus diſtincti. Et iſti de omnibus priuilegijs Mendicantium habent illa, quæ per Concilium Lateranenſe, non fuerunt ſibi ſublata. Et iſtos in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. declaratum fuit eſſe verè ſæculares, & quòd ad onera laicis debita tenerentur, & quòd deberent conueniri coram ſuis iudicibus, & quòd ſolùm quoad Sacramentum pœnitentiæ exemptione fruerentur.

Ex quo ſequitur quòd poſſint frui omnibus gratijs ſpiritualibus ad Sacramentum pœnitentiæ pertinentibus, quibus fruuntur, ipſi fratres, vt ait Caſarubius *in Compend. ver. Tertiarij fratres, v. Aliter breuius.* Non poſſunt autem fratres, quorum Tertiarij ſunt, eis ægrotantibus in proprijs domibus Sacramenta Euchariſtiæ, & Extremæ-Vnctionis miniſtrare. Neque ſi moriantur, corpora eorum abſque Parochorum licentia leuare, quia merè ſæculares ſunt, & ſolùm gaudent priuilegijs, quoad Sacramentum pœnitentiæ vt dictum eſt. Confeſſores verò regulares dictorum confeſſiones audientes, debent eſſe ab Ordinarijs approbati iuxta Decretum Sacræ Congregationis datum 20. Decembris 1616. apud Peyrinus *de priuil. tom. 1. ad Conſtit. IV. Sixti 4. § 7. n. 39.*

8. Monialibus Ordinis Prædicatorum Leo X. conceſſit omnia priuilegia conceſſa, & concedenda Ordinibus Prædicatorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, Carmelitarum, Seruorum

Beatæ

Beatæ Mariæ,ac Minorum fratrum Ordinibus,vt refert *Rodriq. tom.1.qq.reg.q.55.ar.1. & 13.*

9. Priuilegia odiosa, & pœnalia, & in quibus aliquæ sunt pœnæ constitutæ, non veniunt sub prædicta priuilegiorum communicatione. Ratio est,quia huiusmodi concessiones, in quibus pœnæ sunt constitutæ, dici debent potiùs statuta, quàm priuilegia: statuta autem non communicantur. Deinde non est præsumendum,Summos Pontifices,concedendo priuilegiorum communicationem,voluisse aliis Religionibus,ipsis inuitis, eò cedere id,quod eisdem onus potius,quam fauorem allaturum esset; tum quia odia restringi,fauores conuenit ampliari. Imò neque possent Prælati,vt huiusmodi priuilegia pœnalia, & odiosa, in quibus pœnæ constitutæ sunt,in suis Conuentibus, vel Congregationibus obseruentur, efficere per solam priuilegiorum communicationem, absque specialis Sedis Apostolicæ concessione.

Nam ex stylo curiæ, eorumdemque Pontificum præsumpta intentione quando communicantur priuilegia, & conceduntur gratiæ, non communicantur pœnæ,sed solummodò ea,quę sunt fauorabilia Religionum cuilibet,& quæ earumdem statui,communique modo viuendi nullatenus contrariantur.

Multa enim sunt laxioribus religionibus concessa priuilegia, quæ strictioribus,sine magno earum incommodo atque dispendio, communicari non possent aut deberent, id enim si fieret, totus earum decor ac pulchritudo periret, deficeremque à sua vera obseruantia, quod per dictam communicationis gratiam, non est præsumendum Pontifices intendisse.

Propterea, etsi in indulto communicationis talis limitatio non apponatur, adhuc tamen debet semper intelligi,ne quod in fauorem, seu commodum Congregationis alicuius est concessum,contra ipsam,seu in ipsius incommodum, & odium retorqueatur,contra iuris reg.*c.quod obgratiam,de regul.iur.in 6.* Vide *Rodriqu.c.art.17.*& alios citatos infrà v.*Religio 2.num.10.*

10. Dubium est,an communicato priuilegio etiam restrictio eius communicetur? hoc est, an priuilegium alicui concessum cum certa restrictione,& postea communicatum alteri, intelligatur communicatum cum eadem restrictione, etiamsi illa non exprimatur,sed absolutè dicatur, communicari huic priuilegiũ, quod alter habet?

Responsio est negatiua; Ratio est, quia restrictio addita in prima concessione,respectu eius cui facta est, non semper æquè aut bene accommodatur alteri, cui tale priuilegium per communicationem concessum est, ergo restrictio non communicatur.

Conceduntur verbi gr. Societati I E S V sua priuilegia cum hac restrictione, vt singuli religiosi illis vti non possint, nisi à Præposito Generali, vel ab alio per ipsum deputato eis communicentur: quando ergo hæc priuilegia alijs religionibus communicantur,restrictio illa non communicatur; quia priuilegia ipsa priùs fuerunt absolutè concessa Societati, postea verò addita fuit restrictio per specialem declarationem, quæ non restringit modum vtendi priuilegio, nisi quoad Societatem ipsam; communicatio autem alijs religionibus postea facta est de solis priuilegijs,& gratijs,non de huiusmodi declarationibus.

Similiter conceduntur Societati aliqua priuilegia cum hac restrictione, vt aliæ religiones illis vti nõ possint per viam communicationis; aliæ verò religiones habent priuilegia communicandi in omnibus cum cæteris alijs religionibus, & speciatim cum Societate,vt concessit Gregorius XIV. Cisterciensibus, & Crucifigeris; ergo illa restrictio non poterit alijs Religionibus nocere, cùm absolutè concedantur, & communicentur omnia priuilegia Societatis. Ita Ioannes *de la Crux de statu relig.lib.2. ca.4.conclus.3. Portel in dub.regul.ver.priuileg. communicatio nu. 23. Rodriqu.c.art.17. Dian.p.1.tract.13.resol.46. Miranda tom. 2.qu.46.art.5.conclus.2.*

11. In communicatione priuilegiorum non communicatur vsus vel non vsus priuilegij, sed ius vtendi priuilegio: & sic licet vnus non vtatur priuilegio multis concesso, non præiudicat alijs vtentibus illo.

Proinde cùm Religionum priuilegia, eò ipsò quò communicantur,fiant communia,& propria earumdem religionum,quibus communicantur, tamen per non vsum alicuius Religionis cuiuspiam priuilegij, non amittitur aut deperditur ius, quod aliæ Religiones habent ad ipsum.

Hoc colligitur ex citatis priuilegijs, quibus dicitur, quòd per ipsa,eorumque communicationem,aliarum Religionum priuilegia, ex æquo fiunt sibi propria, ac si specialiter sibi fuissent concessa,sed si specialiter fuissent sibi concessa,nullatenus amitterentur, nec deperderetur ipsorum vsus, per quemlibet aliarum Religionum non vsum,nec verò per non proprium vsum, nisi legitimo, ad minus, 40. annorum tempore fuerit præscriptum,iuxta antedicta. Ita Rodriq. *to.1.qq.reg.qu.55. art.19. Sylueſt.ver.Priuileg.qu.11. Suar.de leg.l.8.cap.16.nu.17. De la Crux de statu relig.l.2.c.4.concl.3.* & alij.

12. Priuilegia concessa vni Monasterio vnius Ordinis censentur etiam concessa omnibus Monasterijs eiusdem Ordinis. Sic concessit Pius IV. Patribus S. Hieronymi in Hispania, & Postea Clemens VIII. ad instantiam Regis Catholici Philippi II. Et ante hæc Iulius II. apud Rodriqu. Bulla 26. concessa vni Monasterio Minimorum, toti ordini communicauerat: consequenter aliæ Religiones per priuilegia communicationis eodem gaudent extentionis indulto ac si eis specialiter concederetur.

Priuilegium tamen concessum vni Religioso tantùm, non conceditur alijs Religiosis eiusdem Ordinis: hic enim militat diuersa ratio, quę enim vni Religioso congruunt, alteri Religioso erunt indecentia: quod non continget in priuilegio concesso vni Monasterio respectu aliorum Monasteriorum eiusdem ordinis.

Si autem vnum priuilegium sit concessum Prælato vnius cõuentus ratione officij, vel Fratribus in communi alicuius Conuentus, illud participabunt omnes Prælati Conuentuales, & omnes fratres illius Ordinis: imò & Prælati conuentuales, & fratres aliorum Ordinum communicantium. Rodriques *c.articulo* 18.

Sed dubitatio est,an priuilegium concessum vni Prouinciæ alicuius Religionis, extendatur etiam ad alias Prouincias eiusdem Religionis? Respondeo, quòd si priuilegium concedatur determinato loco, vtpote, pro tali Prouincia, tunc priuilegium valet pro illa sola, & non pro alijs, vt tradunt omnes Iuristæ, quos refert Suar.*de leg.l.8. cap.26.* dicens tenendum esse tenorem priuilegij, præsertim si priuilegium, ex parte materiæ, & obiecti, statuat determinatum locum. Facit ad hoc textus valdè notabilis in Cap.*cum capella,de priuileg.* vbi disponitur, quòd priuilegium concessum vni Ecclesiæ,vel Prouinciæ,seu loco, nequit trahi ad aliam Ecclesiam,siue Prouinciam, vel locum.

13. Religio communicans in priuilegijs cum alijs Ordinib., ac si illi specialiter concessa fuissent, potest vti dictis priuilegijs contra illum Ordinem, cui primum fuerunt concessa, & per quorum communicationem ipsa participat, quia iam facta sunt propria ipsius Religionis communicantis, eademque habet independenter ab alijs, ac si illi specialiter concessa fuissent.

Exemplum sit, Ordini Fratrum Minorum concessum est priuilegium, ne iuxta suum Monasterium, possit ædificari aliud Monasterium Prædicatorum, Carmelitarum, & S.Augustini, aliorumque Ordinum in paupertate viuentium infra spatium trecentarum cannarum mensurandarum per aerem, etiam vbi aliàs rectè mensurari loci dispositio non permittit. Ita Clemens IV.in Compend.priuileg.Mendicant.v.*Ædificare* §.1. Et vnamquamque istarum cannarum voluit octo palmos in longitudine habere.

Huic priuilegio communicant Prædicatores. Postea Minoritæ volunt ædificare Conuentum prope Prędicatores intra idem spatium, possunt Prædicatores se defendere contra Minores per illud priuilegium concessum primò Minoribus: quia hoc priuilegium iam factum est proprium Prædicatorum per communicationem. Ita Rodriques *tomo primo qq.regular. quæst.55. articul.* 21.

14. Communicatio priuilegiorum intelligenda est non solùm de priuilegijs concessis,tempore quo facta est gratia prædictæ communicationis, verum etiam de postmodum concedendis: Imò non solùm extenditur ad priuilegia fratrum Mendicantium, verùm etiam, & non Mendicantium.

Probantur hęc expresse ex concessionibus factis Fratrib. Minoribus per Clementem VII. Prædicatoribus verò per Leonem X. vtrisque verò per Sixtum IV. vt dictum est suprà *num.2. 3.& 4. & seq.*

Sed difficultas est, an fratres Mendicantes vti, & potiri possint priuilegijs concessis Societati I E S V? Ratio dubitandi est, quia prædictus Clemens VII. alijque Pontifices, qui prædictis fratribus Mendicantibus facultatem fecerunt, vt quarumcumque Religionum priuilegijs vti & frui possent concessis & concedendis, solummodò loquuti sunt, & vt videtur, loqui intenderunt, de Religionibus alijs eo tempore per Sedem Apostolicam

cam approbatis; ſed prædicta religio Societatis multo poſt tempore, per eamdem Sedem Apoſtolicam approbata eſt: ergo eiusdem priuilegijs vti non poſſunt fratres Mendicantes, virtute dictarum conceſſionum.

Nihilominus dicendum eſt, hanc difficultatem nullam eſſe, quia poſtea *Paulus IV.* Bulla I. apud *Rodriquez*, pro Minoribus, & *Pius IV.* Bulla II. pro eiſdem: & *Pius V.* Bulla VII. pro Mendicantibus: & *Gregor.* XIII. Bulla I. pro Minoribus, & Bulla 10. pro Ciſtercienſibus. & Bulla 13. 14. & 15. pro alijs ordinibus; & Sixtus V. Bulla 14. 18. & 20. approbarunt & de nouo conceſſerunt priuilegia dictorum Religioſorum, quando iam ordo Societatis erat fundatus; & poſt hanc *Greg.* XIV. Bulla 3. determinauit ordinem Ciſtercienſem frui poſſe priuilegijs Societatis: dum ei concedit communicationem omnium priuilegiorum omnium Ordinum. Idem *Gregor.* XIV. ſpecialiter conceſſit Ordini Crucifigerorum, vt fruantur priuilegijs Societatis. Et ſic aliæ religiones gaudent iſta conceſſione, cùm communicent in priuilegijs Ciſtercienſium, & Crucifigerorum. Vide Rodriq. *tom. 1. qq. reg. q. 55. ar. 11. 12. & 17.*

PRIVILEGIVM VI.

De interpretatione priuilegiorum Regularibus conceſſorum.

SVMMARIVM.

1. *Interpretatio iudicialis priuilegiorum de iure ſpectat ad Romanum Pontificem.*
   Magiſtralis verò & Doctrinalis bene fieri poteſt à religionum Prælatis.
   Ex priuilegio autem Julij 2. etiam iuridice poſſunt Prælati Generales eorum priuilegia interpretari.
2. *Prælati Eccleſiæ non poſſunt priuilegia regularium interpretari.*
3. *An regularium priuilegia, in quibus datur facultas diſpenſandi, commutandi, & abſoluendi, poſſint extendi ad alios ſimiles caſus, in quibus ſubeſt eadem vel maior ratio.*
4. *An priuilegia conceſſa communitati alicuius religionis, ad ſingulos poſſit extendi.*
5. *Priuilegia ſingularibus perſonis religionis conceſſa, an extendantur ad Prouinciales, & Generales eiuſdem.*
6. *Priuilegia ſecundum conſuetudinem ſunt declaranda, & interpretanda.*
7. *Regula ſpeciales pro interpretatione priuilegiorum.*

1. QVamuis regulariter interpretatio priuilegiorum ſpectet ad Principem concedentem, quia *eius eſt interpretari, cuius eſt concedere*; vt habet vulgata Regula; tamen hoc eſt intelligendum de interpretatione, & declaratione iudiciali, quæ de iure ad ſolum Summum Pontificem ſpectat. De qua generali, & iuridica interpretatione iudiciali intelligi debent verba appoſita in conſtitutionibus Summorum Pontificum, quando dicitur quòd nemini liceat ipſas aliter interpretari: vel quòd ſit ſublata poteſtas aliter definiendi, interpretandi, & determinandi; non autem de interpretatione, & declaratione doctrinali, & magiſtrali, quæ bene fieri poteſt à Religionum Prælatis: & interpretationi, ſeu explicationi huiuſmodi factæ à Prælatis, poſſunt eorum ſubditi tuta conſcientia ſtare. Ratio eſt, quia huiuſmodi magiſtralem, & doctrinalem explicationem, ſiue interpretationem facere poſſunt etiam quilibet Iuriſperiti, ac Theologi: ergo poterunt etiam Regulares Prælati.

Verùm ex priuilegio non ſolùm magiſtraliter, & doctrinaliter, ſed etiam iuridicè eorum priuilegia, Prælati Generales interpretari poſſunt; vt conceſſit *Iulius II.* Generali Ordinis Prædicatorum per Bullam, quæ incipit, *Conſiderantes, quòd multa...* apud *Laurent. de Peyrin. tom. 1. priuileg. ſui Ordin. Conſtitut. 13. dicti Pontificis.* Proinde religioſi tenentur declarationibus, & interpretationibus factis à Generali in ambiguis circa Conſtitutiones, Priuilegia, exemptiones, &c. ſtare in his, quæ ad ſuarum conſcientiarum ſerenitatem ſpectant.

Tamen ſi res eſſet clara, Prælati interpretatio non requireretur, in claris enim non eſt opus coniecturis. Ideo ſi priuilegium, vel ſtatutum aliquod clarum ſit, & Generalis contrarium declaret, ſubditus eius declarationi ſtare non tenetur ſed ſimpliciter, priuilegium, aut ſtatutum obſeruare: cùm priuilegium non in deſtructionem, ſed in ædificationem, nec ad relaxandas, & confundendas, ſed pacandas, & ſerenandas ſubditorum conſcientias traditum ſit. Rodriqu. *tom. 1. qq. reg. qu. 11. art. 5. De la Crux de ſtat. relig. l. 2. dub. 2. Miranda in manual. tom. 2. queſt. 44. ar. 2. concluſ. 1. & 2. Barboſa in collect. ad caput cum veniſſent, numero 4.*

2. Paulus III. conceſſit Societati IESV, vt Prælati Eccleſiæ non poſſint tua priuilegia interpretari, ſiue clara ſint, ſiue dubia, prout conceſſerat antea Clemens IV. Prædicatoribus, & Minoribus.

Imò potiùs, quod cùm dubium extiterit in priuilegio aliquo inter Iuriſperitos, & Iudices, in fauorem Societatis fiat interpretatio. Ita Collector Compend. Societat. *tit. priuilegium §. 2. & 4.* & Compend. priuileg. mendicant. verb. *Priuilegium*, § 5. Et iure optimo in fauorem regularium fuit conceſſum, ne Prælati Eccleſiaſtici poſſint eorum priuilegia interpretari, quia in dubio, an iuriſdictio contra Regulares pertineat ad Epiſcopum, & ad Iudices Eccleſiaſticos, non poſſunt ipſi cognoſcere de cauſa, ne ſint Iudices in cauſa propria; iuxta legem, *qui Iuriſdictionem, ff. de iuriſdict. omn. Iudicum*, & pluribus tradit *Rodriqu. tom. 2. qq. reg. q. 63. art. 7.*

3. Regularium priuilegia, quibus datur facultas diſpenſandi, commutandi, & abſoluendi, poſſunt extendi ad alios ſimiles caſus, in quibus ſubeſt eadem vel maior ratio: licet enim regula iuris ſit, *L. pupillorum §. ſi prator. ff. de rebus eorum, quæ ſub tutela, vel cura ſunt*; quòd priuilegia non recipiunt extenſionem ex ſimilitudine rationis, neque ex maioritate rationis, ſitque id regulariter verum; at non procedit, in priuilegijs cauſa fauorabili conceſſis, vt ſunt priuilegia, & facultates diſpenſandi, commutandi, & abſoluendi; hæc enim cùm contineant beneficium, & fauorem Principis, ampliè ſunt interpretanda, locumque in eis habet ſimilitudo rationis quia ex materia ſubiecta datur intelligi eam eſſe mentem Legislatoris.

Proinde priuilegia concedentia votorum commutationem, extenduntur ad ſimilia iuramenta commutanda, dummodo non vergant in præiudicium tertij, propter ſimilitudinem rationis. Vide *Nauarrum de reddit. Eccleſ. queſtione prima, monit. 50. numer. 10.*

4. Quando priuilegia, niſi per ſingulares perſonas exerceri & practicari nequeunt, vt ſunt apud Religiones conceſſa pro prædicationibus, confeſſionibus, Sacramentorum adminiſtratione, indulgentiarum lucratione, & ſimilibus, quorum exercitium non ad communitatem, ſed ad ſingulares perſonas pertinet, conceſſa corpori, ſeu communitati, quorum ipſa communitas collegialiter ſumpta non eſt capax, ad ſingulos protrahi, & extendi ex præſumpta concedentis mente interpretatur; quia aliàs priuilegium fruſtratorium redderetur. De quo D. Thomas *in 4. diſtinct. 25. quæſtione ſecunda. Rodriques tomo 3. qq. regular. queſt. 51. articulo 10. Gomez in regula de idiomat. quæſtione ſecunda num. 4.*

5. Priuilegia ſingularibus perſonis Religionis conceſſa, ad Prouinciales, Generales eiuſdem, etiam ſi a concedente non exprimatur, extendi certiſſimum eſt, niſi aliud ex mente eiuſdem concedentis coniiciatur: quia extat receptiſſima, atque apud omnes probata diſtinctio, vt in fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas veniat appellatione Monachorum; in materia tamen non proportionabili, & odioſa, ſecus; Dicti. n Prælati per adeptionem ſuorum offi. iorum, non deſinunt eſſe Religioſi, nec debent eſſe deterioris conditionis, quàm alij ſibi ſubditi; cum dignitatis & ſupereminentiæ proprium ſit augere, non autem ſtatum priorem ab eo in quem dignitas cecidit, in ipſius præiudicium auferre. Vide Tamb. *tom. 1. de iure Abbat. diſput. prima queſtione 7. Sanchez libro ſexto moral. ca. 3. numero 84. & 85. Rodriqu. tom. 3. queſtio. 51. articulo vndecimo. Armillam ver. Abbas.*

6. Priuilegia ſecundùm conſuetudinem ſunt declaranda, atque interpretari debent. Si enim conſuetudinis ea eſt vis, tantùmque roboris habet, vt vim legis quandoque obtineat, legemque ipſam poſitiuam, atque præceptiuam interdum tollere, & abrogare poſſit, ipſamque interpretari, quando ad peccatum obliget; quando non: liquidum profectò ſit, quòd etiam ipſa priuilegia debeat, & poſſit interpretari, & declarare, quodque ſecundùm illam ea ſint interpretanda, & declaranda. Ita eſt communis omnium DD. & Iuriſperitorum ſententia.

7. Re-

7. Regulæ ſpeciales pro interpretatione priuilegiorum ſunt. 1. In interpretatione priuilegiorum atque declaratione, quàm maximè debet attendi verborum tenor, ſed nihilominus intentioni potiùs, quam verbis eſt inſiſtendum; ſemper aduertendo, quòd priuilegiorum Papalium interpretatio fiat ſecundùm Canones, non verò ſecundùm leges.

Secunda. Recipiunt priuilegia interpretationem à ſupplicatis, cùm mente enim ſupplicantis præſumitur ſe conformare concedens. Ita in *Cap. inter dilectos § cæterum, de fide inſtrumentorum*.

Tertia. Statuta Regularium non ita rigoroſè interpretentur, vt apices iuris ſeruentur, ſed ampliari debent ex bono, & a quo: hoc eſt ſecundùm naturalem æquitatem, non ad libitum, ſed ſecundùm terminos iuris naturalis, & gentium. Bald., in *Rubr. C. de conſt. pecun.*

Quarta. Priuilegia dubia regularium, dubietate orta ex ambiguitate verborum, & Iuriſtarum interpretatione, in fauorem Regularium ſunt intelligenda, vt dictum eſt ſuprà *num.* 2. Priuilegiorum enim prædictorum interpretatio non eſt ita ſtrictè facienda, vt nihil omninò operentur, nam priuilegia ſemper debent aliquid operari, vt habet communis omnium Iuriſperitorum reſolutio. Et hæc de priuilegijs breuiter dicta ſufficiant.

Plura apud Mirandam *in Manual. Prælat. tom.* 2. *à qu.* 41. *vſque ad quæſt.* 47. Rodriques *tom.* 1. *quæſt. regular. quæſt.* 7. 8. 9. 11. 55. *& tom.* 3. *quæſt.* 51. Hieronymum Rodriques *reſolut.* 116. De la Crux, *lib.* 2. *de ſtatu relig.* Tambur. *tom.* 1. *de iure Abbatum diſp.* 16. 17. 18. Portel *in dubijs regul. ver. Priuilegium.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 22. & 23. Reginaldum *lib.* 13. *num.* 231. *& ſequentibus.* Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 23. Compendium priuilegiorum Mend. verb. *Communica io priuilegiorum, & verb. Priuilegia fratrum.* Cordub. & Sorbum *ibid.*

PROBATIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit probatio, & quotuplex?*
2. *Quot teſtes requirantur, & ſufficiant ad plenam probationem contra alterum, in omni cauſa Eccleſiaſtica, & ſæculari?*

1. PRobatio eſt *rei dubiæ per argumenta ſeu media oſtenſio* & hæc regulariter incumbit aſſerenti. *Multiplex* eſt. *Prima*, ſcilicet, euidentiſſima, id eſt, per priuilegia vel inſtrumenta indubitata. *Secunda*, euidens, & clara quæ fit per teſtes, vel facti euidentiam. *Tertia*, minùs euidens quæ fit per coniecturas. *Quarta*, per confeſſionem. *Quinta*, per ſcripturam antiquorum librorum. *Sexta*, per violentam præſumptionem.

Septima, per famam cum alijs præſumptionibus, & per famam cum vno teſte, quod tamen non ſufficit ad condemnandum de crimine, quia in criminibus debent eſſe probationes apertiſſimæ, & meridiana luce clariores, ſecus in cauſa ciuili.

Octaua, per iuramentum. *Sylueſt. verb. probatio. Angelus ibid. Layman. l.* 3. *tract.* 5. *tract.* 6. *cap.* 4. *Bert. in praxi criminal. regul. tit.* 11. *cap.* 5.

2. In omni cauſa Eccleſiaſtica, & ſæculari, ciuili, & criminali ad plenam probationem contra alterum, præter actorem vel accuſatorem requiruntur, & ſufficiunt duo teſtes, ſi idonei ſint & omni exceptione maiores: Imò ad condemnandum Sacerdotem vel Epiſcopum duo idonei teſtes ſufficiunt, ſi non de iure, ſaltem de conſuetudine.

Laicorum tamen teſtimonium contra Clericum in criminalibus communiter non admittitur, vt ſufficiens ad probationem plenam, quia laici ſolent eſſe infeſti Clericis, præterquam ſi crimen exceptum ſit, vel etiam in ſubſidium, quando crimen aliter probari non poteſt, vt ſi in Villa commiſſum ſit coram ſolis laicis. Plura apud *P. Nauarra lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 199. *Leſſium l.* 2. *c.* 30. *dub.* 4. *num.* 32. *Layman c. num.* 3.

De probatione vide *Matrimonium* 7. num. 62. *Iudicium publicum* num. 5. *Teſtis*.

PROCVRATOR.

SVMMARIVM.

1. *Quis dicatur procurator?*
   Et quomodo vnus ſit ſpecialis, alius generalis, vnus ad lites, alter ad alia negotia.
2. *An procurator, & quinis delegatus literas & formam ſui mandati vel commiſſionis exhibere debeat?*
3. *Quot annorum debeat eſſe procurator ad negotia, & ad iudicia?*
   Et quę ſit differentia inter vtrumque?
4. *De qua culpa teneatur procurator ad negotia, & ad iudicia?*
5. *Qui excludantur ab officio procuratoris?*
6. *Quę conditiones requirantur in procuratore?*
7. *Quæ ſint peccata procuratoris?*

1. PRocurator dicitur, *qui aliena negotia mandato Domini adminiſtrat*; nam procuratoris officium, ſpecies quædam mandati eſt. *L.* 1. *ff. de procurator. Procurator alius* eſt ſpecialis, & *alius* generalis; item *alius* eſt ad lites ſiue iudicia, & *alius* ad alia negotia tractanda. *Procurator ad negotia* ſtrictè dicitur is, qui inſtrumentum accipit à mandante ad aliquid agendum, loco & nomine ipſius, in iudicio vel extra; hinc eſt, vt acquirat actiones directè, & immediatè non ſibi, ſed principali. *Sylueſter. ver. procurator. Layman. l.* 3. *tractat.* 4. *cap.* 26. *num.* 6. *Fill. tr.* 39. *n.* 14. *Mol. d.* 551. *n.* 1. & 2.

2. *Procurator* ſicut & quiuis alius mandatarius aut delegatus, literas & formam ſui mandati vel commiſſionis exhibere cogitur, neque eius poteſtas ſe vlteriùs extendere cenſetur, quàm in literis expreſſum ſit. *L. procurator cui ff. mandati. L. ſed & ha. ff. de procur. L. Maritus Cod. de procur.*

Teneturque reddere Domino rationem adminiſtrationis, & cedere illi iura, & actiones, quæ ex tali adminiſtratione acquiſiuit. *L. minor ff. de procur. Perſona* tamen coniuncta ſine mandato admittitur ad agendum pro altero, modò curet alterum ratum habiturum.

3. *Procurator ad negotia*, vt minimum debet eſſe decem, & ſeptem annorum, ad iudicia autem vigintiquinque; ea autem *differentia* eſt inter vtrum, quòd *procurator ad negotia* datus, alium ſubſtituere poteſt; niſi id ei prohibitum ſit, vel niſi ſpecialis negotij grauitas permittere non videatur. *L. ſi procuratorem §. ſi quis ff. mandati. Sylueſter c. Filliuc. c. n.* 16.

Procuratori verò ad *iudicia* alium ſubſtituere conceſſum non eſt, niſi id in mandato contineatur, vel poſtquam ab eo lis conteſtata fuit, vel niſi in rem ſuam, id eſt, propriam vtilitatem datus fuerit; quia titulo donationis ceſſa eſt ipſi actio.

4. *Procurator ad iudicia* de culpa etiam leui, imò ſecundùm quoſdam, de leuiſſima quoque tenetur; quia exactam rei gerendæ peritiam præ ſe ferre cenſetur. *L. in procuratore Cod. de mandati. Layman c. numero* 7. At verò *procurator ad negotia*, ſicuti & alij mandatarij plerumque tantùm tenentur de culpa lata; niſi negotij qualitas exactam diligentiam requirat.

5. Non poteſt eſſe procurator furioſus, nec infamis, ſurdus, mutus, accuſatus de crimine, ſeruus, excommunicatus, vel conſtitutus ab excommunicato; ſi tamen eſſet occultum, teneret: nec regularis, niſi in caſu ſui Monaſterij iubente Prælato; ſi autem religioſus à Monaſterio abſens ſit, poteſt cum voluntate Prælati præſumpta in iudicio agere; debet tamen agere nomine non ſuo, ſed Monaſterij.

Clericus in ſacris vel beneficiatus coram Iudice ſeculari, in cauſis ſæcularibus non poteſt eſſe procurator, niſi cauſam ſuam, vel ſuorum, vel Eccleſiæ, aut perſonarum miſerabilium ſuſcipiat. Syluester *ver. procurator. Layman c. numero* 11. & 12. *Nauarr. commentar.* 2. *de regul. numero* 29. *Armilla ver. Aduocatus numero* 5.

6. *In procuratore* quatuor conditiones requiruntur. *Prima*, ſcientia ſufficiens ad tale munus, alioquin peccat & tenetur ad reſtitutionem. *Secunda*, diligentia in tribus, *vt ſcilicet* petat terminos iuſtos in cauſa, probet quæ, & quando probanda ſunt: *Item* vt reſpondeat in termino cauſę, appellet ſuo tempore, alioquin tenetur de damnis parti læſæ: *Item* vt multis litibus non occuperur, ſed eas tantùm ſuſcipiat, quibus ſufficiat.

Ter-

Tertia, est veritas, quam debet seruare tam in seipso quàm in suis clientibus, non sit auctor mendacij, nec falsos testes inducat, nec petat dilationes superfluas.

Quarta, est iustitia, quæ posita est, vt causam iniustam non suscipiat etiamsi habeat aliquod caput iustum: vt causas priùs susceptas priùs procuret, & non plures accipiat, quàm intra debitum tempus absoluere possit: vt non inducat partes ad iniquam concordiam: vt non differat causam vel peruertat iudicem, vel ex industria prolatet, vt longius salarium accipiat. Vt non petat terminos impertinentes, nec manifestet crimina occulta contrariorum testium, quando non est necessarium. Vt non exigat salarium immoderatum, nec accipiat munera, nisi ure concessa. & promissa, vt connexibilia. *Clau. Reg. lib. 12. cap. 24. Tolet. lib. 5. ca. 62. Nau. in Man. cap. 25. num. 30. Reginald. l. 25. num. 680. Filiuc. tract. 40. num. 295. Bonac. tom. 2. d. 10. qu. 3. punct. 4.*

7. *Procuratoris* peccata sunt. *Primò*, si cum non sit idoneus, officium tamen exercet. *Secundò*, si defendat causam quam scit esse iniustam, & tunc tenetur damna parti aduersæ & iuxta restituere, si eam de hac re non admonuit: quando autem esset dubia, semper potest patrocinari ob varietatem opinionum.

Tertiò, qui perdit causam suę partis iustam ob notabilem suam ignorantiam vel negligentiam.

Quartò, qui ob nimias dilationes, & illicitas subornationes testium, notabiliter officit parti aduersæ, habenti alioqui causam iustam.

Quintò, si aduersario secreta suæ partis pandat, aut pauperi non subueniat. *Sextò*, si stipendium immoderatum, aut ex eo quod non debet, accipiat, aut faueat aduersæ parti. *Septimò*, si conueniat de quota litis, vt dimidia, tertia, quarta, &c. est enim id iure prohibitum; potest tamen conuenire, vt certa quantitas iusta pro suo labore soluatur, siue vincat, siue non. *Nau. c. num. 28. 29. & 30. Filiuc. trac. 28. 2. par. num. 153. & 154. Laym. l. 3. tr. 4. c. 26. n. 10. Regin l. 25. n. 678.*

De Procuratore vide *Cambium* num 9. *Donatio* num. 7. *Fœmina* num. 1. *Irregularitas* 5. num. 14. *Iuramentum* 3. nu. 8. *Matrimonium* 1. num. 9. & 10. *Matrimonium* 7. num. 31. *Paupertas religiosa* n. 8. *Pignus* n. 6.

PROMISSIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit promissio gratuita?*
2. *An promissio facta homini vel Deo, adimplenda sit, etiamsi sit maioris boni impeditiua?*
3. *An qui promisit Deo se ducturum feminam quam defloruit sub promissione matrimonij, teneatur promissionem Deo factam adimplere?*
4. *An teneatur ad matrimonium qui promisit Deo se ducturum aliquam in vxorem ad vitandam fornicationem vel alia peccata carnis, & quid si promisit Deo se ducturum meretricem, vel pauperem?* refertur duplex sententia.
5. *An promissio interna iure positiuo, & naturæ obliget?*
6. *An promissio interna facta cum iramento non reuocandi obliget ante acceptationem?*
7. *An promissio, & omnis pactio ante patrationem operis praui, cuius causa est facta, sit inualida?*
   Et an patrato opere malo promissor obligetur soluere promissum? refertur duplex sententia.
8. *An iure naturæ, & positiuo irrita sint promissiones, quarum impletio est illicita?*
9. *Quantum obliget promissio externa legitimè acceptata?* refertur triplex sententia. *Et quando res promissa dicatur esse magni momenti?*
10. *In quibus casibus promissio acceptata, & valida desinat obligare?*
11. *An promissio ante acceptationem pariat aliquam obligationem?*
12. *Quid requiratur vt promissio vel donatio facta absenti validè possit acceptari?*
    Et an promissio vel donatio possit validè acceptari post mortem donatoris.
13. *Quis possit promissionem lucratiuam vel donationem absenti factam acceptare?*
14. *Quando promissio sit adimplenda?*

1. PRomissio gratuita, *est datio fidei deliberata, vera, & spontanea, de re licita, & possibili*; Ita *Filiuc. tract. 33. cap. 2. num. 19. Nau. cap. 18. numero septimo. Sylu. 2. 2. quæst. 66. artic. 2. quæs. 4. conclus. 1. Less. lib. 2. cap. 18. dub. 1. Reginald. lib. 25. numero 83. Sanchez de matrimon. li. 1. disput. 8.* ex hac definitione colligitur.

Primo, promissionem differre à pollicitatione. quia hæc non est propriè promissio, cùm non sit acceptata, nec fides per ipsam dicatur data. *Secundo*, patet ad promissionem requiri plenam deliberationem, quæ tatis esset ad meritum vel peccatum mortale; quare promissio sine plena aduertentia, sicut & votum non obligat, neque etiam sub veniali: hinc promissiones amentium vel ebriorum, vel infantium, vel eorum, qui eas faciunt ex tanta animi perturbatione, quę mentem & rationem perturbet & obtenebret inualidæ sunt. Qui verò dubitat an deliberatè promiserit, præsumendus est deliberatè promisisse, quia possessio stare videtur pro ipsa promissione, quam constat factam fuisse. *Reginald. c. numero 90. 93. Sanchez c. disput. 9. Henriq. l. 11. cap. 13. num. 2. Nau. c. num. 6.*

Tertiò, à promissione debet excludi fictio, qualis reperitur in eo qui promittit absque animo promittendi vel se obligandi, qui enim promisit animo non promittendi, aut animo non se obligandi, non verè promisit, sed fictè, nec tenetur, per se loquendo, promissionem adimplere, licet fieri possit vt aliunde obligetur, puta si alter credebat tibi ex animo promitti, & ob id periculum sit, vt damnum patiatur. *Filiuc. c. num. 19. Bonac. tom. 2. de contract. d. 3. qu. 12 p. 1.*

Quartò, patet promissionem, quæ facta est ex metu vel dolo, posse semper irritari ab eo, qui passus est metum, nec obligare ad implendum promissum, nisi iuramentum ei addatur? *Filiuc Bonacciuæ.*

Quintò, colligitur promissionem de re turpi & impossibili, non obligare; tum quia impossibile est aliquem obligari ad peccatum, à quo debet abstinere; tum quia ad impossibile nemo tenetur; verum si res promissa partim sit licita, & partim illicita, promissio quoad partem licitam adimplenda est, sicut etiamsi pars sit impotubilis, & reliqua impossibilis, pars possibilis adimplenda esset.

2. Promissio facta homini. etiamsi maioris boni sit impeditiua, adimplenda est; quia in tali promissione attenditur id quod est homini gratius, res autem minus bona, seu impeditiua maioris boni, magis aliquando placet homini, quàm placeat magis bona; secus dicendum est de promissione facta Deo, in qua, quò res est magis bona, magis Deo placet; illi verò non placet, si maioris boni sit impeditiua: hinc qui promisit matrimonium fœminæ, tenetur eam ducere: qui verò vouit matrimonium, non tenetur per se loquendo votum adimplere; nam votum debet esse de meliori bono; & tale votum est impeditiuum melioris boni, id est, cœlibatus. Molin. *tract. 2. disput. 149. Vasques 3. par. tomo quarto disput. 4. cap. 4. num. 50. Sanch. de matrimon. li. 1. disp. 4. num. 4.*

3. Qui interiùs promisit Deo se ducturum fœminam quam defloruit sub promissione matrimonij, tenetur promissionem Deo factam adimplere, quia huiusmodi promissio Deo placet, & est de re meliori, quàm sit eius oppositio, cùm sit de re quam promissor tenetur facere. *Sanch. de matrim. l. 1. d. 4. num. 1. Coninck de matrim. disp. 22. dub. 9. num. 58.*

4. Qui promisit Deo se ducturum aliquam in vxorem ob vitandam fornicationem, vel alia peccata carnis, cognoscens ex frequenti lapsu se imbecillem, & insufficientem ad superandas carnis tentationes, tenetur ad matrimonium; quia attentis circumstantijs hic, & nunc melius est matrimonium, quàm eius omissio, melius est enim nubere quàm vri: *Nauar. cap. 11. num. 43. Mol. tom. 1. d. 149.*

An autem qui promisit Deo se ducturum meretricem, vt illa se recipiat ad meliorem frugem, vel pauperem in honorem Dei; teneatur promissionem implere? Henriqu. *l. 11. cap. 6. numero 5. Philiarc. tom. 1. 2. par. cap. 17.* Volunt teneri, quia videtur voluisse opus charitatis, & misericordiæ, resipiscentiam. l. & emendationem meretricis; sed alijs contrarium videtur probabilius, quia huiusmodi votum videtur inualidum, vtpote maioris boni impeditiuum, melius est enim abstinere à matrimonio quàm illud inire, & huius sententiæ sunt *Sanch. c. l. 1. d. 4. num. 7. Coninck c. num. 59. Vasq. c. num. 50*

5. *Iure naturæ*, & positiuo, promissio interna non obligat, nisi fiat per modum voti; *ratio prioris* est, quia interni actus non sunt idonea signa ad significandam obligationem alteri homini:

ni: *poſterioris autem ratio eſt*; quia promiſſio interiùs facta in gratiam hominis per modum voti de meliori bono adimplenda eſt ex vi voti(vt ſi quis promittat Deo ſe daturum eleemoſynam pauperi)ille tamen cui facta fuit promiſſio, nullum ius acquiſiuit,cum ab eo non ſit acceptata:Si autem res promiſſa per modum voti non ſit de meliori bono,ſed indifferens,aut impeditiua maioris boni, non eſt obligatio adimplendi, quia non eſt acceptum Deo,quod eſt maioris boni impeditiuum. Azor.3.*par.l.*11. *cap.*15.*num.*1.*Regin.l.*25.*num.*74.*Sanch.c.l.*1.*diſp.*3.*& diſput.*7. *num.*25.*Rodriqu.*1.*p.cap.*95.*num.*1. Vide *Dianatract.*5. *Miſcell. reſolut.*116.*p.*3.

6. *Promiſſio interna* facta cum iuramento non reuocandi, non obligat, ſed reuocari poteſt, ſaltem abſque peccato mortali ante acceptationem, quia iuramentum ſequitur naturam principalis,& conditiones actus ſuper quem cadit, ſed principale eſt promiſſio,quæ cenſetur facta cum hac tacita conditione,niſi reuocetur ante acceptationem,ergo ſimiliter iuramentum.Sanch. *de matrimon.lib.*1.*diſput.*7.*numero* 24. 25. & 39.*Leſſ.l.*2.*cap.*18. *dub.*6.

Si autem iuramentum ſit factum Deo de re aliqua facienda in honorem ipſius Dei, tunc habet rationem voti, quod reuocari non poteſt niſi per diſpenſationem,vel commutationem. *Molin.tract.*2. *diſp.*263. *Couarru.de pactis* 2.*par.*§.4. *num.*12. & 16. Cum quibuſdam alijs arbitrantur promiſſionem alteri factam cum iuramento non reuocandi, non poſſe reuocari; quòd non eſt improbabile.

7. *Promiſſio*, & omnis pactio ante patrationem operis pratii,cuius causa ipſa eſt facta, eſt inualida. & vltrò citròque nullius roboris:quia nemo poteſt obligari ad peccatum; patrato autem opere malo,verius eſt promiſſorem obligari ſoluere promiſſum, quia labor,periculum,detrimentum fortunarum,fidelitas quam tibi præſtitit, voluptas aut vilitas quæ tibi inde prouenit, hæc ſunt pretio æſtimabilia. *Medin.Cod.de reſt.queſt.*28.*Fill.tract.* 33.*numero* 21.*Couarru.ad reg.peccatum* 2.*par.*§.2.*numer.*1. *Leſ. c.dub.*5.

Contrarium tamen eſt probabile, nempe eum, qui aliquid promiſit pro opere malo quod legibus punitur,non teneri adimpiendum promiſſum etiam opere ſecuto,vt habet ſententia Doctorum vtriuſque iuris. Vide *Dianam* 4.*p.tr.*4.*reſol.*27.

8. Licet iure naturæ irritæ ſint omnes promiſſiones quarum impletio eſt illicita; iure tamen poſitiuo probabile eſt eſſe irritas. *Primò*, omnes promiſſiones quæ factæ ſunt ob turpem causam,quæ à legibus punitur. *Secundò*,irritæ ſunt quæ præbent occaſionem peccandi. *Tertio*, irritæ ſunt quæ adimunt libertatem diſponendi de rebus ſuis, vt ſi promittas alicui quod illum inſtituas hæredem: eſt tamen *aduertendum*, quòd quamuis promiſſiones quæ dicuntur eſſe contra bonos mores, ſint per ſe irritæ, ſi verò acceſſerit iuramentum,ſunt ſeruandæ;quia non ſunt contra bonos mores naturales,ſed ciuiles. Mol.*c.diſp.*271. *Sylu.v. pactum n.*8.11. *Leſ.c.dub.*4.

9. Controuertitur inter Doctores, quantùm obliget promiſſio externa legitimè acceptata,*Caiet.*2.2.*quæſt.*113.*ar.*1.*d.*4. *Armilla v.perfidia*,*Sotus* 4.*diſp.*20.*qu.*2.*art.*2.*Permand.p.*1.*cap.* 15.9.7.*numero* 11. *Diana tract.*3. *Miſcel.reſol.*9. *p.*2. & 4.*par.tr.* 4.*reſolut.*122 docent promiſſionem per ſe, ſolùm obligare ſub peccato veniali, per accidens tamen, nempe ratione damni, quod promiſſarius ea non impleta incurreret, poſſe obligare ſub mortali: quia liberalis promiſſio ſolùm obligat lege fidelitatis, ſed fidelitas non videtur obligare ſub peccato mortali, ſi alia incommoda abſint: Damni autem nomine intelligenda non eſt ipſa præcipuè carentia rei, quæ danda dicebatur, ſed detrimentum aliquod aliud ex hac carentia conſequens, quod in ſuis bonis proprijs patiatur ille,qui decipitur, & cuius cauſa ſit ille,qui non implendo propoſitum, vel promiſſum decipit. Alij dicunt obligationem promiſſionis pendere ex intentione promittentis. ſi enim promiſſor intendat ſe ſolùm obligare ex honeſtate morali,ſolùm tenebitur ſub peccato veniali: ſi verò intendat ſe obligare ſtrictè & ex iuſtitia, tùc tenebitur ſub peccato mortali. Ita Mol.*c.diſp.*162.Hę duæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles. Nau. *cap.*18.*num.*6.*Sanch.c.l.*1.*d.*5.*num.*20.*Fillinc.tract.*33.*num.*28. *Rodriq.*2.*par.cap.*29.*Leſt.c.cap.*18.*num.*55.*Sylu.*2.*queſt.*66.*ar.* 2.*concluſ.*2.

Communior tamen & verior ſententia ait, omnem promiſſionem ſeriò factam animo promittendi in re magni momenti, vbi acceptata fuerit, obligare ſub peccato mortali ad ſui impletionem; quia ius naturæ dictat non ſeruantem promiſſionem externam,delinquere, ergo ſignum eſt promiſſionem externam obligare,cùm delictum committatur, quoties obligatio non adimpletur: deinde omnis obligatio contractuum eſt obligatio iuſtitiæ, non oritur niſi promiſſione, ergo promiſſio inducit obligationem iuſtitiæ: Quanti autem momenti debeat eſſe res promiſſa,vt violatio promiſſionis cenſeatur eſſe mortifera.Nauarr. *c.num.*6.inſinuat ſufficere,vt res ſit notabilis,rem autem notabilem explicat eſſe eam,quæ in furto notabilis cenſetur:Leſs.*c.num.* 56.*Lopez l.*2.*de contr.c.vlt.* Putant in promiſſione longè maiorem requiri, vnde ſi furtum vnius aurei eſt peccatum mortale, requiruntur plures aurei, vt promiſſio ſub mortali obliget; vnde plurimi Doctores requirunt materiam quadruplo maiorem, quàm ſit in furto; quia minor videtur obligatio ſoluendi promiſſa,quàm furto ablata;ita Reginaldus *libro* 25.*numero* 84. & alij.

10. In *quatuor caſibus* promiſſio acceptata, & valida deſinit obligare. *Primo*,ſi res promiſſa ſit inutilis, illicita, vel impoſſibilis. *Secundò*,ſi ſtatus rerum vel perſonarum ita mutetur,vt iudicio prudentis promiſſor non cenſeatur voluiſſe comprehendere illum euentum; quia promiſſio habet vim ex mente promittentis expreſſa vel implicita: ergo vltra hanc non obligat.

Tertiò,quando duo viciſſim ſibi aliquid promiſerunt, & alter nõ vult implere promiſſum,tunc enim nec alter tenebitur;quare valet compenſatio in promiſſis. *Quartò*,quando aliquid promiſſum eſt ob cauſam, quæ deinde non ſubeſt, vt ſi quis promittat alteri,quia putat ſe accepiſſe ab eo beneficium aliquod, & deinde competit ſe non accepiſſe, tunc enim non tenetur implere. *Caietan.*2.2. *quæſt.*113. *art.*1. *Sà verb.promiſſio numero* 1. *Leſt. c.dub.*10. *Fillinc.c.numero* 31. *Nauarr.cap.*18. *num.*7. *Reginal. c.numero* 87.

11. Promiſſio ante acceptationem, ordinariè nullam parit obligationem naturalem aut ciuilem. L.1.*ff.de pollicitationibus. Leſt.c.cap.*18.*num.*34.Quia obligatio non naſcitur niſi mutuo duorum conſenſu; vnde ante acceptationem ſemper reuocari poteſt: Sanch *de matrimo.l.*1.*d.*6.*num.*15.*Sà v.promiſſio num.*1. *Mol.tr.*2.*d.*263.

Idem in omnib. alijs contractibus locum habet: & præſertim in donatione: Excipiuntur tamen à Doctoribus quædam pollicitationes, quæ obligant ante acceptationem, nempe quæ fiunt ciuitati,vel vniuerſitati,vel Eccleſiæ,vel hoſpitali. Vide *Dianam tr.*5.*miſc.reſol.*107.*par.*3.

12. Vt *promiſſio* vel *donatio* facta abſenti validè poſſit acceptari. L.*ſi verò* §. *ſi mandauero ff. mandati*. *Leſs.c.num.*42.43.44. *Sanch.c.diſp.*7.*num.*35. requiritur *Primò*, vt donator abſenti per Epiſtolam vel nuntium cui id commiſerit eam deferat vel inſinuet. *Secundò*, requiritur vt hic abſens donationem coram nuncio acceptet,nec ſufficit eam acceptare coram alijs. *Tertiò*, vt non reuocetur donatio ante acceptationem; ſi enim reuoces & nuntio quem miſiſti id innoteſcat, non poteſt quidquam efficere,quia extinctum eſt mandatum.

Sed petes, an promiſſio vel donatio validè poſſit acceptari poſt mortem donatoris? Reſp.verius eſſe illam validè acceptari poſſe, ſi contingat donatorem mori ante inſinuationem: & ipſa donatio ante mortem facta ſit ex parte donatoris, & Miſſa Epiſtola vel Nuntius, qui illam abſenti inſinuet, vel rem tradat: Ratio eſt,quia donatio eſt gratia quædam: quando autem gratia facta eſt ex parte concedentis, poteſtas executoris non expirat morte concedentis. Quando autem donatio ante mortem donatoris non eſt facta ex parte ipſius, ſed ſolùm mandata fieri per Nuntium,aut Procuratorem, ſed nondum acceptata, vel adimpleta fuit,non poteſt donatio validè acceptari poſt mortem donatoris,& res illa reſtituenda eſt hæredibus illius, qui donauit. Ratio eſt, quia ante mortem donatio facta non fuit, ſed ſolùm datum fuit mandatum donandi, mandatum autem morte mandantis expirat *leg. Mandatum*, *Cod.mandati*. Ergo etiam morte donatoris expirat donatio mandata per Nuntium vel Procuratorem.

Dices,quid igitur faciendum eſt, ſi culpa Nuntij vel procuratoris donatio non fuit tempeſtiuè facta ante mortem donantis? Reſp.teneri Nuntium ad duplicem reſtitutionem: nam hæredibus defuncti tenetur ratione rei,quæ eſt illorum: donatario verò ratione damni quod eius culpa contraxit: poſito enim tali mandato tenebatur Nuntius lege iuſtitiæ adhibere diligentiam, & mandatum ex mente mandantis in commodum donatarij implere. Ita *Mol.de iuſtit.tom.*2.*tract.*2.*diſp.*263. *Sanch.de matr.l.*1.*diſput.*6.*num.*8. *Leſſius l.*2.*cap.*18.*num.*46.

Qui hoc limitant; modò mandatum non ſit factum ad pias cauſas: nam tale mandatum non expirat morte mandantis:

quia

Google

quia præsumitur mandator voluisse mandatum adimpleri etiam post mortem.

Sed quia durum est nimis obligare aliquem ad duplicem restitutionem ob omissionem vnius rei, non est improbabile: Nuncium eximi ab obligatione restituendi hæredibus donantis, atque adeò teneri solum ad restitutionem faciendam donatario, cui damnum culpabiliter intulit. Ita *Diana p.6.tract.7.resolut.4.* & alij ab ipso citati.

13. *Promissionem lucrativam* vel donationem absenti factam acceptare potest omnis, qui ab altero generalem vel specialem habet commissionem. *Secundò*, is qui est sub alterius potestate, ita vt non sit sui iuris, vt filius familias pro patre, seruus pro Domino, quia censetur vna persona. *Tertiò*, qui aliorum curam gerunt, vt tutor pro pupillo, curator pro furioso, Princeps pro subdito. *Quartò*, is qui ex donatione vel promissione facta absenti commodum reportat, vel onere aliquo liberatur, vt socius pro socio, vxor pro marito. *Quintò*, quiuis priuatus potest stipulari, & acquirere Ecclesiæ pijsve causis. Sanch *de matr.l.1.disp.7.num.12. Azor.3.par.l.11.cap.15.qu.3. Reginald.l.25.numer.77. Bonac.tom.2.de contr.d.3.qu.12.p.3.num.4. Couarr.1.variar.ca.14.num.11.*

Notandum tamen est, quòd, vt is qui præsens est, possit pro absente stipulari, requiritur vt verba obligationis dirigantur expresè vel implicitè ad præsentem; si enim dirigantur ad absentem, is qui præsens est, non potest promissionem acceptare; & qui validè acceptauit, non potest eam condonare, quia tertio est ius quæsitum.

14. Natura promissionis postulat, vt hæc adimplenda sit termino præfixo. *Instit. de verb oblig. Filliuc. tract.34. numero 117. Molina c.d.284. Sanch.c.d.1.d.28.num.1.* Si verò terminus non fuit expresè assignatus, si ex circumstantijs colligi possit temporis determinatio, illa seruanda est: sin minus, promissio regulariter loquendo, statim adimplenda est, nisi promissarius dilationem concedat expresè vel tacitè, vt si potens commodè petere, non petat; vel nisi terminus latitudinem habeat; satis enim est, vt promissio adimpleatur intra latitudinem termini.

De Promissione. Vide *Sponsalia* 1.num.4.5.6. *Sponsalia* 2. numero 2.3.4. & *sequentibus*, *Donatio*, *Votum* 1.

PRVDENTIA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit prudentia? & vt dupliciter nomen prudentia accipiatur?*
2. *An prudentia versetur circa actiones singulas?*
3. *Quod sit prudentiæ obiectum, effectus, & finis?*
4. *Per excessum defectum peccatur contra prudentiam. Et quando per defectum?*
5. *Qualia sint peccata præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, & negligentia?*
6. *Quando per excessum peccatur?*
7. *Quid sit prudentia carnis?*
8. *Quid Astutia?*
9. *Quid Dolus?*
10. *Quid Fraus? Et quando dicatur fraus fieri contra legem, vel ipsi legi?*
11. *Quid sit sollicitudo temporalium, & futurorum?*

1. PRudentiæ nomen dupliciter accipitur. *Primò*, generatim pro omni notitia veri, præsertim quæ aliquo modo ad rectè viuendum pertinet. *Secundò*, speciatim & propriè pro virtute intellectus proximè morum directrice, & hoc modo est virtus Cardinalis, quæ potest sic definiri. Prudentia *est virtus intellectus, qua in quouis negotio occurrente nouimus quid honestum, sit, quid turpe*. Ex qua definitione colligitur, prudentiam ad intellectum pertinere: functiones enim quæ ipsi tribuuntur, vt consultare, iudicare, & imperare sunt rationis: quia prudentia mensura est, & regula virtutum, quæ sunt in voluntate, à qua ratio virtutis in ipsas descendit; deinde est certa notitia honesti, & turpis; Ita enim prudentia fertur in suum obiectum, vt ex modo iudicandi falli non possit circa proprium obiectum, quia euidenter cognoscit esse honestum vel turpe.

Iudicium enim prudentiæ debet esse euidens, & certum, excludens omnem rationabilem formidinem: vnde opinio honesti non est indicium prudentiæ, quia non ita fertur in suum obiectum, vt non possit esse falsa, & ideò non est virtus. D. Tho. 2.2.q.47. Less. *l.1.cap.1.dub.1. Aristoteles l.6. Ethicor. cap.5. Valent.2.2.disputat.4. quæst.1.p.1. & 2. Sylu.2.2. quæst.47. articulo 1.2.3.*

2. Prudentia versatur circa actiones singulas, non enim est prudens, qui nouit in genere, quidnam ad quamque virtutem requiratur, & in singulis actionibus obeundis nouit determinare circumstantias necessarias ad honestatem, ver.gr. locum, tempus, modum, &c. quod scire debet non in vno tantùm genere actionum, sed in omni: alioquin non est absolutè prudens, sed solum in certa materia, & secundùm quid: itaque prudentia in ijs, qui perfectum rationis vsum habent, extendit se ad omnes actiones liberas totius vitæ, eas considerans & regens: Valent. *c.q.1.p.1. Sylu. c.art.3.*

3. *Prudentiæ* obiectum, effectus & finis est agere honestè, sicut ædificare domum est obiectum artis, eò quod obiectum prius natura quàm existat, consideratur à prudentia per modum obiecti: est etiam effectus quatenus prudentia dirigit voluntatem in eligendo, & potentias executrices in exequendo: est etiam finis, quia prudentia non est ob cognitionem honesti sed ob actionem: *Præterea* prudentia non solùm in particulari iudicat, quid homini amplectendum sit, sed etiam quid vitandum in agendo, quia contrariorum eadem est scientia; nemo enim perfectè potest scire quomodo rectè viuere debeat, nisi sciat quidnam in moribus sit vitandum. Valent. *c.disp.4.q.1.punct.2. Sylu. 2.2.qu.47.ar.4.qu.1.*

4. *Dupliciter* peccatur contra prudentiam, *per excessum*, & *per defectum*; quia sicut obiecta aliarum virtutum consistunt in medio, ita etiam obiectum prudentiæ: *Per defectum* contra prudentiam peccatur quadrupliciter, *Præcipitatione*, *Inconsideratione*, *Inconstantia*, & *Negligentia*; quia ea peccata sunt propriè contra prudentiam, quæ sunt contra regulas prudentiæ, quas ipsa in suis functionibus seruare debet: atqui hæc peccata sunt talia, ergo, &c. *Præcipitatio* enim est directè contra consilium, *Inconsideratio* contra iudicium: *Inconstantia* contra iudicij firmitatem: *Negligentia* contra rationis vigilantiam. D. Thom. *c.qu.53. Less. c.ca.2. dub.4. num.18.19. & 20. Valent. c. disp.4. quæst.5. punct.1.*

5. *Præcipitatio*, & *inconsideratio* non sunt peccata mortalia, nisi ratione periculi alicuius peccati mortiferi, cui se homo exponit præcipitanter & inconsideratè iudicando, & agendo. *Inconstantia* numquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto vel præcepto teneatur perstitere. Idem de *negligentia*, nisi negligatur id ad quod sub peccato mortali quis teneatur. D. Th. *c. Sylu. ibi Val. c.q.5.punct.1.*

6. *Per excessum*, vel potius quadam specie, & imagine prudentiæ peccatur contra prudentiam, sex modis. *Prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, solicitudine temporalium, & solicitudine futurorum.* D Th. *c.q.55.*

7. *Prudentia carnis* dicitur, qua quis viuit secundùm carnem, id est, sequitur instinctus & motus naturæ corruptæ, seu quæ excogitat idonea media ad opera carnis complenda: hæc prudentia carnis non est peccatum, nisi ratione affectus praui, cui subest, vnde si hic sit peccatum mortale, erit peccatum mortale; si veniale, erit veniale. D. Thom. *q.55.ar.2. Toletus de septem peccatis cap.46.*

8. *Astutia* generatim est ratio aliquid agendi modo occulto; sed magis speciatim sumpta, est notitia prauorum mediorum ad fallendum idoneorum cum affectu exequendi coniuncta; hæc astutia species quædam est prudentiæ carnis; & est peccatum mortale vel veniale pro ratione affectus, cui subest, & nocumenti quod proximo sequitur; si enim expresè vel implicitè graue nocumentum intendas, erit peccatum mortiferum sicut mendacium perniciosum; si autem nullum sit nocumentum vel modicum, erit veniale. *D. Thomas articulo 3. Toletus c.capit.46.*

9. *Dolus* est astutiæ executio siue verbis siue factis; est enim hoc nomen generale; tantùm habet locum erga proximum, & potissimùm in materia iustitiæ, vt in contractibus, & distributionibus. D. Thom. *3.art.4.*

10. *Fraus* est executio astutiæ per facta, vt cùm mensura est minor iusto, cùm moneta est adulterina: vnde est quid contractius & minùs commune quàm dolus: *dicitur* etiam fraus fieri vel *contra legem*, vel *ipsi legi*.

Contra legem quando fit contra id quod lege præcipitur vel vetatur absque colore, & artificio, quo violatio illa tegatur. *Legi* verò, quando artificio quodam ita agitur contra mentem le-

gis, vt videamur illi non repugnare: quod tribus modis fieri poteſt.

Primò, ſupponendo perſonam pro perſona, vt ſi tutor volens emere rem pupilli (quod per leges non poteſt) interponat aliam perſonam quæ emat. *Secundò*, ſupponendo rem pro re, vt ſi filiofamilias volens dare mutuum, loco mutui det triticum vendendum vt pretio fruatur. *Tertiò*, contractum pro contractu vt ſi vxor in ſpeciem vendat viro, quod intendit donare: qui his & ſimilibus modis agunt, dicuntur facere fraudem legi: vel in fraudem legis, & non excuſantur coram Deo à præuaricatione legis, etſi coram hominibus videantur legem ſeruare. D. Thom. *c.art.5. Sylueſt.v. Fraus, Tolet.de peccatis mortal.cap.46. Leſ.c. dub.4.num.26,& 27.*

11. *Solicitudo temporalium* eſt nimia mentis occupatio in illis conquirendis, vel conſeruandis, proueniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. *Solicitudo futurorum* eſt nimia animi occupatio circa futura, maximè vt vitæ neceſſaria habeantur, coniuncta cum anxietate, & parua fiducia diuinæ prouidentiæ: Hæ ſolicitudines, ſi modum iuſtum excedant maximè ſunt noxiæ ſaluti. Vide D. Th. *c.art.6.& 7.*

De Prudentia Vide *Confeſſarius* 4.n.16.17.18. *Confeſſio* 7.nu. 18. *Interrogatorium, Delictum* n.8 *Prælatus* n.19.

Q.

Quarta Parochialis, & Epiſcopalis.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit Quarta?*
2. *Cuinam Eccleſiæ quarta parochialis debeatur?*
3. *Vt quarta Epiſcopalis debeatur Epiſcopo?*
4. *Quomodo vigore Conc. Trident. hanc quartam ſoluere teneantur religioſi.*
5. *De quibus non teneantur religioſi quartam ſoluere.*
6. *Parochus ſua culpa interdicta non debet Parochianus quartam funeralem.*
7. *Quarta funeralis non debetur de relictis pro ædificatione, & reparatione Eccleſiarum, Monaſteriorum, &c.*
8. *Pœnæ contra Ordinarios, & alios cogentes Religioſos ad ſoluendam quartam.*

1. QVarta eſt quadrans, ſeu quarta pars rei de qua agitur, verum tamen eſt ex conſuetudine induci poſſe, vt ſit tertia pars, aut medietas: ideò alicubi eſt quarta pars, alibi tertia, alibi maior vel minor tertia, vel quarta parte: vocatur etiam Portio Canonica, quia per Sacros Canones inuecta eſt. *L.in 4. ff.ad leg.Falcid. Cap.relatum, de ſepulturis, Cap.Certificari, extra de ſepulturis.*

2. *Quarta parochialis* debetur illi parochiali Eccleſiæ, in qua quis de iure ſepeliendus eſſet: quia Eccleſia comparatur matri: ſicut autem parentibus debetur legitima in bonis filiorum, ita etiam Eccleſiæ in bonis morientium, dum ſepulturam alibi eligunt: debetur autem hæc quarta ex legaris ſeu relictis cauſa mortis, & de oblationibus cauſa funeris factis illi Eccleſiæ, in qua ſepultura electa eſt, modò illa Eccleſia non ſit exempta, modò res non ſit relicta ad vius priuilegiatos, modò quarta petatur, & non extet conſuetudo in contrarium. Clement. *Dudum, de ſepulturis, Leym.lib.3. tract.5.cap.12. numer.13. Azor.2. par.lib.9.cap.13. Mol.tom.1.d.215. Bonac.to.2. de contract.d.3. qu.22.p.2.*

3. *Quarta Epiſcopalis* debetur Epiſcopo de legatis pijs, & funeralibus oblationibus factis Eccleſiæ ſeu locis pijs ſibi ſubiectis: quia Epiſcopus eſt pater ſpiritualis, & onus Epiſcopale ſuſtinet, conſequenter par eſt vt ipſi ratione Paternitatis, & oneris Epiſcopalis quarta portio ſoluatur: quod tamen intelligendum, & limitandum eſt, iuxta locorum conſuetudinem: Cap. *de quarta de præſcrip. & cap.requiſiſti, cap.de his, de teſtamentis. Mol.c.citat.2. Azor.c.cap.11.q.3. Lezan.tom.3.ſumm.v. Canonica portio num.2.*

Obligatio autem ſoluendi quartam tollitur, *vel* diſpenſatione Summi Pontificis, *vel* per conſuetudinem legitimè præſcriptam: quia conſuetudo tollit obligationem iuris, ſi ſit legitimè præſcripta 40. annorum ſpatio: hinc plurimus in locis omnino hæc abolita eſt quarta per contrariam conſuetudinem.

4. Hanc quartam tenentur ſoluere illi Religioſi, qui ante *Concil.Tridentum, ſeſſ.25.cap.13. de reformat.* Illam ſoluebant per quadraginta annos: Conuentus verò qui erant iam fundati ante Tridentinum, & per quadraginta annos ob conſuetudinem præſcriptam non ſoluebant, non tenentur illam hodie ſoluere: Illi autem qui non erant fundati quadraginta annis ante Conc. Tridentin. pari modo non tenebuntur ad illam, quia nondum per quadraginta annos ſoluebant.

Idemà fortiori dicendum eſt de Monaſterijs: quæ poſt Concilium in dies ædificantur, vel in futurum ædificabuntur, quæ quoad hanc ſolutionem quartæ non comprehendi in dicto decreto Concilij, Congregatio Sacra Cardinalium declarauit: & idem motu proprio, & ex certa ſcientia declarauit Pius V. anno Domini 1568. in Bulla, *Romanus Pontifex*, apud *Rodriq.* in Bullario. *Bulla* 2. Et Clemens VIII. poſt contradictorium iudicium, & ventilata cauſa idem definiuit pro fratribus Carmelitis Diſcalceatis ne ad ſolutionem dictæ quartæ tenerentur: vt patet ex eius Bulla 26. apud eumdem *Rodriqu.* in Bullario: quæ incipit, *Quod ſemel ab Apoſtolica ſede*. Ita *Miranda tom.2.qu.48. Azor. tom.2.lib.9 cap.12.& 13. Rodriq.tom.1 qq.reg.quæſt.39.art.2. De la Cruz de ſtatu relig.l.2.cap.9.dub.5. Tamburi.tom.1. de iure Abbat.diſp.15.quæſt.18.n.15.*

5. Religioſi quartam funeralem ſoluentes, iuxta tenorem prædictum Concil. Trident. adhuc non tenentur illam ſoluere de omnibus eis relictis, vt de Miſſis; de candelis quæ dantur in manibus Religioſorum: ſed de his tantùm quæ cum corpore defuncti deferri ſolent. Ita declarauit Pius V. 17. Kalendas Iulij, anni 1567. vt refert *Rodriques*: quod antea ad fauorem fratrum ſtatutum fuerat à Sixto IV. Ita *Portel. in dub. regul. ver. Canonicæ portionum. 5. Tamburin.c.num.5. Rodriq.c.art.2.* & alij ſupra citati.

6. Quando Eccleſia parochialis eſt interdicta ſua culpa, Parochianus alibi eligens ſepulturam, non debet quartam funeralem ſuæ Parochiæ ſic interdictæ. Hoc maximè intelligitur ſi Parochia, aut aliquis illius Parochianus, vel Parochus cauſam dedit interdicto. Si verò Parochia cauſam interdicti non dedit, tunc quarta funeralis debetur, etiamſi interdicta ſit culpa alterius extra Parochiam Ita *Azor.c.cap.13.qu.4. Miranda.c.art.10. Rodriq.c. art.3.*

7. Non debetur quarta funeralis de relictis pro ædificatione, & reparatione Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum locorum piorum: nec debetur etiam ex relictis pro ſubuentione Eccleſiæ reſpectu luminarium, ornamentorum & aliorum, quæ ad cultum diuinum pertinent, iuxta text. *in c.vlt. de teſtam.* Item quidquid à fidelibus in Monaſterijs Religioſorum offertur, Monachis ibi ſeruientib. deberet proficere nec ſuper hoc ab Epiſcopo, vel alijs presbyteris poſſunt Religioſi moleſtari, vt habetur in *Cap.1. de ſtatu Monachor.* Et *c.nimis iniqua, de exceſſ.prælat.* Imò ſi Prælati celebrent in Monaſterijs Religioſorum, non poſſunt ſibi vſurpare, eis ibi oblata, ſed tenentur ea Monaſterio dimittere. Ita conceſſit Ciſtercienſibus Bonifacius VIII. Bulla 9. apud *Rodriq.* in *Bullario*.

8. In locis vbi fratres non ſoluunt quartam funeralem ab hinc quadraginta annis, iuxta diſpoſitionem Concilij Tridentini, Ordinarij cogentes religioſos, aut teſtamentarios, vel hæredes ad illam ſoluendam; ipſo facto interdicuntur ab ingreſſu Eccleſiæ, cæteri excommunicantur per Sixtum Quartum, vt docent Rodriques *tom.3.qq.regular.quæſtione 39.articulo nono.* Miranda *tomo ſecundo quæſtione 48. articulo 14.*

R.

R A P T V S.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit raptus?*
2. *Quæ requirantur ad raptum?*
3. *An abductio ſponſæ per verba de futuro ſit dicendus raptus?*
4. *Quæ ſint pœnæ iure ciuili inflictæ contra raptorem?*
5. *Quæ raptoribus mulierum pœnæ iure Canonico conſtitutæ ſint?*

6. Pœ-

6. *Pœna Concilij Tridentini contra raptorem, de prima quæ eſt excommunicatio, infamia, &c.*
7. *De ſecunda pœna quæ dotatio rapta.*
8. *De Tertia, quòd inter raptorem, & raptam matrimonium declaretur irritum.*

1. RAptus *eſt peccatum luxuriæ, quo perſona aliqua abducitur cum violentia, ad actum turpem cum ea exercendum*: ex *hac definitione* colligi poteſt, raptum eſſe peccatum luxuriæ ſpecie diſtinctum ab alijs peccatis carnis, *deinde* dicitur, *quo perſona aliqua*, non fœmina, quia ſiue ſit maſculus ſiue fœmina, ſiue nupta, ſiue innupta, raptus erit.

Tertiò dicitur *cum violentia*: quia ſi ipſa ſponte diſcedat patentibus neſcientibus cum raptore vel potiùs amatore, non erit raptus ſed voluntaria fuga; at ſi parentes ſint inuiti, ipſiſque vis inferatur, ſatis erit.

Quartò, Ad turpem actum, &c. Quia ſi non abducatur ad eum finem, ſed redigendi in ſeruitutem, dicetur *plagium*: erit autem furtum hominis, non raptus: non requiritur autem vt reipſa concubitus ſecutus ſit, ſatis eſt eo fine rapeam eſſe, & abductam: Hinc in raptu *duplex* eſt *malitia*: *altera* contra iuſtitiam; quia per raptum fit iniuria perſonæ quæ per vim abducitur, aut illis quorum cuſtodiæ commiſſa eſt, qui ſunt rationabiliter inuiti: *Alia* contra caſtitatem. Ita *Iulius Clar. l. 5. ſentent. §. raptus. Molin. tom. 4. diſp. 205. Laym. lib. 5. tract. 10. p. 4. cap. 13. num. 1. Filiut. tract. 30. cap. 6. num. 108. Leſ. l. 4. cap. 3. dub. 9. num. 66. Syln. 2. 2. quæſt. 154. art. 7.*

2. *Duo* requiruntur ad raptum. *Sanch. de matrimon. lib. 7. diſput. 12. num. 3. Filiuc. c. num. 110. Rodrig. 1. par. cap. 231. num. 2. Gutter. de matrimon. cap. 86. num. 9. Mol. d. 105. num. 3. Syln. c. art. 7.*

Primò, violentia ipſi perſonæ raptæ, vel ijs ſub quorum cura eſt, vt parentibus, marito, curatore, &c. ad violentiam etiam referuntur dolus, vel preces adeò importunæ, vt violentiæ æquipararentur. *Secundò*, requiritur abductio cauſa libidinis vel matrimonij: *vnde* raptum non committet, qui Virginem repertam in domo patris, vel in alia domo, non educit de ea domo, ſed illam ibi opprimit, aut trahit de vno cubiculo in aliud, vt ibi illam commodiùs violet: *idem dicendum*, ſi Virginem in agro repertam inde trahat per aliquot paſſus, vt abutatur; ſecus ſi inde deducat in aliquam domum extra illum agrum, aut in alium locum.

3. *Abductio ſponſa* per verba de futuro conſentientis, L. 1. *C. de rapt. virg. & L. raptores de Epiſcop. & Cleric.* Iure ciuili eſt raptus, ſi parentes ſaltem inuiti ſint; at iure Canonico non eſt raptus, ſi abducatur ad conſummandum matrimonium cum ea: quòd ſi abducatur ad turpem actum cum ea exercendum, vt fornicationis vel alterius libidinis extra matrimonium, ſic erit raptus etiam Iure Canonico: Si verò puella non conſentiens abducatur ad finem conſummandi matrimon. Cap. *cum cauſa de raptor.* Iure Canonico non foret raptus, quidquid in contrarium dicat. Azor. 3. *par. libro tertio cap.* 14. *Filiuc. c. num.* 114. & 115. *Syln. c. art.* 7.

Idem dicendum de traductione ſponſæ per verba de præſenti: quamuis, ſi abducatur contra eius voluntatem, quæ ſpatio duorum menſium à iure conceſſo gaudere volebat, antequam matrimonium conſummaret, probabile ſit eſſe raptum, quia cum ſponſa iure ſuo vtatur, maritus illi violentiam infert ad opprimendum eam.

4. *Iure ciuili communi*, raptor mulieris honeſtæ, hoc eſt, quæ non impudicè viuit, ſiue mulier ſit virgo, ſiue vidua, coniugata ſiue ſolura, punitur pœna mortis: eadem pœna puniuntur qui comitantur raptorem, & qui adiuuant eum in ipſo delicto raptus, & permittitur impunè parentibus mulierum raptarum, & conſanguineis earum, & tutoribus ac curatoribus, occidere raptores, & comites, & adiutores eorum, deprehenſos in ipſo delicto, modò ſufficienter conſtet eis delictum ipſorum. *L. raptores C. de raptu virg. & Authent. de raps. mulier. collat. 9. L. raptores C. de Epiſcop. & Cler. Iulius Clar. c. §. raptus. Filiuc. numero* 116. *Azor. c. cap.* 4.

Item ſi mulier rapta ſit ingenua, tam raptor quàm comites eius, amittunt omnia bona ſua, & applicantur mulieri raptæ, aut Monaſterio: ſi rapta ſit Monialis, dummodò rapta non conſentiat in matrimonio cum raptore: quòd ſi conſentiat, applicantur parentibus raptæ: quòd ſi illius parentes conſenſerint, Fiſco.

Quando verò raptus eſt mulieris, quæ non viuit honeſtè, & pudicè, tunc iure non eſt conſtituta pœna, ſed raptor arbitraria pœna punitur.

5. *Iure Canonico* tres pœnæ raptoribus mulierum conſtitutæ ſunt. *C. raptor, & c. ſtatuimus* 27. *qu.* 2. *Cap. de raptorib.* 36. *qu.* 1. *Prima* eſt, vt raptor alienæ ſponſæ publica pœnitentia mulctetur. *Secunda*, vt maneat ſine ſpe coniugij, non eſt tamen impedimentum dirimens, ſed tantùm impediens. *Tertia*, punitur pœna ſeruitutis, efficitur enim ſeruus mulieris raptæ, cum facultate tamen ſeipſum redimendi, ſoluendo pretium competens: quòd ſi conſenſerit mulier in abductione à domo paterna, fit ſeruus parentis mulieris cum facultate ſimiliter ſeipſum redimendi.

6. *Iure nouo Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 6. de reform. matrim.* tria pœnarum *genera* conſtituta ſunt contra raptorem. *Prima* eſt, vt raptor & omnes conſilium, auxilium, & fauorem prębentes: ſint ipſo iure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces: an autem ad hanc pœnam requiratur ſententia iudicis, negat Bonac. *de matrimon. quæſt. 4. p. 18. num.* 10. Cùm hæc pœna non requirat aliquam actionem ad ſui executionem, quamuis oppoſitum, & meritò ſentiant Sanch. *de matr. l. 7. diſp. 13. Mol. tom. 1. diſp. 96.*

Similiter ſi raptor nubat raptæ in loco tuto conſtitutæ, & liberè conſentienti, an tollatur infamia, & incapacitas ad dignitates? ex Tridentino quidem videtur colligi non tolli, vt aiunt Leſ. *c. num. 69. Filiuc. c. num.* 118. Quamuis Henriq. *l. 2. de matrimon. cap. vltim.* & alij affirment: fortè enim quoad hanc pœnam, vel receptum non eſt, vel conſuetudine abrogatum Concilium.

7. *Secunda pœna* eſt, vt raptor, ſiue matrimonium contrahat, ſiue non, cum rapta, teneatur ad decenter dotandam raptam arbitrio Iudicis; quoad alia verò damna, tenetur iure naturæ, etiam ante ſententiam Iudicis. Ita Coninck *de matrimon. d.* 31. *dub. 4. num.* 48. *Henr. c. num.* 5.

8. *Tertia* eſt, inter raptorem, & raptam declaratur matrimonium irritum, quamdiu rapta manet in poteſtate raptoris, etiamſi ipſa liberè conſentiat: idem dicendum de ſponſalibus: vbi tamen fuerit ſeparata, & loco tuto repoſita, poterit nubere raptori, ſi velit. Sanches *c. diſputat.* 13. Layman *c. capitulo* 13. *numero* 14.

Aduertendum eſt tamen ſecundùm Sanches *c. num.* 4. quem ſequitur Diana *tract. de Sacram. reſol.* 261. Decretum Concilij Trident. *ſeſſ. 24. cap. 6. de reform.* ſolùm comprehendere raptum, qui ſit cauſa contrahendi matrimonij, non item ad exercendam libidinem.

Item in dicto decreto, ſolum eâm raptus ſpeciem puniri, per quam vis infertur puellæ, non autem parentibus: vnde ſi illa conſentiat etiamſi rapiatur, vim parentibus inferendo, validum erit matrimonium. Hanc ſententiam probabilem eſſe docet Coninck *de Sacram. diſp.* 31. *dub. 4. num.* 48. & tenet *Filiuc. tract.* 10. *p. 2. num.* 265.

De raptu vide *Bellum* num. 13. *Irregularitas* 10. num. 5. *Matrimonium* 8. num. 8.

RELIGIO I.

De ſtatu Religioſo in communi.

SVMMARIVM.

1. *Quomodo accipiatur nomen ſtatus? & quomodo religio?*
2. *Quid ſit ſtatus religionis? & quæ conditiones requirantur ad illum?*
3. *An ſtatus verę religionis poſſit conſiſtere abſque votis ſolemnibus?*
4. *An qui in ordinibus militaribus caſtitatem coniugalem profitentur, ſint propriè religioſi?*
5. *An ad eſſentiam ſtatus Religioſi requiratur quædam regula?*
6. *An irrita ſit profeſſio facta cum conditione Religioſo ſtatui repugnante?*
7. *An religioſi ſint, qui paupertatem, caſtitatem, & obedientiam vouent Confeſſario vel Epiſcopo?*
8. *An Summus Pontifex diſpenſare poſſit in votis paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ religioſorum? & ad quæ teneatur religioſus, factus Epiſcopus.*
9. *Quid iuris de Religioſo ad parochiale beneficium promoto?*

10. *De initio, duratione, & augmento ſtatus religioſi.*
11. *Vnde proueniat religionum diuerſitas.*
12. *Quæ ſint regulæ approbatæ?*
13. *Qui ordines ſint perfectiores?*

1. NOmen *ſtatus* dupliciter accipitur. *Caietan.* 2.2. *quæſt.* 183. *art.* 1. *Primo*, generatim: ſic quæuis vitæ conditio, in qua homo ad tempus vel perpetuò perſtat & permanet, ſtatus dicitur, vt ſtatus innocentiæ; ſtatus legis naturæ, ſtatus huius vitæ, & futuræ; ſtatus incipientium, proficientium, perfectorum, &c. *Secundò*, ſtrictè pro conditione vitæ immobili, per quam alteri obſtricti ſumus; hoc enim nomen quamdam firmitatem denotat: vnde ſecundum D. Thom 2 2. *quæſt.* 283. *artic.* 1. *Leſ. lib.* 2 *cap.* 41. *dub.* 1. *num.* 1. & 2. *Fauſtus in theſaur. relig. li.* 5. *quæſt.* 1. tres tantùm ſunt ſtatus in Eccleſia ſcilicet Epiſcoporum, ſui enim perpetuo vinculo obſtricti ſunt obſequio ſuæ Eccleſiæ: Religioſorum, qui obſequio diuino; & coniugatorum, qui obſequio mutuo. *Religio* tripliciter poteſt accipi. *Primò*, pro virtute, qua Deus colitur. *Secundò* pro formula cultus diuini omnibus communi, vel pro talis formulæ profeſſione, per quam homo manciparut obſequio diuino, quantum præcisè neceſſarium eſt ad ſalutem, vt eſt religio Chriſtiana, & olim religio Iudaica. *Tertiò*, pro peculiari quadam formula & profeſſione, per quam homo ex libera ſua electione penitus obſequio diuino manciparur.

2. *Status* ergo *religionis* eſt fidelium ad Chriſtianæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, caſtitatis, ac obedientiæ, ſtabilis in communi viuendi modus: vnde ad veræ & propriæ religionis ſubſtantiam, *quatuor conditiones deſiderantur. Bellarmin. tom.* 2 *de Monachis lib.* 2. *cap.* 2. *init. D. Thom.* 2. 2. *quæſt.* 186. *Sanch. lib.* 5. *moral. cap.* 1. *num.* 14. *Laym. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 2. *Leſ. c. num.* 4. *Sylu.* 2. 2. *qu.* 186. *art.* 1.

Prima eſt, Caſtitas paupertas, & obedientia, quæ ita eſſentialiter religioſo ſtatui annexa ſunt, vt ſine illis conſiſtere nequeat, cum enim hominis Chriſtiani perfectio in eo conſiſtat, vt contemptis cupiditatibus huius vitæ, Deo per charitatem inhæreat, & tria ſint huius perfectionis impedimenta, ſiue tres veluti laquei huius mundi, quibus animus hominis detinetur, quominus a Deum ſe lib. rè erigere poſſit, ſcilicet, concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ; ideò ab his velut compedibus animus liberatur per voluntariam paupertatem, caſtitatem, & obedientiam.

Secunda conditio eſt, vt hæc tria voto aliquo firmentur: quia iuxta D. Thom. *c. art.* 3. 4 & 5. ſtatus petit immobilitatem, & obligationem operis ad illum ſtatum pertinentis vinculo aliquo firmatam. Nauar. *comm.* 1. *de regul. num.* 18. *Sylueſt. ver. relig.* 1. *quæſt.* 1. *Angel. ver. religioſus num.* 1. *Sylu. c. art.* 1. *Tertia* eſt, *vt* emittantur in religione per Sedem Apoſtolicam approbata, nec ſtatus eſt, vt modus viuendi ab illa approbetur, niſi tamquam vera Religio approbetur: quia Eccleſiæ eſt religiones erigere, atque eas approbare, & quamuis id olim Epiſcopi poſſent efficere in ua diœceſi, iam id Pontifici reſeruatum eſt. *Vaſqu.* 1. 2. *d.* 165. *Sanch. num.* 20. *Vltima conditio* eſt, vt hæc vouens conſtituatur ſub alterius iuriſdictione, & poteſtate; quod nonex vi & natura votorum conuurgit, ſed deriuatur a Pontifice erigente religionem.

3. Quamuis ſecundum ius commune, & antiquorum Doctorum ſententiam, non poſſit ſtatus veræ religionis conſiſtere abſque votis ſolemnibus. *Clem.* 1. *unico de religioſis domibus. D. Thom. D. Anton. Sylu. Angel. Tabie apud Sanch. c. num.* 22. *Sylu.* 2. 2 *q.* 186. *art.* 7. Poſt Extrauagantem tamen *Gregorij* XIII. quę incipit, *Aſcendente Domino*, non eſt neceſſarium ad eſſentiam ſtatus religioſi, vt vota illa ſint ſolemnia, ſed ſat eſt ad eum verè, & propriè conſtituendum, vota ſimplicia; prædictus enim Pontifex definiuit authoritate Apoſtolica, & motu proprio, religioſos Societatis IESV ſolis ſimplicibus biennij votis ligatos eſſe verè, & propriè religioſos, & non aliter quàm profeſſos eiuſdem Societatis vel aliarum religionum: *Ratio* autem eſſe poteſt, quia ſolemnitas votorum eſt ex inſtitutione Eccleſiæ; quæ ſicut in vna religione poteſt aliquam ſolemnitatem, vel conditionem requirere, vt acceptet illam pro religione, ita & in alia poteſt nõ requirere, ea autem quæ ipſi religioni ſecundum ſe eſſentialia ſunt, iure diuino ſunt conſtituta. Laym. *c. num.* 4. *Leſ. c. numer.* 8. *Vaſq* 1. 2. *d.* 165. *n.* 94. 95.

4. Qui in ordinibus militaribus ab Eccleſia approbatis, caſtitatem non abſolutam, ſed limitatam ſeu coniugalem profitentur, licet Eccleſiaſticæ perſonæ cenſeantur, non tamen ſunt proprie religioſi ſecundum D. Thom 2. 2. *quæſt.* 186. *art.* 4. *ad* 3. *Sylu. ibid. Arrag.* 2. 2. *quæſt.* 88. *art.* 12. *Mirand. tom.* 1. *quæſt.* 10. *art.* 4. *Henriq. lib.* 11. *cap.* 8. §. 6. At verò milites S. Ioan Hieroſolymitani, Teutonici, eorumque ſimiles, cùm tria ſubſtantialia vota edant, veri religioſi ſunt.

5. *Ad eſſentiam* ſtatus religioſi abſolutè non requiritur alia regula, præter eam quæ diuinis mandatis, & ipſis votis continetur; quia hæc abſolutè ſufficiunt vt ducant hominem ad perfectionem; quia tamen ob multas cauſas Eccleſia non conſueuit huiuſmodi ſtatum approbare pro religione, abſque vlla aliqua particulari regula, ea eſt neceſſaria, non per ſe, ſed per accidens. *Leſ. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 1. *num.* 9.

6. *Irrita* eſt *profeſſio* aut votorum religionis emiſſio, ſi in ea conditio addatur, quæ religioſo ſtatui repugnat; puta, vt alicui liceat retinere bona ſua tanquam propria, ſeu independenter à voluntate Prælati; vt liceat mortuo fratre primogenito egredi, atque vxorẽ ducere; quod intelligendum eſt, ſi ſit appoſita propriè dicta conditio; & non modus ſeu pactum editæ profeſſioni adiectitium; id enim pro non adiecto haberi debet, & valebit profeſſio: ſimiliter quando vſum ſolum ſibi reſeruaret profitens pro ſuis neceſſitatibus ex licentia ſuperioris, eiuſque nutu reuocabilem; tunc valet profeſſio, nec conditio reijcitur: quia in nullo pugnat cum religionis ſubſtantia. Proinde in dubio reſeruatio aliquorum bonorum tempore profeſſionis à religioſo facta, eſt hoc modo intelligenda, nempe quoad vſum ex licentia Prælati, ab ipſoque reuocabilem: & ita valebunt profeſſio, & conditio: Ratio eſt, quia in dubio non ſunt interpretanda verba alicui contractui adiecta, ita vt eius naturæ repugnent, imò potiùs iuxta eius naturam. Et verba, quamuis ea in ſenſu improprio vſurpare opus ſit, ſunt potius accipienda in eo ſenſu, vt actus valeat. Ita Doctores citati Sanch. *lib.* 9. *mor. cap.* 4. *numero* 92. *Sylu. v. religio* 3. *qu.* 7. 8. *Leſ. c. dub.* 7. *num.* 62. *Vecch. in praxi noui d.* 14. *dub.* 1. *num.* 11. *Azor.* 1. *part. lib.* 12. *c.* 5. *qu.* 2. *Nauar. comm. de reg. num.* 16.

Hinc reſoluitur difficultas, an profeſſio valeat reſeruata ſibi facultate teſtandi de ſuo patrimonio: & Sacra Congregat. Cardinalium Concil. Trident. interpretum huic dubio reſpondens die 14. Decembr. 1613. hoc negotio maturè perpenſo, & accuratè diſcuſſo, niſi alia obſtiterint, validam eſſe omnino profeſſionem ſub forma ſupraſcripta emiſſam. Hanc declarationem refert *Barboſa de iur. Eccl. lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 153.

7. Religioſi non ſunt, qui edito voto perpetuę caſtitatis, & paupertatis, obedientiam etiam vouent præſtandam confeſſario vel Epiſcopo; cùm tali voto non ſubijciantur ſpirituali iuriſdictioni, quippe quæ à Chriſto, medio eius Vicario Summ. Pont. prouenire debet: *Layman lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 1. *num.* 7. *Leſſius c. dub.* 1. *nu.* 10 *Tamb. de iure Abbat. tom.* 2. *diſput.* 19. *quæſt.* 8. *n.* 25.

Quare cùm eiuſmodi hominum ſubiectiones Eccleſia, eiuſve ſupremus paſtor non acceptet, & approbet: imò, & reprobet, vt patet ex conſtitut. Vrban. VIII. *Paſtoralis Romani Pontificis* 13. *Decembris* 1630. Ideò nec Eccleſiaſticæ perſonæ efficiuntur, ſed vt ante erant, laicæ permanent. Hinc eſt quòd tale paupertatis votum arbitratur quidam ex noſtris Doctiſſimus vel omnino nullum; eò quòd nimirum, qui illud emittunt, intendant in vſu temporalium per votum ſubijci illi confeſſario tamquam ſuperiori, qui tamen nec eſt verus Superior, nec fieri poteſt à vouente. Sicut nec vouentis ſubiectio ad illum habere poteſt rationem obedientiæ; vel ſi aliquid valet dictum votum, facilè tamen tolli poteſt eius obligatio per confeſſarios quoſcumque religioſos, ad id facultatem habentes; idque eò magis, quòd eiuſmodi votum videri poſſit excogitatum in gratiam auaritiæ quorumdam, inhiantium facultatibus, viduarum aut pupillorum, quàm gratia communis charitatis.

Ex quo fit, confeſſarium, cuius obtemperare mandatis vouit aliquis, iuriſdictionem non habere, tum quia ex voto poteſtatem coactiuam non nancicatur, ſine qua tamen iuriſdictio nulla eſt, vt conſtat ex *l. vltima, ff. de offic. eius cui mand. eſt iuriſd.* tum quia nullius conſenſu proprio, quantumuis iuramento, & voto firmato in ſeipſum alteri iuriſdictionem præbere poteſt. Eo modo, quo non præberet iuriſdictionem in pauperem, qui voto ſe ligaſſet illi centum dare, nec pauper ex eo per ſeipſum poſſet cogere ad ſolutionem: ſic nec confeſſarius per ſeipſum vouentem poſſet conſtringere ad ipſius mandatum adimplendum, vt bene obſeruat *Sanc. in ſelect. diſp.* 33. *num.* 52.

8. *Summus Pontifex*, diſpenſare non poteſt, vt manens religioſus, voto paupertatis, caſtitatis ac obedientię obligatus non ſit, cùm hæc ad eſſentiam Religionis ſpectent; quamuis ex iuſta

cau-a

etiam si dispensare possit, vt professus Religionem, desinat esse Religiosus, seu votis suis obstrictus. *Cap. cum ad monast. de statu monachor. & Gloss. in eu. cap. Nauarr. cap. 12. num. 76.* Religiosus verò qui ad Cardinalatum, Episcopatum, vel similem dignitatem promotus est, non desinit esse Religiosus, ac proinde obstrictus manet essentialibus votis Religionis, vt docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 88. art. 11. Valent. t. 3. disp. 10. quæst. 3. p. 8. Sanch. l. 6. mor. cap. 6. num. 19. 22. Azor. tom. 1. cap. 7. quæ. 4. Laym. c. num. 8. 9. 10. Less. l. 2. cap. 40. dub. 19. num. 143.* de alijs autem obseruationibus regulæ, tamquam in culmine magisterij constitutus absoluitur, itaut à culpa, & pœna immunis sit, si eas non seruet: Verumtamen secundùm moralem honestatem, debet talis Episcopus seruare præscripta regulæ suæ, quæ eum decent, & cum Episcopali munere bene consistunt. Ad hanc verò moralis honestatis obligationem spectat, vt habitum sui Ordinis deferat, vnde Clemens VIII. concessit Episcopis regularibus, vt retento colore habitus suæ Religionis, possint se conformare Episcopis sæcularibus in figura eius.

Attamen his non obstantibus, multi à communi sententia recedunt, dicentes probabile esse regularem, Episcopum factum, non manere cum voto paupertatis, sed eum acquirere verum dominium, ac si nunquam fuisset Religiosus, reditum Ecclesiasticorum, instar Episcoporum sæcularium. Ratio illorum est, quia in *Cap. vnic. 18. quæst. 1.* Vbi de religioso Episcopo sic dicitur: *Velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habet.* Si ergo sibi acquirit, vendicaretque, verum dominium habet. Vendicare enim, & sibi acquirere, solis veris dominis competit. L. *in rem, ff. de rei vendicat.* Deinde eodem prorsus modo adiudicatur sua portio Episcopo sæculari, ac regulari, cum libertate transferendi in alium dominij administrationem. Ita Sotus *de iustit. lib. 7. qu. 4. art. 2. Med. l. 5. de sacr. homin. continent. cap. 26. Aragon. in 4. 2. p. q. 1. vnic. de vot. art. 2. dub. 6. Vasq. 1. 2. disp. 161. c. 8. n. 91. & 104. Diam. p. 3. tr. 2. resol. 50. & p. 5. tr. 8. ref. 31. Hurtad. de Mendoza 2. 2. disp. 150. sect. 3.*

Proinde stante probabilitate huius sententiæ, integrum est Episcopis religiosis testari de bonis patrimonialibus, aut propria industria acquisitis eo modo quo id fas est Episcopis sæcularib.: quia sicut ad donandum in vita, sat est sola administratio libera, sic ad donandum in morte. Sic docent Hostiensis *in summ. cap. 1. num. 5. de test. Medina c. cap. 26. Sa v. Episcop. num. 11. Rodriqu. tom. 2. sum. cap. 70. num. 5.* Imò quidam Iurisperiti ex hac sententia asserunt Regularem Episcopum legitimè renunciationem ante emissam professionem factam seruata Concil. Trid. forma reuocare posse. Ita *Molfesius. Paschalius, Riccius* apud *Dianam* citatum. Verùm contraria est praxis huius temporis in Belgio, apud Regulares Episcopos, qui sine facultate Summi Pontificis hucusque testati noluerunt, vt à fide dignis accepi. Et hæc de voto paupertatis.

Quoad votum autem obedientiæ, similiter illi probabile putant ab illo absolui Episcopos regulares, qui docent de voto paupertatis: quod probant ex *Cap. statutum, 18. quæst. 1.* Ibi enim dicitur de Monacho Episcopo creato: *Quem canonica electio à iugo monasticæ professionis absoluit.* Quomodo autem absolueretur à iugo Monasticæ professionis, si in ipso remaneret votum obedientiæ: cùm formalis ratio iugi in Regulari sit ratione voti obedientiæ, quod facit, vt cætera onera portari debeant? Nec dici potest quod per iugum intelligatur obseruantia Regularium, à qua absoluitur: quia hæc non est verum iugum, sed ipsa obligatio ex voto: cùm hæc sit substantia iugi, qua manente non potest dici absolutus à iugo, quia manet principale iugum. Nec etiam dici potest absolutus à iugo, quia eximatur ab obedientia superiorum Religionis: quia hoc non est absolui. Absoluere enim est tollere id, quod ligat; ergo cùm votum obedientiæ sit illud, quod ligat, non potest absolui, nisi ipsum tollatur. Nec sufficit, quòd tollatur respectu superiorum religionis: quia si manet respectu Pontificis, reuera adhuc Monachus manet ligatus eodem iugo, & eadem obligatio manet in ipso.

Quoad votum castitatis, cùm sit annexum nedum statui Episcopali, sed etiam Sacris Ordinibus, dubium esse non potest, an in Episcopo sit votum castitatis cum ea obligatione, cum qua est in religiosis, solum dubium est, an tale votum permaneat ex vi professionis, an solùm ratione Sacrorum Ordinum seu status Episcopalis? Qui putant regularem Episcopum omnino absolui à votis religionis, docent etiam absolui à voto castitatis ratione professionis: quia soluitur status religiosus, & succedit Episcopalis, vnde cessant omnia, quæ sunt de substantia talis status. Status enim religiosus constitit in indiuisibili, & coalescit ex trius votis: vnde non potest consistere, nisi cum omnibus, & ideo si cessat vnum votum, desinit & ipse, & proinde etiam alia vota, quia solum subsistunt, vt sunt vota status, cùm sint emissa pro ipso statu, & per modum vnius integrationis respectu eiusdem status. Hæ sunt rationes quibus fulcitur hæc sententia: quibus tamen non obstantibus non recedo à communi.

9. *Religiosus*, ad parochiale beneficium promotus, substantialibus religionis votis astrictus manet: quin & habitum religionis suæ deferre debet, & regulam obseruare in ijs omnibus, quæ cum suo munere, & laboribus consistere possunt: idque non solùm secundùm moralem honestatem, sed ex debito legali, & secundùm obligationem culpæ, si regula ita obliget: quippe cùm non sit positus in magisterio perfectionis, vt à iugo regulæ exemptus censeatur, sicuti Episcopus; tamen dum religiosus in pastorali munere est, fermè eximitur ab obedientia Prælati regularis, & Episcopo diœcesis subijcitur, non tantùm in pertinentibus ad disciplinam Ecclesiasticam, sed etiam in omnibus: atque ita consuetudine multorum locorum obseruatur. Sed melius alij distinguunt. Hostiensis *in summ. de statu monach. Angel. v. monac. §. 7. Rosell. n. 5. Sylu. v. relig. 7. qu. 11. Sanch. l. 6. mor. c. 6. n. 36. Rodriq. tom. 1. qq. reg. q. 34. art. 6. & 7.*

Si Ecclesia illa nullatenus subijciatur Prælatis Monasterij: eximitur ille religiosus ab obedientia Prælatorum religionis. *Cap. Parochia 16. quæst. 1.* sed subiectus manet Imperio Episcopi, qui de cætero erit suus Abbas. Si verò subijciatur Prælatis religionis quoad sola temporalia, eximitur quoad spiritualia ab illorum obedientia. *Cap. visis, & cap. sanè, 16. quæst. 2.* si verò eis subiecta sit quoad spiritualia solùm eximitur quoad temporalia. Si verò sit subiecta quoad omnia, manet plenè eis subiectus.

Ex quibus colligitur *Primò*, quòd quando beneficium curatum regulare tubest pleno iure Monasterio, tunc potest regularis ille ad superioris nutum reuocari. Si autem non subsit pleno iure, nequit ad nutum Abbatis auferri: quia eò ipso quod habet curam animarum, constituitur beneficiarius consensu, & auctoritate Episcopi, cuius est animarum curam committere, & Ecclesijs habentibus animarum curam idoneos ministros præficere. Cap. *De Monachis, 16. quæst. 1.* Vide *Sylu. p. 1. resol. ver. Relig. IV. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 12. num. 98.* qui vltimus meritò limitat hoc dupliciter.

Primò, nisi aliter in ipsa annexione vel institutione fuerit constitutum, nempe vt religiosus ille non sit omnino ab obediētia sui Prælati exemptus, & ex causa reuocari ad Monasterium possit: alioquin huiusmodi annexiones essent valdè damnosæ Monasterijs: & daretur religiosis illis beneficiarijs occasio dissolutionis vitæ.

Secundò, nisi Prælatus ius illud iam legitimè præscripserit seu vsuceperit: sufficit autem ad hoc possessio 40. annorum, si nimirum Abbas tanto tempore puauerit bona fide se hoc ius habere, gerendo se tanquam Superiorem erga illum religiosum; & ille religiosus se erga Abbatem tamquam suum Superiorem gesserit, habueritque recursum ad Monasterium tamquam filius Monasterij: vel si Abbas interea aliquoties vsus fuerit auctoritate reuocandi, & nemo se opposuerit.

Colligitur *Secundò*, si regularis præficeretur beneficio tamquam Clericus sæcularis, non vt regularis, sicut contingit, si præficeretur Ecclesiæ curatæ sæculari, vel beneficio simplici sæculari, ex legitima dispensatione: tunc reuocari non posset ab Abbate, vt docent Rebuff. *de pacific. possess. num. 275. Tambur. de iur. Abbat. t. 3. disp. 9. quæst. 14. num. 13.*

Tertio, Abbates & Prælati Regulares non possunt pro suo libito amouere Monachum à beneficio electiuo absque legitima causa, cùm huiusmodi beneficia perpetua sint. Cap. *Monachi, de statu Monachorum.*

Pro confirmatione prædictorum extat Declaratio Sac. Congregat. Concil. *in Cameracen. 24. Ianuarij 1632.* his verbis: *Abbates Ordinum possunt inuito Episcopo reuocare absolutè ad Monasterium Religiosos exercentes curam animarum in Ecclesijs, quæ sunt vnita ipsis Monasterijs, sed quoties demo ad curam animarum exercendam deputantur, sunt iterum ab Episcopo examinandi, & approbandi.* Ita Barbosa *in collectan. Bullar. verb. Abbas 1.*

10. *Status religionis*, statim à tempore Apostolorum cœptus, hucusque semper durauit, & auctus est: & olim non fuit permissum Monachis, vt vitam solitariam seu Eremiticam colerent, nisi ante in communi vita seu cœnobio virtutem suam diu probassent Euseb. *lib. 2. hist. cap. 17. Layman. c. cap. 2. Miranda t. 1. qu. 9. ar. 4. Sylu. 2. 2. qu. 186. art. 1.*

11. *Diuersitas ordinum* Religiosorum non prouenit ex aliquo quod Religioni est essentiale, vt sunt tria vota essentialia, & approbatio Ecclesiæ: hæc enim omnibus sunt communia; itaque si essentialia spectentur, omnes sunt eiusdem speciei, consistit enim omnium essentia in obligatione trium votorum ab Ecclesia acceptatorum: *hæc* autem *diuersitas*, prouenit ex duobus.

Primò, ex particulari fine seu functione ad quem quisque ordo specialim est institutus; *quidam*, enim sunt instituti, vt potissimum se exerceant in operibus vitæ contemplatiuæ, vt sunt omnes Monachi. *Alij*, instituti sunt ad opera vitæ actiuæ corporalia: vt ad redimendos captiuos, ad suscipiendos peregrinos, ad seruiendum infirmis, ad defendendam Ecclesiam contra hostes fidei. *Alij*, partim ad contemplationem, partim ad opera vitæ actiuæ, sed spiritualia, quæ contemplationem supponunt, vt sunt ordines Mendicantium.

Secundò, delimitur diuersitas ordinum ex particularibus mediis, & ritibus quibus vtuntur, vel ad vota sua melius seruanda, vel ad functionem suam seu propriam melius obeundam: hinc videmus magnam varietatem in habitu, victu, ieiunijs, alijsque ijs exercitijs. De quibus D. Thom. 2.2. *quæst.* 188. & 189. *Less. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 2. *Layman. c. cap.* 3. *Sylu.* 2.2. *quæst.* 188. *Fausti in thesaur. relig.* 5. *quæst.* 17.

12. *Quatuor* sunt *regulæ* approbatæ, sub quibus omnes ordines Religiosi militant, præter Carthusianos, qui habent sua statuta, & Societatem IESV, quæ suas constitutiones, videlicet, *Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci*: tamen singuli suæ regulæ proprias constitutiones adiunxerunt, quibus inter se discrepant, etiamsi eandem regulam sequantur. *Sylues. ver. Relig.* 1. *num.* 7. *Plat. lib.* 2. *cap.* 22. *Vtrandi. quæst.* 3. *artic.* 5. *Layman. c. cap.* 2.

13. Cùm perfectio Religionis primariò spectetur ex fine: secundariò ex mediis, vnde illi ordines absolutè sunt perfectiores, qui ordinantur ad finem intrinsecum, seu functionem perfectiorem: itaque ordines illi, quorum proprius finis est vacare operibus vitæ contemplatiuæ, sunt perfectiores ijs, qui operibus vitæ actiuæ: & qui non tantùm contemplationi vacant, sed etiam contemplata in alios transfundunt, perfectiores sunt, quàm qui soli contemplationi incumbunt: tales sunt in Ecclesia ordines illi, qui instituti sunt ad docendum, prædicandum, & sacramenta administranda: quia perfectius est illuminare, quàm lucere tantùm: & hoc fuit officium Apostolorum & ipsius Christi Domini D. Thom. 2.2. *quæst.* 188. *art.* 6. *Sylu. ver. relig.* 1. *num.* 4. *Lessius c. num.* 20. *Layman c. cap.* 3. *Sylu.* 2.2. *quæst.* 188. *artic.* 6. *concl.* 1. 2. & *seq.*

RELIGIO II.

De intrantibus religionem.

SVMMARIVM.

1. *Qui possint Religionem ingredi? Et qui non? Et an Episcopus?*
2. *An coniuges post consummatum matrimonium possint religionem intrare, absque consensu mutuo?*
   Et qua ætate mulier dicatur senex, vt vir possit profiteri religionem remanente illa in sæculo cum voto castitatis?
3. *In quibus casibus possit alter coniux inuito altero ingredi?*
4. *An qui virginem sub promissione matrimonij defloranit possit ingredi religionem?*
5. *An seruus inuito Domino possit Religionem statum expetere?*
6. *Quid de illo qui creditoribus est non soluendo?*
7. *Quid de obnoxijs reddendis rationibus?*
8. *An filius possit intrare religionem si parentes eius extrema vel graui egestate premantur? & è contra.*
9. *An pueri possint religionem intrare ante annos pubertatis, sine consensu parentum, vel tutorum?*
10. *Quando illegitimus possit admitti ad religionem?*
11. *An corpora vitiata sint inhabilia ad religionem?*
12. *An infames ad religionem recipi debeant?*
13. *An criminosi vel de crimine suspecti?*
14. *An bigami?*
15. *Quæ conditiones requirantur in recipiendis ad religionem tam iure communi, quàm ex constitutionibus Sixti V. & Gregorij XIV.*
    Modus faciendi informationes iuxta constitutiones Sixti Quinti,
    An recipiendus teneatur sub pœna lethalis culpa aperire impedimenta etiam occulta, quibus ei præcluditur religionis ingressus.

1. INgredi possunt Religionem qui sunt sui iuris: qui autem alteri sunt obstricti, non possunt, nisi illius consensu; tales sunt, *Cap. nisi cum pridem, de renunciatione.*

Primò, Episcopi, hi enim iureiurando sunt obstricti obedire Romano Pontifici, vnde sine illius consentu non possunt: In iure autem ponuntur *quædam causæ*, ob quas Episcopis conceditur renunciatio Episcopatus ad ingrediendum Religionem; nimirum, *Conscientia criminis*, quod etiam post pœnitentiam impedit executionem officij, *Debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, graue scandalum, & irregularitas. Aduertendum* tamen si Episcopus voueret Religionem, votum non fore inualidum, quia fieri potest vt id, & ipsi Ecclesiæ sit melius; vnde teneretur suum votum Summ. Pontif. aperire, & copiam exequendi petere. Vide D. Thom. *c. quæst.* 189. *art.* 7. *Sylu. ver. relig.* 2. *q.* 8. *Less. c. n.* 24. *Vecchus disp.* 2. *dub.* 3.

2. *Secundò coniuges*, ingredi non possunt Religionem post consummatum matrimonium. *C. Quidam, & Cap. Placet, de conuers. coniugat.* Vnde si altero ignorante vel saltem non consentiente profiteatur, alter potest professionem irritare, & coniugem repetere & ille tenebitur redire, & debitum petenti reddere, non tamen poterit exigere, sed quantum in se est seruare castitatem. *C. Cum sis, Cap. Vxoratus, C. ad Apost. de conuers. coniugat. Possunt*, tamen coniuges Religionem ingredi accedente mutuo consensu; vxor verò consentiens in ingressum mariti, tenetur etiam ingredi si iuuenis est, vel talis, vt in sæculo manenti meritò timeri possit de incontinentia. Si autem sit senex, aut certè talis, vt non sit ei morale periculum in sæculo, sufficiet votum continentiæ in manibus Episcopi.

Sed dubium est, qua ætate mulier dicatur senex, vt vir possit profiteri religionem, remanente illa in sæculo cum voto castitatis? Sanch. *de matrim. lib.* 7. *disp.* 32. *num.* 15. Gutierez *tract. de matrim. cap.* 95. *num.* 2. docent fœminam quinquagenariam esse senem quoad hunc effectum; quia attento breuiori cursu vitæ illarum, ac celeriori senectutis aduentu, tam senex est mulier quinquagenaria, quam vir sexagenarius, & libidinis ardor ita repescit in illa ac in hoc: huic etiam sententiæ adhærent Bonac. *de matrimon. quæst.* 3. *punct.* 4. *num.* 12 Filliuc. *tract.* 10. *p.* 2. *numero* 133. Alij asserunt fœminam dici senem quoad hunc effectum quando est sexagenaria. Ita Fausti *in thesaur. relig. lib.* 5. *quæst.* 55. Azor. *tom.* 1. *lib.* 12. *cap* 1. *quæst.* 6. Hæ sententiæ sunt probabiles. Sed mihi maximè probatur sententia Pontij *de matrimon. lib.* 9. *cap.* 12. *num.* 3. docentis hoc arbitrarium esse, & ex circumstantijs personæ, valetudinis, roboris, & anteactæ vitæ considerandum, & definiendum esse: proinde ad Episcopum pertinet iudicare vtrum vxor in his casibus extra incontinentiæ periculum existat; quare conuenit ab eo licentiam petere, vt colligitur ex *cap. si vir, & vxor*, 27. *quæst.* 2. & ita seruatur in praxi. Cap. Quia *Agatho, cap. Scripsit nobis*, 27. *q.* 2. *Aduertendum* autem est quòd sicut vxor consentiens in ingressum mariti, tenetur ingredi, vel saltem profiteri continentiam; ita etiam maritus consentiens in ingressum vxoris.

3. In *quatuor casibus*, potest alter coniux inuito altero ingredi. Cap. *Verum & Cap. Ex publico, de conu. coniug. Primo*, antequam matrimonium sit consummatum Sanches *de matrimon. lib.* 2. *disp.* 22. *num.* 6. *Sà v. matrimon. num.* 17. *Dian. de Sacram. resol.* 242 *p.* 3. *Secundo*, etiam post consummatum potest vxor ingredi, iuxta probabiliorem sententiam, si vir per vim consummauit ante expletos duos menses, qui ei à iure conceduntur: quia ei grauem iniuriam intulit, ratione cuius non debet ipsa priuari suo iure: idem dicendum si per metum grauem copulam extorsit. Cap. *Agathosa*, 27. *qu.* 2. *Cap. Porro de amor. Vecchus disput.* 3. *dub.* 3. *Tertio*, si alter coniugium committat adulterium, innocens potest Religionem ingredi: debet tamen primò fieri separatio authoritate Iudicis, causa cognita, ad vitandum scandalum, & vt non possit repeti, & cogi ad redeundum. Cap. *fin. de adulter.*

Quòd si alter etiam adulterium occultè commisit, non potest coniugem dimittere, vt Religionem ingrediatur, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur. *Dist.* 32. *quæst.* 1. *c.* 1. *Sylu.*

v. dic.

*ver.diuor.q.*8.*n.*3. *Item dicendum*, si cognito illius peccato debitũ petijt, vel reddidit, quia illi censetur reconciliatus, & ius suum condonasse. C. *de illa, de diu.* *Quarto*, si alter coniux incidat in hæresim, & iudicio Ecclesiæ fiat separatio; tunc innocens potest ad Religionem transire, etiamsi alter conuerti voluerit.

4. *Tertio*, non possunt ingredi religionem, qui Virginem sub promissione matrimonij defloraruntnec refert vtrum ferìò an fictè promiserint: Sanches *de matrim. lib* 8. *disp.*36. *numero* 8. *Less. lib.*2 *cap.*10. *dub.*4. *Rodriq. tom.*3. *quæst.*10. *art.*9. Hi enim tenentur implere contractum, ob graue damnum, quod alioquin illa incurreret: vel eam dotare, secundùm illius conditionem. Vide Dianam *de Sacramentis, resolut.*203. *par.*3. Vecchis *disp.*3. *dub.*4. Vnde in aliquibus casibus non teneretur stuprator deflo-ratam ducere.

Primo, si notabiliter excedat puellæ statum, vel ratione diuitiarum, vel nobilitatis, vel alterius huiusmodi causæ. & eadem puella huius excessus erat conscia. *Secundo*, quando probabiliter timetur ex eo matrimonio scandalum magnum consurgere debere; vel si ex eo matrimonio malus exitus timeatur vt si puella esset notabiliter leuis. *Tertio*, quando fœmina se finxit Virginẽ, ac proinde decepit virum. In his casibus pollet vir ad Religionem transire. Sed de his plura *verb.sponsalia*, 11. n 4. Quid autem dicendum sit de illo, qui priùs votum Religionis aut castitatis emisit, Virginemque defloravit cum promissione matrimonij, an teneatur ad matrimonium, vel potiùs ad votum. Less. *libro* 2. *cap.* 10. *num* 32. *Sanchez l.* 1. *disp.*45. *num.*3. *Dian. tract. de Sacrament p.*3. *resolut.*280.

Communis sententia est, talem teneri ad contrahendum matrimonium, si puella votũ promittentis ignorauit. Quia ingressus religionis iam factus est ei illicitus; non enim potest ingredi, nisi grauem iniuriam irrogando puellæ. Contraria tamen sententia quæ est *Nauarri, Rodriqu.* apud *Laymann.* 5 *tract.*10. *p.*1. *cap.*2. *num.*5 est, satis probabilis: quia promissio illa fuit nulla, quia rei illicitæ: vnde talis tenetur ad vota. Vide præterea *Dianam par.*5. *tract.*14. *resol.* 38. Si tamen corrupta non ignorabat illum vel castitatis, vel Religionis voto esse obstrictum: certum est non teneri eam ducere; quia puella non bona fide contraxit, cùm non ignoraret, ipsum nec nuptias promittere, nec licitè contrahere posse: vnde in hoc casu non fuit decepta, nisi fortè violator persuasisset puellæ, se facilè obtenturum dispensationem.

Præterea ad Religionem se conferre potest, qui defloranit Virginem nulla habita matrimonij promissione, si postea defloratæ promittat matrimonium. Ratio est, tum quia promissio matrimonij ex mera liberalitate processit. Tum quia cùm delictum nullam rationem iniuriæ habeat, nec ad aliquid restituendum obliget, consequenter promissio, seu obligatio includit tacitam conditionem, nisi transitus ad Religionem eligatur. Si autem defloratio fuerit iniuriosa, id est, extorta mediante violentia, vel precibus violentiæ æquipollentibus, & sua sponte post defllorationem promittat matrimonium ob satisfactionem iniuriæ puellæ illatæ, probabilius est, adhuc promissionem esse liberam, ac proinde integrum esse promittenti, vel eam ducere, vel eius dotem augere: & per consequens inhabilem non esse ad religionem post satisfactionem. Ita Lessius *lib.*2. *cap.*10 *dub.*4. *num.*35. & notter Vecchis *c nu.*18. quamuis Sanch. hoc numero citatus, censeat, talem contra hanc obligationem ex iustitia debitam. non posse statum Religionis suscipere contradicente muliere; quia hæc matrimonij promissio, acceptante muliere, nequit dici liberalis, sed verè satisfaciens iniuriæ violationis, & ex vi illius debita. Hæc sententia est satis probabilis.

5. *Quarto*, seruus, quamdiu est seruus & libertatem non est consecutus, non potest statum Religiosum capessere absque consensu Domini. Cap. *si quis* 17. *quæst.*2. *Sylu. ver. relig.*2. *num.*3. *Less. lib.*2. *cap.*41. *num.*31. *Sylu.*2.2. *qu.*189. *art.*6. Quia quoad actiones vtiles, seruus totus est Domini, & si professionem fecisset, Domino petenti esset restituendus; tenetur tamen tunc seruare castitatem, quia ad illam potuit se obligare inuito Domino. Vt docet Vecchis *in praxi disp* 2. *dub.*2.

6. *Quinto*, qui creditoribus non est soluendo non potest ingredi, si intra paucos annos manens in sæculo possit satisfacere; si autem non est probabilis spes satisfaciendi intra illud tempus, vel manendo diutius in sæculo incurreret notabile periculum salutis, potest ingredi; relinquendo bona sua creditoribus diuidenda pro rata. D. Thom. 2.2. *quæst. vltim. art.*6. *Medin. C. de restitut. quæst.*3. *cap.*8. *Syluius* 2.2. *quæst vltim. art.*6. *Sylu. verb. relig.*2. *quæst.*4. *Fumus ver. relig. num.*5 Debita autem impedientia ingressum Religionis debent esse orta ex contractu, vel delicto: at verò si debita sint ex liberalitate, quia liberaliter promisit, non impediunt ingressum Religionis; quia talis promissio ita debet intelligi. vt non ita obliget promittentem, quin possit intrare religionem. Vt notauit *Medina Cod. de restitut. quæstione* 3. *causa* 8. *ad* 1.

Et licet ex constitutione Sixti V. *Cùm de omnibus*, talis reddatur inhabilis & ad receptionem, & ad professionem; hæc tamen Constitut. à *Clemente VIII.* quoad professionis nullitatem moderata, & reducta fuit ad iuris communis terminos. Et ideò manet in suo vigore, solùm quoad illicitam huius receptionem, & recipientium pœnas, prout patet ex Bulla Clement. edita anno 1602. die 2. April. quæ incipit. *In suprema Eccles. Apost. Specula.* Apud Vecch. *in praxi disp.*2. *dub.*12.

7. *Sexto*, qui reddendis rationibus sunt obnoxij, non possunt intrare, quia illorum persona est ad illam functionem obstricta; nisi priùs se expediant, si sint ratiocinia Reip. si verò sint priuatorum, quamuis honestum sit vt se expediant. tamen non est necessarium. *Less. c. num.*33. *Sylu. c. quæst.*6. *Rodriq. c. art.*11. Quidam tamen Doctores docent obligatos, & publicis, & priuatis ratiocinijs reddendis, ab ingressu Religionis prohiberi; quia in constitut *Sixti V.* dicitur, quòd reddendis ratiocinijs obnoxij, nullatenus recipiantur. Cùm ergo Pontifex absolutè, & absque vlla distinctione loquatur, nec nos distinguere debemus. Ita *Suar. Miranda, Sanch.* apud *Vecch. disp.*2. *dub.*15.

8. *Septimo*, Filius non potest intrare Religionem, si parens eius extrema vel graui egestate prematur, & ipse nequeat illi, nisi manendo in sæculo prouidere; quia iure naturæ tenetur eo casu parentem alere: idem *dicendum* de parente, si filius simili necessitate prematur; non tamen est ea obligatio erga fratres, & sorores, quia non est inter illos vlla dependentia, sicut inter parentes, & proles. *D. Thom. c. quæst.*189. *art.*6. *Layman lib.*4. *tract.* 5. *cap.*6. *num.*1. *Less. c. num.*34.

Si tamen filius parentibus seruire non potest, sine salutis suæ dispendio, id est, periculo probabili peccati mortalis, potest intrare, vt ait Sylueiter *ver. relig.*2. *num.*7. *Vecch. c. disput.*2. *dub.*8. Ratio est, quia vnusquisque ex charitate ordinata tenetur magis diligere suam propriam salutem spiritualem, quam corporalem salutem parentum.

Sed aduertendum est circa prædicta cum D. *Thoma*, & alijs hìc citatis, quòd si alius sit qui possit, & velit parenti subuenire in tali necessitate posse filium Religionem intrare. Nam Christus aliquos filios vocauit, qui adhuc habebant parentes, & eos pauperes. Alios autem vocauit, scilicet Iacobum, & Ioannem filios Zebedæi, qui relictis retibus, & patre secuti sunt Christum, vbi *Lauanus* ait, ideo ipsos reliquisse parentes, quia alij erant, qui parentibus subuenirent.

Porro, si filius parente in graui necessitate constituto professus fuerit; tenetur egredi; si aliter ei subuenire non potest; quia ingredi non poterat, obligatione subueniendi iam contracta: professio tamen non est irrita. *Rodriq. c.* 2. *summ. cap.*6. *conclus.*4. *Nauar. cap.*14. *num.*14. Sed suspenditur executio donec parenti prouiderit. D. Thom. 2.2. *quæst.*101. *art.*4. *ad* 4. *Caieta. ibid. Layman. c. num.*2. *Lessius c. num.*34. *Syl. c. quæst.*7. *Bonac. t.*2. *disp.*6. *qu. vnic. p.*5. *num.*7. *Sà v. relig. num.*2. *Sanch l.*4. *mor. cap.*20. *nu.*4. *Sylu.*2.2. *qu.*101. *art.*4. *concl.*1. & 2.

Si vero, inciderit parens ex improuiso in hanc egestatem post filij professionem, non tenetur filius egredi, quamuis possit, obtenta licentia à Prælato: quia iam mutauit statum, nec subest amplius patriæ potestati, sed Prælato; vnde illi obligationi superuenienti non tenetur satisfacere, nisi quantum potest saluo statu: quod intelligendum est, de egestate non extrema, sed minori, in qua potest parens vtcumque viuere, licet multa incommoda perferat, si enim esset extrema, teneretur filius omni modo subuenire, etiam egrediendo Religionem, petita tamen priùs licentia, etsi non obtenta; quod etiam externo in pari necessitate præstare deberet; quia obedientiæ votum non potest esse impediens obligationis iustitiæ ac misericordiæ.

Notandum tamen quòd filius egressus è religione habitum religionis gestare debeat, si gestatio habitus non impediret à lucro pro parentum sustentatione: & in hac habitus dimissione non potest dispensare Prælatus, sed solus Papa: vt colligitur ex *cap.*2. *Ne Clerici, vel Monach. in* 6. & docet *Nauarrus tomo* 1. *consil. tract. de regul. consil.*21. Item religiosus quamdiu in sæculo manet, obseruare debet non solum essentialia Religionis, sed etiam maiora præcepta, & minores obseruantias suæ religionis, vt ieiunia, &c. eo tamen modo quo commodè poterit.

Item

Digitized by Google

Item ſtatim debet atque parentes ſubleuauit ab illa neceſſitate extrema, & illis prouidit, reuerti ad Religionem ſuam. Et ſi à Prælato religionis fuerit requiſitus, illeque offerat aut procurare velit neceſſaria pro parentum neceſſitate, paratus eſſe debet religioſus ad religionem, & ordinem redire.

An autem Patri, filios in neceſſitate conſtitutos habenti, integrum ſit religionem ingredi: dicendum eſt quòd non: quia idem iudicium eſt de obligatione Patris in filios, quod eſt filij in parentes, quantum ad propoſitum ſubueniendi neceſſitati alterius. Vide Bartholom. Vecch. *diſputat. 2. dub. 9.*

Cæterum quamuis filij in prædictis caſibus non teneantur abſtinere ab ingreſſu religionis, neque illum differre propter paupertatem aut ſcandalum parentum: in multis tamen caſibus bonum eſt, & laudabile ipſis filijs, vel abſtinere ab ingreſſu, vel illum differre.

Primò, quando parentes oppreſſi ſunt ære alieno. *Secundò*. Quando neceſſitas parentum licet non ſit extrema neque tanta, vt cogat eos mendicare, aut alijs ſeruire, eſt tamen valdè grauis. *Tertio*. Quando parentes ſunt onuſti multitudine filiorum, maximè filiarum, quarum pudicitia paſſura ſit magnum periculum, niſi illis ſubueniatur. *Quarto*. Quando parentes decidere deberent valdè notabiliter de ſuo ſtatu, & exinde deuenirent ad ſummam miſeriam. In his & ſimilibus caſibus poſſunt filij abſtinere ab ingreſſu religionis ſine vllo ſcrupulo, & conſulendum illis erit vt abſtineant, & etiam Prælati Religionum eos admittere non deberent, modò filij poſſint facilè viuere in ſæculo ſine peccato mortali.

9. *Octauò*. Pueri non poſſunt religionem intrare, ſine conſenſu parentum, vel tutorum ante annos pubertatis, quia ſubſunt illis quoad vitæ diſpoſitionem D. Thom. 2. 2. *quæſt. 88. art. 9. & quæſt. 101. art. 4. & quæſt. vltim. art. 5. Azor. tomo primo lib. 12. cap. 1. quæſtione 1. Sylu. 2. 2. quæſt. 189. art. 6. Vecch. c. diſp. 2. dub. 6.* Vbi verò ad annos pubertatis peruenerint, efficiuntur ſui iuris in ijs, quæ ad ſtatum vitæ pertinent: vnde poſſunt religionem ingredi, etiam inuitis parentibus, quamuis ante 16. annum completum non poſſint profeſſionem facere.

10. *Nonò*. Illegitimus non poteſt admitti in religionem in qua pater eius ſiue ante, ſiue poſt nativitatem profeſſus fuerit, ſi adhuc ſit ſuperſtes. Greg. XIV. & Clem. VIII. *apud Rodriqu. t. 3. qq. quæſt. 10. art. 4. & 5. Leſ. c. num. 36. & 37.* Ratione autem propriarum conſtitutionum, excluduntur à quibuſdam religionibus homicidæ, infames: Nati ex Iudæis, Sarracenis, vel Hæreticis vſque ad quartam generationem.

Vnde pro ordine fratrum Minorum regularis obſeruantiæ extat Bulla Pauli IV. confirmata per *Gregorium XIII.* qua prohibetur ſub grauibus pœnis eos recipi, qui ex genere maculato deſcendunt. Similem Bullam obtinuerunt religioſi Sancti Francifci de Paula, vt refert *Rodriquez*. Quæ omnes Bullæ, cùm ſint pœnales propter pœnas in eis contentas, & comprehendant has dumtaxat peculiares religiones, ad alias non extenduntur. Ratio eſt, quia in pœnalibus licet fiat aliquando extenſio ex verſimili mente Pontificis de caſu ad caſum, non tamen fit de perſona ad perſonam, ac proinde, nec de religione ad religionem. Si enim ipſæ per communicationem alijs religionibus communicantibus in indultis competerent; ſequeretur, quòd ſicut ipſis communicantur in Bullis decreta, ita etiam communicarentur pœnæ, in quas incurrunt ipſorum decretorum tranſgreſſores. In pœnis enim, & cenſuris nullo pacto fit ipſis religioſis communicatio, cùm ſecundùm regulam iuris, odia reſtringi, & fauores conueniat ampliari. Vide *Rodriqu. t. 3. qq. reg. quæſt. 11. art. 4. & t. 1. quæſt. 55. art. 17. Miranda in Man. Prael. t. 1. qu. 19. art. 7. & t. 2. quæſt. 46. art. 6. Vecchis in praxi nouit. diſp. 3. dub. 1. Tamb. de iure Abbat. t. 1. diſp. 17. quæſt. 6.* & ſuperius dicta, *verb. Irregularitas 2. num. 3.*

11. Corpore vitiati ſunt inhabiles ad ingreſſum Religionis, niſi morum integritas, inſignis doctrina, vel magna ſanguinis nobilitas corporale defectum ſuppleant. Ratio eſt, quia corpore vitiati arcentur à miniſterio Altaris. vt habetur *in tot. tit. de corpore vit. & cap. 2. de Cler. ægrot.* Profeſſio tamen iſtorum de iure communi irrita non eſt: quia nullibi in iure hoc prohibetur. De Cæco enim, quòd validè profiteatur, certum eſt: quia poteſt ore proferre verba profeſſionis.

De muto, & de ſurdo, quòd profiteri poſſint per ſigna, docet Sanch. *lib. 7. mor. c. 12. n. 31.* De claudis, mancis, luſcis, ſurdaſtris, ſimiliter validè profiteri certum eſt, cùm hoc non reperiatur in iure prohibitum, licet ab illis, & ſimilibus omnino abſtinere debeant Prælati Regulares, niſi merita, doctrina inſignis, vel magna ſanguinis nobilitas, defectus compenſent. Ita Vecchis in *praxi nouit. diſp. 5. dub. 6.*

12. Infames, & buffones hiſtriones, carnifices, alijque ſimiles non debent ad Religionem recipi, quia ad Clericatum promoueri non poſſunt, neque etiam poſt peractam pœnitentiam; quia ſunt infames. Hi tamen ſi recipiantur in Religione, eorum profeſſio valida erit, quia nullibi irrita reperitur.

13. Conſtitutione Sixti V. quæ incipit, Cùm de omnibus, ſub grauiſſimis pœnis cautum eſt, ne criminoſi, aut de crimine ſuſpecti, ad religionis habitum recipiantur: criminoſi autem in hac conſtitutione dicuntur, qui facinora exorbitantia, turpiaque perpetrauerunt, vt furtum, latrocinium, rapinam, homicidium, vel aliud ſimile delictum. Requiritur autem vt crimen ſit publicum, non ſolùm notorietate facti; verùm etiam iuris aliquo modo. Vnde neceſſe eſt, vt accuſatio vel inquiſitio illius conſtet actibus publicis.

Secundò, vt in particulari ſit contra aliquem criminoſum inquiſitum; & ideò non ſufficit inquiſitio in communi facta. Tertiò, vt hæc accuſatio, ſeu inquiſitio præcedat ſuſceptionem habitus, & facta ſit coram iudice ſæculari. Notandum tamen, ſi poſt accuſationem, vel inquiſitionem reus eſt abſolutus, vel innocens declaratus, licitè, & validè poteſt ad religionem admitti: quinimò, etiamſi de tali crimine iuridicè conuictus, & deinde ad pœnam damnatus fuerit, ſi eam pœnam impoſitam perſoluit, & tam Curiæ, quàm parti ſatisfecit, quantum eſt ex dicta conſtitutione, etiam poterit ad religionem admitti; quia intentio Summi Pontificis ſolùm fuit obuiare, ne colore Religionis delicta impunita remanerent. Ita Rodriq. *t. 3. qq. reg. quæſt. 10. art. 7. Miranda t. 1 quæſt. 19. art. 8. Suar. de relig. t. 3. l. 5. cap. 8. Sanch. l. 4. mor. c. 16. n. 39.*

Notandum tamen eſt profeſſionem horum criminoſorum eſſe iure communi validam; imò, & ſecundùm moderationem Clement. VIII. ſupra citatam *num. 6.* Nihilominus ſi Nouitius ante ingreſſum, vel ante profeſſionem ſit inuentus habere aliquod impedimentum Sixti V. de criminoſis, debet expelli, etiãſi non ſit impedimentum de iure communi: alias incurret Prælatus pœnas illius: excipe impedimentum illegitimi, quod ſublatum eſt per Greg. XIV. cum illa modificatione de filio Religioſi, vt diximus ſupra *n. 10.*

14. Bigami non poſſunt ad Religionem in Clericos recipi, benè tamen in laicos: ſicut & illiterati: quia poſt profeſſionem debent ea ſcientia ſaltem pollere, quæ ad diuinum officium ritè perſoluendum neceſſaria eſt, vt dicunt communiter Doctores.

15. Sed quia iuxta Sixti V. conſtitut. quæ incipit, *Cùm de omnibus*, & Gregorij XVI. *Circumſpecta Romani prouidentia Pontificis*, inquiſitio, ſeu informatio fieri debet in receptione Nouitiorum, de conditionibus, quę vel iure Canonico, vel vigore prædictarum Conſtitutionum requiruntur in ijs, qui religionis ingreſſum petunt; ideò ſequentia, pro dicta informatione facienda, notanda proponimus.

Primò, Conſtitutio Sixti V. nullam exigit inquiſitionem fieri de vita, ac moribus eorum, qui decimum ſextum ſuæ ætatis annum nondum expleuerunt.

Secundò, quoad mores, & anteactam vitam, poſtulat præcipuè, vt recipiendus non ſit criminoſus, aut de crimine ſuſpectus, nec ſit ære alieno grauatus, neque reddendis rationibus obnoxius.

Tertiò, mandat diligentem inquiſitionem fieri de parentibus, & patria recipiendi, vt conſtet, an legitimus ſit: quamuis quoad hanc partem moderata fuerit eius Conſtitutio à Gregorio Decimo Quarto, ita vt ij illegitimi nunc ſint ad Religionem habiles, modò eorum mores, & merita ſuppleant natalium defectum.

Verùm quoad obligationem ex ſtatutis particularibus procedentem quiſque ſuperior regulas, ſtatutaque ſuæ religionis obſeruare debet, ſi quæ alia impedimenta in illis ad ſuam religionem præſcripta ſint, vt de eis informationem ſumat.

Requirebat Sixtus V. vt antequam Nouitius reciperetur, fierent exactæ informationes de illius vita; & examinarentur à Patribus ibi aſſignatis in ſecunda ſua Conſtitutione.

Sed quia hoc oneroſum erat, & occaſio ex dilatione faciendæ, vt iuuenes ad religionem aſpirantes retrocederent, Clemens VIII. anno 1597. die 10. Septembris aliam Bullam condidit in fauorem Conuentus Sancti Stephani Salmaticenſis, quę incipit: *In his, quæ ad Religionum propagationem*, in qua Priori, & Conuentui S. Stephani Salmaticenſi Ordinis Prædicatorum,

tunc,

tunc, & pro tempore existentibus, vt quoscumque iuuenes, etiã 16. ætatis suæ annum excedentes, ad habitum in eodem Conuentu admitti petentes, recepto ab eis iuramento, quòd criminosi, rationibus (vt præfertur) obligari, furto, latrocinio, aut homicidio notati, aut alijs impedimentis in dicta Bulla Sixti V. contentis detenti non sint, recipere, ac postea per aliquem eiusdem Conuentus Religiosum ad hoc deputatum ad inuestigationem anteactæ illorum vitæ, ac morum, & reliquorum præmissorum absque strepitu iudiciario, sed per scrutinium secretum procedi facere, qui ad hoc deputatus processum, & informationem captam, dictis Priori, seu Præsidente ne Superiori, & Magistro Nouitiorum, & Studentium, a quibus approbari, & reprobari possit, referri fideliter debeat liberè & licitè possint & valeant. Et hoc modo recipiendi ferè vtuntur hodie omnes Religiosi, per communicationem illius priuilegij illius Conuentus, in quo omnes Religiosi ferè participant.

Nota tamen circa officium Magistri studiorum, quod proprium est in Ordine Prædicatorum, & alibi fortè non reperitur: seruetur consuetudo, vt loco illius ponatur lector Theologus, vel antiquior, doctior &c.

Hodie protestio tenet etiamsi prædictæ informationes non fiant prædicto modo, si Nouitius non est inhabilis de iure communi.

At Prælatus localis illas culpabiliter omittens incurrit pœnas à Sixto Quinto positas, quæ sunt priuatio vocis activæ, & passiuæ; priuatio officij, honorum, ac dignitatum; & inhabilitas ad omnia officia, si à parte rei Nouitius sic receptus absque informationibus, fuerit alias criminosus, & ligatus aliquo impedimento ex ibi notatis. Si verò careat omni impedimento, non incurret pœnas: quia textus ligat solùm recipientes criminosos, &c.

Vnde non peccant Prælati recipientes ad religionem quempiam sine vlla inquisitione, quando notum est, vel probabilibus coniecturis pro certo habetur nullo modo impediti, quin ad religionem transferri possit; secus vero si conditio recipiendi sit ignota, vel concurrant circumstantiæ, quibus rationabilis alicuius impedimenti dubitatio habeatur; quia tunc fieri deber inquisitio de vita, vel altera harum conditionum, de quibus rationabiliter dubitatur; quia Prælatorum est admittere dumtaxat habiles, & excludere inhabiles, & sine ea inquisitione consequi non possunt perfectam cognitionem eorum, qui conditionibus requisitis pollent, vel qui eis carent.

Circa Nouitios, qui in remotissimis partibus nati sunt, non requirit Sixtus V. in sua Constitut. quæ incipit, *Ad Romanum spectat Pontificem*, tam exactam informationem fieri, quàm de natis in propinquo: vnde in hoc casu sufficiet adhiberi conuenientem diligentiam, quam requirit præfata Constitutio: quòd, scilicet, ingressurus religionem vel iureiurando affirmet se nullo impedimento Bullæ Sixti V. obstrictum esse, vel saltem ij, cum quibus versatus est in loco, seu regione vbi recipiendus est, fidem faciunt quoad totum illud tempus, se nescire in tali persona aliquod ex dictis impedimentis reperiri. *Rodriqu. tom. 3. qq. regul. quæst. 10. artic. 3* Putat eam dici remotissimam regionem, ad quam intra annum non potest i.i ac rediri nisi cum magna difficultate, & inde informatio extrahi. Sed censeo iudicio Superioris relinquendum esse, quando verè è longinquis & remotissimis partibus esse dicatur.

Talis informatio fieri potest tam per Ecclesiasticos, quàm seculares, modò tamen ijs proponantur examinanda, quorum Nouitium interest recipere: imò potest fieri informatio per aliquem Monachum idoneum ab illis statuendum, qui gaudeat authoritate recipiendi Nouitios: qui Monachus poterit per Notarium secularem siue religiosum, siue per seipsum testes per scrutinium secretum examinare, præmisso iuramento, sine facultate Ordinarij, & sumpta informatione, eam Superioribus præsentare, vt de ea consultare possint.

Vt concessit Clemens VIII. in sua Constitut die 7. Septembris 1597. apud *Rodriqu. citat. art. 1.* Hæc autem informatio debet esse iuridica, facta, nimirum, per duos vel tres testes iuratos, qui iurent, in tali persona à te bene cognita, non esse vllum ex impedimentis contentis in constitutione prædicta. Nec sufficit quòd generalite. dicant, ne scire illam esse co uprehensam in dicta Constitutione: nec enim negatio nihil probat, vt per se constat.

Non est necesse facere informationes præceptas à Sixto V. circa religiosum tranceuntem de vna Religione ad aliam, & in secunda profitentem: quia Sixti V. Constitutio expresè tantùm loquitur de solis iuuenibus sæcularibus. Si tamen ei desit aliqua huius constitutionis conditio, quam etiam requirat ius commune, recipi non potest in secunda religione, vt si obnoxius sit reddendis publicis ratiocinijs.

Vt autem huiusmodi informationes aliquo ordine fiant, hic adnotandæ sunt breuiter vna post aliam: quæ licet non enumerentur omnes in Constitutionibus Summorum Pontificum, sed solùm quarta interrogatio, sexta, & septima, tamen operæ pretium duxi cum nostro Bartholomæo de *Vecchis in praxi nouit. disp. 6. dub. 7* Eas sic ordinatè recensere: quia ex vi iuris Canonici, vel Regulæ, aut constitutionum cuiuscumque Religionis videntur necessariò apponendæ.

Prima, an testes cognoscant parentes N. N. sciantque eos esse veræ fidei Catholicæ sectatores, ac bonæ famæ, & nominis.

Secunda, an sciant N. præfatorum esse filium, ac de legitimo matrimonio natum.

Tertia, an sciant, eumdem esse sui iuris, & liberum, vt disponere valeat de persona sua, non ligatum matrimonij vinculo: & an sciant, eum promissionem dedisse alicui virgini, vel mulieri, eam ducendi in vxorem.

Quarta an sciant, eum esse virum probum, ac bonis moribus præditum, & præsertim an sciant, eum perpetrasse aliquod delictum, vel homicidium, furtum, latrocinium, vel quid simile, quod fuerit deductum in iudicium, aut super eo aliqua facta fuerit inquisitio.

Quinta, an sciant, eum amisisse bonum nomen apud homines ratione alicuius enormis delicti, vel pœnæ execrabilis ei illatæ, ita vt perpetua notetur infamia.

Sexta, an sciant eum esse debitis vltra facultatem suam onustum, quæ soluere non possit, ab eisque facilitèr se expedire.

Septima an sciant eum ratiocinijs, tam publicis, quàm priuatis esse obnoxium.

Octaua, an existiment, eum bono fine ad Religionem se transferre.

Nona, an sciant, eum esse integræ valetudinis mentis ac corporis, & præsertim, an sciant eum aliquo morbo contagioso laborare.

Forma autem iuramenti præstanda ijs, qui volunt religionem ingredi, & literas testimoniales de eorum vita, & moribus non adferunt, extat apud *Vecchis citatum dub. 8.* apud quem plura de hac materia per totam *disput. 6.* & apud Tamburinum *tom. 3. de iur. Abbat. disput. 6. quæst. 4.* Portellum *in dub. regul. Nouitij informationes.* Rodriqu. *tom. 3. qq. reg. quæst. 10. per totam.* Miranda *in manua. Prælat. tom. 1. quæst. 17. 18. & 19.* Peyrin. *tom. 2. de Prælat. qu 3. cap. 1. §. 1.*

Sed dubium est, an recipiendus teneatur sub pœna lethalis culpæ aperire impedimenta etiam occulta, quibus ei præcluditur religionis ingressus. Respond. affirmatiuè, etiamsi non sit interrogatus, dummodo impedimentum aduertat, aut de eo dubitet.

Ratio est, quia quotiescumque proceditur non ad punitionem, sed vt vitetur peccatum, tenetur interrogatus aperire impedimentum: maximè si exinde deciperetur religio in re grauioris momenti, vel si professio esset inualida. Ita Nauarr. Miranda, Suar. Sanch. apud Vecch. *citat. dub. 5.*

RELIGIO III.

De Nouitiatu, & Nouitijs.

SVMMARIVM.

1. *Quæ ætas requiratur ad professionem emittendam tam iure antiquo, quàm nouo Tridentino?*
2. *Quomodo annus nouitiatus sit computandus?*
3. *Concessio Pij V. Monialibus Sanctæ Dominicæ, vt nouitia statim moritura, possit ante annum completum probationis profiteri.*
   Et qui succedant huiusmodi nouitiæ?
4. *Si Nouitius, & Monasterium renuncient nouitiatus anno, An professio valida sit, eo non completo?*
5. *Annus nouitiatus vt sit legitimus, an debeat esse integer & continuus?*

Et

Digitized by Google

Et quibus modis annus nouitiatus interrumpatur?

6. *Quando nouitius expleto nouitiatus anno exiuit, an postea iterum rediens ad idem vel aliud monasterium eiusdem ordinis, possit ad professionem admitti?*

7. *An de nouitiatus essentia sit, vt ille peragatur in habitu Religionis?*

8. *An ex licentia superioris nouitiatus possit peragi extra monasterium?*

9. *An opus sit iteratione nouitiatus ad professionem irritam ratam habendam?* refertur duplex sententia.

10. *An accipientes ad professionem nouitium ante completum annum probationis sint excommunicati, & suspensi, & professio irrita sit?*

An tales suspensi fiant irregulares, si aliquem ad professionem admittant.

Et an annus nouitiatus ex causa iusta possit prorogari?

11. *An nouitij astringantur preceptis & statutis religionis, & eius superiorum?* refertur duplex sententia.

12. *An nouitij gaudeant priuilegio Canonis, & fori?*

13. *An casus reseruatus in Religionibus se extendant ad Nouitios?*

14. *A quo Episcopo sit ordinandus nouitius?* refertur duplex sententia.

15. *An nouitius teneatur ad expensas monasterio soluendas, si ante professionem è religione egrediatur? An tunc nouitio restituendus sit habitus religionis?*

16. *An nouitius à religione recedens, reincidat in censuras, & irregularitates à quibus fuit absolutus in religione.*

1. SEcundùm iura antiqua, *Cap.1.de regul.in 6. Cap.non solum, & cap.constitutionem de reg.in 6. C.ad Apostolicam, de reg.* masculus completo 14. ætatis anno, mulier 12. ad professionem admittebantur & ante annum probationis in religione expletum, accedente Nouitij voluntate, & iusta causa interueniente, cum consensu Prælati, & communitatis: sed post *Concilium Tridentinum sess.25.cap.15.de reg. Rodriqu.tom.3.qq. q°.15.art.1.& 3.* id non licet, ante annum probationis expletum & 16. suæ ætatis aliàs irrita est professio.

Cuius Trident. decretum non solùm in expressa, sed etiam in tacita professione locum habet; nec in hoc malitia supplet ætatem, vbi à iure certus numerus, & determinatus annorum requiritur, licet aliàs regulare sit malitiam supplere ætatem.

2. *Annus nouitiatus* computandus est de momento ad momentum, cùm sit materia fauorabilis, vnde Nouitius profiteri potest ipso die quo annus finitur. Sanches *lib.5. mor.cap 4.num.* 22. In anno verò bissexto, secundùm ius, duo dies debent pro vno reputari, & sic quoad annum probationis, debent etiam computari pro vno; quia cùm hæc materia sit politica, & ciuilis, de ea politicè, & ciuiliter loquendum est: ex quo fit, quòd annus probationis non debet esse annus solaris, & naturalis, qui necessariò trecentos, & sexaginta quinque dies, & sex horas ferè continet, sed debet esse annus à Rep. vt talis declaratus. *L.cum. b.fext.ff. de verbor.significat. Rodriq.c.art.4.& 5. Diana de dub. reg.p.3.resol.57. Portel.de dub.reg.ver. Nouitius num.* 48. *Vecchius disp.11.num.2.*

3. *Pius V.concessit Monialibus Sancti Dominici*, vt Nouitia iudicio Medici statim moritura pro sua consolatione, & vtilitate spirituali, ante annum complectum probationis, modò ætatem sufficientem habeat, profiteri possit in manibus Priorissæ, & lucrari Indulgentiam plenariam. *Pius V.in constitut. Summi Sacerdotij curæ, apud Rodriqu.c.art.6.*

Quæ concessio omninò valida est, saltem quoad forum conscientiæ. *Eiusmodi* tamen nouitiæ defunctæ nequit succedere Monasterium, sed eius parentes, qui ab intestato veniunt; quia est in fauorem spiritualem Nouitiæ, non in præiudicium eorum, qui veniunt ab intestato: quamuis Sanch.*c.num.16. Henr. lib.13.de excommun.cap.40.num.2. lit.R.* existimet, in hoc casu, Monasterium succedere, eodem prorsus modo, quo succedit in bona professorum legitimo anno Nouitiatus peracto. Et huic sententiæ adhærent etiam *Diana de dub.reg.resol. 17.p.3.* & alij: licet multi ab ipso citati, quia etsi professionis finis sit consolatio nouitiæ, & spiritualis ipsius fructus; at vbi semel virtute illius priuilegij professa est, redditur vere in posterum professa, nec ad pristinam sanitatem restituta indiget alia professione; vnde eò ipso quòd aliqua persona profitetur, succedit Monasterium ipsi. Et hanc suam sententiam confirmat idem *Diana par.5. tract.3. resolut.* 139. Cui subscribit Faust. *in thes.relig.li.5.q.167.*

4. Quamuis, secundùm Nauarr. *lib.3. conf.de reg.consil.35. num.5. Henriqu.lib.13.de excommun.cap.40.num.2.* disputando defendi possit, iuxta *Cap. Ad Apostolicam, de regul.* quando ex peculiari aliqua cauta Nouitius, & Monasterium renunciant Nouitiatus anno, professionem valere, eo non completo; quia lex generalis etiam posterior, generaliter loquens, limitatur per legem specialem priorem; at cùm *in Concil. Tridentin.c.cap.15.* Statuatur regula generalis, vt professio non valeat ante expletum Nouitiatus annum, nec alicuius iuris antiqui derogatio ibi addatur; non ergo censetur derogari casui speciali decilo in dicto *Cap. Sanches citat.num.18.& 19. Rodriqu.2.tom.summ.cap. 6. numero* 10. *& tom.3.qq.quæst.15.art.7. Azor.tomo primo libro 12.cap.4.qu.9.*

Cæterum, licet hæ rationes valdè vrgere videantur, tenendum omninò est, nullatenus prodesse renunciationem anni nouitiatus; sed ea non obstante, professionem fore irritam, & derogatum esse in hoc iuri antiquo citato; quare iure optimo *Nauarrus*, & alij asserunt, partem hanc in iudicando, & consulendo tenendam esse, & hoc omnium religionum praxis vbique testatur.

5. Secundùm communissimam Doctorum sententiam, vt sit *legitimus annus nouitiatus*, debet esse integer & continuus, & non sufficit quòd sit interpolatus. *Rodriqu.2.tom.summ.cap.3. num.4.& tom.3.qq.quæst.15.art.8. Sà ver.relig.num.9. Azor.tom. 1.lib.12.cap.2.quæst.8. Sanch.c.num.31.32. Bonac.de claus.qu.2. p.10.difficult.2.§.2. Nauarr.de reg.conf.32.& 33. Henriqu.lib.13. de excommunic.cap.40.num.2. Sylvester ver.relig.5.quæst.4. D. Anton.3.par.tit.16.cap.3.§.2. Faust.in thesaur.relig. lib.5.quæst. 163.& 164.*

Quia quoties in decreto vel lege præscribitur aliquod tempus, debet esse continuum: & idcirco is annus petitur, vt Nouitius integrè, & perfectè religionis asperitates experiatur & onera, ritè autem, & perfectè non experiretur ea per aliquod tempus intermittendo: Et hoc verum est, etiamsi Nouitius à Monasterio aufugerit animo redeundi, & interim regulas Monasterij seruauerit, & onera sustinuerit, adhuc enim Nouitiatus dicitur interruptus; *interrumpitur* enim recedendo à religione contra obedientiæ præscriptum, nisi fortè recesserit ad breue tempus, vt gratia fornicandi quadam nocte, aut conuiuij, aut alterius cuiusuis causæ, statim rediturus, non censetur Nouitiatus interruptus, etsi habitum ad illud tempus deposuisset, ne cognosceretur, vel quò facilius intentum compararet: quia hoc non est religionem deserere, nec habitum deponere: secus *dicendum* videtur, si duorum vel trium dierum mora intercessit, tunc enim annus non censetur continuus; vt enim sit continuatio, debent eædem qualitates in re continuata manere, at in hoc euentu intercessit factum contrarium, nempe, dimissio Nouitiatus, & obedientiæ, ac proinde non permansere eædem qualitates in illo anno. Quæ omnia intelligenda sunt, quando Nouitius fugit animo redeundi ad religionem.

Quid autem dicendum sit, si Nouitius è Monasterio egrederetur absque venia Superioris cum animo non redeundi; an huius Nouitij nouitiatus censeatur interruptus, etsi habitum non dimitteret. *Less.lib.2.cap 41.dub.7.num.59.§.2. A Sorbo v. Nouitius §.23.v. Secundo. Lorichius in thes.tit.de regul.§.9. Nald.ver. Nouitia,num.4.* & alij, qui sequuntur Nauarr. *tit.de regul.consil. 42.* Dicentem modicum interuallum non facere interruptionem moralem, responderunt huius nouitiatum nõ esse interruptum. *Lapus, Rosella, Sylvester. Rodriqu.& Sanch lib.5. moral. capitulo 4.num.32.& 33.*

Qui citat illos asserentes quamcumque modicam interpolationem interrumpere nouitiatum, sicuti quantumuis modicum defectum anni integri (licet sit duarum horarum) sufficere ad professionem cassandam (iuxta decisionem Cardinalium, vt tradit Barbosa *de iur.canon.lib.1.cap.42.num.139.*) Contrariam resolutionem darent, & indubitanter asseuerant huius nouitiatum fuisse interruptum. Suar. *de relig.tom.3.lib.5.cap.15.num.6. & 7. Nauarr.c.consil.33.* Et illorum sequaces dicunt nouitiatum non fuisse interruptum perfectè, & completè, sed tantùm imperfectè, & inchoatiuè, quoniam non dimiserat habitum religiosum.

Bartholom.de Vecchis in praxi disput.11.dub.3.num.6.& 15. Arbitratur talem egressum fuisse actum consummatum interruptionis nouitiatus; quia professus tali modo egrediens siue cum habitu, siue sine habitu esset Apostata, & desertor Religionis, vt probat *Suar.*; ergo Nouitius ita egrediens fuit desertor religionis, & amisit statum quem habuit in religione. Rodriqu.

1.3.qq.reg.quæſt.15.art.8. Admittit quidem interruptum eſſe nouitiatum, ſed partes interruptas per Priuilegium *Iulij 2.* poſſe coniungit eò quòd patet hoc priuilegium non eſſe reuocatum per Concilium Tridentinum. Licet *Miranda in Man. Prælat. tom.1.quæſt.22.art.4. Vecchius c num.6.* doceant eſſe reuocatum; illudque conſtare ex declarationibus Cardinalium.

Pro ſolutione huius dubij dicendum eſt, tam affirmatiuam, quam negatiuam horum Doctorum ſententiam eſſe probabilem, quia pro ſe habet rationes, & Auctores; Cæterùm talis nouitius annum continuum in nouitiatu peragere debet à tempore quo ſic è Monaſterio fugit; quia ſi profiteretur ſecutus opinionem probabilem, poſſet multis annis poſt profeſſionem, religionem deſerere, probans per aliam opinionem probabilem, ſuam profeſſionem fuiſſe nullam. Ita multi Doctores de hoc caſu conſulti. Et de quo etiam Diana nouiſſimè *p.5.tract.5.reſolut.19* Sylu. *p.1.reſol.9. Nouitius* 3.

Dubitari præterea hic poſſet, an annus nouitiatus cenſendus ſit interruptus, ſi quocumque anni tempore, nouitius fratrum ſui Conuentus ſuffragijs collectis de religione dimitteretur; & ex Superiorum beneuolentia denuò ad petitionem ipſius Nouitij, pro iterando anno Nouitiatus admitteretur, habitu religionis minimè dimiſſo.

Reſpondeo cum grauiſſimis Doctoribus, & Profeſſoribus Sacræ Theologiæ Academiæ Duacenſis de hoc caſu conſultis; annum nouitiatus prædicti Nouitij non poſſe dici interruptum per dimiſſionem à fratribus factam, cùm non fuerit realis dimiſſio, quandoquidem ſemper habitum retinuerit, ac in Conuentu manſerit.

Nec obſtat quòd ad petitionem Nouitij Superiores Religionis eum admiſerant ad iterandum annum Nouitiatus, tum quia eiuſmodi petitio errorem continebat exiſtimantis vel ſupponentis annum inchoatum fuiſſe interruptum; qui error quando detegitur, nocere Nouitio non debet; tum quia ſiue ipſe hoc petendo, ſiue Superiores eius petitioni annuendo, non fecerunt quidquam quo annus reuera interrumperetur.

Propterea ſi prædictus Nouitius libens poſt integrum annum nouitiatus à ſuſcepto habitu expletum, ex Superiorum, & maioris partis Conuentus conſenſu profeſſionem emitteret, profeſſio foret valida, non obſtante priore dimiſſione, & noua Superiorum receptione ad iterandum nouitiatum: quia nihil ipſi deeſt eorum quæ ius commune requirit ad validè profitendum in religione approbata; Nam præter ætatem competentem, quam ſupponitur habere, religionis habitum legitimè ſuſcepit, ac per annum integrum geſtauit, ordinis rigorem experiendo. Ius autem commune ſiue in *antiquis decretalibus tit. de regular.* ſiue *in ſexto Decretal.* ſiue *in Concil. Trident. ſeſſ.25.cap.15.* non plura requirit ad hoc vt nouitius validè poſſit profiteri. De his vide Tambur. *tom.3.d.6. qu.11.*

6. *Annus nouitiatus* ſufficit ad profeſſionem, etiamſi Nouitius eo expleto exierit, poſtea iterum ad idem vel aliud eiuſdem ordinis, & obſeruantię Monaſterium admiſſus fuerit abſque alio nouitiatu; & hoc verum, etiamſi longa mora interceſſerit. Diu. *Anton. Angel. Sylu. Tabiena apud Sanch. c.num.31. & 34. Rodr. c.art.10. ad fin. & t.2. ſum. cap.8.num.3. Fauſt. in theſ. relig. libro 5.qu.165.* Et *ratio eſt*, quia talis iam anno continuo religionis aſperitates expertus eſt: quod tamen intelligendum videtur, niſi conditio, & circumſtantia perſonæ aut religionis adeò mutata fuerint, vt Nouitius onera, & aſperitates religionis ſufficienter expertus non cenſeatur; quia tunc proinde eſt ac ſi peractus in ea religione Nouitiatus non fuiſſet.

7. Hoc tempore, de *nouitiatus eſſentia* eſt, vt ille peragatur in habitu religionis; nam in veſtitu illius religionis deferendo, eſt quædam vitæ auſteritas, difficultas & labor, quæ inter probationis experimenta numerantur; ergo eſt neceſſarium id Nouitium experiri: & quia Religionum vſus id teſtatur: ſi tamen in aliqua Religione aliud præſcriberet regula à Pontifice approbata, aut vſus legitimè præſcriptus obtinuiſſet aliud, id vtique obſeruandum eſſet: vt in Societate Ieſu, in qua nulla eſt habitus aſſumptio. Syluester. *ver. relig. 5.quæſt.5. Angel. ver. Nouit. numero 16. Azor. c.cap.2.quæſt.9 Rodriquez art.9. Bonac. c.§.2.num.5. Vecch. diſp.11.dub.7.*

8. *Nouitiatus* ex legitima ſuperioris licentia, poteſt peragi extra Monaſterium. Nauar. *de regul. conſ.42. Azor. c.q.8.* Sanch. *c.num.17.* Diana *de dub. reg. reſolut.84.p.3.* Quia Nouitius extra Monaſterium degens de licentia ſui Superioris, cenſetur in Monaſterio commorari cùm ibi exiſtat dependenter à voluntate, & præcepto ſui Superioris, ſeu ſub obedientia ſui Prælati, alioquin non liceret Nouitio de licentia ſui Prælati peregrinationem ſuſcipere, aut hoſpitali inſeruire, & alia pietatis opera dependenter à Prælati ſui voluntate præſtare. Rodr. *2.tom./um.ca.8.num.4. & tom.3.q.q.15.art.10.* Tamen temperat hanc ſententiam dupliciter. *Prius*, quando mora extra Monaſterium de Abbatis licentia eſſet modica, vt per vnum, aut duos menſes; nam quando diutior foret, interrumperet nouitiatum, quia religio debet morum ipſius experientiam ſumere. *Poſterius* vt habeat locum in ſolis maſculis Nouitijs; quia cum præcipua Monialium aſperitas ſit clauſura, ea vtique ad profeſſionis valorem eſt neceſſario experienda. Hæ autem limitationes ab alijs non admittuntur.

9. *Quoties* Nouitiatus fuit validus, nulla ipſius iteratione opus eſt ad profeſſionem irritam ratam habendam. *Sanch. de matrimon. l.7.d.37.num.45. Sed quando* Nouitiatus fuit irritus, quidam ſatis probabiliter ſuſtinent Nouitiatum iterandum eſſe, quia quod nullum in ſe eſt, nullum iuris effectum operari poteſt: & cùm ſemel irritus fuerit, & ad præteritum non ſit potentia, non poteſt poſtmodum effici vt valuerit, ad eum effectum, vt verè dicatur præmiſſus promiſſioni denuò faciendæ; hæc ſententia eſt tatis probabilis; quam tenent Nauarr. *de reg. conſil.5. n.17. & 19. Rodriq. tom.2. ſum.c.5.n.2.*

Altera tamen *ſententia* quæ alijs meritò probabilior videtur, aſt eum nouitiatum iterandum non eſſe; quamuis publica eſſet nullitas profeſſionis, & nouitiatus ob profeſſi inhabilitatem; ex qua ſententia multas illationes infert Sanch. *c num.47.48. Azor. c.lib.12.cap.1.qu.6.§.Si quæras.*

10. *Recipientes* ad profeſſionem nouitium, in ordinibus mendicantium ante completum annum probationis. *C. non ſolum de regul. in 6. Nauar. cap.27.num.157. Rodriq. qu.15. art.12. tom.3. q.reg. Vecchis diſp.11.dub.6.* Excommunicantur, & ſunt ipſo facto ſuſpenſi ab officio admittendi ad profeſſionem, nec valet eius profeſſio; & eadem cenſura innodantur illi, qui toto illo anno impediunt, ne liberè tranſeat Nouitius ad alium ordinem, niſi maior 16. anno profeſſionem expreſſam aut tacitam fecerit. In alijs autem ordinibus peccant morta iter, quia agunt contra præceptum *Concil. Trident. ſeſſ.25. de reg. cap.15* In re graui, non tamen ſunt ſuſpenſi, quia iure non eſt ſtatutum. Quæ omnia vim habent, vbi Concil. Trident. eſt vſu receptum: vbi enim non eſt receptum, probabile eſt valere profeſſionem ante annum probationis completum: in ordinibus non Mendicantibus: quia lex non recepta vim non habet, & ita ius antiquum manet in ſuo robore, vt docent Nauarr *l.3.conſ.tit.de reg.conſ.28. Fauſtus in Theſ.relig.li.5.q.216.*

An autem tales ſuſpenſi incurrant irregularitatem, ſi ad profeſſionem aliquem admittant? Dic quòd non: quia admittere ad profeſſionem non eſt actus ordinis, aut iurisdictionis ſpiritualis, pertinentis ad Eccleſiæ claues, ſed cuiuſdam ſuperioritatis: nam Abbatiſſa ius habet ad profeſſionem admittendi.

Sed petes an annus nouitiatus ex cauſa iuſta poſſit prorogari? *Rodriqu. tom.3.qq.reg.qu 17.art.10. Azor.p.1.lib.12.ca.18. Fauſt. in theſaur. relig. lib.5.qu.168. Leſſius lib.2. de iuſtit. cap.41. dub.7. num.59.* Reſponſio eſt affirmatiua. Ratio eſt, quia à iure antiquo non eſt diſcedendum, niſi quatenus per nouum eſt aliquid expreſsè renouatum: ſed de iure antiquo annus Nouitiorum ex cauſa poterat prolongari, nec per præfatum Concilium hoc eſt expreſsè innouatum, aut reuocatum: ergo dicendum eſt, quod etiam nunc licet, iuſta aliqua interueniente cauſa: Nec Concil. Trident. diſponit quòd Superiores ſtatim finito anno nouitiatus cogant Nouitios habitos pro idoneis ad profitendum, ſed ſolùm quòd admittant eos aut reijciant, & cogere ad profitèdum, non eſt admittere ad profeſſionem vel reiicere; & à diuerſis non fit illatio.

Proinde ex conceſſione Pij V. apud *Rodriq.* qui citat *Paraſſelum*. Superiores poſſunt prolongare inhabilium (qui non bene adhuc didicerunt) profeſſionem, dummodò habeant ſpem probabilem, quòd efficientur habiles intra ſex menſes. Hæc tamen conceſſio procedit in iuuenibus Nouitijs, ſecus in fœminis Nouitijs: ſæpe enim Monialium profeſſio propter alias cauſas diutiùs differtur.

11. *Nouitij* non adſtringuntur præceptis, & ſtatutis religionis, & eius ſuperiorum. *Sanchez lib.6. moral. cap.10. num.6. & 7. Sa ver. relig. nu.8.* Quia nondum in religioſorum contubernium & ſodalitium admiſti ſunt, ſed in probatione verſantur, ad experiendum an admittendi ſint Laym. *lib.4. tract.5. cap.4 numero 3. Cora. lib.1. q.qu.30.* & alij apud *Azor. c.ca.2.qu.10. Sarmient. libro ſecundo ſelect. cap. quinto numero nono. Vecch. diſputat. 11. dub.14.*

Qui-

Quidam tamen Doctores putant Nouitios obligari iuſtis præceptis Prælatorum Regularium, quæ illis conuenienter eorum ſtatui imponuntur: quia Nouitij religionum, præſertim exemptarum, ſubijciuntur ſpirituali iuriſdictioni Prælatorum regularium, ergo eoſdem iuſtis præceptis ligare poſſunt: quia alioquin tamquam vagabũdi nullius proximi ordinarij iuriſdictioni ſubeſſent, niſi ratione commiſſi delicti, quod abſurdum videtur: vnde cùm Nouitijs à Prælato leges feruntur illiorum ſtatui conuenientes, illas obſeruare tenentur, ſaltem obligatione ad pœnam, dum in religione perſeuerant.

12. *Nouitij* gaudent priuilegio Canonis, & fori, vt à Iudice ſæculari ob commiſſa crimina puniri non poſſint, ſed à Prælato ordinis, ſi Monaſterium exemptum ſit, alioquin ab Epiſcopo: *Sanch.lib.4.moral.cap.39.num.17.& ſeq.& lib.6.cap.10. Laym. c.num.4. Dian.de dub.regul.reſolut.73. Vecch.diſput 11. dub.10.* Imò & alijs priuilegijs gaudent v. gr. vectigalium immunitate, & quod Prælati ordinum cum illis perinde ac cum regularibus ſuis diſpenſare poſſint in votis: ijſdemque literas dimiſſorias dare, vt à quocumque Epiſcopo ordinari queant, ſi priuilegium Papale habeant ad eiuſmodi licentiam Regularibus dandam, quamuis contrarium ſentiant *Henriq.lib.10.cap.13.nu.3. Suar. tom.2.de relig.lib.6.cap.11.num.9.*

13. Licet caſus qui in religionibus reſeruari ſunt, plerumque ad nouitios ſe non extendant, cum ipſi non ſicuti alij regulares, paupertatis, caſtitatis obedientiæ, &c. tranſgreſſores eſſe poſſint: *Miranda tom.2.qu.34.art.16. Laym.c.num.4. Si* tamen Prælati ordinum caſus ſuæ poteſtatis reſeruent, & confeſſarijs inferioribus etiam reſpectu nouitiorum denegent, quod facere ſine dubio poſſunt. Secundùm *Rodriqu.t.1.q.queſt.21.art.11. Diana de dub.reg.reſolut.4.& 4 par.tract.4.reſol.5. Portel.de dub.reg.ver. Nouitij abſolut.num.36.*

Poſita hac reſeruatione, Nouitius nihilominus ſubijcere ſe poteſt alteri Sacerdoti extra ordinem, qui poteſtate abſoluendi ſæculares ab eiuſmodi caſu præditus ſit: quia Nouitij non ſunt ſubiecti ſtatutis regulæ, ergo à Prælatis regularibus, non poſſunt obligari quominus extrà ordinem confiteantur & abſoluantur; Contrarium docent Cord.c.queſ.30. Laym.l.4.tr.5.ca.4.num.4. Vide ſuprà *ver.Caſus reſeruatus n.4.*

14. Quamuis probabile ſit, nouitium à proprio Epiſcopo ordinandum eſſe, quia per nouitiatum non cenſetur acquiſitum domicilium in eo loco probationis, ac mutatum prius, quòd Nouitius non habeat animum perpetuæ habitationis in loco religionis, ſed tantùm experiendæ regulæ, eaque experta ſtatuendi, an ibi permanſurus ſit. Suar.t.2.de relig.lib.6.tract.de voto ca.11. *num.9.& alij apud Sanch.l.6.mor.ca.10.num.20.* Probabilius tamen eſt, poſſe Nouitium ordinibus initiari ab Epiſcopo, in cuius diœceſi eſt in probatione; quia Nouitius ex parte ſua animum perpetuò habitandi habet, ac prioris domicilij mutandi, & hoc animo affecti omnes ingrediuntur. Laym.c.num.5. *Tambur.de iur.Abbat.tom* 3.*diſp.6.qu.9.num.5. Sanch.c.num.21. Vecch. diſput.11.dub.8.* Et *Sanch.* addit quod ſi religio habeat priuilegium mittendi ſuos ſubditos ad ſuſcipiendos ordines à quocumq; Antiſtite, quale priuilegium habent omnes religiones Mendicantes, dummodo Epiſcopus, in cuius diœceſi eſt Conuentus, ordinationes non celebret, iuxta ſupradicta verb. *Ordo 3.num.4.§. Prælati regulares*, poſſet literas dimiſſorias Nouitijs dare, vt dictum eſt, quia Nouitij fruuntur priuilegijs religionis. De eadem quæſtione vide verb. *Ordo 3.num.1. verſ.Quæres tamen.* Debet tamen in hoc caſu Epiſcopo ordinanti conſtare de patrimonio Nouitij, ſi recederet à religione, ad obuiandum fraudibus, vt aduertit *Peyrin.to.2.de Prel.q.3.c.1.n.122.*

15. *Nouitius* nullatenus tenetur ad expenſas Monaſterio ſolnendas, ſi ante profeſſionem religione egrediatur; quia Monaſteria fundata eſſe oportet, vt libera Nouitijs egrediendi facultas relinquatur: *Azor.lib.12.cap.3.qu.6. Sà ver.relig.nu.8. Sylu. ver.relig.5.qu 8. Rodriq tom.3.qq.qu.15.art.vlt. Sanch.lib.6.mor. cap.10.num.4. Dian.de dub.reg.reſol.16.p.3.* Quæ tamen impedita foret, ſi ad expenſas ſoluendas teneretur: quod tamen tempetandum eſt, niſi pactum eſſet largiendi Monaſterio expenſas nouitij, vt in quibuſdam Monaſterijs tam virorum, quàm Monialium contingit; tunc enim ſiue Nouitius perſeueret ſiue exeat, expenſæ debentur Monaſterio: tamen religio non poterit expellere Nouitium non ſoluentem quod promiſerat, & permanere volentem: nam, cùm ad hoc de iure non teneatur, & alias ad religionem idoneus reperiatur, hæc non erit iuſta cauſa expulſionis: quia qui Monaſterio, & Altari deſeruit, de Altari viuere, & à Monaſterio ali debet: vt tradunt Surdus *in tract.de alim.tit.1.qu.75.num.1.* & Vecch. *diſp.12.dub.2.num.2.* Poterit tamen religio cogere hæredes ad ſoluendum.

Sed rogabis, an etiam ſit Nouitio reſtituendus habitus factus expenſis ipſiuſmet nouitij? Reſp. Sac. Congreg. annuiſſe dictum habitum non eſſe ei reſtituendum, bene tamen valorem illius tẽporis quo eum deponit, non quo factus eſt. Quia per Trident. *ſeſſ.25.cap.16 de regul.* Nouitijs reſtituenda ſunt omnia, quæ à principio ad Religionem detulerunt: poterit tamen dictus habitus detineri pro alimentis illius temporis, quo in Monaſterio fuit, ſi pactum interceſſit, vel ſuperent ſeruitium factum. Vide Barboſam *in Cap. Super eo, de regul.num.5.* Sed quid, ſi dictus habitus emptus ſit, non pecunia Nouitij, ſed eleemoſynis deuotorum, eo fine, vt Religionem ingrederetur? Reſp. quod tunc de iuſtitia ei dari non debet, quia cùm datus ſit ille habitus eo fine, vt in Religione permaneat, cùm ab ea egrediatur, iam non cenſetur amplius illi datus, ſed religioni, cuius intuitu datus eſt. Ita Peyr. *tom.2.de Prælato q.3.c.1.n.107.& 108.*

16. Nouitius à religione recedens non reincidit, ſecundùm probabiliorem ſententiam in cenſuras ac irregularitates, à quibus in religione abſolutus fuit vigore priuilegiorum, quæ adducit noſter *Bartholomæus de Vecchis in præxi Nouitiorum diſp.9. dub.25.num.3.* Quia abſolutio purè, & ſimpliciter data, non eſt explicanda datam fuiſſe ad reincidentiam, vt notat *Suar.* niſi in caſibus à iure expreſſis, vel niſi facultas abſoluendi ita expreſsè conceſſa ſit. Ita Suar. *tom.5. diſp.7. ſect.5. nu.35. Diana c.reſolut. 44. Bonac.de leg.diſp.4.q.2.p.7.§.4.n.28.* contra *Sorb.in compend. Priuileg.tit.Nouitius*, & Rodriq. *tom.1.qq.reg.q.24. ar.15.*

Vide *Hora Canonica* 1.num.6. *Votum* 5.num.11. *Votum* 7.nu. 25. *Ordo* 3.num.4.

RELIGIO IV.

De Profeſſione, & quæ requirantur vt valeat.

SVMMARIVM.

1. *Quotuplex ſit profeſſio? & quibus modis tacita, falſa præſumatur?*
2. *Quæ conditiones requirantur vt quæcumque profeſſio expreſſa vel tacita valeat?*
   Et de prima quæ eſt aptitudo perſonæ voventis. Et an mulier poſſit profiteri in religione virorum? & è contra.
   Et quid iuris de hermaphrodito? Et de moniali quæ in marem erupit?
3. *De ſecunda conditione, ſcilicet, quæ eſt conſenſus & acceptatio illius, ad quem pertinet aliquem religioni incorporare.*
   Et an religioſi negantes ſuffragium ſuum nouitio idoneo peccent mortaliter?
   An Generalis aut Prouincialis poſſit præcipere Superiori locali ne quempiam ipſo inconſulto ad profeſſionem admittat, ſub pœna nullitatis profeſſionis?
   An conuentus ex noua cauſa poſſit expellere nouitium etiam poſt receptionem ad religionem?
   An priuati voce actiua, & paſſiua, poſſint ſuffragari in receptionibus nouitiorum?
4. *De tertia conditione, quæ eſt, animus profitendi.*
5. *De quarta, vt profeſſio ſponte ſit facta nullo cogente metu inſto ac graui.*
6. *An qui profeſſionem fecit irritam poſſit è religione exire?*
   An cùm profeſſio iterum facienda eſt vel quando ratificatur, requiratur ad ipſius valorem nouus conſenſus religioſi, & Prælati?
7. *Ponitur decretum Tridentini contrà prætendentes, ſe per vim & metum ingreſſum religionem, aut profeſſum fuiſſe ante legitimam ætatem. Et quædam notanda circa illud.*
8. *Qui ſint effectus profeſſionis trium votorum ſolemnium in religione approbata?*
9. *Ad quæ teneatur religioſus ratione voti obedientiæ? Et quando reformatur aliqua religio, an teneantur profeſſi acceptare reformationem?*
10. *Quando præceptum ſuperioris fundatur in falſa præſumptione, an teneatur religioſus obedire ceſſante ſcandalo?*
    Et an ſubditus dubius de poteſtate legitima ſuperioris, teneatur.

ne illi obedire? & quid si dubitet, an res præcepta sit licita?

31. *Ad quæ teneatur religiosus ex voto castitatis?*

32. *Ad quæ ex voto paupertatis? Remissiuè.*

1. PRofessio in religione *duplex* est, *expressa*, & *tacita*. *Cap.* 1. §. 1. *de regul. in* 6. *Miranda tom.* 1. *quæst.* 24. *artic.* 1. *Expressa* vel fit verbo, vel scripto, vel vtroque simul: conuenit tamen & ita vsitatum est, vt si quis scribere sciat, professionem suam in scripto tradat: nulla autem certa verborum forma ad valorem professionis religiosæ requiritur. *Tacita* verò professio tribus modis facta præsumitur. *C. ad nostram de reg. Leym. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 5. *n.* 1.

Primò, si quis post annum probationis exactum, professorum propriu m, & à Nouitijs distinctum habitum triduo gestauerit. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *n.* 57. *Secundò*, si tali suscepto habitu, quamuis ante triduum exactum, exerceat actum proprium professorum, verbi gratia, in capitulo suffragium ferat.

Tertiò, si quis anno continuo habitum in Religione gestauerit, in qua nulla patens distinctio est inter nouitiorum ac professorum habitus, talis anno exacto, censetur tacitè professus: & habent hæc locum etiam post Concilium Tridentinum, cùm de eiusmodi tacitis professionibus, nihil omninò statuerit; & sic tanquam casus omissus permanet in dispositione iuris antiqui: quod intelligendum est, dummodò hæ tacitæ professiones inducantur transacto nouitiatus anno, & explexis sexdecim ætatis professis annis. Clement. *eos, de reg. Nau. de regul. lib.* 3. *conf.* 41. *Sanch. lib.* 5. *moral. cap.* 3. *nu.* 36. *Rodriq. 2. tom. sum. c.* 8 *num.* 1. *Vecch. dis.* 13. *dub.* 8. Similiter ex susceptionem Sacrorum Ordinum inducitur tacita professio, vt firmauit Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium præpositorum *in vna Beneuentana*, 20 Decembr. 1619. in hæc verba: *Cùm Frater Andreas Penestus in Religione, per octennium permansisset, absque eo, quòd professionem emisisset, dicto autem tempore Patre Magistro Curiano instante sacros Ordines suscepisset, petijt facultatem habitum dimittendi sibi concedi: Sacra autem Congregatio respondit, quod susceptio Ordinum professionem tacitam inducit.* Ita refert Tamburinus *tom.* 3. *de iur. Abbat. disp.* 6. *quæst.* 13. *num.* 12.

2. *Multæ conditiones* requiruntur, vt quæcunque expressa vel tacita professio, aut emissio trium substantialium vocorum in religione valeat. *Prima*; Qualitas seu aptitudo personæ voentis, vt scilicet, legitimam ætatem habeat; legitima autem ætas secundùm *Conc. Trid. sess.* 25. *cap.* 15. *de regul. Sanch. lib.* 5. *mor. cap.* 4. *nu.* 4. *Bonac. de clausur. qu.* 2. *p.* 10. *difficult.* 2. §. 3. *Diana de dub. rer. resolut.* 57. *p.* 3. *& p.* 5. *tr.* 5. *resolut.* 18. *Vecchis disputat.* 13. *dub.* 1. Est annus decimussextus completus, vnde hæc ætas computanda est de momento ad momentum, alioquin completa non diceretur; si verò non constaret de hora Natiuitatis, expectandus esset totius diei terminus; si non constaret de die, sed de solo mense, expectandus esset totius mensis exitus: si non constaret de mense, sed de anno, expectandus esset totius anni finis: & quando annus est biffextilis, duo dies reputantur pro vno. Nauar. *lib.* 3. *consil.* 25. *de regul. Rodriqu. tom.* 2. *sum. cap.* 8. *concl.* 1.

Præterea debet vouens per annum integrum in probatione stetisse, cum religioso habitu, nullumque impedimentum habere, quod vel simpliciter & in omni religione, vel in tali ordine per constitutionem à Papa confirmatam substantiale esse censeatur. Prædicta de ætate sexdecim annorum, & anno nouitiatus integro, procedunt maximè vbi Concil. Trident. est receptum: vbi enim non est receptum, probabile est valere professionem ante annum nouitiatus exactum in Ordinibus non mendicantibus. Ita Nauarrus *lib.* 3. *tit. de Regul. consi.* 28. *num.* 1. Similiter ante annum sextum decimum ætatis: nam eadem est ratio: nimirum quia lex non recepta vim non habet, & ita ius antiquum manet in vigore.

Vnde mulier emittere non potest professionem in Monasterio virorum, vt ibi permaneat, neque hermaphroditus in quo prædominatur sexus fœmineus; quia habetur pro muliere. Et è contra non potest profiteri vir in Monasterio Monialium, vt in eo cum Monialibus habitet, neque hermaphroditus prædominante in eo sexu virili, quia pro viro habetur: talis enim professio esset irrita: Imò etiam inualida esset professio hermaphroditi qui vtrumque sexum habet æqualem; quia cum æquè vir & fœmina dijudicetur, est inhabilis ad religionem, tam virorum quàm mulierum. Ita *Nauarr. lib.* 1. *conf.* 8. *num.* 1. *Vecchius c. disp.* 13. *dub.* 1. *num.* 12. *Sà v. relig. num.* 30. *Rodriq. 2. p. Sum. c.* 6. *num.* vlt. Plura de his apud *Pastul. in dub. reg. ver. professio hermaphroditi.*

Sed quid dicendum sit de moniali, quæ in marem erupit, an sit obliganda vt intret religionem virorum? Affirmat *Portel* loco hic citato, quia professio illius fuit valida, ergo tenetur ad vota seruanda. Verius tamen est hanc fœminæ professionem esse inualidam: quia illa non est professa, nisi in quantum vera fœmina, nec Prælatus sub alia ratione ei contulit professionem, & iuxta hanc rationem habuit intentionem profitendi, & non aliter. Ergo cùm erumpente natura facta est vir, professio redditur nulla, & ideo talis fœmina è Monasterio ejecta, tanquam omninò libera à votis, poterit matrimonium inire, vel si velit Sacros ordines suscipere, quia nullum subest impedimentum quin possit ad ordines promoueri, cùm sit verè mas, & cesset illud impedimentum fœminei sexus. Vide Dianam *part.* 5. *tractat.* 14. *resolu.* 49.

3. *Secunda conditio* ad valorem professionis est, consensus & acceptatio expressa vel tacita illius, ad quem pertinet aliquem Religioni incorporare. Sanch *c. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 62. *& seq. Miranda t.* 1. *quæst.* 24. *art.* 4. *Lessius lib.* 2. *cap* 41. *num.* 61. *Leymans c. cap.* 5. *num.* 5. *Azor. l.* 12. *cap.* 5. *q.* 6. Is autem, qui ad professionem admittere debet, est Prælatus ordinis, videlicet, Generalis, aut Prouincialis, requisito tamen prius Capituli, siue fratrum suorum non tantùm consilio, sed etiam expresso consensu, saltem maioris aut principalioris partis: hinc præcisis priuilegijs, constitutionibus, & consuetudine in contrarium, iure communi potestas admittendi pertinet ad immediatum Conuentus superiorem, vel ad alium ipso directè superiorem in officio; vnde Abbatissa potest professionem Monialium acceptare, quia admissio non est proprié actus iurisdictionis, sed potiùs superioritatis pertinentis ad potestatem œconomicam seu dominatiuam.

Notandum autem est, Episcopum in Monasterijs sibi subiectis, vel Prælatum in Monasterijs exemptis, non posse ad professionem admittere contradicente maiore Conuentus parte; & secundùm probabiliorem, & veriorem sententiam talis professio esset omninò irrita; similiter nec totus conuentus repugnante Prælato potest aliquem ad professionem admittere. Rodriq. *t.* 3. *qq. q.* 17. *art.* 7. *Vecchis disp.* 12. *dub.* 1. *num.* 10. *& 11. Bonacina c.* §. 6. *n.* 6. *Syla. v. relig.* 3. *q.* 13.

Plura de his apud Sanc. *li.* 5. *c.* 4. *à n.* 62. Nihilominus consuetudo in hac re attendenda est, quæ soli Prælato absque Capitulo suscipiendi potestatem conferre potest.

Quæres *primò*, an religiosi negantes suffragium Nouitio idoneo peccent mortaliter? Respondeo est affirmatiuè. Tum quia est contra charitatem proximi arcere dignos: & contra quasi contractum iam factum inter Ordinem, & Nouitium, vbi dignus inueniatur admittendus sit, & iam nouitius videtur habere ius ad rem: Tum quia religiosi expellendo Nouitium idoneum sine causa rationabili, abuuntur potestate iurisdictionis sibi concessa, ratione cuius ex officio tenentur, & bonum Religionis procurare, & quasi iustum iudicium ferre in causa. Tum quia retrahentes quempiam sine iusta causa ab ingressu Religionis, secundùm communem sententiam Doctorum, peccant mortaliter contra charitatem; sed Religiosi, qui negant suffragium idoneo Nouitio, non solum retrahunt, sed illum expellunt à religione, ergo peccatum mortale committuntur. Ita Suar. *tom.* 3. *de relig. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 7. *Vecch. disp.* 12. *dub.* 1. *num.* 4. *Portel v. Nouitius num.* 55. *& in addit. num.* 17. *Miranda t.* 1. *quæs.* 25. *art.* 12. contra Sanch. *l.* 5. *moral. cap.* 4. *num.* 59. Qui docet esse tantùm peccatum veniale, quia non magis obligatur Religio Nouitio, quam Nouitius ipsi Religioni, quoad culpam. Sed hæc sententia non est admittenda, quia est dispar ratio inter obligationem nouitij, & Religionis: nouitius enim recedens absque vlla causa, peccat tantùm venialiter; at religiosi negantes absque iusta causa suffragium, peccant contra charitatem respectu Nouitij, quia priuant illum magno bono, & grandi periculo exponunt. Ita etiam Diana p. 7. tr. 11. resol. 26.

Quæres *secundò*, an Generalis aut Prouincialis possit præcipere immediato Conuentus Superiori, ne quemquam ipso inconsulto ad professionem admittat, adiecto decreto reddenti irritam professionem aliter factam? Respond. posse ex causa iusta. Ratio est, quia tota potestas immediati Prælati est eminenter in Prouinciali, tamquam in legitimo ipsius Superioris, & tota vtriusque potestas est eminenter in Generali, tamquam in totius Religionis capite.

Ergo potest in casu speciali, ductus iusta causa, reseruare sibi consensum illum vnà cum Conuentu præstandum ei admissioni ad professionem, & subinde efficere, vt professio aliter facta

sit irrita defectu legitimi consensus admittentis. Ita Nauar. *libro 3. consil. de regular. consil. 62. num. 3. Rodriquez. 3. qq. reg. quæst. 17. artic. 7.*

Quæres *Tertiò*. An etiam datis votis, & Nouitio recepto ad Religionem, ante tamen factam professionem, sit liberum conuentui, noua emergente causa, Nouitium dimittere? Resp. quòd sic, graui aliqua causa intercedente, vel etiam, si aliqui vetus ignorata, de nouo sciatur. Ratio est. Tum quia annus nouitiatus datur tam in fauorem Nouitij, quàm Religionis. Cap. *Ad Apostolicam, de regul.* ergo quocumque tempore, nouitiatu durante, contra Religioni, eum non esse admittendum, potest expelliere.

Tum quia sicut reuocari potest consensus ab altero coniuge ante ratum matrimonium, si aliquid superueniat, quod si à principio adfuisset, vel notum esset, non fuissent contracta sponsalia: ita à Conuentu ante professionis emissionem possunt reuocari suffragia: eodem enim modo loquuntur Doctores de contractu matrimonij, ac de contractu professionis. Et validum est argumentum de matrimonio carnali ad spirituale. *Cap. Inter corporalia, de translat. Episcop.* Ita notter Vecch. *disp. 12. dub. 7.*

Quæres *Quartò*, An in receptionibus nouitiorum pro professione, habeant votum, qui sunt priuati voce actiua & passiua? Respond. standum esse consuetudini. De iure communi certum est, non habere. Quia hi ferre non possunt suffragium in his, quæ ad Capitulum collegialiter & legitimè congregatum pertinent. Vecch. *citat. dub. 5.*

4. *Tertio*, requiritur animus profitendi; si enim hic absit, ita vt nec tacitè nec expressè intendas profiteri, nulla est professio; quia nec votum, nec vlla promissio per se obligat sine voluntate obligandi, cùm tota hæc obligatio à libera voluntate pendeat; ratione tamen scandali vel damni vitandi quod sequeretur, si promissio exterius facta non præstaretur, potest obligari: vnde si horum periculum absit, qui sic professus est, posset fugere, & recipere se ad exteras prouincias. Less. *l. 2. ca. 41. dub. 7. num. 60. Bonac. t. 1. §. 1. Vecch. disput. 12. num. 1. Nauarr. lib. 5. consil. de regul. consil. 28.*

5 *Quartò*, requiritur vt professio sponte facta sit nullo cogente metu iusto, ac graui, seu in virum constantem cadente: Talis metus censeri debet, si nouitius incarceratus fuerit, vel alimenta ei subtracta, propterea quòd in professionem consentire noluit. *Cap. per Litteras de his, quæ vi.*

Præterea licet metus reuerentialis propter preces, vel Imperium Prælati aut consanguineorum plerumque à Doctoribus non credatur grauis, aut sufficiens ad infirmandam professionem; secus tamen est, si alia concurrant, quæ difficile homo à se repellere possit; puta precum, aut Imperij sæpius repetiti importunitas, adiunctæ frequentes blanditiæ, grauis item offensio, aut diuturna indignatio eorum, ver. gr. consanguineorum, à quibus hominis vita, aut fortuna dependet: præsertim si minæ expressæ adiunctæ fuerint. Sanch. *de matrim. lib. 4. disp. 6. num. 18. & disp. numero septimo. Couarr. disp. 28. dub. 2. num. 35. Less. lib. 2. cap. 17. num. 35. Layman. c. num. 6. Vecch. disputat. 13. dub. 12.* Vide *supra. v. Actus.*

In dubio an metus, cuius causa quis emisit professionem, fuerit ne cne grauis, præsumendum est in valorem professionis, eum scilicet fuisse leuem; ac proinde professionem irritam esse. Ratio est, quia cum constet de professione, & excusatio dubia sit; stat professio pro eadem professione. Idem dicendum, quando dubium est an metus intercesserit: nam in hoc casu accessisse non præsumitur. Idem dicendum, quando dubium est de animo se obligandi ratione metus, vt bene notant Sanch. *lib. 4. moral. cap. 3. num. 27. Bonac. de leg. disp. 4. q. 2. p. 3. §. 1. n. 11.*

6. *Quando* professio fuit irrita defectu ætatis. Sà v. *religio numero 71. Azor. moral. t. 1. lib. 12. cap. 5. quæst. 4. Nauarr. consil. 61. num. 13. de regul. Henriquez. lib. 11. cap. 8. num. 9.* Vel quia professus est ante exactum annum probationis, vel quia metu fraudeve impulsus, potest egredi, licet per multos annos manserit in Religione, vt abiit scandalum, quia vt habet regula iuris: *Non firmatur tractu temporis quod de iure ab initio non subsistit*, quod limitandum est, nisi postea sciens esse irritam, ratificauerit.

Ad ratificationem enim requiritur vt qui ratificare debet, sciat professionem ob eiusmodi defectum, ex iuris dispositione, irritam esse; cum enim incogniti nulla sit voluntas, non potest intenderi tacitè, aut validam voluisse facere professionem, quam ignorauit esse irritam: nec etiam sufficit professionem ratificare ex eo, quòd putet ab initio fuisse validam, quia hæc ratificatio proficiscitur ex errore, vnde non est libera, ac proinde non inducit nouam obligationem. Bonac. *c. p. 10. de fide. t. num. 3. Layn. c. num. 7. Nauarr. c. 12. num. 71. Vecch. disp. 14. dub. 3. & 4. Diana p. 6. tr. 7. resol. 56.*

Sed inquires, an cùm professio iterum facienda est, vel quando ratificatur, requiratur ad ipsius valorem tam ex parte religiosi quam Religionis, & Prælati nouus consensus? Respond. distinguendo. Aut professio nulla fuit ex defectu irritante solum professionis consensum, vel ex defectu vtriusque partis, scilicet, Prælati recipientis, & recepti consensum irritante.

In primo casu nouus consensus Prælati non est necessarius; sed sufficit prior moraliter permanens. Ratio est, quia consensus per Prælatum in illo casu præstitus quantum est ex parte illius validus fuit, & contractus tantummodo ex alia parte erat inefficax: vnde ille consensus, quantum est ex se, semper manet exhibitus, & promptus, vt adueniente ex parte Religiosi sufficiente consensu, contractus sit firmus ergo non est necessarius ex parte Prælati nouus consensus secundum probabiliorem sententiam Sanch. *de matrim. disp. 37. num. 60. & 61. lib. 7. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 66. Sà v. religio num. 23.* & aliorum.

Hic casus contingit in eo qui ex fictione aut metu inualidè professus est, vel ante 16. annum expletum. Quando autem defectus professionem irritans ex vtraq; parte ortum habuit, tunc necessarius est vtriusque partis legitimus, & efficax consensus; Exemplum erit in defectu anni probationis: nam, cum probationis annus in vtriusque partis fauorem sit introductus, vt altera alterius mores experiatur, & cùm hoc impedimentum, vt simpliciter irritans, sit à Tridentino positum, consequens est, per huiusmodi defectum, vtriusque partis voluntatem irritam fieri; & ideò nunc necessaria erit noua voluntas, etiam ex parte Prælati, quæ vim habeat denuò admittendi ad professionem. Idem dicendum, quoties defectus irritauerit professionem ex parte religionis. Ita Azor. *t. 1. lib. 12. cap. 4. quæst. 7. Sanch. c. num. 63. Vecch. disput. 14. dub. 4. num. 5.* Quamuis non sit improbabilis contraria sententia affirmans solam ratificationem religiosi esse necessariam, quam docet *Lessius* citatus, & insinuat *Sanchez num. 64.* maximè quando defectus inualidæ professionis est occultus.

Notandum tamen hic est, aliquas esse professiones ita intrinsecè inualidas, vt nullo modo possint ratificari, vt ver. gr. si quis emitteret professionem in Religione non approbata à Sede Apostolica; non potest ratificari vllo modo, nisi per Sedem Apostolicam ex cap. *finali, de religiosis domibus, in 6.* vt etiam professio perpetuæ amentis, quæ nunquam sanabilis potest.

7. Conc. Trid. *sess. 25. de regul. cap. 19.* Statuit, vt si quicumque regularis prætendat se per vim, & metum ingressum Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile: Velit; habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, nè audiatur, nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & ordinario, quòd si antea habitum sponte dimiserit nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur. Interim verò nullo priuilegio suæ religionis iuuetur. Hæc Concil. *Circa* hoc decretum est *aduertendum*.

Primò, quando dicitur, non esse audiendum nisi intra quinquennium, intelligendum esse, nisi metus vel impotentia reclamandi vltra quinquennium duraverit. *Nauarr. Commentar. 4. num. 76. de regul. Layn. c. num. 7. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 66. Diana de dub. regular. resolut. 53. par. 3.* Sienim duraverit vltrius, poterit ipso iure, vel restitutionis in integrum beneficio audiri; ad impotentiam item reclamandi pertinet ignorantia impedimenti; denique intelligendum est, nisi causa iusta aliud tuadeat. Azor. *t. 1. par. lib. 12. cap. 4. qu. vlt. Sanch. de matr. l. 7. d. 37. num. 4. & 4. Rodriquez. 3. qq. qu. 17. art. 17.*

Secundò, quando dicitur, nullatenus esse audiendum; si habitum dimiserit, priusquam causas deduxerit esse statutum in pœnam vnde non habet locum, si quis bona fide ad tempus habitum deposuerit ob aliquam causam, aut si non peccavit mortaliter in habitus dimissione: qui autem dimisso habitu reclamare volebat, & ob habitus dimissionem non fuit auditus, potest postea reclamare assumpto habitu. Sà *v. relig. n. 71. Nau. cons. 89. l. 3. de regul. Henr. l. 11. c. 9. Sanc. c. n. 9. & seq. Layn. c. num. 7. Bon. de stat. qu. 2. p. 10. Tertiò*, hoc decretum præsumptione ratificationis professionis factæ per illud quinquennium innititur; ac proinde si inualidè professus non ratificauit professionem, nunquam quocumque tempore transacto est verus in foro conscientiæ religiosus, sed in solo foro externo præsumptus; atque talis, per se loquendo,

quendo, si grauè scandalum aliudve maius incommodum secuturum non sit, dimisso habitu occultè fugere, atque vxorem adducere non prohibetur; imò Prælatus certò credens professionem irritè editam, & intra quinquennium ratificatam non esse, scandalo cessante, potest illum occultè dimittere; *sin* verò talis fugiendi aut elabendi modus sine graui incommodo aut scandalo nequeat attentari, tunc Prælatus, aut confessarius hominem monere debet, id solùm restare vt professionem, per se quidem irritam, tacito consensu ratificet.

Quartò, causæ ex quibus videtur tribui ius religioso reclamandi contra propriam professionem, sex apud Authores reperiuntur. *Prima est*, defectus legitimi consensus: nam, cùm professio sit contractus mutuus, quo religiosus religioni, & hæc religioso obligatur; contractus autem mutuo consensu perficiatur, sequitur regularem defectu talis consensus posse reclamare, cùm non teneatur onere illius professionis. *Secunda causa* est, defectus anni probationis. *Tertia est*, defectus ætatis. *Quarta*, quando, qui emisit professionem non erat sui iuris, ita vt seipsum alteri tradere nequiret, nec per consequens religioni: vt coniugatus inuita vxore; & seruus inuito Domino validè profiteri non possunt. *Quinta* reclamandi causa est, diuersitas sexuum, vt si fœmina in religione virorum, & vir in religione Monialium professionem emiserit: nam, cùm talis professio sit irrita, consequenter tribuit ius ita profitenti reclamandi.

Sexta causa est, dum professio facta fuit coram non habente potestatem eam acceptandi: quia talis professio redditur irrita ex defectu consensus requisiti ad professionem ex parte acceptantis. *Plura de hac materia vide apud* Sanchez *de matrimon. libro septimo tota disputat.* 37. *& apud* Bonacinam *de clausura, quæstione* 2. *punct.* 10. *per totum*, Suarez *de relig. tom.* 3. *libro septimo cap.* 3.

8. *Professio trium votorum*, solemnium in religione approbata, ratione diuersorum votorum habet diuersos effectus. Bannes 2.2. *quæst.* 62. *art.* 2. *dub.* 6. *Lessius lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 67. *Primò*, ratione voti obedientiæ, transfert religiosum in ius, & potestatem ordinis, & superiorum, faciens membrum illius ita vt superiores possint illum, si discesserit, apprehendere sua authoritate tanquam rem suam, & reducere ac punire. Cap. *quod votum, de voto in* 6. *Concil. Trident. sess.* 24. *can.* 9. *Secundò*, ratione voti castitatis ex vi constitutionis Ecclesiæ, facit inhabilem ad matrimonium contrahendum, ita vt si tentet contrahere sit irritum. *Conc. Trident. c. can.* 6. *Sanch. de matrim. l.* 2. *d.* 19. *Fillinc. tr.* 10. *p.* 1. *num.* 64. *& seq. Less. c. num.* 69. *Tertiò*, Matrimonium ratum nondum consummatum antea contractum dissoluit, & hoc est de fide in Tridentino, quo autem iure professio id faciat, magna est controuersia inter Doctores: quidam enim non improbabiliter opinantur, iure naturæ id facere; alij volunt professionem habere hanc vim iure diuino positiuo: quorum sententia est satis probabilis: licet probabilior, & verior sit id prouenire ex iure Ecclesiastico, iam inde à temporibus Apostolorum instituto. Cap. *quia ingredientib.* 19. *quæst.* 3 *& cap. si qua mulier ibid.*

Quartò, ratione voti paupertatis professio priuat omni dominio bonorum mobilium, & immobilium, & reddit incapacem ad illud. Less. *c. num.* 72.

Quintò, priuat potestate vtendi rebus suo iure, seu absque dependentia à voluntate superioris. Cap. *scripturæ de voto. Sanch. l.* 5. *mor. cap.* 5. *num.* 36.

Sextò, professio soluit vota simplicia priora, etiam religionis strictioris ingrediendæ; eaque commutat in vota solemnia religionis illius in qua agitur; simili modo dissoluit sponsalia etiam iurata.

Septimò, delet omnia peccata quoad reatum pœnæ, quæ remissa culpa manet, quia per professionem vetus homo, & veteres mores exuuntur saltem proposito, & statu ipso, & induuntur noui, vnde censetur mors quædam vitæ mundanæ: Hinc Sancti Patres susceptionem habitus Monastici solent comparare baptismo. Nau. *com.* 2. *de regul. num.* 60. *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 189. *ar.* 3. *Sanch. c. n.* 2.

Quod probatur ex Beati Antonij visione illa, In qua, vt refert D. Athanasius in eius vita, Dæmones impedire ipsius conscensum in cœlum conantes obiecerunt peccata ante religiosam vitam admissa, quibus Angeli boni dixerunt Non debetis illa obijcere, quæ Christi iam sunt pietate deleta, sed si quæ scitis, ex quo factus est Monachus, illa proferte.

Ex qua visione colligit *Caietanus* infra citandus, quòd nouus liber incipit de actibus religiosorum à tempore suæ professionis, quando de facto efficiuntur religiosi. *Scribuntur*, inquit, *in secundo hoc libro, ex quo facti sumus religiosi peccata nostra stylo ferreo, &c.* Verba hæc sunt valdè notanda, & à religiosis summopere memoriæ commendanda. Imò probabile est per renouationem horum votorum solemnium plenariam peccatorum remissionem obtineri. Nam vota quæ in religione eduntur, ideò afferunt plenam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum, sed hæc traditio non semel, sed iterum fieri, seu renouari potest, ergo etiam remissio peccatorum iteratò acquiri. *Peyrin. t.* 2. *de Prælat. q.* 3. *ca.* 1. *n.* 154. *Sa v. Relig. num.* 17. *Layman. l.* 1. *tr.* 5. *c.* 10. *nu.* 2. *Villalob. in sum. t.* 2. *tract.* 35. *diffic.* 26. *num.* 2.

Sed dubium est, an, qui emittit professionem cum conscientia peccati mortalis, consequatur supradictam remissionem pœnæ omnium peccatorum? Respond. quod, licet plenariam remissionem non consequatur propter peccatum mortale; tamen si postea resipiscat, illam consequitur; quia huiusmodi priuilegium in professione conceditur omnibus illis, qui non ponunt obicem. Vnde obice sublato per pœnitentiam eamdem remissionem sortietur: quia hoc priuilegium in professione conceditur tradenti se totaliter ex corde Deo: sed religiosus cùm ad se redit post professionem, & coram Deo in veritate profitetur, se ex corde Deo tribuit; ergo dabitur etiam ei, quando resipiscit dicta plenaria peccatorum remissio. Ita *Faust. in thesaur. relig. libro quinto quæst.* 317. *Barbosa de iur. Eccl. lib.* 1. *ca.* 42. *num.* 180. contra Nauarrum *de Indulgent. not.* 20. *numero* 17. Caietan. 2. 2. *quæstio* 189. *artic.* 3. *ad* 3. Azorium *tomo primo libro* 12. *cap.* 5. *quæst.* 11.

Octauò, tollit irregularitatem, quæ est ex defectu natalium, non tamen penitus, sed solùm ex parte, talis enim non potest eligi ad prælaturam, vt ad Abbatiam virorum aut fœminarum, nec ad beneficium habens curam animarum, licet possit ordinari, & beneficium simplex obtinere. Cap. 1. *de filijs presb. Less. cit. num.* 73. *Sanch. c. num.* 9. *& seq. Suar. t.* 5. *d.* 41. *sect.* 1. *Rodriqu. t.* 1. *qq.* 4. 13. *ar.* 5. Secundùm dicta supra *v. Abbatissa, nu.* 5. *& ver. Irregularis.* 111. *num.* 6.

Nonò, maculam quoad actus temporales expiat, vnde ineptus ad testificandum eò quod periurij aut furti damnatus sit, efficitur per professionem aptus ad testimonium ferendum. *Auth de monach. collat.* 1. Sanct. *c. num.* 27.

Decimò, per professionem filiusfamilias patria potestate liberatur. Sanch. *c. num.* 29. & 30. Quia transit omninò in superioris potestatem, ac proinde patria potestas in ipsum cessabit: hoc autem intelligitur, *in ijs solis*, in quibus vtile esset ipsi filio liberari patria potestate: secus in ijs, in quibus id esset in eius damnum. *Rodriq. q.* 13. *ar.* 3. Sanch. *cit. num.* 33. *Vndecimò*, professio emissa ante parentis mortem, præteritam filij profitentis ingratitudinem abolet, ob quam exhæredari poterat. De quibus, Layman *lib.* 4. *t.* 5. *cap.* 10.

9. *Religiosus* ratione voti obedientiæ tenetur. Less. *l.* 2. *c.* 41. *dub.* 9. *numero* 74. *D. Thom.* 2. 2. *quæstione* 186. *artic.* 9. *Caietan. Sylu. ib.*

Primò, ad præcepta regulæ. *Secundò*, tenetur non agere contra regulam aut mandatum Superioris ex contemptu, censetur autem ex contemptu violare, qui contra facit non ex negligentia vel cupiditate, sed quia non vult regulæ aut superiori esse subiectus. Sanch. *lib.* 6. *moral. ca.* 1. *num.* 8. *Vasq.* 1. 2. *disp.* 154. *c.* 4. *num.* 20.

Tertiò, tenetur ad omnia, quæ superior iuxta regulam seu institutum præcipit, & quidem si præcipiat in virtute Sanctæ obedientiæ, tenetur obedire sub peccato mortali: si autem hac forma præcipiendi non vtatur, non videtur velle obligare sub peccato mortale nisi id aliunde constet. Caietan. 2. 2. *quæst.* 104. *art.* 5.

Quartò, si superior præcipiat aliqua contra regulam non tenetur inferior obtemperare, nisi fortè ille possit in ea parte regulæ dispensare, & legitima causa contrarium præcipiendi subsit. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 104. *articulo* 5. *ad* 3. *Sylu. ibid. Nauarr. cap.* 23. *num.* 39. *Rodriqu. t.* 2. *summ. cap.* 9. *num.* 1. *Azor. t.* 1. *li.* 13. *c.* 11. *qu.* 19.

Quintò, si præcipiat aliquid supra regulam, vt ire ad infideles, vbi est manifestum periculum mortis vel seruitutis, ieiunare longo tempore, abstinere à carnibus ad vnum mensem, quando regula non præscribit, non tenetur inferior obedire; quia superiori potestas datur, vt subditos secundùm regulam perficiat, non vt ad maiora obliget, idem dicendum, si superior præcipiat infra regulam, [redacted] est laxiora quàm regula præscribat, nisi causa iusta subsit.

Corduba in reg. S. Franc. cap. 10. quæſt. 2. Leſ. c. num. 75. Sylu. ver. religio. 6. qu. 6. Sylu. 2. 2. quæſt. 104. art. 5. Caramuel in reg. S. Benedict. d. 50. & ſ. Cæterum quamuis huiuſmodi longè abſtinentiæ, & ſimilia quæ non ſunt ſecundùm regulam, non poſſint imponi ad exercitium virtutis, poſſunt tamen ob alias cauſas, vt in iuſtam pœnam alicuius criminis, id enim eſt ſecundùm regulam; vel ſi putentur neceſſaria ad ſeruanda vota, & ſic præcipitur clauſura Monialibus arctiſſima, etiamſi talem ante non vouerint; item ob aliquam publicam neceſſitatem, poſſunt quędam auſteriora ad tempus omnibus imponi; quia & hoc regulæ conſentaneum eſt. Plura de his apud *Caramuel*, & v. *Prælatus, num. 6. & ſeq.*

Sed petes, quando reformatur aliqua religio, an teneantur profeſſi recipere reformationem? Reſp. teneri, ſi reformatio fiat in eſſentialibus, & in illis, ſine quibus eſſentialia vix obſeruari poſſunt, ſaltem in pluribus, ſed in aliis, non teneri. Ratio prioris eſt, quia religioſus, vt dictum eſt, tenetur obedire in omnibus, quando præcipitur aliquid iuxta regulam. Dicitur autem id eſſe iuxta regulam, quod vel expreſsè continetur in regula, vel ſine quo non bene cuſtoditur regula.

Illa verò ſine quibus vix obſeruantur eſſentialia ſunt illa, non retinere mulieres in Monaſterio, nec paſſim dare illis liberum acceſſum vel ingreſſum, & multa alia quæ habentur in *Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 2. de regular. & ſequent.* ad quæ tenentur religioſi poſt reformationem, vt ibidem dicitur. Alia verò non neceſſaria, ſunt, verbi gratia plura ieiunia, mutatio veſtium, abſtinentia à carne, & alia huiuſmodi; & in his non tenentur recipere reformationem. Ratio eſt, quia obligatio religioſi ad obediendum eſt tota ex ſuo voto: vnde vltra voluntatem, & intentionem voventis non poteſt extendi; quæ limitatur ſecundùm regulam expreſsè vel implicitè intellectam, ſicut & de poteſtate Prælationis, vt dictum eſt ſupra *v. Prælatus, num. 10.* tum quia auſteritas nouiter indicta concernit ſingulos de religione vt ſingulos, non vt vniuerſos: & conſequenter non poteſt indici per conſenſum collegij, qui in maiori parte conſiſtit; ſed requiritur conſenſus ſingulorum, iuxta reg. *Quod omnes, in 6.* Ita Doctores citati ſupra *v. Prælatus, num* 10. & ſauet D. Thom. 2. 2. *quæſt. 104. art. 5. ad 3.*

10. Non tenetur religioſus obedire ceſſante ſcandalo, quando præceptum ſuperioris fundatur in falſa præſumptione; vt ſi religioſo imponatur pœna pro delicto, quod verè non commiſit, ſi ea pœna ſit ſecretò exequenda, non tenetur ſubditus ad illam; ſi verò in publico, tenetur ad eam; propter aliorum exemplum; quia in priori caſu pœna non imponitur ad eorum exemplum, ſed ad propriam correctionem, quia innocens non indiget. *Vaſqu. 1. 2. qu. 96. art. 5. diſp. 174. c. vlt. Nauar. cap. 23. num. 38. Sanch. c. lib. 6. cap. 2. num. 11.*

An autem ſubditus dubius de legitima Prælati poteſtate teneatur illi obedire, maximè ſi ſit in poſſeſſione Superioritatis; affirmat Sanch. *c. 3. num. 29.* Probabiliter, ſed non minus probabilem contrariam ſententiam eſſe tenet *Diana 4. p. tr. 3. reſol. 8.* poſt Vaſques 1. 2. *quæſtione 19. articulo 6. diſput. 62. cap. 6.* & Salas.

Si verò ſubditus dubitet, an res præcepta ſit licita, tenetur obedire; maximè ſi obediendo, ſibi vel tertiæ perſonæ, magnum damnum in rebus, honore, vel fama, aut corpore non timeat. Aliàs in his caſibus non teneretur in dubio obedire: vt ſi ſuperior interroget de proprio aut tertij delicto, & eſt dubium, an iuridicè roget: tunc enim in eam partem inclinandum eſt, in qua eſt minus damni & periculi, & ea eſt amplectenda, & proinde non obediendum.

Tum quia maius eſt periculum, & damnum illud imminens, quàm ſemel non obedire. Tum quia in dubio fauendum eſt reo, & ei de cuius damno agitur: etſi enim ſubditus non ſit in poſſeſſione ſuæ libertatis, eſt tamen in poſſeſſione ſuæ ſecuritatis, ſeu iuris, quo poteſt ſe à rebus periculoſis conſeruare. Vnde non tenetur in ea ſe conijcere, niſi conſtet Superiorem iuſtè præcipere. Similiter ſi Prælatus mihi præcipiat longum iter, aut rem valdè difficilem, vt longam abſtinentiam, vel aliud opus valdè auſterum, & nunc dubito, an poſſit Superior id mihi præcipere, non teneor cum tanto meo periculo, & damno ſtatim obedire, donec conſtet mihi de iure præcipiendi. Quia tanta rei difficultas vnà cum dubio poteſtatis imperandi, præponderat poſſeſſioni Superioris, & iuuet pot ius libertati ſubditi. Ita Barthol. *Medina 1. 2. qu. 19. art. 6. dub. 4. Rodriqu. p. 2. Sum. ca 9. num. 3. Dian. p. 4. tr. 3. reſol. 9. Sot. de ſecreto, membr. 3. quæſt. 2* & alij ab ipſis citati.

Plura de obedientia religioſorum vide ſupra *ver. Obedientia. Præſertim*.

11. *Ex voto caſtitatis*, tenetur religioſus, primò abſtinere à coniugio Sanch. *lib. 5. mor. cap. 6. num. 9. Suar. tom. 1. de relig. lib. 3. cap. 3. Leſſius c. num. 77. Laymann. lib. 4 tract. 5. cap. 8. numero 1.* deinde ab omni actu interno, & externo, qui ſit contra caſtitatem, vt à turpibus cogitationibus, & delectatione moroſa, à pollutione, ab omni actu venereo, a turpi contactu, ab impudico aſpectu; *denique* ab omnibus ijs quæ aliquo modo ſunt contra virtutem caſtitatis, quicquid enim in ſæcularibus extra coniugium eſt aliquo modo peccatum contra caſtitatem, eſt in religioſo etiam ſacrilegium contra votum, ac proinde duplicem habens malitiam: ita tamen vt malitia ſacrilegij ſit mortalis in ijs actibus, in quibus malitia libidinis eſt mortalis, venialis verò, in quibus illa eſt venialis.

Caſtitas autem religioſa conſeruatur 1. per humilitatem, quando noſtra fragilitate cognita, ad Deum recurrimus iuxta illud Sapient. 8. *Vidi quod non poſſum eſſe continens, niſi Deus det.* 2. Per ſobrietatem, vnde Hieronym. *difficilè inter epulas ſeruatur pudicitia.* Et D. Bernard. *pereunt caſtitas in deliciis.* 3. Per carnis mortificationem, qua carnales motus reſtringuntur. 1. Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum.* 4. Per cuſtodiam ſenſuum, iuxta illud Eccleſ. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias mulierem alienam: propter enim ſpeciem mulieris multi perierunt.* 5. Per vitationem, & declinationem occaſionum. Vnde Hieron. epiſt. 2. ad Nepotianum. *Hoſpitetur tuum aut raro aut numquam mulierum pedes terant: nec ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas; quia nec Dauid ſanctior, nec Salomone ſapientior eſſe potes, qui tamen lapſi ſunt per mulieres.* 6. Per virilem tentationum reſiſtentiam, qua Dæmonum ſuggeſtiones repellimus, iuxta illud 1. Petr. 5. *Cui reſiſtite fortes in fide.* 7 Per feruentem Dei dilectionem, qua in Deo delectamur, & ſic voluptates carnis, tamquam amariſſimas deſpiciemus. Quia *guſtato Spiritu, deſipit omnis caro.* 8. Per mortis meditationem, & æternarum pœnarum, quæ debentur impijs, conſiderationem, per quam ſtultum eſſe cognoſcimus pro breui voluptate, æterna tuſtinere ſupplicia.

12. Ex voto paupertatis tenetur religioſus, vt nihil velit habere, poſſidere, vel vti tamquam proprium dare vel alienare ſine ſuperioris facultate, vt latius dictum eſt ſupra verb. *Paupertas religioſa. Sanchez lib. 7. moral. cap. 18. Vincent. tom. 3. diſput. 10. quæſt. 4. p. 3.*

Sed circa prædicta eſt aduertendum, quòd profeſſio nulla ex quocumque defectu nullam ex ſe inducat obligationem, niſi profitens vouendo independenter à profeſſione intenderet ſe expreſsè per illa vota obligare. Ratio eſt, quia humani contractus nullam cenſentur habere firmitatem, niſi ab vtraque parte acceptentur: cùm ergo profeſſio irritetur, vel ex parte profitentis, vt ſi profitendi intentionem non habeat: vel ex parte acceptantis, ſequitur quod in profeſſione, quando ex his defectibus nulla eſt, ſemper deſit conſenſus alterutrius, ac per conſequens ſit irritus contractus, vt bene docet Sanches *lib. 5. moral. cap. 4. num.* 105 cuius ſententiæ ſubſcribit Vecch noſter *in prax. nouit. diſp. 14. dub. 1.*

Vide *v. Irregularitas, 3. Irregularitas, 11.* num. 3. *Matrimonium, 2. n. 4. Matrimonium, 7. n. 16.* & ſeq.

RELIGIO V.

De tranſitu ab vna Religione ad aliam.

SVMMARIVM.

1. *An ſit licitus tranſitus ad arctiorem religionem.*
2. *Quæ conditiones ſint ſeruandæ, vt integrum ſit regularibus ad aliam religionem migrare?*
   An conuerſi & oblati, qui profeſſionem non emiſerunt, poſſint ad arctiorem religionem tranſire, eo modo, quo poſſint cæteri religioſi?
   An omnes religioſi vnius monaſterij ſimul poſſint tranſire ad ſtrictiorem religionem?
   An moniales etiam poſſint ad ſtrictiorem religionem tranſire, & de conditionibus ad id requiſitis.

Quis

ed by Goog

Quis superior possit licentiam transeundi ad arctiorem religionem concedere?

3. *Quando iusta causa subest, an possint regulares cum facultate Prælati transire ad ordinem laxiorem?*

4. *An religiosi mendicantes possint transire ad non mendicantes, sine licentia?*

5. *Quæ sint pœnæ contra religiosos adulantes ad aliam religionem in casu etiam permisso?*

1. LIcitus est *transitus*, ab vna ad aliam arctiorem religionem, nisi aliud obstet, quia cuilibet competit ius perfectioris vitæ capessendæ, vt saluti propriæ consulatur. Cap. *licet. Cùm est. C. Sanè, de reg. D. Thom.* 2.2. *quæst.* 189. *ar.* 8. *Caiet.* 2.2. *qu.* 88. *art.* 12. *Sanch. lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 3. *Lessius libro* 2. *cap.* 41. *dub.* 13. *num.* 100 & *Sylu.* 2.2. *qu.* 189. *artic.* 8. *Vecchius disput.* 15. *dub.* 1. *Faust. in thesaur. relig. lib.* 5. *qu.* 326. & hic transitus, non solùm conceditur iure humano, verùm etiam iure naturali diuino: nam eodem iure cuique competit ius vacandi maiori perfectioni, & votum suum in melius commutandi, quia hoc est gratius Deo; religio tamen ad quam fit transitus debet esse arctior, licet non sit perfectior; quia in hoc transitu, non quæritur vtra sit absolutè perfectior (etiamsi *D. Thom. Syluester*, & alij quidã Doctores contrarium non improbabiliter tenere videantur,) sed vtra arctioris obseruantiæ, in qua tutiùs, & meliùs possit salutem suam operari; hinc permittitur omnibus religiosis, etiam Mendicantibus, transitus ad ordinem Carthusianorum; quamuis absolutè hic ordo non sit omnium perfectissimus. Ad hoc autem, vt cognoscatur Religio, quænam sit strictior, multa consideranda sunt scilicet, originalis, & primæua institutio, Regula, constitutiones; adeo vt si Constitutiones post originalem institutionem editæ maiorem inducant asperitatem, Religio arctior dicetur.

2. Vt integrum sit regularibus ad aliam religionem migrare, *quatuor conditiones*, seruandæ sunt. *Sanch. c. num.* 2. *Bonac. de clauſ. q.* 2. *p.* 9. §. 5. *diff.* 1. & 2. *Vecch. disp.* 15. *dub.* 2. *Faus. c. qu.* 325. *Prima* est, Vt regulares tales sint, quibus non sit specialiter is trãsitus interdictus: quibus autem religiosis veritum sit sub censura ad aliam Religionem commigrare, aut alios recipere, consulenda sunt cuiusque religionis priuilegia; quorum summarium refertur à Bonacina *de clausura, quæst* 2 *punct.* 9. §. 5. *difficult.* 2. *Secunda conditio* est. *Les. c. num.* 101. *Sanch. c. num.* 11. & *seq. Sylu. v. relig.* 4. *qu.* 1. *Syluius* 2.2. *qu.* 189. *art.* 8. ne transitus fiat ex temeritate, leuitate, odio, ira, contemptu, vel qualibet alia animi perturbatione, sed solo melioris, & tutioris vitæ studio: & ne fiat cum detrimento, vel iactura religionis à qua recedit: dum verò dubitatur, an bono vel prauo animo ad aliam religionem transire quis velit, præsumendus est bonus animus, & zelus. *Azor. t.* 1. *l.* 12. *cap.* 14. *Sanch. num.* 21. Tertia est, vt transitus fiat ad perfectiorem religionem; perfectior autem in hac re vocatur religio (vt dictum est) non quæ perfectior, & fructuosior est in ordine ad finem, sed quæ durior, arctior, & asperior est. Cap. *licet, de reg. Sanch. c. num.* 32. & *seq. Les. c. nu.* 101. *Quarta*, vt petatur licentia à Prælato, qui tenetur eam dare; si non det, hoc ipso ius concedit: si autem non petita facultate transeat, potest reduci ad prius Monasterium, vt faciat quod iure debet.

Hæc tamen licentia ex vi iuris communis non est de substantia huius translationis, sed requiritur tantùm vt actus rectè fiat: vnde, si religiosus, qui absque licentia petita ad arctiorem religionem transiuit, iam in ea professus est; professio erit valida, nec religiosus amplius reuocari poterit: imò probabile est iuxta Suar. *tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 26. & 27.

Nec etiam reuocari posse, si nondum professionem emisit, sed habitum tantum recepit, & iam est in probatione: sed satis esse, vt illam petat ad ibi permanendum: nam id, quod omissum fuit, accidentale erat, non de substantia actus: & ideo videtur sufficiens, si suppleatur eo modo, quo fieri poterit, non reuocando, quod antea factum fuerat, cùm id nullius vtilitatis esse videatur: quia religiosus, qui transiuit, regredi potest illicò post petitam licentiam, etiamsi eam non obtineat.

Si tamen dubium sit, an transitus fiat, vel factus sit ad arctiorem religionem, necne; tunc transitus absque licentia inualidus est, quia in tali casu, vel non sufficit licentiam petere: sed necessarium est, illam obtinere; vel si Abbas eam concedere noluerit, iure suo priuari non potest, antequam dubium Superioris iudicio terminetur.

Hodie extat decretum Sacræ Congregationis editum iussu S. D. N. Vrbani VIII. anno 1624. die 21. Septembr. vbi statuitur, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem religionem transire, nisi prius Superiori legitimè constiterit, eam religionem paratum esse, illum recipere, qui licentiam petit: & tunc regularis rectè se transferat ad arctiorem: quod vt re ipsa adimpleat, idem Superior omni studio, ac diligentia inuigilet.

Sed circa hæc occurrunt quædam dubia breuiter resoluenda. Primum est, an Conuersi, & Oblati, qui professionem non emiserunt possint ad arctiorem Religionem transire eo modo, quo possunt cæteri religiosi? Negant Glossa *in c. vt lex, ver. Professi, in fine*, 27. *qu.* 1. Angelus *v. Monachus, num.* 1. & *alij*: quia illi iam sunt effecti serui Ecclesiæ.

Contrarium tamen dicendum est; quia simplex oblatio priori Monasterio facta, non potest maiorem vim habere, quàm habeat professio: tum quia non debet impedire transitum ad melioris vitæ frugem, alias non esset rationabilis oblatio, cùm principaliter ad Dei obsequium, & animæ salutem ordinetur. Ita *Bonacina de clausur. quæst. secunda par.* 9. §. 2. *numero quinto. Suarez c. cap.* 10.

Secundum dubium est, de toto Monasterio religiosorum, an possint omnes simul transire ad strictiorem religionem? Resp. affirmatiuè, quia sicut cuilibet licet, licentia Superiori petita, etsi non obtenta, ita & omnibus id licebit. Ita *Rodriqu. t.* 3. *qq. reg. qu.* 52. *ar.* 6. *Sanch. lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 7. Nec obstat textus *in cap. nuper, §. Confirmatos in fine, de relig. domib. in* 6. quia loquitur ibi de totali translatione scilicet, de loco, & personis, non verò loquitur tantùm de translatione personarum, vt obseruat etiam Barbosa *de iur. Eccl. lib.* 1. *c.* 42. *n.* 51.

Tertium est, de Monialibus, an scilicet possint de sua religione ad aliam religionem strictiorem transire? & ratio dubitandi est, quia textus *cap. licet, de regular.* vbi is transitus permittitur, loquitur de viris religiosis: tum quia Monialibus strictè imposita est clausura in Tridentino, & nouissimè à Pio V. in Bulla *Decori*, anno 1569. Cæterum dicendum est hoc etiam Monialibus licere: quamuis enim dictum *cap. licet, de regul.* loquatur solùm de religiosis viris, non Monialibus; tamen causæ in eo expressè propter transitum ad strictiorem religionem, possunt procedere etiam de Monialibus: Ita Faust. *in thesaur. relig. qu.* 327. *lib.* 5. *Rodriq. c. art.* 6.

Ad hunc tamen transitum faciendum quatuor conditiones adiungi debent. *Prima*, vt antequam è primo Monasterio egrediatur Monialis, aliud Monasterium paratum sit, à quo beneuolas habeat receptrices: quodque in eo capitulariter per secreta suffragia recipiatur. *Secunda*, vt dotem à cæteris Monialibus præstari solitam persoluat. *Tertia*, vt spes illi auferatur ad primum Monasterium redeundi.

Quarta, vt transitus fiat, comitantibus matronis consanguineis grauibus, ab vno ad aliud monasterium recta via, absque diuerticulo, ac nullibi pernoctetur, nisi causa hospitij; idque non nisi apud honestas personas.

Quartum dubium est, à quonam Superiore licentia ad arctiorem religionem transeundi postulari debeat? Resp. Superior, à quo huiusmodi licentia postulari debet, est etiam Abbas conuentionalis, nisi aliter per particulares consuetudines, & constitutiones à Sede Apostolica approbatas in aliqua religione constitutum esset: nec est necessarius consensus Conuentus, quia *cap. licet, de regul.* solùm requirit, vt subditus debeat à Prælato licentiam postulare, nihil dicens de Conuentu. Sed quoad Fratres Minores necessariò petenda est dicta licentia, vel à Generali, vel Prouinciali, vel etiam à Custode, qui iurisdictionem in actu exercito habet: Ratio est, quia isti tantùm ex regula gaudent facultate incorporandi Fratres religioni. In religionibus autem, in quibus receptio spectat ad Superiores locales, ad eosdem etiam spectat dare licentiam. Ita Vecch. *disp.* 15. *dub.* 2. *nu.* 13. *Miranda. tom.* 1. *q.* 31. *art.* 5. *conclus.* 1.

3. *Regulares* possunt cum facultate Prælati transire ad ordinem laxiorem, si iusta causa subsit: Nauar. *consil.* 56. *de regular. Azor. c. cap.* 15. *qu.* 1. *Miranda t.* 1. *qu.* 31. *art.* 6. *conc.* 3. *Syl. ver. relig.* 4. *qu.* 2. *Les. c. num.* 103. *Sanch. c. num.* 70. *Diana de dub. regul. resol.* 43. *p.* 3. *Vecch. disp.* 15. *dub.* 5. *Faust. c. quæs.* 343. Et in hoc casu non sufficit petijsse facultatem, sed oportet obtinuisse; nam ius non aliter hoc concedit: præterea debet adesse iusta causa, vt, si collapsa disciplina in strictiore, si odia, & simultates in ea vigeant, si ipse alijs exosus sit, si ob corporis debilitatem non possit ferre rigorem: quia sine causa nec Summus Pontif. concedere potest; nam interuenit quædam votorum relaxatio, quæ sine causa valide fieri nequit: Potestatem hanc dare potest Episcopus in Monasterijs sibi subiectis; in exemptis autem Prælatus, qui

iurisdictionem quasi Episcopalem in suos habet, cum consensu tamen Capituli; consensus verò Capituli requiritur, quia hæc res est vna de maioribus negotijs Monasterij, in quibus iuxta cautiones requiritur Capituli consensus.

4. Quamuis *Mendicantes religiosi*, iure communi, etiam cum facultate sui Generalis non possint transire ad non Mendicantes (præterquam ad Carthusianos) absque facultate Pontificis. *Extrauag. 1. Iuuenis Ambitiosæ, de regul. Less. c. num.* 104. Ex priuilegio tamen quidam Generales possunt dare hanc licentiam Bonac. *de class. qu. 2. p. 9. 5. diff. 2. n. 5.*

Præterea obseruandum est, religiosos Societatis, nequo posse ad Carthusiam transire, nisi obtenta à Superioribus licentia, quam licentiam Pater Generalis sibi reseruauit: & *ratio est*, quia Patres Societatis gaudent priuilegijs Carmelitarum, ex priuilegio *Pij V.* Carmelitis autem concessum fuit priuilegium à *Paulo V.* die tertia April. 1610. ne ad Carthusiam transire valeant sub excommunicationis pœna ipso facto. Idem priuilegium nouissimè concessum est ab *Vrbano VIII.* nobis Capucinis. Vt patet ex ipsius Bulla 9. Augusti 1628. Pontificatus sui anno sexto, quæ incipit: *Inuicti nobis Apostolici muneris ratio postulat*, vbi prohibet ne vllus dicti ordinis religiosus ad laxiorem, absque licentia Sedis Apostolicæ: ad Carthusien. verò, seu quemcumque alium ordinem, vel congregationem nisi de Ministri Generalis pro tempore existentis dicti ordinis licentia in scriptis obtenta, sub Apostasiæ, & infamiæ perpetuæ nota, necnon excommunicationis, ac priuationis vocis Actiuæ, & Passiuæ pœnis ipso facto incurrendis; transire quoquo modo audeat, seu præsumat.

Non licet nobis Capucinis recipere Fratres Minores de obseruantia sine licentia Sedis Apostolicæ in scriptis obtinenda, sub pœna excommunicationis, & inhabilitatis ad quæcunque officia, & legitimos actus.

Ita statuit Paulus III. vt habetur apud Sorbum nostrum *in Compend. priuileg. tit. Recipere, vers. Pariter sic aduertendum.* Vnde Iulius III. renouando huiusmodi prohibitionem declarauit, talem receptionem, & professionem sine licentia esse nullam, & Capucinos recipientes incurrisse præfatas pœnas. Idem statuit Sixtus V. anno 1586. in constit. quæ incipit. *Pro ea*, ita habetur apud eundem Sorbum *loco citato*.

Pius V. in Bulla, quæ incipit: *Sedis Apostolicæ solertia*, anno 1567. die 6. Octobris, statuit, quod nullus Capucinus ad Ordinem S. Francisci de Paula, & nullus Frater S. Francisci de Paula ad Capucinos vllo vnquam tempore, & quantumcumque iustissima causa, etiam de licentia suorum Superiorum se transferre possit.

Quæ Bulla confirmata fuit à Gregorio XIII. prout refert Passarellus *in Compend priuileg.* Vbi etiam refert, Sacram Congregationem Cardinalium iussu Greg. XIV. ann. 1591. die 27. Maij statuisse, Religiosos harum duarum Religionum transeuntes ex vna ad aliam contra formam præfatæ constitutionis Pij V. ipso facto pœnam priuationis vocis actiuæ, & passiuæ & etiam omnium officiorum incurrere. Ita Vecch. noster *in prax. nouit. disp.* 15 *dub.* 3. *n.* 6.

Monachi Benedictini, aliàs Sanctæ Iustinæ de Padua, & Cistercienses non possunt ad quemcumque Ordinem transire, etiam ad Carthusiam, sine consensu generalis Capituli, seu Præsidentis, aut maioris partis visitatorum Congregat. nec etiam authoritate Apostolica, nisi in literis fiat specifica mentio de persona, & Religione, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda contra recipientes, seu retinentes, qui intra triduum a receptione Monachi receptum non restituerint. Ita constitut. Eugen. IV. quæ habetur *in Compend. priuil. Cistertiens. tit. Fugitiui*, § 1. & 2.

5. *Pœna* contra religiosos ad aliam religionem in casu etiam permisso aduolantes, sunt. Conc. Trident. *sess.* 14. *cap.* 11. *Sanch. lib.* 6. *moral. cap.* 7. *num.* 108. 109. *Clement.* 1. *vt professores da reg. Nauarr. comment.* 4. *de regul. num.* 24. *Less. c. num.* 105. *Bonac. c. difficult.* 1. *Baribolom. de Vecch. in praxi nouit. disp.* 15. *dub.* 5. *numero* 12.

Prima, Incapaces sunt quorumcumque beneficiorum sæcularium etiam curatorum; quod verum est, etiamsi præfatus religiosus translatus sit ad arctiorem religionem. Ex Tridentino.

Secunda, Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes, etiam cum facultate Pontificis, priuantur voce actiua, & passiua in Capitulo, priuantur etiam loco in Capitulo, videlicet, quoad honores in electionibus, & tractatibus, non verò quoad onera, vt in disciplinis, & correctionibus: *Inhabiles*, Item efficiuntur ad Prælaturas, administrationes, & quælibet officia non solùm intra religionem, verùm extra.

Nomine *officij*, hoc in loco, probabile est intelligi quælibet officia, quæ in religione officia nuncupantur, vt est officium Oeconomi, Cellarij, Ostiarij, Prædicatoris, Confessoris, Lectoris Theologiæ, Iuris Canonici, vel aliarum facultatum; Vicarij conuentus: imò curam animarum pro se, vel pro alijs exercere non possunt. An autem afficiantur his pœnis Mendicantes transeuntes ad Carthusianos, affirmat *Lessius*: Negat *Sanch. numero* 110.

RELIGIO VI.

De Religiosis eiectis, & fugitiuis.

SVMMARIVM.

1. 2. *An aliquando religiosus possit expelli à religione?*
3. *An iusta causa expellendi religiosum è monasterio censeatur incorrigibilitas?*
Et quis dicatur incorrigibilis ex decreto Sacræ Congregationis?
4. *An monialis propter incorrigibilitatem possit etiam è religione expelli.*
5. *An possit expelli religiosus, qui professionem emisit tecto aliquo morbo contagioso?*
6. *Ad quem hoc tempore pertineat facultas expellendi religiosos?*
7. *An Religiosus per sententiam eiectus teneatur petere, vt iterum in Monasterium admittatur?* refertur duplex sententia.
8. *An religiosus eiectus teneatur vota religionis substantialia seruare?*
9. *An ab alijs obseruationibus suæ regulæ liberetur religiosus eiectus, puta, ieiunijs, delectu ciborum, &c.* refertur duplex sententia.
10. *An religiosus eiectus teneatur aliam religionem ingredi? & an ad id possit cogi?*
11. *An suspensus sit religiosus eiectus, quamdiu iterum non recipitur?*
12. *Quis dicatur fugitiuus à religione?*
13. *An religiosus, carceri damnatus, censendus sit fugitiuus, si è carcere fugiat?*
14. *An damnatus ad triremes censendus sit fugitiuus, sicinde fugiat ne cruciatus ferat?* refertur duplex sententia.
14. *An censendus sit fugitiuus religiosus confugiens ad superiorem, absque licentia immediati superioris?*

1. RElig*iosus* non potest absque iusta causa expelli, à religione; quia sicut religio ius in ipsum per professionem acquisiuit, ita ipse ius acquisiuit, vt à religione alatur, & sustentetur: vnde Superior qui religiosum absque iusta causa expellit, grauiter peccat, facit enim contra ius religiosi in re graui: & tenetur ad restitutionem damni, quod religiosus eiectus patitur: iniustè verò eiectus religiosus, potest compellere Monasterium, vt ipsum alat, & præbeat expensas ad litem necessarias, quia ius habet, vt à Monasterio alatur: & hoc verum est, etiamsi disputetur, an sit Monachus, cùm enim in possessione exiitat recipiendi alimenta, non debet illis ante Iudicis sententiam priuari. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 9. *num.* 7. & 8. *Menoch. de præsumpt. libro primo quæst.* 35. *numero* 21. *Molin. tom.* 2. *de iust. disp.* 140.

2. *Religiosus* potest iusta concurrente causa ob religionis vtilitatem à Monasterio expelli, vt patet ex praxi omnium religionum; quia, vt inquit *D. Bernardus*, melius est vt pereat vnus, quàm vnitas, & secundùm D. Hieronymum, reiicandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa ouis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, corpus, & pecora ardeat, corrumpatur, putrescat, intereat. Sanch. *c. num.* 3. *Azor. lib.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 2. *Laym. lib.* 4. *tr.* 5. *c.* 13. *Mirand. t.* 1. *qu.* 52. *art.* 1. *concluf.* 1.

3. Iure communi, *iusta causa* expellendi religiosum è Monasterio, censetur incorrigibilitas; *incorrigibilis* autem dicitur, secundùm sententiam plurimorum Doctorum, qui ter admonitus adhuc perstitit in patrandis eisdem, vel grauioribus aut æqualibus delictis. *Cap. vlt. de regular. Less. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 14. *num.*

zed by Google

num.106. Graff.1 par.lib.2.cap.24.num.19. Sayrus de cenſur. li.5. cap.21.num.57.

Alij, illum volunt incorrigibilem, qui in eiſdem, aut æqualibus vel grauioribus permanet delictis, nec vlla extat ſpes de illius reſipiſcentia, & emendatione: Hoc tamen tempore poſt decretum Sacræ Congregation. Cardinalium, de mandato ſpeciali Sanctiſs. D.N. Vrbani VIII. die 21. Septemb. anno 1624. vt quis incorrigibilis ad effectum expulſionis, & eiectionis cenſeatur, non ſatis eſt vt in eiſdem aut æqualibus, vel grauioribus delictis perſeueret; ſed præterea requiritur, vt vno anno in carceribus probetur ieiunio, & pœnitentia, & ſi poſt huiuſmodi probationem non reſipuerit, ſed adhuc pertinaciter deprauatis moribus adhærere velit, incorrigibilis habeatur, & expellatur: neque obſtant ſtatuta, conſuetudines vel priuilegia quæcumque in contrarium, quia hęc in dicto decreto penitus reuocantur. Ita *Bonac. de clauſur. quæſt.2. p.12.§.1.num.6.* Et tenor huius decreti talis eſt. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridenti. interpretum, Regularium electorum, & fugitiuorum ſtatus conſulere, illorumque ſcandala ſummouere, & ſuccreſcentem numerum frangere operæ pretium exiſtimans, auditis Religionum ſuperioribus, reque diligentiſſimè perpenſa, communicato etiam conſilio cum Sanct. Dom. Noſtro Vrbano Octauo atque ex peculiari ſanctitatis ſuæ facultate infraſcripta Decreta edidit.*

Ac primò, vt infecta ſemina, è quibus praui eiuſmodi fructus potiſſimum prodeunt deincepſ ne ſeranturin vinea Domini, cenſuit, eſſe innouandas, & Sanctiſs. authoritate innouat Conſtitutiones, & Decreta generalia Sanct. Memor. Clementis VIII. ad Regularium reformationem, ac Nouitiorum receptionem, profeſſionem, atque inſtitutionem ſpectantia, diſtrictèque præcipit Generalibus, atque alijs omnibus Ordinum Superioribus, vt illa exactè obſeruent, atque, vt obſeruentur, efficiant, ſub pœnis ſtatutis in ijſdem conſtitutionibus.

A quibus tamen excipiendum cenſuit, caput illud, quo decernitur, ne in conuentibus, ſeu monaſterijs, ad nouitios recipiendos hactenus deſignatis, & approbatis, ſeu in poſterum deſignandis, & approbandis, Nouitij ad habitum vllatenus recipi poſſint, niſi prius à Congregatione Reformationis Apoſtolicæ, vel à proprijs locorum Ordinarijs expreſsè, & nominatim approbati fuerint. A cuius quidem Decreti obſeruatione S. Congreg. iuſtis de cauſis cenſuit Regulares eſſe abſoluendos, prout, authoritate Sanctiſs. D.N. abſoluit, atque exemit.

Deinde, vt apoſtatandi opportunitas Regularibus præripiatur, ſtatuit, vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem tranſire, niſi prius Superiori legitimè conſtiterit, eam religionem paratam eſſe illum recipere, qui licentiam petit: tumque regularis recta ſe transferat ad arctiorem.

Quod, vt reipſa adimpleatur, idem ſuperior omni ſtudio, ac diligentia inuigilet.

Rurſus ſtatuit, vt fugitiui, & Apoſtatæ, ſine habitum regularem deferant, ſiue non, poſſint ac debeant ab Epiſcopo loci, vbi moram trahunt, in carceres conijci, ac ſuperioribus Regularibus conſignari, ſecundum regularia inſtituta puniendi, vtpote ipſi quoque ſuperiores teneantur eos perquirere, ad religionem educere, atque efficere, vt apprehendantur; ſalua tamen in omnibus facultate Ordinarijs locorum attributa, Decreto Concil. Trident. ſeſ. 6. cap. 3.

Quòd ſi Apoſtatæ huiuſmodi citra montes infra quatuor, vltra montes verò infra octo menſes à præſenti Decreti publicatione inchoandos ſua ſponte ad ſuam quiſque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipſis propter Apoſtaſiam inflictarum, aut infligendarum remiſſionem atque impunitatem aſſequantur.

Ita tamen, vt debeant à ſuperiore abſolutionem humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri. Superior verò è contra benignè illos teneatur excipere, ab huiuſmodi pœnis abſoluere, & paterna charitate complecti.

Ad hæc, vt in poſterum è Religionibus nullus legitimè profeſſus ejici poſſit, niſi ſit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè cenſeatur, niſi non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis diſpoſitione requiruntur, ſublatis hac in parte ſtatutis, & Conſtitutionibus cuiuſque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis: verum etiam vnius anni ſpatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus: proindeque vnaquæque Religio priuatas habeat carceres, in qualibet ſaltem Prouincia. Elapſo autem anno, ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pertinacia perſeuerauerit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putre ejici tandem poſſit, ſed ab ipſomet Generali tantum, de conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus, tumque non niſi inſtructo ſecundum eorum ſtylum, & Conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum.

Interea tamen vſque ad primum generale Capitulum, ſeu Congregationem proximè celebrandam, ſi quempiam ex iuſtis, & neceſſarijs cauſis expellere oportebit, ejectio fieri poſſit à Generali cum conſilio, & aſſenſu ſex Patrum, vt ſupra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menſes à præſentis Decreti publicatione, ſeruata tamen in reliquis forma ſuperius præſcripta.

Sic verò ejecti, quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu Cericali incedant, atque Ordinarij loci iuriſdictioni, & obedientiæ ſubſint, proindeque Generalis illicò expulſionis ſententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

Cæterum Sacra Congregat. Religionum ſuperiores ſeriò admonet, ac per Ieſu Chriſti viſcera obteſtatur, vt memores paternæ charitatis, & manſuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas fratrum ſuorum ferè in profundum malorum delapſas, antequam grauiſſimum atque extremum expulſionis remedium experiantur.

Idque eò magis, quòd ſubditorum ſanguinem, qui ex malo negligentium, & ſui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſupremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus ſit requiſiturus.

Præterea ſtatuit, vt idem Superiores nemini ex Religioſis expulſis literas teſtimoniales concedant, illos ad Sedem Apoſtolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi religionem.

Item vt electi extra Religionem degentes ſint perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum, ſublata Ordinarijs locorum facultate dictam ſuſpenſionem relaxandi aut moderandi.

Ac poſtremò cenſuit, eſſe innouandam, & ſuæ Beatitudinis authoritate innouat Conſtitut. felic. recordat. Greg. IX. relatam in cap. fin. extra de regul. ac præterea declarat, eam Conſtitutionem in ijs quoque vendicare ſibi locum, ſeruandamque eſſe, qui iuſtè, diffinitiuèque, ac iuris ordine ſeruato expulſi fuerint, dummodo tamen in expulſis huiuſmodi ſubſit ſpes euidens emendationis ex literis ſaltem teſtimonialibus Ordinarij, cuius conſcientiam in his literis concedendis S. Congreg. ſerio oneranit.

Ne qua verò difficultas in ſupraſcriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis ſuboriatur, Sacra Congregatio Sanctiſſimo D.N. annuente, atque approbante, vniuerſis Generalibus, Prouincialibus, Commiſſarijs, Miniſtris, Præſidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Guardianis, Vicarijs, & quibuſcumque alijs Superioribus quorumcumq. Ordinum, vel Congregationum, Monaſteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum ac locorum regularium vbique locorum exiſtentium iniungit, ſerióque mandat, vt illa diligenter obſeruent, atque obſeruari procurent, &c. & bis ſaltem in anno legantur in publica menſa.

Si quis verò ipſorum aduerſus ea, quæ ſuperiùs ſcripta ſunt, vel eorum aliquid quoquo modo facere, vel moliri præſumpſerit, ipſo facto pœnam incurrat priuationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, & paſſiuæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa imposterum obtinenda, pœnaque huiuſmodi ſit Sanctitati ſuæ, ac Sedi Apoſtolicæ reſeruata, ijſdem Superiorib., etiam Generalibus, & Protectoribus illam moderandi, ſeu relaxandi poteſtate penitus interdicta, & nihilominus ſit irritum, & inane quicquid ſecus à quoquam actum extiterit. Non obſtantibus, &c.

Datum Romæ die 21. Septembr. 1624.

C. Card. de Torres.

Locus † ſigilli

Proſper Fagnanus Sacræ Congregationis Secr.

Ex verbis huius decreti ſatis conſtat Prælatorum obligatio, non ſolùm Abbatum ac Præſidentium Generalium, vel aliorum, qui Capitulis Generalibus præſident, verùm etiam localium Prælatorum.

Cæterum illud decretum *d. ca. final. de regul.* cùm ſit iuris humani, quod annualem perquiſitionem, videtur conſuetudine abrogatum fuiſſe. Prælati enim regulares Religioſos fugitiuos, & apoſtatas quotannis non perquirunt, nec ad clauſtrum eos renocare ſtudent, neque illa circumſtantia de annuali perquiſitione

ne

ne videatur moraliter neceſſaria: nam vel nullus adeſt fugitiuus, & tunc non eſt, quod perquirant; vel ſi aliquis aufugit, & eo caſu non debent expectare tempus vnius anni ad illum inquirendum; ſed ſtatim diligenter eius reuocationem, & reductionem ad clauſtrum curare: quod ſi nihilominus tunc capi nequeat, ſingulis annis illum perquirere, nec etiam neceſſarium videtur; ſed ſufficiet inuigilare, ac poſſibilem diligentiam iuxta occurrentes occaſiones adhibere. Vide Suar. *tom.4. de relig.tr. 8.lib.3.c.3.num.17.*

Religioſi autem apoſtatæ, & fugitiui ad proprium ordinem reuertentes, humiliter, vt admittantur, & recipiantur petentes; benignè, non autem rigidè, & cum aſperitate recipiendi ſunt, vt continetur in hoc decreto: quia Eccleſia nulli viſcera miſericordiæ claudit, vtcumque peccator ſit, dummodo conuertatur, & pœnitentiam agat: ſi autem mox ad ſanam mentem non redierint, terroribus ac minis inducendi ſunt, & iuxta ſuorum delictorum, ſeu potius infirmitatis indigentiam, remedia illis ſunt applicanda.

4. Quamuis attento iuris communis rigore, monialis etiam expelli poſſit propter incorrigibilitatem, ſi adeò incorrigibilis eſſet, vt in nullo Monaſterio eius reformatio, & correctio ſperaretur, quia rationes quæ militant ad probandum licitam eſſe regularium electionem, eamdem vim habent in Monialibus: tamen conſultum non eſt, neque conſuetum, vt Monialis profeſſa ob crimen expellatur; ſed potius ſi aliter corrigi non poſſit, in perpetuo carcere detineri debet, ne alijs offendiculo ſit, & grauem anſam afferret multis Monialibus, quæ in Monaſterijs ſunt, & facilè mutantur, vt ſe incorrigibiles fingerent, vt Monaſterium deſererent. Layman *l.4.tr.5.c.13.num.1. Sanch.l.6.mor. c.9.num.6. Bonac.c.num.9.*

5. Secundùm probabilem quorumdam Doctorum ſententiam expelli poteſt religioſus, in pœnam peccati, qui profeſſionem emiſit recto aliquo impedimento, quod in illa religione cenſetur eſſentiale, vel valdè graue, vt ſi quis morbo epileptico laboret, aut gallico, vel ſimili contagioſo; & ratio eſt, tum quia dolus dedit cauſam admiſſioni, ac proinde Monaſterium non tenetur eum retinere; & hoc præſertim, ſi in ea religione extet ſtatutum à Sede Apoſtolica profectum, vel ab eadem approbatum talem reddens inhabilem ad ordinem, imò in hoc caſu profeſſio eſſet irrita. Nauar. *lib.1.conſil.25. de regul. Sà ver.religio, num.34. Leſ.c.num.106. Rodriqu.t.2.ſum.cap.6.num.3. Laym. c.num.1.*

Tum quia cùm Superiores declarent ſe nolle eſſe obligatos ad retinendum taliter profeſſos qui rogati occultarunt talem morbum, clarè, & aperte dicunt ſe non præſtare conſenſum; eò quòd ſicuti ex aſſenſus conceſſione conſurgit obligatio retinendi, ita ex declaratione non ſe obligandi ad retinendum aperte conſurgit negatio conſenſus: ergo nulla erit profeſſio ſupradicti religioſi. Ita in terminis docent noſter Bartholom. à Vecch. *in praxi nouitiorum diſp.13.dub.15.num.8.9.10.11. Suar.de relig tom. 4.trac.10.lib.2.cap.1.num.28.& 29. & cap 3.num.5. Diana p.4. tr.4.reſol.188.* & alij, qui exinde adnotant.

Primò, Nouitium tali morbo laborantem, lethaliter peccare, & eſſe abſolutionis incapacem, donec vel morbum Superiori aperiat, vel è Monaſterio egrediatur. *Secundo*, præfatum tamen dictis morbis laborantem, & cuius profeſſio eſt irrita in noſtra Sacra religione, & in quibuſdam alijs non eſſe obligatum ad religionem in genere, nec vllam ex tali profeſſione, inducì obligationem, niſi profitens peculiari intentione voluerit tunc aliquod votum efficere, quia poterat eo ſe ligare; quod tamen votum non dicitur validum, tanquam aliquid profeſſionis, ſed vt votum ſimplex.

Tertiò, Prouincialibus integrum non eſſe diſpenſare in iſto decreto Conſtitutionum noſtrarum, tum quia eſt diſpenſatio inſolita, & de re valdè graui; tum quia etſi ratione conſuetudinis diſpenſent in alijs conditionibus à Conſtitutionibus requiſitis quoad Nouitiorum receptionem, in hac tamen maximè conſiderationis minimè diſpenſant. Vnde in hoc caſu ſolus Miniſter Generalis diſpenſare poteſt accedente aliqua admodum graui, & legitima cauſa. In facti contingentia conſulantur Noſter Vecch. *dub.*15. per totum. Sylu. *in ſuis reſolutionibus v. Profeſſio monaſtica 5.p.1.*

6. Hoc tempore *facultas expellendi* religioſos pertinet ſolùm ad Generalem de conſilio & aſſenſu ſex patrum ex grauioribus religionis eligendorum in ſingulis Capitulis vel Congregationibus generalibus. Bonac. *c.num.*15. Tunque non niſi inſtructo ſecundum eius religionis ſtylum, & conſtitutiones proceſſu, & plenè probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum: non obſtantibus in contrarium conſtitutionibus, ſtatutis conſuetudinibus, vel priuilegijs, tam in iure quàm extra, ſub quibuſcumque formis, etiam in limine fundationis conceſſis, vt habetur in præfato Congregationis decreto.

7. *Religioſus* per ſententiam à religione eiectus tenetur petere vt iterum in Monaſterium admittatur, vnde ad hunc finem tenetur ſuos deprauatos mores corrigere, & emendare. Clau. Regia *lib.*10. *ca.*9. *num.*25. & 27. *Reginald.lib.*18. *numero* 417. *Leſ.c.num.*115. Quia quamdiu deprauatos mores ſuos non corrigit, per ipſum ſtat, ne votum perſeuerantiæ in religione adimpleat; tum quia commodum ex ſuo delicto referre non debet: Contra Rodriq.2.*par.cap.*97.*num.*11. Sà *v.relig.nu.*40. *Azor.c. c.*17.*qu.*1. *Diana de dub.reg.reſol.*60.*p.*3. Arbitrantes religioſum iuſtè in perpetuum eiectum liberari à poteſtate ſuperiorum, neque teneri ad religionem redire, etiamſi à ſuperioribus religionis redire cogatur.

8. *Religioſus* profeſſus à religione eiectus, tenetur vota religionis ſubſtantialia ſeruare, quia perſpicuum eſt apud omnes, religioſum eiectum obſtrictum manere voto caſtitatis, conſequenter inualidè matrimon. contrahere. Rodriq. *tom.*1.*qq.*30. *art.*29. *Sanch.l.*6.*moral.cap.*29.*num.*23. *Diana c.reſol.*60. Ergo etiam alijs votis ſolemnibus obſtrictus remanet, cùm par ſit omnium ratio: *Quoad* votum paupertatis attinet, earum rerum quas acquirit, ſolum vſum & adminiſtrationem ſibi vendicare poteſt. Sà *v.relig.num.*40.

Tamè ſi aliquid inutiliter expendat aut ad actus turpes, & inhoneſtos, vt in meretrices inſumat, nõ peccat cõtra paupertatis votum, iuxta probabilem quorumdam Doctorum ſententiam, vt *Molinę t.2.diſput.*176. *Leſ.c.numero* 113. Sanch. *c.num.*47. *Laym.l.4.trac.5.cap.*13.*num.*2. Quia tota commoditas interim dum viuit ita ei relinquitur, ac ſi religioſus non eſſet, ita vſu & experientia comprobatum eſt; religio enim à qua eiectus fuit, nullam de huiuſmodi bonorum adminiſtratione curam habere conſueuit: tamen de illis bonis teſtari non poteſt, quia iure ad hoc inhabilis eſt, cùm reipſa illorum bonorum dominus non ſit. *De dominio* verò rerum ab eiecto acquiſitarum, exiſtimant Nauar. *comment.2.de regul.num.*33. *Azor.c.cap.*16.*quæſt.*8. Eas non Monaſterio, è quo eiectus eſt, ſed Eccleſiæ acquiri, ſeu diœceſanæ, ſi alicubi beneficium habet: ſeu Romanæ, ſi beneficium nullum habeat: ideòque hoc caſu bona, tanquam vacantia, à Papa vel Epiſcopo poſt mortem Religioſi eiecti, vendicari poſſe: hæc ſententia eſt probabilis: *Verius* tamen & meritò putatur à Molina *c.diſput.*140. *Leſſius c.num.*112. *Bonac.de clauſ. quæſt.*2. *p.*12.§.7.

Talem eiectum acquirere Monaſterio, vel dominium, ſi eſt capax, vel ſaltem commoditatem poſt mortem ſuam, ſi non eſt capax, quia Monaſterium per iuſtam eiectionem non debet priuari iure, quod ante habebat in omnia acquiſita à profeſſo tuo.

Denique quod attinet ad votum obedientiæ, dicendum eſt, ſecundùm communem ſententiam, eiectum non eſſe ſolutum voto ſubſtantiali obedientiæ, comparatione regularis Prælati, quãuis magna ex parte ceſſet eius executio, ob defectum materiæ, quia de facto non habet ſuperiorem à quo dirigatur; nihilominùs manet voto obligatus virtualiter, & paratus eſſe debet obedire, ſi in ordinem iterum recipiatur. Sanch. *c.num.*27. *Laym.c. n.*4. *Leſ.c.n.*115. Et verius eſt talem eiectum nõ reicidere in obedientiam Epiſcopi, ex vi ſui voti, & profeſſionis, *Molin.diſput.* 140. *Azor.c.l.*12.*cap.*16. *qu.*11. Contra Nauarr. ſed ſolùm tenetur illi obedire, ſicut alij de Clericis, ſic enim toto orbe vſu receptum eſt.

9. *Quamuis probabile ſit*, religioſum eiectum non liberari ab alijs ſuæ regulæ obſeruationibus, puta ieiunijs, delectu ciborum, item Horis Canonicis, ſi in Sacris conſtitutus non ſit. Nauarr. *cap.*7.*num.*20. *de orat.* Sà *v.relig.num.*40. *Mirand.quæſt.*52. *art.*5. *Rodriqu.t.*1.*qu.*30.*art.*20. *Portel de dub.regul. v. Ejicere ab ordine num.*5. Quia eiectus non liberatur profeſſione, & ſtatu Monaſtico, ergo neque regulis, & obſeruantijs Monaſticis, ad quas ratione ſtatus, & profeſſionis ſuæ in Monaſterio ſub peccato mortali obligatus fuerat, & nunc quoque extrà Monaſterium ſine magna difficultate præſtare poteſt, vti eſt officium Canonicum, certa ieiunia, &c. Laym. *c.num.*5. *Leſ.l.*2. *ca.*37. *nu.* 50. *Diana de dub.reg.reſol.*116.

Contraria tamen *ſententia* eſt probabilior & in praxi tuta, quia Monaſticæ illæ obſeruationes non comitantur profeſſionem trium ſubſtantialium votorum abſolutè, ſed quatenus ſeruari debent ſub regula, ſeu ſtatu vitæ regularis, à quo tamen ille

ex-

expulsus est. Sanch. *c. cap. 9. num. 55. Bonac. c. §. 5. num. 2. Verumtamen* sicuti religiosus factus Episcopus habitum suæ religionis secundum Sacros Canones ferre debet, ita etiam eiectus, nisi eo, vt plerumque fieri solet, in criminis pœnam etiam spoliatus sit.

10. *Religiosus* in perpetuum eiectus non tenetur aliam religionem ingredi, si prior illum nolit iterum admittere, nisi forte eiectus fuerit sub hac conditione, vt ad aliam transiret; tunc enim teneretur adimplere conditionem, quam promisit: Rodriq. *c. qu. 30. art. 22.* Sanch. *c. num. 34. Less. cap. 41. num. 111.* Si verò ad aliam Religionem non tranieat, tenetur redire ad primam. Rodriq. *c. art. 23.* Sanch. *c. num. 42.*

Notandum tamen est religiosum eiectum cogi non posse ab eijciente, vel à Summo Pontif. vt ad aliam religionem transeat; quia sicut nullus potest cogi ad matrimon. ita ad religionem, cum sit status perpetuus, qui voluntariè & sponte, non coactè assumi debet.

11. *Religiosus* à religione eiectus, suspensus est, quamdiu iterum non recipitur vel ad aliam religionem non transit. Bonacin. *de clausur. quæst. 2. p. 12. §. 6. Hæc* verò *suspensio* repellit ab exercitio ordinum tam maiorum, quàm minorum, & impedit ne ad superiores ordines ascendere possit; nec potest *eiectus* beneficium recipere, cui adnexus sit aliquis ordo, seu functio ordinis; *suspensus* enim ab exercitio ordinum, suspenditur etiam à beneficio cui ordo adnexus est: vnde si eiectus celebret aut functionem aliquam sacrorum ordinum exerceat, irregularis efficitur propter violationem censuræ: *Absolutus* aut moderatio illius suspensionis à Summo Pontifice reseruata est. Ita sancitum fuit à Sacra Cardinalium Congregatione de facultate Summi Pont. Vrb. VIII. die 21. Septembr. 1624. *supra.*

12. *Fugitiuus à religione* dicitur, qui à Monasterio ad tempus discedit, non animo recedendi à religione, sed intentione postea redeundi; vt si fugiat ob Prælati merum, & rigorem, vel ob vagandi voluntatem, aut alia simili de causa: & hoc verum est siue fugiat cum habito, siue illo dimisso: vnde non idem est *Apostata, & fugitiuus*, quamuis enim omnis Apostata sit fugitiuus, non tamen omnis fugitiuus est apostata; consequenter neque subijcitur pœnis contra Apostatas impositis, etiamsi habitum alijs vestibus tegat. *Arragon. 2. 2. quæs. 12. art. 1. Sanch. l. 6. mor. cap. 8. num. 2. & 5. Rodriq. 1. 1. quæs. 30. art. 2. & 3. Azor. c. cap. 16. Lessius c. c. 41. num. 109.*

13. Religiosus in carcere inclusus, seu perpetuo carceri damnatus, censendus est fugitiuus si è carcere fugiat; quia recedit à Monasterio absque debita licentia: *Bann. 2. 2. qu. 69. art. 4. Rodriqu. tom. 2. qu. 23. ar. 6. Sanch. c. cap. 8. num. 12.* Et licet valdè probabilis sit sententia Doctorum asserentium seculares licite posse è carcere fugere: religioso tamen, regulariter loquendo, ius non competit fugiendi: quia exeundi aut vagandi potestate se priuauit in professione. Less. *lib. 2. cap. 31. dub. 5. num. 34. Sanch. c. num. 15. Nauarr. comm. 4. de regul. num 64. Tambur. 3. de iur. Abbat. disp. 8. q. 2.*

Nonnulli autem sunt *casus* in quibus religiosus fugiendo non censetur fugitiuus, *vt si* damnatus sit carceri, & postea mors aut mutilatio ei inferenda sit, ius enim naturæ illi tribuit facultatem vitam, & membra tuendi: *idem dicendum*, si sententia sit iniusta, *aut si* religiosus tanta pœna dignus non sit; *aut si* sententia quidem iusta sit, modus tamen exequendi sit iniustus, reus enim non tenetur in conscientia huiusmodi sententiæ obedire.

14. An autem *censendus* sit *fugitiuus religiosus* damnatus ad triremes, si inde fugiat ne cruciatus, & molestias eius status ferat, plurimi affirmant censendum esse fugitiuum, sicut de fugiente a carcere dictum est. *Clauis regia lib. 12. cap 18. num. 14.* Sanch. *Oppositum* tamen non est improbabile; quia multi æquiori animo terrent aliquod sibi membrum vna vice amputari, quàm in triremibus longo tempore torqueri; nam hoc genus pœnæ, perpetuæ morti comparatur. Bonac. *c. p. 11. §. 1. num. 8. L. penultima ff. de regul. iur.* Tum quia homines damnati ad triremes, non supponuntur ibi, vt sponte maneant; sed vt inuiti patiantur, & cùm ex impulso naturali detur omnibus animantibus, vt à simili coercitione liberentur, manifestè sequitur, damnatum ad triremes, non esse fugitiuum, si fugam accipiat. Ita etiam Bann. *2. 2. q. 69. art. 4. post. 5. concl.*

15. *Religiosus* confugiens ad superiorem absque licentia immediati superioris, vt eximatur ab iniqua vexatione, quam iniuste ab immediato superiore patitur, non est censendus fugitiuus nec pœnis fugitiuorum puniri debet. *Rodriq. 1. 1. quæst. 30. art. 4. Azor. c. cap 11. qu 7. & 8. Clauis reg. c. cap. 17. num. 4. Sà v. religio num. 71. Nauarr. comment. 2. de regul. num. 61. Diana de dub. regul. resolut. 56. & 115. p. 3. Syln. p. 1. resol. var. v. Appellatio. Port. in addit. ad dub. reg. v. Habitus n. 3.*

Modò certo constet de iniqua vexatione, nec alia ratione valeat se ab illa eximere, quàm adeundo superiorem; nam iure naturæ cuilibet competit sua defensio, nec hoc est contra Tridentinum *sess. 25. cap. 4. de regularibus.* Quod vetat omnibus religiosis recedere à suis Conuentibus etiam ob causam adeundi superiorem: nam respondetur, inquit *Rodriquez*, non esse credendum Concilium voluisse derogare tam iustam cõclusionem tam graui ratione nitentem, præsertim quod non est petenda licentia ab eo, ad cuius grauamen tollendum pergitur ad superiorem, & quod adire superiorem ob iustum grauamen habet vim appellationis apud religiosos, à quorum superioribus posse appellari verbo vel facto irretractabiliter probant Doctores.

Licet contrarium teneat Bann. *2. 2. qu. 12. art. 1.* cuius opinionem posse sequi videtur, casu quo non constet de iniustitia grauaminis, & hoc ratione scandali: & iuxta hoc debet explicari quidquid circa hoc determinatum est pro regularibus. Et licet Ordinarius iustè posset capere talem regularem per suum territorium transeuntem, iuxta tenorem prædicti Concilij, non tamen iustè retinere, nec punire (arbitratur *Diana p. 3. tr. 2. resol. 56. & 115. Bordon. in conf. regul. resol. 41. num. 15. & 16.*) si fidem faceret, se grauatum appellasse, vel de grauamine protestatum iter arripuisse ad Superiorem, & ideò licentiam scriptam non deferre: quia non est verisimile voluisse Concilium punire actus licitos, & vt non possit iusta de causa recurri ad superiorem. Huic sententiæ præter Doctores recensitos subscribit Sanctarellus *tract. de Apostasia cap. 3. dub. 1. num. 11.* Quantam autem vim habeat argumentum à verisimilitudine, ex eo liquet; quòd verisimilitudo est quid connaturale naturæ discursiuæ, vt ait Baldus *consil. 180. num. 1. volum. 3.* & habetur pro lege, vt dicit Oldradus *cons. 13.* quos sequitur Crauetta *consil 162 num. 6.* Qui ex hoc infert, qui habet verisimilitudinem pro se, habet decisionem legis etiam pro se, prout latè tradunt *Eurardus*, & *Tiraquellus*, quos citat *Rodriques tomo primo qq. regul. quæstione 20. articulo 9.*

Idem dicendum est, de religioso ad amicum, vel alium confugiente, vt eum deprecatorem apud Superiorem habeat. *L. Quid si fugiunt*, §. *sin autem ff. de Aedilit. edict.* Quæ omnia vera intelligenda sunt, nisi ex illa fuga scandalum, ac perturbatio in Religione oriantur, vt ait Rodriquez, *tom. 1. Summ. ca. 43. num. 1.* & scandalum, & perturbatio tanti essent momenti, vt superarent defensionem illius religiosi, adeò vt illi anteponenda essent, vt docent Sanch. *lib. 6. moral. cap. 8. num. 17. Tamburin. tom. 3. de iur. Abbat. disputatione 8. quæst.* & alij communiter.

Vide v. *Appellare* num. 1. 10. *Apostasia* num. 5. *Hora Canonica* 1. num 7.

RELIGIO VII.

De religione, vt est virtus.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit religio?*
2. *Quodnam sit materiale, & formale obiectum religionis?*
3. *Quomodo religio distinguatur ab alijs virtutibus?*
4. *An religio distinguatur à Dulia?*
5. *Omnes actus omnium virtutum aliquo modo possunt spectare ad virtutem religionis.*

1. REligio est *virtus moralis, quæ debitum cultum Deo tãquam primo rerum omnium principio exhibet*: dicitur *virtus*, quia efficit bonum eum qui illam possidet; eiusque opus bonum reddit & laudabile, laudabile enim est Deum colere. D. Thom. *2. 2. quæst. 81. art. 1. 2. & 3. Becan. ibid. quæs. 1. Less. libro 2. cap. 36. dubio primo. Fillinc. tract. 23. cap. 1. q. 1. Syln. 2. 2. quæs. 81. artic. 2.*

Secundò, dicitur *moralis*, quia Dei excellentia quæ colitur virtute religionis, respicit Deum quatenus est auctor naturæ, qui cultus ex natura rei est conformis creaturæ rationali.

Tertiò, dicitur *quæ debitum cultum*, &c. cultus idem est hoc loco,

loco, quod honor, non ſimpliciter, ſed cum quadam ſubmiſſione noſtri, exhibitus: quam ſubmiſſionem honor in genere non includit.

Quartò, dicitur *tanquam primo rerum*, &c. his verbis ſignificatur ſimul cauſa, cur Deus hoc cultu ſit dignus (ratio enim primi principij includit, vel ſupponit omnem excellentiam perfectionis) & cur à creatura ei ſit debitus. Vbi nota, ſicut hominibus ob potentiam, ſapientiam, virtutem, & quamuis excellentiam perfectionis debetur honor, id eſt, exhibitio reuerentiæ, qua teſtamur eorum excellentiam, & regibus debetur tributum, quo illorum poteſtatem & noſtram ſubiectionem teſtamur, ita Deo ob ſingularem & infinitam excellentiam, in omni genere perfectionis, quam habet, vt primum omnium bonorum principium: ad hunc autem honorem exhibendum inclinat latria, ſeu religio. Quæ dicitur, vel à reeligendo, ſeu à frequenti electione eorum, quæ ad Dei cultum pertinent, vt vult *Iſidor. lib.* 10. *etymol. cap.* 17. ſiue à reeligendo Deum, quem negligenter per peccatum reieceramus, ex *D. Auguſt. l.* 10. *de ciuit. cap.* 4. ſiue à reelegendo, & retractando omnia, quæ ad Dei cultum pertinent ex *Cicer. lib.* 2. *de natura Deorum*, ſiue quod magis placet à religando nos Deo, vt vult Lactantius, *libro nono diuin. Inſtit. capit.* 28.

2. *Proximum* religionis *obiectum* non eſt Deus, ſed remotum quodammodo, & indirectum, dicitur obiectum cui. *Obiectum* verò *materiale* huius virtutis, ſunt actiones humanæ quibus deferimus honorem, & reuerentiam Deo: & comprehenduntur nomine diuini cultus, quia in virtutibus moralibus ijdem actus externi qui fiunt ab internis, ſecundùm ſe ſumpti, & vt priores in ordine intentionis, ſunt materia tallum virtutum. *Obiectum* autem *formale* religionis eſt, reddere Deo cultum debitum, quia munus iuſtitiæ eſt reddere debitum; religio autem eſt pars poteſtatiua iuſtitiæ: quoniam autem *duplex* eſt *debitum*, *legale*, & *morale*, debitum religionis proprié eſt morale, fundatur enim in honeſtate virtutis, quod prius eſt debito legali. Suarez *tom.* 1. *de relig. libro* 1. *cap.* 3. 7. & 9. *Caietan.* 2. 2. *quæſtio.* 81. *art.* 2. 3. 4. & 5. *Filliuc. c. quæſt.* 2. *Leſ. c. num.* 10. *Becan.* 2. 2. *queſt.* 81. *cit. qu.* 2.

3. *Religio* diſtinguitur ab ijs virtutibus, quæ hominem rectè componunt in ſeipſo, ſeu non ad alterum, vt à temperantia, fortitudine: *diſtinguitur* etiam ab omnibus ijs, quæ hominem diſponunt in officijs ad proximum, vt à miſericordia, & iuſtitia particulari, quia religio diſponit hominem ad Deum: *diſtinguitur* etiam à virtutibus Theologicis. A fide quidem, quia fides eſt virtus intellectus, religio affectu: ſæpè tamen fides vocatur religio, quia eſt religionis fundamentum, & regula. *A ſpe*, & *charitate* diſtinguitur, quia hæ virtutes immediatè attingunt ipſum Deum tamquam proprium obiectum: *religio* verò non verſatur immediatè circa Deum, ſed circa cultum Dei, id eſt, circa ſigna interna vel externa, quibus Deus honoratur & colitur. D. Thom. *c. art.* 4. & 5 *Suar. c. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. *Leſ. c. dub.* 2. *num.* 7. 8. & 9. *Filliuc. tract.* 23 *cap.* 1. *qu.* 3. *Sylu. c. artic.* 4. *Becan. c. quæſt.* 3.

4. *Religio* diſtinguitur ab illa virtute, qua coluntur ſancti; ſi ipſi ſancti colantur ob intrinſecam excellentiam, & perfectionem quæ in ipſis eſt, vt propter viſionem Dei, ſanctitatem, charitatem, ſtatumque beatum; hæc enim virtus vocatur à Theologis, *Dulia*: quia excellentia eiuſmodi ſanctorum creata eſt; vbi autem eſt diuerſum genus excellentiæ, dignum per ſe honore, etiam erit diſtincta virtus, quæ illud reſpiciat; cùm ergo religio reſpiciat excellentiam increatam, & propter eam cultum deferat, ſequitur etiam eſſe diſtinctam virtutem: ſi verò ſancti colantur propter excellentiam increatam Dei, ad quam ipſi aliquem reſpectum habent; ſic eadem virtute coluntur, qua colitur Deus. Vide D. Thom. *c. art.* 4. *Suar. c. l.* 3. *cap.* 5. *Filliuc. c. q.* 4. *Leſ. c. dub.* 3. *Becan. q.* 4.

5. Omnes actus omnium virtutum aliquo modo poſſunt ſpectare ad virtutem religionis, quatenus videlicet ab ea poſſunt imperari, ſeu in cultum, & gloriam Dei referri: quia cùm homo eſt rectè affectus per religionem erga gloriam, & cultum Dei, poteſt facilè excitari ad exercendos actus aliarum virtutum in eum finem, vt gloriam Deo afferant: Proprié tamen illi actus ſunt virtutis religionis, ſeu ab ea proximè eliciuntur, qui peculiariter continent quandam ſubiectionem creaturæ erga Deum ſupremum omnium Dominum, ſeu qui proprié ſunt ſigna diuinæ excellentiæ, & principatus, & noſtræ infra Deum ſubiectionis. Vnde iuxta diuerſitatem eorum, quæ Deo ſubijciuntur ab homine, diuerſi ſunt actus religionis. Triplex eſt autem bonum hominis, quo per religionem ſubijcitur Deo: Primum eſt, bonum mentis ſpirituale, & hoc ſubijcitur Deo, *primò*, per actum deuotionis: quæ nihil eſt aliud, quàm feruor & promptitudo voluntatis ad diuinum cultum: quę naſcitur ex conſideratione diuinæ excellentiæ ſeu affluentiæ bonorum, quæ perenniter ab ea in nos dimanant: & ex conſideratione noſtræ inopiæ & miſeriæ, quam ex nobiſipſis habemus. *Secundò*, bonum mentis noſtræ ſpirituale ſubijcitur Deo per orationem, quæ eſt applicatio noſtri deſiderij apud Deum, vt aliquid ab ipſo impetremus. *Tertiò*, bonum mentis noſtræ ſpirituale ſubijcitur Deo per actum vouendi, per actum iurandi, per vſum Sacramentorum. Alterum bonum eſt, externum corporis noſtri, & hoc ſubijcimus Deo per exteriorem adorationem, vt genuflectionem, proſtrationem, capitis detectionem, &c. Tertium eſt bonum quoduis externum, ad hominis dominium pertinens, vt primitiæ, panis, vinum, aurum, argentum, lapides pretioſi, &c. Et hoc ſubijci poteſt tripliciter.

Primò, offerendo huiuſmodi bona externa immediatè ipſi Deo, ita vt non cadant immediatè in alicuius hominis vſum, ſed omninò Deo conſecrentur, faciendo aliquid circa illa in Dei honorem. *Secundò*, offerendo illa Deo mediatè videlicet dando illa Dei miniſtris, quatenus Dei locum tenent & mediatores quodammodo ſunt Dei, & hominum, in quorum vſus cedunt.

Tertiò, offerendo hæc bona Deo adhuc magis mediatè conferendo, videlicet, illa Dei miniſtris: & ſic ſubijciuntur bona externa Deo per decimarum ſolutionem; licet enim ſolutio decimarum non ſit actus religionis elicitus, nam proprié pertinet ad iuſtitiam commutatiuam, includit tamen ac poſtulat imperari à virtute religionis: ſoluimus enim decimas, vt cultus diuinus foueatur: vnde eſt implicita religionis profeſſio, & diuinitatis honoratio. *De his omnibus actibus ſuis locis, & titulis in particulari agitur.*

Vide verb. *Adoratio*, *Iuramentum*, *Superſtitio*, *Decimæ*, *Oratio*.

REPRESSALIÆ.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſint repreſſaliæ?*
2. *Quis poſſit concedere repreſſalias? Et quam ob cauſam?*
3. *An repreſſaliæ poſſint concedi contra perſonas Eccleſiaſticas vel earum bona?*
4. *An qui alicui facit facultatem vt poſſit à Clerico ſibi debitore tantumdem ſibi accipere, quantum ſibi debetur, incurrat cenſuras?*

1. REpreſſaliæ dicuntur à re & præbendo, quaſi iteratæ apprehenſiones. Sunt igitur *repreſſaliæ poteſtas capiendi, & detinendi aliena, collata à principe, vel ciuitate in recompenſationem damni vel iniuriarum*; & aliquando pro delicto vnius conceditur contra omnes de terra eius; vt autem ſint licitæ in conſcientia, requiritur, Authoritas ſuperioris, cauſa iuſta concedendi, & intentio recta eius cui conceduntur. Syluester *ver. repreſſalia numero primo. Filliuc. tract.* 14. *numero* 66. *Layman lib.* 2. *tract.* 3. *cap.* 12. *numero* 13. *Sylu.* 2. 2. *queſt.* 40. *artic.* 1. *quæſit.* 3.

2. Iure communi Superior cuius authoritate poſſunt concedi repreſſaliæ, ille eſt, qui non habet ſuperiorem, vel is, cui per iuſta ſtatuta hoc eſt conceſſum. *L. Hoſtes ff. de captiu. Iuſta* autem *cauſa* concedendi repreſſalias, ſecundùm ius, eſt, ſi ciuitas aut gens, vel dominus vindicare negligit quod à ſuis improbè geſtum eſt: requiritur autem vt damnum propter quod conceduntur, ſit notabile, & quod dominus aut ciuitas vel gens requiratur vt emendet, & nolit vel negligat, & de hoc defectu iuſtitiæ conſtet; quocirca cum repreſſaliæ ſint quædam ſpecies belli, ideò ſine neceſſitate non ſunt concedendæ; cùm ſint periculoſæ, & occaſionem præbeant rapinarum circa bona innocentium. Sa *v. repreſſalia. Sylu. c. num.* 2. *Caiet. v. repreſſaliæ. Bonac. tom.* 3. *d.* 2. *quæſt.* 2. *punct.* 22. *Victor. de iure belli numero* 41. *Diana* 4. *p.* 4. *reſolutio.* 72.

3. *Prohibitum* eſt ſub pœna excommunicationis ipſo iure lata in perſonas ſingulares, interdicti verò in communitatem, ne contra perſonas Eccleſiaſticas vel bona earum repreſſaliæ concedantur, aut extendantur: niſi talem præſumptam licentiam

intra

intra menſem poſt diem conceſſionis aut extenſionis reuocent: & exequentes intra menſem reſtituerint. Cap. *vnico, de treuga in 6. Filliuc. c. n. 66. Bonac. c. p. 22.*

4. Qui alicui facit facultatem, vt poſſit à Clerico ſibi debitore tantumdem ſibi accipere, quantum ſibi debetur, non incurrit cenſuras, quia illa non ſunt repreſſaliæ; debet enim ad has vnus grauari pro alio; quod autem quis grauetur pro ſuo debito, non eſt per ſe malum, ſi debito modo fiat; fieri tamen poteſt, vt modus excedatur, vel debitus iuris ordo non ſeruetur, vel Eccleſiaſtica iuriſdictio à laico vsurpetur, conſequenter excommunicatio Bullæ Cœnæ incurratur. *Sayr. de cenſur. li. 3. cap. 34. num. 12. Suar. de cenſur. diſp. 23. ſect. 4. num. 48. Nauar. ca. 27. nu. 136. Filliuc. c. num. 66. Plura de repreſſaliis apud Sylueſt. cit.*

Vide v. *Inuadidum* 6. n. 10.

RESCRIPTVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit reſcriptum & quotuplex?*
2. *Quæ ſit differentia inter reſcriptum gratiæ, & iuſtitiæ? & vt in illo poſſit intercenire ſubreptio?*

1. RESCRIPTVM dicitur quaſi denuò vel iterato ſcriptum, ſignificat aliquid ſcriptum ſecundò, id eſt, poſt ius commune. *Reſcriptum Principis* aliud eſt *gratiæ*, aliud *Iuſtitiæ*. *Prius* dicitur, quod ad beneficia, diſpenſationes, & alias quaſcunque gratias obtinendas conceditur. *Poſterius* autem, quod ad lites forenſes impetratur, vt ad committendam cauſam iudici in foro externo decidendam. Sylueſt. *v. reſcriptum. Sanch. de matr. lib. 8. diſp. 21. n. 1. Laym. l. 1. tr. 4. c. 22. n. 17.*

2. *Præcipua differentia* inter reſcriptum gratiæ, & iuſtitiæ, eſt; quòd reſcriptum gratiæ per ſubreptionem obtentum, eſt ipſo iure irritum: quare quidquid virtute illius factum fuerit, nullius prorſus eſt momenti: ſecus autem de reſcripto iuſtitiæ, quod validum eſt, donec ope exceptionis elidatur, id eſt, donec aduersarius contra quem impetratum eſt, excipiat, allegans illud eſſe ſubreptitium; quare proceſſus virtute illius factus, validus erit, ſi de ſubreptione minimè excipiatur: Cap. *fin. de filijs preſb. in 6. C. ſi autem, C. plerumque de reſcript. Sanch. c. n. 3. Conninch. tom. 2. diſp. 33. dub. 6. n. 56. Laym. c. n. 17.*

Ratio differentiæ eſt, quod literæ iuſtitiæ comparantur contractibus ſtricti iuris, ac literæ gratiæ contractibus bonæ fidei; quare ſicut ſubreptio dans cauſam contractui ſtricti iuris, non reddit ipſo iure irritum, ſed irritandum, ſecus de contractu bonæ fidei; ſic ſubreptio non reddit ipſo iure irritas literas iuſtitiæ, ſed ope exceptionis irritandas, ſecus de literis gratiæ. Menoch. *de arbitr. l. 2. centur. 3. caſ. 201. n. 10. & ſeqq. Subreptitium* autem eſt reſcriptum quoties malè impetratur, ſiue tacita veritate neceſſariò explicanda, ſiue falſum ad rem conferens in precibus narrando. *Multa* Sanch. *de reſcriptis ſubreptitijs li. 8. d. 21.* & Laym. *lib. 1. tr. 4. cap. 22.*

RESIDENTIA.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit reſidentia in beneficijs?*
2. *Qui beneficiarij obligentur ad reſidentiam?*
3. *An parochus ſatisfaciat præcepto reſidendi, ſi dum intra parochiæ ambitum commoratur, animarum tamen curam non exerceat?*
4. *An beneficiarij habentes curam animarum teneantur iure diuino naturali, & Canonico ad reſidentiam, & ſeruitium perſonale?*
5. *An in habentibus dignitates in Cathedralibus, vel Collegiatis, Canonicatus, prebendas, & portiones, iure Canonico requiratur reſidentia?*
   Et quæ ſint cauſæ excuſantes à reſidentia? & de prima quæ eſt charitas; ſecunda verò, eſt vrgens neceſſitas.
6. *De tertia, & quarta cauſa excuſante, quæ eſt debita obedientia, & eudens Eccleſiæ vel Reip. vtilitas.*
7. *An ſint alia cauſæ excuſantes à reſidentia iure Canonico aſſignata?*
8. *An primus ſit fructibus clericus, ſi à beneficio reſidentiam poſtulante illegitimè abſit?*
   Et quid iuris de parocho non reſidente?
9. *An parochus per breue tempus non reſidens teneatur ad reſtitutionem fructuum temporis abſentis correſpondentium?*
10. *An parochus cenſeatur reſidere ſi maneat in vrbe, & parochia diſtet per tria aut quatuor milliaria? & quid, ſi tantum diſtet per milliare Italicum?*

1. RESIDENTIA ex nomine ſuo iugum, & penè continuam ſeſſionem importat, & poteſt dici, quaſi iterata ſeſſio: in propoſito autem dicitur, *aſſiduitas commorationis in loco beneficij, cauſa ſeruiendi Eccleſiaſtici perſonaliter præſtandi*, ex quo colligi poteſt, ſi Clericus in loco ſui beneficij commoretur quidem, ſed officium numquam præſtet, verbi gratia; Canonicus numquam ad chorum, ad Capitulum veniat, non eſſe cenſendum reſidere, quia truſtranea eſt eius reſidentia, quippe fine, & effectu ſuo deſtituta.

Notandum tamen eſt, licet talis dum culpa ſua à diuinis abeſt incurrat pœnas, ſiue priuationes fructuum, qui præſentibus deputati ſunt, non tamen amittit fructus reſidentiæ. Sylueſt. *v. reſidentia. Azor. 2. par. libro 7. capitulo 7. queſt. 5. Conarr. 3. var. ca. 13. num. 3. Quarranta ver. reſidentia. Layman. lib. 4. tract. 2. cap. 6. num. 1.*

2. *Omnes*, & ſinguli *beneficiarij*, qui onus per ſeipſos in loco beneficij exercere debent, ad reſidentiam obligantur; quia beneficium datur propter officium; ſi ergo officium præſtari nequit abſque reſidentia, ſequitur beneficiarium teneri ad reſidentiam: Cap. *quia nonnulli de Cleric. non reſident. Ediunctr. 42. ca. 6. queſt. 6. Azor. c. lib. 7. cap. 3. Iure* quidem communi ſpectato, omnia beneficia ad reſidentiam obligant: *Conſuetudo* tamen obtinuit vt in ſimplicibus quibuſdam beneficijs non reſideatur: *Habentes* verò parochiales Eccleſias aut etiam Canonicatus in Eccleſijs Cathedralibus, vel Collegiatis, tenentur in loco beneficij reſidere, etiamſi conſuetudo ante Concil. Trid. *ſeſſ. 24. cap. 12. de reform.* inducta fuiſſet non reſidendi: *Leſs. lib. 2. ca. 34. dub. 33. nu. 185. P. Nauar. lib. 2. cap. 2. num. 201. & 219. Layman. c. n. 2.* Tamen decretum Tridentini in multis Eccleſijs præſertim Germaniæ, receptum non eſt, nam alicubi tantùm medio anno, alicubi tribus tantùm menſibus, reſidere coguntur, obtinentes in prædictis Eccleſijs dignitates, canonicatus, præbendas.

3. *Parochus* dum intra parochiæ ambitum commoratur, ſed animarum curam non exercet, non ſatisfacit præcepto reſidendi, quia perinde eſt, ac ſi non reſideret. Reginald. *lib. 30. practat. 3. num. 60. Leſſ. lib. 2 cap. 34. num. 159. Poſſeuinus de off. cur. capit. 1.* Conſequenter ad reſtitutionem fructuum eo tempore perceptorum obligatur; quia *qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. Conar. 3. var. cap. 13. num. 8. Vaſqu. de benefic. ca. 4. §. 2. art. 2. dub. 1. num. 181. Bonac. tr. de reſident. punct. 2. num. 3. Diana tr. de Sacram. reſol. 150. p. 3.*

Similiter Parochus qui intra Parochiæ fines commoratur, ſed animarum curam per alium exerceat, regulariter loquendo, non ſatisfacit formaliter ſuæ obligationi, quia obligatio Parochi eſt, vt reſideat, & per ſeipſum curam animarum exerceat quantùm commodè poteſt, ipſi enim animarum cuſtodia demandatur, vnde Parochus qui omnia parochialia munera per Capellanum ſine legitima cauſa præſtat, grauiter peccat: quia facit contra proprium obligationem in materia graui: Bonac. *c. n. 4. Parochus* tamen licitum eſt aliquando vti alterius Sacerdotis opera in animarum cura adminiſtranda, vt in confeſſionibus excipiendis, in Euchariſtia ad infirmos deferenda, modò ſubditi non contradicant, nec vllum damnum inde accipiant. Garz. *3. par. c. 2. num. 53.* Layman. *c. cap. 6. n. 6. Cordub. l. 1. qq. qu. 20.*

Similiter probabile eſt, ſecundum aliquos Parochum, qui reſidet quidem in parochia, ſed omnia munera parochialia per capellanum, & non per ſeipſum exercet, poſſe fructus percipere, & retinere, modò oues nullum graue detrimentum inde ferant, quia licet formaliter ſuæ obligationi non ſatisfaciat, materialiter tamen ſatisfacit. Vide Sancium *in ſelectis diſp. 47. num. 4.* contra hanc ſententiam docentem fructus nequaquam acquiri Parocho non miniſtranti, quantumuis materialiter reſidenti; quia idem eſt inutiliter adeſſe, quod abeſſet: imò nihil prodeſt Parochi præſentia miniſterio deſtituta, cùm potiùs offendat. Si enim non reſidere pro eodem accipit Concil. Tridentin. *ſeſſ. 23. cap. 1.* quod non ſeruire, & pœna ſit impoſita non reſidenti, ſit, ad reſtitutionem fructuum teneri, ſi non miniſtret. Qua ratione meritò in Cap. *inter corporalia, de tranſlat. Epiſcop.* dicitur illa n

Eccle-

Ecclesiam viduam esse, quæ licet Episcopum habeat (& idem est de Parocho) inutilem tamen perhibetur habere: quis autem inutilior, quàm qui Ecclesiæ suæ non deseruit? Nomine terminus *residere* à re & sedeo derivationem sumit? Vt idem sit residere, quàm rei exequendæ sedere. Hæc *Sanchius* citans multos alios pro hac sententia.

4. In *beneficiarijs* habentibus curam animarum, exigitur iure diuino naturali, & canonico residentia, & seruitium personale: Cap. *licet, de elect. in 6. Azor. c. lib. 7. cap. 3. qu. 1. Filliuc. tr. 41. cap. 6. num. 25. Tamburr. de iure Abbatum. 1. disp. 14. q. 1. num. 3. ratio potissima* ducitur ex officio pastoris, quod personalem requirit præsentiam, & industriam; qui autem curam habent animarum, pastores sunt: *Circa residentiam* verò parochorum *notandum*; *Primò*, etsi probabilis sit opinio Nauar. *ca. 25. num. 121.* posse eos abesse per bimestre absque Ordinarij licentia.

Attamen hodie ex declaratione Sacræ Congregationis non possunt sine licentia. *Garz. c. cap. 2. num. 22. 23. Filliuc. c. num. 26.* Ideò qui sine licentia abfuerit, non facit fructus suos, & tenetur applicare fabricæ seu Ecclesiæ vel pauperibus loci.

Si autem aliqua necessitas se offerat, quæ non patiatur dilationem, potest Parochus abesse non petita licentia, sed quam primum debet facere certiorem Episcopum de causa. *Parochus* tamen dum abest per bimestre, aut maius vel minus tempus, tenetur alium idoneum ministrum in sui locum sufficere, & substituere. Reginald. *c. num. 55. Azor. c. cap. 4. & 5. Less. li. 2. ca. 34. num. 159.*

5. In *beneficiarijs* habentibus dignitates in Cathedralibus, vel collegiatus, Canonicatus, præbendas, & portiones, etiamsi beneficia simplicia sint, iure Canonico requiritur residentia. C. *quis nonnulli, de cler. non resid. & c. fin. de rescript. in 6. Causæ excusantes* à residentia, tum ad breue, tum ad longius tempus, secundùm *Conc. Trident. sess. 23. ca. 1. de reform. quadruplices* sunt: *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, & euidens Ecclesiæ, vel reipublica vtilitas.*

Ad primum caput charitatis Christianæ pertinet, si quis à loco beneficij discedat, adiuuandum Ecclesiam priuatam, ad dirimendum controuersias, litet, simultates, & odia inter priuatos. *Filliuc. tract. 41. cap. 6. numer. 29. Azor. 2. par. l. 7. c. 4.*

Ad secundum caput spectat, si beneficiatus absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem, vel ob persecutionem Tyranni, ob capitales inimicitias, vel ad prosequendam litem super iuribus beneficij, vel ob piam peregrinationem, aut similem honestam causam, impetrata tamen licentia Prælati. Laym. *c. n 5. Garz. p. 3. c. 2. n. 393.*

6. *Ad tertium* caput pertinet, si beneficiarius absit, vt obediat Papæ, vel obsequium debitum præstet Legato, vel Episcopo id imperanti, ad pacem aliquam grauem componendam, ad visitandam diœcesim & similia. *Filliuc. Layman num. 5. cit. Regn. 6. num. 54.*

Ad quartum caput spectat si quis absit ad defendendum ius Ecclesiæ suæ, ad Synodum Generalem, Prouincialem, vel Diœcesanam faciendam. Bonacina *de resident. punct. quinto. Azor. c. quæstio. quinta, & 7. Denique* eiusmodi causæ debebunt approbari à Pontifice vel Metropolitano, vel eo absente ab antiquiore Suffraganeo, qui etiam approbare debebit absentiam Metropolitani, idque in scriptis.

7. *Iure Canonico* assignari solent aliæ *causæ excusantes* à residentia. *Cap. vlt. de magistris. Azor. c. quæst. 3. Garz. 3. p. ca. 2. num. 54. & seqq. Filliuc. c. num. 29. Bonac. c. p 5. num. 16. Primò*, audire Theologiam, vel ius Canonicum ad quinquennium. *Secundò*, docere easdem facultates ad quantumlibet longum tempus; ad docendas autem literas humaniores, & Philosophiam requiritur licentia Episcopi, nisi consuetudo aliud iam in quibusdam locis præscripserit: hodie tamen ex declaratione Sac. Congregat. non excusatur à perceptione fructuum ex causis dictis, & requiritur licentia Papæ cum consensu Ordinarij respectu Parochorum, non verò respectu Canonicorum, & aliorum similium. C. *ad audientiam, de Cler. non resid. & Gloss. in C. inter quatuor, de cler. non resid.*

Tertiò, obsequium duorum Canonicorum, quod præstant Episcopo in Ecclesiæ vtilitatem; & ex consuetudine, idem de obsequio duorum Canonicorum Cardinali sui Tituli. *Quartò*, Legitima licentia ex quauis alia causa iusta.

8. Si Clericus à beneficio residentiam postulante illegitimè absit, fructibus priuandus est; sed causa prius cognita; quare expectari atque citari debet, quòd si contumax existat, etiam beneficio spoliari. *Concil. Trident. sess. 23. cap. 1. de reform.*

An autem Parochus qui non resider, restituere teneatur omnes fructus pro rata absentiæ etiam ante Iudicis sententiam salutem declaratoriam criminis, negare videntur Nauar. *c. 25. n. 12.* Laym *li. 4. tr. 2. cap. 6. num. 6.* Quia lex pœnalis non obligat ante Iudicis sententiam, decretum autem Trident. est pœnale, & positum in pœnam non residentium. Sà *ver. resolui. num. 6. Azor. c. cap. 6 qq. 6. Reginald. c. num. 59. Vasq. de benefic. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 4. num. 154.*

Communis tamen *sententia* habet, Parochum, aut Episcopum, aliumue curam animarum habentem, pœnam priuationis fructuum incurrere, ante vllam Iudicis sententiam: quia licet lex pœnalis, quæ ad sui executionem hominis actionem requirit, non obliget ante Iudicis sententiam, saltem declaratoriam criminis; hoc tamen intelligitur, nisi aliter in ipsa lege cauetur. In Tridentino autem cautum est, vt animarum curator hanc pœnam subeat non expectata vlla declaratione.

9. *Parochus* qui per breue tempus, vt per decem dies in anno, aut etiam per bimestre non resider, non tenetur ad restitutionem fructuum tempori absentiæ respondentium, quia cùm hic per se loquendo, non peccet mortaliter. Nauar. *cap. 25. num. 121. Naldus ver. resident. num. 5. Azor. c. lib. 7. cap. 4. quæst. 9. 10. Reginald. c. num. 55.* Tridentinum huiusmodi absentiam impunè permittere videtur, saltem si absentia iusta de causa sequatur: qui verò iusta de causa vltra bimestre non resider, tenetur solum ad restitutionem fructuum respondentium tempori quod bimestre excedit: quod verum est etiamsi per bimestre abfuerit sine licentia Episcopi: probabile enim est ad absentiam duorum mensium in Parochis non esse necessariam Episcopi licentiam, iuxta Nauarr. Azor. Bonac. *cit. punct. 8. numero octauo, & 9. Sanchius c. num. 5.*

10. Parochus non resider si maneat in Vrbe, & parochia distet per tria. aut quatuor milliaria, & ita declarasse Sac. Congregationem super *Conc. Trid.* habetur ex *Garz. 3. par. de benef. c. 2. num. 179.* & tenent *Barb. de offic. & potest. Episc. p. 3. alleg. 53. num. 74. Bonac. disp. 5. de onere, & oblig. benefic. punct. 1. num. 4.* Ratio est, quia non resider, qui extra locum residentiæ est, præsertim quando nec ita facilè accedere potest, aut vocari: sicut nec ledere, qui extra sedem est.

Residentia enim ideò præcipitur, vt assistat proprijs ouibus assistentia pastorali: & proinde debet manere in loco tuæ iurisdictionis: quia cùm assistat per iurisdictionem debet illam habere: quia cùm assistat per iurisdictionem debet illam habere in actu primo proximo, vt possit illam exercere: quod non contingit, quando non est in proprio loco iurisdictionis: nec refert quod identidem ad parochialem Ecclesiam accedat; huiusmodi enim accessus non sufficit vt dicatur residere: vrgere enim potest necessitas, quando non adest. Et hoc esset potius visitare parochiam, quàm in ipsa residere.

Dubium tamen an si Parochus à Parochiæ ambitu parum distet, puta per milliare Italicum, satisfaciat obligationi residendi? Affirmant *Bonacina citatus supra*, & *Bein p. 4. cas. cons. casu 21.* quia qui parum distat, nihil distare videtur.

Huic tamen sententiæ obstat declaratio Congregat. *super Concil. Tridentin. ad cap. 1. de reformat. sess. 24.* in qua decernitur, quòd Parochus cogatur habitare in domo Ecclesiæ, quam si non habet, saltem in viciniori loco intra parochiam: secus perdat fructus.

Accedit etiam ratio, quia morari extra parochiam impedit munus Parochi præsertim si sit per vnicum miliare Italicum: quia notabiliter impedit ne possit accurrere ad repentinos casus: & neque ad ipsos vocari: vnde illa residentia est necessaria, & sub præcepto, quæ exigitur vt munus parochiale possit commodè exerceri, & absque notabili detrimento subditorum.

Quando enim decernuntur termini à iure, non datur parvitas materiæ respectu talium terminorum: Parochis autem sunt præscripti termini residentiæ, nempè intra parochiam: Ergo stante prædicta declaratione, non habet locum prima sententia.

Plura de residentia Prælatorum, vide Tamburinum *tomo primo de iure Abbatum disputat. 14.* & supra ver. *Episcopus* num. 8. *Parochus* num. 2. *Beneficium* 1. num. 5. *Beneficium* 4. num. 3.

RESTITVTIO I.

Quid sit restitutio, & de eius necessitate, & præcepto; & vnde oriatur eius obligatio.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit restitutio?*
2. *An differat restitutio à solutione, & satisfactione?*
3. *An restitutio sit necessaria ad salutem necessitate medy aut præcepti?*
4. *An præceptum restitutionis sit negatiuum, vel affirmatiuum?* referuntur variæ sententiæ.
5. *Ex quibus capitibus seu radicibus nascatur obligatio restituendi?*
6. *An ex solo delicto contra iustitiam, non verò contra alias virtutes oriatur obligatio restituendi?*
7. *An inducatur obligatio restituendi absque peccato mortali?*
8. *An extet obligatio restituendi, quando nulla culpa commissa est in damno inferendo?*

1. REstitutio est *actus iustitiæ commutatiuæ, per quem redditur alteri ad æqualitatem, quod iniustè ab eo sublatum est*: hæc est definitio restitutionis propriè, & strictè sumptè: *Largè* autem sumpta restitutio est, *per quam redditur quidem alteri quod suum est, sed non quod iniustè sublatum sit*. vt quando redditur ex mutuo, deposito, commodato; hinc restitutio strictè sumpta semper supponit peccatum iniustitiæ, vel iniustæ acceptionis, vel retentionis. D. Thom. 2.2. *qu.* 62. *art.* 1. *P. Nauar. li.* 2. *cap.* 1. *num.* 5. *Nauar. cap.* 17. *num.* 6. *Less. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 4. *num.* 15. *Filliuc. tr.* 32. *num.* 9.

2. *Differt restitutio* à solutione, & satisfactione; *à solutione* quòd non omnis solutio sit restitutio nec contrà dicimur enim soluere quod ex voto, iuramento, charitate, aut misericordia debitum est; restitutio enim postulat, vt res quodammodò sit eadem, vel in re, vel in æquiualenti; solutio verò sit diuersa. *A satisfactione* differt, quòd omnis restitutio est satisfactio, non è contra; præterea restitutio fieri solet pro damno illato vel re alterius; satisfactio verò exhibetur, etiamsi nullum damnum illatum sit, vt accidit, quando quis satisfactionem præstat alteri, quem conuitijs affecit, quamuis inde nullum damnum secutum sit. *Clauis reg. lib.* 10. *tract.* 1. *cap.* 2. *Salon.* 2.2. *qu.* 62. *art.* 2. *P. Nauarr. lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. *Filliuc. c. num.* 10. *Less. c. num.* 17. *&* 18. Deinde per restitutionem non propriè remittitur vllo modo peccatum in ablatione, vel retentione rei alienæ commissum: per satisfactionem verò propriè obtinetur ipsa remissio peccati, saltem quoad reatum temporalis pœnæ, post dimissam culpam debitæ. Porrò satisfactio respicit personam præstando id, quo ipsa acquieuit; vnde si tibi debeam 10. coronatos & tu contentus sis 5. verè tibi satisfacio, non tamen restituo debitum: restitutio autem respicit rem ipsam secundùm se, seu ius alterius.

3. *Restitutio* non est necessaria ad salutem necessitate medij: quia fieri posset, vt salus aliquando obtineatur prætermissa restitutione ob iustam aliquam causam, vel ob ignorantiam inuincibilem, vel ob egestatem, vel ob impotentiam restituendi. *Necessaria* verò est *restitutio* necessitate præcepti, & hoc est certum de fide, vt constat ex multis scripturæ locis. *Tobiæ* 11. *Matth.* 22. & *ad Romanos* 13. quod intelligendum est, si facultas suppetit: si autem non suppetit, non est quidem ipsa externa restitutio necessaria, propositum tamen restituendi est necessarium, quia ad remissionem peccati necessaria est contritio, vel attritio cum Sacramento, hæc autem continet in se propositum restituendi. *Valent. t.* 3. *d.* 5. *qu.* 6. *part.* 2. *Clau. reg. c. cap.* 3. *num.* 2. *Bonacin. de restitut. d.* 1. *qu.* 1. *p.* 2. *num.* 2. *&* 3. *Nauarr. cap.* 17. *num.* 68. *Less. c. num.* 47. 48.

4. *Multi* dicunt præceptum restitutionis esse negatiuum, quia idem est dicere, *Restitue*, & *ne detine alienum*, & huius sententiæ sunt, Medin. *qu.* 2. *de restit. num.* 3. *Mol. d. disp.* 716. *num.* 3. *Alij* sentiunt partim esse negatiuum, partim affirmatiuum, ita docent *Valent. tom.* 3. *d. disp.* 5. *q.* 6. *p.* 2. *Filliuc. tr.* 30. *num.* 15. *Verius* tamen est esse affirmatiuum, quia præcipitur actus positiuus in negatiuo enim solùm præcipitur abstinentia ab aliquo opere positiuo, *deinde* hoc præceptum non obligat pro omni tempore, sed solùm quando est opportunitas restituendi: *negatiuum* autem obligat pro omni tempore: aduertendum tamen est præceptum restituendi nasci ex præcepto negatiuo: *Non furtum facies*, eiusdem enim rationis est furari, & detinere alienum, cum potes reddere. Ita *Soto lib.* 9. *qu.* 6. *art.* 2. *Vasqu. de restit. ca.* 5. § 1. *dub.* 3. *num.* 25. *Bonac. c. num.* 4. *Clau. reg. c. num.* 7. Vnde retentio iniusta rei alienæ, atque adeo omissio restitutionis, æquiualet iniustæ acceptioni, æquè enim damnosa est proximo: vnde Apostolus *ad Romanos* 13. vtrumque præceptum, tum negatiuum, tum affirmatiuum indicauit dicens. *Reddite omnibus debita. Nemini quidquam debeatis.*

5. Quando *nomen restitutionis* generatim accipitur pro omni redditione, qua res ex iustitia debita redditur in ipsa vel in æquiualenti, obligatio restituendi ex *triplici* saltem *capite* seu radice nascitur. *Primò* ex re accepta quãdo scilicet quis pecuniam aut aliam rem alienam inuenit apud se nulla præuia iniusta acceptatione, aut quando rem alienam bona fide consumpsit, & in ea factus est ditior. *Secundò*, ex iniusta acceptione, aut damnificatione, vt quando quis rem alterius abstulit, vel alteri damnum intulit. *Tertiò*, ex contractu nascitur obligatio restituendi, quando inter aliquas personas celebratus fuit contractus, ratione cuius emergit obligatio restituendi, vt ratione pignoris, commodati, &c. Vnde *Less. lib.* 2. *cap.* 7. *dub.* 5. *num.* 20. *Filliuc. c. num.* 17. *Clau. reg. l.* 10. *tract.* 2. *cap.* 2. *Laym. l.* 3. *sect.* 5. *tr.* 2. *cap.* 1. *nu.* 2. *Sylu.* 2.2 *qu.* 62. *art.* 6.

6. Ex solo delicto contra iustitiam, non verò contra alias virtutes oritur obligatio restituendi: quia ipsa restitutio est actus iustitiæ, quo debitum alteri redditur ad æqualitatem; vnde qui noluit in necessitate succurrere indigenti, ad cuius necessitatem subleuandam non tenebatur ex iustitia, sed ex charitate, non tenetur ad restitutionem, quia non violauit iustitiam, sed charitatem: *Ratio* autem cur potiùs ex violatione iustitiæ consurgit obligatio restituendi quam ex violatione aliarum virtutum, est, quia per violationem iustitiæ aufertur alienum, quod vnicuique debetur ad æqualitatem, hoc autem non accidit in alijs virtutibus, vt pietate, religione, & alijs, etiamsi sint adnexæ iustitiæ, Reginald. *lib.* 10. *num.* 65. *Valen.* 2.2. *d.* 5. *qu.* 6. *p.* 3. *Nauarr. cap.* 17. *num.* 11. *Clau. reg. lib.* 10. *tract.* 2. *cap.* 1. *Sà ver. restitut. ad finem. Azor.* 3. *par. l.* 4. *cap.* 1. *qu.* 5.

7. Secundùm probabiliorem sententiam non inducitur *obligatio restituendi* absque peccato mortali, præcisa obligatione ratione contractus vel officij: Sanch. *in sum. l.* 2. *cap.* 23. *num.* 160. *Azor* 3. *par. l.* 4. *cap.* 8. *Filliuc. tr.* 32. *num.* 31. 32. *Less. l.* 2. *c.* 7. *n.* 24. *&* 27. *Sylu.* 2.2. *qu.* 62. *art.* 4. *qu.* 1. *&* 2. *ordinariè* autem, quando damnum est graue, culpa seu negligentia, qua commissum est, censetur mortalis, nisi aliundè constet non esse: quia quando solùm culpa venialis commissa est, non est actus perfectus in ratione iniuriæ, sed imperfectus: ergo non inducit obligationem restitutionis, saltem perfectam, qua adstringat sub peccato mortali, non enim potest obligatio maior esse in suo ordine, quàm fuerit iniuria, ex qua nascitur in suo: quidam tamen non improbabiliter docent non solùm ex peccato mortali contra iustitiam, sed etiam ex peccato veniali consurgere obligationem restituendi. Ita P. *Nauar. Reginald.* apud *Bonac. c. p.* 3. §. 1. *num.* 5. Sed hæc sententia præsupponit (ver. gr. in materia furti) vltimum furtum leue, quod facit materiam notabilem respectu præcedentium furtorum, per se non esse nisi peccatum veniale; nihilominus admittit esse obligationem sub mortali ad restituendum, eò quòd detentio voluntaria rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc inchoatur, est mortale peccatum: & sic vtriusque sententiæ authores conueniunt, quamuis de nomine disputent.

8. *Nulla* extat *obligatio restituendi*, quando nulla culpa commissa est in damno inferendo, etiamsi graue damnum illatum sit: qui autem peccauit venialiter in damno graui inferendo, sed peccatum veniale adeò fuit graue, vt obliget ad restituendam rem notabilem, non tenetur sub mortali ad rem illam restituendam, quod verum est, in quacumque materia etiam restitutionis famæ, quidquid alij contradicant. P. Nauarr. *l.* 2. *cap.* 1. *num.* 47. *&* 48. *Filliuc. c. num.* 32. *Lessius c. num.* 26. *Sylu. c. Similiter* qui dans operam rei illicitæ, & iniustæ, fuit causa damni non præuisi, nec intenti, sed per accidens prouenientis ex sua iniusta actione, in conscientia nõ tenetur ad restitutionem; vt si fur nocturnus domum ingressus ad furandum, inaduertenter, & contra intentionem domum incendit; & *ratio* est, quia damnum, quod per accidens sequitur ex actione iusta, non imputatur ad culpam, cùm non sit præuisum nec intentum: tamen ille qui passus est damnum in

hoc casu potest in iudicio agere, vt sibi damnum ita per accidens secutum resarciatur, sequendo prætumptionem fori externi. Nauar. *cap.* 17. *num.* 140. *Molina tom.* 3. *disput.* 728. *num.* 2. *Bonac. c.p.* 3 § 1. *num.* 11. *Less. c. num.* 26.

Vide *Secretum* num. 6. *Simonia* 7. *Stuprum* n. 2. 3. 4 *Adulter.* num. 3. *& seq. Detractio* 2. *Homicidium* 3. *Furtum* 1. *&* 2.

RESTITVTIO II.

An possessor bonæ vel malæ fidei rei alienæ teneatur ad restitutionem aliquam.

SVMMARIVM.

1. *An qui bona fide possedit rem alienam credens esse suam, teneatur ex iustitia illam restituere statim ac cognouit esse alienam?*
2. *An qui rem alienam consumpsit vel alienauit bona fide credens esse suam teneatur ad restitutionem?*
3. *Multi hic resoluuntur casus in quibus possessor bonæ fidei rei alienæ non tenetur ad restitutionem.*
4. *An qui rem alienam bona fide accepit, sed postea dubitare incepit alienam esse, possit eam sibi retinere aut consumere, aut vendere?* refertur duplex sententia?
5. *Quid si res ipso vsu consumitur, aut deterior efficitur an possit illa vti?*
6. *An mala fides possessor debeat rem alienam, vel si perijt, æstimationem eius domino restituere vnà cum eius incremento, & fructibus?*
7. *Ad quid teneatur qui rem mala fide accepit dubitans alienam esse?*
8. *An simulans paupertatem, & recipiens eleemosynas, teneatur ad restitutionem.*

1. QVI rem alienam bona fide possedit, credens esse suam, tenetur ex iustitia restituere statim ac cognouit alienam esse, quia retinens rem alienam inuito Domino, peccat: vnde possidens rem alienam emptam bona fide à fure, vel ab alio, non potest pretium quod ipse soluit exigere à Domino, cui res tradenda est, sed tenetur rem Domino tradere absque pretio; quia æquum non est, vt Dominus rem suam emat: si autem huiusmodi possessor nolit rem prædictam Domino tradere absque pretio, exinde fit possessor malæ fidei, & consequenter reus omnium damnorum inde prouenientium, ratione iniquę detentionis, quæ comparatur iniquæ acceptioni. D. Thom. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *Nauar. cap.* 17. *nu.* 7. *Tolet. lib.* 5. *cap.* 17. *Layman lib.* 3. *tract.* 5. *tract.* 1. *cap.* 3. *num.* 1. *Sanch. lib.* 2. *moral. cap.* 23. *num.* 2. Sylu. 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 6. *q.* 1. *concl.* 3.

2. *Qui alienauit* vel consumpsit rem alienam bona fide credens esse suam, non tenetur ad restitutionem, nisi in aliqua re factus sit locupletior, nam id in quo factus est locupletior, succedit in locum rei acceptæ, quæ dicitur extare in æquiualenti; cũ igitur possessor bonæ fidei non possit rem acceptam restituere, quia non extat, æquum est vt saltem restituat id, quod in eius locum successit, seu in quo factus est locupletior: L. *Item veniunt* 22. *ff. de pet. hared. Less. li.* 2. *c.* 14. *n.* 7. *Clau. reg. tr.* 2. *li.* 10. *c.* 2. *nu.* 9. *Sanch. c. n.* 4. *Fill. tr.* 32. *nn.* 20. *Sylu. c. art.* 6. *qu.* 4. *Ille* verò dicitur *factus locupletior* ex re aliena, qui cessante bona fide cognoscit se occasione rei alienæ factum esse locupletem, vt si cognoscat se non feciisse aliquos sumptus, quos alioquin ex re sua feciisset, aut si aliquid habeat, quod alioquin non habuisset: in dubio autem an factus sit locupletior, qui rem alienam consumpsit bona fide, non est præsumendus factus locupletior, quia melior est conditio possidentis. Vt docent *Rebel. 1. p. t.* 2. *q.* 3. *Sanch. c. n.* 37.

3. *Non tenetur* ad restitutionem ille, cui res aliena perijt casu, aut etiam propria culpa, modò perierit tunc temporis, quo ipse rem bona fide possidebat credens suam esse. *Mol. t.* 1. *d* 246. *&* 720. *Clau. Reg. c. c.* 2. *n.* 4. *Item* neque ille qui rem alienam bona fide emit; quã postea vendidit æquali vel minori pretio: Vasqu. *de rest. c.* 9. *§.* 2. *Rebel. li.* 9. *q.* 18. *n.* 9. secus *dicendum* si maiori pretio vendidit; tunc enim restituere tenetur incrementum pretij. *Item* restitutio non est facienda ab eo, qui rem alienam bona fide alteri donauit, cuius similem vel dissimilem non donasset, si rem illam non habuisset; nõ enim censetur ditior factus in vlla re. Sanc. *c. c.* 23. *n.* 30. *Fil. c. n.* 20. *Itẽ* comedens bona fide rem furtiuam apud amicum, tenetur tantùm ad restitutionem illius, in quo rei suæ pepercit. Vasqu. & alij citati. *P. Nau. li.* 3. *c.* 3. *n* 249. Sanch. *c. n.* 7. Et qui apud amicũ bona fide comedit rem furtiuam valentem 30 asses, sed domi suę comedisset res valentes 40. tenetur solùm restituere triginta. Et qui vestem alienam bona fide consumpsit, vel ea vsus est, tenetur comparente Domino restituere vestem si adhuc exstet, vel valorem illius vestis consumptę, si aliàs vestem æqualis valoris consumpsisset. Azor. 3. *p. li.* 4. *cap.* 2. *Item* qui bona fide celebrauit aliquem contractũ viurarium, vel aliter iniustũ, quem nesciebat esse viurarium vel iniustum, si postea comperiam talem esse, tenetur solùm restituere rem extantem, & id in quo inuenit se factũ ditiorem tempore quo incepit cognoscere iniustitiam contractus. Mol. *c. d.* 63. *&* *d.* 720. *n.* 4.

4. *Qui rem* alienam bona fide accepit, & postea dubitare incepit alienam esse, potest eam sibi retinere, aut consumere, aut vendere, si posita sufficienti inquisitione non competit alienam esse; modò paratus sit restituere id, in quo factus fuerit ditior, comparente Domino: *Vasq.* 1. 2. *disp.* 66. *c.* 7. *Arrag.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 1. *Sanch. li.* 1. *mor. c.* 19. *n.* 9. Quòd si huiusmodi possessor bonæ fidei negligat inquirere, & indagare veritatem, & impotens factus sit ad eam sciendam, secundum Mol. *t.* 1. *d.* 36. *c.* 11. Sanch. *lib.* 2. *mor. c.* 23. *n.* 183. tenetur restituere illi, cuius rem esse dubitat, vel eo ignoto, tenetur restituere pauperibus, iuxta qualitatem dubij & spei, quam habebat inueniendi Dominum; *Nonnulli* tamen apud Rebel. *lib.* 2. *de restit. q.* 5. *n.* 12. non sine probabilitate tuentur, non teneri ad restitutionem, quia quamuis peccauerit negligendo inquisitionem veritatis, nihilominus possidere incepit bona fide, melior autem est conditio possidentis. Vide Dianam 4. *par. tract.* 3. *resol.* 27.

5. *Qui rem* alienam bona fide accepit, & postea dubitare incepit alienam esse, si res ipso vsu consumitur, aut deterior efficitur, non potest illa vti, nam exponeret se periculo consumendi vel deteriorem efficiendi rem alienam inuito Domino: Sà v. *restitutio ad fin. Sanch. de matr. li.* 2. *d.* 41. *n.* 21. *& in sum. loco cit. n.* 180. *Vasq.* 1. 2. *d.* 66. *c.* 7. Si verò non consumitur, nec deterior redditur ipso rei vsu, potest ea vti, intentione soluendi pretium vsus, detractus expensis. Sylu. *c. art.* 6. *quæst.* 3. *concl.* 3.

6. *Mala fides*, & iniquus *possessor* debet rem alienam, vel si perijt, æstimationem eius Domino restituere, vnà cum eius incremento, & fructibus non tantùm ijs, quos possessor percepit, deductis tamen expensis, sed etiam quos Dominus verisimiliter percepisset, nisi ipsi ablata vel iniquè detenta fuisset: D Thom. 2. 2. *q.* 62. *art.* 6. *Medina de restit. q.* 6. *Molin. to* 3. *d.* 713. *Azor.* 3. *par. lib.* 4. *c.* 4. *Sylu.* 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 4. *conclus.* 4 *& art.* 6. *quæst.* 1. *conclus.* 1. Insuper omne aliud damnum emergens, & lucrum cessans eidem Domino resarcire cogitur. *Tamen* si res aliena apud furem, vel alium malæ fidei possessorem fortuito casu, & sine culpa eius perijt, quæ certò etiam apud Dominum perijsset, tunc in conscientiæ foro ad nullam ille restitutionem obligatur: si verò res aliena perijt dolo furis alteriusve iniqui possessoris, quia cã scienter destruxit, ablumpsit, alteri donauit, &c. tunc tenetur æstimationẽ eius Domino pręstare nihil obstante, quod si ei à fure ablata non fuisset, certò etiam perijsset. Less *l.* 2. *c.* 12. *n.* 92. Laym. *li.* 3. *t.* 5. *t.* 2. *c.* 4 *n.* 2. *Mol. c. d.* 726 *Nau. c.* 17. *n.* 8.

7. *Qui rem* mala fide accepit, dubitans alienam esse, tenetur adhibere debitam diligentiam ad assequendam rei veritatem, ne Domino rei iniuriam, & damnum inferat. *Si verò* facta diligenti inquisitione non potest rei veritatem inuenire, tenetur restituere rem inter eos, quorum esse dubitat ad ratam dubij; vnde hæres qui rem aliquam incepit mala fide possidere, quam defunctus bona fide possedit, tenetur rem ad ratam dubij restituere inter eos, quorum rem esse dubitat: imò talis hæres comperto rei Domino, non solùm tenetur rem integram ipsi restituere, sed etiam fructus à se perceptos tamquam possessore malæ fidei. *Fillucius tract.* 32. *cap.* 4. *num.* 91. *Vasq. de restit. cap.* 6. *§.* 3. *dub.* 5. *num.* 82. Sylu. *c. qu.* 3. *concl.* 1. *Leffius lib.* 2. *cap.* 14. *dub.* 4. *Sà verb. restit. n.* 62. *Sanch. lib.* 2. *mor. c.* 23. *n.* 148.

8. Secundùm veriorem sententiam, recipiens eleemosynam simulans paupertatem, tenetur ad restitutionem. Ratio est, tum quia qui decipitur circa conditionem, propter quam donat, non liberaliter omninò donat; ideò qui donat alicui, quia putat illum esse pauperem, & reuera non est pauper, non verè liberaliter donat, sicut qui donat alicui, quem putat propinquum si non est propinquus, nulla est donatio.

Tum quia licet charitas, & amor Dei sit causa finalis faciendæ

dendæ eleemosynæ in communi: at causa finalis. propter quam huic personæ particulari determinatæ fiat, non est charitas Dei, sed paupertas ipsa ficta, ergo si quis decipiatur circa hanc conditionem, & rationem, propter quam illi facit eleemosynam, non est voluntaria donatio, & sic tenetur ad restitutionem. Tum quia sicut in contractibus causa finali deficiente, contractus est nullus, sic in largitione eleemosynæ. At paupertas est causa finalis, non impulsiua tantùm, ergo. Maxima enim est fraus simulare paupertatem, & eleemosynas veris pauperibus hac simulatione iniqua auferre, & fraudare mentem facientium eleemosynas: cùm exinde posset quis magnam pecuniarum congeriem accumulare, & ditescere, cùm magno verorum pauperum damno, quod est iniquum. Fraus enim nomini debet patrocinari, vt dicitur in *Cap. Sedes, & C. ex tenore, de rescript.* at patrocinaretur, si talis ad restitutionem non teneretur posita materia graui. Verùm hæc restitutio in hoc casu ex mente dominorum videtur facienda burſæ communi pauperum illius loci, quando ex paruis & quotidianis eleemosynis factus est quis dives: si verò magna aliqua eleemosyna alicui donaretur, tunc Domino non alijs pauperibus esset restituenda. Huius sententiæ sunt *Scotus, Alensis, Gabriel*, quos citat, & sequitur Philippus Faber *de pœnit. in 4. dist. 15. quæst. 2. disput. 50. cap. 4. numero* 120. Quamuis nonnulli excusent à restitutione ostiatim mendicantes paruas & quotidianas eleemosynas; tum quia in illis non habetur vt plurimum ratio paupertatis, sed tantùm charitatis, pietatis, & misericordiæ. Tum quia dantes verè, & absolutè illas faciunt sine vlla conditione, & consequenter videntur transferre dominium illarum in ipsos recipientes: quando aliud de mente donantium non constaret. Ita Sotus, & alij apud Dianam *par. 5. tract. 8. resol.* 21. Sed prima sententia est tenenda, quam consului in facti contingentia: & approbat etiam Syluius *2. 2. quæst. 66. art. 2. quæsit. 5. in concluſ. 4.* citans *Caietanum, Nauarrum, Turrianum, Lorcam, Ioannem Medinam*.

RESTITVTIO III.

De cooperantibus ad damnum, & quomodo restituere teneantur.

SVMMARIVM.

1. *Nouem genera personarum sunt quæ tenentur ad restitutionem cooperando ad damnum alterius, præter executorem.*

§. I.

De mandante, vel iubente.

2. *An qui tacitè vel expressè iussit vel mandauit aliquod damnum fieri, teneatur ad restitutionem damni secuti, & an teneatur etiam qui ratum tantùm habet delictum suo nomine factum?* refertur duplex sententia.

§. II.

De Consulente.

3. *Quinam veniant nomine consulentis? & an consulens teneatur ad restitutionem damni suo consilio illati?*
4. *An qui suo consilio, vel alia ratione fuit causa minoris damni, quamuis alioquin fuisset illatum, teneatur ad restitutionem. Et an, ob vrandum peccatum grauissimum alterius, licitum sit illum tunc inebriare?*
5. *An qui est causa maioris damni quam alioquin secutum fuisset, teneatur ad restitutionem totius damni, aut tantùm illius excessus.*
6. *Furi parato accipere centum Caio, suadens tantùm furari quinquaginta Titio, an teneatur ad restitutionem, si fur de Titio non cogitauerat.*
7. *An qui consilium alteri dedit vt aliquod damnum cuidam inferret, sed consultus multa damna passus est ex illo delicto, teneatur ad restitutionem damnorum, quæ passus est consultus.*
8. *An Confessarius, vel Theologus, vel Iurisconsultus, vel Parochus, vel Concionator teneatur ad restitutionem damni, cuius ipse fuit causa per culpam latam, &c. Et an consulens furtum, aut homicidium, & dubitans an ex suo consilio, id sequutum sit, teneatur ad restitutionem?*

§. III.

De consentiente.

9. *Quid intelligitur nomine consensus? & an qui suo consensu efficaciter concurris ad damnum, teneatur ad restitutionem?*

§. IV.

De Palpante.

10. *Quis intelligatur nomine palpantis? & an palpans teneatur ad restitutionem?*

§. V.

De recursu.

11. *Quis nomine recursus intelligatur? & an receptans seu receptator teneatur ad restitutionem?*

§. VI.

De participante.

12. *Quis nomine participantis intelligatur? & an hic participans peccet contra iustitiam, & teneatur ad restitutionem, etiamsi ex metu participet?*
13. *An omnes prædicti teneantur ad reparationem totius damni, & insolidum?*

§. VII.

De Muto, non Obstante, non Manifestante:

14. *Quando quis dicatur negatiuè causa damni? & quis dicatur mutus, non obstans, non manifestans?*
15. *Quis teneatur ad restitutionem ratione damni non impediti?*
16. *An omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius teneantur ad restitutionem, si id ex culpa graui negligant? Et an Confessarij teneantur ad restitut. quando sua culpa vel malitia non admonent vel non cogunt pœnitentem ad restitutionem?* refertur duplex sententia.
17. *An custodes saltuum, lacuum, & vestigalium teneantur ad solutionem pœnæ, quam delinquentes soluissent, si ab ipsis custodibus accusati fuissent?* refertur duplex sententia.
18. *An accipiens aliquid à fure vt taceat, post furtum commissum teneatur ad restitutionem pretij accepti?* refertur triplex sententia.
19. *An teneatur ad restitutionem damni à fure illati accipiens aliquid ab eo vt taceat, si ob id fur factus est animosior & securior ad furandum, alioquin non furaturus?*
20. *An qui vi aut fraude impedit aliquem à consequendo beneficio vel officio, quo dignus erat, vel ne instituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, vel legatum, &c. teneatur ad aliquam restitutionem?*
21. *An qui alterum suasione aut exemplo ad peccandum induxit, obligatus sit ex iustitia ad emendationem ei procurandam?*
Et quid dicendum de illo, qui alterum vi ad peccandum induxit.
22. *An qui sine vi, fraude, suasione tantùm alterum à religioni propositi, vel iam nouitium extraxit, teneatur ad aliquam restitutionem?*
Et ad quid teneatur si professum ad apostasiam traxit?

1. NOuem genera personarum sunt, quæ tenentur ad restitutionem cooperando ad damnum alterius, præter executorem: *D. Thom. 2. 2. quæstione 62. articulo septimo. Nauarr. cap. 17. numero* 17. Et sic nouem modi à Doctoribus numerantur, quibus quis censetur mediatè cooperari ad damnum alterius, qui continentur his versibus:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus.
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Sex *prioribus verbis* significatur actio, qua quis positiuè ad damnum alterius concurrit. *Tribus* verò *posterioribus* ostenditur cooperatio indirecta, & negatiua quæ fit tacendo, non obstando, non manifestando? *Sylu.2.2 quæst.62.art.7. de iussione.* Nomine *iussionis*, intelligitur ille, qui præcipit vel mandat damnum fieri. De quo sequentem paragraphum ponemus.

§. I.

De mandante, vel iubente.

2. QVi tacitè, vel expressè iussit vel mandauit aliquod damnum fieri, tenetur ad restitutionem damni secuti, quia causa efficax damni tenetur ad restitutionem: si tamen mandans vel iubens tacitè, vel expressè mandatum reuocauit, & mandati reuocatio innotuit ipsi mandatario, non tenetur ipse mandans ad restitutionem, quia qui non influit in damnum, non tenetur ad restitutionem, sed mandator per reuocationem mãdati non influit in damnum, eò quòd reuocet & retrahat influxum, quem ante præbuerat. Clau. reg. *lib.10. tr.2. cap.7. Filliuc. tr.32. num.54. Nau. cap.27. num.233. P. Nauar. lib.3. cap.4. 1 par. Less. lib.2. cap.13. num.11. & 12. Sylu. c. An autem* ille qui ratum duntaxat habet delictum suo nomine factum teneatur ad restitutionem damni secuti, *dicendum* est quòd non secundùm communiorem sententiam; quia ex illa ratihabitione facti præteriti, ipsum factum, per quod damnum illatum est, nullo modo pendet, tamquam ex causa mouente. Ita Laym *lib.3. sect.5. tr.2. cap.5. num.3. Mol. disp.719. Less. c. num.13. Vasqu. de restit. cap.9. §.1. num.19. Syl. c. de iussione* contra *Nauar. Syluest.* & alios, existimantes teneri ad restitutionem.

Plura de mandato v. *Mandatum, Homicidium* 3. *Adulterium* numero 3. & seq.

§. II.

De consulente.

3. NOmine *consulentis* non solùm intelligitur ille, qui consilium præbet ad damnum inferendum, sed etiã qui hortatur, rogat, vel instruit, & mouet ad delictum faciendum, aut contractum iniustum: *Aior. 3. par. lib.4. cap.11. Filliuc. c.num.57. Sylu. c. de consilio, Sà v. restit. num.38. Bonac. de restit. disp.1. quæst.2. p.7. Ideo consulens* tenetur ad restitutionem damni suo consilio illati, etiamsi post damnum illatum admonuerit causam exequentem vt restitueret, sed reipsa nondum restituit: & *ratio est*, quia consulens est causa efficax damni.

Imò consulens tenetur ad restitutionem damni ex suo consilio secuti, quamuis ante factum conatus fuerit consilium reuocare, nisi fortè consilium fuerit falsum, vel falso fundamento subnixum, ver.gr. dicendo contractum esse licitum, bellum esse iustum, &c. Less *c.n.15.16. Clau. reg. c.ca.8 n.8 Nau. c.27. nu.233.* Vide Syl. *c.* Ratio prioris est, quia consulens censetur adhuc causa efficax damni, dicitur influxisse in damnum, quamuis ante factum conatus fuerit consilium reuocare, sed reipsa non reuocauerit influxum. Exemplum sit, dedit quis consilium verum, ostendo vtilitatem vel honorem, qui ex opere iniquo consequetur, vel machinanti malum occultam nocendi rationem aperuit; non sufficit tunc reuocare dictum ostendendo rem esse illicitam, suadereque contrarium; sed oportet persuadere; quia quamdiu alter illo motiuo incitatus, conceptum facinus vult prosequi, consulens censetur causa illius voluntaris, & per consequens eius effectus, scilicet damni secuti: quamuis contrarium sentiant *P. Nauar. Filliuc.*, & alij non improbabiliter. Ratio posterioris est, quia qui reuocat consilium falsum, videtur sufficienter influxum reuocare indicando falsitatem, vnde si consultus nihilominus in concepto facinore persistat iam non consulentis consilio, sed sua dũtaxat malitia vel priuata opinione videbitur moueri; ac proinde consulenti non imputabitur. Item tenetur ad restitutionẽ ille qui consuluit aliquod damnum, quod nihilominus alter consuluisset: quia causa sine qua non fuit illatum damnum, tenetur ad restitutionem: neque obstat quòd alter idem consilium dedisset nam sicut alter qui consuluisset contraxisset obligationem restituendi, ita etiam hic contraxit præueniendo suo consilio. Regin. *lib.10. num.109. Vasq. cap.9. §.1. disp.1.*

Idem dicendum de iubente, consentiente, laudante, vel refugium præbente executori, ita vt ex hisce causis ille motus fuerit ad damnum inferendum. Probatur, quia tales ita sunt causa damni in hoc casu, vt si ipsi vel alij similes non mouerent executorem, damnum non fieret, ergo verè sunt causa sine qua non fieret. Aduerte tamen, si executor absque illo consilio, consensu, mandato, laude, vel ministerio æque bene, & eodem modo damnum erat illaturus, quamuis nulla alia similis causa esset superuentura, illos non teneri ad restitutionem. Ratio est, quia illorum mandatum, consilium, consensus, &c. inefficax est, quia damnum ex ipso tamquam ex causa non sequitur, ipsumque dumtaxat vt quid concomitans se habet; quamuis tales grauiter peccauerint, etiam contra iustitiam. Vt bene docet *P. Nauar. lib.3. cap.4. num.48.*

4. *Qui suo consilio* vel alia ratione fuit causa minoris damni, quàm alioquin fuisset illatum, non tenetur ad restitutionem; vt qui parato furari viginti, suasit furari decem; quia suadens minus malum parato facere maius, non peccat contra eum, cui dat consilium. cùm iam paratus sit ad committendum maius peccatum: neque peccat contra eum cui damnum infertur, cùm potiùs beneficium illi conferat: *Sanch. de matrimon. lib.7. disp.11. à num.15. Filliuc. c.num.59. Clau. reg. c.num.3. Molin. tom.3. disput.335. Regin. c.num.103. Valent. tom.3. disp.5. quæst.21. punct.4. Dian. tract.5. miscel. resol.37. p.3. & p.5. tract.7. resol.18. Sylu. 2.2. quæst.43. articulo quarto quæst.2. conclus.3. & quæst.62. art.7. de consilio. Vasqu. opusc. de scandalo quæst.43. art.1. dub.1. num.9. Turrian. 2.2. tract.1. disput.95. dub.6. Pontius de matrimon. lib.5. cap.18. §.5. num.16. Layman. lib.2. tract.3. cap.13. num.7. Alderus 2.2. tract.4. cap.2. dub.3. Imò* non solùm ille qui consulit, sed etiam is qui fert opem delinquenti ad minus malum intercudum non peccat, neque tenetur ad restitutionem, modò non ferat opem in actione intrinsecè mala, v.g. in amputatione membri: & non possit alia ratione delinquentem retrahere à maiori delicto: hinc sequitur eum, qui alicui omninò parato ad adulterandum suadet, vt simplicem potiùs fornicationem committat, non peccare, quando non potest aliter eum retrahere ab adulterio. Ratio est, quia tale consilium non fertur absolutè in malum, sed in bonum, scilicet euitationem maioris mali, & non simpliciter in electionem mali, quod minus est, sed in electionem eius potius, quamuis, cui consulit, eligat maius: Hinc consulens non dicit ei absolutè, fac hoc malum, neque fac illud, sed conditionaliter, si omninò decreuisti malum facere, potiùs elige minus, quasi diceret, sufficit tibi facere minus, & abstinere à maiori: Non liceret tamen tali suasione seu consilio damnum corporale seu spirituale tertiæ personæ inferre, ver.gr. volenti adulterium committere, suadere non licet, vt cum tertia persona fornicetur: & volenti à Petro furari 100. aureos, suadere vt furetur 50 à Paulo: si autem fur simul rem Petri valentem 100. & rem Pauli valentem solùm 50. certo sit ablaturus alteram; sed dubitaret, vtram auferre velit; si tu impedire eum nequeas aliter potes sine obligatione restitutionis suadere, in genere inculcando, auferendum potiùs illud quod minus est. Ratio est, quia Paulo non facis iniuriam, docendo furem à maiori furto potiùs esse obtinendum: Nec fur tali iudicio propriè disponitur ad iniuriam inferendam, sed malitia sua infert noxiam conclusionem, Paulum re sua esse priuandum. Ita Doctores hic citati, contra alios quosdam.

Verùm ex hac doctrina oritur graue dubium, an ob vitandum grauissimum peccatum alicuius, licitum sit illum tunc inebriare? v.gr. meditatur aliquis proditionem oppidi in certam horam; vel impediet, ne oppidum, quod est in rebellium hæreticorum potestate, suo Principi condicto tempore tradatur: nec suppetit vlla facultas id aduertendi, nisi eum lautè excipiendo, & sopiendo per potum. Affirmat Lessius *li.4. c.3. dub.4. n.33.* quia licitum est, inquit, suadere, & inducere ad minus malum, vt impediatur maius: atqui hic nihil aliud fit. Ergo, &c. Eiusdem sententiæ est Villalob. *in sum. to.2. tr.6. difficil.60 n.9.* Contrarium tamen est tenendum tamquam probabilius. Probatur, quia nunquam licitum est inducere aliquem ad actionem, quæ ita intrinsecè mala est, vt sine peccato fieri non possit: talis autem est voluntaria ebrietas, solius voluptatis causa suscepta; non enim est minùs intrinsecè mala, nec minùs absq; peccato fieri potest, quàm sit mentiri, blasphemare, aut fornicari. Ergo, &c. Falsumque est licere inducere hominem ad peccatum minus committendum quod ille committere nec formaliter nec virtualiter decreuerat: cùm hæc sit vera inductio ad malum peccati, & scandalum actiuũ per se intrinsecè malũ; quippe repugnans præcepto naturali negatiuo.

Ne

Ne inducas alterum in peccatum, siue : Ne alteri auctor sis peccati cuiusquam. Ita Vvigers *de iust. & iurist. de temperantia cap. 2. dub. 7. num. 11. & seq.* Layman, *l. 3. sect. 4. de temperam. n. 5. & 6.* Sententia autem Lessij vera esset, si inductio fieret ad peccatum minus vt minus esset, ita vt alteri suadeatur nō totum peccatum, quod certo animo concepit, committere, sed partem dūtaxat, formaliter aut virtualiter inclusam in toto : Tunc enim non suaderetur homini, vt malum peccati faciat, sed vt saltem aliquam peccati partem non faciat, si a toto abduci non possit.

5. Qui est causa maioris damni, quàm alioquin secutum fuisset, non tenetur ad restitutionem totius damni, sed tantùm illius excessus, cuius ipse fuit causa ; vnde qui parato furari decem, suasit furari 20. tenetur solùm ad restitutionem decem, eò quòd furti dumtaxat horum censeatur causa, & nullus teneatur ad restitutionem damni quod non intulit. *Less. c. n. 10. & 7. Clau. reg. c. n. 6. Filiuc. c. n. 43. Regin. c. n. 106.*

6. *Ad restitutionem* tenetur, qui furi parato accipere cētum Caio suasit furari tantùm quinquaginta Titio, si fur de Titio nō cogitauerat ; quia censetur causa efficax damni respectu illius, cui damnum fortè non fuisset illatum, si ipse non inclinasset voluntatem furis in hanc partem : si tamen fur cogitauerat de vtroque, & firmiter statuerat vni eorum damnum inferre, suadens in genere minus malum, non peccat, cùm non inducat ad damnum huic potius inferendum quàm alteri : vt dictum est suprà. *Less. c. d. 3. num. 20. Azor. 3. p. l. 4. cap. 11. qu. 1. Clau. reg. c. num. 4. Sanch. c. num. 24. Sylu. c. ar. 7. de consilio.*

7. *Qui consilium* alteri dedit, vt aliquod damnum cuidam inferret, sed consultus multa damna passus est ex illo delicto, nō tenetur ad restitutionem damnorum, quæ passus est consultus : *Azor. 3. par. lib. 4. cap. 11. quæstione 6. Clau. reg. lib. 10. c. 12. n. 26.* Quia exequens huiusmodi consilium debet sibi dammum imputare, cùm liberum illi fuerit consilium sequi, & non sequi. *Molin. disp. 549. numero 9. Rebellus lib. 2. qu. 14. sect. 3. num. 14.* *Tamen qui* suis subditis præcepit aliquod delictum, ex quo ipsi damna patiuntur, non tolùm tenetur ad restitutionem ipse, contra quos delictum fuit perpetratum, sed etiam ipsis subditis exequentibus præceptum, & mandatum superioris ; quia quæ subditi ita eunt ob præceptum superioris, non videntur voluntariè facere, sed coactè.

8. *Confessarius*, vel Theologus, vel iurisconsultus, vel Parochus, vel Concionator tenetur ad restitutionem damni, cuius ipse fuit causa per culpam latam, seu per ignorantiam crassam, aut per grauem negligentiam in considerando ; vt si ex culpa lata dixit aliquem non teneri ad restitutionem, cum alioquin teneatur, aut teneri cùm alioquin non teneatur ; quia tenetur scire ea quæ sciunt homines eius conditionis, & per culpam latam fuit causa damni ; secus *dicendum* de idiotis, & imperitis hominibus dantibus consilium bona fide, hi enim non tenentur ad restitutionem damni ex eo consilio subsecuti, quamuis se sponte ingesserint ad dandum consilium, modò absque fraude & dolo consilium dederint & non se peritos finxerint. Contra *Medinam, Clauem regium*, & alios aliter sentientes, quoties se sponte ingesserunt ad præstandum consilium. Vide Sa *v. restitut. num. 2. Medina de restit. qu. 7. Layman. l. 3. sect. 5. trac. 2. cap. 5. num. 3. 4. P. Nauar. l. 3. cap. 4. num. 25. Nauar. c. 25. num. 29. Sylu. ver. consilium q. 7. Dian. tr. 6. miscel. resol. 23. p. 3. Sylu. 2. 2. quæst. 62. ar. 4. quæst. 4. concl. 6.*

An autem consulens furtum, aut homicidium, & dubitans an ex suo consilio sequutum sit furtum, aut mors, teneatur restituere, affirmant *Sanch. Couar. Salas*. Sed probabilem putant contrariam sententiam *Sylues. Medina. Filliuc. Clau. reg* apud Dianam *tr. 5. misc. res. 84. p. 3.*

De Consulente vide v. *Culpa* n. 6. *Confessarius* 5. n. 5. *Furtum* 1. n. 9. *Iura* 6. n. 5. *Irregularitas VI.* n. 4.

§. III.

De Consentiente.

1. NOmine *consensus* intelligitur efficax approbatio vel suffragium ad damnum inferendum : vnde qui suo consensu efficaciter concurrit ad damnum, tenetur ad restitutionem : propterea qui per suffragium vel subscriptionem consentiunt & influunt in mortem inferendam, vel si aliquis è magistratu ad inferendum bellum iniustum, vel ad decernendam legem iniquam, & damnosam consensum præstet, tenetur ad restitutionem, quia est causa efficax damni : *Aduerte* tamen quando plures ferunt suffragia, vel subscribunt in causam iniquam, omnes qui ferunt suffragia teneri ad restitutionem, quando suffragia omnium necessaria sunt : quando verò suffragia maioris partis sufficiunt, posteriores non tenentur ad restitutionem, ferendo suffragium, postquam præstitus est ab alijs numerus suffragiorum sufficiens ad inferendum aliquod damnum, quia cēsetur sufficienter latum in causa absque suffragio posteriorum, quod nihil influit ; quare posteriores ferentes suffragia, peccant quidem mortaliter consentiendo in damnum, sed non tenentur ad restitutionem, quia non sunt causa efficax damni ; tamen si speraretur fore quod pars maior mutaret sententiam, posterioribus recusantibus suum suffragium, posteriores censerentur etiam causa damni, consequenter tenerentur ad restitutionem, cùm quilibet suffragator teneatur ex officio damnum impedire. Vide Mol. *disp. 732. Nauar. c. cap. 17. num. 21. Filliuc. trac. 32. num. 61. 62. 63. Less. lib. 2. cap. 13. num. 22. 23. & 24. Laym. c. ca. 5. num. 6. Azor. 3. par. l. 4. cap. 12. qu. 2. Clau. reg. l. 10. tr. 2. ca. 9. nu. 3. Sylu. c. de consensu.*

Notandum est hic ex *Caietan. in summa ver. restitut.* esse differentiam inter consensum, qui est causa, & inter consensum qui tantùm est consensus & non causa. Prior enim obligat ad restitutionem, non posterior. v. gr. agitur de incundo bello iniusto. Si illi ad quos spectat, veluti Principes, eorumque vel rerum bellicarum consiliarij suffragantur seu consentiunt ; eorum consensus est causa belli, & propterea tenentur ad restitutionem damnorum inde secutorum.

Alij autem quorum consensus est impertinens, vt ciues, alijque plebei homines, si illud approbent, optent, aut aliter consentiant ; peccant quidem mortaliter illo suo in malum consensu ; ad nullam tamen tenentur restitutionem ; quia ille consensus ipsorum tantum est consensus, & non causa belli subsecuti.

De consentiente vide *Homicidium* 1. n. 29.

§. IV.

De palpante.

10. NOmine *palpantis* intelligitur ille, qui laudando malefactorem vel maleficium, mouet illum damnum proximo inferendum : sic etiam qui exprobat alicui delictum aliquod, vel illum irridet, vnde moueatur ad sumendam vindictam, vel damnum inferendum : hic palpans sine dubio tenetur ad restitutionem, quia est instar consulentis, si directè vel indirectè intendat damnum proximi, & censetur causa efficax damni : *Quando* verò tantummodo laudat, & laudando lætitiam inducit malefactori, sed ipsum non mouet ad damnum inferendum, non tenetur ad restitutionem, cùm non influat efficaciter in damnum approbando delictum. Ita *Less. c. num. 25. Regnalt. l. 10. num. 85. P. Naual. 3. cap. 4. num. 37. Azor. c. l. 4. c. 13. Filliuc. c. n. 64. 65. Sylu. c. de Palpone.*

§. V.

De recursu.

11. NOmine *recursus* intelligitur damnificantis receptator, id est, qui recipit vel fouet, vel conseruat malefactorem, vel asseruat prædam, vel refugium, & securitatem malefactori præbet ad patrandum delictum, vel ad non restituendum. hic receptans tenetur ad restitutionem, quia efficaciter influit in damnum : dicitur etiam *receptator*, qui rem furtiuam in custodiam accipit vt furi seruet, hic tenetur Domino, si eam furi reddiderit (si tamen absque notabili incommodo poterat ei denegare) quia non poterat eam in deteriori statu constituere, quam apud se erat : *hinc* non excusantur à restitutione cauponarij accipientes pecunias à filijsfamilias, vel à seruis surreptas patribus vel dominis, quando patres vel Domini sunt rationabiliter inuiti circa substantiam rei. *P. Nauarr. lib. 3. cap. 4. numero 37. Filliuc. c. num. 66. 67. Less. c. num. 26. 27. Molin. c. disput. 733. num. 2. & 3. Laym. c. num. 6.* Secus *dicendum* de illo qui recipit furem, non præbendo illis securitatem ad malè agendum, vel ad perstistendum in delictis, sed illum recipit ratione amicitiæ, vel consanguinitatis, vel humanitatis, vel ratione hospitij, cùm officium cauponis exerceat, hic enim nō tenetur ad restitutionem, quia non dicitur receptator furis formaliter, sed solum materialiter, nihilque præstat per se, pertinens ad damnum. Ita Bonac. *de restit. d. 1. q. 2. p. 9. n. 4. Fill. c. n. 67. Sylue. d. 7. de recursu.*

§. VI.

De participante.

12. NOmine *participantis* intelligitur cooperans in damno alteri inferendo, vt in furando vel in consumenda re aliena furto ablata, vel alia ratione: *dupliciter* autem potest aliquis cooperari ad damnum alterius. *Less.lib.2.cap.13.dub.3.n.28.29. Laym.l.3. fect.5.tract.2.cap.5.num.6. P.Nauarr.l.3. cap.4. num.39. Fillinc.tract.32.cap.3.qu.11. Regin.l.10.num.119. Azor. 3.par.lib.4.cap.15. Vasq.de restit.cap.9.§.1.dub.2. num.39. Dian. p.3.tr.5 resol.36. & p.5.tr.7.resol.30. Primo*, actione intrinsecè mala, & ex natura sua iniusta. *Secundò*, actione non intrinsecè mala, sed ex natura sua indifferente: *Dicendum* ergo est participantem in opere intrinsecè malo contra iustitiam peccare, & teneri ad restitutionem damni secuti, nam culpabiliter & efficaciter influit in damnum. *Qui* verò iusto metu coactus seu ex rationabili causa participat in opere non intrinsecè malo, excusatur à peccato, & consequenter ab obligatione restituendi; *hinc* qui metu coactus, præbet furi claues vel instrumenta, quib. confringit arcas; vel qui scalam tenet, dum fur murum vel fenestram ascendit, vel qui coactus comitatur furem intentione impediendi furtum, quamuis fur illum sibi comitem adiungat animo vtendi illius opera ad furandum, & ob id securior reddatur ad furtũ patrandum, vel qui Christianus captus à Turcis nauigat metu mortis in triremibus Turcarum contra Christianos, excusatur à restitutione, quia in prædictis casibus præstatur opus indifferens ex rationabili causa. Suar. *tom.5.disp.21. sect.2. Nauarr.cap.27. num.63. Tolet. in expli. bulla. apud* Syluium putant hoc non licere; quia numquam licet auxilium dare alicui volenti alium iniustè occidere, quod illi facerent, si contra Christianos remigarent; ad hoc enim tendũt nauigia, & remigationes Turcarum in bello contra Christianos, vt ipsos occidant Ecclesiasque deuastent. Ita Syluius *c.art.7.de participante.* Prima *tamen sententia est probabilis*, vt dicetur infrà *v.Scandalum n.* 10.

13. *Quoad* quinque priores modos attinet, videlicet, consulens, mandans, consentiens, laudans, & receptans, tenentur ad reparationem totius damni, si totius causa fuere, partis verò si solùm partis damni causam dedere: quia quilibet tenetur ad restitutionem damni eo modo, quo fuit illius causa efficax: de *participante* verò vel adiuuante, vt quando milites spoliant vrbẽ, dicendum est, si cooperetur ad idem damnum indiuiduum tenetur in solidum, etiamsi socius constituerit solus inferre, vt si iuues ad eamdem domum incendendam; quia tunc quisque est causa partialis totius damni, vt hic & nunc fit; & in totum vim confert licet partialem: si verò solùm cooperatur mediatè præbendo instrumenta, iuuando conscendere, ligando vinctum; probabilis est sententia *Nauarri*, & aliorum non teneri, si damnum æquè per executorem erat inferendum.

Si verò non concurrat ad idem damnum indiuiduum, sed distinctum irroget, non tenetur in solidum, sed dumtaxat pro sua parte; *hinc* miles gregarius non tenetur, nisi de damno quod ipse per se in bello iniquo dedit; *Dux* autem tenetur ad totum quod per milites illatum est, quia vel eos ad hoc direxit, vel si nõ direxit, saltem tenebatur ex officio impedire. Ita *Clau.reg.l.10. tract.2.cap.12.num.2. Azor.c.cap.19.qu.2. Less.c.dub.4. Nauarr. cap.17.num.21.22. Fillinc.c.num.43. Syluest. ver.restit.3.quæst.6. §.4. Molin.tom.3.disput.734.numero 3. Vasques c.dub.2.numero 35. Sylu c.*

Similiter quando plures vineam ingressi notabile damnum singuli intulerunt, tenentur singuli pro sua parte: modò non se vicissim excitarint; nam illo casu tenerentur in solidum, cùm singuli censeantur causa totius damni. Quando autem plures scienter, licet non de communi consensu, ingressi sunt vineam, & singuli leuem vuæ quantitatem comederunt, vel abstulerunt, singuli peccant mortaliter, & tenentur singuli sub mortali ad restitutionem, si illa quantitas simul sumpta notabilem materiam constituat. Probat, quia singuli concurrunt ad damnum notabile, & cùm non sit maior ratio cur vni potius, quàm alteri damnum notabile imputetur, singulis imputandum est.

Sed nota *primò*, quòd si vnus semel suam portionem restituerit, non tenentur alij sub mortali ad restitutionem, modò pars quæ retinetur non sit notabilis: quia iam retinendo nulli faciunt iniuriam notabilem.

Nota *secundò*, si omnes ita concurrunt, vt nullus nouerit alios furari, nullus illorum mortaliter peccabit, sed tantùm venialiter, & suam partem restituere tenebitur: quamdiu autem durat talis ignorantia, si inuincibilis sit, excusatur à mortali tam accipiendo, quàm retinendo. si tamen postea notitia veritatis accesserit, si est, damni notabilis dati cognitio, tenebitur vnusquisq; quantum accepit, in se, vel in æquiualenti restituere, & non restituẽdo peccabit moraliter, tum in ipsa retentione, tum in ipsa vsurpatione secundùm communiorem tententiam. Ratio est, quia quando conscius non fuit, non potuit liberè & moraliter continuari damnum, quod ipse inferebat, cum præcedente, postea verò quando conscius est, continuatur. Tum quia sequeretur dominum spoliari posse omnibus vsuræ fructibus, nullæ remanente obstricto obligationi restituendi sub lethali culpa, quod non videtur admittendum. Sed de his. Vide Bonac. *de restit.disp.2.q.8. punct.2.n.6.* & supra v. *Furtum* 1.n.9.

§. VII.

De muto, non obstante, non manifestante.

14. NEgatiuè quis dicitur causa damni, si non impediat damnum, dum ex officio tenetur: & fit *tribus modis*, qui notantur his verbis; *Mutus, non obstans non manifestans. Mutus* dicitur, qui omittit præcipere, si erat superior; consulere, si consultor; clamare, si erat custos rei ad damnum impediendum. *Non obstans* dicitur, qui omittit opem vel operam, quam poterat damnum impedire, & quam ex officio tenebatur nauare, vt Princeps, Magistratus. *Non manifestans* dicitur, qui cùm ex officio teneatur, omittit manifestare malefactorem. D. Thom. 2.2. *quæst.62.art.7. Fillinc.c.numero* 70. Laym. *c.numero septimo. Bonac.de restitut.disput.1.quæst.2 p.11.numero primo.* Sylu. *c.art.7. De muto, &c.*

15. Nemo ratione damni non impediti tenetur ad restitutionem, nisi ad hoc obligatus fuerit ex officio, quia qui non obligatur ex officio ad impediendum damnum, solùm obligatur ex charitate; atqui violatio obligationis ex charitatis lege nascentis non inducit necessitatem sarciendi damni id enim est proprium vinculi iustitiæ. Nauar. *cap.17.num.18. Azor.c.cap.16.q.2. Clau. reg.c.c.13.14.* Sylu. *c.*

Sed circa dicta est notandum, quòd quando quis tenetur ex officio non omittere, & ex omissione sequitur damnum, vt consurgat obligatio restituendi, non sufficit quòd teneatur ex iustitia ad non omittendum, sed necesse est, vt obligatio iustitiæ se extendat ad manutenendum id, ex quo consequitur damnum: atque adeo quòd sit de non omittendo aliquid ordinatum ad arcendum damnum: alioquin sicut non faceret contra iustitiam respectu illius personæ, quæ damnificatur, ita nec subiret obligationem resarciendi damnum.

Hinc si Petrus omitteret soluere quod debet Paulo, & ex hoc sequatur damnum Francisco, eo quòd Paulus non potens exigere pecuniam à Petro, nequit soluere debitum Francisco: non tenetur Petrus resarcire damnum Francisci; quia non habet obligationem iustitiæ ad ipsum: atque adeò respectu ipsius non facit aliquid contra iustitiam, sed tantùm habet ad Paulum.

16. *Iuxta communem sententiam*, omnes qui obligantur ex officio impedire damnum alterius, si id ex culpa graui negligant, tenentur ad restitutionem, quia illi ex iustitia debẽt illum actum impeditionis damni: *vnde* Princeps, Magistratus, Prætores, Duces belli tenentur ad restitutionem, si omittant impedire furta, & similia cùm possint sine suo notabili detrimento vitæ, famæ, honoris, aut rei familiaris: idem *dicendum* de illis, qui per modum contractus sese ad alicuius rei custodiam obligarunt, stipendia ob eam causam accepturi: *Item* tenentur tutores, & curatores qui negligunt impedire damna pupillorum, & minorũ: *Item* famulus quando ei domus vel rerum custodia à domino demandatur. *Simili modo*, multorum sententia, tenetur testis, si iuridicè interrogatus veritatem non manifestarit, vnde fiat vt alteri damnum detur, vel antea datum non rependatur. P. Nau. *lib.3.cap.4.num.130.* Sylu. *ver.restit.3.qu.5. Less.lib.2.ca.13.dub. 10. Bonac.c.p.11. Azor.3.par.lib.4.cap.17. Fillinc.tract.32. num. 75. & 77.* Sylu. *2.2.quæst.62.artic.4.quæs.4. & quæst.62. artic.7. de muto, &c.*

An autem confessarij teneantur ad restitutionem, quando sua culpa vel malitia non admonent, vel non cogunt pœnitentem ad restitutionem faciendam, quam pœnitens fecisset, si confessarius illam iniunxisse vel absolutionem denegasset, *Clauis regia c.cap.14.num.16. Nauarr.cap.17. num.22. Fillinc.c.numero 79. P. Nauarr.lib.3.cap.4.num.125.* Sylu. *in supplem.quæst.8. artic.5. quæst.8.* & alij putant teneri ad restitutionem, quia confessarius

in u.n-

incumbit ex officio onus docendi necessaria pœnitentem, & in hoc deficiens facit contra suum officium consequenter ipsi, tamquam veræ, & efficaci cautæ damna videntur imputanda.

Alij tamen Doctoribus, & meritò hæc sententia in praxi difficilis videtur, & docent non teneri. quia confessarius non tenetur ex officio, & ex iustitia prospicere bonis temporalib. aliorum, sed bono spirituali pœnitentis, cuius causam agit, & non alterius, quod intelligendum est, modò confessarij omissio, & negligentia non habeat rationem Consilij, vt dictum est suprà, & hæc sententia probabilior est, quam tenent Valent. *t.3. disp.5. quæst.6.p.3. Reginald. lib.10. tract.2. num.92. Less. c. dub.10. num.78. Suar. de pœnit. disp.32. sect.6. num.9. Diana p.2. tr.2. misc. res.1. Crousers ad cap.7. reg. minor. sect.33.*

17. Quamuis custodes sa'tuum, lactum, & vectigalium teneantur ad restitutionem damni, quod domini patiuntur non accusando venatores, vel piscatores, vel defraudatores, licet fortè venatores ipsi vel damnificatores in aliquo casu non teneantur; tamen non tenentur ad solutionem pœnæ, quam delinquentes soluissent, si ab ipsis custodibus accusati fuissent; quia non videtur vsu receptum vt prædictæ personæ obligentur ad restitutionem pœnæ, tum quia huiusmodi personæ non videntur constitutæ, vt domini locupletentur, sed ne damnum patiantur. *Medin. C. ac restit. qu.12. §. vlt. Clau. reg. c, cap.15. num.8. Nauar. cap.25. num.34. Less. c. num.73. Diana tr.5. p.3. resol.14. Sylu. 2.2. quæs.62. art.7. de mute, &c.* Non est tamen improbabilis sententia *Molinæ d.739. num.5. P. Nauar. lib.3. cap.4. num.142. Sal. 2.2. quæst. 62. art.7. cap.5.* & aliorum asserentium teneri; quia non accusando, censentur suis dominis causa damni, ad quod impediendum tenentur ex officio.

Verùm circa hos custodes vinearum, fluuiorum, &c. est aduertendum *primò*, quando non manifestant damnum, quod non est pœna, vt vel gr. ex rebus, quæ vendùtur, vel in vno loco ad alium a portantur, debetur certum vectigalis genus lege impositum, ex eo verò quod custodes non denunciant, non soluitur, damnum illud soluere tenentur, si delinquentes non soluant. Ratio est, quia cum eo fine accipiant stipendia, vt ea custodiant, quæ ipsis committuntur, agunt contra iustitiam communitatiuam ex non custodiendo, & ideo de damno sublecuto tenentur, & vectigalia, & alia damna soluere obligantur.

Secundò, custodes, qui nullo accepto pretio, sed ex consuetudine patriæ aut loci, loca quædam per vices suas, vt Turnum, vt aiunt, custodiunt, quibus tamen in præmium conceditur, vt pœnam illam accipiant, quæ forte illis continget ratione eorum, quos accusabunt, quomodo constituuntur plerique custodes viarum, & vectigalium, isti non obligantur custodire, nisi sicut ipsa communitas custoditet tales syluas, montes, loca, &c. Vnde tales custodes, qui merc. de stipendiati non sunt, sicut nec ipsi accipientes, quando deprehensi in delicto non fuerint, damnum illud, aut pœnam reparare tenentur, si vsus habeat, vt delinquentes damnum soluant, si deprehendantur, & denuncientur, & non aliter. Plura de custodibus dicta sunt supra *verb. Accusatio num.8. & sequent.*

18. Secundùm *Nauar. ca.17. num.21. Filliuc. c. num.73. Sot. lib.4. qu.7. art.3.* Accipiens aliquid à fure vt taceat, post furtum commissum non tenetur ad restitutionem pretij accepti, modò pretium acceptum non sit pars furti. Secundùm verò Molin. *c. num.3. Bonac. de restit. disp.1. qu.2. p.11. num.13. Sylvius c.* Quando fur tradidit illum cum pacto vt absolutè taceret, accipiens nó potest acceptum retinere, etiam secuto furto; quia accepta pro peccato patrando non possunt retineri, cùm medium participet malitiam mali finis: vnde sicut abstinendum est à peccato, ita abstinendum est à retinenda dicta pecunia, quæ pro peccato in futurum patrando accipitur, tamquam medium ad finem. Hæc sententia est tenenda.

19. *Accipiens* aliquid à fure vt taceat, tenetur ad restitutionem damni à fure illati, si ob id fur factus est animosior & securior ad furandum, alioquin non furaturus; quia hic non solum est non impeditio, sed etiam actus positiuus, quo animat furem, sine quo vel non fecisset, vel non tam audacter & securè faciliter: *si verò* animus furantis non sit factus animosior ob pecuniam traditam, sed pecunia tradita sit præcisè, ne delictum manifestaretur, accipiens pecuniam non tenetur ad restitutionem pecuniæ acceptæ, modò non sit pars furti. *Clauius regia c. cap.13. num.2. Lessius lib.2. cap.13. dub.10. num.68. P. Nauarr. lib.4. cap.4. num.132. Sylvius c.*

20. Qui vi aut fraude impedit aliquem à consequendo beneficio vel officio, quo dignus erat, vel ne instituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, legatú, &c. tenetur ad restitutionem quanti iudicio prudentis ea spes ipsi valebat. Azor. 3. *par. li.4. c.9. Mol. t.3. disp.727. num.2. Sà ver. restit. num.22. Sylui. 2.2. quæst.62. artic.2. quæst.25. Filliuc. tract.32. num.72. Lessius c. cap.12. d.18. Laym. in lib.3. sect.5. tract.2. cap.7. Diana tract.5. miscel. resol.53. & tract. 6. miscellan. resolutio.* 33.34. *par.*3. qui autem sine vi aut fraude, precibus, blanditijs, muneribus, impedit dignum vel digniorem ab officio, beneficio, & similibus, non tenetur illis ad vllam restitutionem, etiamsi illud malo animo, & ex odio faciat; quia obligatio restituendi ex delicto nascitur ex violatione iustitiæ, in hoc tamen casu non violatur iustitia, cùm is qui impeditur non habeat ius ad id, à quo impeditur. Caiet. 2.2. q.62. art.2. *Con. ad reg. peccatum p.2. § 7. num.8* putant eum, qui quouis modo impedit digniorem vt detur digno, teneri ad restitutionem digniori, quia secundùm iustitiam distributiuam ei erat debitum. Vide *Diana c.* vbi multi casus deciduntur de hac materia ex fundamento hic posito.

21. Qui alterum suasione, aut exemplo ad peccandum induxit, non ex iustitia, sed sola charitate obligatus est ad emendationem ei procurandam; quia volenti ac consentienti non fit iniuria; omne autem peccatum sicut libera voluntate admittitur, ita liberè in eo persequeratur; secus dicendum de illo qui alterum fraude, dolo, vel iniutto metu ad peccatum induxit: quia tam metus, quàm ignorantia efficiunt, vt ille non plena animi voluntate in culpam, & spirituale damnum, te impellente, labatur. Tum quia quisque vim, metum & fraudem patitur inuitus, vnde contra iustitiam priuatur illis, quæ per vim, metum, fraudem amittit, & consequenter illa sunt restituenda, conuenienti modo. Nauar *cap.14. num.45. Less. lib.2. cap.8. disput.2. P. Nauarr. lib.2. cap.2. numero secundo, Molina tract.4. disp.50. Laym. c. ca 8. num.1.*

Petes an in hoc casu sufficiat remouere vim, metum, fraudem, an verò etiam teneat eum hortari ad pœnitentiam? Resp. vtrumque requiriri. Ratio est quia solùm relinquere illum in libertate, & immunitate à vi, metu, fraude, non est propriè restituere eum, quantum in te est, gratiæ & virtutibus; is enim qui est liber, & non deceptus, relinquitur tantum indifferens, vt vel resipiscat, vel persistat in peccato) nisi etiam addita aliqua illi exhortatione vel admonitione coneris eò impellere, vt per pœnitentiam recuperet gratiam, & virtutes.

Nota tamen hanc responsionem non habere locum in eo, qui licet impulsus fuerit ad peccatum vi, metu, fraude, scit tamen ipse esse in peccato, & posse resurgere. Ratio est, quia nemo tenetur ex iustitia ad reparandum damnum ei, qui illud censetur condonare, sed qui à te inductus est in peccatum, postquam scit se esse in peccato, & posse opè diuina resurgere, & tamen non vult, censetur tibi damnum spirituale condonare. Ita P. Nauarr. *c. num.87.*

22. *Qui* sine vi, fraude, suasione tantùm alterum à Religionis proposito, quamuis iam ingressum seu Nouitium extraxit, ad nullam restitutionem obligatur: Valent. *t.3. disp.5. qu.6. p.5. Less. c. cap.8. d.3. Vasq. de restitut. cap.8. dub.2.* Non *nouitio*, quia sponte consentienti nulla restitutio fieri debet; non etiam *Religioni*, quia illi nullum ius adhuc in hominem acquisitum fuit: peccant tamen grauiter parentes, cognati, amici, si absq; rationabili causa homines suasionibus aut blanditijs ab ingressu sancti Religiosi instituti auertant; vel post religionis ingressum prætextu probandæ magis constantiæ, reuocent. Nauar. *cap.13. nu.45. P. Nauar. num.18. Laym. c. num.3. Qui* verò Religiosum vel professum suasione aliaue cooperatione a Religione abducit, siue ad apostatam traxit, ex iustitia obligatur Religioni ad restitutionem, quatenus potest, faciendam; quare persuadere debet apostatæ aut fugitiuo vt redeat, sin minùs curare tenetur, vt alius æquè idoneus ingrediatur, & alia damna, si quæ illata sunt, compensentur, ipsemet autem ingredi ex iustitiæ lege numquam obligatis. Ratio est, quia tu fortè non es aptus Religioni, nec illa tibi. Deinde status Religionis libertimè acceptandus est, vtpote status admodum sublimis, & naturæ valdè difficilis, in quo quis in perpetuum tuam abdicat libertatem homini charissimam: vnde patet, vt eius obligatio non nascatur ex vllo delicto, sed tantùm ex spontaneo voto.

Hinc ob nullum delictum potest quis cogi, vt Religionem ingrediatur; licet enim Canones quosdam scelestissimos occidi velint intra septa Monasterij, ad agendam pœnitentiam, neminem tamen ad professionem Religionis cogunt.

Fateor tamen fore insigne opus perfectionis, si conscius tuæ vocationis, & vitium, in pœnam delicti, sponte te iugo Religionis

ed by Google

nis submittas, vt olim fecit Rimmundus quem Paludanus refert, ob id ingressum esse Religionem Dominicanorum, quia cuidam Nouitio id vitæ institutum dissuaserat.

Vide *Confessarius* 5. num. 4. 5. *Testis* num. 11. *Accusatio* num. 9. 10. 11. *Culpa* num. 6.

RESTITVTIO IV.

De circumstantijs restitutionis.

Circumstantiæ restitutionis sex sunt. *Prima*, quid. *Secunda*, cui. *Tertia*, vbi. *Quarta*, quando. *Quinta*, quomodo. *Sexta*, quo ordine. Et primum de eo quod restituendum est agemus.

§. I.

Quid & quantum restituendum sit.

SVMMARIVM.

1. *An res aliena aut alteri debita restituenda sit si extet, aut illius valor & pretium, si non extet?*
2. *An tantum restituendum sit, quantum sufficit ad faciendam æqualitatem debiti, vel damni illati?*
3. *An pro turpi causa aliquid dari vel accipi possit ante vel post factum? & An acquisita ob turpem causam sint restituenda?*

§. II.

Cui sit restituendum.

4. *An debita incerta ex contractu iusto vel iniusto sint pauperibus restituenda?*
5. *An possessor malæ fidei, vel alius iniustus damnificator, teneatur illi restitutionem facere cui rem abstulit?*
6. *An possessor bonæ fidei teneatur, postquam cognouit rem esse alienam, restituere illam domino, vel illi à quo bona fide accepit?* refertur duplex sententia.
7. *An qui rem gratis à fure accipit? vel qui bona fide rem emit a fure, teneatur furi vel Domino restituere?*
   Et an talis emptor teneatur contractum venditionis rescindere postquam cognouit esse alienam, si denuò eodem pretio bona fide rem vendidit? refertur duplex sententia.
8. *An qui restituit creditori sui creditoris, quod debet suo creditori, teneatur ad nouam restitutionem.*

§. III.

Vbi, & Cuius expensis sit restituendum.

9. *An expensis debitoris restitutio facienda sit in eo loco vbi Dominus illum possessurus erat, quando debitum ortum est ex iniusta acceptione?*
10. *An quando obligatio restitutionis nascitur solum ex re bona fide accepta, restitutio facienda sit in loco, vbi res habetur tunc temporis, quo cognoscitur esse alienæ?*
11. *An debitum ex contractu vel quasi contractu, debeat eo loco expensis debitoris restitui, vbi fuit traditum?*

§. IV.

Quando sit restituendum.

12. *An in debitis ex contractu, solutio fieri debeat tempore quo inter partes contrahentes expressè vel tacitè conuentum fuit? Et an debitor morosus inculpabiliter, teneatur suo creditori ad interesse damni emergentis, seu lucri cessantis.*
13. *An debitor sit in mora, & grauiter peccet non restituendo antequam admoneatur, quando in debitis ex contractu, non fuit constitutus terminus ad soluendum?*
14. *Qui ratione res acceptæ vel iniustæ acceptionis aut detentionis est obligatus ad restituendum, an teneatur statim ac commodè potest restituere?*
15. *Quot peccata committat qui longo tempore differt restitutionem? Et quomodo confessarius debeat se gerere in confessione cum illo?*

§. V.

Quomodo sit restituendum.

16. *Quatuor regulæ hic ponuntur ex quibus patere potest modus restituendi.*

§. VI.

Quo ordine sit restituendum.

17. *An omnibus creditoribus sit satisfaciendum ex bonis debitoris, si illa sufficiant?*
18. *An debita certa præferenda sint debitis incertis?*
19. *An res quæ in specie extant certis dominis debitæ, & quarum dominium debitori acquisitum non est, certis ac propriis dominis integrè restituendæ sint?*
20. *An pretium soluendum sit vel res restituenda venditori, quando illa existens aliena vendita fuit & venditor nec pignus aut fideiussorem dedit, nec venditor illud pro soluto habuit, fidem emptori?*
    Et an tunc venditor habeat ius prælationis? refertur duplex sententia.
21. *An qui non est omnibus soluendo debeat prius persoluere debita certa quam incerta?*
22. *An debita ex delicto prius restituenda sint quàm ex contractu?* refertur duplex sententia?
23. *An debita ex contractu oneroso prius sint soluenda quàm ex contractu gratioso?*
24. *Quis ordo seruandus sit in solutione creditorum debitorum?*
25. *Qui sint casus, in quibus posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam.*
26. *An regula iuris. Qui prior est tempore, potior est iure: locum habeat in omnibus creditoribus eiusdem ordine?* refertur duplex sententia.
27. *Inter cooperantes ad damnum, quis primò, secundò, tertiò, &c. teneatur ad restitutionem?*
28. *An causa principalis restituente, cæteræ liberæ sint ab onere restitutionis?*
29. *An quando plures damnum intulerunt & Dominus condonauit causæ principali obligationem, cæteri qui fuerunt causa minus principales liberi sint ab obligatione restituendi?*

1. *Res aliena* aut alteri debita restituenda est, si extat; si verò res ipsa non extat, restituendus est illius valor & pretium: imò debitor tenetur restituere damna, quæ creditor iniustè passus est ipsius culpa: vnde tenetur ad restitutionem fructuum, quos Dominus percepisset, & expensarum, quas Dominus fecit in re sua quærenda, si constet ab eo factas fuisse aliquas expensas, seruanda enim est æqualitas, & ius alienum. *L. Manifesti C. de solutionib. Authent. hoc nisi, de solutionibus. Quando* autem quis rem alienam quam bona vel mala fide possidet, cum propriis rebus ita commiscuit, vt eam nequeat discernere, licet acquisiuerit dominium illius rei, tamen possidēs in eo euentu contraxit obligationem restituendi rem æqualem, nullus enim potest locupletari cum iniusto damno alterius, ob id alter habet actionem contra possessorem. Clau. reg. *lib.* 10. *tr.* 2. *cap.* 3. *num.* 9. *Nauarr. cap.* 17. *numero* 24. *Sanch. lib.* 2. *moral. c.* 23. *n.* 24. *Filliuc. tr.* 32. *ca.* 4. *qu.* 1. & 2. *Sylu.* 2. 2. *qu.* 62. *art.* 4. *c.* 3.

2. *Tantum restituendum*, quantum sufficit ad faciendam æqualitatem debiti vel damni illati, ita vt, si quantitas debiti vel damni sit certa, tantumdem restituatur. Azor. 3. *par. lib.* 4. *cap.* 25. *Regin. lib.* 10. *num.* 213. Sylu. *c. art.* 3. *concl.* 2. *Sa v. restit. numero* 61. *Mol. t.* 3. *disp.* 726. *Si verò* sit incerta, tantum restituatur, quantum vir prudens iudicauerit, consideratis circumstantijs loci, temporis & personæ, habitaque ratione lucri cessantis, & damni emergentis; quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quæ inclinat ad seruandam æqualitatem, æqualitas autem seruatur seruata prædicta regula; vnde debitor qui non soluit præfixo termino, tenetur restituere creditori lucrum cessans, quod illi sequitur ex iniusta dilatione. Bonac. *de restit. disp.* 1. *q.* 5. *p.* 1.

p.1.num.9.P.Nauar.lib.4.cap.1.num.51.Bannes 2.2.quæst.62.artic.4. Similiter, qui conculcauit segetes antequam ad maturitatem peruenirent, aut arbores adhuc teneras incidit, tenetur arbitrio prudentis restituere, non solùm quanti res valebat tunc creditori, sed etiam quanti valuisset tempore messis, detractis expensis & laboribus, habitaque ratione periculi, ratione cuius fieri poterat vt per cœli iniurias, aut per alios casus fortuitos non peruenissent ad maturitatem; quamuis contrarium sentiant Filiuc.*trac.31.num.265.Mol.c.disp.726.*

3. *Cum* quilibet teneatur abstinere à malo opere patrando, & a medio ad illud inducente, *hinc* pro opere illicito patrando, seu pro turpi causa nihil dari vel accipi potest ante factum; vnde contractus vel pactio de re illicita facienda rescindenda est, nullamque inducit obligationem ad rem ipsam illicitam faciendam: *tamen* patrato opere illicito, de quo patrando initus erat contractus vel promissio, tenetur promittens soluere pretium, & accipiens non tenetur ad restitutionem, iuxta probabiliorem sententiam. *Reginald.lib.10.num.185.187.Filiuc.tract.31.num.226.Less.lib.2.cap.18.num.18.Sàver.restit.num.18. Dian.par.2.tract.16.resol.40.* Ratio est, tum quia opus malum non obstante malitia morali, quam habet materiali sua entitate, habet qualitates quibus sit vtilis, aut delectabilis, ratione quarum sit vendibilis, & æstimabilis pretio, ac si non haberet malitiam moralem. Tum quia est acquisitio legitima dominij rei, ac proinde non est obligatio restituendi.

Tum quia fornicatio ver.gr. vt est quid delectabile, est pretio æstimabilis; ac proinde licitè accipit meretrix pretium pro vsu sui corporis, quamuis peccet tradendo: Similiter Monialis non tenetur restituere acceptum propter sacrilegium: nec iudex propter iniustam sententiam: nec assassinus propter homicidium, quando quod acceptum est, iniustitiæ mensuram non excessit. Vnde si meretrix fraude, vel mendacijs plus extorsit ab adolescente, quam iustitia pateretur, tenetur restituere; quia vendidit vsum corporis maiori pretio, quàm secundum iustitiam poterat.

Meretrix tamen vel concubina tenetur restituere Monasterio, si aliquid acceperit à religioso in pretium peccati: quia quod religiosus acquirit, fit Monasterij, atque adeò non potest religiosus de illa re disponere, quia est res aliena, & quamuis superior det facultatem subdito, vt expendat in quoslibet vsus, hoc non obstat; quia intelligendus est in vsus licitos: nihilominus si Religiosus non habeat restrictam facultatem, posset ex bonis & eleemosynis ab ipso acquisitis, vel de alijs puellæ defloratæ satisfacere, vel paruulos ex ea susceptos alere: quia hoc opus iam esset pium, & adeò iustè res daretur sine obligatione restituendi ab accipiente, vt docet Vasques *de restitut.cap.7.dub.3.* Vide dicta *verb.paupertas num.11.*

Quæ pupilli aut minores dederunt meretricibus sunt etiam restituenda per illas tutoribus, aut curatoribus minorum; quia non possunt alienare sine licentia curatorum aut tutorum: ergo quæ sine illorum licentia, data sunt per minores, debent curatoribus restitui: vt dictum est supra *v.Donatio num.4.Mol.tract.2.disp.94.P.Nauar.lib.4.cap.2.num.91.* & 132. *Acquisita* verò ob turpem causam, restituenda sunt, non solùm ante factum, sed etiam secuto facto, quando lex efficit acquirentem incapacem dominij, vel inhabilem ad rem accipiendam; vnde acquisita per Simoniam retineri non possunt, etiamsi voluntariè tradita fuerint. *Fœmina* tamen meretrix, quæ sui corporis copiam alicui fecit promissa sibi pecunia, potest pretium sibi promissum in foro externo exigere, quia sicut in foro externo permittitur meretricium, ita datur actio ad repetendum pretium; secus *dicendum* de fornicatione occulta, quæ punitur in foro externo, tunc enim non datur actio vt si Monialis, aut virgo, aut adultera petat promissum sibi pretium. Ita Couarru*.ad reg.peccatum p.2.§.2.num.3.Filiuc.tr.32.c.9.qu.9.* & 10. *Syl.2.2.q.62.art.5.concl.2.*

§. II.

Cui sit restituendum.

4. DEbita *incerta*, id est, quorum creditor ignoratur, vel conueniri non potest, quia nimis distat, si proueniãt ex contractu iusto, possessor sibi retinere potest, neque tenetur pauperibus erogare; quia incertorum bonorum restitutio faciẽda est non iure naturali aut diuino, sed tantùm iure positiuo; atqui lex Canonica solùm præcipit, vt quæ iniustè acquisita sunt, puta per vsuram, &c. si domino non possint, in pauperes vel alias pias causas erogentur; de bonis autem incertis à bonæ fidei possessore in pauperes erogandis, Canonico iure nulla mentio habetur. *P.Nauar.lib.4.cap.2.num.46. Layn.lib.3.tract.5.tract.2.cap.9.num.1. Less.lib.2.cap.14.num.38.*

5. *Possessor malæ fidei* aliusve iniustus damnificator, regulariter loquendo, tenetur illi restitutionem facere cui rem abstulit, modò ille cui rem abstulit, habeat aliquod ius circa rem ablatam; aut illi cui damnum intulit si restitutio facienda est ob damnum iniustè illatum, aut illi qui succedit in iura alterius, cui facienda erat restitutio. D.Thom.2.2.*quæst.62. articulo quinto. Azor.3.par.libro quarto cap.26.Medin.de restitut.quæst.2.* Sylu.2.2.*quæst.62. art.5.*

6. *Possessor bonæ fidei*, qui rem alienam bona fide accepit titulo emptionis, aut alio titulo oneroso, non tenetur, postquam cognouit rem esse alienam, restituere illam Domino, sed potest rescisso contractu, restituere illi à quo bona fide accepit, vt possit pretium suum recuperare. *Tolet.lib.5.cap 17.num.12.Nauar. cap.17.n.7.Vasqu.de restit.cap.9.§.2. dub.2.* Qui verò mala fide rem alienam accepit sciens vel dubitãs alienam esse, tenetur eam restituere Domino etiamsi pretium solutum amittat, non verò potest ei restituere à quo accepit; nisi certò sciat eam esse verò Domino reddendam; quia adest hic *duplex titulus* restitutionis; videlicet, *res accepta*, & *iniusta acceptio*; & malitiæ suæ, & culpæ imputare debet amissionem pretij, & damnum quod inde patitur. *Bann.2.2.quæst.62.art.6.disp.1.Mol.trac.3. disput.722.num.2.Salon.2.2.quæst.62.art 6.* Syluius 2.2.*quæst.62.art.6.qu.1.concl.2.*

Sylvest tamen & alij asserunt posse restituere ei à quo accepit, quando alioquin subiret periculum amittendi pretium. Sylvest. & *alij apud Clau.reg.li.10.tr.2.ca.4.Tolet.lib.5.c.17.n.13.* Et hanc sententiam probabilem vocant Malder.2.2.*tract.4.cap.3.dub.2.Less.lib.2.cap.14. dub.3. num 22. Marchantius in decalog.p.2.cap.7.quæst.20. Diana p.2.tract.3. miscell.resol.4.* & *p.5. tract.14.resolut.87.* quamuis ipse contrariæ sententiæ adhæreat. Ratio est, quia nullo iure nec iustitiæ, nec charitatis teneor cum graui meo incommodo rem reducere alterius in meliorem statum quàm erat, quando eam emi, siue conscius, siue nescius illius conditionis, sed quando emi, res erat in latronis manu, ergo satis erit rem iterum in eadem manu reponere, licet ab alijs sit subripienda, cùm ob retentionem non fui in causa, vt à Domino ad locum tutum reciperetur, ergo. Deinde non maior est fur, & malæ fidei possessor inuito domino, emptor malæ fidei, quàm fur, qui à fure rem auferret; sed fur qui furatus est à fure, potest reddere eidem furi, vt docet *Sà v.Furtum*, num.11. *cum Alensi, D.Antonino, & Angelo*, quos citat. Ergo.

7. *Bonæ fidei possessor*, qui rem gratis à fure accepit, non potest eam tradere furi, nisi fortè moraliter certus sit rem Domino restituendam esse à fure: *Similiter* qui bona fide rem emit à fure: tenetur, postquam cognouit alienam esse, restituere vero Domino, si non potest inuenire furem, vt ab eo pretium recuperet: idem *dicendum* de eo, qui inuenit furem, à quo rem accepit, sed fur recusat pretium restituere. *P.Nauarr.libro 3.cap.4.num.191.Filiuc.tract.32.numero 85.Clauis reg.c.cap.1.num.17.Less.c.cap.14.disp.3.*

Quid autem *dicendum* sit de eo; qui bona fide rem furtiuam emit & denuò eodem pretio bona fide vendidit, an teneatur cõtractum venditionis rescindere, postquam cognouit rem alienam esse reddito pretio illi, cui vendidit & recuperata re vendita. *Nauarr.cap.17.num.8.* Putat non teneri rescindere contractum, sed solùm teneri restituere pretium emptori restituenti rem vero Domino: imò *Filiuc.tract.32.num.84.* & alij existimant non teneri pretium emptori restituere, nisi maiori pretio vendiderit quàm ipse emit: Less.*c.dub.5.Clau.reg.c.cap.2.num.13.Molin.tract.2.disp.721. Azor.c.cap.3.quæst 3. P.Nauarr.lib.3.cap.4.num.193. Communior* & *probabilior sententia* habet, teneri rescindere contractum; quia vendens rem vitiosam tenetur rescindere contractum venditionis, si emptor conscius vitij non emisset, censetur enim inuoluntariè emisse, ergo tenetur etiam in hoc casu contractum rescindere, reddito emptori pretio. Ita etiam Syluius 2.2.*q.62.ar.6.quæst.2.*

8. In *foro conscientiæ*, qui restituit creditori sui creditoris, quod debet suo creditori, videtur satisfacere, & non tenetur ad nouam restitutionem, modò debitum sui creditoris sit liquidũ, nec ipsius creditor damnum inde patiatur, vt si tibi debeam 100. & tu tantumdem debeas meo fratri, si soluam fratri, tibi non amplius obligor: quia dum soluo tuo creditori 100. cui debes tantumdem, transfero in me ius, quod ille in te habebat ad exigendum à te 100 vnde si tibi tantum iam debeam, possum vti-

com-

compensatione. In *foro* tamen *externo* cogar tibi soluere, nisi res debita quam restituo tuo creditori, sit illi obligata. Ita Layman. *lib.* 3. *fect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 9. *num.* 8. *Filiuc. tract.* 32. *num.* 151. *Clau. reg. lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 7. *num.* 6. *Medin. q.* 3. *cauſa* 5. Syluius 2. 2. *quæſt.* 62. *artic.* 8. *quæſt.* 1.

§. III.

Vbi, & cuius expensis ſit reſtituendum.

9. *Quando* debitum ortum est ex iniusta acceptione, restitutio facienda est expensis debitoris, idque eo loco vbi Dominus illam possessurus erat, si ablata non fuisset; deductis tamen expensis, si quas creditor eam seruando vel deferendo facere debuisset. quia restitutio orta ex iniusta damnificatione in integrum fieri debet: itaut creditor omnino indemnis seruetur: *tamen* si transferendo in locum Domini multò maiores expensas ex proprio facturus sis, quàm res restituenda valeat, ad id non obligaris, sed potes pauperibus dare: *si tamen* spes sit fore aliquando vt sine magno sumptu ipsi Domino vel heredibus eius restitutio fieri possit, hoc casu res interim in tuto loco seruari debet. Vide Nauarr. *cap.* 17. *num.* 43. Azor. 3. *par. lib.* 4. *cap.* 32. *Filiuc. tract.* 32. *num.* 110. *Laym. c. cap.* 10. *num.* 3. *Less. lib.* 2. *cap.* 15. *diſp.* 8. *num.* 48. & 50. Syluius 2. 2. *qu.* 62. *art.* 5. *quæſt.* 7. *concl.* 1.

10. *Quando* obligatio restitutionis nascitur solum ex re bona fide accepta, restitutio facienda est in loco, vbi res habetur tunc temporis, quo cognoscitur esse aliena; quòd si Dominus absens alio transferri cupiat, suis sumptibus id curare debet; vel si ob eam causam possessor in Domini gratiam aliquid vtiliter expendat, actione negotiorum gestorum repetere poterit: *l.* 2. *ff. de negotijs geſtis*. Et ratio est, quia cum tuo damno non teneris Dominum in pristinum statum restituere, cùm eum per iniuriam non deturbaueris, sed solùm teneris ad rei custodiam, monito interim Domino vt significet, quo modo velit eam sibi transmitti, qua in re non teneris vllos sumptus ferre. Nauar. *cap.* 17. *numero* 42. *Reginald. libro ſecundo num.* 231. *Clau. reg. lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 9. *P. Nauar. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 2. *Filiuc. c. num.* 108. *Syl. c. concl.* 2.

11. *Quando* debitum descendit ex contractu vel quasi contractu, in quo res eadem numero est restituenda, vt in deposito, commodato, pignore, debet eo loco restitui, vbi fuit traditum expensis depositarij, commodatarij, nisi aliter iusta aliqua pactione conuentum sit, *vnde* si quis equum accepit commodatũ, & deinde alium in locum transtulit, tenetur suis expensis restituere in eo loco vbi accepit, si autem Dominus commigrasset aliò, non tenetur qui accepit eò mittere. *Quæ* autem debentur ex contractu, in quo pro re accepta est reddenda alia, restitutio ex natura contractus, non quouis loco fieri potest, sed ibi facienda est, vbi res pro qua datur est accepta, secundùm quem locum, etiam res quæ datur est æstimanda, vt si quis emit equum Romæ, debet reddere pretium Romæ: *Porrò* quæ debentur ratione donationis, legationis, testamenti, reddendá sunt in loco vbi erãt cum donarentur, nisi aliud in ipsa dispositione expressum fuerit, ac proinde expensis eius cui donata sunt. Ita *Less. lib.* 2. *cap.* 15. *dub.* 8. *num.* 53. *Nauarr. cap.* 17. *num.* 42. *Vasqu. de reſtit. c.* 10. *num.* 43. & 58. *Filiuc. tract.* 32. *cap.* 4. *qu.* 10. *Bonac. de reſt. diſp.* 1. *q.* 5. *p.* 1. *num.* 12. 13. *Syl. c. concl.* 3. 4. 5.

§. IV.

Quando ſit reſtituendum.

12. *Quando* obligatio restituendi siue soluendi ex contractu descendit, solutio fieri debet tempore quo inter partes contrahentes expresse vel tacitè conuentum fuit; eo transacto, si debitor in mora culpabili existat, iniuriam creditori infert, obligationemque contrahit compensandi damni quod exinde creditor patitur; neque ad id necesse est, vt creditor solutionem exigat; quia ipse dies, siue tempus statutum, intra quod solutio fieri debeat, pro creditore interpellat: *Cap. fin. de locato, & conducto. Bonac. c. quæſt.* 6. *punct. vnic. n.* 3. & 4. *Laym. lib.* 3. *fect.* 5. *tract.* 2. *cap.* 10. *num.* 1. Si tamen debitor paratus sit tempore, & loco constituto soluere, sed creditor vel absens sit, nullo loco sui procuratore relicto, vel præsens recipere nolit, tunc debitor liber est à præstando ipsi damno postea euenienti, vel pœna conuenta. Mol. *tom.* 3. *tract.* 2. *diſp.* 753. *num.* 1. *Diana tract.* 3. *miſcell. reſolut.* 3. *p.* 2. *Vnde* pœnitens qui teneatur ex contractu restitutionem facere, non facilè condemnandus est de lethali culpa, quando est in mora restituendi absque damno creditoris, etiamsi creditor sæpius petierit solutionem, modò debitor intentionem habeat soluendi, nec creditor periculum subeat amittendi rem sibi debitam.

An autem debitor morosus inculpabiliter teneatur suo creditori ad interesse damni emergentis, seu lucri cessantis, affirmat Mol. *c. diſp.* 751. *num.* 2. Negant *Bonac. diſp.* 3. *q.* 3. *p.* 3. *n.* 5. *Dian. 2. 2. tract.* 5. *cap.* 3. *dub.* 12. & alij apud *Dian. tract.* 1. *miſcell. reſol.* 49. *p.* 2. nisi præcesserit pactum de soluendo interesse procedente ex mora inculpabili: quia non potest obligari, nisi ex culpa, vel pacto, quorum neutrum interuenit. Vide præterea Dianam *de contr. reſol.* 87. 43. *p.* 1.

13. In *debitis ex contractu* quando non fuit constitutus terminus ad soluendum, debitor non videtur esse in mora, aut grauiter peccare non restituendo, antequam admoneatur: nam creditor sciens & potens petere, videtur dilationem concedere non petendo: secus *dicendum* est si petat, vel si non petat ob timorem vel impotentiam, vel obliuionem, tunc enim debitor dicitur alienum retinere inuito domino, & censetur esse in mora non restituendo. Rodr. *q.* 2. *par. cap.* 46. *Nauarr. cap.* 17. *num.* 79. *Reginald. lib.* 10. *numero* 223. *Syluest. verb. mora. quæſt.* 1. *Bonac. Laym. cit.*

14. Quicumque obstrictus est onere restituendi ratione rei acceptæ vel iniustæ acceptionis, aut detentionis, tenetur statim ac commodè potest restituere, nisi dilationem obtineat à creditore, aut nisi creditor sit irrationabiliter inuitus. D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 8 *Clau. reg. lib.* 10. *tract.* 5. *cap.* 4. *Saver. reſtit. n.* 61. *Mol. c. diſp.* 753. *num.* 2. *Azor. c. lib.* 4. *cap.* 34. quia præceptum negatiuum non detinendi rem alienam, item non differendi solutionem debitam, omni tempore obligat; tamen illud statim, quo facienda est restitutio, non accipitur mathematicè, sed moraliter, expectata scilicet opportunitate restituendi absque dolo & fraude; vnde debitor ex delicto vel quasi delicto tenetur sub mortali statim restituere ac commodè potest, alioquin censetur esse in mora. Consule Syluium 2. 2. *q.* 62. *art.* 8.

15. *Qui* non restituit statim ac commodè potest, sed longo tempore differt restitutionem, tot peccata committit quot sunt actus intentionis, & voluntatis moraliter interrupti: Vasqu. 1. 2. *tom.* 1. *diſput.* 75. *cap.* 2. *Clau. reg. c. cap.* 5. *num.* 9. *Molina c. Dian. tract.* 2. *miſcell. reſol.* 25. *p.* 2. *Syl.* 2. 2. *q.* 62. *art.* 8. *vnde* peccata in re aliena retinenda multiplicantur, quoties moraliter interrumpitur intentio, & voluntas non restituendi per somnum, contritionem &c. vt dictum est, v. *Peccatum*. *Confessarius* tamen in inuestigando numero peccatorum interruptorum in retinenda re aliena, non debet se scrupulosè gerere, sufficit enim inuestigare temporis spatium, quo res aliena detenta fuit, quo cognito paulò plus vel minus cognoscet numerum peccatorum, & statũ pœnitentis.

Præterea confessarius absoluere non potest pœnitentem non habentem firmum propositum restituendi quam primum poterit, data opportunitate: quia pœnitens tamdiu existit in peccato mortali, quamdiu potest restituere, & non restituit: Similiter non debet absolui, qui cùm possit commodè restituere, intendit restitutionem differre, vsque ad mortem sine iusta causa, aut illam in testamento imponere faciendam à suis heredibus. P. Nauarr. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 70. *Reginald. lib.* 10. *num.* 221. & 225. 226. *Azor.* 3. *par. lib.* 4. *cap.* 34. *quæſt.* 4. Idem *dicendum* quando non vult restituere nisi per partes, cùm possit totum restituere, aut quando sæpius confessario promisit restituere, sed nondum restituit de facto, cùm posset commodè restituere, nec obtinuit dilationem à creditore. *Confessarius* tamen potest absoluere pœnitentem, quem credit obstrictum esse obligatione restituendi, illique imponit præceptum restituendi, sed pœnitens non acceptat præceptum, dicendo se facturum quod tenetur, intendens consulere peritiores, aut sciens saltem cum probabili opinione se non teneri. Ita *Syluest. v. reſtit.* 5. *quæſt.* 6. *Clauis reg. c. num.* 15. *Azor. c. quæſt.* 3.

§. V.

§. V.

Quomodo sit restituendum.

16. MOdus *restituendi* patere potest ex sequentibus regulis. *Primò*, Debita occulta restituenda sunt occultè, publica verò publicè, vt vsuræ publicæ ad tollendam scilicet offensionem aliorum. *Secundò*, res inferioris ordinis nón sunt restituendæ cum detrimento rerum superioris, v.gr. bona exteriora cum iactura honoris vel famæ; nec honor aut fama cum iactura vitæ regulariter. *Tertiò*, restitutio non potest fieri per partes, sed tota simul facienda est, quantum fieri potest, quando restitutio deberur ex delicto, vel etiam ex re accepta: quando verò restitutio debetur ex contractu, facienda est iuxta conuentionem, & pactum contrahentium. *Quartò*, qui non potest per se commodè restitutionem exequi, nisi se prodat, curet eam exequi per alium fidelem hominem, ita tamen vt curet fieri certior an sit facta, necne. Vide *Mor. 3. par. lib. 4. cap. 35. P. Nauar. lib. 4. cap. 5. Regin. lib. 10. num. 214. Bonac. de restit. dis. 1. q. 7. Fill. tr. 32. c. 4. quæst. 12.* citatos hic.

§. VI.

Quo ordine sit restituendum.

17. QVando *bona debitoris* in solutionem omnibus creditoribus sufficiunt, non est opus vllo ordine, nam omnibus integrè est satisfaciendum: si autem bona debitoris non omnibus debitis soluendis sufficiant is ordo seruandus erit.

18. *Debita certa*, id est: quæ proprijs creditoribus restitui possunt, præferenda sunt debitis incertis, id est, quæ proprijs dominis aut creditoribus restitui non possunt; sed eorum loco Ecclesiæ vel pauperibus erogari debent; quia dominis ac creditoribus certis ex iustitia commutatiua propriè dictum ius competit ad debita sua exigenda: tamen quando res aliena in specie extat apud iniquum possessorem, tunc si vero domino restitui non possit, pauperibus potius, vel Ecclesiæ tribuenda erit, quam vt ex tali re alijs certis debitis satisfiat. Nauar. *cap. 17. num. 47. Less. lib. 2. cap. 15. disput. 1. Vasqu. de restit. cap. 11. num. 9.* P. Nau. *li. 4. cap. vlt.* Syl. *2. 2. q. 62. ar. 8. quæst. 2. concl. 1.*

19. *Res* quæ in specie extant certis dominis debitæ, puta ex commodato, deposito, locato, furto. *Item* si res empta apud debitorem in specie extet, nondum soluto pretio, neque de solutione fide habita, & vniuersum quarum rerum dominium debitori acquisitum non est, ex certis ac proprijs dominis integrè restituendæ sunt, §. *vendita, instit. de rerum diuisione. Laym. li. 3. tract. 5. tract. 2. cap. 11. num. 2.* cum reliqui creditores nullum in ijs ius habeant. vnde si res sit Ecclesiæ, vel fisci vel minoris, & adhuc extet inter bona debitoris ante omnia soluendum est pro ea pretium iustum, vel certè res ipsa est restituenda: vnde talis res vbicumque extiterit, etiamsi alijs vendita fuerit, potest vendicari. Ita Angel. *ver. emptio. num. 4. Syluest. ibid. num. 2. Less. c. num. 7. Syluius c. concl. 2.*

20. Quando *res aliena* vendita fuit & emptor nec pignus aut fideiussorem dedit, nec pretium in præsenti obtulit, nec venditor illud pro soluto habuit fidem emptori, tunc vel pretium ante omnia soluendum, vel res restituenda venditori, quia iure communi in hoc casu nondum censetur translatum dominium, etiamsi res tradita fuerit; an autem tunc venditor habeat ius prælationis? Couarru. *lib. 1. var. cap. 7. num. 3.* P. Nauarr. *lib. 4. cap. 6. num. 49. Mol. tit. disp. 536.* negant probabiliter, quia nullum ius positiuum inducens in tali re hypothecam in iure Cæsareo reperitur. Probabile tamen est, venditorem si ab emptore fideiussorem vel pignus non accepit, & res adhuc apud emptorem extet, in ea re cæteris esse præferendum, ita vt vel pretium ei soluendum sit, vel res ipsa restituenda, quia valdè durum est ab æquitate naturali alienum, vt res mea quam à me emisti, non soluto pretio, extans in sua specie alijs assignetur, & ego re mea simul & pretio fraudet. Sylvest. *ver. restit. 6. quæst. 5. Caiet. eodem verb. c. 8.* Nauar. *cap. 17. num. 29. Medin. de restit. quæst. 2.* Syl. *c. conclus. 3.*

21. Qui habet multa debita, quorum aliqua sunt certa, & aliqua incerta, debet priùs persolùere certa, quàm incerta, si non est omnibus soluendo; quia debita certa iuxta probabiliorem sententiam, iure naturæ soluenda sunt creditoribus certis, debita verò incerta, iure positiuo soluenda sunt pauperibus; sed ius naturæ præferendum est iuri positiuo, ergo. Filliuc. *tract. 32. numero 121. Clau. reg. lib. 10. tract. 5. cap. 10. Reginald. lib. 10. numero 238.*

22. *Quidam Doctores* volunt, debita ex delicto esse priùs restituenda quàm ex contractu, nisi fortè in contractu interuenerit hypotheca, & quò delictum fuit maius, eò quoq; priorem deberi restitutionem: ita *Medin. c. quæst. 2. disp. 5. Salon. 2. 2. quæst. 62. art. 8.* quorum sententia non est improbabilis. *Alij* docent priùs soluenda esse debita ex contractu iusto oneroso, non gratuito, quàm ex delicto; nisi fortè res ex delicto parta in specie sit aliena; hæc sententia etiam probabilis est, si res ex contractu accepta extet apud debitorem, & huius sententiæ sunt. Nauarr. *cap. 17. num. 52. Caiet. ver. restit. cap. 8. Verùm* tamen, & communior opinio est, inter hæc debita nullum esse ordinem, sed ea pari iure censeri; esseque debita personalia, sine iure prælationis; præsertim si res ex contractu accepta, apud debitorem non extet; quia nullo iure probatur debita ex delicto præferenda esse debitis ex contractu, vel è contra; ita multi recentiores, Filliuc *c. numero 124. Regin. c. num. 243. Bonac. de restit. disp. 1. q. 8. p. 2. n. 11.* Syl. *c. concl. 7.*

23. Qui habet debita ex contractu oneroso, & aliqua ex contractu gratioso, tenetur priùs persoluere debita ex contractu oneroso, vt si quis debeat Petro 100. nummos ex contractu emptionis, & Paulo debeat 100. ex promissione gratuita, tenetur in solutione facienda præferre Petrum Paulo: hinc patet quid sit dicendum de legatis, alijsque liberalibus dispositionibus: creditores enim ex contractu oneroso præferendi sunt creditoribus ex contractu gratioso, vt legato, &c. *Nauarr. cap. 17. num. 50. Less. c. num. 35. Reginald. c. num. 239. Clau. reg. c. num. 34.*

24. *In solutione* certorum debitorum is ordo seruandus est. *L. si curator. ff. de iure fisci. Primò*, reddendum est illud, cuius dominium non fuit translatum in debitorem. vt si res Ecclesiæ, vel fisci, vel minoris esset adhuc inter bona ipsius, & pretium eius solutum non esset, vt dictum est. *L. penult. ff. de relig. & sumptibus funeris. Less. cit. disp. 4. num. 21. Syluius c. concl. 4. Secundò*, soluendæ impensæ moderatæ pro funere debitoris, si hic mortuus esset; huc etiam pertinent expensæ pro inuentario faciendo, pro adeunda hæreditate, & similibus. *L. 2. 4. 5. Cod. qui potior. in pignore habeantur. Couarru. lib. 1. var. cap. 7. num. 2. Tertiò*, præferendi sunt hypothecarij, & inter hos qui priores sunt tempore: vnde tacita hypotheca prior præfertur expressæ posteriori, vt in dotali, quæ tamen tacita est; Et generalis prior præfertur speciali posteriori, contra Nauarrum, *Quartò*, hypothecarijs succedunt creditores personales, inter quos præferendi, qui habent personale priuilegium prælationis absque hypotheca, vt habet sponsa de futuro in bonis sponsi ob dotem traditam non secuto matrimonio; & *Less. c. nu. 34. & 35. Nauar. cap. 17. nu. 51. Filliuc. tract. 32. cap. 4. quæst. 17. Layman. lib. 3. tract. 5. tract. 2. cap. 11. Deinde* creditores habentes scripturam siue chirographum, ex titulo oneroso, cuique enim soluendum pro rata, non habita ratione temporis prioris vel posterioris: *Præterea* creditores ex titulo gratuito; *post* illos, hæredes, & legatarij; *hæredes* autem præcedunt legatarios in ordine ad legitimam, si sint necessarij; in ordine ad quartam partem quæ dicitur falcidia, si non sint necessarij. *Quintò*, aduertenda sunt particularia statuta ciuitatum, locorum. Vide *Couarruu.* & alios citatos.

25. *Septem* sunt *casus*, in quibus posterior tempore præfertur priori habenti hypothecam. *Primus*, mutuantis ad refectionem vel conseruationem alicuius rei. *Secundus*, mutuantis pro re custodienda. *Tertius*, hypothecæ dotalis. *Quartus*, Empti pecunia pupilli.

Quintus, mutui ad aliquid emendum. *Sextus*, contrahentis cum fisco, manent enim ipsius bona hypothecata cum priuilegio prælationis. *Septimus*, credentis pecuniam ad militiam. Bonac. *de restit. disp. 1. q. 8. p. 2. num. 16. Filliuc. c. num. 129. Less. c. numero 26. & seq.*

26. Multi Doctores affirmant regulam iuris, vti Tolet. *li. 5. cap. 25. Sa ver. restit. num. 61.* Valent. *2. 2. disp. 5. q. 6. p. 10. Medin. q. 2. disp. 5. Qui prior est tempore, potior est iure* locum habere in omnibus creditoribus eiusdem ordinis, id est, quorum alter non habet aliunde priuilegium prælationis contra alterum: quia quò diutiùs creditor caruit suo, eò strictiùs ei deberur, & eò citius est ei restituendum, quod non est improbabile, & est satis rationi consentaneum.

Contrarium tamen est verius, nempè non esse seruandam inter creditores chirographarios seu personales carentes hypothe-

tlieca vel alio iure prælationis: sed tantùm inter creditores habentes eandem rem sibi hypothecatam, Reginald.*lib.*10.*num.* 248. *Filliuc.c.num.*127.*&* 130. *Bonac.c.num.*19. & vt colligitur ex L.1.*ff.de separationibus*.

27. *Inter* cooperantes ad damnum ille principaliter tenetur ad restitutionem, qui præcepit damnum, modò in illud influxerit & habuerit auctoritatem supra illum, cui delictum præcepit; qualis est iudex respectu sibi subditi, dominus respectu serui &c. D.Thom.2.2.*quæst.*62.*art.*7. *Vasqu. de restit. cap.*9.*num.*52.*&* 56. 9.1. *P.Nauarr.lib.*4.*cap.*4.*num.*75. *Clau.reg.cap.*12. Sylu.2. 2.*quæst.*62.*art.*7.*quæsit.*1.*conclus.*2.*&* 3. Post *causam* verò *præcipientem*, principaliter tenetur exequens, qui per seipsum physicè cooperatus est ad delictum patrandum: post causam exequentem principaliter tenetur consulens & mandans: post *consulentem*, *& mandantem* tenetur principaliter receptator: *Post* receptatorem tenetur non impediens & non manifestans, qui tenetatur ex officio impedire, vel manifestare vel clamare: Reginal. *cit.num.*128. Azor.*c.cap.*19. *quæstio.*3. *Aduerte* tamen ante hos omnes, eum primo loco teneri ad restitutionem, qui rem alienam habet apud se extantem formaliter, vel in æquiualenti. Vt docet Syluius *c.concl.*1.

28. Causa principali restituente, cæteræ quæ minùs principaliter tenebantur ad restitutionem, liberæ sunt ab onere restitutionis: hinc facta restitutione ab eo, qui apud se rem alienam habuit cæteri ad nihil obligantur. Valent.*c.quæst.*6.*p.*3. *Medin. c.quæ.*8. Vasqu.*c.disp.*3.§.1. Similiter causa principalis non tenetur quidquam restituere parti læsæ, cui integrè satisfactum est à causa minùs principali, nullo enim titulo potest pars læsa duplicem solutionem exigere: tamen causa principalis in hoc casu tenetur seruare indemnem causam minùs principalem, refarciendo quod ab ipsa fuit solutum parti læsæ. Regin.*cit.num.* 127.*P.Nauarr.c.num* 84. *Azor.c.cap.*19.*quæst.*4. Quando autem plures tenentur æqualiter restituere, sed vnus integrè restituit, cæteri tenentur ad restitutionem illi, qui soluit; propterea vna ex concausis minus principalibus restituente in defectum principalis, cæteri tenentur suam portionem illi refundere, seu refarcire ad ratam suæ cooperationis. *Bonac.c.q.*8.*p.*1.*n.*14.*Vasq. c.*9.*d.*4. *Sylu.c.art.*7.*quæsit.*2.

29. Quando plures damnum intulerunt, & dominus condonauit causæ principali obligationem, cæteri qui fuerunt causæ minus principales liberi sunt ab onere restitutionis: secus si condonauit vni tantum ex minus principalibus: quòd si omnes æqualiter teneantur ad restitutionem, & pars læsa remittit vni obligationem, cæteri tenentur in solidum ad restituendum residuum, detracta parte quæ restituenda fuisset ab eo, cui facta fuit remissio.

Verùm qui obtinuit remissionem à creditore, & creditor remisit positiuè cedendo illi omnem suam actionem, ac si ipsa soluisset, habet ius contra principalem ad repetendum id, cuius sibi facta fuit remissio à creditore, quia succedit in locum creditoris. Secus est, si creditor non cessit omnem suam actionem causæ minùs principali. Ita Mol. *disp.*737.738. Reginald.*c.num.* 134. P.Nauarr. *tb.*3.*cap.*4.*num.*112. Clau.reg *c.num.*22. Vasqu. *c.*9.*dub.*4.*n.*68.§.1. Sylu.*c.art.*7.*quæsit.*3.

RESTITVTIO V.

De causis excusantibus à restitutione vel omninò, vel ad tempus.

SVMMARIVM.

1. *Quatuor causæ excusantes à restitutione ad tempus.*

§. I.

2. *An differri possit restitutio quando creditur allatura nocumentum ipsi creditori, vel alteri tertiæ personæ?*
3. *An damnum ipsius debitoris sit causa excusans à restitutione?*
4. *An impotentia debitoris sit causa sufficiens differendæ restitutionis?*
   Et an, qui rem alienam consumpsit in extrema necessitate, teneatur ad restitutionem transacta necessitate? refertur duplex sententia.
5. *An cessio bonorum sit causa sufficiens differendi restitutionē?*
6. *An in foro exteriori cessio bonorum ad hoc iuuet ne debitor possit conijci in carcerem? & an, qui absque culpa cogitur cedere bonis, possit aliquid abscondere?*
7. *An Clerici propter debita teneantur bonis cedere, & possint in carcerem conijci?*
8. *Ab debitor differens solutionem debiti ex delicto teneatur soluere creditori lucrum cessans & damnum emergens, quod creditor patitur?*
9. *An possit debitor licitè differre solutionem quando eam præstare nequit, nisi cadat à proprio statu iustè acquisito?*

§. II.

De causis quibus omitti possit restitutio.

10. *An remissio creditoris liberet debitorem à restitutione? & quę conditiones requirantur vt hæc remissio valeat? Quando Parens censeatur condonare restitutionem debitam à filio?*
11. *An debitor teneatur ad integram restitutionem si perueniat ad pinguiorem fortunam, qui composuit cum creditoribus contentis minori summa?*
    An excusetur etiam à restitutione debitor, quoties illi constat de voluntate formali vel præsumpta creditoris remittentis, aut dilationem concedentis?
12. *An compensatio, sufficienter excuset debitorem à restitutione?*
13. *An compositio cum Pontifice sit causa propter quam omitti possit restitutio, si incerti sint creditores?*
14. *An compositio obtenta à Sede Apostolica valeat quando creditores sunt noti?*
15. *An præscriptio sit causa sufficienter excusans à restitutione?*
16. *An religionis ingressus liberet à restitutione?*

1. *Causæ excusantes* à restitutione ad tempus sunt. *Prima*, damnum ipsius creditoris vel tertiæ personæ. *Secunda*, damnum ipsius debitoris. *Tertia*, impotentia. *Quarta*, cessio bonorum, de quibus sigillatim.

§. I.

2. CVm restitutio dirigatur, & ordinetur in vtilitatem creditoris, non in ipsius perniciem, & damnum, hinc differri potest, quando creditur allatura nocumentum ipsi creditori vel alteri tertiæ personæ, in tempus congruum, & magis opportunum. *Nau.cap.*17.*n.*63. *Les.lib.*2.*cap.*16.*dub.*4.*num.* 53. *Filliuc.tract.*32.158. Vnde possum & teneor denegare insano vel alteri suum gladium apud me depositum, petenti ad se vel alterum occidendum, modò denegare possim sine meo graui incommodo.

An autem debitor possit vel teneatur restituere suo creditori rem debitam, qua scit ipsum abusurum. *Clau.reg.lib.*10.*tract.*5. *cap.*8.*num.*10. *Les.c.* & alij dicunt lege charitatis restitutionem debere differri, si dilata solutione spes sit, malum illud fore impediendum. Azor.3.*par libro quarto cap.*39. *Sanch.de matrimon. lib.*9.*disp.*6. *P.Nauarr.libro quarto cap.*2.*num.*33. docent quando creditor abusurus est tantummodò in suum detrimentum, verbi gratia, in ludos, ebrietates, meretrices, &c. & debitor non potest commodè debitum denegare, debitorem posse, & teneri restituere præmissa correctione ne abutatur: quia non interest debitoris, an creditor in pios vel malos vsus consumat, sed debitoris est soluere quod debet absque alterius iniuria. *Molin.tom.* 3.*disp.*755. *Nauarr.c.num.*62. *Valent.*2.2. *disput.*5. *quæst.*6. *p.*4. Quando autem creditor abusurus est pecunia vel alia re sibi debita, in detrimentum, & iniuriam tertij, debitor non potest creditori restituere: imò restituendo grauiter peccaret & quidem contra iustitiam, nisi excusetur ratione notabilis incommodi, quod pateretur non restituendo, & nisi accedat præceptum iudicis. Consule Syluium 2.2.*quæst.*62.*art.*5. Ratio autem cur debitum difficilius reddi possit creditori abusuro contra iustitiam, quàm contra alias virtutes, verbi gratia temperantiam, est: tum quia obligatio virtutis iustitiæ suapte natura grauior est, quàm aliarum moralium: consequenter oritur inde strictior obligatio impediendi peccata contra iustitiam, quàm contra alias virtutes.

Tum

Tum quia per peccatum iniustitiæ infertur damnum alteri innocenti,& inuito; per alia verò peccata v. g.intemperantiæ,solus peccans,& quidem propria voluntate damnum accipit.

3. *Secunda causa* excusans à restitutione statim facienda. Less. *l.c.16.n.21.Fill.c.nu.145. Nau.c.17.n.57.Sà v.rest. n.26. Azor. 3.par.l.4.c.39.P.Nau.cap.4.lib.4.nu.40.Sylu.2.2.q.62. art.8. q.1. concl.3.& seqq.* est incommodum & damnum quod debitor longè maius patitur, quàm patiatur creditor ex dilatione restitutionis:quod tamen *intelligendum* est, de damno distincto à reipsa restituenda, seu de damno in rebus non debitis; nam damnum quod sentitur præcisè in restitutione rei debitę,non est damnum pati in proprijs bonis, sed est restituere quod alteri debetur: *A fortiori* debitor potest restitutionem differre ob vitandum magnum & probabile periculum salutis animæ suæ & suorum, quando alia non suppetit congrua via, seu commoda ratio euadendi huiusmodi periculum, quàm differendo restitutionem.

Similiter debitor nõ tenetur restituere bona inferioris ordinis cum notabili iactura bonorum superioris ordinis; quia dominus tunc non censetur rationabiliter inuitus, quãdoquidem peccet contra charitatem, & æquitatem, si velit statim sibi restitutionem fieri cum tanto debitoris detrimento: *Hinc* communiter à Doctoribus admittitur regula Scot.4.*d.*15.*q.*2. *art.*4. *Mol. c.d.*754. *Fill.c.n.*148. *Clau.reg.c.*6.*n.*17.docentis,*solutio differri vel omitti potest, quoties dominus rei rationabiliter velle debet restitutionem differri. Notandum tamen* est,debitorem non posse differe restitutionem, quando damnum quod ipse patitur restituendo, est æquale damno quod patitur creditor ex dilatione restitutionis; quia cum æquali damno potior est conditio creditoris innocentis. Ita *Molina Filliucius,Clauis Regia*.

4. *Tertia causa* sufficiens differendæ restitutionis est *Laym. l.*3.*fect.*5.*tract.*2. *cap.*12. *nu.*1.& 2.*Bonac.de rest.d.*1. *q.vlt.par.*1. *n.*30,31.*Sylu.*2.2.*q.*62.*art.*8. *quæst.*1. impotentia debitoris; quia impossibilium non est obligatio: vnde extrema necessitas vel etiam grauis tua vel tuorum, vel proximi cui aliter subuenire nequeis, nisi rem alienam vel alteri debitam impendendo, excusat à restitutione, quamdiu ea durat, quia in tali euentu omnia sunt communia:quod intelligendum est,modò creditor non existat in pari necessitate: *An autem* qui rem alienam consumpsit in extrema necessitate teneatur ad restitutionem transacta necessitate,Nauar. *cap.*17.*nu.*61.62. *Less.l.*2.*c.*16. *nn.*8.*Tolet.lib.*5.*c.* 24.dicunt teneri, si res consumpta sit magni pretij, nec putetur donata, & quando commodè potest: quia extrema tua necessitas non transfert in te dominium rei alienæ, sed tantùm tribuit ius vtendi,vt periculũ euadas.Hæc sententia est probabilis.

Veriùs tamẽ putat alij accepta in necessitate,nõ esse obligationẽ ea restituendi,transacta necessitate, modò consumpta fuerint in ipsa necessitate, & non extent post necessitatem; quia res accepta in extrema necessitate censetur communis, nullus autem tenetur ad restitutionem rei communis consumptæ.Ita *à P.Nauar.numer.* 24. *Azor.c. capitul.*39. *Sotus* & alij Secus *dicendum* esset, si res ante accepta necessitate esse, *vel si* in ipsa necessitate, adhuc tamen extaret post necessitatem, *vel si* mediante contractu transferente dominium rei in accipientem; in his tribus casibus est obligatio restituendi transacta necessitate, quia hæc obligatio non fuit extincta,sed tantùm consopita,& suspensa.Ita Filliuc.*c.n.*142.*Clau.reg.c.nu.*12.*Less.c.n.*4.

5. *Quarta causa* propter quam differri potest restitutio, est. *L.qui bonis, ff.de cessione bonorum. Nauar.cap.*17.*nun.*86.*Clau. Reg.lib.*10.*tract.*5.*c.*7.*nn.*4. *Filliuc.c.num.*152.153. *Layman c.c.* 12.*num.*5.*Diana* 4.*par.trac.*4.*ref.*78.Sylu.*c.art.*8.*quæst.*1.*in concl.*7.quia qui cessit bonis censetur esse impotens ad satisfaciendum debitis existentibus post cessionem: in foro tamen conscientiæ cessio bonorum non magis excusat,quàm necessitas sine cessione excusaret quia in hac cessione tantùm conceduntur alimenta, idque ex quadam misericordia neque semper, sed quando casus id videtur mereri:verùm hæc cessio non ita eximit à restitutionis obligatione, quin debitor teneatur ad restitutionem postquam peruenerit ad pinguiorem fortunam, quia debita per cessionem bonorum non fuerunt extincta sed consopita. Vnde mercatores aut nobiles non sunt tuti in conscientia, nec à restitutione immunes, qui innumera debita contrahunt, vt in victus,cultus, familiæque splendore, fines sui status excedant, aut in ancipites ac temerarias negotiandi rationes se ingerant, esto bonis cedere velint, aut in Ecclesiam se recipiant, vt creditores totum debitum, vel partem remittant, vel soluendi dilationem concedant, si alioquin ad hoc creditores iure naturali non teneantur. Ratio est, quia talis remissio est extorta, & coacta potiùs quàm spontanea: secus est de mercatoribus, qui prudenter & sincerè debita contraxerunt, vt sese lucrandi ergo in plura & ampliora negotia immitterent, quibus tamen postea res non succedit ex voto.

6. In *foro* autem *exteriori* cessio ad hoc iuuat, *Leg.prima, Cod. qui bonis cedere,Leg.qui bonis.ff.c.*ne debitor possit conijci in carcerem, & ne, si post cessionem aliquid acquirat,ei possit auferri, quando est necessarium ad suam vel suorum sustentationem: *hinc* ille qui absque culpa cogitur cedere bonis, si fiat executiò in bonis eius per creditores, potest abscondere quantùm necessarium est ad tenuem sui & aliorum, quos alere tenetur, sustentationem iuxta suum statum; Idem *dicendum* de illo, qui debitor est ex delicto, potest enim retinere quantùm necesse est, vt pro sua conditione non indecorè viuat, & maximè de bonis, quæ post cessionem acquirit. Vide suprà v.*Cessio bonorum,& Molin. tomo* 2.*disputation.*571. *P.Nauarr. libro* 4. *capitul.*4. *numero* 60. *Bonacina c.parte prima numero* 37. *Lessius c.dub.*3. *numero* 45. & alios.

7. *Clerici*,qui iuxta Concil.Tridentin.*session.*23.*cap.*6.*Codic. qui Odoardus de solutionibus. Cod.vnico de clerico coniugat. in* 6. gaudent priuilegio fori,exceptis Clericis coniugatis; vt sunt omnes initiati sacris; *item* habentes beneficium ecclesiasticum, *vel qui* clericalem habitum & tensuram deferentes, alicui ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiunt; *vel qui* in seminario clericorum aut in aliqua schola vel vniuersitate, de licentia Episcopi quasi in via ad maiores ordines versantur, & habitu non tonsora gestant, non tenentur bonis cedere, nec possunt tamen ob debita in carcerem conijci, ne in opprobrium status Ecclesiastici cogantur mendicare.Ita Lessius,*c.nu.*52.*Sylu.c.*ex iuribus hic citatis.

8. *Debitor*, qui differt solutionem debiti ex delicto, tenetur soluere creditori lucrum cessans & damnum emergens, quod creditor ex ea dilatione patitur; quia debitor per suum delictum est iniusta causa damni, quod facilè solet ex delicto euenire: *qui* autem *differt* solutionem debiti ex contractu iusto, non videtur obligãdus ad restitutionẽ damni vel lucri cessantis;quia differens solutionem ex iusta causa, non dicitur esse in mora soluendi: quod intelligendum est, modò debitor non differat restitutionem ad vitandum solùm suum detrimentum, quia si solùm differat,vt seipsum seruet indemnem, videtur obligandus ad restitutionem damni; par enim non est,vt debitor seipsum seruet indemnem cum damno creditoris, quando debitor est soluendo, Ita Molina,*dis.*754.755. *Less.lib.*2.*cap.*16. *dubio* 1.*num.*32. *Clau. reg.lib.*10.*tract.*4.*capit.vnic.numero* 12. *Arragon.*2.2. *quæstio.*62. *art.*4. *Dian.par.*5.*tract.*13. *resol.*78. *Filliur.tract.*33.*num.*151. & alij citati.

9. *Porrò* debitor potest licitè differre solutionem, quando eam præstare nequit, nih cadat à proprio statu iustè acquisito, etiamsi debitum contraxerit ex delicto, vt ex comessationibus, ludis, scortis prodigalitate, &c. tamen si status iniustè fuit acquisitus, vt per vsuras, rapinas, debitor tenetur statim restituere etiam cum iactura status, nam restituendo non cadit à proprio statu, sed reuertitur ad primum statum: licet possit talis debitor retinere ea, quæ sunt necessaria hominibus suæ conditionis ad tenuem victum & vestitum; vnde confessarius non debet cogere pœnitentem ad restituendum, quando ille non potest restitutionem facere.nisi cadat à proprio statu iustè acquisito, & cogatur mendicare. Ita P.Nauar. *lib.*4. *cap.*4. *numer.*60. *Bonac. c.quæst.vltim.punct.*1.*num.*24.25.*Nauar.cap.*17.*numero* 63.*Less. c.numero* 26. Sylu. *c. quæstion. prima, articul.* 8. *conclusion.*3. *& quarta*.

Vide v. *Compensatio numero primo. Eleemosyna numero* 8. 9. 10.15.

§. II.

De causis quibus omitti possit restitutio.

10. *Prima causa* omninò liberans debitorem à restitutione est remissio creditoris; quia sicut creditor potest ius suum quod habet in debitorem alteri donare, ita etiam ipsi debitori, quod est remittere: tamen vt hæc remissio valeat tres conditione requiruntur.

Prima, vt sit omninò libera, id est, non exorta metu vel fraude; nam si fiat inuoluntariè simpliciter vel mixtè, vt per ignorantiam, aut per metum grauem, aut leuem,

quamuis reuerentialem, aut per dolum, & fraudem debitoris, inualida est. *Secunda*, vt possit condonare, nemo autem potest condonare nisi qui donare; vnde debita mariti non potest vxor remittere. *Tertia*, vt condonatio non fiat in casibus iure exceptis, qui tres sunt. *Primus*, quando Episcopus in visitatione reciperet aliquid vltra sumptus necessarios ad victum.

Secundus, quando Iudex delegatus aliquid reciperet à partibus præter esculenta, & poculenta. *Tertius*, quando Inquisitores officij prætextu pecunias extorserint. *Quartus*, additur ex Tridentino de Canonicis, qui non adiunt horis Canonicis, & accipiunt distributiones, *sess.24. cap.13.* Ita *Nauarr.cap.17.num.45. Clau. reg.lib.10.tract.5.cap.8.num.1. Rodriqu.tom.1.cap.49. numero 11. Filliuc.tract.32.cap.5.num.157. Less.lib.2.cap.16. dub.2. Azor.3. par.lib.4.cap.39. Sa ver.restit.num.28. Sylu.2.2.q.62.art.8. quæst. 1.in concl.7.*

Petes, quando parens censeatur condonare restitutionem alioqui debitam ratione profusionis & dissipationis paternorum bonorum factæ à filio? Resp. quando filius non maiorem quantitatem insumpsit, quam pater contentus esset, vt in sui sustentationem, & honestas recreationes insumeret, ad nullam restitutionem ordinarie tenetur, si quid intra illam summam, inordinatè & contra voluntatem patris compotando, comessando, ludendo, libidinando, &c. consumpsit. Ratio est, quia pater inuitus non est quoad sumptus, sed quoadmodum & obiecta circa quæ insumpsit. Deinde parentes sciunt se iuuenibus lubricis committere dispositionem suæ pecuniæ ad ipsorum sumptus & sustentationem, & proinde aduertunt pro humana fragilitate non aliter esse eam regulariter administraturos.

Confirmatur, quia non semper, quando filius ita inordinatè aliquid contra voluntatem patris insumit, vt lethaliter peccet, transgrediendo eo pacto patris voluntatem, tenetur adducere illud ad cumulum diuidendum cum alijs fratribus; rarò enim inuenietur pater, qui, si quod ita insumitur non valdè excedat, velit, vt filius post mortem suam ad partitionem id adducere teneatur, sufficitque ea tacita ac præsumpta voluntas patris, vt adducere illud non teneatur. Si tamen summa inordinatè insumpta, tanta esset, vt attenta qualitate parentum, & filij, omnino excederet fines alimentorum, tunc cito constaret patrem, quantum ex se est, liberè id remittere, filius tamen teneretur adducere excessum ad partitionem, nisi pater in portionem de qua liberè potest disponere, id acciperet: aut nisi fratres tantumdem inordinatè insumpsissent: nam tunc locus esset compensationi. Dixi in responsione, *ordinarie*, quia quando parens esset adeo tenax, vt omnino vellet filium ea via dominium non transferre, tunc restituere teneretur filius.

11. *Debitor*, qui se composuit cum creditoribus contentis minori summa, non tenetur ad integram restitutionem, si perueniat ad pinguiorem fortunam; quia huiusmodi compositio censetur quædam remissio, quæ vim donationis habet: modò non adsit fraus, vel dolus vel metus. Nauar. *cap.17. num.75. Sa v.debitum num.27. Syluest. v.restitutio 7.num.2.*

Excusatur etiam à restitutione *debitor*, vel potest eam differre, quoties illi constat de voluntate formali vel præsumpta creditoris remittentis restitutionem, aut concedentis dilationem, aut quoties constat Domino displicere restitutionem: quia in hoc casu nihil dicitur retinere inuito Domino: & ob hanc causam sæpè excusantur filijfamilias, vxores, religiosi, &c. vt dictum est vero. *Fortium.* Vide Reginald. *lib.10.num.252. Nau.c.17.num. 138. Clau.reg.lib.12 c.14. n.15.*

12. *Secunda causa* sufficienter excusans debitorem à restitutione est compensatio: quæ *tribus modis* potest interuenire. *Primò*, per æquiualens commodum creditori collatum. *Secundò*, per æquiualens creditum, quod haberet vel acquireret cum suo creditore. *Tertiò*, per solutionem debiti factam creditori sui creditoris. De Compensatione suprà v. *Compensatio*. Ita *Less.c.dub.12. Fill.c num.150. Sylu. c.post concl.7.*

13. *Tertia causa*, propter quam omitti potest restitutio, est compositio cum Pontifice, quando incertum est, quinam sint creditores: & hoc verum siue debitum sit ex delicto, vt in vsuris, furtisve minutis, siue absque delicto, vt in debitis ex contractu, & inuentis, quia quando ignoratur proprius horum Dominus, hæc restituenda sunt in vsus pios, non iure naturæ, sed iure positiuo, in quo iure, potest Pontifex dispensare, itavt debitor sibi per compositionem retineat incerta, & eximatur à restitutione incertorum. *Clau.reg.lib.10.tr.5.c.8.num.22. Bann.2.2.q.62.art.5. dub.8. Sylu.2.2.q.62.art.5. quæst.4.*

14. Quando *creditores* sunt noti, non valet compositio obenta à Sede Apostolica nisi legitima causa subsit: quia Summus Pontifex non est Dominus bonorum suorum subditorum, neque dispensator, sed tantùm defensor iuris cuiusque, & Iudex vindexq; criminum: *possit* tamen *iusta causa* potest de rebus illorum disponere. quia habet supremam potestatem in bonis temporalibus omnium Christianorum, licet indirectam, nempe quatenus opus est ad regimen spirituale: vnde potest imponere mulctas pecuniarias & confiscationem bonorum pro criminibus, & consequenter condonare restitutiones huiusmodi hominibus faciendas. Ita Doctores cit. Sylu. *v.restit.7.q.2. Filliuc.tr.32.c.5.q.12.num.161. Less.c.disp.11.num.83. Bonac.c.num.27.*

15. *Quarta causa* sufficienter excusans à restitutione, est iuris auctoritas, quando nempe res restituenda præscripta iam esset, concurrentibus ad legitimam præscriptionem requisitis, de qua suprà ver. *Præscriptio.* & docent *Filliuc.c.num.160. Bonac.c.num. 29. Sylu.c.*

16. An autem religionis ingressus liberet à restitutione, hæc sequentia *notanda* sunt ex communi sententia Doctorum. D. Th. *2.2.q.vltim.art.6.ad 3. P.Nauar.lib.4.cap.4.num.94.& 95: Less. c.dub.8. Clau.reg.lib.10.tract.5.cap.7.num.15. Filliuc.c.num.154. Dian.de dub.reg.resol.41. Sanch.lib.4. moral.cap.19. num.8. Vecchius in praxi disp.2.dub.13. Si debitor* ingrediatur religionem, & profiteatur, etiamsi male faciat, professio valet, nec tenetur redire ad sæculum, quia persona libera est; nec est eadem ratio de seruo, & coniuge, hi enim sui iuris non sunt: *Si res* debita extet in se, omninò debet illam primo loco restituere, & deinde ingredi. *Si non* extat, si quidem possit breui tempore, vt paucis annis suis consuetis laboribus satisfaceret, tenetur expectare, donec satisfaciat, quia tunc meritò essent creditores inuiti. *Si sit* longo tempore opus, vel debeat perferre insolitos labores, vt possit satisfacere, non tenetur expectare, sed potest relinquere omnia, quæ habet creditoribus suis, & deinde ingredi; quia talis censetur impotens. *Nonnulli* tamen Doctores dicunt talem non posse ingredi, nisi ante soluerit, quod si ingrediatur & profiteatur, tamen adhuc manere obligatum, & labore suo vel arte si quam nouit, debere conari soluere, hæc sententia est satis probabilis, quam tenent Medina *quæst.3.cauf.8. Valent.tom.3.disp.5.q.6.p.7. Regnal. lib.10.num.255. Mol.tom.7.disp.758. Sylu. 2.2. quæst.62. artic.8. quæsit.1. post conc.7. Et hæc de restitutione in genere dicta sufficiant.*

Vide v. *Religio* 2. num.6. *Eleemosyna* numero 9. 10. *Ludus* 2. numero 4.5.

Restitutio in integrum.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit restitutio in integrum? & an concedatur omnibus ætatis minoribus si læsi sint?*
2. *An beneficium restitutionis concedatur etiam Ecclesiæ, seu pijs locis?*
3. *Quot anni concedantur à iure ad petendam restitutionem ex quacumque causa?*
4. *An Resp. Princeps, vniuersitas, communitatem habentes, ciuitates, auxilium restitutionis implorare possint.*
5. *An minor & Ecclesia restituantur nō tantum in damno emergente, sed etiam in lucro cessante?*
6. *Vt religiosi recuperent bona Monasteriorum malè alienata non opus est aliqua restitutione in integrum: ex concessione Ioannis XXII.*

1. RESTITUERE est, *reducere aliquem in eum statum in quo erat ante læsionem*: prætor enim hominibus in contractu, vel alia sua actione læsis aut deceptis, naturali æquitate motus cognita causa, subuenit, restituendo eos in integrum. *Glossa in cap.auditis, de in integrum restitutionis. Leg.1. ff.de in integrum restitu. Layn.lib.3. sect.5.tract.4.cap.11.num.1. Hoc* autem beneficium restitutionis, imprimis conceditur omnibus ætate minoribus, id est, qui annos 25. ætatis non compleuerunt: si ex contractu, aut quasi contractu (quamuis institutus sit cum patris, vel tutoris consensu, imò etiam iudicis decreto interueniente) læsi sint *L.1. Cod.de ijs qui veniam ætatis. Mol.tom.2. disputat.573.* In *duobus* tamen casibus restitutionis beneficio priuatur minor.

Primò, si antequam cum curatoris sui, aut Iudicis requisita auctoritate contraxit, veniam ætatis impetrauit, tunc tanquam ætate maior reputatur.

So-

Secundò, si maior factus, id est, post exactum 25. ætatis annũ ; iustificet ea, quæ in minore ætate gesta sunt.

2. *Beneficium* restitutionis in integrum conceditur etiam Ecclesiæ, nam Ecclesia iure minoris fruitur: Nomine autem *Ecclesiæ* omnia pia loca comprehenduntur: si verò personæ Ecclesiasticæ in proprijs bonis aut iuribus lædantur, non competit eis restitutionis beneficium, quia tunc cessat communis fauor Ecclesiæ. Ita Cap. *audiuis, de in integrum restit.* L. *omnia C. ac sacrosanctis Ecclesijs*.

3. Iniure continuum quadriennij spatium conceditur ad petendam restitutionem ex quacumque causa: quadriennium verò istud in *restitutione Minorum* inchoatur ab ætate legitima, siue exacto 25. ætatis anno: L. *vlt. Cod. de temper. in integrum restit.* In *restitutione* verò *Ecclesiæ*, incipit à tempore factæ læsionis, nisi iusta causa postulare videatur, vt etiam post elapsum quadriennij tempus, Ecclesiæ vel Reipub. restitutio concedatur. Ita Mol. *tom. 2. d. 574.*

4. Respublica, Minorum etiam iure gaudet, ideòque auxilium restitutionis implorare potest: quod priuilegium extendi etiam potest. *Primò* ad Principem, tamquam Reipub. caput. *Secundo* ad vniuersitatem studiosorum, cùm in ea non pauci minores 25. annis reperiantur. *Tertiò* ad vicos communitatem habentes, vt perinde ac ciuitates beneficium restitutionis in integrum petere possint. L. 4. *C. quibus ex caus. maiores Lessius, l. 2. cap. 17. num. 67.*

5. Minor, itemque Ecclesia non tantùm in damno emergente restituuntur, sed etiam in lucro cessante: vt si hæreditatem minus lucrosam adierunt, vel hæreditatem sibi vtilem repudiarunt; faciliùs tamen conceditur restitutio propter damnum, quàm propter lucrum cessans; illaque magis priuilegiata est: Si verò Ecclesia de lucro cessante agat adeortus alteram Ecclesiam, cui lucrum illud iam acquisitum est, præfertur altera Ecclesia, quippe in possessione existens & certans de iure acquisito non perdendo. Verùm in delictis Minor non restituitur si dolo commissa sunt, secus si per culpam. Ita Mol. *tom. 2. disp. 573. Sanchez de matr. li. 6. disp. 4. n. 15. Laym. c. n. 12.*

6. Ioannes XXII. concessit Congregationi Montis Oliueti, vt refertur in Compendio Cisterciensi *in. Restitutio in integrum*, & Societatis *eodem titulo*, quòd si aliqua læsio in bonis, & vsibus Monasteriorum Ordinis, per quamuis personam cuiuscumque status, gradus, habitus, seu conditionis Ecclesiasticæ, vel secularis facta fuerit, etiamsi fiat culpa Prælatorum, Monachorum, seu procuratorum ipso iure rescindatur. Neque opus esse aliquam in integrum restitutionem fieri super eam à quolibet quomodocumque. Et hoc ius & priuilegium trahitur ad præterita nondum decisa, præsentia, & futura. Virtute huius concessionis poterunt religiosi recuperare multa malè facta, & malè donata, & alia contingentia circa bona, & ædificia suæ religionis: & considerãda sunt omnia verba concessionis: extenditur enim ad læsionem quamcumque factam in quibuscumque bonis contentus recuperandam, & in quibuscumque vsibus intra centum annos: quia (sicut diximus suprà v. *Priuilegium* 3. *num.* 16.) attentis priuilegijs contra bona, & iura Monasteriorum non præscribitur, nisi per spatium centum annorum, sicut præscribitur contra res & iura Ecclesiæ Romanæ. Ita Rodriqu. *tom. 3. qq. regul. quæst. 56. num. 2.*

REVS.

SVMMARIVM:

1. *An reus teneatur fateri veritatem, si iudex non interroget iuridicè? & quis sit ordo iuris?*
2. *An quando reus & testis dubitant se iuridicè interrogari teneatur veritatem fateri?* refertur duplex sententia.
   An iudex possit condemnare reum à quo extorsit criminis confessionem spe impunitatis?
3. *An teneatur reus veritatem fateri, quando Iudex iuridicè interrogat?*
4. *An reus peccet mortaliter negando crimen in casu tam capitalibus, quam non capitalibus, quando spes est euadendi negato crimine?*
5. *An Confessarius teneatur cogere reum ad retractandum suum dictum, si interrogatus veritatem negauit in iudicio?*
6. *An possit Iudex reum infamatum vel etiam confessum de vno crimine examinare de alijs criminibus?*
7. *An Iudex de facto criminis nulla indiciorum suspicione aut infamia laborantibus possit reum confessum interrogare?*
8. *An reus peccet contra iustitiam aperiendo crimina occulta testium?*
9. *An reus accusatus de crimine quod iuridicè probari nequit peccet contra iustitiam, etiamsi crimen neget?*
10. *Quando reo tortura adhiberi possit?*
11. *Quæ indicia sufficiant ad torquendum reum? & an tortura semel repeti possit?*
12. *Quæ personæ torqueri non debeant?*
13. *An reus teneatur obedire sententiæ, quæ nititur falsa præsumptione aut falsis probationibus?*
14. *An fugere possit è carcere reus ante vel post sententiam?*
15. *An reus qui potest licitè fugere, possit etiam vincula rumpere, & carcerem perfundere?*
    Et an licitum sit eidem captiuo porrigere instrumenta vt carcerem effringat?
16. *An liceat decipere custodem, vt reus opportunitatem fugiendi capiat?*
17. *An veritatem negans reus teneatur ad soluendam pœnam, quam manifestata veritate persoluisset?*

1. REus nõ tenetur veritatem fateri, aut iurare de calumnia, id est, se in omni parte litis veritatem dicturum, si Iudex non interroget iuridicè, seu iuris ordine seruato: quia Iudex qui iuridicè non procedit, non potest reo obligationem imponere ad crimen aperiendum vel ad iurandum. *C. inquisitionis, & C. qualiter, & quando, de accusation.* Ordo autem iuris est, secundùm D. Thom. 2. 2. *quæst. 69. art. 1. Sà de reo num. 1. Regin. lib. 24. num. 134. & 135. Nauar. cap. 25. num. 36. Less. lib. 2. c. 32. num. 8. Laym. lib. 3. tract. 5. tr. 6. cap. 5. Dian. p. 3. tr. 5. resol. 92. Sylu. 2. 2. q. 69. art. 2. Bonerius in director. for. Iudic. cap. 35.* Primò, cùm præcessit infamia: debet autem hæc fama esse legitimè probata per duos testes omni exceptione maiores. *Secundò*, cùm suppetunt indicia legitimè probata. *Tertiò*, cùm habetur probatio semiplena, quæ fit per vnum testem iuratum omni exceptione maiorem: hæc tamen non sufficiunt ad interrogandum iuridicè, nisi fint coniuncta cum formali accusatione, vel cum eo, quod vicem accusatoris supplet, vt sunt notorium delicti, fama de auctore, & denunciatio iuridica: si tamen Iudex non intendat punitionem criminis, sed tantùm illud impedire, tenetur subditus fateri veritatem etiam de occultis. Vide Doctores hic citos.

2. Quando reus & testis dubitant se iuridicè seu seruato iuris ordine interrogari, quidam affirmant teneri veritatem fateri, quia in dubio præsumendum est in fauorem superioris habentis facultatem præcipiendi: hæc sententia non est improbabilis, quam tenent Syluest. *verb. inquisit. 1. quæst. 3. Paludan. in 4. disput. 19. quæst. 4.* & alij. Communior tamen & probabilior opinio est, non teneri: quia nemo tenetur cum graui suo vel alterius incommodo parere superiori, nisi constet ipsum legitimè præcipere, & habere auctoritatem obligandi; & deinde in dubio fauendum est reo. Less *c. num. 10. Reginald. c. num. 46. Layman. c. num. 4. Filliuc. tract. 40. num. 212.* Ita etiam Diana *tract. 5. miscellan. resol. 106. part. 3.* Cauendum tamen est Iudici, ne ad extrahendam à Reo confessionem delicti, spem illi impunitatis promittat; quam præstare non potest, nec vult, neque enim Iudici fraude aut deceptione vlla vti licet, vt à Reo crimen extorqueat, vt optimè monet Clarus *quæst. 55. num. 6.* & 8. cùm alijs iustioribus modis, quàm fallacibus, ac dolosis huiusmodi promissionibus veritatem indagare queat. Quòd si hac fallaci pollicitatione à Reo criminis confessionem extorserit, id sibi persuasum habeat, Reum ex ea confessione damnari non posse, sed tantùm velut ex indicio torqueri, vt docent communiter Iuristæ. Cauere etiam debet Iudex à nimis cauillosis & suggestiuis; & dolosis interrogationibus, sed tegia via incedere debet inter iustitiam, & charitatem: quæ omnia docebit prudentia, inter has virtutes incedens. Debet autem Iudex solertiam ad diligentiam adhibere ad inuestigandam veritatem, præsertim in valdè occultis, & difficilis probationis, exemplo *Salomonis 3. Reg. 3. 24.* Qui gladium afferri iussit, ac si puerum diuidere vellet, & sic veritatem inuestigauit: sic omnes circumstantiæ, atque coniecturæ tam rei interrogati, quàm facti diligenter ponderandæ, ne pereat veritas, & iudicium.

3. Secundùm communiorem sententiam. D. Thom. *c. art. 1. Nauar. cap. 25. num. 36. Pilliuc. trac. 40. num. 263. & 265. Less. c. num. 12. Bonac. tom. 2. d. 10. q. 3. p. 2. num. 6. Regin. c. num. 38. &*

42. & aliorum, quando Iudex iuridicè interrogat, idque reo notum est, tenetur reus veritatem fateri etiamsi capite plectendus esset, quia quilque tenetur obedire superiori legitimè præcipienti. in re tamen parui momenti occultare veritatem aut mentiri in iudicio non est peccatum mortale, si absit iuramentum: item si Iudex quærat de facto quod absque culpa saltem lethali patratum est tellis. & reus non tenentur respondere ad mentem Iudicis, sed negare potest quod sibi detrimentosum foret, adhibita conuenienti restrictione mentis & æquiuocatione, verbi gratia, Titius occidit Caium defendendo se cum moderamine inculpatæ tutelæ, potest Titius negare coram Iudice, quia Iudex inquirit de occisione criminosa, qualis non est hæc, quæ facta est ad sui defensionem absque notabili excessu.

4. Non est improbabilis aliquorum Doctorum sententia asserens, reum non peccare mortiferè negando crimen in causis, tam capitalibus, quàm non capitalibus in quibus imponeretur grauis pœna temporalis, vt condemnatio ad triremes, vel ad carcerem perpetuum, confiscatio bonorum, &c. modò sit spes euadendi negato crimine, & modò non iurauerit absolutè se dicturum veritatem: quia præceptum humanum non videtur obligare cum tanto incommodo; sicut lex humana non potest obligare cum periculo mortis, nisi magnitudo negotij illud postulet, vt verior sententia docet, P. Nauarr. *lib. 2. cap. 4. num. 142. Sà de reo num. 6. Les. c. num. 16. Rodrig. tom. 2. qq. q. 19. art. 4. Reginald. c. num. 37. 42. Filliuc. tract. 40. cap. 9. num. 266. Bonac. c. n. 7. Laymann. c. num. 3. Diana, tract. 1. miscel. resol. 27. p. 2. Fagund. præcep. 2. lib. 8. cap. 7. num. 4.*

Natura enim vehementem indidit hominibus inclinationem ad sui conseruationem, summamque libertatem, & facultatem ad se tuendum tribuit: ex quo patet Reum non teneri comparere coram Iudice iubente comparere, cùm vitæ bonorumque temporalium imminet periculum: item Reum non teneri iuxta mentem Iudicis iurare, sed posse vti mentali restrictione, & amphibologia: nec refert quòd Iudex iuridicè. & strictè præcipiat: reus tamen in hoc casu non tenetur obedire: vterque enim vtitur iure suo, Iudex iustè, & iuridicè interrogat ob commune bonum, reus veritatem reticet, vt propriam vitam seruet, ad quam seruãdam maximum ius accepit à natura, quamdiu spem habet vitæ seruandæ: vnde confessarius vel alius Sacerdos non tenetur cogere reum ad veritatem aperiendam, quamdiu delictum non est plenè probatum, & spem habet euadendi. Vnde hanc opinionem defendunt viginti duo Authores graues & docti apud *Sanchez.*

Alia tamen ratione defendit hanc sententiam *Sanchez in select. disputatione 43. numero 29. & seq.* dicens, nequaquam Iudicem habere ius interrogandi reum de crimine semiprobato, ob quod esset grauibus pœnis corporalibus plectendus; præceptum namque seu lex, vt vim obligandi possit continere, debet esse tolerabile, & consentaneum conditioni humanæ; at intolerabile est reum obligari, quòd proprio ore sux damnationis author efficiatur.

Qua ratione ductus Iurisperitus in *leg. 4. de testibus*, decreuit neminem teneri testari contra suum sanguine coniunctum vel affinem intra quartum gradum (nisi in causa fidei, aut proditionis Reipubl.) quando inde illi graue damnum metuit, nec ad id posse lege obligari; multò ergo minus lex seu mandatum speciale dari poterit, quod vim obligandi contineat respectu delinquentis, ad crimen commissum manifestandum. Ita ille, cui consentit etiam eisdem ferè rationibus. *Octauianus Spararius in medic. corrig. regu. tractat. 9. capit. septimo numero 4. & 17. & cap octauo numero quarto, & cap. nono numero 10.* in methodo corrigendi regulares. Vbi docet, posse regularem iuramentum ad suam famam tuendam crimen semiplenè probatum in iudicio cum iuramento negare tuta, tranquillaque conscientia, quousque per maiores secus decernatur, & qui aliter propria docent authoritate, ignoro, an opere compleant.

Nullum enim hic admittitur mendacium, nullumque periurium; aliud enim est falsum dicere, & mentiri, aliud est verum occultare, rationabili, & iusta de causa; primum nullatenus concedo; secundùm admitto. Alias Christus mentitus fuisset; cùm ait, nec filium hominis scisse de die & hora vniuersalis iudicij.

Hæc *Sparanus*, qui multis alijs rationibus firmat hanc suam sententiam dicens se vidisse illam practicari per totum orbem ab omnibus Reis, & in omnibus iudicijs tam Ecclesiasticis regularibus, quam sæcularibus: quia supponi semper debet mentem Iudicis esse, vt Reo suum ius vbique, ac semper conseruetur, sicut & Iudici suum, ita vt suo iure vterque licitè vtatur, nempe Iudex iuridicè, & cum iuramento interrogando. & Reus absque periurio, & culpa (vbi non adest plena probatio) veritatem negando. Vnde ad rationes contrariæ sententiæ plurimis argumentis respondet, eas soluendo *tractat. nono capitulo 8. & 9.*

5. Quando reus interrogatus veritatem negauit in iudicio, qua manifestata condemnatus fuisset; non tenetur confessarius illum cogere ad retractandum suum dictum: Sanch. *lib. 3. moral. cap. septimo numero sexto. Azor. 3 par. lib. 13. cap. 25. dub. 5.* Siue contra illum lata sit à Iudice sententia condemnatoria, seu absolutoria, quia finito iudicio, finitur etiam obligatio rei. Vide Dianam *tractat. 1. miscellan. resolutio. 26. p. 2.* referentem quosdam Doctores contrarium sentientes. Item *trac. 5. miscel. resol. 10. p. 3.*

6. Reum infamatum vel etiam conuictum de vno crimine non potest iudex examinare de alijs criminibus, quæ nec suapte natura, nec indicijs connexa sunt, verbi gratia, deprehensis in furto, non debet examinari de homicidio, nisi in loco vbi furatus est, homo occisus fuerit: idque loco etiam habet in criminibus eiusdem generis non connexis: quia Iudex non potest inquirere de crimine, nisi sit aliquo modo ei tamquam publicæ personæ cognitum: quamquàm alia sit in hac re iudicum secularium consuetudo, præsertim in crimine furti. Nauarr. *de iudicijs numero 62. P. Nauarr. lib. 2. cap. 4. numero 170. Caietan. 2. 2. q. 69. art. 1. Sot. lib. 5. q. 6. art. 2.*

7. Iudex reum confessum interrogare non potest de socijs criminis, nulla indiciorum suspicione aut infamia laborantibus: nisi crimen tale sit quòd necessariò, & suapte natura socium requirat, vt Sodomia, vel saltem communiter sine socio non committatur, vel nisi crimen exceptum sit, videlicet in publicam perniciem tendens, vt hæresis, proditio, falsatio monetæ, veneficium, latrocinium, vel nisi crimen committendum sit in priuatæ personæ perniciem, vt si aliqui coniurarint in hominis necem. *Leuitus. Cod. de accusationib.* Verùm, quia reus persona vilis & infamis est, ideò eius confessio, seu testificatio non efficit probationem semiplenam, nisi insuper aliud indicium, vel alterius rei in tortura consensus accedat: tamen fœminis ob sexus fragilitatem non æquè ac masculis fides adhibenda est. Nauarr. *cap. 18. numero 59. P. Nauarr. c. numero 173. Lessius libro secundo cap. 29. numero 161. 162. Laymann c. numero eitam. Diana tract. 5. miscell. resolut. 99. par. 3. Bonac. in director. cap. 35.*

8. Non peccat contra iustitiam reus, aperiendo crimina quamuis occulta testium: si illa crimina valeant ad infirmandum illorum testimonium vt sunt periurium, crimen falsi, excommunicatio, à qua testis nondum est absolutus, & infamia iuris vel facti: fieri tamen potest vt aliquando peccet etiam contra iustitiam, verbi gratia, si criminis manifestatio non sit necessaria ad propriam defensionem, aut si reus potuisset cum minori damno dictum testium infirmare quàm detegendo ipsorum crimina, & ratio est, quia proximo maius damnum infert, quàm necesse sit ad sui defensionem. Reginald. *lib. 24. num. 140. Filliuc. tract. 40. num. 259. Lessius lib. 2. cap. 31. dub. 1. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 14. p. 3.*

9. *Reus accusatus* de crimine, quod iuridicè probari nequit, non peccat contra iustitiam etiamsi neget crimen, imò etiamsi dicat accusatorem mentiri, & calumniari, quia qui accusat de eo quod probare non potest, calumniator præsumitur, ac proinde etiam censetur mentiri, quia falsum præsumitur in iudicio, quod probari nequit: idem *dicendum* de omni eo, qui etiam extra iudicium negat se dixisse, aut fecisse quippiam, quod alius illicitè patefecit, vnde infamia vel offensio nascereture: peccaret tamen mortaliter reus, si aliter se tueri posset, quàm hæc crimina accusatori imponendo, nam maius infert damnum accusatori, quam necesse sit ad sui defensionem: item qui iuridicè interrogatus accusatori vel denunciatori notam mendacij & calumniæ imposuit, tenetur ad restitutionem famæ, nam peccauit contra iustitiam imponendo hanc notam accusatori. Nauarr. *capitulo 18. numero 49. Azor. 3 par. libro quarto capitulo nono quæstione octau. P. Nauarra libro secundo capitulo quarto numero 348. Syluester ver. restitut. 3. quæst. 3. Filliucius tract. 40. cap. 9. quæst. 2. num. 261. Syluius 2. 2. quæst. 62. art. 2. quæst. 10. & quæst. 69. art. 2.*

10. Reo Tortura adhiberi potest in criminibus grauioribus ad probationis subsidium, quæ pœnam corporalem vel triremium meretur, non autem in ijs, quæ pœnam pecuniariam, exilij, &c. Quia tortura ad eliciendam criminis confessionem

inili-

ſtituta,non debet eſſe tanta,vel maior pœna,quàm ſit illa,quæ in eiuſdem criminis condemnationem inferretur.*C. tit. de quæſtionibus.*hęc tamen tortura adhiberi non debet,ſi reus legitimè conuictus, fuerit vt de crimine condemnari poſſit.*Leſſius l.2.c.* 29.*d.*17.*n.*151.*Bonac.c.n.*9.

11. Ad torquendum reum non quoduis indicium ſufficit,ſed debet eſſe graue quod legitimè,videlicet per duos teſtes probatum, commiſſi criminis ſuſpicionem ac veluti præſumptionem iudici pariat; in ſpecie autem iudicia ſufficientia ad torturam numerantur videlicet vnus teſtis omni exceptione maior; confeſſio rei extra iudicium, fama publica cum alterius indicij adminiculo.Ita *Farinac.in pract.crimin.q.*37.*n.*3.*&* 13. *Gomez.t.*3.*c.*13.*n.*7.*Delrio lib.*5.*ſect.*3.*Leſſ. c.n.*153.*Notandum* tamen eſt reum qui ſemel tortus fuit iterum torquendum non eſſe, niſi fortè nouum indicium adſit, nam tortura tolerata infirmare videtur priora indicia,aut niſi indicia antea habita grauiſſima ſint, vt vehementem pariant præſumptionem patrati criminis, tunc enim præſumendum eſt, crimen malitioſè negari, conſequenter tortura iterari, & ſæpius repeti poteſt: item reus qui ſemel crimen in tortura confeſſus eſt, ſed illud poſtea extra torturam reuocauit,iterum torqueri poteſt,verùm ſi tertiò ita tortus,& confeſſus,tertiò retractet,abſoluendus eſt regulariter loquendo,niſi grauiſſima adſit præſumptio id malitioſè à reo agi.*Layman c.n.*10.*Leſſius c.n.*168.*Clarus q.*21.*n.*36.*&* q. 64.*n.*43.*d.*5.

12. *Quadam*,perſonæ torqueri non debent,vel ob earum imbecillitatem, vt, *impuberes*: quamuis terreri, & virgis caſtigari poſſint, Item ſenes decrepiti, quamquam etiam hi terreri poſſunt oſtendendo locum tormentorum &c. *Mulier.* prægnans ob periculum abortus, cuius tortura differenda eſt donec vires ex puerperio confirmatæ ſint. Vel ob priuilegium, videlicet, *vir nobilis*,ſeu ordinis equeſtris, qui in magna dignitate conſtitutus eſt,vt Doctores, & Conſiliarij Principum eorumque liberi, qui omnes ne leuiter quidem torqueri poſſunt, præterquam in criminibus exceptis,vt hæreſis proditionis,læſæ maieſtatis,veneficiorum *Gomez.c.ca.* 13.*n.*3.*Clarus c.*q.64.*n.* 19.*Leſſius c.n.*154.*Laym.c.n.*12.

13. Per ſe loquendo reus non tenetur obedire ſententiæ, quæ nititur falſa præſumptione, aut falſis probationibus *Reginald.*l.24.*n.*146.*Filliucius tr.*40.*c.*9.*q.*5.*n.*268.*Sotus l.*3.*q.*4.*art.* 5.*Leſſ.l.*2.*c.*31.*dub.*4.*n.*27.2?.quia ſententia eſt veluti lex quædam alicui priuatim impoſita, ſed lex non obligat ad id quod eſt contrarium fini legis, ergo ſententia non obligat ad id quod eſt contrarium fini ſententiæ: vnde qui per talem ſententiam aliqua re priuatus,eſt non tenetur in conſcientia ſoluere, & ille cui res talis eſt applicata, ſi ſciat ſententiam falſo fundamento niti, tenetur ad reſtitutionem; Inſtitutus tamen in beneficio, vel officio quo alius iniuſtè priuatus eſt probabiliter non tenetur ad reſtitutionem, etiamſi ſciret ſententiam falſis probationibus niti,quia Eccleſia, & Reſpubl. eo caſu priuant reum abſolutè beneficio vel officio, & applicant ei cui poſtea conferunt *D.Thom.*2.2.*q.*69.*ar.*4.*Filliuc.c.n.*268.269. *Reg.c.n.*147.*Aduerte* tamen reum nõ poſſe per vim in prædicto caſu ſe defendere contra iudicem,vel ipſius miniſtros, ne hanc ſententiam exequantur,quia inde ſequeretur ſcandalum,& perturbatio Reipub. ac boni communis; quod præferendum eſt priuato,& hoc reputaretur crimen læſæ maieſtatis *Apud Couar.* 1.*var.cap.*2.*num.* 13.Quidam tamen ſentiunt in hoc caſu non eſſe illicitum vti mera defenſione,ſi ſcandalum abſit,& alioquin innocens plectendus eſſet morte;hæc tamen ſententia in vſum nõ eſt facilè admittenda,propter ſcandalũ quod vix abeſſe poteſt.

14. Ex Communi doctorum ſententia,reus non ſolùm ante ſententiam,venùm etiam poſt iudicis ſententiam fugere poteſt è carcere,etiamſi in carcere detineatur ob debita licet teneatur prima opportunitate ſatisfacere, quod etiam ampliandum eſt quamuis cuſtos carceris ob ipſius fugam graue damnum patiatur nam fugiendo vtitur iure ſuo, & nulli facit iniuriam *Claus reg.l.*12.*c.*18.*n.*17.*&* 22.*Sanch.lib.*6.*moral.c.*8.*Leſſius c.ca.*31.*num.*31 33.*Valen.tom.*3.*d.*5.*q.*13.*p.*4.*Filliucius c.n.* 270 damnum enim quod inde cuſtodi ſequitur,ſequitur per accidens reſpectu rei imò non tenebitur de damno quod actoribus,& Reip.euenit ſi carcere pertuſo etiam alij captiui fugiant, quia illorum fuga per accidens ſequitur ex rei facto, nec tenebatur illam impedire. Plurimi tamen docent damnatum ad pœnam carceris temporariam non poſſe fugere, quia hæc adeò non eſt grauis pœna, hæc ſententia eſt probabilis, quæ eſt *Emanuelis Sà de reo num.*10.*Leſſius c.n.*39.*Sylu.*2.2.*q.*69.*a.*4.*q.*1.

Supradicta tamen ſententia non habet locum in regularibus, vt docent *Rodriq.tom.*2.*qq.reg.q.*23.*art.*6.*Sanches l.*6.*mor.c.* 8.*num.*12.*&* 15. Nam religioſus in carcerem coniectus à ſuo Prælato nullatenus licitè fugere poteſt, etiam ante condemnationem ſine apoſtaliæ nota: ſed neque à monaſterio neque ab ea parte monaſterij in qua eum Prælatus iuſtè manere præcepit,ſi priùs petita,& impetrata licẽtia multo igitur magis tenetur religioſus manere in carcere ſibi quomodocũque à ſuperiore iuſtè aſſignato. Quando autem religioſus iniuſtè in carcerem eſſet coniectus maximi cum ſui honoris, & famæ iactura,& cum graui corporis afflictione,vel vitæ periculo iniuſtè perpeſſo,tunc fugere poſſet abique vlla Apoſtaliæ nota etiã vim inferendo cuſtodibus, etiam rumpendo vincula, & limando compedes,& effringendo carcerem,etſi cuſtodibus per accidens damnum aliquod euenturum eſſet. Dummodò regularis ita fugiens rectà pròperet ad Prælatum ſuperiorem illo, qui eum iniuſtè in carcerem coniecerat;talis enim fuga recurſus potiùs eſt appellanda,quàm fuga. Vide quæ diximus ſupra *verb. Religio. V.*1.*n.*13.*&* 15.de hac materia.

Admonet *Boner.in director.fori iudicialis c.*34.quòd Iudex regularis non facilè ad Reorũ capturã deuenire debet: cùm enim apud Religioſos,quibus honos, ac bonum nomen pro ſummis diuiciis computatur, captura quælibet infamiam quandam redoleat quæ abſolutoria etiã ſententia vix abſtergitur: vnde ſummo ſtudio cauendum eſt, ne abſque maxima, ac grauiſſima cauſa religioſus quilibet etiam ad cuſtodiam carceri mancipetur:ac præſertim viri,vel in religione inſignes, vel aliquo honoris titulo cohoneſtati,vel tandem qui alioqui bonæ inter fratres famæ eatenus extitere,vt eorum,quoad fieri poteſt, famæ conſulatur,quam vſque adeo integram, ac ſartam rectam iudex ſeruandam curabit, vt ſi Monaſterium, aut cella ad eorum cuſtodiam ſatis ſit,à carcere illi abſtinendum ſit.

Sed quæres,an religioſus teneatur obedire Prælato præcipiẽti,vt in carcerem pergat,non aſſignata cauſa talis carcerationis? Pro quæſtionis intelligentia notandum eſt, quòd ſunt quandoque aliqui Prælati religioſorum tam indiſcreti,& exorbitantes, vt potius carnificis vendicent ſibi nomen, quàm Paſtoris & Patris:& ita ſuis ſe domandos dedunt paſſionibus, vt errantem ſubditum in quacumque releui detrudi iubeant in terrum carcerem,quod ſi talis detruſionis quærat ſubditus cauſam,vel quia leuiſſima ſit,vel quia nulla in rei veritate exiſtat, recuſant dicere his ſuam malitiam tegentes verbis carcerem petito, cauſam inde ſcies. Quæritur,an ſubditus in hoc teneatur obedire? Reſp. negatiuè. Tum quia tũc indiſcretè,& iniuſtè procedit Prælatus vnde ſubditus non tenetur ei obedire,vt dicitur.*Cap. ſolicitudinem* §.*ſi verò de appellationibus.* Tum quia carcer apud religioſos eſt maximum dedecus, & irreparabilis iactura, vt docet *Rodriq.tom.* 2.*qq.reg.q.*12.*a.*2.& ideò tardè adhibendus à Prælatis; quia ſi ſola ſuſpicione, aut præſumptione, aut ſemiplena informatione ſubditos in carcere detrudant,& eos deinde innocentes reperiant licèt ſi abſolutoria ſententia deinde eos liberent,à iactura famæ,in quam per carceris detentionem inciderunt,nũquã totaliter liberabunt,vt dictum eſt,& notauit *Ioan. Andr. in c.ſi clericus,de ſentent.excommun. in* 6. Tum quia religioſus honorem ſuum de iure naturali poteſt defendere,& ideò non tenetur ſic captis oculis carceratum ſe præbere. Tum quia Deus, vt patet ex ſcripturæ locis multis,cùm populum ſuum punit,vel ei aliquod graue minatur flagellum,ſemper aſſignat cauſam talis flagellationis. Tamen ſi perſona eſſet admodum vilis, & de delicti veritate apud Prælatum ſatis conſtaret, vel per manifeſtiſſima indicia: vel per teſtem omni exceptione maiorem,tunc poſſet Prælatus talem iuſtè in carcerem ad afflictionem conijcere. De his Vide *Nau.in comm.de iudicijs num.*51.*&* 83. *Sylueſt.v.Carcer.quæſt.*2.*Spatarius tractat.*9.*cap.*14.Sed notandum eſt,quòd.

Triplex ſit carceris genus; *Primum* eſt in pœnam criminis,& id numquam adhibetur,niſi per definitiuam ſententiam, præuijs probationibus,& defenſionibus. *Secundum* genus eſt ad cuſtodiam,ad quod licet non requiratur plena informatio delicti: numquam tamen adhiberi poteſt, niſi fuerit reus de culpa valde ſuſpectus,vt pote aliàs fugere ſolitus. *Tertium* genus eſt ad afflictionem: & eſt quædam torturæ ſpecies,& adhiberi non debet,niſi pro graui crimine,nec ſine cauſæ ſufficienti cognitione, cum magnum præiudicium inferatur taliter incarceratis. Ita *Diaz in pract.crimin.cap.*126.ſupra.

15. *Reus* qui potest licitè fugere, potest etiam vincula rumpere & carcerem, & pertunuere, quia cui licitus est finis, licita etiam sunt media: *Nauar.c.17.n.102. Fill.tract.40.num.271. Sylu.quæst.* 2. ergo cui est licita fuga licitum etiam est se ad eam disponere & expeditum reddere, eiusque impedimenta remouere. *Regin. l.24.n.151. Bonac.cap.n.19. Less.c.c.31.num.41. Filliuc.c.n. 275.* Imò cuicumque fas est fugere, ei possunt alij fugam, & vinculorum diruptionem consulere, modò non sint officiales, & ministri iustitiæ; quia quod tibi licitum est facere, id possum tibi esse tua or, & author vt facias, nisi ratione officij prohibear, quomodo prohibentur ministri iustitiæ, qui cum ex officio teneantur curare vt reus detineatur, contra iustitiam Reipub. debitam facerent, si fugam suaderent. *Probabile* etiam est, licitum esse eidem carcere porrigere instrumenta, quibus vincula incidat, & carcere effringat quia si potes alicui consulere fine n, cur non etiam porrigere media necessaria ad illum consequendum? quamuis præbens huiusmodi instrumenta exponat se periculo pœnæ, & grauis punitionis, sicut se exponeret fugiens; nō tamen licitum est iuuare reum effringendo exterius, carceres, & rumpendo vincula; quia solus reus ad id ius habet. Ita *Clau.reg. lib.12.cap.18.num.21. Azor.c.cap.24.dub.5. Less. cap. num.41. Salon.2.2.q.69 art.4. Syluius ibid.quæst.2. Dian.par.3.tr.3. resol.102.*

16. Præcisa vi, & iniuria licet decipere custodem vt reus opportunitatem fugiendi capiat, v.g. tradendo cibum vel potum, vt somno corripiatur, vel aliquid aliud faciendo, vt custos absens sit donec reus fugiat, per vim autem aut iniuriam non licet, quia custos habet ius detinendi reum consequenter ius ipsius violatur dum vis aut iniuria illi infertur. *Clau. reg.c.n.16. Regin. lib.24.n.150. Fil.c.n.273. Sylu.c.q 2.*

17. *Reus* negans veritatem non tenetur ad soluendam pœnam quam manifestata veritate persoluisset, modò eam pœnam non teneretur ante sententiã, aut ex iure naturæ ob actionem iniustam vel contractum; *Regin.cit.n.145. Nauar.cap. 18.n. 49. Azor.c.cap.25.dub.4. Dian.tr.5.p. 3.resol.52. Tanner.2.2. disp. 4. q.6.dub.2.num.76* vnde qui negatione veritatis est alteri causa iniusti damni: tenetur ad restitutionem quamuis ad illam legitima iudicis sententia non condemnetur. Vide Layman *lib. 3. tractat. 2. cap. 7.num.4. Sanchez lib. 2.moral.cap.22. num. 22.*

De Reo vide v. *Fideiussio.n.12. Iudicium publicum.*num. 11. 12. & sequent.

S.

SACRAMENTVM I.

Quid sit Sacramentum, & quotuplex, & de eius necessitate.

SVMMARIVM.

1. 2. *Quid sit sacramentum? vbi explicantur omnes partes definitionis Sacramenti.*
3. *Quotuplex sit Sacramentum dici possit signum? Et in quo sacramentum differat à Sacrificio.*
4. *An de fide sit, sacramenta noua legis esse tantum septem?*
5. *An in statu innocentiæ, naturæ, & legis scriptæ fuerint aliqua sacramenta?*
6. *Qua sit differentia inter noua, & uetera sacramenta?*
7. *Quando, & quam ob causam Circumcisio fuerit à Deo instituta?*
8. *An sacramenta noua legis sint absolutè, & ex natura rei necessaria ad salutem.*

1. SAcramentum apud antiquos tum pro pignore, & iuramento, tum pro re sacra, & signo rei sacræ, tum pro cæremonia consecrante sumptum est *Bellarm.l.1. de sacramentis c.8* Apud Theologos tamen in materia de sacramentis pro sensibili signo sacram rem continere accipitur. Vnde cùm ad rationem sacramenti tria requirãtur. *Primo* vt sit signum sacrũ, sensibile, voluntariũ & permanens. *Secundo*, vt sacræ rei sit signũ. *Tertiò*, vt aliquam sanctitatem conferat eo vtenti, vt autem præterea sacramentum nouæ legis sit duo exigit, & vt conferat aliquam sanctificationem quando recipitur, & vt illa vi sacramenti conferatur. Apparet exinde optimam hanc esse definitionem sacramenti. Sacramentum *est signum sacrum non solum significans, verùm etiam infallibiliter efficiens rem sacram sanctificantem homines D.Th.3.p.q.60.a.1.2. & 3. Suar. de sacramentis.t.3.d.2.s.1. & 2. Bonac.d.1.d.1.q.1.p.1.n.1. Fill.tr.1.cap. 1. Sylu.3.p.q.60.a.3.*

2. Sacramentum ergo dicitur in prædicta definitione, *signum*: loco generis, *signum*, autem secundùm Augustinum, est, quod præter speciem quam sensibus repræsentat, aliquid aliud facit in cognitionem venire. *D. Aug.l.2.de doctr. Christiana c.1.* Dicitur sacrum, in se scilicet, seu ex parte rei significantis, cùm sit res ordinata ad diuinum cultum. Dicitur *significans rem sacram*, quæ gratia formaliter sanctificans homines. Dicitur *efficiens*, vt ostendatur sacramentum non tolùm significare rem sacram, verùm etiam efficere, & producere gratiam. Dicitur *infallibiliter*, eo quòd sacramentum ex sua natura infallibiliter producit gratiam in suscipiente nisi ponatur obex, & impedimentum ex parte suscipientis. Ita *Conine.3.p.q.60.a.2.dub.1. Regin.l.26.n.43. Laym. l.5.tr.1.cap.2. Henr.l.1.c.2.n.4.*

3. *Tripliciter* sacramẽtum dici potest signũ scilicet *rememorativè, demonstrativè, & prognosticè*; hinc sacramentum dicitur signum rememoratiuum passionis, demõstratiuũ gratiæ, prognosticum gloriæ. *Tolet.l.2.cap.15.num.3. Sayr.de sacramentis l.1. cap.2.a.2.*

Sed petes, per quid excludatur sacrificium ab hac definitione sacramenti nam videtur etiam esse cæremonia quædam significatiua, & effectiua sanctitatis? Resp. sacramentum, & sacrificium multis differre. 1. obiecto personali; nam sacrificium offertur Deo sacramentum applicatur homini 2. modo operandi, nam sacrificium non confert gratiam sanctificantem immediatè, sed mediantibus auxilijs præuenientibus, & hominis cooperatione; sacramentum autem instrumentaliter, & immediate attingit gratiam sanctificantẽ, facitque ex attrito cõtritum; 3. ratione cultus, nam sacrificium est potissimus actus religionis directè spectans honorem Dei Sacramentum autem primario respicit hominis sanctificationem ex merito Christi, vnde consequenter habet, vt sit cæremonia quædam religiosa.

4. De fide est sacramenta legis gratiæ esse septem, nec plura nec pauciora, vt constat ex Tridentino, Florentino; partim autem eiusmodi numerus est expressus in scriptura, partim non obscurè insinuatus ratio autem potissima huius rei est, Christi institutio, & voluntas; *Concil.Trid.sess.7.can.1.* cõgruentiæ verò cur septem numero sacramenta fuerint instituta, desumi possunt vt bene obseruat *D.Th.3.p.q.65.a.1. Val.3.p.d.3.q.6.punct. 2. Regin.lib.26.num.5. Henr.l.1.c.7. Victoria de sacramentis n.7. Sylu.3.p.q.65.a.1.& 2.* ex analogia ad vitam corporalem: nã sicut in corporali vita. *Primò* est generatio. *Secundo* corroboratio. *Tertiò* nutritio, & actio. *Quartò* curatio à morbo. *Quintò* perfecta virium corroboratio. *Sexto* propagatio filiorum pro conseruatione reipublicæ. *Septimo* gubernatio illorum in statu honorifico: ita in vita spirituali *baptismus* confert generationi & est ianua aliorum. *Confirmatio* assimilatur corroborationi intrinsecæ membrorum, quę quasi complementum est generationis. *Eucharistia* nutritioni, & auctioni. *Pœnitentia* restitutioni in vitam. *Extrema vnctio*, armat ad luctam mortis. *Matrimonium* ordinatur, vt non licitè genus humanum conseruetur, & multiplicetur. *Ordo* datur honorificus status, & potestas. Et sic septem sacramenta sunt, *Baptismus*, *Confirmatio*, *Eucharistia*, *Pœnitentia*, *Extrema vnctio*, *Ordo*, & *Matrimonium*.

5. *In statu* innocentiæ non fuerunt sacramenta id est, quando creatus fuit Adã cum iustitia originali *D.Th.c.q. 61. a.1. Suar. c.d.1.sect.3. & d.4. Fill.tr.1.c.3.q.3.4. & 5. Valent.tom.4.d.3.q. 2.p.2. Sylu.c.q.61.art.3.concl.1. & 2. In statu* verò naturæ, qui duravit vsque ad Moysen, quo tunc solum vigebat lex naturalis in hominum mentibus impressa, & nondum erat imposita & scripta lex positiua fuit aliquod remedium institutum pro paruulis à Deo, huiusmodi autem remedium positiuum fuit in aliquo actu externo, qui esset veluti exterior professio fidei. Pro adultis verò fuit sacrificium. *In statu* legis scriptæ fuerunt etiam aliqua sacramenta, videlicet, Circumcisio, sacrificium Agnus Paschalis, & alia, & hæc sacramenta veteris legis fuerunt propriè sacramenta, quia poterant dici signa conferentia,

tia, & significantia sanctitatem legalem. *Soyr. de sacramentis l.3.c.4. art.2.*

6. Plures *differentiæ* possunt assignari inter noua & vetera sacramenta; *Suar.c.c.d.6 sect.2. Henr.l.1.c.2.n.1. Fill. tr.1. n.17. Sylu. 3 p.q.62.a.6. Primo*, enim illa fuerunt difficiliora, vt patet in Circumcisione. *Secundò* illa fuerunt vmbræ nostrorum sacramentorum. *Tertiò* non conferebant gratiam ex opere operato. *Quartò* non introducebant ad gloriam. *Quintò* non faciebant de attrito contritum. *Sextò* non habebant determinatam formam verborum, &c.

7. *Circumcisio* instituta fuit à Deo, & tradita Abrahamo quadringentis annis ante legem scriptam Moysi traditam, & obligabat omnes ab Abrahamo descendentes: alijverò qui ab Abraham non descendebant, poterant quidem circumcidi, sed non fuerunt adstricti. *Ioann.7. Gen.17. Henr.l.1.c.6.num.3. Suarez 3. p.q.70 a.2. Syl. 3.p.q.70.a.3. & 4.* Non erat determinatus minister circumcisionis, quia non solùm masculi, verùm fœminæ circumcidebant filios; imò poterant quis seipsum circumcidere *Henr.c.n.1 Viller.de sacrament.c.1. Bonac. c.p.3 §. Vnic.* Fuit autem circumcisio, institua ad delendum peccatum originale, cùm nullum remedium aliud extaret ad ipsum delendum: non videtur tamen improbabile circumcisionem contulisse gratiam per modum operis operati, quatenus ex Dei pacto gratia conferebatur masculis non actione, & virtute ipsius circumcisionis, sed ex tota Dei actione ad præsentiam sacramenti, simulque ex merito Christi præuiso applicato per fidem in Christum: *D.Th. 3.p.q.70.a.4.ad 5. Henr.c.c.15.n.14.* Cõferebat autem circumcisio gratiam non solum paruulis, sed etiam adultis cum attritione; vnde per illam non solum deletum fuit peccatũ originale, sed etiã actuale in adultis. *D.Th.c.q.70.a.1. Sar.q.76.a.3. Layman.l.5.tr.1.c.3.n.4.* Quo circa necessaria fuit adulti circumcisio necessitate præcepti, quia illi non saluabũtur absq; illa; Paruulis verũ nõ fuit necessaria necessitate præcepti, vel medij: primũ patet, quia infantes ante vsũ rationis nõsunt capaces præcepti: secundum etiam probatur, quia paruuli morientes ante octauum diem poterant saluari cum solo remedio legis naturæ, sicut etiam poterant saluari fœminæ, & masculi aliarum nationum. *Plura de circumcisione apud D.Thomam q.70. apud Suarez, Layman, & alios.*

8. *Sacramenta* nouæ legis non sunt absolutè, & ex natura rei necessaria ad salutem, quia virtus Dei infinita non est alligata sacramentis, potuisseque alia media ad nostram salutẽ instituere, nosque sine sacramentis ad cœli gloriam euehere, & sublemare. Suppolita tamen Christi institutione, aliqua sacramenta sunt necessiria necessitate medij, vt Baptismus, & Pœnitentia, ille quidem saltem in voto pro adultis, & seipsa paruulis; hæc verò posito actuali peccato *Suar.c.d.6. sect.1. Reg.li.26.n.9. Val. c.d.3.q.2.p.1. Vuald.de sacr.c.3. Graff.2.p.l.1.c.1 Fil.tr.1 n.46. Sylu.3.p.q.61.a.1. ex D.Thom.* Aliqua sacramenta sunt necessaria necessitate præcepti, vt patet de Eucharistia, de Confirmatione, & Vnctione extrema. *Aliqua* verò non sunt necessaria singulis, sed tantùm toti Ecclesiæ, vt Ordo & Matrimonium.

Ad maiorem tamen prædictorum intelligentiam, est notandum. *Primo*, necessarium dici, quod non potest, non esse, siue absolutè quod cõpetit soli Deo, siue respectiuè, quomodo aliquid dicitur necessarium ad obtinendum certum finem, v.g. studium ad eruditionem. *Secundò*, necessitatem respectiuam esse duplicẽ, alia.n. est medij, alia præcepti; necessitas medij est, sine qua finis non obtinetur, quæcumque excusatio occurrat. Necessitas præcepti est quæ adstringit omnes scientes, & potẽtes, ac proinde admittit excusationẽ ab impotentia, vel inculpabili ignorãtia. *Tertio*, necessitatem medij rursum esse duplicẽ: nã aut est necessitas simpliciter, quomodo aliæ necessariæ sunt ad volãdum, nauis ad nauigandum &c. aut ad bene esse, quo modo equus necessarius est ad iter commodè, & celeriter faciendum, & vtraq; necessitas est absoluta, & naturalis, aut ex institutione, & arbitratu alterius, quo modo in ludis attingere metam necessarium est ad prauium, aut partim ex institutione, partim ex naturali congruentia vt cum Dux concedit militib. vrbem aliquam diripiendam si eam expugnauerint.

Ex quibus colige, nulla sacramenta habere necessitatem absolutam, sed ex institutione diuina, iuncta naturali congruentia. *Secundo*, omnia sacramenta nouæ legis, necessaria esse necessitate præcepti, licet nõ singulis. *Tertio* duo esse sacramenta, simpliciter necessaria vt medium, Baptismum, omnibus generatis ex Adamo; pœnitentiam, omnibus post Baptismum relapsis in peccatum mortale. *Quarto*, tria esse sacramenta necessaria vt medium ad bene esse, Confirmationem, Eucharistiam, & Extremam vnctionem. *Quinto*, sacramentum ordinis, simpliciter esse necessarium necessitate medij, non singulis, sed Ecclesiæ in vniuersum. *Sextò*, Matrimonium necessarium esse vniuersæ Ecclesiæ non autem singulis hominibus, vt dictum est de quibus plura suis locis.

SACRAMENTVM II.

De materia, & forma Sacramentorum in genere.

SVMMARIVM.

1. *An sit de fide omnia sacramenta nouæ legis constare materia & forma? Quale debeat esse verbum quod cum re sensibili coniunctum efficit sacramentum? An in omni sacramento sint res, & verba?*
2. *An in sacramentis sit duplex materia remota, & propinqua?*
3. *An de fide sit materiam, & formam sacramentorum esse determinatas à Christo?*
4. *An forma necessariò adhibenda in sacramentis sit diuina institutione determinata?*
5. *Quotupliciter mutatio in forma verborum possit contingere.*
6. *An in conficiendis sacramentis possit quis confingere priuatim aliqua verba illisque vti ad significandum id, quod significant verba formæ?*
7. *An extra necessitatem graniter peccet, qui in conficiendis sacramentis, vtitur materia vel forma dubia.*
8. *An illa materia, & forma quæ satis est ad verum sacramentum in vita Ecclesia, sit etiam satis in quacumque alia?*
9. *An in conficiendis sacramentis requiratur simultas temporis inter formam, & materiam.*

1. DE fide definitum est in Conciliis Florentino, & Tridentino omnia sacramenta nouæ legis constare materia, & forma, vel vt alij dicunt rebus, & verbis: *verbus* vt forma, *rebus* vt materia nomine autẽ *rerum* intelligitur id quo posito nondum est completa significatio sacramenti, siue res illa sit quid permanens siue sit actio, siue sit aliqua verba Nomine *verborum* intelligitur id quod complet, & perficit significationẽ siue sit notus, siue scriptura, siue verba. *Ratio* autem cur sacramenta instituta sint in rebus, & verbis est, quia sacramentum est quodam signum; signum autem melius significat rebus & verbis quã sine verbis *D. Thom. q.60. art.6. Laym.l.5.t.1.c.4. Filiuc.tr. 1.c.4. Reginald.l.26.n.16. Suar.c.d.2. sect.1.c.2. Siluius 3.p.q. 60. art.6.*

Sed petes, quale debeat esse verbum quod cum re sensibili coniunctum efficit sacramentum? Respondeo quod hæretici vt errorem suum de sola fide iustificante statuant, requirunt quidem verbum ad sacramenta iuxta illud ad Ephes. 5. *Ad mundandam eam lauacro aquæ in verbo*, &c. Sed illud verbum nihil aliud esse volunt, quã concionem ministri exercitantis in hoc modo fidem accedentium ad sacramenta. Catholici autem ex Scriptura, & traditione docent verbum sacramentale non esse certam formulam verborum, quæ ex Christi institutione, & intentione Ecclesiæ pronũciata super elementum, perficit sacramentum. Itaque verbum hoc non est concionale, & institutorium sed consecratorium, & rituale. Quod probatur 1. ex praxi Ecclesiæ à Patribus accepta, quæ est optima interpres legis Christi 2. Quia alioquin non distinguerentur officia concionãdi, & baptizandi, quod est contra Apostolum 1. ad Corinth. 1. Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare. 3. paruuli non possent baptizari, quia ex concione fidem concipere non possunt, quod tamen necesse esset ad percipiendum Baptismum.

Dubium autem est an in omni sacramento sint res, & verba? Ratio dubitandi est tum varietas opinionum, tum etiam quia in sacramento pœnitentiæ aliquando videtur esse sola verba, in matrimonio aliquando nulla. Resp. hæc duo semper esse necessa-

ſaria,ſed formaliter diſtincta.non materialiter:non enim neceſſe eſt,vt res non ſint verba,& verba non ſint res, ſed ſatis eſt, ſi alterum fungatur vice rei, alterũ vice verborum,quorũ vtrũq;in ſacramẽto pœnitentiæ,& matrimonij perſpicuum eſt;nã in hoc vice verborum ſufficiunt nutus aut litterę modo ſufficiẽter expri matur conſenſus vtriuſq; partis.In ſacramento pœnitentiæ fieri poteſt, vt nulla alia ſint ſigna præter verba,vt cũ quis non habet peccata, niſi verbo cõmiſſa.& tunc materia remota illius ſacramenti erunt ſola verba;poteſt etiam fieri,vt non oſtendat ſigna contritionis,confeſſionis,& ſatisfactionis niſi verbis, & tunc materia etiam proxima conſtabit ſolis verbis:verè tamen in iſto caſu concurrerent res, & verba,quia peccatum verbo commiſſum, non vt verbum, ſed vt peccatum eſt materia confeſſionis: peccatum autem formaliter non eſt verbum, ſed res a ratione verbi valde diſtincta. Similiter confeſſio non eſt propriè materia ſacramenti quatenus eſt oratio quædam, ſed quatenus eſt actio pœnitentis.

2. In ſacramentis ſaltem ijs,quæ in vſu ſeu actione tranſeunte conſiſtunt.*duplex*,eſt materia,*remota & propinqua*. *Materia remota* dicitur illa res,quæ in ſacramentum aſſumitur,ſeu circa quam actus aut cæremonia ſacra exercetur, vt in Baptiſmo aqua naturalis in Confirmatione chriſma benedictum in Euchariſtia panis& vinum,aqua mixtum in Pœnitentia peccata,in Ordine ſacerdotali calix cũ vino,& patena cum hoſtia in Matrimonio perſonæ habiles in Extrema vnctione oleum conſecratum.*Materia propinqua* dicitur ipſe actus ſeu vſus rei illius ſenſibilis,vt ablutio in Baptiſmo, vnctio in Confirmatione, & extrema Vnctione, in Euchariſtia,ſunt ſpecies panis,& vini, in Pœnitentia tunc actus pœnitentis, in ordinatione Sacerdotali eſt porrectio calicis cum vino,& patenæ cum hoſtia, in Matrimonio eſt traditio corporum *Bonacina tom. 1.d.1.q.2.p.1.n. 6.Filliucius t.n.56.57.Layman c.6.4.n.2.*

3. Communis Theologorum ſententia eſt materiam, & formam Sacramentorum eſſe determinatas à Chriſto & hoc eſt de fide;quia colligitur ex ſcriptura, vnà cum traditione eccleſiæ, & poſitione patrum:vnde eo modo quo definitę ſunt, ſunt neceſſariæ ad cõficienda ſacramenta. *Sacramenta* enim ſunt ſigna gratiæ quam conferunt id autem non habent niſi ex Chriſti inſtitutione,vt ergo eam vim habeant neceſſe eſt vt in ijs conficiẽdis ſeruetur diuina inſtitutio,conſtare igitur debet iis verbis,eaque materia,quam Chriſtus decreuit. *D.Th.q.60.a.7.Suar.c.d. ſect.3. Fill.t.n.59.60.Regin.c.n.14.Sylu.3 p.q.60.a.7* Qua propter Eccleſia non poteſt mutare,& variare materiam ſacramẽtorum quia non eſt ſupra Chriſtum nec refert Eccleſiam decreuiſſe,vt matrimonium celebratum coram parocho, & duobus teſtibus eſſet validum,ſine parocho verò, & teſtibus eſſe invalidum in iis locis,in quibus acceptatum eſt Concilium Tridentinum per hoc enim non mutauit materiam, & formam in ſacramento matrimonii, ſed reddidit contrahentes impotentes ad ponendam veram formam, & materiam, niſi ſeruauerint conditiones præſcriptas ab Eccleſia, & hæc eſt differentia inter matrimonium, & reliqua ſacramenta, quòd ſacramentum matrimonij fuit inſtitutum in contractu, qui cũ ſit res ciuilis exiſtens in poteſtate Eccleſiæ, poteſt aliquâ ratione variari, non quidem formaliter & proprié, ſed tantummodo remote,quatenus ſcilicet poteſt aliquid præſcribere; & aliquas conditiones apponere, ſub quibus celebratur contractus matrimonij.*Coninch.3.p.q.60.art.6.n.42.Henr.l.1.c.8.n.10.Regin.c.n.15.Suar.c.ſect.7.Bonac.c.n.11.*

Cæterum quamuis omnes materiæ, & formæ ſacramentorũ ſint à Deo,vel à Chriſto inſtitutæ, non tamen ſingulæ quo ad ſpecies, ſed aliquæ quo ad genus tantum, determinandæ quo ſpeciem ab ipſis Apoſtolis,vel Eccleſia:inter quas eſt etiam materia,& forma ſacramenti, ordinis, cuius ſingulæ materiæ, & formæ,ſingulorum Ordinum nõ fuerunt à ChriſtoDomino determinatæ in ſpecie, ſed tantùm ingenere,ſub aliquo ſigno ſenſibili expreſſiuo poteſtatis, quæ per ordinem traditur. Ita *Bell. l.de ſacramen.ord.c.9. Lugo de ſacram.diſp.2.ſect.3.*

Quod conſtat etiam de ſacramento pœnitentiæ, quod tam attritione,quamcontritione quæ ſpecie differunt,perfici poteſt, quemadmodum,& confeſſione,verbo,ſcripto,aut nutu expreſſa.Idem de ſacramento Euchariſtiæ, quæ in quauis ſpecie, vini, modo de vitæ ſit,confici poteſt.

4. Smiliter ex diuina inſtitutione forma ſacramentorum, quæ neceſſariò adhibenda eſt in ſacramentis determinata eſt, ita vt ſi forma ſeu verba formaliter, ſeu ſubſtantialiter varientur,ſacramenta non ſubſiſtant; ſi autem ſolum materialiter ſeu accidentaliter varientur ſacramenta validè conficientur, cùm accidentalis variatio non mutet ſubſtantiam rei:tunc autem accidentaliter ſeu materialiter verba dicuntur variari quando ſaluatur eadem ſignificatio, vt quando in eodem idiomate adhibetur verbum ſynonymum, aut verbum alterius linguæ idem ſignificans : ſecus ſi non adſit eadem ſignificatio, aut ſi deficiat debita intentio ; vt accidit quando miniſter cum mutatione accidentali intendit nouum ritum inducere in eccleſia & non intendit facere quod facit ſancta mater Eccleſia. Ita *D.Thom.cit.quæſt.60.a.8.Laym. cap.num.4. Regin.c.n.20.Suar. cit.diſput.2.ſect.4.Coninch.quæſt.60.a.8.num.56.59.& 61. Henr. c.cap.9.*

5. *Mutatio informa* verborum poteſt contingere multipliciter,videlicet vocum variatione,additione, ſubtractione, corruptione,tranſpoſitione,& interruptione,verbis ſynonymis vel æquiuocis. *Tolet.lib.2.c.19.num.4.Valent.to.4.d.3.q.1. punct. 2.Suar.d.2 ſect.4. Sylu.3.par.q.60.a.8.quæſit.1.Dian.p.5.tract.5. reſolut.39.* circa prædictos variationis modos *aduertendum* eſt, inualidum eſſe ſacramentum quoties verba ita variantur, vt nõ maneat eadem ſignificatio tunc enim mutatur forma ſubſtantialiter,& eſſentialiter. Vnde ſi mutatio fiat circa voces manente eadem ſignificatione,& modo ſignificandi,nõ obeſt ſacramẽto *Fill.tract.1.n.65.Graff 2.p.l.1.c.3.n.25.* In particulari verò diſcurrendo per octo modos ſupradictos, dico quod primus idiomatis eſt tantum accidentalis,& quamuis Eccleſia præciperet vt hoc vel illo tantùm vtamur tamen huius præcepti tranſgreſſio peccatum quidem eſſet,ſed non redderet ſacramentum irritum *Bonac.capit. numer. 24. Filliucius capit. Mutatio* per ſynonyma eſt communiter accidentalis, modò ſint æque diſtincta,& clara communique impoſitione recepta *Regin. l. 26. n.23 Henr.l.1.c.12.n.8.Coninch.c.n.63. Similiter* ſi adhibeantur verba æquiuoca,mutatio erit accidentalis,& validum ſacramentum modò miniſter habeat rectam intentionem ſignificandi, quod per verba formæ ſignificatur,& non inducendi nouum ritum contra Eccleſiam Chriſti. ſi tamen verba æquiuoca adhibeantur intentione ſignificandi aliud, quam per verba ſignificetur non eſt validum ſacramentum quia mutatio eſt ſubſtantialis.*Suar.diſt.2.ſect.5 Vaſques.par.3.d.129. cap.7. Per additionem, & ſubtractionem*, poteſt eſſe ſubſtantialis mutatio, ſi variet ſenſum accidentalis ſi feruet.*Graffis c.n. 29. Bonac.c.nu.21: Angles q.1. art.3.concl.5.Sylu. c. Per corruptionem* verborum quæ fit ex induſtria,& malitioſè, vitiatur ſacramentum, quia non videtur intendere quod eccleſia intendit. Item illa quæ fit ex ignorantia,vel defectu linguæ,& aufert ſenſum locutionis, quod maximè fit quando contingeret in principio dictionis, vt ſi ab iſta dictione *Patris* ſubtrahatur prima littera,& apponeretur *Matris*,quia ſenſus omninò mutatur *Graff n.30.Bonac.nu. 21.Circa tranſpoſitionem* dic, ſi fiat talis vt mutet intellectum verborum,inualidum fore ſacramentum.*Sayr.l.1.de ſacramentis c.4.a.7.Naldus v.ſacramentum n.4. Dian.p.5.tract.5.reſol.41* Sic *interruptio* ſi eſt modica,ita quod ſecundùm vſum communem nonvideatur actũ diſcontinuare,vt ſi interueniat ſiẽtium, aut tuſſis,aut reſpiratio, aut aliquid huiuſmodi, tunc validum erit ſacramentum, ſed ſi diſcontinuatio eſſet magna ita quod actum euidenter diſcontinuet, tunc enim irritaretur ſacramentum.

6. In conficiendis ſacramentis nemo poteſt confingere priuatim aliqua verba alijſque vti ad ſignificandum id quod ſignificant verba formæ;cum enim ſacramẽta ſint ſigna inſtituta propter bonum commune, debent in ipſis conficiendis adhiberi ſigna communi vſu recepta in vnoquoque regno vel prouincia, cuiuſmodi non ſunt,quæ priuata authoritate confinguntur, & communiter non recipiuntur. Tum quia verba non debent ſoli miniſtro ſignificare ſed toti populo & habere ſolemnem ſignificationem apud omnes,qui ea lingua vtuntur. Vnde, qui in aliquo populo poſſet auctoritatiuè cudere,& introducere nouam linguam conſequenter quibus vellet verbis validè ſacramenta miniſtraret. Proinde ſi hæ voces,*Ego te Baptizo* publica auctoritate deſinerent ſignificare,quod de facto ſignificant,& aliæ loco ipſarum ſubrogarentur: quę idem ſignificarent,quod ipſe nunc ſignificant;tunc non hæ quę de facto ſunt,ſed aliæ his ſubrogatæ eſſent propria forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta nam Chriſtus inſtituit illas in forma Baptiſmi;præſuppoſita earum ſignificatione dependenter ab inſtitutione humana,qua variata, deſineret eſſe forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta *D.Th.quæſt.60 art.7.ad 3. Sayr.c.cap.4.n.8.Henriq.c.cap.9.num. 2.Regin.l.26. num.23.*

Gra-

7. Grauiter peccat, qui sectata necessitate in conficiendis sacramentis vtitur materia, vel forma dubia, de qua scilicet controuertitur inter doctores, an sit sufficiens: quia exponit se periculo faciendi sacramentum: irritum cum fieri possit, vt reuera illa materia, vel forma non sit sufficiens: *Suar. d. 16. sect. 2. Henr. c. 27. n. 7. Regin. c. m. 15. 26. Fill. tr. 1. n. 69. Coninch. q. 60. a. 8. n. 50. & 80. Syl. 3. p. q. 63. art. 8. quæst. 3. concl. 4. Sanch. in select. d. sp. 44. num. 3.* hoc enim procedit etiam, si quis hoc faciat sequendo opinionem probabilem speculatiuè, vel etiam probabiliorem: nam adhuc exponit se periculo faciendi sacramentum inualidũ, cum probabilis opinio non suppleat id quod Christus voluit esse de necessitate sacramenti, tamen in necessitate, quando nõ adest certa materia, sed tantummodo dubia, potest dubia adhiberi: quamuis facilius adhiberi possit materia dubia, quam forma dubia, qui rarò solet accidere, vt quis cogatur vti forma dubia, excepto casu, quo nullus nouit certam formam. Vide supra v. *Conscientia n. 10. Porro* etiá peccat, qui vtitur forma certa, sed ei aliquid addit, vel detrahit ad cognoscendum autem in peccatum graue sit aut leue respiciendum est vtrum adfuerit aduertentia, & deliberatio, & an res sit grauis vel leuisinã leuitas materiæ excusat à peccato graui sicut excusat in aduertentia, & indelibe atio. *D. Thom. quæst. 60. a. 8. Fill. cit. n. 67. 68. Sayr. l. 1. c. 4. a. 8. Sylu. quæst. 3. concl. 3.*

8. *Illa materia*, & forma quæ satis est ad verum sacramentum in vna Ecclesia, est etiam satis in quacumque alia: quod intelligendum est de necessitate sacramenti, & de ritu essentiali, non autem de necessitate præcepti, & ritu accidentali; quia sicut Christus vnam ecclesiam constituit sic vna sacramenta vnde baptismus forma Græcorũ administratus non solum valet in Græcia, sed etiam vbique terrarum; quia mutatio accidentalis non destruit substantiam sacramenti, quidquid in contrarium videantur sensisse aliqui Canonistæ. Vide *Vsuald. de sacramentis in genere cap. 3. num. 21. Suar. d. 2. sect. 4 & 6. Fill. cap. num. 70. Bonac. q. 3. par. 3.*

9. In conficiendis sacramentis requiritur quædam coniunctio seu simultas temporis inter aliquam saltem partem formæ, & aliquam partem materiæ, ita vt non prius perficiatur forma quã existat aliquid materiæ, nec prius existat integra materia, quam incipiant verba proferri. Ratio est quia inter materiam, & formam sacramenti requiritur ea coniunctio, quæ necessaria est ad veritatem verborum: sed ad veritatem verborum necessarium est ea saltem quo ad aliquam partem proferri, cum applicatur materia. Ergo ad sacramentum requiritur aliquam partem materiæ esse simul cum aliquam partem formæ: alioquin falsa esset enunciatio verborum, nisi cum illis eodem tempore concurrat proxima materia sacramenti. Et hoc maximè curandum est in collatione sacramentorum Baptismi, & Ordinis Confirmationis, & Extremę Vnctionis. Ita *Scot. in 4. d. 6. q. a. 2. Caiet. to. 1. opusc. tr. 16. Syluest. v. Baptismus 6. §. 2. Nau. in man. c. 22. n. 7.*

Quamuis non sit improbabile ad valorem sacramenti sufficere moralem coniunctionem id est, si moraliter secundùm humanum agendi, & loquendi morem concurrant actio ministri & proxima materia, v. g. Vnctio, Ablutio, &c. Ratio est; quia cùm sacramentum sit quoddam morale compositum ex re sensibili, & verbis, quæ illam determinant ad significandam gratiam ergo ad eius constitutionem, & veritatem sufficit moralis coniunctio, & moralis modus recedendi vera verba, quibus percipitur sacramentum. Ita *Henr. l. 1. c. 9. n. 10. Lay. l. 5. t. 2. c. 7. n. 8. Vasq. de bapt. n. vlt. Suar. c. disp. 2. sect. 2. Dian. p. 3. tr. 2 res. 6. p. 5. tr. 5. res. 40. & tr. 13. res. 48.* Sed quia sacramenta constat ex diuersis actibus humanis quorum alij, ex natura sua maiorem, alij minorem simultatem postulant, non potest vna certa regula in omnibus assignari, sed perpendenda est natura singularum operationum, quibus sacramenta constat. Maiorem enim simultatem postulant Baptismus, Confirmatio Ordo, Eucharistia, Extrema vnctio quę perficiuntur per pronomina demonstratiua, & verba de præsenti; Minorem verò Pœnitentia, quæ peragitur per modum iudicij in quo accusatio præmittitur absolutioni, vt statim dicetur. Minimam autem matrimonium, quod quia est quidam ciuilis contractus peragi potest etiam inter absentes.

Sed petes quanta coniunctio, & simultas sit necessaria inter dolorem peccatorũ, & confessionẽ? Respondetur vt suprà, inter dolorẽ, & confessionẽ debere esse moralem coniunctionẽ. An autẽ hæc cõiunctio possit indifferenter in qualibet temporis intercapedine cõseruari, dubiũ est; cum enim dolor sit materia sacramenti pœnitentiæ, inter illum, & absolutionem, quæ est forma debet esse ea solum temporis distantia, quæ non obstet, quo minus inter illas sit coniunctio moralis propterea tamdiu solùm potest præcedere dolor, quamdiu virtualiter permanserit, dicetur autem dolor virtualiter perseuerare quamdiu pœnitens interrogaretur cur doluerit, possit sine noua deliberatione respondere se doluisse vt confiteatur, & non retractasse dolore, quia vult confiteri. In pœnitentia enim post actus pœnitentis multo tempore post, potest absolutio valide conferri, sicut etiam in iudicio forensi multo tempore post discussionem causæ fieri solet absolutio, vel condemnatio, toto scilicet tempore post, quo actus pœnitentis dicuntur moraliter permanere: tamdiu autem dicuntur moraliter permanere, quamdiu permanent habitualiter, id est, quamdiu non retractantur, neque expresè, neque implicitè.

Vnde si quis examinans conscientiam. & aliciens dolorem de peccatis illum referat ad confessionem seu doleat, volens illa peccata clauibus subijcere talis dolor sufficit per modum partis, quamuis aliquanto tempore præcedat confessionem, & censetur moraliter permanere, dum sit confessio licet defierit esse actu, censeturque moraliter confessionem informare proinde validũ est sacramentum, quantũ est ex parte contritionis si vespere examinans conscientiam, quis eliciat contritionem seu attritionem peccatorum, proponens sequenti die confiteri, nullum alium actum eliciat, immediate ante confessionem. Ita *Hurt. disput. 1. de sacram. in gen. difficul. 11. Granad. in 3. p. de sacr. cont. 7. tr. 3. disput. 3. sect. 1. num. 7. Propositus in 3. p. qu 2. de contritione, dub. 1. num. 30.*

Sed circa dicta est notandum quod quando moraliter siue ob nimiã intercapedinem temporis, siue ob mutationem animi, siue ob multiplicata peccata contritio seu attritio in ordine ad confessionem faciendam, censetur interrupta, tunc saltem in genere est repetenda opportuno tempore siue ante confessionẽ, siue in ipsa confessione, siue ante absolutionem. Tũc verò censetur nimia intercapedo temporis, vt prior contrito seu attritio non videatur dicere ordinem ad confessionem subsequentem. quando morali æstimatione nil remanet prioris intentionis in cuius virtute censeatur quis agere, vt pote quando animus omnino à priori intentione fuit distractus, & aliis mancipatus nec reuera vllum remanserit in illo signum ad confessionem subsequentem. Multa tamen temporis intercapedo in aliquibus non impedit quin censeatur contritio siue peccati detestatio pluribus diebus virtute permanere, vt in eo qui confessionem generalẽ faceret, examine conscientiæ, facto elicit actum contritionis siue attritionis supernaturalis, interim ob causas plures dies insumit de iudicio confessarij singulis diebus confessionẽ prosequendo antequam illam compleat, & absolutio ei impendatur, prima contritio censetur virtute perdurare, si illam non reuocauerit; quamuis in eo casu securius sit imò quandoque necessarium in genere, & vniuersali priorem contritionem siue detestationem renouare quod in momento fieri potest ante absolutionem, quia quæcumque contritio, siue attritio excitata vsque ad vltimum instans pronunciationis, verborum *Absoluo te* est sufficiens ad eleuandam confessionem vt fiat sacramentalis, & vt pœnitens effectum sacramenti consequatur.

Videsupra *verb. Contritio n. 13.*

SACRAMENTVM III.

De causa efficiente Sacramentorum nouæ legis.

SVMMARIVM.

1. *An solus Deus sit primarius auctor Sacramentorum, & causa principalis; Et an Christus potuerit hominibus communicare potestatem instituendi sacramenta?*
2. *An solus homo sit Sacramentorum minister necessarius sufficiens seu causa ministerialis? Et an minister sacramenti verè animam abluat, peccata remittat & peccatorem iustificet?*
3. *Qua intentio requiratur in ministro Sacramentorum ad necessitatem sacramenti?*

An

4. *An ad sacramenti valorem requiratur intentio absoluta? & an conditionalis sufficiat?*
5. *An intentio ministri in conficiendis sacramentis debeat dirigi ad materiam præsentem vel personam?*
6. *An fides aut probitas ministri requiratur ad validã Sacramenti ministrationem?*
7. *An ad licitum sacramentorum administrationem requiratur probitas, & fides in ministro?*
8. *An exercens functiones ordinum, tam minorum quam Sacrorum, cum conscientia peccati mortalis peccet mortaliter? & quid dicendum de communicante alios in statu peccati mortalis, an peccet toties quoties hostias distribuit? Et an tot peccata mortalia committat confessarius, quot pœnitentes absolut in peccato mortali existens. Quando liceat petere sacramẽtum a malo ministro? An indigne petenti sint sacramenta ministranda.*

1. SOlus Deus est primarius auctor, & institutor sacramentorum vnde potest dici causa principalis authoritatiuè: *D.Th.q.64.a.2. Regin.lib.26.n.3. Suar.d.12.s.1. Syn.3.p.q.64.a.2.* nam is propriè dicitur auctor, & institutor Sacramentorum, qui eis virtutem confert sanctificandi homines, solus autem Deus principaliter est auctor gratiæ sanctificantis, ergo solus est causa principalis auctoritatiuè sacramentorum *Laym.l.3.tr.1.1.cap.5. Valent.t.4.d.3.q.5.par.3. Sayr.l.2.c.2.quæst.2. Christus* verò est causa sacramentorum per potestatẽ excellentiæ; quia illi competit huiusmodi potestas propter excellentiam, quam habet ob vnionem cum diuinitate, & ob quamdam omnipotentiã. vnde in *Concil. Trident. sess.7.can.1.* tanquam de fide definitur sub Anathemate, omnia sacramenta fuisse à Christo instituta per potestatem excellentiæ.

Sed petes, an Christus potuerit hominibus communicare potestatem instituendi sacramenta? Respond. ex D. Tho. c. art. 4. potestatem authoritatis esse prorsus incommunicabilem, cùm dicat omnimodam independentiam, quæ soli Deo competit. Potestatem excellentiæ, potuit quidem communicare, sed non communicauit, nec expediebat aut decebat ob nostram vtilitatem. Tum quia ne spes nostra in homine poneretur. Tum quia ad vitanda schismata, & dissentiones in Ecclesia, & ne diceretur, Ego sum Pauli, ego Apollo. Itaque Christus Dominus solam potestatem ministerialem seruis suis concessit, quæ potestas cernitur in consecratione, & applicatione sacramentorum.

2. *Causa ministerialis* sacramentorum est minister, qui concurrit ad conficienda sacramenta, in nomine, & virtute Christi: *S.Th.quæst.64.ar.1.& 7. Suar.disp.13.sess.1. Vill.tract.1.num.72. Henr.l.1.c.26.num.2. Sayr.l.2.cap.3.a.2. Sylu.c.a.1.& 7. Bonacina.t.1 d.1.q.3.p.1.n.8.& seq. Hurtad.de sacram.disp.4.diffic.4. difficul.3.* & dici potest instrumentum conferendi gratiam vnde solus homo de potentia Dei ordinaria est Sacramentorum minister necessarius, & sufficiens? non tamen omnis homo etiam baptizatus est legitimus Sacramenti minister sed is tantum qui ritè in Ecclesia ordinatus est (excepto baptismo & matrimonio vt suis locis dictum est). *Angeli* verò possunt esse ministri sacramentorum ex diuina dispensatione, quia virtus Dei non est alligata propterea illud habendum est tanquam verum sacramentum quod constaret ab aliquo beato, vel angelo fuisse administratum, verbis per assumptum corpus prolatis; si verò aliquod sacramentum de potentia ordinaria administraretur à diabolo, non esset habendum validum, cùm non sit credibile Deũ vnquam daturum diabolo facultatem conferendi vera sacramenta, de potentia tamen Dei absoluta posset dæmon validè de mãdato Dei in assumpto corpore ministrare sacramẽta. Ratio autem cur Angeli non sint ordinarij ministri sacramentorum est; quia sicut ad essentiã sacramentorũ requiritur verum & naturale elementorum, ita verùm, & naturale verbum; sed solus homo verè, & naturaliter loquitur, loqui enim est actio corporis viuentis per instrumentum linguæ, & palati, vnde Angelis nullo modo conuenire, potest, ne quidem in corpore assumpto, vt docet D. Thomas 1.p.q.51.a.3. Adde quod etiamsi verè, & naturaliter loqui possent non tamen propterea conferret sacramẽtum, quia elementa, & verba non significant efficaciter gratiam, ex vi naturali sed tolum vt à Deo assumuntur, tãquã instrumenta nostræ iustificationis, ergo iis solis competit ea potestas quibus Deus id commisit, quales soli sunt homines. Vnde Christus solis hominibus dixit. *Docete omnes gentes Baptizantes eos. &c.* Item *Hoc facite in meam commemorationem.* item *Accipite Spiritum sanctum quorum remiseritis peccata, &c.* vnde falletur Lutherus *libro de abroganda missa*, docens Diabolum posse baptizare, missam celebrare, & absoluere à peccatis modò faciat iuxta institutionem Christi.

Sed rogabis, an minister sacramenti verè animam abluat, peccata, remittat, & peccatore iustificet? Respond. affirmatiuè, & est de fide, vt colligitur ex Concil. Constantiensi, & Trid. *sess.14.c.6.* Prob. Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, quod etiam patet ex forma Sacramentalibus, *Ego te baptizo; absoluo* &c.

2. Ad *necessitatem sacramenti* requiritur, vt minister intendat homini cõferre Sacramentum saltem implicitè, si facere velit quod vera ecclesia solet aut quod Christus instituit, aut quod sacerdotes Christianorum facere consueuerunt, etsi determinatè nesciat, aut nõ credat esse Sacramentũ. tum quia ad conficienda Sacramenta requiritur intentio, quæ determinet actionem ad esse Sacramentale, & tollat indifferentiam verborum, & actionum. *Concil. Trident. sess.7.can.11. conf. Florent. S. Th. q.64. a.8. & a.10. ad 2. Valen. tom.3.d.3.q.1.p.2. Syluius. 3.p.q.64.a.8. conc. 1. & 2.* Tum quia sacerdos aut conferens Sacramentum est minister Christi, & instrumentum animatum: ergo debet intendere id quod præceptum est, & ordinata a Domino: adde quod actio exterior, & prolatio verborum non satis est determinata ad effectum sacramenti significandum, verb. g. lotio cum his verbis, Abluo te; nam potest fieri ad mundiciem corporalem ad refrigerium, per iocum Etnicam vel Iudaicam superstitionem. ergo debet per ministri intentionem ad hoc determinari.

Sed petes, quæ sit illa intentio Ecclesiæ, quam minister debet habere: Respond. non esse necessarium vt intẽdat id facere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit Ecclesia Christi vera, quæcumque demum illa sit. Vnde patet Caluinista ordinariè verè baptizare, tametsi putant Ecclesiam Romanam non esse Christi Ecclesiam.

Sed quid, si quis intendat facere, quod facit Ecclesia aliqua particularis, & falsa v.g. Genuensis, & intendat non facere, quod facit Ecclesia Romana. Resp. etiam id sufficere, nam, qui intendit facere, quod facit Ecclesia Genuensis, intendit facere, quod facit Ecclesia vniuersalis, quia nimirum putat Genuam esse membrum Ecclesiæ vniuersalis, licet fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ, non enim tollit efficaciam sacramenti error ministri particularis, sed defectu intentionis. Cæterum etsi sufficiat habere generalem hanc ecclesiæ intensionem consultum tamen est adhibere etiam particularem, nempe conferendi sacramentum baptismi, absolutionis, &c. quia sic perfectius ministerium illud vice Christi obitur. Ita Caspensis. *tract.21. disp.5. sect.un. num.64. & 66. Notandum.* autem est ad conficiendum sacramentum non esse necessariam quamuis sufficientem intentionem actualem, qua quis scilicet actualiter intendat, & velit conficere Sacramentum, dum illud conficit, sed sufficere virtualẽ illam videlicet, quæ postquam actualis præcessit adhuc virtualiter durat in aliquo opere inchoato virtute actualis intentionis, nec est moraliter interrupta per oppositam intentionem, aut per longam temporis moram interpositam. Habitualis verò intẽtio, qua quis facit aliquid ex habitu nulla præcedente intentione, vel si intentio præcessit non amplius virtualiter perseuerat in aliquo opere externo, cùm sit moraliter interrupta, nec sufficit nec necessaria est Ita *Laym. leg.5. tract.1.c.5. num.1. Tolet. lib.2. capit.16. Suar. disputat.13. sess.3. Vasquez.3. part. disputat.138. c.ap.6. Dian. part.2. tract.3. misc. resolution.32. Sylu. c. conclus.6.*

Quod autem actualis intentio laudabilis, sit probatur, quia per illam minister maxime se conformat Ecclesiæ, & Christo operãti per sacramentũ, vbi nota non requiri ad actualem intentionem, quod quidam scrupulosi faciũt vt dicamus ore aut corde, *intendo conficere, absoluere, baptizare, &c.* sed hoc tantũ, vt quis sit præsens sibi, & attentè faciat, quod facit: proinde intentio actualis non tantũ est in actu signato sed etiam in actu exercito, idque tum confusè, tum determinatè.

Quod actualis intentio non sit necessaria, probatur ex eo, quòd minister sacramẽtorum sit homo hoc est creatura multis imperfectionibus, distractionibus, euagationibus subiecta in cuius potestate non est semper actualiter intendere, quare si hæc requireretur meritò dubitare frequenter possemus an essemus baptizati, absoluti, ordinati, &c. quæ sanè Ecclesiæ gubernationi non videntur conuenire,

Quod virtualis sufficiat; prob. quia talis intentio meritò dici potest actus humanus, & executio instrumentaria cautæ superioris,

ed by Google

ris,cùm pendeat ab actuali intentione quæ præcessit ; & in ea fundetur,& tandiu censetur hæc virtualis intentio durare,quamdiu durat vis impressa a prima intentione actuali , sicut proiecta tunc quiescunt , quando cessat impetus à mouente impressus ; quod his signis poterit deprehendi . *Primo* si rogatur , cur faciat talem cæremoniam,respondeat se velle conficere sacramentum . *Secundo* , si alia nulla causa naturalis aut fortuita appareat , quæ illum impulerit ad exercitium talis actionis.

Quod habitualis intentio non sufficiat,patet ex eo, quia actus à tali intentione procedens non est necessariò humanus & deliberatus,alioquin baptizatus diceretur,quem ebrius vel dormiens baptizasset.

Simile iudicium est de intentione interpretatiua , quæ videlicet est voluntaria tãtum in causa,v.g.sit sacerdos, qui dum ebrius est solet proferre verba consecrationis super panem , & hoc noluit;ille inebriando se quodammodo vult consecrare,adeo,vt hoc ei imputetur ad culpam, sed hæc voluntas non sufficit ad conficiendum sacramentum,etiamsi id antea intenderet & dũ ebrius est,idem vellet,quia hæc voluntas non est moralis , & humana , nec humano more influit in actum subsequentem ; vt bene docent. *Suar.disputat.13.sect.3.Caspensis,tract. 21. disputat. 5.sect.7. num.70.*

Sed petes, *Primò*,an si sacerdos in principio habeat malam,vel nullam intentionem,& ante finitam prolationem formæ mutet propositum,conficiatur sacramentum: Resp. Quosdam affirmatiuè respondere quia sufficit applicatio materiæ in fine verborũ, ergo, & recta intentio tunc adhibita . Sed dicendum est nihil fieri; Ratio est;quia intentio est veluti anima verborum in ordine ad sacramentum,quare debet animare omnes partes formæ, ex quibus completur integra eius significatio: nec est simile de applicatione materiæ quia forma debet tantum determinare , & perficere significationem materiæ,quòd facere potest in vltimo instanti.

Sed quid , si in principio habeat intentionem rectam , & postea nolit conficere ? Resp non esse dubitandum,quin si ante fidem mutet bonũ propositum nihil efficiat: nam in fine prolationis formæ,completur ratio sacramenti,& gratia confertur si nihil obstat.

Petes Secundò, quid fiat si minister intendat conferre sacramentum,non tamen effectum sacramenti , vel si intendat effectum dimidiare; Resp. sacramentum propter hoc non irritari . Ratio est quia posito sacramento nihil potest , circa illius effectum,vt illum impediat,vel dimidiet, vel suspendat : quia sacramentum operatur per modum causæ naturalis , quæ circa passum bene dispositum,operatur necessario : nam si quis ignem applicet combustibili , non poterit operationem eius impedire.

4. Ad Sacramenti valorem requiritur *intentio absoluta* quia sola illa efficax est;nam *conditionalis* quamdiu talis est manet inspensa,& nihil operatur sicut propositio cõditionalis nihil ponit in esse ideòque non sufficit si minister baptizet à peccatis absoluat sub conditione pendente in futurum,verbi gratia, si pater tuus consenserit, si concubinam domo eieceris; quia sacra symbola debent à ministri intentione explicita aut implicita secundũ Christi institutionem determinari,vt sint practica,& efficacia , talia autem non sunt,si eorũ vis,& efficacia suspendatur à futuro contingente effectu: tamen *Sacramentum* , administratum sub conditione de præsenti, vel de præterito validum est si res ita sit sicut exprimitur in conditione:quia conditio de præsenti , vel præterito non suspendit actum,cùm non sit proprie cõditio. *Cauc.v. absolut.c.1.Coninch.q 64.a.8.dub.2.Suar.distinct. 13. s. 3.Laym.c.n.13.Fill.c.n.78.Regin.l.29. num.36.Syln.c.concluſ.4. Aduertendum* autem est illum peccare,qui conditionem apponit in conficiendis sacramentis non solum si apponat conditionem de futuro,verum etiam si de præterito aut præsenti absque necessitate, & rationabili causa,quia exponit se periculo administrandi sacramentum inualidè, cum fieri possit vt talis conditio non subsistat.Ita *Henriq. l.12.c.10.n.7.Naldus.v.Sacra.n.13. Suar.c.concl.3.*

5. *Intentio* ministri in conficiendi , sacramentis debet dirigi ad materiam præsentem,vel personam,nec debet quis se restringere, vt non velit facere sacramentum si persona non sit illa,quã ipse existimat quia se exponeret sæpe periculo nihil faciendi , vt si determinaret se ad Petrum, ita vt excluderet omnem alium, si forte esset Paulus,Sacramentum esset nullum; si sit autem error tantùm personæ materialiter,non nocet,dummodò adsit practica intentio , qua scilicet velit absolute conferre sacramentum huic personæ quam habet præsentem : Excipitur tamen matrimonium in quo intentio debet dirigi ad personam determinatam ita vt illius error sit substantialis,eò quòd sit contractus oneribus plenus. *Henriq.c.nu.6.Tolet.l.2.c.2 .. Graffis 2.p.l.1.c.3.num. 35. Bonac. tom.1.distinct.2.quæst.2.part.4.num. 26. Fillinc. cap. numer.79.*

6. *Fides* aut *probitas* ministri non requiritur ad validam Sacramenti ministrationem , sed æquè per malos , aut hæreticos , atque per bonos , & Catholicos virtus sacramenti ex opere operato confertur, regulariter loquendo tum quia Sacramenta valide administrantur,quoties adest materia,forma,& intentio ministri,sed hæc possunt adesse quamuis minister non habeat fidem ergo.Tum quia minister Sacramentorum , quamuis si improbus vel etiam hæreticus , habet potestatem conficiendi sacramenta retinet enim characterem indelebilem , per quem confertur potestas conficiendi sacramẽta,& per quem operatur in virtute Dei,qui potestatem collatam non aufert per peccatum fieri tamen potest,vt sacramentum pœnitentiæ inualidè administretur ab improbo ministro, v. g. ab excommunicato vitando. *S. Thom. quæst. 64. a. 5. Soyr.l.2.cap.5.a.2.Regin.l.26.num. 34. Concil.Trident.sess.7.can.12.Fill.c.n. 81.Laym.c.c.5.n.6. Syl. c. q.64.a.5.*

7 Quamuis *Probitas*,& *fides*, non sint necessaria in ministro deputato,& consecrato ad munus administrandi sacramenta ad validam,est tamen necessaria ad licitam sacramentorum administrationem vnde mortaliter peccat minister deputatus, & consecratus si mortalis peccati cõscius sacramentum aliquod ministret,si Eucharistiam consecret,vel consecratam fidelibus dispenset quia minister deputatus & consecratus ad sacramenta administranda speciale gratiam recipit ad illa dignè administranda, ergo grauiter peccat,quoties illa indignè administrat in peccato mortali,cum in re graui faciat contra id ad quod est specialiter deputatus cum gratia speciali *S.Th.quæst. 64.a.4.& 6. Regin.l 26.n.57.58.Suar.d.16.s.3.Vasq.3.p.d.136.c.3.Laym.c.n.7.Syl.c. a.7.quæst.1.*

Quo circa sacerdos habens conscientiam peccati mortalis antequam administret Sacramentumaliquod debet conari,& curare, vt in gratia constituatur, vel per contritionis actum , vel si illum elicere non posset cum attritione debet sacramentum pœnitentiæ suscipere secundum communem sententiam : licet quidam velint in hoc casu sacerdotem non teneri nisi ad bonum , & verum motum cordis,quo quantum in se est de peccato dolea fitque totaliter auersus ab omni voluntate peccaminosa , cum conuersione ad Deum,& proposito opportunè cõfitendi. Ratio est,tum quia hoc sufficit,vt dicatur se vere prępparare ad gratiam, & facere quod in se est iuxta præsentem obligationem. tum quia in ijs quæ Dei singulari dono dependent numquam ad aliud homo sub peccato mortali tenetur,nisi ad ea quę in eius sunt potestate nimirum non ponere ex parte sua impedimentum gratiæ,non resistere motibus diuinis sed positiuè agere quod potest operando , & cooperando hæc sententia est singularis, & à viris doctis discutienda.

Est tamen hic notandum , quod si forte contingat ministrum non esse verè contritum, sed dumtaxat attritum; cum probabili tamen existimatione , quod esse verè contritus non peccat ministrando sacramentum. Vnde in hoc casu satis erit ad vitandum peccatum mortale,quod minister coniecturis humanis,& probabilibus existimet se habere contritionem: vt rectè obseruat *Caspens.tr.21.disp.5.s.3.n.33.*

Nonnulli tamen docent probabiliter apud *Dian.p.2.tr.3.misc. ref.13.& tr.de circumst.ref.41.p.1.Vas.3.p.d.136.c.3.n.38.* non esse mortale,sed tantum veniale alijs extra Missam Eucharistiam ministrare in mortali quia minister in eo casu non est per se causa gratiæ,sed tantum conditio sine qua non . Sed dubium est an aliquando ex temporis angustia si quis non possit elicere actum contritionis possit licitè ministrare,& cõficere sacramẽta in peccato mortali,puta si proximo sit ministrandum sacramentum aliquod ad eius salutem necessarium tamque sit vrgens eiusdem necessitas vt ministro in statu peccati mortalis existenti tempus moraliter non suppetat ad eliciendum actum perfectæ contritionis.Respondet *Dian.p.5.tract.13.ref.74.et p.4. trac. 4.ref.98. Maratius to.3. de sacram. in gen.disp.8.s.2. Præpositus 3. p.q.64.art.6.dub.1.n.34.* probabile esse quòd sic . Ratio est , quod cum sacramenta ad salutem hominum instituta sint , ratio postulat & obligat, vt eorum saluti consulatur potiùs,quàm debitæ sacramento, & eius authori reuerentiæ,quando vtrique simul cõsuli non potest : quare tunc sacramenti minister existens in peccato

cato mortali non obligatur conformare se eius sanctitati, sed succurrere proximi necessitati, nec proinde irreuerenter, & indignè hunc tractare tenendus est, quamuis enim absolutè in instanti possit actus perfectæ contritionis exerceri, non tamen moraliter, saltem à plerisque, qui ratione propriæ infirmitatis, malæ peccandi consuetudinis, vitiosorùmque habituum, multo indigent tempore, quo se ad tam perfectum actum præparent.

8. Secundùm probabiliorem, & communiorem sententiam, exercens functiones ordinum, tam minorum, quàm sacrorum, cùm conscientia peccati mortalis, per se loquendo, non peccat mortaliter præcis administratione Sacramentorum facta à ministro, tamquam ad illam deputato & consecrato quia non extat aliqua specialis prohibitio, quâ functio & exercitium ordinum prohibeatur sub mortali, si fiat cum conscientia peccati mortalis secluso scandalo, &c. *Valent. c. d. 3. q. 5. p. 3. Suar. d. 16. sec. 3. Fill. c. n. 87. Laym. c. n. 10. Dian. de Sacram. re. 195. & 196. p. 3.* quamuis *Angel. Syl. Nau. Sa apud Laym. c. Bonac. c. §. 1. n. 15. Syl. 3. p. q. 64. articul. 6. quæst. 1. capitul. 5.* contrarium sentiant non improbabiliter.

An autem communicans alios in peccato mortali toties peccet mortaliter, quoties hostias distribuit (posito quòd peccet mortaliter secundùm aliquorum sententiam?) *Conink de sacrament. q. 64. a. 6. dub. 1. Bonac. c. §. 1. n. 15.* affirmant, quia sunt plures sacramenti distributiones & plures actiones terminatæ & completæ, etiamsi fiant successiuè. *Henriq. l. 1. c. 29. lit. T. in comment. Fill. c. n. 87. Tann. t. 2. disp. 4. q. 2. dub. 4. Rodr. in summ. par. 1. cap. 248. nu. 26. Dian. tract. de circumst. rest. 41. & 43. p. 1. Syl. 3. p. quæst. 64. a. 6. quæst. 1. concl. 4.* Probabilius tamen est, quòd non committat nisi vnum peccatum mortale indignæ administrationis, quia etsi tot sint actus numero distincti quoad entitatem quot sunt personæ communicantes, moraliter tamen loquendo, non reputantur vt distinctæ administrationes, sed vna totalis & integra, vnumque sacrum ministerium, ex pluribus quasi partialibus actibus constans. His conformiter probabile quoque est, non esse tot peccata mortalia, quot confessarius in mortali existens audit personas, continuato ministerio sedens in confessionali, aut breuiter se eo leuans, & sacramentum ministrare pergens: moraliter enim vna est istius sacramenti administratio ad plures facta: vt etiam diximus v. *Confessarius 4. num. 2.*

Ex dictis oritur graue dubium, an & quando liceat petere sacramentum aut accipere à malo ministro? Resp. & dico *Primò*. Numquam licet ab eo petere sacramentum, qui sine peccato illud conferre non potest. Ratio est, quia hoc est directè inducere ad peccatum, quod est intrinsecè malum, nec vlla circumstantia potest honestari, v. g. si absolutionem sacramentalem petat, & accipere tentet scienter à non sacerdote, vel ab illo qui caret iurisdictione, vt à non tolerato extra casum extremæ necessitatis, &c.

Dico *Secundò*, semper possum à peccatore etiam non tolerato petere sacramentum, quando meum ius, vel necessitas vel vtilitas superat legem Ecclesiæ, & extinguit vim legis naturalis de vitando scandalo, aut non cooperando peccatis alterius: nam tunc censeor permittere tantùm alterius peccatum, eoque vti ad meã vtilitatem, quod licitum est, & aliquando necessarium. Ratio est, quia peto, quod ille absque peccato præstare potest, quia gratia diuina non deest ipsi, vt concipiat pœnitentiam: quòd autem ille sit committurus sacrilegium, nec facturus pœnitentiam, hoc mihi non imputatur, quia vtor iure meo, quod mihi extrema necessitas concedit.

Dico *Tertiò* quando minister est in peccato mortali, non tamen notatur censuram Ecclesiasticam, minor necessitas sufficit vt possim illum inducere ad ministrandum sacramentum, nempe non tantùm diuinum præceptum, sed etiam præceptum Ecclesiæ de annua confessione, & paschali communione, de missa audienda, &c. In quo ipsa vtilitas, quæ percipitur ex frequenti vsu sacramentorum, videtur sufficere, vt possim petere sacramenta ab eo qui ex officio tenetur, aut ab alio qui paratus est, si non est alius, qui sine peccato ministret. respectu verò alterius ministri, qui nõ est paratus, vel non obligatus, paulò maior causa erit necessaria. Itaque ex parte petentis considerandum est ius quod habet ex necessitate, vel extrema, vel graui, vel communi. Ex parte ministri considerandum est impedimentum quod habet ex peccatis, & censuris Ecclesiæ. Quare si minister non sit toleratus, videtur requiri extrema necessitas, vt eius operam vti possimus. In alio excommunicato non denunciato, &c. requiritur grauis necessitas, maximè si non sit paratus. Porrò communis necessitas locum habere potest, in peccatore minoris infamiæ, v. g. vtilitas confitendi, quando quis incidit in peccatum mortale, vius sacramentorum non tam diu intermissus, in fornicatoribus, ebriosis, aleatoribus, &c. maximè si sint parati, & eorum peccatum non ita vulgo cognitum sit. De his plura apud *Suar. 3. par. t. 3. disp. 18. sect. 1. Nauar. c. 14. nu. 28. Crouse. ad cap. 7. reg. 5. Fran. sect. 20. fol. 688. Fagund. prac. l. 2. cap. 5. nu. 53.* & infrà verb. *Scandalum, num. 9 §. 15.*

An autem indignè petenti Sacramenta possint administrari? Responsio est negatiua, quia hoc esset cooperari peccato alterius: sed quia indignè petens sacramentum potest esse vel peccator publicus, vel occultus, & petit publicè, aut occultè, ideò.

Dico *primò*. Peccatori publico de cuius delicto constat in iudicio, vel quia commissum est in præsentia multorum, ita vt non possit vllam tergiuersatione celari, non sunt administranda sacramenta, siue publicè petat, siue occultè: quia sacerdoti commissa est administratio sacramentorum, tanquam seruo prudenti, & fideli; qui autem indigno sacramenta administrat, non se habet vt seruus fidelis, & prudens, atque adeò ex præcepto illi impositio, tenetur nullo modo sacramenta administrare indigno.

Dico *secundò*. Peccatori occulto administranda sunt sacramenta, si publicè petat, non tamen quando petit occultè. Probatur prior pars exemplo Christi Domini, qui non denegauit Sacramentum Iudæ, esset enim eum infamare, ex quo magna perturbatio, & scandalum oriretur in populo. Secunda pars probatur ex rationibus adductis, quam limita, modò peccator non sit cognitus solum in confessione, ob id enim non debet expelli à Sacramentis, propter peccatum occultum tantùm in confessione cognitum, esset enim vti scientia confessionis, quod illicitum est vt diximus supra *ver. Eucharistia 2. n. 10. et 11.* Autores vide ibi citatos.

SACRAMENTVM IV.

De effectibus Sacramentorum.

SVMMARIVM.

1. *Duplex recensetur effectus Sacramentorum.*
2. *An omnia sacramenta noua legis conferant gratiam ex opere operato?*
3. *Qua sacramenta dicantur mortuorum, quæ viuorum?*
4. *Qua intentio seu voluntas requiratur in adultis ad valorem sacramenti?*
5. *Qua dispositio requiratur ad consequendam primam gratiam in sacramentis.*
6. *An idem sacramentum conferat æqualem vel maiorem gratiam subiecto æquè vel melius disposito?*
7. *An gratia qua confertur in sacramentis sit eiusdem speciei?*
8. *An sacramenta sint causa moralis vel physica gratiæ?* refertur duplex sententia.
9. *An sacramenta gratiam immediatè producant?*
10. *An aliquando Sacramenta causent gratiam ante illorum susceptionem, vel post?*
11. *An omnia Sacramenta conferant gratiam recedenti fictione?*

1. CVm *duplex* in vniuersum sit sacramentorum effectus, *primus* communis omnibus, & præcipuus qui dicitur gratia, quæ nihil aliud est quàm donum quoddam supernaturale, quo efficimur Deo grati, quod donum est qualitas quædam inhærens in anima, per quam fit iusta coram Deo, ideòque digna vita æterna, quæ gratia dicitur iustificans. *Secundarius* effectus, aliquorum tantùm Sacramentorum proprius, & minùs principalis, est character, de quo suo loco actum est. *Notandum* tamen est gratiam dupliciter conferri posse, *primò*, ex opere operantis, *secundò*, ex opere operato; tunc dicitur gratia conferri ex opere operantis secundùm Theologos, quando confertur solùm propter meritum, & dispositionem suscipientis: tunc verò gratia confertur ex opere operato, quando confertur, non propter solam dispositionem suscipientis, sed propter aliquid aliud externum institutum à Deo ad conferendum gratiam vltra meritum, & dispositionem operantis *D. Th. hom. 3. part. quæst. 62. 63. Reginald. lib. 26. num. 46. Tolet. l. 2. c. 16. nu. 7. Fil. tract. 1. c. 6. Sayr. l. 5. c. 1. art. 3.* & alij.

2. *De fide* est, omnia sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato; vt patet tum ex *Concil. Trident. sess. 7. can. 7. & 8.* tum ex variis Scripturæ locis; vnde hæretici grauiter errant, dum

dum efficaciam gratiæ non tribuunt sacramentis, sed fidei: *præterea* sequitur, illum qui recipit sacramenta cùm iam sit in gratia Dei constitutus, recipere augmentum gratiæ: & nisi ponatur obex gratiam semper conferri suscipienti sacramenta nouæ legis; obicem verò ponit gratiam, qui suscipit Sacramenta sine debita dispositione, aut cum peccato mortali actualiter tunc commisso: *Præter* effectum autem gratiæ sanctificantis, qui omnibus sacramentis communis est, in singulis sacramentis dantur specialia auxilia gratiæ actualis, proportionata fini illi ob quem sacramenta singula instituta sunt: hinc *triplicem* gratiam conferunt sacramenta. *Prima* dicitur iustificans, & habitualis. *Secunda* dicitur gratia virtutum, & donorum, vt fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, iustitia, &c. *Tertia* dicitur gratia sacramentalis, quæ in singulis sacramentis est distincta, cùm per hanc ordinentur ad distinctos fines. Ita D. Thomas, *c. quæstion 62. artic. 1. Victoria, de sacrament. num. 6. Filliuc. tract. 1. num. 92. Layman libro 5. tract. 1. c. 6. Suar. disp. 3. sect. 3. Sylu. 3. p. q. 62. art. 1. quæst. 2.*

3. *Quædam sacramenta* per se instituta sunt ad tollenda peccata mortalia, adeoque ad hominem iustificandum seu gratiam primam conferendam ex opere operato, videlicet, baptismus, & pœnitentia, quæ proinde sacramenta mortuorum appellari solent à Theologis; *Suares d. s. 7. sect. 4. & disp. 63. sect. 1. Regin. lib. 26. num. 45. Henriq. c. 12. n. 2. Laym. cit. capit. 6. numer. 2. Bonacin. disp. 1 quæst. 4. part. 2. num. 2. Sylu. 3. par. quæst. 62. artic. 1. quæst. 1. Dian. p. 5. tract. 13. resol. 31. reliqua* verò sacramenta viuorum sunt, idest, per se instituta pro iustificatis ad iustitiæ augmentum, seu gratiam secundam conferendam ex opere operato: verumtamen sicuti sacramenta, quæ per se ad homines iustificando instituta sunt, si inueniant subiectum antea iustificatum, conferunt illi gratiam secundam, seu gratiæ augmentum, cùm nihil omninò obstet ex parte subiecti, ita similiter sacramenta quæ per se instituta sunt ad augendam gratiam sanctificantem, si in subiecto gratiam primam non inueniant, operantur, & conferunt illam, modò in suscipiente nullus obex iustificationis sit. *Coninc. de sacrament. quæst. 62. art. 1. dub. 2.* Et hæc sententia est magis pia ostendens liberalitatem, & misericordiam Dei, afferèns que secum conscientiæ pacem, & tranquillitatem. Vnde si quis, dum existit in peccato mortali, bona fide recipiat sacramento Eucharistiæ, vel Extremæ vnctionis, &c. credens se esse in gratia, non peccat, neque ponit obicem actualem ad gratiam: ergo recipit gratiam; nam sacramenta infallibiliter conferunt gratiam non ponenti obicem, vt patet ex Concil. Tridentino: *sess. 7. can. 7* gratia autem, qua hic recipit, non est secunda gratia, sed prima. Tum quia peccatum non est obex, nisi quatenus est in conscientia seu notitia peccatoris. Proinde si iustus accedat ad hæc sacramenta cum putata conscientia peccati, ponit obicē, & gratiam nō recipiet, ergo e cōtrario, si peccator accedat cū putata cōscientia cōtritionis non ponit obicē, & gratiā recipiet, quia moraliter fecit, quātum in se fuit. Nec tenetur ad maiorem diligentiam, quia non tenetur ad diligentiam per quam contritio re ipsa ponatur, sed per quam ponatur secūdùm probabilē cōscientiā, & notitiā peccatoris: nā hæc est diligentia moralis ad quam tantùm tenetur peccator, ne obicem ponat sacramento.

4. *Ad valorem*, sacramenti requiritur *in adultis*, suscipiendi propria voluntas seu intentio, saltem interpretatiua, quia per sacramenta homines initiantur, & consecrantur Deo, vt in eius Ecclesia, & cultu stabiles perseuerent; ergo valde congruum est, vt proprium consensum afferant, si eius capaces sint, videlicet adulti, *at vero paruuli*, & perpetuò amentes, cùm propriam voluntatem afferre non possint, sacramenta suscipiunt in fide ac voluntate Ecclesiæ ac Christi, ne si sacramentorum incapaces sint, omninò pereant. Vide D. Thomam 3. *part. q. 68. art. 7. Sylueſt. ibid. Scot. in 4 dist. 4. quæst. 4. D. Bonauent. ibid. artic. 2. quæstion. 1. Dian. part. 5. tract. 13. resolut. 32.* In omnibus tamen sacramentis non requiritur æquè expressa voluntas in adultis: nam ad baptismum, pœnitentiam, ordinem, & matrimonium, necessaria est voluntas actualis non quidem in ipsa susceptione; (nam tunc sufficit habitualis seu interpretatiua, vt si quis dormiens vel amens baptizetur) sed vt antè præcesserit, & non fuerit retractata: Eadem requiritur in sacramento Eucharistiæ: nam quamuis sine vlla voluntate, aut etiam cum repugnantia voluntatis sumi possit: illa tamen sumptio non est sacramentalis, sed materialis tantùm; nec vllum habet effectum supernaturalem. Cæterùm in Extrema vnctione videtur sufficere voluntas interpretatiua, qua videlicet vnusquisque fidelis pœnitens aō bene dispositus, vult frui omnibus sacramentis ad suam salutem à Christo institutis: hæc enim voluntas generalis acceptatur ab Ecclesia, vt si expressè petere non possit, censeatur sufficienter dispositus ad sacramentum suscipiendum. Vtrum autem talis voluntas sufficiat ad sacramentum Confirmationis quæri potest? & verius videtur non sufficere, quia imprimit characterem, & continet professionem quandam fidei Christianæ.

Petes an præter hanc intentionem, aliquid aliud necessarium sit vt sacramentum sit validum? Resp. nihil; quia vt contra hæreticos docent Catholici, nec prædestinatio requiritur, nec iustitia, nec pœnitentia, nec fides. Excipitur tamen sacramentum pœnitentiæ, in quo, quia est iudicium quoddam, hoc peculiare est, vt dispositio suscipientis, sit substantialis pars sacramenti, vt supra ostensum est.

5. Ad consequendam primam gratiam in Sacramentis, videlicet baptismi, aut pœnitentiæ, requiritur in adultis, *Concil. Trident. sess. 6. capit. 6. & sess. 14. cap. 4. Suarez dis. 7. sect. 4. Coninc. q. 62. artic. 1. dub. 1. Bonacin. cit. quæst. 4. part. 2. num. 4. Soto de sacramen. in genere lect. 9. duplex dispositio*; *vna* in intellectu, *altera* in voluntate: *in intellectu*, requiritur fides, cùm sine fide impossibile sit placere Deo. *In voluntate*, requiritur attritio, seu dolor animi ex motiuo supernaturali susceptus de peccatis. Iusti verò ad consequendum gratiæ augmentum in sacramentis, quæ viuorum sunt, præter suscipiendi voluntatem, alia bona dispositione necessariò non indigent: quia sacramenta ex opere operato conferunt effectum gratiæ non ponentibus obicem. *Notandum* autem est, eos, qui accedunt ad suspiendam Eucharistiam vel alia sacramenta, credentes se in gratia existere, cum verè sint in peccato mortali, debere actum attritionis elicere, vt primam gratiam recipiant, & iustificentur; quæ attritio vniuersaliter cadat super omnia peccata, si ea nunquam sint retractata. Ratio est, quia, vt suppono, peccatum remitti non potest sine proprio actu peccatoris; ergo si ea nunquam fuerint retractata, vt possint virtute sacramenti remitti requiritur attritio, quæ saltem sub generali ratione peccati illa retractet. Si autem illa sint aliquando retractata, & postea inculpabiliter oblita, talis attritio non requiritur, sed sufficit bona fide ad sacramentum accedere cum conscientia status gratiæ: Nam hæc attritio non requiritur vt materia sacramenti, quo pacto requiritur in sacramento pœnitentiæ, cuius absolutio cadere debet supra peccata confessa, & detestata, sed vt conditio sine qua gratia infundi, & peccatum remitti non posset: ergo si semel illa fuerint detestata, sufficit, vt per gratiam virtute sacramenti causatam remitti possint.

6. *Idem sacramentum*, confert æqualem effectum in subiecto æquè disposito, quia vnumquodque sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promissione diuina; ergo si ex parte suscipientis sit æqualitas, etiam effectus erit æqualis; *D. Thom. q. 69. art. 8. Graff. 2. part. lib. 1. cap. 4. num. 13. Henriq. libro 1. cap 14. n. 1. Laym. c. cap. 6. n. 6.* vnde sequitur, secundum legem ordinariam ex sola Dei voluntate non augeri effectum sacramenti, si par fit dispositio; nec merita parentum aut ministrorum possunt impetrare augmentum gratiæ in altero, sine ipsius actu, & dispositione, sed tantùm bonum motum, quo se ad illam disponat. *Suares disp. 7. sect. 5. Filliuc. c. numero 97. Idem tamen sacramentum*, in subiecto melius disposito, confert maiorem gratiam: quia agens naturale inæqualiter operatur in subiecto inæqualiter disposito, ergo etiam sacramentum. An autem magis dispositus recipiat maiorem gratiam non solùm ex opere operato, & ex vi sacramenti, verùm etiam ex vi dispositionis præcisè, *Sot. 4. dis. 6. quæst. 1 art. 6. Bonac. c. part. 3 numer. 3. Suar. c. concl. 3.* dicendum est, si dispositiones illæ sufficiant extra sacramentum, vt est contritio, & amor Dei super omnia, magis dispositus recipit ex vi dispositionum aliquam gratiam præter sacramentalem: Si verò dispositio non sit sufficiens ad obtinendam gratiam extra sacramentum, vt est attritio, non recipitur maior gratia ex vi illius dispositionis præcisè vltra sacramentalem.

7. Gratia quæ confertur in Sacramentis, non est diuersa *essentialiter*, sed est eiusdem speciei in omnibus sacramentis: *accidentaliter* tamen est diuersa: & hæc diuersitas accidentalis gratiæ sacramentorum, consistit in diuersis auxilijs, quæ comitantur gratiam habitualem, vt obtineatur finis, ad quem Sacramentum est ordinatum, sicut enim in quolibet sacramento intenditur finis particularis; sic per quodlibet sacramentum conferuntur auxilia specialia ad consequendum ipsius finem. D. Thomas, *quæst. 62. artic. 2. Reginald. lib. 26. numer. 47. Suares disput. 7. sect. 3. Valentia tom. 4. disp. 3. quæst. 3. punct. 2.* & alij. Varietas enim sacramentorum ordinatur ad varios effectus pro lucendos, alioquin ad vnum effectū, sufficeret vnum sacramentum: sed gratia

habitualis, quæ per omnia sacramenta conferitur, vniformis est; ergo præter hanc, debet dari alia gratia, quæ respondeat singulis sacramentis; non apparet autem alia, nisi auxilium speciale, ad finem cuiusque sacramenti consequendum: de quibus agimus suis locis.

8. Secundùm probabiliorem Doctorum sententiam, sacramenta sunt causa moralis instrumentalis gratiæ; quia illa est causa moralis instrumentalis; cuius intuitu causa physica aliquid producit, sed Deus intuitu Sacramentorum repræsentantium merita Christi producit gratiam, ergo. Tum quia Patres, concilia, & scripturæ testantur, sacramenta esse veras causas gratiæ: atqui ad hoc saluandum sufficit causalitas moralis: ergo non est ponenda physica: quia superflua est physica, vbi sufficit moralis: non enim minùs scripturæ docent Passionem Christi esse causam nostræ salutis, quam sacramenta gratiæ: sed passio & sanguis Christi non sunt physica, sed moralis causa nostræ salutis; ergo nec sacramenta gratiæ: quia quod non est, non potest physicè causare: atqui passio & sanguis Christi effusus, quo pacto est causa nostræ salutis, nunc non est; ergo non potest illam physicè causare, Ita *D. Bonauent. in 4. dist. 1. artic. 4. quæst. 2. Scot. ibidem. dist. 1. quæst. 5. Alensis 4. part. quæst. 5. membr. 3. art. 5. §. 3. Coninck quæst. 62. art. 4. Valent. 1. punct. 1. Sayr. lib. 5. cap. 3. art. 2. 3.* & alij. Probabile etiam est sacramenta ad modum causæ physicæ esse causas gratiæ; quia non implicat tribuere sacramentis talem efficientiam, & id redundat in maiorem Christi gloriam, & honorem sacramentorum, ergo de facto tribuenda est, quia probabile est humanitatem Christi esse causam physicam, tanquam instrumentum coniunctum: quare congruè Sacramenta esse poterunt instrumentum separatum gratiæ. D. Thom. 3. *par. q. 62. artic. 3 & 4. Suares disput. 9. sect. 2. Henriq. libr. 1. cap. 16. num. 4. Bonacin. c. punct. 6. num. 3. Syluius 3. p. in quæst. 62 art. 1. quæst. 3.* & alij.

9. Cum sacramenta contineant, & conferant gratiam, hinc illam producunt immediatè; gratia verò quæ producitur per sacramenta, dicitur educi de potentia animæ; quia in esse, & fieri dependet ab anima, tanquam à causa materiali, cùm accidens non possit esse realiter sine subiecto, subiectum verò gratiæ, sit anima. D. Thomas, *cit. quæst. 62. artic. 3.* Syluius *ibid. Suar. disput. 9. sect. 1. Henriq. libro primo cap. 17. Becanus 2 par. tract. 4. capit. 3. quæst. 6.*

10. *Sacramenta* numquam causant gratiam ante susceptionem illorum, quia non est facta promissio effectus sacramenti, nisi reali susceptioni ipsius: nec obstat quòd baptismus in voto receptus delet originale peccatum, & infundit gratiam: idem est de pœnitentia recepta in eius voto: gratia enim quæ tunc recipitur, non est effectus ex opere operato illorum Sacramentorum, sed contritionis, & dispositionis ipsius operantis. Alensis *Sot. Ledesma apud Suar. disp. 8. sect. 1. & 2. Henriq. libr. 1. cap 19. Sylu. c. quæst. 3. in fin.* Vnde si quis putet se contritum, & tantùm attritus sit, nihil illi proderit votum sacramenti ad perfectam iustitiam consequendam, nisi realiter sacramentum applicetur; quod signum est, totum illum effectum respondere dispositioni operantis, quamuis habeat similitudinem cum effectu sacramentali: quemadmodum dicimus effectum ignis, id est, calorem, frequenter prouenire à Sole, propter similitudinem vtriusque effectus. Notandum autem est, non omnem effectum sacramentalem posse obtineri ex vi voti ipsius, etiam modo iam explicato; nam character, v. g. numquam sic imprimitur; nec obtinetur remissio omnis pœnæ, sine condigna satisfactione, & fortassis aliquid genus auxilij, datur per sacramenta realiter suscepta, quod sine illis numquam conferetur. *Causant* ergo sacramenta, quæ consistunt in vsu gratiam, quando sunt in esse completo sacramenti, id est, in eo instanti intrinseco, in quo materia, & forma habent perfectam significationem, quia causa efficax statim atque est, operatur, si ex parte effectus non sit repugnantia aut ex parte subiecti: at sacramenta sunt causa efficax, & ex parte gratiæ non repugnat statim fieri. *Coninc. quæst. 62. artic. 1. dub. 4. nu. 62. Filiuc. tract. 1. cap. 6. quæst. 6. Bonac. de quæst. 4. punct. 7.* Porrò, in tempore subsequente sacramenta non conferunt effectum suum, nisi quando fictè suscepta fuissent: quædam enim sacramenta conferunt suos effectus, postquam suscepta sunt, remoto obice, qui erat tempore susceptionis, quia quædam ex illis habent peculiares quosdam effectus, & iterari non possunt: dixi *remoto obice*, quia si sacramentum dum suscipitur, suum effectum conferat, certum est postea non conferre alium similem: quia tantùm ordinatur ad vnum adæquatum effectum gratiæ conferendum, excepto auxilio actuali, quod pro opportunitate, & hominis præparatione sæpius datur. Sed quia magna est concertatio inter Doctores, an omnibus sacramentis hoc conueniat, an quibusdam tantùm, & quæ sint illa, ideò sequentem resolutionem ponimus.

11. Non est improbabile, commune esse baptismo, Confirmationi, & Ordini, habere effectum gratiæ sanctificantis, recedente fictione: quia cum hæc sacramenta secundùm se iterabilia sint, illorum effectus alioquin non posset vmquam haberi ab illis, qui ficti erant, cùm ea susciperent. Ita *Maior in 4. dist. 4. quæst. 4. Paluel ibid. quæst. 5. Gabr. dist. 17. quæst. 1. art. 3. Syluest. ver. baptismus 4. quæst. 17. Syl. 3. par. quæst. 69. artic. 10. q. 2. Scot. 4. dist. 6. q. 1. art. 8.* licet hoc priuilegium ad solum sacramentum baptismi restringat. Immo nonnulli Doctores hoc concedunt etiam reliquis sacramentis, quorum sententiam libenter amplectitur *Diana p. 3. tr. 4. resol. 14.* quia multum extollit, & amplificat dignitatem sacramentorum. Ita *Caiet. tom. 1. opusc. tract. 5. q. 5. Cabrera 3 part q. 69. art. 10. disput. 4. numer. 9.* ex parte, qui negatiuam sententiam docent quoad sacramentum Eucharistiæ. De hac quæstione iterum *Diana part. 5. tract. 13. resol. 30.*

Et quidem valde probabile est, de sacramento extremæ vnctionis, & matrimonij, quæ licet sint sacramenta iterabilia, non tamen frequentabilia: nam matrimonium non potest iterari viuente coniuge: nec extrema vnctio in eadem ægritudine, eodemque ægritudinis statu Suar. 3. *par. tom. 3. disp. 63. sect. 8. Casp. tract. 21. disp. 6. num. 11.* Durum autem est negare in perpetuum coniugibus, & vltimo vnctis gratiam sacramentalem, quando in peccato mortali, ea sacramenta susceperunt: nam ea gratia est illis valde necessaria, vel ad onera matrimonij leuius ferenda, vel ad resistendum diabolo in vltimo isto conflictu, ergo, &c.

Dices, ergo si obex non tollatur, nisi soluto matrimonio aut post sanitatem recuperatam, nihil conferetur vi sacramenti, quia cessat illa necessitas, in qua illi erant ratione status. Respon. esse argumentum valde probabile, nec vllum est incommodum hoc admittere, præsertim si sola necessitas status, putetur esse causa conferendæ huius gratiæ. An autem alio titulo possit illa gratia conferri incertum est.

Item verisimile est, & probabile confessionem informem remoto obice habere suum effectum, vt supra diximus *verb. Confessio Sacramentalis VI. num. 9* nam sicut peccata mortalia, ante baptismum commissa, non possunt nisi per baptismum remitti; ita peccata mortalia postea commissa, non remittuntur nisi per confessionem informem, & non per confessionem sequentem; quia non est necesse, illa peccata rursum confiteri: ergo ex vi confessionis præcedentis. Hæc sententia est communiter recepta in scholà D. Thom vt asserit *Diana par. 2. tract. 17. resolut. 31. & par. 3. tract. 4. resol. 65.* Ratio horum omnium est, quod sicut gratia prius collata per sacramentum, & deinde per peccatum amissa, postea per pœnitentiam reparatur, quia ad illum effectum, iam semel fuerunt applicata Christi merita, quæ semper manent in diuina acceptatione: ita etiam gratia, quæ danda erat per sacramentum, nisi inuenisset obicem, redit postea, ablato impedimento, quia merita Christi suo modo fuerunt applicata, & acceptata à Deo, ad illum effectum.

Hoc tamen intelligendum est iuxta rationem, & necessitatem cuiusque sacramenti: nam non est verisimile hoc esse tribuendum Sacramento Eucharistiæ, alioquin sacerdos perditus, qui quotidie indignè communicat, per vnum actum pœnitentiæ in fine vitæ, consequeretur omnem gratiam, quam ex opere operato obtinuisset, si semper dignè communicasset. Quamuis contraria sententia *Caietani*, & aliorum sit etiam probabilis, saltem ob authoritatem & ex principio extrinseco.

Vide in particulari de sacramentis v. *Baptismus*, *Confirmatio*, *Confessio*, *Pœnitentia*, *Eucharistia*, *Extrema Vnctio*, *Ordo*, *Matrimonium*.

SACRILEGIVM I.

De Sacrilegio extra genus luxuriæ.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit sacrilegium?*
2. *An sint species sacrilegij.*
3. *Quot modis sacrilegium contra personam contingere possit?*
4. *De secunda specie sacrilegij quæ sit contra sanctitatem loci sacri? & qui dicatur locus sacer?*

5. Qua

5. *Quæ iure prohibeantur fieri in loco sacro?*
6. *Quibus actibus polluatur Ecclesia?*
7. *Notanda quedam circa sepulturam excommunicati, & hæretici, & non baptizati?*
8. *An polluta Ecclesia censeatur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum? Et quis possit ecclesiam polluram reconciliare.*
9. *Qui actus forenses prohibeantur fieri in Ecclesia?*
10. *An sit sacrilegium Ecclesiam infringere, aut suis bonis spoliare? Contra effringentes, & spoliantes Ecclesias est excommunicatio à iure lata.*
11. *De sacrilegio quod fit per abusum sacramentorum, & profanationem aliarum rerum sacrarum.*

1. SAcrilegium, dicitur à sacris legendis, id est furandis, vnde primò videtur impositum ad significandum furtum rei sacræ, postea tamen extensum est ad significandam omnem iniuriam vel violationem rei sacræ, rectè ergo Sacrilegium definitur. *Violatio rei sacræ*. *Res sacra* vocatur quæ ad cultum Dei peculiari modo dedicata est; hæc dicitur violari, quando indignè seu contra reuerentiam Deo in rebus ipsi dicatis debitam tractatur, *Suar. lib.3. de sacrileg. cap.1. Less. lib.2. cap.45. nu.6.* Laym. *lib.4. tract.10. cap.7. D. Thom.2.2.q.99. art.1.* Sylu. *ibid.*

2. *Diuus Thomas*, pro diuersitate rerum sactarum seu Deo dicatarum, *tres species* sacrilegij distinguit, *vnam* contra personas sactas, *alteram* contra loca sacra, *tertiam* contra res alias sacras; & nullum est sacrilegium, quod ad tria hæc reduci non possit, & species hæ sufficientem distinctionem habent in ratione sacrilegij, & sub illis nihil includitur, quod rationem sacrilegij non habeat. *D. Thom. c. art.3.* Sylu. *ibid. Major. 1. par. lib. 9. c. 27. Filliuc. tract. 24. num. 222. Bonacin. tom. 2. disp. 3. quæst. 6. p. vnic. Reginald. lib. 19. num. 57. Less. c. dub. 3. Nauar. cap. 27. nu. 98.* Nomine *personarum sacrarum*, veniunt Clerici, & religiosi, siue sint professi siue non. Nomine *locorum sacrorum* veniunt, templum auctoritate Episcopi consecratum, monasteria, hospitalia, & alia loca per Episcopum consecrata. Nomine *rerum*, veniunt sacramenta, vasa sacra, vestes sacræ, & alia, quæ significant res sacras: ideò committitur sacrilegium, violando ea quæ vel significant sacra, vt sunt verba sacra; vel repræsentant sacra, vt sunt imagines Christi, & sanctorum; vel adhibentur tamquam instrumenta in sacris administrandis, vt sunt calices: vel efficiunt sanctitatem, vt sunt Sacramenta.

3. *Sacrilegium* contra personam quatuor modis contingere potest. *C. si quis suadente, 17. quæst. 4.* Suar. *c. cap. 2. num. 4. 5. Bonac. c. num. 3. Primò*, inferendo manus violentas in clericum vel religiosum, aduersus priuilegium canonis, quod ex motiuo virtutis religionis Ecclesiasticis, atque Deo sacratis personis concessum est; malitia autem huius sacrilegij primariò oritur ex prohibitione Ecclesiæ intuitu religionis, vnde etiam sublata excommunicatione, remanente prohibitione, adhuc esset sacrilegium. *Filliuc. cit. num. 227. 228. Laym. c. cap. 7. numer. 3. Less. c. num. 12. Bonac. c. nu. 3. secundò* committitur sacrilegium, personas Ecclesiasticas subijciendo fori sæcularis iudicio, aduersus priuilegium exemptionis illarum, & hoc sacrilegium diuersum est à percussione, vnde si iudex tamquam priuata persona feriat clericum, vel tamquam iudex illum violenter detineat, non satisfaceret confessioni dicendo generaliter se manus violentas in clericum iniecisse, sed debet exprimere, se id fecisse iurisdictionem exercendo, quæ iniuria longè diuersa est, ideòque multiplicantur censuræ, *C. non minus de immunitat. Filliuc. c. num. 230. Laym. cit. num. 3. Less. c. num. 12. Tertio* est sacrilegium per impositionem tributi exigere temporalia bona à clericis iniustè: quia fit contra immunitatem aliquam clericis concessam, fiet ergo peculiaris iniuria, & consequenter erit species distincta sacrilegij. *Quartò*, Luxuriosè violando corpus personæ Deo sacratæ per votum continentiæ perpetuæ: quod intelligendum est, tam de persona, quæ aduersus proprium votum fornicatur, quam de altera, quæ illam violat, seu turpitudinis complex est. Ita D. Thom. *c. quæstion. 99. artic. 3.* Sylvest. *v. sacrilegium*.

4. Ad *secundam speciem* sacrilegij pertinent omnia quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri: locus sacer censetur ille, qui publica auctoritate deputatus est ad sacrificium Missæ, vel alia Ecclesiæ sacramenta, aut diuina officia peragenda, tametsi necdum consecratus aut benedictus sit priuata autem oratoria non consecrata, nec benedicta, aut eremitoria, inter loca sacra numerari non debent, tametsi Episcopus licentiam dederit Missæ sacrificium in ijs celebrandi, qua propter neque ecclesiastica immunitate talia priuata oratoria gaudent. Sylvest. *v. immunitas 1. q. 1. Suar. c. d. 3. c. 4.* Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 15. quæst. 3. numer. 39.* *Notandum* tamen est, locum sacrum latiùs patere quàm Ecclesiam: nam locus sacer seu religiosus censetur quicumque ad vsum pium, ac religiosum publicè destinatus, ac veluti Deo dicatus est, ideò que vsibus profanis deputari amplius non potest, vnde loci sacris seu religiosis annumerantur etiam monasteria, & xenodochia Episcopi authoritate erecta. Ecclesia verò appellatur locus, qui ab Episcopo consecratus, aut alia ratione, verbi gratia, crucis erectione deputatus est ad publica officia diuina, & sacramentorum vsum. Secundùm verò extensionem priuilegiorum nomine Ecclesiæ in fauorabilibus, veniunt etiam monasteria, xenodochia, & alia pia loca. Laym. *lib.4. tract 10. c.7. num.6. Couar. 2. resolut. cap.20. num.4.* & *à verb. Ecclesia, num.1.* Sylvestr. *v. Hospitale. num.4.*

5. *Sacrilegium* committitur quoties fit id, quod iure prohibetur in loco sacro seu in Ecclesia. *Prohibita* autem, ad tria capita reuocari possunt. *Primum* est, facere actum in ea quo ipsa polluitur, *secundum* vti Ecclesia tanquam communi, & vulgari loco ad actum profanum in ea exercendum. *Tertium* violare immunitatem loci sacri, Suares, *libr.3. capitul.4. Filliucius citat. nu.235.*

6. Ad *primum caput*, reuocantur quinque actus prohibiti in Ecclesia, quibus ipsa polluitur. *Cod. proposuisti, de consecrat. Cod. vnic. de consec. in 6. Cod. consuluisti de consecr. Cod. Ecclesiam, de consecr. dis. 1.* Sylu. *3. par. quæst. 83. art. 3. quæst. 1. Primus*, est, occisio hominis, quæ sit culpabilis, siue sit voluntaria, siue casualis. *Secundus* est, effusio humani sanguinis, potest enim esse effusio absque homicidio, & hoc sine illa, vt si suffocetur homo. *Tertius* est, effusio humani seminis. *Quartus*, sepultura excommunicati vitandi. *Quintus*, sepultura non baptizati. Quoad primum est dicendum, vt homicidium Ecclesiam violet, debet esse voluntarium, & iniuriosum, & intra ipsam Ecclesiam patratum, & consumatum. Hinc excluditur homicidium casuale, inuoluntarium, supra Ecclesiæ tectum, vel circa ipsius parietes factum. violaretur autem Ecclesia per mortem rei in Ecclesia à Iudice executioni datam, quia talis mors non solùm est iniuriosa Ecclesiæ, sed etiam reo, qui ius habet in tali loco non interfici. *Reginald. lib. 29 num. 180.* Suar. *3 par cit. dis. 81. sect 4. de Euchar. Graff. lib. 2. cap. 48. num. 24. & 25. Cominc. quæst 83. art. 3. dub. 1.* Quoad secundum attinet, debet sanguinis effusio esse iniuriosa, vnde si fiat ad sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ vel ab amente, vel à furioso, vel à puero vsum rationis nondum attingente, vel casu à regula cadente, non polluitur Ecclesia, quia effusio proprie non est iniuriosa. *Præterea* requiritur aliqua sanguinis abundantia, & non sufficiunt duæ vel tres guttæ, immò secundum *Graffium, & Cominchum*, non sufficit emissio sanguinis è naso, vt accidit in rixa puerorum, & aliorum, saltem quando non sufficit ad peccatum mortale. Imò etiamsi effusio sanguinis sit lethifera, seu grauis, & in magna quantitate: quia nasus est organum sanguinis facilè ab hac parte fluentis. Ita *Fagundes, Sa, Marchinus*, & alij citati à Diana *par. 6. tract. 6. resol. 24.* Polluitur etiam Ecclesia si vulnus fiat in ipsa, & effunditur sanguis extra, è contra non polluereretur, quando aliquis vulneratur extra Ecclesiam, & postea sanguinem fundit in illa. Imò nec sacrilegium est, nec violatur Ecclesia, quando aliquis in illa existens, telo, vel sclopeto, vel armis missilib. vulnerat, percutit, vel confodit eum, qui est extra illam & cœmeterium illius, nec circumstantia sacrilegij tunc confitenda est, cùm reuera tale sacrilegium non detur; quia non consummatur peccatum, nec actio occisionis, aut vulnerationis in loco sacro, sed extra illum: sic qui existens in Ecclesia, & deliberato consensu intendit aliquem occidere extra illam, non committit sacrilegium; secus si existens extra Ecclesiam in illa desideraret occidere, vt diximus suprà *ver. Circumstantia, numer. 8.*

Nec etiam sacrilegium est, si vnum occidas, aut vulneres in loco sacro, quem nec formaliter, nec virtualiter intendebas occidere vel vulnerare, intendendo tamen alium: quia mors & occisio respectu illius fuit inuoluntaria omnino & sine peccato & merè casualis: vnde talis nec irregularitatem *c. si quis, de homicid. voluntar.* incurret, vt communiter hodie docetur in materia irregularitatis & notant Suares, *de censur. disput. 22. sect. 1. Fagund. præcept. 2. lib. 4. cap. 4. num. 15.* Quoad *tertium* actum, scilicet effusionem seminis humani, dicemus infra.

7. Quoad *quartum*, notandum est, quando sepelitur excommunicatus vitandus, illius ossa proijcienda esse e loco sacro, modò dignosci possint ab ossibus fidelium. *Bonacina de matrim. disp. 4. punct. vlt. num. 22.* Circa *quintum* est aduertendum Ecclesiam

fiam non polluì, quando in ea Catechumenus ſepelitur ante ſuſceptum baptiſmum, nam præſumitur deceſſiſſe cum baptiſmo flaminis. *Sayr.l.5.c.16.nn.24. & 26. Perrò* filius poteſt ſepeliri cum matre, quæ moritur in partu vna cum filio, antequam filius ſuſceperit baptiſmum; tunc enim filius cenſetur pars matris. Vt docet *Syluius* citatus ſupra: ſecus ſi ſit natus & non baptizatus.

8 *Polluta Eccleſia* cenſetur etiam pollutum cœmeterium illi contiguum; quia cœmeterium conſecratum gaudet eodem priuilegio, quo Eccleſia, & eſt acceſſorium Eccleſiæ; acceſſorium autem ſequitur principale: & nobilius trahit ad ſe minus nobile. Polluto verò cœmeterio, non cenſetur polluta Eccleſia, quia minus nobile nõ trahit nobilius. Aduertendum autem eſt diſcrimen inter eccleſiæ pollutionem, & execrationem. *Cod.vnic.de conſecrat.in 6. Henriq.lib.9.cap.27.num.5. Sayr. c.num.18. Comit. c.num.234.* Nam polluta eccleſia, polluuntur etiam altaria omnia, quæ in ea fixa ſunt: quemadmodum & vice verſa altare pollui non poteſt, quin etiam corpus eccleſiæ violatum cenſeatur. At verò ſi eccleſia execretur, combuſtis, aut corruentibus parietibus, vt denuò conſecrari debeat, non ideò etiam altaria conſecratione, vel reconciliatione aliqua indigent: ſicuti, & vice verſa altare per fractionem enormem execratur ſeu conſecrationem amittit, ſine execratione ipſius Eccleſiæ. Ita *Syluester, Nauar. Toletus apud Syluium c.v.Altare, quæſt.11.* Polluta autem, ſeu violata Eccleſia, non cenſetur altare portatile pollutum, quia non videtur habere tantam connexionem cum Eccleſia, ſicut altare fixum. Lezana *tom.3.v.Altare, n.22.*

Quis autem poſſit Eccleſiam violatam reconciliare? Reſpondendum eſt, quòd Eccleſiæ pollutæ reconciliatio fieri debet, vel per Epiſcopum, ſi Eccleſia erat conſecrata; vel etiam per ſimplicem presbyterum, ſi tantùm benedicta. An verò de licentia Epiſcopi poſsit ſimplex ſacerdos reconciliare Eccleſiam conſecratam? Affirmant Victor *de Sacram.q.99. Sa ver. Eccleſia num.20.* ſed negant communiter *Filliuc.tract 5.num.118. Henriq.libr.9. c.27.num.6. Graff.par.1.lib.2.cap.48.num.10. Miranda tom.2.q. 39.artic.8. Bonac.de matrim.q.4.par.vltim.nu.27. & 25.* cum Sylu. 3.p.q.83. *art.3.queſt.3.* in ſecunda & tertia editione *Diana p. 2. tract.1. Miſcell. reſol.6.* & probatur hæc ſententia *ex cap. Aqua de conſecrat. Eccleſ.* & ex Romano Rituali, iuſſu *Pauli V.* edito quod ſic habet. *Simplex ſacerdos tantùm ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ poteſt Eccleſiam ab Epiſcopo conſecratam reconciliare.* Vide v. *Benedictio n.10.*

Obſeruandum eſt, quòd tum demum Eccleſiæ cenſentur pollutæ, ita vt reconciliatione indigeant, quando cauſæ memoratæ ſunt publicæ, vel per euidentiam rei, vel per confeſſionem, aut probationem iuridicam: quamdiu autem ſunt occultæ, nulla opus eſt reconciliatione, ſecundum Syluium, Syluest. Nauar. & alios, vt dicetur infra v. *ſacrilegium 11. num.3.* Immo iuxta Fagundez *de præcept. Eccleſ.1.lib.3.cap.14.num.34.* aliqui ſatis probabiliter aſſerunt hoc ſufficere quamcumque notitiam delicti, nec Eccleſiam contendam eſſe polluram, donec Iudicis ſententia declaratum ſit Eccleſiam illam eſſe pollutam. Ratio eſt, quia illa pœna pollutionis Eccleſiæ, eſt veluti quædam cenſura, & inſtar cenſuræ requirit ſententiam Iudicis, nullus enim excommunicatus vitari debet, donec per ſententiã Iudicis declaretur, ac denuncietur cenſuram incurriſſe. Et hanc ſententiam probabilem etiam putat *Suar.3.par.tom.3.diſp.81.ſect.4.caſ.3.dub.2. & Sayr.lib.5.de cenſur.cap.16.num.1.* ait pollutionem, ſiue violationem Eccleſiæ eſſe ſimilem interdicto locali; Sed poſt Concilium Conſtantienſe nemo tenetur interdictum ſeruare, donec per Iudicis ſententiam interdicti cenſura publicè denunciata fuerit. Ergo, & cæter.

Notandum tamen eſt ſacerdotem celebrantem in Eccleſia polluta ante reconciliationem, non eſſe irregularem prout expreſsè determinatur in *cap. is qui, de ſentent. excomm. in 6.* Imò probabile eſt neque incurrere ſuſpenſionem ab ingreſſu Eccleſiæ, quia *cap. Epiſcoporum, de priuileg. in 6.* ſolùm loquitur de eo, qui celebrat, vel celebrare facit in locis interdictis: Ergo non debet extendi ad celebrantem in Eccleſia polluta: nam locus pollutus, ſeu violatus propriè non eſt interdictus, vt docent *Suar. c.§.penult. Sà v. Eccleſia numer.21. Lay.lib.5. tract.5.c.5.aſſert.2.* & alij contra *Nauar.in manual.cap.25.num.94. Syluest. verb.conſecratio 2.q.9.*

An autem quando quis celebrat in Eccleſia polluta, remaneat conſecrata? Reſpubl. ſententiam affirmatiuam eſſe probabilem, & tutam in praxi: tum propter Doctorum auctoritatem, tum etiam quia præſentia corporis Chriſti, dum in eccleſia Miſſa celebratur, reputanda eſt pro ſufficienti reconciliatione. Ita Zerola *in praxi Epiſcop.part.1. verb.polluitio Eccleſiæ, not.5.* & alij ſupra à me citati v. *Miſſa V.n.2. & v. Altare n.1.*

Ad *ſecundum* caput reducuntur tres actus forenſes prohibiti fieri in Eccleſia ob eius reuerentiam, *Codic. cum Eccleſia de immunit. Eccleſ. Cod. decet de immunit. in 6. Suar.c. lib.3. capit.5. n.7.* & ſunt. *Primo*, placitum, vbi de sãguinis effuſione & corporali pœna agitur. *Secundo*, Mercatus. *Tertio*, furtum, ſiue ſit rei ſacræ, ſiue non, ſiue ibi poſita ſit ſub cuſtodia, ſiue non: *Leſſ.libr.2. cap.45.num.14. Coninch.de pœnit. diſ.7. num.22.* Nonnulli tamen doctores aſſerunt non committi ſacrilegium accipiendo rem non ſacram de loco ſacro, modò res non ſit tradita Eccleſiæ in cuſtodiam vel pignus, vel alio modo: quorum ſententia probabilis reputatur ab *Azor.1.par. lib.9. cap.27. q.6. Dian.de circumſtant. reſol.27.* Sacrilegium tamen non committeretur ab eo, qui extra Eccleſiam ſurriperet Parocho gladium, vel quid aliud, quod Parochus non poſsidet nomine Eccleſiæ, ſecus dicendum de oblationibus factis Eccleſiæ. *Regnal.libr.19.num.56. Nauar. de orat.cap.5.num 30 Filliuc. tract.24. num.238. Præditis* actibus poſſunt adiungi alij verbi gratia ſeditio, cum qua coniunctæ eſſe ſolent conclamationes, & impetus: *item* Concilia ſæcularia & parlamenta: *item* vana, fœda & profana colloquia, & confabulationes: *item* conuiuia facere in Eccleſijs.

10. Ad *Tertium caput* reuocatur *primò* Eccleſiam infringere, aut ſuis bonis ſpoliare; & contra effringentes & ſpoliantes Eccleſias, conſtituta eſt pœna excommunicationis ipſo facto. *C. quiſquis, 17. queſt.4. Cod. conqueſti, de ſentent. excomm. Bonac.tom. 2.diſp.3.queſt.6.part.vnic.num.12* Non incurritur tamen hæc excommunicatio per alteram ſolum actionem, ſed per vtramque, nempe per fractionem & ſpoliationem. *ſecundò* in domibus Eccleſiarum non facere placita miniſtros ſæculares, neque hoſpitium ſibi vendicare. *C.1. de immun. Eccleſ. Cod. Ligna, de conſecrat diſ.1. C. diffinuit. C. miror. 17. queſt.4 Tertiò.* dirutæ Eccleſiæ non poſſe ad vſus profanos conuerti materiam eius. *Quartò*, delinquentes, qui ad illam confugiunt per vim extrahere, exceptis caſibus in iure permiſsis, vt videre eſt v. *Immunitas.*

11. Ad *Tertiam ſpeciem ſacrilegij* pertinent ea peccata: quibus aliæ res ſacræ temerantur, vt contingit *Primò*, abutendo ſacramentis vel ea indignè adminiſtrando & in peccato mortali, vel recipiendo vel conferendo indignis, vel alia ratione conculcando, proijciendo, &c. *ſecundò*, profanando vaſa ſacra, & ornamenta, vt calices, veſtes ſacras, &c. *Tertiò*, violando imagines quatenus vſurpantur ad cultum diuinum, vt faciunt hæretici. *Quartò*, abutendo ſententijs ſacræ Scripturæ ad ſuperſtitiones, ad facetias, ad amatoria, ad ſtabiliendas hæreſes: eodem pertinet muſica laſciua, vel profana rebus diuinis adhibita. *Quintò*, ſi reliquiæ ſanctorum indecorè habeantur, ſi diſsipentur eo animo ne colantur. *ſextò*, ſi dies ſacri operibus ſeruilibus vel alijs prohibitis violentur. *ſeptimò*, ſi decimæ, quæ ab Eccleſia conſecratæ ſunt in diuinum cultum, non ſoluantur. Vide D. Thom. *queſt.99. art. 3. Valent.3.part.diſp 6.queſt.15. Suar.c.cap.4. num.5. Laſſ. libr.2. cap.45.dub.3.nn.15. & ſeq. Filliuc.c.n.241.*

SACRILEGIVM II.

De Sacrilegio in materia luxuriæ.

SVMMARIVM.

1. *Quot modis hoc ſacrilegium poſſit contingere?*
2. *An qui eſt ſacerdos ſimul & religioſus duplex committat ſacrilegium peccans luxuria peccato?*
3. *An polluatur Eccleſia per actum coniugalem in caſu neceſſitatis in Eccleſia habitum?* refertur duplex ſententia.
4. *Quid nomine loci ſacri in hac materia intelligatur?*
5. *An ſacrilegium ex ſuo genere ſit peccatum mortale? & quando veniale?*
6. *An per deſiderium libidinoſum vel contactum turpem abſque pollutione in Eccleſia habitum, committatur ſacrilegium?*

1. SAcrilegium hoc *eſt peccatum Luxuriæ, quo perſona Deo dicata vel locus ſacer vel alia ſacra fœdatur per actum venereum*: hoc ſacrilegium fieri poteſt quinque modis. *D.Thom. 2.2.queſt.154.art.10. Azor.3.par.lib.3. cap.27.queſt.8. Leſſ.lib.4. cap.3.dub.12.num.84. Filliuc. tract.30. cap.7. num.122. Sylu.2.2. queſt.*

*quæſt.*154.*art.*10.*Primò*, ſi perſona ſacra in turpe opus externum vel etiam delectationem internam conſentiat, violat enim ſanctitatem ſuæ perſonæ,quæ in eo ſita eſt,quòd Deo per votum caſtitatis ſit conſecrata. *Secundo*, ſi perſona non ſacra conſentiat in turpe opus circa perſonam ſacram. *Tertiò*, ſi vtraque ſit ſacra, tunc enim duplex eſt ſacrilegium. *Quartò*, cùm ſit actus venereus circa aliam rem ſacram vel eius interuentu,vt olim fecerunt quidam hæretici excipientes ſperma calice, horrendo prorſus ſacrilegio. *Quintò*,ſi venereus actus fiat in loco ſacro illicitè, vel licitè vt in coniugatis,ſed abſque neceſſitate. D.Thom. *Azorius*, *Leſſius*,& alij.

2. Controuertitur inter Doctores an ille qui eſt ſacerdos ſimul & religioſus peccans luxuriæ peccato, committat duplex ſacrilegium, alterum contra ſanctitatem, quæ eſt ex voto caſtitatis,alterum contra ſanctitatem Ordinis? Quidam enim affirmant duplex ſacrilegium;quia illæ rationes ſunt ſpecie diuerſæ,aliter etiam religioſus ratione voti dicitur perſona ſacra, aliter ratione ſacerdotij,vnde ſicut religioſus agit contra votum, ita ſacerdos agit contra conſtitutionem Eccleſiæ, qua præcipitur,vt initiatus ordine ſacro ſeruet caſtitatem: *P.Ledeſm.cap.*19.*de pœnitent.Coninc.de ſacrament.ordin.diſp.*20.*dub.*13.*num.*131. *Sylu.c. art.*10. hæc ſententia valde probabilis eſt. Probabiliùs tamen ſententia aſſerit, eſſe ſolùm ſimplex ſacrilegium; etſi altera circumſtantia alteram nonnihil iuuet ad augendum peccatum intra eandem ſpeciem; quia illæ obligationes ſunt eiuſdem rationis,vel potiùs non ſunt niſi vna obligatio; diuerſitas enim peccatorum non deſumitur ex diuerſitate præceptorum, ſed ex virtutibus, aut ex motiuis ſpecie diſtinctis;ſed religioſus tenetur ſeruare caſtitatem propter idem motiuum & propter eandem virtutem, propter quam ſacerdos tenetur eam ſeruare, ergo non committit duplex ſacrilegium: vnde pœnitens accuſans ſe de copula ſatisfacit dicendo in confeſſione ſe eſſe religioſum,vel ſacerdotem, vel diaconum vel habuiſſe copulam cum ſacerdote, &c. Ita Sanches *de matrim.lib.*7.*diſp.*17.*num.*27. *Henriq.lib.*5.*c.*5.*num.*6. *Rodriquez* 1.*par.*53.*num.*5. *Leſſ.c.num.*87. *Filliuc.c.num.*124.125. *Caramuel in reg.S.Bened.n.*998 & 999.

3. Cùm per actum coniugalem, extra caſum neceſſitatis in Eccleſia habitum, ipſa Eccleſia polluatur,reconciliationeque indigeat;maxima difficultas eſt apud Doctores, num actus coniugalis ita interdictus ſit in loco ſacro vt etiam in caſu neceſſitatis, verbi gratia,quando coniuges diu ſunt intra illum incluſi,nec patet aditus ad cameram illi adiacentem,illicitus ſit. illumque polluat? *Triplex* eſt enim ſententia. *Prima* affirmat illicitum eſſe eò que Eccleſiam pollui,quia nulla eſt præciſa neceſsitas,nec mirum vt tunc coniuges ob loci reuerentiam teneantur à concubitu abſtinere, cùm ad id ob diuturnam abſentiam cogantur. Ita Caiet. *ver.matrim.c.*vlt.*Nauar.c.*16.*num.*32.*Cand.aureum* 1.*p. de matrim.nu.*262.*Sylu.in ſupplem.q.*64.*art.*7.& alij. *Secunda*, ſententia diſtinguit, dicens licitum eſſe,ſi occultè exerceatur actus ille cõiugalis, ſecus ſi ſit publicus, ad quod ſufficit coniuges publicè in eodem thoro accubare, quia per pollutionem aut concubitum dum occulta ſunt,minimè violatur Eccleſia,iuxta veriſsimam ferè omnium ſententiam, atque ita ceſſat irreuerentia & malitia, cùm ea ex pollutione Eccleſiæ conſurgat; proinde ex ratione huius ſententiæ colligitur pollutionem,vel fornicationem occultè admiſſam in loco ſacro non habere malitiam lethalem ſacrilegij,atque ita loci circumſtantiam non eſſe neceſſario tunc fatendam, tum quia tota ſacrilegij mortalis deformitas ex loci ſacri pollutione petenda eſt,at ceſſat pollutio, vbi eſt fornicatio occulta,tum quia actus interiores ſunt liberi à directa gubernatione Eccleſiæ, illoſque nequit interdicere, quia nequit cognoſcere. *Angl.in flor.*1.*par.de matrim.quæſt.*6.*Pontius de matrim.lib.*10.*c.*10.*num.*15.*Cappenſis tract.de peccat.diſ.*2.*num.*20.*Rodriq.tom.*1. *ſumm.cap.*242.*num.*19. *Vegas.*1.*ſumm.lib.*1.*cap.*78.*caſ.*1. *Dian. tract de circumſt.ref.*19.& 16.*par.*1 *Vaſq.*1.2.*q.*72. *art.*6.*diſp.*98. *num.*6.*Lop.*1.*part.inſtr.c.*82.*Sanch.de matrim.lib.*9.*diſp.*15.*n.*10. *Caram.in regul.s.Bened. nu.*1017. Ita omnes Doctores boni nominis inquit. Atqui actus exteriores ſecreti prout tales, participant eandem rationem, nam illos non poteſt Eccleſia cognoſcere.Ergo de iſtis non veniunt intelligenda iura. Hanc ſententiam fatentur eſſe probabilem *Vaſques*, *Diana*, & *Ludouic.Lopes*, illamque ſuſtinent *Rodriques*,*Vega*, *Angles*,*Pontius*, & alij apud *Sanchez*. *Communior* tamen & probabilior *ſententia* ait, nullam eſſe culpam lethalem coniugalem concubitum intra locum ſacrum in caſu neceſsitatis exercitum.Ita *Azor.*1.*part.lib.*9.*capit.*5. *Filliuc.tract* 30.*num.*121.*Leſſ lib.*4.*cap.*3.*num.*86. Suar.*tom.*3.*d.* 81.*ſect.*4.& alij multi apud Bonacinam *de matrimonio quæſtio.*4. *punct.vltimo.numero* 6.& apud Sanches,*cit.nu.*12.

4. Nomine *loci ſacri* in hac materia intelligitur Eccleſia conſecrata,vel benedicta, cœmeteria & oratoria conſtitura auctoritate Epiſcopi & deputata ad diuinum cultum; ſecus dicendum eſt,de oratorijs priuatis non conſtitutis authoritate Epiſcopi monalterijs,dormitorij,cubiculis ſacerdotum, vel religioſorum, quamuis enim loca ſint ſacra; ita vt gaudeant immunitate Eccleſiæ, non tamen ita ſunt ſacra,vt copula vel pollutio illis habita ſpecialem ſacrilegij malitiam habeat; Illud autem ſpatium Eccleſiæ dicitur locus ſacer, quod ſpectat ad interius corpus Eccleſiæ à tecto interiori vſque ad pauimentum: vnde non eſſet ſacrilegium, nec violaretur locus ſacer ſi copula haberetur ſupra tectum, vel extra parietes Eccleſiæ, vel in loco aliquo ſubterraneo, modò non ſit ſepultura, vel in turri quòd vulgo campanile dicitur,vel in ſacriſtia & Cameris Eccleſiæ adhærentibus, vel in porta Eccleſiæ extra limen, id eſt,extra lineam quam attingunt valuæ, modo limen non ſpectet ad cœmeterium, vel in Eccleſia diruta.Ita Nauarrus,*cap.*16.*num.*32.Sà *verb.Eccleſia.*Sanch.*lib.* 9 *de matrim.diſp.*15.*num.*24 & *ſeq. Graff.*1.*par.lib.*2.*c.*48. *Regin.* l.29.*num.*182. *Filliuc.c.num.*135. Suar.*tom.*1.*lib.*3.*cap.*5. Sylu.2. 2.*quæſt.*154.*art.*10.*Fagund.pr.*2.*lib.*4.*cap.*4.*num.*32. & *ſequentib.* & alij.

5. *Sacrilegium* ex ſuo genere eſt peccatum mortale; quia per illud fieri ſolet grauis iniuria Deo,aut rebus ſacris: vnde mortale ſacrilegium eſt, quando procedit ex contemptu rei ſacræ,vel cultus ad quem refertur,vt cum hæretici vaſa ſacra,ſacramenta,altaria,temp a.imagines ſanctorum,reliquias,& ſimilia violant:cum ſacerdotes,religioſos vel alios viros Eccleſiaſticos,qua tales ſunt, malè tractant,contumelijs afficiunt. *Item* mortale ſacrilegium eſt,quando fit aliquid voluntariè in materia graui, quod peculiarem repugnantiam habet cum rei ſanctitate; vt ſi habens votum caſtitatis fornicetur, ſi actus matrimonij fiat in loco ſacro extra caſum neceſsitatis. *Item* quando ex ignorantia vel negligentia craſſa fit aliqua notabilis iniuria rei ſacræ, vt ſi quis malè baptizet,conſecret, abſoluat; ſi in irregularitate vel cenſura ordinetur vel ordinet;ſi in peccato mortali,vel excommunicatione Sacramentum adminiſtret,vel accipiat, & alia huiuſmodi. *Ratione* autem inaduertentiæ,vel paruitatis materiæ, ſacrilegium poteſt eſſe peccatum veniale,vt ſi quis leuiter percutiat clericum,vel rem paruam furetur in Eccleſia. *Notandum* autem eſt,quando ſacrilegium commiſiſſe, ſed teneri materiam, circa quam commiſit ſacrilegium aperire,quia nõ omnia ſacrilegia ſunt eiuſdem ſpeciei, aliter enim ſacramenta ſunt ſacra quàm calices, aut veſtes. *Porrò*, ſacrilegium poteſt reperiri cum alijs luxuriæ peccatis. poteſt enim inceſtus eſſe ſacrilegus, ſi fiat in loco ſacro, vel cum perſona habente votum caſtitatis. Ita Bonacina *tom.*2.*diſ.*3.*q* 6 *part.vnic. nu.*25.26.*Reginald.l.*19.*n.*58.*Leſſ.lib.*2.*cap.*45.*dub.*4.*Sanch.l.*9.*de matrim.diſp.*15.*Nauar.c.*16.*n.*11. & alij.

6. *Per deſiderium* libidinoſum vel contactum turpem abſque pollutione, ſecundùm probabilem opinionem,non committitur ſacrilegium, niſi quando deſiderium tenderet ad habendam copulam in loco ſacro,quòd rarò contingit,vel contactus turpis eſſet cum periculo pollutionis; quando verò abſolutè deſideratur fœmina in templo,nec diſtinguitur,an copula deſideretur habenda in templo vel extra,non eſt ſacrilegium, quia deſiderium illud iudicandum eſt ſecundùm communem, & ordinatum modum concupiſcentiæ,qui quidem eſt vt fiat extra templum:ſecus ſi habuit deſiderium, ſeu intentionem habendi copulam in Eccleſia; nam hæc intentio eſt eiuſdem rationis cum actu externo, qui habet ſpecialem malitiam ſacrilegij exprimendam in cõfeſsione, cum ſit ſufficiens ad polluendam Eccleſiam.Ratio autem cur per contactum turpem abſque pollutione, non committatur ſacrilegium,eſt; quia Eccleſiæ violatio non eſt de iure naturæ, quia ſi eſſet,quocumq. peccato mortali violaretur,ſed de iure poſitiuo; ergo ſolùm violabitur in caſibus à iure expreſsis: atqui in iure ſolùm exprimitur ſanguinis, & ſeminis effuſio, igitur Eccleſia ijs ſolùm,& non alijs violatur. Atqui tactus impudicus niſi ſequatur pollutio,non eſt effuſio ſeminis; ergo Eccleſiam non violat Nau. *cap.*16.*nu.*3.Sanch.*c.nu.*10.& 11.*Rodr.c.cap.*206.*Filliu. tract.*30. *num.*133.*Valent.*2.2.*diſp.*6.*q.*15. *punct.*1. *Coninc.de pœnit. diſput.* 7.*dub.quarto,numer.*22.*Dian.tractat.*3.*miſcell. reſolution.*23.*par.* 2.Sylu.2.2. *quæſt.*154.*art.*10.*Fagund. præcept. libro* 4. *capitul.*4. *numero* 31.

SATISFACTIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit satisfactio vt est pœnitentiæ virtutis actus?*
2. *Quæ conditiones requirantur vt opus sit satisfactorium? Et an ad satisfaciendum necesse sit vt actio procedat ex formali voluntate satisfaciendi?*
3. *Quid sit satisfactio sacramentalis? & an sit pars sacramenti pœnitentiæ?*
4. *An regulariter teneatur confessarius aliquam satisfactionem pœnitenti imponere? & in quibus casibus excusetur confessarius ab iniungenda pœnitentia?*
5. *Quæ opera pœnalia iniungenda sint à Confessario pro satisfactione sacramentali?*
6. *An sit taxata lege ecclesiæ mensura satisfactionis imponenda à confessario?*
7. *An confessarius ex iusta causa possit in confessione diminuere, & commutare pœnitentiam à se vel ab alio confessario iniunctam?*
8. *An qui non habet facultatem absoluendi à reseruatis, possit pœnitentiam quæ pro reseruatis à superiore imposita est commutare?* refertur duplex sententia.
9. *An qui oblitus est totius pœnitentiæ aliàs iniunctæ teneatur iterum peccata confiteri, vt pœnitentia commutetur?* refertur duplex sententia.
10. *An pœnitens possit propria authoritate pœnitentiam in æquale aut in melius commutare? & an facta commutatione, liberum sit pœnitenti eligere quam pœnitentiam voluerit?*
11. *An teneatur pœnitens pœnitentiam tolerabilem acceptare & adimplere?*
12. *An peccet mortaliter pœnitens non adimplendo pœnitentiam gratam acceptatam?*
13. *An pœnitens satisfaciat per susceptionem indulgentiæ, & per alia opera pia, quando pœnitentia iniungitur à confessario in satisfactione peccatorum propœna peccatis debita?*
14. *An satisfactio siue impletio pœnitentiæ iniunctæ à confessario ex opere operato remittat pœnam temporalem peccatis debitam?*
15. *An pœnitens adimplens pœnitentiam in statu peccati mortalis, præcepto confessarij satisfaciat, & fructum satisfactionis consequatur?*
16. *An pœnitentia sacramentalis facta in statu peccati mortalis sortiatur suum effectum sublato obice?* refertur duplex sententia.
17. *An satisfactio sacramentalis iniuncta à confessario possit per alium adimpleri.*

1. SAtisfactio, quæ pœnitentiæ virtutis actus est, voluntaria solutio & iniuriæ Deo per peccatum illatæ compensatio quædam est, cum proposito non peccandi amplius, & confitendi. Confert maximè ad pœnæ temporalis remissionem, quam per opera sua iustus absolutè potest obtinere. *C. satisfactio de pœnit. cap.* 3. Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. & 9. Sylu. *in suppl. quæst.* 1. *art.* 2. *quæst.* 3.

2. *Conditiones* aliquot ad id requirit Suar. *de pœnit. disp.* 37. *sect.* 2. Sylues. *verb. satisf. q.* 7 *Primò*, vt qui satisfacit, in gratia sit, dum enim in peccato mortali moratur, nec pro remissis peccatis satisfacere potest, nec bona opera in illo facta vnquam ad satisfactionem reuiuiscunt ex opere operantis. Filliuc. *tract.* 8. *nu.* 9. 10. Suar. *c. sect.* 3. *secundò*, vt sit viator. *Tertiò*, vt opus liberum sit moraliter bonum & honestum siue sit ex consilio, siue etiam præceptum, siue internum, siue externum: Filliuc. *c. num.* 17. Suar. *c. sect.* 6. Sylues. *v. satisf. quæst.* 9. *Nauar. cap.* 3. *num* 4. *Quartò*, vt sit pœnale, quamuis probabile sit omne opus bonum & meritorium, esse quoque satisfactorium. Per quòdlibet opus pœnale satisfieri pro quolibet peccato potest, si ratio habeatur solutionis pœnæ, non ita si ratio medicinæ spectetur. Etiam per pœnas extrinsecus illatas, vt ægritudines, bella, aliaque flagella à Deo in hunc finem immissa satisfacere possumus, modò voluntariè propter Deum acceptentur. Suar. *c. disput.* 37. *sect.* 8. & 9. Filliuc. *tract.* 8. *quæst.* 10. 11. & 12 Sylu. *in supplem. q.* 13. *art.* 1. *Quintò*, requiritur ex parte Dei, eius promissio ad hoc vt opera nostra infallibiliter satisfactoria sint, & alterius vitæ pœnas remittant. His positis conditionibus opera nostra de condigno satisfactoria dicuntur, pro illa pœnæ temporalis parte, quæ peccato respondet, non adhuc plenè quoad pœnam remisso; Atque hinc eius necessitas non solùm præcepti, sed etiam ex medio colligitur; ad pœnæ siquidem in hac vita remissionem consequendam vnicum remedium satisfactio confertur.

Sed quæres, an ad satisfaciendum sit necesse, vt actio procedat ex formali voluntate satisfaciendi? Responsio communis & vera est negatiua, sed satis esse, vt procedat ex quacumque voluntate placendi Deo, aut suæ salutis æternæ. Ratio autem desumitur ex merito, in quo non requiritur intentio præmij ad merendum illud; immò quò magis liberaliter, & absque intuitu lucri aliquis Deum diligit, eò magis præmium meretur: quia valor meriti tũ datur in æquitate, quæ exigit, vt qui bene operatur, laudetur & præmietur. Sic ergo satisfactionis valor non fundatur in contractu vel intentione soluendi, sed in æquitate, quę exigit, vt qui propter Deum, vel propter iustitiam, laudabiliter iam, & voluntariè passus est, non iterum affligatur, & puniatur. Deinde nullus est, qui vel formaliter, vel virtute non intendat consequi apud Deum omnem spiritualem effectum suis operibus proportionatum, ergo id satis est, vt docet Suarez *c. sect.* 3. *n.* 5.

3. Satisfactio sacramentalis, est *Concil. Trid. sess* 14. *cap.* 8. *Valent. tom.* 4 *disp.* 7. *quæst.* 14. *punct.* 1. *Filliuc. tract.* 8. *n.* 30. 31. *Sylu. c. q.* 12. *art.* 1. *compensatio pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam consistens in operibus pœnalibus, & laboriosis taxatis à confessario*: hæc autem satisfactio sic imposita, est pars sacramenti pœnitentiæ, non tamen essentialis si propriè loquendum sit, sed integralis tantùm, quia satisfactio non ordinatur, ad primarium effectum sacramenti pœnitentiæ, qui est culpæ remissio, sed ad secundarium qui est remissio pœnæ temporalis, ideò non oportuit esse de necessitate simpliciter sacramenti. *Regin. libr.* 7 *nu.* 11. *Bonac. de pœnit. dis.* 5. *q.* 1. *sect.* 3. *par.* 1. *num.* 3. Vnde validum est pœnitentiæ sacramentum, in quo sacerdos nullam iniungit satisfactionem (modò pœnitens malitiosè non concurrat ad omissionem iniungendæ pœnitentiæ) etiamsi fortè sacerdos peccet non iniungendo pœnitentiam absque rationabili causa.

4. Regulariter & per se loquendo tenetur confessarius aliquã satisfactionem pœnitenti imponere, quia tenetur facere sacramentum integrum, & curare salutem pœnitentis, vt medicus, & seruare æquitatem, vt iudex; quamobrem eiusmodi obligatio ex genere suo grauis est, & obligat confessarium sub mortali: non tenetur autem confessarius semper eam imponere per modum præcepti, sed aliquando potest per modum consilij, vel conditionaliter dicendo pœnitenti: Si hoc feceris, erit tibi id in satisfactionem. *Toler. lib.* 3. *c.* 11. *Regin. l.* 7. *n.* 11. *Suar. c. aiſput.* 38. *sect.* 3. *Coninck de pœnit. disp.* 10. *dub.* 8. *nu.* 62. & 64. *Sylu. in suppl. q.* 18. *artic.* 3. *quæst.* 1. Quamuis nonnulli negent posse à confessario imponi pœnitentiam eo modo, sed solùm per modum præcepti. Ratio est, quia sacerdos imponit pœnitentiam, tamquam Iudex, vt puniat pœnitentem. Iudex autem non punit, nisi per vim coercitiuam, qua obligat reum ad subeundam pœnam: immo nec dicetur propriè pœnitentia iniuncta a Sacerdote, quæ sub obligatione non imponitur: ergo pœnitentia in arbitrium & libertatẽ pœnitentis relicta, non est sacramentalis. Hæc sententia est probabilis quam sequuntur *Vasq. q.* 94. *art.* 2. *dub.* 1. *num.* 9. *Turrian. de pœnit. disput.* 35. *dub.* 2. *Lugo de pœnit. disp.* 25. *sect.* 4. *n.* 54. & alij.

Aliqui tamen excipiuntur *casus*, in quibus sacerdos excusatur ab iniungenda pœnitentia. *Nauar. cap.* 26. *num.* 10. *Henriq. libr.* 5. *cap.* 10. *num.* 6. *Caiet. v. satisf. Filliuc. c. num.* 38. *Lugo de pœnitent. disp.* 25. *sect.* 4. *nu.* 47. *Primus* est, quando pœnitens est impotens, vt quia morti proximus, & nihil percipere potest. *Secundus*, quando confessarius ex signis aduertit pœnitentem ad pœnitentiæ sacramentum cum tanto dolore accedere, vt credat ipsum integrè Deo satisfeciſſe; quia tamen tarò id potest certò constare sacerdoti, ideò regulariter semper danda est aliqua satisfactio saltem leuis, ante vel post absolutionem, vsus tamen iam obtinuit, vt imponatur ante. *Tertius* casus huic similis est, quem alij addunt, quando absque satisfactione instat perfectæ remissionis remedium. v. g. si instet martyrium subeundum: quod alij extendunt ad indulgentiam plenariam lucrandam, saltem quæ sit moraliter certa. *Quartus* casus est, quando pœnitens ob suam fragilitatem nullam credatur acceptaturus pœnitentiam: aliquando enim oportebit condescendere eius imbecillitati ad vitanda grauiora mala; nunquam tamen continget, quòd aliquam leuem saltem pœnitentiam non sit acceptaturus. Porrò in omissione impositionis pœnitentiæ potest aliquando ex paruitate materiæ adesse tantùm peccatum veniale; vt si pœnitentia leuis deberet imponi ob peccata aliqua venialia, vel sæpè iam confessa; tunc enim Sacerdos

non

non peccaret mortaliter, si seclusa contemptu non imponeret vllam pœnitentiam, vt obtineat *Lugo* hic citatus.

5. *Opera canalia* quæ iniungenda sunt à confessario, ad tria capita adducuntur. *D. Thom. in addu. q. 15. art. 1. & 3. Soyr. de pœn. c. 36. nu. 5. Suar. dis. 38. sect. 6. Sylu. c. artic. 2. Primum* caput est oratio, ad quam reducuntur alia bona opera interna, vt contritio gratiarum actio', &c. *Secundum* caput est ieiunium, ad quod reducitur quælibet macceratio carnis, vt verbera, cilicium, &c. *Tertium* caput est eleemosyna, ad quam reducuntur alia opera misericordiæ in proximum, *Dian. 4. p. tr. 4. resol. 241.* Immò in satisfactionem iniungi potest opus aliàs præceptum, vt Missæ auditio in die Dominico, &c. nam hæc sunt bona opera pœnalia, & pendent à voluntate confessarij: *Nauar. cap. 26. num. 14. Regn. lib. 7. num. 28. Sanch. lib. 1. mor. cap. 14. num. 5. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 84. Vict. de satisfact. numer. 105. Sylu. in suppl. q. 15. art. 1.* Tamen quando confessarius imponit pœnitentiam, si nihil aliud exprimat, non censetur iniungere opus aliàs debitum ex præcepto, cõsequenter pœnitens, cui iniunctum est, verbi gratiâ, ieiunium, non satisfacit pœnitentiæ. ieiunando eo die, quo tenetur ex Ecclesiæ præcepto ieiunare, nisi fortè aliter constet de confessarij voluntate: quando verò dubitatur de mente confessarij, adeundus est ipse confessarius, si adiri possit; si verò nequeat adiri, ferendum est iudicium ex æquo & bono.

Præterea non solùm iniungi possunt opera in particulari, verùm etiam in generali, vt si confessarius absoluendo dicat: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris sit tibi in remissionem peccatorum*; huiusmodi enim opera sic iniuncta eleuantur ad satisfactionem ex opere operato pro peccatis in illa confessione manifestatis, quia per huiusmodi iniunctionem fiunt pars sacramenti; vnde vsu receptũ est, vt modicę pœnitẽtię iniigãtur, quia id in quo deficiũt pœnitẽtiæ iniũctæ, suppleri põt per bona opera, quæ vt plurimũ ab hominib. præstãtur. *Sua. d. 38. f. 6. nu. 6. Reg. c. n. 25. c. 26. n. 24. Henr. c. c. 29. n. 5* Diana *de sacram. resol. 97. p. 5. Filliucius tra. 8. num. 47.* Existimat tamen *Lugo de pœnit. disp. 25. sect. 4. num. 56.* in illis verbis, *Quidquid boni &c.* contineri meram deprecationem, sicut & in præcedentibus, *Misereatur tui &c.* quia ex se videtur esse parum credibile, quòd per illa verba generalia, omnia opera pœnitentis maneant sacramentalia, & eleuentur ad fructum ex opere operato, sicut & merita B. Virginis & omnium Sanctorum & Sanctarum. Proinde non excusat confessarios à peccato leues pœnitentias imponentes pro grauissimis peccatis, quando'addũt. *Quidquid boni feceris, &c.* quia est contra Concil. Tridentinum *sess. 14. cap. 8. §. debent ergo*. Hæc sententia est probabilis, vt ait Diana, *par. 6. tract. 7. ref. 5.* quam sustinet Petrus Marchantius. *to. 1. tribunal. tract. 3. tit. 7. q. 3* Vnde tutius esset, cùm confessarius opera futura eleuat ad hunc effectum, illa esse aliquo modo determinata, siue per operum ipsorum expressionem, vt pote *Ieunia* vel *eleemosyna* quas facies, siue per tempus vt *quotiens tempore facies*, vtpote spatio aliquot mensium, vel anni &c quia sententia iudicialis debet aliqua ratione determinari.

Imponi etiam potest sub pœnitentia quòd pœnitens coram eodem sacerdote & non alio confiteatur: quia illud honestum est & pœnale; non tamen passim iniungenda est, sed in casu maximè necessario ad curationem pœnitentis: Non tamen poterit confessarius imponere sub pœnitentia quòd pœnitens statim confiteatur ac lapsus fuerit in tale vel tale peccatum: quia pœnitentia debet iniungi absolutè & non sub conditione. Ita Sancius *in selectis disp. 13.* qui etiam notat *disp. 16.* non posse confessarium licitè imponere sub pœnitentia officium mortuorum, vel alias orationes recitandas pro animabus purgatorij: quia nullus potest obligari offerre alij suam satisfactionem; & idem est partem satisfactoriam pro alienis pœnis iniungere, atque nullam satisfactionem imponere: deinde valor impetratorius etiamsi applicetur animabus purgatorij, non prodest illis ad remissionem pœnæ, nisi fortè occasionaliter, quatenus inde Deus mouet corda fidelium ad hoc vt satisfactiones offerant pro illis. Ita etiam *Vega in Sum. 2. p. cap. 63. casu 4.* quamuis contrarium doceant Turrian. *disp. 37. dubio 4. de pœnit. Lugo de pœnit. disp. 25. sect. 4. n. 62.*

6. *Mensura* satisfactionis imponendæ à confessario lege Ecclesiæ non est taxata; Canones verò pœnitentiales, vel tantùm continebant regulam quamdam directiuam, quam confessores poterant sequi, quando censerent expedire, vel pertinebant ad forum externum potiùs & ædificationem Ecclesiæ, quàm internũ; nunc autem sunt abrogati: hoc tamen negotium non est relictum absolutè in potestate voluntaria confitentis, sed considerata grauitate peccatorum, & dispositione pœnitentis, aliisque circumstantijs personæ, temporis, &c. debet imponi proportionata satisfactio; vnde ex rationabili causa, vt ob impotentiam vel fragilitatem pœnitentis, potest confessor aliquando imponere leuiorem satisfactionem: sicut & tempore iubilæi aut indulgentiarum, cum per indulgentias tollatur debitũ ad pœnam. Confessarius tamẽ, qui valdè modicã imponit pœnitẽtiã ob peccata mortalia, dẽt per se loquẽdo, certiorẽ facere pœnitẽtẽ talem pœnitẽtiã non esse sufficientẽ, sed ob indispositionẽ eius benigniùs cũ eo agi vt ipse moueatur, vel ad maiorem petendam, vel ad alias voluntariè assumendas. Ita *Cap. mensuram de pœnit. dist. 1. Suarez c. sect. 4. Conc. Trident. sess. 14. cap. 8. Bonacina c. d. 5. q. 5. sect. 3. par. 2. num. 15. 16. Filliuc. c. num. 41.* Layman *lib. 5. tract. 6. cap. 15. num. 12. Lugo de pœnitent. disp. 25. sect. 4. n. 60. Nauarrus c. 16. num. 20. Reginald. lib. 7. nu. 38. & 47. Suar. c. sect. 4.* Salubrius est enim confessum cum pauca leuissimaque pœnitentia acceptata, relinquere in manu Dei puniendum in purgatorio; quam cum magna non adimplenda, detrudere ipsum in infernum. Noli igitur, ò confessarie, claudere Dei regnum; caue onera grauia ceruicibus debilibus & casuris alligare. Si enim Deus ad vnicum verum cordis contriti gemitum peccata nefandissima remittit, interdum etiam quoad pœnam: Quid fatigamus nos onerando grauibus & diuturnis pœnitentijs peccatores? qui vno perfecti cordis gemitu, à Deo impetrare possunt perfectam remissionem: *Vbi enim Pater-familias largus est, Dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus vt quid Sacerdos eius austerus vult apparere?* vt habetur in *cap. Alligant*, 26. q. 7. Proinde confessarij non debent inquietari etiam cum magnis peccatoribus, aliàs ad subeundas graues pœnitentias indispositis ex quacumque causa, sed possunt etiam leuiores pœnitentias iniungere, committendo illos iudicio & misericordiæ diuinæ: modò illos seriò faciant intelligere grauitatem peccatorũ suorũ & necessitatẽ satisfaciẽdi pro illis in hoc sæculo vel futuro.

Vnde Hugo *ad c. 7. reg. S. Francisc.* intimare volens quàm misericorditer debeant Prælati agere cum pœnitentibus qui pro cafibus reseruatis ad se recurrant: in persona Prælatorum sic ait. Si erramus (inquit) modicam pœnitentiam imponentes: nonne melius est, propter misericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem? infundendum est vinum & oleum vulneribus sauciati. Sanè si vbique misericordia superexaltet iudicium, maximè tamen, qui ad pœnitentiæ munditiam recurrunt, benignissimè recipiendi & omni gratia confouendi sunt. Qui ouem perditam, filium prodigum, & naufragum, piè vt ipse curari vellet non curat, nec pastor nec pater est; sed aduersus confitentem, scù confessionem ipsius, quasi ordinis zelo aliquid agere, Christum perdere est, Christum persequi est. Hinc ergo confessio redditur odiosa, hinc cœlum volentibus ingredi clauditur; emptæ Christi sanguine animæ per occasionem necantur: verè, vt scriptum est, viscera impiorum crudelia, quæ pœnitentibus non cõpati, sed indignari nouerunt: atque per austeritatem quandam peccatores detestantes. Iusti cum pharisæo apparere volunt. Insolentibus, non pœnitentibus debetur seueritas. Vbi est congregatio charitatis, habet qui cadit subleuantes se & fulcientes. Fratrum est læsum iuuare; canum lacerare. Itaque odio habeantur peccata, non homines: corripiantur tumidi, tolerentur infirmi; & quod seueriùs castigare necessarium est non sæuientis more plectatur, sed medentis. Hæc ille.

7. *Vsus & praxis* communis Ecclesiæ est, confessarium ex iusta & rationabili causa, posse in confessione diminuere & commutare pœnitentiam à se, vel ab alio confessario inferiori, vel æquali, vel etiam superiori iniunctam; quia cùm sacramentum pœnitentiæ institutum sit ad bonum animarum, & bono animarum aliquando expediat pœnitentiam à se, vel ab alio iniunctam commutare. ideò sequitur, confessarium posse pœnitentiam à se, vel ab alio iniũctã mitigare, diminuere & cõmutare ex iusta causa; iusta aũt causa cõmutãdę pœnitẽtiæ est necessitas, vel notabilis vtilitas vel difficultas pœnitẽtis in præstanda pœnitentia, vel obliuio pœnitentiæ aliàs iniunctæ. *Nauar cap. 26. num. 21. Suarez d. 38. sect. 10. Filliuc. tract. 8. cap. 2. quæst. 7. Reginal. lib. 7. num. 88.* Laym. *c. n. 16. Sylu. in suppl. quæst. 18. artic. 3. quæst. 4. Vasq. 3. par. quæst. 94. art. 2. dub. 3. numer. 7. Comunc. c. d. 10. dub. 12. Filliuc. c. numer. 50. Fagundez de præcepton. Eccles. tract. 2. lib. 9. cap. 4. Nota* tamen hanc commutationem pœnitentię, non debere fieri extra confessionem; quia cùm satisfactio sit sacramentalis, & sit actus iurisdictionis clauium in foro sacramentali, sequitur pœnitentiam non posse extra confessionem commutari, plerique tamen doctores, vt *Nauarr. c. Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 14. punct. 4. Sà ver. satisfaction. num. 5.* sentiunt non esse necessariam confessionem peccatorum saltem in particulari. sed ad summum peccatorum in specie, pro quibus iniuncta est, quod est satis probabile, immò hanc sen-

ſententiam probabiliſsimam iudicat Diana *tract.1. miſcell. reſol. 53. part.2.* cum plurimis à ſe citatis: quia præſens confeſſor poteſt de tota ſimul cauſa pœnitẽtis iuxta præſentem diſpoſitionẽ iudicare, prout magis expedire iudicarit ipſi pœnitenti: Vide etiam eumdem *par.3.tract.4.reſol.53.& 137.& part.5. trac.8. reſol.37. & tract.14.reſol.73.& par.6.trac.6.reſ.46.*

8. Confeſſarius qui non habet facultatem abſoluendi à reſeruatis, licet poſsit pœnitentiam pro non reſeruatis iniunctam commutare: illam tamen quæ pro reſeruatis à ſuperiore impoſita eſt, commutare non poteſt, ſecundùm communem ſentẽtiam: quia confeſſarius non poteſt commutare pœnitentiam, niſi ferat iudicium circa peccata, ac ſi pœnitens numquam confeſsus fuiſset ſed ſi pœnitens numquam fuiſset confeſsus, deberet accedere ad ſuperiorem habentem facultatem reſeruatorum, ergo pœnitens debet ad ſuperiorem accedere, & non poteſt commutationem pœnitentiæ pro reſeruatis impoſitæ, obtinere ab inferiori confeſsario. In contraria tamen ſententia eſt, *Reginal.c. nu.91. Nauar.cap.26.num.22. Suar.c.ſect.10.n.14. Filiuc.c.quæſt.7. Sà c.n.5. Rodrig. 1.par.cap.56.num.8. Bonacina c.par.3. num.6.* & quidam alij ab ipſo citati. Quorum ſententiam probabilem curat Syluius *c.q.4.concluſ.6.* neceſsitate vrgente. Ita etiam Vaſques, Fernandes & Diana *trac.1.miſcel.reſo.53.par.2.* quia ſicut per abſolutionem caſuum reſeruatorum, remanent illa peccata non reſeruata, ita conſequenter non remanebit reſeruata pœnitentia pro eis impoſita.

9. Magna controuerſia eſt inter Doctores, an pœnitens, qui oblitus eſt totius pœnitentiæ aliàs iniunctæ, teneatur iterum peccata confiteri, vt pœnitentia commutetur. *Coninch.c.dub.12. nu. 101. Vaſques c.* Quidam enim dicunt pœnitentem teneri ſaltem præcipua peccata confiteri, vt congrua pœnitentia iniungatur, & hoc eſt ſatis probabile; alijs tamen & meritò probabilius videtur confeſsionem repetendam eſse. Ita Suares, *c.ſect.10.num.8. Reginald.c.num.42.93.* Vide Dianam *4.part.trac.4.reſol.241.* qui contra Richardum, D. Antoninum, & Sylueſtrum docet pœnitentem, qui oblitus eſt pœnitentiæ ſibi iniunctæ, non teneri ſecundò eadem peccata confiteri, vt aliam pœnitentiam pro ijs recipiat, ſed ſufficere hoc peccatum confiteri ſi ſua culpa pœnitentiæ non recordetur: Immò nec teneri aliud opus ſatisfactorium pro illa ſubſtituere. Ratio eſt, quia Deus non iudicat bis in idipſum: illa autem peccata iam ſemel à Deo ſunt mentali iudicari. Deinde, quia opus voluntariè ſuſceptum ad ſatisfaciendum, non eſt pars ſacramenti præteriti: Solùm igitur remanet obligatio confitendi culpam obliuionis, ſi quæ fuit. Ita etiam Nauarrus *in man.cap. 9.n.17.* Sotus *in 4.diſt.20.q.2.art.2.ad 3.* Fernandes *part.3.capit.7. §.6.num.14.*

10. *Pœnitens* non poteſt propria authoritate pœnitentiam in æquale aut in melius commutare: quia commutatio pœnitentiæ eſt actio ſacramentalis, & actus iuriſdictionis, qui fit à cõfeſſario tanquam à ſuperiore. pœnitens autem non poteſt in ſe actionem iuriſdictionis ſacramentalis exercere, cùm nullus ſit ſibi ſuperior. *Coninc.c.num.103. Regin. c.num.85. Henriq. c.cap.20. numero 5.* Et hæc ſententia eſt probabilior: quamuis non ſit improbabilis contraria ſententia Portel. *in dub.reg.v. Pœnitentia Sacramental. num.6. in addit. Villalobos in ſumm. tom.1.tract.9. difficult.79. nu. 1. Diana part.3. tract.4.reſol.53.& part.5.tract.14. reſol.73. Celeſtinus in comp. Theol. mor. tract.1.cap.24. numer.8.* Ratio illorum eſt, quia quoties, quis abundantiorem ſolutionem offert pro debito, ad quam eſt ex lege aſtrictus, legem non ſoluit, ſed abundãtiùs implet, nec cenſendum erit nouam legem pœnitẽtem ſibi auctoritate propria imponere, mutando pœnitentiam, nec actum iudicij exercere, & iuriſdictionis, ſed vberius implere legem à cõfeſſario impoſitam. *Porro*, quando facta eſt commutatio pœnitentiæ, liberum eſt pœnitenti eligere quam pœnitentiam voluerit, primam videlicet, aut ſecundam; quia commutatio ſit in fauorem pœnitentis: pœnitens autem cedere poteſt iuri, & fauori ſuo. Ita *Suar.d.38.ſect.10.num.7. Reginald.lib.7.n.89.*

11. Quandoquidem confeſſarius teneatur iniungere pœnitentiam, vt ſuperius dictum eſt, conſequenter pœnitens tenetur pœnitentiam tolerabilem & humanæ fragilitati accommodatam acceptare acceptamque adimplere: & hoc adeò certum eſt, vt hoc tempore ſine temeritate contrarium doceri nequeat; imò *Suares diſ.38.ſect.7. Coninch.c.dub.9.nu.79. Filiuc.c.nu.53. Sylu. in ſuppl.q.18.art.3.q.3. Victoria in ſum.nu.209. Vaſq.3.p.tom.4.q. 94.art.2.dub.1.* & alij dicunt hoc eſſe de fide: nam Concil. Trid. *ſeſſ.14.c 6.* dicit eſſe in ſacerdotibus poteſtatem ligandi, non tantùm ad medicamentum infirmitatis, ſed etiam ad vindictam peccati commiſſi. Nauarr. *cap.26. num.20. Reginald.l.7.nu.15. Aledina c.de ſatisfact.q.6.* & quidam alij aſſerunt pœnitentem, non teneri ad acceptandam pœnitentiam, ſed poſſe electionem ſumere luendi pœnitentiam, vel in hac vita, per alia pia opera, vel in purgatorio, hæc ſententia ab aliquibus admittitur tanquam probabilis, ſed prior eſt tenenda. Henriq. *c.cap.20.num.5. Regin.nu.37. Notandum* autem eſt pœnitentem, cui nimia videtur pœnitentia, poſſe rogare confeſſarium vt eam mitiget, quantùm poteſt: & cõfeſſarius in tali euentu debet pœnitenti annuere quantùm poteſt, vt ſuauius efficiatur iugum confeſſionis: Suar. *c.ſect.7. nu.4. Coninck c.n.80. Imò* pœnitens poteſt abſque peccato mortali ante acceptatam abſolutionem, ſi confeſſarius nolit pœnitentiam moderari, dicere ſe malle alteri ſacerdoti confeſſionem facere, quàm adeò grauem pœnitentiam acceptare. Vide Dianam *par.2. tract. 1. miſcel. reſolut.52.* vbi pro vtraque ſententia plurimos citat Authores, nihil tamen de eorum placitis approbando, vel reprobando.

12. *Obligatio* adimplendæ pœnitentiæ grauis, ex ſuo genere grauis eſt, vnde pœnitens peccat mortaliter non adimplendo pœnitentiam grauem acceptatam, ſiue fuerit iniuncta pro mortalibus aliàs non confeſſis, ſiue pro mortalibus aliàs confeſſis: qui verò non adimplet pœnitentiam leuem, non peccat mortaliter, etiamſi pœnitentia iniuncta fuerit pro peccato mortali numquam aliàs confeſſo: idem dicendum de omittente partem leuẽ magnæ pœnitentiæ, nam paruitas materiæ excuſat à peccato mortali: vt docet *Valent.diſ.7.q.14.par.4. Filiucius c.numer.54. Reginald.c.num.77. Henriq.c.cap.20.num.3. Diana par.5. trac.5. reſol.25. Pœnitens* verò obligatur ad implendam pœnitentiam, quam primùm commodè poteſt ſi confeſſarius non determinet tempus: quòd ſi determinet, implenda erit intra illud: ſi non faciat non propterea ceſſat obligatio eam implẽdi primo quoque tempore. Ita Suar. *d.38.ſect.7. Nauarr.c.12. nu.54. Coninch diſp.10. dub.9.num.85. Sylueſt c. quæſt.2. Diana par.5.trac.12.reſol.3.*

13. Quando pœnitentia iniungitur à confeſſario in ſatisfactionem peccatorum pro pœna peccatis debita, pœnitens ſatisfacit per ſuſceptionem indulgentiæ & per alia pia opera ſatisfactoria: quia confeſſarius intendit ſolùm iniungere pœnitentiam, vt pœnitens ſatisfaciat pro pœna: cùm autem pœnitens per indulgentiam, puta plenariam, vel per alia integrè pro pœna ſatisfecerit, ſequitur pœnitentem non ampliùs teneri ad pœnitentiam iniunctam adimplendam. Quando verò pœnitentia iniungitur in medicinam, remedium & præſeruationem à peccatis, pœnitens non ſatisfacit per indulgentiæ ſuſceptionem. *Suarez c.diſp.50.ſect. 2.num.5. Tolet.lib.6.cap.29.num.10. Nauar.de indulgent. Notat. 31.nu.43. Reginald.lib.7.num.170. Henriq.lib.5.cap.22.numer.6. Suarez diſp.38 ſect.10. Filiucius tract.8. num.174.* Rarò autem remittendæ ſunt pœnitentiæ ſacramentales ob ſuſceptionem indulgentiarum, vel ob alia pia opera, quia pœnitentiæ ſacramentales iuuant ad maius meritum & ad maiorem gloriam: integritaſque ſacramenti poſtulare videtur, vt pœnitentia à confeſſario impoſita adimpleatur, niſi moraliter conſtet pœnis debitis ſatisfactum eſſe.

Ex dictis infertur *primò*, tempore Iubilæi poſſe confeſsarium leuiores pœnitentias imponere, obligando tamen pœnitentem ad lucrandum Iubilæum: ad hoc enim conceditur illa remiſſio à Pontifice, vt ſubleuetur pœnitens, qui pro tantis peccatis non poterat agere debitam pœnitentiam: quod redundat etiam in leuamen confeſſarij, qui frequenter neſcit, quomodo peccatori ingẽtibus peccatis grauato poſſit congruentem pœnitentiam imponere; præſertim, cùm ad quamlibet pœnitentiam grauiorem difficilem eum inueniat.

Infertur *ſecundò*, hoc pacto poſſe etiam confeſſarium prouidere pœnitenti, quem inuenit grauatum multis pœnitentijs ex antè actis confeſſionibus, quas non impleuit: in quo caſu confeſsarius non poteſt commutare illas pœnitentias, non auditis ſummariè prioribus peccatis; poterit tamen commutare illas in aliquam indulgentiam plenariam, quam pœnitẽs lucretur; quo pacto eum liberabit ab eo onere. Immò, cum hic modus liberationis non oriatur ex poteſtate ſecundi confeſsarij, ſed ex ſubtractione materiæ, quatenus per indulgentiam extinguitur illud debitum pœnæ, conſequens eſt, vt poſsit hoc etiam extra confeſsionem facere; quinimò ipſemet pœnitens, ſi bonus doctus eſset potuiſset facere illam commutationem; nam reuera non ipſe facit; ſed Summus Pontifex, qui per conceſſionem Indulgentiæ tribuit facultatem extinguendi debitum pœnæ, quod erat fundamentum illius obligationis. Quamuis conſulendum ſemper pœnitenti, vt opera impoſita, quoad fieri poſſit, adimpleat, nec pœnitentias omittat, indulgentiarum occaſione, vt dictum eſt.

Satis-

14. Satisfactio siue impletio pœnitentiæ iniunctæ à confessario ex opere operato, secundum Christi institutionem, remittit pœnam temporalem peccatis debitam, nam satisfactio virtute clauium imperata ac veluti elevata, est pars sacramenti pœnitentiæ integralis, à Christo instituta, vt per eam peccatum perfectè & integrè, videlicet quoad reliquam etiam pœnam destruatur: vnde secundum *D. Thom. in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. q. 1. Suar. disputat. 38. sect. 2. Syl. 3. par quæst. 85. art. 2. quæst. 3. concluſ. 2. Palud. in 4. d. 20. quæst. 2. Layman lib. 5. trac. 6. cap. 15. num. 14. Coninc. c. dub. 10. num. 88.* & alios multò plus valet modica pœnitentia à sacerdote imposita, quàm magna, quæ sponte assumitur, quia hæc non sicuti illa, vim sacramentalem habet. Peccatum verò veniale, quod aliquis in implenda pœnitentia committit, non impedit effectum satisfactionis, quia sicut suscipiens sacramentum cum affectu peccati venialis fructus gratiæ particeps fit, ita implens pœnitentiam cum peccato veniali particeps efficitur remissionis pœnæ, neuter enim fructus prouenit ex virtute operantis, sed ex opere operato ipsius sacramenti.

15. *Pœnitens*, qui pœnitentiam iniunctam à confessario adimplet in statu peccati mortalis, præcepto quidem confessarij satisfacit, effectum tamen, siue fructum satisfactionis non consequitur, quamdiu in statu peccati perseuerat: *Suar. disp. 38. sect. 8. Valent. tom. 4. disp. 7. quæst. 14. par. 3. Tolet. lib. 3. c. 9. Nauar. cap. 3. nu. 6. Regin. c. num. 9. & 84. Laym. c. num. 15. Fill. c. num. 57. ratio prioris* est, quia ille dicitur præceptum & obligationem adimplere; qui facit id quod sibi præceptum est; pœnitens autem adimplèdo pœnitentiam in statu peccati mortalis, facit quod sibi præceptum est: præterea talis substantiam operis præcepti implet; modus autem operandi non cadere solet sub præceptum. *Ratio posterioris* est, quia peccatum mortale nondum remissum, est obex & impedimentum ad remissionem pœnæ, indignus est enim vt pœnæ remissionem obtineat, qui dignus est æterna pœna. Contrarium sentiunt Vasq. *q. 94. art. 2. dub. 5. num. 10. Sanc. in select. disp. 16. n. 5.* & alij quorum sententiæ tanquam probabili subscribunt Diana *par. 5. trac. 13. ref. 38. Medina Cod. de pœn. q. de pœnit. iniuncta extra gratiam impleta*, quia satisfactio sacramentalis non causat remissionem pœnæ temporalis media infusione gratiæ, nec per modum meriti de condigno, quibus status peccati mortalis est obex, sed impetrando illam à Deo, cui impetrationi nó obest, quia peccator multa potest à Deo impetrare, & impetrat.

16. Probabile, est pœnitentiam factam in statu peccati mortalis sortiri suum effectum & prodesse ad remissionem pœnæ sublato obice, id est, statu peccati mortalis: quia satisfactio est pars sacramenti, non potest autem esse pars sacramenti quin significet & efficiat aliquid ex opere operato, cum autem non efficiat gratiam, cum gratia conferatur in eo instanti, in quo perficitur absolutio, sequitur debere ex opere operato efficere remissionem peccatorum, saltem recedente obice, seu statu peccati: contra *Rodriq. cap. 56. num. 10. Sà ver. satisfact. num. 7. Suar. c. num. 5. Regin. c. num. 9. 10. 84. Henr. cap. 20. nu. 7. Dian. par. 5. trac. 13. resol. 38. Vasq. 3. par q. 94. num. 2. dub. 5 Valentiam, Sotum*, & alios.

17. *Satisfactio sacramentalis* iniuncta à confessario, non potest per alium adimpleri, sed per ipsummet pœnitentem adimplenda est, nisi confessarius aliud expresserit: quia obligatio personalis implenda est per ipsum, qui huiusmodi obligationi tenetur: cum voluntate autem confessoris potest, quia id præceptum pendet ex voluntate confessoris, ideòque illis satisfit, si eius voluntas implea tur, qui tamen sine iusta causa non debet id concedere; tunc autem quando iustè id concederet, valeret etiam ad satisfaciendum pro illo, pro quo fit ex opere operato; quia semper fieret ex motiuo & petitione ipsius pœnitentis, ideò esset aliquomodo satisfactio ipsius & pars sacramenti ab illo suscepti. Reginaldus *c. nu. 81.* Suares *c. sect. 9.* Caietan. *v. satisfactio.* Bonacina *c. n. 11.* Filliucius *c. n. 58* Henriques *lib. 5. c. 20. nu. 7.* Diana *4. p. trac. 4. resol. 141.* Syl. *in suppl. q. 13. art. 2.* & alij.

SCANDALVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit scandalum?*
2. *Quotuplex sit scandalum?*
3. *Quando peccatum speciale scandali committatur?*
4. *An peccet speciali peccato scandali, qui alterum iussu, consilio, malóve exemplo ad peccandum mouet, licet ruinam eius directè non intendat?* refertur duplex sententia.
5. *An reus sit duorum peccatorum, inducens & consummans cum altero peccatum?*
6. *An scandalum actiuum sit peccatum mortale aut veniale?*
7. *An mortale sit scandalum, quando generale est, & dictum, vel factum est mortale?*
8. *Quando quis censeatur esse causa scandali actiui seu alterum ad peccatum inducere?*
9. *An peccet peccato scandali, qui facit vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum seu ad peccandum?*

§. I.

An circumstantia inductionis ad peccandum, sit confitenda, si alter paratus non erat? refertur duplex sententia.

§. II.

An à ministro malo liceat petere sacramenta?

§. III.

An liceat pecuniam mutuò accipere sub vsura, ab eo, qui paratus est dare?

§. IV.

An sit licitum exigere iuramentum ab eo, qui creditur peieraturus: vel per falsos Deos iuraturus?

10. *An Christiani capti à Turcis remigantes metu mortis contra nostros excusentur à mortali?*

§. I.

An famuli excusentur à peccato comitantes herum, dum ad meretrices accedit?

§. II.

An locantes domos meretricibus vel vsurarijs excusentur?

§. III.

An puella excusetur, qua se præbet conspiciendam adolescenti, à quo sicut se turpiter amari?

§. IV.

An parentes & heri excusentur qui filijs, vel famulis non auferunt occasionem furandi: vt ipsorum fidelitatem experiantur?

§. V.

An liceat Amasio depingere imaginem concubinæ?

11. *An publicè peccantes teneantur circumstantiam scandali manifestare in confessione & numerum personarum exprimere, quibus data est occasio ruinæ?*
12. *Nullum peccatum est committendum, ad vitandum proximi scandalum.*

1. SCandalum est *dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occasionem ruinæ*. Est definitio communis ex *D. Thoma*: dicitur *dictum, vel factum*, quia peccata mentalia neminem scandalizare possunt, cùm vt talia, sint ignota. Dicitur *minùs rectum* non malum, quia sæpè actus ex se bonus, propter speciem mali quam præ se fert, induit rationem scandali. ac propterea caret debita rectitudine, atque adeò simpliciter est malus; nam, vt ait Philosophus, 2. *Ethic. c. 6.* peccare multis modis possumus, rectè verò agere, vno tantùm modo licèt, atque ideò illud facile, hoc verò difficile est. Facile siquidem est, à scopo aberrare, & scopum ferire difficile. Dicitur, *præbens occasionem ruinæ*, nõ causam, quia nemo alterum inuitum impellere potest ad peccatum; humana enim voluntas à nulla re extrinseca tamquam ab efficaci causa potest induci ad peccandum: solùm ergo potest esse occasio. Nomine autem *dicti vel facti* seu externæ operationis, intelligi etiam debet omissio externa. Ita Doctores hic citati D. Thom. 2. 2. q. 43. *art.* 1. Syluius *ibid.* Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 13. nu.* 1. *Aor. tom. 2. lib. 12. cap. 16. q. 1.* Sanches *libro 1. moral. cap. 6. nu.* 1. Bonacina *tom. 2. disp. 2. q. 4. par. 2. §. vnic.* Diana *par. 5. trac. 7. resolution. 1.* Petrus de Ledesma in Summ. *de Scandalo tract. 4. c. 5.* & alij.

2. Ex doctrina *D. Thom. c. art. 1. ad 4. & art. 3. in corpore.* Syl. *ibid. Vasq. 1. 2. disput. 101. cap. 4. num. 8. Fill. trac. 28. cap. 10. num. 220. 225. Clauis reg. libr. 7. cap. 6. num. 8. Nauar. in man. capit. 14. num. 30.*

num.30.31. *Bonac.c.n.2.& 3. Diuv.c.resol.1.* scandalum aliud est *actiuum*, aliud *passiuum*. Actiuum est actus trahens ad peccatum, vt suprà dictum est. Passiuum est ipsa spiritualis proximi ruina. *Actiuum* duplex est, *aliud* enim est per se, quod intendit ruinam proximi de industria: *aliud* est per accidens, quod est præter intentionem, inter quæ medium est, illud, quod non quidem ex intentione operantis, sed ex natura operis proximum inuitat ad peccatum. Itaque respectu operantis est per accidens, quia præter eius intentionem. Respectu operis est per se, quia suapte natura idoneum est, vt alios trahat ad ruinam: vt si quis in conspectu filiorum domi alat cõcubinam. *Scandalum* passiuum similiter *duplex* est, datum & acceptum. *Datum* dicitur id, quod verè oritur ex actiuo scandalo alterius, & solet etiam appellari scandalum pusillorum seu infirmorum. *Acceptum* est ruina alterius, non verè orta ex scandalo actiuo operantis, sed ex malitia propria, quod alio nomine vocatur scandalum Pharisæorum. Præterea *scandalum* actiuum adhuc duplex est, *alterum* speciale, *alterum* generale. *Scandalum* speciale est peccatum, ad quod quis alium inducit indens ipsius spirituale damnum.

Scandalum generale est peccatum, ad quod aliquis alterum inducit seu præbet occasionem, sed non intendit ruinam spiritualem. Vide Doctores hic citatos.

3. Peccatum speciale scandali committitur, quoties quis dat, vel dare intendit alteri occasionem ruinæ, intendens ipsius damnum spirituale, seu quoties dat alteri occasionem ruinæ hac intentione vt peccet: vnde qui alium inducit ad peccatum, intendés ipsius nocumentũ spirituale, peccat duplici peccato: *Primo* peccato speciali scandali *Secundo* peccat eo peccato, quod ab altero cõmittitur; nam qui est causa peccati, reus est illius peccati cuius est causa; nec satisfacit talis dicẽdo in confessione se alterũ ad peccatũ induxisse sed tenetur exprimere inductionẽ, qua alterũ ad peccatũ induxit, & præterea peccatũ ad quod induxit. reus est. n. duplicis peccati: *Primò*, scandali specialis, quod opponitur correctioni fraternæ: *Secundò*, illius peccati, ad quod alterum induxit: Immò fieri potest, vt etiam reus sit alterius peccati, nempe peccati proprij, si fortè distinctum peccatum commisit, aut cum alio peccatum consummauit. Ratio horum est, quia omnes illæ actiones sunt peccata, omne autem peccatum mortale est materia necessaria confessionis: ergo. Ita ex communi Sanches *l.1 mor.cap.6. n. 3.& 8. Azor.tom.1 lib.4.cap.7.q.1. Vasques* 1.2.*disput.*102.*capitul.* 4. Layman *cit.n.6. Nauar.in man.c.6.n.19.* Diana *p.5. tr.7. res.2. Filliuc.tr* 28.*c.*10.*n.*226.& alij.

4. Controuertitur in hac materia de scandalo: an ille, qui alterum iussu, consilio, malòve exemplo ad peccandum mouet, licet ruinam eius directè non intendat, peccet speciali peccato scandali aduersus charitatem & misericordiam?

Affirmant aliqui probabiliter. Ratio est, tum quia in alijs omnibus peccatis, quæ ex damno proximi malitiam accipiunt, volũtarium indirectum siue implicitum ac virtuale æquiparatur explicito seu directo, taciti enim & expressi idem est iudicium. Tũ quia turpitudo peccati, licet physicè sit volita per accidens, quia præter directam intentionem peccantis, moraliter tamen est per se, & specificat voluntatem, quæ conuincitur illam turpitudinem velle. Ita Nauarr. *man.c.*6.*num.*19. *Suar.de charitate disp.*10. *sect.* 2. *Valent.tom.*3.*disp.*3.*q.*18.*par.*2. *Sylu.*2.2.*q.*43.*art.*3.*concl.*2. *Sylnest.v.scandalum*, *q.*2. *Petro de Soto lect.*9. *de confes.ad fin.* & alij. Probabilior tamen sententia docet ad speciale peccatum scandali, requiri expressam intentionem ruinæ spiritualis. Ratio est, quia speciale peccatum requirit specialem finem, & oppositionem speciali virtuti; at nisi intendatur ruina proximi nõ ad est specialis finis nec oppositio speciali virtuti, sed diuersi sunt fines diuersæque virtutes; iuxta vitiorum diuersitatem, ad quæ est inductio; vnde talis tantummodo delinquit eo genere peccati in quod alter labitur: & secundùm hanc sententiam peccatum speciale scãdali rarissimè committitur, quia hæc affectio alterum in spiritualem ruinam præcipitandi Dæmonum propria est, & rarò in hominibus expressè ac formaliter reperitur. Ita D. Thomas 2.2.*q.* 43.*art.*3.*& in* 4.*dist.*38 *quæst.*2. *art.*2.*q.*2. Vasques 1.2.*disp.*102.*c.* 4.*à n.*7. Azor.*to.*1.*l.*4.*cap.*7.*q.*1.*& c.*20. *q.*6. *& tom.*2.*l.*12.*c.*16.*q.* 2.*&* 4. Filliucius *tract.* 28.*n.*225. Sanches *l.*1 *mor.c.*6.*nu.*3. *Bonac. c.num.*13.

Hæc controuersia metaphysica est potiùs, quàm moralis: nam quod attinet ad praxim parum refert; quia in quauis sententia scandalizãs tenetur exponere in confessione, tum speciem scandali actiui, tum passiui. Vt bene aduertunt *Bann.*2.2.*q.*43.*artic.*4. *dub.*1.*concl.*1. *P.de Ledesma in Summ.tom.*2.*tract.*4.*c.*5. *Dian.p. summa tractat.septimo, resolution.*2.

5. Inducens & consummans cum altero peccatum, reus videtur duorum peccatorum, etiamsi non intendat ruinam proximi spiritualem. Ratio est, quia qui alium inducit ad peccatum, non consummans cum eo peccatum, peccat peccato inductionis: cum peccatum alienum imputetur inducenti; Consummans verò simul cum eo peccatum exercet actionem peccaminosam, consummando peccatum, & sic est reus proprij peccati. Vnde qui alterum inducit ad peccatum furti, simulque cum ipso committit furtum, dupliciter peccat, scilicet, proprie peccato furti, auferendo res inuito Domino; & peccato alieno, quatenus imputatur inducenti, *Sanch.lib.*1.*mor.c.*6. *num.*4. *Vasq.c.c.*4. *Caiet.*2.2.*quæst.*43. *articul.*1.3. *Valent.c.punct.*2. *Azor.tom.*2. *libr.*12.*capit.*16. *quæst.* 4.*&* 5.

6. Scandalum actiuum ex suo genere erit peccatum mortale, quoties quis tenetur impedire eam occasionem, abstinendo ab opere, quod est occasio, & non abstinet, siue sit ex expressa ruinæ intentione, siue absque illa. *D.Tho.c.art.*4. Ratio est, tum quia esse alteri voluntariam occasionem ruinæ, est contra charitatem & actum eius, quo tenemur benefacere proximo, sed cùm quis tenetur impedire, & non impedit, est voluntaria occasio, ergo &c. Tum quia omnis actus liber, qui est causa peccati, est peccatum, omnis autem qui scandalizat, quantùm in se est, est causa sufficiens, cur proximus trahatur ad peccatum, etiamsi illud non sequatur. Ita Valent.*c.p.*2. *Sanch.c.capit.*6.*nu.*9. *Tannerus tom.*3. *disp.*2.*quæst.*6.*dub.*3.*nu.*96.

Aduertendum tamen est, non semper esse mortale, si expressè intendatur ruina proximi; quia si ruina sit peccatum veniale, erit tantùm veniale peccatum illam intendere: tunc enim leue proximi damnum desideratur: & hoc verum etiamsi quis per actum peccati mortalis intenderet inducere alterum ad veniale: tantùm enim esset scandalum veniale. *D.Thom.c.art.*4. Sylu. *ibi Azor.to.* 2.*lib.*12.*c.*16.*q.*7. Ratio est, quia huius scandali culpæ quantitas ex solo proximi damno pensanda est: quod intelligendum est, nisi tantus esset affectus inducendi alium in venialem culpam, vt in ea constitueret vltimum finem, tunc esset mortale: & in eo casu esset admittenda sententia *Sylnest. verb.scand. q.*2. *Tabiena ibid. q.*4. *Rosella ibid.nu.*3. *D.Anton.*2.*p.tit.*7.*cap.*4.§.4.

7. Quando scandalum generale est, regulariter loquẽdo, si dictum vel factum est mortale, etiam scandalum mortale erit; & similiter si opus de se non sit malum, sed mali speciem habens, & aduertitur fore occasionem ruinæ mortalis proximo, vel fuit grauis culpa id non aduertere. *Sanch.c.nu.*10. *Fill.tract.*28. *num.* 228. Dixi, *regulariter loquendo*, quia plures coram alijs peccantes excusantur à peccato scandali, vel quia videntes ita sunt in bono stabiles, vt nullo modo peccatis visis censeantur ad peccatum moueri, vel ita prauis moribus sunt imbuti, vt peccatum aliorum nihil illos immutet, nec inde argumentum sumant ad liberius vitijs vacandum: vel ita ad peccandum sunt faciles & inducti, vt nõ censeatur moralis eorum inductio. Ita Doctores numero præcedenti citati: quibus adde Salas *tomo* 1. *in par.*2.*tract.*7. *disputat.* 3 *sect.*4.*num.*84. Sancium *in select.disp.*46.*n.*11. Dianam *p.*5.*tract.* 7.*resol.*3.

Porrò cùm in sacris litteris & Doctoribus dicitur, cessante scandalo opus non esse illicitum vel mortale, intelligendum est de scandalo generaliter accepto, non autem specialiter, in hoc enim ratò homines labuntur, cùm proprium sit Dæmonis intendere spiritualem ruinam alterius, vt bene docent *Bannes* 2. 2. *qu.* 43, *art.*4. *dub.* 1. *Valent.*2.2.*disp.*3.*q.*18. *punct.*2. *Becanus*, *tract.de charit.cap.*27.*q.*2.

8. In multis casibus aliquis censetur cooperari peccato alterius, seu alterum ad peccatum inducere, vel esse causam scandali actiui.

Primò, quando facit aliqua, quæ de se alliciunt, & inducunt ad peccatum, verbi gratia inuitando ad furtum, homicidium, ad fornicationem &c. & hæc est vera cooperatio, cum ista sint ex sua natura mala.

Secundò, quando aliquid ex se indifferens, facit eà intentione, vt alter peccet, verbi gratia si arma vendat, vt empror aliquem iniustè occidat; hic enim finis cùm sit malus, facit actionem malã. Qui verò aliquid facit indifferens, æqualiter ignorans, alterum abusurum, non dicitur cooperari, si hoc faciat absque intentione, vt alter abutatur; quia præstans opus indifferens non debet præsumere proximum inde accepturum occasionem peccandi; cum in dubio nemo præsumatur malus, sed potius bonus, propterea non est, cur illi peccatum alterius imputetur.

Tertiò, quando absque iusta & sufficienti causa facit opus indifferens, quo alios credit abusuros ad peccatum. Ratio est, quia qui-

quilibet cauere tenetur, quantum poteſt, abſque graui ſuo detrimento.proximi peccatum ;aliter enim faciendo, cenſetur illud indirectè velle,cum in moralibus perinde eſt non præcauere malumac illud poſſituè velle: qui autem facit aliquid volens proximi peccatum dicitur cooperari peccato il ius, & conſequenter peccat peccato generali ſcandali, & quidem illius ſpeciei, cuius dat cauſam.

Qui verò facit aliquid ex ſe indifferens,iuſta intercedente cauſa,non peccat; quia non cenſetur cooperari ſeu velle peccatum alterius, ſed ſolum permittere: iuſta autem cauſa faciendi aliquid indifferẽs,quo quis credit alterũ abuſurũ,non ſolũ eſt graue damnum, quod ipſe pateretur abſtinendo à tali opere, verumetiam alia quæuis cauſa,quę indicio prudentis viri iuſta cenſeatur. Ita Valentia 2.2.*diſp.*5.q.21.*punct.*4. *Sanch.l.*1.*moral.c.*7.*nu.*8. 9. 10.& 11.*Leſſius libro* 2.*cap.*23.*dub.*3.*nu.*31.Sylu.2.2.q.43.*art.*4.q. 2.*concl.*1.2.& 3.*Layman l.*2.*trac.*3.*c.*13.*n.*4.5.& alij: qui, etſi diuerſis verbis, hæc fundamenta præmittunt, ex quibus diuerſa corollaria ſequentia inferunt.

9. Peccat ſimiliter peccato ſcandali,qui facit,vel petit aliquod ab eo,qui paratus erat ad illud faciendum,ſeu ad peccandum, etiãſi faciat vel petat aliquod opus indifferens,modo non præſtet opus indifferens ex iuſta & rationabili cauſa: (Opus autem indifferens eſt,quod malè & benè fieri poteſt.) Et illud non ita proximè ad peccatum ordinetur, vt per ſe malum ſit meritò cenſendum. Si verò opus ex ſe indifferens, remotè tantum ſe habeat ad peccatum,tunc operans poſſet excuſari à peccato ſaltem mortali,quia hæc eſt leuis cooperatio: proinde.

Vendens ornamenta, fucos, &c. quibus mulier iam parata abutetur,excuſari poteſt à mortali, ſi ipſo non vendente, alter vẽderet,etſi hoc faciat iuſta de cauſa Sanch.*l.*1.*moral.c.*7.*num.*16. *Diana p.*5.*tr.*7.*reſ.*38.

Secundo,excuſari poſſunt caupones & tabernarij,cœnam vel ientaculum matutinum, aut pomeridianum parantes nolenti ieiunare qui alios cibos inueniret, ipſis non parantibus cœnam vel ientaculum. Nauarrus *cap.*20. *num.*16.& *cap.*21.*num.*25 Leſsius *lib.*4.*cap.*2.*num.*24.*Bonac.de peccatis d.*2.*q.*4.*par.*2. §.*vnic. nu.*37. & alij.

Tertio,ob hanc cauſam excuſari poſſunt famuli parantes menſam,aut menſæ inſeruientes, coquentes cibos: Ratio eſt,quia hi non concurrunt ad connexionem vt eſt fractio ieiunij, ſed vt eſt quid deſeruiens ad refectionem,quod non eſt intrinſecè malum, ſed indifferens *Sà verb.peccatum n.*9. *Sanches c. num.*24. *Nauar. cap.*20.*num.*16. *Aſtor.tom.*2.*l.*12.*cap vlt.*q.8.

A fortiori ille non excuſatur à peccato, qui petit opus, quod ſine peccato fieri non poteſt, & quod alter non feciſſet, quamuis animo paratus eſſet ad illud faciendum, quia hoc eſt directè inducere alterum ad peccandum. Neque refert quòd ſit paratus, quia non veniret ad executionem, niſi tu eius cauſam ſiue occaſionem præberes: proinde nullo modò licet inducere aliquem ad iurandum per falſos Deos, vel ad dandum mutuum ſub vſuris, quamuis ex cauſa liceat tale iuramentum, & eiuſmodi mutuum recipere: puta quando petens his indiget: vel ad diſſolutionem maleficij per aliud maleficium,quia talis petitio pertinet ad amicitiam cum Demone. D.Thom.2.2.q.78. *art.*4. Sylu.*ibi.*& *q.*43. *art.*4.q.2.*concl.*3. Laym.*l.*2.*tr.*3.*c.*13.*n.*3 Nau.*c.*17.*n.*262.Suar.3. *p.to*.3.*diſp.*18.*ſec.*1.& alij.

§. I.

An autem circumſtantia ſcandali ſeu inductionis ad peccatum ſit confitenda, ſi alter ad peccandum paratus erat? Affirmant Sãches *lib.*1.*moral.c.*6.*nu.*14.*Bonacina to.*1.*diſp.*3.q.5.*par.*2.§.3.*diſſicul.*3.*n.*19.& alij,quia etiam in iſto caſu cooperatur quis peccato alterius:vnde hic grauiter peccat,non ſolùm peccato proprio, ſed etiam alieno,quod imputatur ipſi cooperanti: Limitant tamẽ ſuam ſententiam in caſu quo talis circumſtantia non cenſeretur ſufficienter explicata, explicato actu principali, ſecus autem ſi ſufficienter &c. Vt cum quis inuitat aut inducit fœminam paratam ad peccatum fornicationis,explicato actu principali, ſufficienter explicata videtur hæc circumſtantia, cùm à communiter accidentibus, ſatis intelligatur virum perijſſe: ſecus ſi fœmina perijſſet,vel ſi vir perijſſet à non parata, vel ſi executus non fuiſſet. Hæc ſententia eſt probabiliſſima:quam tenent etiam Valqu. *q.*91.*art.*1.*dub* 4.*num.*7. *Filiuc.tract.*28. *num.*231. Nihilominus contraria eſt etiam probabilis & meritò probabilior altera. Tum quia non videtur notabiliter dare ſcandalum, ſeu cauſam ruinæ, per hoc quòd concurrat ad actum externum cum altero, ad quẽ actum alter paratus erat, & quaſi expoſitus,immò in actuali vel virtuali voluntate peccandi. Tum quia,moraliter loquendo, non cenſetur cauſa inducens, nec notabiliter variat iudicium confeſſarij quando vterque eſt paratus ad peccatum perpetrandum, Ita Suar.3.*p.tom.*4.*diſp.*22.*ſect.*4.*nu.*18. *Henriq.l.*2. *de panit.c.*6. *nu.* 7.*Fagundes præcept.*2.*l.*4.*c.*5.*n.*1. *Diana p.*1.*trac.*7. *reſ.*34. *Aſtor. tom.*2.*lib.*12.*c.*16.*q.*3. Notat tamen Sancius *in Select.diſp.*4. *num.* 24.in qualibet ex his duabus opinionibus tunc inuitationem ſpeciem mutare,& neceſſariò eſſe confitendam, quando inuitatio facta eſt extraordinarijs precibus æquiualentibus violentiæ mortali,ita vt difficillimè reſiſti poſſit.

§. II.

Quàdoque nullum eſt peccatum petere aliquid ab alio, ſi quod petitur poſſit abſque peccato præſtari:quamuis ſciatur quod alter non ſine peccato facturus ſit:propterea.

A miniſtro quantumuis malo, licet communiter recipere & petere ſacramenta: immò & ipſum inducere ad ea miniſtranda, quamdiu toleratur ab Eccleſia, & illi incumbit ex officio tibi illa miniſtrare. *Cap.Sciſcitantibus* 15. *quæſt.*8. Tunc enim petens vtitur iure ſuo,& petit rem bonam;quam alter poteſt & debet bene facere: quamuis ex charitate prætermittendus tunc ille ſit,qui noſcitur à peccato non recedere, ſi æquè commodè poſſit haberi ſacramentum ab eo,qui ſine peccato miniſtrabit. Præterea quãdo adeſt rationabilis cauſa petenti,licet etiam ſacramenta petere a miniſtro malo tolerato,cui non incumbit illa miniſtrare, ſi ipſe paratus ſit miniſtrare:quia id non eſt cooperari peccato miniſtri, aut illum inducere ad peccatum, cùm ipſe iam ſe offerat ad illud peccatum committendum, vnde tunc eſt ſufficiens cauſa negligendi eius peccatum.Ita Doctores citati.D. Thomas 3. *par.q.*64. *art.*6.*ad* 2. *Pet. Ledeſma de Sacr.in gen,c.*6.*dub.*11.*concl.*9. 10.11. *Valent.tom.*4.*diſp.*3 *q.*5.*punct.*3. *Aſtor.tom.*2.*lib.*12.*c.*17.*q.*7. *Diana p.*3.*tr.*4.*reſol.*59.& *p.*5.*tr.*7.*reſol.*4.

§. III.

Licet pecuniam mutuò accipere ſub vſura ab eo qui paratus eſt dare:quia hoc non aliud eſt quam vti peccato alterius ad bonum; quod non eſt illicitum,quando adeſt cauſa: puta prouidere ſuæ neceſſitati vel alienæ,vel ad aliquod opus pium, vel etiam ad aliquem ludum publicum,à quo non poteſt quis niſi inhoneſtè abeſſe: vel ad mercaturam honeſtè exercendam, vel ad exercendas aliquas actiones,quas ſine dedecore omittere quis non poteſt. *D.Thom.*2.2.*q.*78.*art.*4.*Petr.Ledeſma de Vſura c.*33.*concluſ.*19. *An autem* liceat petere ab vſurario mutuum ad vſuras expreſsè, & formaliter dicendo, *Da mihi mutuum ad vſuras*. Negant Pontius *de matr.lib.*3.*c.*18.§.7. *num.*47.*Vaſq.opuſc. de ſcanzato art.*8. *num.*19.affirmant Sanches *lib.*3. *moral cap.*8. *num.*17. Bannes 2. 2.*q.*78.*art.*4.*dub.*2.*concl.*2. Sed diſtinguendum puto cum *Sylu.* 2. 2.*q.*78.*art.*4. Si enim illud inducere accipiatur proprie, quatenus ſignificat petere non nudum mutuum, ſed mutuum ſub vſuris, ita vt inductio pro ſuo obiecto habeat etiam modum mutuandi, numquam licet alterum inducere ad dandum mutuum ſub vſuris, quia numquam licet ab alio petere id quod ipſe nullo modo poteſt facere abſque peccato: & in hoc ſenſu habet locum ſententia negatiua Si verò intentio ſit petentis non habet pro obiecto mutuationem ſub vſura faciendam,hoc eſt,totam actionem mutuãtis cum modo quo ab illo fiet, ſed ſolam mutuationem alterius, & paſſionem propriam, tunc licet mutuum petere ſub vſuris ab illo, qui ſine illis mutuare non vult. Ita cum Sylvio Suarez *de relig.tom.*2.*lib.*3.*c.*13.*n.*9. *Diana par.*5.*trac.*7.*reſol.*8.

§. IV.

Probabile eſt licere exigere iuramentum ab eo qui creditur perieraturus, nec eſt paratus ad perierandum, modò concurrat cauſa iuſta neceſſitatis eius iuramenti. Ratio eſt,quia non petitur ab eo periurium,ſed iuramentum,quòd verè præſtare poteſt,& id intendit petens, poteſt enim iurare,verum,quòd ſi talium iurat eſt propter ſolam malitiam, à qua ego non teneor abſtinere cum graui meo damno. Vnde nulla eſt in hoc caſu inductio ad periurium nec conſenſus in illud, ſed quædam illius permiſſio,quæ aliquando ob bonum finem, & ad proprium ius obtinendum eſt licita. Ita Suarez,*de relig.tom.*2. *lib.*3.*cap.*14.*nu.*16. 17. *Leſſius l.* 2.*cap.*42.*dubio* 10.*numero* 49.*Sanch.lib.*3.*moral.c.*8.*num.*7.*Diana p.*5.*tr.*7.*reſol.*9 contra alios ab ipſis citatos.

Multò magis certum eſt licere ab ethnico iuramentum exigere, quem ſcitur per falſos Deos iurarurum: quando exigens neceſſitate cogitur? Ratio eſt, quia hoc non eſt cooperari peccato illius

illius,sed iusta ex causa illo vti,in propriam vtilitatem.Cùm petatur iuramentum, quod licitè præstare potest per verum Deum, & ex malitia sua malè præstat. Quare ea iuramenti petitio tantùm est offerre materiam ex se licitam, qua alter ex malitia sua abutitur ad peccandum Ita *D.Thomas 2.2.q.98.art.4.ad 4. Sylu. ibid. Couarr.c.quamuis pactum 1.p.§.1.nu.20.Regin.l.18.nu.10.Filiuc. tract.25.n.339.Bonacina tom.2. disp.4.q.1.p.11.n.2.* communiter receptus.

10. Excusari possunt, secundùm probabiliorem sententiam Doctorum, à mortali, Christiani capti à Turcis nauigantes metu mortis contra nostros,aut præparantes necessaria ad bellum, aut auxilium ferentes ad munienda castra &c. Ratio est, nam licet peccatum ad quod materialiter cooperantur,perniciosum sit,tamen cooperatio illorum non tam propinqua est,vt sine illa damnum nihi hominus inferretur; quia alij non deessent, qui hunc laborem obirent,& actiones supradictæ sunt indifferentes. Tamen si eo loco constituta res ita esset, vt captiui auxilium denegantes, magno periculo Christianos eriperent,vel victoriam illis conferrent;tunc prædicta non licerent Christianis, & bonum Reipubl. Christianæ anteponendum esset propriæ vitæ. Multò minus eis liceret tormenta in Christianos dirigere,ignemq.applicare, quia directè damnum inferunt:nec deprædari,aut incendere res Christianorum,quia hoc per se malum & iniustum est.Contra quosdã recentiores citatos apud Sanches *lib.1.moral.cap.7.num.18. Molina tom.1.de iust.dis.115.concl.1. Lessius libro 2.c.9.dubio 18. Corduba in summ.q.137.dub.2.Laym.lib.2.tr 3.c.13.n.5. Tannerus 2.2.dispu.1.q.9.dub.5. Diana par.3.tr.5.resol.36. & part.5. tract.7. resol.30.*

§. I.

Item excusantur famuli comitantes herum,dum ad meretrices accedi,si ab hui usmodi comitatu desistere nequeant absque graui detrimento: immò & conducentes concubinam in domum heri,modò nullum internuntium heri deferant, sed tantum illam comitentur; quia tunc cum conuentum sit inter herum,& illam, vt ipsa veniat in domum heri,illam in tali casu comitari, est non secus ac si herum famuli comitarentur abeuntem ad meretrices.Si tamen non esset simplex comitatus, sed actiuè concursu physico famuli concubinam deferrent,vt in curru,sella &c.non sufficeret ad eos excusandos à peccato mortali communis ratio famulatus, quia hoc ministerium proximè accedit ad peccatum,& ideò damnum al quod notabile famuli exigitur,vt id sibi licitum sit: puta si Dominus à domo sua illum expelleret, & expulsus cogeretur mendicare, vel penuriam pati.Vnde vigente tali occasione presso liceret famulo concubinam portare,signare locum vbi sit. Item dicere concubinæ,Dominus meus dicit vt illum hac nocte expectes.Item Domino ascendere volenti per fenestram ad rem habenda cum femina poterit pedem sustinere, aut scalam admouere.Ratio est,quia hæc officia & obsequia,licet sint valde coniuncta peccato,non tamen sunt secundum se,& suapte natura peccata,& ideò seiungi possunt à peccato, per finem diuersum & seiunctum.Plura de famulo apud Doctores hic citatos. Sanches *l.1.moral.c.7.nu.23.26.Nauar.l.5.conf.de pen.consil.6.Rodriq.tom.3.Sum.c.204.n.3.Aror.tom.2.l.12.c.vlt.q.8.Sà v.peccatum num.9.Bonac.de matr.q.4.punct.14.n.6.Diana p.3.tr.5 res.36.& trac.6. res.46.& p.5.tr.7.res.27.28.& 29.* & alios.

§. II.

Excusari etiam possunt à mortali locantes domos meretricibus etiam nulla alia iusta,& vrgenti causa excusante: immo etiamsi eas possint aliis commodè locare.Ratio est,tum quia locatio domus remota est,cum non sit illius materia,neque occasio,tum quia vtuntur iure suo.Idem dicendum de vsurarijs. Cum enim hæc duo hominum genera permittantur in Rep. potest quuis eis domos locare, & alia necessaria vendere, absque intentione aut cooperatione peccati. Tamen si ob loci circumstantiam ratione cuius esset specialis aptitudo ad ea peccata committenda, alias non perpetranda vel vicinia meretricis domum conducentis plurimum fœminis honestis vicinis noceret,tunc teneretur quis non locare domum meretrici vel vsurario, nisi aliqua iusta causa locantem excusaret; hæc autem erit si non possit commodè alis locare. Ita Vasques *de scandalo q.43. artic.8. dubio 5.num.39.* Syluius 2.2.q.77.art.4.quæst.1.conclus.5.Sanchès *libro 1.cap.7.num.20.* Valent.2.2.*disput.5.q.21.punct.4.* Salon.2-2.*quæst. 77.artic.4.controuers.6.* Diana *par.5.trac.7.resol.26.* Bonac.c.*punct.14.num.5*

§. III.

Excusatur etiam puella quæ se præbet conspiciendam adolescenti,à quo scit se turpiter amari modò hoc faciat ex aliqua necessitate,vel vtilitate,aut ne se priuet sua libertate,vel iure exeũdi domo,vel standi ad ostium domus,vel ad fenestram.Ratio est, quia etiamsi ita faciendo det occasionem adolescenti ad illam concupiscendam, tamen illa occasio potius prouenit ex ipsius adolescentis malitia, & ideò est occasio ab ipso accepta, & non à puella data, quæ iure suo & libertate sua vtitur, & iste effectus prouenit per accidens. & licet sit præuisus, non tamen est intẽtus, & ideò non debet ad culpam imputari. Si tamen puella data opera absque vlla necessitate offerret se conspectui illius Amasij, sed quadam vanitate ducta & turpis illius amoris conscia, etsi illum non intenderet, non videtur tunc excusanda à mortali. Ita ex *Caietano 2.2.quæst.154.artic.4 & quæst.169.art.2.Bonacina de matrim.quæst.4.parte 9.numero 17.& tomo 2. disp.2.q.4.p.2. nu.27. §.vnic.Sanches l.1.moral.cap.6.num.16.& 17 Nauar.c.23.nu.18. 19.& cap.14.nu.30. Filiutr.18.cap.10. num.232. Dian.p.2.tract.1. res.30. Aror.tom.2.l.12.c.18. q.12.* plerique recentiores, quia tenetur spirituali proximi saluti consulere, nisi ex aliqua causa excusetur.

§. IV.

Excusari possunt parentes aut heri, qui filijs, vel famulis non auferunt occasionem furandi, vt de ipsorum fidelitate experimentum capiant,ipsoque in futurum à furto parrando auertant, Ratio est,quia non faciunt vel petunt actionem aliquam intrinsecè malam,sed iusta de causa negatiuè se habent,permittẽtes furtum ob maius bonum; Non liceret tamen offerre filijs vel famulis occasionem furandi,sicut nec maritus potest cum vxore pacisci,vt Amasio ipsam ad adulterium sollicitanti,cõsensu fictè præbeat,vt Amasius deprehendatur & percutiatur, Ratio est, quia hæc sunt intrinsecè mala, & cooperatio ad peccatum, Vide Doctores,hic citatos,*Sanchez de matrim.lib.10. cap.12. num.52. & 53.Sà verb.peccatum num.7. P.Nau.l.3.de restit.c.4.numero 127. Mol.tr.3.disp.99.nu.18.Sanc.in select.disp.35.nu.12.*

§. V.

Communiter non licet depingere Amasio imaginem concubinæ,si putetur Amasium ea imagine vsum per libidinem', Ratio est quia traditio talis picturæ homini sic deperdito est quasi donatio gladij parato occidere.

Non est tamen hoc ita intrinsecè malum, quin aliquando liceat, immo cum hæc actio de se indifferens sit, & bono vsui deseruire possit ac proinde ex aliqua graui causa honestari, mortale peccatum non committeret talem imaginem depinges ex metu mortis vel vulneris, amissio autem lucri ex tali pictura non esset causa grauis,Et sic conciliantur Doctores inter se *Aror. to.2.lib.12.c.vlt.q.9.Bonac.de peccat.disp.2.q.4.p.2.§.vnic.nu.29.* contra Sanches *lib.1 moral.c.7.nu.40.Castrus Palaus tom.1.tr.6. disp.6.punct.12.nu.6.*

11. Publicè peccantes obligantur ad circumstantiam scandali manifestandam in confessione,ob periculum, cui se exponunt ruinæ proximi,nec satis est fateri se dicto vel facto alterum scandalizasse,sed speciem peccati,ad quam inciuauis, fateri tenetur, Immò quantum fieri potest,numerus personarum exprimẽdus est, quibus data est occasio ruinæ, etiamsi vnica vice, ac vnico peccato coram illis perpetrato detur, Tum quia sicut explicitè inducere multos ad peccandum auget peccatorum numerum necessariò in confessione exprimẽdum,ita inducere prauo exemplo, *Filiuccius tract.28.num.226.Sanches c.cap.6.num.8.Layman libro 1. tr. 2.capite 10.numero 3.Sylu.2.2.quæst.43.art.3. conclusion secunda.* Diana *parte 5.tract.7. resolut.3.& part.6. tractat.6. resolution.33.* Tum quia sunt peccata numero distincta, vel saltem dicendum est,personas esse quid tenens se ex parte obiecti; obiecti enim non est circumstantia actus, sed constituit actum in suo esse individuali; vnde patet ignorantia multorum confessariorũ, qui cum pœnitentes se toties accusant dedisse scandalum, non faciunt illos accusare,neque de specie peccati, neque de numero personarum,cæci quidem sunt,& duces cæcorum; sicut etiam in alio casu passim occurrenti,nempe quando quis se accusat de delectatione rerum turpium ex colloquio cum alijs, tenetur enim tunc pœnitens exprimere conditionem personarum adstantium, an fuerint coniugatæ,solutę &c.& tenetur exprimere etiam qualitatem sermonis, si videlicet fuerit circa coniugatos, circa solutos,circa nefandum vitium, &c, In duobus tamen casibus publicè peccantes excusantur ab hac circumstantia explicanda, vt dictum est n.7.

Nul-

12. Nullum peccatum eſt committendum, ad vitandum ſcandalum proximi, D. Thom. 2.2.q.43. *art.7. Sylu. ibidem concl.* 1.2.& 3. *Layman lib.2.trac.3.c.13.n.8.& 9 Becanus 2. 2.tom.1. c.* 17.q.5. *num.2.& q.6. Tannerus 2.2.diſp.2.& q.6.dub.9. Valent.to.* 3.*diſp.3.q.18.punct.4. Bannes 2.2.q.43.ar.8.concl.2. Suares de charitate,diſp.*10.*ſect.3.n.9. Nauar.in man.c.*14. *n.*33. *Clauis regia li.* 7.*cap.6.à num.*8. *Malderus* 2.2.*q.*43.*art.*7. *Dian.p.*5. *tr.*7. *reſolut.* 21.22.23.& 24. *Filliuc.tr.*28. *q.*11.*c.*10. Ratio eſt, tum quia nullum peccatum etiam veniale, ordinabile eſt in aliquem finem bonum; habet enim malitiam quandam reſpectu finis infinitam, adeò vt à nulla bonitate finis exhauriri poſſit, quale eſt mentiri, ad ſeruandam totam aliquam prouinciam &c. Tum quia quiſque debet ſeipſum magis diligere quàm alterum, quòd non faceret, ſi vellet potiùs offendere Deum, quàm permittere, vt proximus offendat. Sæpe tamẽ fit, vt propter finem deſinat opus eſſe malum, quòd alioquin malum fuiſſet, v.g. non ieiunare, non audire ſacrũ, &c. propter magnam cauſam ſuperuenientem; tunc enim præceptum illud deſinit obligare, quia vis eius à potentiori præcepto eliditur, vel tranſit in naturam conſilij, vel permiſſionis, vel prohibitionis: Ex his patet numquam licere facere contra vllum negatiuum præceptum iuris naturalis, ad vitandum ſcandalum: quod autem præcepto affirmatiuo ſiue diuino, ſiue humano, ſiue naturali, ſiue poſitiuo iubetur, interdum eſt omittendum propter ſcãdalum: cùm enim præcepta affirmatiua non obligent ad ſemper, ob aliquam circumſtantiam, fit quòd non obligent ad ſuoi obſeruationem iſto vel illo tempore.

Ad vitandum ſcandalum infirmorum, oportet facere & omittere quidquid ſine peccato fieri aut omitti poteſt: Ratio ſumitur ex præcepto charitatis, quæ vult proximo in neceſſitate ſpirituali conſtituto ſuccurri, quantum commodè fieri poteſt: atque is qui ex infirmitate, aut ignorantia, per noſtrum factum, incurſurus eſt peccatum, verſatur in magno ſalutis diſcrimine; ergo &c. Hoc tamen intelligendum eſt, quando ſcandalum puſillorum aliter vitari non poteſt; nam infirmi, & ignorantes debent doceri, & illis reddi ſufficiens ratio facti; quòd ſi non acquieuerint, & poſt redditam rationem adhuc ſcandalum duret, iam tranſit ipſorum ſcandalum in ſcandalum phariſæorum, & ex malitia.

Ad vitandum ſcandalum phariſaicum, nihil neceſſe eſt facere, aut omittere cum detrimento ſpirituali aut temporali: etſi abſque peccato fieri aut omitti poſſit, eſt regula communis ex D. Thom. ar.7. & 8. Ratio eſt, quia qui ſcandalizatur ex malitia, non eſt in ea neceſſitate ſpiritus conſtitutus, vt debeat cum alterius notabili detrimento adiuuari; hic tamen duo ſunt obſeruanda. *Primo*, charitatem ſuadere, vt cum ſcandalum etiam phariſaicum, ſine notabili detrimento vitari poteſt, non facilè proximo offeratur occaſio peccati: nam etiam is qui ex malitia peccat, eſt in aliqua ſpirituali egeſtate conſtitutus: *Secundò*, nullum præceptum etiam humanum eſſe negligendum ad vitandum ſcandalum ex malitia, cùm enim non teneamur illud ſcandalum vitare, verè cenſeremur violare legem, quod eſt intrinſecè malum, ac proinde nullo caſu faciendum.

Ex his dictis ſequitur opera conſilij non eſſe dimittenda propter ſcandalum ex malitia; at ob ſcandalum ex infirmitate aliquãdo eſſe differenda. v.g. filius tenetur ad breue tempus differre ſtatum Eccleſiaſticum, vel ingreſſum religionis, ſi inde parentes grauiter turbentur, non tamen ad longum tempus, quia ſi pergant ideò ſcandalizari, ſcandalum eorum deſinet in phariſaicum. Et hæc ſummatim de ſcandalo dicta ſufficiant.

Plura de ſcandalo. Vide v. *Communio Sacra*, n.30.31. *Irregularitas*, 9.n.5. *Ludus*, 1.n.3. *lex*, 4.n.9.

SCHISMA.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit Schiſma? & quis cenſendus ſchiſmaticus?*
2. *Duplex modus ſchiſmatis recenſetur ex D. Thom.*
3. *Diuiſio ſchiſmatis in purum, & ſimilem cum hæreſi?*
4. *An ſchiſma ſit peccatum mortale? & an fieri poſſit veniale ratione paruitatis materiæ.*
5. *Quæ ſint pœnæ ſchiſmaticorum?*

1. *Schiſma*, Græcum nomen eſt, & ſignificat ſciſſionem, à vocabulo Græco σχίζω, quod ſignificat ſcindere: Vnde ſchiſma eſt, *voluntaria, & pertinax ſubtractio, & ſeparatio ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ, vel ſummi Pontificis, qui principem in Eccleſia locum tenet, Iſidor. libro* 8. *Etymol. cap.*3. *D. Thom.* 2.2.*q.* 39. *art.*1. *Fill. tr.*28. *n.*209. *Sanches libro* 2. *mor. cap.*36. *Reginald. libro* 17.*n.*112.& *lib.*9.*n.*258.259.& 260. *Azor.*1. *par. l.*8. *cap.*20. *q.*1. *Laym. lib.*2. *tr* 3. *c.*11. *nu* 6. Crouſers *ad cap.*7. *reg. Franc. teſt.* 5. Hinc ille, qui ſe ſeparat ab obedientia ſui Prælati, vel Principis, vel particularis Eccleſiæ ſeu diœceſis, vel qui per peccatum mortale ſeparatur ab vnione charitatis, qua Chriſti fideles vinculo charitatis inter ſe, cum Deo connectuntur, vel qui per excõmunicationem arcetur à communi fidelium cœtu, vel qui ob offenſam, quam à Summo Pontifice paſſus eſt, non vult ipſius præceptis morem gerere, vel qui rem à Summo Pontifice præſcriptam, non vult adimplere, quia ſibi grauis vel incommoda eſt, vel qui ſubditus temporali iuriſdictioni Summi Pontificis, non vult ipſi ſubijci, tanquam illius loci Domino, ſed alteri Principi ſubiectionem, & obedientiam præſtare intendit, vel qui ſubtrahit ſe ab obedientia illius, quem probabiliter putat non eſſe legitimum Papam ſchiſmaticus non eſt: Caiet. *v. ſchiſma* et Suares *de cenſur. diſp.*21. *ſ.*2. *n.*13. Sylu. 2.2.*q.*39. *art.*1. Igitur vt quis ſchiſmaticus appellari poſſit, requiritur, vt recedat à Summo Pontifice, aut auocet alios à ſubiectione Summi Pontificis, vt Summus Pontifex eſt, aut qui non vult cum aliquibus communicare hac ſolùm de cauſa, quia ſunt ſubditi Papæ, vt Papa eſt: vel qui contempto Summo Pontifice, facit aut facere intendit Synodos generales, aut qui gerit ſe, vt Papam, & caput Eccleſiæ, cùm non ſit canonicè electus.

2. Secundùm D. Thomam *duplex* eſt modus ſchiſmatis: *Primus*, cum aliquis ſe ſeparat ab Eccleſiæ viſibili capite, ſeu Summo Pontifice, debitam ei obedientiam ac ſubiectionem, qua talis eſt, denegando: *Alter* ſchiſmatis modus eſt, cum quis ſe ſeparat à reliquis Eccleſiæ membris ſiue fidelibus in religionis, cultu, oratione, Sacramentis, alijſque ſpiritualibus functionibus, atque ſeorſim per ſe vel cum alijs agit, tanquam Eccleſiæ membrum non ſit: D. Thoma *c.art.*1. Syluius Caietanus *ibidem* Sanches *citat. capitulo* 36. *numero* 3. Valentia 2.2. *queſtione* 15. *diſpu.*3. *punc.*1.

2. Iure communi ius sepulturæ competit solum Ecclesijs, quę habent populum, siue Parochialibus, at priuilegio Papæ ius sepeliendi fideles concessum est etiam religiosis, in primis ordinis Prædicatorum & Minorum, deinde verò etiam aliis imò Episcopus ex causa cum consensu Capituli, ius sepeliendi alicui Ecclesię non Parochiali concedere potest. *Clement. dudum §. verum de sepulturis, Molin. disput. 214. C. 1. de sepult. in 6. Rodriq. qq. to. 3. q. 58. ar. 7.* Tamen religiosis, & clericis seuerè prohibitum est, ne quemquam, ad vouendum aut iurandum inducant, vt potius in ipsorum Ecclesia sepulturam eligat, vel iam electam vlterius non immutet. Non est autem prohibitum hortari aliquem, & persuadere ipsi, adhibitis etiam precibus, vt apud propriam Ecclesiam eligat sepulturam, dummodo non intendatur ita ipsum obligare, vt non possit mutare electionem iam factam; Cum enim odiosa, & pœnalia restringenda sint, non sunt dilatanda, non debẽt *c. Animarum periculis, de Sepult. in 6. & Clementina Cupientes. §. fin. De pœnis*, extendi ad eos, ad quos verba ipsa non pertingunt, cum loquantur tantum de ijs, qui inducunt ad eligendum cum obligatione.

Sed quæres *Primò*, an excommunicatio lata in prædicta Clementina habeat locum pro ijs, qui inducunt ad electionem sepulturæ, mediante obligatione, eos, qui non pro se eligunt, sed pro alijs; an verò tantum liget eos qui inducunt, qui pro se eligunt? Resp. ligare omnes, qui inducunt ad eligendum siue pro se eligunt, siue pro alijs, vnde si quis induceret ad eligendum sepulturam cum voto, iuramento aut promissione apud alienam Ecclesiam, vt si Minorita inducat vt apud Carmelitas, cum fraude, nempe ad instantiam Carmelitarum, adhuc electio esset nulla, & contrahentur pœnæ positæ in dicta constitutione. Ita Portel. *in dub. reg. verb. Sepultura num.* 5. Hieron. Rodriques *in compend. resolut.* 128.

Quæres *Secundo*, an peccent mortaliter & contrahant pœnas iuris, qui conantur inducere ad eligendam sepulturam cum voto, iuramento, aut promissione, si effectus non sequatur? Resp. certum esse, quòd peccent mortaliter, quia quantum est de se, intendunt actum malum, & tendunt in obiectum prohibitum, quà prohibitum est: quod sufficit, vt actus contrahat malitiam.

Quod autem spectat ad excommunicationem, dicendum est, illos non incurrere, nisi sequatur effectus electionis, vt colligitur ex *c. Perpetuo de elect. in 6.* & ratio est, quia sub excommunicatione non prohibetur conatus ad inducendum, sed inductio ad eligendum cum voto, &c. inductio autem non est in inducente, sed in inducto, quia dicit non persuasionem, sed quod ducatur. Nec non habetur inductio nisi quis trahatur, ad eligendum cum voto, &c. & ideò si non sequatur electio, non habetur inductio. Ita Rodriq. *c. dub. 4. Nauar. c. 27. nu. 103. Suares de cens. disp. 22. sect. 4. num. 26.*

Quæres *Tertiò*, an peccet, qui inducit ad eligendam sepulturã cum obligatione apud Ecclesiam, in qua de iure debet sepeliri defunctus? Resp. Affirmatiuè, quia vbicumque interuenit actus prohibitus, ibi interuenit peccatum, & censura impolita actui prohibito sortitur suum effectum. Actus autem prohibitus per dictas constitutiones est inductio ad eligendam sepulturam cum voto aut alia obligatione, & est contra libertatem electionis sepulturæ, quam æquum est durare vsque ad vltimum vitæ. Tum quia præsumitur hæc inductio fieri ex desiderio emolumenti, quod prouenit ministris Ecclesiæ ex sepultura. Ita Port. *in dub. reg. v. Sepult. n. 4. Lez. to. 5. sum. in mare magnum Minor. nu. 116.* contra *vtrumque Rodriq.* Porrò ab hac excommunicatione incurrenda excusat ignorantia probabilis, seu quando quis ita ignorat prohibitionem, vt probabiliter putet se posse inducere ad tali pacto eligendam sepulturam: quia si excusat à peccato ignorantia, non habet locum excommunicatio, quia non contrahitur nisi ob contumaciam coniunctam cum peccato mortali. Immo secundum *Suares* citatum suprà, aliquid amplius requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, quàm ad peccandum in præsenti casu, & proinde ignorantia aliqua, quæ non excusaret à peccato, posset excusare ab incursu huius censuræ, quia Pontifex fert excommunicationem in temerarios violatores suæ constitutionis: & proinde est necessarius ausus temerarius, qui dicit ire sine ratione contra constitutionem, atque adeò velle ipsum infringere & non obseruare; vnde necessaria est intentio contraueniendi, quæ non habet locum posità quacumque ignorantia etiã affectata; audere namque importat quendam contemptum, vt notat Pasqualigus *in decis. mor. dec. 376.* post Innoc. in *c. Cum medicinalis, de sent. Excom. in 6.*

3. Omnes puberes tam masculi quàm fœminæ, qui liberum arbitrium habent, extra parochiam suam sepulturam eligere possunt: *religiosi* tamen ius sepulturæ eligendę non habent nisi à monasterijs vel collegijs multum diffiti decedant. *Nouitij* autem sepulturam eligere arbitratu suo possunt, *C. 1. de sepult. in 6. Mol. c. d. 214. Sanchez l. 6. mor. c. 14. n. 1. Sylu. v. sepult. q. 6. 7. 8. Rodriq. c. q. 60. art. 1. 2. Layman c. n. 9. Prælati* ordinum, qui superiorem ordinis sui nullum habent sepulturam etiam extra monasterium deligere possunt: *Qui* verò nulla electa sepultura decessit, sepeliendus est in propria parochia, nisi sepulchrum Maiorum habeat: *Famuli* verò religiosorum intra monasterium vel collegiũ morientes in illorum Ecclesijs sepeliri possunt.

4. *Omnes fideles*, seu baptizati in loco sacro sepeliendi sunt, nisi constet eos in excommunicatione aut interdicto, vel in statu peccati mortalis seu impœnitentes decessisse, vel nisi lege canonica aut consuetudine ob crimen aliquod sepultura spolientur: *Cod. Ecclesia, de conf. dist. 1. Bonac. de controu. d. 3. q. 21. p. 2. nu. 1. Con. 2. ref. c. 13. Layman c. n. 10. quære* etiam ad mortem dãnati, si pœnitẽtes decesserint in loco sacro sepeliri possunt: *deinde* ob nulla debita corpus defuncti sepultura prohiberi potest, neque licet creditoribus nullam actionem vel molestiam exhibere hæredi, aut executori, nouem diebus post obitum defuncti.

5. *Sepultura Ecclesiastica* priuari possunt, & iure priuati sunt hæretici, Apostatæ, excommunicati, interdicti, vsurarij manifesti, aut mortui in duello occidentes scienter seipsos, in dubio autem, an is qui seipsum occidit, scienter seipsum occiderit, præsumitur scienter occidisse, nisi constet ipsum antea fuisse amentẽ aut furore tactum. *Bonacina c. nu. 2. Layman c. nu. 11. Sylues. v. sepult. n. 10. Præterea* meretrices publicæ, quæ ad meliorem vitę frugem non redierunt, istis communiter alinina datur sepultura, vel ob locorum consuetudinem, vel ob interdictum, quo plecti solent, Item qui semel in anno sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ non susceperunt *Sàc. num. 3. Deinde* omnis peccator mortalis ac notorius sacra sepultura prohibetur, si eum absque pœnitentia decessisse præsumi debeat. *C. quibus, & seq. 13. q. 2.* Vnde si aliquis in ipso facinore, quod nullo modo excusari potest à mortali, occisus deprehendatur, non præsumitur contritus decessisse: quia mutatio animi est quid facti, quod non præsumitur, sed ostendi debet. Si tamen talis post crimen patratum, qualecumque signum pietatis edidit, vt si in Ecclesia orasse visus est,

nullus est vitandus ex vi prohibitionis Ecclesiasticæ, nisi notorius sit clericis per cuſtor, aut nisi nominatim denunciatus sit reus perpetratæ delictæ, cui est adiuncta communionis priuatio: Bellarmino *libro 2. de Romano Pontifice capite 30. Syl. 2. 2. q. 39 ar ticulo 3. conclusione 3* Sayrus *libro 3 capite 5. n. 19* Sanches *libro 2. mor. c. 36. nu. 15. Tolet. l. 1. c. 19.* Syluius *cit. art. 4. Secunda* pœna est, excõmunicatio, quam ipso facto incurrunt, vt patet ex bulla cœnæ Domini: Ad hanc autem censuram incurrendam requiritur, & sufficit, vt quis schisma factis, aut verbis, aut alio signo externo manifestet, quamuis in mente schisma eius non sit: vnde hac censura liberantur, qui in Anglia externæ obedientiæ signa exhibent erga Regem, quibus indicare non præsumantur ipsum esse Christi Vicarium in spiritualibus, etiamsi interius in mente contrarium sentiant. Hoc tamen affectum tam generale videtur nostro Crouſ. *lec. 5. ad c. 7. reg. S. Franc fol. 528.* nimis rigidum: quia posset fieri, vt obedientia per eos Regi exhibita, non excedat limites debitæ obedientiæ Supremo capiti in temporalibus; & quamuis per regem exigatur, quia se existimat caput Ecclesiæ, non tamen illi, vt capiti eiusmodi exhibeatur: propter eiusmodi autem obedientiam, nemo censeri debet schismaticus, nisi protestetur ex animo simul se eam præstare Regi, vt supremo Ecclesiæ capiti: Deinde posset fieri, vt in aliquibus tantum obedirent Regi, discedendo ab obedientia Pontificis, in alijs autem obedirent Pontifici, nulla significatione extrinsecus facta, quod Pontificem non habeant pro Pontifice: Tum quia videtur hic deesse pertinacia; quòd ad ipsos nominatim non dirigatur præceptum Pontificis, & ex metu grauissimo eiusmodi inobedientiæ actum admittant, non animo se subtrahendi ab obedientia Papæ pertinaciter. *Codice, quæ diligentia, ac electione*, Sanches *consectario 18. Tertia* pœna est, inhabilitas ad beneficia in futurum consequenda; & hoc præcedit etiamsi schismaticus pœnitentiam delicti egerit: hãc autem inhabilitatem tollit dispensatio Summi Pontificis, & quãdiu delictum est occultum, illa per Episcopũ potest etiam auferri. Suares, *de censura. disp. 31. sect. 1 nu. 61.* Sanches *c. n. 20. Porro*, qui ordines vel beneficia à schismaticis suscipiunt, incurrunt suspensionem ab vsu ordinum à schismaticis susceptorum; suscipiens verò beneficium vel dignitatem à schismatico, priuandus est beneficio vel dignitate Ecclesiastica.

Vide *Irregularitas 10. n. 2. Benefic. 7. n. 3. Excomm. 6. Hæresis.*

SECRETVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit secretum & quotuplex?*
2. *An contra fidelitatem & iustitiam peccet, qui secretum sibi commissum reuelat cum damno alterius.*
3. *An sit peccatum mortale secretum detegere vni vel alteri, quos certo nouimus celaturos?*
4. *Quæ sint iusta causa secretum reuelandi?*
5. *An sit illicitum reuelare secreta Reip. vel exercitus, etiam obquamis tormenta?*
6. *An teneatur ad restitutionem qui violat secretum absque iusta causa cum alterius detrimento?*
7. *An aperiens & legens litteras sigillo munitas, aut quæ seruabãtur, in secreto, peccet mortaliter?*

1. SEcretum accipiunt *pro re alicui clanculum manifestata, quæ in plurium notitiam nondum peruenit*; ideòque notorium quidpiam non est; *Triplex* est secreti genus: *Primum*, confessionis sacramentalis, de quo verbo *Confessio 7. Secundum*, eius quod manifestatum noceret ànimæ, corpori, famæ, honori, vel fortunis alterius, etiamsi nulla præcesserit promissio eius non reuelandi, *Tertium*, eius quod expressè vel tacitè promisimus celare: Lay. *l. 3. fe. 5. tr. 3. p. 2. c. 5. n. 1. Nau. c. 18. n. 52. Fill. tr. 40. n. 58.*

2. Contra fidelitatem atque iustitiam peccat mortaliter, qui secretum expressa aut tacita conuentione reticendi sibi commissum reuelat, cuius reuelatio redundat in alterius graue detrimẽtum; quia fides iure naturali seruanda est, & ideò non seruando fidem, peccat contra ius naturæ: Secretum verò reuelans cum leui alterius iniuria vel damno, non videtur mortaliter peccare, etiamsi promiserit se celaturum secretum sibi commissum sub sigillo, paruitas enim materiæ excusat à mortali, modò non sit confessionis secretum. Molina *t. 4. tract. 4. d. 4. Sà v. secretum, Regin. l. 24. n. 106. Nauar. c. n. 52. Azor. to. 3. l. 13. c. 31.*

3. *Secretum* detegere vni vel alteri, quos certò nouimus celaturos, non est peccatum mortale, nam huiusmodi reuelatio non videtur redundare in graue alterius damnum vel iniuriam: si tamen illud quod detegitur, sit aliquod peccatum graue vergens in infamiam, aut detegatur illi, cui certò vel probabiliter creditur, eum, qui secretum commisit, voluisse celari & non manifestari, grauis iniuria ei videtur fieri, qui secretum commisit. Si autem quis secretum ab alio alicui commissum detegat absque animo lædendi, reuera tamen lædat: peccat mortaliter vel venialiter iuxta negligentiam, & inconsiderationem, si enim hæc fuit grauis, erit mortale, si leuis erit veniale. Vide v. *Detrahere* nu 11. Azor. *c. l. 3. cap. 31. dub. 2. & 3. Bonac. de restitu. d. 2. q. 2. par. vnic. num. 2. Filliuc. c. num. 63.* vbi hæc sententia refellitur.

4. *Iusta causa* secretum reuelandi sunt. hæ. *D. Thom. 2. 2. q. 70. a. 1. ad 2. Rodriq. t. 2. c. 55. Prima*, si cedat in reipub. detrimentum, vel priuatæ personæ iniuriam. *Nauar. c. 18. num. 55. Comit. t. 2. d. 27. n. 61. Sanch. de matr. l. 3. d. 13. n. 5. Secunda*, si secretum cessurum sit in graue nocumentum eius, qui tibi commiserat, v. g. si quis occulto impedimento obstrictus à matrimonio reuocari non possit, nisi canonicè denuncietur, licita erit denunciatio secreti ob sacramenti reuerentiam & ad peccatum euitandum. *Layn. c. nu 2. Lessius l. 2. c. 11 d. 8. Molina t. d. 37. concl. 5. Azor. c. dub. 9. Tertia* si tu ipse in simile graue discrimen incidas, nisi cõmissum tibi secretum reueles, quia sicut alia debita, ita & obligatio secreti cessat, quando sine maximo detrimento propriæ vitæ aut famæ seruari non potest: Sin autem ex reuelatione secreti periclitetur vita eius, qui commisit, exinde autem, quod secretum celatur, grauissime periclitetur, honor, fama, vel diuitiæ eius, cui commissum est, viri prudentis arbitrio, omnibus spectatis circũstantijs æstimandum erit vtrum is, cui secretum concreditum erat, tantam obligationem reticendi in se suscipere voluerit, aut debuerit, nec ne.

5. Secreta Reip. vel exercitus, quorum reuelatio in magnam perniciem cedet etiam ob quæuis torméta vel mortis periculum non licet reuelare; quia talis Reipub. tanquam bonum maius atque diuinius anteponèndum est propriæ vitæ, quare ad hoc ipsũ præstandum aliquis obligari potest. Nauarrus c. 18. n. 54. Bonacina *c. n. 8.* Diana *part. 6. tr. 6. res. 60.* Layman *c. n. 3.* Molina *c. d. 37. n. 9.* Vnde miles Hispanus à Gallis captus v. g. non posset ex metu mortis reuelare secretum sui exercitus, conducens ad conseruationem ipsius.

6. Qui violat secretum absque iusta causa cum alterius detrimẽto, tenetur ad restitutionem; quia causa iniusta damni tenetur ad restitutionem; & hoc verum est non solùm quando secretum commissum fuit cum pacto expresso ne manifestaretur, sed etiam quando commissum fuit cum pacto tacito. Veruntamen ille cui concreditum est secretum, potest iudici interroganti respondere cum iuramento se nihil scire, addita restrictione, vt illi aperiat, vel æquiuocatione; habet enim iustam causam vtendi tergiuersatione, vel æquiuocatione, cùm iudex non possit cogere ad manifestandum secretum, quod ex obligatione naturali seruãdum est, *Sylvest. v. secretum, n. 1. Azor. c. Filliuc. c. n. 63.* P. Nauarrus *l. 2. cap. 4. num. 229. Rodriques 1. part. c. 79. nu. 13. Bannes 2. 2. q. 69. ar. 2.*

7. *Aperiens* & legens litteras sigillo munitas, aut quæ seruabantur in secreto loco, mortaliter peccat, si hoc faciat præuidens inde aliquod notabile damnum oriturum, aut si ille, qui litteras clausas mittit vel asseruat, valde cupiat ea quæ continentur in litteris occulta retineri; *Nauar. cap. 18. numer. 53. Sà verbo litter. Molina trac. 4. disp. 36. n. 2. Rodriques in summa tom. 2. c. 55. nu. 2.* nam in his casibus fieri potest, vt quamuis non adsit notabile detrimentum, nihilominus tanta fiat iniuria, quæ pertingat ad peccatum mortale, qui verò legit sine periculo grauis iniuriæ aut notabilis damni, sed ob curiositatem, causa iocandi noua, aut ridendi ob inelegantiam, & barbaram compositionem, non peccat mortaliter, nulli enim grauem facit iniuriam, quamuis P. Nauarra *l. 2. cap. 4. num. 45. Azor. 3. parte l. 13. c. 31. dub. 16. Filliucius, tr. 40. cap. 2. n. 63. Diana tr. 6. miscel. resol. 55. p. 3.* simpliciter dicat, legentem litteras alterius intercluſas sigillo, vel alia via, mortaliter peccare, nisi ratione amicitiæ vel alia de causa credat adesse interpretatiuam voluntatem eius, qui scripsit, aut eius ad quem litteræ scribuntur, vel nisi hoc faciat ex auctoritate legitima, sicut facere consueuerunt superiores in monasterijs. *Præterea* non peccat ille, qui aperit litteras ad præcauendum proprium periculum quod sibi timet: qua de causa litteræ hostium licitè intercipiuntur ab exercitu contrario & leguntur: hac eadem de causa excusatur, qui intercipit litteras sui capitalis inimici.

Vide v. *Falsarius n. 2. Casus reseruatus n. 40. §. 11.*

SEPVL-

SEPVLTVRA.

SVMMARIVM.

1. *Quis sit locus sepulturæ Ecclesiasticæ?*
2. *Quibusnam Ecclesijs competat iure communi & priuilegio Papæ ius sepulturæ? An possint clerici & religiosi quemquam inducere ad vouendum aut iurandum, vt in ipsorum Ecclesia sepulturam eligat?*
   An prohibitum sit etiam sub excommunicatione inducere ad eligendum sepulturam in aliena Ecclesia?
   Et quid dicendum de illis qui inducunt, effectu non secuto?
   An peccet, qui inducit ad eligendum sepulturam apud Ecclesiã, in qua de iure debet sepeliri defunctus?
   An ignorantia excuset ab hac excommunicatione?
3. *An omnes puberes tam masculi quàm fœminæ ius sepulturæ eligendæ habeant?*
4. *An omnes fideles in loco sacro sepeliendi sint?*
5. *Quinam sepultura Ecclesiastica priuari possint, & iure priuati sint? Et an morientes in duello possint sepeliri in loco sacro si signa contritionis dederint ante mortem?*
6. *An mortaliter peccet sepeliens aliquem, quem Ecclesia priuat Ecclesiastica sepultura?*

1. LOcus *sepulturæ* Ecclesiasticæ est Ecclesia & cœmeterium, quod dictum est, quasi dormitorium, in quo fidelium corpora sepeliuntur, & plerumque est locus annexus, ac vicinus Ecclesiæ consecratæ, authoritate Episcopi ad sepulturam deputatus: quamuis cœmeterium constitui etiam possit aliquantulum remotum ab Ecclesia propter fœtorem, præsertim pro eorum corporibus, qui pestè moriuntur: *Sylu. v. sepultura q.1. Layman l. 3. sect. 5. tr. 5. cap. 12. n. 1. & 2. Valentia tom. 3. d. 3. q. 9. p. 2. Sà v. sepultura Bann. 2. 2. q. 32. art. 2.* Propterea mortale peccatum est, si quis fidelium corpora sepelire negligat, cum nullus alius adest, qui illi officium præstet, quia opera charitatis ac misericordiæ in casu eiusmodi necessitatis obligatoria sunt.

2. Iure communi ius sepulturæ competit solum Ecclesijs, quę habent populum, siue Parochialibus, at priuilegio Papæ ius sepeliendi fideles concessum est etiam religiosis, in primis ordinis Prædicatorum & Minorum; deinde verò etiam aliis imò Episcopus ex causa cum consensu Capituli, ius sepeliendi alicui Ecclesię non Parochiali concedere potest. *Clement. dudum §. verum de sepulturis, Molin. disp. 214. C. 1. de sepult. in 6. Rodriq. qq. to. 3. q. 58. ar. 7.* Tamen religiosis, & clericis seuerè prohibitum est, ne quemquam, ad vouendum aut iurandum inducant, vt potius in ipsorum Ecclesia sepulturam eligat, vel iam electam vlterius non immutet. Non est autem prohibitum hortari aliquem, & persuadere ipsi, adhibitis etiam precibus, vt apud propriam Ecclesiam eligat sepulturam, dummodo non intendatur ita ipsum obligare, vt non possit mutare electionem iam factam; Cum enim odiosa, & pœnalia restringenda sint, non sunt dilatanda, non debèt *c. Animarum periculis, de Sepult. in 6. & Clementina Cupientes. §. fin. De pœnis*, extendi ad eos, ad quos verba ipsa non pertingunt, cum loquantur tantum de ijs, qui inducunt ad eligendum cum obligatione.

Sed quæres *Primò*, an excommunicatio lata in prædicta Clementina habeat locum pro ijs, qui inducunt ad electionem sepulturæ, mediante obligatione, eos, qui non pro se eligunt, sed pro alijs; an verò tantum liget eos qui inducunt, qui pro se eligunt? Resp. ligare omnes, qui inducunt ad eligendum siue pro se eligunt, siue pro alijs, vnde si quis induceret ad eligendum sepulturam cum voto, iuramento aut promissione apud alienam Ecclesiam, vt si Minorita inducat vt apud Carmelitas, cum fraude, nempe ad instantiam Carmelitarum, adhuc electio esset nulla, & contrahentur pœnæ positæ in dicta constitutione. Ita Portel. *in dub. reg. verb. Sepultura num. 5.* Hieron. Rodriques *in compend. resolut. 128.*

Quæres *Secundo*, an peccent mortaliter & contrahant pœnas iuris, qui conantur inducere ad eligendam sepulturam cum voto, iuramento, aut promissione, si effectus non sequatur? Resp. certum esse, quòd peccent mortaliter, quia quantum est de se, intendunt actum malum, & tendunt in obiectum prohibitum, quà prohibitum est: quod sufficit, vt actus contrahat malitiam.

Quod autem spectat ad excommunicationem, dicendum est, illos non incurrere, nisi sequatur effectus electionis, vt colligitur ex *c. Perpetuo de elect. in 6.* & ratio est, quia sub excommunicatione non prohibetur conatus ad inducendum, sed inductio ad eligendum cum voto, &c. inductio autem non est in inducente, sed in inducto, quia dicit non persuasionem, sed quod ducatur, vnde non habetur inductio, nisi quis trahatur, ad eligendum cum voto, &c. & ideò si non sequatur electio, non habetur inductio. Ita Rodriq. *c. dub. 4. Nauar. c. 27. nu. 103. Suarez de cens. disp. 22. sect. 4. num. 26.*

Quæres *Tertiò*, an peccet, qui inducit ad eligendam sepulturã cum obligatione apud Ecclesiam, in qua de iure debet sepeliri defunctus? Resp. Affirmatiuè, quia vbicumque interuenit actus prohibitus, ibi interuenit peccatum, & censura imposita actui prohibito sortitur suum effectum. Actus autem prohibitus, per dictas constitutiones est inductio ad eligendam sepulturam cum voto aut alia obligatione, & est contra libertatem electionis sepulturæ, quam æquum est durare vsque ad vltimum vitæ. Tum quia præsumitur hæc inductio fieri ex desiderio emolumenti, quod prouenit ministris Ecclesiæ ex sepultura. Ita Port. *in dub. reg. v. Sepult. n. 4. Lez. to. 5. sum. in mare magnum Minor. nu. 116.* contra *vtrumque Rodriq.* Potrò ab hac excommunicatione incurrenda excusat ignorantia probabilis, seu quando quis ita ignorat prohibitionem, vt probabiliter putet se posse inducere ad tali pacto eligendam sepulturam: quia si excusat à peccato ignorantia, non habet locum excommunicatio, quia non contrahitur nisi ob contumaciam coniunctam cum peccato mortali. Immo secundum *Suarez* citatum suprà, aliquid amplius requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, quàm ad peccandum in præsenti casu, & proinde ignorantia aliqua, quæ non excusaret à peccato, posset excusare ab incursu huius censuræ, quia Pontifex fert excommunicationem in temerarios violatores suæ constitutionis: & proinde est necessarius ausus temerarius, qui dicit ire sine ratione contra constitutionem, atque adeò velle ipsum infringere & non obseruare; vnde necessaria est intentio contraueniendi, quæ non habet locum posità quacumque ignorantia etiã affectata; audere namque importat quendam contemptum, vt notat Pasqualigus *in dec. mor. dec. 376.* post Innoc. in *c. Cum medicinalis, de sent. Excom. in 6.*

3. Omnes puberes tam masculi quàm fœminæ, qui liberum arbitrium habent, extra parochiam suam sepulturam eligere possunt: *religiosi* tamen ius sepulturæ eligendę non habent nisi à monasterijs vel collegijs multum diffiti decedant. *Nouitij* autem sepulturam eligere arbitratu suo possunt, *C. 1. de sepult. in 6. Mol. c. d. 214. Sanchez l. 6. mor. c. 14. n. 1. Sylu. v. sepult. q. 6. 7. 8. Rodriq. c. q. 60. art. 1. 2. Layman c. n. 9. Prælati* ordinum, qui superiorem ordinis sui nullum habent sepulturam etiam extra monasterium deligere possunt: *Qui* verò nulla electa sepultura decessit, sepeliendus est in propria parochia, nisi sepulchrum Maiorum habeat: *Famuli* verò religiosorum intra monasterium vel collegiũ morientes in illorum Ecclesijs sepeliri possunt.

4. *Omnes fideles*, seu baptizati in loco sacro sepeliendi sunt, nisi constet eos in excommunicatione aut interdicto, vel in statu peccati mortalis seu impœnitentes decessisse, vel nisi lege canonica aut consuetudine ob crimen aliquod sepultura spolientur: *Cod. Ecclesia, de conf. dist. 1. Bonac. de controu. d. 3. q. 21. p. 2. nu. 1. Con. 2. ref. c. 13 Layman c. n. 10. quare* etiam ad mortem dãnati, si pœnitẽtes decesserint in loco sacro sepeliri possunt: *deinde* ob nulla debita corpus defuncti sepultura prohiberi potest, neque licet creditoribus nullam actionem vel molestiam exhibere hæredi, aut executori, nouem diebus post obitum defuncti.

5. *Sepultura Ecclesiastica* priuari possunt, & iure priuati sunt hæretici, Apostatæ, excommunicati, interdicti, vsurarij manifesti, aut mortui in duello occidentes scienter seipsos, in dubio autem, an is qui seipsum occidit, scienter seipsum occiderit, præsumitur scienter occidisse, nisi constet ipsum antea fuisse amentẽ aut furore tactum. *Bonacina c. nu. 2. Layman c. nu. 11. Sylues. v. sepult. n. 10. Præterea* meretrices publicæ, quæ ad meliorem vitę frugem non redierunt, illis communiter alumna datur sepultura, vel ob locorum consuetudinem, vel ob interdictum, quo plecti solent, Item qui semel in anno sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ non susceperunt *Sà c. num. 3. Deinde* omnis peccator mortalis ac notorius sacra sepultura prohibetur, si eum absque pœnitentia decessisse præsumi debeat. *C. quibus, & seq. 13. q. 2.* Vnde si aliquis in ipso facinore, quod nullo modo excusari potest à mortali, occisus deprehendatur, non præsumitur contritus decessisse: quia mutatio animi est quid facti, quod non præsumitur, sed ostendi debet. Si tamen talis post crimen patratum, qualecumque signum pietatis edidit, vt si in Ecclesia orasse visus est,

filius,sed iusta ex causa illo vti,in proprium vtilitatem.Cùm petatur iuramentum, quod licitè præstare potest per verum Deum, & ex malitia sua malè præstat. Quare ea iuramenti petitio tantũ est offerre materiam ex se licitam, qua alter ex malitia sua abutitur ad peccandum Ita *D.Thomas 2.2.q.98.art.4.ad 4. Sylu. ibid. Couarr.c.quamuis pactum 1.p.§.1.nu.20.Regin.l.18.nu.10.Filiuc. tract.25.n.339.Bonacina tom.2. disp.4.q.1.p.11.n.2.* communiter receptus.

10. Excusari possunt, secundum probabiliorem sententiam Doctorum, à mortali, Christiani capti à Turcis nauigantes metu mortis contra nostros,aut præparantes necessaria ad bellum, aut auxilium ferentes ad munienda castra &c. Ratio est, nam licet peccatum ad quod materialiter cooperantur,perniciosum sit,tamen cooperatio illorum non tam propinqua est,vt sine illa damnum nihilominus inferretur; quia alij non deessent, qui hunc laborem obirent,& actiones sic prædictæ sunt indifferentes. Tamen si eo loco constituta res ita esset, vt captiui auxilium denegantes, magno periculo Christianos eriperent,vel victoriam illis conferrent;tunc prædicta non licerent Christianis,& bonum Reipubl. Christianæ anteponendum esset propriæ vitæ. Multò minus eis liceret tormenta in Christianos dirigere,ignemq.applicare, quia directè damnum inferunt:nec deprædari,aut incendere res Christianorum,quia hoc per se malum & iniustum est.Contra quosdã recentiores citatos apud Sanches *lib.1.moral.cap.7.num.18. Molina tom.1.de iust.dis.115.concl.1.Lessius libro 2.c.9.dubio 18. Corduba in summ.q.137.dub.2.Laym.lib.2.tr 3.c.13.n.5. Tannerus 2.2.dispu.1.q.9.dub.5. Diana par.3.tr.5.resol.36.& part.5. tract.7. resol.30.*

§. I.

Item excusantur famuli comitantes herum,dum ad meretrices accedit,si ab hu usmodi comitatu desistere nequeant absque graui detrimento: immò & conducentes concubinam in domum heri,modò nullum internuntium heri deferant, sed tantum illam comitentur; quia tunc cum conuentum sit inter herum,& illam, vt ipsa veniat in domum heri,illam in tali casu comitari, est non secus ac si herum famuli comitarentur abeuntem ad meretrices.Si tamen non esset simplex comitatus, sed actiuè concursu physico famuli concubinam deferrent,vt in curru,sella &c.non sufficeret ad eos excusandos à peccato mortali communis ratio famulatus, quia hoc ministerium proximè accedit ad peccatum,& ideò damnum al quod notabile famuli exigitur,vt id sibi licitum sit: puta si Dominus à domo sua illum expelleret, & expulsus cogeretur mendicare, vel penuriam pati.Vnde vrgente tali occasione presso liceret famulo concubinam portare,signare locum vbi sit. Item dicere concubinæ,Dominus meus dicit vt illum hac nocte expectes Item Domino ascendere volenti per fenestram ad rem habenda cum femina poterit pedem sustinere, aut scalam admouere. Ratio est,quia hæc officia & obsequia,licet sint valde coniuncta peccato,non tamen sunt secundum se,& suapte natura peccata,& ideò seiungi possunt à peccato, per finem diuersum & seiunctum.Piura de famulo apud Doctores hic citatos. Sanches *l.1.moral.c.7.nu.23.26.Nauar.l.5.conf.de pen.consil.6.Rodrig.tom.1.Sum.c.204.n.3.Azor.tom.2.l.12.c.vlt.q.8.Sà v.peccatum num.9.Bonac.de matr.q.4.punct.14.n.6. Diana p.3.tr.5 res.36.& trac.6. res.46.& p.5.n.7.res.27.28.& 29.*& alios.

§. II.

Excusari etiam possunt à mortali locantes domos meretricibus etiam nulla alia iusta,& vrgenti causa excusante: immo etiamsi eas possint alijs commodè locare. Ratio est,tum quia locatio domus,vt mis à peccat. remota est,cum non sit illius materia,neque occasio,tum quia vtuntur iure suo. Idem dicendum de vsurarijs. Cum enim hæc duo hominum genera permittantur in Rep. potest quuis ex is domos elocare, & alia necessaria vendere, absque intentione aut cooperatione peccati. Tamen si ob loci circumstantiam ratione situs esset specialis aptitudo ad ea peccata committenda, alias non perpetranda vel vicinia meretricis domum conducentis plurimum fœminis honestis vicinis noceret,tunc teneretur quis non locare domum meretrici vel vsurario, nisi aliqua iusta causa locantem excusaret; hæc autem erit si non possit commodè alijs locare. Ita Vasques *de scandalo q.45. artic.8. dubio 5.num.39.* Syluius *2.2.q.77.art.4.quæst.1.conclus.5.* Sanchès *libro 1.cap.7.num.20.* Valent. *2.2.disput.5.q.21.punct.4.* Salon. *2.2.quæst. 77.artic.4.controuers.6.* Diana *par.5.trac.7.resol.26.* Bonac. *c.punctto 14.num.5*

§. III.

Excusatur etiam puella quæ se præbet conspiciendam adolescenti,à quo scit se turpitet amari modò hoc faciat ex aliqua necessitate,vel vtilitate,aut ne se priuet sua libertate,vel iure exeũdi domo,vel standi ad ostium domus,vel ad fenestram. Ratio est, quia etiamsi ita faciendo det occasionem adolescenti ad illam concupiscendam, tamen illa occasio potius prouenit ex ipsius adolescentis malitia, & ideò est occasio ab ipso accepta, & non à puella data, quæ iure suo & libertate sua vtitur, & iste effectus prouenit per accidens. & licet sit præuisus, non tamen est intẽtus, & ideò non debet ad culpam imputari. Si tamen puella data opera absque vlla necessitate offerret se conspectui illius Amasij, sed quadam vanitate ducta & turpis illius amoris conscia, etsi illum non intenderet, non videtur tunc excusanda à mortali. Ita *ex Caietano 2.2.quæst.154.artic.4 & quæst.169.art.2. Bonacina de matrim.quæst.4.parte 9.numero 17.& tomo 2.disp.2.q.4.p.2. nu.27. §.vnic.Sanches l.1.moral.cap.6.num.16.& 17 Nauar.c.23.nu.18. 19.& cap.14.nu.30. Filiuc.tr.18.cap.10. num.232. Dian p.2.tract.1. res.30. Azor.tom.2.l.12.c.18. q.12.* plerique recentiores, quia tenetur spirituali proximi saluti consulere, nisi ex aliqua causa excusetur.

§. IV.

Excusari possunt parentes aut heri, qui filijs, vel famulis non auferunt occasionem furandi, vt de ipsorum fidelitate experimentum capiant,ipsosque in futurum á furto patrando auertant, Ratio est,quia non faciunt vel petunt actionem aliquam intrinsecè malam,sed iusta de causa negatiuè se habent,permittẽtes furtum ob maius bonum; Non liceret tamen offerre filijs vel famulis occasionem furandi,sicut nec maritus potest cum vxore pacisci,vt Amasio ipsam ad adulterium sollicitanti,cõsensu fictè præbeat,vt Amasius deprehendatur & percutiatur, Ratio est, quia hæc sunt intrinsecè mala, & cooperatio ad peccatum, Vide Doctores,hic citatos,*Sanchez de matrim.lib.10. cap.12. num.52.& 53.Sà verb.peccatum num.7. P.Naul.3.de restit.c.4.numero 127. Mol.tr.3.disp.99.nu.18.Sanc.in select.disp.35.nu.12.*

§. V.

Communiter non licet depingere Amasio imaginem concubinæ,si putetur Amasium ea imagine vsum per libidinem', Ratio est quia traditio talis picturæ homini sic deperdito est quasi donatio gladij parato occidere.

Non est tamen hoc ita intrinsecè malum, quin aliquando liceat, immo cum hæc actio de se indifferens sit, & bono vsui deseruire possit ac proinde ex aliqua graui causa honestari, mortale peccatum non committeret talem imaginem depinges ex metu mortis vel vulneris, amissio autem lucri ex tali pictura non esset causa grauis,Et sic conciliantur Doctores inter se *Azor. to.2.lib.11.c.vlt.q.9. Bonac.de peccat.disp.2.q.4.p.2.§.vnic.nn.29.* contra Sanches *lib.1 moral.c.7.nu.40.Castrus Palaus tom.1.tr.6. disp. 6.punct.12.nu.6.*

11. Publicè peccantes obligantur ad circumstantiam scandali manifestandam in confessione,ob periculum, cui se exponunt ruinæ proximi,nec satis est fateri se dicto vel facto alterum scandalizasse,sed speciem peccati,ad quam incitauit, fateri tenetur, Immò quantum fieri potest,numerus personarum exprimẽdus est, quibus data est occasio ruinæ, etiamsi vnica vice, ac vnico peccato coram illis perpetrato detur, Tum quia sicut explicitè inducere multos ad peccandum auget peccatorum numerum necessariò in confessione exprimẽdum,ita inducere prauo exemplo. *Filiuc. tract.28.num.226.Sanches c.cap.6.num.8.Layman libro 1. tr. 2.capite 10.numero 3.Sylu.2.2.quæst.43.art.3. conclusion secunda,* Diana *parte 5.tract.7. resolut.3.& part.6. tractat.6. resolution.33.* Tum quia sunt peccata numero distincta, vel saltem dicendum est,personas esse quid tenens se ex parte obiecti; obiectũ enim non est circumstantia actus, sed constituit actum in suo esse individuali; vnde patet ignorantia multorum confessariorũ, qui cum pœnitentes se toties accusant dedisse scandalum, non faciunt illos accusare,neque de specie peccati, neque de numero personarum,cæci quidem sunt,& duces cæcorum; sicut etiam in alio casu passim occurrenti,nempe quando quis se accusat de delectatione rerum turpium ex colloquio cum alijs, tenetur enim tunc pœnitens exprimere conditionem personarum adstantium, an fuerint coniugatæ,solutę &c.& tenetur exprimere etiam qualitatem sermonis, si videlicet fuerit circa coniugatos, circa solutos,circa nefandum vitium, &c, In duobus tamen casibus publicè peccantes excusantur ab hac circumstantia explicanda, vt dictum est n.7.

Nul-

12. Nullum peccatum eſt committendum, ad vitandum ſcandalum proximi, D. Thom. 2.2.q.43. *art.*7. *Sylu. ibidem concl.* 1.2. & 3. *Layman lib.*2. *trac.*3. *c.*13. *n.*8. & 9 *Becanus* 2. 2. *tom.*1. *c.* 37. *q.*5. *num.*2. & *q.*6. *Tannerus* 2.2. *diſp.*2. & *q.*6. *dub.*9. *Valent.to.* 3. *diſp.*3. *q.*18. *punct.*4. *Bannes* 2.2. *q.*43. *ar.*8. *concl.*2. *Suares de charitate, diſp.*10. *ſect.*3. *n.*9. *Nauar. in man. c.*14. *n.*33. *Clauis regia li.* 7. *cap.*6. *à num.*8. *Malderus* 2.2. *q.*43. *art.*7. *Dian. p.*5. *tr.*7. *reſolut.* 21. 22. 25. & 24. *Filliuc. tr.*28. *q.*11. *c.*10. Ratio eſt, tum quia nullum peccatum etiam veniale, ordinabile eſt in aliquem finem bonum; habet enim malitiam quandam reſpectu finis infinitam, adeò vt à nulla bonitate finis exhauriri poſſit, quale eſt mentiri, ad ſeruandam totam aliquam prouinciam &c. Tum quia quiſque debet ſeipſum magis diligere quàm alterum, quòd non faceret, qui vellet potiùs offendere Deum, quàm permittere, vt proximus offendat. Sæpe tamè fit, vt propter finem deſinat opus eſſe malum, quòd alioquin malum fuiſſet, v. g. non ieiunare, non audire ſacrũ, &c. propter magnam cauſam ſuperuenientem; tunc enim præceptum illud deſinit obligare, quia vis eius à potentiori præcepto eliditur, vel tranſit in naturam conſilij, vel permiſſionis, vel prohibitionis: Ex his patet numquam licere facere contra vllum negatiuum præceptum iuris naturalis, ad vitandum ſcandalum: quod autem præcepto affirmatiuo ſiue diuino, ſiue humano, ſiue naturali, ſiue poſitiuo iubetur, interdum eſt omittendum propter ſcãdalum: cùm enim præcepta affirmatiua non obligent ad ſemper, ob aliquam circumſtantiam, ſit quòd non obligent ad ſuoi obſeruationem iſto vel illo tempore.

Ad vitandum ſcandalum infirmorum, oportet facere & omittere quidquid ſine peccato fieri aut omitti poteſt: Ratio ſumitur ex præcepto charitatis, quæ vult proximo in neceſſitate ſpirituali conſtituto ſuccurri, quantum commodè fieri poteſt: atque is qui ex infirmitate, aut ignorantia, per noſtrum factum, incurſurus eſt peccatum, verſatur in magno ſalutis diſcrimine; ergo &c. Hoc tamen intelligendum eſt, quando ſcandalum puſillorum aliter vitari non poteſt; nàm infirmi, & ignorantes debent doceri, & illis reddi ſufficiens ratio facti; quòd ſi non acquieuerint, & poſt redditam rationem adhuc ſcandalum duret, iam tranſit ipſorum ſcandalum in ſcandalum phariſæorum, & ex malitia.

Ad vitandum ſcandalum phariſaicum, nihil neceſſe eſt facere, aut omittere cum detrimento ſpirituali aut temporali: etſi abſque peccato fieri aut omitti poſſit, eſt regula communis ex D. Thom. ar.7. & 8. Ratio eſt, quia qui ſcandalizantur ex malitia, non eſt in ea neceſſitate ſpiritus conſtituti, vt debeat cum alterius notabili detrimento adiuuari; hic tamen duo ſunt obſeruanda. *Primò*, charitatem fundere, vt cum ſcandalum etiam phariſaicum, ſine notabili detrimento vitari poteſt, non facilè proximo offeratur occaſio peccati; nam etiam is qui ex malitia peccat, eſt in aliqua ſpirituali egeſtate conſtitutus: *Secundò*, nullum præceptum etiam humanum eſſe negligendum ad vitandum ſcandalum ex malitia, cùm enim non teneamur illud ſcandalum vitare, verè cenſeremur violare legem, quod eſt intrinſecè malum, ac proinde nullo caſu faciendum.

Ex his dictis ſequitur opera conſilij non eſſe dimittenda propter ſcandalum ex malitia; at ob ſcandalum ex infirmitate aliquãdo eſſe differenda, v. g. filiis tenetur ad breue tempus differre ſtatum Eccleſiaſticum, vel ingreſſum religionis, ſi inde parentes grauiter turbentur, non tamen ad longum tempus, quia ſi pergant ideò ſcandalizari, ſcandalum eorum deſinet in phariſaicum. Et hæc ſummatim de ſcandalo dicta ſufficiant.

Plura de ſcandalo. Vide v. *Communio Sacra*, n.30.31. *Irregularitas*, 9.n.5. *Ludus*, 1.n.3. *lex*, 4.n.9.

SCHISMA.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit Schiſma? & quis cenſendus ſchiſmaticus?*
2. *Duplex modus ſchiſmatis recenſetur ex D. Thom.*
3. *Diuiſio ſchiſmatis in purum & mixtum cum hæreſi?*
4. *An ſchiſma ſit peccatum mortale? & an fieri poſſit veniale ratione paruitatis materiæ.*
5. *Quæ ſint pœnæ ſchiſmaticorum?*

1. *Schiſma*, Græcum nomen eſt, & ſignificat ſciſſionem, à vocabulo Græco σχίζω, quod ſignificat ſcindere: Vnde ſchiſma eſt, *voluntaria, & pertinax ſubtractio, & ſeparatio ab obedientia vniuerſalis Eccleſiæ, vel ſummi Pontificis, qui principem in Eccleſia locum tenet, Iſidor. libro* 8. *Etymol. cap.*3. *D. Thom.* 2.2. *q.* 39. *art.*1. *Fill. tr.*28. *n.*209. *Sanches libro* 2. *mor. cap.*36. *Reginald. libro* 17. *n.*112. & *lib.*9. *n.*258. 259. & 260. *Azor.* 1. *par. l.*8. *cap.*20. *q.*4. *Laym. lib.*2. *tr* 3. *c.*11. *n.*6 Crouſers *ad cap.*7. *reg. Franc. lect.* 5. Hinc ille, qui ſe ſeparat ab obedientia ſui Prælati, vel Principis, vel particularis Eccleſiæ ſeu diœceſis, vel qui per peccatum mortale ſeparatur ab vnione charitatis, qua Chriſti fideles vinculo charitatis inter ſe, cum Deo connectuntur, vel qui per excõmunicationem arcetur à communi fidelium cœtu, vel qui ob offenſam, quam à Summo Pontifice paſſus eſt, non vult ipſius præceptis morem gerere, vel qui rem à Summo Pontifice præſcriptam, non vult adimplere, quia ſibi grauis vel incommoda eſt, vel qui ſubditus temporali iuriſdictioni Summi Pontificis, non vult ipſi ſubijci, tanquam illius loci Domino, ſed alteri Principi ſubiectionem, & obedientiam præſtare intendit, vel qui ſubtrahit ſe ab obedientia illius, quem probabiliter putat non eſſe legitimum Papam ſchiſmaticus non eſt: Caiet. *v. ſchiſmate* Suares *de cenſur. diſp.*21. *ſ.*2. *n.*13. Sylu. 2.2. *q.*39. *art.*1. Igitur vt quis ſchiſmaticus appellari poſsit, requiritur, vt recedat à Summo Pontifice, aut auocet alios à ſubiectione Summi Pontificis, vt Summus Pontifex eſt, aut qui non vult cum aliquibus communicare hac ſolùm de cauſa, quia ſunt ſubditi Papæ, vt Papa eſt: vel qui contempto Summo Pontifice, facit aut facere intendit Synodos generales, aut qui gerit ſe, vt Papam, & caput Eccleſiæ, cùm non ſit canonicè electus.

2. Secundùm D. Thomam *duplex* eſt modus ſchiſmatis: *Primus*, cum aliquis ſe ſeparat ab Eccleſiæ viſibili capite, ſeu Summo Pontifice, debitam ei obedientiam ac ſubiectionem, qua talis eſt, denegando: *Alter* ſchiſmatis modus eſt, cum quis ſe ſeparat à reliquis Eccleſiæ membris ſiue fidelibus in religionis, cultu, oratione, Sacramentis, alijſque ſpiritualibus functionibus, atque ſeorſim per ſe vel cum alijs agit, tanquam Eccleſiæ membrum non ſit: D. Thoma *c. art.*1. Syluius Caietanus *ibidem* Sanches *citat. capitulo* 36. *numero* 3. Valentia 2.2. *quæſtione* 15. *diſpu.*3. *pun.*1.

3. *Schiſma* diuiditur *in purum, & mixtum cum hæreſi*. Purum ſchiſma charitati ſolum atque paci oppoſitum in ijs eſt, qui cum credant vnam eſſe ſanctam Eccleſiam ſub viſibili capite, Summo Pontifice, conſtitutam, tamen ex malitia voluntatis nolunt Pontifici ſubijci, vel reliquis Eccleſiæ membris vniti eſſe, idque vel ſola intentione, quod eſt ſchiſma merè internum, vel operis etiã executione, quod eſt ſchiſma externum, & opere conſummatum, *Schiſma cum hæreſi iunctum eſt*, ſi aliquis pertinaci animo negat Summum Pontificem totius Eccleſiæ caput, & paſtorem eſſe, vel Eccleſiæ ſanctæ communionem atque ob eam cauſam ſe ſegregat: qua propter ſicuti fluente fide, fluit etiam charitas, non vice verſa, ita hæreſis ſecum ducit ſchiſma, non vice verſa; vnde omnis hæreticus verus ac formalis ſchiſmaticus eſt, non item omnis verus ſchiſmaticus etiam hæreticus eſt, Vt docent D. Thoma *c. art.*1. *ad* 3. Syluius *ibidem* Toletus *l.*1. *c.*19. Suares *to.*5. *diſp.* 21. *ſec.*2. *n.*13. Sanches *c. n.*8. Layman *c. n.*5.

4. Schiſma ex ſuo genere peccatum eſt mortale contra charitatem, quia per illud violatur vnitas corporis Eccleſiæ; tamen ob in deliberationem, & imperfectam aduertentiam fieri poteſt veniale ratione, autem paruitatis materiæ non poteſt fieri veniale, ſicut & hæreſis aut blaſphemia: nam ſchiſma conſiſtit formaliter in diuiſione, & rebellione ab vnitate vniuerſalis Eccleſiæ aut capitis; rebellio autem, & diuiſio ab huiuſmodi vnitate in quauis materia reperiatur, grauiſſimam continet inordinationem: & inter peccata contra proximum eſt vnum ex grauiſſimis, quia ledit præſtantiſſimum bonum commune, nempe Eccleſiæ vnitatẽ: D. Thoma *citato a.*1. Sylueius *ibid.* Valentia, 2.2. *d.*3. *q.*15. *p.*1. & 2. *Reginald. l.*17. *nu.*113. *Filliuc. c. numero* 211. & *ſeq. Bonac. tom.* 2. *d.*3. *q.*4 *p. vlt. §.*5. *n.*4. *D. Thom. cit. art.*2. Hæreſis quidem ex obiecto eſt grauius peccatum, quàm ſchiſma: quia aduerſatur diuinæ veritati, ac proinde ipſi Deo in ſe: in circumſtantijs verò, & damnis quæ ſolet afferre ſchiſma, eſt grauius ſchiſma quàm hæreſis.

5. Pœnæ contra ſchiſmaticos ſunt: Cod. *dicimus*, 24. *q.*1. *Tolet. libro primo, c.*13. *numero* 2. Sotus, 4. *d.*12. *q.*1. *art.*4. *Filliucius tract.* 28. *numero* 218. *Prima*, priuatio Eccleſiaſticæ iuriſdictionis, quæ conſiſtit in facultate abſoluendi, excommunicandi, indulgentias concedendi, beneficia conferendi, &c. quia cum ſchiſmatici voluntariè ſe retrahant ab Eccleſia, & ab ipſius capite, par non eſt, vt fruantur fructu iuriſdictionis, qui ab Eccleſia, & ab ipſius capite in Eccleſiæ membra deriuat, vt autem hæc pœna incurratur, ſecundùm probabiliorem ſententiam, requiritur vt nominatim denunciatus fuerit ſchiſmaticus, quia poſt Concilium Cõſtantienſe

SEPVLTVRA.

SVMMARIVM.

1. *Quis sit locus sepulturæ Ecclesiasticæ?*
2. *Quibusnam Ecclesijs competat iure communi & priuilegio Papæ ius sepulturæ? An possint clerici & religiosi quemquam inducere ad vouendum aut iurandum, vt in ipsorum Ecclesia sepulturam eligat?*
   An prohibitum sit etiam sub excommunicatione inducere ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia?
   Et quid dicendum de illis qui inducunt, effectu non secuto?
   An peccet, qui inducit ad eligendam sepulturam apud Ecclesiã, in qua de iure debet sepeliri defunctus?
   An ignorantia excuset ab hac excommunicatione?
3. *An omnes puberes tam masculi quàm fœminæ ius sepulturæ eligendæ habeant?*
4. *An omnes fideles in loco sacro sepeliendi sint?*
5. *Quinam sepultura Ecclesiastica priuari possint, & iure priuati sint? Et an morientes in duello possint sepeliri in loco sacro si signa contritionis dederint ante mortem?*
6. *An mortaliter peccet sepeliens aliquem, quem Ecclesia priuat Ecclesiastica sepultura?*

1. LOcus *sepulturæ* Ecclesiasticæ est Ecclesia & cœmeterium, quod dictum est, quasi dormitorium, in quo fidelium corpora sepeliuntur, & plerumque est locus annexus, ac vicinus Ecclesiæ consecratæ, authoritate Episcopi ad sepulturam deputatus: quamuis cœmeterium constitui etiam possit aliquantulum remotum ab Ecclesia propter fœtorem, præsertim pro eorum corporibus, qui pestè moriuntur: *Syln. v. sepultura q.1. Layman l. 3. sect. 5. tr. 5. cap. 12. n. 1. & 2. Valentia tom. 3. d. 3. q. 9 p. 2. Sà v. sepultura Bann. 2. 2. q. 32. art. 2.* Propterea mortale peccatum est, si quis fidelium corpora sepelire negligat, cum nullus alius adest, qui id officium præstet, quia opera charitatis ac misericordiæ in casu eiusmodi necessitatis obligatoria sunt.

2. Iure communi ius sepulturæ competit solum Ecclesijs, quę habent populum, siue Parochialibus, at priuilegio Papæ ius sepeliendi fideles concessum est etiam religiosis, in primis ordinis Prædicatorum & Minorum, deinde verò etiam aliis imò Episcopus ex causa cum consensu Capituli, ius sepeliendi alicui Ecclesię non Parochiali concedere potest. *Clement. dudum §. verum de sepulturis, Molin. disput. 214. C. 1. de sepult. in 6. Rodriq. qq. to. 3. q. 58. ar. 7.* Tamen religiosis, & clericis seuerè prohibitum est, ne quemquam, ad vouendum aut iurandum inducant, vt potius in ipsorum Ecclesia sepulturam eligat, vel iam electam vlterius non immutet. Non est autem prohibitum hortari aliquem, & persuadere ipsi, adhibitis etiam precibus, vt apud propriam Ecclesiam eligat sepulturam, dummodo non intendatur ita ipsum obligare, vt non possit mutare electionem iam factam; Cum enim odiosa, & pœnalia restringenda sint, non sunt dilatanda, non debẽt *c. Animarum periculis, de Sepult. in 6. & Clementina Cupientes. §. fin. De pœnis*, extendi ad eos, ad quos verba ipsa non pertingunt, cum loquantur tantum de ijs, qui inducunt ad eligendum cum obligatione.

Sed quæres *Primò*, an excommunicatio lata in prædicta Clementina habeat locum pro ijs, qui inducunt ad electionem sepulturæ, mediante obligatione, eos, qui non pro se eligunt, sed pro alijs; an verò tantum liget eos qui inducunt, qui pro se eligunt? Resp. ligare omnes, qui inducunt ad eligendum siue pro se eligunt, siue pro alijs, vnde si quis induceret ad eligendum sepulturam cum voto, iuramento aut promissione apud alienam Ecclesiam, vt si Minorita inducat vt apud Carmelitas, cum fraude, nempe ad instantiam Carmelitarum, adhuc electio esset nulla, & contrahentur pœnæ positæ in dicta constitutione. Ita Portel. *in dub. reg. verb. Sepultura num. 5.* Hieron. Rodriques *in compend. resolut. 128.*

Quæres *Secundo*, an peccent mortaliter & contrahant pœnas iuris, qui conantur inducere ad eligendam sepulturam cum voto, iuramento, aut promissione, si effectus non sequatur? Resp. certum esse, quòd peccent mortaliter, quia quantum est de se, intendunt actum malum, & tendunt in obiectum prohibitum, quia prohibitum est: quod sufficit, vt actus contrahat malitiam.

Quod autem spectat ad excommunicationem, dicendum est, illos non incurrere, nisi sequatur effectus electionis, vt colligitur ex *c. Perpetuo de elect. in 6.* & ratio est, quia sub excommunicatione non prohibetur conatus ad inducendum, sed inductio ad eligendum cum voto, &c. inductio autem non est in inducente, sed in inducto, quia dicit non persuasionem, sed quod ducatur, quæ non habetur inductio, nisi quis trahatur, ad eligendum cum voto, &c. & ideò si non sequatur electio, non habetur inductio. Ita Rodriq. *c. dub. 4. Navar. c. 27. nu. 103. Suarez de cens. disp. 22. sect. 4. num. 26.*

Quæres *Tertiò*, an peccet, qui inducit ad eligendam sepulturã cum obligatione apud Ecclesiam, in qua de iure debet sepeliri defunctus? Resp. Affirmatiuè, quia vbicunque interuenit actus prohibitus, ibi interuenit peccatum, & censura impositæ actui prohibito sortitur suum effectum. Actus autem prohibitus, per dictas constitutiones est inductio ad eligendam sepulturam cum voto aut alia obligatione, & est contra libertatem electionis sepulturæ, quam æquum est durare vsque ad vltimum vitæ. Tum quia præsumitur hæc inductio fieri ex desiderio emolumenti, quod prouenit ministris Ecclesiæ ex sepultura. Ita Port. *in dub. reg. v. Sepult. n. 4. Lez. to. 5. sum. in mare magnum Minor. nu. 116.* contra *vtrumque Rodriq.* Porrò ab hac excommunicatione incurrenda excusat ignorantia probabilis, seu quando quis ita ignorat prohibitionem, vt probabiliter putet se posse inducere ad tali pacto eligendam sepulturam: quia si excusat à peccato ignorantia, non habet locum excommunicatio, quia non contrahitur nisi ob contumaciam coniunctam cum peccato mortali. Immo secundum *Suarez* citatum suprà, aliquid amplius requiritur ad incurrendam hanc excommunicationem, quàm ad peccandum in præsenti casu, & proinde ignorantia aliqua, quæ non excusaret à peccato, posset excusare ab incursu huius censuræ, quia Pontifex fert excommunicationem in temerarios violatores suæ constitutionis: & proinde est necessarius ausus temerarius, qui dicit ire sine ratione contra constitutionem, atque adeò velle ipsum infringere & non obseruare; vnde necessaria est intentio contraueniendi, quæ non habet locum posità quacumque ignorantia etiã affectata; audere namque importat quendam contemptum, vt notat Pasqualigus *in decis. mor. dec. 376.* post Innoc. *in c. Cum medicinalis, de sent. Excom. in 6.*

3. Omnes puberes tam masculi quàm fœminæ, qui liberum arbitrium habent, extra parochiam suam sepulturam eligere possunt: *religiosi* tamen ius sepulturæ eligendę non habent nisi à monasterijs vel collegijs multum diffiti decedant. *Nouitij* autem sepulturam eligere arbitratu suo possunt, *C. 1. de sepult. in 6. Mol. c. d. 214. Sanchez l. 6. mor. c. 14. n. 1. Sylu. v. sepult. q. 6. 7. 8. Rodriq. c. q. 60. art. 1. 2. Layman c. n. 9. Prælati* ordinum, qui superiorem ordinis sui nullum habent sepulturam etiam extra monasterium deligere possunt: *Qui* verò nulla electa sepultura decessit, sepeliendus est in propria parochia, nisi sepulchrum Maiorum habeat: *Famuli* verò religiosorum intra monasterium vel collegiũ morientes in illorum Ecclesijs sepeliri possunt.

4. *Omnes fideles*, seu baptizati in loco sacro sepeliendi sunt, nisi constet eos in excommunicatione aut interdicto, vel in statu peccati mortalis seu impœnitentes decessisse, vel nisi lege canonica aut consuetudine ob crimen aliquod sepultura spolientur: *Cod. Ecclesia, de conf. dist. 1. Bonac. de contro. d. 3. q. 21. p. 2. nu. 1. Con. 2. ref. c. 13. Layman c. n. 10. quare* etiam ad mortem dãnati, si pœnitẽtes decesserint in loco sacro sepeliri possunt: *deinde* ob nulla debita corpus defuncti sepultura prohiberi potest, neque licet creditoribus nullam actionem vel molestiam exhibere hæredi, aut executori, nouem diebus post obitum defuncti.

5. *Sepultura Ecclesiastica* priuari possunt, & iure priuati sunt hæretici, Apostatæ, excommunicati, interdicti, vsurarij manifesti, aut mortui in duello occidentes scienter seipsos, in dubio autem, an is qui seipsum occidit, scienter seipsum occiderit, præsumitur scienter occidisse, nisi constet ipsum antea fuisse amentẽ aut furore tactum. *Bonacina c. nu. 2. Layman c. nu. 11. Sylueſt. v. sepult. n. 10. Præterea* meretrices publicæ, quæ ad meliorem vitę frugem non redierunt, illis communiter alũnina datur sepultura, vel ob locorum consuetudinem, vel ob interdictum, quo plecti solent, Item qui semel in anno sacramentum pœnitentiæ & Eucharistiæ non susceperunt *Sàc. num. 3. Deinde* omnis peccator mortalis ac notorius sacra sepultura prohibetur, si eum absque pœnitentia decessisse præsumi debeat. *C. quibus, & seq. 13. q. 2.* Vnde si aliquis in ipso facinore, quod nullo modo excusari potest à mortali, occisus deprehendatur, non præsumitur contritus decessisse: quia mutatio animi est quid facti, quod non præsumitur, sed ostendi debet. Si tamen talis post crimen patratum, quocumque signum pietatis edidit, vt si in Ecclesia orasse visus est,

probabile est eum in loco sacro sepeliendum, fore, si non sit inter crimnosos specialiter exceptos: in illis enim certior coniectura habetur solet antecedentis pœnitentiæ de crimine, secundùm Canones damnato.

An autem quella seipsam occidens in defensionem pudicitiæ, sit priuanda sepultura Ecclesiastica, maximè si hoc fecerit ex ignorantia inuincibili? Respondet Diana negatiuè *p. 6. tr. 7. resol. 47.* nã se occidere ob pudicitiæ custodiam, non est ita euidens esse malũ, quin inculpatè possit ignorari, & existimari licitum.

Porrò non potest concedi sepultura Ecclesiastica adulto illi, qui ante mortem baptismum petijt, etiamsi plures testes affirmẽt se audiuisse petitum esse baptismum. Ratio est, quia cùm adultus intra Ecclesiam visibilem non sit ob defectum baptismi ab Ecclesia visibili honorari non debebit funeribus, nec sepultura Ecclesiastica, cum eum non agnoscat vt visibilem filium, qui visibiliter per sacramentorum ianuam ad eam non est ingressus. Condecens tamen erit, vt fideles non vt canem abiiciant in campum adultum illum, nec pueris ad lapidandum & distrahendum per calles trahant, cùm pie credi possit talem saluum factum esse, si ex contritione cordis baptismus petitus sit: Ita Sanctius in Selectis *disp. 44. nu. 48.* Infideli autem non baptizato, patienti tamen pro fide Christi mortem, concedenda est sepultura ecclesiastica; quia per martyrium satis ostendit quis se esse filium Ecclesiæ. Idem *num. 49.*

Sed dubium hic posset oriri de morientibus in duello, an possint sepeliri in loco sacro, si signa contritionis ostenderint ante mortem *Laurentius Portel, in resp. moral par. 3. casu 10. numer. 3.* docet legem Trident. *sess. 25. c. 19. de reformat.* qui iubet, vt moriens in duello non sepeliatur in loco sacro in pœnam delicti, esse pœnalem, & proinde strictè intelligendam, & proinde in illa non comprehendi hunc casum; quia non est mortuus in duello, sed finito duello, & cum signis contritionis: propterea loqui videtur Tridentinum de illo, qui moritur in duello cum claro peccato mortali sine signis contritionis. Nihilominus Rituale Romanũ iussu *Pauli V.* editum sic habet in *Rubrica de exequijs. Negatur Ecclesiastica sepultura morientibus in duello, etiamsi ante obitum ederint vlla contritionis signa.* Verũ, si quis moreretur vno vel altero die post duellum, posset sepeliri in loco sacro; quia talis non moritur in loco duelli, sed ex occasione duelli: & satis verificatur litera prioris proprietas opposita in Concilio, negando sepulturam decedenti in ipso loco duelli: & hic casus non includitur in Concilio Trident neque in Ritual Pauli V. Ita Ioannes Sanctius *in selectis disp. 36. nu. 9.* & post illum Diana *p. 2. trac. 16. resol. 54. & p. 4. tr. 4. c. 192.* Quamuis probabiliter etiam sustineri possit talem priuandum esse Ecclesiastica sepultura, etiamsi ante mortem contritionis signa dederit, aut pœnitentiæ, vel Eucharistiæ Sacramentum susceperit. Ratio est, quia priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ inuicta est in detestationem criminis, vt reliqui cognoscẽtes duellum tam acriter puniri, terreantur, & ab huiusmodi crimine arceantur; & dici potest priuationem sepulturæ non infligi per modum censuræ, sed per modum iustitiæ vindicatiuæ distinctæ à censura, alioquin opus non fuisset hanc pœnam exprimere, cùm priuatio sepulturæ sit effectus consequens excommunicationem: Ita Bonac. *tom. 3. disp. 2. q. 3. punct. 4. §. 8. n. 22.* citans pro hac sententia *Peregrinum, Cuttierez*, & alios.

6. *Moraliter* peccat sepeliens aliquem, quem Ecclesia priuat Ecclesiastica sepultura, quia facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui: *& si sepeliat* excommunicatum, vel interdictum vel notorium vsurarium, ligatur maiore excommunicatione, modò is qui sepelitur sit vitandus, *ossa* verò illius qui de iure caret Ecclesiastica sepultura, extrahenda sunt ex loco sacro, in quo sepulta fuerunt modò illorum ossa discerni queant ab ossibus aliorum: *Ecclesia* tamen reconcilianda non est, nisi in ea sepultus fuerit excommunicatus, denunciatus, vel infidelis Molfesius *in summa 2. par, tr. 13. c. 8. n. 67. Bonac. c. n. 3. Sylvester c. q. 9. nu. 11. Laym. c. num. 12.*

De sepultura vide *Cessatio à diuinis n. 7. Excommunicatio 3. n. 14. Interdictum 1. n. 1. Paupertas religiosa n. 20. Sacrilegium 1. n. 7. Simonia 3. n. 2. Suspensio 2. n. 14. Vsura 5. n. 4. Duellum n. 9. in fine.*

SERVITVS.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit seruitus? Et quotuplex? & primò de seruitute personali.*
2. *De seruitute mixta.*
3. *De seruitute merè realis quæ subdiuiditur in Vrbanam & Rusticam. Et quid sint vrbanæ seruitutes?*
4. *Quid sint rusticæ seruitutes?*
5. *Quanto tempore præscribatur seruitus realis?*
6. *Quid requiratur ad vsucapionem seruitutis negatiuæ?*
7. *Quomodo vsusfructus & omnes seruitutes reales amittantur?*

1. SEruitus *est constitutio iuris gentium, qua quis Dominio alieno contra naturam subijcitur. Instit. de iur. personarum. §. 2. L. finali Cod. de longi temporis præscrip. Less. lib. 2. c. 6. num. 26.* Et hæc triplex constituitur. *Vna* merè personalis, quæ à persona personæ debetur, videlicet, ius, quod Dominus habet in seruo seu mancipio suo: huiusmodi ius seruitutis, nullo tempore vsucapi potest, contra verò libertas viginti ann. spatio cum bona fide præscribitur.

2. *Altera* est seruitus mixta, quæ à re personæ debetur: *L. finali C. de long. temp. Gomez 2. resol. c. 15. Layman l. 3. sect. 5. tr. 1. c. 9. n. 1.* & est *triplex* hæc seruitus, nimirum *vsusfructus, vsus, & habitatio*, cùm hæc à substantia rei siue proprietate separata, legis aut hominis dispositione alicui constituuntur: & talis seruitus præscriptione comparatur cum bona fide & titulo 10. annis inter præsentes 20. inter absentes: si autem desit titulus, tempore longissimo 30. annorum.

3. Tertia est seruitus merè realis, quæ rei à re debetur: Et est *duplex vrbana, & rustica*: *vrbana* seruitutes dicuntur, quæ vrbanis prædijs, id est, ædificijs, habitandi gratia constructis & annexis hortis, areis &c. inhærent: *subdiuiduntur in affirmatiuas, & negatiuas: affirmatiuæ* sunt, v. g. vt ædium meatum stillicidium in ædes vel aream tuam recipiatur, vel tignum in parietem tuum mittatur, vel ex domo mea in domum tuam transitus pateat. *Negatiuæ* sunt, v. g. ne altiùs ædes tuas tollendo prospectum ædibus meis adimas, vel ædificando luminibus officias; item vt fenestram in muro tuo aperire tibi non liceat. Enimuerò secluſa tali seruitute, pacto vel per præscriptionem constituta, cuiuis liberum est ædes suas altiùs tollere, & in pariete suo, non alieno fenestram facere, nisi certus modus statuto definitus sit, ne ædes altius tollantur vel nisi quis ædificare aut fenestram in muro suo aperire velit solum ad æmulationem vel despectum vicini. Filliucius, *tract. 31. c. 3. num. 78. Gomez cit. num. 27. 28. Layman c. num. 2. Lessius c. nu. 28. 29.*

4. *Rustica* seruitutes dicuntur, quæ rusticis prædijs inhærent, cuiusmodi sunt agri & prata, item pecorum stabula à domibus seiuncta: talis seruitus est, v. g. vt per agrum tuum transire, iumenta vel currus agere liceat: item vt in prato tuo arenam fodere, calcem coquere licitum sit. *Porrò* vtraque seruitus, id est, tum vrbana, tum rustica diuidi solet in *continuam* ac *discontinuam*. *Continua* seruitus dicitur, quæ quantùm est ex se continuam actum siue vsum habet, seu reipsà seu animi præparatione. vt seruitus aquæ ductus, tigni suscipiendi. *Discontinua* verò seruitus est, cuius vsus per interualla est, quia ab hominum actione pendet, v. g. iter, actus, aquæ haustus, arenæ fossio. Couarruuias, *d. 1. resol. c. 17. nu. 11. Layman c. nu. 3.*

5. *Seruitus* realis affirmatiua, tam rustica quàm vrbana, si cõtinua sit aut quasi cõtinua, præscribitur cum bona fide inter præsentes decennio, inter absentes 20. annorum spatio, neque requiritur titulus. *L. quotiens 1. & 2. ff. de seruitut. Seruitus* verò affirmatiua, si discontinua sit, cum titulo præscribitur tempore ordinario: sine titulo verò tempore immemoriali Gomez *c. nu. 27.* Sylvester *v. præscript. 1. q. 7. d. 11.*

6. *Ad vsucapionem* seruitutis negatiuæ requiritur, vt Dominum in re sua aliquid agere volentem bona fide repellam, ex eo tempore comparo seruitutis possessionem, quæ si tempore ordinario cum titulo, immemoriali verò sine titulo continuetur, vsucapio perficitur. Lessius *c. n. 29.* Molina *to. 1. tr. 2. d. 14.*

7. *Vsusfructus* & omnes seruitutes reales per non vsum amittuntur decennio inter præsentes, & 20. annorum spatio inter absentes; est autem in primis *discrimen* obseruandum inter seruitutes vrbanas & rusticas, cuiusmodi sunt viæ, aquæ ductus, passus, &c. quòd *rusticæ*, sicuti & vsusfructus, per solum non vsum tolluntur, siue à re liberantur; at verò *vrbanæ* non tolluntur per merum non vsum eius, qui ius seruitutis habet, sed insuper necesse est, vt Dominus, qui ædificij sui libertatem vsucapere vult aliquem actum seruituti cõtrarium bonâ fide exerceat; ab eo enim temporæ præscriptionis tempus inchoatur, Less. *c. n. 30. Couar. d. 1. var. c. 17. Mol. c. disp. 70. Sylu. v. præscrip. 1. q. 7. §. 11.* & alij.

Vide *Matrimonium 7. n. 11. & seqq.*

SIMO-

SIMONIA I.

Quid sit Simonia & quotuplex.

SVMMARIVM.

1. *Quale vitium, Simoniæ nomine, significetur?*
2. *De prima diuisione Simoniæ, in Simoniam iure diuino prohibitam, & iure tantum Ecclesiastico?*
3. *An Simonia sit graue peccatum mortale contra religionem? & an possit esse veniale ex leuitate materiæ?*
4. *An malitia iniustitia semper cum simoniæ coniuncta sit, sicut malitia contra religionem?*
5. *An detur aliqua simonia iure tantum humano prohibita? Et an Papa possit incurrere pœnas simoniæ iure Ecclesiastico statutas? Et in quo consistat deformitas simoniæ contra ius humanum?*
6. *An possit Papa contrahere culpam simoniæ iuris diuini?*
7. *De secunda diuisione Simoniæ, in mentalem, conuentionalem & realem. Et sub quo membro continentur simoniæ confidentia?*
8. *An ad simoniam mentalem requiratur, quod per actionem spiritualem principaliter intendatur aliquid temporale, vel è contra?* refertur duplex sententia.

1. *Simoniæ nomen* ductum est à Simone Mago qui vt habetur *Act.* 8. emere voluit potestatem conferendi Spiritum sanctum, id est, donum eius: vnde primus in nouo testamento hoc crimine infectus fuit: & ita definiri solet communiter à Doctoribus: Simonia *est studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum pretio temporali, vel pretio æstimabili* Dicitur *studiosa*, id est deliberata, vt excludatur motus voluntatis non plenè deliberatus, aut ex ignorantia inculpata manans. Deinde vt excludatur illa promissio, qua quis animo non quidem verè emendi, aut soluendi, sed decipiendi tantùm pollicetur aliquid temporale pro re sacra: talis enim non habet voluntatem verè emendi, sed mendacio fallendi, licet peccet alterum inducendo ad simoniam, & simul etiam faciendo externum opus simoniacum dicitur *emendi, & vendendi*, quib. significatur omnis commutatio, & omnis contractus non gratuitus, siue sit vera emptio, siue locatio, siue permutatio: omne enim pactum, quo datur ius spirituale sub conditione & onere quod iure non est annexum, est simoniacum. Dicitur, *aliquid spirituale*, id est, quod aliquo modo est supernaturale, vt sunt gratia gratum faciens, dona Spiritus Sancti, virtutes supernaturales, gratiæ præuenientes & gratis datæ, Sacramenta, officia Ecclesiastica, consecrationes benedictionesque Ecclesiæ, ornamenta sacra, vasa, templa &c. dicitur, *vel spirituali annexum*, id est, quod cum aliquo spiritali connexionem habet, vel antecedenter, vt ius patronatus; vel consequenter, vt beneficia Ecclesiastica; quia supponunt officium diuinum; vel concomitanter, vt labor in prædicando, in ministrãdo sacramenta. De quo infrà, *Simonia* 4. Dicitur *pretio temporali*, si enim detur spirituale pro spirituali, non erit proprié simonia: turpitudo enim huius peccati consistit in eo, quòd spiritualia æstimentur pretio humano vel re aliqua humana, quæ sit pretio æstimabilis. Ita D. Thomas 2.2. q. 100. *ar.* 1. *Sylu. ibidem*. *Layman lib.* 4. *tract.* 10. *c.* 8. §. 1. Suar. *tom.* 1. *lib.* 4. *c.* 1. *Crauser ad cap.* 7. *reg. minorum lect.* 7. *Lessius l.* 2. *c.* 35. *dub.* 1. Azorius 3. *p. l.* 12. *c.* 1. *q.* 6. *Reginaldus l.* 23. *n.* 121. *Bonacina de simonia d.* 1. *q.* 1. *n.* 1. & 2. *Filliucius tr.* 45. *c.* 1. *n.* 2. & 3. & alij.

2. *Prima diuisio* simoniæ est, in *simoniam iure diuino prohibitã*, & *iure tantum Ecclesiastico*. & quidem Simon Magus simoniam commisit contra ius diuinum tantùm non ecclesiasticum, quòd nullum tunc erat. Iure autem diuino prohibita dicitur, naturali nimirum; eo quòd ratio lumine fidei edocta naturaliter quodammodo dictat, dona supernaturalia cuiusmodi sunt gratia, Sacramenta, diuina officia, & his similia, sanctè esse tractanda, nec in temporales contractus deducenda, non autem positiuo, cum de ea in lege gratiæ præceptum datum non sit, sed tantùm naturale præceptum explicatum ijs verbis Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*. Layman *c.* §. 6. *num.* 61. *Bonacina de simonia d.* 1. *quæstion.* 3. *num.* 1. & 2. *Filliucius tract.* 45. *c.* 1. *q.* 3. 4. 5. *Suar. c. c.* 2. *Syluius c. art.* 1. & alij.

3. *Simonia* ex suo genere est contra religionem, & valdè grauc peccatum mortale; immò probabile est non dari in simonia peccatum veniale ex leuitate materiæ, sed tantùm ex inconsideratione, vel ignorantia habente admixtam venialem negligentiã; quidquid in contrarium docent *Bonac. c. n.* 11. & 12. *Suar. c. c.* 2. *nu.* 3. *Diana p.* 5. *tr.* 5. *resol.* 2. *Laym c.* §. 1. *n.* 4. *Fill. c. q.* 6. & 7. *Sylu. c. ar.* 1. *Crauser c. fol.* 543. Reginaldus *lib.* 23. *c.* 11. *n.* 166. & *Azol. tom.* 1. *tr.* 2. *disp.* 92. & quidem suppositis conditionibus, quæ tam ex parte materiæ, quam ex parte obiecti simoniæ reperiuntur in actione vendendi rem sacram, malitia rectè dicitur illi intrinseca, vnde dispensari in ea non potest, nisi mutata materia talis actionis; ideòque absolutè loquendo malitia simoniæ à venditione talium rerum de potentia ordinaria, & iuxta congruum prouidentiæ modum, inseparabilis est. Et hoc verum maximè in simonia circa ea, quæ ex iure diuino vendi prohibentur: quia eius turpitudo & deformitas in eo consistit, quod id, quod est gratia Dei, & excedens omne pretium & contractum humanum, subijciatur pretio & humano contractui: vnde consurgit iniuria Dei, quia peruertitur modus administrandi gratias ipsius, quem ipse præscripsit. Hoc autem contingit stante quacumque paruitate materiæ, siue ex parte pretij, siue ex parte rei, quæ subijcitur pretio; quia semper destruitur modus administrationis, qui est magni momenti; & ideò semper hæc simonia importat integrã deformitatem & grauem discrepantiam ad rectam rationem, quia semper res spiritualis ponitur extra ordinem rerum vendibilium: vnde hæc sententia apud multos ita certa est, vt contraria nullo pacto tanquam probabilis sustineri possit, vt cum plurimis docet nouissimè Pasqualigus *decis.* 478. qui etiam non admittit paruitatem materiæ excusantem à mortali in simonia, quæ est de iure Ecclesiastico positiuo: *Decis.* 479. Nihilominus in foro exteriori paruitas materiæ excusare potest à simonia, nempe quando pretium est longè inferius re tradita: tunc enim rationabiliter, nõ præsumitur venditio: quod desumitur ex *c. Et si quæstiones, de simonia*. Vbi dicitur non commisisse simoniam, cum, qui dedit equum Cardinali, à quo eiusdem frater erat accepturus pallium: quia cum esset dines, equus erat quid modicum respectu illius, *decis.* 480.

4. *Malitia iniustitia* non semper cum simonia coniuncta est, at semper adest malitia contra religionem, irreuerentiæ nimirum, & indebitæ æstimationis sacrarum rerum: Tunc autem simoniacus etiam iniustus erit, si vendat actionem ad quam ex officio tenebatur, vt parochus in sacramentorum administratione, vel ratione solius spiritualitatis temporale pretium accipit, vt si ratione consecrationis calicis, vel agni benedicti, maius pretium acciperet, quam materia argenti vel ceræ elaboratæ valeret. Suares *c. c.* 4. *n.* 5. Fillincius *tr.* 45. *c.* 1. *q.* 8. & 9.

5. Datur etiam *aliqua simonia* iure tantùm humano prohibita, quia Ecclesia potest prohibere, ne res, aliqua adnexa rei sacræ vendatur, in reuerentiam talis rei: *res* autem quarum venditione committitur simonia tantùm iuris humani, plures sunt, *Azor. c. l.* 12. *c.* 1. *q.* 2. *Regin. c. n.* 135. *Layman c. n.* 63. *Prima*, permutatio beneficij cum alio beneficio absque auctoritate legitimi superioris, *Fill. c. q.* 12. *Less. l.* 2. *c.* 35. *n.* 15. *Bonac. c. q.* 3. *n.* 2. 3. *Sylu c. art.* 1. *Secunda*, est resignatio beneficij propria auctoritate facta cum reseruatione pensionis. *Tertia*, venditio beneficij. *Quarta*, acceptio alicuius rei occasione examinis. *Quinta*, venditio officiorum ecclesiasticorum spiritualium, seu habentium onus spirituale: hæc simonia propria est temporis legis gratiæ, atque ita positiua appellari potest, est etiam peccatum mortale ex vi suæ speciei, est enim eadem cum simonia contra legem naturalem, quare etiam erit eiusdem grauitatis substantialis. D. Thom. *c. ar.* 1. *ad* 7. *Sylu. v. simonia q.* 4. *Notandum* tamen est, Papam non posse incurrere pœnas simoniæ iure Ecclesiastico statutas, quia princeps non subest suis legibus quoad vim cogendi per pœnas.

Sed petes, in quo proprié consistat deformitas simoniæ commissæ contra ius humanum? Resp. in eo consistere, quòd dum Ecclesia in reuerentiam sacræ supellectilis bonorum Ecclesiasticorum, prohibuit res aliquas pretio vendi, easque fecit inuendibiles propria authoritate, ob relationem quam ad res sacras habent; si quis res eas venderet propria authoritate, censeretur rebus sacris, ad quas res eæ ordinem habent, facere iniuriam. Lex enim Ecclesiæ facit res eas inuendibiles & imprimit illis aliquo modo quamdam dignitatem & immunitatem venditionis, ob relationem ad res sacras, & consequenter hæc immunitas censetur prouenire à sanctitate, quam aliquo modo respiciunt, vnde nequit violari, nisi etiam sanctitas violari censeatur.

6. *Potest* tamen Papa contrahere culpam simoniæ iuris diuini, quia æquè ac alij subiectus est legi diuinæ. *Habent* autem simo-

gia iuris humani incurrit Papa, si exigat pecuniam pro officijs, vel beneficijs iure vendi prohibitis, nisi rationabilis causa subsit. Ita Nauarrus *cap.23. num.108.* Layman *c.nu.64.* Sylu. *c.art.1.in respon.ad 7.*

7. *Simonia* diuiditur secundò in *mentalem*, *conuentionalem*, & *realem*. *Mentalis* duplex est, vna sumitur pro interno proposito, & voluntate committẽdi simoniam etiamsi nullo modo prodeat in exteriorem actum, vt alia vitia mentalia. Nauarr. *c.23.num.102.* Fill. *c.c.10. quæst.1.* Azor. *3.par.lib.12.c.1.* & *2.* Regin. *c.num.153.* Laym. *c.n.67.* Sylu. *c.art.1.* Bonac. *c.q.2.* Less. *c. dub.6.* Secunda accipitur pro illa actione quæ fit mente simoniaca, sed ex se & ex circumstantijs simoniam non præfert, & dum iura loquuntur de simonia mentali, non sunt intelligenda de simonia mentali hoc primo modo explicata, quia hæc continetur in reali vel cõuentionali; solùm enim propositum vel desiderium cadere non potest sub pœnas Ecclesiasticas cùm Ecclesia de internis non iudicet. *Simonia conuentionalis* est illa, quando non solùm est internum propositum obligandi, sed etiam procedituer ad externam conuentionem, sine tamen executione saltem vtrimque facta, & hæc conuentio fit verbis expressis & directis, vel obliquis & obscuris, vel nutibus. Vnde hæc simonia *duplex* est, *altera*, in qua neutra ex parte venitur ad actum exteriorem dandi, vel recipiẽdi, seu quæ vtrimq. consistit tantùm in promissione. *Altera*, quæ ex vna parte completur exterius, ex altera verò non, id est, cum alius statim dat spirituale alius verò tantum promittit temporale; vel è contrario. *Alia* dicitur *simonia realis*, quãdo pactio ex vtraque parte est completa saltem inchoate, vt si collatio beneficij facta sit, & pretij pars soluta.

Sed quæres, sub quo membro contineatur simonia confidentiæ? Resp. sub simonia conuentionali, in simonia enim confidentiæ executio differtur ex vna parte; est enim simonia confidentiæ quando quis pacisci tur cum eo cui confert, vel resignat beneficium, vt illud cum suis fructibus, vel portione fructuum cedat alteri v.g. nepoti, cum habilis fuerit.

8. Affirmant quidem doctores *simoniam mentalem* committi, quoties per actionem spiritualem principaliter intenditur aliquid temporale, vel quoties per actionem temporalem, seu traditionem rei tẽporalis principaliter intenditur aliquid spirituale, mediante illo temporali, & secundum hanc sententiam, qui Episcopo inseruit principaliter intendens beneficium, reus esset labis simoniacæ, quia intendit commutare spirituale cum temporali. *Gless. in C. vnico de clericis non resid. v. recepérunt 6. Maior. q.d. 15.q.29.* Fillius. *tr.45.c.10.q.4.* Suar. *c.l.4.cap.44.* Victor. *de simon. nu.33.* Valentia *to.3.disp.6.q.16.p.3.q.2.* Vrior tamen *sententia* asserit simoniam mentalem non committi, nisi intendatur temporale tamquam pretium rei spiritualis, vel spirituale tamquam pretium rei temporalis, siue intendatur tamquam finis principalis, siue tamquam finis minus principalis seu secundarius; quia actus internus malitiam sumit ab externo, ab eoque specificatur tamquam ab obiecto proximo, sed actus externus non habet malitiam simoniæ, nisi res spiritualis tradatur pro temporali pretio. Ex hac sententia sequitur *Primo*, non committi simoniam ab eo, qui sacrum facit intendens recipere pecuniam in eleemosynam, seu ad sustentationem. *Secundò*, sequitur donationes alicuius rei temporalis, sub conditione & onere conferendi aliquid spirituale, non esse simoniacas, vt si v.g. aliquis leget Ecclesiæ fundum, cum hac conditione, vt anniuersarium sacrum fiat. Ratio est, quia tunc spirituale tantum est motiuum cõferendi temporale, non autem emitur pro temporali, sed est donatio temporalis ponderosa. Ex eodem etiam capite sequitur nõ esse simoniacum vsum aliquarum Ecclesiarum, in quibus promittitur aliquod ministerium spirituale, vt exequiæ, Missæ, &c. illis, qui hanc vel illam eleemosynam, aut oblationem cõtulerint; hac tamen in re vitandum est scandalum, & præsumptio simoniæ. Ratio est, quia etiam tunc temporale spectatur tantum vt motiuum, non vt pretium.

Vide *Irregularitas* 10.num.5.

SIMONIA II.

De diuisione pretij simoniaci.

SVMMARIVM.

1. *De triplici pretio quod pro re spirituali tradi solet, & cuius traditione committitur Simonia: videlicet*, à Manu à lingua, & ab obsequio.
2. *In quibus casibus simonia committatur per munus à manu?*
3. *Per munus à Lingua?*
4. *Per munus ab obsequio?*

1. PRetium, quod pro re spirituali tradi solet & cuius traditione committitur simonia, *triplex* est videlicet *à manu*, *à lingua*, & *ab obsequio*, ideò communiter à Doctoribus vocatur munus à manu, munus à lingua, & munus ab obsequio. *Cap. Saluator 1.q.3.* Tolet. *l.5.cap.84.n.5.* Suar. *c.cap.38.num.7.* Nauar. *c.23.nu.101.* *Cap. una nos de simon.* Filliuc. *c.cap.9. num.12.* Sylueius *2.2.q.100.art.5.* Vocabulũ *munus* nõ ita hic accipiendũ, vt significet donum liberale ac gratuitum; sed potiùs debitum iustitiæ commutatiuæ, adeòque grauamen aliquod ac onus. Per *munus à manu* intelligitur non tantùm pecunia, quod est propriè dictum pretium, sed etiam omnis alia res materialis tum mobilis, tum immobilis, quæ quomodocumque pretio æstimabilis est; item debiti remissio, & solutionis dilatio. *D. Thom. 2.2. q.100. art.5. ad 3.* Suares *cap.40.n.12.* Less. *lib.2.c.35.n.118.* Nauar. *c.n.102.* & *107.* Laym. *c.c.vlt.num.26.* Per *munus a lingua* intelligitur laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ, ex vi pacti expressi vel taciti, vt res aliqua spiritualis vicissim conferatur, vt si quis det beneficium Titio vt oret Principem pro se, &c. Si verò nullum pactum præcessit, vel si preces postulatæ non fuerunt à collatore beneficij, seu rei spiritualis, censentur factæ gratis, & simoniæ culpam non inducunt. *Bonacina de simon. d.1.q.1.§.1.nu.8.* Filliuc. *c.cap.9. nu.6.* Per *munus ab obsequio*, intelliguntur quæcumque alia obsequia, seu seruitia alicui præstita, vel præstanda, sub obligatione conferendi beneficium ecclesiasticum; vel aliam quampiam rem spiritualem, verbi gratia, si quis collatori, sine alio salario inseruire velit cum expresso vel tacito pacto conferendi beneficium. *Sylu. ver. simon. q.16.d.4.* Suares *cap.39.num.7.* Tamen simonia non est, gratis alicui seruire, aut obsequia præstare cum spe, vt in eorum remunerationem ad Ecclesiasticum beneficium quis presentetur, aut instituatur, modò absit pactum implicitum. Nota tamẽ, quòd licet hoc verum sit in foro conscientiæ, tamen periculosum est in praxi: sæpè enim magnum est periculum simoniæ vel certè non probæ electionis: quia obsequium præsumetur habere rationem pretij, si Episcopus conferat beneficium famulo, cui non persoluit stipendium obsequij iustum; tunc enim ea pars obsequij, quæ stipendio non compensatur, censetur esse pretium beneficij, id est, censetur præstita à famulo, ad obligandum Episcopum, vt beneficium conferat, & Episcopus censetur dare beneficium, vt debito illo ciuili se eximat, quæ præsumptio cessat, quando iusta stipendia soluuntur. *Laym. c.nu.26.* Bonacina *c.nu.2.* Verò *hæc diuisio* in munus à manu, à lingua & ab obsequio sufficiens est, vt necesse non sit aliud membrum adijcere, siquidem omnia bona temporalia & externa, quæ in communicationem aut commutationem venire possunt, vel ad bona fortunæ spectant, vel per verba vocis aut scripturæ præstari possunt, vel denique per alia corporis membra.

2. *Ex dictis* sequitur simoniam committi, dum quis beneficij vel rem spiritualem alicui confert ob rem aliquam pretio æstimabilem, vt ob pecuniam, ob remissionem debiti, vel ob promissionem illud remittendi, siue debitum sit proprium, siue Ecclesiæ. *Suares c.cap.38.nu.5.* Laym. *c.n.25.* Azor. *c.par.1 b.12.c.11.* Suares *c.nu.10.* *Item* simonia est, dum quis promittit pensionem vel pecuniam conferenti vel procuranti beneficium, vel collatori, vel præsentatori *Nauarr. cap.27.num.158.* Bonacina *c.q.1.§.1.num.6.* Suar. *c.num.5.* *Item* simonia committitur ab eo, qui præsentatur ad beneficium, promittens præsentatori se decimas ab eo non exacturum, aut promittens canonicis electoribus se remissorum partem præbendæ aut qui petit ordinari ad titulum bonorum sibi ab alio assignatorum, promittens se nihil ab eo postulaturum. *Filliuc. tract.45.cap.9.n.12.* Suares *c.n.7.* Lessius *l.2.c.20. num.64.* *Item* simoniacum est, si quis beneficium conferat sub conditione pecuniæ sibi mutuandæ, aut pecuniam mutuo tradat pro accipiẽdo beneficio, aut alia re spirituali: hæc enim omnia cadunt sub bona externa, quæ vocantur munus à manu. Vide Sylu. *2.2.q.100. artic.5.*

3. *Simonia* committitur, dum Episcopus beneficium alicui promittit, vt pro se intercedat apud Principem seu pro se petat aliquam gratiam. Azor. *c.cap.18.q.3.* Filliucius *tract.45. cap.9. n.19.* & *20.7.* Suares *c.cap.40.* Nauar. *cap.23.num.106.* Sylues. *v. simonia, q.6.* *Item* dum collator beneficij promittit alicui beneficium, si de se honestè locutus fuerit coram alijs, vel signa honoris exhibuerit, vel se ipsius consanguineum esse professus fuerit; hoc enim est munus à lingua factum ex præuio pacto expresso vel tacito. *Item* simonia est, dum collator intendens aliquem sibi ob-

ligare

ligare promittit se beneficium ei collaturum, si ab eo petatur. *Item* simoniæ labes incurritur ab eo qui pecunia inducit familiarem vel amicum Episcopi ad petendum pro se vel pro alio beneficium; & hoc verum est etiamsi pecunia tradatur solùm mediatori seu intercessori, non verò Episcopo seu collatori, sed collator gratis omninò & purè beneficium conferat, quia in hoc casu beneficium pro pecunia recipitur. *Filliucius c. cap. 12. q. 7. num. 12. Bonacina c. quæst. 1. §. 1. num. 17. Suarez c. cap. 53. n. 17. Azorius 3. p. l. 12. cap. 5. q. 4. Syn. c. concl. 2. Adnertendum* tamen est, si pecunia tradatur familiaribus prælatorum non vt intercedant, & procurrent beneficium, sed solùm vt sibi aditum vel facilem ingressum ad prælatum concedant, vel vt certiorem faciant prælatum de meritis oratoris, simoniam non committi, hoc enim est obsequium temporale pretio æstimabile; *similiter* non committit simoniam qui absque pacto vel promissione preces fundit apud Prælatum vt sibi vel alteri beneficium conferat: vel dum quis precibus inducit aliquem ad rogandum Episcopum vel Papam, vt sibi beneficium conferat, vel dum quis laudibus extollit quendam prælatum, vt eius benevolentiam & amicitiam acquirat, sperans inde beneficium absque conventione.

4. *Tradere* alicui beneficium, vel aliquid aliud spirituale, cum pacto seu cum onere præstandi aliquod obsequium temporale, simonia est, quia exigitur munus ab obsequio pro re spirituali, & in beneficijs vetantur omnes pactiones: quod limitandum est, nisi obsequium temporale quod exigitur, sit annexum beneficio, seu rei spirituali, verbi gratia docere Grammaticam, vel Theologiam: tunc enim non committitur simonia, quia non exigitur aliquid indebitum. *Item* simonia est, cùm beneficium confertur vel impetratur alicui propter obsequia antea præstita in compensationem ipsorum obsequiorum, id est, ad satisfaciendum debito ex iustitia contracto ob illa obsequia; secus si tradatur titulo gratitudinis, seu debiti antidoralis consurgentis ex obsequio facto sine pacto expresso vel tacito recipiendi aliquid spirituale. *Fill. c. cap. 9. q. 10. Suar. c. cap 39. num. 7 & Victoria de Simonia num. 36. Azor. 3. par. l. 12. c. 11. Navar. c. 13. nu. 106. Con. 2. var. cap. 10. n. 4.*

Ex dictis sequitur, quòd Religiosi simoniam committant in electionibus si dent temporale aliquod munus, vel à manu, vel à lingua, vel ab obsequio pro consequendis dignitatibus Ecclesiasticis, *C. non satis, C. Mandato, de simonia, C. 2. §. Prioratus, de stat. Monachorum, C. quàm pio 1. q. 2. v. g.* Abbatia, Prioratu, Guardianatu, Provincialatu, Generalatu, Vicariatu, Definitoratu; seu etiam licentia confessiones audiendi, prædicandi, Ordines recipiendi, seu à casibus reservatis absolvendi, &c. quia semper dare aliquid temporale pro spirituali simoniacum est. Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 54. n. 3. Peyrinus tom. 1. de subdito quæst. 1. de obed. cap. 31 §. 9.* qui etiam extendunt hoc ad illos, qui dant aliquod ex prædictis muneribus pro consequendo officio Sacristæ, vel Procuratoris ordinis, vt habetur expressè in iure, *C. Salvator. 1. q. 2.*

Pro quiete tamen Religiosorũ notat *Lezana tom. 4. sum. v. Simonia, n. 31.* quod si forsan in eorum Religionibus per vsum, vel potiùs abusum, aliquando contigerit ipsos dare, vel accipere aliquod munus in prouisione officiorum Ordinis, & si propterea peccent, vel contra constitutionem Clementis VIII. *de largitione Munerum*, vbi illa est recepta; vel contra constitutiones particulares Religionum, non tamen idcirco censeri debent simoniam commisisse, si tale munus non dant, aut accipiunt in pretium talium officiorum: quia multi tituli honesti, etiam gratitudinis, assignari possunt, propter quos tradens, vel accipiens temporale pro spirituali à labe simoniæ liberetur, vt dicetur infrà V. *Simonia V.*

SIMONIA III.

De materia Simoniæ, quæ est res spiritualis.

SVMMARIVM.

1. *Quænam sit propria materia simoniæ?*
2. *An pro iure sepulturæ, aliquid exigere tanquam pretium, simoniacum sit?*
3. *An pro materia remota sacramenti, vt est aqua, oleum, panis, &c. possit exigi pretium sine Simonia? Et an in gravi vel extrema necessitate liceat dare pretium pro sacramentis, dum gratis obtineri non possunt? referuntur duplex sententia. An sit Simonia ponere in loco publico reliquias venerandas propter lucrum oblationum inde proventurum?*
4. *An sacramentalia omnia, sint transeuntia, sint permanentia, sint propriè materia Simoniæ.*
5. *An collatores ordinum simoniaci sint, accipiendo aliquid occasione ordinationis, quamuis sponte offeratur? & quid de suscipientibus ordines prava pacta?*
6. *An divina officia & quævis orationes tam publicæ quam privatæ sint propriè materia Simoniæ?*
7. *An exigere aliquid pro doctrina Theologiæ sit simonia?*
8. *An vendere licentiam ad docendum Theologiam sit Simonia.*
9. *An pro ingressu in religionem, seu pro ipsa professione, vel statu religioso, aliquid accipere tanquam pretium, Simoniacum sit?*
10. *An contraria diuturna consuetudo, qua in Missis alicuius monasterij obtinuit aliquid exigendi, sit damnanda & simoniaca?*
11. *An pro omissione actus spiritualis aliquid exigere sit Simonia?*
12. *An omnis actus iurisdictionis Ecclesiastica sit materia Simoniæ.*

1. CVm duo ad omnem simoniacam pactionem concurrere debeant, quorum *vnum* est veluti pretium, id est, quævis commoditas temporalis, cum alia re commutabilis. *Alterum* est, veluti merx, id est, res aliqua spiritualis, seu spirituali annexa, quam in commutationem deducere pro re temporali, tanquam pretio; irreligiosum & sacrilegum est: hinc *propria materia* Simoniæ est res aliqua sacra spiritualis & supernaturalis: vnde cõmittitur Simonia vendendo gratiam sanctificantem: Spiritus enim sanctus vendi potest non de iure, sed de facto, si verbi gratia vendatur sacerdos innuitu sacerdotij. *Laym. c. cap. vlt. §. 4. Bonacina de simonia q. 4. nu. 1. & seqq. Fill. tr. 4. c. 2. nu. 23.* Similiter vendendo Christum, committi potuit Simonia, habita ratione vnionis hypostaticæ, vel donorum sacrosum, & supernaturalium in Christo existentium. *Bonac. c. q. 4. n. 3. Item* & Eucharistia tam ratione contenti quàm specierum consecratarum, est materia Simoniæ: sicut & sacramenta, aut sacramentalia, & reliquiæ, *Suar. c. c. 10. nu. 3. 6. Laymann n. 35.* Secus *dicendum* de misericordiæ operibus externis, videlicet de actionibus & obsequijs sepeliendi mortuos, visitandi infirmos, &c. quia hæc opera ex se non sunt res sacræ, sed naturales. *Regin. l. 23. n. 208. Valent. tom. 3. d. 6. quæst. 16. par. 2.*

2. Pro iure sepulturæ, siue vt aliquis in certo loco Ecclesiæ, aut cœmeterij sepeliri possit, aliquid tanquam pretium exigere, simoniacum est; *D. Th. 2. 2. q. 100. ar. 4. ad 3. Suar. c. c. 14. num. 17. Sylvest. v. simonia q. 11. Laym. c. nu. 37. Arragon. 2. 2. q. 100. art. 4. ad 3. Sylu 2. 2. q. 100. art. 4. concl. 2.* tamen licèt non possit pro sepultura aliquid exigi vt pretium, potest accipi si sponte offeratur, item si diuturna consuetudo introducta sit, vt aliquid detur, absq; turpi exactione, specie auaritiæ illa tenari debet: imo si quis certum locum Ecclesiæ vel cœmeterij sibi, suæque familiæ tanquam proprium vendicare velit, nõ videtur esse prohibitum pro tali iure aliquid exigere, præsertim vbi consuetudo viget; quia talis obligatio incumbens clericis, quòd alium in eo loco sepelire non possint, videtur esse pretio æstimabilis. Tum quia hæc dignitas, & nobilitas loci in se considerata sæcularis est, & merè temporalis, & non est adnexa sepulturæ ipsi, & ideò vendi potest; sicut etiam pro eo quod est, maiori pompa sepeliri, maior solito eleemosyna accipi potest; nam quamuis sepelire mortuos officij sit spirituale, tamen maiori, vel minori pompa funerali sepelire, temporale est & per accidens adnexum officio huiusmodi. Praxis quotidiana id probat etiam apud aliquos religiosos, & domos misericordiæ, moderatam aliquando pecuniam accipientes pro sepulturis ordinarijs: quia non accipiunt illam pro pretio sepulturæ, & rei sacræ, sed pro damno, quod infertur Ecclesijs, & toli lapidibus, & pro incommodis temporalibus inde Ecclesijs resultantibus; negari enim non potest, sepulturas illas magna ex parte Ecclesias damnificare, male pulchras reddere, & pro isto damno, pretium aliquod moderatum peti & accipi potest, cùm hoc potiùs sit quædam restitutio damnificationis temporalis, quàm venditio rei sacræ: decens enim est, vt defuncti, qui templum inhabitant, contribuant ad eius templi reparationem. *Item* potest aliquid accipi pro sustentatione ministrorum Ecclesiæ, sicut datur eleemosyna pro Missis celebrandis: imò licet accipere pretium pro loco honorationi sepulturæ. Ratio est, quia venditur quid temporale, scilicet honor, vt pendet ex hominum æstimatione,

tione, & per accidens rei ſpirituali coniungitur: ſed ſolùm hoc eſt verum, quando locus eſt honoratior ob reſpectum aliquem temporalem, non verò ſi eſt propter reſpectum ſpiritualem, verbi gratia, quia eſt propinquior Altari, ſanctiſſimo Sacramento, &c. Ita Lezana *tom.4.Sum.V.ſepultura n.14.* apud quem plura de hac materia.

3. Pro *materia remota* ſacramenti, quæ ſemper eſt aliqua res naturalis, vt aqua, oleum, chriſma, vinum, panis, &c. poteſt exigi pretium abſque ſimonia, quia vt ſic, res quædam eſt materialis & venalis: pro *materia proxima* ſacramenti, vt eſt ablutio in Baptiſmo, conſignatio in Confirmatione, prolatio verborum in Pœnitentia, &c. non poteſt exigi pretium abſq; ſimonia; quia omnes eiuſmodi actiones ſunt actus miniſterij & poteſtatis ſpiritualis, & ſupernaturalis, ideoque ipſæmet actiones materiales gratis conferendæ ſunt. *C. cum in Eccleſia, de ſimonia D.Th. q.100. art.2. Suar.c.c.11.nu.3. Laym.c.n.33. Filliu.tr.45.c.3.q.4.* An autem in graui vel extrema neceſſitate liceat dare pretium pro ſacramentis, dum obtineri non poſſunt; variæ ſunt doctorũ ſententiæ. *Prima* abſolutè negat hoc licitum eſſe, quia emere ſacramentum, eſt intrinſecè malum. Ita D. Thom *c.1.2.ad 1. Secunda* abſolutè affirmat licitum eſſe, ſiue ſacramentum petatur pro infante, ſiue pro adulto, ita Sotus *l.9.de iuſtitia quæſt.6.ar.1.* & alij apud Azorium *3.par.l.12.c.3.q.3. Tertia* ſententia, quæ eſt probabilior, affirmat pecuniam tradi poſſe, non pro ipſis ſacramentis, vel eorum adminiſtratione ſed ad remouendum impedimentum, vel ad redimendam iniuſtam vexationem; quia in hoc caſu non irrogatur irreuerentia ſacramentis, cùm non adſit intentio emendi rem ſacram, ſed inducendi alterum ad id quod præſtare tenetur Leſſius *l.2. c.35.d.7. Diana p.5.tract.7.reſ.16* Filliuc.*c.c. 3.q.5. Suares to.1.lib.4. c.12.nu.13. Sylu.2.2.q.100 ar.2. poſt concl.3.* Deinde in hoc caſu non redimitur vexatio emendo baptiſmum, ſed dando pecuniam, vt motiuum, quòd ſi is, qui non vult, niſi animo ſimoniaco baptizare puerum, velit iuramento conſtringere redimentem, at offerendam pecuniam animo emendi baptiſmum; tamen adhuc is poſſet illum eludere, & redimere vexationem modo licito, videlicet, conferendo pecuniam vt motiuum, modò directè non adigatur ad hanc emptionem in cõtemptum rei ſacræ. Imò taliter poteſt redimi vexatio ab adulto in periculo mortis conſtituto, ſi aliter nõ poſſit obtinere baptiſmum. Ratio eſt, quia adultus grauiſſimam habet cauſam negligendi tũc peccatum alterius, cùm difficile ſit ſine ſacramento habere contritionem, quæ reipsà ſufficiat ad ſalutem.

Eodem modo licet redimere ignominiam, & vexationem inferendam ſacris reliquijs ſanctorum ab hæreticis; etiamſi ipſi hæretici eas impiè vendendo peccaturi ſunt, modò pecunia non detur vt pretium ſed vt motiuum, & hæretici in contemptu ſacrarum reliquiarum non compellant fideles directè ad illas emendas quia hoc eſſet intrinſecè malum & contra fidei confeſſionem. Ratio eſt, quia tunc ſubeſt cauſa valde iuſta negligendi illorum peccatum.

An autem ſit ſimonia ponere in publico loco reliquias venerandas propter lucrum oblationum inde prouenientium? Affirmant Angelus, Syluester, *v.reliquiæ, Azorius, tom.1.l.9.cap.8.q.7. Graſſius 2.p.lib.2.c.14. nu.7.* Limitant *Armilla, Tabiena* eodem verbo, *Nauarr.in man.c.17.n.169.verſ.61.* dicentes eſſe ſimoniã, quando tales reliquiæ exponuntur in publico ob quæſtum, ſi talis quæſtus temporalis ſit principale intentum illius oſtenſionis, vel expoſitionis. Secus ſi principale intentum ſit cultus ſanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale ſit minus intentum. Et hæc limitatio clara & ſequenda eſt. Quamuis non ſit improbabilis ſententia *Sanches lib.2. mor.cap.43. num.22.* aſſerentis, non eſſe ſimoniam, eò quòd finis principalis ſit lucrum temporale, ſed tantùm, quando id intenditur tamquam pretium illius oſtenſionis: tunc enim eſt quædam quaſi venditio: ſi verò tale lucrum non ita ſperatur vt pretium venditionis, ſed tanquam ſuſtentatio cõgrua ibi laborantis, non erit ſimonia: quia *Cap.fin. de reliquijs & veneral.Sanctorum.* & Tridentinum *ſeſſ.25. in decreto de invocatione, veneral, & reliq Sanctorum.* quando prohibent reliquias venales oſtendere, intelligunt quando quæſtus ſeu oblationes deducuntur in pretium ſub pacto.

4. *Sacramentalia* omnia ſiue tranſeuntia, vt benedictiones publicæ & cæremoniæ, quæ fiunt in ſacramentis conferendis, ſiue permanentia, vt benedictio aquæ, aut olei, conſecratio calicis, &c. ſunt propriè materia ſimoniæ; quia ſunt res ſpirituales ſiue conſiderentur ſecundùm earum principium, ſunt enim ſupernaturali à Chriſto accepta poteſtate inſtitutæ, ſiue conſiderẽtur ſecundùm earum finem: ſiquidem ad ſpiritualem animarum ſalutem per ſe ac directè ordinantur. *C. cum in Eccl. de ſimon. Filliuc.c.c.3.q.9. Suar.c.l.4.c.14. Nauar.c.23.num.99. Laym. c.n.35.* Vnde omnes omnino actus procedentes ex poteſtate ordinis, ſiue ex Chriſti ſiue Eccleſiæ inſtitutione, ſunt materia ſimoniæ cõtra ius naturale ac diuinum, quia ſpirituales ſunt tam ex parte principij, quàm ex parte finis. *Bonac.c.q.4.§.2.& 4.*

Notandum tamen eſt, ſimoniacum non eſſe, ſecundum *Sua. c.c.14.nu.6. Nau.c.23.n.108. Caiet. v.ſimonia q.1. Filliuc.q.10.c.3.* communem ſententiam, vendere ipſam materiam rerum ſacrarum, ſecundùm ſe pretio æſtimabilem, vt ſacros Calices, veſtes, numiſmata benedicta, &c. quia materia illarum rerum valorem non amittit ob conſecrationem, licet nouum valorem ex conſecratione non aſſequatur. Canoniſtæ autem putant communiter res conſecratas vendi non poſſe, quamdiu conſecrationem retinent, amiſsa verò conſecratione frangendas eſſe, & illarum materiã vendi poſſe. *Gloſſa in c.ea quæ, & c.non ſatis de ſimonia.* Hodie vendens agnos Dei benedictos reus eſt ſimoniæ labis iure humano vetitæ, etiamſi eos vendat ſolùm ratione materiæ, nec plus exigat ratione conſecrationis. *Bonac.c.§.2.n.6. & tom.3. d.2.q.2. punct.2.* quia *Gregorius XIII.* prohibuit ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt patet in eius bulla, quæ incipit, *Omni certè ſtudio.*) Agnos Dei pingi, & ſic pictos venales proponi, ſeu retineri, & ad vitandum ſimoniæ periculum in vrbe Roma extat ſpecialis prohibitio, huiuſmodi Agnos benedictos vendendi. Verùm *Filliuc.tr.14.c.6.n.93* aſſerit hanc conſtitutionem *Gregorij* extra Vrbem non fuiſſe receptam. Paſſim enim cernuntur Agni Dei picti, quos non eſt veriſimile fuiſſe depictos cum licentia Papæ. Immò ſi ſint albi, & non minio cõfecti, poſſe vendi, ſine vllo ſcrupulo ratione materiæ ac laboris, & impenſarum in eis aſportandis docent *Cherubinus, Naldus, Homobonus, Villalobos, Suares, Sanches*, vt refert *Diana par.3.tract.6.reſ.12.* & huic ſententiæ ſubſcribit *Caramuel libr.2. Theolog. moral. num.867.*

5. *Simoniacus* eſt, ſuſcipiens ordines prætia pecunia ſeu' pretio: & collatores ordinum ſimoniaci ſunt, accipiendo aliquid occaſione ordinationis, quamuis ſpontè offeratur: *C. ſi quis, de ſimon. C.ſicut Epiſcopum. 1.q.2. Suar.c.53.n.3. Regin.c.num.200. Leſſ.l.2.c.35. dub.10.* excipiuntur tamen candelæ, ſeu faculæ ex declaratione ſacræ Congregationis: *Notarius* tamen, cui ſalarium alia ratione conſtitutum non eſt, poteſt aliquid pro litteris dimiſſorijs vel teſtimonialibus, loco ſtipendij accipere: quia non tenetur gratis operam ſuam præſtare, nemo enim tuis ſtipendijs militat: immo Concilium Tridentinum *ſeſſ.22.cap.1.de reform.* dat ei facultatem recipiendi decimam vnius aurei partem in ijs locis, in quibus conſuetudo inualuit aliquid accipiendi.

6. Diuina officia & quævis orationes non tantum publicæ, ſed etiam priuatæ, ſunt propriè materia ſimoniæ: *C. ad noſtram, de ſimon. D.Thom. c.q.100. art.3. Suar.c.cap.15.* quamuis nihil obſtat quominus aliquid petatur, verbi gratia pro officio funebri, & pro proceſſione, crucis geſtatione &c. non per modum pretij, ſed ratione laudabilis conſuetudinis, vel ad neceſſariam ſuſtentationem miniſtrorum. *Notandum* eſt quod in ſpirituali functione quatuor ſpectari poſſunt. *Leſſius lib.2. cap.35. dub 8. Primò*, ipſa actio quà talis eſt. *Secundò*, labor intrinſecè coniunctus. *Tertiò*, labor extrinſecus annexus. *Quartò*, miniſtri ſuſtentatio. Simonia eſt aliquid dare, vel accipere pro ipſis actionibus ſpiritualibus quà ſpirituales ſunt, quia hoc eſt ſanctitatem rei pretio æſtimare. *Non* eſt autem ſimonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinſecis ſeu per accidens adiunctis, ſiue prævij ſint actioni ſacræ, ſiue comitentur, quia illi labores in ſe ſunt quid temporale pro ſe pretio æſtimabiles. *Non* eſt item ſimonia ſi des aliquid pro ſuſtentatione miniſtri, ſub obligatione rei ſpiritualis, aut ſi miniſter aliquid pro ſuſtentatione exigat: immò poteſt ipſe miniſter paciſci de certo ſtipendio ad ſuſtentationem, prout habet conſuetudo. Bonacina *c.q.6.p.3. Suares c.cap.21.num.15. Reginal. c.num.139. & num.117. Valent.com.3.d.6.q.16.par.3. Toletus lib. 5.c.89. Syluius c.art.2. concl.2. & art 3. q.1. & 2.* *Pro labore* verò qui intrinſecè eſt coniunctus actioni ſacræ poſſe aliquid accipi vel dari; quidam affirmant, alij autem negant; vtrique probabiliter. *Vide Syluium ci. art.2. concluſ.1. Layman c.numer.41. Leſſium c.num.53.*

7. Non eſt ſimonia aliquid exigere pro doctrina Theologiæ naturalis ſeu metaphyſicę, quia hęc doctrina non eſt res ſupernaturalis, ſed eſt actus naturalis intellectus adducẽs alterum ad cognitionem naturalem, ac proinde non eſt materia ſimoniæ. *Suares c.lib.4 cap.18.n.9. Layman c.lib.4.tr.10.c.ultim.§.4. n.30. Sylius c.art.3.in reſp.ad 3.quæſt.1. Filliuc.tr.45.cap.4.q.7.& 8. Leſſ. lib.2.*

lib.2.cap.35. dub.13. Bonacina c.q.4.§.10 n.5. 6.& 7. Victoria relect.11. de simonia n.6. Exigere autem aliquid pro ſimplici catechiſmo ſeu doctrina & veritate fidei tradenda, tamquam pretiũ, eſt ſimonia, quia hæc doctrina non æſtimatur, niſi quatenus diſponit ad ſalutem. Si Theologia pro cognitione myſteriorum fidei & ſcripturarum diuinitus infuſa accipiatur, exigere aliquid pro eius vſu tamquam pretium, eſt ſimonia, quia hæc eſt gratia gratis data & ſupernaturalis. Si autem Theologia accipiatur pro ſcientia, quæ ex principijs fidei per induſtriam rationis naturalis deducit concluſiones, pro quibuſdam eius actibus pretium accipi poteſt, pro quibuſdam nõ; quatuor enim functiones habet Theologia. *Primò*, ex principijs fidei deducere concluſiones. *Secundò*, ex ſacris Doctoribus interpretari ſcripturas. *Tertiò* docere doctrinam Chriſtianam. *Quarto*, dare reſponſa ad pacandas conſcientias. Pro tertio & quarto actu pretium exigi non poteſt, ſecundùm *Leſſium*. Pro primo & ſecundo quidam putant eſſe ſimoniam aliquid exigere, alij etiam probabiliter negant. Simoniacum non eſt, doctrinas ſeu inſtructiones naturales artium aut ſcientiarum, alteri quaſi pretio vendere, ſeu mercede locare, quia ſcientia, doctrina ſeu inſtructio rerum naturalium, moralium &c. non eſt facta, ſpiritualis ſeu ad ſalutem animæ ſpecialiter deſtinata: per accidens tamen iniuſtitia committi poſſet, verbi gratia, ſi quis duplicatum ſalarium accipiat, vt profeſſor artium, qui iuſtum publicum ſalarium habens nihilominus à ſcholaribus collectam exigit. *Nauarr.cap.23. num.100. Reginald.lib.23.n.112. Azorius 3.p.l.12.cap.18.q.6. Layman c.num.30. Filliuc. c.cap.2. quæſt.5.*

8. Vendere licentiam ad docendum Theologiam, non eſt ſimonia ex natura rei; quia concedendo alicui Cathedram, datur licentia docendi Theologiam, at cathedram vendere licet ab hq. ſimonia, quia nec poteſtas ex qua datur ſpiritualis eſt, ſed temporalis, nec actus ad quem datur ſpiritualis eſt, vnde nec vendere magiſterium Theologiæ, ſimonia eſt, quia actus docendi ad quẽ huiuſmodi magiſterium ordinatur, ſpiritualis non eſt. *Suar.c.capit.18.n.14. Layman c.nu.31. Leſſius c.num.83. Sylueſt.c.quæſt.1.*

9. Pro ingreſſu in religionem, ſeu pro ipſa profeſſione, vel ſtatu religioſo accipere aliquid tamquam pretium, ſecundùm ſe ſimoniacum eſt, quia hic ſtatus eſt res omnino ſupernaturalis, & cœleſtis, continens ius & obligationem ſeruiendi Deo in communitate, ſecundùm præſcriptam regulam; & ideo eſt impretiabilis. Vt habetur in cap. *Nullus*, 1.q.2. & docent *D.Thom. 2.2.q. 100. art.3.ad 4. Sylu.ibidem quæſt.2. concl 1. Suares de relig.tom. 1.lib.4.c.17. Pet. Ledeſma de ſimonia concl.17. Azorius c.l.12.cap. 16.* & alij communiter. Item ſecundùm Doctores hic citatos, ſimonia eſt aliquem allicere ad religionem muneribus, illa tamquã pretium tribuendo; vt ſi fiat pactum cum aliquo, quòd ipſe propter quædam munera ingrediatur religionem: intendendo illum abſolutè per hæc obligare. Nihilominus ſi munera dentur ſimpliciter & abſolutè, vel ſub conditione tantùm inuitante, vel facilitante conditionem religioſi ſtatus, ſic licita eſſet donatio, vel promiſſio.

Aliquid exigere, vel accipere pro ſuſtentatione perſonæ, non eſt illicitum, ſi monaſterium inops ſit, & regula ordinis permittat. Eſt communis Doctorum. *D.Thom.c.Sylueſter ibidem concl.2. Bonac.de ſimon.diſp.1.q.4.§.8.n.2. Filliuc.tr.45.c.4.q.6. Suar.c.cap. 17.num.18.* Ratio eſt, quia hic nihil ſpirituale venditur, ſed ſolùm exigitur quædam neceſſaria conditio, vt alij religioſi non grauentur; non enim tenẽtur ſubire maiorem inopiam, vt alij admittantur, quando admittendi poſſunt facilè iſtud incommodum cauere. Si monaſterium ſit dites, licet probabile ſit non eſſe ſimoniam, nec iuris diuini in foro exteriori, nec humani, ſi ſuperiores monaſterij exigant aliquid pro alimentis, ſeu onere ſuſtentandi religioſum admittendum, ita vt aliter nolint illum admittere, eſt tamen longè probabilius & verius eſſe ſimoniam, ſaltem iuris humani. Prior pars eſt. *Soto de mſt.lib.9.quæſt.6.artic.2. ad 4. Sylueſt.v.Simonia q.15. Valen.2.2.diſput.6.q.16.punct.2. Toler.lib.5.cap.89.* quos ſequuntur quidam Recentiores. Ratio eſt, quia non exigitur temporale pro ſpirituali, ſed ſolùm requiritur, vt monaſterium nullo modo grauetur: eſto ſit aliunde peccatum graniſſimum, contra iuſtitiam, quia prouentus monaſterij non applicantur ijs, qui ad hos ius habent, & quibus Eccleſia voluit applicari: & etiam contra charitatem, tum ratione ſcandali, aut auaritiæ, tum quia ob id multæ puellæ pauperes à religionis ingreſſu abſtinent. Altera pars eſt. *D.Thom.in 4.d.25.q.3.art.2 q.2. Adrianus quodl.9. in reſp.ad 6. Victoria relect. de Simonia par.2. numer.11. Sylueſter, c.concl.5.* quia vel exigitur pro admiſſione ad ſtatum religionis, & eſt aperta ſimonia: vel pro nuda ſuſtentatione, & videtur eſſe palliata: cum enim monaſterium ſit opulẽtum, & ſufficienter habeat vnde ſuſtentari queant illi qui offeruntur; non apparet quòd temporalia verè & coram Deo exigantur pro eorum ſuſtentatione ſed quòd ille prætextus accipiatur. Cõfirmatur hęc ſententia ex multis Canonibus, qui id prohibent tãquam ſimoniacum. *Cap.non ſatis. Cap.veniens ad nos cap. Dilectus filius. Cap.quoniam, de ſimonia. & Extrauagans 1 de Simonia*, valde vrget: nam & eos, qui paſtus, prandia ſeu cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias exigunt in religionis ingreſſu, etiam ex conſuetudine, quam dicit eſſe corruptelam, & eos qui hęc dant excommunicat, &c. Conuenrus autem & Capitula ſuſpendit. Reſpondent alij hos canones loqui quoad præſumptionem fori exterioris, vel certè quando aliquid exigitur vt pretium, non pro ſuſtentatione. Alij dicunt olim fuiſſe ſimoniam iuris Eccleſiaſtici, ſed modò per contrarium vſum eſſe abolitam: ſed rectiùs Doctores poſterioris ſententię loquuntur, quia Canones abſolutè dicunt eſſe ſimoniam, & contrariam conſuetudinem eſſe corruptelam. Ratio eſt, quia ius viuendi de prouentibus monaſterij, auctoritate Eccleſiæ adeò coniungitur profeſſioni, ſicut prębenda officio eccleſiaſtico, ergo ſicut pro prębenda nõ poteſt quidquam exigi ita nec pro iure ſuſtentationis. Confirmatur, quia cùm hoc ius ſit debitum ratione ſtatus, ſecundùm prudentem ęſtimationẽ, cenſebitur ille qui aliquid exiget, velle vendere ipſum ſtatum, ex quo hoc ius manat. Proinde hanc extrauagantem *Vrbani V.* in corpore iuris inſertam confirmauit *Gregorius X.* per aliam, quę incipit, *Tenorem*, apud *Rodriques* in bullario.

Similem ferè prohibitionem facit Tridentinum *ſeſſ.25.c.16. de reformat.* tamen ſine excommunicatione ipſo facto incurrenda: ne ſcilicet, ante profeſſionem, excepto victu, & veſtitu nouitij, vel nouitię, illius temporis quo in probatione eſt, quocumque prętextu à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus eius monaſterio aliquid ex bonis eius tribuatur, idque pręcipit ſub anathematis pœna ferenda ſcilicet, ſed non lata. Et certè hęc opinio D. Thomę & aliorum ſimpliciter eſt vera, loquendo in conſcientia: eò quòd Pontifices non ſolùm puniant vitium, quòd pręſumunt, ſed abſolutè ipſum actum, ex quo eſt huiuſmodi pręſumptio, prohibeant, & illicitum conſtituant, etiamſi aliàs non eſſet illicitum; immo omne ius quidquam petendi, etiam pro ſuſtẽtatione, monaſterio diuiti tollant: ita quòd illi nullus iam titulus iuſtus ſuperſit ad petendum, ex quibus ſequitur, quòd ſi aliquid petit, id ipſum petere pro ingreſſu; quia licet intus intentionem ab hoc obiecto auertat; ipſo tamen facto euitare non poteſt quin implicitè et indirectè id intendat. Sicut qui pro mutuo aliquid petit, ad quod petendum nullum omnino titulum habet, & interim aliter non vult mutuare; profectò committitur illud petere pro mutuo & vſuram committere.

10. Contraria diuturna conſuetudo, quę in monialium monaſterijs obtinuit, facilè damnari non poteſt; *Philiarcus to.2. de offic.Sacerd.l.6.c.7. Suares de cenſ.d.22.ſect.5. n.13. Leſſius c.num. 70. Layman c.num.39.* cùm enim expediat monialium monaſteria ſufficientes reditus habere, ne vagandi, aut cum ſęcularibus communicandi occaſio ipſis prębeatur; rarò accidet, vt non probabilem titulum exigendi dotem moderatam (præſertim exigente conſuetudine diuturna) prętendere poſſint, quo & de reditu ſufficientia ſecuriores ſint; & plures etiam, quàm alioquin deberent, recipere poſſint: qua propter ſummi etiam Põtifices *Martinus V. & Clemens VII.* declararunt nolle ſe vt moniales cenſuram aliquam incurrant, eò quòd ingreſſu aut profeſſione ſuarum aliquid exigant, vt tellantur *Nauarr. cap.27.nu.106. Sylueſt. ver. Simonia 7.n.15.in fin.*

11. *Pro omiſſione* actus ſpiritualis aliquid exigere, non eſt propriè ſimonia; quia nuda omiſſio actus ſpiritualis non eſt quid ſacrum & ſupernaturale: tamen huic contractui, quo aliquid datur vel exigitur pro omiſſione actus ſpiritualis, ſi fiat ſine iuſta cauſa coniuncta, eſt quędam turpitudo ſimoniæ affinis; *Suar.de Simon.c 8.n.26. Filliuc.c.cap.2.n.19. Lay.c.n.43. Valen.tom.3. d.6.q.16. punct.2.* quia dum exigitur vel offertur pretium pro omiſſione actus ſpiritualis, tacitè inſinuatur actum illum eſſe vendibilem: in multis tamen caſibus liceret, modò cum huiuſmodi omiſsione coniunctus non ſit actus iuriſdictionis, qui cum ipſa omiſsione pretio vendatur. Ex quibus collige. *Primo* ſimoniacum non eſſe qui pretium accipit pro non audiendo ſacro, vel pro non recitando officium diuinum, vel non concionando, & ſic de multis alijs omiſsionibus, licet alioquin illicitum, & peccatum: quia nuda & ſimplex omiſsio horum actuum, non eſt aliquid ſacrum, aut ſpirituale; dum igitur pro illa pręcisè pretium datur, & accipitur, non eſt ſimonia, quidquid ſit de alijs peccatis

iniu-

iniuſtitię, vel ſacrilegij, quę ibi poſſunt reperiri.

Collige *ſecundò*, Confeſſarium, qui pro pretio non abſoluit hominem ritè confeſſum, & cum iudicem, qui non abſoluit excommunicatum ab excommunicatione, pro eodem pretio, quãdo illum debet abſoluere, committere ſimoniam; quia vterque eſt iuriſdictionis ſpiritualis, & vterque oritur ex iuriſdictione ſpirituali, & eſt effectus proportionatus illius.

Sed petes, ſi pœnitens malè diſpoſitus paciſcatur cum Confeſſore, vt palã ſibi abſolutionẽ impertiat ficta, & ſibi palã proferat abſolutionis verba, ſine intẽtione abſoluẽdi, ne circumſtantes dubitent de ius abſolutione? Reſp. Ibi non dari ſimoniam, quia in tali caſu nihil vendit ſpirituale, quamuis ſit turpe lucrum, & omnino fugiendum. Ita *Caiet. in opuſc. tom. 2 tr. 9. q. 2. Sot. lib. 9. de iuſtit. q. 8. art. 1.*

12. Omnis *actus iuriſdictionis* Eccleſiaſticæ eſt materia ſimoniæ; quia ſicuti poteſtas Eccleſiaſtica ſpiritualis eſt tum ratione principij, tum finis, ita etiam actus ab ea procedentes; *Cod. ad noſtram, de ſimonia. Suarez c. cap. 20. Filliuc. tr. 45. cap. 4. q. 9. & 10. Layman. c. num. 40. Leſſius l. 2. cap. 55. dub. 9.* quare ſimoniacum eſt, pretium dare vel accipere pro abſolutione à peccatis, pro delegatione facultatis ad audiendas confeſſiones, vel pro data alicui licentia eligendi Confeſſorem; *item* pro conceſſione indulgẽtiarum: quamuis contributio pecuniæ ad piam cauſam applicãda exigi poſſit per modum eleemoſynæ, tamquam requiſitæ conditionis ad indulgentiam lucrandam; *ſimiliter* pro abſolutione à cenſuris & omni actu iuriſdictionis contentioſæ quidquam accipere prohibitum eſt: *item* ſimonia eſt pro diſpenſationibus votorum aliquid exigere: licet Epiſcopus poſſit imponere onus largiendi eleemoſynam pauperibus vel monaſterio: *item* ſimonia eſt, ſi Confeſſor cogat pœnitentem pœnitentiam acceptare, in qua illi imponit, vt dici faciat tres Miſſas, v. g. pro ſuis peccatis, ubique det eleemoſynam illarum, ad illas dicendas: quia talis obligatio eſt pretio æſtimabilis; ſi tamen ſolùm imponeret pœnitentiam Miſſarum, dicendarum, non deſignando, per quem ſacerdotem, non erit ſimonia, etiamſi ipſe Confeſſor ſperet fore, vt ſibi Miſſæ dicendæ committantur; quia non deſignat emptorem, cui ſolvat ſtipendium illarum. Immo non erit ſimonia, licet ſacerdos ſuam neceſſitatem, & deſiderium dicendi illas Miſſas, poſt datam abſolutionem, ſignificet. *Suar. de relig. tom. 1. lib. 4. de Simon. cap. 19. n. 4.*

Manifeſta plane erit ſimonia, ſi pœnitens minorem emat pœnitentiam à confeſſario, pro pretio, vel pro aliquo pretio æſtimabili, & confeſſarius illud accipiat. Et idem dicendum eſt, ſi illud accipiat ab aliquo tertio, pro imponenda huic pœnitentia grauiori.

Idem dicendum eſt, ſi parochus pretium accipiat pro danda licentia aſſiſtendi matrimonio, quaſi illam vendendo: nam licet illa aſſiſtentia, vel licentia ad id non ſit actus iuriſdictionis, vt oſtendit Sanches *de matrim. lib. 3 diſp. 21.* conceſſio tamen illius licentiæ, eſt actus pertinens ad ſpirituale munus parochi, & ab eo intrinſecè emanans, & conſequenter eſt ſpiritualis, & materia ſimoniæ. Si verò parochus exigat ab illo ſacerdote, qui ab illo licentiam petit ad aſſiſtendum alicui matrimonio, vel totam oblationem, vel partẽ illius, quã ipſe parochus erat percepturus, ratione lucri ceſſantis, hoc modò iuſtè & licitè illam poteſt exigere. Aſſiſtentia tamen teſtium poteſt abſque vitio ſimoniæ emi & vẽdi: quia non eſt aliquid ſpirituale, vel in ſe, vel ratione alicuius muneris ſpiritualis. Vide Bonacinam *de Simonia q. 4. §. 16. n. 7. & 8.* & alios ab ipſo citatos.

Vide v. *Empio num. 5.*

SIMONIA IV.

De materia Simoniæ rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexæ.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicantur res ſacræ per annexionem?*
2. *An annexum ſpirituali ratione connexionis quam habet ad illud, ſit materia Simoniæ?*
3. *An beneficium quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum, ſit materia ſimoniæ contra ius diuinum?*
4. *An commutatio rei ſpiritualis pro ſpirituali ſit ſimonia contra ius diuinum?*
5. *An vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi vel incommodi ob eius priuationem cum reſignatione, ſit ſimonia contra ius diuinum, vel Eccleſiaſticum?* refertur duplex ſententia.
6. *An poſſit ſummus Pontifex ſeparando prabendam ab officio ſpirituali, dare beneficium cum onere ſoluendi partem fructũ, & accipere totum valorem penſionis ſimul?*
7. *An penſiones merè temporales ex eccleſiaſticis prouentibus, ſine vitio ſimoniæ vendantur ac redimantur? & quid de penſionibus mixtis?*
8. *An permutatio beneficiorum priuata pactione, & ſine legitima auctoritate Epiſcopi facta, irrita ſit & ſimoniaca?*
9. *An beneficia inæqualia in temporalibus permutari poſſint cum penſione aut alia re pretio æſtimabili coram Epiſcopo, aut alio inferiore Papa,* refertur duplex ſententia.
10. *An reſignare beneficium in fauorem tertij, cum clauſula, Non aliter, nec aliàs: ſit ſimonia?* refertur duplex ſententia.
11. *An ſimoniam committat beneficiarius, qui beneficium litigioſum adeptus cum multis expenſis, illud poſtea reſignat coram inferiore Papa, cum pacto, vt is cui reſignat beneficium, ſoluat expenſas? & quid ſentiendum de reſignationibus reciprocis, vel triangularibus.*
12. *Quid iure permiſſum ſit partibus, orta lite de eccleſiaſtico beneficio vel alia re ſpirituali?*

1. RES *ſacræ* per annexionem illæ dicuntur, quæ ex ſe materiales vel naturales ſunt, per coniunctionem tamen ſeu vinculum cum re ſacra cenſentur ſacræ ſeu ſpirituales. *Triplicitèr*, autem poteſt quid dici connexum alteri. *Primò*, antecedenter, illud autem dicitur antecedenter connexum rei ſacræ, quod præcedit rem ſacram, ſeu ſupponitur rei ſacræ, cui connectitur, vt ſunt vaſa ſacra, veſtes ſacræ. *Secundò*, comitanter, ſcilicet quod comitatur rem ſacram, illique intrinſecè coniungitur, & eſt veluti pars, vnum totum cum re ſacra componens, vt eſt labor ad rem ſeu actionem ſacram peragendam requiſitus. *Tertiò*, conſequenter; quod videlicet conſequitur ſpirituale, & eſt velut effectus illius rei ſpiritualis, quam conſequitur. Huiuſmodi ſunt beneficia, hæc enim conſequuntur diuina officia, quia inſtituta ſunt propter diuina officia, & dicuntur annexa diuinis officiis, conſequenter tamquam ab illis dependentia. Ita *Regin. l. 23. nu. 115. & ſeq. Sylu. 2. 2. q. 100. art. 4. Valent. com. 3. diſp. 6. q. 16. punct. 1. Filliu. tr. 45. c. 5. q. 1. 2. & 3. Layman l. 4. tr. 10. c. 8. n. 3. Vgolin. tab. 1. c. 34. de ſimon. Crouſers ad cap. 7. reg. Min. lect. 7.*

2. Generatim loquendo, adnexum ſpirituali ratione connexionis quam habet ad illud eſt materia ſimoniæ, ideòque vendi non poteſt, abſque illa, quia ſpirituale vendi non poteſt nec vt res vendita, nec vt ratio venditionis hoc enim ipſo, pretio æſtimaretur: tamen ſi antecedenter adnexum ſpirituali per ſe ſpectetur, non eſt materia ſimoniæ, conſequenter ſine labe ſimoniæ vendi poteſt, quia ſecundùm ſe, eſt pretio æſtimabile, nec valorem & æſtimationem ſuam amittit ob coniunctionem cum ſpirituali ſi ſpectetur abſque relatione ad ſpirituale. *D. Thom. c. art. 4. ad 1. Suar. c. cap. 13. n. 8. Filliuc. c. cap. 5. q. 4. Bonacina d. 1. q. 4. §. 12. Sylu. c. art 4. concl. 1.* & alij.

3. *Beneficium* quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum, eſt materia ſimoniæ contra ius diuinum, quia iura ſpiritualia quę poſita ſunt in aliqua poteſtate ſpirituali vendi non poſſunt: *ſimilis* autem beneficij ſpirituale quoddam ius eſt, quare neque ipſum, neque beneficium ratione illius vendi poterit, & venditio beneficij quoad hoc ius, eſt ſimonia contra ius diuinum, atque adeò nec Papæ diſpenſatione licitum eſſe poteſt, cùm vendatur res ſpiritualis, quod eſt intrinſecè malum. *Suar. tom. 1. de relig. l. 4. cap. 4. num. 4. Filliuc. c. cap. 5. q. 5.* Certum eſt etiam de facto, beneficium vendi non poſſe abſque ſimonia, etiam habito reſpectu ad temporale commodum, quod in ipſo eſt, ideoque etiam hoc modo beneficium eſt materia ſimoniæ. *Cap. fin. de pact. cap. ſuper eo, de tranſact. C. tua nos. de ſimon.*

4. Ex probabiliore ſententia non committitur ſimonia contra ius diuinum, tradendo ſeu commutando ſpirituale pro ſpirituali præcisè: quia ſimonia conſiſtit in commutatione rei ſpiritualis pro pecunia, nomine autem pecuniæ intelligitur omne id quod eſt pretio æſtimabile, ſed res ſpiritualis non eſt pecunia, cum non ſit pretio æſtimabilis, ergo. Committeretur verò ſimonia, ſi pro ſpirituali traderetur res temporalis ſeu ſpiritualis adnexa temporali, ſeu dum pro re ſpirituali, cui adnexa eſt res temporalis, traditur alia res ſpiritualis, cui alia res temporalis pretioſior adnexa eſt: vt ſi tradatur imago benedicta pro calice conſecrato, aut ca-

lix pr-

lix pro Ecclesiastico beneficio, tunc enim res illa temporalis censetur commutari, siue compensari cum re spirituali, nisi fortè constaret excessum gratis trad. & donari. D. Thomas 2.2. q.100. art.2. *Suar.c.l.4.cap.30.num.5. Couarruu.1.var.c.5.n.4. Azor.3. p.l.12.c.3.q.2. Fill.c.cap.7.q.2.n.1.*

5. Controuertitur inter Doctores, an vendere beneficium tãtùm ratione temporalis commodi vel incommodi ob eius priuationem cum resignatione, sit simonia contra ius diuinum, an verò tantum contra Ecclesiasticum: *Plerique* Canonistæ putant esse tantùm contra ius positiuum, si intuitu temporalis commodi tantùm vendatur, *Clarus l.5.fen.v simonia. Vgolin.tab.1.c.3 §. 5.* ideoque à Papa vel alio ex eius dispensatione vendi beneficiũ posse. Ita *Nauarr.c.23.n.108.§.9. Quidam* tamen Theologi asserunt esse contra ius diuinum: quia vel venduntur fructus beneficij separati à titulo ecclesiastico, & sic quidem non esset simonia sed tunc non venderetur beneficium: vel non separati à titulo, & sic est impossibile vendere vnum sine alio: quia cùm venditur beneficium non venduntur tantùm temporales fructus, sed magis ius ad illos, quod oritur ex functione spirituali. Ita Valentia *c.quæst 16.p.1. Rodriques to.2.cap.58. Suares c.cap.24.nu.7. Laym. c.cap.8.nu.44.*

6. Sũmus Pontifex, qui potest separare præbendã ab officio spirituali potest etiam dare beneficiũ cũ onere soluẽdi partẽ fructuũ & accipere totum valorem pensionis simul, atque adeò dare beneficium exhibenti pecuniam facta separatione præbendæ, secus non factà separatione. Episcopus verò qui separare præbendam ab officio non potest, nec etiam potest vendere beneficia absque simonia contra ius diuinum, nec imponere pensionem super beneficio, licet aliquando super personam habentem beneficium possit. Multò minùs priuatis personis beneficia licebit vendere, cùm neque ijs liceat ea locare nisi per triennium etsi fructus vẽdi per totam vitam possint. *Vgolin. tabul.1.capitul.3. §.5. Suares c.cap.24.num.23. Layman c.num.45. Fillinc.tract.45.c.5.quæst.10. & 11.*

7. *Pensiones* merè temporales, quæ etiam laicis ob iustam causam designari ac competere possunt ex ecclesiasticis prouentibus, sine vitio simoniæ venduntur ac redimuntur; *Toletus l.5. c.92. Suar.c.c.26.n.5. & seq. Less.l.2.c.35.dub.12. Pensiones* propriè spirituales, quæ ad spirituale ministerium designantur, v.g. Concionatori, Coadiutori Episcopi, sine simonia emi ac vendi non possunt. *Pensiones* verò mixtæ, quæ Clericorum quidem propriæ sũt, verùm non ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam designatę, v.g. propter Clerici paupertatem, senium, litis compositionem, beneficij resignationem, licèt emi ac vendi nequeant, tamẽ redimi possunt, saltem vbi constitutio *Pij V.* eiusmodi pensionib. obligationem officij Beatæ Virginis imponentis recepta non est; quia redimere talem pensionem non est emere aliquod ius spirituale, sed extinguere onus temporale. *Dian.4.p.tr.4.res.153. Vide Sylu.2 2.q.100.art.4.concl.1.2.& 3. Layman c.c.8.nu.48.*

8. *Permutatio* beneficiorum si priuata pactione, & sine legitima auctoritate Episcopi fiat, non solùm irrita est, sed etiam simoniaca ex dispositione iuris Ecclesiastici: *C.quæsitum c.cum olim, de rerum permut. C.audiuimus 4. de simonia. Less. c.dub.17.* quia iure canonico omnis pactio prohibetur in beneficijs permutatio autem non celebratur sine pacto, & hoc fit ob periculum, suspicionem, & occasionem simoniæ, & alia incommoda, quæ facilè sequi poterant, si permissum fuisset beneficia priuata auctoritate permutare: Vnde simonia est saltem contra ius humanum, in commutationibus actionum pertinentium ad prouisiones beneficiorum: vt si quis dicat, tu elige hunc, & ego eligam illum; vel tu confirma hunc, & ego eligam illum; vel, confer huic beneficium, & ego eligam illum; vel, ego præsentabo hunc ad beneficium mei patronatus, si tu beneficium tuum simplex mihi renunciaueris: quia licet huiusmodi actiones sint spirituales & vna permutari videatur cum altera, nihilominus moraliter æstimantur media ad temporale lucrum. *Suares c.c.32.n.14. Reginald.l.23. nu.263. Nauar.c.23.n.100. Fillinc.tract.45.c.7.nu.12.& 13. Verumtamen* volentibus permutare licitum est priùs tractare de negotio permutationis, & etiam concludere quantum est ex parte ipsorum, præstando mutuum consensum, sed in ordine ad consensum prælati: *Laym.c.n.50. Valent.c.p.3. Suar.c.32.n.7. Regin.c.n.262:* immò partes possunt inter se pactum inire, seque obligare ad persistendum in conuentione donec superior consensum denegarit. Superior autem coram quo permutatio fieri debet, secundùm iura, est Episcopus. Nomine verò *Episcopi* intelligitur, qui habet iurisdictionem Episcopalem, etiamsi non [illegible] nitatem, vt Abbas vel alius habens præscriptam [illegible] ad [illegible]

effectum, satis esset. *Bonac.c.§.12.n.7. Fill.c.n.31. Suares nu.10. & 11.*

9. Secundùm probabiliorem sententiam beneficia quamuis inæqualia in temporalibus permutari non possunt cum pensione aut alia re pretio æstimabili coram Episcopo, aut alio inferiore Papa, etiamsi pensio aut alia res temporalis exigatur ratione beneficij pinguioris quod cum tenuiori permutatur: *Suar.c.34.nu.10. Regin.c.23.n.264. Nauar.c.23.n.100. Fillinc.c.c.7.q.11. Laym. c.nu.54* quia fructus siue reditus beneficiales ita annexi sunt spirituali titulo, vt nemini deberi possint, nisi ratione spiritualis præstiti officij, consequenter, qui reditus beneficiales emit, ipsum titulum siue ius officij emere conuincitur. Quibusdam tamen Doctoribus non videtur improbabile hoc simoniacum non esse, si superioris puta, Episcopi auctoritas intercedat, & probant ex *Cap.ad quæstiones, de rerum permut.* vbi Clemens III. respondit, Ecclesias parochiales auctoritate Episcopi permutari posse ita vt si possessiones vnius abundantiores sint, ex excessu pecunia cõpensetur. *Caset 2.2.q.100.art.4. Lessius c.dub.17.n.101. Syl. v.permut.2.q.6. Ang.l.eod.verb.§.7.*

10. Beneficium resignare in fauorem tertij, id est, cum clausula *Non aliter, nec alias*, multi Doctores censent id esse simoniã. *Nau.c.23.nu.109. Rebuff. de beneficijs §. de pura resignatione. Fill.c.c.8.nu.20. Regin.l.23. n.247* quia omnis pactio in spiritualibus simoniam continet: resignatio autem secundùm iura debet fieri purè & absolutè in manus Ordinarij; licèt possint offerri preces pro aliquo, Ordinarius tamen non astringitur huic conferre. Secus verò si fiat in manibus Pontificis, cuius præsentia potest simoniam purgare. Alij verò tenent talem resignationem in manus Ordinarij factam nullam continere simoniam iuris diuini, vel humani, nec esse illicitam, modò is, in cuius fauorem fit, verè sit dignus, quia qui ita renunciat, nihil temporale dat vel accipit pro spirituali; sed solùm indicat se renunciare, si collator velit conferre Petro, non renunciare si nolit. *Sotus lib.9. quæst. 7.art.2. Couar.l.1.var.c.5.n.5. Suares cap.33.nu.2.& 7.* Cæterum certum est hic nullam esse simoniam iuris diuini, nec posse etiã ex Canonibus conuinci esse simoniam iuris humani, quia nulla propriè hic interuenit pactio; non enim requiritur promissio prælati, sed solùm fit resignatio sub conditione, quam si prælatus non acceptet, nihil actum est. Tamen huiusmodi resignationes ob imaginem simoniæ iuxta stylum Curiæ non possunt fieri, nisi in manus summi Pontificis, vnde non possunt fieri coram Ordinario, saltem eo modo vt Ordinarius se possit obligare nisi ex priuilegio vel consuetudine id ei sit concessum. Lessius *l.2. c.35. dub.14. nums.86. 87. Fillinc.c.c.8.q.8. Bonac.c.§.14 nu. 6. Rebuf.cit.*

11. *Simoniam* committit beneficiarius, qui beneficium litigiosum cum multis expensis assecutus fuerat, si postea dum in pacifica possessione existit, resignat illud alteri coram inferiore Papa cum pacto, vt is, cui resignat beneficium, soluat expensas. *Suar.c.c.5.n.24. Regin.l.23.c.18. Fill.c.c.8.nu.35.* quia resignatio hæc nõ est pura, cùm exigat temporale pro spirituali, nullo enim alio titulo exigit expensas, nisi quia beneficium illi resignat. *Item* simoniã est facere coram Episcopo resignationes reciprocas, *Less.c. num.87. Suar.c.nu.18. Regin.l.23.nu.250.* vt si quis dicat, ego resigno meum beneficium tuo nepoti vel amico, tu verò resigna mihi, vel meo nepoti: nam præterquam quòd hæc renunciatio fit in fauorem, continet pactum resignationis reciprocæ, quòd omnino extra casum permutationis est iure vetitum. Idem à fortiori sentiendum est de renunciatione triangulari, quæ inter tres fieri solet, v.g. renuncio meo beneficio in fauorem Petri, vt Petrus tuo cedat Paulo, & Paulus cedat tuo mihi: hæc enim non est resignatio pura, nec fieri solet sine pluribus pactis, quæ non permitterentur in ordine ad Prælatum inferiorem. *Bonacina c.§.14.nu. . Less.c. n.88. Suares c.nu.18.*

12. Orta lite de ecclesiastico beneficio vel alia re spirituali, non prohibentur partes gratis & amicabiliter inter se componere: *Vgolin.tab.1.c.29. Laym.l.4. tr.10.c.8. n.56.58.* quod duobus modis fieri potest. *Primò*, si vnus sponte & gratis iure suo cedat litemque deferat, etsi nihil obstet, quominus postea donum recipiat. *Secundò*, si in arb[illegible] gratitudine sibi [illegible] otam adiudicent, quæ [illegible] mittant, vt ill[illegible] simoniaca est, in [illegible] videtur. Tra[illegible] altera verò par[illegible] ium Ecc[illegible] ia transactio [illegible] citur [illegible] mutationis [illegible] ccle[illegible] is. Bonacin.[illegible] res vel iur[illegible]

minari possint offerendo, vel retinendo aliquid spirituale, id tamen concessum non est in materia beneficiali, nisi prælati auctoritas intercedat. *Suarez c.51. sect.2.& 3. Laym.c.n.57.* Porrò Episcopus & iudex delegatus, parti litiganti per modum transactionis, adiudicare potest pensionem annuam, in compensationem expensarum, vel ad vitæ necessariam sustentationem. *c.nisi essent, de præbend. Bonac.c.un.9.*

SIMONIA V.

De causis excusantibus à labe simoniæ.

SVMMARIVM.

1. *An titulus liberalitatis, vel gratitudinis propter quem tradens vel accipiens temporale occasione spiritualis excusari possit à simonia.*
2. *An titulus sustentationis sit causa excusans à simonia dum pro obligatione actionis spiritualis aliquid accipitur.*
3. *An labor extrinsecus seu per accidens adiunctus operi sacro vel spirituali sit titulus ob quem aliquid tradi, vel accipi possit absque labe simoniæ?*
4. *An privatio libertatis, vel alterius commodi temporalis, quo quis se privat faciendo spirituale opus sit titulus propter quem aliquid tradi vel accipi possit absq. culpa simoniæ propter opus spirituale?*
5. *An iniusta vexatio sit titulus excusans à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale?*
6. *An tradendo pecuniam subornanti committatur simonia?*
7. *An consuetudo sit titulus excusans à labe simoniæ, traditionem vel acceptionem rei temporalis pro spirituali?*

1. PRimus *titulus*, propter quem tradens, vel accipiens temporale occasione spiritualis, excusari potest à simonia, est titulus liberalitatis, vel gratitudis: vnde dum res aliqua temporalis, vel spiritualis gratis simpliciter datur, vel etiam titulo gratitudinis in recognitionem alterius rei tẽporalis, vel spiritualis simonia non committitur, quia non datur tamquam pretium, sed titulo beneficij, ne conferatur ad extinguendum debitum iustitiæ, sed debitum antidorale, seu morale, quod nõ obstat, quin id quod traditur, gratis tradi dicatur. *Suar.lib.4.c.45.num.4. Layman l.4. tom.10.c.8.nu.8. Filiut.45.c.10.nu.21. Nau.cap.23.n.102. Valent. to.3.d 6.q.16.p.3.*

2. *Secundus titulus*, seu causa excusans à simonia, dum pro obligatione actionis spiritualis aliquid accipitur, est titulus sustẽtationis, quia qui altari seruit, de altari viuere debet, *Tolet.lib.5. c.88.nu.8. Valent.c.p.3. Regin.lib.23.nu.118. Suar.c.cap.45.num.7. Filiuc.cit.cap.10.q.7.nu.27.28. Nauar.cit.n.106. Sylu.2.2. q.100. art.2.quæst.2.* cùm sustentatio iure naturę debeatur, & dignus sit operarius cibo suo: vnde excusantur ministri Ecclesiastici accipientes pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine vel legibus ecclesiæ, præscribentibus aliquid dari pro certis muneribus nec refert quòd sacerdotes aliunde vt plurimum habent quo alij possint, hoc enim per accidens est. quod obesse non debet sacerdoti ne recipiat id quòd sibi ex natura rei debetur, cum nemo etiã diues, suis stipendijs militare teneatur: aliunde tamen peccare potest, vt si ex officio ministrare teneatur, & ratione officij alios reditus habeat: tunc enim peccat contra iustitiam, cùm accipiat indebitum: Propterea huiusmodi sustentatio deduci potest in pactum, cauere tamen debet sacerdos ne plus exigat pro sustentatione, quàm ferat ratio laboris. & operis, quia excessus non est illi debitus, & accipiens indebitum, iniustitiam committeret, & incurreret suspicionem simoniæ. Vnde optandum esset, vt hic mos paciscendi remoueretur, quia speciem quandam nundinationis habet, maximè apud imperitos: qui tamen pacisci volent, debent expresè significare se non pro functione ipsa sacra, sed pro necessaria sustentatione exigere, vt rectè monet Caietanus 2. 2. *q.* 100. *art.* 3. Quod autem in foro fori præsumetur simonia, si nimium exigat, ratio est, quia cùm illud stipendium superet necessariam sustentationem, vel etiam communem taxam, videtur auctarium accipi, non pro sustentatione, sed vt pretium operis spiritualis.

3. *Tertius titulus*, ob quem aliquid tradi vel accipi potest absque labe simoniæ, est labor extrinsecus, seu per accidens adiunctus operi sacro, vel spirituali: *Reginald.l.23.nu.119. Nauar.c.23. nu.101.102. Suar.c.21.n.15. Less.l.2.c.35.n.45. Sylu.t.ar.1.concl.2.* ille autem labor dicitur extrinsecus, & per accidens coniunctus sine quo tale opus fieri potest: ratio verò cur id liceat, est, quia huiusmodi labor in se est aliquid temporale, & pretio æstimabile, neque existimationem, & valorem amittit ob coniunctionem ad opus spirituale, cùm ei per accidens, & extrinsecè adiunctus sit: vnde sacerdos potest exigere mercedem pro obligatione dicendi Sacri, pro tali loco & tempore, & pro labore eundi ad talem locum saris dissitum: nam labor iste per accidens est coniunctus sacræ actioni. Similiter vicarij Prælatorum possunt exigere mercedem pro laboribus, in executione sui officij obeundis, vt in visitatione in audiendi partibus, in excutiendis quæstionibus propositis: hi enim labores etiam temporales sunt, ac proinde pretio locari possunt.

Item qui procurat alteri beneficium, pro labore aliquid accipere potest, non tamen quatenus ille labor ordinem habet ad beneficium. v.g. scribit litteras Romam, proficiscitur, commoratur foris, &c. potest aliquid pro his functionibus, accipere, quatenus in alia re temporali æstimabiles sunt; non tamen licet eas pluris æstimare ratione beneficij maioris, vel minoris: quia licet labor ille, si quis interueniat, per se pretio æstimari possit non tamen quatenus confert ad beneficium obtinendum, itavt propterea pluris æstimetur, sic enim haberet suam æstimationem vel augmentum æstimationis à re spirituali, quod redundat in rei spiritualis iniuriam). Vide Dianam *p.2.tract.16.resol.37.*

4. *Quartus titulus*, propter quem aliquid tradi, vel accipi potest absque culpa simoniæ propter opus spirituale, est priuatio libertatis, vel alterius commodi temporalis. quo quis se priuat faciendo spirituale opus: quia priuatio huiusmodi libertatis est pretio æstimabilis; ergo aliquid pro ipsa accipi potest habita ratione commodi, quod verisimiliter capere potuisset, si sè tali obligatione non obstrinxisset. *Caiet. v.simon.reg.4. Nauarr. cit. numer.106. Less.cit.dubio 8. numer.45. Syluius citat. artic.2. concluf.3.*

5. *Quintus titulus*, excusans à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale, est iniusta vexatio, dum videlicet pecunia traditur ad tollendam ipsam iniustam vexationem, quam quis patitur circa rem spiritualem: secus dicendum, si vexatio iusta sit, tunc enim non licèt media pecunia tollere vexationem, qua parte iusta est; quia pecunia tradi videtur pro acquirenda re spirituali, cuius acquisitionem impedit vexatio. *Capit. dilectus de simon. Nauarr. consil.70. de simonia, Filliucius tractat.45. cap.11.num.6.& 7. Syluius citat. artic.2. post concluf.3. Notandum* autem est, quòd in beneficijs, qui nondum habet ius in re, id est, qui nondum est confirmatus, vel institutus, vel collationem factam nondum acceptauit, non potest oblato pretio vexationem redimere ab his, qui non tantùm possunt obesse, sed etiã prodesse. *Qui* nondum habet ius in re, potest oblato pretio redimere vexationem ab his, qui solùm possunt obesse, siue vi et fraude obstint, siue muneribus & precibus apud electores vel collatorem. *Cap. Matthæus de simonia. Suares tomo primo, de relig. libr. 4.cap.50. num.19. 20.28. & Bonacin. c.quæst.6.punct.5. numer.4.* *Qui* verò habet ius in re per confirmationem vel institutionem vel liberam collationem, potest pretio redimere vexationem, si fortè aliquis illum à possessione capienda impediat; quia possessio, secundùm se, non est quid spirituale, sed id habet ex titulo, cuius vi capitur, vnde non dat pretium pro re spirituali. *Diu. Thom.quæst.100.artic.2. Nauar.cap.23. num.102. Caiet.de simonia, quæst.3.*

6. Non committitur simonia tradendo pecuniam subornanti, qui pecunia, vel importunis precibus corrumpit electores; ne meipsum eligant. *Suar.cap.50.num.25. Valent.2.2. disput.6.quæst. 16.par.3. Dian.par.5.tract.14.resol.2. Fernand.part.3. cap.14. numero 28. Pasqualigus in decision.moral. decis.231. Palaus parte 3. tract.1. disput.3. punct.10. nu.6.* non enim datur pecunia vt meipsum eligant, sed ne damnum mihi inferat, vel ne corrumpat electores. Et hoc probabile est quamuis subornans sit vnus ex electoribus Ratio est, quia licet quando subornans prodesse potest, quia est elector censeri posset, quòd illa subornatio pertineret ad munus ipsius; & proinde daretur ipsi pecunia vt electori: nihilominus quia subornatio est contra munus electoris (vtpote contraria bonæ electioni) ideo si datur ipsi pecunia ex hoc præciso fine, vt desistat à subornatione, non datur tamquam electori, sed tamquam malè affecto; & in tali casu eadem est ratio de ipso, ac de eo qui non potest prodesse, vt notat *Suares*. Et ideo hoc licitum est, quia non ordinatur ad acquirendum aliquod spirituale; sed merè ex intentione dantis ad auertendum à se nocumentum

mentum: Neque iura, quæ prohibent simoniam, prohibent vti iure proprio naturali ad sui defensionem.

Hanc tamen conclusionem admittunt solùm quando subornãs potest obesse, & non prodesse. *Syln. 2.2. q.100. ar.2. concl.3. Mald. tr.9. c.3. dub. 7. Les. l.2. c.35. dub.17.* & alij: quia si prodesse potest vt si est electo, inducitur non solùm ad non impediendum, sed etiam ad aditmandum: & pretio paratur via ad electionem. Ad quam rationem posset responderi, id esse per accidens, quòd per hoc inclinetur animus electoris ad eligendum, & præter intentionem dantis pecuniam, vnde non potest inficere redemptionẽ vexationis.

Addo simoniam committi in electionibus regularium, si aliquis pecunia, vel aliquo dono temporali conueniat cum aliquo, ne concurrat cum ipso ad electionem alicuius Prælaturæ. Ratio est, quia talis sic faciendo sibi parat electionem media illa pecunia, aut dono temporali, quod est virtualis quædam emptio prælaturæ, aut electionis ad ipsam. Ita *Sanch. l.3. opusc. cap.3. dub.30. Les. l.2. cap.35. dub.18. Pontius de matr. l.5. c.13. §.6. n.40.*

Similiter simoniam committent Regulares, si in electionibus vnus faciat hoc pactum cum alio, scilicet, *non concurras mecum in hac electione, & ego non concurram tecum in alia*, quia obligatio non concurrendi in electione sequenti est pretio æstimabilis, & per illam parat sibi ille viam ad electionem seu Prælaturam, quę est res spiritualis. Ita *Sanches* suprà. Præterea in electionibus Regularium simonia committitur, si aliquis in electionibus daret, vel promitteret pecuniam, vel quid simile alijs, ne opponerent contra ipsum defectus quos patitur, & propter quos excludi deberet ab electionibus. Quia simonia non solùm committitur dando temporale pro spirituali, sed etiam pro omissione rei spiritualis: hoc enim pacto redderetur per pecuniam via securior ad beneficium seu electionem. Ita *Sanches supra, Volosius, Palaus Barbosa, citati a Pasqualig. in decis. moral. decis.247.* quamuis ipse contrarium sentiat.

7. *Sextus titulus* excusans à labe simoniæ traditionem, vel acceptionem rei temporalis pro spirituali, est consuetudo, quæ solùm locum habet ad tollendam simoniam iure humano inductã, quia lex humana potest consuetudine abrogari, non solùm in partem, verùm etiam in totum, non solùm quoad pœnam, verùm etiam quoad culpam: consuetudo tamen non est titulus sufficienter excusans acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretij, quia hoc est intrinsecè malum & simoniacum contra ius naturale diuinum: nulla autem consuetudo induci potest, quæ ius naturale vel diuinum abroget. Ita *Azor. 3.p.lib.12.c.19. Suar.c.61.n.16. Bonac.c.par.6. Fill.tr.45.c.13.n.40*

SIMONIA VI.

De pœnis contra simoniacos.

SVMMARIVM.

1 *An sola simonia in ordine beneficij, & religionis ingressu, inducat pœnas iuris ipso facto, & qua sint pœna simoniæ realis in ordinibus.*

2. *An sit excommunicatus, qui beneficium confert, vel procurat alteri, vel sibi per simoniam realem? Et quas alias pœnas incurrat? Et quid veniat nomine beneficii.*

3. *Qua sint pœnæ simoniæ realis circa religionis ingressum?*

4. *Quando in beneficijs simonia confidentiæ externa contingat, inferens pœnas iuris?*

5. *An excommunicatio lata contra simoniacos in ordine, & beneficio incurratur etiam ob simoniam iuris humani?* refertur duplex sententia.

An confessarij Ordinum Mendicantium possint absoluere à quacumque simonia, & excommunicatione ei annexa.

1. NVlla *simonia* inducit pœnas iuris ipso facto, nisi in ordine beneficij, & religionis ingressu; *Nauar. cap.23 n.111. Sylues. v. simonia quæst.19. Tolet. lib.5. c.93. nu.2 Syln. 2.2. q.100. art.6. quæst.3. Dian. par.4. tract.4. resol.157.* item simonia mentalis nullas pœnas iuris inducit, secundùm communem Doctorum sententiam, & patet ex *c. mandato de simonia*, vbi Pontifex expresè dicit, simoniaco mentali satis esse, si per solam pœnitentiam suo satisfaciat Creatori de peccato, nec debere resignare quod per simoniam mentalem acquisiuit: immo valde probabile est Ecclesiam non posse talem simoniam punire, si in extremo opere non potuit aliqua pactio deprehendi: talis enim simonia non prodit in actum externum simoniæ. Et quidẽ pœnæ quas inducit simonia realis in ordinibus, sunt: *Primò*, conferens ordines per simoniam realem est excommunicatus: *Secundò*, est suspensus à collatione cuiusuis ordinis etiam primæ tonsuræ. *Tertiò*, est suspensus ab executione omnium munerum pontificalium. *Quartò*, interdictus est ibi ingressus Ecclesiæ. *Quintò*, si contra suspensionem, vel interdictum illud fecerit, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum. *Sextò*, nemo potest illum absoluere præter Romanum Pontificem, etiamsi delictum sit occultum. Extrauagan. *cùm detestabile, de simonia. Bulla Sixti V. edita in malè promouentes & promotos. V. Cæterùm si quis Antistes Lessius lib.2.c.35. dub.24.*

Qui autem ordinem aliquem per simoniam realem susceperit. *Primò*, est excommunicatus ipso facto. *Secundò*, est suspensus ab executione suorum ordinum: *Tertiò*, si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis, deinde per bullam Sixti, nam ipso facto priuatur omnibus dignitatibus, beneficijs, & fit inhabilis ad illa. *Quartò*, eius absolutio pertinet ad summum Pontificem, similiter & dispensatio. *Extrauagant. cùm detestabile. Layman lib.4. tract.10. cap.vltim. §.7. num.71. Fill. tract.45. cap.13. quæst.4. num.12. Syluius citat. conclusion.1. & 2.* Si autem casus sit occultus, seposita bulla Sixti, posset Episcopus absoluere ex Concil. Tridentin. Vide Dianam *4. par. tract.4. resol.157.*

2. *Qui* beneficium confert, vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, &c. est ipso facto excommunicatus: *Extrauag. cùm detestabile. Layman c.num.72. Nauar. c.23. num.111. Syluius c. conclusion.3.* Nomine *beneficij* secundùm probabiliorem sententiam comprehenditur etiam *Abbatia, Prioratus, Rectoratus, Prouincialatus, Generalatus, Guardianatus*, &c. vt docent *Portel. verb. simonia, numero 5. Suar. tomo 5. disputat.31. sect.4. numer.45. Sigismund. à Bononia part.2. cap.1. dubio 55. numer.18. Diana 4. part. tractat.4. resolution.156.* licet aliqui contrariam sententiam probabilem etiam esse putent: quia si Papa in citata Extrauagante voluisset quælibet officia spiritualis regiminis complecti, clarius locutus fuisset in illa, & ideò cum in materia pœnalia versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potiùs restringenda. Vnde in materia pœnali non valet argumentum à pari, vel à minori ad majus, sed proprietati verborum standum est. Ita Azoris *3. par. lib.12. cap.21. quæst.6. Bonacina de Simonia, disput.1. quæst.7. §.2. num.4. Couar. regul. peccatum par.2. §.8. Les. c. numer.138.* & alij. Sed à prima sententia non est recedendum. *Qui* verò beneficium per talem simoniam acquirit, *Primò*, est ipso facto excommunicatus. *Secundò*, omnis prouisio & collatio huiusmodi est nulla, nullumque ius tribuit: tamen electio non est irrita, si simonia pro institutione committatur. *Tertiò*, fit inhabilis ad idem beneficium obtinendũ, & si simonia sit publica & deducta ad forum externum, per solum Papam hæc inhabilitas tollitur. *C. nobis fuit, de simonia. C. penultim. de electione.* Si verò sit occulta, censent Henriques *de excomm. cap.56.* Lessius, & quidam alij, tolli posse per Episcopum; tum quia nullo iure reseruatur Pontifici: tum quia etiamsi reseruata esset, non tamen Episcopis, vt patet ex Concil. Tridentin. *sess.24. cap.6.* Sub nomine enim suspensionis vel irregularitatis, vel casus occulti comprehenditur. Idem dicendum de inhabilitate incursa propter simoniam confidentiæ, si occulta fuerit. *Les. l.2.c.35.n.140.*

An verò tolli possit hæc inhabilitas à confessarijs ordinis Mendicantium, examinato priuilegio Sixti IV. videtur dicendum quòd sic: *Compend. priuileg. Mendicant. titul. Absolutio quoad sæculares. §.10. Redr. tom.1. qq. quæst.61. art.3.* concedit enim Sixtus IV. facultatem non solùm absoluendi ab excommunicatione, sed etiam suspensione, interdicto, & dispensandi in irregularitate quacumque similiter reseruatis Ordinario. Ita noster Crouser *ad cap.7. reg. Minorum sect.28.* Qui ex *Sanches de matrimon. lib.9. disp.30. Molin. tom.1. tract.2. disput.96. Nauar. in Extrau. Greg.13. de datis pro iustitia*, docet probabilissimum esse, vt incurra-

curratur inhabilitas illa ad beneficiu, necessariam esse iudicis sententiam, quia est pœna licet priuatiua: & secundum hoc in casib. simoniæ occultæ non esset opus dispensatione, per quam rehabilitaretur, qui simoniacè etiam intrusus fuit ad aliquod beneficiu, vt illud retineat, vel aliud obtineat. *Quartò*, Regula de triennali possessore non prodest simoniacè ingressis in beneficium, sicut nec intrusis. *quintò*, mediatores in simonia beneficij et ordinis, incurrunt pœnam excommunicationis ipso facto, si ad executionẽ vtrimque ventum fuerit. *Less. cit. numer.* 140. 141. *Syluius cit. concl. 4.*

3. *Simonia realis* circa religionis ingressum. *Primò*, singularibus personis tam dantibus, quàm accipientibus inducit excommunicationem. *Secundò*, conuentui, seu capitulo, si consenserint in hanc simoniam, suspensionem; tamen hæc censura non habet locum in dote quæ datur monasterijs fœminarum: *Vrban. 4. in c. sane, de simon. Bonac. de simonia, d.* 1. *q.* 7. §. 4. *Suar. c.* 56. *num.* 7. *Sylu. c. concl. 1. Crouz. c. lect. 7. fol.* 145. Ita statuit *Martinus V.* imò consuetudo illa exigendæ dotis non pro ingressu religionis, sed pro alimentis monialis, passim permittitur tanquam licita, maximè si monasterium sit tenue. *Tertiò*, simoniacè admissi ad religionem videntur iure inhabiles ad monendum in illo monasterio, vbi sic recepti sunt, & egent dispensatione Ordinarij, vt possint acquirere ius præbendæ regularis, & vocis activæ & passivæ, non tamen sic receptus tenetur se spoliare cæterorum commodis, nisi per Superiorem compellatur aliud monasterium ingredi. *C. 1. de regular. Nauar. consil. 4. de regul. n.* 25. *Suar. cap.* 61. *numer.* 7.

Notandum tamen est, licet simonia committi possit dando aliquid pro ingressu seu receptione ad habitum: pœnæ tamen iuris non incurruntur, nisi professio subsequatur, antequam simoniaca pactio retractetur, vel pretium restituatur: quia cùm talis pactio principaliter ordinetur ad suscipiẽdam professionem; cà nõ secutà, non censetur perfectè consummata simonia. Filliuc. *c. cap.* 13. *n.* 11. *Regin. l.* 23. *n.* 173. *Suar. c. c.* 56. *n.* 7.

4. *Simonia confidentia* externa erit & pœnas iuris inferet, si alicui beneficium aliqua ratione procures cum pacto, vt is qui beneficium illud acceperus est illud idem tibi, vel alteri aliquando resignet, aut vt pensionem ex eo vel fructus aliquos alteri præstet: *Pius 3. Romanum Pontificem, Pius 5. Intolerabilis. Apud Nauar. c.* 23. *n.* 109. 110. *Vgol. tab. 1. c.* 22. *Laym. c.* §. 8. *præterea* simonia confidentiæ est admittere in beneficiorum resignatione præsentatione, & collatione quasdam retrocessiones, quas vocant, *accessus, regressus, & ingressus*, quibus significantur iura quædam accedendi, regrediendi, & ingrediendi ad beneficium ex vna parte, & onera beneficij seu beneficiarij ex altera parte. *Accessum* enim dicar habere ad beneficium, si prælatus mihi cupiat prouisum de beneficium filium nepos ipsius sed quia per ætatem sum incapax, confert alteri, concesso mihi iure, vt quam primum iustã ætatem attigero, propria auctoritate possim ad beneficium illud accedere. *Regressum* ad beneficium dicar habere, si resignem beneficium alteri reseruata mihi pensione, & iure regrediendi ad illud beneficium, si resignatarius præmoriatur, aut fiat Episcopus, aut si pensionem non soluerit: potest etiam fieri sine pensione. *Ingressum* dicar habere, si beneficium mihi collatum, antequam capiam eis possessionem, alteri resignem, seruato mihi iure ingrediendi possessionem huius beneficij, si ille præmoriatur, vel fiat Episcopus, vel religiosus. Quicumque ergo, vel sibi, vel alteri talia iura reseruat, seu talia onera imponit, sine expressa Papæ concessione, committit simoniam confidentialem, Vnde Concilium Tridentin. *sess. 25. cap. 7. de reformat* valde improbat istas retrocessiones tamquam referentes imaginem quãdam successionis hæreditariæ, & tamquam sacris canonibus contrarias.

Ex dictis collige simoniam confidentialem esse tantùm contra ius Ecclesiasticum: quia hi omnes modi licitè reipla exerceri possunt, etiam cum pacto externo, si annuat Pontifex, & debitæ circumstantiæ adsint. Hæc *simonia confidentia, primò* infert excommunicationem Papalẽ vtrique parti contrahenti. *Secundò*, priuationem beneficij. *Tertiò*, priuationem reliquorum ante obtentorum beneficiorum & pensionum; non tenetur tamen dimittere ante sententiam. *Quartò*, inhabilitatem ad idem beneficium & ad cætera omnia. *Quintò*, omnia beneficia collata & accepta in confidentiam simoniacam reseruata sunt Sedi Apostolicæ, & proinde ordinarius collator non potest ea conferre. *Aduerte* tamen ad pœnas istas incurrendas necessarium esse, vt simonia confidentialis opere impleta sit dato & accepto beneficio, licet accipiens vicissim suam promissionem non impleuerit, v. g. pensionem nondum soluerit. Ita *Lessius citat. disputation. 26. Sua. res capitul. 43. num.* 13. *Layman c. numer. 77. 78. Bonac. c. 4. 7. punct.* 1. & alij.

Vnde nulla simonia conuentionalis excepta ea quæ hic cõfidẽtię dicitur inducit ipso facto vllas pœnas iuris positiui; si tamẽ postea hęc simoniaca pactio vtrinque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ, & retrotrahuntur ad tempus pactionis. *Filliucius tractat. 45. capitul. 13. quæst. 5. Syluius c. quæst. 3. Less. c. dub. 27. Graff. de simonia, cap. 96. num.* 10. Licet quibusdam videatur hanc retrotractionem non habere locum in foro conscientiæ, quia Canones id non statuerunt, sed solùm in foro externo, vt insinuat Nauarrus *c.* 23. *n.* 104. & docet Henriques *de Excom. c.* 19.

Proinde multi doctissimi viri arbitrantur dictas bullas *Pij IV.* & *Pij Quinti*, non esse vsu receptas in Germania. Si enim in Germania Concilium Tridentinum, vt plurimùm non est vsu receptum, multò minùs eiusmodi Bullæ. Et certè Emanuel Sa *verbo Simonia*, expressè docet, quòd Bulla *Pij Quinti*, qua simoniacè adeptus officium, aut beneficium priuatur ipso iure, fitque inhabilis ad alia, intelligitur in foro exteriori, ergo saltem in foro conscientiæ adeptus taliter beneficium, quamuis non acquirat beneficium illud, pro quo habendo commissa est simonia, ac proinde ipso priuari non possit, quia nullus dicitur priuari re ad quam nullum habet ius, alijs tamen antea validè habitis, quibus etiam priuatur per Bullam Pij simoniacus confidentiarius, non censetur priuatus in foro interiori nec inhabilis ad alia, nisi in foro exteriori. Immo *Lessius libro secundo, capitul.* 35. *dubio* 26. hanc inhabilitatem ad alia beneficia solùm locum habere post sententiam declaratoriam criminis dicit quosdam docere, & ita putat vsu receptum; allegans Sanches *de matr. l.* 9. *disp.* 30.

5. Communis sententia est, excommunicationem, quæ contra simoniacos in ordine, & beneficio imposita est, incurri non solùm ob simoniam iuris diuini, & naturalis, verùm etiam ob simoniam iuris humani, vt est permutatio beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate, reseruatio pensionis sine auctoritate Papæ, promissio beneficij pro suffragio in electione ad Episcopatum &c. Ratio est, quia simonia iure solùm Canonico prohibita, est vera simonia; ergo afficitur pœnis contra simoniam generaliter latis: vnde iura sub eadem voce insequuntur, tam simoniam iure Canonico prohibitam, quàm iuri diuino contrariam, vt patet ex *C. cùm olim, C. quæsitum, de rerum permutation.* Ita *Malder. 2. 2. tract. 9. cap. 3. dubio* 18. *Valent. to. 3. quæstion. 16. puncto 6 Filliuc. tomo 3. trac. 45. capitul. 13. quæstion. 3. Nauar. in capitul. si quando de rescript. Suares de simonia libr. 4. capitulo* 56. *numero* 28. Nihilominus contraria sententia, nempe pœnas simoniæ non incurri in casu quo adest tantùm simonia iuris positiui, & humani, mihi probabilis etiam videtur, sicut vita est. *Lessius libro secundo, capitul. 35. dubio* 25. *numero* 141. *Reginald. libro* 23. *caput. 12. numer.* 184. *Diana parte 4. trac. 4. resolution.* 155. & quam tenent Arragon. 2. 2. *quæstion.* 100. *articul. 6. Petr. Nauarra de restitution. libro secundo, capitul. 2. numer.* 436. & alij. Vnde secundum hanc sententiam: licèt in prædictis casibus sic facientes peccent, non tamen sunt excommunicati, nec priuantur beneficijs sic receptis ipso iure, nec tenentur fructus restituere.

Sed rogabis, an confessarij Ordinum mendicantium possint absoluere à quacunque simonia, eique annexa excommunicatione: etiamsi simonia illa commissa esset in ordine conferendo, aut suscipiendo? Respondet noster Crouzers *ad capitul. 7. regul. Sanct. Francisci lectio* 28. *fol.* 772. affirmatiuè; quia cùm probabile sit, illos posse absoluere ab hæresi occulta, vt diximus supra *verbo Hæresis, numero* 18. possunt quoque & à reliquis Papæ reseruatis, iuxta regulam iuris: *Cui licet maius, licet & minus*. Nec obstat, quòd *Sixtus Quintus*, simoniam in ordine commissam tam strictè reseruarit, vt nec ab illis absolui possit, qui facultatem habent in casus Bullæ Cœnæ, aut in casum hæresis, siue per priuilegia, siue per Tridentinum: quia Pontifices eum secuti, sæpius declararunt, eum qui potest ab hæresi absoluere, cùm sit casus omnium sententia maximè reseruatus, potest etiam à qualibet simonia, & quibusuis alijs casibus Papalibus. potestque consequenter tollere suspensionem à simoniaco, excommunicationi annexam, vel in ea inclusam. Ita ille. Cuius sententia à Sacra Congregatione Eminentissim. Card. anno 1629. tolerata fuit.

An au-

An autem prælati regulares possint suos subditos absoluere à simonia etiam commissa in susceptione Ordinum, vide supra v. *Abbas, num.* 8. §. 2. & nouissimè Lezanam *tom.* 5. *Sum. in mare magnum Ministrorum tit.* 101.

SIMONIA VII.

De obligatione restituendi simoniacè accepta.

SVMMARIVM.

1. *An iure diuino pretium acceptum pro re spirituali restituendum sit, etiamsi res spiritualis nondum tradita sit? Et an ante iudicis sententiam sit restituendum?* refertur duplex sententia.
2. *An pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum obnoxium sit restitutioni iure naturali diuino?* refertur duplex sententia.
3. *An res spiritualis per simoniam acquisita, sit iure diuino restituenda?* refertur duplex sententia.
4. *An iure Ecclesiastico res spiritualis simoniacè acceptata, sit restituenda, si non sit beneficium?*

1. PRetium acceptum pro re spirituali restituendum est iure diuino, etiamsi res spiritualis, nondum tradita sit: & hæc restitutio debet fieri illi qui tradidit, nam is adhuc retinet ius ad illud, cùm non donauerit, nec habuerit intentionem transferendi illud in accipientem, sed sub conditione & ex pacto oneroso: *Suarez lib.* 4. *de simonia, c.* 59. *num.* 2. *Nau. c.* 23. *num.* 103. *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *nu.* 170. *Victoria de simon. p.* 2. *nu.* 6. quidquid nonnulli Doctores in contrarium sentiant, quibus adhæret *Azorius*, negãtes restitutionem faciendam esse tradenti, sed Ecclesiæ. *Si verò*, beneficium sit traditum: ita vt vtrimque simonia sit completa, quidam putant pretium acceptum in hoc casu ante sententiam iudicis esse restituendum ei qui dedit, post sententiam verò cui iudex addixerit: *Ita Sotus lib.* 9. *q.* 8. *art.* 1. *Barnes* 2. 2. *q.* 31. *art.* 7. *Less. c. n.* 171. & multi alij recentiores huius temporis: quia is qui pretium dedit, non amisit pretij dominium: hæc sententia non est improbabilis. *Contraria* tamen, id est, etiam ante sententiam iudicis pretium istud esse restituendum Ecclesiæ, est multò probabilior & verior? quia ordinariè non est iudex, qui Episcopos de his condemnet, & contra mentem Ecclesiæ est; vt restituatur danti, quia Ecclesia intendit vtrumque punire. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *Conar. rel. peccatum p.* 2. §. 2. *Bonac. c. q.* 7. *p.* 3. *diff.* 1. *num.* 19. *Syn. c. art.* 6. *qua.* 2.

2. Pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum non est obnoxium restitutioni iure naturali diuino; *Suar. cap.* 59. *n.* 35. *Leymann. l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. § 9. *Valen. de simonia p.* 6. *Less. c. d.* 28. *num.* 162. quia obligatio restituendi ob delictum, non consurgit ex quolibet delicto, sed ex peccato iniustitiæ; sed simonia non est iniustitia, sed irreligiositas. Ergo. Pretium verò simoniacè simul & iniustè acceptum, videlicet pro re spirituali, est restituẽdum, tum ex iure naturali diuino; quia ex violatione iustitiæ commutatiuæ oritur obligatio restituendi; tum quia accipiens aliquid supra id quod sibi debetur, peccat contra iustitiam. & tenetur ad restitutionem: sed accipiens pretium pro re spirituali, accipit aliquid supra id quod sibi debetur, ergo. *Nau. c. num.* 103. *Sylues. verb. simon. q.* 20. *Caiet. v. simon. sub finem.* tamen tenent simoniacum... non teneri ex natura rei ad restitutionem pretij accepti pro re spirituali.

3. Quidam Doctores sentiunt rem spiritualem per simoniam acquisitam, esse iure diuino dimittendam. *Adrian. quodlib.* 9 *a.* 3. Sed communis ferè sententia Doctorum est, non teneri iure diuino resignare: beneficium enim de quo potissimùm est difficultas, validè collatum fuit, nam in collatore fuit potestas & voluntas transferendi beneficij, v. g. in Petrum, & Petrus fuit capax & habuit voluntatem acceptandi. *Nau. c.* 23. *n.* 103. *Conar. reg. peccati par.* 2. §. 8.

4 Iure autem Ecclesiastico, res spiritualis simoniacè accepta, non est restituenda, nisi sit beneficium Ecclesiasticum: sub beneficio autem pensio spiritualis comprehenditur, quia videtur eadem ratio: *Pius V. in Extrauag. cum detestabile. Less. c. dub.* 30. *Leym. c. nu.* 85. Cetera autem spiritualia, vel dimitti non possũt, vt sunt sacramenta, nisi quoad vsum, vt in ordinibus: vel non sunt dimittenda ante sententiam: Tamen quod ad pretium attinet, illud iure positiuo restituendum est. *Hæc de Simonia satis*, plura apud *Suarez, Fillinciam, & Bonacinam* tractatib. de Simonia.

SOCIETAS.

De contractu Societatis.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit contractus Societatis, & quæ requirantur ad illum?*
2. *Multiplex Societas recensetur.*
3. *Quibus modis contrahatur Societas? & quando hic contractus sit licitus?*
4. *An contractui societatis possint iuste adnecti alij duo: videlicet assecuratio capitalis, & locatio fructuum, & lucrorum pretio conuenienti?*
5. *Quæ conditiones requirantur ad societatem animalium?*
6. *Quando illicitus & iniquus sit contractus societatis animalium?*
7. *Quando damna, quæ patitur socius debeant esse communia, quando non?*
8. *An expensa, quæ non superfluè fiunt à socio apponente industriã, facienda sint ex communi pecunia societatis? Et an expensis factis à socio in itinere causa societatis, detrahendum sit quod socius domi insumpsisset?* refertur duplex sententia.
9. *An eleemosyna moderata quas facit socius apponens industriã, soluenda sint ex communibus lucris, si fiant intuitu felicis exitus societatis?*
10. *An quando pro conseruatione mercium, vel capitalis, vel acquisitione lucri facienda sunt aliqua expensa, nec potest extrahi pecunia ex societate ad eas expensas faciendas, teneatur socius ex iustitia eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab aliis petere pecuniam?*

1. SOcietas hic, *conuentio est duorum aut plurium facta ad conferendum aliquid in vsum, vel quæstum communem. Exst. & C. pro socio, instit. de societate. Regin. l.* 25. *c.* 27. *nu.* 372. *Less. l.* 2. *c.* 25. *dub.* 1. *Fill. tr.* 38. *nu.* 2. *Bonac. de contr. d.* 3. *q.* 6. *p.* 1. *n.* 3. *Syn.* 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. Ad hunc contractum quatuor potissimum requirũtur. *Primum*, vt singuli socij aliquid conferant in commune, siue pecuniam, siue operam & industriam, siue instrumenta, vt nauim, equos, & huiusmodi, siue animalia, siue alia bona, alioquin si nihil conferrent, non possent licitè esse participes lucri & commodi, quod fit ex societate. *Secundum*, vt id quod à singulis socijs collatum fuerit eo animo, vt sit commune, statim cedat in dominium singulorum, ita vt quilibet socius sit Dominus totius sortis partialiter, vt pro dimidia, si duo socij sint & æquè contulerint; pro tertia vel quarta, si tres, vel quatuor, vel iuxtà partem quam quisque contulit in commune. *Tertium*, vt lucrum & damnum commune sit quantum est ex vi societatis. *Quartum*, vt fiat diuisio lucri secundùm proportionem sortis collatæ à singulis, nisi aliter conuentum fuerit.

2. *Multiplex* est societas: *alia* est omnium bonorum; *alia* negotiationis, cùm duo, vel plures ex negotiatione lucrum quærũt. Tertiò, *alia* artis, cùm vnus ex socijs exercet artem, & habet cõmunia cum socio damna & lucra vna cum impensis: verum hęc vix differt à priore nam hæc etiam negotiatio quædam est ad lucrum. Quartò, *alia* animalium siue maiorum, vt boum, equorum &c. siue minorum, vt pecorum, caprarum, & huiusmodi. Quintò *alia* officiorum, cùm quis officio fungitur; & alios sibi socios adiungit, quibus communicat fructus ex officio: Sextò, *alia* est viri & vxoris, *alia* fratrum inter se. Molin. *disp.* 412. *Fill. tr.* 3. *c. n.* 9. *Azor.* 3. *p. l.* 9. *c.* 1.

3. *Societas*, varijs modis contrahitur. *Primò*, ex parte finis; sic contrahitur ad vsum tantùm, aliquando ad lucrum tantùm, vt in negotiatione, aliquando ad vtrumque, vt in matrimonio. *secundò*, ex parte materiæ, & sic contrahitur societas omnium bonorũ, vel lucrorum duntaxat, vel denique certæ alicuius partis bonorum, vel certæ negotiationis. *Tertiò*, ex parte temporis, alia enim contrahitur ad vitam, alia ad certum tempus, alia vsque ad finem certi negotij. Filliucius *c. num.* 10. *Lessius c. dub.* 1. *Molin. c. disput.* 412. *Nau. c.* 17. *nu.* 255. *Toler. lib.* 5. *c.* 41. *Contr. illus.* Societatis licitus est, seruatis duobus. *Primum* est, vt quisque sit expositus periculo perdendi suum capitale, verbi gratia, qui pecuniam exponit, si fortè pereat, suo damno pereat, qui ponit laborem & indu-

ſtriam, ſi caſu nihil lucri obueniat, laborem perdat; ſalua pecunia alterius. *Aliorum* eſt, vt in lucro diuidendo computetur quantũ valeat labor & induſtria, & quantum etiam periculum hoc valeat quòd labor & induſtria ſemper perdatur, dum nihil eſt lucri, at pecunia, non nam ſalua manere poteſt.

4. Secundùm communiorem ſententiam, contractui ſocietatis poſſunt iuſtè adnecti alij duo, puta, aſſecuratio quædam capitalis, ſicut enim vnus poteſt capitalis aſſecurationem cum tertio facere, ita poteſt cum ſocio dato iuſto aſſecurationis pretio; poteſt etiam locare fructus & lucrum pretio conuenienti, vel aſſecurationem lucri facere: & hac ratione poſſunt excuſari viduæ, pupilli, & alij qui tradunt ſuas pecunias mercatoribus cum pacto, vt accipiant quinque pro centum ſaluo capitali; *Valent.* 2.2. *d.*5.*q.*24.*p.*2.*&* *q.*25.*p.*2. *Nau.c.*17.*nu.*256. *Leſſ.cit.dub.*3. *Tolet.c.* *n.*3. *Regin.l.*25.*n.*397.*&* 400. *Fill.c.n.*53. 57. *Mol.d.*417. *num.*8. *Diana tr.de contract.reſ.*30. *p.*1. *Mald.*2.2. *tract.*5.*c.*2. *dub.*9. neque obſtat bulla Sixti V. quæ incipit: *Deteſtabilis auaritia*, in qua damnatur ſocietas facta cum aſſecuratione capitalis: nam illa bulla videtur intelligenda de ſocietate facta cum aſſecuratione, non compenſato onere, iuſto pretio; vel de Societate, in quà non admittitur alius iuſtus contractus. Datur autem pro dicta aſſecuratione pars lucri incerti, quæ iudicio prudentis omnibus ſpectatis videatur iuſta: vel remittitur aliquid de lucro certo, quod alioqui haberet ſi non iniret contractum aſſecurationis, ſed tantùm tertium vèditionis lucri incerti pro certo, quod certè maius eſſet, quàm ſi præterea etiam contractus aſſecurationis celebretur. Nec eſt neceſſe, vt hi tres contractus expreſsè ſemper fiant, ſufficit enim contrahentes implicitè illos intendant per vnicum contractum expreſſum, vt ſi quis hoc modo cum mercatore contraheret: confero centum ad ſocietatem, vt quotannis ſoluas quinque, ſalua ſorte, eo modo, quo Doctores docent eſſe licitum; vel intendo accipere lucrum eo titulo, quo conſuetum eſt paſſim ab alijs accipi: vel intendo contrahere iuxta morem receptum.

Negari tamen non poteſt, eſſe tutiorem ſententiam illorum, qui docent eum, qui confert pecuniam in ſocietatem, non poſſe per eundem ſocium aſſecurari, & de ſorte, & de lucro, quamuis præter contractum ſocietatis intercederent alij duo, nimirum aſſecurationis capitalis, & venditionis lucri ſperati pro certo, lucro minore: quia dum hi contractus ſiue ſimul, ſiue ſucceſsiuè ineuntur cum vno & eodem ſocio, reuera deſtruitur ſocietas, & deſinit in mutuum. Qui enim, verbi gratia, vni tradit mille aureos, & eidem pro illorum aſſecuratione numerat quinquaginta, paciſcitur que de lucro ſexaginta; quid aliud facit, quam mutuare mille quinquaginta, vt recipiat mille ſexaginta? Ita Syluius 2.2.*q.*78.*art.*2. cuius ſententiæ adhærent *Sotus lib.*6. *de iuſt.q.*6.*art.*2. *Bannes* 2.2. *q.*78.*art.*4 *Azor.*3.*p.l.*9. *cap.*3.*quæſt.* 5.*&* 6. *Arrag.*2.2.*q.*77. *ar.*2. *Rebell.l.*15.*q.*4. & alij apud Dianam citatum. Et huic reſolutioni conſentiunt quæ decreta ſunt in ſynodis Prouincialibus Cameracenſi anno 1586. *tit.*23.*c.*4. Mechlinienſi anno 1570. atque etiam in Diœcetanis Audomarenſi anno 1583. *tit.*11.*c.*1. Iprenſi anno 1577. *tit.*30. *c.*4. Ne quis tutor, aut curator pupillorum aut pupillarum, ſub prætextu augmentãdi patrimonij ipſorum pecunias earum ſub certo lucro ſingulis annis vltra ſortem recipiendo det mutuo, retenta facultate recipiendæ ſortis, quando ad maiorem ætatem peruenerint, aut matrimonium contraxerint, aut aliàs ad illorum voluntatem & arbitrium. Simul autem declarant iſtæ Synodi omnes huiuſmodi contractus eſſe vſurarios, & contra ſic mutuantes, tamquam contra vſurarios procedendum. *Philippus* quoque ſecundus Rex in diplomate ſuper executione dictæ Synodi Prouincialis Cameracensis *artic.*21. declarat tales contractus eſſe nullos. Et ſimiliter Octauius Epiſcopus Tricaricenſis in directorio Colonienſibus ſcripto, tit de vſuris, vt refert Syluius *in additionibus ad Bonifaldi compendium c.*22.*p.*3. Nihilominus cùm praxis hac in re ſic inualuerit vt paſſim contractum etiam timoratæ conſcientiæ viri agere videantur ſine ſcrupulo iniuſtitiæ, in ſua fide & opinione fauorabili, quamuis minùs ſecura, relinquendi ſunt; quia ſaltem ratione bonæ fidei ſunt ſolùm in ſtatu materialis peccati & iniuſtitiæ: tum quia ex monitione frequenter non ſequitur fructus, ſed potius tumultus & conſcientiarum inuolucrum. Tum quia taliter deponentes pecuniam poſſunt probabiliter excuſari per cenſum vtrinque redimibilem, qui à multis doctiſſimis Theologis defenditur, & toleratur, vt videre eſt ſupra verbo *Cenſus nu.* 13.*&* 14. & infrà verbo *Vſura III. num.*9. Addo nec deeſſe grauia pericula pecuniam ſuam ſic in ſocietate vel negotiationem danti, etiam ſaluo illo lucro & capitali; Cùm ſæpe contingat ſocietatem diſſipari, ſocios depauperari, cedere foro, impotens fieri ad reſtituendum &c. Et ex alia parte poſſit quis ſe ſua pecunia, quam in certioribus contractibus, & negotiationibus vt emptionibus agrorum & cenſuum, poſſet impendere. His enim omnibus periculis ſuam pecuniam exponere cenſetur, quæ omnia æſtimabilia ſunt.

Ad rationem autem Syluij, & aliorum reſpondent Aduerſarij, negando hunc contractum eſſe mutuum: Eſt enim formalis cõcurſus ad negotiationem per pecuniam non mutuatam, ſed collatam, dominio ipſius penes conferentem remanente: & virtualis negotiatio, quam ſua pecunia mediante aliena induſtria inédit, & intentio eius non fertur in lucrum propter mutuum aliquod, ſed propter veram fructificationem, quam ſua pecunia mediante in negotiatione facit.

Iuxta hanc rationem, inquit Leſſius *lib.*2.*cap.*20.*n.*110. excuſari poſſent multi, qui pecuniam pupillarem apud homines induſtrios vel mercatores deponere ſolebant: hi enim non intendunt niſi licito modo hoc lucrum percipere: & ſi rogarentur, ex vi ſuę conſuetudinis, & præſentis affectus, idipſum reſponderent, ſcilicet, ſe velle lucrari omni modo meliore, quo poſſunt. Itaque non auſim hos cogere ad reſtitutionem, quamquam putem non permittendum, vt quis in poſterum ſic contrahat abſque expreſſo titulo ob quem lucrum petat.

5. Ad *Societatem* animalium tres conditiones requiruntur. *Azor.c.cap.*7.*&* 8. *Bonac.c.q.*6.*p.*3.*nu.*2. *Fill.c.nu.*86.*&* *ſeq. Regin. c.num.*401. *Tolet.cit.n.*4. *Prima*, vt vnuſquiſque ſociorum aliquid conferat in ſocietatem: ſiue conferat animalia, ſiue cuſtodiam, ſiue induſtriam. hæc enim eſt natura ſocietatis, vt quiſque ſociorum aliquid conferat in commune. *Secunda*, vt ſeruetur æqualitas, ita vt damna, expenſæ, & lucra prouenientia ex cauſa ſocietatis ſint communia, prout aliquis plus, vel minus in ſocietatem cõtulit. *Tertia*, vt animalia ſtent periculo apponentis, ita vt ſi pereant, pereant apponenti: nam apponens eſt Dominus, res autem Domino perit: hoc tamen intelligitur, niſi periculum animalium in totum vel in partem in alterum reiectum ſit, poteſt enim periculum in alterum reijci facta grauaminis compenſatione.

6. *Illicitus* & iniquus eſt *contractus* ſocietatis, quo quis tradit animalia paſtori cum pacto, vt ea cuſtodiat & paſcat, & ſemper ſeruentur in eodem numero, ita vt ſi aliqua pereant, compleatur numerus ex fętibus, & paſtor in fine annorum ſingulorum accipiat dimidiam partem reliquorum fęturum, *Syneſtr. ver. ſocietas* 2.*q.*9. *Regin.c.num.*404. *Fill.c.n.*101. *Azor.c.c.*7.*q.*12. & ratio eſt quia contractui deeſſe videtur æqualitas, ſi paſtoris induſtria pluris æſtimetur, quàm valeat numerus animalium ipſi conſtitutus & aſſignatur; ſecus ſi non pluris ipſius opera & induſtria æſtimetur. *Similiter* illicita videtur ſocietas, qua quis tradit alteri animalia hoc pacto, vt ſi pereant, æqualiter pereant apponenti et recipienti, ſi verò non pereant, capitale detur apponenti, fructus verò æqualiter diuidantur; tum quia non ſeruatur æqualitas: quia ſors ſtare debet periculo apponentis, nil alter ſocius periculum ſortis in ſe ſuſceperit per contractum aſſecurationis, aut niſi apponens animalia fecerit alterum ſocium condominum animalium. *Azor.c.c.*7.*q.*10. *Bonacina c.n.*5. *Fill.c.n.*102.

7. *Damna* quę patitur ſocius ex cauſa proxima ſocietatis, debent eſſe communia, modò non euenerint ex leui culpa ſocij, *l. Cum duobus*, §. *quidam ſagariam. ff. pro ſocio. Molin. diſp.*418. *nu.* 5.6.7. *Reginal. lib.*25. *num.*394. *Laym. l.*3. *ſect.*5. *tract* 4. *cap.*20. *nu.* 5. *Leſſ. c. dub.*4. *Fill. cit. n.*114. quia lucra, quæ proueniunt cauſa ſocietatis, ſunt communia; ergo etiam damna: damna verò propria, quæ ſocius tantùm ex occaſione ſocietatis paritur, non debent eſſe communia, quia hoc nullo iure conſtat: & ſicut lucra quæ nó ex cauſa, ſed ex occaſione ſocietatis proueniunt, non ſunt communia, ita neque damna: propterea ſocius tenetur de leui conſulere ſocietati, cùm ſocietatis contractus reſpiciat commune cõmodum. Per *leuem culpam*, in hoc contractu iura intelligunt eam, quâ quis omittit eam diligentiam adhibere in rebus ſocietatis, quam adhibuiſſet in rebus ſuis proprijs, aut certè æquum eſſet, vt adhiberet.

8. Expenſæ, quæ non ſuperfluè fiunt à ſocio apponente induſtriam, faciendæ ſunt ex communi pecunia ſocietatis, niſi aliter conuentum ſit inter ſocios, aut aliter lege cautum ſit, vel conſuetudine receptum. *Molin.c.diſp.*418. *Reginald. lib.*25. *numer.*395. *Syneſt. v. Societas* 1. *quæſt.*12. An autem expenſis factis à ſocio in itinere cauſa ſocietatis, detrahendum ſit quod ſocius domi inſumpſiſſet, quidam Doctores affirmant, quia ſocietas ſolùm tenetur præſtare ſumptus, in quibus damnificatus eſt ſocius cauſa ſocietatis, cùm autem non ſit damnificatus in ſumptibus,

quos

quos domi fecisset, sequitur illos esse detrahendos. *Angel. ver. societas 1. nu. 11. P. Nauar. lib. 3. cap. 2. nu. 465. Sylvest. e.* Sed alij magis accommodatè ad iura & praxim contrarium edocent, scilicet, huiusmodi expensas pertinere ad societatem, modò aliter non sit conuentum inter partes, vel non adsit consuetudo in contrarium. *Nauarr. cap. 17. num. 283. Reginald. l. c. num. 395. Lessius c. dub. 4. num. 35.*

9. *Eleemosyna* quas facit socius apponens industriam, si moderatæ, & differri sint, si antequè intuitu felicis exitus societatis, soluendæ sunt ex communibus lucris, quia socius potest absque licentia sociorum eas expensas facere, quas iudicauerit expedire ad societatis augmentum, sed ad id inter alia media vnum est diuinum auxilium, quod per eleemosynas impetratur. Ergo. *Rodriques 1. part. cap. 47. Bonacina cit. part. 4. num. 4. P. Nauar. cit. nu. 467.* & alij.

10. Secundùm probabiliorem sententiam, quando pro conseruatione mercium vel capitalis, vel acquisitione lucri, faciendæ sunt aliquæ expensæ, nec potest extrahi pecunia ex societate ad eas expensas faciendas, tenetur socius non solùm ex charitate, verùm etiam ex iustitia, eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab alijs petere pecuniam ad eas faciendas: quia socius ratione contractus societatis tenetur eam diligentiam exhibere, quam adhiberet circa res proprias, sed pro conseruandis rebus proprijs acciperet propriam pecuniam, vel ab alijs mutuo peteret, ergo: Verùm est tamen ipsi competere *ius* repetendi à socijs quod insumpsit, cum vtiliter gesserit societatis negotium. *Molina cit. d. 418. Regin. c. num. 395. Filluc. tr. 38. nu. 78. Lessius c. n. 36. Salon. a. 4. de societate, contro. 3. n. 17.*

SPES THEOLOGICA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit spes?*
2. *An spes sit infallibilis, & certa?*
3. *Quando præceptum spei affirmatiuum obliget?*
4. *An præceptum spei, negatiuum obliget semper & ad semper? & qua peccata aduersantur spei secundum excessum.*
5. *An desperatio opponatur virtuti spei secundum defectum? & an peccata contra spem sint semper mortalia ex parte materiæ?*

1. SPes est, *virtus Theologica diuinitus infusa, per quam certò expectamus futuram beatitudinem per merita ex diuina gratia promanentia*: dicitur autem *spes virtus Theologica*, quia versatur circa Deum tamquam circa obiectum, sicut fides, et charitas circa eumdem versantur: infunditurque à Deo solo in voluntatem nostram, in qua est sicut in proprio subiecto: cupere enim, & expectare bona futura, & absentia, est solius voluntatis. *Beatitudo* autem, quam speramus, est visio, & fruitio Dei, quam non possumus nostris viribus assequi, sed cum diuino adiutorio, ideò sperans beatitudinem aut remissionem peccatorum, vt viribus naturæ, vel absque diuino auxilio obtinendam, aut principaliter ope creaturę, committit peccatum præsumptionis, quod est vitium cõtrarium, & destructiuum habitus spei: peccatum enim præsumptionis contingit quando quis sperat aliquid eo modo, quo non sit, aut fieri non potest. *D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 5. Reginal. lib. 17. nu. 75. Filluc. tr. 22. num. 244. Layman lib. 2. tract. 2. cap. 2. Vasq. par. 2. disp. 15. num. 18. Syluius 2. 2. q. 17. art. 1. & 5.* & alij.

2. *Spes*, absolutè loquendo, est infallibilis, & certa, vt patet ex multis scripturæ locis; quia eius certitudo innititur fidei, & his duobus principijs; *Alterùm*, quòd beatitudo, hoc est, Dei visio, est nobis possibilis, cum diuina gratia: *Alterum*, quòd si bene vtamur gratia Dei vsque in finem, infallibiliter illam consequemur. Per accidens tamen ex parte nostri potest esse incerta, & fallax, quia spes respicit etiam nostram cooperationem, et merita: vnde cùm Deus hominis adulti cooperationem ac merita exigat, vt vita æterna non sit tantùm gratia, sed etiam merces, & corona iustitiæ; hinc consequens est, quòd licet spes in seipsa non sit fallax, ex parte tamen nostri erit; & ideò eius certitudo, seu infallibilis expectatio beatitudinis, nõ est absoluta, quia spes, & expectatio nostra tanquam fundamento nititur promissione Dei, quæ nobis facta non est absolutè, sed conditionate. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. D. Thomas, 2. 2. quæst. 18. ar. 4. Sylvius ibid. Fill. tract. 22. num. 248. 249. Laym. c. nu. 8.* & alij.

3. Præceptum spei affirmatiuum per se obligat, quando quis grauiter vexatur tentationibus contra spem, & existit in periculo desperationis, nisi muniat se actibus spei; quia quilibet tenetur ex præcepto spei ea media adhibere quæ necessaria sunt ad non desperandum: sed medium necessarium ad non desperandum, dum ingruunt tentationes contra spem, est actus spei, ergo. *Per accidens* obligatur etiam quis ad eliciendos actus spei quando tenetur, se ad Deum conuertere, & pœnitentiam suorum peccatorum agere: cum enim non possit pœnitentiam agere nisi sperando veniam peccatorum, fit vt teneatur veniam sperare: vel cũ actus charitatis, orationis &c. in præcepto sunt, qui sine præuio actu spei exerceri non possunt. Quamuis in his casibus omissio actus spei non sit peccatum diuersum ab eo cuius causa est: ideoque in sacra confessione speciatim non explicandum. *Sanch. l. 2. mor. cap. 33. n. 3. Reginald. l. 17. num. 78. Filluc. tr. 22. num. 255. Laym. c. cap. 2. nu. 2. Valen. 2. 2. disput. 2. q. 4. punct. 2. Bonac. tom. 2. d. 3. q. 3. n. 3. Dian. p. 5. tr. 14. ref. 106.*

4. Præceptum negatiuum spei obligat semper, & ad semper, quia nunquam est desperandum, vel præsumendum; illud enim est commune præceptis negatiuis, vt semper, & ad semper obligent. *Quemadmodum* in virtutibus moralibus, duo vitia vni virtuti opponuntur, vnum secundum excessum, & alterum secundum defectum, verbi gratia, liberalitati, prodigalitas, & auaritia: sic etiam *Spei Theologicæ*, secundum excessum aduersatur peccatum præsumptionis, quod duplex est, *Vnum*, si quis confidat se Dei gratiam, iustitiam, aut beatitudinem æternam consecuturum ex seipso, aut naturæ suæ viribus, cùm tamen id creaturæ facultatem excedat, hæc fuit hæresis Pelagiana. *Alterum* est, si quis se remissionem peccatorum sine operibus pœnitentiæ, aut cœlestem gloriam sine proprijs meritis ex Dei gratia factis, consecuturum confidat: & fuit hic error *Lutheri*. Hæc præsumptio propriè est species peccati in Spiritum sanctum, quod Christus ait non remitti neque in hoc sæculo neque in futuro; qui enim pœnitentiam, vel bonorum operum meritum excludit, impedit Deum, quo minus per Spiritum sanctum ipsi peccata remittat, vel gloriam æternam tribuat. Vide *D. Thom. 2. 2. q. 21. ar. 1. Fill. c. n. 259. Tolet. lib. 4. c. 7. n. 9. Sanch. c. n. 3. Lay. c. n. 3. Az. 1. p. l. 9. c. 2. quæst. 7. Nauar. cap. 23. in fine, Suarez 3. par. tom. 4. disp. 8. sect. 1. num. 19.*

5. Secundum defectum virtuti spei opponitur desperatio, cũ quis desperat se remissionem peccatorum, & gloriam æternam consecuturum esse, ideoque omnem conatum intermittit: hoc peccatum plenissimè repugnat spei, *D. Thom. c. q. 20. art. 3. Laym. cit. nu. 3. Sylu. q. 20. & 21. Porro*, peccata tum præsumptionis, tum desperationis licet venialia esse possint ob defectum deliberationis, scientiæ, & alia omnia; semper tamen mortalia sunt ex parte materiæ, sicut & odium Dei, blasphemia, & similia: Aliquãdo etiam his peccatis addi potest peccatum hæresis, si error intellectus intercedat: vt si quis credat gratiam habendam ex solis proprijs meritis, aut per solam Dei misericordiam. *Toletus lib. 4. cap. 7. nu. 5. Reginald. lib. 17. num. 88. Sanch. c. n. 8.*

SPONSALIA I.

Quid sint Sponsalia, & quæ requirantur ad illorum valorem.

SVMMARIVM.

1. *Vnde dicta sint sponsalia? & vt tripliciter sumuntur.*
2. *Quæ conditiones requirantur ad validitatem sponsalium? & primum de ætate conuenienti.*
3. *An parentes, tutores, curatores, & consanguinei curam gerentes infantium possint contrahere sponsalia pro filijs, qui nondum peruenerunt ad septimum annum? Et an peccent mortaliter contrahentes sponsalia ante septennium?* refertur duplex sententia.
4. *De secunda conditione ad sponsalia, quæ est promissio voluntaria.*
5. *De tertio requisito ad sponsaliorum valorem, vt promissio sit acceptata, & mutua.*
6. *De vltimo requisito ad sponsalia, vt promissi sponsaliorum externis manifestetur.*
7. *De verbis quibus potest contrahi matrimonium de futuro, vel de præsenti.*

tione, & per accidens rei spirituali coniungitur: sed solùm hoc est verum, quando locus est honoratior ob respectum aliquem temporalem, non verò si est propter respectum spiritualem, verbi gratia, quia est propinquior Altari, sanctissimo Sacramento, &c. Ita Lezana *tom.4.Sum.V. sepultura n.14.* apud quem plura de hac materia.

3. Pro *materia remota* sacramenti, quæ semper est aliqua res naturalis, vt aqua, oleum, chrisma, vinum, panis, &c. potest exigi pretium absque simonia, quia vt sic, res quædam est materialis & venalis: pro *materia proxima* sacramenti, vt est abluio in Baptismo, consignatio in Confirmatione, prolatio verborum in Pœnitentia, &c. non potest exigi pretium absq; simonia; quia omnes eiusmodi actiones sunt actus ministerij & potestatis spiritualis, & supernaturalis, ideoque ipsæmet actiones materiales gratis conferendæ sunt. *C. cum in Ecclesia, de simonia D. Th. c.q.100. art.2. Suar.c.c.11.nn.3. Laym.c.n.33. Filliuc.tr.45.c.3.q.4.* An autem in gradu vel extrema necessitate liceat dare pretium pro sacramentis, dum obtineri non possunt; variæ sunt doctorũ sententiæ. *Prima* absolutè negat hoc licitum esse, quia emere sacramentum, est intrinsecè malum. Ita D. Thom. *c.a.2.ad 1. Secunda* absolutè affirmat licitum esse, siue sacramentum petatur pro infante, siue pro adulto, ita Sotus *l.9. de iustitia quæst.6.ar.1.* & alij apud Azorium *3.par.l.12.c.3.q.3. Tertia* sententia, quæ est probabilior, affirmat pecuniam tradi posse, non pro ipsis sacramentis, vel eorum administratione sed ad removendum impedimentum, vel ad redimendam iniustam vexationem; quia in hoc casu non irrogatur irreverentia sacramentis, cùm non adsit intentio emendi rem sacram, sed inducendi alterum ad id quod præstare tenetur Lessius *l.2. c.35.d.7. Diana p.5.tract.7. res.16* Pilliuc. *c.c. 3.q.5. Suarez to.1.lib.4. c.12.nn.13. Sylu.2.2.q.100. art.2. post conc.3.* Deinde in hoc casu non redimitur vexatio emendo baptismum, sed dando pecuniam, vt motiuum, quòd si is, qui non vult, nisi animo simoniaco baptizare puerum, velit iuramento constringere redimentem, ad offerendam pecuniam animo emendi baptismum; tamen adhuc is posset illum eludere, & redimere vexationem modo licito; videlicet, conferendo pecuniam vt motiuum, modò directè non adigatur ad hanc emptionem in cõtemptum rei sacræ. Imò taliter potest redimi vexatio ab adulto in periculo mortis constituto, si aliter nõ possit obtinere baptismum. Ratio est, quia adultus grauissimam habet causam negligendi túc peccatum alterius, cùm difficile sit sine sacramento habere contritionem, quæ reipsà sufficiat ad salutem.

Eodem modo licet redimere ignominiam, & vexationem inferendam sacris reliquijs sanctorum ab hæreticis; etiamsi ipsi hæretici eas impiè vendendo peccaturi sunt, modò pecunia non detur vt pretium sed vt motiuum, & hæretici in contemptu sacrarum reliquiarum non compellant fideles directè ad illas emendas quia hoc esset intrinsecè malum & contra fidei confessionem. Ratio est, quia tunc subest causa valde iusta negligendi illorum peccatum.

An autem sit simonia ponere in publico loco reliquias venerandas propter lucrum oblationum inde prouenientium? Affirmant Angelus, Syluester, *v. reliquiæ, Azorius, tom.1.l.9.cap.8.q.7. Graffius 2.p.lib.2.c.14. nn.7.* Limitant *Armilla, Tabiena* eodem verbo, *Nauarr. in man.c.27.n.169. vers.61.* dicentes esse simoniã, quando tales reliquiæ exponuntur in publico ob quæstum, si talis quæstus temporalis sit principale intentum illius ostensionis, vel expositionis. Secus si principale intentum sit cultus sanctorum in gloriam Dei, & lucrum temporale sit minus intentum. Et hæc limitatio clara & sequenda est. Quamuis non sit improbabilis sententia *Sanches lib.2. mor. cap.43. num.22.* asserentis, non esse simoniam eò quòd finis principalis sit lucrum temporale, sed tantùm, quando id intenditur tanquam pretium illius ostensionis: tunc enim est quædam quasi venditio: si verò tale lucrum non ita speratur vt pretium venditionis, sed tanquam sustentatio cõgrua ibi laborantis, non erit simonia: quia *Cap. fin. de reliquijs & vener. Sanctorum.* & Tridentinum *sess.25. in decreto de invocatione, veneratione, & reliq. Sanctorum.* quando prohibent reliquias venales ostendere, intelligunt quando quæstus seu oblationes deducuntur in pretium sub pacto.

4. *Sacramentalia* omnia siue transeuntia, vt benedictiones publicæ & cæremoniæ, quæ fiunt in sacramentis conferendis, siue permanentia, vt benedictio aquæ, aut olei, consecratio calicis, &c. sunt proprié materia simoniæ; quia sunt res spirituales siue considerentur secundùm earum principium, sunt enim supernaturali à Christo accepta potestate instituræ, siue considerẽtur secundùm earum finem: siquidem ad spiritualem animarum salutem per se ac directè ordinantur. *C. cum in Eccl. de simon. Fill.c.c.3.q.9. Suar.c.l.4.c.14. Nauar.c.23.num.99. Laym. c.n.35.* Vnde omnes omnino actus procedentes ex potestate ordinis, siue ex Christi siue Ecclesiæ institutione, sunt materia simoniæ cõtra ius naturale ac diuinum, quia spirituales sunt tam ex parte principij, quàm ex parte finis. *Bonac.c.q.4.§.2.& 4.*

Notandum tamen est, simoniacum non esse, secundum *Suar. c.c.14.nn.6. Nau.c.23.n.108. Castr. v. simonia q.1. Fill.c.q.10.c.3.* communem sententiam, vendere ipsam materiam rerum sacrarum, secundùm se pretio æstimabilem, vt sacros Calices, vestes, numismata benedicta, &c. quia materia illarum rerum valorem non amittit ob consecrationem, licet nouum valorem ex consecratione non assequatur. Canonistæ autem putant communiter res consecratas vendi non posse, quamdiu consecrationem retinent, amissâ verò consecratione frangendas esse, & illarum materiã vendi posse. *Glossa in c.ea quæ, & c. non satis de simonia.* Hodie vendens agnos Dei benedictos reus est simoniæ labis iure humano veritæ, etiamsi eos vendat solùm ratione materiæ, nec plus exigat ratione consecrationis. *Bonac.c.§.2.n.6. & tom.3.d.2.q.2. punct.2.9.* quia *Gregorius XIII.* prohibuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ (vt patet in eius bulla, quæ incipit, *Omni certè studio.*) Agnos Dei pingi, & sic pictos venales proponi, seu retineri, & ad vitandum simoniæ periculum in vrbe Roma extat specialis prohibitio, huiusmodi Agnos benedictos vendendi. Verùm *Filiuc.tr.14.c.6.n.93* asserit hanc constitutionem *Gregorij* extra Vrbem non fuisse receptam. Passim enim cernuntur Agni Dei picti, quos non est verisimile fuisse depictos cum licentia Papæ. Immò si sint albi & non minio cõfecti, posse vendi, sine vllo scrupulo ratione materiæ ac laboris, & impensarum in eis asportandis docent *Cherubinus, Naldus, Homobonus, Villalobos, Suarez, Sanchez*, vt refert *Diana par.3.tract.6.res. 12.* & huic sententiæ subscribit *Caramuel libr. 2. Theolog. moral. num.867.*

5. *Simoniacus* est, suscipiens ordines præuia pecunia seu pretio: & collatores ordinum simoniaci sunt, accipiendo aliquid occasione ordinationis, quamuis sponte offeratur: *C. si quis, de simon. C. sicut Episcopum. 1.q.2. Suar.c.53.n.3. Regin.c.num.200. Less.l.2.c.35. dub.10.* excipiuntur tamen candelæ, seu faculæ ex declaratione sacræ Congregationis: *Notarius* tamen, cui salarium alia ratione constitutum non est, potest aliquid pro litteris dimissorijs vel testimonialibus, loco stipendij accipere: quia non tenetur gratis operam suam præstare, nemo enim suis stipendijs militat: immo Concilium Tridentinum *sess.21.cap.1. de reform.* dat ei facultatem recipiendi decimam vnius aurei partem in ijs locis, in quibus consuetudo inualuit aliquid accipiendi.

6. Diuina officia & quævis orationes non tantùm publicæ, sed etiam priuatæ, sunt proprié materia simoniæ: *C. ad nostram, de simon. D. Thom. c.q.100. art.3. Suar.c.cap.15.* quamuis nihil obstet quominus aliquid petatur, verbi gratia pro officio funebri, & pro processione, crucis gestatione &c. non per modum pretij, sed ratione laudabilis consuetudinis, vel ad necessariam sustentationem ministrorum. *Notandum* est quod in spirituali functione quatuor spectari possint. *Lessius lib.2. cap.35. dub 8. Primò*, ipsa actio quâ talis est. *Secundò*, labor intrinsecè coniunctus. *Tertiò*, labor extrinsecus annexus. *Quartò*, ministri sustentatio. Simonia est aliquid dare, vel accipere pro ipsis actionibus spiritualibus quâ spirituales sunt, quia hoc est sanctitatem rei pretio æstimare. *Non* est autem simonia aliquid dare vel accipere pro laboribus extrinsecùs seu per accidens adiunctis, siue præuij sint actioni sacræ, siue conitentur, quia illi labores in se sunt quid temporale pro se pretio æstimabiles. *Non* est item simonia si des aliquid pro sustentatione ministri, sub obligatione rei spiritualis, aut si minister aliquid pro sustentatione exigat: immò potest ipse minister pacisci de certo stipendio ad sustentationem, prout habet consuetudo. Bonacina *c.q.6.p.3. Suarez c.cap.21.num.15. Regnal. c.num.139. & num.117. Valent.tom.3.d.6.q.16.par.3. Toletus lib. 5.c.89. Sylvius c.art.2. concl.2. & art.3. q.1. & 2.* Pro *labore* verò qui intrinsecè est coniunctus actioni sacræ posse aliquid accipi vel dari; quidam affirmant, alij autem negant; vtrique probabiliter. *Vide Sylvium ci. art.2. conclus.1. Layman c.numer.41. Lessium c.num.53.*

7. Non est simonia aliquid exigere pro doctrina Theologiæ naturalis seu metaphysicę, quia hęc doctrina non est res supernaturalis, sed est actus naturalis intellectus adducẽs alterum ad cognitionem naturalem, ac proinde non est materia simoniæ. *Suarez c.lib.4 cap.18.n.9. Layman c.lib.4.tr.10.c.vltim.§.4. n.30. Sylvius c.art.3. in resp. ad 3.quæst.1. Filiuc.tr.45.cap.4.q.7.& 8. Less. lib.2.*

lib.2.cap.35. dub.13. Bonacina c.q.4.§.10 n.5. 6.& 7. Victoria relect.11. de simonia n.6. Exigere autem aliquid pro simplici catechismo seu doctrina & veritate fidei tradenda, tamquam pretiũ, est simonia, quia hæc doctrina non æstimatur, nisi quatenus disponit ad salutem. Si Theologia pro cognitione mysteriorum fidei & scripturarum diuinitus intusa accipiatur, exigere aliquid pro eius vsu tamquam pretium, est simonia, quia hæc est gratia gratis data & supernaturalis. Si autem Theologia accipiatur pro scientia, quæ ex principijs fidei per industriam rationis naturalis deducit conclusiones, pro quibusdam eius actibus pretium accipi potest, pro quibusdam nõ; quatuor enim functiones habet Theologia. *Primò*, ex principijs fidei deducere conclusiones. *Secundò*, ex sacris Doctoribus interpretari scripturas. *Tertiò*, docere doctrinam Christianam. *Quartò*, dare responsa ad pacandas conscientias. Pro tertio & quarto actu pretium exigi non potest, secundùm *Lessium*. Pro primo & secundo quidam putant esse simoniam aliquid exigere, alij etiam probabiliter negant. Simoniacum non est, doctrinas seu instructiones naturales artium aut scientiarum, alteri quasi pretio vendere, seu mercede locare, quia scientia, doctrina seu instructio rerum naturalium, moralium &c. non est sacra, spiritualis seu ad salutem animæ specialiter destinata: per accidens tamen iniustitia committi posset, verbi gratia, si quis duplicatum salarium accipiat, vt professor artium, qui iustum publicum salarium habens nihilominus à scholaribus collectam exigit. *Navarr.cap.23. num.100. Reginald.lib.23. n.111. Azorius 3.p.l.12.cap.18. q.6. Layman c.num.30. Filliuc. c.cap.2. quæst.5.*

8. Vendere licentiam ad docendum Theologiam, non est simonia ex natura rei; quia concedendo alicui Cathedram, datur licentia docendi Theologiam, at cathedram vendere licet absq. simonia, quia nec potestas ex qua datur spiritualis est, sed temporalis, nec actus ad quem datur spiritualis est, vnde nec vendere magisterium Theologiæ, simonia est, quia actus docendi ad quẽ huiusmodi magisterium ordinatur, spiritualis non est. *Suar.c.capit.18.n.14. Layman c.nu.31. Lessius c.num.83. Sylvius c.quæst.1.*

9. Pro ingressu in religionem, seu pro ipsa professione, vel statu religioso accipere aliquid tamquam pretium, secundùm se simoniacum est, quia hic status est res omnino supernaturalis, & cœlestis, continens ius & obligationem seruiendi Deo in communitate, secundùm præscriptam regulam; & ideo est impretiabilis. Vt habetur in cap. *Nullus*, 1.q.2. & docent *D.Thom. 2.2.q. 100. art.3.ad 4. Sylv.ibidem quæst.2. concl 1. Suares de relig.tom. 1.lib.4.c.17. Pet.Ledesma de simonia concl.17. Azorius c.l.12.cap. 16.* & alij communiter. Item secundùm Doctores hic citatos, simonia est aliquem allicere ad religionem muneribus, illa tamquã pretium tribuendo; vt si fiat pactum cum aliquo, quòd ipse propter quædam munera ingredietur religionem: intendendo illum absolutè per hæc obligare. Nihilominus si munera dentur simpliciter & absolutè, vel sub conditione tantùm inuitante, vel facilitante conditionem religiosi status, sic licita esset donatio, vel promissio.

Aliquid exigere, vel accipere pro sustentatione personæ, non est illicitum, si monasterium inops sit, & regula ordinis permittat. Est communis Doctorum. *D.Thom.c.Sylvius ibidem concl.2 Bonac.de simon.disp.1.q.4.§.8.n.2. Filliuc.tr.45.c.4.q.6. Suar.c.cap. 17.num.18.* Ratio est, quia hic nihil spirituale venditur, sed solùm exigitur quædam necessaria conditio, vt alij religiosi non grauentur; non enim tenẽtur subire maiorem inopiam, vt alij admittantur, quando admittendi possunt facilè istud incommodum cauere. Si monasterium sit diues, licet probabile sit non esse simoniam, nec iuris diuini in foro exteriori, nec humani, si superiores monasterij exigant aliquid pro alimentis, seu onere sustentandi religiosum admittendum, ita vt aliter nolint illum admittere, est tamen longè probabilius & verius esse simoniam, saltem iuris humani. Prior pars est. *Soto de iust.lib.9.quæst.6.artic.2. ad 4. Sylvest.v.Simonia q.15. Valen.2.2.disput.6.q.16.punct.2. Toler.lib.5.cap.89.* quos sequuntur quidam Recentiores. Ratio est, quia non exigitur temporale pro spirituali, sed solùm requiritur, vt monasterium nullo modo grauetur: esto sit aliunde peccatum grauissimum, contra iustitiam, quia prouentus monasterij non applicantur ijs, qui ad hos ius habent, & quibus Ecclesia voluit applicari: & etiam contra charitatem, tum ratione scandali, aut auaritiæ, tum quia ob id multæ puellæ pauperes à religionis ingressu abstinent. Altera pars est. *D.Thom.in 4.d.25.q.3. art.2 q.1. Adrianus quodl.9. in resp.ad 6. Victoria relect. de Simonia par.2. numer.11. Sylvius, c.concl.5.* quia vel exigitur pro admissione ad statum religionis, & est aperta simonia: vel pro nuda sustentatione, & videtur esse palliata: cum enim monasterium sit opulentum, & sufficienter habeat vnde sustentari queant illi qui offeruntur; non apparet quòd temporalia verè & coram Deo exigantur pro eorum sustentatione sed quòd ille prætextus accipiatur. Cõfirmatur hæc sententia ex multis Canonibus, qui id prohibent tãquam simoniacum. *Cap.non sanè. Cap.veniens ad nos cap. Dilectus filius. Cap.quoniam, de simonia. & Extrauagans 1 de Simonia*, valde vrget: nam & eos, qui pastus, prandia seu cœnas, pecunias, iocalia, aut res alias exigunt in religionis ingressu, etiam ex consuetudine, quam dicit esse corruptelam, & eos qui hæc dant excommunicat, &c. Conuentus autem & Capitula suspendit. Respondent alij hos canones loqui quoad præsumptionem fori exterioris, vel certè quando aliquid exigitur vt pretium, non pro sustentatione. Alij dicunt olim fuisse simoniam iuris Ecclesiastici, sed modò per contrarium vsum esse abolitam: sed rectiùs Doctores posteriorjs sententiæ loquuntur, quia Canones absolutè dicunt esse simoniam, & contrariam consuetudinem esse corruptelam. Ratio est, quia ius viuendi de prouentibus monasterij, authoritate Ecclesiæ adeò coniungitur professioni, sicut præbenda officio ecclesiastico, ergo sicut pro præbenda nõ potest quidquam exigi ita nec pro iure sustentationis. Confirmatur, quia cùm hoc ius sit debitum ratione status, secundùm prudentem æstimationẽ, censebitur ille qui aliquid exiget, velle vendere ipsum statum, ex quo hoc ius manat. Proinde hanc extrauagantem *Vrbani V.* in corpore iuris inserram confirmauit *Gregorius X.* per aliam, quæ incipit, *Tenorem*, apud *Rodriques* in bullario.

Similem ferè prohibitionem facit Tridentinum *sess 25.c.16. de reformat.* tamen sine excommunicatione ipso facto incurrenda: ne scilicet, ante professionem, excepto victu, & vestitu nouitij, vel nouitiæ, illius temporis quo in probatione est, quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, vel curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eius tribuatur, idque præcipit sub anathematis pœna ferenda scilicet, sed non lata. Et certè hæc opinio D. Thomæ & aliorum simpliciter est vera, loquendo in conscientia: eò quòd Pontifices non solùm puniant vitium, quòd præsumunt, sed absolutè ipsum actum, ex quo est huiusmodi præsumptio, prohibeant, & illicitum constituant, etiamsi aliàs non esset illicitum; immo omne ius quidquam petendi, etiam pro sustẽtatione, monasterio diuiti tollant: ita quòd illi nullus iam titulus iustus supersit ad petendum, ex quibus sequitur, quòd si aliquid petit, idipsum petere pro ingressu; quia licet intus intentionem ab hoc obiecto auertat; ipso tamen facto euitare non potest quin implicitè et indirectè id intendat. Sicut qui pro mutuo aliquid petit, ad quod petendum nullum omnino titulum habet, & interim aliter non vult mutuare; profectò conuincitur illud petere pro mutuo & vsuram committere.

10. Contraria diuturna consuetudo, quæ in monialium monasterijs obtinuit, facilè damnari non potest; *Phuliarcus to.2. de offic.Sacerd.l.6.c.7. Suares de cens.d.22.sect.4. n.13. Lessius c.num. 70. Layman c.num.39.* cùm enim expediat monialium monasteria sufficientes reditus habere, ne vagandi, aut cum sæcularibus communicandi occasio ipsis præbeatur; rarò accidet, vt non probabilem titulum exigendi dotem moderatam (præsertim exigente consuetudine diuturna) prætendere possint, quo & de reditũ sufficientia securiores sint; & plures etiam, quàm alioquin deberent, recipere possint: qua propter summi etiam Põtifices *Martinus V. & Clemens VII.* declararunt nolle se vt moniales censuram aliquam incurrant, eò quòd ingressu aut professione suarum aliquid exigant, retinentur *Navarr. cap.27.nu.156. Sylvest.ver. Simonia 7.n.15.in fin.*

11. *Pro omissione* actus spiritualis aliquid exigere, non est propriè simonia; quia nuda omissio actus spiritualis non est quid sacrum & supernaturale: tamen huic contractui, quo aliquid datur vel exigitur pro omissione actus spiritualis, si fiat sine iusta causa coniuncta, est quædam turpitudo simoniæ affinis; *Suar. de Simon.c 8.n.26. Filliuc.c.cap.2.n.19. Layman.c.n.43. Valen.tom.3. d.6.q.16. punct.2.* quia dum exigitur vel offertur pretium pro omissione actus spiritualis, tacitè insinuatur actum illum esse vendibilem: in multis tamen casibus liceret, modò cum huiusmodi omissione coniunctus non sit actus iurisdictionis, qui cum ipsa omissione pretio vendatur. Ex quibus collige. *Primo* simoniacum non esse qui pretium accipit pro non audiendo sacro, vel pro non recitando officium diuinum, vel non concionando, & sic de multis alijs omissionibus, licet aliunde sit illicitum, & peccatum: quia nuda & simplex omissio horum actuum, non est aliquid sacrum, aut spirituale; dum igitur pro illa præcisè pretium datur, & accipitur, non est simonia, quidquid sit de alijs peccatis

inita-

iniuſtitię, vel ſacrilegij, quę ibi poſſunt reperiri.

Collige *ſecundò*, Confeſſarium, qui pro pretio non abſolui hominem ritè confeſſum, & cum iudicem, qui non abſoluit excommunicatum ab excommunicatione, pro eodem pretio, quādo illum debet abſoluere, committere ſimoniam; quia vterque eſt iuriſdictionis ſpiritualis, & vterque oritur ex iuriſdictione ſpirituali, & eſt effectus proportionatus illius.

Sed petes, ſi pœnitens malè diſpoſitus paciſcatur cum Confeſſore, vt palā ſibi abſolutionē impertiat fictā, & ſibi palā proferat abſolutionis verba, ſine intētione abſoluēdi, ne circumſtantes dubitent de ius abſolutione? Reſp. Ibi non dari ſimoniam, quia in tali caſu nihil vendit ſpirituale, quamuis ſit turpe lucrum, & omnino fugiendum. Ita *Caiet. in opuſc. tom. 2 tr. 9. q. 2. Sot. l. b. 9. de iuſtit. q. 8. art. 1.*

12. Omnis *actus iuriſdictionis* Eccleſiaſticæ eſt materia ſimoniæ; quia ſicuti poteſtas Eccleſiaſtica ſpiritualis eſt tum ratione principij, tum finis, ita etiam actus ab ea procedentes; *Cad. ad noſtram, de ſimonia. Suarez c. cap. 20. Filliuc. tr. 45. cap. 4. q. 9. & 10. Layman. c. num. 40. Leſſius l. 2. cap. 55. dub. 9.* quare ſimoniacum eſt, pretium dare vel accipere pro abſolutione à peccatis, pro delegatione facultatis ad audiendas confeſſiones, vel pro data alicui licentia eligendi Confeſſorem; *item* pro conceſſione indulgētiarum: quamuis contributio pecuniæ ad piam cauſam applicada exigi poſſit per modum eleemoſynæ, tamquam requiſitæ conditionis ad indulgentiam lucrandam; *ſimiliter* pro abſolutione à cenſuris & omni actu iuriſdictionis contentioſæ quidquam accipere prohibitum eſt: *item* ſimonia eſt pro diſpenſationibus votorum aliquid exigere: licet Epiſcopus poſſit imponere onus largiendi eleemoſynam pauperibus vel monaſterio: *item* ſimonia eſt, ſi Confeſſor cogat pœnitentem pœnitentiam acceptare, in qua illi imponit, vt dici faciat tres Miſſas, v.g. pro ſuis peccatis, ibique det eleemoſynam illarum, ad illas dicendas: quia talis obligatio eſt pretio æſtimabilis; ſi tamen ſolùm imponeret pœnitentiam Miſſarum, dicendarum, non deſignando, per quem ſacerdotem, non erit ſimonia, etiamſi ipſe Confeſſor ſperet fore, vt ſibi Miſſæ dicendæ committantur; quia non deſignat emptorem, cui ſoluat ſtipendium illarum. Immo non erit ſimonia, licet ſacerdos ſuam neceſſitatem, & deſiderium dicendi illas Miſſas, poſt datam abſolutionem, ſignificet. *Suar. de relig. tom. 1. lib. 4. de Simon. cap. 19. n. 4.*

Manifeſta plan[e] erit ſimonia, ſi pœnitens minorem emat pœnitentiam à confeſſario, pro pretio, vel pro aliquo pretio æſtimabili, & confeſſarius illud accipiat. Et idem dicendum eſt, ſi illud accipiat ab aliquo tertio, pro imponenda huic pœnitentia grauiori.

Idem dicendum eſt, ſi parochus pretium accipiat pro danda licentia aſſiſtendi matrimonio, quaſi illam vendendo: nam licet illa aſſiſtentia, vel licentia ad id non ſit actus iuriſdictionis, vt oſtendit Sanches *de matrim. lib. 3 diſp. 21.* conceſſio tamen illius licentiæ, eſt actus pertinens ad ſpirituale munus parochi, & ab eo intrinſecè emanans, & conſequenter eſt ſpiritualis, & materia ſimoniæ. Si verò parochus exigat ab illo ſacerdote, qui ab illo licentiam petit ad aſſiſtendum alicui matrimonio, vel totam oblationem, vel partē illius, quā ipſe parochus erat percepturus, ratione lucri ceſſantis, hoc modò iuſtè & licitè illam poteſt exigere. Aſſiſtentia tamen teſtium, poteſt abſque vitio ſimoniæ emi & vēdi: quia non eſt aliquid ſpirituale, vel in ſe, vel ratione alicuius muneris ſpiritualis. Vide Bonacinam *de Simonia q. 4. §. 16. n. 7. & 8.* & alios ab ipſo citatos.

Vide v. *Empſio num. 5.*

SIMONIA IV.

De materia Simoniæ rerum, quæ ſpiritualibus ſunt annexæ.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicantur res ſacra per annexionem?*
2. *An annexum ſpirituali ratione connexionis quam habet ad illud ſit materia Simoniæ?*
3. *An beneficium quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum, ſit materia ſimoniæ contra ius diuinum?*
4. *An commutatio rei ſpiritualis pro ſpirituali ſit ſimonia contra ius diuinum?*
5. *An vendere beneficium tantùm ratione temporalis commodi vel incommodi ob eius priuationem cum reſignatione, ſit ſimonia contra ius diuinum, vel Eccleſiaſticum?* refertur duplex ſententia.
6. *An poſſit ſummus Pontifex ſeparando prebendam ab officio ſpirituali, dare beneficium cum onere ſoluendi partem fructuū, & accipere totum valorem penſionis ſimul?*
7. *An penſiones merè temporales ex eccleſiaſticis prouentibus, ſine vitio ſimoniæ vendantur ac redimantur? & quid de penſionibus mixtis?*
8. *An permutatio beneficiorum priuata pactione, & ſine legitima auctoritate Epiſcopi facta, irrita ſit & ſimoniaca?*
9. *An beneficia inæqualia in temporalibus permutari poſſint cum penſione aut alia re pretio æſtimabili coram Epiſcopo, aut alio inferiore Papa,* refertur duplex ſententia.
10. *An reſignare beneficium in fauorem tertij, cum clauſula, Non aliter, nec aliàs: ſit ſimonia?* refertur duplex ſententia.
11. *An ſimoniam committat beneficiarius, qui beneficium litigioſum adeptus cum multis expenſis, illud poſtea reſignat coram inferiore Papa, cum pacto, vt is cui reſignat beneficium, ſoluat expenſas? & quid ſentiendum de reſignationibus reciprocis, vel triangularibus.*
12. *Quid iure permiſſum ſit partibus, orta lite de eccleſiaſtico beneficio vel alia re ſpirituali?*

1. RES *ſacræ* per annexionem illæ dicuntur, quæ ex ſe materiales vel naturales ſunt, per coniunctionem tamen ſeu vinculum cum re ſacra cenſentur ſacræ ſeu ſpirituales. *Triplicitèr*, autem poteſt quid dici connexum alteri. *Primò*, antecedenter, illud autem dicitur antecedenter connexum rei ſacræ, quod præcedit rem ſacram, ſeu ſupponitur rei ſacræ, cui connectitur, vt ſunt vaſa ſacra, veſtes ſacræ. *Secundò*, comitanter, ſcilicet quod comitatur rem ſacram, illique intrinſecè coniungitur, & eſt veluti pars, vnum totum cum re ſacra componens, vt eſt labor ad rem ſeu actionem ſacram peragendam requiſitus. *Tertiò*, conſequenter; quod videlicet conſequitur ſpirituale, & eſt velut effectus illius rei ſpiritualis, quam conſequitur. Huiuſmodi ſunt beneficia, hæc enim conſequuntur diuina officia, quia inſtituta ſunt propter diuina officia, & dicuntur annexa diuinis officiis, conſequenter tamquam ab illis dependentia. Ita *Regin. l. 23. nu. 115. & ſeq. Sylu. 2. 2. q. 100. art. 4. Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 16. punct. 1. Filliu. tr. 45. c. 5. q. 1. 2. & 3. Layman l. 4. tr. 10. c. 8. n. 3. Vgolin. tab. 1. c. 34. de ſimon. Crouſers ad cap. 7. reg. Min. lect. 7.*

2. Generatim loquendo, adnexum ſpirituali ratione connexionis quam habet ad illud eſt materia ſimoniæ, ideòque vendi non poteſt, abſque illa, quia ſpirituale vendi non poteſt nec vt res vendita, nec vt ratio venditionis hoc enim ipſo, pretio æſtimaretur: tamen ſi antecedenter adnexum ſpirituali per ſe ſpectetur, non eſt materia ſimoniæ, conſequenter ſine labe ſimoniæ vendi poteſt, quia ſecundùm ſe, eſt pretio eſtimabile, nec valorem & æſtimationem ſuam amittit ob coniunctionem cum ſpirituali ſi ſpectetur abſque relatione ad ſpirituale. *D. Thom. c. art. 4. ad 1. Suar. c. cap. 23. n. 8. Filliuc. c. cap. 5. q. 4. Bonacina d. 1. q. 4. §. 12. Sylu. c. art 4. concl. 1.* & alij.

3. *Beneficium* quoad ius ſpirituale in ipſo incluſum, eſt materia ſimoniæ contra ius diuinum, quia iura ſpiritualia quę poſita ſunt in aliqua poteſtate ſpirituali vendi non poſſunt: *titulus* autem beneficij ſpirituale quoddam ius eſt, quare neque ipſum, neque beneficium ratione illius vendi poterit, & venditio beneficij quoad hoc ius, eſt ſimonia contra ius diuinum, atque adeò nec Papę diſpenſatione licitum eſſe poteſt, cùm vendatur res ſpiritualis, quod eſt intrinſecè malum. *Suar. tom. 1. de relig. l. 4. cap. 4. num. 4. Filliuc. c. cap. 5. q. 5.* Certum eſt etiam de facto, beneficium vendi non poſſe abſque ſimonia, etiam habito reſpectu ad temporale commodum, quod in ipſo eſt, ideoque etiam hoc modo beneficium eſt materia ſimonię. *Cap. fin. de pact. cap. ſuper eo, de tranſact. C. tua nos. de ſimon.*

4. Ex probabiliore ſententia non committitur ſimonia contra ius diuinum, tradendo ſeu commutando ſpirituale pro ſpirituali precisè: quia ſimonia conſiſtit in commutatione rei ſpiritualis pro pecunia, nomine autem pecuniæ intelligitur omne id quod eſt pretio eſtimabile, ſed res ſpiritualis non eſt pecunia, cum non ſit pretio eſtimabilis, ergo. Committeretur verò ſimonia, ſi pro ſpirituali traderetur res temporalis ſeu ſpiritualis adnexa temporali, ſeu dum pro re ſpirituali, cui adnexa eſt res temporalis, traditur alia res ſpiritualis, cui alia res temporalis pretioſior adnexa eſt: vt ſi tradatur imago benedicta pro calice conſecrato, aut calix pro

lix pro Ecclesiastico beneficio, tunc enim res illa temporalis censetur commutari, siue compensari cum re spirituali, nisi forte constaret excessum gratis tradi & donari. D. Thomas 2.2. q.100. art.2. *Suar.c.l.4.cap.30.num.5. Couarruu.1.var.c.5.n.4. Alter.3. p.l.12.c.1.q.2. Fill.c.cap.1.q.2.n.1.*

5. Controuertitur inter Doctores, an vendere beneficium tãtùm ratione temporalis commodi vel incommodi ob eius priuationem cum resignatione, sit simonia contra ius diuinum, an verò tantum contra Ecclesiasticum: *Plerique* Canonistæ putant esse tantùm contra ius positiuum, si intuitu temporalis commodi tantùm vendatur, *Clarus l.5.sent.v simonia. Vgolin.tab.1.c.3 §. 5.* ideoque à Papa vel alio ex eius dispensatione vendi beneficia posse. Ita *Nauarr.c.23.n.108.§.9. Quidam* tamen Theologi asserunt esse contra ius diuinum: quia vel venduntur fructus beneficij separati à titulo ecclesiastico, & sic quidem non esset simonia sed tunc non venderetur beneficium: vel non separati à titulo, & sic est impossibile vendere vnum sine alio: quia cùm venditur beneficium non venduntur tantùm temporales fructus, sed magis ius ad illos, quod oritur ex functione spirituali. Ita Valentia *c.quæst 16.p.2. Rodriques to.2.cap.58. Suares c.cap.24.nu.7. Laym. c.cap.8.nu.44.*

6. Summus Pontifex, qui potest separare præbendã ab officio spirituali potest etiam dare beneficiũ cũ onere soluẽdi partẽ fructuũ & accipere totum valorem pensionis simul, atque adeò dare beneficium exhibenti pecuniam facta separatione præbendæ, secus non factâ separatione. Episcopus verò, qui separare præbendam ab officio non potest, nec etiam potest vendere beneficia absque simonia contra ius diuinum, nec imponere pensionem super beneficio, licet aliquando super personam habentem beneficium possit. Multò minùs priuatis personis beneficia licebit vendere, cùm neque ijs liceat ea locare nisi per triennium etsi fructus vẽdi per totam vitam possint. *Vgolin. tabul.1.capitul.3. §.5. Suares c.cap.24.num.23. Layman c.num.45. Fillinc.tract.45.c.5.quæst.10. & 11.*

7. *Pensiones* merè temporales, quæ etiam laicis ob iustam causam designari ac competere possunt ex ecclesiasticis prouentibus, sine vitio simoniæ venduntur ac redimuntur; *Toletus l.5. c.92. Suar.c.c.26.n.3. & seq. Less.l.2.c.35.dub.22. Pensiones* propriè spirituales, quæ ad spirituale ministerium designantur, v.g. Concionatori, Coadiutori Episcopi, sine simonia emi ac vendi non possunt. *Pensiones* verò mixtæ, quæ Clericorum quidem proprię sũt, verùm non ob spirituale ministerium, sed ob aliam causam designatę, v.g. propter Clerici paupertatem, senium, his compositionem, beneficij resignationem, licèt emi, ac vendi nequeant, tamẽ redimi possunt, saltem vbi constitutio *Pij V.* eiusmodi pensionib. obligationem officij beatæ Virginis imponentis recepta non est quia redimere talem pensionem non est emere aliquod ius spirituale, sed extinguere onus temporale. *Dian.4.p.tr.4.ref.153. Vide Sylu.2 2.q.100.art.4.concl.1.2.& 3. Layman c.1.8.nu.48.*

8. *Permutatio* beneficiorum si priuata pactione, & sine legitima auctoritate Episcopi fiat, non solùm irrita est, sed etiam simoniaca ex dispositione iuris Ecclesiastici: *C.quæsitum c.cum olim, de rerum permut. C.audiuimus 4. de simonia. Less. c.dub.17.* quia iure canonico omnis pactio prohibetur in beneficijs permutatio autem non celebratur sine pacto, & hoc fit ob periculum, suspicionem, & occasionem simoniæ, & alia incommoda, quæ facilè sequi poterant, si permissum fuisset beneficia priuata auctoritate permutare: Vnde simonia est saltem contra ius humanum, in commutationibus actionum pertinentium ad prouisiones beneficiorum: vt si quis dicat, tu elige hunc, & ego eligam illum; vel tu confirma hunc, & ego eligam illum; vel, confer huic beneficium, & ego eligam illum; vel, ego præsentabo hunc ad beneficium mei patronatus, si tu beneficium tuum simplex mihi renunciaueris: quia licet huiusmodi actiones sint spirituales & vna permutari videatur cum altera, nihilominus moraliter æstimantur media ad temporale lucrum. *Suares c.c.31.n.14. Reginald.l.23. nu.263. Nauar.c.23.n.100. Fillinc.tract.4.c.c.7.nu.12. & 13. Verumtamen* volentibus permutare licitum est priùs tractare de negotio permutationis, & etiam concludere quantum est ex parte ipsorum, præstando mutuum consensum, sed in ordine ad consensum prælati: *Laym.c.n.50. Valent.c.p.3. Suar.c.32.n.7. Regin.c.n.262:* immò partes possunt inter se pactum inire, seque obligare ad persistendum in conuentione donec superior consensum denegauerit. Superior autem coram quo permutatio fieri debet, secundùm iura, est Episcopus. Nomine verò *Episcopi* intelligitur, qui habet iurisdictionem Episcopalem, etiamsi non habeat dignitatem, vnde Abbas vel alius habens præscriptam iurisdictionem ad hunc effectum, satis esset. *Bonac.c.§.11.n.7. Fill.c.n.91. Suares nu.19. & 11.*

9. Secundùm probabiliorem sententiam beneficia quamuis inæqualia in temporalibus permutari non possunt cum pensione aut alia re pretio æstimabili coram Episcopo, aut alio inferiore Papa, etiamsi pensio aut alia res temporalis exigatur ratione beneficij pinguioris quod cum tenuiori permutatur. *Suar.c.34.nu. 10. Regin.c 23.n.264. Nauar.c.23 n.100. Fillinc.c.c.7.q.11. Laym. c.nu.54* quia fructus siue reditus beneficiales ita annexi sunt spirituali titulo, vt nemini deberi possint, nisi ratione spiritualis præstiti officij, consequenter, qui reditus beneficiales emit, ipsum titulum siue ius officij emere conuincitur. Quibusdam tamen Doctoribus non videtur improbabile hoc simoniacum non esse, si superioris, puta, Episcopi auctoritas intercedat, & probant ex *Cap.ad quæstiones, de rerum permut.* vbi Clemens III. respondit, Ecclesias parochiales auctoritate Episcopi permutari posse ita vt illi possessiones vnius abundantiores sint, ex excessu pecunia cõpensetur. *Caiet 2.2.q.100.art.4. Lessius c.dub.17.n.101. Syl. v.permut.2.q.6. Angel.eod.verb.§.7.*

10. Beneficium resignare in fauorem tertij, id est, cum clausula *Non aliter, nec aliàs*, multi Doctores censent id esse simoniã. *Nau.c.23.nu.109. Rebuff.de beneficijs §.de pura resignatione. Fill.c. c.8.nn.20. Regin.l.23. n.247* quia omnis pactio in spiritualibus simoniam continet: resignatio autem secundùm iura debet fieri purè & absolutè in manus Ordinarij; licèt possint offerri preces pro aliquo, Ordinarius tamen non astringitur huic conferre. Secus verò si fiat in manibus Pontificis, cuius præsentia potest simoniam purgare. Alij verò tenent talem resignationem in manus Ordinarij factam nullam continere simoniam iuris diuini, vel humani, nec esse illicitam, modò is, in cuius fauorem fit, verè sit dignus, quia qui ita renunciat, nihil temporale dat vel accipit pro spirituali; sed solùm indicat se renunciare, si collator velit conferre Petro, non renunciare si nolit. *Sotus lib.9. quæst. 7.art.2. Couar.l.1.var.c.5.n.5. Suares cap.35.nn.2. & 7.* Cæterum certum est hic nullam esse simoniam iuris diuini, nec posse etiã ex Canonibus conuinci esse simoniam iuris humani, quia nulla propriè hic interuenit pactio; non enim requiritur promissio prælati, sed solùm fit resignatio sub conditione, quam si prælatus non acceptet, nihil actum est. Tamen huiusmodi resignationes ob imaginem simoniæ iuxta stylum Curiæ non possunt fieri, nisi in manus summi Pontificis, vnde non possunt fieri coram Ordinario, saltem eo modo vt Ordinarius se possit obligare nisi ex priuilegio vel consuetudine id ei sit concessum. *Lessius l.2. c.35. dub.14. nnm.86. 87. Fillincius c.c.8.q.8. Bonac.c.§.14. num 6. Rebuf.cit.*

11. *Simoniam* committit beneficiarius, qui beneficium litigiosum cum multis expensis assecutus fuerat, si postea dum in pacifica possessione exilit, resignat illud alteri coram inferiore Papa cum pacto, vt is, cui resignat beneficium, soluat expensas. *Suar.c. c.35.n.24. Regin.l.23.n.18. Fill.c.c.8.nn.35.* quia resignatio hæc nõ est pura, cùm exigat temporale pro spirituali, nullo enim alio titulo exigit expensas, nisi quia beneficium illi resignat. *Item* simonia est facere coram Episcopo resignationes reciprocas, *Less.c. num.87. Suar.c.nn.18. Regin.l.23.nn.250.* vt si quis dicat: ego resigno meum beneficium tuo nepoti vel amico, tu verò resigna tuũ mihi, vel meo nepoti: nam præterquam quòd hæc renunciatio fit in fauorem, continet pactum resignationis reciprocæ, quòd omninò extra casum permutationis est iure vetitum. Idem à fortiori sentiendum est de renunciatione triangulari, quæ inter tres fieri solet, v.g. renuncio meo beneficio in fauorem Petri, vt Petrus suo cedat Paulo, & Paulus cedat suo mihi: hæc enim non est resignatio pura, nec fieri solet sine pluribus pactis, quæ non permittuntur in ordine ad Prælatum inferiorem. *Bonacina c.§.14.nn.3. Less.c. n.88. Suares c.nnn.18.*

12. Orta lite de ecclesiastico beneficio vel alia re spirituali, non prohibentur partes gratis & amicabiliter inter se componere: *Vgolin.tab.1.c.29. Laym.l.4. tr.10.c.8. n.56.58.* quod duobus modis fieri potest. *Primò*, si vnus sponte & gratis iure suo cedat, litemque deferat, etsi nihil obstet, quominus postea donum ex gratitudine sibi oblatum recipiat. *Secundò*, si in arbitros compromittant, vt illi parti rem totam adiudicent, quæ potiori iure niti videtur. Transactio tamen simoniaca est, in qua ex vna parte beneficium Ecclesiasticum, ex altera verò parte res temporalis datur, remittitur, retinetur; quia transactio est reciprocus contractus & species quædam commutationis rei temporalis cum spirituali. *C.cùm pridem, de pactis. Bonacin.c.§.15. nu.3.* Verùm licet controuersiæ, quæ circa alias res vel ius spirituale versantur, termina-

minari possint offerendo, vel retinendo aliquid spirituale, id tamen concessum non est in materia beneficiali, nisi prælati auctoritas intercedat. *Suarez c.51.offert.2.& 3. Laym.c.n.57. Porrò* Episcopus & iudex delegatus, parti litiganti per modum transactionis, adiudicare potest pensionem annuam, in compensationem expensarum, vel ad vitæ necessariam sustentationem. *c.nisi essent, de prebend. Bonac.c.nu.9.*

SIMONIA V.

De causis excusantibus à labe simoniæ.

SVMMARIVM.

1. *An titulus liberalitatis, vel gratitudinis propter quem tradens vel accipiens temporale occasione spiritualis excusari possit à simonia.*
2. *An titulus sustentationis sit causa excusans à simonia dum pro obligatione actionis spiritualis aliquid accipitur.*
3. *An labor extrinsecus seu per accidens adiunctus operi sacro vel spirituali sit titulus ob quem aliquid tradi, vel accipi possit absque labe simoniæ?*
4. *An privatio libertatis, vel alterius commodi temporalis, quo quis se privat faciendo spirituale opus sit titulus propter quem aliquid tradi vel accipi possit absq. culpa simoniæ propter opus spirituale?*
5. *An iniusta vexatio sit titulus excusans à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale?*
6. *An tradendo pecuniam subornanti committatur simonia?*
7. *An consuetudo sit titulus excusans à labe simoniæ, traditionem vel acceptionem rei temporalis pro spirituali?*

1. PRimus *titulus*, propter quem tradens, vel accipiens temporale occasione spiritualis, excusari potest à simonia, est titulus liberalitatis, vel gratitudis: vnde dum res aliqua temporalis, vel spiritualis gratis simpliciter datur, vel etiam titulo gratitudinis in recognitionem alterius rei tẽporalis, vel spiritualis simonia non committitur, quia non datur tamquam pretium, sed titulo beneficij, ne conferatur ad extinguendum debitum iustitiæ, sed debitum antidorale, seu morale, quod nõ obstat, quin id quod traditur, gratis tradi dicatur. *Suar.lib.4.c.45.num.4. Layman l.4. tom.10.c.8.nu.8. Filiar.45.c.10.nu.21. Nau.cap.23.n.102. Valent. to.3.d 6.q.16.p.3.*

2. *Secundus titulus*, seu causa excusans à simonia, dum pro obligatione actionis spiritualis aliquid accipitur, est titulus sustẽtationis, quia qui altari seruit, de altari viuere debet. *Tolet.lib.5. c.88.nu.8. Valent.c.p.3. Regin.lib.23.nu.118. Suar.c.cap.45.num.7. Filiuc.cit.cap.10.q.7.nn.27.28. Nauar.cit.n.106. Sylu.2.2.q.100. art.2.quæst.2.* cùm sustentatio iure naturę debeatur, & dignus sit operarius cibo suo: vnde excusantur ministri Ecclesiastici accipientes pias oblationes, vel alia stipendia ex consuetudine vel legibus ecclesiæ, præscribentibus aliquid dari pro certis muneribus nec refert quòd sacerdotes aliunde vt plurimum habent quo ali possint, hoc enim per accidens est. quod obesse non debet sacerdoti ne recipiat id quòd sibi ex natura rei debetur, cum nemo etiã diues, suis stipendijs militare teneatur: aliunde tamen peccare potest, vt si ex officio ministrare teneatur, & ratione officij alios reditus habeat: tunc enim peccat contra iustitiam, cùm accipiat indebitum: Propterea huiusmodi sustentatio deduci potest in pactum, cauere tamen debet sacerdos ne plus exigat pro sustentatione, quàm ferat ratio laboris, & operis, quia excessus non est illi debitus, & accipiens indebitum, iniustitiam committeret, & incurreret suspicionem simoniæ. Vnde optandum esset, vt hic mos paciscendi remoueretur, quia speciem quandam nundinationis habet, maximè apud imperitos: qui tamen pacisci volent, debent expresè significare se non pro functione ipsa sacra, sed pro necessaria sustentatione exigere, vt rectè monet Caietanus 2.2.q. 100. *art.* 3. Quod autem in foro fori præsumetur simonia, si nimium exigat, ratio est, quia cùm illud stipendium superet necessariam sustentationem, vel etiam communem taxam, videtur auctarium accipi, non pro sustentatione, sed vt pretium operis spiritualis.

3. *Tertius titulus*, ob quem aliquid tradi vel accipi potest absque labe simoniæ, est labor extrinsecus, seu per accidens adiunctus operi sacro, vel spirituali: *Reginald.l.23.nu.119. Nauar.c.23. nu.101.102. Suar.c.21.n.11. Less.l.2.c.35.n.45. Sylu.c.ar.1.concl. 2.* ille autem labor dicitur extrinsecus, & per accidens coniunctus sine quo tale opus fieri potest: ratio verò cur id liceat, est, quia huiusmodi labor in se est aliquid temporale, & pretio æstimabile, neque existimationem, & valorem amittit ob coniunctionem ad opus spirituale, cùm ei per accidens, & extrinsecè adiunctus sit: vnde sacerdos potest exigere mercedem pro obligatione dicendi Sacri, pro tali loco & tempore, & pro labore eundi ad talem locum satis dissitum: nam labor iste per accidens est coniunctus sacræ actioni. Similiter vicarij Prælatorum possunt exigere mercedem pro laboribus, in executione sui officij obeundis, vt in visitatione in audiendi partibus, in excutiendis quæstionibus propositis: hi enim labores etiam temporales sunt, ac proinde pretio locari possunt.

Item qui procurat alteri beneficium, pro labore aliquid accipere potest, non tamen quatenus ille labor ordinem habet ad beneficium. v.g. scribit litteras Romam, proficiscitur, commoratur foris, &c. potest aliquid pro his functionibus, accipere, quatenus in alia re temporali æstimabiles sunt; non tamen licet eas, pluris æstimare ratione beneficij maioris, vel minoris: quia licet labor ille, si quis interueniat, per se pretio æstimari possit non tamen quatenus confert ad beneficium obtinendum, itavt propterea pluris æstimetur, sic enim haberet suam æstimationem vel augmentum æstimationis à re spirituali, quod redundat in rei spiritualis iniuriam. Vide Dianam p.2.*tract.*16.*resol.*37.

4. *Quartus titulus*, propter quem aliquid tradi, vel accipi potest absque culpa simoniæ propter opus spirituale, est priuatio libertatis, vel alterius commodi temporalis. quo quis se priuat faciendo spirituale opus: quia priuatio huiusmodi libertatis est pretio æstimabilis; ergo aliquid pro ipsa accipi potest habita ratione commodi, quod verisimiliter capere potuisset, si se tali obligatione non obstrinxisset. *Caiet. v.simon.reg.4. Nauarr. cit. numer.106. Less.cit.dubio 8. numer.45. Syluius cuat. artic.2. conclus.3.*

5. *Quintus titulus*, excusans à crimine simoniæ tradentem aliquid temporale, est iniusta vexatio, dum videlicet pecunia traditur ad tollendam ipsam iniustam vexationem, quam quis patitur circa rem spiritualem: secus dicendum, si vexatio iusta sit, tunc enim non licèt media pecunia tollere vexationem, qua parte iusta est; quia pecunia tradi videtur pro acquirenda re spirituali, cuius acquisitionem impedit vexatio. *Capit. diletus de simon. Nauarr. consil.70. de simonia, Filliucius tractat.45. cap.11.num.6.& 7. Syluius cuat. artic.2. post conclus.3. Notandum* autem est, quòd in beneficijs, qui nondum habet ius in re, id est, qui nondum est confirmatus, vel institutus, vel collationem factam nondum acceptauit, non potest oblato pretio vexationem redimere ab his, qui non tantùm possunt obesse, sed etiã prodesse. *Qui* nondum habet ius in re, potest oblato pretio redimere vexationem ab his, qui solùm possunt obesse, siue vi et fraude obsint, siue muneribus & precibus apud electores vel collatorem. *Cap. Matthæus de simonia. Suarez tomo primo, de relig. libr. 4.cap.50. num.19. 20. 28. & Bonacin. c.quæst.6.punct.5. numer.4.* *Qui* verò habet ius in re per confirmationem vel institutionem vel liberam collationem, potest pretio redimere vexationem, si fortè aliquis illum à possessione capienda impediat; quia possessio, secundùm se, non est quid spirituale, sed id habet ex titulo, cuius vi capitur, vnde non dat pretium pro re spirituali. *Diu. Thom.quæst.100.artic.2. Nauar.cap.23. num.101. Caiet.de simonia, quæst.3.*

6. Non committitur simonia tradendo pecuniam subornanti, qui pecunia, vel importunis precibus corrumpit electores; ne meipsum eligant. *Suar.cap.50.num.25. Valent.2.2. disput.6.quæst. 16.par.3. Dian.par.5.tract.14.resol.2. Fernand.part.3. cap.14. numero 28. Pasqualigus in decision.moral. decis.231. Palaus parte 3. tract.1. disput.3. punct.10. nu.6.* non enim datur pecunia vt meipsum eligant, sed ne damnum mihi inferat, vel ne corrumpat electores. Et hoc probabile est quamuis subornans sit vnus ex electoribus Ratio est, quia licet, quando subornans prodesse potest, quia est elector censeri posset, quòd illa subornatio pertineret ad munus ipsius; & proinde daretur ipsi pecunia vt electori: nihilominus quia subornatio est contra munus electoris (vtpote contraria bonæ electioni) ideo si datur ipsi pecunia ex hoc præciso fine, vt desistat à subornatione, non datur tamquam electori, sed tamquam malè affecto; & in tali casu eadem est ratio de ipso, ac de eo qui non potest prodesse, vt notat *Suarez*. Et ideo hoc licitum est, quia non ordinatur ad acquirendum aliquod spirituale; sed merè ex intentione dantis ad auertendum à se nocumentum

mentum: Neque iura, quæ prohibent simoniam, prohibent vti iure proprio naturali ad sui defensionem.

Hanc tamen conclusionem admittunt solùm quando subornãs potest obesse, & non prodesse. *Sylu. 2.2. q.100. ar.2. concl.3. Mald. tr.9.c.3. dub. 7. Less. l.2.c.35. dub.17.* & alij: quia si prodesse potest vt si est electo, inducitur non solùm ad non impediendum, sed etiam ad ad iuuandum: & pretio paratur via ad electionem. Ad quam rationem posset responderi, id esse per accidens, quòd per hoc inclinetur animus electoris ad eligendum, & præter intentionem dantis pecuniam, vnde non potest inficere redemptionẽ vexationis.

Addo simoniam committi in electionibus regularium, si aliquis pecunia, vel aliquo dono temporali conueniat cum aliquo, ne concurrat cum ipso ad electionem alicuius Prælaturæ. Ratio est, quia talis sic faciendo sibi parat electionem media illa pecunia, aut dono temporali, quod est virtualis quædam emptio prælaturæ, aut electionis ad ipsam. Ita *Sanch. l.3. opusc. cap.3. dub.30. Less. l.2. cap.35. dub.18. Pontius de matr. l.5.c.13.§.6.n.40.*

Similiter simoniam committent Regulares, si in electionibus vnus faciat hoc pactum cum alio, scilicet, *non concurras mecum in hac electione, & ego non concurram tecum in alia*, quia obligatio non concurrendi in electione sequenti est pretio æstimabilis, & per illam parat sibi ille viam ad electionem seu Prælaturam, quę est res spititualis. Ita *Sanches* suprà. Præterea in electionibus Regularium simonia committitur, si aliquis in electionibus daret, vel promitteret pecuniam, vel quid simile alijs, ne opponerent contra ipsum defectus quos patitur, & propter quos excludi deberet ab electionibus. Quia simonia non solùm committitur dando temporale pro spirituali, sed etiam pro omissione rei spiritualis: hoc enim pacto redderetur per pecuniam via securior ad beneficium seu electionem. Ita *Sanches supra, Vgolinus, Palaus Barbosa, citati a Pasqualig. in decis. moral. decis.247.* quamuis ipse contrarium sentiat.

7. *Sextus titulus* excusans à labe simoniæ traditionem, vel acceptionem rei temporalis pro spirituali, est consuetudo, quæ solùm locum habet ad tollendam simoniam iure humano inductã, quia lex humana potest consuetudine abrogari, non solùm in partem, verùm etiam in totum, non solùm quoad pœnam, verùm etiam quoad culpam: consuetudo tamen non est titulus sufficienter excusans acceptionem, vel traditionem rei temporalis pro spirituali per modum pretij, quia hoc est intrinsecè malum & simoniacum contra ius naturale diuinum: nulla autem consuetudo induci potest, quæ ius naturale vel diuinum abroget. Ita *Azor. 3.p.lib.12.c.19. Suar.c.61.n.16. Bonac.c.par.6. Fill.tr.45.c.13.n.40*

SIMONIA VI.

De pœnis contra simoniacos.

SVMMARIVM.

1 *An sola simonia in ordine beneficijs, & religionis ingressu, inducat pœnas iuris ipso facto, & quæ sint pœna simoniæ realis in ordinibus.*

2. *An sit excommunicatus, qui beneficium confert, vel procurat alteri, vel sibi per simoniam realem? Et quas alias pœnas incurrat? Et quid veniat nomine beneficii.*

3. *Quæ sint pœnæ simoniæ realis circa religionis ingressum?*

4. *Quando in beneficijs simonia confidentia externa contingat, inferens pœnas iuris?*

5. *An excommunicatio lata contra simoniacos in ordine, & beneficio incurratur etiam ob simoniam iuris humani?* refertur duplex sententia.

An confessarij Ordinum Mendicantium possint absoluere à quacumque simoniæ, & excommunicatione ei annexa.

1. NVlla *simonia* inducit pœnas iuris ipso facto, nisi in ordine beneficijs, & religionis ingressu; *Nauar. cap.23 n.111. Syluest. v. simonia quæst.19. Tolet. lib.5.c.93.nu.2 Sylu.2.2. q.100.art.6.quæst.3. Dian. par.4.tract.4.resol.157.* item simonia mentalis nullas pœnas iuris inducit, secundùm communem Doctorum sententiam, & patet ex *c. mandato de simonia*, vbi Pontifex expressè dicit, simoniaco mentali satis esse, si per solam pœnitentiam suo satisfaciat Creatori de peccato, nec debere resignare quod per simoniam mentalem acquisiuit: immo valde probabile est Ecclesiam non posse talem simoniam punire, si in extremo opere non potuit aliqua pactio deprehendi: talis enim simonia non prodit in actum externum simoniæ. Et quidẽ pœnæ quas inducit simonia realis in ordinibus, sunt: *Primò*, conferens ordines per simoniam realem est excommunicatus: *Secundò*, est suspensus à collatione cuiusuis ordinis etiam primæ tonsuræ. *Tertiò*, est suspensus ab executione omnium munerum pontificalium. *Quartò*, interdictus est illi ingressus Ecclesiæ. *Quintò*, si contra suspensionem, vel interdictum illud fecerit, est suspensus ab administratione suæ Ecclesiæ & à perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum. *Sextò*, nemo potest illum absoluere præter Romanum Pontificem, etiamsi delictum sit occultum. Extrauagan. *cùm detestabile, de simonia. Bulla Sixti V. edita in malè promouentes & promotos. V. Cæterùm si quis Antistes Lessius lib.2.c.35. dub.24.*

Qui autem ordinem aliquem per simoniam realem susceperit. *Primò*, est excommunicatus ipso facto. *Secundò*, est suspensus ab executione suorum ordinum: *Tertiò*, si præsumpserit in illa suspensione ministrare, efficitur irregularis, deinde per bullam Sixti, nam ipso facto priuatur omnibus dignitatibus, beneficijs, & fit inhabilis ad illa. *Quartò*, eius absolutio pertinet ad summum Pontificem, similiter & dispensatio. *Extrauagan. cùm detestabile. Layman lib.4.tract.10. cap.vltim.§.7.num.71. Fill. tract.45. cap.13. quæst.4. num.12. Syluius citat. conclusion.1. & 2.* Si autem casus sit occultus, seposita bulla Sixti, posset Episcopus absoluere ex Concil. Tridentin. Vide Dianam *4. par. tract.4. resol.157.*

2. *Qui* beneficium confert, vel procurat alteri per simoniam realem, eligendo, præsentando, postulando, instituendo, &c. est ipso facto excommunicatus: *Extrauag. cùm detestabile. Layman c.num.72. Nauar. c.23. num.111. Syluius c. conclusion.3.* Nomine *beneficij* secundùm probabiliorem sententiam comprehenditur etiam *Abbatia, Prioratus, Rectoratus, Prouincialatus, Generalatus, Guardianatus*, &c. vt docent *Portel. verb. simonia, numero 5. Suar. tomo 5. disputat.31. sect.4. numer.45. Sigismund. à Bononia part.2. cap.1. dubio 55. numer.18. Diana 4. part. tractat.4. resolution.156.* licet aliqui contrariam sententiam probabilem etiam esse putent: quia si Papa in citata Extrauagante voluisset quælibet officia spiritualis regiminis complecti, clarius locutus fuisset in illa, & ideò cum in materia pœnalia versemur, verba non sunt interpretatione amplianda, sed potiùs restringenda. Vnde in materia pœnali non valet argumentum à pari, vel à minori ad majus, sed proprietati verborum standum est. Ita Azoris *3. par. lib.12. cap.21. quæst.6. Bonacina de Simonia, disput.1. quæst.7. §.2. num.4. Conar. regul. peccatum par.2. §.8. Less. c. numer.138.* & alij. Sed à prima sententia non est recedendum. *Qui* verò beneficium per talem simoniam acquirit, *Primò*, est ipso facto excommunicatus. *Secundò*, omnis prouisio & collatio huiusmodi est nulla, nullumque ius tribuit: tamen electio non est irrita, si simonia pro institutione committatur. *Tertiò*, fit inhabilis ad idem beneficium obtinendũ, & si simonia sit publica & deducta ad forum externum, per solum Papam hæc inhabilitas tollitur. *C. nobis fuit. de simonia. C. penultim. de electione.* Si verò sit occulta, censent Henriques *de excomm. cap.56.* Lessius, & quidam alij, tolli posse per Episcopum; tum quia nullo iure reseruatur Pontifici: tum quia etiamsi reseruata esset, non tamen Episcopis, vt patet ex Concil. Tridentin. *sess.24. cap.6.* Sub nomine enim suspensionis vel irregularitatis, vel casus occulti comprehenditur. Idem dicendum de inhabilitate incursa propter simoniam confidentiæ, si occulta fuerit. *Less. l. 2.c.35.n.140.*

An verò tolli possit hæc inhabilitas à confessarijs ordinis Mendicantium, examinato priuilegio Sixti IV. videtur dicendum quòd sic: *Compend. priuileg. Mendicant. titul. Absolutio quoad sæcular.§.10. Redr. tom.1. qq.quæst.61. art.3.* concedit enim Sixtus IV. facultatem non solùm absoluendi ab excommunicatione, sed etiam suspensione, interdicto, & dispensandi in irregularitate quacumque similiter reseruatis Ordinario. Ita noster Crouset *ad cap.7. reg. Minorum sect.28.* Qui ex *Sanches de matrimon. lib.9. disp.30. Molin. tom.1. tract.2. disput.96. Nauar. in Extrau. Gregor.13. de datis pro iubilæo*, docet probabilissimum esse, vt incurra-

curratur inhabilitas illa ad beneficia, necessariam esse iudicis sententiam, quia est pœna licet priuatiua: & secundum hoc in casib. simoniæ occultæ non esset opus dispensatione, per quam re habilitaretur, qui simoniacè etiam intrusus fuit ad aliquod beneficiũ, vt illud retineat, vel aliud obtineat. *Quartò*, Regula de triennali possessore non prodest simoniacè ingressis in beneficium, sicut nec intrusis. *quintò*, mediatores in simonia beneficij et ordinis, incurrunt pœnam excommunicationis ipso facto, si ad executionẽ vtrimque ventum fuerit. *Less. cit. numer.* 140. 141. *Syluius cit. concl.* 4.

3. *Simonia realis* circa religionis ingressum. *Primò*, singularibus personis tam dantibus, quàm accipientibus inducit excommunicationem. *Secundò*, conuentui, seu capitulo, si consenserint in hanc simoniam, suspensionem; tamen hæc censura non habet locum in dote quæ datur monasterijs fœminarum: *Vrban. 4. in c. sane, de simon. Bonac. de simonia, d.* 1. *q.* 7. *§.* 4. *Suar. c.* 56. *num.* 7. *Sylu. c. concl. c. Crouf. c. sect.* 7. *fol.* 745. Ita statuit *Martinus V.* imò consuetudo illa exigendæ dotis non pro ingressu religionis, sed pro alimentis monialis, passim permittitur tamquam licita, maximè si monasterium sit tenue. *Tertiò*, simoniacè admissi ad religionem videntur iure inhabiles ad monendum in illo monasterio, vbi sic recepti sunt, & egent dispensatione Ordinarij, vt possint acquirere ius præbendæ regularis, & vocis activæ & passivæ, non tamen sic receptus tenetur se spoliare cæterorum commodis, nisi per Superiorem compellatur aliud monasterium ingredi. *C.* 1. *de regular. Nauar. consil.* 4. *de regul. n.* 25. *Suar. cap.* 61. *numer.* 7.

Notandum tamen est, licet simonia committi possit dando aliquid pro ingressu seu receptione ad habitum: pœnæ tamen iuris non incurruntur, nisi professio subsequatur, antequam simoniaca pactio retractetur, vel pretium restituatur: quia cùm talis pactio principaliter ordinetur ad suscipiẽdam professionem; eà nõ secutà, non censetur perfectè consummata simonia. Filliuc. *c. cap.* 13. *n.* 11. *Regin. l.* 23. *n.* 173. *Suar. c. c.* 56. *n.* 7.

4. *Simonia confidentia* externa erit & pœnas iuris inferet, si alicui beneficium aliqua ratione procures cum pacto, vt is qui beneficium illud acceperus est, illud idem tibi, vel alteri aliquando resignet, aut vt pensionem ex eo vel fructus aliquos alteri præstet: *Pius* 3. *Romanum Pontificem, Pius* 5. *Intolerabilis. Apud Nauar.* 23. *n.* 109. 110. *Vgol. tab.* 1. *c.* 22. *Laym. c.* §. 8. *præterea* simonia confidentiæ est admittere in beneficiorum resignatione præsentatione, & collatione quasdam retrocessiones, quas vocant, *accessus, regressus, & ingressus*, quibus significantur iura quædam accedendi, regrediendi, & ingrediendi ad beneficium ex vna parte, & onera beneficij seu beneficiarij ex altera parte. *Accessum* enim dicat habere ad beneficium, si prælatus mihi cupiat prouisum de beneficium (sum nepos ipsius) sed quia per ætatem sum incapax, confert alteri, concesso mihi iure, vt quam primum iustã ætatem attigero, propria auctoritate possim ad beneficium illud accedere. *Regressum* ad beneficium dicar habere, si resignem beneficium alteri reseruata mihi pensione, & iure regrediendi ad illud beneficium, si resignatarius præmoriatur, aut fiat Episcopus, aut si pensionem non soluerit: potest etiam fieri sine pensione. *Ingressum* dicar habere, si beneficium mihi collatum, antequam capiam eis possessionem, alteri resignem, seruato mihi iure ingrediendi possessionem huius beneficij, si ille præmoriatur, vel fiat Episcopus, vel religiosus. Quicumque ergo, vel sibi, vel alteri talia iura reseruat, seu talia onera imponit, sine expressa Papæ concessione, committit simoniam confidentialem, Vnde Concilium Tridentin. *sess.* 21. *cap.* 7. *de reformat* valde improbat istas retrocessiones, tamquam referentes imaginem quãdam successionis hæreditariæ, & tamquam sacris canonibus contrarias.

Ex dictis collige simoniam confidentialem esse tantùm contra ius Ecclesiasticum: quia hi omnes modi licitè reipla exerceri possunt, etiam cum pacto externo, si annuat Pontifex, & debitæ circumstantiæ adsint. Hæc *simonia confidentia, primo* infert excommunicationem Papalẽ vtrique parti contrahenti. *Secundò*, priuationem beneficij. *Tertiò*, priuationem reliquorum ante obtentorum beneficiorum & pensionum; non tenetur tamen dimittere ante sententiam. *Quartò*, inhabilitatem ad idem beneficium & ad cætera omnia. *Quintò*, omnia beneficia collata & accepta in confidentiam simoniacam reseruata sunt Sedi Apostolicæ, & proinde ordinarius collator non potest ea conferre. *Aduerte* tamen ad pœnas istas incurrendas necessarium esse, vt simonia confidentialis opere impleta sit dato & accepto beneficio, licet accipiens vicissim suam promissionem non impleuerit, v. g. pensionem nondum soluerit. Ita *Less. citat. disputation.* 26. *Sua. res capitul.* 43. *num.* 13. *Layman c. numer.* 77. 78. *Bonac. c.* 9. 7. *punct.* 1. & al j.

Vnde nulla simonia conuentionalis excepta ea quæ hìc cõfidẽtię dicitur inducit ipso facto vllas pœnas iuris positiui; si tamẽ postea hęc simoniaca pactio vtrinque in totum, vel in partem completa fuerit, incurruntur pœnæ, & retrotrahuntur ad tempus pactionis. *Filliucius tractat.* 45. *capitul.* 13. *quæst.* 5. *Syluius c. quæst.* 3. *Less. c. dub.* 27. *Graff. de simonia, cap.* 96. *num.* 10. Licet quibusdam videatur hanc retrotractionem non habere locum in foro conscientiæ, quia Canones id non statuerunt, sed solùm in foro externo, vt insinuat Nauarrus *c.* 23. *n.* 104. & docet Henriques *de Excom. c.* 19.

Proinde multi doctissimi viri arbitrantur dictas bullas *Pij IV.* & *Pij Quinti*, non esse vsu receptas in Germania. *Si* enim in Germania Concilium Tridentinum, vt plurimùm non est vsu receptum, multò minùs eiusmodi Bullæ. Et certè Emanuel Sa *verbo Simonia*, expressè docet, quòd Bulla *Pij Quinti*, qua simoniacè adeptus officium, aut beneficium priuatur ipso iure, fitque inhabilis ad alia, intelligitur in foro exteriori, ergo saltem in foro conscientiæ adeptus taliter beneficium, quamuis non acquirat beneficium illud, pro quo habendo commissa est simonia, ac proinde ipso priuari non possit, quia nullus dicitur priuari re ad quam nullum habet ius, alijs tamen antea validè habitis, quibus etiam priuatur per Bullam Pij simoniacus confidentiarius, non censetur priuatus in foro interiori nec inhabilis ad alia, nisi in foro exteriori. Immo *Lessius libro secundo, capitul.* 35. *dubio* 26. hanc inhabilitatem ad alia beneficia solùm locum habere post sententiam declaratoriam criminis dicit quosdam docere, & ita putat vsu receptum; allegans Sanches *de matr. l.* 9. *disp.* 30.

5. Communis sententia est, excommunicationem, quæ contra simoniacos in ordine, & beneficio imposita est, incurri non solùm ob simoniam iuris diuini, & naturalis, verùm etiam ob simoniam iuris humani, vt est permutatio beneficiorum inter duos beneficiarios facta propria auctoritate, reseruatio pensionis sine auctoritate Papæ, promissio beneficij pro suffragio in electione ad Episcopatum &c. Ratio est, quia simonia iure solùm Canonico prohibita, est vera simonia; ergo afficitur pœnis contra simoniam generaliter latis: vnde iura sub eadem voce insequuntur, tam simoniam iure Canonico prohibitam, quàm iuri diuino contrariam, vt patet ex *C. cùm olim, C. quæsitum, de rerum permutation.* Ita *Malder. 2. 2. tract.* 9. *cap.* 3. *dubio* 18. *Valent. to.* 3. *quæstion.* 16. *puncto* 6 *Filliuc. tomo* 3. *trac.* 45. *capitul.* 13. *quæstion.* 3. *Nauar. in capitul. si quando de rescript. Suares de simonia libr.* 4. *capitulo* 56. *numero* 28. Nihilominus contraria sententia, nempe pœnas simoniæ non incurri in casu quo adest tantùm simonia iuris positiui, & humani, mihi probabilis etiam videtur, sicut vita est. *Lessius libro secundo, capitul.* 35. *dubio* 25. *numero* 141. *Reginald. libro* 23. *capit.* 12. *numer.* 184. *Diana parte* 4. *trac.* 4. *resolution.* 155. & quam tenent Arragon. 2. 2. *quæstion.* 100. *articul.* 6. *Petr. Nauarra de restitution. libro secundo, capitul.* 2. *numer.* 436. & alij. Vnde secundum hanc sententiam: licèt in prædictis casibus sic facientes peccent, non tamen sunt excommunicati, nec priuantur beneficijs sic receptis ipso iure, nec tenentur fructus restituere.

Sed rogabis, an confessarij Ordinum mendicantium possint absoluere à quacunque simonia, eique annexa excommunicatione: etiamsi simonia illa commissa esset in ordine conferendo, aut suscipiendo? Respondet noster Crousers *ad capitul.* 7. *regul. Sanct. Francisci lectio* 28. *fol.* 772. affirmatiuè; quia cùm probabile sit, illos posse absoluere ab hæresi occulta, vt diximus supra *verbo Hæresis, numero* 18. possunt quoque & à reliquis Papæ reseruatis, iuxta regulam iuris: *Cui licet maius, licet & minus*. Nec obstat, quòd *Sixtus Quintus*, simoniam in ordine commissam tam strictè reseruarit, vt nec ab illis absolui possit, qui facultatem habent in casus Bullæ Cœnæ, aut in casum hæresis, siue per priuilegia, siue per Tridentinum: quia Pontifices eum secuti, sæpius declararunt, eum qui potest ab hæresi absoluere, cùm sit casus omnium sententia maximè reseruatus, potest etiam à qualibet simonia, & quibusuis alijs casibus Papalibus. poteritque consequenter tollere suspensionem à simoniaco, excommunicationi annexam, vel in ea inclusam. Ita ille. Cuius sententia à Sacra Congregatione Eminentissim. Card. anno 1629. tolerata fuit.

An au-

An autem prælati regulares possint suos subditos absoluere à simonia etiam commissa in susceptione Ordinum, vide supra v. *Abbas, num.* 8. §. 2. & nouissimè Lezanam *tom.* 5. *Sum. in mare magnum Mssimorum nu.* 101.

SIMONIA VII.

De obligatione restituendi simoniacè accepta.

SVMMARIVM.

1. *An iure diuino pretium acceptum pro re spirituali restituendum sit, etiamsi res spiritualis nondum tradita sit? Et an ante iudicis sententiam sit restituendum?* refertur duplex sententia.
2. *An pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum obnoxium sit restitutioni iure naturali diuino?* refertur duplex sententia.
3. *An res spiritualis per simoniam acquisita, sit iure diuino restituenda?* refertur duplex sententia.
4. *An iure Ecclesiastico res spiritualis simoniacè acceptata, sit restituenda, si non sit beneficium?*

1. PRetium acceptum pro re spirituali restituendum est iure diuino, etiamsi res spiritualis, nondum tradita sit: & hæc restitutio debet fieri illi qui tradidit, nam is adhuc retinet ius ad illud, cùm non donauerit, nec habuerit intentionem transferendi illud in accipientem, sed sub conditione & ex pacto oneroso: *Suarez lib.* 4. *de simonia, c.* 59. *num.* 2. *Nau. c.* 23. *num.* 103. *Less. lib.* 2. *cap.* 35. *nu.* 170. *Victoria de simon. p.* 2. *nu.* 6. quidquid nonnulli Doctores in contrarium sentiant, quibus adhæret *Azorius*, negãtes restitutionem faciendam esse tradenti, sed Ecclesiæ. *Si verò*, beneficium sit traditum: ita vt vtrimque simonia sit completa, quidam putant pretium acceptum in hoc casu ante sententiam iudicis esse restituendum ei qui dedit, post sententiam verò cui iudex adiixerit: *Ita Sotus lib.* 9. *q.* 8. *art.* 1. *Bannes* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *Less. c. n.* 171. & multi alij recentiores huius temporis: quia is qui pretium dedit, non amisit pretij dominium: hæc sententia non est improbabilis. *Contraria* tamen, quæ est, etiam ante sententiam iudicis pretium istud esse restituendum Ecclesiæ, est multò probabilior & verior? quia ordinariè non est iudex, qui Episcopos de his condemnet, & contra mentem Ecclesiæ est; vt restituatur danti, quia Ecclesia intendit vtrumque punire. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 32. *art.* 7. *Conar. reg. peccatum p.* 2. §. 2. *Bonac. c. q.* 7. *p.* 3. *diff.* 1. *num.* 19. *Syln. c. art.* 6. *qua.* 2.

2. Pretium simoniacè, sed non iniustè acceptum non est obnoxium restitutioni iure naturali diuino; *Suar. cap.* 59. *n.* 35. *Laymann. l.* 4. *tr.* 10. *c.* 8. § 9. *Valen. de simonia p.* 6. *Less. c. d.* 28. *num.* 162. quia obligatio restituendi ob delictum, non consurgit ex quolibet delicto, sed ex peccato iniustitiæ; sed simonia non est iniustitia, sed irreligiositas. Ergo. Pretium verò simoniacè simul & iniustè acceptum, videlicet pro re spirituali, est restituẽdum, tum ex iure naturali diuino; quia ex violatione iustitiæ commutatiuæ oritur obligatio restituendi; tum quia accipiens aliquid supra id quod sibi debetur, peccat contra iustitiam. & tenetur ad restitutionem: sed accipiens pretium pro re spirituali, accipit aliquid supra id quod sibi debetur, ergo. *Nau. c. num.* 103. *Sylues. verb. simon. q.* 20. *Cajet. v. simon. sub finem.* tamen tenent simoniacum... non teneri ex natura rei ad restitutionem pretij accepti pro re spirituali.

3. Quidam Doctores sentiunt rem spiritualem per simoniam acquisitam, esse iure diuino dimittendam. *Adrian. quodlib.* 9 *a.* 3. Sed communis ferè sententia Doctorum est, non teneri iure diuino resignare: beneficium enim de quo potissimùm est difficultas, validè collatum fuit, nam in collatore fuit potestas & voluntas transferendi beneficij, v.g. in Petrum, & Petrus fuit capax & habuit voluntatem acceptandi. *Nau. c.* 23. *n.* 103. *Con. reg. peccatũ par.* 2. §. 2.

4. Iure autem Ecclesiastico, res spiritualis simoniacè accepta, non est restituenda, nisi sit beneficium Ecclesiasticum: sub beneficio autem pensio spiritualis comprehenditur, quia videtur eadem ratio: *Pius V. in Extravag. cum detestabile. Less. c. dub.* 30. *Laym. c. nu.* 85. Cætera autem spiritualia, vel dimitti non possũt, vt sunt sacramenta, nisi quoad vsum, vt in ordinibus: vel non sunt dimittenda ante sententiam: Tamen quod ad pretium attinet, illud iure positiuo restituendum est. *Hæc de Simonia satis*, plura apud *Suarez, Fillucium, & Bonacinam* tractatib. de Simonia.

SOCIETAS.

De contractu Societatis.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit contractus Societatis, & quæ requirantur ad illum?*
2. *Multiplex Societas recensetur.*
3. *Quibus modis contrahatur Societas? & quando hic contractus sit licitus?*
4. *An contractui societatis possint iustè adnecti alij duo: videlicet assecuratio capitalis, & locatio fructuum, & lucrorum pretio conuenienti?*
5. *Quæ conditiones requirantur ad societatem animalium?*
6. *Quando illicitus & iniquus sit contractus societatis animalium?*
7. *Quando damna, quæ patitur socius debeant esse communia, quando non?*
8. *An expensa, quæ non superfluè fiunt à socio apponente industriã, faciendæ sint ex communi pecunia societatis? Et an expensis factis à socio in tuenda causa societatis, detrahendum sit quod socius domi insumpsisset?* refertur duplex sententia.
9. *An eleemosyna moderata quas fecit socius apponens industriã, soluenda sint ex communibus lucris, si fiant in tuitu felicis exitus societatis?*
10. *An quando pro conseruatione mercium, vel capitalis, vel acquisitione lucri faciendæ sunt aliquæ expensæ, nec potest extrahi pecunia ex societate ad eas expensas faciendas, teneatur socius ex iustitia eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab aliis petere pecuniam?*

1. SOcietas hìc, *conuentio est duorum aut plurium facta ad conferendum aliquid in vsum, vel quæstum communem. Ex ff. & C. pro socio, instit. de societate. Regin. l.* 25. *c.* 27. *nu.* 372. *Less. l.* 2. *c.* 25. *dub.* 1. *Fill. tr.* 28. *nu.* 2. *Bonac. de contr. d.* 3. *q.* 6. *p.* 2. *n.* 3. *Syln.* 2. 2. *q.* 78. *ar.* 2. Ad hunc contractum quatuor potissimum requirũtur. *Primum*, vt singuli socij aliquid conferant in commune, siue pecuniam, siue operam & industriam, siue instrumenta, vt nauim, equos, & huiusmodi, siue animalia, siue alia bona, alioquin si nihil conferrent, non possent licitè esse participes lucri & commodi, quod fit ex societate. *Secundum*, vt id quod à singulis socijs collatum fuerit eo animo, vt sit commune, statim cedat in dominium singulorum, ita vt quilibet socius sit Dominus totius sortis partialiter, vt pro dimidia, si duo socij sint & æquè contulerint; pro tertia vel quarta, si tres, vel quatuor, vel iuxtà partem quam quisque contulit in commune. *Tertium*, vt lucrum & damnum commune sit quantum est ex vi societatis. *Quartum*, vt fiat diuisio lucri secundùm proportionem sortis collatæ à singulis, nisi aliter conuentum fuerit.

2. *Multiplex* est societas: *alia* est omnium bonorum; *alia* negotiationis, cùm duo, vel plures ex negotiatione lucrum quærũt. Tertiò, *alia* artis, cùm vnus ex socijs exercet artem, & habet cõmunia cum socio damna & lucra vna cum impensis: verum hęc vix differt à priore nam hæc etiam negotiatio quædam est ad lucrum. Quartò, *alia* animalium siue maiorum, vt boum, equorum &c. siue minorum, vt pecorum, caprarum, & huiusmodi. Quintò *alia* officiorum, cùm quis officio fungitur; & alios sibi socios adiungit, quibus communicat fructus ex officio: Sextò, *alia* est viri & vxoris, *alia* fratrum inter se. Molin. *disp.* 412. *Fill. tr.* 3. *n.* 9. *Azor.* 3. *p. l.* 9. *c.* 1.

3. *Societas*, varijs modis contrahitur. *Primò*, ex parte finis; sic contrahitur ad vsum tantùm, aliquando ad lucrum tantùm, vt in negotiatione, aliquando ad vtrumque, vt in matrimonio. *secundò*, ex parte materiæ, & sic contrahitur societas omnium bonorũ, vel lucrorum duntaxat, vel denique certæ alicuius partis bonorum, vel certæ negotiationis. *Tertiò*, ex parte temporis, alia enim contrahitur ad vitam, alia ad certum tempus, alia vsque ad finem certi negotij. Filliucius *c. num.* 10. *Lessius c. dub.* 1. *Molin. c. disput.* 412. *Nau. c.* 17. *nu.* 255. *Toler. lib.* 5. *c.* 41. *Contractus* Societatis licitus est, seruatis duobus. *Primum* est, vt quisque sit expositus periculo perdendi suum capitale, verbi gratia, qui pecuniam exponit, si fortè pereat, suo damno pereat, qui ponit laborem & industriam,

ſtriam, ſi caſu nihil lucri obueniat, laborem perdat; ſalua pecunia alterius. *Aliorum* eſt, vt in lucro diuidendo computetur quantũ valeat labor & induſtria, & quantum etiam periculum hoc valeat quòd labor & induſtria ſemper perdatur, dum nihil eſt lucri, at pecunia, non item ſalua manere poteſt.

4. Secundùm communiorem ſententiam, contractui ſocietatis poſſunt iuſtè adnecti alij duo, puta, aſſecuratio quædam capitalis, ſicut enim vnus poteſt capitalis aſſecurationem cum tertio facere, ita poteſt cum ſocio, dato iuſto aſſecurationis pretio; poteſt etiam locare fructus & lucrum pretio conuenienti, vel aſſecurationem lucri facere: & hac ratione poſſunt excuſari viduæ, pupilli, & alij qui tradunt ſuas pecunias mercatoribus cum pacto, vt accipiant quinque pro centum ſaluo capitali; *Valent.* 2.2. *d.*5.*q.*24.*p.*2.*&* *q.*25.*p.*2. *Nau.c.*17.*nu.*256. *Leſſ.cit.dub.*3. *Tolet.c.* *n.*3. *Regin.l.*25.*n.*397.*&* 400. *Pill.c.n.*53. 57. *Mol. d.*417. *num.*8. *Diana tr.de contract.ref.*30. *p.*1. *Mald.*2.2.*tract.*5.*c.*2. *dub.*9. neque obſtat bulla Sixti V. quæ incipit: *Deteſtabilis auaritia*, in qua damnatur ſocietas facta cum aſſecuratione capitalis: nam illa bulla videtur intelligenda de ſocietate facta cum aſſecuratione, non compenſato onere, iuſto pretio; vel de Societate, in quâ non admiſceatur alius iuſtus contractus. Datur autem pro dicta aſſecuratione pars lucri incerti, quæ iudicio prudentis omnibus ſpectatis vendatur iuſta: vel remittitur aliquid de lucro certo, quod alioqui haberet ſi non iniret contractum aſſecurationis, ſed tantùm tertium vẽditionis lucri incerti pro certo, quod certe maius eſſet, quàm ſi præterea etiam contractus aſſecurationis celebretur. Nec eſt neceſſe, vt hi tres contractus expreſsè ſemper fiant, ſufficit enim contrahentes implicitè illos intendant per vnicum contractum expreſſum, vt ſi quis hoc modo cum mercatore contraheret: confero centum ad ſocietatem, vt quotannis ſoluas quinque, ſalua ſorte, eo modo, quo Doctores docent eſſe licitum; vel intendo accipere lucrum eo titulo, quo conſuetum eſt paſſim ab alijs accipi: vel intendo contrahere iuxta morem receptum.

Negari tamen non poteſt, eſſe tutiorem ſententiam illorum, qui docent eum, qui confert pecuniam in ſocietatem, non poſſe per eundem ſocium aſſecurari, & de ſorte, & de lucro, quamuis inter contractum ſocietatis intercederent alij duo, nimirum aſſecurationis capitalis, & venditionis lucri ſperati pro certo, lucro minore: quia dum hi contractus ſiue ſimul, ſiue ſucceſſiuè ineuntur cum vno & eodem ſocio, reuera deſtruitur ſocietas, & definit in mutuum. Qui enim, verbi gratia, vni tradit mille aureos, & eidem pro illorum aſſecuratione numerat quinquaginta, paciſcitur que de lucro ſexaginta; quid aliud facit, quam mutuare mille quinquaginta, vt recipiat mille ſexaginta? Ita Syluius 2.2.*q.*78. *art.*2. cuius ſententiæ adhærent *Sotus lib.*6. *de iuſt.q.*6.*art.*2. *Bannes* 2.2. *q.*78. *art.*4 *Azor.*3.*p.l.*9. *cap.*3.*quæſt.* 5.*&* 6. *Arrag.*2.2.*q.*77. *ar.*2. *Rebell.l.*15.*q.*4. & alij apud Dianam citatum. Et huic reſolutioni conſentiunt quæ decreta ſunt in ſynodis Prouincialibus Cameracenſi anno 1586. *tit.*23.*c.*4. Mechlinienſi anno 1570. atque etiam in Diœcetanis Audomarenſi anno 1583. *tit.*11.*c.*1. Iprenſi anno 1577. *tit.*30. *c.*4. Ne quis tutor, aut curator pupillorum aut pupillarum, ſub prætextu augmentãdi patrimonij ipſorum pecunias earum ſub certo lucro ſingulis annis vltra ſortem recipiendo det mutuo, retenta facultate recipiendæ ſortis, quando ad maiorem ætatem peruenerint, aut matrimonium contraxerint, aut aliàs ad illorum voluntatem & arbitrium. Simul autem declarant illæ Synodi omnes huiuſmodi contractus eſſe vſurarios, & contra ſic mutuantes, tamquam contra vſurarios procedendum. *Philippus* quoque ſecundus Rex in diplomate ſuper executione dictæ Synodi Prouincialis Cameracen. artic. 21. declarat tales contractus eſſe nullos. Et ſimiliter Octauius Epiſcopus Tricaricenſis in directorio Colonienſibus ſcripto, tit. de vſuris, vt refert Syluius *in additionibus ad Bonifacij compendium c.*22.*p.*3. Nihilominus cùm praxis hac in re ſic inualuerit vt paſſim contractum etiam timoratæ conſcientiæ viri agere videantur ſine ſcrupulo iniuſtitiæ, in ſua fide & opinione fauorabili, quamuis minùs ſecura, relinquendi ſunt; quia ſaltem ratione bonæ fidei ſunt ſolùm in ſtatu materialis peccati & iniuſtitiæ; tum quia ex monitione frequenter non ſequitur fructus, ſed potius tumultus & conſcientiarum inuolucrum. Tum quia taliter deponentes pecuniam poſſunt probabiliter excuſari per cenſum vtrimque redimibilem, qui à multis doctiſſimis Theologis defenditur, & toleratur, vt videre eſt ſupra verbo *Cenſus nu.* 13.*&* 14. & infrà verbo *Vſura III. num.*9. Addo nec deeſſe grauia pericula pecuniam ſuam ſic in ſocietate ad negotiationem danti, etiam ſaluo illo lucro & capitali; Cùm ſæpe contingat ſocietatem diſſipari, ſocios depauperari, cedere foro, impotentes fieri ad reſtituendum &c. Et ex alia parte priuat quis ſe ſua pecunia, quam in certioribus contractibus, & negotiationibus vt emptionibus agrorum & cenſuum, poſſet impendere. His enim omnibus periculis ſuam pecuniam exponere cenſetur, quæ omnia cùm abilia ſunt.

Ad rationem autem Syluij, & aliorum reſpondent Aduerſarij, negando hunc contractum eſſe mutuum: Eſt enim formalis cõcurſus ad negotiationem per pecuniam non mutuatam, ſed collatam, dominio ipſius penes conferentem remanente: & virtualis negotiatio, quam ſua pecunia mediante aliena induſtria inẽdit, & intentio eius non fertur in lucrum propter mutuum aliquod, ſed propter veram fructificationem, quam ſua pecunia mediante in negotiatione facit.

Iuxta hanc rationem, inquit Leſſius *lib.*2.*cap.*20.*n.*110. excuſati poſſent multi, qui pecuniam pupillarem apud homines induſtrios vel mercatores deponere ſolebant: hi enim non intendunt niſi licito modo hoc lucrum percipere: & ſi rogarentur, ex vi ſuæ conſuetudinis, & præſentis affectus, idipſum reſponderent, ſcilicet, ſe velle lucrari omni modo meliore, quo poſſunt. Itaque non auſim hos cogere ad reſtitutionem, quamquam putem non permittendum, vt quis in poſterum ſic contrahat abſque expreſſo titulo ob quem lucrum petat.

5. Ad *Societatem* animalium tres conditiones requiruntur. *Azor.c.cap.*7.*&* 8. *Bonac.c.q.*6.*p.*3.*nu.*2. *Fill.n.nu.*86.*&* *ſeq. Regin. c.num.*401. *Tolet.cit.n.*4. *Prima*, vt vnuſquiſque ſociorum aliquid conferat in ſocietatem: ſiue conferat animalia, ſiue cuſtodiam, ſiue induſtriam. hæc enim eſt natura ſocietatis, vt quiſque ſociorum aliquid conferat in commune. *Secunda*, vt ſeruetur æqualitas, ita vt damna, expenſæ, & lucra prouenientia ex cauſa ſocietatis ſint communia, prout aliquis plus, vel minus in ſocietatem cõtulit. *Tertia*, vt animalia ſint periculo apponentis, ita vt ſi pereant, pereant apponenti: nam apponens eſt Dominus, res autem Domino perit: hoc tamen intelligitur, niſi periculum animalium in totum vel in partem in alterum reiectum ſit, poteſt enim periculum in alterum reijci facta grauaminis compenſatione.

6. *Illicitus* & iniquus eſt *contractus* ſocietatis, quo quis tradit animalia paſtori cum pacto, vt ea cuſtodiat & paſcat, & ſemper ſeruentur in eodem numero, ita vt ſi aliqua pereant, compleatur numerus ex fœtibus, & paſtor in fine anni tertium ſingulorum accipiat dimidiam partem reliquorum ſeruum, *Syneſtr. ver. ſocietas* 2.*q.*9. *Regin.c.num.*404. *Fill.c.n.*101. *Azor.c.c.*7.*q.*12. & ratio eſt quia contractui deeſſe videtur æqualitas, ſi paſtoris induſtria pluris æſtimetur, quàm valeat numerus animalium ipſi conſtitutus & aſſignatur; ſecus ſi non pluris ipſius opera & induſtria æſtimetur. *Similiter* illicita videtur ſocietas, qua quis tradit alteri animalia hoc pacto, vt ſi pereant, æqualiter pereant apponenti et recipienti, ſi verò non pereant, capitale detur apponenti, fructus verò æqualiter diuidantur; tum quia non ſeruatur æqualitas: quia ſors ſtare debet periculo apponentis. Nec ſi alter ſocius periculum ſortis in ſe ſuſceperit per contractum aſſecurationis, aut niſi apponens animalia fecerit alterum ſocium condominum animalium. *Azor.c.c.*7.*q.*10. *Bonacina c.n.*5. *Fill.c.n.*102.

7. *Damna* quæ patitur ſocius ex cauſa proxima ſocietatis, debent eſſe communia, modò non euenerint ex leui culpa ſocij, *L. Cum duobus*, §. *quidam ſagarium. ff. pro ſocio. Molin. diſp.*418. *nu.* 5.6.7. *Reginal. lib.*25. *num.*394. *Laym. l.*3. *ſect.*5. *tract* 4. *cap.*20. *nu.* 5. *Leſſ.c. dub.*4. *Fill.cit.n.*14. quia lucra, quæ proueniunt cauſa ſocietatis, ſunt communia; ergo etiam damna: damna verò propria, quæ ſocius tantùm ex occaſione ſocietatis patitur, non debent eſſe communia, quia hoc nullo iure conſtat: & ſicut lucra quæ nõ ex cauſa, ſed ex occaſione ſocietatis prouenium, non ſunt communia, ita neque damna: propterea ſocius tenetur de leui conſulere ſocietati, cùm ſocietatis contractus reſpiciat commune cõmodum. Per *leuem culpam*, in hoc contractu iura intelligunt eam, quâ quis omittit eam diligentiam adhibere in rebus ſocietatis, quam adhibuiſſet in rebus ſuis proprijs, aut certè æquum eſſet, vt adhiberet.

8. Expenſæ, quæ non ſuperfluè fiunt à ſocio apponente induſtriam, faciendæ ſunt ex communi pecunia ſocietatis, niſi aliter conuentum ſit inter ſocios, aut aliter lege cautum ſit, vel conſuetudine receptum. *Molin.c.diſp.*418. *Reginald. lib.*25. *numer.*395. *Sylueſt. v. Societas* 1. *quæſt.*12. An autem expenſis factis à ſocio in itinere cauſa ſocietatis, detrahendum ſit quod ſocius domi inſumpſiſſet, quidam Doctores affirmant, quia ſocietas ſolùm tenetur præſtare ſumptus, in quibus damnificatus eſt ſocius cauſa ſocietatis, cùm autem non ſit damnificatus in ſumptibus,

quos

quos domi fecisset, sequitur illos esse detrahendos. *Angel. ver. societas 1. nu. 12. P. Nauar. lib. 3. cap. 2. nu. 465. Sylvest. c.* Sed alij magis accommodatè ad iura & praxim contrarium edocent, scilicet, huiusmodi expensas pertinere ad societatem, modò aliter non sit conuentum inter partes, vel non adsit consuetudo in contrarium. *Nauarr. cap. 17. num. 283. Reginald. c. num. 395. Lessius c. dub. 4. num. 35.*

9. *Eleemosynas* quas facit socius apponens industriam, si moderatæ, & discretæ sint, fiantque intuitu felicis exitus societatis, soluendæ sunt ex communibus lucris, quia socius potest absque licentia sociorum eas expensas facere, quas iudicauerit expedire ad societatis augmentum, sed ad id inter alia media vnum est diuinum auxilium, quod per eleemosynas impetratur. Ergo. *Rodriques 1. part. cap. 47. Bonacina cit. part. 4. num. 4. P. Nauar. cit. nu. 467.* & alij.

10. Secundùm probabiliorem sententiam, quando pro conseruatione mercium vel capitalis, vel acquisitione lucri, faciendæ sunt aliquæ expensæ, nec potest extrahi pecunia ex societate ad eas expensas faciendas, tenetur socius non solùm ex charitate, verùm etiam ex iustitia, eas facere ex propria pecunia, aut mutuo ab alijs petere pecuniam ad eas faciendas: quia socius ratione contractus societatis tenetur eam diligentiam exhibere, quam adhiberet circa res proprias, sed pro conseruandis rebus proprijs acciperet propriam pecuniam, vel ab alijs mutuo peteret, ergo: Verùm est tamen ipsi competere ius repetendi à socijs quod impensit, cum vtiliter gesserit societatis negotium. *Molina cit. d. 418. Regin. c. num. 395. Filliuc. tr. 38. nu. 78. Lessius c. n. 36. Salon. 4. de societate, contro. 3. n. 27.*

SPES THEOLOGICA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit spes?*
2. *An spes sit infallibilis, & certa?*
3. *Quando præceptum spei affirmatiuum obliget?*
4. *An præceptum spei, negatiuum obliget semper & ad semper? & qua peccata aduersantur spei secundùm excessum.*
5. *An desperatio opponatur virtuti spei secundùm defectum? & an peccata contra spem sint semper mortalia ex parte materiæ?*

1. SPes est, *virtus Theologica diuinitus infusa, per quam certò expectamus futuram beatitudinem per merita ex diuina gratia promanentia*: dicitur autem *spes virtus Theologica*, quia versatur circa Deum tamquam circa obiectum, sicut fides, et charitas circa eumdem versantur: infunditurque à Deo solo in voluntatem nostram, in qua est sicut in proprio subiecto: cupere enim, & expectare bona futura, & absentia, est solius voluntatis. *Beatitudo* autem, quam speramus, est visio, & fruitio Dei, quam non possumus nostris viribus assequi, sed cum diuino adiutorio, Ideò sperans beatitudinem aut remissionem peccatorum, vt viribus naturæ, vel absque diuino auxilio obtinendam, aut principaliter ope creaturę, committit peccatum præsumptionis, quod est vitium cõtrarium, & destructiuum habitus spei: peccatum enim præsumptionis contingit quando quis sperat aliquid eo modo, quo non fit, aut fieri non potest. *D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 5. Regin. lib. 17. nu. 75. Filliuc. tr. 22. num. 244. Layman lib. 2. tract. 2. cap. 1. Vasq. par. 2. disp. 15. num. 18. Syluius 2. 2. q. 17. art. 1. & 5.* & alij.

2. *Spes*, absolutè loquendo, est infallibilis, & certa, vt patet ex multis scripturæ locis; quia eius certitudo innititur fidei, & his duobus principijs; *Alterum*, quòd Beatitudo, hoc est, Dei visio, est nobis possibilis, cum diuina gratia: *Alterum*, quòd si bene vtamur gratia Dei vsque in finem, infallibiliter illam consequemur. Per accidens tamen ex parte nostri potest esse incerta, & fallax, quia spes respicit etiam nostram cooperationem, et merita: vnde cùm Deus hominis adulti cooperationem ac merita exigat, vt vita æterna non sit tantùm gratia, sed etiam merces, & corona iustitiæ; hinc consequens est, quòd licet spes in seipsa non sit fallax, ex parte tamen nostri erit, & ideò eius certitudo, seu infallibilis expectatio beatitudinis, nõ est absoluta, quia spes, & expectatio nostra tanquam fundamento nititur promissione Dei, quæ nobis facta non est absolutè, sed conditionate. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. D. Thomas, 2. 2. quæst. 18. ar. 4. Sylvius ibid. Fill. tract. 22. num. 248. 249. Laym. c. nu. 8.* & alij.

3. Præceptum spei affirmatiuum per se obligat, quando quis grauiter vexatur tentationibus contra spem, & existit in periculo desperationis, nisi muniat se actibus spei; quia quilibet tenetur ex præcepto spei ea media adhibere quæ necessaria sunt ad non desperandum: sed medium necessarium ad non desperandum, dum ingruunt tentationes contra spem, est actus spei, ergo. *Per accidens* obligatur etiam quis ad eliciendos actus spei quando tenetur, se ad Deum conuertere, & pœnitentiam suorum peccatorum agere: cum enim non possit pœnitentiam agere nisi sperando veniam peccatorum, sit vt teneatur veniam sperare: vel cũ actus charitatis, orationis &c. in præcepto sunt, qui sine prævio actu spei exerceri non possunt. Quamuis in his casibus omissio sperandi actus non sit peccatum diuersum ab eo cuius causa est: ideoque in sacra confessione speciatim non explicandum. *Sanch. l. 2. mor. cap. 33. n. 3. Reginald. l. 17. num. 78. Filliuc. tr. 22. num. 255. Laym. c. cap. 2. nu. 2. Valen. 2. 2. disput. 2. q. 2. punct. 2. Bonac. tom. 2. d. 3. q. 3. n. 3. Dian. p. 5. tr. 14. ref. 106.*

4. Præceptum negatiuum spei obligat semper, & ad semper, quia numquam est desperandum, vel præsumendum; illud enim est commune præceptis negatiuis, vt semper, & ad semper obligent. *Quemadmodum* in virtutibus moralibus, duo vitia vni virtuti opponuntur, vnum secundum excessum, & alterum secundum defectum, verbi gratia, liberalitati, prodigalitas, & auaritia: sic etiam *Spei Theologicæ*, secundum excessum aduertatur peccatum præsumptionis, quod duplex est; *Vnum*, si quis confidat se Dei gratiam, iustitiam, aut beatitudinem æternam consecuturum ex seipso, aut naturæ suæ viribus, cùm tamen id creaturæ facultatem excedat, hæc fuit hæresis Pelagiana. *Alterum* est, si quis se remissionem peccatorum sine operibus pœnitentiæ, aut cœlestem gloriam sine propri|s meritis ex Dei gratia factis, consecuturum confidat: & fuit hic error *Luther*. Hæc præsumptio propriè est species peccati in Spiritum sanctum, quod Christus ait non remitti neque in hoc sæculo, neque in futuro; qui enim pœnitentiam, vel bonorum operum meritum excludit, impedit Deum, quo minus per Spiritum sanctum ipsi peccata remittat, vel gloriam æternam tribuat. Vide *D. Thom. 2. 2. q. 21. ar. 1. Fill. c. n. 269. Tol. lib. 7. c. 7. n. 9. Sanch. c. n. 3. Lay. c. n. 3. Az. 1. p. l. 9. c. 2. quæst. 7. Nauar. cap. 23. in fine, Suarez 3. part. tom. 4. disp. 8. sect. 1. num. 19.*

5. Secundum defectum virtuti spei opponitur desperatio, cui quis desperat se remissionem peccatorum, & gloriam æternam consecuturum esse, ideoque omnem conatum intermittit: hoc peccatum plenissimè repugnat spei, *D. Thom. c. q. 20. art. 3. Laym. cit. nu. 3. Sylu. c. q. 10. & 21. Porro*, peccata tum præsumptionis, tum desperationis licet venialia esse possint ob defectum deliberationis, sicuti, & alia omnia; semper tamen mortalia sunt ex parte materiæ, sicut & odium Dei, blasphemia, & similia: Aliquãdo etiam his peccatis addi potest peccatum hæresis, si error intellectus intercedat: vt si quis credat gratiam habendam ex solis propijs meritis, aut per solam Dei misericordiam. *Toletus lib. 4. cap. 7. nu. 5. Reginald. lib. 17. num. 88. Sanch. c. n. 8.*

SPONSALIA I.

Quid sint Sponsalia, & quæ requirantur ad illorum valorem.

SVMMARIVM.

1. *Vnde dicta sint sponsalia? & vt triplicitèr sumantur.*
2. *Quæ conditiones requirantur ad validitatem sponsaliorum? & primum de ætate contrahentium.*
3. *An parentes, tutores, curatores, & consanguinei curam gerentes infantium possint contrahere sponsalia pro filijs, qui nondum peruenerunt ad septimum annum? Et an peccent mortaliter contrahentes sponsalia ante septimum?* refertur duplex sententia.
4. *De secunda conditione ad sponsalia, quæ est promissio voluntaria.*
5. *De tertio requisito ad sponsaliorum valorem, vt promissio sit acceptata, & mutua.*
6. *De vltimo requisito ad sponsalia, vt promissi sponsalia exterius manifestentur.*
7. *De verbis quibus potest contrahi matrimonium de futuro, vel de præsenti.*

8. *An in sponsalibus quando verba habent duplicem sensum, in foro conscientiæ standum sit intentioni proferentis?*
9. *Quid agendum quando verba sunt dubia, & non constat de intentione proferentium.*

1 SPonsalia dicta sunt à *spondendo Vlpian. l. 2. ff. de sponsalibus*, mos enim erat olim vt puella nuptura promitteretur viro à parente, vel tutore, vel amicis, ideòque dicti sunt sponsi, quasi alteri promissi; sponsor qui promittebat, & contractus ipse sponsalia. *Tripliciter* autem sumuntur sponsalia. *Primo* pro promissione futuri matrimonij. *Secundo* pro matrimonio nondum cõsummato. *Tertio* pro donis quæ dabantur sponsæ à sponso: sed prima acceptio est maximè propria, vnde in legibus quoties de sponsis occurrit mentio, sumuntur primo modo, quamuis in materia fauorabili etiam nomine vxoris, & maritæ veniunt etiã sponsæ. Ita *Sanch. de matr. l. 1. d. 1. n. 1. Sylu. v. sponsalia, q. 1. Layman l. 5. tr. 10. p. 1. cap. 1. n. 1. Sylu. in suppl. q. 43 art. 1.*

2. *Conditiones requisitæ* ad validitatem sponsaliorum sunt, *Prima*, ætas conueniens. *Secunda*, promissio voluntaria. *Tertia*, promissio mutua, & acceptata. *Quarta*, vt sit aliquo signo externo sufficienter manifestata. *Gutierez de matr. cap. 4. 5. & 6.* Quod ad primam attinet secundùm dispositionem iuris. *& Innocen. C. accessit. de despons. impuber. D. Th. 3. p. q. 43. art. 2. in suppl. Sanchez cit. l. 1. d. 16. l. 9. Layman c. 1. nu. 16. Filliuc. tr. 10. nu. 257. & 258. Reginald. l. 31. nu. 247. 248.* Ætas septem annorum requiritur, tã in masculo, quàm in fœmina, ad celebranda sponsalia, quia ad promissionem, & ad contractum necessarius est vsus rationis, qui ferè semper tàm in fœminis quam in viris adesse solet in septennio: vnde inualida sunt sponsalia celebrata ante septennium, nam deficit tempus à iure requisitum, nisi forte malitia suppleat ætatem quod fit, quando ante septennium adest sufficiens vsus rationis, quo contrahentes intelligunt id quod agunt: & tunc valida sunt sponsalia in foro conscientiæ, etiamsi multo tempore ante septennium celebrentur. Sicuti & vice versa, inualida sponsalia censebuntur, quæ post legitimam septennij ætatem celebrata fuerunt, si sufficientem rationis discretionem tunc abfuisse ostendi possit; quicum de veritate constat præsumptio, quę ex ætate secundùm iuris præsumptionem sumitur, meritò cedere debet. *Ita D. Th. homin., Sanchez, & alij.*

3. Parentes, tutores, curatores, & consanguinei curam gerentes infantium possunt ex graui necessitate pro filijs, qui nondum peruenerunt ad septimum annum, contrahere sponsalia: *C. si infantes de desponsatione impuberum, in 6. Conninch d. 21. dub. 3. Sanchez cit. d. 23. n. 17. Gutierez c. 13. n. 11.* verum tamen est, vt huiusmodi sponsalia sint valida, requiritur postea consensus expressus vel tacitus filiorum, cum peruenerint ad vsum rationis, qui consensus in foro externo sufficienter præsumitur adesse, si filij taceant, & non contradicant postquam peruenerunt ad septennium scientes contracta esse sponsalia à parentibus. Secus dicendum est, quando spõsalia celebrata fuerunt ab aliquo extraneo pro filiis septennio minoribus, tunc non sufficit taciturnitas filiorum, sed vlteriùs requiritur consensus, signo aliquo expressus, aut saltem tacitus. An autem contrahentes sponsalia ante septennium peccent mortaliter? Affirmant. *Sylu. in suppl. q. 43. ar. 2. Nau. c. 22. nu. 31. Sylu. v. matrim. 5. q. 4. Henrig. lib. 11. cap. 14.* Negant *Sanch. c. d. 17. Filliuc. c. n. 259. Coninc. cit. nu. 54. Diana de sacramentis, resol. 275. p. 3.* & vtraque sententia probabilis est.

Præterea inquiri posset, an maior vsus rationis requiratur ad contrahenda sponsalia, quàm ad peccatum mortale? Affirmãt Bonac. *de matrim. quæst. 1. punct. 4. n. 4.* & alij penes ipsum. Contrariam sententiam tenent *Sanchez, Pontius, Diana trac. de sacramentis resol. 272. p. 3.* quia si ea futurorum prouidentia quam postulant *Bonac.* & alij, desideratur in contrahendis sponsalibus, incautè à iure præscriptum esset tempus septem annorum, vt incãtur sponsalia. Vide Fernandes *in exam. p. 3. cap. 17. §. 1. n. 6. Conine. de sacram. disp. 21. dub. 5. num. 49.*

4. *Secunda conditio*, ad validitatem sponsaliorum, est vt adsit promissio, non enim sufficit propositum, cùm propositum nullam inducat obligationem, *Valent. t. 4. disp. 10. q. 2. punct. 1. Filliuc. tr. 10. 1. p. c. 7. num. 238. Sylueus c. q. 43. art. 1.* vnde qui dicit, volo te accipere, habere, aut ducere in vxorem, præcisè non contrahit sponsalia, quia hæc verba non significant promissionem, sed propositum promissionis: si tamen proferens intendat verè promittere, & alter similia verba adiungeret cognoscens intentionem primi proferentis, & promittentis, illa verba sufficerent ad sponsalia: *Præterea* promissio debet esse deliberata. *Reginald. cit. nu. 246. Sanchez l. b. 1. disp. 8. & disput. 9. Bonacina de matrimon. quæst. 1. par. 1 numer. 5. Diana tract. de sacrament. resolut. 105. Sylueus c. artic. 1.* cùm enim sponsalia obligent sub mortali, requiritur deliberatio, quæ tanta esse debet, quanta sufficit ad peccatum mortale. *Debet* insuper promissio esse voluntaria, cum sponsalia inducant obligationem, & vis obligandi nascatur ex voluntate: vnde promissio facta animo ficto nullam inducit obligationem ex vi promissionis, quamuis possit eam aliunde inducere, vt ratione damni, &c. similiter promittens non tenetur ad ducendam eam, cui ex animo promisit, ignorans obligationem sequi ex promissione, immo non tenetur ducere, si sciebat quidem obligationem sequi ex promissione, sed ipse promittens expressè noluit obligari; tamen ad sponsalia non requiritur expressa voluntas se obligandi, sed sufficit tacita, & implicita.

5. *Tertio* requiritur ad sponsaliorum valorem, vt promissio sit acceptata, hæc enim regulariter non obligat antequam acceptetur. *Vasques de matrimon. disput. 3. cap. 2. nu. 21. & disp. 4. capit. 3. Layman citat. numer. 2. Sanch. citat. disputat. 5. 6. Nauarr. cap. 22. numer. 25. Henriq. libr. 11. cap. 13. Molin. tom. 2. disp. 263. Diana p. 3. tr. de sacramen. resol. 244. Sylu. c. art. 1.* habet enim hanc tacitam conditionem, si alter acceptauerit; requiritur *præterea* mutua promissio, vnde non satis est acceptatio promissionis alterius, sed requiritur repromissio: & quidem quando promissio matrimonij gratis fit vt in memoriam beneficij accepti, tunc altero acceptante promissionem, nec repromittente solus promittens obligatur: quod si diu distulerit repromittere, censetur contemnere, & ita qui promisit manebit liber ex tacita remissione: quando verò non est facta gratis, sed respectiuè, & per modum contractus onerosi, tunc necessaria est repromissio alterius ad hoc vt sit efficax, quia in contractu vltro citròque obligatorio nõ est perfectus contractus sine obligatione vtriusque partis. Sed Pontius *de matrim. lib. 12. cap. 4 n. 2.* existimat nusquàm esse posse promissionem futuri matrimonij gratuitam, & sine conditione repromissionis. & consequenter si vnus promittat, neque alter repromittat tacitè, vel expressè, neutrum obligari: quia cõtractus matrimonij est instar contractus cuiusdam commutationis, & necessariò in se continet mutuam obligationem vtriusque, itavt nemo velit, nec velle possit se tradere, nisi sub conditione, vt alter se ei mutuò tradat in compensationem, & obliget.

6. *Vltimum requisitum*, ad sponsalia est, vt promissio sponsaliorum exterius manifestetur, quia promissio fit homini, homo autem non potest acceptare promissionem, & eius obligationem acquirere, niti aliquo signo externo sibi manifestetur: vnde cõsensus debet sufficienter manifestari per aliquod externum signum, siue illud sit nutus, siue factum, siue verba quæcunque: taciturnitas verò non sufficit, per se loquendo. *Sanchez cit. d. 1. disp. 3. Gutierez cit. cap. 4. numer. 5. Conninck disput. 22. n. 34. Filliuc. c. n. 234. Sylu. c. art. 1. & alij.*

7. *Verba*, quibus potest contrahi matrimon. de futuro vel de præsenti, possunt esse quinque modis. *Codic. penult. de sponsal. Primò*, de præsenti, vel de futuro quoad sonum, & significationem, *vt accipio, vel accipiam te in meam*, & hæc verba quoad significationem de præsenti constituunt matrimon. qui important consensum de præsenti. *Angelus verb. matrim. 2. numer. 10. Sanchez c. disputat. 18. numero 9.*

Secundò, quoad sonum, & significationem de præsenti, sed quoad adiunctum de futuro, *vt accipio te in crastinum*; & hæc verba solùm constituunt sponsalia, quia consensus est de futuro. *Victoria de matrimon. num. 251. P. Ledesma quæstion. 45. articul. 3. disput. 1.*

Tertiò, de futuro quoad sonum, sed de præsenti ob adiunctum vt *ex nunc habebo te in meam*; & hæc verba constituunt matrimonium: quia verè important consensum de præsenti. *Codex parue de sponsal. Filliuc. c. n. 241.*

Quartò, aliqua sunt dubia, quem sensum efficiant, *vt volo te esse meam vxorem*, hæc verba tantùm constituunt sponsalia, quia verificantur, licet proferens modò nolit esse suam vxorem. Sanchez & alij volunt esse verba æquiuoca *disput. 18. n. 19.*

Quintò potest per dicta contrahi tum affirmatiuè, vt in exemplis allatis, tum negatiuè, *vt nullam ducam nisi te?* sed quoad hoc dicendum est, verba negatiua, nec constituere sponsalia, nec matrimonium, si nullam includant affirmationem explicitè, vel implicitè; quia consensus non datur per meram negationem, obligant tamen hæc verba, supposito quòd velit nubere, ad eam ducendam: si verò addatur affirmatio, erunt sponsalia, vel matrim. Sponsalia; si dicatur, *non aliam, sed te ducam*, Matrimonium si dicatur, *non aliam, sed te duco. Sanchez c. d. 19. n. 1. & 2. Reginald. lib.* 31.

lib.3.1.num.51. Nauar.cap.22.num.25. Sà verb.ſponſal.nu.1. Bonac.citat.part.1.numero 13. & alij.

8. *In ſponſalibus* quando verba habent duplicem ſenſum, in foro conſcientiæ ſtandum eſt intentioni, ſecundum quam verba proferuntur, forum enim conſcientiæ non innititur præſumptioni, ſed intentioni ex qua per ſe primò naſcitur obligatio ſponſalionum. *Sanches libr.primo, diſp.18.num.1. Molin.tract.2.diſp.162.num.1. Syluc.art.1.* Vnde quando dubitamus, an in ſponſalibus adfuerit animus ſe obligandi, iudicandum eſt in foro interiori adfuiſſe animum ſe obligandi, nam forum externum iudicaret animum adfuiſſe, non adhærendo falſæ præſumptioni. *Gutier. c. 7.n.8. Sanch.c.d.8.n.10.*

9. *Quando verba* ſunt dubia, & non conſtat de intentione proferentium, contrahentes compellendi ſunt ad ſeruanda verba in eo ſenſu, quem recte intelligentes ſolent communiter ex ijs verbis percipere: ſtandumque eſt iudicio fori externi, modò nõ innitatur falſæ præſumptioni, *Cadu. ex literis 1. de ſponſalibus, Sanches cit.diſput.18.num.4. Reginald.lib.31.n.46.* De ſponſalibus conditionaris, an robur habeant. Vide *v. Matrimonium 6.* quæ enim dicta ſunt de ſponſalibus de præſenti, locum etiam habent in ſponſalibus de futuro.

SPONSALIA II.

Quæ obligatio oriatur ex ſponſalibus.

SVMMARIVM.

1. *An obligatio ex ſponſalibus veris conſurgens ſit ſub mortali & quando illa ſint adimplenda?*
2. *An qui fictò animo & ſimulato matrimonium promiſit, obligetur ad nuptias contrahendas?*
3. *An qui habuit copulam cum fœmina mala fama ſub ficta promiſſione matrimonij, teneatur eam ducere?*
4. *An qui virgini promiſit coniugium fictè, & ea ſpe vſuram corporis impetrauit, teneatur eam ducere, vel dotare?*
5. *An fictus promiſſor matrimonij multò dignioris conditionis, teneatur defloratam ducere prorſus ignaram exceſſus illius? refertur duplex ſententia.*
6. *An poſt Tridentinum valida ſint ſponſalia clandeſtina? & an licita?*
7. *An liberi contra pietatem & reuerentiam parentibus debitam peccent, ſi ipſis inſcijs, & inconſultis ſponſalia temerè contrahant?*
8. *An teneantur liberi ſeruare fidem ſponſalium, tamet ſi impuberes conditionis ſponſis promiſerint inconſultis aut inuitis parentibus?*

1. OBligatio ex ſponſalibus veris conſurgens eſt ſub mortali: *C.ex literis 2. & c.requiſiuit, de ſponſalibus, Sanch. c.diſputat.27.28. Rodriques cap.244. num.1. Nauar.cap.17.num. 79. Syluc. in ſupp.q.43. art.1. quæſt.2.* quia obligatio ex contractu eſt ex iuſtitia & ſub mortali, talis autem eſt obligatio ex ſponſalibus: ſi nullus ſit præfixus terminus obligationi, nec alia conditio; non tenetur qui promiſit ſponſalia, illa ſtatim implere, ſed tunc quando requireretur ab eo cui facta eſt promiſsio, tunc autem obligatur ſi commodè poteſt, quia id eſt generali in omni debito abſque diei præfixione. *Sanchez ann. diſputat.29. Syluius verb.ſponſal. quæſt.4. Henriquez lib.11. capitul.13. numer.4. Diana tract. de ſacramentis. reſolut.244. par.3.* Vnde ille qui abſque cauſa legitima recuſat implere fidem ſponſalitij, priùs monendus eſt; & ſi renuat, cogendus eſt per cenſuras à iudice Eccleſiaſtico, niſi attentis circumſtantijs prudenter arbitretur iudex ex inuitis nuptijs poſſe timeri ſcandala, diſſenſiones, & infelices exitus.

2. Qui fictò animo & ſimulato, matrimonium promiſit, per ſe loquendo, non obligatur ad nuptias contrahendas; *Sanch.lib.1.d. 11.n.1. Cannch diſp.22.n.7. Fill.c.n.21. Leſſ.l.2.c.18.n.3.* quia promiſſioni defuit conſenſus: licet enim peccauerit ſponſus fictè promittendo & decipiendum alterum ſponſum, qui non facilè poterat cognoſcere rem ioco agi, non tamen tenetur ſtare promiſſioni aut complere ſponſalia: ratione verò alterius damni quod alter patitur, aut ratione ſcandali vitandi, ſi aliter euitari non poteſt, teneretur ſtare promiſſioni. *Ficta* autem promiſſio eſt, quæ ſit ſine animo promittendi, aut cum animo non ſe obligandi. Verum hanc ſententiam refellit Pontius *de matr. lib.2. c. 5.num.5.* docens fictè contrahentem iterum teneri verè ex animo contrahere, quod quidem ita certum exiſtimat, vt iudicet oppoſitum probabilitate carere: tum quia ſi opinio *Sanchez*, & aliorum eum ſequentium admitteretur, latiſſima aperiretur via hominibus ſceleratis ad decipiendas ſæpe fœminas, ſi ſemel ſibi perſuaſerint non teneri ad verè contrahendum. *Reg. l.31. num.150.* Tum quia ſemper ſequitur alteri grauiſſimum damnum, cùm enim in foro Eccleſiæ probare nequeat fictum alterius conſenſum, non permittetur aliud inire matrimonium, cogeturque continenter viuere. Et pro hac ſententia citantur *D. Thomas, Scotus, Maior, Adrianus, Petrus Soto, Nauarrus, Henriques.* Nihilominus ſententiam Sanches admittit vt probabilem. Diana *p.3. tr.4. reſol.247.*

3. Qui habuit copulam cum fœmina malæ famę ſub ficta promiſsione matrimonij, non tenetur eam ducere, neq; ratione promiſſionis, quia promiſso ficta non inducit obligationem: neque ratione damni, nam illa fœmina nullum damnum patitur: quare ſatisfaciet ſoluendo pretium copulæ, ſi illa fœmina conſueuerat corpus ſuum locare: ſimiliter vir non tenetur ducere virginem aut viduam bonæ famæ, quam defloraut ficta promiſsione matrimonij, quando copula eſt adeò occulta, vt nullum ſit infamiæ periculum in fœmina, quamuis teneatur iniuriam fœminę factam compenſare ad arbitrium prudentis viri *Leſſ.l.2.c.10.n.15. Regin.c.n.256. Filliut.1.1.p.c.7.n.212. Sanch.l.1.d.10.n.23.*

4. *Qui virgini* promiſit coniugium & ea ſpe ſeu conditione vſuram corporis impetrauit, tenetur eam ducere, etiam ficte promiſiſſet. *Rodriq.to.1.c.207.num.8. Nauar.n.16.nu.18. Henriq.li 11.c.11.n.2. Molin.tr.3.d.106.n.4. Laymè.nu.11.* quia hæc promiſsio facta eſt in modum contractus, vnde cum ipſa ex parte ſua compleuerit contractum, tenetur etiam ipſe complere: idem dicendum ſi animo ficto cum ea per verba de præſenti contraxit eo tantum fine, vt ea potiretur. *Excipiuntur* tamen aliquot caſus quibus non tenebitur eam ducere, ſed ſufficiet aliter damnum ſarcire. *Fill.tr.32.n.220. Sanch.c.d.10.n.5. Gutt.c.9.n.8. & c.10. Vaſq.de matr.d.6.c.5. Primò*, ſi ipſe longè ſit nobilior vel opulentior, idque ipſa ſciuerit, tunc enim facilè potuit ſuſpicari ipſum ſimulatè nuptias promittere, vt ea frueretur, & in hoc eam præſumitur fœmmam ſe voluntariè decepiſſe & potius fingere ſe deceptam; quàm reuera decepta ſit. *Secundò*, ſi ex alijs coniecturis facilè deprehendi poterat ipſum non ſincerè agere, vt verbis ambiguis vti, inconſtanter loqui. *Sanch.c.nu.7. Tertiò*, ſi aliquod impedimentum legitimum intercueneri, vt ſi fiat eius affinis: ſi ducat aliam per verba de præſenti, in his caſibus ſufficit damnum ſarcire. *Leſſ.c.c.10.nu.26. Quartò*, ſi illam contingat cum alio poſtea fornicari, prior non tenebitur eam ducere, nec tenetur aliter ſatisfacere niſi antea fuerit conuentum. *Sanch.c.n.13, Leſſ.c.nu.28. Quintò*, ſi dicenti ſe virginem aut diuitem promiſit nuptias, vt ea potiretur, & poſtea deprehendat non eſſe virginem vel diuitem, non tenebitur ſtare promiſſis, quia in hoc caſu habet ſufficientem cauſam diſſoluendi ſponſalia, ſi vera eſſent, ergo multò minus tenetur ſtare ſponſalibus fictis, & fictæ fœminæ cõpenſatur cum fictione viri, immò ſecundum *Sanch.c.n.11. Laym. c.nu.11. Regin.l.31.num.25. Gutt.c.10. num.9. & 10. Molinæus to. 4.diſp.106.num.8.* non tenetur vir ad vllam reſtitutionem, nullum enim damnum cenſetur vir illi intuliſſe. Vide Dianam *tr.2.reſol.6. miſcel.reſol.81.par.3.*

5. An autem fictus promiſſor matrimonij multò dignioris conditionis teneatur defloratam ducere prorſus ignaram exceſſus illius, vel ſi erat conſcia, aliter ei promiſit, vt vir prudens meritò crederet verè promittere. *Leſſius c.cap.10.num.22. Vaſq.c.d. 6.cap.4. P.Nauar.lib.2.cap.3.par.4.num.427. &* alij docent teneri quia eſt contractus & mulier ex parte ſua impleuit: nec poteſt dici à ſeipſa deceptam eſſe, leuiterque fidem adhibuiſſe, ergo tenetur eam ducere, nec ſatis eſt pecunijs ſatisfacere cum in propria ſpecie ſatisfieri poſſit: hæc ſententia eſt ratis probabilis. Aliorum tamen ſententia probabilior eſt, teneri quidem reſtituere inſtar vi vel fraude deflorantis non tamen ducere: quia non tenetur vi promiſſionis, nam ex promiſſione ficta non oritur obligatio, neque tenetur ratione damni ipſius fœminæ nam hoc damnum aliter vitari poteſt dotando, vel augendo dotem, qua poſſit æquè bene nubere, ac ſi defiorata non fuiſſet. Ita *Sanch.c.n.20. Regin.c. num.256. Sà ver.promiſſio num.5. Rodriques c.c.207 n.8.*

6. Poſt peractum contractum ſponſaliorum, vterque ſponſus ex iuſtitia obligatus eſt ad nuptias contrahendas, adeò quamd ù

aliter

alter in promissione, seu data fide perstitit, alter sine mortali iniuria resilire non possit, vt dictum est supra: quamuis sponsalia sine vlla solemnitate celtium, clam contracta fuerint; in ordine tamen ad forum externum requiritur probatio per testes; aut in defectum plenæ probationis iuramentum; hinc etiam post Tridentinum valida sunt sponsalia clandestina *Nauar. c.25. nu.144. Rodrig. tom.1. summa c.244. nu.10. Sanchez. c. disp.12. & 13. Filiuc. tr.10.1.p. cap.7. q.8. Perr. Ledesma de matr. quæst.45. art.5. dub.4.* quia cùm lex Tridentini sit correctiua iuris communis, non est extendenda vltra casum expressum: irritat enim matrimonium clandestinum solummodò, & ideò non est extendenda ad sponsalia: immo non est peccatum contrahere sponsalia clandestina, quia nullo iure id prohibetur. Quamuis ex consuetudine & ex statutis synodalibus oporteat ea contrahi coram Parocho & testibus; idque non in tabernis, sed in loco sacro, iuxta caput sexti tit. de matrimonio, in prima Synodo Prouinciali Cameracensi.

7. Liberi contra pietatem & reuerentiam parentibus debitam peccant, si ipsis inscijs & inconsultis sponsalia temerè contrahūt, quia parentum cura & potestas postulat, vt sine eorum consilio nihil statuatur in re tanti momenti, non tamen semper obligantur ad consilium vel iussum sequendum, cum in matrimonio cōtrahendo sui iuris ac libertatis existant: & quidem cum parentes filium aut filiam ab omni matrimonio auocare, vel impedire conantur, tunc obediendum eis non est cum incontinentiæ periculo: quando autem parentes impedire volunt certum aliquod matrim. ad quod filij voluntas propendet, tunc expendendæ sunt rationes, quibus ipsi dissuadendo nituntur, & cum contrarijs conferendæ, si autem parentes ad certas nuptias filium alioquin abhorrentem compellere conantur, tunc sequendi non sunt, nisi in casu speciali, quo plurimum interest parentum, verbi gratia, ad graues inimicitias, tollēdas dummodo matrimonium honestum sit. *Sanchez de matr. lib.4. disp.23. Sylu. v. præcept. q.2. Henriq. lib. 11. c.6. num.13. Nau. cap.14. num.15. Rodrig. tom.1. summæ c.230. concl.6. Bellarmin. de matr. c.19 propos.3.*

8. Datam fidem sponsaliorum seruare tenentur liberi, tametsi imparis conditionis sponsis promiserint inconsultis, aut inuitis parentibus; *Sanchez l.1. disp.14. Molina tom.2. d.271. Layman c. nu.14.* quia licet peccarint promittendo matrim. ad implendam tamen promissionem graui obligatione tenentur, & in omi foro compelli possunt: & ideò mortaliter peccant parentes, si illos impedire, vel eis dissuadere conentur id, ad quod ipsi sub peccato mortali obligantur. Tamen si ex matrimonio, quod filius, aut filia contrahere cogitat, ob disparitatem sponsorum, vel similem causam; timeatur familiæ dedecus, scandala, discordiæ, tunc parentes illud impedire possunt ac debent, implorata etiam iudicis auctoritate; quia tunc tale matrimonium tanquam charitati ac pietati repugnans, sine peccato contrahi non potest. *Nauar. c. 16.n.18. Gutierez de matr. c.79.*

SPONSALIA III.

De dissolutione sponsaliorum.

SVMMARIVM.

1. *An per matrimonium subsequens validè celebratum cum alia persona dissoluantur sponsalia?*
2. *An adimplenda sint priora sponsalia iurata dissoluto matrimonio?* refertur duplex sententia.
3. *An priora sponsalia dissoluantur per secunda licet iurata & copula subsecuta?*
4. *An mutuo consensu & mutua remissione ipsorum sponsorum dissoluantur sponsalia etiam iurata? An sponsalia impuberum firmentur iuramento?*
5. *An per fornicationem sequentem tam viri, quàm fœminæ, per hæresim, apostasiam, vel infidelitatem dissoluantur sponsalia.*
6. *An per morbum quemlibet contagiosum superuenientem alteri sponso, grauem infirmitatem, fœditatem, deformitatem, solmentur sponsalia ex parte innocentis?*
7. *An cùm demo agnoscitur notabilis asperitas morum, et sæuitia alterius dissoluantur sponsalia?*
8. *An soluantur sponsalia per superueniens impedimentum iuris matrimonium dirimens vel impediens?*
9. *An per votum simplex Religionis & castitatis præcedens, vel subsequens dirimantur sponsalia? & an per ordines minores, vel per votum ordinis sacri?*
10. *An per ingressum Religionis sponsalia iurata soluantur? an autem requiratur professio?* refertur duplex sententia.
11. *An lapsus termini eximat ab obligatione illum per quem non stetit, si in contractu sponsaliorum fuit appositus dies, & terminus de matrimonio contrahendo?*
12. *An soluantur sponsalia per absentiam alterius in regionem longinquam absque iuramento?*
13. *An per affinitatem, cognationem legalem, vel spiritualem superuenientem, soluantur sponsalia?*
14. *An dolus dans causam contractui sponsaliorum ipso iure illa irrita facit, & nullanda?*
15. *An conditionibus non adimpletis sub quibus sponsalia celebrata fuerunt, illa possint dissolui?*
16. *An ad dissoluenda sponsalia requiratur iudicis authoritas?*
17. *Quando propria authoritate possint dissolui sponsalia?*
18. *Quando ad dissoluenda sponsalia requiritur authoritas iudicis, qui iudex sit competens?*
19. *An possint sponsalia dissolui propria authoritate quando dubitatur, vel non constat de sufficientia causa?*

1. Sponsalia variis modis dissolui possunt. *Cap.51. inter virum, & cap. Adolescens de sponsa. Sanch. lib.1. disp.48. Laym. l.5. tr.10.p.1.c.2. Sylu. in suppl. q.43. art.3. Diana p.3. tr.4. ref.209.* Primò per matrimonium subsequens validè celebratum cum alia persona, quia res tradita vni per contractum indissolubilem non potest amplius tradi alteri, cui tantummodò promissa est; si autem matrim. subsequens inualidum sit, priora sponsalia non dissolueremus; *non enim præstat impedimentum quod de iure non fortitur effectum*: Maneret tamen alter liber à fide sponsalium, quia per eam voluntatem contrahendi visus est recedere à sponsalibus. Non est tamen improbabilis sententia illorum, qui tenent sponsalia non omnino extingui in casu quo alter expectet, sed suspendi, & ita soluto matrimonio teneri sponsum ad priora sponsalia: Ratio est, quia promissio simplex religionis non extinguitur per traditionem incompossibilem posteriorem matrimonij consummati, sed suspenditur, & eo soluto omnino obligat: ergo similiter promissio matrimonij, non extinguitur per traditionem incompossibilem alterius matrimonij. Ita Pontius *de matr. lib.12. c.13. n.4. & alij* apud Sanches.

2. An autem dissoluto matrimonio adimplenda sint priora sponsalia iurata, *Sanch. c. Henriq. l.11. c.13. Fill. tr.10. p.1. nu.272.* asserunt ita dissolui, vt non teneatur sponsus ad priora, nisi fortè ratione damni, vt si defloranit sponsam bonæ famæ, nec illi aliter satisfecit; quia iuramentum adhibitum fuit ad confirmādam promissionem, vnde extincta promissione cessabit etiam obligatio iuramenti, hæc sententia probabilissima est, licet contraria, nempe talem sponsum teneri ratione iuramenti, mortua coniuge, stare sponsalibus celebratis cum iuramento, non sit improbabilis; quia iuramentum erat validum, nec eius obligatio extincta per subsequens matrim. sed solummodò suspensa. *Coninc. disp.23. dub.4. Bonac. de spons. d.1. punct.7. n.3.*

3. *Priora sponsalia* non dissoluuntur per secunda, etiam copula subsecuta, *Sanc. c. disp.50. Bonac. c. nu.4. Fill. c. n.273.* quia post Trident. non transeunt in matrim. etiamsi affectu matrimoniali fiat copula: & hoc verum quamuis posteriora sint iurata; iuramentum enim fuit de re iniqua & in præiudicium tertij, quo casu non obligat. Quamuis contraria sententia *Pont. l.12. c.14. nu.4.* non sit improbabilis. Ratio est, quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius fauendum quàm primo, sed secūda fœmina damnum patitur & id agit, vt damnum euitet: prior verò, vt lucrum acquirat. Ergo huic quæ damnum passa est, fauendum potius quam alteri, quæ nullum, vel leue patitur.

4. *Secundò* dissoluuntur sponsalia mutuo consensu & mutua remissione ipsorum sponsorum, etiamsi facta fuerint cum iuramento; *Cod. 2. de sponsal. Sanch. lib.1. disp.52. nu.8. Sà v. sponsalia nu.1. Fill. c. n.275. Coninch disp.23. dub.1. Gutierez c.14. Sylu. in c. art.3.* & ratio est, quia cum dicta remissio cedat in fauorem spōsorum, poterunt ij cedere iuri suo; & cum iuramentum sit præstitum in fauorem partis, remittente parte remittit etiam Deus. *Notandum* tamen est, *Primò* remissionem debere esse liberam: vnde quando alter sponsus remittit obligationem ex metu sibi incusso ab altero contrahente, sponsalia non dissoluuntur. Notandum *Secundò*, quòd si duo impuberes sponsalia contrahāt, neu-

tes

ser potest ante pubertatem resilire, pubes tamen factus potest quilibet. Ratio prioris est, ne propter ætatis fragilem inconstantiam, sæpe contrahant, totiesque à contractu resiliant. Posterioris autem ratio est, quia quamuis iure permittente impuberes verè sponsalibus astringantur, idem tamen ius voluit, ob immanium iudicium ne ita firma essent, quin eorum cuilibet pubertatem adepto, resilire liceret *C. De illis, et 3. & C. Ad nobis, de desponsamp.* Vnde prius pubes factus potest statim resilire à sponsalibus, non expectata alterius pubertate; si autem factus pubes non reclamet statim, id est intra triduum, censebitur in foro externo confirmare sponsalia: at in foro conscientiæ satis est eum reclamare ad tollendam obligationem, qui interiùs statuto tempore dissentit, etsi exterius id non exprimat.

Sed dubium est, an sponsalia impuberum ita firmentur iuramento, vt neutri liceat pubertatem adepto, resilire? Non posse resilire docent Sanches *lib. 1. disp. 51. num. 22.* & alij ab ipso citati, modò sint proximi pubertati, ex *c. Ex litteris 2. de sponsal.* At satis etiam probabiliter docent alij apud eundem, quibus adde Pontium *de matr. lib. 12. cap. 9. num. 7.* etiamsi iuramentum interponatur, adhuc remanere sponsalia impuberum eiusdem rationis, quia iuramentum sequitur naturam obligationis cui adiungitur sed sponsalia impuberum iure communi dissoluuntur, altero eorum reclamante, cum ad pubertatem venerit. Ergo idem etiam est, quamuis iuramentum accedat.

5. *Tertiò* dissoluuntur sponsalia per fornicationem sequentem, tam viri, quàm fœminæ, etiamsi sponsalia sint iurata. *C. quèadmodum, de iureiurando. Sanches c. disp. 55. nu. 9. Sylu. v. spons. q. 10. Conar. to. 1. de spons. p. 1. c. 5. n. 2. Laym. l. 3. tr. 10. p. 1. c. 2. Regin. l. 11. c. 36. n. 262. Sylu. 2. 2. q. 154 a. 2.* idem iuris est in fornicatione spirituali, vt hæresi, apostasia, vel infidelitate, est enim notabilissima mutatio: *Aduertendum* autem est, nocentem semper adstrictum esse, & in casu quo vterque sit nocens, non compensari delicta, quia turpior est fornicatio in fœmina quàm in viro: quod verum est, licet sponsa vi cognita fuisset: non ita si vir violenter fornicatus esset. *Vide Dianam de sacramentis ref. 284. p. 3.*

6. *Quarto* soluuntur sponsalia per morbum quemlibet contagiosum superuenientem alteri sponso, vt gallicum, est enim notabilis mutatio: *C. quemadmodum c. idem* dicendum de graui infirmitate incurabili, vt epilepsia, fœditate notabili; vt oculorum, vel nasi amissione, paralysi, lepra, vel si os malè oleat, nec arte medicinæ subueniri possit: *idè* si sequatur notabilis deformitas animi, vel famæ: & probabile est *idem* dicendum de corporis deformitate: quæ omnia intelligenda sunt ex parte illius, qui est innocens eo enim volente soluuntur, secus si nolit. Ita Sanch. *cit. disp. 57. Nau. c. 22. n. 27. Toletus l. 7. c. 21. nu. 6. Dian. p. 3. de sacram. resol. 28. Syluius in suppl. q. 43. a. 3. & alij.*

7. *Quinto*, sponsalia dissoluuntur quoties demùm agnoscitur notabilis morum asperitas & sæuitia alterius, vel ob graues & capitales inimicitias inter sponsos ortas, alioquin matrim. haberet infœlices exitus, & est noua causa, notabilisque mutatio superueniens; Syluester, *c. q. 10. Sanches c. disp. 58. Fillin c. n. 290. Toletus cit. Sylu. cit. art. 3. & alij.*

8. *Sextò* soluuntur per superueniens impedimentum iuris matrim. dirimens: si autem impediens tantùm sit, probabile est non solui; excepto voto religionis, de quo infra. *Sanch. c. l. 1. d. 6. Nauar. c. 22. n. 27. Tolet. c. n. 7.* Item soluuntur quando superuenit aliquid post sponsalia, quod si superueniret ante, mutaret rationabiliter animos sponsorum ad contrahendum; vt ob paupertatem superuenientem alteri, tam quando præcessit promissio dotis respectu sponsæ, quia tunc ea est veluti conditio sub qua sponsalia celebrantur, quàm etiamsi non præcessisset: quamuis quidam apud Sanches contendant teneri, quando dotis promissio non est facta ante sponsalia. *Sanch. c. dis. 62. Fillinc. c. num. 292. Sylu. c. artic. 3.*

9. *Septimò* dirimuntur sponsalia per votum simplex religionis & castitatis præcedens, propositum tamen cœlibatus seruandi in sæculo, nulla ratione spõsalia dirimit, *C. rursus qui Clerici vel vouent. Sanch. c. d. 46. Sot. 4. d. 27. q. 2. art. 1. Ang. v. spons. n. 5. Syluest. c. art. 3.* quia tale propositum, si voto non firmetur, non constituit statum: si verò votum castitatis sponsalibus superueniat, quamuis probabile sit ea dissoluere, quia est de meliori bono, vt tenent *Angel. Caiet. Sotus.* Tamen probabilius est non dissoluere, quia Deus non acceptat promissionem rei prius alteri promissæ, & in eius præiudicium; vnde talis non tenetur ad religionem, vel ordinem sacrum, ad hoc vt possit seruare votum castitatis, licet possit ingredi si velit, & liber sit à sponsalibus: dicendum ergo est tale votum in ipsius vouentis præiudicium, non tamen in præiudicium sponsæ obligare. *Nau. c. 12. n. 27. Regin. l. 31. n. 259. Sanch. d. 46. n. 9. Conne. d. 23. nu. 25.*

Ordines verò minores suscepti post sponsalia non dissoluunt illa: *Reg. n. c. n. 160. Fill. c. n. 287. Conneh c. n. 25. sacri* autem dissoluunt, quia reddunt suscipientem incapacem matrimonij ob votum solemne castitatis adnexum: adstricto tamen fide sponsalium non licet ad sacros ordines promoueri, nec votum ordinis facti illa dissoluit, ex probabiliore sententia, nisi respectu alterius qui enim vouit, censetur renunciare sponsalibus, atque ita alter libet remanet: quamuis etiam contraria sententia non careat sua probabilitate, quæ est Dianæ *de sacramentis ref.* 208. *Nauar. cit. Cordub. q. 36. Sylu. v. spons. nu. 7.*

10. *Octauò* soluuntur sponsalia per ingressum religionis etiam iurata: an autè requiratur professio, alij affirmant alij negant, & vtrique probabiliter: licet probabilius sit nõ solui per ingressum alterius, respectu remanentis in sæculo, quia hoc ipso alter per ingressum declarauit se renunciare sponsalibus: respectu verò ingredientis non soluuntur vsque ad professionem, vnde si ante illã redeat ad sæculum, tenetur stare prioribus sponsalibus, si sponsa alteri non nupserit. *C. veniens qui cler. vel vouent. Sanch. c. disput. 12. Fill. c. n. 280. Conne. d. 23. dub. 3. nu. 22. Diana de sacramentis ref. 207. Sylu. c. ar. 3.*

11. *Nonò* sponsalia dissoluuntur si tempore quo fiunt, apponatur etiam dies & terminus de matrimonio contrahendo: tunc enim lapsus termini eximit ab obligatione illum per quem non stetit: Alius verò per quem stetit adhuc ligatur, ne ex sua culpa commodum reportet: quod si per vtrumque stetisset, vterq. maneret liber: tamen si is per quem stetit culpa vacet, sponsalia non dissoluerentur: quod idem dicendum est, si absque culpa vtriusq. terminus præfixus lapsus esset. *C. Sicut ex litteris, de sponsal. Sanches c. disp. 53. Conar. de matr. p. 1. c. 5. n. 8. Tolet. lib. 7. c. 21. nu. 6. Regin. lib. 31. n. 161. Sylu. c. art. 3.*

12. *Decimò* soluuntur abientia alterius in regionem longinquam absque licentia, quando aut sponsus esset in loco propinquo, ille expectandus est, vel requirendus, vt intra certum tempus contrahat matrim. & si iusto impedimento detineatur, non sunt temerè sponsalia dirimenda. *C. de illis desponsa. Sanch. c. disp. 54. Nau. c. 22. n. 26. Tolet. c. n. 6. Conine. disp. 23. dub. 6. n. 50. Sylu. c. art. 3. Ius* autem *cuile*, quod præscribit expectandum esse tempus biennij, si est in eadem prouincia, & triennij si est in alia, iuxta probabiliorem sententiam Sanches, & aliorum apud ipsum, correctum est per ius canonicum, etiamsi sponsalia sint iurata.

13. *Vndecimò* sponsalia dissoluuntur cùm superuenit affinitas; vt si sponsus habuerit rem cum consanguinea sponsæ, vel è contra intra quartum gradum; & post Conc. Trident. intra secundum cùm copula est illicita: idem dicendum de cognatione legali vel spirituali superueniente. *Nau. c. n. 27. Henriq. de matr. c. p. 14. n. 5. Fill. c. n. 205. Sylu. c. ar. 3 & alij.*

14. *Duodecimò* ipso iure facit sponsalia irrita & inualida dolus dans causam contractui sponsaliorum adhibitus ab altero cõtrahente conscio & participe doli; si tamen dolus solùm incidat in sponsalia, non sunt sponsalia ipso iure irrita, quia adest sufficiens consensus ad contractum: similiter si dolus adhibitus sit à tertia persona sine participatione alterius sponsi, sponsalia non sunt ipso facto irrita, sed deceptus habet ius illa dissoluendi, quia adest talis causa seu mutatio, quam si deceptus præuidisset iudicio prudentis non se obligasset ad illa perficienda. *Sanch. c. d. 64. Fill. c. num. 297. Molin. disp. 352. num. 7. Gutteres cap. 34. num. 8. Reginal. c. num. 266. Vide Diana de sacram. resolut. 287. p. 3.* & alij.

15. *Decimotertiò* possunt dissolui sponsalia, quando non adimplentur conditiones, sub quibus celebrata fuerunt: immò spõsalia non sunt valida, nec obligant donec impleatur conditio expressa in contractu sponsaliorum: quando verò sponsalia non fuerunt celebrata sub aliqua conditione expressa, sed tantummodò sub tacita, valida sunt absolutè & non censentur propriè conditionalia, quia conditio tacitè subintellecta non reddit actũ conditionalem. *Conunch. disp. 23. dub. 9. ad fin. Bonac. de matr. q. 1. p. 10. nu. 4. Sanch. l. 1. disp. 67. n. 3.*

16. *Ad dissoluenda* sponsalia, si natura rei spectetur, nulla requiritur iudicis auctoritas, quando certò constat de causa sufficiente ad soluenda sponsalia; vnde non est opus relaxatione iuramenti: per accidens tamen, vt ratione scandali vitandi fieri potest vt necessaria sit iudicis auctoritas *Sà v. spons. 12. n. 12. Sanch. c. d. 69. Gutter. c. 35. n. 4. Fillinc. c. n. 299.*

17. *Propria* auctoritate dissolui possunt sponsalia. *Primò*, quando causa dissolutionis est publica. *Secundò*, quando causa est occulta & simul etiam sunt occulta sponsalia. *Tertiò*, quando sponsalia

salia sunt publica,sed causa dissolutionis ita est occulta, vt non probari possit in iudicio,nisi magnum scandalum inde timeatur. *Henriques l.11.c.14.Sanch.d.69.& 70.*

18. Iudex,coram quo dissoluenda sunt sponsalia, quando ad dissoluenda requiritur iudicis authoritas, est iudex ecclesiasticus ordinarius,vel delegatus,vt Episcopus, vel delegatus ab ipso Episcopo: parochus verò non est competens iudex, cùm ipse non habeat iurisdictionem in foro externo: *Sanch.l.1.disp.69. nu.10. Regin.l.31.n.268.Fill.c.n.299.*

19. Quando dubitatur, an causa dissoluendi sponsalia sit sufficiens; aut quando moraliter non constat adesse causam sufficientem ad illa dissoluenda,non possunt absque iudicis auctoritate dissolui;quia dissoluens propria authoritate in hoc casu exponeret se periculo committendi iniustitiam contra alterum sponsũ, qui non debet spoliari iure sibi acquisito per sponsalia. *Gutier. c. 35.n.7.Regin.c.num.268. Sanch.c.d.69. n.9.* Tamen vt licitè quis possit recedere à sponsalibus in foro conscientiæ, satis est vt vnus testis de certa scientia iurans,vel fama,immò si esset persona fide digne testificans,& de certa scientia testaretur,nec esset necessarium iuramentum. *Fill.c.n.301.Sanch.c.d.23.*

De sponsalibus vide *Inter dictum 2.num.11. Promissio, Matrimonium.*

SPONSIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit sponsio,& an licita?*
2. *An qui certò nouit rem,possit de illa sponsionem facere?* refertur duplex sententia.
3. *An spondere possit qui certò rem nouit, sed postea incipit dubitare?*
4. *An sponsiones cum conditione illicita, sint illicitæ? vbi decidumtur varij casus.*
5. *An ille,per quem stat,ne contractus sponsionis adimpleatur, teneatur soluere sponsionem?*
6. *An sponsiones super vita,morte, vel futura electione Pontificis & Cardinalium sint licitæ?*

1. SPonsio est *contractus, in quo duo de veritate, vel euentu alicuius rei contendentes, sibi vicissim aliquid spondent, vt id eius sit, qui veritatem fuerit assecutus.* Hic contractus ex sua natura licitus est:quia,quòd vnus se exponat periculo amittendi aliquid,si nõ euenerit,quod dicit, commutabile est pro simili periculo,cui alter similiter se exponit. Tres tamen conditiones ad iustitiam huius contractus requiruntur.1.vt cum æquali incertitudine sit etiam æqualitas in re quæ spondetur,2.vt vterque contendens sit dubius de futuro euentu, seu de re de qua contendit cum altero.3. vt vterque in eodem sensu accipiat id, de quo certatur. Ita communiter Doctores.Per accidens tamen, seu ratione scandali,vel periculi,vel alterius circumstantiæ fieri potest, vt sponsio sit illicita,vt si ob sponsionem arripiatur occasio captandæ mortis, vel patrandi alterius peccati,vt dicetur infra. Vide *Garzias de contract.2.par.c.13. Azor.par.3.lib.11.cap.19.Molin. disp.508.*

2. Qui certò nouit rem de qua certatur, vel ex scientia,vel ex diuina reuelatione, vel experientia sensuum, non potest licitè sponsionem facere; quia non est æqualis conditio ex parte vtriusque: is enim qui certò rem nouit,non potest perdere. Si tamen res sit solùm nota ex opinione probabili, aut signis,indicijs,conjecturis probabilibus,aut ex fide & auctoritate tantùm humana, licitæ essent sponsiones, quia hæc omnia possunt fallere, cùm tantùm sint probabilia,& certam cognitionem non pariunt, sed probabilem.Ita *Lopez in instruct.2.parte de cont. cap.18. Sanch. in opusc.tom.1.c.8.dub.13.Garz.c.& alij.*

Quamuis contrarium doceat esse probabile *Diana p.7. tract. 9.resol.62.& 63.*nempe facientem talem sponsionem cum altero prædictam certitudinem ignorante,non peccare,nec ad restitutionem lucri teneri. Ratio est,quia æqualitas in certitudine non est inter spondentes necessariò seruanda: nec excessus alterius ignorantiæ, quamuis dans causam contractui sponsionis, quia absque ea ignorantia non fieret sponsio, irritat illam, quia non est circa substantiam illius. Citatur pro hac sententia *Hurtadus,Couarruuias,Nauarrus,Layman. Sà*, quorum opinio non est improbabilis,etiam in casu quo quis protestetur se esse certũ, si alter nihilominus contendat, & velit spondere,quia in hoc casu non adest fraus,vt temeritati colluforis imputetur; volenti enim,& scienti non fit iniuria, vt docent *Bonac. de rest. disput. 2. punct.1.nu.18.*& alij ab ipso citati:censeri enim potest ea ratione velle facere donationem eius rei, quam alter assequetur. Idem dicendum,quando qui contendit,non sibi persuadet alterum dicere veritatem. tamen facilè posset sibi persuadere: tunc eodem modo videtur velle facere donationem:vt asserit *Azorius c.c.19. dub.5.* Si quis certò rem sciret, & postea incipit dubitare, potest adhuc spondere. Ratio est, quia saltem in sua æstimatione exponit se alicui periculo amittendi, etiamsi alius ob suam nimiam pertinaciam verè amittat. Similiter est dicendum de eo, qui reputans id pro quo spondet, esse omnino certum, spondet & lucratur,quia res ita contigit: reuera tamen postea comperit non fuisse ita certum,sed sese exposuisse periculo amittẽdi: talis enim etiamsi peccauerit spondendo, secundùm nostram sententiam, ob conscientiam erroneam, tamen potest retinere id quod lucratus est,quia res erat incerta,& se exposuit periculo amittendi.Ita *Molina disp.508.in fin.Bonac.c.n.1.& alij.*

4.Sponsiones cum conditione illicita, sunt illicitæ, & legibus ciuilibus damnatæ: quia spe lucri homines inducuntur ad peccãdum in huiusmodi sponsionibus: vt si quis in mensa spondet se superaturum alterum edendo vel bibendo: hìc enim datur occasio peccandi edendo,vel potando plus,quàm par sit: idem dicendum, si quis sponsionem faciat quod Titium interficiet, quia sic datur occasio, vel optandæ mortis alterius vel procurandæ. Lucrum tamen acquisitum ex huiusmodi sponsionibus non est ex obligatione restituendum, si alioqui sit partum absque dolo & fraude,quia licet peccatum sit in faciendo contra leges, non tamen est peccatum iniustitiæ contra proximum in lucro retinendo:quia leges prohibent actum fieri, non tamen statuunt lucrum acceptum esse restituendum. Ita Azorius *c.dub.6.*& post illum *Dian.p.7.tract.9.resol.69.Fill.tract.37.n.27.*

Licita autem esset sponsio facta,si Turca hoc anno occidatur, dabo tibi centum: quia nullum est peccatum expectare mortem inimici fidei. Item de iure naturæ licet sponsio super euentu futuro ex quo damnum subsequetur proximo, daturque occasio illud optandi,vt si duo spondeant, an Petrus intra tot dies morietur.Ratio est,tum quia spondens quòd morietur,potest non optare mortem, & si optet id sua culpa euenit.Tum quia approbantur census vitalitij,& tamen eadem occasio datur soluenti reditus optandi mortem. Ita Lugo *de iust.tom.2.disp.31.sect.6.nu.74.* Idem etiam dicendum est, quando duo spondent, quòd Petrus faciet, vel non faciet tale peccatum, tales non peccant nisi spondens optet, vt alter contrahat tale peccatum, vel ipsi opem ad contrahendum præstet. Sed non ideò teneretur ad restitutionem lucri. Secus dicendum si sponsio fieret circa peccatum committendum ab ipso spondente & affirmante se peccaturum, quod alter negat: periculosa est & fugienda talis sponsio, quia alium magis cõfirmat in proposito peccãdi.In hoc tamen casu non esset obligatio restituendi lucrum,etiamsi peccatum quod est materia sponsionis, sit contra iustitiam; quia ego non dò pretium pro peccato committendo, sed committo futuro euentui fortuito. De his plura apud Lugo,& Sanches *in opusc.tomo 1.lib.1,c.8.*

5. Sponsione facta inter Titium & Caium, quòd Titius currendo vel saltando vincet Caium, & deinde Caius non vult currere aut saltare, obligatur Caius soluere, quod est in sponsione depositum.Tum quia iniuste renuit adimplere contractum:tum quia censetur cedere iuri suo; tum quia conditio adimpleta censetur. Ita Azorius *c.cap.19. dub.7.*& post illum *Fillmcius tract. 37.num.28.*

6. Quamuis sponsiones super vita,morte, vel futura electione Pontificis,& Cardinalium per se licitæ sint ex natura rei quia sunt de re & euentu dubio: iure tamen positiuo prohibitæ sunt, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, reseruatæ summo Pontifici; immo & irritæ redduntur, ac proinde lucrum eis sponsionibus acquisitum in foro conscientiæ restituẽdum est. Ita Gregorius XIV.in constitut.*cogit nos depravata* die 28. Martij 1591.apud Quarantam *verbo Electio.*

STVPRVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit stuprum generatim & strictè sumptum? & an habeat malitiam speciei distinctam à fornicatione, explicandum in con-*

Digitized by Google

confessione? refertur duplex sententia.

2. *An qui per vim, fraudem, metum, aut mendacia copulam à virgine extorsit etiam absque promissione matrimonij, teneatur illam ducere in matrimonium, vel commodè dotare? & quid si puella liberè consensit: an teneatur ad aliquam restitutionem?*

3. *An qui precibus importunis, vel muneribus, suasionibus, vel blanditijs assiduis copulam à virgine extorsit, teneatur ad restitutionem?* refertur duplex sententia.

4. *An stuprator teneatur ad aliquam restitutionem faciendam patri puellæ, quæ consentiens defloratа fuit?* refertur duplex sententia.

5. *An delectationes morosa in puella virgine, vel in adolescente circa virginem habeant specialem malitiam in confessione aperiendam?*

Et quomodo se debebat gerere fœmina patiens violenter stuprũ, vt non peccet.

1. STuprum *generatim* significat omnem concubitum legibus vetitum; *strictè* verò capitur pro virginis violatione: an autem stuprum habeat malitiam specie distinctam à fornicatione, necessariò explicandam in confessione? *Suares de pœnit. d. 22. sect. 4. num. 6. Azor. 3. p. l. 3. c. 11 q. 1. Filliuc. tract. 30. nn. 61. 66. Graff. 1. p. lib. 2. cap. 79. Bonac. de matr. q. 4. p. 1. num. 2. Syluius 2. 2. q. 154. art. 6 concl. 1. 3. 4.* Quidam satis probabiliter docent virginis consentientis defloration em esse distinctam luxuriæ speciē, quæ stuprum appellatur, necessarioque eam virginitatis circumstantiam esse explicandam in confessione, vnde hæc sententia admittit speciem stupri absque raptu inueniri: quia per stuprum fit iniuria patri, cui commissa est cura corporis suæ filiæ, siue filia consentiat, siue dissentiat. *Lessius lib. 2. cap. 10. d. 1. Sanchez de matr. l. 7. disput. 14. n. 5. Coninc. disput. 7. nu. 19. Sotus 4. d. 18. q. 2. ar. 4. Diana tr. 3. misc. ref. 12. p. 2.* Probabilior tamen sententia est, non dari speciem stupri sine raptu, atque ita violationem virginis spōte consentientis, quamuis sub cura paterna, non differre à simplici fornicatione, tuncque solum adesse speciem stupri, quando adest iniustitia, eò quòd virgo inuita violetur, siue sit sub cura patrum, siue non; quia non reperitur in stupro specialis malitia, nisi adsit specialis iniuria, sed quando copula habetur cum puella cōsentiente, non adest specialis iniuria; ergo.

2. *Stuprator*, qui per vim aut fraudem, aut metum, aut mendacia copulam à virgine extorsit absque etiam promissione matrimonij, tenetur illam ducere in matrimonium vel commodè dotare, vel curare vt æquè bene nubat, ac si virgo esset, *Less. c. dub. 2. Nau. cap 16. nu. 16. Azor. c. c. 5. Fill. tr. 32. nu. 220. P. Nau. lib. 2. c. 3. n. 414. Syluius 2. 2. q. 62. art. 2. quæst. 5.* quia contra iustitiam dānum fœminæ intulit, ergo ex iustitia tenetur damnum illatum reparare vel ducendo illam in matrimon. vel commodè dotando, vel curando vt æquè bene nubat, vel restituendo quanti damnum æstimatur iudicio prudentis viri. *Si autem* puella liberè cōsensit, stuprator ad nullam tenetur restitutionem, modò non manifestauerit copulam occultam; nam si iniustè detexit copulam occultam, tenetur ad restitutionem famæ & damnorum incrementi dotis, & cuiuluis alterius damni. *Similiter* ad nihil tenetur stuprator, quando puella condonauit stupratori obligationem restituendi, vel si virgo defloratа obijt antequam nuberet.

3. Qui precibus importunis, vel muneribus, vel suasionibus ac blanditijs assiduis copulam à virgine extorsit, secundùm *Nau. c. n. 16. Cajet. 2. 2. q. 154. art. 6. Sylu. c.* & alios tenetur ad restitutionem quia preces importunæ comparantur coactioni, & hæc sententia non est improbabilis: Probabilior tamen, cui adhęrendum est negat teneri, nisi coniunctæ fuerint minæ, aut metus reuerentialis, vt si erat illius Dominus aut superior, cui ipsa nihil audeat recusare, & modò fœmina non concesserit copiam sui animo repugnante & quasi coactа; & ratio, quia huiusmodi preces non auferunt voluntarium. *Less. c. n. 14. Sanch. c. l. 4. d. 10. Clauis reg. c. n. 28. Mol. tom. 4. d. 106.*

4. Stuprator non tenetur ad aliquam restitutionem faciendam patri, sub cuius cura est ipsa puella, quæ defloratа fuit consentiēs, & non inuita: quidquid in contrarium doceant *Nauar. c. Sylues. v. luxuria q. 5* & alij, quia sicut ipsa puella non tenetur ad restitutionem faciendam patri, aut fratribus, ergo neque tenetur stuprator, qui non videtur maiorem iniuriam patri intulisse, quam intulerit puella. *Sà v. restitutio, num. 14. Vasquez c. n. 13. Molina c. d. 106. concl. 2. Sylu. c. quæst. 5. concl. 1. & alij.*

5. Ex dictis secundùm probabiliorem sententiam sequitur, *delectationes morosas* in puella virgine circa adolescentem non habere specialem malitiam, nec teneri in confessione dicere se, cùm esset virgo, delectationem morosam de adolescente suscepisse, & hoc verum videtur, etiamsi puella se polluat concepto adolescente in mente: *similiter* delectationes & desideria in adolescente circa virginem, non habent specialem malitiam mortalem supra aliàs delectationes, modò adolescens non habeat voluntatem inferendi violentiam virgini: vnde satisfacit, si in confessione dicat se delectationem habuisse, vel desiderium circa fœminam solutā, vel etiam se copulam habuisse cum soluta: Quod ponderandum est à confessarijs, quibus non parum molestum est interrogare adolescentulas tales cogitatione confitentes, an sint virgines; sic enim peccatum corruptionis iam fortè aliàs confessum tenerentur aperire. Nec etiam minùs molestum interrogare adolescentes, an cogitarint de virgine, cùm frequenter rudes respondeant se nescire an ea de qua cogitarint, sit virgo, vel non: putantque, tū adolescentulæ, tum adolescentes has interrogationes ex curiositate, & nimio sciendi desiderio à confessarijs prouenire. Vt bene adnotat Marchantius *in ref. Pastoral. circa textum Decal. præcepti c. 6. Aliquando* tamen in stupro de consensu puellę commisso potest adesse alia malitia mortalis, vt contra charitatem proximorū, & pietatem debitam parentibus, quia tæpissimè ex stupro sequūtur grauissima incommoda, vt inimicitiæ, cædes, &c. & tunc ratione harum circumstantiarum, & mœroris quem parentes concipiunt, teneretur pœnitens hanc circumstantiam explicare. Ita omnes Doctores secundæ sententiæ suprà relatæ. Et post illos *Caramuel. ad reg. S. Benedict. d. sp. 66. n. 1004. & seq. Diana p. 2. tr. 3. misc. ref. 12. Lessius lib. 2. c. 10. dub. 1. nu 8.*

Aduertendum est, quòd fœmina quæ violenter à viro aliquo cognoscitur, non peccat, si duo habeat, 1. contrariam voluntatem non consentiendi eiusmodi copulæ. 2. impedire quantùm in se est, talem violentum effectum cum clamore, cum conatu & renisu corporis, & si hæc non sint profutura: ad vitandam mortem, infamiam, vel aliud incommodum grauissimum. potest mulier pati externam corruptionem, non tamen consentiendo, sed merè passiuè se habendo. *Ita Nauarrus, Rodriques, Syluius, Bonacin. Salas, Tannerus, apud Dianam trac. 6. misc. ref. 31. p. 3 & alij apud Sanc. in select. disp. 10. n. 17.*

SVBSTITVTIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit substitutio? quot modis possit quis hæredi substitui?*
2. *Quid substitutio vulgaris?*
3. *Quid Pupillaris?*
4. *Quid Exemplaris?*
5. *Quid Fideicommissaria?*
6. *Quid Reciproca?*
7. *Quid Compendiosa?*

1. SVbstitutio est *vocatio vnius aut plurium ad hæreditatem in locum alterius vel aliorum: sex autem modis* potest quis hęredi substitui: nempe *substitutione vulgari, pupillari, exemplari, fideicommissaria, reciproca, & compendiosa, Couar. de testam. c. Raymuius §. 4. n. 1. Mol. d. 182.*

2. *Substitutio vulgaris* est, qua quiuis iure non prohibitus, potest substitui à quouis testatore: dicitur autem vulgaris, quia fit vulgaribus & communiter vsitatis verbis: & hęc substitutio fit sub conditione, vt si ille, qui fuit institutus hæres, vel qui succedere debet ab intestato, nolit, aut non possit esse hæres, succedat substitutus. *Fill. tract. 34. n. 166. Gomez 1. var. c. 3.*

3. *Pupillaris* est, quà quis proli impuberi in sua potestate constituę aliquem substituit: & ad valorem huius substitutionis duo requiruntur. *Primo*, vt testator eum cui substituit habeat in sua potestate. *Secundò*, vt pupillus cui substitutio fit, non recidat per mortem testatoris in alterius potestatem: hinc non potest aliquis pupillariter substitui filio emancipato, nec filio naturali, quia hi non censentur esse in potestate patris: nec mater potest pupillariter substituere filio *Less. lib. 2. cap. 19. dub. 7. nu. 79. Bonac. de contr. d. 3. q. 18. p. 4. n. 4.*

4. *Exemplaris* est, cùm filio amenti, vel surdo simul & muto, vel prodigo, cui interdicta est administratio, fit substitutio: dicitur autem exemplaris, quia est inuenta ad exemplum pupillaris: & hæc substitutio fieri potest, non solum à patre verùm etiam à matre, ab auo, vel auia, proauo, vel proauia. *L. humanitatis. C. de impub. substitutione. Gomez 1. var. c. 6. n. 1. Mol. d. 185.*

5. *Fidei-*

5. *Fideicommiſſaria* eſt, qua hæres grauatur, vt totam hæreditatem, vel partem eius aliquotam, vt dimidiam, tertiam, &c. alteri reſtituat, qui dicitur fideicommiſſarius: *Leſſ.c.n.*85. *Regin. l.*25.*n.*629. *Couar.c.*16. §.4. *Fill.c.nu.*169. hæc ſubſtitutio non eſt directa, ſed obliqua, quatenus fideicommiſſarius non capit directè bona hæreditaria à teſtatore ſed miniſterio hæredis inſtituti, & grauati; hinc eſt vt poſſit fieri codicillo per quem poteſt imponi onus hæredi, aliæ non poſſunt; quia per codicillum non poteſt aliquis directè hæres inſtitui: de hac ſubſtitutione plura apud Iuriſperitos, *Molinam diſput.* 213. *Bonacinam citat.* de contractibus.

6. *Reciproca ſubſtitutio*, quę & breuiloquia dici ſolet, eſt ea, qua inſtituti ſibi inuicem ſubſtituuntur, vt ſi teſtator dicat, inſtituo tales hæredes, quos inuicem ſubſtituo: hæc ſubſtitutio poteſt cõprehendere plures ſubſtitutiones: aliquando enim poteſt comprehendere pupillarem, habita ratione perſonarum, quæ ſubſtituuntur: aliquando poteſt comprehendere duos fideicommiſſarios; vt ſi fiat in codicillo, vel ſi in teſtamento rogentur hæredes, vt qui prior moritur reſtituat hæreditatem alteri. *Molin. diſp.* 191. *Cou.cap.*16.*cit.*§.7.*n.*4. *Gomez* 1.*var.c.*8.*n.*2. *Leſſ.c.n* 92.

7. *Compendioſa* eſt, quæ plures continet ſubſtitutiones quoad diuerſa tempora *Gomez c.*7.*nu.*1.& 2. *Leſſ.c.nu.*93. *Molin.diſput.* 192. *Couar.c. Raynutius* 16.§ 9. *Regin.c.nu.*630. quia ſcilicet poteſt comprehendere omnes hæredes, & omnes ætates eorum: vt ſi dicatur, inſtituo Caium filium meum hæredem, & cùm migrauerit è vita, ſubſtituo ei Titium: propterea ſi Caius moriatur ante mortem patris, vel alia ratione non fiat hæres. Titius ſuccedit ex ſubſtitutione vulgari: ſi fiat hæres & moriatur pupillus, ſuccedet pupillari: ſi poſt pubertatem, ſuccedet ex fideicommiſſaria, detracta legitima & Trebellianica: ſi verò filius ſit amens, ſuccedet ex exemplari. Plura de ſubſtitutione authores hic citati. Quibus adde Caramuel *libr.*2. *Theolog. moral.n.*891.

SVFFRAGIVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit ſuffragium? & an ſuffragia ſint ſatisfactoria ex opere operato & ex opere operantis? An Prælati religionum poſſint aliis applicare opera meritoria ſuorum ſubditorum? Et ad quid iuuent huiuſmodi participationes iis, quibus conceduntur? Et an Prælati poſſint applicare ſubditorum ſatisfactiones ipſis inuitis?*
2. *An ſuffragium ſiue opus bonum proſit etiam facienti, quoties alteri applicatur.*
3. *Qua requirantur vt ſuffragium alteri proſit?*
4. *An opus ſatisfactorium ex opere operato proſit aliis, etiamſi offerens non exiſtat in gratia?*
5. *Qua conditiones requirantur in eo, cui ſuffragium offertur.*

1. SVffragium aliquando ſignificat votum quod in fauorem alterius fertur, vt accidit in electionibus ad officia & beneficia: hoc autem loco accipimus ſuffragium à ſuffragando, & ſecundùm *D.Thom.*4.*d.*20.*q.*1.*ar.*2. *Suar.de pœnit.diſp.*48.*ſect.*1. & 2. *Sylu.v.ſuffragium. Coninc.de pœnit.diſput.*10.*dub.*7. *num.*59. de ſui ratione importat quamdam auxiliationem quę fit alteri Suffragia, alia ſunt ſatisfactoria ex opere, operato, vt eſt ſacrificium, & indulgentiæ; alia ex opere operantis, vt ſunt orationes, quæ ab homine iuſto offeruntur; hinc indubitata fide credendum eſt, fideles, dum in hac vita degunt, non ſolùm poſſe ſe inuicem iuuare ſuffragijs, iuxta articulum in ſymbolo, *Communionis ſanctorum*, verùm etiam adiuuare poſſe defunctos ſatisfaciendo pro pœna ipſis debita. Vnde cùm Prælati religionum dominium voluntatum ſuorum ſubditorum ex vi Obedientiæ voti in ſuis manibus emiſſi habeant, poterunt cuicumque voluerint eorum merita, & orationes & obiationes, aliaque opera meritoria applicare, antequam conſtituantur, & reponantur in vniuerſali Theſauro Eccleſiæ, vt affirmant communiter Doctores, *Corduba in q.l.* 5.*q.*42. *Regin.l.*7.*nu.*124. *Sot.*4.*diſt.*21.*q.*1.*a.*4. *Graff.in appendic. l.* 2.*c.*2.*n.*18.19.20. poſt D. Thomam loco citato Et hoc non ſolùm ex priuilegio, vt probat Miranda *to.*2.*manual.q.*49.*ar.*1. ſed etiam de iure communi, ex Decreto Pelagij Papæ in *c. Nullam* 18. *q* 2. per illa verba. *Tota bonorum Monaſterij adminiſtratio ad Abbatem pertinet, & eſt penes ipſum Abbatem.* Quæ verba non ſolùm de bonis temporalibus, verùm etiam de ſpiritualibus intelligenda eſſe docet Nauarrus *tit. Miſcellan. de pſalter. Beatæ Virginis, miſcellan.*11.*num.*4.

Sed petes, *Primò*, quid iuuent huiuſmodi participationes ijs, quibus conceduntur? Reſp. quod iuuant non ſolùm ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter: quia vſus talium participationum ad dictos effectus fuit in Eccleſia approbatus à tempore Apoſtolorum vſque ad præſens. Vnde ex litteris gratioſis, ſeu ex applicatione prædictorum bonorum impetrant benefactores, & participantes gratiam conuerſionis, illuminationem cordis, profectum virtutum, & præſeruationem à peccatis, libertatem, perſeuerantiam, & præſeruationem à morte, & ab aliis malis ſpiritualibus & corporalibus, & ad collationem bonorum ſpiritualium & temporalium. Ita *D.Thom. in ſupplem.*3.*p.q.*27.*art.*1. *Miranda. c.ar.*2. *Rodrig.ſom.*1.*qq.reg.q.*33. *art.*3. *Sorbus in comp.priuileg. verb. indulgentia.* Immo pro animabus habentibus prædictas litteras participationis poſſunt religioſi illius monaſterij, cuius fuerunt benefactores, celebrare Miſſam, quę eas liberet à pœnis Purgatorij: Ex conceſſione Clementis VIII. Fratribus Minimis facta & cum eis participantibus, quæ habetur *tom.*2.*priuilegiorum illius Ordinis conſtitutione* 4. *eiuſdem Clementis.*

Hinc patet expediens eſſe, vt Prælati regulares, qui præ alijs Chriſti & Apoſtolorum, aliorùmque Sanctorum imitatores eſſe debent, literas gratioſas participationis elargiantur: maximè domeſticis, & benefactoribus, quia fraternæ & religioſæ charitati conſonum eſt, teſte Apoſtolo. *Ad Galat.*6. *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.*

Petes *Secundò*, An Prælati poſſint applicare alijs ſatisfactiones ſubditorum, ſi ipſi reſiſtant, aut nolint, quòd applicentur? Reſp. Probabilius eſſe, non poſſe tales ſatisfactiones alijs applicari per Prælatum contra voluntatem ſubditorum, ſi tales ſatisfactiones ipſis neceſſariæ fuerint, quia ſcilicet habent aliquid ſoluẽdum de pœna temporali. Ratio eſt, quia ſicut Prælatus non poteſt à ſubdito auferre bona temporalia neceſſaria, v.g. cibum, veſtes, ſomnum, &c. ſic nec ſpiritualia neceſſaria, præſertim, quia in iſtis neceſſarijs non ſubditur voluntas ſubditi ſuperiori. Quando autem opera ſatisfactoria, ſeu ſuffragia non ſunt ſubditis neceſſaria, vt potè, quia non ſolùm ſunt in gratiæ ſtatu, ſed etiam nullam habent temporalem pœnam ſoluendam, poſſunt alijs à Prælato applicari, etiam reſiſtentibus ſubditis: hoc enim ſequitur ex facultate, quam habet diſponendi de bonis ſubditorum quæ ipſis neceſſaria non ſunt: De hac materia vide plura apud *Lezan. to.*3. *ſum.v. Bona regularium.*

2. *Suffragium*, ſiue opus bonum, ſi conſideretur vt ſatisfactorium, non prodeſt facienti, quoties alteri applicatur; nam opus bonum non habet ſatisfactionem infinitam, ſed limitatam, ſi ergo ſatisfactio, quæ limitata eſt, alteri applicetur, prodeſt illi cui applicatur, non verò applicanti; vnde opus bonum applicatum pluribus, minus ſingulis prodeſt, quam prodeſſet ſi totum vni applicaretur: *Suar.c.d.*48.*ſec.*6.8. *D.Thom.*4 *d.*45.*q.*2.*art.*1. *Sylueſ. c.nu.*3 *Graf.in appendice l.*2.*cap.*9.*nu.*13. *Si verò* opus conſideretur vt meritorium; prodeſt ipſi applicanti ad meritum vitæ æternæ. An autem ſatisfactio habeat effectum infallibilem in eo, cui applicatur; *Suar.c.d.*48 *ſec.*5 affirmat prodeſſe ex iuſtitia, & infallibiliter acceptari pro illo, pro quo offertur; *Medin. de pœn. tr.*3.*q* 2.& 3. *Coninc.d.* 10.*n.*69 negant prodeſſe infallibiliter, quia non ſatis nobis conſtat, Deum infallibiliter acceptare ſatisfactionem pro alijs, & hæc ſententia fortè eſt probabilior.

3. *Quædam* requiruntur vt ſuffragiũ alteri proſit, *Primo*, enim offerens debet habere intentionem offerendi pro eo, cui prodeſt, ſi enim ſatisfaciens non dirigat intentionem ſuam in alium, retinet ſibi ſuffragium, cùm ſit opus ipſius: *Secundò* requiritur vt opus fiat ab homine viatore in hac vita exiſtente, quia poſt hanc vitam non poſſumus mereri neque ſatisfacere. *Tertio* vt opus voluntariè fiat, ſeu ſuſtineatur. *Quartò*, vt opus ſit bonum, ſaltem ratione intentionis, ſiue ſit opus internum, ſiue externum. *Quintò*, vt opus ſatisfactorium ex opere operantis factum ab aliquo in perſona propria proſit alteri ad ſatisfactionem, requiritur, vt operans ſit in gratia; quia exiſtens in peccato mortali eſt indignus & impotens ad obtinendam alteri remiſſionem pœnæ, ſeu ad ſatisfaciendum pro altero. *Sà v.indulg.ad finem. Fill.tr.*8.*n.*49.& 11. *Conninck d.*11.*dub.*8.*n.*62. *Suar.diſ.*37.*ſ.*3. & *diſ*48.*ſ.*7. *Bonac. de ſuffragijs q.*2.*p.*2.& *alij.*

4. Opus ſatisfactorium ex opere operato prodeſt alijs, etiãſi offerens ſit improbus, & non exiſtat in gratia, valor enim illius ſuffragij, cùm non dependeat à bonitate & probitate offerentis, nõ poteſt impediri per ipſius improbitatem, ſicut diximus indulgentias prodeſſe defunctis per modum ſuffragij, etiamſi qui facit opus pro illarum conſecutione ſit in peccato mortali: quemadmodum ſuffragium nomine Eccleſiæ factum ab improbo, prodeſt

quia

quia dignitas orationis conſideranda eſt ſecundùm dignitatem Eccleſiæ cuius nomine offertur, non autem iuxta dignitatem improbi miniſtri : cenſetur verò quis orare nomine Eccleſiæ, quando preces & orationes inſtitutas ab eccleſia recitat vt miniſter deputatus ad hoc ex præcepto, vel ordinatione. Toletus *lib.6.c.27.n.5.* Coninck *d.12.dub.7.n.39.* Graffijs *l.2.c.10.n.10.*

5. *Tres conditiones* requiruntur in eo, cui ſuffragium offertur. *Suar.diſp.4°. ſer.7.n.5. Valent.to.4. diſp.7.q.20.punct.5. Bellarm.de purgat.l.2.c.18. Bon.c.punct.3. Prima* eſt indigentia, hoc eſt, vt indigeat ſuffragio; vnde beatis non proſunt ſuffragia, quia illis non indigent, ſimiliter ſuffragia quæ applicantur alicui tunc temporis quo non indiget, illi non proſunt non ſolùm pro eo tempore, verùm neque pro tempore ſubſequenti. *Secunda* conditio eſt, vt ſit in gratia, quia exiſtens in peccato mortali quamdiu perſeuerat in eo ſtatu, dignus eſt æterna pœna, & non poteſt pœnæ remiſſionem obtinere per ſuffragia; hinc ſecundùm multos doctores ſatisfactiones applicatæ exiſtenti in peccato mortali, vel non indigenti, conuertuntur in vtilitatem ipſius offerentis, ſi indigeat : præterea ſequitur ſuffragia non prodeſſe damnatis in inferno exiſtentibus, aut pueris decedentibus cum ſolo originali, quia non ſunt in gratia. *Fill.tr.8.n.5. Coninck d.10. dub.6.n.41. Tertia* conditio eſt, vt peccata, pro quibus exhibetur ſatisfactio, iam ſint deleta quoad culpam; quia non remittitur pœna, antequam culpa remittatur, cùm manente culpa ſemper remaneat dignitas & obligatio ad pœnam.

Vide v. *Electio* n.3. *Excommunicatio* 3. n.1.2. *Indulgentia* 3.

SVPERBIA.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit ſuperbia?*
2. *Quod ſit obiectum adæquatum ſuperbiæ? & quotupliciter poſſit homo peccare circa obiectum ſuperbiæ? & quæ ſint eius ſpecies?*
3. *An ſuperbia ſit peccatum mortale? & quando veniale?*

1. SVperbia dicitur à *ſuper & eo*, quod ſupra ſuam menſuram eat: *D.Greg.l.31. moral.cap.31. D.Th.2.2.quæſt.162.a.1. & 8. Nau.cap.23. Tolet.de peccatis mort. cap.3. Sylu.v.ſuperbia. Syln.2.2.quæſt.162.a.1. Fernand.p.4.cap.2.§.2.num.1. Variis modis* à doctoribus accipi ſolet. *Primò* enim ſumitur latiùs, prout eſt voluntas violandi legem ſiue præceptum: & tunc omne peccatum eſt ſuperbia, quia eſt alicuius præcepti ſeu legis violatio. *Secundò* accipitur ſuperbia preſſiùs & ſtrictiùs, quatenus ſcilicet eſt quædam legis & præcepti contemptus. *Tertiò* modo accipitur ſuperbia adhuc reſtrictiùs, prout eſt immoderata propriæ excellentiæ cupiditas, ſed in quacumque re ſiue materia. *Tandem*, ſuperbia ſumitur propriè, eo, inquam, modo, vt eſt immodica propriæ excellentiæ cupido in honoribus, ſiue ijs in rebus, quibus honor & reuerentia debetur. Vide *D.Thomam*, *Nauarrum*, *Toletum*, *Sylueſtrum*, & alios.

2. Obiectum adæquatum ſuperbiæ eſt excellentia in genere, vt extendit ſe ad excellentiam abſoluram & relatiuam, ab vtraque tamen per ſe abſtrahens : homo autem *quadruplicuter* poteſt peccare circa obiectum ſuperbiæ. *D.Greg.l.23. cap.7. D. Th.c.a.4. Tolet.c.cap.4. Sum.Corona.confeſſ. de ſuperbia. Leſſ. l. 4. cap.4. dub.9. num.65. Nau. cap.23. num.7. Azor. 1.p.l.4. cap. 12. quæſt.6. Sylu. c. art.4. Fernand. c. num.2. Petr. Ledeſm. in ſum.tract.29. cap.3.* Videlicet circa ipſum bonum, quod propriè deſiderat & tunc peccat, quando id appetit, quod ſuam menſuram & proportionem ſui ſtatus, ſeu conditionis excedit: *Secundò*, circa modum appetendi & adipiſcendi: & hoc aut ex parte cauſæ, per quam illud bonum excellens, vel habet vel habere cupit, aut ex parte effectus: vnde à *D.Gregorio* aſſignantur *quatuor ſpecies* ſuperbiæ. *Prima* eſt, quando homo ſe iactat eſſe quod non eſt, ſeu habere quod non habet. *Secunda* eſt, quando illud, quod ab alio habet, à ſe habere dicit vel exiſtimat. *Tertia* eſt, quando illud, quod habet ob alterius gratiam, ſuis meritis ſe habere affirmat. *Quarta* & vltima eſt, quando vult videri eſſe ſingularis in aliqua excellentia, vel alijs deſpectis, ſolùm in illa ſe eſſe iactat, cùm non ſit: ratio autem harum ſpecierum eſt, quòd ſuperbia in eo conſiſtat, quòd homo ſe æſtimet excellentiorem quam reuera ſit.

3. Superbia ex genere ſuo eſt peccatum mortale grauiſſimum peccatorum : & hoc intellige de ſuperbia in gradu completo, quæ omnem humilitatem & ſubiectionem excludit, & nolit Deo vel legi diuinæ ſubijci, qualis eſt in diabolo: deinde etiam mortale peccatum eſt, ſi nobis eſt cauſa alicuius peccati mortalis, vel ſi fiat cum notabili iniuria aut contemptu proximi, puta, inhonorat, infamat grauiter, vel alia iniuria, quæ mortalis culpa eſt, afficit; extra hos caſus eſt tantùm ſuperbia incompleta & peccatum veniale. D.Thomas *c.a.5.* Nauarrus *c.n.8.* Toletus *c.cap.4. n.2.3.* Azor. *c.q.5.* Syluius *c.a.5.* Fernandes *c.§.2.num.3.* & alij.

Vide *Vanagloria num.1.*

SVPERSTITIO.

SVMMARIVM.

1. *Superſtitionis nomen vnde ductum? & quid ſit?*
2. *Duæ ſpecies ſuperſtitionis.*
3. *An ratione rei cultæ diuidatur ſuperſtitio, in idololatriam, diuinationem, & vanam obſeruantiam?*
4. *Qualis ſuperſtitio ſit peccatum mortale?*

1. SVperſtitionis nomen ductum eſt vel à vitio illorum, qui olim apud Ethnicos nimij erant in precandis dijs, vt ſui filij ſibi ſuperſtites eſſent, vel quòd abiectis antiquioribus dijs colerent ſuperſtitem memoriam ſuorum maiorum; *vel denique* quòd homines nimiùm timerent Deos ſupernè impendentes & quaſi ſuperſtantes. *Cic.l.2.de natura deorum. Leſſ.l.2.cap.43.n.1. Sylu.v.ſuperſtitio. Generatim* autem hic ſumpta, eſt falſa religio, id eſt, vitioſus cultus veri vel falſi numinis: & iuxta *D.Tho.2.2. quæſt.92. Sylu.ibid. art.1. Bonac. in decalog.d.3. quæſt.5. punct.1.* ſuperſtitio eſt *vitium religioni oppoſitum ſecundùm exceſſum*, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quàm vera religio, ſed quia exhibet cultum diuinum, cui non debet, vel eo modo quo non debet.

2. *Diuiditur ſuperſtitio* in duas ſpecies quę ſunt, *ſuperſtitio* cultus indebiti ſeu incongrui, & *ſuperſtitio* ratione rei cultæ: illa eſt cultus peruerſus veri numinis, hæc eſt cultus falſi: tam ſuperſtitio ex parte cultus indebiti, quàm ex parte rei cultæ, ſubdiuiditur in aliquas ſpecies: *Superſtitio* enim cultus indebiti, diuiditur in *ſuperſtitionem* cultus falſi ſeu pernicioſi, & *ſuperſtitionem* cultus ſuperflui: *cultus falſus* eſt, & dicitur, ratione falſæ ſignificationis, vt ſi quis Deum colere vellet cæremonijs Iudaicis. *D.Th.c.a.2. Tolet.l.4. c.14. Suar.tom.2. de relig.l.2.c.2. Sanch. l.2. mor. c.37. Laym.l.4. tr.10. cap.1. Cultus ſuperfluus* eſt, cùm præter Eccleſiæ morem ponitur religio in quibuſdam circumſtantijs vel rebus, in quibus non eſt ponenda, vt in numero, colore, ſitu, &c. Idem dicendum eſt, quando variantur cæremoniæ ab Eccleſia præſcriptæ. *Nauar.c.11.n.24. Leſſ.c.n.5.*

3. *Superſtitio* ratione rei cultæ diuiditur in tres alias ſpecies, *idololatriam, diuinationem, & vanam obſeruantiam*; vel enim colitur diabolus ita vt honoretur tamquam numen, & hæc eſt ſpecies idololatriæ; vel vt occultum aliquid reuelet, & ſic eſt diuinatio; vel denique vt dirigat in operando, & ſic eſt vana obſeruantia & ſuperſtitioſa: his autem ſpeciebus addi poſſunt alię duę, *vna* magiæ, quæ licet referri poſſit ad vanam obſeruantiam, tamen tamquam aliquid deterius poteſt conſtituere quartam ſpeciem. *Altera* maleficij, quod eſt vis ac poteſtas nocendi alijs, ideòque etiam eſt ſpecies quædam deterior magia : ſed de his omnibus ſpeciebus dictum eſt ſuis titulis & locis. Ita *Tolet.c.n.5. Leſſ.c.n.6. Fill.tr.24.c.1 n.4. Sylu.c.art.2.*

4. *Superſtitio* quæ dicitur cultus falſus, vt quando quis diuino officio admiſcet turpia tanquam diuini officij partem, aut quando fidem noſtram falſis miraculis contendit confirmare, aut quando falſa miracula prædicat, aut formam aut materiam ſacramentorum mutat, &c. eſt mortale peccatum ex ſuo genere, quia grauem infert irreuerentiam in Deum: *Illa* autem *ſuperſtitio* quæ dicitur cultus ſuperfluus, non eſt mortale peccatum, ſed veniale tantùm, niſi ex contemptu fiat. *Valent.2.2. diſput.6.q.9.& q.10. Leſſ.c.num.4. Nauarr. cap.11.num.24. Tolet.c.num.5.* In confeſſione autem explicandæ ſunt plures malitiæ ſub genere ſuperſtitionis; quia nonnullæ aliquando ſupponunt hæreſim in mente, quam oportet explicare, aliæ non ſupponunt : pernicioſa enim ſuperſtitio longè cæteris iniurioſa Deo eſt: denique ſequitur cultus qui turpi actu exercetur; tum qui tantùm vanus & impertinens eſt. *Suar. cit. libr. 2. capit. 4 num.23.*

De Superſtitione vide *Aſtrologia* n.3. *Obſervatio Vana. Magia. Divinatio.*

SVSPENSIO I.

Quid ſit ſuſpenſio & quotuplex.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit ſuſpenſio?*
2. *Varij modi ſeu ſpecies ſuſpenſionis.*
3. *In quibus differat ſuſpenſio à cæteris cenſuris?*

1. SVſpenſio eſt *eccleſiaſtica cenſura privans clericum, vſu Eccleſiaſtici officij aut beneficij, vel ordinis in toto, vel in parte, in perpetuum vel ad tempus.* Ex *hac definitione* colligitur *primò*, ſuſpenſionem eſſe *cenſuram*, hoc enim eſt commune ipſi cum excommunicatione & interdicto: & quidem *eccleſiaſticam*, vt diſtinguatur à prohibitionibus ciuilibus, & vt indicetur cauſa efficiens ſuſpenſionis, quæ eſt perſona eccleſiaſtica habens iuriſdictionem in foro externo. *Præterea* indicatur ſubiectum huius cenſuræ, quod eſt homo ſaltem Clericus, habens videlicet primam tonſuram: additur præterea; *privans vſu*, ad ſignificandum non priuare ipſo officio, vel ordine, aut iuriſdictione, ſed tantùm exercitio. Ita *Sayr. de cenſuris l.4. c.1. num.13. Valent. t.4. d.7. q.18. p.1. Tolet. l.1. c.42. Navar. c.27. n.151. Comin. d. 13. dub.1. Filliuc. tract.17. c.1. q.2. Laym. lib.1 tr.5. p.3. c.1. n.1.*

2. *Suſpenſionis* multi ſunt modi, ſeu ſpecies quædam. *Primò*, *alia* eſt ab officio tantùm, & per *officium* intelligitur tam officium ordinis, quàm officium iuriſdictionis Eccleſiaſticæ. *Alia* eſt à beneficio tantùm, & nomine *beneficij*, veniunt dignitates, canonicatus, beneficia, ſiue curata, ſiue ſimplicia, & alia huiuſmodi. *Alia* eſt ab officio, & beneficio ſimul. *Rurſus* illa quæ eſt *ab officio tantùm*, *aliquando* eſt à toto officio, quando ſcilicet quis priuatur omni vſu ſui officij, *aliquando* à parte, vt ſacerdotio, aut diaconatu, aut alio inferiori. *Præterea* ſuſpenſio *alia* eſt pœnalis, *alia* medicinalis: *pœnalis* fertur in pœnam & vindictam delicti præteriti, hæc verò ſuſpenſio non fertur per modum cenſuræ, ſed ſolius pœnæ. *Medicinalis* eſt illa, qua intenditur emendatio & bonum delinquentis. *Denique* ſuſpenſio *alia* eſt temporalis, *alia* perpetua; *alia* eſt à iure, *alia* ab homine: de quibus *Navar. c.n.154. Regin. l.2. tr.3. n.6. Tolet. c.c.42. Filli. c.n.7. Rodr. q.10. a. c.69. Layman c.n.2. Sayr. c.l.4. c.1. n.28. & ſeq. & c.3.*

3. In multis differt *ſuſpenſio* à cæteris cenſuris. *Primò*, enim excommunicatio nunquam tollitur niſi per abſolutionem, ſuſpenſio verò tollitur aliquando. *Secundò*, excommunicatio nunquam fertur, niſi cum contumacia; at ſuſpenſio aliquando in pœnam delicti etiam ſine contumacia. *Tertiò*, excommunicatio omnis vetat ſacramentorum ſuſceptionem & collationem: at non omnis ſuſpenſio prohibet ſuſceptionem, niſi quando eſt à ſuſceptione ſacramentorum; nec collationem, niſi quando eſt ab officio, vel ordine, aut collatione ſacramentorum. *Quartò*, excommunicationem à iure contrahunt Epiſcopi, etiamſi non fiat expreſſa eorum mentio, ſuſpenſionem verò à iure, non niſi facta expreſſa eorum mentione: præterea in alijs multis differunt hæ cenſuræ. *Quintò*, differt ſuſpenſio ab interdicto, tum quia ſuſpenſio non inducit priuationem tantarum rerum, ſicut inducit interdictum, tum quia interdictum magis priuat vſu paſſiuo quàm actiuo; tum quia ſuſpenſio fertur in eccleſiaſticas perſonas, interdictum verò tam fertur in laicos, quàm in clericos. *Sexto*, differt ſuſpenſio ab irregularitate, quòd irregularitas priuat ſuſceptione ordinis vt ordo eſt; ſuſpenſio verò priuat exercitio ordinis vel beneficij, ſeu poteſtatis Eccleſiæ, vt eſt quædam functio. Ita *Tolet. c.c.46. n.6. Bonac. de cenſ. to.1. diſp.3. p.1. n.3. Sayrus c.c. 1. n.18. & ſeq.*

SVSPENSIO II.

De cauſis ſuſpenſionis, & de eius effectibus.

SVMMARIVM.

1. *Quis poſſit ferre ſuſpenſionem?*
2. *An ſolus clericus ſuſpendi poſſit?*
3. *An cauſa materialis proxima ſuſpenſionis ſit peccatum?*
4. *Quæ ſit forma ſuſpenſionis?*
5. *Quis ſit finis ſuſpenſionis?*
6. *Qui ſint effectus ſuſpenſionis? & an peccet mortaliter ſuſpenſus exercendo actum quo eſt ſuſpenſus? Et an ſuſpenſus ab ordine non ſolùm peccet, ſi actum talis ordinis exerceat, ſed etiam fiat irregularis?*
7. *De tertio effectu ſuſpenſionis, qui eſt priuatio communionis illorum in eo, in quo quis eſt ſuſpenſus.*
8. *De quarto effectu: quòd acta iuriſdictionis propria per ſuſpenſum à iuriſdictione nominatim denunciatum inualida ſint?*
9. *An ſuſpenſio abſolutè lata abſque limitatione, ſuſpendat abſolutè ab omnibus, ſcilicet, ab officio & beneficio?*
10. *An ſuſpenſus ab ordine, ſuſpenſus ſit à iuriſdictione, & è contra? & quid de ſuſpenſione à Pontificalibus?*
11. *An ſuſpenſus ab ordine ſit etiam ſuſpenſus ab ijs actibus iuriſdictionis, qui ſunt connexi & fundati in ordine? Et an ſuſpenſus ab officio prædicandi incurrat irregularitatem, ſi concionetur cum ſolemnitate.*
12. *An ſuſpenſus ab officio illimitatè cenſeatur ſuſpenſus ab ordine & iuriſdictione?*
13. *An ſuſpenſus ab officio intelligatur ſuſpenſus à beneficio?*
14. *Quid importet ſuſpenſio ab ingreſſu Eccleſiæ?*
15. *Quid prohibeat ſuſpenſio ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus & ſpiritualibus?*
16. *Quid vetet ſuſpenſio à diuinis?*
17. *Quid ſit ſuſpenſio à beneficio?*
18. *An ſit prohibitum communicare cum ſuſpenſo?*

1. POteſtas ferendi ſuſpenſionem eſt à Chriſto, *inſtitutio* verò ab Eccleſia, cuius initium fuit tempore Apoſtolorum: *deinde* redacta fuit ad certam formam tempore procedente: Is autem poteſt ſuſpendere qui poteſt excommunicare: eadem enim eſt poteſtas requiſita ad vtramque cenſuram: *Ordinaria* quidem eſt in Epiſcopis & huiuſmodi prælatis: *delegata* poteſt eſſe in alijs clericis. Hæc de cauſa efficiente. Vide *Sylu. v. ſuſpenſio n.2. Ang. v. ſuſpenſio* 2 §.3. *Tolet. l.1. c.44. Layman l.1. tr. 5. p.3. c.2. n.1. Sayr. l.4. c.2. n.1.*

2. *Cauſa ſubiectiua*, ſeu *materialis remota*, eſt is qui ſuſpendi poteſt, & talis eſt ſolus Clericus: *Suar. de cenſ. diſp.28. ſect.2. Tolet. l.1. c.44. n.2. Filliuc. tr.27. n.58,59. & ſeq. Laym. c.n.2,3.* quia omnis ſuſpenſio vel eſt ab officio vel beneficio, at officium & beneficium eſt proprium clerici: vnde omnes clerici etiam Epiſcopi & Cardinales ſunt capaces huius cenſuræ, excepto ſummo Pontifice: Licet Epiſcopi ſuſpenſionem generaliter à iure latam non incurrant, niſi fiat ſpecialis de ipſis mentio. *Communitas* verò etiam ſuſpendi poteſt, quia eſt capax culpæ, ſicut quælibet humana congregatio: quatenus ſcilicet eſt vnum corpus politicum habens propria bona, & proprias actiones ita ad eam pertinentes, vt non ad ſingulas per ſe pertineant: vel etiam ratione ſingulorum de communitate. Proinde incautè agunt plures confeſſarij, dum fœminas etiam abſoluunt & laicos à ſuſpenſione, non aduertentes fœminas ſuſpenſionem incurrere non poſſe, nec laicos, ſed ſolùm clericos etiam primæ tonſuræ. Vt aduertunt Suares *de cenſur. diſp.28. ſect.2. n.1.* Sancius *in ſelectis diſp.6. n.14.* & Rituale *Pauli V.*, quamuis ex quorumdam ſententia poſſint ſuſpendi laici ab ingreſſu Eccleſiæ, & à Sacra Communione, ſicut probabile videtur per *Extrauag. vnic. de ſentent. excomm.* communior tamen, verior, ac praxi conformior ſententia contrariam tuetur partem, concedens ſolas perſonas Eccleſiaſticas poſſe ſuſpendi, laicas verò improprie, & lato vocabulo, ac nomine generali.

3. *Cauſa materialis proxima* eſt peccatum, propter quod ſuſpenſio fertur: & quidem ſi grauis ſit, requirit peccatum mortale; ſi leuis, poteſt etiam ferri pro culpa veniali: in iure autem communiter grauis eſt & ſemper ſupponit culpam grauem. *Suſpenſio* verò latè ſumpta pro quacumque prohibitione vtendi aliqua facultate, poteſt ferri ſine culpa ſuſpenſi, ſed non ſine cauſa. *Cajet. v. ſuſpenſio. Navar. c.27. num.109. Suar. c. ſect.4. Tolet. c. num.4. Filliuc. c.n.62. 63. Laym. c.c.3. Dian. p.3. tr.6. reſ.51. & p.5. tr.10. reſ.19.*

4. *Forma ſuſpenſionis* non eſt determinata in iure, ſed multis modis poteſt exprimi ille actus ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ: ſuſpenſio ab homine, quando eſt cenſura lata ob contumaciam: requirit antequam feratur præuiam admonitionem: ſi verò tantùm in pœnam delicti, non requirit monitionem: in

ipſa

ipſa verò ferenda requiruntur verba determinata, quæ ſignificẽt ſpeciem ſuſpenſionis & eius effectum; & hæc verba debent ſcripto proferri ex præcepto Eccleſiæ, quamuis non ſit de eſſentia. *Sylu.c.n.4.Fill.c.n.65.Tolet.c.n.8.9.*

5. *Finis* autem *ſuſpenſionis* eſt idem, qui & excommunicationis, eccleſia enim animarum vtilitatem intendit quando corrigit, & caſtigat. *Tolet.c.n.11.*

6. *Effectus ſuſpenſionis* ſunt. *Primò ſuſpenſus*, peccat mortaliter ex ſuo genere exercendo actum à quo eſt ſuſpenſus: quia violans præceptum Eccleſiaſticum in re graui peccat mortaliter, licet ratione paruitatis materiæ fieri poſſit, vt excuſetur à mortali. *Suar.c.diſp.27.ſect.2.Regin.d.32.tr.2.num.31.Nauar.c.num.163. Secundò ſuſpenſus* ab ordine, vel ab aliquo includente ſuſpenſionem ordinis, non ſolùm peccat, ſi actum talis ordinis exerceat, ſed etiam fit *irregularis*, maximè ſi ſit exercitium ſolemne maioris ordinis à quo eſt ſuſpenſus: quod verùm eſt non ſolùm quando violatur ſuſpenſio perpetua quæ eſt propriè cenſura, ſed etiam quando violatur ſuſpenſio, quæ eſt pura pœna, & quæ lata eſt ad determinatum tempus: vnde ſuſpenſus ab ordine efficitur irregularis; benedicendo aquam, ceras, fructus, nuptias, aut mulierem poſt partum: *item* ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ irregularis efficitur celebrando in eccleſia: *item* Epiſcopus ſuſpenſus à pontificalibus, fit irregularis faciendo actus, qui ſoli Epiſcopo poſt conſecrationem conueniunt: *item* ſuſpenſus à diuinis officijs, irregularitatis vinculo ligatur, quoties illa perſoluit ex officio tamquam initiatus ordine ſacro. *Suſpenſus* tamen à ſuſceptione ſacramentorum non incidit in irregularitatem illa ſuſcipiendo. *Similiter* ſuſpenſus à beneficio non efficitur irregularis recipiendo fructus beneficij, quia non violat cenſuram per exercitium ordinis ſacri. *Fillinc.c.cap.2.quæſt.4.Valent.tom.4.d.7.q.18.punct.1. Dian.p.5. tract.10.reſol.9.Tolet.c.cap.45.Nauar.c.27.nu.163.Bonacin.c.de ſuſp.p.4.nu.6.*

7. *Tertius effectus* ſuſpenſionis eſt, quòd ſuſpenſus priuatur communione illorum in eo, in quo eſt ſuſpenſus, ita vt peccet communicando cum alijs, & peccet etiam qui in tali actu cum eo communicat: quod ſi actus ſuſpenſionis non pertinet ad diuina, id eſt, ad ordinem aliquem, non eſt mortale, ſed veniale ex parte participantis, cũ eo communicare: quod intelligendum eſt, de ſuſpenſo nominatim denunciato: quia cooperans & communicans cum ſuſpenſo tolerato, ſeu nondum denunciato, in iſs actibus iuriſdictionis & officij, à quibus eſt ſuſpenſus, non peccat mortaliter. *Suar.c.diſ.27.ſ.2.n.7.Nau.c.nu.62.Henriq.l.13.c.33. Tolet.c.n.4.*

8. *Quartus effectus* eſt, quòd acta iuriſdictionis propriæ per ſuſpenſum à iuriſdictione, ſeu ab officio, nominatim denunciatum, inualida ſunt, niſi adſit titulus coloratus & error communis vulgi: ſecus *dicendum* de actis per ſuſpenſum, qui non eſt nominatim denunciatus, valida enim ſunt, cùm illi non adimatur iuriſdictio; *Actus* etiam ordinis, qui non requirunt iuriſdictionem ad ſui valorem, validi ſunt, vt conſecrare, confirmare, benedicere altaria, &c. *Suar.c.num.2.Fill.tract.10.c.10.q.3.Henriq.c.num.1. Sayrus de ſuſpen.c.11.nums.15.Dian.par.5.tr.10.reſ.11.*

9. *Quintus effectus* eſt, quòd ſuſpenſio lata abſolutè abſque limitatione expreſſa vel tacita, ſuſpendit abſolutè ab omnibus, id eſt ab officio, & beneficio: quia verba accipienda ſunt, prout ſonant: *ſuſpenſio* verò lata cum expreſſione alicuius effectus particularis, extenditur ad illum effectum, & ad ea, quæ ſunt illi adnexa, & non ad alia, quia cenſura efficit, quod ſignificat, nec aliter operatur, quam ſignificet. *Propterea* ſuſpenſus à celebratione poteſt reliqua ſacerdotis onera præſtare: Ex dictis ſequentes illationes deduci poſſunt. *Suar.diſputat.25.ſection.2.Tolet.libr.1.capit.43.Nauar.c.num.160.Vgolm.tab.4.capit.14. Sayrus libro 4. cap.3.& 4.*

10. *Suſpenſus ab ordine*, non ob id ſuſpenſus eſt à iuriſdictione: nec contra quando ſuſpenſus eſt à iuriſdictione, ob id ſuſpenſus cenſendus eſt ab ordine: *Nauar.c.numero 160. Suares diſputat. 26.ſection.4.Fillinc.tract.17.cap.2.quæſt.4.Tolet.l.1.cap.43.nu.2. Bonacin.c.punct.2.Conar.in rubric.de hom.1.par.relect.§.1.ver.3. Layman c.cap.1.num.5.Diana par.5.tract.10.reſolut.4.& 5.* quia hæc duo ſunt ab inuicem diſtincta, & vnum ab altero non pendet: vnde *ſuſpenſus à Pontificalibus* tantùm, ſolùm ſuſpenditur ab exercitio eorum, quæ concernunt vſum ordinis Epiſcopatus, qualia ſunt confirmare, ordines conferre, conſecrare Eccleſias, non tamen ab his quæ iuriſdictionis ſunt, vt conferre beneficia, excommunicare, &c. Nomine *Pontificalium*, intelliguntur inſignia Pontificalia, vt vſus mitræ, baculi, & pallij: *ſimiliter* ſuſpenſus ab ordine pontificali non ob id ſuſpenſus eſt à ſacerdotio, nec ab alijs ordinibus, quia pontificalia non ſpectant ad alicuius ordinis Eccleſiaſtici ſubſtantiam: Suſpenſus verò à minori ordine ſuſpenditur etiam à maiori; ſuſpẽſus enim in diaconatu, ſuſpenditur in ſacerdotio: & ſimiliter ſuſpenſus ab vno ordine non poteſt ad maiores aſcendere, quia videretur per ſaltum promotus: *ſuſpenſus* autem à ſuperiori non cenſentur ſuſpenſus ab inferiori, quia inferior non fundatur in ſuperioti. *Reginald.libro 32.nn.15. Henriq.l.13.c.32.Sayr.c.c.3.n.2.*

11. *Notandum* tamen eſt ſuſpenſum ab ordine, eſſe etiam ſuſpenſum ab ijs actibus iuriſdictionis, qui ſunt connexi, & fundati in ordine, vt eſt abſoluere in foro pœnitentiali, non autem ab iis, qui connexi non ſunt. Ita *Caiet.in ſum.v.ſuſpenſio.*

An autem ſuſpenſus ab officio prædicandi, irregularitatem incurrat, ſi concionetur ſaltem cum ſolemnitate? Affirmant Nauarrus *c.27.in man.nn.163. §.8. Valem.tom.4.diſp.7.q.18.punct.1.& alij.* Sed contrarium verius eſt, quia prædicare non eſt per ſe, & vniuerſim exercere vſum Ordinis, vt diximus ſuprà *v.Prædicatio, nn.5.* & docent *Tamerus tom.4. diſp.6.quæſt.10. n.157.* citans pro hac ſententia *Sylueſtrum, Armillam, Henriques, & Medinam*, vt refert *Dian.par 5.tr.10.reſol.10.*

12. *Suſpenſus* ſimpliciter *ab officio* nulla addita limitatione, intelligitur ſuſpenſus ab officio non tantum ordinis, ſed etiam iuriſdictionis, id eſt, à poteſtate eccleſiaſtica, quæ illi competit ratione ordinis, vel iuriſdictionis, quia vſus ordinis, & iuriſdictionis competit ratione officij abſolutè prolati: Immo neque poteſt ordines recipere, iuxta ſententiam multorum Doctorum Suares *diſp.26.ſect.1.Fillinc.tr.17.num.15. Tolet libr.1.c.43.num.6. Layman c.cap.1.nu.2 & alij.* Religioſus tamen ſuſpenſus non ab officio ſimpliciter, ſed ſolùm ab officio aliquo ſuæ religionis, v.g. Prioratu, Guardianatu, Prouincialatu, Rectoratu, &c. ſolùm priuatur vſu, & exercitio talis officij pro tempore in lege deſtinato Suſpenſio enim ab officio non eſt priuatio officij. Durante autem tempore ſuſpenſionis; peccat mortaliter, ſi ſe ingerat officio ſibi prohibito: quia facit directè contra legem prohibentem, & in materia graui. Hæc tamen ſuſpenſio, regulariter loquendo, non eſt propriè cenſura in Religionibus, quia non incurritur niſi poſt declarationem, quod eſt contra rationem cenſuræ, quę ſemper incurritur ante declarationem. Solùm ergo erit pœna purè vindicatiua, & non præſeruatiua, præſertim, cùm imponi ſoleat propter delictum præteritum, & ſine præmiſſa monitione, quod non competit cenſuræ propriè. Ita Portel *v. Suſpenſio num.2. in dub.regul.*

13. *Suſpenſus* ſimpliciter *ab officio*, non intelligitur ſuſpenſus à beneficio, quia cùm aliquando ſuſpenſio fiat ab officio, aliquando ab officio, & beneficio, ſuperflua adderetur ſecunda pars, ſi in prima includeretur; ſiue iſta ſuſpenſio ſit à iure, ſiue ab homine, ſiue propter delictum etiam graue, ſiue ob aliam cauſam, quidquid alij contrarium doceant: ſuſpenſus tamen ab officio debet per alium ſupplere onera ſui beneficij quæ per ſe nõ poteſt exercere, alioquin non poteſt fructus beneficij percipere. *Nauar.capit.27.nu.160. Sayr.lib.4.cap.5.num.16. Regin.c.num.10. Henriq. lib.13.cap.32.Fillinc.c.nu.21.& 41. Laym.c.cap.1.num.3. Dian.p. 5.tr.10.reſol.1.*

14. *Suſpenſio* ab ingreſſu eccleſiæ. *Primo*; priuat actu ſolemni cuiuſcumque ordinis, & ex officio intra Eccleſiam: ex quo enim interdicitur ingreſſus Eccleſiæ, tamquam rei principalis, cenſentur interdicta omnia diuina tamquam conſequentia, non tamen taliter ſuſpenſus priuatur poteſtate exercendi conditionalia, aut eligendi, aut celebrandi extra Eccleſiam, aut orandi in ea tempore quo ibi diuina non dicuntur, aut tranſeat per eam, aut percipiendi eccleſiaſtica ſacramenta. *Secundo*, priuat ſepultura eccleſiaſtica, dummodo impœnitens deceſſerit, ſi tamen ſic ſepeliretur, non polluereturEccleſia. *Nauar.capit.25.numer.75.& capit.27.numer.170. Angel. verbo ſuſpenſio 3.numer.5. Syluſtr.verb.ſuſpenſio,num.5. Tolet.libr.1. c.43.n.8. Fillinc.c.n.32.*

15. *Suſpenſio* ab adminiſtratione Eccleſiæ in temporalibus, & ſpiritualibus, prohibet adminiſtrationem temporalem, & ſpiritualem, non verò ſuſpendit ab ordine; vnde Sacerdos ita ſuſpenſus non fit irregularis, celebrando Miſſam: peccabit tamen talis conferendo beneficia, vel adminiſtrando ſacramenta, quia hæc eſt actio pertinens ad iuriſdictionem ſeu adminiſtrationem ſpiritualem. *Henriques lib. decimotertio, capitul.trigeſimoſecundo, numero quarto, Sayrus, citat. capitul.ſeptimo, numero ſexto, Syln.citat. quæſtion.quinta, Tolet.c. num.12.*

16. *Suſpenſio* à diuinis prohibet ne clerici poſſint recitare in cho-

in choro pſalmos, intereſſe illis aut etiam diuina officia audire tamquam clerici: quòd ſi contra faciant intereſſendo illis tanquam clerici, & miniſtri ex officio, irregulares ſunt: ſi verò tamquam laici audiendo, vel etiam cantando tantùm, ſecundùm ſententiam probabiliorem non peccant. *Bonac. c. diſp. 3. punct. 2. n. 16. Filiuc. nu. 33. Portel. c. n. 5.* Priuantur etiam taliter ſuſpenſi exercitio ordinum, etiam minorum quos habent, ita vt nec Miſſam, aut Euangelium dicere, vel confeſſiones audire poſſint; licitè tamen cantant Epiſtolam abſque veſtibus ſacris in choro, & ſine ſolemnitate, ſicut faciunt non ordinati, & poſſunt ſeruire Miſſis, prout faciunt ſæculares, confiteri peccata ſua, communicare, &c. *Nauar, in manual. cap. 27. nu. 163. & 244.*

17. *Suſpenſio à beneficio ſimpliciter* eſt priuatio vſus iuris ad recipiendum temporale emolumentum fructuum, cuiuſcumque generis, conditionis, & qualitatis illi ſint, & quocumque nomine vocetur beneficium: quia beneficium in latioti ſignificatione acceptum complectitur omnia beneficia. *Suares diſp. 27. ſ. 1. Say, c. c. 6. nu. 3, Diana p. 5. tract. 10. reſol. 3. Tolet. cit. num. 7. Vgol, tab. 4. capitul. 8. §. 6. Notandum*, tamen eſt, *Primò*, quòd ſuſpenſus à beneficio non intelligitur ſuſpenſus ab officio, etiamſi officium ei competat ratione beneficij; in materia enim pœnali non eſt facienda extenſio. *Secundò*, ſuſpenſus à beneficio poteſt percipere diſtributiones, quæ dantur ijs, qui intersunt diuinis officijs modò diſtributiones non dentur intuitu beneficij, cuiuſmodi ſunt illæ quæ dicuntur anniuerſaria, vel ſtipendia Miſſarum. Filliuc. c. n. 44. Sayrus c. n. 11. *Tertiò*, ſuſpenſio a beneficio in pœnam perpetrati delicti tradenda eſt portio fructuum ſufficiens ad congruam ſuſtentationem taxandam auctoritate ſuperioris, quoties ſuſpenſio lata fuit ab homine per ſententiam; quando verò ſuſpenſio lata fuit à iure, nec delictum deductum fuit ad forum contentioſum, portio fructuum taxari, poteſt arbitrio prudentis viri. *Bonacina c. nu. 14. Filliuc. c. nu. 53. & 54. Leym. c. cap. 1. nu. 4.* Si verò *Suſpenſio* eſt lata pro contumacia, ſuſpenſus nõ eſt alendus ex fructibus beneficij, quia tribuitur ſuæ malæ voluntati, quà durante etiam patitur eam neceſſitatem. *c. Paſtoralis, §. verum, de appellat.*

18 Porrò nemo tenetur ex vi præcepti eccleſiaſtici vitare ſuſpenſum, aut non communicare, aut loqui cum ipſo, quia nullibi reperitur tale præceptum prohibens communicare cum ſuſpenſis vnde ſecluſo ſcandalo, non erit peccatum etiam veniale communicare, cum ſuſpenſo, etiam in actibus à quibus ſuſpenſus eſt, niſi quando talis communicatio fuerit quædam cooperatio cum illo in delicto & malo vtì miniſterij, nam tunc erit peccatum cõtra legem naturalem, & humanam, ſi quidem cooperari peccato alterius intrinſecè malum eſt. Tunc autem dicitur quis cooperari peccato ſuſpenſi, quando ſuſpenſum non toleratum extra caſum neceſſitatis extremæ inducit ad vſum actus prohibiti aut ſi toleratus ſit, tamen ſine vlla prorſus neceſſitate, aut vtilitate, cùm alias non eſſet paratus, neque ex officio, aut dignitate obligatus, prouocat illum ad talem vſum, vel ei ad exercitium actus prohibiti incitat.

SVSPENSIO III.

Quamdiu duret ſuſpenſio, & de eius abſolutione.

SVMMARIVM.

1. *An ſuſpenſio abſolutè lata abſque conditione, vel limitatione temporis, duret donec per abſolutionem auferatur.*
2. *An ſuſpenſio ab officio, beneficio, ſimpliciter lata abſq. loci determinatione valeat pro omni loco?*
3. *Quot modis poſſit tolli ſuſpenſio lata in puram pœnam?*
4. *Quis poſſit abſoluere a ſuſpenſione, ex poteſtate ordinaria, vel delegata, ſeu ex priuilegio?*
5. *A quo ſuſpenſio lata ob contumaciam, & ob perſeuerantiam in illa poſſit tolli?*
6. *Qua ſit forma abſolutionis à ſuſpenſione.*

1. *Suſpenſio lata* ſimpliciter, & abſolutè abſque conditione, vel limitatione temporis durat donec auferatur per abſolutionem: ſi verò lata ſit cum temporis determinatione durat intra tempus determinatum; & eo tempore elapſo ceſſat, quia cenſura non ligat vltra conditoris voluntatem: vnde qui ſuſpenditur ab officio per menſem, non poteſt intra ſpatium menſis officium exercere incipiendo ab eodem die ſeu puncto, quo lata eſt ſuſpenſio, quæ ſecum trahit executionem, & afficit incontinenti *Suar. diſp. 26. ſect. 1. nu. 13. & d. 27 ſ. 1. nu. 23. Fill. tr. 17. nu. 48. Sayr. l. 4. cap. 8. n. 2. Vgolin. tab. 4. cap. 15. §. 3.*

2. *Suſpenſio ab officio* ſimpliciter lata abſque loci determinatione, valet pro omni loco: quia ſuſpenſio eſt cenſura quæ ſequitur ſuſpenſum vbicumque ſit: & licèt prælatus non poſſit obligare extra territorium per ſtatutum vel legem, tamen per præcepta particularia, quæ imponuntur perſonis, & immediate eas reſpiciunt, poteſt etiam eaſdem obligare extra territorium. *Nau. c. 27. nu. 161. & 162. Suares d. 29. ſect. 4. Tolet. lib. 1. c. 46. Rodrig. t. 2. c. 69. Layman l. 1. tr. 5. p. 3. cap. 4. Idem* dicendum de ſuſpenſione ſimpliciter à beneficio abſque loci determinatione: quamuis non deſint contrarium ſentientes probabiliter, vbi eſſet conſuetudo, vt ſolùm intelligeretur ſuſpenſio ab Epiſcopo lata de beneficijs intra ſuum territorium Suares *d. 26. ſ. 1. n. 11. & d. 27. ſect. 1. num. 17. & ſeq. Bonac. c. p. 3. n. 7. Filliuc. c. n. 17. & 47. Layman l. 1. tr. 3. p. 3. c. 1. n. 7.*

3. *Suſpenſio* lata in puram pœnam, poteſt tolli tribus modis. *Primus* eſt, per temporis lapſum, ſi enim lata eſt ad determinatum tempus, vt annum &c. ſolo temporis lapſu ceſſat, nec opus eſt alia abſolutione. *Secundus* modus eſt per diſpentationem ſuperioris; ſi enim lata ſit ad certum tempus, vel etiam in perpetuum ab eo tolli poterit nondum elapſo termino. *Tertius* modus eſt per abſolutionem, quando vel eſt lata ſimpliciter in pœnam ſine vlla temporis determinatione: ſuſpenſio verò lata cum conditione donec ſatisfeceris, ſecundùm *Suares*, *Nauarrum*, *Toletum*, exhibita ſatisfactione ceſſat: cæterum quamuis hoc ſit probabile, quia talis conditio videtur præſcribere terminum pro quo duratura eſt ſuſpenſio: tamen tutior videtur contraria, ſi ſuſpenſio ſit lata tamquam cenſura. & non in puram pœnam *Fill. tr. 17. c. 4. nu. 71. Dec. in c. de iudæis.*

Abſolutio ſuſpenſionis, quæ eſt ab homine, pertinet ad eum qui tulit ſententiam, vel ad eius ſucceſſorem, vel ad ſuperiorem. *A ſuſpenſione* in pœnam poſſunt abſoluere priuilegiati Mendicantes, ex conceſſione facta Patribus Societatis à *Paulo III. Nauar. 4. num. 162. Compend. priuilegiorum Mend. v. abſolutio quoad facul.* Ex *poteſtate* autem *ordinaria*, quando ſuſpenſio eſt lata ad certum tempus vel in perpetuum, poteſt tantùm auferri ab auctore Canonis, quia quando fertur in puram pœnam, ſuſpenſio fertur cum ſtabilitate, & virtualiter auctor Canonis ſibi reſeruat ne ante illud tempus vllus inferior abſoluat: nec eſt *ſimilis ratio* de excommunicatione, à qua poteſt abſoluere inferior, niſi ſit reſeruata à conditore Canonis: tum quia hæc ſuſpenſio lata in puram pœnam, non aufertur per abſolutionem, ſed per diſpenſationem: diſpenſatio autem, ex ſua natura cenſetur reſeruata, niſi explicitè concedatur. *Gloſſ. in cit. c. cupientes de elect. in 6. Toletus l. 1. cap 46. num. 3. Bonacina de ſuſpenſione per. vltim. num. 6. Filliuc. c. nu. 68. Suares c. ſect. 1. n. 15. Layman c. c. 4. nu. 2.*

5. *Suſpenſio* lata ob contumaciam & ob perſeuerantiam in illa, antequam tollatur contumacia, non poteſt tolli niſi ab auctore illius, vel ſuperiore: poſt ablatam contumaciam etiam à ſucceſſore in officio, & quidem ſi ſit ab homine: *Filliucius c. nu. 69. Toletus c. num. 4. Regin. l. 32. c. 22. nu. 43. ſi verò* ſit à iure, tunc ſi eſt reſeruata, tantùm poterit auctor, ſuperior vel ſucceſſor: imo etiam Epiſcopus ſi ſit reſeruata Papæ, & delictum ſit occultum ex conceſſione Concilij Tridentini *ſeſſ. 24. c. 6. Si non ſit* reſeruata ſuſpenſio, tunc poterit ab ea abſoluere quilibet ordinarius, ex communi ſententia apud *Suares*, quæ iam vſu recepta eſt. *Nau. c. 27. nu. 162. Laym. c. n. 2. Suar. d. 29. ſect. 2. nu. 2. & 11. De Paroche* autem & quolibet alio ſimplici ſacerdote, Doctores ferè communiter negant poſſe; excepto Viualdo *in ſuo Candel. aureo, de ſuſpenſione n. 31.* qui dicit quemlibet poſſe, modò Epiſcopus ſibi non reſeruarit omnes ſuſpenſiones iuris, vt ſolent communiter facere.

6. Ad abſoluendum à ſuſpenſione non ſunt determinata aliqua verba: hæc tamen ſunt in vſu: *Ego te abſolvo à vinculo ſuſpenſionis, in quam incurriſti, & reſtituo te ad executionem tui muneris, vel ordinis, vel ad tuum beneficium*; non eſt autem neceſſarium in abſolutione explicare cauſam ob quam contracta eſt ſuſpenſio. Suares *d. 7 ſ. 9. n. 2. Nauarr. c. 26. n. 8. Filliuc. tr. 11. nu. 329.*

Vide Excommunicatio V. n. 7.

SVSPENSIO IV.

De Suſpenſionibus, quæ ipſo iure contrahuntur.

Contra Clericos.

SVMMARIVM.

De ſuſpenſionibus quæ ipſo iure contrahuntur.
Contra Clericos. *Contra Epiſcopos.*
Contra Capitula. *Contra Religioſos.*

1. REcipientes ordines ab eo qui renunciauit Epiſcopatui. *C.1.de ord.ab Epiſc.qui renun. Epiſcopatus.*
2. Recipientes ab alieno ſine licentia proprij. *Pius II. cum ex ſacrorum 6.*
3. Recipientes à proprio in aliena diœceſi ſine licentia. *C.Epiſcopum 9.q.2.*
4. Recipientes ab excommunicato, vel ſuſpenſo denunciato. *C.1.& 3.de ſchiſm.*
5. Recipientes ante legitimam ætatem. *Pius II. cum ex ſacrorum 6.*
6. Recipientes extra tempora ſine diſpenſatione. *Pius II. ibi.*
7. Recipientes non ſeruatis interſtitijs. *C.dilectus c.ſitteras de temp.ordin.*
8. Contra Clericos ordinatos ficto titulo. *C.nemini sen, c.Sanctorum,d.70.*
9. Contra promotos per ſaltum. *Concil. Tridentin. ſeſſion. 23.cap.14.*
10. Contra Clericos recipientes ordines ſacros poſt matrimonium ratum etiam non conſummatum. *Extrauagant. antiquæ, de vito.*
11. Clericos recipientes ordines ſi ſint excommunicati, vel ſuſpenſi, vel interdicti. *C.cum illorum, de ſentent.excom.*
12. Si cum litteris Capituli ſede vacante infra annum. *Concil. Trid.ſeſſ.7.c.10.de reform.*
13. Vtentes ordine in loco interdicto præter modum iure conceſſum. *C.si, qui de ſent.excom.in 6.*
14. Celebrantes coram excommunicato vel interdicto. *C.Epiſcopor.de priuil.in 6.*
15. Tradentes ſepulturæ publicos vſurarios. *C.quia in omnib. de vſuris.*
16. Contra Parochos iungentes ſponſos alterius parochiæ ſine licentia. *Trid.ſ.24.c.1.de reform.matr.*
17. Parochos non prohibentes matrimonia clandeſtina, vel cõtra interdictum Eccleſiæ. *c.cum inhibitio, de clandeſt.deſponſ.*
18. Abutentes veſtibus contra iuris ſtatuta. *Clemen.2.de vita, & honeſt.cler.*
19. Alienis debitis grauantes Eccleſias ſibi commiſſas. *cap.2. de ſolut.*
20. Occupantes bona prælati defuncti. *capit. quia ſæpe de electione.in 6.*
21. Electores Epiſcoporum, non præſentantes electionem electo infra octo dies. *c.cupientes, de elect.in 6.*
22. Compromiſſarios eligentes indignum. *c.ſi compromiſſor. de elect.in 6.*
23. Eligentes indignum ad Epiſcopatum, vel curatum. *c.cum in cunctis,§.fin.de elect.*
24. Poſtulantes in Prælatum Cathedralis, eos, qui prohibentur. *c.cum in cunctis, de elect.*
25. Conſentientes electioni per abuſum ſæcularis poteſtatis. *C.quiſquis, de elect.*
26. Inferioris Epiſcopis non ſeruantes in viſitatione conſtitutionem Innocentij IV. *c.exigit, de cenſib.in 6.*
27. Conferentes beneficia eorum, qui ſeruiunt in curia, vel eadem recipientes. *Extrau.3.de prin.*
28. Facientes in iudicio per ſordes aliquid contra iuſtitiam, & conſcientiam in grauamen partis. *cap.1.de ſentent. & re iudicat.in 6.*
29. Conſeruatores ſe intromittentes in alijs, quàm de manifeſtis in iniurijs. *cap.vltimo, de offic.delegat.in 6.*
30. Occupantes bona, cenſus, &c. Eccleſiæ, beneficij, vel pij loci. *Conc.Trid.ſeſſ.22.c.11.de reform.*
31. Publicos peccatores. *cap.vltim.de temper. ordin. Hodie iſta non ſunt in vſu.*
32. Publicos concubinarios.
33. Sodomiam exercentes.
34. Simoniacos. *Extrau. Pauli 2.de ſimonia.*
35. Iurantes de tenendo ſchiſmate. *c.1.de ſchiſmate.*
36. Prouocantes ad duellum, vel acceptantes. *cap.1.de cler.pugnant.in duello.*
37. Raptores, vel præbentes auxilium &c. raptui, *Conc.Trid. ſeſſ.24.cap.6.de reform.*
38. Diſputantes de conceptione Beatæ Virginis. *Pius V. ſuper ſpecula Pauli V. regis pacifici Greg.15.apud Bonac. de ſuſp.d.3.p.5. §.1.num.37.*

Contra Epiſcopos.

39. Conferentes ordines ſimoniacè. *c.penult.de ſimon.*
40. Conferentes ſuſpenſo propter malam promotionem, *c. ſi qui Epiſcopis,1.q.1.*
41. Ordinantes religioſum non profeſſum. *Pius V. Rom.Pont. bulla 74.*
42. Ordinantes accepto iuramento quod non moleſtabuntur ſuper eorum prouiſione. *capit. ſi quis ordinaueris, de ſimon.*
43. Ordinantes monachum ſine licentia Abbatis, *Hæc ſuſp.non eſt in vſu.*
44. Non promulgantes Concilium prouinciale toti diœceſi. *C. ſin.diſp 58.*
45. Intromittentes ſe in cauſis ſpectantibus ad electionem Epiſcoporum. *capit. quamuis, de election.in 6. & cap.prouida. eod.*
46. Submittentes laicis bona Eccleſiæ ſine debito conſenſu, *c. hoc conſultiſſimo, de reb.Eccleſiæ non alienandis in 6.*
47. Occupantes bona vacantium pertinentium ad eorum prouiſionem, *c.præſenti, de offic.ord.in 6.*
48. In cauſa alienationis malè vtentes delegata poteſtate. *Extrau.2.cum in omnib.Pauli 2.*
49. Alienantes bona Eccleſiæ vltra biennium. *Extrau.ambitioſa, de reb.Eccleſiæ non alien.*
50. Admittentes reſignationes contra formam præſcriptam in conſtitutione, *Quanta. Pius 5.in bulla 58.Quanta.*
51. Fouentes vſuras locando ſuas domos, *Cap.primo, de vſuris in 6.*
52. Abutentes munere Inquiſitorum in cauſa fidei. *Clement.1. §.verum de hæret.*
53. Delinquentes contra Clericorum immunitatem. *Clemen. 2.de pœnis.*
54. Non ſeruantes *Extrauagantem 2. de electione* quoad perceptionem fructuum primi, vel ſecundi anni. *Extrauagan. ſecundo, de election.*
55. Promotos à ſede Apoſtolica ſine litteris authenticis eiuſdem, *Extrauag.1.de elect.*
56. Concubinarios à Synodo admonitos & non ſe emendantes. *Conc.Trid.ſeſſ.25.c.14.de reform.*
57. Relaxantes incendiarijs pœnam contentam in iure. *c.peſſimam, 23.q.8.*
58. Negligentes procedere contra ſimoniacos, *cap. quidquid, 1.quæſt.1.*
59. Non facientes comburi libros Talmud. *Iul. 3. in bull. 46. cum ſicut.*
60. Publicantes populo indicè caſuũ. *Pius 5.in Bul.99.quã plenũ.*
61. Non viſitantes limina Apoſtolorum tempore præſcripto in conſtitutione *Sixti Quinti. Sixtus quintus in bulla Romanus Pontifex.*
62. Ingredientes monaſteria monialium ſine neceſſitate. *Greg.13, ubi gratia.*

Contrà Capitula.

63. Si dilapident bona relicta, vel obuenientia tempore vacationis. *C.quia ſæpè de elect.in 6.*
64. Si recipiant prælatos promotos in curia abſque litteris Papæ. *Extr.1.de elect.*
65. Si petant in receptione ad religionem, aut poſt illam paſtus & prandia. *Extrauag. ſanè de ſimon.*
66. Si non ſeruent contenta in conſtitutione. *Quanta Pij V. Pius V. in bulla quanta.*

Contra Religiosos.

67. Apostatas in apostasia ordines recipientes. *Cap. fin. de apostasia.*

68. Recipientes ad professionem ante annum probationis. *C. non solum de reg. in 6.*

69. Superiores concedentes reditus Ecclesiarum alicui ad vitam, *Clem. 1. de reb. Eccles. non alien.*

70. Vsurpantes decimas sibi non competentes. *Clementin. de decimis.*

71. Non vtentes habitu & vestitu modo ipsis præscripto. *Clement. 1. §. si quis autem, de statu monach.*

72. Superiores, ad quos occasione excessuum suorum aliquid peruenerit. *Clem. de priuileg.*

73. Non facientes conscientiam pœnitentibus de soluendis decimis, *Clem. cupientes, de pœnis.*

74. Non professos recipientes ordines sacros *Pius V. in bulla Rom. Pont.*

75. Introducentes mulieres in monasteria prætextu facultatis Apostolicæ. *Pius 5. in bull. Regularium 22.*

De his omnibus censuris in particulari nihil agimus breuitati studentes, extant apud Doctores plurimi tractatus de his suspensionibus, & præcipuè apud Bonac. to. 2. & 3. Fill. tract. 17. c. 5. 6. 7. 8. & 9. Tolet. l. 2. c. 47. 48. 49. Nauar. & Suar. & Sayrum.

SVSVRRATIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit susurratio?*
2. *An susurratio formalis vel materialis sit peccatum mortale?*
3. *An susurratio possit aliquando excusari à mortali, & fieri licita?*
4. *An liceat medijs illicitis ob propriam vilitatem per susurrationem alium excludere ab amicitia, & gratia, quam quis quærit?*
5. *An omnes susurrationes sint eiusdem speciei.*

1. SVsurratio est *occulta oblocutio contra proximum, qua possit dissolui amicitia, & oriri discordia inter amicos*: dicitur *Primò occulta oblocutio*, in quo conuenit cum detractione, & differt à contumelia. Dicitur *secundo, quà possit dissolui*, hoc enim differt à detractione & à cæteris: nam detractio famam denigrat, eique detrahit: contumelia honor læditur at susurratio habet pro effectu dissoluere amicitias: tamen in susurratione sæpè includitur detractio, & contumelia; quia ad disseminandas discordias aliquando refertur crimen alterius falsum, vel etiam verum, & occultum in absentia, vel in præsentia D. Thom. 2. 2. q. 74. *art.* 1. *Clauis reg. lib.* 12. *cap.* 5. *Nau. c.* 18. *nu.* 33. *Sylu. v. Susurratio. Filliuc. tr.* 40. *n.* 135. 136. *Sylu.* 2. 2. *q.* 74. *art.* 1. & alij.

2. Ex communi Doctorum sententia *susurratio formalis* est ex suo genere peccatum mortale, grauius detractione, & contumelia: *D. Thom. c. a.* 2. *Fill. c. n.* 137. *Sylu. c. art.* 2. quia maius damnum affert, quàm afferat detractio, & contumelia: cùm susurratio dirimat, & dissoluat amicitiam, quæ præstantior est bono famæ, & bono honoris, D. Thomas & alij. Vnde in scriptura seuerè prohibetur, ac inter alia peccata mortalia annumeratur, vt patet *Leuit.* 19. 16. vbi dicitur: *Non eris criminator, nec susurro in populis, & Eccl.* 5. 16. *Non appelleris susurro in vita tua, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Ad Rom.* 1. 30. & inter alia mortalia peccata connumeratur, cùm dicitur: *Plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, &c.* Susurratio materialis ex genere suo non est peccatum mortale, sed aliquando erit veniale, aliquando autem mortale. *Venale* erit; quando dicitur malum, quod simpliciter non est natum generare discordias, licèt aliquo modo lædat amicitiã, quia in hoc casu, nec peccat mortaliter ratione intentionis, nec ratione damni. Est autem *mortale*, quando dicitur malum, quod natum est generare discordias, vel simpliciter, & absolutè ratione personarum, apud quas dicitur, nouerat que susurro posse apud illos generari. Quia in his casibus etsi desit intentio, nihilominus graue damnum, & nocumentum infert, quod probabiliter præuidere potuit, & tenebatur. Vnde in Prou. 26. 20. dicitur: *Susurrone subtracto, iurgia conquiescent.*

3. Licet *susurratio*, ex genere suo peccatum mortale sit contra iustitiam, & proinde obligans ad restitutionem; *aliquando* tamẽ excusari potest a mortali, ratione indeliberationis, & inaduertentiæ, si fortè adsit inaduertentia: imò susurratio *aliquando* licita est, vt quando quis manifestat alterius defectum ad dissoluendam amicitiam pernicio sam, & periculosam, nullo intercedente mendacio, & nulla tenebratione peccati occulti. *Molin. tract.* 4. *d.* 25. *Salon* 2. 2: *q.* 74. *art.* 2. *Azor.* 1. *p. lib.* 13 *c.* 8. *d.* 3. *Filliucius c. nu.* 138. *Sylu. c. art.* 2. & alij: Vnde nullum erit peccatum modo prædicto amicitias concubinariorum dissoluere; in quem etiam finem licitum erit aliqua vitia naturalia hominis commemorare, aut alia eius vitia publica, v. g. dicendo amatricem suam esse deformem, ignobilem, publicam meretricem, & huiusmodi.

4. Non licèt medijs illicitis ob propriam vilitatem per susurrationem alium excludere ab amicitia & gratia, quam quis quærit: *clauis regia c. n.* 5. puta fraude, dolo infamando proximum: si tamen id agatur solùm narrando defectus aliquos naturales, aut alios veros, sed non occultos, ex quibus nec sequatur infamia, nec dissolutio amicitiæ, sed tantùm familiaritatis prioris; etsi aliqui, vt *Sotus de iust. l.* 5. *q.* 11. *art.* 1. *Arragon.* 2. 2. *q.* 74. *art.* 2. *Bonacina de rest. d.* 2. *q.* 7. *p.* 2. *num.* 6. excusent à peccato, probabilius tamen videtur quòd absolutè, & regulariter peccatum aliquod sit: an autem quando hoc non licet, sit peccatũ cõtra iustitiã? *Salm.* et *Clauis reg.* affirmant. *Sotus* tamen, & *Arragon*, negant, & quidem probabiliùs.

5. Omnes susurrationes sunt eiusdem speciei, quia omnes versantur circa idem obiectum formale dissolutionem scilicet amicitiæ. Neque refert quòd amicitia, honesti, vtilis, & delectabilis differant specie: quia susurro per se non respicit cui bono innitatur amicitia, sed tantùm intendit illam, siue huic, siue alteri bono nitatur, dirimere: Quamuis ergo ea quæ ad susurrationem materialiter se habent, diuersa scilicet amicitiæ, specie differant; quia tamen sub eadem formali ratione respiciuntur à quibuscumque susurrationibus: ideo omnes susurrationes eiusdem sunt speciei: Possunt tamen tales circumstantiæ susurrationi accidere, vt trahatur in diuersam speciem necessariò in confessione exprimendam; vt si quis coniugum amicitiam dirimere conetur, vt abutatur vxore, talis susurratio trahitur ad speciem adulterij: Sic etiam si quis Regi susurret aliquid de Regis familiari, non solùm vt eorum familiaritates disrumpat, sed etiam vt hac ratione aliquòd officium, aut dignitatem alterius obtineat, & susurro, & ambitiosus erit, atque adeò vnico actu duo peccata committit, quorum vnum ab altero imperatur. Quæ doctrina diligenter annotanda est ad rectè, & integrè confitendum, vtrumque enim peccatum in confessione distinctè explicandum est. Ita communiter Doctores.

T

TENTATIO DEI.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit tentatio Dei.*
2. *Quomodo quis possit expresè vel tacitè tentare Deum?*
3. *An tentatio Dei absque iusta causa sit peccatum mortale.*
4. *An necessitas, vel vilitas proximi sit iusta causa Deum tentandi?*
5. *An in confessione exprimendum sit, an tentatio Dei fuerit tacita, vel expressa.*

1. TEntatio Dei est *actus contra religionem, quo quis absque iusta causa aliquid dicit, vel facit ad capiendum experimentum de diuina perfectione*, vt de potentia, de sapientia, de iustitia, misericordia, voluntate, alijsque attributis Dei: *dicitur* autem esse hoc peccatum *contra religionem*, quia est quædam irreuerentia contra Deum, velle de ipsius perfectione experimentum sumere absque iusta causa, relictis medijs à Deo institutis. *D. Tho. 2. 2. q. 97. nu.* 1. *Nauar. cap.* 11. *n.* 10. *Tolet libro* 4. *c.* 19. *Sanch. lib.* 2. *moral. cap.* 34. *n.* 1. *Sylu. 2. 2. q.* 97. *ar.* 1. & *alij*. Tum quia multos præsumeret Deum tentare, si de eius excellentia certus esset: quippiam verò agere ex incertitudine de Dei excellentia, haud dubiè pertinet ad diuinam irreuerentiam. Quamuis ergo quòd quis Deum tentet, possit ex alio vitio prouenire, veluti ex incertitudine fidei, ex defectu spei, ex præsumptione, & similibus, ipsa tamen Dei tentatio directè pertinet ad irreligiositatem.

2. *Dupliciter* potest contingere, vt quis Deum tentet, *vno modo*, ex-

do, expresse: *altero*, tacitè seu interpretatiuè: *tentat expresse*, qui dicit aut facit aliquid hac intentione, vt experimentum faciat Dei bonitatis, vel potentiæ, siue pro se, siue pro alijs, vt qui à Deo petit miraculum, vel qui se præcipitem conijcit in puteum, vt experiatur an Deus se lædi permittat. *Tentat* autem *tacitè*, quando quis aliquid facit absque intentione expressa capiendi experimentum de diuina perfectione, illud tamen quod facit, per se, & suapte natura ad nihil aliud referri potest, quam ad iumendum experimentum de aliqua Dei perfectione: vt cùm quis relictis medijs naturalibus à Deo ordinatis, infirmus existens vult sanari; vel qui relicta scala vellet è turri per aera descendere. *Notandum* tamen cũ, quòd ad tentationem Dei interpretatiuam requiratur vt effectus expectetur, vel petatur à Deo. *Suar. to. 1. tr. 3. l. 1. cap. 3. Lessius lib. 2. c. 45. nu. 3. Laym. l. 4. tr. 10. c. 5. Regin. lib. 17. nu. 226. Fill. tr. 22. n. 261. Sylu. c. tr. 1. & alij.*

3. *Tentatio Dei* expressa & formalis regulariter loquendo, si fiat absque iusta causa peccatum est mortiferum, *D. Tho. c. ari. 2. Sylu. ibid. Suar. c. 1. 2. nu. 16. Clauis reg. l. 4. c. 7. nu. 14. Less. cit. dub. 1. Tolet. c. Sanch. c. n. c.* tum quia est quidam contemptus Dei, v. g. si proueniat ex crassa ignorantia, vel dubitatione earum rerum, quas homo scire debet. *Secundò*, quando coniungitur cum aperto vitæ periculo, aut grauis læsionis. *Tertiò*, quando est periculum scandali. *Quartò*, si ex curiositate, vt videat res mirabiles, petat miracula. Tum quia notabilis Dei irreuerentia est, agere cum Deo, tamquam cum ludione, & curiositatum fautore. Tum quia sic tentans Deum, non solùm vult Deum fouere vanam curiositatem, sed etiam vt sua omnipotentia aliquid mirabile ad solum illum vanum finem operetur, quod immensam Dei sapientiam ac prudentiam valde dedecet.

Ex dictis deducitur tentationem Dei esse mortalem, se martyrio temerè & absque iusta causa offerre: tunc autem adest iusta causa, quando martyrium est sub præcepto, vel sub consilio. Ratio est, quia est in re graui, & prouocantur infideles absque causa ad peccandum mortaliter. Martyres enim non prouocarunt tyrannos ad mortem ipsis inferendam, sed exigente iusta causa processerunt ad externam fidei confessionem, vt Euangelij prædicationem, & alios actus, vnde tyranni ex propria malitia sumebãt occasionem varijs eos tormentis cruciandi. Quòd si aliquando se martyrio offerebant, id erat vrgenti magna ostendendæ fidei necessitate, & diuino instinctu ducti. Ita *D. Th. 2. 2. q. 124. ar. 1. ad 3. Caiet. ibid. Nau. in man. c. 11. n. 40. 41. Syluest. v. martyrium.*

Item tentatio Dei mortalis est, secundùm *Nau. c. Lopez. 1. par. instruct. c. 41. ad fin. Sanches l. 2. moral. c. 34. n. 16.* si quis sine præuia meditatione, nec coactus iusta causa prædicare contendat, sperans fore, vt Deus sibi dicenda inspiret. Quod verum credit *Sanches*, quando animo Dei tentandi id fieret: secus si non eo animo, nec scandalum, nec aliud detrimentum notabile sequatur, tunc enim erit veniale. Similiter *veniale* peccatum erit tentatio Dei, *Primò*, ratione inconsiderationis aut ignorantiæ non crassæ. *Secundò*, ratione paruitatis materiæ aut periculi, cui se quis exponit *D. Thom. Sylu. Suares*, & alij: Vt in leui morbo nolle medicinis vti sperando vanè salutem à Deo, non petito miraculo.

4. *Iusta causa* Deum tentandi expressè pro alijs est. *Primò necessitas*, puta cùm non apparet facultas viam Dei aliter manifestandi, quomodo Elias Deum tentauit vt populus incredulus eum reciperet, & prophetas Baal occideret. *Secundò est vtilitas*, cùm scilicet speratur probabiliter fructus in his, in quibus Deum manifestare volumus, vt quando quis petit miraculum ad conuersionem infidelium. Hoc tamen non nisi valdè cautè est faciendum, quia miracula experenda non sunt, nisi vel ex diuina reuelatione, vel ex instinctu interno Spiritus-sancti, vel nisi necessitas, & vtilitas omnino euidens fuerit, alioqui qui temerè attentat facere miracula, seipsum fidemque suam ludibrio exponit. Ita *D. Th. c. ad 3. Laym. c. n. 2. Tolet. c. n 8. Azor. 1. p. l. 9. c. 2. q. 7. Less. cit. n. 5.*

5. In confessione exprimendum est, an tentatio Dei fuerit tacita, vel expressa; quia secundùm Suares *c. l. 1. c. 3. num. 6. Sanchez c. n. 11. & Regin. c. n. 227.* tentatio Dei expressa differt specie ab interpretatiua, quia procedere solet ex principijs & causis moralibus longè diuersis, & diuersimodè diuinæ reuerentiæ aduersatur. Tum etiam quia exigitur manifestatio intentionis, qua factum est opus, quo tentari Deus dicitur: quando enim tentatio expressa procedit ex dubio de aliquo Dei attributo, tunc esset coniuncta malitia mortalis contra fidem.

TESTAMENTVM.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit testamentum? & in quibus differat à codicillo.*
2. *Quotuplex sit testamentum? & quæ requirantur à iure ad testamentum in scriptis.*
3. *Quæ iuris solemnitas requiratur in testamentis militaribus factis in tentorijs, vel in conflictu hostium?*
4. *An vt testamentum ad pias causas sit validum, requirantur solemnitates iuris ciuilis, tam pro foro externo, quàm conscientiæ? & quæ pia causa dicantur?*
5. *An testamentum ad causam non piam sine solemnitatibus iuris in foro externo & conscientia sit validum?*
6. *Qui possint vel non possint testari?*
7. *An omnes lege non prohibiti, institui possint hæredes, & legatarij? Et qui iure prohibeantur?*
8. *An communitates possint institui hæredes?*
9. *An filij naturales possint instituui hæredes vniuersales à parentibus, si non habeant prolem legitimam? & an ab intestato naturalis succedat?*
10. *An spurij possint aliquid accipere à parentibus præter alimenta?*
11. *An filia possit exhæredari, eo quod matrimonium contraxerit inuito patre, vel cum indigno?*
12. *An pater possit vni filio plus relinquere quàm alteri?*
13. *Qui possint constitui executores vltimarum voluntatum?*
14. *An fratribus Minoribus possit electio pauperum committi à Testatore?*

1. TEstamentum est *voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod post mortem suum fieri vult, cum directa hæredis institutione. L. 1. ff. de testam.* Differt autem à codicillo in duobus. *Primò*, quòd codicillus non fit ad institutionem hæredis, sed ad mutandum aliquid, vt ad legata, vel fideicommissum faciendum. *Secundò*, quòd ad illum sufficiant 5. testes etiamsi rogati non sint, & possunt etiam esse mulieres; at ad testamentum requiruntur septem, rogati, mares, & puberes. Molina *tom. 1. d. 124. Reginald. lib. 25. num. 631. Syluest. v. testamentum, 1. num. 11. Filliucius tr. 34. cap. 7.*

2. *Testamentum* duplex est, *vnum* dicitur in scriptis seu clausum, eò quòd testator latere velit quod in eo continetur. *Alterum* dicitur nuncupatiuum, *L. hac consultissima. C. de testam.* eò quòd testator sine scriptura coram testibus declaret, quid fieri velit post mortem, & ob id appellari solet testamentum apertum. *Ad testamentum* in scriptis, seu clausum requiruntur quinque. *Primum*, vt conficiatur scriptura & claudatur in quo contineatur voluntas testatoris. *Secundum*, vt adhibeantur septem testes, mares, liberi & puberes ad id rogati. *Tertium*, vt coram illis vno eòdemque tempore, dicat testator illud esse suum testamentum, illudque subscribat propria manu si possit, sin minus adhibeat octauum testem, qui loco eius illud subscribat: *Quartum*, vt eodem tempore illud subscribant septem illi testes, suoque vel alieno annulo signent. *Quintum*, vt scribatur nomen hæredis. *Conar. de testam. c. cùm esset. Sà verb. testam. n. 6. Vasques de testam. c. 1. §. 4. nu. 14. 15. Molin. c. disp. 125. & 126. Bonac. de controuers. d. 3. q. 17. par. 2.*

Ad testamentum nuncupatiuum, seu apertum duo requiruntur. *Primum*, septem testes modo dicto. *Secundum*, debent audire testatoris voluntatem, vel scriptam, vel vocerenus prolatam, at subscriptio autem & sigillum non sunt necessaria: Præterea vt sit validum debet absolui, nec sufficit quòd cœptum sit: *L. hac consultissima. C. de test. §. per nuncupationem.*

3. *Ad testamentum* militare factum in tentorijs, requiruntur, & sufficiunt duo testes rogati, & hoc testamentum sustinetur per annum post iustam missionem seu recessum ab exercitu, ipso verò anno non sustinetur: quòd si miles aufugit à castris non gaudet hoc priuilegio, in pœnam enim fugæ priuatur priuilegijs. *Ad testamentum* verò militare factum in conflictu hostium, nulla iuris solemnitas requiritur, sed satis est, vt miles suam scripserit voluntatem in clypeo vagina, vel re alia proprio sanguine, & eius manus probetur duobus testibus etiam non rogatis: hæc ex iure ciuili communi. *L. Miles C. de testam. militum. L. dejectorem, ff. de re militari, §. 8.*

4. Vtte-

4. *Vt testamentum* ad pias causas sit validum etiam in foro externo, non requiruntur solemnitates iuris ciuilis, sed sufficiunt, ex quæ sunt iuris gentium, nempe vt duo testes adsint: *C. relatum 1. de testamen. Cou. de testam. c. 11. num. 9. Clar. §. testam. q. 6. nu. 1. Fill. tr. 34. nu. 153, 154. Dian. p. 7. tr. 6. resol. 2.* in foto autem conscientiæ non sunt necessarij, sufficit enim in his testamentis, vt sit potestas in disponente, capacitas in eo in cuius fauorem disponitur, & libertas in dispositione. Sed quid dicendum de testamento absque solemnitate iuris, in quo causa pia non est hæres instituta, an valeat quoad legata pia in ipso contenta? Responsio affirmatiua est tenenda, tam in consulendo, quàm in iudicãdo, vt docent *Fagundes, Pasqualigus, Sanches, Vasq. Lugo, Bonacina,* & alij multi apud Dianam *c. resp. 3.* Immo probabile est testamentum ad pias causas valere etiam quoad legata prophana, si desit iuris solemnitas. Ratio est, quia si talia legata prophana non valerent, deberent decrescere causæ piæ, quæ instituta est hæres: æquum autem non est, vt idem testamentum, cuius iure, ac valore pia causa se defendit, & in sui commodum vtitur, tamquam firmo & valido, ac fide digno, in eiusdem etiam fauorem infirmetur & oppugnetur, sed potius æquum est, vt si ipsa causa pia illud putat, & vult haberi verum in vno, velit etiam haberi in alio: & hanc sententiam sustinent *Fagundes, Sanches, Lessius, Molina, Barbosa, & alij,* quos citat, & sequitur Diana, *c. resp. 4.*

Porrò relicta ad pias causas dicuntur. *Primò,* si quid Ecclesiæ, vel monasterio relinquatur. *Item* relictum hospitali, vel Fraternitatibus, pauperibus, viduis, & alijs miserabilibus personis, *Item* relictum pro anima, pro redemptione captiuorum, pium dicendum est. *Item* causa alimentorum pia est, sicut & dos, & id quod relinquitur pro maritandis virginib. *Item* quidquid relinquitur ad vtilitatẽ publicã pium dicitur; tale est relictũ ad constructionẽ siue refectionem põtium & viarum, &c. Denique ad piam causam relictum dicitur id, quod meretrici est relictum, vt ad frugem melioris vitæ redeat. Plura de his apud Dianam *cit. resolut. 26. & 30.*

5. *Testamentum* ad causam non piam sine solemnitatibus iuris in foro conscientiæ validum est, non in exteriore: *Primum* ex eo constat, quia ex testamento minùs solemni, secundùm communem sententiam Doctorum vtriusque iuris, oritur obligatio naturalis, vnde licitè retinetur quod ex tali testamento possidetur, siue titulo hæreditatis, siue legati, & secundùm eosdem Iuristas, hæres ab intestato tenetur in foro animæ restituere hæreditatem vel legatum ei, qui sic est institutus, & sciat voluntatem defuncti fuisse vt hæres, vel legatarius haberet: quòd si dubius sit debet cõponere cum illo pro ratione dubij. Immo hæres ab intestato posset cogi in foro externo restituere hæreditatem instituto in minùs solemni testamento, si fateatur voluntatem testatoris fuisse, vt alteri traderetur, vel nollet iurare oblato ei iuramento: in hoc tamen casu esset detrahenda Trebellianica, id est, quarta pars hæreditatis. *Clar. §. testamen. q. 90. num. 1. Molin. c. disp. 81. Less. lib. 2. cap. 19. dub. 3. Fill. tr. 34. cap. 7. quæst. 4. Sylu. v. hæreditas 3. quæst. 7.* & alij.

6. *Quilibet,* nisi prohibeatur, testari potest, modò sufficientem rationis vsum habeat, & liberam bonorum administrationem: *Less. c. nu. 37. Bonac. c. p. 2. nu. 1.* è contra illi non possunt testari, qui vel sufficienti rationis vsu carent, vel iuris dispositione prohibẽtur, vt sunt *Primò* carens vsu rationis, & furiosus qui lucida non habet intervalla. *L. furiosum, C. qui testam. facere possunt. Secundò* surdus simul & mutus à natiuitate non potest testari ad causas profanas, nisi priuilegio Principis factus sit habilis ad testandum. *L. diserertis C. titulo eodem. Tertiò,* prohibetur qui non potest articulatà loqui, ita vt hæredem exprimere nequeat. *L. vlt. C. de test. milit.* impubes, id est, masculus ante 14. annum expletum, & fœmina ante annum 12. expletum. *Quintò,* filiusfamilias, si tamen impubes sit potest testari de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus. *Clar. l. 3. sentent. §. testam. q. 18.* idem dicendum de filia: hæc enim quamdiu sub patris potestate existit non potest testatori de dote aduentitia. *Sextò,* prohibetur prodigus, cui prohibita est bonorum administratio, quamuis testamentum ipsius conditum, antequam prodigus fieret, validum sit. Instit. *quibus non est permissum facere testam. §. prodigus. Septimò,* testari non possunt, qui commiserunt aliquod crimen, cui iure annexa est pœna, quà ipso facto sunt intestabiles, vt qui Cardinalem hostiliter percusserunt, vsurarij notorij, hæretici, post sententiam criminis declaratoriã: *C. felicis. de pœnis in 6. Molina disp. 138. Less. c. dub. 4. Filluc. c. num. 257. Sà verb. test. num. 1. Item damnati* ob libellum famosum. *Et damnati* ad mortem naturalem, vel ciuilem, vt electi in exilium perpetuum: & *damnati* ad perpetuos carceres testari nõ possunt nisi ad pias causas *Oclanò,* religiosi, nisi ex concessione summi Pontificis. *Authen. ingressi. C. de sacrosanctis Eccl.* Possunt tamen religiosi cum licentia superioris aliquid donare tempore mortis etiam per schedulam scriptam, quia tota dispositio manet in libera voluntate superioris: nec est testamentum, nec codicillus, quare id licitum est etiam Fratribus minoribus: quia si res modica sit, vt Prælatus licentiam dare possit donandi inter viuos; cur non etiam causa mortis, *Rodrig. tom. 3. qq. regular. q. 69. ar. 2. & 3. Dian. p. 5. tr. 3. res. 128.*

An autem religiosus professus possit mutare testamentum, est magna controuersia inter Doctores, vt videre est apud Couar. *tr. de test. c. 2.* Sed mihi distinguendum videtur; non enim potest religiosus mutare testamentum tamquam Dominus, hoc est, sine vlla causa, sicut poterat ante professionem, quia id esset contra paupertatem, & contra votum, nam ita retineret dominium, & potestatem rerum temporalium, sed potest mutare testamentum, tamquam optimus interpres suæ voluntatis, modò adsit causa legitima. Ratio est, quia est probabile, quòd si ante professionem hoc sciuisset, idem fecisset, & præsertim si accedat consensus Episcopi, quia Episcopus potest mutare pia legata, quando est causa, etiam post mortem testatoris. *Sylues. v. legatum 4. q. 12.* & alij.

Clerici verò qui non sunt religiosi possunt testari etiam ad causas prophanas de patrimonio, & alijs quæ suo labore & industria congregarunt, & de ijs quæ ex prouentibus beneficiorum congruenti sustentationi subtraxerunt: *Mol. disp. 147. conclus. 7. Regin. l. 30. num. 111, 112. Sanchilib. 2. mor. cap. 20. num. 24. Banacin. c. p. 2. num. 4. & 5. Caram. lib. 2. Theol. mor. nu. 882, 883.* de ijs verò quæ ex fructibus beneficiorum superant, ex consuetudine ad opera pia possunt testari: peccant tamen mortaliter beneficiarij, qui de parte illa prouentuum disponunt ad causas profanas dispositio tamen huiusmodi & successio ab intestato est valida, vbi consuetudo inualuit, iuxta probabilem opinionem, contra Nauarr. *Porrò* serui qui verè & propiè serui sunt testari non possunt, quia seruus contrahere non potest sine Domini consensu. *§. Item vobis inst. per quas personas.*

7. *Omnes* lege non prohibiti instituti possunt hæredes, & legatarij: vnde infantes, amentes, surdi, prodigi, & religiosi possunt esse hæredes in communi tamen. *Mol. dis. 154.* Iure autem prohibentur; ne hæredes, vel legatarij instituí possint hæretici & Apostatæ, credentes, receptatores, defensores, fautores hæreticorũ si intra annum non pœnituerint: vnde catholici possunt tales hæredes excludere: illi tamen non tenentur restituere, quę tali successione acquisiuerunt, ante sententiam iudicis, iuxta probabilem sententiam. *C. Excommunicamus 1. §. credentes de hæret. Sanch. c. cap. 14. nu. 31. 34. Lessius c. n. 51. 52. Præterea* illi qui sunt intestabiles actiuè propter delictum, sunt etiam intestabiles passiuè, hoc est, non possunt instituí hæredes vel legatarij, vel capere ex testamento, quia prohibentur à iure: *Lex cui §. 1. ff. qui testam. facere poss. Sylu. v. hæreditas 3. q. 2. Clar. c. q. 34. Porrò* Fratres Minores de Obseruantia, & Capucini non possunt hæredes instituí; ita vt ipsi acquirant ius ad bona immobilia defuncti & teneantur ad eius onera vt hæredes: potest tamen in eorum fauorem hæreditas relinqui seu legatum, vt vendatur per alios, & fratribus pretium tradatur; per hoc enim fratres nullum ius acquirunt, nec violant paupertatis votum. *clem. Exiui de verbor. signif. §. 1. Rodr. 1. par. c. 132. Less. c. nu. 54.*

8. *Possunt* autem *instituí hæredes* non solùm priuati, sed etiam communitates, vt Ecclesia, ciuitas, oppidum, collegium, &c. excipe ciuitatem hostium & communitatem ludæorum, & collegia illicita, quæ scilicet publica auctoritate creata non sunt: *priuatæ* tamen personæ de collegia illicito possunt instituí. *L. 1. c. de sacrosanct. Eccl. L. omnibus ff. ad Trebellianum L. colleg. c. de hæred. l. cùm senatus ff. de reb. dub.*

Filij naturales, qui scilicet nati sũt ex parentib. inter quos tempore conceptionis, vel natiuitatis poterat esse matrimon. possunt instituí hæredes vniuersales à parentibus, si non habeant prolem legitimam: *L. licet c. de fil. naturalibus. Molin. d. disp. 166. Regin. lib. 25. nu. 626. Sà v. hæreditas num. 1. & 7. Less. c. dub. 6. Bonac. cit. par. 3. nu. 12.* Si pater habet ascendentes, debetur ijs portio legitima iure Cæsareo in *Authen. de hæredibus ab intestato,* licet hæc lex pleriſque in locis non sit in vsu. Si habeant nepotes natos ex naturalibus, vel spurijs, possunt etiam eos hæredes instituere: Ab intestato autem naturalis non succedit, nisi in sexta parte bonorum: in duodecima autem potest succedere, si parens habeat legitimos & testetur: *Denique* matri carenti prole legitima etiam intestatæ, naturalis succedit ex asse, hoc est, in tota hæreditate: si habeat

habeat prolem legitimam,ſuccedit ex æquo cum illis. *L. ſi quis illustris C. ad S.C. Orfitianum. Couar. 2. par. capit. 8. num. 15. §. 4. de matr.*

10. Spurij, qui ſcilicet nati ſunt ex parentibus inter quos tempore conceptionis vel partus erat impedimentum dirimens, non poſſunt aliquid accipere à patre ſiue ex teſtamento, ſiue ab inteſtato, ſiue ex contractu inter viuos; quia ipſi per leges facti ſunt incapaces, quod intelligendum eſt de ſpurijs patris, nam ſi vxor habeat ſpurium, is eſt marito inſtar extranei & ſicut extraneo poteſt ilsi relinquere. *L. licet. C. de natur. lib. Couar. de matr. c. 8. §. 5. n. 5. Fill. c. n. 164. Similiter* ſpurius non poteſt ſuccedere matri, etiamſi nulla proles alia ſuperſit: *Mol. c. d. 167. Sà v. hereditas n. 7. & 16. v. teſtamentum nu. 29. Fill. c. n. 161. Leſſ. c. nu. 67.* quidam tamen Doctores probabiliter putant ſpurium poſſe retinere ea quæ mater ipſi reliquit donec per iudicem priuetur, modò notabiliter: non noceat legitimis liberis. *Spurij* tamen debentur alimenta, id eſt, ea quæ pertinent ad victum, veſtitum, medicinas, habitationem, &c. iuxta qualitatem perſonæ, ſi aliundè non poſſint ſe ſuſtentare: vnde patet quamuis ſacerdos, poteſt filiæ ſpuriæ tradere dotem; quia dos ſuccedit in locum alimenti. Aduerte tamen filium ſpurium legitimatum poſſe hæredem inſtitui, ſiue factus ſit legitimus per matrimonium ſubſequens ſiue per priuilegium, vt optimè tradit Couarruuias *de matrimonio c. 8. §. 2. nu. 28. Iulius Clarus q. 31. verſu Scias tamen.* Immò ſi filius legitimatus fuiſſet præteritus in teſtamento, rumperet teſtamentum, nili fortè fuerit legitimatus cum hac clauſula: *vt non ſuccedat in hereditate, vel vt tantummodo ſuccedat in aliqua parte.* Præterea nepos, id eſt, filius proprij filij ſpurij poteſt inſtitui hæres, nam de hoc non eſt ſermo in iure, modò patet non inſtituat nepotem contemplatione ipſiuſmet filij ſpurij, & prohibeat ne ſpurius quidquam recipiat. A fortiori, ſi ſacerdos filiam ſpuriam habeat matrimonio iunctam, poteſt eius marito donatione vel teſtamento relinquere ea bona de quibus teſtari poteſt, quia hoc nullo iure prohibetur.

11. Secundùm communiorem Doctorum ſententiam filia non poteſt exhæredari, eò quòd matrimon. contraxerit inuito patre, vel cum indigno, quia hoc videtur repugnare libertati matrimonij; & ſicut non poteſt apponi pœna ſoluenda per frangentem fidem ſponſalium, ita non poteſt filia in pœnam priuari hæreditate: neque videtur poſſe fieri ſtatutum quo filij nubentes inuitis parentibus priuentur hæreditate: ſi verò filia turpem vitam agat, priuari poteſt hæreditate. Sanches *de matr. lib. 4. diſp. 24. Molina diſp. 176. Couar. c. Rayuntus de teſtam. n. 21. Regin. lib. 20. num. 37.* & alij.

12. Ex iuſta cauſa & ſecluſo ſcandalo poteſt pater ſaltem in foro conſcientiæ vni filio plus relinquere quam alteri: modò reliqui filij non priuentur legitima portione, quia huiuſmodi bona ſunt ipſius teſtatoris propria, & teſtator habet iuſtam cauſam propter quam plus vni relinquat, quàm alteri. Nauar. *c. 17. n. 159. Sà v. teſtamentum n. 27. Sylueſt. v. legitima n. 8 Diana de contract. reſ. 85. p. 1. & alij.*

13. Executores vltimarum voluntatum poſſunt conſtitui omnes qui de iure non prohibentur: vnde Epiſcopi, vel clerici, ſeu ſacerdotes ſæculares poſſunt conſtitui executores vltimarum voluntatum, licèt hoc munus eis olim interdictum fuiſſet, *cap. ſe quidem 11. q. 1. & cap. Epiſcopus diſt. 88.* tamen hoc tempore, id eis permiſſum videtur, vt patet ex *l. hereditas §. 3. ff. de petit. hereditat.* & ex Triden. *ſeſſ. 22. cap. 8. de reformat.* Item fœmina poteſt conſtitui executrix teſtamenti, *l. à filio ff. de alimentis legat.* Nullus autem religioſus clauſtralis poteſt eſſe executor teſtamenti, ſeu ad pias, ſeu ad profanas cauſas, niſi cum licentia Prælati, qui eſt immediatus conuentus ſuperior, niſi aliud ferat conſuetudo; vel conſtitutiones religionis. Conſtat ex *cap. 2. de teſtam. in 6. Clemẽtina vnica eodem tit.* Verumtamen ipſimet Ordinum Superiores teſtamentorum executores eſſe non prohibentur, niſi præcepto ſuperioris aut conſtitutionibus, vel conſuetudine religionis aliud caueatur, vt docent *Rodr. to. 3. qq. regul. q. 70. ar. 1. Sanches libr. 6. moral. cap. 11. num. 5. Dian. p. 8. tr. 5. reſol. 7. 4. 11.* Ratio eſt, quia facultatibus quas Prælatus monaſterij ſubditis concedere poteſt, eiſdem ipſemet vti non prohibetur, niſi à Superiore ipſi interdictum, vel aliud ſtatuto Ordinis decretum ſit. Deinde ſi regularis extra clauſtra licitè perpetuò degat, vt ſi alicui beneficio inſeruiat; executor teſtamenti eſſe poterit abſque licentia Superioris, quia talis religioſus non degit ampliùs ſub obedientia Superioris, ſed eſt factus, quaſi ſui iuris, vnde ceſſat in eo ratio prohibitionis, teſte Gloſ. *in c. 2. de teſtam. v. Religioſus.*

Porrò ſi Religioſi clauſtrales teſtamenti executores fuerint, rationem reddere debent locorum Ordinarijs, a quibus etiam puniri poterunt, ſi in executionis officio deliquiſſe reperiantur; quamuis alioquin à iuriſdictione illorum exempti ſunt, vt habetur in Clementina citata. *Leſſ. nu. 4. Sum. verb. Teſtament. Dian. c. reſ. 36.*

Fratribus Minoribus de obſeruantia & nobis Capucinis munus executoris teſtamentarij omnino prohibitum eſt, ita vt neque Prælati ordinis diſpenſare, ſeu licentiam dare poſſint. *clem. Exiui, §. proinde vir ſanctus, de verbor. ſignif.* Vbi tamen adiungitur, quod in exequendis teſtamentis conſilium dare eorum ſtatui non obſtitit: cùm ex hoc ipſis circa bona temporalia nulla iuriſdictio, ſiue actio in iudicio, ſiue diſpenſatio tribuatur. Cauere autè fratres debent à prædicto conſilio dando, vt executores aliquid ſibi tradant, ſi ingreſſuri ſint ipſorum religionem; quia hoc ſpecialiter interdictum eſt in præfata Clem. *Exiui, verſ. dubitauerũt.* Plura de his apud Rodriques c. q. 70. Sanches *c. cap. 11.*

14. Quamuis Fratres Minores non poſſint vltimarum voluntatum eſſe executores, electio tamen pauperum, in quos eleemoſyna ab executore diſtribuenda eſt, poteſt ipſis committi à teſtatore, modò ipſimet Fratres in pauperes non diſtribuant. Ratio eſt, tum quia hæc nominatio, ſeu perſonarum electio eſt potiùs facti quàm iuris, vt conſtat ex *Labeo pater, §. hereditatem ff. de legat. 2.* ac proinde fieri poteſt per eum, qui huius muneris non eſt capax; eò quòd in hoc euentu vicem hæredis non ſuſtinet. Tum quia in huiuſmodi electione ceſſant rationes litigij, aut contrectationis, ſeu adminiſtrationis pecuniæ propter quas Clemẽs V. *in prafat. conſtit.* declarauit Minoribus vltimarum voluntatum executionem eſſe inhibitam. Tum quia electio pauperum eſt valde pia, nec aliena à religioſo ſtatu, nec mentem terrenis implicat, & breuiſſimo temporis ſpatio fieri poteſt. Huiuſmodi tamen electio non poteſt à fratribus fieri abſque licentia ſuperioris: quia licèt hæc non ſit propriè executio teſtamenti, videtur tamen quædam eius pars ita Rodriques *c. ar. 2. & in ſum. par. 2. cap. 70. num. 13. Vecchius in praxi diſp. 8. dub. 13.* Couar. *in c. tua nos num. 1. de teſtam. Sanchez lib. 6. moral. c. 11. n. 32. Dian. p. 8. tr. 5. reſ. 13.* vbi in hanc ſententiam viginti quinque Doctores enumerat contra *Baldum, Molinam,* & alios.

Immo, ſecundum prædictos Doctores, non ſolùm electio pauperum, verùm etiam electio & nominatio ipſorum executorum teſtamenti fratribus committi poteſt: quia aliud eſt executorem teſtamenti eligere, aliud eſſe executorem teſtamenti; Fratribus autem Minoribus interdictum eſt eſſe executorem, non verò eligere executorem obtenta à ſuperiore licentia: Addo probabile eſſe eoſdem Fratres & à fortiori alios religioſos poſſe de licentia ſuorum ſuperiorum conſtitui commiſſarios ad faciendum teſtamentum nomine committentis; quia eadem ratio militare videtur in electione pauperum & in officio commiſſarij. Vide *Dian. p. 8. tr. 5. reſ. 8. & 15.* apud quem plura.

Vide *Codicillus, Exhæredatio nu. 1. Filius n. 10. Hæres, n. 6. Falſarius, n. 2. Religio 1 n. 8.*

TESTIS.

SVMMARIVM.

1. *Quid poſſint eſſe teſtes? qui iure prohibeantur? & qui teſtes minus idonei admittantur tamquam idonei?*
2. *An in criminalibus filius poſſit teſtificari contra patrem? Et an teſtes priuilegiati de iure teneantur ex vi monitorij reuelare crimen ſui coniuncti, etiamſi non ſint alij teſtes.*
3. *Quot teſtes requirantur, & ſufficiant, vt in criminalibus aliquis condemnetur?*
4. *Qua requirantur in teſtibus, vt plenè probare dicantur?*
5. *An pro reo indicendum ſit, quando teſtes actoris, & rei diſcordes ſunt in pertinentibus ad ſubſtantiam facti?*
6. *Quando teſtis iuridicè interrogatus à iudice, teneatur veritatem aperire?*
7. *In quibus caſibus teſtis non teneatur veritatem fateri?*
8. *An in criminalibus, & ciuilibus teneatur qui teſtificari poteſt, pro reo ſe offerre ad teſtimonium, quando proximus grauem damnum iniuſtè pateretur?*
9. *Quale peccatum committat teſtis, falſum teſtificando in iudicio?*
10. *An teneatur ad reſtitutionem teſtis, qui falſum teſtimonium dixit ſciens, vel ex ignorantia?*
11. *An teſtis teneatur ad reſtitutionem, ſi citatus à iudice fugiat, vel*

vel se occultet, vel aliqua arte iudicis interrogationem eludat? refertur duplex sententia.

1. OMnes habentes perfectum vsum rationis testes esse possunt, si iure non sint prohibiti; *Iure* autem prohibentur septem genera personarum contenta his versibus. *Syluest. v. testis q.1.*

Conditio, sexus, ætas, discretio, fama,
Et fortuna, fides, in testibus ista requires.

Ad *conditionem* reducitur seruus manens in seruitute: *Leg. quoniam liberi, C. de testibus*, habet enim seruitus adnexum timorem dominationis. *Secundò* ad sexum reducitur mulier; *C. mulierem* 33 q.5. *L. qui testamento ff. de testamen.* ea enim in causis criminalibus repellitur iure Canonico propter sexus fragilitatem: iure verò ciuili repellitur solùm à testamento. *Tertio* ad ætatem reuocatur minor 20. annis: quamquam ipsius dictum sufficiens indicium præbet ad capiendas informationes, non verò ad torquendum, vel condemnandum: in causis verò ciuilibus admittitur pubes. *L. in testimonium ff. de testibus. Quartò* ad *discretionem* reduci potest inimicus eius contra quem testimonium dicitur, modò præcesserit grauis inimicitia, *Laym l.3.tr.6.cap.4.nu.4. Sà v. Iudiciales actus de testib.n.4. Less.l.2.c.30.n.37. præterea* sanguine iuncti, vt ascendentes & descendentes accusatoris; *item* collaterales vsque ad 4. gradum repelluntur: licet admittantur consanguinei & affines rei ad probandam eius innocentiam. *Bonac. de test.p.3.num.3. Dian.tr.3.misc.ref.63.p.3. Item* repellitur domesticus ipsius accusatoris, in causa ipsius accusatoris. *Filliu.tr.40.n.* 233. *Quintò ad famam* pertinent, infames iuris aut facti. Layman *c.n.4. Sextò* ad *fortunam* reducuntur pauperes: *L. 3. ff. de testibus*, vnde homo vilis & inops, quoties suspicio est, vt pecunia corruptus falsum deponat, repellitur. *Septimò* ad fidem; *primo* periurus, hic enim facilè præsumitur iterum periuraturus. *Less. cit. num.38. secundò* socius criminis ordinariè repellitur, quamuis aliquando admittatur, vt in crimine hæresis, lætæ maiestatis, falsificationis monetæ, maleficij, furti famosi, sodomiæ, & in delictis, quæ non possunt sine socio committi. *Cap. veniens de testib. Bonac. Lessius. Obseruandum* tamen est testes minus idoneos, admitti tamquam idoneos, quando delictum eo tempore, vel loco patratum est, vt alij testes haberi non possint: vt si delictum patratum in agro, sylua, cubiculo, nocturno tempore. *Præterea* quamuis testis minus idoneus non probet semiplenè, facit tamen indicium, quod cum alijs coniunctum sufficit ad torturam. Clau. regia *lib.12.cap.21.n.24. Layman c.2. Fill. c.n.234. Less c.n.41.*

2. In *criminalibus* regulariter filius non potest testificari contra patrem: in quibusdam tamen vt in crimine læsæ maiestatis humanæ & diuinæ, potest & tenetur; quando non est alius qui id testificari possit. Sed petes an testes priuilegiati de iure teneantur ex vi monitorij reuelare crimen sui coniuncti, etiamsi nõ sint alij testes? Responsio est negatiua: proinde neque pater filium, neque maritus vxorem, aut è contrario, nec frater fratrem, aut sororem tenetur detegere vi monitorij: idem dicendum est de socero & genero, deque cognatis omnibus intra 4. gradum; L. *parentes, C. de testibus. Clau.reg.l.12.c.19.n.24.* & 25. Ratio est, vt vitentur dissensiones, & odia inter cognatos, quorum iurgia tam noxia sunt rebuspublicis, tamque terram mephitim inhalant quoties interueniunt: sine dubio enim interuenirent iurgia, & odia, si cognatus intra prædictos gradus aduersus cognatum ageret testem, aut denunciatorem. Ita post *Angel. Syluest. v. Familia. Auila 2.p. c.5. disp.5.dub.2. Theoph. Raynaud. de monitoris, p.1.c.3. q.* 14. & 20. *Dian.p.5.tr.13.ref.67.* citati à Diana.

Ex dictis patet solutio casus sequentis: an filia matrem suam fagam ac veneficam deferre cogatur ad iudicem, fraternæque correptionis lege soluta sit? Resp. ex Diui Thomæ doctrina, *in 2.2.q.33.art.7.* communiter recepta, si crimen matris veneficæ manifestum sit, correptionis progressionem necessariam non esse: item esse superuacaneam, si occultum sit, nec melioris frugis spes vlla adferatur, quia filia puella est; quare eius admonitionem contemnet mater, vel etiam grandiore ira ob eam rem excandescet, proinde à correptione filia supersedere debet; eò quòd ex ea fructus nullus speretur. An autem deferre teneatur? Cuipiam videri posset nullo iure necessitatem imponi filiæ suæ matris deferendæ: tum quia filia impeditur sexu, cùm sit fœmina, quæ iure canonum testificari non potest, ex *c. foemina, de verb. signif.* & *ex c. Mulierem, 33.q.5.* at delatio seu denunciatio est testificatio quædam; tum quia horret natura, vt filij, aut crimen intendant parentibus, aut illud aduersus eosdem testimonio confirment.

His tamen non obstantibus mihi persuadeo iure diuino & naturali communis tuendæ religionis, filiæ testimonij auctoritatem in conscelleratam matrem impartiri. Ratio est, tum quia Deus summus omnium parens, infinitis partibus mortalibus parentibus anteponendus est; atque eius honor, & gloria, vitæ non vnius patris terreni, sed infinitorum patrum, matrumque est anteferenda; proinde necessario deferenda est matris huius vita, aut fama, ne Dei gloria prodatur. Tum quia bonum commune, & diuinum, priuato cuiusque hominis bono, & caduco, iure diuino & naturali præferri debet; sed bonum religionis catholicæ, cui insidiantur istæ veneficæ, est diuinum, & commune, pro quo retinendo, vitam vnius improbæ matris amittere possumus, ac debemus. Tum quia harum veneficarum scelus ad hæresim pertinet; quia fidem negant, & multa faciunt, quæ sapiunt hæresim manifestè, & præter apostasiam habent multa alia crimina digna morte; pro quibus criminibus impediendis omnium consanguineorum admittitur testimonium: vt videre est, apud Suluestrum, *ver. Testis, quæst.1.*

3. *In causis criminalib.* vt aliquis condemnetur, requiritur duo testes, & sufficiunt: vt patet in iure ciuili, *L. vbi numerus, ff. de testibus*, & Canonico *C. licet vniuersis de test. & c. cùm esses. Bann.* 2.2.q.70.*art.2. Clarus l.5.q.66. Fill.c.num.243. Bonac.c.num.1.* ratio autem est, quia vnus facilè peruerti potest, duo autem difficiliùs, ratòque loquuntur conformiter: hinc est vt iure gentium ita receptum sit: quòd autem iure Canonico requirantur ad damnandum Episcopum Cardinalem 72. testes. Ad presbyterum Cardinalem 64. ad Diaconum Cardinalem 27. ad reliquos clericos 7. in praxi tamen non seruatur hic numerus testium, vt ait Clarus. In rebus leuioribus solent aliqui puniri assertione vnius testis; ideò surripientes fructus in hortis, ligna in syluis, puniuntur ex testimonio solius custodis.

4. Quandoquidem præter accusatorem verum, vel fictum requiruntur adhuc duo testes: vt plenè tamen probare dicantur, quatuor exiguntur. *C. fraternitatis, & cap. tuis de testibus. Filliuc. c.n.245. Laym.l.3.tr.6.c.4.nu.5 Bonac.c.nu.2. Lessius num.32. 33. Syl. v. testis, q.6. Primò*, vt deponant iurati, quia absque iuramẽto facilius est mentiri, quàm cum iuramento; vnde testibus non iuratis non creditur in præiudicium alterius, nisi ille cuius interest, iuramentum sponte remittat. *Secundò*, vt sint contestes, id est ambo testentur idem factum cum ijsdem circumstantijs substantialibus; consequenter conuenire debent in loco, tempore, & specie delicti: hinc est si testentur de diuersis actibus diuerso tempore commissis, non dicuntur contestes, sed testes singulares, quotum testimonium non facit plenam criminis probationem, sed magnam præsumptionem, quæ sufficit ad torturam, & aliquando ad pœnam extraordinariam infligendam. *Tertiò*, vt dicant se sensu externo percepisse, v.g. se vidisse furantem, aut audiuisse blasphemantem: vnde testes de auditu non plenè probant delictum, quod non consistit in voce, sed in facto. *Quartò*, vt sint omni exceptione maiores, hoc est, contra quos nihil possit iure opponi cur non sint admittendi, & ijs adhibenda fides. *Capit. si testes 4. q.3. L. solam C. de test b.*

5. *Quando* testes actoris, & rei discordes sunt, in pertinentibus ad substantiam facti, iudicandum est pro reo: quia vbi iura sunt æqualia, potior est ratio possidentis: reus autem est in possessione vitæ suæ, famæ, & bonorum: *quando* autem discordes sunt in pertinentibus ad accidentia facti, quæ non attingunt substantiam, non præiudicat talis discordia testimonio: si verò testes eiusdem partis, vt rei & actoris, inter se discordes sint, tunc prudentia iudicis opus est ad cognoscẽdum, cui potiùs fauere debeat: vt ex numero testium, ex dignitate, ex fauorabilitate causæ. *Diu. Thom.2.2.q.70.ar.2.ad 2. Syl.cit.q.7. Clauis reg.l.12.c.21.n.13.* & 14. *Fill.c.n.248.* & alij.

6. *Testis* legitimè, & iuridicè interrogatus à iudice tenetur respondere, & veritatem aperire posito eius præcepto in his casibus. *Primò*, si auctor laboret infamia delicti. *Secundò*, si quamuis non laboret infamia; tamen imminet damnum communitati ab eo, nec potest auerti nisi per iudicem. *Tertiò*, si damnum imminet alicui priuato, nec possit aliter impediri. *Quartò*, si de auctore delicti est semiplenè probatum. *Quinto*, si procedatur via accusationis & delictum plenè probari possit. *D. Tho.c.ar.1. Clau. reg.c.cap.20.num.29. Layman l.3. tract.6.cap.4. num.8. Less.c.nu.* 43. *Reginald.libr.24.num.46. Syl.2.2.q.70.art.1.conc.1.* & 2.

7. *In multis casibus* testis non tenetur veritatem fateri. *Nauar. c.27.nu.42.* & 46.50. *Reginal.l.24.num.47.48. Less c.dub.6.nu.45.* & *seq. Filliuc.c.num.230. Bonacin.c.num.6.7* & 8. *Laym. c.cap.4. nu.9. Dian.tr.1.misc.ref.63.par.2.* & *tract.5.misc.ref.100.* & 101. *par.3. Syl.c.concl.4.5.* & 6. *Primò*, si norit ex confessione sacramenta-

mentali,imò nulla ratione tunc potest. *Secundò*,si sub secreti naturalis sigillo patefactum est crimen , vt tanquam consiliator , adiutor,aduocatus,medicus,obstetrix,& similes: excipe nisi testificatio necessaria esset ad auertendum aliquod damnum publicum,vel priuatum. *Tertiò*,si auctor non laborat infamia;nec timetur damnum in futurum,quamuis:in hoc casu, quando scilicet crimen notum est vni testi soli , & accusatori ; quidam , vt *Valentia* , *Clauis Reg. Sotus*, & alij dicant teneri , quod est satis probabile. *Quartò*,quando proceditur via accusationis, & delictum non possit plenè probari. *Quintò*,si ex testificatione imminear aliquod damnum ipsi testi, vel eius consanguineis. *Sextò* , quando quis accipit rem causa iustæ compensationis. *Septimò*,si sciuit à personis non admodum fide dignis: imò quod solùm audiuit , potest testificari se nescire secundùm doctrinam Emmanuelis Sà,*v. Iudiciales actus,de testibus*,*n.*8.quando,scil.delictum consistit in facto,& non in voce. *Notandum* autem est, quòd in casibus , in quibus non tenetur quis reuelare iniuratus , non tenetur etiam iuratus,modò iuramentum suum conuenienti modo intellexerit.

8. In ciuilibus,quando proximus graue damnum ininstè pateretur, tenetur, qui testificari potest , pro eo se offerre ad testimonium *D.Thom.c.q.*70. *art.*1. *Clauis reg. c. c.*20. *n.*10. *& seq.* quia tunc charitas obligat ad succurrendum innocenti , modò speret se profuturum suo testimonio, & non immineat ipsi propter hoc graue aliquod damnum. In criminalibus, si testimonium alicuius necessarium sit ad liberandum reum ab iniusta morte , vel graui malo , tenetur testis non vocatus se offerre , quia tunc reus est in extrema , vel graui necessitate. Si verò ad condemnandum, non tenetur,nisi quando delictum esset contra bonum commune , vt in crimine læsæ majestatis diuinæ , vel humanæ. Nauar. *c.*15. *n.*17 Filliucius *c.n.*250. Bonacina. *c. n.*9. & 10.

9. *Testis*,qui falsum testificatur, quando iudex non procedit iuridicè, nec ordine iuridico , peccat tantùm venialiter , modò absit iuramentum: quando autem iudex procedit iuridicè, etiãsi ex odio & malo animo id agat,etiam secluso iuramento,falsum testari est ex genere suo peccatum mortale : quia testis tunc tenetur dicere veritatẽ ex iustitia, & iniuriam facit iudici & Reipub.non testificando veritatem: licet ratione paruitatis materiæ citra iuramentum esset solùm veniale, vt dictum est v. *Mendacium*. D.Thomas *c,art.*4.Syluester v. *testis q.*8.Clauis regia *l.*13. *c.*19. *n.*4.

10. *Testis*,qui falsum testimonium dixit ex ignorantia,vel inaduertentia non damnabili , vel obliuione saltem non mortifera,ratione cuius contingit aliquem damnari,non tenetur ad restitutionem: *Caiet.*2.2. *q.*70. *ar.*4. *Nauar. c.*25.*n* 40. *P.Nauar, l.*2. *c.*3. *n.*254. *Less.c. n.*55. *Sylu,c.art.*4. *concl.*4. *Dian. p.*4. *tr.*4. *res.*99. *& ratio est*, quia neque ratione rei acceptæ , neque ratione in ustæ damnificationis , quia non peccauit saltem mortaliter,vt supponitur;atqui probabile est illum non teneri ad restitutionem , qui in damno inferendo non peccauit mortaliter. *Si autem* scienter vel ex crassa ignorantia falsum testimonium dixit,ratione cuius alter iniustè damnum acceperit,tenetur ad restitutionem damni & retractationem etiam cum periculo vitę, si simile damnum reo timeatur & putetur retractatio profutura; quia per iniuriam est causa efficax totius damni, idcòque tenebitur in solidum *Clauis reg.c.c.*19. *n.*9. *Tolet. l.*5. *c.*59. *Regin.* 24. *n.*45. *Bon.tc.c n.*16. *Sylu, c. art.*1. *quæst.*1. *concl.*4. In æquali enim damno habenda est potior ratio innocentis.

11. Quorumdam Doctorum sententia est , testem teneri ad restitutionem si citatus a iudice fugiat vel se occultet, vel aliqua arte iudicis interrogationem eludat.Ita *Nau.c.*25.*n.*41. *Sot.l.*5. *de iust .q.*7. *Regin.l.* 4. *n.*45.& alij: hæc sententia est probabilissima:probabiliter tamen defendi potest cũ *Mol. & alij apud Less. c.n.*59. talẽ non peccare contra iustitiam:quia citatio superioris non imponit citato obligationem iustitiæ , sed obedientiæ ad testandum , Mul.ò minùs ille,qui se occultat vel fugit priusquam iudicis præceptum aut citatio ei legitimè insinuetur , tenebitur ad restitutionem damni defectu testificationis secuti , quamuis potuerit grauiter contra charitatem proximi peccasse; quia nullus contrahit obligationem ex mandato superioris antequam mandatum ei debito modo imponatur. *Clauis reg.c.c.*20. *n.*26. *Filliuc.c.n.*255. *Salon. 2.2.q.*70. *ar.*1. *Bann. ibid. dub.*3. *Sylu.c. concl.*3. & 6.

Vide *falsarius*, n.2. *Festum* 2. n.20. *Fœmina* n.1. *Irregularitas* 5. n.13. *Reus*,n.2. *Testamentum* n 2. & seq. *Matrimonium* 5.n. 12. *Absolutio* n.13.

TRANSACTIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit transactio?*
2. *An transactio sit contractus innominatus?*
3. *An valida sit transactio de re dubia tam in foro conscientiæ quam externo.*
4. *An possit quis transigere circa bona aliqua,aut compromittere, qui illa non potest alienare?*
5. *An transactio super alimentis absque iudicis auctoritate inualida sit?*

1. TRansactio est *de re dubia,& lite incerta,& necdum finita, non gratuita pactio , sed aliquo dato , vel retento, vel promisso. L.*1.*ff.de transact. L.si causa C.de transactione. Molin. tr.*2. *d.*556. *n.*4. Præter rei dubietatem requiritur,vt non sit circa rem , de qua iam lata sententia sit , quæque in rem transierit iudicatam. Si enim inualida sit,iuramento minimè firmatur, at is qui iurauit , relaxationem prius curare debet.

2. *Transactio* est contractus innominatus,*facio vt facias*, vel *do vt facias* : habet autem similitudinem cum locatione, & iuxta illam regulanda est: transit in nominatum , si stipulatione vestiatur ; si fiat sub certa pœna nolenti illi stare , ad alterum cogi potest , nempe vel ad illi standum , vel ad soluendam pœnam illam. Si iurata sit transactio. & apposita pœna contrauenienti , vtrumque peti potest, & quòd seruetur transactio, & quòd soluatur pœna:si iurata non sit, sed tantùm munita stipulatione Aquiliana , & apposita contrauenienti , tunc etiam potest exigi pœna ab eo,qui contra illam venit. Filliucius *tract.*39. *c.*8. *q.*5.6. *& 7. Molina,c. n.*7.8.9.& 10.

3. *Transactio* de re dubia valida est, tam in foro conscientiæ quàm externo : ad iustitiam autem transactionis requiritur , vt inter transigentes æqualitas seruetur : si alter transigentium deceptus sit vltra aut infra dimidium iusti valoris , datur actio decepto, vt vel contractus rescindatur , vel reducatur ad æqualitatem,iuxta voluntatem eius qui decepit ; quod præcipuè contingere potest in rustico,& muliere. *L,Lucius iunct. glos.ibid.ff.ad Trebell. Molin.c.n.*20. *Fill.c.q.*11.

4. Ille qui non potest alienare bona aliqua , nec etiam potest transigere circa illa,aut compromittere , qui enim transigit etiã alienat. *L.non solùm C.de prad.minor. Molin.c.d.*557. *n.*1. *L. de his ff.de transact. Fill. c.cap* 9. *q.*5. *& 6. In testamentis* transactio prohibita est , quando fieret sine scientia eorum , quæ in testamento continentur . Sententia super ijs,quæ continentur in testamento non viso, etiamsi eo viso aliter iudicandum esset, valida quidem est,sed rescindenda . Si ignorentur contenta in vltima voluntate defuncti , & facta transactio sit cum debitore hereditaris,inualida est etiamsi fiat cum renunciatione iurium , quæ disponunt eam inualidam esse .

5. *Transactio* super alimentis,si relicta sint ex vltima voluntate,& præstanda sint in futurum, absque iudicis auctoritate inualida est:si iuramento firmetur,valet . *L. cùm hi ff. de transact.* Couar.*c.quamuis pactum p.*2. *§. vlt. n.*12. *Transactio* verò *particularis* , ad alias res non extenditur , licèt extendatur etiam ad connexa , & dependentia : si petione præuia generali , secuta est transactio generalis,tunc etiam,quoad incognita generaliter intelligenda transactio est,modò absit dolus: si *generalis* sequatur , post petitionem particularem,& restringi potest ad illa sola particularia,non intelligitur de alijs rebus L. *ago cum C.de transact*, Molina,*disp.*558. Filiuc. *c, c.*9. *q.*9. & 10.

Vide *Adulterium*, n.6.

TVTELA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit tutela & tutor?*
2. *Quotuplex sit tutela?*
3. *Qui possint esse tutores?& qui à iure repellantur?*
4. *Ex qua culpa teneatur tutor?*
5. *Quæ sint obligationes tutoris?*
6. *Quanam bona pupilli possit tutor alienare , ad soluendum as alienum.*
7. *An tutor & curator teneantur quamprimùm possint facere inuentarium de rebus pupilli.*

1. Tu-

1. TVtela est *ius & potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem suam sponte se tueri nequit, à iure ciuili data ac permissa: Instit. §. est autem de tutela. Instit. de curator. Syluest. v. tutela. Fill. tr. 39. cap. 4. n. 53.* vnde *tutor* dicitur qui pupillum, vel pupillam morte patris, vel emancipatione, sui iuris factum vel factam tuetur. *Principaliter tutor* datur in defensionem personæ quæ propter ætatem defendere se nequit, *secundariò* verò datur ad tuendas res. Ex oppositò *Curator principaliter* datur ad defendendas res, *secundariò*, in defensionem personæ: *Tutor* datur pupillo, seu impuberi, *Curator* verò minori, id est, illi, qui expleuit quatuordecim annos.

2. *Triplex est tutela*, licut triplex tutor. *Instit. quimo. tutel. fi. & instit. de curator. Syl. c. q. 1. Fillinc. c. n. 54. Bonacina de contract. d. 3. q 19. p. 2. Prima* dicitur *testamentaria*, seu tutor testamentarius, cùm scilicet pater, vel alius ex ascendentibus dat filio tutorem in testamento. *Secunda* dicitur *legitima*, quæ datur à lege absq; hominis facto, cum nullus est tutor testamentarius, & defertur ei, qui primo loco debebat succedere pupillo ab intestato, is enim tenetur suscipere tutelam eius, quia vbi est successionis emolumentum, ibi & tutelæ onus esse debet. *Tertia* dicitur *dariua* quæ scilicet datur à iudice, cùm nullo tutore dato in testamento, nec extantibus consanguineis idoneis ad tutelam, iudex ex officio suo dat tutorem. *Durat* autem *tutela* vsque ad 14. annum completum in mare, & 12. in fœmina, deinde incipit cura vsque ad 25. completum in vtroque.

3. *Tutor* potest institui ille, qui alterius curam suscipere potest & à iure nō prohibetur: *L. si hereditas §. si furiosus ff. de testam. tutel. Bonac. c. par. 3. Fillinc. c. n. 55.* vnde impubes & minor non possunt constitui tutores, sicut nec furiosus, mente captus, prodigus, mutus qui loqui nequit, surdus qui audire nequit, seruus, fœmina, religiosus; creditor vel debitor pupilli, regulariter loquendo, non potest esse ipsius tutor, vel curator, & ratio est, quia omnes à iure repelluntur. *Notandum* tamen est, quòd mater & auia tutelam filiorum suscipere possunt, si velint, & præferuntur alijs tutoribus legitimis & dariuis, non verò testamētarijs: *Auth. matri & auiæ. C. quando mulier tutelæ officio fungi potest Syl. c. q. 2. verum* si mater & auia transeant ad secundas nuptias, contracto matrimonio, tutelam ipso iure amittunt, & bona secundi mariti obligata remanent pro reddenda ratione administrationis. *Filiusfamilias* præciso alio impedimento, potest constitui tutor *L. filiusfamilias ff. de his qui sunt sui, vel alieni. Clerici* autem non possunt cogi ad suscipiendam tutelam, & id, est eorum priuilegium; possunt tamen si volunt recipere legitimam, non autem dariuam vel testamentariam. *C. fin. dist. 86.*

4. *Tutor* tenetur ex eadem culpa, qua negotiorum gestor, nempe ex dolo, culpa lata, & leui & ad omnia negotia pupilli, ex quorum omissione sequeretur pupillo detrimentum: & hoc maximè si officium tutoris pretio exercet, tunc enim cùm officium tutoris seu curatoris vtile sit pupillo seu minori & ipsimet tutori seu curatori, ideò tenetur de leui culpa. *L. 2. C. si tutor; vel curator. L. tutori C. de negot. gestis. Molin. d. 555. n. 1. Menoch. de arbitr. l. 2. casu 512. Bonac. c. p. 4. n. 2. Salarium* autem tutori vel curatori constituendum est à principio, alioquin non debetur, nisi iusta causa superueniat, dum enim salarium ab initio constitutum non est, censetur tutor vel curator gratis tutelam suscepisse & iuri suo cessisse.

5. In *particulari* tutor tenetur ad tria. *C. 1. 12. q. 1. Syl. c. q. 4. Fillinc. c. n. 57. Bonac. c. punct. 4. n. 2. Rebell. 2. p. l. 17. q. 1. n. 10. Primò*, vt conseruet pupillos intactos à criminibus, & illos bonis moribus imbuat; ob id tutor assignare potest stipendium præceptoribus pupilli, iuxta qualitatem pupilli & quantitatem patrimonij. *Secundò*, vt res eorum præseruet ab iniuria; vnde tutores dicti sunt quasi tuitores. *Tertiò*, quòd pecuniam eorum vel bona mobilia quæ ad nihilum valent si seruentur, conuertant in prædia, ex quibus percipiant fructum, alioquin tenetur tutor pupillo ad fructus quos poterat habere deductis expensis & periculis: quod tamen intelligi debet, si tutor id potuit facere, & si erant venditores.

6. Si ad soluendum æs alienum vendenda essent aliqua pupilli bona, tutor primo loco alienare debet res inutiles, deinde res minùs vtiles, vltimo loco bona stabilia, si reliqua non sufficiunt ad persoluenda debita, vnde infertur nefas esse tutori, vel curatori vendere bona stabilia pupilli, nisi ex magna & vrgenti causa. *L. ob æs C. de præd. minor. Syl. c. q. 4. Tabiena v. tutor. §. 2.*

7. *Tutor*, qui administrauit, tenetur quamprimùm poterit facere inuentarium de rebus pupilli; nisi causa necessaria, vel iustissima impediatur: idem *dicendum* de curatore: causa autem necessaria ex parte tutoris est morbus: ex parte rei, quia non reperiatur adhibita sufficienti diligentia. Causa verò iustissima dicitur, si testator remisit confectionem inuentarij, nisi ex causa contrarium videretur in iudicio. *L. Tutor, qui reperterium ff. de administ. tutorum. L. hac consulto ff. de condit. & demonst. Syl. c. q. 6. & 7.* In *duobus* tamen *casibus* non tenetur. *Primò*, si consuetudo esset quòd non fieret. *Secundò*, si iudex ex causa remitteret. Hoc autem inuentarium fieri debet in præsentia publicarum personarum, sufficit tamen notarius, nec præsentia iudicis necessaria est, nisi vt fiat fides contra debitores nominum, quorum nomina scribuntur in inuentario. *Inuentarium* verò fieri debet omnium rerum corporalium & instrumentorum, id est, omnium iurium corporalium de quibus apparent instrumenta, vel probationes in bonis pupilli. *L tutores C. de admin. tut. Syl. c. q. 8. & 9. Fillinc. c. n. 60. 61.*

Vide *Promissio, n. 13. Locatio 2. n. 3.*

V.

VANA GLORIA.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit vana gloria? & an differat ab ambitione & superbia?*
2. *Quot modis appetitus gloriæ possit esse inordinatus?*
3. *Quale peccatum sit vana gloria?*

1. VAna gloria, *est appetitus inordinatus gloriæ, circa opera à se facta, vt ab hominibus laudetur:* per hoc *differt* vana gloria ab ambitione & superbia; nam etsi omnia ista appetant eandem excellentiam, non tamen sub eadem ratione: *Superbia* enim excellentiam appetit sub ratione excellentiæ, inquantum est quidam gradus sublimis per quem alios excellit. *Ambitio* verò eandem excellentiam appetit, quatenus scilicet illi honor exhibetur. *Vana gloria* autem eamdem appetit, quatenus per manifestationem honoris, sequitur laus & gloria. Vide *D. Thom. 2. 2. q. 132. ar. 1. Tolet. de septem peccat. mort. c. 6. Syl. v. vana gloria. Nauar. c. 23. n. 10. Fernandes p. 4. c. 2. §. 2. n. 5.* & alios.

2. *Appetitus gloriæ* multis modis potest esse inordinatus. *Primò*, cùm quis gloriatur de eo quod non est, vel si est, non est gloria dignum. *Secundò*, cùm quis appetit gloriam de aliquo quod non est suum, ac si esset suum. *Tertiò*, cùm appetit gloriam de eo quod malum est & indignum gloria. *Quartò*, quando laus & gloria, quæ appetitur, non refertur in honorem Dei, & proximi vtilitatem, actu vel habitu. *D. Thom. c. Sum. Coron. confessorum de vana gloria. Fernand. c. n. 8. Tolet. c. n. 5.*

3. *Appetitus inanis*, aut vanæ gloriæ, peccatum est, quia quodlibet vanum appetere vitiosum est. *Ex genere* tamen suo non est mortale, nisi inquantùm Dei & proximi charitati opponitur: quod fieri potest multis modis; *Primò*, cùm vana gloria est de peccato mortali aliquo, qui enim complacet, aut appetit laudari de aliquo mortali, peccat mortaliter. *Secundò*, cùm appetitur talis laus ob finem mortalem. *Tertiò*, cùm homo paratus est trāsgredi, aut de facto transgreditur aliquod præceptum ob vanam gloriam. *Quartò*, cùm ob vanam gloriam sequitur notabile damnum proximo. D. Thom. *c. ar. 3. Tolet. c. cap. 7.* Summa Coronacit. Sylu. *c. n. 2.* Sylu. *2. 2. q. 132. ar. 3.* Fernandes *c. n. 9.*

VENATIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit venatio? & an princeps vel Magistratus possit illam prohibere?*
2. *Ad quid teneatur princeps qui venationem sibi reseruat? vel qui iniustè alterum impedit piscari aut venari?*
3. *Quas personas non deceat venationem exercere?*
4. *An venatio possit esse mala, si fiat contra publicam vtilitatem?*
5. *An venatio reddatur illicita ratione loci interdicti?*
6. *An venatio sit illicita, quando ius venandi competit alicui particulari ratione locationis vel concessionis?*
7. *An teneatur ad restitutionem qui venatur vel occupat feras mansuetas vel mansuefactas?*

1. Ve-

1. VEnatio est, *exercitium ordinatum ad captionem animalium terrestrium*; sicut aucupium ordinatur ad captionem auium, & piscatio piscium: quamuis ista sint à natura & de se licita, Princeps tamen vel magistratus Reip. potest ea prohibere in aliquibus casibus. *Primò*, si populus consentiat, potest enim cedere iuri suo. *Secundò*, si iudicetur id necessarium ad sustinenda onera reipublicæ, nempe vt inde confletur maxima vis pecuniæ, officio & administrationi Principis necessaria. *Tertiò*, ad solam recreationem possunt etiam principes vel magistratus absq; consensu populi, ius venandi in quibusdam locis, non in omnibus sibi reseruare, vel personis de Reip. benè meritis illud ius tribuere, cæteris exclusis: *Non solum* autem Princeps, sed etiam dominus agri, potest prohibere ne quis venetur, vel aucupetur in suo agro, modò hoc non cedat in damnum vicinorum, nec feræ nimiùm multiplicentur. *Sylvest. v. venatio. Sà v. venatio n. 4. Less. l. 2. cap. 5. num. 34. Medin. C. de rest. q. 12. Molin. to. 1. disp. 43. & 46. Covar. reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 10. 11. Dian. tr. 6. misc. resol. 18. p. 3.* & alij.

2. *Princeps*, qui ius venandi sibi reseruat, obligatur ad cauenda damna, quæ feræ multiplicatæ possent inferre agris vicinorum, & si quæ inferant tenetur ad restitutionem. *Less. c. n. 17. Filliuc. tr. 31. n. 138. Similiter* iniustè impediens alterum piscari, aut venari tenetur ad restitutionem probabilis lucris impediti, detractis expensis, & laboribus, quos venator facturus erat, quia peccauit contra iustitiam, & violauit ius alterius cum damno: veruntamen non tenetur ad restitutionem feræ, quæ capta non est. Nauar. *cap. 17. à n. 120.* Vasques *de restitut. c. 5. §. 2. d. 7. num. 29.* Molina *cit. disp. 49.* Covar. *cit. n. 12.* Sylvius *2. 2. q 66. art. 2. quæst. 3.*

3. *Venatio* quadrupliciter potest esse illicita. *C. quorundam d. 34. C. Esau venator. d. 86. Molin. c. disp. 44. Filliuc. c. n. 142. Bonac. de restit. d. 2. q. vlt. §. 14. p. 1. Regin. l. 10. 1. p. nu. 360. Dian. tr. 6. misc. resol. 19. p. 3. Syl. 2. 2. q. 66. ar. 2. quæst. 3. Primò*, eò quòd certas personas non deceat illam exercere; qua de causa aliqua venatio prohibetur Clericis & Monachis, vt est illa quæ est saltuosa, clamorosa, & periculosa, quæ fit canibus, vel accipitribus hæc venatio, nisi forte rarò fiat, & sine scandalo, clericis est prohibita sub mortali, ob periculum mortis, vel mutilationis. *Venatio* verò quæ non est clamorosa nec periculosa, videtur concedi posse clericis honestæ recreationis gratia: secus *dicendum* videtur de religiosis, cùm eorum statum venatio magis dedeceat. *Clementina 1. §. Porrò de statu monac. Notandum* tamen est clericum aut alium ecclesiasticum capientem feras liberas ea venatione, quæ ipsis est illicita, & prohibita ratione decentiæ, status, non teneri ad restitutionem, quia verè comparatur dominium ferarum.

4. *Secundò venatio* potest esse mala, quia est contra publicam vtilitatem, vt est illa, quæ fit in ijs mensibus, in quibus feræ sunt grauidæ, vel tempore niuali, quando facilè capiuntur: hæc venatio non est peccatum mortale, nisi vel reipsa inferretur notabile damnum Reip. vel modus venandi conferetur notabiliter illi perniciosus, & ideò prohiberetur sub graui pœna; quia aliàs non censetur notabilis læsio Reipub. facere id, quod iure gentium licet, quare nec restituenda esset fera capta ex eiusmodi venatione, nec pretium eius: sed satisfaceret soluendo pœnam contra transgressores legum sancitam, secuta iudicis sententia. *Medin. C. de rest. q. 12. Rodr. cap. 37. n. 9. Less. c. n. 43. Molin. c. d. 49. Sà v. venatio n. 4. Sylvius c. quæst. 3.* & alij.

5. *Tertiò venatio* mala est, quia locus est interdictus, & ius venandi pertinet ad aliquem particularem; sed cùm dominium ferarum nullius sit, qui ibi venatur peccat quidem contra iustitiam, & pro ratione iniuriæ, vel damni mortaliter, vel venialiter, cum obligatione compensandi damnum illatum: acquirit tamen dominium illorum quæ capit: vnde emens, vel accipiens huiusmodi feras à venatore, vel piscatore, potest eas tuta conscientia retinere: solet autem pœna infligi venantibus contra iustam prohibitionem, quæ non debet esse corporalis, sed pecuniaria. *Medina c. q. 12.* Molina *c. d. sp. 51.* Lessius *c. n. 45.* Bonacina *de restit. d. 1. q. 3. p. 7. n. 20.* Sylvius *c. quæst. 3.*

6. *Quartò venatio* illicita est quando ius venandi competit alicui particulari ratione locationis vel concessionis, & talis venator tenetur arbitrio prudentis ad restitutionem damni, quod patitur is, ad quem ius venandi pertinet, non quidem habita ratione valoris animalium, sed habita ratione damni, vel lucri cessantis. *Regin. c. n. 363. Fill. c. n. 142. Sà c. n. 4. Vasques* tamen & quidam alij docent non teneri ad restitutionem, quod est satis probabile, licèt contrarium sit probabilius *Vasq c. dub. 7. n. 29. & 30.*

7. Qui venatur vel occupat feras mansuetas, vel mansuefactas postquam naturalem libertatem acquisierunt, non tenetur ad restitutionem: *Molin. c. disp. 50. Bonac. c. n. 23.* qui verò venatur feras mansuetas, vel mansuefactas, postquam libertatem naturalem amiserunt, tenetur ad restitutionem duplici titulo, videlicet ratione rei acceptæ, & iniustæ acceptionis. Item mortaliter peccat qui occidit, aut vulnerat animal alterius, dum in suo prædio damnum infert; non enim habet ius occidendi aut vulnerandi, sed solùm expellendi, & satisfactionem exigendi, nisi fortè aliter nequeat damnum proprium impedire. Clauis regia *l. 11. c. 9. n. 28.* Nauar. *c. n. 120.*

Vide *Cæsio ligurum* n. 5. *Festum* 2. n. 12.

VENDITIO.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit venditio?*
2. *An quando in venditionibus apponitur pactum de retrouendendo, res plus, vel minus valeat?*
3. *An venditio cum pacto retrouendendi licita sit, & labe usuræ careat?*
4. *An contractus venditionis sit usurarius quando venditur res pecunia credita pretio rigoroso, & postea eadem statim redimitur numerata pecunia medio vel infimo pretio?*
5. *Quæ sint causæ ob quas licitum sit interdum pluris rem vendere quàm per seipsa alioquin valeret, aut venderetur?*
6. *An merces ultroneas liceat minoris emere quàm valeant?*
7. *An licitum sit rem carius vendere extraneis, & peregrinis, quàm naturalibus, & indigenis?*
8. *An res quæ non habent pretium legitimum, possint vendi pro arbitrio venditoris?* refertur duplex sententia.
9. *An quando res est valde vilis, vel commoda emptori, venditor possit rem carius vendere?*
10. *An indigentia communis emptorum sit causa sufficiens ad augendum pretium?*
11. *An extraordinaria expensæ, labores, pericula, & infortunia, quæ mercatores subeunt, sint causa sufficiens ad augendum pretium taxatum?*
12. *An ratione officij mercatura possit mercator pretium augere?*
13. *Quale peccatum committant venditores, qui mendacijs affirmant rem sibi tanti stetisse, vel tanto pretio alijs vendidisse, vt pertahant emptorem ad rigorosum pretium?*
14. *An contractus venditionis sit nullus, & sit obligatio restituendi damna, quoties tacetur vitium notabile, quo cognito, emptor non emisset?*
15. *An quando vitium quod tacetur in venditione non est notabile absolutè, contractu sit invalidus & iniustus?*
16. *An teneatur venditor manifestare emptori vitium patens?*
17. *An venditor interrogatus de occultis rei vitijs, teneatur illa manifestare, quamuis non sint notabilia in se, vel in ordine ad usum, ad quem res emitur?*
18. *An contractus celebratus à venditore ignorante vitium rei, validus sit?*
19. *An peccet venditor, & teneatur ad restitutionem vino apponens aquam, si vendat illud eo pretio quo ab alijs venditur?*
20. *An emptor, qui restituit rem emptam venditori propter notabile vitium occultum non manifestatum, teneatur restituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expensis æstimatione industriæ?*
21. *Quæ requirantur vt emptor dominium rei emptæ acquirat?*
22. *Ad quem pertineant fructus medij temporis contractu dissoluto?*
23. *An venditori vel emptori res vendita pereat?*
24. *Quid sit monopolium? & quot modis fiat? & de primo modo, quando venditores conspirant inter se de pretio.*
25. *An monopolium contingat, quando Princeps alicui concedit priuilegium, quo solus certum genus mercium vendere valeat;*
26. *An monopolium fiat, & sit obligatio restituendi, quando vnus vel duo vel tres emunt omnes merces, ipsique soli eas vendunt eo quo volunt pretio?* refertur duplex sententia.
27. *An quando quis vi aut fraude impedit ne maior copia mercium aliunde importetur, vt maneat caritas in Republica*

contingat manopolium cum obligatione restituendi.

28 *An ex contractu venditionis oriatur obligatio ad euictionem rei? & quid sit euictio?*

29 *An euictio non solùm habeat locum in venditione, sed etiam in alijs contractibus onerosis?*

30 *In quibus casibus venditor, & quicumque alius qui alio titulo rem alienauit, non teneantur de euictione.*

31 *An aliquando possit quis cogi ad vendendum rem suam?*

1. CVm *venditio* sit correlatiua emptionis, nec sit contractus ab emptionis distinctus, sed vtraque vnum constituat contractum: ex definitione emptionis supra tradita v. *Empio*, desumi potest *venditionis definitio*, quæ nihil aliud est, quàm *contractus, qui mutuo consensu perficitur, & vltrò citroque emptorem, & venditorem obligat. L.1. & 2. ff. de contrahend. empt. Molina tr.2. disp.337. Filliuc. tr.35 c.1. q.2. n.5. & 6. Azor. 3 p. l.8. c.26. Caramuel lib.2. Theolog. moral. disp.16.* ita vt venditor obligetur ad tradendam mercem pro pretio, & emptor obligetur ad tradendum pretium pro merce: ex quo fit, vt traditio non sit de essentia venditionis, secundùm probabiliorem tententiam, modò consensus sit absolutus & non conditionalis.

2. In venditionibus aliquando solet apponi pactum de retrouendendo, & quidem si sit in fauorem solius venditoris, res tunc minùs valet, quàm si res venderetur sine tali pacto; quia imponitur emptori grauamen, & onus pretio æstimabile, quod compensari debet diminutione pretij arbitrio prudentis viri. *Couar. 3. var. cap.10. n.1. Reginal. l.25. n.293. Lessius l.2. c.21. nu.114. Aliquando* istud pactum apponitur in fauorem solius emptoris, vt res à venditore redimatur, si emptor voluerit sibi pretium restitui: & tunc res plus valet quàm alioqui valeret, quia venditor subijt grauamen, quod est pretio æstimabile. Filliuc. *tr.35. n.19.* Lessius *c.n.117.* Bonacina *de contr. d.3. q.2. p.3. Tandem* aliquando ponitur pactum retrouenditionis in fauorem emptoris & venditoris, ita vt liberum sit vtrique contractum rescindere & dissoluere, si voluerit, tunc res minùs valet, quam si apponeretur in fauorem solius ementis, & plus valet, quàm si apponeretur in fauorem solius venditoris. Couar. 3. *var. cap.9. n.3.* Lessius *c. nu.120.* Filliucius *c. num.160.*

3. *Venditio* cum pacto retrouendendi siue in fauorem solius venditoris, siue solius emptoris, siue in fauorem vtriusq; contrahentis, licita est, & caret labe vsuræ & iniustitiæ, modò concurrant conditiones sequentes, *Molina tr.2. d.337. Regin. l. 25. n.293. Nauar. c.17. n.248. Azor. c. cap.12. q.1. Prima*, vt adsit intentio emendi, & vendendi, nam deficiente intentione emendi aut vendendi, non est contractus venditionis, sed mutui; committitur autem vsura accipiendo aliquid ex mutuo. *Secunda*, vt adsit iustum pretium; censetur autem iustum pretium illud, quo res æstimatur arbitrio prudentis seruata consuetudine, vel statutis locorum habita ratione grauaminis, quod imponitur alteri contrahenti: ex quo fit, quòd contractus celebratus cum pretio valde modico & exiguo, licet non sit vsurarius in foro conscientiæ, interueniente vera intentione emendi, & vendendi ex parte vtriusque, est tamen illicitus & iniustus, simulque inducens obligationem restituendi iustum pretium & lucrum cessans venditori. Molina *c. disp.375.* Nauar. *c.n.248.* Reb. *l.10. qu.6.* Azor. *c.l.8. cap.12. Tertia*, vt fructus rei emptæ pertineant ad emptorem; quia emptor per contractum emptionis acquisiuit dominium rei emptæ, res autem Domino fructificat, sicut illi etiam perire debet, si pereat: quod intelligendum est, modò fructus non pertineant ad venditorem propter contractum locationis cum eo celebratum. *Quarta*, vt in contractu emptionis & locationis non adsit aliqua læsio. *Molina c. Nauar. c. Azor. c. Bonacina c. punct.3. n.13.*

4. Contractus venditionis, per se loquendo, caret labe vsuræ, quo venditur res credita pecunia pretio rigoroso, & postea eadem statim redimitur numerata pecunia, medio vel infimo pretio, quia in vtraque venditione res venditur iusto pretio, quod licitum est: aliquando tamen fieri potest, vt huiusmodi venditio labem vsuræ vel iniustitiæ contineat; vt accidit quando primus venditor iniit pactum cum emptore, vt res ab eo empta iterum sibi retrouendatur infimo, vel medio pretio; nam huiusmodi contractus cum tali pacto celebratus, meritò præsumi potest vsurarius, eò quòd videtur resolui in mutuum. *Toletus l.5. c.31. nnm.3. Nauar. cap.23. nnm.91. Lessius l.2. cap.21. nnm.130. Filliuc. tract.35. nu.189. Reginald. l.25. n.296.* Ita etiam Diana *de contract. resol.58. parte prima.*

5. *Causa* ob quas licitum est interdum pluris rem vendere, quàm per se ipsa alioquin valeret, aut venderetur, sunt. *Reginald. c.2. n.280. Sà v. venditio n.2 Less. c. n.30. Prima*, multitudo emptorum, & copia pecuniæ: sicut enim copia mercium est causa sufficiens cur diminuatur pretium, ita multitudo emptorum & pecuniæ causa est, vt pretium augeatur.

Secunda, est affectus ad rem quæ venditur, vt si venditor ægrè se priuet ea re & eius oblectatione ac commodo; priuatio enim illius affectus & oblectationis est pretio æstimabilis; vnde gemma vel statua antiqua quis charam habet, potest carius vendi, quàm alioquin venderetur. *Medina q. 31. de restit. Salon 2.2. qu.77. art.1. Regin. c.n.274.*

Tertia causa, est lucrum cessans venditori; qui in gratiam emptoris vendit rem, quam constituerat seruare vsque ad tempus, quo plus valuisset; aliquid tamen detrahendum est ratione custodiæ & periculi, quod subijsset venditor rem seruando ad illud vsque tempus. *Lessius c. n.26. Filliuc. tr.35. num.98. Bonacina c.p.4. num.16. Sylui.2.2. q.77. art.1. q.5.*

Quarta causa, est damnum emergens quod patitur venditor vendendo credita pecunia; quia sicut in mutuo licitum est aliquid supra sortem accipere; ita multò magis in venditione: vnde merces quæ communiter creditò pluris venduntur, licitè pluris vendi possunt credita quàm alioquin venderentur numerata pecunia, quia in eo venditionis genere illud fit iustum pretium, ex communi vsu ementium & vendentium. Azorius 3. *p.l.8. c.8.* Couar. *2. var. c.3. nu.6.* Sà *v. vendit. nu.7.* Filliuc. *c. nu.113.* Syluius *2.2. q.77. art.1. q.4.*

Quinta causa, est periculum amittendi totum vel partem pretij, vel periculum recuperandi pretium cum expensis & molestijs; quia periculum, cui venditor se exponit, est pretio æstimabile; quando tamen aliquid carius venditur pro damno & periculis recensitis, admonendus est emptor de hac re, ne inuitus emat maiori pretio, quàm forte aliund emisset. *Nau. l.3. c.2. nu.98. Less. c.n.54. Molin. c. d.351. 356. Regin. n.307. Dian. de contractib. resol.57. p.1.*

Sexta causa, augendi vel diminuendi pretium est modus vendendi, *Fill. nu.58. & 70. Sà v. emptio. n.4. Regin. c.n.319. Bonac. c. nu.21. Dian. de contract. resol.78. 55. p.1.* aliquando enim vna res carius venditur vno modo quàm alio: v.g. si merx minutatim vendatur, carius venditur, quàm si venderetur in magna quantitate; vel si merx vltrò offeratur, vilius venditur, iuxta prouerbium; Vitroneæ merces pro tertia parte vilescunt: & secundum quosdam apud Dianam pro medietate: vel si quid sub hasta vendatur, aliquando carius venditur & aliquando vilius. De his causis agit summariè Diana *c. resolut. 23.* Proinde in his quæ venduntur sub hasta, siue voce præconis, prætium iustum est, quod non excedit supra dimidium, nec deficit infra dimidium, illius iusti pretij, quod bona illa valerent si alio modo venderentur, quàm subhastatione. Imò secundùm quosdam iustum pretium in subhastatione id erit, quod vltimò offertur sine fraude: fraus autem erit, si venditor vitium rei venditæ sciens taceat, vel occultet: item si venditor aliquos supponat, qui pretium augeant, vt res pluris quàm valet vendatur, aut si aliquos subtrahat ab augendo, vt res minoris ematur ab amicis & consanguineis: item si venditor captato tempore quo sunt pauci emptores rem hastæ subijciat: Emptor quoque fraude vti potest, v.g. si impediat ne alius auget vt ipse vilius emat, aut si ob inuidiam augeat, vt alius inde carius emat. Vide Iacobum Gordonum *in Theolog. moral. to.1. lib.4. q.5. c.8.*

6. Qui rem minoris, quàm valeat emunt à venditore, qui necessitate compellitur ad vendendum, excusari possunt, si ipse offerat emptori rem vendendam: quia talis necessitas facit mercem vitroneam, quæ pro tertia parte vel pro medietate solet vilescere. Sà *v. Emptio. n.4* Vasq. *de rest. c.5. §.1. dub.10. n.61.*

7. Illicitum est rem carius vendere extraneis & peregrinis, quàm indigenis & naturalibus, si excedantur limites iusti pretij; non enim licet iustũ pretiũ excedere. Less. *c. n.30.* Molin. *c. d.346.* Si tamen ad aliquẽ locum accedant multi extranei, præsertim diuites, & auidi emptionum rerum necessariarum, tunc cùm, multiplicatis emptoribus, subitò accrescant rerum pretia, non erit illicitum carius illis vendere, quàm incolis, & quàm illis recedentibus res vendantur eodem loco alijs extraneis. Imò si res sint sufficientes naturalibus & extraneis aduenientibus, non erit iudicanda illicita venditio, si tunc carius illis vendantur

auidis

auidis ad emendum;quàm naturalibus. Ratio eſt, tum quia illæ res comparatione multorum emptorum, qui ſuperuenerunt,ditiſſimi & auidiſſimi ad emendum, plus valent, quàm comparatione aliorum indigenarum,qui ibi ſunt,& manent. Tum quia in illa ſubita rerum mutatione, illud eſt pretium iuſtum, & ſupremum illarum rerum, ſi quidem multi ſunt emptores, & propter illud deſiderium emendi,& penuriam rerum, liberaliter cenſentur donare id, in quo aliquid exceditur.

8. Res illę quæ non habent pretium legitimum vel vulgare, vt ſunt gemmæ, falcones, ſtatua antiqua, canes inſignes, &c. ſecundùm *Sot.l.6.q.2.a.3. Molin.d.348. Regin.l.25.n.289. Tolet.de 7.peccatis c.48.*& alios poſſunt vendi pro arbitrio vẽditoris, quia in his valet illa regula:*tantùm res valet quantùm vendi poteſt*: hæc ſententia eſt ſatis probabilis; Contraria tamen videtur probabilior,venditorem nempe,non poſſe prædicta vendere,quo voluerit pretio, ſed iuxta prudentis iudicium, perpenſis & examinatis circumſtantijs augentibus vel diminuentibus valorem rei;tamen ſi venditor ei valde afficiatur,poteſt hunc ſuum affectum æſtimare, ſed id bona fide fieri debet: & huius ſententiæ ſunt Nauarrus *cap.23.num.78.* Leſſius *c.num.16.* Filliucius *tr.3 c.num.61.* Arragon 2.2.*q.77.a.1.* Diana *de contract. reſ.56. p.1.* & multi alij: ratio autem eſt, quia iuſtum pretium earum rerũ quæ nec lege nec communi æſtimatione taxatæ ſunt, ſumendum eſt ex iudicio intelligentis mercatoris,qui ſpectatis circumſtantijs illam æſtimet.

9. *Venditor* non poteſt rem cariùs vendere,eò quòd res ſit valde vtilis vel commoda emptori;quia hęc vtilitas eſt ipſius emptoris non venditoris; venditor autem non poteſt vendere rem cariùs propter aliquid,quod ſuum non eſt:ſecus dicendum eſt,quãdo res ſecundùm ſe,vel reſpectu venditoris, habita ratione damni,vel lucri ceſſantis,vel affectus,magis valet. *Nau.c.23.num.83. Fill.tr.35.n.77. Regin.c.n.275. Leſſ.c.n.31.*

10. *Indigentia* communis emptorum eſt cauſa ſufficiens ad augendum pretium, vt accidit, quando adeſt multitudo emptorum: *indigentia* verò alicuius particularis emptoris non eſt cauſa ſufficiens ad augendum pretium, alioquin poſſet cariùs vendi pauperi quàm diuiti,quod eſt falſum. Reginaldus *l.25.n.273.* P. Nauarr. *l.3.c.2.n.20.*

11. Extraordinariæ expenſæ,labores, pericula, & infortunia, quæ mercatores ſubeunt, non ſunt cauſa ſufficiens ad augendum pretium taxatum in venditione ſuarum mercium,quia mercatura ſicut eſt expoſita lucro,ita etiam damno,& ſicut mercator poteſt tantùm exigere, ſi nullas fecit expenſas, ita non poteſt plus exigere,ſi extraordinarios ſumptus fecit,hoc enim ipſius infortunio imputandum eſt. *Leſſ.c.n.29. Regin.c.n.276. P.Nau.c.n.25. Valent.to.3.d.5.q.20.p.2.* Si autem merces non habeant pretium ſtatutum,tunc,cùm pretium primò ſit imponendum,poteſt venditor habere rationem expenſarum extraordinariarum in eo taxando.vt videmus in mercibus, quæ deferuntur per loca periculoſa,vbi opus eſt comitatu manus militaris aduerſus raptores.

12. *Mercator* poteſt pretium augere ratione officij mercaturæ: *Fil.tr 35.n.66. P.Nau.c.n.40. Medina de reſt.q.31. Regin.c.n.281. Leſſ.c.n.24. Sylu.c.quæſ.3.a.1.* quia officium mercatoris eſt pretio æſtimabile, cùm mercator ſeruiat Reip. conſequenter dignus eſt maiori aliqua mercede: non tamẽ hinc ſequitur,mercatores poſſe plus vendere;quàm ſit præſcriptum à lege,vel à communi æſtimatione: nam in taxando pretio habetur ratio & reſpectus ad officium mercatorum: Ille autem qui tantum exigit, quantum exigunt mercatores, non facit iniuriam emptori; conſequenter non tenetur ad reſtitutionem, modò res ſit æquè bona,vt ait *Leſſius* hic citatus.

13 *Venditores* qui mendacijs affirmant rem ſibi tanti ſtetiſſe, vel tanto pretio alijs vẽdiſſe, vt pertrahant emptorem ad rigoroſum pretium, vt plùrimùm & regulariter peccant venialiter mendacij peccato: *Molin.c.d.347.n.3. Bonacin.de contract.d.3.q.2.p.4.n.31. Rebell.l.9 q.7. n.8. ad finem Marchan.in reſ.paſtoral. c.2.q.13.* idem *dicendum* eſt de emptoribus affirmantibus rem aliàs minoris emiſſe, vel ſibi minoris offerri, vt ad infimum pretium deſcendant: quia hæc ſunt communia mendacia, ſtratagemata vendentium & ementium,quæ homines ferè communiter norunt: & in caſu quo illa ignorarent emptores,venditores grauiter peccarent,& tenerentur ad reſtitutionem poſita materiæ grauitate,quia cenſentur emptoribus cauſa damni per deceptionem.Sicut & venditores,qui quia emptoribus non placent merces niſi infimo pretio, cùm pretio medio vel rigoroſo optant vendere, compenſant id occulta diminutione mercis, puta in menſura vel pondere. Ratio eſt, quia hic eſt iniuſtitia, & proinde obligatio reſtituendi, poſita quantitate notabili: licet enim poſſent vendere pretio medio, vel rigoroſo; hoc tamen poteſt conuentionem de pretio non licet;ſed tenentur ſtare conuentioni,quæ eſt iuſta,licet ſit de pretio infimo. Secus dicendum foret ſi cogeretur vendere mercator infra iuſtum pretium etiam infimum, ex neceſſitate compulſus. Tunc enim ſi occultè diminuendo ſolùm pertingeret ad pretium iuſtum infimum non videretur peccare contra iuſtitiam.

14. In *venditione* quoties tacetur vitium notabile, quo cognito,emptor non emiſſet. contractus eſt nullus, adeſtque obligatio reſtituendi damna, & in foro externo datur actio, quæ dicitur redhibitoria,ad rehabendum pretium & reſtituendam rem acceptam: *L.1.C.de ædilitijs actionibus. Mol.tr.2.d.353. Regin.c. num. 337. Leſſ.cn.dub.11. D.Th.2.2.q.77.a.3. Nomine vitij* intelligitur quicumque defectus,qui poteſt imminuere pretium, vel mutare voluntatem euentis, aut emptorem retrahere ab emendo. Hoc autem vitium contingere poteſt, vel in ſubſtantia, vt cùm vino miſcetur aqua; vel in quantitate, vt quando non ſeruatur debitum pondus, numerus, vel menſura, vel in qualitate, vt ſi equus vel ſeruus ægrotus vendatur pro ſano. *Fill.c.n.116. Arrag.2.2.q.77.a.3. Sylu,ib.concl.1. Dian.tr.de contract.ref.39.part.1. Mald.22. tr.5.c.2 d.8.* Tamen ſi emptor in hoc caſu rem erat empturus ſed minori pretio, contractus eſſet validus, licèt venditor teneatur reddere emptori quantum erat minùs rem empturus: quia in priori caſu venditor commiſit dolum dantem cauſam contractui: in ſecundo verò dolus eſt ſolùm incidens in contractum.

15 Quando vitium quod reticetur in venditione non eſt notabile abſolutè, neque reddit rem notabiliter minùs vtilem ad vſum, ad quem res ipſa emitur, etiamſi venditor præſumat fore, vt emptor,non emeret;aut non tanto pretio,ſi vitium cognoſceret,contractus non eſt inualidus,nec iniuſtus; *Nau.c.23.n.89. Sà v.venditio n.22. Mol.c.d.353.n.20. Regin.c.num.337. Azor.3.p.l.8.c.23.q.3. Leſſ.c.n.90. Sylu c.concl.2.* quia emptor non cenſetur rationabiliter inuitus,cùm non ſileatur vitium ei noxium:tamen tantum de pretio detrahendum eſt, quanto minùs valet res cum eo vitio: monenduſque eſt de tali vitio emptor poſt contractum, ſi emptor alijs venditurus eſt, alioquin fieri poteſt, vt emptor eamdem rem pluris vendat quàm valeat,credens omni vitio carere:contractus etiam in hoc caſu eſſet nullus,ſi emptor exprimeret actualiter & explicitè ſe tantummodò velle conditionaliter emere, ſi talis conditio & circumſtantia ſubſiſtat & non aliter,tunc enim conditione non ſubſiſtente,contractus etiam non ſubſiſtit.

16. Per ſe loquendo non tenetur venditor manifeſtare emptori vitium patẽs: *D.Th.2.2.q.77.a.3. Nau.c.n.89. Fill. c.n.120. Regin.c. nu. 336. Azor.c.l.8.c.23. Sylu. c.conc.4* quia non magis ſpectat ad venditorem huiuſmodi vitium manifeſtare, quàm ad emptorem illud inſpicere: ſi tamen venditor animaduertat vitiũ non cognoſci ab emptore ex inaduertentia inuincibili, tunc contractus eſt inualidus,ac ſi defectus eſſet occultus: licet in hoc caſu non detur actio emptori in foro externo aduerſus venditorem,niſi emptor læſus ſit vltra dimidium iuſti pretij,iuxta L.2.C. *de reſcindenda venditione.*

17. *Venditor* interrogatus de occultis rei vitijs, tenetur illa manifeſtare, quamuis non ſint notabilia in ſe, vel in ordine ad vſum,ad quem res emitur.imò contractus in hoc caſu eſſet inualidus in vtroq;foro, ſi emptor cognito vitio non emiſſet; conſequenter venditor tenetur ad reſtitutionem damnorum,quæ paſſus emptor ob huiuſmodi dolum & iniuſtam deceptionem, cùm ſit cauſa damni. Leſſius *c.n.86.* Filliuc.*c.n.135.* Azor. *3.p.l.8.c.23.*

18. *Contractus* celebratus à venditore ignorante vitium rei, validus eſt; *L.Iulian.ff.de actionibus.* quia non videtur adeſſe dolus: *venditor* autem qui vitium ignorabat in contractu venditionis,non poteſt cognito vitio tantum accipere, quantum accepiſſet,ſi res vitio caruiſſet;ſed tenetur vel reſcindere contractum,vel reſarcire inæqualitatem, deſcendendo in pretio:non tenetur tamen venditor ignarus vitij occulti, emptori ad reſtitutionem damnorum, quia non cenſetur cauſa iniuſta damnorum, cùm ipſum excuſet ignorantia. Nauarrus *c.23.n.89.* Reginaldus *n.337.* Filliucius *c.n.117.* Syluius *c.concl.3.*

19. Fieri poteſt vt nõ peccet venditor,nec teneatur ad reſtitutionem,quando vino generoſo apponit aquam,qua appoſita vinũ nõ eſt effectum deterius eò quòd paſſim venditur ab alijs,ſi vendat eodẽ pretio,quo ab alijs venditur, etiamſi admixtionem nõ manifeſtet emptori.quia nullũ damnũ infert emptori,vel iniuriã, cùm non teneatur illi tradere res maioris perfectionis & integritatis quàm ab alijs vendantur.Arcendi tamen ſunt venditores

ab huiusmodi mixtionibus & fallacijs, ad quas lucri cupiditas, & auri fames execranda trahit, & inducit. Leſſius *c.n.*83. Molina *d.* 353.*n.*15. Reginaldus *c.n.*340. Sà *v. venditio n.*9. Filliucius *c.n.* 132 *& ſeq.* Diana *de contract.reſol.*51.*p.*1.

20. *Emptor* qui reſtituit rem emptam venditori propter notabile vitium occultum non manifeſtatum, tenetur reſtituere fructus rei emptæ medio tempore collectos, deductis expenſis, & æſtimatione induſtriæ; quia cùm contractus fuerit inualidus, & ideò dominium rei manſerit apud vẽditorem, & res Domino fructificet, ideò fructus venditori tamquàm vero Domino reſtituendi ſunt; venditor tamen, qui vitia non patefecit, tenetur ad reſtituendum pretium, & ad alia damna emptori ſecuta ob inualiditatem venditionis: cùm eorum fuerit cauſa iniuſta per taciturnitatem vitij notabilis. Molina *c.d.*353.*n.*20. Bonac. *de contract. d.*3.*q.*2.*p.*6.*n.*18. Reginal. *c.n.*337.

21. *Tria* requiruntur, vt emptor dominium rei emptæ acquirat. *L. quod vendidi, ff. de contrahenda emptione. Leſſ.cit.dub.*13.*n.* 100. *Fill.c.n.*173. *Mol.d.*368.*n.*18. *Couar.*1.*var.c.*15. *Primò*, mutuus conſenſus emptoris, & venditoris. *Secundò*, traditio rei. *Tertiò*, quod emptor ſoluat pretium, vel ſaltem venditor fidem habeat de pretio ſoluendo, aut accipiat pignora, vel fideiuſſiones pro illo; hinc fructus pendentes tempore venditionis, ſiue maturi ſint, ſiue nondum ad maturitatem peruenerint, pertinent ad emptorem, quoad valorem, quem habent tempore venditionis, niſi aliter conuentum ſit; quia fructus pendentes tempore venditionis cenſentur pars rei emptæ. Præterea quando res vẽdita tradita eſt emptori, ſed pretium nondum fuit ſolutum, nec habitum pro ſoluto, fructus rei venditæ quoad valorem quem acquirunt poſt venditionem, pertinent ad venditorem, quia res Domino fructificat. *Rebell.lib.*9.*q.*17.*f.*1. *Leſſ.c.n.*102. Quando autem vẽditor rem tradidit emptori, ſoluto pretio, vel habita fide de pretio, & conceſſa dilatione ad ſoluendum, fructus omnes pertinent ad emptorem, nec emptor tenetur ad intereſſe pro pretio non ſoluto, niſi forte ab initio aliter conuentum ſit inter contrahentes *Couarruu.* 3. *var.c.*4. *Gom.*2.*var.c.*2. *Fill.n.*177. quia tunc probabile videtur emptorem teneri ad huiuſmodi intereſſe. Vide Dian. *tract.*5. *miſc.reſ.*114.*p.*3.

An autem venditor non tradendo rem venditam tempore determinato, teneatur emptori ad intereſſe nõ ſolùm intrinſecum, ſed etiam extrinſecum, id eſt, quod per accidens emptori euenit. Reſponſio eſt affirmatiua, in foro conſcientiæ, ſi emptor ſoluit, & obtulit pretium venditori, & venditor ſit in mora culpabili rei tradendæ: Ratio eſt, quia tunc vendens, non tradens rem, verè eſt cauſa ob quam emens non percipiat fructus ex re ſibi debita, debita enim erat ab eo die venditionis. Ergo. Nota tamen in foro externo venditorem teneri ſolùm ad intereſſe intrinſecum: vt colligitur ex lege *Sterilis*, §. *cum per venditorem*, *ff. de actionem empt.* & huius ſententiæ ſunt Filliuc. *tr.*35.*n.*174. Leſſius *l.*2.*c.*21. *dub* 13.*n.*102. Turrian.2.2.*tom.*2.*diſp.*58. *dub.* 8. Diana *p.*3.*tract.*5.*reſ.*113.

22. *Ad quem* autem pertineant fructus medij temporis, contractu diſſoluto; dicendum eſt contractus quinque modis poſſe diſſolui. *Primò*, per nouum pactum, hoc caſu omnes fructus quos res protulit, eo tempore quo perſeueratum eſt in contractu, pertinent ad primum emptorem. *Fill.c.n.*164. *Gomez to.*2.*c.*2.*n.*24. *Bonac.c.p.*7.§.2.*n.*8.

Secundò, diſſoluitur contractus ex vi pacti retrouenditionis in prima venditione appoſiti, tunc ſi eodem pretio res debeat redimi quo vendita fuit, omnes fructus qui à tempore venditionis vſque ad tempus redemptionis producti ſunt, ſecũdùm valorem quem tunc habent, ad emptorem pertinent. *l.*2. *C. de pactis inter empt. Regin.l.*25.*n.*291. *Couar.*1.*var.cap.*15.*n.*6.

Tertiò, ex pacto legis Commiſſoriæ, id eſt, quando res alicui eſt vendita ea lege, vt niſi intra certum tempus pretium eius ſolutum, res ſit inempta, & contractus irritus; in hoc caſu, ſi pactum conceptum fuit verbis directis, fructus pertinent ad venditorem: ſi verò cõceptum fuit verbis obliquis ſeu indirectis, tunc fructus medij temporis, ſunt emptoris *l.*2.3. *&* 4. §. *eleganter*, *ff. de leg. commiſſ. Filliuc.c.num.*165. *Leſſ.c.n.*124. *Cou.*1. *var.c.*8.

Quarto, reſoluitur contractus ex pacto additionis in diem, id eſt, quando res alicui eſt vendita ea lege, vt ſi intra certum tempus alius meliorem conditionem obtulerit, res ſit inempta, in hoc caſu idem dicendum eſt vt in tertio. *l.*1. *ff. de in diem addict. Bonac.c.*§.2. *num.*1.

Quintò, ſi venditio ſit conditionalis, & conditio non fuerit impleta, tunc cùm venditio ſit irrita fructus omnes ante conditionem impletam percepti pertinent ad venditorem. Adimpleta verò conditione fructus ſunt emptoris. Molina *c.d.*379. Gomez *to.*1.*c.*2. *n.*30. Filliucius *c.n.*171.

23 Quando *res venaita* perit, vel deterior fit poſt traditionem, perit emptori, etiamſi pretium nondum ſit ſolutum, quia per traditionem tranſlatum eſt dominium in emptorem, res autem Domino perit. *l. quod ſi, ff. de periculo, & commodo rei venditæ.* Si autem pereat ante traditionem, ſitque certa, & determinata, vt hic equus, hæc domus; peracto contractu venditionis perit emptori, vnde non tenetur venditor eius pretium reſtituere; pari modo eius incrementum ad emptorem pertinet. *l.* 1. *C. de peric. & comm. rei. Azor.*3.*p.l.*8.*c.*26. *Sà v. venditio, n.*26. Excipiuntur tamen aliqui euentus, in quibus periculum pertinet ad venditorem.

Primus eſt, ſi res culpa venditoris perit aut deterior fit, quia v.g. non potuit debitam diligentiam in illa cuſtodienda; eſt enim venditor tunc tanquam rei cuſtos, ac procurator, & ideo tenetur de dolo, & culpa lata, & leui, non tamen leuiſſima. *L. quod ſæpe*, §. *ſi rei ff. de contrahend. empt. L. ſi vendita, ff. de periculo, & comm.*

Secundus, quando venditor in mora fuit tradendæ rei venditæ. *L. illud, ff. de peric. & comm. rei vend.*

Tertius eſt, quando in contractu venditionis conuentum eſt expreſsè inter partes contrahentes, vt periculum ad venditorem pertineat. *L. ſi in venditione ff. de peric. & comm. rei venditæ.*

Quartus eſt, quando res vendita, antequam tradatur confiſcatur ob delictum venditoris: vel ſi res vendita, antequam tradatur, accipiatur à Rege, ob aliquam neceſsitatem. *L. ſi fundus, ff. locati conducti.*

Quintus, ſi venditor aliquid affirmauit de bonitate rei, quo emptor ſibi perſuaſit plus duraturam propter bonitatem, & ante traditionem in peius mutetur, deterioretur que: tunc enim peribit venditori. Idem eſt ſi venditor ſciebat illam non duraturam, nec admonuit emptorem, ad quem periculum illius iam pertinebat: ſi enim ante traditionem deterior fiat peribit venditori. *L. ſi vina, ff. de peric. & commod. rei vend.*

Sextus, quando venditio de conſenſu partium facta fuerit ſcriptura publica, & antequam nota ſcripturæ conſummata fuerit, licet ſit iam incepta res pereat, aut deterior fiat, venditori perit, & non emptori. Si autem res ſit indeterminata, vt ſi quis emat decẽ modios tritici ex meſſe, vel ſi emat rem determinatã ſed ad menſuram. verbi gratia, totum aceruum tritici vno floreno in ſingulas menſuras, tunc ante rei traditionem, vel menſurationem, periculũ interitus pertinet ad venditorem: ſi tamen res fiat melior vel deterior abſq; culpa & mora venditoris, commodum, & incõmodum pertinet ad emptorem. *Leſſ.c.n.*97. *Regin.l.*25.*n.*351. *Bonac.l.punct.*3.*n.*5. *Cienuganti, de vſuris.* Sylu.2.2.*q.*77.*a.*4.*q.*3. Si vẽdatur incertum de certis, v.g. decem oues de duobus vel tribus gregibus, non deſignando quales, tot pondera lanæ ex certo aceruo illius, tot menſuræ tritici ex tali horreo, aut aceruo, tot amphoræ vini ex tali dolio; tot cadi olei ex tali vaſe, tunc ſi illa omnia pereant, ex quibus iſta venditur, abſque venditoris culpa, v.g. ſi pereant ſegetes, greges, aceruus, dolium, vas, liber manet vẽditor ab implendo contractu, ſolumque tenetur ſoluere pretiũ, quod accepit, & ipſe emptor tantùm poterit in iudicio repetere ſuum pretium. Ratio eſt, quia venditor deſignando certas res, ex quibus ſoluere ſe obligauit, nõ tenetur implere contractum, niſi ex illis, quas deſignauit, & nominauit; quã ob rem ſi illæ pereant, ab impletione illius manet liber, & tantùm pretium, ſi quod accepit, tenetur ſoluere. *L. in ratione*, §. *incertè, ff. ad leg. falcid.*

24. *Monopolium* propriè dicitur, cùm vnus vel pauci efficiũt vt ipſi ſoli aliquod mercium genus vendant eo pretio quo ipſis libuerit: & fit quatuor modis. *Molin.d.*345. *num.* 4. *Salas ac emptd.*38. *Fullerat.*55.*nu.*211. *&* 212. *Regin.l.*25.*n.*328. *&* 333. *Leſſ.c.dub.*21.*n.*144. *Bonac. de contr. d.*3.*q.*2.*p.*5.*n.*2.3. *Arrag.*2.2. *q.*77.*a.*4.*diſſ.*1. *Dian.tr. de contract. reſ.*76. *Sylu.c.q.*77.*a.*1.*quæſt. Primò*, quando venditores conſpirant inter ſe de pretio: tunc modò id non ſit ſupra legitimum, vel ſupra vulgare ſummum, nõ peccant contra iuſtitiam: quamuis bene contra charitatem: ſecus ſi pretium ſit ſupra legitimum, tunc enim tenentur ad reſtitutionem illius auctarij, quod emptores ſoluere coacti ſunt: pari modo emptores conuenientes, & conſpirantes inter ſe de merce emenda viliori pretio, quàm ſit infimum, peccant contra iuſtitiam, & tenentur ad reſtitutionem. Tamen quando mercatores conuenerunt non vendere merces niſi pretio rigoroſo, emptores poſſunt conſpirationem inire, contra monopolium venditorum, vt non emant merces niſi pretio viliori, quod tamen ſit iuſtum, vtuntur enim iure ſuo, vt ſeipſos ſeruent indemnes; emptoribus tamen eſt deſiſtendum

ab

ab huiusmodi monopolio, statim ac venditores cessarunt à suo. Vide Doctores citatos.

25. *Secundò*, monopolium contingit, quando princeps alicui concedit priuilegium. quo solus certum genus mercium vēdere valeat: hoc monopolium est licitum, modò iustum pretium mercibus à Principe sit taxatum; quia fieri potest vt hoc expediat reipublicæ, nec vlli fiat iniuria. *Sàv. venditio nu.5. Fill.c.n.213. Regin.c.n.327. Sylu.c.quæst.2.*

26 *Tertiò*, monopolium fit, quando vnus vel duo, vel tres emūt omnes merces, ipsique soli eas vendunt, eo quo volunt pretio, sicque inducunt notabilem inopiam & caritatem; secūdum Medinam *in c.de rest.q.36. P. Nauar.l.3.c.2.n.80. Azor.3.p.l.8.cap.28. Reginald.c.Syluium c.quæst.2.* peccant illi mortaliter contra iustitiam & tenentur ad restitutionem, quia emendo hoc modo, sunt causa iniusta damni Reip. & ciuibus, cùm pretium, quo ipsi iterum vendunt non sit iustum: *Less.c.n.150. Mol.tr.2. disp.345. Fill.c.n.214.* hæc sententia satis probabilis est. Quamuis etiam probabile sit, illos non peccare contra iustitiam particularem, sed contra charitatem, vel contra iustitiam legalem, consequenter non teneri ad restitutionem, quia obligatio restituendi ex delicto supponit peccatum mortale contra iustitiam particularem seu commutatiuam.

27 *Quartò* contingit, si quis vi aut fraude impediat ne maior copia mercium aliunde importetur, vt maneat caritas in Republ. tunc est peccatum contra iustitiam cum obligatione restituendi Reipub. & mercatoribus: qui verò absque vi vel fraude, solis precibus, vel persuasionibus curat mercatores abire, non videtur peccare contra iustitiam aut teneri [redacted] restitutionem, quia non facit illis iniuriam. *Less.c.num.153. Fill.c.nu.215. Regin.c.n.332. P.Nau.l.3.c.2.n.79. Sylu.v.emptio q.13. Sylu.c.*

28 Ex *contractu venditionis* præcipuè oritur obligatio quędam ad euictionem rei; Euictio autem nihil aliud est, quàm ablatio rei emptione, vel alio contractu habitæ, interposito Iudicis decreto: vnde euincere est auferre rem emptam de manu emptoris, propterea quòd alius probat rem esse suam, & [redacted] pertinere, nō autem ad venditorem: vnde quando dicitur venditorem teneri de euictione, est, venditorem teneri ad procurandum, quantùm in se est, vt emptor legitimè habeat rem per contractum traditā, & [redacted] seruandum illum indemnem, si ab aliquo tamquam sua euincatur in iudicio: hinc est vt emptor habeat actionem contra venditorem [redacted] recuperandum pretium cum omnibus impensis & omni quod emptori interest, ex eo quòd res empta sibi euicta est ab altero, *L.euicta.ff.de euictionibus. L.tenetur.ff.de action.emption. Molin.c.disp.380. Couar.3.var.c.17. Syluest.verb. Euictio. Azor.3.p.lib.8.c.30. Regin.l.25.nu.114.*

29. *Euictio* non solùm habet locum in venditione, sed etiam in alijs contractibus onerosis, vt in permutatione, Emphyteusi, Censu, Locatione, &c. *L.libera, C.de sent. & interlocutorijs, &c. Gomez 2.var.c.2.n.12.* quia par nō est, vt quis damnum patiatur ex re, quam debito pretio accepit. In contractibus verò lucratiuis seu gratuitis, locum non habet euictio, secluso pacto & culpa contrahentis: vnde donator non tenetur de euictione; quia par non est vt damnum patiatur ex eo quod sua liberalitate tradit absque præuia promissione, vel obligatione. *L.Aristo. §. fin. ff.de donationibus. Reginal.libr.25.numer.113. Fillius tractat.33. numer.105.*

30. *Venditor*, & quicumque alius qui alio titulo rem alienauit non tenentur de euictione in sequentibus casibus. *Primò*, si mota lite emptori non fiat venditori denunciatio illius ab emptore. *Secundò*, si in contractu expressum fuit, vt de euictione non teneretur: *Tertiò*, si emptor lata sententia contra eum, venditoreque à iudicio absente, non appellauit ab ea, quando saltem in re potest esse aliquod dubium. *Quartò*, quando sententia est apertè iniusta, tunc enim perinde est, ac si furto sublata esset. *Quinto*, quando emptor litem motam consentit definiri per iudicem arbitrum, aut per alium, ad quem cognitio illius causæ non spectabat. *Sexto*, quando emptor tempore emptionis sciebat rem esse alienam; tunc enim de iure communi nec datur actio ei ad interesse, sed [redacted] solum pretium, nisi expressè conuentum sit de euictione. *Septimò*, quando emptor potuit præscribere rem emptam. *Octauò*, quando emptor sua culpa amisit rei possessionem, & ideò factus est de reo actor. *Nonò*, quando emptor hæreditatem vendidisset, tunc enim si res aliqua in particulari de hæreditate euincatur, non tenetur hæres de euictione. *Sylu.ver. Emptio q.24.num.26. Couar.3.variar.cap.17. Azor.3.par.lib.8.c.30. Mol.tract.2.d.380.a num.8. Reginal.lib.25.num.114. & 357. Fill.c.num.109.*

31. Quoties Respub. annonæ grauatur inopia, potest quis cogi vendere res proprias, quæ ad victum pertinent. Licet enim, regulariter loquendo, nemo cogendus sit rem suam vendere; tamen, quia subditi Reipublicæ, & illorum bona in ordine ad bonum commune potestatibus publicis, quantum ratio boni communis postulat, subordinantur: inde est, quòd possint potestates publicæ ipsius Reip laborante populo fame & annonæ inopia, cogere quempiam ad vendendum res suas, quę ad victum, et vestitum pertinent, taxato etiam pretio, tempore prædictę inopię. Et si quis venditor taxatum pretium egrediatur, & pluris vendat tenetur illud plus in foro poli restituere; in foro autem fori per iudicem ad hanc restitutionem cogendus erit, & punietur insuper pœna in lege taxata, vel alia arbitraria ad iudicis arbitrium, si non fuerit taxata, veluti legis iustæ transgressor. Ita Molinam *to.2.de iust.disp.341. Sylvest.verb.Emptio, q.4.*

Hinc colligitur posse quem cogi à potestatibus publicis, ad vendendas domos, prædia, & agros, si id spectet ad bonum cōmune, v.g. ad ædificandum, vel ampliandum monasterium, vel Ecclesiam, aut hospitale, itemque pro sternenda via publica, vel pro scholis publicis, palatio Regis, vel ædificio alio simili construendo, facta semper primò æstimatione, solutoque illius pretio. Tamen plerisque in locis & regnis in more positum est, recurrere in hoc negotio ad regem, tam in publica necessitate, quā pro Ecclesiis ædificandis, ampliandisve, ac construendis. Vide Couarruuiam *lib.3.variar.cap.14.num.8. Caramuel.lib.2.Theolog.moral.numer.825. & sequentib. L.si locus, §.ult. ff.quemadmodum seruitutes amittuntur.*

Vide *Emptio. Emphyteusis n.7. Scandalum n.4. Falsarius nu.2. Pensio n.10.11. Simonia 1.n.1.5. Locatio 1.n.3.6. Matrimonium 7.num.14. Restitutio 4.§.6.nu.19.20.*

VICARIVS.

SVMMARIVM.

1 *Vnde Vicarius dicatur? & quotuplex apud Doctores inueniatur?*

2. *Quis sit vicarius perpetuus? & à quo possit amoueri? Et in quibus casibus dari debeat ab Episcopo vicarius parochiæ.*

3. *An vicarius perpetuus alium vicarium perpetuum instituere possit?*

4 *An in constitutione vicarij perpetui requiratur consensus Rectoris & Patroni: & in quibus Ecclesijs vicarius perpetuus debeat deputari?*

5. *An indistincte vicarius perpetuus habeat curam animarum, quoad omnium effectum?*

6. *Quotuplex sit vicarius Episcopi?*

7. *An successor vicarij excommunicati, sit excommunicatus, si non communicet in crimine damnato? & an mortuo Episcopo vel excommunicato valeant gesta vicarij?*

8. *An vicarius temporalis possit substituere vicarium? Et an Prælatus possit vices suas committere sub annuo censu absque simonia?*

1. *Vicarius* à vice quam gerit dictus: *largè* & communiter est *qui alterius vicē, non suum gerit officium: strictè* autem & specialiter ac propriè est vicarius Ecclesiæ parochialis. *Sylu. v.vicarius. Card. & Ioan. de Imol.in Clement.vnica. Quadruplex* tamen vicarius apud Doctores inuenitur: quia sunt *quidam* vicarij perpetui Ecclesiarum parochialium: *quidam* verò sunt temporales, vt mercenarij, qui ad tempus assumuntur in adiutorium curæ; *quidam* iurisdictionales deputati ad aliquam prouinciam aut diœcesim, vel locum: *quidam* verò generales, constituti scilicet ad omnia quæ incumbunt Prælato.

2. *Vicarius perpetuus* dicitur, qui canonicè à persona Ecclesię de authoritate Episcopi est institutus, & certam debet percipere portionem, hic est tantùm amouibilis ad beneplacitum instituentis, nec potest remoueri per Rectorem, quia habet ius vicariæ, licet non habeat Ecclesiam quoad titulum, expelli tamen non potest, ac si haberet eam intitulatam, sine iusta causa, & tunc per iudicem, & non per prælatum ipsius Ecclesiæ. *Sylu. c. q.2. Panor. in c.perpetuus, de fide instrum. Præterea* vicarium perpetuum facit authoritas Episcopi: *C.vnic.de capel.monac.l.6.* vnde quoties quis est deputatus authoritate Episcopi curato beneficio vicarius, eò *ipso* est perpetuus & immutabilis Rector autē

Ecclesiæ non potest sibi instituere vicarium perpetuum sine autorhitate Episcopi; temporalem tamen potest. *Ioan. Andr. in C. clericos, de capel. mon.*

In certis autem casibus dari debet ab Episcopo ad tempus vicarius parochiæ, vbi Parochus administrare non potest idque sumptibus Parochi. *Primò*, vbi Parochus ipse Sacerdos non est. *Secundò* vbi Parochus ex iusta causa abest; vel si residere non possit ob inimicitias; vbi plura incompatibilia beneficia quis habet iuxta dispositionem Conc. Tridentini *sess. 7. cap. 5. de reform. 4.* vicarium dare potest, & ponere debet, vbi Ecclesia vacat, vt habetur in Trident. *sess. 24. cap. 18. de reform.* & ad summam vbicumque periculum est, ne salus animarum periclitetur. 5. vbi Parochus ad religionem se transtulit intra annum probationis, & quousque profiteatur, vicarium Episcopus constituere habet, Tridentinum *sess. 25. cap. 15. de regul. & C. beneficium illius, de regul. in 6. Sextò*, vbi curata beneficia, curam animarum habentia, Cathedrali Ecclesiæ, aliisve Collegiatis, vel Monasteriis, vel Collegiis, piisve locis quibuscumque perpetuò vnita sunt. Ita Trident *sess. 7. c. 7. de reform.* Postremò ob quamcunque aliam causam, quamobrem proprius parochus inseruire non potest, vtpote, vbi ob delictum per aliquod tempus in exilium missus est, vel ob aliam iustam causam abest.

Sed petes, an aliquando coadiutorem dare possit Episcopus & debeat, sine nouæ parochiæ constitutione? Resp Affirmatiuè. *Primò*, vbi Parochus impeditur, quo minus Parochiæ munera obeat, vtpote perpetuo morbo, quia scilicet paralyticus factus est vel furiosus, vel leprosus, & sic morbo laborat perpetuo, vel est senex admodum. *Cap. fin. de Cler. ægrot.*

Secundò, datur Coadiutor ab Episcopo ad tempus tantùm illiteratis, & imperitis ad officium suum obeundum; idque iure delegato. Ita habetur apud Trident. *sess. 21. c. 6. de reform.*

Tertiò, Coadiutor datur, seu dare debet Episcopus, vbi per se quidem Parochus ad sacramenta administranda, & diuina facienda tuumque munus obeundum habilis est, tamen ob parochianorum frequentiam omninò non potest. Immo in hoc casu cubabit Episcopus, vt tot sacerdotes ad hæc peragenda suscipiat, quot sufficiant ad sacramenta administranda, & diuinum cultū peragendum. Ita habetur in Trident. *sess. 21. c. 4. de reform.* Hi autem Coadiutores, seu Capellani probari debent ab Episcopo. Et pro victu illorum assignabitur vel pars fructuum, vel alia ratione prouidebitur, scilicet tanta pecunia in mensem danda. Hi tamen Coadiutores cum spe futuræ successionis non dantur, vt habetur in Trident. *sess. 25. c. 7 de reform.*

Denique Coadiutorem ad vnum actum Episcopus etiam aliquando dare debet, scilicet Concionatorem; nam cùm Parochi munus sit, verbum Dei populo proponere, vt habetur apud Trident. *sess. 5. cap. 4. de reform.* si ipse non possit, aut nolit munus hoc obire, Episcopus, vt per alium id obeat, operam dabit.

3. *Vicarius perpetuus* alium vicarium perpetuum instituere non potest, *Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 13.* temporalem tamen instituere potest ad modicum tempus & ex magna causa, vt ait. *Archid. post Hostiensem.*

4. In constitutione *vicarij perpetui* requiritur consensus rectoris & patroni cùm agatur de præiudicio vtriusque, in hoc quod creatur titulus perpetuus in Ecclesia: *C. postulasti, de iure patr. C. cùm ex eo, de elect. in 6.* temporalem tamen vicarium solus Episcopus dare potest ex causa; & si hæc ardua subesset, perpetuum etiam dare posset inuito rectore & patrono. Vicarius autem perpetuus deputari non debet, nisi in Parochialibus habentibus latitudinem parochiæ, vel aliam necessitatem, & debet habere 25. ann. & ordinari ad sacerdotium intra annum, alias priuatus est ipso facto, & non potest habere duas vicarias, & si accipiat Ecclesiam aliam cum cura, perdit vicariam. *Sylues. c. n. 2. C. 1. & 2. de off. vic. C. postulasti, de reser.*

5. *Vicarius perpetuus* habet curam animarum indistinctè, quoad omnium effectum, etiam quoad commoda: quia possidet suo nomine, ad instar conducentis non ad modicum tempus, licet per modum cuiusdam iuris & in habitu sit apud principalē; quantum verò ad exercitium actionum competentium beneficio, si decimæ, primitiæ, & oblationes datæ ratione curæ, cõpetunt vicario & certa portio assignatur prælato, vel ei, cuius est vicarius, vt est monachus; tunc cura & rei vendicatio spectant ad vicarium, si verò è contrario, tunc cura & rei vendicatio fructuum spectant ad principalem. *Card. in Clem. vnic. eodem tit. Leg. fin. ff. si ager vectigal. Cod. suscepti, de præbend. in 6. Cod. super eo ibidem.*

6. *Vicarius Episcopi* duplex est: *Gloss. in Clem. & si principalis, de rescript. Laym. l. 1 tract. 4. cap. 7. num. 18. Glos. in c. Romana de off. ord. in 6. Sylu. c. n. 4. quidam* scilicet generalis simpliciter seu principalis deputatus, ad omnia incumbentia, qui facit idem consistorium cum Episcopo, & habet iurisdictionem ordinariā, & consequenter potest suam sententiam executioni mandare; *Quidam* autem est vicarius forāneus, sic dictus quia foris in diœcesi constituebatur, vel quia forum teneat, vel quia de foris veniat: vnde huic præest causis in foro contentioso, qui etiam dicitur officialis, licet aliquando dicatur vicarius generalis, quod intelligendum est, secundum quid, id est, quoad causas; Io Italia vicarius & officialis ratiò differunt, vnde inspicienda est eorum commissio.

7. *Successor vicarij* excommunicati, non est excommunicatus nisi communicet in crimine damnato: ea tamen quæ gessit eo excommunicato qui vices commisit, non valent, si id fecit in iurisdictione solùm ab eo accepta: vnde si Episcopus est excommunicatus, nec ipse, nec vicarij eius cognoscent de causis, quia idem est consistorium. Mortuo Episcopo, vel eo qui vicarium dedit, cessat iurisdictio vicarij; vnde deficit, & finit officium vicarij Episcopo mortuo, vel excommunicato. *Ioan. Andr. in c. Romana eodem tit. in 6. Sanches de matrim. lib. 3. disp. 30. Sylu. c. n. 4. Layman c. num 19.*

8. *Vicarius temporalis* simpliciter non potest substituere vicarium: quia non habet iurisdictionem ordinariam, id est, iure suo; *Nauarr. in c. placuit, n 69. disp. 6. de pœnu. Sanch. de matr. l. 3. disp. 31. nu. 15. Laym. l. 5. tr. 6. c. 10. n. 13.* fallit tamen *Primò*, si habeat speciale mandatum substituendi. *Secundò*, si sit de hoc consuetudo; quia instituens eum & sciens talem consuetudinem, consentit implicitè in substitutionem. *Tertiò*, quando per se non potest totum explere: licet enim non possit totam suam potestatem committere, potest tamen partem, quia intentio committentis est, vt exequatur secundùm quod potest: & fortè non potest facere totum. *Porrò*, Prælatus non potest vices suas committere sub annuo censu, sine simonia: bene tamen potest vicario salarium constituere: immo & tenetur: & Vicarius habet ius petendi sibi assignari congruam portionem de redditibus Ecclesiæ pro sustentatione. *cap 1. 2. & 3. ne Prælati vices, Sylu. c. n. 7.*

De Vicario Vide *Beneficium 5. num. 6. confessarius 1. numer. 9. confessarius 2. num. 6. 9. & 11. Excommunicatio 3. num. 22. Votum 5. numer. 10.*

VIRGINITAS.

SVMMARIVM.

1. *Vnde dicta virginitas? & quæ requirantur ad illam vt dicatur statum castitatis.*
2. *An status virginitatis, statui coniugali sit præferendus?*
3. *Quibus modis virginitas amittatur, prout dicit statum fœminæ?*
4. *Quomodo virtus virginitatis recuperabiliter amittatur? An mulier dormiens vel ebria amittat virginitatem, si à quodam viro cognoscatur.*
5. *Quando virtus virginitatis irrecuperabiliter amittatur, tam in viro, quam in fœmina?*
6. *An virgo corrupta possit consecrari?*

1. VIrginitas à virore dicta putatur, quia denotat immunitatem à concupiscentiæ aduſtione: *D. Thom. 2. 2. q. 152. Sylu. verb. virginitas. Fill. tr. 30. cap. 1. q. 6. Less. l. 4. cap. 2. dub. 14. n. 96 Aior. t. 3. l. 3. cap. 2. Lay. l. 3. tract. 4. n. 8. dupliciter* accipitur *Primò*, pro integritate signaculi virginalis, libidinosæ contagionis expertæ, et sic non est virtus, sed quid naturale cum quo nascimur. *Secundò*, pro voluntate & proposito illius integritatis seruandæ, vel perpetuò vel saltem vique ad tempus coniugij, & hoc modo virtus est; quia posse inquinari & non esse inquinatum, honestum quiddam est & laude dignum: *hinc* ad virginitatem vt denotat statum castitatis, duo requiruntur; *ex parte* quidem corporis, non esse voluntariè pollutum, ex parte verò animi, propositum ita se seruandi, nisi matrimonio iungatur: at virtus virginitatis prorsus tale propositum excludit; quia neque in re, neque in affectu cum violatione stare potest.

2. Fide tenendum est contra hæreticos, statum virginitatis, statui coniugali esse præferendum, non solùm ratione commoditatis huius vitæ, sed etiam propter fructum spiritualem & maius meritum apud Deum, quia per virginitatem melius homo auocatur à voluptatibus carnis, & hæc maximè præbet orandi facultatem,

tatem, maximè si homo se Deo consecret. *Conc. Trid. sess. 24. cap. 10. de matr. Less. c. dub. 15. Fill. tr. c. nu. 19. Sylu. 2. 2. q. 152. ar. 4. c. ar. 3.* Vide *matrimonium 1. nu. 5.*

3. *Virginitas*, prout dicit statum fœminæ amittitur. *Primò*, per voluntariam admissionem viri habentis cum ea copulam: siue sit in matrimonio, siue extra: *Secundò*, per inuoluntariam copulam, vt cùm fœmina vi opprimitur; verè enim fractum est sigonaculum clausti virginalis quod nihil aliud est, attestantibus peritissimis medicis, quàm quædam complicatio partium ipsius orificij vasis fœminei, quæ per viri accessum dilatatur. *Tertiò*, per voluntariam siue inuoluntariam admissionem instrumenti virilis turpitudinem aliquam exercentis, etiamsi non sequatur seminatio, modò talis sit, vt pollutionem excitare posset in natura fœmina, quamuis per accidens non excitet ob debilitatem vel morbū: *Caiet. 2. 2. q. 152. ar. 1. in fine. Less. c. dub. 16. Fill. c. n. 21. Sylu. c. art. 3.* quidam tamen putant in puero cui ratione ætatis deest potestas seminandi nullo actu turpi virginitatem ex parte corporis posse amitti. *Quartò*, secundùm *Lessium* tam per sodomiam admissam in fœmina, quàm in viro, siue admissa siue facta sit absque seminatione, amittitur virginitas irrecuperabiliter; quamuis *Caietanus*, per sodomiam passiuam non censeat virginitatem amitti multò que minùs per alias turpitudines exercitas in alijs corporis partibus, quia verè clausirum virginale integrum manet: & hoc est probabilius. In viro autem non huiusmodi virginitas secundū statum, quia non est in eo virginale clausirum.

4. *Virginitatis* virtus recuperabiliter amittitur omnibus illis modis, quibus amittitur castitas. *D. Thom. 2. 2. q. 152. ar. 1. Valent. ibid. disput. 9. q. 1. p. 2. Laym. c. nu. 8. Fill. c. nu. 23. Lessius c. nu. 112. Sylu. c. art. 3.* quia reipsa ab hac non distinguitur: *vnde* etiam desiderijs turpibus perditur, & morosa delectatione: *item* voluntate nubendi: *item* per quemlibet actum turpem actiuè vel passiuè exercitum citra seminationem, modò voluntarius sit: si enim sit inuoluntarius etiamsi violetur virginale clausirum, nō amittitur virginitas vt virtus est; licet enim per vim corrupta naturaliter virgo non sit, moraliter tamen & in genere moris virgo censetur.

Sed dubium est, si mulier somno consopita, aut vino obruta, à quopiam viro cognoscatur, an amittat virginitatem? Resp. si nō eo consilio cubitum discessit aut vino sibi mentem eripuit, vt cognosceretur, non amittit.

Si quis priùs quàm ad quietem proficiscatur, alicuius obscœni flagitij cupiditate animum maculauit, atque in somno pollutus est desinit ne esse virgo? non desinere multis rationibus pugnat Tostatus *in Matth. c. 25. q. 74.*

Quis vigilans optat nocturnam pollutionem; hanc dormiēs patitur: estne ei adempta virginitas? Negat Abulensis in idem *cap. Matth. q. 75.* Denique secundum Syluestrum, & Angelum *in suis summis verb. virginitas*, ob pollutionem, quæ noctu accidere solet, non amittitur virginitas, etiamsi aut antequam contingeret, aut postquam cuntigit, probata est, aut etiam aliqua causa non sine culpa antegressa est.

5. *Virtus virginitatis* irrecuperabiliter amittitur à fœmina, quoties voluntariè copulam habet cum viro, vel polluitur, Filliu. *c. num. 24. Less. c. num. 117. & 119. Graff. l. 2. c. 88. num. 7. Laym c. 8.* si autem haberet copulam cum puero impubere, & ipsa quoque impubes esset, nec malitia præueniret ætatem, non violaretur virginitas, sed foret tantùm contactus turpis grauior alijs, qui non tollit integritatem corporis. In viro autem nisi adsit voluntariè pollutio quomodocumque procurata, non tollitur virginitas irrecuperabiliter.

6. *Virgo* vi oppressa, si res est occulta, potest consecrari, quia verè est incorrupta coram Deo cùm non peccauerit nec consenserit: *D. Thom. c. art. 1. ad 3. Syluestr. v. consecratio virginum n. 2. Nauarr. in manuali c. 16. nu. 4. Less. c. dub. 16. Fillin. c. nu. 25. Sylu. c. art. 1. concluſ. 2. Laym. l. 3. fol. 4. nu. 8. & 9.* quando autem violatio est notoria, tunc ob suspicionem consensus & indecentiam externam non esset consecranda. Sponte autem corrupta, si carnis integritatem retinet, potest velari, quia etsi coram Deo non sit virgo, tamen apud homines censetur virgo quamdiu clausirū virginale retinet illæsum, & secundùm *Caietanum*, & *Syluestr.* quamuis non sit virgo virtute, est tamen virgo statu. Illa verò quæ non retinet virginitatem secundum statum, etiamsi res occulta sit, hoc est, quæ voluntariè clausiri virginalis violationem passa est, siue per copulam, siue per aliam turpitudinem, secundū communiter Doctores, non potest consecrari absque peccato mortali, nisi in eo dispensetur ab Episcopo. Quod si non dispenset & secretò sciat, ob scandalum posset tantùm benedicere, omissis ijs: quæ sunt de substantia consecrationis: quòd si ea cautela non fuisset profutura, ad tuendam famam virginis potest consecrare more aliarum.

Vide *Mendacium n. 6 Stuprum.*

VOTVM I.

Quid sit votum & quotuplex.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit votum? & an ad illud sufficiat propositum?*
2. *An ad votum requiratur deliberatio?*
3. *An votum amentis vel mente capti sit validum?*
4. *Quenam deliberatio necessaria sit ad votum? Et quale peccatum sit leuiter vouere?*
5. *An ad valorem voti requiratur vt actus sit simpliciter liber?*
6. *An qui ad ordines sacros accedit sciens illi s annexum esse votū castitatis, sed illud positiuè respuit; teneatur ad castitatem ex vi voti.*
7. *An oriatur obligatio ex voto facto cum animo vouendi, sed absque expressa vel tacita intentione se obligandi? An teneatur voto dubitans, an habuerit vsum rationis quando vouit?* refertur duplex sententia,
8. *An ex vi voti oriatur obligatio ex voto facto cū animo vouendi, & se obligandi, sed absque intentione adimplendi?*
9. *An error circa substantiam voti, reddat votum irritum? & quando censeatur esse talis error?*
10. *An votum simplex factum per errorem et dolum circa causam finalem & motiuam sit validum?*
11. *An cessante causa finali voti, vel iuramenti, cesset etiam ipsius obligatio?*
12. *An validum sit votum factum per dolum vel errorem circa causam impulsiuam. & quæ sit causa finalis vel impulsiua.*
13. *An votum solis Deo fieri possit, & quibus modis sanctis fieri possit?*
14. *Quotuplex sit diuisio voti?*
15. *An votum simplex & solemne sint eiusdem speciei?* refertur duplex sententia.
16. *An ad rationem voti solemnis requirantur verba?*
17. *An votum solemne possit fieri per procuratorem?*
18. *An votum pœnale obliget pro sola prima transgressione ad pœnam?*

1. VOtum est *voluntaria & deliberata promissio facta Deo de aliquo bono meliori*. Ex hac definitione colligitur. *Primò*, ad votum nō sufficeret propositum; quia propositum nullam inducit obligationē ad mortale, aut veniale, quia nihil aliud est, quam actus voluntatis, quo quis determinat promittere: vel aliquid aliud facere. *Nota* tamen in voto sufficere promissionem interiorem & mentalem, siue implicitam, qualis reperitur in suscipiente ordines sacros, quibus ex Ecclesiæ intentione & instituto annexum est solemne castitatis votum. Clauis reg. *l. 6. capit. 1. Nau. c. 12. nu. 24. Sanches l. 4. moral. c. 1. Fillin. tr. 26. c. 1. Layman l. 4. tr. 4. c. 1. Sylu. 2. 2. q. 88. art. 1.*

2. *Secundò*, ad votum requiritur deliberatio & perfecta animaduersio eius quod fit: quam animaduersionem & deliberationem non habent illi, qui repentino quodam motu, vel consuetudine vouent, non aduertentes quid faciant. *Suar. l. 1. de voto c. 2. n. 6. & 7. Nauar. c. nu. 26. Azor. 1. par. lib. 11. cap. 13. q. 3.* Censetur autem plena & perfecta animaduersio illa, quæ sufficit ad mortale in materia peccaminosa. Ratio est, quia talis deliberatio sufficit ad tradendum se Diabolo, ergo etiam sufficit ad obligandum Deo, cùm æqua sit vtriusque ratio. *In dubio* autem, an votum factum sit ex sufficienti deliberatione, iudicandum est ex sufficienti deliberatione factum fuisse, consequenter obligare; quia possessio stat pro voto, quod constat factum fuisse & dubium est de illius excusatione. *Bonac. to. 2. d. 1. q. 2. p. 1. n. 3.*

3. *Non validè* vouet mente captus, aut amens, si vouerat dum est destiturus vsu rationis, secus si vouerat cùm habet dilucida interualla, aut dum habet deliberationem circa votum; validè vouet autem semiebrius si polleat vsu rationis sufficienti ad mortale. *Item* qui votum emittit ex calore iracundiæ, validè vouet, modò tantus non sit, vt vsum rationis abstulerit, & in dubio nō præsumitur tantus fuisse, vt rationis vsum abstulerit, nisi adsint aliæ circum-

circumstantiæ. Sanch. *de matr. l.1. disp.8. nu.23. Suar. l.4. de voto c.6. nu.10. Laym. l.4. tr.4. c.1.*

4. *Deliberatio*, necessaria ad votum debet esse, vel *virtualis*, quando scilicet fundatur in aliqua formali præcedente & moraliter adhuc durante, vel *formalis*, quando scilicet alia non præcessit: aliàs virtualis deliberatio in casu non sufficeret; vnde qui in ebrietate emitteret votum præuisum ante illam, nō valeret; quia ad votum requiritur voluntas formalis se obligandi, quæ non adest in casu proposito. Sanches *l.4. mor. cap.1. nu.6. Suar. l.1. c.10. n.5. Navar. c.12. n.24. Laym. c.n.4.*

Si dices quòd libertas in causa sufficit ad peccatum mortale ergo sufficere debet ad constituendum votum? Respon. negando consequentiam: quia vt quid sit peccatum sufficit quicumque defectus, vt verò sit bonum, est necesse, quòd careat omni defectu vnde cū votum sit quoddam bonum, exigit vt in se formaliter, vel virtualiter sit volitum: at peccatum cùm sit malum, satis est, vt in sua sit volitum. Tum quia cùm homo teneatur vitare peccatum, eo ipso quòd sciens se in ebrietate solere illa committere, & cùm possit, non curet ea vitare, indirectè, & virtualiter ea vult. At non tenetur homo vitare vota; ergo non censetur voluntas virtualis circa illa.

Hinc, falsa est regula quam tradunt Angelus v. *votum* 1. *nu.6.* Tabiena v. *votum* 1. *q.1.* Supplem. Gabr. *in 4. d.38. q.1. art.1.* ad cognoscendum an votum sit validum, necne: dicunt enim quòd si post emissum votum, hominem transacta angustia statim pœniteat illius, vel vt ipsi ajunt est male contentus, signum est votum fuisse indeliberatum, & nullum. Est, inquam, falsa, quia illa displicentia non arguit defuisse requisitam deliberationem, & proinde non obligare: quia sæpe eorum quæ ex magna deliberatione gesta sunt facientem pœnitet. Tum quia licet pœnitentia, post peccatum sequatur, non est signum, peccatum non fuisse mortale, sed ad summum iudicatur non fuisse ex habitu, sed ex passione vel repentina occasione.

Similiter est falsa regula, quam adducit. *Panorm. c. si verò de iureiur. n.7.* ad cognoscendum, an votum fuerit indeliberatè, & ex surreptione factum, an non; dicit enim, quòd si secluso iracundiæ calore votum emissum non fuisset, signum est quod votum non fuit deliberatè factum. Est, inquam, falsa. Quia calore iracundiæ multa fiunt deliberatione sufficienti ad culpam lethalem, quæ eo calore secluso minimè admitterentur, & nihilominus sūt valida. Nec enim passio indicat fuisse omnino perturbatam rationem, sed ad summum indicat indiscretum, vel imprudens iudicium. Ita Rodriq. *tom.2. sum. latin. c.94. n.1. Arragon. 2.2. q.88. ar.1. Sanch. de matr. l.1. disp.8. n.8.* Hinc rarò admodum vota ex defectu deliberationis desinunt obligare.

Sed petes, quale peccatum sit ex repentino quodam motu et leuiter sine debita & matura deliberatione vouere? Resp. regulariter esse peccatum veniale: quia est voti abusus, id absque debita & matura deliberatione emitti: sicut est iuramenti abusus, ita iurare. Tum quia in ijs quæ manifestè rationi consentanea sunt, non magna deliberatione opus esse, testatur D. Thom. 2.2. *q.189. ar.10.* Dixi, *regulariter*, quia interdum potest esse peccatum mortale, vt si attenta vouentis propensione, votum est adeò de re difficili, vt moraliter loquendo timeatur fore, vt sæpe violetur: tum etiam ratione periculi, cui vouens se exponit. Quod intelligi debet, si periculum aduertatur, vel facilè aduerti possit vt contingit, quando homo expertus est ex tali facilitate vouendi similia incommoda solere incurrere. Potest tamē sic vouens esse sine culpa, vt quando votum est de re minima, vt de dicenda semel oratione Angelica. Ita Caietanus 2.2. *q.88. a.1. Valentia* 2.2. *disp.6. q.6 p.1. Sanches l.4. moral. c.1. nu.6.*

5. Ad *valorem voti* requiritur, vt actus sit simpliciter liber, ea libertate, quæ sufficeret ad peccandum mortaliter. *Suar. c.c.6. nu.4. Less. lib.2. cap.40. disp.3. Azor. 1. p.l.11. c.15. q.6. Fil. c.n.11. Sylu. v.ar.1.* quia votum est actus simpliciter humanus, ad hoc autem requiritur vt sit liber: vnde votum factum ex metu graui iniustè incusso à causa extrinseca seu libera ad illud extorquendum, inualidum est, saltem iure Ecclesiastico, iuxta probabiliorem sententiam, modò vouens cognouerit illum metum sibi incuti ad extorquendum votum. *Votum* tamen factum ex metu graui illato à causa intrinseca, vt morbo, naufragio, periculo mortis validum est, & obligat; quia huiusmodi votum sponte emittitur, estque vouenti gratum & bonum. *Similiter* votum factum ex metu graui incusso ab extrinseco, non ad extorquendum votum, sed ad aliū finem, validum est, quia sufficienter est voluntarium: vouens enim sua spōte eligit votum, cùm à nemine compellatur ad emittendum votum. Vide *Navarr. c.12. n.32. Suarez c.c.7. n.8. Sanch. l.4. mor. c.3. nu.4. Valen. 2.2. d.6. q.6. p.4. Sylueſt. cit.*

6. Cùm igitur votum debeat esse voluntarium vt validum sit, hinc qui ad ordines sacros accedit scies illis annexum esse votum castitatis, sed illud politiuè respuit, seu non vult se ad castitatem obligare, non tenetur ad castitatem ex vi voti, quia votum est lex quædam priuata, lex autem non obligat. nisi legislator obligare intendat; tum quia votum non subsistit cum voluntate non vouendi: tenetur tamen ille ad castitatem ex statuto Ecclesiæ, quæ præcipit obseruantiam castitatis illi, qui noluit vouere, illumque inhabilem facit ad matrimonium: ex quibus concludendum est ex voto facto cum intentione non se obligandi non oriri obligationem. *Sanch. de mat. l.1. d.9. Henr. l.10. c.14. num.4. Valent. cit. punct.1. Azor. c.c.13. q.9. Sylu. v. matr. 8. q.12. Vide Ordo 4. nu.3.*

7. Item non oritur obligatio ex voto facto cùm animo vouendi, sed absque expressa vel tacita intentione se obligandi, *Sanchez lib.4. mor. c.1. n.26. Nau. c.12. num.27. & l.3. cons. de voto cons.4. Less. c.n.6. Cordub. in summ. q.147. Faustus in Thesaur. rel. q.l.1. q.26.* quia votum in tantum obligat, in quantum vouens intendit se obligare: si tamen facto voto aliquis dubitet, an quando vouit, sciret obligationem ex voto consurgere, vel an haberet animum se obligandi, tenetur ad votum, tum quia possessio stat pro voto; tum quia probato facto præsumitur interuenisse omnia ad factū requisita. Sed hic constat de voto, ergo in dubio præsumitur animus vouendi, vel se obligandi ad eius valorem requisitus. Quando autem vouens est anceps, an dum votum emisit, vsum rationis habuerit, præsumitur vsus rationis, ac proinde votum valere, si is qui vouit septennium attigerat tempore voti emissi. Si autem nō attigerat, præsumitur vsus rationis defuisse, quia iura in ea ætate non præsumunt vsum rationis, nisi de contrario constet, & sic non valebit votum. Quod si dubium sit, an septennium attigerit, necne, credo in fauorem voti præsumendum: quia de illo cōstat, excusatio autem est dubia; Quamuis nonnulli oppositum teneāt: quia licet emissio voti sit certa, nō tamen eius validitas: votum autem non est in possessione, vt obliget, nisi ratione validitatis: & ideò cùm sit incerta validitas, non est in possessione obligādi. E contra autem dubitans est in possessione sui iuris, & suæ libertatis: cui per aliquid incertum præiudicari non potest, cùm ipsa certa sint. *Ita Pasqualigus in praxi tenn. Eccles. decision.446 numer.7.*

8. Ex voto facto cum animo vouendi & se obligandi, sed absque intentione adimplendi, seu cum intentione non adimplendi, oritur obligatio ex vi voti, consequenter vouens tenetur huiusmodi votum adimplere sub peccato graui aut leui, iuxta leuitatē, vel grauitatem materiæ, *Suar. c.c.4. num.2. Regin. l.18. nu.261. & 262. Fill. c. num.7. Sylu. c. art.1.* quia intentio non adimplendi nō tollit obligationem voti seu promissionis quæ ex ipso voto, vel promissione naturaliter sequitur. Qui autem fictè vouet absque animo vouendi, aut se obligandi, si sit votum simplex, peccat venialiter, facit enim aliquam irreuerentiam Deo: *Laym. lib.4. tract.4. cap.1. Bonac. to.2. disp.4. q.2 p.1. num.14.15.* per accidens tamen ratione circūstantiæ potest peccare mortaliter. 1. si id facit intendendo fallere Deum; quia tunc errorem in fide arg. adeò blasphemiam includeret. 2. si id facit ex contemptu, aut cū graui scandalo, vt si votum emitteret in illius derisum, aut cum aliorum graui scandalo. 3. si inde fieret, vt aliquis graue damnum iniustè pateretur. Si verò sit votum publicum vel solemne coram alijs, peccat mortaliter, propter scandalum, aut damnum religionis; nisi gravis causa vrgeret ad sic fictè vouendum, vt metus, vel sedare magnum scandalum, tunc enim erit solùm peccatum veniale. Is verò qui vouet cum animo non adimplendi, grauiter peccat, aut leuiter iuxta materiæ grauitatem.

9. *Irritum reddit votum* error, si sit circa substantiam voti, aut aliquo modo in substantiā redundet, siq. causa vouendi, quia per huiusmodi errorē vel dolū irritatur contractus onerosus; ergo multò magis irritatur votum, quod est promissio gratuita, & liberalis: deinde nihil magis contrariū consensui quā error, de ratione autem voti est, vt sit promissio voluntaria: censetur autem esse error circa substantiā multis modis. *Primò*, si sit circa partem notabilem rei promissæ. *Secundò*, cū erratur circa materiam operis. *Tertiò*, cū erratur circa personam cui opus præstādum. *Quartò*, cùm erratur circa causā formalē. *Quintò*, cùm erratur, circa causam finalem vouendi extrinsecam. *Sextò*, si sit error circa vim voti. Est autem aduertendum si error sit solum circa aliquid accidentarium, non tollit obligationem voti, quamuis sine illo errore non voluisses vouere; error enim circa extrinseca iure naturę non violat contractum. *Sanch. l.4. moral. c.2. n.11. Soto l.7. q.1. a.2. Less. l.2. c.40. dub.2. Bonac. c.p.3. §.2. n.2.*

10. Votum

10. *Votum simplex* factum per errorem & dolum circa causam finalem & motiuam non est validum, quia huiusmodi votum censetur factum sub tacita conditione, si causa finalis & motiua subsistat; *votum* tamen *solemne* factum in professione, vel in susceptione sacrorum ordinum, non irritatur per dolum & errorem circa causam finalem; quia qui statum aliquem perpetuum assumit, censetur velle eum assumere, etiamsi intercedat error, vel dolus, modò non sit circa substantialia; vnde, qui falsò arbitrans se magnum aliquod beneficium recepisse, vouet aliquid in gratiarum actionem, non tenetur voto cognito errore. Sanches *l.4.moral.c.2.nu.4.* Lessius *c.n.*12. Molina *tom.2.de iust. disp.*22.

11. Cessante *causa finali voti*, vel iuramenti, etiam ipsius obligatio cessat; quia vouens non censetur habuisse intentionem obligandi se cessante causa finali voti, quod fuit emissum ob talem causam: *causa* verò *finalis* dicitur illa, quæ ita mouet disponentem, vt ea non existente opus non fieret; hinc qui vouit non transire per aliquam domum, eò quòd ibi habitet mulier fornicaria, cum qua peccare consueuit, potest per illam domum transire postquam mulier recessit ab ea domo: cessat enim causa finalis voti. Suar. *l.4.c.18.nu.4.* Sanch. *c.c.2 n.42.* Rodriq. *2.p.c.100.n.2.* Nauar. *c.12.n.vlt.* Azor. *1.p.l.11.c.5.q.13.*

12. *Validum* est *votum* factum per dolum vel errorem circa causam impulsiuam; quia adest sufficiens voluntarium, *causa* verò *impulsiua* dicitur, qua non existente opus adhuc fieret, sed non ita libenter vel celeriter, vel eodem modo: *Causa* autem *finalis* vel impulsiua cognosci debet ex affectu, quo vouens mouetur ad vouendum animo consequendi rem, quæ ipsum mouet ad votum emittendum, & ex affectu ad rem voto promissam præcisa causa mouente, vel impellente ad vouendum. *Sylu. votum 2.q.8. Vasq.1.2.d.70.c.3. Sanch.c.nu 38. Sylu.c.q.88.a.1. In dubio* autem an causa fuerit finalis, vel solùm impulsiua, secundùm Azorium *l.11.c.15.p.13.* Sanches *c.n.52.* Syluium *c.q.8.* censetur fuisse impulsiua: quia in dubijs ius præsumit pro valore actus: & posse sic stari pro voto quod constat emissum fuisse: quamuis alij sentiant non obligare, eò quòd in dubio melior sit conditio voluntatis possidentis libertatem suam.

13. *Cùm votum* sit actus religionis, quæ respicit Deum, idcò illi soli fieri potest mediatè vel immediatè, tacitè vel expressè. *Sanctis* autem, tribus modis fieri potest votum. *Primo*, promittendo aliquid directè ipsi sancto in obsequium eius, vt ieiunandi in eius vigilia, vel dandi eleemosynam, & deinde promittendo ipsi Deo de adimplenda promissione facta sancto. *Secundo*, promittendo aliquid sancto vnica tantum promissione, ad eum ordinata immediatè, & sic propriè non est votum, quia per votum immediatè habitur actus ad res: hæc autem tantùm sit Deo. *Tertiò*, pro promissione facta Deo in cultum & honorem sanctorum, & sic est proprie votum: & licet nonnulli vouentes hunc modum in votis sanctorum non intelligant, neque intendant, eorum tamen intentio pè explicanda est, pro vt viuelicet S. Ecclesia docet, & intendit. Idem *dicendum* de voto facto Episcopo, aut alteri prælato, semper enim habent respectum ad Deum. Nau. *c.12.nu.25.* Clau reg. *l.6 c.1.* Suar. *l.1.c.16.n.4.* Valent. *2 d.6.q.6 p.3.* Filliuc. *c.num.*10. Sanch. *l.4.c.1.nu.41.*

14. *Multiplex* est *votum*, diuiditur enim à doctoribus *primò* in *reale, personale & mixtum. Suar. l.2.de voto c.vlt Sanches l.4. moral c.15.n.2. Clau.reg.l.6.c.2. Azor 1.p.l.11.c.14. Reale*, quo promittitur pecunia, vel aliquid pecunia æstimabile, quod non sit actio hominis vouentis. *Personale* est, quo Deo promittitur aliqua actio ipsius vouentis, vel aliqua omissio. *Mixtum* verò includit personale & reale: & est illud, quod præter hominis actionem, includit reales sumptus; vt peregrinatio cum intentione offerendi aliquid. *Secundo*: Aliud est *temporale*, aliud *perpetuum*: *Temporale* dicitur quod durat ad certum vsque tempus, vt votum continentiæ ad annum. *Perpetuum* verò dicitur, quod durat vsque ad vitam vouentis. *Tertiò*, diuiditur in *simplex* & *solemne*. *Solemne* dicitur quod susceptioni ordinis sacri est annexum, & illud quod continetur professione religionis approbatæ. *Simplex* est omne aliud votum etiamsi perpetuum sit: quale est etiam professio religionis non approbatæ, & in nuda promissione consistit. Sy. *l.2.q.88 a.7. Quartò* aliud est *expressum*, aliud *tacitum*. *Expressum* est, quod verbis disertis exprimitur. *Tacitum* est, quod censetur fieri eò ipsò, quòd voluntariè aliquid agitur, cui ipsum connexum est, vel supponitur: tale est quod fit susceptione ordini sacri: & gestatione habitus professorum expleto probationis anno. *Quinto*, diuiditur votum, in *conditionale* & *absolutum*. *Conditionale* fit sub aliqua conditione. *Absolutum* verò sub nulla conditione concipitur. *Rursus* conditionale, *aliud* est simpliciter conditionale, videlicet, quod non fit sub conditione delicti futuri in pœnam, sed sub alia, v. g. sub conditione mali alicuius diuina ope vitandi, quasi per modum contractus. *Aliud* est pœnale, quando quis vouet aliquid in pœnam delicti, si forte in illud inciderit, quod bifariam fieri potest. *Primò*, si solùm vouerat pœnam delicti, non autem cuitationem & hoc est simplex votum pœnale. *Secundò*, si non solùm vouerat pœnam in euentum delicti, sed etiam cautionem delicti: & hoc votum non est simplex, sed duplex, quia duo vota continet. *Sylvest. v. votum 1.q.5. Tolet. l.4.c.18. Valent. 2.2. disp.6.q.6.punct.5. Less. l.2.c.40.dub.6 Fill. tr.26.c.2.q.12. Mald. tr.de voto cap.5.dub.3.* De his diuisionibus votorum Vide Doctores hic citatos.

15. Ex dictis oriuntur varia dubia. *Primum*, an votum simplex, & solemne sint eiusdem speciei? D. Thomas *in 4. dist.38.* Syluius *2.2.q.88.a.7.* & omnes eius sequaces, tenent esse diuersæ speciei: ex quo inferunt, eum, qui post votum solemne castitatis rem habet cum muliere, suæ conscientiæ non satisfacere, dicendo in confessione, se peccasse contra votum castitatis, sed tenetur dicere se peccasse contra castitatem solemniter professam: quia circumstantia, quæ mutat speciem, est necessariò explicanda. Communior tamen hoc tempore sententia est, votum solemne, & simplex esse prorsus eiusdem speciei, & solam extrinseca accidentali differentia inter se distare: tum quia Ecclesiæ decreto tantùm distinguuntur, vt diximus suprà *verb. Matrimonium VII. num.* 17. at Ecclesia rei naturam non mutat, sed vim, & robur adiungit. Et ita vtrumque per se & suapte natura æqualis est vinculi, & tamen per accidens magis obligat solemne ex Ecclesiæ institutione. Et hoc est, quod dixit Cælestinus Papa in capitulo, qui cleric. vel vouentes, *votum simplex non minus obligare apud Deum, quàm solemne.* Tum quia traditio vouentis, & acceptatio Prælatorum inuenta in voto solemni, & ad id requisita, sunt accidentaria voti differentia, & solo iure canonico petita, & ita non constituunt specificam & substantialem voti differentiam. Ex qua sententia colligitur peccata contra votum simplex, & solemne esse eiusdem speciei. Ratio est, quia specifica differentia actuum desumitur ex obiecto: at cùm idem sit vtriusque voti obiectum, scilicet continentiæ, erunt actus eiusdem speciei. Tamen peccatum contra votum solemne, erit grauius ratione perfectioris status. Hanc sententiam sustinent Caietanus *2.2.q.88.a.7.in fine.* Medina *l.4.de contin.controu.7.c.38.* Vasques *1.2.q.96.art.4.disp 165.c.7.n.73.* Sanches *de matr.l.7.d.15.n.6. & lib.5.moral.c.1.n.7.*

16. *Secundum*, An ad rationem voti solemnis verba exigantur? Responsio est negatiua, verba scilicet non requiri, sed sufficere signa vocem indicantia, & potest nutibus, aut scripto fieri professio solemnis. Tum quia nullibi reperitur verba esse necessaria. Tum quia matrimonium carnale solis nutibus contrahitur etiam à potentibus loqui. ergo & votum solemne, quod est quoddam matrimonium spirituale, solis signis emitti potest: quamuis ad maiorem voti solemnis firmitatè, regulariter verba, testes, & scripturæ illi adiungantur. Ita Azorius *tom.1.l.12.c.4.q.1.* Faustus *in thesaur.relig.l.1.q.7.* Sanches *l.6.moral.c.3.n.2.*

17. *Tertium*. An votum solemne possit fieri per procuratorem? Resp. Affirmatiuè, quia quilibet actus potest per procuratorem peragi, nisi sit à iure expressè prohibitus *cap. potest quis, de reg. iur. in 6.* At professio voti solemnis nullibi excipitur. Ratio est, quia matrimonium, quamuis sit sacramentum, & de iure naturæ indissolubile, etiam hodie post Conc. Trident. fieri potest per procuratorem, vt fatentur omnes, ergo & professio expressa fieri potest per procuratorem. Desiderantur tamen quinque conditiones, vt procurator hic validè profiteatur nomine absentis. *Prima* est, vt habeat speciale mandatum ad professionem emittendam. *Secunda*, vt sit mandatum ad profitendum in religione determinata. *Tertia*, vt procurator per seipsum exerceatur, nec poterit substituere nisi hoc specialiter sibi committatur. *Quarta*, vt tempore quo procurator professetur, non sit reuocata potestas. *Quinta*, ne constitutio procuratoris sit metu graui extorta. Ita *Rodr.to.3.qq.reg.q.17.a.13. Nau. l.3.cons.tit.de reg. cons.32. Sylvest.v.Religio 3.q.2. Azor to.1.l.12.c.5.q.5. Sanch.l.5.moral.c.3.n.7.* & alij.

18. *Quartum*. An votum pœnale obliget pro sola prima transgressione, ad pœnam? Resp. negatiuè, quia qui absolutè vouet, v. g. se non blasphematurum sub pœna dandi decem pauperibus, non pro sola prima vice obligatur, sed semper. Nam pœna cùm sit accessoria illi actui tanquam principali, debet eius naturam sequi. Deinde cùm vtrumque, votum est æquè indeterminatum, vtrumque, aut neutrum debebit obligare pro sola prima vice. Si

tamen

tamen pœna esset grauissima,& quæ iterati non solet, vt pœna religionis,peregrinationis Hierosolymitanæ,&c.pro sola prima transgressione obligaret,vbi non constaret de alia expressa vouẽtis intentione,& sic,piè interpretandum esset illud votum. Secus esset,quando pœna esset mediocris tunc enim obligaret toties, quoties. Et in dubio, an pœna sit grauissima,exorbitans,vel mediocris,idem esset dicendum. Cùm enim id votum obliget suapte natura toties, quoties, quando contrarium non aperte ex maxima pœnæ grauitate deducitur,possidet votum, vt eo modo obliget. Vide Sanch.*l.4.moral.c.*22.*nu.*21.

VOTVM II.

De materia voti.

SVMMARIVM.

1. *Quæ dicatur materia voti?*
2. *An votum factum de rebus,quæ repugnant consilio sit validum?*
3. *An vt aliquid sit materia voti debeat esse in nostra potestate?*
4. *An votum de non peccando mortaliter, vel venialiter, vel de non peccando simpliciter sit materia apta & obliget? & quid dicendum de voto non nouendi, vel non petendi dispensationem, &c.*
   An valide nouerit qui duo vota simul emittit impossibilia, volens se ad vtrumque pro eodem tempore obligare? & quid, si materia voti partim est bona & partim indifferens, &c.
6. *An opus indifferens possit esse materia voti?*
7. *An teneatur votum implere, qui dubitat an res promissa sit indifferens vel bona?*
8. *An votum rei bonæ factum ob finem indifferentem sit validum?*
9. *An actio mala possit esse materia voti? Et quale peccatum sit nouere peccatum veniale?*
10. *An validum sit votum de actione bona sub conditione turpi?*
11. *An actio præcepta possit esse materia voti?*
    Et an Tertiarij S. Francisci promittentes seruare mandata Dei peccent particulari circumstantia voti in confessione explicando, si aliquod præceptum violent.

1. *Materia voti* dicitur, omne id quod possumus promittere in Dei cultum: & est duplex materia voti. Circa quam *vna proxima*,& est actio aliqua humana,quæ proximè promittitur, vt ieiunium, *altera remota*,& est id quod attingitur per proximam, vt carnes & lacticinia sunt materia remota voti ieiunij: humana corpora sunt materia voti castitatis: dictũ est autem in *definitione* voti, quod debet fieri *de bono aliquo meliori*,vt explicetur materia voti,quæ nõ obligat, nisi eius materia sit bona & honesta: particula tamẽ de meliori,non ita intelligitur, vt id quod vouetur,debeat esse optimum,sed ita intelligitur,vt sit melius,quàm eius oppositum; nam materia voti debet esse aliquid Deo gratum;id autem est Deo gratum quod est melius,quã eius oppositum. *Fill.tract.26.cap.2.n.*36.37.& 58.*Tolet. lib.4.c.*17.*Laym.l.4.tr.4.c.2.nu.*11.*Bonac.c.p.1.num.*18.*Suar.l.2. de voto cap.*7.*n.*3.*Sylvius* 2.2.*q.*88.*a.*2.*concl.*1:

2. *Votum* factum de rebus,quæ repugnant consilio, non est validum,nisi aliqua causa superueniat,faciens vt id, quod erat opus consilij, non sit amplius opus consilij: vnde votum de non mutuando,de matrimonio ineundo, de non danda elemosyna, vel de non ingredienda religione,regulariter non est validum: fieri tamen potest,vt aliquà causa,vel circumstantia efficiat; vt illud quod est ex se opus consilij,non sit amplius opus consilij, & consequenter validum sit votum contra consilium: *Less. l.*2. *cap.*46. *dub.*7.*num.*43.*Sanches de matr. l.*1.*disp.*4. & *l.*4.*mor. c.*8.*nu.*5.7. *Nauarr.cap.*12.*nu.*36.*Fill.c.n.*61.62.*Laym.c.n.*12.*Suar.l.*2. *c.*9. *n.*8.*Sylvius c.concl.*7.*Mald.tract.de vot c.*5.*dub.*2. *hinc* qui se cognoscit imbecillem ad resistendum tentationibus carnis, validè votum facit de ineundo matrimonio, cum huic atentis circumstantijs melius sit matrimonium,quam eius omissio:similiter validum est votum illius, qui sub conditione vouet,dicens,si nubã, ducam pauperem aut meretricem,quia melius est in honorem Dei ducere pauperem vel meretricem,quàm aliam. *Item* validum esset votum de matrimonio ineundo factum ab eo, qui matrimonium ex præcepto teneretur contrahere,vt ob commune bonũ,vel pacem alicuius regni: vel quãdo quis data fide matrimonij cognoscit virginẽ, aut fœminã bonæ famæ insciam illius voti.

3. *Vt aliquid* sub votum cadat seu sit materia voti debet *Primo*,esse in nostra potestate;quia impossibilium non est obligatio, & stultè quis promittit alteri,quod in eius potestate nõ est, vt fiat vel non fiat: vt si quis vouerat se moriturum,aut non moriturum. 2.vt sit opus bonum secundùm rectam rationem, vtpotè quod debet esse gratum Deo. 3.vt huiusmodi opus non sit maioris boni impeditiuum,quia omnis promissio fit,vt alteri gratificemur: ergo debet esse de eo,quod illi est gratius. *Fill.c.n.*38.39.*Bonac.c.p.* 4.§.3.*nu.*1.& 2.*Syl.c.concluſ.*6. Ex quo colligitur,non quemcũque virtutis actum esse legitimam materiam voti: sed illum solũ, qui perfectum bonum continet.

4. *Votum* de non peccãdo mortaliter,est materia apta & obligat,quia est de re honestà & possibili per gratiam absque speciali priuilegio: non est tamen expediens tale votum,& facilè in eo est dispensandum; quia regulariter loquendo,est valde difficile, & potest esse occasio,spectata fragili hominis conditione, frequentius & grauius peccandi, ideò facilè in eo est dispensandum. *Votum* de non peccando venialiter ex plena aduertentia,est materia apta, & obligat. Minùs tamen est cuique consulendum & facilius dispensandum. *Votum* verò de non peccando simpliciter, nec etiam venialiter ex subreptione,est materia incapax & inualidum,saltem quoad totum;quia est de re moraliter impossibili, & quæ per gratiam ordinariam,haberi non potest; requiritur enim speciale priuilegium,*Suar.l.*2.*c.*3.*Valent.c.d.*6.*q.*6.*p.*2. *Sanches l.*4.*c.*5.*n.*10. *Less.c.n* 33 *Rodr.c.*96.*n.*5. Azor.1.*par.lib.*11.*c.* 13.*quæst.*4.

Votum non vouendi,irritum est:quia id votum cum Dei consilio pugnat;vouere enim est consilij Euangelici, atq; religionis actus. Si quis tamen vouerat se amplius non votorum nisi inscriptis, aut coram aliquibus personis, aut absque confessoris consilio,vel alijs circumstantijs,validum esset votum. Ratio est, quia per tale votum non retrahitur quis ab opere consilij,sed sibi cauet, ne illud temerè faciat, quod ad prudentiam, & diuinum consilium spectat. Rodrig. *tom.*2 *sum.latina*,*c.*96.*nu.*13. Sylvest. *v.votum* 2.*q.*7. Angelus *v.votum* 3.*nu.*4. Quòd si huius voti memor hic non seruatis prædictis circumstantijs vouerat, votum esset validum, quia est de materia licita, & capaci obligationis, vt supponitur,& licèt homo malè faciat,factum nihilominus tenet quia per prius votum non se reddidit inhabilem, nec se priuauit potestate se obligandi aliter,licèt si obligarit ad id non faciendũ. Si autem immemor prioris voti sic conditionati, posterius hoc emisit absque prædictis conditionibus,tunc votum emissum cũ prioris obliuione erit irritum, quando vouens in prioti eam expressam intentionem habuit, nullo alio voto se obligãdi in posterum,nisi illis circumstantijs adhibitis. Petrus Ledesma *to.*2.*sum. tr.*10.*c.*2 *dub.*1.*Saneb.l.*4.*moral.c.*8.*nu.*17.

Votum non petendi dispensationem, irritationem, vel commutationem,iuxta probabiliorem sententiam non est validum & in nullo euentu obligat,quia votum generaliter emissum, quod in quibusdam casibus aptum est,& vtile,in alijs autem est inepti & inutile,non tenet. Valeret tamen votum non petendæ dispensationis,irritationis, aut commutationis, absque legitima causa. Quia in omni euentu melius Dei obsequium est,velle quempiam ita se voto adstringere. vt ea obligatione liberari absque legitima causa nequeat. Si autem absque iusta causa petatur, ea voti irritatio teneret, quamuis petens peccaret,quia vouens, nequit potestatem irritandi superiori competentem coarctare. Nec peccaret superior irritando, vtpote qui iure suo vtitur, nec inferior postea vtendo illa. Quia votum fuit tantum de non petendo irritationem,quod sola petitione violatur,vsus autem cum illo voto non pugnat. Vide *Sanch.c.n.*21.& *seq.Sotum de iust.l.*8.*q.*1.*art.* 9.*vers.Est autem*.

5. *Inualidè vouet*, quia duo vota simul emittit impossibilia, volens se ad vtrumque pro eodem tempore obligare, *Sanch.l.*4. *c.*5.*nu.*21. Azor.*c.cap.*20.*q.*5.nam est votum rei impossibilis: *secus* si diuerso tempore sint adimplenda, vt dicetur infra *v. votum* III.*n.*20. *Quando* verò materia voti partim est bona,& partim indifferens;partim possibilis,partim impossibilis,partim honesta,& partim turpis, validum est votum quoad partem possibilem & honestam, quæ separari potest à parte indifferenti, impossibili & turpi; quia vtile per inutile non vitiatur: quod tamen intelligendum est,modò vouens non pomiterit rem bonam & malam per modum vnius,& non per modum plurium votorum, vel vnã dependenter ab alia: tunc enim ad neutram partem tenetur, si alteram adimplere nequeat. *Fillmcius cit. num.*40. 41. 63. & *sequen. Layman libr.*4.*tract.*4. *cap.*2.*num.*3. *Suares libr.*2.*cap.*10. *num.*2.

6. *Opus*

6. *Opus indifferens*, id eſt, quod neque habet rationem boneſti, nec praui, non cadit ſub votum, quia Deo non magis eſt acceptũ illud fieri, quàm omitti: votum autem debet eſſe de re magis accepta Deo, quam eius oppoſita: *res* tamen *indifferens* poſſet eſſe materia voti, & votum de ea obligaret, his concurrentibus: *Primò*, vt adſit bonus finis. *Secundò*, vt res indifferens quæ eſt materia voti, conducat, & in eo tendat ad talem bonum finem, alioquin perinde eſſet, ac ſi finis honeſtus non adeſſet. *Tertiò*, vt in voto rei indifferentis ille finis honeſtus intendatur ab ipſo vouẽte. *Quartò*, vt honeſtus finis, ob quem res indifferens fuit voto promiſſa, nondum ceſſauerit. *Nauar. c.12.num.37. Leſſius c.num.40. Rodriques 2.p.c.96 n.6. Laym.c.nu.8. Sanch.l.4.c.7. Fillinc.c.n.49. Sylu.c.ar. 2.concl.1.*

7. *Vouens*, qui dubitat an res promiſſa ſit indifferens vel bona, tenetur votum implere, quia poſſeſſio ſtat pro voto: & in dubio ius præſumit pro valore actus. Si verò vouens habeat opinionem probabilem aſſerentem materiam eſſe indifferentem, poteſt ſequi quam velit opinionem: idem dicendum quando dubitatur, an materia promiſſa ſit poſſibilis, vel impoſſibilis. *Sanch.c.cap.7.nu.21. cap.4.n.19.c.13.nu.34.* Secus *dicendum* eſt, ſi dubitetur an materia voti ſit licita: nam vouens exponeret ſe periculo peccandi, cũ fieri poſſit, vt res mala ſit, nec ſit licitum operari cum ſcientia practicè dubia. Quidquid in contrarium docent Suar. *cit. cap.6. Fillic.c.n.90. Rodrig.c.n.7. Bonac.c.p.4.§.2.n.5. Vide Diauam 4. p.tr.3 reſ.13.*

8. Votum rei bonæ factum ob finem indifferentem, aut ad obtinenda bona temporalia, validum eſt, quia eſt de meliori bono quam ſit eius oppoſitum: *tamen votum* rei licitæ factum ad obtinenda bona temporalia, regulariter loquendo, non obligaret, nõ obtentis bonis: quia niſi aliter conſtet de voluntate vouentis, votum cenſetur factum cum hac tacita conditione. Sylueſt. *v.votum 1.quæſt.4. Suar.lib.2.c.5.n.5. Sanch.c.n.30. Sotus l.7. de iuſtit. quæſt.1.ar.3.*

9. *Actio mala* non poteſt eſſe materia voti: vnde ſi de re mala votum fiat inualidum eſt: quia actio mala non eſt conueniens Deo, vtpote illi iniuriosa, & ideò, nec ab eo acceptatur: per *actionem malam* intelligitur tam peccatum mortale quàm veniale. *Hinc* votum de re aliqua prohibita à ſuperiore inualidum eſt, nã eſt de materia illicita: *votum* verò rei licitæ, factum ab eo, cui prohibetur vouere, validum eſt (quamuis vouens peccet vouendo contra præceptum ſuperioris) quia materia ipſius eſt licita; item validum eſt votum quo quis amore continentiæ vouit ſe non amplius peccaturum, nili cum tali fœmina: nam hoc votum non eſt de re mala, ſed bona, & ex fine honeſto cùm vouens amore continentiæ promittat abſtinentiam ab alijs fœminis, quæ licita eſt. D. Thom 2.2.q.88.ar.2. *Nauar.* 12.nu.28. *Suar. La de vot.cap.4. Fillinc.c.n.48. Sanch.l.4.mor.c.6.n.6.& 22. Sylu. c.concl.3.*

Sed petes, quale peccatum ſit, vouere peccatum veniale? Quidam putant, eſſe tantùm peccatum veniale, quia bonitas, vel malitia alicuius actus determinatur ex obiecto; ſed obiectum illius voti tantùm eſt, peccatum veniale, ergo & quid illud vouet, peccat tantùm venialiter. *Nauar. in manu.c.12.n.33. Tolet.l.4.c.17.nu.15.* Alij docent eſſe peccatum mortale, & meritò quidem, quia ſi is qui ita vouet, ſcit eſſe peccatum, & nihilominus Deo id vouet, grauem ei infert contumeliam; quia quantùm in ſe eſt, deſtruit in hoc actu Dei bonitatem, quæ non patitur ſecum approbationem alicuius peccati: & eſt peccatum blaſphemiæ, quia dum ſciens & prudens promittit Deo quod ſcit eſſe peccatum, inſinuat Deo placere tale peccatum, eoque coli, & honorari, atque ex conſequenti Deum non eſſe ſummè bonum. Hinc qui votum de committendo peccatum veniale implet peccat mortaliter. Ratio eſt, quia idem eſt opere ipſo Deum colere peccatis, & eodem animo per votum ſe obligare ad faciendum peccatum. Poſſet tamen hic excuſari ex ignorantia, vt poſſet contingere in eo: qui voueret ſe mentiturum ob mendam proximi vitam; id mendacium quaſi Deo acceptum ex ignorantia offerens. Ita Caietanus *in ſumm. v.votum. Laſſius l.2.c.40.dub.7.num.59. Armilla, verb.votum, num.1. Sanchez libr.4.moral.cap.6.num.9. Sylu.2.2. quæſt.88. art. 2.concl.3.*

10. *Votum* de actione bona ſub conditione turpi, vt voueo eleemoſynam ſi furabor; validum eſt. quia quod directè promittitur, bonum eſt, nempe eleemoſyna, & ordinatur ad actum boni, nempe in odium & vindictam actus mali: *Nau.cap.12. num.30. Suar.l.3.de vote cap.5. Tolet.lib.4.cap.17.nu.16. Item* votum pro bono effectu qui ſequatur ex actu turpi, validum eſt, dummodo non ordinetur votum ad actum turpem, quia alias vouens intenderet facere Deum auctorem ſuæ iniquæ actionis, quod non liceret. *Præterea* votum factum in gratiarum actionem pro actu turpi valida eſt, vt voueo calicem pro victoria in bello iniuſto: quia gratias agere Deo pro effectu iam ſecuto, bonum eſt. *Leſſ.c. n.36. Fill.c.2.q.6. Laym.l.4.tr.4.c.2.nu 7. Sanchez l.4.c.6.n.13. Inſuper* votum factum ſub conditione turpi, quæ habeat rationẽ puræ conditionis, non autem cauſæ vel rationis voti, validum eſt, vt voueo calicem ſi ſuperflua habuero ex meretricio: quia hoc modo conditio turpis non vitiat ipſum votum, ſed tantùm efficit vt qui vouet, nolit obligari abſolutè, ſed tantùm poſt talem euentum. *Perrò* votum ad obtinendum auxilium pro actu turpi, nullum eſt: vt ſi meretrix vouerat eleemoſynam, ſi tot nummos lucrata fuerit meretricando, intendens à Deo exaudiri, vt multi ad ipſam accedant, vt hoc lucrum referat: hoc enim votum blaſphemiam continet. *Azor.3. par.l.11.c.15. quæſt.5. Bonac.c.p.4. §.1.n.8.*

11. *Actio præcepta*, ſecundùm communiorem, veram & certam ſententiam doctorum, poteſt eſſe materia voti, & per tale votum nouum vinculum inducitur: *C.Sacrileg.* 27.q.1. conſequenter violata huiuſmodi votum, nouam culpam committit contra religionem, & hæc circumſtantia neceſsariò explicanda eſt in confeſſione: & *ratio eſt*, quia licet actio præcepta ſit etiam aliquo modo neceſsaria, tamen ſimpliciter eſt libera; ergo poteſt eſſe materia voti: poteſt enim obligatio alteri addi obligationi, & res vno titulo debita, deberi etiam ex alio. *Clauis reg.l.6.c.3.nu. 16. Nauar.cap.12.nu.25. Suarez lib.2.cap.6. nu.6. Leſſ.c. num.46. Sanch.l.4.cap.5.nu.6. Fill.c.num.57. Azor.1.p.l.11.cap.14.q.1. Bonac.c.p.1.n.23.* Sylu *c.concl.2.* Poteſt hoc confirmari ex perpetuo vſu Eccleſiæ; vbi non ſolùm vouetur abſtinentia à nuptijs, quæ non eſt præcepta, ſed etiam abſtinentia ab omnibus illicitis voluptatibus extra matrimonium, quæ omnibus eſt præcepta. Quidquid in contrarium docerent aliqui improbabiliter apud Sanches.

Sed petes an Tertiarij S. Franciſci promittentes ſeruare mandata Dei peccent particulari circumſtantia, voti, in confeſſione explicanda, ita vt ſit duplex peccatum, ſi violent aliquod præceptum Decalogi? Reſpondet *Portel. de dub.reg.verb. Tertiarij. n.5.* negatiuè. Ratio eſt, quia illud votum, non eſt votum propriè vel votum ſpeciale: ſed eſt votum anologicè non inducens particularem obligationem peccati, etiam venialis. Explicatur hoc iuxta illud quod multi Patres dixerunt, nos in Baptiſmo promittere, & vouere ſeruaturos eſſe mandata Dei. Tale enim votũ in Baptiſmo non eſt votum propriè, ſeu ſpeciale, neque inducit obligationem aliquam peccati ratione voti etiam venialis: ſed ſolùm habet vim directiuam. Ita reſponſum fuit Conimbricæ, anno 1608. per ſex Doctores lectores, inter quos fuit vnus Pater Suarez. qui bene addit peccatum v.g. furti factum à profeſſo Tertiario, habere ceteris paribus maiorem grauitatem intra eamdem ſpeciem: non quod ſit diuerſum ſpecie ratione voti. Et quando tales profeſſores vouent, intendunt ſe obligare eo modo quo Sũmi Pontifices explicarunt illam regulam, videlicet quod non teneantur ratione regulæ ad vllum peccatum. Hæc Portel. Cuius ſententia communiter eſt vera, ſi profitentes maiorem ſibi obligationem imponere ſpecialiter non intendant.

VOTVM III.

De voti obligatione,

SVMMARIVM.

1. *An bonum ſit vouere Deo? an vota ſint adimplenda? & an melius ſit aliquid facere ex voto, quam ſine voto?*
2. *An ex voto oriatur obligatio in conſcientia?*
3. *An violatio voti ſit peccatum mortale ex genere. & quando ſit veniale?*
   An tranſgreſſio omnium votorum ſit eiuſdem ſpeciei infimæ?
   An qui ex voto tenetur ieiunare, toties peccet, quoties carnes comedit? refertur duplex ſententia.
   An qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, vel bibere, vinum, toties peccet, quoties comedit, vel bibit?
   An tempore infirmitatis ſeu morbi poſſit talis veſci carnib.
   An qui pluries idem votum repetit, nouam obligationem contrahat?

An vio-

An violans votum, vnum ſpeciale peccatum committat?

4. *An votum factum in materia graui ſemper obliget ad mortale?*
5. *An votum in materia leui poſſit obligare ad mortale?*
6. *An dubius de voto teneatur ad illud ſeruandum?*
7. *An peccet mortaliter ille, quem pœnitet vouiſſe?*
8. *An qui vouit aliquid minutum ſingulis diebus faciendum, peccet mortaliter etiamſi per plures dies omittat? Quando votum ſit perſoluendum?*
   An vouens aliquid faciendum determinata die, nec ea implens, teneatur ea tranſacta? Et quid quando dubium eſt, an votum ſit intuitu temporis?
9. *A quibus teneatur abſtinere habens votum caſtitatis?*
10. *An nubendo peccet, qui votum habet non nubendi; & an poſſit petere & reddere debitum poſt contractum matrimonium?*
11. *An votum non fornicandi æquiualeat voto non nubendi? & quid dicendum de voto non cognoſcendæ fœminæ?*
12. *An qui certam aliquam religionem vouit ingredi, teneatur ingredi dum in ea non ſeruatur regula?*
13. *Ad quid teneatur qui religionem indeterminatè in genere vouit?*
14. *An qui alicuius determinatæ religionis inſtitutum ſe profeſſionem vouit, & ad illam non fuit admiſſus, teneatur aliam tentare?*
15. *An ex vi voti teneatur ad caſtitatẽ, qui vouit religionem ingredi, aut in ea profiteri, ſi ad religionis ingreſſum, vel ad profeſſionem non fuit admiſſus?*
16. *An qui exactus fuit à religione poſt profeſſione teneatur aliam religionem ingredi vel inquirere, ſi antequam ingrederetur, vel profiteretur religionem in genere vouerat.*
17. *Quæ ſit obligatio voti perſonalis, & realis?*
18. *An votum perſonale & reale poſſit per alium adimpleri? vbi ſoluuntur multi caſus.*
19. *An votum adimplendum ſit ſecundum eas circumſtantias, quas vouens vouit, & ad quas ſe intendit obligare.*
20. *Ad quid teneatur, qui duo vota incompoſsibilia emiſit.*

1. CErtâ fide tenendum eſt contra hæreticos votum per ſe, opus bonum eſſe, & laudabile atque adeò meritorium, ſi fiat ab eo, qui ſit in Dei gratia, vt probatur ex ſcripturis, quæ vota commendant, & ad ea emittenda & implenda hortantur, & fideles in illis adimplendis laudant, & contra infideles deteſtãtur. Ratio autem eſt ex D. Thoma, bonum & vtile eſt homini firmare immobiliter propriam voluntatem ad aliquid faciendum, quod cedat in magnam vtilitatem ipſius, ſed hoc fit per votum, quo confirmamur ad aliquid Deo reddendum, non in vtilitatem Dei ſed noſtram, promiſsio enim, & donatio facta Deo, & homini in hoc differunt, quòd hæc reſpiciat vtilitatem hominis, cui fit, illa verò (quia Deus nulla re indiget) tota redundat in vtilitatem eius, qui promittit, & donat. Vnde D. Auguſt. *Benignus*, inquit, *exactor eſt, & non egenus, & qui non creſcat ex redditis, ſed ut ſe creſcere faciat reddentes*. Vnde votum adeò eſt bonum opus virtutis religionis vt etiam facere aliquid ex voto ſit melius, & magis meritorium, quàm idem facere ſine voto: quia actus imperatus à perfectiori virtute, cæteris paribus, eſt magis meritorius, ſed executio operis ex voto, imperatur à virtute religionis, quæ eſt perfectior alijs; ergo, cæteris paribus, eſt melior. Nec obſtat, quòd in opere ſine voto ſit maior libertas, quare etiam maius meritum: dicendum eſt eſſe æqualem libertatem, ſi accipiatur pro indifferentia operandi; ſi verò ſumatur pro obligatione, ſic eſt maior in opere ex voto, ſed obligatio non tollit perfectam indifferentiam, imò dat occaſionem noui vſus libertatis. Vide *D. Thom.* 2.2. *q.* 88. *ar.* 4. & 6. & *in opuſc.* 17. *c.* 11. & *opuſc.* 18. *c.* 12. Suar. *l.* 1. *de voto, cap.* 17. *n.* 3. Layman. *l.* 4. *tr.* 4. *c.* 4. *n.* 1. Filliucium *tr.* 26. *n.* 33. Syluium 2.2. *q.* 88. *ar.* 6. Leſſium *l.* 2. *c.* 20. *dub.* 8 Maior. *in* 4. *d.* 38. *q.* 4.

2. Certum eſt etiam inter Catholicos ex voto oriri obligationem in conſcientia; atque ita vorum obligare ſub peccato, quia inter homines promiſſio bona fide facta obligat: ergo multò magis ſi fiat Deo; & hæc obligatio partim eſt fidelitatis ſeu virtutis, ad quem pertinet implere promiſſiones, partim iuſtitiæ, quia fidelitas ad Deum eſt religio. Religio autem eſt quædam iuſtitia erga Deum. *D. Th. c. a.* 3. & *Syluius ib. Suar. l.* 4. *c.* 1. *Filliuc. c. cap.* 3. *q.* 1. *Bonac. tit. p.* 5. § 4. *n.* 2.

3. *Violare votum*, peccatum eſt mortale ex genere ſuo, quia eſt contra reuerentiam Deo debitam, & contemptum Dei continere videtur: *C. licet, de voto* fieri tamen poteſt vt ex paruitate materiæ, vel defectu animaduerſionis ſit veniale, ſicut in cæteris peccatorum generibus accidit: *Cæterani* tamen & *Angelus* exiſtimant ſemper eſſe mortale, quando id quod omittitur, eſt tota materia voti vel iuramenti; hæc ſententia quamuis ſit probabilis, contrarium tamen eſt probabilius: quia inter ea, quę homini debentur ex iuſtitia, datur materia magna, & parua, cur non etiam inter ea, quæ debita Deo? ita tenent plerique recentiores hoc tempore. *Nauar. c.* 12. *n.* 40. *Clauis reg. l.* 6. *c.* 6. *n.* 4. *Reginald. l.* 18. *n.* 237. *Sylu.* 2.2. *q.* 88. *a.* 3. *c.* 1. *Laym. l.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 2. *Sanch. l.* 4 *mor. cap.* 12. *n.* 5. & alij hic citati.

Sed difficultas eſt, *prima* an tranſgreſſio omnium votorum ſit eiuſdem ſpeciei infimæ? Reſp. Affirmatiuè, nec aliquo pacto variari ex diuerſitate materiæ promiſſæ, quando ea alio præcepto præter votum non eſt iniuncta; at poteſt intra eandem ſpeciem eſſe grauior, aut minùs grauius culpa, iuxta maiorem aut minorem materiæ grauitatem. Ratio eſt, quia omnia vota, in quacũque materia emiſſa, eamdem oppoſitionem habent, & ſub vnica ratione cum ſola religionis virtute, tranſgreſſio omnium illorum erit eiuſdem ſpeciei infimæ: & in hoc differunt materia voti, & præcepti; quia materia illa legis ex eo ipſo quod à legislatore præcipitur, redditur neceſſaria ad illius virtutis rectitudinem: & obligat tunc ex illius rectitudine. Quare tranſgreſſio illius legis opponetur illi virtuti, ac proinde variabitur ſpecies peccati tranſgreſſionis, iuxta diuerſitatem virtutum, ad quas illa legis materia ſpectat. At materia voto promiſſa, etſi actus alicuius virtutis ſit, ſecluſa tamen ſpeciali vouentis intentione, qua ad illam virtutem ſe obligaret, non obligat ex illius virtutis præcepto, ſed ex ſolius religionis præcepto, cuius actus eſt votum. Ita ex Caietano, Soto, Rodriques *T hom. Sanch. l* 4. *mor. c.* 11. *n.* 23.

Hinc infertur, quòd iurans vel vouens ſe quodcumque peccati genus vitaturum, eaq; peccata poſt commiſſa confitens, oblitus autem circumſtantiæ voti, vel iuramenti, ſatis poſtea fatetur dicendo ſe toties fregiſſe votum, vel iuramentum materiæ grauis, nec oportet materiam illam explicare: quia malitia prioris peccati eſt plenè intra propriam ſpeciem detecta in confeſſione: malitia autem fractionis voti, vel iuramenti eſt in quacumque materia eiuſdem ſpeciei. Cùm ergo hæc ſola fatenda ſuperſit, ſatis erit illam tacita materia explicare; vt poſt *Nauarrum*, & alios diximus ſuprà *v. Circumſtantia, n.* 14. § 5.

Secunda, an qui ex voto tenetur ieiunare, toties peccet, quoties carnes comedit? Videtur quòd ſic, quia etiamſi teneatur abſtinere, ratione ieiunij, quod vouit, adhuc abſtinentia à carnibus inclusa eſt in voto ieiunij per modum abſolutæ negationis; vnde obligat ad ſemper pro toto illo tempore, pro quo durat votum ad modum præcepti negatiui. Ita *Azor. tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 20. *quæſt.* 6. *Suarez tom.* 2. *de relig. lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 12. probabiliter. At ſolum peccare prima vice quando carnes comedit, docent. *Fauſtus lib.* 1. *theſaur. relig. quæſt* 140. *Diana part.* 1. *tract.* 9. *reſol.* 37. & 45. *Layman lib.* 4. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. *Sanches c. cap.* 11. *nn.* 42. *Ghilin. in ſumm. v. ieiunium num.* 37. & alij, & meritò. Ratio eſt, quia non tenetur, qui vouit ieiunare, abſtinere à carnibus per ſe primò, ſed tantùm ratione ieiunij, quod ſecum trahit vt neceſſariam abſtinentiam à carnibus; vnde ieiunium ſe habet vt principale, abſtinentia autem à carnibus, vt quid ſecundarium, & incluſum in ieiunio, vt pars illius. Hinc ceſſante obligatione ieiunij, ceſſat etiam obligatio abſtinentiæ à carnibus cùm ſe habeat tantùm conſecutiuè ad ieiunium. Nec obſtat, quòd abſtinentia à carnibus ſit incluſa in voto per modum abſolutæ negationis: quia non eſt incluſa in voto, ratione ſui, vt per ſe primò intenta, ſed ratione alterius, nempè ratione ieiunij; atque adeò in tantum volita, in quantum eſt volitum ieiunium, & ideo ceſſante obligatione ieiunij ceſſat etiam obligatio talis abſtinentiæ.

Tertia. Quid dicendum de illo, qui vouit pro aliqua die non comedere carnes, vel libere vinum, an toties peccet, quoties comedit, vel bibit? Communis eſt ſententia affirmatiua: tum quia votum obligat inſtar legis Eccleſiaſticæ; hæc autem ſi aliquo interdicens violatur, quoties ſine eodem die, ſine diuerſis editur. Tum quia abſtinentia à carnibus, vel vino eſt per ſe primò intenta à vouente, atque adeò aliquid negatiuum, quod diuiſibiliter ſe habet, ſicut ſe habet præceptum negatiuum: vnde ſemper obligat pro toto tempore, pro quo durat votum præſertim quia obligat ſicut præceptum negatiuum: & ideo tot ſunt peccata, quot ſunt comeſtiones, vel bibitiones in notabili quantitate. Ita *Nau. in man. c.* 12. *n.* 53. *Syl. v. voſu, q.* 10. *Sanch. l.* 4. *moral. cap.* 11. *num.* 41. *Layman libr.* 3. *tract.* 4. *cap.* 3. *num.* 3. & alij. Contra *Paludanum*, *Diuum Antoninum*, *Tabienam*, qui

qui volunt votum non comedendi carnes pro aliqua die semel fractum non amplius obligare, quia est de illa priuatione pro die illo, quæ si semel destruatur per vnicum actum, non potest amplius obseruari. Hæc sententia admittitur ab aliquibus vt probabilis. Vide *Pasqualig. in praxi iejunij Eccles. dec. 65.*

Certum est tamen hunc volentem non comedere carnes tali die, posse vesci carnibus non obstante voto, quando medicus iudicat id esse necessarium pro remedio morbi. Tum quia tale votum non præsumitur factum in damnum sanitatis. Tum quia votum obligat, sicut obligat præceptum Ecclesiæ præceptum autem non obligat tempore infirmitatis. Ita Sanch. *c. nu.* 57. Est tamen aduertendum, quòd si votum obligaret speciali modo ad abstinentiam ab aliquo genere carnium, quia nimirum adfuit speciale motiuum volendi talem abstinentiam, tunc nisi tales carnes sint necessariæ, non cessat obligatio. Nam votum tunc est virtualiter multiplex, nempe de abstinentia à talibus carnibus, et ideo potest obligatio cessare in ordine ad vnum, & non in ordine ad aliud.

Quarta. An qui plurics idem votum repetit, & confirmat, multiplicem obligationem contrahat? Negatiuè est respondendum: vnde consequenter qui votum centies, ac millies confirmatum negligit, vnum solum peccatum committit, cùm omne vinculum, quod per tale votum induci potest, iam priori voto sit inductum, sicut qui multa conficit instrumenta eiusdem obligationis, non plus adstringitur, quàm voico confecto instrumento. Eo eadem ratione idem dicendum est de iuramentis multiplicatis circa eadem rem; hinc qui in duabus religionibus regularium bis votum solemne emisit continentiæ, quamuis grauius peccet, incontinenter viuendo, vnum tamen solùm peccatum committit. Ita Rodriques *tom. 2. Sum. Latin. cap. 96. conc. 9. Sanch. de matr. l. 7. disp. 27. n. 25. & lib. 1 moral. c. 14. n. 10. Medina 1. 2. q. 72. ar. 6. & alij.*

Quinta: An violàs votum, vnum speciale peccatum committat? Quidam putant, hunc duo specialia peccata committere, quia contra duas virtutes peccat, nimirum contra fidelitatem, & contra religionem. Dicendum tamen est, quòd qui votum de opere supererogationis, scilicet ieiunij non positi sub præcepto frangit, vnum speciale peccatum committit, quia vnius specialis virtutis rectitudinem, v. g. religionis infringit. Ita Caietanus 1. 2. q. 88. *art.* 5. Valentia 2. 2 *d. 6. q. 5. punct.* 4. Qui autem votum de opere posito sub præcepto, scilicet de non fornicando, occidendo, &c. violat, duplex speciale peccatum committit, vnum contra præceptum de non fornicando; alterum contra votum, quæ ambo necessario sunt in confessione sacramentali explicanda. Ita Nauar. *in man. c. 12. n. 34. Arragon. 2. 2. q. 88. ar. 5.*

4. Quando votum in materia graui fit simpliciter & absolutè, semper obligat mortale, quia tunc obligatio sequitur iuxta exigentiam materiæ: *Nauar. c. 12. nu. 40. Suar. d. 4. c. 4. nu. 4. Sanch. de mat. l. 1. d. 9. n. 6. Diana tract. 6. res. 91. p. 3. Bonacina c. p. 5. §. 4. num. 7. Si autem* votum fiat restrictè hoc modo cum intentione, scilicet expressi, non se obligandi sub mortali, sed tantùm veniali, probabile est non manere obligatum nisi ad veniale; quia votum est lex priuata, at lex humana etiam in materia graui potest non obligare ad mortale, sed tantùm ad veniale ex intentione legislatoris. Contra *Vasques 1. 2. d. 158. n. 32. Sotum l. 7. q. 2. art. 1.*

5. *Votum* in materia leui non potest obligare ad mortale etiàm si volens habuerit intentionem obligandi se sub mortali: *Sanch. l. 1. mor. c. 4. n. 4. & l. 4. c. 12. Suar. l. 4. c. 4. n. 20. Filliuc. c. nu. 83. & 84. Diana tr. 6. p. 3. res. 24. & p. 5. tr. 3. res. 36. 37. 50.* nam materia levis non videtur capax tantæ obligationis, & talis promissio stulta esset & irrationabilis. Ideòque non acceptaretur à Deo tanquam impertinens ad diuinum cultum. *Si tamen* referatur materia leuis ad finem grauem, tunc posset obligare etiam grauiter ex intentione volentis, quia hoc pio euadit materia grauis. *Materia* autem voti cognoscitur sufficiens ad peccatum mortale vel ad veniale tantùm ex duplici capite. *Primò*, ex magno aut exiguo honore, qui redundat in Deum ex adimpletione voti. *Secundò*, ex comparatione ad legem, & ad alia præcepta: nam si illa materia præciperetur à lege & sufficeret ad mortale, censeretur etiam materia grauis respectu voti. Bonacina *c. p. 5. §. 4. n. 5. Sanchez c. num. 12. & 14. Crauser ad c. 7. reg. S. Francisci lect. 14.*

6. *Dubius de voto* ante diligentiam adhibitam tenetur ad illud seruandum; quia alioqui sic operans se exponeret periculo errandi, ideòque temerè ageret: post moralem autem diligentiam adhibitam, non tenetur illud seruare, quia hoc est dubium iuris, id est, voti, quod est lex quædam priuata: in dubio autem iuris melior est conditio possidentis suam libertatem: vnde infertur illum, qui dubitat, an vouerit mille, vel tantùm quinquaginta, teneri tantùm ad quinquaginta. Sanchez *de matr. l. 1. d. 9. n. 1. Suarez l. 4. c. 5. n. 4. Reginald. l. 18. nu. 176. Rodriques 2. p. cap. 101. num. 5. Diana tr. 1 misc. resol. 50. p. 3. & 4. tr. 3. resol. 10.*

7. *Non peccat*, mortaliter ille, quem pœnitet vouisse, modò non habeat intentionem omittendi rem promissam, vel non adimplendi votum: quia sicut non est peccatum mortale nolle vouere in futurum, ita neque est peccatum mortale nolle vouisse, si tamen haberet intentionem non adimplendi votum in re graui, peccaret mortaliter: sicut etiam peccat mortaliter, qui dolet de opere graui, quod ex voto fecit, habet enim affectum ad peccatum, id est, ad transgressionem voti, quod seruare sub mortali tenetur; nam transgressio, & propositum eius eandem habent malitiam. *Clau. reg. l. 6. c. 6. n. 13. Regin. l. 18. n. 239. Laym l. 4. tr. 4. c. 4. n. 3. Fillius. tr. 26. n. 214. Nau. c. 12. n. 54.*

8. *Qui vouit* aliquid minutum singulis diebus faciendum, v. g. singulis diebus Sabbati dicere, *Salue regina*, non peccabit mortaliter, etiamsi per plures dies omittat, si ita intendat se obligare in singulos dies, vt obligatio sit diei affixa, & vna cum die expiret; sed erunt tot peccata venialia, quot omissiones: quia cùm obligatio non continuetur sed euanescat quotidie, non accumulantur quoque obiecta parua ad constituendum vnum magnum, sed manent diuisa. *Si autem*, ita se quis obliget in singulos dies, vt obligatio sit diei affixa nec expiret cum die, sed continuetur, non erit peccatum mortale complures dies omittere. *Sot. l. 7. de iust. q. 2. art. 1. dub. 1. Less. l. 2 cap. 40. dub. 9 n. 60. Diana tr. 5. misc. res. 24. p. 3. Tamerus 2. 2. disp. 5. dub. 5. n. 38. Canuel. in reg. S. Benedicti disp. 7. n. 96. & alij.*

Hinc quæres, quando votum sit persoluendum? Resp. quòd si animus volentis fuit se voto ad statim exequendum obligare, tenetur, statim, id est pro prima opportunitate congrua illud executioni mandare. Si verò ad certum tempus, eo expleto, statim debet illud implere, si commodè possit: quia cùm voti obligatio ex volentis intentione dependeat, eo ipso quòd incidit votum statim, aut intra certum tempus adimplere, contra faciendo peccat, nisi aliqua de causa excusetur. Ita D. Th. 2. 2. q. 88. *art.* 3. *Sylu. ibid. quæs.* 2. *Nauar man. c.* 12. *n.* 41. & alij communiter.

Dubium tamen est, de eo, qui vouit, & tempus adimplendi votum non definiuit, nec deprehendere potest, quod tempus voluerit se obligare? Quidam censent tempus illius voti exequendi præfiniendum esse iuxta conscientiæ volentis remorsum, ita vt tunc teneatur implere, quando conscientia remordens præscribit implendum. Ita Caiet. 2. 2. q. 88. *a.* 3. *& in Sum. v. votum, c.* 4. *Nau. c. n.* 41. Sed fallax & valde incerta est hæc regula: vt potè pro timoratis est nimis scrupulosa: pro alijs verò nimis laxa: quare dicendum est, hunc teneri suum votum obseruare, cum primo iudicio prudentis commodè poterit. Hæc autem voti adimplendi commoditas, non est intelligenda metaphysicè, sed moraliter respectu volentis: quia multa tempora sunt in se commoda, quæ tamen secundùm volentis morem non reputantur commoda: & ipse censetur se obligare tempore commodo secundùm morem suum: Hinc qui nullo præfinito tempore vouit, potest suum votum differre vsque ad illud tempus, in quo sperat cõmodiùs, quietiùs, aut deuòtius illud impleturum: quia moraliter ea censetur commoditas implendi. Ita Syluius *c. quæst.* 2. *Sylu. v. votum* 2. *q.* 2. *Arrag. 2. 2. q. 88. a.* 3. *Angles in flo. 2. p. q. vnic. de voto, a.* 2. *dif.* 12.

Aliud dubium ex dictis oritur, an volens aliquid determinata die faciendum, nec ea implens teneatur ea transacta? Pro solutione dico *primò*, quòd si is qui vouit præcipuè rationẽ habuit ad temporis deuotionem, vt ieiunare in die sabbati propter deuotionem ad B. Virginem; tunc si tali die præfixa non ieiunet, ea transacta, quamuis volens peccet mortaliter, nõ tenetur aliis diebus ieiunare. Quia tale ieiunium est onus illius temporis, & tẽpus est intrinseca rei per illud votum promissæ circumstantia, atq per modum vnius vtrumq; sub voto includitur, cùm ergo eo transacto sit impossibile rem promissam, cum ea circumstantia implere, extinguetur prorsus voti obligatio. Dico *Secundò*, quòd quando non temporis intuitu, & deuotione, sed adijcitur tempus vt executionis voti terminus, intra quem implendum est, nec vltra differre liceat, peccatur quoque mortaliter tunc non implendo, at manet obligatio voti: quia tunc circumstantia temporis non vouetur per modum vnius cum re promissa; sed virtute sunt duo vota. Ita *Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 12. Nau. c. 12. n. 54. Rodriq. tom. 2. sum. c. 101. n. 14. & 15. Faust. in thesaur. relig. l. 1. c. 260.*

In dubio autem, an tempus sit assignatum præcipuè ob eius deuotionem, an potiùs vt determinatium executionis ipsius voti censendum est tempus hoc posteriori modo esse præfixum, & ideò obligare votum, eo tempore

transacto: quia obligatio voti est certa, ac proinde est impossibilitatis excusatio autem vouentis est dubia: vt docent *Sanch. lib. 4. mor. c. 14. n. 38. Azor. lib. 11. mor. cap. 15. q. 2.* & alij.

9. *Habens votum castitatis*, non tantùm tenetur abstinere ab illicitis actibus venereis internis vel externis verùm etiam a contractu matrimonij, & actibus matrimonialibus; vnde secundùm probabiliorem sententiam peccat mortaliter. *Primò*, contrahendo matrimonium, licet hoc faciat animo ingrediendæ religionis, ante consummationem matrimonij: à fortiori mortaliter peccat fornicando aut alteri delectationi venereæ consentiendo. *Secundò*, peccat contrahendo, dissoluto primo matrimonio aut petendo debitum, aut ineundo sponsalia ante obtentam voti dispensationem; aut consummando matrim. castitas enim secundùm se importat negationem omnis venereæ voluptatis voluntariæ, quamquam teneatur reddere coniugi petenti, vt aut Dian. *de Sacr. ref. 256. p. 3.* Vide Sanches *l. 4. c. 21. n. 8.* Clauem reg. *l. 6. c. 7. n. 5.* Dianam *de sacr. ref. 201. p. 3.* Tolet. *l. 4. c. 17.* Nau. *c. 11. n. 39.* Lay. *l. 4. tr. 5. c. 8.* & Syluium *in suppl. q. 54. art. 1. concl. 2.* & 3.

10. *Peccat nubendo*, qui votum habet non nubendi, facit enim contra votum: contracto tamen matrimonio potest petere, & reddere debitum; quia votum non nubendi non æquiualet voto castitatis, sed solùm importat negationem status matrimonialis: quæ negatio cùm sit facta impossibilis per matrimonium ita contractum, sequitur obligatum eo voto posse licitè petere, & reddere. *Imo ratio*, non peccat fornicando, *aliud* enim est votum non nubendi, & *aliud* votum non fornicandi; peccabit tamen si semel dissoluto matrimonio de nouo contrahat, quia cum absolutè vouerit non nubere posset hoc votum adhuc obseruare. *Clauius reg. c. n. 3. Nauar. c. 12. num. 43. Rodrig. 2. part. c. 98. n. 2. Bonac. c. p. 5. §. 5. num. 6.* & alij.

11. *Votum non fornicandi*, non æquiualet voto non nubendi, & habens votum non fornicandi, non tenetur ex vi voti abstinere ab actu licito coniugali; quia votum explicandum est iuxta communem intelligentiam, nisi aliter constet de intentione vouentis. Sanc. *l. 4. mor. c. 11. n. 27.* Sed quid dicendum de voto non cognoscendæ feminæ, quando vouens interrogatus dixerunt non nouit suam mentem, an intellexerit de omni prorsus concubitu, tunc licitos fuit illicitos? Resp. quod hoc intelligendum est ex vouentis motiuo: si enim id fuit, ex quod fornicationibus deditus erat, vel quia ex fornicatione aliquod damnum incurrit, id votum de solo concubitu illicito accipiendum erit: proinde huic licitum erit ad nuptias transire & eis omnino vti. Si verò ex speciali castitatis & abstinentiæ à concubitu muliebri affectu ductus est, accipiendum erit votum de vtroq; concubitu. At non erit votum castitatis. Quia peccando contra naturam actu consummato, vel pollutione voluntaria absque fide concubitus feminei, & absque morosa in illum delectatione, non peccaretur contra id votum. Cùm tamen peccaretur contra votum castitatis, quod omnia venerea excludit.

12. Qui certam aliquam religionem vouit ingredi, licèt non teneatur ingredi dum in ea non seruatur regula quoad substantialia, tunc enim magnum est periculum; tenetur tamen ingredi, dum in ea religione viget regularis obseruantia; quamquam poterit aliam præstantiorem, & arctiorem ingredi, si voluerit, quia votum non est impeditiuum maioris boni. Nauarrus *c. 12. n. 46.* Layman *l. 4. tr. 5. cap. 6. num. 5.* Reginald *c. nu. 30.*

13. Qui religionem indeterminatè in genere vouit, hic si non admittatur in vno ordine, debet tentare alium, idque ad tres vel quatuor prout expresse vel tacite intendit. *Less. l. 2. c. 41. n. 43. Sylu. v. relig. 2. q. 16.* Non tamen satisfaceret voto assumendo quemlibet statum religiosum: vt assumendo habitum Equitum S. Iacobi, vel S. Ioannis, quia quamuis isti sint verè religiosi, vouentes tamen communiter non intendunt hunc habitum assumere, sed vouere consueuerunt statum illius religionis, in qua viuitur in communi longè à tumultibus & curis secularibus. *Sanchez l. 4. c. 16. num. 24. Layman cit. tr. 5. c. 6. n. 2.* Licèt contrarium doceant probabiliter Molina *tom. 1. d. 141.* Azor. *l. 13. cap. 3. q. 2.* Rodriq. *c. 98. n. 8.* & alij cum Diana *tr. 2. misc. resol. 36. p. 2.*

14. *Qui* alicuius determinatæ religionis institutum seu professionem vouit, & ad illam non fuit admissus, nō tenetur aliam tentare, sed absolutè cessat votum: modò non fuerit per ipsum vouentem, ne recipiatur, & modò passus sit repulsam simpliciter; & nō tantùm ad determinatum tempus ab ijs, [illegible] quos pertinet admissio; nam si passus sit repulsam tantùm ad tempus, tenetur elapso eo tempore ingredi volentibus religiosis ipsum admittere, & teneatur ad illud vique tempus expectare, vt recipiatur. *Idem* dic si repulsam tulit ob aliquam causam temporalem Regin. *l. 18. nu. 379. 380.* Nau. *c. 12. n. 41.* Sanc. *l. 4. c. 16. n. 52.* Rodriq. *c. 98. n. 4.* & 5.

15. Qui vouit religionem ingredi, aut in ea profiteri, sed ad religionis ingressum, vel ad professionem non fuit admissus, vel fuit eiectus, non tenetur ex vi voti ad seruandam castitatem, (nisi principaliter vouerit castitatem, & religionem) neque ad alia religionis onera: Clauius *reg. l. 6. c. 9. n. 23.* Nau. *cit. n. 47.* Suar. *l. 4. c. 7. n. 15.* Sanch. *c. c. 16. n. 111.* Layn. *c. tr. 4. c. 6. n. 2.* vnde qui vouit religionem, & ad illam in perpetuum nō admittitur, potest in seculo manens matrimonium inire, vt ait Sylu. 2. 2. q. 88. art. 3. q. 4.

16. Qui religionem in genere vouit antequam ingrederetur, vel professus esset, non tenetur aliam religionem ingredi, vel inquirere, postquam eiectus fuit à religione iam facta professione, quia omne votum simplex per solemne votum religionis irritatur, vel saltem commutatur in onera religionis; nisi vouens contrarium expresse intendat; vnde qui vouet strictiorem religionem, licet graviter peccet ingrediendo laxiorem, tamen facta professione in laxiori non tenetur strictiorem adire, quia per votum solemne derogatum est voto simplici. Reginald. *c. n. 382.* Azor. *l. 11. c. 21. q. 12.* Less. *c. c. 40. n. 106.* Sanc. *l. 4. c. 16. n. 16.* C. *penult. de regular. in 6.*

17. *Votum personale*, non obligat nisi personam vouentis; tale est votum iejunij, peregrinationis, ingrediendæ religionis, & similia: & *ratio est*, quia hæc vota solùm sunt de actionibus personalibus, quæ à sola persona vouentis sunt exequendæ: vnde votum parentum vouentium seu offerentium infantes religioni, non obligat infantes, nisi infantes illud ratificauerint, seu approbauerint quia in ijs quæ pertinent ad vitæ statum, quilibet est sui iuris. Suar. *l. 4. c. 11. n. 2.* Filliu. *c. n. 107.* Less. *c. n. 63.* Sylu. 2. 2. *q. 88. a. 3. q. 3.* Nauar. *c. 12. n. 47.* Layn. *l. 4. tract. 4. c. 3. n. 6.*

In quatuor tamen casibus teneretur votum personale habens, illud per alium adimplere, aut commutationē procurare 1. Quādo vouens expresse intendebat se obligare ad implendum per alium, casu quo per se non posset. 2. quando qui vouit, certus erat tempore voti se nullatenus posse per seipsum votum implere. Secus autem si non erat certus de impedimento perpetuo quamuis impedimentum erat tempore voti emissi, quia tunc tenetur quam primùm commodè poterit. 3. quando votum eius est conditionis, vt per alium fieri possit, ac solent, nec vouentis animus fuit per se tantummodò votum præstare, vt votum opitulandi ijs qui pugnant in terra Sancta, & superueniat impedimentum perpetuum talis professionis, non est omninò liber à voto, sed tenetur per alium, ac meliori modo quo potest, ad ipsum subsidium præstare 4. quando votum, etsi videatur personale, obligat tamen instar realis. vt est votum, quod Episcopi in sua consecratione emittunt visitandi quotannis limina Apostolorum. Nam stylus Romanæ curiæ explicat id votum, vt visitent per seipsos, vel per alium, & ita solent committere alicui Romæ commoranti, vt nomine suo visitet. Vide Sanches *l. 4. mor. c. 2. num. 26.* & *c. 15. num. 12.*

Si autem *votum* sit *reale*, nisi ante mortem persolutum fuerit, obligat hæredem, postquam hæreditatem adijt, talua legitima portione; quia sicut hæres succedit in bonis & in actionibus ac iuribus defuncti sita etiā in oneribus, quę hæreditatem astringunt, etiamsi nulla res per se sit obligata. *Clauius regia l. 6. cap. 7. d. 6. Layn. c. n. 12.* & *13. Nauar. c. n. 56. Sanch. l. 4. c. 1. n. 25. 26.* & *37. Sylu. summ. c. conc. 2. Azor. l. 12. c. 15. q. 15. Nota* tamen hęredem non teneri ad solutionem vltra vires hæreditatis, etiamsi per iudicis sententiam condemnetur ad eam solutionem: hæc enim sententia nititur falsa præsumptione, quæ in foro conscientiæ non obligat. *Si votum* sit *mixtum*, partim obligat, partim non obligat hæredem: obligat quà reale, non obligat qua personale, vt si vouisti peregrinationem Lauretanam, & offerre ibidem calicem, hæres tuus tenetur mittere calicem, non autem curare peregrinationem, nec tenetur sumptus itineris in pios vsus conferre, quia sunt accessorij voti personali, non enim sub illud cadunt, sed indirectè, & vt necessarij ad expletionem voti personalis. *Bon. 2. mor. c. 10. Less. c. num. 67. Filliuc. cit. num. 106.* & *107. Bonac. cit. p. 5. §. 2. num. 10.*

18. *Votum personale* simpliciter factum non potest per alium adimpleri: quia materia voti personalis est actio propria ipsius vouentis, non actio alterius: vnde qui factus est impotens ad votum personale implendum non tenetur per alium adimplere, siue factus sit impotens propria culpa, siue non, siue impotentia superueniat, siue extiterit eo tempore, quo factum fuit votum. *Nauar. c. 12. num. 55. Sanchez l. 4. mor. c. 15. num. 3.* & *seq. Suar. l. 4. c. 10. Filliuc. tr. 26. nu. 103.* & *seq. Qui autem* non potest votum reale per seipsum adimplere, tenetur adimplere per alium; quia materia huius voti non est actio ipsius vouentis, sed

res: imò satisfaceret voto vouens, etiamsi pecunia, siue eleemosyna ab alio erogata sit nomine vouentis, inscio vouente, modò postea vouens ratam habeat talem eleemosynam. *Votum mixtum* non potest per alium adimpleri, si spectetur secundùm eam partem, quæ personalis est; *si verò* consideretur secundùm partem realem debet adimpleri per alium, quoties vouens non potest per seipsum adimplere; modò votum sit æqualiter reale & personale, & non sit reale tantummodò accessoriè. *Angel. v. votum* 3. *num.* 7. *Less. c. nu.* 67.

Sed quæres, an qui peregrinationem in aliquem locum pium promisit, & illum postea causa alicuius negotij adit, aut stipendio conductus, an voto satisfaciat, si in eo loco se ob has causas inueniens inuisat templum illud, vel imaginem, vel reliquias? Resp. sub distinctione: si enim obiectum illius voti fuit sola illius templi aut imaginis, aut reliquiarum inuisio, ita vt abstractum fuerit ab itineris labore, & constaret certò hæc vouentis mens, satisfaceret voto, si qualitercumque adierit illum locum, postea in eo se inuenians inuisat liberè templum illud, seu imaginem, seu reliquias. Ratio est, quia obiectum sui voti hæc sola inuisio fuit: & hæc prorsus liberè, nulloque alio iure debita exercetur. *Si* autem obiectum fuit inuisio illius templi, aut imaginis, aut reliquiarum, vnà cum itineris labore, quamuis labor itineris fuerit accessorius, talis non satisfaciet voto, si illuc stipendio conductus, vel nulla piæ peregrinationis ratione ductus; sed vel causa solius alterius negotij, vel causa solius curiositatis adeat. Ratio est, quia quando est stipendio conductus, est actus alio iustitiæ titulo debitus: quando non ratione peregrinandi, non fuit actus pius, nec religiosus, nec vera peregrinatio pia, quæ fuit substantia rei promissæ; quibus actibus minimè satisfit voto. Sed si non mercede conductus iret voluntariè in eum locum, causa piæ visitationis illius templi vel imaginis, vel reliquiarum; etsi principaliter adierit ob finem turpem, vel causa alterius negotij expediendi, satisfaceret voto, quamuis haberet intentionem non satisfaciendi illa peregrinatione. Ratio est, quia peregrinatio illa fuit quoad actus substantiam religiosa, & voluntaria, nec alio iure debita: & intentio non satisfaciendi voto, non impedit quin illi satisfiat, vt diximus suprà in simili, *n. Præceptum, nu.* 6. Vide *Sanches l.* 4. *mor. c.* 11. *n.* 68. & post illum *Bonac. in decalog. disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 5. §. 4. *n.* 12. & 13. *Faust. in thesaur. relig. l.* 1. *q.* 165. Ex dictis hoc numero, & præcedenti colligi potest quid dicendum sit de illo, qui absens à loco peregrinationis promissæ, an possit rogare alium ibi præsentem, vt suo nomine visitet illum locum pium, vt sic voto suo satisfaciat.

Secundò, de eo, qui vouit sex peregrinationes ad aliquem locum pium, an sufficiat, si semel se illuc transferat, & per sex continuos dies ibi permanendo, quotidie locum illum vel templum visitet.

Tertiò, an possit quis, post arreptum iter peregrinationis, alibi in via casu sibi occurrentem, & ad locum peregrinationis causa negotiorum suorum tendentem, rogare, vt transeundo per dictum locum, templum eius suo nomine visitet, vt sic liber sit ab obligatione suæ promissionis, vltra non progrediendo.

19. *Votum* adimplendum est, secundùm eas circumstantias, quas vouens vouit, & ad quas se intendit obligare: si verò nullas determinauit circumstantias, nec ad aliquas se obligauit, nec constat de ipsius intentione, subsequentes regulæ seruandæ erunt. *Prima* est, vt attendantur verba, quibus emissum est votum & iuxta communem illorum intelligentiam votum explicetur; modò vouens nouerit illorum verborum significationem; nam si vouens ignorabat illorum significationem, non est explicandum votum iuxta communem verborum intelligentiam. *Sanches l.* 4. *c.* 11. *n.* 29. *Fill. tract.* 26. *n.* 96. *Laym. l.* 4. *tr.* 4. *c.* 3. *n.* 3. *Suarez l.* 4. *c.* 7. *n.* 3. *Secunda* est, vt votum strictè explicetur, quantum fieri potest, seruata verborum proprietate, & communi intelligentia, quia vitandum est periculum peccati, quantum fieri potest; periculum autem peccari vitatur strictè explicando votum quantum fieri potest. *Azor. lib.* 11. *c.* 20. *q.* 1 *Sanches c. n.* 3. *Fill. c.* 8. *n.* 108. *Tertia* regula est, vt quando dubitatur de intentione vouentis seruetur materia voti, ac si esset materia alicuius legis diuinæ, vel humanæ; votum enim est lex quædam priuata, cuius auctor, & conditor est ipse vouens. *Nauar. c.* 12. *num.* 65. *Laym. c. num.* 3.

20 Qui sciens duo vota esse incompatibilia, ea simul emittit pro eodem tempore implenda, tali voto non tenetur, quia est rei impossibilis. Si tamen voluit tantùm ad alterutrum se obligare, ad id quod intendit, est obligandus: si de intentione est dubius, tenetur ad illud, quod est maioris perfectionis. Et si constat vtrumque esse paris perfectionis, aut id est, dubium, datur electio vouenti, vt impleat partem, quam vult. Qui autem successiuè duo vota incompatibilia emittit, tenetur ad dignius votum. Ratio est, quia quando concurrunt duo præcepta incompatibilia, tunc quod est grauius est præferendum minori. Quòd si constat esse vtrumque æquale, datur electio vouenti, vt alterutrum impleat, altero omisso, nec omissi commutatione, aut dispensatione indiget. Qui verò vtrumque votum incompatibile diuerso tempore emittit, & dubius est, vtrum illorum maius sit, tunc tenetur ad prius, nulla posteriotis relaxatione petita, quia prius, illud votum auferri nequit, nisi per votum dignius superueniens incompatibile aut æquale, commutando prius votum in posterius. Vide D. Thom. 4 *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 4. Sylues. *v. votum* 2. *q.* 17. Angel. *v. votum.* 3. *n.* 24. Sanch. *lib.* 4. *moral. c.* 5. *n.* 21. *& seq.*

VOTVM IV.

De modis, quibus possit voti obligatio tolli, & 1. de cessatione causæ finalis & notabili mutatione.

SVMMARIVM.

1. *An obligatio voti cesset sublata causa finali, propter quam factum fuit votum?*
2. *An quoties superuenit notabilis mutatio & difficultas, quæ si præuisa fuisset, votum factum non fuisset, cesset obligatio voti?*

1. CErtum est obligationem voti cessare sublata causa finali propter quam factum fuit votum; quia votum non obligat vltra mentem & intentionem vouentis, vouens autem non censetur habuisse intentionem obligandi se cessante causa finali voti, quod fuit emissum ob talem causam, veluti cum quis vouit nunquam amplius intrare certam aliquam domum, eò quòd à persona ibi habitante imminebat ipsi periculum cum qua sæpe lapsus est, si deinde persona illa moriatur, nec simile ei periculum immineat, cessat eius votum, quia ingressus in illam domum tunc res est indifferens, ideoque non amplius est idonea voti materia. Ita *Suarez l.* 4. *c.* 18. *n.* 4. *Rodrig.* 2. *p. Sum. Laun. c.* 100. *n.* 2. *Sanches l.* 4. *c.* 2. *n.* 42. *Sylvius* 2. 2. *q.* 88. *art.* 10. & alij.

2. *Similiter* cessat obligatio voti, quoties superuenit notabilis mutatio, & difficultas, quæ si præuisa fuisset, votum iudicio prudentis factum non fuisset: quia votum censetur factum sub hac tacita conditione; nisi superueniat notabilis mutatio, & præsertim ex parte materiæ. *Item* obligatio voti tollitur, vel suspenditur, quoties tempore adimplectionis voti, materia voti facta est illicita, *aut* maioris boni impeditiua, *aut* indifferens *aut* impossibilis. Et quidem quando impossibilitas, aut impedimentum implendi voti est perpetuum, quod postea superuenit, cessat omninò voti obligatio: si verò ad tempus sit, postea sublato impedimento est implendum: vt si quis dum esset diues, promisit eleemosynam & in eam egestatem deuenit, vt implere nequeat, excusatur pro tunc at si postea pinguiorem fortunam adipiscatur, tenebitur implere, & si vouens nequeat totum implere, bene tamen partem, tenetur ad partem. Et eadem ratione idem dicendum est in alijs mutationibus materiæ, nam si quæ à principio erat bona, efficiatur in aliquo casu mala ob circumstantiam occurrentem, aut indifferens, aut maius bonum impediat, si hęc sint perpetua extinguetur omninò prior voti obligatio; si autem sint temporalia, & votum habeat tractum successiuum, aut non erat alligatum tempori, quod iam transijt, suspendetur pro tunc voti obligatio: at eo tempore transacto, quando cessat ille defectus materiæ, redibit voti obligatio. Ita Nauarrus *c.* 19. *num.* 7. Clauis regia *l.* 6. *c.* 7. *n.* 1. Suarez *c.* 19. *n.* 4. Sanches *l.* 4. *c.* 2. *num.* 20. 21. 23. & 24. Reginald. *l.* 18. *num.* 277. 278.

VOTVM V.

De voti irritatione.

SVMMARIVM.

1. *Voti irritatio quid sit, & quotuplex: de eius differentia à*

dispensatione, & commutatione.

Quorum vota possint irritari? & an votum semel in irritum revocatum revivisc at?

2. *An omnia vota Christianorum possit Summus Pontifex directè irritare?*
3. *An indirectè possit Summus Pontifex irritare vota cuiuslibet fidelis?*
4. *An vota servorum possint à Domino etiam invitis servis irritari?*
5. *An omnia vota vxoris constante matrimonio emissa, & implenda, possit maritus irritare?* refertur duplex sententia?
6. *An votum non petendi debitum factum ab vxore possit irritari à marito, & è contra? Et quid dicendum de voto castitatis emisso ab vxore cum licentia mariti?*
7. *An votum continentiæ emissum communi coniugum consensu possit ab uno illorum irritari?*
8. *An omnia vota religiosorum possint irritari à Prælato, præter vota religionis arctioris?*
   An vota Prælatorum possint ab eis irritari, aut alijs irritanda committi?
   An Prælatus possit irritare vota suorum subditorum, quæ sunt Papæ reservata?
9. *An superior possit irritare vota religiosi, si in illud consenserit, vel illud confirmaverit?*
   An Prælatus localis possit irritare vota facta ex licentia Generalis, vel alterius Superioris maioris?
10. *An potestas irritandi vota possit alteri à legitimo superiore delegari?*
11. *An vota novitiorum possint à Prælato irritari?*
12. *An possit religiosus votum emittere absque superioris consensu? & an superior possit irritare vel commutare vota inuito vovente?*
13. *An omnia vota impuberum in irritum revocari possint à patre vel matre, tutore, hero, &c.*
    Et an vota impuberum post pubertatem irritari ab eisdem possint? refertur duplex sententia.
14. *An vota puberum possint à parentibus irrita reddi?*

1. VOti irritatio *est annullatio voti facta ab eo, qui super hoc potestatem & dominium habet.* Vnde irritare votum nihil aliud est, quàm votum cassare, ne amplius obligandi vim habet. Hæc irritatio duplex est, quædam propria, & directa, quæ simpliciter irritatio dicitur. Alia autem est impropria, & indirecta, & secundum quid, quæ propriè dicitur voti suspensio. Quæ in hoc differunt, quod quando est vera irritatio, extinguitur prorsus obligatio voti. Quando verò est sola voti suspensio, manet quidé vinculũ voti, & ob solam materiæ prohibitionem, eius obligatio est suspensa, quamdiu prohibitio durat, & ideo ea cessante pristinas obligandi vires recuperat. Irritatio differt à dispensatione, & commutatione, quod dispensatione, & irritatione extinguatur obligatio voti; & commutatione non extinguitur sed eadem met voti obligatio transfertur in aliam materiam loco prioris subrogatam. Rursus irritatio differt ab vtraque, quòd illa pertineat ad potestatem dominatiuam, nec ad sui valorem exigat causam, hæc autem exigunt causam, & pertinent ad potestatem spiritualem. His præmissis ex communi Doctorum sententia sciendum est, quòd generatim omnia illorum vota irritari possunt, qui alteri vel perfectè, & in omnibus, vel saltem quoad materiam, quam vouerunt, subiecti sunt: & *ratio est*, quia horum vota pendent à consensu alterius, ac proinde tacitam quamdam conditionem, vel ex natura rei, vel ex iuris dispositione includunt, nempe hanc: *Nisi superior, vel ille, cuius interest, contradixerit*: quare si ille intelligens votum repugnauerit, cessabit obligatio: vnde ad irritationem, non requiritur causa, sed sufficit irritantis voluntas, quia executio pendet ab eius voluntate; ad summum tamen peccant venialiter irritantes vota sine causa; imò per se non videtur vllum peccatum, quia votum in ipsius arbitrium collatum est, nec vlla lege cogitur illud approbare. *Notandum* autem est, votum semel in irritum reuocatum nunquam reuiviscere, etiamsi superior facultatem tribuat exequendi, & suam irritationem retractet, quia obligatio per veram irritationem non suspenditur, sed extinguitur. Ita *Clauis regia l.6. c.10. n.14. Nauar. c.12. n.63. Suarez l.6. c.1. & 7. Filliucius tract.26. cap.8. Reginald. l.18. num.302. Lessius lib.2. cap.40. d.12. Tamburin. de iure Abb. tom.2. disput.18. quæst.5.*

2. *Summus Pontifex*, directè non potest irritare vota omnia Christianorum; quia in omni voto non includitur conditio *si Papa placuerit*: idem & multò magis dicendum est de Episcopo respectu subditorum suorum, & de rege respectu cuiuslibet vasalli non posse eos videlicet irritare vota omnium suorum subditorum. *Posset tamen*, Summus Pontifex irritare ea vota religiosorum, quæ possunt irritari ab ipsorum Prælatis, quia hi speciali modo subijciuntur ipsi, & multò magis, quàm propijs superioribus religionis. *Nauar. cap.12. num.64. Suarez lib.6. cap.2. Azor. 1.p. lib.11. cap.17. quæst.3. Clauis reg. cap. num.17.* & alij.

3. *Summus Pontifex*, indirectè potest irritare vota cuiuslibet fidelis, quia in aliquibus votis includitur conditio, *si Papa placuerit*, vt in eis quæ faciunt Episcopi concernentes præiudicium gubernationis, & commodorum Ecclesiæ suæ, eodemque modo, potest idem contingere in votis aliorum fidelium. Episcopi autem, & alij Prælati suo modo idem facere possunt respectu suorum subditorum; quia possunt præcipere & prohibere in materijs spectantibus ad suos subditos; hoc autem est indirectè posse irritare eorum vota; vt sunt vota vergentia in præiudicium salutis, vel Ecclesiæ, vt votum longæ peregrinationis apud infideles. *Filliuc. c.n.224. & 225. Suarez c.6.2. n.8. Bonac. to.1. d.4. qu.2. p.7. §.2. n.4. & 5.*

4. *Servorum vota* siue facta sint ante seruitutem, siue tempore seruitutis, possunt à Domino etiam inuitis seruis irritari, seu potiùs suspendi, si ipsi Domino præiudicant: si verò non præiudicant, non potest, quia in his seruus non est Domino subiectus, sed sui iuris: vota autem famulorum non possunt irritari ab hero, cùm herus non habeat in illis dominatiuam potestatem, poterit tamen eorum vota quoad obsequium sibi debitum præiudicialia suspendere. *D. Thom. 4. d.38. qu.1. a.1. Syluius 2.2. qu.88. a.8. conc.8. Clauis reg. c. nu.18. Sanchez c.c.36. nu.2. & c.24. n.24. Filiuc. tr.26. n.226. 227. & 228.* & alij.

Hinc sequitur *Primò*, non posse Dominum irritum reddere votum castitatis sui serui, quia in hoc non subditur Domino, nec ipsi præiudicat. *Secundò*, nec votum aliquarum orationum. *Tertiò*, nec votum ieiunij & abstinentiæ, nisi seruitium Domini diminuat. *Quartò*, nec vota præceptorum, vt audiendi missã in festo, & similia: quia in his quæ nec diminuunt, nec defraudant seruitium Domini, seruus ei subiectus non est, sed sui iuris. At quia possent aliqua vota præceptorum impedire aliquando Domini obsequium, posset suspendere voti obligationem pro eo tempore: non enim serui votum potest impedire, quominus Dominus omni tempore eum occupet.

Posset Dominus irritare votum, quod seruus emisit de religionem intrando, aut de peregrinatione facienda, &c. quia per hæc ab obsequio Domini subtrahitur, *cap. si quis seruum, 17. q.4. Item* & ferè omnia vota realia serui potest Dominus irritare, vt de eleemosyna facienda, quia seruus nullum habet patrimonij, sed quidquid habet, Domini est. Ex conuentione autem cum Domino potest seruus aliquid proprium habere iuxta Glossam *in leg. quod attinet 3. ff. de regul. iuris*, & tunc si de eo faciat votum reale, irritari non poterit, cùm in nihilo Domino præiudicet. Imò posset Dominus irritare vota, tam personalia, quã realia, quæ seruus de sua licentia emisit: quia licentiam concedendo non facit subditum sui iuris, sed solùm concedit illi, vt voueat; semper tamen dependenter à superioris voluntate, & ea tacita conditione, *nisi Dominus contradixerit*. Vota autem serui implenda tempore libertatis, non potest Dominus irritare: quia hæc non præiudicant Domino ex parte obligationis, & ideò non possunt ab eo irritari.

5. *Multi Doctores* sentiunt maritum posse irritare omnia vota vxoris constante matrimonio emissa, & implenda: *Sanchez de matr. l.9. disp.39. n.40. Lop. p.1. c.47. Sot. l.7. q.3. art.1. Dian. tract.4. de sacram. ref.22. & 220. p.3.* quia secundum Apostolum ad Ephes.5. *vir est caput uxoris* in omnibus præterquam in actu coniugali: & consentaneum erat Deum ita constituere ob leuitatem, inconstantiam, & imprudentiam sexus muliebris; qui se facilè votis implicat: hæc sententia est satis probabilis in praxi. Verùm *contraria* videtur verior, & probabilior: ea tantùm vota vxoris à marito irritari posse, quæ vel iuri eius incommodant, vel ad familiæ administrationem pertinent, vt vota præiudicantia actui matrimoniali, vel abstinentiæ, ieiunij, peregrinationis, & similia. *Clauis reg. lib.6. cap.10. num.19. Rodriques cap.92. num.10. Lessius c. dub.15. num.89. Filliucius c. num.235. & sequ. Valent. 2.2. dub.6. quæst.6. par. 6.* *Reliqua* verò *vota*, vt orationis, non mentiendi, non peierandi, votum alicuius paruæ eleemosynæ, non possunt à vi-

tò irritari, quia in his mulier non eſt ſubiecta viro, & hæc vota non cenſentur marito præiudicialia. *Item* votum, quod emiſit vxor impiendum poſt mortem mariti non poteſt vir irritare, quia vxor non eſt quoad hoc ſubiecta viro, neque hoc votum eſt præiudiciale marito. *Suar. l.6. c.4. n.4.* Hanc etiam ſententiam nouiſſimè in Alma Duacenſi Academia docuit Eximius Dominus Syluius in 2.2. q.88. *art.8. concl.7.*

6. *Votum* non petendi debitum factum ab vxore poteſt irritari à marito; poteſt enim huiuſmodi votum afferre marito præiudicium: *Sanch. l.4. mor. c.34. Diana p.3. tr.4. reſol.220. Regin. l.18. n.304. & 312.* imò vir validè poteſt irritare vota vxoris emiſſa cum ipſius licentiâ; quia maritus dans vxori licentiam ad faciendum votum, non amiſit poteſtatem in vxorem. Sed quid dicendum de voto caſtitatis emiſſo ab vxore poſt conſummatum matrimonium de licentia mariti? Quidam negant poſſe irritari à marito, quia materia huius voti non eſt viro ſubiecta. Ita *Nauar. in man. c.12. n.61. Leſſ. lib.2. cap. dub.15.* At omnino dicendum eſt, poſſe virum id votum irritare. Ratio eſt, quia licèt vir non ſit Dominus materiæ illius promiſſæ, ſed in illa ſit æqualis vxori, at tanquam caput eſt Dominus illius actus liberi, quo vxor tempore ſubiectionis ſe voto illo obligauit: & quamuis ex viri conſenſu id votum ſit factum, id conferet, vt vir abſque iuſta cauſa irritans peccet mortaliter, non tamen, vt irritatio ſit nulla; nec vt ſit illicita, quando cauſa iuſta irritandi ſubeſt: quia mulier manet ſubdita viro, non obſtante licentia, nec maritus poteſt à ſe abdicare poteſtatem eam gubernandi, & ideò valebit irritatio. Ita *Clauis reg. l.6. c.10. n.19. Suar. lib.6. cap.4. nu.19. Arrag. 2.2. q.88. ar.8. Dian. p.4. tr.4. reſ.110. Præpoſitus 3.par. de matr. q.6. dub.20.* & alij. Idem dicendum de votis de rebus ad ſalutem neceſſarijs factis ab vxore de conſenſu viri: poteſt enim vir ea validè irritare, quia eadem militat ratio. Cùm adhuc licentia data, maneat vir Dominus illius actus liberi, quatenus nouam obligationem induxit.

Aduertendum autem ſicut maritus irritare poteſt vota vxoris; ita ab vxore irritari poſſunt vota mariti, quæ incommodum illi afferunt, & quæ aliqua ex parte eius iuri præiudicant; *Fill. c. n.237. Clauis reg. l.6. c.10. nu.20. Suar. l.6. c.4. nu.8. Sanch. c.34. nu.19. & ſeq. Regin. c. nu.*; 14. vt v.g. votum geſtandi habitum religionis, votum longæ peregrinationis, vel magnæ abſtinentiæ, quo vires ita debilitantur, vt ineptus efficiatur ad reddendum moderatè debitum. *Alia* autem *vota*, quæ ſibi non præiudicant, non poteſt vxor irritare, cùm in ijs non habeat dominatiuam poteſtatem. *Filliucius, Clauis regia*, & alij.

7. *Votum continentiæ* emiſſum communi conſenſu: *item* votum quo vterque ex pacto vouet ingreſſum religionis, vel vnus religionem, & alter ſuſceptionem ſacrorum ordinum, vel caſtitatem: non poteſt ſaltem licitè ab vllo coniugum irritari, cùm vterque cedat iuri ſuo, quoad omnem actum coniugalem. Si tamen vxor iterum det marito facultatem in corpus, non eſt improbabile ſecundum *Sanchez*, virum poſſe validè hæc vota irritare; quia vir reſtituitur ad priſtinum matrimonij ſtatum, cùm vxor eiiciat obligationem non reuocandi vota vxoris, conſequenter vxor obtenta hac irritatione poterit licitè petere debitū. *Leſſ. c. n.95.96. Bonac. cit. pun.7. §.2. n.16. Sanch. de matr. diſp.37.*

8. *Omnia vota religioſorum* poſſunt irritari à Prælato. & Superiore præter votum religionis arctioris, eſt ferè communis ſententia, quia ex iuris diſpoſitione, in omnibus votis religioſorum ineſſe videtur hæc tacita conditio; *Niſi prælatus contradixerit*: votum autem arctioris religionis, cùm non ſubiaceat voluntati Prælati, non poteſt ab eo irritari: conceditur enim in *c. licet, de regul.* religioſo tranſitus ad arctiorem religionem, & inuito, & recuſante Superiore. *Suar. l.6. c.7. Syluius c. conc.5. Sanch. l.4. mor. c.33. Layman. l.4. tr.4. c.7. nu.6. Leſſ. c. nu.95. Regin. c. n.321.* & alij.

Sed peres *primò*, an Prælatorum vota poſſint ab eis irritari, aut alijs irritanda committi? Reſp. negatiuè, ratio eſt, quia Superior irritat vota ratione dominij, quod exercet erga ſubditos, Prælatorum autè vota nõ poſſunt hanc connotationẽ dominij reſpicere, ergo non poterunt Prælati ſua vota irritare: poterunt tamen in his votis ſecum diſpenſare, ſicut poſſunt in votis ſuorum ſubditorum, & quamuis diſpenſatio ſit actus iuriſdictionis, tamen cùm non ſit actus contentioſus, ſed voluntarius, poterit Prælatus talem actum in ſe exercere; ſi enim non poſſet huiuſmodi actum in ſe exercere, ſaltem quoad diſpenſationem ſuo confeſſario committendam, eſſet peioris conditionis quàm ſubditus. Ita *Sanch. l.4. mor. c.24. n.60. & de matr. l.8. diſp 3. n.9. Fauſt. in theſ. relig. l.2. q.36. Sà v. religio, n.47.*

Petes *ſecundò*, an Prælatus poſſit irritari vota ſuorum religioſorum, quæ ſunt reſeruata Papæ? Reſp affirmatiuè. Ratio eſt, quia materia voti, & voluntas executiua ſubditi adhuc eſt ſub dominio Prælati: ergo poteſt illam ſemper irritare. Ita *Suar. de relig. to.4. tr.1. l.2. c.12. nu.10. Sanch. l.4. mor. c.33.* Imò talia vota eſſe ipſo facto nulla, & inualida per Benedicti XIII. conſtitutionem docet Rodriq. *in Sum. c.91. n.2.* non poterit tamen Prælatus in his votis diſpenſare, quia ſunt Papæ reſeruata.

9. Ex communi Theologorum ſententia poteſt *Superior* irritare votum religioſi, quamuis in illud conſenſerit, vel illud confirmauerit; modò votum nondum mandatum ſit executioni, vel non ſit confirmatum à Superiore; quia Superior præſtatione conſenſus non deſijt eſſe Superior, nec dominium ac poteſtatem amiſit, etiamſi dixerit ſe iuri ſuo cedere, & ſubditum eximere ea in re à ſua iuriſdictione; nam hæc proteſtatio eſt inefficax; poſito quòd ſubditus adhuc illi ſubditus maneat: *Suar. c. l.6. cap.8. Fill. tr.26. n.245. Nauar. c.12. n.73. Regin c. nu.304. Superior* verò qui abſque iuſta cauſa irritat votum, poſt conceſſam vouẽdi facultatem, peccat & quidem mortaliter, iuxta Sanch. *l.4. c. 27. nu.32.* Leſſium *c. n.76.* Nauarrum *c.12. nu.73.* & alios quia etſi materia ſit Prælato ſubiecta, & in eius poteſtate, tamen ex eius conſenſu eſt Deo obſtricta, ipſe autem impedit, ne Deo offeratur: licet Suarez *l.6. c.8. ad fin.* & alij exiſtiment Superiorẽ tantùm peccare venialiter quod non eſt improbabile: quia non agit contra iuſtitiam, cum vtatur iure ſuo; nec agit contra Religionem, quia cùm ipſe votum non emiſerit, nullum votum violat, nec eſt cauſa violationis voti, nam cùm per irritationem votum tollat, ceſſabit eius obligatio, & ſic vouens illud non violat.

Sed maius dubium eſt, an Prælatus localis poſſit irritare vota ſui ſubditi, emiſſa ex licentia Generalis, vel alterius Superioris maioris; Reſp. negatiuè, quia inferior geſta à Superiore retractare nequit, cùm inferior non habeat poteſtatem ſuprà Superiorem, ſed poteſtas inferioris dependet à Superiore, quia poteſtas dominatiua in religione reperitur in Prælatis cum hoc ordine, vt priùs ſit in Superioribus, deinde in inferioribus, non autem è contra. Vnde ſi Prælatus inferior irritaret votum de Generalis licentia emiſſum, tolleretur, & euerteretur ille ordo. Licet tamen Prælato inferiori ſuſpendere ſubdito vſum illius licentiæ aliqua iuſta de cauſa, donec Superiori, à quo facultas obtenta eſt, cauſæ illius facultatis reuocandæ ſignificentur. Ita *Rodriq. p.2. Sum. lati. c.91. n.7. Sanch. l.4. mor. c.27. n.2. Suar. de relig. to.2. l.6. c.8. n.3.* Poterit autem tale votum ex licentia Generalis emiſſum ab inferiore diſpenſari, quia cùm votum de ſui natura diſpenſabile ſit, & diſpenſatio non ſit reſeruata, inferior Prælatus poterit in eo diſpenſare, vt docet Fauſtus *in theſ. 161.* & Rodriques proximè citatus.

10. *Poteſtas irritandi* vota poteſt alteri à legitimo Superiore delegari, vnde viceſgerentes Superiorum ſeu vicarij, qui habent iuriſdictionem generalem ad omnes cauſas, & negotia, poſſunt etiam vota irritare ſubditorum ſuorum; nam in generali facultate includitur etiam facultas irritandi vota: ſi habeant iuriſdictionem limitatam, facultas eorum non excedit terminos conceſſionis. *Regin. c. n.324. Sanch. c. c.27. n.36. Clauis reg. c.c.10. n.16.* Ratio eſt, quia vices ſuas alicui committẽs, nihil ſibi reſeruat, ſed generalem iuriſdictionem ad omnes cauſas, & negotia illi tradit, vnde qui huiuſmodi vicariam iuriſdictionem generalem ad omnes cauſas à Prælato obtinet, ea vota irritare poterit, circa quæ ipſiuſmet Prælati auctoritas fertur: ſecus, ſi limitatè iuriſdictionem ad aliquas tantùm cauſas, vel negotia habuerit, quia tunc commiſſionis terminos excedere ei non liceret. Per text. *in cap. venerabili, de offic. deleg.*

11. *Vota Nouitiorum* non poſſunt irritari à Prælato, quia nouitij ſunt adhuc ſui iuris; poteſt tamen ſuſpendere vota ipſorum perſonalia ſi ſint impedimento probationis: *Vota* verò *Nouitiorũ realia*, regulariter loquendo, non poſſunt à Superiore ſuſpendi, quia hæc non impediunt obſeruantiam regularem. Filliucius *c. n.242.* Layman *tr.4. c.7. n.9.* Leſſius *c. dubio 13 n.80.* Nauar. *c.12. nu.65.* Syluius cit. *art.8. concl.5.* An autem Prælati poſſint vota nouitiorum, & nouit anim commutare, & diſpenſare? dic quòd ſic; ſecundùm probabiliorem ſententiam apud Dian. *tract. de dub. regul. reſ.71. parte 3.*

12. *Certum* eſt religioſum poſſe votum emittere abſque Superioris conſenſu modò illud non repugnet regulæ, vel præcepto ſuperioris; quia votum per ſe eſt opus bonum, & non eſt vetitum religioſo vouere ea, quæ non repugnant regulæ, vel præcepto Superioris, Rodriquez *2.p. c.89.* Clauis regia *l.6. c.5. n.22.* Leſſ. *c. dub.13. n.73. Superior* autẽ poteſt vota irritare etiã inuito vouente,

vouente, quia Superior potest inuito subdito exercere potestatem in rem, circa quam habet potestatem dominatiuam: secus *dicendum* de commutatione, non potest enim Superior commutare vota inuito vouente, cùm per commutationem emittatur nouum votum, quod emitti non potest inuito vouente. Suares *l.6.c.1.n.12* Sanches *l.4.c.24.n.25.* & 27.

13. *Vota omnia impuberum* in irritum reuocari possunt à patre, vel tutore, qui pupillo est loco patris: *C.14. Mulier 32. q.2. Suar.l.6.c.6.n.22. Less.c.d.14. Fill.tr.26.n. 232. & seq. Claus reg. l.6.c.12.n.31. Laym.l.4.tr.4.c.7.n.10.* Mater autem non potest irritare, nisi mortuo patre sit loco tutoris: *idem* potest (secundùm *Suares* & *Lessium*) herus, si pupillus careat parentibus, & tutoribus. *Idem* dicendum de auo, vel auia mortuo patre, & deficiente tutore. *Ratio* autem cur ab his vota impuberum irritari possint, pendet à iuris dispositione, quæ voluit eorum votis hanc tacitam conditionem inesse, *nisi pater, tutor, &c. contradixerint.* Hæc etiam vera sunt, licet vouentes retulerint ea vota exequenda tempore pubertatis, nam vota adhuc habent dictam tacitam conditionem. An autem hæc vota impuberum post pubertatem irritari ab eisdem possint? negat *Sotus, l.7. q.3. art.2. Nauar. c.12. num.21. Dian.p.6.tr.7. ref.22. Sylu. c. art.8. conc.5. Laym. c. num.11. Sanch. l.4. c.30. num.37.* Sed contrarium est verius: quia illud votum ex interpretatione iuris erat conditionatum, nempe, si parens, vel tutor non contradixerit, quam conditionem per tractum temporis non amisit: quod tamen intelligendum est, modò pubes post acquisitam pubertatem non ratificauerit vota tempore impubertatis facta: Et in dubio an ratificatio facta fuerit post pubertatem, vel an filius ratificauerit votum, præsumendum est, votum non fuisse ratificatum, vel ratificationem non fuisse factam post pubertatem; & consequenter patrem posse huiusmodi vota irritare, quia confirmatio est quid facti, factum autem non præsumitur, nisi probetur. Suares *de voto l.6.c.6.* Sanches *c.c.32.n.9.*

14 *Vota puberum* (id est, quæ nuncupata sunt post annum 14. impletum in mare, & 12. in fœmina) non possunt à parentibus irrita reddi, nisi quatenus disciplinæ familiæ, & patriæ potestati obsunt. *Suar.l.6 c.5.n.4. Fill.c.n.229.230.231. Sanc.l.4.c.32.n.2. & c.33.num.23. & 33. Sylu.cu concl.6.* Horum enim vota solùm subiunt parentibus ratione materiæ, non ratione dominij in voluntatem: itaque votum religionis, castitatis, sacrorum Ordinum certarum precum, confessionis, communionis, & similia irritari non possunt. Secus de votis ieiuniorum, præsertim multorum, peregrinationum, & similibus, quia hæc ad gubernationem domesticam pertinent. *Realia* quoque irritari possunt (nisi fortè habeant bona castrensia, vel quasi castrensia) non tolùm à parente, sed etiama curatore vsque ad vigesimum quintum ætatis annum, quia ante illud tempus non habent administrationem. Clauis regia *l.6.c.1. num.6.* Reginald. *l.18. num.317.* Sylvester *v. votum.4. q.2.* Lessius *c. num.85. Secus* tamen est de votis realibus relatis in tempus, quo erunt sui iuris, quia non officiunt administrationi curatorum *Nauar.c.12.nu.64.*

VOTVM VI.

De commutatione voti.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit commutatio, & quotuplex?*
2. *An ad commutationem voti in id quod euidenter est æquale, requiratur potestas superioris?*
3. *An commutatio voti in melius fieri possit sine causa? & an votum reale possit commutari in personale, & è contra?* refertur duplex sententia.
4. *An omnia vota antè emissa commutari possint propria auctoritate in votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ perpetua in religione?*
5. *Quis possit commutare vota ex potestate ordinaria, & quis ex delegata seu priuilegio? & quæ sint vota reseruata?*
   An priuilegia regularium sint late interpretanda?
   An religiosi possint commutare vota reseruata Pontifici?
   An virtute priuilegiorum possint religiosi commutare vota vndequaque venientium?
6. *An habens potestatem dispensandi ordinariam, vel delegatam habeat etiam potestatem commutandi?* refertur duplex sententia quoad delegatam.
7. *An qui ex potestate ordinaria, vel delegata potest commutare votum, possit etiam commutare obligationem ex violatione voti contractam?*
8. *An commutatio voti debeat fieri in æquale?* refertur duplex sententia. *An votum factum in fauorem vnius Ecclesiæ possit commutari in aliud opus magis pium?*
9. *An facta commutatione voti liberum sit vouenti obseruare materiam, prioris voti relicto eo, in quod fuit commutatum?* refertur duplex sententia?
10. *An votum in quod præcedens fuit commutatum, possit multoties commutari?*
11. *An facultas dispensandi, vel commutandi vota alicui concessa, extendatur etiam ad vota post concessionem facultatis facta?*
12. *An in concessione facultatis commutandi vota, concedantur vota Sum. Pont. reseruata? Et an vota reseruata possit commutari in opera meliora præter religionem?*
13. *An qui voluntarie, vel ex oblitione, vel alia causa tempore Iubilæi non curauit vota sua commutari posse, transacto Iubilæi tempore, illorum commutationem obtinere?* refertur duplex sententia.
14. *An vota possint commutari extra sacramentum confessionis?* refertur duplex sententia.
15. *An vota tempore Iubilæi commutata reuiuiscant, si postea pœnitens non præstet necessaria ad consecutionem Iubilæi?*
16. *An peccet mortaliter, qui obtenta votorum commutatione, postea voluntariè omittit onera Iubilæi.* Refertur duplex sententia.
17. *An votum religionis, & castitatis perpetuæ commutatum à Pontifice in materiam non reseruatam; possit hæc materia à confessario commutari in aliam vi Iubilæi.*
18. *An in commutatione voti religionis debeat imponi aliud vinculum perpetuum?*
19. *An in commutatione voti peregrinationis, debeant expendi expensa, & labor itineris?*

1. COmmutatio est *substitutio operis honesti loco alterius per votum promissi, eodem vinculo manente.* triplex est. *C. peruenit 2. de iureiur. Nauar.c.12.n.75. Faust.in thes.relig.l.4.q.1. Prima,* cùm fit commutatio operis in melius. *Secunda*, cùm in æquale diuersi generis. *Tertia,* cùm in minùs: quo posito dicendum est, quemcumq; posse sua authoritate votum suum commutare in id quod constat melius esse: nisi talis commutatio sit ab Ecclesia specialiter prohibita, vt est veritum in voto strictioris religionis: & in voto terræ sanctæ in subsidium: quia iuxta ius, *non frangit promissum, qui in melius illud commutat*: & proinde in eo, quod melius est, censetur contineri, quod minus est; vnde dando melius excellenter soluit quod promiserat. *Melius* autem dicitur in hac materia quod omnibus consideratis est Deo gratius: vnde licèt oratio ex suo genere sit præstantior ieiunio, nihilominus quia aliquando fieri potest, vt ieiunium sit gratius Deo, posset aliquando votum orationis in ieiunium commutari; idem dicendum de eleemosyna. Clauis regia *l.6.c.12.n.5.* Suar. *l.6.c.18. n.4.* & 8. Sanch. *l.4.c.49.n.4.* Filliuc. *tr.26.n.280.* & 281. Lessius *l.2.c.40.n.101.* Laym. *l.4.tr.4.c.8.n.19.*

Præterea qui ad carnis macerationem vouit ieiunium, si illud postea sine licentia Prælati commutet in eleemosynam, non censetur rectè votum commutasse in melius: quia licèt per se, & ex suo genere melior sit eleemosyna, quàm ieiunium, cùm hoc sit opus temperantiæ & illa misericordiæ actus, quam constat esse temperantia excellentiorem; tamen ad libidinem refrenandam non est adeò vtilis ac ieiunia, & aliæ corporis castigationes. Igitur nomine maioris boni non intelligitur omne id, quod ex genere suo est opus excellentioris virtutis, atq; adeò gratius; & magis acceptum ex natura operis; sed id quod omnibus expensis est melius, commodius, & aptius vouenti ad finem voti sibi propositum vnde in voti commutatione, potiùs attendenda est vtilitas vouentis, quàm materiæ magnitudo.

2. *An autem* ad commutationem voti in id quod euidenter est æquale, requiratur potestas superioris. probabiliter sustineri potest, quòd non; *Dian.p.3.tr.5.misc.ref.25. & tr.2.misc.ref.7.p.2. Sancius in selectis, disp.14.n.3. Rodrig.2.p.c.102. Henriq.l.5.c.20. n.5. Azor.1.p.l.11.c.18.q.2. Clauis reg.l.6.c.12.n.8. Suar.l.6.c.19. num.3.* quia nulla fit Deo iniuria, cùm res illi æquè grata reddatur, per commutationem voti factam, non per actum iurisdictionis, sed per subrogationem materiæ æquè Deo gratæ. *Tutius* tamen est, vt id non fiat nisi auctoritate superioris, vel saltem pru-

prudentis confeſſarij: tum quia promiſſio eſt ſoluenda in propria ſpecie ex vi fidelitatis: tum quia commutatio nunquam haberet locum: nam in mutatione in melius non requiritur poteſtas: & in commutatione in minus eſt diſpenſatio, ergo ſolùm ſupereſt, vt habeat locum in commutatione in æquale. Eſt autem *adnotandum*, quòd ſi dubium ſit, vel opinio, an ſit æquale, non licere commutare votum in id, quod dubitatur æquale: quia fieri poteſt, vt Deus hanc commutationem non acceptet, cùm non conſtet rem eſſe illi gratiorem, vel æquè acceptam: & hac ratione probant Doctores citati, votum ingrediendæ religionis non poſſe propria authoritate commutari in ſuſceptionem Epiſcopatus. *Regin. l.18. n.348. Laym. l.4. tr.5. c.6. nu.15. Leſſ. cit. n.103. Mirand. in man. to.1. q.20. ar.9.* Notandum tamen quòd hæc æqualitas in votis commutandis, non ſit accipienda mathematicè, ſed moraliter. & ad boni viri arbitrium ceſſante fraude, & lata culpa, iudicanda eſt; ita vt prudenter, aut nulla, aut parua differentia effe credatur. Ratio eſt, quia cum æqualitas mathematica conſiſtens in puncto indiuiſibili, ſit cognitu impoſſibilis, vana eſſet commutandi poteſtas, ſi hæc æqualitas ſic ſcrupulosè capienda eſſet. Tum quia Deus non eſt ſuperſtitioſus, ſed potiùs eſt illi acceptum cæteris paribus, quod alacriori, & prôptiori voluntate ei perſoluitur. Ita Suares *lib.6. cap.19. num.9.* Lopez *p.1, inſtr. c.50.*

Hinc commutantes vota abſque debita æqualitatis inueſtigatione peccant mortaliter, quia deficiunt in re graui, notabiliter enim lædunt diuinum cultum. Quare optimum conſilium erit, quando mera commutatio fit, ab eo qui caret facultate diſpenſandi, commutari votum in aliquid parum melius, quia ſic cõmutans tutiùs, & Dei negotium agit: vt notat Caietanus *in ſum. v. Votum, c. vlt.*

Quænam autem ſint iuſtæ commutandi, & cauſæ diſpenſandi vota? vide infra, *Votum VII. n.8.*

3. *Commutatio voti* in melius fieri poteſt ſine cauſa, quia votum nunquam obligat ad omittendum maius bonum: ſi verò dubium ſit, an ſit melius, & non euidens, tunc requiritur cauſa, licet ſatis ſi leuior. *Crouſ. ad c.7. reg. l.29. Nauar. conſ.18. de voto. Dian.p.3. tr.5. miſc. reſ.25. Filliuc. c. n.284.285. Suar. c.c.19. n.3.* 5. Si fiat in æquale, debet eſſe aliqua iuſta cauſa; parua tamen ſatis eſt: debet autem eſſe æqualitas moralis, & quoties ſit bona fide etiamſi eſſet in minus, valida eſſet: Et quamuis *quidam Doctores* apud Reginaldum *c. n.356.* requirant in commutatione facienda omnimodam ſimilitudinem, vt ſcilicet, realis in reale, perſonalis in perſonale; *Sanch. c. c.56. num.22. Bonac. t.2. d.4. q.2. p.7. §.3. n.7. probabilius* tamen eſt, votum reale poſſe ex iuſta cauſa commutari in perſonale, & è contra: mixtum etiam in reale, quod dicitur redemptio: & in perſonale: quia in his omnibus inuenitur ſimilitudo, & proportio moralis: quod intellige, modò votum reale non ſit factum in fauorem alicuius loci pij, & ab eo ſit acceptatum.

4. Omnia vota antè emiſſa commutari poſſunt propria authoritate in vota religionis, quæ in profeſſione fiunt: ſcilicet in votũ paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ perpetuę: vnde hoc ipſo quo quis profitetur, cenſetur hãc cõmutationem velle facere, vel certè ipſius iuris authoritate ea fieri videtur: niſi vouens explicitè contrarium intendat: *C. ſcriptura de voto. Imò*, votum ſubſidij terræ ſanctæ commutari poteſt in votum religionis, niſi fortè votum illud ab Epiſcopo, vel Pontifice ſit acceptatum, tunc enim ius acquiritur Eccleſiæ ad tale ſubſidiũ, vnde ſaltem ſumptus præſtandi erunt. Leſsius *l.2. c.40. dub.16. n.106. Diana tr.6. miſc. reſ.65. par.3. Vecchius diſpu.13 dub.4. D. Thomas 2.2. q.88. art.12. & q.189. art.3. ad 3. Suares to.3. de relig. l.6. c.14.* Quare ſi aliquis magnus Princeps votum faceret de acquirenda terra ſancta, non poſſet ita facile huiuſmodi votum in vitam religioſam commutare Quia in re tam graui probabiliter dubitari poteſt, an vita religioſa ſit melior. Vnde in hoc caſu conſulendus eſſet Summus Pontifex, & ſecundùm ejus authoritatem faciendum.

5. *Poteſtas ordinaria* commutandi vota reſidet penes ſummum Pontificem, Epiſcopos, & alios gaudentes ordinaria poteſtate diſpenſandi: quia poteſtas diſpenſandi, & commutandi eſt adnexa eidem muneri paſtorali, & vtraque neceſsaria eſt ad paſtorale munus. Vnde Prælati religionum, vt Generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Guardiani, Rectores, Correctores, & ſimiles, poſsunt commutare vota ſubditorum: quia eorum iuriſdictio quaſi Epiſcopalis reputatur. Sed inferiores Sacerdotes nullatenus poſsunt vota commutare, nec etiam Parochi: quia non habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalẽ niſi ad hoc priuilegio Pontificio muniantur. Romanus quidem Pontifex vniuerſim poteſt omnia, & omnium Chriſtianorum vbique degentium vota commutare. Epiſcopi in ſua diœceſi habent poteſtatem commutandi omnia vota ſimplicia ſuorum ſubditorum, præter ea, quæ reſeruantur à Papa. Prælati verò regulares eandem poteſtatem habent circa ſuos ſubditos. Ex quo colligitur, nec laicum, nec fœminam, etiam Abbatiſſam eſſe huius authoritatis capacem, quia eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis. Si tamen commutatio fiat, in id, quod certò & euidenter eſt melius, cum ea nullius iuriſdictionis actus ſit, ſed proprio cuiuſque vouentis arbitrio fieri poſsit, hæc poteſtas eſt etiam apud laicos, & fœminas, immo infideles: Ita Bonacina *cit. num.9. Toletus l.4. cap.18. num.10. Fauſtus lib.4. q.3.* Hæc facultas delegabilis eſt, vt patet ex vſu, & praxi Eccleſiæ, vnde illi qui a Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, aut ab alio facultatem ordinariam habente, priuilegium commutandi obtinuerunt, poſsunt etiam commutare vota. Et de facto Religioſis Societatis Ieſu, ab Ordinario approbatis ad ſæcularium confeſsiones audiendas, & per communicationem aliis etiam Mendicantibus, conceſsit Paulus III. facultatem commutandi uota omnia, & Gregorius XIII. extendit hanc facultatem ad vota iurata, in alia pietatis opera: exceptis quinque reſeruatis. Nempe *Vltramarino, Viſitationis liminum Sancti Petri, & Pauli, ac S. Iacobi in Compoſtella, nec non religionis, & caſtitatis.* Quod antea conceſſerat *Eugenius IV.* Congregationis S. Iuſtinæ anno Domini 1437. pridie Kalen. Iulij, Pontificatus ſui anno 6. *Sanches de matr. l.8. diſp. 16. n.1. Comp. Priuil. mendicantium verb. abſolutio quoad ſeculares 2. Crouſ. ad c.7. reg. minor. leſt.29.*

Hæc priuilegia fauorabilia ſunt, & latè interpretanda; quia licet ſint priuilegia iuri communi derogantia, vnde etiam odia iuris dicuntur, & odia reſtringenda ſint, *de reg. iur. in 6.* tamen hoc habet locum quando huiuſmodi facultas ad aliquorum particularium fauorem tradita eſſet, ſecus verò quando in fauorem publicum conceſſa eſt, tunc enim non odium, ſed fauor, & Principis beneficium cenſetur ideò latè interpretandum eſt, quantùm eius verba patiuntur. Gloſſa, & Panormit. *in c. fin. num.2. de Simonia. Dian. p.8. tract.3. reſol.45.*

Sed circa dicta priuilegia eſt notandum *Primò*, quòd virtute horum poſſint religioſi commutare etiam vota facta intuitu obtinendæ commutationis virtute illorum; quia in eis nulla huius rei limitatio appoſita eſt, nec aliqua ratio ad ea limitanda ſuadet. Ita Sanches *lib.4. mor c.54. n.18. Bonac. in decal. d.4. q.2. p.7. §.2. num.12.*

Nota *Secundò*, religioſos virtute horum priuilegiorum commutare poſſe omnia vota, etiam Summo Pontifici reſeruata, quando in illis poteſt Epiſcopus diſpenſare, ex eo, quia à vera votorum reſeruatorum ratione deficiant, aut quia non eſt diſpenſatio in ſubſtantia voti, reſeruati, ſed in aliqua eius circumſtantia: Ratio eſt, quia Summus Pontifex eam commutandi poteſtatem denegare intendit tunc tantùm quando videlicet reſeruata ſunt. Ita Suares *de religion. tomo 2. libr. 6. caput.26. numer.17. Sanches cit. num.19.*

Nota *Tertiò*, religioſos per dicta priuilegia non ſolùm ſubditorum illius diœceſis, in qua ad fidelium confeſsiones audiendas expoſiti ſunt, verùm etiam quorumcumque vndecumque venientium vota commutare poſſe; quia cum hæc facultas ſit eis conceſſa à Summo Pontifice, qui toti orbi præeſt, non eſt cur ad ſubditos illius diœceſis, in qua commorantur, limitanda ſit: cùm hoc clarè concedatur in priuilegio *Pauli III.* vbi expreſsè traditur facultas audiendi confeſsiones vndecunque venientium, & eorum vota commutandi.

6. *Quicumque* habet poteſtatem diſpenſandi ordinariam, vel delegatam, habet etiam poteſtatem commutandi, non tamen è contra. *Suares lib.6. c.12. n.10 Clauis reg. l.6, c.12. n.15. dub 2. Regin. c. n.339. Leſſ. c.n.108. De habente* poteſtatem ordinariam eſt communis ſententia doctorum, ſed de habente delegatam eſt diſſenſio. Nau. enim *cap.12. n.79. Azor. l.11. c.18. q.7. Sanch. l.4. cap. 53. nu.4.* putant eum, qui habet poteſtatem delegatam diſpenſandi non continuò habere poteſtatem commutandi, quia hæ facultates ſunt omninò diſtinctæ. *Sed contrarium* eſt verius, quia cui licet maius, licet etiam minus, quando ſcilicet minus continetur in maiori tamquam pars in toto, vel ſpecies in ſuo genere; commutatio autem eſt quid minus contentum in poteſtate diſpenſandi, diſpenſatio enim remittit totum vinculum, commutatio verò partem. *Dian. tr.5. miſc. reſ.25. par.3 Sot. de iuſt. l.7. q.4. art. 3. Laym. l.4. tr.4. cap.8. nu.10. Syl. v. votum 4. q.3. Ad rationem* autem aduerſariorum dicendum eſt, has facultates non eſſe omnino diſtinctas, ſed alteram in altera contineri, ſicut pars in toto, & minus continetur in maiore. Hæc autem regula iuris 53. in 6.

Cui

Cui licet quod est plus, sit vtique quod est minus, non haberet locum in absolutionibus peccatorum reseruatorum; quamuis enim plus sit absoluere à reseruatis Papæ, quàm absoluere à reseruatis Episcopo, Inquisitoribus, vel Prælatis regularibus, hæc tamen potestas minor non est annexa, vel inclusa in maiori tamquam pars eius, vel ab eo inseparabilis: vnde hæc regula non habet locum in odiosis. vt benè notauit Sigism. à Bononia *tr. de elect. p. 2. dub. 77. n. 3.* per aliam regulam, *Quæ à iure communi exorbitant, non sunt ad consequentiam trahenda. Reg. 28 cod. Vide Sanch. de matr. l. 8. disp. 1. n. 31. et seq. Bordon. in cons. reg. ref. 3 n. 7. Faust. in thesaur. relig. lib. 4. q. 41. n. 2.* An autem qui potest commutare, seu dispensare in votis, possit etiam in iuramentis? probabile est quòd sic Tan. 2. 2. d. 5. q. 5 *dub. 1. Suarez lib. 6. c. 14. n. 6* Clauis reg. *lib. 5. c. 8. n. 9.*

7. Qui ex potestate ordinaria, vel delegata potest cõmutare votũ potest etiam commutare debitum seu obligationem ex violatione voti contractam, verbi gratia, vouisti dare eleemosynam 10. aureorum, si peccares contra castitatem: si peccaueris; ille qui potest commutare votum, potest etiam illud debitum in alia opera cõuertere, quia illud debitũ nõ debetur nisi ex vi voti, & aliàs materia non est reseruata. *Less. c. n. 108. Sanch de matr. l. 8. d. 15. n. 14.* Quamuis contrarium teneat Nauarr. *l. 3. tit. de voto conf. 33. et 35.*

8. *Commutatio*; quæ fit per priuilegium, aut bullam, ab eo qui caret potestate dispensandi, debet fieri in æquale, vel penè æquale: si enim notabiliter esset minus, admitteretur dispensatio. *Suar. l. 6. c. 12. n. 6. Sãc. l. 4. c. 50. n. 4. Clau. reg. l. 6. c. 12. n. 9. Aequale* voco, quod æquè gratum est Deo à te, hìc & nunc præstari: quamquam valde probabile sit sufficere, si fiat in minus: quia secundùm multorum sententiam quisque potest propria auctoritate commutare votum in æquale absque alio priuilegio: ergo ne dicamus hoc priuilegium esse inutile, concedendum est, habentem priuilegium commutandi, posse commutare in minus: & maximè si adsit iusta causa. vt est difficultas in voto persoluendo, vtilitas vouentis repugnantia parentum, & mariti. *Sà v. voti irritatio, n. 10. Tolet. l. 4. c. 18. Rodriq. 2. p. c. 102. n. 4. Less. c. n. 109. Dian. tr. 5. misc. resol. 25 p. 3.*

Sed rogabis, an votum factum in fauorem vnius Ecclesiæ, possit commutari in opus quod sit in commodum alterius? v.g. vouit aliquis dare centum Ecclesiæ S. Petri, & postea videt pauperes fame morientes, an possit illa centum in illorum subsidiũ donare? Resp. Si votum sit secretum, per quod Ecclesia S. Petri nullam actionem contra vouentem habeat, potest vouens tale votum propria auctoritate, & sine consensu alicuius in euidenter melius commutare, applicando illa centum pauperibus fame morientibus; quia per huiusmodi votum nullum ius est tali Ecclesiæ acquisitum. Si autem votum fuit iam notum, & Rector prædictæ Ecclesiæ illud votum acceptauerit, tunc non potest vouens absque consensu eiusdem Rectoris illa centum alteri operi magis pio, donare. Ratio est, quia ei acquisitũ est ius per acceptationem. Vnde talis commutatio cederet in illius præiudicium, fieretque illi iniuria, Ita *Clauis regia l. 6. c. 11. n. vlt. Nauar. cap. 12. nu. 78. Sylu. v. votum 4. q. 7. Suar. l. 6. c. 15. nu 7.* & alij.

9. Facta commutatione voti, liberum est vouenti (etiamsi commutatio sæpiùs facta fuerit) obseruare materiam prioris voti, relicto eo in quod prius fuit commutatum. *Less. c. nu. 111. Clauis reg l. 6. c. 12. d. 5. Dian. c. resol. 15. & tr. 2. nusc. ref 6. p. 2. Sanchez l. 4. cap. 55. nu. 26* quia commutatio fit in fauorem vouentis, qui potest cedere suo fauori: licet nonnulli Doctores existiment probabilius esse non posse vouentem redire ad prius votum, si commutatio fuerit facta in meliùs, quia illa commutatio habet vim noui voti: *Suar. l. 6. cap. 20. num. 3. Filliuc. n. 285. Reginald. cit. n. 362.* Sed prima sententia est probabilis.

10. *Votum* in quod præcedens fuit commutatum potest multotics commutari, si facultas commutandi vota, non sit limitata ad vnam vicem: imo qui habet facultatem vota non reseruata commutandi, potest hac facultate vti erga illum, cuius votum reseruatum, commutatum fuit in materiam non reseruatam, quia per commutationem extinguitur prius votum, quod erat reseruatum ratione materiæ. *Sanch l. 4. cap. 54. nu. 24. Bonac. c. §. 3. nu. 19. Sugr. c. c. 20. n. 15. Sylu. v. votum 4. q. 4.* & alij.

11. *Facultas dispensandi*, vel commutandi vota alicui concessa etiam extenditur ad vota post concessionem facultatis facta; quidquid alij contradicant: Suar *l. 6. cap. 13. num. 4. 6 Sanchez l. 4. c. 53. n. 26. Clauis reg. l. 6 c. 12. num. 16. Azor. l. 11. c. 18. q. 9. Filliuc. c. n. 253.* quia facultas absoluendi à peccatis, & censuris, nõ solùm extenditur ad peccata commissa ante tempus Iubilæi, verùm etiã ad ea, quæ tempore Iubilæi perpetrata sunt: ergo etiam facultas cõmutandi, vel dispensandi extenditur ad vota facta post Iubilæi concessionem: & hoc valet, etiamsi votum factum fuerit intentione commutationis obtinendæ; quia priuilegium adhuc durat, nec simpliciter amittitur per abusum, vt ait Sanchez *c. cap. 54. num. 18.*

12. *Ordinariè* in concessione facultatis commutandi vota, non conceduntur vota reseruata Summo Pontifici, nisi sufficienter exprimantur, quia huiusmodi facultas intelligenda est iuxta regulã iuris 81. in 6. dicentem: *In generali concessione non venire ea, quæ non esset qui verisimiliter concessurus, si specialiter rogaretur. Regin l. 18 n. 354. Fill c. nu. 266. Suar. l. 6. cap. 26. n. 18.* An autem hęc vota reseruata commutari possint in opera euidenter meliora, præter religionem? Affirmant *Clauis reg. l. 6. c. 12. nu. 14. Arag. 2. 2. q. 88. art 12.* quia cum commutatio hæc in maiorem Dei cultum cedat, non censetur à Pontifice impetriri: id enim videtur contra bonos mores, vtpote quòd melior bono obstet. Negatiua tamen sententia est amplectenda. Ratio est quia iure optimo potuit Pontifex in his votis grauioribus, hoc sibi iudicium reseruare, an expediat illa commutari: ac proinde ex quo sibi reseruauit, tollitur inferioribus qualiscumque ea commutandi facultas. Nec hoc est contra bonos mores, quia per hoc non prohibetur simpliciter maius bonum, sed præscribitur modus transeundi ad illud ex licentia supremi vicarij Christi, cui aliud bonum erat in specie promissum. Ita *Sanchez l. 4. mor. cap. 52. n. 4. Suar. l. 6. c. 21. nu. 17.* Immo nec vnum votum reseruatum potest in aliud reseruatum euidenter melius commutari præter religionem. Quia cùm Pontifex hanc sibi commutandi facultatem absolutè reseruarit, præcluditur inferioribus aditus ad hæc etiam inter seipsa, commutãda. In votum autem religionis possunt omnia vota reseruata commutari, vt constat ex *Cap. Scripturæ, de voto.* & dictum est supra n. 4.

13. *Controuertitur* inter Doctores, an qui voluntariè, vel ex obliuione, vel alia causa non curauit vota sua commutari, quibus obstrictus erat, possit transacto tempore Iubilæi illorum commutationem obtinere: & quidem *probabile* satis est posse transacto Iubilæi tempore, illorum commutationem petere, & obtinere ab eodem confessario, vel ab alio ex approbatis ab Ordinario, modò consecutus sit Iubilæum, id est; si ipse intra tempus Iubilæi opera ad Iubilæi consecutionem præscripta præstitit, quia hoc ipso, quo debito tempore fecit opera ad Iubilæi consecutionem necessaria acquisiuit ius seu priuilegium, quo possint eius vota laxari, quod priuilegium, nõ est certo tempori adstrictum: *Idem dicendum* de absolutione à reseruatis, quæ tempore Iubilæi fuit oblitus, quia ius acquisiuit cuilibet ea confitendi Ita *Less. c. num. 109. Sanch. de matrim. l. 8. d. 15 num. 17. & l. 4. mor. al. c. 54. nu. 39. Henriq. l. 7. cap. 11. nu. 4. Sà de indulg. num. 14. Suar. de pœnit. d. 31. sect. 4. num. 13. Diana tr. 2. misc. resol. 9. p. 2. & p. 5. tr. 12. resolut. 40.* *Alijs* autem videtur probabilius & tutius, non posse à simplici confessario dispensationem vel commutationem obtinere, transacto Iubilæi tempore: quia illo transacto simplex confessarius caret iurisdictione necessariam ad dispensandum vel commutãdum: & vouens non obtinuit generalem dispensationem, vel cõmutationem votorum, sicut obtinuit generalem absolutionem, vnde non est eadem ratio absolutionis peccatorum, & commutationis votorum. Ita Bonacina *c. n. 14.* Bcia *2. p. casu 9. Suar. l. 6. de voto c. 16. n. 14. & 15.*

14. *Tempore Iubilæi* possunt vota commutari extra sacramentum confessionis, quia nullo iure præscribitur commutationem fieri in sacramento confessionis, cùm non sit materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ: *Sanchez de matr. l. 8. disp. 16. nu. 11. & l. 4. cap. 54. n. 17. & 12. Crousers c. lect. 29.* vnde religiosi priuilegiati possunt vti hac commutandi vota facultate, etiam extra sacramentum confessionis, cùm scilicet necessitas postulauerit, quamuis contrarium sentiant *Clau. reg. c. c. 11 n. 105. Rodriq. c. cap. 101. nu. 6.* Et insuper est *Notandum* secundùm Sanch. & Rodriq. apud ipsum, non oportere, vt cõmutans vota virtute priuilegiorum, sit confessarius vouentis, quia priuilegia solum petunt confessarium esse approbatum ab Ordinario: vt docet etiam Dian. *par 3. tr. 2. de dubys reg. resol. 9* Idem dicendum de absolutione censurarum, & de dispensationibus super irregularitate, iuramento, petitione debiti, &c. hæc enim absolutio seu dispensatio potest dari extra sacramentum confessionis, & vrgente necessitate in absentia per scriptum. Vt docent Diana *tract. 5. miscell. resolu. 25. par. 3. & de bulla cruc. resol. 45. & de dub. reg. resolu. 14. & 4. par. tract. 4. ref. 8. & p. 5. tr. 12. ref. 36. Tamb. de iure Abb. to. 2. disp. 20. quæs. 2. numer. 5.*

15. *Vota* tempore Iubilæi commutata non reuiuiscunt; si postea pœnitens non præstet necessaria ad consecutionem Iubilæi:

Rodriq.

Rodriq.c.cap.183. Portel.in dub.reg.v.indulg.pro Iubilæo num. 19. Sanch.cap. 4.n.49. Henriq.c.cap.11.nu.4. Sà v.absolutio num.18. Dian.p.3.tr.de sacram.resolut.15. & tract.5.misc. resolution.25. quod verum est, quamuis confessarius commutauerit remittens se ad opera subrogand. ad tempus post expletum Iubilæum: quia commutatio fuit absolutè facta, & non sub conditione: deinde censuræ absolutio tunc temporis data non reuiuiscit ergo neq. reuiuiscunt vota, vt ait Dian. locis citatis & *tr.2.misc.resol.10.p.2.*

16. An autem peccet mortaliter, qui obtenta votorum commutatione, postea voluntariè omittit onera Iubilæi affirmant Rodriq. *in summ.tom.1.cap.183.num.15. Suar.de relig. tom.2.l.6. c.16.n.11. Fill.tr.26.c.10.n.301.* quia talis peccat contra pactum implicitum, & iustum, siue contra obligationem relictam ex voto, & inclusam in tali commutatione; nam commutatio semper intelligitur data sub onere faciendi, quod in se est ex parte pœnitentis ad gratiam consequendam. Hæc sententia est probabilis. Negant *Sanch.l.4.moral.c.14.n.54. Bonac.to.1.disp.5.q.7.punct. 5.n.18. Dian.p.2.tr.2.misc.resol.13. Portel.in dub.reg. v.Indulgentia pro Iubilæo,n.20.* quorum sententiæ tanquam probabiliori adhærendum est: quia talis retrocedens & non lucrans Iubilæum, nihil promisit, nec confessarius illi aliquam obligationem imposuit, neque constat de tali Pontificis intentione, si enim tale Papa intenderet, id facilè posset explicare, vt fit aliquando in aliis concessionibus Pontificijs. Ideò non debemus præceptum imponere, absque vrgenti fundamento.

17. Postquam votum religionis, aut castitatis perpetuæ fuit à Summo Pontifice commutatum in materiam non reseruatam, v.g. in eleemosynas, in confessiones menstruas &c. potest confessarius, vi Iubilæi, & Episcopus hanc materiam commutationis nõ reseruatam, commutare in aliam materiam: Ratio est, quia post commutationem prioris voti, materia non est reseruata Pontifici. Nec valet dicere, quod subrogatum sapit naturam eius, cuius loco subrogatur: quia illud axioma est verum in fauorabilibus, nõ autem in odiosis, qualis est reseruatio. Ita Malderus, 2.2. *tr.10.c. 5.dub.11. Sanch.de matr.l.8.disp.9.num.20. Less.l.2. c.40. dub.16. Tamb.de iure Abbat.2.disp.10.quæst.2.n.8.*

18. Porrò, illud postremò est obseruandum, quòd pro commutatione voti religionis semper debet imponi aliquod vinculum perpetuum, vt quòd confiteatur singulis mensibus, ieiunet singulis feriis iuxtis, septem psalmos pœnitentiales, aut rosarium recitet, & det eleemosynam iuxta statum suum, & hæc omnia per totam vitam fieri debet. Et ita est praxis Romæ in officio pœnitentiariæ. Hinc qui in votis commutandis prædictam diligentiam nõ adhibet, peccat mortaliter iuxta *Medinam*. Vnde confessarij imperiti non debent hoc onus commutandi vota in se suscipere, sed consulere in his casibus habentes commutandi peritiam, quia defectu huius, multæ ridiculæ sæpè commutationes fiunt. Vide *Sot.de iust.lib.7.q.4.a.1. Aversa.tom.2.q.88.sect.12. Medin.lib.1.instr. c.14.§.7. Claus.reg.tom.6.c.12.n.21.*

19. Ad commutandum votum peregrinationis expendi debet expensæ, quas facturus erat qui vouit, quia augent pondus, & æstimationem voti, *Cap. Magna, de voto*. Deducendæ tamen sunt expensæ quas ipse vouens domi erat facturus; quia cum illæ essent, cessante ea peregrinatione, faciendæ non sunt Deo dicatæ per votum. Immo habenda est ratio expẽsarum & laboris in morando, & redeundo, quia quamuis non vouerit redire, sed solùm ire, huiusmodi autem reditus tacitè subintelligitur in voto peregrinationis, & reuersio è peregrinatione est accessoria ad perfectionem, & opus religionis consummans votum. Et hoc est definitum in *Cap. Magna, de voto*, quidquid alij contrarium doceãt. Considerandus est etiam labor itineris: vnde si vouens erat pedibus peregrinaturus, vltra expensas labor vnius diei cum vnius diei ieiunio, & labor duorum cum ieiunio duorum dierum, & sic deinceps commodè commutari potest. Quòd si non erat pedibus iturus, tunc labor quatuor dierum in vnius diei ieiunium cõmutatur. De his vide Suar *ib.6.cap.9.n.18. & seq. Claus.reg. lib. 6.c.12.n.20. Faustum in thesauro reg. b. 1.87. & seq. Korium tom.1.lib.11.c.18.* Expensæ verò in eleemosynas, & vius pauperũ puta in dotandis pauperibus, aut in aliud simile commutandæ erunt. Monet Viualdus *in addit. ad candelabrum tract.14.n.40.* vnũ particulare pro commutandis votis tempore Iubilæi, quod quãdo confessarius est compluribus confessionibus occupatus, si dicat pœnitenti, tempore quo durat Bulla, seu Iubileũ, Ex nunc cõmuto tibi votum hoc, in rẽs quas iudicabit talis Doctor, ad cuius sentẽtiam te obligo, erit optimè factum, & valida erit talis, cõmutatio.

VOTVM VII.

De dispensatione voti.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit dispensare in voto? & quomodo differat dispensatio ab irritatione, & commutatione?*
2. *An in Ecclesia sit potestas dispensandi in votis, & iuramentis?*
3. *Quibus prælatis competat iure ordinario potestas dispensandi in votis? & an summus Pontifex iure diuino dispenset in omnibus votis?*
4. *An Episcopus, vel Archiepiscopus ex iusta causa possit dispensare in votis subditorum, qua reseruata non sunt?*
5. *An Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem respectu subditorum suorum exemptorum possint in votis dispensare? Et quid si de licentia ipsorum vota sint facta?*
6. *An Episcopus dispensare possit cum religiosis exemptis?*
7. *An habens facultatem generalem dispensandi in votis, possit etiam secum dispensare?*
8. *An requiratur iusta causa, vt dispensatio valida sit?*
9. *An potestas dispensandi in votis delegari possit, ab habente illã ordinariam?*
10. *An confessores ordinum Mendicantium possint dispensare in votis ex priuilegio, sicut Episcopi?*
    Et an Regulares possint vi priuilegij Societatis Iesu sine licẽtia suorum Generalium?
11. *An Prouinciales Ordinum Mendicantium, possint concedere suis confessoribus approbatis auctoritatem dispensandi cum cõiugatis impeditis ex voto, vel incestu, ad petendum debitum?*
12. *Quæ sint vota Summo Pontifici reseruata?*
13. *An tria peregrinationum vota, videlicet, ad limina Apostolorum, ad S. Iacobum, & in terram sanctam reseruentur Pontifici, si fiant solùm causa deuotionis?* refertur duplex sententia.
14. *In quibusnam casibus castitatis non integra possit Episcopus dispensare?*
15. *Quando possit Episcopus dispensare in voto castitatis integra?*
16. *An possit Episcopus dispensare quando coniuges, post contractũ matrimonium, & consummatum communi consensu vouerunt continentiam, & postea periculum incontinentiæ vtrique, vel alteri eorum ingruit?*
    Et quid si ante consummationem.
17. *An quando votum castitatis fuit metu emissum possit Episcopus dispensare?*
18. *An quando votum castitatis est accessorium, & dependens ab alio voto principali, in quo potest Episcopus dispensare, possit etiam in illo?*
19. *An quando votum est verè conditionale, sub conditione de futuro, vel de præterito, vel de præsenti, possit Episcopus dispensare?* refertur duplex sententia.
20. *Quando votum fiat disiunctiuè, vt. vouco castitatem vel ieiunium perpetuum, an possit vouens eligere alteram partem, in qua Episcopus possit dispensare?*
21. *In dubio de valore voti castitatis, vel de ius reseruationis, an possit tunc Episcopus dispensare?*
22. *An votum penale castitatis, vel religionis possit ab Episcopo dispensari?* refertur duplex sententia.
23. *An Episcopus possit dispensare in voto facto in vtilitatẽ alterius?*
24. *An Parochi & alij sacerdotes possint dispensare, aut commutare vota in articulo mortis?*
25. *An Prælati regularium possint commutare, vel dispensare in votis monialium?* refertur duplex sententia.
26. *An habens facultatem dispensandi, vel commutandi vota, possit dispensare vel commutare iuramenta?* refertur duplex sententia.
27. *An Summus Pontifex possit dispensare in voto solemni castitatis annexo ordini sacro?*
28. *An votum solemne castitatis religiosorum possit à Summo Pontifice relaxari?* refertur duplex sententia.
29. *An habentes generale priuilegium commutandi, & dispensandi vota possint ea omnia vota commutare, & dispensare quæ ab Episcopis, iure ordinario, vel extraordinario, commutari, & dispensari possunt?*

Dispen-

1. *Dispensare* in voto nihil aliud est, quàm *relaxare voti vinculum, & tollere eius obligationem, condonando nomine Dei debitum, quod erga Deum vouendo quis contraxerat*: *Lessius l.2. c.40. nu 68. & 112. Caiet. 2.2. qu.88. art.12. Fill.tr. 26. n.246. differt* autem dispensatio ab irritatione, quòd *dispensatio* pertinet ad potestatem spiritualem, & ad sui valorem requirit causam: *irritatio* verò pertinet ad potestatem dominatiuam, & non requirit causam ad sui validitatem: *differt* autem à commutatione, quòd in commutatione non auferatur simpliciter obligatio, sed vna substituitur loco alterius.

2. Certum est de fide, in Ecclesia esse potestatem dispensandi in votis, iuramentis, & similibus obligationibus, & debitis erga Deum contractis, vt patet vsu & traditione Ecclesiæ antiquissima: quia omnis humana lex indiget interdum dispensatione. Votum autem est quædam priuata lex. Et Christus non defuit Ecclesiæ in necessarijs. *Claus reg. lib.6. c.11. n.9. Regin. l.18. p. 327. Sanch. l.4. mor. c.37. n.2. 5. Valent. 2.2. d.6. q.6. p.7.*

3 *Potestas dispensandi* in votis iure ordinario competit solis prælatis habentibus iurisdictionem in foro externo: quia hæc potestas non est ordinis, sed iurisdictionis: vnde non competit cuivis sacerdoti, nec ad eam requiritur sacerdotium, aut alius ordo sacer: sed solùm iurisdictio Ecclesiastica in foro externo, qualis est in Episcopo confirmato ante ordinationem. *Hinc* ordinaria potestas dispensandi super omnia vota, est tantùm in Summo Pontifice, & de iure diuino, quia hanc immediatam potestatem Christus dedit tantùm Petro, & successoribus eius, & quidem vniuersalem respectu omnium votorum personarum, & locorum. *Claus regia c. n.85. Sanch. c. c.37. n.22. Less. c. nu. 115. Fill. c. n. 248.* & alij.

4. *In Episcopis* etiam est ordinaria potestas respectu votorum quæ reseruata non sunt & in ordine ad subditos suę diœcesis, modò adsit iusta dispensandi causa, & vota non sint facta in fauorem tertij, ab eoque acceptata. *D. Th. 2.2. q.88. art.12. ad 3. Syluius ibi. concl.3 Nau. c.12. nu.75. Suar. l.6. c.11. nu.10. Filliuc. c. n 249. Idem* dicendum de Archiepiscopis, Patriarchis, & alijs huiusmodi; respectu tamen suarum Diœcesum, non autem respectu Diœcesum suffraganeorum extra visitationem Prouinciæ. *Posset* tamen *Archiepiscopus* dispensare in votis suorum Episcoporum suffraganeorum; quia Archiepiscopus videtur immediatus ipsorum superior, saltem quando Episcopi ei se subijciunt. *Sanch. l.4. c.38. n.16. Claus reg. c. c.11. n.79. Hæc* autem *potestas* dispensandi potest exerceri circa vota subditorum etiam extra propriam diœcesum: siue Episcopus sit in Diœcesi, & subditus extra Diœcesim, siue vterque extra Diœcesim: quia dispensatio est actus iurisdictionis voluntariæ, qui potest extra territorium seu Diœcesim exerceri. *Suar. c. n.10. Bonac. t 2. q.2. punct.7. §.4. n.6.* Nomine *subditorum* cum quibus Episcopus potest dispensare, veniunt. *Primò* illi, qui habent domicilium in Diœcesi. *Secundò* illi, qui licèt non habeant in Diœcesi domicilium, inceperunt tamen habitare cum intentione ibi manendi maiori anni parte. *Tertiò* vagi, qui contrahunt diœcesim in eo loco, in quo pro tempore reperiuntur: *Peregrini* autem dispensantur a proprio Episcopo, non autem ab Episcopo loci, in quo peregrinantur: quod idem *dicendum* est de mercatoribus, & scholasticis, qui magnam anni partem alicubi habitant, tantũ enim subduntur Episcopo loci quoad sacramenta necessaria, nõ autem quoad vota, sicut neque quoad ordines. *Sanch. de matr. l.3. d.23. Suar. to.1. de relig. l.2. c.14. & 16. Fill. c. n.250.*

5. *Possunt* etiam dispensare in votis Prælati habentes iurisdictionem quasi Episcopalem respectu suorum subditorum exemptorum: qui exempti non sunt, subduntur Episcopo. *Bonac. c. n. 4. Sanch. lib.4. c.39.* Nomine autem Prælatorum, veniunt omnes, qui toti congregationi, vel monasterio præsunt, vt sunt generales, Prouinciales, Abbates, Priores, Præpositi, Rectores, Guardiani, & Vicarij horum omnium, qui plenè vicibus Prælatorum funguntur habentes plenam conuentus curam. Ratio est, quia hi omnes sunt Pastores ordinarij suorum, sicuti Episcopi sæcularium. Abbatissa autem non potest in votis suarum monialium dispensare, quia iurisdictione spirituali, ad quã pertinet facultas dispẽsandi, caret, vt diximus supra *v. Abbatissa n.4.*

An verò religionum Prælati possint dispensare in votis suorum subditorum de eorum licentia factis? Dicendum est quòd sic: quia siue ea licentia præiudicet potestati dominatiuę, siue non: nullo tamen modo præiudicat spirituali, à qua dispensatio pendet, cùm vtraque potestas sit valdè diuersę rationis. Ita *Caiet. 2.2. q.88. ar.8. Suar. l.6. c.10. nn.18.*

6. Episcopus cum religiosis exempti, ipsi se subijcientibus de licentia superioris, non solùm potest dispensare in voto, verùm etiam in irregularitatibus, & absoluere à censuris, & casibus concessis Episcopo in Tridentino. *Henriq. lib.10. c.2. Molin. to. 4. disp.61. nn.4. Sanch. c.c.39. nn.27.* Ratio est, quia exemptio religiosorum est potissimum inducta in fauorem religionis, vt eius religiosi quietiùs Deo famulentur, & ne passim ab Ordinarijs perturbentur; vnde in ijs quæ quietem, & fauorem religionis concernunt, non debent esse peioris conditionis, quàm non exempti. Nec est rationi conforme, vt exemptionis priuilegium in hoc casu contra eius finem operetur. Censetur autem regularis tacitè habere licentiam sui Prælati, quando Prælatus est impeditus, quia nominatim denunciatus, aut longè abest, aut si mortuus est, aut iniustè neget licentiam: quia per epicheiam non est censendum voluntatem Summi Pontificis, & religionis esse, vt Episcopus in eo euentu non absoluat, & cogatur regularis vagari pro obtinenda absolutione. Item possunt Prælati religionũ seipsos subijcere Episcopo, vt ab eo absoluantur, & cũ eis in votis dispenset; quia possunt vti licentijs, quas subditis concedere possunt, vt docent. *Henriq. lib.7. de indulg. c.25. Suar. to.5. in 3. p. d.41. sect.2. n.12. Dian. p.8. tr.3. res.48.* & alij.

7. *Prælatus*, aut alius habens facultatem generalem dispensandi in votis, potest etiam secum in votis dispensare, aut dare facultatem alteri, qui secum dispenset; nam hic est actus iurisdictionis gratiosæ, quem iure naturæ non repugnat exerceri in seipsum, cùm idem secundùm diuersas rationes possit esse agẽs, & patiens: & cùm sit actus delegabilis, nihil obstat quominus Prælatus possit hanc facultatem alteri committere vt secum dispenset. Ita *Less. c.n.116. Sanch. de matr. l.8. d.3. num.8. & l.4. mor. c.37. n.45. & c.39. n.40. Rodr. 2.p. c.101. Dian. p.8. tr.3. resol.16.* & alij. Contra *Suarez, Clauem regiam*, & alios.

Imò habentes iurisdictionem delegatam dispensandi in vniuersum cum aliqua communitate, cuius ipsi sunt partes, possunt in ijsdem rebus secum quoque directè dispensare. Ratio est, quia hic non requiritur distinctio personarum propter specialẽ institutionem, sicut in absolutione sacramentali: nec etiam requiritur propter vsum iurisdictionis: quia in iurisdictione voluntaria non est inconueniens eumdem operari in seipsum, vt patet in indulgentijs. Secus dicendum de illo, qui limitatam potestatem habet dispensandi cum certis personis, non enim potest in ijsdem rebus secum dispensare: quia potestas illa non extenditur vltra concessionis limites. Cùm ergo sit ad certas personas, in quibus ipse non comprehenditur, non potest ea vti erga seipsum.

8. Vt *dispensatio* valida sit requiritur vt subsit causa iusta: quia inferior non potest validè dispensare in lege superioris sine causa: dispensatio autem in voto, est aliquo modo dispensatio in iure diuino naturali, saltem ratione materiæ, quæ subtrahitur: quod valet etiam respectu Papæ, & multò magis respectu Episcoporum: *D. Thom. 2.2. q.88. art.12. ad 4. Syluius ibid. concl. 4. Sanch. l.4. c.45. Suarez l.6. c.17. n.2. Nauar. c.12. nu.75. & 76. Filliuc. c. n.259. Layman l.4. tr.4. c.8. Crouers ad c.7. reg. S. Franc. lect.29. Generatim* iustæ causæ sunt vtilitas Ecclesiæ, & honor Dei; *item* vtilitas vouentis & magna fragilitas eiusdem, per quam timetur sæpè violaturus. Faciliorem impetrationem reddunt leuitas vouentis (etiamsi non sit periculum violandi) inconsideratio, inconstantia, timor, vel alia perturbatio animi in vouendo, puerilis ætas, incommoditas implendi vel difficultas ex parte operis & quæuis causa reddens executionem voti quasi illicitam vel inutilem, aut moraliter impossibilem, aut maioris boni impeditiuam. *Hoc* autem est *notandum*, rarò vrendum esse pura dispensatione seù relaxatione voti, quia rarò iusta causa subest, vt sine vllo onere condonetur: quare plerumque vtendũ commutatione, quæ dispensationem admixtam habeat: & extendatur iuxta tempus voti, vel saltem opus aliquod semel vel sæpius faciendum in compensationem sublati voti, est imponendum. *Lessius c.c.40. nu.120. Reginald. l.18. n.345. Suarez c. n.4. Sanchez c. cap.45. n.4.*

9. *Potestas dispensandi* in votis delegari potest ab habente facultatem ordinariam, personis habilibus, quales sunt clerici: in hac delegatione debet in specie dari facultas ad dispensandum in votis: *ideoque* concessa potestate ad absoluendum ab omni casu reseruato, & censura, non propterea censetur concessa facultas ad dispensandum: Et concessa potestate commutandi, non censetur concessa potestas dispensandi, sunt enim actus distincti & commutatio est quid minus. *Suar. c. c.12. nu.1.2. & 4. Filliuc. tr.26. c.9. n.251. 252.*

10. Confessores Ordinum Mendicantium possunt dispensare in

in omnibus votis, in quibus possunt ipsi Episcopi, seu in casibus Episcopis reseruatis. Ratio est, quia possunt dispensare in omnibus votis Papæ non reseruatis. *Sorbus in compend. Priu. mendicant. v. Absolutio quoad seculares nu.* 12. *Sanchez de matr. l.*8. *d.* 16. *n.*1. *Lessius c.n.*134. *Diana de dub. reg. resol.*121. *p.*3. Ita in terminis concesserunt diuersi Pontifices. *Iulius II.* Congregationi Benedictinorum, & Sancti Bernardi. *Eugenius IV.* Monachis S. Iustinę Ordinis item S. Benedicti, in Constitut. *Etsi quorumlibet personas*, anno 1436. pridie kalend. Iulij, illis verbis. *Insuper, & vota omnia permutare ac in omnibus, & singulis casibus &c.* & infrà, *Cum eis dispensare præter censuras pœnas, & vota, & casus, de quibus esset merito Sedes Apostolica consulenda.* Ita *Bordonus in consil. regul. resol.*15. Bullam vide apud *Confessum in collectione priuileg. fol.*31. *Casarubius in compend. v. Absolut. quoad facul.*2. *n.*16. *Lezana to.*1. *sum. cap.*19. *nu.*22. Non habet tamen hæc constitutio duas limitationes (scilicet, quòd confessarij possint vti prædicta concessione tolum in suis ecclesijs, & non alibi: Et pro tribus aut quatuor confessarijs tolum, vt asserunt. *Casarubius, Lezana* & alij, vt patebit intuenti textum Bullæ: quam forte non viderunt; sed concessio est absoluta.

Circumfertur & alia concessio *Innocentij VIII.* facta Minoribus, vt possint dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, excepto voto peregrinationis vltra duas dietas. Sed hoc priuilegium refertur à Casarubio *v. Dispensatio n.*16. sub nomine oraculi non auhēveci, proinde notat illud parum. Hoc tempore est reuocatum per bullam Vrbani VIII. *Alias Felicis*, de qua supra.

Adfertur etiam ex Compendio Societatis alia cōcessio *Martini V.* facta Benedictinis, vt scilicet, possint in votis etiam Episcopo reseruatis dispensare, modò sint ab Ordinario approbati. De illo priuilegio non mihi constare potuit, an per Bullam, an verò viuæ vocis oraculo concessum sit. Doctiores inquirant. De alijs priuilegijs vide Peregrinum *vers. Dispensatio* §.10. Hæ tamen facultates apud Patres Societatis non competunt singulis personis, nisi per Superiorem, & iuxta illius moderationem, specialiter cōmittantur: quia vt habetur in bulla *Gregorij XIII.* de vsu facultatum edita anno 1575. & notatur in compendio priuilegiorum Societatis in præfatione. Nullus è Societate vti potest priuilegio Societati concessis, nisi illi per Præpositum Generalem, aut per alios ab ipso electos communicetur. Legatur Palatius *in 4. dist.*17.

Sed petes, an regulares aliorum Religionum possint vti priuilegijs Societatis Iesu, quæ conceduntur assignatis tantùm à Patre Generali? Responsio est affirmatiua. Nam *Gregorius XIV.* Crucigeris, & Religioni Clericorum ministrantium infirmis communicationem priuilegiorum Societatis concessit, sine eo quòd illarum Religionum professores à suis Generalibus ea mendicarent. Præterea dicta priuilegia fuerunt illis communicata absolutè, & alijs etiam communicantibus absolutè conceduntur, nec per communicationem imponuntur restrictiones, & limitationes quæ ab ipsa Societate fuerunt impetratæ à Sede Apostolica. Cuiusmodi est restrictus vsus priuilegiorum in Societate, quòd scilicet, non possit sortiri effectum, nisi prout à Generalibus fuerit dispensatus, a quo pendet tota ipsius Societatis gubernatio, etiam quoad particularia, quæ ab aliarum religionum Præpositis Generalibus minimè exequuntur. Ita *Rodriq. tom.*1. *qq. reg. q.*53. *art.*17. *De la Cruz de stat. relig. lib.*2. *c.*4. *concl.*3. *Diana p.*5. *tr.*13. *res.*46. *Portel. in dub. reg. v. Priuil. communic. n.*23. *Suarez de leg. lib.*8. *c.*17. *n.*6.

Vide *Priuilegium V.* num.10.

11. *Prouinciales Mendicantium* habent priuilegium, vt possint concedere suis confessoribus approbatis iuxta Tridentini normam, authoritatem dispensandi ad petendum debitum, cum his, qui ante matrimonium castitatem vouerant. *Coraduba in sum. qu.*136. *punct.*2. *Rodriques c.*242. *nu.*14. *& to.*1. *qq. q.*63. *ar.*2. *Henriq. lib.*12. *c.*2. *n.*9. *Sanch. de matr. l.*8. *d.*16. *n.*3. Ex concessione *Pij V.* Viuæ vocisoraculo hoc priuilegium secundùm *Sanchez* extenditur ad vouentem, licet nondum matrimonium consummauerit. Imò ex eiusdem Pontificis concessione regulares dispensare possunt cum incestuoso ad petendum debitum. An autem hoc priuilegio vti possint confessarij regulares si non fuerint deputati à Prouincialibus? Alij affirmant, Alij negant apud Dianam *p.*1. *tr.*13. *resol.*46. Vbi affirmatiuam tenentiam putat non esse improbabilem: & *de dub. regul. p.*3. *tr.*2. *resol.*14. docet ex *Portello* quòd Prouinciales concedentes alicui subdito licentiam vt possit dispensare cum impeditis ex incestu vel voto ad petendum debitum, non possint datam licentiam reuocare absque iusta causa, faciunt enim iniuriam illi, qui habet. Hæc ille. *Notandum* tamen est modò hoc priuilegium esse reuocatum ab Vrbano VIII. Pontif. Max. qui omnia viuæ vocis oracula annullauit: vt patet ex ipsius bulla, *Alias Felicis* 10. *Decemb.*1625. & proinde Confessarij Mendicantium ordinum cauere debent ab vsu huius priuilegij, nisi à sancta Sede hoc de nouo concedatur. Sed de hac bulla *Vrbani VIII.* Vide quæ adnotat *Diana p.*5. *tr.*14. *res.*17. ex *Laurentio de Pennis* in priuileg. Minim. tom.3. cap.12. constit. 18. alias 28. Vrbani VIII. in Scholijs n.1. & quæ nouissimè annotauimus supra verb. *Incestus* num.7. ex eodem Diana *Part.*6. *tr.*8. *resol.*32. & Lezana *in summ. qq. reg. tom.*3. *verb. Affinitas num.*4. & 5. & quæ diximus suprà *verb. Priuilegium* 1. *num.*8.

12. *Vota* Summo Pontifici reseruata & in quibus Episcopus dispensare non potest sunt quinque: *Votum castitatis perpetuæ. Votum Religionis approbatæ, Votum peregrinationis ad limina Apostolorum, Votum ad Sanctum Iacobum Compostellanum*, & *votum in terram sanctam*: quāuis enim hæc reseruatio non sit in iure expressa: nihilominus sicut reseruatio potest per consuetudinem auferri, ita etiam induci. *Clauis reg. c. cap.*11. *n.*33. *Syluius c. art.*12. *c.*2. *Filliuc. c. n.*262. *Sanchez l.*4. *moralium c.*40. *n.*6 *Lessius c.n.*122. *Verum* in generali facultate dispensandi in votis, non comprehenditur facultas dispensandi in votis reseruatis, & concesso vno non censentur alia concessa: & si *Papa* concedat facultatem dispensandi in tribus votis minoribus peregrinationis non censetur facultatem concedere dispensandi in maioribus, castitatis scilicet & religionis. *Suarez l.*6. *c.*21. *& 25. Reginald. l.*18. *n.*354 *Sanch. l.*4. *c.*40. *n.*20.

13. *Quidam* putant tria illa peregrinationum vota non reseruari Pontifici, nisi fiant in subsidium: vnde si fiant solum causa deuotionis posse Episcopum dispensare: sed hic consuetudo videtur esse in contrarium, etiamsi solùm deuotionis causa facta sint. *Item dicendum* de horum votorum commutatione, si ea in aliud opus quàm Religionis ingrediendæ facienda sit. *Vmald. in supplem. tract.*14. *n.*63. *Angles de voto a.*8. *dissic.*10. *Fumus v. dispensatio n.*16. *Less. c. n.*122.

14. *Episcopus* potest dispensare, *Primò* in voto Religionis nō approbatæ, & in voto paupertatis & obedientiæ perpetuæ in tali Religione: vnde poterit Episcopus dispensare in voto ingrediendi Religiones Equitum Ordinum militarium, excepta tamen Religione Equitum Melitensium, seu S. Ioannis Hierosolymitani, quia est vera Religio, in qua tria solemnia vota emittuntur *Reginald. c.num.*111. *Sanchez c. c.*40. *num.*70 At cæteri Ordines controuertitur an sint veræ Religiones; Sufficit autem id esse sub opinione, ad hoc vt possit Episcopus dispensare. Item potest Episcopus dispensare in voto paupertatis vel obedientiæ in sæculo, quia non sunt verè vota Religionis, vt docet Sanches *c. n.*72. *& 73. Secundò* in voto castitatis non perpetuæ, vt 10 15. 20. annorum, non autem 100. quia censetur perpetuum. *Azor. l* 12. *c.*19. *q.*6. *Suar. l.*6 *c.*22. *n.*9 *Tertiò* in voto non fornicandi, non perendi debitum non tenendæ certæ mulieris, non committendi peccatum mollitiei, aut abstinendi ab alio actu venereo, quia non sunt vota castitatis integræ, sed partis tantùm. Imò in his omnibus etiam collectiuè, & in casu, quo hæc vota simul sumpta obligarent ad integram castitatem: nisi vltimum emissum fuisset hac intentione, vt seruandæ totius castitatis consurgeret obligatio. *Nauar. c.*12. *n* 76. *Lessius c.nu.* 124. Nam, si talis intentio non intercessit, illa vota non integrantur; quia vnum ad aliud per accidens refertur, & sicut Episcopus potest dispensare singula, potest etiam omnia vt notauit Sanch. *c.c* 40. *n.*68. item in voto castitatis emisso ab altero coniuge cum altera faculate post consummationem matrimonij. *Quarto* in voto nō nubēdi: & ratio est, quia hoc votum multum differt à voto castitatis, cùm per fornicationem non violetur. *Reginald. c.n.*332.

Si tamen hoc votum factum sit solum in gratiam alterius, verbi gratia, coniugis ob ipsius honorem, vel commodum prolium, & acceptum ab eo in cuius fauore castitatem, Episcopus non poterit inuito illo dispensare: quia non potest ius illud per promissionem voto firmatum illi acquisitum tollere potest tamen ille, in cuius fauorem est factum condonare. *Lay man. to.* 4. *c.*8. *nu.*2. *Filliuc. c. nu.*257. *Lessius c. n.*124. *Quarto*, In voto suscipiendi sacros ordines, quia hoc votum non est castitatis, cui hoc votum tum ex ipsa ordinum sit annexum. *Henac. c.p.*7. §.4. *nu.*17 *Sanch. c. cap.*40. *nu.*69 *Sexto*, potest dispensare in qualitatibus quibusdam substantiæ voti reseruatæ adiunctis, vt si quis vouerit ingredi religionem strictam, potest commutare in laxiorem:

xiorem: item potest dispensare vt professus in arctiori transeat ad laxiorem, nisi statutum aliquod peculiare à Pontifice approbatum obstet. *Claus reg. l. 6. c. 11. n. 63. Reginald. c. n. 331. & 335. Azor. c. l. 11. c. 18. q. 8. Septimo*, Si Pontifex votum sibi reseruatum commutatlet in aliud non reseruatum, posset Episcopus postea in hoc dispensare, quia est nouum votum per se non reseruatum. *Octauo*, potest etiam dispensare in voto virginitatis: si vouens nihil aliud intenderit quàm obligare se præcisè ad integritatem carnis conseruandam. *Suar. l. 6. c. 20 n. 1 5. Claus reg. l. 6. c. 12. n. 23. Lessius c. n. 124.* Si autem intenderit absolutè continentiam, Episcopus non posset dispensare, vt ait Syluius *c. art. 12. concl. 3.*

15. *Incertis casibus* potest Episcopus dispensare in voto castitatis integrę. *Nauarr. c. 12. n. 76. Suar. l. 6. c. 26. Conferes cit. lect. 29. Sanchez l. 4. c. 40. nn. 34. & seq. Primo* quando imminet graue periculum, expectando dispensationem Papæ, vel Legati, vt est periculum magni scandali, vel damni tertiæ personæ vnde quando imminet periculum incontinentiæ, potest Episcopus aliquo modo dispensare in hoc voto, quamdiu scilicet periculum durat, quamquam Episcopus in hoc casu non dicitur propriè dispensare, sed suspendere executionem voti ad tempus. *Similiter*, si aliquis habens votum simplex castitatis contraxit matrimon. & consummauit, Episcopus ob periculum incontinentię potest dispensare vt petat debitum: imò si nondum consummauit, ob idem periculum videtur posse dispensare, vt consummet petendo debitum: nam valdè probabile est talem non teneri ingredi Religionem, vt satisfaciat voto castitatis: hinc potest consummare matrimon. reddendo, absque dispensatione, & cum dispensatione etiam petendo. *Hic autem* mortua coniuge tenetur seruare castitatem, quia hæc dispensatio non fuit integra, sed partialis tantùm & ad tempus *Reginald. lib. 18. n. 336. Less. c. dub. 18. nu. 125. Sot. 4. dist 38. q. 2. art. 1.*

16. *Secundò*, quando coniuges post contractum matrimon. communi consensu vouerunt continentiam, & postea idem periculum incontinentiæ vtrique vel saltem alteri eorum ingruit: potest Episcopus dispensare, vt debitum petant & reddant: quia credibile est numquam fuisse mentem suæ sanctitatis hoc votum eo casu ita stricte reseruare, vt ab Episcopo non possit prædicto modo suspendi: & ita ab Episcopis longo vsu & consuetudine etiam à tempore immemorabili est vsurpatum, præsertim consummato matrimonio: atqui consuetudo ius tribuit & iurisdictionem. *Toletus l. 7. c. 18. Angel. v. votum 4. n. 9. Fumus v. matr. n. 55. Rosella v. impedim. 4. n. 5.* Hæc sententia quamuis sit probabilis: contrarium tamen videtur verius, nimirum Episcopum non posse, nisi quando in periculo incontinentiæ, non esset facile recursus ad Summum Pontificem, vel alium habentem potestatem. *Lessius c. dub. 18. num. 126. Sanch. de matr. l. 8. disp. 11. nu. 10. & seq.* Vide Dianam *part. 4. tr. 4. resol. 125.*

Sed quæres, an Episcopus possit dispensare in voto castitatis emisso post contractum matrimonium ante consummationem? Negat Sanches *citatus hoc numer. 4.* Si id fuit animo ingrediendi religionem ad votum implendum, quia est votum omnimodæ castitatis Affirmat tamen Pontius *de matrimon. libr. 8. cap. 9. nu. 3.* quia talis etiamsi sit intra bimestre, non tenetur Religionem ingredi etiamsi habuerit animum ingrediendi cùm vouit, sed potest ab eo animo desistere; in quo vides iam esse notum periculum incontinentiæ, ergo potest Episcopus dispensare. Et hæc sententia est probabilis. Posita autem hac probabilitate, possunt Confessarij mendicantium ordinum etiam in hoc voto dispensare vi priuilegiorum quibus possunt dispensare in votis de materia quinque votorum, modò non sit affecta reseruatione, quale est votum castitatis in ordine ad non petendum debitum, in quo possunt dispensare, quia non relaxant simpliciter totum votum castitatis, sed solum illius partem, nempè ad petendum debitum. Vnde mortuo altero coniuge habens superstes votum castitatis media illa dispensatione ad exigendum debitum non potest iterum matrimonium contrahere, neque alios actus luxurioso committere absque violante voti. Ita Bordonus *in consil. reg. resp. 15 num. 31.*

17 *Tertiò*, Potest Episcopus dispensare in voto castitatis, si emissum sit metu, licet non omnino iusto seu grauitatione cuius sit irritum: reseruatio enim cùm sit odiosa, vtpote contra ordinariam Episcoporum facultatem in voto dispensandi, videtur intelligenda de libero voto: ne ita reseruetur coactum sicut spontaneum. *Nau. c. 12. n. 76. Less. c. n. 127.* Quidquid in contrarium sentiat Suarez *l. 6. c. 26. n. 4.* Vide *Dian. p. 5. tr. 12. resp. 61.*

18. *Quartò*, quando votum castitatis est accessorium & dependens ab alio voto principali, in quo Episcopus possit dispensare, tunc enim sublato principali, cessat alterum: vt si quis vouerit non ludere sub pœna seruandæ castitatis, aut ingrediendæ religionis, & postea petat dispensationem ab Episcopo, Episcopus dispensans in voto non ludendi, dispensabit etiam in voto castitatis aut religionis, quia sublato principali, aufertur accessorium. *Nau. c. 12. n. 4. & 75. Bonacina voto d. 4. q. 2. p. 7. §. 4. n. 17. Less. c. n. 130.* secus *dicendum* est quando votum principale est reseruatum, accessorium verò, seu aliud votum illi adiunctum non est reseruatum: vt si quis vouerit castitatem, & si eam violet, vouerit ieiunare: Episcopus poterit in voto ieiunij dispensare, quia non est circa materiam reseruatam: non verò poterit dispensare in voto principali.

19. *Quintò*, quando votum est verè conditionale, sub conditione de futuro, (v. g. vouco religionem vel castitatem si hunc morbum euasero; si hoc periculo defungar,) potest Episcopus dispensare, modò conditio nondum sit impleta, quod si votum sit conditionale solùm apparenter, quod contingit quando particula, *si*, non apponitur ad suspendendum consensum vsque ad conditionis euentum, sed apponitur ad terminandum tempus adimplendi, votum est verè absolutum. *Suar. l. 6. c. 22. n. 6. Tolet. l. 4. c. 18. Sanch. c. c. 40. n. 82 85. & seq. Fill. c. n. 267. Clau. reg. l. 6 c. 11. n. 77. In voto* autem facto sub conditione de præsenti aut præterito non potest dispensare, quia huiusmodi conditio non suspendit consensum. *Idem dicendum* de voto facto sub conditione necessaria, hæc enim habetur pro adimpleta, *idem*, de voto facto sub conditione tacita. *Nonnulli tamen* arbitrantur impleta etiam conditione posse Episcopum dispensare, quia non fit ex directo affectu ad rem votam, sed ad beneficium quod à Deo expectamus: non intelligitur autem reseruari, nisi votum perfectum, quod & in se iam perfectum est, non amplius pendens, & in sua radice tamquam ex affectu directo ad rem promissam procedens. Hæc sententia est probabilis, licet contraria sit verior. Ita *Sanch. c. n. 99. Less. c. n. 131. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. Tolet. l. 4. c. 18. Dian. p. 3. tr. 5. resol. 25. & p. 6. tr. 8. res. 16.* citans multos pro probabilitate huius sententiæ.

20. *Sexto*, Si votum fiat disiunctiuè hoc modo, voueo castitatem, vel ieiunium perpetuum: tunc in potestate vouentis est eligere alteram partem, in qua Episcopus potest dispensare: quòd si eligat partem Pontifici reseruatam, Episcopus non potest, semel autem facta electione non potest vouens mutare; quia iam obligationem determinauit ad materiam reseruatam *Sanch de mat. l. 8. disp. 9. n. 14. Azor. 1. p. l. 11. c. 19. q. 10.*

21. *Septimo*, dispensare potest Episcopus, quando dubitatur vtrum votum castitatis sit validum, vel votum sit reseruatum: nam casus reseruati non sunt dubij, sed certi; & in dubijs benignior pars accipienda est. *Suar. l. 6. c. 26. n. 4. Sanch l. 4. c. 40. n. 26. Fill uc. c. num. 276.*

22. *Octauò*, probabilius est in voto pœnali, ideò, emisso in pœnam delicti sub conditione, posse ab Episcopo dispensari, non tolùm ante conditionem impletam, verùm etiam adimpleta conditione; quia votum quod Papæ reseruatur, censetur illud, quod fit ex directa volitione, & ex effectu boni, quod promittitur; votum autem pœnale fit potiùs ex quadam detestatione illius, vt vouens retrahatur ab aliquo malo. *Arrag. 2. 2. q. 88. art. 12. Suar l. 6. c. 23. n. 6 Claus reg. c. c. 11. n. 74. Less. c. n. 130. Satis tamen probabile* est vota pœnalia post commissam culpam, & conditionem impletam, reseruata esse: saltem quando pœna est medicinalis peccati; vt si quis vouerit religionem, si lapsus fuerit in peccatum carnis Ita *Fill. c. n. 271.* apud *Suarez n. 5.*

23. *Episcopus* non potest absque vrgentissima causa dispensare in voto facto in vtilitatem alterius postquam ab eo votum fuit acceptatum, nisi adsit consensus illius, in cuius fauorem factum est: quia tertius per acceptationem acquisiuit ius. *Sanch. l. 4. c. 41. n. 16. Claus reg. c. c. 11. n. 121. Less. c. n. 90. d. 11. Regin. l. 18. n. 355. Suar. l. 6 c. 15 n. 7. Episcopus* autem vel alius superior non potest absque vrgentissima causa priuare aliquem iure sibi acquisito, nisi adsit consensus illius, seu alterius habentis facultatem remittendi, seu compositionem faciendi circa illius debita. *Idem dicendum* de commutatione voti. Si tamen votum factum in commodum tertij non habeat promissionem adiunctam ab eo acceptatam; vt est votum de dando calice tali Ecclesiæ, vel dote tali virgini, tunc poterit Episcopus dispensare vel commutare: quia per talia vota non acquiritur ius tertio, & per dispensationem seu commutationem non fit vllum præiudicium, etiamsi cedat in aliquam carentiam commodi eius, sed absque vlla iniuria, & culpa.

24. *Pa-*

24. *Parochi* aut alij Sacerdotes non habent poteſtatem niſi in articulo mortis diſpenſandi, aut commutandi vota, præſertim in id, quod notabiliter minus eſt; quia cùm careant iuriſdictione fori externi, non habent poteſtatem ex officio, & cùm nulla extent hac de re eorum priuilegia, non poſſunt dici habere ex priuilegio. *Bonac. cit.* §.4. *num.*26. *Suar. l.*6. *c.*12. *Leſſ. c. nu.* 130. *Sanch. l.*4. *c.*38. *n.*25.

25. An autem *Prælati regularium* poſſint commutare, aut diſpenſare in votis nouitiorum, diſſenſio eſt inter doctores: *quidam* enim negant, quia non gaudent priuilegijs religionis, cùm nondum ſint perfectè ſubditi, ſed videntur adhuc eſſe ſui iuris: ita probabiliter *Suar. c. c.*10. *nu.*11. *Azor. 1.*9. *l.*11. *c.*19. *qu.*21. *Regin. c. n.*340 & alij. *Alij* verò probabilius affirmant, & merito, licèt enim Prælatus non habeat poteſtatem dominatiuam in nouitios; tamen habet poteſtatem iuriſdictionis, cùm ad prælatum pertineat cognoſcere de nouitij delicto, & non ad Epiſcopum. *Sanch. c. c.*39. *nu.*17. *Crouſ. c. lect.*26. *Leſſ. c. nu.*80. & 107. *Epiſcopus* autem poteſt etiam diſpenſare in votis nouitiorum, quia nondum plenè exempti ſunt à iuriſdictione Epiſcoporum. *Abbatiſſa* verò non poſſunt diſpenſare in votis nouitiarum vel profeſſarum ſuarum, quia carent iuriſdictione ſpirituali. *Bonac. c. n.*28. 29. *Sanch. c. c.*39. *n.*7.

26. *Probabile* eſt habentem facultatem diſpenſandi vel commutandi vota, non poſſe diſpenſare vel commutare iuramenta, quia facultas non eſt extendenda vltra verborum proprietatem, ſed iuxta illam, *aliud* eſt votum, *aliud* Iuramentum. *Fill. c. num.* 255. *Leſſ. l.*2. *c.*42. *dub.*12. *n.*60. & 62. Contraria tamen ſententia non eſt improbabilis, ſi ſermo ſit de iuramentis factis Deo, quibus nullum homini ius acquiritur, quia huiuſmodi iuramenta voti rationem inducere videntur: & huius ſententiæ ſunt *Suar. c. c.*14. *Sanch. c. c.*53. *n.*6. *Dian. tr.*5. *miſc. reſ.*25. *p.*3. & *p.*5. *tr.*12. *reſ.*59.

27. *Votum ſolemne caſtitatis* eſt duplex, *aliud* eſt annexum ordini ſacro: *aliud* in profeſſione religionis approbatæ nuncupatur. *Sanch. de matr. l.*8. *diſ.*8. *Cap. quod votum, de voto in* 6. *Petr. de Ledeſm. de matr. q.*53. *ar.*3. *dub.*1. *Caiet. opuſc. to.*1. *tr.* 27. *de diſpenſat.* Quod ad primum attinet, Auctores ferè conſentiunt, (exceptis paucis, qui continentiam iure diuino connexam putant ordini ſacro) Pontificem poſſe in hoc voto diſpenſare: *hoc* autem poteſt fieri dupliciter. *Primò* tollendo legem cœlibatus ab ordinatione alicuius: ſeu concedendo vt ordinetur abſque obligatione vel promiſſione continentiæ. *Secundò* diſpenſando propriè in voto iam facto: ſed hæc diſpenſatio non erit valida ad tollendam obligationem continentiæ, ſi non ſubſit iuſta cauſa: erit tamen valida ad tollendum impedimentum matrimonij: vnde ſi contrahat matrimonium erit validum: non tamen poterit petere debitum, quia vis voti manet, quantùm patitur ſtatus, tenebitur tamen reddere ob vinculum iuſtitiæ, quo coniugi eſt obſtrictus.

28. Diuus Thomas docet *votum caſtitatis* religioſorum non poſſe à Summo Pontifice relaxari: *ratio* ipſius eſt, quia votum caſtitatis, ſtatui religioſo eſt eſſentialiter annexum, ac proinde non poteſt ab hoc ſtatu diuelli. *D. Thom. 2.2. q.*88. *ar.*11. Communis tamen ſententia Canoniſtarum, & ferè Theologorum eſt, Summum Pontificem, ſi iuſta cauſa ſubſit, poſſe relaxare votum ſolemne caſtitatis religioſorum, & cõcedere vt matrim. contrahant, quia Pontifex poteſt diſpenſare in voto ſimplici caſtitatis, ergo poteſt etiam in ſolemni, cùm ſolemnitas dependeat à conſtitutione Eccleſiæ, quæ ſolemnitas conſiſtit in eo, quòd ipſum votum coniunctum ſit profeſſioni religionis approbatæ, vel ſuſceptioni ordinis ſacri, & ex coniunctione cum tam præclaro actu ſolemne dicitur. *Nauar. cap.*12. *num.*77. *Guttier. de matrim. diſp.*8. *num.*7. *Valent. 2.2. d.*6. *quæſt.*6. *p.*7. *Sanch. de matrimon. lib.*8. *d.*8. *Reginald. c. numer.*328. *Leſſius c. dub.*19. *numer.*141.

29. Quamvis habentes generale priuilegium commutandi & diſpenſandi vota, poſſint ea omnia vota commutare, & diſpenſare quæ ab Epiſcopis iure ordinario commutari poſſunt; nam ea vota non ſunt ſimpliciter reſeruata; non tamen poſſunt, ſecundùm *Filiuctius cit. numer.* 277. *Suar. lib.*6. *cap.*29. *num.*19. *Rodriques in expoſitione bullæ* §59. *numer.*118. *Sanchez lib.*4. *mor. cap.*43. *num.*7. *Tambur. de iur. Abbat. tom.*2. *diſp* 19. *quæſt.*8. *num.*4. *Dian. p.*6. *tract.*6. *reſol.*10. commutare ea, nec diſpenſare, in quibus ob extraordinariam neceſſitatem competit Epiſcopis facultas diſpenſandi vel commutandi vota Summo Pontifici reſeruata: verbo gratia diſpenſant Epiſcopi in voto abſoluto caſtitatis & religionis, quando vouens taliter eſt conſtitutus, vt propter incontinentiam votum eiuſmodi ſit ipſi maximè periculoſum, nec eſt facilis votum habenti acceſſus ad Pontificem, vel propter paupertatem, vel propter diſtantiam, & interim vrget periculum incontinentiæ. Ratio autem cur in hoc caſu diſpenſare poſſint Epiſcopi, & non religioſi priuilegiati, eſt, quia votum huiuſmodi eſt verè reſeruatum, ac diſpenſatio verè cadit in materiam reſeruatam, & ideò caſus illi non cenſentur Epiſcopales, nec Epiſcoporum iuri ordinario ſubiecti; ſed per accidens poſſt Epiſcopus in illis diſpenſare, ex quadam benigna voluntatis interpretatione: Miratur tamen noſter *Crouſers ad cap.*7. *regulæ minor. lect.*29 *fol.*785. 786. quare Ordines mendicantes per ſua priuilegia valentes diſpenſare in votis ſicut Diœceſanus, in hoc vel ſimili caſu id non poſſint? quandoquidem Epiſcopi diſpenſent, non poteſtate delegata, ſed quam delegare poſſunt, ac proinde ordinaria, cùm ſit perpetuò annexa dignitati Epiſcopali: idque non ex priuilegio iuri etiam incluſo, per quod ſcilicet ipſis concederetur, quod iure non poterant: ſed iure ordinario, per quod in ipſis manet dicta facultas, quamdiu non fuerit ipſis legitimè ſublata circa ſimiles caſus: & ideò ſatis probabile putat id etiam poſſe confeſſarios mendicantes: cuius ſententia ſatis mihi placet, quia anno 1629. in conſiſtorio Sacræ Cõgregationis Eminentiſs. Card. viſa & tolerata fuit.

Ex bulla autem *Clementis VIII.* data 13. Iulij 1604. quæ incipit. *Dominici gregis cura.* apud Rodriques in bullario clariùs conſtat hæc poteſtas, nam Pontifex ibi concedit religioſis Carmelitis Diſcalceatis eundibus ad conuerſionem quorumcumque infidelium ſiue hæreticorum, inter varia priuilegia, vt ſuper votis quoque ſimplicibus Religionis & caſtitatis ex aliqua cauſa rationabili poſſint diſpenſare. Quo priuilegio per communicationem gaudent cæteri Mendicantes miſſionarij.

VSVRA I.

Quid, & quotuplex ſit Vſura, & an ſit illicita.

SVMMARIVM.

1. *Quid ſit vſura? & an ad rationem vſuræ requiratur mutuum?*
2. *An ad vſuram requiratur lucrum vltra ſortem & quod lucrum iſtud ſit res pretio æſtimabilis?*
3. *An requiratur vt lucrum proueniat ex vi mutui, & intendatur principaliter ex mutuo?*
4. *Quotupliciter hoc nomen vſura accipiatur?*
5. *Quotuplex ſit vſura?*
6. *An vſura iure poſitiuo, diuino vel humano, & naturali illicita ſit?*
7. *An liceat ex mutuo principaliter vel minus principaliter ſperare lucrum quod detur ex obligatione iuſtitiæ propter mutuum?*
8. *An vſura ſit deducere amicitiam in pactum mutuando* refertur duplex ſententia.
9. *Quando vſura mentalis committatur?*
10. *Quomodo cognoſcendus ſit animus vſurarius, ponuntur quædam regulæ.*

1. QVoniam ex mutuo naſcitur *Vſura*, & ſupra ex Doctoribus, *Mutui* definitio poſita ſit, eſſe nempe, *contractum* quo vnus rem ſuam fic alteri tradit vtendam vt ipſa ſtatim fiat accipientis, cum obligatione reddendi poſtea rem eandem, non quidem numero, ſed ſpecie, ſeu valore & bonitate. *Ideò ad rationem* vſuræ quatuor aut quinque requiruntur, *L.*2. *ff. ſi certum petatur. L.*1. §. *mutui autem datio ff. de act. & obligat. Leſſius lib.*2. *cap.*20. *d.*1. *Fillincius tract.*34 *cap.*10. & ex his *primum* eſt *Mutuum*: Cuius communiſſima *materia* eſt res vſu conſumptibilis; *An autem* mutuum habeat locum etiam in rebus vſu non conſumptibilibus? licèt iura materiam mutui generaliter ponant eas res quæ conſiſtunt in numero, vt pecunia; in pondere, vt aurum, argentum & quodlibet metalli genus; in menſura, vt vinum, oleum, frumentum. Negant *Soto lect.*6. *de mutuum. Nauar. cap.*17. *num.*206. *Sotus lib.*6. *quæſt.*1. *art.*1. *Inſt. lib.*3. *tit.*15.

2. *Secundum requiſitum* ad vſuram eſt, *Lucrum vltra ſortem*, id eſt, vltra ſummam capitalem: ita nimirum vt mutuans vltra

ſummam quam mutuauit, accipiat aliquid quod antea non erat ſuum. *Tertium* requiſitum eſt, vt lucrum illud ſit res pretio æſtimabilis: vnde non foret vſurarius, qui ex mutuo ſperaret vel intenderet alicuius amicitiam, quæ pecunia non ſolet æſtimari. *Caiet. v. vſura. Molin. diſp.* 303. *tr.*2. *Sylu.* 2.2.*q.*78. *art.*1.

3. *Quartum requiſitum* eſt, vt hoc lucrum proueniat ex vi mutui, hoc eſt, ratione mutuationis, ſi enim ex alia cauſa proueniat, vt ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, & ſeruentur conditiones ad iſtos titulos requiſitæ, non eſt vſura. *Quintum* requirunt ad vſuram nonnulli, vt lucrum intendatur principaliter ex mutuo, ſed meritò ab alijs hoc reijcitur: ſiuè enim primaria ſiue ſecundaria intentione ſperetur lucrum, ſemper eſt vſura, ſi ſperetur ex mutuo tanquam titulo iuſtitiæ. Ex quibus intelligi poteſt quid ſit vſura. *Filliucius tract.* 34. 2.*p. cap.*1. *q.*2. *Bonac. de contr. diſp* 3. *q.*3. *p.*2. *Sylu. c. art.*1. *Leſſ. c. c.*20. *dub.*5.

4. Hoc nomen *Vſura* tripliciter à Doctoribus accipitur. *Molin. tr.*2. *diſp.*303. *Caiet. v. vſura. Valent.* 2.2 *diſp.*5. *qu.*21. *Leſſius c. cap.*20. *dub.*3. *Laym. l.*3. *tr.*4. *cap.*16. *num.*1. *&* 2. *Primò* pro lucro, ſeu obiecto proprio ipſius mutuationis, ſeu actionis vſurariæ, & hoc mutuum dicitur vſura, quia ex vſu pecuniæ alteri mutuatæ prouedit. dicitur etiam fœnus à fœtura, quia ex *Ariſtot. 1. pol. c.*7. in fœnore nummus nummum parit; licet enim pecunia ex ſe ſit infœcunda, tamen induſtria cupidorum, fœcundior eſt omnibus animalibus, & ſic poteſt definiri: *Vſura eſt lucrum immediatè ex mutuo proueniens*: *lucrum* vocatur acquiſitio rei ſupra ſortem pecunia æſtimabilis. & alias indebitæ: vnde ſi mutuem tibi mille, vt reddas depoſitum, non erit vſura. Dicitur, *immediatè*, quia debet hoc lucrum prouenire ex vi pacti mutuationis: ſi enim immediatè proueniat ex amicitia vel gratitudine, vel ex ſpe alliciendi mutuantem ad continuandum mutuum, non erit vſura. Dicitur. *Ex mutuo proueniens*, nam ſi vendas rem tuam ſupra iuſtum pretium, lucratis quidem, ſed hoc lucrum, non eſt vſura, quia prouenit non ex vi mutui, ſed ex iniqua venditione. *Secundò* accipitur *vſura* pro contractu vſurario, qui nihil aliud *eſt*, quàm *mutuatio expreſſa vel implicita cũ pacto reddendi aliquid ſupra ſortem ratione mutui*. *Bonacina de contract. d.*3. *qu.*3. *p.*2. *num.*4. *Filliucius tr.*34. *qu.*2. *Couar. l.*3. *var cap.*1. *Tertiò* pro voluntate ſic contrahendi, & eſt voluntas capiendi lucri ſupra ſortem ex vi mutui. *Nota* autẽ, id quod ex mutuo ratione mutui deberur, eſt tantùm æquale, quod dici ſolet à Doctoribus, ſors, capitale, principale: quod verò ad id accedit, *Vſura* vocatur.

5. *Vſura* alia eſt *formalis & aperta* quæ ſcilicèt committitur in mutuo formali, cum quis paciſcitur de lucro expreſsè, vel tacitè. Alia *virtualis & palliata*, quæ ſcilicet latet in alio contractu, vt cum venditur merces credito, maiori pretio, prima facie videtur eſſe contractus emptionis & venditionis, & tantùm eſſe exceſſus prætij; *Virtualiter* tamen eſt mutuum cum vſura: idẽ enim eſt, ac ſi ſtatim numerata pecunia fuiſſet merces vendita iuſto pretio, & deinde propter mutuum eiuſdem pecuniæ vſque ad tempus dilatæ ſolutionis acciperetur ille exceſſus iuſti pretij. Idem in emptione minori, quàm iuſto pretio ob anticipatam ſolutionem. *Præterea* vſura *alia* eſt realis & externa, *alia* mentalis. & interna. *Realis* cõcingit, quando interuenit pactum ſaltem implicitum reddendi aliquid ſupra ſortem. *Mentalis* eſt, quando nullum adeſt pactum, ſed mutuans dat eo animo & intentione, vt acquirat lucrum ex mutuo. *Toletus lib.*5. *c.*29. *Fill. c. cap.*2. *q.*1. *&* 2. *Nauar. in man. c.*17. *n.*206. *Sylu.* 2.2. *qu.*78. *art.*1. *&* 2. *concl.*1. *Laym. c. n.*5.

6. *Vſura* non ſolùm iure poſitiuo, diuino vel humano, ſed etiam naturali illicita eſt iuxta communem ſententiam Theologorum & Canoniſtarum: *Nauarr. cap.*17. *numer.*207. *Valent. tom.*3. *diſp.*3. *qu.*21. *punct.*1. *Sylueſtr* 2.2. *q.*78. *art.*1. *Azor. 3.p. lib.*5. *cap.*2. *Molina diſp.*304. *Filliucius c. cap.*1. *queſt.*5. *& ſeq. Cuſpenſ. tr.*19. *diſp.*3. *ſect.*1. imò hæreſis eſt dicere vſuram non eſſe peccatum, vt definitum eſt in Concilio Viennenſi & colligitur ex multis ſcripturæ locis. & licet olim vſuræ per leges Cæſareas licitæ haberentur, nihilominus huiuſmodi leges ab Eccleſia fuerunt abrogatæ in Concilio Viennenſi, vtpote repugnantes non ſolùm iuri diuino, verùm etiam naturali: quia contra ius naturæ eſt, vt idem vendatur bis, ſiue duplici pretio: item, vt vendatur id quod non eſt venditoris: at qui accipit vſuras, vel eas accipit pro ſorte, & ſic habet duplex pretium, nempe ſummam æqualem ſorti, & præterea illam vſuram, vel eas accipit pro vſu ſortis & ſic vendit alteri vſum rei non ſuæ, ſed ipſius, nam mutuatarius eſt Dominus rei mutuatæ. *Aduertendum* autem eſt Hebræis permiſſas fuiſſe vſuras ad maius damnum euitandum (ſicut etiam permittebatur libellus repudij, & apud nos permittitur meretricium) vel ad compenſationem faciendam cum gẽtibus, qui res Hebræorum retinebant, vel propter authoritatem Dei transferentis dominium lucri in accipientem. *D. Thom.* 2.2. *q.*78. *a.*1. *ad* 2. *Arragon. ib. Conar. l.*3. *var. c.*1. *n.*7.

7. Cum *duobus modis* poſſit intendi lucrum ex mutuo. *Nau. c.*17 *n.*209. *P. Nauar. l.*3. *c.*2. *n.*197. *Cuſpenſ. c. nu.*13. *Primò* quaſi debitum ratione iuſtitiæ, & vt pretium mutui, ſiue immediatè ex mutuo. *Secundò* tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum, quia ſcilicet mutuatarius ex naturali honeſtate tenetur ad remunerandum ſuum benefactorem. *Hinc dicendum* eſt, nec principaliter nec minùs principaliter licet ſperare lucrũ, quod detur ex obligatione iuſtitiæ propter mutuum: quia per mutuum tu nullum ius acquiris ad tale lucrum: nec ille obligationem iuſtitiæ contrahit ad illud dandum: ergo iniquum eſt illud deſiderare tamquam ex obligatione iuſtitiæ per mutuum inducta. *Non* eſt *tamen iniquum* etiam principaliter ſperare lucrũ ex mutuo, mediante amicitia vel gratitudine: quia accipere lucrum ſic datum, non eſt iniquum nec vſura, cùm non accipiatur Domino inuito, ſed liberè dante: ſi ergo accipere non eſt vſura, neque etiam erit voluntas, & intentio illud accipiẽdi. Notandum tamen fieri poſſe vt ſit ſignum auaritiæ, ſi principalis finis mutuationis in tali lucro collocetur. *Molina tr.*2. *diſp.*305. *Sylu. c. art.*1. *Leſſ. c. dub.*5. *Filliuc. tract.*34. 2.*p. numer.*21. 23. *Salas de vſur. dub.*5. *nu.*5.

8. *An autem vſura* committatur deducendo amicitiam in pactum, mutuando? Negant *Nauarr. c. nu.*209. *Reginald. l.*25. *nu.*189. *Azor.* 3.*p. l.*5. *c.*7. *qu.*13. modò non imponatur alia obligatio, quia inquiunt amicitia non eſt aliquid pecunia æſtimabile. *Alij* autem dicunt hoc non eſſe licitum; quia non licet in mutuo imponere alteri obligationem, ad quam alias non tenetur; deducere autem amicitiam in pactum eſt imponere obligationem, ad quam alter aliàs non tenetur; & hæc ſententia videtur probabilior altera, quam tenent *Valent.* 2.2. *d.*5. *q.*21. *p.*1. *Salon* 2.2. *q.*78. *art.*2. *concl.*2 & alij.

9. *Vſura mentalis* non committitur ab eo, qui pecuniam mutuat alteri indigenti, ſperans illum gratum fore, ac liberalem: *Filliuc. c. nu.*7. *Nauar. cit. Reginald. l.*25. *n.*190. eſto mutuans non fuiſſet mutuaturus, niſi ſperaſſet illum gratum fore, vel niſi ſperaſſet ſibi lucrum & commodum ex beneuolentia & liberalitate mutuatarij conferendum. *Imò mutuans*, qui excitat mutuatarium ad aliquid ſibi tradendum in remunerationem mutui licet debeat acriter reprehendi ob periculum vſuræ: ipſa tamẽ non committit vſuram nec tenetur ad reſtitutionem, ſi ſolùm intendat excitare. & allicere mutuatarium ad aliquid ſibi tradendum ex liberalitate, & gratitudine, & credat mutuatarium liberaliter tradere. *Molina c. nu.*6. *Leſſ. c. n.*37. *Couar. ad reg. peccatum p.*2. *nu.*4. *Filliuc. c. nu.*30. *Idem dicendum* de eo, qui tradit munera, vt hac ratione trahat ad beneuolentiam, vt inde ex beneuolentia obtineat, quod periturus eſt. *E contrà* vſurarius mentaliter eſt, qui dat mutuo pecuniam Principi, ſperans lucrum ex mutuo tamquam pretium, & in recompenſationem non gratuitam nec liberalem, ſiue principaliter ſperet ſiue minùs principaliter. *Graſſis pr. par. libr.*2. *capit.* 107. *numer.*6. *Nauarr. c.*

10. *Regula* ad cognoſcendum animum vſurarium à Doctoribus affertur. *Prima*, ſi mutuator ſperauit, vel accepit lucrum ex liberalitate & gratitudine mutuatarij tantummodò, ſibique perſuadet eo animo mutuatarium dediſſe, non eſt damnandus peccati vſuræ. *Secunda*, ſi mutuator intendit, vel accepit tamquam pretium pro mutuo, eſt cenſendus vſurarius. *Tertia*, ſi mutuator dubitat de animo mutuatarij, an ſcilicet dederit ex liberalitate, an ex obligatione tamquam pretium, eſt condemnandus vſuræ, quia vel voluit exercere iniuſtitiam, vel ſe expoſuit periculo illius exercendæ. *Quarta*, quando non conſtat de animo dantis, regula deſumenda eſt ex qualitate ipſius tradentis; nam ſi tradens tradat ſponte ſua abſque prauio pacto, & animo hilari, cùm alioquin ſit gratus. & liberalis, præſumendus eſt liberaliter tradere, cum adſit certitudo moralis ad ita credẽdum. Vide *Leſſ. c. dub* 6. *Couar. ad reg. peccatum p.*2. *n.*4. *Caiet. tom.* 1. *opuſc.*8. *queſt.*3. *Bonacina de contr. diſp* 3. *queſt.*3. *p.*2. *nu.*11. *Filliuc. c. num.*27.

Vide *Monſpetatis. Mutuum Scandalum n.*9. *&* 3.

V S V R A I I.

De pactis ratione ipsius actionis mutuandi.

S V M M A R I V M.

1. *Quotnam pacta sint vsuraria?*
2. *An vsura committatur ab eo, qui tradit alteri mutuum cum pacto, vt mutuatarius teneatur præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu?*
3. *An mutuans vsurarius sit mutuando alteri cum pacto, vt mutuatarius sibi mutuatori tribuat, vel vendat officium, priuilegium, aut vt sibi vel alteri beneficium conferatur?*
4. *An vsura sit mutuare oleum, vel pecuniam alteri cum pacto, vt mutuatarius sibi mutuum est restituat in re diuersæ rationis, &c. Et an vsurarius sit, qui mutuat alteri pecuniam dicendo, mutuo tibi centum numnos soluendos in tritico tempore messis pretio communi?*
5. *An sit vsurarium pactum de remutuando, vel emendo pretio iusto in officina mutuantis?*
6. *An qui mutuat fœminæ cum intentione, vel pacto, vt sui copiam faciat in pretium mutui, vsuram committat?*
7. *An sit vsurarium pactum, si mutuatarius exigat iniustam vindictam priuatam scilicet, vel iniustam satisfactionem pro fama aut honore?*
8. *Quando pactum in mutuo non censeatur vsurarium de restituendo in eadem mensura?*
9. *An in contractu mutui, & alijs contractibus solutio facienda sit iuxta valorem rerum, quem habebant tempore contractus?*
10. *An in mutuo reddenda sit pecunia in quacunque materia placuerit debitori?*
11. *An quando Principis authoritate variantur mensuræ, soluenda sit res mutuata in ea mensura qua fuit accepta?*

1. DOctores *tres regulas* afferunt, ex quibus intelligi potest quę pacta sint vsuraria. *Medina de vsur. qu.*1. *Conrad. de vsur. q.*32. *Sylvest. v. vsura, initio Bonac. tit. p.*2. *nu.*1. *Fill. c. nu.*31. *&* 32. *Sylu.* 2.2. *q.*78. *ar.*2. *Prima* est, pacta & obligationes quæ mutuans exigit pro assecuratione rei mutuatæ, neq; continent aliquod lucrum, licita sunt, & absque vsura; quia mutuans potest consulere suæ indemnitati, ne sors principalis pereat & ad hoc potest requiri pactum & obligatio. *Secunda* vbicunq; sunt tria hęc, mutuum, lucrum ex illo, & pactum, est vsura formalis: vbi deficit intentio, & adest pactum, non est vsura coram Deo, sed coram Ecclesia. *Tertia*, Omnis pactio, & conuentio, per quam imponitur mutuatario onus, & obligatio quasi ex iustitia, ad quam mutuatarius aliàs non tenebatur, labem vsuræ continet: quia pactio qua imponitur mutuatario onus pretio æstimabile tanquam ex iustitia debitum, vsuraria est. Ex quibus regulis sequentes assertiones ponimus.

2. *Vsura* committitur ab eo, qui tradit alteri mutuum cum pacto, vt mutuatarius teneatur præstare munus à lingua, ab obsequio, à manu. *A lingua*, vt alloqui Principem, vel quemvis alium in fauorem mutuantis. *Ab obsequio*, vt comitari se, vxorē suam filios, negotia ipsius gerere, & similia. *A manu* est colere agrum, domum conducere, vel locare, vel elargiri aliquid, siue sit pecunia, siue quid aliud, vt triticum, oleum, &c. *D. Thom.* 2.2. *q.*78. *ar.*2. *Molin. c. d.*310. *Azor.* 3. *p. l.*7. *&* 5. *cap.*7. *qu.*1. *Salon. c. q.*78. *ar.*2. & alij.

3. *Mutuans vsurarius* est mutuando alteri cum pacto, vt mutuatarius sibi mutuatori quantumvis digno tribuat, vel vendat officium, vel priuilegium, vel exemptionem à tributis. vel eximat aliquo onere, ad quod tenetur, *Regin. l.*25. *nu.*200. *&* 202. *Molin. c. n.*10. *Diana. de contr. resol.*61. *Fill. c. n.*33. *Less. c. dub.*9. Idem *dicendum* de eo, qui mutuat cum pacto, vt sibi, vel alteri beneficium conferatur; hic enim committit vsuram simoniacā, cùm ineat pactum rei temporalis pro spirituali. *Propterea* officium temporale, vel beneficium quod mutuator obtinuit à mutuatario ratione mutui, restituendum est mutuatario, vel eius pretium, vel aliquid arbitrio boni viri, nam iniustè acceptum est cum damno mutuatarij voluntariè mixtè tradentis. *P. Nau. l.*3. *c.*2. *n.*267. *Arrag.* 2.2. *q.*78. *a.*2. *d.*2. *Salas de vsur. d.*9. *nu.*4. *Veruntamen* nonnulli Doctores existimant mutuantem regi, vel magnati, cum pacto, vt officium sibi conferat, non teneri officium resignare; quia collatio, vtpote facta ex contractu oneroso, & non merè gratuita, valida fuit. *Conrad. in summ. quæst.*220.

4. *Vsura* est in mutuante, qui mutuo dat oleum, vel pecuniam alteri cum pacto, vt mutuatarius sibi mutuum restituat in re diuersæ rationis, aut vendat vinum, vel triticum tempore messis pretio communi, nam imponit mutuatario obligationē pretio ęstimabilem, vendendi scilicet res suas. *Molina d.*309. *n.*7. *Azor. c. Bann.* 2.2. *q.*78. *a.*2. *Similiter* vsurarius est, qui mutuat alteri pecuniam hoc modo, mutuo tibi centum nummos soluendos in tritico tempore messis pretio communi, modò taliter mutuans intendat celebrare contractum mutui; quia imponit mutuatario obligationem restituendi triticum tali tempore loco pecunię; secus *dicendum*, si intendat celebrare contractum emptionis, quasi tradendo anticipatè pecuniam tanquā pretium tritici taxandi, iuxta communem æstimationem futuri temporis; quod non est illicitum. *Regin. c. n.*180. *P. Nau. c. nu.*135. *Sà v. mutuum n.*8. *Molin. c. nu.*9. *Vt autem* sciatur an sit mutuum, vel emptio in prædicto casu *hæc regula sit*. Si tradens pecuniam tradidit illam reuocabiliter, ita vt posset illam repetere, censetur contractum mutui celebrasse: si verò tradidit illam irreuocabiliter, censetur iniisse contractum emptionis, anticipata solutione. *Reginaldus cit. n.*297. *P. Nauarr. cit. nn.*238.

5. *Pactum de remutuando*, vel emendo iusto pretio in officina mutuantis, non est vsurarium, modò tantùm inducatur obligatio gratitudinis, non autem alia maior quia nulla maior obligatio imponitur, quà moriatur ex ipsa natura beneficij: *Less. c. dub.*8. *Filliuc. c. nu.*38. *Sà v. mutuum nu.*3. *D. Thom. c. art.*2. *ad* 4. *Salas de vsur. dub.*10. *numer.*3. *Sylu. c. artic.*2. Si autem addatur maior obligatio; nempe ciuilis, quamuis *Adrianus*, *D. Antoninus*, & alij putent hoc esse licitum, tamen contraria est probabilior, & communior sententia; quia talis obligatio ciuilis, est pretio æstimabilis, vnde mutuans ex vi mutui lucraretur aliquid supra sortem. *Item vsura* est mutuare alteri cum pacto, vt veniat ad suū Molendinū, vel Apothecā vel vt scholam suā frequētet; vel non repetendi mutuum, donec mutuatarius frequentauerit molendinum, vel cum pacto, vt mutuatarius non teneatur soluere toto tempore, quo venerit ad Molendinum, vel Apothecam: videtur enim mutuans imponere obligationem veniendi ad Molendinum, vel Apothecam, concessa dilatione ad soluendum. *Nau. c.*17. *num.*220. *Sylu. c. concl.*7. *Dian. de cont. resol.*59. *&* 60. *p.*1. *Reginald. c. n.*200. *Sylvest. v. vsur.*1. *q.*7. *Aduertendum* verò est mutuantem, his pactis vsurarijs, teneri dictam obligationem relaxare; *Couar.*3. *var. cap.*2. *nu.*5. *P. Nauarr. c. nu.*269. *Molin. c. d.*309. imò etiam teneri restituere, quantùm valet illa obligatio, seu grauamen per totum tempus; quo mutuatarius se grauatum existimabat: quamuis non teneatur ad restitutionem lucri, quod ipse mutuator inde accepit, modò non adsit excessus iusti pretij, aut mercedis pro molitione. *Filliucius cit. numer.*38. tamen probabile putat pro grauamine nihil deberi, quia nuda iniuria sine damno, pecunia non æstimatur.

6. *Qui mutuat* fœminæ cum intentione, vel pacto, vt sui copiam faciat in prætium mutui, vsuram committit. *Regin. l.*25. *n.*189. *Molin. d.*307. *n* 2. *Fill. c. n.*33. *Secus* si immediatè intendat amicitiam, & mediante amicitia copulam. *Item* qui mutuat Medico hoc pacto, vt teneatur curare & mederi; aut qui mutuat Aduocato, vt teneatur mutuantem defendere: aut qui mutuat rustico, vt teneatur iter facere, vsura committitur; etiamsi pro huiusmodi operibus constituat iustum pretium: quia imponit mutuatario obligationem, quam antea non habebat. *Azor.* 3. *p. l.*7. *c.*7. *q.*1. *Salas c. dub.*16. *nu.*2. *Molin. d.*309.

7. Non est *vsurarium pactum*, sed licitum, si mutuatarius exigat iniustam vindictam, priuatam scilicet, vel iniustam satisfactionem pro fama, aut honore; quia id est tantùm redimere iniustam vexationem, ad quam nullum ius habet mutuatarius, consequenter illam remittendo non remittit aliquid pretio æstimabile: *Si autem* exigat iustam vendictam vel satisfactionem, non potest cum ratione mutui obligare pacto iustitiæ vt condonet; quia talis remissio est pretio æstimabilis, cùm liberet mutuantem ab onere soluendi, vel satisfaciendi: posset tamen pacto amicitiæ, quo scilicet solùm intendit eam obligationem quam amicitia vel virtus gratitudinis inducit; tunc enim remissio non exigeretur vt pretium mutui, sed vt officium amicitiæ faciendum gratis & liberè. *Less. c. dub.*7. *Conrad.*

de vsur.q.37.concl.2.Molin.c.d.307.Filliuc.c.nu. 34. & 35. Angel.v.vsura 1.n.3.Bonac.c.p.3.n.16.

8. *Pactum in mutuo*, vt restituatur in eadem mensura, etiamsi pretium eius creuerit, non est vsurarium, si æqualiter dubitetur, an res tempore solutionis sit plus, vel minùs valitura, & æquale sit periculum acceptus, & descensus valoris rei. *C.Naugarii.de vsur. Molin.c.a.311. P. Naua.l.3.c.2.num. 262. Conar. 2.var.c.3 nu. 6. Fill. tr.34.n.48.49.50. Regin.l.25.num. 185.* Si certum sit vel saltem probabilius rem valituram minoris, potest mutuator maiorem, quam dederit mensuram, exigere, pro vt id magis vel minùs certum fuerit, vt fiat æqualitas, idque siue rem illam esset nunc venditurus, aut in familia consumpturus, siue seruaturus. Si autem certum est vel probabilius rem tempore traditionis valituram pluris quàm modò valeat, non potes ad parem mensuram reddendam obligare; sed tantùm ad eam quæ tunc temporis adæquabit pretium rei à te traditæ, quia non potes pacisci vt aliquid reddatur vltra id quod æquiualet rei tuæ. Quidquid *Sotus & Molina* in contrarium docent dicentes, non esse contra iustitiam etiamsi exigat in hoc casu eandem mensuram, modò non obliget illum vt differat solutionem vsque ad illud tempus, sed solum obliget vt soluat dum mutuans repetet; hæc sententia posset esse probabilis, si non est certum, pretium fore augendum.

9 *In contractu mutui*, imò etiam in omnibus alijs contractibus, vt cambio censu, &c. solutio facienda est iuxta valorem rerum, quem habebant tempore contractus, siue valor decreuerit, siue creuerit; quia hoc pacto seruatur æqualitas inter datum, & acceptum quod intelligendum est, modò aliud in pactum non deducatur; nam si contrahentes conueniant de eadem quantitate restituenda, facienda est restitutio secundùm eandem quantitatem, habita tamen ratione periculi augmenti, vel decrementi, ne contractus labem iniustitiæ contineat. *C.cum olim, c.cum Canonicis, de censibus Sa.mutuum n.9 Fill.c.n.56. Mol.d.sp.312. Rebell.l.11.q.15.n.12.*

10 *In mutuo*, si non est expressum sub qua materia pecunia reddenda sit, potest reddi in quacumque placuerit debitori, modò sit idem valor: vnde si mutuans eadem materiæ bonitate & pondere augeatur aut minuatur valor post mutuum, prodest vel nocet mutatio debitori etiam ante moram, non autem creditori. *Molin. d.311. Syl.n.vsura 1.q 16. P. Naua.l.3.c.2 n. 250. Pactum* verò de reddendo mutuo in alia materia ab ea quam accepit mutuatarius, est vsurarium; quia id est cõtra naturam mutui & quid onerosum, ac propterea pretio æstimabile, a quo non teneatur mutuatarius. *Bonac.c.p.3.nu.28. Medina de vsur.q. 5. Pactum* autem vt reddantur totidem nummi siue maioris siue minoris sint valoris, non est vsurarium, si aquè dubium sit de incremento, & decremento: si probabilius est incrementum, tunc si mutuans erat seruaturus vsq; ad tempus restitutionis, potest obligare mutuatarium ad reddendos totidem numnos iuxta maiorem valorem: si non erat, non potest. *Quando denique* esset probabilius decrementum, tunc posset exigi à mutuatario iuxta valorem tempore mutui, si mutuans erat illos statim distracturus; si non, quidam negant, alij verò affirmant, & fortè probabiliùs, vt dictum est supra. *Less c.dub.17. Fill.c.n.60. Rebel.l.11.q.15.n.9. Bonac.c.n.29.*

11. Iuxta communem Doctorum sententiam quando Principis Auctoritate variantur mensuræ, soluenda est res mutuata in ea mensura qua fuit accepta; sic enim seruatur æqualitas, cùm tantundem restituatur, quantum acceptum fuit. *Azor.c.l.5 c.7. q.6. Regin.c.n.18. Fill.c n.61.*

Vide *Empt.*n.17,18, *Venditio* n.4.

VSVRA III.

An ratione damni emergentis, lucri cessantis, periculi sortem amittendi, & carentiæ pecuniæ liceat aliquid exigere supra sortem.

SVMMARIVM.

1. *Quodnam dicatur damnum emergens? & an liceat mutuatori pacisci cum mutuatario, de aliqua pecunia vltra sortem reddenda, ratione damni ex mutuatione emergentis?*
2. *Quæ conditiones requirantur, vt mutuator licitè possit exigere damnum emergens ex mutuo?*
3. *An teneatur mutuatarius ad compensationẽ damni, quando est in mora culpabili si inde damnum aliquod eueniat mutuanti?*
4. *Quodnam dicatur lucrum cessans? & an liceat de hoc lucro pacisci ab initio cum mutuatario?*
5. *Quæ conditiones requirantur, vt pactio de lucro cessante in mutuo sit licita?*
6. *An ratione lucri cessantis possit exigi tantum quantum est lucrum speratum?*
7. *An lucri cessantis compensatio possit exigi statim dato mutuo?*
8. *An ratione periculi sortis, vel difficultatum, aut expensarum quæ in ea recuperanda metuuntur, licitum sit aliquid exigere?* refertur duplex sententia.
9. *An ratione carentiæ pecuniæ possit aliquid accipi supra sortem, etiamsi mutuanti nullum lucrum cesset, vel damnum impendeat?* refertur duplex sententia.
10. *An ratione fideiussioni possit aliquid accipi.*

1. *Damnum emergens* dicitur, quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet vel quæ ipsi debentur: *Molin.d.sp.314. Nau.de vsur.n.64. Medin. de vsu.q 3.* vt cum quis ratione mutui, quod alteri præstitit, cogitur ipse pecuniam interim accipere, & vsuram soluere, vel res suas minoris vendere: quo posito *dicendum* est, licitum esse mutuatori in principio contractus pacisci cum mutuatario de aliqua pecunia vltra sortem reddenda, vel ratione periculi damni ex mutuatione impendentis, etiam ante terminum, & moram mutuatarij; vel ratione ipsius damni, si quod euenerit: quia æquitas non postulat vt mutuator patiatur damnum notabile, alteri subueniendo: *L.7 h.c. q.78.a.2 ad 1. Less.c.c.20.n.72. Azor 3.p.l.5.c.4. Filiut.34.n.66. Reg.n.l 23.n.18 Bannes 2.2.q.78.a.2 a.1. Nau. de vsur. num.58. Syl.2.2.q 77.a 1.quæs.4. Dian.tr.de contr.ref.71.p.1. Si vero* mutuator in principio contractus nullum iniit pactum cum mutuatario, non teneretur illud præstare; modò non fuerit in mora soluendi, aut non fuerit causa iniusta damni: *ratio* autem est, quia mutuatarius fortè non accepisset mutuum cum tali onere, neque forsan illi expediuisset accipere cum tanto onere: ex quo sequitur mutuatorem, eò ipsò quò non iniit pactum de damno emergente censeri illud in se recepisse, & alteri condonasse.

2. Vt *mutuator* licitè possit exigere damnum emergens ex mutuo, *tres conditiones* requiruntur. *Prima*, vt reuera mutuum sit causa damni, quia scilicet per illud factus est quis impotens ad impediendum illud damnum. *Secunda*, vt tempore contractus in pactum deducatur damnum, quod reipsa euenit, vel immineat; aduertit tamen *Lessius*, si reuera ex mutuo tibi damnum impendeat, posse accipi æstimationem eius. *Tertia*, vt non cogas illum pacisci de periculo damni, potiùs, quàm de damno, sed relinquas ipsius arbitrio: vnde si neque damnum sit, neque periculum damni est deductum in pactum, mutuatarius non tenetur quidquam pro eo soluere etiamsi postea eueniat. *Salon.2.2. q.78.a.2.controu.10.n.4. Fill.c.n.70.71. Less.c.d 10.n.73. & seq.*

3. Quando *mutuatarius* est in mora culpabili, si inde damnum aliquod eueniat mutuanti, tenetur mutuatarius ad illius compensationem: etiamsi in contractu mutui nullo expresso initum fuerit pactum damno emergente: dicitur autem mutuatarius & quilibet alius debitor *esse in mora*, dum elapso iam termino non soluit, cùm tamen possit: aduertens implicitè, vel implicitè creditorem sibi velle solui, & non contentus in mora: *ratio assertionis* est; quia quando in contractibus conuentus terminus solutionis, vel rei exhibendæ initus tacitum pactum, vt non soluens teneatur ad necesse, defectu solutionis obueniens: neque necesse est vt creditor eum interpellet de solutione nam terminus petit & interpellet pro creditore virtute pacti ab initio præstiti. *Nau.c.17.n.211. Bann.c.q.78.a.2. Reg.l.23.n.76. & 77. Filliuc.c.n.68. Molin.d.314.n.6. Salon. c. n.18.* & alij.

4. *Lucrum cessans* dicitur illud, quod quis non percipit, eò quòd mutuum alteri dederit, de hoc lucro cessante licitum est pacisci ab initio cum mutuatario, quamuis ab eo vi vel fraude non sis inductus: quia lucrum cessans ex mutuo contingens, non est minus pretio æstimabile quàm damnum emergens; & mutuator, non tenetur mutuare cum suo detrimento: præterea omissio rei speratæ computatur inter damna; quod enim spe possidemus, aliquo modo centemus habere, & nihil refert siue sponte mutues, siue inuoluntariè per vim, fraudem vel præceptum superioris impulsus. *P. Nauar.l.3. n.28. Couar.3. var.c.4. Regin.c.n.81. Molin.d.315. Fill.c.n.76.77. Syl.n.2.2.q.77.a.1.q.5.*

5. Vt *pactio de lucro cessante* in mutuo sit licita; *tres conditiones* requiruntur. *Prima* est, vt mutuatio sit causa, cur

cd by

cur ceſſet lucrum, quod habebatur in ſpe certa vel probabili; vt accidit quando mutuatur decreuerat pecuniam, quam mutuò tradit, in negotijs impendere, aut quando pecuniam ſubtraxit negotiationi, ob idque ceſſat illi lucrum, quod obuenturum credebatur. *P. Nau. c. n.* 300. *Sa v. mutuum n.* 4. *Molin. c. d.* 316. *Fill. nu.* 79. *Syl.* 2. 2. *q.* 77. *a.* 1. *q.* 5. *Nota* tamen mutuantem non poſſe ratione lucri ceſſantis quidquam exigere, ſi aliam pecuniam habeat otioſam, quàm commode poſſit ſubſtituere abſque periculo in loco pecuniæ mutuatæ, quia mutuator non videtur vllum pati damnum ratione mutui, ſed expropria iniuria & negligentia. *Leſſ. c. d.* 11. *n.* 86, 87. *Nau. c.* 17. *n.* 212. *Salas de vſur dub.* 20. *Dian. de contr. ref.* 64. *p.* 1. *Similiter* ille, qui non deſtinauerat quidem pecuniam negotiationi: ſed certò aut probabiliter illam deſtinaturus erat: poteſt aliquid ad ratam probabilitatis paciſci: nam cauſa mutui amittit lucrum: ſecus dicendum eſt de eo, qui non habebat abſolutam, neque conditionalem, ſi ſe offerat occaſio, voluntatem negotiandi. *Bonac. c. punct.* 4. *n.* 13. *Salas c. dub.* 20. *n.* 2. *Aduertendum* autem eſt mutuatarium non ſolùm teneri ad ſoluendum intereſſe immediatum, verùm etiam mediatum, ſi mutuator iacturam ob mutuum realiter patiatur in vtroque intereſſe. *Fill. c. c.* 4. *n.* 74.

6. *Secunda conditio* eſt, vt non exigatur tantum, quantum eſt lucrum ſperatum, ſed minùs, quantum ſcilicet valet illa ſpes lucri deductis expenſis, quæ fuiſſent factæ in illis negotiatione & æſtimatione laboris, qui in ea ponendus erat, vt verbi gratia, ſi ſpes lucri valeat 100. aureis, & labor & expenſæ æſtimentur 30. non poſſunt exigi pro lucro ceſſante niſi 70. vnde tantum detrahi poteſt de lucro ſperato ratione incertitudinis, quantum ipſe mutuator daret alteri, qui redderet ipſum ſecurum de lucro ſperato, detractis ſimul expenſis, ratione verò laboris & moleſtiarum, quas mutuator ſubijſſet negotiando, ſi pecuniam alteri non mutuaſſet, tantum detrahendum eſt quanti mutuator laborem & moleſtias redemiſſet: lucrum enim dicitur illud, quod ſupereſt detractis expenſis & æſtimatione laboris, atque periculi, *Nauar. de vſur. n.* 54. *Molin. diſp.* 316. *Arragon. Bannes* 2. 2. *q.* 78. *a.* 2. *Leſſ. c. n.* 96. *Dian. p.* 1. *de contr. ref.* 64. *Syl. c. a.* 1. *quæſt.* 5.

7. *Tertia conditio* eſt, vt lucri ceſſantis compenſatio non exigatur ſtatim dato mutuo, ſed conuenientiori interuallo: *Nau. c. n.* 54. *P. Nau. n.* 305. *Regin. c. n.* 73. 90. *Fill. c. n.* 81. *Leſſ. c. n.* 99. *Salas c. d. nb.* 20. *Syl. c. a.* 1. *quæſt.* 5. ex quo fit, vt ſi mutues centum alteri, non poſſis cum eo paciſci, vt tibi ſtatim reddantur quinque ratione lucri ceſſantis: quia mutuatarius non tenetur ad reſtitutionem damni antequam mutuator illud patiatur, mutuator autem non patitur damnum ſtatim in principio contractus; deinde ſi ſtatim velis reddi 5. Iam in re non mutuas alteri 100. ſed ſolùm 95. mutuatarius enim tantummodo retinet 95. & vnde hac ratione fiet vt tantumdem exigas pro lucro ceſſante ex nonaginta quinque, quantum ex centum, quod eſt apertè iniquum. Vide Dianam *tr.* 1. *miſc. reſol.* 50. *part.* 2.

8. *Ratione periculi ſortis* vel difficultatum aut expenſarum quæ in ea recuperanda metuuntur, abſolutè licitum eſt aliquid exigere: *Medin. C. de reſt. q.* 38. *Mol. c. d.* 356. *Diana de contr. ref.* 37. & 57 *p.* 1. *Fill. tr.* 34. *nu.* 97. & 103. quia huiuſmodi pericula ſunt pretio æſtimabilia, nec mutuator tenetur illa gratis ſubire: ergo poteſt aliquid accipere ob huiuſmodi pericula: & hoc verum etiamſi re vera nullum damnum poſtea patiatur: nam quod accipit, non pro damno actuali, ſed pro periculo accipit: quidquid in contrarium ſentiant *Nauarrus cap.* 23. *numer.* 81. *Sotus, l.* 6. *q.* 4. *artic.* 1. *Reginaldus. lib.* 25. *num.* 246. Vt *hoc* tamen iuſtè fiat, tria requiruntur. *Primò*, vt non roges mutuatarium vt te adhibeat loco fideiuſſoris, ſed liberum ei facias pignore vel fideiuſſore cauere. *Secundò*, vt non plus exigas ratione huius periculi quàm ipſe alteri velles dare pro talis periculi redemptione, ſi pecuniâ tuam in illud conijcere cogereris. *Tertiò*, vt verè ſit periculum amiſſionis capitalis & expenſarum etiamſi poſtea reipſa contingat non amitti capitale, nec expenſas fieri; pretium enim non accipitur pro expenſis, & actuali amiſſione capitalis, ſed pro periculo. Ita. *Caiet. v. vſur.* 2. *c.* 12. *Con.* 3. *var. a.* 2. *n.* 5 *Fil. c. nu.* 98. *Leſſ. c. n.* 113. & alij.

9. *Quando ex carentia pecuniæ* ſimul etiam ceſſat mutuanti aliquod lucrum, vel impendet aliquod damnum, vel timetur aliquod periculum: ſic ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis coniuncti cum ea carentia pecuniæ, poteſt aliquid accipi pro quantitate damni, vel lucri ceſſantis. *Molin. tr.* 2. *diſp.* 308. *num.* 8. *Regin. l.* 23. *num.* 52. *Fillinc. tr.* 34. *c.* 5. *q.* 5. *num.* 101. *Bonac. c. p.* 6. *Si verò* ex carentia pecuniæ nullum lucrum ceſſet, aut damnum impendat, nec periculum vllum metuitur, ſic non videtur poſſe aliquid accipi ſupra ſortem: quia carentia pecuniæ & obligatio non repetendi mutuum ante aliquod tempus (vt id quod conuentum) eſt quid intrinſecum, & eſſentiale contractui mutui: per id enim differt à precario: quod precarium ſemper repeti poteſt: mutuum verò non debet ſtatim repeti, vel non niſi poſt certum tempus *Quidam autem* vt *Ioannes Medina C. de reſt. q.* 12. §. *inde infertur apud Leſſ. l.* 2. *c.* 20. *dub.* 14. *Petrus de Ledeſma in ſum. p.* 2. *tr.* 8. *c.* 35. *con.* 4. *Regin l.* 25. *c.* 12. *n.* 246. *Paſqualig. in deciſ. moral. deciſ.* 184. *Cœleſtinus in compend. theol. moral. tr.* 11. *c.* 5. *q.* 2. *Caramuel l.* 2. *Theol. mor. n.* 778. & alij putant hoc titulo poſſe aliquid exigi ſine vitio vſuræ aut iniuſtitiæ, ratione grauaminis, quod ex carentia mutuatæ pecuniæ patitur: & obligationis non repetendi ante tale vel tale tempus, & hic videtur eſſe vſus burſæ Antuerpienſis. Pretium autem quod exigunt mercatores interdum eſt ſex pro 100. in annum; aliquando 7. 8. 9. 10. 11. 12. amplius quàm 12. vetantur exigere conſtitutione Caroli V. edita Bruxellæ anno 1540. 4. Octob. & ſi amplius exigatur, declaratur vſurarium: hæc ſententia ob rationes citatas à *Leſſio* poſſet videri probabilis & iuxta eas conſuetudo Burſæ Antuerp. excuſabilis; ſed quia videtur noua, & à Doctoribus non ita approbata, proinde in re morali tanti momenti non eſt facilè admittenda: Licet *Dian. p.* 1. *tr.* 8. *ref.* 48, & *p.* 5. *tr.* 13. *ref* 50. tamquam probabilem videatur admittere ob rationes quibus eam fulciuit *Petrus de Ledeſma cit.*

Fundamenta autem prioris ſententiæ locum habent, inquiunt, quando pecunia traditur ſub ratione mutui: ſecus autem: ſi principaliter conſideretur grauamen & moleſtia ex carentia pecuniæ, atque adeò potentiæ ad lucrandum. Cùm enim translatio dominij, & carentia pecuniæ ſint res pretio æſtimabiles & pecunia ſit vtilis, & per ſe primò, veniant in conſiderationem, mutant rationem contractus, & faciunt quod id, quod alioquin eſſet mutuum, euadat venditio ad certum tempus, quo elapſo, res vendita ad priſtinum dominum deuoluatur. Et ideò cùm non intercedat amplius mutuum; nec translatio dominij, nec carentia pecuniæ ſunt quid intrinſecum mutuo, nec ratione illius aliquid exigitur. Sic in fundatione cenſus excluditur vſura: quia mutuatio pecuniæ reducitur ad emptionem & venditionem; vnde ideo cenſus introducti ſunt, vt hoc pacto poſſit quiſque ex propria pecunia percipere aliquod lucrum. Et licet hæc ſententia videatur noua; non ſtatim ac aliquid eſt nouum reijciendum eſt; alioquin plurimæ ſententiæ communes locum non haberent; quia aliquando fuerunt nouæ: ſed conſiderandum eſt an rationabiliter procedat. *Si dicas*, quod tali pacto aperitur via vſuris, nam vnuſquiſque cùm mutuatur, poterit aliquod lucrum percipere ſub hoc titulo. Reſpondent, hoc non eſſe aperire viam vſuris, ſed potius excludere vſuras; quia contractus, qui alioquin eſſet vſurarius, reducitur ad contractum iuſtum. Nec eſt nouum, quod ex ſolo diuerſo titulo, quod veniat in conſiderationem, idem contractus ſit vſurarius, & non vſurarius. Sed ſi quis mutuetur pecunias, & accipiat aliquid in pignus cum pacto illo vtendi, committit vſuram: ſi verò non accipiat in pignus, ſed fiat venditio, cum pacto retrouendendi ad certum tempus, ſi interim vtatur, & percipiat inde fructum, non committit vſuram; & tamen ſecundùm ſubſtantiam idem intercedit, ſed ſub diuerſo titulo: vnde *Cœleſtino* hic citato videtur hæc opinio tuta in conſcientia & in praxi hoc tempore teneri & conſuli poſſe; tum quia non audet damnare tot mercatores timoratæ conſcientiæ, qui id agunt, præſertim ex conſilio virorum doctorum, quos ipſi quotidie conſulunt, quique dicunt licere: tum quia huic carentiæ pecuniæ, ordinariè loquendo, ſolent admiſceri & coniungi alij tituli, ob quos diximus ſupra licitum eſſe accipere aliquid vltrà ſortem. His tamen non obſtantibus non eſt recedendum in praxi à communi ſententia, quia aliàs nullus contractus eſſet re ipſa vſurarius, ſed ſolùm per accidens, propter ignorantiam contrahentium, qui nesciunt diſtinguere titulum lucri: nam reipſa idem illud lucrum, quod propter mutuum illicitè exigunt, potuiſſent licitè exigere, non propter mutuum, ſed propter obligationem nouam ſuperadditam non repetendi mutuum intra tantum tempus, quare omnes leges & prohibitiones in hac materia inutiles eſſent, cum id totum ſemper alio titulo licitè fieri poſſet. & reduceretur tota controuerſia de vſuris ad quæſtionem de nomine inutilem omninò ad forum conſcientiæ. Ita Eminentiſſ. Cardin' *Lugo de iuſti. to.* 2. *diſp.* 25. *ſ.* 3. *n.* 16. & nouiſſimè *Diana p.* 8. *tract.* 7. *ref.* 63. clarius explicans ſuam ſententiam circa hanc difficultatem.

10. *Ratione fideiuſſionis* poteſt aliquid accipi, quia illa obligatio eſt pretio æſtimabilis: vnde quo maius eſt periculum ſoluendi,

uendi, eò etiam æstimandum est magis pretium fideiussionis; quando autem nullum timeretur, parum admodum licitum esset accipere: aliquid tamen semper potest ratione solius obligationis: *usura* autem esset remittere mutuatario obligationem dandi fideiussorem, sub conditione, vt sibi mutuanti soluat id, quod dedisset fideiussori; quia fideiussor ideò licitè accipit aliquid quia recipit in se onus aliquod: at mutuans remittendo fideiussorem, nullum recipit onus, ex se; potest enim mutuatarius esse persona secura: si tamen ex hoc, quod non recipiat fideiussorem exponat se periculo probabili amittendi sortem, posset aliquid accipere. Ità *Cajet.* 2.2. *q.*78. *a.*2. *ad* 4. *Sot. l.*6. *q.*1. *a.*2. *Nauar. c.* *n.*285. *Fill. c. nn.*203. *Molin. c. disp.*319.

V S V R A IV.

An in mutuo pœna conuentionalis locum habeat, & de alijs ad vsuram pertinentibus.

S V M M A R I V M.

1. *An licitum sit paciſci vt mutuatarius aliquid ſoluat in pœnam ſuæ moræ vltra ſortem, ſi ad terminum ſtatum non reſtituerit.*
2. *An hæc pœna conuentionalis debita ſit in foro conſcientiæ, quando non imponitur pro intereſſe lucri ceſſantis vel damni emergentis?* refertur duplex ſententia.
3. *An pactum legis commiſſoriæ in pignoribus illicitum ſit & vſurarium? & quid ſit illud pactum?*
4. *An quid dat mutuum & viciſſim recipit pignus a mutuatario, teneatur mutuans fructus pignoris in ſortem computare?*
5. *An ſit vſura, anticipata ſolutione emere minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda?*

1. LIcitum est paciſci, vt mutuatarius, ſi ad terminum ſtatutum non reſtituerit, aliquid ſoluat in pœnam ſuæ moræ vltra ſortem: quia debitor, qui est in mora, peccat contra iuſtitiam retinendo alienum ſeu alteri debitum; ergo potest apponi pœna ex conuentione partium, modò pœna iuſta ſit non enim imponitur obligatio indebita. *Nau. c.*17. *nu.*215. *P. Nau. l.*3. *c.*2. *n.*331. *Sà v. pœna Tolet. l.*5. *c.*32. Hic tamen requiruntur *quatuor conditiones*. *Prima* est, vt non fiat in fraudem vſurariam, id est, vt non apponatur contra voluntatem mutuatarij ad palliandam vſuram, quaſi mutuum detur propter illam pœnam tamquam propter lucrum. *Secunda*, vt debitor verè ſit in culpa non ſoluendo; nam ſine culpa non potest imponi pœna, ſiue ea ſit iudicialis, ſiue legalis, ſiue conuentionalis. *Tertia*, vt pœna ſit moderata iuxta menſuram culpæ alioquin iniustè cogeretur mutuatarius ad conſentiendum in ea. *Quarta*, vt mora ſit notabilis, non enim vnius diei vel etiam hebdomadę interuallum ordinariè ſufficiens dici debet ad pœnam incurrēdam, tamen qualitas negotij & mos prouinciæ ſpectandus est, vt docent. *Regin. c. n.*251. *Etll. tr.*34. *c.*5. *n.*105. *Bonac. c. punct.*7. *num.*2. *Leſſ. c. dub.*15. *Tolet. c. c.*48. *Nauar. c. n.*215.

2. *Magna controuerſia* est inter Doctores, vtrum hæc pœna conuentionalis debita ſit in foro conſcientiæ, quando non imponitur pro intereſſe lucri ceſſantis vel damni emergentis. *Plurimi* Doctores negant hanc pœnam ſoluendam esse ante iudicis ſententiam, quia illa videtur esse mens contrahentium & pœnā apponentium, niſi aliud exprimant; hanc ſententiam probabilē tenent *Sanch. de matr. l.*2. *d.*37. *Nauar. cap.*23. *nu.*67. *Rodrig. 2. par. cap.*86. *numer.*3. *Suarez de leg. libr.*5. *cap.*6. & multi alij. *Contraria* tamen aſſerentium pœnam conuentionalem ſoluendam esse ante iudicis ſententiam, est etiam probabilis: quia debetur ex vi pacti inter contrahentes initi: & ſic communis ſenſus hominum eam accipit: tamen ſicut pœna legalis & iudicialis non debentur ante ſententiam iudicis, ita conuentionalis non debetur ante exactionem partis, quæ hic iudicis vicem ſupplet: quare ſicut iudici iubenti non licet reſiſtere, ita neque parti exigenti pœnam conuentam denegare. Sed prima ſententia mihi magis placet. *Molina d* 97. *&* 317. *Sà v. pœna nu.*2. *Gutier. de matrim. cap* 18. *nu.*19. *Fillinc. c. nu.*105. *Reginald. l.*25. *n.*328. & alij.

3. Pactum *legis Commiſſoriæ* in pignoribus, per ſe loquendo, illicitum est, & vſurarium: *C. ſignificauit, de pignor.* quia per huiuſmodi pactum, videtur aliquid accipi ſupra ſortem ex mutuo: fieri tamen potest, vt aliquando non ſit illicitum, vt verbi gratia, quando huiuſmodi pactum apponitur in pœnam: certum est enim licere pœnam apponere ſoluendam à mutuatario, ſi tēpore præfixo non ſoluerit. *Pactum* autem *legis Commiſſoriæ* in pignoribus est, quando quis accipit pignus pro mutuo, vel pro alio debito, ea conditione, vt ſi debitor non ſoluat intra certum terminum, pignus fiat creditoris, aut venditum habeatur. *Nau. c.*17. *n.*216 *n.*217. *Molina tom.*2. *diſp.*324. *Reginald. l.*25. *num.* 231. *&* 597. 598. *Azor. 3. p. l.*7. *c.*10.

4. *Qui* dat mutuum & viciſſim recipit pignus à mutuatario, tenetur mutuans fructus pignoris in ſortem computare, ſi pignus tantùm propter ſecuritatem ſortis datum ſit: niſi ratione lucri ceſſantis, damni emergentis, vel periculi ſortis, vel pœnæ conuentionalis, vel ratione expenſarum in pignore cuſtodiendo factarum poſſet eos retinere: quia nullum ius habet ad illos ratione mutui, fructus enim ſunt Domini pignoris. *Cap.*1. *&* 2. *de vſuris.* Si pignus datum est, non ſolum ad ſecuritatem, ſed etiam vt creditor interim eo fruatur loco pecuniæ debitæ, verbi gratia, non tenetur eos computare in ſortem. *Molina diſp.*320. *Azor. 3 p. l.*7. *c.*9. *Leſſius c. dub.*16. *Reginald. l.*25. *nu.*204. *&* 241. & alij.

5. *Vſura est*, ſeclusō lucro ceſſante, aut damno emergente anticipata ſolutione emere minoris chirographa, ſeu credita in poſterum exigenda, ideſt, emendo ius, quod alter habet, vt aliquid in futurum ſoluatur: quia qui minoris emit creditum immaturum, accipit aliquid ſupra ſortem ex mutuo, mutat enim implicitè minorem pro maiore pecunia exigenda: hinc miniſtri regis, qui, vt anticipatam faciant ſolutionem, aliquid recipiunt à creditoribus, committunt vſuram. *Toletus l.*5. *cap.*31. *Valent.* 2.2. *d.*5. *q.*20. *p.*2. *Fillinc. tract.*35. *num.*104. *Leſſius c. cap.*21. *d.*8. *Salas de empt. dub.*39. *Creditum* autem non planè certum, ſed periculoſum ac litigioſum, & cum difficultate exigendum potest abſq; labe vſuræ ab eo, qui non est cauſa difficultatis, minoris emi quàm valeat, prout difficultas & incertitudo ſolutionis maior, vel minor fuerit: quia creditum cum tali periculo & difficultate minus valet, quàm certum & non periculoſum. *Nau. c.*17. *n.*245. *Rodrig.* 2. *p. c.*85. *nu.*7. *Reginald. l.*25. *n.*312. At ſiccèt hęc ſententia ſit communior & probabilior, contraria tamen opinio probabilis etiam videtur. *Maldato* 2.2. *tract.*5. *c.*2. *dub.*5. *Cajet. v. vſura in fin. Armilla v. vſura n.*51. *Sà v. debitum n.*20. & *Diana tract. de contract. reſolut.*49. nam pecunia præſens magis æstimatur quàm futura, ſicut Chirographa ſeu iura minoris æstimantur quàm pecunia præſens: minus enim est, actionem habere ad rem, quàm rem ipſam habere. Vide *Fernandes par.*1. *cap.*15. *§.*1. *num.*10. Azorium 3. *par. lib.*8. *cap.*10. *quæſt.*5.

V S V R A V.

De accipientibus ad vſuras, & pœnis vſurariorum.

S V M M A R I V M.

1. *An liceat mutuatario petere ab vſurario mutuum ſub vſuris, etiamſi vſurarius paratus ſit dare ſub vſuris?*
2. *An ex cauſa neceſſaria petere mutuum ab vſurario, ſit peccatum? & quæ cauſa dicatur neceſſaria?*
3. *An peccet mortaliter qui ab vſurario petit mutuo pecuniam ad vana & inutilia?* refertur duplex ſententia.
4. *Quæ ſint pœnæ manifeſtis vſurarijs?*
5. *Quis ſit cenſendus manifeſtus ſeu notorius vſurarius, vt his pœnis ſubijciatur?*
6. *An clericus manifeſtus vſurarius ſuſpendendus ſit ab officio & beneficio?*

1. MVtuatario non licet petere ab vſurario mutuum ſub vſuris, etiamſi vſurarius paratus ſit dare ſub vſuris; quia non licet mihi petere, quod alter non poteſt facere ſine peccato, hoc enim eſſet alium inducere ad peccatum, ex quo fit, aliud ſit petere mutuum ſub vſuris, ſeu petere mutuum promittendo aliquid ſupra ſortem: *primum* est intrinſecè malum, & actiuè inductiuum

ductiuum ad peccatum; *secundum* verò nihil est aliud, quàm cõtrahere mutuum passiuè concurrendo ad vsuram: vnde qui promittit vsuras, aut eas soluit, non facit opus intrinsecè malum, nec peccat, si hoc faciat ex aliqua iusta causa, vt causa vitandi rixas, vel consulendi propriæ æstimationi, vel proprio commodo &c. *Præterea* patet differentia inter promissionem vsurarum, ac ipsarum solutionem, & inter receptionem; nam si *promissio* vel solutio vsuræ, fiat ex iusta causa, non est mala: *receptio* verò vsurarum ex parte vsurarij est intrinsecè mala & contra iustitiam, cũ fit acceptio rei quæ non debetur. *Salas de vsur. dub.* 48. *Arragon* 2.2.q.78.*art.*4. *Caietanus in summ. v. Vsura cap. penul. Bonacina de contr. d.*4.*q.*3.*punct.*13. *Regin. l.*23.*n.*101.*&* 107.

2. *Petere mutuum* ab vsurario ex causa necessaria, nullum est peccatum; quia id non est optare nec approbare peccatum illius, sed tantùm petere id quod vsurarius potest facere sine peccato; dare scilicet mutuum: per *causam necessariam* intelligitur in proposito, quælibet causa conueniens & vtilis, propria vel alterius: vnde mercator potest mutuo petere pecuniam ab vsurario; ad negotiationem, vel ad augendum statum: immo ad conuiuia, vel ad spectacula honesta, iuxta exigentiam proprij status: quamuis enim mutuatarius sciat mutuatorem daturum ad vsuram, nihilominus ipse non videtur cooperari malitiæ mutuatoris; sed illius peccatum permittit, vt suo commodo ac vtilitati consulat, suoq. vtatur iure. *Valent. quæs.*21.*q.*4. *Reginald. c.n.*102. *Molina d.*333. *Filliuc. c. numer.*146. *Barnes. Salonius, Arragon.* 2.2.q.78.*art.*4. *Diana tr. de contr. ref.*31. & alij.

3. *Magna controuersia* est inter Doctores, an qui ab vsurario petit mutuo pecuniam ad vana & inutilia, vt ad superfluas epulas, ad ludos otiosos &c. peccet mortaliter. *Plurimi* docent non peccare mortaliter; sed tantummodo venialiter, ob finem venialem, propter quem mutuatarius petit mutuum; nam peccatum vsurarij nolentis mutuare nisi sub vsuris, non videtur imputandum petenti mutuum, sed potiùs malitiæ ipsius vsurarij: & huius sententiæ sunt. *Tolet. l.*5.*c.*37. *Sanch. l.*3. *moral. c.*8. *nu.*23. *Mol. tract.*2.*disp.*335. *Salas de vsur. dub.*48. *Duan. de contr. ref.* 31 *p.*1. & alij, & hæc sententia satis probabilis est. *Contrarium* tamen probabilius est, nempe peccare mortaliter, etiamsi vsurarius aliàs paratus esset dare ad vsuram, quia petens mutuum ab vsurario ad vana & inutilia nullam habet iustam causam, propter quã petere possit mutuum cum peccato vsurarij, consequenter graniter peccat, cum censeatur peccato vsurarij saltem externo cooperari, & non euitet scandalum & ruinam proximi, quam tenetur euitare quoties eam non potest ex iusta causa permittere. Soares *tom.*3.*in* 3.*q.d.*28.*sect.*1. *Regin. l.*23.*n.*103. *Sayr. v. usura n.*5. *Valentia c.p.*4.

4. *Pœna manifesti vsurarij*, id est, qui facto vel iure manifestè sunt tales, præcipuæ hæ sunt. *Prima* est infamia iuris, *L. improbũ C. ex quibus caus.* licet quidam probabiliter tutis opinentur hanc infamiam tolli peracta pœnitentia, & facta restitutione, ita. *Salas de vsur. d.*47.*n.*1. *Filliuc. tr.*34.2.*par. n.*156. *Secunda* pœna est, vt non admittatur ad communionem altaris, donec publicè satisfecerit. *C. quia in omnibus* 3. *de vsuris. Sa v. usur. n.*7. *Tertia* nec ad oblationes offerendas, quamuis recipi possint vsurarij eleemosynæ, modò inde non fiat inhabilis & impotens ad restituendum: *C. quia in omnibus de vsur. Lessius c.n.*186. *Bonac. de contr. d.*3.*q.*3. *p.ult.n.*1. Contra verò admittentem huiusmodi vsurarium ad oblationes, lata est iure suspensio ab officio, donec satisfecerit ad arbitrium sui Episcopi. *Quarta* nec ad confessionem peccatorum donec satisfecerint reipsà pro sua facultate, vel idoneam cautionem dederint: idque vel creditoribus ipsis, si sint præsentes, vel ordinario loci, aut eius vicario, vel parocho coram testibus fide dignis, vel notario publico habenti mandatum ab Ordinario: *C. quamquam de vsuris in* 6. *Nauar. c.*17.*nu.*279. *Filliuc. c.nu.*155. *Regin. c.num.*96. Si verò periculum mortis non patiatur moram statim absoluendus est. *Cauto* autem præstanda ab huiusmodi vsurario, qui non potest actu satisfacere, est pignoratitia, & fideiussoria vel saltem iuratoria, quando aliam præstare non potest: *Lessius*. nec ad sepulturam ecclesiasticam: imò qui scienter sepelierit præsumpserit, ipso facto est excommunicatus, saltem si sepelierit post sententiam declaratoriam criminis specialiter latã. *Clem.* 1. *de sepul. Suar. tom.*4. *d.*31. *sect.*2 *nu.*10. *Filliuc. tract.* 34. 2*p. nu.*162. *Sexta* testamentum, codicilli, vel alia vltima voluntas vsurarij manifesti irrita sunt, nisi ante mortem soluerit, vel cautionem debitam dederit: validum tamen esset testamentum illius, qui ante mortem non erat notorius vsurarius, licet post mortem talis habeatur, & per sententiam damnetur de crimine vsuræ, quia testimonium confirmatum fuit per mortem, antequam adesset impedimentum. *C. quamquam de vsur. in* 6. *Filliuc c.num.*119. *Reginal. c.n.*97. *Molina c. disput.* 334. *Sylvester v. vsura*, 9.*q.*7.

5. *Ad incurrendas* has pœnas debet quis esse manifestus seu notorius vsurarius; *Nauar. c* 17*n.*80. *Regin. c. Filliuc. c.num.*152. *Molin. c. disp.*334 & talis censetur, qui sententia iudicis condemnatus est de hoc crimine: vel qui confessus est hoc crimen in iudicio: vel cuius crimen probatum est in iudicio per duos testes idoneos: vel qui ita palam tradit ad vsuram, vt nulla tergiuersatione negari possit, ipsum dare ad vsuram: siue det ad vsuram in mutuo formali, siue in virtuali, siue vnica vice, siue pluribus vicibus: *Qui verò* fatetur crimen suum extra iudicium, aut qui est infamatus de crimine vsuræ, aut is, contra quem extant indicia vsuræ, vel semiplena probatio, non videtur sufficienter notorius, ad incurrendas pœnas citatas, nisi addatur sententia iudicis, quà publicetur esse vsurarius. *Con.* 3.*nau. c.*3. *Reginald. l.*21. *n.*94.

Ex dictis colligitur *primo* vsurarios quantumcumque manifestos, non esse excommunicatos iure communi: quamuis particularibus quarumdam synodorum statutis lata sit in publicos vsurarios excõmunicatio, vt in Diœcesi Cameracensi & Attrebatensi, vt patebit infra, inter casus reseruatos Episcop Belgij.

Secundò est obseruandum, quòd sepelientium nomine nõ intelliguntur soli illi, qui corpus in loco sepulturæ collocant, sed etiam in primis Parochi seu alij sacerdotes qui præsunt funeribus: nam hi iuxta communem vsum loquendi dicuntur sepelire illos mortuos quorum officio sepulturæ præsunt, illud exequentes. Qui verò solùm comitantur funus honoris causa, non hic comprehenduntur; idemque probabiliter dici potest de ministris qui cantant, qui sepulchrum effodiunt, qui corpus deferunt, si illud non sepeliant.

Tertiò est notandum, quòd prædictæ pœnæ non incurrantur ab eo, qui vsurarium manifestum scienter sepelit, aut eius oblationem recipit, quando vsurarius, licet sit notorius, non est tamen vlla particularis sententia in ipsum specialiter denunciata: Ratio est, quia Extrauagans, *Ad euitanda*, continet neminem teneri abstinere à communione alicuius siue in diuinis, siue extra ratione sententiæ, vel censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis, ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ: in talem autem vsurarium sola extat sententia seu prohibitio generalis, quamdiu non est nominatim & specialiter denunciatus, vel de tali crimine declaratus. De his plura apud *Nauar. c.*27. *n.*137. *Alterium tomo* 2. *de interd. disput.*9. *cap.*4. *Sylvius* 2. 2. *quæst.*78. *art.*3. *quæst.*7. & alios: quæ dicta sint iuxta probabiliorem sententiam.

Quartò est sciendum, quòd qui præfatam excommunicationem contraxit, absolui non possit, donec arbitrio Episcopi competentem dederit satisfactionem illis, quibus iniuriam irrogauit publicum vsurarium sepeliẽdo, vt constat ex textu *Clementinæ* 1. *de sepult.* Præstita verò satisfactione, quilibet approbatus confessarius iure communi potest absoluere; quia absolutio in hoc casu non reseruatur.

6. *Clericus* manifestus vsurarius, secundùm sacros Canones, suspendendus est ab officio & beneficio: immo non desistens ab vsuris post monitionem deponendus est ab officio & beneficio: *C præterea de vsuris, & c.*1. *de vsuris. Molina c.d. sp.*334 *Filliuc. c.nu.*157. multi tamen putant Episcopum posse cum huiusmodi vsurario publico post pœnitentiam dispensare, non solùm ad beneficia obtenta, verùm etiam ad obtinenda: quia sicut potest deponere à beneficio, ita etiam potest non deponere, sed suspendere ad tempus. *Porrò* Ecclesiastici non possunt vsurarijs extraneis locare domos, aut permittere in eis habitare: *Cap. vsurarum, de vsur. in* 6. imò tenentur expellere ex suis terris intra sex menses sub pœna suspensionis, si sint Episcopi: excommunicationis, si sint minores Episcopis: interdicti si sit collegium vel vniuersitas *Suar. de censur. d.*31. *sect.*5. *n.*13. *Sayrus de censur. l.*4 *c.*17. *num.*48. *Filliuc. tr.*17. *n.*152.

VSVRA VI.

De restitutione vsurarum.

SVMMARIVM.

1. *Quando dominium vsurarum transferatur in vsurarium?*
2. *An vsurarius teneatur mutuatario restituere fructus, quos percep-*

percepit ex re aliena accepta per vsuram?

3. *An vsura mentalis sit etiam restituenda?*

4. *An acceptum per realem vsuram multò magis sit restituendum, quacunque res sit?*

5. *An omnes illi teneantur ad restitutionem, qui agunt partes vsurarij, & sunt causa efficax cur vsuræ soluantur, vel soluta non repetantur.*

6. *An qui pecuniam suam apud vsurarium deposuerunt, peccent, & teneantur ad restitutionem?*

7. *An bona vsurarij remaneant hypothecata pro soluendis debitis?*

8. *An Heredes vsurarij teneantur in solidum ad restitutionem?*

9. *An legatarij & donatarij vsurariorum teneantur ad restitutionem, si omnes heredes deficiant?*

1. MVtuator vsurarius non acquirit dominium earum rerum, quas per exteriorem seu realem vsuram vltra sortem extorquet à mutuatario. Ita *D. Thom. c. q.78. art.3. Syl. ib.q.1. Bann.ib. Couar.l.3,var.c.3.n.6. Medina q.4.de vsur. Lessius l.2.c.20. num.158. Valent. 2.2. d.5. qu.21. punct.3. Filliuc. tr.34. nu.126. Molina c. d.327. L. si alieni ff. de soluto. L. Marcellus §. Pomponius ff. de rei vindicatione. Bonac. de contr. d.3. q.3. p.14. m.1.* & alij Doctores ferè communiter contra *Scotum & Nauarrum*. Ratio est, quia ad translationem dominij requiritur consensus mutuatarij, quem hic deesse constat ex eo quòd solùm intendat exterius tradere vsurarium actuarium, quatenus id præcisè opus est ad mutuum obtinendum, ad hoc autem non opus est, vt se abdicet rei suæ dominio, vel alio iure, quo possit eam postea recuperare. Deinde mutuatarius in accipiendo mutuum tantùm spectat suam vtilitatem, ergo vbi non exstant clara signa voluntatis transferendi dominium, censendus is est tantùm velle suæ necessitati prouidere exteriùs solùm dando vsuram, ac proindè minimè velle cedere iuri suo, quod habet ad illam recuperandam. Quod intelligendum est, maximè de rebus vsu non consumptibilibus: Nam res vsu consumptibiles, si misceantur ita cum alijs similibus rebus vsurarij vt discerni nequeant, transeunt in dominium vsurarij, perit que obligatio realis, & solùm manet obligatio personalis: quia in talibus non est ratio cur potiùs hæc pars censeatur aliena, quàm ipsius vsurarij: deinde sic multa incommoda euitantur quæ alioqui in emptione huiusmodi rerum ab vsurario acciderent, manent enim emptores liberi à restitutione, saltem si per has venditiones vsurarius non est factus impotens ad restituendas vsuras iniquè factas, quod secus accideret, si rerum, quas emerunt, dominiũ non fuisset apud vsurarium.

2. Fructus, quos percepit *vsurarius* ex re aliena accepta per vsuram restituendi sunt mutuatario, cùm enim vsurarius non sit Dominus rei, non acquirit dominium fructuum, quia res Domino fructificat: si tamen fructus sint materiæ industriæ, quales sunt, qui percipiuntur ex pecunia vsuraria, aut ex alia re vsu consumptibili functionem recipiente, transeunt in ipsius vsurarij dominium. *Filliuc. c. n.115. & 125. Molina c.disp.327. D. Thom. 2.2. q.78. art.3. Lessius l.2. c.20. nu.161. Sàv. debitum nu.12.* Si autem *vsurarius* res alienas loco vsuratum acceptas vendit, acquirit dominium pretij, licet dominium istarum rerum non transferat in emptores: requiritur tamen vt emptor bona fide res illas emerit nesciens esse alienas; si enim sciuit, cõtractus est irritus, vnde tunc vsurarius non acquirit dominium pretij. *L. si in emptione ff. de contrahenda emptione*. Azorius 3.p. l.5. c.12. Molina *c. disp.326.*

3. Communis Doctorum sententia est vsurarium mentalem teneri ad restitutionem vsuræ, si intendat aliquid accipere ex vi mutui, tanquam ex iustitia debitum, & mutuatarius etiam eo animo det, quia nouit prauam eius indolem. *C. Consuluit de vsuris. Couar. ad reg. peccatum p.2. n.4. Filliucius c. n.114. Nauar. c.17. nu.209. Lessius l.2. c.20 d.6. Azor. 3.p.l.5. c.16. q.3. Valent. 2.2. d.5. q.21. p.3. P. Nauarr. l.3. c.2. nu.209. Syluius 2.2. q.78. art.3. q.5. concl.1.* Ratio est, quia mutuatarius non dedit sponte, sed coactè ex vi mutui, eò quòd videret se esse necessarium ad mutuum obtinendum, vnde non transtulit verè & seriò in mutuatorem dominium suæ pecuniæ. Et confirm. quia ratio obligationis restituendi in proposito, non est, quia vsurarius dicat aliquid, vel non dicat, sed quia reipsa aliquid iniustè altero inuito accipit, & sic non acquirit dominium. *Si tamen mutuatarius* det gratuitò & ex benevolentia, sed vsurarius id non aduertens accipiat tanquam datum ex obligatione stricta rationis mutui, tunc non tenetur ad restitutionem ex parte rei, sed solũ ratione conscientiæ erroneæ, quamdiu illa durat: *Salas de vsuris dub.7. Bonacina t. p.15. nu.3. Syluius t. q.5. concl.3. Filliuc. c.n.114.* Ratio, quia nemo obligatur ad restitutionem, nisi quia habet alienum, vel qui iniustè læsit: at vsurarius mentalis in hoc casu nec habet alienum, nec iniustè læsit, licèt enim intenderit lædere dum voluit accipere tanquam ex stricta & ciuili obligatione debitum; tamen reipsa læsio non fuit sequuta, cùm mutuatarius non dederit ex iniustæ illa obligatione, quam mutuator vsurarius intendebat, sed ex amicitia; ergo læsus non fuit. *Quando autem* ex parte solius mutuatarij est intentio soluendi vltra vsuram, cùm mutuans bona intentione mutuauerit, similiterq; lucrum acceperit bona fide, credens sibi dari ex gratitudine, non peccat mutuator, ad restitutionem tamen tenetur statim ac cognoscit illud tanquã mutui pretium sibi datum fuisse, si id quod accepit adhuc extet, vel ex eo factus fuerit ditior, vt dictum est de possessore bonæ fidei. *C. consuluit de vsuris. Caietan. in sum. v. vsura c.3. Sylu. c. concl.2. Graffijs 1.p.l.2. c.107. Salas c.dub. 8. nu.3.* Si verò mutuatarius det aliquid mutuanti, dum ei restituit sortem, & ille dubitat quo animo detur; dicendum est non posse retinere, siue dubium sit negatiuum siue positiuum; quia cum tali dubio, non potest quis rei alicuius possessionẽ inchoare. *Bonacina de contr. d.3. q.3. p.2. n 11. Lessius c. n.45.* Quamuis *Angelus, P. Nauarra, Filliucius*, & alij apud *Bonacinam c.* putent in dubio præsumi tradentem voluisse donare, hoc enim fauorabilius est recipienti; qui in dubio priuandus non videtur re accepta.

4. *Acceptum* per realem vsuram multò magis est restituendũ, quæcumque res sit, siue in se, si extet, siue in valore, si non extet: damnum item illatum & lucrum cessans: expensæ etiã quas mutuans fecisset in recuperanda re sua: fructus item percepti ex re aliena modò non fuerint fructus meræ industriæ: *Ratio* autẽ est: quia vsurarius, vt ante dictum est, non acquirit dominium rei per vsuram acceptæ. *D. Thom. c. q.78. art.3. Filliuc. c. ca.6. Bonacina c. punct.15. n.5. Lessius c. d.161. Sàv. debitum n.12.*

5. *Omnes* illi tenentur ad restitutionem, qui agunt partes vsurarij, & sunt causa efficax cur vsuræ soluantur vel solutæ non repetantur: *Syluius c. art.3. q.6. concl.2. Nau. c.17. n.269. Filliuc. c. n.137. Molina disp.331. n.3 Less. c. n.178.* tales sunt, *Primo*, qui persuadent alicui vt fiat vsurarius, & vsuras exigat, nisi fortè putauerint mutuatarijs, qui aliter mutuum obtinere nequeũt, id gratum fore; tunc enim mutuatarij tacitè consentiũt, & ratũ habent, cùm hoc in gratiam ipsorum fieri videatur. Hinc qui cooperatur ad vsuram, agendo partes mutuatarij, non obligatur ad restitutionem: quia quod agit, agit volente, & sciente mutuatario, volenti autem & scienti non fit iniuria & ininstitia. *Secundò, Principes*, vel iudices qui aliquo modò compellunt ad solutionem vsuratum: imò in iure excommunicantur facientes, scribentes, vel dictantes statuta de soluendis vsuris, vel de non restituendis, cùm repetuntur. *Item* iudicantes, seu sententiam ferentes vt soluantur vsuræ, vel vt non restituantur plenè & libere, cùm solutæ repetuntur. *Item* iudices seu officiales præsumentes seruare huiusmodi statuta vel consuetudines vim statuti habentes. Secus dicendum si iudices vsurarios solùm in Repub. permittant, ad maiora incommoda vitanda, nullum eis auxiliũ præbentes; tunc enim non censerentur vsurarum causa. Clemẽtina *Vnicade vsuris* Salas *de vsur. d.44. n.6.* Salon 2 2.q.78.a.3. *concl.9.* Filliuc. *c. n.143.* Sylvest. *v. vsur.7. q.10.*

Tertiò, Notarius, qui conficit instrumentum vsurarium, inuito mutuatario, tenetur ad restitutionem, si ob id mutuatarius cogatur soluere vsuras: vt si contractui vsurario prætendat honestum nomen mutui vel venditionis. Si tamen notarius instrumentum conficiat volente mutuatario, non tenetur ad restitutionem, quia non lædit inuitum: peccat tamen semper mortaliter talia instrumenta conficiendo contra iuramentum, quod Notarij, dum munus illud suscipiunt, facere solent. *Sa v. vsura num.12. Salas c. dub.44. num.7. Molina c. num.6. Filliucius c. num.137. 138. Sylvius c. conclus.4.*

Quartò, Famuli vsuriariorum, qui vsurario inseruiunt in celebrando contractu nomine vsuriariorum, tenentur ad restitutionem; vnde numerans mutuum, vel illud deferens ad mutuatarios, vel exigens vsuras, secundùm *Nauar. c. n.275. Valent. 2.2. d.5. q.21. p.2. Sylvius c. concl.2. Molina c. d.331. num.9.* tenetur ad restitutionem, quamuis aliàs mutuatarius eas soluisset; cooperatur enim vsuræ: *Filliucius c. n.140. Sà num.13. Arrag. c. q.78. art.3. d.vlt.* docent principalem actorem vsurarij teneri ad restitutionem, secus de mero executore. Vtraque sententia est probabilis. *Famuli* verò qui solùm seruant pecunias acceptas, vel solùm referunt in libros rationum dati & accepti, nõ videntur

videntur teneri ad restitutionem, quia parum videntur cooperari ad damnum: item famuli inuincibiliter ignorantes, contractũ esse vsurarium, non tenentur. *Less. c. num. 184. Filiuc. c. cap. 7. nu. 144. Arron. c.*

Quintò, confessarius tenetur ad restitutionem, quando suis verbis est in causa, cur non fiat restitutio ab vsurario, censetur enim causa efficax iniustæ detentionis: quando verò noa admonet pœnitentem de restitutione facienda, non tenetur. *Sanch. l. 1. moral. cap. 6. num. 5. Azor. 3. par. l. 4. cap. 16. quæst. 3. Reginald. libr. 10. num. 91.*

Sextò, Proxenetæ, qui quærunt eos, qui pecunia egent, & adducunt ad vsurarium, & instituuntur ab vsurarijs, seque tenent ex parte vsurarij, tenentur ad restitutionem. videntur enim cooperari ad damnum, non minùs, quàm consulens: secus dicendum de proxenetis, quando agunt partes mutuatarij ad instantiam ipsius mutuatarij: tunc enim non tenerentur, quia potiùs mutuatarijs beneficium præstant, quàm iniuriam inferant. *Molina c. n. 10. Nauar. c. Filiuc. c. n. 137. Salas c. n. 15.*

6. *Porrò* qui pecuniam suam apud vsurarium depoluerunt, modò tamen non suaserint vt vsuras exigeret, nec sint earum participes, non tenentur ad restitutionem: fieri tamen potest, vt illi qui depoluerunt, peccent: quatenus vsurario præbent materiam plurium iniquorum contractuum. *Sanch. l. 1. moral. c. 7. num. 36. Filiucius c. n. 132. Bann. 2. 2. q. 78. art. 4. dub. 4.*

7. *Bona vsurarij* non remanent hypothecata pro soluendis debitis: *Molina tr. 2. d. 329. Nauar. cap. 17. nu. 245. Bann. c. dub. 3.* quia à iure positiuo non est introducta hypotheca pro soluendis debitis: remanent tamen talia bona obligata restitutioni, obligatione saltem personali, modò non sint eademmet bona quæ, per vsuras accepta sunt: & huius sententiæ est etiam Doctissimus Syluius *2. 2. q. 78. ar. 3. quæst. 2.* Ob eandem rationem bona furis non sunt hypothecata, modo non sint ipsæmet res alienæ extantes in specie seu numero; nam si res alienæ extent in individuo, vt vestes, torques, &c. restituendæ sunt domino, nec possunt emi à fure, vel vsurario, inuito domino: quia vsurarius non habet dominium eorum, quæ vsurario contractu accepit: Ex tacito tamen domini consensu, huiusmodi bona possent emi: hinc ementes pignora ab vsurarijs excusantur, quando publicè venduntur; quia præsumitur adesse tacita voluntas domini.

8. Etsi bona vsurarij defuncti, longè superent vsuras, seu debita soluenda, tenetur tamen hæres, ad restitutionem eorum bonorum, quæ in specie exstant & quæ constat esse aliena, idque siue alij hæredes restituant suas portiones, siue non, siue etiam aliquid aliud, hæreditate obtinuerit siue nõ: Quia res aliena apud quemcumque reperiatur, est per se restituenda vero Domino, nec potuit vsurarius transmittere in hæredem dominium rei, cuius ipse non erat Dominus, idque locum habet, etiam quando res illa aliena excederet portionem, ad quam restituendam, hic hæres, ratione hæreditatis adita obligatur; excessum tamen istum, tenentur ipsi postea reliqui hæredes compensare. *Emman. Sa v. vsura n. 14. Mol. c. disp. 332. Salon 2. 2. q 78. art. 3 controu. 8. Filiuc. tr. 34. num. 132. Lessius l. 2. c. 20. dub. 10. Bonacin. de contract. disp. 3. q. 3. p. 15. num. 14. Quando autem* bona vsurarij excedunt vsuras, seu alia debita persoluenda, nihilque in illis reperitur alienum idẽ numero perseuerans, tunc debita sunt distribuenda inter hæredes pro rata hæreditatis, ita vt si postea nolit eorum aliquis, portionẽ debiti sibi incumbentem soluere, non proinde alij hæredes, pro eo satisfacere tenentur: quia in successione hæreditatis sicut defuncti bona diuiduntur in hæredes, ita etiam eius obligationes personales & debita; ratio enim dictat vt qui tantum ex parte commodum recipit, onus quoque ex parte tantum ferat. *Sylues. v. vsura 6. §. 10. Sot. lib 6. q. 1. art. 4. Salas de vsuris dub. 43. n. 2. Sylu. 2. 2. q. 78. art. 3. q. 6. concl. 1. Filiuc. c. n. 135. Lessius c. nu. 175. Con. 3. var. cap. 3.* Vnde in foro animæ hæres vsurarij non tenetur ad plura restituẽda, quã in hæreditate acceperit quia talis nõ tenetur ad restitutionẽ nisi ratione rei acceptæ, ergo nõ tenetur plus restituere quàm acceperit: quamuis in foro externo teneatur etiam vltra vires hæreditatis si inuentarium non fecit, ob præsumptionem fraudis commissæ. *Tol. l. 5. c. 31. Filiuc. c. n. 136. Molina d. 332. Bonacina c. punct. 15. n. 16. Salas c. n. 2.*

9. *Legatarij & donatarij* non tenentur ad restitutionem, etiãsi omnes hæredes deficiant, si illa, quæ hæredibus relicta sunt, sufficiunt ad soluenda debita, & ad portionem hæredibus iure debitam: quia onera debitorum testatoris non transeunt ad legatarios, sed ad hæredes: hæres enim est, qui succedit in vniuersum ius defuncti, ac proinde etiam in onera eiusdem: *tamen si bona* hæredibus titulo hæreditatis cum oneribus defuncti relicta non sufficiunt, vt ipsi solutis debitis habeant suam legitimam, vel quartam iure debitam: tunc legatarij & donatarij, quibus aliquid causa mortis donatum est, tenentur contribuere seruata proportione, vt solutis debitis legitimam vel quartam illam quæ Falcidia dicitur, obtineant; iuxta locorum statuta, vel consuetudinem. *Medina q. 4. de usuris. Molin. c. Bonacin. de contract. disp. 3. quæst. 3. punct. 15. num. 15. Filiuc. c. num. 135. Lessius c. dub. 20. num. 176. & 177.*

VSVS. VSVSFRVCTVS.

SVMMARIVM.

1. *Quid sit usus?*
2. *Habens ius usu nudi sine usufructu quid possit.*
3. *Quid sit usufructus? & quod sit discrimen inter dominium, usũ, & usumfructum?*
   Vsu fructus duplex est, unus legalis, alter conuentionalis.
4. *Quæ sint obligationes usufructuarij.*
5. *Quibus modis amittatur usufructus.*
   An usufructus acquisitus monasterio professione monachi transeat cum ipso legitime transeunti ad aliud monasterium?
6. *Vsufructus paternus in adeuntia filij bona, an expiret ipsius patris professione, & pertineat ad filium, uel ad monasterium.*

1. VSus *est ius dumtaxat utendi re aliena salua illius substantia: Inst. de usu & habit. Lessi. c. c. 3. dub. 6. Filiuc. tract. 31. c. 3. n. 58. Clauius reg. lib. 9. cap. 3. n. 5. 6. Arragon. 2. 2. q. 62. tr. de Dominio. Mol. tom. 1. tract. 2. disp. 5. Leym l. 3. tr. 1. cap. 6. nu. 6. Conradus tract. 1. de contract. q. 12.* is verò cui talis vsus concessus est, dicitur *usurarius.* Dixi *est ius*, loco generis. dupliciter autem vsus capitur. *Primò*, pro actu vtendi, quo pacto equitatio, dicitur vsus, equi, & habitatio, vsus domi, & hic dicitur vsus facti. *Secundò*, pro iure ad eo modo vtendum, & hic permanet cessante actu vtendi seu facti; hoc autem posteriori modo capitur in definitione. Dixi *utendi*; loco differentiæ, & sic excludes iura, quæ non sunt ad vtendum, vt ius depositarij comparatione depositi, & creditoris comparatione pignoris. Dixi *dumtaxat*, & hinc excluditur vsusfructus qui licet sit ad vtendum re aliena, nõ tamen est ad vtendum dumtaxat, sed etiam ad fruendum vsufructu, id est, ad percipiendum omnes fructus rei. Dixi *aliena re*, quia ius quod dominus rei habet ad ea vtendum, quodque cum dominio est coniunctum & ab eo causatur & deriuatur non definitur hic. Dixi *salua illius substantia*, quia ius ad vsum, per quẽ res omninò consumitur, aut alienatur, vt ius ad alienandam pecuniam, aut quamuis aliam rem, ad habendum vinum, &c. non est proprie vsus.

2. Parum potest qui habet ius vsus nudi, sine vsufructu: *Instit. de usu & habitatione Clau. reg. c. c. 3. n. 7. Sylues. v. usus, in princ.* quia qui habet ius vtendi fundo alieno, solùm habet ius sumẽdi poma, olera, flores, fœnum, & ligna, ad vsum quotidianum, poterit etiam in eo ambulare & commorari, modò Domino fundi molestus non sit, non potest donare, aut vendere quidquam horum alteri, nec locare, aut concedere alteri ius ad ea emolumenta percipienda. Differt verò habitatio ab vsu nudo: quia vsuarius, cui v. g. vsus domus est concessus, non potest eam alteri locare; is verò cui habitatio domus est concessa, potest eam locare, sibique pretium locationis acquirere. *L. 1 ff. de usu, & habit. Mol. c. disp. 5. Laym. c. n. 8 Less. c. dub. 6. nu. 15.*

3. Vsusfructus *est ius utendi, & fruendi aliena re, salua illius substantia*, is verò qui tale ius habet dicitur *usufructuarius*, dico *utendi*, & *fruendi*, ad excludendum nudum vsum, qui non est ad fruendum. *L. 1 ff. de usufructu & Instit. eodem tit. in prin. Siluest. v. dominium q. 2. Sot. de iustit. l. 4. q. 1. art. 1. Clau. reg. c. cap. 3. nu. 6. Laym. c. 6. Less. c. dub. 4. Mol. c. disput. 2. Fill. c. cap. 3. num. 64.* Potrò vsufructuarius, non solùm habet ius ad integrè vtendum bonis omnibus, in quibus vsusfructus est constitutus, sed etiam ad percipiendum omnes eorum fructus. ita vt eò ipsò quod illos percipit, dominium eorum comparet; antequam autem illos percipiat, cùm vnum sint per colligationem & vnionem cum re, cuius habet vsumfructum, dominium eorum pertinet ad Dominũ, cuius est res, quæ fructus illos in se habet, ipse verò habet ius ad illos percipiendos, eosque perceptione ipsa suos efficiendos, dum

interim

interim adhuc perſeuerat tempus vſusfructus. Quare ſi fructuarius moriatur ante perceptionem,pertinent non ad hæredes fructuarij, ſed ad proprietarium;quia quamdiu adhærent fundo,cẽſentur vnum cum ſolo, vnde pertinent ad dominum ſoli, donec fructuarius eos colligendo comparauerit ſibi dominium. Dico alienare ad excludendum ius,quod is qui iure pleno dominus eſt rei alicuius fructiferæ habet ad ea vtendum & fruendum. Dico *ſalua illius ſubſtantia*,quia vſusfructus ſolùm proprie eſt circa res, quæ vſu non conſumuntur, vt ſunt ager, pecora, domus, impropriè autem vinum, oleum, triticum pecunia; ſed tunc transfertur dominium in vſufructuarium præſtita cautione, ſe finito tẽpore reſtituturum pecuniam vel rei æſtimationem. *Inſtitut.de vſufructus,§.conſtituitur*.

Ex dictis colligitur diſcrimen,quod eſt inter dominium,vſum, & vſumfructum. Nam ius duplex eſſe poteſt,vnum in ſubſtantiã rei,vt poſſit illam conſumere,ſi conſumptibilis ſit,vel ſaltem alienare,vt vendendo, donando,&c.Et hoc eſt dominium. Alterum eſt in qualitatem ſeu accidẽtia rei,& hoc rurſus eſt duplex; vnum eſt ius vtendi re aliena in propriam tantùm vtilitatem, ſalua eius ſubſtantia,& dicitur vſus. Alterum eſt ius vtendi & fruendi ſalua ſubſtantia rei, & hoc dicitur vſusfructus: frui enim aliqua re dicitur ille, qui non ſolùm poteſt conſumere fructus in ſuum cõmodum, ſed etiam donare, vendere,locare, vel gratis dare alteri ius, quod habet in vſufructu.

Præterea colligitur,vſum,& vſumfructum,proprie loquendo, non poſſe conſtitui niſi in rebus immobilibus,quales ſunt domus, prædia &c. Et etiam mobilibus, quæ vſu ſtatim non conſumuntur,vt ſunt oues,boues,equi, &c.quia in his manifeſtè patet poſſe vſum & fruitionem rei,remanere eius ſubſtantiam, & ſic vſus & vſusfructus poſſunt eſſe vnius, & proprietas, & dominium alterius.An autem in rebus vſu conſumptibilibus poſſit vſus à dominio diſtingui,ita vt vſus ſit penes vnum,& dominium penes alterum de ſupra verba *Dominium 1.n.13*.

Vſusfructus duplex eſt,legalis vnus,conuentionalis alter: conuentionalis is dicitur, qui conſtituitur hominis diſpoſitione,ſiue per vltimam voluntatem, ſiue per contractum, ſiue per alium modum ab aliquo homine. Legalis eſt qui per legem ipſam conceditur qualis eſt vſus, qui Patri in bonis aduentitijs ſuorum filiorum conceditur.*L.cum oportet.L.Quæcunque, Cod.de bonis, quæ liberis*.

4. *Obligationes vſufructuarij*,ſunt *Primò*, dare cautionem, quòd rebus quæ vſu non conſumuntur,vtetur boni viri arbitrio, id eſt vt vir bonus re propria vteretur ac frueretur: vnde ſi excedendo eiuſmodi vtendi ac fruendi modum,res quibus fruitur,pereant aut deteriores euadant,tenetur in vtroque damnum reſarcire. *L.aquiſſimam & L.Sed etſi,ff.de vſufructu. Clau.reg.l.9.c. 3.n.8.Leſſ.c.n.18*.

Secundò tenetur etiam cautionem dare,quod tranſacto vſusfructus tempore, reſtituet eiuſmodi res, quales tunc ſuperfuerint.*Iuſti cuius, & l. ſeq.ff.de vſufruct.Filliuc.c.num.65*.Similiter, cui conceſſus eſt vſusfructus rerum vſu conſumptibilium, quarumque dominium in eam tranſit,tenetur dare cautionem, quod tranſacto tempore vſusfructus ſibi conceſſi, illarum rerum æſtimationem reddet. Vbi autem fructuarius talem cautionem ſatisdare non poteſt,quia eſt pauper, eaque de cauſa fideiuſſorem nõ inuenit; ſi non ſit perſona ſuſpecta, ſatis erit cautio iuratoria, ſin verò fuerit perſona ſuſpecta,ſequeſtrabuntur bona, quæ non ſunt vſu conſumptibilia apud aliquem, de cuius manu vſumfructum ſumat: vſumfructum autem rerum vſu conſumptibilium perſonæ pauperi,& ſuſpectæ,nemo prudens concedere ſolet.

Tertiò tenetur ad expenſas & ſumptus modicos, ad refectionem rei,qua fruitur,ſtu neceſſarios, vt ad vtilitatem vſus præſentis illius rei,fructuſve perceptionem ſpectent, quia poſtrema naturalis,adminiſtratio, & conſeruatio illius rei, pertinent ad vſufructuarium tanquam ad procuratorem proprietarij: non tamen tenetur ad ſumptus magnos,vel ad perpetuam rei vtilitatem ſpectantes,quos tamen ſi faciat rationabiliter, datur ei deinde actio negotiorum geſtorum aduerſus proprietarium,vt eos recuperet: ſi quid etiam in lite inſumat, vel ad rem quã vtitur vendicandam & extrahendam de manu cuiuſcumque alterius poſſeſſoris, id etiam repetere poterit à proprietario.*L.vſufructu legato, & L.hæredem,ff.de vſufructu.Layman c.num.4.Claus reg.c.num.9.* Filliuc. *c.n.65.Leſſ.c.n.18*.

Quarto, tenetur vſufructuarius ſoluere tributum,ſi quod ex re qua fruitur ſit ſoluendum. *L. vſufructu relicto, ff. de vſufructu.* Item tenetur conſeruare integrum numerum pecorum & aliorum animalium gregatim ſibi traditorum, toridem capita ex ſotibus,loco demortuorum ſubſtituendo, vt numerus integer perſeueret: hoc tamen non habet locum, quando conceditur vſus, non gregis collectiuè, ſed animalium, ſeu ſingulorum capitum, tunc enim non tenetur ſubſtituere: quia grex eſt æternus, ſed ſingula capita ſeorſim pereunt. *L.vetus,& duabus ſeq.ff.ibid.& §. in pecudum cum ſeqq.inſtitut.de rerum diuiſ.Clau.reg.cit.numer.9. Leſ. c.dub.6. nu.18*. Idem intellige de vinea & arboribus: loco enim arborum & vitium demortuarum,tenetur fructuarius plantare alias:niſi tempeſtate aut alio infortunio abſque ſua culpa deiectæ aut deſtructæ ſint. *L arbores.ff.de vſufructu. Sylueſt. u.vſufructus.Mol.c.d.7*.

Quintò, vſufructuarius nequit abſque licentia proprietarij vſumfructum in alio transferre titulo donationis, venditionis, aut alio modo, ita vt alter, maneat vſufructuarius rei cum eo iure quod habet, immo attentando, hoc facere,ſtatim amittit vſumfructum & acquiritur proprietario. Ratio eſt,quia de ratione vſusfructus eſt,quòd ſit ius vtendi, & fruendi nomine proprio Ius verò ad vſum, vtilitatem, & fructus rei percipiendos non eſt vſusfructus, ſed ius quoddam ab vſufructu diſtinctum, ideò hoc ius locatione, venditione, aut alio quouis titulo concedere poteſt alteri abſque facultate, & conſenſu proprietarij, vel ad tempus, vel ad perpetuum eo modo quo ipſe ius habet ad vtilitatem. *L.Si vſufructus, ff.de iure dotium*. Et in hoc caſu manet vſusfructus in eo, in quo antea fuit, impeditus tamen quo ad actum vtendi & fruendi, propter translationem iuris ad vtilitatem in alium. Vide *Sanches l.7. moral. c.13. nu.14. & 20. Couar. l.1. variar. c.2. n.7.* & alios ab ipſo citatos.

5. Multis modis amittitur vſusfructus.*Inſt.de vſufructu §. finitur. Leſſ. l.2. c.3. dub.5. Layman c.c.6.n.5. Fill. c.nu.67. Primò*, ſi moriatur vſufructuarius. *Secundò*, ſi res ipſa pereat. *Tertiò*, ſi tanto tempore non vtatur iure ſuo, quanto opus eſt, vt Dominus directus contra eum præſcribat: hoc tempus inter præſentes eſt 10. annorum & 20. inter abſentes. *Quartò*, maxima capitis diminutione, cum ſcilicèt aliquis ſimul ciuitatem & libertatem amittit. *Quintò*, per mediam capitis diminutionem, quando ciuitatem quis amittit, non libertatem. *Sextò*, ſi vſufructuarius cedat vſumfructum proprietario. *Septimò*, ſi acquirat rei proprietatem & dicitur conſolidatio. *Octauò*, ſi Pater fiat hæreticus, hoc ipſo amittit vſumfructum in bonis aduentitijs filij. Porrò per ingreſſum vſufructuarij in religionem incapacem ſtabilium bonorum ac reddituum, (vt eſt ordo Minorum de Obſeruantia, Capucinorum & Societatis Ieſu) per profeſſionem, ſecundùm communem ſententiam, vſusfructus finitur, & cum proprietate conſolidatur *Angel. v. relig. n.52. Sylueſt. v. relig. 6. qu.1. Azor. tom.2, l.2. c.22. q.4. Sanch. l.7. moral. cap.13. nu. 53. Fill. c.nu.68*. quia vſusfructus eſt ius perſonæ, quod cum ea extinguitur, ſeu per mortem naturalem, ſeu per mortem ciuilem, quã omninò incapax vſusfructus perſona fiat: ſecus dicendum per profeſſionem in alijs ordinibus capacibus bonorum immobilium in communi, & perpetuorum reddituum: in quibus quamdiu viuit vſufructuarius, vſusfructus permanere poteſt in monaſterio, cum ordine ad profeſſum, ita vt profeſſus & monaſterium veluti vna perſona cenſeantur. *Authent. ingreſſi C. de Sacroſanct. Eccleſ.*

Sed dubium eſt, an vſusfructus acquiſitus monaſterio profeſſione monachi, tranſeat cum ipſo legitimè tranſeunti ad aliud monaſterium? Reſp. *Primò*, ſi ille vſusfructus eſſet acquiſitus monacho ante profeſſionem, eum tranſire ad poſterius monaſterium à tempore, quo in poſteriori profitetur; quòd ſi poſterius eſſet ſucceſſionis incapax, perire à tempore illius profeſſionis, & conſolidari cum proprietate. Ratio eſt quia vſusfructus ſequitur perſonam, in qua conſtitutus eſt, ab eaque pendet quoad eſſe, & conſeruari. Cum ergo non cenſeatur perfectè acquiſitus priori monaſterio, ſed ſucceſſiuè quotidie acquiratur ex monachi perſona, ceſſabit ille quoties ceſſat ius ex monachi illius perſona ſuccedendi, eò quòd iam profeſſus ſit in alio monaſterio: & hoc probatur ex *L.1. §.final. ff. de vſufruct. accreſ.*

Secundò, ſi talis vſusfructus poſt profeſſionem monacho relictus ſit contemplatione monaſterij, permanebit in priori monaſterio, quia cenſetur illi relictus: ſi verò contemplatione monachi relictus ſit, cenſetur monaſterio relictus dependenter a perſona illius monachi, & ideo tranſibit cum illo ad poſterius monaſterium. Si autem dubium ſit, cuius contemplatione, præſumetur relictus contemplatione monaſterij, & ideò apud prius manebit.

6. Certum eſt, vſumfructum paternum in aduentitia filij bona,expirare ipſius patris profeſſione, & pertinere ad filium, quan-

quando religio eſt ſuccedendi incapax: Controuertitur tamen inter Authores, an idem ſit dicendum quando religio eſt ſuccedendi capax? Affirmant quidam; quia ceſſantibus patria poteſtate, & facultate adminiſtrandi bona, vt paterna profeſſione reuelata ceſſant, extinguetur ille vſusfructus. Nec obſtat, poſſe ea bona per religionis minittros adminiſtrari. Quia ius ſoli Patri hanc adminiſtrationem, & ratione illius vſumfructum conceſſit. Ita *Conar. de teſtamen. c. 2. num. 9. Roſella verbo Donatio 1. num. 44.* & alij. Secunda ſententia ſuſtinet, dimidiam illius vſusfructus paterni partem pertinere ad monaſterium, reliquam autem dimidiam ad filium: quia patre emancipante filium ita diuiditur vſusfructus *L. cum oportet 6. §. ſin autem Cod. de bonis quæ liber.* At pater profitens in religione, facto ſuo emancipat filium, cùm per eius profeſſionem liberetur à patria poteſtate; ergo ſolam dimidiam vſusfructus partem, quæ ad patrem emancipantem pertinere debebat, retinebit monaſterium. Ita *Sylueſtr. verb. Religio 6. quæſt. 1. Angelus ver. Religioſus num. 10. Armilla verb. Religio n. 20. Tabiena ibi quæſt. 33* Hæ duæ ſententiæ ſunt ſatis probabiles, probabilius tamen eſt vſumfructum nequaquam extingui, nec diminui, ſed totum pertinere ad monaſterium toto paternæ vitæ tempore: tum quia nulla eſt commoda differentiæ ratio inter vſumfructum paternum & alios: tum quia ſi alij vſusfructus tranſeunt ad monaſterium, tranſibit ſimiliter paternus. Ita Cluis tegia *libr. 9. cap. 7. num. 9. Gutter. qq. canon libr. 2. cap. 1. num. 100. Leſſ. lib. 2. cap. 41. num. 83.* & alij. Pari modo, Pater in ſæculo manens, vſumfructum, quem in bonis aduentitijs filij habebat, non amittit per filij profeſſionem, vt *Nauarrus commentar. 2. de regul. num. 55.* docet; nam profeſſio filij non poteſt officere iuri paterno iam ante acquiſito, ſecus eſt quando filius egreditur patriam poteſtatem ob crimen paternum, tunc enim amittit pater vſumfructum vna cum patria poteſtate.

Atqui hic eſto finis huius noſtræ Summæ Theologiæ Practicæ: Omnia autem & quæcumque in hac Summa continentur, Superiorum meorum, & Sacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, quæ omnis veritatis columna & magiſtra eſt, iudicio ſubmiſſa ſunt.

Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia; ipſi gloria in ſæcula. Amen.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google